
CODEX ITALIAE DIPLOMATICUS (ETC.)- FRANCOFURTI (USW.), LANCK...

Johann Christian Lünig





CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS,

Quo non ſolum

Multifariæ Inveſtiturarum Literæ, ab Auguſtiſſimis Romanorum Imperatoribus Italiæ Principibus & Proceribus conceſſæ atque traditæ;

Verum etiam

Alia inſignia varii generis Diplomata, tam edita, quam multa anecdota, Ipſos concernentia continentur.


Quæ omnia

Collegit, ac Elencho Indiceque reali

inſtruxit

JOANNES CHRISTIANUS LÜNIG.

TOMUS SECUNDUS.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Impenſis HÆREDUM LANCKISIANORUM.

1726.



ELENCHUS DIPLOMATUM,

Quæ in

TOMO SECUNDO

CODICIS ITALIÆ DIPLOMATICI

reperiuntur.

CONTINUATIO CLASSIS III.tiæ

CAPUT XIV.

De Marchionibus e Familia Gonzagana oriundis, Castilionensibus & aliis.

XXVIII.

Caput XV.

De Dominis Gonzagis, Novellariæ & Bagnoli Comitibus.

CAPUT XVI.

De Dominis Grimaldis, Januensibus.

CAPUT XVII.

De Dominis Gvarzonibus de Piscia.

CAPUT XVIII.

De Comitibus Hippolythis de Gazoldo.

CAPUT.

Caput XIX.

De Dominis Lercariis.

Caput XX.

De Marchionibus de Malaspina.

X. Fer-

Caput XXI.

De Massæ Principibus atque Carraræ Marchionibus.

Caput XXII.

De Comitibus a Mollart, Feudi Frinchii in Italia possessoribus.

Caput XXIII.

De Monœci Principatu.

Caput XXIV.

De Principibus Odescalcis.

Caput XXV.

De Marchionibus Pallavicinis.

Caput XXVI.

De S. Petri Ducibus.

Caput XXVII.

De Marchionibus & Comitibus Roboreti.

Caput XXIIX.

De Dominis de Romano.

Caput XXIX.

De Dominis de la Scala.

Caput XXX.

De Dominis de Scarampis.

Caput XXXI.

De Soraneæ Marchionibus.

Caput XXXII.

De Marchionibus & Dominis Spinulis.

pido

Caput XXXIII.

De Dominis de Trissino.

Caput XXXIV.

De Principibus & Marchionibus Vasti.

CODEX

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS.
Pars II.
Sectio I.
De summo Pontifice ac Sede Romana.

LXII.

NOTA.

1. Si quis forte plura Diplomata atque Docume ta avthentica, quæ Sedis Apostolicæ in Ecc sia Germanica Jura respiciunt, desideret, e ad Imperii Romano-Germanici Archivum, tulo Germanico: *Teutsches Reichs-Archiv*, i signitum, ac a nobis, utpote collectore, in gin ti quatuor Volumina in folio, uti ajunt, stributum, remittimus. Talium enim ibi t pis expressorum, haud exiguam copiam, o Indicis subjuncti, ut desiderio suo possit fac satis, deprehendet.
2. Summaria Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ, MSeto Cardinalis Ottoboni *per Mabillonu* eruta, vid. in *Edmundi Martenii* atque *Urs Durandi* collectione amplissima veterum sc ptorum & monumentorum historicorur *Tom. II. pag. 1225.*

SECTIO II.

De utriusque Siciliæ Regnis.

XI

LV

LXXX.

CV.

SECTIO III.

De Sardiniæ Regno Insulaque Corsica.

SECTIO IV.

De Parmæ & Placentiæ Ducatibus.

LXX.

Sectio V.

De militari S. Johannis Hierosolymitani, vulgo Melitensi, Ordine.

XLIV.

SECTIO VI.

De Venetorum Republica.

SECTIO VII.

De Republica Genuensi.

Sectio IIX.

De Republica Lucana.

SUPPLEMENTA

AD

TOMUM Imum atque IIdum

CODICIS ITALIÆ DIPLOMATICI

Tom. I. pag. 30.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS I.

CAPUT I.

De Ducatu Mediolani.

Tom. I. pag. 458.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS I.

CAPUT II.

De Sabaudiæ Ducibus.

Tom. I. pag. 590.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS I.

CAPUT IV.

De Mantuæ & Montisferrati Ducatibus.

Tom. I. pag. 1342.

AD

AD

Sectionis II.

Classis I.

Caput V.

De Mutinensi & Rhegiensi Ducatibus.

Tom. I. pag. 1515.

I.

Contractus emptionis & venditionis, in quo Josephus, Romanorum Imperator, Ducatum Mirandulæ & Marchionatum Concordiæ, pro 175000. Duplionum, ut ajunt, pretio, Raynaldo, Mutinæ & Rhegii Duci vendidit, d. d. 15. Julii, An. 1710. 2331

II. Literæ, in quibus Josephus, Romanorum Imperator, Raynaldum, Mutinæ & Rhegii Ducem, de Mirandulæ Ducatu atque Concordiæ Marchionatu, die 12. Martii Anno 1711. investivit, quasque Carolus VI. Roman. Imperator, postquam modo dicti Ducis Ablegatus, Dominus Carolus Antonius, Comes de Giannini, coram Throno Majestatis Cæsareæ consvetum præstitisset juramentum, die 10. Septembris An. 1712. denuo comprobavit atque confirmavit. 2334

AD

Sectionis II.

Classis II.

Caput I.

De Ducibus & Principibus Picis Mirandulanis.

Tom. I. pag. 1773.

I.

Versio latina Testamenti ab Alexandro Pico, Principe Mirandulæ, & Marchione Concordiæ die 1. Septembris Anno 1637. conditi, quod supra Tom I. hujus Codicis pag. 1773. in Italico Idiomate exhibetur. 2339

II. Manifestum Francisci Mariæ Pici, Ducis Mirandulæ, & Marchionis Concordiæ, in quo causas, quibus inductus, partes Galliæ Regis, Ducisque Andegaviensis amplexus sit, exponit, d. d. 7. April. An. 1704. 2349

III. Decretum Consilii Imperialis Aulici, in quo Franciscus Maria Picus, Mirandulæ Dux, læsæ Majestatis ac feloniæ reus declarandus esse pronunciatur, d. d. 4. Decembris, Anno 1709. 2351

IV. Decretum S. Cæs. Majestatis, quo illustri Consilio Imperiali Aulico injungitur, ut consilium ferat, quid circa Mirandulæ Ducatus venditionem de jure observandum sit, d. d. 7. Maji, Anno 1710. ibid.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS II.

CAPUT IV.

De Principibus ab Auria, vulgo Doria nuncupatis.

TOM. I. pag. 1963.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS II.

CAPUT V.

De Massæ Ducibus atque Carrariæ Principibus.

TOM. I. pag. 1998.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XI.

De Dominis Costis.

TOM. I. pag. 2242.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XIII.

De Dominis de Flisco, Comitibus Lavaniæ, (vulgo Fieschi nuncupatis) Januensibus.

TOM. I. pag. 2259.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XX.

De Marchionibus de Malaspina.

TOM. II. pag. 247.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XX.

De Dominis de Scarampis.

TOM. II. pag. 506.

II. Caroli

AD

PARTIS II.

SECTIONEM I.

De summo Pontifice ac Sede Romana.

TOM. II. pag. 686.

AD

AD

PARTIS II.

SECTIONEM II.

De utriusque Siciliæ Regnis.

TOM. II. pag. 843.


AD

PARTIS II.

SECTIONEM V.

De Equeſtri S. Johannis Hieroſolymitani Ordine.

TOM. II. pag. 1635.



CODEX

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS.

TOMUS II.




CONTINUATIO CLASSIS III^tiæ.

CAPUT XIV.

De Marchionibus e Familia Gonzagana oriundis, Castilionensibus & aliis.

I.

Caroli V. Roman. Imperatoris literæ, quibus Marchiones Joannem Franciscum & Aloysium, Fratres de Gonzaga, de Castris Luzzariæ, Castioni, Castrigiuffredi, & terra Sulferini, ac eorum Juribus & annexis investivit, d. d. 29. Maji An. 1521.



CArolus Quintus divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc summa dispositione Præsidis principalis Monarchiæ obtinuimus Principatum, ad hoc Sacri Romani Imperii suscepimus diadema, ut si ad alia extrinseca Nos sollicitudo provocet assidue, ad ea tamen, quæ statum felicem ac quietem, sperataque augmenta jurium, gratiarum & concessionum personarum, dum majorum suorum vestigia imitantur immaculata fide, summa integritate & candida devotione erga Nos & Sacrum Romanum Imperium sollicitis studiis persistentium respiciunt, tanto intendamus uberius, quanto Nostrum præ cæteris mundi Principibus erexit solium magnificentius cœlestis providentia Creatoris, sane illustris Joannis Francisci & Aloysii fratrum de Gonzaga, nostri & Sacri Imperii fidelium dilectorum nomine oblata Nostro culmini per devotum Oratorem Hieronymum Scopulum, Juris utriusque Doctorem Mantuanum, Nuncium & Procuratorem eorum pleno mandato suffultum petitio continebat, quatenus ipsis & filiis eorum legitimis hæredibus, concessiones, donationes & investituras, eisdem & progenitori suo Illustri Rudolpho de Gonzaga ex Marchionibus Mantuanis, Majoribusque suis hactenus concessas a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus Nostris, de nonnullis Castris, Villis, Rochis, Territoriis, pertinentiis, Jurisdictionibus in literis & eorum Privilegiis latius contentas ratificare, innovare, nec non de solita benignitatis nostræ clementia juxta divisionem ipsorum fratrum in Testamento paterno factam, confirmare easdem dignaremur. Adjicientes, pro status eorum solida conservatione, certam succedendi in dictis concessionibus & Investituris formam. Nos igitur considerantes, quantum Illustris Domus & Familia Marchionum de Gonzaga, Sacro Imperio ac Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus Nostris, addicta semper fuerit, quantumque singulariter meritis, quam plura fidelitatis obsequia præstiterint, accedentibus ad id maximis virtutum meritis & innatæ fidei puritate dictorum fratrum Joannis Francisci & Aloysii, attendentesque maxime, quantum imposterum præstare poterunt, & debebunt, tanto ferventius, quanto largioribus gratiarum muneribus se senserint consolatos, prædictis eorum supplicationibus clementi & benigno animo inclinati, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, ex certa nostra scientia, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum ad id accedente consilio, & de plenitudine Nostræ potestatis, universa & singula Privilegia, literas, concessiones, libertates, & investituras, tam ipsis fratribus Joanni Francisco, & Aloysio, quam eorum Patri Illustri Rudolpho, ac majoribus suis, & præsertim privilegium felicissimæ recordationis Divi Maximiliani Imperatoris, Avi & Prædecessoris nostri, datum in Civitate nostra Imperiali Augusta, pridie Calendas Augusti, Anno Domini millesimo, quingentesimo secundo, cum alio eidem inserto privilegio, nec non aliud ejusdem Anni nostri, datum in eadem Civitate, die quarta decima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo quin-

quingentesimo decimo quinto, aliaque omnia a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus concessa & concessas, quorum tenores volumus hic pro expressis haberi, ac si de verbo ad verbum forent inserta, his nostris præsentibus in omnibus & singulis eorum sententiis, punctis, Articulis, clausulis, expressionibus & concessionibus approbamus, ratificamus, & confirmamus ac innovamus, & quatenus expediat, eodem animo, motu, scientia & potestate ipsos Fratres, Joannem Franciscum & Aloysium, juxta eorum paternas divisiones, de specificatis in memoratis Privilegiis, Castris, Luzzariæ, Castioni, Castrigiuffredi, cum terra Sulferini & omnibus eorum pertinentiis, campis, agris, vallibus, pascuis, nemoribus, sylvis, venationibus, aquis, molendinis, ripis, piscationibus, Jurisdictionibus, Regaliis, prærogativis, honoribus, Juribus, attinentiis, & pertinentiis suis universis, etiamsi ab aliqua singulari persona, communi Collegio, vel universitate, dummodo sine titulo detinerentur, vel aliter quomodocumque occupata fuissent cum mero & mixto Imperio, ac gladii potestate, de novo investimus, & præfata omnia in feudum nobile, antiquum, avitum, infeudamus, eisdem concedimus, & damus pro se, filiisque suis legitimis & masculis, & eorum in infinitum descendentibus, accepto prius a præfato Hieronymo Scopulo, eorum legitimo Nuncio & Procuratore, debito fidelitatis & homagii consueto, & corporali, in forma consueta, juramento. Ex uberiori autem gratiæ nostræ abundantia, ad præservationem integralis Dominii & feudi castri Luzzariæ concedimus prænominato Illustri Joanni Francisco supplicanti, ac eadem scientia, potestate ac consilio decernimus, quod dictum Castrum Luzzariæ, cum suis Jurisdictionibus & pertinentiis remaneant semper in Dominio & Jurisdictione primogeniti filii sui, ac successive in primogenitos primogenitorum descendentes masculos ac legitimos in infinitum, & his deficientibus in secundogenitos, & sic successive, ita tamen, quod omnes reditus & proventus cujuscumque generis provenientes ex dicto feudo & Castro, ac hæreditate ipsius Joannis Francisci, etiamsi essent emolumenta provenientia ex exercitio ipsius Jurisdictionis, dividantur inter filios suos, & successive in stirpes, æquis portionibus, vel sicuti melius videbitur ipsi Patri Joanni Francisco, pro utilitate, pace & tranquillitate ipsorum filiorum suorum. Volentes & decernentes, hanc nostram gratiam, concessionem & investituram perpetui roboris firmitatem obtinere, quibuscumque quomodocumque & qualitercumque in contrarium facientibus non obstantibus, quibuscumque eodem scientia, animo & motu proprio & potestatis nostræ plenitudine derogamus & derogatum esse volumus. Nulli ergo omnino hominum hanc nostræ confirmationis, conservationis, approbationis, ratificationis, voluntatis, & gratiæ paginam infringere liceat, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumserit, indignationem nostram & Sacri Imperii gravissimam, ac pœnam Centum Marcharum auri puri, pro medietate fisco nostro Imperiali, pro reliqua parte injuriam passorum usibus applicandam se noverit toties, quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter incursurum.

Harum Testimonio literarum Sigilli Nostri Cæsarei appensione roboratarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Wormatia die vigesima nona Mensis Maji, Anno Domini millesimo quingentesimo, vigesimo primo, Regnorum nostrorum Romani secundo, cæterorum vero omnium sexto.

II.

Instrumentum traditionis bonorum communium a Communitate Civitatis Castilionis, Marchioni Ferdinando de Gonzaga Castilione, facta, d. d. 19. Aug. An. 1567.

IN CHRISTI Nomine Amen! Die lunæ, vigesima quinta mensis Augusti, millesimi, quingentesimi, sexagesimi septimi, Indictione decima, in Arce terræ Castioni à Stiueriis, coram Illustrissimo Domino D. Ferdinando Gonzaga, Marchione, Domino nostro astante, ut supra, comparuerunt D. D. Joannes Jacobus Jordoninus, Paulus Scolarius & Marcus Antonius Bonus, homines electi ab hominibus de Consilio novo & veteri Communis & hominum Castioni prædicti, & virtute auctoritatis & bailiæ sibi ipsis traditæ & concessæ per prædictos homines, de qua constat rogitu mei Notarii infra scripti sub die hesterna, ad quem &c. considerantes difficultatem possendi satisfacere prædicto Illustrissimo Domino nostro pro scutis quatuor mille quingentis, & pro limitatione, quæ per Commune & homines Castioni prædicti debentur suæ Dominationi Illustrissimæ. Considerantes etiam impossibilitatem solvendi stipendia militum existentium ad custodiam Arcis ac Portæ Castri una cum salario Magnifici D. Prætoris & Exc^mi^ D. Medici, nec non considerantes etiam multa alia gravamina, onera & salaria, quæ ad Commune & homines Castioni prædicti solvenda spectant in dicta terra Castioni, utpote Massarii, Professoris Grammaticæ Barbitonsoris, Ministralium, Campariorum, Campanariorum, Custodiarum Castri & aliorum Provisionatorum & expensarum occurrentium Communi prædicto, & quod impossibile est cum tam pauco introitu, quod habet Commune præd^um^ satisfacere omnibus præmissis debitis, salariis, gravaminibus & expensis. Considerantes etiam, quod prædicti homines Castioni tenentur omnibus suis viribus præstare auxilium præfato Illustrissimo Domino nostro, tam pro conservatione status & conditionis suæ, quam etiam ipsorum hominum: Supplicant humiliter per prælibatum Illustrissimum D. D. Ferdinandum, Dominum nostrum, ut sua Illma Dominatio dignetur accipere omnia bona & introitus Communis & hominum Castioni prædicti, quæ ipsi D. D. Joannes Jacobus, Paulus & Marcus Antonius virtute auctoritatis de qua supra renunciant suæ Illustrissimæ Dominationi: Ita tamen, quod sua Illma Dominatio assumat in se provinciam & onus satisfaciendi omnibus præmissis salariis, provisionibus, gravaminibus & expensis, quæ occurrunt, & in futurum occurrere poterunt, ipsi Communi & hominibus Castioni, liberando ipsum Commune & homines ab eis & onere solvendi dictos scutos quatuor mille quingentos & limitationem prædictam, & quod sua Illma Dominatio imponere possit Imbotatum dictæ terræ Castioni ad libitum suum, quod virtute

virtute auctoritatis, de qua supra a prædictis Electis suæ Illustrissimæ Dominationi conceditur: Qui Illustrissimus D. D. Ferdinandus, Dominus noster, auditis prædictis, respondit & dixit: Che senza alcun pregiuditio dell' auttorità & Investiture sue, desiderando di far cosa grata al Comune, si contenta d'accettar in se li beni & Entrate sopradette, renuntiate, come di sopra, & insieme la facoltà di metter l'Imbotato, protestando però uts., & con questa conditione, che uuole sia in sua facultà à tempi auenir, se gli parerà con l'entrate sue di poter sostentar la riputation sua & la sicurezza del loco, di rinunciar à questa sua donatione, e rimetterli nel primo termine, & che volontieri per il tempo, che à lui parerà conueniente, per far cosa grata à questi huomini accetta, si come si à detto di sopra, & ordina al magco. & Eccmo. Mr. Marc' Antonio Zancredio Auditor suo, e à Mr. Luca Alessandro suo Maggior duomo, che debbano secondo le conventioni soprast. fare, che si roghi Instrumto. tra la d. parti delle cose soprast. Præsentibus semper ad hæc D. Racco filio, quondam D. Marci Antonii de Barbobus, D. Marcello f. q. D. Marchini de Piccinardis de Cremona, & D. Carolo f. q. D. Pauli de Carna, omnibus testibus notis, idoneis, vocatis & rogatis, de quibus omnibus & singulis rogatus sum ego Ant. Bellhomus Not. pubus. conficere Documtum. paulò post videlicet:

In CHRISTI Nomine Amen! Anno Nativitatis Ejusdem millesimo quingentesimo, sexagesimo septimo, Indictione decima, die vero lunæ suprado. vigesimo quinto mensis Augusti. In Arce terræ Castioni à Stiveriis Dominii Illustrissimi D. D. Ferdinandi Gonzagæ, Marchionis &c. in quadam Camera posita penes superiorem portam dictæ Arcis, præsentibus prænominatis D. Rocco, filio quondam Domini Marci Antonii de Borbobus, D. Marcello, filio quondam Domini Marchini Piccinardi de Cremona, & D. Carolo filio quondam Pauli Carna, & D. Joanne f. Padouani ab Horcaliis, omnibus testibus notis, idoneis, ad hæc vocatis & rogatis. Ibique supra nominati D. D. Joannes Jacobus Jordaninus, Paulus Scolaris & Marcus Antonius Bonus, intervenientes tanquam Syndici & Mandatarii Universitatis Communis & hominum Castioni prædicti & vigore auctoritatis sibi ipsis concessæ, de qua suprà, ex una: & Magnificus & Excellens J. V. D. Dominus Marcus Antonius Tancredius, Auditor dignissimus præfati Illustrissimi Domini nostri ac præfatus Magcus. D. Lucas Assander, Major Domus suæ Illustrissimæ Dominationis, Commissarii & Mandatarii deputati per præfatum Illmum. Dominum Marchionem uts.: Attenta comparitione, renuncia- & acceptatione, de quibus suprà, volentes in eis contenta & conventa hoc publico patere Instrumento, devenerunt ad infrascr. videl. ipsi suprà nominati D. D. Joannes Jacobus Jordaninus, Paulus Scolaris, & Marcus Antonius Bonus, Syndici & nomine quo suprà, dederunt, tradiderunt & renunciaverunt prædictis Magcis. D. D. Marco Antonio & Lucæ præfati Illmi. D. D. Ferdinandi Marchionis &c. omnia & singula bona & introitus Communitatis & hominum Castioni prædicti, & quæ hodie reperiuntur esse dicti Communis & hominum descripta & annotata ut infra:

Nota delli Beni del Commune & Huomini di Castione, che si rinontiano all' Illmo. Sigr. Nostro.

Pmo. L'Hortaria di Piazza.
L'Hortaria di Sotto.
La Beccaria.
L'Hortaria della Cadete.
La Possessione del Cerro.
La Possessione del Monte delle vacche.
Il follo.
La Speciaria.
La Pesa grande di Piazza.
La Chiadera.
L'Emolumento, che si caua dalli fornari.
Vna pezza di terra al Molino nuouo.
Tutti li fondici di Piazza.
Tutta la fabrica della Piazza.
Le Lame.
Li Prati del Beloioso.
Il Capitale con tutti li liuelli, che pagano l' infrascritte persone per case, ò terre, videlicet.
Jo. Francesco Fezardo.
Joannino Marmentino.
Eredi di Mr. Julio Bellone.
Liuio Marchese.
Piedro Bertario.
Jeronimo del Bono, cioè la casa, che possiede.
Joan Tadena.
Erede di Domco. Pirolo.
Erede di Piedro Jacomo Ceradello.
Lorenzo del Bono.
Jo. Peder de Bett.
Lodouico Patritio.
Baldessar Frellardo.
Catarina Pesansa.
Gio. Jacomo Ordanino.
Franco. Castellino, cioè il restante del Monte uenducoli.
Eredi di Matteo Ordanino.
Item tutti li liuelli à formento, che pagano gl' infraste. persone:

Francesco Gambarino	qte.	2	2	-	-
Sebastian Jandone	qte.	-	2	-	-
Bartolomeo Bressanello	qte.	4	2	-	-
Il soprasto. Segala	qte.	6	3	-	-
Domco. Borelia	qte.	16	2	3	-
Paolo Moratti Segala	qte.	13	-	-	-
Bartolomeo Moratti	qte.	-	1	-	-
Franco. de Nazer Moratto	qte.	10	3	-	-
Matteo Mozzo	qte.	24	-	-	-
Joann Segurtà	qte.	10	3	3	-
Nazer Segurtà	qte.	4	1	-	-
Anto. de Zani Gualazzo & Stefano de Bellini	qte.	7	-	2	-
Jo. Jacomo Gualazzo	qte.	5	3	-	-
Maffeo Tandone	qte.	34	2	-	-
Domco. Bottoglia	qte.	3	2	2	-
Sebastian Tandon	qte.	3	-	3	-
Joanni Segurtà	qte.	21	3	2	-
Battista de Silvester Segurtà					
Lorenzo da Betri Segurtà	qte.	7	1	-	-
Jo. de Francesco Barziza	qte.	23	2	2	-
Eredi di Joanna Lepore	qte.	17	2	2	-
Tomas Mascotti	qte.	5	-	-	-
Ogni bene Bressanello	qte.	2	2	-	-
Jo. Franco. Bressanell'	qte.	2	2	-	-
Tedoldo de Bett'	qte.	10	2	1	-
Dnus Petrus Michaelis	qte.	11	3	2	-
Il Soprasto.	qte.	3	-	2	-

Franco. Feretto	qte.	5	-	-	-
Vicentio del Leuor	qte.	5	-	3	-
Cristoforo Gandino	qte.	12	2	2	-
Sebastiano Gambari	qte.	5	2	1	-
Jo. Peder de Nicoli	qte.	2	2	2	-
Betti Serina	qte.	6	3	2	-
Guarisco Serina	qte.	3	-	2	-
Piero Jacomo Pezot	qte.	3	3	-	-
Bettino Pezol	qte.	7	2	-	-
Cristoforo Ballacino	qte.	5	1	2	-
Bartolame Fezard	qte.	2	-	1	½
Erede de Joan da leuor	qte.	5	-	3	-
Battista de Gazo de Berli	qte.	12	2	-	-
Peder Botur	qte.	3	3	-	-
Domenico Evangelista Pizzino	qte.	1	-	-	-
Battista di Vicenzo Bosio	qte.	4	1	2	-
Tomas Mascol	qte.	5	-	-	-
Il Sopraso.	qte.	3	-	2	-
Astolfinus Lodrinus vel ab eo Jura habentes	qte.	36	1	1	-
Hæredes D. Julii Bettoni	qte.	48	3	-	-
Jo. de Jacomo Belli	qte.	17	1	1	½
Todorus Ordaninus	qte.	3	3	-	-
Vincentius Pastor	qte.	15	-	-	-
Matteus Pastor, vel hæbentes jura ab eo	qte.	27	1	2	-
Blasius Bescus, sive hæredes	qte.	6	-	-	-
Hæredes D. Julii Bettoni	qte.	2	2	3	-
Battista de Bett' Pederzi	qte.	1	2	-	-
Bernardi Segurtà	qte.	9	1	2	-
Castio Fezardo	qte.	6	-	-	-
Alessio Reuolto	qte.	15	3	3	½
Eredi di Mr. Julio Bettone per il saprasº.	qte.	33	-	-	-
L'Eccmo. Mr. Jo. Franco. Pedercino Segala	qte.	10	3	2	-

Et tutti li altri liuelli & liuellarii, che non fossero specificati, come di sopa. s'intendono esser inclusi nella presente nota

L'Aqua del Reale.

L'Aqua delle fontane.

Et tutte le ragioni & attioni dell' Aque, che sono, ò scorrono, per la terra & territorio di Castione, se però in esse Aque il do. Comune & huomini ui hanno ragione & attione alcune. Et quia alias commissa Causa quorundam molendinorum, in quorum possessione aderant Commune & homines prædicti, obtenta fuerit sententia per prælibatum Illmum. D. Marchionem, non vigore Juris, quod in personam dorum. hominum existebat, vel existit, sed tantummodo dicta sententia fuerit lata ad favorem præfati Illustrissimi Domini Marchionis, ob reverentiam dictorum hominum versus Illustrissimum D. Marchionem Dominum suum, propter quam passi sunt incurrere in contumaciam, & non docere & ostendere de juribus suis, quæ jura tamen sibi ipsis salva remanserunt, tam quoad restitutionem in integrum, quam quoad alia legum beneficia. Propterea suprà dicti D. D. Jo. Jacobus, Paulus & Marcus Antonius nomine quo suprà, dederunt, cesserunt & renunciaverunt prædictis Magcis. D. D. Marco Antonio & Lucæ Commissariis præsentibus & acceptantibus, ut suprà, omnia & quæcunque Jura & actiones, quæ & quas dum. Commune & homines habuerunt & habent & in futurum habituri sunt in & super dis Molendinis: Ità & taliter, quod præfatus Illustrissimus Dominus Marchio possideat dicta Molendina, non vi dictæ sententiæ, cui per præsentem actum derogatum esse voluerunt, sed virtute præsentis Instrumenti, sine tamen præjudicio quorumcunque Jurium præfati Illustrissimi D. Marchionis. Et generaliter præfati D. D. Jo. Jacobus, Paulus & Marcus Antonius Syndici & Intervenientes, ut suprà, dederunt & renunciaverunt prædictis Magcis. D. D. Commissariis acceptantibus, ut suprà, omnia & quæcunque alia bona mobilia & immobilia & introitus prædicti Communis & hominum generis cujuscunque & qualitatis tam specificata, quam non specificata, & tam existentia penes dictum Commune & homines, quam alias personas, nemine penitus excluso. Et quod præfatus Illmus. Marchio imponere possit Imbotatum hujus terræ Castioni juxta Comparitionem, Expositionem & Supplicationem per ipsos homines factam suæ Illustrissimæ Dominationi, de qua suprà. Quæ bona & introitus, ut suprà, renunciata & renunciatos prædicti Syndici agentes ut suprà sese constituerunt tenere & possidere, constitueruntque præfatum Illmum. D. Marchionem sive prædictos Magcos. D. D. Commissarios præsentes & acceptantes, ut suprà, Procuratorem & Procuratores irrevocabiles ad prædicta, posueruntque eum in omnem eorum locum & Jus, qui quidem Magci. D. D. Marcus Antonius & Lucas Commissarii & Agentes nomine præfati Illmi. D. Marchionis promiserunt & promittunt prædis. D. D. Jo. Jacobo, Paulo & Marco Antonio præsentibus & acceptantibus nomine & vice dicti Communis & hominum Castioni, ut suprà, quod præfatus Illmus. D. Marchio attendet & observabit omnia & singula in dicta Comparitione, Supplicatione & Acceptatione contenta, & solvet provisiones, salaria, gravamina & expensas juxta exposita per ipsos Syndicos & Electos suæ Dominationi Illustrissimæ, ut suprà; Hoc tamen declarato, quod per præsens Instrumentum & in eo contenta nullum sit nec esse intelligatur illatum præjudicium Juribus & Investituræ præfati Illmi. D. Marchionis, quam habet ab Invictissimo Imperatore, sed Jura Juribus accumulando, contenta in præsenti Instrumento sint ac remaneant firma & rata, salvis suprà dictis. Et præsentem renunciam promissionem ac omnia & singula in præsenti Instrumento contenta prædicti D. D. Jo. Jacobus & Marcus Antonius Syndici & Agentes, ut suprà &c. ac prædicti Magci. D. D. Marcus Antonius & Lucas Commissarii & agentes, ut suprà, promiserunt, sibi ipsis ad invicem & vicissim acceptantibus sua suis perpetuò attendere & observare, nec contrafacere, sub pœna, & sub obligatione omnium bonorum præfati Illmi. Domini Marchionis, ac Communis & hominum Castioni prædicti, quæ bona renunciantes &c. Quibus omnibus & singulis sic, ut suprà, peractis, præsens fuit semper Magcus. & Excmus. J. V. D. Dominus Rodulfus Panoinus, honorabilis Vice-Prætor terræ Castioni prædicti, qui astans in loco supradicto & sedens super una Cathedra lignea, quem locum, quantum ad hunc actum pro suo Juridico & honesto loco sibi elegit & deputavit, & sic interloquendo pronunciavit suam & Communis Castioni auctoritatem pariter & Judiciale Decretum interposuit cum plena causæ cognitione, supplen-

plendo omnes defectus, si qui forent &c. De quibus rogatus sum ego Antonius Bellhomus, Notarius publicus, conficere Instrumentum ad laudem sapientis &c.

Ego Ant^o. filius D. Jo. Petri Bellhomi de Castiono supradicto, publicus Imperiali Auctoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis præsens fui, & rogatus scribere publice scripsi, & me in præmissorum robur solita cum attestatione mea subscripsi.

Ego Laurentius f. q. D. Petri Jacobi Lodrini de Vecolis de Castiono suprà dicto publicus Apostolica Auctoritate Notarius suprà scriptum Instrumentum rogatum, scriptum & exemplatum per suprà dictum D. Antonium Bellhomum Notarium, ut supra, stante ipsius absentia in Civitate Neapolitana, quia facta per me Not^m. cum suo principali auscultatione repertaque in omnibus concordantia, meis nomine, cognomine & signo consvetis subsignavi, in robur præfatorum omnium.

Nos Hieronymus Fondullus, Vtriusque Juris Doctor, terræ Castioni à Stiveriis & ejus Marchionatus Prætor, attestamur, fidemque indubiam facimus, suprà dictum D. Antonium Bellhomum, qui supra dictum Instrumentum exemplavit, & de eo rogatus extitit, & suprà dictum D. Laurentium Lodrinum de Vecolis, qui illud authenticavit, fuisse & esse publicos, fidos, legales & authenticos Notarios, eorumque scripturis publicis & authenticis plenam hic adhibitam esse fidem, & meritò ubique locorum adhiberi posse & debere in Judicio & extra; In quorum fidem &c. Datum Castilione à Stiveriis die vigesima quarta mensis Octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Baptista Marmentinus Notarius mandato Mag^ci. D. Prætoris præd. scripsit & subscripsit. Ego Gulielmus Corradinus filius quond. D. Jo. Baptistæ, Civis Cast^nis. à Stiveriis publicus Imperiali Auctoritate Notarius ac Canc^ius. de Principis Domini nostri &c. suprascriptum assignationis Instrumentum ex libro aliorum Instrumentorum etiam in forma authentica ac aliarum scripturarum existente in Cancellaria ejusdem D. Principis fideliter & prout jacet, extraxi, & in fidem me subscripsi, ac solito parvo meo signo subsignavi hac die 14. Julii 1691.

Nos Nazarius Pastorius J. V. D. V. Aud^r. Generalis ac V. Prætor Civitatis Castionis à Stiveriis, Universis fidem facimus & attestamur suprascriptum Egregium D. Gulielmum Corradinum esse publicum Civitatis præfatæ Notarium ac talem, qualem &c. cujus scripturis publicis, sic ut suprà &c. hic plena in Judicio & extra adhibetur fides meritoque ubique locorum &c.

In quorum &c. Dat. Cast^e. prædicto, hac die 21. Julii 1691.

(L. S.)

Augustinus Fachinettus Not^s. atque in hac parte Cancellarius de mandato &c. subscripsi.

III.

Maximiliani II. Roman. Imperatoris Confirmatio Instrumenti traditionis antea inserti, d. d. 23. Junii An. 1572.

MAximilianus IIdus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis; Cum nobis Illustris noster & Imperii Sacri Princeps fidelis dilectus, Ferrantes de Gonzaga, Marchio Castioni a Stiveriis humiliter exponi curarit, qualiter subditi ac vassalli jam d^ti. Marchionatus Castioni, jure certo & antiquo ipsi tanquam Domino ejusdem loci, & territorii ad nonnullas annuas præstationes, ac onera, tum ex auctoritate per divos quondam Antecessores nostros, Romanorum Imperatores & Reges, majoribus suis indulta, tum ab immemorabili fere tempore iisdem Progenitoribus suis, ac ipsi ex consvetudine & conventione præstita, tenerentur, superioribus autem annis apud ipsum institerint, ut quia hujusmodi debitis oneribus diutius præstandis se minime sentirent sufficere, Marchio Castioni omnia bona communia ac eorum reditus, pro ipsorum commodo acceptare vellet, ea lege, quod dictis bonis contentus ab antiquis gravaminibus & functionibus liberi & immunes conservarentur, ac proinde se ejusmodi precibus motum illorum votis annuisse, sicuti ex Instrum^to. desuper exhibito plenius constet, cujus quidem Instrum^ti. tenor sequitur de verbo ad verbum, & est talis: Ego Antonius Bellhomus de Castillione à Stiveriis pub^cus. Imperiali autoritate Not^s. omnibus & singulis ad quos præsentes devenerint, fidem plenam, & indubiam prorsus facio; quod sub die Lunæ 25. mensis Augusti Anni 1567. homines, ac subditi Illustrissimi D. Marchionis Castillioni tam de Consilio novo, quam veteri, per Syndicos, per eos electos, solemniter ac specialiter, cum ampla potestate & autoritate ad ea peragendum supplicarunt præd^to. Illmo. eorum Domino juxta conclusionem, & tractatum prius factum, ut bona omnia, & singula generis cujuscunque, cum introitibus ex illis provenientibus Communitatis Castillioni accipere dignaretur, & ea, & eorum dominium in se, tanquam propria retinere, dummodo ejus Illma. Amplitudo præd^tos. homines & subditos liberaret ab oneribus, limitationibus, ac gravaminibus, ad quæ ipsi quomodolibet olim tenebantur, attento, quod, ut asseruerunt, reditus, qui percipiebantur ex d^tis. bonis Communibus, non sufficiebant ad onera, Factiones, & limitationes debitas, ac præstari solitas per eosdem; & commodius erat d^tis. hominibus ea bona renunciare ac immunes conservari ab antiquis, & prioribus gravaminibus, quam ea retinere, ac solita onera sustineri: quorum precibus motus præfatus Ill^mus. Marchio, cupiens rem gratam facere Supplicantibus, renunciationem dictorum bonorum solemniter ac cum decreto ordinarii factam nota reservat^ne. acceptavit, sine *prajudicio tamen autoritatis*, ac Jurium sibi quomodocunque & qualitercunque *competentium virtute Investituræ & feudi*, quibus nullo pacto *velle prajudicare iterata protestatione* asseruit; Et e contra oneribus jam præstari solitis liberavit, ac dictorum bonorum sibi libere renunciatorum possessionem adeptus fuit, quam & de præsenti pacifice, ac de consensu & voluntate subditorum obtinet. De quibus omnibus & singulis

singulis ac aliis per me Notarium præd^{tum}. in Arce Castillioni sub die, mense, & Anno præd^{tis}. cum debitis solemnitatibus publicatum fuit conscriptum, ac publicatum Instrum^{tum}. ad quod in omnibus semper me remitto; cujus exemplum authenticum, si opus erit, de verbo ad verbum, fideliter extrahetur, & iis, quorum interest, in ampla forma exhibebitur, onera & factiones, ad quas ante renunciationem bonorum Communium homines, & subditi Marchionis Castioni tenebantur, sunt infra scriptæ, videlicet, Scutata *quatuor mille quingenta* pro limitatione, Stipendia Custodis Arcis, & Portæ Castri ac militum existentium, ad custodiam earum, provisiones Mag^{ci}. D. Prætoris, provisiones Excell^{mi} D. Medici, Salaria Massarii publici Professoris Grammaticæ, Barbitonsoris, Campariorum, Ministralium pulsantium campanas, Ratininatorum, & aliorum provisionatorum, expensæ, ordinariæ & extraordinariæ, & omnia alia onera & gravamina, ad quæ Commune & homines Castioni quoquomodo antea tenebantur, Bona Communia renunciata sunt infra scripta videlicet.

Hospitium, Macellum, Possessiones Cerri, & Montis vaccarum, Jullum, Aromataria, Pensa magna, fondaci Plateæ, ædificia Plateæ, Chiodera, Emolumentum Pistorum, petitæ terraræ d^{ti}. Communis generis cujuscunque, Capitale una cum Livellis, quæ a nonnullis, ad pecunias solvebantur pro terris & aliis, omnia Livella triticia, ad quæ nonnulli quotannis tenebantur, Molendina, Jura aquarum omnium, quæ oriuntur & defluunt terram, & territorium Castillioni, & omnia alia bona & Jura generis cujuscunque Communitatis præd^{tæ}. quocunque nomine nuncupentur, nemine penitus excluso &c. Ego Antonius filius D. Jo. Petri Bellomi de Castiono a Stiveriis, pub^{cus}. Imperiali autoritate Not^{s}. quia præsens fui, & rogatus de prænemorato Instrum^{to}. fidem plenam facio, & attestor, ut supra, & in præmissorum omnium robur me solita mea attestatione subscripsi: Cum ob locorum distantiam nonnunquam de Legalitate Notarii dubitari contingat; Idcirco Nos Hieronimus Pilatus J. U. D. ex Almo Tridentino Collegio, ac Prætor Marchionatus Castilioni a Stiveriis quibuscunque expedit, fidem certam, ac indubiam prorsus facimus, contrascriptum D. Antonium filium D. Jo. Petri Bellhominis de Castilliono, qui de Docum^{to}. contrascripto rogatus extitit, esse publicum, authenticum, ac legalem Not^{m}. optimæ vocis & famæ, cujus scripturis publicis & authenticis plena & indubitata fides absque scrupulo, hic semper adhibita fuit, & de præsenti adhibetur, ac ubique locorum jure merito adhiberi debet. Datum in Prætorio solitæ Ressidentiæ nostræ, die 16. Maji 1572. Jo. Bapta. Jordaninus, præfati Mag^{ci}. D. Prætoris Cancell^{us}. ad mandatum scripsit, & subscripsit &c. Nobis idcirco demisse supplicando, ut hujusmodi renunciationem dictorum bonorum, una cum conventionibus desuper factis, & in Instrum^{to}. præinserto contentis Cæs^{a}. autoritate, ac de plenitudine potestatis nostræ Imperialis gratiose confirmare, nostroque Decreto statuere clementer dignaremur, quod bona illa & reditus, una cum feudo Marchionatus Castioni, de Primogenito in Primogenitum irrevocabiliter devenire debeant, exceptis prædiis Cerri & Montis Vaccarum, nec non Juribus aquarum, per agrum Castilionensem defluentium, quæ allodialia, libera, & alienabilia manere & censeri debeant. Nos itaque benigna ratione habita eximiæ devotionis, & observantiæ, qua hæc universa familia Marchionum de Gonzaga divos Prædecessores nostros, Romanorum Imperatores & Reges, ac Nos jugiter semper coluit, nec non plurimorum ac insignium obsequiorum, quibus tum multi alii ex eadem familia prognati divis Proavo Maximiliano P^{mo}. deinde Patruo & Socero Carolo V. ac demum D. Genitori nostro observantissimo Ferdinando Imperatoribus, Augustæ memoriæ, imprimis gratos reddiderunt, verum etiam suorum istorum Majorum exemplo ipse Illustris Ferrantes, pacis, bellique tempore, singulari animorum promptitudine ac indefesso studio multifariam hactenus præstitit, ac imposterum præstare poterit, ac debebit, idque tanto ferventius, quanto majoribus gratiis se a nobis affectum senserit; motu itaque proprio & ex certa nostra scientia animo bene deliberato, sano accedente consilio, ex autoritate nostra Cæs^{a}. & de Imperiali potestatis plenitudine, memoratam renunciationem bonorum Communium Castioni à Stiveriis, & eorum redituum à Vasallis & subditis anted^{tis}. in Illustrem Marchionem Ferrantem translatorum, una cum Conventionibus desuper factis, & in præinserto Instrumento contentis in omnibus suis clausulis, punctis, articulis, & verborum expressionibus approbamus, & confirmamus, ac Imperialis roboris firmitatem, nostrumque beneplacitum & assensum iisdem impertimur, non obstante l. fin. C. de vend. rob. Civit. Lib. XI. cui specialiter, & scienter derogamus, eaque non attenta, declaramus præfata bona olim communia, & eorum dominium potuisse transferri in Ill^{um}. Marchionem Castioni, ac eorundem bonorum renunciationem ut sup^{a}. factam viribus subsistere ac validam esse, decernentes & expresse volentes, quod hujusmodi renunciatio, ac bonorum translatio habeatur & teneatur pro solemniter & legitime celebrata, non secus ac si omnes solemnitates de jure vel de consvetudine adhiberi solitæ in eadem renunciatione intervenissent; quarum defectus specialiter, motu proprio ac iisdem scientia, consilio, auctoritate ac potestatis plenitudine supplemus, non obstantibus etiam in suprad^{tis}. aliis quibuscunque legibus, decretis, statutis, ordinibus, juribus & consvetudinibus atque aliis in contrarium facientibus quibuscunque omnibus & singulis, quatenus in præd^{tis}. vel circa prædicta obstarent, aut quoquo modo obstare possent, scienter derogamus, & de plenitudine potestatis nostræ Cæs^{a}. sufficienter derogatum esse volumus, omni prorsus difficultat , vel impedimento cessante, etiamsi talia forent, quæ specialem ac individuam mentionem requirerent. Quodque insuper prædicta bona olim communia, ut sup^{a}. renunciata censeantur ac sint incorporata juribus feudalibus Marchionatus Castioni, sicuti tenore præsentium, ex certa scientia, ac animo bene deliberato, sanoque accedente consilio & de plenitudine potestatis Imperialis ea incorporamus, & tanquam feudalia unimus, ita ut alienari, vel obligari nullo modo possint, sed de primogenito in primogenitum, ac successive in Primogenitorum Primogenitos, hisque deficientibus, in secundogenitos, & sic successive transeant. Ipsumque Illustrem Ferrantem de Gonzaga, Marchionem Castioni, pro se, & iisdem Primogenitis, ac in eventum,

tum, quo supra eorundem secundogenitis, & sic successive de sæpedictis bonis renunciatis investimus, & infeudamus, exceptis tamen supramemoratis Possessionibus, ac Prædiis Cerri & Montis Vaccarum, nec non Juribus aquarum, per Agrum Castionensem defluentium, quæ Allodialia ac libera manere volumus, ita ut absque impedim^to. alienari, vel aliter de eis disponi possit, tanquam de feudo exemptis, & nullo modo incorporatis, mandantes idcirco, & præcipientes omnibus & singulis nostris & Imperii Sacri subditis & fidelibus dilectis cujuscunque gradus, status, ordinis, dignitatis & conditionis existant, præsertim vero suprad^tis. Marchionatus Castioni Vasallis & subditis, ut memoratam renunciationem & Conventiones, in præinserto Instrum^to. contentas, nec non hanc nostram confirmationem, derogationem, declarationem, suppletionem, decretum, voluntatem, Investituram, & infeudationem firmiter, ac inviolate observent, atque ab aliis ad quos spectat observari curent, nec eis quovis modo, publico, vel privato nomine in Judicio, vel extra Judicium, quovis quæsito colore, ingenio, vel prætextu tam prætensæ læsionis, quam in integrum restitutionis contraveniant, aut contravenire præsumant, quatenus nostram & Imperii Sacri indignationem, ac pœnam gravissimam, quam si quotiescunque contrafactum fuerit, ipso facto incurrisse noverint, evitare voluerint.

Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæs^i. appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die 23. mensis Junii, Anno Domini 1572. Regnorum nostrorum Romani X^mo. Hungarici 9no. Boemici vero 24.

MAXIMILIANUS.

Vite ac Nomine Re^mi. D. Danielis, Archi-Cancellarii Moguntini.

Vidit Jo. Baptista Umbretz.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium

Obernburger.

Ego Gulielmus Coradinus filius quondam D. Joannis Baptistæ, Civis Castionis a Stiveriis, publicus Imp^li. auctoritate Notarius, supradictam confirmationem renunciationis bonorum, ac Investituram ab originali suo existente in Cancellaria olim Ex^mi. D. Principis Ferdinandi Castionis præfati de verbo ad verbum fideliter extraxi, & in fidem me subscripsi, ac solito parvo meo signo subscripsi hac die 27. Maji 1676.

Ego Honofrius D. Caroli de Honofriis, fil. Mantuæ Civis, pub^us. Imp^li. autoritate Notarius, urbis præfatæ Collegiatus, & ad præsens Solferini Not^s. &c. suprad^am. confirmationem ac Investituram per alienam mihi tantum fidam manum ab alia simili copia authentica extrahere feci, & facta diligenti auscultatione & reperta concordata, ob id in præmissorum fidem hic me subscripsi, &, ut soleo, signavi, sub hac die Lunæ 6. Mensis Julii 1676.

IV.

Instrumentum, quo Aloysius de Gonzaga, Marchio Castilionis bona & reditus, quos olim ab eis acceperat, Civitatibus Castilionis & Sulpherini restituit, facta ab iis vicissim promissione, se singulis annis sexcentas septuaginta quinque monetæ Brixiensis libras ipsi esse exsoluturas, d. d. 10. Februar. An. 1593.

COncernentibus nobis misericorditer, recto sinceræ pietatis intuitu, cujus quidem munus, cum in omnes nostros, tum potissimum in Castionates a Stiveriis, simulque Solpherinos Jurisdictionis nostræ, & Dominii clementer imo benignissime, & moti motu proprio peragere decrevimus.

Non immemores æternæ beatitudinis, qua digni redduntur Principatum gerentes erga subditos per humanum, ac liberale, in consultatione igitur multum ac diu rehabita tam cum prudentibus, quam nobiscum maturo consilio & consulte demum statuimus, præfatos Castionates & Sulpherinos nostro subditos Dominio afficere beneficiis, prærogativis, Privilegio & Immunitatibus decisis & limitatis concorditer inter nos beneficos ex una, & præfatos subditos et altera, ut in sequentibus describitur: Quæ quidem Compositio Contractus initi, & solemniter concelebrati sit, & intelligatur, inconcussa, irrevocabilis & perpetuo perduret, cujus Compositionis & Contractus forma, & tenor sedeat & contineat clausulis, sensu & ordine serio subsequenter describitur:

Invocato igitur Christi nomine Anno a Nativitate ejusdem 1520. Indictione octava die Veneris 20. Mensis Aprilis, in domo habitationis Mag^ci. D. Quindantoni de Caprianis dignissimi Potestatis Castrigiufredi, in quadam Camera superiori sita in Castro ejusdem Terræ in Contrata Plateæ tempore Serenissimi Principis & D. D. Caroli divina favente Clementia Romanorum Regis semper Augusti, præsentibus Nobili Rudolpho, filio quondam D. Silvestri de Doro habitatore in Castrogiufredo præfato, teste noto & idoneo, qui ad delationem mei Notarii infra scripti manu ejus propria, ejus corporali, tactis scripturis, juravit ad sancta Dei Evangelia, se bene & clare cognoscere omnes & singulos infrascriptos, & alios ejus contestes, & contrahentes subnotatos, & seu partes infrascriptas, ac de ipsis omnibus & singulis plenam & claram habere notitiam, & veram cognitionem: Nobilibus D. Stefano J. V. D. Joannini Lazzano, D. Hestore J. V. D. Joannis Francisci Piladis de Buxardis, Joanne Baptista filio quondam D. Joannis de Bessis, & D. Jacobo filio quondam Antonii de Bomellis omnibus testibus præfatis habitatoribus in Castrogiufredo testibus notis, & idoneis, ibi ad se omnia, & singula infrascripta vocatis specialiter, & rogatis.

Ibique Prælibatus Ill^mus. & Ex^mus. D. D. Aloysius de Gonzaga Marchioque ac S. A. E. Armorumque Castioni à Stiveriis & Sulferini à Castrigufredi prænominati dignissimus Dominus & Princeps titulo, & nomine liberæ Compositionis & Contractus agens per se suosque Hæredes & successores, & cum omnimoda auctoritate, qua in dictis Terris publice fungitur, & omnibus melioribus modo, via, jure, forma, & causa, quibus magis, melius, & efficacius dici,

dici, fieri & esse potest, & possit. Volens inprimis juxta modum præmissum efficaciter claudere, & ad plenum exequi quidquid continetur litteris suis emanatis ad homines & Commune dictæ terræ Castioni à Stiveriis manu suæ Dominationis subscriptis: Tenoris & effectus infrascripti & ejus sigillo sigillatis ad instantiam petitionem & requisitionem Nob. Virorum D. D. Petri de Siovolo, Joannis Laurentii de Scolaribus, Jacobi de Ferrardis, & Aloysii Lodrinis, Syndicorum & procuratorum dictorum Communis & hominum Terræ Castioni præfati ad instantiam, petitionem, & requisitionem Nobilium Virorum Christophori de Gibinatis, Dominici de Carettis, ac Laurentii della Carpenta, Procuratorum & Syndicorum Communis & hominum Sulpherini, præsentium & acceptantium stipulantium nomine & vice dictarum Communitatum, Hominum Castioni & Sulpherini, & pro eorum Hæredibus & successoribus descendentibus. Nec non ad mei Notarii infrascripti instantiam uti publice personæ præsenti, stipulanti & recipienti nomine & vice præfatorum hominum, Communitatum & Terrarum, & pro earum & eorum hæredibus, & successoribus; de quibus Procuris, & syndicatibus ex parte hominum Castioni constat publico Instrum^to. rogato per Dominum Joannem Jacobum de Jordaninis Notarium publicum Castioni præfati sub Anno, die, mense et millesimo in eo contentis, ex parte dictorum de Solferino constat publicum Instrumentum rogatum per me Notarium in Judicio sub Anno die Mense et millesimo in eo contentis, et de quibus Mandatis latius in fine præsentis Instrumenti apparet, dedit, cessit, sustinuit, liberavit, absolvit, concessit, elargitus est, laxavit, tradidit, et transtulit, ac dat, cedit, sustinet, liberat, absolvit, concedit, elargitur, laxat, tradit, et transfert, præmemoratis Procuratoribus, et Syndicis, et mihi Not^o. infrascripto præsentibus et stipulantibus, recipientibus nominibus, et vice, quibus ut supra integrum omnia et singula jura omnesque actiones et rationes reales et personales, Civiles, et naturales utiles, directas, mixtas & hypothecarias, tacitas et expressas generis cujuscunque, quæ ac quas, & quales, & quantas ipse Illustrissimus D. habuit, & habet, & habere potest usque in præsentem diem pro omnibus contentis, & descriptis in Capitulis infrascriptis juxta Compositionem præsentem & Contractum clausum inter prælibatas partes ut infra.

Et ideo prælibatus Illustrissimus Dominus Princeps, ut supra, agens per se, & Hæredes suos & successores dedit, cessit, sustinuit, liberavit, absolvit, concessit, elargitus est, laxavit, tradidit, & transtulit ad plenum ut supra continetur, præfatis Syndicis, & mihi Notario acceptantibus.

Prænominati Procuratores & Syndici agentes procuratoriis & syndicariis nominibus & nomine, & vice dictarum Communium, & Hominum Castioni & Sulpherini, ac successorum eorum præsentium & futurorum, tanquam veri & justi Procuratores & Syndici electi per easdem Communitates Castioni & Sulpherini ad dictum Contractum, & dictam Compositionem concludendam cum prænominato, Principe nostro felicissimo promiserunt, & solemniter promittunt ipsi Illmo. Domino stipulanti & recipienti, ut supra, actualiter & cum effectu dare, solvere & numerare sexcentas septuaginta quinque libras prædictæ monetæ Brixiæ omni & singulo anno perpetuis temporibus, termino, seu terminis infrascriptis, ad dictam solutionem & satisfactionem dictæ quantitatis faciendam, ut supra, incipiendo p^ma. die mensis præsentis Aprilis millesimi quingentesimi vigesimi, & solvendum dictas libras sexcentas septuaginta quinque ad ratam inter ipsas Communitates hoc modo, videlicet, per ipsos Commune & homines Sulpherini libras sexaginta sex dictæ monetæ & residuum per ipsos Commune & homines Castioni singulo mense ratam, & quam denariorum quantitatem, seu quas libras sexcentas septuaginta quinque, prænominati Syndici agentes nominibus & vice dictarum Communitatum & successorum, & Hæredum earum, & cujuslibet earum promiserunt, & solemniter promittunt prælibato Illmo. stipulanti & recipienti ut supra ad dictos terminos scilicet quolibet mense ratam, ut supra, dare, solvere & cum effectu numerare sine aliqua exceptione Juris vel facti, & sub obligatione omnium & singulorum dictarum Communitatum & hominum bonorum præsentium & futurorum juxta conventiones & compositiones, & pacta, de quibus in præsenti Instrumento omnibus oppositionibus, & exceptionibus omnino rejectis, & prorsus abjectis & remotis. Et ita prænominatæ partes, & utraque earum per sese, & ut supra fuerunt contentæ & confessæ, ac contentantur, & confitentur omnia & singula in præsenti Instrum^to. contenta opposita, & inserta fuisse, & esse vera imo verissima; Eaque omnia & singula ipsæ partes etiam per sese, & ut supra sibi ipsis ad invicem, scilicet una alteri, & e converso præsentibus, stipulantibus, & recipientibus pro sese & ut supra promiserunt, & solemniter promittunt sese & quamlibet earum perpetuo, & omni tempore firma, rata, & grata habere, tenere, attendere & observare, ac adimplere, & illis non contrafacere, nec contrauenire, nec contradicere, nec in totum nec in partem aliqua ratione, via, jure, forma, vel causa, modo, vel ingenio, de jure, vel de facto, vel aliquo juris colore quæsito singula singulis semper debite referenda, sub pœna refectionis omnium & singulorum damnorum, interesse, & expensarum litis & extra, renunciaveruntque ambæ partes exceptioni non sic factæ præsentis Conventionis, & Compositionis, & non sic in omnibus, ut supra, verum fuisse, & esse, exceptionique doli, mali, vi metus, causa actioni in factum, omnique alteri eorum, & cujuslibet eorum juri vel legum & statutorum auxilio, quibus unquam possent contra præsentem venire Contractum, aut in aliquo sese vel alteram ipsarum defendere, vel tueri; pro quibus omnibus & singulis prædictis & infrascriptis firmiter attendendis, & plenius observandis Partes prædictæ, & quælibet earum agentes pro sese, & ut supra sibi ipsis adinvicem, scilicet una alteri, & econtra singula singulæ referenda, ut supra, obligaverunt & obligant omnia & quæcunque ipsius Ill^mi. Domini & dictarum Communitatum bona præsentia & futura. Et insuper prælibato Illmo. & Syndicis supradictis, & cuilibet eorum, videlicet unicuique parti ad instantiam alterius delato Juramento per me Notarium infrascriptum, & ab ejus manibus eorum propriis

pro tactis corporaliter scripturis juraverunt ad sancta Dei Evangelia prædicta & infrascripta omnia, & singula in præsenti Instrum^to^ contenta, apposita, & inserta fuisse, & esse vera, eaque omnia & singula perpetuo & omni tempore firma, rata, & grata habere, tenere, attendere, & observare, & adimplere, & non contrafacere, nec contravenire, nec contradicere, nec retractare, & nec contraveniri, nec contradici, nec retractari facere per sese, vel alium, aut alios eorum, aut alterius eorum, nominibus eorum aliqua ratione, via, jure, forma, vel causa, modo vel ingenio, de jure, nec de facto, nec quovis colore quæsito, sub pœna & obligatione supradictis, & sub vinculo & virtute supradicti ejus lati Juramenti, subjicientes ipsæ partes sese foro Ecclesiastico in forma Cameræ, pro observatione præsentis Juramenti, & omnium & singulorum in præsenti Instrumento contentorum, de quibus omnibus rogatus sum ego Bernardus de Castr. Notarius publicus & ad conficiendum publicum Instrumentum ad laudem sapientis substantia non mutata.

Tenor litterarum præfati Ill^mi^. Domini de quibus supra à tergo.

Dilectissimis subditis nostris, Communi & Hominibus Castilioni à Stiveriis.

Dilectissimi nostri, perche egli è il debito di qualunque Principe e Gentilhuomo par mio & interponere ogni sforzo suo per relassare alla futura posterità delli populi, e li sudditi suoi perfettiori & opulentiori: Essendomi da dio e della parte mia dato l'esserui (quantunque indegno) Capo melio persuaso, uoler che le opere mie siano justificabili, nel cospetto della divina Maestà & essaminate le futture e presenti attioni de tutti uti oppositiuam^te^. membri miei, & viscere del Corpo mio: trouo che per l'industria, ne per giuditio miglior, ò deportamento alcuno è possibile megliorare la benevolenza, la fede, l'affettione, e l'ottima natura nostra mie adunque necess^o^ totis ut ajunt nervis, non debilitando la sustantia mia alli futuri successori, e non mancando al mio debito proponerui l'utile, e l'honoreuole, commodo sopra delquale havendo molto, e molti di per si estendono leforze del basso ingegno mio laboriosam^te^. insudato, & fatto affatticar ser. & amici assai, conclusi di propinerui la (da molti anni desiderata) libertade. Et perche presential^te^. ve ne hò parlato de sorte tale, che apertam^te^. potete giudicare l'essortatione mia non procedere da auiditate, vuero tyrannide alcuna, non mi essendo sin qui per uoi data responsione conclusiua; mi son mosso scriverui questa mia, come essortativa volet diligentemente investigare perscrutar l'utilitade Vostra, e pigliar circa ciò qualunque resolutione, Imperoche sapere ben, che io non dimando, le non quello, che ordinariamente è l'intrata mia, con promessa ancorche se frà il termine di anni quattro ò cinque conoscete l'effetto dell'essortatatione mia asserui in alcun conto nociuo sii in nostro arbitrio revocarlo. Vi essorto adunque à concluderui ouetam^te^ à scrivere la proposta mia tutta à benevolentia & affettione, che io ui porto, & à uti con tutto l'animo me offero. Mantosta 15. Febr^re^. 1520.

ALOYSIUS GONZAGA, Marchio S. R. J.

Tenor Capitulorum Compositionis de quibus supra videlicet:

Capitoli, quelli dimandano il Comune di Castione e Solferino all'Illmo. & Ecc^mo^. Aloysio de Gonzaga Marchese sig^re^. suo oss^mo^. pagando esso huomini la quantità infrascritta, & p^mo^. che essi huomini ed ogni persona cosi terriera, come forastiera siano liberi, imuni ed essenti, e non debbano & non possono esser astretti à pagar alcun Datio, treversia, ò Gabella, ne altra grauezza ne per vendere, ne per comprare, ne per alcun altro modo d'ogni sorte, robbe, e bestiami, & ne d'ogni altra cosa, à quale fusse, vel potesse esser posto Datio alcuno ò grauezza, seu honoranza: Ita che ogni ord^e^. Eride, patti, o statuti & prouis^ni^. & altere cose fusseno & aparessenò in contrario alla presente essentione cose antiche come moderne, fiano annullate & abollite, & non siano in osseruanza, eccetto il sale, quale rimanga secondo il solito.

Item per l'auvenire non possa esser impedito, ma liberam^te^. si possa condurre alle Terre, e recondurre & treuersar alle parte forestiere, cioè fuora del Dominio del prelibato Illmo. sig^re^. Biaue, Vino, Lanne, Panni, & ogni altre robbe, cosi terriere, come forastiere, senza pagamento alcuno ne bolletta, ne licentia, cosi de dì, come de notte; non ostante alcuno ordine in Contrario.

Item che non possa esser imposto a detti Huomini grauezza alcuna, sive obligatione di datio; Imo che l'Hosteria prestino, e Bacheria quale sua Sig^ria^. hà in Castiglione, siano annullate, e mai più non possa esser messo, ne hauer in detta sua Terra Hosteria prestino ne Becharia ne innouar altra cosa quale sia in detrimento della essentione concessa à detti Huomini, ita che dette Terre di Castioni e Solferino rimangano libere: facendosi pro l'Hostarie solum à nome, e commodo de loro huomini.

Item che non solum possano condurre, e far condurre, e traversar, ut supra, ma possano tener ad ogni lor beneplacito cosi Biaue, come farine & legumi, & altere robbe d'ogni sorte, fora del Castello, sive in Castello secondo piaccera ad essi huomini, e ciascheduno de loro.

Item che ogni persona forastiera, e non habitante in dette Terre de Castiono e Solferino possino liberam^te^. e senza alcuna boletta, vel Licenza condurre, star, transir, e menar fuora, e retornare in d^e^. Terre, e dà d^e^. Terre, cosi de dì, come de notte ogni sorte di mercantie, bestiami, biaue, Vino, lanne, panni, ferro, come oglio formaggio pistumi, sive feram^ti^., lignami, e de ogni altra sorte di robbe, etiam non nominate nel presente capitolo.

Ita che liberam^te^. ogni cosa, senza impedimento alcuno, possa star, condursi, traversare, recondursi con ogni libertà.

Item che sua Illma. Signo^ria^. debba per tale immunitade e liberamente havere da d^ti^. Communi & huomini, annuatim & singulo anno, libre sei cento settantacinque di moneta di predetti quali si debbano pagar ogni mese, alla rata.

Item che la sopradetta essentione ed Immunità concessa, non renda libertà alcuna alli huomini habitanti in Castelgiufredo per il condurre delle loro biave se recoglino in lo Territorio de essi da Castelgiufredo dalla parte Forestieri.

Item, che alla solutione de dette libre 675. siano tenu-

tenuti ed obligati e possono esser astretti ogni persone habitanti in dette Terre di Cast$^{ne.}$ e Solferino per loro estimi, & testi, e cosi quelli che non fusseno conferenti in Commune, come quelli che non conferisseno, ita, che persona alcuna non sii eccettuata ne per essentione, ne per alcun altro modo, e cosi li habitanti al presente come quelli, che venisseno ad habitar in detti loci per lò auuenire.

Tenor Mandati Communis & hominum Castioni pd$^{ti.}$ videlicet.

In Christi nomine Amen. Anno Domini a Nativitate ejusdem 1520. Indictione 8va die 18. mensis Februarii. In Pallatio Juris Communis & hominum Terræ Castioni à Stiveriis, ubi pro d$^{to.}$ Communi Jura redduntur in Platea, tempore serenissimi Principis & D. D. Caroli Divina sibi favente clementia Romanorum Regis & semper Augusti, præsentibus Joanne Petro, filio quondam Marci de Finis de Caluisano, M$^{ra.}$ Baptista filio quondam Irphei de Ramacino deMonteClaro,&Francino filio quondam Joannis Tanetti de Crema forensibus, & ad præsens habitantibus d$^{ta.}$ Terræ Castioni, testibus notis & idoneis ad hæc & singula vocatis specialiter & rogatis. Ibique convocata & congregata pub$^{ca.}$ & Generalis Vicinia Communis & universitatis hominum Castioni à Stiveriis, sono campanæ, ut moris est, de Mandato Joannis de Bertolis, & Bartolomei de Albertinellis Consulum, & cum licentia D. Benevenuti de Vgolottis, Magnifici D. Guid' Antonii de Caprianis, dignissimi Potestatis Terræ Castioni prædicti, & in dicta Vicinia aderant infrascripti homines & p$^{mo.}$ Albertus de Ferrandis, Baptista de Tedoldis, Jacobus de Coffanis de Medolis, Joannes de Brignolis, Simon de Bressanellis, Carolus de Bressanellis, Petrus Boni de Bressanellis, Carolus de Bressanellis, Anselmus de Landino, Crominus Crottus, Andreas de Assandrinis, Girardus de Assandrinis, Mattheus de Mazzono, ChristophonusSegurta,Haranius de Morlattis, Joannes Petrus Moratus, Laurentius de Rerato, Laurentius Sigutta, Simon Sigurta,Silvester Sigurta, Melchior Mozoni, Augustinus Mozoni, Bartholomæus Gualatius, D.Innocentius de Sivovolo, Simon de Antoniaciis, sancts. Leporis, Maggister Antonius Ghisonus, Simon de Pederzano, Jacobus de Pederzano,JoannesRainaldus deNovarino,Christophorus de Peterzinis, Magister Joannes Faber, Frodinus de Federcinis, Hieronymus de Jordaninis, Andreas Bosius,Cominus de Goiono,JoannesAnt$^{us.}$ de Fannino, Bernardellus de Bosiis, Joannes de Soldo, Antonius Panigalus, Antonius deSoldo, PetrusGaroni de Bebs, Dominicus deSarotto,Jacobus deGualatiis,Blasius de Gualatiis Joanninus de Serlis, Ageronimus de Ceratellis,Benevenutus deCeratellis,GirardusPastor,Vincentius quondam Jacobini de Fordaninis, Bertolinus de Seracenis, Gaspar de Beschis, Joannes Antonii de Beltramis, Bartholomæus de Calubino, Pasinus de Soiano, Angelus de Borsadulo, Joannes Dominicus deBono,Mattheus deRemettello,JoannesPastor,Haranius Bressani de Ferrandis, Franciscus de Pilottis, Joannes Petrus de Gambarino, Mapheus de Goiono, Petrus Joannes Raimondus, Petrus Ricii de Besano, Baptista de Ferrandis, Joannes FranciscusPastor,Laurentius de Ragottis, Andreolus de Ferrandis, Dominicus de Ferrandis, Joannes de Forrardis, Joanninus de Ferrardis, Innocent$^{s.}$ de Besavo Thomas de Beschiis, Paulus de Bonis, Gasparinus de Bono, Jacobinus Scartezzinus, Jacobus Panigalis, Andreolus de Antoniatiis, Franciscus de Antonisiis, M$^{r.}$ Baptista de Marchesiis, Franciscus de Gambarino, Sebastianus de Reuobella Vincentius de Marchesiis, Filippus de Bono, M$^{r.}$ de Rubeis de Marchesiis, Gretiolus de Derina, Paulus Faber, Joannes de Bomfadino, Joannes Marchesii Baslo, Laurentius Pastor, Michael de Cattaneis M$^{r.}$ Jacobus Filippus de Michaelibus, D. Gaspar de Scouolo, Barb$^{a.}$ de Bressanellis, D. Joannes Petrus de Notariis, Joannes Leolus, Andreolus Bergomensis, Lodrinus Faber, Bernardus Gambarini, Joannes de Vgolottis, Blasius de Beschis, Jacobus de Antoniatiis, Bartholomeus de Albertinellis, D. Beneventus de Vgolottis, Bettinus Bergomensis, D. Joannes Franciscus Scuolo, Sanctius de Albertinellis, Allexius de Albertinellis, Thomas de Beschis, Andreas de Beschis, Antonius de Multis, Laurentius de Multis, Paulus de Multis, Bertolinus Bosius, Frater de Not$^{iis.}$ Nicolaus de Tedoldis, Chitorellus Mattheus de Tedoldis, Joannes de Botturis, Andreas de Botturis, Dominicus de Botturis, Franciscus de Ordanincis, Jacobus de Serlis, Bertolinus de Serli, Joannes de Lodrinis, Martinus de Bianzano, Antonius Joannes de Bellinis, Bernardus de Fornasariis, Jacobus Fornasarius, Mapheus de Ballarinis, Gratius de Bosiis, Bertolinus de Ballarinis, Bartholomeus Vulpini, M$^{r.}$ Aloysius de Lodrino, Bartholomeus de Lodrino, Joannes quondam Petro Ballarini, Paulus de Beschis, Nar$^{s.}$ Lodrini, Melchior de Bertolis, Joannes Petrus de Jordaninis, Percinus de Ruggeriis, Jacobus de Ruggeriis, Barba de Bets, Andreas Pastorius, Bert$^{s.}$ Ballarinus, Bertolottus della Petricina, Colla de Betercinis, Venturinus de Panigalibus, Thomas de Jordaninis, Bertholinus de Jordaninis, Augustinus de Bertholinis, Theodorus de Jordaninis, Christophorus de Jordaninis, Joannes Jacobus quondam Bladexer de Jordaninis, Dominicus Piruli, Alexius Bordatio, Stefanus Pastor, Bernardus de Margutio, Bernardus de Lecho, Hararius de Bellinis, Ventunes de Caffar, M$^{r.}$ Mariolus de Caffar, Benedictus de Oltis, Jacobus de Oltis, Antonius Ghirardus de Bellinis, Ser Bertolus de Revoltis, D. Andreas de Scolaribus, Bernardus de Caffar, D. Alexius de Conradonibus, Filippus Bosius, Ghirardus de Bertasiis, Antonius Jacobus de Bellinis Franciscus de Raugis, Dom$^{cus.}$ quondam Francisci de Fezzardis, Andreas de Bertasiis, Paulus de Patritio, Mattheus de Lodrino, Joannes Quazzina, Andreas Linetta, Alexius Linetta, Petrus de Gidino, Pelegrinus Smaragli, Joannes Tadena, Joannes Franciscus de Bianzano, Sebastianus de Gambarino, qui omnes congregati, ut supra asseruerunt, sese esse duas Partes ex tribus dictorum hominum Castioni omni meliori modo, via, Jure, forma, & causa, ac officio, pro qua, & quibus magis & melius dici, fieri, & esse potest; fecerunt, constituerunt, creaverunt, & ordinaverunt, ac faciunt, contribuunt, creant & ordinant suos syndicos & legitimos Procuratores, actores, defensores, & negotiorum Gestores, ac Nuncios speciales, & quidquid eorum melius de jure dici potest, discretos & prudentes Viros, Dominos Sebastianum de Jordaninis, Petrum de Scuolo, M$^{rum.}$ Alexium Lodrino, Joannem Laurentium de Scolaribus, & Jacobum de Fezzardis, & quemlibet eorum in solidum:

ita

ita quod occupantis conditio potior altero non existat, & quidquid unus eorum inceperit, alter vel alius prosequi, mediare, finire possit, vel possint ad omnes & singulos ipsorum constituentium lites, quæstiones, causas & controversias, civiles & criminales, speciales, mixtas, & hypothecarias, præsentes & futuras, quas habent, sive sperant habere cum quacunque persona, Communi, Collegio & Vniversitate tam Ecclesiastica quam seculari, & tam ad agendum, quam ad defendendum, & tam pro ipsis constituentibus, quam contra ipsos, & quod dti. syndici & Procuratores, ut supra constituti, & quilibet eorum in solidum valeant, & possint, sive valeat, & possit constituere, substituere, ordinare, atque creare unum alium Procuratorem & syndicum, vel plures, si opus fuerit, nomine dictorum hominum, & illum, vel alios, semel, & pluries revocare, quoties ipsis constitutis, sive cuilibet eorum videbit, & placuerit, firmo tantum manente semper præsente Mandato, in dictos syndicos, ut supra, constitutos: affirmantes quoque & ratificantes ipsi constituentes, & quilibet eorum omnia, & singula, quæ erant acta, gesta, & facta per dictos suos syndicos & Procuratores constitutos, vel substitutos, ab eis per aliquem ipsorum nomine Constituentium, & maxime specialiter, & expresse ad omnes & quascunque Causas, & actiones spectantes circa quandam compositionem & transactionem, de qua tractatur cum Illmo. & Exmo. D. Don. Aloysio de Gonzaga, Marchione, Domino ac Patrono nostro unico & observandissimo, pro quadam exemptione & liberatione habenda, & consideranda cum prælibato Illmo. Domino nostro & de ea, & pro ea, ut supra, ipsa exemptione componendum, paciscendum ac promittendum & obligandum de solvendo annuatim prælibato Illmo. D. nostro certam quantitatem Denariorum pro ipsa exemptione & liberatione in magna, seu parva quantitate, & ad terminos, prout melius videbitur & placuerit ipsis Dominis Syndicis constitutis vel aliquibus eorum, quam quantitatem denariorum pro ipsa exemptione ipsi Syndici & Procuratores constituti, ut supra etiam promittere valeant, & obligari ad summam, ut supra, & ad faciendam talem obligationem de solvendo, ut supra, nomine dicti Communis etiam per publicum Instrumentum cum suis Clausulis, pœnis, bonorum obligationibus, renuntiis Juramtis. & aliis quibuscunque necessariis & in similibus apponi solitis & consvetis, videlicet in forma valida & opportuna. Item ad recipiendum talem exemptionem, immunitatem & liberationem pactis, modis, & Capitulis, & obligationibus, & prærogativis, prout ipsis Syndicis & Procuratoribus, ut supra, melius videbitur & placuerit; Nec non ad jurandum in animam ipsorum Constituentium de ratohabendum talem Conventionem cum suis pactis, Capitulis, Conventionibus, & obligationibus inter Partes confœderandas, & de non contraveniendo Instrumento super his conficiendo, obligando omnia & singula ipsius Communis bona, præsentia & futura, pro observatione contentorum, in tali Instrumto. celebrando; nec non ad omnia & quæcunque alia dicendum, capitulandum, faciendum, componendum & pacissendum nomine ipsorum Constituentium, prout & quemadmodum facere possunt & possent ipse Commune, & homines Castioni, si præsentes & personaliter interessent, etiamsi talia forent, quæ ad idem mandatum exigerent, speciale. Dantes ipsi homines constituentes ipsius Communis & tanquam Commune Castioni pdi. per sese, & suos & eorum cujuslibet successores prædictis D. D. constitutis, & mihi Notario infrascripto uti publicæ personæ stipulantibus & recipientibus nomine & vice omnium & singulorum, quorum interest, vel in futurum interorit, omnimodam facultatem, libertatem, potestatem, autoritatem & bailiam agendi, componendi, pacissendi, promittendi & obligandi in præmissis & circa præmissa, prout possunt ipsi Commune & homines si personaliter utsupa. adessent. Promittentes ipsi D. D. constituentes per sese & eorum Hæredes & successores pro ipso Communi & successoribus ejusdem prædictis Dominis Constitutis & mihi Nota. infrascripto stipulantibus & recipientibus ut supra sese, & quælibet eorum, & quod semper in Commune, & homines firmum, ratum & gratum & firmam ac gratam habebunt, tenebunt, observabunt, & adimplebunt id totum, & omne quod actum, gestum, procuratum, concordatum & conventum fuerit, ac promissum & obligatum nomine ipsius Communis, & per pdtos. D. D. Syndicos constitutos, vel alterum eorum & nunquam contrafacient, nec contravenient in aliquod de Jure, vel de facto, & nec quovis alio modo, forma vel Causa, sub pœna & obligatione omnium & singulorum ipsorum constituentium & dictis Communis bonorum præsentia & futura. Ego Joannes Jacobus filius quondam Filippi Jordanini Civis Mantuæ & Notarius Communis, & hominum Castioni à Stiveriis publicus Imperiali autoritate Notarius suprascriptis omnibus & singulis præsens fui, & rogatus scribere scripsi & subscripsi.

Tenor Mandati Communis & hominum Sulpherini prædicti videlicet.

In Christi nomine Amen. Anno Domini à Nativitate ejusdem 1510. Indictione 8va die Dominico 25. mensis Martii tempore serenissimi Principis & Domini Domini Caroli divina sibi favente Clementia Romanorum Regis & semper Augusti. In Domo Communis, & hominum Villæ sulpherini sitæ in ipsa Villa super Domibus Ecclesiæ in Burgo superiori præsentibus Domino Petro filio quondam D. Thomasii Papæ de Lonato, & ibi habitatore, ac Jacobo filio quondam D. Bersæ de Pece, Communis Polpenatii, Reperiæ, Salodi testibus utsupa. habitantibus notis & idoneis, ibi ad hæc omnia & singula infrascripta vocatis specialiter & rogatis. Ibique convocata & congregata generali Vicinia more solito, ac sono campanæ & ubi generalis Vicinia uniri solet publice & palam, & ibi aderant omnes infrascripti, tanquam homines repræsentantes totum Commune ipsius Villæ Sulpherini, asserentes & declarantes, sese fore & esse ex tribus partibus, duas partes & ultra de toto ipso Communi, qui ad infrafatum mandatum interesse possunt & debeant videlicet pmo. Bernardus Morettus, Franceschinus de Caremio, Antonius de Casenico, Mapheus de Casenico, Baptista de Casenico, Thomas de Casenico, Nicolinus de Paulo, Franceschinus de Casettis, Lafrancus de Monica, Janellus Casettus, Bernardus Cacertus, Joannes Jacobus Annovatius, Maroschus de Marchis, Peterzo-

lus Fachini, Rafael de Cattaneis, Lucas Marocchus, Joannes Jacobus de Gerola, Nicolaus della Jacoma, Joannes della Jacoma, Simon Cerinus, Joannes Antonius Cerinus, Gasbarinus Sapiens Consul, Dominicus Cerinus, Jacobus Javontius, Thomas Juradeus, Bernardus Juradeus, Filippus Cerinus, Manfredus Hiera, Thomeus Factor, Morellus Marocchus, Pasqualinus Factor, Thomas Factor, Solpherinus Brunellus, Joanninus Juliani Cerini, Rezzinus Narræ de Cerinis, Antonius dictus Milanesius de Cacettis, Joannes Domcus. de Cacettis, Joannes Sponse, Steffanus Morenus, Hararius de Cerinis, Peterzolus Hiera, Gotardus de Moradis, Dominicus quondam Gelmini de Paulo de Gernico, Jacobus Irentinus, Antonius de Gibbinatis, dictus de Crocha, Joannes de Margonibus, Joannes dictus Malagisius de Juradeis, Antoniolus de Tomatiis, Seraphinus de Ceriniis, Nicolaus de Paulis, Franciscus de Ottalengo, Marcus Cassa, Girardus Berginus, Vincentius Cassa, Laurentius Cassa, Alexius Cassa, Joannes Jacobus Cassa, Consul, Bartholomeus Cassa, Joannes de Burago, Joannes Cassa, Nicolaus Juradeus, Jacobus de Caminella, Ludovicus Juradeus, Ognibenus Agnolinus, Franciscus de Juliano de Sacciis, Franciscus de Morenis, Bartholomeus Sapiens, Macharellus Gibbinatus, Perinus Speltonus. Janellus Baiettus, Antonius Binchina, Ferrandus Cacettus, Rafael Cacettus, Franciscus dictus Barcelinus de Juradeis, Petrus de Morenis, Jacobus Morenus Bartholomæus dictus Giovanna, Joannes Teudonicus dictus Guasconus, Joannes Jacobus de Casenico, Augustinus de Cerinis, Ognibenus de Morenis, agentes, omni meliori modo, via, jure, forma & causa, quibus magis, melius & validius fieri, & esse potest, fecerunt, constituerunt, creaverunt & ordinaverunt, & faciunt, constituunt, creant & solemniter ordinant suos Procuratores & Syndicos, & veros & legitimos Missos & Nuncios, & negotiorum gestores, & Executores, & quidquid de eis melius dici potest, discretos Viros Dominium, filium quondam Joan. de Cacettis, Christophorum de Gibbinatis & Laurentium della Carpenta omnes de dicta Villa Sulpherini præsentes & acceptantes, & quemlibet eorum principaliter & in solidum, ita quod occupantis conditio potior altera non existat, & quidquid unus eorum inceperit, alter, vel alius persequi, ac finire possit, & valeat, ac possint & valeant ad omnes & quacunque; ac cujuscunque generis Causas, lites, actiones, & quæstiones & Provincias tam Civiles, quam Criminales, mixtasque & prætorias, ac naturales, & ad alias quascunque tam præsentes quam futuras, quas habent vel habebunt ipsi constituentes cum quacunque persona Communi, Collegio, & universitate, & seu alii habent, vel habebunt cum ipsis constituentibus, & tam ad agendum, quam ad defendendum, & maxime specialiter, & expresse ad omnes & quascunque causas, & actiones & importantias spectantes circa quandam compositionem & transactionem, de qua tractatum est, & tractatur cum Illmo. & Exmo. D. Don Aloysio de Gonzaga Marchione S. R. J. Armorumq; Domino & Patrono & Principe, ut supra, unico, & observandissimo pro quadam exemptione, & liberatne. habenda, & confœderanda, & consequenda ab ejus Dominatione, & ad componendum paciscendum, & transigendum, cum ipso Illmo. D. & Hæredibus & successoribus ejusdem certam quantitatem denariorum pro ipsa exemptione, & liberatione, & tanta quantitate, quanta ipsis Procuratoribus & Syndicis placuerit, vel alteri eorum, nec non ad faciendum & concludendum cum prælibato Illmo. Domino nostro ipsam Compositionem & Transactionem nomine ipsorum Constituentium promissione de solvendo dictam quantitatem denariorum ad summam ut supra exprimendam, & ad terminos prout ipsis melius videbitur, & placuerit, etiam per publicum Instrumentum cum suis Clausulis, pœnis, bonorum obligationibus, renuntiis & Juramentis, ac aliis quibuscunque opportunis & necessariis, similibus Instrumentis apponi solitis, & consvetis. Idem & ad confœderandum, & recipiendum ipsam exemptionem, & liberationem, & immunitatem pactis, modis, & Capitulis, ac obligationibus, & prærogativis, prout ipsis Procuratoribus & Syndicis melius videbitur & placuerit. Nec non ad jurandum in animam ipsorum Constituentium de rato habendum, & observando talem Conventionem & Transactionem secum cum omnibus pactis Capitulis, Conventionibus & obligationibus inter Partes confœderandis & de non contraveniendo Instrumento super his conficiendo, & ad obligandum omnia, & singula ipsius Communis bona præsentia & futura pro observatione contentorum in tali Instrumento celebrando, nec non ad omnia, & quæcunque alia docendum, faciendum, componendum, capitulandum & paciscendum nomine ipsorum Constituentium, prout & quemadmodum facere possent, & possunt ipsi Communes & homines Sulpherini, si præsentes & personaliter interessent, etiam si talia forent quæ ad id Mandatum exigerent specialem. Dantes ipsi homines, Constituentes nomine ipsius Communis & tanquam Communi Sulpherini prædicti per sese, & suos ac eorum cujuslibet successores prædictis Dominis Constitutis, & mihi Notario infradicto, uti publicæ Personæ, stipulantibus & acceptantibus nomine & vice omnium & singulorum, quorum interest, vel in futurum intererit, omnimodam facultatem, libertatem, potestatem, autoritatem & bailiam agendi, componendi, paciscendi, promittendi, & obligandi in præmissis & circa præmissa, prout possunt, & possent ipsi Commune & homines, si personaliter, ut supra, adessent promittentes ipsi Domini Constituentes per sese & eorum hæredes & successores pro ipso Communi & successoribus ejusdem prædictis Constitutis, & mihi Notario infrascripto stipulantibus & recipientibus, ut supra, sese, & quemlibet eorum, quod semper ipsi Commune & homines, firmum, ratum & gratum, & firma rata & grata habebunt, tenebunt, observabunt & adimplebunt ad totum, & omne quod actum, gestum, procuratum, concordatum & conventum fuerit, ac promissum & obligatum nomine ipsius Communis per prædictos DD. Syndicos constitutos, vel alterum eorum, & nunquam contradicent, nec contravenient in aliquid de jure, nec de facto & nec quovis alio modo, forma, vel causa sub pœna, & obligatione omnium & singulorum ipsorum Constituentium, & dicti Communis bonorum præsentium & futurorum. Ego Bernardus Jo. præstantis Viri, D. Raphaelis de Catte. Civis Mantuæ, publicus Impli. autoritate Notarius, sumptis omnibus & singuli

singulis præsens fui & rogatus scribere publice scripsi, & subscripsi.

Ego Hieronymus, filius quondam Antonii de Gratiis, civis Mantuæ Imp^li. autoritate Notarius supradictum Not^m. rogatum per supradictum nobilem Virum, D. Bernardum de Catt^s. Civem & publicum Mantuæ ab ejus abbreviaturis de sui licentia & Mandato in hanc pub^cam. formam fideliter redegi, & facta collatione, visaque concordantia sua, me cum solita attestatione subscripsi.

Registratum fuit per me Antonium Tridapaclum, Not^m. Registri Communis Mantuæ, die Veneris 3. Novembris 1531. in quinterno signato erat verbum anni 1520.

Ego Bernardus filius præstantis Viri Domini Raffaelis de Cattaneis, civis Mantuæ, pub^cus. Imp^li. autoritate Not^us. suprascriptum Instrumentum per me rogatum, & ut supra abbreviatum pluribus occupatus sumpto D. Hieronymo de Grassis Notario relevandum tradidi, & quia de ipso Instrumento facta debita auverat^ne. cum dictis meis abbreviaturis in omnibus concordare repertum est, ideo in robur & fidem præmissorum me cum solita attestatione subscripsi.

Ego Marchese affirmo ut supra adi 9. Oct. nel --

Ego Antonius f. q^m. d. Petri de Bosiis de Castilione à *Stiveriis* pub^s. Imp^li. autoritate Not^us. supd^tum. Instrumentum sic desumptum, & aliena manu adnotatum ut supra, transumptavi, ac in transumptum istud præsentari duxi cum infrascriptis egregiis Dominis, Ferrante Bellini, Laurentio Lodrino, Fabio Fordanino, Thadeo Segurtado, Baptista Bellino, & Joanne Baptista Fezzardo Not^iis. Castioni prædicti, qui omnes unanimiter existentes coram Exmo. Juris Conf. D. Rudolpho de Petrocinis, honorando Vice-Prætore Castioni prædicti, ad ejus ipsius Tribunal sedente pro Jure redden. dictum Instrumentum omni cum diligentia auscultatum, adinventaque Concordantia, collationatum assumpsimus & ab ipso Originali de eo sic sumpto, sive ut verius dicatur, a Copia autentica nobis exhibita, rogatum fecimus ad instantiam & petitionem Donoque Laurentii de Ferrariis, & Horatii Ferrardi Ratiocinatumque electo ab hominibus Castioni prædicti, & sic etiam mandante Exmo. D. Vice-Prætore, & propterea in probabili forma. Ego idem Not^us. prædictus, aliis ut supra, redegi & in fidem ac robur prædictorum hic scripsi & subscripsi ad præsentiam D. Jovillæ Tedoldi q^m. Andreæ Gabrielis Hieronymi de Leueltis, Baptistini filii quondam Hararli de Odulo omnes de Castiono Testium notorum, & ad præscripta solitoque mei Tabellionatus signo roboravi die, Anno, & Indictione infrascriptis.

Ego Joannes filius quondam Barthol. de Bellinis de Castione prædicto pub, Apostolica autoritate Notarius sumptum sic descriptum & aliena manu ad notitiam ut supra transumptavi & in transumptum istud præsens reduxi omnia cum præfato & infrafatis D. D. Notariis Castioni præfati, qui omnes unanimiter existentes coram prædicto D. Vice Prætore sedente ut supra dictum Instrum. auscultatum inventaque concordantia collationatum assumpsimus & a Copia nobis in authentica forma exhibita rogatum fecimus, & ad instantiam & petitionem, ut supra, & sic etiam mandante præfato D. Vice Prætore, & propterea in probanti forma ego idem Not^s. cum alio prædicto & infrascriptis redegi & in fidem præfatorum sic scripsi, & me subscripsi ad præsentiam suprascriptorum testium omnium de Castione præfato, ad præfatam, solitoque mei Tabellionatus signo roboravi die, mense, Anno, & indictione infrafatis.

L. S. Ego Antonius filius quondam D. Petri de Bosiis de Castiono à Stiveriis pub^cus. Imp^li. autoritate Not^s. sumptum Instrumentum sic descriptum & aliena manu adnotatum ut supra transumptavi, & in transumptum istud præsens reduxi una prædictis & infrascriptis D. D. Notariis Castioni præfati, qui omnes unanimiter existentes coram præfato Vice Prætore sedente, ut supra d^tum. Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque concordantia collationatum assumpsimus & à Copia nobis in authentica forma exhibita rogitum fecimus ad petitionem & instantiam, ut supra, & sic admonente præfato D. Vice Prætore, & propterea in probanti forma ego idem Not^s cum aliis præfatis & infrafatis redegi & in fidem præfatorum sic scripsi & me subscripsi ad præsentiam sumptorum testium de Castione præfato ad præfata, solitoque mei Tabellionatus signo roboravi die, mense, anno, Indictione infra scriptis.

L. S. Ego Thadeus filius q^m. Laurentii de Segurdatis de Castiono a Stiveriis pub^cus. Amplissima autoritate Not^s. præfatum Instrumentum sic descriptum & aliena manu adnotatum, ut supra, transumtavi & in transumptum istud præsens reduxi una cum prædictis & infrafatis Notariis Castioni præfati, qui omnes unanimiter existentes cum præfato Mag^co. Vice D. Vice Prætore sedente, ut supra, d^tum. Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque concordantia collationatum assumpsimus & a copia nobis in autentica forma exhibita rogari fecimus ad petitionem, instantiam ut supra, & sic etiam mandante præfato D. Vice Prætore, & propterea in probanti forma. Ego idem Not^us. cum aliis præfatis & infrafatis redegi & in fidem præfatorum scripsi & me subscripsi ad præsentiam præfatorum testium de Castiono præfato, & ad præfata, solitoque mei Tabellionatus signo roboravi die, mense, anno, & Indict^ne. infrafatis.

L. S. Ego Baptista filius q^m. Joannis Bellini de Castione præfato pub^s. Amplissima Imperiali autoritate Not^s. sumptum Instrumentum sic descriptum & aliena manu adnotatum, ut supra, transumptavi, & in transumptum istud præsens reduxi, una cum supd^tis. notariis Castinoi ibique omnes unanimiter existentes coram præfato Vice Prætore sedente, ut suprad^tum. Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque Concordantia collationatum assumpsimus, & à Copia nobis in autentica forma exhibita rogatum fecimus ad petitionem & instantiam ut supra, & sic à Magn^co. pd^to. D. Vice-Prætore, & probanti forma, ego idem Not^s. cum aliis supradictis redegi, & in fidem præfatorum sic scripsi & subscripsi ad præsentiam supradictorum

rum testium de Castione & ad prædicta, solitoque mei Tabellionatus signo roboravi die, mense, & Indictne. infrafatis.

L.S. Ego Fabius fil. quondam Spectabilis D. Jo. Jacobi Jordanini de Castiono a Stiveriis, pubcus. Imperiali autoritate Nots. sumptum Instrumentum sic descriptum, & aliena manu adnotatum, ut supra, transumptavi, & transumptum illud præsens reduxi una cum supradictis & infrafatis D. D. Notariis Castioni prædicti, qui omnes unanimiter existentes coram præfato D. Vice-Prætore sedente, ut supra, dictum Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque concordantia collationatum assumpsimus, & copia nobis in authentica forma exhibita rogatum fecimus ad petitionem & instantiam, ut supra, & sic mandante prædicto Magco. D. V. Prætore, & propterea in probanti forma, ego idem Not. cum aliis sumptis, & infrafatis reduxi & in fidem præfatorum sic scripsi, & me subscripsi ad præsentiam suprascriptorum testium de Castione præfato & ad præfata, solitoque meo Tabellionatus signo roboravi, die, mense, anno, & Indictione.

L.S. Ego Joannes Baptista fil. quondam D. Natali Fierrardi de Castiono à Stiveriis, pubs. Amplissima autoritate Notarius Instrumentum sic descriptum & aliena manu adnotatum, ut supra, transumptavi, & in transumptum illud præsens reduxi una cum sumptis D. D. Notiis. Castioni præfati, qui omnes unanimiter existentes coram prædicto D. V. Prætore sedte. ut supra, dictum Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque concordantia collationata assumpsimus, & a copia nobis in authentica forma exhibita rogitum fecimus ad petitionem & instantiam, ut supra, & sic mandante præfato Magco. D. V. Prætore, & probanti forma ego idem Notarius cum aliis supradictis reduxi, & in fidem prædictorum sic scripsi, & me subscripsi ad præsentiam supradictorum testium de Castione præfato & ad præfata, solitoque meo Tabellionatus signo roboravi, die, mense, anno, & Indictione infrafatis.

L.S. Ego Laurentius Lodrinus, fil. quondam Petri Jacobi de Vecollis de Castione à Stiveriis, pubcus. Apostolica autoritate Notarius, supradictum Instrumentum sic descriptum & aliena manu adnotatum, ut supra, transumptavi, & in transumptum istud reduxi, una cum sumptis D. D. Notiis. qui omnes unanimiter existentes coram præfato D. V. Prætore sedente, ut supra, dictum Instrumentum auscultatum, ut supra, inventaque concordantia collationatum assumpsimus, & in copia nobis in authentica forma exhibita rogitum fecimus ad petitionem & instantiam, ut supra, & sic etiam, mandante præfato Magco. D. V. Prætore, & propterea, in probanti forma, eisdem Not. cum aliis sumptis reduxi, & in fidem præfatorum hic scripsi, & me subscripsi ad præsentiam sumptorum testium solitoque meo Tabellionatus signo me roboravi. Qui Exmus. D. Prætor sedens pro Tribli. posito in Cancellaria mei Notii. infrafati conducta a D. Antonio de Priccellis sit, in contrata plateæ, quem locum pro suo Juridico & honesto loco elegit, & deputavit, & sic interloquendo pronunciavit, audita & intellecta petitione & instantia oretenus facta de transumptando prædicto Instrumento a Magcis. D. D. Laurentio de Fierrariis, & Horratio de Fierrardis de Castione prædicto Ratiocinatoribus Consilii dictæ Terræ, visaque transumptione ad præsentiam & Tribunal ipsius jam expleta assistentibus in eaque facienda tam Egr. D. D. Laurentio Lodrino & aliis Notiis. ut supra, quam etiam D. Jonitta de Tedoldis & aliis Castionis, ut supra, & causa desuper bene cognita, ac maturata pronuntiavit transumptum præfatum a copia dicti Instrumenti in pubca. & authentica forma transumptum esse juxta Jus & morem hujus Curiæ, & propterea dicto transumptato Instrumento sic solemnizato, ut supra, fore & esse plenam & indubiam fidem præstandam ab omnibus ubique locorum, perinde ac si exhibitum esset Originale præfatum, & ita quoque decrevit ad instantiam præfata omni meliori modo, quo & quibus præsentibus ibidem continue prædictis testibus adhibitis & rogatis anno a nativitate Domini 1593. Indictne. 6ta. die Mercurii decima Februarii.

L.S. Ego Baptista filius quondam Jacobi de Marmentinis de Castiono a Stiveriis pubcus. Apostolica autoritate Not. suprascriptis omnibus & singulis præsens fui, & rogans scribere, publice scripsi, in quorum robur & testimonium me, meis signo & nomine consuetis appositis subscripsi.

V.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris Privilegii illius, quo Sigismundus, Rom. Imp. terras Dominorum de Gonzaga An. 1433. Marchionatus dignitate & Privilegiis condecoraverat, Confirmatio, quaque insimul Marchiones de Gonzaga Sacr. Rom. Imperii Principes creavit & constituit, eorumque Marchionatum ad Principatus fastigium evexit, d. d. 1. Mart. An. 1593.

RODOLPHUS Secundus divina favente Clema. Electus Rom. Imperator semper Augcus. ac Germaniæ, Ungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Wirtembergæ & Theckæ, Princeps Sveviæ, ac superioris, & inferioris Silesiæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferrettis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Rom. Imp. Burgaviæ, ac superioris, & inferioris Lusatiæ Dominus, Marchio Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam, agnoscimus & notum facimus vigore præsentium universis, etsi majorum gloria multum puberis ornamenti, ac splendoris afferre soleat, ut in humana societate præ cæteris, qui inferioris sortis sint, hominibus honorentur, & æstimentur, usu tamen quotidiano competitur, nisi gloria illa iisdem, quibus à majoribus

nibus parta est artibus conservetur, illam paulatim unquam lucernam absque fomite extingui, & evanescere. Unde Romani olim fortissimi viri, quorum heroica facta admiratur potius, quam imitatur posteritas, magis in propriis meritis, quam in alienis domesticum decus ponentes, si magnis, & illustribus nati natalibus erant, ad magna & illustria domi militiæque præstanda, quibusdam quasi igniculis, ita vero laudis amore & cupiditate, & majoris si non superandi saltem imitandi studio accendebantur. Hinc familiæ illæ veteres apud eos ad tantam pervenere celebritatem, ut nomina ipsis, & cognomina ab unius fortitudine, aut a loco ubi eam exercuissent, indicia, ut statuæ, & arcus triumphales ipsi erecti posteris desiderium ad similia præstanda pluries exacuerint. Posterior deinde ætas eandem rationem aliquando imitata certos quosdam dignitatum gradus invenit, secundum quos homines ab hominibus distingverentur, ut Divi Prædecessores nostri Rom. Imperatores ac Reges, a quibus tanquam a sole reliqua lumina lumen, sic cœteri homines honores accipiunt quosdam, qui populis præcesserint, Duces, ac Principes, quosdam Marchiones, quosdam Comites, Barones, aut nobiles, prout quisque vel propter heroica, & egregia facinora, vel propter virtutes, aliaque merita sua suorumque digni videantur, crearent, quorum quidem Prædecessorum nostrorum vestigiis Nos, qui Divino concessu ad sublime Imperatoriæ Majestatis fastigium evecti sumus, insistendum, censentes, eorum inprimis benignam haberi debere rationem censemus, qui generis splendorem proprio virtutis ornamento illustrant, seque Cæsarea beneficentia nostra dignos reddunt. Cum igitur clarum, & apertum sit nobis, Carolum, Guidum, Sfortiam, Jordanum & Fulvium, fratres de Gonzaga, originem a Dominis, & Marchionibus Mantuæ ducere, ac primum quidem ab Aloysio primo Domino Mantuæ, ex quo ortus sit Guidus secundus, qui filium habuerit Ludovicum tertium ordine, Dominum Mantuæ, ex quo Franciscus natus sit quartus Dominus, cujus filius fuerat Joannes Franciscus Marchionis Mantuæ Titulo primus a Sigismundo Imperatore vigesima secunda mensis Septembris Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio insignitus, quemadmodum ex diplomate, cujus exemplum, sive copia de verbo ad verbum sequitur, apparet:

In Nomine sanctæ, & Individuæ Trinitatis feliciter Amen.

Sigismundus, Divina favente Clementia Rom. Imp. semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam, Illustri Joanni Francisco de Gonzaga Mantuæ, ejusque Territorii, Diœces. & districtus, nec non infrafatorum locorum, terrarum, Castrorum, & pertinentium Marchioni nostro Sacrique Romani Imp. fideli Principi, gratiam Cæsaream & omne bonum! sicut summus *ille* Monarcha, & Imp. Æternus, summus noster *Jesus Christus*, de Beatorum suorum magnitudine, & Electorum pluralitate lætatur, ita Rom. Imp^res. & Reges Monarchæ terrestres, ab eo digna quidem extimatione trahentes exemplum, non aliunde Cæsareum culmen augere, & decorum facere visi sunt, quam seu ex Cœlorum summo micantissima sidera trahentes in terras, ipsum Imperiale fastigium densis undequaque procerum stipare catervis, coruscantibusque semper magnorum Heroum agminibus illustrare, tum Rom. Rempublicam super universum orbem felicioribus auspiciis extollentes, si quod sibi concessum est, capiti bene valentia, idemque capientia membra conjungerent. Quid enim Regna, quid Barbaras Nationes, quid diversa mundi climata subegisse proficeret, si deficerent, vel quibus semel subdita fidentissime subderentur, vel quorum providentia sumpta frena debitum fortiter moderentur in gyrum? Hi sunt enim, quibus omnis Imperialis provolat decor, horret victoria, gloria sublimatur, hi Cæsareas laudes efferunt, sustinent arma, & quam suis texunt quotidie manibus, quam proprio rubrant roseo sanguine, victoriosos trinos crines premunt laurea triumphali, sane licet alias, dum Rom. Regio nomine fungeremur, & hæredes tuos legitimos in Marchiones Mantuæ, & sacri Rom. Imp. Illustres Principes creaverimus, & sublimaverimus, prout litteræ Majestatis nostræ desuper in Civitate Parmensi emanatæ clarius attestantur, tamen attendentes multiplicia merita probitatis, ac præclaræ devotionis insignia, quibus tantum, ac laudabilis memoriæ Progenitores tui ingenuæ domus de Gonzaga, Prædecessores nostros, divæ recordationis Rom. Imp. & Reges, ac ipsum Romanum Imperium dignis quidem studuerunt honoribus venerari, illum & fervidum tuæ mentis ardorem, quos nostros, & ejusmodi Imperii procurandos honores inclinans attentius Imperialis considerationis intuitu limpidius intuentes, animo deliberato, sano etiam Principum, Comitum, Baronum Procerum & nobilium Nostrorum fidelium, dilectorum accedente consilio, te præfatum *Joannem Franciscum*, cum hæc tuæ Nobilitatis origo, latitudoque tui dominii, ac ampla subjecta tuæ ditioni spatia, nec non intemerata fides tua, ac Progenitorum tuorum, quo vetusto jam tempore cum maxima fidelitatis exhibitione Sacrum Rom. honoratis Imperium, non immerito requirebant, ut requirunt denuo, & ex superabundanti sedentibus nobis in apparatu, & ceremoniis Imperialibus, ac solemnitate debita in solio Cæsareo, per Birretti, Mantelli & annuli impositionem, & banderiorum concessionem, ac aliorum insignium collationem, hodie in nomine Domini & Salvatoris Nostri, a quo omnis Principatus & honor provenire dignoscitur, auctoritate Cæsarea illustravimus, & insignivimus in verum Principem, & Marchionem Mantuæ sublimavimus, ereximus & decoravimus, ac, recepto a te in manibus propriis subjectionis, obedientiæ & fidelitatis debito Sacramento, illustramus, insignimus, sublimamus, erigimus, de Imperialis plenitudine potestatis, & de certa nostra scientia, motuque proprio decoramus. Decernentes, & volentes expresse, quod tu, & hæredes, & successores tui legitimi, Marchiones Mantuæ, perpetuis in antea temporibus omni dignitate, præeminentia, nobilitate, Jure, potestate, libertate, honore, & consuetudine gaudere, ac frui continuo debeatis, quibus alii nostri, & Sacri Rom. Imperii Principes, ac nominatim Marchiones illustres fruiti sunt, hactenus & quotidie potiantur, Civitatem quoque Mantuæ ejusque Territorium, diœces. & districtum cum omnibus suis Juribus, honoribus, Jurisdictionibus, & pertinentiis quibuscunque in inferiori Lombardia constituit, prout hactenus per commune Mantuæ,

tuæ, sive Prædecessores nostros detentum, & possessum est, ac tenetur & possidetur ad præsens cum infrascriptis Castris, locis ac terris, villis, Juribus, Regalibus, honoribus, Jurisdictionibus & pertinentiis quibuscunque, ultra Castrum Sermedi cum tota Curia sua, atque cum omnibus suis villis, locis, terris, vallibus, pascuis, nemoribus, piscariis, canalibus, aquis, aquæductis, aquarumque decursibus, & cum omnibus suis ultra citraque, ripis riparumque Juribus, & cum toto mero & mixto Imperio, superius, & inferius usque ad Burranam vivam. Item & cum Castro Reveri, & cum sua Insula & Curia; Item & cum Castro Quistelli, cumque ejus Curia, & cum flumine Sitala ab utraque parte ripæ, prout labitur, & se extendit superius, & inferius per totum Territorium, diœces. & districtum Mantuæ, & per omnia alia loca tibi tuisque prædecessoribus a Nostris Prædecessoribus in Vicariatum, sive alio titulo concessa. Item cum Castro Lullariæ, cum tota sua Curia, & Territorio, ac mero & mixto imperio. Item cum castro Sullariæ cum tota sua curia; Item cum castro Marcaciglia cum tota sua curia & Territorio citra ultraq; flumen Olii, & cum ipso flumine Olii ab utraq; ipsius ripa, prout labitur & decurrit a superiori parte, per totum Territorium Mantuanense usq; in Padum; Item & cum toto libero flumine Padi cum omnibus suis ultra citraque, ripis, Castris, fortalitiis, aliisque locis, prout labitur, & decurrit a fluminibus seu canalibus sive aquis Taliatæ, Tariæ & Olii usque ad Burannam vivam, & usque Vesavum, cum omnibus & singulis vallibus, paludibus, pascuis, piscariis, & Bisseariis ultra citraque dictum flumen Padi, quantumcunque dilatetur, prout hactenus per Commune Mantuæ, sive te, sive Prædecessores tuos tenta fuerunt, & possessa, vel tenentur & possidentur rite ad præsens, & generaliter cum omnibus & singulis Castris, Rochiis, fortalitiis, fluminibus, vallibus, villis & terris, Juribus, Regalibus, Jurisdictionibus & Pertinentibus dictæ Civitatis, Diœces. & Territorii Mantuæ dictorumque Castrorum, nominatim cum toto flumine Mintii, & suis adjacentiis ab utraque ipsius ripa, prout se extendit, & labitur a Vallegio usque in Padum, ex certa nostra scientia, & Imperialis plenitudine potestatis, in novam Marchiam, & Marchionatum erigimus, facimus & creamus decernentes, & hoc nostro Imperiali statuentes edicto, ut de cætero dicta Civitas Mantua, cum toto ejus Territorio, Diœces. & districtu, cumque præfatis Castris, locis, & terris, earumque omnium, & singularum Juribus, Regalibus & Jurisdictionibus quibuscunque, Marchia, & Marchionatus, & pro Marchia, & Marchionatu nuncupetur, vocetur, habeatur, & ab omnibus teneatur, tibi Illustri Joanni Francisco, tuisque filiis, & hæredibus legitimis, masculis, & successoribus infrafato ordine successionis, prædictam Civitatem Mantuæ, ejusque Territorium, Diœces. & districtum cum supradictis terris, locis, & castris, cumque omnibus & singulis dictæ Civitatis terrarum, locorum, & Castrorum, Juribus, honoribus, Jurisdictionibus mero, & mixto Imperio, omnimodaque Jurisdictione, & coertione, aquis, stagnis, torrentibus, lacubus, fluminibus, & piscariis, molendinis, & Juribus navigandi, sylvis, nemoribus, pratis, pascuis, piscinis, teloneis, conductibus, & potestate fabricandi monetam auream, argenteam, vel æream, & quamcunque aliam, legalem tamen, & dativam, vallibus, venationibus, & feudis, feudatariis, Vasallibus, Vasallagiis, Baroniis, militibus, Judicibus, plebeis, Rusticis & Agricolis, Judæis, & omnibus, quæ tam de jure, quam alia quacunq; speciali consuetudine, vel lege dictæ Civitatis, ac prædictorum locorum, terrarum, & Castrorum latitudo concernunt, in Marchionatum, & feudum honorabile, atq; perpetuum Imperiali autoritate & de benignitate Cæsarea animo deliberato, & ex certa scientia concedentes & gratiosius conferentes. Decernentesq; & hac edictali concessione sancientes, quod tamen etiam filii ac Successores tui legitimi perpetuo Marchiones Mantuæ nominari, & appellari debeatis in antea, & tanquam cæteri Imp. S. Marchiones, & Principes teneri, & honorari, ac ubique locorum ab omnibus reputari, omnibusque jure, privilegio, honore & gratia, ac dignitate, & immunitate absque omni impedimento perfrui, quibus alii S. Sancti Rom. Imp. Marchiones, & Principes in dandis & recipiendis Juribus, in conferendis seu suscipiendis feudis, & in omnibus & singulis aliis Illustrem statum & conditionem Marchionum, seu Principum concernentibus fruiti sunt hactenus, seu quomodolibet potiuntur; Astringentes te Joannem Franciscum hæredesque legitimos, & modo infrascripto Successores tuos, ut in Marchionatu isto prædicto pacem & Justitiam omnibus & singulis pauperibus, & divitibus efficaciter & fideliter juxta posse vestrum procurare debeatis, quodque Marchionatum Mantuæ cum omnibus suis pertinentiis sic, ut superius expressatum a nobis, nec non a Serenissimis Imperatoribus, sive Regibus Successoribus nostris, & ab Imperio Romano, quoties debitum fuerit, solemnitatis honore debito, cum Vexillis & Banderiis, ut moris est, solita quoque reverentia suscipere debeatis, ac nobis, & eisdem successoribus nostris, in casibus præmissis, sicut alii Imperiales Marchiones, & Principes, præstare & facere fidelitatis, homagii, obedientiæ & subjectionis debitæ, corporalia Juram^ta^. Cæterum ut declaratione sæpenominatorum supra successorum facta de eorum ordine a posteris omnis ambiguitas auferatur, & tollatur omnis materia quæstionis, confessionisque omnis possibilis dubietas exstirpetur, detur, aut potius clarus, & determinatus succedendi in dicta Marchionali dignitate in omnibus supra concessis stylus & ordo, hoc præsenti nostro Imperiali edicto in perpetuum valituro jubemus, statuimus, dicimus & sancimus, quod Primogenitus tuus Illustris Marchio Jo. Franciscus masculus ex vero & legitimo matrimonio ex te natus in Marchionatu, & Marchia dignitate, & feudo præfatis, ac cæteris omnibus, & singulis supra concessis, & indultis sibi succedat, aliisque fratribus suis, & tuis filiis legitimis præferatur, & quod d^o^. Primogenito tuo decedente etiam te vivente filius primogenitus Masculus ex legitimo matrimonio ortus dicti Primogeniti præferatur Patruis, & aliis quibuscunque in successione Marchionatus præscripti feudi, & aliorum superius concessorum, quodquod ad præfatam successionem in singulis Primogenitis masculis ex legitimo matrimonio susceptis descendens a primogenitis legitimis ut supra descendentibus volumus observari. Deficientibus autem Primogenitis primogenitorum descendentibus, ut supra, a primogenitis, tunc secundogenitus masculus, ex legitimo matrimonio ex te ortus,

sive

fit ipse primogenitus ab ipso ordinate, & secundum rectam lineam masculinam descendens, ut supra, in dicto Marchionatu, feudo & cæteris supra concessis, successor existat, qui in cæteris ab ipso descendentibus per rectam lineam masculinam, prout de successione supra primogeniti dictum est, in omnibus observetur, illud idem intelligendo de Tuis tertio- & quarto-genitis, & sic deinceps intelligendo, tamen quod illi primogeniti succedentes ad regimen Marchionatus præfati sint habiles, & idonei, sani mente & ratione; alioquin repertis illis primogenitis, & iis qui ordine supradicto successuri sunt, in defectum rationis & mentis, aut aliis defectibus legitimis & justis, successio in proximiorem post eos sanum mente, & indefectuosum, ut præmittitur ordine suprad^{to.} transferatur, volentes, ut ejus rei videlicet dementis, & aliis defectus leg^{m.} declaratio ad ipsum Marchionem qui succedere habet, spectare debeat, & pertinere. Ad perpetuam autem compensationem charitatis, & zeli Tuæ præfatæ domus ingenuæ de Gonzaga concedimus Tibi & impertimur, quod tu *Jo. Francisce* Marchio prælibatus valeas relinquere cuilibet de duobus aliis tuis filiis legitimis usque ad numerum Castrorum quatuor de Castris dicti Marchionatus, cum hoc tamen, quod prælibati duo teneantur illa recognoscere per Investituram a Primogenito; & sic quilibet futurus Marchio cæteris ejus filiis de certis Castris ipsius Marchionatus sui juxta videre suum providere habeat, ita tamen quod semper a primogenito recognoscantur, ut supra, quibus quidem sic relictis decernimus ipsos omnes, & singulos supradictos, & venientes ab eis esse tacitos, & contentos ipsis supercæteris, quæ hæreditatem illam contingerent, perp^{m.} silentium imponentes; & ne aliquibus in antea supra præmissa illatione, erectione, & sublimatione status tui, hæredum, & Posterum tuorum valeat aliquod dubium suboriri. Hos de abundantiori plenitudine gratiæ specialis ad majorem tui gloriam & honorem, & pro confirmatione hujusmodi Ill. Tuæ, hæredum & Posterum tuorum signum Armaturæ tibi filiis ac filiabus, & posteris tuis legitimis ad usum memoriæ perpetuæ, & aliorum differentia distinctum, quod ultra in ipsius Clypei campo albo crucem rubeam ab una superficie, ad aliam, & in quolibet quatuor angulorum Clypei unam Aquilam nigram, alis extensis, & flammeis pennis, prout hæc omnia magistralis pictoris artificio sunt distinctius depingenda, concedimus, & elargimur tantum ultra, quod eadem Insignia, ut describitur, gestare possitis more aliorum Sacri Imperii Principum, & ipsis uti in præliis, torneamentis, hastiludiis, & generaliter in omni exercitio militari; gaudeas igitur favore Cæsareo, & de tanto pietatis munere etiam tua proles exultet, & tanto fideliori studio ad honorem sacri Imperii tua intentio solidetur, quanto ampliori tu præventum conspicis muneribus gratiarum. Omnem vero defectum siquis in præmissis nomine solemnitatis omissæ dubia interpretatione sententiarum, aut verborum, seu alio quovis modo compertus fuerit, supplentes de certa nostra scientia, & de plenitudine Romanæ Cæsareæ potestatis, Nostris tamen & Imperii Sacri, ac omnium præfatorum, & quarumcunque Ecclesiasticarum aliorumque quorumlibet hominum Juribus in præmissis omnibus semper salvis. Præterea ex certa nostra scientia, & Imperatoriæ potestatis plenitudine prædicto Joanni Francisco, hæredibusque suis leg^{mis.} confirmamus, ratificamus, approbamus, ac tenore præsentium innovamus omnia privilegia antiqua, & nova, sive suis Antecessoribus, sive sibi per divos Rom. Imp. & Reges rite concessa, & data super quibuscunque aliis decretis, locis, Juribus, Jurisdictionibus, gratiis, ac dignitatibus decernentes, ex hoc Imperiali statuentes edicto, volentesque, ut illa in omnibus suis punctis, clausulis, & sententiis perpetuam firmitatem obtineant, & valeant, ac si præsentibus de verbo ad verbum essent inserta, quodque ipse Marchio, hæredesque sui legitimi illis uti debeant & gaudere sine impedimento, & contradictione cujuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ illustrat^{nis.} erectionis, insignat^{nis.} decorat^{nis.} collationis, supplet^{nis.} & confirmat^{nis.} paginam infringere, aut ei ausu quovis temerario contraire sub nostra, & Imperii S. indignatione gravissima, & sub pœna mille Marcarum auri puri, quas ab qui eo, contravenire præsumpserit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ Imperialis Cameræ fisco, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari. Hujus rei testes sunt Ill. Jo. Jacobus Mantuæ, Montisferrati Princeps noster, ac Illustr. Manfreddus, Carolus & Victor Co. Collalti, & S. Salvatoris, Stephanus Comes Seginæ, & Mundruriæ, Vilchelmus, Comes de Montfort, ac alii quamplures notabiles Viri & fide digni. Præsentium sub bulla aurea typario Majestatis nostræ impressa tenore literarum. Datum Mantuæ Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimæ tertio, die vigesima secunda mensis Septembris, Regnor. nostrorum Anno Ungariæ quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiæ quarto decimo, Imperii vero primo. Ad Mandatum D. Imperatoris Caspar Schlick, Baro, miles, & Cancell^{s.}

A quo quidem Joanne Francisco ortus fuerit Marchio secundus Ludovicus, qui filium habuit Federicum Marchionem, ex quo deinde orti sunt Franciscus, Marchio Mantuæ, Joannes, & Sigismundus Cardinalis, quorum Joannes porro filios habuerit Alexandrum, Sigismundum, Federicum, Galeatium, Camillam Junipetam ac Leonoram; ex Sigismundo illo porro nati sunt Sigismundus, & Laura; Sigismundus denique filios habuerit ipsos supranominatos Carolum, Guidum, Sfortiam, Jordanum, & Fulvium. Hos considerantes antequam hanc ipsorum originem, & multiplicia Majorum ipsorum erga totam Rempublicam, Sac. Rom. Imperium, & Augustam nostram Austriæ Domum merita, tum & præclaras, & excelsas alias virtutes ac dotes, quæ in ipsis elucent, postquam ad præclara & laudabilia quæque studia, actionesque à prima ætate animum ita applicaverunt, ut in omnibus, quæ generosam indolem deceant, sese exercuerint, quo nimirum generis sui ornamenta, quæ plurima, eaque rara extant, non tantum sarta tecta conservarent, sed magis ac magis etiam exornarent, quorum quidem Carolus elegans, quo præditus est, ingenium liberalium artium, ac disciplinarum studiis majorem, & quidem talem in modum excoluerit, ut in variis scientiis magna cum laude versatus sit, omni humanitatis ac urbanitatis genere sibi quomodocunque facile devinciens, in actionibus magnum animum & gene-

nerosum præ se ferat, ita ut sub Illustrissimis Mantuæ & Montisferrati Ducibus variis, iisque primariis dignitatibus & officiis perfunctus fuerit, diversas ad diversos Pontifices, Reges, ac Principes legationes in rebus maxime arduis obierit, in Consilio Mantuæ Ducis Secretiori primum locum habuerit, in Ducatu Montis ferrati supremas Ducis partes summa cum laude & populi applausu gesserit, apud Ill. Vincentium Ducem Mantuæ & Montisferrati, Consobrinum, & Principem nostrum Carissimum, supremus Camerarius, & Aulæ deinde præfectus fuerit; Guidus autem Sfortia raris itidem animi dotibus, magnoque ingenio præditus, Religionis, ac Pietatis in primis, studiosus, ad excellentes se actiones a puero applicare cœperit, ideo ut legatus ad divum genitorem nostrum, immortalis Memoriæ, Maximilianum secundum, ab Ill. Duce Mantuæ extraordinarius missus fuerit, utque post dignitatem supremam Cubicularii apud Ill. quondam Gulielmum ducem Mantuæ, & Montisferrati, affinem & Principem nostrum Cariss^m^ gestam, apud Ill. Vincentium Ducem Mantuæ, & Montisferrati, Consobrinum, & Principem nostrum Cariss^m^. Aulæ totius præfectus modo existat. Jordanum, & Fulvium in hac adolescentia Majorum ac fratrum vestigiis insistendo, generosam etiam præ se indolem ferre, præclaramque de se spem præbere, motu proprio ex certa scientia nostra, animoque bene deliberato, ac sano nostrorum, & Sacri Rom. Imperii, fidelium accedente consilio, eaque fungimur auctoritate Cæsarea, & ejusdem plenitudine in nomine Domini omnipotentis, a quo omnis Principatus promanat, eosdem Carolum, Guidum Sfortiam, Jordanum, & Fulvium Gonzagam fratres, eorumque Posteros ex iis legitime descendentes in veros Principes Imperiales, *inhærentes memorato Sigismundi Imperatoris privilegio*, confirmavimus, & de novo, quantum opus sit, ereximus, sublimavimus, extulimus, & exaltavimus, aliorumque nostrorum & Sacri Imperii Principum numero, cœtui & consortio aggregavimus, prout per præsentes confirmamus, erigimus, sublimamus, extollimus, exaltamus, & aggregamus. Decernentes, & hoc Cæsareo nostro edicto firmissime statuentes, ut posthac perpetuis futuris temporibus, prædicti Carolus, Guidus Sfortia, Jordanus, & Fulvius Gonzaga, fratres, ac eorum hæredes & descendentes legitimi virtute hujus nostræ confirmationis, erectionis, sublimationis, exaltationis, & translationis, ab hac hora in perpetuum nominentur, nuncupentur, & reputentur, tam in scriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque seu quomodolibet illorum mentio facienda erit, Imperii Principes, salvis etiam, & in suo statu permanentibus antiquis, & ingenuinis eorum Ill. titulis, ex dignitatibus à majoribus, & prædecessoribus ipsorum per manus acceptis. Quodque tanquam Imperii Principes induti & vestiti proxime assideant Principibus Sacri Imperii eorundemque Principum in solemnibus usitato amictu, & in actibus, uti moris est, omnibusque & singulis honoribus, dignitatibus, prærogativis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, Juribus, privilegiis, insignibus, gratiis, indultis, regalibus, & præsertim iis omnibus, de quibus in supracitato diplomate Imperatoris Sigismundi fit mentio, quod in omnibus ejus partibus, quantum opus sit, motu proprio, autoritate nostra Cæsarea, deque plenitudine potestatis nostræ, ac Nostrorum, & Sacri Imperii fidelium accedente consilio approbamus, roboramus, ratificamus & confirmamus, & aliis quibuscunque in Judicio & extra, in omnibus rebus, statibus, & causis tam spiritualibus, quam temporalibus, Ecclesiasticis & profanis Sessionibus, ac alias uti, & in locis omnibus, gaudere, uti, ac frui debeant, & possint, quibus alii nostri, ac Sac. Rom. Imperii Principes per idem Rom. Imperium, & ubique locorum & terrarum in dandis, & recipiendis feudis, ac in aliis omnibus, & singulis ad Illustrem statum, & conditionem Principum spectantibus gaudent, utuntur, & potiuntur, ac hactenus gavisi, usi, & potiti sunt, quomodolibet consvetudine vel de Jure, salvis tamen tum nostrorum, & Sacri Imperii superioritate, & directo dominio, feudalique obsequio, tum ducum Mantuæ pro tempore existentibus, atq; aliorum quorumvis Juribus, quibus per hanc nostram confirmationem, & erectionem nullatenus derogare, seu præjudicium afferre intendimus; Quocirca serio, & expresse mandamus universis, & singulis Electoribus, aliisque Sacri Rom Imperii Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus Militibus, Nobilibus, Ignobilibus, Clientibus, Capitaneis, & Vice-Dominis, Præfectis, Magistratibus, Procuratoribus, officialibus, Quæstoribus, & Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Heroaldis, Conduciatoribus, Civibus, municipiis, ac omnibus denique nostris, & Sacri Rom. Imperii, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, ut sæpe nominatos Carolum, Guidum Sfortiam, Jordanum, & Fulvium, fratres de Gonzaga, dictosque eorum hæredes & descendentes, ex legitimo tamen matrimonio natos, & nascituros in infinitum, ex hoc tempore in futurum, ac perpetuo, Principes Imperii nominent, reputent, & honorent, ipsosque dictis privilegiis, Juribus, honoribus, dignitatibus, libertatibus, insignibus, Regalibus, præeminentiis, exemptionibus prærogativis, gratiis & indultis libere, pacifice, ac sine omni impedimento & molestatione, gaudere, uti, frui, & potiri sinant, nec aliquo pacto in iis impediant, seu perturbent, sed potius tueantur, manuteneant, & defendant, ac contrarium non faciant, nec fieri procurent, vel permittant quovis modo, quatenus nostram, & Sacri Imperii, indignitatem gravissimam, ac quinquaginta Marcharum auri puri mulctam, pro dimidia Imperiali fisco, seu ærario nostro, pro reliqua vero parte injuriam passi, seu passorum usibus toties quoties contraventum fuerit, maluerint irremissibiliter applicandam evitare. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Pragæ die prima mensis Martii Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, Regnor. nostrorum Rom. decimo octavo, Hungariæ vigesimo primo, & Bohem. itidem decimo octavo.

RUDOLPHUS.

Jacobus Curtius à Senfft.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Maj. proprium,

Jo. Barruetius, Secretarius J.

VI. *Re-*

VI.

Rescriptum Rudolphi II. Rom. Imperat. ad Alphonsum II. Ducem Ferrariæ, Mutinæ ac Regii, quo ei committit, ut amicabilem, inter partes litigantes, Marchionem Franciscum de Gonzaga, & hujus subditos, compositionem suscipiat, &, quoad ejus fieri possit, promoveat, d. d. 27. Decembr. An. 1596.

Illustrissimo Alphonso Secundo, Duci Ferrariæ, Mutinæ ac Regii &c. Marchioni Estensi, Consanguineo, Affini, & Principi nostro charissimo.

RUdolphus Secundus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Illustrissime Consanguinee, affinis, & Princeps charissime. Cum superioribus annis Illust. noster & Sacri Imperii Princeps fidelis, dilectus, Franciscus de Gonzaga, Marchio Castioni à Stiveriis, tanquam legitimus Fratris sui, Illustris quondam Marchionis Rudolphi successor, dicti Marchionatus possessionem apprehendere vellet, subditi ipsius sese sub prætextu variorum gravaminum opposuerunt, eumq; admittere noluerunt; Unde secutum est tandem, quod cum illis conventionem inierit, uti Instrumento publico tunc superinde confecto, plenius continetur. Quoniam vero memorata conventio nobis, & Sacro Imperio admodum præjudicialis videbatur, Nos eandem ex Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine cassavimus, & annullavimus, prout ex adjuncta decreti nostri copia liquet.

Cupientes itaque, pro muneris nostri Cæsarei ratione, differentias inter prædictum Marchionem, & subditos ipsius subortas amicabili potius via, quam diuturnis litis ambagibus quantocitius sopiri; Idcirco freti spectata Dil^nis. tuæ prudentia, ac integritate, promptoque nobis gratificandi, ac satisfaciendi studio, opera ejusdem hoc loci benigne utendum duximus. Ac proinde Dil. tuam benigne hortamur, & requirimus, ut tanquam Cæsareus noster Commissarius, citatis & vocatis partibus, illarum prætensiones audiat, omnesque controversias (quas Dil^o. Tua ex ipsis coram cognoscere poterit) amicabili tractatione suscepta, placide, si fieri queat, componere, easdemque ad firmam concordiam reducere studeat. Damus enim Dil^ni. tuæ ad hæc, nostro nomine sic facienda, ac peragenda, plenam facultatem, & potestatem, vicesque nostras Cæsareas.

Casu vero, quo forte præter expectationem amicabilis compositio non succederet, tunc Dil^o. tua omnia ad Nos accurate primo quoque tempore referat: ad hoc, ut visa tali relatione, superinde eo rectius porro statuere possimus, quod rei convenire judicaverimus. Interim vero Dil^o. tua subditis illis sub gravissima pœna serio injungat, ut ab omnibus clandestinis conventiculis, conspirationibus, & sinistris machionationibus prorsus abstineant, quin potius ipsi Marchioni, tanquam vero, ac naturali ipsorum Domino, solitum fidelitatis & subjectionis juramentum aliaque præstent ad quæ tenentur. In his Dil^o. tua nobis officium pergratum Cæs^a. nostra gratia, qua alias eandem benigne complectimur, per omnem occasionem jugiter reponendum, præstitura est. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die vigesima septima mensis Decembris, Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Romani vigesimo secundo, Hungarici vigesimo quinto, & Bohemici itidem vigesimo secundo.

RUDOLPHUS. mp.

Jo. W. Pregmond.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

A. Bercenot.

Ego Gulielmus Corradinus filius quondam Jo. Baptistæ, Civis Castilionis a Stiveriis, public. Imperiali auctoritate Not. ac Cancellarii, Domini, Principis Castilionis præfati Domini mei &c. infrascriptas litteras Commissionis ab originali suo existente in Archivio scripturarum dicti Domini Principis fideliter, & prout jacent, extraxi, in quorum fidem &c. me subscripsi, ac solito parvo meo signo subsignavi, hac die vigesima septima mensis Julii 1691.

Nos Naqarius Pastorius J. V. D. Mandatarius genaralis, ac Vice-Prætor supracitatis Castilionis a Stiveriis fidem facimus, & attestamur, egregium Gulielmum ex Corradinis esse talem, qualem se facit, cujus scripturis publicis, & authenticis plena hic ad hibetur fides in Judicio & extra, meritoque &c. In quorum &c. Datum Castiglione hac die 27. Julii 1691.

(L. S.)

Bart. Melianicus Notarius & in hac parte Canc^rius. ex Mand^o. scripsit.

VII.

Decretum Rudolphi II. Rom. Imperat. quo retro-donationem quorundam bonorum à Francisco de Gonzaga, Marchione Castilionis Hominibus Communitatis Castilionis, in auctoritatis Cæsareæ præjudicium, factam, pro nulla declaravit, d. d. 27. Decembr. An. 1596.

SAcra Cæs. Majestas Dominus noster Clementissimus intellexit, quæ ex parte tam Ill^mi. Principis Domini Francisci de Gonzaga, Marchionis Castioni ratione Castioni a Stiveriis, quam hominum Communitatis Castioni ratione confirmationis Instrumenti cujusdam retrodonationis, ab ipso Dn. Marchione Francisco, dictæ Communitati de nonnullis bonis Illmo. olim Principi Dn. Marchioni Ferranti donatis, factæ humiliter exposita, supplicataque fuerunt: quoniam vero præfato Dn. Marchioni Francisco non licuit in præjudicium suæ Majestatis sacrique Imperii tale quid agere, Majestas equidem sua petitam confirmationem denegandam, adeoque memoratum Instrumentum uti nulliter factum penitus cassandum & annullandum censet, prout id ipsum ex Potestatis suæ Cæs. plenitudine per præsentes

 cassat,

cassat, ac annullat, nulliusque roboris, aut efficaciæ declarat. Decretum per Imperatorem die vigesima septima mensis Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto.

(L.S.)

VIII.

Rudolphi II. Rom. Imperatoris reciproca Cessionis ac permutationis inter Vincentium, Ducem Mantuæ & Montisferrati, ex una; & Franciscum de Gonzaga, Marchionem Castilionis, ex altera parte, factæ, Confirmatio, qua hic feudum Imperiale Giuffredum, cum ejus annexis, isti tradidit, atque Castrum, locum & terram Medullarum, cum Arce ac turri Sulpherini, & quibusdam aliis bonis Allodialibus a laudato Duce vicissim accepit, d. d. 11. Decembris Anno 1603.

RUdolphus Secundus &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum pro tollendis sopiendisque litibus, & controversiis, ac pluribus aliis animorum dissensionibus, difficultatibus, & incommodis, quæ multo nunc tempore ratione feudi Imperialis Giuffredi exorta fuerunt, ac indies magis magisque emersura videbantur, non ita pridem auctoritate nostra Cæs. ac medio Reverendi devoti nobilis, dilecti, Cæsaris Speciani, Episcopi Cremonensis, tanquam Commissarii nostri, specialiter ad hoc a nobis deputati, amicabilis quædam tractatio atque transactio inter Ill. Vincentium, Ducem Mantuæ & Montisferrati, Consobrinum ac Principem nostrum Charissimum, ex una, atque Illustrem quoque Franciscum de Gonzaga, Marchionem Castilionis a Stiveriis & Medullarum, Consiliarium, Camerarium, & ad Summum Pontificem destinatum Oratorem, Consangvineum & Principem nostrum Charissimum, inita ac suscepta, hæcque demum inter eas partes feudorum, & bonorum suorum reciproca cessio, ac permutatio amice placideque conclusa, facta, & utrinque etiam laudata, & approbata fuerit, ita nimirum, quod Dilectioni Suæ prædictus Illustris Marchio pro sese, hæredibus & Successoribus suis memoratum feudum Giuffredum, velut hoc ipse, suique Majores hactenus a nobis & Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, ipsoque Romano Imperio in feudum habuerunt, tenuerunt, & possederunt, cum Juribus ac pertinentiis suis omnibus libere sponteque cesserit, Eademque Dil^e. sua vice versa pro sese quoque, hæredibus, & Successoribus suis, in compensationem, & subrogationem feudi Giuffredi, ipsi Marchioni præfatum Castrum, locum, & terram Medullarum cum Arce & turri Sulpherini, nec non ad hæc quædam alia Bona allodialia æquivalentia feudi Giuffredi, juxta taxam, & æstimationem factam supplentia, cum Juribus pariter & pertinentiis suis universis, libere quoque, & sponte cesserit: ac deinceps in futurum feudum Giuffredi Ducatui Mantuano adscribi, uniri & incorporari; e contra vero Castrum prædictum, locus & terra Medullarum cum Arce & turri Sulpherini, atque alia jam d^ta. Bona Allodiala ab ipso Ducatu Mantuano (licet in eo territorio sita sunt) penitus sejuncta, exempta, separata, ac segregata, totaliterque imposterum, tanquam feudum nobis, & Imp^rio. immediate subjectum, esse debeant, & intelligantur, prout hæc omnia in tribus potissimum Instrumentis desuper confectis, nobisque in forma authentica productis magis specificata ac declarata sunt, & singulorum tenores de verbo ad verbum ordine hic infra sequuntur.

Cum autem præscripta omnia & singula inter partes præmemoratas non nisi, ut dictum est, auctoritate nostra suscepta, inchoata atque tractata, sic etiam haud aliter, quam quatenus ad hæc ipsa beneplacitum, consensus, rathihabitio, & confirmatio nostra Cæs. accederet, transacta, conclusa, atque peracta sint, & esse debeant, nunquam conventionis & reservationis hujus vigore tam Ill^mus. Dux Mantuæ, quam una Illustris Marchio a nobis reverenter, & demisse petierint, & nos non solum hanc amicabilem eorum conventionem, transactionem, & feudorum ac bonorum suorum reciprocam cessionem, permutationem, atque translationem benigne quoque approbare, & ratificare, sed etiam quemlibet eorum separatim ac seorsim pro feudis & bonis unicuique sibi hac ratione acquisitis & spectantibus infeudare, ac Investituram concedere clementer dignaremur. Nobis igitur cum nihil sit prius, vel antiquius, quam pacem & concordiam inter omnes homines, tum vel maxime inter præd^tos. Principes, utique nobis Sacroque Romano Imperio, ac Inclitæ domui nostræ Austriacæ plurimum addictos, sibique etiam invicem & sanguine & vicinitate admodum propinquos, fovere, augere, stabilire, firmamque & perpetuam reddere, justis equidem atque honestis eorum petitionibus tanta in re laudabili ac necessaria minime deesse voluimus. Ac proinde motu proprio, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ad hæc accedente consilio, deque Cæs^a. potestatis, atque auctoritatis nostræ plenitudine memoratum tractatum, conventionem, transactionem indeque secutam feudorum ac bonorum cessionem, permutationem, & transactionem inter Dil^nem. ejus atque Illustrem Marchionem initam, conclusam atque finitam, & Instrum^tis. tribus præinsertis desuper confectis utrinque laudatam, acceptam, & firmatam, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & verborum expressionibus, clementer quoque laudavimus, approbavimus, ratificavimus, confirmavimus, eisque robur ac consensum nostrum Cæs^um. præbuimus & impertiti sumus, quemadmodum etiam nunc præsentium tenore omnia ea benigne laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, &, quatenus in his opus est, possumus, atque debemus, robur & consensum eis nostrum Cæsareum clementer addiximus, concedimus & impertimur.

Supplentes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui forte in præmissis, aut circa ea intervenerint, aut intervenisse quovis modo dici vel allegari

pri possent, neque aliis quoque obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ specialem & individuam, magis quam hic exprimitur, mentionem requirerent, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes.

Præterea nos eodem motu, scientia, auctoritate, potestateque prædictis Castrum, locum, & terram Medullarum, Arcem, & turrim Sulpherini, cum omnibus suis pertinentiis, juribus, aliaque bona in compensationem & suppletionem sive supplementum valoris ipsius feudi Giuffredi addita & adjecta (quæ quidem bona pro summa duodecim millium florenorum Rhenensium æstimata, ac Instrum^tis. supra descriptis nominata, magis specificata sunt) ad *quæ hic* habeatur relatio, penitus & in totum ab omni territorio & subjectione cujuslibet Civitatis atque Dominii, & præcipue a memorato Ducatu Mantuano, ejusque superioritate, & Jurisdictione sejungimus, eximimus & separamus. Volentes, decernentes, & statuentes, dictum Castrum, locum & terram Medullarum, nec non Arcem & turrim Sulpherini cum suis territoriis, & Juribus, aliaque bona ut sup^a. addita (vel ut hactenus cum feudo Giuffredo factum est) pariter a nobis & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, & Sac. Rom. Imperio immediate in feudum recognosci, ac nulli alii, quacunque etiam dignitate, etiamsi ducali, fulgeat, & *signanter ducibus Mantuæ minime subesse*, nec ab aliis etiam, aut aliquo illorum occasione præmissorum, quovis modo molestari, aut inquietari debere, non obstantibus ullis Privilegiis, Investituris, concessionibus & litteris quibuscunque, personis, Ducali quoque dignitate fulgentibus, ex Mantuæ maxime ducibus, ac quibuscunque aliis Civitatibus ac dominiis, a Romanorum Imperatoribus ac Regibus, prædecessoribus nostris, datis, vel concessis, etiam in Clausulis derogatoriis, nec non quibuscunque legibus, Statutis, decretis, e consvetudinibus in contrarium facientibus, etiamsi talia forent de quibus mentio specialis requireretur, quibus omnibus & singulis nos hic pro sufficienter, & individue expressis habentes, quatenus exemptioni ac separationi huic in toto, vel parte aliqua, obstarent vel obstare possent, irrita & inania esse declaramus, defectus quoslibet tam Juris quam facti, siqui in præmissis quomodocunque intervenisse comperti fuerint, eadem auctoritate nostra Cæs^a. supplentes, nostris tamen sacrique Imperii superioritate & juribus semper salvis & illæsis.

Præterea ad humillimam prædicti Ill^is. Marchionis Francisci requisitionem, & petitionem, ex causis nobis propositis justis, & rationabilibus animum nostrum quoque moventibus, eadem scientia auctoritateque prædictis idem Castrum, locum, & terram Medullarum, similiterque Arcem & turrim Sulpherini, ac alia ejusdem ut sup^a. addita adjectaque bona, posthac Marchionatui Castilioni (quem quidem ipse *Marchio* a nobis & Imperio similiter in feudum recognoscit, tenet, ac possidet) coadunamus, conjungimus & incorporamus; declarantes & decernentes, quod bona illa prædicta omnia, licet ex eis quædam, quæ addita sunt, hucusque Allodialia fuerint, similiter posthæc feudalia & Marchionatui Castilioni incorporata, atque unita sint, ita ut in istis incorporatis locis, sive membris jus atque prærogativæ Primogenituræ æque atque in ipso Marchionatu Castilionis locum habeant.

Hocque insuper, ad demissam itidem petitionem ejusdem Marchionis, benigne a Nobis addito, atque concesso, quod ipse Marchio, & sui successores & hæredes Primogeniti Masculi legitime de bonis illis, pro summa, ut supra, duodecim millium florenorum Rhenensium æstimatis, secundogenitis utriusque sexus de honesta ac decenti sustentatione, atque dote providere possint & valeant, dummodo tamen bona illa nihilominus semper feudi Imperialis naturam retineant: Denique infeudamus & investimus Ill^em. Marchionem de iisdem Castro, loco & terra Medullarum, ac Arce & turri Sulpherini, nec non de aliis jam dictis Bonis in compensationem feudi Giuffredi additis, & receptis, ac Instrumentis ut sup^a. descriptis, una cum Rocchis, villis, campis, Agris, Vallibus, Pascuis, Nemoribus, Silvis, Venationibus, Aquis, Molendinis, ripis, piscationibus, Jurisdictionibus, Regalibus, prærogativis, honoribus, Juribus, attinentiis, & pertinentiis suis universis, cum mero quoque mixtoque Imperio, ac gladii potestate. Hæcque prædicta omnia velut ante ipsum Giuffredum fuit Ill^ri. Marchioni Francisco, æque in feudum nobile, ac antiquum, avitum concedimus, & damus pro se filiisque suis legitimis Masculis primogenitis in Marchionatu prædicto Castilionis quandocunque succedentibus. Recepto tamen & prius præstito a nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Davide Gehring, vigore sufficientis Mand^ti. procuratorii nobis reverenter exhibiti, vice, nomine & loco, adeoque in animam ipsius Francisci Marchionis debito, ac consveto homagii, & fidelitatis Juramento. Volentes, & hoc Imperiali Edicto firmiter decernentes, & statuentes, quod ipse Marchio suique hæredes, ac successores legitimi masculi primogeniti memorata bona, cum feudo Giuffredi sic permutata, & a ducatu Mantuæ segregata, & exempta, ex nunc in antea a nobis, & successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus, & Regibus, ac ipso Sacro Romano Imperio cum feudo & Marchionatu Castilionis unita, immediate tenere, & recognoscere, Investituram quoque petere, & homagium præstare, quotiescunque casus tulerit, aliaque omnia & singula facere debeant, ad quæ nobis eidemque Imperio jure, vel consvetudine tenentur.

Quocirca universis & singulis d^ti. Castri, loci, & terræ Medullarum, Arcis, & turris Sulpherini, nec non aliorum quoque bonorum adjectorum subjectis Civibus Incolis, Inhabitatoribus, pensionariis, colonis, rusticis, agricolis, & aliis quibuscunque districte præcipiendo mandamus, quatenus prædicto Marchioni Francisco, ac hæredibus & Successoribus post obitum ejus, in Marchionatu, ac feudo Imperiali legitime, ut supra declaratum est, successuris, & a nobis investitis, tanquam eorum legitimis ac naturalibus Dominis, diligenter obedienterque pareant, reverentiam etiam, honorem, ac fidelitatem in omnibus semper præstent, & exhibeant, nostra tamen & Sacri Imperii superioritate, auctoritate, jure, proprietate, ac debita recognitione, & quibuscunque juribus semper salvis.

Nulli ergo omnino hominum, quacunque etiam fulgeat præeminentia, aut dignitate, liceat hanc nostri

ſtri Conſenſus, approbationis, confirmationis, exemptionis, unionis, infeudationis, innovationis, conceſſionis, derogationis, ſuppletionis, voluntatis, decreti, atque mandati paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contrariare.

Si quis autem id attentare præſumpſerit, noſtram & Imperii Sacri indignationem graviſſimam, & pœnam quinquaginta Marcarum auri puri, quarum dimidiam fiſco noſtro Imperiali, reliquam vero partem injuriam paſſi, aut paſſorum uſibus decernimus applicandam, ſe noverit incurſurum.

Harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum.

Datum in Arce noſtra Regia Pragæ die 11. menſis Decembris Anno Domini 1603. Regnorum noſtrorum Romani 21. Hungarici 32. & Bohemici itidem 22.

IX.

Aſſignatio a Communitate Caſtilionis a Stiveriis Dno. Franciſco Gonzaga, Sacr. Romani Imp. & Caſtilionis Principi, ac Marchioni Medullarum, ſuper Capite vel ſorte 12700. Scutorum, & quod excurrit, facta, d. d. 12. Sept. An. 1612.

IN Chriſti nomine Amen. Anno a nativitate ejuſdem 1612. Indne. decima, die vero Mercurii 12. menſis Septembris, & Arce Civitatis Caſtilionis a Stiveriis, Brixiæ Diœceſis, tempore ſereniſſimi & Invictiſſimi D. D. Matthiæ ab Auſtria, divina favente Clementia, Romanorum Imperatoris electi, & in Camera de medio Turris, ſita in dicta Arce, præſentibus multum Illuſtri D. Anibale Biolca, nobili Pedemontino, & digniſſimo Gubernatore Medullarum, multum Illuſtri, & Exmo. Artis & Medicinæ Doctore, Domino Fraſchino de Petrocinis de Burgo ſti. Donini, & multum Illuſtri Domino Franciſco filio Nobilis D. Aloyſii Verzerii Veronenſis, omnibus ad præſens habitatoribus dictæ Civitatis, teſtibus notis, & ad hæc omnia ſpecialiter vocatis & rogatis.

Cum ſit, quod magnifica Communitas & homines Civitatis Caſtilionis ſummopere deſiderent, ſeſe ac bona Communitatis liberare & affrancare ab annuis cenſibus ſcutorum mille ſexdecim, quos habent cum Illmo. & Exmo. Domino Franciſco Gonzaga, Sacri Romani Imp. & Caſtilnis. Principe, Marchione Medullarum, Equite Velleris aurei, ac Domino noſtro Colendmo. ſuper Capitali ſcutorum duodecim mille ſeptem centum ac libris quatuor, ſolidis duobus planetarum, de quibus cenſibus conſtat publicis Documentis, uno in Civitate Romæ celebrato, rogato per ſpectabilem D. Dominicum Amadeum, Notarium, Romæ ſub die 5. Maji anni 1606. ad quod, altero in Civitate Caſtilionis celebrato, rogato per Baptiſtam Marmentinum Notarium, ſub die 3. Februarii 1610. ad quod, & quæ Inſtrumenta regiſtrabuntur in fine præſentis Inſtrumenti. Cum ſit etiam, quod Magca. Communitas velint, & intendant liberare a ſolutione ſcutorum duorum mille ducentum a libris quatuor ſolidis duobus principaliter pro quolibet ſcuto Extiæ. Suæ debitorum ſingulis annis per prædictos homines, prout apparet ex privilegiis dictæ Communitati & hominibus conceſſis, datum Romæ ſub die 8. Februarii, Anni 1606. & præſertim in primo Capitulo Conditionum, quod Capitulum eſt tenoris infraſcripti, videlicet: Teneantur dicti Noſtri ſubditi, illorumque hæredes, & ſucceſſores noſtri in infinitum, ſingulis annis ſolvere duo millia, & ducenta ſcuta, unumquodque ad rationem librarum quatuor & ſolidorum duorum deplanet; computata & incluſa limitatione ordinaria, quam, cum dicta bona poſſediſſent, Anteceſſoribus noſtris ſolvere convenerant, quingenta videlicet, & quinquaginta ſingulis tremeſtribus, a prima Januarii præſentis anni incipientes ſolvere, & numerare, quæ in locum dictorum bonorum alias infeudatorum ſuffecta, & feudo ſubrogata, ac ubi ipſimet Primogenituræ ſubjecta eſſe intelligantur.

Sitque etiam, quod prædicta Communitas & homines ſeſe liberare intendant a ſolutione ſcutorum mille ſexcentum ſimilium, quod de præſenti ſolvunt Extiæ. Suæ limitatos ſuper Bobulis terrarum, tam pro ſuſtentatione cuſtodiæ Fortalitii, quam pro ſtipendiis Perilluſtris D. Prætoris, aliorumque Miniſtrorum, & officialium hujus ſtatus, quæ limitatio ab antiquo erat limitata ſuper fochis, ut dicitur, poſtea vero fuit limitata ſuper Militia, & poſtremo ſuper dictis Bobulis, quæ duæ ſummæ faciunt ſcuta tria millia ottingenta annua in totum; Et cum prædicta Communitas & homines non poſſint cum majori eorum commodo devenire ad ſupradictas affrancationes & liberationes, niſi in ſolutum aſſignando Excellentiæ Suæ partem bonorum, quæ Extia. Sua prædictis hominibus donavit, ut de dicta donatione apparet ex ſupradictis Privilegiis, in quibus cum exſtet quædam Clauſula, ut ibi aſſertum fuit, videlicet, quod prædicta communitas & homines ullo unquam tempore, pro qualibet cauſa de bonis prædictis privari non poſſint, quamvis credant, Exmum. Dn. Principem non habuiſſe intentionem obligandi dictos homines, quin poſſent alienare dicta bona, ſed ſolum obligandi ſe ipſum & ejus hæredes, ne de dictis bonis dictos homines privarent, attamen humiles preces dederunt Exæ. ſuæ, quatenus pro ejus benignitate melius declarare dignaretur, qualis tum temporis fuit ejus intentio ad hoc, ut, quod ſupra dictum eſt, executioni demandare potuiſſent, & ſic Extia. ſua in gratiam prædictæ Communitatis, in præſentia infraſcriptorum ſyndicorum acceptantium nomine Magcæ. Communitatis, & ſupraſcriptorum teſtium, meique Notii. infraſcripti acceptantis & ſtipulantis nomine omnium, quorum intereſt, declaravit, tunc intentionem ejus non fuiſſe, niſi in ſe ipſum, ac ejus hæredes obligando, ne privarent de bonis ſupradictis dictam Communitatem, ſed ſi dicta Communitas & homines illa vendere vellent, permutare, in ſolutum aſſignare, aut quovis alio modo dicta bona alienare, id facere poſſint, prout etiam in Inſtrumento dicti D. Amadei apparet; Ideo ibi conſtituti, Perilluſtris & Reverendmus. D. D. Camillus Cattaneus, digniſſimus Abbas Eccleſiæ Collegiatæ hujus Civitatis J. V. D. Prothonotus. Ampliſſimus, Perilluſtris & Exmus. D. Jo. Baptiſta de Bono, Præſidens Conſilii dictæ Communitatis, Illuſtris D. Eques Hyppolitus Bellinus, Conſul, Perilluſtris & Exmus.

Exmus D. Franciscus Gandinus, Perillustris & Exmus D. Bartholomeus Bellinus & Illustris D. Antonius de Bono, uti Syndici electi & deputati a prædicta Communitate & hominibus ad supradicta omnia & singula peragenda, ut de eorum autoritate apparet Mandato procuræ, rogato per D. Alphonsum Bellinum Notarium dictæ Civitatis, in fine præsentis Instrumenti registrando, bene informati & instructi de veritate prædictorum omnium agentes, nomine prædictæ Communitatis, jure proprio ipsius, in perpetuum, non vi, aut aliquo errore juris vel facti circumventi, sed sponte, omni meliori modo, dederunt, & in solutum assignarunt, ac dant, & in solutum assignant, pro extinctione & affrancatione dictorum censuum prædicto Exmo D. Principi præsenti stipulanti, & acceptanti pro se, ac ejus Hæredibus, & successoribus, tam masculis, quam fœminis, nominatim Pallatium unum cum ejus viridario, situm in dicta civitate in Contrata Rizzatæ Plateæ penes ab uno D. Hieronymum Cattaneum, a duobus viis publicas, & ab alio D. Joannem Baptistam Pirullum salvis, pro pretio & concluso Mercato inter Extiam Suam & prædictos D. D. deputatos firmato, scutorum quatuor mille a libris quatuor solidis duobus planet. quod Pallatium prædictus Exmus Dn. Princeps accipit & accepit, ut rem gratam faceret prædictæ Communitati & hominibus, quamvis sit in damno scutorum tercentum viginti annuorum de intrata.

Item dant & in solutum assignant Extiæ Suæ, ut supra, acceptanti Molendinum Guslinæ, situm in Territorio Castilionis prædicti super Seriola dicta della Cade, pro pretio scutorum quatuor mille septemcentum, ut supra, firmato; Item dant & in solutum assignant, ut supra, Jura exigendi livella a nonnullis personis hujus Civitatis pro summa scutorum centumsexaginta annuorum, modis tamen, formis, & Capitulis, de quibus in Juribus dictorum livellorum, quorum politia registrabitur in fine præsentis Instrumenti, & hæc pro pretio scutorum duorum mille. Item & in solutum assignant Tullum cum Pasculis Rabiosi, & Lamæ, situm in dicto Territorio super prædicta Seriola, pro scutis duobus mille, ut supra. Quæ omnia pretia simul coacervata faciunt summam scutorum duodecim mille septemcentum, & sic extinguunt dictos annuos census, de quibus bonis, ut supra assignatis, præfatus Exmus Princeps, ac ejus hæredes, ut supra, possit disponere, quovis modo ad omnem eorum beneplacitum, tanquam bona Allodialia, quibus omnibus, ut supradictis, & stantibus semper præsens fuit Illustma & Exma D. Principissa, Bibiana Pernestana Gonzaga, & Uxor præfati Exmi D. Principis, quæ sciens, quod pro scutis sex mille habitis a prædicto Exmo Domino Principe ad computum dotis prædictæ Exmæ D. Principissæ fuisse assicurata, pro ejus cautione super prædicto annuo censu Romæ celebrato consensit, & consentit, dummodo cautetur, & investiatur pro dictis scutis sex mille super prædicto Pallatio, & Molendino Guslinæ. Qui Exmus Dn. Princeps agens pro se; Volens dictam Exmam Dn. Principissam cautam reddere pro dictis scutis sex mille dotis prædictæ per cartam investivit & cautam reddit prædictam Exmam Dominam Principissam præsentom, meque Notum ipsam præferendo in dictis bonis cæteris Creditoribus constituens dicta bona possidere nomine Exmæ D. Principissæ causa pignoris, & hyppothecæ dictæ dotis; Cumque sit, quod prædictus Exmus D. Princeps cesserit & obligaverit dictam Communitatem ad dandum & solvendum quotannis Ecclesiæ Collegiatæ libras novemcentum planet. de dictis annuis censibus; sitque etiam quod cesserit, & obligaverit dictam Communitatem ad solvendum libras ducentum quinque planet. singulis annis Collegio Illmarum Virginum de dictis censibus.

Sitque etiam, quod obligata sit dicta Communitas ad solvendum quotannis Ecclesiæ Collegiatæ dictæ Civitatis libras centum quinquaginta planet. annuas pro tot cessis, per Dominos Hortensium & Joannem Baptistam de Bonis virtute emptionis censuum, factæ per prædictos de Bonis ab Exia Sua, ut in Instrumentis super inde celebratis, ad quæ, & quæ supradictæ libræ sunt in totum mille ducentum quinquaginta quinque planet.

Et cum per affrancationem dictorum censuum, ut supra facta, acceperit in se prædictus Excellmus Dominus partem illorum bonorum, quæ erant obligata dicto censui, & sic Ecclesiæ Collegiatæ, & Collegio prædicto, causis ut supra dictis.

Ideo prædictus Exmus Dominus Princeps agens per se, hypothecavit & obligavit supradictæ Ecclesiæ Collegiatæ, & prædicto Collegio Illustmarum Virginum, licet absentibus, mihique Notario infrascripto acceptanti & stipulanti, bona videlicet livella descripta in Pollitia, Tullum & pascua Rabiosi, & Lamæ, & hæc omnia pro summis annuis respective constituens prædictus Exmus Dominus Princeps dicta bona possidere nomine prædictæ Ecclesiæ Collegiatæ, donec eis cuilibet eorum de prædictis summis fuerit per Extiam Suam satisfactum, liberando dictam Communitatem sive prædictos Syndicos, acceptantes, meque Notarium a solutione amplius de dictis libris facienda erga dictam Ecclesiam collegiatam, & Collegium sumptum, cassans & annullans omnem scripturam in qua.

Pro extinctione vero & totali liberatione supradictorum scutorum trium millium octocentum, quos prædicta Communitas & homines tenentur & obligati sunt, ut supradictum est, solvere singulis annis Ecclesiæ suæ, prædicti Domini Syndici deputati & electi agentes, ut supra, jure proprio dictorum Communitatis in perpetuum dederunt, cesserunt & in solutum assignaverunt, ac dant, prædicto Exmo D. Principi præsenti, stipulanti, & acceptanti pro se & Hæredibus, & successoribus primogenitis in infinitum.

Nominatim Molendinum, & Molendinum Collæ, situm super Seriola Marchionali, & sua Molendina a Domo, cum dictorum Molendinorum regaliis pro scutis mille centum septuaginta quinque annuis, quamvis dicta Molendina non sint pro tanto pretio locata.

Item dederunt, cesserunt, Dacium Magazenorum pro scutis septuaginta quinque, ut supra, Aquam Realis, seu, ut dicitur, le Sgolattizze pro scutis viginti novem similibus, officium Civile Notariorum, &, ut dicitur, la Banca, pro scutis decem annuis Aquam defluentem ex fontibus, seu le Sgolatizze, pro scutis undecim; Quæ summæ insimul unitæ capiunt summam scutorum mille tercentum annuorum pro reliquo,

liquo, quod est de scutis duobus mille quinque centum, prædictus Ex^mus. Dominus Princeps, & prædicti Domini Syndici agentes, ut supra, devenerunt ad infrafatum Accordium, & Conventionem: Quod prædictus Ex^mus. D. Princeps imponat & imponere debeat Dacium unum super Vino, Vua, & Aquavita, ex quo Dacio habere & extrahere possit scuta mille tercentum annua. Item aliud Dacium super Macina, sive Molitura, ex quo habere possit scuta mille ducentum similia, comprehenso in dictis scutis omni eo, quod de præsenti solvunt Pistores prædictæ Communitati, & hominibus pro Macina. Quæ ambæ partitæ insimul coacervatæ capiunt summam dictorum scutorum duorum mille quinque centum annuorum a libris quatuor solidis duobus planetorum.

Et quia prædicto Exmo. Domino Principi opus erit multas expensas facere in saliariandis personis, quæ dictis Daciis præerunt, & pro reficiendis pro tempore dictis omnibus Molendinis. Propterea Ex^mus. D. Princeps, & prædicti Domini Syndici sese convenerunt, quod prædictis expensis addatur unum pro centenario Dacio Contractuum de pluri illius, quod de præsenti solvitur, quod augmentum ex Calculis factis fructuare potest circa scuta centum viginti quinque annexa. Et quia dicta Communitas & homines supplicaverunt, quatenus pro ejus benignitate eis vellet concedere, quod bonorum divisiones non subjacerent dicto Dacio Contractuum, sed solum omnes alias dispositiones bonorum stabilium, excepta illa quæ fit per viam Testamenti, prout alias etiam Ex^tia. Sua ipsis concessit.

Qui Ex^mus. Dn. Princeps omni cum benignitate removit & liberavit a dicto Dacio Contractuum supradictas divisiones Bonorum cum hac conditione, quod aliud unum pro centenario propter hanc causam addatur dicto Dacio, quod Dacium in totum, erit quinque pro Centenario. Qui prædicti Domini Deputati, electi, prædicta omnia acceptaverunt nomine prædictæ Communitatis, Ex^tiæque. Suæ gratias multas egerunt, & promiserunt, quod prædicta Mag^ca. Communitas, & homines executioni demandabunt omnia per eos promissa & acceptata ac facta sub obligat^ne. omnium bonorum dictæ Communitatis, & sub pœna renunciantes, quod factum alienum promiserint.

Ad habendum, tenendum, & possidendum dicta bona, ut supra, & quidquid Exmo. Domino Principi de eis perpetuo placuerit favendum, accessibus, egressibus & ingressibus supradictis omnibus bonis modo aliquo spectantibus, omnibus & singulis eorum juribus, rationibus, renunciantes exceptioni deceptionis dupli, tripli, doli mali, metus causa ac conditioni in factum, ac sine causa, omnibusque aliis exceptionibus contra prædicta operantibus. Quæ omnia bona ut supra data, & cessa prædicti Domini Syndici constituunt possidere, nomine prædicti Ex^mi. Domini Principis, donec de eis, & quibuslibet ipsorum realem acceperit possessionem, quam accipiendi & in se deinceps perpetuo retinendi omnimodam ei contulerunt autoritatem, dantes, cedentes, omnia dictæ Communitatis Jura, rationes & actiones, quæ & quas, ita ut quod in futurum prædictus Excell^mus. Dominus Princeps possit ea omnia facere, experiri & agere, quæ facere solebat, & poterat dicta Communitas, constituentes prædictum Ex^mum. Dominum Principem, eorum Procuratorem irrevocabilem ad prædicta ponentes, promittentes, dicti Domini Syndici prædicto Excell^mo. Domino Principi præsenti de evictione & legitima defensione dictorum omnium bonorum, ut supra assignatorum, ullamque litem, sed defendere, tam in proprietate & possessione eorum, quam in prædictorum Daciorum summis, ut supra cessis, & singulis annis exigendis semper expensis, damnis, & interesse dictæ Communitatis. Cum hac tamen Conditione, quod si vel prædicta Dacia non sufficerent pro exigendis dictam summam annuam in hisce Daciis ut supra specificatam, tunc prædicta Communitas, & Homines teneantur, & ita obligati sunt, prout prædicti Domini Syndici, ut supra, agentes promiserunt prædicto Exmo. Domino Principi supplere in tot bonis dictæ Communitatis, ita & taliter, quod dictus Ex^mus. Dominus Princeps habeat summam præfatam annuam, sub oblig^ne. & sub pœna, quibus sic stantibus prædictus Ex^mus. Dominus Princeps agens pro se liberavit & liberat dictam Communitatem sive prædictos Syndicos præsentesque, ac ejus bona a solutionibus, ut supra, dictis & expressis; Cassans & annullans omnem scripturam, & maxime Instrumenta, & scripturas, ut supra nominatas in illa parte & partibus, in quibus apparet, vel apparere posset, dictam Communitatem teneri ad solutiones, de quibus supra dictum est.

Et prædicta omnia & singula in præsenti Instrumentio inserta prædictus Ex^mus. Dominus Princeps, prædicta Exma. Domina Principissa, & prædicti Syndici agentes, ut supra, singulis singula & congruis congrua semper referendo, promiserunt firmata, grata, illisque non contravenire, sub pœna refectionis damnorum; qua pœna soluta, vel non, attamen prædicta omnia firma semper remaneant. Pro quibus attendendis & observandis obligaverunt omnia eorum bona respective præsentia, & futura, constituentes nomine unus alterius, & e converso, causa pignoris & hypothecæ, & prædictus Ex^mus. Dominus Princeps, & prædicta Domina Principissa pronunciaverunt prædicta omnia attendere sub vinculo boni & veri Principis Renunciantes exceptioni, non vi factæ præsentis affrancationis, promissionis, Conditionis, & non sic in omnibus prout supra fuisse, & esse verum, omnibusque statutis. Insuper prædicti Domini Syndici promiserunt purè, merè certiorati de vi, importantia dictorum verborum; Quibus omnibus sic, ut supra, peractis semper præsens fuit multum Illustris, & Ex^mus. Dominus Claudius Reggius J. U. D. ex Massa, Prætor Civitatis Castillionis ac ejus Principatus, qui sedens super Cathedra quadam ibidem posita, quem locum, suam authoritatem, & pariter decretum Judiciale respectu tantum prædictæ Magnificæ Communitatis interposuit, supplendo omnes defectus solemnitatis omissæ omni meliori modo.

Tenor Instrumenti Census sequitur:
In Christi nomine Domini &c.
Tenor secundi Instrumenti Census sequitur.
In Christi nomine &c.
Conto di quelli
Tenor Mandati Procuræ sequitur:
In Christi nomine &c.

De

De quibus omnibus & singulis prædictus Ex^mus. Dn. Princeps mandavit mihi Gabrieli Bellhomo, Notario, quatenus publicum conficiam Instrumentum ad laudem Sapientis.

Ego Antonius Maria Lodrinus de Vecolis, filius quondam Magnifici M. Dn. Laurentii, Civis & Not^rii. Castillionis a Stiveriis Imp^li. authoritate, suprascriptum assignationis Instrumentum rogatum per quondam D. Gabrielem Bellhomum, olim Not^rii. dictæ Civitatis publicum a suo Protocollo, prout jacet, fideliter extraxi, ex licentia mihi ab eo concessa in suo ultimo Testamento, ut ex rogitu Magnifici Domini Octavii Merigiolæ Notarii; In quorum omnium præmissorum robur, me cum signo mei Tabellionatus apposito subscripsi.

Ego Honofrius, D. Caroli de Honofriis filius, Mantuæ Civis, publicus Imp^li. autoritate Notarius, urbis prædictæ Collegiatus, ac spectabilis Communitatis Solferini Notarius, supradictum Documentum a consimili Copia authentica, mihi ad hunc effectum tradita, de verbo ad verbum fideliter extraxi nil addito, videlicet quod sensum mutet, aut variet. In quorum fidem hic me subscripsi, & ut soleo, signavi die Sabbathi, secunda mensis Maji, Anno Domini 1676.

(L.S.) Ego Bartholomeus, olim Domini Petri de Meliarinis, filius Civis Castillionis a Stiveriis, publicusque Imp^li. autoritate Notarius, retroscriptum Assignationis Instrumentum (demptis tamen tenoribus Instrumentorum Censuum Polliceæ livellanorum, ac Mandati Procuræ suggestis, quæ non extraxi) in reliquis prout jacet, de verbo ad verbum fideliter extraxi, nil addito, in quorum robur ac fidem hic me solito mei Tabellionatus signo apposito subscripsi, sic requisitus, hac die 28. Junii 1691.

Nos Nazarius Pastorius J. V. D. Vice-Auditor Generalis, ac Vice-Prætor Civitatis Castillionis a Stiveriis.

Universis fidem facimus, & attestamur, supradictum Egregium D. Bartholomeum Meliarinum esse publicum Civitatis prædictæ Notarium, ac talem quidem, cujus scripturis publicis hic plena fides.

In quorum &c. datum Castillione prædicto, hac die 21. Julii 1691.

(L.S.)

Augustinus Facbinettus Notarius atque in hac parte Cancellarius de Mandato subscripsi.

X.

Francisci, Principis Castillionis Concessio Privilegiorum & Immunitatum pro Communitate & Hominibus Civitatis Castillionis, d. d. 11. Augusti, An. 1616.

FRanciscus, Dei Gratia S.R. Imperii, & Castillionis Princeps &cc. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis. Quod, cum fidelibus, nobis dilectis Civibus, & Communitati hujus Civitatis nostræ Castillionis alias cesserimus quædam bona, quæ vivente Exc^mo. D. Marchione, Ferdinando, Parente nostro bonæ memoriæ a S. Cæs. M^te. infeudata fuerunt, reservata tamen facultate Exc^tiæ. suæ, & Successoribus, illa ipsis, cum quibusdam oneribus cedendi, ut videtur in Diplomate Invictissimi & Gloriosissimi Rom. Imp^ris. Rudolphi Secundi, gloriosæ memoriæ, dato Pragæ sub die 8va Januarii Anni millesimi quingentesimi septuagesimi noni, in illa clausula incipiente. Reservantes ipsi Marchioni Ferdinando, & Successoribus suis &c. & concesserimus quasdam gratias, exemptiones & privilegia, medio quorum eos etiam a majori parte dictorum onerum liberavimus, cum certis tamen conditionibus, ut hæc omnia latius videntur in Diplomate nostro dato Romæ 28. Februarii anni millesimi, sexcentesimi 6ti, & postea vendiderimus Palatium unum situm in hac Civitate in Contrata Rizzatæ, ut apparet in quodam Instrumento Dominici Amadei, Notarii, similiter Romæ sub 6ta Aprilis anni supradi. & ipsi homines ultimo loco nobis retrocesserint partem dictorum bonorum pro redemptione quorundam censuum; de quibus censibus apparet in Instrumentis per dictum Amadeum rogatis, sub die 5. Maji anni supradicti, & per Baptistam Marmentinum, Notarium Castillionis, sub die 3. Februarii anni millesimi sexcentesimi decimi, & partim pro satisfactione aliquarum dictarum conditionum, pro reliquis vero conditionibus alias nobiscum conventiones fecerint, medio multorum Instrumentorum rogatorum a diversis Notariis, sub variis diebus, & annis, & partim adhuc possideant, & teneant in commune, *videlicet, Hospitium Plateæ, cum Donana, Hospitium inferius, Pistorum Emolumentum, officinam Aromatariam Plateæ, Emolumentum officinarum Aromatariarum Oratii Ghisoni, & Baptistæ Pirletti, duas officinas Plateæ dictas Fondachi Accusarum, Compassionum, & Edilium Ceralium seu præfectorum Annonæ, censum, vel capitationem, quam Forenses in hac Civitate habitantes solvunt, vias publicas, cum suis arboribus;* exceptis illis, quæ reperiuntur in via Pernestani, & lacus, quæ cum dicta via Pernestani, nostræ sunt, immonditias, stateram, Chioderiam & varias domos, nec non possideant, & teneant alia bona divisa, pro suis & tanquam sua ad ipsos pleno jure spectantia & pertinentia, quiete, pacifice, & nemine contradicente, seu aliquid apponenti, vel alleganti, impedienti, vel perturbanti, fructus, introitus, emolumenta & beneficia ex eis, cujuscunque generis, & maniericei sint, ac sub quovis titulo & nomine comprehendantur, comprehensa sint, & esse censeantur, percipientes de fructibus, proventibus ac introitibus inde, & ex eis quovis modo provenientibus inter sese, & pro eorum necessitatibus, & opportunitatibus secundum occurrentium exigentiam, gaudendo, distribuendo, ac demum dispensando, quæ tenuerunt super hisce bonis communibus, & divisis juribus, proventibus, reditibus, emolumentis, gratiis, exemptionibus, privilegiis, retrocessionibus, redemptionibus, & conventionibus, ex causis, quæ apparent relatione Ill^ris. Equitis Vitalis Cattanei, data Castillionis sub die 10. Maji 1616. & propter multiplicitatem dictorum Instrumentorum aliquando in posterum perturbari, inquietari, & molestari, & id circo nobis exposuerint, ac humiliter petierint dictorum suorum bonorum, jurium, be-

neficiorum, emolumentorum, & proventuum, tam communium, quam separatorum, generis cujuscunque existant, & undecunque proveniant, & procedant, prout supra narratum est, jura, ritus, & consuetudines, modis & conditionibus quibus illa nunc possident, ac gaudent, sibi per peculiare privilegium nostrum stabilire, & affirmare, & in ipso omnes gratias illis a nobis concessas pariter cum suis conditionibus inserere, ac eos denuo de solutione aliquarum pecuniarum, quas Exc^mo. Parenti nostro, causa, quæ apparet in suprad. relatione, & aliarum, quas Nobis pro emptione Molendini Goslinæ debebant, atque dictorum censuum liberare, nec non declarare, quibus reditibus antiquis isti moderni, & qui reditus, bona, & pecuniæ istis pecuniis, & censibus subrogatæ remaneant, ut semper dignoscatur, a quibus obligationibus, oneribus, & factionibus liberati fuerint, & quibus adhuc obligati sint; & ne in posterum dubitari contingat, quod nihil solvant pro his, vel illis reditibus, seu pecuniis, aut censibus, cassando, & annullando omnia Instrumenta & scripturas, in toto vel in parte hisce contrarium disponentia. Nos qui cunctis, quæ subditorum nostrorum commodum & emolumentum concernunt, libenter semper acquievimus, & acquiescimus, & alacri animo obtemperavimus & obtemperamus, dictæ Comm^tis. & hominum precibus inclinati, ipsos a tali metu, & cura liberare decrevimus.

Propterea autoritate, qua in hac nostra Civitate, & ejus Principatu publice fungimur, ac de nostræ potestatis plenitudine, omnique alio meliori modo, via, jure, ac forma, quibus melius, ac validius, dici, fieri, aut esse potest, annullamus, abolemus, cancellamus, irritamus, & remittimus omnes, & quascunque inquisitiones & accusationes, pendentes & indecisas tantum pro quibuscunque delictis occultis, & publicis etiam in Nos, & statum nostrum promanatis usque in præsentem diem, per dictos homines, seu per aliquam eorum particularem personam publice & privatim commissis, & perpetratis, de quibus omnibus plenam, & claram habuimus, & habemus informationem, ac dictis hominibus, & particularibus personis eorum liberam gratiam & absolutionem facimus, ita ut ex nunc, & in futurum, quoquo modo, nec in genere, nec in specie inquietari, aut molestari possint, aut valeant realiter, vel personaliter, per Nos, aut aliquos ex officialibus nostris sub quacunque commissione per Nos danda quibuscunque verbis; declaramus tamen, quod per hoc non intendimus Nos præjudicium facere circa creditum quod cum dicta Communitate habemus, propter capturam Ill^is. & Ex^mi. Domini Equitis Salustii Petrorini, Consiliarii nostri, & præmissorum bonorum ab ipsis nunc possessorum jurium, fructuum, introituum, proventuum, & emolumentorum undecunque procedentium, & provenientium, hactenus per eos possessorum, perceptorum, dispensatorum, & in sese distributorum, prout supra pariter narratum est, usus, ritus, mores, & consvetudines eorum approbamus, emologamus & affirmamus. Valeantque prædicti, Commune, homines ac eorum hæredes, & successores in futurum dictis bonis, proventibus, introitibus, & emolumentis omnibus, tam communibus, quam divisis, uti, frui, ac gaudere pacifice, & quiete, prout, & quemadmodum hactenus gavisi fuere, ac de introitibus prædictis disponere, prout ipsi melius visum fuerit & placuerit, & insuper renunciamus, transferimus, & libere transmittimus in prænominatum Commune, & homines, eorumque hæredes, præsentes & futuros, omnia jura, res, & actiones, & in quantum ipsis expediat inter vivos prædicta omnia bona, res, & jura irrevocabiliter donamus, quas & quæ in eis habebamus, nostrique juris erant, vel sunt, seu aliqualiter esse potuerunt vel poterunt quovis jure, vel titulo, facientes ipsos, Commune & homines, ac eorum hæredes, & successores in posterum Procuratores nostros tanquam in rem suam, & ponentes ipsos in locum nostrum, ut in res proprias, ita quodammodo actionibus, & juribus prædictis, ac aliis quibuscunque de dictis bonis, omnibus juribus, & rebus dicere, facere, excipere, experiri, prosequi, vendicare, litemque movere, uti, frui, & gaudere, ac omnia alia dicere, facere, & exercere possint, quemadmodum gavisi, & potiti sunt temporibus elapsis. Cum his tamen conditionibus, cum quibus, & sine quibus, *quod non possint ullam libertatem propria autoritate sibi adsciscere, sub prætextu quod alias eadem petita fuerint*, nisi prius jura sua Nobis demonstraverint, quæ si ab æquitate aliena non fuerint, Nos admissuros, & concessuros pollicemur, nec cæteros municipes facere, seu ad Commune recipere vel officiales eligere, aut stipendia publica ullis persolvere valeant, qui nobis suspecti, vel diffidentes fuerint, & quod teneantur ac regere, & gubernare juxta ordines, quos pro bono eorum regimine dedimus, & secundum quod necessitas postulaverit, dabimus, ac alveos, seu aquarum vasa, vulgo dictas Seriolas, & Gorgatellum, suis temporibus fodere, & curare, & herbas in illis incidere, ripas, fontes, cum aquæ ductibus, eorum vias publicas, & mœnia Castri, in forma laudabili, quolibet anno reparare, & *restaurare*, ac omnes alias expensas, & *factiones facere*, quas *cum istis* retroactis temporibus faciebant, *exceptis infrascriptis*; nec non quod quotiescunque aliquam collectam, seu contributionem *cum licentia nostra imponent* militibus tam pedestribus, quam equestribus, inservientibus pro custodia Personæ nostræ, ac pro securitate dictæ Civitatis ejusque fortalitii, & territorii, eorum immunitatem personalem *observent*, ut in eorum privilegiis, & cum a nostris antecessoribus, & a Nobis aliquot agri, seu possessiones, cum certa immunitate venditi vel donati fuerint, Nos volentes, quod diligenter, & accurate observetur, & discutiatur, ut ad manutentionem, seu conservationem immunitatis ejusmodi teneamur, dictam Communitatem, & homines obligamus ad prædictis possessionum & agrorum emptoribus, vel donatariis immunitatem prædictam manutenendam & conservandam, si servanda apparebit, vel alio modo, quo poterunt commodiori eis satisfaciendum, ita ut Nos ab omni scrupulo & gravamine vacemus.

Et quod tempore belli, seu alterius nostræ necessitatis, nobis ea præstent, ad quæ de jure vasallitii obligati sunt.

Insuper dictæ Communitati & hominibus concedimus, quod sibi invicem, non autem exteris dicta bona stabilia, tam Communia, quam divisa, sine licentia nostra vendere, emere, donare, de eis testari, permutare, in solutum dare, ad censum, vel libellis obligare, & quovis alio modo disponere possint & vale-

valeant per Instrumenta tam publica, quæ pro more veteri Registro inscribantur, & non aliter, nec alio modo. Ac ipsos denuo liberamus a solutione illorum quatuor mille quingentorum scutorum, quos Exc^mo^. Parenti nostro bonæ memoriæ debebant, & *Nobis stante cessione dictorum bonorum* deberent; Cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, *quandocunque pro singulo centenario dictorum contractuum* Cameræ nostræ a venditore solvantur, exceptis ultimis voluntatibus & divisionibus; qui reditus remaneant feudo, ac Primogenituræ subjectus, partim loco illius, quod Exc^mi^. Majores nostri bonæ memoriæ, & Nos percipiebamus ex licentiis, quas dictis subditis concedebamus de contractando dicta bona, & partim loco illius, quod ex supradictis quatuor mille quingentis scutis percipere possemus, si ipsos Nobis persolverent.

Præterea dictam Communitatem & homines liberamus a stipendio Organistæ solvendo, & eleemosyna concionatori danda, pro quibus Nos Ecclesiæ sancti Nazarii tot reditus de propriis bonis assignavimus; Cum hac tamen conditione cum qua, & sine qua, quod Nos, hæredes nostros, & causam a nobis habituros manuteneant in pacifica possessione, damus, quæ appellatur la Cadena, & quod annis perpetuis temporibus nomine nostro scutos centum in nomine Beatorum septem pro quolibet scuto, sacr. pietatis monti persolvantur;

Insuper dictam Communitatem & homines liberamus ab excubiis faciendis fortalitio hujus civitatis, sigillatim per *domos* vel *focos*, quæ erant *decem alia* singulo anno pro quolibet foco, & personæ nostræ serviebant, seu milites ab illis faciendos per capita, ut postea solebant, vel ipsam Communitatem & homines a solutione stipendiorum, quæ ultimo loco solvebant, nec non stipendio auditoris, qui Justitiam criminalem, & Prætoris, qui civilem administrant, quæ officia subrogavimus officio Prætoris, qui alias justitiam civilem & criminalem conjunctim administrabat, & cui prædicti homines stipendium dare tenebantur, nec non satellitum, Carnificis, Tabellariorum, qui a nostra Cancellaria ad diversas partes expediuntur illorum, qui molendinorum, granorum, &c. ut vulgo dicitur, Jupolatorum curam habent, quando dicta molendina non locantur, quod quidem salarium tunc est loco emolumenti, quod Conductores pro eorum habere percipiuntur, & molendinariorum pro eorum simili habere & manutentione animalium, quæ ducunt grana dictorum nostrorum subditorum ad molendina, & farinas ad eorum domos reducunt. A solvendis vecturis quæ plaustris, sive curribus Cameræ nostræ fiebant, & a manutentione ædificiorum prædictorum molendinorum, lapidum molariorum, seu mosarum, & aliorum necessariorum pro illis; ab onere singulis septimanis mittendi ad lacum Benacum pisces Aulæ nostræ necessarios allatum. A subministrandis arena, lapidibus & omnibus operariis necessariis pro fabricis nostris, cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, quod teneantur nos manutenere in pacifica possessione molendinorum, seu pristinorum omnium hujus status ab ipsis nobis cessorum, cum aquis, & alveis, servientibus molendinis prædictis, & scopolare in manibus scopellatoris nostræ mensuram unam ordinariam vulgo dictam, mensura quæ tenet stopellum unum cum duobus tertiis; & penes scopellatorem remanet nostro sigillo sigillatum pro singula mensura, quæ dicitur quarta de omnibus granis, quæ per eos, seu eorum nomine molentur, vel macinabuntur in dictis molendinis, qui reditus pariter remaneat feudo, & Primogenituræ subjectus loco beneficii & utilitatis, quod, & quam dicti Excellentissimi majores nostri, & Nos ex supradictis habemus.

Præterea dictæ Communitati & hominibus, ac pro majori eorum commoditate etiam forensibus concedimus, quod in dicta nostra civitate, & sua jurisdictione possint vendere, emere, permutare & donare omnia & singula bona, mobilia & animalia, (*excepto sale*,) sub pœnis in proclamatibus nostris contentis; ne fiat prejudicium introitui, quem Camera ex venditione dicti salis habet, qui quidem introitus pariter remaneat feudo, ac Primogenituræ subjectus, ut semper fuit, absque aliqua datii solutione, cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, quod quando vinum supradictis de causis recipere voluerint, accipiant licentiam, vel Palletum a Publicano, seu Datiario nostro dicti vini, & in manibus illius solvant vectigal sive Datium, juxta ordinem, vel Tariffam nostram, quod emolumentum, seu reditus pariter remaneat feudo, ac Primogenituræ subjectus, loco limitationis ordinariæ, quam retroactis temporibus solvebant.

Insuper dictæ Communitati & hominibus, ac pro majori eorum satisfactione etiam forensibus, concedimus facultatem transeundi per hanc civitatem & suam jurisdictionem omnibus generibus fructuum, mercium, animalium, & aliarum rerum, cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, quod quando transibunt cum dictis rebus, vel aliqua earum, accipiant apodissam, vel bullettam a nostro Publicano, seu Datiario, & in manibus illius solvant vectigal, sive Datium juxta ordinem vel Tariffam nostram, qui reditus pariter remaneat feudo, & Primogenituræ subjectus, ut semper fuit.

Præterea dictæ Communitati & hominibus, ac pro majori eorum commodo etiam forensibus concedimus facultatem introducendi in hanc civitatem, & suum districtum ad contractandum ibi, & pro dictorum hominum domestico usu omne genus fructuum, mercium, animalium, & aliarum rerum (*exceptis farinis, pane & sale*) *sub pœnis in Proclamatibus nostris contentis*, absque aliqua Datii, seu gabellæ solutione, quia cum dictam introductionem concedamus, ut res, quæ ibidem non reperiuntur, pro majori eorum utilitate deferri valeant, & suprascripta cætera, quæ hic abundanter adsunt, haberi possint, non solum talis introductio non est necessaria, sed si eam permitteremus, fieret maximum præjudicium introitibus publicis pistorum, molendinorum & salis.

Insuper dictæ Communitati & hominibus concedimus, quod, quando introducent in hanc civitatem, & suum districtum supradictis de causis per se, vel per alios aliquam dictarum transitando per

terram nostram Medullarum, & suum districtum non sint obligati ad solutionem Datii transitus dictæ terræ, cum his tamen conditionibus, cum quibus, & sine quibus, quod prædictæ res forensium non sint, per rectam viam ex Mantuano Territorio ad hanc civitatem tendentem veniant, & ad exteras partes non asportent, cum declaratione, quod per hoc non intendimus, eos esse liberos a solutione Datii extractionis, quam de illis rebus, ex supradicta terra, & jurisdictione per se, vel per alios facere voluerint.

Præterea dictæ Communitati, & hominibus, & pro majori eorum utilitate etiam forensibus concedimus, ut singulis diebus sabbathi, nundinas, sive mercatus in hac nostra civitate facere possint, ac eorum merces, animalia, vina, uvas, grana, farinas, & legumina cujuscunque generis in castro hujus civitatis, sive extra, prout magis eis libuerit, servare valeant, & omnia ex hoc statu extrahere, (exceptis dictis recollectibus, temporibus belli, pestis, seu alterius nostræ urgentis necessitatis) ad hoc, ut eorum fructus & reditus majori pretio, quo poterunt, vendantur. Verum tamen & Speltam extrahi volumus, donec & usque quo provisio necessaria pro nostris equis quotannis facta fuerit, quam provisionem opportuno tempore fieri curabimus, cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, quod quando dictas res, vel aliquam earum extrahent per se, vel alios, accipiant apodissam, vel bullettam a nostro Publicano seu Datiario, & pro ea solvant in manibus ipsius vectigal, vel Datium, juxta ordinem, seu Tariffam nostram (exceptis pane, & farinis macinatis in dictis nostris molendinis) quod emolumentum, vel reditus pariter remaneat feudo, ac Primogenituræ subjectus loco illius quod dicti Exc^mi. Majores nostri, ex licentiis, quas dabant extrahendi dictos recollectus, vulgo dictis Tractis, percipiebant, & Nos percipere possumus, si extractionem prædictam, sicuti omnes alii Italici Principes faciunt, non permitteremus.

Denique dictam Communitatem & homines denuo liberamus omni meliori modo a solutione dictorum censuum, & illarum pecuniarum, quas Nobis debeant pro emptione *dicti molendini Goslini;* cum hac tamen conditione, cum qua, & sine qua, quod Nos, hæredes nostros utriusque sexus, & causam a Nobis habituros *manuteneant in pacifica possessione Palatii siti in hac civitate in Contrata Rizzatæ, nec non Sulli, Macellorum, quatuor officinarum plateæ Tabernarum, Aquæ realis, & fontium officii civilis, livellorum, ac pascuum ab ipsis Nobis cessorum, nec non quod Nobis persolvant scutos mille novem centum cum livellis super illis decurrendis, quos Nobis super quodam compactu ab ipsis imposito probabili solutione assignaverunt, qui prædictis censibus, & pecuniis subrogati permanent.*

Propterea harum testimonio litterarum de absoluta qua in dicta nostra civitate, & ejus Principatu fungimur potestatis plenitudine quibuscunque ordinationibus, statutis, pactis, privilegiis, Instrumentis, seu provisionibus, constitutionibus & scripturis, tam publicis quam privatis, tam antiquis quam modernis, hisce nostris quomodocunque in toto, aut in parte contrarium disponentibus, derogamus, cassamus, abolemus, absolvimus, scindimus & annullamus, supplentes de eadem absoluta potestate defectus omnes, tam juris, quam facti, si qui in præmissis intervenissent. Mandantes quibuscunque subditis nostris præsentibus & futuris, ut has nostras, omnia & singula in eis expressa & contenta integre, & inviolabiliter perpetuo observent, & observare faciant, sub nostræ indignationis & aliis Nobis arbitrariis pœnis. Officialibus autem, & Ministris nostris, tam præsentibus quam futuris, ad quos spectat, vel spectabit, ut eadem omnia & singula perpetuo observent, & observari faciant sub eisdem pœnis certo præcipimus, contrariis quibuscunque, etiam si specialis de illis mentio hic fieri deberet, non obstantibus. In quorum omnium, & singulorum fidem ac robur, præsentes manu nostra subscriptas Sigilli nostri majoris appensione communiri jussimus. Datum in civitate nostra Castillioni, Die II. Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo, sexcentesimo decimo sexto.

FRANCISCUS, Princeps Castillionis.

(L. S.)

Ego Antonius Marinus, filius quondam Dn. Alphonsi, Civis Castillionis a Stiveriis, publicus Imperiali autoritate Notarius, fidem facio, & attestor, retroscriptam Privilegiorum copiam fuisse, & esse fideliter, & de verbo ad verbum, nil addito, vel &c. quod &c. extractam ex quodam libello registri existentis in Cancellaria D. Principis, D. Ferdinandi Secundi de Gonzaga, Principis Castillionis, cum quo libro mihi ad hunc effectum tradito, facta diligenti auscultatione, quia in omnibus concordare inveni; Ideo hic me solito meo Tabellionatus signo subscripsi, ad Dei laudem &c.

(L. S.)

XI.

Ferdinandi II. Rom. Imperat. Confirmatio transactionis inter Principem Christiernum de Gonzaga, Dominum Sulferini, ex una, ac illius subditos & Communitatem Sulferini, ex altera parte, initæ, qua turbæ, motusque intestini sedati ac compositi fuerunt, d. d. 20. Januar. Anno 1622.

FErdinandus Secundus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergiæ, & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes

nus Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris, & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Ad futuram rei memoriam agnoscimus, & notum facimus vigore præsentium universis: Quod, cum pro munere nostro Imperiali ad sedandas lites, controversias, atque animorum dissensiones inter illustrem nostrum & Sacri Romani Imperii Principem fidelem, dilectum, Christiernum de Gonzaga, Dominum Sulpherini, illiusque subditos, & Communitatem Sulpherini, feudi Imperialis exortas, unde majores iis in locis turbæ, atque scandala, non citra concussionem pacis publicæ facile excitari potuissent, Illustrissimum Ferrantem, Marchionem de Gonzaga, Principem Melfettæ, nunc Gvastallæ Ducem, Commissarium nostrum Imperialem deputassemus, evenisse, uti is jussionibus nostris prompte accurateque obtemperando, nullum industriæ, seu diligentiæ genus prætermiserit, quo speratus sollicitudini nostræ effectus responderet, & quidquid istic discordiarum intercesserat, leni, & amica tractatione componeretur. Unde postquam memoratus Commissarius noster ipsemet in persona ad locum Sulpherini vicinum se transtulisset, atque inde tam super querelis dicti Christierni, quam subditorum assertis gravaminibus, opera & interventu subdelegati sui necessarias informationes sumpsisset, tandem utraque partium die 20. Mensis Januarii anno præterlapso 1621. in certos compositionis Articulos, quorum primus & secundus subsequente die tertia mensis Augusti eodem anno fuerint declarati, ultrò condescenderit, hisce modis, conditionibus & verbis formalibus, quæ sequuntur:

Capitoli di Compositione sopra l'interessi, che uertano fra l'Illmo Sig^re Don Christierno Gonzaga, Signore di Solferino da una banda, & la Communità di detto luogo, & particolari dall' altra proposti dal Sig^re Dottor Ottavio Villani subdelegato Cesareo ad ambi le parti, quali da quelli accettandosi debbono havere effetto sempre che siano ratificati da sua M^ta Ces^a alla quale si riferiranno dall' Illmo & Ecc^mo Sig^re Don Ferrando Gonzaga Prencipe di Malfetta, Sig^re di Guastalla &c. & Commissario Imper. in detti affari.

Primo, hauendo esso Sig^re sud^to considerato le facoltà di questo Territorio di Solferino si nel publico, come nel privato, e particolarm^te che la Communità non ha cosa alcuna di fermo d'entrada, e che è necessario tutto quello di essa si paga tanto all' Illmo lor Sig^re quanto ad altri si caui dalle borse di particolari, considerati li pesi, che haueuano sotto il dominio dell' Illmo Sig^re Horatio Gonzaga, Antecessore di detto Illmo Sig^re Christierno li beni ceduti al medemo Sig^re Horatio per essere liberati da detti pesi, quali beni ascendeuano d'entrata all' anno sino ad otto cento ducati di lire tre di planetti di Brescia incirca per ciascheduno, ch' erano l'infrascritti cioè:

Liuelli in dannari, che pagauano diversi particolari ogni anno ad essa Communita lire cinque cento ottanta che, 6. 7. dico che sono 582. 6. 7.

Formento some n^o. vinti una, quarte una copelli uno e mezzo.

Segala some n^o. dieci noue quarta otto, un coppo, e mezzo copello.

Hostaria con l'utile della grassina di Carra venti all' anno.

Ragione di douana, caso s' aspetti ad essa Communità, ò almeno alloggio delle mercantie.

Beccaria Prestinaro, Molino, & Prati presso a d^to Molino, quali tutti Beni ed entrade erano d'essa Communità com' appare da suoi libri publici, e da quali si riscoteuano avanti l'Istromento fatto con d^to Illmo Sig^re Horatio dell anno 1573. del quale si habbi, qui relatione bisognando, per la cessione de quali Beni, se bene non nominati in esso Istromento con la promessa di pagargli ducento ducati all' anno, oltre à quelli, esso Illmo Sig^re Horatio promesse & libero detti Huomini di Solferino per se & successori da tutti i pesi, tanto ordinarii, quanto estraordinarii, tanto expressi, quanto non expressi in esso Istrom^to, ed anco da dacii, & come in quello, considerate la gravezze che pretendino detti Huomini di Solferino essergli state imposte da d^to Illmo Sig^re Don Christierno contro la forma del precitato Istromento dando diverso nome à quelle come di Guardie, fogaroli, sussidio, Copelli, una ed altri: Per seuaruia ogni sorte di litiggio & conseruare l'unione fra d^to Sig^re e suoi sudditi, e loro Successori & Heredi augumentando i redditi di detto feudo di Solferino da quello fù stabilito con esso Illmo Sig^re Horatio, così parendo di richiedere la qualità di presenti tempi, & reducendo tutti li pagamenti che faceua questo Commune, sotto ad un capo solo.

Pmo propone, che detta Communità di Solferino sia obligata, oltre alli Beni sodetti dati à d^to Illmo Sig^re D. Christierno, & suoi successori in infinitum Ducati cinque cento da tre lire per ciascheduno di planetti di Brescia all' anno computatoui li ducento promessi à detto Illmo Sig^re Horatio in d^to Istrum^to quali s' intendino sottoposti & subiacere alla Primogenitura di questo feudo, & si debbano chiamare tottalmente feudali insieme con li sod^ti altri Beni ceduti da d^ta Communità al sod^to Illmo Sig^re Horatio.

2do. Che essendo stati alienati detti Beni altre uolte da d^ta Communità come sopra ceduti ò da d^to Illmo Sig^re Horatio ò altri, possi esso Illmo Sig^re don Christierno ò suoi successori quelli recuperare, come male alienati, cedendogli d^ta Communita ad esso per all'ora ogni ragione, che sopra essi in qualsivoglia modo gli potesse competere ò contro gl' Eredi di d^to Illmo Sig^re Horatio, ò possessori de suoi Beni, transferendo tutte dette ragioni in esso Illmo Sig^re Don Christierno & suoi successori, constituendolo Procuratore irrevocabile, come in cosa sua propria, senza però essere obligata la Communità à spese, ne ad altro mantenimento d' essecutione ò d' altro in qualsivoglia modo.

3tio. Et vice versa, ch' esso Illmo Sig^re tanto per se, quanto per li suoi successori ed Eredi, tanto di sangue, quanto estranei, non possi, ne possino imponere grauezze di sorte alcuna à detti Huomini di Solferino, e suoi successori in infinitum, tanto reale, quanto personale, tanto espressa in d^to Istrom^to di conventione con d^to Illmo Sig^re Horatio, del quale, acciò le parti non possino allegare ignoranza, douerà registrarsi copia nel fine de presenti Capitoli, quan-

quanto non espresse in d^to Istrom^to siano di che sorte si sia ancorche fosserò tali, che di quelli se ne richiedesse speciale & individua mentione, si che le non espresse ancorche incogitate, & in corpore Juris clause, si habbino qui per espresse & specificate, dimodo che non possi venir caso, che non s'habbia per dichiarato, dalle quali tutte, & singole d'esse s'intendino esenti, liberi, immuni, e tottalm^te liberati essi Huomini di Solferino, e suoi successori, salvo tamen quod tempore Belli seu alterius urgentis necessitatis tum dicti Ill^mi D. Christierni, tum ejus successorum in loco Sulferini teneantur dicti subditi ea præstare, ad quæ de Jure Vasallitii obligati sunt.

4to Item che non ostante detta essentione & liberatione, siano però tenuti per ragione di macina essi sudditi di Solferino, e suoi successori in infinitum pagare à detto Illmo Sig^re e suoi Eredi & successori cinque Copelli per ciascuna soma di Biada, che macinaranno tanto nel Territorio di Solferino, quanto fuori, douendo sempre andore à pigliare il Bolettino del deputato d'esso Illmo Sig^re come per il passato, restando questa entrata sottoposta pure à detto feudo, & primogenitura, quale mai si possi accrescere.

5to. Ed esso Illmo Sig^re sia tenuto à cedere al Commune il Molino, che sia nel Territorio di Solferino altre uolte dato à detto Illmo Sig^re Horatio, con la Gorga, & tutti li Prati contigui, l'utile del quale Molino, e Prati sia d'essa Communità, ne possa mai sopra quelli in qualsivoglia modo esser molestata, ne da detto Illmo Sig^re Don Christierno, ne suoi successori, annullandosi l'Istromento fatto à Castiglione per l'interesse, che tocca à detto Illmo Sig^re circa li copelli.

6to Che detto Illmo Sig^re non possi nemeno i suoi successori accrescere qualsivoglia Dacio sopra i Beni, che nascono in questo Territorio di Solferino, ne metterne di nuouo, ma quelli debbono stare come di presente, de quali ne sara registrata copia nel fine de presenti capitoli, acciò olore à quelli si sappia non esser lecito à detto Illmo Sig^re Don Christierno, ò suoi successori ne accrescerli ne metterne di nuouo rispetto alli Beni, che si cauaranno da questo Territorio tanto da Terrieri, quanto da Forestieri, & che li Terrazani comperando galette tra essi non si an' obligati à Dacio, ma chi estraera la seta, ò galette sia terriera, o forestiera debba, come si usa à Castiglione pagare il dacio.

7mo Essendo stata leuata la gravezza delli cento foglii d'vua, che ogn' Anno pagauano bisognando vua à detto Illmo Sig^re per seruitio della sua Cantina, siano obligati li sudditi à vendergliela mezzo scudo meno la Tina, ma solamente per seruitio della Cantina, & bisognandone al Sig^re, & non altrimente, & la quantità debba dichiararsi doppo la ratificatione di sua M^tà Ces^a da esso Sig^re sud^to ò da chi deputarà l'Exmo Sig^re don Ferrando.

8vo. Che detto Illmo Sig^re sia tenuto à menar buoni à detta Communità li tre cento scudi che l'imprestò l'anni passati nella maniera & modo giudicarà il detto Sig^re sud^to

9no Che nel resto di tutte le pretensioni quelli hà essa Communità contro detto Illmo Sig^re Don Christierno glie le rimette tutte, & fà libero dono, e specialm^te della figurtà pagata da gl'Huomini di questo luogo quando si obligorno uerso li Sig^ri Concari per lo Illmo Sig^re Horatio & per mostrare maggior ossequio & amoreuolezza uerso il luor Sig^re; Essendo tenuto l'Illmo ed Ecc^mo Sig^re Prencipe di Castiglione per una portione, e per l'altra portione l'Illmo Sig^re Conte Teodoro Triuultio, come successori & Eredi in parte de Beni di detto Illmo Sig^re Horatio, fanno libera donatione à detto Illmo Sig^re Don Christierno di tutte le ragioni, che hanno con detto Ecc^mo Sig^re Principe, & Illmo Sig^re Conte per detta figurtà, constituendolo Procuratore irrevocabile, ut in rem propriam, & uolendo possi agitare, & conseguire quello à che sono tenuti li sod^ti Ecc^mo Sig^re Principe, & Illmo Sig^re Conte per detta figurtà, non volendo esso Commune & sudditi essere obligati di euittione, ne a spese, ne ad altro.

10mo Viceuersa esso Illmo Sig^re afficura detti suoi sudditi à ben orattarli, & gouernarli conforme alla dispositione delle legi, & l'Inuestitura del feudo di Solferino, come conuiene ad ogni buon Prencipe portandosi essi da buoni sudditi, contentandosi possino tra di loro contrattare liberam^te senz' alcuna licenza, ne che possino esser astretti ad affrancare liuelli, conforme all' Istromento fatto altre uolte con suoi Ill^mi Antecessori & in oltre per maggior dimostratione della benignità d'esso Illmo Sig^re uerso li suoi sudditi, fà à ciaschuno di quelli libera gratia, e dono di qualsivoglia delitto, di che sorte si sia fino al dì d'oggi, che fosse soccesso, ò da essi stato commesso, eccetto pero à quelli, che di già si trouassero condannati, & eccettuati gl'homicidii appensati, del resto qualsivoglia altro delitto sia, di che sorte si sia ancorche fosse tale, che se ne richiedesse special mentione, s'intendi perdonato.

11mo Che essendoui molti particolari, quali pretendono essere Creditori d'esso Illmo Sig^re sia obligato à dargli sodisfattione, giustificando legitimam^te loro crediti, come sarà giudicato da che deputarà l'Illmo & Ecc^mo Sig^re Don Ferrando Gonzaga Commissario Imperiale quale habbi auttorità di sommariam^te sine strepitu & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, omnique appellatione remota, & prout sibi uidebitur, omni meliori modo, deliberare & terminare tutte le dette differenze de particolari, tanto de Crediti, quanto de stabili, case, terre, ed altro, juxta ejus conscientiam.

12mo Che non siano tenuti à tenere Caualli, si non in quel numero & qualità giudicarà detto Ecc^mo Sig^re Don Ferrando esser capace detto luogo, & suo Territorio, ouero chi deputarà esso Ecc^mo Sig^re.

13. Che non possi astrengere qualsivoglia suddito à dargli qualsivoglia quantità di robba ne sotto nome di vendita, nè di prestito, nè in altra maniera se cosi non parerà à detto suddito, & pretendendo detto Suddito qualche aggrauio, essergli fatto che non si crede, possino chi all'ora reggeranno la Communità ricorrere à sua Maestà Ces^a, ò à chi ordinarà la med^ma Maestà, & defendere detto particolare, come che l'aggrauio preteso fosse fatto al publico, & siano obligati con il pagamento giusto à dar opere, & fare il bisogno del Sig^re nell' occasione.

14. Che detta sua Sig^ria Illma far aprire le strade publi-

publiche in quei luoghi oue giudicara essere opportuno detto Signore Subdelegato, & anco sia tenuto cautare la communità con far rescindere il Contratto fatto con il Padre Evangelista di Foligno, nel quale è sicurtà essa Communità, laquale per detta Sigurtà venendo in qualsivoglia modo molestata possi trattenere li Entrate sud^te, che obliga pagare ogn'anno à d^to Illmo Sig^re e suoi successori per sua evittione.

15. Che non possi astringere quelli che regeranno la Communità, nè altri à tenere Capellano, Organista, Medico, nè Maestro di Scuola se non voranno nè far altre spese, & possino minuire, & levare è Salarii al Cancellerie della Communità, Syndici, Consiglieri, Consule, Massaro, Barbiero, & altri Officiali della Communità, & redurre il Consiglio al modo antico & far quello giudicaranno esser bene publico senza impedimento d'esso Illmo Sig^re ò suoi Successori Ill^mi.

16. Che potendo trovare Podestà, che servi per minor prezzo di 120. Ducatoni di salario sua Sign^ria Illma se ne contenta purchesia di sodisf^ne di sua Sig^ria Illustr^ma & Dott^re.

17. Che tutti, & singuli li sopranominati Capitoli debbano da ambe le parti, suoi successori inviolabilm^te osservati sotto le pene, che pareranno à sua Maest^a Cesar^a, & doppo la ratificatione della med^ma, & non altrim^te & contrauenendosi à quelli in qualsivoglia modo dall'una, ò l'altra parte sia lecito ricorrere à sua M^ta Ces^a & auanti quella, ò chi comandera S. M. dedurre le loro ragioni, che si spera mai più sia per soccedere ut Deus &c. con protesta d'esso Illmo Sig^re di Solferino, che nel resto per le cose di sopra scritte, e capito late non si intendi in qualsivoglia modo pregiudiciato alle ragioni dell'Investitura d'esso feudo, & non alias, aliter, nec alio modo &c.

In Christi nomine amen. Anno ab ejusdem nativitate 1621. Indictione 4. tempore invictissimi Principis D. D. Ferdinandi Austriaci, divina favente Clementia Romanorum Regis, Imperatoris &c. die vero Mercurii 20. mensis Januarii, & in Ecclesia Parochiali Terræ Sulferini Diœcesis Brixiensis, præsentibus ibidem multum Reverendo Dn. Hercule de Alferiis Rettore dictæ Ecclesiæ Parochialis ejusdem loci Sulferini, & Jo. Jacobo, filio quondam Jo. Dominici de Solianis de Gvastalla, & Pellegrino, filio quondam Bernabei de Ferrariis de dicta Terra Gvastallæ, ambobus famulis Perillustris & Excellentissimi Domini Octavii de Villanis, Subdelegati antedicti testibus, supradicta omnia & singula capitula fuerunt acceptata à majori parte Populi Sulferini, nemine contradicente existente in dicta Ecclesia Parochiali ad præsentiam dicti Illustris D. Subdelegati, mei Notarii & prædictorum testium, & per dictos ibidem coadunatos fuit promissum etiam cum juramento tactis &c. & dicta *capitula observare* & executioni demandare in omnibus, & per omnia, prout jacent, à die tamen ratificationis Sacræ Cæsareæ Majestatis, & non alias &c. & ut latius in rogitu facto per me Notarium infrafatum sub die & anno suprascriptis, dictis Testibus præsentibus. Die & anno suprascriptis in Terra *Castioni* a Stiveriis in arce dicti loci in quadam Sala magna, præsentibus ibidem Illustri Dn. Alberghino, filio quondam Perillustris D. Francini de Alberghinis de Salodio, Illustri D Francisco, filio quondam Bernardini de Grandis de dicto loco Castioni, & Jo. Jacobo de Solianis, filio quondam Jo. Dominici de Guastalla famulo prædicti Perillustris & Excellentissimi Dn. Subdelegati testibus, &c,

Illustrissimus Dn. Christiernus Gonzaga, Dominus Sulferini constitutus, sponte, omnique meliori modo, visis ac inspectis supradictis capitulis, ac in omnibus in ipsis contentis, eique per me lectis clara & intelligibili voce ad præsentiam etiam, & intelligentiam prædictorum testium ea omnia, & singula ac contenta in ipsis acceptavit & acceptat, promisitque sub fide veri Principis habendi &c. vim Juramenti, ea omnia & singula attendere, nec illis ullo modo contravenire, sed executioni demandare in omnibus, & per omnia, prout jacent, a die tamen ratificationis Sacræ Cæsareæ Majestatis, & non alias, aliter, nec alio modo &c. In quorum super quibus &c, rogans &c.

Ego Simon Antonellus, filius Magnifici Dn. Camilli, Civis ac habitator Gvastallæ, publicusque Imperiali auctoritate Notarius, ac Cancellarius specialiter deputatus in præsenti causa, supradictis omnibus & singulis præsens fui, de eisque rogatus scribere publicè, scripsi, ac apposito mei soliti Tabellionis signo, in præmissorum fidem hic me subscripsi &c. Tenor vero de quo fit mentio in suprascriptis Capitulis ac Tariffæ Daciorum nominatæ continentur in primo inserto folio, in fidem

Ego Simon Antonellus, antedictus rogatus &c.

Nos Alexander Pecorellus, Gvastallensis, locum tenens Perillustris Dn. Prætoris Gvastallæ, attestamur, suprafatum egregium D. Simonem Antonellum de suprascriptis rogatum tempore ejusdem rogitus, antea, & de præsenti fuisse & esse publicum & legalem, authenticum & fidedignum Notarium, & Cancellariæ specialiter deputatum in supradicta causa ejusque scripturis publice conscriptis, hic semper adhibitam fuisse, indiesque adhiberi, & ubique locorum merito indubiam adhibendam esse fidem. In quorum testimonium &c. Datum Gvastallæ ex Palatio nostræ solitæ Residentiæ die Veneris 22. Mensis Januarii A. 1621.

Maximilianus de Nigris, Notarius, & in hac parte Cancellarius, de mandato scripsit & subscripsit.

Renuntia facta per Commune & Homines Sulferini Illustrissimo Domino Horatio Marchioni de Gonzaga eorum Domino.

In Christi nomine amen, a nativitate ejusdem 1573. indictione prima, die vero Veneris 22. Maji, tempore Serenissimi Principis & Dn. Dni. Maximiliani, divina sibi favente clementia Romanorum Imperatoris & semper Augusti, in Terra Castioni a Stiveriis Brixiæ Diœcesis, Marchionatus vero Illustrissimi Domini Ferdinandi Gonzaghæ Marchionis, & in Palatio infrascripti Illustrissimi Domini Horatii sito in Contrata Plateæ, præsentibus Magnifico & excellente J. U. D. Dn. Hieronymo Pilato Tridentino, Magnifico D. Alexandro Pimello de Castro Giufredo, & D. Francisco de Cattaneis de

de Castiono præfato testibus nobis idoneis, ad hæc specialiter vocatis & rogatis &c.

Videntes Commune & Homines Terræ Sulferini, subditi Illustrissimi Sacri Rom. Imperii Principis D. Horatii de Gonzaga, Marchionis, diversa onera, gravamina, factiones, & expensas, quas & quæ habent, & indies sibi occurrunt, tam pro solvendo ipsi Illustrissimo D. limitationes, stabulum, & Correrios, quam in fabricis, laboreriis, operibus & Carigiis indies faciendi, & ad quæ tenebantur, & quod non modo eorum introitus sufficiat pro dictis oneribus, & factionibus solvendis, verum & cogantur sæpe imponere taleas, & exactiones super proprio, & particulari dictorum Hominum, & se deviare ab eorum propriis negotiis, & laboreriis, adeoque multa damna & incommoda, ac deviamina patiantur: Et ideo considerantes, quod magis commodum, utile, & bonum esset dicto Communi & Hominibus, cedere & renunciare prædicto Illustrissimo Domino bona omnia stabilia, & introitus generis cujuscunque ipsius Communis, & Hominum, demptis tamen montibus, nemoribus, pascuis, Accisis pro damnis datis, & domibus Communis, eidemque solvere & tradere ordinarie & quotannis tantum, ultra prædicta, ducatos ducentum a libris tribus pro quolibet ducato, dummodo tamen placeat Suæ Illustrissimæ Dominationi, dicta bona, & introitus acceptare, & relevare, & immunes, & liberos facere dictum Commune & Homines tam a solutionibus dictarum limitationum, stabuli, & Tabellariorum, quam a quibuscunque expensis, laboreriis, factionibus, operibus, & aliis nunc recurrentibus, & in futurum quomodolibet occursuris, impositisve & imponendis ipsi Communi & Hominibus, & propterea habito sæpe ac sæpius de præmissis colloquio inter ipsos Homines in eorum Consiliis, & viciniis, ut infrascripti eorum Syndici & Procuratores asseruerunt; tandem ex causis præmissis sperantes, sibi ipsis in hoc morem geri a præfato Illustrissimo Domino, statuerunt, & decreverunt devenire ad infrascriptam cessionem & renuntiam modis, pactis & capitulis, ut infra, videlicet:

Ibi igitur constituti D. Andreas de Saccis, Franciscus Misellus, Nicolaus Morenus, Assandrinus de Sacciis, Vincentius Mosettus, & Vincentius Cassa, omnes de Sulferino, Syndici & Procuratores, & ubi, & tanquam Syndici & Procuratores & eis nominibus agentes Communis Hominum, & totius Universitatis Terræ Sulferini ad infrascripta maxime constituti, ut constat de eorum Syndicatu & Procura Instrumento publico, rogito per Dn. Honofrium de Honofriis, Notarium publicum communis prædicti sub die Jovis 11. Martii proxime decursi, tenoris in fine præsentis Instrumenti registrantem, non vi, dolo, metu, fraude, aut aliquo alio errore Juris, vel facti, ducti, seducti, seu circumventi, sed sponte, motu proprio, & animo eorum, ut asseruerunt, bene deliberato, omni alio meliori modo, quo possunt, dederunt, cesserunt, & renunciaverunt, ac dant, cedunt, & renunciant prædicto Illustrissimo Dn. Horatio, Domino suo ibidem præsenti, & intelligenti omnia, & quæcunque bona stabilia, & introitus generis cujuscunque ipsius, Communis & Hominum, ubicunque jaceat, & quocunque nomine nuncupentur, quæ hic expresse habeantur &c. exceptis tamen & reservatis ipsi Communi & Hominibus, montibus, nemoribus, pascuis, Accisis pro damnis datis & domibus Communis, & cum onere, promissione, & obligatione etiam solvendi singulo anno Ducatos ducentum, ut supra, prædicto Illustrissimo Domino, cum conditione tamen expressa, & sine qua non faceret præsentem renunciam; quod prædictus Illustrissimus Dominus Horatius Marchio relevare, & immunes & liberos facere, & manutenere nunc, & in futurum debeat, & teneatur ipsum Commune & Homines a solutionibus limitationum stabuli & Tabellariorum, & ab omnibus, & quibuscunque expensis, factionibus, gravaminibus, laboreriis, operibus, & aliis trigis recurrentibus, & in futurum quomodolibet recursuris, & quæ modo ullo imponi possent dicto Communi & Hominibus quavis causa tam tacita quam expressa, humiliter supplicantes & exorantes præfatum Illustrissimum Dominum Horatium, Dominum suum ibidem præsentem, & intelligentem, ut dignetur præsentem renuntiam, bona, & Introitus prædictos acceptare cum oneribus, obligationibus, ac conditionibus præmissis, ac cum capitulis infrafatis, vulgari sermone annotatis.

Capitoli fatti per gli Huomini del Commune di Solferino per contrattare con l' Illustrissimo Signore Horatio loro Signore.

P^mo^ detto Commune, ed Huomini di Solferino daranno, e renunciaranno, & pregano Sua Sig^ria^ Illma ad accettare li loro beni di detto Commune, con conditione, che debbono essere certi per via d' Istromento, che non gli sarà innovato sorte alcuna di gravezza à detto Commune & Huomini di Solferino, cioè: Imbottato, masna, accrescimento di sale, Dacio sopra le Vendite così di terre, come di bestiami, & per qualsivoglia altra sorte di gravezze, così espressa, come non espressa nel presente Istromento; Et che li prefati Huomini di Solferino s' obligarno à dar ducati due cento ogni anno, cioè la metà al santo Giacomo di Luglio pross^mo^ che viene, & l' altra metà à Natale di più dell' Entrate sopradette, & che di più sua Sig^ria^ Illma sia obligata à renonciare limitatione, salario de Corrieri & Stalli, e renunciare due cento scudi, che furonò accresciuti alli livelli delle Terre, altre volte livellate alli detti Huomini per l' Illmo di buona memoria il Sig^r^ Luigi, suo Padre; & che di più sua Sig^ria^ Illma sia obligata à non dare spesa à detti Huomini di Careggi, opere, è simili cose, che essi Huomini erano obligati à fare per fabriche, & simili altre cose, che portauano spesa à detti Huomini di Solferino, tutti li Boschi Monti, e Pascoli, per uso del suo pascolare, la Casa del Ferraro al Beverador, e la Casa per andare à Consiglio, e le faccende della Communità; si risponde per sua Sig^ria^ Illma, che havendo inteso da Huomini deputati da detto Commune la sodisfatione, che riceueriano, che si facesse questo Accordo per loro manco spesa, e fatica, e sua contentezza, che si contenta accettare li Capitoli suoi, accioche loro siano certi di quella volontà, che

sempre

empre è stata di dargli più tosto buona sodisf^{ne} che mala, renontiando però l' Intrada delle Accuse, che sono nelli loro beni, accio sene possino valere nelle sue cose ordinarie liberando anco detti Huomini di Solferino dal Liuello, che pagano li particolari al Commune per l' accrescimento, ch' è di scudi due cento, & promettendo Sua Sig^{ria} Illma d' osservare tutte queste cose sotto la fede di vero Prencipe. Et præsentia omnia & singula in præsenti Instrumento contenta, apposita &c. prædictus Ill^{mus} D. Horatius Marchio per se & Hæredes, ac Successores suos, nec non & dicti Syndici, & Procuratores agentes ut supra adinvicem &c. promiserunt &c. firma &c. perpetuo habere atque attendere &c. & non contrafacere aliqua ratione &c. sub obligatione omnium & singulorum præfati Illustrissimi Domini Antonii, ac prædicti Illustrissimi Domini Horatii, & prædicti Communis, & Hominum bonorum præsentium & futurorum, ac sub fide veri & legalis Principis &c. renunciantes exceptioni non sic celebrati præsentis Instrumenti & non sic factæ præsentis promissionis & obligationis omnique alteri suo Juri legum & statutorum &c. quibus &c.

Tenor Instrumenti Procuræ seu Syndicatus sequitur, videlicet:

In Christi nomine amen. Anno Domini a nativitate 1573. Indictione prima, die Jovis 19. mensis Martii, in domo Illustrissimi Dn. Dn. Horatii Marchionis de Gonzaga, & Domini nostri sitæ in Terra Sulferini in Contrata Plateæ Diœcesis Brixiæ, & Domini præfati Illustrissimi Domini Horatii tempore Serenissimi Principis & D. D. Maximiliani divina sibi favente Clementia Romanorum Imperatoris, semper Augusti, præsentibus Magnifico Paulo Felina muratore Antonio filio Bartholomæi Marchesini etiam muratore ambobus de Lonato, & Antonio filio Blasii Cossatelli de Solferino, omnibus ad præsens habitatoribus Sulferini testibus notis idoneis, ad infrascripta omnia vocatis specialiter, & rogatis &c.

Itaque in publica & generali Vicinia Communis & Hominum Terræ Sulferini more solito convocatorum in loco suprascripto, in quo aderant Bonus Casnicus, Julianus Morellus de Cerinis, Consules dictæ Terræ, D. Peregrinus Cassa, Maphæus Bergamascus, Arcangelus Carinus, Antonius Canzinus, Prætius Carpentus, Lazarus Bergamascus, Jo. Angelus Mengonus, Simon de Sarciis, Franciscus quondam Bartholomæi Cassæ, Bapt. de Luciola, Joannettus Cassa, Jo. Jacobus Casmicus, Anton. Speltonus, Vincentius Masettus, Sandrinus de Sanciis, Bernardus Antonius, Martinus Cerinus, Gregorius de Polis, Franciscus Cerinus, Bernardus Bergamascus, Mattheus Mergonus, Jo. de Barba, Paulus Casniscus, Jo. de Polis, Baptista Fantus, Franciscus Casniscus, Dominicus Neva, Petrus Bicerus, Laurentius Factor, Andreas Boginus, Jo. Maria Casta, Thomas Casnicus, Dominicus Casnicus, Thomas Cassa, Nicolaus Marocchus, Matthæus Barth. Mergoni, Baptista Morenus dictus Pozolo, Thomeus Cerinus, Bartholeltus de Barba, Jacomus Juradeus, Jo. Vesconus, Bernardus Factor, Franciscus Juradeus, Andreas Mergonus, Bernardinus Cerinus, Josephus Bergamascus, Josephus Gotardi Mergoni, Jacobinus Faber, Matthias Cattaneus, Mapheus de Zono, Jo. Dominicus Juradeus, dictus Jarabano, Dominicus Morenus de Barchis, Josephus Annoatius, Hercules Annoatius, Franciscus Factor, Calistus Casniscus, Rudolphus Della Mutella, Josinus Factor, Antonius Juradeus, Baptista Sposettus, Baptista Item Mergoni, Dominicus Gugiellus, Baptista dictus il Padellino, Franciscus del Barba, Dominicus della Motella omnes de Sulferino, & habitatores ipsius Terræ, simul, unanimiter & concorditer fecerunt, constituerunt, creaverunt, & ordinaverunt, ac faciunt, constituunt, creant & ordinant omni meliori modo, via, Jure, forma, & causa, quibus magis melius dici, fieri, & esse potest suos, & dicti Communis Sulferini Syndicos veros Nuncios, & Procuratores, Actores & Defensores, ac negotiorum gestores Dominum Andream de Sarciis, Julianum Morellum de Cerinis, Vincentium Messetum, & Vincentium Cassam, absentes, tanquam præsentes ad omnes suas, & dicti Communis lites, causas, & quæstiones, quas habent, vel habere sperant cum quacunque persona, Communi, collegio, vel universitate, coram quocunque Judice tam seculari, quam Ecclesiastico, & maxime, & specialiter ad dandum, tradendum, & renunciandum per viam, & modum contractus, & non aliter, nec alio modo omnia bona dicti Communis Sulferini Illustrissimo D. N. D. Horatio Marchioni de Gonzaga, & ultra dicta bona Communis præfati ad dandum & solvendum præfato Illustrissimo Domino libras sexcentum planetarum singulo anno, cum pacto tamen, quod præfatus Illustrissimus Dominus Horatius in futurum non possit cogere dictos Homines de Sulferino ad aliquas factiones, nec aliqua gravamina, vel Datia, quovis modo dicto Communi, & Hominibus de Sulferino imponere, dantes, cedentes, & mandantes dictos contrahentes dictis suis Syndicis & Procuratoribus, & cuilibet ipsorum plenum, liberum, & speciale Mandatum cum plena, libera, generali, & speciali administratione faciendi, exercendi & complendi omnia & singula utilia, & necessaria in præfatis, & circa præfata, & quæ facere possent dicti Constionenses, si semper præsentes adessent, etiam si talia forent quæ Mandatum exigerent. Promittentes semper de rato habendo, sub obligatione omnium suorum, & dicti Communis bonorum præsentium & futurorum, de quibus omnibus &c.

Ego Honofrius filius quondam D. Dominici de Honofriis, publicus Imperiali auctoritate Notarius suprascriptis omnibus præsens fui, eoque rogatus scribere, publice scripsi, & me cum meis signo, & nomine solitis subscripsi.

De quibus omnibus rogatus sum ego Antonius Bellhomus, Not^{s} publicus conficere Instrumentum.

Ego Laurentius Lodrinus, filius quondam D. Jacobi de Vecolis, de Castiglione a Stiveriis, publicus Apostolica autoritate Not^{s} suprascriptum Instrumentum rogatum per quondam D. Antonium Bellomum, olim Notarium publicum dictæ Terræ, ab ejus originali prout jacet nil addidi, &c. me aliis occupato negotiis aliena manu relevandum tradidi, ex licentia mihi a Bellomo concessa in suo ultimo Codicillo, & quia

quia in omnibus cum dicto Originali concordare inveni, ideo me in fidem solito mei tabellionatus signo apposito subsignavi &c.

Ego Simon Antonellus &c. Mag$^{ci.}$ D. Camilli Civis & habitator Guastallæ, publicusque Imperiali autoritate Notarius, & Cancellarius specialiter deputatus in causa vertente inter Ill$^{mum.}$ D. Christiernum Gonzagam, Dominum Sulpherini, & ejus subditos, supradictam Copiam Instrumenti, de quo fit mentio in Capitulis conventionis inter prædictum Ill^{mum} D. & ejus subditos, rogatus sub die, & anno infradictis a copia authentica & publica fideliter extraxi, nihil addito, vel diminuto, quod saltem substantiam vel sensum mutet. In quorum omnium & singulorum fidem hic me solita cum attestatione subscripsi hac die Mercurii 20. mensis Januarii 1621.

Tenor vero Tariffæ, de qua fit mentio in dictis Capitulis pro datiis talis est, videlicet.

Uva che si estraherà deue pagare una gazetta Venetiana per soglio.

Vino che si estraherà, una gazetta e meza per soglio.

Seta quello che si paga in Castiglione delle Stiverie di presente per estraherla.

Item Simon Antonellus, Notarius & Cancellarius, ut supra subscripsit &c.

Nos Alexander Pecorellus Guastallensis, Locumtenens Perill^{ris} D. Prætoris Guastallæ, attestatum supra-scriptum egregium D. Simonem Antonellum, qui suprascriptam Instrumenti copiam, ut supra, extraxit, & prædicta subscripsit tempore ejusdem extractionis, & subscriptionis, antea, & de præsenti fuisse, & esse publicum, legalem, authenticum, & fide dignum Not$^{m.}$ & Cancellarium specialiter deputatum in causa vertente inter Ill^{mum} Dominum D. Christiernum Gonzagam, Dominum Sulpherini, & ejus subditos, ejusque scripturis publice scriptis hic semper adhibitam fuisse, indiesque adhiberi, & ubique locorum merito indubiam adhibendam esse fidem. In quorum testimonium &c. datum Guastallæ ex Palatio nostræ solitæ Residentiæ die Veneris 22. mensis Januarii 1621. Maximilianus de Nigris Notarius, & in hac parte Cancellarius de mandato scripsit & subscripsit. &c. Die Martis 3. mensis Augusti 1621.

Per Ill^{ris} & Ex^{mus} D. Octavius Villanus, J. V. D. de Pontremulo, subdelegatus Commissarius Cæsareus, visa instantia, ac comparitione facta sub præsenti die per Communitatem & Homines Sulpherini, considerataq; eorum petitione circa declarationem, quam requirunt fieri super primo & secundo Capitulo in ordine compositionis alias initæ inter Ill^{mum} D. D. Christiernum Gonzagam, eorum Dominum ex una, & ipsam Communitatem, & Homines dicti loci Sulpherini ex altera, prout in actis meis &c. sub die 20. mensis Januarii proxime elapsi constat: quia justa petentibus non est denegandus assensus, licet respectu secundi capituli satis appareat, de quo infra fiet declaratio, ut tantum omnino tollatur omnis occasio litium, & discordiarum inter dictum Ill^{mum} D. ex una, & dictos subditos ex altera, prout semper fuit intentio dicti D. subdelegati, dixit, decrevit, & declaravit, prout infra, videlicet:

Siquidem respectu proximi Capitis, quomodo facienda sit solutio dicto Illmo Domino de ducatis quingentis annuatim, declaravit, & declarat, cum dicta solutio fiat pro alimentis in parte dicti Ill^{mi} Domini & ejus successorum faciendam esse anticipate de trimestre in trimestrem, ita ut solvantur ducati centum viginti quinque anticipate pro quolibet trimestre dicto Illmo Domino, & ejus successoribus, & sic ducati quinque centum in totum quolibet anno, ut etiam disponit dictum Capitulum.

Respectu vero 2di Capituli declaravit & declarat, nullam competere actionem, nec intelligi cessam contra aliquos singulares bonorum possessores dicti Ill^{mi} quondam D. Horatii, si qui existerent in hoc Territorio, quomodolibet occasione, de qua in dicto 2do Capitulo, quod sicut satis constet ex lectura ejusdem 2di Capituli, cum fiat cessio contra Hæredes, & possessores copulative, & si alius intelligeretur, esset contra principalem intentionem dicti D. subdelegati, quæ fuit præcipue tollendi quamlibet occasionem litium & dissensionum inter dictum Ill^{mum} D. D. Christiernum, & ejus subditos, & omnino se confirmaret cum Commissione Cæsa & mente Ill^{mi} & Ex^{mi} D. D. Ferdinandi Gonzagæ, Commissarii Cæsi pro abundanti tantum cautela dictorum subditorum & veritatis declaratione, declaravit mentem & intentionem suam fuisse & esse, ut supra, de quibus, ut magis constet, & mandavit copiam præsentis ordinationis inseri in fine Capitulorum prædictorum, offerens suis loco & tempore illam consignare Illmo & Exmo D. D. Ferdinando Commissario Cæso anted^{to} ad effectum, ut illam transmittat ad Cæs^{m} Maj^{tem}, ut possit per eandem ratificare una cum Capitulis, & ordinavit etiam notificari præfata omnia dicto Illmo D. D. Christierno Gonzagæ Principi Sacri Rom. Imp. & Domino Sulferini, ut prædictorum habeat plenam notitiam &c. & ita &c.

Actum & publicatum fuit per me Notarium infrascriptum adstantem in Camera solitæ Congregationis Consilii Communitatis Sulpherini, præsentibus Perillustribus D. D. Francisco Gandino, Prætore Medullarum, Prospero Maraffo Rectore dicti loci Sulpherini, & multum Rev^{do} D. Hercule de Alferiis Rectore Parochialis Ecclesiæ Sulpherini, testibus vocatis, & specialiter ad hoc adhibitis, & rogatis hac die Martis 3. Augusti 1621.

Die Mercurii 4. mensis Augusti 1621. supradicta omnia de verbo ad verbum insinuata, & ratificata fuere Illmo D. D. Christierno Gonzagæ præsenti, & illa & singula intelligenti, qui sponte, & ex ejus certa scientia, animoque bene deliberato consensit, & consensum suum præstitit, omnibusque & singulis supradictis contentis in supradicto decreto declarationis factæ per supradictum Perill^{rem} D. Subdelegatum, illaque omnia & singula tam pro se, quam pro Hæredibus suis, & Successoribus quibuscumq; acceptavit, & acceptat, & ulterius volens rem gratam facere ejus subditis juxta requisitionem sibi factam nomine eorundem in prædicto Perill^{ri} D. Subdelegato oretenus per se & suos hæredes, ac successores, ut sup^{a} declaravit, quod si recuperabit ab Ill^{mis} D. D. Hæredibus quondam Ill^{mi} D. D. Horatii Gonzagæ aliquid vigore cessionis sibi factæ a Communitate Sulferini, de qua in secundo Capitulo compositionis inter ipsas initæ, intendit, quod omne illud quod recuperabit, ut sup^{a} intelligatur omnino feudale, & sit subjectum Primogenituræ feudi

feudi Sulpherini, Primogenitusq; tantum in illis succedere possit exclusis cæteris. Rogans humiliter ex nunc pro tunc Sacram Cæsaream Majestatem, ut præmissa omnia & singula, una cum Capitulis Compositionis ratificare & comprobare dignetur, super quibus omnibus ego Not^s infradictus rogatus, ut unum vel plura conficiam Instrumentum, vel Instrumenta, de prædictis omnibus rogatus extiti, & præsentem rogitum feci de mandato dicti Ill^ris D. Subdelegati, & ad instantiam supradicti Ill^mi D. D. Christierni Gonzagæ &c. Actum Castioni e Stiveriis in Palatio Ex^mi Principis dicti loci, existente prope Plateam in Camera solitæ residentiæ dicti Perill^ris D. Subdelegati, præsentibus ibidem Perill^ri D, Prospero Marasso J. V. D. de Pontremolo, ac de præsenti Prætore Sulferini, ac Ill^ri D. Alphonso Bellino, Fiscali dicti loci Castioni testibus ad prædicta omnia vocatis, & specialiter rogatis.

Ego Simon Antonellus filius Mag^ci D. Camilli Civis Guastallensis, publicusque Imperiali auctoritate Not^s, quia præmissis omnibus & singulis præsens fui, eaque de mandato dicti Perill^ris Subdelegati publice scripsi & publicavi ; Ideo in præmissorum fidem & testimonium me subscripsi & signum meum consuetum apposui, hac die Jovis 4 mensis Augusti *1621*.

Nos Octavius Villanus JurisConsultus de Pontremolo, Commissarius subdeleg^s Cæs^i Ill^mi & Ex^mi D. D. Ferdinandi Gonzagæ Commissarii Cæs^i attestamur, supradictum Multum Mag^cum D. Simonem Antonellum esse talem qualem se facit, ejusque scripturis publicis & authenticis hic semper adhibitam fuisse indiesque adhiberi in Jud^o & extra. In quorum testimonium &c. Dat. Castillioni 6. mensis Augusti 1621.

Octavius Villanus Commissarius Cæs^s subdeleg^s Antonius Maria Lodrinus Not^s subscripsit. Porro cum non modo supradictus Christiernus Marchio de Gonzaga, sed ipsa quoque Communitas Sulpherini per Procuratores suos humillime apud Nos institerit, uti pro majori corroborat^ne præinsertos Articulos compositionis, una cum subsecuta declaratione Subdelegati, auctoritate quoque nostra Imperiali laudare, approbare, ratificare & certa pœna in transgressuros statuta munire dignaremur, æque huic petitioni tanto lubentius faciliusque adnuerimus, quod levatis dissidiorum causis, quietem, & utilitatem tum publicam, tum privatam concerneret. Quemadmodum vigore præsentium adnuimus, & supra insertos Articulos, una cum subnexa declaratione in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis, tenoribus & verborum expressionibus, ex certa scientia, animo bene deliberato, habitaque sufficiente informatione clementer laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, & ab omnibus, ad quos spectat, tam ipso Marchione Sulpherini Domino, quam Communitate, & subditis ex amussi, & bona fide observandos decernimus, ita ut omnia & singula in iisdem contenta futuris temporibus legis & statuti inviolabilis vim & robur obtineant. Decernentes, & hoc nostro Imperiali edicto sancientes, quisquis illis in uno vel altero contravenire, vel contrafacere præsumpserit, præter gravissimam indignationem nostram Cæsaream, pœnam quingentorum aureorum, sive scutatorum Fisco nostro Imperiali, & parti observanti, ex quo solvendorum, omni spe veniæ sublata incursurum : Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione firmatarum. Dat. in Civitate nostra Viennæ die 22. mensis Martii Anno Domini 1622. Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungarici 4. Bohemici vero 5to.

FERDINANDUS.

Locus Sigilli Imperialis appensi.

Vice Rev. D. Jo. Svicardi,
Archi-Cancellarii, & Elect.
Moguntiæ Vt.

Ad Mandatum Sacræ Cæsar. Majest.
Hermannus Questenbergh.

Rt. Jo. a Questenbergh.

Ego Honofrius D. Caroli de Honofriis filius Mantuæ Civis, publicus Imperiali auctoritate Not^s urbis prædictæ Collegiatus, ac Not^s Castillionis &c. suprascripta omnia a suo Originali mihi ad hunc effectum tradito, fideliter extraxi, nihil addito, vel diminuto, quod sensum mutet, aut variet. In quorum fidem hic me subscripsi, & ut soleo, signavi &c.

Nos Jo. Baptista Passarinus J. V. D. Auditor Generalis & Prætor, ac Judex maleficiorum Civitatis Castillionis a Stiveriis fidem facimus & attestamur, supradictum egreg D. Honofrium de Honofriis fuisse & esse Notarium pub legalem, & fide dignum Castillionis præfati, cujus scripturis publicis &c. plenam fidem adhiberi in Judicio & extra. In &c. dat. Castilione præfato hac die 17. Julii 1680.

Gulielmus Corradinus, Notarius, & in hac parte Cancellarius.

Ego Guilielmus Corradinus, filius quondam D Jo. Baptistæ Civis Castillionis a Stiveriis, publicus Imperiali autoritate Notarius ac Cancellarius Domini Principis Castillionis D. mei Col^mi præsentia omnia a copia authentica existente in Cancellaria ejusdem Domini Principis fideliter extrahere feci, per manum mihi fidam, nil addito, vel diminuto &c. In quorum &c. me subscripsi, ac solito parvo meo signo subsignavi &c. hac Die 24. Martii 1690.

Nos Paulus Mercatus J. U. D. Auditor Generalis, & Prætor Civitatis Castillionis a Stiveriis, fidem facimus, & attestamur supradictum Ego. Dn. Gulielmum Corradinum fuisse ac esse Notarium publicum &c. Castillionis sibi, cujus scripturis pub. & authenticis hic plena fides adhibetur in Judicio & extra, meritoque ubique locorum esse adhibendam. In quorum &c. Dat. Castillione præfato hoc die 29. Mart. 1690.

Franciscus Bellhomus, Notarius & Cancellarius, de Mandato scripsi.

XII.

Laudum, sive sententia arbitraria, quam Cardinalis Theodorus Princeps Trivultius, de discordia inter Ferdinandum, Principem Castillionis, ejusque cognatam, Principem viduam Castillionis, utpote filiarum suarum Tutricem & Curatricem, propter hæreditatem à marito & parente earum acceptam, intercedente pronunciavit, d. d. 10. Martii, Anno 1638.

Teodoro, Cardinale Prencipe Trivultio &c.

HAvendo la Sig^{ra} Prencipessa di Castiglione, à suo nome, è come Tuttrice, è Curatrice delle SS^{re} sue Figlie, rimesso à noi la cognitione & arbitrio delle pretensioni, che hà per rispetto suo e delle dette SS^{re} sue Figlie contro il S^{re} Prencipe Dn. Ferdinando di Castiglione, suo Cognato & havendo questo ancora rimesso à noi per la parte sua la cognitione delle sue ragioni, doppo d' havergli hauuta sopra matura consideratione è comunicato all' una, & all' altra parte quello, che ci occorreva, siamo venuti, in parere di dichiarare:

1° Che per quello tocca alla restitutione della Dote di detta S^{ra} siano obligate le dette SS^{re} Figlie, come heredi del Sig^{re} Prencipe D. Luigi, loro Padre, è Marito della Sig^{ra} Prencipessa, è non il detto Sg^{re} Prencipe D. Ferdinando.

2do Che quanto al Dotario, ò sia augmento fatto à detta Sg^{ra} Prencipessa dal detto Sig^{re} Principe D. Luigi suo Marito di 15000. Scudi, resti pure à carico delle dette SS^{re} Figlie heredi, come sopra, del Sg^{re} Principe loro Parente, cioè di pagare gl' interessi solamente, di detto augmento, ò sia Dotario, durando la viduità di detta Signora Prencipessa.

3io Che li scudi sei milla, quali della Signora Prencipessa pretende per la recamera à rag^{ne} di scudi mille all' Anno, conforme ai capitoli matrimoniali, non si devono attesoche dalli medemi capitoli si presumono pagati, massime constando, ch' ella, vivendo, il Signor Prencipe Suo Marito, habbia sempre havuto il maneggio, & à sua dispositione le sue entrate tutte.

4to Che intorno la pretensione della Signora Prencipessa, che sia obligato il Signore Principe D. Ferdinando agli alimenti delle dette Due SS^{re} Figlie di detta Signora Prencipessa, conforme al stato, è grado loro, constando che non vi siano beni allodiali, sufficienti per il loro alimento, dedotta la restitutione della Dote di essa Signora Prencipessa, & altri debiti, e legati, ci pare, che l' obligatione d' alimentare dette SS^{re} Figlie spetti principalmente alla Signora Principessa come Madre & in sussidio al Signore Prencipe D. Ferdinando come zio, sopra di che ci risserviamo di dichiarare la parte che toccarà à detto Signore Prencipe informati, che saremo di quello restarà à dette SS^{re} Figlie dell' heredità del Parente dedotti, che saranno li debiti.

5to Che quanto alla pretensione, che hà la detta Signora Prencipessa à nome delle dette SS^{re} sue Figlie delle Doti lasciate dal Signore Prencipe D. Francesco alle SS^{re} DD. Luigiâ, Polisenna, è Marta, sue Figlie Monache, stante la renontia fatta da loro avanti di monacare, à favore del Signore Prencipe D. Luigi, ci pare ch' havendo il Signore Prencipe D. Francesco loro Padre instituito herede universale il Signore Prencipe D. Luigi, quale sendo perciò obligato alla prestatione delli legati, non possa operar altro la detta renontia, che la liberatione di detta obligatione à favore delle med^e SS^{re} Figlie d' esso Sg^{re} Prencipe D. Luigi, ne si possa pretendere altro per questo capo contro il Signor Prencipe D. Ferdinando.

6to Che circa le pretensioni, che la med^{ma} Signora Principessa hà à nome delle sud^e SS^{re} sue Figlie della portione della Dote materna del Signore Prencipe D. Luigi loro Padre, ci pare, che constando per il Testamento fatto dalla Signora Prencipessa D. Bibianà Matre del sudetto Signore Prencipe D. Luigi, ch' habbia instituito herede il Sig^{re} Prencipe D. Francesco suo Marito, e Padre d' esso Signore Prencipe D. Luigi, & essendo questo rimasto herede universale di esso Signore Prencipe, suo Padre, non si possa per questo capo pretendere cosa alcuna, essendo il medesimo Signore Prencipe D. Luigi, come herede del Signore Principe D. Francesco suo Padre debitore, è creditore, & in conseguenza, con tutte le attioni.

7mo Che alla pretensione della Signora Principessa, che hà in nome come sopra, che li Molini di Castiglione siano allodiali, ci pare, che consti chiaramente dal Testamento del Signore Principe Francesco, che siano feudali.

8to Che circa la dotatione congrua delle dette due SS^{re} Figlie, sopra li beni feudali, pretesa dalla d^a Sig^{ra} Prencipessa loro Madre, dovrà il Signore Prencipe D. Ferdinando, quando le sudette due SS^{re} Figlie sue Nipoti saranno in età nubile, supplire nei beni feudali, è dargli la dote congrua, ogni volta che non resti loro beni allodiali equivalenti per darcela, in virtu del capitolo posto dall' Imperatore nell' errettione in primogenitura, è nell' Investitura del Prencipato di Castiglione, nel qual dichiara l' Imperatore che alle Femine si debba assegnare quella parte, che à ciascheduna di esse li potrebbe toccare, per la legitima, in mancam^{to} delli allodiali.

9no Che circa le mobili, & altre cose lasciate dal Signore Prencipe D. Luigi, è cosa chiara, che s' aspettino alle delle SS^{re} Figlie sue heredi, de quali dovendone poi rendere conto la Signora Principessa loro Madre, finita che sarà la Tutela, è necessario tenerne Inventario particolare, è per quella quantità, che deve cedere in estint^{ne} della dote della med^{ma} Sg^{ra} Prencipessa ricevuta dal Signore Prencipe D. Luigi non potrà ricusare il Signor Principe D. Ferdinando, che si mettino in quella parte, che la detta Signora Prencipessa vorra, il che si dice ancora delle gioie dategli per uso suo dal Signore Prencipe D. Luigi, poiche in virtu delli capitoli matrimoniali sono proprie della Signora Prencipessa, nè è perciò tenuta à renderne conto alcuno.

tomo Che circa la pretensione, che hà la Signora Prencipessa della Legitima nelli beni del Signore Prencipe D. Francesco Infante suo figº ultimante morto, non si deue alla Signora Prencipessa legitima alcuna sendo la substitutione fatta nel Testamento del Signore Prencipe D. Luigi pupillare.

E così diciamo, pronontiamo, & arbitriamo, obligando ciascheduna delle parti ad osservare li presenti arbitramti risservandosi facoltà di dichiararli, quando occorresse dubio alcuno, sopra l'interpretatne d'essi. Dat. in Melzo li 10. di Marzo, 1638.

(Sigillo.)

Il Cardinale Trivultio.

Ego Alexander, filius quondam D. Antonii Mariæ Lodrini de Verolis, civis Castillionis à Stiveriis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, suprascriptam declarationem & aliena manu transscriptam, fideliter exemplavi ab alia simili copia Sigillo munita, ad hunc effectum mihi tradita, & quia in omnibus concordare inveni, ob id in præmissorum fidem me solita mei tabellionatus attestatione subscripsi, hac die 22. Septembris 1666.

(L. S.)

Nos Carolus Antonius Petruccius J. U. D. Auditor generalis, & Prætor, ac Judex maleficiorum Civitatis Castillionis à Stiveriis fidem facimus, & attestamur, supradictum D. Alexandrum Lodrinum de Verolis, qui præfata autenticavit, fuisse & esse Notarium publicum Civitatis prædictæ cujus scriptis publicis & autenticis, hic plena fides adhibetur & merito ubique locorum adhibenda est, in Judicio & extra, in quorum &c.

Datum Castillione præfato, hac die 23. Sept. 1666.

(L. S.)

Alphonsus Marinus, Notarius, & in hac parte Cancellarius.

XIII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, literæ, quibus Pyrrum Mariam Carolum, ex Marchionibus de Gonzaga, de portionibus in Castro & loco Vescovati, ad eum spectantibus, investivit, d. d. 17. Maj. Anno 1668.

LEopoldus &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis (Tit.) Pyrrus Maria Carolus, ex Marchionibus de Gonzaga, humillime exponendum curarit, a Nobis, ad imperialis dignitatis fastigium evectis, patrem quondam suum Octavium de quinque ex sex partibus Castri & loci Vescovati in agro Cremonensi siti, pro rata portionis suæ, & de quarta parte Avo olim suo per Marchionem Fulvium, ejusdem patruum, donata: nec non de quinque ex sex partibus, atque alia sexta parte, uti & alia adhuc parte quondam Marchioni Francisco, a patruo suo Joanne Sigismundo vendita, quas prævio assensu Cæsareo dictus pater suus à Carolo Bartholomæo & Sigismundo, Marchionibus de Gonzaga, dicti feudi Vescovati condominis, emerit die 4ta Augusti anni millesimi, sexcentesimi, quinquagesimi noni, clementer investitum fuisse, ut ex tenore Investituræ, Instrumentorumque assensus Cæsarei, emptionisque & venditionis subinsertorum plenius videre est:

Inserantur priores Investituræ.

Et nunc porro supradictus Marchio, Pyrrus Maria Carolus de Gonzaga, suppliciter Nos rogavit, ut, quandoquidem ab obitu prædicti quondam patris sui Octavii, die 17. Septembris anni millesimi, sexcentesimi, sexagesimi tertii secuto, ipse minorennis sub matris suæ, uti generalis Curatricis, tutela vixerit, variisque ac cognitis impedimentis ab investituræ receptione præpeditus fuerit, jam vero majorennis factus juxta obsequia præstare desideret, paratusque sit; Nos investituram prædictam in optima forma renovare, adeoque se de partibus castri & loci Vescovati, *in illa* specificatis, clementer investire atque infeudare, nec non & ordinem primogenituræ prædicto anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, a Nobis memorato quondam patri suo constitutum atque concessum, confirmare dignaremur. Nos utique benigne considerantes multifaria ac laudabilis constantis fidei ac devotionis officia, quibus illustris familia Gonzagiana, ac defunctus etiam Marchio, Octavius, Sacrum Romanum Imperium, Divosque Imperatores ac Reges, prædecessores Nostros gloriosissimos, Nosque & Augustam domum nostram Austriacam, sedulo semper coluit, ac Nobis persuasum habentes fore, ut posthac & ipse supplicans Marchio, Pyrrus Maria Carolus, Majorum suorum exemplo excitatus, avita sequatur vestigia, eodemque Nos, Successoresque nostros, ac Sacrum Romanum Imperium addictæ fidei, devotionis & obsequii cultu demereri studeat, submississimis ejusdem precibus benigne consuevimus subscribendum; Ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, & sano ac maturo accedente consilio deque Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, prænominatum Pyrrum Mariam Carolum, Marchionem de Gonzaga, tam de quinque illis ex sex partibus dicti Castri & loci Vescovati pro rata portionis suæ, prout supradictum est, quam etiam de quarta parte Avo quondam suo per Marchionem Fulvium, patruum ipsius, donata; nec non de quinque ex sex partibus & alia sexta parte, atque iterum alia parte a supramemoratis Carolo Bartholomæo & Sigismundo Marchionibus de Gonzaga, cum assensu & approbatione Cæsarea emptis, supra insertis, imprimis venditionis, electionum, cessionum & renunciationum instrumentis, quantum quidem ad investituræ hujus validitatem ea faciunt, uti, & instituto a Nobis primogenituræ ordine benigne confirmatis, una cum ejusdem Castri territoriis, confinibus pertinentiis, datiis, gabellis, exemptionibus, consuetudinibus, jurisdictionibus, mero ac mixto imperio, gladiique potestate universa, jure feudi antiqui, nobilis, franci ac liberi, recepto tamen prius ab honorabili, docto & fideli, Nobis dilecto, Bonaventura Gisgonio, juris utriusque Doctore, & ad aulam Nostram Cæsaream Agente sufficiente ad id mandato, legitime instructo, superinde consveto subjectionis ac fidelitatis juramento, juxta supradictæ ordinem primogenituræ clementer investi-

vestiverimus atque infeudaverimus, prout harum virtute ex certa scientia gratiose investimus & infeudamus, volentes, expresseque decernentes, quod prædictus Marchio, Pyrrus Maria Carolus, ipsiusque hæredes, secundum supra insertum primogenituræ ordinem ac legem, omnes memoratas castri & loci Vescovati partes, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum antiquum, nobile ac liberum habere, tenere ac possidere valeant, supplentes quoscunque defectus, tam juris quam facti, qui in præmissis, vel ob temporis lapsum, vel alias intervenerunt, aut intervenisse dici, vel allegari possent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ specialem hic & individuam mentionem requirerent, quibus quidem omnibus & singulis, quatenus obstarent, vel obstare quoquomodo possent, eadem scientia, autoritateque nostra Cæsarea in hoc duntaxat casu in vim motus proprii totaliter derogamus, & sufficienter derogatum esse volumus per præsentes, nostris tamen Sacrique Imperii & cujusvis alterius juribus, in his per omnia salvis atque illæsis; nulli ergo hominum cujuscunque status gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exstiterit, liceat, hanc nostræ Investituræ, infeudationis, confirmationis, suppletionis, derogationis, decreti, voluntatis, ac gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumserit, is gravissimam nostram & Sacri Imperii indignationem, ac pœnam quinquaginta Marcarum auri puri fisco, seu ærario nostro Imperiali, & parti læsæ ex æquo toties quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter persolvendam se noverit, ipso facto incursurum. Harum testimonio litterarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Viennæ 17. Maji, 1668.

Concordat cum Archivo Imperiali aulico, id quod hisce attestor. Viennæ 28. Augusti, A. 1708.

Rab. Herm. de Bertramb, Secret. & Archivar.

(L.S.)

XIV.

Litera Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Caroli V. Mantuæ Ducis Matrem, Dn. Isabellam Claram, utpote dicti Ducis Tutricem atque Curatricem, quibus ei, in dijudicanda lite inter Joannam Gonzagam Doriam, Ducissam Thursii, & Ferdinandum, Principem Castillionis, de intermissa eorum, quæ hic, vigore Laudi Trivultiani, de Anno 1638. illi debebat, præstatione hactenus mota, vices suas commisit, d. d. 15. Junii, Anno 1668.

Leopoldus &c. (Tit.) Quas ad nos Illustris devota nobis grata Joanna Gonzaga Doria, Ducissa Thursii, quondam Ludovici Gonzagæ filia, contra Illustrem Ferdinandum, Principem Castillionis, Patruum suum, tanquam bonorum omnium, tam feudalium, quam allodialium, mobilium & immobilium, à prædicto quondam Ludovico Gonzaga relictorum possessorem, nona adhuc Mensis Julii Anni superioris 1666. detulerit querelas, humillimè supplicando, ut cum vigore lati à quondam Cardinale Trivultio 12. Jan. A. 1693. & à partibus acceptati laudi dictus Princeps Ferdinandus, cum matri quondam suæ, Lauræ del Bosco, residuam dotem una cum dotario & Interesse, tum & sibi suæque sorori Ludovicæ, cum nuberent, legitimas ex bonis feudalibus: interim autem alimenta in scutis mille annuis exsolvere teneatur, ipsa vero supplicans dictarum, Matris æque ac sororis, hæres sit, eundem Principem Ferdinandum refragantem, ad ea, quæ sibi tam proprio quam dicto hæreditario nomine, vigore prædicti laudi competant, residuum nempe dotis, dotarii & interesse, hæreditatesque matris ac sororis, una cum legitimis in bonis feudalibus assignatis solvendum atque restituendum: ante omnia vero alimenta, in quorum exigendi possessione sit, citra moram, præstandam compellere, simulque legitimas in bonis feudalibus assignatas, tanquam directus feudi Castillionis Dominus, ad formam prædicti laudi determinare clementer dignaremur, id ex adjuncto hisce ejusdem libello supplici, annexaque eidem laudi præfati copia Dil. Vestra pluribus percipiet. Nec celare tandem voluimus, quod, cum citra moram 15ta adhuc ejusdem Mensis atque anni memorato Principi Ferdinando per litteras nostras injunxissemus, ut si quidem res, prout narrabantur, se haberent, diutius in mora solvendi atque restituendi, imprimis vero, id quod alimentorum nomine sibi liquido deberi contendebat actrix, præstandi non persisteret, aut si quæ jure apponenda haberet, ea intra duorum mensium terminum in Consilio nostro Imperiali Aulico produceret: Is non intermiserit cum exceptionibus, vicissimque actrix cum replicis suis in eodem Judicio nostro Imperiali aulico comparere, ac tandem cum ipsa actrice causam decisioni nostræ Cæsareæ humillime submittere, prout itidem, Dil. Vestræ ex reliquis annexis ulterius constabit. Et vero cum actrix decisionem causæ maxime urserit, jussimus clementissime, ut memorata acta in Consilio nostro Imperiali aulico ad accuratum vocarentur examen, & penderetur, quod & juris & æquitatis ratione pro munere nostro Cæsareo statuendum nobis foret. Cæterum auditis utriusque partis allegationibus, deprehendimus causam undequaque ita instructam non esse, ut impræsentiarum definitiva componi posset. Monente igitur Nos nostro atque Imperii supremi directique Dominii jure, ut illius merita eo exactius discuti juberemus, quo cæteroquin facilius evenire posset, ut feudi hujus regalis conditio, nulla urgente necessitate, vel ratione, ac præter ipsam nostram scientiam atque consensum (quo deficiente omne quicquid circa feuda istiusmodi constituitur, inane atque irritum esse, neminem ex Vasallis latere potest, vel debeat) deterior redderetur: omni cura in id incumbimus, ne quid temere in

re in præjudicium Imperii atque nostrorum Successorum circa feuda istius conditionis statuatur aut invalescat, quin potius illa in pristino splendore atque libertate conserventur. Ac proinde necessarium esse duximus, ut, si quidem actrix actiones ex capite hæreditatis, tum maternæ, tum sororiæ, ut & legitimarum contra Reum Patruum suum persequi etiamnum statuerit, ulterior desuper cognitio institueretur, præsertim quod nec illa in actis (exigentibus ita Rei exceptionibus) probationibus legitimis evicerit, superesse ex hæreditate paterna tantum, ex quo solvi possint materna nomina, aut vero se in ea rei familiaris angustia constitutam esse, ut ex feudis, seu illorum reditibus petendi quid sibi jus sit. Sane cum reus ultro fateatur, se alimenta, de quibus in actis, ei hactenus solvisse, atque residui liquidationem tantum urgeat: ut non eadem solum impostterum præstet, sed & id, quod ipsorum nomine ratione annorum præteritorum debet, quantocyus solvat, juri æquitative congruum arbitrati sumus, nostro tamen & Sacri Imperii jure, de quo nihil hisce remissum volumus, per omnia salvo. Atque hinc ut tandem litibus hisce finis imponatur, de D. V. Nobis gratificandi juxta ac æquitatis conciliandæ studio, rerumque agendarum experientia clementer confisi, Eandem, ut ex propinquo partes nostras hac in causa haud gravatim subeat, requirendam, simulque eidem hisce committendum duximus, ut partem utramque de hac delegatione per inclusionem copiæ certiorem redditam, intra certum terminum ad comparendum coram se, subdelegatisve suis, per se vel procuratores suos sufficienti mandato, atque in meritis causæ instructos, juraque sua deducendum, citet, ac iisdem ante omnia alimentorum actrici ex sua ipsius persona debitorum liquidationem, eaque facta residui solutionem reo (nulla de cætero cujuscunque compensationis reconventionisque exceptione admissa) sub certo finali termino injungat, porroque, si reus adhuc refragatus fuerit, deque plena facta paritione intra præfixum tempus legaliter non docuerit, pro dicti residui quantitate supplicantem, si quidem alia non suppetant media, ex mentionati feudi Imperialis Castilionis fructibus tantum exsolvi curet, quantum sibi adhuc deberi liquido docuerit; Præterea super reliquis actricis, tam suo, quam hæreditario matris sororisque suæ nomine, prætensis juribus, partem utramque ulterius audiat, actaque, cum causam pro finali decisione sufficienter instructam esse duxerit, cum annexa informatione atque voto suo ad Aulam nostram Cæsaream transmittat. Ad ea quippe omnia aliaque huic Commissioni atque delegatæ jurisdictioni connexa, autoritatem & vices nostras Cæsareas vigore præsentium Dil. Vestr. benigne concedentes. Quæ in iis ita rite exequendis atque administrandis rem justitiæ benignæque voluntati nostræ congruam, adeoque ab eadem Dil. Vestr. nobis perquam gratum fecerit. Quod reliquum est, eidem affectum Consobrini amantissimi, gratiamque ac benevolentiam nostram propensissime confirmantes. Viennæ 15. Junii, 1668.

XV.

Litera Leopoldi, Rom. Imperat. ad Carolum IV. Mantuæ Ducem, ejusdem cum antea insertis Argumenti, d. d. 22. Januar. An. 1672.

LEopoldus &c. (Tit.) ex commissorialibus litteris nostris 15. Mensis Junii anni adhuc 1668. ad (tit.) Mantuæ Ducissam, Dilectionis Vestræ matrem amantissimam, uti Tutricem tunc ejusdem ac Curatricem, datis, appositoque iisdem actorum fasciculo ad Senatum illum Ducalem Mantuanum, a Dilectione Sua remisso, Dilectio Vestra fusius percipiet, quas ad nos querelas anno adhuc 1666. Illustris, devota, nobis grata, Joanna Gonzaga Doria, Ducissa Thursii, quondam Ludovici Gonzagæ, contra Illustrem Ferdinandum Principem Castilionis, Patruum suum, tanquam bonorum omnium tam feudalium quam allodialium, mobilium & immobilium a prædicto quondam Ludovico Gonzaga relictorum possessorem detulerit, humillime supplicando, cum vigore lati a quondam Cardinale Trivultio 12. Januarii Anni 1639. & a partibus acceptati laudi, dictus Princeps Ferdinandus cum matri quondam suæ Lauræ del Bosco residuam dotem, una cum dotario & interesse, tum & sibi, suæque Sorori Ludovicæ, cum nuberent, legitimas ex bonis feudalibus, interim autem alimenta ex scutis mille annuis exsolvere teneatur: *Ipsa vero supplicans dictarum matris æque ac sororis hæres sit*, eundem Principem Ferdinandum refragantem ad ea, quæ sibi tam proprio quam dicto hæreditario nomine, vigore prædicti laudi competant, residuum nempe dotis Dotarii, & interesse, hæreditatesque matris & sororis, una cum legitimis in bonis feudalibus assignatis solvendum, atque restituendum: Ante omnia vero alimenta (in quorum exigendi possessione sit) citra moram præstandum compellere, simulque legitimas in bonis feudalibus assignatas tanquam directus feudi Castilionis Dominus ad formam prædicti laudi determinare clementer dignaremur. Porroque ex antedictis litteris actisque Dilectio Vestra pluribus videbit, quem in modum processu inter partes apud Consilium nostrum Imperiale Aulicum instructo, actisque accurate perpensis atque examinatis, cum ex partis utriusque allegationibus deprehenderemus, causam undequaque ita haud instructam esse, ut definitiva componi posset; moneret vero Nos, nostrum & Imperii supremum directique Dominii, Jus, & rem totam eo exactius discuti juberemus, quo cæteroquin facilius evenire posset, ut feudi hujus regalis conditio, nulla urgente necessitate, vel ratione, ac præter ipsam nostram scientiam, atque consensum (quo deficiente omne, quidquid circa feuda istiusmodi constituitur, inane atque irritum esse, neminem ex Vasallis latere potest vel debet) deterior redderetur, aut pristini aliquid splendoris atque libertatis perderet: omnino necessarium duxerimus, ut, si quidem Actrix actiones ex capite hæreditatis, tum Maternæ, tum Sororiæ, nec non & legitimarum, contra Reum Patruum suum persequi statueret, ulterior desuper cognitio institueretur, præsertim, quod nec illa in actis (exigentibus ita rei exceptionibus) probationibus legitimis evicerit, ex hæreditate paterna tantum

tum superesse, ut solvi inde possint materna nomina, aut vero se in ea rei familiaris angustia constitutam esse, ut ex feudis illorumve reditibus petendi quid sibi jus sit; de cætero vero, cum reus ultro fateatur, se alimenta (de quibus in actis) ei hactenus solvisse, ac residui liquidationem tantum urgeat, juri æquitatique congruum arbitrantes, ut non eadem solum imposterum quoque præstet, sed & id quod ipsorum nomine ratione annorum præteritorum debet, quantocyus solvat; nostro tamen & Sacri Imperii jure per omnia salvo. Commissionis itaque causam totam supradictæ Serenissimæ Archiducissæ, Dilectionis V[ræ] Matri amantissimæ, ita quidem, ut in modo dicto alimentorum puncto ad liquidationem statim, atque executionem procederet, supra reliquis vero supranominatis prætensionibus partem utramque ulterius audiret, Nobisque desuper cum voto suo referret. Nec vero intermisimus Dilectionem Suam repetitis etiam litteris nostris ad dictam Commissionem exequendum admonere, cumque in puncto alimentorum quæstionem circa terminos a quo, & ad quem emergere intelligeremus, ultro ad hanc quoque Commissionem nostram extendere, & ex ultimis quidem Dilectionis Suæ litteris in hac causa 13. Novembris anni superioris 1670. datis, libenter intelleximus, negotium ad Senatum illum Mantuanum fuisse remissum, sed ut novissimæ fuerunt partis Actricis querelæ nullo hactenus effectu: Quam sicuti moram Nos mutationi regiminis, aliisque, quæ interea intercesserunt impedimentis, libenter adscribimus; ita cum haud æquum sit, ut in liquida ea ac privilegiata alimentorum præsertim causa, Actrix vidua Commissionis nostræ jam ad quadriennium ferme frustrata effectum diutius requirat, omnino faciendum duximus, ut Dilectionem Vestram in hoc novo quod status sui iniit, regimine Commissionis ejus inprimis commonefaceremus, clementer requirentes, ut ipsam nunc ipsa per se, subdelegatosve suos ex propinquo cum effectu ita subire atque exequi velit, ut partem inprimis utramque de hac delegatione denuo certiorem redditam, intra certum terminum, ad comparendum coram se Subdelegatisve suis, per se, vel Procuratores suos, sufficienti mandato, atque in meritis causæ instructos, juraque sua deducendum de novo citet: Ac iisdem ante omnia alimentorum Actrici ex sua ipsius persona debitorum liquidationem, tam quoad ipsam debiti substantiam, quam quoad terminos a quo, & ad quem, usque dicta alimenta Actrici præstanda fuerint, eaque facta, residui solutionem Reo (nulla de cætero cujuscunque compensationis reconventionisque exceptione admissa) sub certo finali termino injungat. Porroque si reus adhuc refragatus fuerit, deque plena facta paritione intra præfixum tempus legaliter non docuerit, pro dicti residui quantitate supplicantem, siquidem alia non suppetant media, ex mentionati feudi Castilionis fructibus tantum exsolvi curet, quantum sibi adhuc deberi liquido docuerit, prætereà super reliquis Actricis tam suo, quam hæreditario, Matris Sororisque suæ nomine prætensis juribus partem utramque ulterius audiat, Actaque, cum causam pro finali decisione sufficienter instructam esse duxerit, cum annexa informatione, ac Voto suo ad Aulam nostram Cæsaream transmittat: Ad ea quippe omnia aliaque huic Commissioni atque delegatæ Jurisdictioni connexa autoritatem & vices nostras Cæsareas Dilectioni Vestræ commissas intelligimus, & quantum opus, vigore præsentium de novo concessas volumus.

Quæ in iis ita rite exequendis, ac post tantum quod Actrici cum quatuor Orphanis viduæ jam cucurrit temporis dispendium, pro suo erga viduas Orphanosque pietatis studio etiam maturandis rem, sane justitiæ benignæ voluntati nostræ congruam, adeoque a Dilectione Vestra Nobis perquam gratam ac exspectatam fecerit. Quod reliquum est, eidem affectum Consobrini amantissimi confirmamus: Viennæ 22. Januarii 1672.

XVI.

Rescriptum Leopoldi, Romanorum Imperat. ad Comitem Vitalianum Borromæum, quo eum, ut Commissione sibi in puncto Feudi Castilionis delegata supersedeat, integramque expeditionem Viennam remittat, exhortatur, d. d. 29. Maij, An. 1673.

Leopoldus &c. Probe adhuc meministi, quid Commissionis tibi anno superiore 1670. super feudo Castilionis in eum casum delegaverimus, quo Illustris Princeps Castilionæus ex ea, qua tunc conflictabatur valetudine, haud eluctaretur, ea cum admonitione, ut dicta Commissione, literisque eidem adjectis, nisi ipso jam dictæ mortis casu haud utereris, quin imo si periculum cessaret, vel ipsæ etiam contentiones inter ipsum ac Sulpherini Principem amicabili interea compositione sopirentur, Tu expeditionem Nobis integram remitteres. Cum igitur lapso jam inde biennio, & ultradictum Principem illo valetudinis periculo sat defunctum confidamus. Et eodem contra hanc Commissionem nostram fortiter reluctante de eadem aliter Nobis disponere visum fuerit, Tibi de hoc hisce significandum duximus, quo & præmentionatam expeditionem Nobis remittas, atque ita ab illa Commissione Tibi supersedendum esse sciat: Certus cæteroqui, ad pergratum animi nostri sensum tuam in ea suscipienda promptitudinem pertinuisse. Quippe qui ea etiam de causa propensiore te gratia nostra Cæsarea complectimur. Datum Viennæ, 29. Maij. 1673.

XVII.

Leopoldi, Rom. Imp. literæ ad Principem Sulpherini data, quibus ei, ut ne, in mortis Principis Castilionæi serius citiusque casuræ eventum, contra feudum Castilionis, vel decedentis hæredes, aut dispositionem Commissionemve Cæsaream quidquam moliatur, interdixit, sed ab omnibus potius attentatis cum cura abstineat, eum admonuit d. d. 12. Dec. An. 1673.

Leopoldus &c. (Tit.) Cum varia subinde dubiaque Nobis de inconstanti Ill[ris] Ferdinandi de Gonzaga, Principis Castilionæi a Stiveriis, valetudine adferrentur, optavimus quidem semper & speramus

ramus adhuc, eam ipsam in seros annos aut eatenus saltem a Bonitate divina protractum iri, donec hærentes adhuc inter eandem ex una, Teque ex altera partibus contentiones in punctis meliorationum dotiumque ac aliarum prætensionum (quas ille hæredibus suis de ipso Castilionis feudo de jure detrahendas esse postulat) pro pacificatione non minus ipsarummet partium, quam subditorum etiam, ac totius vicinitatis tranquillitate, amica, vel juris etiam via complanentur. Nihilominus tamen cum ipsum & ætate interea ingravescere, & viribus paulatim deficere, ordinis ac necessitatis sit naturalis, atque ita humanitus ei facilius etiam aliquid obtingere possit; haud immaturum censuimus fore, si in eventum vias circumspiceremus, queis omnibus difficultatibus atque contentionibus, quæ in tali casu inter Te ac Castilionæos hæredes ratione possessionis dicti feudi recrudescere possent, in tempore prævertatur. Commisimus igitur (Tit.) Duci Massæ, ut, si dictus casus præter spem Nostram citius forte accideret, ipse feudum ac Arcem Castilionis, donec præmemoratæ prætensiones decisæ, vel sopitæ fuerint, nomine Nostro apprehendat, jurisdictionaliaque interim omnia & singula in eodem tamdiu exerceat, quousque aliter a Nobis desuper disponatur. Qua equidem Commissione Nostra turbis tantum, aliisque difficultatibus prævertendis intenta; sicuti tuis de cætero ad hocce feudum juribus nullatenus præjudicatum volumus; Ita quin te benignissimæ intentioni ac voluntati ei nostræ lubens volensque submittas atque accommodes, nulli dubitamus; serio proinde atque districte, subque gravissima indignatione Nostra Cæsarea tibi inhibentes atque vetantes, ne in talem mortis Principis Castilionæi serius citiusque casuræ eventum contra feudum ipsum, vel decedentis hæredes, aut prælibatam dispositionem Commissionemve nostram quidquam moliaris, sed ab omnibus attentatis abstineas, seduloque tibi temperes, donec super ipsa lite ratione prætensionum prætactarum pendente, quod juris fuerit ordinaverimus. Qui nihil in partibus officii nostri Imperatorii reliquum facturi sumus, ut ea quantocyus terminetur, ac suum subinde cuique ex justo & æquo tribuatur; cujus te certiorem reddendum hisce duximus: Quod reliquum est &c. Viennæ 12. Decembris 1673.

XIIX.

Sententia Leopoldi, Roman. Imperat. qua Cessiones bonorum & redituum communium a Civitate Castilionis Principi suo An. 1567. facta, & ab Imperatoribus, Maximiliano & Rudolpho secundis, approbatæ, denuo confirmantur, retrocessiones vero de An. 1593. & 1606. nullæ declarantur, d. d. 28. Januar. An. 1678. vid. infra Num. XXXII. Instrumento Conventionis d. d. 20. Aug. 1699. sub Lit. A. inserta.

XIX.

Juramentum fidelitatis per Homines Communitatis Castilionis Dn. Ferdinando Principi Castilionis præstitum, d. d. 18. Julii, An. 1680.

IN Christi nomine Amen. Anno ab ejusdem nativitate millesimo sexcentesimo octogesimo, Indictione tertia, die vero Mercurii decima nona mensis Junii, in Arce Civitatis Castilionis a Stiveriis Principatus infradicti Excellentissimi D. Principis D. N. &c. & in Anticamera Palatii S. E. siti, in dicta Arce præsentibus Illustri D. Jo. Baptista de Passarinis, J. U. D de Robereto, Auditore generale, & Prætore Castillionis prædicti, Perillustri D. Petro de Passinis à Secretis S. E. filio Perillustris D. Hieronymi de S. Martino Bozuli, & Perillustri D. Antonio Marano filio quondam Perillustris D. Sebastiani Notarii, viro in Aula S. E. omnibus testibus notis & rogatis. Constituti præsentes coram Excellentissimo D. D. Ferdinando Gonzaga, S. R. Imperii & Castilionis prædicti Principe, Marchione Mantuæ, & Medularum, Solpherini Domino, Grande Hispaniar. filio Serenissimæ Reipublicæ Venetæ &c. D. N. Clementissimo, & D. D. testibus suprascriptis, meque Notario infrascripto, homines Communitatis Civitatis Castilionis prædicti, ab ipsa Communitate electi & deputati ad infrascriptum fidelitatis Juramentum præstandum, attenta morte Excellentissimi D. Principis D. Caroli, Patris ejusdem Excellentissimi D. Principis D. Ferdinandi, cum facultate eisdem attributa ad præfata adimplenda, præsentes & agentes pro se, se &c. infradicti omnes exequentes dictam facultatem, & Commissionem sibi ipsis injunctam a præfata Communitate in manibus dicti Excellentissimi D. Principis D. Ferdinandi, sedentis super Cathedra in dicta Anticamera subtus Baldachinum posita, quilibet eorum elector. flexis genibus ad St. Dei Evangelia, tactis Sacris literis prompte &c. juraverunt, ut infra &c.

Che come veri originarii, e legitimi Sudditi in tutti li tempi saranno devoti, e fedeli vasalli, e prestaranno semper la dovuta obbedienza e sobjettione all'Excellentissimo Signore Principe D. Ferdinando sopradicto, e che non tractaranno, nè machinaranno, nè permetteranno che si tratti, ò machini cosa alcuna in pregiudicio pericolo, ò danno dello Stato, ò Persona di S. E. e suoi Eredi, e successori, anzi che se intenderanno simile cosa, con tutte le loro forze, l'impediranno e rivelaranno con ogni mig^r modo a S. E. ed in Somma faranno tutto quello, che in virtù delle Convenzioni ordini, e Statuti fatti con, e dagl'Eccellentissimi Signori Principi predecessori di S. E. di glor^a memoria sono tenuti, ed obligati, ed in partic^re che non riconosceranno altri Signori, nè ad altri si accostaranno, nè prestaranno giuramento di fedeltà, se non di primogenito in primogenito d'esso Eccellentissimo Signore Principe D. Ferdinando, e secondo la forma e natura di Primogenitura Promettendo, che in caso ch' alcuno volesse, sotto qualsivoglia pretesto, assalire, ed occupare il Dominio di sua E. ch'essi con tutte le loro Forze contrastaranno, e l'impediranno, e lo conservaranno, e caso che fossero Sforzati, e più non lo potessero difendere, ad esso per all'hora dichiaranno da niuno altro Giudico po-

poter essere giudicati se haveranno il loro debito sodisfatto, ò nò, eccetto che da detto Eccellentissimo Signore Prencipe, ò legitimi suoi eredi, e Successori Promettendo li detti Huomini, come promettono per se, suoi eredi, e Successori che in alcun tempo, sotto qualsivoglia causa, ò colore al sudetto giuramento di fedeltà, sobgiettione ed obbedienza, nè in fatti, nè in parole, nè con l' animo contraveranno, e che finalmente osservaranno tutte queste e quelle cose, che sono tenuti, ed obligati osservare li fedeli sudditi, e vasalli, e tutto questo sotto pena espressa di ribellione, ed altre pene nelle quali incorrono li violatori della fede perivii, ed infedeli sudditi, e vasalli promettendo per se, e suoi eredi, e Successori perpetuamente &c. obligando &c. renuntiando, con la loro certa scienza, remossa ogni fraude, ed inganno, ad ogni, e qualunque legge, e privileggio, statuti, evezioni, diffese, e beneficii, quali potessero in alcun tempo, esser di giuramento, e particularmente, per maggiore chiarezza à quella opinione d' alcuni, Dottori, che contra morti non si debba procedere, con ogni mignor modo &c.

Qui Excellentissimus Dominus Princeps D. Ferdinandus sedens, ut supra dictum, Juramentum acceptavit, & acceptat omni meliori modo &c.

Tenor Personarum electarum a Communitate Castilionis ad præstandum Juramentum suprascriptum sequitur &c.

A di 18. Giugno 1680.

Nota delle Persone che sono Stat' elette dalla Communità per prestare il giuramento di fedeltà in mano di S. E. il Signore Prencipe D. Ferdinando Gonzaga N. Clementissimo Signore.

Mto Illustri Signori Luigi Ferrario. } Consoli.
Dre Luigi Pirletti.

Mto Illustri SSri Deodato Ceratelli. } Ragionati.
Ferdinando Tedoldi.
Filippo Battistoni.

SSri Alfier Nazario Beschi.
Luigi Cattanio.
Antonio Tedoldi.
Paolo Moratti.
Gio. Maria Berti.
Antonio Bignotti.
SSri Alfier Giosеppe Cattanio.
Francesco Prendaglio.
Gio. Maria Bertoli.
Francesco Beschi qv. Gio.
SSri Giosеffo Tedoldi.
Lorenzo Zanone.
Antonio Bosio qv. Gio.
Giosеffo Boldrini.
Andrea Gandini Cancelliere.
Mto Illustre ed Eccellentissime Signore Jo. Nazario Pastorio.
Mto Illustre Ten. Gouore Paolo Marchetti.
Mto Illustre Signore Castellano Giulio Zecchi.
Mto Illustre Signore Caporo Giosеffo Nodari.
Mto Illustre Signore Caporo Francesco Gandini.
Mto Illustre Signore Caporo Luigi Bosio.
Mto Illustre Signore Ippolito Bornati.
Mto Illustre Signore Luiggi Marchetti.
SSri Gio. Battista Moreni.
Gio. Gandini.
Alfier Gio. Battista Micheli.
Vicenzo Desenzani.
Gio. Battista Nodari.
Luigi Bosio qv. Ferrante.
Gio. Battista Besco.
Luigi Ceratello.
Francesco Senigalia.
Giosеffo Bottuni & Antonio Bottuni qv. Gio.

Il med' Andrea Gandini Cancellarie.

De quibus omnibus &c. rogatus sum ego Gulielmus Corradinus, Notarius &c. ad laudem Sapientis.

XX.

Decretum Leopoldi Roman. Imperat. super petitionibus legitimæ, dotium, alimentorum, aliarumque diversarum prætensionum, inter Dn. Joannam Gonzagam Doriam, Ducissam Thursii, viduam Actricem, ex una, & Dominum Ferdinandum Gonzagam, quondam Principem Castilionis à Stiveriis, nunc ejusdem filias, tanquam cohæredes illius allodiales, reum reasve, ex altera parte, factis, d. d. 18. Februar. An. 1681.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus Noster Clementissimus, visis in Consilio suo Imperiali Aulico, & mature consideratis actis omnibus, quæ inter Dominam Joannam Gonzagam Doria, Ducissam Thursii, viduam Actricem ex una, & Dominum Ferdinandum, quondam Gonzagam Principem Castilionis a Stiveriis, nunc ejusdem filias, tanquam cohæredes illius allodiales, reum reasve ex altera partibus, super petitionibus legitimæ, dotium, alimentorum, aliarumque diversarum prætensionum, tam in eodem Consilio Imperiali Aulico, quam coram Commissione etiam Cæsarea, Serenissimo Duci Mantuæ delegata, hactenus producta atque actitata fuerunt; inprimis benignissime declarat; quod dictæ Dominæ Actrici, si in puncto legitimæ acquiescere necdum velit, actionem illam debitè prosequi liberum remanere debeat: Quod ad capitalem vero prætensam summam nonaginta septem millium quadringentarum quinquaginta septem librarum monetæ Mediolanensis, cum usuris earum attinet; pronunciat, reas conventas, tanquam hæredes supradicti quondam Principis Ferdinandi allodiales, juxta laudum quondam Domini Cardinalis Trivultii, ad ejus solutionem in tantum Actrici teneri, in quantum facta liquidatione & rationibus redditis, ratione hæreditatis quondam Principis Aloysiii, residuum esse constiterit: Eidem vero Actrici prætensa sua alimenta annua solummodo usque ad diem matrimonii debita fuisse, ita, ut, quod ultra eidem hoc nomine solutum

lutum est, reis conventis veniat restituendum. De cætero vero, quo & liquidatio prætensionum in certo quanto promoveatur; injungendum censuit parti utrique, ut Procuratores suos ad amicabilem super eodem quanto compositionem intra duorum mensium terminum ita instruant, ut, ea forte non succedente, sufficientibus etiam mandatis & informationibus, ad liquidationem judicialiter faciendam sint provisi. Prout eadem omnia & singula, altememorata Majestas Sua Cæsarea hisce respective declarat, edicit, decernit atque injungit. Pronunciatum in supramemorato Consilio Suo Imperiali Aulico, & signatum sigillo ejusdem Majestatis Suæ Cæsareæ Secreto. Lincii die decima octava mensis Februarii, Anno millesimo, sexcentesimo octogesimo primo.

Vt. LEOPOLDUS GUILIELMUS,
Comes in Kinigsegg.

(L.S.)

Christoph Beüer.

XXI.

Litera Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Ducem Massæ in puncto transactionis, ratione feudi Castilionis, nunc restitutionis Archivi, d. d. 21. Febr. Anno 1681.

LEOPOLDUS &c.

ILlustrissime, fidelis dilecte, vidimus ex litteris Dilectionis Tuæ 31. Julii anni proxime superioris, speciatim in puncto Archivi a cohæredibus Castilionensibus, Castilioneum integraliter restituendi datis, quid sedulæ operæ per Subdelegatum Suum Auditorem, Josephum Micheletti, impenderit, ut eadem restitutio, cum plena partium satisfactione effectui demandaretur; quæ tamen cum in certis quibusdam deficientibus instrumentis hærere, nec a Principe Castilionensi aliter quam iisdem productis acceptari vellet, dum e contra Sorores cohæredes juramento se offerrent, quod eadem Instrumenta deficientia originaliter suis in manibus, aut potestate non essent, hactenus in suspenso permaneat. Sicuti autem cum dicta Dilectionis Tuæ subdelegative sui relatione, tum iis etiam, quæ ab ipsis partibus eam in rém Nobis monstrata fuerunt, diligenter perpensis, ultimam hanc Archivi illius restitutionem, cum oblationibus Sororum Cohæredum factam, pro sufficienti omnino, ac proba reputamus; Ita ex æquitate menteque nostra faciet Dilectio Tua, si, dum eædem hæredes allodiales dictorum deficientium Instrumentorum copias in Authentica forma ediderint, juramentoque pariter oblato confirmaverint, ex scripturis deperditis penes se nihil superesse, Ipsa suspensum hactenus solutionis terminum, in quantum hanc Archivi restitutionem spectat (excepta duntaxat prætensione Ducissæ de Thursis) relaxaverit, prout omnino relaxandum censemus. Quæ autem singula, quem in modum, a sæpe fatis cohæredibus præstita, vel minus fuerint, Nobis ulterius a Dilectione Tua perscribi cupimus, Qui Eidem, quod reliquum est, Gratiæ Nostræ Cæsareæ affectum clementer confirmamus. Lincii 21 Febr. An 1681.

XXII.

Decretum Leopoldi, Rom. Imperatoris, in causa Castilionea controversa, quo, deductis ab utraque parte necessariis sumtibus, reliquas impensas ex æquo sustinendas esse, declarat, d. d. 3. Mart. An. 1681.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus noster clementissimus, visis in Consilio suo Imperiali Aulico & mature consideratis actis, quæ inter Dominum Principem Castilioneum, quondam Carolum Gonzagam ex una, & Domini Principis quondam etiam Castilionei Ferdinandi Gonzagæ de Stiveriis Filias cohæredes allodiales, ex altera partibus, quo ad *solutionem* sumptuum in Commissionem Cæsaream, illuc delegatam, expensorum producta, atque hinc inde ventilata fuerunt, benignissime decernit atque declarat, quod, deductis iis, quæ *primo* in apprehendendam per Commissarium subdelegatum feudi possessionem post obitum præfati Principis quondam Ferdinandi: *Secundo*, in præsidium militare arci Castilionensi impositum: *Tertio* in ordinarias & necessarias feudi expensas, utpote officialium ac famulorum salaria: ac *quarto* in filiarum cohæredum alimentationem, quousque in feudo substiterunt, facti fuere, sumptibus, reliquos in præfatam Commissionem Cæsaream impensos pars utraque ex æquo sustinere debeat. Pronunciatum in supradicto Consilio, & signatum in Cancellaria Imperialibus Aulicis. Lincii tertia mensis Martii, Anno millesimo, sexcentesimo octogesimo primo.

Vt. LEOPOLDUS GUILIELMUS,
Comes in Kinigsegg.

(L.S.)

Christoph. Beüer.

XXIII.

Leopoldi Romanorum Imperatoris litera, quibus Ferdinandum de Gonzaga, Principem Castilionis à Styveriis, Dominum Sulpherini, Castilionis, Medullarum & Sulpherini, feudis eorumque annexis investivit, ac Privilegia à Roman. Imperatoribus Familia de Gonzaga Castilionea indulta confirmavit, d. d. 26. Januar. An. 1682.

LEOPOLDUS &c.

REcognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; quod, cum Nobis Illustris noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Ferdinandus de Gonzaga, Princeps Castilionis a Stiveriis, Dominus Sulpherini, Consanguineus & Princeps noster charis-

chariſſimus demiſſe exponi curarit, Majores ſuos a Prædeceſſoribus noſtris Divis Imperatoribus & Regibus, præclariſſimæ memoriæ, de Marchionatu Caſtilionis a Stiveriis & de Caſtro Giuffredi cum omnibus ſuis pertinentiis inveſtitos, aliisque inſignibus privilegiis ornatos fuiſſe. Inde vero cum Illuſtris quondam Franciſcus Gonzaga, juſtis & rationabilibus de cauſis memoratum Caſtrum & terram Caſtri Giuffredi Illmo quondam Vincentio Gonzagæ, Duci Mantuæ & Montisferrati pro Caſtro & Terra Medullarum, Arce Sulpherini & nonnullis aliis bonis, pariter cum omnibus ſuis pertinentiis, permutationis titulo, ceſſiſſet; Auguſtæ memoriæ Imperatorem Rudolphum ſecundum, Dominum Propatruelem & Prædeceſſorem noſtrum colendiſſimum, non modo permutationi huic aſſenſum ſuum benigne præbuiſſe, verum etiam dictum Caſtrum & Terram Medullarum, Arcem Sulpherini, aliaque bona permutata a Ducatu Mantuæ ſegregaſſe, & eundem Caſtilionis Principem Franciſcum de iisdem inveſtiviſſe, eaque omnia Marchionatui Caſtilionis aggregaſſe, univiſſe atque incorporaſſe, & primogenituræ legi ſuppoſuiſſe: qui quidem Marchionatus una cum dictis aggregationibus, unionibus, atque incorporationibus a Divo quondam Imperatore Matthia, item Domino Propatruele & Prædeceſſore noſtro Colendiſſimo, Anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo in Illuſtrem Principatum cum eodem ordine primogenituræ aliisque privilegiis erectus, & oppidum Caſtilionis, Civitatis titulo ornatum, & in Sacri Romani Imperii civitatum numerum cooptatum & deſuper eidem poſtmodum inveſtitura conceſſa, de quo quidem Principatu Caſtilionis & Terra Medullarum cum ſuis pertinentiis, Propatruelis quondam ſuus, Ferdinandus, Princeps Caſtilionis a Stiveriis, a Nobis ad Imperii Sacri gubernacula evectis, quarta Auguſti, anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi noni, poſt illum vero Pater quondam ſuus Carolus Gonzaga, quondam Princeps Caſtilionis, die decima quinta menſis Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo a Nobis ultimo inveſtitus fuerit; quemadmodum hæc omnia ex infra ſcriptis inveſtituris, privilegiis, inſtrumentis, ſegregationibus, aggregationibus, incorporationibus, unionibus & confirmationibus latius videre liceat, quorum tenores ſequuntur in hæc verba:

Inſerantur priores inveſtituræ.

Ac proinde ſupradictus Princeps Ferdinandus de Gonzaga Nobis humillime ſupplicarit, ut, quandoquidem præfatus etiam Princeps Carolus, Pater ſuus, vigeſima prima Maji A. milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo e vivis deceſſerit, adeoque ipſe tanquam naturalis & legitimus ejuſdem filius primogenitus Majorennis & hæres dictorum feudorum, nec non Arcis Sulpherini, recepto a ſubditis illis fidelitatis juramento, poſſeſſionem apprehenderit, ac proinde a Nobis die vigeſima ſecunda Aprilis anni proxime præteriti milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi primi, poſt præſtitum Nobis ab ejuſdem Principis Procuratore Honorabili, docto, noſtro ſacrique Imperii fideli dilecto, Joanne Franciſco de Bernardi J. V. Doctore, & ad Aulam noſtram Cæſaream Agente, pleno & ſufficiente mandato deſuper inſtructo, debitum fidelitatis juramentum, de dicto tantum Caſtilionis & Medullarum feudo inveſtitus ſit; Nos etiam ſe de dicto Sulpherini feudo, poſtquam proceſſus ſuper ejus caducitate ipſum inter & Fiſcalem noſtrum Imperialem Aulicum hucusque ventilatus, nunc tandem finitus, atque ipſe ex gratia noſtra Cæſarea ad feudum admiſſus ſit, una cum ejus juribus & appertinentiis, utpote quorum non minus ac præfati Caſtilionis feudi ratione, Nos in ſupremum, immediatum ac directum Dominum ſuum, prout fidelem ac obedientem Principem Clientem ac Vaſallum decet, recognoſcere deſiderat, benigniſſime inveſtire, infeudationemque hanc una cum Caſtilionis & Medullarum inveſtituris, juxta formam veterem, in unum diploma conjungi & expediri clementer curaremus. Nos ſane benigne conſiderantes eximiam illam fidei atque obſervantiæ devotionem grataque obſequia, quibus Nos ac Divos Prædeceſſores noſtros Romanorum Imperatores ac Reges, Sacrumque Imperium & inclytam Domum noſtram Auſtriacam, non ipſe ſolum, verum etiam præfatus Parens ac Majores illius conſtanter coluerunt ac demereri ſtuduerunt, Nobisque perſuaſum habentes, dictum Ferdinandum de Gonzaga, Principem Caſtilionis tum inſigni progenitorum ſuorum exemplo, tum ipſa virtute duce, non facile quicquam in ſe deſiderari paſſurum eſſe, quod ad ſinceram conſtantemque ſuam erga Nos & Sacrum Romanum Imperium, Auguſtamque noſtram Auſtriæ domum, fidem ac bene merendi promptitudinem, quam præ ſe fert, fidelibus obſequiis magis magisque comprobandam pertinere videbitur, uti quidem facturum ſe offert, beneque facere poterit ac debebit, humillimis ejus precibus annuendum duximus, uti vigore præſentium annuimus. Quapropter ex certa ſcientia, animo bene deliberato, ſano accedente conſilio deque Cæſareæ poteſtatis noſtræ plenitudine, eidem præfato Illuſtri Principi Ferdinando Gonzagæ ejusque hæredibus maſculis, ab eodem legitime deſcendentibus, præinſerta privilegia, indulta, inveſtituras & conceſſiones per Nos Divosque Prædeceſſores noſtros Romanorum Imperatores & Reges factas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quorum quidem poſſeſſionem vel quaſi obtinet, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, articulis & ſententiis de verbo ad verbum, quorum omnium tenores pro hic inſertis haberi volumus, confirmavimus, approbavimus, laudavimus & innovavimus, adeoque vigore præſentium confirmamus, approbamus, laudamus & innovamus, eundemque Illuſtrem Ferdinandum Gonzagam Principem Caſtilionis a Stiveriis, non ſolum de dicto Illuſtri honorabili, libero, antiquo, franco & avito Principatu ac Civitate, ſed deinde etiam ex ſingulari quidem, ac ſpeciali gratia Noſtra Cæſarea de præfato Caſtro & feudo Sulpherini in diœceſi Brixienſi, una cum rochis, villis, campis, agris, vallibus, paſcuis, aquis, molendinis, ripis, venationibus, piſcationibus, jurisdictionibus, regalibus, prærogativis, honoribus, juribus, attinentiis & pertinentiis ſuis univerſis, cum omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio ac gladii poteſtate, de novo benigne clementerque inveſtimus, concedimus & damus pro ipſo, filiisque ejus legitimis maſculis primogenitis, ac primogenitorum primogenitis, in infinitum deſcendentibus, juxta

ta modum & ordinem in divi Domini Majoris Propatrui nostri, Maximiliani secundi Imper. gloriosæ memoriæ, suprascripto privilegio expressam, cum hac quoq; declaratione, quod dicti Primogeniti, vivente Patre, Marchiones Medullarum nuncupari possint & debeant, recepto tamen hodie prius & super hoc quoque Sulpherini feudo ab ejusdem Principis supradicto legitimo Mandatario, Doctore de Bernardi, homagii juramento. Volentes & decernentes, hanc nostram gratiam, concessionem, investituram, ac privilegiorum confirmationem perpetui roboris firmitatem obtinere debere, quibuscumque quomodocunque & qualitercunque in contrarium facientibus non obstantibus, quibus eadem scientia, animo & motu proprio deque potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine derogamus & derogatum esse volumus per præsentes; Nostris tamen & Sacri Romani Imperii ac quorumcunque aliorum juribus semper salvis; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, approbationis, laudationis, infeudationis, investituræ, innovationis, concessionis, ac privilegii paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam ac pœnam sexaginta marcarum auri puri, quarum dimidiam fisco nostro Imperiali, reliquam vero partem injuriam passi, aut passorum usibus decernimus applicandam, se noverit irremissibiliter incursurum. Harum testimonio literarum & sigilli nostri Cæsari appensione munitarum. Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die vigesima sexta Januarii, Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo.

XXIV.

Rescriptum Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Pirrum Mariam Carolum, Marchionem de Gonzaga, de auxilio a Sacri Rom. Imperii per Italiam Vasallis Germaniæ ferendo, exaratum, d. d. 6. April. An. 1683.

ILlustris Fidelis dilecte. Cum atroci nos bello infensissimus ex oriente barbarus hostis lacessat, & Christiano nomini excidium plane intentet, ablegamus Illustrem & generosum Nostrum Camerarium & Consiliarium Imperialem Aulicum, sacrique Imperii fidelem dilectum Georgium Adamum Comitem de Martiniz ad omnes & singulos nostros, & Sacri Romani Imperii per Italiam Vasallos, ut ingruentis Ecclesiæ, ac Reipublicæ universæ periculi magnitudinem monstrans, simul ac de auxilio ad communis defensionem salutis, ea celeritate, quam & rei & temporis angustiæ postulant, conferendo agat, quemadmodum ex adjunctis patentibus nostris apertius constabit. Siquidem vero & Tu Sacri Imperii (de cujus ut & religionis incolumitate certatur) beneficiis, honoribus, & prærogativis frueris, benigne te requirimus, ut iis, quæ nomine nostro a dicto Ablegato, vel ejusdem Subdelegato proponentur, non modo indubitatam præstare fidem, sed liberali promptitudine ita te exhibere velis, qualem reipublicæ necessitas, bellique ratio, tum clientelaris nexus exigunt, atque Nos de fide, devotione ac pietate tua, Nobis omnino pollicemur, qui id effectu gratiæ nostræ Cæsareæ in quamcunque occasionem benigne agnoscere cupimus. Datum in Civitate nostra Vienna, die sexta Aprilis Anno millesimo, sexcentesimo, octuagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungarici vigesimo octavo, Bohemici vero vigesimo septimo.

LEOPOLDUS.

Vt. Leopoldus Guilielmus
Comes in Kinigsegg.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium

Joannes Probst.

Sigilli Locus.

Foris.

Illustri nostro & Sacri Imperii principi, fideli dilecto Pirro Mariæ Carolo, Marchioni de Gonzaga ex Condominis Vescovati.

XXV.

Instrumentum Declarationis Dominarum Marchionissarum Bibianæ & Aloysiæ de Gonzaga circa juramentum coram Commissione Cæsarea subdelegata præstandum, d. d. 10. Junii Anno 1686.

IN causa vertente inter Illustrissimas & Excellentissimas D. D. Marchionissas D. Bibianam, Marchionissam Porletiæ, & D. Aloysiam, Sorores de Gonzaga, & Illustrissimum & Excellentissimum D. D. Ferdinandum Gonzagam, Principem Castilioni &c. coram Illustrissimo Domino Equite Vincentio Bondeno, Senatore Mantuæ, tanquam Subdelegato ab Illustrissimo & Excellentissimo D. D. Duce Massæ, Commissario Cæsareo, ex litteris hujusmodi Subdelegationis expeditis Massæ, vigesima quarta Martii instantis Anni 1686. quibus de mandato ejusdem D. Senatoris Subdelegati notificatis ex D. Doctore Alexandro Nonio, ut Procuratore dictarum Excellentissimarum D. D. Marchionissarum, Sororum de Gonzaga, ipse D. Doctor Nonius d. n. coram dicto Illustrissimo D. Senatore Cæsareo Subdelegato, die prima Aprilis anni citati præsentavit scripturam oblationis, & instantiæ, cujus copia, præviis literis monitorialibus, una cum dictis literis subdelegationis fuit notificata dicto Excellentissimo D. Principi Castilioni, ut ex E. S. responsivis die 6. Aprilis prædicti in dicta causa registratis, videri potest, cujusque scripturæ oblationis, & instantiæ tenor est, ut sequitur:

Notificata per Dominum Notarium Joseph Vacchelium infrascripto Procuratori Illustrissimarum & Excellentissimarum D. D. Bibianæ Marchionissæ Porletiæ, & D. D. Aloysiæ Marchionissæ Gonzagæ, filia-

Filiarum & Cohæredum quondam Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Ferdinandi, Castilioni Principis, subdelegatione, in Illustrissimum Dn. Senatorem Vincentium Bondenum, facta per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Ducem Massæ, Imperialem Commissarium, nec non & de mandato dicti Domini Senatoris, certiorato, dicto, infrascripto Procuratore de supremis jussionibus Sacræ Cæsareæ Majestatis nuper emanatis, in puncto Archivii Castilionensis, & de ordinibus nuper habitis per eundum Dominum Senatorem à præfato Excellentissimo Domino Duce Commissario; Hinc ideo idem infrascriptus earundem D. D. Marchionissarum Sororum Procurator easdem exhibet promptas, atque omnino paratas, earumque pariter D. D. Marchiones respective Maritos, prout semper tales se præbuere, obtemperare clementissimis Cæsareis decretis, imo insuper instat per dictum Illustrissimum Dominum Subdelegatum, statui diem, & horam certam, quo, & qua memoratæ D. D. Marchionissæ assumere habeant, vel per se, vel per Procuratorem ad hoc legitime specialiter deputatum, Juramentum jam oblatum, & per Sacram Cæsaream Majestatem modo approbatum & demandatum, ita, quod tamen per dictum Dominum Subdelegatum prius præmoneatur Illustrissimus & Excellentissimus Dominus modernus, Castilioni Princeps, non solum ad hoc, ut pro dicta die, & hora statuendis, præsens esse possit, vel per se, vel per legitimum Procuratorem, assumptioni dicti juramenti, sed etiam ad effectum, ut legitimum Mandatarium deputet ad acceptandam Archivii consignationem, qua exacta inde eædem D. D. Marchionissæ Archivum Castilionem duci curabunt ad præscripta in Cæsareis decretis, propriis sumptibus, pro quarum tamen, & omnium aliorum factorum & faciendorum repetitione, tanquam minus debitorum & adversantis culpa factorum, nec non pro omnibus damnis, & interesse, salva Jura quæcunque protestantur &c. prout ita &c. omni &c. salvo &c.

Nonius &c.

In quorum &c.

Ego Joseph, Filius quondam Domini Simonis de Vacchellis civis, publicusque Imperiali autoritate Mantuæ Collegiatus Notarius, de præmissis, licet alieno, mihi tamen fido caractere conscriptis, tanquam Notarius deputatus rogatus fui, & in fidem hic me solito, quo utor, Tabellariatus signo subscripsi &c. sub die decima Junii 1686. Indictione nona &c.

Nos Præses, & Magistratus Ducatus Mantuæ.

Cunctis fidem facimus & attestamur, suprascriptum egregium D. Joseph Vacchellium, Notarium, de præmissis rogatum, esse publicum, legalem, authenticum fideque dignum Notarium, scripturisque per eum, ut videtur, confectis, authenticatis, in similique modo redactis semper hic adhibitam fuisse, in diemque magis in Judicio, & extra adhiberi, meritoque ubique locorum, fore fidem adhiberi &c. In quorum

Datum Mantuæ ex Palatio nostræ solitæ Residentiæ, hac die 11. Julii 1686.

Camillus Scardoculeus, Notarius, & in hac parte de mandato Cancellarius &c.

XXVI.

Leopoldi, Roman. Imperatoris Rescriptum, in quo Pirro Mariæ Carolo, Marchioni de Gonzaga, in mandatis datur, ut quemadmodum reliqui Sacri Romani Imperii, per Italiam Vasalli non detrectant, ita & ipse subsidia ad militis Cæsarei in Italia commorantis, sustentationem necessaria suppeditare non recuset, d. d. 10. Sept. Anno 1690.

Leopoldus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c.

Illustris, fidelis dilecte. Suscitati nuperrime a Gallis in Italia motus, uti Nos ad mittendam, illuc insignem copiarum nostrarum partem permoverunt, ita etiam in causa sunt, ut ad omnes & singulos Sacri Romani Imperii Principes & Vasallos, Illustrem & generosum Consiliarium Nostrum bellicum, Camerarium, rei tormentariæ Castrensis generalem Colonellum, & supremum Præsidii militaris in Civitate nostra Viennensi excubiarum præfectum, sacrique Imperii fidelem dilectum Ferdinandum, Marchionem de Obizzi, actarum cum iisdem de subsidio, in sustentationem militis Nostri impendendo, ablegemus, nulli dubitantes, quin, qui Romani Imperii beneficiis, juribus & protectione fruuntur, eidem etiam necessitatis publicæ ratione ita exigente, pro nexus clientelaris debito, opportuno auxilio libenter adfuturi sint. Cum igitur inter dictos Imperii Vasallos Tu singulari dignitate, honore ac beneficiis emineas, memorato nostro Ablegato benigne mandavimus, ut Tecum eo etiam nomine agat, & quæ in commissis habet, tibi prolixius exponat. Quo igitur plena fide audito, & Tu pro comperto fidei & devotionis tuæ studio promptitudinem & facilitatem omnem benignæ fiduciæ & exspectationi nostræ congruam re ipsa ostendas, Te clementer hortamur & requirimus, Tibique gratiæ nostræ affectum propense confirmamus. Datum in Civitate nostra Viennæ, die decima mensis Septembris, Anno millesimo, sexcentesimo, nonagesimo, Regnorum nostrorum Romani trigesimo tertio, Hungarici trigesimo sexto, Bohemici vero trigesimo quarto.

LEOPOLDUS.

Vt. Sebastianus Wunibaldus, Comes à Zeil.

Ad Mandatum Sac. Cæsar. Maj. proprium.

Lutzo Dolberg, mp.

Sigilli Locus.

XXVII.

XXVII.

Decretum Leopoldi, Roman. Imperatoris, ratione Bonorum à Communitate Castilionis, Principi Ferranti de Castilione Anno 1567. cessorum, d. d. 22. Januar. Anno 1692. vid. infra No. XXXIII. Instrumento Conventionis, d. d. 20. Aug. Anno 1699. sub lit. A. insertum.

XXVIII.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Monitorium ad Ferdinandum II. Principem Castilionensem, ut, lite, coram Judicio Imperiali Aulico inter ipsum ejusque subditos, pendente, a via facti omnibusque attentatis abstineat, d. d. 22. Jan. Anno 1692.

LEOPOLDUS &c.

Illustris Consanguinee, & Princeps charissime. Novam Nobis solicitudinem & molestiam attulit exortus in Feudo Nostro Imperiali Castilionensi tumultus, quodque controversia, quæ inter Dilectionem Tuam, & subditos coram Consilio nostro Imperiali Aulico, jamjam decidenda erat, non expectato ejus fine, ad arma, homicidia, & deprædationes proruperit. Unde, postquam intellecta causæ hujus relatione, conclusimus petitam a Dilectione Tua restitutionem in integrum contra Conventionem quondam Principis Ferrantis de Anno 1567. & desuper subsecuta Cæsarea Decreta de Annis 1596. 1678. & 1689. locum non habere; Nos simul etiam Dilectioni Tuæ, quod motus prædictos concernit, rejectis ejusdem exceptionibus, hisce serio & clementer duximus injungendum, ut emanatis Rescriptis Nostris Imperatoriis, non solum per oblationes verbales, prout inexcusabili contumacia hactenus factum (unde postea propria Dilectionis Tuæ culpa & demandata deprædatione plurimarum domuum ad subditos pertinentium, majores hi tumultus & excessus exorti) sed realiter & effective pareat, & impositiones vel plane novas, vel noviter auctas casset & aboleat, atque de paritione apud Commissionem Nostram Imperialem sine ulla mora, nec non apud Nos, sive prædictum Consilium nostrum Imperiale Aulicum, intra terminum duorum mensium ab harum intuitu proximorum, doceat, quatenus pœnam sequestrationis feudi & arctiorum processuum evitare voluerit. Nos de reliquo Dilectioni Tuæ gratiæ ac benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectum conservamus.

Datum in Civitate nostra Viennæ die 22. Januarii 1692.

LEOPOLDUS.

XXIX.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Rescriptum ad Carolum, Comitem Borromeum, quo eum de rebus in causa, tam criminali, quam civili inter Principem Castilionensem, ejusque subditos, vertente, in posterum faciendis instruxit, d. d. 6. Novembr. An. 1693.

Leopoldus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, &c.

Illustris & Magnifice, fidelis nobis dilecte; Litteras tuas, vigesima secunda Aprilis, decima sexta, vigesima septima, & vigesima prima Maji, nec non tertia Junii, decima quinta Julii, quinta, decima nona, & trigesima Septembris, ut & vigesima quarta Octobris nuper elapsorum, in causa Castilionensi datas, una cum actis, & voto tuo super puncto Criminali clementer recepimus; indeque singularem tuam rerum agendarum dexteritatem, imprimis autem indefessum Castilionensium dissidiorum dirimendorum studium libenter intelleximus. Controversias itaque partis utriusque præcipuas quod concernit, ex annexo Decreto pluribus intelliges, quemadmodum Subditos Castilionenses, rejecta frivola eorum adversus te suspicione, improbata eorum inobedientia & contumacia, ad te remiserimus, ac obedienter respectum, tibi, & jussis tuis deinceps præstandi monuerimus. Quod equidem illis, ut eidem se probe submittant, omniaque secundum ordinem commode tractari ac promoveri queant, ut primum insinuandum curabis, ac porro mandatis ac ordinationibus tuis prioribus insistes, præstitamque paritionem injunges, in quemcunque autem renitentiæ casum ulterius refractantes, vi compellere noveris, prout, cum in finem, ordinationem ad Generalem nostrum Comitem de Caprara annectimus, ut omnia, dum opus fuerit, manu forti, effectui mandare possis, quæ prioribus Rescriptis suis Cæsareis injunximus, ac alias necessitas postulaverit.

Ad criminalem vero causam notum in ea tuum quod attinet studium, ad illud in omnibus fere punctis eo dirigat, quod deinceps super querelis subditorum, & sumptis desuper insinuationibus audiri debeat. Multum ad maturationem finalis decisionis conferre potuisset, si statim Principi omnia communicata, auditisque sufficienter partibus, & facta utrinque conclusione, Acta transmissa fuissent. Cum vero Jussa Nostra Cæsarea etiam hoc in puncto expectare malueris, benigne tibi committimus, ut dictas partes, qua Principem, qua Subditos, facta utrinque communicatione, sufficienter adhuc audias, & tum Acta integra separatim in utroque puncto, criminali & civili, cum voto tuo, transmittas, ac insuper novis homicidiis recenter patratis, accurate inquiras; Reos deprehensos carceribus mancipes, processum instruas, & cum voto tuo referas. Imposterum vero omnia ejusmodi facinora, & homicidia, omnibus, quibus potes, modis præcaveas & avertas, neque minus in iis, in quibus votum Subdelegati tui & examen ad Judicem ordinarium remittendum esse putavisti: salva Principis jurisdictione, & pro avertenda solum omni exceptione, ipsemet

examen perficias. In puncto autem Monetæ reprobæ, a Principe, ut fertur, fabricatæ, unum, alterumve ex nummis aureis, & argenteis, cum probationibus, si jam tum factæ sint, transmittas, & informes, an Ducatus commode ad valorem Brixiensem, & Venetum reduci possit. Deinde Rescriptum nostrum, decima Decembris anno proxime superiore, de tertia parte militiæ Cæsareæ solvenda, datum, nullum alium scias habere sensum, quam ut Princeps tertiam illis militibus solvat, qui in Arce, pro conservatione feudi & quietis publicæ positi sunt, quasi Princeps, ut ipse quidem allegat, exsolvit, subditos adigas, ut illum in perceptione bonorum & omnium aliorum redituum, tam Allodialium, quam feudalium, quiete sinant, nec ullatenus impediant.

Cæterum, cum credibile quoque satis sit, subditos a Mandatariis, & Sollicitantibus suis hic commorantibus, nimirum Stanislao Brixiano, Francisco Notario, & Julio Cæsareo Zappaleo, Sacerdotibus, contra Commissionem nostram & Principem suum animari, eos hinc abire jussimus, neque minus Episcopum nostrum Viennensem benigne requisivimus, ut, interdicto illis Sanctissimæ missæ sacrificio, eos domum remittat. Cumque non dubitemus, quin Episcopi Brixiensis Jurisdictioni sint subjecti, Rescriptum cum copia annectimus, ut eidem consignes, vel, si ad alterius Episcopi Jurisdictionem pertinerent, cum illo agas, ut ille ipsos avocet. De reliquo tibi gratiam nostram Cæsaream confirmamus; datum in Civitate nostra Viennæ, die sexta Novembris, anno millesimo, sexcentesimo nonagesimo tertio, Regnorum nostrorum, Romani trigesimo sexto, Hungarici trigesimo nono, Boemici vero trigesimo octavo.

Signatum LEOPOLDUS &c.

Vidit Leopoldus Guilielmus, Comes in Kinigsec.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

Subscriptum.

Franciscus Winandus de Bertram.

à tergo.

Illustri, & Magnifico fideli Nobis dilecto, Carolo, Comiti Borromeo, aurei Velleris Equiti.

Cum Sigillo.

XXX.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Salvus Conductus Auditori suo Generali & Judici Ordin. Principatus Castilionensis, Francisco Santino, ad Ferdinandum, Principem Castilionensem datus, d. d. 19. Octobr. An. 1694.

LEOPOLDUS &c. (Tit.)

NObis Auditor Noster Generalis & Judex Ordinarius Principatus ac feudi nostri Imperialis Castilionensis, & Sacri Imperii fidelis Dilectus, Franciscus Santinus, supplex exposuit, a Dilectione Tua non minus, ac a Comite Carolo Borromæo, se in sinistram trahi suspicionem acti, ratione Commissionis Cæsareæ dicto Comiti, circa subditorum Castilionensium, reliquorumque controversias demandatæ, quicquam, in Dilectionis Tuæ, dictive Commissarii nostri præjudicium, cum in Aula Conciliove Nostro Imperiali Aulico, tentasset, aut in Subditorum Castilionensium partes ivisset: submisse precando, ut, cum Nobis imputationis hujus error ex iis, quæ tum Nobis coram explicuerit, tum in Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibuerit, satis constet, innocentiæ suæ testimonio salvoque conductu, se benignissime concomitaremur:

Quemadmodum igitur jam tum sub 28. Septemb. nuper elapsi, dictum Commissarium Nostrum memoratum Santinum non nisi residui salarii solutionem ursisse, adeoque animadversione indignum, inque officii sui munere quiete relinquendum esse, benignissime rescripsimus, ita & Dilectioni Tuæ id ipsum hisce significatum, imo & hoc pro rei veritate additum volumus, ipsum præterea, etiam ubi occasio tulit, debito semper cum respectu de Dilectionis Tuæ dictique Comitis Personis, ac indefessa hujus opera, & sedulitate, talia passim disseruisse, quæ non nisi mentem ingenuam, candidam, atque ab omni partium studio alienam, quin potius Dilectioni Tuæ præprimis affectam testarentur.

Unde licet non dubitemus, quin Dilectio Tua suspiciones illas suapte sponte facile sit depositura, nihilominus in omnem umbræ apprehensionisve ulterioris eventum serio districteque Dilectioni Tuæ vetandum censuimus, ne quicquam in eum committat, nec illum, donec Memorialis per Agentem suum de Gisgone octava hujus exhibiti, narrata probaverit, desuperque resolutio nostra Cæsarea subsecuta fuerit, vel in officio, vel in persona ullo modo molestet, turbetur, sed si quid contra eundem habeat, id coram Nobis proponat, executura benignissimam mentem, ac jussionem Nostram Cæsaream; Qui quod reliquum est Dilectioni Tuæ gratiæ, ac benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectum conservamus: Datum Viennæ die 19. Octobris Anno 1694.

XXXI.

Rescriptum Leopoldi, Rom. Imperatoris, ad Comitem Carolum Borromæum, quo eum hortatur, ut Communitati atque subditis Castilionensibus, militi Cæsareo se opponentibus, annexum Decretum publicandum curet, eosdemque, ut jussis morem gerere Cæsareis non recusent, compellat, d. d. 11. Novembr. An. 1695.

Leopoldus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

ILlustris & Magnifice, fidelis Nobis dilecte, ingratum nobis intellectu fuit, in eam tandem Communitatem & subditos Castilionenses excrevisse audaciam; ut non modo tuis velut Commissarii nostri Cæsarei jussibus, & Decretis identidem obstrepuerint, sed etiam Centurionem nostrum Valvasonum,

in

in Augusto nuper elapso cum ducentis peditibus illic amandatum, mille armati, tum occidendo, tum feriendo exceperint, ac in arcem repulerint, viamque victualia adducendi occluserint, & quanquam a nostro ad Serenissimum Mantuæ Ducem Ablegato, Comite Castelbarco, ad arma deponenda persuasi fuerint, ita tamen adhuc animati sint, ut severius adversus illos procedendum existimemus.

Quantumvis igitur non abnuamus, graviorem illos promereri animadversionem, propterea tamen, qua populum hunc adeo exacerbatum paulatim seriusque reducendi tenemur sollicitudine, satius esse duximus, ut hac eorum temeritate severe improbata, illos ad militem nostrum deinceps illic libentius tolerandum, decretaque nostra obsequiosius recipienda, serio adhortaremur, avocatoque Valvasono alium substitui curaremus. Clementer itaque jubemus, ut Decretum hic annexum illis consignari facias, subque omnium bonorum ac Privilegiorum jactura, vitæque amittendæ pœna, illos severissime moneas, ut ab attentatis deinceps omnino desistant, tuisque, velut Commissarii Nostri, jussis obsequiose pareant, militemque Nostrum, more bellico, arma gestare patienter ferant.

Cæterum, tametsi causam hanc tibi soli inquirendam commissam velimus, rem tamen facies tum Nobis gratam, tum pro differentiarum gravitate non inutilem, dum cum dicto Comite Castelbario de opportunis providendi mediis modisque per litteras subinde egeris, Nosque de rerum successu certiores reddideris, imprimis ut primum significaveris, qualem dicto Decreto jussuique Cæsareo detulerint respectum, ut porro, quid ulterius faciendum fuerit, ex æquo ponderemus. Cui, quod reliquum est, tibi gratiam nostram Cæsaream confirmamus. Datum in Civitate nostra Viennæ, die 11. Novembris 1695. Regnorum Nostrorum Romani trigesimo octavo, Hungarici quadragesimo primo, Bohemici vero quadragesimo.

LEOPOLDUS.

Amadeus, Comes de Windisgräz.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium

Franciscus Winandus de Bertram.

XXXII.

Decretum Leopoldi, Rom. Imperat. quo Communitati & Subditis Castilionensibus audaciam ipsorum exprobrat, eisque, sub omnium bonorum & Privilegiorum, nec non vitæ amissionis pœna, illimitatam jussis suis præstare obedientiam, severe imperat, d. d. 11. Novembr. Anno 1695.

SAcra CæsareaMajestas, Dominus NosterClementissimus, non sine gravi animi sensu, intellexit, eo tandem Communitatem & subditos Castilionenses evasisse audaciæ, ut Capitaneum Cæsareum Valvasonium, dum ex Generalis Bellici, Domini Eugenii, Sabaudiæ Principis, mandato Castilione ad violentias forte orituras, opportune sopiendas, aliosque usus pro rei necessitate appulisset, non modo eum admittere noluerint, sed etiam, postquam ille per aliam portam cum suis ingressus esset, mille circiter viri coadunati, manu armata, pulsatisque campanis, concurrentes illi restiterint, & unum quidem peditem occiderint, aliquos vero vulneraverint, immo, postquam ille se cum suis ad Arcem Castilionensem recepisset, aditum, omnemque Annonæ ad vitam sustentandam adducendæ viam procluserint, & non nisi a Domino Comite Castelbarco, ad Serenissimum Mantuæ Ducem ablegato, persuasi, tandem aliquo modo cesserint; Quæ vero, cum tam enormis sit pertinacia, ut nullo modo ferri queat, sed potius graviores pœnas mereatur; Altissima dicta Sua Sacr. Cæs. Majestas eisdem Castilionensibus ausum hunc suum temerarium gravissima cum indignatione sua exprobrandum; prætereaque districtissime, & quidem, sub omnium bonorum & privilegiorum, vitæque ipsius pœna, mandandum innuit, ut ab ejusmodi attentatis deinceps omnino abstineant, dictumque militem Imperialem, cum armis necessariis more bellico illic versari permittant, & Suæ Sac. Cæs. Majestatis dictique Commissarii Cæsarei mandatis, usque ad plenariam causæ decisionem, illimitatam præstent obedientiam, nisi prædictas pœnas certo, ac sine omni spe veniæ, incurrere voluerint; vigore Decreti hujus Sigillo secreto Cæsareo muniti, quod dabatur Viennæ die undecima Novembris Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto.

Amadeus Comes de Windisgräz.

Cum Sigillo.

Franciscus Winandus de Bertram.

XXXIII.

Decretum Leopoldi, Roman. Imperatoris ad Communitatem & subditos Castilionenses, ejusdem cum antea inserto tenoris, d. d. 25. Maij, An. 1697.

SAcra Cæsarea Majest. Dominus noster Clementissimus, non sine gravissima indignatione denuo intellexit, quemadmodum subditi Castilionenses, insuper habitis omnibus reiteratis Decretis & Mandatis Cæsareis, suam semper contumaciam & inobedientiam refractarie continuent, atque militiæ Hispanicæ ex mandato altissime dictæ Suæ Majestatis Cæsareæ illuc introductæ, omnia sustentationis media pervicaciter denegent, nullamque Principi suo obedientiam præstare velint, quin imo vitæ ipsius & Fratris Francisci insidias struant, atque omnia in ruinam Principis, & totius familiæ impie machinentur, atque hinc eisdem subditis rursus virtute hujus Decreti Cæsarei districte, & ultimato, sub pœna capitis, bonorum fortunarumque omnium, nec non amissione Privilegiorum serio demandat, & injungit,

git, ut Cæsareis reiteratis Mandatis, ut & Commissionis Cæsareæ, D. Comiti Carolo Borromæo injunctæ ordinationibus plane pareant, dictæque militiæ Hispanicæ ea sustentationis media sine omni renitentia, donec per Majestatem Suam ulterius ordinatum sit, præbeant, quæ militiæ Cæsareæ antehac exhibuerunt, atque in iis omnibus contumaciam porro nullam demonstrent, certi, quod alias sufficienti militum manu ad obedientiam redigendi, & exemplariter puniendi sint; quem etiam in finem Sacra Majestas Cæsarea jam tum Mandata, & ordinationes suas pro reali executione expediri jussit, atque, ut controversiæ, quæ ipsis cum Principe suo intercedit, tandem plene terminari & decidi possint, prædicti subditi, vigore hujus tertiæ jussionis Cæsareæ, omnes suas rationes Domino Commissario Cæsareo, sine tumultu, exhibebunt, & causæ decisionem quiete expectabunt. Decretum in Consilio Imperiali Aulico, signatumque sub sigillo sæpius Altissime dictæ Sacræ Cæsareæ Majestatis secreto, Viennæ 25. Maji, Anno 1697.

XXXIV.

Conventio inter Dominum Ferdinandum II. de Gonzagis, Sacri Romani Imperii Principem Castilionis, & Communitatem ac Homines Civitatis Castilionis à Stiveriis, qua prætensionibus utriusque partis satisfactum, inita, d. d. 28. Aug. An. 1699.

IN Christi Nomine Amen! Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono, Indictione septima, die vero Jovis vigesima mensis Augusti, in civitate Castilionis à Stiveriis, tempore Invictissimi Dn. Dn. Leopoldi de Austria, Divina ei favente Clementia Romanorum Regis, Imperatoris Electi, semper Augusti, Principatus Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Principis, D. Ferdinandi secundi Gonzagæ, Domini nostri Colendissimi, & in Sala Palatii Perillustrissimorum D. D. Aloysii & ejus Nepotum de Ferrariis, sita in Contrata Plateæ Columnæ, præsentibus Reverendissimo D. D. Joanne Baptista de Coradinis, J. C. Protonotario Apostolico, Vicario Foraneo, & Archipresbytero Castilionis prædicti, Illustrissimo D. D. Alexandro Litta Mediolanense, Illustrissimo D. D. Bartholomæo Carbonara ex Confeudatariis Loci Redelliani, militum Tribuno pro S. Sacra Catholica Majestate, & Gubernatore Aronæ, Illustrissimo Domino Capitaneo, Domino Francisco de Rubeis, filio quondam Illustrissimi Domini Thiberii pariter Mediolanense, & Illustrissimo Domino J. C. Alexandro Romusio, Auditore Generali Castilionis prædicti, Testibus notis &c. rogatis &c. afferentibus &c.

Cum sit, quod per mortem Excellentissimi olim D. Principis, Domini Ferdinandi Primi de Gonzagis, recolendæ memoriæ, absque filiis masculis secutam, de Anno 1675. facta apertione successionis in Feudum Castilionis à Stiveriis, & Terræ Medullarum Excellentissimo olim D. D. Principi D. Carolo pariter de Gonzagis, felicis recordationis, Domino Solpherini, Communitas Civitatis Castilionis à Stiveriis ejusdem supplicaverit humillime Sacram Cæsaream Majestatem, Dominum nostrum Clementissimum, ut benigne discerneret, quod Communitas ipsa antiquis suis prærogativis, exemptionibus, & libertatibus ei concessis ab Excellentissimo quondam Domino Marchione Ferrante Gonzaga, Instrumento Anni 1567. 25. Augusti, rogato à Domino quondam Antonio Belhomo Notario, imperturbate sub novo Domino gaudere posset; cumque prævia declaratione olim Excellentissimi Domini Principis Caroli, in scripturis facta, coram Imperiali Aulico Consilio, modis, formis & conditionibus, de quibus in ea subscripta manu propria ipsius Domini Principis Caroli, usque sub die vigesima sexta Decembris 1677. Sua Sacra Cæsarea Majestas declaraverit, sub die vigesima octava Januarii 1678. medio ejus Clementissimi Rescripti, prout infra videtur.

Sacræ Cæsareæ Majestati, Domino nostro Clementissimo, humillime relata fuerunt, quæ homines Communitatis Civitatis Castilionis pro declamatione Cæsarea super Instrumentis retrodonationum seu retrocessionum, sibi à quondam Domino Francisco de Gonzaga, Marchione Castilionis, de nonnullis bonis à prædicta Communitate Principi quondam Ferranti antea donatis, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio factarum, & (subsecuta ejus cassatione Cæsarea non attenta) Anno deinde millesimo sexcentesimo sexto reassumptarum, ad hunc finem in Consilio Imperiali Aulico humillime supplicaverunt, ut in quemcunque eventum, vel eadem bona recuperare, vel à moderno Feudi Castilionis Domino Carolo, Illustr. Principe Gonzaga, confirmationem eorum Privilegiorum & immunitatum consequi possint, quæ erga supradictam cessionem, seu donationem Principi quondam Ferranti factam, obtinuerunt, quibus uti & mente insuper prædicti Illustrissimi Domini Caroli, Principis Gonzagæ, super petitione hac, perceptis, omnibusque & singulis benigne ac mature consideratis ac perpensis, altememorata Majestas Sua Cæsarea, veteri illi decreto vigesima septima, Decembris Anni adhuc millesimi, quingentesimi nonagesimi sexti emanato, quo memoratorum bonorum retrocessio cassabatur, inhærendo, sicque anteriorem cessionem illam bonorum, Anno 1567. 25. Augusti celebratam, atque à D. D. Imperatoribus Maximiliano, & Rudolpho Secundis approbatam, denuo confirmandam: Retrocessiones vero Anno 1593. & 1606. factas pro nullis, & invalidis habendas esse censuit; quibus sic positis, per sese æquum fuerit, ac conveniens, ut a prælibato D. D. Principe Carolo Communitati, & Civitati Castilionis Privilegia vicissim, & Immunitates supramentionatæ, cum annexis juxta tenorem & formam ejusdem cessionis & conventionis, Anno 1567. confirmentur, prout & adeo omnia & singula altissime memorata Majestas Sua Cæsarea in hunc sensum benigne decernit & declarat, hujus Decreti vi signatum in Cancellaria Sua Imperiali Aulica, sub sigillo ejusdem secreto.

Viennæ die 28. mensis Jan. An. Domini 1678.

Vt. LEOPOLDUS GUILIELMUS,
Comes in Köniksegg.

Christophorus Bertram &c.

Cum-

Cumque sub die quinta mensis Julii, 1678. eadem Sacra Cæsarea Majestas, inhærendo prioribus in hac causa decisionibus, Commissionem suam delegaverit in Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Principem & Episcopum Tridentinum de Albertis, tenoris sequentis, videlicet:

LEOPOLDUS &c.

B. *Venerabilis Princeps, devote, Nobis dilecte.* Ex appositis hic libellorum supplicum, & scripturarum Nobis ab hominibus Communitatis & Civitatis Castilionis, Feudi illius Imperialis subditis, humillime exhibitarum copiis pluribus percipiet Devotio Tua, quæ bona à dicta Communitate suis Dominis, Castilionis Principibus, erga privilegia quædam, & immunitates donata, & subinde retrodonata, ab ipsis vero Dominis subinde etiam erga eorundem Privilegiorum & immunitatum retractationem iisdem subditis retrocessa fuerint; ipsis interim bonis ita paulatim in alios aliosque possessores diffluentibus, ut hinc subditi se bonis simul, & Privilegiis privatos sentirent; Principes vero, etiam illis ita deficientibus, ad stipulata Privilegia, & immunitates ipsis subditis haud teneri vellent. Quem in modum, ad humillimam dictorum subditorum supplicationem, ac factam desuper moderni vasalli declarationem, hic quoque junctam, in Consilio nostro Imperiali Aulico prioribus in hac causa decisionibus inhærendo, iterum nuper decreverimus, ut donatio prima pro valida haberetur, sicque Privilegia vicissim & immunitates mentionatæ, ad formam conventionis desuper Anno adhuc 1567. factæ, ipsi Communitati, & subditis confirmarentur, simulque vero jusserimus, ut, cum bona illa hinc inde distracta in unum se colligere iterum ad hunc effectum oporteret, ut Principi Carolo de Gonzaga, moderno Feudi illius possessori, erga dictum Privilegium confirmatum possent extradi, sæpius dicti subditi Nobis insinuarent, tum quæ bona alienata consumptaque, atque distracta, tum & qui moderni eorundem possessores essent. Cum igitur hanc ipsam insinuationem novissime in ulteriori Nobis exhibito libello supplici fecerint, simulque, ut in præmentionatum effectum Commissionem nostram Cæsaream Clementissime delegare vellemus, iterum supplicaverint: justæ & æquæ eorum petitioni hac in parte eo magis deferendum censuimus, quod Feudi etiam nostri Imperialis rationes in ea vertentur, ac proinde de Devotionis Tuæ cognito præclaro addictæ erga Nos devotionis & obsequendi studio confisi, eidem præ omnibus Provinciam hanc delegandam committendamque duximus, prout per præsentes committimus, ut modernos sæpe dictorum bonorum possessores in prædicto libello supplici nominatos, de delegata hac Commissione nostra prænominatos, super statu, & Jure possessionis suæ debite audiat, eosque ad restitutionem bonorum, ad se jure non spectantium, disponere satagat; imprimis vero etiam observet, ac se penitus informari curet, unde bonorum hujus Communitatis ita venditorum pretium posthac veniat desumendum; qua Nobis deinde, addito voto, rite renunciari ad hoc possit, ut ulterius, quod in rem fuerit, statuamus. Dantes & concedentes Devotioni Tuæ ad prædicta omnia, quæque iisdem exequendis opportuna fuerint, vices nostras Imperiales. Quæ in his rem, cum Justitiæ administrationis promovendæ, tum suo Nobis obsequendi studio congruam fecerit. Nos, quod reliquum est, eidem Devotioni tuæ Gratiæ nostræ Cæsareæ affectum clementer confirmamus. Viennæ 5. Julii, Anno 1678.

Qua Commissione executa, adimpletisque partibus sibi in ea injunctis nec non facta relatione cum voto Majestati Suæ, Ipsamet Majestas, in ejus Clementissimo Decreto diei 26. Maji, 1680. transmisso moderno Excellentissimo Domino Principi, Domino Ferdinando Secundo, filio prædicti Domini Principis Caroli, felicis recordationis, declaravit, ut infra, videlicet:

Leopoldus Divina Favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. C.

Illustris Consanguinee, & Princeps Charissime. Ex actorum coram Venerabili Episcopo Tridentino, seu Commissario nostro Imperiali, ad id delegato, inter Dilectionem Tuam, & Communitatem subditosque Castilionis, in puncto Privilegiorum & immunitatum ventilatorum, relatione partis utriusque, jura, causæque merita clementer intelleximus, iisque mature consideratis æquum justumque censuimus, ut inhærendo Decretis cassatoriis retrocessionis, Dilectio Tua, juxta eorum contenta, & præsertim ultimo de 28. Januarii, 1678. Communitati, & Civitati Castilionis, sua Privilegia, & immunitates cum annexis, juxta tenorem & formam cessionis & conventionis, Anni 1567. factæ, confirmare debeat in bona cessa in Marchettos, & montem Pietatis à Prædecessoribus suis vendita, si velit, vendicare studeat; De cætero vero Communitatem & Civitatem illam nec veteribus, nec novis exactionibus, aut impositionibus gravare possit; ex adverso autem antedicta Communitas & Civitas bona illa, quæ ipsamet, juxta designationem Anni 1678. 10. Junii exhibitam, ex bonis 1567. cessis, & postea nulliter retrocessis adhuc possidet, Dilectioni Tuæ statim restituat, & in eo fine quintum Fonticum à se venditum reddat. Quemadmodum igitur memoratæ Communitati & Civitati mandavimus, ut hoc ita exequatur; ita quoque benigne volumus, ut & Dilectio Tua vicissim, juxta Decretorum cassatoriorum retrocessionis contenta, & præsertim dicti ultimi 28. Jan. Anni 1678. emanati, crebro memoratæ Communitati & Civitati Castilionis sua Privilegia, & immunitates, cum annexis, juxta tenorem & formam cessionis Anni 1567. factæ, confirmet, & bona cessa in Marchettos, & Montem Pietatis à Prædecessoribus suis vendita, si velit, vendicare studeat; De cætero vero Communitatem & Civitatem, nec veteribus, nec novis exactionibus gravet, quod ita certum futurum confisi Dilectionem Tuam Gratiæ, & benevolentiæ nostræ Cæsareæ affectu benigne complectimur. Laxemburgi,

 die

die 26. Maji 1682. Regnorum nostrorum Romani 31. Hungarici 34. Bohemici vero 33.

LEOPOLDUS.

(L. S.)

Vid. Sebastianus Wunibaldus Comes Truckſeſius à Zeyhl,

Ad Mandatum Sac. Caſ. Majeſtatis proprium

Bertram.

Cumque, non obſtantibus præexpreſſis Cæſareis ordinationibus, dictus Dn. Princeps Ferdinandus ſecundus, nedum vetera, verum etiam nova gravamina dictæ Communitati Caſtilionis impoſuerit, pro quorum reparatione noviter humillime per dictam Communitatem, habito recurſu ad antememoratam Majeſtatem ſuam, factaque per hanc delegatione, & Commiſſione in Sereniſſimum D. Rainutium Franciſcum, Ducem Parmæ, cujus vigore, expedita Subdelegatione in perſonam Illuſtriſſimi D. Marchionis Petri Aloyſii della Boſa, ipſe D. Marchio ſe huc perſonaliter tranſtulit, auditiſque hinc inde partibus ſuper earum reſpectivis prætenſionibus, relationem ſuam ad dictum Sereniſſimum Dn. Ducem expedivit.

Cumque & poſt ſecutæ fuerint populares ſeditiones, in quibus fuerunt etiam dicti D. Principis Palatii mobilia ablata, nec non quamplures ſcripturæ, ſtatum Excellentiſſimæ ejus Domus ac Principatus concernentes, introituumque denegata perceptio, ipſiſque durantibus tria, ſub una eademque die vigeſima ſecunda Januarii 1692. emanaverint Decreta, & Reſcripta tenoris ſequentis, videlicet:

D. Sacra Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, viſis & examinatis iis, quæ coram Conſilio ſuo Imperiali aulico, ratione petitæ a D. Ferdinando Gonzaga, Principe Caſtilionenſi, reſtitutionis in integrum conrra Conventionem quondam Principis Ferrantis Gonzagæ de Anno milleſimo quingenteſimo, ſexageſimo ſeptimo, & deſuper ſubſecuta Cæſarea Decreta de Annis milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, & milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo nono, adducta fuerunt, benigne pronunciat, & declarat, petitam reſtitutionem in integrum locum non habere. Signatum Viennæ, ſub ſigillo altiſſime memoratæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Secreto die 22. Januarii Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo.

Vt. LEOPOLDUS WILHELMUS, Comes in Königsegg.

(L. S.)

F. W. de Bertram.

In calce: Caſtilionis Princeps, in pto reſtitutionis in integrum.

Ita eſt in actis Commisſionis Excellentisſimi D. Comitis Caroli Borromæi Areſii

Joannes Stephanus de Margaritis, J. C. Cancellarius.

E. Sacra Cæſarea Majeſtas Dominus noſter Clementiſſimus, viſis & examinatis, quæ ratione gravaminum coram Conſilio ſuo Imperiali aulico a Communitate, & ſubditis Caſtilionenſibus, contra Principem ſuum Ferdinandum Gonzagam, adducta fuerunt, benigne declarat, ac prædictæ Communitati injungendum eſſe decernit, ut omnia bona Principi quondam Ferranti Gonzagæ anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo ceſſa, & a ſe alienata (exceptis iis, quæ ab ipſis Principibus antehac vendita ſunt, quorum venditio ad modernum Principem ſpectat) juxta deſignationem in Inſtrumento anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo contentam, ſine ullo defectu, reſtituat, reſpective reluat, & interim pro rata adhuc deficientium bonorum in puncto ſalariorum, nec non aliarum a multis retro annis ſolitarum præſtationum ſolutionem realem faciat. Porro autem ratione imbottatus reſervati in Inſtrumento anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, & pro ejusdem juſta, & æqua determinatione, aliiſque ante hac præſtari ſolitis ex non controverſis oneribus (exceptis nimirum plane novis, vel noviter auctis) coram Imperiali Commiſſione conveniat cum Dn. Principe, neque ſe ullatenus tardam, vel difficilem hac in ſolutione demonſtret. Signatum Viennæ ſub ſigillo altiſſime memoratæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Secreto, die vigeſima ſecunda Januarii anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo.

Vt. LEOPOLDUS WILHELMUS Comes in Königsegg.

cum Sigillo magno.

Secretarius F. W. de Bertram.

In calce: Decretum ad Communitatem ratione bonorum Principi quondam Ferranti ceſſorum. Ita eſt in actis Commiſſionis Imperialis

De Margaritis J. C. & Not. Canc.

F. *Leopoldus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus &c.*

Sereniſſime Princeps. Chariſſimæ Dilectionis Veſtræ litteras vigeſima octava Auguſti, & nona Octobris nuperorum datas, una cum relationibus circa controverſias Caſtilionenſes, accepimus; indefeſſamque inde ejusdem curam, & ſollicitudinem, qua Commiſſionem Imperialem à Nobis, hac in re ſibi demandatam exequi ſtuduit, non ſine grato animi ſenſu intelleximus.

Poſtquam igitur, perpenſis iis, quæ ratione controverſiæ inter Principem, & Civitatem Caſtilionenſem, agitatæ coram Conſilio noſtro Imperiali aulico fuerunt, ventilata quædam definivimus, quædam vero diſcutienda reliquimus, & omnia Dilectioni Veſtræ eo fine communicanda duximus, ut denegata jam reſtitutione in integrum, reſpectu cujus obtinendæ dictus Princeps ab exactione ſuarum impoſitionum cedere vel noluit, vel diſtulit; utrique parti decreta, & juſſiones noſtras Cæſareas inſinuare, atque ſic omnia priora noſtra Reſcripta in actualem executionem, ſine ullo temporis interſtitio, deducere velit; Inprimis vero & ante omnia, cum hæc controverſia ultimo ad arma, & apparatum bellicum

licum homicidia, & deprædationes, præter omnem spem & exspectationem, & quidem eo tempore, quo initium in resolutione & expeditione ulteriorum Mandatorum Nostrorum occupati eramus, erupe-rit, nulla interjecta mora, quo armati subditi, quicunque demum sint, disuniantur, arma confestim deponantur, & ad quietem, & obedientiam redeant, sedulo procuret, cumque in effectum, si forte Dilectio Vestra necessariam & sufficientem militiam non habeat, eam a Consiliario nostro Arcano, Campi Marescalco, & Commissario Generali, aurei Velleris Equite, Antonio, Comite Caraffa, nostro Legato Plenipotentiario in Italia commorante, vel in ejus absentia, ejusdem subordinato, vigore adjuncti Decreti ipsi statim transmittendi, petas, atque rebellionis, seu tumultus capita, si Dilectioni Vestræ ita commode, & sine metu majoris mali, aut deterioris eventus fieri posse videatur, comprehendi, in custodias & carceres compingendi, & detineri, nec non processum Criminalem contra ipsos formari curet, & eundem cum suo voto, celeriter ad Nos transmittat, ut rei commerita animadversione & pœna plecti possint, ac imprimis etiam restitutione omnium Principi Castilionis ablatorum mobilium, pretiosorum, argenti, & scripturarum procuret, subditosque ad præstationem a multis annis solitorum & consuetorum onerum pro Principis sustentatione compellat, ab omnino novis, aut noviter auctis autem eos liberet, in dubiis vero amicabiliter, & de omnibus cum explicatione nominum quo unaquæque præstatio designatur, & quid proprie sit, una cum voto suo nos informet; Sin vero notabilem in comprehendendis delinquentibus, & formatione processus difficultatem deprehenderit, gratius Nobis erit, si Dilectio Vestra tantisper supersedeat, ac Nos de omnibus circumstantiis acurate, & sine mora reddat certiores, atque interim nihilominus ulteriora mala, pro viribus præcaveat ac avertat. Nos de reliquo Dilectioni Vestræ gratiæ, ac benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectum confirmamus. Datum in Civitate nostra Viennæ die 22. Januarii 1692. Regnorum nostrorum Romani 33. Hungarici 37. Bohemici vero 36.

LEOPOLDUS.

Vt. Leopoldus Wilhelmus,
Comes in Kinikfegg.

Ad Mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium

Franciscus W. de Bertram.

A Tergo: Serenissimo Rainutio Francisco, Duci Parmæ & Placentiæ, Principi nostro Charissimo.

Et cum Sigillo &c.

Ideo in hoc rerum statu prædictus Serenissimus D. D. Dux urgentioribus implicitus curis, Majestatem suam rogavit, ut Provinciam hanc alteri committere dignaretur, & Sua Cæsarea Majestas, actis Celsitudini suæ clementissimis gratiis, Commissionem ipsam injunxit Excellentissimo D. Comiti Carolo Borromæo Aresio, aurei Velleris Equiti, tormentorum bellicorum pro Sacra Catholica Majestate Capitaneo Generali, ejusque secretioris Consilii Consiliario, ut ex Rescripto Cæsareo diei 27. Augusti 1692. qui, postquam per spatium annorum ultra sex (quorum intermedio plura alia ediderunt Decreta Imperialia) cum singulari sua dexteritate, & maxima prudentia circa eandem Commissionem insudaverit, se huc personaliter etiam conferendo, processus, tam Civiles, quam criminales construi faciendo, tumultus sedando, justitiamque neglectam promovendo, provisionales ordines relaxando, militias sæpe, ac sæpius tam germanicas, quam Hispanicas, ad Imperialium Decretorum obedientiam exigendam, mittendo, plures etiam ad hunc effectum Subdelegationes expediendo, quarum penultima emanata fuit in Illustrissimum D. J. C. Jo. Baptistam Masnaghum, & ultima in Illustrissimum D. Jo. Christophorum de Zoppis, Civem Alexandrinum.

Cumque Sacra Cæsarea Majestas semper, & omni tempore majori pacis bono prospiciens, & amicabilem exitum præ oculis habens, ac hujusmodi dissidia amicabili eo medio dirimere cupiens, ut constat ex ejus Clementissimis Rescriptis, dicto Serenissimo Domino Duci Parmæ directis, altero diei 5. Januarii 1691, & altero Rescripto diei 22. Januarii 1692. Provinciam hanc amicæ manus interponendæ Serenissimo Domino Duci Mantuæ & Montisferrati, Ferdinando Carolo, Capiti Serenissimæ Domus Gonzagæ commiserit, ut constat ex Clementissimo Rescripto diei 28. Julii 1697. Suaque Serenissima Celsitudo, pro notorio erga Cæsaream Majestatem obsequio, Excellentissimum D. Principem Castilionensem affectu istiusque subditos zelo, nonnullos amicabiles tractatus introduxerit à dicto Excellentissimo D. Comite Borromæo, causæ Commissario Delegato, sub auspiciis Suæ Serenissimæ Celsitudinis, eaque eunte prosecutos, media præsertim operâ dicti Illustrissimi D. J. C. Christophori de Zoppis, Subdelegati, cujus mirabilis dexteritas, zelus, eximiaque caritas talis fuerunt potentiæ, ut, congregato coram eo novo Consilio, cum adjuncta dictæ Communitatis Castilionis, eidemque proposito, quantum expediret pro bono publico, & ad dirimendas tot tantasque controversias inter Excellentissimum Principem & subditos, hucusque innumerabilibus impendiis, animorum agitatione actitatas, & ad penitus tollendas sedandasque præteritas seditiones, nec non tranquillitatem, & veram concordiam, sibi restituendam, obedientiam suo Principi præstandam, & inconcusse profitendam, ipsimet Consiliarii, tam benignis adhortationibus libenti animo annuentes decreverint, prætermisso omnino judicio criminali reciproco, eidem imo absolute renunciantes civilem causam amicabiliter, saltem in procedendo, de jure tamen in decidendo sapientissimo judicio præfati Excellentissimi D. Comitis Borromæi, Commissarii (accedente pariter remissione dicti Excellentissimi D. Principis in præfatum Excellentissimum D. Comitem, Commissarium) ut patet ex litteris suis eidem Dn. Com. Commissario conscriptis, quæ sunt tenoris sequentis.

Illmo & Ecc^mo Sig^re mio Osseq^mo.

Dal Signore Dottor Zoppi suddelegato di V. E. mi sono stati communicati i motivi della di lei elleuata prudenza circa il concorrere al fare un ampl^ma rimessa all'arbitramenti di V. E. per l'aggiustamento ami- G.

amichevole delle pendenze con i miei sudditi, in concomitanza delle fatte da essi loro; col mezzo di questa mia intendo farla in amplissima forma, sù la fiducia, che la rettitudine & integrità singolare dell'Ecc^za Vestra non sarà per allontanarsi dalle norme dei sensi & ordini delle Corti, Cesarea, e Cattolica, verso l'Augmo Nome dellequesti mantengo illibato l'ossequio, e mi raffermo coi piu distinti rispetti.

Castiglione 2. Maggio 1699.

Di V. E.

Subscripta.

Devotissmo Obligmo Servre.

Il Prencipe di Castiglione.

Signor Conte Carlo Borromæo Commissario Imperiale Modena.

(L.S.)

Ego Jacobus D. Joa. Baptistæ de Morenis filius, Civitatis Castilionis à Stiveriis habitator & Civis, publicusque Imperiali auctoritate Notarius, scriptam Epistolam de verbo ad verbum, nil addito, vel diminuto quod &c. ab originali suo mihi ab Excellentissimo Domino Principe, Domino nostro Colendissimo, ad hunc effectum tradito, fideliter transumpsi; ideoque in præmissorum fidem & robur hic me solito mei Tabellionatus signo subscripsi &c. Remiserint sese tamen homines dicti Consilii ad votum Consilii Generalis per capita domorum & majus interesse cum dicta Communitate habentia, in quo Consilio postea tali pacto congregato proposita deliberatio supradicti Consilii cum adjuncto plenissimis suffragiis fuit accepta ac probata (Deo favente) firmataque, ut videre est ex binis actis, altero sub die nempe 22. altero vero sub die 23. immediate sequentis mensis Aprilis Anni currentis 1699. quæ sunt tenoris sequentis, videlicet:

In Consilio cum adjuncto Perillustris Communitatis Castilionis à Stiveriis secuto sub die vigesima secunda mensis Aprilis 1699. inter cætera fuit propositum & conclusum, ut infra, videlicet:

L'Isperienza maestra delle cose facendo e più provare, e conoscere à sopradetti Signori la moltiplicità de debiti, da cui è stimolato questo Publico contrattisi da Signori, à cui per il passato era appoggiata la reggenza de publici affari, per sostenimento della causa criminale, e civile, col riporto di poco Vantaggio nelle medeme; e quanto sarebbe meglio applicare à che tali cause fossero conosciute per amichevole, recidendo da ulteriori dispendii con rinuntiar prima al criminale, quando però di ciò benignamente degni anche il Signore Prencipe; promessa matura discussione sopra questo punto e stato da soprascritti Signori decretato di procurare à tutto potere, e con i possibili Vantaggii della Communità l'esposta amichevole decisione di tutte le Civili controversie; e per ciò è stato ordinato, che sii unito con Consiglio Generale *per capita domorum*, ad ogetto di deliberare nel ponto stesso, onde è stata fatta nota delle persone, che tengono li Estimi principali in questo Principato per che siino auvisate.

Antonius Marinus Notarius & Cancellarius dictæ Communitatis, extraxit ex libro Consiliorum Communitatis ipsius, subscripsit, & Communali sigillo sigillavit &c. hac die 14. Augusti 1699.

H. In Consilio generali per capita domorum Perillustris Communitatis Castilionis à Stiveriis secuto, sub die 23. mensis Aprilis 1699. fuit propositum & conclusum, ut infra, videlicet:

Replicandosi nel predetto Consiglio dall'Illustrissimo Signore suddelegato con vertuosissima e non men sincera espressione i motivi, sopra cui è stata fondata la sua venuta con le Truppe di S. M. Catt^a aussiliarie in questa Città, con quanto hà prontamente essato da Sig^ri Consiglieri del Consiglio, con l'agiunta in essecutione e compimento delle ordinationi sovrane della Maestà di Cesare Clementissimo Signore, e massime li argomenti di vera obbedienza, al Signore Prencipe, con quel che ulteriormente hà il Consiglio medemo fin ora operato, hà di novo esso Illustrissimo Signore suddelegato per maggior dessiganno di tutti letto, e fatta spiegatione d'alcuni decreti e lettere della Maestà sua scritte al Signore Governatore di Milano per il braccio forte militare occorribile per far compire à detti Decreti Imperiali. Quali tutti uditisi da sopradetti Signori con somma veneratione, & approvato prima omninamente tutto cio è stato dal Consiglio con l'agionta sudetto intrapreso inhesionalmente à Decreti stessi, hanno quelli in seguito conosciuto, e ravisato il Mar de debiti, e gravami, in cui è di presente questo Publico immerso, e quanto sii, e debba essere difficoltoso, & inestricabile il modo di proseguire le liti agitate; hanno à piene voci proposto, decretato e supplicato vivissimamente il detto Illustrissimo Signore Suddelegato voler implorare dalla benignità dell'Excellentissimo Signor Conte Carlo Borromeo, Commissario, acciò degni transportarsi in questa Città, & assumere le parti dell'amicabile nel procedere, e del giudice nel decidere con piena celerità, sopra tutte le controversie vertenti, trà il Signore Prencipe sudetto, & questa Communità la quale, perche hà sempre riverito, con infinita stima l'alto merito di S. Altezza Serenissima di Mantoua, hanno i sopradetti Signori rilevato preciso loro debito il participargli lo stabilitosi in materia dell'amichevole preespresso, sapendo che ne sentirà particolar sodisfatione, & aggradimento. Per effettuatione di che sono stati deputati i Signori Dottore Nazario Pastorio, e Signore Bartolomeo Bellini pregandoli compire all'incombenza colla solita attentione; si come pure hanno i soprascritti Signori annullato tutti li altri vicinie, e Consiglii che potessero essere seguiti per l'adietro contro il presente generale Consiglio, contro l'ubbidienza alle supreme Cesaree jussioni, & al Signore Principe, salve le raggioni della causa in meritis Incaricando di più al Consiglio con l'agionta il pregare il Signore Preosto di Castel Goffredo

fredo sogetto di rara virtù, e particolar informatione nelli publici affari, acciò vogli intraprendere la briga con quell' altre persone, che saranno deputate dal Consiglio sudetto di trattare, e diffendere de jure, e far spiccare le raggioni publiche innanzi detto Eccellentissimo Signore Commissario, per riportarne una giustissima decisione in termini estragiudiciali e con la brevità possibile, come sopra; interponendo purè per sostenimento, e convalidatione di questo stà espresso di sopra, l' accenato Illustrissimo Signore subdelegato la piena Cesarea autorità, à se benignamente impartita da S. E. Il. Signore Commissario Imperiale, supplendo omni &c. Ita est in Libro Consiliorum dictæ Communitatis Castilionis.

Antonius Marinus, Notarius, & Cancellarius Communitatis ipsius extraxit hac die 14. Augusti 1699. & Sigillo communali munivit.

Cumque in executione dictarum ordinationum tam Consilii cum adjuncta, quam generalis, electis ab utraque parte advocatis exteræ Regionis, qui in pluribus sessionibus habitis coram dicto Illustrissimo Domino Subdelegato diebus 15. 16. 17. 18. 20. & 21. mensis Julii, in tertiis, & in vesperis anni currentis 1699. præsentibus & assistentibus Deputatis, tam dicti Excellentissimi Domini Principis, quam Communitatis Castilionis, in facto, & in jure quæstiones omnes & singulas scripturarum & librorum fundamento respective nixi proposuerunt, dubia excitarunt, & enodare curarunt, omniaque & singula ad dictam causam pertinentia mature disputarunt, ita ut nihil penitus ommissum reliquerint; ex parte nempe Communitatis prædictæ Illustrissimo Domino Julio Manno, celeberrimo Legum Professore Civitatis Brixiæ, acutissime perorante, ac inter cætera sustinente, non habere, nec habuisse Excellentissimum Dominum Principem facultatem aut potestatem aliquam nova vectigalia indicendi, aut vetera augendi, neque ex Investituris neque ex alio titulo; fortius accedentibus exemptionibus, expressis in dicto contractu 1567. 25. Augusti, pluries confirmatis per Sacram Cæsaream Majestatem, rebusque judicatis per supradictum Aulicum Consilium, dicto anno 1684. devoto dicti Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Tridenti, assensu Excellentissimi Domini Principis Caroli dicti anni 1677. ac executione ipsis præstita ab hodierno Excellentissimo Domino Principe Ferdinando Secundo de anno 1695. stante etiam denegata restitutione, omniaque prædicta confirmante tum conspicuis juribus evidentiaque factorum, & publicarum scripturarum, & maxime à condonatione delictorum omnium incursorum, ex causa dictorum popularium tumultuum consecuta ab Illustrissimo & Excellentissimo Domino Comite, Delegato, nomine Sacræ Cæsareæ Majestatis ob obedientiam præstitam, ac fidelitatem denuo juratam in manibus dicti Excellentissimi Domini Principis, sub die 16. mensis Aprilis 1699. concludendoque propterea omnia vectigalia tolli debere, & pro parte dicti Excellentissimi Domini Principis, Illustrissimo D. Thoma de Ligoro, J. C. Collegiato Patritioque Neapolitano è sedili Portæ novæ Brixiæ commoranti strenue prædictis occurrente & defendente, licitum esse & fuisse eidem Excellentissimo Domino Principi vetera nedum augere, sed & nova vectigalia imponere, eamque facultatem clarissime habere, ex tenore Investiturarum potissimum, ex Investitura Augustissimi Domini Imperatoris Maximiliani Secundi data Viennæ die 6. Sept. 1571. in qua legitur concessa facultas Excellentissimo Domino Marchioni Castilionis ejusque Successoribus ea omnia & singula faciendi, quæ præfatus Augustissimus Dominus Maximilianus, ac Romanorum Imperatores & Reges facere ac exercere possunt, consuetudine, legitima præscriptione, & ex pluribus contractibus, nullasque adesse pro Communitate res judicatas, & si quæ adessent, competere dicto Excellentissimo Domino Principi legalia beneficia adversus eas ex noviter repertis juribus, usque nunc ignoratis, non obstante eidem denegata restitutione, nullasque posse prætendi a Communitate exemptiones; non ex veteri contractu dicti anni 1567. quia ab ipsis ceciderat ob seditiones excitatas de anno 1593. & pluries repetitas in sequentibus, & multo minus alias concessiones & privilegia concessa ab Excellentissimo Domino Principe, D. Ferdinando, tum dicto anno 1593. tum etiam de annis 1606. 1612. 1616. uti abrogata & circumscripta in sententia dicti Illustrissimi Domini Masnaghi diei 26. mensis Martii in vesperis 1595. & in judicatum transacta ab appellatione ab eadem interposita, & non prosecuta ab ipsa Communitate, nec absolutorium propositum gignere effectum ex adverso prætensum, quia per ipsam res judicatæ non removentur, omniaque prædicta nervose publicis Documentis, legibus & auctoritatibus stabiliente, & propterea concludente, nova vectigalia licuisse Excellentissimo Domino Principi, ac licere imponere, & proinde ab ipsorum impositione Communitatem nullo modo se dicere posse gravatam.

Quare habitis a prædictis Dominis Advocatis super prædictis pluribus sessionibus, ut supra, coram præfato Illustrissimo Domino Subdelegato de Zoppis, agnoscentibus, rem dubium præ se ferre eventum, immensasque expensas, ac diuturnitatem litis, cum solito effectu, odia, & inimicitias augendi; idcirco annuentes etiam desiderio dicti Serenissimi Domini Ducis Mantuæ &c. studuerunt reducere Excellentissimum Dominum Principem ac Communitatem prædictam ad honorabilem & honestam concordiam, ac compositionem amicabiliter inter ipsos proponendo, & nonnulla Capitula statuendo, ad excitandam & conciliandam Excellentissimi Domini Principis gratiam erga Communitatem, & homines prædictæ Civitatis, & amorem & fidelitatem ipsius Communitatis & hominum magis accendendam erga dictum Excellentissimum Dominum Principem, ut decet, & causam perpetuæ dilectionis & reciproci amoris conservandæ & conservandi præbendam, & in posterum semper augendi, ad majorem Dei cultum, quibus præ cæteris conclusum fuit, quod ante omnia circa vectigalia ipsi attendi debeant status, in quo erant tempore Excellentissimi Domini Principis Ferdinandi primi, quo ad sequentes declarationes

rationes in ipsis Conventionibus insertas, tenoris
L. sequentis:

Primo, osservare la tariffa dei Dazi, che si osservava sotto i Prencipi Antecessori, salvo ut infra.

Secondo, si osservino le diminutioni introdotte dal Signore Prencipe Carlo nelli dazi d'estrattione d'oglio, e seta, laqual diminutione debba osservarsi per anni trè prossimi durante i quali non risultando quelli emolumenti che riceveva il Signore Prencipe Carlo, sia in arbitrio di S. E. accrescere il dazio giusto la tariffa osservata sotto il Signore Prencipe Ferdinando primo.

Terzo, Il Dazio sopra i contratti sia limitato al due pro cento.

Quarto, La scopellatura della Macina à trè coppi per somma.

Quinto, Il sale per il consumo à due soldi la lira, de sudditi, restando à S. E. l'arbitrio l'accrescere, ò diminuire la tariffa in quanto all'estrattione dello stato.

Sesto, Sia in libertà d'ogn' uno fabricare, e vender tabacco; prendendo licenza da S. E. à cui perciò debba contribuire il cinque per cento del Capitale, che con giuramento doverà consignare annualmente.

Settimo, che per compensatione delle sudette diminutioni ordinate à sollievo de poveri; sia dalla Communità imposta una colletta de di lui otto mille picole appellate berlingotti annue da ripartirsi sopra le biolche di presente Contribuenti al laico colla debita proportione del ben fruttifero, & infruttifero, e da contribuirsi dalla medema Communità à S. E. in contanti, & accioche questo compacto non possa esser sogetto ad alcuna diminutione, doverà esser prohibito a cadaun possessore allibrato di transferire in altri alcuna parte de stabili, quando il medemo stabile non debba passare con l'istesso carico, nè altrimente si possa translatare dalla partita del venditore à quella del Compratore, ò altri successori, se non con l'obligo della medema contributione qual resti sempre fissa, & affetta al ben obligato.

Quibus relatis deinde in Consilio cum adjuncta diei 23. Julii nuper exspirati, & ab ipso Consilio attente, & maturè consideratis conclusum fuit, ut in
L. actu dicti Consilii tenoris sequentis: videlicet

In Consilio cum adjuncta perill^lis Comm^tis Castilionis a Stiveriis secuto sub die 23. Julii 1699. fuit propositum & conclusum, ut infra:

In ordine al decreta[illegible]i nell'ultimo prossimo passato Consiglio essendo seguite diverse conferenze, trà Signori Auvocati del Signor Prencipe, e della Communità con la presenza, & intervento de Signori Deputati della Communità stessa hanno questi inferito essere stati gettati i sequenti progetti sopra ciò si potrebbe comporre, cioè.

Primo d'osservare la Tariffa dei Dazi, che s'osservava sotto i Signori Prencipi Antecessori, salvo, ut infra.

Secondo, Che si osservino le diminutioni introdotte dal Signor Prencipe Carlo nelli Dazi d'estrattione d'oglio e seta: laqual diminutione debba osservarsi per anni trè prossimi, durante i quali non risultando quelli emolumenti, che riceveva il Signor Prencipe Carlo sia in arbitrio di S. E. accrescere il Dazio giusto la Tariffa osservata sotto il Prencipe Ferdinando primo.

Terzo, Il Dazio sopra i Contratti, sia limitato à due per cento.

Quarto, la scopellatura della macina à trè coppi per somma.

Quinto, Il sale à due soldi la lira in quanto al consumo de sudditi, restando all'arbitrio di S. E. l'accrescere, ò diminuire la tariffa in quanto all' estrattione dello stato.

Sesto, Sia in libertà d'ogn' uno il fabricare, e vender tabacco, prendendo licenza da S. E; à cui perciò debba contribuire, il cinque per cento del Capitale, che con giuramento doverà consegnare annualmente.

Settimo, Che per compensatione delle sudette diminutioni ordinate à sollievo de poveri, sia dalla Communità imposta una colletta de di lui otto mille piccoli appellate Berlingotti annue, da ripartirsi sopra le biolche, di presente Contributione, al Laico, colla debita proportione del ben fruttifero, ed infruttifero, e da contribuirsi dalla medema Communità à S. E^za in contanti, & acciò questo compacto non possa esser sogetto ad alcuna diminutione, doverà esser prohibito à cadauno possessore allibrato di transferire in altri alcuna parte de stabili quando il stabile non debba passare coll' istesso carico; nè altrimente si possa translatare dalla partita del venditore à quella del Compratore ò altrimente successore se non con l'obligo della modema Contributione, qual resti sempre fissa & affetta dal ben obligato.

Quali progetti lettisi da me Cancelliere, ad alta & intelligibile voce, e ben pesatisi ad uno per uno con le dovute considerationi, non solo al publico interesse, come alla necessità di dover lasciar correre al Signor Prencipe nostro Signore tanta rendita, che sii bastante al sostenimento suo proportionatamente, & adequatamente alla Conditione sua, & havuto riflesso parimente d'esser hormai tempo di stabilire in questo Stato tanto desiderata quiete, e che questa non possa ridonarsi così facilmente, se non con attestare il trattato compimento è stato decretato come segue, per quello spetta à sopradetti Signori cioè.

In quanto al primo progetto che corrino i Dazi d'estrattione secondo la tariffa de Signori Prencipi Antecessori da rigistrarsi nell' Istromento di nuova Transattione, che douerà stipularsi; con che però si osseruino le diminutioni introdotte dal Signor Prencipe Carlo nelli Dazi d'estrattione d'Oglio e seta, colla riserva al Signor Prencipe espressa nel soprascritto Capitolo.

Che il Dazio sopra i contratti debba restar nell' essere di trè per cento, si come anco la scopellatura à cinque coppi per somma restando libero d'ogni uno peso, il reale.

E per quello riguarda il sale, che resti à soldi trè la lira.

Toccante al fabricar, e vender tabacco, che sii in libertà d'ogni uno il fabricarne, e venderne, prendendone la licenza e praticandosi in tutto, e per tutto, quanto stà dichiarato nel Sesto Capitolo.

E per-

E perche è stato esposto dall'Illmo Signor Suddelegato pretendere il Signor Prencipe Padrone da questa Communità, il risarcimento del spolio del Palazzo fattogli in tempo della seguita sollevatione, e dell'entrate trattenute gli in essecutione di treplicati Decreti di S. M. Cesarea è stato terminato, che se gli essibisca in compensa la facoltà d'essigere sopra ogni ballino di Carte da giocare, che si fabricaranno in questa Città, soldi trè, e sopra ogni peso d'acqua vita, garette quattro, oltre il Dazio dell' estrattione dell'uno e dell'altro capo, la qual facoltà s'intenda durabile solo per anni vinti cinque prossimi auvenire, passati i quali resti totto omninamente tal gravame delli soldi trè per ballino, e garette quattro per l'acquavita, nè possa più il Signor Prencipe introdurlo, sotto verum titolo rimossa ogni prescrittione, tanto legale, quanto statuaria, si &c. & quatenus &c.

Con dichiaratione, e protesta, che quanto stà di sopra progettato, & accettato da questo Consiglio non s'habbia per ammesso, & accettato, quando non venghi il tutto approvato, & accettato anche dalla Vicinia, e che sii esclusiva di qualunque altro aggravio, che potesse pretendere d'introdurre il Signor Prencipe di qualunque sorte, e genere, e con che data l'approvatione d'essa Vicinia debba attendersi a riportarsene l'emologatione, proua e conferma della Maestà di Cesare Clemenmo Signore, & non altrimente, nè in altro modo la qual Vicinia douera farsi unire quanto prima al fine sudetto.

Finalmente, che in ordine à beni ceduti da questa Communità dell'anno 1691. al Signor Prencipe, debba esso trattenerli con l'obligo di socombere à tutti li aggravi, e pesi della Communità soliti rimanendo infeudati essi beni, e carichi.

Ita est in libro Consiliorum dictæ perillis Commtis Castilionis Antonius Marinus, Notarius, & Commtis ipsius Cancus. extraxit hac die 14. Augusti 1699. & Sigillo communali munivit.

Conditione adjecta de referendo Conclusionem præmissam Consilio Generali, seu Viciniæ, pro ejusdem approbatione, cumque fuerit congregata sub die vigesima quinta Mensis Julii 1699. Vicinia prædicta, præmisso Campanæ sono, publica clamatione, & proprie præmissis citationibus omnium & singulorum, ut moris est, dicti populi Castilionis cum interventu præfati Illmi D. Subdelegati, Illmi D. J. C. Alexandri Romusii, Civitatis Valentiæ à Pado Auditoris Generalis ac Præsidis, nec non cum assistentia & præsentia dicti Illmi Domini Advocati Manni, coram qua Vicinia, præmissa per dictum Illum D. Subdelegatum adhortatione ad pacem & concordiam, & facta expressa declaratione, quod quisque sine ullo motivo reverentiali vel alio, votum suum pro libero arbitrio proferret, nosceretque Vicinia unicuique suffragii affirmativi, vel negativi, ad libitum addendi, ac omnia, quæ placerent differendi liberam esse facultatem, ut latius de dicta declaratione, & protestatione constat ex actu tenoris sequentis, videlicet:

M Noi infrascritti Caualieri rogati di tutto ciò, che si discorse, e fece nella Vicinia ò sia Consiglio Generale de Capi di Casa della Città, e Territorio di Castiglione congregato il giorno 25. del mese di Luglio prossimo passato nella Chiesa de Confratelli, della Pace di detta Città di Castiglione attestiamo si come l'Illmo Signor Dottor Gio. Christofforo Zoppi, Suddelegato di S. E. il Signor Co. Carlo Borromeo Aresi Commissario Imperiale in Italia, doppo d'essere Stati persuasi i Congregati dall' Illmo Signor Dottor Giulio Manni, Auvocato della Communità ad accettare i progetti d'agiustamento delle differenze civili vertenti trà l'Eccmo Signor Prencepe di Castiglione, e la Communità medema come accompagnati dall' equità, dichiaro, che ciaschedunno di detti Congregati usasse pienamente del libero arbitrio nel dare il suo voto, senza alcun riguardo, ò timore, mentre assicurava ciascuno di loro, che nè direttamente, nè indirettamento haurebbero palito alcuna molestia, ò disgusto, non desiderandosi altro dalla Vicinia, ò dalli particolari, che la componevano, che una sincera, e libera voluntà, ò nel consenso all'agiustamento, ò nella continuatione della dovuta ubbidienza all'Eccmo Signor Prencipe, quando amassero più di continuare con animo qvieto le liti pendenti la quale, dichiaratione, e protesta fù più uolte dal detto Illmo Signor Subdelegato replicata ad alta voce, & ad intelligenza di tutti ben sentita, & appresa. In fede di che habbiamo sottoscritta la presente, questo dì 13. Agosto 1699.

Sub. Jo. Giaettano Castiglione Notario Cancelliere del detto Illmo Signor Subdelegato attesto quanto di sopra.

Sub. Jo. Antonio Marini Notario Cancelliere della suda Communità attesto quanto di sopra.

Alta & intelligibili voce lecta fuerunt supradicta Capitula de singulo in singulum, & facta per dictos Congregatos longa & matura ponderatione ab omnibus & singulis ex dictis Congregatis, conclusum denique fuit & determinatum, præmissis præfati Illmi D. Advocati benignis piisque adhortationibus non solum ad publicam quietem unice rehabendam tendentibus, verum etiam ad insinuandum subditis id, quod de jure compertum est; ipsos nimirum teneri, in casu præcipue urgentis necessitatis, Principem juxta decorem & dignitatem suam, secundum tamen ipsorum subditorum vires, sustentare, prout ex actu dictæ Viciniæ tenoris sequentis, videri est:

Die Sabbathi 25. Mensis Julii 1699. Coram Illmo D. J. C. Christophoro de Zoppis Subdelegato &c. & Illmo D. J. C. Alexandro Romusio, Præside &c. convocatum Consilium Generale, seu Vicinia hujus Civitatis in Ecclesia Oratorii Disciplinatorum Pacis pro majori populi commoditate, præmisso campanæ sono, pro infrascriptis peragendis, & aderant videlicet: N.

Perillustris & Excmus D. J. C. Ludovicus Coradinus Consul.

D. D. Capitaneus Gabriel Zecchus.
Bartholomæus Bellinus.
Jo. Jacobus Maroccus.
} Ratiocinatores.

D. D. Jo. Baptista Bettus.
Jo. Baptista Ferrardus, quondam Hypoliti.

Stephanus Thedoldus, quondam Aloyſii.
Marcus Ceratellus.
Auguſtinus Fachinettus.
Nazarius Boturrus, quondam Aloyſii.
Jacobus Notarius, quondam Nazarii.
Aloyſius Moratus.
Aloyſius Boldrinus.
Aloyſius Sigurtadus, quondam Andreæ.
Jacobus de Caſilibus.
Aloyſius Moratus, quondam Laurentii.
Nazarius Beſcus, quondam Franciſci.
Joſeph Paſtor, quondam Aloyſii.
Franciſcus Notarius, quondam Pauli.
Antonius Vicarius.
Laurentius Bertaſius, quondam Jo. Mariæ.
Andreas Ferretus.
Franciſcus Majolarinus.
Nazarius Calubinus, quondam Aurelii.
Aloyſius Bettus, quondam Nicolai.
Franciſcus Muttus, quondam Caroli.
Aloyſius Ferrarius, quondam Dominici.
Marcus Antonius Moſtarda.
Aloyſius Ferronus.
Franciſcus Ceratulus, quondam Andreæ.
Joſeph, quondam Nazarii Botturi.
Petrus Beſcus, quondam Baptiſtæ.
Jo. Baptiſta Beſcus, quondam Franciſci.
Petrus Petrocinius, quondam Jo. Baptiſtæ.
Franciſcus Beſcus, quondam Antonii.
Alexius Boturus, quondam Franciſci.
Antonius Caudrina, quondam Franciſci.
Bernardinus Moratus, quondam Patricii.
Cæſar Petrocinus.
Jacobus Maifrenus.
Andreas Morandus, quondam Laurentii.
Franciſcus Lizarius, quondam Ferdinandi.
Bernardinus Beſcus, quondam Abelis.
Aloyſius Muttus, quondam Antonii.
Vincentius Dezentiarius.
Fiſicus Horatius Faynus.
Nazarius Botturus, quondam Celei.
Joſeph Muttus, quondam Laurentii.
Antonius Bertatius, quondam Franciſci.
Petrus Gualatius.
Jo. Baptiſta Ferrardus, quondam Franciſci.
Bartholomæus Sigurdatus, quondam Nazarii.
Aloyſius Moda.
Jo. Ferrardus, quondam Laurentii.
Andreas Paſtor, quondam Nazarii.
Jo. Bellinus, quondam Ludovici.
Franciſcus Viganicus.
Jo. Moſtarda.
Laurentius Ferrardus, quondam Bartholomæi.
Jo. Baptiſta de Panigalibus.
Jo. Baptiſta Botturus, quondam Barthol.
Tenes Gubernator Franſciſcus Gandinus.
Joannes Baptiſta Beſcus, quondam Joſephi.
Bartholomæus Cremaſcus.
Reſtituus Ballarinus.
Dominicus Cauduna.
Jo. Baptiſta Gaſapinus.
Nazarius Boturrus, quondam Bartholomæus.
Antonius Boturrus, quondam Joann.
Capnus Antonius Petrocinus.
Victorius Ballarinus.
Aloyſius Muttus, quondam Antonii.
Philippus Petrocinus, quondam Antonii.
Petrus Boldrinus, quondam Jo. Baptiſtæ.
Franciſcus Raſconus.
Aloyſius Paſtor, quondam Laurentii.
Petrus Antonius Boſius.
Jo. Maurinus.
Andreas Bellinus, quondam Ludovici.
Joſeph de Leporibus.
Franciſcus Bertaſius, quondam Antonii.
Jacobus Horta.
Deodatus Derentianus.
Caſparus Joſeph, Notarius.
Joſeph Ottinus.
Jo. Baptiſta Beſcus, quondam Jacobi.
Barholomæus Doninus, quondam M. Antonii.
Jo. Baptiſta de Michaelibus.
Jacobus Thedoldus, quondam Aloyſii.
Antonius Morandus, quondam Franciſci.
Leonardus Muttus, quondam Pauli.
Chriſtophorus Gavardinus.
Marcus Antonius Botturus, quondam Joſephi.
Jo. Antonius Beſcus, quondam Franciſci.
Jo. Maria Petrocinius, quondam Franciſci.
J. C. Nazarius Paſtorius.
Jo. Baptiſta Beſcus, quondam Jo. Mariæ.
Michael Magella.
Michael Turrinellus.
Horatius Sigurtadus, quondam Andreæ.
Ferdinandus Morandus.
Andreas Ferrarius.
Joſeph de Pomalibus.
Nicolaus de Ceradellis, quondam Jo. Baptiſtæ.
Petrus Ciranus.
Jo. Baptiſta Doninus.
Stephanus Moratus, quondam Patricii.
Julius Fornaſinus.
Dominicus Barcira.
Aloyſius Botturus, quondam Joh.
Sanctus Mignoccus.
Jo. Maria Brixianus.
Nazarius Boturius, quondam Hyppoliti.
Aloyſius de Pomalibus.
Dominicus Ferrettus, quondam M. Antonii.
Jo. Maria de Bertis.
Paulus Morandus, quondam Nazarii.
Petrus de Voltis.
Petrus Bagnatus.
Bartholomæus Ferrardus, quondam Jo. Baptiſtæ.
Bernardinus Moratus, quondam Auguſtini.
Vincentius Beſcus.
Jo. Botturrus, quondam Joitæ.
Jo. Jacobus Boſcus, quondam Pauli.
Andreas Pellegretus, quondam Franciſci.
Bernardinus Fenettus.
Paulus Bertaſius, quondam Aloyſii.
Joſeph de Recuperatis.
Joſeph Crottus, quondam Jacobi.
Bernardinus Berſanellus.
Jo. Baptiſta Sparrinus.
Bartholomæus de Zelinis, quondam Jo. Baptiſtæ.
Jo. Baptiſta Boturrus, quondam Horatii.
Laurentius Boturrus.
Franciſcus Sigurtadus, quondam Nazarii.
Petrus Candrina, quondam Joſephi.

Bernar-

Bernardinus de Barzira.
Petrus Viganicus.
Capus Jo. Paulus Cattaneus.
Aloysius Boturrus, quondam Bartholomaei.
Joseph de Senegaleis.

Per parte de Signori del Consiglio con l' Aggionta di questa Communità, è stato esposto, sicome è stato esposto ne giorni passati capitato in questa Città l' Illmo Sigr Dottor Manni di Brescia scielto in Auvocato della Communità medema per discutire, in punto di raggione, le pendenti controversie col Signor Prencipe inanti l' Imperiale Commissione in contraditorio con altro sogetto eletto dal canto del Signor Prencipe stesso & effettuandosi tal discutione maturatissimamente, col mezzo di replicate sessioni; havendo detti Signori dell' accennato Consiglio compreso dalle vive ragioni hinc inde allegatesi, quanto difficile riuscir debba, che S. E. il Signor Commissario intraprenda la decisione de jure sopradette pendenze, e giusto il desideratosi, e decretatosi nell' ultimo Consiglio presosi per capita domorum; mà che anzi vorrà il Signor Commissario medemo riferire col suo voto alla Maestà Cesarea supromo Signore, & attenderne i Sovrani suoi Oracoli il conseguimento de quali, perche non può, che dilationarsi al quanto, con rimaner frà tanto questo Publico sogiaciuto, & obligato alla continuatione de dispendi, & agitationi pensano espediente li Signori Auvocati sudetti di progettare un raggionevole componimento, col mezzo del quale venisse al Signor Prencipe limitata rendita annuale bastevole à sostenere la sua Conditione, e tollerabile della Mischinità di questi dissolutissimi sudditi, come pare per ogni titolo, non si possa Sfuggire. In ordine à che anche elaboratosi virilmente sono seguiti i progetti infra descritti, i quali doppo ben pesata considerazione con non men zelo al publico interesse, che di veder à questo infelicissimo stato ridonata la quiete; sono stati da prememorati Signori del Consiglio con l' aggionta accettati ed quando pero uenghono accettati ed admessi dalla presente vicinia, e non altrimenti, nè in altro modo, e vi concorra pure l' emologatione, e conferma della M. S. e come meglio in detti Capitoli del tenor seguente cioè:

Essendosi degnata la Maestà di Cesarea Supremo Signore, con più suoi Clementissimi Rescritti, di giudicare à favore del Sig. Principe D. Francesco Gonzaga, conosciuti li fondamenti incontrastabili delle sue ragioni, il Possesso de Rediti di Medole per quanto spetta agl' Appannaggi, da esso Sig. goduti, e posseduti pacificamente per molt'anni, non ostante qualsivoglia insussistente, e falsa rimostranza in contrario, degl' Huomini sollevati di Medole, sempre riggettata, e d'ordinare stessamente à S. E. il Conte Carlo Borromeo Commissario Imperiale con replicati comandi di farlo per via di Militar esecutione reintegrare d'ogni decorsa somma, emantenerlo nel suo Possesso; Perciò detto Principe D. Francesco pressentendo, che la Communità di Medole, procuri deviare, e tentar causa con altri, per non perder punto sì delle sue antiche ragioni, che delle nuove per detto giuditio Cesareo più volte seguito del suo Possesso, protesta solennemente, & in ogni miglior forma, che non sia sentita detta Communità, e quando questa dopò esser stato effettivamente reintegrato detto Prencipe di tutte le decorse somme, e danni patiti, si come pure d'essere nell'attuale godimento d'ogni suo Dirito, secondo il solito tentasse movere qualche littiggio in Petitorio, ciò debba seguire verso la sua Persona legitimo Possessore, che per niun conto deve, nè vuole dipartirsi dalle sue ragioni, mà difenterle com è suo obligo fino agl'ultimi sforzi contro li Turbatori, & fà istanza tale Protesta sia publicata, e posta negl'atti &c.

Copia di Memoriale doveva essere presentato à S. E. il Sig. Principe D. Francesco Gonzaga, dalla Communità di Medole, con Decreto, di Vicinia, ò sia Consiglio Generale, cosi convenuto, e stabilito fino dal mese d'Aprile 1695. B.

La Communità di Medole, sempre rassegnata all' intiera ubbidienza degl'Augustissimi Decreti della Maestà di Cesare, e delle insinuationi dell'Excell. Sig. Conte Carlo Borromeo, Commissario Imperiale, riconosce dover pagare à V. E. le mesate, che li Signori Principi di Castiglione hanno sempre esatte dal Feudo di Medole: e V. E. medemamente per molt'anni, e però, ritrovandosi in grandi miserie, le quali ponno ben esser note à V. E. hà stimato ricorrere, come umilmente fà, alla Pietà di V. E.

Supplicandola con tutto lo spirito restar servita compassionare lo Stato della Communità Supplicante, e compartirle gl'atti della sua generosità, colle conditioni, Che V. E. in ordine al modo, e dilatione de pagamenti si degnarà imporle. Che della gratia &c.

Copia del Capitolo di lettera di S. E. il Sig. Conte Carlo Borromeo Commissario Imperiale sotto il giorno 13 Aprile 1695. indicante l'accettamento delle conditioni restorno stabilite, per parte della Communità di Medole, diretta à S. E. il Sig. Principe D. Francesco Gonzaga. C.

M'assicura in sua lettera 10. corrente, che accettarà tutte le conditioni furono intese, e già rimesse al Fiscal Coradini, perche ne stipulasse il contratto &c.

Copia di protesta di S. E. il Sig. Principe D. Francesco di Castiglione 2. Settembre 1699. D.

Ha sempre procurato il Sig. Principe D. Francesco di Castiglione, di sostenere le sue raggioni sì antiche, che nuove per li moltiplicati Rescritti, e comandi di S. M. Cesarea Clementiss. Sig., contro la Communità di Medole, nelle forme possibili durante l'orrida oppressione, alla quale è costretto di soggiacere, con inudita violenza fino ad esser spogliato d'alimento per lo spatio di dieci anni già scorsi; Perilche conosciuto à principio, che detta Communità tentava contro l'espressa mente Augustissima esimersi dal suo debito, etiandio colla prattica de'mezzi molto improprii, detto Principe à fine non le venisse fatto qualche supplanto, ed aggravio senza sua participatione protestò solennemente come dall'annessa, presentata, e posta negl'atti il 4. Ottobre 1694. indi in occasione di dover publicare alcune giustificationi in stampa, alle quali &c. come negl'atti &c. sotto li 4. Luglio 1695. vi fù

pure

pure inserita necessariamente tale protesta, acciò non sene potesse mai allegare ignoranza. Non ostante però che detta Protesta sia in vigore, e che detto Principe non possa mai credere si debba operare, ò determinare cos'alcuna in suo pregiuditio, senza sua scienza, ò consenso in materia degl'Appannaggi à se spettanti, hà nulladimeno nuovamente stimato reiterarla in ogni migliore, e più ampia forma, contr'ogn'atto fosse fatto, ò da farsi, volendo esso Sig. Principe in ogni, e qualunque maniera possibile, sostennere quanto le appartiene sì per il suo possesso, che per le ragioni si antiche, che nuove, ne mai rilasciarle, secondo l'obligo non meno delle giustitia, che le assiste, che della sua conditione, in ordine alla quale Protesta stessamente per ogni incoveniente, che in qualsivoglia modo, e tempo potesse insorgere.

Milano 2. Settembre 1699.

E. *Copia di Memoriale della Communità di Medole fatto tenere da S. E. Sig. Conte Borromeo al Sig. Principe D. Francesco.*

Illmo, & Eccellmo Sig. Sig. e Padne Colmo.

Sarebbe somma ventura, che questa Communità havesse in pronto tutto il denaro per sodisfare le mesate scadute, e per rendere servita l'E. V. e per esser essa sgrauata, come desidera, da ogni peso; mà come che quivi l'abondanza solo si prova nelle miserie, è astretta à porgere merito all'E. V. d'vn pieno compatimento à tante calamità, che sarebbe souerchio, e quasi crudele l'ennumerarle, mentre pur troppo le deuon esser note, e commiserate. La supplichiamo per tanto riverentissimi à concederci per il pagamento di quanto le siamo fatti debitori, per esse mesate quelle dilationi maggiori, che pur deuon esser grandi, se proportionate al di lei animo, se adattate alle nostre necessità, e siamo sicuri d'ottenerle, sul rifflesso, che ben conoscerà la prudenza finissima dell'E. V. d'usare non solo gl'atti della sua benignità verso noi, mà d'amore verso la sua Casa Eccell. dando respiro ad un Corpo, che di Communità non si può dire che Cadavere. Mentre ci abbandoniamo alle gratie di V. E. riverentemente inchinandola, ci fermiamo.

Di V. E. Medole 17. Ottobre 1699.

Humilmi Divotmi & Obligmi Servi

Li Reggenti della Communità di Medole, e per essi

Io Camillo Tonini Cancell.

F. *Copia di Rescritto al Memoriale della Communità di Medole per ordine di S. E. il Sig. Principe.*

L'Eccell. Sig. Principe D. Francesco Gonzaga di Castiglione hà in ogni congiuntura dato à conoscere al Mondo l'ottima sua volontà, ed intentione verso la Communnità di Medole, come appare da manifesti, e stampe publicate, oltre l'auer fatti più volte penetrare alla stessa amorevoli, e salutari ricordi per il suo vero bene, e degnandosi anche di presente l'E. S. non ostante i più forti motivi in contrario, per li notorii recessi ne scorsi maneggi, di pratticare il solito sentimento di benignità.

Disposta che sij veramente questa volta la Communità, con sincera fede alla dovuta umigliatione, all'emenda del seguito nel lungo corso di dieci anni, e più contro il Sig. Principe, & alla necessità urgentissima di sgravarsi d'ogni peso, il quale maturamente considerato nel capitale, che sempre s'aumenta, negl'interessi decorsi, e correnti, nelle spese, e danni, chiaramente può arguirsi valevole con tempo à causare gravissimi mali, e forsi vna voragine capace d'assorbire le publiche, e private sostanze.

Spedisca immediatamente à Milano Deputati con facultà totale, e pieno potere dalla Vicinia, ò sia Consiglio Generale.

Primo, Per le dimostrationi più proprie, e convenienti al Grado del Sig. Principe, & alla qualità de Casi verso la sua Persona.

Secondo, Per offerire, e prestare in effetto le sigortà idonee à piacimento, per tutto quello spetta di ragione à S. E.

Terzo, Per stabilire, e stipulare qualsivoglia atto necessario negl'affari pendenti collo stesso Sig. Principe, e confidi nella Clemenza dell'E. S. la quale (salvo il suo Onore, e li suoi Diritti, come sempre, nè mai recedendo pur un punto dalle dispositioni de Cesarei Decreti à suo fauore, e della Giustitia che le assiste, in caso di trattato non conchiuso, e ratificato, con tutte le formalità, e sicurezze) sia per concorrere benignamente all'oblivione di tutto il passato, ed alla facilità possibile al presentaneo suo stato, quanto à pagamenti.

Milano 21. Novembre 1699.

Per Ordine di S. E.

G. COPIE DE SESCRITTI CESAREI A favore del Principe Don Francesco di Castiglione à S. E. il Sig. Conte Borromeo Commissario Imperiale.

LEOPOLDUS &c.

Illustris &c. Qualiter nobis Illustris Franciscus Princeps Castilionis causa Appanagii annui, sibi à Communione Medularum debiti supplicaverit, quidque hoc opposuerit, ex annexis utriusque libellis ulterius intelliges.

Quemadmodum itaque iustum æquumque censemus, ut quod hujus causa restat, ipsi debitè persolvatur, clementer a te postulamus, ut Subditos Medulenses, non attentis, sed rejectis dictis eorum exceptionibus ex auctoritate nostra Cæsarea, hisce tibi benignè concessa, ad solutionem totius debiti restantis & liquidati, executionis via adigere velis. Quod reliquum est, gratiam nostram Cæsaream tibi conservamus. 27. Augusti 1692.

LEOPOLDUS &c.

Illustris &c. Accepimus litteras tuas ratione Appannagii Principi Francisco Gonzagæ à Communitate Medulensi solvendi, trigesima Decembris nuper elapsi datas, porrectæ nobis, & dictæ Communitatis nomine novæ exceptiones; Quæ verò cum magis Principem Regnantem Ferdinandum, quam antedictum Principem Franciscum concernant, benignè jubemus, ut rejectis illis, injunctos mille quinquecentum Ducatos à Subditis Medulensibus realiter exequaris, pro residuo verò, si liquidatio nondum facta sit, eam promoveas, & tunc proveniens,

niens, & restans liquidum, pariter per realem executionem Principi Francisco exsolvi cures. Et Nos, quod reliquum est, tibi gratiam nostram Cæsaream conservamus. 19. Januarij 1693.

LEOPOLDUS &c.

Illustris &c. Postquam litteras tuas decima septima Martii nuperi datas cum relatione Subdelegati tui accepimus, Nobis Princeps Franciscus Gonzaga annexum libellum exhibuit.

Ut itaque tandem effectu Rescriptorum nostrorum potiatur, benignè jubemus, ut mille quingentos Ducatos sine ulla interposita mora à Communitate Medullensi exequaris, sicque in istis circumstantiis, non aliam, quam factæ solutionis exceptionem, & probationem, vel ex Instrumento de anno millesimo sexcentesimo secundo adferat, alias Communitatis exceptiones non admittas, sed iis rejectis, ad reliquam adhuc ex liquidatione restantem summam debitores adigas, eoque memoratum Principem in possessione perceptionis Appanagii conserves. Et Nos, quod reliquum est, gratiam nostram Cæsaream tibi pronam volumus. 9. Aprilis 1693.

Lunæ 18. Maji 1693.

Medullensis Communitas contrà Principem Castilionensem commissionis in puncto solutionis Appanagii Aloysius Belhomus Sacerdos exhibente Deiterich, sub præsentato 14. Junii, producit humillimas in Jure & facto fundatas exceptiones sub- & obreptionis ad rescriptum de 6. & 9. Aprilis nuperi, cum adjunctis A. B. C. & D.

Remittantur Supplicantes ad Commissarium, & tenorem Rescriptorum in puncto solutionis, executionis, quibus præviis, si posteà rationes suas deducere velint, id ipsis liberum relinquitur.

Franciscus Winandus de Bertram &c.

LEOPOLDUS &c.

Illustris &c. Ex litteris tuis octava, & decima Junii proximè præterlapsi datis, annexaque relatione pluribus clementer intelleximus, quid ratione Appanagii à Communitate Medullensi Principi Francisco Gonzagæ debiti feceris.

Quoniam igitur Communitas illa, sub præsentato prima Julii nuperi pro restantibus quatuor mille quingentis Ducatis annuum censum, in capitali, vel contractum libellarium se obtulisse asserat, sub cautione certæ solutionis annuæ pensionis, ad evitandam realem executionem, Principem Franciscum eò disponere studeas, ut istam oblationem acceptare, & executionis effectum suspendere velit; Sin autem ille rejecta oblatione executionis prosecutionem omnibus modis urgeret, eandem sine ulteriore mora, juxta priores Ordinationes nostras Imperiales ipsi impertiaris, & ad eam realiter contrà contumaces perficiendam, militarem adhibeas manum à Generali nostro Comite de Caprara, ad quem in causa Castilionensi Rescriptum accipies, tibi submittendam, cum rationes à Communitate decima quarta Septembris nuperi exhibitæ, solutionem Appanagii remorari non possint, sed ad petitorium pertineant; De reliquo tibi gratiam nostram Cæsaream confirmamus. 6. Novembris 1693.

Veneris 17. Decembris 1694.

Castilionis Princeps Franciscus Gonzaga in puncto Appanagii contra Communitatem Medullensem in litteris ad Sacram Cæsaream Majestatem datis 6. Octobris, & præsentatis 5. Novembris nuperi supplicat pro ultima ordinatione in terminis magis seriis.

Rescribatur Commissario, non dubitare S. C. Majestatem, quin occasione militiæ illic commorantis etiam Principis Francisci satisfactionem juxtà priora Rescripta procuraverit, & adhuc procuret, super quo S. C. Majestas ipsius informationem expectet.

Franciscus Winandus de Bertram.

XXXVIII.

Josephi, Roman. Imperatoris, Diploma, quo Marchiones de Gonzaga, in ipso Diplomate nominatos, Principum Sacri Rom. Imperii dignitate, Privilegiis & Juribus condecoravit atque donavit, de An. 170-

JOsephus Leopoldus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Würtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferreti, Kiburgi, & Goritiæ; Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam. Agnoscimus, & notum facimus vigore præsentium Universis. Cum nihil magis Cæsaream gloriam deceat, quam Illustres Familias, præclarissimisque virtutum titulis de Sacro Romanorum Imperio, & de Augusta nostra Austriæ Domo emeritas, semper clementi nostra protectione fovere, ut earum descendentes in perpetuum non solum gratiis, & Prærogativis Avorum studio partis pacifice fruantur, sed antiquis meritis novorum pondera meritorum addentes, egregia semper priorum exempla imitati, novæ laudis exempla posteris relinquant. Cumque Illustrissimi nobiles, Dilecti Viri, Sacri Romani Imperii Principes, & Mantuæ Marchiones Franciscus Gaetanus, ejusque frater Ferdinandus Carolus; Octavius, ejusque fratres Joannes, & Joannes Franciscus, patruique Aloysius, & Ascanius; Franciscus Jordanus, ejusque fratres Nicolas, & Ferrantes; Aloysius, ejusque fratres Ferdinandus, & Carolus, patruusque Franciscus, omnes de Illustri, & ingenua Domo Gonzaga, à Joanne Francisco Mantuæ primo Marchione naturaliter, & legitimè descendentes, prout Nobis

bis constat, contra cujusdam assertæ Deputationis Mantuanæ attentata ad sublime Justitiæ nostræ solium confugerint, & Nobis cum deductione suorum Jurium & Privilegiorum supplices preces porrexerint, quarum tenor de verbo ad verbum hic sequitur cum documentis authenticis.

Nos eorum Titulis, Juribus, Privilegiis, consuetudinibus serio perpensis, & rite discussis ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac sano, Nostrorum, ac Sacri Imperii fidelium accedente consilio, declaramus & sententiamus, præfatos Sacri Rom. Imp. Principes, & Mantuæ Marchiones, Franciscum Gaetanum, ejusque fratrem Ferdinandum Carolum; Octavium, ejusque fratres Joannem, & Joannem Franciscum, patruosque Aloysium & Ascanium; Franciscum Jordanum, ejusque fratres Nicolaum & Ferrantem; Aloysium, ejusque fratres Ferdinandum & Carolum, patruumque Franciscum in Sacro Roman. Imper. & præcipue in Mantuana ditione à cunctis oneribus publicis, Datiis, Gabellis, Allogiis, Taxis, Taleis, Collectis, Subcollectis, etiam nomine Contributionum esse, & fuisse semper immunes, ne quidquam facessente quadam præstatione spontanea, per eos aliquando exhibita in subsidium, levamenque publicum; Ex actibus enim voluntariis nullum inferri potuit præjudicium prærogativis, libertatibus, exemptionibusque iis, quas a Deo, a Natura, a Divis Imperatoribus, & ab immemorabili consuetudine possident, & possidere debent. Præsumptos idcirco Deputatos temere & inique egisse contra dictorum Principum & Marchionum Jura attentando, & permittendo contra ipsa a rusticis usque Deputatis attentari: Quapropter volumus & jubemus, Dilectos nostros in Mantuana Urbe, & statu Administratores serio incumbere, ut attentata, quæ hactenus purgata non fuerint, statim purgentur, sumptibus & expensis prædictæ Deputationis, sive Deputatorum, Laicorum tamen, qui in pœnam, unus pro altero, sicut socii criminis, compellentur ad restituendum dictis Principibus & Marchionibus, quidquid eis extortum fuerit, vel in natura, vel in pecunia, & ad reficiendum eis quodcunque damnum passi fuerint ex prædictis attentatis. Si vero ipsi Principes & Marchiones tam Laici, quam Ecclesiastici aliquid præstaverint vel in natura, vel in pecunia, titulo & nomine spontaneæ etiam exhibitionis, aut voluntariæ oblationis, cum Nobis compertum sit, eos ad istam non devenisse, nisi coacte ex metu eis incusso Cæsareæ nostræ indignationis, volumus, præcipimus & mandamus, eos statim restitui in integrum ex Cassa, quæ Mantuæ Publici vocatur. Utque eorum Privilegia, & Prærogativas in posterum, ac perpetuo tueamur, nullusque audeat contra ipsa, & ipsas temere deinceps attentare, humillimis laudatorum Principum & Marchionum precibus benigniter annuentes, ea, qua fungimur, auctoritate Cæsarea, & de ejus plenitudine, in nomine Dei omnipotentis, a quo omnis Principatus, honor & dignitas, eosdem Principes & Marchiones, Franciscum Gaetanum, ejusque fratrem Ferdinandum Carolum; Octavium ejusque Fratres Joannem & Joannem Franciscum, patruosque Aloysium & Ascanium; Franciscum Jordanum, ejusque fratres Nicolaum & Ferrantem; Aloysium, ejusque fratres Ferdinandum & Carolum, patruumque Franciscum, eorumque posteros ex iis legitime descendentes in veros Principes Imperiales, & Mantuæ Marchiones, inhærentes super enarratis Sigismundi & Rudolphi Imperatorum Privilegiis, confirmavimus, & de novo, quatenus opus esset, ereximus, sublimavimus, extulimus & exaltavimus, aliorumque nostrorum, & Sacri Imperii Principum numero, cœtui & consortio aggregavimus, prout per præsentes confirmamus, erigimus, sublimamus, extollimus, exaltamus & aggregamus. Decernentes, & hoc Cæsareo edicto firmissime statuentes, ut posthac futuris perpetuo temporibus prædicti Franciscus Gaetanus ejusque frater Ferdinandus Carolus; Octavius, ejusque fratres Joannes, & Joannes Franciscus, patruique Aloysius & Ascanius; Franciscus Jordanus, ejusque fratres Nicolas & Ferrantes; Aloysius ejusque fratres Ferdinandus & Carolus, patruusque Franciscus ac eorum Hæredes, & descendentes legitimi, virtute hujus nostræ confirmationis, erectionis, sublimationis, exaltationis & translationis, ab hac hora in perpetuum nominentur, nuncupentur & reputentur, tam in scriptis, quam viva voce, aut alias, quotiescunque, seu quomodolibet illorum mentio facienda erit, Imperii Principes, salvis etiam, & in suo statu permanentibus antiquis ac genuinis eorum Illustribus Titulis, & Dignitatibus à Majoribus & Prædecessoribus ipsorum per manus acceptis. Quodque tanquam Imperii Principes induti, ac vestiti proxime assideant Principibus Sacri Imperii, eorum denique Principum in solemnibus usitato amictu, & in Actibus, uti moris est, omnibusque & singulis honoribus, dignitatibus, prærogativis, exemptionibusque à Datiis, Gabellis, Allogiis, Taxis, Taleis, Collectis, Subcollectis, etiam sub nomine Contributionum, & Præeminentiis, Libertatibus, Juribus, Privilegiis, Insignibus, Gratiis, Indultis, Regalibus, & præsertim iis omnibus, de quibus in supracitatis Diplomatibus Imperatorum Sigismundi & Rudolphi, quæ in omnibus eorum partibus, quatenus opus sit, motu proprio, auctoritate nostra Cæsarea, deque plenitudine potestatis nostræ, ac nostrorum, & Sacri Imperii fidelium accedente consilio approbamus, roboramus, ratificamus & confirmamus, & aliis quibuscunque in Judicio, & extra, in omnibus rebus, statibus & causis, tam spiritualibus, quam temporalibus, ecclesiasticis, & profanis sessionibus, ac alias ubique; & in locis omnibus gaudere, uti, ac frui debeant & possint, quibus alii nostri, & Sacri Rom. Imp. Principes per idem Romanum Imperium, & ubique locorum & terrarum in dandis & recipiendis Feudis, ac in aliis omnibus & singulis ad illustrem statum & conditionem Principum spectantibus gaudent, utuntur, fruuntur & potiuntur, ac hactenus gavisi, usi ac potiti sunt quomodolibet, consuetudine, vel de jure: salvis tamen tum Nostra & Sacri Romani Imperii superioritate & directo Dominio, feudalique obsequio, & aliorum quorumvis juribus, quibus per hanc Nostram confirmationem & erectionem nullatenus derogare, seu præjudicare intendimus. Quocirca serio, & expresse mandamus universis & singulis Electoribus, aliisque Sacri Rom. Imp. Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus,

Baro-

Baronibus, Militibus, Nobilibus & Ignobilibus, Clientibus, Capitaneis & Vicedominis, Præfectis, Magistratibus, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Civium magistris, Judicibus, Consulibus, Heroaldis, Caduceatoribus, civibus, municipiis, ac omnibus denique Nostris, & Sacri Rom. Imperii Regnorumque & Dominiorum nostrorum Hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, ut sæpe nominatos Franciscum Gaetanum, ejusque fratrem Ferdinandum Carolum; Octavium, ejusque fratres Joannem, & Joannem Franciscum, patruosque Aloysium & Ascanium; Franciscum Jordanum, ejusque fratres Nicolaum & Ferrantem; Aloysium, ejusque fratres Ferdinandum & Carolum, patruumque Franciscum omnes de Gonzaga, dictosque eorum Hæredes & Descendentes ex legitimo tamen matrimonio natos & nascituros in infinitum, ex hoc tempore in futurum, ac perpetuo Principes Imperii nominent, reputent & honorent, ipsosque dictis Privilegiis, Juribus, Honoribus, Dignitatibus, Libertatibus, Insignibus, Regalibus, Præeminentiis & Exemptionibus ab omni Datia, Gabella, Allogiis, Taxis, Taleis, Collectis; Subcollectis etiam sub contributionum nomine, & prærogativis, gratiis & indultis libere, pacifice, ac sine omni impedimento gaudere, uti, frui & potiri sinant; Cumque dicti Principes & Marchiones in Mantuana Ditione iis omnibus præcipue gaudere, uti, frui, potiri debeant, ita ut nullus in ea nec æqualibus, nec majoribus immunitatibus gaudere, uti, frui, potiri queat, sicuti nec generis præstantia, nec Avorum virtute, nec Titulorum splendore eis est in eadem ullus nec major, nec æqualis; ideo Dilectis Nostris Mantuæ Administratoribus serio mandamus, jubemus & præcipimus, ut ipsi eos Principes Sacri Romani Imperii, tam viva voce, omnique honore, dignitate, titulo, præeminentia, Sacri Romani Imperii Principibus debita, prosequantur, & a cæteris omnibus prosequi curent, eorumque Domos, tam in urbe, quam ruri, terras & prædia a militibus vacua, eorumque bona cujuscunque generis, eorumque colonos tum temporaneos, tum perpetuos, liberos & immunes à quacunque Gabella, Datio, Taxa, Talea, Allogiis, Collectis, subcollectis etiam sub nomine contributionum, & ab omni onere vel reali, vel personali servent & manuteneant, dictisque Principibus & Marchionibus semper licitum sit, fructus provenientes ex eorum fundis, quoquo libet, etiam extra statum sine ullo impedimento asportare, seu facere asportari; nec aliquo pacto in iis omnibus impediant seu perturbent, sed potius tueantur, manuteneant & defendant, ac contrarium non faciant, nec fieri procurent, vel permittant quovis modo. Quatenus &c.

XXXIX.

Josephi, Romanorum Imperatoris Literæ, quibus Octavio, Marchioni de Gonzaga, portiones in Castro & loco Vescovati ad eum spectantes in feudum contulit, d. d. 17. Maji, Anno 1709.

JOSEPHUS, (*Titulus integer,*)

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Illustris Noster, & Sacri Romani Imperii Princeps ac fidelis dilectus, Octavius ex Marchionibus de Gonzaga, humillime exponendum curarit, a Genitore ac Prædecessore Nostro Colendissimo, Leopoldo, Romanorum Imperatore, gloriosissimæ memoriæ, patrem quondam suum, Pyrrum Mariam Carolum de quinque ex sex partibus castri & loci Vescovati, in agro Cremonensi siti, pro rata portionis suæ, & de quarta parte pro Avo olim suo, per Marchionem Fulvium, ejusdem propatruum donata: nec non de quinque ex sex partibus atque alia sexta parte, uti & alia adhuc parte, quondam Marchioni Francisco, a Propatruo suo Joanne Sigismundo vendita, quas, prævio assensu Cæsareo, dictus Avus suus a Carolo Bartholomæo & Sigismundo, Marchionibus de Gonzaga, dicti feudi Vescovati condominis, emerit, die decima septima Maji Anni Millesimi sexcentesimi sexagesimi octavi clementer investitum fuisse, uti ex tenore Investituræ, Instrumentorumque assensus Cæsarei, emptionisque & venditionis subinsertorum plenius videre sit:

Inserantur priores Investituræ:

Et nunc porro supradictus Marchio Octavius de Gonzaga suppliciter Nos rogarit, ut, quandoquidem præfatus pater suus, Pyrrus Maria Carolus ultimam diem clauserit, justa obsequia præstare desideret paratusque sit, Nos Investituram prædictam in optima forma renovare, adeoque se de partibus Castri, & loci Vescovati in illa specificatis clementer investire atque infeudare, nec non & ordinem primogenituræ prædicto anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono memorato quondam Avo suo constitutum atque concessum confirmare dignaremur. Nos utique benigne considerantes multifaria ac laudata constantis fidei ac devotionis officia, quibus Illustris familia Gonzagiana, ac defunctus etiam Marchio Pyrrus Maria Carolus, Sacrum Romanum Imperium, Divosque Imperatores ac Reges, Prædecessores Nostros gloriosissimos, Nosque & Augustam Domum Nostram Austriacam sedulo semper coluit, ac Nobis persuasum habentes, fore, ut posthac & ipse supplicans Marchio Octavius Majorum suorum exemplo excitatus, avita sequatur vestigia, eodemque Nos, Successoresque Nostros ac Sacrum Romanum Imperium addictæ fidei, devotionis & obsequii cultu demereri studeat, submississimis ejusdem precibus benigne censuerimus subscribendum.

Ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, & sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis Nostræ plenitudine, prænominatum Octavium, Marchionem de Gonzaga, tam de quinque illis ex sex partibus dicti castri & loci Vescovati pro rata portionis suæ, prout supra dictum est, quam etiam de quarta parte Proavo quondam suo per Marchionem Fulvium Propatruum ipsius donata: nec non de quinque ex sex partibus: & alia sexta parte, atque iterum alia parte, a supra memoratis Carolo Bartholomæo & Sigismundo Marchioni-

chioni-

ctionibus de Gonzaga, cum assensu & approbatione Cæsarea emptis supra insertis, imprimis venditionis, electionum, cessionum & renunciationum instrumentis, quantum quidem ad investituræ hujus validitatem ea faciunt, uti & instituto a Nobis primogenituræ ordine benigne confirmatis, una cum ejusdem castri territoriis, confinibus, pertinentiis, datiis, gabellis, exemptionibus, consuetudinibus, jurisdictionibus, mero ac mixto Imperio, gladiique potestate universa, jure feudi antiqui, nobilis, franchi ac liberi, recepto tamen prius ab honorabili, docto & fideli Nobis dilecto Philippo Wilhelmo de Würz, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, sufficiente ad id mandato legitime instructo, superinde consueto subjectionis ac fidelitatis juramento juxta supradictæ ordinem Primogenituræ, clementer investiverimus atque infeudaverimus, prout harum virtute ex certa scientia gratiose investimus & infeudamus, volentes, expresseque decernentes, quod prædictus Marchio Octavius, ipsiusque hæredes secundum supra insertum Primogenituræ ordinem ac legem omnes memoratas castri & loci Vescovati partes a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum antiquum, nobile ac liberum habere, tenere & possidere valeant, supplentes quoscunque defectus, tam juris quam facti, qui in præmissis, vel ob temporis lapsum, vel alias intervenerunt, aut intervenisse dici vel allegari possent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ specialem hic & individuam mentionem requirerent, quibus quidem omnibus & singulis, quatenus obstarent, vel obstare quoquo modo possent, eadem scientia autoritateque Nostra Cæsarea in hoc duntaxat casu, in vim motus proprii, totaliter derogamus, & sufficienter derogatum esse volumus per præsentes, Nostris tamen, Sacrique Imperii, & cujusvis alterius juribus in his per omnia salvis, atque illæsis. Nulli ergo hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ extiterit, liceat hanc nostræ investituræ, infeudationis, confirmationis, suppletionis, derogationis, decreti, voluntatis ac gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, is gravissimam Nostram & Sacri Imperii indignationem, ac pœnam quinquaginta marcarum auri puri fisco, seu ærario Nostro Imperiali & parti læsæ ex æquo toties, quoties contra factum fuerit, irremissibiliter persolvendam se noverit ipso facto incursurum, harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Viennæ, die 17. Maji 1709.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo; Viennæ 5. Aug. A. 1710.

Rab. Herm. de Bertram.
Secretar. & Archiv.

(L.S.)

XL.

Instrumenta, in quibus Domini Marchiones e familia Gonzagana oriundi, se a tributis in Ducatu Mantuano indictis, aliisque oneribus publicis semper exemptos fuisse asseruerunt, atque adversus omnes actus huic exemtioni contrarios solenniter protestati sunt, de Anno 1684. & 1709.

Traditio Scripturæ, per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Marchionem Sigismundum Gonzagam &c.

In Christi Nomine Amen. Anno ab ejusdem nativitate millesimo sexcentesimo octogesimo quarto, indictione septima die Sabbati, vigesima sexta Februarii, Regnante Invictissimo D. D. Leopoldo Dei gratia, Romanorum Rege, Imperatore electo, Mantuæ, & in Palatio solitæ habitationis infrascripti Excellentissimi Domini Marchionis Sigismundi, *Præfecti* majoris Serenissimæ Dominæ nostræ, D. *Ducissæ* Mantuæ, Montisferrati, Guastallæ &c. sito in Contrata Unicornu: Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Marchio Sigismundus Gonzaga, in præsentia, cumque consensu Illustrissimorum & Excellentissimorum D. D. Marchionum Pyrrhi Mariæ, & Federici pariter de Gonzaga, omnes ex Marchionibus Mantuæ, Sacrique Rom. Imperii Principes &c. videntibus infrascriptis testibus, tradidit mihi Notario præsentem scripturam clausam, & quinque sigillis munitam, quam ipsi Excellentissimi D. D. Marchiones unanimes declaraverunt fuisse, ac esse scriptam de ipsorum mutua voluntate ac mandato, subscriptamque propriis respective manibus, & continere ipsorum animi declarationem, cum reservationibus, ac aliis in eadem scriptura expressis, instantes, prout institerunt omnibus ac singulis in ea contentis, quandocumque, & suis loco & tempore debitam haberi rationem omni meliori modo &c. salvo &c. non aperiendam tamen nisi ad ipsorum Excellentissimorum D.D. Marchionum, sive Hæredum aut quorumcunque ab Excellentiis suis causam habiturorum, prout ita &c. omni &c. præsentibus multum Illustri D. Joanne Baptista, filio quondam Domini Christophori de Fantuchiis, Contratæ Pusterlæ, & multum Illustri Domino Joanne Philippo, filio quondam Excellentissimi Domini Doctoris Caroli de Malvoltis Contratæ Cornu testibus notis &c.

Ego Joseph Vacbellius, Notarius rogatus.

In Christi Nomine Amen, Anno ab ejusdem Nativitate 1709. Indictione 2da die Jovis, 3tia Mensis Octobris, circa horam primam noctis pluribus luminibus accensis, Regente Invictissimo D. D. Josepho Primo Dei gratia, Rom. Rege, Imperatore electo, Mantuæ, & in Palatio solitæ habitationis infrascripti Excellentissimi ac Reverend. Domini Marchionis Abbatis, sitæ in Contrata Unicornu, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Marchio Franciscus Cajetanus, natus olim supranominati Excellentissimi Marchionis Sigismundi, agens infrascripta

pta etiam nomine Excellentissimi D. Marchionis, ejus fratris, & in præsentia cumque consensu Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominæ Marchionissæ, Donnæ Mariæ Rosæ de Trottis, Viduæ quondam Excellentissimi Domini Marchionis Octavii, uti Tutricis & Administratricis Illustrissimi & Excellentissimi Domini Marchionis Pyrrhi, ejus Filii, ac Illustrissimorum & Excellentissimorum D. D. Marchionis Aloysii, Reverendissimi Abbatis Joannis, & Reverendissimi Primicerii Ferdinandi, omnium de Gonzaga, & ex Marchionibus Mantuæ, Sacrique R. Imperii Principum &c. videntibus infrascriptis Testibus. Sic ipsis instantibus ego Notarius infrascriptus aperui præsentem scripturam protestationis clausam quinque sigillis, firmatam cera forti, existentem in Rogitibus olim Domini Joseph Vachellii, Notarii, genitoris mei infrascripti, quæ ab ipsismet D. D. Marchionibus fuit lecta, affirmantibus, esse subscriptam manibus & caracteribus respective olim Excellentissimorum D. D. Marchionum Sigismundi, Pyrrhi Mariæ, Francisci, ac Federici omnium de Gonzaga, eorumdem respective Antecessorum, instantiumque sibi tradi illius copiam in forma probanti, & ita &c. præsentibus Domino Antonio, fil. quondam Laurentii de Artonis Contratæ Vnicornu jurante de cognitione &c. Me Sebastiano, fil. quondam Julii de Maronis & Joseph fil. Alexandri de Truzzis, ambobus famulis prædictorum Excellentissimorum D. D. Marchionis Abbatis Joannis, & Aloysii &c. Testibus &c. In quorum &c.

Antonius Cajetanus Vachellus,
Notarius de dicta aperitione rogatus
scripsit & subscripsit.

Sequitur tenor suprascriptæ Declarationis, de qua supra, videlicet:

Mantoua li 23. Febraro 1684.

Avendo S. A. S. con sua lettera particolare delli 23. Giugno dell' Anno scaduto 1683. notificato à noi infrascritti della Casa de Sigri Marchesi di Mantoua à dar nota distinta de nostri Beni rispettivamente posseduti in questo stato, e Territorio di Mantoua, e Privilegi dell' esenzione, abbiamo noi infrascritti in esecuzione de benigni comandi della medma Altezza presentata la sudta nota distinta nelle mani del Signor Notaro Anibale Paganini, con li fondamenti legali dell' esenzione rispettivamente proveniente per la qualità della nostra Casata, che sempre ne hà goduto un pieno, e quieto possesso non mai interrotto, mà bensi per lo spazio d' anni ducento, e più, & à memoria d'uomini sempre osservato, conosciuto, & admesso verbis, & facto da tutti li gloriosissimi Serenissimi Antecessori, e della medma A. S. la quale abbiamo anche appartatamente supplicata degnarsi d'ordinare alli Signori Ministri Deputati, che ci palesino, e partecipino tutti li fondamenti, & eccezioni addotte, e da addursi per parte di S. A. per poterne sopra esși, d'indi con la dovuta riverenza regolarne la risposta, cosi disponendo il retto, e vero corso della Giustizia, lo che non essendosi effettuato mà bensi S. A. S. è venuta in deliberazione di comandare precisamente con Grida speciale esposta sotto li 4. Febraro del Corrente Anno 1684. che qualunque Persona avente esenzione Reale, Personale, e Mista sotto qualsivoglia Titolo, Contratto, Privilegio, ò Causa, benche derivante dal Jus comune niuno onninamente eccettuato, comprendendo eziandio noi infrascritti Marchesi della Casa, di douere dal giorno della publicazione di essa Grida in auvenire, pagare tutti li Dazi, e Gabelle, conforme pagano quelli, che non sono esenti, & anco di dar Note in Maestrato alli Notari deputati delle Paglie, Grani, Boche, e Colture, e levare dallo stesso Tribunale i Mandati d'estrazione dallo stato, e con altre particolarità concernenti il sale, & altre cose ordinate nel contesto d'essa Grida, la quale abbenche da se medesima dimostri, che il pagamento, e con altre cose ivi comandate à cosi grande, & evidente pregiudizio della sudta nostra esenzione antichissima, & immemorabile, e sempre stata osservata, procede, e procederà sempre forzatamente, come un Atto d' evidente impressione; non dimeno ad ogni buon fine, & effetto più proficuo, & utile alla manutenzione di essa nostra Esenzione si antichissa & immemorabile, & acciò anche si comprenda l'animo di ciascun di noi infrascritti di non acquietarsi nè acconsentire à simile impressione si pregiudiciale, dichiariamo, protestiamo, e ciascun di noi dichiara e protesta con la presente scrittura, che qualsivoglia Pagamento, & altre cose rispettivamente comandate in detta Grida, da farsi da noi, e da Ciascun di noi, e da Conduttori, Livellari, Coloni, e da altri Agenti, e serventi di noi, e da altri dipendenti dalle, e sopra le nostre Corti, e Terre, tanto di presente, che successivamente in auvenire per causa de Dazi, Gabelle, e per qualsivoglia altro impresso in detta Grida, & in tutto il suo contesto à noi si pregiudiciale, s'intenda, e s'intendino sempre per forza, e compulsivamente in tal maniera, che per simile Pagamento, e qualunque altr' Atto non s'intenda mai generato, ne prodotto alcun eziandio minimo pregiudizio alle nostre ragioni, le quali si conservino, e si debbano sempre conservare illese & intatte in ogni tempo dovuto, e permesso à quelle addurre, e sostenere, e con quella riverenza da ogn' uno di noi professata verso S. A. Serma in ogni miglior modo, e forma di ragione, rimovendo sempre reiteratamente ogni nostro consenso, non ostante qualsivoglia concorso di fatto contrario alla presente dichiarazione, e protesta, la quale s'intenda sempre successivamente reiterata, e debba continuatamente prevalere, & avere ogni più efficace effetto in quel miglior modo possibile, & al dettame di qualsivoglia sapiente, contro qualsisia Atto, e Fatto ad essa contrario, come totalmente forzato, e compulsivo e non altrimente, nè in altra maniera &c.

Sigismondo Gonzaga &c.

Pirro Maria Gonzaga anch' à nome delli Sigri Marchesi miei Fratelli.

Francesco Gonzaga anch' à nome del Signor Marchese Carlo, mio Nipote.

Federico Gonzaga à nome anche de Signori Marchesi miei Fratelli, e del Sigre Marchese Basilio mio Zio &c.

(Tabellionatus Sigilli Locus)

Ego

Ego Antonius Cajetanus Vachellus, Notarius Mantuæ, præmissum exemplum per antedictum olim Dominum Joseph, genitorem meum receptum, ab ejus originali transumptum, meo consueto tabellionatu signavi vigore facultatis mihi impertitæ. In fidem scripsi & subscripsi &c. hac die 19. Octobris 1709.

Scriptura clausa mihi infrascripto tradita ab Illmis & Excmis D. D. Marchionibus de Gonzaga &c.

In Christi nomine Amen, Anno ab ejusdem Nativitate millesimo sexcentesimo octogesimo quarto Indictione septima, die Lunæ decima quinta Mensis Maij, regente Invictissimo D. D. Leopoldo Dei gratia, Rom. Rege, Imperatore electo, Mantuæ & in Palatio solitæ habitationis infrascripti Excellentissimi Domini Marchionis Sigismundi, Præfecti Majoris Serenissimæ Dominæ nostræ, sito in Contrata Unicornu Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Marchiones Sigismundus, Pyrrhus Maria, Franciscus, & Federicus, omnes de Gonzaga, & ex Marchionibus Mantuæ Sacrique Rom. Imperii Principes &c. tradiderunt mihi Notario præsentem scripturam, clausam, tribus sigillis munitam &, ut asseruerunt, ab ipsis subscriptam, continentemque ipsorum Excellentissimorum D. D. Marchionum animi declarationem, cum protestationibus, ac aliis in eademmet scriptura expressis, non aperiendam nisi ad ipsorum D. D. Marchionum, aut cujuslibet eorum sive Hæredum requisitionem, prout ita insteterunt, ac protestati sunt omnibus præsentibus multum Illustri D. Joanne Philippo, filio qv. Perillustris & Excellentissimi D. Doctoris Caroli de Malvoltis Contratæ Cornu, multum Illustri D. Joanne Baptista, f. qv. Christophori de Fantuchiis Contratæ Pusterlæ, & D. Cæsare de Monacis, fil. qv. D. Bartholomæi Contratæ Cicni Testibus.

Joseph Vachellius, Notarius
rogatus &c.

In Christi nomine Amen, Anno ab ejusdem Nativitate 1709. Indictione 2da Die Jovis 3tia Mensis Octobris circa horam primam noctis, pluribus luminibus accensis, regente Invictissimo D. D. Josepho Primo Dei gratia, Rom. Rege Imperatore electo, Mantuæ, & in Palatio solitæ habitationis infrascripti Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Marchionis *Abbatis*, sito in Contrata Unicornu Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Marchiones Franciscus Cajetanus, Aloysius, Reverendissimus Abbas Joannes, & Reverendissimus Primicerius Ferdinandus, omnes de Gonzaga, ac Illustrissima & Excellentissima Domina Marchionissa Donna Ma Rota de Trottis, uti Tutrix, & Administratrix Excellentissimi Domini Marchionis Pyrrhi Mariæ, ejus Filii, pariter de Gonzaga, & ex Marchionibus Mantuæ, Sacrique Rom. Imperii Principes &c. videntibus infrascriptis Testibus; sic Ipsis instantibus ego Notarius infrascriptus aperui præsentem scripturam Protestationis clausam, tribus sigillis firmatam cera forti, existentem in Rogitibus olim Domini Joseph Vachellii Notarii, genitoris mei, quæ ab Ipsismet D D. Marchionibus fuit lecta, affirmantibus esse subscriptam manibus, & caracteribus respective Excellentissimorum D. D. Marchionum Sigismundi, Pyrrhi Mariæ, Francisci, ac Federici omnium de Gonzaga, eorumdem respective Antecessorum, instantiumque, sibi tradi illius copiam in forma probanti, & ita &c. præsentibus Domino Antonio, fil. qv. Laurentii de Artonis Contra Unicornu, jurante de cognitione &c. me Sebastiano fil. qv. Julii de Maronis, & Joseph fil. Alexandri de Truzzis, ambobus famulis prædictorum Excellentissimorum D. D. Marchionum, Abbatis Joannis, & Aloysii &c. Testibus &c. In quorum &c.

Antonius Cajetanus Vachellus,
Notarius de dicta aperitione
rogatus,
scripsit, & subscripsit.

Sequitur tenor Scripturæ declarationis, de qua supra, videlicet:

Mantoua 15. Maggio 1684.

Eccitati noi infrascritti della casa de Sigri Marchesi di Mantoua da S. A. Serma con lettera particolare in data delli 8. Maggio Mese corrente 1684. ad incontrare la sua soddisfazione, conformata all' asserito parere risertole dal suo Consiglio, in riguardo delle nostre esenzioni per la mentouata puntuale restituzione nella fine di ciaschedun Mese di tutto quel danaro, che per causa di Dazio, e Gabelle sarà stato da noi pagato, (lo che parendoci una tal quale impressione d'innouazione rispettivamente alle nostre esenzioni naturali, & à memoria d'uomini sempre osservate) inerendo alla Protesta antecedentemente da noi infrascritti, mesi scorsi fatta, rogata rispettivamente al Notaro Gioseppe Vachelli, di nuovo in questi scritti ad ogni buon fine, & effetto più proficuo, & utile alla manutenzione d'esse nostre esenzioni si antichissime, & immemorabili, & acciò sempre si comprenda l'animo di Ciescheduno di noi infrascritti, di non acquietarsi, nè acconsentire à simile impressa innovazione, dichariamo, e protestiamo, e ciascheduno di noi dichiara, e protesta, che qualsivoglia Pagamento, & altre cose rispettivamente impressecì da farsi da noi, e da Ciascheduno di noi, e da Conduttori, Livellari, Coloni, e da altri Agenti, e servienti di noi, e da altri dependenti dalle e sopra le nostre Corti, e Terre, e da Contraenti, tanto di presente, che successivamente in auvenire, per causa de Dazi, Gabelle, e per qualsivoglia altro impresso, & innovato, s'intenda, e s'intendino semper per forza, e compulsivamente in tal maniera, che per simile Pagamento, e per qualunque altr' Atto non s'intenda mai generato, nè prodotto alcuno, ezziandio minimo, pregiudizio alle nostre ragioni, le quali si conservino, e si debbano sempre conservare illese, & intatte anco à Successori, e Posteri in ogni tempo dovuto, e permesso à quelle addurre, e sostenere con quella riverenza da Ciascheduno di noi professata à S. A. S. in ogni miglior modo, e forma di ragione, rimovendo sempre reiteratamente ogni nostro consenso, non ostante qualsivoglia concorso di fatto contrario alla presente dichiarazione, e protesta, la quale s'intenda sempre successivamente reiterata, e debba continuatamente prevalere, & avere ogni più efficace effetto in quel miglior modo possi-

possibile al dettame di qualsivoglia sapiente contro qualsisia atto, e fatto ad essa contrario, come totalmente forzato, e compulsivo, e non altrimente, nè in altra maniera &c.

Sigismondo Gonzaga &c.

Pirro Maria Gonzaga &c. anche à nome de Sri Marchesi miei Fratelli.

Francesco Gonzaga &c. anche à nome del Sigre Marchese Carlo, mio Nipote.

Federico Gonzaga &c. tanto à nome proprio, quanto de Sri Marchesi miei Fratelli, e del Sigre Marchese Basilio, mio zio &c.

(Tabellionatus Signi Locus.) Ego Antonius Cajetanus Vachellus, Notarius Mantuæ, præmissum exemplum, per antedictum olim Dominum Joseph, Genitorem meum receptum, ab ejus originali transumptum, meo consueto tabellionatu signavi, vigore facultatis mihi impertitæ. In fidem scripsi & subscripsi hac die 19. Octobris, A. 1709.

XLI.

Maria Rosa Trotti, Marchionissa Gonzaga Tutricis, Mandatum, quo Philippo Wilbelmo, Nobili de Würth, filii & pupilli sui, Marchionis & Principis, Pyrrbi Maria de Gonzaga nomine, investituram in aula Cæsarea, de portionibus ipsius in feudo Vescovati recipiendi potestatem dedit, d. d. 13. Maji, Anno 1710.

NOs Domina Maria Rosa Trotti, legitime constituta Tutrix Illustrissimi & Excellentissimi Domini Marchionis & Principis, Pyrrhi Mariæ Gonzagæ pupilli, & filii unici nostri ac quondam Illustrissimi & Excellentissimi Domini Marchionis & Principis Octavii, viri nostri, præsentis mandati vigore, notum facimus & attestamur. Quandoquidem prosapia & progenitores pupilli nostri in feuda a sacris Romanorum Imperatoribus, & Imperio Romano obtinuerint feudum Vescovati dictum, una cum ejusdem castri territoriis confinibus, pertinentiis, datiis, gabellis, exemptionibus, consuetudinibus, jurisdictionibus, mero ac mixto imperio, gladiique potestate universa, jure feudi antiqui, nobilis, franci ac liberi, quibus etiam a regnante Sua Sacra Cæsarea Majestate Pater ipsius, præfatus Octavius, Marchio & Princeps Gonzaga (nunc piæ memoriæ) clementissime investitus. Eaque præfata feuda Nos, qua Tutrix, oportet ab eadem Sua Majestate, Augustissimo Romanorum Imperatore, Josepho, hujus nominis primo, denuo humillime requirere, & reliqua præstanda præstare: Verum impedimenta legalia, ipsaque suscepta tutela minime concedere velit, quin ad Suam Sacram Cæsaream Majestatem Nos conferamus, atque personaliter ea singula expediremus, quæ juxta vasalli munus ex assumpta pupilli nostri persona nobis alias incumberent: quod has ob causas jus nostrum plenarium, potestatemque cum libera contulerimus in Perillustrem Dominum Philippum Wilhelmum, Nobilem de Würz, Sacri Romani Imperii Equitem, diversorum Principum, & Imperii Statuum Consiliarium, & ad Aulam Cæsaream agentem, ea forma, & omni meliori modo, quo de jure, & consuetudine id maxime fieri potest, aut deberet, signanter: ut nostro nomine nostrisque verbis, perinde, si Nos præsentes & ipsæmet essemus, compareat, ac personaliter coram Sacra Cæsarea Majestate ejusdemve Consilio Imperiali Aulico se sistat, nec non ad manus debitum fidelitatis juramentum in animam nostram actualiter præstet, denique singula illa faciat, perficiatque, ad quæ, si coram esse possemus, constrictæ adjicientes, insuper, quæ præmisso modo præfatus noster Dominus Mandatarius ad hunc investituræ actum faciet, præstabit ac jurabit, Nos cuncta illa ratihabituras, servaturas & obsecuturas, ac si per Nosmetipsas exacta fuissent: Siquidem ad hæc omnia Domino Mandatario Nostro, ad hunc actum specialiter constituto dedimus præsentes & cessimus plenariam potestatem seu Mandatum generale & speciale cum libera facultate substituendi unum vel plures, denuo & eos revocandi, præcipue si & talia obvenirent, quæ in rem magis specifice conceptum mandatum exigerent: Sub Hypotheca omnium & singulorum nostrorum bonorum & indemnitatis cautione, remota quoque omni astutia & damno. In quorum testimonium, & majus robur Nos hoc mandatum manu, signetoque propriis communitum dedimus & expedivimus in præsentia Notarii, Julii Cæsaris Muti, Imperialis Publici, qua testis fide dignissimi, Mantuæ hac die 13. Mensis Maji, Anno 1710.

Domina Maria Rosa Trotti Gonzaga.

(L. S.)

Præsens instrumentum a prænominata Illustrissima & Excellentissima Domina Donna Maria Rosa Trotti Gonzaga, Tutrice legitima Illustrissimi & Excellentissimi Domini Marchionis & Principis Pyrrhi Mariæ Gonzagæ, pupilli, ejus filii unici expeditum, manu propria subscriptum & signatum fuisse in mei Notarii, nec non Perillustris & Admum R. D. Don Hieronymi, filii Perillustris D. Bernardini de Franciscis, sacerdotis, qui tacto sibi pectore, manu dextera, more sacerdotali, de optima cognitione &c. juravit, & Perillustris Domini Joannis filii Perillustris Domini Joseph de Ferrariis ad hunc actum legitime requisitorum præsentiam, hoc attestor:

Ego Julius Cæsar, Domini olim Joannis de Mutis filius, civis ac publicus Imperiali auctoritate Mantuæ Notarius Collegiatus, & præsentes manu propria ac solito tabellionatus signo munitas dedi, ad laudem Altissimi, die prædicta &c.

(L. S.)

Nos

Nos Præses, & Imperialis Magistratus Mantuæ.

Universis & singulis præsentes inspecturis fidem facimus & attestamur suprascriptum Egregium Dominum Julium Cæsarem Mutum, esse publicum, legalem, fide dignum, Notariumque Mantuæ Collegiatum, talemque qualem se facit, cujus scripturis sicut supra, in authenticam formam redactis, semper adhibitam fuisse indiesque magis adhiberi, meritoque hic, & ubique locorum fore adhibendam plenam ac indubiam fidem. In quorum &c. Datum Mantuæ ex Palatio Nostræ solitæ Residentiæ hac die 15. Maji 1710.

Antonius Forza, Not. & in hac parte Cancellarius de Mandato scripsi.

(L.S.)

Caput XV.

De Dominis Gonzagis, Novellariæ & Bagnoli Comitibus.

I.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris literæ, quibus Victoriam de Capua, Alphonsi de Gonzaga, Comitis Novellariæ & Bagnoli Viduam, filiorum ejus, Camilli & Alphonsi, Novellariæ & Bagnoli Comitum nomine, de feudis & locis, in ipsis literis nominatis, investivit, eorumque Privilegia auxit atque confirmavit, d.d. 21. Aug. An. 1596.

RUDOLPHUS Secundus, divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, cum Cæsarea Celsitudo ea potissimum gratia in excelso Augustæ dignitatis solio divino munere constituta sit, ut Sacri Romani Imperii devotos & fideles, non solum in privilegiis & juribus suis tueatur atque conservet, sed & de se bene meritos, perpetuoque sibi studio addictos, uberioribus & gratiis & honoribus prosequatur, exornet & decoret, ut & ipsi dignam meritorum suorum mercedem consequantur, & alii ipsorum exemplo ad hujusmodi benemerendi studium, eo fortius inflammentur & accendantur: Nobisque jam nobilis devota nobis grata Victoria de Capua relicta quondam Alphonsi de Gonzagha, Comitis Novellariæ & Bagnoli vidua, tanquam mater & legitima filiorum suorum minorennium, Camilli & Alphonsi, Comitum Novellariæ & Bagnoli, Tutrix ac perpetua Curatrix, humiliter exponi curaverit, progenitoribus D. D. filiorum suorum nonnulla privilegia, concessiones & investituras per Divos Prædecessores nostros & præsertim, per Serenissimum quondam Cæsarem Maximilianum Primum, Attavum nostrum colendissimum, augustæ memoriæ, olim Comiti Joanni Petro de Gonzagha, Proavo ipsorum paterno, ejusque filiis masculis legitimis & naturalibus, descendentibusque in infinitum de & super Castris Novellariæ & Bagnoli Rhegiensis Diœcesis, & omnibus eorundem villis, vicis & pertinentiis, de anno Domini millesimo quingentesimo primo, die septima mensis Julii, in oppido Oeniponti, eodemque Comite Jo. Petro, ex humanis sublato, filiis ipsius, Alexandro Pyrrho & Julio Cæsari, ac cujuslibet ipsorum filiis masculis itidem legitimis & naturalibus atque descendentibus in infinitum in eodem oppido Inspruch, de anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo, die decima quinta mensis Maji, non solum de & super castris Novellariæ ac Bagnoli prænominatis, verum etiam super quinque partibus ex octo castri Vescovati, Diœcesis Cremonensis, eorundemque pertinentiis datas, factas & concessas, ac postea per Divum etiam Imperatorem Carolum quintum, Dominum magnum Patruum, Avumque nostrum maternum colendissimum, felicis recordationis, de anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo die septima mensis Januarii in Civitate nostra Imperiali Coloniæ, prædicto Julio Cæsari, ejusdemque fratris Alexandri filiis Francisco Camillo & Alphonso Comitibus, ac post obitum dicti Alexandri & Pyrrhi rursum, de anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die sexta mensis Aprilis in Civitate & Camera nostra Imperiali Genua iisdem Julio Cæsari, Francisco Camillo & Alphonso Comitibus, & cujuslibet eorum filiis masculis legitimis, & successive demum per Divos quoque olim Imperatores Ferdinandum & Maximilianum Secundum Dominos, Avum Patruum & genitorem, nostros observandissimos præclarissimæ memoriæ, præfatis Comitibus Francisco Camillo, & Alphonso fratribus, & cujuslibet eorum filiis masculis legitimis innovatas & confirmatas fuisse de anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, die tertia mensis Maji, in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindelicorum, & iterum anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die vigesima tertia Mensis Decembris, in Civitate nostra Viennæ, quas novissime Nos quoque Camillo, & Julio Cæsari ejusdemque fratribus junioribus Camillo & Alphonso respective, & cujuslibet eorum filiis masculis pariter legitimis anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, in Arce Nostra Regia Pragæ, die septima mensis Julii renovavimus & confirmavimus, prout in literis desuper confectis latius continetur. Quæ quidem castra & loca iidem fratres Franciscus Camillus & Alphonsus vigore memoratarum investiturarum communiter ac pro indiviso omnimoda cum eorundem jurisdictione mero

&

& mixto imperio territoriisque ac pertinentiis suis quibuscunque tenuerint ac possederint. Inde vero secutum erat, quod tam ad conservandum antiquum familiæ decus, quam subditorum utilitati consulendum, dicti Fratres anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, certum in prænarratis Novellariæ & Bagnoli Castris post mortem ipsorum succedendi modum & ordinem, sive Primogenituram, salvo tamen consensu Nostro Cæsareo, in supra nominatum Julium Cæsarem, filium Alphonsi, Comitem primogenitum, unanimiter instituerint, ut id Instrumento publico, die vigesima octava mensis Martii ejusdem anni septuagesimi septimi confecto liquido patet; demisseque Nobis supranominata Victoria Vidua supplicari fecerit, ut sublatis haud pridem e vivis Camillo seniore, & Julio Cæsare Comitibus, prædictos filios suos, Camillum & Alphonsum, de memoratis locis, ad se per successionem legitime devolutis, præsertim vero de portione dicti Julii Cæsaris, ac præterea de prænarratis quinque partibus ex octo Castri Vescovati, simul & conjunctim, cum mero & mixto imperio, omnimodaque jurisdictione & pertinentiis suis universis, pro se & cujuslibet eorum filiis legitimis masculis ac descendentibus in infinitum, tanquam super feudo nobili & antiquissimo, de novo investire, tum vero Primogenituram in personam, ut præmittitur, ipsius Julii Cæsaris olim erectam, & per Nos autoritate nostra Imperiali ratificatam, nunc in personam supradicti Camilli, filii defuncti Alphonsi Comitis Secundogeniti renovare, eundemque de memoratis Novellariæ & Bagnoli Castris, & super Camilli Comitis Senioris portione relicta, cum juribus ac pertinentiis eorundem omnibus pro se, suisque Successoribus in Primogenitura masculis legitimis in infinitum descendentibus (illegitimis & legitimatis semper exclusis) infeudare, ac omnia Privilegia Progenitoribus suis a divis antecessoribus nostris concessa, præsertim cudendi monetas, bastardosque legitimandi, ac Notarios creandi facultatem benigne confirmare dignaremur. Nos sane considerantes imprimis grata obsequia & benemerita tum præfatorum, quondam Alexandri & Pyrrhi Comitum, quippe in prælibati divi Imperatoris Caroli Quinti, Sacrique Imperii servitiis defunctorum, tum & Camilli, & fratrum quondam suorum Francisci & Alphonsi Comitum, utpote qui non minori studio, fide & observantia Nos & Sacrum Imperium coluerunt, dum ab ipsa quasi infantia, sub auspiciis & signis ejusdem divi Caroli Quinti, Imperatoris, stipendia meruerunt, omnibus sumptibus, laboribus ac vigiliis posthabitis, quemadmodum etiam prædicti Camillus Senior, & Julius Cæsar, suam erga Nos & Sacrum Imperium fidem ac observantiam, quavis occasione sedulo comprobarunt, ipsosque fratres Juniores, Camillum & Alphonsum, imposterum quoque sui nunquam dissimiles fore, aut a præclara illa genitorum, quondam suorum in Nos, & Majores nostros, ipsumque Sacrum Imperium fidei, cultus ac observantiæ devotione haud uspiam recessuros esse confidimus, utique humilibus præfatæ eorundem Matris, uti legitimæ Tutricis & Curatricis, precibus benigne annuendum duximus. Ac proinde ex certa scientia animo bene deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano & maturo accedente consilio, deque potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine, prædictos Comites Camillum & Alphonsum, de memoratis locis, ad eos, per obitum Camilli senioris & Julii Cæsaris translatis, nec non de quinque ex octo partibus suprascripti Castri Vescovati, & præsertim de portione quondam Julii Cæsaris, ac de illa quoque parte seu partibus, per eum ac Nepotes suos acquisitis a quibusvis personis, de quibus forte adhuc nulla petita fuit investitura, cum villis, vicis, districtibus, jurisdictionibus, cumque omnibus eorundem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, consuetudinibus, mero & mixto imperio, ac omnimoda jurisdictione & gladii potestate, tanquam de feudo honorifico, nobili & antiquissimo pro se & cujuslibet eorum filiis legitimis ac descendentibus masculis in infinitum gratiose investivimus, ac infeudavimus, prout tenore præsentium investimus & infeudamus; Volentes ac decernentes, quod hujusmodi loca ac portiones a Nobis & Sacro Imperio in feudum, sicut præmittitur, habere, tenere & possidere valeant ac debeant, non obstante quacunque caducitate, vel aliis quæ eis impedimentum aliquod adferre possent, supplentes quorumcunque defectus, tam juris, quam solennitatis, aut formæ, si qui in præmissis intervenissent, aut allegari quovis modo possent. Cumque non solum ad feudorum sed & decoris domestici conservationem plurimum pertinere videatur, si res per unum potius quam per plures administraretur; Idcirco ex eadem scientia & autoritate potestatisque nostræ Cæsareæ plenitudine primogenituram per subscriptos Comites Franciscum Camillum & Alphonsum fratres, unanimi consensu introductam & erectam in personam suprascripti Camilli Junioris clementer approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, prout tenore præsentium approbamus, ratificamus & confirmamus, ac, quatenus opus est, de novo concedimus, erigimus & introducimus, ipsumque adeo Comitem Camillum de memoratis terris & Castris Novellariæ & Bagnoli (etiam in parte quondam Camilli Senioris post mortem illius, vigore conventionis mixtæ, ad defunctum Julium Cæsarem devolutæ) cum villis, vicis, districtibus, jurisdictionibus, omnibusque eorum privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, consvetudinibus, mero & mixto imperio, omnimoda jurisdictione & gladii potestate, tanquam de feudo honorifico, nobili & antiquissimo pro se & successoribus suis primogenitis, legitimo ex thoro ortis, benigne investivimus, nec non memoratas præfatorum, augustæ memoriæ, Maximiliani primi, Caroli Quinti, Ferdinandi & Maximiliani secundi Imperatorum litteras, infeudationes, concessiones, confirmationes, innovationes, privilegia & rescripta quæcunque, prout jacent, & ritè recteque processerunt, omnibus suis clausulis, punctis, articulis, sententiis, approbationibus, declarationibus, expressionibus, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta essent (eorum tenores hic pro sufficienter expressis habentes) confirmavimus, approbavimus, ratificavimus & innovavimus, & tenore præsentium investimus, concedimus, donamus, confirmamus, ratificamus & innovamus. Volentes, & Cæsareo nostro edicto firmiter statuentes, quod post obitum præfati Camilli Comitis

nitis in suprascriptis terris & Castris Novellariæ & Bagnoli, omnibusque eorundem juribus; ac pertinentiis filius ejusdem primogenitis masculus legitimus, illoque decedente, primogeniti ipsius primogenitus masculus, itidem legitimo ex matrimonio susceptus, sicque de primogenitis in primogenitos perpetua serie, donec linea prædicti Camilli duraverit, in iisdem feudis succedant. Deficiente autem ejus linea, aut ipso sine liberis masculis legitimis decedente, tunc eo casu in dicto jure primogenituræ feudisque Novellariæ & Bagnoli succedat pari modo supradictus Alphonsus, filius quondam Alphonsi senioris tertiogenitus, ipsoque defuncto, primogenitus ejusdem filius legitimus ac legitimi ex matrimonii *foedere* procreatus, sicq; primogenitorum primogeniti in infinitum, donec aliquis de linea ac descendentia illius superfuerit, etiam ultra centesimum gradum, ita tamen, quod prænarratæ quinque partes ex octo Vescovati Castri in hac primogenitura non intelligantur comprehensæ, cæterisque filiis legitimis sua in bonis paternis legitima jure naturæ debita (cui nimirum per præsentem primogenituram nullo modo derogare intendimus) relinquatur, ac alias condecenter provideatur, alimentaque victus & amictus suppeditentur; filiabus vero, si quas ipsum Camillum ejusve in feudis illis successores habere contigerit, de conveniente dote, juxta gradum & conditionem illarum, honestaque sustentatione prospiciatur. Quibus quidem sic dispositis, & suo tempore præstitis decernimus, secundo- tertio- ac ulterius genitos, & ab eis descendentes, una cum filiabus, quietos & contentos esse debere, eisdem de cætero perpetuum silentium imponentes. Decernentes, præmissa omnia rata, valida, firma ac perpetua esse & censeri, adeoque ab omnibus, ad quos spectant, inviolabiliter observari debere, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus hic specialis ac individua mentio facienda esset, præsertim vero ei an mutus, vel alius imperfectus: quibus quidem omnibus & singulis quatenus obstarent, vel obstare possent, pro hac duntaxat vice derogamus, sufficienterque derogatum esse volumus per præsentes, Bastardis tamen & quibusvis illegitime natis, etiam legitimatis, sive per Imperiale rescriptum, sive per subsequens matrimonium ab hujusmodi primogenitura, sive successione, in prænarratis Castris Novellariæ & Bagnoli semper exclusis. Et quia præfati fratres, Franciscus Camillus & Alphonsus, eorumque antecessores à divis majoribus nostris facultatem habuerunt memorata feuda alienandi, concedimus atque indulgemus eadem scientia & potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine, quod, eveniente casu, quo primogenitura hæc in ultimum, ex descendentia Comitis Alphonsi defuncti cadat, ultimus ille tunc memorata Novellariæ & Bagnoli feuda alienare, ac de eis disponere possit & valeat quocunque *titulo*, tam inter vivos, quam in ultima voluntate, *vel in alios* ex familia sua non primogenitos, vel, *ipsis* acquirere nolentibus, aut recusantibus, in extraneos. *De* quinque autem portionibus illis ex octo partibus Castri Vescovati cuilibet interim antiqua (tenore veterum Investiturarum, quas in omnibus & per *omnia* in suo vigore alioquin valere volumus) alienandi ac disponendi facultate salva; ea tamen conditione, quod ille, vel illi, cui, vel quibus dicta Castra locaque feudalia alienabuntur, vel ad quorum manus alio quovis jure in toto vel in parte devenient, teneantur ea a Nobis & sacro Romano Imperio recognoscere ac Investituram petere ac recipere, fidelitatisque & obedientiæ Juramentum præstare, prout nunc & Nobis sæpefatæ Victoriæ de Capua, tanquam Tutricis & Curatricis D. D. Comitum nomine, noster & Sacri Imperii fidelis dilectus David Gering, uti legitimus ejusdem Procurator, ad id sufficienter instructus, ubi Nobis ejus rei ex mandato procuratorio per ipsum producta fides facta est, istud ratione tam dictorum Castrorum Novellariæ & Bagnoli, quam prænarratarum quinque partium ex octo Vescovati, debitum & consvetum fidelitatis ac obedientiæ juramentum præstitit. Volumus tamen & declaramus, quod, etsi prædicta Castra Novellariæ & Bagnoli virtute memorata primogenituræ nunc ad præfatum Camillum pleno jure provenient, nihilominus alii tam defuncti Comites Alphonsi Senioris, quam & ipsius Camilli filii ac descendentes legitimi, qui non erunt ex primogenitorum numero, semper nomen, gradum, statum & dignitatem Comitatus retineant & gerant, adeoque pro Comitibus ubivis locorum ac terrarum habeantur, nominentur & reputentur, possintque & valeant libere & citra illius, qui pro tempore immediatus Novellariæ & Bagnoli Dominus ac Comes erit, impedimentum aliquod, uti, frui & gaudere bonis suis omnibus tam mobilibus quam immobilibus, in iisdem Castris & terris Novellariæ & Bagnoli existentibus, pro quibus eorundemque fructibus plenam ac eam omnino consequantur immunitatem & exemptionem, quam primogeniti ipsi habebunt, ac præfatus olim Comes Alphonsus habuit, possint quoque & valeant absque ulla gabellæ solutione quasvis res & merces divendere pariter & coëmere, & quoscunque alios contractus facere, nec minus etiam fructus & partes forenses absque ullo vel licentiam petendi, vel saltem id prius indicandi, seu denunciandi onere, exportare, tum vero nec ulla collecta, vel gravamina sive minore, sive majore, ordinario, vel extraordinario directe, seu indirecte inquietari queant, aut debeant, quin potius circa hujusmodi res, tam quæsitas quam quærendas, ea semper fruantur exemptione, libertate & immunitate, perinde ac si veri Domini, verique Comites Novellariæ & Bagnoli fuerint, salvis tamen & reservatis in præmissis omnibus, tum Nostris & Sacri Imperii, tum aliorum quorumcunque Juribus. Insuper cum Alphonsus Comes, antequam e vivis decederet, condito Testamento suo prædictos Camillum Seniorem, & Victoriam in præfatorum Camilli & Alphonsi minorennium tutores & curatores deputarit, ipse autem Camillus senior haud pridem e vivis discesserit, Nos equidem rebus eorundem undequaque consultum cupientes, fretique spectata prædictæ viduæ tum animi integritate, tum rerum gerendarum dexteritate, eandem autoritate nostra Cæsarea in demandata sibi tutela ac curatela benigne confirmavimus, ac, quatenus opus est, de novo constituimus, ita quidem, quod illa, donec vixerit, hujusmodi onus subeat, ac plenissimam memoratorum feudorum aliorumque Camilli & Alphonsi rerum ac bonorum curam & administra-

ministrationem gerat, illaque non secus regat ac gubernet, ac si ipsimet Camillus & Alphonsus in propria persona illis præessent, omniaque faciat quæ ad conservationem & incrementum bonorum ipsius Camilli & Alphonsi commodum quomodolibet spectare videbuntur, & prout Nobis de sua quoque integritate & dexteritate pollicemur. Præterea cum dictus Comes Camillus ac descendentes & Successores ejus primogeniti, ut supra, ad nostram & Sacri Imperii observantiam, devotionem & fidem eo ferventius animentur & alliciantur ex memorata potestatis Nostræ plenitudine, adeoque ex singulari gratia, motu proprio, scienter deliberateque iisdem confirmamus, innovamus atque concedimus insignem hanc facultatem & potestatem quondam Comiti Julio Cæsari à prælibato divo Carolo Quinto Imperatore concessam, quod eorum quilibet successive possit ac valeat naturales, Bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos copulative aut disjunctive, & quoscunque alios etiam ex nobilibus ortos ac illicito damnatoque coitu procreatos, masculos pariter & fœminas, quocunque nomine censeantur, viventibus vel mortuis eorum parentibus, legitimare (Illustrium tamen Principum, Comitum Baronumque filiis duntaxat exceptis) & eos ad omnia jura legitima restituere & reducere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipsos restituendo & habilitando ad omnia ac singula jura successionum & hæreditatum bonorum paternorum, maternorum, ac feudalium & emphitevticorum, & ab intestato cognatorum & agnatorum, & ad omnes insuper honores, dignitates & singulos actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, objectione prolis illegitimæ penitus quiescente, & quod ipsorum legitimatio, ut supra, facta pro legitime facta maxime teneatur ac habeatur, ac si foret cum omnibus solemnitatibus Juris, quarum defectus specialiter autoritate Cæsarea suppleri volumus & jubemus, dummodo tamen legitimationes per prædictum Camillum ejusque Successores primogenitos, ut supra, fiendæ, non præjudicent filiis & descendentibus hæredibus legitimis & naturalibus; de cœtero vero sint illi, quos ipse Comes & Successores ad legitimæ genituræ jura reduxerint, de Domo, casata, & familia agnationeque parentum suorum, Arma etiam & insignia eorum portare, eisque uti pro libitu voluntatis possint ac valeant, efficiantur & nobiles si parentes eorum nobiles fuerint, possintque ac debeant omnibus actibus publicis & privatis officiis, juribus, honoribus & dignitatibus quibuscunque ex nunc in antea uti, frui & gaudere, atque ab aliis ad illos, & illorum exercitia admitti, ac omni statu & conditione uti, potiri & gaudere, perinde ac legitimi, in Judicio vel extra, tam in rebus spiritualibus, quam in temporalibus, consvetudine vel de jure; non obstantibus in prædictis aliquibus legibus quibus cavetur, quod naturales, Bastardi, spurii, manseres, nothi & incestuosi, copulative vel disjunctive, vel alii quicunque de illicito coitu procreati, aut procreandi, non possint vel debeant legitimari sine consensu & voluntate filiorum naturalium ac legitimorum, ac aliis quibuscunque legibus, juribus, constitutionibus seu consvetudinibus præsenti nostro indulto & concessioni quovis modo contravenientibus. Quibus omnibus & singulis expresse, & ex certa scientia nostra derogamus & derogatum esse volumus pro hac vice per præsentium tenorem. Porro cum prælibatus divus quondam Avus noster, Augustæ memoriæ, sæpedictis Francisco, Camillo & Alphonso Comitibus Novellariæ fratribus concesserit libertatem & facultatem fabricandi & instruendi officinam monetariam, & monetam auream, argenteam & æream cujuscunque generis, sortis & valoris, armorum suorum insignibus ac nominis inscriptione signatam cudendi. Nos volentes eidem Camillo & successoribus primogenitis, hoc quoque argumento parem benignitatem ac clementiam ostendere, ex ea qua supra, licentia autoritateque nostra Cæsarea, hujusmodi concessionem, facultatem & libertatem cudendi monetas gratiose confirmavimus, ratificavimus atque corroboravimus, ac præsentium tenore confirmamus, ratificamus, & corroboramus, Volentes, memorataque autoritate & potestate nostra firmiter statuentes & decernentes, quod supranominatus Comes Camillus, omnesque Successores ejusdem primogeniti masculi legitimi, ut supra, absque omni impedimento & obstaculo possint & valeant deinceps in perpetuum monetam auream argenteam & æream, bonam tamen, ac sinceram & justam, nec deteriorem illa, quæ à cœteris Italiæ Principibus, Comitibus, Baronibus & Dominiis, Sacro Imperio Romano subjectis, juxta tenorem & præscriptorum Privilegiorum, ipsis desuper à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus concessorum, cuditur, cudere, seu cudi facere, iisque omnibus ac singulis gratiis, libertatibus privilegiis immunitatibus, prærogativis, & juribus in hac parte uti, frui, potiri & gaudere, quibus cœteri Sacri Imperii Principes & ordines monetas cudendi facultatem habentes, utuntur fruuntur, potiuntur & gaudent consvetudine, vel de jure, omni impedimento & contradictione postposita.

Quocirca mandamus & præcipimus Cæsarea nostra autoritate universis & singulis Principibus, tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Præfectis, Præsidentibus, Capitaneis, Vice-Dominis, Locum tenentibus, Gubernatoribus, Vice-Gerentibus, Castellanis, Rectoribus, Magistratibus, Antianis, Vexilliferis, Potestatibus, Civium Magistris, Consulibus & omnibus denique nostris & Sacri Imperii subditis & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis & dignitatis fuerint, ut prædicto Comiti Camillo ejusdemque primogenito ac primogenitorum primogenitis, ut supra, in Castris Novellariæ & Bagnoli successuris, in jam dicta libertate, prærogativa ac facultate cudendi monetas, ipsis per Nos benigne concessa, nihil molestiæ, vel impedimenti ullo quæsito colore, directe vel indirecte exhibeant, sed ea illos libere uti, frui & potiri sinant, & ab aliis etiam pro sua quisque parte omni studio frui curent, & secus minime faciant, dummodo tamen hujusmodi privilegio recte riteque utantur, ne justa cuipiam eo nomine conquerendi, Nobisque aliud superinde statuendi causa præbeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ infeu-

infeudationis, investituræ, primogenituræ, approbationis, confirmationis, erectionis, concessionis, innovationis, indulti, privilegii, derogationis, supplectionis, decreti, voluntatis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; siquis autem id attentare præsumpserit, is nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit ipso facto irremissibiliter incursurum, quarum medietatem fisco seu ærario nostro Cæsareo, reliquam vero partem injuriam passi, aut passorum usibus decernimus applicandum. Harum Testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce Nostra Regia Pragæ, die vigesima prima mensis Augusti anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Romani vigesimo primo, Hungarici vigesimo quarto, & Bohemici itidem vigesimo primo.

II.

Rescriptum Leopoldi, Rom. Imperat. ad Comitem Vitalianum Borromaeum, Caesareum in Italia Commissarium, quo eum ad Novellariae Comitissam, in Monasterium Mediolani, ipsa invita, a Marito conjectam, exinde liberandam, atque ad fratrem ipsius, Dn. Massae Ducem, transportandam, serio exhortatur, d.d. 20. Augusti, An. 1676.

LEOPOLDUS &c.

Illustris ac Magnifice, fidelis dilecte. Ex adjuncta hic expositione, ac libello supplici humillime Nobis exhibitis, pluribus percipies, qua matrimoniali dissensione inter Nobilem nostrum Sacrique Imperii fidelem dilectum, Alphonsum de Gonzaga, Novellariæ feudi nostri Imperialis Comitem, ejusque conjugem Ricciardam Cybo Rmi Dni Cardinalis Cybo, ac Illustrissimi Massæ Ducis sororem præsupposita, id magnopere efflagitetur, ut quod Marito volente, ac consentiente in Mediolanensi Monialium monasterio est, reliquo vitæ suæ tempore, consumptura, eo ipsi in domo paterna, fraternaque majori animi sui quiete ac consolatione frui detur. In quo equidem rebus se ita, prouti exponuntur, habentibus, sicuti haud apparet, cur maritus, hoc ei consolationis, utpote nullo suo damno quæsitæ invideat, quin potius ea in domum fraternam receptio peregrinis quibuscunque cohabitationibus ei charior, & minus suspecta esse debeat; Ita nostra etiam protectione atque patrocinio, (queis miseris & afflictis ex officio Cæsareo succurri æquum est,) hac in parte Comitissæ innocuæ haud deesse volumus, ac proinde in perspecta prudentia tua, ac singulari, quo polles, rerum tractandarum usu, confisi, has tibi partes benigne committendas duximus; Enim vero sicuti Nobiscum ipse tu facile comprehendis, jurisdictionum difficultates, quibus cum Gubernatore Mediolanensi, aut etiam cum Archiepiscopo committereris, si, iisdem irrequisitis, dicta Comitissa, ex Monasterio extrahi, ac Massam mitti vellet, ita cum iisdem declinandis, dum etiam intentæ liberationi citra famosum strepitum, ac majorem partium irritationem peragendæ, magis opportunum fuerit, ut ante omnia ipsum maritum, quibuscunque officiis tuis, eo disponere satagas, quo, rebus se ita habentibus, desideratam illam consolationem conjugi haud ultro deneget, quibus si officiis, quem par est locum denegare obstinate pergeret, dextre, & quidem sub privato tuo nomine, cum apud Gubernatorem Regium, tum Archiepiscopum indagabis, num in casu, quo nomine nostro pro consensu requirerentur ad memoratam Comitissam ex monasterio, in quo degit, educendum, fratrique Duci Massæ transmittendum, eum ipsi consensum haud gravatim sint præbituri? & siquidem comperies, ejusmodi requisitioni contradictum iri, ei negotio supersedebis, Nobisque de eo, uti & de dissensionum harum matrimonialium statu ac origine accurate referes, ulterioremque nostram ordinationem expectabis; si vero dictos Gubernatorem atque Archiepiscopum intentæ liberationi atque adductioni dictæ Comitissæ in domum fraternam haud refragaturos esse resciveris, tunc earum consensum nostro nomine, tanquam Commissarius noster, requirere, eoque obtento, ipsam e monasterio educere, iisque quos Dux frater ad eandem recipiendam deputaverit, extradere non differes, quibus ipsis litteras etiam nostras hic appositas consignabis, aut etiam remittes, in quibus fratrem ejus, Massæ Ducem, ad eam in domum suam recipiendum requiremus, prouti ex adjuncta iisdem copia pluribus videbis, simul vero etiam marito filiisque, & agnatis Novellariæ Comitibus quibuscunque nostro nomine, & sub pœna amissionis feudorum juriumque suorum interdices, ne sæpe dictam Comitissam, neque in itinere suo, neque etiam in ipso Massæ loco aggredi, turbare, aut molestare per se, vel per alios ausint, vel attentent, in specie autem ipsi quoque Marito mandabis, ut quod in Comitissæ sustentationem Mediolanensi Monasterio annue constituit, etiam Massam ipsi quotannis transmittat, aut certe non obsistat, quominus ipsamet tantundem ex bonis ipsius levari curet. Quod siquidem æquitati congruum est, ita singulis sic observandis exequendisque benignam expressamque voluntatem nostram exequeris, qui, quod reliquum est, gratiam nostram Cæsaream &c. Viennæ, 20. Aug. 1676.

III.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris literæ, quibus Camillum Gonzagam, Novellariæ Comitem, de Novellariæ & Bagnoli Castris, locisque, nec non de partibus quinque Castri Vescovati, in octo alias distributi, ac eorum annexis non investivit solum, verum etiam, inter alia, Privilegium de moneta cudenda ipsi confirmavit, d. d. 27. Julii, Anno 1679.

LEOPOLDUS &c.

AD perpetuam & nunquam intermorituram rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: Quod, cum ad Nos humillime curarit referendum nobilis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Camillus Gonzaga, Comes Novellariæ, a Nobis divina providente clementia ad Imperialis dignitatis fastigium evectis, Patrem quondam suum, Comitem Alphonsum, de nostris & Sacri Imperii feudis Novellariæ & Bagnoli, nec non de quinque partibus ex octo Castri Vescovati ad se, per mortem quondam Alexandri Gonzagæ, fratris sui, jure primogenituræ devolutis, die decima nona Novembris, Anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo nono clementer investitum fuisse, prout ex subinserto investituræ Diplomate fusius ac liquidius sit videre:

Inserantur literæ investituræ de An. 1659.

Ac porro Nos prænominatus Camillus Gonzaga, Novellariæ Comes, demisse pariter ac enixe rogarit, ut, quoniam dicto Patre suo, Comite Alphonso, die vigesima quinta mensis Julii anni proxime superioris millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi fatis functo, ipse Comes Camillus, unicus ejus filius ac legitimus Successor, Nos eorundem ratione feudorum in supremum ac directum suum Dominum recognoscat, & solenne fidelitatis Sacramentum in verba nostra dicere, omniaque clientelaris obsequii justa, ad quæ de jure, vel consuetudine tenetur, peragere, ac præstare paratus sit, de supradictis feudis, Castris ac locis Novellariæ & Bagnoli, omnibusque eorum villis, vicis & pertinentiis, nec non de quinque partibus ex octo Castri Vescovati, cum mero & mixto imperio, omnimodaque jurisdictione, & pertinentiis suis universis pro se ac filiis suis legitimis, masculis & descendentibus in infinitum, tanquam de feudo nobili & antiquissimo, ipsum denuo investire, tum vero primogenituram quondam Julio Cæsari, ut in præmissis Investituris videre est, concessam, atque per augustissimæ recordationis Imperatores, Divos Rudolphum, Matthiam, ac Dominos Avum & Genitorem nostrum Ferdinandum Secundum, & Ferdinandum Tertium ratificatam, approbatam ac confirmatam, de integro confirmare, adeoque ipsum de supradictis Novellariæ & Bagnoli Castris, & locis ac feudis, uti & præfatis Vescovati partibus, cum juribus ac pertinentiis eorundem omnibus, pro se suisque Successoribus in primogenitura masculis legitimis in infinitum descendentibus (illegitimis, etiam legitimatis semper exclusis) infeudare, atque omnia privilegia, Patri, Fratri, ac Majoribus quondam suis, a Divis Prædecessoribus nostris concessa, præsertim vero cudendæ monetæ, ac spurios, seu bastardos, legitimandi facultatem benigne dignaremur confirmare. Nos sane benigne habita ratione gratorum a nobili Gonzagarum familia, ipsiusque Comitis Camilli supplicantis Progenitoribus, Sacratissimis quondam nostris Antecessoribus, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Sacro Romano Imperio, atque Augustæ Domui nostræ præstitorum obsequiorum, atque ex datis hactenus haud vulgaribus ab eodem supplicante, præclaræ suæ erga Prædecessores nostros, idem Sacrum Imperium, atque Inclytam Domum nostram, fidei, devotionis, & obsequii documentis, certa concepta spe, fore, ut eandem, quam ipsi Avi Proavique ipsius servarunt aperueruntque laudandatum actionum viam, per impressa Majorum vestigia, constanti atque indefesso studio ad extremum usque spiritum, consectetur, humillimis ejusdem precibus benigne censuerimus annuendum, quemadmodum vigore præsentium clementer annuimus: Atque idcirco ex certa scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, adeoque de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, ipsum sæpenominatum Camillum Gonzagam, Comitem Novellariæ, de supramemoratis locis & Castris Novellariæ & Bagnoli, nec non de quinque ex octo partibus supradicti Castri Vescovati, cum villis, vicis, districtibus, jurisdictionibus, omnibusque eorundem Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, consuetudinibus, mero & mixto imperio, atque omnimoda jurisdictione, & gladii potestate, tanquam de feudo honorifico, nobili & antiquissimo, pro ipso ac filiis ejus legitimis & descendentibus masculis in infinitum gratiose investivimus atque infeudavimus, prout tenore præsentium investimus atque infeudamus; Volentes ac decernentes, quod hujusmodi loca, castra, ac portiones a Nobis, & Sacro Romano Imperio in feudum honorificum, nobile & antiquissimum (prout præmissum est) habere, tenere, ac possidere valeat & debeat, non obstante quacunque caducitate, vel aliis, quæ ei fraudi, noxæ, aut impedimento in hoc esse possent. Supplentes quoscunque defectus, tam juris, quam solennitatis, aut formæ, si quæ in præmissis intervenissent, aut allegari quovis modo possent. Insuper ex eadem scientia, auctoritate, ac potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine, antememoratas præfatorum, glorios. mem. D. D. Maximiliani Primi, Caroli V. Ferdinandi Primi, Maximiliani II. Rudolphi itidem Secundi, Matthiæ, Ferdinandi Secundi, ac Parentis nostri Ferdinandi Tertii, Imperatorum litteras, infeudationes, concessiones, confirmationes, remonstrationes, privilegia & rescripta quæcunque (prout jacent) in omnibus suis capitibus, clausulis, punctis, articulis, sententiis, approbationibus, declarationibus, expressionibus, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta essent, tenores eorum hic pro sufficienter expressis habentes, & in specie quidem primogenituram per Comitem quondam Franciscum Camilium Seniorem, & Alphonsum fratres, unanimi consensu in personam quondam Julii Cæsaris erectam, & successive in persona Camilli Patris ipsius & Fratris Alexandri ratificatam, cum iisdem

dem tamen declarationibus, conditionibus & restitutionibus, maxime quod memoratas quinque partes ex octo castri Vescovati in præinsertis litteris latius expressas confirmaverimus, omniaque & singula privilegia, legitimandi naturales, spurios, aut bastardos, cudendæ item monetæ, & si quæ sunt alia sæpe memoratis litteris inserta, approbaverimus, ratificaverimus, confirmaverimus, adeoque tenore præsentium approbamus, ratificamus, confirmamus, corroboramus, atque innovamus (recepto tamen prius a Procuratore suo honorabili, docto, Consiliario nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Bonaventura de Gigone, J. U. D. sufficienti ad hoc mandato instructo) quemadmodum exhibitis consignatæ, ac locupletis auctoritatis tabulis plena ac justa nobis facta est fides, in animam supradicti Comitis Camilli Gonzagæ, solenni ac debito fidelitatis & obedientiæ sacramento. Quocirca mandamus ac præcipimus Cæsarea nostra auctoritate universis ac singulis Principibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, Archiepiscopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Præfectis, Præsidentibus, Capitaneis, Vicedominis, locumtenentibus, Gubernatoribus, Vicegerentibus, Castellanis, Rectoribus, Magistratibus, Antianis, Vexilliferis, Potestatibus, Civium Magistris, Consulibus & omnibus denique Ministris, & Sacri Imperii subditis, ac fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, fortunæve fuerint, ut sæpe mentionato Comiti Camillo, ejusdemque primogenito, ac primogenitorum primogenitis, ut supra, in castris Novellariæ & Bagnoli æterna serie successuris, in jam dicta libertate, prærogativa, ac facultate cudendæ monetæ, ipsis per Nos benigne concessa, nihil molestiæ, vel impedimenti, sub nulla specie aut quæsito colore, directe vel indirecte exhibeant, afferantque, sed eos ipsos libere, quiete ac pacifice uti, frui, gaudere ac potiri sinant, atque ab aliis etiam pro sua quisque parte, idomni studio fieri curent, & secus neutiquam faciant, dummodo tamen hujusmodi privilegio recte & sic utantur, ne juste cuipiam eo nomine conquerendi, nobisque aliud superinde statuendi causa præbeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ infeudatonis, investituræ, primogenituræ, approbationis, concessionis, innovationis, indulti privilegii, derogationis, suppletionis, decreti, voluntatis & gratiæ paginam infringere ac violare, aut ei quovis ausu temerario contraire; si quis autem secus faciendo id attentare præsumpserit, is, præter quod nostram, & Sacri Imperii indignationem gravissimam incurret, centum quoque marcarum auri puri, puti, probi, sui, ex semisse Fisco, sive ærario nostro Imperiali, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam dare damnas esto.

Harum testimonio literarum, manus nostræ subscriptione, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum.

Quæ dabantur in civitate nostra Viennæ die vigesima septima mensis Julii, Anno millesimo, sexcentesimo, septuagesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani vigesimo secundo, Hungarici vigesimo quinto, Bohemici vero vigesimo tertio.

LEOPOLDUS.

Vt. Leopoldus Guilielmus,
Comes in Kinigsegg.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Christoph Beüer.

Caput XVI.
De Dominis Grimaldis, Januensibus.

I.

Instrumentum contractus venditionis, quo Franciscus II. Sfortia de Vice-Comitibus, Dux Mediolani, Nicolao Grimaldo Montis Aldei castrum, fortalitium locum ac jurisdictionem, nec minus lucrum stariorum 1500. salis, singulis annis percipiendum, vendidit, d. d. 14. Octobr. Anno 1531.

In Nomine Domini. Anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo trigesimo primo, indictione quinta, die Sabbathi, quarto decimo mensis Octobris

Illustrissimus & Excellentissimus Dn. Dominus Franciscus secundus, Sfortia Vice-Comes, Dux Mediolani &c. filius quondam Illustrissimi & Excellentissimi, & nunquam delendæ memoriæ Dn. Domini Ludovici, olim Ducis Mediolani, nunc degens in Castro Portæ Jovis Mediolani, ut succurrere possit occurrentibus necessitatibus, pro beneficio & conservatione status suæ Excellentiæ, quibus aliter commodius providere non potest, quam per præsentem venditionem, uti Excellentia Sua etiam ad petitionem infrascripti Domini Francisci, infrascripto nomine præsentis, & infrascripto nomine stipulantis & acceptantis attestata fuit & attestatur &c.

Voluntarie &c. sponte & ex certa scientia, animoque deliberato, & non per aliquem errorem juris nec facti, omnibusque modo, jure, via, causa & forma, quibus melius potuit & potest,

Venditionem & datum ad proprium, liberam, francham & absolutam ab omni onere ficto, censu, conditione, præstatione, servitute, focbo & onere alicui dandis, præstandis, faciendis, seu etiam sustinendis.

Fecit & facit spectabili Domino Francisco de Franchis, filio quondam spectabilis Domini Antonii, civi & habitatori Genuæ, Procuratori speciali, & Procuratoris nomine speciali Magnifici Domini Nicolai Grimaldi, uti apparet publico instrumento

procuræ speciali rogato per Stephanum Sauli Carega, Notarium Genuensem, die Martis, vigesimo sexto mensis Septembris proxime præteriti, ibidem per me Notarium, pronotarios & testes infrascriptos, viso &c. una cum literis testimonialibus attestantibus de legalitate dicti Notarii pro eo Domino Nicolao, & hæredibus & successoribus suis quibuscunque etiam singularibus, & quibus dederit, & per eum præfato Magnifico Domino Nicolao absenti, tanquam præsenti, ementi, stipulanti & recipienti nominative de castro, fortalitio, loco & jurisdictione Montis Aldei, Diœcesis Derthonensis, & de mero & misto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, ac omnibus reditibus, intratis, datiis, exemptionibus, immunitatibus ac possessionibus, & bonis quibuscunque dicto castro & loco spectantibus, & gaudere solitis per illos, qui hactenus tenuerunt, seu possederunt ipsum castrum & locum, quantacunque sint, & sub quibusvis finibus & cohærentiis existant, & quæ hic pro insertis & specificatis habeantur &c.

Item de omnibus & singulis utensilibus, & munitionibus præfati Illustrissimi Ducis, spectantibus dicto castro & loco, ac etiam de omnibus reditibus & intratis anni præsentis dicti castri, jurisdictioni & bonorum tam ex actis & collectis, quæ tamen in dicto castro reperiuntur, quam pendentibus & percipiendis, cum jure ea consequendi a quocunque, ad manus cujus pervenerint.

Item de lucro salis stariorum mille quinquaginta salis taxati terræ Binaschi, ejus jurisdictioni & villis ac locis, seu etiam terris Vicariatus Binaschi, Ducatus Mediolani, ac aliis terris & locis inferius descriptis, videlicet terra Binaschi pro stariis centum, Massarii Vener. Dominorum Fratrum Carthusiæ Papiæ, pro stariis viginti octo; Communitas Pistiraghi pro stariis quadraginta quinque, & quarteriis tribus; Communitas Porcheræ pro stariis decem octo; Communitas Vernatæ pro stariis viginti novem, & quarteriis tribus; Communitas Mandrunii pro stariis sexdecim; Communitas Vigonæini pro stariis viginti novem; Communitas Cusici pro stariis quadraginta sex; Communitas Pioltini pro stariis quindecim, Communitas Zibiti Sancti Jacobi pro stariis triginta quinque; Communitas Metoni pro stariis septuaginta sex; Communitas Fremeghi pro stariis novem & quartariis duobus; Communitas Romani pro stariis duodecim; Communitas Baxolii pro stariis decem, & quartariis duobus; Communitas Septiani pro stariis viginti duobus, & quartariis tribus; Communitas Vici Majoris pro stariis quadraginta; Communitas Tranzettæ pro stariis duobus; Communitas Cavagnariæ pro stariis viginti sex, & quartariis duobus; Communitas Mandrini pro stariis viginti quatuor, & quartariis duobus; Communitas Biroli pro stariis septem; Capsina Blanca pro stariis quatuor; Communitas Vagrani pro stariis decem; Communitas Cantalupi pro stariis quatuor, & quartariis tribus; Communitas Scriadochii pro stariis triginta uno; Communitas Castri Lambri pro stariis triginta, & quartariis tribus; Communitas Sancti Jacobi, pro stariis novem; Communitas Merlati pro stariis viginti uno & quartariis duobus; Communitas Zibidi supra Lambrum pro stariis triginta; Communitas Cassiraghi pro stariis quadraginta; Hæredes nunc quondam Magnifici Domini Joannis de Comite in Cassiragho pro stariis duobus; Communitas Vilioni pro stariis decem septem; Communitas Carsilii pro stariis tresdecim; Communitas Rogani pro stariis viginti sex, & quartariis tribus; Communitas Buschi cum Communitate Turretæ pro stariis octo; Communitas Caxarilii pro stariis triginta uno & quartariis duobus; Communitas Guignani pro stariis sex; Communitas Bubiani pro stariis triginta octo; Communitas Betulæ Sancti Salvatoris pro stariis duobus, & quartario uno; Communitas Zavanaschi pro stariis viginti quatuor, & quartariis duobus; Communitas Turretæ pro stario uno; Communitas Cassinæ de scaca barobiis pro stariis duobus; Communitas Bodilii pro stariis viginti quinque; Communitas Polnosæ pro stario uno; Communitas Campi Mortui pro stariis quinquaginta; Communitas Corsici pro stariis sexdecem; Communitas Turrugii pro stariis undecim, & quartariis tribus; Eo semper intellecto, quod prædicta loca manuteneantur in quantitatibus superius specificatis, & ubi non essent in eis quantitatibus, seu deficerent aliquo ex casu, etiam penitus incognito & insolito, etiam ex morte hominum quacunque ex causa, quæ comprehendatur in præsenti venditione, quod tunc fiat complementum ex lucro salis cujuscunque alterius loci, juxta electionem præfati Domini emptoris, seu ut supra, cui exinde etiam liceat variare & de novo eligere ad sui beneplacitum, & toties, quoties sibi vel hæredibus & successoribus suis, & aliis, quibus dederint, videbitur; Ita quod semper habeant firmum reditum lucri stariorum mille quinquaginta salis ex dictis locis ut supra specificatis, seu aliis locis eligendis in Ducatu, seu Dominio Mediolani, ad beneplacitum ut supra, ad rationem librarum trium Imperialium pro singulo stario salis.

Item de jure ipsum lucrum ad dictum computum, singulo anno de cætero consequendi his modis & formis, prout potuisset Ducalis Camera, eo præfatus Excellentissimus Dux ante hanc venditionem, & pro ipsa exactione habeant præfatus Dominus Nicolaus, & sui hæredes & successores ut supra illammet jurisdictionem & autoritatem, quam habent, & qua utuntur præfatus Illustrissimus Dux, & sui officiales in similibus exactionibus, possintque ipsum, quem voluerit, eligere officialem & judicem circa dictam exactionem & jurisdictionem, quam auctoritatem & jurisdictionem ac facultatem præsentium tenore præfatus Excellentissimus Dux concedit & tribuit præfato D. Francisco dicto nomine præsenti, stipulanti & acceptanti. Item de omnibus juribus, actionibus & rationibus, axiis, accessis, viis, ingressibus & regressibus, usibus, utilitatibus & commoditatibus, dictis, castro, bonis, reditibus salis, & aliis ut supra venditis, & præfato Excellentissimo Duci pro eis & eorum causa & occasione quomodolibet pertinentibus, spectantibus & adjacentibus, seu pertinere & spectare quomodolibet valentibus &c.

Eo tenore, quod de cætero præfatus Magnificus Dominus Nicolaus, & sui, ut supra, & ut suprà dictum castrum, bona, jura, & reditus, ut supra vendita, habeant, teneant, gaudeant, & possideant, & de eis & in eis faciant, & facere possint, quidquid voluerint, & eisdem placuerit sine præfati Excel-

len-

lentissimi Ducis, & pro eo Agentium, suorumque hæredum & successorum, & cujuslibet alterius personæ contradictione, cedendo, dando, atque mandando, & cessit, dedit, atque mandavit, ac cedit, dat, atque mandat præfatus Excellentissimus Dux præfato Domino Francisco dicto nomine præsenti & stipulanti, nec non præfato Domino Nicolao absenti, tanquam præsenti, tamen omnia jura, omnesque actiones & rationes, replicationes, exceptiones, retentiones, usus, & quascunque defensiones, utiles & directas, reales & personales, mistas atque hypothecarias, & alias quascunque præfato Excellentissimo Duci & ejus Cameræ quocunque modo & jure pertinentia & pertinentes, competentia, & competentes, & competitura & competituras contra & adversus datores suos, & contra datores datorum suorum, & contra fidejussores suos, & quemlibet eorum in solidum, & contra detentores & possessores bonorum, rerum & jurium suorum, quæ sunt, fuerunt, aut erunt, & contra quascunque alias personas, res, & bona, & rerum & bonorum possessores pro prædictis omnibus & singulis, & prædictorum omnium & singulorum causa, & occasione; & constituit præfatus Excellentissimus Dux se tenere, & possidere seu quasi suprascripta ut supra vendita nomine præfati Domini Nicolai, & pro eo donec & usquequo præfatus Dominus Nicolaus de eis corporalem & actualem possessionem, seu quasi acceperit, & acceptam retinuerit, quam accipiens & acceptans deinceps sua propria auctoritate retinens, præfatus Excellentissimus Dux eidem Domino Francisco præsenti, & dicto nomine stipulanti concessit & concedit, volens plenum dominium & plenam possessionem seu quasi suprascriptorum bonorum, jurium & redituum, ut supra venditorum, & præfatum Dominum Nicolaum, & in præfatum Dominum Franciscum, ejus nomine præsentem & stipulantem, transferre, dare, & relinquere, quibus dominio & possessioni vel quasi confestim præfatus Excellentissimus Dux renunciavit, & renunciat, & sese absentem exinde fecit, & facit, & illud etiam in præfatum Dominum Nicolaum, licet absentem, & in dictum Dominum Franciscum ejus nomine præsentem, & stipulantem transtulit, deseruit & reliquit, voleas etiam præfatum Dominum Nicolaum emptorem suo Ministerio facere & constituere Dominum & possessorem, seu quasi pro dictis, ut supra venditis, eum Dominum Nicolaum licet absentem, & dictum Dominum Franciscum præsentem & ejus nomine stipulantem in præfati Excellentissimi Ducis & Cameræ suæ locum, jus & statum posuit & dimisit, & ponit & dimittit de & pro prædictis castro, bonis, juribus, & reditibus ut supra venditis, ipsumque Dominum Nicolaum licet absentem, ac dictum Dominum Franciscum præsentem & dicto nomine stipulantem, missum nuntium & procuratorem in rem præfati Excellentissimi Ducis propriam fecit & constituit, & facit & constituit præfatus Excellentissimus Dux de & pro prædictis ut supra venditis, ita quod de cætero per omnia, & modis omnibus præfatus Dominus Nicolaus in locum, jus & statum præfati Excellentissimi Ducis & Cameræ suæ sit & succedat, & esse & succedere debeat in, de, & pro prædictis bonis, Castro, Juribus, reditibus, & aliis ut supra venditis.

Insuper præfatus Excellentissimus Dux promisit & vadiam dedit, & dat obligando se, & omnia sua bona mobilia & immobilia, res & jura præsentia & futura & etiam supellectilia Domus & ea, quæ de jure non cadunt, seu non comprehenduntur in obligatione generali, pignori præfato Magnifico Domino Nicolao, licet absenti, tanquam præsenti tamen, ac ipsi Domino Francisco dicto nomine præsenti & stipulanti semper, & omni tempore præfato Domino Nicolao, ut supra, & ut supra præfatus Excellentissimus Dux defendet, guarentabit, auctorizabit, disbrigabit, & libere præstabit, & conservabit suprascripta castrum, bona, jura, & reditus ut supra vendita ab omnibus persona & personis, communi collegio, capitulo, & universitate in forma communi, & juris, & prout de jure verus venditor vero tenetur emptori, & quod ipsum Magnificum Dominum Nicolaum & bona & jura ut supra vendita &c. exonerabit, liberabit & indemnem & indemnia præstabit & conservabit ab omnibus & singulis fodris, taleis, umbicis extimis, conditiis, condemnationibus & oneribus hactenus impositis, & quæ de cætero imponentur in aut super dictis bonis, & juribus, ac reditibus, ut supra, venditis, causa aut facto præfati Excellentissimi Ducis, & cujuslibet alterius personæ, cujus fuissent aut dicerentur fuisse suprascripta castrum, bona, jura & reditus, ut supra, vendita in toto, vel pro parte, & quod ipsum emptorem, & ut supra, ponet & inducet, & positum & inductum manutenebit & defendet in & ad corporalem possessionem & tenutam prædictorum bonorum, & jurium castri, & redituum ut supra venditorum, expensis propriis præfati Excellentissimi Ducis, & sine ullis expensis, damnis & interesse præfati Domini Nicolai, & successorum ut supra, concedens ex nunc præfatus Excellentissimus Dux præfato Magnifico Domino Nicolao, & dicto ejus Procuratori, ejus nomine stipulanti & recipienti autoritatem, arbitrium, potestatem & Baylam, quod possit, & ei liceat per se & per quemlibet ejus nuntium & procuratorem & ad ejus liberam voluntatem, & sine aliquo servitore, Banno, vel nuntio, aut parabola alicujus jus dicentis corporalem possessionem seu quasi, & tenutam prædictorum ut supra venditorum intrare, ingredi & apprehendere, & ea retinere & quod faciet & adimplebit præfatus Excellentissimus Dux præfato Magnifico Domino Nicolao, & versus eum omne & totum id, quod debet, & ad quod tenetur, & id etiam, quod ex natura hujus contractus requiritur, & hæc omnia & singula omnibus expensis, damnis & interesse præfati Excellentissimi Ducis & ejus cameræ, & sine ullis prorsus expensis, damnis & interesse præfati Domini Nicolai, & quod præfatus Excellentissimus Dux præfato Magnifico Domino Nicolao emptori reddet & restituet omnes expensas & omnia damna, & interesse, quæ per præfatum Dominum Nicolaum, suosque hæredes, & ut supra fierent, aut paterentur pro prædictis & infrascriptis omnibus & singulis per præfatum Excellentissimum Ducem & suos, ut supra, attendendis, observandis, adimplendis & executioni mandandis.

Quæ quidem venditio respectu dicti castri, jurisdictionis redituum, Datiorum, & bonorum Mon-

 tis

tis Aldei sit pro pretio & mercato scutorum mille auri a sole; respectu autem dicti reditus lucri salis dictorum stariorum mille quinquaginta salis, de quibus supra fit mentio, pro pretio & mercato scutorum quatuor millium auri a sole, quæ quidem scuta quinque millia auri a sole præfatus Dominus Franciscus dicto nomine promisit, obligando se dicto nomine, ac dictum Principalem suum, & omnia dicti Principalis sui bona mobilia & immobilia, res & jura, præsentia & futura, ac etiam suppellectilia Domus, & ea, quæ de jure non veniunt, nec comprehenduntur in obligatione generali, pignori præfato Excellentissimo Duci, præsenti & acceptanti solvere eidem Excellentissimo Duci, vel suis hæredibus & successoribus in bona pecunia numerata tantum & non in alia re, hinc ad dies duos proxime futuros, una cum omnibus expensis, damnis & interesse, quæ per præfatum Excellentissimum Ducem fierent aut paterentur, pro prædictis scutis quinque millibus auri a sole petendis, exigendis, consequendis & habendis, vel ab alio mutuo recuperandis, dicto termino solvendis prædicto, renunciando exceptioni præfatus Excellentissimus Dux, quod non possit aliquo tempore opponere, dicere vel allegare, se fore, aut esse deceptum, aut læsum in dimidia, seu ultra dimidiam veri & justi pretii & valoris prædictorum bonorum castri, jurium & redituum, ut supra venditorum, & dicta castrum, bona & jura ut supra vendita fuisse, aut esse majoris valoris, seu pretii suprascripti, etiamsi esset in dimidia, seu ultra dimidiam, & eo in casu ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, præfatus Excellentissimus Dux, etiam ex causa transactionis & concordii, & alias omnibus modo jure, via & forma, quibus melius potuit & potest, fecit & facit præfato Magnifico Domino Nicolao, licet absenti, tanquam præsenti tamen, & dicto Domino Francisco præsenti & dicto nomine stipulanti finem, confessionem, liberationem, perdonationem, quietationem & totius sui juris remissionem de ulterius non petendo & ulterius non agendo de illo pluri & superfluo valore & pretio, imo illud plus & superfluum si esset in dimidia, seu ultra dimidiam, ut supra, præfatus Excellentissimus Dux remisit, & renunciavit, & remittit & renunciat dicto Domino Francisco, dicto nomine præsenti & stipulanti, ac recipienti. Insuper præfatus Excellentissimus Dux renunciavit & renunciat *L. 2. Cod. de rescind. vend.*; *& L. si quis cum aliter ff. de verb. obligationibus*, & omnibus aliis legibus, statutis, decretis, & ordinibus in contrarium disponentibus, certificatus prius præfatus Excellentissimus Dux de vero & justo pretio & valore prædictorum bonorum, castri, jurium, & salis redituum, ut supra venditorum, & quid etiam importat renunciatio legum prædictarum, ut ibidem præfatus Excellentissimus Dux etiam ad petitionem, instantiam & requisitionem dicti Domini Francisci dicto nomine dixit & protestatus fuit, & dicet & protestatur.

Eo enim acto, dicto, & pacto speciali apposito in principio, medio & fine hujus instrumenti, & per totum hoc instrumentum, videlicet, quod liceat præfato Excellentissimo Duci, & suis successoribus redimere dictum lucrum salis pretio scutorum quatuor millium auri a sole, quandocunque Suæ Excellentiæ seu successoribus suis videbitur, facta tamen actuali exbursatione & solutione dicti pretii præfato Domino Nicolao, seu hæredibus suis, ut supra, in scutis auri a sole tantum boni & justi ponderis, seu actuali deposito in civitate Genuæ & non aliter, præfatusque Dominus Nicolaus & sui, ut supra, non possint in præjudicium hujus pacti, nec in pacti infrascripti, de dictis reditu, nec castro & bonis suprascriptis, facere aliquem contractum nec distractum, nec aliquid aliud, in præjudicium dictæ & infrascriptæ retrovenditionis, ut infra faciendæ, & omne & quidquid in contrarium fieret, sit ipso Jure nullum, & pro infecto habeatur, & per speciale pignus pro observatione præsentis instrumenti & pacti dictus Dominus Franciscus dicto nomine obligavit & obligat dictum principalem suum & quæcunque bona & jura sua, ut supra, & per speciale pignus dictum reditum, castrum & bona, & alia de quibus supra ut supra vendita, pignori prælibato Excellentissimo Duci præsenti stipulanti & recipienti; Item pacto apposito, ut supra, quod liceat præfato Excellentissimo Duci & successoribus suis ut supra, ad eorum beneplacitum, redimere dictum castrum, jurisdictionem & bona Montis Aldei, modo tamen, quo infra, & non aliter, nec alio modo, videlicet pretio scutorum duorum millium auri a sole in scutis auri a sole boni, veri & justi ponderis, mediante actuali solutione seu deposito, ut supra, & facta prius denunciatione in scriptis per sex menses ante, in quibus præfatus Dominus Nicolaus seu ejus hæredes, &, ut supra restituere posit, seu posint, ipsum castrum, & prius reportari facere sua quæcunque mobilia, munitiones & arma, & alia quæ habebit in dicto castro, exceptis tamen munitionibus & aliis, quæ contingerent per inventarium consignari præfato Domino Nicolao vel Agentibus pro eo in actu actualis traditionis, possessionis & tenutæ dicti castri & bonorum, & quæ sic assignata restituantur cum castro præfato Excellentissimo Duci, seu, ut supra, ac prius etiam solutis cum effectu præfato Domino Nicolao, seu ut supra pecuniis quorumcunque melioramentorum, reparationum & expensarum, tam necessariarum, quam utilium, quæ tunc facta reperirentur per præfatum Dominum Nicolaum, seu, ut supra, de quorum quantitate stetur libris & juramento præfati Domini Nicolai & suorum, ut supra, nulla jus dicentis taxatione, aut declaratione præcedente, quæ facultas jurandi revocari non possit ob alicujus legis vel juris beneficium, licet eorum conditio deterioraretur, etiam, quod pretium dicti castri & bonorum ac jurium, de quibus supra constitutum fuit ad scuta duo millia, ut supra, consideratis expensis contractuum confirmationum mediatorum, *& etiam confirmationis obtinendæ per præfatum Dominum Nicolaum a Cæsarea Majestate hujus Contractus*, consideratisque damnis passis per præfatum Dominum Nicolaum, ad quæ in casu redemptionis ex pacto, ut supra, tenetur præfatus Excellentissimus Dux, prout Excellentia sua & dictus Dominus Franciscus dicto nomine ad mutuam stipulationem, instantiam, & requisitionem dixerunt & protestati fuerunt & convenerunt, ac dicunt & protestantur ac conveniunt, & item etiam pri-

prius præfatus Excellentissimus Dux, seu successores sui, ut supra, teneantur exbursare præfato Domino Nicolao, seu suis, ut supra, si ipsi Domino Nicolao, seu suis, ut supra, videbitur pretium quarumcunque terrarum, prædiorum & bonorum ab aliis interim per eos acquisitorum in loco, seu jurisdictione Montis Aldei, & in alia jurisdictione & territorio circum circa dictum territorium Montis Aldei per duodecim Milliaria, vel circa, prout continebitur in instrumentis acquisitionum, & de ipsis bonis fiat venditio per dictum Dominum Nicolaum, seu suos, ut supra, præfato Excellentissimo Duci seu successoribus suis ut supra, cum solemnibus cessione jurium & actionum, translatione dominii & possessionis, constitutione missi & procuratoris in rem suam propriam, positione in sui locum, jus & statum, & cum promissionibus, & obligationibus & renunciationibus aliisque clausulis in similibus apponi solitis tam de jure quam de consuetudine, & per publicum Instrumentum a publico Notario rogandum,

Item pacto ut supra, quod præfatus Illustrissimus Dux non possit dictum castrum, jurisdictionem, & bona Montis Aldei modo quo supra redimere, nisi simul & semel redemerit dictum salis lucrum eo modo quo supra continetur, sicque teneatur in casu redemptionis castri exbursare scuta sex mille auri, ut supra.

Item pacto ut supra, quod tempore redemptionis seu salis, seu castri, simul cum sale ut supra, fructus illius anni, sive salis, sive castri & jurisdictionis, ac bonorum, tam comprehensorum in præsenti venditione, quam acquirendorum, ut supra, dividantur ad ratam temporis, ut scilicet habeat dictus Dominus Nicolaus ratam mensium & dierum cursorum a calendis mensis Januarii anni redemptionis usque in diem redemptionis, præfatus autem Illustrissimus Dux habeat residuum ipsorum fructuum & redituum,

Item pacto apposito, ut supra, quod præfatus Excellentissimus Dux teneatur concedere licentiam, quam ex nunc Excellentia Sua concessit & concedit præfato Domino Nicolao, licet absenti, tanquam præsenti tamen, nec non dicto Domino Francisco, ejus procuratori, & ejus nomine præsenti & stipulanti emendi a quibuscunque subditis Dominii Excellentiæ suæ quascunque terras, ac loca, & bona, & jura quæcunque, modo non sint feudalia, nec arces, sita & consistentia in Dominio Mediolani, & pro firma validitate ejusdem licentiæ eidem Domino Nicolao concedere litteras dispensatorias & generales possendi emere dicta bona, ut supra, pro summa & usque ad summam scutorum sex millium auri, & in auro tantum & non ultra derogantes, quibuscunque decretis, statutis, provisionibus, & ordinibus in contrarium disponentibus, vel aliam formam dantibus, etiamsi specialis mentio de eis decretis, & ut supra, in eis litteris facienda esset, & quas quidem literas præfatus Excellentissimus Dux promisit & promittit expediri facere, cum, & quando senatus fiet.

Item pacto apposito ut supra, quod, ubi expedirit præfato Excellentissimo Duci retro habere lucrum salis dicti Vicariatus Binaschi & aliorum locorum superius specificatorum, quod tunc liceat præfato Illustrissimo Duci assignare alium locum, seu alia loca in Ducatu Mediolani, vel extra, in dominio tamen Mediolani, ad electionem præfati Domini Nicolai aut successorum suorum, ut supra, in quo seu quibus possint exigi eodem modo staria prædicta salis mille quinquaginta, ad computum librarum trium Imperialium pro quolibet stario, ut supra, quolibet anno.

Renunciando Exceptioni præfatus Excellentissimus Dux non factæ dictæ venditionis, sic & taliter ut supra, & dictus Dominus Franciscus dicto nomine non acceptatæ hujus venditionis, & non factæ dictæ promissionis, & ambæ partes non facti & celebrati hujus Instrumenti venditionis sic & taliter ut supra, & prædictorum & infrascriptorum omnium & singulorum, non ita, & taliter actorum & factorum, omnique probatione & defensione in contrarium; Renunciando etiam & derogando, & renunciavit & derogavit, renunciat & derogat, præfatus Excellentissimus Dux infrascriptis decretis, videlicet decreto Ducali edito Anno millesimo, quadringentesimo tertio, die sexto Octobris, incipiente: *Providere volentes*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die octavo Aprilis anni millesimi quadringentesimi trigesimi tertii, quod incipit: *Dignum & justum est*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali edito, seu literis Ducalibus editis die vigesima tertia Junii anni millesimi quadringentesimi trigesimi tertii, quod incipit: *Dilecte noster prætendunt, ut sentimus*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die vigesima quinta Maji anni millesimi quadringentesimi trigesimi septimi, quod incipit: *Cum maxime deceat*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die decima Maji anni millesimi, quadringentesimi, trigesimi noni, quod incipit: *Memores certæ nostræ declarationis*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die undecima Junii anni suprascripti millesimi quadringentesimi trigesimi noni, quod incipit: *Cum multa & varia nobis*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die vigesimo quarto Novembris anni millesimi quadringentesimi quadragesimi, quod incipit: *Meminimus jam pridem*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die vigesimo sexto Novembris dicti anni millesimi quadringentesimi quadragesimi, quod incipit: *Quisquis retroactis temporibus*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die nono Julii anni millesimi quadringentesimi quadragesimi tertii, quod incipit: *Justis causis*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die tertio Decembris dicti anni millesimi quadringentesimi trigesimi tertii, quod incipit: *Anno præterito*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die nono Februarii anni millesimi quadringentesimi quadragesimi quinti, quod incipit: *Multum tepide*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die primo Aprilis anni millesimi quadringentesimi, quadragesimi sexti, quod

quod incipit: *Dignum & justum existimantes*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die primo Februarii anni millesimi quadringentesimi quadragesimi septimi, quod incipit: *Perseverantes in apposito ordine nostro*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die vigesimo septimo Martii anni millesimi quadringentesimi nonagesimi, quod incipit: *Solebant majores nostri*, & prout in eo decreto continetur.

Et alio decreto Ducali, edito die decimo tertio Novembris dicti anni millesimi quadringentesimi nonagesimi, quod incipit: *Meminimus alias*, & prout in eo decreto continetur.

Et omnibus & singulis in eis decretis contentis &c. Mandans etiam præfatus Excellentissimus Dux Ducalibus rationatoribus generalibus intratarum Excellentiæ Suæ, ut de præmissis omnibus & singulis opponatur, conficiant, & confici faciant scripturas ad libros præfatæ Ducalis Cameræ.

Quæ omnia & singula fecerunt & promiserunt dictæ partes modis prædictis; Ita & eo acto, quod ad prædicta omnia & singula possit semper & omni tempore illa pars, contra quam casus agendi evenerit, nomine alterius partis, pro qua casus agendi evenerit, ubique & sub quolibet jus dicente realiter & personaliter conveniri, renunciando, quod non possint aliquo tempore dicere, opponere, nec allegare causas collocatas, vel collocandas, nec ferias ordinarias, solemnes, vel repens. nec aliud interdictum causarum, nec dare in solutum pro prædictis, nec aliquo prædictorum causas, nec notas debiti Communis Mediolani, nec alias cartas, nec aliquid aliud, quam pecuniam numeratam, & constituerunt dictæ partes, sese tenere & possidere omnia sua, & modis prædictis, ut supra, bona mobilia & immobilia, res & jura præsentia & futura, & ea etiam quæ de jure non cadunt, seu non comprehenduntur in obligatione generali, ut supra, videlicet illa pars, contra quam casus agendi evenerit nomine alterius partis, pro qua casus agendi evenerit, & pro ea vicissim & debite referendo, ita, & eo acto, quod adveniente casu petendi vel agendi per speciale pactum liceat, & licitum sit illi parti cui casus agendi evenerit, ubicunque invenerit de bonis & rebus alterius partis, contra quam casus agendi evenerit occupare, capere, detinere, roborare, contestari, sancire, sequestrari, vendere, & alienare, & in solutum sibi accipere, & retinere sua propria auctoritate tantum, & sine auctoritate alicujus jus dicentis, vel Consulis, & sine banno, nuntio vel servitore, vel alia controversia, vel conventione, usque ad plenam & completam solutionem & integram satisfactionem omnium prædictorum, & totius ejus, pro quo agi contigerit.

Et de prædictis præfatus Excellentissimus Dux jussit mihi Notario infrascripto, dictus vero Dominus Franciscus dicto nomine rogavit me Notarium infrascriptum, ut publicum conficiam instrumentum, unum & plura tenoris ejusdem.

Actum in Castro Portæ Jovis Mediolani, in aula, in qua præfatus Excellentissimus Dux residet, præsentibus Domino Octaviano Gambaloita, filio quondam Domini Abayni P. I. C. P. Sti fidelis Mediolani, & Domino Nicolao Oldano, filio quondam Domini Alexandri P. O. P. Sti Pauli, in Compito Mediolani, ambobus Civitatis Mediolani Notariis & Pronotariis.

Interfuerunt ibi testes, Magnificus JCtus, Dominus Joannes Franciscus Sfrondratus præfati Excellentissimi Ducis Consiliarius, filius quondam Magnifici Domini Joannis Baptistæ, olim ducalis Senatoris P. R. P. Sanctæ Euphemiæ intus Mediolani notus, Magnificus Dominus Scipio Vegius, præfati Excellentissimi Ducis Protofisicus, filius Magnifici Domini Bernardi P. O. P. Sancti Pauli in Compito Mediolani, & Magnificus Dn. Hieronymus Brebbia, præfati Excellentissimi Ducis Thesaurarius generalis, filius quondam Magnifici Domini Joannis Angeli P. C. P. Sancti Cipriani Mediolani, omnes etiam noti & idonei, vocati & rogati.

Ego Felix de Custodibus, Mediolani Notarius collegiatus, filius Joannis Antonii P. N. P. S. Domini ad Matiam Mediolani, habens auctoritatem explendi Instrumenta & acta, rogatus per suprascriptum quondam Dominum Julianum Piscinam suprascriptum Instrumentum repertum inter scripturas dicti quondam Piscinæ fideliter extrahere feci, & pro fide me hic, vigore etiam ordinationis Egr. D. D. Abb. Ven. Collegii D. D. Notariorum Mediolani, diei vigesimi quinti mensis Junii, Anni 1661. & cum glossa infr. decimo quarto convenerunt.

(L. S. N.)

Nos Franciscus Maria Farara, & Carolus Maria Montegatia, Abbates Ven. Collegii D. D. Notariorum Mediolani, fidem facimus, dictum Dominum Felicem de Custodibus esse publicum Mediolani Notarium & Causidicum, ejusque instrumentis ab eo sic ut supra rogatis & subscriptis plenam adhiberi fidem, in Judicio & extra; in quorum &c. Mediolani die 13. Augusti 1661.

Carolus Mayus, modernus Vice-Cancellarius.

(L. S.)

II.

Caroli VI. Roman. Imper. literæ, quibus Andreæ de Grimaldis, Januensi, Rocchæ Grimaldæ, & Vallis Urbarum locum in feudum dedit, d. d. 30. April. Anno 1720.

CAROLUS VI. Divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Aragoniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, insularum Canariæ & In-

& Indiarum, ac terræ Firmæ, Maris Oceani, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ, superioris & inferioris Silesiæ, Calabriæ, Athenarum & Neopatriæ, Princeps Sueviæ, Cataloniæ & Asturiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ & Arthesiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Oristhani, Comes Goziani, Namurci, Rossilionis & Ceritaniæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis, Biscajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Locus Rocchæ Grimaldæ, olim Roccha Rondanara, & vallis Urbarum nominatus, quondam à Marchionibus Montisferrati, vigore Investiturarum à Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus Carolo Quarto, Wenceslao & Sigismundo expeditarum possessus, dein ad Ducem Mediolani, posthac ad Trottos, & tandem ad familiam Grimaldam pervenerit; Noster Sacrique Imperii fidelis dilectus Andreas Grimaldus vero, ad instantiam Fisci Nostri Imperialis Aulici, ad Nos, ratione dicti loci, qua Nostri & Sacri Imperii feudi immediati, pro supremo & directo Domino suo recognoscendum citatus, obsequenter comparuerit, Nosque humillime orarit, ut eundem de nunc memorato feudo, appertinentiis & juribus investire, nec non prærogativas, immunitates & privilegia, huic feudo antiquitus annexa, renovare ac confirmare clementissime dignaremur; Nos habita ratione singularis obsequii, fidei & devotionis, quæ Nobis Sacroque Romano Imperio præfatus Andreas Grimaldus præstitit, & in futurum quoque sic sese continuaturum spopondit, submissis ejus precibus benigne annuerimus, & eundem de prænominata Roccha Grimalda juribus, jurisdictionibus, & quibusvis pertinentiis infeudaverimus: prout ipsum Successoresque suos naturales & legitimos animo bene deliberato, sano, maturoque accedente consilio, ex certa Nostra scientia, & supremæ Cæsareæ autoritatis atque potestatis plenitudine de dicta Roccha Grimalda, cum omnimoda jurisdictione tam in civilibus, quam criminalibus, mero & mixto imperio, gladiique potestate, immunitatibus, honoribus, hominibus & homagiis, silvis & venationibus, piscationibus, aquarum & fluminis juribus, decimis, pedagiis & vectigalibus, omnibusque aliis Regalibus & Privilegiis, prout in eorum legitima possessione, vel quasi, prænominatus Vasallus Noster existere dignoscitur, cumque cæteris Juribus ratione hujus feudi ad Nos & Sacrum Romanum Imperium spectantibus & spectare valentibus clementissime investimus, eaque omnia ratificamus, confirmamus, & illi atque ipsis, quatenus opus, denuo benigne conferimus & impertimur, ita ut dictus Andreas Grimaldus, qua Noster Sacrique Romani Imperii Vasallus immediatus, hæredes & successores sui prædicti, antefatam terram seu oppidum Rocchæ Grimaldæ, sive Vallis Urbarum, cum omnibus prætactis juribus & pertinentiis, privilegiis atque Regalibus, qua feudum nobile, gentile, antiquum, avitum & honorificum a Nobis & Sacro Romano Imperio recognoscant, habeant, teneant, iisque omnibus gaudeant, &, cujuscunque contradictione non obstante, libere & plenarie fruantur; Hac lege superaddita, ut idem Grimaldus suique hæredes & successores antedicti, a Nobis & Successoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus, Sacroque Imperio, quotiescunque casus tulerit, sæpefatum feudum debite recognoscant, & fidem, devotionem, submissionem atque obsequium cum consueto fidelitatis juramento præstent, prouti id Nobis sæpefatus Andreas Grimaldus, per Procuratorem suum legitimo mandato instructum, Nostrum Sacrique Imperii fidelem dilectum, Johannem Josephum Wirsching, Consilii Nostri Imperialis Aulici Agentem, pro nunc præstitit obsequentissime. Supplentes de reliquo quemcunque defectum tam juris, quam facti, si quid ob non petitam debitis temporibus per eundem Andream Grimaldum, Antecessoresque suos investituram, aut alias in præmissis omnibus intervenisset, vel quovis modo intervenisse dici allegarive posset, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus specialior atque individua mentio fieri deberet: quibus utique omnibus & singulis, quatenus obstarent, vel obstare possent, plene derogamus & derogatum esse volumus per præsentes: Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerit, liceat hanc Nostræ Cæsareæ infeudationis, laudationis, approbationis, concessionis & confirmationis, suppletionis, atque derogationis paginam contemnere, violare, restringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Siquis autem secus fecerit, ac tale quid attentare præsumpserit, is, præterquam quod gravissimam Nostram & Sacri Imperii indignationem incurret, viginti insuper marcarum auri puri, ex semisse ærario Nostro sive Fisco Imperiali inferendarum, ex altero vero semisse injuriam passorum, sive passi usibus applicandarum mulctam toties, quoties contrafactum fuerit, dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Vienna die trigesima Aprilis, anno millesimo septingentesimo vigesimo, Regnorum Nostrorum, Romani nono, Hispanicorum decimo septimo, Hungarici & Bohemici vero decimo.

CAROLUS.

Vt. Friedrich Carl, Graf von Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium.

P. W. Georgendiel,

collatum & registratum.
Johannes Hermannus Nolden,
Registrator.

III.

Caroli VI. Roman. Imperatoris litera, quibus Andream de Grimaldis, Januensem, de loco Rocchæ Grimaldæ & quibusvis appertinentiis ejusdem investivit, eumque Vasallorum Romani Imperii immediatorum cœtui associavit, d. d. 7. Julii, An. 1722.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis a fiscali nostro Imperiali Aulico humillime expositum fuerit, Castrum & terram Roccæ Grimaldæ, antiquitus Rocca Rondanaria, sive Vallis Urbarum dictam, testantibus Imperatorum Caroli quarti, nec non Wenceslai & Sigismundi Investiturarum & privilegiorum tabulis, verum & immediatum Sacri Romani Imperii Feudum esse, idemque olim a Marchionibus Montisferrati possessum, occassione cujusdam belli in Philippi Mariæ Vice-Comitis, Ducis Mediolani, potestatem devenisse, hac tamen subsecuta possessorum mutatione non obstante, in qualitate Feudi Imperialis & hodiedum permanere, ac proinde modernum illius possessorem *Andream de Grimaldis* ad præstandum fidelitatis juramentum, atque alia, quæ feudalitatis ratio postulat, sub pœna caducitatis citandum esse; Nos eundem Andream, ad coram nobis comparendum & præstanda præstandum benigne vocaverimus atque citaverimus. Qui Nobis submisse repræsentavit, prænominatum Castrum & Terram Rocchæ Grimaldæ, vigore contractus emptionis & venditionis inter prædictum quondam Philippum Mariam Vice-Comitem, Mediolani Ducem, & Joannem Galeatium de Trottis, die decima nona mensis Augusti, Anno millesimo, quadringentesimo, quadragesimo celebrati ad Trottos, & posthac ad Grimaldos simili empti & venditi titulo in qualitate terræ propriæ liberæ, francæ & absolutæ ab omni onere, victu, censu, conditione, præstatione, servitute, foco & onere alicui dandis, præstandis, faciendis, seu etiam sustinendis, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, ac omnimoda jurisdictione, cum pleno quoque dominio, ac omnibus redditibus, Intradis, Datiis, Exemptionibus, immunitatibus, juribus, actionibus & rationibus, usibus, utilitatibus & commoditatibus, realibus & personalibus atque mixtis transiisse, annexa dataque emptoribus & horum successoribus quibuscunque, etiam singularibus, & quibus isti eam dederint, plena potestate, ut ibidem faciant & facere possint, quidquid voluerint, & eisdem placuerit sine præfati Ducis suorumque hæredum & successorum, & cujuslibet alterius personæ contradictione, prout ea omnia ex præcitati contractus clausulis concernentibus Nobis authentice productis uberius paterent: Humillime supplicando, ut, cum in vim & obsequium præmentionatæ citationis Nostræ Nos Sacrumque Romanorum Imperium pro immediato & directo Domino suo recognoscere sit paratus, eidem vicissim omnes per prætactum contractum acquisitas libertates, immunitates & prærogativas clementissime confirmare, simul atque præfatum castrum & locum Rocchæ Grimaldæ, cum omnibus ejusdem appertinentiis, in feudum antiquum, nobile, Gentile, Regale, francum, liberum, immune, ab omnibus oneribus absolutum, in omnibus naturam allodii habens, alienabile in quoscunque extraneos, etiam Fœminas, per actus ultimæ voluntatis, & inter vivos cum mero & mixto imperio & gladii potestate, cœterisque omnibus juribus & quibuscunque Regalibus, sola Nobis suprema auctoritate, fidelitatisque juramento remanente, clementissime concedere dignaremur.

Cum igitur eum præprimis clementia atque munificentia Cæsarea dignum esse censeamus, qui seposita quavis cunctatione aut contradictione Nobis submisse paret; hinc est, quod Nos habita ratione laudabilis id genus promptitudinis, quam Nobis memoratus Andreas de Grimaldis in præsentiarum perhibuit, perpendentes item tum ejus tum suorum Antecessorum constans erga Nos, devotionis & obsequii studium, sublimiaque Sacri Romani Imperii jura, & avitam ratione prædictæ terræ clientelaris subjectionis qualitatem sartam tectam tenere, atque renovare cupientes, prænarratis humillimis precibus clementer annuendum censuerimus: Prout harum vigore ex certa nostra scientia, animo bene deliberato accedente sano ac maturo consilio, & ex Cæsareæ potestatis plenitudine annuimus, ac præfatum Andream de Grimaldis cœtui nostrorum, Sacrique Romani Imperii Vasallorum immediatorum associantes, eundem de dicto castro & terra Rocchæ Grimaldæ & quibusvis appertinentiis benigne investimus, eamque ipsi & ejus successoribus Naturalibus & legitimis in feudum antiquum Gentile, Nobile, Regale, francum, liberum, immune, ab omnibus oneribus absolutum, in omnibus naturam allodii habens, & in quoscunque extraneos, etiam fœminas, per actus ultimæ voluntatis & inter vivos alienabile, nec non merum & mixtum imperium, gladii potestatem & omnimodam jurisdictionem, cum immunitatibus, honoribus & homagiis, obedientiis, censibus, montibus, vallibus, planitiebus, venationibus, piscationibus, aquarum & fluminis juribus, aucupiis, vectigalibus, pedagiis, mulctis, Datiis, Molendinis, & aliis quibuscunque oneribus, tam realibus, quam personalibus & mixtis, aut anomalis, ordinariis & extraordinariis, cœterisque quibusvis Regalibus, prærogativis, juribus, Privilegiis, & libertatibus feudo huic, secundum antiquas Investiturarum tabulas & documenta, annexis, clementissime conferimus & quæcunque illi, vel de jure, vel ex gratia speciali in præmissis dare & concedere possumus, ea omnia eidem impertimur, & respective confirmamus atque renovamus, dantes eidem omnem jurisdictionem & potestatem, ut in dicto feudo omnia agere & exercere possit & valeat, quæ Nos ipsimet agere, facere & exercere possumus, nihil Nobis in feudo isto retinentes præter solam supremam Dominii directi autoritatem, & fidelitatis juramentum, quovis casu eveniente Nobis & successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, Sacroque Romano Imperio præstandum atque observandum: Prout illud etiam nunc prædictus Andreas de Grimaldis per Procuratorem suum, legitimo mandato instructum, Nostrum Sacrique Imperii fidelem dilectum, Joannem Josephum Wirsching, Consilii nostri Imperialis Aulici Agentem, debite ac obsequenter præstitit; supplentes etiam quoscunque

que

quæ defectus tam juris, quam facti, si qui ob non petitam debitis temporibus per eundem Andream & ejus Antecessores Investituram, aut alias in præmissis omnibus intervenissent, vel quovis alio modo intervenisse dici allegarive possent, non obstantibus quibuscunque legibus, constitutionibus, consuetudinibus, & feudalibus statutis, decretis ac ordinationibus, aliisve in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus specialior atque individua mentio fieri deberet: quibus utique omnibus & singulis, quatenus obstarent, vel obstare possent, plene pro hac vice duntaxat, autoritate ac scientia prædictis clementissime derogamus & derogatum esse volumus per præsentes; Nostris tamen & Sacri Romani Imperii, ac aliorum quorumvis juribus semper salvis.

Nulli ergo omnino hominum cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis aut præeminentiæ fuerit, liceat hanc nostræ Cæsareæ infeudationis, laudationis, approbationis, concessionis & confirmationis, suppletionis atque derogationis paginam contemnere, violare, restringere, aut ei quovis ausu temerario contraire: Siquis autem secus fecerit, aut tale quid attentare præsumpserit, is præterquam, quod gravissimam nostram & Sacri Imperii indignationem incurret, viginti insuper marcarum auri puri ex semisse ærario nostro seu fisco Imperiali inferendarum, ex altero vero semisse injuriam passorum, seu passi usibus applicandarum mulctam toties, quoties contrafactum fuerit, dare jam nunc damnas esto; Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum; Quæ dabantur Posonii, die septima Julii, Anno millesimo, septingentesimo, vigesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani undecimo, Hispanicorum decimo nono, Hungarici & Bohemici vero duodecimo.

CAROLUS.

(L. S. N.)

Vt. Frid. Carl, Com. de Schönborn

Ad Mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium

P. W. Georgendiel.

Caput XVII.
De Dominis Gvarzonibus de Piscia.

I.

Johannis, Bohemiæ & Poloniæ Regis, Comitis Lucemburgensis, nec non Briziæ, Lucæ, & reliqua, Domini, literæ, quibus Dominis Guarzonibus de Piscia, in ipsis literis nominatis, terram, seu Castrum, quod Vellanum dicitur, cum ejusdem annexis atque juribus, in nobile, perpetuum honorificumque feudum contulit, d. d. 9. Aug. An. 1333.

JOannes Dei gratia Bohemiæ, & Poloniæ Rex, Lucemburgens. Comes, Briziæ, Lucæ, &c. Dominus, Nobilibus Viris Guarzoni Bonajunctæ, & Leonardo, fratribus, & filiis quondam Bartholomæi, Lippo filio quondam Bonaiunctæ, Puccino, & Michaeli, filiis quondam Pucci, Federigo, Lando, & Ceccho fratribus, & filiis quondam Jacobini, Bardino filio Federici, Joanni filio Landi, Bonajunctæ filio Michaelis, & Federico filio quondam Jacobi, omnibus de Guarzonibus de Piscia, fidelibus nostris dilectis salutem, cum plenitudine omnis boni, Regalis Magnificentiæ plenitudo, quæ suæ liberalitatis donis cunctos gratiose prosequitur, ad illos libentius & gratiosius se extendit, qui per sinceræ fidei, & obsequiorum merita Regalem sibi benevolentiam vendicarunt. Attendentes igitur puræ fidei & devotionis vestræ constantiam, ad divæ memoriæ quondam Dominum Genitorem nostrum, Romanorum Imperatorem, & ad Majestatem nostram per vos, & vestros laudabiliter habitam, & ostensam, nec non grata plurimum & accepta servitia, quæ Nobis non absque magnis laboribus, & personarum, & rerum dispendiis præstitistis hactenus, & præstatis ad præsens, præsertim pro conservatione Terrarum Provinciæ Vallis Nebulæ, nostro culmini subjectarum, & quæ præstare poteritis in futurum, quæ dignis convenit compensari, in signum dilectionis perpetuæ Castrum, seu Terram, quæ Vellanum dicitur, Lucanæ Diœcesis, prædictæ Provinciæ Vallis Nebulæ, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, honoribus, directis, privilegiis, emolumentis, commodis, tenimentis, & Territoriis, & omnibus & singulis ad ipsum Castrum, seu Terram, aut ad Nos, in ea, & eis spectantibus quoquo modo, & cum plenissima & omnimoda jurisdictione, ac mero & mixto imperio, per vos, & filios vestros exercendo in dicto Castro, Terra, Territorio, & locis, & personis ibidem habitantibus nunc, & in futurum, vobis & hæredibus vestris, ex vestris & cujuslibet vestrum corporibus legitime descendentibus per lineam masculinam, in nobile, perpetuum, & honorificum feudum ex mera liberalitate proprii motus instinctu, ex certa scientia, & gratia speciali, omnique jure, via, & modo, quibus melius possumus, damus, concedimus, & donamus, ac te Guarzonem, quondam Bartholomæi, præsentem, & tuo, & omnium aliorum superius nominatorum vice & nomine humiliter, & devote recipientem, & Nobis debite fidelitatis homagium, & solitum juramentum præstantem pro te, & filiis Consortibus tuis suprascriptis in gratiam tuam, & omnium prædictorum, pro quibus de rato solemniter promisisti, per baculum, quem in manu tenemus, liberaliter investimus, jure superioritatis & directi dominii Nobis & nostris successoribus reservato, & salvo jure omnium & singularum personarum, & quod vos omnes, vestrique hæredes, Nobis, & successoribus nostris servire teneamini, secundum consuetudinem nostræ Curiæ factam, & imposterum faciendam.

Jubemus itaque, & sub nostro banno præcipimus, hanc nostræ confessionem liberalitatis & gratiæ ab omnibus firmiter & inviolabiliter observari & custodiri, & præcipue a nostris Vicariis & Officialibus, & aliis quibuscunque sub nostro Dominio existentibus, & in posterum futuris. Si quis autem contra prædicta, vel aliquod prædictorum venire tentaverit, sciat se mille marcarum auri pœnam incurrere, quam ipso facto ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc incurrisse decernimus & jubemus, cujus pœnæ medietatem nostræ Regiæ Lucanæ Cameræ, & aliam dimidiam dictis nobilibus volumus applicari. In quorum omnium testimonium præsentes conscribi, & sigillo nostro Regio jussimus communiri. Datum & actum in civitate Lucana. In Domibus Fratrum Prædicatorum, præsentibus venerabile in Christo Patre, & Domino Domino Joanne, Dei gratia, Episcopo Beluacen. Dn. Marxilio de Rubeis de Parma, & Magistro Nicolao de Pruna, Canonico Olimcenz, Cancellario nostro, Testibus ad hæc vocatis & rogatis, anno Domini a nativitate millesimo tercentesimo trigesimo tertio, indictione prima, die nona Augusti.

Ego Joannes Pauli de Pistorio, Imperiali autoritate Judex Ordinarius, atque Notarius, & nunc publicus scriba & Notarius dicti Domini Regis, prædictis omnibus dum agerentur, una cum dictis testibus, præsens interfui, & exinde jussus & rogatus conficerem publicum instrumentum, his omnibus, licet ab alio scriptis, me subscripsi, & signum meum apposui consuetum.

II.

Ejusdem literæ, quibus Guarzoni de Guarzonibus de Piscia, ejusque Fratribus Bonajunctæ atque Leonardo locum, Cerbaria nuncupatum, cum ejusdem juribus atque annexis in nobile, perpetuum honorificumque feudum dedit, d. d. 2. Octobr. A. 1333.

IOannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, Lucemburgens. Comes, Briziæ, Lucæ &c. Dominus, nobili viro Guarzoni, quondam Bartholomæi de Guarzonibus de Piscia, fideli Consiliario nostro dilecto salutem, cum plenitudine omnis boni Regalis munificentiæ plenitudo, quæ suæ largitatis donis cunctos libenter & gratiose prosequitur, ad illos ex obsequiosæ gratitudinis debito libentius & gratiosius se extendit, quos servitiorum exhibitio comprobat, & fides probata commendat, grata igitur plurimum & accepta servitia, quæ dudum quondam divæ memoriæ Domino Genitori nostro, Romanorum Imperatori, & Nobis cum debitæ fidei, & devotionis ardore, atque assiduis, & indefessis laboribus ex ministerio & solicitudinis tuis utilitatem præstitisti hactenus, præstas ad præsens, & præstare poteris in futurum, digne ac rationabiliter attendentes, eaque volentes aliquo beneficii nostri munere liberaliter compensare, & signum in te perpetuæ gratiæ & dilectionis ostendere, Cerbariam, & locum qui Cerbaria dicitur, ac terras, possessiones, & nemora, & aquas, quæ in Cerbaria dicuntur, positæ in Episcopatu Lucano infra confines inferius descriptos, cui Cerbariæ, seu terræ, ab una parte cohæret via, & strata publica, per quam itur ad altum passum versum Gallenum, & versus Pontem de Capriano, & usque ad dictum Pontem, qui est super Aqua Gusciane, seu esse consuevit, ab alia parte Aqua Guscianæ, ab alia parte Aqua Paludis, usque ad Stallatorium, & qui prope Foveum, qui dicitur Comitatum Provinciæ Vallis Nebulæ, positum in Territorio Communis Vivinariæ, seu Montis Caroli, & sicut trahit dictus fovens, usque ad Aquam Sibullæ, & ab alia parte strata & via publica, per quam itur ad altum passum apud Aquam dictæ Sibullæ, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ Maghadalenæ, vel si qui alii meliores, aut veriores dictæ Cerbariæ terris, possessionibus, & nemoribus sint confines, vel alicui eorum, cum omnibus & singulis, quæ habent super se, vel infra, seu intra se, & cum accessibus & ingressibus, & egressibus suis, & cum aquis, & aquarum decursibus & derivationibus, piscationibus, venationibus, pratis, nemoribus, sylvis, lignis, seu lignaminibus, erbis & pascuis, territoriis & tenimentis dictarum Cerbariæ Terræ, & possessionum, nemorum, & aquæ, & omnibus & singulis earum juribus, pertinentiis, emolumentis, commodis, usibus & requisitionibus, seu ad ipsas Cerbariam Terram, nemora & possessiones, vel aliquam, seu aliquod eorum ad Nos, seu ad Lucanum Commune, seu ad nostram Cameram Regiam, in eis spectantibus, aut pertinentibus, seu quæ spectaverint vel pertinuerint hactenus quoquo modo ex mera liberalitate, & gratia speciali proprii motus instinctu, & ex vera scientia, omnique via, jure & modo, quibus melius possumus, tibi, tuisque hæredibus ex tuo legitimo corpore descendentibus per lineam masculinam, aut ex corporibus Bonajunctæ, & Leonardi germanorum tuorum, in quantum tibi hæredes masculi deficerent. Ita quod ipsi hæredes dictorum Bonajunctæ, & Leonardi in eo casu tibi in feudo, & beneficio præsenti succedere valeant, in nobile, perpetuum, & honorificum feudum damus, concedimus, tradimus & donamus, ac te præsentem, ac Nobis debitæ fidelitatis homagium, & solitum juramentum præstantem de prædictis omnibus & singulis, per baculum, quem in manu tenemus, liberaliter investimus: Constituentes, Nos omnia & singula suprascripta tenere, & possidere tuo nomine, donec inde possessionem receperis corporalem, quam autoritate tua accipiendi & retinendi per te, vel alium, seu alios, licentiam tibi concedimus, & plenam potestatem quandocunque, & quomodocunque tempore præscriptione aliqua, vel lapsu temporis non obstante, & ipsam possessionem tibi vacuam dare & acquirere, & in ipsa te manutenere, & defendere pollicemur; Concedentes & mandantes tibi ex causa prædicta omnia jura, omnesque actiones & rationes Nobis, aut Lucano Communi, seu aliquibus Communibus Nobis subjectis, seu alicui eorum competentes, & competentia quomodocunque tempore, & Nobis, & successoribus nostris competituras, & competitura quomodocunque tempore, & quacunque acquisitione, aut quocunque modo, jure, occasione vel causa, in prædictis Cerbaria terra, seu possessionibus & nemoribus suprascriptis. Jure tamen nobis majoris Dominii reservato & salvo, quod pro ipso feudo & bene-

beneficio, tu & hæredes tui præfati Nobis & successoribus nostris servire teneamini, secundum consuetudinem nostræ Curiæ factam, & in posterum faciendam, & salvo jure omnium & singularum personarum, districte insuper injungimus, & mandamus locum nostrum tenenti Vicario, Rectoribus, Potestatibus, Capitaneis, Judicibus, cæterisque Officialibus nostris præsentibus & futuris, Consiliis & Communibus civitatis nostræ Lucanæ Provinciæ Vallis Nebulæ, & Vallis Arianæ, atque singulis fidelibus, & subjectis nostris, quatenus te in prædictis omnibus & singulis manuteneant & defendant, tibique & tuis hæredibus prout & sicut, quoties, & quando requirendum duxeritis ad adipiscendum & retinendum possessionem omnium prædictorum, opportunum tibi exhibeant auxilium & favorem. Amoto exinde quolibet detentore, nulloque tibi & tuis hæredibus contra præmissæ nostræ concessionis gratiam inferant nec inferri permittant injuriam, molestiam, vel gravamen, sed prædicta omnia tibi, observare studeant, & faciant ab omnibus observari. Si quis autem prædicta ad simplicem tui, & hæredum tuorum requisitionem sine aliqua scriptura attendere, observare, exequi, vel adimplere neglexerit, aut omiserit, vel contra ea, vel eorum aliquod attentare præsumpserit, indignationem nostram & pœnam quinquaginta marcarum auri pro dimidia Cameræ nostræ, & pro reliqua tibi, & tuis hæredibus applicandarum se ipso facto in quolibet dictorum capitulorum & causarum, & quoties contrafecerit, noverit incursurum, ex nunc irritum & inane decernimus, quicquid a quocunque contra præmissa, vel præmissorum aliquod, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum fuerit hactenus, vel contigerit imposterum attentari, non obstantibus aliquibus statutis, ordinamentis, provisionibus, decretis, privilegiis, gratiis, concessionibus, capitulis, litteris generalibus vel specialibus, seu quacunque verborum forma conceptis vel concipiendis imposterum, aut quacunque autoritate vallatis, jure vel consuetudine, aut aliis quibuscunque, quæ præmissis, vel alicui præmissorum in genere, vel specie derogarent, etiam si talia forent, de quibus specialem & expressam, aut de verbo ad verbum fieri oporteret mentionem, quibus omnibus quoad prædicta autoritate præsentium per hoc nostrum edictum perpetuum esse & intelligi volumus, & decernimus derogatum. Decernentes etiam, quod de ipsa Cerbaria Terra, possessionibus, & nemoribus suprascriptis, seu pro aliquo, vel aliqua ex eis, seu pro tota, vel parte ipsarum, tu tuique hæredes non debeatis gravari, vel molestari per aliquas, seu aliquam Communitatem, seu Communitates, Terras vel Castra, Universitates seu Collegium, vel aliquam singularem personam, vel per aliquos Officiales nostros, & Primogeniti nostri, & Lucani Communis, seu alicujus Comitatus nostræ jurisdictioni suppositos, ad aliquid solvendum, mutuandum vel præstandum occasione, seu prætextu alicujus impositi datii, vel collectæ ex tunc, seu mutui facti, vel fiendi imposterum, seu pro aliquibus aliis oneribus, realibus vel personalibus, seu mixtis, a quibus omnibus & singulis, autoritate præsentium, te immunem & exemptum facimus & constituimus, & perpetuo esse volumus & mandamus. In quorum omnium testimonium atque robur præsentes conscribi, & sigillo nostro Regio jussimus communiri. Mandantes nihilominus Joanni Pauli de Pistorio, Notario nostro, quod de his omnibus ad cautelam & majorem certitudinem præmissorum, unum & plura conficere valeat instrumenta. Datum & actum in civitate Lucana in Domibus Fratrum Prædicatorum, præsentibus Egregio Milite Simone Phil. de Regalibus de Pistorio. Domino Goffeneto de Juppille, Presbytero Gottifredo de Hemine, & aliis pluribus testibus ad hæc vocatis & rogatis, sub anno nativitatis Domini millesimo tercentesimo trigesimo tertio, indictione secunda, die secunda mensis Octobris.

III.

Caroli IV. Romanorum Regis litera, quibus Joannem de Guarzonibus de Piscia, de Castro & Terra, Vellanum dicta, ejusque juribus atque annexis investivit, d. d. 8. Kalend. Febr. A. 1355.

CArolus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Nobili Joanni, quondam Guarzonis de Guarzonibus de Piscia familiari, & fideli nostro dilecto, gratiam Regiam, & omne bonum Magnificentiæ Regalis benignitas, quamque universos sibi devotos liberalitatis suæ clementiam prosequatur, ad illos tamen amplioris munificentiæ dexteram consuevit extendere, quorum progenitores in sacri perseverasse devotionem Imperii, quique in omnium fide & constantia progenitorum ipsorum laudanda suadet vestigia imitari; Hinc est, quod intemeratæ fidei constantiam, & multiplicia virtutum merita, quibus quondam Guarzo Pater tuus, retroactis temporibus celebris, ac recolendæ memoriæ, Divo Henrico quondam Romanorum Imperatori Augusto, Avo nostro, & Illustrissimo Joanni, quondam Bohemiæ Regi, Genitori nostro, placuisse dignoscit, ac grata insuper & accepta servitia, quæ tu tam Nobis, quam ipsis utiliter ac fideliter exhibuisse dignosceris, & exhibere poteris, per amplius in futurum gratiosæ considerationis intuitu recolentes, tibique ipsorum intuitu, gratiam cupientes facere specialem Castrum, seu Terram, quæ Vellanum dicitur, Lucanæ Diœcesis, Provinciæ videlicet Vallis Nebulæ cum omnibus juribus, honoribus, emolumentis, tenimentiis, territoriis, proventibus & pertinentiis suis, quibuscunque censeantur nominibus, cum plena jurisdictione, ac mero & mixto imperio dicti Castri, Terræ, Territorii & locorum prædictorum, ac personarum ibidem habitantium, tibi, & hæredibus tuis ex te per lineam masculinam, legitime descendentibus, &, ubi tales hæredes non relinquas, Philippo Fratri tuo, seu hæredibus Bonajunctæ Avi tui legitimis per lineam masculinam similiter descendentibus, sicut juste possumus, in feudum damus, concedimus & donamus, teque Joannem prædictum in nostræ propter hoc generositatis præsentia comparentem, ac homagii & fidelitatis debitæ Nobis solitum juramentum præstantem, de prædictis Castro, seu

 Terra,

Terra, ac omnibus juribus, utilitatibus & pertinentiis eorundem, autoritate Roman. Regia investimus; eadem autoritate Regia decernentes, ut ab universis datiis, gabellis & impositionibus, & collectis, occasione Castri & Terræ prædictorum cuicunque præstandis, tu, & hæredes tui prædicti, liberi sitis penitus & immunes, salvis nostris ac Imperii, nec non Ecclesiæ, & civitatis Lucanæ viribus, & quorumlibet aliorum. Mandamus igitur, & districte præcipimus Vicariis, Rectoribus, Potestatibus, Capitaneis, Judicibus, cæterisque Officialibus nostris, præsentibus & futuris, Consiliis & Communibus civitatis nostræ Lucanæ, Provinciæ Vallis Nebulæ, Vallis Arni, ac universis & singulis fidelibus & subjectis nostris, quatenus vos in prædictis omnibus & singulis manuteneant & defendant, & nihilominus prout, & sicut, quoties, & quando requirendum duxeritis ad adipiscendum & retinendum possessionem omnium prædictorum, vobis exhibeant auxilium & favorem, amoto exinde quolibet detentore. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Majestatis infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Regiam, & pœnam centum marcarum auri puri, quarum medietatem ærarii nostri, seu fisci Regalis, aliam vero supradictorum Joannis, seu Philippi Bonajunctæ, & hæredum suorum usibus applicari volumus, se noverit incursurum, præsentium sub nostræ Majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Pisis anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indictione octava, octavo Kalendas Februarii, Regnorum nostrorum Anno nono.

Locus Sigilli appensi.

Per Dominum Episcopum Luc. hom. Cancellar.

Ser. Nicolaus de Chreinsis.

Johannes.

IV.

Caroli IV. Roman. Imper. Diploma, quo in Guarzones de Piscia, Nobilium Capitaneorum, sive Cataneorum, Dignitatem atque Privilegia contulit, ac eis Villam seu Castri veteris terram in nobile feudum dedit, d. d. 3. Non. Junii, A. 1355.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen! Carolus Quartus, Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Nobilibus Joanni Guarzonis, Bonajunctæ Bartholomæi, Bardino Federigi, Bonajunctæ & Bartholomæo Chelis, & Francisco Federici, Joanni Landi, Nicolao Puccini, Ceccho Jacobini, Philippo Guarzonis, & Neapoli Bardini, omnibus de Domo Guarzonorum de Piscia, suis, & sacri Romani Imperii fidelibus dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Licet Augustalis Culminis circumspecta benignitas cunctos benemeritos dignis libenter prosequatur favoribus, illos tamen dignioribus solet gratiarum dotibus præmiare, quos altiora suorum merita amplioribus in conspectu Majestatis Cæsareæ constituunt favoribus dignos, hinc est, quod accepta, & utilia puræ fidelitatis obsequia, celebris & recolendæ memoriæ, Divo Henrico, quondam Romanorum Imperatori Augusto, Avo & prædecessori, ac Illustri quondam Joanni Bohemiæ Regi, Genitoribus nostris Carissimis, multa sedulitate, amore & constantia à progenitoribus vestris exhibita, gratiosius advertentes, ac vobis, qui eorundem primogenitorum vestrorum erga Nos, sacrum Imperium, & omni fide ac sinceritate, placido successionis ordine, vestigiis inhæretis, honorem & gratiam volentes facere specialem, vos, & vestrum quemlibet, & cujuslibet vestrum posteros masculos legitime descendentes, autoritate Imperiali, ex certa scientia in his scriptis nobilitamus, & ad altioris nobilitatis gradum sub forma, & modo, quibus melius possumus, gratiosius elevamus. Et nobiles Capitaneos, seu Cataneos ordinamus, facimus, constituimus & creamus, volentes, ac præsenti Imperiali edicto, valituro perpetuo, decernentes. Vos ex nunc in antea, vos omnes & singuli, cæterique vestrum cujuslibet descendentis prædicti censeatis, & sitis nobiles Capitanei, sive Catanei, & in gradum nobilitatis, Capitaneatus, seu Cataneatus gratioso nostro culminis munere constituti. Et deinceps universis & singulis privilegiis, juribus, honoribus, gratiis, libertatibus, dignitatibus & indultis, quibus cæteri nobiles Capitanei, seu Catanei ab Imperiali Majestate ad altum nobilitatis Capitaneatus seu Cataneatus gradum evecti frui, & fungi sunt soliti, & ubique locorum fruamini, & perpetuis temporibus libere gaudeatis. Mandamus igitur, & districte præcipimus sub obtentis nostræ gratiæ nostris, & Sacri Romani Imperii dilectis fidelibus universis, præsentium notitiam habituris, quatenus vos, & descendentes vestros prædictos tanquam nobiles, & pro nobilibus Capitaneis, seu Cataneis habeant, atque ipsis nobilium Capitaneorum, seu Cataneorum privilegiis, juribus, honoribus, gratiis, libertatibus, dignitatibus & indultis libere perfrui, & gaudere permittant. Ut autem liberalitatis nostræ gratiam vobis a nostra Celsitudine Nobilitatis, & Cataneatus titulo taliter insignitis, sentiatis uberius affuisse, Villam, seu Terram Castri veteris, positam in Vicaria Vallis Arianæ, Lucani districtus, in qua circa viginti homines esse dicuntur, nec non Dominium & proprietatem Villæ, seu Terræ ipsius, in quorum possessione estis, sicut ea juste & rationabiliter possidetis, cum plena & omnimoda jurisdictione, ac mero & mixto Imperio, vobis omnibus & singulis, vestrisque & cujuslibet vestrum antedictis hæredibus, in nobile feudum de novo concedimus, sicut juste possumus, & donamus. Vosque, & prædictos hæredes vestros de Villa, seu terra præfatis, nec non Dominio, & proprietate ipsorum, Imperiali autoritate, tenore præsentium, ex certa scientia investimus, non obstantibus ad præmissa, vel eorum aliquod, quibuscunque legibus in contrarium, vel statutis, quibus, & quorum cuilibet etiam si necesse foret expressam de talibus, vel eorum aliquo in præsentibus fieri mentionem, quoad vos omnes, & singulos, vestrosque prædictos, & vestrum cujuslibet descendentes, præsentibus totaliter ex certa scientia dero-

derogamus, salvis Imperii juribus, & quorumlibet aliorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Majestatis infringere, & ei ausu temerario contraire sub pœna quinquaginta Marcarum auri puri, quam contrafaciens se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum medietas ærarii nostri, seu Imperialis Fisci, reliqua vero injuriam passorum usibus applicetur. Signum Serenissimi Principis, & Domini Domini Caroli Quarti, Romanorum Imperatoris Invictissimi & Gloriosissimi, Boemiæ Regis; Testes hujus rei sunt Venerabiles, Nicolaus Patriarcha Aquilejen. frater noster, Arnetus Archiepiscopus Pragens. Joannes Olumucens., Joannes Lutomuschen. Cancellarius Aulæ nostræ Imperialis, Marquardus Augustens., Gherardus Spirens., Joannes Spoletanus, Philippus Vulterranus Episcopi, ac Illustres Nicolaus, Opaviæ, & Bolcho Svidnicensis, Duces, Vilhertiez Magister Cameræ nostræ, Bernardus de Ozinnemburg, Hieronymus de Nova Domo, Tesco de Rosemberg, Heneo de Stsmberg, & alii quamplures præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio litterarum. Datum Petra Sanctæ, Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, octava Indictione, tertio nonas Junii, Regnorum nostrorum Anno nono, Imperii vero primo. Locus sigilli appositi. *Autenticato a di 23. Ottobre 1639. da Alessandro Ceoreteri Fiorentino nelle proue di Lodovico dal Portico per l'habito di Malta.*

V.

Andreæ Contareni, Ducis Venetiarum Privilegium, quo Joannem de Guarzonibus in civium Venetorum numerum receptum pro Veneto, origine tali, declaravit, d. d. 20. Mart. Anno 1374.

ANdreas Cantareno, Dei gratia Dux Venetiarum &c. Universis, & singulis, tam Amicis, quam fidelibus, & tam præsentibus, quam futuris, præsens privilegium inspecturis salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Tanto benignius Ducalis prudentia consuevit personas honorabiles, sibi devotas & fideles, honoribus prævenire, ipsarumque fidem & devotionem dignis retributionibus compensare, & ipsarum petitiones liberalius exaudire quanto Ducatui nostro devotiores fide & operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis fidei puritatem, & devotionis plenitudinem, quam egregius & nobilis miles, Joannes de Guarzonibus, qui fuit de Pesia, Lucani districtus, ad nostræ magnitudinis excellentiam promptius se ostendit. Qui in agendis Nos, Ducatum nostrum, & singulas personas Ducatus ejusdem tangentibus devotum, & promptum laudabiliter, & incessanter se præbuit, atque præbet. Supplicationibus Nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, eum cum suis filiis, & hæredibus nostrorum omnium consiliorum, & ordinamentorum necessaria solemnitate servata perpetuo in nostrum Civem, & Venetum deintus recepimus, atque recipimus, & Venetum & Civem nostrum deintus facimus, & fecimus, & pro Veneto & Cive nostro deintus, ubicumque deinceps haberi, & procurari omni effectu, & plenitudine volumus tractari. Ipsum sinceræ benevolentiæ brachiis amplectentes, & firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus, & honoribus quibuscunque, quibus alii nostri Veneti, & Cives deintus gaudere & perfrui dignoscuntur, præfatus egregius & nobilis miles Joannes de Guarzonibus cum dictis filiis suis, & hæredibus perpetuo gaudeat, & utatur, non faciendo, nec fieri faciendo de Mercationibus in Venet. Nobis quoque idem Joannes ad Sancta Dei Evangelia præstitit fidelitatis debitum juramentum. In quorum omnium fidem, & evidentiam pleniorem præsens privilegium fieri jussimus, bullaque nostra pendente plumbea communiri. Datum in nostro Ducali Palatio Anno Dominicæ Incarnationis millesimo tercentesimo septuagesimo quarto, die vigesima Martii, duodecimæ Indictionis.

Locus Plumbi Cordulis sericeis rubei coloris appensi.

VI.

Caroli IV. Roman. Imperatoris Diploma, quo Joannem & Bartholomæum de Guarzonibus, fratres, perpetuorum Sacri Lateranensis Palatii Comitum dignitate atque Privilegiis condecoravit, d. d. 11. Kal. April. An. 1376.

IN nomine Domini Amen. Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter Amen. Carolus Quartus, divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam nobilibus Joanni, & Bartholomæo fratribus de Guarzonibus de Piscia, Civibus Lucanis, Sacri Lateranensis Palatii Comitibus suis, & Imperii Sacri fidelibus dilectis, gratiam suam, & omne bonum Sceptrigena Cesareæ dignitatis sublimitas sicut inferioribus potestatibus officiis, & dignitatis elatione præfertur, ut commissos sibi fideles optate gubernet consolationis præsidio, & thronus Imperialis tanto solidatur felicius, & uberiori prosperitate proficiat, quanto indesinentis suæ virtutis donaria largiori benignitatis munere fuderit in subjectos, sic a corruscante splendore Imperialis solii Nobilitates aliæ velut a sole radii prodeuntes fidelium status, & condictiones illustrant, quod primæ lucis integritas minorati luminis detrimenta non patitur, immo amplioribus utique scintillant, jubaris exoptato decore perfunditur, dum in circuitu sedis augustæ Nobilium numerus ad Imperii Sacri decorem feliciter adaugetur, sane de vestræ fidei, & circumspectionis industria plenam habentes fiduciam, vos nec non hæredes, & descendentes vestros legiptimos in linea masculini sexus in perpetuum Sacri Lateranen. Palacii Comites creamus, facimus, &, prout melius possumus, ordinamus, decernentes, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod omnibus juribus & privilegiis Comitum Palatinorum uti, & gaudere possitis, dantes & concedentes vobis, & dictis hæredibus vestris auctoritatem & potestatem plenariam

nariam Tabelliones, seu Notarios publicos faciendi, & eosdem cum penna & calamario, (ut moris est) de Tabellionatus officio investiendi; dum tamen ad praticam & executionem hujusmodi officii habiles eos noveritis; super quo vestras omnium conscientias oneramus, nec non investiendi Judices ordinarios juxta sacratissimarum legum legiptima statuta, & a Tabellionibus ac Judicibus ordinariis tempore creationis & constitutionis eorum infrascripta juramenta recipiendi, ut videlicet Tabellio juret hæc verba: ego enim promicto, & juro, quod fidelis ero Serenissimo ac Invictissimo Principi ac Domino Domino Carolo Quarto, divina favente clementia Romanorum Imperatori semper Augusto, & Boemiæ Regi, Illustri Domino meo gratioso, & omnibus suis successoribus, Romanis Imperatoribus, seu Regibus legiptime intrantibus, neque unquam ero in consilio, ubi periculum eorum tractetur, bonum & salutem eorum promovebo, damnum vero pro mea possibilitate avertam fideliter, & Instrumenta seu Contractus quoscumque non scribam in papiro, seu carta veteri, aut abrasa, sed in membrana munda, & nova, Testamenta, Codicillos, & quascunque ultimas voluntates, nec non dicta testium conscribam fideliter, & ea occulte servabo, nullique pandam, donec debeant, aut mandato Judicis, seu alias, exigente justitia promulgari causas miserabilium personarum, pontes, Hospitalia, emendationes viarum publicarum omni tempore promovebo, & officium meum exercebo fideliter, non attendendo munera, odium, vel amorem, sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia. Juramentum vero Judicis ordinarii erit hoc: Ego enim juro, & promicto, quod fidelis ero Serenissimo, ac Invictissimo Principi, ac Domino Domino Carolo Quarto, divina favente clementia Romanorum Imperatori, semper Augusto, & Boemiæ Regi, Illustri Domino meo gratioso, & omnibus successoribus suis Romanis Imperatoribus, sive Regibus legiptime intrantibus, neque unquam ero in Consilio, ubi periculum eorum tractetur, bonum, salutemque eorum promovebo, damnum vero pro mea possibilitate avertam, officiumque judicatus fideliter exercebo, non attendendo munera, odium, vel amorem, sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia! Decernentes, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod Tabelliones, seu Judices ordinarii per vos, aut quemlibet vestrum creati, facti, aut instituti modo, quo præmittitur, postquam juramenta prædicta præstiterint, officia sua valeant ubique locorum exercere, & operationes eorum vim habeant omnimodam, & vigorem. Insuper autoritate Imperiali prædicta damus, concedimus & largimur vobis omnibus & singulis supradictis, ut Tutores, Curatores, & Mundualdos dare possitis in casibus opportunus; Naturales filios, & etiam manseres ex illicito, aut etiam quocumque dannato, & nihilominus inconcesso coitu procreatos (natis tamen Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Procerum & Nobilium, qui Principatus, Ducatus, Vicariatus, Comitatus, Dominia, Baronias, Civitates, Castra, aut Fortalitia hæreditaria, vel in feudum dependentia habent & possident, dumtaxat exceptis) legiptime constituere, ac legiptimare, & ad omnia jura legiptima restituere prædictæ genituræ maculam abolentes, ut tanquam legiptimi, & de legiptimo matrimonio procreati in bonis paternis, & maternis propriis, & feudalibus, acquisitis & acquirendis, ex testamento, & ab intestato, succedant, & tanquam de legiptimo matrimonio editi & concepti Agnatis, Cognatis, parentum suorum in quovis gradu constitutis Agnati & Cognati efficiant, & recipere ipsi sibi, & ad omnes actus publicos & Civiles, officia, & honores, si se casus ingesserit, admittantur, per præmissa tamen proximioribus, & legiptimis hæredibus in suis juribus præjudicium aliquod nolumus generari, arrogationes quoque, seu adoptiones facere, eis autoritatem interponere juxta legiptimas sanctiones, non obstante aliqua lege, illa potissime, quæ legiptimare spurios naturales nisi ex certa scientia non permittit, & aliis legibus, juribus, aut consuetudinibus adversantibus supradictis, vel alicui præmissorum, & specialiter non obstante *lege prima C. de naturalibus liberis, & C. ultima coll. septima in corpore autoritate*, quibus naturales efficiant, seu per totum, quibus ex nunc, ex certa scientia derogamus, etiam si de iis jure, vel consuetudine deberetur in præsentibus fieri mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ largitionis, donationis & concessionis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire, sub pœna indignationis Cæsareæ, & quinquaginta marcarum auri purissimi, quarum contrafaciens toties, quoties contrafactum fuerit, ipso facto se noverit irremissibiliter incursurum, cujus medietatem Imperialis ærarii, reliquam vero præfatorum Joannis & Bartholomæi, & suorum filiorum usibus decernimus applicari. Signum Serenissimi Principis & Domini Domini Caroli Quarti, Romani Imperatoris Invictissimi. & Gloriosissimi Boemiæ Regis. Testes hujus rei sunt: Illustris Wencellaus, Boemiæ Rex, Brandeburgen. Marchio, & Slesiæ Dux, filius noster Carissimus. Venerabiles Lodovicus Maguntinens. Archiepiscopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, Fridericus, Colonensis Archiepiscopus, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, Illustres Rupertus Senior, Comes Palatinus Reni, Sacri Imperii Archidapifer, & Dux Bavariæ Sigismundus Brandeburgensis, Marchio, Sacri Imperii Archicamerarius, Principes Electores, Nobiles Petrus de Vartemberg Imperialis Curiæ nostræ Magister Thimo de Coldicz, & alii quamplures nostri, & Imperii Sacri Principes, Nobiles & fideles præsentium sub Imperialis nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Nuremberg, Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo sexto, Indictione quartadecima, II. Calendas Aprilis, Regnorum nostrorum anno trigesimo, Imperii vero vigesimo primo.

VII.

VII.

Wenceslai, Romanorum Regis, Mandatum, in quo Nicolao, Marchioni Estensi, serio atque severe injungit, ut Januenses ad plenariam satisfactionem Joanni de Guarzonibus, Potestati Januensi, ab illis spoliato maleque habito, præstandam suo nomine compellat, d. d. prid. Kal. Decembris, An. 1379.

VEnzeslaus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Boemiæ Rex, Nobili Nicolao Marchioni Asten. pro nostra Majestate Ferrariensi & Mutinensi, Generali Vicario suo, & Imperii Sacri fideli dilecto, gratiam Regiam, & omne bonum, cum pro parte dilecti nobis Joannis de Garzonibus de Luca, qui recolendæ memoriæ quondam Domini Joannis Boemiæ Regis, Avi, ac etiam Serenissimi Domini Caroli Genitoris nostrorum fidelissimus fuit servitor, nosterque quotidianus est familiaris, querelam recipimus, quod sub Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo octavo, de mense Junii ipsius Anni, dum ipse Potestas esset, & Rector Civitatis Januæ, per Comune, & tunc appellatum Ducem Januensem concorditer electus, populus & homines ipsius Civitatis manu armata ipsum prætensum Ducem irruerunt, & eundem captivitati dederunt, & quod demum ad Palatium, tunc ipsi Joanni præfato, Potestati per Cives Januenses deputatum, furiose & insolenter venerunt, ipsumque Potestatem, & ejus officiales & familiam derobaverunt omnibus suis armis, equis, denariis, arnesiis, & aliis fulcimentis, & suppellectilibus universis, ipsos nihilominus de dicto Palatio, plagis nonnullis, & vulneribus tactos, & læsos crudeliter expellendo, absque tamen aliqua causa & culpa ipsius Joannis & officialium suorum præcedente, præterquam talia, seu iis similia in ipso, & contra ipsum, nec contra ejus officiales facere debuissent. Cujus quidem invasionis & derobationis occasione ipse Joannes, suique officiales damnificati sunt ad valorem florenorum mille & quingentorum, quodque ipsum post hoc revocaverint, & locaverint ad præfatum Palatium, una cum suis officialibus, rogando, & hortando, ut ipsi sicut prius suum vellent officium exercere, nullum habendo dubium, quin omnia damna ipsis, ut præmittitur, illata eis deberent restitui integraliter, & ad plenum, & quamvis hæ hoc sæpius, & Nicolaum de Gioalbo Gubernatores, & Antianos ipse Joannes & sui officiales requisisse noscantur, ipsis tamen prædictarum suarum rerum aliqua restitutio non sit facta nisi Joanni prædicto, usque ad quantitatem tercentorum florenorum, officialibusque suis, ad quantitatem septuaginta florenorum. Denique finito ejus officio ipsum nulla ratione præeuntem in Civitate Januense per Cives Januenses, seu prædictos Gubernatores & Antianos fuit detentus per dies viginti, non expediendo ipsum, sed ei una cum suis contumelias & vituperia indebite & contra justitiam inferendo, ratione cujus impedimenti, ipse cum sua familia ducentos florenos expendisset, quas non oportuisset expendere, si ab ipsis Januensibus fuissent, ut præmittitur, expediti. Supplicatum idcirco per ipsum Joannem nostræ Celsitudini fuit humiliter & devote, quatenus sibi ad restitutionem & reabitionem hujusmodi suarum rerum præbere dignaremur subsidia & remedia opportuna. Nosque attentis prædictis, quæ exauditione fuerunt digna, & sunt, mandavimus Gubernatoribus, Antianis, & Comuni Civitatis Januæ, quatenus Joanni prædicto, & suis officialibus omnia prædicta, videlicet ad quantitatem, & valorem mille quingentorum florenorum, debeant, faciant, & procurent, infra spatium trium mensium computandorum continue a præsentatione præsentium, plene & integraliter restitui juxta formam supplicationis, quam ipse Joannes eis ostenderit, cum literis, quæ eis super hoc per Nos diriguntur, ac etiam ipsis Januensibus, seu Gubernatoribus, & Antianis Januæ prædicta omnia & singula plene non adimplentibus, commiserimus Venerabili Marquardo, Aquiligensis Ecclesiæ Patriarchæ, quod ipse prænominato Joanni, & suis officialibus super prædictis omnibus & singulis faceret jus, & justitiæ complementum summarie & sine figura judicii. Juris ordine tamen aliter servato. Verum quia contingere potest casus, in quo præfatus Marquardus prædictis sibi commissis, non superesset, vel ipso prædictis intendente ad Dominum migraret, utroque casuum adveniente fidelitati tuæ committimus, & mandamus, quatenus prædicto Joanni, & ejus officialibus nostris autoritate, vice, & nomine facias jus & justitiæ complementum super prædictis omnibus & singulis summarie, & sine figura judicii, juris tamen ordine aliter servato, firmis tamen manentibus omnibus & singulis, quæ contingeret fore agitata coram præfato Patriarcha, & fidem coram te facientibus, prout fecissent, coram Patriarcha antedicto. Præsentium sub Regiæ nostræ Majestatis sigillo, & testimonio litterarum. Datum Pragæ Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo nono, pridie Calendas Decembris, Regnorum nostrorum Anno Boemiæ decimo septimo, Romanorum vero quarto.

CAPUT XVIII.

De Comitibus Hippolythis de Gazoldo.

I.

Rudolphi II. Roman. Imperatoris literæ, quibus Hannibalem & Maximilianum de Hippolythis, ex Comitibus de Gazoldo oriundis, de terra seu villa Gazoldi, ejusque juribus & annexis investivit, d. d. 13. Nov. An. 1583.

RUdolphus secundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobiles nostri, & Sacri Romani Imperii fideles dilecti, Hannibal

nibal & Maximilianus Fratres, Filii quondam Friderici de Hippolythis, ex Comitibus de Gazoldo, Nobis humillime supplicaverint, ut, cum prædictus eorum pater Comes Fridericus e vivis decesserit, ipsi quasdam litteras feudorum confirmationis & investituræ, quondam divæ memoriæ antecessorum Nostrorum, Romanorum Imperatorum, videlicet Caroli Quarti, quondam Albertino Jurlini, item Sigismundi, quondam Jacobo, & Joanni Antonio, quondam Antonii, item Friderici Atavi nostri Joanni Francisco Ludovico, Joanni & Antonio Fratribus, quondam Jacobi de Hippolythis, & Friderico quondam Lancellotti de Hippolythis, item Abavi nostri Maximiliani Primi, Joanni, & Antonio, quondam Jacobi, & Friderico, quondam Lancellotti, & Galeatio quondam Ludovici de Hippolythis, item divi quondam magni Patrui & Avi Materni nostri charissimi, Caroli Quinti, Joanni quondam Jacobi, ac ipsis Camillo & Friderico Fratribus, nec non Galeatio, quondam Ludovici, ac Matthiæ & Albertino Fratribus, quondam Antonii, quondam Jacobi, & iterum Galeatio, quondam Ludovici, ac Matthiæ & Albertino Fratribus, quondam Antonii, & postremo Hannibali Lancellotto, & Francisco, Fratribus Germanis, quondam Friderici præfatorum quondam Albertini Jacobi & Joannis Antonii Successoribus & dictorum bonorum & feudorum possessoribus legitimis, quam successoribus datas & concessas, & a Serenissimis & Potentissimis Principibus Divis Ferdinando & Maximiliano Secundo, quondam Imperatoribus, augustæ memoriæ, Dominis Avo paterno & Genitore & Prædecessoribus nostris observandissimis, & Nobis prædicto ipsorum Patri Comiti Friderico, una cum ejus Fratre Comite Camillo confirmatas & approbatas, omniaque & singula in eisdem contenta approbare, ratificare, innovare & confirmare, de solita nostræ benignitatis clementia, nec non eos de feudis, quæ una cum jam dicto eorum Patruo Comite Camillo a Nobis & a Sacro Romano Imperio obtinent pro se, & hæredibus & successoribus suis masculis, ex eis legitime descendentibus, & de legitimo matrimonio natis & procreatis, & non aliter nec alio modo, gratiosius investire dignaremur. Nos itaque petitioni hujusmodi, tanquam rationi consonæ, gratiose annuentes, ex certa nostra scientia, autoritate Cæsarea, & de ejusdem plenitudine potestatis, præfatas litteras & privilegia Antecessorum Nostrorum, videlicet Caroli Quarti, datas Mantuæ, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, decimo tertio Kalendarum Januarii; Sigismundi, datas etiam Mantuæ, anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, die vigesima septima mensis Decembris; Friderici Atavi nostri, datas in civitate nostra Viennæ, die vigesima mensis Januarii, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo secundo; Maximiliani Abavi nostri, datas in nostra Imperiali civitate Augustæ Vindelicorum, die prima Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo quinto; item Caroli Quinti ternas, quarum unæ datæ fuerunt in Nostra Imperiali civitate Wormatiæ, die vigesima prima mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo primo, alteræ una ab Imperiali regimine emanatæ in Nostra Imperiali civitate Norimberga, die nona mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, & postremæ Bononiæ die decima quinta mensis Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo; item Divi Ferdinandi, quondam Imperatoris, Domini & Avi paterni nostri observandissimi, datas etiam Viennæ, die octava mensis Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo; Item divi Maximiliani Secundi, Imperatoris, Domini & Genitoris nostri Colendissimi, augustissimæ memoriæ; ac demum nostras, itidem Viennæ, die ultima Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo datas, quorum privilegiorum & litterarum tenores hic pro expressis haberi volumus, ac omnia & singula, quæ in eisdem & quolibet eorum continentur, in omnibus & singulis suis punctis, clausulis & articulis, quemadmodum dicti Comites Camillus & Fridericus his hactenus usi sunt atque in præsentia utuntur, approbavimus, ratificavimus, ac etiam tenore præsentium ratificamus, innovamus, approbamus, confirmamus, ac omni quo possumus robore munimus, eosdem Annibalem & Maximilianum de Hippolythis Comites, de ipsorum & in ipsorum hæreditatibus, portionibus, partibus, feudo ac Dominio sibi ipsis spectantibus in prædicta terra, seu villa Gazoldi, cum omnibus suis pertinentiis, juribus & jurisdictionibus suis, cum mero & mixto Imperio & gladii potestate, omnimodaque jurisdictione, & in omnibus ac in omnia, in homines, & inter homines & personas dicti loci & terræ Gazoldi seu commorantes ibidem, & in ipso loco & terra Gazoldi, & ad ipsos pertinentiis, supra nominatos Comites, & quoscunque officiales ipsorum & Rectores, quos ipsi & Hæredes sui masculi legitimi, & ex eis per legitimum matrimonium descendentes, decreverint eligendos, seu deputandos exercenda, prout de ipsorum hæredum legitimorum masculorum, mera & libera processerit voluntate; Committentes in hac parte eis pro se, & hæredibus & successoribus suis masculis legitimis ex eis, & legitimo matrimonio descendentibus totaliter vices nostras, nec non cum sexta parte pro indiviso omnium nemorum nominatorum de Redondesco in parte sibi spectantium, & de possessionibus omnibus, terris cultis & incultis, pascuis, sylvis, nemoribus, venationibus, aquis, aquarum decursionibus, molendinis, ripis, ripaticis, ac piscationibus, & aliis quibuscunque juribus, jurisdictionibus, honoribus, feudis, vasallis, & bonis, quæ videlicet ipsorum præfatorum Comitum prædecessores tenebant & possidebant, ipsique in præsentiarum tenent & possident, pro se ipsis tanquam legitimis hæredibus & successoribus suis, ex eis legitime descendentibus, ut supra, sine alicujus contradictione, recepto tamen prius ab ipsorum Comitum Annibalis & Maximiliani procuratore nostro, & Imperii Sacri fidele dilecto, Davide Gering, ad hoc sufficienti mandato instructo, loco, nomine, & in animas dictorum Annibalis & Maximiliani debito fidelitatis, homagii, & subjectionis juramento solenniter investimus; Decernentes & volentes expresse, ut deinceps nullus spurius ad succedendum in præfatis feudis in præjudicium hæredum legitimorum, nisi per Nos Nostrosve in Imperio Successores debita causæ cognitione præhabita legitimari possit, irritum, atque inane, quidquid secus factum fuerit, penitus

nitus

nitus declarantes in prædictis omnibus nostris & Sacri Imperii, ac aliorum, quorumcunque juribus semper salvis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis & investituræ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, siquis autem hoc attentare præsumpserit, præter indignationem nostram gravissimam, sciat se pœnam Centum Marcarum auri puri toties, quoties contrafactum fuerit, incursurum, quarum quidem medietatem Cæsareo Nostro Fisco, reliquam vero partem injuriam passorum usibus irremissibiliter applicandam decernimus. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione roboratarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die decima tertia mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio.

II.

Leopoldi Romanorum Imperatoris literæ, quibus Ferdinando, Hectori & Rudolpho, nec non Felici atque Venturæ Hippolythis, Comitibus de Gazoldo, spectantes ad ipsos in terra ac villa feudi Gazoldi portiones in feudum concessit, d. d. 14. Febr. A. 1667.

LEOPOLDUS &c.

AD perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis (Tit.) Vincentius quondam Rudolphi, suique ex Fratribus Vincentio atque Rudolpho, Nepotes, Ferdinandus Hector & Rudolphus, nec non & Felix atque Ventura, quondam Herculis, quondam Aloysii omnes Hippolythi, Comites de Gazoldo demississime exponendum curarint, ab Augustissimo Imperatore Cæsare, divo Ferdinando Tertio, Domino Patre ac Prædecessore nostro colendissimo, gloriosæ memoriæ, dictos quondam respective eorum Patrem, atque Avos, Rudolphum ac Aloysium, super portionibus feudi in terra ac villa Gazoldi ad ipsos spectantibus, quasque ipsi a Sacro Rom. Imperio recognoscebant, tenebant ac possidebant, una cum aliis condominis & ejusdem feudi participibus legitime investitos atque infeudatos fuisse, prout ex subinserto investituræ quinto nonas Januarias, anno Domini 1638. expetito Diplomate pluribus fit videre:

(*Inseratur investitura Cæsaris Ferdinandi Tertii.*)

Ac porro prædicti Hippolythi Comites de Gazoldo Nos humillime rogarint, quoniam prædicti ipsorum respective Pater & Avi, alter quidem Rudolphus anno 1642. alter vero Aloysius 1644. se filio atque nepotibus superstitibus relictis, e vivis excesserint, ipsique eorundem Successores Nos in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, clientelarisque ac fiduciarii obsequii justa rite, prout fideles & obedientes nostros & Sacri Imperii Vasallos decet, adimplere desiderent, paratique sint, ut de solita benignitatis & clementiæ nostræ Cæsareæ indulgentia ipsis præinsertas feudorum confirmationis & investituræ literas, omniaque & singula in iisdem contenta approbare, ratificare & confirmare, nec non & de feudis, quæ a Nobis & Sac. Rom. Imperio obtinent, possident ac recognoscunt, pro se, successoribus ac hæredibus suis masculis, ex eis legitime descendentibus, & de legitimo matrimonio natis & procreatis, & non aliter nec alio modo gratiose investire atque infeudare dignaremur.

Nos sane, qui alias desideriis & votis justa petentium libenter annuimus, tametsi quidem ob intermissas ab iisdem, inprimis vero a Vincentio filio, jam pridem majorennitatem suam adepto, diversas investiturarum petitiones, aliisque justissimis de causis, diversum a dictis eorundem precibus statuere potuissemus; attentis tamen iis, quæ præprimis pro restitutione in integrum, gratiæque nostræ Cæsareæ indulgentia obtinenda allegarunt, ac considerantes etiam cum prædictorum Rudolphi, atque Aloysii Patris, atque Avorum suorum constans ad extremum sinceræ & addictæ fidei, devotionis & obsequii studium, tum fidem etiam atque observantiam, qua se dicti supplicantes Nos Sacrumque Imperium deinceps quoque, ut tenentur, culturos atque observaturos esse adpromittunt, clementiam nostram Cæsaream dictæ eorum negligentiæ, culpæque præhabendam, prædictæque adeo ipsorum petitioni annuendum censuerimus.

Ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ nostræ autoritatis ac potestatis plenitudine, præinsertas & citatas privilegiorum literas, quarum quorumve tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, atque omnia & singula, quæ in eisdem & quolibet eorum continentur, in omnibus suis capitibus, punctis, clausulis, articulis & verborum expressionibus, quemadmodum supramemorati Comites iis hactenus usi sunt, atque impræsentiarum utuntur, laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, atque omni meliori, quo possumus ac valemus, firmitatis robore munivérimus, quemadmodum tenore præsentium, laudamus, approbamus, confirmamus & munimus, ac prædictos Comites de ipsorum & uniuscujusque ipsorum portionibus, feudi ac Dominii in terra, seu villa Gazoldi ad ipsos spectantibus, cum omnibus suis pertinentiis, juribus & jurisdictionibus, mero & mixto imperio, ac gladii potestate, omnimodaque jurisdictione, in omnibus & in omnia, in homines & inter homines, & personas dicti loci & terræ Gazoldi, seu commorantes ibidem & in ipso loco & terra Gazoldi & pertinentiis, per ipsos supranominatos Comites, & quoscunque officiales ipsorum & lectores, quos ipsi & hæredes sui masculi legitimi, ex eis & legitimo matrimonio descendentes decreverint, eligendos seu deputandos exercenda, prout de ipsorum hæredumque suorum legitimorum masculorum mera & libera processerit voluntate, committentes hac in parte eis pro se & hæredibus ac successoribus suis masculis legitimis ex eis, & legitimo matrimonio descendentibus totaliter vices nostras, nec non cum sexta parte pro indiviso omnium nemorum nominatorum de Redondesco in parte ad

ad ipsos spectantium, & de possessionibus omnibus, terris cultis & incultis, pascuis, sylvis, nemoribus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molendinis, ripis, ripaticis ac piscationibus, & aliis quibuscunque juribus, jurisdictionibus, honoribus, feudis, Vasallis & bonis, quæ olim ipsorum Comitum Antecessores tenebant & possidebant, ipsique in præsentiarum tenent & possident, pro se ipsis ac legitimis hæredibus ac successoribus suis, ex eis & legitimo matrimonio descendentibus, ut supra, fine ulla contradictione clementer investiverimus, prout vigore præsentium (recepto tamen prius ab honorabilibus, dictis fidelibus, Nobis dilectis, Joanne Bernhardo Hauser J. V. D. & Bonaventura Gisgonio, ipsorum legitimis Procuratoribus, sufficientibus ad id mandatis instructis, loco, nomine, adeoque in animas eorundem debito fidelitatis, homagii & subjectionis juramento) solemniter investimus atque infeudamus; decernentes & volentes expresse, ut deinceps nullus illegitimus, aut spurius ad succedendum in prædictis feudis, in hæredum legitimorum præjudicium, nisi per Nos nostrosve in Imperio Successores, debita causæ cognitione præhabita, legitimari possit, quicquid in præfatis omnibus secus factum fuerit, irritum atque inane penitus declarantes, nec non in præmissis (omni caducitate & felonia, quæ ob neglectas investiturarum renovationes, aut alia quacunque de causa prætendi potuit, ex peculiari gratia) omnes & singulos defectus tam juris quam facti, si qui reperiantur, gratiose supplentes; non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus individua hic & expressa mentio fieri deberet: nostris tamen & Imperii atque aliorum quorumcunque juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum hanc nostræ laudationis, approbationis, innovationis, confirmationis, ratificationis, munitionis, concessionis & Investituræ paginam violare, infringere, contemnere, aut ei quovis ausu temerario contraire fas licitumve sit. Si quis autem secus faxit, is, præterquam quod nostram indignationem gravissimam incurret, centum quoque marcarum auri puri, puti, probi, sui, ex semisse ærario sive fisco nostro Imperiali, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis, omni remissionis ac veniæ præcisa spe, mulctam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum, quas manus nostræ subscriptione & sigilli nostri Cæsarei appensione communitas dedimus in Civitate nostra Viennæ 14. Februarii An. 1667.

III.

Ejusdem Indultum, in Aloysii de Hippolythis, Comitis de Gazoldo, habita homagii, ob feudi Gazoldi portiunculam præstandi, ratione, commodum atque emolumentum ad sex menses cessurum d. d. 21. Octobr. An. 1692.

LEopoldus, Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & tenore præsentium notum facimus universis: Quod, cum Nobis nobilis, Sacrique Imperii fidelis dilectus Aloysius de Hippolythis Comes Gazoldi exponi curarit, se post mortem Felicis, Patris sui vigesima Septembris anno proxime elapso defuncti, de portiuncula ejusdem feudi Gazoldi rite investiti, in eandem successisse, adeoque sibi investituram ejus a Nobis, velut directo & supremo Domino, requirendam incumbere; verum tum ob non legitimam ætatem tum ob bellicosas turbas, contributionesque hucusque datas, ac deinceps exsolvendas, hybernia que sustenta eandem Investituram intra statutum tempus nec recipere, nec jura Cancellariæ taxasque solitas, ac alia eo necessaria exsolvere posse: humiliter rogando, ut sibi tempus ad hæc præstanda usque ad majorennitatem suam prorogare ac indulgere dignaremur. Nos, habita ratione hujusmodi humilium ejus precum, nec non causarum Nobis expositarum, eidem tempus, investituram super dicta feudi Gazoldi portiuncula petendi, & homagium Nobis & Sacro Imperio desuper præstandi, ad sex menses benigne prorogaverimus atque indulserimus; prout præsentium tenore prorogamus atque indulgemus, ita tamen, ut a primo die ab elapso dicto prorogationis termino, eandem investituram super dicta feudi portione debito modo petere, Nobisque & Sacro Imperio de eadem homagium & cætera solennia præstare teneatur, omni dolo & fraude semota. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appressione signatarum. Datum in Civitate nostra Viennæ die vigesima prima mensis Octobris Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, regnorum nostrorum Romani trigesimo quinto, Hungarici trigesimo octavo, Bohemici vero trigesimo septimo.

LEOPOLDUS.

D. D. Maximilianus Adamus
Comes a Walnstein.

Ad Mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium

Franciscus Winandus de Bertram.

IV.

Ejusdem literarum investituræ, die 14. Febr. An. 1667. Comitibus Hippolythis de Gazoldo concessarum confirmatio, pro Aloysio Hippolytho Comite de Gazoldo expedita, d. d. 27. Januarii Anno 1693.

LEOPOLDUS &c.

AD perpetuam rei memoriam agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis tit. Aloysius Hippolythus, Comes de Gazoldi

zoldi demississime exponendum curarit, Patrem quondam suum, Felicem, una cum convasallis suis, Comitibus de Gazoldo, a Nobis die 14. Februarii anno 1667. legitime investitum fuisse, juxta tenorem Diplomatis sequentis:

Inseratur investitura de dato 14. Febr. 1667. supra Num. II. inserta.

Ac porro Nobis humillime supplicaverit, cum, defuncto dicto Patre suo, quarta memorati feudi Gazoldi portiuncula ad se tanquam filium unicum legitimum & naturalem, adeoque hæredem indubitatum devoluta sit, ipseque Nos in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, clientelarisque ac fiduciarii obsequii justa rite, prout fidelem & obedientem nostrum, & Sacri Imperii vasallum decet, adimplere desideret paratusque sit; ut de solita benignitatis & clementiæ nostræ Cæsareæ indulgentia ipsi præinsertas feudorum confirmationis & investituræ litteras renovare, omniaque & singula in iisdem contenta, quantum ab ejus dicto Patre Felice possessum, & ad supplicantem filium devolutum sit, & pertineat, approbare, ratificare & confirmare, nec non & de feudis, quæ a Nobis & Sacro Romano Imperio obtinet, possidet & recognoscit pro se, successoribus, ac hæredibus suis masculis, ex eis legitime descendentibus, & de legitimo matrimonio natis & procreatis, & non aliter, nec alio modo gratiose investire atque infeudare dignaremur: Nos sane considerantes cum Patris, ac Prædecessorum ejus constans ad extremum sinceræ & addictæ fidei, devotionis & obsequii studium, tum fidem etiam atque observantiam, qua se dictus supplicans, Nos, Sacrumque Imperium deinceps quoque, ut tenetur, culturum atque observaturum esse appromittit, submississimæ ejus petitioni annuendum censuerimus.

Ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ nostræ autoritatis ac potestatis plenitudine, præinsertas & citatas privilegiorum litteras, quarum quorumve tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, atque omnia & singula, quæ in eisdem, & quolibet eorum continentur, in omnibus suis capitibus, punctis, clausulis, articulis & verborum expressionibus, quemadmodum supranominatus Pater Felix pro quarta parte hactenus usus est, memoratusque supplicans in præsentiarum utitur, laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, atque omni meliore, quo possumus & valemus, firmitatis robore muniverimus, quemadmodum tenore præsentium laudamus, approbamus, confirmamus & munimus, ac prædictum Aloysium Hyppolitum Comitem de quarta portione feudi ac Dominii in terra seu villa Gazoldi, ad ipsum devoluta & spectante, cum omnibus suis pertinentiis, juribus & jurisdictionibus, mero & mixto imperio, ac gladii potestate, omnimodaque jurisdictione in omnibus, & in omnia, in homines & inter homines & personas dicti loci & terræ Gazoldi, seu commorantes ibidem, & in ipso loco & terra Gazoldi, & pertinentiis, per ipsum supranominatum Comitem, & quoscunque officiales ipsorum & Rectores, quos ipsi & hæredes sui masculi legitimi, ex eis & legitimo matrimonio descendentes, decreverint eligendos, seu deputandos exercenda, prout de ipsius, hæredumque suorum legitimorum masculorum mera & libera processerit voluntate; committentes hac in parte eis pro se, & hæredibus ac successoribus suis masculis, legitimo matrimonio descendentibus, totaliter vices nostras, nec non cum sexta parte pro indiviso omnium nemorum nominatorum de Rondesco, in parte ad ipsum Aloysium Hippolytum spectantium, & de possessionibus omnibus, terris cultis & incultis, pascuis, sylvis, nemoribus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molendinis, ripis, ripaticis & piscationibus, & aliis quibuscunque juribus, jurisdictionibus, honoribus, feudis, vasallis & bonis, quæ olim ipsius supplicantis antecessores tenebant & possidebant, ipseque supplicans de iis a Patre habet, ac in præsentiarum tenet ac possidet, pro se ipso, ac legitimis hæredibus ac successoribus suis ex eo, & legitimo matrimonio descendentibus, ut supra, sine ulla contradictione clementer investiverimus, prout vigore præsentium (recepto tamen prius ab honorabili, docto, fideli, Nobis dilecto Bonaventura de Gisgone a Carthagine, Consiliario nostro, & Comite Palatino, legitimo ejus Procuratore, sufficienti ad id mandato instructo, loco, nomine, adeoque in animam ejus debito fidelitatis, homagii, & subjectionis juramento, solenniter investimus atque infeudamus; decernentes & volentes expresse, ut deinceps nullus illegitimus aut spurius ad succedendum in prædictis feudis, in hæredum legitimorum præjudicium, nisi per Nos, nostrosve in Imperio successores, debita causæ cognitione præhabita, legitimari possit, quicquid in præfatis omnibus secus factum fuerit, irritum atque inane penitus declarantes. Nec non in præmissis omnes & singulos defectus, tam juris quam facti, si qui experiantur, gratiose supplentes; Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus individua hic & expressa mentio fieri deberet: Nostris tamen, & Imperii, atque aliorum quorumcunque juribus, semper salvis. Nulli ergo omnino hominum hanc nostræ laudationis, approbationis, innovationis, ratificationis, confirmationis, munitionis, concessionis, & investituræ paginam violare, infringere, contemnere, aut ei quovis ausu temerario contraire fas licitumve sit. Siquis autem secus faxit, is præterquam, quod nostram indignationem gravissimam incurret, centum quoque marcarum auri puri, puti, probi, ex semisse ærario seu fisco nostro Imperiali, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis, omni remissionis ac veniæ præcisa spe, mulctam dare, jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum quas manus nostræ subscriptione & Sigilli nostri Cæsarei appensione communitas dedimus in civitate nostra Viennæ 27. Januarii, Anno 1693.

Caput XIX.
De Dominis Lercariis.

I.

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris literæ, quibus Francum Lercarium de loci Carosii viginti quatuor alioquin constantis, decem dumtaxat partibus investivit, d.d. 16. Junii, Anno 1626.

FErdinandus Secundus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis humiliter exponendum curarit Francus Lercarius, avunculum quondam suum, Paulum Salvagum, sibi decem ex viginti quatuor partibus feudi & loci Imperialis Carosii, quas justo ac legitimo titulo possederit, legati nomine, uti ex Testamento per ipsum Genuæ anno 1622. die 8. Octobr. condito, & Nobis in authentica, & fide digna forma exhibito pateat, reliquisse, demisseque Nobis supplicavit, quatenus se de hujusmodi portionibus ac omnibus eorum pertinentibus, mero & mixto imperio, gladii potestate, omnimodaque jurisdictione, nec non autoritate exigendi pedagia, ac aliis juribus ad easdem portiones quoquo modo spectantibus, ad formam investituræ, per dictum Salvagum, ab augustissimæ memoriæ Imperatore, Rudolpho Secundo, Domino Patruele & Prædecessore nostro colendissimo, die decima octava Julii, anno Domini 1588. impetratæ, & postmodum a Divo Imperatore Matthia, die nona Junii, anno 1613. & successive etiam a Nobis die vigesima nona Octobris, anno millesimo ducentesimo vigesimo renovatæ investire atque infeudare dignaremur. Nos sane benigne considerantes sinceram illam ac integram fidem & observantiam, qua prædictus Paulus Salvagus Divos Romanorum Imperatores Prædecessores nostros, Sacrumque Romanum Imperium semper prosecutus est, tum vero grata obsequia a majoribus ipsius belli pacisque tempore alacriter præstita, quæque & ipse Francus Lercarius, ut præclaro eorundem exemplo, vel ipsa virtute duce, non minore cum fidei ac observantiæ, tum benemerendi studio, Nobis ac eidem Sacro Imperio, Nostræque Domui Austriacæ se præstiturum offert, & dehinc præstare poterit ac debebit, humilibus ejusdem precibus clementer annuendum duximus, ac proinde animo bene deliberato, autoritateque nostra Cæsarea memoratas loci Carosii portiones eidem Franco Lercario pro se, suisque hæredibus masculis legitimis, cum omnibus privilegiis pertinentibus, mero & mixto imperio, gladii potestate ac omnimoda jurisdictione, nec non & autoritate exigendi pedagia, per Divos Prædecessores nostros olim concessa, & per divum Rudolphum Secundum, Matthiam Imperatores, ac Nos ipsos confirmata, in feudum liberum, francum, nobile & antiquum, prout a præfato olim Paulo Salvago, ejusque Prædecessoribus hactenus tentum & possessum fuit, gratiose contulimus, ac concessimus, omniaque & singula Privilegia, Jura, gratias & prærogativas dictis majoribus ipsius, & ipsi Salvago a Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus, ac speciali a Divo Maximiliano Primo & Maximiliano Secundo Dominis Abavo, & Patruo ac Prædecessoribus Nostris colendissimis, augustissimæ memoriæ, concessas & indultas, & successive per Imperatores Rudolphum Secundum & Matthiam, atque Nos ipsos confirmatas, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & verborum expressionibus ratificavimus atque innovavimus, prout tenore præsentium autoritate Nostra Cæsarea concedimus, confirmamus, ratificamus atque innovamus, quidquid de jure & æquitate, adeoque ex gratia speciali eidem Franco Lercario in his concedere & dare possumus atque debemus. Decernentes & hoc nostro Cæsareo statuentes edicto, sæpe fatum Francum Lercarium ejusque hæredes masculos legitimos, præmemoratas portiones, decem scilicet ex viginti quatuor partibus Loci Carosii ipsi, ut supra, legatas a Nobis & Sacro Romano Imperio, infeudare, tenere & possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis & juribus libere frui, potiri & gaudere posse, atque debere, sicuti illa ipse Paulus Salvagus ejusque Prædecessores tenuerunt & possederunt, usique, potiti & gavisi sunt, quomodolibet consuetudine vel de jure sine ulla contradictione vel impedimento. Dantes & concedentes insuper eidem Franco Lercario plenam & liberam facultatem de prædictis portionibus, ac bonis feudalibus, eorumque juribus pertinentiis universis testandi, eademque alienandi tam inter vivos, quam in ultima voluntate, in duos liberos, aut ipsis deficientibus in quamcunque aliam personam sibi gratam, absque ulla alia scientia, per Nos concedenda, dummodo tamen res transeat cum honore feudi, atque hac præterea conditione & lege adjecta, quod supradictus Francus Lercarius, ejusdemque hæredes masculi legitimi, vel illi, ad quos hujusmodi portiones ac bona pervenerint, quotiescumque casus tulerit, a Nobis & nostris in Imperio Successoribus, legitime intrantibus, easdem portiones ac bona feudalia recognoscere, adeoque & investituram superinde petere & recipere, debitum fidelitatis juramentum præstare teneantur, prout nunc quoque Nobis idem Francus Lercarius per Procuratorem suum nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum Lodisium Merlum, sufficienti ad id mandato instructum, præstitit. Nostris & Sacri Imperii aliorumque juribus in præmissis semper salvis & illæsis; Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate nostra Viennæ, die decima sexta mensis Junii, anno Domini 1626. Regnorum nostrorum Romani septimo, Ungarici octavo, Bohemici nono.

II. *Fer-*

II.

Ferdinandi III. Roman. Imperatoris Literæ, quibus Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo, & Dominico Mariæ Lercariis loci Carosii decem duntaxat, viginti quatuor alioquin complectentis, partes in feudum contulit, d.d. 9. Junii An. 1644.

FERDINANDUS III.

RECognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, quum Nobis submississime exponendum curarint spectabiles nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, Franciscus Maria, Joannes Augustinus, Joannes Carolus, & Dominicus Maria Lercarii, a sacratissimo Imperatore, Cæsare Divo, quondam Ferdinando secundo, Domino Genitore ac Prædecessore nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, atque a Nobis postmodum etiam, Patrem quondam suum Francum Lercarium super decem ex viginti quatuor portionibus feudi ac loci Imperialis Carosii ab Avunculo quondam ipsius Paulo Salvago, legitimo eorundem possessore, vigore testamenti ab eodem Januæ Anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo conditi, ipsi datis, legatis juxta formam ac tenorem investiturarum ab Augustissimæ memoriæ Imperatoribus nostris antecessoribus, Divis quondam Rudolpho ac Mathiæ, eidem Salvago respective concessarum, renovatarum ac firmatarum investitum atque infeudatum fuisse, prout ex insertis Viennæ die sexta mensis Junii Anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, tum trigesimo octavo expeditis investituris liqueat luculentius.

Inserantur priores Investituræ.

Hunc vero post decessum dicti quondam Franci patris sui, absque supremis mandatis tabulisve confectis vita functi, ad ipsos tanquam filios & hæredes legitimos ab intestato dictas portiones dicti feudi & Loci Carosii recidisse atque esse devolutas: adeoque Nos supplicat, unde orarint, atque exorarint, ut, quandoquidem clientelaris obsequii justa, recte ordine, lege, more, atque instituto, uti fideles Vasallos decet, adimplere desiderent, ipsos de prædictis decem portionibus feudi ac loci Imperialis Carosii clementer investire atque infeudare dignaremur. Nos utique benigna cum justæ ipsorum petitionis, tum humillimæ oblationis, tum etiam debitæ Nobis & Sacro Romano Imperio a supradicto Franco Lercario Patre ipsorum continenter præstitæ fidei, devotionis & obsequii habita ratione, in demississima eorundem vota clementer concesserimus, prout tenore præsentium concedimus atque ex certa scientia animoque bene deliberato, Auctoritateque nostra Cæsarea præmemoratas decem feudi ac loci Carosii portiones, iisdem Franco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo, & Dominico Mariæ Lercariis, filiis atque hæredibus legitimis sæpedicti, pro se suisque hæredibus masculis legitimis cum omnibus privilegiis, pertinentiis, mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda Jurisdictione, nec non & autoritate exigendi pedagia, per Divos prædecessores Nostros Romanorum Imperatores olim ac Nos ipsos concessa, approbata ac confirmata, in feudum liberum, francum, nobile & antiquum, prout sæpe memoratus olim Paulus Salvagus ejusque majores illud tenuerunt ac possederunt, & ipse dictus Francus Lercarius hactenus tenuit ac possedit, gratiose contulimus ac concessimus, omniaque & singula privilegia, jura, gratias & prærogativas, sæpe dicto Paulo Salvago & ipsius Majoribus a Sacratissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, ac postmodum supramemorato etiam Franco Lercario a prædictis divis prædecessoribus nostris, atque a Nobis ipsis indultas, collatas, concessas, approbatas, ratificatas ac confirmatas in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & verborum expressionibus, laudavimus, approbavimus, confirmavimus atque innovavimus, prout tenore præsentium autoritate nostra Cæsarea concedimus, laudamus, approbamus confirmamus atque innovamus, quidquid de jure & æquitate, adeoque ex gratia speciali iisdem Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo, & Dominico Mariæ Lercariis in his concedere & dare possumus ac debemus. Decernentes, & hoc nostro Cæsareo statuentes edicto, jam dictos Lercarios fratres, eorumque hæredes masculos legitimos præmemoratas portiones decem scilicet ex viginti quatuor partibus loci Carosii a patre ipsorum legatas, & per sæpe memoratos divos prædecessores Nostros & a Nobis ipsis in feudum concessis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum deinceps quoque tenere & possidere posse ac debere, sicut illa præfatus eorum Pater Franciscus Lercarius hactenus tenuit ac possedit, usus, potitus & gavisus est quomodolibet, consuetudine vel de jure, sine ulla contradictione vel impedimento.

Dantes & concedentes insuper iisdem, Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo & Dominico Mariæ, Lercariis fratribus plenam & liberam facultatem, de prædictis portionibus ac bonis feudalibus eorumque juribus & pertinentiis universis testandi, eademque alienandi tam inter vivos, quam ultima voluntate, in suos liberos, aut ipsis deficientibus, in quamcunque aliam personam sibi gratam absque ulla alia licentia per Nos concedenda: Dummodo res tamen transeat cum onere feudi, atque hac præterea conditione & lege adjecta, quod sæpe dicti Lercarii, eorumque hæredes masculi legitimi, vel illi, ad quos hujusmodi portiones ac bona pervenerint, deinceps, quotiescunque casus tulerit, a Nobis & Nostris in Imperio Successoribus legitime intrantibus easdem portiones & bona feudalia recognoscere, adeoque Investituram superinde petere & recipere, debitumque fidelitatis juramentum præstare teneantur, prout nunc quoque Nobis supradicti Lercarii fratres, per honorabilem, fidelem, nobis dilectum Joannem Franciscum ab Immendorff, Procuratorem suum substitutum, sufficienti ad id mandato instructum, justo ac debito modo præstitit, nostris & Sacri Imperii aliorumque juribus semper salvis & illæsis, tum sine fraude processus inter prædictos Lercarios ex una, & Paulum & Joannem Franciscum ab Auria fratres vertentis.

Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ approbationis, confirmationis, innovationis investituræ, infeudationis, concessionis ac gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut quovis ausu temerario

rario ei contravenire. Siquis autem id attentare præsumpserit, is, præter quod indignationem nostram incurret, triginta quoque marcarum auri puri probi sui ex semisse ærario sive fisco nostro Imperiali, ex altero vero semisse parti læsæ seu injuriam passæ pendendarum multam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ die nona mensis Junii Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

III.

Diploma, quo Leopoldus, Roman. Imperator, in gratiam Francisci Mariæ, Joannis Augustini, Joannis Caroli, & Dominici Mariæ Lercariorum, literas investituræ de Anno 1644. antea insertas, confirmavit, d. d. 19. Maji An. 1659.

LEOPOLDUS &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis demisse exponendum Curarint Franciscus Maria, Joannes Augustinus, Joannes carolus & Dominicus Maria, fratres Lercarii, a Divo quondam Imperatore Ferdinando tertio, Domino Prædecessore & Patre nostro Colendissimo, Augustæ memoriæ, sese super decem ex viginti quatuor portionibus loci ac feudi Imperialis Carosii, per obitum quondam Francisci Lercarii Patris sui ab intestato defuncti ad se devolutis, die nono Junii anno millesimo sexcentesimo quarto & quadragesimo fuisse clementer investitos, juxta tenorem subinsertæ Cæsareæ Investituræ:

Inseratur Investitura Ferd. 3tii de An. 1644.

Nobisque humillime supplicarint, ut, cum Auspice Deo, ad supremam Majestatis Imperialis dignitatem erecti simus, Nosque ipsi in immediatum & directum Dominum suum, ut fideles Vasallos decet, recognoscere, Nobisque fidelitatis clientelaris & homagii juramentum præstare desiderent, de prædicto feudo Carosii se clementer investire, omniaque, quæ in prioribus investituris contenta sunt, approbare & confirmare dignaremur: Nos sane benigne attenta constante & inviolata, quondam Francisci Lercarii Patris, & prædictorum fratrum Lercariorum, dicti Francisci filiorum, erga divos Prædecessores Nostros Romanorum Imperatores ac Reges, Sacrumque Imperium & Augustam Domum Nostram Austriacam singulari fide, & inconcussa devotionis, feudaliumque servitiorum continuis obsequiis, quæ, ut clementer confidimus, præfati fratres Lercarii Nobis successoribusque Nostris Romanorum Imperatoribus, & Sacro Imperio atque Augustæ Domui nostræ, perpetua posthac parique observantia & fide præstituri sunt, præstareque possunt ac debent, humillimis eorundem precibus detulerimus, atque ex certa scientia, animo bene deliberato, autoritateque Cæsarea, præfatis Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo & Dominico Mariæ, fratribus Lercariis, pro se suisque hæredibus masculis legitimis prædictas decem portiones loci ac feudi Imperialis Carosii cum omnibus privilegiis, pertinentiis, mero & mixto imperio, gladii potestate, atque omnimoda jurisdictione, nec non & autoritate exigendi pedagia, per divos prædecessores nostros, Romanorum Imperatores, olim concessa, approbata, & confirmata, in feudum liberum, francum, nobile, & antiquum, prout olim Paulus Salvagus ejusque majores illud tenuerunt ac possederunt, & ipse dictus Franciscus Lercarius antehac tenuit ac possedit, gratiose contulerimus ac concesserimus, omniaque & singula privilegia, jura, gratias & prærogativas prædicto Paulo Salvago & ipsius majoribus a Sacratissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus ac postmodum supra memorato Francisco Lercario a prædictis Divis Prædecessoribus nostris indultas, collatas, concessas, approbatas, ratificatas, ac confirmatas, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & verborum expressionibus, laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, atque innovaverimus, prout tenore præsentium, autoritate nostra Cæsarea concedimus, laudamus, approbamus, confirmamus atque innovamus, quidquid de jure & æquitate, adeoque ex gratia speciali iisdem Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo & Dominico Mariæ Lercariis in his concedere & dare possumus ac debemus, decernentes & hoc nostro Cæsareo statuentes edicto, jam dictos Lercarios fratres eorumque hæredes masculos legitimos, præmemoratas portiones, decem scilicet ex viginti quatuor partibus loci Carolii, Patri ipsorum legatas, & per sæpe memoratos divos prædecessores nostros in feudum concessas, a Nobis & Sacro Imperio in feudum deinceps quoque tenere & possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis, ac juribus libere frui, potiri & gaudere posse, ac debere, sicut illa prædictus eorum Pater Franciscus Lercarius hactenus tenuit ac possedit, ususque, gavisus & potitus est quomodolibet consuetudine, vel de jure, sine ulla contradictione, vel impedimento, dantes & concedentes insuper iisdem Francisco Mariæ, Joanni Augustino, Joanni Carolo & Dominico Mariæ Lercariis, fratribus, plenam & liberam facultatem de prædictis portionibus ac bonis feudalibus, eorumque juribus & pertinentiis universis testandi, eademque alienandi tam inter vivos, quam in ultima volontate in suos liberos, & ipsis deficientibus, in quamcunque aliam personam sibi gratam, absque ulla alia licentia per Nos concedenda, dummodo tamen res transeat cum onere feudi, atque hac prætereа conditione & lege adjecta, quod sæpedicti Lercarii, eorundem hæredes masculi legitimi, vel illi, ad quos hujusmodi portiones ac bona pervenerint deinceps, quotiescunque casus tulerit, a Nobis & nostris in Imperio successoribus legitime intrantibus easdem portiones, ac bona feudalia recognoscere, adeoque investituram super iisdem petere & recipere, debitumque fidelitatis juramentum præstare teneantur, prout nunc quoque Nobis supradicti Lercarii fratres, per honorabilem consiliarium nostrum, & fidelem Nobis dilectum Petrum Viso de Moylevau, sufficienti ad id mandato instructum, justo ac debito modo præstiterunt, nostris & Sac. Imperii aliorumque juribus semper salvis & illæsis.

Nulli

Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, investituræ, infeudationis, concessionis ac gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut quovis ausu temerario ei contravenire; si quis autem id attentare præsumpserit, is, præter quod indignationem nostram incurret, triginta marcarum auri puri, puti, probi sui ex semisse ærario, sive Fisco nostro Imperiali, ex altero vero semisse parti læsæ, seu injuriam passæ pendendarum mulctam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Data in civitate nostra Viennæ, decimo nono Maji, Anno 1659.

IV.

Rescriptum Caroli VI. Roman. Imperatoris, ad Carolum, Comitem Borromæum, exaratum, quod circa sequestrum a Mediolani Ducatus tribunalibus, quibusdam Francisci Lercarii effectibus in loco Cassani Spinula impositum versatur, d.d. 6. Septembr. An. 1715.

Carolus Sextus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

Illustris & Magnifice, fidelis dilecte.

Quid Nobis noster, Sacrique Imperii fidelis dilectus, Franciscus Imperialis Lercarius, ratione sequestri a Tribunalibus Ducatus nostri Mediolani super quibusdam suis effectibus in loco Cassani Spinula, eum in finem impositi, ut Comes Leonardus ab Auria, dictorum Tribunalium decretis ad eum emanatis parere cogatur, humillime conqueratur, patet ex adjuncto libelli exemplo. Quod tibi includimus, annexo benigno jussu nostro, ut desuper, sub termino duorum mensium Nos obsequenter informes. Qui gratia Cæsarea tibi propensi manemus.

Datum in Civitate nostra Viennæ die sexta Septembris, anno millesimo septingentesimo decimo quinto, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hispanicorum duodecimo, Hungarici & Bohemici vero quinto.

CAROLUS.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Maj. proprium

J. S. Haqeck de Valostatten.

A Tergo.

Illri & Magnifico Cæsareo nostro Consiliario Arcano, Imperiali Commissario & Plenipotentiario per Italiam, Sacrique Imperii fideli dilecto Carolo, Comiti Borromeo, Aurei Velleris Equiti.

Sacra Cæsarea & Catholica Majestas.

Marchio Franciscus Imperialis Lercarius, Majestatis Vestræ Cæsareæ & Catholicæ humillimus servus & vasallus, exponit Majestati vestræ, sicuti, attenta resistentia Comitis Leonardi ab Auria ad obediendum quibusdam decretis Ministrorum & Tribunalium Majestatis Vestræ Civitatis Mediolani ex ordine eorundem, sequendo viam œconomicam sequestrati fuerunt effectus, quos possidet Marchio supradictus in loco Cassani Spinulæ, & hoc modo constrictus esset supradictus Comes ab Auria ad comparendum coram ipsismet ministris, & Tribunalibus, prout ex adjacenti extractu litterarum *sub A* fusius patent, quamvis ipse Comes ab Auria, non tantum quia est nativus Januensis, & Feudatarius Imperialis, verum etiam, quia nonnullos possidet effectus in Statu Mediolani, obligatus non sit parere eorum ordinibus, firmiter credit Marchio supradictus, pati non debere supradictum sequestrum, non solum quia etiam ipse est Feudatarius Majestatis Vestræ ratione loci Carosii, sed etiam quia Comes ab Auria, qualiter possidet feudum & bona loci Sancti Christophori in Italia, & per consequens pari facilitate possunt ministri Majestatis Vestræ eum constringere ad quemcumque actum obedientiæ. Ideo supradictus Lercarius ad Majestatem Vestram cónfugit, Eam humiliter exorando, quatenus dignetur clementissime injungere Comiti Carolo Borromeo, Commissario Plenipotentiario Majestatis Vestræ in Italia, ut promptioribus Juris remediis curet obligare dictum Comitem ab Auria ad indemnizandum Marchionem suprafatum in supradicta causa, etiam media sequestratione effectuum existentium in dicto feudo Sancti Christophori, quod uti justum speratur.

Sacræ Cæsareæ & Regiæ Catholicæ Majestatis Vestræ

Humillimus ac devotmus Marchionis Franci Imperialis Lercarii nomine, & cautione rati & mandati

Zeno Franciscus Joannelli.

A tergo.

Ad Preces 26. Augusti 1715. Consilio Imperiali Aulico

Sacram Cæsaream nec non Hispaniarum, Hungariæ, ac Bohemiæ Regiam Majestatem humillima supplicatio.

Marchionis Franci Imperialis Lercarii, Feudatarii Imperialis

Cum add. sub *A*. pro

Clementissime decernendo Rescriptum ad Comitem Carolum Borromeum Commissarium Plenipotentiarium in Italia, ut insuper &c.

A. Extractus litterarum de dato Mediolani 5. Junii 1715.

Ritenghino che il Sigr Conte Doria, pretendendosi Creditore della Communità di Serravalle per causa di certo censo fece arrestare, e poi vendere in Genoua alcuni muli, e merci, che da Serravalle colà si conducevano. Il Magistrato Ordinario hà procurato con ogni mezzo di far obligare il Conte Doria alla restitutione e poi agire contro la Communità con la regola. Actor sequitur forum rei; mà questo non è stato possibile, mentre egli è Genouese, e non hà beni in questo stato; Con che il Magistrato hà fatto consulta alla Gionta, e da essa per via economica s' è fatto sequestrare in pregiudicio del Sigr Marchese Franco Imperiale Lercaro ogni suo effetto in Cassano Spinola, e per esser egli pure Genouese, pensando con tal mezzo che potesse muoversi il Conte Doria alla pretesa restitutione, ed à ricor-

ricorrere a questo Magistrato, per il preteso credito contro la Communità. Per esser adonque il Sigre Marchese Franco Imperiale, Feudatario Imperiale, pensa di poter conseguire l'ordine dell' apprensione delli effetti del Sigre Conte Doria per sua indennità.

V.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris litera, quibus Joannem Carolum, Francum, Carolum Mariam, nec non Laurentium Lercarios, de septem, cum dimidia, loci ac feudi Imperialis Carosii, partibus, alias viginti quatuor constantis, portionibus investivit, d. d. 3. Decembr. anno 1715.

CAROLUS &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis nostri, Sacrique Imperii fideles dilecti Joannes Carolus, quondam Franci, Francus quondam Francisci Mariæ, Carolus Maria Laurentius, quondam Joannis Augustini filii humillime exponi curarint, Julium Spinulam Arquatæ, qua Tutorem præfati Caroli Mariæ Laurentii, die vigesima octava mensis Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo primo, Joannem Carolum vero, & Franciscum Mariam ultimo dicti Franci, quondam Patrem de feudo Nostro Imperiali Carosii, unumquemque videlicet de duabus, & media ex viginti quatuor portionibus die vigesima mensis Maji, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, clementissime investitos fuisse, eandemque infeudationis gratiam ab Augustæ reminiscentiæ Imperatore Josepho, Domino Fratre Nostro colendissimo, submissis precibus petiisse: Nosque humillime orarint, ut, cum Nos in immediatum & directum Dominum suum, prouti fideles Vasallos decet, recognoscere, Nobisque fidelitatis clientelaris, & homagii juramentum præstare desiderent, eosdemque prædictis Feudi Carosii portionibus, nempe quemvis eorum de duabus & media ex viginti quatuor cum omnibus juribus & pertinentiis, prout eas respective ipsi, Patresque eorum tenuerunt ac possederunt, benigne investire dignaremur; Nos humillimis eorum precibus clementer detulerimus. Atque idcirco ex certa scientia, animo bene deliberato, autoritateque Cæsarea prænominatis Johanni Carolo, Franco, & Carolo Mariæ Laurentio Lercariis prærecensitas septem, & medias portiones ex viginti quatuor loci ac feudi Imperialis Carosii, cum omnibus privilegiis, pertinentiis, mero & mixto imperio, gladii potestate, atque omnimoda jurisdictione, nec non autoritate exigendi pedagia &c. Divos Prædecessores nostros Romanorum Imperatores olim concessa, approbata & confirmata, in feudum liberum, francum, nobile & antiquum, prout olim illud præfati supplicantes partim ipsimet, partim quondam eorum Patres tenuerunt ac possederunt, & prout ad ipsos pro sua cujusvis parte spectat, gratiose conferimus & concedimus, a de iisdem, recepto jam ab eorum procuratore legitimo, nostro Sacrique Imperii fideli dilecto Adamo Ignatio Nobili ab Heunisch fidelitatis & homagii juramento, benigne investimus atque infeudamus: Dantes & concedentes iisdem omnia & singula, quæ in præmissis de jure & æquitate, & de gratia dare atque concedere possumus vel debemus. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, datarum in civitate Nostra Vienna die tertia Decembris, anno Domini millesimo septingentesimo decimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani quinto, Hispanicorum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero pariter quinto.

CAROLUS.

Vt. Frid. Carolus, Comes de Schönborn.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium.

Petrus Josephus Dolberg.

VI.

Instrumentum Attestationis in Domini Franci Lercarii commodum atque emolumentum, de æstimatione bonorum, quæ Paulus Salvaghus, in vivis cum esset, possedit, conditum, d. d. 10. Julii, Anno 1721.

A. 1721. die decima Julii, Genuæ &c.

IN scriptura æstimi consecuti per quondam M. Francum Lercarium, quondam Jo. Caroli, anno 1631. die 15. Februarii, in & super bonis quondam M. Pauli Salvaighi, recepta per quondam Dominum Joannem Baptistam Banchinum, cujus Protocolla adservantur penes me Notarium infrascriptum, inter bona descripta in eadem scriptura, & super quibus fuit dictum æstimum consecutum, reperitur census, de quo infra V. L.

Item censum librarum octoginta capitalis librarum mille sexcentum debitarum per Thomam Traversum, vigore instrumentorum receptorum per quondam Franciscum Scortia, anno 1614. die 24. Aprilis, & Anno 1615. die 19. Augusti &c.

Franciscus Ognius Not. publ. Colleg. Genuensis &c.

D. Bartholomæus Maricone, ex Consilio Cæsareæ Catholicæque Majestatis apud Seren. Rempublicam Genuæ Consul Generalis & Agens &c.

Præsignatum Franciscum Ognium, qui insertis literis Juridicam suo nomine fidem fecit, illisque subscripsit, publici Notarii munus rite exercere, munerisque nomen fide dignum apponere, testimonialibus hisce Nostris, apud omnes & singulos notum esse indicamus. Quarum veritati firmandæ Imperiale & Regale Sigillum subjicimus. Genuæ die 18. Julii, 1721.

Bartholomaus Maricone, mp.

(L. S.)

VII. *In*

VII.

Instrumentum, quo a Francisco Imperiali & Pirro Lercariis hæreditas, ab eorundem Patre & respective Avo relicta, repudiata est, d. d. 15. Julii, Anno 1721.

Fidem facio Ego Notarius infrascriptus, qualiter vigore publicorum instrumentorum, per me Notarium infrascriptum receptorum, die vigesima septima mensis Maji anni 1712. tam Illustrissimus Dominus Franciscus Imperialis Lercarius, unicus filius masculus legitimus & naturalis quondam Illustrissimi & Excellentissimi Domini Francisci Mariæ Imperialis Lercarii, ejusque hæres universalis ab intestato, & pariter Illustrissimus & modo Reverendus D. Pirrus unicus ex filiis & primogenitus dicti Illustrissimi Domini Franci, ambo, unus post alterum repudiarunt hæreditatem dicti quondam Illustrissimi & Excellentissimi Domini Francisci Mariæ, eorundem respective Patris & Avi paterni, & declaraverunt, sese nolle esse hæredes ejusdem quondam Excellentissimi Francisci Mariæ, & eodem die vigesimo septimo Maji anni 1712. Illustrissimus Dominus Joseph Maria Imperialis Lercarius, filius pariter dicti Illustrissimi Domini Franci, suo & nomine Illustrissimi Domini Francisci Mariæ, ejus Fratris, declaravit, medio alterius instrumenti, a me dicto Notario recepti, se suo & dicto nomine Fratris attentis dictis repudiationibus velle esse hæredem ab intestato dicti quondam Illustrissimi & Excellentissimi Francisci Mariæ ejus Avi paterni, cum beneficio tamen legis & inventarii, quam hæreditatem deinde sub die prima Junii dicti anni 1712. idem Illustrissimus Dominus Joseph Maria suo & nomine dicti Illustrissimi Domini Francisci Mariæ, ejus Fratris, formaliter adivit, & ad eam per M. D. Prætorem Urbanum admissus & confirmatus fuit, cum dictis cautela & beneficio legis & inventarii, quod adhibitis solennitatibus statuti municipalis hujus Serenissimæ Reipublicæ Genuæ inchoavit & fecit, ut itidem constat ex publicis documentis, per me dictum & infrascriptum Notarium receptis &c.

Insuper fidem facio, qualiter ex altero instrumento a me recepto die 12. Januarii 1714. dationis in solutum, factæ ad favorem dicti Illustrissimi Domini Franci, creditoris ex causa legitimæ sibi debitæ super dote nunc quondam Illustrissimæ Emiliæ Brignolæ Imperialis Lercariæ, ejus matris, in bonis & hæreditate præfati Illustrissimi & Excellentissimi Francisci Mariæ, Patris, de summa librarum sexaginta quatuor millium octingentarum quatuordecim, & solidorum tresdecim, cum denariis quatuor, pro capitale contento, & de quo in sententia M. Rotæ Civilis diei 22. Jun. 1688. in una & in alia de fructibus seu interesse super dicto capitali decurso a die 4. Decembr. 1685. usque ad diem 4. Dec. 1713. & decurrendo usque ad integram solutionem dicti capitalis, ad rationem trium cum dimidio pro singulo centenario, & anno, & de quibus etiam fit mentio in mandato per M. Rotam Civilem concesso die 17. Novembris, 1694. constat, in quam, ex relato instrumento dationis in solutum factæ, per addictos Illustrissimos Fratres Lercarios, dicto hæreditario nomine, & quitatione in eodem instrumento facta per dictum Illustrissimum Dominum Francum, ipsum remanere adhuc creditorem pro residuo dicti capitalis, de summa librarum triginta una millium tricentarum, quadraginta septem fol. 6. 10. & pro fructibus super dicto residuo capitalis, a die quinta Decembris 1713. & decurrendo, inventurum, usque ad integram solutionem dicti residui capitalis, ad formam superius calendati mandati dotalis, & ut fusius apparet, ex memorato instrumento dationis in solutum, in quorum fidem &c.

Dominicus Axeretum, Not. publ.
Genuensis Collegiatus.

Dominus Bartholomaus Maricone ex Consilio Cæsareæ Catholicæque Majestatis, apud Serenissimam Rempublicam Genuæ Consul Generalis & Agens &c.

Præsignatum Dominicum Axeretum, qui insertis literis juridicam suo nomine fidem fecit, illisque subscripsit, publici Notarii munus rite exercere, munerisque nomen fide dignum apponere, testimonialibus hisce nostris, apud omnes & singulos notum esse indicamus. Quorum veritati firmandæ Imperiale & Regale Sigillum subjicimus. Genuæ die 18. Julii 1721.

Bartholomaus Maricone. mp.

(L.S.)

VIII.

Instrumentum Attestationis, de Haredum per Dominam Joannam Mariam, Domini Franci Lercarii uxorem, anno 1667. facta institutione, compositum, d. d. 18. Julii, Anno 1721.

In instrumento condito per nunc quondam Illustrissimam Dominam Joannam Mariam, filiam quondam Illustrissimi Domini Joannis Augustini Salvaighi, & uxorem quondam Illustrissimi Domini Franci Lercarii, facto anno 1667. sub die 16. Januarii, recepto per nunc quondam Dominum Joannem Baptistam Trassinetti, Notarium publicum collegiatum Genuæ, in eodem inter cætera reperitur institutio hæredum tenoris sequentis:

Delli restanti e qualsivoglia suoi beni mobili & immobili, raggioni, attioni, nomi de debitori all' istessa Signora testatrice così al presente, come in l' avenire in qualsivoglia modo, maniera, e conto spettanti & appartenenti, ed in qualonque parte descendenti per qualsivoglia raggione, titolo & causa, nessuna del tutto esclusa suoi heredi universali hà instituito e di sua propria bocca hà nominato, e nomina l' Illmi Sigri Francesco Maria, Giovanni Augustino, Giovanni Carlo, e Domenico Maria suoi figli, ed ogni un di loro per la sua quarta parte equalmente &c.

An. 1721. die 10. Julii.

Extractum in omnibus, ut supra, exfoliatio instrumentorum receptorum, per nunc quondam Dominum

minum Joannem Baptiſtam Traſſinetti, Notarium, ab anno 1663. usque ad annum 1675. quod una cum cæteris dicti Notarii Protocollis ad ſervaturam in Archivio Venerandi Collegii D. D. Notariorum Genuæ &c. licet &c. ſalvo &c.

Nicolaus Dominicus Mutius, Not. publicus Collegiatus Genuæ, & dicti Archivii cuſtos &c.

Dominus Bartholomaus Maricone, ex Conſilio Cæſarea, Catholicaque Majeſtatis, apud Sereniſſimam Rempublicam Genuæ Conſul Generalis & Agens &c.

Præſignatum Nicolaum Dominicum Mutium, qui inſertis literis juridicam ſuo nomine fidem fecit, illiſque ſubſcripſit, publici Notarii munus rite exercere, munerisque nomen fide dignum apponere, teſtimonialibus hiſce noſtris apud omnes & ſingulos notum eſſe indicamus, quorum veritati firmandæ Imperiale & Regale Sigillum ſubjicimus.

Genuæ, die 18. Julii, 1721.

Bartholomaus Maricone.

(L.S.)

IX.

Caroli VI. Roman. Imperatoris literæ, quibus Francum atque Carolum Lercarios de loci ac feudi Imperialis Caroſii, viginti quatuor alias partes complectentis, duabus portionibus, cum dimidia, inveſtivit, d.d. 5. Sept. A. 1721.

CAROLUS &c.

AGnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis; quod, cum Nobis noſtri Sacrique Imperii fideles dilecti Francus Lercarius, quondam Franciſci Mariæ, & Carolus itidem Lercarius, quondam Joannis Auguſtini filii humillime exponi curarint, Joannem Carolum Lercarium, eorundem Patruum, die vigeſima ſecunda menſis Februarii, anno proxime præterito ultimum vitæ ſuæ diem absque deſcendentibus obiiſſe, dictosque ſupplicantes, qua ex Fratribus Nepotes, adeoque ſanguine proximos, in duabus & media portione ex viginti quatuor feudi Noſtri Imperialis Caroſii (de quibus idem Joannes Carolus Lercarius die tertia Decembris, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, a Nobis benigniſſime inveſtitus fuerit) legitimos ſucceſſores reliquiſſe; Nosque humillime orarint, ut, cum Nos deſuper in immediatum & directum Dominum ſuum debite recognoſcere, Nobisque fidelitatis clientelaris & homagii juramentum præſtare deſiderent, eosdem de prædicta feudi Caroſii portione, cum omnibus juribus & pertinentiis, prout eas memoratus eorum Patruus tenuit ac poſſedit, benigniſſime inveſtire dignaremur, Nos humillimis ipſorum precibus clementer detulerimus.

Ac proinde ex certa ſcientia, animo bene deliberato, autoritateque Cæſarea, antenominatis Franco & Carolo Lercariis prærecenſitam portionem, in duabus, & media ex viginti quatuor conſiſtentem, loci ac feudi Imperialis Caroſii, cum omnibus privilegiis, pertinentiis, mero & mixto imperio, gladii poteſtate, atque omnimoda juriſdictione, nec non autoritate exigendi pedagia, per divos Prædeceſſores Noſtros Romanorum Imperatores olim conceſſa, approbata & confirmata, in feudum liberum, francum, nobile & antiquum, prout illud prærepetitus ſupplicantium Patruus, ſuique anteceſſores tenuerunt, poſſederunt, & prout ad ipſos ſpectavit, gratioſe conferimus & concedimus, eosque de iisdem, recepto jam ab eorum procuratore legitimo, Noſtro Sacrique Romani Imperii fideli dilecto Joanne Joſepho Wirſching, Conſilii Noſtri Imperialis Aulici Agente, fidelitatis & homagii juramento, benigne inveſtimus atque infeudamus.

Dantes & concedentes iisdem omnia & ſingula, quæ in præmiſſis de jure, æquitate ac de gratia dare atque concedere poſſumus vel debemus.

Harum teſtimonio literarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Quæ dabantur in civitate Noſtra Vienna die quinta menſis Septembris, 1721. Regnorum Noſtrorum, Romani decimo, Hiſpanicorum decimo octavo, Hungarici & Bohemici vero undecimo.

CAROLUS. mp.

Vt. Frider. Carolus, Comes de Schönborn, mp.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium,

Philippus Wildenius Georgendiel, mp.

CAPUT XX.

De Marchionibus de Malaſpina.

I.

Inſtrumentum Pacis, inter Epiſcopum Lunenſem, & Marchiones de Malaſpina conciliata, d.d. 15. Kal. Nov. Anno 1124.

IN nomine Domini omnium civitatum homines maxime principalium, omnia civiliter atque honeſte agere oportet & decet: Eſt enim civitas converſatio populi aſſidua ad jure vivendum collecti. Glorioſa igitur civitas Luca, multis dignitatibus decorata, atque ſuper univerſam Tuſciæ Marchiam caput

caput ab exordio constituta, quoniam Andream, Venerabilem Lunensem Episcopum ac homines de Episcopatu, nec non Nobilissimos atque Prudentissimos Malaspinam & Wilielmum Franciscum, Marchiones, in suam cum gaudio receperat amicitiam; audiens, vereque cognoscens, quod inter prædicti Episcopi exercitum, prædictosque Marchiones, eorumque milites, bellum factum est, iterumque ab utraque parte fieri præparabatur, suos ad illos citius legatos direxit, qui monerent, atque suaderent utrique suprascriptæ parti, ut ipsam civitatem veram illorum amicam advenirent. Contristabatur enim universa suprascripta civitas de eorum discordia, atque inter illos pacem facere desiderabat. Ipsi vero exaudita legatione statim ipsam civitatem advenerunt. Convenerunt itaque ad Ecclesiam Sancti Alexandri sexaginta fere prædictæ civitatis Consules, multique alii cum eis ejusdem civitatis ex omni ordine sapientes homines. Et utriusque suprascriptæ partis discordiam audire volentes, illamque ab ipsis repellere, atque ipsos ad pacem reducere desiderantes interrogaverunt suprascriptam utramque partem, sicut prius iisdem civilibus obsides dederant, si super eorum jam enarrata discordia illos arbitros eligere, eorumque arbitrio atque sententiæ stare vellent. Responderunt itaque prædicti, Episcopus, prædictique Marchiones: Jam dictam nostram causam vestro arbitrio committimus, atque super illa vos arbitros eligimus. Repromisit itaque jam dictus Andreas Episcopus prædictis Marchionibus, sub pœna centum librarum auri optimi prædictorum Consulum, de jam enarrata discordia arbitrio quod protulerint, stare, atque se suosque successores semper observare; repromiserunt etiam suprascripti Marchiones suprascripto Episcopo, sub pœna centum librarum auri optimi prædictorum Consulum, de eadem discordia de arbitrio, quod protulerint, stare, atque se suosque hæredes semper observare. His autem ita peractis, Wilielmus de Apulia surrexit, & ut jam dixerat pro suprascriptis Marchionibus, de prædicto Episcopo arbitris electis, ita conquestus est: Audiat me, quæso, universus consulatus, cæterique eidem boni homines assidentes. Quando istis adinstantibus Marchionibus, cum suis militibus, per suam terram ad proximum Pogium ire placuerat, qui est in monte, qui vocatur caprione, ad ædificandum super eum castrum, venit eis obviam juxta prædictum montem, ad expugnandos & vi repellendos illos, prædicti Episcopi armatus exercitus, magnumque damnum in hominum & caballorum occisione eis intulit. Marchiones vero cum suis viriliter resistendo Pogium ipsum tandem ascenderunt, & in quantum poterant, invito prædicto exercitu, ædificare cœperunt. Unde quia prædictus Episcopus cum suo exercitu injuste, nec antea, sicut decet Episcopum, Marchiones inquisierat, jam dictum damnum eis fecit, atque multa mala eis intulit; quatenus Episcopus illa emendet, rogo vos judicare. Ex adverso autem prædictus Episcopus respondit: Scio & verum est, quia egomet inquisivi, & rogavi illum Wilielmum Marchionem, qui mihi fidelitatem juraverat, quatenus nunquam vel per se vel cum Malaspina prædictum Pogium causa castelli ædificandi ascenderet, dicens: Si feceris ita recipio, tamquam si abstraxeris fegatum de corpore meo. Scio namque, quoniam causa minuendi & fere Episcopatum meum destruendi, hoc facturi estis, Malaspinam vero, quia meus inimicus, nec in præsentiarum erat, non inquisivi. Addidit autem ad hæc Maginardus de Pontetremulo, ita dicens: Audite, & intelligite, Consules prudentissimi: Nec more, nec legibus injuriam, vel damnum factum Marchionibus, emendare debet Episcopus; palam enim in armata ad dampnum, & injuriam prædicti Episcopi, ejusque Episcopatus detrimentum, prædictum Pogium, non eorum proprium, imo in quo maximam partem Episcopus habebat, ædificare veniebant. Unde moribus & legibus vim vi repellere potuit, nec quicquam de injuria, vel damno Marchionibus facto, Episcopus debet emendare. Interrogavit autem suprascriptus Wilielmus de Apulia: Dicito quam habet partem Episcopus in prædicto Pogio? Maginardus respondit: Episcopus enim Philippus emit partem, quam Marchio Fulco habebat in eo; & habet partem de Malnevothe, quam judicavit cum aliis pluribus suis rebus Ecclesiæ & Episcopatui Sanctæ Mariæ, & partem Marchionis Pelavicini per donationem, quæ hic adest. Respondit Wilielmus de Apulia: Quia nulli alii Ecclesiæ de judicato quod fecit Malnevothe, justitiam fecimus, neque tibi faciemus; quod enim Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Lunensi, vel aliis Ecclesiis aut Episcopatibus de Longobardia judicavit odio fratris, & ut demens fecit, Pelavicinus vero, aut Fulco Marchiones, nullas in prædicto Pogio partes alicui dare potuerunt. Mons ille namque, coloni in eo & circa eum residentes, in quo prædictus Pogius est, ita divisi fuerunt: Medietatem unam per certa & divisa loca receperunt ad se communiter Proavus Pelavicini & Proavus Wilielmi Francisci, aliam vero medietatem similiter per certa & divisa loca receperunt ad se communiter Proavus Malaspinæ, & Avus Athonis Marchionis, in quam partem sine dubio prædictus Pogius totus venit, & fuit. Postea vero suprascriptus Proavus Malaspinæ & Avus Athonis inter se diviserunt suam partem, & prædictus Pogius in partem tantum Proavi Malaspinæ venit & fuit. Interrogaverunt autem prædicti Consules ipsum Wilielmum, si ea, quæ dixerit approbare poterat. Respondit: faciam, si potero. Interim tamen cognoscere volo, si ea, quæ dixit Maginardus de suprascriptarum partium acquisitione, vera sint. Datis igitur competentibus dilationibus, interim prædicti Marchiones, quocumque modo possent, prædictum Pogium eorum esse proprium approbarent, & sicut suprascripum est, ita divisum fuisse notificarent, Episcopus autem similiter, quocumque modo posset, approbaret, quam in prædicto Pogio partem prædicta Ecclesia haberet.

Sexta Feria igitur veniente, prædicti Consules in prædicta Ecclesia Sancti Alexandri cum multis ex omni ordine prædictæ Civitatis sapientibus rursum convenerunt. Advenerunt autem apud illos prædicti Marchiones, & prædictus Episcopus, dicentes & ostendentes, qualiter ea, pro quibus dilationes petierant, approbare possunt. Legit itaque Maginardus Episcopi Advocatus Instrumentum publice & legitime confectum, quo apparuit, Albertum Rufum & Patrem ejus Marchiones, id est, patrem & Avum prædictum Wilhelmi, partem, quæ eis in prædicto Pogio

gio competebat, prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ pro suorum peccatorum remedio præteritis jam XXXIX. annis obtulisse atque dedisse. Respondit itaque Wilielmus Marchio: Numquam ego hæc amplius audivi, vel scivi. Addidit autem & Wilielmus de Apulia: Dixi, iterum dico, quoniam nec prædictus Albertus Rufus, nec pater ejus, ullam in prædicto Pogio habuere portionem; prædictus namque Pogius, antequam ipsi nascerentur, venit in partem & fuit proprius totus Abavi istius Malaspinæ; nec iste Wilielmus Marchio partem, nisi ex moderno dato istius Malaspinæ, in prædicto Pogio habet. Hæc autem ut approbaret, quinque ante prædictos arbitros homines ut testes adduxit. Ipsi vero diligenter interrogati unanimiter dixerunt, prædictam divisionem ante tempus suorum Avorum, ut audierunt, factam esse, neque aliter nisi ex auditu sciebant. Unum autem viderant & sciebant à retro tempore plus quam triginta annis, ex auditu vero, a centum annis inter prædictum Marchionem Malaspinam, suosque Parentes prædictum Pogium per suos colonos possessum fuisse; ex adverso vero ex parte prædicti Episcopi plures testes venerunt, qui diligenter interrogati unanimiter dixerunt: Nos et vidimus & scimus, quia prædictus Pogius totus a quadraginta fere annis retro, & plus ab hominibus suis per dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ possessus fuit. Prædictus præterea Pelavicinus asserebat, quartam partem prædicti Pogii, sicut fuit Avi & Patris sui, illam se dedisse pro communi prædicto Episcopo, qui nullam divisionem factam esse de prædicto Pogio, quam ita paratus erat defendere.

Omnibus itaque suprascriptis & aliis multis rationibus diligenter auditis, quoniam prædictus Episcopus prædictique Marchiones suprascriptam causam Nobis non tantum secundum leges & jura judicaturis, sed si aliter placeret, commiserunt: hujusmodi supra prædicta querimonia & causa sententiam proferimus: Medietatem igitur prædicti Pogii prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, secundum quæ audivimus & cognovimus, judicamus, atque invito prædictæ Ecclesiæ Episcopo in prædicto Pogio, quia communis est, prædictis Marchionibus Castellum facere, aut aliquid ædificare nos judicando interdicimus: Volumus insuper, firmiterque præcipimus, quoniam Episcopi benigniores Laicis, quam Laici Episcopis, ut mala remaneant, esse debent, pro his, quæ contra Marchiones facta sunt, det eis prædictus Episcopus solidos mille expendibiles Lucensis Monetæ, quos ipsi dividant, ut eis placuerit, inter se, medietatem usque ad proximam Nativitatem Christi. Jubemus insuper ut prædicti Marchionis faciant repromissionem prædicto Episcopo, quod a modo nec ipsi nec eorum hæredes, nec submissa persona medietatem prædictam Pogii prædicto Episcopo suisque Successoribus contendere vel contradicere, aut aliquam molestiam facere habent, nec aliquod ædificium in prædicto Pogio sine voluntate prædicti Episcopi, suorumque Successorum facere habent. Et si ita non observaverint, sint compondituri suprascripto Episcopo, suisque successoribus pœnam auri optimi libras centum, atque omni tempore ipsa promissio sit stabilis. Item jubemus, ut suprascriptus Episcopus similiter repromittat suprascriptis Marchionibus sub prædicta pœna. Præcipimus igitur, ut prædicti Marchiones, hominesque sui suprascriptum Pogium relinquant, atque ædificium omne Castelli causa in eo factum, vel ab hominibus Marchionum, si eis placuerit, vel ab hominibus prædicti Episcopi destruatur. Volumus insuper atque jubemus, ut ante nos de omnibus, quæ pro hac causa inter Episcopum & Marchiones facta sunt, sit finis atque pax inter eos, & nomine pacis ad invicem se osculentur.

Hæc autem suprascripta sententia a prædictis Consulibus, sicut supradictum est a prænominatis partibus Arbitris electis, recognita atque confirmata; ex eorum communi consensu atque mandato a Gregorio Legisperito atque prædictæ rei Arbitro ordinata, & cæteris Consulibus & Arbitris assidentibus, præsente atque audiente suprascripto Andrea Episcopo cum multis aliis suis fidelibus nec non præsentibus atque audientibus suprascripto Wilielmo atque Malaspina Marchionibus cum multis suis fidelibus, in prædicta Ecclesia Sancti Alexandri lecta atque data fuit, Anno vero Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MCXXIV. XV. Calendas Novembris Indictione Tertia. His autem interfuit Pelavicinus Marchio, Ugo filius - - - - - Gerardus filius bonæ mem. Erimundi, Rolandus, Mecho Lambardus, Zebrimus de Fillittiera, Monachus de Bagnone, Gaforus de Foldenova, Ubertus Castagno, Manaseus de Serthana. Malaboccade Trebiano Maginardus, prædicti Episcopi Advocatus, Aldebrandus prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Præpositus. Hi vero omnes cum multis aliis erant cum prædicto Episcopo. Cum Marchionibus vero erant Armaninus & Ugolinus, filii Comitis Gerardi de Lavagna, Sigibaldus gener Malaspinæ, Joannes de Tertona, Ugo filius Fralini, Ugissione filius Fralini, Gregorius de Bojano, Vitelmus de Arcule, Wilielmus de Apulia Rolandinus filius Rolandi. De nostris vero Civibus aderant Wilielmus filius Conetti, Salamon filius Salamonis, Falcone filius Petronis Albertinus Tasiolus filius Gerardi, Valterone filius Ugi Altelminus de Sancto Martino, Wido filius Binfralini, Tancredus Missus Domini Imperatoris.

Leo gratia Dei ab Henrico Romanorum Imperatore, Cæsare Augusto, Judex constitutus & prædictæ causæ Arbiter electus, prædictam sententiam confirmando subscripsi.

II.

Friderici II. Roman. Imperatoris literæ, in quibus Obizonem, Marchionem de Malaspina, de feudis, in ipsis literis nominatis, investivit, d.d. 3. Kal. Octobr. Anno 1164. vid. infra in Confirmatione Leopoldina de dato 22. April. An. 1698.

III.

III.

Laudum, in quo controversiæ, inter Episcopum Lunensem, & Marchiones Albertum, Wilbelmum atque Conradum Malaspinas, de limitibus aliisque rebus exortæ, compositæ sunt, de d. mens. Maji, An. 1202.

IN nomini Dei eterni. Amen. Hec est concordia & societas inter Dominum Walterum, Dei gratia Lunensem Episcopum, & Albertum, Guilielmum & Conradum Marchiones Malaspine, quam concordiam & societatem Truffa & Hubaldus Arbitri ad hoc electi concorditer composuerunt, & inter predictos Dominum Episcopum & Marchiones observari perpetuo, prout inferius legitur, firmiter preceperunt: Hii sunt confines, infra quos de hiis, que dicentur inferius, teneantur videlicet a Ponte de Strata comprehendendo Curiam Corvarie & Vallecle usque ad Montem, qui dicitur Juva, & ab eo Monte usque ad summitatem Alpium, eundo per Summitates Alpium usque ad Cisam & inde comprehendendo totum districtum Ponticli & Mulazi & Zovagali, & Calese, & eundo usque ad Padulvarinum, & in eundo usque ad Carpenam, comprehendendo totam Curiam & districtum Carpene, Vezani, Foli, Vallerani, Bevelini, Vesigne, & Pulverarie, & inde eundo per maris litora usque subter Brancalianum, & inde usque ad Pontem de Strata, qui est in capite Brancaliani. Infra istos confines teneatur Dominus Episcopus adjuvare & salvare prædictos Marchiones in personis, & rebus, & eorum homines, & res de eorum rationibus & possessionibus, quas habent nunc & tenent, & possident ipsi vel alia persona pro eis vel acquirerent in antea jure, bona fide & sine omni fraude toto tempore vite sue contra omnes homines, excepto Domino Papa & Imperatore, & sacramento, quod fecit Pontremulensibus & Paganello de Porcaria & Guillielmo Blanco & Bernazoni & Lamberto & Bosoni de Societate quam cum eis fecerat, sicut in Carta manu Notarii facta inde est, & excepto sacramento quo tenetur Lucensibus idem Episcopus. Ipsi vero Marchiones adjuvare & salvare teneantur præfatum Dominum Episcopum toto tempore vite ejus infra prædictos confines in persona & rebus & ejus homines & res bona fide & sine omni fraude de ejus rationibus & possessionibus quas habet & tenet nunc & possidet pro Episcopatu vel Comitatu, ipse vel alia persona pro eo, vel aquireret in antea jure, contra omnes homines, excepto Domino Papa & Imperatore, & excepto Sacramento, quod fecerint Pontremulensibus antequam fecerint sacramentum in Camera Castri de Sarzana de hac Concordia & Societate complenda, quod sacramentum fecerunt dictis Truffe & Hubaldo, & exceptis prædictis Vexanensibus, qui superius nominati sunt, scilicet Paganello de Porcaria, Guilielmo Blanco, Bernazone Lamberto & Bosone. Quicquid habet, & tenet, & possidet nunc Dominus Episcopus, vel alia persona, pro eo, pro Episcopatu, vel Comitatu, non debeant ei vel ejus Successoribus unquam inbrigare, molestare nec petere dicti Marchiones vel eorum heredes sub pœna C.C. Marcharum argenti solvenda, ei vel ejus Successoribus, si contravenirent, rato manente pacto post pene solutionem. Quicquid dicti Marchiones habent nunc, tenent & possident, vel alia persona pro eis, non debeat Dominus Episcopus, vel sui Successores unquam imbrigare, molestare, vel petere eis, vel eorum heredes, sub pena C.C. Marcharum Argenti solvenda eis vel eorum heredibus, si contraveniret Dominus Episcopus vel sui Successores, rato manente pacto post pene solutionem. Dominus Episcopus non debeat recipere fidelitatem contra Marchiones ab aliquo, qui sit, vel debeat esse eorum Vasallus, contra eum; & si quam ita recepit fidelitatem à X. annis citra illam dimittat & relaxet, nec de cetero sic ullam recipiat, Marchiones non debeant de cetero recipere fidelitatem contra Episcopum ab aliquo, qui sit vel debeat esse ejus Vasallus contra eos. Et si quam ita receperint a X. annis citra illam dimittant & relaxent. Si vero a X. annis retro habuerit aliquos Vasallos Episcopatus, habeat eos de cetero, & teneat libere sine Marchionum contradictione. Et Marchiones similiter habeant & teneant libere Vasallos, quos a X. annis retro receperint sine ulla Episcopi contradictione. Dominus Episcopus debeat habere & tenere cum suis Successoribus de cetero in perpetuum mediam comperam, seu accatum, quod ipsi Marchiones fecerunt a Marchionibus De Esti in Curia & districtu Vezani, Carpene Foli, Valerani, Bevelini Pulverare, Vesigne, Ponzani, Rivalte, & Madrognani, & debeant ei inde facere fieri cartam in laude sui sapientis, & dare ei in dominium & tenutam. Et Dominus Episcopus debeat eis inde dare libras CLV. bonorum Imperialium, & si ulla discordia orietur inter eos, teneantur inde stare arbitrio & mandatis dictorum Truffæ, & Hubaldi, vel aliorum, quos ad hec eligerent in concordiam, vel quos Truffa & Hubaldus in concordia eligerent, si ipsi non concordarent se inde, vel si ipsi Truffa & Hubaldus nollent semper esse arbitri. Hec omnia observentur in vita dicti domini Episcopi. Si vero Successor ejus voluerit similiter jurare & promittere Marchionibus, tunc Marchiones teneantur ei, dum vixerit, sicut isti Domino Episcopo tenentur, & sub eodem sacramento & pena per omnia observare Marchiones faciant fieri Domino Episcopo contractum venditionis in laude sui sapientis, ut dictum est, & in dicto & voluntate ipsius sui sapientis de medietate compere vel accati, quod ipsi Marchiones fecerunt a Marchionibus De Esti in toto podere, quod tenent Domini de Vezano; & specialiter Guillielmus Marchio faciat pro se & Domino Alberto & Conrado vendicionem ut dictum est, & teneatur facere, quod Dominus Albertus & Conradus faciant hanc eandem vendicionem & confirmacionem in dicto & laude Sapientis Domini Episcopi hinc ad festum Sancti Petri & antea si poterint. Et Guilielmus Marchio pro se & Domino Alberto, obligando datum factum Domino Episcopo nomine sui Episcopatus recipienti de toto hoc quod habuerunt in Arcula & in Ponzano & in districtibus eorum eo pacto, ut, si hec omnia non observarentur ab ipsis omnibus Marchionibus; quod statim, ex quo aliquis eorum veniret contra, liceat Domino Episco-

ſcopo ingredi poſſeſſionem de hiis, quæ ei dat & obligat & habere, & tenere, & frui jure proprio in perpetuum, ſine eorum & cujuſcumque perſone contradictione. Et conſtituit ſe & Dominus Albertus nomine dicti Epiſcopatus hoc totum, quod habent in Arcula & Ponzano, poſſidere, quousque Dominus Epiſcopus tenutam inde ingreſſus fuerit corporalem. Juratores ſic jurabunt: Ego Talis & Talis juro ſuper ſanctis Evangeliis, quod dabo operam & fortiam bona fide & ſine omni fraude toto tempore, quod Dominus Epiſcopus & Marchiones teneant firmam & ratam toto tempore vite iſtius Domini Epiſcopi & ejus Succeſſorum; ſi hanc eandem concordiam & ſocietatem jurabunt, & confirmabunt iſtam concordiam & ſocietatem, que legitur in hac carta, & omnia que in hac carta leguntur. Et ſiquis eorum in aliquo contraveniret, & non emendaret intra duos menſes ſine fraude, vel antea, ſi potuerit bona fide, poſtquam requiſitus eſſet tam ab arbitris, vel ab illo contra quem non obſervarentur hæc omnia, quidem adjuvabo inde illum cui hæc non obſervarentur, ad ſuum velle & graciam, & omne malum ad poſſe ſine fraude faciam inde illi, qui contra hoc faceret, & non emendaret ad voluntatem arbitrorum, qui inter eos eſſent conſtituti ad eorum diſcordias concordandas, vel etiam arbitris deficientibus ad voluntatem illius, contra quem factum eſſet aliquid contrarium vel offenſio, vel cui non obſer[illegible]entur pacta. Hæc debeant jurare Domini de Mon[illegible] Magno, de Bezano, de Valecta, de Corvaria, de Caſtello, Truſſa & Frater ejus, Conſules, milites & populus de Carraria, & de Burgo & de Caſtro Sarzani, & de Tribiano, & de Arcula de Burgo Sancti Stephani, de Bolano de Caprilola, & de Foſdenova, & de Falcinello, Domini de Bibola & de Burcione, populus Avule, Domini & populus de Zovagallo, de Caleſa, & de tota domo de Moregnano, de Triſiana, de Villafranca, de Felleteria, de Mulazo, populus & milites de Pontremulo, Domini de Groppo Sancti Petri de Bagnone, Domini & populus de Verucula, Domini de Gragniana, & Domini, qui dicuntur Blanci, Dominus Epiſcopus & Marchiones faciant fieri hec ſacramenta ad poſſe ſine fraude.

Venditio & confirmatio Domini Alberti & Conradi, & ſacramenta juratorum debeant fieri hinc ad feſtum proximum ſancti Petri & antea ſine fraude, quam cito fieri poterit. De ſacramentis juratorum, & de illis, quos (ſine fraude intelligas) non poſſent Dominus Epiſcopus & Marchiones facere jurare, poſſint eis Troſſa & Hubaldus dare terminum & terminos, quos voluerint. De Compera circa medietatem datam Domino Epiſcopo teneantur Dominus Epiſcopus & Marchiones, ſe ad invicem adjuvare, nemine exceptato, & conſortati vice debeant ſe inde juvare ad invicem contra omnes homines, per ſe, & ſucceſſores & hæredes ſuos, videlicet, ſe ad invicem in omnibus Terris de ipſa Compara vel accato contra omnes homines adjuvare & manutenere, in perſonis & rebus, & unus non debeat ibi alium in perſonis, vel avere aliquo modo exfortiare, ſed perſonas, & avere, & res ſibi debeant, & teneantur ad invicem perpetuo in omnibus Terris de ipſa Compera contra omnes homines adjuvare & manutenere. Et juratores teneantur adjuvare Dominum Epiſcopum & Marchiones, de facto prædicte Compare. Et ſi unus vellet inde alium vel alios exfortiare, adjuvare illum vel illos, quem vel quos alia pars vellet inde exfortiare, & cui vel quibus confortaticie non attenderetur vel obſervaretur. Et ſi quando Epiſcopatus careret Paſtore, omnes juratores, qui jurabunt, teneantur ſe ad invicem adjuvare; & ſic jurent homines Epiſcopi & Marchionum, qui jurabunt. Quicquid Truſſa & Hubaldus addiderint in concordiam, teneantur Dominus Epiſcopus, & Marchiones obſervare. Hec omnia preceperunt, & arbitrati ſunt Truſſa & Hubaldus, precipientes, ut Dominus Epiſcopus & dicti Marchiones ſub debito ſacramenti quo eis tenentur, & ſub pena ducentum Marcharum argenti ſolvenda parti fidem ſervanti rato manente pacto, hec omnia rata habeant, attendant & obſervent, & in nullo veniant contra.

Et ita confeſſi ſunt & ſtipulati ſunt Dominus Epiſcopus & Guillielmus Marchio pro ſe, & dicto Domino Alberto & Conrado Marchionibus, anno a nativitate Domini MCCII. indictione V. die Dominico XII. intrante menſe Madii, apud Sarzanam in Canonica Eccleſiæ Sancti de Sarzana, in preſentia Bullionis, Borgarini, Rolandi de Burtione, Jacopini de Terricella, Bonrogiſi de Biliolo, Rollandi de Clerico Nicholao Advocato Domini Epiſcopi, Curti & Campi de Caſtro, Sarzani & Bonacurſi de Bonaventura, & aliorum multorum rogatorum teſtium hoc ſacramentum juratorum juraverunt Hubaldus, Aldeprandus & Gerardus, Vicedomini, Balzanus, Bandinus, Bonecontrus, Recordatus, Traſſa, Rolandus de Burtione, Jacopinus, de Terricella, & Bernardinus de Herberia. Eodem anno & menſe prid. Kal. Junii, Avule in clauſtro Monaſterii de Avula, in teſtimonio Epiſcopi de Brugnati nomine Sygebaldi, Arditionis Lunenſis Præpoſiti, & aliorum multorum rogatorum teſtium, Guidonis de Valecta, Attonis de Foſdenova, Rolandi de Burtione, Franciſci Fratris ejus, Gerardi Vicedomini, Nicolai Advocati Lunenſis Epiſcopi: Conradus Marchio juravit, ſicut juraverant, & promiſit ſicut promiſerant Dominus Albertus & Guillielmus, Marchiones Domino Waltero, Dei gratia Lunenſi Epiſcopo, de concordia & ſocietate eorum, & de arbitrio dictorum arbitrorum obſervando, & de omnibus factis, que ſunt inter ipſum Dominum Epiſcopum & ipſos Marchiones, ſicut ipſi Marchiones juraverant, per omnia & in omnibus, & ſub eadem pena.

Ego Confortus, Sacri Palatii & Lunenſis Curie Notarius, hiis omnibus interfui, & rogatus hec omnia ſcripſi, & autenticavi, & proprio ſigno ſignavi.

IV.

Friderici II. Romanorum Imperatoris litera, in quibus Conradum & Oppizonem, Marchiones Malaſpinas, de feudis in ipſis literis nominatis inveſtivit, d. d. menſe Decembr. Anno 1220. vid. infra in Confirm. Leopoldina, d. d. 22. Apr. A. 1698.

V. *Caroli*

V.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris literæ, in quibus Fridericum & Azzonem, Marchiones de Malaspina, de feudis, in ipsis literis nominatis, investivit, d. d. 7. Kalend. Februarii Anno 1355.

CAROLUS Quartus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus &c.

NObilibus Friderico & Azzoni natis olim Opizini Marchionibus Malaspinis de Villa Francha, Nostris, & Sacri Rom. Imp. fidelibus dilectis, gratiam Regiam & omne bonum; Regalis Serenitatis providentia nota subditorum justa petentium, pro innata sibi clementia facile & benigne accommodare consuevit assensum, præsertim ubi supplicantium merita, fides, & obsequia illud rationabiliter promeruerunt. Hinc est, quod attendentes ad grata obsequia, quæ vos, & nobilis Obizinus, Pater vester, & cæteri Progenitores vestri, Sacro Romano Imperio, & Divis Romanis Regibus & Imperatoribus, Prædecessoribus nostris, & præsertim Divo Henrico quondam Romanorum Imperatori, Avo nostro charissimo, tam grate studuistis, quam fideliter & constanter, retroactis exhibere temporibus, spectantes etiam, quod eisdem vestris Progenitoribus erga Nos & Sacrum Romanum Imperium, in omni fidelitate & obedientia succedere studeatis, supplicationibus vestris, per vos Majestati nostræ porrectis favorabiliter inclinati, recepto prius a vobis, tactis scripturis, pro Nobis, & Sacro Romano Imperio fidelitatis debito corporali & proprio juramento; Vos, pro vobis, & pro quolibet vestrum, & pro filiis, & posteris vestris legitimis de Villa Francha, Vergulata, cum Batalasco, Panichale, Licciana, Monte Vignal, Monte Simone, Palarono, cum Villa, Cannessa, Burzano, Amula & Villis suis, Podenzana, Picho, Luxolo, Cæsteolo, Tuitiziana, Villa Cævagallo, Monte de Vaggio, Bolono, Madrignano, cum Rocha, ejus Juero, Vepolo, Jadomelio, Brugnoto, cum Rocha ejus, Bonzono, & Cabecha, & de universis & singulis feudis, Terris, Castris, fortalitiis, juribus & jurisdictionibus consuetis, quæ vel quas, seu quocunque jure possidetis & possitis possidere, per injuriam desistitis, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate ad animadvertendum in facinorosos, ac cum omnimoda potestate & arbitrio consuetis, autoritate Regia, sicut digne possimus, tenore præsentium, de Regiæ Romanæ potestatis plenitudine, investimus, vosque, & quemlibet vestrum, ac Posteros vestros, ac Terras & Bona prædicta, sub nostra, & Imperii Sacri protectione speciali recipimus, ac vobis, & hæredibus vestris universa & singula privilegia, per Imperatores & Reges, prædictis vestris progenitoribus, ac vobis, super quibuscunque Castris, Terris, Fortalitiis, Villis, Territoriis ac Districtibus, Possessionibus, Bonis ac feudis, nec non libertatibus, immunitatibus, juribus, largitionibus, gratiis & indultis, ratificamus, approbamus, & sicut digne possumus, autoritate Romana Regia, tenore præsentium, de Regiæ Romanæ potestatis plenitudine confirmamus; salvo nostro, & Sacri Romani Imperii jure, & quorumlibet aliorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Majestatis infringere, vel ei, quovis ausu temerario, contraire: siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem nostram Regiam, & pœnam centum Marcharum auri puri, quarum medietatem ærario nostro, seu fisco Regali, reliquam vero vestris usibus applicandam se noverit incursurum, præsentium, sub Majestatis Nostræ Sigillo testimonio litterarum. Datum in civitate Nostra Pisana, anno Domini a nativitate 1355. octava indictione, septimo Kalendas Februarii, Regnorum nostrorum anno nono.

VI.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, pro Morenello de Mulatio, Marchione de Malaspina, literarum confirmatio, in quibus Fridericus II. Roman. Imper. Conradum & Obizonem, Marchiones de Malaspina, Anno 1220. de feudis Imperialibus, in ipsa confirmatione nominatis, investivit, d. d. 4. Id. Junii, Anno 1355. vid. infra in confirm. Leopoldina, d. d. 22. April. 1698.

VII.

Caroli V. Romanorum Imperatoris literæ, in quibus Joannem, Marchionem Malaspinam, de feudis, in ipsis literis allegatis, investivit, ac privilegia ejusdem confirmavit, d. d. 27. Febr. Anno 1523.

Carolus Quintus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ &c. tot. Tit.

REcognoscimus & profitemur tenore præsentium, quod, cum magnificus noster & Imperii Sacri fidelis dilectus, Johannes Spinetti, Filius quondam Joannis Spinetti, ex Marchionibus Malaspinæ de Villa Franca, Nobis supplicari fecerit, ut eidem & ejus legitimis hæredibus omnia & singula privilegia, progenitoribus suis a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, super Castris, Castellis, Arcibus & villis de Panichalis Liccianæ, Monte Vignal, Monte Simone, Podenzana, Suero, Terra Rossa & Burgo novo, contiguis ac Balliis, & aliis, in quibus Jus obtinet, cum suis juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis a Nobis & Sacr. Rom. Imperio in feudum dependentibus, & quæ ad eadem a suis Prædecessoribus hæreditario jure venerunt, confirmare & ratificare ipsumque de eisdem & aliis, in quibus jus obtinet, investire, ac eadem ei denuo gratiosius concedere dignaremur; Nos itaque, attenta ejus honesta supplicatione, ac etiam prædecessorum suorum gratis obsequiis, quibus & Nos & Sacrum Imperium prosecuti sunt, & ipse quoque prosequi non desistit, præfata privilegia omnia & singula in omnibus

bus suis punctis & clausulis confirmamus & ratificamus, ac præfatum Johannem Marchionem de prædictis universis & singulis feudis, terris, castellis, arcibus & villis de Panichale, Licciana, Monte Vigual, Monte Simone, Podenzana, Suero, terra Rossa & Burgo novo contiguis, ac Balia & aliis, quibus jus obtinet, videlicet jurisdictionibus, Territoriis, Juribus & districtibus, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate, ac auctoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia & telonia, ac omni publica fruitione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenet & possidet, juxta prædictorum privilegiorum suorum seriem, recepto tamen prius per nostrum & Imperii Sacri fidelem dilectum, Serzamum della Fontanella de Vercellis, Procuratorem & Deputatum suum, in manibus Magnifici nostri & & Imperii Sacri fidelis dilecti, Mercurini de Gattinaria, Comitis Valenziæ & Sarzinanæ, Cancellarii nostri supremi, de prædictis bonis & feudis obedientiæ & fidelitatis solito juramento, quod Nobis & Sacro Rom. Imperio fidelis & ad servitia nostra, quoties requisitus fuerit, promptus paratusque futurus sit, investivimus, ac in feudum de novo concessimus, sicuti autoritate nostra Rom. Cæsarea, in quantum Nobis competit, investimus, ac in feudum de novo concedimus, ita, quod hujusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & Sacr. Rom. Imperio, tanquam feuda habeat, teneat & possideat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione, nostris tamen & Sacri Romani Imperii, & cujuscunque alterius juribus semper salvis, non obstantibus quibuscunque literis seu privilegiis, oblivione, ignorantia, vel importunitate petentium datis seu dandis in contrarium, quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare aut contraire censentur, autoritate nostra Cæsarea & de nostra certa scientia derogamus; ita, quod per ea, vel eas, nullum præfato Joanni Marchioni, ejusque hæredibus & successoribus præjudicium generetur. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Dat. in oppido nostro Valisdetti, die 27. mensis Februar. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Regnorum nostrorum, Romani quarto, aliorum vero omnium octavo.

VIII.

Testamentum Scaramutiæ, Marchionis de Malaspina, d. d. 18. Novembr. Anno 1535.

IN Nomine Domini Amen, a Nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi millesimo, quingentesimo trigesimo quinto, indictione octava, secundum cursum & stylum terræ Filatteriæ, Lunensis, Sarzanensis Diœcesis, die vero decima octava mensis Novembris. Cum vita & mors in manu Domini sit, & nemo sit, qui mortis eventum scire possit, cumque & mens hominis & voluntas sit usque ad mortem ambulatoria, quæ omnia considerans Illustris D. Marchio Scaramutia, bon. memoriæ, Illustris D. Bernabonis, Marchionis Malaspinæ de Filatteria filius, ac etiam reminiscens de dicto Evangelii: Estote parati, quia nescitis diem neque horam; Ideo sanus, per Dei gratiam, mente, sensu, visu & intellectu, nec non & corpore, per præsens nuncupativum Testamentum, quod sine scriptis dicitur de omnibus & quibuscunque bonis mobilibus & immobilibus, tam feudalibus quam allodialibus, ac se moventibus, & nominibus debitorum fecit, disposuit, & ordinavit, in omnibus, & per omnia, prout infra: primum nempe quando anima a corpore separabitur, illam omnipotenti Domino recommendavit, volens, jubens, & mandans, ejus cadaver deferri ad Ecclesiasticam sepulturam, & sepeliri in Ecclesia S. Georgii, sita in Terra Filatteriæ, si ibi mori contigerit, ac per infranominatum ejus hæredem, pro ejus Illustris D. Testatoris anima fieri septimum, trigesimum, & anniversarium, tot missarum, prout eidem placuerit.

Item quia dixit idem Illustrissimus D. Testator, memoriæ habere, alias, & usque de Anno 1533. & de mense Februarii dicti anni quoddam fecisse Testamentum, rogatum per D. Joannem Baptistam, & per Jo. Petri de Castiliono Tercerii, Notarium publicum Florentinum, & in eo hæredem suum constituisse Bernabonem, vocatum Ricardo, filium olim Reverendissimi Domini Ricardi, ejusdem D. Testatoris fratris, & alia disposuisse, prout in eo, & quia pœnituit, & pœnitet, tale fecisse Testamentum, ideo illud & omnia & singula in eo contenta revocavit & revocat, per præsens suum ultimum Testamentum revocatum & revocata haberi voluit, & vult, non obstantibus quibusdam verbis derogatoriis in eo appositis, & ita dixit & protestatus fuit in præsentia mei Notarii infrascripti, & testium infrascriptorum, & pariter revocavit, & revocatum esse voluit quoddam aliud Testamentum per eum conditum, scriptum & rogatum per quondam Joannem Antonium de Pedrianis, de Filatteria Notarium publicum, & etiam de dicto anno millesimo quingentesimo tertio, & de dicto mense Februarii dicti anni, & sic per præsens testamentum illud revocavit, & revocat, & omnia & singula in eo contenta, & omnia alia Testamenta & ultimas voluntates hucusque per eundem D. Testatorem facta, & factas in quibuscunque locis, & ubique locorum, tam per sæpedictos quondam Jo. Baptistam, & quondam Jo. Antonium Notarios, quam per quoscunque alios Notarios usque in præsentem diem, non obstantibus quibuscunque verbis derogatoriis in eis appositis, etiamsi de eis opus esset fieri expressa mentio in præsenti suo ultimo testamento, quia dixit & protestatus fuit de aliquibus verbis derogatoriis non recordari, omni meliori modo &c. In omnibus autem suis bonis, feudalibus & allodialibus, mobilibus & immobilibus, ac se moventibus, & nominibus debitis, ac Juribus & actionibus præsentis Illustris D. Testatoris quomodocunque, & qualitercunque eidem spectantibus & pertinentibus, in quibuscunque *bonis, tam feudalibus quam allodialibus, & contra quascunque personas sibi hæredem universalem instituit*, nominavit & esse voluit & vult Illustrem D. Marchionem *Manfredum* ejus fratrem utrinque conjunctum, *cui substituit ejus filios legitimos & naturales, masculos scilicet, & sic successive descendentes ex eisdem, ex linea masculina*, & ex

& ex legitimo matrimonio, & casu, quo prædictus Illustris D. Manfredus, ejus frater, & hæres institutus, decederet sine filiis legitimis & naturalibus, seu ejus filii ut supra masculi decederent sine filiis legitimis & naturalibus, ut supra, tunc illum in casum substituit, & ejus hæredem esse voluit D. Lelium, filium Reverendissimi prædicti D. Ricardi fratris testatoris, in quem casum dictum D. Lelium aggravavit & aggravat ad honorifice dandum victum & vestitum D. Ricardino, prædicti D. Lelii fratri, qui D. Lelius si decederet sine filiis legitimis & naturalibus, in illum casum substituit dictum D. Ricardinum, & in eventum, in quem dictus D. Ricardinus decederet sine filiis legitimis & naturalibus, tunc substituit hæredes bonorum feudalium tantum Illustres Dominos S. Georgii, Excelsæ Reipublicæ Civitatis Genuæ, accedente tamen suis loco & tempore Serenissimi Imperatoris præsentis, & qui pro tempore fuerit, seu ab eodem autoritatem habentis, quantum opus esset, & hanc dixit & protestatus fuit Illustris D. Testator esse suam ultimam voluntatem, & ultimum suum testamentum derogatorium, quibuscunque aliis testamentis & ultimis voluntatibus per eum factis & conditis usque in præsentem diem, quam & quod valere voluit & vult, jure Testamenti, quod si jure Testamenti valere non posset, voluit valere Codicillorum, ut donationis causa mortis, & omni alio meliori modo, quo de jure melius valere poterit & tenere; & rogavit me Notarium infrascriptum, ac D. Jo. Matthæum, filium quondam Domini Friderici de Ugeris de Pontremulo, Notarium publicum, & ad præsens potestatem Terræ Filatteriæ, quondam de prædictis publicum conficere debeat, ac prædictus D. Jo. Matthæus alter Notarius conficere debeat Instrumentum unum aut plura: cum clausulis suis necessariis, & opportunis, & ad dictamen sapientibus, si opus fuerit, substantia tamen in aliquo non mutata.

Actum, dictum, & testatum clare & aperte per prædictum Illustrem D. Testatorem in sala magna Castri ipsius Domini Testatoris, sita in terra Filatteriæ, præsentibus, Venerabili Presbytero Jo. Antonio, quondam Pollini de Imoretis de Filatteria, D. Francisco quondam Domini Jacobi de Attendolis, habitatore Filatteriæ, D. Antº quondam Magistri siva de Malaspinis, D. quondam Francesconi Castellarii, Jo. Dominico quondam Jo. Andreæ Zomiferri, Blasio Stephanini Cardinalis Zomiferri, omnibus de Filatteria, & Magistro Bernardino Coiroico Archorii de Archerio, habitatore Filatteriæ, omnibus Testibus notis, vocatis, & ore proprio ipsius Illustris D. Testatoris rogatis, ut velint huic suo Testamento & ultimæ voluntati testes esse.

Ego Jo. Matthæus, Leuchus quondam Georgii Leuchi de Filatteria, publicus amplissima, & Imperiali autoritate Notarius, una cum quondam Jo. Mattheo Vgerio de Pontremulo, Notario, & tunc potestate Filatteriæ, prædictis omnibus & singulis in præsenti testamento contentis, dum sic agebantur, interfui, & rogatus a prædicto Illustri Testatore sic scribere, scripsi, & una cum eo publicavi, & in hanc publicam formam redegi. In quorum omnium fidem, me meis nomine ac signo solitis & consuetis apposui & subscripsi.

(L.S.)

Die 15. Octobris 1696.

Ego Joannes Franciscus, quondam Josephi de Bartolis filius de S. Ma. ad montem Notarius publicus Florentinus, infrascripta in privato folio contenta extraxi, & copiavi, licet aliena manu exarata penes Illustrissimum D. Marchionem Manfredum Malaspinam de Filatteria, nil addito, & nil mutato, & in fidem manu propria scripsi ad Dei Laudem.

(L.S.)

IX.

Caroli V. Roman. Imperatoris literæ, in quibus Carolum, Oliverium, Joannem Aloysium, Morellum & Consortes, Marchiones de Malaspina, de Imperiali feudo & Castro Petrægruæ una cum Curia, investivit, d. d. 5. Sept. Anno 1541.

CArolus Quintus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Abspurgi &c. Flandriæ, Tyrolis &c.

Exposuerunt Nobis Nobiles fideles dilecti, Carolus, Oliverius, Joannes Aloisius, Morellus & Consortes Marchiones Malaspinæ, habere se a Nobis & sacro Romano Imperio in feudum Castrum Petrægruæ cum Curia, Juribus & pertinentiis suis, situm in agro Derthonensi, inter alia concessum eorum majoribus Conrado & Opiconi Malaspinis Marchionibus pro eorum bene meritis per Serenissimum fel. Mem. Federicum secundum Romanorum Imperatorem, prædecessorem nostrum, Diplomate dato in Castris prope Florentiam anno 1220. mensis Decembris ac deinde confirmatum per Serenissimum quondam Prædecessorem nostrum Carolum Quartum, Diplomate dato Petræ Sanctæ Anno Domini 1355. secundo Idus Junii: seque in ejus Castri Petrægruæ ac Curiæ Jurium & pertinentiarum ejus quieta & pacifica possessione per se eorumque majores fuisse & esse, separatim tamen a Domino Mediolanensi, cujus, ut asseritur, sunt adhærentes, non autem suppositi. Petentes propterea suppliciter a Nobis, ut id illis Castrum atque feudum confirmare, seu de integro concedere vellemus; Quorum precibus annuentes, attentisque vita meritisque majorum suorum erga præfatos Prædecessores nostros, sacrumque Romanum Imperium ac prompta ipsorum supplicantium in Nos voluntate atque fide, quas, cum occasio inciderit, re ipsa præstituros etiam confidimus, tenore præsentium ex certa scientia præfatis Carolo Oliverio, Johanni, Aloysio, Morello & consortibus Marchionibus Malaspinæ dictum Castrum & feudum cum Curia & Juribus, & pertinentiis suis, nostra Imperatoria Autoritate confirmamus

mus & approbamus, &, quatenus expediat, de novo concedimus, ac ipsos de illis, prout ad eos spectant, benignitate nostra solita infeudamus, & præsentibus liberaliter investimus, nostra tamen, & sacri Imperii Superioritate, & quorumlibet aliorum juribus salvis; Præfati autem Carolus Oliverius, Joannes Aloysius, Morellus & Consortes, Marchiones Malaspinæ intra quatuor menses, a data præsentium continue numerandos, Illustrissimo, fideli Nobis dilecto Alphonso Dava de Aquino, Marchioni Vasti Aymonis, Consiliario, Capitaneo Generali & Gubernatori nostro in Dominio Mediolani, nostro nomine debitum fidelitatis & homagii juramentum præstare teneantur, dolo & fraude remotis, harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Genuæ, die quinto mensis Septembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo primo, Imperii nostri vigesimo primo, & Regnorum nostrorum vigesimo sexto.

X.

Ferdinandi I. Roman. Imperat. litera, in quibus Morellum, Antonium Franciscum & Federicum, Marchiones de Malaspina, de Castris & locis Petragruæ, Piri, Campi & Zerbæ, & quidem quemlibet pro rata, investivit, d. d. 23. Octobr. An. 1563.

FErdinandus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Würtembergæ, & Theccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis superioribus mensibus oblatus fuerit supplex libellus ex parte Nobilium Nostrorum, & Sacri Imperii fidelium dilectorum Morelli, quondam Conradi & nunc, quondam Antonii Francisci, quondam Galeatii, & Antonii Francisci, quondam Aloysii ex Marchionibus Malaspinæ con-Dominorum & participum in Castris & locis infrascriptis, ac eorum territoriis & jurisdictionibus, in eoque supplice libello Nobis iidem Marchiones reverenter & humiliter exponendum curaverint, olim majores suos Marchiones Malaspinæ a Divis prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, plurimis & insignibus privilegiis decoratos fuisse, multaque Castra & loca, Terras ac Villas possedisse, e quibus nonnulla ad ipsos jure hæreditario devenerint, videlicet Castra & Loca Petrægruæ, Piri, Campi & Zerbæ Dertonensf. Diœcesf. in partibus Liguriæ, a sacro Romano Imperio in feudum dependentia, eorumque locorum & Castrorum ipsos quoque supranominatos Marchiones cupere a Nobis Investituram novam accipere, juxta concessionem eorum Majoribus per Divos quondam Federicum secundum, & Carolum quartum, Romanorum Imperatores, & alios prædecessores nostros factam, & propterea Nobis ex eorundem Marchionum parte humillime supplicatum sit, ut omnia & singula privilegia progenitoribus ipsorum a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, & maxime Divo Federico secundo, ac Carolo Quarto, super supra nominatis Castris & locis Petrægruæ, Piri, Campi & Zerbæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus, & attinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, & quæ ab eorum prædecessoribus, ad eos jure hæreditario, vel alio quocunque justo ac legitimo titulo, devenerunt, confirmare & ratificare, ipsosque de eisdem gratiose investire & infeudare dignaremur, ac insuper eis clementer concedere facultatem & potestatem, participationem dictarum Jurisdictionum Oliverii Malaspinæ, eorum affinis, qui cogitare dicitur ea in alienos transferre, a quocunque extraneo avocandi, eodem pretio quo extraneis venderetur.

Cumque post exhibitum ejusmodi supplicem libellum quoque supradictus quondam Antonius Franciscus, quondam Galeatii, ex humanis decesserit sine filiis masculis legitimo matrimonio natis, & sic participatio, quam habebat in locis & Castris prædictis, jure devoluta sit in ipsius ex parte Pronepotem, Nobilem nostrum, & Sacri Imperii fidelem dilectum, Federicum ex Marchionibus Malaspinæ, ejusdemque Federici nomine a Nobis ulterius suppliciter petitum fuerit, ut ipsum quoque de hujusmodi participatione, propter obitum magni Patrui ad ipsum devoluta, gratiose investire non dedignaremur.

Nos sane clementer consideratis humillimis prænominatorum Marchionum precibus, adeoque majorum suorum gratiis obsequiis, quibus divos prædecessores nostros Romanorum Imperatores ac Reges, & Sacrum Imperium prosecuti sunt, & æque iidem Marchiones Nobis quoque, & Imperio sese singulari fide animique promtitudine deinceps præstituros pollicentur, ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac sano accedente consilio, deque Cæsareæ ac Romanorum Regiæ potestatis nostræ plenitudine, præfata privilegia omnia & singula illorum progenitoribus supradictis Castris & locis a Divis prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus rite concessa, in omnibus eorum punctis, articulis, clausulis & tenoribus, ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, tenore præsentium confirmamus & approbamus, ac eosdem Marchiones Morellum, Antonium Franciscum, quondam Aloysii, & Federicum pro sua quemcunque rata parte de præfatis feudi Castris & locis Petrægruæ, Piri, Campi, & Zerbæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus, & attinentiis, ad dicta feuda, loca & Castra spectantibus, prout ad ipsos jure hæreditario vel alio justo & legitimo titulo devenerunt, & quemadmodum ipsi Marchiones ea adhuc rite tenent & possident juxta prædictorum

ctorum privilegiorum suorum seriem, recepto tamen vicissim ab eorum procuratore legitimo, spectabili, docto, nostro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto Giorgio de Paorgiis, Legum Doctore, ad id plenum mandatum habente, in animas illorum debito ac consueto obedientiæ, homagii, & fidelitatis juramento, investivimus, ac in feudum de novo concessimus, prout autoritate nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, per præsentes in vestimus, ac in feudum de novo concedimus. Ita, quod hujusmodi Castra & loca, pro sua quisque parte, tamquam feuda deinceps a Nobis & Sacro Imperio habeant, teneant & possideant, illisque utantur & fruantur, sine alicujus impedimento & contradictione, nostris tamen, & Sacri Imperii, & aliorum quorumcunque juribus semper salvis atque illæsis, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque.

Præterea ex eadem certa scientia, animoque bene deliberato, & autoritate nostra Cæsarea decernimus & declaramus, participationes prænominatorum castrorum & locorum, quas dictus Oliverius Malaspina tenet & possidet, in neminem præterquam in supradictos Marchiones Morellum, Antonium Franciscum & Federicum, quatenus eas ad se debito modo avocare voluerint, alienari, seu quovis modo transferri posse concedentes, & tribuentes eisdem Marchionibus plenam facultatem & potestatem in quantum de jure, vel ex gratia concedere & tribuere possumus. Casu, quo aliqua alienatio, seu translatio portionum, seu participationum dictorum locorum per præfatum Oliverium Malaspinam jam facta esset, aut posthac fieri posset, quod sæpefati Marchiones, ac eorum hæredes & descendentes possint & valeant eam avocare, & uti jure congruo, salvo participationum illarum pretio & valore, secundum judicium duorum vel plurium bonorum & proborum virorum, qui utrique parti sint accepti, æstimando, & constituendo, quatenus de ipso pretio & valore non constaret in præmissis, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ deberent exprimi, & de eis fieri mentio specialis.

Quibus omnibus & singulis quatenus obstarent, seu obstare possent huic nostræ declarationi atque decreto, scientia & autoritate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostræ confirmationis, ratificationis, novæ concessionis investituræ & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Siquis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam quinquaginta marcarum auri puri toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum dimidium Imperiali fisco, seu ærario nostro; reliquum vero parti læsæ decernimus applicandum. Harum literarum testimonio manu Nostra subscriptarum & Sigilli Nostri appensione munitarum. Datum in arce Nostra Posoniensi, die vigesima tertia mensis Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani trigesimo tertio, aliorum vero trigesimo septimo.

XI.

Instrumentum Consensus Populi Filaterrensis, de terra Filaterrensi, Marchioni Bernaboni de Malaspina, restituenda agens, d. d. 8. April. An. 1571.

In Dei &c. Anno &c. 1571. die 8. Aprilis.

PAteat omnibus: qualmente per amorevole requisitione fatta per l'Illmo Sigor *Marchese Bernabò Malaspina da Filatiera*, ricordandoci & interpellandoci, se noi ci contentaressimo, quando però S. A. contentasse di accettare per loro Signore, e Padrone, stando però, e conservandosi sotto la Protettione & raccomandigia di S. A. con questa nostra presente facciamo piena, & indubitata fede avanti à chi queste nostre perveniranno.

Noi Pietrino di Gio. Battista Consolo di Filatiera insieme con, & cæteris; qui cadano i nomi di tutti questi, che prestorn il Consenso &c.

Tutti del Commune & Vniversità di Filatiera quarta parte delle cinque, come disserò del detto Commune di Filatiera, e più niuno di luoro discrepante, dicendo, & asserendo rappresentare dette Communità di Filatiera e sua Vniversità quanto in detta Terra, Cummunità & Vniversità, insieme, e d'accordo, disserò loro desiderare, che per il Serenmo Gran Duca di Toscana, con sua buona gratia li fosse, e sia concesso per loro signore, e Padrone l'Illmo Signor Marchese Bernabò Malaspina predetto, e perciò sopplicare l'A. S. si degni per sua buona cortesia concedergli, e farli tal gratia, stando però il prefato Illmo Sigr Marchese Bernabò sotto la raccommandne e protettne di S. A. e per fede, in assenza di Clarissimo Giusto Vozzoni, Cancelliere del Capitano di Castiglione del Terzieri, quale oggi si ritrova à S. Baldassari Turiani da Castiglione predetto Notario publico Fiorentino, con mandarli e pregarlo, che di ciò ne sia rogato, come Notaro, e publica persona, e lo riduca in publica contratto in forma di ragione vallida, non mutata però la sostanza della cosa predetta.

XII.

Maximiliani II. Roman. Imperator. Diploma, in quo Jus Primogenituræ à Johanne Christophoro, Marchione de Malaspina, in feudorum Imperialium & Mulatii, locique Gropuli portionis possessionem introductum confirmavit, d. d. 21. Octobr. An. 1574.

MAximilianus &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis humiliter exponendum curaverint Nobiles nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, Joannes Christophorus, quondam Joannis Gasparis & Franciscus Antonius, quondam Morelli, Marchiones de Malaspina, ipsos ex æquo communiter, & pro indiviso a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum reco-

recognoscere & possidere locum Mulatii cum juribus, jurisdictionibus, proventibus, & attinentiis suis, præterea præfatum Joannem Christophorum ultra dimidiam partem in præfato loco Mulatii sibi spectantem, similiter in feudum tenere locum Gropuli cum ejusdem juribus & pertinentiis, perquam demisse supplicando, ut, quandoquidem satis constet, feuda & loca magis conservari posse, ubi per unum tantum, quam plures teneantur, & administrentur, eo quod communio discordiam plerumque parere, & quod a pluribus individue possidetur, sæpe negligi soleat, dignaremur proinde ad tollendam omnem inter posteros ipsorum, ratione administrationis & Successionis in prædictis feudis & bonis *Mulatii, Gropuli & pertinentiarum*, altercandi occasionem, secundum primogenituræ legem atque ordinem certum in memoratis feudis atque locis succedendi modum instituere. Nos sane animadvertentes, hujuscemodi petitionem ad conservandum potissimum inter posteros quietem & concordiam spectare, simulque considerantes præclaram totius familiæ de Malaspinis erga Nos & Sacrum Imperium affectionem, quam plurimis hactenus obsequiis comprobatam, ac persuasum Nobis habentes, eosdem Joannem Christophorum, & Franciscum Antonium, ac eorum posteros, majorum suorum vestigiis insistentes, similiter haud ullam de Nobis & Sacro Imperio bene merendi occasionem prætermissuros, his equidem rationibus adducti memoratis precibus clementer annuendum duximus; Quapropter ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, antenominatis Joanni Christophoro & Francisco Antonio Marchionibus de Malaspina, in supradictis feudis atque locis Mulatii, Gropuli, & pertinentiis quibuscunque, ad ipsos, vel alterutrum ipsorum legitime spectantibus atque pertinentibus, & a Nobis ac Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, Jus primogenii seu majoratus inter posteros & descendentes eorum legitimos ac naturales instituendum, ac perpetuis deinceps temporibus inviolabiliter observandum, concessimus, indulsimus, & elargiti sumus, concedimusque, indulgemus, & elargimur, per præsentes. Volentes, & hoc Cæsareo Edicto nostro firmiter decernentes, ut, cum dictus Joannes Christophorus in vivis habeat quatuor filios Masculos, videlicet Antonium Mariam, Octavianum, Joannem Gasparem & Cæsarem, iidem in portione ipsius Mulatii & loco Gropuli ac pertinentiis facta, inter sese convenienti divisione, pro rata quisque parte, ex æquo succedant, ipsis vero, seu aliquo ipsorum, ex humanis decedentibus, uniuscujusque primogenitus Masculus legitimus, qui de jure ad feudorum successionem habilis reputabitur, in portione paterna ad successionem citra controversiam admittatur: Similiter Francisco Antonio Marchioni de Malaspina in portione Mulatii sibi spectante, ac ejusdem pertinentiis quibuscunque, itidem filius Masculus, ex legitimo conjugii fœdere suscipiendus, post mortem ipsius eodem, quo supradictum est, jure atque modo succedat; Deficientibus autem primogenitis, secundogenitus Masculus & legitimus, ac ejusdem secundogeniti primogenitus legitime natus, in locum patris demortui pro rata portione per obitum Patris ad ipsum rite devoluta, subintret, & subintrare debeat: illud ipsum intelligendo de tertio & quarto ac ulterius genitis, ordine successivo usque in infinitum, lege primogenituræ semper salva. Ea tamen conditione adjecta, ut reliqua ipsorum Joannis Christophori filiorum, Antonii Mariæ, Octaviani, Joannis Gasparis & Cæsaris, nec non Francisci Antonii bona, in hac primogenituræ institutione non intelligantur esse comprehensa, cæterisque ipsorum filiis legitimis, & naturalibus relinquatur in bonis paternis sua legitima (cui nimirum, per præsentem primogenituram, nullo modo derogare intendimus) & alias condecenter provideatur, alimentaque victus & vestitus suppeditentur: Filiabus vero, si quas habere contigerit, de condecenti sustentatione & dote, prout gradus & dignitatis conditio, & æquitatis ratio exigere videbitur, debito modo prospiciatur; quibus quidem ita præstitis decernimus, ipsos secundo-tertio-quarto & ulterius genitos, fœminas & Masculos, debere tacitos, quietos, & contentos esse, illis super cæteris, quæ hæreditatem supradictorum bonorum & pertinentiarum feudalium concernunt, perpetuum silentium imponentes: Decernentes, præmissa omnia rata, valida, firma, atque perpetua esse, & censeri, & ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter semper observari debere: Supplentes ex eadem certa nostra scientia & autoritate Imperiali omnes & singulos defectus tam juris quam facti, si qui forte in præmissis intervenissent, aut intervenisse quovis modo dici, vel allegari possent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus specialis & expressa mentio fieri deberet, quibus omnibus & singulis, quatenus obstarent, seu obstare quovis modo possent, pro hac vice duntaxat derogamus & sufficienter derogatum esse volumus per præsentes; Nostris tamen & Sacri Imperii superioritate & feudali obsequio, ac aliorum juribus semper salvis. Quapropter mandamus & præcipimus universis & singulis Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Capitaneis, Vice-Dominis, Præfectis, Magistratibus, Potestatibus, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Heroaldis Caduceatoribus, ac omnibus denique nostris & Sacri Romani Imperii subditis, & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, ut præfatos Joannis Christophori filios, Antonium Mariam, Octavianum, Joannem Gasparem & Cæsarem, nec non supradicti Francisci Antonii legitimum hæredem masculum, eorumque ac cujuslibet illorum primogenitos, primogenitorumque primogenitos masculos, legitimo conjugii fœdere ortos, ac perpetuis deinceps temporibus orituros, in supradictis bonorum & locorum feudalium portionibus Mulatii, Gropuli, & earum pertinentiis, ordine suprascripto successuros, dicto primogenii, seu Majoratus, jure a Nobis, eo, quo in superioribus habetur modo, recens concesso & introducto, libere, pacifice, ac sine prorsus omni impedimento atque molestatione uti, frui, potiri & gaudere sinant, nec aliquo pacto impediant, vel perturbent, sed potius pro viri-

viribus tueantur, manuteneant, & defendant, atque id ipsum ab aliis etiam fieri curent, quatenus nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam & triginta Marcarum auri puri mulctam toties, quoties hac in parte peccatum, huicque dispositioni nostræ temerario ausu aliquo contraventum fuerit, irremissibiliter solvendam, ac pro dimidia Fisco seu ærario nostro Imperiali, reliqua autem parte injuriam passi aut passorum usibus applicandam, incurrere noluerint. Harum testimonio literarum manu propria subscriptarum & Cæsarei Sigilli nostri appensione munitarum. Datum Viennæ, die vigesima prima mensis Octobris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

XIII.

Rescriptum Maximiliani II. Romanorum Imperat. ad Gubernatorem & Consiliarios Mediolanenses, in quo eos serio hortatur, ut juramenti extorsionibus, proscriptionibus, confiscationibus, aliisque modis illicitis, Joanni Mariæ atque Consortibus, Marchionibus Malaspinæ, nullas amplius facessant molestias, sed potius ab omnibus illicite attentatis atque extortis abstineant, d. d. 16. Aug. Anno 1576.

MAXIMILIANUS &c.

ILlustris, sincere Nobis dilecte. Quid ante hac sæpius, præsertim vero die 18. mensis Augusti præteriti anni septuagesimi secundi, vobis ac Reverendissimis Nobilibus, spectabilibus, doctis, devotis, nostris ac S. Imperii fidelibus dilectis, N. Præsidenti, magno Cancellario, & Consiliariis senatus Mediolani prolixe scripserimus ratione nostrorum, & ejusdem Imperii feudatariorum, tum eorum, qui in literis illis expresse nominati fuerunt, tum aliorum quorumcunque, vos recenti etiam nunc memoria tenere arbitramur. Quamvis vero Nobis sic omnino persuasum fuerit, vos ac ejusdem senatum Mediolan. provisuros, neque imposterum dictis feudatariis ulterius conquerendi causa reliqua esset; accidit tamen propter hanc expeditionem nostram, ut jam denuo ex parte Nobilium nostrorum, & Imp. S. fidelium dilectorum Joannis Mariæ, Joannis & Nicolai Conradini, & Christophori filiorum Morellini, & Conradini filii Morelli, & Thomæ Ricardi, & Francisci, filiorum dicti Joannis ex Marchionibus de Malaspina, graves ad Nos delatæ sunt querelæ nimirum quod, etsi majores eorum, ac ipsi successive à trecentis annis & ultra à Nobis, & Sacro Rom. Imp. in feudum tenuerint & recognoverint Castra Petragerdi (nunc Pregolæ) Zerbæ, Piri, & Campi, una cum pertinentiis & jurisdictionibus suis quibuscunque, atque illa quiete & pacifice possederint, nihilominus tamen jam ab aliquot annis a Gubernatoribus, aliisque Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici, patruelis, fratris & generi nostri carissimi officialibus & ministris, qui pro tempore in statu Mediolanensi extiterunt, ac etiam nunc existunt, diversimode vexati fuerint, ac quotidie vexentur. Aliquos enim ad præstandum Gubernatoribus loco prædicti Serenissimi Regis Hispaniarum, tanquam Ducis Mediolani, fidelitatis Juramentum adactos, alios vero, id facere recusantes, bannitos, feuda sua iisdem occupata, aliqua ipsorum bona Fisco applicata esse, ac proinde demisse Nobis supplicatum fuit, ut hac in parte nostro patrocinio atque ope benigne ipsis adesse & subvenire dignaremur.

Cum igitur res hæc (quatenus ita se habeat) eo spectet, ut dictos aliosque nostros, & S. Imperii feudatarios ut Vasallos citra debitum juris ordinem nostræ jurisdictioni paulatim subjicientis, idque non solum in gravissimum nostrorum & ejusdem Imperii imprimis præjudicium ac detrimentum, verum etiam non sine Cæsareæ autoritatis nostræ vilipendio & contemptu. Nos cum alias dictorum supplicantium precibus haud deesse potuimus, tum Cæsarei nostri muneris, cujus ratione Nobis incumbit & nostros ac S. Imperii Vasallos contra aliorum injurias & violentias tueri atque defendere, & nostram, ac ejusdem Imperii autoritatem & jura integra & illæsa conservare, esse duximus, ut has denuo ad vos daremus litteras, quibus vos iterum benigne hortamur, autoritate nostra Cæsarea expresse requirentes, ut prædictos Joannem Mariam, & consortes ex Marchionibus da Malaspina, tanquam feudatarios Imperiales hujusmodi juramenti extorsionibus, proscriptionibus, confiscationibus, aliisve modis illicitis ulterius non molestetis, quinimo ea, quæ hactenus a vobis aliisve Serenissimi Regis Catholici officialibus & ministris attentata, ac vi metuque extorta fuerunt, adeoque ipso jure nequaquam illos ligare possunt, revocetis, remque omnem in pristinum statum restituatis, ac denique juxta memoratas priores litteras nostras, vos jurisdictioni ac feudis Imperialibus minime immisceatis, iisdemve manus injiciatis, vel etiam ab aliis prædicti Serenissimi Hispaniarum Regis ministris & officialibus id fieri permittatis. Eo vero casu, quo Cameræ Mediolanensi &c. in Marchionum de Malaspina, vel aliorum quorumcunque nostrorum, ac S. Imperii Vasallorum & feudatariorum bonis, a Nobis & eodem Imperio in feudum immediate dependentibus, aliquid juris competere prætenditis, illud coram Nobis, tanquam competente Judice, ac tam status istius Mediolan. quam feudorum hujusmodi directo ac supremo Domino, debito Juris ordine prosequamini, istud certo vobis persuasum habentes, Nos, prout antea quoque semper polliciti sumus, Justitiæ non defuturos, sed pro Cæsareo nostro munere, eandem æqua lance administraturos esse, ita ut nec vos, neque quisquam alius justam de Nobis hoc loci conquerendi causam habere possit; facturi autem estis in his rem justitiæ & æquitati consentaneam, ac tum vestro officio maxime dignam, tum & prædicto Serenissimo Hispaniarum Regi haud dubie, quæ Serenitatis suæ jam singularis est æquanimitas, ac in Nos sacrumque Imperium præclara voluntas, non ingratam, quam & Nos benigno a vobis animo accepturi, & Cæsarea nostra benevolentia & gratia, data occasione, benigne recognituri sumus. Datum Ratisbonæ die decima sexta Augusti An. 1576.

Ex Cancell. Imperiali Latina Aulica,

Jo. Manhardus. Registr.

XIV. *Re-*

XIV.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris literæ, in quibus Alphonsum & Cornelium, germanos fratres, Marchiones de Malaspina, de castris, castellis, arcibus & villis Panichalis atque Liccianæ, eorumque juribus & annexis, investivit, eorumque Privilegia confirmavit, d. d. 17. Octobr. An. 1577.

RUdolphus Secundus, Divina favente clementia electus Roman. Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex &c. Tot. Tit.

Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Magnifici nostri & Sacri Romani Imperii fideles dilecti, Alphonsus & Cornelius, Fratres, ex Marchionibus Malaspinæ de Licciana, filii quond. Jacobi, Nobis humillime supplicaverint, ut eisdem, ac eorum legitimis hæredibus omnia & singula privilegia, progenitoribus suis a divis quond. Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, concessa super castris, castellis, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, & aliis in quibus jus obtinent, cum jurisdictionibus, Juribus, proventibus & attinentiis, a Nobis & Sacro Rom. Imp. in feudum dependentibus, & quæ ad ipsos ab eorum prædecessoribus hæreditario jure venerunt, cum reservatione Jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsis vel eorum hæredibus id aliquo tempore & aliquo legitimo titulo evenire contigerit, confirmare & ratificare, ipsosque de eisdem, & aliis, in quibus jus obtinent, investire, ac eadem de novo illis gratiosius concedere dignaremur: Et imprimis privilegia divæ memoriæ prædecessorum nostrorum, Caroli Quarti & Caroli Quinti Imperatorum, a Divo etiam Imperatore Ferdinando, Domino avo paterno & prædecessore nostro observandissimo, Augustissimæ memoriæ, confirmata, quorum tenor sequitur, & est talis:

Inserantur literæ atque Privilegia Imp. Caroli IV. de d. 7. Kal. Febr. 1355. & Caroli V. d. d. 27. Februar. 1523.

Nos sane clementer attentis humillimis eorum precibus, ac singularibus & gratis obsequiis, quibus tam ipsi, quam majores eorum Nos & Sacr. Imperium prosecuti sunt, eadem privilegia omnia & singula & præsertim supra descripta duo privilegia Divi quondam Caroli IV. & Caroli V. quatenus ipsos concernunt, seu concernere possunt, in omnibus punctis & clausulis confirmamus & ratificamus, ac præfatum Alphonsum & Cornelium fratres, Marchiones de Malaspina, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus & villis de Panichalis & Liccianæ, ac aliis, in quibus obtinent jus, cum suis districtibus, territoriis, Juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio ac gladii potestate, ac auctoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, & omni publica functione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenent & possident, juxta prædictorum privilegiorum seriem, pro parte & portione cuique eorum, secundum divisionem ac permutationem inter eos factam, legitime spectantes, indivisis adhuc existentibus, in quibus jus obtinent, cum reservatione jurium, & præsertim successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore eis ipsis, vel eorum hæredibus id aliquo legitimo titulo evenisse contigerit, Recepto prius ab honorabili, docto, nostro & Imperii Sacri fidele dilecto, Georgio de Albertis, Juris utriusque Doctore, vigore substitutionis in personam suam, factæ per Reverendum, & Magnificum & devotum, Nobis dilectum, Horatium ex Marchionibus de Malaspina, tanquam legitimum præfatorum Alphonsi & Cornelii fratrum procuratorem, cum facultate substituendi, prout constat ex procuræ & substitutionis Instrumento, desuper confecto per Lucium Cattenam, Notarium publicum, die decima sexta mensis Julii Anno Domini millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo, in nominatorum fratrum nomine de prædictis bonis & feudis & obedientiæ & fidelitatis supradicto juramento, quod Nobis & Sacro Romano Imperio fideles, ac ad servitia nostra, quoties requisiti fuerint, prompti paratique futuri sint, investivimus, eaque omnia eisdem in feudum de novo concessimus, sicuti autoritate nostra Romano-Cæsarea, in quantum Nobis competit, investimus, ac in feudum de novo concedimus, ac insuper eosdem cum suprascriptis eorum bonis, castrisque & terris, in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus, ita ut hujusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & Sacro Rom. Imperio, tanquam feuda habeant, teneant & possideant, illisque utantur & fruantur sine alicujus impedimento & contradictione; Nostris tamen & Sacri Imperii, & cujuscunque alterius juribus semper salvis, non obstantibus quibuscunque litteris seu privilegiis, sive ignorantia, vel importunitate potentium datis seu dandis in contrarium, quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare aut contrarie censerentur, autoritate nostra Cæsarea & de certa nostra scientia derogamus, ita quod per ea, vel eas, nullum prædictis Alphonso & Cornelio, fratribus Marchionibus, eorumque hæredibus & successoribus præjudicium generetur. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra Viennæ, die decima septima mensis Octobris, Anno Domini millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici sexto, Bohemici tertio.

XV.

Instrumenta de Juris Primogenituræ statutis inter filios Floramontis, Marchionis Malaspinæ, de Villa Franca, diebus 5. April. & 19. Junii Anno 1578. conditis, atque a Rudolpho II. Roman. Imperatore d. 4. Junii An. 1579. confirmatis confecta.

RUdolphus Secundus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Slavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux

Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Würtembergæ, & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis: Quod, cum ſuperiori anno ſeptuageſimo quarto, Magnifici noſtri & Imperii Sacri fideles dilecti, Camillus, Conradus, Hector & Aſcanius, Fratres ex Marchionibus Malaſpinæ de Villa Franca, ad cavendam omnem diſſenſionem & controverſiæ anſam, quæ ex multifaria bonorum diviſione plerumque oriri ſolet, priſtinamque ſtemmatis & Nobilitatis dignitatem conſervandam, ratione locorum Baſtiæ, Terræ rubeæ & pertinentiarum, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentium, de ſucceſſionis modo, ſecundum ordinem primogenituræ inſtituendo, ac perpetuis deinceps temporibus obſervando, inter ſeſe certis condictionibus & pactis in inſtrumento deſuper confecto, & a Divo quondam Imperatore Maximiliano Secundo, Domino Genitore noſtro colendiſſimo, auguſtæ memoriæ, ac poſtmodum etiam a Nobis confirmato expreſſis tranſegerint & concordarint. In eo vero Primogenituræ inſtrumento contineatur, quod non ſolum quintus frater Fabritius in hujuſmodi conventionem noluerit concurrere, verum etiam ſextus frater, Julius, ob pupillarem ætatem ad eandem conventionem non fuerit vocatus vel requiſitus, ac denique ſupra nominatus Hector, licet conſenſerit, hanc tamen ſui iſtius conſenſus cauſam expreſſerit, quod habitum Sti Joannis Hieroſolymitani induere vellet, atque ab eo tempore tam prædictus Julius dictæ primogenituræ conſenſerit, quam Hector declararit, velle ſe, quod eadem primogenitura tali etiam caſu quo dictam Religionem non ingrederetur, effectum habeat, prouti ex inſtrumentis deſuper confectis, Nobisque in forma authentica exhibitis, plenius continetur, quæ quidem inſtrumenta ſunt tenoris infra ſcripti:

In Dei Nomine, Amen.

Anno a Nativitate ejuſdem milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Indictione ſexta, die vero quinta menſis Aprilis, cum fuerit & ſit verum, quod nunc felicis recordationis Illuſtriſſimus Dominus Floramons, Marchio Baſtiæ, Terræ rubeæ, & aliorum ſuorum locorum, Lunenſis, Sarzanenſis Diœceſis, nonnullis annis elapſis, diem ſuum ultimum clauſerit, relictis poſt ſe Illuſtribus Dominis Marchionibus Camillo, Conrado, Hectore, Fabritio, Aſcanio & Julio, ejus filiis naturalibus maſculis & legitimis, atque hæredibus univerſalibus pro eorum partibus reſpective. Et cum ſit, quod Illuſtres Domini Conradus, Hector & Aſcanius fecerint & conſtituerint primogenituram ac jus primogenituræ in perſonam Illuſtris Domini Camilli primogeniti prædicti, cum conventionibus, renunciationibus, clauſulis & aliis contentis in publico inſtrumento, de quo fuit rogatus Dominus Chriſtophorus, quondam alterius Chriſtophori de Montibus Simonis Lunenſ. ad quod cum confirmatione & approbatione exinde facta a Cæſarea Majeſtate, & quod ea potiſſima ratione factum fuit, quia ante dicta loca & bona feudalia non admiſerunt, nec admittunt aliquam commodam diviſionem &c. & quia ſi ad illam deveniretur, maxime in tractu & decurſu temporis immineret, prout & imminet, maximum & evidens periculum, ut fieret totalis annihilatio antedicti feudi ac bonorum feudalium, ac id ipſum tenderet ad denigrationem & maximam indecentiam Nobilitatis, Domus & familiæ ipſorum &c. ac etiam poſſent de facili in futurum inter deſcendentes ſuſcitari lites, diſcordiæ & jurgia, & eo magis, quia illuſtris Dominus Fabritius, unus ex dictis condominis & cohæredibus, voluit ſibi aſſignari ſuam ſextam partem omnium & ſingulorum bonorum feudalium & allodialium, prout & ſibi aſſignatum fuit, & qua de cauſa effectum eſt, ut multo magis antedicti Illuſtres Domini fratres moti fuerint ad conſtituendum antedictum jus primogenituræ &c. Ideo conſtitutis coram me Notario & teſtibus infraſcriptis &c. antedictus Illuſtriſſimus Dominus Julius, unus ex dictis condominis & Cohæredibus, major annis ſexdecim, ſed minor annis viginti quinque, cum aſſiſtentia, conſenſu & auctoritate Illuſtris Domini Alexandri Malaſpinæ, Marchionis & Domini Podenzanæ, unius ex proximioribus agnatis in gradu Conſobrini, & ut vulgo dicitur Cugino, dicti Domini Julii ex latere paterno in abſentia Illuſtris Domini Morelli, ejus Patrui, in alma Urbe præſentis, conſentientis, & auctoritatem dantis dicto Domino Julio ad infra ſcripta, & jurantis & affirmantis tactis ſcripturis, ad delationem, ſe credere prædicta, & infraſcripta ceſſiſſe & cedere potius ad utilitatem dicti Domini Julii, quam ad ejus læſionem, attentis maxime cauſis ſuperius expreſſis, ſciens & attendens, omnia & ſingula prædicta fuiſſe & eſſe vera, & qui primo loco non intervenit conſtitutioni dictæ primogenituræ ab aliis factæ, quia fuit & erat in pupillari ætate conſtitutus, & motus tam de cauſis ſuperius expreſſis, quam aliis animum ſuum moventibus ex una parte; & antedictus Illuſtris Dominus Camillus, parte ex altera &c. per ſe & eorum hæredes & Succeſſores, animo ſpontaneo & præmeditato, atque omni meliori modo devenerunt, & deveniunt, & quilibet eorum devenit ad infra ſcriptam compoſitionem & conventionem, & pactum in hunc, qui ſequitur, modum: Videlicet, quod præfatus Dominus Camillus major natu dicti Domini Julii & aliorum ſuorum fratrum, gaudeat beneficio & privilegio primogenituræ in bonis tam feudalibus, quam allodialibus, juribus & actionibus, quomodocunque ad prædictum Dominum Julium ſpectantibus & pertinentibus, ſalvo tamen & reſervato in principio, medio & fine præſentis inſtrumenti, quod prædictus Dominus Julius ſit liber Dominus & Patronus intratarum tam feudalium, quam allodialium, dicto Domino Julio pro parte ſua ſpectanti & pertinenti usque ad ejus mortem, & diem ſuum clauſerit extremum, & ſi prædictus Dominus Camillus ſuſceperit filios legitimos & naturales, & de legitimo matrimonio natos maſculos, primogenitus & major natu dictorum filiorum ſuccedat in bonis tam feudalibus quam allodialibus, juribus & actionibus prædictorum Illuſtrium Dominorum Camilli & Julii pleno jure, & quod

quod quidem major natu & primogeniti jus daret in dicti Domini Camilli descendentibus & familia in perpetuum, ita & taliter, quod semper, & omni tempore tantummodo major natu & primogenitus masculus, in hæreditate & patris bonis, tam feudalibus, quam allodialibus, & quoquo modo ad eum spectantibus juribus & actionibus, ut supra, casu quo præfatus Dominus Camillus discederet absque filiis masculis legitimis & naturalibus, tunc & eo casu præfatus Dominus Conradus, & ejus primogenitus gaudeat beneficio & privilegio dictæ primogenituræ, & succedat in bonis tam feudalibus, quam allodialibus, juribus & actionibus prædictorum Dominorum Camilli, Julii, ut supra, salva gradus prærogativa, de primo in primogenitum usque ad in perpetuum, &, in defectu descendentium masculorum dicti Domini Conradi, succedat in dicta primogenitura, ut supra, Dominus Fabritius prædictus, & ejus primogenitus, & de primogenito in primogenitum, ut supra &c. similiter in defectu masculorum dicti Domini Fabritii, succedat in dicta primogenitura, ut supra, dictus Dominus Julius & ejus primogenitus, & de primogenito in primogenitum usque, salva gradus prærogativa, ut supra &c. Et in defectu descendentium masculorum prædicti Domini Marchionis Floramontis, Patris dictorum fratrum, tunc & eo casu succedat in dicta primogenitura, ut supra &c. major natu descendentium masculorum nunc quondam Illustris Domini Marchionis Spinetæ Malaspinæ de montibus Simonis, salva gradus prærogativa, ut supra &c. & in defectu descendentium masculorum prædicti Marchionis Spinetæ, succedat in dicta primogenitura, ut supra, major natu descendentium masculorum, Illustris nunc quondam D. Marchionis Thomasii Senioris Malaspinæ de Villafranca, Fratris prædicti Marchionis Spinetæ Lunensis, Sarzanensis Diœcesis, & de primogenito in primogenitum ut supra &c. & cum onere & conditione, quod dictus Dominus Julius, seu ejus primogenitus vocatus ad dictam primogenituram, ut supra, teneatur, & obligatus sit constituere & assignare filiabus, feminis legitimi & naturalibus ex dicto Domino Camillo, seu aliis, ut supra, vocatis ad dictam primogenituram procreaturis, dotem competentem, juxta facultatem & paragium familiæ Malaspinæ, & ita ex pacto inter eos solemni stipulatione valere convenerunt &c. & prædicta omnia & singula promiserunt ambo attendere & observare &c. cum pacto tamen in principio, medio & fine præsentis instrumenti apposito & repetito, quod præsens conventio una cum omnibus & singulis in ea contentis nullum sortiatur effectum, nisi prius secura approbatione, ratificatione, voluntate & consensu Majestatis Cæsareæ, & Romanorum Imperatoris &c. quæ omnia promiserunt &c. attendere & observare &c. sub pœna &c. renuncians &c. sub Hypotheca &c. & renunciaverunt & observaverunt, quatenus pro-guarentigiam, cum pacto etiam, quia prædictus Dominus Fabritius Frater dictis Dominis recusavit intervenire ad constitutam dictam primogenituram occasione, de qua supra, & etiam, quia dictus Dominus Fabritius uxorem duxit, & filios masculos & fœminas ab ea suscepit, idcirco dictus Dominus Julius voluit & intendit, quod dictus Dominus Camillus teneatur & obligatus sit, se, suos hæredes & successores post mortem dicti Domini Julii dare, solvere & numerare dicto Illustri Domino Fabritio absenti æquivalens quintæ partis prædicti feudi, quod a præfato Domino Julio pervenisse, seu pervenire potuisset, in casu, quod, si ipsi fratres, videlicet Domini Camillus, Conradus, Hector, Ascanius & Julius deventi fuissent ad divisionem dicti feudi de bonis allodialibus dicti Domini Julii in pecunia, quo casu dictum feudum æstimatum sit, & debeat per duos Nobiles de familia Malaspina, eligendos a dictis partibus, & in casu discordiæ, dicti Nobiles possint & valeant eligere tertium confidentem de dicta familia, & declaratione duorum ipsorum teneat & exequatur &c. Pœnis & obligationibus præmissis, & prædicta ad consilium sapientis, non mutata substantia &c. rogantes &c. Actum Podenzanæ in sala arcis dicti loci, præsentibus Reverendo Domino Lazarino Martino, Rectore Ecclesiæ Sanctorum Jacobi, & Christophori de Podenzana, Reverendo Domino Presbytero Simone de Ludovicis, ambo de Podenzana, & suprascripto Jacobo, quondam Bartholomæi de Claverinis de Aula, testibus notis habitis, vocatis. Ego Julius Ser. Petrus de Amatis, filius quondam Domini Juliani de Castro nuovo, Lunensis, Sarzanensis Diœcesis, Apostolica autoritate publicus Notarius & Judex ordinarius, de præsenti instrumento rogatus fui, & in hanc publicam formam redegi; In quam fidem præmissorum hic me subscripsi, & solitum meum signum apposui. Nos Vincentius Amadutius, J. U. D. in spiritualibus ac temporalibus Vicarius Generalis Reverendissimi Domini Joannis Baptistæ Bracelli, Dei & Apostolicæ sedis gratia Lunensis, Sarzanensis Episcopi & Comitis, fidem facimus & publice testamur, quod supradictus S. Julius, Ser. Petrus de Amatis tempore, quo suprascriptum instrumentum manu sua scriptum & subscriptum rogatus publicavit, & antea erat, & modo est publicus, authenticus & fide dignus Notarius, ejusque instrumentis publicis, ab eo rogatis, dabatur & datur plena & indubia fides in Judicio & extra. Datum in civitate Sarzanæ in Episcopali Palatio die vigesima Junii, anno millesimo quingentesimo, septuagesimo octavo. Vincentius Amadutius, Vicarius Generalis, Franciscus Manechia Not. & Cancellarius.

In Christi nomine Amen. Anno ab ejusdem nativitate currente millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, indictione sexta, die vero decima nona mensis Junii, more Notariorum terræ Villæfrancæ Lunensis, Sarzanensis Diœcesis, cum fuerit & sit verum, quod annis proxime decursis fuerit constitutum & ordinatum jus primogenituræ in feudo & bonis feudalibus Bastiæ, terræ rubeæ & aliis, in personam multum Illustris Domini Camilli Malaspinæ, nunc felicis memoriæ, multum Illustris Domini Floramontis, Marchionis dictorum locorum, cum consensu & voluntate aliorum ejus multum Illustrium Fratrum, filiorum & hæredum ejusdem quondam multum Illustris D. Floramontis, ac in specie multum Illustris Domini Hectoris, unius ex Marchionibus, condominis & hæredibus dictorum locorum & bonorum, in omnibus, ut constat, vigore publici Instrumenti rogati manu Christophori, quondam alterius Christophori Bernardi de Montibus Simonis, publici Notarii, de anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, sub die vigesima mensis

fæ Martii, ad quod relatio habeatur, si opus fuerit &c. Et quæ primogenitura & jus primogenituræ fuit exinde confirmatum a Majestate Cæsarea; Et quia antedictus multum Illustris Dominus Hector, motus tam ex causis deductis in eodem instrumento, quam aliis justis & rationabilibus, animum ejusdem moventibus &c. ut omnino sit locus dictæ primogenituræ, etiam, quod ipse multum Illustris Dominus Hector non susceperit habitum sacrosanctæ Religionis Hierosolymitanæ, & non effectus fuerit miles dictæ Religionis, prout in animum, tempore dictæ suæ primæ voluntatis ac consensus, induxerat faciendi, quia ad prædicta deventum non fuit, dignis & justis de causis, quæ moverunt animum ipsius multum Illustris Domini Hectoris, & propterea antedictus multum Illustris Dominus Hector constitutus coram me Notario & testibus infra scriptis major annis viginti tribus, cum consensu etiam ex abundanti, & ad præsentiam multum Illustris Domini Alexandri Malaspinæ, Marchionis Podenzanæ, ejus proximioris ex latere paterno, quod sit in præsentia, in his partibus ibidem præsentis & consentientis, atque suum consensum, voluntatem & autoritatem præstantis, & jurantis etiam, tactis scripturis, ad delationem mei Notarii, se credere omnia & singula, prædicta & infrascripta fuisse & esse potius ad utilitatem, quam læsionem & damnum prædicti multum Illustris Domini Hectoris &c. maxime ad effectum, ut dicta loca, & bona feudalia, quæ commodam divisionem non admittunt, conserventur ex causa dicta primogenituræ, sciens & advertens, omnia & singula antedicta fuisse & esse vera, lecto sibi prius ad literam, prout jacet, dicto instrumento antedictæ suæ voluntatis & consensus secuti tempore ejusdem primogenituræ cum renunciationibus, promissionibus, cessionibus, clausulis & aliis in dicto instrumento contentis, sponte atque animo præmeditato, omnique modo meliori per se, suos hæredes ac successores confirmavit, ratificavit, approbavit, atque confirmat, ratificat & approbat dictum instrumentum primogenituræ, una cum omnibus & singulis in eodem instrumento contentis, eo non obstante, quod dignis de causis motus, ut supra, ipse multum Illustris Dominus confirmans antedictum habitum non susceperit, & inter dictos milites adscriptus non fuerit, ac de cætero non adscriberetur, ac in eandem sacram Religionem non ingrederetur &c. ac etiam in aliquo non obstante, quod multum Illustris Dominus Fabritius, Frater, cohæres & condominus dictorum Dominorum Fratrum voluerit sibi assignari suam sextam partem omnium & singulorum bonorum, tam allodialium, quam etiam feudalium, prout & assignata fuit, ut est notorium, atque voluit, & vult omnino, quod ante dicta primogenitura, atque jus primogenituræ, collatum in eundem multum Illustrem Dominum Camillum primogenitum, sortiatur suum plenum & totalem effectum. Quæ omnia & singula promisit & promittit multum Illustris Dominus Hector cum dicto consensu, & ut supra, versus dictum multum Illustrem Dominum Camillum, licet absentem. Sed mihi Notario, tanquam personæ publicæ, & officio publico fungenti, & acceptanti nomine & vice ejusdem multum Illustris Domini Camilli, & omnium & singulorum, quorum interest &c. præmissa omnia attendere & observare, & in nulla parte contradicere, aut venire de jure, aut de facto per se, vel alios, directe & indirecte, quovis quæsito colore, ingenio, seu causa, quæ dici, aut excogitari possit &c. ac prout etiam ita juravit, & jurat tactis scripturis ad delationem mei Notarii renuncians, pro quibus &c. rogans &c. extendendum &c. Actum in arce Villæ Francæ, & in sala majori multum Illustris Domini Alphonsi Malaspinæ Marchionis dicti loci, ibidem præsentibus Magistro Jacobo, quondam alterius Jacobi Chiapelinæ de Villa Franca, & Magistro Joanne Antonio, quondam Bertoni Joannis Micheleti de Podenzana, ambobus testibus &c. Ego Gregorius Jo. Mariæ filius, de Clavarinis de Villa Franca, publicus Apostolica Imperialique autoritatibus Notarius, nec non Judex ordinarius ac Potestas Curiæ Castevuli omnibus prædictis, dum in loco agerentur, una cum prædictis testibus interfui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, & in hanc formam redegi propria manu scribendo & subscribendo, & in signo Notariatus mei apposui consueto. Nos Vincentius Amadutius J. U. D. in spiritualibus ac temporalibus Vicarius Generalis Reverendissimi Domini Joannis Baptistæ Bracellii, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Lunensis, Sarzanensis Episcopi & Comitis fidem facimus, & publice testamur, qualiter supradictus Dominus Gregorius de Clavarinis Diœcesanus noster, temporo quo supra, dictum instrumentum manu sua scriptum, ac subscriptum propria rogatus publicavit, & antea erat, ut modo est, publicus, authenticus & fide dignus Notarius, & ejus instrumentis publicis ab eo rogatis dabatur & datur plena & indubia fides in judicio & extra. Datum in civitate Sarzana in Episcopali Palatio die vigesima Junii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Vincentius Amadutius, Vicarius Generalis. Franciscus Manechia, Notarius & Cancellarius.

Nobis proinde demisse supplicando, ut præinserta instrumenta autoritate nostra Cæsarea approbare, ratificare & confirmare gratiose dignaremur. Nos sane benigne considerantes familiæ istius de Malaspinis, erga Nos & sacrum Imperium singularem fidem, observantiam & præclara merita, inprimis vero egregia obsequia, quæ prænominati fratres, eorumque Successores Nobis, & Sacro Imperio præstare poterunt & debebunt, hujusmodi precibus clementer annuendum duximus. Quapropter ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, sano accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine suprascripta instrumenta, cum omnibus & singulis in iisdem contentis, approbamus, ratificamus & confirmamus: Supplentes de ejusdem potestatis nostræ plenitudine omnes defectus, tam juris, quam facti, si qui in præmissis intervenissent, aut quoquo modo intervenisse dici, seu allegari possent. Derogantes etiam omnibus & singulis, quæ præsentium effectum quovis modo impedire possent, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus mentio specialis fieri deberet. Nos enim ea omnia pro sufficienter expressis haberi volumus, iisque non obstantibus decernimus, præinserta instrumenta ac omnia in iis comprehensa, una cum hac confirmatione nostra rata, firma, & perpetua esse, ac a sæpe fatis Fratribus de Malaspinis, eorum-

eorumque descendentibus & successoribus inviolabiliter observari debere. Nostris tamen & Sacri Imperii ac aliorum juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, ratificationis, confirmationis, suppletionis, derogationis, voluntatis & decreti paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Siquis autem id attentare præsumpserit, præter Nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, pœnam quadraginta marcharum auri puri pro medietate Imperiali fisco seu ærario Nostro, reliqua vero parte injuriam passi, aut passorum usibus irremissibiliter applicandam, se noverit ipso facto incursurum: Harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce Nostra Regia Pragæ die quarta Mensis Junii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono; Regnorum Nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, & Bohemici itidem quarto.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo. Viennæ 1. Sept. Anno 1707.

Rab. Herm. de Bertram,
Secret. Archiv.

XVI.

Rudolphi II. Roman. Imperatoris declaratio, in qua, se instrumenta juris primogenituræ paulo ante inserta confirmando, neque Fabritio, Marchioni Malaspinæ, neque alii cuicunque prajudicare voluisse, contendit, d. d. 17. Nov. An. 1578.

RUdolphus Secundus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tirolis, &c. &c.

Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis ex parte Magnifici, nostri & Imperii sacri fidelis dilecti, Fabritii ex Marchionibus Malaspinæ de Villafranca, humiliter expositum fuerit, qualiter defuncto quondam Floramonte Malaspina, Marchione Bastiæ, terræ Rubeæ, & aliorum locorum ejusdem Fabritii Patre, relictis præter ipsum Fabritium quinque aliis filiis legitimis, & naturalibus, quatuor ex iisdem Camillus, Conradus, Hector, & Ascanius Primogenituram quandam de bonis feudalibus, adjectis nonnullis conditionibus & pactis, inter se erexerint & constituerint, ipso Fabritio eorundem Fratre expresse contradicente, neque aliter consentiente, quam in parte ac partibus pro eo facientibus, nec non absque consensu & interventu Jutii Malaspinæ alterius Fratris, tunc temporis in pupillari ætate constituti, neque requisiti. Ea vero primogenituræ erectio, conventiones, & pacta in instrumento desuper confecto apposita, sicque etiam exceptio pro parte ipsius Fabritii facta, ut cujus in eodem instrumento expresse fit mentio, a Divo quondam Maximiliano Secundo, Domino Genitore nostro colendissimo, augustæ memoriæ, approbata & confirmata, ac postmodum eadem confirmatio a Nobis, salvis tamen juribus cujuscunque, renovata fuerit, & quamvis ipse Fabritius minime dubitet, hujusmodi primogenituræ erectionem, utpote se dissentiente, & contradicente factam, non obstantibus confirmationibus supradictis, nullum ei præjudicium afferre posse, quominus casu mortis dictorum fratrum suorum, ac eorum cujuslibet absque filiis legitimis & naturalibus pro sua rata portione in bonis feudalibus succederet: Nihilominus tamen, ad tollendas omnes difficultates & differentias, super quas inter ipsum Marchionem Fabritium, ac dictos suos Fratres, seu conhæredes, memoratæ primogenituræ occasione, successu temporis oriri possent, demisse Nobis supplicaverit, ut suæ hac in parte indemnitati benigne providere dignaremur. Nos igitur hujusmodi precibus clementer annuentes, animo deliberato, ex certa scientia, sano accedente consilio, & Imperiali autoritate nostra decernimus & declaramus, quod, uti prælibati divi Imperatoris Maximiliani, Domini, Genitoris nostri observandissimi, intentionem nequaquam fuisse, ut per confirmationem suam præfato Fabritio ullum in suis juribus afferret præjudicium, ex eo constat, quod Majestas sua instrumentum primogenituræ in omnibus suis articulis, sicque in eo etiam, qui ipsum Fabritium excipit, confirmavit: Ita nec nostram fuisse vel esse mentem, quod eidem Fabritio ulla ratione præjudicaremus, quinimo, quod ex adjecta confirmationis nostræ clausula pateat non solum ipsi Fabritio, verum etiam cuicunque alteri, sua jura salva, integra, & illæsa esse, & permanere voluisse, ac etiamnum velle, ita, ut casu mortis dictorum suorum Fratrum, ac eorum cujuslibet absque filiis legitimis & naturalibus, pro sua rata portione in bonis feudalibus succedere possit; Non obstante primogenitura, & confirmationibus prædictis. Harum testimonio litterarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die decima septima mensis Novembris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, Bohemici itidem quarto.

RUDOLPHUS.

Concordat cum Archivo Imperiali aulico, id quod hisce testatum volo. Viennæ 18. - - - An. 1708.

Rab. Herm. de Bertram,
Secr. Archiv.

(L.S.)

Præsens copia extracta fuit ex suo proprio originali per me Paulum Augustinum, Notarium publicum terræ Can. & dictæ terræ Actuarium & Cancellarium substitutum, licet aliena manu scripta mihi fida, per me tamen subscripta, & cum suo originali collationata, de verbo ad verbum cum eo concordare inveni.

In fidem, hac die prima mensis Aprilis, 1626.

Ego Paulus Augustinus, Notar. ut supra.
D. Thadea Malaspina.

(L.S.)

Citatio cum inhibitione.

XVII. *Ru-*

XVII.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris Instrumenti venditionis ac respectivae emptionis confirmatio, in quo Alphonsus Marchio de Malaspina Licciana, Marchioni Cornelio Malaspinae de eadem Licciana, suam Castri Montis Sionis partem vendidit, d. d. 18. Martii, An. 1586.

RUdolphus Secundus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Slavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Recognoscimus ac notum facimus, tenore præsentium universis; Quod, cum Nobis humiliter exposuerit Magnificus, noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Alphonsus Marchio Malaspina de Licciana, se, defuncto Reverendo quond. Horatio Marchione Malaspina de Monte Simonis, una cum aliis Agnatis & Consobrinis suis in memorato Castro ejusdemque pertinentiis, & Jurisdictionibus a Nobis ac Sacro Roman. Imperio in feudum dependentibus, tanquam proximiores & legitimos hæredes successisse; sed quia bona illa sint ejus qualitatis ac naturæ, ut propter exiguos & tenues, quos habeant, reditus divisionem minime patiantur; Ideo pro conservatione eorundem se invicem convenisse, quod quilibet partem, sibi ex hæreditate illa assignatam, libere, (non tamen extra familiæ lineam) vendere possit; Hincque secutum esse, quod ipse Alphonsus portionem ad se spectantem fratri suo, Cornelio Marchioni Malaspinæ, de eadem Licciana pro mille ducentorum nonaginta quinque coronatorum summa, salvo tamen assensu nostro Cæsareo, vendiderit certis pactis, modis, formis & conditionibus, quæ publico Instrumento superinde confecto, Nobisque in authentica ac fide digna forma exhibito continentur: Demisse proinde supplicando, quatenus hujusmodi venditionem ac emptionem Nos ratam & gratam habere, dictumque Instrumentum autoritate nostra Cæsarea clementer approbare & confirmare dignaremur; Cujus quidem tenor sequitur, & est talis:

In Christi Nomine Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, Indictione duodecima, die vero vigesima tertia mensis Januarii, secundum morem Notariorum terræ Liccianæ Lunens. & Sarzanens. Diœces. Cum fuerit & sit verum, quod per mortem naturalem secutam nunc quondam Illustrissimi & Reverendissimi Domini Marchionis Horatii Malaspinæ, montis Simonis, eidem ab intestato successerint multum Illustres Domini, Alphonsus & Cornelius fratres, Malaspinæ, Marchiones Panicalis & Liccianæ, pro eorum respective partibus, de quibus fit mentio Instrumento, seu Instrumentis compositionis seu compositionum, transactionum, divisionum, & aliorum inter eos secutorum, ut de præmissis latius constat vigore plurium Instrumentorum desuper rogatorum in actis Domini Fabiani de Armanis, de Podenzana Notarii, Domini Jacobi Antonii Banci Notarii terræ Liccianæ, ac mei Notarii infrascripti de anno præsenti, sub die, seu diebus in eis contentis, ad quem & quia respectu feudi, & bonorum feudalium dicti loci montis nulla potest sequi saltem commoda divisio; Ideo multum Illustris Dominus Marchio Cornelius antedictus, non vi, dolo, metu, aut alia quacumque machinatione circumventus, sed sponte animo præmeditato, modoque omni alio meliori per se & suos hæredes, ac successores, dedit, vendidit & tradidit, & cessit, atque dat, vendit & cedit antedicto multum Illustri Domino Marchioni Alphonso, præsenti, & acceptanti pro se suisque hæredibus, & successoribus, omnem, & quamcumque portionem, seu portiones in eum parventas, & obventas, ut supra præfati feudi, & bonorum feudalium dicti loci montis Simonis nulla parte, quantumvis minima, exclusa, & de qua, seu quibus fit mentio in prædictis conventionibus, divisionibus, & assignationibus, ut supra, respectu tantum bonorum feudalium, & non aliter nec alio modo &c. & in quibus bonis feudalibus comprehenduntur torcularia & molendina dicti loci montis &c. ad habendum &c. cum omnibus, & singulis &c. pro pretio, & nomine veri pretii scutorum mille & ducentum nonaginta quinque auri, in auro Italiæ, seu in moneta argentea ad rationem librarum septem Mediolani pro singulo scuto, in tantum de accordio taxatum inter partes, ut præsentes fatentur, ex quo dictus multum Illustris Dominus Cornelius habuit, & recepit mensibus proxime elapsis, ab eodem multum Illustri Domino Marchione Alphonso scuta tercentum auri in auro Italiæ, in pecunia numerata, prout & dictus multum Illustris Dominus Cornelius præsens fatetur; Et scuta ducentum quadraginta quinque, & dicto pretio fuerunt donata ab eodem Illustri Domino Cornelio dicto Illustri Domino Alphonso emptori, nonnullis jam diebus elapsis, & quæ ex abundanti donatione inter vivos, quæ nullo vitio ingratitudinis possit revocari, donavit & donat dictus Dominus Cornelius dicto Domino Alphonso præsenti & acceptanti; reliqua vero scuta septingenta quinquaginta, quæ sunt ad complementum totius dictæ summæ, dictus Illustris Dominus Alphonsus promisit, & promittit dicto Domino Cornelio præsenti &c. solvere terminis, & modis, ut infra: videlicet scuta centum quinquaginta quolibet anno, incipiendo a die publicationis præsentis Instrumenti, usque ad integram & totalem summam & solutionem ejusdem; Et quia convenit, ut ratione pretii retardati, ac solutionis ejusdem fiendæ, maxime cum prædictus Illustris Dominus Alphonsus post celebrationem præsentis Instrumenti, statim incipiat possidere, & fructus percipere ex prædictis bonis venditis. Ideo convenerunt, ut dictus Illustris Dominus Alphonsus teneatur, & debeat ratione damni, justi & Interesse, solvere & numerare annuatim eidem Illustri Domino Cornelio, præsenti, ut facere promittit &c. ad rationem quinque pro centenario sortis non solutæ &c. deducendo semper quolibet anno pensionem seu pensiones, & Interesse ad ratam sortis solutæ &c. Acto pacto, solemni stipule-

pulatione &c. quod in eventum, in quem dictus multum Illustris Dominus Alphonsus emptor non solveret, & cessaret a solutione reali, & vera dictorum scutorum centum quinquaginta ratione sortis quolibet anno, ac etiam a solutione, & interesse, & pensionis ad ratam, ut supra etiam in minima parte; quod tunc, & eo casu, seu casibus possit & valeat dictus Illustris Dominus Cornelius accipere, & habere, ac retinere sua propria auctoritate omnia molendina, quæ dictus multum Illustris Dominus Alphonsus habet, quæ sunt numero quatuor, posita in territorio Liccianæ loco dicto Alli molendini, apud flumen Paccaroni, & ubi sunt torcularia ejusdem Illustris Domini Alphonsi, pro pretio annuali scutorum centum auri, in auro &c. & quam autoritatem & baliam ingrediendi, tenendi & retinendi, & nunc dictus Illustris Dominus Alphonsus dedit, & dat ipsi Illustri Domino Cornelio, præsenti, in casu, & casibus de quibus supra, ad effectum, ut possit & valeat habere & percipere omnes & quoscunque fructus & reditus dictorum molendinorum, donec, & quousque fuerit secuta integralis solutio, & satisfactio summæ, & summarum matricatarum respective tam quoad solutiones annuas dictæ sortis, quam etiam dictæ pensionis & Interesse, quia ita per pacta &c. pacto etiam apposito, tam in principio, quam in medio, & fine præsentis Instrumenti, quod semper, & quandocunque, vita tantum durante, ipsius Illustris Domini Alphonsi, accideret, eundem illustrem Dominum Alphonsum vendere, vel alienare quoquo modo dictam partem, seu partes feudales sibi venditas, ut supra in majori summa, quam fuerit, & sit dicta quantitas scutorum mille ducentum nonaginta quinque, illud supra plus si quod erit, & esse debeat inter eos commune, & communiter dividatur pro æquali portione, quia ita insimul convenerunt solemni stipulatione hinc inde interposita &c. Et ita dicti multum Illustres Domini fratres contrahentes renuntiaverunt exceptioni præsentis venditionis, non sic vel aliter factæ, & omni alii exceptioni, defensioni, juri ac legum auxilio, quæ possent opponi, & quæ bona, ut supra, cessa, data, & vendita, ipse multum Illustris Dominus Marchio Cornelius se constituit tenere, & possidere nomine dicti multum Illustris Domini Marchionis Alphonsi, donec corporalem acceperit possessionem, quam accipiendi, & deinceps per se retinendi omnimodam dedit licentiam & autoritatem. Insuper cessit, & cedit omnia Jura, rationes & actiones &c. ita ut supra. Item promisit de evictione prædictorum bonorum venditorum in forma juris valida &c. constituitque ipsum multum Illustrem Dominum Emptorem Procuratorem, tamquam in rem propriam, ut sic possit agere, causari, uti, & se tueri, excipere, recipere &c. quam venditionem, cessionem, & omnia in præsenti Instrumento contenta partes antedictæ dixerunt fuisse & esse veram & vera, eam eaque attendere, & observare juraverunt ad sancta Dei Evangelia, tactis corporaliter scripturis &c. & non contrafacere, dicere, vel venire per sese, nec per aliam personam interpositam, vel interponendam in Judicio, vel extra &c. sub pœna dupli, qua pœna &c. pro quibus omnibus, & singulis observandis obligaverunt omnia eorum bona præsentia, & futura &c. & quæ omnia & singula prædicta fuerunt facta & gesta ad præsentiam, & cum interventu multum Illustris Dominæ Reginæ, uxoris præfati Illustris Domini Alphonsi, quæ lecto sibi & vulgarizato prædicto Instrumento, & contentis in eo, de quibus dixit se habuisse, & habere plenam & notissimam scientiam, certiorata etiam de auxilio Vellejani S. C. & de lege Julia, de fundo dotali, & de omnibus juribus in ejus favorem facientibus &c. ac de validitate, & robore in potestate renunciationis, & consensus, sponte, omni modo, &c. consensum suum præstavit & accommodavit prædictis omnibus & singulis, atque renuntiavit & renuntiat omnibus suis juribus & hypothecis, quæ habere & prætendere potuisset, vel potest in bonis prædictis obligatis ut supra, ad favorem dicti Domini Cornelii, & quæ Jura, obligationes & hypothecæ, tam respectu bonorum dotalium, quam alia de causa sibi remaneant, & sint salva in aliis bonis ipsius Domini Alphonsi, cum promissione, nunquam ullo tempore contraveniendi contentis in præsenti Instrumento, & ita tactis scripturis juravit, & jurat &c. nec non præmissis omnibus, & singulis intervenit, & fuit præsens Illustris Dominus Sotiprandus, filius, & Primogenitus ipsius Illustris Domini Alphonsi, qui cum consensu Patris præsentis &c. omnia & singula, contenta in dicto Instrumento confirmavit & approbavit, & approbat ratione, & causa cujuscunque Interesse, quod prætendere possit in præmissis, cum promissione ullo unqaum tempore contraveniendi, prout promisit & promittit dicto Illustri Domino Cornelio, præsenti &c. & ita juravit, & jurat tactis scripturis &c. Ac etiam præmissa omnia fuerunt facta & gesta ad præsentiam Magnifici D. Jacobii Antonii Bancii Honorati, Prætoris dicti loci Liccianæ, sedentis in infrascripto loco, quem locum &c. & qui Magnificus D. Prætor visis & auditis prædictis suam, & dicti loci Liccianæ interposuit autoritatem, pariter, & decretum &c. Laudans, statuens &c. facientes prædictæ partes omnia prædicta, cum intentione ut si, & quatenus opus fuerit subsequatur approbatio & confirmatio fienda per suam Cæsaream Majestatem, quam ex nunc humiliter rogaverant, & rogant, quatenus dignetur dictam venditionem & alienationem factam, & alia in præsenti Instrumento contenta confirmare, & approbare interponendo decretum Cæsareum &c. ac etiam supplendo omnes & singulos defectus, si qui forte intervenissent, etiam cum clausula derogatoria &c. rogantes &c. Actum Liccianæ, videlicet in Castro dicti loci in Camera vocata il Studiollo, præsentibus Magnifico Domino Christophoro, filio quondam Pollidori de Bajoris de Cornilio, habitatore dictæ terræ Liccianæ, Domino Paulo, quondam Domini Dominici de Mariotis & Domino Dominico, filio Domini Jacobii Antonii fratris, dicti Domini Pauli testibus ad hæc vocatis, habitis, & rogatis &c. Ego Federicus Bancius quondam Domini Thomæ, Apostolica autoritate Notarius publicus dictæ terræ Liccianæ supradictis omnibus & singulis dum sic fierent, præsens fui, & ea rogatus scribere, fideliter scripsi, & me subscripsi, cum signo mei tabellionatus consueto in fidem præmissorum &c. Tiberius Blancus J. V. D. In spiritualibus ac temporalibus Vicarius Generalis Illustris ac Domini D. Joannis Baptistæ Bracelli, Dei & Apostoli-

stolicæ sedis gratia Lunens. Sarzan. Episcopi, & Comitis fidem facimus, sicuti suprascriptus Federicus Bancius, tempore, quo suprascriptum Instrumentum, manu sua scriptum & subscriptum rogatus publicavit, & ante erat, ut modo est publicus, & fide dignus Notarius, ejusque Instrumentis & scripturis publicis ab eo rogatis, dabatur & datur plena fides in Judicio, & extra; Datum in Civitate Sarzanæ, die quinta Julii anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.

Tiberius Blancus, Vicarius Generalis
(Locus Sigilli.)
Franciscus Manechia, Cancellarius.

Nos sane habita cumprimis benigna ratione eximiæ fidei, devotionis, observantiæ, & bene merendi studii, quo prædictus quondam Marchio Horatius ac ipsi Alphonsus, & Cornelius de Malaspina majoresque eorum a longa jam temporum serie, tam Divis Prædecessoribus nostris Romanor. Imperator. & Regibus quam successive Nobis quoque, ac ipsi Sacro Romano Imperio semper addicti fuerunt humilibus eorum precibus a ratione quippe, aut alienis benigne duximus annuendum; Quocirca motu proprio, ex certa scientia, animoque bene deliberato, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine hujusmodi venditionem, & respective emptionem, gratiose assentientes, præinsertum Instrumentum, omniaque & singula in eo contenta in omnibus suis punctis, articulis, clausulis, sententiis, & verborum expressionibus clementer approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, prout virtute præsentium approbamus, ratificamus, & confirmamus, Imperialisque roboris firmitate munimus, volentes ac decernentes, ea omnia & singula fore, ac esse firma, valida, ac perpetua, atque ab omnibus, ad quos spectat, semper inviolabiliter observari, supplentes quemcumque defectum, si forte quis in præmissis intervenisset, aut intervenisse dici, vel allegari possit, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, nostris tamen, ac Sacri Rom. Imp. aliorumque juribus semper salvis & illæsis; nulli ergo omnino hominum, cujuscumque status gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis extiterint, liceat, hanc nostræ approbationis, ratificationis, confirmationis, suppletionis, decreti, voluntatis & gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu contraire. Siquis autem id attentare præsumpserit, his præter nostram, & Sacri Rom. Imp. indignationem gravissimam pœnam in præmemorato venditionis Instrumento statutam & expressam, pro dimidia Fisco nostro Cæsareo, reliqua vero parte injuriam passi, aut passorum usibus applicandam, se novetit ipso facto irremissibiliter incursurum, harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, ac sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum; Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die decima octava mensis Martii, Anno Domini millesimo quingentesimo, octuagesimo sexto, Regnorum nostrorum Romani XI. Hungarici XIV. & Bohemici itidem XI.

RUDOLPHUS.

Vt. Jacobus Curtius a Senfftenau.

XIIX.

Instrumentum emptionis ac venditionis de quibusdam castri, fortalitii, feudi & loci Montis Simonis ac Villarum Amalæ & Campi Contri portionibus, nec non Viridario subter ipsum Castrum sito, ac domo, vulgo la stalla del Marchese nuncupata, quas Alphonsus Marchio Malaspinæ, Hieronymo Ambrosio, Marchioni Malaspinæ, qui vulgo Comparinus vocatur, salvo reluitionis jure, vendidit, consignatum, d. d. 14. Julii An. 1590.

IN Christi Nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo nonagesimo, Indictione tertia, die vero decima quarta Mensis Julii, Pontificatus autem sanctissimi Domini Nostri, Domini Syxti, Papæ quinti, Anno sexto. Cum sit, quod per Matrem Illustrissimi olim Marchionis Horatii Malaspinæ Marchionis Montium Simonis in divisione postea facta inter ejus olim Illustrissimi Domini, Marchionis Horatii cohæredes Illustrissimi, Dominis Fratribus Alphonso, & Cornellio filiis olim Illustrissimi Domini Marchionis Jacobi Malaspinæ de Licciana obtigerit in earum portione seu portionibus bonorum Feudalium Villa Amalæ & Villa Campi Contri ex dictis Villis Montium Simonis cum quadam parte Castri, prout latius in Instrumento Divisionis rogato per Dominum Federicum Baucium de Licciana, cui &c. & cum sit, quod postea idem Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus Titulo emptionis acquisiverit a prædicto Illustrissimo Domino Marchione Cornellio, uti supra Fratre, suam partem, nempe medietatem ipsarum Villarum & homagii ac portionis Castri seu Fortalitii pro pretio inter eos convento Scuttorum mille ducentorum nonaginta quinque, salvo auri in euro in Italia & prout in Instrumento rogato per dictum Dominum Federicum Baucium, Notarium publicum, cui &c. Ac cum sit postmodum quidem Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus, uti verus Dominus & Possessor totius partis prædictæ, cum mero & mixto imperio & omnimoda gladii potestate deliberaverit, ipsas easdem Villas, cum earum Jurisdictione, & parte Castri seu Fortalitii Montis prædicti, & ut infra &c. vendere Illustrissimo Domino Marchioni Hieronymo Ambrosio, nuncupato il Signore Marchese Comparino, olim Illustrissimi Domini Marchionis Malaspinæ de Aulla ejus Avunculo. Ideo constitutus coram me Notario, & testibus infra scriptis, idem Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus de Licciana, tam suo proprio nomine, quam etiam tanquam Procurator Illustrissimorum Dominorum Aliprandini, Ferdinandi & Opizii de Malaspinis, ejus Filiorum ex Mandatis, quæ ab eis habet, rogatis, altero per Dominum Justinianum Petrarcham, Notarium publicum Terræ Liccianæ, & altero rogato per Dominum Antonium de Commissariis de Potio Lunensis Sarzanensis Diœcesis, tenor de quibus infra, videlicet:

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno ab ejus Nativitate millesimo quingentesimo nonagesimo, Indictione tertia, die vero septima Junii secun-

secundum stillum & practicam nostram Terræ Potii Lunensis, Sarzanensis Diœcesis. Cum sit quod alias de anno - - - Illustrissimus Marchio Alphonsus Malaspina, Filius quondam, felicis recordationis, Marchionis Jacobi de Licciana vendiderit Illustrissimo Domino Marchioni Hieronymo Ambrosio, noncupato il Marchese Comparino, portionem suam Castri Fortalitii &c. Feudi loci Montis Simonis, cum Villa Amala & Campi Contri, & aliis suis adjacentiis, pertinentiis &c. & Territoriis. Una cum nonnullis bonis allodialibus, pro pretio & pretii nomine scutorum trium millium trecentum triginta trium, cum pactis & conditionibus, promissionibus & obligationibus, de quibus, & prout in instrumento, rogato per quondam Dominum Jacobum Antonium Baucium, Notarium ac potestatem Terrarum Panichalis & Liccianæ, ad quod, si quæ fuerit, relatio habeatur. Et quod instrumentum venditionis dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus fecit cum consensu Illustrissimi Domini Ferdinandi ejus Filii, qui dictæ venditioni pro omni suo jure & interesse consensit, & consensum præstitit, eo quia dictum Feudum Montis Simonis dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus recognovit ab Invictissima Sacra Cæsarea Majestate cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate, & dicta sic causa dictus Illustrissimus Dominus Ferdinandus dictæ venditioni consensit. Et cum sit quod de novo dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus velit ad aliud instrumentum devenire cum dicto Illustrissimo Domino Marchione Comparino, & ad nova pacta & conventiones, occasione dicti Feudi Montis, & portionis suæ, ut supra, venditæ dignis de causis, cum consensu dicti Illustrissimi Domini Ferdinandi, qui cum minime prædictis interesse possit, ideo constitutus coram me Notario & testibus infrascriptis sponte &c. Confitens, se esse majorem annorum viginti quinque, & omni meliori modo, via, juramento & forma, quibus melius potuit & potest, fecit, constituit, & ordinat suum Procuratorem, actorem, factorem generalem & specialem, & quidquid melius &c. ita tamen, quod generalitas specialitati non deroget, nec e contra, prædictum Illustrissimum Dominum Marchionem Alphonsum, ejus Patrem licet absentem, sed tanquam præsentem, ac nomine & vice ipsius Illustrissimi Domini Ferdinandi consentiendum, consensum præstandum, omni & cujuscunque instrumento fiendo & celebrando inter dictum Illustrissimum Dominum Marchionem, ejus Genitorem, ac dictum Illustrissimum Dominum Marchionem Comparinum, vel quamcunque aliam personam, causa & occasione dicti feudi & portionis ejusdem loci Montis, & quibuscumque pactis, conventionibus, promissionibus & obligationibus faciendum, præmissorum occasione consentiens, & ut supra, consensum præstandum, & quæ omnia fieri necesse erit, cum consensu, ut supra, & ad jurandum in animam prædicti Illustrissimi Domini Ferdinandi, & quodlibet juramentum præstandum, & generaliter ad omnia alia & singula dicendum & faciendum, quæ in prædictis, & circa prædicta, & quodlibet prædictorum & annexis & connexis, ac ab eis dependentibus ac emergentibus, erunt dicenda, facienda & procuranda, & quæ metipse Illustrissimus Dominus Ferdinandus dicere & facere posset, si præsens adesset, dans & concedens dicto Illustrissimo Domino Genitori, in prædicto, & circa prædicta, & quolibet prædictorum, plenam, amplam, liberam, & generalem potestatem, & baliam, cum libera &c. promittens &c. Rogans me Notarium, & ad dictamen sapientis. Actum Potii in domo Pellagri Fuchi, præsentibus D. Pellegro, filio quondam Julii, ac Joanne Domino, filio quondam Visconti, ambobus de Potio, testibus vocatis, adhibitis & rogatis subscripta.

Ego Antonius de Commissariis de Potio prædicto Lunensis, Sarzanensis Diœcesis, Notarius autoritate Imperiali publicus, & ad præsens Potestas prædicti loci Putei, ac etiam Montis Regii, prædictis omnibus & singulis, & singula in præsenti instrumento contentis, una cum supradictis testibus interfui, & rogatus sic scribere scripsi & publicavi, manuque propria subscripsi, signum nomenque meum solitum & consuetum apposui ad laudem Dei &c. item & cum puppo.

In Christi Nomine Amen. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo, indictione tertia, die vero octavo mensis Junii, secundum morem Notariorum Liccianæ, Lunensis, Sarzanensis Diœcesis.

Illustrissimi Domini Marchiones Aliprandus & Opitius de Malaspinis Fratres, & Filii Illustrissimi Domini Marchionis Alphonsi de Licciana sponte, &c. conjuncti & divisi, & omni eorum meliori modo, quo magis & melius potuerunt, &c. fecerunt & constituerunt eorum Procuratorem, & quilibet eorum in solidum fecit & constituit Illustrissimum Dominum Marchionem Alphonsum, eorum Patrem præsentem & acceptantem &c. ad nomine & vice dictorum Dominorum Aliprandi & Opizii ejus filiorum & constituentium consentiendum, & consensum eorum præstandum omni & cuicunque instrumento faciendo & celebrando inter dictum Dominum Marchionem Alphonsum, eorum Patrem, & Illustrissimum Dominum Marchionem Hieronymum Ambrosium, noncupatum il Marchese Camparino, seu cum quacunque alia persona, causa & occasione loci & feudi Montis, scilicet portionis ejusdem Marchionis Alphonsi alias venditæ per ipsum prædicto Illustrissimo Marchioni Camparino, una cum nonnullis bonis allodialibus, & prout & sicut continetur in instrumento dictæ venditionis, rogato per quondam Dominum Jacobum Antonium Baucium, Notarium publicum, & Potestatem Terræ Liccianæ, ad quod &c. & quem locum Montis Simonis & Feudum ipsius ipse Illustrissimus Marchio Alphonsus tenet & recognoscit ab invictissimo Imperatore cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, & generaliter ad omnia & singula dicendum & faciendum in prædictis, & circa prædicta & quælibet prædictorum, & annexis & connexis, & dependentibus & emergentibus ab eisdem &c. & quæ metipsi Illustrissimi Domini Constituentes facere possent si præsentes adessent, dantes & concedentes dicto eorum Patri & Procuratori præsenti, & in prædictis & circa prædicta, & in quolibet eorum plenam, amplam & liberam, & generalem potestatem & baliam, cum libera &c. promittentes etiam, totum & quidquid etiam

etiam per dictum Illustrissimum Dominum, eorum Patrem actum, factum & procuratum fuerit, perpetuo firmum & gratum habituros, & relevantes, & sub obligatione omnium eorum bonorum rogantes &c. hæc acta & publicata fuerunt omnia Liccianæ in arce Illustrissimi Domini Marchionis Alphonsi supradicti, quibus præmissis præsentibus Dn. Melchiore, quondam Joannis Lazari Picciatti, & Dn. Joanne Battista, quondam Joannis Buccini, ambobus de Licciana, testibus notis, ad hoc adhibitis & specialiter vocatis. Subscripta cum puppo.

Ego Justinianus Petrarcha, quondam Domini Joannis Francisci de Licciana, publicus apostolica & Imperiali autoritatibus Dei gratia Notarius, omnibus & singulis interfui, & rogatus ita scripsi & publicavi, in quorum fidem me subscripsi, cum appositione mei nominis & cognominis, ac mei in margine signi ad laudem Dei.

Quoniam de fide & legalitate Notariorum ob distantiam locorum per sese dubitari solet; idcirco Nos Federicus Baucius, Filius quondam Domini Thomæ, Notarius & Potestas Terrarum Panichalis & Liccianæ, pro Illustrissimis Dominis Marchionibus Alphonso & Cornelio de Malaspinis, Dominis dictorum locorum Panichalis & Liccianæ &c. fidem facimus & attestamur, qualiter retroscriptus Dominus Justinianus Petrarcha tempore celebrati retroscripti instrumenti, & antea, fuit, & est Notarius publicus & legalis, ejusque scripturis semper adhibita fuit & indies adhibetur plena fides & indubitata, tam in judicio, quam extra. In quorum fidem has præsentes nostras fecimus, & sigillo nostro sigillavimus ac subscripsimus. Datum Liccianæ ex domo nostræ Residentiæ, die nona Junii, millesimo quingentesimo nonagesimo, indictione tertia, subscripta Federicus Baucius, Potestas &c. Item & cum sigillo impresso &c. Hoc publico instrumento per se & suos hæredes, ac nominibus, quibus supra, jure proprio, & in perpetuum sponte, & ex certa ejus scientia, & non vi, dolo vel metu aliquo, sed animo deliberato & spontaneo, nulloque errore juris vel facti ductus, & taliter omni meliori modo & forma, quibus magis & melius efficaciusque potuit & poterit fieri, & esse possit, dedit, vendidit, cessit, transtulit atque mandavit jure proprio, & per allodium nominatim prædictas duas villas Amalæ & Campi Contri, territorii dicti Montis Simonis, Lunensis Sarzanensis Diœcesis, una cum eorum territorio &c. & cum dicta parte dicti Castri, seu fortalitii prædicti Montium Simonis, prout supradictum, cum viridario existente subtus ipsum Castrum, cui coeret a tribus via publica, ab alia parte coeret Terra Campa, vineata & arborata, quæ tenet & possidet Illustrissimus Dominus Marchio Torquatus Malaspina de Suero &c. *salvis &c.*

Item jus exigendi omnem condemnationem factam vel faciendam contra Dominam Luciam, Filiam Joannelli de Amala, prædicta pro scutis centum quinquaginta auri in auro, de qua in processu contra eam facto, ut in actis criminalibus, rogatis per quondam Dominum Jacobum Antonium Baucium ad quod &c. Item domum unam sitam in dicta terra Montis, quæ alias vulgo appellatur la Stalla del Signore Marchese, juxta notorios suos confines, & cum facultate & actione intrandi et exeundi in dictam partem Castri et fortalitii, ac recepti ejus per portam, et pontem levatorium dicti loci, et cum jure et facultate altiandi et ponendi dictum pontem levatorium, et portas aperiendi et claudendi, et cum mero et mixto imperio, et omnimoda gladii potestate, pro dicta parte, ipsi Illustrissimo Domino Venditori spectante, et prout ad eundem spectat et pertinet, et cum omnibus fictis et juribus fictuum, molendinis, torcularibus, et aliis ædificiis, aquis, et juribus aquarum et rivorum ductibus, ac cum omnibus et singulis juribus, jurisdictionibus, honorantiis, homagiis, præeminentiis, prærogativis, vasallagiis, piscariis, venationibus, gabellis atque pedagiis, nemoribus, et aliis quibuscunque juribus ad eundem Illustrissimum Dominum Venditorem spectantibus et pertinentibus, quæcunque et qualescunque sint, et sub quibuscunque confinibus et cohærentiis terminant etc. respectu tamen bonorum, et rerum ut supra venditarum, quæ omnia hic pro expressis ac sufficienter specificatis haberi voluerunt et volunt, et si talia forent, de quibus oporteret mentio specialis fieri, specifica et expressa, simul cum accessibus et ingressibus, cum superioribus et inferioribus suis, et cum omni jure, actione et ratione, cunctisque utilitatibus et usantiis prædicto toto superius vendito, et in integrum pertinentibus Illustrissimo Domino Hieronymo Malaspinæ Marchioni, Comparino nuncupato, Filio olim Illustrissimi Domini Marchionis Federici Malaspinæ de Aula præsenti, et pro se et suis hæredibus, et cui vel quibus dederit, seu dabit, seu dederint, seu dabunt recipienti, ementi et stipulanti etc. ad habendum, tenendum et possidendum, et deinceps quidquid placuerit in perpetuum faciendum, sine alicujus contradictione, et dicto Illustrissimo Domino Emptori præsenti, ementi, et, ut supra, recipienti ac stipulanti, dictus Illustrissimus Dominus Venditor cessit, transtulit et mandavit omnes actiones, rationes, defensiones et jura reales, personales, directas et mixtas, et in rem scriptas, ac realia, personalia, utilia, directa, mixta, et in rem scripta ad eundem Illustrissimum Dominum Venditorem, tam super rebus prædictis, bonis et juribus, ut supra, venditis, quam super illa Terra Camp. vineata et arborata contigua dicto viridario, quam tenet et possidet dictus Illustrissimus Dominus Marchio, ut supra, quæ jura super dicta Terra et actiones, talia qualia sint, dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus Malaspina cessit et cedit etc. spectantia et pertinentia, ac pro eis et earum occasione adversus quamcunque personam et quamlibet rem, et tam in rem, quam in personam constituit prædictum Dominum Illustrissimum Emptorem, Procuratorem, tanquam in rem suam, et sic possit agere, causare, petere, accipere, replicare, exercere, experiri, uti et se tueri, et omnia et singula dicere et facere, quemadmodum ipse Illustrissimus Dominus Venditor, ante præsentem venditionem, et de certo ipse Illustrissimus Dominus sit Emptor, et succedat in omnem locum et jus dicti Illustrissimi Venditoris, et ejus vices in solidum obtineat, et mandavit idem Illustrissimus Dominus Venditor eidem Illustrissimo Domino Emptori, præsenti, recipienti et stipulanti, ut supra, ut de

prædicto toto superius vendito sua propria autoritate tenutam capiat & corporalem possessionem, seu quasi constituens se interim totum super venditum & cessum pro dicto Illustrissimo Domino Emptore, & ejus nomine tenere & possidere seu quasi, promittens Illustrissimo Domino Emptori præsenti stipulanti &c. partem dimidiam totius super venditi ab omni persona, Communi, Collegio, societate & universitate defendere, autorizare & expedire, & si quid ex ista dimidia parte evictum fuerit, in duplo restituere cum omni damno &c. respectu vero alterius dimidietatis, quæ alias Illustrissimus Dominus Venditor titulo emptionis, ut supra, acquisivit ab eodem Illustrissimo Domino Marchione Cornellio, ejus Fratre, loco promissionis & evictionis præstitæ, dedit, cessit, transtulit, atque mandavit eidem Illustrissimo Domino Emptori omnes & quascunque actiones, rationes, obligationes, hypothecas & hypothecativas bonorum, quas omni in casu evictionis idem Illustrissimus Dominus Venditor habuit, & habet, occasione dimidietatis prædictæ bonorum, ut supra, venditorum, contra ipsum Illustrissimum Dominum Cornellium, ejus Fratrem, & ejus bona, promittens, & promittendo se obligans, pro suo dato & facto tantum & non aliter, quia sic &c. quam quidem venditionem, & jurium cessionem fecit & facit idem Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus dicto Illustrissimo Domino Hieronymo Ambrosio, præsenti & recipienti & stipulanti pro pretio & nomine veri & justi pretii scutorum trium millium centum triginta duorum auri, ad rationem librarum septem & solidorum duorum pro quolibet scuto monetæ Parmensis, ad quorum computum ipse Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus venditor confessus est coram me Notario & Testibus infrascriptis, se habuisse, & recepisse a dicto Illustrissimo Domino Emptore ante stipulationem præsentis Instrumenti in pluribus vicibus & partibus scuta mille & quinquaginta unius, - - - videl. 1051. --- Item in alia manu pro tantis solutis per dictum Illustrissimum Dominum Marchionem Emptorem Illustrissimo Domino Ferdinando, filio dicti Illustrissimi Domini Venditoris Vta viginti quatuor, vel V. 24.

Item in alia manu pro tantis solutis per Reverendum Dominum Episcopum, Filium dicti Domini Emptoris, Illustrissimo Domino Alliprando, Filio Illustrissimi Domini Venditoris, scuta quinquaginta, videlicet Vti 50. & scuta ducentum octoaginta novem dictus Illustrissimus Dominus Marchio Emptor promisit, & se obligavit dare & solvere Illustri Domino Francisco de Ceccatis, Nobili Parmensi, nomine dicti Illustrissimi Domini Venditoris, & in futurum eum liberare, & eximere ac conservare indemnem, occasione dictorum scutorum ducentum octoaginta novem videlicet 289. & prout ita liberavit, & liberat, &c. obligando se in futurum versus dictum Illustrissimum Dominum Franciscum eo modo & forma, prout, & sicut est obligatus dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus.

Item Illustrissimus Dominus Emptor dedit, & ssit dicto Illustrissimo Domino Venditori præsenti & acceptanti &c. creditum unum scuttorum quingentorum quadraginta duorum ad rationem lib. septem, & solidorum duorum pro singulo scutto, & libræ unius & solidorum sexdecim 542. 1. 16. quod creditum dictus Illustrissimus Dominus Emptor adversus Dominum Petrum Paulum de Scheris, civem Parmensem, ponendo prout posuit dictus Dominus Illustrissimus Emptor in locum, & universum Jus suum cedendo, constituendo.

Et scuta quinque centum auri in auro dictus Illustrissimus Dominus Emptor dedit, & exbursavit ac numeravit dicto Illustrissimo Domino Venditori præsenti & ad se trahenti, videntibus me Notario, Testibus infrascriptis in pecunia argentea videl. Vti 500.

Residuum vero quod est de scutis sex centum septuaginta quinque, libra una, quæ faciunt integram summam pretii scuttorum trium millium centum triginta duorum, ad rationem ut supra, & quod residuum dictus Illustrissimus Dominus Emptor promisit & obligavit dare & solvere dicto Illustrissimo Domino Marchioni Venditori in termino trium annorum prossime futurorum, & hodie incipiendorum in pecunia numerata & non in alia re contra voluntatem Illustrissimi Domini Venditoris. Et quia post celebrationem præsentis Instrumenti præfatus Illustrissimus Dominus Emptor incipiat possidere, & fructus percipere ex bonis & rebus prædictis venditis; Ideo convenerunt, quod de dicto residuo dictus Illustrissimus Dominus Emptor teneatur & debeat solvere dicto Illustrissimo Domino venditori, ratione damni justi & interesse, ad rationem duorum cum dimidio pro quolibet centenario singulo anno & annuatim &c. in fine cujuslibet anni.

Pacto casu, quo dictus Illustrissimus Dominus Emptor, & ejus hæredes, non solverent, & cessarent a solutione reali & vera dictorum scutorum 675. Libr. I. dicti residui, ac etiam a solutione dictæ pensionis & interesse ad rationem, ut supra, quod tunc & in eo casu seu casibus posit & valeat dictus Illustrissimus Dominus Venditor sua propria autoritate, & absque licentia alicujus Judicis vel personæ, accipere & retinere omnia & quæcunque bona allodialia, videlicet Viridarium, & domum appellatam la stalla, ut supra vendita, nec non etiam percipere hic, & exigere omnes & quoscunque fructus & reditus bonorum Feudalium, ut supra venditorum, quæ bona allodialia & fructus bonorum Feudorum prædictorum dictus Illustrissimus Dominus Venditor posit ac valeat percipere & retinere donec, & quousque secuta fuerit integralis satisfactio & solutio tam dictorum scutorum 675. Lib. I. dicti residui & sortis, quam etiam cujuscunque pensionis & interesse &c. Et quam autoritatem & licentiam percipiendi & retinendi dicta bona allodialia, & percipiendi & exigendi dictos fructus bonorum feudalium, ex nunc dictus Illustrissimus Dominus Emptor dedit, & dat dicto Illustrissimo Domino Venditori præsenti &c. in casu, & casibus, ut supra, & quæ bona allodialia dictus Illustrissimus Dominus Venditor posit & valeat in subsidium & in defectum aliorum bonorum & Jurium allodialium alibi existentium & præsentium in Civitate Parmæ & ejus Territorio & districtu, & non aliter nec alio modo vendere, & alienare, cui eidem magis videbitur & placuerit, seu ea occasione dicti resfidui posit & valeat constituere Censum, etiam super bonis dicti Illustrissimi Domini Emptoris, constitu-

stituendo ex nunc, prout ex tunc, ipsum Illustrissimum Dominum Venditorem, Procuratorem suum irrevocabilem, ad constituendum censum hujusmodi, super bonis dicti Illustrissimi Domini Emptoris, ad illum vendendum cuicunque emere volenti, cum omnibus suis clausulis solitis & consuetis in similibus Instrumentis & per Instrumentum publicum &c. & prout eidem Illustrissimo Domino Venditori magis videbitur, & placuerit, quia sic &c. aut etiam solutionem accipere, pro dicta summa dictorum scutorum 675. Lib. 1. ut supra, dicti ressidui, & cujuscumque Interesse & pensionis decursus super omnibus & quibuscunque bonis dicti Illustrissimi Domini Emptoris, existentibus in Civitate Parmæ vel ejus Territorio, super quibus bonis dictus Illustrissimus Dominus Venditor se solvere possit ac valeat tam pro sorte principali dicti residui, quam pro quocunque interesse & pensione decursis, nulla servata forma Juris & statutorum Civitatis Parmæ, quibus renuntiavit &c. & dicta bona in totum vel in partem vendere & alienare pro summa & quantitate dictorum scutorum 675. Lib. 1. mediante subhastatione ad publicum incantum in tali casu fienda, & justo pretio, & non aliter nec alio modo dicti ressidui & pensionis decursæ, & quæ bona in tali casu dictus Illustrissimus Dominus Emptor ex nunc prout ex tunc, & e converso, se constituit tenere, nomine dicti Illustrissimi Domini Venditoris donec quam accipiendi. Et talem venditionem valere voluit dictus Illustrissimus Dominus Emptor, ac si facta esset per eundem cum suis clausulis, Juramentis, bonorum obligationibus, & aliis solitis & necessariis &c. Pacto expresso solemni stipulatione vallato inter dictas Illustrissimas partes, quod Joannes Franciscus quondam Saioni de Molesana Villa Panichalis, cum ejus familia, qui de præsenti habitat, & donec ipse, & ejus descendentes habitabunt in Territorio dictarum Villarum Amalæ & Campi Contri, loco dicto al Oppio, omni tempore & in futurum sint & esse intelligantur respectu personarum tantum sub dominio, & obedientia, & gubernio Illustrissimi Domini Marchionis Panichalis, in omnibus, & per omnia eidem Illustrissimo Domino Marchioni Panichalis obedire & parere teneatur. Et contra eandem familiam Marchio Panichalis & ejus Officiales, tam civiliter, quam criminaliter, & alias omni meliori modo procedere valeat, ac si habitaret in jurisdictione & territorio Panichalis, & a dominio & jurisdictione Illustrissimi Domini Marchionis Amalæ & Campi Contri intelligatur & sit semper, & in omni tempore in futurum exempta, prout hactenus fuit, & est &c. Ita tamen, quod Domus prædicta, & bona dicti Joannis Francisci, sita in dicto loco all' Oppio, sint & remaneant semper in jurisdictione dictæ Villæ Amalæ, sicuti hactenus fuerunt, & sunt, non obstante prædicta reservatione.

Pacto etiam addito, quod casu quo in futurum dictus Illustrissimus Dominus Emptor, vel ejus hæredes, dictas Villas Amalæ & Campi Contri, cum dicta parte Castri seu Fortalitii dicti Loci Montis, & bona ut supra vendita, vendere & alienare vellent infra triennium proxime futurum, quod tunc & in eo casu dictus Illustrissimus Emptor, & ejus hæredes, teneantur & obligati sint, talem venditionem & alienationem notificare & notificari facere per prædictum Dominum Episcopum Lunensem Sarzanensem dicto Illustrissimo Domino Venditori, vel ejus hæredibus ante spatium sex mensium.

Et casu, quo dictus Illustrissimus Dominus Venditor vel ejus hæredes, in dicto termino sex mensium deliberaverint, se velle emere dictas Villas Amalæ & Campi Contri cum dicta parte Castri seu Fortalitii, & aliis bonis, ut supra, venditis, tunc eo in casu dictus Illustrissimus Dominus Marchio, Emptor, vel ejus hæredes, teneantur & obligati sint, dictas Villas Amalæ & Campi Contri, cum dicta parte Castri seu Fortalitii, & bonis ut supra, dare & vendere dicto Illustrissimo Domino Venditori vel ejus hæredibus pro eodem pretio Scutorum trium mille, Centum triginta duorum, & quod pretium dictus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus, vel ejus hæredes solvere teneantur in termino annorum trium, incipiendorum in fine dictorum sex mensium, atque tertiam partem in fine cujuslibet anni.

Eo pacto, quod dictus Illustrissimus Dominus Marchio Comparinus, & ejus hæredes stare & perseverare valeant & possint in dictarum Villarum possessione Amalæ & Campi Contri, & partis Castri seu Fortalitii, & bonorum, ut supra, donec & quousque fuerit integre solutus, & satisfactus de dicto pretio scutorum 3132. ut supra, quod sic convenerunt.

Et casu quo ultra dictum terminum vellet Illustrissimus Dominus Emptor seu ejus hæredes vellent dictas Villas, partem Castri & bona, ut supra, vendere, vel alienare, teneatur pariformiter præmonere dictum Illustrissimum Dominum Venditorem vel ejus hæredes, & per sex menses immediate sequentes, expectare eorum resolutionem, an emere velint & acquirere, & casu quo affirmative responderint, teneatur dictus Illustrissimus Dominus Emptor, & ejus hæredes eidem seu eisdem vendere vel alienare pro pretio per duos confidentes partium eligendos, & in casu discordiæ per tertium ab eisdem partibus eligendum, vel ab ipsis duobus confidentibus taxando & declarando, & solvendo in tribus annis, & tribus vicibus, ut supra, & prout supra.

Item convenerunt partes prædictæ, quia alias facta fuerunt per dictummet Illustrissimum Dominum Alphonsum alia venditio dicto Illustrissimo Domino Marchioni Comparino, de eisdemmet Villis, Juribus & bonis Amalæ, & Campi Contri, Arcis & bonorum feudalium, & allodialium, de quibus supra per aliud Instrumentum, rogatum per quondam Dominum Jacobum Antonium Baucium, Notarium Publicum Liccianæ, sub die 13. Octobris Anno 1586. de quo partes ipsæ dixerunt, & protestatæ sunt, habuisse & habere plenam scientiam & notitiam &c. quæ venditio omniaque in Instrumento illius contenta, sint & habeant pro non factis, nullumque effectum sortiri debeant, neutraque ipsarum ad illius observationem teneatur, sed imo partes ipsæ ab omni & quacumque promissione, obligatione & conventione in dicto Instrumento venditionis invicem factis, liberatæ & exemptæ sint, & ita intelligantur, prout ita sese ipsæ partes, præsentes & acceptantes, invicem liberaverunt, & liberant omni meliori modo, ac finem fecerunt & faciunt sibi ipsis invi-

invicem præsentibus & acceptantibus, non solum de & pro contentis & in dicto Venditionis Instrumento, verum etiam de omnibus & quibuscunque aliis prætensionibus, quæ una pars contra aliam habuit, & habere ex quacunque causa & occasione, quæ dici vel quibus excogitari possit, &c. quam hic pro expressa habere voluerunt, & volunt, omni meliori modo, ut supra.

Item quatenus opus sit &c. pro validitate præsentis Instrumenti Venditionis & contentorum in eo obtinere confirmationem & approbationem a Sacra Cæs. Majestate, quod approbatio & confirmatio hujusmodi obtineri debeat expensis & opera prædicti Illustrissimi Domini Marchionis Comparini, quam quidem approbationem & confirmationem, quatenus opus sit, & non aliter &c.

Item Illustrissimus Dominus Marchio Comparinus prædicto Illustrissimo Domino Marchioni Alphonso præsenti & acceptanti, suis expensis & opera obtinere promisit, omni meliori modo &c.

Item quod præfatus Illustrissimus Dominus Marchio Alphonsus teneatur, & obligatus sit, & ita promisit præfato Illustrissimo Marchioni Comparino, præsenti & acceptanti ratificari facere præsens Instrumentum per dictos Illustrissimos D. ejus Filios, ac omnia in eo contenta infra terminum mensium trium proxime futurorum per publicum Instrumentum in valida & solemni forma, & cum clausulis & renuntiis debitis, judicis decreto, obligatione bonorum, & aliis requisitis in similibus ratificati &c. etiam absque aliqua interpellatione, &c.

Item cum pacto de suscipienda lite infra tertium diem in forma respectu dimidia ejus propriæ, ut supra, & prædicta extendantur in forma cum juramento partium, bonorum obligatione, & aliis clausulis consvetis; Actum Parmæ in Domo habitationis perillustris Domini Ludovici de Saccis Vicarii Sancti Marci, præsentibus ibidem Magnifico Domino Equite, Junio Camillo de Coramzano, filio quondam Magnifici Domini Thomæ, Vicario Sancti Joannis Evangelistæ, Domino de Bauciis, filio quondam Domini Thomæ, Vic. Sancti Joannis Evangelistæ, & Angelo de Borcinis, filio quondam Joannis de Licciana, Vic. Sancti Joannis Evangelistæ omnibus Testibus &c. ac asserentibus. Et præsente etiam Domino Simone Shirarducio pro supraser. Notario, subscriptum in originalibus &c. Rogatum per me Jacobum Rambolinum &c.

Ego Joannes Cacciamanus filius Domini Bernardini, Vic. Sanctæ Mariæ Magdal. Notarius Publicus Parmensis, & in hac parte Concessionarius specialis deputatus a Magnifico & spectabili Domino Alexandro Manlio, altero ex Proconsulibus almi Collegii Dominorum Notariorum Parmæ, ut ex rogitu Magnifici Domini Jacobi Sherardutii, etiam Notario Parmensi, ad quem &c. supradictum Instrumentum rogatum per nunc quondam Magnificum Dominum Jacobum Rambelinum, olim Notarium Parmensem, fideliter ab ejus Originali Protocollo extractum, in hanc publicam formam edidi, subscripsi, atque signavi, sic requisitus, hac habenti die decima tertia mensis Septembris Anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi.

(Locus Signi.)

Antiani Regiminis Illustrissimæ Communitatis Civitatis Parmæ fidem facimus & attestamur, supradictum Magnificum Dominum Joannem Cacciamanum, Concessionarium dicti quondam Magnifici Domini Jacobi Rambelini fuisse & esse talem, qualem supra se fecit, ut quidem dictus quondam Magnificus Dominus Jacobus Rambelinus fuit Notarius publicus & legalis Parmæ, rogitibusque & subscriptionibus tam dicti quondam Magnifici Domini Jacobi Rambelini, quam dicti Domini Jacobi Cocciamani, tam in Judicio, quam extra, semper hic & ubique adhibitam fuisse, & indies adhiberi fidem. In quorum fidem datum Parmæ ex Palatio nostræ solitæ audientiæ &c. die decima septima mensis Septembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi.

Locus Sigill.

subscriptum Julius Lunatus, Canc.

Ego Cæsar Crescinus, quondam Domini Signorini filius de Mulatio, sacris Apostolicæ ac Imperiali autoritatibus Notarius attestor, hasce præsentes me in manibus meis habuisse, cum Originalibus contulisse, sigillo & subscriptione munitas, illasque nec abrasas, sed tam in carta, quam scriptura salvas & illæsas, & omni prorsus macula & suspicione carentes reperisse. In quorum fidem & evidentius testimonium transumptum hoc, quod cum dictis Originalibus de verbo ad verbum concordat, propria manu mea scripsi, & subscripsi, Notariatusque meo signo requisitus apposui. Acta fuerunt hæc Mullatii in habitatione mea consueta die tertio Septembr. Anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti, idem qui supra in fidem.

Joannes Dominicus Spinula, miseratione divina Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis &c. Sanctæ Ceciliæ Episcopus Lunens. Sarzanensis.

Universis & singulis fidem facimus & attestamur, retroscriptum Dominum Cæsarem Cressinum, qui prædicta manu subscripsit propria, ac sui tabellionatus signo communivit, fuisse & esse Notarium publicum legalem & fide dignum in prædicto loco Mullatii nostræ Diœcesis, & sic talem, qualem se fecit. In quorum fidem &c. Datum Sarzinæ in Episcopali Pallatio die 6ta mensis Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo sexto.

XIX.

Instrumentum Venditionis de locis Montium, a Ludovico, Marchione de Malaspina Constantiæ, Sanctinæ & Martino de Genesiis facta, d. d. 1. Mart. An. 1610.

IN Christi nomine Amen. Anno ab ejus nativitate millesimo sexcentesimo decimo, indictione octava, die vero prima mensis Martii, juxta stylum Notariorum Terræ Verguletæ, Lunensis Sarzanensis Diœcesis.

Ad infrascriptam conventionem, transactiones & accordium devenerunt, & devenisse confessæ fuerunt partes infrascriptæ, mediantibus Illustrissimis D. D. Marchione Hectore, quondam Illustrissimi Domini Marchionis Floramontis de Malaspinis de

de Bastia, & Marchione Federico, quondam Illustrissimi Domini Marchionis Comparini, pariter de Malaspinis, videlicet multum Illustris Dominus Ludovicus, quondam Illustris Domini Julii de Malaspinis de Cararia, minor annorum viginti quinque, major tamen viginti unius, ut ipse asseruit & ejus indicat aspectus; Ideo beneficio minoritatis, cum juramento renunciavit in forma &c. ex una, & Dominæ Constantiæ &c. Martini de Genesiis, Sanctina &c. Dominici, & relicta &c. Joannis pariter de Genesiis de dicto loco Montium, & Martinus earum Filius, & Nepos respective minor annorum viginti quinque, major tamen viginti unius, ut ipse asserit, & ejus indicat aspectus. Ideo beneficio minoritatis cum juramento renunciavit in forma &c. partibus ex altera, quæ quidem Dominæ Costantia & Sanctina certioratæ, inprimisque me Notarium infrascriptum vulgari sermone de importantia præsentis instrumenti, de beneficio Senatus Consulti Valeriani legis Juliæ de feudo dotali, & de omnibus quibuscunque aliis beneficiis ac favoribus, in favorem mulierum introductis, ad earum claram intelligentiam, cui, & quibus cum juramento, & cum consensu supradicti Martini Fratris, quatenus opus sit, suum consensum præstantis &c. renunciaverunt &c. Quia dictæ Dominæ Costantia, Sanctina, & Martinus simul, & in solidum conjunctim & divisim &c. per sese &c. atque omni meliori modo &c. promiserunt & convenerunt, dicto multum Illustri Domino Ludovico præsenti, & pro se &c. recipienti & stipulanti solvere, & effectualiter exbursare eidem multum Illustri Domino Ludovico, vel ejus legitimo Procuratori in loco prædicto Carrariæ scutos quinquaginta ad rationem Bologninorum septuaginta sex monetæ currentis, dicto loco Carrariæ, hinc ad annum proxime futurum, ab hodie incipiendum, & ut sequetur, faciendum, in pecunia numerata tantum, & non in alia re contra &c. in duabus solutionibus, scilicet viginti quinque pro qualibet vice, omni exceptione Juris & facti penitus remota; Et e contra dictus multum Illustris Dominus Ludovicus pro se &c. atque meliori modo &c. facit dictis Dominabus Costantiæ Sanctinæ, & Martino præsentibus pro sese &c. recipientibus, stipulantibus &c. finem generalem & generalissimum, pactumque perpetuum de ulterius quidquam non petendo, nec peti posse, promittens dictis Dominabus Costantiæ, Sanctinæ, & Martino, ac eorum hæredibus occasione instrumenti cessionum traditi & rogati manu D. Federici Bancii, Notarii publici de Licciana, sub die vigesima quinta mensis Martii, anni 1588. elapsi, & etiam occasione sortis principalis scutorum quadraginta quinque, in dicto instrumento contentorum, quam quorumcunque fructuum, ac censuum hucusque decursorum & retentorum, ac etiam decurrendorum, per dictum annum proxime venturum, & quod instrumentum, salvis etiam infrascriptis communi concordia annullaverunt & cassaverunt &c. hoc tamen intellecto, & solemni stipulatione vallato inter dictas partes, quod deficientibus Costantia, Sanctina, Dominabus dictis, & Martino, & quolibet eorum, unica tamen solutione sufficiente, in solvendis dictis scutis quinquaginta modis, & formis prædictis possit, & liceat dicto multum Illustri Domino Ludovico, vel &c. sua autoritate, & absque judicis licentia se satisfacere pro summa prædicta scutorum quinquaginta, & pro omnibus expensis, damnis, & interesse passis & patiendis in itineribus, & aliis necessariis pro exactione dictorum scutorum, in & super bonis contentis in dicta cessionum instrumento, ac etiam in aliis bonis ipsarum Dominarum Costantiæ, Sanctinæ, & Martini ad ejus libitum, & electionem, quia sic &c. quæ bona eo in casu constituerunt &c. donec &c. Insuper convenerunt partes ipsæ, quod in finali solutione scutorum, ut supra facienda, teneatur, ac debeat dictus multum Illustris Dominus Ludovicus, dictis Dominabus Costantiæ, Sanctinæ & Martino, seu alteri eorum facere quietantiam manu propria, vel demandare in hunc locum Pontis mandatum in personam prædicti Illustrissimi Domini Marchionis Venditoris, seu in alium cum facultate faciendi, & quietandi in forma dictis Dominabus Costantiæ, Sanctinæ, & Martino de dictis scutis, quia sic &c. quæ omnia & singula &c. promiserunt mutuo, & vicissim &c. rata & grata &c. habere &c. & non contrafacere &c. sub pœna dupli &c. quæ &c. qua &c. item reficere &c. pro quibus omnibus &c. obligaverunt &c. renunciaverunt &c. juraverunt &c. rogantes &c. extendentes &c. Actum Ponte Montium in Castro dicti loci, & in sala ipsius Castri coram, & præsentibus ibidem Domino Francisco, quondam Domini Martini de Montorsis, de Montorso Dominii Mutinæ, & Andrea quondam Janoni de Capriglióla Dominii Florentini, ambobus habitatoribus dicti loci Montium, testibus asserentibus, & ad hoc vocatis.

Ego Joannes Dominicus Franchius, & quondam Domini Masini de Virguletta, publicus apostolica autoritate Notarius, & ad præsens Prætor Montium prædictorum, de prædictis rogatus publicavi & subscripsi, requisitus in fidem &c. salvis &c. universis & singulis, ad quos præsentes advenerint fidem facimus, & publice attestamur, nos Joannes Maria de Prinellis, & Sanctus de Sanctinellis, ambo Consules præsentis Anni Terræ Virguletæ Lunensis Sarzanensis Diœcesis, supra dictum Joannem Dominicum Franchium, qui de supradicto mandati instrumento rogatus est, fuisse talem, qualem se fecit, & facit, ejusque scripturis tam publicis, quam privatis, semper plenam fidem adhibitam fuisse, & indies adhiberi ab omnibus indifferenter in judicio, & extra. In quorum fidem &c. Datum Virguletæ ex ædibus nostris, hac die sexta mensis Maji anni 1610.

Giorgius Formentinus, *Cancellarius* de Mandato.

Ego Alexander Bragoni de Villa Franca fidem facio & publice attestor, supradictum Giorgium Formentinum esse talem, qualem se fecit & facit, in quorum robur hic me subscripsi, & apposito meo Tabellionatus signo munivi, ideo me ad laudem Dei &c. & non solum Apostolica, sed etiam Imperiali autoritate Notarius fidem facio, ut supra &c.

(L.S.)

XX.

Matthiæ Romanorum Imperatoris literæ, in quibus Cornelium & Opitium, Marchiones de Malaspina, non solum de Panichalis, atque Licciana feudis, eorumque Juribus atque annexis investivit, verum etiam illorum Privilegia confirmavit, d. d. 22. Octobris, Anno 1613.

MAtthias, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretti, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus universis, quod cum Magnifici Nostri & Sacri Imperii fideles dilecti Cornelius, quondam Jacobi, & Opitius, dicti Cornelii, ex Fratre quondam Alphonso Nepos, ex Marchionibus Malaspina de Lunesano, humillime Nobis supplicaverint, ut eisdem, ac eorum legitimis hæredibus omnia & singula privilegia, progenitoribus suis a divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris concessa super castris, castellis, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, & aliis, in quibus jus obtinent, cum suis jurisdictionibus, juribus, proventibus & attinentiis, a Nobis & a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & quæ ad ipsos ab eorundem prædecessoribus hæreditario jure venerunt, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsis, vel eorum hæredibus, in aliquo legitimo titulo evenire contigerit, confirmare & ratificare, ipsosque de eisdem & aliis, in quibus jus obtinent, investire, ac eadem de novo illis gratiosius concedere dignaremur; & inprimis privilegia divæ memoriæ Prædecessorum Nostrorum *Caroli IV. & Caroli V.* Imperatorum, novissime quoque a Divo Rudolpho Secundo Imperatore, Domino Fratre & Prædecessore Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ, confirmata, quarum tenor sequitur & est talis:

Inserantur Rudolphi II. Imperatoris literæ investituræ d. d. 17. Octobr. A. 1577.

Nos sane clementer attentis humillimis eorum precibus, ac singularibus & gratis obsequiis, quibus tam ipsi, quam majores eorum Nos Sacrumque Romanum Imperium prosecuti sunt, eadem privilegia omnia & singula, & præsertim supra descripta duo privilegia divi quondam Caroli IV. & Caroli V. quatenus ipsos concernunt, aut concernere possunt, in omnibus suis punctis & clausulis confirmamus & ratificamus, ac præfatos Cornelium & Opizonem, Marchiones de Malaspina, de prædictis feudis, terris, castris, Arcibus & Villis de Panichalis & Liccianæ, ac aliis, in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, ac auctoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, & omni publica functione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenent & possident, juxta privilegiorum prædictorum seriem, & servato semper ordine primogenituræ inter supradictos quondam Alphonsum & Fratrem ejus superstitem Cornelium, die quinta Decembris anni millesimi quingentesimi septimi erectæ, & per, augustæ memoriæ, Imperatorem Rudolphum Secundum, Dominum Fratrem & Prædecessorem Nostrum colendissimum, die vigesima quarta Maji anni proxime subsecuti septuagesimi octavi confirmatæ, quam & Nos Diplomate hoc Nostro benigne ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsis, vel eorum hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investivimus, eaque omnia eisdem in feudum de novo concessimus, sicuti auctoritate Nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, investimus ac in feudum de novo concedimus, ac insuper eosdem cum suprascriptis eorum terris, castris & bonis, in Nostram & Sacri Romani Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus, recepto tamen prius a supradicto Opizio, Marchione Malaspina, pro se ipso & in animam prædicti Marchionis Cornelii, Patrui sui, vigore mandati procuratorii Nobis exhibiti, debito & consueto obedientiæ & fidelitatis juramento; Ita ut hujusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio tanquam feuda habeant, teneant & possideant, illisque utantur & fruantur sine alicujus impedimento & contradictione, nostris tamen & Sacri Imperii, & cujuscunque alterius juribus semper salvis; Non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis, oblivione, ignorantia vel importunitate petentium datis, seu dandis in contrarium, quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare aut contraire censerentur, autoritate nostra Cæsarea & de nostra certa scientia derogamus, ita quod per eam, vel eas, nullum prædictis Cornelio & Opizio Marchionibus, eorumque hæredibus & successoribus præjudicium generetur. Harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Imperiali Ratisbonæ, die vigesima secunda mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo tertio, Nostrorum Regnorum Romani secundo, Hungarici sexto, & Bohemici tertio.

XXI. *Fer-*

XXI.

Ferdinandi II. Roman. Imperatoris, Literæ, in quibus Opizio, Marchioni de Malaspina, non solum Panichalis atque Licciana Castra, Castella, arces atque villas, eorumque jura & annexa in feudum contulit, verum etiam ejusdem Privilegia approbavit, d. d. 21. Februar. An. 1623.

FErdinandus Secundus, Divina favente clementia electus Roman. Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex &c. Tot. Tit. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: Quod cum Magnificus noster & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Opizius, quondam Alphonsi, Marchio Malaspina, Nobis, ut eidem ac legitimis ejus hæredibus omnia & singula privilegia, progenitoribus suis a divis quondam Roman. Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, concessa, super castris, castellis, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ & aliis, in quibus jus obtinet, cum suis jurisdictionibus, juribus, proventibus & attinentiis a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & quæ ad ipsum ab ejus prædecessoribus hæreditario jure venerunt, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscumque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi, vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, confirmare & ratificare, ipsumque de iisdem & aliis, in quibus jus obtinet, investire, ac eadem de novo illi gratiosius concedere dignaremur, & imprimis privilegia divæ memoriæ Prædecessorum nostrorum, Caroli IV. & Caroli V. Imperatorum, novissime quoque a Divo Rudolpho Secundo & Matthia Imperatoribus, Dominis Patruelibus & Prædecessoribus nostris colendissimis, augustæ memoriæ, confirmata, quorum tenor sequitur, & est talis:

Inserantur hic literæ investituræ Matthiæ Roman. Imperat. d. d. 22. Octobr. An. 1613.

Nos sane, clementer attentis humillimis ejusdem precibus ac singularibus & gratis obsequiis, quibus tam ipse, quam majores ejus Nos ac Sacrum Imperium prosecuti sunt, eadem privilegia omnia & singula, & præsertim supradicta duo privilegia divi quondam Caroli Quarti & Caroli Quinti, quatenus eum concernunt, seu concernere possunt, in omnibus suis punctis & clausulis confirmamus & ratificamus, & præfatum Opizium, Marchionem de Malaspina, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus & villis de Panichale & Licciana ac aliis in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio & gladii potestate, & autoritate imponendi & exigendi vectigalia, telonea, & omni publica functione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenet & possidet, juxta prædictorum privilegiorum seriem, & servato semper ordine Juris Primogenituræ inter quondam Alphonsum & fratrem ejus Cornelium, Marchiones de Malaspina, die 5ta Decembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi septimi erectam, & per augustæ memoriæ Imperatorem Rudolphum secundum, Dominum patruelem & prædecessorem nostrum colendissimum die vigesima quarta Maji anni proxime subsecuti septuagesimi octavi confirmatam, quam & Nos diplomate hoc nostro Imperiali benigne ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi, vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investivimus, eaque omnia in feudum de novo concessimus, sicuti autoritate nostra Romano-Cæsarea, in quantum Nobis competit, investimus, ac in feudum de novo concedimus; ac insuper eundem cum suprascriptis ejus terris, castris & bonis in nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus; recepto tam prius ab honorabili nostro & Sacri Imperii fidele dilecto, Francisco Coluio, Illustrissimi Ducis Mutinæ & Rhegii in aula nostra Cæsarea Residente, & ad hunc actum specialiter constituto Procuratore, in animam ejusdem Opitii debito & consueto obedientiæ & fidelitatis juramento; ita, ut ejusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio, tanquam feuda habeat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione; nostris tamen & Sacri Imperii & cujuscunque alterius juribus semper salvis. Non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis oblivione, ignorantia, vel importunitate petentium datis, seu dandis in contrarium; Quibus omnibus semper, in quantum præsentibus derogare aut contraire censerentur, autoritate nostra Cæsarea & de nostra certa scientia derogamus, ita quod per ea vel eos, nullum prædicto Opizio Marchioni, ejusque hæredibus & successoribus præjudicium generetur. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate nostra Imperiali Ratisbonæ, die vigesima prima mensis Februarii, Anno Domini millesimo, sexcentesimo vigesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici quinto, Bohemici vero sexto.

XXII.

Breve Urbani IIX. Pontif. Max. in quo Episcopus Lunensis & Sarzanensis requirebatur, ut in matrimonio, inter Hyppolitum & Thadeam, Marchiones de Malaspina, contrahendo dispenset, id quod, ad Ludovici Marchionis de Malaspina instantiam, hactenus recusavit, de Anno 1627.

URbanus Episcopus, Servus Servorum Dei &c. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Lucens. Sarzanens. in spiritualibus generali salutem & Apostolicam benedictionem. Oblatæ nuper

nuperNobis pro parte dilecti filii Hippolyti Malaſpinæ laici, & dilectæ in Chriſto filiæ Thadeæ Malaſpinæ, mulieris Lucienſ. Sarzanenſ. Diœceſis, petitionis ſeries continebat, quod cum dicta Thadea infraſcriptis locis, etiam de uno ad alium ſe transferendo, propter illorum anguſtiam, virum paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat; cupiunt propterea Hippolytus & Thadea prædicti invicem matrimonialiter copulari, ſed quia tertio ex uno, & tertio & quarto ex altero communi ſtipitibus provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem ſunt conjuncti, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; quare iidem Hippolytus & Thadea aſſerentes, ſe ex locis della Baſtia & Tregiana ortos exiſtere, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eosdem Hippolytum & Thadeam, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, & certam de præmiſſis ſcientiam non habentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ, de qua in his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, depoſita per te omni ſpe cujuscumque muneris, aut præmii etiam ſponte oblati, a quo te omnino abſtinere debere monemus, de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per informationem eandem preces veritate niti repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, cum eisdem Hippolyto & Thadea, dummodo ipſa propter hoc rapta non fuerit, quoad impedimentis tertii ex uno, & quarti ex altero ſtipitibus provenientibus conſanguinitatis graduum hujusmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis nequaquam obſtantibus, matrimonium inter ſe publice, ſervata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in faciem Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere, libere & licite valeant, autoritate noſtra diſpenſes, diſtantiam vero alterius tertii reſpectu quarti graduum hujusmodi ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis nequaquam obſtantibus matrimonium inter ſe publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in faciem Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere libere & licite valeant, autoritate noſtra prædicta diſpenſes, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando; volumus autem, quod, ſi ſpreta monitione noſtra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii, occaſione prædictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere temere præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Id. Septembris, Pontificatus noſtri anno quinto a R. Carlier pro Magrid. - - -

Sept. S. Saverius - - -

L. Aubere - - J. Tittus - -

J. Piccha - - C. Paulus - -

C. Martta - - C. P. Bolognettus - - Fabritius

Capl. - - expt. d. 17. C. Paulus F. Reutius

C. Mannius - - Servadon P. Magrid.

J. Gavetus M. de Roſis. - -

Locus Sigil plumbei.

Et quia Ego Joannes Maria Mercantius F. D. Hieronymi de Aulla publicus Apoſtolica autoritate Notarius ſupraſcriptam diſpenſam Matrimonialem ex ſuo proprio originali penes Ill Rum. D. Marchionem Hippolytum Malaſpinam de Baſtia exiſtente, ab ipſo Illuſtriſſimo D. requiſitus, & rogatus fideliter, ut ſupra, de verbo ad verbum extraxi, & tranſumptavi, & cum dicto originali facta collatione concordare inveni; Ideo me hic ſubſcripſi rogatus &c. in fidem &c. ſalus &c,

Loc. Sig. Tabellionatus.

In Nomine Domini Amen.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Brugnatenſ. in Spiritualibus generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem; alias pro parte dilecti filii Hippolyti Malaſpinæ laici, & dilectæ in Chriſto filiæ Thadeæ, etiam Malaſpinæ, mulieris Lucienſ. Sarzanenſ. Diœceſis, de locis della Baſtia, & Tregiana ortorum Nobis, expoſitam dictam Thadeam in dictis locis etiam de uno ad alium ſe transferendo, propter illorum anguſtiam, virum paris conditionis, cui nubere poſſet, invenire nequire, cupereque, Hippolytum & Thadeam prædictos invicem matrimonialiter copulari, ſed quia tertio ex uno, & tertio & quarto ex altero communi ſtipitibus provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem erant, prout ſunt conjuncti, deſiderium eorum ea in parte adimplere non poſſe absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; quare pro parte Hippolyti, & Thadeæ prædictorum Nobis humiliter ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos hujusmodi ſupplicationibus tunc inclinati, dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Lucienſ. Sarzanenſ. in ſpiritualibus generali per alias noſtras litteras dedimus in mandatis, quatenus ſi pura veritate niti reperiret cum eisdem Hippolyto & Thadea quoad impedimentis Tertii ex uno, & quarti ex altero ſtipitibus provenientium conſanguinitatis graduum hujusmodi non obſtantibus, matrimonium inter ſe publice ſervata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in faciem Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere libere & licite valeant, autoritate noſtra diſpenſaret, diſtantiam vero unius tertii reſpectu quarti gradus prædicti eis non obſtare declararet, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando, prout in dictis litteris continetur; cum autem fuerit exhibita Nobis ſuper pro parte Hippolyti, & Thadeæ prædictorum petitio continebat, quod Vicarius præfatus, litteris prædictis ſibi præſentatis, & pro illarum executione ter debite requiſitus ad illarum executionem per menſem, & ultra devenire recuſaverit, pro parte dictorum Hippolyti & Thadeæ Nobis fuit denuo humiliter ſupplicatum, quatenus eis, ne propterea dictarum litterarum diutius retardetur executio, in præmiſſis opportune providere de ſimili benigni-

nignitate dignaremur. Nos igitur eosdem Hippolytum & Thadeam, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, cum, ut ipsi Hippolytus & Thadea asserunt, Venerabilis frater noster Episcopus Brugnatens. ordinarius dictus locis vicinior existat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus denuo prædicto Vicario debite requisito, si ipse ad dictarum litterarum executionem devenire recusaverit, aut causam rationabilem suæ recusationis non allegaverit, ad dictarum litterarum executionem, servata alias earum forma, autoritate nostra procedas in omnibus & per omnia provido, ac si illæ tibi, & non prædicto Vicario Luciens. Sarzanens. a principio directæ fuissent, non obstantibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Non. Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Ca. Ho. Corretus. D. del Rosso. Hugo Chausseus.
Annellus D. Almanus Deamatus

Locus Sigill. Tabellionatus.

Et quia ego Joannes Maria Mercantius qv. Domini Hieronymi de Aulla, publicus Apostolica autoritate Notarius supradictam commissionem, seu breve Apostolicum ex suo proprio originali, existentem penes Illustrissimum D. Marchionem Hippolytum Malaspinam de Bastia ab ipso Illustrissimo D. rogatus fideliter ut supra de verbo ad verbum extraxi, & transumptavi, & cum dicto originali facta collatione concordare inveni; Ideo hic me subscripsi, requisitus in fidem, salvo &c.

In Christi Nomine Amen Anno &c. Præsenti publico attestationis, & fidei instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate ejusdem currente millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero decima nona mensis Octobris coram me Thoma Bancio, Notario & Potestate Bastiæ, ac judice ordinario, nec non testibus infrascriptis personaliter ad Bancum juris constitutus Perillustris & Excellen. J. V. D. Dominus Alexander, J.D. Joannis Francisci de Trombettis de Aulla prædictæ Diœcesis &c. requisitus ab Illustrissimo Domino Hippolyto Malaspina, Marchione, Bastiæ pro veritate, medio juramenti, quod tactis præstitit attestantur, & deponunt ut infra:

Esser la verita, che esso testimonio a nome dell Illustrissimo Signore Marchese sudetto e andato ad accola trè volte in differenti giorni, a far instanza a Monsigre Vescovo di Sarzana, che rivocasse un certo ordine dato da S.Stà alli Rettori di Treggiana, ò della Bastia, che ne l'uno, ne l'altro si potesse intromettere nel matrimonio dà contraherse trà detto Illmo Sigre Marchese Hippolyto e Sra Thadea di Treggiana, & questo affinche si essequisse il breve di S.Stà & che hieri apunto sotto il dì 19. del corrente ritorno esso Testimonio la quarta volta à Sarzana doue era il sudo Monsigr Vescovo, & appresso quello fece noua instanza non tanto per la revocatione il. sudo ordine, quanto ancora per l'essecuttione del breve attenuto dalla santa sede sopra la dispensa delli gradi della parentella, che è trà detti contrahenti, mà esso Monsigre non lo valse fare, mosso solo da una semplice instanza fattali in nome d'un certo Sigre Ludovico Malaspina di Carrera &c. & prædicta omnia vera esse, & pro veritate deposuisse ut supra rogatus.

Interrogatus de causa scientiæ &c. respondit pro ea quæsitus autem dixit &c. est ætatis annorum 26. circa, & habere in bonis scuta mille confessus, & communicatus &c.

Super quibus rogavit me Notarium &c. Actum ad bancum Juris Terræ Bastiæ præsentibus ad prædicta Antonio J. Joannis Lazzari del sarto, & Dominico qv. Matthæi de Riciis de Bastia Testibus vocatis specialiter, & rogatis, & quia ego Thomas Bancius de supra scripta attestatione, coram ut supra solemniter facta, rogatus fui, ideò hic me subscripsi requisitus in fidem, salvo &c.

Ego Thomas Bancius, qv. Domini Federici, Imperiali autoritate Notarius publicus, ac judex ordinarius prædictæ Terræ Bastiæ, prædictis omnibus & singulis dum sic fierent, præsens fui, & rogatus scribere scripsi, & publicavi. In quorum fidem me subscripsi cum signo mei Tabellionatus consueto.

Locus Tabellionatus.

Universis & singulis fidem facimus, & attestamur nos consul, & consiliarii Terræ Bastiæ, D. Thomam Bancium, qui de suprascripta fide rogatus fuit, esse publicum, legalem, authenticum, & fide dignum Notarium, & ad præsens Terræ Prætorem, ejusque scripturis tam publicis, quam privatis in judicio & extra semper adhibitam fuisse, & indies adhiberi plenam & indubiam fidem. In quorum fidem. Datum Bastiæ in domo solitæ nostræ Residentiæ sub die 19. mensis Novembris 1627.

Locus Sigilli.

Va. Christophorus Bernardius
Cancell. de Mandato.

In Christi Nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero decima octava mensis Novembris præsenti publico attestationis, & fidei instrumento cunctis ubique pateat, & sit notum, quod Ill. & admodum Excell. Dominus Alexander de Trombettis de Aulla J. V. D. constitutus coram me Notario, & Testibus infrascriptis, & requisitus ab Illustrissimo D. Hippolyto Malaspina, Marchione Bastiæ, pro veritate, & medio Juramento, quod tactis deposuit, ut infra videlicet:

Esser la verità, che marte di prossimo passato giorno decimo sesto del corrente mese andò à Sarzana mandato à posta dal detto Signore Marchese Hippolyto, & comparere a nome die quello auanti il Signore Vicario di Monsigre Vescovo di Sarzana, & li fece instanza, che essequisse il Breve Apostolico

lico sopra la dispensa delli gradi della parentella, che sono frà il sudo Signore Marchese Hippolyto & Sa Mara Thadea Malaspina di Trescaña, & vole presentarli, & li mostre, & esso Signor Vicario udita la suda Instantia, & visto il sudo Breve, ricusò d'essequirlo, & così detto Sigre Dottore Alessandro si parti con animo di far ricorso à Monsigre Vescovo &c. & prædicta omnia pro veritate & requisitus, ut supra, dixit, & attestatus est &c. Interrogatus de causa scientiæ &c. respondit per ea, quæ supra dixit &c. est ætatis annorum 26. super quibus rogatus me Notarium &c. Actum Bastiæ ad Bancum Juris, præsentibus ibidem Floramonte J. Antonii de Olivetis de Bastia, & Dominico qv. Philippi de Buzziis, de prædicto loco Testibus ad prædicta habitis, notis, & rogatis. Ca ego Thomas Bancius, filius D. Federici, Imperiali autoritate Notarius publicus Terræ Bastiæ, ejusque Judex Ordinarius, suprascriptis omnibus & singulis, dum sic fierent, præsens fui, & rogatus scribere scripsi, in quorum fidem me subscripsi cum signo mei Tabellionatus consueto.

Locus Tabellionatus.

Quoniam ob locorum distantiam de fide & Notariorum legalitate dubitari sæpenumero solet; Idcirco nos Consul, & Consiliarii Terræ Bastiæ fidem facimus, & publice attestamur, D. Thomam Bancium, qui de supra scripta scriptura & instrumento rogatus fuit, esse publicum, legalem, authenticum & fide dignum Notarium, & ad præsens Terræ prædictæ Prætorem, ejusque scripturis, tam publicis, quam privatis, tam in judicio, quam extra, semper adhibitam fuisse, & indies adhiberi plenam indubiamque fidem, in quorum fidem &c. Datum Bastiæ in domo nostræ solitæ Residentiæ die 19. mensis Novembris 1627.

Locus Sigilli.

Ca. Christophorus Bernardius,
Cancell. de Mandato.

In Christi Nomine Amen. Anno &c. præsenti publico attestationis & fidei Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero decima octava mensis Nov. coram me Thoma Bancio, Notario & potestate Terræ Bastiæ, ac Judice ordinario, nec non & testibus infrascriptis personaliter ad Bancum Juris constitutis, Antonius qv. Joannis Lazzari del sarto de Bastia, nec non Dominicus J. Matthei de Riciis de dicto loco &c. requisiti ab Illustrissimo Domino Marchione Hippolyto Malaspina de Bastia pro veritate &c. medio eorum juramento, quod tactis &c. attestantur, & deponuntur: Esser la verità, che marte di prossimo passato alli 16. del corrente mese essi Testimonii furno mandati dall Illmo Signore, Marchese Hippolyto Malaspina sudo con il Sigr. Dottor Alessandro Trombetta dell' Aulla à Sarzana, dal Sigr Vicario di Monsigre Vescovo di quella Cità à comparere à nome di quello auanti detto Signor Vicario, & esso Signore Dottore Alessandro li fece instanza, che essequisse un Breve Apostolico sopra la dispensa delle gradi della parentella frà il sudo Signor Marchese Hippolyto, & Signora Marchesa Thadea Malaspina di Treggiana, e volse presentarli, e li mostrò detto Breve, & esso Signore Vicario udita la detta instanza come sopra fatta recusò di essequire detto Breve, e così detto Signore Dottore Alessandro si parti, e li disse, che voleua fare ricorso à Monsigre Vescovo &c. & prædicta omnia pro veritate &c. & requisiti, ut supra, dixerunt, & attestati sunt interrogati de causa scientiæ &c. Responderunt pro ea, quæ supra dixerunt &c. est ætatis annorum dictus Antonius qv. Jo Razzaci 38. habere in bonis scuta quingenta, & dictus Dominus annorum 30. & possidet in bonis scuta 300. &c. super quibus rogaverunt me Notarium. Actum ad Bancum Juris Terræ Bastiæ, ibidem præsentibus Dominico J. Philippi de Baciis de Bastia, & Christino J. Mariani de dicto loco Testibus habitis, notis & rogatis &c.

Ca Ego Thomas Bancius, fil. Domini Federici, Imperiali autoritate Notarius publicus Terræ Bastiæ, suprascriptis omnibus & singulis, dum sic fierent, præsens fui, & rogatus scribere, scripsi & publicavi. In quorum fidem me subscripsi cum Sigillo mei Tabellionatus.

Locus Tabellionatus.

Quoniam vero de fide & notariorum legalitate, ob locorum distantiam, dubitari sæpenumero solet, idcirco Nos Consul, & Consiliarii Terræ Bastiæ fidem facimus, & attestamur, D. Thomam Bantium, qui de supra scripta scriptura, & Instrumento rogatus fuit, esse publicum, authenticum, legalem, & fide dignum Notarium, & ad præsens Terræ prædictæ Prætorem, ejusque scripturis tam publicis, quam privatis, tam in judicio, quam extra, semper adhibitam fuisse, indiesque adhiberi plenam indubiamque fidem; In quorum &c. datum Bastiæ, in domo solitæ nostræ Residentiæ die 19. mensis Novembris 1627.

Locus Sigilli.

Christophorus Bernardius,
Cancellarius de Mandato.

In Nomine Domini Amen. Præsenti publico attestationis & fidei instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decima, die vero decima nona mensis Novembris, Illustrissimus & admodum Excellens D. Alexander de Trombettis de Aulla J. V. D. constitutus coram me Notario, & Testibus infrascriptis, ad requisitionem & instantiam Illustrissimi D. Marchionis Hippolyti Malaspinæ de Bastia, pro veritate fidem facit, attestatur, & cum suo juramento, quod tactis scripturis in manibus mei Notarii præstitit, deponit ut infra. Che Mercordi prossimo passato giorno decimo settimo del corrente mese andò à Sarzana mandato à posta dal sudetto Signore Marchese Hippolyto di commissione del quale comparere avanti Monsigre Illustrissimo Vescouo di quella Cità, & in detto nome li fece instanza, che revocasse l'ordine, ò sia inhibitione fatta alle Rettori di Tresiana e Bastia, di non intromettersi, ne conjungere in matrimonio il medemo Signor Marchese con la Signora Thadea Malaspina di Tresiana, e successivamente essequisse il Breve Apostolico sopra la dispensa delli gradi della parentella, che sono frà il sudetti SSri futuri Jugali, che volse presentarli, e li mostrò

mostro & esso Monsig^re Vescovo vdita la sudetta instanza recusò di fare & essequire quanto sopra li chiese in nome come sopra sotto pretesto d' haver fatto una proroga al Sig^re Lodovico dà Carrara. In oltre attesta, fa fede, & depone per verità, esser comparso ad Arcola & à Sarzana avanti detto Monsig^re Vescovo prima volte, altre volte, e particolarmente circa il fine del mese di Setembre prossimo passato à nome il sudetto Sig^re Marchese Ippolito, con farli le medeme instanze dette di sopra, e da detto Monsig^re sempre gli è stata negata la revocatione delle inhibitioni fatte à sudetti Rettori & l' essecutione del Breve della dispensa Matrimoniale sudetta, & prædicta omnia pro veritate, & requisitus ut supra dixit, & attestatus est. Interrogatus de causa scientiæ &c. Respondit per esser andato in detti luogi d'Arcola, e Sarzana respettivamente, e comparso personalmente più volte avanti detto Monsig^re Vescovo & particularmente i giorni, e mese sopra espressi à nome come è detto sopra, haver fatte le sudette instanze, & vdite le risposte, e negative come sopra, est ætatis annorum 27. &c. super quibus &c. rogatus me Notarium &c. Actum aulæ in Domo mei Notarii Præsentibus ibidem continuo ad prædictam, ut supra attestatam Joanne Antonio Ceci de aula prædicti & & Dominichino J. Luvardi de Bibula, habitatore dicti loci, testibus vocatis, notis habitis, atque rogatis &c.

Ego Joannes Maria Mercantius J. D. Hieronymi de Aulla, publicus Apostolica autoritate Notarius, de supradicta depositione & attestatione rogatus, hic me subscripsi requisitus in fidem, salvo &c.

(Locus † Tabellionatus.)

Nos Consul & Consiliarii Communitatis Aullæ.

Universis &c. fidem facimus, & attestamur supradictum D. Joannem Mariam Mercantium de loco prædicto fuisse & esse publicum, & fide dignum Notarium, & ipsius scripturis publicis semper adhibitam fuisse & de præsenti adhiberi in judicio & extra plenam fidem. In quorum testimonium datum Aullæ ex ædibus nostræ solitæ residentiæ die 19. mensis Novembr. 1627.

(Locus † Sigilli.)

C^a Pompejus Petriciolus, Cancell. de mandato.

In Christi nomine Amen. Anno 1627. indictione duodecima, die vero decima nona mensis Novembris. Comparisce avanti me Thomaso Bancio Notaro, & Potestà e giudice ordinario della Terra della Bastia, al solito Banco della ragione di detto loco, & alla presentia dell' infrascritti, l' Illmo Signore Marchese Hippolito Malaspina, Sig^re di detto loco, il quale appresenta uno instrumento, ò sia essamine dè Testimonii rogato per Gio. Maria Mercanti dall' arcula locotenente ad effeto, che si conserva ad perpetuam rei memoriam accio se ne possa havere copia con maggior facilità, & che se ne facci rogito, il tenore del qual instrumento ò sequente transunto è questo.

In Nomine Domini Amen. Præsenti publico transumptus instrumento cunctis ubique pateat evidenter ac sit notum, quod anno a nativitate ejusdem Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, indictione decima, die vero decima sexta mensis Novembris, coram me Notario publico infrascripto, locumtenente multum Magnifici Domini Prætoris Bastiæ & testibus infrascriptis, & personaliter constituti Antonius Joannis Lazzari Sarti, & Dominicus Ricii de Bastia, pro parte ad instantiam Illustrissimi Domini Marchionis Hippoliti Malaspinæ de Bastia prædicta requisiti pro veritate deposuerunt, & attestati sunt medio eorum juramento, quod tactis unus post alterum in manibus mei Notarii, & locumtenentis præstiterunt & præstant.

Et primo dictus Antonius Joannis Lazzari deposuit, & attestatur pro veritate, che circa la fine del mese di Novembre dell' anno presente 1627. è stato per tre volte ad Arcola doue Monsig^re Illmo Vescovo di Sarzana faceva, in quel tempo residenza in differenti tempi in compagnia del Sig^re Dottor Alessandro Trombetta dell' arcula, mandato dal detto Illmo Sig^re Marchese Hippolito per fare instanza a detto Monsig^re Vescovo, che spedisse la dispensa Matrimoniale trà detto Sig^re Marchese Hippolito, & Sig^ra Marchesa Thadea di Tresiana, & vidi nel cortile del palazzo mentre detto Monsig^re Vescovo di Chiesa, & anco le altre volte nell' anticamera di detto Palazzo, che detto Sig^re Dottor parlava con detto Monsig^re, & intesi tutte dette tre volte, che li fecce instanza per la spedìtione della sudetta dispensa in vigore d' una carta pecorina, che vidi in mano à detto Sig^re Dottore, che haveva un poco di piombo in forma ronda pendente, che presento, & mostro à detto Monsig^re Vescovo il quale sempre recusò d' accettare, e spedire detta dispensa, e così detto Sig^re Dottore se ne torno dà detto Sig^re Marchese Hippolito senza nessuna speditione di detta dispensa &c. interrogatus de causa scientiæ &c. respondit: per che intesi, vidi, & mi trouai presente à quanto sopra &c. e perche sudetto Sig^re Dottore per strada nell' andar mi disse che il Sig^re Marchese Hippolito sudetto lo mandava per fare instanza come sopra della sudetta dispensa à detto Monsig^re, nel rittorno, esso Sig^or Dottore mi disse, che detto Monsig^re Vescovo haveva recusato spedire detta dispensa solamente per certa instanza, che gli haveva fatto il Sig^re Ludovico dà Carrara, e questo e la pura verità, est ætatis annorum 38. habere in bonis scuta quingenta &c.

Dictus vero Dominicus Ricii deposuit, & attestatur pro veritate, che l' oggi alli 17. di Novembre, dell' anno presente 1627. esso Testimonio fù mandato dall' Illmo Sig^re Marchese Hippolito sudetto con il Sig^re Dottor Alessandro Trombetta à Sarzana per fare instanza à detto Monsig^re per espeditione della dispensa Matrimoniale trà detto Signore Marchese Hippolito, & Sig^ra Marchesa Thadea di Tresiana, entrò con detto Signor Dottor nella sala del Vescovato dove era detto Monsign. che osservava l' opera di certi Maestri, che arestavano alcune finestre, e vidi, che datto Signor Dottor Trombetta li presento una carta pecorina, che haveva un certo piombo pendente, e sentii, che li fecce instanza per detta dispensa, e detto Monsig. recusò dicendo, che haveva data proroga al Signore Ludovico da Carrara, e che non voleva spedire

detta dispensa interrogatus de causa scientiæ respondit per essersi trovato, presente haver visto, & inteso quanto sopra, e perche nell' andare à Sarzana per strata detto Signor Dottor Trombetta, gli disse, che il Signor Marchese lo mandava dà detto Monsignor Vescovo à fare di nuovo instanza per l' espeditione di detta dispensa, e che vi era anco stato trè altre volte à Arcola, e che in sua compagnia vi era stato un' altro Signore Antonio di Gio Lazzaro, e questo e quanto io sò, e posso dire per verità. Est ætatis annorum triginta, possidere in bonis 300. & ultra, de quibus omnibus ut supra attestatis rogaverunt me Notarium, & locumtenentem. Actum in arce Bastiæ ad solitum juris Tribunal, præsentibus ibidem Dominico Malla Betta Parmensi, & Joanne Bona melle de Sevrano Testibus ad prædicta vocatis, habitis, & rogatis &c.

Ego Joannes Maria Mercantius, quondam Domini Hieronymi de Aula, publicus Apostolica autoritate Notarius, & locumtenens M^ci Prætoris Bastiæ, de suprascriptis Testium, de positionibus rogatus hic me subscripsi in fidem salvo. Actum ad Bancum Juris Bastiæ, ibidem præsentibus Floramonte, quondam Antonii de Olivetis de Bastia, & Dominico J. Philippi de Bussys, de prædicto loco Testibus ad prædicta habitis, nostris, rogatis.

(L.S.)

Ca Ego Thomas Bancius, F. Domini Federici, Imperiali autoritate Notar. publ. ac judex ordinarius Terræ Bastiæ suprascriptum Instrumentum, sive transumptum, rogatum per suprascriptum Dominum Joannem Mariam Mercantium de Aula, de verbo ad verbum transumptavi & copiavi, de prædictis omnibus ad præsentiam supradictorum Testium rogatus feci, in quorum fidem me subscripsi cum signo mei Tabellionatus consueto.

(Locus † Tabellionatus.)

XXIII.

Sententia a Delegato Apostolico in causa Hyppoliti Malaspinæ contra hujus Matrem Beatricem, & Carolum, Fratrem natu majorem, pronunciata, d. d. 18. Mart. A. 1628.

FRanciscus Maria Gislerius, Juris utriusque Doctor, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Capellanus, & ipsius Sacri Palatii Apostolici causarum Rotæ Auditor, causæque & causis hujusmodi ac partibus infrascriptis, in locum bonæ memoriæ Domini Manzanedi, olim Patriarchæ Hierosolymitani, & in Rota sedentis, Judex commissarius sub eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus & surrogatus. Universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, scholasticis, cantoribus, thesaurariis, sacristis, tam cathedralium, quam collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, cæterisque presbyteris & clericis, ac Notariis & Tabellionibus publicis, quibuscunque per civitatem & Diœcesim Parmensem, ac alias ubilibet constitutis, illique vel illis ad quem, seu quos præsentes nostræ literæ pervenerint, salutem in Domino, & nostris hujusmodi imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis, quod nuper idem sanctissimus Dominus Noster Papa quandam commissionis sive supplicationis papyricedutam, copias quinque aliarum commissionum, sive supplicationum in ejus capite præinsertas habentem, scilicet trium commissionum in forma Brevium ad partes expeditarum, aliarum vero duarum supplicationum subsequentium, pro commissione dictæ causæ in Rota porrectarum (quarum prima signata fuit, altera autem signatura sive rescripto caret) per unum ex suis cursoribus nobis dirigi ac præsentari mandavit, quam Nos cum ea, qua decuit, reverentia recepimus, hujusmodi sub tenore videlicet:

Venerabili Fratri Episcopo, sive dilecto filio ejus, Vicario in spiritualibus Generali Parmensi, Gregorius Papa XV. *Venerabilis Frater sive dilecte Fili* salutem & Apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Hyppolitus Malaspina, Parmensis, qualiter ipse exponens per vim & metum, qui caderet in constantem virum, sibi pro tunc in humanis agentes Beatricem, & Carolum, etiam Malaspinam, ipsius exponentis Matrem & Fratrem Germanum natu majorem, respective incussos, ad minores, & subinde ad Sacrum Subdiaconatus ordinem promotus fuit; Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti ordinis susceptio, attentis præmissis, nulla fuerit & existat, cupiatque dictus exponens, qui, ut asserit, in Subdiaconatus ordine prædicto nunquam ministravit, nullitatem hujusmodi via juris declarari facere. Ideo Nobis humiliter supplicari fecit, exponens præfatus, quatenus sibi ut causam & causas nullitatis susceptionis ordinum hujusmodi audias, & constito de illius nullitate, eundem exponentem ad aliquid, ratione susceptionis dictorum ordinum, minime teneri, vel obligatum esse, sed Clericalem habitum dimittere & laicalem vitam ducere, nec non, si sibi videbitur, matrimonium cum quavis muliere, nullo sibi jure prohibita, servata forma Concilii Tridentini contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, libere & licite valere declaret, prout de jure fuerit declarandum cum potestate, quos opus fuerit citandi eisque inhibendi, etiam sub censuris & pœnis, ac inobedientes in illa incidisse, servata forma Concilii Tridentini declarandi, aggravandi, reaggravandi, auxiliumque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, cæteraque in præmissis necessaria & opportuna faciendi, exercendi & exequendi, præmissis ac constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque nequaquam obstantibus, aliasque & in præmissis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, sive absolvendum, vel & absolutum fore censendum, supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ Episcope Frater, seu discretioni tuæ, filii Vicarie,

per

per præsentes committimus & mandamus, quatenus vocatis ad id, qui fuerint vocandi, & constito de vi & metu, qui caderent in constantem virum, ac data per ipsum exponentem cautione de stando juri & parendo judicato in præmissis omnibus & singulis, dummodo ipse exponens susceptionem dicti ordinis subdiaconatus tacite vel expresse non ratificaverit, autoritate nostra facias & declares, prout de jure fuerit faciendum & declarandum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die prima Junii 1623. Pontificatus nostri anno 3. *J. Bulgarinus P. Spinula.*

Beatissime Pater fuit a felicis recordationis Gregorio XV. Prædecessore S. V. ad preces Hippolyti Malaspinæ, devoti ejusdem Sanctitatis Vestræ oratoris, commissa causa nullitatis susceptionis ordinum Subdiaconatus, per vim & metum per eum suscepti, Reverendissimo Domino Episcopo Parmensi, sive ejus Vicario Generali, ut plenius continetur in præinserto Brevi, quo ab eodem Oratore Episcopo præsentato, & ab eodem extrajudicialiter requisito, ut causam & causas hujusmodi alteri cognoscendas delegaret dicto ejus Vicario Generali, ex quo illum tanquam informatum inducere volebat in testem in hac eadem causa, nec ideo judex esse poterat. Idem Episcopus causam hujusmodi per se ipsum terminare alteri, quam dicto Vicario delegare voluit, propter quod, in grave ejus præjudicium causam introducere, & jussum alterius prosequi non valuit, supplicat eidem Sanctitati Vestræ orator prædictus, quatenus dignetur causam & causas hujusmodi constito, quod dictus Episcopus Parmensis delegatus nec per se ipsum causam prædictam terminare, nec alium, quam ejus Vicarium in testem, ut prætenditur, inducendum, in judicem deputare voluerit, licet sæpius debita constantia requisitus aliquem ex ordinariis illarum partium in ejus locum, in omnibus & per omnia subrogare, illamque & illas videndi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi, juxta formam & tenorem præinserti Brevis, & cum omnibus & singulis jurisdictionibus & facultatibus in eodem Brevi expressis, aliisque quomodolibet necessariis & opportunis committere & mandare, non obstantibus præmissis, nec non constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium quomodolibet facientibus, statim pro plene & sufficienter expressis habendi, dummodo causa non reperiatur instituta coram eodem Episcopo Parmensi, & non sit consensum in jurisdictionem concessam, ut petitur, in præsentia Domini Nostri Papæ, B. Ariminensi & cum absolutione a censura ad effectum, & per Breve Sanctitatis Vestræ, cum clausulis opportunis in forma solita expediendum, & communiter uni ex ordinariis illarum partium ex vicinioribus, qui constito, quod dictus Episcopus Parmensis debite requisitus causam per se ipsum terminare, vel deputare alterum, quam ejus Vicarium in judicem noluerit, causam & causas prædictas audiat & decidat, concessum B. Ariminens. P. S. de Rosis: Beatissime Pater, Hippolytus Malaspina in prius præinsertis pro oratore nominatus, nullatenus eas præsentavit judicialiter tamen Episcopo Parmensi, cui erant directæ, neque eum debite, ut eædem literæ sonant, judicialiter requisivit, ut vellet per se ipsum causam hujusmodi cognoscere, sed hoc penitus tacito & contrario de directo expresso, quod videlicet eum debite requisivisset, literas secundo præinsertas extorsit, & ductus Consilio, ut Episcopus S. Donini, cui dirigebantur, tanquam Principis Delegatus alium delegaret judicem, qui in re adeo seria, juxta ipsius Hippolyti votum, se gereret, prout, qua fieri potuit, intentavit; Nam dictus Episcopus, sine aliqua cognitione, intentavit Albertum Ignetum, Canonicum ipsius cathedralis Ecclesiæ Parmensis, ipsiusmet Hippolyti Advocatum & Procuratorem, & non solum personam suspectam, verum etiam degentem in territorio alieno, & quæ ideo ad turbandam jurisdictionem Episcopi non erubuit, in hujusmodi civitate Tribunal constituere; quocirca Sanctitatis Vestræ Orator, Mensæ Episcopalis Promotor, tam pro justitiæ, quam pro jurisdictionis Episcopalis conservatione, coactus fuit, se illi opponere. Dignetur itaque eadem Sanctitas Vestra causam & causas hujusmodi una cum omnibus & singulis incidentibus ac quam, vel quas &c. prævia avocatione quatenus opus sit a dicto Juncto seu D. Episcopo sancti Donini eidem ordinario Parmensi, cui primo præinsertæ literæ directæ fuerant auditis &c. remittere, committere & mandare cum potestate, quatenus nolit per se ipsum illas cognoscere, alium judicem, neutri partium suspectum, deputandum, seu delegandum, nec non citandum & inhibendum, quos, quibus, quoties & ubi opus fuerit faciendum, quæ fuerint necessaria, aut alias, juxta formam primo præinsertarum necessaria & opportuna, præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii cæterisque contrariis quibuscunque & cujuscunque status, pro plene & sufficienter expressis habendum. Concessum, ut petitur, in præsentia Domini nostri P. P. B. Ariminensis, & cum absolutione a censuris ad effectum, & per Breve Sanctitatis Vestræ concessum B. Ariminens. datum Romæ apud Sanctum Petrum, quinto Idus Februarii, anno primo ex signatura P. A. F. Carpineus.

Beatissime Pater, per plures testes coram Alberto Juncto Canonico Parmensi Judice deputato a R. P. D. Episcopo Burgi S. Donini, cum literæ in forma Brevis expeditæ vigore secundo loco præinsertæ directæ ac præsentatæ fuerunt, plene fuit probatum quod D. R. P. D. Episcopus Parmensis cui causa, vigore Brevis primo loco inserti commissa extiterat a devoto Sanctitatis Vestræ Oratore Hippolytus Malaspina requisitus noluerat eandem causam per semetipsum cognoscere, vel alteri, quam suo Vicario subdelegare, & sic plene justificato remansit conditio posita in dicto primo loco præinserta, quod si Sanctitati Vestræ cum Episcopalis Parmæ Promotor exposuisset, utique tertio loco præinsertam non extorsisset, cum præsertim Episcopus Parmensis orator justis de causis valde suspectus, prout idem Hippolytus orator illum suspectum in manibus Sanctitatis Vestræ jurat; Supplicat propterea eidem Sanctitati Vestræ, quatenus, prævia opportuna avocatione ad R. P. D. Episcopo Parm. sive illius Vicario vel deputato causæ & causarum præinsertis expressarum illa & illas, una cum omnibus earum incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis & connexis eidem Episcopo S. Donini audiendi, co-

gnoscendi, decidendi, fineque debito terminari, remittere & committere, ac mandare dignetur, cum potestate citandi omnes & quoscunque sua interesse putantes, illisque, & quibus uti, quoties & quando opus fuerit, inhibendo, etiam sub censuris, ac etiam per edictum publicum constito, de non tuto accessu summarie procedendi, aliaque facienda, dicenda, gerenda & exequenda in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna præmissis, nec non constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque statutis pro plena, vel si magis placet, prævia avocatione, a quibuscunque committatur, ea in Rota de Mandato D. N. P. P. Patriarcha Hierosolymitanus surrogatus Fabritii, procedat, ut in secunda parte petitur, ut justitiam faciat. Placet D. N. P. P. de secunda parte B. Ariminens. ex ligatura *P. A. A. Torniellus.*

Beatissime Pater, licet post primo & secundo præinsertas supradictus Hippolytus Malaspina adversarius in plena signatura a Sanctitate Vestra suppliciter petiisset, causas prædictas a dicto Episcopo Parmensi, seu illius Vicario, vel deputato avocari, vel si magis placeret, prævia avocatione a quibuscunque, illas in Rota committi, & Sanctitas Vestra ejusdem petitioni annuendo causas prædictas in Rota Patriarchæ Hierosolymitano surrogato Fabritii commisisset subinde 17. Maji, 1624. eadem commissio in actis Victoris Justiniani supradicti Fabritii, & dictæ causæ Notarii præsentata fuisset, & alius prout in tertio loco præinserta, ad quam &c. Nihilominus idem Hippolytus adversarius coram dicto Episcopo Parmensi, seu Petro Maria de Prato, Canonico Ecclesiæ Cathedralis Parmensis, tanquam ejus deputato, seu subdelegato, vigore præinsertarum citatis per affixionem, ut asseritur, omnibus interesse habentibus, sine specificatione nominis, quasi interesse oratoris ei foret in certam sententiam favorabilem super declaratione nullitatis susceptionis ordinum tam minorum, quam Subdiaconatus, ita & taliter, quod clericalem habitum dimittere & laicalem vitam ducere, & matrimonium contrahere cum quavis muliere, servata forma Concilii Tridentini, libere & licite valeat, obtinuit, seu potius extorsit, & alias, prout in dicta sententia ad quam impugnativa relatio habeatur; verum quia Ludovicus Malaspina, ex Marchionibus Bastiæ de Malaspinis, tanquam filius quondam Julii, Fratris Camilli, Patris dicti Hippolyti, devotus Sanctitatis Vestræ orator, excluso dicto Hippolyto adversario, tanquam Subdiacono, habet ex pacto & providentia Imperialibus, apertum in ejus favorem jus ad dictum castrum Bastiæ, & alia bona per dictum adversarium detenta & occupata statim, ubi primum notitiam dictæ sententiæ certo modo habere potuit, ab illa sibi valde præjudicari, ac notorie gravante ulteriore processu rebusque aliis, de quibus in actis, ad quæ, tanquam nulliter & indebite extorta, seu extortis, ad Sanctitatem Vestram ac Sedem Apostolicam provocavit & appellavit. Dignetur itaque Sanctitas Vestra causam & causas appellationis & appellationum hujusmodi nullitatis & nullitatum notorie injustas, ac restitutionis in integrum & ex generali clausula (si qua mihi &c.) attentatorum, & innovatorum, & attentandorum, & innovandorum quorumcunque per dictum Ludovicum, Sanctitatis Vestræ oratorem, a dicta sententia contra ipsum, & ad favorem dicti adversarii interpositæ, & interpositarum, nec non quam & quas dictus orator habet & movet, habereque & movere vult & intendit contra dictum Hippolytum, omnesque alios in executione præsentium nominandas & cognominandas cum omnibus & singulis incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis & connexis totoque negotio principali alicui ex Sanct. Vestræ Rotæ auditori, seu locumtenenti vel, si magis placet, eidem Patriarchæ Hierosolymitano surrogato Fabritii, coram quo præinsertæ reperiuntur præsentatæ audiendi, cognoscendi, decidendi, terminandi communiter & de jure cum facultate citandi & inhibendi etiam per edictum, constito de non tuto accessu, quos, quibus & quoties attentatis seu attentandis non obstantibus quibuscunque statutis pro plene &c. ex signatura P. A. B. *Curtius.*

Beatissime Pater, obtinuit Sanctitatis Vestræ devotus orator, Ludovicus Malaspina proponente R. P. D. Torniello commissionem quinto præinsertam in plena signatura judicii, parte Hyppoliti Malaspina informante, sub die 23. Maji, 1625. signari & expediri, quæ postea facto forsan ejus Procuratoris vel partis adversæ deperdita fuit. Verum quia causa est gravis, & oratori præjudicialissima, nec convenit, quod jus suum facto ejus procuratoris, vel forsan partis adversæ pereat. Propterea supplicatur Sanctitati Vestræ, quatenus dignetur duplicatum dictæ commissionis deperditæ, juxta rescriptum supra, de anno 1625. factum signari, & alteri auditori in locum Patriarchæ Manzaredi subrogari, præsentari, & juxta illius formam & tenorem procedi ac si tempore rescripti commissio præsentata foret, cum facultate citandi & inhibendi etiam sub censuris Ecclesiasticis ac pœnis pecuniariis quos, quibus & quoties opus fuerit atque faciendi, gerendi, exercendi in præmissis, & circa ea seu quomodolibet necessaria & opportuna in præmissis, nec non constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque statutis pro plene & sufficienter expressis habendi, vel, si magis placet, committatur alicui ex auditoribus Rotæ causa nullitatis, & restitutionis in integrum, prout de jure constito, de interesse oratoris, de mandato D. N. Papæ audiat M. Franciscus Maria surrogatus P. Hierosolymitani citet, inhibeat, procedat, ut in secunda parte petitur, & justitiam faciat. Placet D. N. Papæ de secunda parte L. A. virilis, cujus quidem commissionis vigore fuimus pro parte supradicti D. Ludovici Malaspinæ principalis instanter requisiti, quatenus sibi citationem legitimam, una cum inhibitione inserta contra & adversus prædictum Dominum Hippolytum Malaspinam ex adverso principalem, omnesque alios & singulos sua quomodolibet interesse putantes extra Romanam Curiam, & ad partes juxta & secundum ejusdem præinsertæ commissionis formam & tenorem decernere, & concedere dignaremur. Nos tunc Franciscus Maria Ghisilerius auditor & judex surrogatus antedict. attendentes requisitionem ejusmodi fore justam volentesque in causa & causis hujusmodi inter prædictas partes rite procedere ac ipsis, dante Domino, justitiam ministrare, ut tenemur. Idcirco autoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte vobis omnibus & singulis

gulis supradictis, quibus præsentes diriguntur & vestrum cuilibet in solidum. In virtute sanctæ obedientiæ committimus, ac sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus infra tres dies post præsentationem præsentium ac requisitionem, vigore earundem vobis seu alicui vestrum pro parte dicti D. Ludovici Malaspinæ Principalis desuper factas immediate sequentes, prædictum D. Hippolytum Malaspina ex adverso Principalem, omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim quomodolibet interesse putantes, ac in executione præsentium sic citamus, quatenus decima quinta die post citationem hujusmodi ipsis nominanda, in eorum propriis personis, si ipsorum præsentias commode habere poteritis, alioquin in domiciliis habitationum suarum, si ad ea vobis tutus pateat accessus, ac in Parochiali, seu Parochialibus sub quibus degunt ac morantur, sin autem in cathedrali Parmensi aliisque Ecclesiis ac locis publicis quibuscumque, ubi opus fuerit, ex parte nostra imo verius Apostolica autoritate peremptorie citetis, & citare curetis, quos Nos etiam & eorum quemlibet tenore præsentium sic citamus, quatenus decima quinta die, post citationem nostram ejusmodi ipsis factam immediate sequente, compareant Romæ in judicio legitime coram Nobis per se, vel procuratorem, seu procuratores suos ad hanc causam sufficienter instructos, dicto Domino Ludovico Malaspina Principali, vel ejus legitimo procuratori de & super contentis in præinserta commissione ac in actis latius deducendis, de Justitia responsuri, nec non in causa & & causis hujusmodi per Nos & coram Nobis, prout de jure, procedi visuri ac processuri, aliasque recepturi & audituri quidquid justitia suadebit & ordo dictaverit rationis, certificantes eosdem citatos, sive in dicto citationis termino, ut præfertur, comparuerint, sive non, Nos nihilominus ad partis comparentis & causam hujusmodi prosequi curantis justitia, in eadem causa procedemus procedique curabimus justitia mediante, dictorum citatorum contumacia sive absentia in aliquo non obstante, & insuper attendentes, quod, causa ejusmodi coram Nobis pendente, nihil sit in partibus per quemcumque quomodolibet attentandum, sive innovandum. Idcirco vobis omnibus & singulis prædictis, quibus præsentes diriguntur, modo & forma præmissis, committimus & mandamus, quatenus Revmo D. Ordinario Parmensi, ejusque R. D. in spiritualibus & temporalibus Vicario seu Officiali Generali, cæterisque omnibus & singulis Dominis officialibus, Judicibus ordinariis, extraordinariis, delegatis, subdelegatis, executoribus & subexecutoribus quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, quacumque autoritate seu jurisdictione fungentibus & functuris, & præsertim supra dicto Domino Hippolyto Malaspinæ ex adverso Principali, omnibusque aliis, & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quomodolibet in futurum, de quibus pro parte supradicti Domini Ludovici Principalis, vigore præsentium fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, sub millium Ducatorum auri de Camera, & pro illis in Exec. ac in Juris subsidium Excommunicationis aliisque Ecclesiasticis sententiis & pœnis, quas ferimus in his scriptis, ac quemlibet huic nostræ inhibitioni, contravenientem incurrere ipso facto, inhibeatis quibus Nos etiam & eorum cuilibet similiter inhibemus, ne ipsi, vel eorum aliquis per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte in litispendentiæ hujusmodi ac jurisdictionis nostræ, imo verius Apostolicæ Sedis vilipendium & contemptum, ac in dicti Domini Ludovici Malaspinæ Principalis, Juriumque suorum præjudicium & gravamen, in lite & causa seu causis hujusmodi, sicut præfertur, coram Nobis indecisis pendentibus, quidquam attentare seu innovare præsumant, seu præsumat quoquo modo. Quidquid autem in executione præsentium feceritis, Nobis quanto citius fideliter insinuare curetis. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui prædictas nostras sententias, censuras & pœnas, vel eorum aliquam quovis modo forsan incurrent sive incurrerit, nobis vel Superiori nostro tantummodo reservamus; In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium præsentes nostras litteras exinde fieri & expediri, ac per Notarium nostrum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostriq; aut unius ex Dominis Coadjutoribus nostris sigilli appensione communiri jussimus & fecimus. Dat. Romæ ex ædibus nostris sub anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die vero Sabbathi decima octava mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Urbani, Divina providentia Papæ octavi, anno ejus quinto. Præsentibus ibidem Dominis Antonio Laurentio de Blasiis & Dominico Fonthia dicti Sacri Palatii Apostolici causarum Rotæ Notariis, & coram Nobis scribis publicis, testibus ad præmissa omina & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Et ego Victorius Justinianus, Sacri Palatii Apostolici causarum Rotæ Notarius, dictæque causæ scribaactuarius, de prædictis rogatus fui, ideo hoc præsens publicum instrumentum citationis cum inhibitione subscripsi & publicavi, meumque solitum signum apposui, requisitus in fidem &c.

(L.S.)

XXIV.

Instrumentum, in quo Marchio Hipolitus Malaspina uxorem suam Thadeam Malaspinam de Treggiana, de summa 1300. scutorum, in computum dotis acceptorum, tutam atque securam reddidit, d. d. 12. Aug. An. 1635.

Die 12. Augusti 1635. Indictione Tertia.

Illustrissimus Dominus Marchio Ippolitus de Bastia sponte confessus est, & confitetur ab Illustrissimo Domino Marchione Gulielmo Malaspina de Treggiana ejus sororio absente &c. stipulante me &c. scutos mille tercentum, ad bonum computum datos Illustrissimæ Dominæ Marchionissæ Thadeæ, sorori dicti Illustrissimi Domini Marchionis Gulielmi, & Uxori dicti Illustrissimi Domini Marchionis Ippoliti, pro qua summa volens cautam reddere dictam Illustrissimam suam Uxorem, eidem licet absenti stipulante me &c. hypothecavit omnia

sua

ſua bona præſentia & futura, & in ſpecie omnes terras prativas, quæ habet in territorio & Juriſdictione Baſtiæ, & in loco nuncupato le Prade al monte ſub earum finibus, ſuper quibus in omni eventu dotis reſtituendæ, conſtante, vel ſoluto matrimonio quod Deus avertat, eidem vel cui &c. liceat ſibi ſatisfieri ſecundum æſtimationem, tunc temporis fiendam, & volens etiam providere de tutoribus & curatoribus ſuis filiis minoribus, quamvis recordari dixit jam alias conſtituiſſe alios tutores; Ideo prius dictam conſtitutionem, & electionem per hoc præſens Inſtrumentum revocavit, & revocat, ac poſtea in tutoribus & curatoribus ſuorum filiorum deputavit, & deputat prius Illuſtriſſimam Dominam Marchioniſſam, ejus Uxorem, Illuſtriſſimos Dominos Marchiones Petavium de monte Regio, & Dominum Marchionem Anibalem de Villa Franca, quibus tribuit omnem facultatem &c. liberans eos a confectione Inventarii, ac imo illis prohibens tale Inventarium conficere, quam Dominam Marchioniſſam voluit, quod ſemper non valeat ejici poſſe a ſuis Hæredibus ex Arce Baſtiæ, ſed eidem liceat & habitare una cum dictis ſuis filiis, relinquens eam Dominam, & Maſſariam &c. Actum Baſtiæ in Aula Caſtri dicti loci, præſentibus Clemente Alexandri de Paretula, habitatore Baſtiæ, & Angiolino Peregrini de Magliano de Paretula teſtibus &c. In Nomine Domini, Amen. Anno ab ejus Nativitate milleſimo ſeptingenteſimo decimo, Indictione tertia, die vero ſecunda menſis Junii, Invictiſſimo ac Auguſtiſſimo Joſepho primo Rom. Imperatore imperante &c.

Ego Franciſcus Carretti, filius quondam D. Bartholomæi de Luxana, publicus Apoſtolica ac Imperiali auctoritatibus Notarius, ſupradictum Inſtrumentum de verbo ad verbum extraxi, ac fideliter copiavi, ex imbreviaturis, ſive Baſtardello, exiſtentibus penes hæredes qv. Egregii D. Cæſaris Bertolini de Fivizanno de, quibus tunc temporis ipſe Dominus Cæſar Bartolini uti Prætor Baſtiæ rogatus fuit, & facta per me collatione in omnibus & per omnia ſupradictum Inſtrumentum concordare inveni cum ipſis Inbreviaturis ſive Baſtardello, mihi ab hæredibus ſupradicti Cæſaris conſignatis, & poſtea ipſis reſtitutis, ſalvo &c. In quorum fidem hic ſcripſi, & me ſubſcripſi, ſolitumque mei Tabellionatus ſignum appoſui, ad laudem Dei &c.

(L. S.)

Die 2da menſis Junii 1710.

Collationatum ſupradictum Inſtrumentum per me J. V. D. Orlandum de Peſcettis, ad præſens pro ſua Celſitudine Regale Tuſciæ in Provincia Lunenſi Auditorem generalem, atque inventum cum ejus originali exiſtenti in Baſtardello, ſeu Inbreviatura Inſtrumentorum olim Egregii Cæſaris Bertolini de Fivizano, uti Prætoris Baſtiæ, & penes hæredes ejus repertis, in omnibus, & per omnia conformari; Ideo me in fidem ſubſcripſi, & ſolito meo ſigillo munivi ad laudem &c.

Orlandus de Peſcettis,
Auditor generalis Lunenſ.

(L. S.)

Per Illuſtres D. D. Priores, & Conſiliarii Inſignis Terræ Fivizani, ſtatus regalis Celſitudinis magni Hetruriæ Ducis, cunctis præſentes inſpecturis fidem facimus, Excellentiſſimum D. Orlandum de Peſcettis, Auditorem, ut a tergo in fine dicitur, eſſe talem qualem ſe facit, ſicuti ejuſdem ſubſcriptionem proprio eſſe caractere firmatam, Nobis noſtroque infraſcripto Cancellario quam notiſſimo. In quorum teſtimonium mandavimus publico communiri ſigillo &c.

Dat. in publica Fiviſſani Cancellaria die ſecunda Junii, 1710

Antonius Franc. Bindi
J. C. & Cancell.

(L. S.)

XXV.

Decretum Ferdinandi III. Romanor. Imperat. in quo Fiſcali Aulico Cæſareo Decretum ſequens intimatur, d. d. 15. Jan. An. 1638.

SAcra Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, conſideratis iis, quæ (Tit.) Fiſcalis ejuſdem Imperialis Aulicus in cauſa feudi Madrignani inter D. D. D. Marchiones Malaſpinas, Morellum & Paulum de Mulatio ex una; & Raynaldum ex altera parte vertente, pro ſuo jure deduxit, ita, prout ex adjuncta Copia explicat, pronunciavit: De quo eadem Majeſtas Cæſarea prædicto Conſiliario, & Fiſcali ſuo Aulico hiſce intimatum voluit. Decretum in Conſilio Imperiali Aulico, die 15. Januarii Anno 1638.

Joann. Walderode.

XXVI.

Ejuſdem Decretum pro Marchionibus Morello & Paulo de Mulatio, contra Raynaldum Marchionem Malaſpinam, ob ſucceſſionem in feudum Imperiale Madrignani controverſam, promulgatum, d. d. 15. Jan. An. 1638.

SAcra Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter clementiſſimus, viſis & diligenter conſideratis, quæ in petitorio ratione controverſæ ſucceſſionis in feudo Imperiali Madrignani a D. D. D. Marchionibus Malaſpinis Morello, & Paulo de Mulatio ex una; & Raynaldo de Monte Suvero ex altera partibus exhibita & petita fuere, habitoque ſuper iis maturo conſilio definitive pronunciat, & declarat, ac pronunciando & declarando benigne decernit, prædictos Morellum & Paulum Marchiones Malaſpinas non obſtantibus rationibus, & prætenſionibus ejuſdem Marchionis Raynaldi veluti, quæ hiſce requiruntur, ad

ad successionem prædicti feudi Imperialis Madrignani in locum ultimi investiti defuncti quondam Julii Cæsaris Marchionis Malaspinæ, sine mascula & legitima prole decedentis, tanquam viros & legitimos successores admittendos, de eoque juxta tenorem priorum Investiturarum sibi a Divis quondam Romanorum Imperatoribus & Regibus concessarum, investiendos: Marchionem vero Raynaldum in sumptus & expensas litis, salvo judiciali moderamine, condemnandum esse, prout jam dicta Sacra Cæsarea Majestas, vigore hujus Decreti Cæsarei, eosdem Marchiones, Morellum & Paulum ad ejusmodi successionem admittit, deque eodem feudo, præstito prius, & recepto ab iisdem fidelitatis & homagii juramento, clementer investire annuit, ac præfatum Marchionem Raynaldum in suprамemoratos sumptus, & expensas litis, salvo (prout dictum est) judicali moderamine, condemnat. Ita decretum in Consilio Imperiali Aulico, die 15. Januarii 1638.

XXVII.

Ferdinandi III. Roman. Imperat. litera, in quibus Opizonem, Marchionem de Malaspina, non solum de Panichalis atque Licciane feudis, eorumque juribus atque annexis investivit; verum etiam ejus Privilegia confirmavit, d. d. 7. Kal. Februar. An. 1638.

Ferdinandus Tertius, Divina favente clementia electus Roman. Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Dalmatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ &c. &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus testatumque facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Opizo, quondam Alphonsi, Marchio Malaspina humillime exponendum curarit, ab Augustissimo Imperatore, Divo quondam Ferdinando secundo, Domino genitore & prædecessore nostro colendissimo felicissimæ memoriæ, se super castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ & aliis, in quibus jus obtinet, cum dictis jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & ad se hæreditario jure devolutis & spectantibus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris, ac locis, si forte pro tempore sibi, vel hæredibus suis legitimo aliquo titulo id evenire contigerit, investitum infeudatumque, & universa simul ac singula privilegia, majoribus suis a sacratissimis quondam prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus supradictis castris, castellis, arcibus, villis ac feudo concessa, sibi fuisse confirmata, redintegrata ac de novo concessa, prout ex subinsertæ investituræ nono Kal. Martii, Anno Domini supra mille sexcentos tertio & vigesimo expedito Diplomate liquidius sit videre:

Inserantur antea inserta Ferdinandi II. Rom. Imp. litera investiture de An. 1623.

Nunc porro Nos demississime rogarit, ut, quandoquidem, Divina Majestate propitia volente, ad sublime Imperatoriæ Majestatis fastigium evecti simus, atque ipse Nos in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii jussa, prout fidelem ac devotum Vasallum ac subditum decet, recte atque ordine implere desideret, se de prædictis castris, castellis, arcibus & villis de Panichalis & Liccianæ, atque aliis in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, Territoriis, Jurisdictionibus, Juribus, cum reservatione Jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore sibi vel hæredibus suis legitimo aliquo titulo id evenire contigerit, benigne investire atque infeudare, nec non omnia & singula privilegia Progenitoribus suis ac sibi a divis quondam Romanor. Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, super iisdem castris, castellis, arcibus & villis concessa, clementer confirmare, ratificare ac de integro concedere dignaremur.

Nos sane clementer attentis humillimis ejusdem precibus ac singularibus gratisque obsequiis, quibus tam majores ipsius, quam ipse Nos, sacrumque Romanum Imperium coluerunt, atque in posterum ipse constanter colere poterit ac debebit, eadem privilegia omnia & singula, & præsertim suprascripta duo divorum quondam Carolorum quarti & quinti, quatenus eum concernunt, seu concernere possunt, in omnibus suis capitulis, clausulis, articulis, sententiis, punctis & verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, & præfatum Opizonem, Marchionem de Malaspina, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, atque aliis, in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoris, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio & gladii potestate, atque autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, thelonia, & omni publica functione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenet & possidet, juxta prædictorum privilegiorum seriem, & servato semper ordine Primogenituræ inter quondam Alphonsum & fratrem ejus, Cornelium, Marchiones de Malaspina, die quinta Decembris, Anno Domini supra sesquimillesimum septimo & septuagesimo erectæ, & per Augustæ memoriæ Imperatorem, Rudolphum secundum, Dominum patruelem nostrum colendissimum, die vigesima quarta Maji, anni proxime subsecuti septuagesimi octavi confirmatæ, quam & Nos Diplomate hoc nostro Imperiali benigne ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investiverimus, eaque omnia ipsi in feudum de novo concessimus, quemadmodum autoritate nostra Romana Imperiali, vigore hujus nostri Cæsarei Diplomatis laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, ac denuo in feudum concedimus, atque insuper eundem cum suprascriptis ejus terris, castris, arcibus & bonis in nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus;

mus; recepto tamen prius ab honorabili nostro & Sacri Imperii fideli, Octavio de Bolognesiis, Consangvineo & Principis nostri charissimi, Mutinæ & Rhegii Ducis, in Aula nostra Cæsarea Residente & ad hunc actum speciatim constituto Procuratore, in animam ejusdem Opizonis, Marchionis Malaspinæ, debito ac consveto obedientiæ & fidelitatis juramento, ita ut hujusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & a Sacro Romano Imperio tanquam feuda habeat, & teneat, & possideat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione; nostris tamen & Sacri Romani Imperii & cujuscunque alterius juribus semper salvis, non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis, oblivione, ignorantia, vel opportunitate petentium datis, seu dandis in contrarium. Quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare, aut contraire censerentur, autoritate nostra Cæsarea & de certa nostra scientia derogamus, ita, quod per ea, vel eas nullum prædicto Opizoni, Marchioni Malaspinæ, præjudicium generetur. Harum testimonio literarum, quas manus nostræ subscriptione & sigilli nostri Cæsarei appensione communitas dedimus in Civitate nostra Viennæ, septimo Kalendas Februar. Anno Domini supra mille sexcentos duo de quadragesimo, Regnorum nostrorum Romani altero, Hungarici decimo tertio, Bohemici vero undecimo.

XXVIII.

Ferdinandi III. Roman. Imperat. Diploma, in quo Transactionem, inter Marchiones Ludovicum & Hippolytum Malaspinas de Feudo Imperiali Pontis Bosii initam, confirmavit, laudatumque Ludovicum de feudo memorato investivit, d.d. 27. Maji An. 1639.

FErdinandus Tertius, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ; Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Slavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Ludovicus Malaspina, humillime exposuerit, inter se & nobilem nostrum, & Sacri Imperii fidelem dilectum, Marchionem Hippolytum Malaspinam, Avunculum suum, quinquennalem litem ratione successionis feudorum Imperialium Bastiæ & Pontis Bosii ad instantiam Agnatorum utriusque (salvo tamen, & reservato Cæsareo nostro, uti superioris Domini, assensu) amicabiliter ita transactum fuisse, ut præfatus Marchio Ludovicus Malaspina, pro sua parte supradictum feudum Pontis Bosii caperet, possideret, & eo contentus acquiesceret, prout ex desuper confecto Nobisque exhibito, & hic subinserto Instrumento constet, cujus quidem tenor sequitur, & est talis:

Sequuntur Transactionis Instrumenta.

Ac proinde Nos supradictus Marchio Ludovicus submississime rogavit, uti præfatum inter se & memoratum Marchionem Hippolytum Malaspinam super feudo imperiali Pontis Bosii vigore dicti Instrumenti factam transactionem ratam ac gratam habere, nec non Cæsarei nostri assensus autoritate munire, confirmare ac corroborare, simulque se Ludovicum Marchionem Malaspinam super jam dicto feudo, quod sibi memoratæ & in præinserto Instrumento comprehensæ transactionis virtute competat, secundum naturam integri feudi Pontis Bosii benigne investire atque infeudare dignaremur. Nos benigne considerantes, quam singulari constantis fidei, devotionis & obsequii studio Nos, Sacrum Romanum Imperium & Augustam domum nostram Austriacam, cum universa Malaspinarum familia, tum ipse prædictus Ludovicus Marchio Malaspina hactenus coluerit, ac imposterum, uti confidimus, indesinenter culturus sit, submississimæ ejusdem petitioni gratiose censuerimus annuendum, adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis & autoritatis plenitudine, supradictæ Transactionis ac cessionis titulo feudi Pontis Bosii a supradicto Ludovico Marchione Malaspina factam acquisitionem, & confectum desuper contractus instrumentum, in universis ac singulis suis capitibus, clausulis, punctis, sententiis, ac verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, rata grata habuerimus, fixa, firma, valida dixerimus, pronunciaverimus, ac divalis nostræ potestatis atque autoritatis munimine corroboraverimus, quemadmodum tenore præsentium laudamus approbamus, rata, grata, fixa, firma, valida habemus, dicimus, pronuntiamus, potestatisque & autoritatis nostræ Cæsareæ firmitate ac robore communimus, atque ipsi supra dicto Ludovico Marchioni Malaspinæ, prædictam requisitionem feudi Imperialis Pontis Bosii juxta ejusdem integri naturam atque in ejusmodi feudum, cujusmodi legitimi ipsius antecessores ac possessores tenuerunt ac possederunt, deinceps tenendum & possidendum benigne concedimus confesimusque, atque ipsum de eodem cum omnibus suis pertinentiis, homagiis, mero & mixto Imperio, gladii potestate & omnimoda jurisdictione (recepto tamen prius ab honorabili, docto, nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Petro Panicali, J. U. Doctore tanquam legitimo constituto Procuratore, debito ac consueto fidelitatis & homagii Juramento) clementer investimus atque infeudamus. Dantes & concedentes ei omnia & singula in dicto feudo Pontis Bosii, quæ de jure, æquitate ac consuetudine dare & concedere possumus; Nostris tamen & Sacri Imperii, nec non aliorum quorumcunque juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, conditionis, & fortunæ existant, fas licitumve sit, hanc Augustalis nostri assensus, laudationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, in-

investituræ concessionis, ac gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, vel quovis ausu temerario contravenire: siquis autem secus faxit, is, præter, quod gravissimam nostram ac Sacri Imperii indignationem incurret, triginta insuper Marcharum auri puri puti probi sui ex semisse in ærarium, sive fiscum nostrum Imperialem referendarum, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio litterarum manus nostræ subscriptione, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum.

Datum in civitate nostra Viennæ, die vigesima septima mensis Maji, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani tertio, Hungarici decimo quarto, Bohemici vero decimo secundo.

XXIX.

Claudiæ, Archi-Ducissæ Austriæ, e Magnis Etruriæ Ducibus ortum trahentis, Diploma, de sexaginta mille florenorum donatione, Joanni Christophoro Marchioni Malaspinæ facta, agens, d. d. 4. Maji, An. 1641.

In Nom. della Santma Trinità.

JO *Claudia Arciduchessa d' Austria*, nata Principessa di Toscana, questo di presente 4. di Maggio 1641. à contemplazione de, i lunghi, fedeli, importanti, e grati servitii, fatti dal Marchese Gio. Christofaro Malaspina, e da Monsigor Gio. Batista, Vescovo di Massa, Fratello dell' istesso, à Madama mia Madre, e Signora, come anco all' hereditá paterna della Gran-Duchessa, mia Figliola senza essemo stati per accidenti, e senza loro colpa rimunerati. Di più in riguardo della fedelissima assistenza, & efficacissima cooperazione del Msgr. Pietro Malaspina, pur d' essi Fratello à tutte le mie sodisfazioni, e convenienze per lo spazio di 15. anni; doppo matura consideraizone, di proprio moto, e gusto, dono inrevocabilmente Fiorini Todeschi sessantamila ai Figlioli maschi del detto Marchese Gio. Christofaro, da dividersi, e goderli trà loro, doppo la morte del Padre, con porzione eguale, e che il Padre abbia à vita durante l' amministrazione, e l' usofrutto da questo tempo in auvenire, in tal forma, che fin' all' affettivo sborso della somma capitale intera sia pagata al Padre per i Figloli, ò à questi, essendo quegli mancato, ò a loro legitimo procuratore il censo anno à cinque per cento, da me, ò da miei Ministri in moneta corrente e buona. Voglio in oltrò che per la medesima somma principale, ò per gl' interesse, quando, ò quella, ò questi non fussero stati pagati, resti per il pagamento obligata la Signoria di Tulsena e Tuano, ambe mio fondo dotale, con che non possino i miei Eredi entrar' in possesso dell' obligata al credito, senza aver prima sodisfatti, e quietati interamente i detti Figlioli miei donatarii, mà i medesimi me abbiano quando piacesse à Dio di chiamarmi à miglior' vita, il possesso con obligar di consegnare il sopravanzo dell' Entrate della Signoria popeduta à miei Eredi. In maggior corroborazione del predetto, aggiungo e voglio, che essendo la numerosa Famiglia del Marchese Gio. Christoforo molto pouera, massime in riguardo della sue insigne nobilità, la promessa donazione, e rimunerazione habbia natura, condizione, e privilegio di opera pia, si come realmente, e in santa verità la fò ancora per amor di Dio, effetto di Christiana pietà, e suffragio dell' anima mia. All' incontro voglio sperar, che i donatarii sieno per manifestar' in ogni tempo divotissima fedeltà verso di essi Arciduchi, miei Figlioli, à quali medesimamente raccomando il protegerli, e per quanto posso, intendo di supplir ci maggior validità della presente mia donazione al mancamento l' ogni solennità. Cosi raffermo, dispongo, e voglio.

Di propria volontà e mano
JO CLAUDIA.

(L.S.)

XXX.

Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris literæ, in quibus Jacobum, Marchionem de Malaspina, de Panichalis atque Liccianæ feudis, ac quibusdam castri, feudi & loci Montis Simonis & Villarum Amalæ, ac Campi Contri portionibus, eorumque juribus & annexis non solum investivit, verum etiam ejusdem Privilegia confirmavit, d. d. 7. Januarii, Anno 1642.

FErdinandus Tertius Divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex &c. &c.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Magnificus Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Jacobus Marchio Malaspina humillime exponendum curarit, a Nobis patrem suum dictum Opizonem super castris, castellis, arcibus villis & feudis Panichalis & Liccianæ & aliis in quibus jus obtinebat, cum suis jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & ad ipsum hæreditario jure devolutis & spectantibus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte legitimo aliquo titulo id illi evenisset, aut ejus hæredibus pro tempore evenire contigerit, investitum infeudatumque, aut universa simul & singula privilegia, majoribus suis a sacratissimis quondam prædecessoribus Nostris, Rom. Imperatoribus ac Regibus, super dictis castris, castellis, arcibus, villis ac feudis concessa, ipsi fuisse confirmata redintegrata, ac de novo concessa, prout ex subinserto investituræ, septimo Calendas Februarii, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, expedito Diplomate liquidius sit videre:

Inferantur antea inserta Ferdinandi III. Rom. Imperat. literæ de An. 1638.

Atque insuper Nobis supradictus Jacobus, Marchio Malaspina, humillime exponi curarit, Magnificum Nostrum, & Sacri Romani Imperii fidelem dilectum, Hieronymum Ambrosium, Marchionem Malaspinam, vulgo Comparinum dictum, portiones quasdam castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis & Villarum Amalæ & Campi Contri, cum omnibus juribus, jurisdictionibus ac pertinentiis, tum viridarium subter ipsum castrum situm, ac domum, vulgo la stalla del Marchese nuncupata, ab Avo suo Paterno, Alphonso, Marchione Malaspina, emptionis titulo, salvo tamen jure reluitionis Patri suo Opizoni, ac hæredibus, vigore contractus, cum benigno assensu Cæsareo, decima quarta mensis Julii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo initi, reservato acquisivisse, quemadmodum ex Instrumento emptionis & venditionis plenius constet, cujus tenor sequitur in hæc verba:

Inferatur hic Instrumentum emptionis venditionis d. d. 8. Jun. & 14. Jul. Anno 1590. supra insertum:

Ac nunc porro supradictus Marchio Malaspina Nos demississime orarit, ut, posteaquam pater olim suus Opizo vita functus sit, atque etiamnum Nos in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii justa, prout fidelem ac devotum vasallum ac subditum decet, recte atque ordine adimplere desideret, se de prædictis castris, castellis, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ; nec non de portionibus castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis ac Villarum Amalæ & Campi Contri, cum omnibus juribus & pertinentiis, tum viridario subter ipsum castrum sito, ac domo, vulgo la stalla del Marchese nuncupata, jure reluitionis Patri olim suo, vigore Augustalis Nostri Decreti, die vigesima quarta mensis Januarii, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo emanati reservato, ac indulto tunc ad se pretio rite persoluto, tanquam legitimum ejus filium, devolutis, atque aliis in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus, juribus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis, ac aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore sibi vel hæredibus suis legitimo aliquo titulo id evenire contigerit, benigne investire atque infeudare, nec non omnia & singula privilegia, Progenitoribus ac Patri suo, a divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, super iisdem castris, castellis, arcibus & villis concessa, clementer confirmare, ratificare, ac de integro concedere dignaremur. Nos sane clementer attentis humillimis ejusdem precibus, ac singularibus gratisque obsequiis, quibus tam majores, Paterque ipsius, quam ipse Nos Sacrumque Imperium coluerunt, atque imposterum ipse constanter colere poterit atque debebit, eadem privilegia omnia & singula, & præsertim suprascripta duo divorum quondam Caroli IV. & V. quatenus eum concernunt, seu concernere possunt, in omnibus suis capitibus, clausulis, articulis, sententiis, punctis & verborum expressionibus, laudaverimus, approbaverimus & comprobaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, & præfatum Jacobum, Marchionem de Malaspina, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, atque aliis, in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, atque autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, & omni publica functione prædictorum locorum, quemadmodum ea tenet & possidet, juxta prædictorum privilegiorum seriem, servato semper ordine primogenituræ inter quondam Alphonsum & Fratrem ejus Cornelium, Marchiones de Malaspina, die 5. Decembris, anno Domini supra sesqui millesimum septimo & septuagesimo erectæ, & per augustæ memoriæ, Imperatorem Rudolphum II. Dominum Propatruum & Prædecessorem Nostrum colendissimum, die vigesima 4ta Maji, anni proxime subsecuti septuagesimi octavi confirmatæ, quam & Nos Diplomate hoc Nostro Imperiali benigne ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi, vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investivimus, eaque omnia ipsi in feudum de novo concessimus, quemadmodum autoritate Nostra Romana Imperiali, vigore hujus Nostri Cæsarei Diplomatis laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus ac de novo in feudum concedimus, atque insuper eundem cum supradictis ejus terris, castris, arcibus & bonis in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus. Recepto tamen prius ab honorabili Nostro & Sacri Imperii fidele dilecto, Octavio de Bolognesis, Consanguinei & Principis Nostri carissimi, Mutinæ & Regii Ducis, in Aula Nostra Cæsarea Residente, & ad hunc actum speciatim constituto Procuratore, in animam ejusdem Jacobi, Marchionis Malaspinæ, debito ac consueto obedientiæ & fidelitatis juramento, ita ut ejusmodi bona feudalia deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio, tanquam feuda habeat, & possideat, & teneat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione; Nostris tamen & Sacri Imperii, & cujuscunque alterius juribus semper salvis, non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis, oblivione, ignorantia vel importunitate petentium datis seu dandis in contrarium, quibus omnibus, in quantum præsentibus, derogare aut contraire censerentur, autoritate Nostra Cæsarea, & certa Nostra scientia derogamus, ita quod per ea vel eas nullum prædicto Jacobo, Marchioni Malaspinæ, præjudicium generetur. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Viennæ septima die mensis Januarii, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, Regnorum Nostrorum Romani sexto, Hungarici decimo septimo, Bohemici vero decimo tertio.

XXXI. Li-

XXXI.

Litera, in quibus Leopoldus, Romanorum Imperator, Opizonem, ejusque Matrem ac Tutricem Blancham Rangonam, Marchiones Malaspinas, de Panichalis & Licciana, atque aliis feudis, terris, castris, arcibus & villis investivit, eorumque privilegia confirmavit, d. d. 8. Maji, Anno 1651.

FERDINANDUS TERTIUS (*Tit.*)

M*Agnifice fidelis dilecte;* Persuaseramus Nobis Commissionem nostram Cæsaream, quam super possessione portionis fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, Villarumque Amolæ & Campicontri, omniumque pertinentiarum, Marchioni quondam Jacobo Malaspinæ, quondam Oppizzonis, quippe qui ex formula contractus venditionis emptionis inter quondam Alphonsum Marchionem Ambrosium, ambos Malaspinas, initi, atque ex præscripto Cæsarei Nostri super eodem impertiti assensus, pretium dictæ portionis ei, cui assignatum fuerat, persolvit, tradenda iterato tertia & vicesima nimirum Januarii, & trigesima Julii altero, & quadragesimo, supra mille sexcentos, anno, clementer detuleramus, jam dudum debitæ fuisse mandatam executioni.

Verum enim vero, quum apud Nos Magnifica, devota, Nobis grata Blanca Rangona, Marchionissa Malaspina, nomine Oppizzonis, ejusdem ex prædicto quondam Jacobo Marchione filii, uti & Horatius Marchio Malaspina, eidem ex testamento adjunctus contutor, dolenter conquesti sint, præmemoratam Nostram Cæsaream tibi iterato delatam Commissionem ob iniquas, cum ipsius quondam Torquati Marchionis Malaspinæ de Suvero, præfatæ portionis feudi, castri & arcis usurpatoris ac detentoris, dum esset in vivis, tum hæredum ejusdem oppositas renitentias, neque dum ad debitum perductam esse effectum: Adeoque respective filium & fidei ipsorum commissum pupillum & precio, & redempta frustratum acerba læsione gravari: Adeoque Nobis humillime supplicarint, uti competentibus juris remediis pupillo suo dignaremur subvenire: Nos utique, qui quorumcunque supplicantium votis ac precibus, ratione & æquitate nitentibus, libenter annuimus, tanto facilius horum demississimæ petitioni censuimus subscribendum, quanto magis decet parentem publicum ad sollicitudinis ac pietatis paternæ præsidio destitutam minorem recurrere ætatem, & Cæsareis Nostris jussionibus suum firmare robur atque autoritatem, adeoque ad realem perduci effectum, quidquid salubri Nostra constitutum est ordinatione:

Atque idcirco tibi denuo clementer committimus, serio injungentes, ut supra memorato Marchioni Oppizzoni Malaspinæ, quondam Jacobi, vel ejusdem nomine ac loco supradictæ Marchionissæ Blancæ, Matri ac Tutrici ipsius, & eidem adjuncto Contutori Horatio, Marchioni Malaspinæ, realem & actualem possessionem sæpedictæ portionis castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis Villarumque, videlicet Amolæ & Campicontri, omniumque & singularum pertinentiarum, tum viridarii subter ipsum castrum siti, ac domus, vulgo stabuli Marchionis vocabulo nuncupatæ, adeoque omnium & singulorum in supramentionati contractus instrumento expressorum, plene tradas, ipsumque vel ipsos vere ac realiter immittas: Ad quod rite exequendum omnimodam facultatem, potestatem, autoritatem ac vices adeo Nostras Imperiales tibi delegantes; Qui, quæ cognita tua est, fide & dexteritate tibi a Nobis injuncta rite complere, & nulla interjecta moræ intercapedine, delegata explicabili procurare consilio, benignamque nostram atque omnimodam voluntatem peragere noveris, ita & Cæsaream Nostram jussionem accurate impletam, & supplicantibus ulterius conquerendi occasionem omnem ademptam esse, possimus reapse cognoscere. Qui de cætero gratiam Nostram Cæsaream tibi clementer confirmamus.

Datum in civitate Nostra Viennæ die vigesima nona Novembr. 1651.

XXXII.

Rescriptum Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris, ad Morellum, Marchionem Malaspinam exaratum, in quo eum, ut vel Marchioni Opizoni Malaspinæ, vel Marchionissæ Blancæ, Matri ejus atque Tutrici, realem atque actualem præstationem portionis castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, Villarumque Amalæ & Campi Contri ac pertinentiarum possessionem, eandemque plenariam, tradat, exhortatur, d. d. 29. Novembris, Anno 1651.

FErdinandus III. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ &c. tot Tit.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus testatumque facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis magnifica, devota, Nobis grata Blanca Rangona Malaspina, uti Mater, Tutrix & Curatrix filii sui minorennis, Marchionis Opizonis, humillime exponendum curarit, Nobis maritum quondam suum, Magnificum, Nostrum & Sacri Imperii fidelem, dilectum, Jacobum Malaspinam, super castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ, ac partibus quibusdam castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, Villarum Amalæ & Campi Contri, cum Viridario subtus ipsum castrum sito, ac domo, vulgo la stalla del Marchese nuncupata, & aliis in quibus jus obtinebat, cum suis jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & ad ipsum hæreditario jure devolutis & spectantibus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris & locis, si forte legitimo aliquo titulo id illi evenisset, aut

 ejus

ejus hæredibus pro tempore evenire contigerit, investitum, infeudatumque, & universa simul ac singula privilegia ipsi ac majoribus suis, a sacratissimis quondam Prædecessoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, super dictis castris, castellis, arcibus, villis ac feudis concessa, fuisse confirmata, redintegrata, ac de novo concessa, prout ex subinsertæ investituræ septima Januarii, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo expedito Diplomate liquidius sit videre:

* *Inserantur literæ investituræ Ferdinandi III. d. d. 7. Januarii, An. 1642. supra inserta.*

Nunc porro Nobis humillime supplicarit, ut, postquam dictus Jacobus, Marchio Malaspina, maritus suus, vita functus sit, ipsam tanquam matrem, tutricem & curatricem filii sui minorennis, Marchionis Opizonis Malaspinæ, de prædictis castris, castellis, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, nec non de portionibus castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, ac villarum Amalæ & Campi Contri, cum omnibus juribus & pertinentiis, tum viridario subter ipsum castrum sito, ac domo, vulgo la stalla del Marchese nuncupata, jure reluitionis dicti olim mariti sui Patris, Opizonis, vigore augustalis Nostri decreti, die vigesima quarta mensis Januarii, anno millesimo sexcentesimo, quadragesimo emanati, reservato ac indulto, nunc pretio rite persoluto, ad filium suum devolutis, atque aliis, in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus, juribus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis, ac aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi, vel hæredibus suis legitimo aliquo titulo id evenire contigerit, benigne investire atque infeudare, nec non omnia & singula privilegia, a divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, dicto marito suo super iisdem castris, castellis, arcibus & villis concessa, clementer confirmare, ratificare, ac de integro concedere dignaremur. Nos sane clementer attentis humillimis ejusdem precibus, ac singularibus gratisque obsequiis, quibus sæpe dictus quondam Jacobus, Marchio Malaspina, tum majores ipsius, Nos & Sacrum Romanum Imperium coluerunt, atque filium quoque suum minorennem Opizonem, pro eximia, quam præ se fert, spe atque expectatione idem facturum confidimus, eadem privilegia omnia & singula, & præsertim suprascripta duo divorum quondam Caroli Quarti & Caroli Quinti, in omnibus suis capitulis, clausulis, articulis, sententiis, punctis & verborum expressionibus, laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, & supra memoratam Blancham Rangonam Malaspinam, uti matrem, tutricem & curatricem filii sui minorennis, Marchionis Opizonis Malaspinæ, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus & villis Panichalis & Liccianæ, atque aliis, in quibus maritus olim suus Jacobus jus obtinuit, cum suis districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, & autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia & omni publica functione, quemadmodum ea tenuit & possedit, juxta prædictorum privilegiorum seriem, & servato semper ordine primogenituræ inter quondam Alphonsum, & Fratrem ejus Cornelium, Marchiones de Malaspina, die quinta Decembris, anno Domini supra sesqui millesimum septimo & septuagesimo erectæ, & per augustæ memoriæ Imperatorem Rudolphum II. Dominum Propatruum & Prædecessorem Nostrum colendissimum, atque a Nobis ipsis confirmatæ, quod Diplomate hoc Nostro denuo ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore filio tuo minorenni, vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investiverimus, eaque omnia ipsi in feudum, de novo concesserimus, quemadmodum autoritate Nostra Imperiali, vigore hujus Diplomatis Cæsarei laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, ac de novo in feudum concedimus, atque insuper eundem cum suprascriptis ejus terris, castris, arcibus & bonis, in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus. Recepto tamen prius a Nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Eberhardo Maximiliano Hostamaji de Webser, Cancellariæ Nostræ Imperialis Aulicæ latinæ Registratore, ad hunc actum speciatim constituto Procuratore in animam dictæ Blancæ Rangonæ Malaspinæ, uti matris, tutricis ac curatricis filii sui minorennis, Marchionis Opizonis Malaspinæ, debito ac consueto obedientiæ & fidelitatis juramento, ita ut hujusmodi bona feudalia a Nobis & Sacro Romano Imperio, tanquam feuda nomine tutorio teneat & possideat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione, Nostris tamen & Sacri Imperii & cujuscunque alterius juribus semper salvis; non obstantibus quibuscunque literis seu privilegiis, oblivione, ignorantia, vel importunitate petentium datis seu dandis in contrarium; Quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare, aut contraire censerentur, autoritate Nostra Cæsarea, & de certa Nostra scientia derogamus, ita, quod per ea vel eas, nullum prædictæ Blancæ Rangonæ Malaspinæ, aut filio ejus minorenni, Marchioni Opizoni, præjudicium generetur. Harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum.

Datum in civitate Nostra Viennæ, die octava Maji, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani decimo quinto, Hungarici vigesimo sexto, Bohemici vero vigesimo quarto.

XXXIII. In-

XXXIII.

Instrumentum de Juribus, sive stariorum novem tritici fictus annui præstationibus, quas Marchio Joannes Baptista Malaspina, Marchioni Ludovico Malaspinæ vendidit, conscriptum, d. d. 30. Jan. An. 1655.

IN Nomine Domini Amen. D. Marchio Jo. Baptista Malaspina, quondam D. Galleatii ex Marchionibus Fabricæ, sciens se vendidisse nunc quondam D. Marchioni Ludovico Malaspinæ quondam Dn. Francisci ex Marchionibus Orezoli jura, ac seu præstationes stariorum novem tritici victus annui, perpetui, nobilis, gentilis & feudalis solvi soliti ac debiti ad ratam per homines dictæ Villæ Fabricæ nominatos & descriptos in Lista, in Instrumento dictæ venditionis inserta, cumprehenso Homagio, Jurisdictione, & feudo quæ habet in dicto loco Fabricæ, pretio scutorum quinquaginta septem aureorum stampæ Hispaniarum, & solidorum viginti quatuor monetæ Genuæ currentis, cum pactis & sub modis, ac formis, ut constat in Instrumento dictæ venditionis, & inter alia cum pacto, quod ipse D. Marchio Jo. Baptista, ejusque hæredes &c. possint, eisque liceat intra quadriennium a die dictæ venditionis redimere & liberare dicta jura stariorum novem fictus, & aliorum ut supra vendita, facta restitutione dictorum scutorum quinquaginta septem, & solidorum viginti quatuor Genuæ dicto Domino Marchioni Ludovico, seu &c.

Item, & vendidisse D. Marchioni Antonio Mariæ Malaspinæ quondam Spectabil. Dn. Petri Francisci jura duorum aliorum stariorum tritici fictus, impositi super bonis Jo. Mosconi, appellati il Volpone, sitorum in dicto loco Fabricæ pretio duplarum sex auri cum termino triennii ad redimendum, & dictus D. Marchio Antonius Maria illa vendiderit dicto nunc quondam D. Marchioni Ludovico Malaspinæ, ut ex publicis scripturis, quibus habeatur relatio.

Sciens quoque per fideicommissarios nunc dicti quondam D. Marchionis Ludovici fuisse factam venditionem dictorum jurium, & præstationis fictus dictorum stariorum novem, & dictorum aliorum stariorum duorum, comprehenso homagio, & in jurisdictione atque feudo nunc quondam Excellentissimo Principi Andreæ Doriæ Landi, ut constat ex Instrumento recepto in loco Octoni manu Notarii Hieronymi Rochæ die 9. Maji 1652. pro pretio totidem scutorum quinquaginta septem auri, & solidorum viginti quatuor, & respective dictorum stariorum duorum pro pretio totidem duplarum sex auri, ut patet ex dicto Instrumento, cujus tenor sequitur, & est talis, videlicet:

In Nomine Domini Amen. Cum sit, quod nunc D. Marchio Ludovicus Malaspina, quondam D. Francisci ex Marchionibus Orezoli titulo emptionis acquisiverit a D. Marchione Joanne Baptista Malaspina, quondam D. Galleatii ex Marchionibus Fabricæ jura, ac seu præstationem stariorum novem tritici fictus annui perpetui, nobilis, gentilis, & feudalis solvi soliti, ac debiti ad ratam per homines dictæ Villæ Fabricæ nominatos, & descriptos in Lista in Instrumento dictæ acquisitionis inserta, pretio scutorum quinquaginta septem aureorum stampæ Hispaniarum, & solidorum viginti quatuor monetæ Genuæ currentis, per dictum D. Marchionem Ludovicum tunc solutorum dicto D. Marchioni Jo. Baptistæ, pactis inter dictos D. D. emptorem & venditorem actis, & solemni stipulatione vallatis infrascriptis, videlicet:

Pmo quod dictus Dn. Marchio Jo. Baptista ejusque hæredes possint, eisque liceat intra quadriennium a die dictæ venditionis inceptum redimere, & liberare dicta jura stariorum novem fictus vendita, facta restitutione dictorum scutorum quinquaginta septem, & solidorum viginti quatuor Genuæ dicto D. Marchioni Ludovico, seu &c.

Item quod dicta solutione, ut supra, in pactum deducta, infra dictum quadriennium non sequuta, teneatur dictus D. Marchio Ludovicus emptor sive ejus hæredes dare, & exbursare dicto D. venditori pro complemento pretii dictorum stariorum novem fictus usque ad summam scutorum aureorum nonaginta, computatis tamen dictis scutis quinquaginta septem tunc solutis, & in quo pretio dictorum scutorum nonaginta aureorum intelligantur comprehensa homagia, jurisdictio, & feudum, quæ habet in dicto loco Fabricæ dictus D. venditor, & quæ ex tunc intelligantur vendita pro dicto pretio dictorum scutorum in totum nonaginta aureorum.

Item quod dictus D. emptor teneatur emere quamcumque aliam quantitatem fictus, quam haberet in dicto loco Fabricæ dictus D. venditor præter dicta staria novem ad rationem dicti pretii dictorum stariorum novem, cum homagiis, jurisdictione, & feudo, prout latius constat ex Instrumento dictæ venditionis recepto in dicto loco Fabricæ per D. Dom. Vallem, Notarium, die 6. mensis Decembris anni 1651. per me Notarium, viso & lecto coram testibus infrascriptis, & in fine præsentis Instrumenti describendo de verbo ad verbum, ad quod &c.

Cumque etiam D. Jo. Franciscus de Nobilibus quondam D. Jo. Angeli nomine & de pecuniis infrascriptorum filiorum minorum, & hæredum dicti nunc quondam D. Marchionis Ludovici titulo pariter emptionis acquisiverit jura aliorum stariorum duorum tritici qualitatis prædictæ impositi in & super bonis Joannis Mosconi, appellati il Volpone sitis in dicto loco Fabricæ a D. Marchione Antonio Maria Malaspina quondam Spectabil. D. Petri Francisci ex Marchionibus Orezoli, pretio duplarum sex auri, videlicet, trium Hispanicorum, & trium Italiæ & quæ jura dictorum stariorum duorum fictus sunt illamet, quæ dictus Dn. Marchio Antonius Maria per prius eodem pretio emerat a dicto D. Marchione Jo. Baptista, cum termino triennii ad redimendum, ut supra incipiendi, prout de dictis emptionibus apparent publica Instrumenta, recepta alterum per D. Albertum Canevarium Notarium, die 15. Octobris anni 1652. alterum vero per dictum D. Domenicum Vallam, Notarium, dicta die 15. Octobris dicti anni 1652. per me Notarium pariter visa & lecta coram testibus infrascriptis & in calce præsentis Instrumenti similiter describenda, ut supra.

Cumque D. Domenica Violans, Uxor relicta dicti nunc quondam D. Marchionis Ludovici, & Jo. Fran-

Franciscus de Nobilibus, tutores, & pro tempore Curatores D. D. Francisci Mariæ, Antonii, Angeli Mariæ, Paulini, & Caroli Mariæ Masculorum, nec non & Angeletæ Apoloniæ, & Juliæ Fœminarum, filiorum minorum, & hæredum dicti nunc quondam D. Ludovici, prout de præmissis tutela, & cura apparet ex actis hujus Curiæ, per me Notarium receptis sub hac die, ad quæ &c. deliberarint dignis de causis, illis benevisis, & quia sic expedire crediderunt, & credunt, dictis minoribus vendere jura dictorum stariorum undecim fictus, dictaque Homagia, jurisdictionem & feudum respective, & ut supra acquisita, de qua animi dictorum Tutorum deliberatione cum notitiam habuerit Illustrissimus & Excellentissimus D.D. Princeps Andreas Doria Landus, Dominus noster, & propterea mandaverit J. C. D. Dominico ab Ecclesia, quondam D. Antonii de loco St Stephani Vallis Avanti, suo in præsentiarum Commissario Octoni, ejusque Jurisdictionis quatenus suo D. D. Principis nomine emat a dictis Tutoribus jura dictorum stariorum undecim fictus, una cum dictis Homagiis, Jurisdictione, & feudo, ut ex litteris S. E. ad præfatum J. C. D. Commissarium directis, & datis Genuæ die quinta instantis mensis Maji per me Notarium, ut supra, lectis, & ad quas &c.

Hoc ideo constituti coram me Notario, & testibus infrascriptis dicti D. D. Violans, & Jo. Franciscus, dictis tutorio, & pro tempore Curatorio nominibus dictorum filiorum minorum, & hæredum dicti quondam D. Marchionis Ludovici &c. sponte &c. & omni meliori modo &c. vendiderunt, & titulo, ac ex causa venditionis dederunt cesserunt, tradiderunt, & mandaverunt, seu quasi &c. præfato J. C. D. Dominico ab Ecclesia, Commissario Octoni &c. præsenti, ementi, & acceptanti nomine præfati Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Principis, Andreæ Doriæ Landi, dicto nomine stipulante etiam me Notario &c. Jura dictorum stariorum undecim fictus, hoc est dictorum stariorum novem, ut supra, per dictum nunc quondam D. Marchionem Ludovicum a dicto D. Jo. Baptista acquisitorum, & jura dictorum aliorum duorum stariorum acquisitorum per dictum D. Jo. Franciscum de peccuniis dictorum filiorum minorum, & hæredum dicti nunc quondam D. Ludovici a dicto D. Marchione Antonio Maria, nec non, & dicta homagia, jurisdictionem & feudum, dictis minoribus in dicto loco Fabricæ quomodocumque competentibus, & competitura, & de quibus fictibus, jurisdictione, & feudo in supradictis Instrumentis, ut supra memoratis, & infra descriptis fit mentio, ad habendum, gaudendum, & possidendum cum omnibus, & singulis suis juribus, libera, franca & expedita ab omni onere, vinculo, & solutione, & hanc venditionem dicti D. D. Violans, & Jo. Franciscus dictis nominibus fecerunt, & faciunt pro pretio, & nomine veri, & conventum pretii respectu dictorum stariorum novem, scutorum quinquaginta septem auri stampæ Hispaniarum, & solidorum viginti quatuor monetæ Genuæ, & respectu dictorum stariorum duorum, duplarum sex, videlicet trium Hispaniarum, & trium Italiæ, & quas omnes pecunias dicti D. D. Violans, & Joann. Franciscus dictis nominibus confitentur habuisse, & recepisse a præfato Il. D. Dominico ab Ecclesia, Commissario præsente, & exbursante de pecuniis Illustrissimæ Cameræ præfati Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Principis D. N. prout vere, realiter, & cum effectu habuerunt, & receperunt in pecunia aurea, & argentea numerata, quam ad se traxerunt coram me Not. & testibus infrascriptis, & de eis sese dictis nominibus bene solutos vocaverunt, & vocant &c. facientes dictis tutorio, & pro tempore Curatorio nominibus finem & quitationem &c. promittentes &c. Renunciantes beneficio cujuscumque legis, & exceptionis &c. & si plus valerent supra dictum staria undecim fictus, nec non, & dicta Homagia, Jurisdictio & feudum, ut supra vendita pretio prædicto, illud supra plus dicti D. D. Violans & Jo. Franciscus dictis nominibus remiserunt & donaverunt præfato Il. D. Dom. ab Ecclesia Commissario præsenti, & acceptanti nomine, de quo supra, mihique Notario stipulanti &c. titulo, & causa, meræ, puræ, & simplicis & irrevocabilis donationis, & inter vivos, quæ nullo modo, jure, vel causa possit revocari, sed omnino irrevocabilis &c. Renunciantes &c.

Et præsertim beneficio *L. 2. C. de rescind. vend. L. siumquam, ac L. fin. c. de revocand. donat. & tit.* de quibus, & eorum beneficio asserunt, se esse plenissime informatos a jurisperito, & eis non uti, nec se tueri promittunt, & ita etiam jurant &c. quorum quidem stariorum undecim fictus, dictorumque homagiorum, ac jurium feudalis possessionem, seu quasi, & dominium ipsi D. D. Tutores, & pro tempore Curatores præfato Il. D. Domenico præsenti & acceptanti nomine præfatæ S. E. mihique Notario &c. dederunt, & transtulerunt dictis nominibus, dantque, & transferunt &c. constituentes &c.

Insuper ex dicta causa cesserunt dictis nominibus omnia jura &c. nihil penitus juris &c. ita ut dictis juribus &c. Constituentes, & ponentes &c.

Promittentes dictis nominibus dicti D. D. Violans, & Jo. Franciscus de evictione, & legitima defensione in ampla forma &c. & prædicta omnia & singula dicti contrahentes fecerunt, & faciunt, salvo semper Imperiali assensu, qui peti possit, ac valeat semper & quandocumque &c. per præfatum Excellentissimum D. D. Principem, Dominum meum, etiam solum, & irrequisitis dictis Tutoribus, & pro tempore Curatoribus, ac seu alia quacumque persona, ut non aliter, nec alio modo &c. quia sic &c. quæ omnia &c. sub pœna Dupli &c. obligaverunt &c. jurantes &c. de quibus omnibus &c. Per me Hieronymum Roccam Notarium &c. actum in Turri Octoni, videlicet, in cubiculo, in quo dormit præfatus Il. D. Comus anno a Nativitate Domini 1652. Indictione septima secundum Romanum Cursum, die Sabbathi, nona Maji, in vesperis, præsentibus R. D. P. Joanne Francisco Garbarino, filio Spectabil. D. Jo. Baptistæ, de præsenti burgo Octoni, D. Francisco ab Ecclesia, quondam D. Antonii de loco St. Stephani, Vallis Avanti, & D. Antonio Stafforino quondam St. Stephoni, Chirurgo in præsenti burgo Octoni, Testibus ad prædicta vocatis, & rogatis &c.

Hieronymus Rocca, Not.

Salvo &c.

Hinc

Hinc est, quod dictus Dn. Marchio Jo. Baptista Malaspina sponte &c. & omni meliori, modo &c. Salvo semper ad cautelam assensu Cæsareo &c.

In primis renunciavit, & renunciat Excellentissimo D. Principi Jo. Andreæ Doriæ, filio præfati quondam Excellentissimi Principis Andreæ, & ad ejus commodum, & favorem, & pro eo Excellentissimæ Principissæ Violanti, ejus Matri, & Balivæ, licet absentibus, interveniente pro ea dicto nomine, & cum promissione rati &c. Domino Nicolào Lomellino ejus Patre &c. jus redimendi dicta jura, & præstationem dictorum stariorum novem tritici, & aliorum stariorum duorum tritici, de quibus fit mentio in supra registrato Instrumento, & comprehendenti dicta homagia, jurisdictione, feudoque voluit, atque vult dictam facultatem, seu jus redimendi bona, seu jura prædicta censeri, & haberi perinde, ac si dicto D. Marchioni Jo. Baptistæ non competet, vel non competiisset, quinimmo, & ad majorem cautelam, vigore præsentis, inhærendo etiam venditioni, factæ per dictos D. D. fideicommissarios dicti quondam D. Marchionis Ludovici vendidit &c. præfatæ Excellentissimæ Principissæ ejus Matri & Balivæ, licet absentibus &c. D. Nicolao ejus Patri, & mihi Not. stipulantibus &c. principaliter cessit & cedit omnia & singula jura, rationes, & actiones &c. quæ & quas habet, & sibi competunt, aut melius competierunt, atque competere possunt in dictis juribus, seu præstationibus dictorum stariorum novem, & aliorum duorum frumenti, comprehenso homagio, vigore prædictarum, & aliarum quarumvis scripturarum &c.

Nil juris in ipso D. Marchione Jo. Baptista penitus retento, aut reservato, & ne quidem exercitio directarum actionum, quod ex pacto transtulit, & transfert in præfatum Excellentissimum Principem Jo. Andream Doriam, ac ejus hæredes, & successores &c. ita ut dictis juribus, rationibus, & actionibus ut supra renunciatis, venditis, & cessis possit, & valeat præfatus Excellentiss. Princeps Jo. Andreas Doria, ac hæredes, & pro eo dicta Excellentiss. Principissa Violantes ejus Matre, & Baliva uti, agere, excipere, experiri, consequi, & se tueri, ac omnia alia & singula facere, quæ facere potuisset ipse D. Marchio Jo. Baptista Malaspina ante præsens Instrumentum. Ponens dictum Excellentissimum Principem Joannem Andream, & pro eo dictam Excellentissimam D. Principissam Violantem ejus Matrem & Balivam, licet absentes &c. me Notario &c. in jus, statum, & personam ipsius D. Marchionis Jo. Baptistæ in dictis juribus, & præstatione dictorum stariorum novem frumenti, & aliorum stariorum duorum frumenti ut supra venditis; Constituens eum, & eam, ac hæredes &c. Dominum & Procuratorem, Dominam & Procuratricem, ac Dominos, & procuratores irrevocabiles in rem, & causam propriam &c. Possessionem quoque, & Dominum, seu quasi dictorum jurium & præstationum dictorum stariorum undecim frumenti, ac Homagii, si opus sit, denuo libere dedit & transtulit in dictum Excellentissimum Dominum Principem Jo. Andream, ac hæredes &c.

Constituens &c. interim tenere & possidere nomine præfati Excellentissimi Principis Jo. Andreæ ac hæredum &c. tam precario nomine, quam per simplex constitutum &c. promittens quoque, jura juribus addendo, & citra novationem & præjudicium priorum jurium, dicta jura & præstationes dictorum stariorum undecim, ut supra vendita, perpetuis temporibus defendere a quibusvis persona & personis &c.

Et omnem litem, quæ super eis, & eorum occasione moveretur præfato Excellentissimo Principi Jo. Andreæ, vel hæredibus &c. in se ipsum Dn. Marchionem Jo. Baptistam Malaspinam, ac hæredes suscipere, etiamlite jam contestata, & in quacumque parte judicii, illasque prosequi, & terminari facere expensis & laboribus ipsius Marchionis Jo. Baptistæ Malaspinæ, ac hæredum &c. & si quæ evictio sequeretur in totum, seu in partem, solvere, reddere, & restituere dicto Excellentissimo Principi Jo. Andreæ Doriæ ac hæredibus pretium rei evictæ in toto, seu in parte, prout evictio sequi contigerit &c. remissa necessitate renunciandi &c.

Quam quidem renunciationem dicti juris luendi, & alia, de quibus supra, attentis his, de quibus in instrumentis venditionum, per ipsum Dominum Marchionem Jo. Baptistam factarum, dictis Marchionibus Ludovico, & Antonio Mariæ respective &c. fecit & facit pro pretio duplarum triginta novem, & duarum tertiarum partium alterius duplæ auri in auro stampæ Genuæ, quas confessus fuit habuisse & recepisse, prout eas vere, realiter, & cum effectu habuit & recepit in pecunia numerata effective coram me Notario, & testibus infrascriptis per manus dicti Domini Nicolai Lomellini præsentis, & solventis, ut asserit, de pecuniis dictæ Excellentissimæ Principissæ Dn. Violantis ejus filiæ, me Notario &c. & de eis &c. quare quitavit faciens finem &c. & si plus valeret, vel valerent &c. illud supra plus &c. quantumcunque fuerit donavit &c. renuncians cum *juramento L. 2. C. de rescind. vendit.* & omni alii juri &c. certioratus &c. renunciantes &c. quæ omnia &c. sub pœna dupli &c. & cum restitutione &c. ratis &c. & proinde &c.

Supplicantes dictus Dominus Marchio Jo. Baptista Malaspina, & dictus Dominus Nicolaus Lomellinus, nomine dictæ Excellentissimæ Principissæ Violantii, ejus filiæ dicto nomine suam Cæsaream Majestatem, quatenus velit & dignetur præsens Instrumentum, ac alterum, ut supra registratum, omnia & singula in ipsis, & unoquoque eorum contenta comprobare, atque convalidare, & suam Cæsaream autoritatem interponere, & assensum præstare, & supplere quoscunque defectus, qui in eis, & singulo eorum adessent, & præcipue quatenus dici posset, non potuisse fideicommissarios ipsius Domini Marchionis Ludovici venditionem, de qua in supra registrato Instrumento facere & decernere validam fuisse, fore, & esse, perinde ac si omnes solemnitates, a jure requisitas, intervenissent, & hoc ejus benigno Decreto cum clausulis derogatoriis &c. de quibus omnibus &c.

Per me Jo. Andream Celesiam Notarium &c.

Actum Genuæ in studio D. Bernardi Navarri causidici, anno a nativitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, indictione septima more Genuæ, die Sabathi trigesima mensis Januarii, in tertiis, præsentibus Jo. Dominico Lora, quon-

quondam Luciani, & Jo. Bartholomæo Borraca D. Jo. Francisci, testibus ad præmissa vocatis.

Anno, & indictione prædictis, die Dominico, ultima dicti mensis Januarii, in tertiis in uno ex Salotis Palatii solitæ habitationis præfatæ Excellentissimæ Principissæ in contrata Fassuoli, in circuitu novorum Menium Genuæ.

In nomine Domini Amen. Præfata Excellentissima Principissa Violantis Doria Lomellina, Balia præfati Excellentissimi Domini Principis Jo. Andreæ Doriæ ejus filii, cui Excellentissimæ D. Violanti fuit lectum vulgari sermone per me Notarium Instrumentum, de quo supra &c. sponte &c. & omni meliori modo &c. dicto nomine ratificavit & approbavit, ratificat & approbat supradictum Instrumentum, ac omnia & singula in eo contenta, nomine S. E. dicto nomine factum & facta per dictum Dominum Nicolaum Lomellinum, ejus Patrem acceptat, supplicat, & facit in omnibus, & per omnia, prout nomine ipsius ac dicti Excellentissimi Principis, Jo. Andreæ Doriæ, ejus filii, acceptatum, supplicatum, & factum fuit, ut in dicto Instrumento, quæ omnia & singula hic pro repetitis de verbo ad verbum haberi voluit, & vult me Notario ad cautelam stip. &c. Renuncians &c. quæ omnia &c. sub pœna dupli &c. & cum restitutione &c. ratis &c. & proinde &c. de quibus omnibus &c.

Per me dictum Jo. Andream Celesiam, Notarium &c. Actum in omnibus, ut supra, præsentibus Germano de Germanis, quondam D. Bernardi, & Jo. Andrea Parodo, filio Josephi, Testibus vocatis &c.

Ex actis quondam D. Jo. Andreæ Celesiæ Notarii, Patris mei penes me existentibus, in quorum &c.

Joseph Celesia, Notarius &c.

Joseph Abbas Guerra J. V. D. Protonotarius Apostolicus, in Archiepiscopatu Genuæ Vicarius Generalis, cunctis attestamur, dictum Dn. Josephum Celesiam, qui supradictam publicam scripturam extraxit, & manu sua propria subscripsit, suoque solito Tabellionatus signo signavit, fuisse & esse publicum legalemque Notarium Collegiatum Genuæ, scripturisque ejus publicis in judicio & extra plenam fidem adhibitam fuisse, & adhiberi, prout cum Juramento tactis &c. attestati sunt Spect. D. Bartholomæus Lapredonus, quondam D. Augustini, qui eum pluries atque pluries scribere & subscribere vidit, & D. Jo. Augustinus Bacigalupus, quondam D. Bernardi, qui eum præsentem subscribere vidit. In quorum &c. Dat. Genuæ in Palatio Archiepiscopali Anno 1697. die 24. Sept.

Thomas Andreas Riccius,
Not. Curiæ Archiepiscop. Genuæ.

XXXIV.

Leopoldi, Roman. Imperat. literæ, in quibus Nicolaum, Marchionem Malaspinam, de Virguletta, Villa Rochetta, Beveroni, Garbugliagha, Castris, locis atque feudis, nec non Villa Francæ parte, eorundemque juribus & annexis investivit, d. d. 27. Jan. An. 1660.

LEopoldus Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Nicolaus, quondam Hannibalis ex Marchionibus Malaspinis de Villa Franca Luni, Sarzanensis Diœceseos, humillime exponendum curarit, sese a Divo quondam Imperatore Ferdinando tertio, Domino Prædecessore ac Patre nostro Colendissimo, Augustissimæ memoriæ, pro se, liberis, hæredibus, ac descendentibus legitimis Masculis, super Castris, locis ac feudis Virgulettæ, Villæ Rocchettæ, Beveroni, Garbugliaghæ & dimidia parte Villæ Francæ, una cum suis juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, uti & confirmatione omnium & singulorum tuitionis, protectionis, Salvæ Guardiæ, aliorumque a divis quondam Imperatoribus Carolis quarto & quinto, Ferdinando primo, Maximiliano ac Rudolpho Secundis, Matthia & Ferdinando secundo, Dominis Antecessoribus nostris gloriosissimæ recordationis, majoribus ipsius concessorum privilegiorum investitum infeudatumque fuisse, prout ex subinserto Investituræ de tertia Januarii, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio expeditæ Diplomate uberius & clarius sit videre.

(*Inseratur Ferdinandi Diploma Invest.*)

Ac proinde nos supplicabundo rogarit, ut, quandoquidem divina providentia ad Imperialis Majestatis thronum evecti, Sacrique Romani Imperii gubernacula admoti, simulatque ideo Nos ipse quoque majorum suorum investitorum more atque exemplo in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii officia recte, ordine, moribus, ac legibus præstare atque adimplere desideret, ut de supra dictis feudis, Castris & locis, ipsum clementer investire atque infeudare, & præmemorata privilegia ipsi confirmare dignaremur. Nos sane benigne consideratis demississimis pariter atque æquissimis id genus precibus, tam constanti addictæ fidei, devotionis & obsequii studio, quo tum sæpe dictus Hannibal pater, tum Majores ipsius augustissimos Prædecessores nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, & Sacrum Romanum Imperium hucusque coluerunt, atque in futurum etiam ipse Nicolaus colere promittit, spondetque, poterit etiam ac debebit, justis ipsius desideriis benigni volentes censuerimus annuendum, adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine eidem Nicolao quondam Hannibalis ex Marchionibus Malaspinis omnia & singula præinserta Divorum quondam Carolorum quarti & quinti, Ferdinandi primi, Maximiliani & Rudolphi secundorum, Matthiæ & Ferdinandi secundi gloriosissimæ memoriæ, privilegia in omnibus & singulis suis capitibus, clausulis, articulis, punctis, tenoribus, sententiarum & verborum expres-

possessionibus, prout jacent, & quantum supradictum Marchionem ratione memoratorum castrorum, locorum & feudorum Virgulettæ, Villæ Rocchettæ, Beveroni, Garbugliaghæ, & dimidiæ Villæ Francæ concernunt, clementer laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, ipsumque Nicolaum pro se ipso filiisque suis & hæredibus masculis legitime natis, vel nascituris, servato semper ordine primogenituræ, ita ut primogenitus masculus semper succedat, & sic de primogenito in primogenitum in linea masculina, tantum in infinitum usque, de prædictis castris, locis ac feudis Virguletta, Villa Rocchetta, Beverono, Garbugliagha, & dimidia parte Villæ Francæ, jure hæreditario, atque in successione avita ad ipsum devolutis & spectantibus, aliisque, in quibus jus obtinet, ac universis eorum districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, atque autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, & cum omnibus juribus & pertinentiis, prout majores ipsius habuerunt, obtinuerunt ac possederunt, & ipse Nicolaus etiam nunc habet, obtinet, possidet, investiverimus atque infeudaverimus, quemadmodum vigore præsentium laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, atque infeudamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, Nostris tamen & Sacri Imperii, atque alterius cujuscunque juribus semper salvis, & recepto prius ab ipsius Marchionis Nicolai constituto Procuratore legitimo, idoneo, ac sufficienti ad hoc mandato instructo, honorabili, devoto, fideli Nobis dilecto Joanne Baptista Forzesano, in animam dicti Marchionis debito fidelitatis & homagii Juramento. Præterea eundem Nicolaum, Marchionem Malaspinam, cum supradictis castris, locis & feudis, Virguletta, Villa Rocchetta, Beverono, Garbugliogha, & dimidia Villa Franca de novo atque integro in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem, & salvam guardiam specialem recipimus & assumimus: Volentes & hoc Cæsareo Nostro Edicto statuentes, quod sæpedictus Nicolaus una cum memoratis castris, locis ac feudis sit, teneatur & esse debeat sub hac Nostra speciali tuitione & salvaguardia, nec non Imperialis Nostræ Aquilæ clypeo perpetuo salvus, tutus, protectus & securus ab omni gravamine, oppressione, & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum, & quod deinceps omnibus & singulis immunitatibus, favoribus, gratiis & prærogativis utatur, fruatur, potiatur & gaudeat, quibus alii, qui sub hujusmodi Nostra, & Sacri Imperii salvaguardia, & protectione constituti sunt, de jure, sive consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, sine cujuspiam impedimento aut contradictione, ita tamen, ut prædictus Marchio, quotiescunque ab aliquo conventus fuerit, in judicio coram competente judice sese sistere teneatur ac debeat.

Nulli ergo prorsus hominum fas licitumve sit, hanc Nostræ laudationis, approbationis, confirmationis, ratificationis, novæ concessionis, investituræ, infeudationis, derogationis, tuitionis, protectionis, salvæguardiæ, decreti, voluntatis & gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire: Siquis autem secus fecerit, idque attentare præsumpserit, is, præterquam quod Nostram & Sacri Imperii gravissimam indignationem incurret, quinquaginta insuper Marcarum auri puri, in semisse ærario sive fisco Nostro Imperiali aulico, in altero vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus totiens, quotiens contravenerit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam damnatus esto. Harum testimonio literarum manus Nostræ subscriptione & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in civitate Nostra Viennæ, die 27. Januarii, An. 1660.

XXXV.

Literæ Leopoldi, Romanorum Imperatoris, in quibus Cæsarem Mariam, Marchionem Malaspinam, de Mulatii, Madrognani, Busaticæ & Cascianæ, castris, feudis atque locis, una cum omnibus eorum juribus, jurisdictionibus atque reditibus, in quantum ad illum spectabant, investivit, d. d. 10. Apr. An. 1660.

LEOPOLDUS (tot. Tit.)

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum demisse Nobis exponendum curarit Magnificus Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Cæsar Maria, Marchio Malaspina, ab Augustissimo quondam Imperatore, Divo Ferdinando Tertio, Domino Genitore ac Prædecessore Nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, sese de castris, feudis & locis, Mulatii, Madrognani, Busaticæ & Cascianæ, cum omnibus eorum juribus, jurisdictionibus ac reditibus, quantum ad illum spectabant, decima tertia die mensis Aprilis, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, rite investitum atque infeudatum fuisse, cujus quidem Investituræ tenor sequitur in hæc verba:

Inferantur Literæ Investituræ de dat. 13. Apr. Anno 1638.

Ideoque Nobis humillime supplicarit, ut, quandoquidem auspice DEo ad Sacri Imperii fastigium evecti simus, atque Nos ipse in supremum, directum & immediatum Dominum suum, ea, qua vasallum decet, devotione recognoscere, Nobisque debitum fidelitatis juramentum præstare desideret, ejusmodi autem requisitionem feudorum suorum & solennium præstationem, non prius sibi faciendam existimarit, quam a tempore quo ad Residendentiam Nostram Cæsaream rediissemus, Nos exiguam moram, quæ a tempore ad dictam requisitionem legibus præfixo, sine omni dolo suo intercurrerit, ipsi benigne indulgere, omniaque & singula Privilegia Progenitoribus suis a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, super castris & locis Mulatii Madrognani, Montis Regii, Putei, Castagnedulæ, Busaticæ, & Cascianæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, ad ipsum per successionem translata benigne confirmare & ratificare, eaque ipsi de

novo in feudum clementer concedere dignaremur.

Nos clementer matureque consideratis omnibus, quas prædictus Marchio Cæsar Maria pro exculpanda mora sua allegavit, rationibus & causis, humillimisque ejusdem precibus, nec non Majorum ejus ad ipsiusmet gratis obsequiis, quibus divos Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores & Reges, ipsumque Sacrum Romanum Imperium prosecuti sunt, & quæ idem Marchio Nobis quoque & Sacro Imperio se singulari fide animique promptitudine deinceps præstiturum pollicetur; Ex certa Nostra scientia animoque bene deliberato ac sano accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis Nostræ plenitudine moram in requisitione investituræ commissam, ex gratia speciali indulsimus, omnemque caducitatem feudi, quæ hoc nomine prætendi potuisset, benigne remisimus, & Privilegia omnia & singula illius Progenitoribus, super prædictis castris & locis, a divis Prædecessoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus rite concessa, in omnibus eorum punctis, articulis, clausulis & tenoribus, ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, tenore præsentium confirmamus & approbamus, & eundem Marchionem Cæsarem Mariam, prout ad illum spectat, de supradictis feudis, castris, & locis Mulatii, Madrognani, Montis Regii, Putei, Castagnedulæ, Busaticæ & Cascianæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, ad dicta feuda, loca, castra pertinentibus, prout ad ipsum quondam per successionem paternam jure hæreditario, vel alio justo & legitimo titulo devenerunt, ac quemadmodum ipse Marchio ea adhuc rite tenet ac possidet, juxta dictorum Privilegiorum seriem, recepto tamen vicissim ab honorabili Consiliario & fideli Nobis dilecto Petro Viso de Moylevau, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, sufficienti ad hoc mandato instructo, in animam dicti Cæsaris Mariæ, Marchionis Malaspinæ, debito fidelitatis & homagii juramento investivimus, & in feudum de novo concessimus, prout autoritate Nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, per præsentes investimus, ac in feudum de novo concedimus, ita quod hujusmodi castra & loca pro sua parte tanquam feuda deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio habeat, teneat & possideat, illisque utatur & fruatur sine alicujus impedimento, vel contradictione, Nostris tamen & Sacri Imperii, & aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis, supplentes ex eadem certa Nostra scientia & autoritate Imperiali omnes & quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in præmissis ex mora aut alias quovis modo intervenissent, aut intervenisse dici allegarive, atque ex iis prædictorum feudorum caducitas ullatenus prætendi posset, quibus omnibus vigore præsentium plane derogamus, & derogatum esse volumus, non obstantibus quibuscunque, tam generatim quam speciatim in contrarium facientibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, ratificationis, indulti, novæ concessimus investituræ & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; si quis autem id attentare præsumpserit, Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam, ac pœnam quinquaginta marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum dimidiam Imperiali fisco, seu ærario Nostro, reliquam vero parti læsæ decernimus applicandum. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Viennæ, die 10. Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce attestor Viennæ 11. Junii, A. 1698.

Rab. Herm. de Bertram,
Secr. & Archiv.

(L.S.)

XXXVI.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Litera, in quibus Marchionem Opizonem Malaspinam, ejusque loco Marchionissam Blancam Rangonam Malaspinam, utpote ipsius Matrem, Tutricem atque Curatricem, de castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ, ac quibusdam castri, fortalitii, feudi & loci Montis Simonis, Villarum Amalæ & Campi-Contri partibus, & quæ sunt reliqua, investivit, eorumque Literas Investituræ, a divis quondam Romanorum Imperatoribus obtentas, confirmavit, d. d. 12. Aprilis, anno 1660.

LEOPOLDUS &c.

AD perpetuam rei memoriam recognoscimus, testatumque facimus tenore præsentium universis. Quod cum Nobis Magnificus Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Marchio Opizo Malaspina, quondam Jacobi Marchionis Malaspinæ filius, humillime exponendum curarit, a Divo quondam Imperatore Ferdinando Tertio, Domino Prædecessore & Patre Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ, Magnificam, devotam, Nobis gratam Blancam Rangonam Malaspinam, uti Matrem, Tutricem & Curatricem suam, de castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ, ac partibus quibusdam castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, Villarum Amulæ & Campi-Contri, cum viridario subtus ipsum castrum sito, ac domo, vulgo la stella del Marchese nuncupata, & aliis, in quibus supradictus Jacobus Marchio Malaspina, Pater ejus, jus obtinuit, cum suis jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & ad ipsum hæreditario jure devolutis & spectantibus, cum reservatione jurium, & prætensionum accessorii in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte legitimo aliquo titulo, id illi ex successione Paterna evenisset, aut ejus hæredibus, pro tempore evenire con-

contigerit, die 8. Maji 1651. suo nunc minoris nomine, benigne investitam & infeudatam, & singula privilegia, quondam majoribus suis a Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus super dictis castris, castellis, arcibus, ac feudis concessa, confirmata, reintegrata, ac de novo concessa fuisse, prout ex subinsertæ investituræ tenore liquidius videre est:

Inseratur Litera Investituræ Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris d. d. 8. Maji, Anno 1651.

At nunc porro supradictus Opizo, Marchio Malaspina, quondam Jacobi, Nos demississime rogavit, ut, postquam Divina favente clementia ad supremum Imperatoriæ Majestatis solium evecti simus, atque ipse legitimos majorennitatis suæ annos attigerit, ideoque Nos in supremum, immediatum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii justa, prout fidelem ac devotum vasallum & subditum decet, recte, atque ordinem adimplere desiderat sibi renovationem Investituræ de prædictis castris, castellis, arcibus, villis Panichalis & Liccianæ, nec non de portionibus castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, ac villarum Annulæ & Campi-Contri, cum omnibus juribus ac pertinentiis, tum viridario, subtus ipsum castrum sito, domo, vulgo la stella del Marchese nuncupata, atque aliis in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus, juribus, cum reservatione jurium, & prætensionum successionis, ac aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore, ipsi, vel hæredibus suis, legitimo aliquo titulo, id evenire contigerit, benigne concedere, nec non omnia & singula privilegia, a divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, quondam Majoribus suis, super iisdem castris, castellis, arcibus & villis concessa, clementer confirmare, ratificare, ac de integro concedere dignaremur.

Nos sane clementer, attentis humillimis ejusdem precibus, ac singularibus gratisque obsequiis, quibus quondam majores & Pater ipsius Jacobus, Marchio Malaspina, divos Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, Sacrumque Romanum Imperium coluerat, atque ipsum Opizonem Malaspinam pro eximia, quam præ se fert, hactenusque testatam reddidit fidem & devotionem erga Nos quoque idem facturum confidimus eadem privilegia omnia & singula, ac præsertim suprascripta duo Divorum quondam Caroli IV. & V. in omnibus capitibus suis, clausulis, articulis, sententiis, punctis, & verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, & supramemoratum Marchionem Opizonem Malaspinam, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus, villis Panichalis & Liccianæ, atque aliis, in quibus Pater ejus Jacobus jus obtinuit, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus & juribus, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, & autoritate exequendi, & exigendi vectigalia, pedagium, thelonium, & omnem publicam functionem, quemadmodum eam tenuit & possedit, juxta prædictorum privilegiorum seriem, & servato semper ordine primogenituræ inter quondam Alphonsum, & Fratrem ejus Cornelium, Marchiones de Malaspina, die quinta Decembris, anno Domini supra sesquimillesimum septimo, & septuagesimo erecto, & per augustissimum Imperatorem Rudolphum Secundum reliquosque subsequentes Imperatores, Prædecessores Nostros colendissimos confirmato, quam diplomate hoc Nostro Imperiali denuo ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investimus, eaque omnia ipsi in feudum demum concessimus, quemadmodum autoritate Nostra Imperiali, vigore hujus Nostri Cæsarei Diplomatis laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, ac denuo in feudum concedimus, atque insuper eundem cum supradictis ejus terris, castris, arcibus, & bonis in Nostram, & Sacri Romani Imperii tutelam, protectionem & salvamguardiam specialiter recipimus & assumimus. Recepto tamen prius ab honorabili Consiliario Nostro, & fideli, Nobis dilecto Petro Viso de Moylevau, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, ad hunc actum specialiter constituto Procuratore in animam supradicti Opizonis, Marchionis Malaspinæ, debito ac consueto fidelitatis ac obedientiæ juramento, ita, ut hujusmodi bona feudalia a Nobis, & a Sacro Romano Imperio tanquam feuda teneat & possideat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione: Nostris tamen & Sacri Romani Imperii, & cujuscunque juribus semper salvis, Non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis, ob timorem, ignorantiam, vel importunitatem potentium datis, seu dandis in contrarium facientibus.

Quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare, aut contraire possent, cassiamus autoritate Nostra Cæsarea, & de certa nostra scientia derogamus, ita, quod per eas vel ea, nullum prædicto Marchioni Opizoni præjudicium generetur. Harum testimonio litterarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in civitate Nostra Viennæ, die duodecima mensis Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo, Regnorum Nostrorum Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici vero quarto.

XXXVII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Literæ, in quibus Joannem Casparum, Marchionem de Malaspina, de castris, terris atque locis Treschietti, Godiassi, Priomesana, Calcinaræ, Cassalvasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredendi, omnibusque eorum juribus & annexis, investivit, d. d. 11. Junii, Anno 1660.

LEOPOLDUS &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; Quod, cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Gaspar ex Marchionibus de Malaspina submississime exponendum curarit, a Divo quondam Imperatore Ferdi-

Ferdinando III. Domino Prædecessore, ac Patre Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ, sibi castra, terras, & loca Treschietti, Godiassi, Priomesanæ, Calcinaræ, Cassarasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredondi, & alia bona, ac possessiones, villasque eisdem locis subjectas & annexas, cum omnibus eorundem juribus, jurisdictionibus, proventibus connexis, & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio beneficii ac feudi nomine dependentes, die decima quarta mensis Julii, anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, ultimo in feudum benigne concessa fuisse, quemadmodum ex subinserto Investituræ tenore liquidius pateat:

Inserantur Investituræ priores.

Ac nunc porro Nos humillime rogarit, ut, postquam Divina Majestate propitia favente, ad Excelsum Majestatis Imperialis Thronum evecti simus, & ipse, uti fidelem & obedientem Vasallum ac subditum decet, laudandis Majorum suorum vestigiis insistendo, Nos in supremum & directum Dominum suum, ac præmemorata castra, terras, & loca Treschietti, Godiassi, Priomesanæ, Calcinaræ, Cassarasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredondi, cum aliis bonis, possessionibus, & villis eisdem locis subjectis & annexis, omnibusque eorundem juribus, jurisdictionibus, proventibus connexis, & pertinentiis, a Nobis Sacroque Romano Imperio in feudum dependentibus humillime recognoscere, atque eo nomine, quæ præstanda sint, obsequenter præstare desideret; Nos honesto huic desiderio ipsius benigne deferre, atque ultra Imperialium præinserto Diplomate comprehensorum, sibique competentium Privilegiorum approbationem, ipsum de supranominatis castris, terris & locis, eorumque juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis universis pro se, & legitimis suis filiis, & hæredibus masculis cum primogenituræ lege & ordine, Imperialique tutela, & salvaguardia, atque exemptionis fori Privilegio denuo investire, atque infeudare dignaremur. Nos utique benigna habita ratione præclari, ac sinceri, cum Majorum suorum, tum ipsiusmet Joannis Gasparis ex Marchionibus de Malaspina studii, quo illi Sacrum Imperium continenter coluerunt, atque hic Nos, idemque Imperium, atque Augustam Domum nostram venerabunde prosequitur, neque minus persuasum Nobis habentes, fore, ut inposterum quoque omnia fidei, integritatis, devotionis & observantiæ officia erga Nos, Sacrumque Imperium diligenter & accurate, constanti ac perpetuo tenore expleat, quod & facere legibus, ac moribus debebit, humillimis illius precibus clementer annuendum duximus, uti vigore præsentium annuimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, omnia & singula Privilegia dicti Marchionis Joannis Gasparis Progenitoribus, a Divis quondam Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus concessa, Patrique ipsius Marchioni Pompejo novissime confirmata, quatenus rite processerunt, & ad ipsum, atque hunc Joannem Gasparum spectare potuerunt ac possunt, præsertim vero præinsertum Divi Imperatoris Maximiliani Secundi Investituræ salvæguardiæ, sive protectionis, & exemptionis fori Privilegium, nec non primogenituræ legem, seu succedendi in feudis, bonis, castris & locis in eodem Privilegio, autoritate Cæsarea Augusti quondam Imperatoris Rudolphi Secundi approbato, expressis, modum atque ordinem benigne confirmantes & ratificantes, eundem Joannem Gasparem, Marchionem de Malaspina pro se, ac legitimis suis hæredibus, & descendentibus masculis de memoratis castris, locis & feudis, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate, omnibusque eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis, ad dicta loca, feuda & castra spectantibus, prout ad ipsum jure hæreditario, vel alio justo ac legitimo titulo devenerunt, & quemadmodum ipse Marchio ea adhuc rite tenet & possidet: recepto prius ab ejusdem Marchionis legitime substituto Procuratore fidele, Nobis dilecto Marco Antonio Turresino, sufficienti ad id mandato instructo, in animam dicti Marchionis Joannis Gasparis debito & consueto homagii ac fidelitatis juramento, juxta seriem atque tenorem præinsertæ Investituræ, ita, quod hujusmodi castra & loca cum pertinentiis tanquam feuda a Nobis, & Sacro Romano Imperio habeat, teneat & possideat, illisque utatur & fruatur sine alicujus impedimento, & contradictione, denuo infeudavimus, atque investivimus, prout autoritate Nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, per præsentes infeudamus, atque investimus, simulque jus majoratus, seu primogenituræ, ordinemque & modum succedendi in supradictis feudis, castris, locis & bonis, omnibusque eorundem pertinentiis, eo, quo in præinserto Instrumento habetur modo, in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis, articulis, & verborum expressionibus, perpetuo ratum, validum, & firmum esse, & teneri, atque ab omnibus inviolabiliter semper observari debere, Cæsarea autoritate nostra decernimus & declaramus, atque insuper sæpedictum Marchionem Joannem Gasparem, ejusque descendentes & successores legitimos, cum supradictis feudis, castris, locis & bonis, omnibusque eorundem pertinentiis a Nobis, & Sacro Imperio in feudum dependentibus, in nostram, & Sacri Imperii protectionem, tutelam, & salvamguardiam specialem assumpsimus & recepimus, fideque publica, seu salvo conductu contra quorumvis injuriam, seu violentiam munivimus, ac præsentium vigore assumimus, recipimus & munimus. Volentes & firmiter decernentes, quod dictus Joannes Gaspar, Marchio de Malaspina, ejusque descendentes masculi pro tempore, in memoratis feudis ordine supra allegato successuri, sub Nostra, & Imperialis Aquilæ tutela, protectione, salvaguardia, fideque publica, seu salvo conductu sint, & esse debeant salvi & securi ab omni oppressione, gravamine, & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum, neque etiam ipse, vel dicti successores occasione sæpe allegatarum participationum feudalium, & pertinentiarum earundem a quocunque hominum coram alio judice, quam coram Nobis, aut iis quibus hujusmodi controversias, si quas aliquando inter ipsos, & eorum subditos ex una, & alias quaslibet personas ex altera parte active, vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas, atque determinandas commiserimus, & delegaverimus in Judicio conveniri debeant & que-

quant; quin imo possint & valeant uti, frui, potiri, & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, prærogativis, exemptionibus & privilegiis, quibus alii sub nostra & Sacri Imperii protectione, tuitione, salvaguardia, & fide publica constituti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, quomodolibet consuetudine vel de jure. Non obstantibus in præmissis omnibus ac singulis aliquibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus feudalibus, statutis, decretis, ordinibus, aut aliis in contrarium facientibus, quibus universis, quatenus obstarent, seu obstare possent, pro hac vice duntaxat autoritate, & scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus. Nostris tamen & Sacri Imperii, ac aliorum juribus in omnibus & per omnia salvis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, confirmationis, ratificationis, Investituræ seu infeudationis, primogenituræ, salvæguardiæ, exemptionis, fori, consensus, voluntatis, decreti, concessionis, & gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut eidem quovis ausu temerario contraire, qui secus faxit, præter quod nostram, & Sacri Imperii indignationem gravissimam incurret, quadraginta marcarum auri puri puti, probi sui ex semisse Fisco, seu ærario nostro imperiali, ex altero semisse parti læsæ toties, quoties contrafactum fuerit, pendendarum mulctam dare, jam nunc damnas esto. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ die 11. Junii 1660.

Copiam hanc Investituræ cum Registratura Imperiali Aulica latina collationatam, & ei consonam attestor, Pragæ 3. Jan. 1680.

Ludov. Nostorff, Cancell. Imp. Aulicæ latinæ Reg.

(L. S.)

XXXIIX.

Leopoldi Roman. Imperat. Litteræ, in quibus Julium, Marchionem Malaspinam, de feudo Imperiali Pontis Bosii investivit, d. d. 5. Februar. An. 1662.

LEopoldus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis nobilis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Julius Malaspina, humillime exposuerit, a Divo quondam Imperatore Ferdinando Tertio, Domino genitore ac prædecessore nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, die vigesima septima Maji anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni, patrem quondam suum Ludovicum Marchionem Malaspinam, de feudo Imperiali Pontis Bosii infeudatum fuisse, prout ex subinsertæ investituræ tenore liquidius constet:

Ferdinandus Tertius, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator &c. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Ludovicus Malaspina humillime exposuerit, inter se & nobilem nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum, Marchionem Hippolytum Malaspinam, Avunculum suum, quinquennalem litem ratione successionis feudorum Imperialium Bastiæ & Pontis Bosii ad instantiam Agnatorum utriusque (salvo tamen & reservato Cæsareo nostro, uti superioris Domini, assensu) amicabiliter ita transactam fuisse, ut præfatus Marchio Ludovicus Malaspina pro sua parte supra dictum feudum Pontis Bosii caperet, possideret, & eo contentus acquiesceret, prout ex desuper confecto Nobisque exhibito, & hic subinserto Instrumento constet, cujus tenor est talis:

Inserantur Transactionis Instrumenta.

Acproinde Nos supradictus Marchio Ludovicus submississime rogavit, ut præfatam inter se & memoratum Marchionem Hippolytum Malaspinam super feudo Imperiali Pontis Bosii vigore dicti Instrumenti factam transactionem ratam ac gratam habere, nec non Cæsarei nostri assensus autoritate munire, confirmare, ac corroborare, simul ac se Ludovicum Marchionem Malaspinam super jam dicto feudo, quod sibi memoratæ & in præinserto Instrumento comprehensæ transactionis virtute competat, secundum naturam integri feudi Pontis Bosii benigne investire atque infeudare dignaremur. Nos benigne considerantes, quam singulari constantis fidei, devotionis, & obsequii studio Nos, Sacrum Romanum Imperium, & Augustam Domum nostram Austriacam, cum universa Malaspinarum familia, tum ipse prædictus Ludovicus Marchio Malaspina hactenus coluerit, ac imposterum, uti confidimus, indesinenter culturus sit, submississimæ ejusdem petitioni gratiose censuerimus annuendum; adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis & autoritatis plenitudine supradictæ transactionis ac cessionis titulo feudi Pontis Bosii a supra dicto Ludovico Marchione Malaspina factam acquisitionem, & confectum desuper contractus Instrumentum in universis ac singulis suis capitibus, clausulis, punctis, sententiis, ac verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, rata grata habuerimus, fixa, firma, valida dixerimus, pronunciaverimus, ac Imperialis nostræ potestatis atque autoritatis munimine corroboraverimus, quemadmodum tenore præsentium laudamus, approbamus, rata, grata, fixa, firma, valida habemus, dicimus, pronunciamus, potestatisque & autoritatis nostræ Cæsareæ firmitate ac robore communimus, atque ipsi supradicto Ludovico Marchioni Malaspinæ prædictam acquisitionem feudi Imperialis Pontis Bosii juxta ejusdem integri naturam, atque in ejusmodi feudum, cujusmodi legitimi ipsius antecessores ac possessores tenuerunt ac possederunt, deinceps tenendum & possidendum benigne concedimus conferimusque, atque ipsum de eodem cum omni-

omnibus ſuis pertinentiis, homagiis, mero & mixto imperio, gladii poteſtate & omnimoda jurisdictione (recepto tamen prius ab honorabili docto noſtro & Sacri Imperii fideli dilecto, Patri Panicali, J. U. Doctore, tanquam legitimo conſtituto Procuratore, debito ac conſueto fidelitatis & homagii juramento) clementer inveſtimus atque infeudamus. Dantes & concedentes ei omnia & ſingula in dicto feudo Pontis Boſii, quæ de jure, æquitate, ac conſuetudine dare & concedere poſſumus. Noſtris tamen & Sacri Imperii, nec non aliorum quorumcunque juribus ſemper ſalvis. Nulli ergo omnino hominum cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, conditionis, & fortunæ exiſtant, fas licitumve ſit, hanc Auguſtalis noſtri aſſenſus, laudationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, inveſtituræ, conceſſionis, ac gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut quovis auſu temerario contravenire: Si quis autem ſecus faxit, is præter, quod graviſſimam noſtram ac Sacri Imperii indignationem incurret, triginta inſuper Marcharum auri puri, puti, probi ſui ex ſemiſſe in ærarium, ſive fiſcum noſtrum Imperialem referendarum, ex altero vero ſemiſſe injuriam paſſo, ſeu paſſis omni remiſſionis ac veniæ ſpe præciſa, pendendarum mulctam dare jam nunc damnas eſto. Harum teſtimonio literarum manus noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in Civitate Noſtra Viennæ die vigeſima ſeptima menſis Maji, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani tertio, Hungarici decimo quarto, Bohemici vero decimo ſecundo.

Nunc vero præfatus Marchio Julius Malaſpina, Nos demiſiſſime rogavit, quandoquidem ſupramemoratus Parens ſuus Ludovicus Malaſpina, ex hac vita migravit, ipſumque hæredem poſt ſe reliquerit, Nosque divina favente Clementia ad excelſum Imperialis Throni faſtigium evectos ipſe prædictus Marchio Julius Malaſpina in immediatum & ſupremum ac directum Dominum ſuum recognoſcere deſideret, ut ſe de prædicto feudo Imperiali Pontis Boſii, quod olim Patri ſuo Ludovico vigore inter ipſum & dictum Marchionem Hippolytum Malaſpinam factæ, & a Domino genitore noſtro confirmatæ, atque in ſupra inſerto Inſtrumento comprehenſæ tranſactionis competebat, ſibique nunc, Parente e vivis erepto, tanquam legitimo hæredi competat, ſecundum naturam integri feudi Pontis Boſii benigne inveſtire atque infeudare dignaremur. Nos tametſi quidem cauſas non injuſtas petitioni ipſius non deferendi haberemus, benigna ratione tamen habita tam humilis ab ipſo factæ inſtantiæ, tam ſinceræ & conſtantis fidei, devotionis & obſequii, quibus majores ipſius Nos, Sacrum Romanum Imperium Auguſtamque domum noſtram Auſtriacam hactenus coluerunt, humillimis ejusdem precibus clementer annuendum cenſuerimus, adeoque ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ſano ac maturo accedente conſilio, & de Cæſareæ noſtræ poteſtatis & autoritatis plenitudine ſupradicto Julio Marchioni Malaſpinæ præfatum feudum Imperiale Pontis Boſii juxta ejusdem integri naturam atque in ejusmodi feudum, cujusmodi parens olim ſuus ac legitimi ipſius anteceſſores & poſſeſſores tenuerunt ac poſſederunt, deinceps tenendum & poſſidendum benigne concedimus, conferimus, dictamque tranſactionem inter ſæpe memoratos Ludovicum & Hippolytum Marchiones Malaſpinas confectum, quatenus opus eſt, denuo corroboramus & confirmamus, adeoque ipſum Julium de eodem feudo cum omnibus ſuis juribus, pertinentiis, homagiis, mero & mixto imperio, gladii poteſtate, & omnimoda jurisdictione (recepto tamen prius ab honorabili noſtro, & Sacri Romani Imperii fideli dilecto, Joanne Claromano, tanquam legitime ſubſtituto Procuratore, debito ac conſueto fidelitatis & homagii juramento) clementer inveſtimus atque infeudamus, dantes & concedentes ei omnia & ſingula in dicto feudo Pontis Boſii, quæ de jure, æquitate, ac conſuetudine dare, concedere poſſumus, Noſtris tamen, & Sacri Imperii, nec non aliorum quorumcunque juribus ſemper ſalvis. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, conditionis & fortunæ exiſtant, fas, licitumve ſit, hanc Auguſtalis noſtræ laudationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, innovationis, inveſtituræ, conceſſionis ac gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut ei quovis auſu temerario contravenire: ſi quis autem ſecus faxit, is, præterquam quod graviſſimam noſtram & Sacri Imperii indignationem incurret, triginta inſuper Marcharum auri puri, puti, probi ex ſemiſſe in ærarium, ſive fiſcum noſtrum Imperialem referendarum, ex altero vero ſemiſſe injuriam paſſo ſeu paſſis omni remiſſionis, ac veniæ ſpe præciſa, pendendarum mulctam dare jam nunc damnas eſto.

Harum teſtimonio litterarum manus noſtræ ſubſcriptione & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum, quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ, die quinta Februarii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani quarto, Hungarici ſeptimo, Bohemici vero ſexto.

Ad mandatum Sac. Cæſ. Majeſt. proprium.

XXXIX.

Leopoldi, Roman. Imperatoris Literæ, in quibus Ferdinando, Marchioni Malaſpinæ, quandam de Ponte Boſio portionem ipſi debitam, in feudum contulit, d. d. 27. Jul. An. 1665.

LEOPOLDUS &c.

REcognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis: Quod, cum Nobis nobilis noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Ferdinandus Malaſpina expoſuerit, patrem quondam ſuum, Marchionem Julium Malaſpinam a Nobis ad Imperiale faſtigium divina providentia evectis, de feudo Imperiali Pontis Boſii die 5ta Febr. Anni 1662 gratioſe inveſtitum fuiſſe, prout ex ſubinſertæ Inveſtituræ tenore liquidius conſtet:

LEOPOLDUS. (*inſeratur.*)

Ac porro nunc præfatus Marchio Ferdinandus Mala-

Malaspina Nos demississime rogarit, quandoquidem supra memoratus parens suus Julius Malaspina ex hac vita migrarit, seque hæredem primogenitum reliquerit, qui Nos in immediatum & supremum ac directum dominum suum recognoscere desideret, ut se de prædicto feudo Imperiali Pontis Bosii, quod olim avo suo Ludovico, vigore inter ipsum & Marchionem Hippolytum Malaspinam factæ, & a Divo Genitore nostro Ferdinando Tertio, Romanorum Imperatore, gloriosæ memoriæ, Nobisque ipsis confirmatæ, atque in supra inserto instrumento comprehensæ transactionis competebat, nuncque in se tanquam legitimum hæredem & descendentem devolutum sit, secundum naturam integri feudi benigne investire atque infeudare dignaremur. Nos benigna ratione habita tum humilis ab ipso factæ instantiæ, tum sinceræ & constantis fidei, devotionis & obsequii, quibus Majores ipsius Nos, Sacrum Romanum Imperium, Augustamque Domum nostram Austriæ hactenus coluerunt, ac ipse quoque Marchio Ferdinandus Malaspina colere poterit ac debebit, eidem benigne annuendum censuerimus: adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis & autoritatis plenitudine ipsi Ferdinando Marchioni Malaspinæ præfatum Imperiale feudum Pontis Bosii juxta ejusdem integri naturam, atque in ejusmodi feudum, cujusmodi parens olim suus, ac legitimi ipsius Antecessores & possessores tenuerunt & possederunt, deinceps tenendum & possidendum benigne concedimus, conferimus, dictamque transactionem, inter sæpe memoratos Ludovicum & Hippolytum Marchiones Malaspinas confectam, quatenus opus est, denuo corroboramus, & confirmamus, adeoque ipsum Ferdinandum de eodem feudo cum omnibus suis juribus, pertinentiis, homagiis, mero & mixto Imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione (recepto tamen prius ab honorabili docto nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Antonio Scarsi J. V. D. tanquam legitime substituto procuratore, debito & consueto fidelitatis & homagii juramento) clementer investimus atque infeudamus. Dantes & concedentes ei omnia & singula in dicto feudo Pontis Bosii, quæ de jure, æquitate ac consuetudine dare & concedere possumus. Nostris tamen & Sacri Imperii, nec non aliorum quorumcunque juribus semper salvis.

Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ dignitatis, conditionis & fortunæ existant, fas licitumve sit, hanc augustalis nostræ laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis, innovationis, Investituræ, concessionis, ac gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis vero secus faxit, is præterquam, quod gravissimam nostram, & Sacri Imperii indignationem incurret, triginta insuper marcarum auri puri, puti, probi, sui ex semisse in ærarium, sive fiscum nostrum Imperialem referendarum, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam dare, jam nunc damnas esto.

Harum testimonio litterarum manus nostræ subscriptione, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die 27. Julii, 1665.

Concordat cum Registratura Imperiali Aulica, id quod hisce attestor. Viennæ 27. Februar. 1723.

(L. S. R.)

Jodoc. Pein, Reg.

XL.

Decretum Consilii Imperialis Aulici de consensu Marchioni Obizoni Malaspinæ, intuitu Retractus, quem prætendebat, haud denegando, promulgatum, d. d. 10. Septembr. An. 1669.

Martis 10. Septembr. 1669.

Liccianæ feudum Imperiale, sive Amula, & Campi Contri, in præfato Consensus Cæsarei, & nomine Marchionis Obizonis Malaspinæ de Licciana Jo. Wilhelmus Hallman, sub præsentato 16. Januarii 1668. referendo se ad Conclusum de 5. Decembris nuper, petit, quandoquidem Marchio de Podenzana in producendis prætensis rationibus cunctetur, reperta illius interventione, consensum petitum impertiri: apponit A.

Idem sub præsentato 9. Febr. 1668. instat pro resolutione, eo quod Marchio Liccianæ, ratione dotium sororibus urgeatur, & interventio Marchionis de Podenzana non nisi ex odio, in vexam instituatur.

Idem in diversis aliis quam plurimis Memorialibus urget Resolutionem.

E contra nomine Marchionissæ de Podenzana Antonius Scarsi, sub præsentato 10. Febr. 1668. exhibet supplicationem, pro adjungendo jure retractus, & consensu Cæsareo apponit sub A. Arborem sanguinitatis authenticum sub B.

Idem sub præsentato 20. Febr. ejusdem, Memoriali, sub A. producit Documentum proximitatis.

Detur Consensus Cæsareus, salvo jure tertii, specialiter Marchionis de Podenzana, ratione Retractus, quem prætendit.

Christoph Beuer.

XLI.

Rescriptum Leopoldi, Roman. Imperat. ad Marchionem Johannem Malaspinam de Villa Franca datum, in quo ei, ut Marchionem Franciscum Antonium de Malaspina, in Villarum Amulæ & Campi Contri possessionem realiter immittat, injungit, d. d. 17. Aug. An. 1671.

Leopoldus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus. Magnifice fidelis dilecte. Postquam itidem Magnificus fidelis Nobis dilectus Obizo, Marchio Malaspina de Lic-

Licciana, fororum fuarum dotandarum gratia, Villas Montis Simonis, nuncupatas Amulam, & Campicontrum Magnifico fideli Nobis dilecto Francifco Antonio Marchioni Malafpina de Suuro, die fecunda Novembris, Anno millefimo fexcentefimo octuagefimo quarto, vendiderat, ejufdem venditoris Obizonis Uxor, Marchioniffa Paula de Zechinellis, nomine filii fui conquefta oppofuit, ac fi dictæ duæ Villæ, partes integrantes feudi Liccianæ effent, ideoque in dicti filii fui, utpote ejufdem feudi quondam Domini, præjudicium vendi non poffent.

Cum vero Nobis memoratus emptor oftenderit, illas non Liccianæ feudi partes fed Allodiales fundos, adeoque optimo jure & fine, dotis fcilicet caufa, divenditas effe, fe vero jam triginta tribus annis, & pretio, & re empta caruiffe, humillime Nos proinde exorando, ut fe tandem in actualem dictarum Villarum poffeffionem immitti benigne curaremus.

Quod itaque cum æquitati jurique congruat, a te clementiffime poftulamus ut nomine, atque auctoritate noftra Cæfarea, hifce tibi plene conceffa, præfatum Francifcum Antonium, non obftante inhibitione noftra, antehac decreta, in dictarum Villarum Amulæ & Campicontri poffeffionem realiter immittas, Nobisque, uti executus fueris, quamprimum referas, gratiam noftram Cæfaream tibi cumulamus, qua te benigne complectimur.

Dabantur in Civitate noftra Viennæ, die decimo feptimo Augufti, Anno millefimo feptuagefimo primo, Regnorum noftrorum Romani quadragefimo quarto, Hungarici quadragefimo feptimo, Bohemici vero quadragefimo quinto.

RUDOLPHUS.

V. Kaunitz.

Ad mandatum Sac. Cæfar. Maj. proprium

Francifcus Winandus de Bertram.

XLII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Literæ, in quibus Marchionem Carolum Mariam Malafpinam, de Mulazii, Madrignani, Montis Regii, Putei, Caftagnedulæ, Bufatiæ & Cafcianæ Caftris, feudis atque locis inveftivit, d.d. 22. Decembr. An. 1674.

LEOPOLDUS &c.

Agnofcimus & notum facimus tenore præfentium univerfis, quod, cum Nobis Magnificus, nofter & Sacri Imperii fidelis dilectus Carolus Maria, Marchio Malafpina, demiffiffime exponendum curarit, quondam Patrem fuum Azzonem Hyacinthum, Marchionem Malafpinam, a Nobis, ad Imperii Sacri gubernacula Divina providentia evectis, fuper Caftris, feudis & locis Mulazii Madrignani, Montis Regii, Putei, Caftagnedulæ, Bufatiæ & Cafcianæ, quatenus ad illum fpectarunt, Inveftituræ Imperialis renovationem die vigefima tertia Januarii Anni millefimi fexcentefimi fexagefimi ultimo confecutum fuiffe, cujus quidem Inveftituræ tenor fequitur, & talis eft:

Inferatur prior Inveftitura Leopoldina cum præinfertis.

Ac proinde Nobis humillime rogarit, ut, quandoquidem dictus Pater fuus Azzo Hiacynthus, Marchio Malafpina, jam tum die decima feptima Februarii anni hujus labentis vita functus, ideoque dicta feuda Mulatii & Madrignani ad fe jure legitimæ fucceffionis & primogenituræ devoluta fint, Nosque ipfe in verum & directum ac immediatum Dominum fuum recognofcere, & folitum fidelitatis juramentum aliaque folemnia, prout juris & confuetudinis fuerit, præftare defideret, cuncta privilegia, ipfius majoribus quondam conceffa, benigne confirmare, ipfumque de præfatis Caftris, feudis ac locis Mulatii, Madrignani, Montis Regii, Putei, Caftagnedulæ, Bufatiæ & Cafcianæ de novo clementer inveftire dignaremur. Nos fane clementer confideratis humillimis prænominati Caroli Mariæ, Marchionis Malafpinæ, precibus, adeoque majorum fuorum gratis obfequiis, quibus Divos Prædecefforés noftros Romanorum Imperatores & Reges, ipfumque Sacrum Romanum Imperium profecuti funt, & quæ idem Marchio Carolus Maria Nobis quoque & Imperio fefe fingulari fide, animique promptitudine deinceps præftiturum pollicetur, ex certa Noftra fcientia animoque bene deliberato, ac fano accedente confilio, deque Cæfareæ poteftatis Noftræ plenitudine, prædicta privilegia omnia & fingula, illius progenitoribus fuper prædictis Caftris & locis a Divis Prædecefforibus Noftris Romanorum Imperatoribus & Regibus rite conceffa, & a Nobis confirmata, in omnibus eorum punctis, articulis, claufulis & tenoribus, ac fi præfentibus de verbo ad verbum inferta forent, tenore præfentium confirmamus & approbamus, & eundem Marchionem, Carolum Mariam, prout ad illum fpectat, de fupradictis feudis, Caftris & locis Mulatii, Madrignani, Montis Regii, Putei, Caftagnedulæ, Bufaticæ & Cafcianæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, ad dicta feuda, loca & Caftra pertinentibus, prout ad ipfum jure hæreditario & primogenituræ, vel alio jufto & legitimo titulo devenerunt, ac quemadmodum ipfe Marchio ea adhuc rite tenet & poffidet, juxta dictorum privilegiorum feriem, recepto tamen viciffim ab honorabili fideli Nobis dilecto Antonio Scarfio de Verdenfeld, dicti Caroli Mariæ Marchionis Malafpinæ Procuratore, fufficiente ad id Mandato inftructo, in animam ejufdem debito & confueto obedientiæ, Homagii & fidelitatis juramento, inveftivimus, & in feudum de novo conceffimus, prout autoritate Noftra Cæfarea, in quantum Nobis competit, per præfentes inveftimus, ac in feudum de novo concedimus, ita quod hujusmodi Caftra & loca pro fua parte tanquam feuda deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio habeat, teneat & poffideat, illisque utatur & fruatur fine alicujus impedimento vel contradictione, Noftris tamen & Sacri Imperii & aliorum quorumcumque juribus femper falvis atque illæfis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc Noftræ

Nostræ confirmationis, ratificationis, novæ concessionis, Investituræ & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Nostram & Sacri Romani Imperii indignationem gravissimam ac pœnam quinquaginta marcarum auri puri toties quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum dimidiam Imperiali fisco seu ærario Nostro, reliquam vero parti læsæ decernimus applicandam. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra die vigesima secunda mensis Decembris Anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quarti, Regnorum Nostrorum Romani 17. Hungarici 20. Bohemici 19.

XLIII.

Instrumentum de Imperialibus Villæ Amolæ & Campi Contri feudis, a Marchione Obizone Malaspina in Marchionem Franciscum Antonium Malaspinam transferendis conscriptum d. d. 2. Nov. An. 1684.

IN Christi Nomine Amen! Anno a Nativitate ejusdem millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, Indictione septima, die vero secunda mensis Novembris circa horas quinque noctis, plurimis luminibus accensis.

Constituito avanti me Notaro publico e testimonii infrascritti l'Illmo Sigre Marchese Obizo, figlio del già Illmo Sigre Marchese Giacomo Malaspina di Licciana e Panicale, spontaneamente, & in ogni meglior modo, senza revocatione d'altro suo Procuratore fà, constituisce & crea suo certo & irrevocabile Procuratore l'Illmo Sigre Marchese Pompeo Malaspina di Treschietto, absente, mà come presente, & in se legitimamente stipulante & accettante il medesimo carico di Procuratore specialmente & espressamente à nome del sudetto Illustrissimo Signore Marchese Obizo constituente, à dare il possesso delle Ville Amola e Campo Contro, sua giurisditione e pertinenze &c. & entratta feudale, che di presente possiede detto Illustrissimo Signore Marchese Obizo constituente dell' Illustrissimo Signore Marchese Francesco Antonio Malaspina di Suvero e Monti, con la dichiaratione: Primo che Avanti detto Illustrissimo Signore Marchese Pompeo dii il possesso di quanto sopra al sudetto Illustrissimo Signore Francesco Antonio Malaspina di Suvero e Monti debba esser stato consegnato à detto Illustrissimo Signore Marchese Pompeo in nome del prefato Illustrissimo Signore Marchese Obizo constituente dal detto Illustrissimo Signore Marchese Francesco Antonio Malaspina il Consenso Cesareo in buona & ampla forma; Item con la facoltà ancora di poter revedere dalli Capitoli in questa parte solamente che impedisce all' Illmo Sigre Marchese di Suvero l'alienatione di dette Ville Amola e Campo Contro sua giurisditione & entrata feudale, nell' Illmo Sigre Marchese di Podenzana.

Item in Caso fosse necessario domandar di il sudetto Consenso Cesareo sopra l'alienatione di dette Ville dà il medesimo Illmo Sigre Marchese Obizo constituente facoltà à detto Illmo Sigre Marchese Pompeo di poterne supplicare S. M. Cesarea in nome suo e tutto à spese dell sudetto Illmo Sigre Marchese di Suvero, sicome à spese dell Illmo Sigre Marchese di Suvero dovranno esser consegnate le copie non autentiche, avanti la publicatione ed autenticarsi, doppo la publicatione di tutti gl' Instromenti dal seguire al sudetto Illmo Sigre Marchese Obizo, & in quanto al detto consenso al predetto Illmo Sigre Marchese Pompeo Procuratore ad effetto dii al medesimo Illmo Sigre Marchese Obizo il sudetto consenso Cesareo che resti libero del detto Illmo Sigre Marchese di Licciana, avanti che detto Illmo Sigre Marchese Obizo Malaspina eschi di possesso di cosa alcuna, di questo sopra.

Item, con ampla facoltà ad Illmo Sigre Marchese Pompeo di poter sostituire uno ò più Procuratori, ad affetto solamente di supplicare S. M. Cesarea, per ottenere un nuovo consenso bisognando e non in altra forma &c. con patto ancora, che detto Illmo Sigre Marchese Pompeo non debba nè possa dare detto possesso delle dette Ville Amola e Campo Contro, loro giurisditione & entratta feudale, che di presente possiede detto Illmo Sigre Marchese di Licciana, se da esso Illmo Sigre Marchese di Suvero non le sarà mostratta la Ricevuta di tutto il ressiduo gli deve di tutto il Prezzo dichiarato nell' Instromento di saldo, patto e promesse rogatum sotto il dì sudetto da me Notaro infrascritto &c. e se prima il medesimo Illmo Sigre Marchese Pompeo non haverà fatto havere al sudetto Illmo Sigre Marchese di Licciana una copia autentica di detta Ricevuta à spese del prefato Illmo Sigre Marchese di Suvero, che resti parimente libera del detto Illmo Sigre Marchese di Licciana.

Item, il medesimo Illmo Sigre Marchese di Licciana non vuole esser obligato per l'Evitione, se non per ogni suo dato e fatto e quando fosse evinto il sudetto feudo d'Amola e Campo Contro &c. non vuole esser tenuto, che alla restitutione del Prezzo di esse di mille e settecento trenta due Piastre da lire quindeci l'una, moneta di Parma.

Item, à far nelle cose predette, e circa le medesime tutte le cose necessarie & opportune, che meglio pareranno à detto Illmo Sigre Marchese Pompeo, dandogli il medesimo Illmo Sigre Marchese Obizo constituente facoltà di poter fare nelle cose sudette come la sua persona propria, promettendo haver rato e fermo tutto questo il medemo Illmo Sigre Marchese Pompeo farà nelle cose sudette in forma &c. e tutte le spese da farsi circa quanto sopra dovranno esser pagate dall Illmo Sigre Marchese di Suvero, rogatus &c.

Actum Liccianæ in Palatio suprascripto Illmi Domini Marchionis Obizii in Anticamera superiori, ibidem præsente Illmo Domino Ferdinando Malaspina, Marchione Pontis Bosii, & Admodum Reverendo Julio Cæsare Picciato, & Joanne Bupliano, ambobus de Licciana testibus.

Ego Flaminius, quondam Domini Meldicoris Picciati e Licciana, publicus Imperiali autoritate Nota-

quondam Luciani, & Jo. Bartholomæo Borraca D. Jo. Francisci, testibus ad præmissa vocatis.

Anno, & indictione prædictis, die Dominico, ultima dicti mensis Januarii, in tertiis in uno ex Salotis Palatii solitæ habitationis præfatæ Excellentissimæ Principissæ in contrata Fassuoli, in circuitu novorum Menium Genuæ.

In nomine Domini Amen. Præfata Excellentissima Principissa Violantis Doria Lomellina, Balia præfati Excellentissimi Domini Principis Jo. Andreæ Doriæ ejus filii, cui Excellentissimæ D. Violanti fuit lectum vulgari sermone per me Notarium Instrumentum, de quo supra &c. sponte &c. & omni meliori modo &c. dicto nomine ratificavit & approbavit, ratificat & approbat supradictum Instrumentum, ac omnia & singula in eo contenta, nomine S. E. dicto nomine factum & facta per dictum Dominum Nicolaum Lomellinum, ejus Patrem acceptat, supplicat, & facit in omnibus, & per omnia, prout nomine ipsius ac dicti Excellentissimi Principis, Jo. Andreæ Doriæ, ejus filii, acceptatum, supplicatum, & factum fuit, ut in dicto Instrumento, quæ omnia & singula hic pro repetitis de verbo ad verbum haberi voluit, & vult me Notario ad cautelam stip. &c. Renuncians &c. quæ omnia &c. sub pœna dupli &c. & cum restitutione &c. ratis &c. & proinde &c. de quibus omnibus &c.

Per me dictum Jo. Andream Celesiam, Notarium &c. Actum in omnibus, ut supra, præsentibus Germano de Germanis, quondam D. Bernardi, & Jo. Andrea Parodo, filio Josephi, Testibus vocatis &c.

Ex actis quondam D. Jo. Andreæ Celesiæ Notarii, Patris mei penes me existentibus, in quorum &c.

Joseph Celesia, Notarius &c.

Joseph Abbas Guerra J. V. D. Protonotarius Apostolicus, in Archiepiscopatu Genuæ Vicarius Generalis, cunctis attestamur, dictum Dn. Josephum Celesiam, qui supradictam publicam scripturam extraxit, & manu sua propria subscripsit, suoque solito Tabellionatus signo signavit, fuisse & esse publicum legalemque Notarium Collegiatum Genuæ, scripturisque ejus publicis in judicio & extra plenam fidem adhibitam fuisse, & adhiberi, prout cum Juramento tactis &c. attestati sunt Spect. D. Bartholomæus Lapredonus, quondam D. Augustini, qui eum pluries atque pluries scribere & subscribere vidit, & D. Jo. Augustinus Bacigalupus, quondam D. Bernardi, qui eum præsentem subscribere vidit. In quorum &c. Dat. Genuæ in Palatio Archiepiscopali Anno 1697. die 24. Sept.

Thomas Andreas Riccius,
Not. Curiæ Archiepiscop. Genuæ.

XXXIV.

Leopoldi, Roman. Imperat. literæ, in quibus Nicolaum, Marchionem Malaspinam, de Virguletta, Villa Rochetta, Beveroni, Garbugliagha, Castris, locis atque feudis, nec non Villa Franca parte, eorundemque juribus & annexis investivit, d. d. 27. Jan. An. 1660.

Leopoldus Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Nicolaus, quondam Hannibalis ex Marchionibus Malaspinis de Villa Franca Luni, Sarzanensis Diœceseos, humillime exponendum curarit, sese a Divo quondam Imperatore Ferdinando tertio, Domino Prædecessore ac Patre nostro Colendissimo, Augustissimæ memoriæ, pro se, liberis, hæredibus, ac descendentibus legitimis Masculis, super Castris, locis ac feudis Virgulettæ, Villæ Rocchettæ, Beveroni, Garbugliaghæ & dimidia parte Villæ Francæ, una cum suis juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, uti & confirmatione omnium & singulorum tuitionis, protectionis, Salvæ Guardiæ, aliorumque a divis quondam Imperatoribus Carolis quarto & quinto, Ferdinando primo, Maximiliano ac Rudolpho Secundis, Matthia & Ferdinando secundo, Dominis Antecessoribus nostris gloriosissimæ recordationis, majoribus ipsius concessorum privilegiorum investitum infeudatumque fuisse, prout ex subinserto Investituræ de tertia Januarii, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio expeditæ Diplomate uberius & clarius sit videre.

(*Inseratur Ferdinandi Diploma Invest.*)

Ac proinde nos supplicabundo rogarit, ut, quandoquidem divina providentia ad Imperialis Majestatis thronum evecti, Sacrique Romani Imperii gubernacula admoti, simulatque ideo Nos ipse quoque majorum suorum investitorum more atque exemplo in supremum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii officia recte, ordine, moribus, ac legibus præstare atque adimplere desideret, ut de supra dictis feudis, Castris & locis, ipsum clementer investire atque infeudare, & præmemorata privilegia ipsi confirmare dignaremur. Nos sane benigne consideratis demississimis pariter atque æquissimis id genus precibus, tam constanti addictæ fidei, devotionis & obsequii studio, quo tum sæpe dictus Hannibal pater, tum Majores ipsius augustissimos Prædecessores nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, & Sacrum Romanum Imperium hucusque coluerunt, atque in futurum etiam ipse Nicolaus colere promittit, spondetque, poterit etiam ac debebit, justis ipsius desideriis benigni volentes censuerimus annuendum, adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine eidem Nicolao quondam Hannibalis ex Marchionibus Malaspinis omnia & singula præinserta Divorum quondam Carolorum quarti & quinti, Ferdinandi primi, Maximiliani & Rudolphi secundorum, Matthiæ & Ferdinandi secundi gloriosissimæ memoriæ, privilegia in omnibus & singulis suis capitibus, clausulis, articulis, punctis, tenoribus, sententiarum & verborum expres-

pressionibus, prout jacent, & quantum supradictum Marchionem ratione memoratorum castrorum, locorum & feudorum Virgulettæ, Villæ Rocchettæ, Beveroni, Garbugliaghæ, & dimidiæ Villæ Francæ concernunt, clementer laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, ipsumque Nicolaum pro se ipso filiisque suis & hæredibus masculis legitime natis, vel nascituris, servato semper ordine primogenituræ, ita ut primogenitus masculus semper succedat, & sic de primogenito in primogenitum in linea masculina, tantum in infinitum usque, de prædictis castris, locis ac feudis Virguletta, Villa Rocchetta, Beverono, Garbugliagha, & dimidia parte Villæ Francæ, jure hæreditario, atque in successione avita ad ipsum devolutis & spectantibus, aliisque, in quibus jus obtinet, ac universis eorum districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, atque autoritate imponendi & erigendi vectigalia, pedagia, telonia, & cum omnibus juribus & pertinentiis, prout majores ipsius habuerunt, obtinuerunt ac possederunt, & ipse Nicolaus etiam nunc habet, obtinet, possidet, investiverimus atque infeudaverimus, quemadmodum vigore præsentium laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, atque infeudamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, Nostris tamen & Sacri Imperii, atque alterius cujuscunque juribus semper salvis, & recepto prius ab ipsius Marchionis Nicolai constituto Procuratore legitimo, idoneo, ac sufficienti ad hoc mandato instructo, honorabili, devoto, fideli Nobis dilecto Joanne Baptista Forresino, in animam dicti Marchionis debito fidelitatis & homagii Juramento. Præterea eundem Nicolaum, Marchionem Malaspinam, cum supradictis castris, locis & feudis, Virguletta, Villa Rocchetta, Beverono, Garbugliogha, & dimidia Villa Franca de novo atque integro in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem, & salvam guardiam specialem recipimus & assumimus: Volentes & hoc Cæsareo Nostro Edicto statuentes, quod sæpedictus Nicolaus una cum memoratis castris, locis ac feudis sit, teneatur & esse debeat sub hac Nostra speciali tuitione & salvaguardia, nec non Imperialis Nostræ Aquilæ clypeo perpetuo salvus, tutus, protectus & securus ab omni gravamine, oppressione, & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum, & quod deinceps omnibus & singulis immunitatibus, favoribus, gratiis & prærogativis utatur, fruatur, potiatur & gaudeat, quibus alii, qui sub hujusmodi Nostra, & Sacri Imperii salvaguardia, & protectione constituti sunt, de jure, sive consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, sine cujuspiam impedimento aut contradictione, ita tamen, ut prædictus Marchio, quotiescunque ab aliquo conventus fuerit, in judicio coram competente judice sese sistere teneatur ac debeat.

Nulli ergo prorsus hominum fas licitumve sit, hanc Nostræ laudationis, approbationis, confirmationis, ratificationis, novæ concessionis, investituræ, infeudationis, derogationis, tuitionis, protectionis, salvæguardiæ, decreti, voluntatis & gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire: Siquis autem secus fecerit, idque attentare præsumpserit, is, præterquam quod Nostram & Sacri Imperii gravissimam indignationem incurret, quinquaginta insuper Marcarum auri puri, in semisse ærario sive fisco Nostro Imperiali aulico, in altero vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus totiens, quotiens contravenerit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam damnatus esto. Harum testimonio literarum manus Nostræ subscriptione & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in civitate Nostra Viennæ, die 27. Januarii, An. 1660.

XXXV.

Literæ Leopoldi, Romanorum Imperatoris, in quibus Cæsarem Mariam, Marchionem Malaspinam, de Mulatii, Madrognani, Busaticæ & Casciana, castris, feudis atque locis, una cum omnibus eorum juribus, jurisdictionibus atque reditibus, in quantum ad illum spectabant, investivit, d. d. 10. Apr. An. 1660.

LEOPOLDUS (tot. Tit.)

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum demisse Nobis exponendum curarit Magnificus Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Cæsar Maria, Marchio Malaspina, ab Augustissimo quondam Imperatore, Divo Ferdinando Tertio, Domino Genitore ac Prædecessore Nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, sese de castris, feudis & locis, Mulatii, Madrognani, Busaticæ & Cascianæ, cum omnibus eorum juribus, jurisdictionibus ac reditibus, quantum ad illum spectabant, decima tertia die mensis Aprilis, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, rite investitum atque infeudatum fuisse, cujus quidem Investituræ tenor sequitur in hæc verba:

Inserantur Literæ Investituræ de dat. 13. Apr. Anno 1638.

Ideoque Nobis humillime supplicarit, ut, quandoquidem auspice DEo ad Sacri Imperii fastigium evecti simus, atque Nos ipse in supremum, directum & immediatum Dominum suum, ea, qua vasallum decet, devotione recognoscere, Nobisque debitum fidelitatis juramentum præstare desideret, ejusmodi autem requisitionem feudorum suorum & solennium præstationem, non prius sibi faciendam existimaris, quam a tempore quo ad Residendentiam Nostram Cæsaream rediissemus, Nos exiguam moram, quæ a tempore ad dictam requisitionem legibus præfixo, sine omni dolo suo intercurrerit, ipsi benigne indulgere, omniaque & singula Privilegia Progenitoribus suis a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, super castris & locis Mulatii Madrognani, Montis Regii, Putei, Castagnedulæ, Busaticæ, & Cascianæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, ad ipsum per successionem translata benigne confirmare & ratificare, eaque ipsi de

novo in feudum clementer concedere dignaremur.

Nos clementer matureque consideratis omnibus, quas prædictus Marchio Cæsar Maria pro exculpanda mora sua allegavit, rationibus & causis, humillimisque ejusdem precibus, nec non Majorum ejus ad ipsiusmet gratis obsequiis, quibus divos Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores & Reges, ipsumque Sacrum Romanum Imperium prosecuti sunt, & quæ idem Marchio Nobis quoque & Sacro Imperio se singulari fide animique promptitudine deinceps præstiturum pollicetur; Ex certa Nostra scientia animoque bene deliberato ac sano accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis Nostræ plenitudine moram in requisitione investituræ commissam, ex gratia speciali indulsimus, omnemque caducitatem feudi, quæ hoc nomine prætendi potuisset, benigne remisimus, & Privilegia omnia & singula illius Progenitoribus, super prædictis castris & locis, a divis Prædecessoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus rite concessa, in omnibus eorum punctis, articulis, clausulis & tenoribus, ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, tenore præsentium confirmamus & approbamus, & eundem Marchionem Cæsarem Mariam, prout ad illum spectat, de supradictis feudis, castris, & locis Mulatii, Madrognani, Montis Regii, Putei, Castagnedulæ, Busaticæ & Cascianæ, cum eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, ad dicta feuda, loca, castra pertinentibus, prout ad ipsum quondam per successionem paternam jure hæreditario, vel alio justo & legitimo titulo devenerunt, ac quemadmodum ipse Marchio ea adhuc rite tenet ac possidet, juxta dictorum Privilegiorum seriem, recepto tamen vicissim ab honorabili Consiliario & fideli Nobis dilecto Petro Viso de Moylevau, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, sufficienti ad hoc mandato instructo, in animam dicti Cæsaris Mariæ, Marchionis Malaspinæ, debito fidelitatis & homagii juramento investivimus, & in feudum de novo concessimus, prout autoritate Nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, per præsentes investimus, ac in feudum de novo concedimus, ita quod hujusmodi castra & loca pro sua parte, tanquam feuda deinceps a Nobis & Sacro Romano Imperio habeat, teneat & possideat, illisque utatur & fruatur sine alicujus impedimento, vel contradictione, Nostris tamen & Sacri Imperii, & aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis, supplentes ex eadem certa Nostra scientia & autoritate Imperiali omnes & quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in præmissis ex mora aut alias quovis modo intervenissent, aut intervenisse dici allegative, atque ex iis prædictorum feudorum caducitas ullatenus prætendi posset, quibus omnibus vigore præsentium plane derogamus, & derogatum esse volumus, non obstantibus quibuscunque, tam generatim quam speciatim in contrarium facientibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, ratificationis, indulti, novæ concessimus investituræ & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; siquis autem id attentare præsumpserit, Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam, ac pœnam quinquaginta marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum dimidiam Imperiali fisco, seu ærario Nostro, reliquam vero parti læsæ decernimus applicandum. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in civitate Nostra Viennæ, die 10. Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce attestor Viennæ 11. Junii, A. 1698.

Rab. Herm. de Bertram,
Secr. & Archiv.

(L.S.)

XXXVI.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Literæ, in quibus Marchionem Opizonem Malaspinam, ejusque loco Marchionissam Blancam Rangonam Malaspinam, utpote ipsius Matrem, Tutricem atque Curatricem, de castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ, ac quibusdam castri, fortalitii, feudi & loci Montis Simonis, Villarum Amalæ & Campi-Contri partibus, & quæ sunt reliqua, investivit, eorumque Literas Investituræ, a divis quondam Romanorum Imperatoribus obtentas, confirmavit, d.d. 12. Aprilis, Anno 1660.

LEOPOLDUS &c.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, testatumque facimus tenore præsentium universis. Quod cum Nobis Magnificus Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Marchio Opizo Malaspina, quondam Jacobi Marchionis Malaspinæ filius, humillime exponendum curarit, a Divo quondam Imperatore Ferdinando Tertio, Domino Prædecessore & Patre Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ, Magnificam, devotam, Nobis gratam Blancam Rangonam Malaspinam, uti Matrem, Tutricem & Curatricem suam, de castris, castellis, arcibus, villis & feudis Panichalis & Liccianæ, ac partibus quibusdam castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, Villarum Amulæ & Campi-Contri, tum viridario subtus ipsum castrum sito, ac domo, vulgo la stella del Marchese nuncupata, & aliis, in quibus supradictus Jacobus Marchio Malaspina, Pater ejus, jus obtinuit, cum suis jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & ad ipsum hæreditario jure devolutis & spectantibus, cum reservatione jurium, & prætensionum accessorii in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte legitimo aliquo titulo, id illi ex successione Paterna evenisset, aut ejus hæredibus, pro tempore evenire con-

contigerit, die 8. Maji 1651. suo nunc minoris nomine, benigne investitam & infeudatam, & singula privilegia, quondam majoribus suis a Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus super dictis castris, castellis, arcibus, ac feudis concessa, confirmata, reintegrata, ac de novo concessa fuisse, prout ex subinsertæ investituræ tenore liquidius videre est:

Inserantur Literæ Investituræ Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris d. d. 8. Maji, Anno 1651.

At nunc porro supradictus Opizo, Marchio Malaspina, quondam Jacobi, Nos demississime rogavit, ut, postquam Divina favente clementia ad supremum Imperatoriæ Majestatis solium evecti simus, atque ipse legitimos majorennitatis suæ annos attigerit, adeoque Nos in supremum, immediatum ac directum Dominum suum recognoscere, & clientelaris obsequii justa, prout fidelem ac devotum vasallum & subditum decet, recte, atque ordinem adimplere desiderat sibi renovationem Investituræ de prædictis castris, castellis, arcibus, villis Panichalis & Liccianæ, nec non de portionibus castri, fortalitii, feudi ac loci Montis Simonis, ac villarum Amulæ & Campi-Contri, cum omnibus juribus ac pertinentiis, tum viridario, subtus ipsum castrum sito, domo, vulgo la stella del Marchese nuncupata, atque aliis in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus, juribus, cum reservatione jurium, & prætensionum successionis, ac aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore, ipsi, vel hæredibus suis, legitimo aliquo titulo, id evenire contigerit, benigne concedere, nec non omnia & singula privilegia, a divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris, quondam Majoribus suis, super iisdem castris, castellis, arcibus & villis concessa, clementer confirmare, ratificare, ac de integro concedere dignaremur.

Nos sane clementer, attentis humillimis ejusdem precibus, ac singularibus gratisque obsequiis, quibus quondam majores & Pater ipsius Jacobus, Marchio Malaspina, divos Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, Sacrumque Romanum Imperium coluerat, atque ipsum Opizonem Malaspinam pro eximia, quam præ se fert, hactenusque testatam reddidit fidem & devotionem erga Nos quoque idem facturum confidimus eadem privilegia omnia & singula, ac præsertim suprascripta duo Divorum quondam Caroli IV. & V. in omnibus capitibus suis, clausulis, articulis, sententiis, punctis, & verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, & supramemoratum Marchionem Opizonem Malaspinam, de prædictis feudis, terris, castris, arcibus, villis Panichalis & Liccianæ, atque aliis, in quibus Pater ejus Jacobus jus obtinuit, cum suis districtibus, territoriis, jurisdictionibus & juribus, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, & autoritate exequendi, & exigendi vectigalia, pedagium, thelonium, & omnem publicam functionem, quemadmodum eam tenuit & possedit, juxta prædictorum privilegiorum seriem, & servato semper ordine primogenituræ inter quondam Alphonsum, & Fratrem ejus Cornelium, Marchiones de Malaspina, die quinta Decembris, anno Domini supra sesquimillesimum septimo, & septuagesimo erecto, & per augustissimum Imperatorem Rudolphum Secundum reliquosque subsequentes Imperatores, Prædecessores Nostros colendissimos confirmato, quam diplomate hoc Nostro Imperiali denuo ratificamus & approbamus, cum reservatione jurium & prætensionum successionis in aliis quibuscunque castris, terris ac locis, si forte pro tempore ipsi vel ejus hæredibus id aliquo legitimo titulo evenire contigerit, clementer investimus, eaque omnia ipsi in feudum demum concessimus, quemadmodum autoritate Nostra Imperiali, vigore hujus Nostri Cæsarei Diplomatis laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, investimus, ac denuo in feudum concedimus, atque insuper eundem cum supradictis ejus terris, castris, arcibus, & bonis in Nostram, & Sacri Romani Imperii tutelam, protectionem & salvamguardiam specialiter recipimus & assumimus. Recepto tamen prius ab honorabili Consiliario Nostro, & fideli, Nobis dilecto Petro Viso de Moylevau, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, ad hunc actum specialiter constituto Procuratore in animam supradicti Opizonis, Marchionis Malaspinæ, debito ac consueto fidelitatis ac obedientiæ juramento, ita, ut hujusmodi bona feudalia a Nobis, & a Sacro Romano Imperio tanquam feuda teneat & possideat, illisque utatur & fruatur, sine alicujus impedimento & contradictione: Nostris tamen & Sacri Romani Imperii, & cujuscunque juribus semper salvis. Non obstantibus quibuscunque literis, seu privilegiis, ob timorem, ignorantiam, vel importunitatem potentium datis, seu dandis in contrarium facientibus.

Quibus omnibus, in quantum præsentibus derogare, aut contraire possent, cassamus autoritate Nostra Cæsarea, & de certa nostra scientia derogamus, ita, quod per eas vel ea, nullum prædicto Marchioni Opizoni præjudicium generetur. Harum testimonio litterarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in civitate Nostra Viennæ, die duodecima mensis Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo, Regnorum Nostrorum Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici vero quarto.

XXXVII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Literæ, in quibus Joannem Casparum, Marchionem de Malaspina, de castris, terris atque locis Treschietti, Godiassi, Priomesanæ, Calcinaræ, Cassarasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredondi, omnibusque eorum juribus & annexis, investivit, d. d. 11. Junii, Anno 1660.

LEOPOLDUS &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; Quod, cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Gaspar ex Marchionibus de Malaspina submississime exponendum curarit, a Divo quondam Imperatore Ferdi-

Ferdinando III. Domino Prædecessore, ac Patre Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ, sibi castra, terras, & loca Treschietti, Godiassi, Priomesanæ, Calcinaræ, Cassarasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredondi, & alia bona, ac possessiones, villasque eisdem locis subjectas & annexas, cum omnibus eorundem juribus, jurisdictionibus, proventibus connexis, & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio beneficii ac feudi nomine dependentes, die decima quarta mensis Julii, anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, ultimo in feudum benigne concessa fuisse, quemadmodum ex subinserto Investituræ tenore liquidius pateat:

Inserantur Investituræ priores.

Ac nunc porro Nos humillime rogarit, ut, postquam Divina Majestate propitia favente, ad Excelsum Majestatis Imperialis Thronum evecti simus, & ipse, uti fidelem & obedientem Vasallum ac subditum decet, laudandis Majorum suorum vestigiis insistendo, Nos in supremum & directum Dominum suum, ac præmemorata castra, terras, & loca Treschietti, Godiassi, Priomesanæ, Calcinaræ, Cassarasii, sive Vallis Riciæ, Tribiani, Foredondi, cum aliis bonis, possessionibus, & villis eisdem locis subjectis & annexis, omnibusque eorundem juribus, jurisdictionibus, proventibus connexis, & pertinentiis, a Nobis Sacroque Romano Imperio in feudum dependentibus humillime recognoscere, atque eo nomine, quæ præstanda sint, obsequenter præstare desideret; Nos honesto huic desiderio ipsius benigne deferre, atque ultra Imperialium præinserto Diplomate comprehensorum, sibique competentium Privilegiorum approbationem, ipsum de supranominatis castris, terris & locis, eorumque juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis universis pro se, & legitimis suis filiis, & hæredibus masculis cum primogenituræ lege & ordine, Imperialique tutela, & salvaguardia, atque exemptionis fori Privilegio denuo investire, atque infeudare dignaremur. Nos utique benigna habita ratione præclari, ac sinceri, cum Majorum suorum, tum ipsiusmet Joannis Gasparis ex Marchionibus de Malaspina studii, quo illi Sacrum Imperium continenter coluerunt, atque hic Nos, idemque Imperium, atque Augustam Domum nostram venerabunde prosequitur, neque minus persuasum Nobis habentes, fore, ut inposterum quoque omnia fidei, integritatis, devotionis & observantiæ officia erga Nos, Sacrumque Imperium diligenter & accurate, constanti ac perpetuo tenore expleat, quod & facere legibus, ac moribus debebit, humillimis illius precibus clementer annuendum duximus, uti vigore præsentium annuimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, omnia & singula Privilegia dicti Marchionis Joannis Gasparis Progenitoribus, a Divis quondam Prædecessoribus Nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus concessa, Patrique ipsius Marchioni Pompejo novissime confirmata, quatenus rite processerunt, & ad ipsum, atque hunc Joannem Gasparum spectare potuerunt ac possunt, præsertim vero præinsertum Divi Imperatoris Maximiliani Secundi Investituræ salvæguardiæ, sive protectionis, & exemptionis fori Privilegium, nec non primogenituræ legem, seu succedendi in feudis, bonis, castris & locis in eodem Privilegio, autoritate Cæsarea Augusti quondam Imperatoris Rudolphi Secundi approbato, expressis, modum atque ordinem benigne confirmantes & ratificantes, eundem Joannem Gasparem, Marchionem de Malaspina pro se, ac legitimis suis hæredibus, & descendentibus masculis de memoratis castris, locis & feudis, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate, omnibusque eorum juribus, jurisdictionibus, proventibus & pertinentiis, ad dicta loca, feuda & castra spectantibus, prout ad ipsum jure hæreditario, vel alio justo ac legitimo titulo devenerunt, & quemadmodum ipse Marchio ea adhuc rite tenet & possidet: recepto prius ab ejusdem Marchionis legitime substituto Procuratore fidele, Nobis dilecto Marco Antonio Turresino, sufficienti ad id mandato instructo, in animam dicti Marchionis Joannis Gasparis debito & consueto homagii ac fidelitatis juramento, juxta seriem atque tenorem præinsertæ Investituræ, ita, quod hujusmodi castra & loca cum pertinentiis tanquam feuda a Nobis, & Sacro Romano Imperio habeat, teneat & possideat, illisque utatur & fruatur sine alicujus impedimento, & contradictione, denuo infeudavimus, atque investivimus, prout autoritate Nostra Cæsarea, in quantum Nobis competit, per præsentes infeudamus, atque investimus, simulque jus majoratus, seu primogenituræ, ordinemque & modum succedendi in supradictis feudis, castris, locis & bonis, omnibusque eorundem pertinentiis, eo, quo in præinserto Instrumento habetur modo, in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis, articulis, & verborum expressionibus, perpetuo ratum, validum, & firmum esse, & teneri, atque ab omnibus inviolabiliter semper observari debere, Cæsarea autoritate nostra decernimus & declaramus, atque insuper sæpedictum Marchionem Joannem Gasparem, ejusque descendentes & successores legitimos, cum supradictis feudis, castris, locis & bonis, omnibusque eorundem pertinentiis a Nobis, & Sacro Imperio in feudum dependentibus, in nostram, & Sacri Imperii protectionem, tutelam, & salvamguardiam specialem assumpsimus & recepimus, fideque publica, seu salvo conductu contra quorumvis injuriam, seu violentiam munivimus, ac præsentium vigore assumimus, recipimus & munimus. Volentes & firmiter decernentes, quod dictus Joannes Gaspar, Marchio de Malaspina, ejusque descendentes masculi pro tempore, in memoratis feudis ordine supra allegato successuri, sub Nostra, & Imperialis Aquilæ tutela, protectione, salvaguardia, fideque publica, seu salvo conductu sint, & esse debeant salvi & securi ab omni oppressione, gravamine, & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum, neque etiam ipse, vel dicti successores occasione sæpe allegatarum participationum feudalium, & pertinentiarum earundem a quocunque hominum coram alio judice, quam coram Nobis, aut iis quibus hujusmodi controversias, si quas aliquando inter ipsos, & eorum subditos ex una, & alias quaslibet personas ex altera parte active, vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas, atque determinandas commiserimus, & delegaverimus in Judicio conveniri debeant & que-

queant; quin imo possint & valeant uti, frui, potiri, & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, prærogativis, exemptionibus & privilegiis, quibus alii sub nostra & Sacri Imperii protectione, tuitione, salvaguardia, & fide publica constituti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, quomodolibet consuetudine vel de jure. Non obstantibus in præmissis omnibus ac singulis aliquibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus feudalibus, statutis, decretis, ordinibus, aut aliis in contrarium facientibus, quibus universis, quatenus obstarent, seu obstare possent, pro hac vice duntaxat autoritate, & scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus. Nostris tamen & Sacri Imperii, ac aliorum juribus in omnibus & per omnia salvis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, confirmationis, ratificationis, Investituræ seu infeudationis, primogenituræ, salvæguardiæ, exemptionis, fori, consensus, voluntatis, decreti, concessionis, & gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut eidem quovis ausu temerario contraire, qui secus faxit, præter quod nostram, & Sacri Imperii indignationem gravissimam incurret, quadraginta marcarum auri puri puti, probi sui ex semisse Fisco, seu ærario nostro imperiali, ex altero semisse parti læsæ toties, quoties contrafactum fuerit, pendendarum mulctam dare, jam nunc damnas esto. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ die 11. Junii 1660.

Copiam hanc Investituræ cum Registratura Imperiali Aulica latina collationatam, & ei consonam attestor, Pragæ 3. Jan. 1680.

Ludov. Nostorff, Cancell. Imp. Aulicæ latinæ Reg.

(L. S.)

XXXIIX.

Leopoldi Roman. Imperat. Litteræ, in quibus Julium, Marchionem Malaspinam, de feudo Imperiali Pontis Bosii investivit, d. d. 5. Februar. An. 1662.

Leopoldus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis nobilis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Julius Malaspina, humillime exposuerit, a Divo quondam Imperatore Ferdinando Tertio, Domino genitore ac prædecessore nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, die vigesima septima Maji anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni, patrem quondam suum Ludovicum Marchionem Malaspinam, de feudo Imperiali Pontis Bosii infeudatum fuisse, prout ex subinsertæ investituræ tenore liquidius constet:

Ferdinandus Tertius, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator &c. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus, Marchio Ludovicus Malaspina humillime exposuerit, inter se & nobilem nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum, Marchionem Hippolytum Malaspinam, Avunculum suum, quinquennalem litem ratione successionis feudorum Imperialium Bastiæ & Pontis Bosii ad instantiam Agnatorum utriusque (salvo tamen & reservato Cæsareo nostro, uti superioris Domini, assensu) amicabiliter ita transactam fuisse, ut præfatus Marchio Ludovicus Malaspina pro sua parte supra dictum feudum Pontis Bosii caperet, possideret, & eo contentus acquiesceret, prout ex desuper confecto Nobisque exhibito, & hic subinserto Instrumento constet, cujus tenor est talis:

Inserantur Transactionis Instrumenta.

Ac proinde Nos supradictus Marchio Ludovicus submisissime rogavit, ut præfatam inter se & memoratum Marchionem Hippolytum Malaspinam super feudo Imperiali Pontis Bosii vigore dicti Instrumenti factam transactionem ratam ac gratam habere, nec non Cæsarei nostri assensus autoritate munire, confirmare, ac corroborare, simul ac se Ludovicum Marchionem Malaspinam super jam dicto feudo, quod sibi memoratæ & in præinserto Instrumento comprehensæ transactionis virtute competat, secundum naturam integri feudi Pontis Bosii benigne investire atque infeudare dignaremur. Nos benigne considerantes, quam singulari constantis fidei, devotionis, & obsequii studio Nos, Sacrum Romanum Imperium, & Augustam Domum nostram Austriacam, cum universa Malaspinarum familia, tum ipse prædictus Ludovicus Marchio Malaspina hactenus coluerit, ac imposterum, uti confidimus, indesinenter culturus sit, submississimæ ejusdem petitioni gratiose censuerimus annuendum; adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis & autoritatis plenitudine supradictæ transactionis ac cessionis titulo feudi Pontis Bosii a supra dicto Ludovico Marchione Malaspina factam acquisitionem, & confectum desuper contractus Instrumentum in universis ac singulis suis capitibus, clausulis, punctis, sententiis, ac verborum expressionibus laudaverimus, approbaverimus, rata grata habuerimus, fixa, firma, valida dixerimus, pronunciaverimus, ac Imperialis nostræ potestatis atque autoritatis munimine corroboraverimus, quemadmodum tenore præsentium laudamus, approbamus, rata, grata, fixa, firma, valida habemus, dicimus, pronunciamus, potestatisque & autoritatis nostræ Cæsareæ firmitate ac robore communimus, atque ipsi supradicto Ludovico Marchioni Malaspinæ prædictam acquisitionem feudi Imperialis Pontis Bosii juxta ejusdem integri naturam, atque in ejusmodi feudum, cujusmodi legitimi ipsius antecessores ac possessores tenuerunt ac possederunt, deinceps tenendum & possidendum benigne concedimus conferimusque, atque ipsum de eodem cum omni-

omnibus suis pertinentiis, homagiis, mero & mixto imperio, gladii potestate & omnimoda jurisdictione (recepto tamen prius ab honorabili docto nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Patri Panicali, J. U. Doctore, tanquam legitimo constituto Procuratore, debito ac consueto fidelitatis & homagii juramento) clementer investimus atque infeudamus. Dantes & concedentes ei omnia & singula in dicto feudo Pontis Bosii, quæ de jure, æquitate, ac consuetudine dare & concedere possumus. Nostris tamen & Sacri Imperii, nec non aliorum quorumcunque juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum cujuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, conditionis, & fortunæ existant, fas licitumve sit, hanc Augustalis nostri assensus, laudationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, investituræ, concessionis, ac gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut quovis ausu temerario contravenire: Si quis autem secus faxit, is præter, quod gravissimam nostram ac Sacri Imperii indignationem incurret, triginta insuper Marcharum auri puri, puti, probi sui ex semisse in ærarium, sive fiscum nostrum Imperialem referendarum, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passis omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum manus nostræ subscriptione, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate Nostra Viennæ die vigesima septima mensis Maji, Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungarici decimo quarto, Bohemici vero decimo secundo.

Che li Sigri Marchesi Galleazzo, e Gio. Battista à nome proprio, e di detti Sigri Marchesi Pietr' Antonio, e Carlo Geronimo absenti, e per i quali, faccendo anche fatto, e causa propria respettivamente hanno promesso, e promettano, che non contraverranno à quanto sopra, renunciando anche al beneficio di quella legge, quale dispone non possa alcuno promettere, il fatto d'altri, volendo in ogni caso, & in ogni tempo essere tenuto del proprio, verso detto Signore Marchese Arciprete stipulante à suo, & à nome de medesimi Sigri suoi Nepoti, detto Signore Secretario per S. E. e me Notaro &c. sotto obligazione de suoi beni presenti e futuri &c. e quali promettono tenere, con la clausola del Constituto &c. e sotto il vincolo dell' infrascritto giuramento certiorati prima &c. attesa detta accettazione, e quanto sopra, detti Sigri Marchesi Galleazzo, e Gio. Battista, à proprii nomi, e come sopra hanno liberato, & assoluto, sicome liberano & assolvano S. E., e li suoi eredi e successori &c. detto Signore Secretario presente, e stipulante à nome di S. E. Notaro &c. dal pagamento di detti scudi quattrocento diecisette, faccendo gliene fine, quietanza, e patto di non dimandare diù cos' alcuna &c. renunciando &c.

Quali cose tutte, & ogn' una di esse dette parti vincendevolmente promettono osservare, e tenere rate, e ferme per sempre, sotto pena del doppio, e refetione d'ogni spesa, e danno, che una parte all' altra, e l'altra all' una contravenendo potesse causare &c. e così respetivamente hanno giurato, cioè detto Sigre Marchese Arciprete, tacto pectore &c. e detto Sigre Secretario Giani, e Sigri Marchesi Galleazzo, e Gio. Battista, toccate un doppo l'altro le scritture &c.

Delle quali cose &c. Per me Gaspare Gatti, Notaro.

Esteso, e rogato l'anno della nattività del Sigre mille seicento novanta cinque, Inditione 3. giorno di Sabbato, venti sette del mese d'Agosto, hora di 3a. in una delle camere del convento di nostra Sigra

ligna di Montebruno, sita sopra del Riffettorio, e quale tiene la finestra verso mezzo giorno &c. Presenti per testimonii Bartholomæo Mutio, quondam Agostino del Borgo di Ottone, & Antonio Tassi, figlio di Gio. Andrea del Borgo di S. Steffano quì presente chiamati al presente atto, e conosciuti &c.

Estratto in tutto, come sopra dall' Originale, col quale concorda salvo &c. consistente questa Copia in fol. quattro &c.

Subscripsit Gaspar Gatti, Notarius &c.

E volendo li medesimi Sigri Marchesi D. Piett' Antonio, e Carlo Geronimo osservare & adempire quanto à loro spetta, e per essi loro, & à loro respettivamente nome hanno promesso, contrattato, fatto, e stabilito in detti Contratti, li predetti Sigri Marchesi Galleazzo, e Gio. Battista à favore della prefata S. E. Per tanto spontaneamente &c. con animo deliberato &c. & in ogn' altro miglior modo &c. per essi loro, e per i loro Eredi &c. tanto congionta, quanto divisamente, & in solidum &c.

Li preinserti due Instromenti ricevuti dalli Notarii Domenico Ponte, e Gaspare Gatti li 19. e 20. e 27. di Agosto 1695. come sopra, e tutte, e ciascheduna delle cose promesse, fatte, dichiarate, & espresse in essi, come fatte e stabilite di loro ordine, consenso, & espressa volontà, e de quali tutte benninamente confessano d' haver certa scienza e di esserne stati pienamente edotti non solo prima di ora da predetti Sigri Galleazzo, e Gio. Battista, mà ancora presentemente da me Notaro infrascritto etiam per lettura hora quì fatta alla loro presenza, & opportuna intelligenza, e delli infrascritti Testimonii a parola per parola delli stessi due Instromenti &c. Hanno approvato, confirmato, & accettato, come approvano, ratificano, confermano, & accettano; E vogliono, come dichiarano, & protestano, che si habbiano, e si debbano havere omninamente, come fossero state fatte, convenute, promesse, dichiarate, & accettate da essi loro, e ciascheduno di essi, nella forma, e maniere, che havrebbero potuto pratticare, quando vi fossero stati presenti; & à maggior cautela vendono, cedono, renunciano, danno in pagamento, quietano, assolvano, e liberano, dichiarano, si obligano, e fanno tutto quello, e quanto si contiene nelli stessi due Instromenti qui inserti, in quello miglior modo, che può risultare, tanto di ragione, come di fatto, ad utile, e favore della prefata S. E. &c. renonciando &c.

Jo Notaro, come persona publica, e che essercito l'ufficio publico, stipulante à nome, & in vece della prefata S. E. suoi figli, eredi, e successori &c. & in ogn' altra &c.

Le quali cose tutte &c. sotto pena del doppio &c. e con rifazione &c. lequali pagate restino nè più nè meno ferme &c. & hanno giurato, cioè detto Sigre D. Pietr' Antonio toccato colla mano il petto all' uso de Sacerdoti, e detto Sigre Carlo Geronimo toccate le scritture &c.

E perciò hann' obligato li loro beni presenti e futuri &c. constituendosi &c.

Jo Notaro di nuovo, come sopra stipulante &c. sia esteso &c.

Risalvandosi à cautela detto Sigre Carlo Geronimo, e protestando, come non intende di pregiudicarsi in alcuna parte per le ragioni, che possa havere, ò gli possano competere contro detto Sigre Marchese Galleazzo suo zio, per conseguire il pagamento di quanto li deve, & in qualonque modo gli possa essere debitore, non solo per accennate cause, mà ancora per altre in qualsivoglia modo, &c.

De quali cose tutte &c.

Me Carlo Antonio della Cella Notaro publico &c. Presenti per testimonii l'Alfiere Angelo Christofforo, quondam Alberto di Rezovaghi, & Alessandro, quondam Andrea di questo luogo, ambi della Cella &c. conosciuti, & alle predette cose chiamati, e pregati &c.

Così è nelli atti di me gia detto Notaro &c. Et in fede &c. risalvata sempre &c.

Il medesimo della Cella Notaro publico &c.

Joseph Abbas Guerra, J. V. D. Prothonotarius Apostolicus, in Archiepiscopatu Genuæ Vicarius Generalis, cunctis attestamur, dictam publicam scripturam fuisse & esse scriptam & subscriptam manu propria, & litteratura dicti Domini Caroli Antonii de Cella, Notarii Publici collegiati Genuæ, Imperiali autoritate, scripturisque ejus publicis in Judicio, & extra, plenam fidem fuisse & adhiberi, prout cum mandato tactis &c. attestati sunt spectabilis D. Gaspar Gallus, quondam D. Antonii Francisci, & spect. D. Bartholomæus Cogredanus quondam D. Augustini testes noti, & fide digni, qui eum pluries atque pluries scribere, & rescribere viderunt. In quorum &c. Datum Genuæ in Palatio Archiepiscopali anno 1695. die 16. Augusti.

Thomas Antonius Vt.

XLVI.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Rescriptum ad Franciscum Mezabarbam Biragum, ejus in Italia Fisci Procuratorem, in causa Fratrum Malaspinarum, de Feudo Imperiali Filatteria agitata, exaratum, cui Consilii Imperialis Aulici Decretum, in eadem causa confectum, insimul adjunctum est, d. d. 18. Jan. An. 1697.

LEOPOLDUS &c.

PRobe memineris, à Nobis Literas patentes sub secunda Decembris, anno 1695. eo fine per Italiam publicatas fuisse, ut, qui feuda Imperialia subticite hucusque possedissent, intra annum & diem à Nobis recognoscerent, proque Investitura supplicarent.

In cujus itaque sequelam, cum duo Fratres Joannes Manfredus, & Hippolytus Malaspinæ de Filatteria, per annexos libellos dictum Feudum Filatteriæ, aliaque indicent, de iisque Nos ac Imperium Romanum agnoscere, ac investiri cupiant, Literasque patentes ad subditos petant: Antequam certi quidquam ea de re decernamus, jam dictos libellos tibi communicandos duximus, ut tu de supplicantium descendentia, quam quidem per adjunctum

Genealogiæ suæ Stemma probare conantur, deque integro dicti Feudi statu & circumstantiis, aliisque de Feudis, quæ supplicantes prætendunt, accuratam contrahas notitiam, Nosque de omnibus, intra duorum mensium terminum, reddas certiores; quod equidem ita certo præstolantes, gratiam Nostram Cæsaream tibi clementissime conservamus. Datum Viennæ die 18. Jan. A. 1697.

Honorabili, docto, fideli Nobis dilecto Francisco Mezabarba Birago, nostro per Italiam Fisco.

Veneris 18. Januarii 1697.

Filatteriæ Feudum Imperiale in specie duo Fratres Joannes Manfredus, & Hippolytus Malaspinæ de Filatteria, eorumque Mandatarius de Gisgone à Cartagine sub præsentato 3. Decembris nuperi, supplicat pro Investitura de dicto Feudo, & decernendis Literis patentibus, decreto & rescripto, ut intus: apponit Litt. A. usque I. inclusive, in duplo.

Idem sub præsentato 14. ejusdem inhæret priori petito cum adj. K. L. M. N. in duplo.

Idem instat sub præsentato 7. hujus priori suo petito, & exhibet sub O. literas originales Baptismales dicti Joannis Manfredi.

Idem sub præsentato eodem supplicat pro non finendo termino currere in patentibus Imperialibus de secunda Decembris, 1695. præfixo, ad petendas alias Investituras.

Includatur Fiscali Imperiali in Italia Mezabarbæ, ut se de descendentia supplicantium, nec non integro Feudi statu, & circumstantiis, atque de aliis Feudis, quæ supplicantes prætendunt, informet, suamque informationem, sub termino duorum mensium, transmittat, quo facto, statuetur porro in puncto Investituræ, quod juris.

Franciscus Winandus de Bertram.

XLVII.

Attestatum authenticum, quod circa statum præsentem, reditus, aliasque Feudi Imperialis Filatteriæ circumstantias versatur, d. d. 7. Aug. An. 1697.

Adi 7. Agosto 1697.

NOi infrascritti faciamo fede, & attestiamo à chiunque persona, come il Marchesato di Filattiera, nella Provincia di Lunigiana, confina à primo il Fiume Cravia, verso Pontremol, à secondo il Fiume Magra, che divide li Feudi di Mulazzo, Castagneto, Groppoli, à terzo il Fiume Monio, che divide il Marchesato di Malgrato, à quarto il Marchesato di Treschietto, verso l'Alpi. Inoltre attestiamo, che la longhezza del Confine di esso Marchesato, per la strada Romana, da detto Fiume Monia fivo al fivine Cravia sia di miglia dua incirca; e di longhezza del Fiume Magra fino à Confini della Villa di Biglio sottoposto à Filattiera, sia di Miglia quattro in circa, e la circonferenza tutta sia in circa di miglia quindici.

Inoltre attestiamo, che le ville di detto Marchesato sono Filattiera, di *fuochi cento*; Gigliana *fuochi quindici*; Biglio *fuochi sette*; Lusignana *fuochi dodici*; Oliveto, *fuochi tre*; in tutto fuochi *cento trenta sette.*

Attestiamo ancora, che la Gabella, che per meta si risquote dal Marchesato di Malgrato, e l'altra da quello di Filattiera, cioè questa da Pontremoli verso Toscana, e quella da Malgrato verso Lombardia importera un anno per la altro Piastre venti.

Inoltre li due forni feudali, e publici importeranno annualmente Piastre dieci; e la Communità sopradette pagheranno annualmente fra tutto Piastre venti annue in tanto grano, e danaro; e quante sono l'entrate feudali del detto Marchesato.

Vi sono ancora le Caccie, e Pesche, & i Molini, gli gode la Communità, & in cambio paga il sudetto grano, e denari.

Vi è il Castello Marchionale antico, à uso di Fortezza, con Terrapieno, e cose esteriori, habitato da Marchesi viventi, e loro Agenti.

Inoltre alle sudette cose, godono li Marchesi Manfredi, e Ippolito, fratelli Malaspina, quattro Possessioni; due in Migliarina, con altro Palazzo, e due in Chiaseguasto, ò nella Corte, & altra in Protoli, e inportano di rendità in circà, compresovi il sopradetto feudale ancora da trecento Piastre annue.

Godendo li Marchesi sodetti altri beni ancora, che sono allodioli in Filattiera da loro compri, e da loro Antenati. E per essere questa la pura verità, noi infrascritti si siamo sottoscritti, e sigillato questa col nostro proprio sigillo, e recognizione di Notaro.

Jo Prete Gioan Guartieri di Filattiera, in fede di vero, mi sono sottoscritto in questa di mia propria mano à tutto il contenuto in essa e col mio solito sigillo.

Adi 7. Agosto 1697.

Constituito &c. avanti di me Notaro infrascritto.

Illᵐᵒ Mᵗᵒ Revᵈᵒ Sigᵒʳ Gio. Guartieri di Filattiera, per occasione di riconoscere il sopradetto Attestato per esso fatto, quale per me mostratoli, edipoi lettoli à chiara e piena intelligenza del medema, il sudetto per mezzo di suo giuramento da esso preso in forma tacto pectore, more sacerdotali corroborò, e per corroborato haver volse, e vuole asserendo per la mera verità, il tutto haver fatto e di sua propria mano haverlo scritto, e sottoscritto &c. In quorum &c.

Ego Joannes quondam Francisci de Salvinis, Montepolensis, Notarius publicus Florentinus, de prædictis recognoscere rogatus fui, & in fidem manu propria me subscripsi & proprio sigillo signavi. Ad laudem Dei &c.

(L.S.)

Jo

Jo Giorgio Leuchi di Filattiera affermo à quanto sopra si contiene, & in fede mano propria &c.

Jo Revdo Prete Silvestro Cassiani di Filattiera affermo quanto sopra si contiene, & in fede della verità di mano propria &c.

Adì 10. Agosto 1697.

Jo Antonio Decchi, Notaro publico avendo letta la sopradetta fede, & attestatne al Mto Revdo Prete Silvestro Cassiani di Filattiera, & al Sigor Giorgio Leuchi di Filattiera con suo giuramento mi hanno attestato esser vero ciò, che contiene la medesima i medemi dichiarano però, che circa al Capitolo, che contiene, che i sopradetti Beni, e Tenute siano feudali, in questo dicono non esserli noto, che però riservando à suo luogo, se ciò fosse, ò sia vero, affermano esser la verità ogn' altro contenuto della sopradetta fede, e però m' hanno richiesto di far à suo nome, come publica persona la sopradetta Attestatione avendola prima sottoscritta di sua mano. *Ego Antonius Dominicus Maria de Decchis*, scriba & Civis Senensis, affirmo &c.

(L.S.)

XLVIII.

Attestatum authenticum aliud de Imperialis feudi Filatteriæ Statu, reditibus, aliisque circumstantiis agens, d.d. 14. Aug. An. 1697.

Adì 14. Agosto 1697. in Fiorenza.

Noi infrascritti feudatarii di sua Maestà Cesarea, e del Sacro Romano Imperio, faciamo fede, & attestiamo, per la pura verità à chiunque; Come il Marchesato di Filattiera, nella Provincia di Lunigiana, confina à primo il fiume Cravia verso Pontremoli, à secondo il fiume Magra, che divide li feudi di Mulazzo, Castagneto, e Groppoli, à terzo, il fiume Monia, che divide il Marchesato di Malgrato; à quarto il Marchesato di Treschietto verso le Alpi.

Inoltre attestiamo, che la Lunghezza de Confini di esso Marchesato per la strada Romana, de detto fiume Monia fino alli Confini della villa di Bilio sottoposta à Filattiera, sia di miglia quattro in circa; e la conferenza tutta sia in circa di miglia quindici, e la lunghezza di miglia due.

Di più diciamo, che le ville di detto Marchesato sono Filattiera di *fuochi cento;* Gigliana *fuochi quindici;* Bilio *fuochi sette;* Lusignana *fuochi dodici;* Oliveto fuochi tre: in tutto *fuochi* 136. &c.

Attestiamo ancora, che la Gabella, che per metà si risquote dal Marchesato di Malgrado, e l' altra da quello di Filattiera, cioè questa di Pontremoli verso Toscana, e quella di Malgrati verso Lombardia, importerà un anno, per la altro piastre venti &c.

In oltre li due forni publici feudali, importeranno annualmte piastre dieci.

E la Communità sopradetta pagheranno annualmente, fra tutte, piastre venti in tanto grano, e denaro, e queste sono le cose feudali di detto Marchesato.

Vi sono ancora le Caccie, e Pesche, & i Molini li gode la Communità, e per essi paga il sudo grano, e denaro, e tributo.

Vi e il Castello Marchionale antichissmo ad uso di fortezza, con terapieni, Muraglie attorno ad esso esteriori, habitato da Marchesi viventi, e loro genti, e Ministrè.

In fine oltre le suddette cose, godono li suddetti Marchesi Manfredi & Ippolito, fratelli Malaspina di Filattiera quattro Possessioni, due in Migliarina, con altro avovo Palazzo, e Corte, detta il Chioso guasto, ò sia la Corte; & altra in Pratolo, & importan di annua rendita, compresovi il sopradetto feudale piastre tre cento &c. e di più godono li sopradetti Marchesi molte case, e altre possessioni allodiali, e lucelli nel feudo di Filattiera, comprate da essi, e loro Padre, e Avo, e Bisavo di Filattiera, e per essere questa la pura, e mera verità noi infrascritti &c. e sigillata questa col nostro proprio sigill, e con recognitione di mano di Notaro publico Imperiale &c. e Fiorentino, e nostri superiori, &c. e sigillo &c.

Adì 14. Agosto 1697. in Fiorenza.

Jo Don Roberto Malaspina, Monaco Cassiniense della Badia di Fierenze, figlio del Marchese Ferdinando Malaspina del Ponte, confesso quel, che contiene la presente scrittura, esser la pura verità, & in fede di ciò ho scritto di mano propria con l' impronto del presente sigillo; sigillo di casa mia.

(L.S.)

Jo D. Girolomo Fontebuoni, Monaco Cassinense affermo con giuramento, che la sopradetta suscritione è di propria mano del R. P. D. Ruberto Malaspina, & in fede mano propria, & ancora affermo esser sigillato col proprio sigillo, & con quello del Monasterio io stesso.

(L.S.)

Jo F. Cherubino Malaspina dell' ordine di S. Dominico, e fratello del Marchese di Treschietto, Marchesato confinante con il Marchesato di Filattiera, affermo quanto sopra di propria mano, con il sigillo di Casa.

(L.S.)

Jo F. Raffaello Badii, Maestro Domenicano al presente Priore del Convento di S. Maria Nondella di Firenze fò fede, che la sopradetta soscrizione, è di mano propria de R. P. F. Cherubino Malaspina, e per attestatione della verità ho fatto questa di propria mano e sigillo, col sigillo proprio del nostro Convento, questo dì 16. Agosto 1697.

Jo sopradetto F. Raffael Badii, Priore.

(L.S.)

XLIX.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris Literæ, in quibus Joannem Manfredum & Hippolytum, Fratres, Marchiones de Malaspina, de Filatteriæ feudo, ejusque pertinentiis, investivit, insimulque Literas Investiturarum, a Divis Romanorum Imperatoribus, nominatim Friderico I. Anno 1164. Friderico II. Anno 1220. & Carolo IV. Anno 1355. Progenitoribus ipsius, expeditas, confirmavit, d.d. 22. April. An. 1698.

LEopoldus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Würtembergæ, & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Notum facimus tenore præsentium, quod, cum Nobis Nobiles Nostri, & Sacri Imperii fideles dilecti, Joannes Manfredus, & Hippolytus, Fratres, Marchiones de Malaspina, humillime exponi curarint, vetustinam suam Marchionum de Malaspina familiam, ob singularem & inconcussam, quam Divis Prædecessoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, à seculis præstitit, devotionem, fidem, & servitiorum constantiam, quam plurimis feudis, beneficiis, honoribus, & privilegiis fuisse condecoratam, prout inter cætera Friderici I. anno millesimo centesimo sexagesimo quarto, qui Oppizzonem Malaspinam Marchionem; Friderici II. anno millesimo ducentesimo vigesimo, qui Conradum & alium Oppizzonem, Marchiones Malaspinæ: & Caroli IV. anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto: Qui Morellum de Mulatio, quondam Francischini, Marchionem Malaspinæ de dicto feudo Imperiali Filateriæ investiverunt, iisdemque concessa Diplomata pluribus testentur, tenoris sequentis:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen. *Carolus IV.* Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Bohemiæ Rex &c. Ad perpetuam rei memoriam, sicut præcelsa Cæsareæ benignitatis clementia pie consuevit, relevare oppressos, debiles restaurare, ac lapsos erigere, sic fidelibus & subjectis guerrosi favente malitia temporis, jurium suorum conjectura probabili passis dispendia dignum existimat, pro qualitate negotiorum ac temporum illa repræmiando, eorum damnis, gratioso compendio, subvenire: Quapropter Nobilis Morelli de Mulatio, quondam Francceschini, Marchionis Malaspinæ, Nostri & Sacri Imperii fidelis dilecti, humilis oblata Nostræ Majestati petitio continebat: quatenus, cum Privilegium quoddam ipsius à Divo quondam Friderico II. Romanorum Imperatorum, Prædecessore Nostro, per Conradum quondam & Oppizzonem, ipsius Morelli Antecessores, habitum & obtentum, propter varia, & innumeras guerras, & hostilitatum discrimina perditum & amissum existat, sibi, & hæredibus suis, velut hæredibus legitimis, & per masculinam lineam descendentibus, a præfato quondam Conrado & Oppizzone, Marchionibus Malaspinæ Senioribus, & antiquis progenitoribus ipsius tenorem dicti Privilegii sumptum, insinuatum, & relevatum, ex authentico & in formam publicam ad cautelam redactum, ratificare, approbare & confirmare, & contenta in eodem ipsis de novo concedere, solitæ benignitatis, & Imperialis Nostræ Majestatis clementia dignaremur, qui tenor sequitur, per omnia in hæc verba:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Fridericus II.* Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Rex Siciliæ &c. Apud fontem Imperialis eminentiæ, fidei sinceritas, præclara devotio, & honesta servitia præcipuum locum semper obtinuerunt, invictissimi quoque Principes, & illi, qui pro dilatando Imperialis Coronæ solio fideliter laborarunt, in desideriis suis congruum effectum consequi omni tempore laudabiliter meruerunt; quapropter universorum Imperii fidelium noverit ætas, & successura posteritas, quod No dilectis, charissimis & fidelibus Nostris, Conrado & Oppizzoni, Marchionibus Malaspinæ, pro eorum magnificis & claris servitiis, & hæredibus suis legitimis, concedimus & confirmamus omnia, quæ in Januensi Marchia, vel in Archiepiscopatu, ejus Antecessores eorum rationabiliter habere visi sunt, tam in civitate, quam extra, cum omnibus Regalibus, & cum omnibus his, quæ ad ipsorum Marchiam pertinere noscuntur, cum omni honore & districtu, & medietatem omnium eorum, quæ habuerunt in Lavania & in Valle segestri: Castellum novum cum curia sua, & omnia quæ nunc justo titulo habent in Comitatu Lunensi, curiam videlicet de Vezanio cum castello, Levantum cum curia, quartam partem Rivaltæ & curiæ, Corvariam cum curia, quartam partem Benellini de castro & curia Madrognani, quartam partem castri & curiæ Vallerani, quartam partem Arculæ, quartam partem castri & curiæ Ponizzanni, quartam partem castri & curiæ Massæ, quartam partem castri & curiæ Corvariæ, quartam partem castri & curiæ, quartam partem curiæ Herbariæ, Aymilliæ quartam partem, quartam partem Vallis Pianiæ, Galixæ medietatem castri & curiæ, montem totum cum curia: Trixianum cum tota curia, Groppum, Fuscum, Malvidum, cum tota curia, & Pedaggio, Mulatium cum tota curia, Zexulam cum tota curia, Fillateriæ quartam partem castri & curiæ, Belvedere cum tota curia, quartam partem Montis longi, Zerri cum tota curia, quartam partem curiæ Decomano in Valle tauri, Carum cum tota curia; Filetum cum tota curia de Galbetini, Complanum cum tota curia, Fastagium, Bedognam cum tota curia, Petram rubeam cum tota curia, Carexi, cum omnibus, quæ habent in curia: Sexegnani cum tota curia: Melletum cum tota curia, & Figarollum Torillii cum tota curia & Pedaggio, Montobium cum tota curia: In Valle Trebiæ, Montem Brunum cum tota curia, Crucem cum tota curia, & Pedaggio, Carezetum cum tota curia, Lozum cum tota curia, Zerbam

bam cum tota curia, Montem Arzolum cum tota curia: Onetum cum tota curia, tres partes Brugnanelli, castelli & curiæ, Petram Corvam cum tota curia, Petram Sillariam cum tota curia, Vixiranum cum tota curia, Curiam de Fillino, Robbianum cum tota curia, Ozexii tres partes castelli & curiæ, Rivalgatici tertiam partem, castelli & curiæ, Rivaltum cum tota curia, medietatem Gragnanæ, castelli & curiæ, S. Petrum in Cerro cum tota curia, curtem majorem, curtem de Verna, & omnia, quæ habent in Carolo cum piscationibus & rippatico, Groppum Dichanum cum tota curia, Gazium, & omnia, quæ habent de jure in Placentia, in civitate, & comitatu, & omnia, quæ habent in Episcopatu & Comitatu Cremonensi, Sollarollum cum tota curia, quartam partem Vidalianæ, quartam partem Caxallis majoris, quartam partem Rivarolli: In Valle Stafulæ, Petram gruam cum tota curia, S. Margaritam cum tota curia, Mingchonigam cellam cum tota curia: Montefortem cum tota curia, Nivionum cum tota curia, Auramalam cum tota curia, Petram cum tota curia, Sallianum cum tota curia, Caxallassi cum tota curia: Pisedecorem cum tota curia, Carcinomam cum tota curia: Prumbetanam cum tota curia: quartam partem Nazanni, castelli & curiæ, CantaCapram cum tota curia, Mon-pollum cum tota curia, tertiam partem Roberettæ, castelli & curiæ, omnia quæ habent in Episcopatu & Comitatu Terdonensi, & in civitate Mediolani & Comitatu, & Archi-Episcopatu, in civitate Cumanensi, & Comitatu, & Archi-Episcopatu. In Comitatu Brixiensi, & in Episcopatu Bobiensi, & in Episcopatu Laudensi, & in Episcopatu Parmensi, & omnia quæcunque Regalia, quæ ad Nos, & Imperium pertinent in supradictis omnibus locis, tam in his omnibus, quæ Antecessores sui habuerunt, aut ipsi modo habent in Janua, & in eorum Marchia, eisdem Marchionibus Conrado & Oppizzoni, & eorum legitimis hæredibus in feudum concedimus & confirmamus, cum omni honore, & utilitate ad Imperium pertinente, videlicet cum placitis, fodris, arbergariis, teloniis, pedagiis, districtibus, fidelitatibus, pugnis, expeditionibus, advocationibus, subrandiis, piscationibus, rippis, tabulis, ponderibus, mensuris, plateis, beccariis, aquis, molendinis, bona etiam & possessiones, quas legitime habent, aut habituri sunt, eis autoritate Nostra Imperiali corroboramus, & in perpetuum confirmamus, ad augmentum quoque gratiæ Nostræ iterato corroboramus & confirmamus omnia, quæ sibi donavimus in civitate Terdonensi, & in ejus Comitatu, sicut continetur in Privilegio Nostræ Majestatis, quod in castris prope Florentinum eis fieri fecimus, excepto eo, quod jam dicti Conradi Avus Oppizzo, quondam Marchio Malaspinæ, Domino Friderico Divo Augusto Avo Nostro, sui amore de civitate Terdonensi refutavit, atque resignavit: Si quæ vero Civitas, Princeps vel Potestas, aut aliqua Ecclesiastica, secularisve persona in his omnibus jam dictos Marchiones Conradum & Oppizzonem, & hæredes eorum molestare vel inquietare præsumpserit, mille librarum auri pro pœna componat, dimidium Cameræ Nostræ, & dimidium dictis Conrado & Oppizzoni, Marchionibus & hæredibus eorum: Ego Conradus DEi Gratia Meten. & Spirensis Episcopus Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Engelberti Colon. Archi-Episcopi, & totius Italiæ Archi-Cancellarii recognovi. Datum castris prope Florentinum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mensis Decembris, indictione nona, Regnante Domino Nostro Friderico II. DEi Gratia, Illustrissimo Romanorum Imperatore, semper Augusto, Rege Siciliæ, anno vero Romanorum Regni ejus in Germania nono, Imperii vero ejus anno primo, in Sicilia tertio feliciter, Amen.

Nos itaque suprascripti Nobilis Morelli de Mulatio, Malaspinæ Marchionis, Nostri, & Imperii Sacri fidelis dilecti supplicationibus devotis benignius inclinati, & considerantes attentius, quod dictum originale Privilegium, licet cautela competens adhibita fuerit, ut præsumitur, conservari non poterat adversæ fortunæ, temporisque malitia sic agente, volentesque commodis ipsius, quantum valemus, de jure propter fidei suæ devotionisque constantiam, erga Nostram Celsitudinem & Sacrum Romanum Imperium habitam, & futuris temporibus habendam fortius pia clementia providere suppositum ipsius Privilegii tenorem, per Bartholomæum, quondam Magistri Alberti de Villanis: Franciscum, quondam Petrizoli de Alpheriis: Ecchinum, quondam Borbonii: Petrum Filium Oppizzinotti de Pellarariis, & Thomasium de Filippis, omnes de Pontremulo, & Notarios, ut apparebat, Imperiali autoritate publicos, solita solennitate ab originalibus relevatum, in omnibus suis punctis, clausulis & articulis, de verbo ad verbum sicut positum erat, extat & juste processit, & res & possessiones in eisdem contentas, cum omnibus, & castris, curtibus, villis, aquis, molendinis, pascuis, sylvis, piscationibus, aquarum decursibus, juribus, libertatibus, emolumentis, in quorum possessione pacifica nunc est, vel fuit olim dictus Franceschinus Pater suus, ac ad ipsum Morellum sunt legitime devoluta, vel etiam in quorum possessione non est, dummodo sibi sint ablata ex violentia, vel alias indebite, & jus in illis sibi competere dignoscatur, sibi, & ejus hæredibus, sicut juste & digne possumus, ratificamus, approbamus, confirmamus, ac de novo concedimus, eosque de illis, & eorum quolibet, recepto tamen a Friderico quondam Manfreducii de Valleggia, Procuratore ipsius ad hoc specialiter constituto, debito fidelitatis & homagii corporaliter juramento, benignitate solita infeudamus, & præsentibus liberaliter investimus, salvis tamen in præmissis Nostris, & Imperii juribus, & personarum quarumlibet aliarum.

Nulli ergo hominum liceat hanc Nostræ Majestatis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, pœnam suppositam, scilicet mille librarum auri, quoties contrafactum fuerit, dimidiam partem Cameræ Nostræ solvendam, aliam vero partem passo, seu passis injuriam se noverit incursurum. Signum Serenissimi Principis, & Domini Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris Invictissimi, & Gloriosissimi Bohemiæ Regis:

(Loc. Sign.
Caroli IV. Imp.)

Testes hujus rei sunt, Venerabiles Ernestus Pragensis Archi-Episcopus, & Gerardus Spirensis, & Joannes Olemucensis Episcopi, &c. Illustres Nicolaus Oppame, & Bollio Fallenberg Duces: Nec non Spectabiles Henricus de Svartzburg, Joannes de Roer: Et Albertus de Auchald Comites, & alii Nobiles præsentes ibidem quam plures, præsentium sub Nostræ Majestatis Sigillo testimonio literarum. Datum in Petra Sancta, Anno Nativitatis millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quinto, octava indictione, quarto Idus Junii, Regnorum Nostrorum Anno nono, Imperii vero primo: Ego Joannes Dei Gratia Luthomustiensis Episcopus Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius, Reverendissimi in Christo Patris, Domini Gulielmi, Coloniensis Archi-Episcopi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarii, recognovi supradicto Domino meo Imperatore Carolo feliciter imperante Sigillatum, cum Sigillo Cæs. in cera Bulla sculpto ad filum serici crocei coloris insitum.

In Nomine Sanctæ Individuæ Trinitatis. Fridericus, Divina Favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Apud fontem Imperialis Eminentiæ fidei sinceritas, præclara devotio & honesta servitia præcipuum locum semper obtinuere, Iuvictissimique Principes, & illi, qui pro dilatando Imperialis Coronæ solio fideliter laborâre in desideriis suis congruum effectum consequiomni tempore, laudabiliter meruere;

Quapropter Universorum Imperii fidelium noverit ætas, & successura posteritas, quod dilecto & charissimo fideli Nostro Oppizzoni Malaspinæ Marchioni, pro suo magnifico & præclaro servitio, & hæredibus suis legitimis concedimus & confirmamus omnia, quæ in Januensi Marchia, vel Archi-Episcopatu ejus rationabiliter Antecessores visi sunt habere, tam in Civitate, quam extra, cum omnibus Regalibus, & cum omnibus his, quæ ad ipsorum Marchiam pertinere noscuntur, & cum omni honore & districtu, & medietatem omnium eorum, quæ habuere in Lavania, & in Valle Segestri, Castellum novum cum curia sua, & omnia, quæ nunc justo titulo habent in Comitatu Lunensi, curiam videlicet de Aramo, cum Castello, Levantum cum curia, quartam partem Rivaltæ & Curiæ, Corvariam cum curia, quartam partem Bevilini de Castro & curia, Madrognani quartam partem Castri & curiæ, Vallerani quartam partem, Areolæ quartam partem Castri & curiæ, Ponzani quartam partem Castri & curiæ, Massæ quartam partem Castri & curiæ, Cervariæ quartam partem Castri & curiæ, quartam partem curiæ Herberiæ, Aulæ quartam partem, quartam partem curiæ Vallis planæ, Galixæ medietatem Castri & curiæ; Montem totum cum curia, Trixianam cum tota curia, & Groppum, Fuscum, Malvidum cum tota curia, & Pedaggio: Mulazanum cum tota curia, Cesolam cum tota curia, Filateriæ quartam partem, castri & curiæ, Belvedere cum tota curia, quartam partem Montis longi, Cerri cum tota curia, quartam partem curiæ de Cumano; in Valle Tauri, Enam cum tota curia, Pegam rubeam cum tota curia: Carisi cum omnibus, quæ habent in curia, Sesegna cum tota curia, Meletum cum tota curia, & Figarolum, Togillum cum tota curia, & Pedaggio, Montobium cum tota curia: In Valle Trebiæ montem Brunum cum tota curia, Crucem cum tota curia & Pedaggio, Caresetum cum tota curia, Lozum cum tota curia, Zerbani cum tota curia, Montem Areoli cum tota curia, Onetum cum tota curia, tres partes Bragnadelli, Castelli & curiæ, Petram Corvam cum tota curia, Petram Filariam cum tota curia, Vixiranum cum tota curia, Curiam de Filino: Bobianum cum tota curia, Ocesi tres partes, Castelli & curiæ, Rivalgari tertiam partem Castelli & curiæ, Rivaltum cum tota curia, medietatem Gragnanæ Castelli & curiæ, S. Petrum in Cerro cum tota curia, Curtem majorem, Curtem de Ava, & omnia, quæ habent in Carolo cum piscationibus & rippatico: Gruppum, Duganum cum tota curia, Gazum, & omnia, quæ de jure habent in Placentia in Civitate & Comitatu, & omnia, quæ habent in Episcopatu, & Comitatu Cremonensi, Dolazolum cum tota curia, quartam partem Vidalianæ, quartam partem Casalis majoris, quartam partem Rivaroli. In Valle Stafolæ, Petram Grogam cum tota curia, S. Margaritam cum tota curia, Mingonigam cellam cum tota curia: Montem fortem cum tota curia, Nuvum cum tota curia, Auram malam cum tota curia. Petram cum tota curia: Salianum cum tota curia: Cassalassi cum tota curia: Piro de Cornu cum tota curia: Calcinanam cum tota curia, Plumbesanam cum tota curia, quartam partem Nazani, Castelli & curiæ, Cantacapram cum tota curia, Manpaulum cum tota curia, tertiam partem Roboretæ, Castelli & curiæ, & omnia, quæ legitime habent in Episcopatu & Comitatu Terdonensi, & in Civitate Mediolani, & in Comitatu, & in Archi-Episcopatu, & in Civitate Cumana, & Comitatu, & Episcopatu, & in Comitatu Brixiensi, & in Episcopatu Bobiensi, & in Episcopatu Laudensi, & in Episcopatu Parmensi, omniaque Regalia, quæ ad Nos, & ad Imperium pertinent in supradictis omnibus locis, tam in his omnibus, quæ Antecessores sui habuere, aut ipse modo habet in Janua, & in ejus Marchia, eidem Marchioni Oppizzoni, & ejus legitimis hæredibus in feudum concedimus & confirmamus cum omni honore & utilitate ad Imperium pertinente: Videlicet cum placitis, fodris, Albergariis, Teloniis, Pedagiis, districtis fidelitatibus, pugnis, expeditionibus, advocationibus, curradiis, piscationibus, ripis, tabulis, ponderibus, mensuris, plateis, beccariis, aquis, & molendinis, Bona, & possessiones quas legitime habent, aut habituri sunt, eis autoritate Nostra Imperiali corroboramus, & in perpetuum confirmamus, ad augmentumque gratiæ Nostræ iterato confirmamus eis, & corroboramus omnia ea, quæ sibi donavimus in Civitate Terdonensi, & ejus Comitatu, sicuti continetur in Privilegio Nostræ Majestatis, quod Papiæ sibi fieri injunximus, excepto eo, quod jam dictus Marchio Oppizzo Nobis amore Nostro de Comitatu Terdonensi refutavit, atque resignavit: Si qua vero Civitas, Princeps, vel Potestas aut aliqua Ecclesiastica, sæcularisve Persona in his omnibus jam dictum Marchionem Oppizzonem & hæredes suos molestare vel inquietare præsumpserit, mille libras auri pro pœna componat, dimidium Cameræ Nostræ, & dimidium prædicto Marchioni cum hæredibus suis

Signum

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris Invictissimi.

(Loc. Sign. Friderici I. Imp.)

Ego Christianus, curiæ Cancellarius, Vice Domini Rainaldi Colonien. Archi-Episcopi, & Italiæ Archi-Cancellarii recognovi: Actumque est Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo sexagesimo quarto, indictione decima tertia, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Serenissimo, Anno Regni ejus XII. Imperii vero X. Datum Papiæ III. Calendas Octobris, &c.

Accidisse autem, quod ob innumeras, quæ inter Ducem Mediolan. Rempublicam Januensem, & Florentinam intercesserunt, bellorum, aliarumque in Italia, ac vicinia sua revolutionum tempestates, potentiorumque injurias vicissim oppressa concussaque, multis feudis Imperialibus exuta fuerit, inter alia vero, ratione Feudi Nostri Imperialis Filatteriæ à Prædecessore Romanorum Imperatore, ac Patruo Nostro Majore Carolo V. ex Hispanorum detentione eidem quondam restitui, ad jura ejus Imperialia conservanda, cum Republica Florentina quandam adhærentiam pacisci coacta fuerit; sed postquam hujus supremarum Cosmus Primus de Medices, Hetruriæ Dux, porro obtinuisset, atque una etiam feudum Filatteriæ violenter paulatim sibi subjecisset, subditosque ad præstandum sibi fidelitatis juramentum adegisset, ab eo, ejusque Filiis & Successoribus, Magnis Hetruriæ Ducibus, non attentis literis à Rudolpho II. Romanorum Imperatore, Propatruo Nostro Colendissimo, eo fine expeditis, recuperare non potuerit, ideoque & ipsimet Fratres supplicantes ob alia bona Allodialia, quæ sub eadem Hetruriæ ditione possideant, hæc, & alia patienter sufferre debuerint, humillime supplicantes, ut, etiamsi propterea hucusque tacuerint, silentium tamen hoc tale ipsis, dictas ob causas, obesse nequeat. Nos vigore Patentium Nostrarum, quas secunda Decembris Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto adversus Vasallos, feuda clanculum detinentes, & debita sui obsequii Clientelaris oblitos, publicari curavimus, ipsos de dicto Filatteriæ Feudo, utpote de quo Nos, velut supremum Dominum suum immediatum, ex justitia, & obsequii sui debito agnoscere desiderent, clementer investire dignaremur. Nos itaque dictorum Fratrum Joannis Manfredi, & Hippolyti Marchionum de Malaspina legitime ab iisdem probata eorum descendentia à dicto primo Oppizzone, ejusque successoribus, precibus humillimis benigne inclinati, eodem plane modo, & animo, quo altissime dictus quondam Romanorum Imperator Carolus IV. ejusque in Imperio Prædecessores, supra nominatos Marchiones investiverunt, eosdemque dictos Fratres de Filatteriæ feudo, quantum ad ipsos de jure pertinet, una cum omnibus juribus, libertatibus, & emolumentis, omnibusque regalibus, honore, utilitate, aliisque prærogativis, prioribus investiturarum literis insertis, ad id spectantibus, & in quorum possessione pacifice nunc sunt, vel eorum Majores fuerunt, & ad memoratos fratres Joannem Manfredum, & Hippolytum legitime devolutum est, etiam quorum possessione non sunt, dummodo sibi ex violentia, vel alias indebite sint ablata, & jus in illis sibi competere dignoscatur, recepto tamen prius à Nostro Consiliario & Comite Palatino, fidelique Nobis Dilecto Bonaventura de Gisgonio à Carthagine, Agente in Consilio Nostro Imperiali Aulico, Procuratore ad hoc specialiter constituto, debito fidelitatis & homagii in eorum animas præstito juramento, benignitate solita infeudaverimus, prout eosdem per præsentes liberaliter investimus & infeudamus salvis tamen Nostris, & Imperii Juribus, & personarum quarumlibet aliarum. Nulli ergo hominum liceat, hanc Nostram Majestatis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, pœnam suppositam, scilicet: Mille librarum auri, quoties contrafactum fuerit, dimidiam partem Fisco Nostro Imperiali inferendam, aliam vero dimidiam injuriam passo seu passis applicandam se noverit incursurum: Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæs. appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ die vigesima secunda Aprilis, Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Regnorum Nostrorum, Romani quadragesimo, Hungarici quadragesimo tertio, Bohemici vero quadragesimo secundo.

LEOPOLDUS.

(L.S.)

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium,

Vid. D. A. C. à Kauniz.

Lutzo Dolberg.

Registr. & Collat. R. W. de Bertram, Secret. Archivista.

L.

Leopoldi Roman. Imperatoris Rescriptum ad Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem, in quo eum monet, ut ne Marchiones Malaspinas in jurisdictione Feudi Filatteriæ criminali, ac jurium ipsis in dicto feudo competentium exercitio turbet; cui insimul Consilii Imperialis Aulici, in eadem causa, Decretum est adjunctum, d. d. 10. Junii, An. 1698.

LEOPOLDUS (tot. Tit.)

Postquam a Nobis Joannes Manfredus & Hippolytus, fratres, Marchiones de Malaspina, de Feudo Nostro Imperiali Filatteriæ nuper investiti, Antenatos suos jurisdictionis criminalis exercitium in eodem habuisse asseruerunt, in eoque se deinceps manutenere petierunt, Nos libellum eorum Dilectioni Vestræ communicandum, eandemque benevole benigneque monendam duximus, ut antedictos fratres Marchiones in exercitio jurium ipsis in memorato Filatteriæ feudo competentium nullatenus turbare velit, sed quiete uti & frui patiatur; Quod uti

juri

juri æquitatique congruit, id Dilectionem Vestram suapte sponte, facileque curaturam confisi, gratiæ & benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectu eandem complectimur. Datum Laxenburgi die 10. Junii Anno 1698.

Martis 10. Junii 1698.

Filatteriæ feudum Imperiale sive Marchionum Joannis Manfredi & Hippolyti fratrum de Malaspina de Filatteria, Mandatarius de Gifgone sub præsentato 7. Aprilis nuperi, in sequelam conclusi de 30. Januarii nuperi, supplicat, pro confirmanda & inserenda in Investitura, potestate exercendi jurisdictionem criminalem sive merum imperium cum adj. lit. C. D. E E. F. G. H. H.

Idem præsentato 5. Maji proximi, supplicat pro manutenentia jurium renovatarum literarum Investiturarum & includendis Commissario Patentibus ad subditos per rescriptum in duplo.

Idem sub præsentato 15. ejusdem pro rescripto ad D. Magnum Hetruriæ Ducem de non turbando principales suos in quieta dicti Feudi possessione.

Rescribatur Comiti Carolo Boromæo

Franciscus Winandus de Bertram.

LI.

Ejusd. Rescriptum ad Carolum Borromaeum, in quo eum, ut antea insertum Rescriptum Magno Etruriæ Duci legitime insinuari, ac annexas Patentes Feudi Filatteriæ subditis publicari faciat, exhortatur, d. d. 10. Junii, An. 1698.

LEOPOLDUS &c.

Quid ad Joannis Manfredi & Hippolyti fratrum Marchionum de Malaspina de feudo Nostro Imperiali Filatteriæ investitorum preces Serenissimo Magnæ Hetruriæ Duci, ratione jurisdictionis Criminalis in dicto Filatteriæ feudo prætensæ rescribamus, id & in originali & exemplo adjacet.

Quod itaque, ut ejus affectu fruantur, eidem legitime insinuari facies, utque eosdem exercitio jurium ipsis in dicto Filatteriæ Feudo competentium, quiete uti & frui patiatur, adhortationibus ac officiis tuis curabis, nec non & annexas Patentes Feudi subditis publicari jubebis, idque ages, ut dictis Vasallis fratribus debitum præstent obedientiæ ac fidelitatis homagium: Et Nos, quod reliquum est, gratiæ Nostræ Cæsareæ affectu in te benigne propendemus. Datum Laxenburgi die 10. Junii 1698.

LII.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Literæ Patentes ad Feudi Filatteriæ subditos, in quibus eos, ut Johannem Manfredum & Hippolytum, fratres, Marchiones Malaspinas, Dominos suos agnoscant, eisque homagium, debitamque obedientiam præstent, hortatur d. d. 10. Junii, Anno 1698.

Leopoldus, Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Nostris & Sacri Imperii fidelibus dilectis Filatteriæ feudi Nostri Imperialis subditis gratiam Nostram Cæsaream & omne bonum; quibus notum facimus, quod, cum Nos Nobiles Nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, Joannes Manfredus & Hippolytus, fratres, Marchiones de Malaspina, de dicto feudo Nostro Imperiali Filatteriæ legitime investiti, humillime rogaverint, ut vos proinde ad debitam illis obedientiam & fidelitatem clementer adhortaremur; Nos justis eorum precibus clementer annuerimus, prout vobis, ut antedictos Joannem Manfredum & Hippolytum fratres Marchiones de Malaspina, ceu Dominos Vestros agnoscatis, eis homagium & obedientiam præstetis, benignissime serioque mandamus ac præcipimus vigore harum Literarum nostrarum Patentium, manus Nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur Laxenburgi die 10. Junii An. 1698.

LIII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Rescriptum ad Comitem Carolum Borromaeum, in quo eum de modo ac ratione, in puncto Jurisdictionis Feudi Filatteriæ, inter Marchiones fratres de Malaspina, Magnumque Etruriæ Ducem, controversæ, procedendi instruit, d.d. 4. Novembr. Anno 1698.

LEOPOLDUS &c.

Illustris & Magnifice fidelis dilecte. Literas tuas, quas in puncto jurisdictionis in feudo Imperiali Filatteriæ inter Marchiones fratres de Malaspina, & Magnum Hetruriæ Ducem controversæ, 27ma Augusti proxime præterlapsi dedisti, una cum ejus adjunctis recte accepimus, atque inde non minus, ac ex ipsiusmet Magni Hetruriæ Ducis literis, dictorumque Marchionum libellis uberius intelleximus, differentias istas ulteriore indigere cognitione; Ut itaque juris ordine procedatur, benigne jubemus, ut juxta rescriptum Nostrum antecedens procedas, & utrinque exhibita vicissim, & usque ad causæ conclusionem communices, ac postea Nobis acta, cum voto tuo, transmittas. Qui, quod reliquum est, gratiam Nostram Cæsaream tibi conservamus. Datum Viennæ, die 4. Novembris An. 1689.

LIV.

Ejusdem Rescriptum ad eundem, in causa Marchionum Malaspinarum, contra subditos Filatterienses exaratum, d. d. 18. Nov. Anno 1698.

LEOPOLDUS &c. (tot Tit)

ULtra ea, quæ tibi a Marchionibus Manfredo, & Hippolyto, fratribus de Malaspina, ratione Jurium in feudo suo Filatteriæ prætensorum, sub 10. Junii proxime præterlapsi, clementer injunximus, tuque probe te executurum literis tuis d. d. 9. Julii subsecuti datis promisisti, novas Nobis iidem fratres contra subditos suos Filatterienses in puncto contradictionis ab illis præstari solitorum exhibuerunt querelas. Quas æque tibi hisce transmittimus, ut illis pro consequendis Contributionibus, & honorariis, prout antehac iis gavisi sunt, contra dictos subditos assistas. Quod autem reliquum est, gratiam Nostram tibi firmam volumus. Datum Viennæ die 18. Novembris, Anno 1698.

LV.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Rescriptum ad Marchionem Ferdinandum Malaspinam directum, in quo ipsi Feudi Treschietti alienatione interdixit, d. d. 1. Decembr. Anno 1698.

LEOPOLDUS &c.

NObilis fidelis dilecte. Nobis Joannes Manfredus ex Marchionibus de Malaspina humillime exponi curavit, in eo te versari, quo feudum Nostrum Imperiale Treschietti, in suorum & agnatorum præjudicium, alii, & forte potentiori divendas: Quanquam igitur ejusmodi alienationis actus ipso Jure nullus foret, nihilominus hisce tibi omnem in eventum serio districteque inhibitum volumus, ne dictum Treschietti feudum cuicunque vendas, aut quocunque contractus genere distrahas aut cedas, nisi gravem pœnam certo secuturam incurrere volueris. Qui quod reliquum est, gratiam Nostram Cæsaream tibi conservamus. Dabantur Viennæ 1. Decembris Anno 1698.

LVI.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Monitorium ad Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem, in quo eum, ut Johannem Manfredum & Hippolytum Fratres, Marchiones Malaspinas in quietam Feudi Filatteriæ possessionem immittat, eisque, damnis resarcitis, omnia ablata restituat, hortatur, d. d. 10. Febr. Anno 1699.

LEOPOLDUS &c.

SErenissime Consobrine & Princeps Charissime: Postquam Nobiles Nostros & sacri Imperii fideles dilectos, Joannem Manfredum & Hippolytum, Fratres Marchiones de Malaspina, de feudo Nostro Imperiali Filatteriæ sub 22. Aprilis anno 1698. legitime investivimus, dictique feudi subditis, ut illos, velut Dominos suos reverenter & obsequiose agnoscerent, per patentes a Commissario Nostro Cæsareo, Comite Carolo Borromæo affigendas, mandari jussimus, iidem Fratres Marchiones dolenter conquesti exposuerunt, qualiter Dilectio Vestra ad id impediendum prævenerit, ac arcem Filatteriæ militibus occupari, frumentum, vinum, fruges, mobilia, aliaque omnia in dicta arce adeo destrui, vel sequestari & consumi fecerit, ut Agenti ibidem existenti, ne libros quidem suos conserre permissum fuerit, neque minus subditis Filatteriæ, ne Dominis suis obedirent, gravissima sub comminatione inhibuerit; humillime supplicando, ut sibi contra turbationes istas ac violentias mediis opportunis assisteremus. Cum igitur non videamus, quo juris prætextu Dilectioni Vestræ adversus Vasallos Nostros Imperiales ejusmodi attentare, eorumque subditos ita contra Dominos suos animare licuerit, pro officii Nostri Cæsarei munere, quo Nobis feudorum Imperialium Jura salva tectaque servanda veniunt, benigne serioque volumus, ut Dilectio Vestra ab omnibus violentiis atque attentatis illis abstineat, milites omnes ex feudo abducat, ablata restituat, & damna resarciat, dictosque fratres Malaspinas in quieta jurium omnium possessione, in qua antehac, & investituræ Nostræ Cæsareæ tempore fuerunt, pacifice relinquat; & Nos, quod reliquum est, Dilectionem Vestram gratiæ & benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectu complectimur. Datum Viennæ die 10. Februarii Anno 1699.

LVII.

Ejusdem Rescriptum in eadem causa ad Comitem Carolum Borromaeum exaratum, d. d. 10. Febr. Anno 1699.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

QUid Nobis adversus Magnum Hetruriæ Ducem Marchiones Joannes Manfredus & Hippolytus, Fratres de Malaspina conquesti supplicaverint, quidque Nos eam in rem huic inhibendo rescripserimus, id ex annexo Rescripti Nostri Cæsarei hic adjuncti exemplo non minus, ac illis ipsismet Fratribus uberius intelliges; ne itaque dicti Vasalli Nostri jussionum Nostrarum, jurisque sui effectu careant, benignissime tibi committimus, ut prædictum Rescriptum Nostrum Eidem Magno Duci legitime consignari facias, ac priores Ordinationes Nostras eam in rem tibi datas probe diligenterque exequaris, quoque debita iis paritio subsequatur, officiis tuis efficias, causamque principalem omni studio promoveas, & relationem tuam matures. Qui, quod reliquum est, gratia Nostra Cæsarea tibi propensi sumus. Viennæ die 10. Febr. Anno 1699.

LIIX.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Rescriptum, ad Rainaldum, Mutinæ Ducem, datum, in quo ei injungit, ut feudi Treschietti possessori, Marchioni Ferdinando Malaspinæ, omni feudi jamjam memorati alienatione interdicat, inque casu mortis ejusdem, feudi laudati possessionem adeat, d. d. 15. Februar. Anno 1701.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

AD humillimas justasque preces Nostri & Sacri Romani Imperii fidelis dilecti, Joannis Manfredi, ex Marchionibus de Malaspina, Commissario Nostro Imperiali, Comiti Carolo Borromæo, die 3. Julii Anno 1698. clementissime quidem rescripsimus, ut casu, quo feudi Nostri Imperialis Treschietti possessor Ferdinandus, ex Marchionibus de Malaspina, Lineæ suæ ultimus, fatis cederet, dicti feudi possessionem nomine Nostro Cæsareo apprehenderet, quo deinceps illi restitueretur, ad quem de Jure spectare comperiretur; verum Nobis idem Joannes Manfredus porro demississime exposuit, dicto Comiti Borromeo hac rerum tempestate difficile fore, ut in præfati Ferdinandi forte præmorientis eventum, ejusmodi jussus Nostros Imperiales exequatur, supplex orando, ut hoc officii Dilectioni Vestræ concederemus; Cum igitur non supplicantis modo, sed & nostra præsertim intersit, ne feudum hoc in alienas manus incidat; Hinc Dilectionem Vestram benigne benevoleque requirendam duximus, ut eidem Ferdinando ex Marchionibus de Malaspina annexum rescriptum Nostrum inhibitorium, cujus tenorem ab ejus Copia intelliget, legitime insinuandum curare, nomineque Nostro Cæsareo omnem alienationis modum inhibere, in ejusdem vero præmorientis casum, memorati Treschietti feudi possessionem subire, & usque ad ulteriorem jussionem Cæsaream Nostram retinere, ejusque & omnium in illo contentorum descriptionem legitimam mandare, Nobisque transmittere non gravetur; quod itaque probe prompteque futurum confisi, gratiæ, & benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectu Dilectionem Vestram complectimur. Datum Viennæ die 15. Februarii, Anno 1701.

LIX.

Leopoldi, Roman. Imperatoris, Rescriptum ad Massæ Ducem & Marchiones de Malaspina exaratum, in quo eos, ut post Ferdinandi, Marchionis de Malaspina obitum, Feudi Treschietti possessionem suscipiant, &, usque ad ulteriorem Cæsaris jussionem, eandem retineant, exhortatur, d. d. 11. Junii, Anno 1703.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

AD humillimas justasque preces Nostri & sacri Romani Imperii fidelis dilecti Joannis Manfredi, ex Marchionibus de Malaspina, primum Nostro quondam Commissario Imperiali, Comiti Carolo Borromeo, ac deinde, cum hic impediretur, serenissimo Duci Mutinæ clementissime quidem rescripsimus, ut casu, quo feudi Nostri Imperialis Treschietti possessor Ferdinandus, ex Marchionibus de Malaspina, Lineæ suæ ultimus, fatis cederet, dicti feudi possessionem nomine nostro Cæsareo apprehenderet, quo deinceps illi restitueretur, ad quem de jure spectare comperiretur: Verum cum & hic præsenti belli statu, suismet belli curis admodum occupatus, aliisque etiam longius inde dissitus jussum hoc nostrum exequi nequeat, ideoque Nobis dictus Joannes Manfredus supplicaverit, Dilectioni Tuæ, ceu familiæ Malaspinarum capiti, vobisque utpote vicinioribus, hoc munus concrederemus; Non potuimus itaque, tum ob dictas rationes, tum ob singularem, quam in Dilectione Tua, vobisque habemus obsequii fiduciam, præsertim in causa non Malaspinas solum, sed & Nos velut directum supremumque feudi hujus Dominum concernente, quin Dilectionem tuam ac vos benigne benevoleque requireremus, ut memorato Ferdinando, qui gravissime decumbere dicitur, forte præmoriente, dicti Treschietti possessionem subire, & usque ad ulteriorem jussionem Nostram Cæsaream retinere, ejusque & omnium in illo contentarum rerum descriptionem legitimam mandare, Nobisque transmittere velitis, rem facturi Nobis pergratam & familiæ Vestræ proficuam, & Nos, quod reliquum est, Dilectioni Tuæ vobisque gratiæ ac benevolentiæ affectum constantem cupimus. Viennæ 11. Junii Anno 1703.

LX.

Instrumentum publicum attestationis de legitima possessione eorum, quæ Franciscus Antonius, Marchio Malaspina, in Castro Montis, ejusque pertinentiis tenebat, consignatum, d. d. 7. Julii, Anno 1703.

In Christi Nomine Amen! Anno ab ejusdem Nativitate Millesimo septingentesimo tertio, Indictione Undecima, die vero septimo Mensis Julii &c.

CUnctis ubique pateat, qualiter in præsentia mea, & Testium infrascriptorum personaliter Constituti &c. Admodum Reverendus Presbyter, Julius Cæsar, quondam M. Rigutii Picciati e Licciana, & Capitaneus Joannes quondam Capitanei Hieronymi de Hæredibus e Cabanosca, sic requisiti &c. ad infrascriptam peragendam Attestationem ad perpetuam rei memoriam fecerunt & faciunt, & medio eorum jurejurando, videlicet dictus Reverendus Picciatus, tacto pectore, more sacerdotali, & dictus Capitaneus, tactis scripturis, per me ei delato, deposuerunt, & deponunt prout infra, materno sermone loquendo, videlicet: Come la verità è stata, & è, che tanto 'l Illmo & Eccmo Sigre Marchese Obizzo Malaspina di Liciana, & annessi godeva, e possedeva nel Castello de Monti una parte, & portione di detto Castello, parte del Giardino, e stalla, & doppo della prefata Illma & Eccma D. Bianca Rangona

gona detta portione di Castello, Giardino e Stalla, è stata goduta & posseduta dal prefato Illmo & Eccmo Sigre Marchese Obizzo, e da esso poi venduto all'Illmo Sigre Marchese Francesco Antonio Malaspina de Monti e Suvero, dal quale sino al presente detta parte di Castello Giardino, e Stalla gode e possiede, che per verità hanno deposte &c.

In Causa scientiæ responderunt unus post alium, per haver veduto, godere, e possedere la sudetta parte di Castello alla bona memoria della prefata Illma & Eccma D. Bianca Rangona, e doppo a lei, al prefato Illmo & Eccmo Sigre Marchese Obizzo, e doppo ad esse venduta al prefato Illmo Sigre Marchese de Monti, de loco, tempore &c.

Super generalibus Il. Rdo D. Giulio Cesare quotidie Sacrum celebrare, esser d' età d' anni 73. havere & possedere il suo Patrimonio, & il sudetto Capitano già haver confessato, & communicato più volte in questo presente Anno, esser d' età d' anni 64. havere & possedere in Beni da questo milla scudi, & il tutto per verità, & de prædictis rogatus &c.

Actum in Palatio Liccianæ præsentibus Perillre & Admodum Redo D. Joanne Maria Giambuti Filetto, & Adm Redo D. Jacobo Antonio Mariotti, filio meo, Testibus &c.

Ego *Julius Cæsar*, quondam D. Jacobi Antonii de Mariottis e Licciana, publicus Cæsarea authoritate Notarius, supradictam Attestationem recepi & publicavi &c, In quotum fidem &c. hic me scripsi, & subscripsi, Signoque meo Tabellionatus munivi, ad laudem Dei, atque B. M. V. &c.

Nos *Joannes de Grillis*, & Joannes Antonius de Paganinis, Consules Terræ Liccianæ, fidem facimus, & attestamur, supradictum D. Julium Cæsarem de Mariottis esse Notarium publicum, ut supra se fecit, & ejus Scripturis, in Judicio, & extra veram fidem adhibitam fuisse, & de præsenti adhiberi. In quorum fidem has litteras Attestationis fieri jussimus, & cum Sigillo nostræ Communitatis muniri mandavimus. Datum Liccianæ hac die 8. Mensis Julii 1703.

(L. S.)

Petrus Antonius de Galeottis,
Cancellarius de Mandato.

LXI.

Cæsarei in Italia Commissarii Mandatum, in quo Carolum, Marchionem Malaspinam, serio exhortatur, ut a conatibus in Imperiali Vallis Pregolæ feudo susceptis, cum in Cæsarei Dominii directi præjudicium vergant, protinus desistat, d. d. 25. April. Anno 1710.

IN Equitis verbo per Dominum Marchionem Carolum Malaspinam, Majestatis suæ in Valle Pregolæ feudatarium, Nobis Gulielmo Francisco Nesselrod, Barone, quinque Ecclesiarum Episcopo, Albæ Regalis Præposito capitulari, Monster & Liegi Canonico, intimo ejusd. Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, ejusque Plenipotentiario Italiæ Commissario, promissione facta de præstanda eidem Sacr. Majestati Cæsareæ obedientia, post plurimas eidem Marchioni Carolo per nos factas admonitiones, ut Eandem Majestatem in directum ejusdem Vallis Dominum recognosceret, ad Nostram pervenit notitiam, ausum fuisse nihilominus præfatum Marchionem, sub talis verbi fide, Majestatem Suam delusive offendere; citata Papiæ coram illo Legio Senatore & Prætore persona Domini Marchionis Angeli Mariæ Malaspinæ, f. Margheritæ, etiam Prægolæ confeudatario assertarum controversiarum motivo, causa contributionum per cæsareum Commissarium Belle, in prædicta Valle executorem, ad hoc ut idem Marchio Carolus a tali intentato desisteret, & a quocunque actu dicta de causa facto, quod nos sufferre non volumus, tantæ temeritatis indignantes. Præcipimus itaque, dictæ Majestatis nomine, dicto Marchioni Carolo, uti in scriptis, a quocunque hujus status ministris, & Tribunalibus actu, per eum facto, desistat, remitti de prædictis faciendo, quindecim dierum termino, in Nostram cancellariam authenticam fidem, & imposterum a similibus præjudiciis desistendo, tanquam Majestatis suæ Jurisdictioni afficientibus, sub scutorum duorum millium aureorum poena, fisco Nostro, in casu contraventionis, applicandorum, ultra eam, in quam ex edicto diei 29. Julii proxime elapsi, incursus esse potest, & ulterioris pœna, quæ ipsi verbaliter a nobis fuit explicite indicta. Parati nos itaque de prompto justitiæ complemento, in præsentibus contra præfatum Marchionem Angelum Mariam Malaspinam controversiis, per eum promotis, provisuri. Annullantes ulterius præsentibus scriptis quodcunque attentatum per eum hactenus factum, quibuscunque dictæ Majestatis Cæsareæ subditis præcipiendo de non exequendo, nec uti audendo, talibus attentatis, sub ejusdem Majestatis indignationis pœna & aliis nobis arbitrariis, cum sic sit in mente dictæ Cæsareæ Majestatis, Mediolani 25. Aprilis 1710.

Episcopus Nesselrod.

(L.S.)

Ad Mandatum
Constantinus Hardingh, Secretarius.

D. Marchioni Carolo Malaspinæ in Valle Pregolæ, Imperiali feudatario.

Fideliter ex ejusdem originali, per me viso, lecto & collationato concordare inveni, in quorum fidem, meo manuali solito Tabellionatus signo apposito, me subscripsi.

Joannus Vincentius Blancus
Publ. Notar. Imperialis.

1710. die 28. Aprilis, in villa sub Grupo Marchionatus Pregolæ, Imperialis feudi.

Joseph. Antonius Stanchus, Nuntius & Famulus publicus Imperialis Curiæ Feudi Imperialis Campi alterius ex quatuor quarteriis Pregolæ refert, mihi infradicto Notario acceptanti, & stipulanti hodie in Vesperis circa intimasse prædicti Ordinis Originale simile supradictæ copiæ tenori in familia præfati Domini Marchionis Caroli Malaspinæ, ejusdem habitationis Domus Pregolæ, dictumque reliquisse originale Catharinæ Ritani, de familia & servienti Domi ejusdem D. Marchionis Caroli, a qua immediate vidit consignatum fuisse ad manus D. Marchionis Josephi fratris præfati D. Marchionis Caroli, & in fidem &c.

Joannes Vincentius Blancus,
Publ. Notar. Imperialis.

LXII.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Lazarium Malaspinam, Olivolæ Marchionem, de Olivola, Piglioli, Pataroni & Bibolæ castris, castellis, arcibus atque villis investivit, d. d. 10. April. Anno 1713.

CAROLUS VI. &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Lazarus Malaspina, Marchio Olivolæ demississime Nobis exponi curârit, se super feudo Imperiali de castris, castellis, arcibus & villis Olivolæ, Piglioli, Pallaroni, & Bibolæ atque aliis, in quibus jus retinebat, una cum suis juribus, jurisdictionibus, proventibus & attinentiis, a gloriosæ memoriæ Imperatore Leopoldo, Prædecessore ac Genitore nostro Colendissimo, Die 2. Decembris Anno 1683. investitum fuisse, prout ex subinserto Diplomate plenius videre est.

Inserantur Investituræ priores.

Porro quoque pro ejusmodi Investituræ renovatione apud augustæ reminiscentiæ Imperatorem Josephum, fratrem Nostrum Charissimum, humillimis precibus supplicasse, ac decretum de admittendo ad consuetum fidelitatis juramentum obtinuisse quidem, sed ad ejus præstationem, solutis licet taxo aliisque juribus, haud pervenisse: Nos humillime obsecrando, ut, cum Nos ipse, quemadmodum fidelem & obedientem Subditum & Vasallum decet, in supremum & directum Dominum super præfato Olivolæ feudo & appertinentiis recognoscere, debitaq; clientelaria obsequia & servitia præstare desideret, sibi, legitimisque suis hæredibus omnia & singula Privilegia, a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, prædecessoribus Nostris, supra dictis Castris, Castellis, Arcibus, & Villis Olivolæ, Piglioli, Pallaroni & Bibolæ, atque aliis, in quibus jus obtinet, cum suis juribus, jurisdictionibus, proventibus, & attinentiis a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & quæ sibi a suis Prædecessoribus jure hæreditario obvenerunt, concessa confirmare, & ratificare, ipsumque de iisdem investire, ac de novo concedere, gratiose dignaremur; Nos attentis humillimis Lazari Malaspinæ precibus, atque adeo Majorum suorum gratis obsequiis, quibus Nos & sacrum Imperium prosecuti sunt, & quæ ipse quoque Nobis & sacro Imperio singulari fide ac animi promptitudine deinceps se præstiturum pollicetur, præfata Privilegia omnia & singula in omnibus suis punctis & clausulis confirmaverimus, ratificaverimus, & præfatum Marchionem Lazarum Malaspinam de prædictis universis & singulis feudis, terris, Castris, Arcibus & Villis Olivolæ, Piglioli, Pallaroni, & Bibolæ ac aliis, in quibus jus obtinet, cum suis districtibus, territoriis, juribus, jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio & gladii potestate ac autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, & telonia, ac omni publica functione locorum, quemadmodum ea tenet & possidet juxta præfatorum privilegiorum suorum tenorem & seriem, recepto jam ab ejusdem procuratore honorabili, docto, fideli Nobis dilecto Joanne Baptista Monereti, Consilii Nostri Imperialis Aulici agente, vigore sufficientis ad hoc mandati in dicto Consilio Nostro Imperiali Aulico producti, debito fidelitatis & homagii juramento, quod scilicet Nobis & Sacro Imperio fidelis & ad servitia nostra, quoties requisitus fuerit, promptus paratusque sit futurus, ac in feudum de novo concesserimus, sicuti tenore præsentium autoritate Nostra Imperiali, in quantum Nobis competit, confirmamus, ratificamus, investimus ac in feudum de novo concedimus, ita quod hujusmodi bona feudalia, tanquam feuda deinceps â Nobis & Sacro Imperio habeat, ac teneat, illisque utatur & fruatur sine alicujus impedimento aut contradictione. Remittentes quoque dicto Marchioni Lazaro omnem & quamcunque feloniam, quam vel ipse, vel Majores ipsius, ob non petitam debito tempore renovationem Investituræ, quovis modo commisisse, dici vel allegari possent, nostris tamen & Sacri Imperii & cujuscunque alterius juribus semper salvis, non obstantibus quibuscunque literis seu privilegiis ex oblivione, ignorantia, vel importunitate petentium datis, seu dandis in contrarium, quibus omnibus, si & in quantum præsentibus derogare viderentur, autoritate Cæsarea & de nostra certa scientia derogamus, ita ut per ea, vel eas nullum præfato Marchioni Lazaro ejusque hæredibus & successoribus præjudicium generetur. Harum testimonio literarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Viennæ 10. Aprilis 1713. Regnorum Nostrorum Romani secundo, Hispanicorum decimo, Hungarici & Bohemici vero itidem secundo.

Concordat cum archivo Imperiali aulico latino, id quod attestor hac manus meæ subscriptione & sigilli consueti appressione. Datum Viennæ, die ultima Aprilis, 1715.

(L. S.)

Johannes Hermannus Nolden,
Registrator.

LXIII.

Decretum Consilii Imperialis Aulici, in quo Marchionem Ferdinandum Malaspinam ab actione a Marchione Seraphino super Pontis Bosii atque Cucarelli feudis ipsi intentata, penitus absolvit, d. d. 12. Novembr. Anno 1714.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus noster Clementissimus, in causa inter Marchionem Seraphinum Malaspinam ex una, & Marchionem Ferdinandum Malaspinam ex altera partibus, in puncto feudorum Imperialium Pontis Bosii, & Cucarelli, ad Primogenituram prætensæ pertinentium, nec non reconventionis in Consilio suo Imperiali Aulico ventilata, actis probe accurateque examinatis, clementissime decidit, præfatum Marchionem Ferdinandum Malaspinam, ab intentata super dictis feudis Bosii, & Cucarelli actione absolvendum, Actoremque Marchionem Seraphinum Malaspinam, non solum in expen-

expensas hujus litis, prævio tamen judiciali moderamine, sed & in pœnam duorum millium scutorum aureorum, sub termino duorum mensium solvendorum, condemnandum esse: Reliqua vero Reconvenientis petita, pro ratione circumstantiarum, locum non habere; prout altissime dicta sua Sacra Cæsarea Majestas, vigore hujus sententiæ, eundem Marchionem Ferdinandum Malaspinam a memorata actione super feudis Pontis Bosii & Cucarelli clementissime absolvit, actoremque Seraphinum Malaspinam non solum in expensas hujus litis, prævio tamen Judiciali moderamine, verum etiam in pœnam duorum millium scutorum aureorum, sub termino duorum mensium sæpius dicto Marchioni Ferdinando Malaspinæ solvendorum condemnat, reliqua vero Reconvenientis petita pro ratione circumstantiarum locum non habere decernit. Ita publicatum in Consilio Imperiali Aulico, & signatum sub ejusdem Sacræ Cæsareæ Majestatis Sigillo secreto. Viennæ die duodecima Novembris Anno millesimo, septingentesimo, decimo quarto.

(L. S.)

FridericusCarolus, Comes de Schönborn,
Vice-Cancellarius.
J. S. Hayeck de Waldstätten.

LXIV.

Ejusdem Decretum, quo tenor Decreti antea inserti corroboratus atque confirmatus est, d. d. 10. Decembr. Anno 1716.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus noster Clementissimus, in causa super feudis Imperialibus Pontis Bosii & Cucarelli inter Marchionem Seraphinum Malaspinam ex una, & Marchionem Ferdinandum Malspinam ex altera partibus in Consilio suo Imperiali Aulico ventilata, jamque semel decisa, actis tum prioribus tum post intentatum supplicationis remedium utrinque productis, mature & accurate examinatis atque respective revisis, clementissime decidit, priorem sententiam die duodecima Novembris Anno millesimo septingentesimo decimo quarto a se latam confirmandam esse. Prout eandem vigore hujus benigne confirmat. Ita publicatum in Consilio Imperiali Aulico, & signatum sub ejusdem Sac. Cæs. Maj. Sigillo secreto Viennæ die decima Decembris, Anno millesimo, septingentesimo, decimo sexto.

(L. S.)

Frid. Carl, Comes de Schönborn. &c.
J. S. Hayeck de Waldstätten.

LXV.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ patentes, in quibus Ferdinandus Malaspina Marchio citatus fuit, ut, se Pontis Bosii atque Cucarelli feudis non solum privari, sed etiam Literas Investituræ, de eisdem obtentas, nullas atque inanes reddi, ad videndum compareat, d. d. 16. Maji, Anno 1719.

CArolus Sextus, divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Magnifico nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Ferdinando Marchioni Malaspinæ, notum facimus vigore præsentium, Nobis a Consiliario nostro Imperiali Aulico & fiscali, sacrique Imperii fideli Dilecto, Joanne Thoma, Nobili a Quentel, humillime expositum fuisse, quod, licet tu, Marchio Ferdinande Malaspina, ratione feudorum nostrorum Imperialium Pontis Bosii & Cucarelli, benignam Resolutionem nostram, de te ad præstandum fidelitatis & vasallagii juramentum admittendo, jam die trigesima Septembris anni Millesimi septingentesimi decimi septimi obtinueris, & vigore generalis decreti Cæsarei, die decima tertia Augusti, anni Millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni, ad Vasallos emanati, tuæ fuerit obligationis, intra unius mensis spatium taxam solvere, & reliqua ad hunc actum necessaria præstare, necnon ipsummet juramentum deponere: tu nihilominus culpabili sane negligentia nihil horum omnium hactenus præstiteris. Humillime nos exorando, ut adversus te citationem ad videndum & audiendum cassari & annullari Investituræ concessionem de supra dictis feudis decernere clementissime dignaremur. Cum igitur ejusmodi neglectus in non leve supremi Domini nostri vergat vilipendium, tuque, qua Vasallus Nobis subjectus munificentia Cæsarea frueris, debitæ reverentiæ atque obsequii memor esse debueris; Hinc auctoritate Nostra Cæsarea te prænominatum Ferdinandum Malaspinam harum vigore citamus & vocamus, ut coram Nobis, seu Consilio nostro Imperiali Aulico, ubicunque locorum illud fuerit, intra spatium duorum Mensium, a die intimatæ hujus Citationis Nostræ numerandorum, quorum viginti dies pro primo, alios viginti pro secundo, & reliquos viginti pro ultimo atque peremptorio termino tibi præfigimus, aut si is dies Juridicus non esset, ad proximum vel tu ipsemet vel per legalem procuratorem tuum, sufficiente Mandato instructum, compareas, auditurus & visurus, per sententiam pronunciari, admissam tibi super dictis feudis Pontis Bosii & Cucarelli investituram cassari & annullari; aut allegaturus relevantes & sufficientes rationes, cur ad ejusmodi pronunciationem procedi haud debeat; sive autem comparueris, sive non, contra te nihilominus ad præfatam cassationem & annullationem procedetur, absentia & contumacia tua non obstante. Qua de re te certiorem reddimus per præsentes, manus nostræ subscriptione, sigillique Cæsarei appressione munitas. Quæ dabantur in arce Nostra Laxenburgi Die decima sexta Maji Anno millesimo, septingentesimo decimo nono, Regnorum Nostrorum Romani octavo, Hispanicorum decimo sexto, Hungarici & Bohemici vero nono.

CAROLUS.

(L.S.)

Vt. FridericusCarolus, Comes de Schönborn.
Ad mandatum Sac. Cæs. Majest proprium.
J. S. Hayeck de Waldstätten.

Caput XXI.

De Massæ Principibus atque Carraræ Marchionibus.

I.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo feudorum Imperialium, ad Episcopatum Massensem pertinentium, alienationes nullius valoris esse declarat, d. d. 6. Kal. Augusti, Anno 1313.

HEnricus, DEi gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam, & omne bonum. Ad audientiam nostram Venerabili Joanne Massano Episcopo, Principe & Consiliario nostro, referente, pervenit, quod nonnulli Prædecessores sui Castra, Villas, Terras, Possessiones & alia bona, quæ ipsi, seu Ecclesia Massana ab Imperio in feudum obtinebant, alienare, & distrahere, in gravem ipsius Ecclesiæ & Imperii læsionem, præsumpserint. Quia vero alienationes, & distractiones hujusmodi Domino feudorum ipsorum inconsulto attentatæ noscuntur, ex officii nostri debito Nobis incumbit, super hoc de opportuno remedio providere; alienationes, & distractiones Castrorum, Villarum, Terrarum, possessionum, & aliorum bonorum prædictorum, prout illicitæ, & de facto processerunt, cassamus, irritamus, & nullius fore decrevimus firmitatis ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, in ipsis jure nostro, & Imperii semper saluis. In cujus rei testimonium præsentes literas Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum Pisis sexto Kalend. Augusti, anno Domini millesimo CCCXIII. Indictione XI. Regni nostri annos 5. Imperii vero 2.

Benevolentinus

II.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Litera, in quibus Albericum Cybonem Malaspinam, Massæ Marchionem, ætatis venia donatum, de Massæ, Carraræ, Monetæ, atque Laventiæ Marchionatu, ejusdemque juribus atque annexis investivit, d. d. 17. Febr. Anno 1554.

CArolus Quintus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum, Balearium, Sardiniæ, fortunatarum, & Indiarum, ac terræ firmæ, Maris Oceani, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Eimburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Arthesiæ, Palatinatus, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Ferretis, Kyburgi, Namurci, & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, & sacri Romani Imperii, Princeps Sveviæ, Dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ &c. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis; Cum alias Illustris quondam Ricciarda Malaspina ex Marchionibus Malaspinæ Marchionatum Massæ, Carrariæ, Monetæ, & Laventiæ cum omnibus suis Castris, Villis, Jurisdictionibus & Juribus, a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, a Nobis, & eodem Imperio in feudum recognoverit, prout constat Literis Investituræ desuper editis, & expeditis, eaque, quoad vixit, quiete, & pacifice tenuerit, & possederit, nuper autem defuncta illa, Illustris Noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Albericus Cybo Malaspina, Marchio Massæ, filius ejus unicus, & legitimus & naturalis, & universalis hæres, eidem in dicto Marchionatu, Jurisdictionibus, & Juribus successerit, & Nobis ipsius Alberici nomine humiliter supplicatum sit, ut quoniam ipse præfatum Marchionatum, Jurisdictiones, Jura & loca rursus a Nobis & Imperio recognoscere, & debitum fidelitatis, & homagii Juramentum præstare teneatur, nec tamen legitimam ætatem assecutus sit, eidem ante omnia Imperiali autoritate nostra veniam ætatis concedere, ita, ut, non obstante tali ætatis defectu, in & extra Judicium contrahere, & distrahere, se, & bona sua obligare, & liberare, & demum omnia alia facere, & exercere possit, ac si major viginti quinque annis esset, & quæ ipsi majores facere possunt, atque insuper omnia, & singula privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, concessiones, & indulta a Majoribus nostris Romanorum Imperatoribus, & Regibus, & Sacro Romano Imperio, ipsius Prædecessoribus concessa, & concessas, confirmare, ratificare, approbare, &, quatenus opus, de novo concedere, ipsumque ac filios, & Descendentes ejus legitimos, de præfato Marchionatu, Jurisdictionibus, & Juribus, juxta ejusdem feudi naturam, investire gratiose dignaremur. Nos igitur attendentes sinceram & incorruptam fidem, & devotionem, qua præfati Alberici progenitores, Prædecessoribus nostris, Nobis, & Sacro Imperio Romano addicti semper fuerunt, grataque fidelitatis obsequia & servitia, quæ Nobis & Sacro Imperio Romano idem Albericus Cybo, progenitorum suorum exemplo, se præstiturum pollicetur, & præstare bene poterit, & debebit, tenore præsentium, & ex certa nostra scientia, animo deliberato, & sano ad hoc accedente consilio, & de nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine, ipsi Alberico Cybo Malaspinæ, Marchioni Massæ, veniam ætatis concedimus, & impertimur, & super ætatis defectu cum ipso dispensamus. Dantes eidem Alberico plenam & liberam facultatem contrahendi, distrahendi, & bona sua obligandi, & liberandi, exceptis tamen bonis immobilibus, quæ neutiquam alienare poterit; Et demum omnia alia faciendi, & exercendi, quæ major viginti quinque annis agere potest, & debet, nec non eidem Malaspinæ omnia & singula Privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, concessiones, & indulta, ipsius Majoribus, ut præmittitur, legitime concessa,

concessa, & concessas, & in quorum est possessione, vel quasi in omnibus suis articulis, punctis, clausulis, sententiis, & verborum expressionibus, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta essent, quorum omnium tenores hic pro insertis, ac sufficienter expressis haberi volumus, confirmamus, ratificamus, approbamus, & quatenus opus est, ea omnia & singula de novo concedimus, atque eundem Albericum Cybo Malaspinam pro se, filiis, hæredibus, & Descendentibus suis Masculis & fœminis (dummodo Masculi semper fœminis præferantur) usque in infinitum ordine Primogenituræ de primogenito in primogenitum, de præfatis Oppidis, Castris & locis Massæ, Carrariæ, Monetæ, & Laventiæ, cum omnibus suis districtibus, Territoriis, Juribus, & Jurisdictionibus quibuscunque, quemadmodum ea in præsentis tenet, & possidet, recepto tamen prius ab egregio nostro, & Imperii Sacri fideli dilecto Antonio Maria de Savoia, Illustris Herculis, Ducis Ferrariæ, Principis, & Consangvinei nostri charissimi, apud Nos oratore, ipsius Malaspinæ legitimo Procuratore, sufficienti ad hoc Mandato suffulto, in manibus venerabilis Antonii Perenoti Episcopi Atrebatensis, Principis, & Supremi Consiliarii nostri debito fidelitatis juramento, infeudamus, & investimus, ipsumque una cum præfatis oppidis, Castris, locis, in nostram & Imperii Sacri tuitionem, protectionem, & salvam guardiam specialem recipimus, non obstantibus in præmissis quibuscunque legibus, Statutis, Decretis, Constitutionibus, ordinationibus, consuetudinibus, aut aliis in contrarium facientibus quibuscunque; quibus omnibus & singulis, etiamsi talia essent, de quibus specialis mentio in præsentibus fieri deberet, motu, scientia, autoritate & potestate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes, Nostris tamen & Imperii Sacri, & cujuscunque alterius Juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Nostræ dispensationis, confirmationis, approbationis, concessionis, investituræ, protectionis, derogationis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, si quis autem id attentare præsumpserit, Nostram, & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam quinquaginta Marcarum Auri puri toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum medietatem Imperiali Fisco, seu Ærario nostro, reliquam vero partem injuriam passi, aut passorum usibus decernimus applicandam. Harum testimonio Literarum Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellis Brabantiæ, die decima septima mensis Februarii, Anno Domini, millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, & Regnorum Nostrorum trigesimo nono.

CAROLUS.

Vidit Perenotus.

(L.S.)

Ad Mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium

Haller.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico latino, id quod attestor. Viennæ 21. Aprilis, 1722.

Jodoc. Pein, mppr.
Registrator.

III.

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, Decretum, in quo Carolum Cybonem de Malaspina, Principem Massæ, & Marchionem Carraræ, ejusque posteros legitimos titulo Illustrissimi *insignivit atque condecoravit, d. d. 7. Febr. Anno 1625.*

FERDINANDUS SECUNDUS &c.
(Titulus longior)

QUemadmodum splendidissimum solis jubar totum terrarum orbem lumine suo illustrat ac recreat, corporibusque inferioribus vigorem & incrementum dat; ita Romanorum Imperator a Præpotente Deo in summo dignitatum fastigio collocatur (cujus majestas inter reliquos mortales honorum, ac dignitatum quasi lumine plena resplendeat) benignitatis suæ radios longe lateque diffundit. Quamobrem Nos divino concessu ac munere, ad supremum Imperatoriæ dignitatis culmen ac majestatem evecti, unde in reliquos hominum ordines diversa ornamentorum genera promanant, singularem Nobis curam ac solicitudinem ad exemplum prædecessorum nostrorum, Imperatorum ac Regum, adhibendam censemus, ut honores a Nobis juxta cujuscunque merita distribuantur, & inprimis ratio virorum Principum ac magistratuum habeatur, quorum auctoritas auctoritate nostra augenda, & quo ad ejus fieri possit, illustranda sit, ut scilicet non solum apud eos, quibus præsunt, sed apud alios etiam populos, ac populorum Principes majore prærogativa, & quodam quasi lumine, quod a Nobis hauserint, splendescant. Considerantes itaque pervetustam Principum Massæ, ac Marchionum Carrariæ prosapiam, quæ plurimos, & antiquæ, & recentioris memoriæ temporibus Reip. viros dedit, & in toga celebres, & in sago conspicuos, belli pacisque tempore pulcherrime majorum suorum æmulatione propriisque meritis atque virtutibus ad sublimes honorum gradus evectos, prout Divi quondam Romani Imperatores, prædecessores nostri augustissimæ memoriæ, quos peculiari semper devotionis & observantiæ cultu sunt prosecuti, quotiescunque res & occasio tulit, quanti fidem inconcussam & obsequia illorum æstimarent, & modo præclarissimis & nunquam intermorituris laudum præconiis, verum etiam dignitatum & honorum accessionibus, & haud vulgaris notæ Privilegiis, velut evidentibus gratiæ Cæsareæ testimoniis benignissime declararunt. Eorundem porro laudatissimis vestigiis Nos quoque hac in parte clementer insistere volentes, eandem familiam peculiari aliquo, eoque tali munificentiæ nostræ Cæsareæ symbolo, quod perpetuo eidem honori, atque ornamento sit, condecorare decrevimus. Ac proinde & certa scientia, animoque bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, eaque

que, qua fungimur, auctoritate Cæsarea, & potestatis plenitudine, modernum Illustrem nostrum, & Sac. Imp. fidelem dilectum Carolum Cybo de Malaspina, Principem Massæ & Marchionem Carrariæ ejusque liberos, hæredes, posteros ac descendentes, primogenitos, & primogenitorum primogenitos, legitimo matrimonio natos, & in dicto Principatu Massæ successuros (observato tamen semper ordine primogenituræ per D. Maximilianum II. Imperatorem in Principatus privilegio præscripto) honoratiori titulo *Illustrissimi* (quem & Avus quondam Princeps Albericus Cybo, ob præclara in Rempublicam merita, & fidei in decrepitam usque ætatem servatæ constantiam, speciali a Nobis decreto obtinuerat) ornavimus, condecoravimus & insignivimus, aliorumque Principum Illustrissimorum numero, cœtui, & consortio aggregavimus, prout, per præsentes ornamus, condecoramus, & insignimus. Decernentes, & hoc nostro Cæsareo edicto firmiter statuentes, ut posthac perpetuis futuris temporibus supradictus Illustrissimus D. Carolus Cybo Malaspina Princeps Massæ & Marchio Carrariæ, ejusque liberi, hæredes, posteri, ac descendentes legitimi, Principes Massæ futuri, veritate hujus nostræ evectionis, exaltationis, sublimationis, & aggregationis ab hac hora in perpetuum sint, inscribantur, dicantur, appellentur, & nominentur Illustrissimi Principes, & ut alii Principes Illustrissimi honorentur, tractentur & reputentur ab omnibus & singulis, cujuscunque gradus, status, ordinis, conditionis, aut dignitatis extiterint, tam in scriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque aut quomodolibet illorum mentio erit facienda, omnibusque & singulis honoribus, dignitatibus, prærogativis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, juribus, privilegiis insignibus, gratiis, indultis, regalibus, & aliis quibuscunque in judicio & extra, in omnibus rebus, statibus, & causis, tam spiritualibus, quam temporalibus, ecclesiasticis, & profanis sessionibus, & alias ubique, & in locis omnibus gaudere, uti ac frui debeant, & possint, quibus alii Principes Illustrissimi ubique locorum & terrarum, in dandis & recipiendis juribus, & in aliis omnibus ac singulis, ad Illustrissimum statum & conditionem Principum spectantibus, gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur, & hactenus gavisi, usi, ac potiti sunt quomodolibet consuetudine, vel de jure. Nulli ergo hominum omnino liceat, hanc nostræ erectionis, exaltationis sublimationis, amplificationis, creationis, dispositionis, declarationis, concessionis, decreti, voluntatis, & gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, præsertim nostram, & Sac. Imp. indignationem gravissimam, pœnam quingentarum Marcharum auri puri, pro dimidia fisco, seu ærario nostro Imperiali, pro reliqua vero parte injuriam passis, omni spe sublata, applicandam, se noverint ipso facto incurrisse. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ die 7. mensis Februarii 1625. Regnorum nostrorum Romani sexto, Hungarici septimo, Bohemici vero octavo.

FERDINANDUS.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Hermannus a Questemberg.

IV.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo non solum Massæ Principatum ad Ducatus, Carraræ vero Marchionatum ad Principatus dignitatem evexit; verum etiam Albericum Cybonem de Malaspina, Massæ Ducis & Carraræ Principis titulo, Privilegiis atque Juribus donavit & condecoravit, d. d. 5. Maji, Anno 1664.

Leopoldus, Divina favente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus &c. &c.

Illustrissimo nostro, & Sacri Romani Imperii Principi, Fideli nobis dilecto Alberico Cybo de Malaspina, Principi Massæ, & Marchioni Carraræ, gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum.

Quamquam ea Imperatoriæ Majestatis nostræ est munificentia ac liberalitas, ut quam divinæ benignitatis clementia Nobis elargita est, bonorum honorumque dispertiendorum amplam potestatem ac facultatem, ad ejusdem divini Numinis exemplum in omnes ubertim diffundere, & affluenter derivare Nobis inprimis volupe sit; id tamen rerum humanarum ordo postulare videtur, ut honoribus ipsis ac dignitatibus inter hominum cœtus constet modus, atque idcirco in conferendis iis prærogativarum titulis, qui ad Augustæ Majestatis Nostræ incommunicabilem atque inaccessibilem sublimitatem proxime accedunt, nostram quoque liberalitatem certis terminis circumscribere æquum censeamus, ne dignitates ejusmodi illustriores sua vilescere incipiant frequentia, adeo, ut excelsum quidpiam, & supra inferiorem hominum ordinem rarum atque insolitum in eo elucescere oporteat, qui ad insignioris Ducalis præeminentiæ gradum aspirat.

Tametsi igitur sciamus, Tibi, Alberice, sacri Romani Imperii Princeps, jam ante sat splendoris, sive ab ortu & prosapia antiquissimæ & nobilissimæ familiæ tuæ, sive ab ipsa dignitate Principis in Italia adesse: Quippe qui a Cyborum vetustissimo stemmate prognatus, majorum tuorum decus hactenus non modo egregie tuitus sis, sed propria etiam virtute & meritis magis magisque illustrare conatus fueris, idque etiam assecutus sis, ut cum ex Illustrissima Picorum Familia, Filiam Alexandri, Ducis Mirandulæ Conjugem, tibi adscivisse, affinibus tuis fide & devotione erga Divos Antecessores nostros, Romanorum Imperatores, ac in primis erga Augustam Domum Nostram Austriacam præluxeris. Idque Tu tuique omni studio & contentione agatis, & studeatis, ut ejusdem sinceræ devotionis Vestræ luculentiora Nobis indies testimonia exhibeatis, faciendum Nobis duximus, ut idem tuum studium, majorumque tuorum de Imperio Sacro Augustaque

Domo

Domo Nostra præclare toties meritorum memoriam favore aliquo Nostro singulari, qui Tibi, posteritatique tuæ non intermoriturо ornamento sit, prosequeremur. Equidem intelligentes, Principatum tuum Massæ, præterquam quod & Marchionatus tuus Carraræ Ducatui facile comparari possit, eo inter vicinos Italiæ status nitore, rerumque, ac commerciorum affluentia fulgere, ut Ducatibus etiam nonnullis nedum inferior, sed præstantior etiam, atque ita (prout authenticis testimoniis comprobatur) comparatus sit, ut vel ex eodem, quibus status etiam atque dignitas Ducalis geri atque sustineri valeat, facultates uberrime suppetant.

Motu proprio ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato, ac sano nostrorum & Sacri Romani Imperii Electorum, Principum, Comitum, Baronum, aliorumque nobis fidelium dilectorum accedente consilio, eaque qua fungimur Cæsarea autoritate, & de illius plenitudine, in Nomine Dei omnipotentis, quem honorum dignitatumque omnium fontem inexhaustum, primamque scaturiginem agnoscimus, non solum Principatum tuum, atque Sacri Imp. Civitatem Massæ, cum omnibus ejusdem pertinentiis hactenus a Te, & Majoribus tuis justo titulo, quiete & pacifice possessam, in Sacri Romani Imperii Ducatum, verum, & Marchionatum tuum Carraræ in ejusdem Sacri Imperii Principatum eveximus, cooptavimus, aggregavimus, & adscripsimus, uti vigore præsentium erigimus, cooptamus, aggregamus, & consortio adscribimus, verosque Ducatum & Principatum futuris posthac temporibus constitutos volumus.

Præterea eadem autoritate Nostra Imperiali Te quoque Albericum Cybo Malaspinam, Principem Massæ, prole, filiis, hæredibus, ac descendentibus tuis Masculis & fœminis legitimis (dummodo Masculi fœminis semper præferantur) in infinitum ordine primogenituræ de primogenito in primogenitum servato, in dicto Ducatu Massæ, atque Principatu Carraræ, eorumdemque pertinentiis, titulo & dignitate Ducis Massæ, nec non Principis Carraræ insignivimus, & decoravimus; Vosque Duces Massæ, & Principes Carraræ fecimus, creavimus, & extulimus, aliorumque nostrorum, & Sacri Imperii Ducum Principumque numero, cœtui atque consortio aggregavimus, quemadmodum præsentis Nostri Diplomatis vigore unimus, incorporamus, erigimus, sublimamus, illustramus, insignimus, decoramus, facimus, creamus, extollimus, & aggregamus.

Decernentes, & hoc Nostro Cæsareo Edicto firmissime statuentes, quod posthac perpetuis futuris temporibus prædictus Ducatus Massæ & Principatus Carraræ, cum pertinentiis suis universis, Villisque iisdem unitis, incorporatis, & a Te possessis, atque a tuis legitime descendentibus possidendis, pro illustribus Sacri Romani Imperii Ducatu & Principatu haberi, teneri, reputari, & nominari debeant ab omnibus & singulis, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, sive dignitatis extiterint, ita, ut tu, Alberice Cybo Malaspina, tuique hæredes & successores in dictis Ducatu Massæ, & Principatu Carraræ, virtute hujus erectionis Nostræ, & sublimationis, illustrationis, & exaltationis, ab hac hora in perpetuum nominemini, nuncupemini, & reputemini, tam in scriptis, quam viva voce, aut aliis, quotiescunque, & quomodolibet illorum mentio facienda erit, Duces Massæ, Principes Carraræ, omnibusque & singulis honoribus, & dignitatibus, prærogativis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, juribus, privilegiis, insignibus, gratiis, indultis, regalibus, & aliis quibuscunque in Judicio, vel extra, in omnibus rebus, statibus, & causis, tam spiritualibus, quam temporalibus, Ecclesiasticis & profanis, ac aliis, & in locis omnibus gaudere, uti, ac frui debeatis ac possitis, quibus alii Nostri, ac Sacri Romani Imperii Duces & Principes, Ducatus & Principatus per idem Romanum Imperium, & ubique locorum, & terrarum, in dandis & suscipiendis Feudis, & in aliis omnibus & singulis, ad statum & conditionem Ducum & Principum, Ducatuum & Principatuum spectantibus, gaudent, utuntur, fruuntur, potiuntur, & hactenus gavisi, usi, atque potiti sunt quomodolibet, consvetudine, vel de Jure.

Ulterius ut Nostram erga Te, Albericum, Sacri Romani Imperii Ducem Massæ, Principemque Carraræ, dictosque Tuos in prædictis Ducatu, & Principatu successores, singularem animi Nostri benevolentiam benignius ostendamus, Te, Tuosque posteros, ac descendentes legitimos, ac universam tuam Cyborum Malaspinarum Familiam in prædictis Ducatu, Principatu, omnibusque aliis ad Te spectantibus Imperii Feudis (quæ cætera, qui sub protectione ac directo Nostro, & Sacri Imperii dominio & jurisdictione conservanda, nullatenusque ab eodem avellenda, eximenda, aut in alium, aliosque quoscunque alienanda sunt) hac quoque prælatione munivimus, ut in casum quo dictum altum, seu supremum & directum ad Nos, & successores Nostros, Romanorum Imperatores, Sacrumque Romanum Imperium spectans dominium, juris aliave id exigente ratione per venditionem alienandum veniret, Tu, Tuique Posteri, hæredesque legitimi, cum universa dicta familia tua, cæteris omnibus ad emptionem ejusdem directi dominii concurrentibus, præferamini, prout hos omnes & singulos vigore hujus Nostri Diplomatis, edictique Imperialis scientia, animo, consilio, & autoritate, quibus supra, præferimus & anteponimus.

Ut præterea munificentiam Nostram Imperialem erga Te Albericum, Sacri Romani Imperii Ducem Massæ, Principem Carraræ, externo aliquo signo, quod in omnium oculos clarius incurrat, & Tibi totique tuæ Posteritati perpetuo honori & ornamento sit, luculentius contestemur, motu etiam, scientia, autoritate, ac plenitudine supradictis, facultatem Milites seu Equites auratos creandi a Divo quondam Avo, & Prædecessore Nostro Ferdinando secundo, Rom. Imperatore gloriosissimo, vigesima quinta Mens. Augusti, Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo, Principibus Massæ concessum, in Te tuosque Primogenitos Masculos legitimos in infinitum, ordine primogenituræ semper servato, eo extendimus & amplificavimus, ut iisdem Militibus seu Equitibus a Te, dictisque posteris tuis creandis (dummodo tamen ex antiquo nobilitatis stemmate legitime descendant) exterius Militiæ seu Equestris Ordinis signum, Crucem nempe auream, quæ in medio sui ex una quidem parte Aquilam nostram Imperialem coronatam in pectore, arma tua Ducalia, ex altera vero in scutulo nomen tuum, ejusve, qui e poste-

posteris tuis eam militiæ tesseram dederit, gestantem exhibeat, concedere possis & valeas.

Qui quidem Milites atque Equites a te, tuisque posteris, ut supra, instituendi, ordinandi, insigniendi atque ornandi, tesseram, sive insigne supra descriptum ubique locorum ac gentium, in omnibus ac singulis exercitiis, actibus & studiis ferre & gestare, iisdemque honoribus & officiis, dignitatibus, privilegiis, immunitatibus, prærogativis, gratiis atque libertatibus frui & potiri possint ac debeant, quibus cæteri Nostri, & Sacri Romani Imperii Milites, vel Equites Aurati, sic creati, quovis modo utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, absque omni impedimento & contradictione; Mandamus proinde omnibus & singulis Nostris, & Sacri Romani Imperii Electoribus, aliisque Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Archi-Episcopis & Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus & Ignobilibus, Clientibus, Capitaneis & Vice-Dominis, Præfectis & Magistratibus, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Regum Heroaldis & Caduceatoribus, Civibus, Municipibus, & omnibus denique Nostris, & Sacri Imperii subditis, & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ fuerint, ut te supradictum Illustrissimum Albericum, Sacri Romani Imperii Ducem Massæ, & Principem Carraræ &c. tuosque filios legitimos ab hoc tempore in futurum, & perpetuo posthac tempore omnibus privilegiis, juribus, præeminentiis, insignibus, regalibus, exemptionibus, prærogativis, gratiis, indultis, vobis vigore hujus Nostri Diplomatis Augustalis concessis atque competentibus, libere, pacifice, & sine omni impedimento ac molestatione gaudere, uti, frui, & potiri sinant, nec aliquo pacto in iis impediant, seu perturbent, sed potius tueantur, manuteneant atque conservent, neque contrarium faciant, fierive quovis modo procurent, aut permittant, quatenus Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam, & pœnam quingentarum marcarum auri puri, pro semisse Imperiali Fisco, seu ærario nostro, pro reliquo vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus toties quoties contraventum fuerit, omni spe veniæ sublata, applicandam evitare voluerint. Harum Testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Bullæ Nostræ aureæ typario munitarum

Datum in Civitate Nostra Imperiali Ratisbonæ, die quinta mensis Maji, Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani sexto, Hungarici nono, Bohemici vero octavo.

LEOPOLDUS.

Jo. Philippus, Elector.

Vt. Wildericus, Baro de Walderndorff.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

J. Walderode.

V.

Documentum Authenticum, in quo arctissima affinitas, Domino Massæ Duci cum Dn. Thursii Ducissa intercedens, probatur, d. d. 26. Martii, Anno 1668.

COnstituiti personalmente alla presenza di me Notaro, e de gl' infrascritti testimonii li multo Illustri SSri Cavalliere Gio. Giacomo, e Capitano Michel' Angelo, Fratelli Pastorii di Castiglione dalle Stiveri, li quali col loro giuramento hanno deposto, che l' Eccma Sigra Principessa di Massa, madre del vivente Eccmo Sigr Duca era sorella dell' Eccma Sra Duchessa di Tursi, Donna Placidia, e che l' istessa Eccma Sra Duchessa, Donna Placidia, era Avia dell' Eccma Sigra Duca di Tursi ultimamte morto, marito dell' Eccma Sigra Donna Giovanna Gonzaga, hora Duchessa di Tursi, e ciò sanno, perche hanno conosciuto benissimo tutte le dette Eccze in tempo, che servivano da Eccma Sigra Donna Giovanna Gonzaga; & così hanno deposto, cioè do Sigre Cavalliere alla presenza delli SSri Medico Lorenzo Bosio, Cesare Nicolazzi, & detto Sigre Capitano alla presenza del Sr. Capo Nicola Cattanio, Domco Gasparino, tutti testimonii noti, questo dì 24. Marzo 1668.

Parimte constituito alla presenza di me Notaro, e de gl' infrascritti testimonii il multo Ill. Sigr Bartolomeo Abbarino di Castiglione sodetto, il quale col suo giuramto hà deposto, che l' Eccma Sra Principessa di Massa, madre del vivente Eccmo Sr Duca, era sorella dell' Eccma Sra Duchessa di Tursi, Donna Placidia, e che l' istessa Eccma Sra Duchessa, Donna Placidia, era Avia dell' Eccmo Sigr Duca di Tursi ultimamte morto, marito dell' Eccma Sigra Donna Giovanna Gonzaga hora Duchessa di Tursi, & ciò sà, perche hà conosciuto la da Eccma Sra in Massa, con occne d' andar à vedere, e ritrovare le SSre sue figliole, che servivano, & servono ancora, alla meda Eccma Sigra Donna Giovanna Gonzaga, Duchessa di Tursi, & ha riverito personalmente le medme Eccze nella Città di Massa; & così hà deposto alla presenza delli SSri Thomaso Bosio, Luigi Bosio, testimonii noti &c. il dì soprascritto.

Constituito ancora personalmte alla presenza di me Notaro, e de gl' infrati testimonii M. Franco Bersotti da Massa, habitante in Castiglione sodetto, il quale col suo giuramto hà deposto, che l' Eccma Sigra Principessa di Massa era Sorella dell' Eccma Sigra Duchessa di Tursi, Donna Placidia, in questo lo sà, perche habitava in Massa, & hà visto, che da Eccma Sra veniva coll' Eccmo Sigre Duca, suo marito, à ritrovare l' Eccmo Sr Prencipe, ch' era padre dell' Eccmo Sr Duca vivente, e per tale da tutti era tenuta; e così hà deposto alla presenza del Sigr Guglielmo Corradini, e del Multo Revdo Sigre D. Antonio Maria, Notari, testimonii noti &c. il dì soprato 24. Marzo 1668.

(L.S.)

In fede di che io Alessandro Lodrino de Vecoli, publico Notaro, e Cancell. Civile della Città di Castiglione predo hò fatto le soprate depositioni, di quale son rogato, & le hò affermate col mio solito segno, il giorno, mese, & anno soprascritti.

Nos

Nos Carolus Antonius Petrutius J. V. D. Auditor generalis, & Prætor Civitatis Castilionis a Stiveriis, fidem facimus & attestamur, supradictum Egregium D. Alexandrum Lodrinum, qui suprafatas depositiones fecit, & in authenticam formam redegit, fuisse, ac esse Notarium publicum, ac talem, qualem se facit, cujus scripturis publicis plena fides adhibenda in Judicio & extra. In quorum &c. Datum Castilione, præsentato hac die 26. Martii 1668.

(L.S.)

Ferdinandus Tedoldus, in hac parte Cancell. mppr.

VI.

Literæ Commissoriales Cæsareæ ad Massæ Ducem, in causa Principis Castilionis contra Sulpherini Principem agitata, conscriptæ, d. d. 12. Decembr. Anno 1673.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

EX Commissorialibus literis Nostris 29. superioris mensis Maji ad te in causa meliorationum, dotium, ac aliarum prætensionum inter (Tit.) Castilionensem ac Sulpherinum Principes apud Consilium Nostrum Imperiale Aulicum pendente datis, probe adhuc memineris, quas partes Nostras in apprehendenda possessione dicti feudi in eum casum tibi delegaverimus, quo Castilionis Principi, antequam dictæ differentiæ amica vel juris via complanarentur, humanitus quid contingeret. Non celamus autem te in adjecta hac copia literarum a dicto Principe Castilionis 17. mensis Octobris nuperi ad Nos datarum, quibus ex causis is humillime a Nobis efflagitet, ut, quas provisiones in dictum mortis suæ casum tibi transmiserimus, non ante explicandas, quam ipse casus evenerit, jam nunc, ac dicta sua morte non exspectata, clementer emittere vellemus. Cum igitur, re ita se habente, nulla ulterius occurreret difficultas, quo minus supplicantis precibus deferremus; appositas hisce cum copia sua inhibitoriales ad Sulpherini Principem relaxandas duximus, quas eidem haud gravatim insinuandas curare velis, simulque interea atque eventualiter Communitates & subditos tam Principatus Castilionæi, quam Marchionatus Medullarum, vi demandatæ tibi Commissionis Nostræ Cæsareæ, serio monere, eisque demandare, ut, in casum mortis moderni, Principis Domini sui, præter te, Commissarium Nostrum Cæsareum, in feudi terrarumve possessionem neminem admittant, alterive obediant; quinimo filias etiam Principis contra turbationes & attentata cujuscunque in eo, ad decisionem usque litis defendant, quam equidem decisionem, aut amicabilem etiam compositionem, ut partes eo citius, maturiusque a Nobis possint expectare, tu juxta Commissionem tibi demandatam in causa etiam progredieris, eamque ad finem promovere satages; facturus ita rem justitiæ æquitative promovendæ peraccommodam, Nobisque adeo pergratam. Qui, quod reliquum est &c. Viennæ 12. Decembris 1673.

VII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Carolo, Massæ Duci atque Carraræ Principi, Ducatum Massæ ac Principatum Carraræ, Monetæ & Laventiæ, una cum eorum juribus atque annexis, in feudum contulit, omniaque Privilegia, Massæ Ducibus a Romanis Imperatoribus concessa, confirmavit, d. d. 22. Januar. Anno 1691.

LEOPOLDUS &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quanquam Nos cum Imperialis Celsitudinis ac dignitatis respectu, ad quam, suprema Divinitate propitia ac favente, evecti sumus, cum vero ex innata nostra benignitate & clementia quoquo loco ac tempore cupiamus sedulo curare ac promovere ea, quæ generatim ad omnium ac singulorum nostrorum & Sacri Romani Imperii fidelium subditorum commodum, utilitatem atque ornamentum spectant, erga eos tamen non immerito propensiorem benigniorem que animum gerimus, qui sese erga Divos Prædecessores nostros Romanorum Imperatores ac Reges, ipsumque Sacrum Imperium, indefessis studiis paratisque obsequiis præ cæteris alacres, promptos & fideles exhibere studuerunt. Quum ergo Nobis ex parte Illustrissimi nostri & Sacri Imperii fidelis dilecti, Caroli Cybo de Malaspina, Ducis Massæ & Principis Carraræ, humiliter expositum fuerit, Patrem suum Albericum a Nobis confirmationem obtinuisse omnium ac singulorum privilegiorum, immunitatum, gratiarum, investiturarum, infeudationum, prærogativarum atque indultorum, majoribus ipsius a Divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris concessorum, cum omni ea autoritate, facultate & Bailia, qua Progenitores ipsius & præcipue Ducis Alberici memorati Tritavus, a dicto statu Massæ superioribus Annis a Divo quondam Imperatore Maximiliano Secundo, felicissimæ recordationis in principatum erecto, nec non Carraræ, Monetæ & Laventiæ usus fuerit, & ipse Dux Carolus etiamnum utatur, cum villis, territoriis, jurisdictionibus, aquaticis, piscationibus, nemoribus, sylvis, terris, incultis, saltuariis, molendinis atque aliis ædificiis, & bonis feudalibus & allodialibus, homagio, mero & mixto Imperio, absoluta potestate, usibus consuetudinibus ac stylis, non secus ac majores ipsius possederint, atque ipse nunc possideat. Præterea etiam a Nobis impetrasse Investituram de arcibus, castris, oppidis, locis & aliis, de quibus appareat, Illustrem quondam Ricciardam, Marchionissam, prædicti Alberici Patris tritaviam, a Divo olim Carolo Quinto, Imperatore Augusto, gloriosissimæ memoriæ, fuisse investitam, & prædictus Princeps Albericus memorati Alberici Patris Tritavus, per Divum quondam Imperatorem Ferdinandum primum, Dominum Tritavum Nostrum paternum, pientissimæ recordationis, nec non per Divos olim Maximilianum Secundum, Rudolphum Secundum, Matthiam, Ferdinandum Secundum & Tertium, nostros respective magnum & majorem Propatruos,

patruos, Agnatos, Avum, Parentem & prædecessores observantissimos sacratissimæ memoriæ fuerit infeudatus, tanquam de bonis ab Antecessoribus suis in familia Malaspina possessis, sibi licet quocunque modo ablatis: Tum approbationem ac ratificationem obtinuisse conventionum atque obligationum, ante complures annos inter ipsum Principem Albericum, suprafati Alberici Tritavum, & vasallos ipsius Massæ, Carraræ, Monetæ & Laventiæ cum suis villis initarum, una cum Instrumentis die vigesima quarta & vigesima nona Junii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio desuper confectis, & postmodum per eosdem prænominatos vasallos dicto suo parenti Alberico, anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, die secunda & decima nona Februarii, renovatis & confirmatis, nec non privilegia Palatinatus cum facultate creandi Comites Palatinos & Consistoriales quoad nobilitatem tituli ac nudum nomen dignitatis, monetandi item & salvaguardiæ, cum exemptione fori, ita quod esset memoratus suus parens Albericus Dux atque ipsius successores semper & perpetuo sub sola & immediata protectione & obedientia Sacri Romani Imperii & nostra, & non alterius etiam Vicarii locum tenentis Sacri Romani Imperii, seu cujusvis alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio: Demum etiam privilegia, erectionis status Massæ in Principatum, & utendi aquila nigra bicipite cum aliis declarationibus, contentis in Diplomate concesso a Divo Rudolpho Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo, decima septima Mensis Junii, nec non cooptationem & adscriptionem in numerum Civitatum Sacri Romani Imperii terræ Massæ, a dicta Cæsarea Majestate & Dilectione sua Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo, die vigesima quinta Augusti factam. Nunc porro præfatus Carolus Cybo Nos demisse rogarit, quandoquidem supra memoratus parens Albericus e vivis decesserit, ipsumque primogenitum successorem post se reliquerit, Nosque Divina Majestate auspice in supremo Imperialis Majestatis solio constitutos, ipse in supremum suum ac directum Dominum, quemadmodum fidelem & obsequentem vasallum decet, recognoscere desideret, quatenus clementer dignaremur confirmare, ratificare, approbare ac renovare præfata omnia & singula privilegia atque alia præmemorato Duci Alberico Patri, ac Alberico Dicti Patris Alberici Tritavo & suis prædecessoribus, a Divis olim Imperatoribus, Friderico, Carolo V. Ferdinando primo, Maximiliano secundo, Rudolpho secundo, Matthia & Ferdinando secundo & tertio, Dominis majoribus, agnatis, parentibus & prædecessoribus Nostris observantissimis, etiam a Nobis concessa, quæ omnia latius continentur in rescriptis ac Diplomatibus Cæsareis, quorum tenores subsequuntur in hæc verba:

Inserantur Investituræ de 11. Januarii, 1663. cum prioribus.

Nos sane considerantes praeclaram fidem, devotionem, atque animorum promptitudinem, qua, cum ipse Illustrissimus Dominus Carolus, tum ejus progenitores & majores, præsertim vero sæpedictus quondam Princeps Albericus, proxime dicti Alberici, Tritavus, Divos quondam prædecessores Nostros Imperatores ac Reges Romanorum ac Sacrum Romanum Imperium coluisse dicuntur, & qua benignitate illi Ducis ipsius Caroli majores ab Augustissimis gloriosæ memoriæ Imperatoribus, Antecessoribus Nostris habiti, & in protectionem recepti, variis iisque raris, & quæ non nisi viris magnis & Illustri virtute præditis concedi solent, privilegiis, honoribusque ditati exornatique fuerint. Perpendentes etiam Divum Maximilianum secundum Imperatorem, Augustæ memoriæ, Dominum majorem Propatruum & antecessorem Nostrum, meritis prædicti quondum Alberici, Tritavi dicti Principis Alberici, inductum, Marchionatum Massæ per aliquot annorum sæcula ab Illustri & antiqua familia Malaspina, quæ fidem suam Sacro Romano Imperio constanter probavit, unde per lineam maternam originem ducit ipse Princeps Albericus sæpedicti Alberici Tritavus, possessum, in Principatum erexisse, ipsumque Principem Albericum, successoresque ejus, & sic dictum Principem Albericum legitimosque Massæ Principes in numerum ac societatem Sacri Romani Imperii Principum retulisse, datis & concessis ipsi Principi Alberico & successoribus ejus, & sic moderno Duci Carolo quibuscunque Privilegiis, dignitatibus, praeminentiis & honoribus, quibus alii ejusdem Imperii Principes cujuscunque gradus & qualitatis gaudent & fruuntur. Considerantes item, Divum Rudolphum secundum, Romanorum Imperatorem, Nostrum Dominum Agnatum & prædecessorem Nostrum colendissimum, felicissimæ memoriæ, dictis aliisque dignis & animum suum moventibus causis per suum Diploma sub die decima septima Junii anni millesimi quingentesimi nonagesimi concessisse dicto Principi Alberico ac Principibus ejusdem successoribus in signum Nobilitatis Domus suæ, status & protectionis Imperii, aquilam nigram bicipitem, diademate aureo insignitam, antiquis suis armis & insignibus cum verbo LIBERTAS inserendam. Agnoscentes insuper memoratum Principatum & statum Massæ nec non Marchionatum Carraræ, Monetæ & Laventiæ cum suis membris & Jurisdictionibus juste pervenisse ad ipsum Principem Albericum & Antecessores ejusdem, & ab iis absque ulla vi, imo justis & legitimis titulis, bona fide ac pacifice possessum, eosdemque ad omnem occasionem recognovisse semper devote fideliterque Invictissimos Imperatores & Sacrum Imperium.

Scientes quoque ipsum statum Massæ opportuno loco (quod consideratione dignum est) situm, ac propugnaculis etiam ad omnes occasiones, quæ ad Imperii Majestatem asserendum, vicinorumque quietem propugnandum serviant, instructum esse castrum ipsum atque oppidum Massæ, pulcherrimis tum privatis, tum publicis ædificiis exornatum, plurimisque ac validissimis operibus permunitum, mercimoniorum frequentia, vicinorumque populorum ad ea vel exportanda, vel importanda, concursu celebre ac locuples, adeoque a supradicto Domino Avo ac Prædecessore Nostro æternum observando, gloriosissimæ memoriæ, Diplomate suo, quinta & vigesima die mensis Augusti, anno supra sesquimillesimum centesimo & vigesimo expedito, Civitatis titulo cohonestatum, ac in Sacri Romani Imperii Civitatum numerum cooptatum, aggregatum & adscri-

adscriptum fuisse. Ob hæc sane atque id genus alia præclara Progenitorum suorum merita, tum Avi sui Caroli virtutes, fideique & devotionis erga Nos & Sacrum Romanum Imperium Augustamque domum Nostram Austriacam, cum pluribus aliis occasionibus, tum nupero bello Italico, quando exercituum Nostrorum Imperialium Ducibus egregiis pecuniarum summis præsto fuit, ad exemplum contestatæ studium, nec non ob quam plurima eaque dignissima Patris Ducis Alberici obsequiorum ac officiorum a longa annorum serie Nobis præstitorum merita, & ex singulari Cæsarei Nostri erga eundem affectus propensione, per præsentes literas Nostras ac Diploma, scientes, volentes, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, ipsi Illustrissimo Carolo Cybo Malaspinæ, Duci Massæ, omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, investituras, infeudationes prærogativas, concessiones & indulta cum dicto quondam Alberico, sæpe fati Alberici Tritavo, ac majoribus ipsius, tum ipsi quoque Principi quondam Patri Alberico legitime concessa & concessas, in quorum fida supplex Carolus est possessione, vel quasi, in omnibus suis articulis, punctis, clausulis, sententiis & verborum expressionibus, laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, &, quatenus opus est, ea omnia & singula de novo concedimus, atque eundem Carolum Cybo Malaspinam, Massæ Ducem & Principem Carraræ, pro se, filiis, hæredibus, ac descendentibus suis masculis & fœminis legitimis, dummodò masculi fœminis semper præferantur, usque in infinitum, ordine primogenituræ de primogenito in primogenitum servato, de prædictis Civitate, castris & locis Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ cum omnibus suis districtibus, territoriis, Juribus & Jurisdictionibus quibuscunque, quemadmodum ea in præsentiarum tenet & possidet, vel quasi, infeudamus atque investimus (recepto tamen prius vicissim a nostro & Sacri Imperii fideli, dilecto Consiliario nostro & ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, Joanne Francisco de Bernardis, tanquam ejusdem Ducis Caroli procuratore & mandatario, sufficienti ad id facultate & potestate instructo, ut ex instrumento procuratorio, per eundem de Bernardis producto & exhibito, satis constat, debito solitoque fidelitatis juramento) ac inprimis quidem sæpedicto Castro, oppido & loco Massæ titulum Civitatis à Divo quondam Imperatore, Domino Genitore ac Prædecessore Nostro Colendissimo augustissimæ memoriæ, & Nobis quoque collatum ac concessum clementer confirmamus corroboramusque, ac de novo, quatenus opus est, concedimus, atque in nostrarum & Sacri Romani Imperii civitatum numeram cooptamus, aggregamus & adscribimus, tùm ipsum Ducem Carolum, unà cum prænominatis, civitate, arcibus, oppidis, castris & locis in nostram & sacri Imperii tuitionem, protectionem & Salvamguardiam specialem recipimus, ita, quod Dux ipse & successores ipsius semper & perpetuo sub sola & immediata nostra Sacrique Romani Imperii, & non alterius, etiam vicarii locum tenentis Sacri Romani Imperii, & seu cujusvis alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem à prædicto Sacro Romano Imperio, protectione & obedientia esse, & quod supradicta civitas Massæ iis omnino juribus, dignitatibus, prærogativis, præeminentiis, honoribus aliisque omnibus, quibus reliquæ civitates Imperii utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, quomodolibet consvetudine vel de jure uti, frui, potiri, ac gaudere possit & valeat. Deinde volentes ejusdem Ducis Caroli indemnitati, quoad alia loca, quæ præter supradictam civitatem oppida, castra & loca Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ per prædecessores ipsius Ducis Caroli, ut superius dictum est, possessa fuerunt, quibus nunc spoliatus existit, etiamsi de jure ad ipsum spectent & pertineant, consultum esse, tenore præsentium animo deliberato, & ex certa nostra scientia decernimus & declaramus in hoc præsenti privilegio Investituræ non solum supranominatam civitatem Castra & loca, quæ ipse Dux Carolus in sua potestate habet & possidet, sed etiam omnia alia & singula, quæ ipsius Prædecessores, vel aliqui ex ipsis legitime tenuerunt & possederunt, & in quibus eidem dein Carolo aut ejus hæredibus & successoribus, quovis modo jus competit, seu competere poterit, comprehendi & comprehensum intelligi debere, non obstantibus in præmissis quibuscunque legibus, statutis, decretis, constitutionibus, ordinationibus, consuetudinibus & præscriptionibus, aut aliis in contrarium facientibus quomodocunque. Siquidem iis omnibus & singulis motu proprio, scientia, autoritate & potestate prædictis derogamus & derogatum esse volumus per præsentes, etiamsi talia essent, de quibus specialis mentio in præsentibus fieri deberet; Nostris tamen & Sacri Imperii Juribus in præmissis omnibus salvis & illæsis. Ad hæc tenore præsentium scienter, deliberate atque autoritate & potestate nostra Imperiali benigne ratificamus, approbamus, & confirmamus dictas conventiones tam inter sæpememoratum quondam Principem Albericum, quam supplicis Caroli patrem Albericum & Vasallos suos Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, ratione fidelitatis & obedientiæ ipsi Principi Alberico præstandæ, initas: supplentes omnes & singulos defectus, tam juris, quam facti, si qui in iisdem obligationibus & conventionibus intervenissent. Præterea cum constet ex supradicto Privilegio Divi Friderici Tertii, Franciscum Cybo olim, ac ejus filios & descendentes, cum propter plurimas ac præstantissimas virtutes ac merita sua atque aliorum Prædecessorum ipsius Ducis Caroli, qui ex nobili admodum stirpe Cybo originem ducit, tum etiam ut gratificaretur Innocentio Papæ octavo, dicti Principis Alberici tritavo, ornasse multis privilegiis & facultatibus, præsertim legitimandi, natalibusque legitimis restituendi nothos spurios & quoscunque ex licito ac legitimo connubio non prognatos, vel descendentes, item creandi, constituendi & ornandi Notarios publicos, seu tabelliones, nec non Judices ordinarios & delegatos, ac universis & singulis personis, quæ habiles & idoneæ viderentur, officium Notariatus & Judicatus ordinarii delegatique, adhibitis debitis & consvetis solennitatibus concedendi & largiendi, item emancipandi, & a patria potestate liberandi quoscunque filiosfamilias, nec non quaslibet idoneas personas, tam in facultatibus utriusque Juris & Medicinæ, quam liberalibus artibus, conjunctim &

 divisim,

divisim, ad Baccalaureatus, Licentiæ ac Doctoratus gradus & insignia promovendi, & præterea milites, seu Equites auratos creandi, ac demum utendi, fruendi ac potiundi omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus, gratiis, præeminentiis, exemptionibus & indultis, quibus cæteri familiares Imperatorum, Aulæ Imperialis commensales, uti, frui & gaudere possunt, de consvetudine, vel de jure, quemadmodum hæc omnia in memorato privilegio copiosius latiusque descripta sunt, atque id a consecutis Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, atque ab ipso Domino Genitore nostro, observandissimæ recordationis, ratum gratumque habitum, laudatum, approbatum confirmatumque fuerit; Nos dictorum Antecessorum nostrorum, Divorum Imperatorum ac Regum Romanorum, laudatissimis vestigiis insistere, atque ipsi Duci Carolo gratiam nostram Cæsaream luculentius declarare volentes, autoritate nostra prædicta memoratum privilegium, & omnes & quascunque facultates, licentias, libertates & gratias, quæ in ipso privilegio continentur, & in quorum fida possessione vel quasi dictus Princeps Albericus extitit, approbamus, confirmamus, &, quatenus opus est, denuo concedimus; Item confirmamus gratiam & facultatem a prænominata Dilectione & Cæsarea Majestate Sua, Domino Genitore ac Prædecessore nostro æternum colendo, felicissimæ reminiscentiæ, prædicto Principi Alberico concessam, & ab Eadem & Nobis quoque dicto quondam Carolo Principi Alberico confirmatam, in dicto Principatu Massæ creandi Comites Palatinos & Consistoriales, quo ad nobilitatem tituli, & nudum nomen dictæ dignitatis (recepto tamen erga Nos & Sacrum Romanum Imperium fidelitatis juramento) ipsamque denuo, quatenus opus fuerit, dicto Duci Carolo & suis Successoribus in dicto Ducatu concedimus & damus. Et porro volentes dicto Duci Carolo, ob Prædecessorum suorum & propria in Sacrum Imperium merita, munificentiam Nostram ulterius contestari, qua scilicet non ipse modo in officio & debita erga Nos & idem Sacrum Imperium observantia, fide & studio contineatur, verum etiam posteri ejus, tanquam splendidissimo monumento, ad eadem studia in perpetuum inflammentur accendanturque, ex certa pariter nostra scientia, animoque bene deliberato, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, sæpedicto Duci Carolo ejusque filiis hæredibus & dependentibus legitimis per præsens Nostrum Cæsareum Diploma clementer confirmamus, corroboramus, & innovamus concessam præmentionato Principi Alberico, sæpius nominati Alberici Tritavo paterno, libertatem & facultatem in antedicto Marchionatu ab eo tempore, ut supra demonstratum est, per Divum olim magnum Propatruum, Imperatorem Maximilianum, in Principatum erecto, officinam monetariam, fabricandi & instruendi ac cudendi monetam auream, argenteam & æream cujuscunque generis, sortis, ac valoris, cum iis insigniis & inscriptione, quæ dicto Principi Alberico ejusque successoribus placuerint, dummodo cudatur bona, sincera & justa, quæ non sit deterior illa, quam cum Princeps, tum cæteri Proceres ac Respublicæ in Italia existentes, & à Sacro Romano Imperio dependentes, Divorum Antecessorum Nostrorum, Romanorum Imperatorum ac Regum, ac Nostra gratiosa concessione cudunt, ut nemo de istiusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat. Volentes, ac memorata autoritate & potestate Nostra Cæsarea firmiter statuentes & decernentes, ut dictus Dux Carolus & omnes ejus liberi & posteri legitimi, absque omni impedimento & obstaculo, possint & valeant in dicto Ducatu Massæ, in perpetuum monetam auream, argenteam & æream, bonam tamen, sinceram & justam, nec deteriorem illâ, quæ, ut antedictum est, a cæteris Italiæ Principibus, Proceribus & Rebuspublicis, Sacro Romano Imperio subjectis, juxta tenorem & præscriptum privilegiorum, ipsis desuper a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus concessorum, cuditur, cudere, seu cudi facere, iisque omnibus & singulis gratiis, libertatibus, prærogativis & juribus in hac parte uti, potiri, & gaudere, quibus cæteri Sacri Imperii Principes & ordines, monetam cudendi facultatem habentes, utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, consvetudine vel de jure, omni impedimento & contradictione postposita. Postremo, licet ex præinserto Divi quondam Caroli V. majoris Propatrui Nostri, Investituræ privilegio, Illustri olim Ricciardæ, ipsius Principis Alberici Patris Tritaviæ, concesso, satis appareat, eandem Ricciardam de supradictis castris & locis Massæ, Carraræ, Moneta & Laventiæ sub Imperiali tuitione, protectione & salvaguardia investitam fuisse, ac postmodum sæpedictum quoque Albericum, Abavum paternum prædicti Principis Alberici, similem Investituram obtinuisse, quam deinceps prælibato Divo quondam Imperatori Maximiliano, Domino magno Propatruo & prædecessori nostro, ac successive Augustissimis quondam Imperatoribus, Rudolpho, Matthiæ, Dominis Agnatis Nostris colendissimis, uti & Domino Genitori Nostro charissimo Ferdinando Tertio, gloriosissimæ recordationis, confirmare, sæpedictumque Principem Massæ, ejusdemque conjugem, liberos & successores legitimos, una cum memorato Principatu Massæ & Marchionatu Carraræ, aliisque Castris, Villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibusque eorum subditis & incolis, nec non officialibus, familiaribus, ministris & domesticis, denuo in specialem Majestatis suæ & Sacri Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam assumere, atque insuper a quocunque foro sive tribunali alieno eximere placitum fuerit. Nos tamen sæpefatum Ducem Carolum a Nobis eandem beneficentiam experiri cupientes, præinsertum salvæguardiæ & exemptionis fori privilegium, atque omnia in eo contenta, Nostra quoque autoritate, in omnibus & singulis suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & tenoribus, quemadmodum supra descripta & inserta sunt, de verbo ad verbum laudavimus, approbavimus, &, quatenus opus sit, de novo concessimus, prout præsentium vigore literarum, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus & innovamus, ipsumque Ducem Carolum, ejusdemque Conjugem, liberos & successores legitimos, una cum memorato Ducatu Massæ,

& prin-

& principatu Carrariæ, aliisque castris, villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis & pertinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibus eorum subditis & incolis, nec non officialibus, familiaribus, Ministris ac Domesticis, in Nostram & Sacri Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam suscipimus & assumimus, ac fide publica seu salvo conductu contra quorumvis injuriam & violentiam munimus, & a quocunque Tribunali, seu foro alieno juxta concessionem a Divis quondam Imperatoribus Rudolpho Secundo, Matthia & Ferdinando Secundo & Tertio, Dominis agnatis, Avo, Genitore ac Prædecessoribus Nostris venerandis, confirmatam, eximimus, asserimus ac liberamus, ita quod ipse Dux Massæ ejusdemque successores in Ducatu Massæ, Principatuque Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, sint semper & perpetuo sub sola & immediata protectione & obedientia Nostra Sacrique Romani Imperii, & non alterius etiam Vicarii ac locumtenentis præfati Sacri Romani Imperii, seu cujuscunque alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio: Volentes & hoc Imperiali statuentes edicto, præinsertum salvæguardiæ & exemptionis fori privilegium, omniaque & singula in eo contenta, aliaque omnia, quæ a supradictis sacratissimis Imperatoribus ac Regibus Romanorum, Nostris prædecessoribus, gloriosissimæ reminiscentiæ, eisdem quondam Principibus Alberico ac Carolo concessa ac confirmata fuerunt, & nunc moderno Duci Carolo de integro a Nobis conceduntur & confirmantur, rata, valida, firma ac perpetua esse ac manere; quodque sæpedictus Carolus, Dux Massæ & Princeps Carrariæ ejusque successores in dicto Ducatu ac Principatu Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, ejusdemque conjux, liberi, hæredes, posteri & descendentes legitimi, omnesque subditi, Vasalli, officiales, familiares, ministri & domestici in dicto Ducatu & Principatu ac pertinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus hujusmodi privilegiis, salvaguardia & exemptione, virtute hujus Nostræ confirmationis, innovationis & ampliationis, perpetuo uti, frui, & gaudere possint. Cognoscentes demum per Diploma præfati Divi Rudolphi secundi Imperatoris prædicto quondam Principi Alberico, sub die decima septima Junii, anno supra sesquimillesimum nonagesimo concessum, a Divo Matthia sub die sexta mensis Maji Anno supra mille sexcentos tertio decimo, atque ab Augustissimo Avo nostro, Divo Ferdinando Secundo, sub die quinta & vicesima mensis Augusti, anno millesimo sexcentesimo vigesimo, & postmodum quondam Principi Carolo, sub die septima mensis Novembris anno supra mille sexcentos tertio & vigesimo confirmatum, motu proprio, sano consilio, scientia ac potestate Imperiali, fuisse abrogatas & annullatas omnes infeudationes, uniones, applicationes, & quascunque alias investituras, etiam a Divis Imperatoribus, Prædecessoribus Nostris, quavis causa & occasione quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, Potestatibus ac Rebuspublicis de dictis Ducatu Massæ & Principatu Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, maxime in præjudicium primævæ libertatis & naturæ eorundem, ac liberæ & immediatæ subjectionis solius Sacri Romani Imperii hactenus quomodolibet factas ac concessas, nec non adhærentias sive sequelas antiquas, conventiones, obligationes, hypothecas, & pacta qualiacunque, etiam juramento confirmata, aut inita cum Ducibus, Principibus, Rebuspublicis & aliis Potestatibus, præsertim vero quæ in præjudicium tendunt Sacri Imperii & libertatis antiquæ dictorum Principatus Massæ & Principatus Carrariæ, Monetæ, & Laventiæ, quatenus absque expresso assensu Imperiali facta fuerint, remotis omnibus, quæcunque, opponuntur in contrarium, etiamsi talia fuerint, quæ hic necessario nominari deberent, volentes ea haberi tanquam si nominatim, minutatimque expressa essent.

Nos ex prædictis respectibus jam enunciatis, & aliis dignis de causis, animum nostrum moventibus, & quia Nobis placuit & placet, motu proprio, vigore præsentium, ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine approbamus, ratificamus, confirmamus ac de integro innovamus dictas abrogationes & annullationes factas dicti Diplomatis prænarrati, concessi a dicto Divo Rudolpho Secundo atque a Divis Matthia, Ferdinando Secundo & Tertio, Dominis Agnatis, Avo, Patre ac prædecessoribus Nostris, æternum colendæ memoriæ, confirmati, diebus mensibus & annis supradictis, omnium infeudationum unionum, applicationum & quarumcunque investiturarum, a Divis Imperatoribus, Antecessoribus Nostris, concessarum, quavis causa & occasione quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, Potestatibus ac Rebuspublicis de dictis Ducatu Massæ & Principatu Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, maxime in præjudicium primævæ libertatis & naturæ eorundem, ac liberæ & immediatæ subjectionis solius Sacri Romani Imperii hactenus quomodolibet factarum & concessarum, nec non adhærentiarum, sive sequelarum antiquarum, conventionum, pactorum quorumcunque & obligationum & hypothecarum quomodocumque, etiam juramento, confirmatarum, aut initarum cum Ducibus, Principibus, rebuspublicis & aliis potestatibus, præsertim vero tendentium in præjudicium Sacri Romani Imperii & libertatis antiquæ dictorum Ducatus Massæ & Principatus Carrariæ, Monetæ & Levantiæ (quatenus absque expresso consensu & assensu Imperiali factæ, seu facta fuerint) insuper habitis, rejectis ac remotis omnibus quæcunque opponuntur, seu opponi possunt in contrarium, quamvis ea talia fuerint, quæ hic necessario exprimi & nominari deberent. Volentes ea omnia haberi, tanquam si nominatim minutatimque forent expressa, validis tantummodo & firmis remanentibus investituris & concessionibus factis tam dictæ Illustri Ricciardæ, quam sæpenominatis quondam Principibus, Alberico & Carolo, eorundemque Antecessoribus quibuscunque. Nulli ergo hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ extiterit, liceat hanc Nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, augmentationis, amplificationis, creationis & erectionis in Civitatem ac decorationis titulo *Illustrissimi*, tam vivæ vocis quam in scriptis, protectionis, concessionis, declarationis, derogationis, abrogationis, Investituræ, concessionis ac gratiæ paginam, Decreti,

Decreti, privilegii & voluntatis Nostræ Cæsareæ declarationem ullo modo infringere, contemnere, negligere, spernere, violare, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, præter quod Nostram & Sacri Imperii gravissimam incurret indignationem, mille marcarum auri puri, probi, toties, quoties neglexerit, spreverit, contempserit, contrafecerit, aut violaverit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, mulctam dare damnas esto; quam quidem ex semisse in ærarium Nostrum Imperiale sive fiscum inferendam; Ex altero vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus decernimus applicandam, atque in eorum omnium & singulorum indubitatam fidem atque evidens testimonium præsentibus literis Nostris, manu Nostra subscriptis, sigillum Nostrum Imperiale appendi jussimus. Datum in Civitate Nostra Viennæ, die vigesima secunda Mensis Januarii, Anno Domini millesimo, sexcentesimo, nonagesimo primo, Regnorum Nostrorum, Romani 33. Hungarici 36. Bohemici vero 35.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo, Viennæ 5ta Martii 1711.

Rab. Herm. de Bertram,
Secret. & Archiv.

(L.S.)

VIII.

Instrumentum publicum de Testamento nuncupativo, a Domino Antonio Blaxiato de Carrara olim condito, ac donatione, per Ludovici Blaxiati de Carrara filiam, inter vivos facta, agens, d. d. 7. Jul. Anno 1710.

Fides per me infrascriptum Notarium in Testamento nuncupativo condito seu facto ab olim spectabili Domino Antonio Blaxiato de Carrara, ac sub die vigesima secunda mensis Julii millesimo sexcentesimo undecimo, Indictione nona per quond. Dominum Tendarinum, Notarium publicum Carrariensem, recepto ac rogato, hæc inter cætera infrascripta verba apparere, videlicet:

In mei & infra scriptorum Testium præsentia præsens & personaliter constitutus spectabilis Dominus Antonius Blaxiatus de Carrara, sanus DEI gratia corpore, mente, sensu, visu, & intellectu, considerans, omnipotentem DEum vitam & mortem præ manibus habere, & prudentis esse, dum in corpore sanitas, & in mente quies sunt, licere, quod melius res ordinantur. Ideo hoc præsens suum ultimum nuncupativum Testamentum, quod de jure dicitur, sine scriptis, in hunc, qui sequitur, modum, condidit & fecit:

Imprimis idem Testator ejus animam, corpore nobiliorem, DEO Omnipotenti & toti Curiæ cœlesti pie & devote commendavit, & quandocumque ipsum mori contigerit, voluit ejus cadaver sepeliri in Ecclesia Sancti Andreæ de Carrara in sepulchro confratrum venerabilis confraternitatis sanctissimæ Virginis Mariæ Annunciatæ magnæ, ante altare dictæ sanctissimæ Annunciatæ, in qua confraternitate ipse Testator est descriptus, indutus sacco dictæ confraternitatis, denudatis pedibus, & cum sanctissimo Crucifixo supra pectus, & in manibus ejusdem testatoris, & cum pompa Funerali, infrascriptæ suæ Hæredi bene visa.

Item amore DEI reliquit dictæ confraternitati dictæ Sanctæ Annunciatæ scuta decem per infrascriptam ejus hæredem solvenda in contantis, vel in contractibus affictuum ad electionem dictæ suæ hæredis, secuta morte ipsius Testatoris.

Item jure legati reliquit Julio filio Illustris Domini Ludovici Malaspinæ ætatis annorum duorum cum dimidio in circa, ejus dilecto Pronepoti omnes libros legales, & alios libros, scripturas privatas, & Prothocollos omnes Instrumentorum, per dictum Testatorem rogatorum, & usque quo vixerit per ipsum rogandorum, quatenus infrascriptæ suæ hæredi videbitur, & placebit, & in talem casum, quatenus dictus Julius operam dederit literis, & nobilem gradum Doctoratus consequutus fuerit, & non alias, aliter, nec alio modo &c.

In omnibus autem aliis & singulis ipsius Testatoris bonis mobilibus, stabilibus, ac se moventibus, juribus & actionibus, quibuscunque præsentibus & futuris, ubique locorum consistentibus idem Testator ejus hæredem universalem instituit, fecit, esse voluit, & ore proprio nominavit Illustrem & nobilem Dominam Euridicem Malaspinam, viduam relictam quondam Illustris Domini Julii Malaspinæ de Bastia, ejus dilectissimam sororem germanam, & bene merentem, & hoc dictus Testator dixit esse suum ultimum testamentum, suamque ultimam voluntatem, quod & quam valere voluit jure Testamenti, & si Jure Testamenti non valeret, voluit valere jure codicillorum donationis causa mortis, & cujusvis alterius ultimæ voluntatis omni meliori modo &c. captans &c. volens &c. super quibus &c.

Quæ quidem supradicta verba, seu dispositiones testamentarias ego Notarius Infrascriptus copiavi & extraxi ex suo originali, existente in Prothocollo quondam Domini Tendarini, Notarii Carrariensis, anni 1611. quod asservatur in Archivio publico Carrariæ a me viso, & lecto, & facta collatione concordare inveni, salva mihi semper &c.

Item per me Notarium infra scriptum sit fides, quod in Instrumento donationis bonorum mobilium, stabilium, inter vivos factæ per Dominam Joannam, filiam olim Silvestri Horosini, & viduam relictam quondam Julii Bernardini, nobilis Dominæ Euridici filiæ olim Domini Ludovici Blaxiati de Carrara, & viduæ relictæ quondam Illustris Domini Julii Malaspinæ, rogato per Dn. Leonardum Lombardellum, J. U. D. & utraque autoritate Notarium publicum Carraræ, Judicemque ordinarium &c. hæc inter cætera infrascripta verba inveniantur, videlicet:

Ipsa Joanna asserens, se habere & possidere nonnulla bona mobilia & stabilia ad eam pleno jure dominii & proprietatis spectantia &c. titulo puræ, meræ, veræ, simplicis donationis inter vivos transtulit, & mandavit, cessit, & concessit nobili Dominæ Euridici, filiæ olim Ludovici Blaxiotti de Carrara, & viduæ relictæ quondam Illustris Domini Julii

Mala-

Malaspinæ, ibidem præsenti, stipulanti &c. & pariter hæc alia infrascripta verba in dicto donationis instrumento clare, videlicet:

Hanc autem irrevocabilem inter vivos donationem dicta Joanna fecit, & facit dictæ Dominæ Euridici Malaspinæ, ut supra, præsenti &c.

Nec non ex quodam procuræ mandato a supradicta D. Euridici Malaspina facto in personam spectabilis D. Ludovici Blaxotti de Carrara, ejus fratris germani ad effectum obtinendi per eundem immissionem in possessionem dictorum bonorum a prædicta Joanna, dictæ Dominæ Euridici ut supra donatorum, & ex pluribus actis ad eundem effectum per dictum Dominum Ludovicum Blaxiottum procuratorio nomine factis coram &c. in curia Carraræ, & alibi &c. hæc infra scripta leguntur, videlicet:

In mei &c. præsentia præsens, & personaliter constituta nobilis D. Euridix Malaspina, vidua relicta quond. Illustris D. Julii Malaspinæ de Carrara, quam cum præsentia & consensu Illustris Domini Ludovici Malaspinæ ejus filii loco &c.

Comparet D. Antonius Blaxiottus Carrariensis uti frater Germanus & conjuncta persona, & etiam uti procurator Dominæ Euridicis Malaspinæ, & viduæ relictæ quondam Illustris D. Julii Malaspinæ, prout de ejus procuræ constat &c.

Hoc est publicum Instrumentum ad æternam rei memoriam adeptionis & ingressionis possessionis bonorum infrascriptorum stabilium per quondam Joannam filiam olim Silvestri Nurosini de Milesico, & viduam relictam quondam Julii Bernardini alias Bernarde de eodem irrevocabiliter inter vivos nobili Dominæ Euridici Malaspinæ de Carraræ, & viduæ relictæ quondam illustris Domini Julii Malaspinæ prædictæ donatorum, prout &c.

Ego Franciscus Carretti, quondam Domini Bartolomei de Luxana status celsitudinis Realis, magni Ducis Etruriæ Publicus Apostolica & Imperiali Autoritatibus Notarius, supra scripta verba, ac dispositiones Testamentarias particulas enunciativas plurium Instrumentorum seu Actorum Curiæ Carraræ &c. ex Prothocollo, & respective ex suis copiis originalibus Authenticis & manu Publici Notarii pariter respective receptis ac rogatis fideliter, juxta assertiones per me superius factas, copiavi & extraxi; salva semper mihi &c. In quorum fidem subscripsi solitumque mei Tabellionatus signum apposui ad laudem Dei &c. hac die septima mensis Julii 1710. Indictione tertia.

(L.S.)

Universis, & singulis Nos Dominicus olim Andreæ Philippi Consul, Franciscus Santini & Joannes Marioti, Consiliarii Communitatis Luxanæ, status celsitudinis regalis Magni Ducis Hetruriæ, fidem facimus, & pro veritate attestamur, supradictum Dominum Franciscum Carretti fuisse ac esse Notarium Publicum, legalem, authenticum, & fide dignum Apostolicum & Imperialem, ejusque scripturis tam publicis quam privatis indifferenter ab omnibus plenam adhibitam fuisse fidem, & de præsenti adhiberi fidem. In quorum fidem has fieri, & nostro Sigillo muniri mandavimus. Datum Luxanæ die septima Julii 1710.

Jacobus Carretti, Cancellarius de Mandato.

(L. S.)

IX.

Caroli, Massæ Ducis, atque Carraræ Principis, Literæ, quarta ante obitum ipsius die ad Josephum, Romanorum Imperatorem, scriptæ, Notariique Publici Attestato munitæ, d. d. 3. & 7. Decembr. Anno 1710.

Sacra Cesarea Real Maestà, Sig. mio Clementissimo.

E' Piaciuto al Sig. Iddio dopò avermi lasciato godere ottanta Anni di Vita, di ridurmi al fine de miei giorni, con l' oppressione di un male assai penoso, & incapace d' esser superato da rimedi umani. Già mi sono rassegnato onninamente alli Divini voleri, & hò fatto tutte quelle parti, che la debolezza del mio Spirito hà saputo, per attirarmi in questo estremo gl' effetti della Divina Misericordia, e farci similmente con tutta quiete d' interno il mio passaggio, se havessi potuto prima conseguire li riscontri, che attendevo, e che hò sempre sollecitato, di che V. M. fosse rimasta sincerata delle mie procedure, e del Prencipe di Carrara, mio Figlio, nelli noti sconvolgimenti di tutta l' Italia, dalle relazioni in primo luogo del Sig. Co. Gio. Battista di Castellbarco, Commissario Plenipotenziario della M. V., e poi del Sig. Cavaliere Tomaso de Quentel, Fiscale dell' Eccelso Consiglio Imperiale Aulico della medesima; mà già che per mia mala sorte, e per opera de miei Malevoli, non hò potuto ricevere questa Consolazione, avanti di presentarmi al Tribunale di quel Giudice Tremendo, à cui sono aperte tutte le Cose, hò voluto manifestare in questo mio umilissimo Foglio, che sarà reso alla M. V. dopò la mia Morte, gl' ultimi sentimenti dell' Animo mio, e ciò segue alla presenza di Giesù Crocifisso, che tengo alla mano, il quale solo sà, che non mentisco.

Sia dunque, Sacratissimo & Invittissimo Cesare, appresso V. M. una verità incontrastabile, l' haver' lo col Prencipe mio Figlio mantenuta inviolabile quella Fede, di cui eramo debitori per ogni legge al Sacro Romano Impero, à V. M., & alla Sua Augustissima Casa, e che qualunque azzione seguita dalla nostra parte, è stata regolata sempre in iscanzo della Prepotenza, che in quei tempi dava leggi alle Forze maggiori, e con li detta mi delli Ministri più autorevoli della Corte del fù Gloriosissimo, e Piissimo Padre della M. V.

Una prova infallibile di questa mia sincerissima rappresentanza, può V. M dedurla, prescindendo da tutte le oltre Giustificazioni riscosse da gl' Antedetti duoi Commissionari, dal non haver li miei oppositori, e contrarii potuto rinvenire motivi, onde appoggiare le loro Accuse, d' haver noi mancato di Fede, mà più tosto rimangono smentiti dal sapersi notoriamente, che Io hò patito danni molto considerabili, e continue violenze dalli Nimici di

V. M., il che non sarebbe mai succeduto, se mi fossi gettato, come si pretende da essi Accusatori, à favorire i loro Interessi, contro la mia Obligazione, & il bon Servizio della Maestà Vostra.

Io non perdonarei mai à chi mi hà cagionato un simil danno, e mi hà ferito nella parte più sensitiva del mio Onore, se non confidassi nella somma Giustizia, e Clemenza della M. V., che saprà con la prima render vane le private passioni de miei Emoli, e con l' altra compassionare tutto ciò che per mia insufficienza, ò inavertenza fosse seguito, mentre giuro à V. M. sopra li Sacrosanti Evangelii, che la mia Intenzione in tutte le Congiunture, che si sono date, non è stata mai di declinare un puntino dal debito, che mi correva di Vassallo Fedelissimo della M. V., e niun' altro può essere in colpa, perche tutto fù sempre da me disposto, & ordinato, con le mite, che hò dette di sopra.

Questa fiducia tanto bene appoggiata, mentre hà per base le virtù magnanime di V. M. hà messo in riposo le agitazioni della mia mente, e mi hà disposto à pregare S. D. M., che voglia rimettere l' Ingiuria à quelli, che me l' hanno fatta.

In tanto mancandomi lo Spirito Animale, consegno all' Augustissimo Trono di V. M. il predetto Prencipe mio Figlio, e Successore, riverentemente supplicandola di accoglierlo con quella generosa benignità, che è propria del Gran Cuore della M. V., e farli godere quelle grazie, che per tanti Secoli questa Sua Fedelissima Casa hà procurato à costo del proprio Sangue, e delle sue sostanze di non demeritare, mentre lo spiro con tutta pace, essendomi giustificato à piedi del mio Augustissimo Sourano, che è stato il mio Nume in Terra. Massa li 3. Decembre 1710.

Di V. Sacra Cesarea Real Maestà

Carlo Cybo.

In Nomine Domini Amen! Anno ab ejusdem Nativitate millesimo septingentesimo decimo, Indictione 3. die vero tertia mensis Decembris.

Fidem facio, & attestor Ego Notarius publicus infrascriptus, qualiter constitutus coram me, & testibus pariter infrascriptis D. Carolus Cybo de Malaspina, Sac. Rom. Imperii & Massæ Dux, sanus DEI gratia, mente, loquela, & sensu, licet in lecto jacens gravi morbo corporali oppressus supradictam epistolam, quam de ejus mandato ac dictamine à ejus a secretis scriptam, & inde ab alia persona sibi pariter confidente, alta & intelligibili voce lectam fassus est, approbavit ac ratificavit, propriaque manu, licet tremula, ac infirmo charactere subscripsit ejus nomine, *Carlo Cybo*, & inde mihi traditur ad effectum, ut de prædictis omnibus me rogatum habeam, prout rogatus fui, ad laudem DEI, & B. semper Virginis Mariæ.

Actum Massæ in Palatio dicti D. Ducis Caroli, coram & præsentibus DD. Paulo Farsetto, & Tenente Andrea Bolatto, Testibus &c.

Ego Laurentius quondam Jo. Baptistæ, Civis Massensis, publicus DEI gratia, Apostolica & Imperiali autoritate Notarius, & in Collegio DD. Notariorum Civitatis Massæ descriptus & aggregatus, de prædictis in fidem scripsi, subscripsi, ac signavi ad laudem DEI, & B. Mariæ semper Virginis.

(L.S.)

Ego Laurentius Vannuccius, quondam Jo. Baptistæ, Civis Massensis, publicus DEI gratia Apostol. & Imp. autoritate Notarius, & in Collegio DD. Notariorum Civitatis Massæ descriptus & aggregatus, præsentem supradictæ Epistolæ cum fide copiam de verbo ad verbum extraxi, mihique traditam ad effectum prædictum, licet in parte &c. factaque collatione concordare inveni. In quorum fidem hic me subscripsi ad laudem DEI, & B. Mariæ semper Virginis, Dat. Massæ, hac die 7. Decembris, 1710.

X.

Transactio de successione in Massæ Ducatum, fratris morte vacantem, inter fratres germanos, Alderanum Cybum atque Camillum Cybum, Massæ Duces, inita, d. d. 21. Febr. Anno 1716.

IN nomine Domini Amen! Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter & sit notum, quod anno ab ejusdem Domini nostri JEsu CHristi salutifera nativitate 1716. Indictione nona, die vero vigesima prima mensis Februarii, Pontificatus autem sanctissimi in eodem Christo Patris & Domini nostri, Domini Clementis, Divina favente gratia Papæ Undecimi, anno ejus decimo sexto, cum fuerit & sit, quod post obitum clarissimæ memoriæ Serenissimi Domini Alberici Cybo, Ducis Massæ, secutum, sub die vigesima mensis Novembris anni proxime elapsi, absque eo, quod præfatus D. Dux filios reliquerit, sive testamentum exaraverit, inter Serenissimum D. Ducem Alderanum Cybo, & Excellentissimum & Reverendissimum Camillum Cybo, germanos fratres præfati olim D. Ducis Alberici, in Civitate Montis Falisci sub die 2. Decembris proxime elapsi, signata ac firmata fuerint nonnulla capitula conventionum & concordatorum tenoris sequentis, videlicet:

Essendo piacciuto alla divina Maestà, dalli cui cenni dipendono tutti i momenti della vita humana di chiamare all' eterna gloria il Sig^re^ D. Alberico Cybo, già Duca di Massa di felice memoria per la di cui morte, senza successione è senza testamento, attesi tanto i feudi quanto le primogeniture della casa poterano insorgere delle differenze trà Monsignor Don Camillo Cybo, come maggior nato, & il Sig^re^ D. Alderano Cybo, fratelli, e desiderando li medemi Signori di conservare, col divino aiuto, sempre ferma e stabbile frà di loro una vera unione & ottima corrispondenza; Quindi è, che dopo di haver fatta seria e matura riflessione sopra lo stato, & interessi della loro casa, hanno formate e firmate - - - capitolationi, e conventioni, che promettono, e s' obligano osservare inviolabilmente.

Primieramente si come Monsignor D. Camillo Cybo, per corrispondere alli superni inviti, elesse dalli suoi primi anni di servire al Sig^re^ Iddio, & alla sua chiesa, e se bene il defonto Sig^re^ Duca non haveva ancora successione, & non dava speranza di haverla,

lovella, per fare l' offerta più grata à sua divina Maestà: volse prendere il carattere sacerdotale e preferire lo stato Ecclesiastico al Dominio temporale, à cui in mancanza del fratello Primogenito veniva chiamato il medemo Monsignore per confermare, e rinovare con maggior fervore di spirito à S. D. M. l' istessa offerta spontaneamente, & in ogni altro miglior modo cede, e rinuntia al Signor Don Alderano Cybo, suo fratello secondogenito, tutte le raggioni, che possono competere in tutti li feudi della casa, con la conditione, che questa cessione, e renunzia s' intenda fatta à commodo di detto Sig^{re} D. Alderano, e delli tutti figli e descendenti legitimi e naturali, nati di legitimo matrimonio una, mà non di altri eredi estranei, e quando il sud^{o} Sig^{re} Don Alderano premorisse à Monsignore, senza lasciar figli e descendenti legitimi, e naturali, Monsignore debba restare, e ritornare nelle sue raggioni salve & illese, come se la presente cessione e rinuntia fatta non fusse, perche cosi &c. e non altrimente &c.

2do Nella medema forma, e con le medeme condittioni, e non altrimente, il sudo monsig^{re} per maggior riprova del suo affetto verso il sud^{o} Sig^{re} Don Alderano cede e rinuntia al sud^{o} Sig^{re} ogn' altro jus, ragione & azzione, che potesse havere sopra tutti gl' altri effetti, non solamente feudali, mà liberi, & allodiali, mobili, azzioni, e crediti provenienti da qualsivoglia fidoicommiss ò credita, tanto paterna, quanto materna, ò di altri ascendenti, ò traversali, che sino al presente giorno si fussero purificati à suo favore e specialmente per l' credità del Sig^{re} Duca Alberico, fratello ultimamente defonto, senza testamento, volendo che in tutto e per tutto subentri nelle sue proprie neci, e luogo il sudetto Sig^{re} D. Alderano, ò dopo di lui suoi figli, ò li descendenti legitimi e naturali, in mancanza de quali, che Iddio non voglia, restino salve le raggioni di Monsignore come sopra per che la sua mente, e volontà è, di gratificare il sud^{o} Sig^{re} D. Alderano, suo amatissimo fratello, e suoi figlivoli e descendenti legitimi & naturali, e dargli tutto il commodo di poterli mantenere con lo splendore e decoro, che conviene al suo grado, & alla conditione della sua casa, e non altrimente &c.

3^{tio} E si come restano à bene del Sig^{re} D. Alderano la maggior parte delle rendite della Casa, e vengono à lui da Monsignore ceduti tutti li vantaggi, honori, prerogative, titoli, investiture, & ogni altra cosa, appartenente alla primogenitura della casa, così convengono essi Signori fratelli che il peso del pagamento di tutti li debiti fatti dall' Antenati, per li quali dovessero, potessero, ò volessero pagar sia ò sorte, ò frutti, restino à peso, e danno del Sig^{re} D. Alderano medemo, di modo che ciò che rimane per uso e commodo di Monsignore nelle forme come segue resti intieramente a lui, senza verun' altro obligo ò Ipoteca, senon che quelle che sono naturali, solite, e dovute dall' istessi effetti assegnatigli, & à questo conto sidichiara Monsignore, accettare tali stabbili e rendite con titolo d' assignamento, ò di oloro à lui più vantaggioso, e sicuro, & il Sig^{re} D. Alderano si obliga di relevare indenne Monsignore medemo da ogni molestia, danno, lite & incommodo, che potesse accadergli per le cause sudd^{e}.

4to E perche possa hora con miglior modo il Sig^{re} D. Alderano sodisfare il debito di sopra espresso, quando vi sia, conviene Monsignore di cedere al di lui favore tutte l' entrate già maturate, e da maturare, e non pagate sino all' ultimo giorno del corrente Mese di Decembre del corrente anno, niuna eccettuata, à riserva di doversi cavare da questo mille Scudi di moneta Romana, sopra singole ò tutte dd^{e} cutoate, già maturate ad arbitrio e commodo di Monsignore, e perche già trà queste maturate, e non esiate vi sono i frutti de Cambii, che hà la casa Cybo con là casa Astalli, e de quali restano indietro di moneta somma, convengono essi Sg^{ri} fratelli, che dettano dette somme maturate e non pagate cedere à commodo del Sig^{re} D. Alderano, mà per togliere poi sopra di essi Cambii tutte le difficoltà, che potessero insorgere sopra il pagamento da farsi in appresso del fruttato de medesimi, si convienne, che tutto quello che si anderà di questi pagando purche non ecceda la ratta de crutti, che maturano anno per anno, benche il pagamento si facesse da Debitori per conto del debito più arretrato, e douesse di sua natura, benche non espresso andare in causa de pagamenti maturati prima del tempo, che verranno i capitali a Monsignore assegnati secondo li presenti Capitoli debbino essere di Monsignore sino che rimangli intieramente sodisfatto, tanto dell' annata, che decorrerà nel tempo che seguirà il pagamento, quanto di quelle antecedenti per le quali non fosse stato sino à quel tempo intieramente sodisfatto mà tutto quello che si essiggerà di vantaggio dourà consegnarsi al Sig^{re} D. Alderano, e potrà esso istesso agire per se medesimo per la più facile esattione, comme à lui più piacerà contro li Debbitori de Cambii, e in caso che in qualunque modo per qualunque causa venissero restituiti i capitali di essi Cambii, dovranno essi rinvestirsi à tenore de fidecommessi & il frutto che decorrera starà à vantaggio e commodo di Monsignore nelle forme e conditioni di tutto il Rimanente.

5to Mà perche conviene egualmente al decoro della casa, che anche Monsignore conservi il suo lustro nella Città e Corte di Roma, deve occorrono giornalmente più gravi spese, tanto ordinarie che estraordinarie, perciò convengono essi Sig^{ri} fratelli, che restando libere per il Sig^{re} D. Alderano tutte le loro entrate, tanto feudali, che di ogn' altra sorte, siano le rendite dello stato Ecclesiastico e tutte le rendite esistenti nel Regno di Napoli, così burgenzatiche & allodiali, che feudali, da e concede in tenuta à Monsignore Don Camillo Cybo, suo fratello, sua vita durante, salvo pero l'assenso Regio, da impetrarsi, quatenus opus sit, e non altrimenti, ò di qualsivoglia altra sorte siano, & in qualunque modo spetanti alla Casa Serenissima Cybo tanso in d^{o} stato della Chiesa, quanto del Regno di Napoli con tutta la potestà di potere amministare come proprii, di affittarli, ó locarli, come parerà alla sua prudenza, dandogli à questo effetto il Sig^{re} Don Alderano facoltà, e consenso per quanto possa ò sia di bisogno, vices nostras cum - - - sola alter ego, anco di rimovere, & eleggere

 tutti

tutti li officiali, e Ministri, così di giustitia, che delle dette rendite, e quelli detti rimovere di nuovo, toties quoties & à suo beneplacito, & in ogn' altra qualunque maniera & modo, & ogn' altra facoltà, che fosse necessaria, & oportuna, costituendolo anche Procuratore come in cosa propria, & obligandosi detto Sigre Don Alderano di haver sempre rato, grato, e fermo, e valido tutto ciò, che in detti feudi e rendite, e per li medesimi possessioni, corpi, e rendite sarà per far Monsignore Sudo à riserva solamente dell' alienatione dei beni nei termini che vengono queste proibite dall' Investiture e dalli Fidecommessi della casa, e di tutti gl' altri atti, che potessero importare caducità nei quali il do Sigre D. Alderano non intende di haver per ratto, & approvato qualunque atto, ò cosa, che si facesse dal do Monsignore D. Camillo, ò suoi Ministri in pregiuditio delle sue ragioni, e di quelle de suoi figlivoli e descendenti, mà prescindendo di questi casi sopra espressi detto Signor D. Alderano intende, e vuole, che do Monsignor D. Camillo habbia sopra suddetti beni e rendite tutte, tanto esistenti nel sudo Stato Ecclesiastico, come nel Stato del Regno di Napoli, così burgenzatiche & allodiali, che feudali, la plenaria facoltà & autorità, senza che il do Sigre D. Alderano, e li suoi figlivoli, e eredi possino mai chiedere à do Monsignore D. Camillo, ò alli sudetti eredi raggione, ò rendimento di conti sotto qualsivoglia pretesto, ò causa, per esser medemi tutti conceduti in tenuta à do Monsignore, sua vita durante, senza che per queste habbia dà haver peso veruno di soccombere à pagamento di debiti fatti da qualunque persona de loro antenati, ancorche tali debiti havessero speciale Ipoteca sopra tutti li detti beni e rendite, promettendo do Sigre Alderano in tal caso, & in qualunque altro per il quale potesse havere pregiuditio, ò danno, Monsignore sopra li medemi di ricevarlo indenne &c. ricevendoli questi esso Monsignore, ò riservandoseli à questo effetto à solo titolo d' assegnamento, ò d' ogn' altro più utile, e sicuro per sua cautela e vantaggio non intendendo però di quelli pesi, che chiasceduno di essi effeti, ò in tutto, ò in parte potessero havere, ò havessero tanto di certo, & solido, che d' incerto, opinato, ò inopinato, quali saranno in tutto, e per tutto in conto di detto Monsignore, senza che possa pretendere veruna rilivanza, ò ristoro prendendoli tali, quali, e per quello, che sono e promettendo di mantenerli con quella bona amministratione che è dovuta e prescritta nell' antichi fidecommessi della casa.

6to In oltre si come non si potessero si facilmente esiggere tutte le sudette rendite come sopra concedute in tenuta essistenti nel sudo Stato Ecclesiastico, e del Regno di Napoli, e così burgenzatiche & allodiali, che feudali, e così bene amministrare li sudetti beni, e feudi senza l' esercitio della Jurisdittione anzi è statto solito de Prencipi Predecessori, che gli Ecclesiastici della casa, residenti in Roma, havessero la cura, e sopraintendenza assoluta del Ducato di Verentillo, del Ducato di Ayello, e Signoria di Padulo. Quindi è, che oltre tutte le sudette rendite delli sudetti feudi, e degl' altri beni come sopra conceduti in tenuta à do Signore Camillo, sua vita durante, il sudo Sigre D. Alderano cede, concede e dà à do Sigre D. Camillo il Governo di detti feudi di Ayello e Padulo nel regno di Napoli, come à punto preventivamente dal Sigre D. Alberico - - - - di ch. me - - - stato ceduto il Governo e sopraintendenza dello stato di Verentillo, e con tutte le clausole, e facoltà espresse nel Diploma spedito in Massa dal Sigre Duca defonto, sotto il dì 30. Luglio 1713. o altro più vero tempo, e con facolta espressa in esso di rimovere & eleggere tutti i ministri & officiali, si di giustitia, che delle rendite, e quelli eletti rimovere toties, quoties, & â beneplacito di do Sigre Don Camillo, quale diploma e tutte le cose in esso contenute & espresse quando faccia di bisogno do Sigre D. Alderano approva, conferma, & ratifica, con la riserva, però del titolo, e dell investitura, à favore di do Sigre D. Alderano e dell' altre conditioni apposte nel sudo Diploma della sopraintendenza di Ferentillo parimente per sa riserva di detta caducità perche così &c.

7mo Si come Monsignore tiene bisogno per suo servitio di alcuni altri mobili, & argenti, convengono li sudetti Sigri fratelli, che havranno trà di loro raggione per terminare quale & quanti si dovranno consegnare, e mandare â Monsignore da Massa a Roma, e perche tanto mobili, quanto li Argenti della casa restino sogetti alli fidecommessi della medema di tutti quelli, che si daranno al medemo Monsignore sene doverà far nota sottoscritta da lui per doversi dopo la sua morte restituire al Sigre D. Alderano, suoi figlivoli, e descendenti legitimi e naturali, perche così &c.

8vo Anzi perche dagli altri mobili & argenti che di presente gode Monsignore in Roma, provenienti dalli sudetti fidecommessi si suppone, che fosse fatta una semplice nota informe, senza la ferma, & approvatione di Monsignore nelle quale si crede, che per errore fossero descritti ancora li mobili proprii di Monsignore, ò donatigli dalla Ch. me. del Sigre Cardinale Alderano Cybo prima della sua morte ò acquistati da lui medemo con li proprii assegnamenti, perciò, si conviene, che nella nova notula debano descriversi anche i mobili esistenti appresso Monsignore sottoposti alli sudetti Fidecommessi secondo il concetto, e che la suda nova notula debba sempre & unicamente attendersi, & à quella starsi si tanto dalli sudetti Sigri fratelli transigenti, quanto dalli loro eredi, e successori perche così &c.

9no Di più, in segno del vero, cordiale e reciproco affetto, che li sudetti Signori fratelli desiderano e sperano conservare frà di loro fino alla morte, convengono, che in caso, che Monsignore premorisse, al Sigre D. Alderano, ò il Sigre Alderano premorisse à Monsignore, senza lasciar figlivoli legitimi e naturali, che Iddio non voglia, possa ogn' uno disporre à loro arbitrio di tutte l' entrate loro di quell' anno in cui succederà la loro morte, cioè di quelle rendite, che saranno maturate, e dovranno maturarsi dopo la loro morte, imo à tutto il corrente Mese di Decembre, mà non intaccarsi in verun modo in quelle che dovranno, ò dovrebbero maturarsi dal primo di Gennaro venturo prossimo alla loro morte perche così &c.

10mo finalmente per miglior ordine convengono li sudetti Sigri fratelli, che li patti concordati debba-

debbano havere il suo effetto dal principio del prossimo mese di Gennaro 1716. e che tutti li sudetti Capitoli ben che separati constituiscano un solo contratto, il quale debba in tutto, e per tutto inviolabilmente osservarsi, sperando con questo amichevole & amoroso trattato fatto, e concluso frà di loro con reciproca cordialità, & amorevolezza di vivere sempre in perfetta pace di veri fratelli, e meritare dal Sig^re^ Iddio le sue sante Beneditioni, e l' applauso universale delle genti:

4mo Per osservanza di tutte le cose sudette si obligano uno all' altro, in parola di Prencipe, e nella più ampla forma della R. C. A. e di quelli tribunali, nei quali per qualsivoglia causa occorresse esibire le presenti conventioni, delle quali si sono fatte due copie sottoscrittte come appresso, accioche una resti à Monsignore, & una al Sig^re^ D. Alderano, che doveranno valere, & attendersi, come se fossero Istromenti publici giurati, e rogati per mano di publico Notaro con tutte le clausole solite apporsi dagli huomini più savii, perche cosi &c. In fide in Monte Fiascone questo dì 2. Decembre 1715. Io *Camillo Cybo*, approvo e confermo, quanto sopra, mano propria. Io *Alderano Cybo* approvo e confermo quanto sopra mano propria. Io *Lorenzo Gio. Catandi*, essendo presente testimonio vidi sottoscrivere detti Sig^ri^. Io *Giuseppe Catandi* fui presente testimonio come sopra. Io *Ferdinando Pasqualini* fui presente a quanto sopra.

Et cupiens idem Ill^mus^ & Rev^mus^ D. Don Camillus Cybo, R. C. Apostolicæ Clericus, filius Clarissimæ memoriæ Ser^mi^ Ducis Caroli ex Principibus Massæ & Carraræ, omnia superius expressa, & in dictis Capitulis Concordiæ stabilita inter ipsum & Ser^mum^ Ducem, Don Alderanum, ejus germanum fratrem, ad uberiorem cautelam & ad effectum, ut semper perpetuisque temporibus veritas elucescat, ratificare, & approbare in omnibus & per omnia, prout contenta in dictis Capitulis, publico mediante Documento. Hinc igitur est, quod in mei &c. ac testium &c. præsentia præsens & personaliter existens idem Ill^mus^ & Rev^mus^ D. Don Camillus Cybo, mihi optime cognitus, sua sponte &c. ac omnibus &c. prævia tamen lectura eorundem Capitulorum, a principio usque ad finem, per me de Mandato, ut supra, alta, clara, & intelligibili voce facta, ab ipso benè intellecta, ut asseruit, illa & omnia in eis contenta & expressa, & in qualibet parte ipsorum approbavit, ratificavit, & emologavit, ac ratificat, approbat, & emologat, & pro ratificatis, approbatis, & emologatis haberi voluit & declaravit, non solum præmisso, verum etiam omni alio meliori modo &c. quas quidem ratificationem, & approbationem & omnia in eo contenta & expressa dictus Ill^mus^ D. Don Camillus promisit habere ratas, gratas, validas, atque firmas, ac rata, grata, valida & firma illas & illa semper & perpetuo attendere, tenere, & inviolabiliter observare, contraque non facere, dicere, opponere, aut venire sub quovis, prætextu, causa, ingenio, aut quæsito colore, alias ad omnia damna &c. de quibus &c. quod omnia &c. alias &c. de quibus &c. pro quibus &c. quod se ipsum &c. ejusque hæredes &c. bona &c. jurat in ampliori forma R. C. Apostol. &c. solitis cum clausulis &c. citra &c. obligavit &c. consensit unica &c. sicque tacto pectore more &c. Juravit super quibus &c. omnibus & singulis petitum fuit à me Notario publico infrascripto, ut unum, seu plura publicum, seu publica Instrumentum seu Instrumenta quæcunque conficerem atque traderem, prout tradidi & requisitus ero. Actum Romæ in Regione Montium in Palatio d. Ecc^mi^ D. in via, quæ a quatuor fontibus tendit erga Liberianam Basilicam juxta suos notos fines &c. præsentibus ibidem, audientibus pariter intelligentibus D. D. *Laurentio Montosculo*, filio quond. Josephi, & *Annibale Vasellio*, filio quond. Zenonis, ambobus Romanis, testibus ad præscripta omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis. Approbo idem *Mancinellius*.

Ego Stephanus Mancinellius, Romanus Civis, Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Caus. Curiæ consilii Notarius publicus, de præmissis rogatus, præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi requisitus.

(L. S.)

Nos ad præsens Cameræ Almæ Urbis Conservatores universis notum facimus, & testamur scriptum D. Stephanum Mancinellium, Curiæ nostræ Cap. Notarium de præmissis rogatum, fuisse, & esse publicum, verum, authenticum, legalem ac fide dignum, illiusque scripturis, tam publicis quam privatis, in Judicio & extra semper adhibitam fuisse fidem, & de præsenti quoque. In quorum &c. Dat. Romæ hac die 22. Febr. 1716.

(L. S.)

Pro D. Secretario Dominorum Notariorum Curiæ Capit.

Innocentius de Massolis
de Mandato &c.

XI.

Instrumentum, in quo Præses una cum Secretario Consilii Ducatus Massensis, Albericum, Massæ Ducem, ab intestato absque filiis decessisse, ac, duobus tantummodo fratribus germanis post obitum suum relictis, unum ex illis, utpote sacerdotem, successioni in Massæ Ducatum renunciasse, testatum facit, d. d. 8. Mart. Anno 1716.

Adì 8. Marzo 1716. in Massa.

Fassi fede da noi infrasritti Ministri del Ser^mo^ Sig. Don Alderano Cybo Duca di Massa, e con nostro giuramento si attesta, qualmente la verità fù, & è, che il Ser^mo^ Sig^re^ Don Alberico Cybo, Duca di Massa, passò da questa all' altra vita 'l dì 20. di Novembre dell' Anno prossimo passato, senza hauer fatto Testamento, e lasciato alcun Figlio, mà soli due fratelli germani, onde il predetto Ser^mo^ Signor Duca D. Alderano è restato l' unico suo Erede così nelli beni feudali, come nelli allodiali attesa la renuncia fatta à S. A^za^ da Monsig^re^ Ecc^mo^ e Rev^mo^

Rev^mo Prencipe D. Camillo Cybo sacerdote altro fratello maggiore di tutte le ragioni, che si, potessero competere sopra tutti li sopradetti beni; E ciò noi sapere, per ritrovarsi dà molti anni al servizio attuale di d^a Serm^a Casa, e percio haver piena notizia delle cose soprad^e come confidenti Ministri dell' A. S. e come tali haver anco veduta, e letta in autentica forma la renunzia sud^a fatta dal prefato Ecc^mo e Rev^mo Prencipe Monsig^r Don Camillo à S. A. il predetto Ser^mo Sig^r Duca Don Alderano, e che in virtù d' essa, e delle poprie ragioni si ritrovi pure l' A. S. al presente in possesso delli enunciati beni feudali, & allodiali della Ser^ma Casa Cybo de Principi di Massa, e cosi attestiamo con la presente fede scritta da persona nostra confidente, e sottoscritta di nostro proprio Carattere.

Io Paolo Tarsetti, Presidente nel Consiglio di giustizia e grazia de Ser^mo Sig^re Duca di Massa, e suo attual Consigliere attesto quanto sopra.

Io Gio. Battista Diana Paleologo, Secretario de Stato del Ser^mo Sig^re Duca di Massa attesto quanto sopra.

In Nomine Domini Amen! Anno ab ejusdem Domini nostri JEsu Christi nativitate millesimo septingentesimo decimo sexto, Indictione 9na, die vero octava mensis Martii dicti anni in mei Notarii publici & testium infrascriptorum præsentia, præsentes & personaliter constituti Ill^mi D. D. Præses, Paulus Tarsetti, & Comes, Joannes Baptista Diana Paleologus de Massa, mihi plene cogniti ad effectum recognoscendi supradictas respective subscriptiones, & attestationes, quarum prima incipit: Io Paolo Tarsetti, & terminat: quanto sopra; Altera vero principiat: Io Gio. Battista, & desinit: quanto sopra, qui specialiter ac omnes easdemmet subscriptiones ab ipsis & unoquoque ipsorum alternatim visas, lectas, & mature consideratas, una cum retroscripta fide &c. ut unus post alium asseruit, recognoverunt, & recognoscunt, & unus post alium recognoscendo dixit, dictas respective subscriptiones scriptas & exaratas fuisse & esse earum propria respective manu & caractere, eandemque suprascriptam fidem, & omnia ac singula in ea contenta fuisse & esse vera, & pro veritate tantum fecisse, & ita tactis unus post alium juravit, omnique &c. sub quibus &c. Actum Massæ in domo solitæ habitationis dicti Ill^mi Domini Comitis, Joannis Baptistæ Dianæ, positæ in platea S. Petri, juxta dictæ plateæ viam, atque ibidem præsentibus D. Hieronymo qu. Equitis Pompilii Dianæ, & D. Joanne Josepho, filio D. Jacobi Antonii Suema, testibus.

(L. S.)

Ego Antonius Pucci, Civis Massensis, publicus DEI, Apostolica & Imperiali autoritate Notarius, & in Collegio D. D. Notariorum hujus Civitatis Massæ descriptus, quia de præmissis rogatus in fidem hic mea propria manu adscripsi, & solito meo signo signavi ad laudem DEI & B. Mariæ Virginis. Collegium & Proconsul D. D. Notariorum Civitatis Massæ, universis & singulis notum facimus, & publice attestamur, supradictum spectab. D. Antonium Pucci esse talem, qualem se fecit, & in Collegio nostro aggregatum, ejusque similibus scripturis plenam adhiberi fidem; In quorum fidem &c. Datum Massæ è Cancellaria nostra, hac die 8. mensis Martii, 1716. Indictione nona.

(L. S.)

Alexander Guena,
Notarius publicus Massæ, & dicti Collegii Vice-Cancellarius.

XII.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Litera, in quibus Aledranum Cybonem de Malaspina, Massæ Ducem, ac Carraræ Principem, de Massæ Ducatu, Carraræque Principatu, nec non de Monetæ & Laventiæ feudis Imperialibus, eorumque juribus atque annexis, partim investivit, partim etiam omnia ac singula Privilegia, Massæ Ducibus ab Augustissimis Romanorum Imperatoribus atque Regibus concessa, denuo corroboravit atque confirmavit, d. d. 15. April. Anno 1717.

CAROLUS VI. &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quod, cum Nobis Illustrissimus noster, Sacrique Imperii fidelis dilectus, Alderanus Cybo de Malaspina, Massæ Dux, & Carraræ Princeps, demisse exponi curarit, a Nobis fratrem quondam suum Albericum Investituram super Ducatu Massæ & Principatu Carraræ, nec non Monetæ & Laventiæ feudis Imperialibus cum confirmatione omnium & singulorum privilegiorum, immunitatum, gratiarum, investiturarum, prærogativarum atque indultorum, majoribus suis a divis quondam Imperatoribus ac Regibus, prædecessoribus Nostris, concessorum, die 14. Junii 1712. obtinuisse, interea vero divinæ providentiæ decreto die 20. Novembr. An. 1715. ultimum vitæ diem, nullo penitus a se descendente hærede, sed binis duntaxat germanis fratribus, adeoque legitimis successoribus suis, Camillo nimirum & Alderano supplicante, relictis obiisse. Quorum quidem primo, nempe Camillo, qua seniori, non minus naturæ ordo, quam Primogenituræ in hac familia erectæ sanctio successionem in prænominatis feudis addixerit, verum tamen hanc successionis prærogativam, a nunc memorato Camillo in Sacris constituto, & viam Ecclesiasticam prosequi cupiente, eidem supplicanti Duci Alderano per solenne Instrumentum, Nobis authentice productum, cessum esse: Ac proinde Nos humillime orarit, ut, cum Nos in supremum atque directum Dominum suum, quia fidelis & obsequens vasallus, recognoscere desideret, eundem de præfatis Ducatu, Principatu, & feudis atque locis, nec non Regalibus & juribus iisdem annexis infeudare, simulatque omnia & singula privilegia, gratias, & præroga-

rogativas ab augustæ reminiscentiæ Imperatoribus, prædecessoribus Nostris, Majoribus suis concessas, denuo ratificare, corroborare, ac renovare, desuperque literas Investituræ ad normam & formam postremam elargiri clementissime dignaremur: quorum tenor sequitur in hunc modum:

Inseratur ultima Investitura de 14. Junii, 1712. cum anterioribus.

Nos sane considerantes eximiam fidem, devotionem atque animorum promptitudinem, qua supplicantis Ducis Progenitores & Majores, divos quondam Prædecessores Nostros, Imperatores ac Reges Romanorum, & Sacrum Imperium coluisse memorantur, & qua benignitate illi Ducis ipsius Alderani modo supplicantis majores ab Augustissimis gloriosæ memoriæ Imperatoribus, Antecessoribus nostris habiti, & in protectionem recepti, variis, iisque raris, & quæ non nisi viris magnis & illustri virtute præditis concedi solent, Privilegiis honoribusque ditati exornatique fuerint: Perpendentes etiam, Divum Maximilianum secundum Imperatorem, augustæ memoriæ, Dominum Antecessorem Nostrum, Marchionatum Massæ per aliquot Annorum secula ab illustri & antiqua familia Malaspina, quæ fidem suam Sacro Romano Imperio constanter probavit, possessum, in Principatum erexisse, Principemque illius temporis Albericum & successores ejus legitimos, Massæ Principes, in numerum ac societatem Sacri Romani Imperii Principum retulisse, datis & concessis ipsi quondam Principi Alberico & successoribus ejus, & sic moderno Duci Alderano quibuscunque Privilegiis, Dignitatibus, præeminentiis, & honoribus, quibus alii ejusdem Imperii Principes, cujuscunque gradus & qualitatis, gaudent & fruuntur. Considerantes item, divum Rudolphum II. Romanorum Imperatorem, Dominum Agnatum, & Prædecessorem Nostrum Colendissimum, felicissimæ memoriæ, dictis aliisque dignis & animum suum moventibus causis per suum Diploma sub die 17. Junii anni millesimi quingentesimi nonagesimi concessisse dicto quondam Principi Alberico ac Principibus ejusdem successoribus, in signum Nobilitatis Domus suæ, status & protectionis, Imperii aquilam nigram bicipitem, diademate aureo insignitam, antiquis suis Armis & Insignibus, cum verbo, Libertas inserendam; Agnoscentes insuper memoratum Principatum & statum Massæ, nec non Marchionatum Carraræ, Monetæ & Laventiæ cum suis membris & jurisdictionibus juste pervenisse ad ipsum Principem Albericum & Antecessores ejusdem, & ab iis absque ulla vi, imo justis & legitimis titulis, bona fide ac pacifice possessum, eosdemque ad omnem occasionem recognovisse semper devote fideliterque invictissimos Imperatores & Sacrum Imperium.

Scientes quoque, ipsum statum Massæ opportuno loco (quod consideratione dignum est) situm, ac propugnaculis etiam ad omnes occasiones, quæ ad Imperii Majestatem asserendam, vicinorumque quietem propugnandam serviant, instructum esse: Castrum ipsum atque oppidum Massæ pulcherrimis tum privatis cum publicis ædificiis exornatum, plurimisque ac validissimis operibus permunitum, mercimoniorum frequentia, vicinorumque populorum ad ea, vel exportanda, vel importanda concursu, celebre ac locuples, adeoque à supradicto Domino Proavo ac Prædecessore nostro æternum observando, gloriosissimæ memoriæ, Diplomate suo, quinta & vigesima die mensis Augusti, Anno supra sesquimillesimum centesimo vigesimo expedito, Civitatis titulo cohonestatum, ac in Sacri Romani Imperii Civitatum numerum cooptatum, aggregatum & adscriptum fuisse.

Reflectentes tandem etiam ab altè memorato Divo Genitore Nostro, Imperatore Leopoldo, dictum Massæ Principatum in Ducatum, & Carraræ Marchionatum in Principatum sublimatum, ipsumque Principem Albericum, supplicantis Avum, ac descendentes ipsius legitimos consortio ac numero Sacri Romani Imperii Ducum ac Principum, attributis omnibus, quibus alii nostri & Sacri Romani Imperii Duces ac Principes gaudent, privilegiis, prærogativis ac regalibus associatum fuisse, prout ex Diplomate die 5. Maji, 1664. expedito, & Investituræ de 14. Junii, 1712. inserto latius apparet.

Hic inserendum modo dictum Diploma.

Ob hæc sane, atque id genus alia tum supplicantis Ducis propria, tum Progenitorum suorum præclara merita ac virtutes, fideique & devotionis erga Nos & Sacrum Romanum Imperium Augustamque Domum nostram Austriacam pluribus aliis occasionibus pace ac bello contestatæ studium, & ex singulari Cæsarei nostri erga eundem affectus propensione per præsentes literas nostras ac Diploma scientes, volentes, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine ipsi Illustrissimo Alderano Cybo Malaspinæ, Duci Massæ, omnia & singula Privilegia, exemptiones, immunitates, gratias, Investituras, infeudationes, prærogativas, concessiones & indulta, cum dicto quondam Alberico, tum & majoribus, ipsiusve Descendentibus legitime concessa & concessas, in quorum quidem supplex Alderanus est possessione vel quasi, in omnibus suis articulis, punctis, clausulis, sententiis, & verborum expressionibus, una cum superius memorato Diplomate die 5ta Maji Anni 1664. laudamus, approbamus, ratificamus confirmamus, &, quatenus opus est, ea omnia & singula de novo concedimus, atque eundem Alderanum Cybo Malaspinam, Massæ Ducem & Principem Carraræ pro se, filiis, Hæredibus ac Descendentibus suis masculis & fœminis legitimis, dummodo masculi fœminis semper præferuntur, usque in infinitum, ordine primogenituræ de primogenito in primogenitum servato, de prædictis Civitate, castris & locis Massæ, Carraræ, Monetæ & Laventiæ, cum omnibus suis Districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus quibuscunque, quemadmodum ea in præsentiarum tenet & possidet, vel quasi, infeudamus atque investimus, recepto tamen prius vicissim à Nostro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto Philippo Wilhelmo Nobili Würtz, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, tanquam ejusdem Ducis Alderani Procuratore & Mandatario, sufficienti ad id facultate ac potestate instructo, ut ex Instrumento Procuratorio per eundem de Würtz producto & exhibito satis constat, debito solitoque fidelitatis juramento, ac imprimis quidem sæpedicto

dicto castro, oppido & loco Massæ titulum Civitatis a Divis quondam Imperatoribus, Dominis Avo & Genitore, Prædecessoribus nostris colendissimis, augustissimæ memoriæ, collatum ac concessum, clementer confirmamus, corroboramus, ac de novo, quatenus opus, concedimus, atque in nostrarum & Sacri Romani Imperii civitatum numerum cooptamus, aggregamus & adscribimus, tum ipsum Ducem Alderanum, una cum prænominatis, civitate, arcibus, oppidis, castris & locis in nostram & Sacri Romani Imperii tuitionem, protectionem, & salvamguardiam specialem recipimus, ita quod Dux ipse & successores ipsius semper & perpetuo sub sola & immediata nostra, Sacrique Romani Imperii & non alterius etiam vicarii locum tenentis Sacri Romani Imperii seu cujusvis alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio, protectione & obedientia esse, & quod supradicta civitas Massæ iis omnino juribus, dignitatibus, prærogativis, præeminentiis, honoribus, aliisque omnibus, quibus reliquæ Civitates Imperii utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, quomodolibet, consuetudine vel de jure uti, frui, potiri, & gaudere possit & valeat.

Deinde volentes ejusdem Ducis Alderani indemnitati, quoad alia loca, quæ præter supradictam civitatem, oppida, castra & loca Massæ, Carraræ, Monetæ & Laventiæ per Prædecessores ipsius Ducis Alderani possessa fuerunt, quibus nunc spoliatus existit, etiamsi de jure ad ipsum spectent & pertineant, consultum esse, tenore præsentium, animo deliberato, ex certa nostra scientia decernimus & declaramus in hoc præsenti privilegio Investituræ, non solum supranominatam civitatem, castra & loca, quæ ipse Dux Alderanus in sua potestate habet & possidet, sed etiam omnia alia & singula, quæ ipsius Prædecessores, vel aliqui ex ipsis legitime tenuerunt & possederunt, & in quibus eidem Duci Alderano, aut ejus hæredibus & successoribus, quovis modo jus competit, seu competere poterit, comprehendi, & comprehensa intelligi debere, non obstantibus in præmissis quibuscunque legibus, statutis, decretis, constitutionibus, ordinationibus, consuetudinibus & præscriptionibus, aut aliis in contrarium facientibus quibuscunque; siquidem iis omnibus & singulis motu proprio, scientia, autoritate & potestate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes; etiamsi talia essent, de quibus specialis mentio in præsentibus fieri deberet, Nostris tamen & Sacri Imperii juribus in præmissis omnibus salvis & illæsis. Ad hæc tenore præsentium scientes, deliberate, atque autoritate & potestate Nostra Imperiali benigne ratificamus, approbamus & confirmamus conventiones, tam inter supplicantis Ducis Antecessores, & vasallos suos Massæ, Carraræ, Monetæ & Laventiæ, ratione fidelitatis & obedientiæ præstandæ initas, prioribus Investiturarum literis laudatas, & confirmatas, supplentes omnes & singulos defectus tam juris, quam facti, si qui in iisdem obligationibus & conventionibus intervenissent. Præterea cum constet ex prædicto privilegio divi Friderici Tertii, Franciscum Cybo olim, ac ejus filios & descendentes, cum propter plurimas ac præstantissimas virtutes ac merita sua atque aliorum Prædecessorum viventis Ducis Alderani, qui ex nobili admodum stirpe Cybo originem ducit, tum etiam, ut gratificaretur Innocentio Papæ octavo, dicti quondam Principis Alberici tritavo, ornasse multis Privilegiis & facultatibus præsertim legitimandi, natalibusque legitimis restituendi nothos spurios & quoscunque ex licito ac legitimo connubio non prognatos, vel descendentes, item creandi, constituendi & ornandi Notarios Publicos seu Tabelliones, nec non Judices ordinarios & delegatos, ac universis & singulis personis, quæ habiles & idoneæ viderentur, officium notariatus & judicatus ordinarii delegatique, adhibitis debitis & consuetis solennitatibus concedendi & largiendi; Itemque emancipandi & patria potestate liberandi quoscunque filiosfamilias, nec non quaslibet idoneas personas tam in Facultatibus utriusque Juris & Medicinæ, quam liberalibus artibus conjunctim & divisim ad Baccalaureatus gradus & insignia promovendi, & præterea milites, seu Equites auratos creandi, ac demum utendi, fruendi, ac potiundi omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus, gratiis, præeminentiis, exceptionibus & Indultis, quibus cæteri familiares Imperatorum Aulæ Imperialis commensales uti, frui, & gaudere possunt, de consuetudine, vel de jure, quemadmodum hæc omnia in memorato Privilegio copiosius latiusque descripta sunt, atque id a consecutis Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, atque ab ipso Domino Genitore nostro observantissimo, sacratissimæ recordationis, ratum gratumque habitum, laudatum, approbatum confirmatumque fuerit.

Nos dictorum Antecessorum Nostrorum, Divorum Imperatorum ac Regum Romanorum, laudatissimis vestigiis insistere, atque ipsi Duci Alderano gratiam nostram Cæsaream luculentius declarare volentes, autoritate nostra prædicta memoratum Privilegium, & omnes & quascunque facultates, licentias, libertates, & gratias, quæ in ipso Privilegio continentur, & in quarum possessione vel quasi pater suus, Princeps Carolus, extitit, approbamus, confirmamus, &, quatenus opus est, denuo concedimus; Item confirmamus gratiam & facultatem a prænominata Dilectione & Cæsarea Majestate Sua, Domino Avo ac Prædecessore nostro æternum colendo, felicissimæ reminiscentiæ, prædicto quondam Principi Alberico concessam, & ab eadem ac Domino Genitore nostro colendissimo, dicto quondam Carolo Duci confirmatam, in dicto Ducatu Massæ creandi Comites Palatinos & Consistoriales, quoad nobilitatem tituli & nudum nomen dictæ dignitatis (recepto tamen erga Nos & Sacrum Romanum Imperium fidelitatis juramento) ipsamque denuo, quatenus opus fuerit, dicto moderno Duci Alderano, & suis successoribus in memorato Ducatu concedimus & damus, & porro volentes eidem ob Prædecessorum suorum & propria in Sacrum Imperium merita munificentiam nostram ulterius contestari, qua scilicet non ipse modo in officio & debita erga Nos & idem Sacrum Imperium observantia, fide & studio contineatur, verum etiam posteri ejus, tanquam splendidissimo monumento ad eadem studia in perpetuum inflammentur accendanturque, ex certa

pariter

pariter nostra scientia, animoque bene deliberato ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine sæpedicto Duci Alderano, ejusque filiis, hæredibus & descendentibus legitimis, per præsens nostrum Cæsareum Diploma clementer confirmamus, corroboramus, & innovamus, concessam prænientionato quondam ex majoribus Principi Alberico, a prælibato Divo Ferdinando I. Imperatore, Divi quondam Genitoris Nostri Domino tritavo paterno, libertatem & facultatem in antedicto Marchionatu ab eo tempore, ut supra demonstratum est, per Divum olim Imperatorem Maximilianum in Principatum, & per modo dictum Patrem nostrum colendissimum in Ducatum evecto, officinam monetariam fabricandi & instruendi, ac cudendi monetam auream, argenteam, & æream cujuscunque generis, sortis ac valoris cum iis insigniis & inscriptione, quæ dicto Principi Alberico ejusque successoribus placuerint, dumodo cudatur bona, sincera & justa, quæ non sit deterior ulla, quam cum Principes, tum cœteri Proceres ac Respublicæ in Italia existentes, & a Sacro Romano Imperio dependentes, Divorum Antecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum ac Regum, ac nostra gratiosa concessione cudunt, ut nemo de ejusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat.

Volentes ac memorata autoritate & potestate nostra Cæsarea firmiter statuentes & decernentes, ut dictus Dux Alderanus & omnes ejus liberi & posteri legitimi absque omni impedimento & obstaculo possint & valeant in dicto Ducatu Massæ in perpetuum monetam auream, argenteam & æream, bonam tamen, sinceram & justam, nec deteriorem ulla, quæ ut ante dictum est, a cœteris Italiæ Principibus, Proceribus & Rebuspublicis Sacro Romano Imperio subjectis, juxta tenorem & præscriptum privilegiorum, ipsis desuper a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus concessorum, cuditur, cudere seu cudi facere, iisque omnibus & singulis gratiis, libertatibus, prærogativis & juribus in hac parte uti, potiri & gaudere, quibus cœteri Sacri Romani Imperii Principes & ordines, monetam cudendi facultatem habentes, utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, consuetudine vel de jure, omni impedimento & contradictione postposita. Postremo licet ex præinserto Divi quondam Caroli V. aviti Prædecessoris nostri, Investituræ Privilegio, Illustri olim Ricciardæ, ipsius quondam Principis Alberici Avi tritaviæ, concesso satis appareat, eandem Ricciardam de supradictis castris & locis Massæ, Carraræ, Monetæ & Laventiæ sub Imperiali tuitione, protectione & salvaguardia investitam fuisse, ac postmodum sæpedictum quoque Albericum, Abavum Paternum prædicti Principis Alberici, similem Investituram obtinuisse, quam deinceps prælibato Divo quondam Imperatori Maximiliano, Domino Prædecessori nostro, ac successive Augustissimis quondam Imperatoribus Rudolpho, Matthiæ, Dominis Agnatis nostris colendissimis, uti & Domino Avo nostro charissimo Ferdinando III. nec non Domino Genitori Leopoldo, gloriosissimæ recordationis, confirmare, sæpedictumque Principem Massæ, ejusdemque Conjugem, liberos, successores legitimos, una cum memorato Principatu Massæ & Marchionatu Carraræ, aliisque castris, villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis, & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibusque eorum subditis & incolis, nec non officialibus, familiaribus, ministris & domesticis denuo in specialem Majestatis suæ & Sacri Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam assumere, atque insuper a quocunque foro sive Tribunali alieno eximere placitum fuit; Nos tamen sæpefatum Ducem Alderanum, a Nobis eandem beneficentiam experiri cupientem, præinsertum salvæguardiæ & exemptionis fori Privilegium, atque omnia in eo contenta, nostra quoque autoritate in omnibus & singulis suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & tenoribus, quemadmodum supra descripta & inserta sunt, de verbo ad verbum laudavimus, approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, prout præsentium vigore literarum ex certa scientia, animo bene deliberato, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine laudamus, approbamus, & ratificamus, confirmamus & innovamus, ipsumque Ducem Alderanum, ejusdem conjugem, liberos & successores legitimos una cum memorato Ducatu Massæ & Principatu Carraræ, aliisque castris, villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis & pertinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibus eorum subditis & incolis, nec non officialibus, familiaribus, ministris ac domesticis, in Nostram & Sacri Romani Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam suscipimus & assumimus, ac fide publica, seu salvo conductu contra quorumvis injuriam & violentiam munimus, a quocunque tribunali, seu foro alieno, juxta concessionem, a Divis quondam Imperatoribus, Rudolpho II. Matthia, Ferdinando II. & III. nec non Leopoldo, Dominis Agnatis, Proavo, Avo, Genitore ac Prædecessoribus nostris venerandis confirmatam, eximimus, asserimus ac liberamus, ita quod ipse Dux Massæ, ejusdemque successores in Ducatu Massæ, & Principatu Carraræ, Monetæ & Laventiæ sint semper & perpetuo sub sola & immediata protectione & obedientia nostra, Sacrique Romani Imperii, & non alterius etiam Vicarii ac locumtenentis præfati Sacri Romani Imperii, seu cujuscunque alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio; volentes & hoc Imperiali statuentes Edicto, præinsertum salvæguardiæ & exemptionis fori privilegium, omniaque & singula in eo contenta, aliaque omnia, quæ a supradictis Sacratissimis Imperatoribus ac Regibus Romanorum, Nostris Prædecessoribus, gloriosissimæ reminiscentiæ, eisdem quondam Principibus Alberico ac Carolo concessa ac confirmata fuerunt, & nunc moderno Duci Alderano de integro a nobis conceduntur & confirmantur, rata, valida, firma ac perpetua esse ac manere, quodque sæpedictus Alderanus, Dux Massæ atque Princeps Carraræ, ejusque successores, & ejusdem Conjux, liberi, hæredes, posteri & descendentes legitimi, omnesque subditi, vasalli, officiales, familiares, ministri & domestici in dicto Ducatu & Principatu ac pertinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, hujusmodi Privilegio salvæguardiæ & exemptionis fori, virtute hujus nostræ confirmationis, innovationis & ampliationis, perpetuo uti, frui, & gaudere possint;

possint; cognoscentes demum per Diploma præfati Divi Rudolphi II. Imperatoris prædicto quondam Principi Alberico sub die 17. Junii Anni supra sesquimillesimum, nonagesimum concessum a Divo Matthia sub die sexta Mensis Maji Anno supra mille sexcentos tertio decimo, atque ab Augustissimo Proavo nostro, Divo Ferdinando II. sub die quinta & vicesima mensis Augusti Anno millesimo sexcentesimo vigesimo, & postmodum quondam Principi Carolo, sub die septima mensis Novembris Anno supra mille sexcentos tertio & vigesimo confirmatum, motu proprio, sano consilio, scientia ac potestate Imperiali fuisse abrogatas & annullatas omnes infeudationes, uniones, applicationes, & quascunque alias Investituras etiam a Divis Imperatoribus, Prædecessoribus nostris, quavis causa & occasione, quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, Potestatibus, ac Rebuspublicis, de dictis Ducatu Massæ & Principatu Carraræ, Monetæ, & Laventiæ, maxime in præjudicium primævæ libertatis & naturæ eorundem, ac liberæ & immediatæ subjectionis solius Sacri Romani Imperii hactenus quomodolibet factas ac concessas, nec non adhærentias sive sequelas antiquas, conventiones, obligationes, hypothecas ac pacta qualiacunque etiam juramento confirmata, aut inita cum Ducibus, Principibus, Rebuspublicis & aliis Potestatibus, præserum vero, quæ in præjudicium tendunt Sacri Romani Imperii & libertatis antiquæ dictarum Ducatus Massæ & Principatus Carraræ, Monetæ & Laventiæ, quatenus absque expresso assensu Imperiali factæ fuerint, remotis omnibus, quæcunque opponuntur in contrarium, etiamsi talia fuerint, quæ hic necessario nominari deberent, volentes ea haberi, tanquam si nominatim minutatimque expressa essent.

Nos ex prædictis respectibus jam enunciatis & aliis dignis de causis animum Nostrum moventibus, & quia Nobis placuit & placet motu proprio vigore præsentium ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine approbamus, ratificamus, confirmamus ac de integro innovamus dictas abrogationes & annullationes factas Diplomatis prænarrati, concessi a dicto Divo Rudolpho II. atque a Divis Matthia, Ferdinando II. & III. nec non Leopoldo, Dominis Agnatis, Proavo, Avo, Patre ac Prædecessoribus Nostris æternum colendæ memoriæ confirmati diebus, mensibus, & annis supradictis, omnium infeudationum, unionum & quarumcunque Investiturarum a Divis Imperatoribus, Antecessoribus Nostris, concessarum quavis causa & occasione, quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, Potestatibus ac Rebuspublicis de dictis Ducatu Massæ & Principatu Carraræ, Monetæ & Laventiæ maxime in præjudicium primævæ libertatis, & naturæ eorumdem, ac liberæ & immediatæ subjectionis solius Sacri Romani Imperii hactenus quomodolibet factarum & concessarum, nec non adhærentiarum sive sequelarum antiquarum, conventionum, pactorum quorumcunque, & obligationum & hypothecarum, quomodocunque, etiam juramento confirmatarum, aut initarum cum Ducibus, Principibus, Rebuspublicis & aliis Potestatibus, præsertim vero tendentium in præjudicium Sacri Romani Imperii, & libertatis antiquæ dictorum Ducatus Massæ & Principatus Carraræ, Monetæ & Laventiæ (quatenus absque expresso consensu & assensu Imperiali factæ, seu facta fuerint) insuper habitis, rejectis ac remotis omnibus, quæcunque opponuntur, seu opponi possunt in contrarium, quamvis ea talia fuerint, quæ hic necessario exprimi & nominari deberent; Volentes ea omnia haberi, tanquam si nominatim minutatimque forent expressa, validis tantummodo & firmis remanentibus Investituris & concessionibus factis tam dictæ Illustri Ricciardæ, quam sæpe memoratis quondam Principibus Alberico & Carolo, eorumque Antecessoribus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ extiterit, liceat hanc Nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, augmentationis, amplificationis, creationis, & erectionis in Civitatem ac decorationis titulo Illustrissimi, tam vivæ vocis, quam in scriptis protectionis, concessionis, declarationis, derogationis, abrogationis, Investituræ, ac gratiæ paginam, decreti, privilegii & voluntatis Nostræ Cæsareæ declarationem ullo modo infringere, contemnere, negligere, spernere, violare, aut ei quovis ausu temerario contravenire; si quis autem hoc attentare præsumserit, præterquam quod Nostram & Sacri Imperii gravissimam incurret indignationem, mille Marcarum Auri puri, probi, toties, quoties neglexerit, spreverit, contemserit, contrafecerit, aut violaverit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, mulctam dare damnas esto, quam quidem ex semisse in ærarium nostrum Imperiale, sive fiscum inferendam, ex altero vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus decernimus applicandam, atque in eorum omnium & singulorum indubitatam fidem, ac evidens testimonium præsentibus literis Nostris manu Nostra subscriptis, Sigillum Nostrum Imperiale appendi jussimus. Datum in Civitate Nostra Viennæ die decima quinta April. Anno millesimo, septingentesimo, decimo septimo; Regnorum Nostrorum Romani sexto, Hispaniarum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero septimo.

XIII.

Rescriptum Caroli VI. Romanorum Imperatoris, ad Comitem Daunium, ejus in Regno Neapolitano Vicarium, exaratum, bona feudalia, quæ Cybonum familia in laudato Regno possidet, bodieque ad Camillum Cybonem, Massæ Ducem, spectant, concernens, d. d. 23. Octobris, Anno 1717.

El Rey.

Ill^re Conde de Daun, Cavallero del Insigne orden del Toyson de oro demi Consejo de Estado, mi Virrey, Lugartenunte, y Capitan General del Reyno de Napoles. Por parte de D^n Camilo Cybo se me ha presentado un memorial del tenor siguiente: S^a C^sa e R^l C. M. Don Camillo Cybo, Prelato della Corte di Roma, fratello di D^n Alderano Cybo, Duca

Duca di Massa & Prencipe di Carrara humilmente espone à V. M. Cesa qualmente dopo la morte di Dⁿ Alberico, già Duca di Massa, ancorche fusse rimasto l' oratore primogenito, mà perche trovavasi Ecclesiastico, passò la primogenitura al detto Dⁿ Alderano terzogenito; non di meno espressamente l' oratore con publico instromento del mese di Decembre 1715. & Febraro 1716. si riservò à suo beneficio per suo piatto, ò sia vita e milizia li frutti tragli altri de' feudi dello Stato d' Ayello e Paduli, che nel Regno di Napoli possiede la Casa Cybo, assieme colli frutti certi fiscali e Burgensatici, che in adjacenza di detti feudi possiede la detta casa, anco in virtù di fidecommisso di Antecessori, e come sogliono allo spesso nascere ò controversie colli confinanti di detti feudi, ò sogliono incontrarsi dilazioni tali de debitori e rendenti, che molto fanno Stentare con la varietà de Tribunali e Giudici la douuta essazione e l' intiera racolta di detti frutti e rendite contra la raggione, che asiste all' oratore; perciò à fine, di poter conseguire la spedita Giustizia nelle cause attive, & in tutte quelle, ove si tratti d' interesse dell' oratore: ricorre humilmente da V. C. M. e la supplica, degnarsi clementissimamente concedergli la delegazione di tutte dette cause d' interesse dell' Oratore in persona di qualche suo Regio Ministro de Tribunali de Napoli, ò del Regio Collateral Consiglio, ò del Regio Consiglio di santa Chiara, che meglio stimera V. M. con degnarsi altresi communicare al medesimo Ministro, deputandole facoltà di auvocare, inhibire & tutte l' altre necessarie & opportune, accioche in detta causa proceda, senza figura giudiciale, mà con la sola verità delle cose, e qualità de Negotii, & il tutto si protesta riceverlo da Maestà Vostra Cesarea quam DEus &c. Vista su instanzia he venido en encargaros, y mandaros (como lo hayo) DEis la providencia, que tutiereis por mas Comtenunte sobre le espuesto e nel preinserto memorial, que assi es mi Voluntad. De Viena a Veynte y tres de Octubre de mil sete ciento y diez y siete.

YO EL REY.

(L.S.)

F. Ant. F. de Cordona Archiep. Val. P.
Alvarado & Colomo Secret.

Vt. Aguirre, Reg. Vt. B. Zano.
Vt. Beliredi, Reg. Vt. Jouramy.

In diversorum Vigmo primo
fol. XXIII.

Drôs de Secretaria quatro florines.

Solvit pro jure sigilli undecim Regalia argenti in p. Castellæ.

Mlolina & Zalduendorius.

Al Virrey de Napoles paraque de la providª Conbanunte sobre Instanª de Dⁿ Camilo Cybo.

El Consejo.

Foris:

All Illre Conde de Daun, Cavallero del Insigne Orden de Toyson de oro, demi Consejo de Estado, mi Virrey Lugartenunte y Capitan General del Reyno de Napoles.

XIV.

Vidimus particulæ Testamenti a Carolo Cybone, Principe Massæ, Anno 1660. conditi, per Notarium Publicum confectum, d. d. 18. Januar. Anno 1721.

Die vigesima tertia Januarii millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, Neapolis &c.

IN Nomine Domini Amen. Hæc est particula Testamenti olim Illustrissimi & Excellentissimi Dni, Domini Caroli Cybo, Principis Massæ &c. rogati manu mei infrascripti sub die 26. Aprilis, 1660.

Recolentes præterea Domini Patrui sui, sempiterna memoria digni, Beatissimi quondam Patris Innocentii XI. Sanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Pontificis Maximi pientissimæ recordationis, singularem in Nos benevolentiam vereque paternum plurimis in occasionibus erga Nos, Regnaque, ac Provincias Nostras hæreditarias, non secus Sacrum quoque Romanum Imperium, totamque adeo Rempublicam Christianam gravissimis suis consiliis, multifariisque opportune adhibitis, tam respectu Politici, quam Ecclesiastici Status ac Hierarchiæ, remediis & subsidiis adversus hostiles incursus, machinationes, & perniciosissima molimina constantissime demonstratum amorem & affectum: quodque tam ante suam ad Pontificatum assumptionem, quam sub felicissimi sui Pastoralis Regiminis decursu, potissimum autem periculosissimis illis temporibus, dum juratus Christiani Nominis hostis Turca, collectis e vastissimo Ottomannico suo Imperio viribus, in deplorandum dicti Apostolici Regni Nostri Hungariæ, totius Christianitatis antemuralis, excidium, principisque Nostræ Urbis Viennensis validissimo exercitu obsessæ expugnationem conspiraverat, vicinasque eidem metropoli Nostræ partes ferro flammaque depopulabatur, pro sua pastorali cura & solicitudine, tum per preces universaliter institutas, tum per singularia e suæ munificentiæ penu liberaliter suppeditatorum mediorum adminicula tam præsentaneo Nobis succurrerit auxilio, ut, opitulante præpotenti Altissimi dextera fuso profligatoque in sua feritate confiso immanissimo illo hoste Turca, & consequenter liberata sub arctissima obsidione periculosissime laborante Vienna, copiosis postmodum DEO auspice gloriosa arma Nostra aucta fuerint victoriis & triumphis, ac cum ipsa metropoli dicti Regni Nostri Hungariæ Buda plurima alia præsidia ac fortalitia, imo totum fere Regnum recuperatum, & e faucibus barbarorum ereptum, in pristinam jure postliminii vindicatum fuerit libertatem.

Recogitantes etiam, quæ Dilectio Tua ex consanguinea Sancti istius Pontificis liberalitate, zelo, ac pietate non tantum in liberatione prætactæ Urbis Nostræ Viennensis, ac ad excitandos alios pariter pro ferenda ope Romanæ Urbis, & Italiæ Principes diversas pecuniarum summas erogando, ac cum Oratoribus Nostris, tam in urbe, quam alibi constitutis, nullis parcendo expensis & laboribus, correspondendo, & verbis, & opere ad exemplum usque præstitit: sed & nuper occasione plurimorum Principum (quos inter, & ipsa tum prædicti Summi Pontificis, utpote ejusdem Regni Conservatoris, quod olim qua Cardinalis æque, ac postmodum Supremus Ecclesiæ Pastor multis largitionibus prosecutus fuit, & memorabili ad coccinum victoriæ non leve momentum addidit, tum insignium Dilectionis Tuæ virtutum, & meritorum intuitu recensebatur) ad Regiam Poloniæ Coronam concurrentium, nihil eorum prætermisit, quæ ad boni publici promotionem, tum Regni illius tranquillitatem, nec non Augustæ Domus Nostræ Austriacæ incrementum conducere videbantur, eoque pacto etiam de Nobis, dictaque Domo Nostra bene mereri studuit; quodque Sacrum Purpuratorum Collegium, post sæpe dicti Summi Pontificis decessum, motu proprio, communibus suffragiis, & nullo unquam prævio ejusmodi exemplo Dilectionem Tuam Sanctæ Sedis Armorum Generalem renunciaverit.

Nos certe nec cultui, huic familiæ, & ex ea oriundo Pontifici, Sacri contra Turcas fœderis authori simul, & protectori, debito, nec Nostræ in Dilectionem Tuam propensioni sufficienter respondere Nobis videremur, si prætactos honores, prærogativas, donationes, concessiones, & emolumenta munificientiæ Nostræ terminos esse vellemus, præcipue cum & Dilectio Tua, laudatissimo sanctissimi Patrui sui exemplo ducta, se iis, quæ prædicto modo antehac liberaliter præstitit, devotioni erga Nos suæ satisfecisse haud existimet, sed merita meritis cumulare pergat, eaque adaugere conetur.

Cumque præterea præcipuum Dilectionis Tuæ erga Nos, Domumque Nostram Austriacam affectum, observantiam, & fidem, nec non enixum optime porro merendi studium, tum eximias quoque ipsius virtutes, & qualitates, consummatam prudentiam, solidam in rebus arduis circumspectionem, cæterasque sublimes excellentis animi dotes attentius consideremus, quibus aliis etiam prælucet, ut & illi omni cum ipsa studio & contentione in id incumbant, quo ejusdem sinceræ fidei & devotionis Nobis indies documenta exhibeantur, faciendum Nobis duximus, ut, cum præmissa omnino singularia, & hactenus sine exemplo sint, Dilectionem quoque Tuam novo aliquo favoris nostri symbolo, & quidem ejusmodi, quod ipsi, ac posteritati suæ non intermorituro ornamento sit, a culmine Nostro Imperiali insigniremus, quamque ei beneficentiæ Nostræ tesseram authoritate Regia impertivimus, authoritate pariter Cæsarea & Imperiali eandem confirmaremus.

Motu itaque proprio ex certa scientia animo bene deliberato, ac sano Nostrorum, & Sacri Imperii Electorum, Principum, ac Statuum fidelium dilectorum, accedente consilio, eaque, qua fungimur authoritate Cæsarea, & de ejus plenitudine in nomine DEI Omnipotentis, a quo omnis Principatus, honor, & dignitas promanat, Dilectioni Tuæ, tuisque legitimis hæredibus utriusque sexus DEI beneficio nascituris, in prædicto simul Ducatu, aliisque Dilectionis Tuæ dominiis jam acquisitis vel imposterum acquirendis, in infinitum successuris Ducibus & Principibus concedimus, & elargimur, ut & deinceps a Nobis, Nostrisque in Sacro Rom. Imp. successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, *Celsissimi Duces Syrmiæ* (quod Italice *Altezza Ducale*, & latine *Celsitudo Ducalis* exprimi solet) nec non *Dilectionis* Titulo, pariterque *Consanguinei Nostri Charissimi* perpetuo posthac prædicemini, appellemini, nominemini, & compellemini, vobisque ex omnibus Nostris, Nostrorumque in Sacro Romano Imperio

Succes-

Successorum Nobis, & Augustæ Domui Nostræ Austriacæ subjectorum Regnorum, Provinciarum, ac Ditionum Cancellariis, quotiescunque sive viva voce, sive scripto compellandi, aut alias Dilectionis Tuæ, utpote Syrmiæ Ducis, eorundemque mentio facienda erit, Titulus, nomenclatio, prædicatum, dignationis vocabulum *Celsissimorum* (quod Italico idiomate *Altezza Ducale*, & latino *Celsitudo Ducalis* exprimi solet) ut & *Dilectionis*, & Consangvineorum Nostrorum Charissimorum, detur, tribuatur, inscribatur, prout in modo memoratum benignæ mentis ac voluntatis Nostræ Cæsareæ effectum dictis Nostris Cancellariis per Decreta jam stricte mandavimus & injunximus, idque pariter pro singulari Nostra in sæpe memoratum Celsissimum Syrmiæ Ducem benevolentia superaddimus, ut Sua Dilectio in Decretis, ex Cancellaria expediendis, prædicato *Celsitudinis Ducalis* honoretur, & afficiatur.

Decernentes, & hoc Nostro Imperiali Diplomate firmissime statuentes, quod posthac perpetuis futuris temporibus prædictus Celsissimus Syrmiæ Dux ejusdemque hæredes, ac Descendentes legitime nascituri, Masculi & Fœminæ, vigore hujus Nostræ concessionis, & aggregationis sint, & esse debeant, nominentur, nuncupentur, & reputentur tam in scriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque, vel quomodocumque Suæ Dilectionis, aut illorum mentio facienda fuerit, Duces Syrmiæ, utque tanquam Syrmiæ Duces Sacri Imperii Ducibus, & Principibus eodem quo ipsi tam in Sacro Romano Imperio, quam in Italia in solennibus uti solent, singulari, atque in notam ejusdem præeminentiæ concesso amictu induti proxime assideant, citra cujuscumque impedimentum & contradictionem, atque etiam omnibus & singulis honoribus, dignitatibus, prærogativis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, juribus, Privilegiis, insignibus, gratiis, indultis, regalibus, & aliis quibuscunque in Judicio vel extra, in omnibus rebus, statibus, & causis tam spiritualibus, quam temporalibus, ecclesiasticis & profanis, ac in quibuscumque Sessionibus, conventibus, processionibus, & alias ubique, & in locis omnibus gaudere, uti, ac frui possint, ac debeant, quibus alii Duces, tam per Romanum Imperium, quam Italiam, & ubique locorum ac terrarum in dandis ac recipiendis juribus, conferendis suscipiendisque feudis, atque in aliis omnibus & singulis ad Illustrem statum & conditionem Ducum spectantibus gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur, hactenusque gavisi, usi, ac potiti sunt quomodolibet de consuetudine, vel de jure.

Præterea Celsissimo Syrmiæ Duci pro Nostro in ipsum affectu hanc specialem gratiam indulgemus & concedimus, qua, si eundem absque liberis legitimis ex hac vita decedere contingeret, prævia Nostra Cæsarea approbatione, & facta prius apud Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam insinuatione, aliquem ex familia sua nominare & adoptare possit & valeat.

Ad porro magis magisque animi Nostri Cæsarei propensionem in prædictum Celsissimum Nostrum Syrmiæ Ducem, & Sacri Romani Imperii Principem testificandam, ex certa scientia, ac sano accedente consilio, proque ea qua fungimur autoritate Cæsarea, deque ejus potestatis plenitudine, ipsi, ejusdemque Filiis, & Descendentibus Masculis, in infinitum benigne dedimus, concessimus, & elargiti sumus libertatem & facultatem in aliquo ipsi, eisque commodo, & opportuno jurisdictionis loco officinam monetariam fabricandi & extruendi, monetamque auream, & argenteam, majoris tamen generis, ex una parte aquila Nostra Imperiali, & ex altera armorum suæ Dilectionis, ejusque descendentium insigniis, nominis item, & cognominis proprii inscriptione signatam, bonam tamen, probam, sinceram, & justam, quæ non sit adulterata, aut deterior illa, quam cœteri vel Italiæ, vel Germaniæ Principes, Divorum Antecessorum Nostrorum, Romanorum Imperatorum & Regum, gratiosa concessione cudunt, (ita ut nemo de ejusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat) faciendi, atque cudendi, eamque pro rei necessitate erogandi, atque spargendi. Volentes, & Cæsareo Edicto Nostro firmiter decernentes, quod supradictus Celsissimus Livius Odescalcus, Dux Syrmiæ, & Sacri Romani Imperii Princeps, ejusque Filii & descendentes Masculi monetam auream & argenteam, ut supra, bonam, justam, probam & sinceram, nec viliorem illa, quæ, ut antedictum est, a cæteris, vel Italiæ, vel Germaniæ Principibus, Sacro Romano Imperio subjectis, juxta tenorem, & præscriptum Privilegiorum, ipsis a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus concessorum, cuditur, in certo aliquo Jurisdictionis suæ loco cudere, eamque ubivis terrarum & gentium erogare, spargere, erogandamque & spargendam, seu distrahendam curare, nec non omnibus & singulis gratiis, libertatibus, privilegiis, immunitatibus, prærogativis & juribus citra cujuslibet impedimentum uti, frui, potiri & gaudere possint & valeant, quibus cæteri Sacri Romani Imperii Principes & Ordines, monetam cudendi facultatem habentes, utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent quomodolibet consuetudine, vel de Jure, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque.

Ad hæc cupientes, Celsissimum Livium Odescalchy, Syrmiæ Ducem, & Sacri Imperii Principem, luculentiori quopiam meritis & virtutibus suis congruo liberalitatis Nostræ Cæsareæ argumento prosequi, eadem, qua supra, autoritate Imperiali eundem, ipsiusque filios, & descendentes legitimos Masculos, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorii Comites, ac Comites fecimus, creavimus, & *Comitatus Palatini* titulo clementer insignivimus, prout & tenore præsentium facimus, creamus, erigimus, attollimus, & insignimus, ac aliorum Comitum Palatinorum numero & consortio dictum Celsissimum Syrmiæ Ducem, ejusdemque Filios, & Descendentes legitimos Masculos aggregamus & adscribimus, decernentes, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod omnibus & singulis Privilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, consuetudinibus, & libertatibus uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, quibus cœteri Sacri Lateranensis Palatii Comites hactenus usi, potiti, & gavisi sunt, seu quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent consuetudine, vel libertate.

Dantes, & concedentes sæpefato Celsissimo Syrmiæ Duci, ipsiusque Filiis, & Descendentibus legitimis masculis amplam autoritatem & facultatem, qua

qua possit & valeat, possint item & valeant per totum Romanum Imperium, & ubique locorum & terrarum facere & creare Notarios Publicos, seu tabelliones, & judices ordinarios, & omnibus personis, quæ fide dignæ, habiles, & idoneæ fuerint (super quo vestram oneramus conscientiam) Notariatus, seu Tabellionatus, & Judicatus Ordinarii officium concedere, & dare, eosque ac eorum quemlibet autoritate Imperiali de prædictis, per pennam & calamarium (prout moris est) investire, dummodo tamen eos habiles & idoneos invenerint, & ab ipsis Notariis Publicis, seu tabellionibus, & Judicibus ordinariis per ipsos creandis, & ab eorum quolibet nomine Nostro, & Sacri Imperii, & pro ipso Romano Imperio debitum fidelitatis recipiant corporale Juramentum in hunc videlicet modum: Quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, omnibusque Successoribus Nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, fideles, nec unquam intererunt consilio, ubi Nostrum periculum tractetur, sed bonum & salutem Nostram defendent, & fideliter promovebunt, damnaque Nostra pro viribus vetabunt & avertent: Præterea Instrumenta omnia, tam publica, quam privata, ultimas voluntates, codicillos, testamenta, quæcumque Judiciorum acta, ac omnia alia & singula, quæ illis, & cuilibet ipsorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint vel scribenda, juste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate, & dolo remotis, legent, facient, & dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera, aut alias passiones & favores: scripturas vero, quas debebunt in publicam formam dirigere, in membranis mundis, non chartis abrasis aut papyreis, fideliter secundum locorum consuetudinem conscribent, legent, facient, & dictabunt, causas hospitalium, & miserabilium personarum, nec non pontes, & stratas publicas pro viribus promovebunt, sententiasque & dicta Testium, donec publicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter retinebunt, ac omnia alia & singula recte, juste, & pure facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt consuetudine, vel de jure. Quodque hujusmodi Notarii Publici, seu tabelliones, & Judices ordinarii per ipsum Celsissimum Ducem Syrmiæ, ejusque Descendentes legitimos creandi, possint & valeant per totum Romanum Imperium, & ubilibet locorum & terrarum facere, scribere, & publicare contractus, Judiciorum acta, Instrumenta, & ultimas voluntates, Decreta quoque, & autoritates interponere in quibuscumque Contractibus, simile quidpiam requirentibus, ac omnia alia facere, publicare, & exercere, quæ ad officium Publici Notarii, seu Tabellionis, & Judicis ordinarii pertinere & spectare dignoscuntur. Decernentes, ut omnibus Instrumentis & scripturis, per hujusmodi Tabelliones, Notarios Publicos, sive Judices ordinarios conficiendis, plena fides ubique adhibeatur.

Insuper antenominato Celsissimo Duci, ipsiusque Filiis & descendentibus masculis legitimis, concedimus & elargimur plenam facultatem, quod possint & valeant naturales, bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos copulative vel disjunctive, & quoscumque alios, etiamsi infantes fuerint, præsentes vel absentes ex illicito vel damnato coitu procreatos masculos & fœminas, existentibus vel non existentibus aliis filiis legitimis, eis etiam aliter non requisitis, viventibus vel etiam mortuis eorum Parentibus, (Illustrium tamen Principum, Comitum, Baronumque filiis dumtaxat exceptis) legitimare, ac eos, & eorum quemlibet ad omnia & singula Jura legitima restituere ac reducere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipsos habilitando & restituendo ad omnia & singula Jura successionum & hæreditatum, bonorum paternorum & maternorum, etiam ab intestato cognatorum, & agnatorum, nec non ad honores, & dignitates, & singulos actus legitimos, tam ex contractu, quam ultima voluntate, aut alio quovis modo in Judicio, & extra, perinde ac si de vero legitimoque matrimonio nati ac procreati essent, objectione prolis illegitimæ penitus quiescente, quodque illorum legitimatio per ipsos ut supra facta pro juste ac legitime facta maxime habeatur ac teneatur, non secus ac si foret cum omnibus Juris solemnibus, quorum defectus specialiter autoritate Nostra Imperiali suppleri volumus & intendimus, peracta: dummodo tamen legitimationes hujusmodi non præjudicent filiis, & hæredibus legitimis, & naturalibus, qui quidem legitimandi, postquam legitimati fuerint, sint, & esse censeantur, nominenturque, & nominari possint & debeant ubivis locorum & terrarum tanquam vere legitimi, & legitime nati de Domo, Familia, aut agnatione Parentum suorum, Arma etiam, ac eorum Insignia portare & ferre possint & valeant, admittanturque ad omnes actus legitimos, officia, jura, honores & dignitates, tam Ecclesiasticas, quam seculares, uti vere legitimi; quin etiam efficiantur Nobiles, si Parentes ipsorum Nobiles fuerint, possintque & debeant in omnibus actibus publicis & privatis iisdem officiis, juribus, honoribus & dignitatibus frui & gaudere, quibus vere legitimi in judicio & extra utuntur, fruuntur & gaudent, non obstantibus ullis Legibus, quibus cavetur, quod naturales, bastardi, spurii, manseres, nothi, incestuosi copulative vel disjunctive, aut alii quicumque ex illicito ac nefario concubitu procreati vel procreandi non possint vel debeant legitimari, liberis naturalibus & legitimis existentibus, vel sine consensu & voluntate filiorum naturalium vel legitimorum, vel Agnatorum, aut Feudi Dominorum, & specialiter in *Auth. quib. mod. nat. effic. sui per totum §. naturales, si de Feud. fuer. controv. inter Dom. & Agn. & l. jubemus C. de emancip. liber.* & similibus; quibus quidem legibus, & cuilibet ipsarum volumus expresse, & ex certa Nostra scientia, derogari; Neque etiam obstantibus in præmissis aliquibus contrahentium dispositionibus, & ultimis defunctorum voluntatibus, aliisque Legibus, locorumque statutis, ordinationibus & consuetudinibus, etiamsi tales forent, quæ specialem hic, & individuam mentionem requirerent, quibus obstantibus, & obstare volentibus, in hoc dumtaxat casu, ex certa Nostra scientia de Cæsareæ potestatis plenitudine totaliter derogamus, & derogatum esse volumus.

Similiter eadem autoritate Nostra Imperiali Celsissimo Syrmiæ Duci, ejusque Filiis, ac legitime Descendentibus Masculis damus, & concedimus amplam

amplam facultatem, qua possit, ac valeat, possint itidem, ac valeant tutores, atque curatores confirmare, dare, & constituere, ipsosque ex causis legitimis amovere.

Nec non filios adoptare, & arrogare, eosque adoptivos & arrogatos facere, constituere, & ordinare, filiosque legitimatos, sive legitimandos, adoptivosque, & adoptandos in quavis ætate constitutos emancipare, ac patria potestate liberare, adoptionibus & emancipationibus quibuscumque omnitum & singulorum, etiam infantium atque adolescentum consentire.

Veniam ætatis supplicantibus concedere, autoritatem & decretum in omnibus interponere, servos etiam manumittere, manumissionibus quibuscumque cum, vel sine vindicta, & minorum alienationibus, alimentorumque transactionibus autoritatem pariter, & decretum in omnibus interponere.

Cum infamibus tam Juris, quam facti, aut aliter quomodocumque, copulative vel disjunctive dispensare, eosque ad famam restituere, abstergendo ab iis omnem infamiæ notam tam irrogatam, quam irrogandam, ita ut de cœtero ad omnes & singulos actus legitimos apti & idonei habeantur, & promoveantur, haberique & promoveri possint ac debeant, Juris ordine semper servato.

Præterea memorato Celsissimo Syrmiæ Duci, ipsiusque Filiis, & Descendentibus Masculis scientia, motu, & autoritate, quibus supra, indulgemus, qua possint ac valeant Doctores Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, ac Philosophiæ, nec non Licentiatos, in omni licita facultate Magistros, Baccalaureos, atque Laureatos Poëtas creare, promovere, ordinare, & constituere, & facere, adhibitis tamen in cujuslibet Doctoris creatione, Doctoribus eximiis de professione creandi ad minus tribus, qui Doctorandum, vel Licentiandum examini subjiciant, & ei, quem idoneum invenerint, sufficientemque comprobaverint, suam autoritatem interponendo, Doctoratum, Licentiæ, Magisterii, Baccalaureatus, & Laureæ Poeticæ insignia, ut moris est, conferant, qui quidem Doctoratus titulo a Vobis donati libere possint & valeant in omnibus civitatibus, & ubilibet terrarum omnes actus Doctorales legendi, docendi, interpretandi, Cathedram ascendendi, & cæteros actus Doctorales, Licentiæ, Magisterii, & Baccalaureatus facere & exercere, omnibusque & singulis gaudere & uti Privilegiis, prærogativis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus, indultis, & gratiis, quibus cæteri Doctores, vel Licentiati, nec non Magistri, Baccalaurei, & Poëtæ Laureati, qui in Gymnasio, sive Academia, & Universitate Viennensi, Parisiensi, Papiensi, Pisano, Coloniensi, Ingolstadiensi, & alio quolibet publico & privilegiato Gymnasio, vel Academia promoti, vel etiam a Nobis, ac Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus insigniti fuerunt, seu aliter quocumque modo talia insignia acceperunt, gaudent, utuntur, & fruuntur quomodolibet, consuetudine, vel de Jure.

Ulterius Celsissimo Syrmiæ Duci, ejusdemque Filiis, & Descendentibus Masculis liberam potestatem & facultatem damus, ut possit, & possint honestis personis, illud petentibus, insignia, seu arma cum, vel sine corona Regia concedere & elargiri, idonea & convenientia qualitati personæ (quod ex ipsius Celsissimi Syrmiæ Ducis, ejusque Descendentium arbitrio pendere volumus) eosdemque cum insignium & armorum, tum Feudorum capaces reddere, dummodo in hujusmodi armorum concessione abstineant, ne alicui integram Aquilam maxime Imperialem, aut avita quorumvis Principum, Comitum, Baronum, & Procerum Insignia præcise elargiantur; Qui quidem per ipsos sic armis decorati hujusmodi arma sibi concessa ubique locorum, & terrarum in omnibus & singulis honestis & decentibus actibus & expeditionibus in bellis, duellis, quibuscumque pugnis, vexillis, annulis, sigillis, sepulchris, & universa suppellectile pro eorum arbitrio deferre, omnibusque & singulis Privilegiis, juribus, gratiis uti & gaudere possint, quibus cæteri a Nobis, & Prædecessoribus Nostris armis decorati, & Feudorum capaces utuntur, & gaudent, & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur & recipiuntur consuetudine, vel de Jure.

Deinde pro insigniore hujus dignitatis ornamento supradicta autoritate Nostra Imperiali concedimus & indulgemus, quod neque Celsissimus Syrmiæ Dux, omnesque ejus Liberi, & Descendentes legitimi utriusque sexus: Nec Ministri, Familiares, Domestici, aut Subditi ipsorum, eorumque omnium res, aut bona moventia vel fixa, ubicumque locorum existentia, a quocumque ad Curiæ Nostræ Imperialis Rottvveilensis, aut Westphaliæ, aut cujusvis alterius Curiæ, aut Provinciæ Ecclesiasticæ, vel Secularis, aut ad quodcumque aliud Sacri Romani Imperii Tribunal pro quacumque profana causa, sive ea concernat personas, sive honorem, sive res, & facultates, vocari, citari, vel pertrahi, neque in aliquo istorum contra eundem Celsissimum Ducem, aut ejus Hæredes, & Descendentes, illorumve corpora, vel bona judicari, pronunciari, & procedi debeat, aut possit: Verum si quis ullam actionem, Jus, aut querelam adversus Suam Dilectionem, vel ipsos, aut illorum aliquem sibi competere prætendat, eosdem non alibi, quam coram Nobis, aut Successoribus Nostris Romanorum Imperatoribus, & Regibus: Contra vero Ministros, Familiares, Domesticos, clientes, & Subditos ipsorum, eorumque corpora, res, & bona coram Judicibus ordinariis, quibus ratione bonorum suorum, & personarum subjecti fuerint, & non alibi convenire, aut adversus illos actionem intendere & prosequi teneatur, quorum etiam judicio & cognitione ipsæ partes per quoscumque Judices ad Suæ Dilectionis, suorumque avocationem remitti debent, nisi forte actoribus Justitiæ remedium postulantibus ad eorum postulata Jus in dictis locis notorie denegaretur, aut dolo malo, seu data opera protraheretur, quo quidem casu unicuique liberum aut licitum sit jus suum in locis & judiciis, ubi id impetrare poterit, prosequi; quod si vero contra præmissa contigerit, Celsissimi Ducis Syrmiæ Dilectionem, ejusque Descendentes in infinitum, nec non Ministros, Domesticos, aut Familiares eorum, aut ipsorum res, & bona communiter, vel divisim ad alicujus Curiæ, vel Provinciæ Ecclesiasticæ, aut Secularis Rottweilensis, aut Westphaliæ, vel aliud quodcumque Tribunal evocari, citari, vel in Jus trahi, aut contra Dilectionem Suam, ipsosque, & ipsorum

ipſorum perſonas, res, & bona, actionem, vel querelam inſtitui, procedi, pronunciari, judicari, decerni, vel agi quovis quæſito colore: Nos totum id, & quicquid eo modo intentatum, proceſſum, judicatum, ſtatutum, decretum, & actum fuerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra, irritum, caſſum, & inane, nulliusque roboris, valoris, aut momenti decernimus & declaramus, ſcientia & autoritate prædictis, ita ut ſic evocatis, & citatis, neque in perſonis neque in bonis, ullum damnum vel præjudicium adferri quoquo modo poſſit, valeat, ac debeat.

Inſuper Celſiſſimo Duci, Syrmiæ, ejusdemque Deſcendentibus in infinitum, hanc quoque inſignem prærogativam & gratiam tribuimus atque indulgemus, ut, ſi quando contingat, Suam Dilectionem ipſiusque Deſcendentes in Sacro Romano Imperio, Regnisque aut Provinciis Noſtris hæreditariis, fortalitia aut arces novas a fundamentis extruere ac munire, vel collapſas reædificare, aut etiam jam extructas arces, caſtra, oppida, loca, poſſeſſiones, dominia, territoria, domos, & habitationes liberas, villas, ſubditos, aut ſervos, emptionis, permutationis, hæreditatis, donationis, aut alio quocumque juſto ac legitimo modo & titulo acquirere, realiterque poſſidere, iisdem arcibus, caſtris, oppidis, locis, poſſeſſionibus, dominiis, territoriis, villis, domibus, habitationibus, liberis, ſubditis, aut ſervis libere uti, frui, potiri, & gaudere, ac inſuper eorum nomina vel conſervare, vel abolere, mutare, aut nova indere, ab iisque denominationem ex ſententia atque arbitratu ſuo ſibi aſſumere poſſint & valeant, omni impedimento & contradictione ceſſante.

Quo vero circa prædicta Caſtra, oppida, & loca vel exſtructa, vel alias legitime acquiſita, magis magisque Celſiſſimo Duci Syrmiæ ejusdemque Deſcendentibus ſit proſpectum, de prædicta Cæſareæ Regiæque poteſtatis plenitudine, omnique meliori modo, quo id efficacius fieri poteſt, ac debet, damus & concedimus ipſi, iisdemque amplam facultatem venandi, piſcandi, gabellas, tributa, & vectigalia nova inducendi, nundinas annuas, & hebdomadarias conſtituendi, tabernas, & hoſpitia publica erigendi, cum poteſtate propinandi vina, & alia potulentorum genera exercendi, molendina fabricandi, bannitos recipiendi, merum & mixtum imperium exercendi, feuda conferendi & ſuſcipiendi, aliaque quæcumque Privilegia, quibus alii Duces & Principes in ſuis oppidis, caſtris, villis, territoriis ac dominiis, de Jure, vel ex privilegio utuntur & fruuntur, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & valeant, non ſecus atque ſi omnium & ſingulorum ſpecialis hic & individua mentio facta fuiſſet, Noſtris tamen, & Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunque Juribus ſemper ſalvis.

Item Celſiſſimo Duci Syrmiæ, ipſiusque Deſcendentibus damus & concedimus plenam licentiam & facultatem, ut ipſe, totaque ipſius Familia tam Domi quam in itinere exiſtendo, in omnibus regionibus, provinciis, civitatibus, caſtellis, oppidis, aliisque quibuscumque locis, Nobis, & Sac. Rom. Imperio immediate aut mediate ſubjectis, arma cujuscumque generis, tam defenſiva, quam offenſiva, quæ virum Nobilem decent, libere, & absque omni impedimento pro eorundem decore, ſecuritate, & neceſſitate ferre & geſtare poſſit & valeat, poſſint itidem & valeant.

Pariter etiam ſæpefatum Celſiſſimum Syrmiæ Ducem, ipſiusque Deſcendentes, cum tota eorum familia, ac cum omnibus bonis, poſſeſſionibus, ædibus, prædiis, agris, vineis, hortis, & rebus omnibus, quas impræſentiarum in Imperio, Regnis, & Provinciis Noſtris poſſident, ac in futurum legitime acquirent & poſſidebunt, in Noſtram, & S. R. I. clientelam, tuitionem, protectionem, & ſalvamguardiam ſuſcepimus aſſumpſimusque, & ſuſcipimus aſſumimusque vigore præſentium. Volentes, & decernentes, quod ſint, teneantur, & eſſe debeant, una cum prædictis perſonis, bonis, ac rebus omnibus, ſub hac ſpeciali tuitione & ſalvaguardia Imperialis Noſtræ Aquilæ perpetuo ſalvi, protecti, & ſecuri ab omni gravamine & oppreſſione, & quod deinceps omnibus & ſingulis immunitatibus, gratiis & prærogativis potiri & gaudere poſſint, quibus alii, qui ſub Noſtra, & Sacri Romani Imperii ſaluaguardia & protectione conſtituti ſunt, de jure ſive conſuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent; Et ut certo & manifeſte omnibus conſtet de hac Noſtra, & Sacri Imperii protectione, tuitione, & ſalvaguardia, plenam eidem Celſiſſimo Duci Syrmiæ, ejusdemque Hæredibus, facultatem, autoritatem & licentiam concedimus & elargimur, ut toties, quoties opus habuerint, aut voluerint, poſſint & valeant in dictis ſuis ædibus, prædiis, fundis, hortis, bonis, & poſſeſſionibus affigere & erigere Aquilam Noſtram Imperialem, una cum Noſtris, & S. R. Imperii, aliorumque Regnorum Noſtrorum Inſignibus conjunctim, vel diviſim, in teſtimonium & ſignum hujusmodi ſalvaguardiæ, & ea, quandocumque libuerit, cum debito honore & reverentia amovere, citra cujuscumque impedimentum & contradictionem.

Porro Celſiſſimi Syrmiæ Ducis Dilectioni ipſiusque Hæredibus, ut ſupra, hanc facultatem damus & concedimus, ut de quibuscumque originalibus, privilegiis, Inſtrumentis, atque aliis literalibus documentis & actis, quovis nomine dici ſolitis, unum ſive plura tranſumpta facere, eademque ſuo impreſſo & appenſo Sigillo authentizare & vidimare poſſint, quibus ſcripturis & tranſumptis, ut ſupra, vidimatis & authentizatis ubique terrarum ac locorum, in judicio & extra, plena & indubitata fides adhiberi debeat, perinde, ac ſi propria Originalia adeſſent, aut ipſorum tranſumpta ab aliquo Sacri Romani Imperii Electore, Principe, aut Prælato, ſeu aliis ejusdem Imperii Provincialibus vidimata aut authentizata fuiſſent.

Quo vero ſingularem Celſiſſimus Dux benigni animi Noſtri propenſionem uberius experiatur, autoritate Noſtra Imperiali & Regia ſcienter & deliberate ipſi, ejusdemque Deſcendentibus legitimis in infinitum, hanc quoque gratiam, facultatem ac poteſtatem conceſſimus ac elargiti ſumus, ac tenore præſentium concedimus & elargimur, ut, ſi quando ipſis viſum & commodum fuerit, in aliqua civitate vel oppido tam Sac. Rom. Imperii, quam aliorum Regnorum aut Dominiorum, noſtræ Jurisdictioni ſubjecto, habitare & morari, quod Celſiſſimus Dux Syrmiæ, ejusdemque Deſcendentes legitimi, nec non cuncti domeſtici familiaresque

in ea

in ea civitate, vel oppido, ac in aliis etiam quibuscumque locis, terris & civitatibus per Sacrum Romanum Imperium, tum Italiam, ac regna & provincias Nostras hæreditarias censeantur, & sint, & esse debeant absoluti, liberi, immunes penitus, & exempti a quibuscumque oneribus, muneribus, impositionibus realibus, personalibus, mixtis, ordinariis, & extraordinariis per quemcunque imponantur, seu erigi soleant, & quacunque is, qui ea imposuerit, vel exegerit, præfulgeat dignitate, autoritate, & potestate, atque etiam ab omnibus exactionibus tributi, custodiæ, excubiarum militiæ, & a gabellis, datiis, pedagiis, atque ab onere hospitandorum militum, ac Nostrorum, nec non Hæredum & Successorum Nostrorum, Romanorum Imperatorum ac Regum, Electorumque ac aliorum Principum familiæ aulicæ, sive ministrorum aulicorum, & ab aliis quibusvis oneribus & gravaminibus, ita ut ad aliqua ex prædictis nullo modo teneantur, nec eadem ab ipsis, ut supra, ullo modo aut forma exigi possint, nisi forte possessiones, vel bona urbana, vel civilia in ejusmodi locis emerint, vel alio quovis titulo acquisiverint, quæ urbanis oneribus obnoxia sint, quo quidem casu de illis Jura consueta persolvere & præstare teneantur.

Ad hæc liberum Suæ Dilectioni, ipsisque sit, atque esse debeat, in dictis civitatibus & oppidis apud quoscumque patritios, tribunitios, & alios honestos cives, congressus & congregationes ingredi, iisdemque, quando libuerit, renunciare, atque ex dictis civitatibus, aut eorum territoriis & jurisdictionibus, cum omnibus rebus & bonis ipsorum, sine ulla molestia vel impedimento, & absque solutione ullius tributi sive census pro immigratione, vel emigratione, sive de parata pecunia, sive de fixis & moventibus rebus ac bonis, redditibusque eorum cujuscumque generis, & ubicumque existentibus rursus emigrare & excedere, seque alio conferre, vel denuo ad illa loca, unde emigrarunt, redire, ibique sedem suam vel domicilium iterum constituere, ac nihilominus etiam tum eodem immunitatis & exemptionis privilegio, sicut ante, frui, & gaudere possint & valeant.

Et quo Nostram erga Celsissimum Ducem Syrmiæ propensam benignamque voluntatem evidentiori aliquo testimonio comprobemus, ipsi, ejusdemque Descendentibus, ut supra, indulgemus & concedimus, quod possit & valeat, possint & valeant singulis annis sex ex legitimo matrimonio procreatos ignobiles, quos virtus & merita commendant, autoritate & potestate Nostra nobilitare, ac in Nostros & Sacri Imperii Nobiles creare, facere, ordinare, constituere, ac nobilitatis nomine, ordine atque gradu, fastibusque & titulis insignire, ac insuper familiaribus eorum Armis aliquod insigne addere, per quod veram Nobilitatem eos adeptos esse constet; Qui, & sic per Celsissimum Ducem Syrmiæ, ejusdemque Descendentes legitimos, ut supra, Nobiles creati, facti, & constituti pro talibus vere nobilibus, ab universis & singulis, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, status & dignitatis existant, haberi, dici, scribi & nominari debeant ubique locorum & terrarum in Judicio quocumque, & extra in rebus spiritualibus & temporalibus, ecclesiasticis & profanis quibuscumque, etiamsi talia forent, de quibus in præsenti Diplomate Nostro merito specialis mentio fieri deberet, in tantum, quod in omnibus & per omnia in quibuscunque actibus, negotiis & exercitiis, honoribus & dignitatibus, officiis, muneribus & præeminentiis, libertatibus, privilegiis, gratiis & indultis gaudere, uti & frui possint, & valeant atque debeant, quibus cæteri Nostri, & Sacri Imperii, & quorumcumque aliorum locorum & terrarum Nobiles utuntur, fruuntur, & ad quæ admittuntur quomodolibet consuetudine, vel de Jure.

Verum enim vero cum plurimi diversarum Familiarum ingenui tyrones in Sacro Romano Imperio æque, ac Italia, alibique sub exercitatissimo exercituum Ductoribus, Archistrategis, & Architalassis terra marique militent, dignum videtur, ut, qui ex tyronibus in fortissimos viros abierunt, albo ordinis Equestris inscribantur; quare prædicto Celsissimo Duci Syrmiæ, Suæque Dilectionis Descendentibus Masculis legitimis facultas sit ac potestas, Nostro Nomine facere, constituere, & creare sex quolibet anno Milites, sive Equites, & Equestri dignitate eos insignire, ac insignia, ut moris est, conferendo militaria, condecorare, qui quidem Milites, sive Equites ab ipso, iisdemque creati, plenam potestatem habeant pennis, vestibus, & torquibus aureis utendi, & Equestris ordinis locum & præeminentiam tenendi, & cæteros alios actus Equestres faciendi ubique locorum, ac omnia & singula Jura, Privilegia, exemptiones, immunitates, & prærogativas habeant, quibus utuntur & gaudent alii Milites & Equites, verbo & manu Nostra immediate creati, & tali Dignitate decorati, non obstantibus præsertim *l. p. & 2. & tot. tit. Cod. de Vest. Got. & auratis lib. 11.* recepto tamen ab ipsis, vel ipsorum quolibet Juramento in hunc modum, qui sequitur: videlicet, quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, Nostrisque Successoribus ad id legitime venientibus, ubicumque terrarum & locorum fuerint, seu ad quamcumque Dignitatem & ordinem quantumcumque majorem pervenerint, semper fideles, nec erunt unquam in consilio, tractatu & participatione, ubi Nostrum, & Sacri Romani Imperii damnum & periculum agetur & versabitur, quin potius damna & detrimenta pro virili, & omni possibili modo avertent, orphanos vero, & pupillos, viduas, aliasque personas miserabiles, & ecclesias læsas & oppressas, ubi sciverint, defendent, & tuebuntur.

Similiter Celsissimo Duci Syrmiæ ejusdemque Descendentibus Masculis motu, scientia, & potestate, quibus antea dedimus, & impertiti sumus plenam potestatem, & facultatem, prout etiam per præsens Diploma damus, & impertimur, ut Nostro Nomine, loco, & vice totidem, sex scilicet quolibet Anno Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorii Comites ordinarios facere, & creare possint, & valeant, qui eandem facultatem & potestatem habeant, in creandis scilicet Notariis, & legitimandis Bastardis, quibus tales uti consueverunt, aliisque gratiis, privilegiis, exemptionibus, & honoribus uti possint ac debeant, quibus hujusmodi Comites Palatini a Nobis facti & creati utuntur, fruuntur, & potiuntur consuetudine, vel de Jure.

Postquam igitur, ut jam supra indigitatum, juxta facultatem Celsissimo Duci Syrmiæ, ipsiusque Descendentibus in infinitum concessam, bona quædam emptionis, hæreditatis, alioveullo justo possessionis & acquisitionis titulo indepti fuerint, iisdem pleno Dominii jure utantur, fruantur, nullusque, quicumque is, aut cujuscumque conditionis, status, aut eminentiæ fuerit, molestiam aut impedimentum creare, vel contributionum, impositionum, alioque exactionum reperiendo vocabulo ab ipsis ullo quodam tempore aut colore erogationes ordinarias, vel extraordinarias petere vel exigere ausit. Perinde tamen antiquis fundo & solo inhærentibus, aliisque legitime acquisitis Juribus & præstationibus neutiquam derogatum esse, sed ejuscemodi antiqua rei incumbentia onera sine tertii præjudicio, integra & illibata servare volumus.

Et dum Celsissimus Dux Syrmiæ, ejusdemque legitimi Descendentes bona, seu territoria & terras cujuscumque nominis, aut sortis, emptionis, aut alio quolibet contractu, ad Dominii translationem apto, idoneè acquirent. Hanc quoque insignem prærogativam eidem, ipsisque ea qua supra autoritate largimur & benigne concedimus, ne omnes alii retractus, vel vicinitatis, vel agnationis jure nitentes, Dominia in ipsos rite translata irritare, vel rescindere & annihilare valeant; verum ipse Celsissimus Dux, ejusque omnes Descendentes non attento aliorum prothimiseos jure in possessionibus, Dominiisque partis & comparatis tuti, & securi sint, imperturbatique relinquantur. E contra si ab ipsius Celsissimi Ducis Antecessoribus, ejusdemque Posteris, ex avitis bonis quidquam olim alienatum esset, vel deinceps alienaretur, in iis omnibus legitime recuperandis Jus retractus gentilitium Duci, ejusque descendentibus omnino tribuimus, concedimus, & elargimur: usucapione & præscriptione quacumque ita sublatis, ne ipsi, eisque hæc omnia repetituris obstaculo & impedimento esse queant.

Porro in eo quoque Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusdemque legitimis Descendentibus clementer prospectum esse volumus, ut quoscumque contractus ipsum, eosdemque attinentes, vel quomodolibet illi oblatos, ita intra æquitatis terminos coercere valeant, ne usuræ invicem pactæ stipulatæque legitimum Sac. Rom. Imperii, ejusdemque Recessibus determinatum Interesse, lucri videlicet cessantis, damnique emergentis modum & mensuram egrediantur; quodcunque igitur quincunces usuras excedit, id ipsis revocare, retinere, solutumque repetere, jus & fas esto.

Ulterius Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusque legitimis Descendentibus hanc singularem gratiam libertatemque dedimus & concessimus, damus & concedimus, autoritate, qua fungimur, Cæsarea, deque ejusdem potestatis plenitudine vigore hujus Diplomatis, quod inposterum omnia & singula Nobilia Equestrique Ordini conformia feuda & subfeuda tam Ecclesiastica, quam secularia quomodocumque nominentur & appellentur, nullis omnino exceptis, quæ a Nobis, & Sacro Romano Imperio, vel ab aliis deinceps, & futuris temporibus consecuti fuerint, coemerint, aut alio quocumque modo ut bona feudalia acquisierint, personis Ecclesiasticis & secularibus in feuda & subfeuda concedere, ac elargiri, & ab omnibus illis vasallis consuetum fidelitatis homagium, & Juramentum postulare possint & valeant, ac vasalli absque omni contradictione, vel impedimento ejusmodi feuda a Celsissimo Duce, ejusdemque Descendentibus suscipere, iisque desuper, ut Domino, & Dominis directis, consueta Juramenta præstare teneantur, & si ea vasalli debito tempore non præstiterint, & se opposuerint, vel alia subterfugia quæsiverint, eo ipso feudis & Jure feudali privati ac destituti, Celsissimusque Dux, ac ejus Descendentes, quippe feudorum Domini, talia bona feudalia pro incremento, & melioratione aliarum suarum ditionum, & bonorum sibi vendicare, eademque ut propria retinere, vel aliis ea pro libitu, voluntate, & arbitrio concedendi licentiam facultatemque habere debeant, si quando hæc Nostra facultas, & gratia ullis Ecclesiasticis, & secularibus Juribus, vel communibus, vel feudalibus legibus, constitutionibus, statutis, libertatibus, vel consuetudinibus contraria essent, vel explicari possent, his omnibus, & vel maxime consuetudinibus ac juribus statuentibus (quod Dominus feudi bona sua allodialia, & propria absque consensu Domini feudalis in alias personas deterioris conditionis ac status haud transferre possint, talique eveniente casu vasalli a Domino deterioris conditionis, quam prior Dominus fuerit, feuda acceptare non teneantur) Nos ex vera scientia omnino derogamus, & derogatum esse volumus, supplemusque cunctos & singulos defectus, qualescumque apparere & inveniri poterunt. Statuentes, volentes ac decernentes, quod contra tenorem præmissorum nihil omnino quomodocumque excogitari, explicari, aut proferri posset, usurpari aut admitti debeat, idque de prædicta Cæsareæ, Regiæ, & Archiducalis potestatis Nostræ plenitudine, ac virtute præsentium. Quibus eidem Celsissimo Duci, ejusdemque Descendentibus legitimis hanc quoque specialem facultatem damus, qua vacante per mortem, vel alias in Sacro Romano Imperio, vel Italia, Ducatu, Principatu, Comitatu, vel alio Dominio (si Nos eum Ducatum, Principatum, Comitatum vel Dominium retinere non vellemus, neque Nostri Successores, Sacrumque Romanum Imperium, & Augusta Domus Nostra, ejusdemque Agnati & Cognati eos retinere vellent, aut prætenderent, nec alii Successores, aut legitimi prætendentes existerent) in ejusmodi Ducatu, Principatu, Comitatu vel Dominio emendo & comparando Celsissimus Dux Syrmiæ, ipsiusque Descendentes legitimi aliis extraneis præferri possint & debeant.

Insuper Celsissimo Duci Syrmiæ, Ipsiusque Descendentibus, & hanc gratiam contulimus, iisdemque omnia & singula, tam Feudalia, quam allodialia, & propria bona in ipsorum Ducatibus, Principatibus, Ditionibus, Dominiis, Territoriis, & Jurisdictionibus sita, ac vel per mortem, aut per delictum, aut commissam feloniam eorum qui ejusmodi bona occuparunt, & possederunt, aut alio quocumque modo caduca facta, adeoque in Nostram, Nostrorumque Successorum potestatem reducta & prolapsa, vel per justam cognitionem, vel declarationem in bannum, aut alias de Jure, vel consuetudine vetusta ad Fiscum Nostrum devoluta, clementer donavimus atque elargiti sumus, donamus & elargimur

gimur vigore hujus, de Cæsareæ, Regiæ, ac Archiducalis potestatis plenitudine, plenum jus, & facultatem, quam Nos, posterique Nostri Celsissimo Duci, ejusque posteris in similibus, vel de Jure, vel ex gratia dare atque elargiri possunt. Volentes, & decernentes, quod Celsissimus Dux, ejusdemque Descendentes ejusmodi commissa & confiscata bona nomine Nostro, Successorumque Nostrorum occupent, possideant, & in meliorationem suorum feudalium, vel allodialium vertant cum Feudis juxta Jura feudalia: cum allodialibus vero sicuti propriis aliis suis bonis agitare, disponere, & procedere possint, & valeant: idque absque omni Nostra, Nostrorumq; Successorum contradictione & impedimento.

Ulterius Celsissimo Duci Syrmiæ hanc quoque peculiarem libertatem & gratiam clementer impertimur, quod ipse, ejusque Hæredes, & Descendentes legitimi in suis castris, arcibus, possessionibus, & Dominiis, quousque eorum districtus & Jurisdictio cum ædibus, hortis, prædiis, aliisque appertinentiis sese extendunt, quæque vel nunc possident, vel deinceps justo titulo obtinebunt, Jure Asyli gaudent & frui possint, omnesque & singuli homicidæ, similesque intutæ personæ, & delinquentes (exceptis tamen latronibus publicis) in prædictis castris, terris, dominiis, aliisque domibus, & villis secure morari, talesque homicidæ & personæ criminales ibidem per annum & diem omni libertate potiri, uti, & frui, nec de, vel absque Jure a quocumque Domino capi, atque eripi possint, vel debeant; attamen si post lapsum præscripti unius anni & diei quispiam contra talem, vel tales personas via Juris procedere ac experiri desideraret, sæpe fatus Celsissimus Dux, ejusque Descendentes ut supra erunt obligati, vel sponte sine mora administrare Justitiam, vel delinquentes extradere isti Jurisdictioni & Territorio, in quo delictum perpetratum fuerit, datis tamen literis reversalibus, quod hujusmodi extraditio non debeat vergere in præjudicium unius vel alterius. Volentes, & decernentes, quod Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusdemque hæredibus legitimis detentio similium personarum, postquam ex ipsorum Territoriis dimissi fuerint, nullum omnino inferre debeat detrimentum aut damnum.

Porro Celsissimi Ducis Syrmiæ, ejusque Descendentibus specialem hanc Cæsaream gratiam, facultatemque elargimur & concedimus, quod si aliquando contigerit, ut in ipsorum Ducatibus, Principatibus, Territoriis, Dominiis, aliisque locis ad ipsos pertinentibus, fodinæ, vel auri, vel argenti, vel æris, vel plumbi, vel salis, vel alterius metalli appareant, ejusmodi fodinas cum cunctis metallis omni tempore, vel ipsimet, vel per alios eruere, vel excolere, iisque convenientes & æquas leges ac statuta præficere ac constituere, atque, prout juris & consuetudinis est, iisdem inventis ac excultis, aurum, argentum, æs, aliaque metalla nutrientibus fodinis, cunctis & quibuscumque juribus, immunitatibus, jurisdictionibus, fructibus, decimis, aliisque emolumentis, secundum jura & consuetudines fodinarias, cum omnibus & singulis Feudis propriis & allodialibus, bonis mobilibus & fixis, absque ulla exceptione, quæ Celsissimus Dux Syrmiæ, ejusdemque Descendentes in suis possessionibus, dominiis, territoriis, villisque, quæ & quascumque nunc habent, vel deinceps per mortem, delictum, vel commissum eorum, qui talia bona occupant, vel alio quocumque modo caduca fient, adipiscentur, & Nobis, Successoribusque Nostris Sacri Romani Imperii, vel Nostro, & Imperii Fisco competere possent, libere potiri, frui ac gaudere possint, ac valeant. Promittimusque clementer, quod Nos, & Successores Nostri, Celsissimum Ducem, Suosque, in quieta possessione manutenere, tueri ac protegere, nec permittere velimus & debeamus, ullum ipsis a quopiam inferri præjudicium, id quod etiam de thesauris reconditis, sive in auro, metallo, lapidibus pretiosis, aureis, vel argenteis utensilibus constent, intelligimus, paremque desuper facultatem, & idem Jus hisce clementer impertimur & tribuimus.

Cæterum ut delicta puniantur, & communis salus & utilitas præservetur, scienter & deliberate, maturoque consilio, Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusque Descendentibus legitimis in omnibus suis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominiis, civitatibus, castris, arcibus, oppidis & pagis, quæ impræsentiarum possident, aut posthac legitimo justoque titulo acquirent, Jurisdictionem omnimodam cum Jure Superioritatis clementer concessimus & elargiti sumus, ita ut in iisdem Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominiis, Civitatibus, Castris plenam facultatem habeant tribunal instituendi, furcasque, vel infames trabes erigendi; ac pro libitu, locorumque opportunitate, unum pluresve Judices, vel Scultetos, Præfectosque constituendi ac præficiendi, illisque personas necessarias surrogandi, ac criminalem Jurisdictionem exercendi. Concedimus, impertimur, & elargimur sæpefato Celsissimo Duci, atque ejus Descendentibus in infinitum, gratiam hanc de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, animo deliberato, tenore præsentium, quod in præmemoratis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominiis, castris, oppidis, & territoriis suis, si & quotiescumque e re visum fuerit, in locis magis commodis unum pluresve Judices idoneos, habilesque Officiales, unumque vel plures Substitutos iis subrogare ac ordinare, ibidemque per ipsos de omnibus & singulis causis civilibus, & criminalibus, utpote præteritionibus telonii, delictis, maleficiis, excessibus (nullis omnino exceptis) sive merces, & bona eo pertinentia debita, pœnæ, mulctæ, relegationes ex patria, pœnæ corporales, immo vitæ & necis, & omnes alii casus meri & mixti Imperii, vel alias communis Jurisdictionis sint, vel æstimentur, querelas formare, judicialiter procedere, cognoscere, & sententiam pronunciare, eamque exequi, nec non in prædictis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominiis, castris, civitatibus, oppidis, & appertinentibus locis & territoriis, exiles & graves mulctas, pro locorum consuetudine & æquitate rei dictare, omne hoc peragere, quod in similibus decet, in cunctis quoque causis & casibus, tam civilibus, quam criminalibus, æquas leges, salutares constitutiones, & statuta Juri Communi, legibusque Nostris, & Imperii consona, adeoque efficacia perinde ac si a Nobis, Nostrisque Posteris condita forent, ponere, facere ac stabilire, eaque pro opportunitate temporis, & convenientiæ, quoties necessitas poposcerit, denuo abolere, mutare, meliorare, vel omnino cassare, prætactasque multas exigi-

exigere, iisque sine omni contradictione & impedimento potiri ac frui possint ac debeant, omnesque ac singuli, qui ibidem possessionati, ac prædictis Jurisdictionibus subjecti degent, ad sistendum se, & parendum erunt obstricti, ita Celsissimus Dux Syrmiæ, ejusdemque Descendentes legitimi, Domini ac possessores præfatorum Ducatuum, Principatuum Comitatuum, Dominiorum, castrorum, civitatum, oppidorum, pagorum, & territoriorum in iisdem uno alterove loco, pro libitu & arbitrio, patibulum, furcam, & infamem trabem erigere, judicialiter super delictis procedere, honestis ac idoneis, qualificatisque personis ulteriorem Judicaturam committere, ac per ipsos tales personas maleficas, in suis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominiis, civitatibus, oppidis, eorumque districtibus & jurisdictionibus apprehensas, incarcerare, easque, ac alios facinorosos aliunde & extra territorium captos, & ad debite puniendum adductos, habitis sufficientibus indiciis, torquendo examinare, ac juxta cujusque confessionem vel manifestas actiones, Juribus Imperii & consuetudinibus conformiter, publice dijudicare ac punire debeant & possint, absque omni contradictione & impedimento, ita tamen ut Celsissimus Syrmiæ Dux, ejusque Descendentes legitimi, detentores & possessores antedictorum Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, Dominiorum, castrorum, civitatum, & oppidorum, ab ipsorum Judicibus & officialibus, ad id constitutis, consuetum juramentum pro debita observantia æquitatis & justitiæ excipiant, ea lege, ut tanquam impartiales Judices contra pauperem æque, ac divitem, & vice versa, insuper omni respectu, amore, odio, dono, favore, timore, amicitia atque inimicitia omnino sepositis, & posthabitis, nec secus in aliis causis agant, & procedant, ac decernant, quam ut decet, & suo tempore coram omnipotenti DEo in extremo Judicio respondere, tueri, ac defendere velint, & possint bona fide.

Quandoquidem vero usu compertum est, hujusmodi Privilegia & Diplomata non posse semper sine periculo corruptionis vel amissionis de loco ad locum transportari propter sequentes temporum ac rerum mutationes; Volentes etiam hac in parte Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusdemque Descendentibus legitimis consulere, ne, quoties præsentium literarum concessionumque beneficio uti voluerint, necesse habeant, Originale hoc Nostrum producere; idcirco ordinamus, ut plura exempla sub authentico alicujus Prælati, Principis, Comitis, Baronis, Magistratus, Provincialis, aut municipalis, vel etiam alterius alicujus egregiæ & fide dignæ personæ Sigillo transumere, vel transumi, sive per Notarium legalem Copiam authenticam & collationatam in præsentia duorum Testium fide dignorum subscribi & subsignari facere possint, quibus parem fidem in Judicio, extra, ac alias ubicumque adhiberi volumus, ac si hæ originales literæ hujus Diplomatis oculos legentium fugerent, nec agnosci possent; Et vel Sigillum frangeretur, vel incendio consumeretur, vel etiam Celsissimo Duci, ejusque Descendentibus eriperetur, tunc memorata transumpta, modo, qui supra demonstratus est, facta, eandem, quam archetypus fidem, & roboris firmitatem ubique locorum & terrarum obtinere, nec in ullis actibus ac negotiis tam Ecclesiasticis, quam profanis, ac mixtis, minus ac præsens originale valere debebunt, non obstantibus in præfatis omnibus & singulis quibuscumque legibus, constitutionibus, decretis, consuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, & prærogativis, quocumque nomine censeantur, ac cujuscumque tenoris existant, tam factis, quam fiendis per Nos, & Prædecessores Nostros, aut per quoscumque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vniversitates, vel alias cujuscumque generis vel conditionis, sub quibuscumque clausulis & verborum expressionibus, etiamsi talia forent, de quibus de verbo ad verbum necesse esset hic fieri mentionem specialem in contrarium facientibus; quibus omnibus & singulis, in quantum huic Nostræ concessioni & indulto obstarent, vel obstare possent, Cæsarea autoritate & potestatis nostræ plenitudine, motuque & scientia, supramemoratis per præsentes derogamus, & derogatum esse volumus.

Permittimus quoque Celsissimo Syrmiæ Duci, ejusdemque legitimis Descendentibus posterisque, ut, quoties hujusmodi per Nos concessa libertate aut prærogativa uti contigerit, non opus habeant, integrum præsentis Diplomatis tenorem literis suis, quas desuper expediri curaverint, sed tantum caput ad hoc spectans, una cum parte exordii, & annotatione loci & diei, quo ipsum Diploma datum est, commemorare, & speciatim exprimere sufficiat.

Declaramus etiam, si forte contingat, Celsissimum Syrmiæ Ducem, ejusque Descendentes legitimos, ut supra, hujusmodi gratiis, libertatibus, indultis, immunitatibus, Privilegiis, exemptionibus, & concessionibus, aut aliquibus earum aliquando non uti, hujusmodi non-usum in prædictis privilegiis nullum præjudicium, impedimentum, damnum, vel defectum generare, vel adferre, quinimo hujusmodi concessiones, gratias, & immunitates nihilominus in suo robore perpetuo salvas, integras, & incolumes esse, aut Celsissimum Syrmiæ Ducem, ejusdemque hæredes, ac posteros legitimos, quandocunque commodum fuerit, iisdem pro rei necessitate, ac voluntatis illorum arbitrio libere, & sine omni impedimento uti, frui, potiri, & gaudere posse, valere, & debere.

Demum impertimur & concedimus Celsissimo Duci Syrmiæ, & ejus Descendentibus legitimis ac posteris, hanc specialem gratiam facultatemque, ut pro reali executione & manutenentia horum nostrorum Privilegiorum ac immunitatum unum vel plures nostri ac Sac. Romani Imperii Electores, Principes, Prælatos, Comites, Barones, vel Civitates pro conservatoribus, protectoribus, Commissariis Cæsareis, Executoribus, ac arbitris, qui ad requisitionem ipsorum (sicuti iis eum in finem plenam hisce facultatem & potestatem elargimur) mandare, inhibere, exequi, manutenere, imo id facere ac peragere possint ac debeant, quod Nos, qua Romanorum Imperator, ad actualem executionem, & efficacem manutenentiam præmemoratorum nostrorum Privilegiorum faceremus & facere possemus in omnibus & singulis occasionibus, occurrentibus casibus pro rei exigentia, ac liberæ voluntatis ipsorum arbitrio, sine omni impedimento eligere possint & valeant. Aut si Celsissimo Syrmiæ Duci, ejus-

ejusque Descendentibus legitimis, ac Posteris, commodum magis integrumque visum fuerit, horum nostrorum Privilegiorum, concessionum, gratiarum, ac immunitatum temerarios contemptores ac violatores in uno, vel pluribus punctis, alia Juris via, vel in aliis commodioribus Judiciis ob promeritas pœnas vel mulctas, earumque declarationem coram Nobis & Nostris S. R. I. Successoribus Imperatoribus & Regibus, vel in Camera Nostra Imperiali nomine proprio, vel per Cæsareum Nostrum Fiscalem convenire, deferre, atque ad declarationem pœnæ procedere, hoc ipsum Celsissimo Duci ejusque Descendentibus legitimis liberum sit; Nosque liberæ voluntatis ipsorum arbitrio & electioni clementer committimus, & commissum esse volumus.

Postremo sæpissime-fato Celsissimo Duci Syrmiæ, ejusque Descendentibus legitimis donamus & conferimus hanc gratiam facultatemque, neminem eorum teneri, confirmationem hujus Privilegii a Nostris, ac S. R. I. Successoribus, Imperatoribus, Regibus, vel Austriæ Archiducibus de novo expetere; Verum his decernimus clementer ac volumus vigore harum literarum, quod omnia & singula in his contenta ac comprehensa Privilegia, concessiones, donationes, gratiæ, & immunitates omni ævo, & in æternum tanti valoris tantæque efficaciæ esse debeant, perinde ac si a quocumque, ac Sac. Romani Imperii Successorum Romanorum Imperatorum, Regum & Archiducum Austriæ successive specialiter confirmata vel stabilita, confirmatæ vel stabilitæ ac corroboratæ forent omnibus privilegiis, statutis, juribus ac consuetudinibus præsentibus, & futuris, hisce contrariis non attentis.

Quapropter mandamus ac præcipimus omnibus & singulis Nostris ac Sacri Romani Imperii Electoribus, aliisque Principibus, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Locumtenentibus Gubernatoribus, Præsidentibus, Præfectis, Castellanis, Rectoribus, Magistratibus, Antianis, Vexilliferis, Potestatibus, Civium Magistris, Consulibus, Judicibus, ac generaliter omnibus Nostris, ac Sac. Rom. Imperii, Regnorumque ac Provinciarum Nostrarum hæreditariarum subditis, & fidelibus dilectis, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis aut præeminentiæ existant, ut Celsissimo Duci Syrmiæ, & Sacri Romani Imperii Principi, Consanguineo Nostro Charissimo, ejusdemque Descendentibus legitimis utriusque sexus, in prædicto simul Ducatu Syrmiæ, aliisque terris & Dominiis in infinitum successuris Ducibus & Principibus antedictum prædicatum, ac dignationis vocabulum *Celsissimorum* (quod Italice *Altezza Ducale*, & latine *Celsitudo Ducalis*) exprimi solet, tribui sedulo curent, idemque ipsis pariter tribuant, nec minus etiam omnibus & singulis gratiis, honoribus, dignitatibus, libertatibus, regalibus, præeminentiis, prærogativis & indultis, ipsi, iisdemque hoc Nostro Diplomate concessis, libere & pacifice uti, frui, potiri & gaudere sinant, nec quidquam ipsis ea in parte molestiæ vel impedimenti facessant, quin potius eundem, & ipsos in iis, ut supra, tueri, defendere ac conservare studeant, ac idem ab aliis etiam, quantum in ipsis erit, fieri curent.

Si quis vero præsens edictum hoc Nostrum ausu quopiam temerario transgredi vel violare præsumpserit, is præter gravissimam Nostram & Sac. Rom. Imperii indignationem, mulctam quoque centum marcarum auri puri Fisco seu Ærario Nostro Imperiali pro dimidietate, reliqua vero parte injuriam passi, seu passorum usibus toties, quoties in contrarium quidquam attentatum factumque fuerit, omni spe veniæ sublata, pendendam noverit.

Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Aureæ Nostræ Bullæ typario munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ Die undecima Decembris, Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Regnorum Nostrorum Romani quadragesimo primo, Hungarici quadragesimo quarto, Bohemici vero quadragesimo tertio.

LEOPOLDUS.

N. Dominicus Andreas, Comes a Kaunitz.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Lutzo Dolberg, manu propria.

Loco † Bullæ aureæ Typis.

Caput XXV.
De Marchionibus Pallavicinis.

I.

Joannis de Arragonia, S. Adriani, Cardinalis Diaconi, & Apostolicæ Sedis de latere Legati Privilegium, in quo Marchionibus Pallavicinis Ecclesiam quandam in territorio eorum instaurandi atque dotandi facultatem concedit, d. d. 3. Id. Octobr. Anno 1469.

JOannes de Arragonia miseratione divina S. Adriani S. R. E. Diaconus Cardinalis ad Ungariæ, Boemiæ, & Poloniæ Regna, ac universas, & singulas Provincias, Civitates, terras & loca Illustrissimis dictorum regnorum Regibus subjecta, & illis vicina, seu adhærentia, & ad quæcumque loca divertimus, Apostolicæ Sedis de latere Legatus. Dilectis nobis, nobilibus Viris Joanni Francisco militi, Antonio, Alexandro, & Joanni Baptistæ fratribus Marchionibus Pallavicinis de Scipiono Placentin. Diœcesis, salutem in Domino sempiternam, salubria vota fidelium, ex quibus divini cultus speratur augmentum, & salus provenit animarum, pia affectione prosequimur, ac eis, ut optatum sortiatur effectum, cum a Nobis petitur, favorem apostolicum impertimur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod cum Ecclesia ruralis S. Nicomedis de Fontana brocula Parmen. Diœc. magna indi-

indigeat reparatione, vos cupientes terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis vobis a DEO collatis pro vestra, ac parentum vestrorum animarum salute, Ecclesiam prædictam campestrem reparare, & reficere de competentibus pro Presbytero seu Capellano missas, & alia divina officia inibi celebrante redditibus dotare proponatis, affectantes, quod ipsius Ecclesiæ S. Nicomedis Jus patronatus vobis, & aliis de familia hæredibus, & successoribus vestris, a vobis legitime descendentibus, in perpetuum reservetur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vestro pio proposito, & affectioni paternæ annuere de benignitate Apostolica, cujus legationis fungimur officio, sufficienti desuper per S. D. Nostri Sixti Papæ quarti literas, facultate muniti dignaremur.

Nos igitur, qui cultum Divinum nostris potissime temporibus adaugere desideriis exquirimus indefessis, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis Ecclesiam prædictam reparandi, & reficiendi, illamque pro uno Presbytero, inibi Altissimo famulante, sufficienter dotandi plenam, & liberam licentiam auctoritate eadem largimur; & insuper, si, & postquam reparatio, & dotatio prædictæ factæ fuerint, Jus patronatus dictæ Ecclesiæ, & præsentandi personam idoneam ad illam quamprimum, & quotiens vacare contigerit, vobis, quoad vixeritis, &, vobis rebus humanis exemptis, prædictis hæredibus, & successoribus à vobis legitime descendentibus, eadem auctoritate reservamus, atque concedimus, statuentes, & ordinantes, quod decedentibus omnibus de dicta familia de Marchionibus Pallavicinis, adveniente vacatione dictæ Ecclesiæ, illius collatio, provisio, & omnimoda dispositio ad Ordinarium loci penitus & omnino devolvatur, jure tamen Ecclesiæ prædictæ, ac cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis inferiori auctoritate nostra scienter vel ignoranter contigerit attentari, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. In quorum fidem & testimonium præsentes exinde fieri fecimus, nostrique sigilli jussimus apprehensione communiri. Dat. Mediolani, apud Majorem Ecclesiam, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, tertio Idus Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Sixti, Papæ quarti prædicti, anno nono.

Subscript. *Fe. V. A. Insulen.*

P. de Instanella, Auditor.

A tergo. *Aloysius de Curtis.*

Cum sigillo in capsula ænea appenso cum cordula filisellí rubei &c.

Penes Illustriss. DD. Marchiones Pallavicinos de Scipiono, & etiam in actis Curiæ Episcopalis Burgi S. Donini.

II.

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, literæ, in quibus Marchiones Pallavicinos de feudis, in ipsis literis nominatis, investivit, eorumque investituras & privilegia, a Romanis Imperatoribus olim obtenta, confirmavit, d. d. 7. Martii, Anno 1636.

FErdinandus Secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quod cum Nobis Nobiles Nostri, & Sacri Imperii fideles dilecti, Galeatius, alias Hieronymus, ac Adalbertus, & Hermes, Fratres Marchiones Pallavicini, nec non Joannes Franciscus Marchio Pallavicinus tutorio nomine liberorum quondam Sfortiæ, pariter Marchionis Pallavicini humiliter exposuerint, quondam Ubertum Marchionem Pallavicinum, a quo ipsi originem trahunt, ob multa servitia, quæ quondam Friderico, & Conrado Romanorum Imperatoribus gloriosæ memoriæ, cum jactura suarum rerum, ac vitæ discrimine præstiterit in annis supra mille ducentos undequinquagesimo, & quinquagesimo tertio, multis Castris, terris, & bonis, juribusque & prærogativis donatum fuisse, quarum Donationum, Jurium, & prærogativarum confirmationes posteris dicti Uberti Marchionis Pallavicini, a quondam Romanorum Imperatoribus, & Regibus Ludovico, Carolo quarto, Wenceslao, Sigismundo, concessæ fuerint, quarum tenor in hæc verba sequitur: Sigismundus DEI Gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium universis. Regalis Eminentiæ generosa sublimitas, etsi subditorum universaliter omnium votis grata benigniter dignetur annuere, illorum tamen desideriis condescendendum quadam singularitate se sentit obnoxiam, in quibus Sacrum Romanum Imperium specialius decoratur, quique Nobilitate, ac morum venustate conspicui, claris præeminentiæ cernuntur operibus, & variis virtutum meritis adjuvantur. Sane pro parte Magnifici Domini Rolandi Marchionis Pallavicini ac Burgi Sancti Donini, Nostri & Imperii Sacri fidelis dilecti, per honorabilem & egregium Legum Doctorem, Ægidium de Ripariis, Civem Cremonensem, Nostrum & Imperii Sacri fidelem dilectum Ambasciatorem & Procuratorem suum, ac Nuntium Generalem & Specialem ad infrascripta legitime constitutum, prout in Instrumento Mandati sive constitutionis hujusmodi, coram Majestate Nostra exhibito, plenius expressum est, Nobis oblata petitio continebat, ut ipsum Ægidium in personam dicti Rolandi, seu præfatum Rolandum in personam Ægidii de prædicto Marchionatu Pallavicino, ac Burgi S. Donini, cum omnibus etiam Juribus, Jurisdictionibus, auctoritatibus, dignitatibus, eminentialibus, honoribus, gratiis, exemtionibus, indultis, Vasallis, afflictis hominibus & subditis, Castris, terris, territoriis, limitibus, confinibus, villis, Curiis, casamentis, domibus, areis, pratis, pascuis, nemoribus, piscariis, aquis, aquarumve decursibus, puteis a sale, censibus, redditibus, proventibus, Regalibus, & pertinentiis suis, ac cum mero & mixto imperio, gladiique potestate, per divæ recordationis Romanorum Imperatores & Reges, Prædecessores Nostros, dicti Rolandi Progenito-

nitoribus, ac sibi concessis, donatis, & indultis, nec non de Castro Burgi Sancti Donini cum villis spectantibus & pertinentibus ad dictum Castrum Parmensis Diœcesis, de Castro Busseti cum villis spectantibus ad ipsum Castrum, & hominibus habitantibus, & habitaturis in eis Cremonensis Diœcesis, de Castro Tarani Marchionum, cum villis spectantibus & pertinentibus ad ipsum Castrum, specialiter cum villis montis Manulli, Banzallarum, aliisque villis territorii sui Parmensis Diœcesis, ac hominibus habitantibus & habitaturis in eis, de Castro Monticellorum de Unginis, partim Cremonensis, & partim Placentiæ Diœcesis, cum villis castri veteris Sancti Juliani Oleziæ Insulæ de Conradis Diœcesis Cremonensis, ac cum hominibus & pertinentiis suis singulis investire, sibique de novo concedere auctoritate Romana Regia dignaremur, cum paratus esset prædictus Ægidius Procurator & Nuntius, ut supra, vice & nomine ejusdem Rolandi debitum & consuetum præstare fidelitatis & subjectionis Nobis, & S. Imperio Romano juramentum, sicut a Progenitoribus ipsius Rolandi, ac commemoratis nostris Prædecessoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus præstari & fieri hactenus est consuetum. Nos igitur attendentes intemeratæ fidei constantiam, sinceræ devotionis affectum, ac innatæ fidelitatis contracta plurimum obsequia, quibus sæpedicti Rolandi progenitores præfatos Nostros Prædecessores quibuscunque Sacrum Romanum Imperium accuratis studiis decorarunt, ac ipse Rolandus Nos & Imperium ferventius honorare poterit, & debebit in futurum, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, sed maturo Principum, Comitum, Baronum, Procerum & fidelium nostrorum accedente consilio eundem Rolandum, licet absentem, in persona prædicti Ægidii Procuratoris, prius recepto ab eodem nomine suo, corporali ac debito fidelitatis & subjectionis juramento, quod in talibus consuetum est præstari, de suprascriptis, Marchionatu, juribus, auctoritatibus, dignitatibus, eminentialibus, honoribus, gratiis, exemptionibus, indultis, vasallis, effectibus, hominibus & subditis, castris, terris, territoriis, limitibus, confinibus, villis, curiis, casamentis, domibus, areis, pratis, pascuis, nemoribus, piscariis, aquis, & aquarum decursibus, puteis a Sale, censibus, redditibus, proventibus, Regalibus & pertinentiis, quibuscunque vocabulis designentur, quos, quas, & quæ prædicti Rolandi Progenitores a prædictis nostris prædecessoribus tenuerunt ac possederunt, & ipse Rolandus tenet, & possidet, in quibuscunque locis, & ubicunque consistant, nec non de supra nominatis Castris Burgi Sancti Donini, Busseti, Tarani, & Monticellorum, cum villis, montis Manulli, Danzollarum, Castri veteris Sancti Juliani, Oleziæ Insulæ de Conradis, Cremonensis Diœcesis, ac cum hominibus, & pertinentiis suis singulis, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate investivimus, & auctoritate Romana Regia gratiosius investimus, eaque sibi cum pleno jure cessimus, & donamus per ipsum, & legitimos hæredes suos tenendi & possidendi, ac a Nobis & Successoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus sive Regibus, toties quoties expedit, & natura prædictorum Marchionatus, Castrorum, Villarum & pertinentiarum requirit, recipiendi juxta ritum & modum in talibus servari solitum consuetudine sive jure, non obstantibus aliquibus Juribus, Communibus, sive municipalibus, consuetudinibus, ordinantiis & statutis in contrarium facientibus. Quibus quod præmissa de Romanæ Regiæ potestatis plenitudine, & ex certa scientia derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes, nostris tamen & Imperii Sacri, ac aliorum quorumlibet in præmissis omnibus & singulis semper salvis. Cæterum de uberiori munificentia donorum, & ut prædictus Rolandus sinceram affectionem nostram erga se plene cognoscat, ipsum in nostrum, & Imperii Sacri proprium & singularem subditum & devotum suscipimus, & recommissum. Volumus autem, ut idem Rolandus, dum præsentiam nostram commode poterit accedere, præscriptum Marchionatum cum omnibus prænominatis pertinentiis de manibus nostris Regiis corporaliter suscipiat, & præstet, ut moris est, fidelitatis & subjectionis solitum Juramentum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ investituræ, concessionis, donationis, derogationis, & voluntatis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire sub pœna indignationis nostræ gravissimæ, & centum marcarum auri puri, quarum medietatem Imperiali nostro ærario, sive fisco, residuam vero partem injuriam passorum usibus statuimus applicandam. Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Laudæ Anno a Nativitate Domini millesimo, quadringentesimo tertio decimo, quinta die Decembris, Regnorum nostrorum anno Hungariæ vigesimo septimo, Romanorum vero quarto. *A tergo:* ad Mandatum Domini Regis, Joannes Kirchen. Sigillatum sigillo prædicti Serenissimi Regis, pendente cum chorda setæ tricisatæ, trachinæ & rubeæ.

Ac proinde demisse Nobis supplicarint, ut ob præmemorata grata servitia, quæ dictus quondam Ubertus Marchio Pallavicinus, & ejus Descendentes, in hæc usque tempora Sacro Romano Imperio præstiterint, & propter quæ dictas donationes promeruerint, se in Nostram & ejusdem Sacri Romani Imperii protectionem & tutelam clementissime recipere, ac imprimis ipsis tam sæpedictas Donationes, quam titulos, & prærogativas, ac Jura a prædictis Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus obtentas, benigne confirmare dignaremur. Nos inclinati hujusmodi humilibus prænominatorum supplicantium precibus, benigne attendentes insuper grata & fidelia obsequia per ipsos Marchiones Pallavicinos quoquo tempore Nobis exhibita, & quæ deinceps quoque poterunt, atque debebunt, tenore præsentium ex certa scientia, sano accedente consilio, & auctoritate nostra Imperiali, & alias omni meliori modo, & forma, quibus validius, & efficacius fieri potest & debet prædicta privilegia, ac literas, & omnia, ac singula in eis contenta in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, & sententiis confirmamus, approbamus & corroboramus, & Imperialis Auctoritatis robore, & firmitate munimus, supplentes omnes defectus tam Juris quam facti, qui in prædictis quovis modo intervenissent, seu intervenisse dici possent. Decernentes, eadem privilegia, & in eis contenta, rata, firma, & valida perpetuo in judicio & extra esse & conseri, ipsosque

prædi-

prædictos Galeatium, alias Hieronymum, ac Adalbertum, & Hermetem Fratres, nec non liberos quondam Sfortiæ eorum Fratris, omnes Marchiones Pallavicinos, pro se, & hæredibus, & descendentibus suis eisdem privilegiis, ac omnibus & singulis in eis concessis, prout ad eos spectant, & pertinent, & hac nostra confirmatione corroborantur, libere uti, frui, & gaudere posse, ac debere; Legibus, Decretis, Ordinibus, Constitutionibus, & aliis quibuscunque in contrarium facientibus, non obstantibus: Quibus omnibus & singulis (eorum tenores hic pro expressis habentes, etiamsi talia forent, de quibus specialis, & individua mentio facienda esset) pro hac vice duntaxat derogamus, & derogatum esse volumus. Nostris tantum, & Sacri Romani Imperii Juribus semper salvis & illæsis; Nulli ergo hominum hanc nostræ approbationis, confirmationis, ac corroborationis paginam contemnere, infringere, violare, aut ei quovis ausu temerario contraire liceat; Si quis autem secus faxit, is (præter quod gravissimam nostram incurret indignationem) centum marcas probi, puri, puti auri, ex semisse Imperiali nostro Ærario, sive fisco, ex altero semisse injuriam passorum usibus, omni veniæ ac remissionis spe sublata, applicandas dare damnas esto. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum; Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die septima mensis Martii, Anno Domini supra mille sexcentos sexto & trigesimo; Regnorum nostrorum Romani septimo decimo, Hungarici duodevicesimo, Bohemici vero undevicesimo.

FERDINANDUS.

(Locus Sigilli Cæsarei.)

P. H. a Strahlendorff.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Johannes Walderode.

III.

Ejusdem Rescriptum ad Odoardum Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, directum, in quo eum, ut Marchionibus Pallavicinis statum Pallavicinum, per Parmenses olim ereptum, nulla interjecta mora, restituat, hortatur, d. d. 13. Octobr. Anno 1637.

Ferdinandus Tertius divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Illustrissimo Odoardo Farnesio, Duci Parmæ, & Placentiæ Principi nostro Charissimo salutem, & benevolentiam nostram Cæsaream, ac omne bonum. Exposuerunt Nobis humillime Magnifici Nostri, & Sacri Imperii fideles Dilecti Galeatius, alias Hieronymus, & Consortes Marchiones Pallavicini, quod, postquam Ascendentes Uberti Marchionis Pallavicini ab Anno Noningentesimo sexagesimo, quo Adalbertus ex Marchionibus Badensibus, qui primus inter eosdem Ascendentes sub Auspiciis Ottonis primi Gentem Pallavicinam ex Germania in Italiam transtulerit, ibidemque suæ Majestatis turmarum equestrium Ductor fuerit, ac etiam Vicarium generalem per Lombardiam egerit, multa bona in iis partibus acquisiverint, & possederint, tandem annis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, millesimo ducentesimo quinquagesimo, & millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio dictus Ubertus, qui etiam Vicarius Imperialis per Italiam fuerit, a quo Originem suam supplicantes quoque trahant, propter servitia quondam Friderico, & Conrado Romanorum Imperatoribus, Prædecessoribus Nostris, non sine levi rerum suarum jactura, & vitæ discriminibus præstita, utque etiam melius & virilius hostibus Romanis resistere posset, ne Avidi Apuliæ partes, & Siciliæ, quibus tunc inhiabant, per Lombardiam ullatenus pertransirent, plurimis castris, terris, bonis, juribus, & prærogativis donatus fuerit, segregando dicta bona a potestate Civitatum Parmæ, Placentiæ, & Cremonæ, & subjiciendo illa omnimode potestati & imperio ejusdem Uberti, & Successorum suorum ab ipso procreandorum, & descendentium, quas deinde donationes plures alii subsecuti Imperatores ipsius Uberti Descendentibus confirmarint, ut ultimo Ludovicus Bavarus in Personam Manfredini filii sæpedicti Uberti, Carolus quartus in Personam Uberti filii dicti Manfredini, Wenceslaus in personam Nicolai proxime dicti Uberti, & Sigismundus in personam Rolandi filii proxime dicti Nicolai, ita quod dicti Marchiones in possessione vel quasi dictorum Castrorum, terrarum, bonorum, & Jurium, supra trecentos annos fuerint, deque iisdem varias inter se conventiones, & declarationes, nec non substitutiones fecerint in eventum, quod quis illorum sine liberis ex se decederet, quarum vigore supradicta bona pro majori parte cedere & obvenire debebant Galeatio supplicantium Genitori, & respective Avo, non solum quod ejus Pater Adalbertus solus ex Descendentibus Joannis Ludovici, & Pallavicini Rolandi natorum filios ex se procreatos reliquerit, verum etiam quod idem in testamentis Galeatii Senioris ejus Avi Christophori ejus Patrui, & Hermetis ejusdem Consobrini, suo tempore præsentatis substitutus fuerit, quas omnes hæreditates dictus supplicantium Pater agnoverit, & adiverit.

Contigisse autem, quod cum Marchio Sfortia Pallavicinus, utpote qui majorem partem dictorum bonorum possederat, liberis propriis carens, filium quendam Alexandrum, Alphonsi Pallavicini Filium adoptaverit, sed non descendente a Dn. Joanne Ludovico Pallavicino, ad quos potior pars dictorum bonorum pervenerat, quæ deinde ad ipsum Sfortiam transierint, contra conventiones, & fidem prædicto Adalberto datam, ipsi omnia sua bona tradiderit, propter quod diuturnæ & magnæ lites exortæ fuerint. Quarum litium cognitio licet ea ad Cæsarem, ejusque Consilium Imperiale Aulicum spectaret, eo quod prædicta bona Sacro Romano Imperio immediate subjecta sint, & ab eodem Imperio, seu Imperatoribus, ut præmissum est, pervenerint, nihilominus tamen Duces Parmenses, Prædecessores Dil. tuæ, eam sibi arrogarunt, & supplicantium

entium Patrem coram suis Tribunalibus stare, & respondere coëgerint, contra quas coactiones ne hiscere quidem, multo minus ad Cæsarem provocare ausus fuerit; DEum autem justum Judicem fecisse, quod nulla unquam in causa sententia lata fuerit; Interea vero sæpedictus Galeatius Adalberti Filius supplicantium pater mortuus fuerit, liberisque suis omnibus minoribus, immo pupillis & infantibus, Duces Parmæ, Octavium atque Alexandrum, eorumque Descendentes, Tutores, Curatores ac Protectores constituerint, quam deinde tutelam, & protectionem præfati Parmenses Duces, utpote qui statum Pallavicinum jam antea affectarint, nacti; Agnoscentes, quod prædictus Alexander Pallavicinus adoptatus a Sfortia prædicta bona indebite teneret, hanc ipsam tutelam opportunam dictum Statum acquirendi occasionem esse censentes, Fulviam Pallavicinam natam Martinengam, Matrem ac Contutricem supplicantium Parmam citari curarint, ac mediante persona Principis Rainutii blandis verbis, immo etiam minis, ab illa, & supplicantibus (quos eidem actui intervenire voluit, licet, ut præmissum est, major pars illorum Pupilli, Infantes, Seniores vero minorennes fuerint) ab eisdem petierint, quatenus eidem Duci Alexandro Jura sua cederent, quæ in dictis bonis, seu statu Pallavicino sibi competerent, facta eidem promissione oretenus, quod pro ejusmodi cessione aliquot centena millia Ducatorum persolvi deberent; Qua cessione per minas a muliere Jus non habente, & sine interpositione Decreti Cæsarei, nulloque consensu obtento extorta, præfatus Princeps Rainutius nomine Genitoris sui, Ducis Alexandri, prædicta bona omnia & singula, ejecto exilisque Alexandro Pallavicino intruso, occupaverit, eaque ab inde tam ipse, quam Successores sui, usque ad mensem Septembris Anni proxime elapsi 1637. tenuerint, neque supplicantibus quidquam de promissis tot centenis millibus Ducatorum exsolverint. Veriti itaque supplicantes, ne dicta cessio (quamvis omnino nulla) sibi, posterisque suis non leve præjudicium aliquando allatura esset, si aliter voluntas ipsorum non appareret, Jurisperitos pro opportuno remedio consulerint, & tandem anno 1603. coram Notariis & testibus ex Jurisperitorum consilio de ejusdem nullitate, tanquam non ex libero, sed coacto animo, metuque reverentiali extortæ, non exortæ protestati fuerint. Unde gravati supplicantes prædictas invasiones, & occupationes bonorum ad suos Majores, & consequenter ad ipsos ex Donationibus Imperialibus, testamentis & conventionibus prædictis spectantium, intelligentesque inter Dil. Tuam & Præfatum Alexandrum Adoptivum tractationem supra dicto statu Pallavicino instructam, quodque Dilectio Tua apud quondam Cæsaream Majestatem Dominum Parentem, & Prædecessorem Nostrum Colendissimum, consensum, & interpositionem Decreti sui Cæsarei petere voluerit: Ideo ad occurrendum indemnitati suæ prævenientes Dilectionem Tuam ad eandem Sac. Cæs. Majestatem, & Dil. suam humillime recurrerint, ac totius facti serie exposita, ejusdem Sac. Cæsareæ Majestatis & Dil. suæ, Sacrique Romani Imperii Protectionem desuper implorarint, a cujus Clementia post elargitum sibi Diploma Cæsareum, quo sibi tam sæpe dictæ Donationis, quam tituli, & prærogativæ, & Jura omnia a prælibatis Imperatoribus & Regibus denuo confirmata fuerint, Mandatumque ad Commissarium per Italiam Generalem, Principem Jo. Andream ab Auria Landum obtinuerint, quo eidem injunctum atque commissum fuerit, quatenus ipsis supplicantibus opem & assistentiam suam impenderet, quo re ipsa fructu Privilegiorum noviter a prædicta sua Cæsarea Majestate & Dilectione sua confirmatorum potirentur, qui deinde Commissarius noster apud Gubernatorem Mediolanensem Marchionem de Leganes literis suis ad eundem exaratis institerit, ut idem cum primum Ditio Parmensis, ad quam occupandam tunc Exercitus Catholicus tendebat, occuparetur, supplicantes in possessionem prædicti status Pallavicini tanquam indebite spoliatos induci, & remitti faceret, unde factum fuerit, quod ex ejusdem Gubernatoris mandato Don Martinus de Aragonia supplicantes in realem, corporalem & actualem possessionem induxerit, quam deinde per suos Procuratores & Mandatarios solemniter, & cum applausu omnium Confinantium apprehenderint, & complures actus possessorios exercuerit, fructus exinde percipiendo, & in Castris, terris, & locis novos Prætores, Officiales, & Massarios constituendo, ac deputando. Ac tametsi quidem Dil. Tua plenam in iis omnibus actis notitiam ac scientiam habuerit, nimirum, quod supplicantes ex & de mandato supradictæ Sacræ Cæsareæ Majestatis, ac Dil. suæ, in possessione sæpememoratorum bonorum, quæ vocantur status Pallavicinus, venerint, possessionemque eorundem rite apprehenderint, fructus perceperint, aliosque actus possessorios exercuerint, proindeque Dil. Tua ab omni inquietatione abstinere debuisset, nihilominus tamen Dilectionis Tuæ subsecuta cum Serenissimo Hisp. Rege Catholico reconciliatione, in contemptum, ac vilipendium Jurisdictionis Imperialis, sæpe dictum statum Pallavicinum denuo occupaverit, & supplicantes iterum spoliaverit omnibus eorundem Prætoribus, & officialibus exinde ejectis. Atque idcirco sæpedicti supplicantes ad benignam nostram Sacrique Romani Imperii protectionem recurrerunt, implorando, ac demisse rogando, ut pro justitia Dil. Tuæ serio & districte mandare dignaremur, quatenus illico sæpe dictum Statum Pallavicinum eisdem liberum dimittat ac restituat, spoliumque purget, & de paritione facta, intra sex hebdomadas doceat. Nos itaque volentes, ac in parte pro Cæsarei nostri muneris ratione cum Auctoritati nostræ Cæsareæ, Juribusque Sacri Romani Imperii, tum parti læsæ, prout omnino justum est, prospicere, quippe quæ non modo, ut ex narratis abunde constat, injuste spoliata, ac bonis suis Paternis exuta fuit, idque sine ulla causæ cognitione (quæ alias necessario coram Nobis hic in Aula nostra Cæsarea, vel Consilio nostro Imperiali Aulico, maxime cum eadem bona Nostræ, sacrique Romani Imperii Jurisdictioni immediate subjecta sint, intervenire debuissent) ac non obstante, quod iidem supplicantes, ut supra dictum est, sæpe memoratæ Sacræ Cæsareæ Majestatis, ac Dil. suæ, speciali Commissione, & Jussu Cæsareo contra commissum spolium restituti, & redintegrati fuerint, Dilectioni Tuæ serio mandandum ac præcipiendum duximus, prout per præsentes serio mandamus ac præcipimus, ut supplican-

plicantibus sæpedicta bona illico restituat, eos in possessionem eorundem, omni mora posthabita, immittat, neque ullo modo in eadem possessione, fructuumque perceptione turbet, aut molestet, tum deinde de iis omnibus rite adimpletis, ac de paritione eodem modo debite facta, inter terminum duorum mensium doceat, factura in hoc seriam, & expressam voluntatem nostram. Datum in Civitate Nostra Viennæ, die decima tertia mensis Octobris Anno Domini 1637. Regnorum Nostrorum Romani primo. Hungarici duodecimo. Bohemici vero Decimo.

FERDINANDUS.

Ferdinandus Comes Curtius.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium,

Joannes Walderode.

CAPUT XXVI.
De S. Petri Ducibus.

I.

Tenor Transactionis, vigore cujus Carolus II. Hispaniarum Rex, Don Francisco Mariæ Spinola, S. Petri Duci, Civitatem, Arcem atque statum Sablonettæ possidenda tradidit, d. d. 16. Junii, Anno 1693.

Signatum Mediolani, die 16. Junii, 1693.

CUm sit, quod Regia Catholica Majestas Caroli secundi Hispaniarum Regis, ac Mediolani Ducis, ut bellorum necessitatibus, quibus nunc summopere premitur, occurreret, necessarium duxerit, ad infra scriptum contractum devenire, & proinde, Literis expeditis Madriti sub die 26. Martii, mox præteriti, injunxerit Excellentissimo Domino Marchioni de Leganez, Mediolani pro Sua Catholica Majestate Gubernatori, Legionumque Duci generali, ut cum participatione & consilio supremorum Regiorum Administrorum, ab ipsa Catholica Majestate specialiter Deputatorum, ac etiam Illustrissimorum D. D. Præsidum, ubi ita suæ Excellentiæ visum fuisset, pertractaret cum Excellentissimo D. Don Francisco Maria Spinola, Duce Sancti Petri &c.

II. Dictus Marchio de Leganez nomine præfatæ S. Catholicæ Regiæ Majestatis & pro executione dictorum Regiorum ordinum teneatur statim ponere in actualem possessionem Civitatis & arcis Sabionnettæ status ac omnium jurium cessorum præfatum Excellentissimum D. Ducem & hoc in viam & titulum Gubernii & depositi, &c.

III. Convenerunt, quod dictus Excellentissimus D. Dux Sancti Petri & Successores, ut supra, teneantur perpetuo, prout dictus D. Dux sub sui & bonorum obligatione promittit, manutenere dictam civitatem sive arcem Sabionettæ ac eidem adjacentia sub obsequiis & devotione S. Regiæ Catholicæ Majestatis, a qua eamdem recipit, prout etiam continuo manutenere milites præsidiarios pedites pro tuitione ejusdem arcis in numero trecentum hominum cum suis officialibus, ita ut non possint reduci ad minorem numerum quatuor turmarum, vulgo Companias, cum reliquis officialibus necessariis pro tuitione ejusdem arcis, ac usu bellicorum tormentorum, & hos omnes ad creationem & electionem ejusdem D. Ducis ac ejus Successorum in possessione ejusdem civitatis ac status: Quam facultatem alteri non poterit communicare, cum hac tamen intelligentia, quod dictus numerus militum trecentum debeat esse & manuteneri tempore pacis; Tempore autem belli in statu Mediolani, tenebitur dictus D. Dux adaugere alios ducentum milites modo quo supra, cum ejus officialibus, ita ut nequeant reduci ad minus quam ad duas turmas - - Cum facultate reservata Excellentissimo Domino Mediolani Gubernatori, in fine dicti quinti capituli mittendi pro lustratione, sive numeratione dictorum militum ac recognitione status mœniorum ac munimentorum ad finem de quo ibi.

IV. Convenerunt, quod pro adimpletione contentorum - - teneatur dictus D. Dux, ut supra, ut Successores propriis expensis manutenere mœnia & fortalitia antiqua & moderna dictæ arcis Sabionettæ in eo statu, in quo ei tradentur: Ubi autem contingat necessitas reædificandi, ac reædificata reparandi, teneatur, prout promisit id præstare, imo etiam possit compelli, salvis tamen juribus eidem D. Duci ac successoribus pro expensis in tali reædificatione ac reparatione respective faciendis, contra quos de jure, prout salva sint etiam D. Duci quæcumque jura contra quos, ut supra, pro expensis cujuscumque novæ fortificationis, intra vel extra dictam civitatem, ad quam tamen devenire non possit nisi cum consensu & approbatione Suæ Catholicæ Regiæ Majestatis, juxta contenta in dicto sexto Capitulo.

V. Pacto, quod Sua Regia Catholica Majestas, prout nomine ejusdem dictus Excellentissimus D. Marchio de Leganez, vigore etiam dictæ specialis facultatis promisit & promittit manutenere tam de facto quam de jure præfatum Excellentissimum D. Ducem ac ejusdem successores, ut supra, in possessione & tenuta eidem tradenda, ut supra, dictæ civitatis, arcis, jurisdictionis ac Status Sabionnettæ, promittens prout promittit Excellentissimus Marchio de Leganez, nomine Suæ Regiæ Catholicæ Majestatis, non permittere, quod dictus Excellentissimus D. Dux & Successores, ut supra, ullo unquam futuro tempore usque in perpetuum, sub quolibet titulo aut prætextu, sive de jure, sive de facto spolietur, sive turbetur in possessione & tenuta prædicta, absque eo, quod inprimis & ante omnia fiat eidem D. Duci & Successoribus actualis & realis numeratio, & detur plena & integra satisfactio in pecunia numerata de omni & toto eo, quod per ipsum ex causa prædicta persolutum fuerit, & de omni & toto eo, quod ipsi & Successoribus possit de jure deberi, suscipiens dictus Excellentissimus D. Marchio de Leganez, nomine præfatæ Regiæ Catho-

Catholicæ Majestatis in se omne periculum juris & facti, & obligationem defendendi de jure & de facto, ita ut dictus D. Dux & Successores ad nihil ultra teneantur, quam ad simplicem monitionem & notitiam dandam Suæ Regiæ Catholicæ Majestati & Duci Mediolani, seu Dominis Mediolani pro tempore Gubernatoribus, ad quam simplicem requisitionem & notitiam, ut supra, teneatur Sua Regia Catholica Majestas etiam, uti Mediolani Dux ac Domini Gubernatores pro tempore usque in perpetuum, assumere in se quamcumque defensionem de jure & de facto obligando pignori omnia & quæcumque jura Suæ Regiæ Catholicæ Majestatis & Mediolani Ducis & in specie, ita quod per specietatem generi non derogetur, ipsam civitatem ac statum Sabionettæ cum omnibus adjacentibus, ac jura omnia & actiones præfatæ Regiæ Catholicæ Majestatis, ac Mediolani Ducis.

VI. Cætera omnia deservientia ad usum belli & defensionis ejusdem arcis tam respicientia victum quam munitionem ipsiusmet arcis, quæ reperientur in eadem tempore inventarii conficiendi in actu possessionis & tenutæ ut supra tradendæ in viam gubernii & depositi &c.

II.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Mandatum pœnale ad Ducem de Sancto Petro directum, in quo ipsi injungitur, ut coram Consilio Imperiali Aulico, ad sententiam, in causa Ducatus Sablonettani, nullo jure occupati, audiendam, compareat, d. d. 28. April. An. 1694.

LEopoldus, divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tirolis &c. Illustri sincere Nobis dilecto Duca di S. Pietro gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum, cui notum facimus, non sine admiratione nostra Nobis relatum, tametsi vobis primum per rescripta, ac deinde per mandatum decima nona Augusti nuperi, serio districteque, & sub ducentarum marcarum auri puri mulcta, pro semisse Principi Bozuli, pro altera vero semisse fisco nostro, seu ærario Cæsareo irremissibiliter inferendarum, nec non omnium, quas forte in Sablonettæ Ducatum haberetis, prætensionum jactura & amissione injunxerimus, ut Ducatum Sablonettanum, una cum ejus appertinentiis, omnique causa Principi Bozuli tanquam legitime infeudato Vasallo, ac Domino restitueretis, nec quicquam in Ducatu illo, ac appertinentiis ejus innovaretis, aut ageretis, quod in ejusdem Bozuli Principis, subditorumque, aut bonorum Sablonettarum præjudicium aut damnum vergere potest; & si quid interea innovavissetis, aut fecissetis, extemplo revocaretis, infectumque, aut nullum redderetis, sed omnia in pristinum statum restitueretis, & memorato Vasallo dimitteretis, quod nihilominus dicto mandato nostro Cæsareo non parueritis, quin potius patentes nostras ad subditos Sablonettæ affixas a valvis avellendas, ac subditos iisdem morigeros, velut rebelles tractandos, ac eorum domos diruendas curare, omniumque si parerent, bonorum privationem comminari, nec non quatuor peditum, & equitum turmas fortalitio Sablonettano immittere, subque tormentorum bellicorum explosione quasi triumphando ingredi, non horrueritis; imo ne vel ullus militum nostrorum illic admitteretur, severe inhibueritis, ac illos omnibus viribus expelli temere mandaveritis. Quod vero cum in haud exiguum supremæ autoritatis nostræ Cæsareæ vilipendium, ac pessimum aliorum exemplum animadversione dignum cedat; ideoque secundum Constitutiones Imperiales coërcendum veniat, vos supra dictum Duca di S. Pietro, ea de causa, vigore præsentium, citamus & vocamus, serio districteque mandantes, ut intra terminum duorum mensium a die vobis insinuatæ citationis hujus nostræ, proxime subsequentium, quorum viginti dies pro primo, viginti alteros pro secundo, & reliquos viginti dies pro ultimo & peremptorio, præfigimus, aut si is dies juridicus non foret, ad proximum coram Nobis Consiliove nostro Imperlali Aulico, ubicunque locorum illud fuerit, per vos, vel procuratorem, aut Mandatarium vestrum legitimum, & sufficienti ad id mandato instructum, certo & infallibiliter compareatis, audituri & visuri pronunciari vos, ex supra allegata temeritatis vestræ vix excusabilis causa, omnibus prætensionibus, dictique feudi Sablonettani occupatione, per sententiam privari, nec non ad resarcienda damna, pœnamque ducentarum auri marcarum, supra dicto mandato nostro Cæsareo insertam, cecidisse, aut cur ejusmodi sententia contra vos emanare & publicari non debeat, causas Juri consentaneas allegaturi, & probaturi, dictumque processum per juris terminos ex legum præscripto, usque ad sententiæ publicationem, prosecuturi, certi alioquin, quod, sive ita comparueritis, sive non, absentia vel contumacia vestra non obstante, nihilominus ad fiscalis nostri ulteriorem instantiam ad ulteriora procedetur, quæ juris & justitiæ rationi consentanea videbuntur. De quo vos hisce certiores reddendos duximus, gratiam nostram Cæsaream vobis de cætero benigne conservantes. Datum in Civitate nostra Viennæ die vigesima octava Mensis Aprilis Anno 1694. Regnorum nostrorum Romani trigesimo sexto, Hungariæ trigesimo nono, Bohemiæ trigesimo octavo.

LEOPOLDUS.

Amadeus, Comes de Windischgrætz.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium

Franciscus Winandus de Bertram.

III.

Literæ Leopoldi, Roman. Imperatoris, ad Carolum II. Hispaniarum Regem conscriptæ, in quibus ab eo contendit, ut in causa Sablonettana Duci de S. Petro debitam Decretorum Cæsareorum observantiam serio injungat, ac Gubernatorem Mediolanensem, ut ne eundem contra justitiam tueatur, admoneat, d. d. 10. Julii An. 1694.

DUm ad priores meas in causa Sablonettæ ad Serenitatem Vestram datas literas responsum desideratum expecto, maxima animi molestia percipio, Ducem de Sancto Petro, Serenitatis Vestræ, aut Gubernatoris Mediolanensis patrocinio fretum, non solum in contumacia sua perseverare, sed etiam graviora indies attentata, contra decreta mea, committere, quæ cum in manifestum officii & autoritatis meæ Imperialis contemptum & diminutionem vergant, absque dubio a Serenitate Vestra probanda non sunt; Vix enim est, quin jam publice arguar, quod Imperii Jura negligam, & justitiam particularibus Domus nostræ & mutuæ necessitudinis rationibus postponam, qui tam insolitam repugnantiam in re tam clara & indubie ad cognitionem Romanorum Imperatoris spectante, hucusque dissimulanter ferre videar. Ne itaque vel Respublica detrimentum capiat, vel inter copias meas & Serenitatis Vestræ (si Jus meum, & justitiam asserere cogar) collisio quædam subsequatur, ab eadem enixe simul & fraterne contendo, ut dicto Duci de S. Petro debitam decretorum meorum observantiam serio injungat in hac causa, & Gubernatorem Mediolanensem, ne eundem contra Justitiam tueatur, moneat. Vel saltim, si quid forte Serenitati Vestræ circa causæ merita dubii superest, Legato suo in Aula mea existenti, facultatem & mandatum sufficiens cum Clausula substitutionis ad rem hanc, sine mora, ex æquo & justo, componendam transmittat. Interest enim mea & Reipublicæ, & communis Domus nostræ, ut ejusmodi attentatis modus ponatur, & tam mihi autoritas mea apud Vasallos Imperii in Italia, quam iis, sub protectione mea, Jus suum salvum sit, hoc præsertim tempore, dum ibidem exercitus prope est, in cujus præsentia si cuiquam non paret, imponi licet, quid sibi præsidii a protectione mea alii, eo remoto, polliceri poterunt? Spero, Serenitatem Vestram, pro sublimi sua prudentia, id mature perpensuram, eique honorem & autoritatem meam, ipsiusque justitiæ cultum, & communem Domus nostræ utilitatem, omni alia privatorum consideratione, antiquiorem esse. Qui de cætero Serenitati Vestræ omnigenæ felicitatis cumulum a DEO ter Optimo Maximo animitus voveo. Viennæ 10. Julii 1694.

IV.

Literæ Leopoldi, Roman. Imperatoris, ad Carolum II. Hispaniarum Regem, datæ, in quibus postulat, ut non solum Ducem de Sancto Petro, ad cuncta subditis Sablonettanis vi ablata restituenda, adigat, verum etiam virum sibi gratum, ad amicabilem compositionis tractatum suscipiendum, quantocius Viennam transmittat, d. d. 18. Februar. Anno 1695.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

IN recenti absque dubio Serenitatis Vestræ hæret memoria, quemadmodum per literas æque nostras, ac per nostros illic oratores eidem repræsentaverimus, quam in manifestum officii & autoritatis nostræ contemptum vergant attentata, quæ a Duce di S. Petro in nostro & Imperii Romani feudo Sablonettano sine cessatione perpetrantur, cum intolerabilibus subditorum gravaminibus & feudi ruina, quæ non credimus a Serenitate Vestra unquam posse approbari, præsertim cum ipsamet in suis ad Nos literis contestata sit, Ducatum Sablonettanum Principi Bozuli, jure successionis, deberi, & non nisi respectu quarundam prætensionum & præsidii militaris a Serenitate Vestra adhuc detineri, cum tamen Princeps Bozuli, ad satisfactionem prætensionum, atque ad continuationem præsidii Serenitatis Vestræ justis conditionibus, vel introductionem præsidii Nostri ultro se offerat, ut ista controversia facile, vel amicabili compositione, vel via juris terminari possit; quem in finem Serenitatem Vestram sæpius monuimus, ut mandatum sufficiens tam ad amicabilem compositionem, quam etiam in omnem sequiorem eventum ad processum, & sententiam sine ulteriore mora sub sua manu & regali sigillo transmittere velit ad causam ex justo & æquo, una vel altera ratione terminandam, cum ex longiore mora & Reipublicæ & Nostræ communis Domus interesse periclitetur, dum Vasalli Imperii in Italia lamentantur, nullam se protectionem a Nobis etiam hoc tempore, quo exercitus Noster prope est, sibi posse polliceri: Itaque eo graviori animo intelleximus, quod Dux S. Petri fortalitium Sablonettanum subditorum impensis restaurare cœperit, subditosque Sablonettanos, qui Bozuli Principi, velut Domino suo vero & legitimo, ac Patentibus nostris Imperialibus obtemperarunt, & forte quandam annonam in Principatu Bozuli vendiderunt, male habuerit, bonis privaverit, multisque gravibus oneraris, imo cunctis viribus apud Serenitatem Vestram eo collaboret, ut per eandem a Nobis de Ducatu hoc investituram impetret: Cum vero hæc omnia a privatorum studiis in aliorum potius, quam mutuæ Domus utriusque nostræ commodum & utilitatem ita instruantur, investituraque ejusmodi in Principis Bozuli, tanquam propria Serenitatis Vestræ confessione veri & legitimi Vasalli, præjudicium cedat, adeoque nullo plane jure, nullaque æquitate subsistere possit. Idcirco Serenitatem Vestram hisce denuo fraterne impenseque requisitam volumus, ut hoc & justitiæ, & Nobis & sibi ipsi, Imperii statibus tribuat, ut non modo Ducem de Sancto Petro ad ea, quæ subditis abstulit, restituenda adigat, verum etiam personam sibi gratam ad amicabilem compositionis tractatum quantocius sufficienti mandato ad Aulam nostram instruat, neque minus Palazolum per mandatum Procuratorium, sub Serenitatis Vestræ subscriptione, & sigillo suo Regio subsignatum,

tum, ad acta judicialia legitimet, quo tandem, in casum non subsecuturæ amicabilis compositionis, via juris procedi possit, quod equidem dum Nobis a Serenitatis Vestræ æquanimitate promittimus, eandem prosperis rerum & consiliorum successibus, quotidie magis florentem optamus. Viennæ, die 18. Februarii, Anno 1695.

V.

Rescriptum Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Franciscum Mariam Spinulam, Ducem S. Petri, directum, in quo eum hortatur, ut Ducatum Sablonettanum, una cum ejus pertinentiis, omnique causa, Bozuli Principi restituat: subditis spoliatis bona restituenda, damnaque illata resarcienda curet, ac de cætero ab ædificiis ac fortalitiis exstruendis, aliisque rebus omnibus, quocunque veniant nomine, manum retrahat, d. d. 21. Januarii, Anno 1696.

LEopoldus, Divina favente Clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Illustri sincere Nobis Dilecto Francisco Mariæ Spinolæ, Duca di S. Pietro, gratiam nostram Cæsaream & omne bonum.

Probe vobis constat, postquam feudo Nostro Imperiali Sablonettæ, contra sæpius repetitas inhibitiones Nostras Cæsareas a Camera Mediolanensi, tametsi non Domina, coempto, possessionem ejusdem, legibus aperte reluctantibus, apprehendissetis, Nos ad temerarium ausum illum serio coercendum, sub decima nona Augusti Anni 1693. Mandatum pœnale contra vos decrevisse, omnemque prætensum emptionis, alienationis, aut cessionis contractum, actumque apprehensæ possessionis, utpote nullo jure justificabilem, irritasse & annullasse. Cum autem denuo Nobis Illustrissimus Joannes Franciscus, Dux Sablonettæ, Princeps Bozuli, conquerendo exposuerit, quemadmodum vos prædicto Mandato Nostro non attento, in pristina adhuc contumacia, & ejusdem feudi possessione perseveretis, imo & nova attentata attentatis cumulando, spoliatis & expulsis compluribus subditis, ædificia & fortalitia exstruatis, maximamque & minime ferendam vobis licentiam & autoritatem ibidem arrogare præsumatis; Nos sane audaciam illam in tam apertum Autoritatis Nostræ Imperialis vilipendium, atque in scandalum & perniciosum aliorum Vasallorum Imperii exemplum redundantem, diutius tolerare non possumus, ac proinde harum vigore autoritate Nostra Cæsarea serio & districte, subque ducentarum marcarum auri puri mulcta, pro semisse parti imploranti, pro altero vero semisse Fisco Nostro, seu Ærario Cæsareo irremissibiliter inferendarum, nec non amissione omnium, quas forte super memorato Sablonettæ Ducatu haberetis, prætensionum, vobis denuo mandamus, ut Ducatum Sablonettanum una cum ejus pertinentiis, omnique causa prædicto Bozuli Principi, tanquam legitime infeudato Vasallo ac Domino, restituatis, subditis spoliatis bona reddi, damnaque illata resarciri iis curetis, expulsos tuto ad sua redire sinatis, atque ab ædificiis fortalitiisque exstruendis, aliisque omnibus, in supremi Dominii Nostri contemptum a vobis cœptis & perpetratis, penitus abstineatis, nec quidquam in Ducatu illo appertinentiisque ejus innovetis aut agatis, quod in ejusdem Principis Bozuli, subditorumque aut bonorum Sablonettanorum præjudicium aut detrimentum vergere queat, omniaque interea innovata, attentata, aut facta extemplo revocetis, infectaque ac nulla reddatis, quin potius omnia in pristinum statum restituatis, & memorato Vasallo dimittatis, quatenus præfatam pœnam ducentarum marcarum auri puri, indignationemque Nostram evitare malueritis; quidquid enim in contrarium feceritis, æque ac illud, quod jam factum fuerit, irritum, inane, cassum, nulliusque roboris esse atque fore, jam nunc decernimus & declaramus. Harum testimonio literarum, manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ, die vigesima prima Januarii, Anno Domini 1696. Regnorum Nostrorum Romani trigesimo octavo, Hungarici quadragesimo primo, Bohemici vero quadragesimo.

LEOPOLDUS.

Sebastianus Wunibaldus, Comes a Zeyll.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Franciscus Winandus de Bertram.

VI.

Rescriptum Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Eugenium, Principem Sabaudiæ, datum, ut Rescriptum antea insertum Duci de S. Petro insinuandum curet, d. d. 10. Mart. An. 1696.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

CUm in causa feudi Nostri Imperialis Sablonettæ ferenda Nobis non sint attentata, in quibus Franciscum Mariam Spinolam, Duca di S. Pietro, in præjudicium ac detrimentum Ducis Sablonettani contumaciter perseverare intelligimus, Nos eidem iterato Mandato Nostro pœnali severe injungimus, ut Ducatum Sablonettanum, cum omnibus appertinentiis, omnique causa dicto Duci actutum restituat, atque ab omnibus attentatis abstineat, prout Dilectio Tua id uberius ex adjuncto exemplo, quod una cum mandato originali eidem includimus, perspicere poteris; quare ab eadem benigne cupimus, ut mandatum istud, nomine Nostro Cæsareo, præfato Francisco Mariæ Spinolæ insinuari curet. Et Nos, quod reliquum est, Dilectioni Tuæ gratiæ & benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectum conservamus. Viennæ, die 10. Martii, Anno 1696.

Caput XXVII.
De Marchionibus & Comitibus Roboreti.

I.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Hannibalem de Foſcheri, Comitem de Roboreti, Mutinenſem, ejusque poſteros legitimos, Marchiones Comitesque Caſtri novi in Dalmatia ſiti, nonnullis inſuper Privilegiis indultis, creavit, d. d. 14. Novembr. Anno 1681.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretæ, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii ſupra Anaſum, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Tibi fideli noſtro Nobis Dilecto Annibali de Foſcheri, Comiti de Roboreti Mutinenſi ſalutem & gratiæ noſtræ Cæſareæ atque Regiæ continuum erga te incrementum. Cum poteſtas Regum, & Principum clariſſimorum dignitas non ſolum ad tuenda imperia, & bonarum legum defenſionem a DEO optimo Maximo conſtituta ſit, ſed ut fideles quoque ac bonos ſubditos, quorum ſtudio, opera, labore, ac ſervitiis Principes imperia ſua Divina ordinatione conſtituere, augere & conſervare ſoliti ſunt, dignis præmiis, honoribus & privilegiis, ſedulo proſequantur, ac uniuscujusque virtuti convenienter reſpondeant, quod tametſi ex quodam debito verorum Principum officio & velut generali Regnantium ordine ita fieri ſoleat; tamen Nos, partim ex eo, partim ex Noſtra quoque clementia & benignitate amplioribus eos evehendos honoribus, & clarioribus condecorandos donis eſſe cenſemus, qui propriis virtutibus, fidelibusque obſequiis & virtutum meritis cæteris præſtant, quo nimirum ordine obſervato, ſubditorum noſtrorum animi veluti acri ſtimulo ad præclara virtutis, humanitatis, & immortalitatis ſtudia procul dubio exſtimulari incitarique conſueverunt. Cum itaque harum rerum conſideratio animo noſtro fixius inhæreat, tu Annibal di Foſcheri pro re præſenti Nobis dignus occurris, quem Cæſarea Regiaque munificentia noſtra, exigentibus id præclaris meritis & virtutibus tuis, benigne exornaremus, potiſſimum cum intelligamus, Domum tuam ex antiqua nobili proſapia in Germania originem trahere, & in Italiæ partes per quendam Manfredum de Foſcheri, armorum Ductorem ſub auſpiciis Divi Maximiliani, Prædeceſſoris noſtri, tempore quo fœdere inito inter ſummum Pontificem, Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem, & antenominatum Imperatorem, bellum adverſus Venetos illatum fuit, translatam extitiſſe; Majores autem & Anteceſſores tuos diverſis occaſionibus præclara Auguſtiſſimæ Domui noſtræ Auſtriacæ præſtitiſſe merita & ſervitia, ac præſertim in Hungaricis bellis adverſus infenſiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem Turcam, tempore obſidionis civitatis Budæ, uti Thomas unus ex prædictis ſub Alexandro Vitillio exercitus Duce ſignifer exiſtens, ſtrenuo & militariter, ac ſumma cum laude ſe geſſit, Petrus vero de Foſcheri, dicti Thomæ frater, ob ſummam ejus prudentiam & integritatem Urbis Noſtræ Tridentinæ gubernio dignus reputatus fuit condecorari, eo tempore, quo in ea ſanctum & Oecumenicum ultimum Concilium celebratum, moxque Urbis Jani Regimine, ac Reipublicæ Januenſis Capitaneatu inſigniri: Demum Annibal de Foſcheri, Patruus magnus tuus, Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi, diu ſumma cum fidelitatis ac fidei conſtantia gravibus in negotiis, in Neapolitano Regno ſervivit, Avus vero & Pater, nec non eorundem, & tui Anteceſſores, cum in humanis agerent, inter Ferrariæ & Mutinæ urbium decurſiones, nec non & inter aulicos Principum recenſiti omnia onera, munera, ſupremosque Magiſtratus plures honorificentiſſime ſubiere; Unde de civibus, patria, ac Principibus benemeriti in Caſpenſi Agro inter alia Comitatus titulo in feudum Nobile de Roboreti Pago inveſtiti fuerunt: Horum tu veſtigio inſiſtens, avitum decus novo in te ornamento intuemur amplificari, & familiam ſane tuam Affinibus Cognatisque Comitibus & Marchionibus aſſuetam, ex nobilioribus Patriæ tuæ præcipimus cenſeri communiter ac reputari. Quandoquidem te morum ſuavitas, liberalium Artium ſtudium, eximia in pertractandis negotiis & pacis & belli dexteritas, mens ingentibus par muniis, Principibus Patriæ tuæ & exteris acceptum commendant, ut propterea continuis evectionibus ad officia, quæ ſolos magnæ nobilitatis Viros decent, adhibearis, & hiſce diebus ad Nos ablegatus a Dilecto Franciſco Eſtenſi, Mutinæ Duce, ob præclaras animi tui dotes, ſingulariter Cæſaream benevolentiam gratiamque Noſtram promeritus fuiſti. Quæ publica hæc autoramenta Nobis te commendant, dignumque teſtamur, quem Noſtris augeamus favoribus. Te igitur Annibalem Foſcheri, Comitem de prædicta Roboreti, uti optime meritus es, Filiosque tuos Gvidum, Carolum & Sigismundum, veſtrosque liberos hæredes, Poſteros ac deſcendentes e legitimo Matrimonio natos, & in futurum, DEI benedictione, in infinitum naſcituros maſculosque & fœminas, motu proprio, animo deliberato, & ex certa Noſtra ſcientia poteſtatisque noſtræ Cæſareæ ac Regiæ plenitudine, conſiderantes vel maxime propenſum veſtrum animum & ſingularem quendam erga præfatum Regnum Noſtrum Hungariæ & gentem nationemque Hungaricam affectum, quibus Nos eidem Regno Noſtro, ejusdem Sacræ Coronæ fideliter & conſtanter ſervire, cupere velleque jamdudum percipimus, titulo *Marchionum* & *Comitum* vulgo, Germanice *Marggraff*, & *Graff* nuncupatorum atque liberorum Baronum & Equitum inſignivimus, Vosque prænotatos li-

tos liberos hæredes, posteros ac successores vestros utriusque sexus universos numero & cœtui aliorum verorum & indubitatorum Sacri Romani Imperii, ac Regnorum ditionumque Nostrarum hæreditariarum, Marchionum, Comitum ac liberorum Baronum aggregavimus & adscripsimus, gratiarumque, libertatum, prærogativarum, & dignitatum Marchionibus, Comitibus, & liberis Baronibus debitarum capaces, & consortes fecimus, ac tenore præsentium, motu, animo, scientia & potestate prædeclaratis Vos vestrosque, ut supra, legitimos liberos hæredes, posteros & successores utriusque sexus universos, etiam descendentes, ex fœmineo sexu universos etiam descendentes, veros ac indubitatos Marchiones, Comites, & liberos Barones creamus & constituimus, ac ad statum verorum ac indubitatorum, ut præmittitur, Marchionum, Comitum & liberorum Baronum evehimus & promovemus, eorumque numero & consortio aggregamus. Decernentes & hoc Edicto Nostro statuentes, ut tu Annibal Foscherii desuprafati Roboreti, præmemoratique Guidus, Carolus & Sigismundus filii tui, omnesque liberi hæredes, posteri, ac successores vestri legitimi jam facti utriusque sexus, universi, perpetuis futuris temporibus nomen & dignitatem verorum ac indubitatorum Marchionum, Comitum, liberorum Baronorum ferre & habere, ac tam in literis, quam nuncupatione verbali, nec non in rebus ac negotiis spiritualibus & temporalibus, Ecclesiasticis & profanis, actionibusque quibuslibet a Nobis, nostrisque Successoribus, ac universis & singulis aliis cujuscunque status, gradus & honoris, ordinis, dignitatis, conditionis & præeminentiæ extiterint, pro veris Marchionibus, Comitibus, atque liberis Baronibus vetustioris prosapiæ, haberi, teneri, dici, nominari, honorari, intitulari possitis & debeatis, prout Nos ipsi, vos Vestrosque legitimos liberos, hæredes, posteros & successores utriusque sexus universos, jam natos & deinceps, DEI beneficio, nascituros, pro iisdem veris ac indubitatis Marchionibus ac Comitibus, & liberis Baronibus, habemus, tenemus, nominamus, declaramus, & appellamus. Volentes & eadem nostra autoritate Cæsarea & Regia expresse decernentes, ut ubique locorum & terrarum tam in judiciis, quam extra, omnibus & singulis Privilegiis, indultis immunitatibus, libertatibus, Juribus, consuetudinibus, honoribus, dignitatibus, prærogativis & exemptionibus, gratiis & favoribus, uti, frui & gaudere potirique possitis ac valeatis, quibus hi antiqui Marchiones, Comites & liberi Barones in prælibato Sacro Romano Imperio, Regnisque & Provinciis nostris hæreditariis uti, frui & potiri solent atque possunt quomodolibet, de Jure, vel antiqua consuetudine, omni contradictione & impedimento postpositis. Præterea eodem motu proprio ex eadem certa scientia, animoque bene deliberato, & de Cæsareæ Regiæque potestatis plenitudine, sano accedente consilio, te Annibalem de Foscherii, Comitem de Roboreti, præfatosque Guidum, Carolum, & Sigismundum filios tuos, cæterosque, Vestrosque liberos, hæredes, posteros ac descendentes natos, ac in futurum in infinitum nascituros, utriusque sexus, ut supra, fecimus, creavimus, ac ereximus, facimus, creamus & erigimus Marchiones oppidi seu Civitatis Castri novi in Regno Nostro Dalmatiæ sitæ, nec non ejusdem Civitatis situs, districtus territorii & ditionis ad ipsam spectantis, possitisque propterea & valeatis quocunque tempore, & in quacunque occasione, ut supra, vos scribere, nominare, ac intitulari Marchiones de dicto oppido, seu civitate Castelli novi, quod oppidum, seu quam civitatem ejusdemque territorium & ditionem in verum Marchionatum erigimus ac declaramus, & pro vero Marchionatu haberi volumus, vobisque illud, seu illam ut supra, concedimus, elargimur, ac damus cum omni ejusdem jurisdictione, subditis atque incolis, omnibusque & singulis dependentiis, & pertinentiis, omnibusque Privilegiis, beneficiis regalibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, consuetudinibus & indultis, cum mero & mixto imperio ac gladii potestate, quibus, prout alii Comites & Marchiones in Regnis Nostris similes Dynastias possident, sic eodem modo vos possidere, atque uti, frui & gaudere quocunque tempore possitis & valeatis, idque vobis concedimus, elargimur, ac damus omni meliori modo, quo fieri potest, non obstantibus quibuscunque juribus, statutis ac consuetudinibus in contrarium facientibus, etiam specialem derogationem requirentibus, quibus in hoc derogatum esse volumus & mandamus: Quo vero perpetuum hujus nostræ ad hanc dignitatem sublimationis exstet documentum, eademque pleniore beneficio decorata in oculos incurrat hominum, præmemorata autoritate nostra, antiqua & gentilitia armorum vestrorum, quibus hactenus usi estis, insignia non modo clementer approbavimus, roboravimus, ratificavimus & confirmavimus, verum etiam auximus, amplificavimus, & illustravimus, quemadmodum vigore præsentium approbamus, roboramus, ratificamus, & confirmamus, amplificamus, ac illustramus, & in hunc, ut sequitur, modum gestanda, deferendaque concedimus ac elargimur: Magnam videlicet nigram bicipitem aquilam naturaliter effigiatam, Imperiali Diademate, pretiosissimis lapidibus exornato, redimitam, expansis alis, rostris patulis, & linguis rubicundis exertis, pedibusque distensis, & cauda inter eos deflexa, tota corporis mole erecta stantem, ac in pectore scutum militare coronatum, binisque laureis palmis circumdatum, in quatuor coæquales partes divisum gestantem, cujus in superiori dextera, & in inferiori sinistra singulæ nigræ æque aquilæ alis expansis, pedibusque divaricatis, & caudis pariter inter eosdem deflexis, coronatis, & in dextram scuti oram conversis capitibus, velut pendulæ, ac in sublime evolaturæ supra campos flavos, in inferiori porro dextera & superiori sinistra partibus singulæ integræ palmæ, arbores nativo vigore & fluctuantibus placide comis conspicue, & subjectarum sibi fontanarum politis affabre, & in sexangularem formam concinnatis lapidibus circumseptarum, medio sublimiter enatæ, in rubris campis continentur. Quemadmodum hæc omnia in principio, seu capite præsentium literarum nostrarum pictoris edocta manu & artificio, propriis & genuinis ejus coloribus clarius depicta, & ob oculos intuentium lucidius posita esse conspiciuntur, decernentes & ex certa nostra scientia, animoque deliberato, ac insuper hoc Nostro Cæsareo ac Regio edicto firmissime statuentes, ut tu Annibal Foscherii, Comes

Comes de præmentionata Roboreti, præſpecificatique Guidus, Carolus & Sigismundus, filii tui, omnesque liberi, hæredes, poſteri & ſucceſſores veſtri legitimi utriusque ſexus nati, & in infinitum naſcituri, prædeclarata armorum inſignia in omnibus & ſingulis honeſtis & decentibus actibus, exercitiis, atque expeditionibus, tam ſerio, quam joco in haſtiludiis, ſeu haſtarum dimicationibus pedeſtribus & equeſtribus, in bellis, duellis, ſingularibus certaminibus, & quibuscunque pugnis cominus, ac eminus, in ſcutis banneriis, vexillis, clypeis, tentoriis, cenotachis, ſepulchris, monumentis, clenodiis, annulis, monilibus, ſigillis, ædificiis, parietibus, feneſtris, oſtiis, lacunaribus, tapetibus ac ſuppellectilibus, libere, pacifice, & absque omni prorſus moleſtia & impedimento, vel contradictione habere, geſtare ac deferre iisdem pro rei neceſſitate, & voluntatis veſtræ arbitrio, quovis modo more aliorum noſtrorum, & Sacri Romani Imperii, Regnorumque ac ditionum noſtrarum hæreditariarum, Marchionum, Comitum, & liberorum Baronum uti poſſitis & valeatis, aptique ſitis ac idonei ad ineundum & recipiendum omnes gratias, libertates, exemptiones, feuda, privilegia, vacationes a muneribus & oneribus quibuscunque realibus, perſonalibus ſive mixtis, ad utendum denique ſingulis Juribus, quibus cæteri a Nobis, ſeu Prædeceſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, hujusmodi ornamentis inſigniti, ac feudorum capaces atque participes utuntur, fruuntur & gaudent, quomodolibet de conſuetudine & de jure, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Cæterum ut vos majoribus gratiæ & munificentiæ noſtræ exornaremus, ac illuſtremus, idcirco proprio & ex noſtra ſcientia, deque Cæſareæ ac Regiæ poteſtatis Noſtræ plenitudine, & ſano accedente conſilio vobis, omnibusque liberis, hæredibus, poſteris, & ſucceſſoribus veſtris legitimis utriusque ſexus, natis, & in infinitum naſcituris, amplam poteſtatem & facultatem damus, concedimus & impertimur, qua poſſitis & valeatis facere & creare Notarios Publicos, ſeu tabelliones & Judices ordinarios, ac univerſis perſonis, quæ fide dignæ, habiles & idoneæ fuerint, (ſuper quo conſcientias veſtras oneramus) Notarios ſeu tabellionatus & Judicatus ordinarii officium concedere ac dare, eosque & eorum quemlibet per pennam & atramentarium (prout moris eſt) prædictis inveſtire, dummodo tamen ab ipſis Notariis Publicis, ſeu tabellionibus & Judicibus ordinariis per vos, uti permiſſum eſt, creandis, ac eorum quemlibet vice & nomine noſtro, ac præfati Regni Noſtri Hungariæ, & pro ipſo Regno debitum recipiatis corporale & proprium Juramentum in hunc, ut ſequitur, modum: Quod erunt Nobis, ac dicto Regno Noſtro Hungariæ, omnibus Succeſſoribus Noſtris legitimis ſcilicet Hungariæ Regibus, ſemper fideles, nec unquam erunt in Conſilio, ubi Noſtrum periculum tractaretur, ſed bonum & ſalutem Noſtram defendent, & fideliter promovebunt, damna Noſtra pro ſua poſſibilitate vitabunt & avertent; Præterea Inſtrumenta tam publica, quam privata, ultimas voluntates, Codicillos, teſtamenta, quæcunque Judiciorum acta, & omnia alia, & ſingula, quæ ipſis, & illorum cuilibet ex debito memoratorum officiorum occurrerint, vel ſcribenda, juſte, pure, fideliter, omni ſimulatione & falſitate, ac dolo remotis, ſcribent, legent, facient, & dictabunt, non attendentes odium, pecuniam, munera, aut alias paſſiones, vel favores, ſcripturas vero quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis aut paginis, non in cartis abraſis, fideliter, ſecundum terrarum conſuetudinem, ſcribent, facient, legent atque dictabunt Cauſas hoſpitalium, & miſerabilium perſonarum, nec non pontes & ſtratas publicas pro viribus promovebunt, ſententiasque & dicta teſtium, donec publicata fuerint, ſeu approbata ſub ſecreto fideliter retinebunt, & omnia alia & ſingula recte & juſte facient, quæ ad præmiſſa officia quomodolibet pertinebunt, conſuetudine, vel de Jure. Quodque hujusmodi Notarii publici, ſeu tabelliones, & Judices Ordinarii per Vos creandi poſſint & valeant per totum Regnum Noſtrum Hungariæ, & ubilibet locorum facere & publicare Contractus, Inſtrumenta, Judicia, teſtamenta, ſeu ultimas voluntates, decreta, & autoritatem interponere, in quibuscunque contractibus requirentibus illa vel illam, ac omnia alia facere, publicare & exercere, ad præfatum officium publici Notarii pertinere & ſpectare dignoſcuntur. Decernentes, ut hujusmodi Inſtrumentis & ſcripturis, per eosdem Notarios publicos, ſeu tabelliones, & Judices ordinarios faciendis, plena & indubitata fides ubilibet omnino adhibeatur in Judicio & extra, Conſtitutionibus, Decretis, ordinationibus, ſtatutis, & aliis in Contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscunque. Porro tibi, Annibali Foſcherii, Comiti de præfati Roboreti, prænominatisque Guido, Carolo & Sigismundo filiis tuis, omnibusque Veſtris liberis, hæredibus & poſteris, ſucceſſoribus legitimis utriusque ſexus natis, & in infinitum naſcituris concedimus & elargimur facultatem, ut poſſitis, & valeatis naturales Baſtardos, ſpurios, manſeres, nothos & inceſtuoſos, copulative, vel disjunctive, & quoscunque alios ex illicito & damnato coitu procreatos maſculos & fœmellas quocunque nomine cenſeantur, viventibus, vel etiam mortuis eorum Parentibus (Illuſtrium tamen Principum, Marchionum, Comitum, & liberorum Baronum filiis duntaxat exceptis) legitimare, ac eos, & eorum quemlibet ad omnia & ſingula Jura legitima reducere & reſtituere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipſos reſtituendo, & habilitando ad omnia & ſingula Jura legitima ſucceſſionum & hæreditatum, Bonorum Paternorum & Maternorum, etiam ab inteſtato cognatorum & agnatorum, nec non ad honores, dignitates, & ſingulos actus legitimos, ac ſi eſſent de legitimo matrimonio procreati, objectione prolis illegitimæ penitus quieſcente, & quod illorum legitimatio per Vos, ut ſupra, facta, juſte & legitime facta maxime habeatur & teneatur, non ſecus, ac ſi forent cum omnibus Juris ſolennitatibus, quarum defectus ſpeciali autoritate Noſtra Cæſarea & Regia ſuppleri volumus ac intendimus, dummodo legitimationes hujusmodi non præjudicent filiis & hæredibus legitimis ac naturalibus. Qui quidem legitimandi, poſtquam legitimati fuerint, ſint & eſſe cenſeantur, nominenturque & nominari poſſint, & debeant ubivis locorum & terrarum, tanquam veri, legitime nati, de domo, familia & agnatione parentum ſuorum,

arma

arma & insignia portare ac ferre possint, ac valeant, admittanturque ad omnes actus legitimos, officia, Jura, honores & dignitates tam Ecclesiasticas, quam seculares, si parentes eorum nobiles fuerint, possintque ac debeant omnibus actibus publicis & privatis, officiis, Juribus, honoribus & dignitatibus uti, frui & gaudere, ac ab illis, & ad illa, eorumque exercitia admitti, quibus cæteri veri & legitimi gaudent, ac utuntur ac potiuntur, & ad quæ admittuntur, consuetudine vel de Jure, non obstantibus quibuscunque legibus, decretis, statutis, consuetudinibus & aliis in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis motu, scientia, & potestate, ut supra, derogamus, & per præsentes derogatum esse volumus. Indulgemus quoque tibi Annibali Foscheri, Comiti de memorata Roboreti filiis tuis descendentibus, ut supra, ut possitis & valeatis Doctores, tam in Medicina & Philosophia, quam utroque Jure, nec non Licentiatos, Baccalaureos, & Magistros in dictis Facultatibus, ut & Poëtas laureatos creare, promovere, ordinare, constituere, & facere, adhibitis tamen in cujuslibet Doctoris, vel Licentiati creatione Doctoribus eximiis de professione creandi ad minus tribus, qui Doctorandum, vel Licentiandum examini subjiciant; Cui, dum idoneum invenerint, sufficientemque comprobaverint, vos autoritatem interponendo, Doctoratus, Licentiæ, Magisterii, Baccalaureatus & laureæ Poeticæ Insignia, uti moris est, conferretis. Qui quidem Doctoratus, Licentiæ, Magisterii, Baccalaureatus, & laureæ Poeticæ titulo & insignibus a vobis donati libere possint ac valeant, in omnibus civitatibus, terris ac locis Sacri Romani Imperii, & ubilibet terrarum, omnes actus doctorales legendi, docendi, interpretandi, Cathedram ascendendi, & glossandi de Jure, disputandi, consulendi, advocandi, & cæteros actus Doctorales, vel Licentiæ, nec non Magisterii, & Baccalaureatus atque laureæ Poeticæ facere & exercere, omnibus & singulis gaudere & uti Privilegiis, prærogativis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, praeminentiis, favoribus, indultis, gratiis, ac aliis quibuscunque, quibus cæteri Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei, & Poëtæ laureati, qui in Gymnasio Parisiensi, Bononiensi, Patavino, Perusiensi, Pisano, Senensi, Viennensi, Ingolstadiensi, & quolibet alio publico, & privilegiato Gymnasio promoti, vel etiam a Nobis & Divis Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus insigniti, seu alio quocunque modo talia Insignia acceperint, gaudent, utuntur & fruuntur quomodolibet consuetudine vel de Jure, non obstantibus præfatis omnibus quibuscunque legibus, Canonibus, Constitutionibus, decretis, rescriptis, beneficiis consuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, Privilegiis, exemptionibus, gratiis & prærogativis, quocunque nomine censeantur, & cujuscunque tenoris & munitionis existant, tam factis quam fiendis, per Nos, Prædecessores, aut Successores Nostros, aut per quoscunque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Universitates, Communitates, vel alias cujuscunque generis, vel conditionis, sub quibuscunque clausulis, & verborum expressionibus, etiamsi talia essent, de quibus de verbo ad verbum necesse esset hic fieri mentionem specialem in contrarium facientibus. Quibus omnibus & singulis Cæsarea Nostra autoritate per præsentes, in quantum huic nostræ concessioni & indulto obstarent, vel obstare possent, derogavimus, & derogatum esse volumus. Similiter eadem autoritate Nostra Cæsarea & Regia tibi Annibali Foscherii Comiti de repetita Roboreti prælibatisque Guido, Carolo & Sigismundo, filiis tuis, Vestrisque liberis, Hæredibus, posteris & Successoribus legitimis utriusque sexus, universis natis & in infinitum nascituris, damus & concedimus amplam facultatem & potestatem, qua possitis, & valeatis tutores & curatores constituere, dare & confirmare, ipsosque (causis legitimis subsistentibus) amovere: Præterea filios adoptare, arrogare, eosque adoptivos & arrogatos facere, constituere, ac ordinare, nec non filios legitimos & legitimandos, adoptivosque & adoptandos in quavis ætate constitutos emancipare, ac patria potestate liberare, adoptionibus, arrogationibus & emancipationibus, quibuscunque omnium & singulorum, etiam infantum & adolescentum consentire, veniam ætatis supplicantibus concedere, autoritatem & Decretum in omnibus interponere, minores quoque Ecclesias & Communitates læsas, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, ac integram restitutionem eis, vel alteri eorum concedere, cum infamibus, tam juris, quam facti, aut aliter quomodocunque, copulative, vel disjunctive dispensare, eosque ad famam restituere, abstergendo ab eis omnem infamiæ notam, tam irrogatam, quam irrogandam, ita ut de cætero ad omnes & singulos actus legitimos apti ac idonei habeantur ac promoveantur, haberique & promoveri possint ac debeant, Juris tamen ordine semper servato. Et quia usu compertum est, hujusmodi Privilegia & Diplomata non posse semper sine periculo corruptionis, vel amissionis, de loco ad locum transportari, propter frequentes temporis & rerum mutationes; volentes hac in parte tibi Annibali Foscherii Comiti de toties facta Roboreti, præsignatisque filiis tuis, vestrisque, ut supra, universis benigne consulere, ne videlicet, quoties præsentium concessionum beneficio uti volueritis, necesse habeatis originale hoc nostrum Diploma producere: Idcirco ordinamus, ut inde plura exempla sub authentico alicujus Prælati, Principis, Marchionis, Comitis, Baronis, Magistratus Provincialis, aut Municipalis, vel etiam alterius alicujus egregiæ, & fide dignæ personæ sigillo transsumere, vel transsumi, nec non per *Notarium*, Copiam *legalem*, authenticam, & collationatam in præsentia duorum testium fide dignorum subscribi, & subsignari facere possitis, quibus parem fidem in Judicio & extra, ac alias ubicunque, adhiberi volumus, ac si hæ originales literæ producerentur. Et si quo casu eveniret, quod vetustate temporum characteres, seu literæ hujus Diplomatis oculos legentium fugerint, nec agnosci possent, & vel sigillum frangeretur, vel membrana quoquo modo corrumperetur, vel incendio consumeretur, tunc anteacta transsumpta eo, quo supra demonstratum est, modo facta, eandem, quam Archetypus, fidem & roboris firmitatem ubique locorum ac terrarum obtinere, tam Ecclesiasticis, quam profanis & mixtis, tanquam præsens originale valere debebunt. Mandamus ergo universis & singulis Majestatis Nostræ, Regnorum, Ditionumque & Provinciarum nostrarum hære-

hæreditariarum ſubditis & fidelibus noſtris, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, cujuscunque, uti præmemoratum eſt, ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis & præeminentiæ exiſtant, ut te Annibalem Foſcherii Comitem de jam facta Roboreti, & Guidum Carolum, & Sigismundum, filios tuos, liberosque & hæredes, poſteros ac ſucceſſores veſtros legitimos, natos, & in infinitum DEI beneficio naſcituros utriusque ſexus univerſos, pro veris & indubitatis Marchionibus, Comitibus & liberis Baronibus, tanquam de genere Marchionum, Comitum & liberorum Baronum natis, habeant, teneant, nominent, honorent, iisque titulis prærogativisque uti, frui & gaudere ſinant, nec adverſus hanc benignam conceſſionem, gratiam & indultum, impediant, moleſtent ac perturbent, nec ab aliis impediri, moleſtari ac perturbari ſinant quovis modo: ſi quis vero ex Nobis ſubjectis id attentare præſumpſerit, noſtram & ſucceſſorum noſtrorum noverit indignationem ſe ipſo facto incurſurum. In quorum fidem ac teſtimonium haſce literas noſtras manus noſtræ ſubſcriptione, ſecretique & authentici ſigilli noſtri impendentis munimine roboratas, emanari commiſimus. Datum per manus fidelis noſtri Nobis dilecti, Reverendi Joannis Gubaſoczii, Epiſcopi Nitrienſis, locique ac Comitatus ejusdem ſupremi & perpetui Communis Conſiliarii noſtri,& Aulæ noſtræ per Ungariam Cancellarii, in libera ac Regia Civitate noſtra Odemburg ſupramentionata, die decima quarta menſisNovemb. AnnoDomini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo primo; Regnorum Noſtrorum Romani vigeſimo tertio, Hungariæ & reliquorum vigeſimo ſexto, Bohemiæ vero Anno vigeſimo quinto.

LEOPOLDUS.

Joannes Gubaſoczii, Epiſcopus Nitrienſis.

Joannes Maholanīi.

CAPUT XXIIX.
De Dominis de Romano.

I.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Dominos de Romano ſub ſuam, Sacrique Romani Imperii protectionem atque defenſionem recepit, d. d. menſe Decembr. Anno 1232.

FEdericus DEI gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Cum in conſpectu Principum orbis terræ fides clareat ſubditorum, quæ meritis inſignit hominum, & ſuis imitationibus favorem dominantis acquirit, eo potius fidelium eſt facienda devotio, & prærogativa gratia munienda, qui ſe non dubitant pro ſuorum fidelitate ac ſervitio Dominorum intra dubios vitæ caſus exponere, non parcentes rebus pariter, vel perſonis, ut vivere ac mori pro Dominis ſummam reputent gloriam & honorem. Hinc eſt igitur, quod Nos habentes præ oculis fidem puram & ſinceram dilectionem Eccelini de Romano, & Alberici fratris ejus, Noſtrorum expertorum fidelium, quam pro Noſtro & Imperii ſervitio demonſtraverunt, perſonas & omnia bona eorum noſtris & Imperii honoribus exponentes: attendentes inſuper, quod indefeſſis laboribus pro Noſtra & Imperii fidelitate inconcuſſe perſiſtant, ipſos, & familias eorum, homines, Caſtra, Villas, poſſeſſiones, & omnia bona eorum, ſub Noſtra, & Imperii protectione & defenſione recepimus ſpeciali, univerſis & ſingulis autoritate præſentium inhibentes, quatenus nullus Marchio, Comes, Poteſtas, Rector, perſona ſublimis vel humilis, Eccleſiaſtica, vel mundana, ipſos offendere in perſonis, vel rebus, ſeu guerram vel damnum inferre, aut in aliquo contra præſentis protectionis & defenſionis Noſtræ paginam moleſtare, vel impedire præſumant. Quodque præſumpſerit, in ſuæ temeritatis vindictam, ducentas libras auri compoſiturum ſe cognoſcat, medietatem videlicet fiſco Noſtro, & reliquam medietatem injuriam patienti. Ad hujus itaque Noſtræ protectionis memoriam, & perpetuam firmitatem, præſens Privilegium fieri, & bulla aurea, typario Noſtræ Majeſtatis impreſſa, juſſimus communiri. Hujus rei etiam teſtes ſunt Hert Panormitanus, & Jacobus Capnanus, Archiepiſcopi, Comes Thomas de Acerra, Comes Simon de Tetis, Comes Gerrardus de - - - - Gerrardus de Arneſcen, Sacri Imperii in Italia Legatus, Comes Antebonus, Manfredus Marchio Laniza, Bacem Camerarius, & alii quamplures.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo, Menſe Decembri, ſextæ indictionis, Imperante Domino Noſtro Federico, Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Anno Imperii ejus tertio decimo, Regni Hieruſalem octavo, Regni vero Siciliæ trigeſimo quinto feliciter Amen.

Data apud Precinam Anno, menſe & indictione præſcriptis.

II.

Ejusdem Literæ, ad Epiſcopos Paduanum, Vicentinum atque Terviſinum datæ, de antea inſerto protectorio, Dominis de Romano indulto, agentes, d. d. 3. Decembr. Anno 1232.

FEdericus DEI gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, Venerabilibus Paduano, Vicentino & Terviſino Epiſcopis, fidelibus ſuis, gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Notum facimus fidelitati veſtræ, quod, cum expertos fideles noſtros, Eccelinum de Romano, & Albericum fratrem ejus, ſub noſtra & Imperii protectione recepimus ſpeciali cum omnibus bonis ſuis, ſicut

ficut in indultæ sibi protectionis privilegio continetur; volentes, quod nullus in ipsis partibus se valeat per ignorantiam excusare, fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus sub debito fidei & juramenti, Nobis & Imperio præstiti injungentes, quatenus unusquisque vestrum privilegium protectionis ejusdem debeatis solenniter publicare, & auctoritate nostra cunctis præcipiatis ab omnibus observari, denunciantes transgressoribus, quod pœnam in privilegio contentam non evadent. Ipsum vero privilegium ad opus prædictorum fidelium, & insuper præsentes literas resignabitis portitori, ut industriam singulorum possimus exinde commendare. Data Porcinæ tertio Decembris, sexta Indictione.

Caput XXIX.
De Dominis de la Scala.

I.

Sigismundi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Brunorium de la Scala, ejusque successores, de Vicariatibus Veronensi ac Vicentino investivit, d. d. 8. Octobr. Anno 1434.

Sigismundus, DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. Rex, nobili Brunorio de la Scala, filio quondam nobilis Guilielmi de la Scala, nostro & Imperii Sacri Veronæ & Vincentiæ Vicario generali, & fideli dilecto, gratiam Regiam & omne bonum. Nobilis fidelis dilecte, licet æterni Providentia Principis in terra sine certa causa propriaque ratione disponat, sintque adeo incomprehensibilia judicia & investigabiles viæ ejus, ut imperfectæ humanæ naturæ conditio non solum in causis operum perscrutandis deficiat, sed in ipsis causarum operationibus vix sufficiat admirari; scimus autem, quod universæ viæ ejus veritas sunt, & quod homines cooperatores ejusdem ab Apostolo denuncupantur. Nos etiam, quos cœlestis Altitudo consilii ad hoc prætulit in Regalis apicem dignitatis, ut opportuna singulis auxilia pro tempore dispensemus, illos, quibus præesse non minus quam prodesse proponimus, nostros cooperatores cupimus invenire.

Sane considerantes attentius, & intra claustra pectoris nostri sedulo revolventes, quod nefanda hostis antiqui nequitia, qui semper quærit, ut noceat, semper in circuitu ambulat, ut offendat, in plerisque locis Italiæ & vicinis eisdem, discordiarum zizaniam seminavit, ingessit lites, commovit scandala, odia suscitavit grandia; utique desiderio ducimur ingenti, ac modis plurimis excitamur, ut malis hujusmodi molestiis, quam plurimum votis nostris, efficacibus & opportunis remediis obvietur, ac locis ipsis, benigna Regiæ Clementiæ provisione proveniente deformata, inibi propriam reformationem recipiant, ac prava & noxia procul penitus profligentur. Attendentes igitur intemeratæ fidei constantiam firmam, ac multiplicia devotionis & fidelitatis insignia, quibus nobiles progenitores tui Domus de la Scala Divos Romanorum Imperatores & Reges, ac ipsum Sacrum Romanum Imperium dignis quod studuerint honoribus venerari. Illum quoque fervidum tuæ mentis ardorem, quod ad nostros & Imperii Sacri promovendos honores indefessis quidem laboribus attentius inclinaris, & quod gratiarum dator altissimus personam tuam industriæ munere, providentiæ dono, discretionis virtute, circumspectionis gratia, & aliarum titulis virtutum multipliciter decoravit. Quodque de tuis laudabilibus meritis, a tuis progenitoribus radicitus emanatis, fiduciam obtinere possumus indubiam, & quod Nobis obligasti & juramenti vinculo adstrinxisti, te ac hæredes tuos legitimos semper in antea perenniter & fideliter in omni obedientia subjectum, & reverentia nostra & Successorum nostrorum in Imperio exhibere, ac in eisdem jugiter perseverare. Quodque de omnibus & singulis juribus, servitiis, datiis, donariis, censibus, oneribus & solutionibus, tam de jure, quam de consuetudine, seu pacto Nobis & Sacro Romano Imperio, cum omni promptitudine tenere dignoscaris, actualiter respondere locis congruis & temporibus opportunis. Et quod omnia & singula in obligatione per te Nobis tradita attendens observabis inconcusse, & nullo unquam tempore contravenies, aut contrafacies verbo vel facto per te, vel per alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, Te animo deliberato de Principum, Magnatum, Comitum, Baronum & Procerum Nostrorum consilio, Imperialis quoque plenitudine potestatis, ac de certa Nostra scientia ad Vicariatum prædictarum civitatum, Veronæ & Vincentiæ, ipsarumque territoriorum, districtuum ac pertinentiarum, sicut præfati progenitores tui juste tenuerunt & possederunt, eundem restituimus: ac ut evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes in eisdem civitatibus ac earum territoriis, districtibus & pertinentiis, ordinavimus, fecimus & creavimus, & de novo constituimus per præsentes Nostrum & Sacri Romani Imperii Vicarium generalem. Dantes ex nunc & concedentes Tibi & legitimis hæredibus tuis Masculis, de lumbis tuis descendentibus, plenam, liberam, & omnimodam auctoritatem & jurisdictionem generalem & specialem, ac gladii potestatem, merum & mixtum imperium vice ac autoritate atque nomine Nostris, in præfatis Civitatibus, territoriorum, districtuum & pertinentiarum ipsarum limitibus, circumferentiis & sitibus earum per vos, vel alium, seu alios, cui, vel quibus hoc commiseritis exercendum, animadvertendum in facinorosos & reos, coërcitionem quamlibet ratione prævia & mediante justitia exequendum. Et ut etiam apud vos seu vestros Commissarios merum & mixtum imperium, jurisdictio sive contentiosa sive voluntaria in præfatis civitatibus, territoriis, districtibus & pertinentiis ipsarum, & subditis, incolis, & hominibus ibidem, cujuscunque status, præeminentiæ vel conditionis existant, salva semper in omnibus sacrosancta ecclesiastica libertate, de rebus, contractibus, vel quasi-contractibus, ulti-

mis voluntatibus, maleficiis, criminibus & delictis vel quasi commissis & perpetratis in subditos, incolas & homines præfatos, & per eos seu etiam per alios in dictis civitatibus, territoriis & pertinentiis suis perpetratis, seu etiam perpetrandis, exerceatur libere, secundum quod jus & ratio persuadebunt.

Concedentes nihilominus tibi ac hæredibus tuis, ac illi vel illis, cui seu quibus commiseris seu commiserint, autoritatem, potestatem, Jurisdictionem omnimodam, & licentiam generalem collectas & Datia consueta, onera realia & personalia ac mixta, nec non omnes census, reditus, jura, proventus, emolumenta, subventiones, conductus, telonia & pedagia prædictarum Civitatum, territoriorum & pertinentiarum, ad Nos & Sacrum Romanum Imperium pertinentes, exigendi & recipiendi, pœnas & mulctas ratione prævia imponendi, levandi, & ex caussis rationalibus augmentandi, minuendi, remittendi in judicio & extra: Judæos Cameræ Nostræ servos acceptandi, defendendi, & tuendi jura Cæsarea, collectas, subventiones & steuras ab ipsis (prout hoc honor Imperii & necessitas postulaverit) exigendi in judicio & extra: In causarum cognitione ipsum solum DEum habendo præ oculis, ac de plano & summarie sine strepitu & figura judicii, sola veritate inspecta, procedendum, determinandum, sententias exequendum; fugitivos inquirendum & puniendum; maleficos, fures, assassinos & robatores stratarum laqueandum, judicandum, ac piratas maris submergendum, juxta sacrorum Canonum, legum ac jurium communium sacratissimas sanctiones, prout secundum ritum & terræ consuetudinem, municipalia jura & statuta persuaserint, ac proditores decapitandum, suspendendum, ac eos & eorum quemlibet, dum & quoties se casus obtulerit, condemnandum, puniendum, membra truncandum, fustibus cædendum & in facie bullandum, de patria ad tempus vel perpetuo relegandum, carcerandum & igne cremandum, mutilandum & debilitandum; bona talium publicandum & infiscandum; officiales instituendum, & de omnibus criminibus ordinariis & extraordinariis, enormibus, levibus, publicis & privatis cognoscendum, puniendum, & executionem faciendum, tam secundum jura communia, quam municipalia decidendum, cognitionem & decisionem hujusmodi committendum, in integrum restituendum, absolutionem quamlibet in judicio vel extra exercendum, infamiam tam juris, quam facti irrogandum, abolendum & disponendum: De caussis Principalibus & Appellationibus quibuslibet, tanquam judices super his a Nobis specialiter deputati, cognoscendum, examinandum, diffiniendum: Decretum primum & secundum interponendum, jura declarandum, & omnia, quæ causarum merita requirunt, exercendum & requirendum: Ita tamen quod a tua & officialium tuorum sententia, vel sententiis ad audientiam Nostri culminis possit libere totiens, quotiens opportunum fuerit, provocari. Monetas sub vero pondere & caractere aureas & argenteas instituendum; Ferias imponendum & tollendum; Rebelles Sacri Imperii persequendum & puniendum; Decreta, statuta & provisiones in prædictis omnibus & quolibet prædictoum faciendum, de novo corrigendum, jam facta ollendum, semel ac pluries, & totiens, quotiens opportunum fuerit, & ordo tractaverit & dictaverit rationis. Dotes & dotalitia ac donationes propter nuptias admittendum, approbandum & confirmandum; mente captis curatores, & orphanis, pupillis & viduis tutores præficiendum, devolutiones Fiscales quarumcunque hæreditatum, seu etiam rerum mobilium & immobilium, dum ratio & jus illud exegerint, nostro Regio nomine exigendum, tenutam & possessionem talium capiendum: & generaliter omnia & singula, quæ ad veros & legitimos Sacri Romani Imperii in supradictis Civitatibus & pertinentiis Vicarios pertinent, ut præmittitur, libere & absque impedimento quolibet faciendum; etiamsi quæ ex eis jure, vel consuetudine exigerent mandatum magis speciale. Quapropter Fidelitatibus Vestris severe & districte præcipiendo mandamus, quatenus ad statum pacificum civitatum, territoriorum, districtuum & pertinentiarum prædictarum, ac recuperationem nostrorum & Imperii Sacri jurium in præmissis omnibus & singulis fidem vestram & sollicitudinem, sicut gratiam nostram charam gratamque diligitis, sic efficaciter sicque prompto studio impendatis, ut in nobis sollicitudinis vestræ testimonio, electionis nostræ judicium commendetur, dum tales & tanto negotio duximus proponendum, ex quorum fide & justitia Serenitatis Nostræ salubre propositum de observatione jurium Imperii civitatum & pertinentiarum prædictarum singulariter exprimatur.

Præsentium sub nostri Regalis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Budæ anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, vigesima secunda die Januarii; Regnorum nostrorum anno Hungariæ vigesimo quinto, Romanorum vero secundo.

Itaque accedens nostræ Majestatis præsentiam præfatus Brunorius Nobis exposuit, quod quia ipse usque modo caruisset & hodie careret uxore & prole masculina legitima, & omnis caro esset itura viam suam, & nihil stabile sub sole persisteret, supplicavitque Nobis, quatenus providere dignaremur in casu, quo ipsum sine prole legitima masculina ab hac luce migrare contingeret, quod ex tunc Vicariatus prædictarum terrarum ac civitatum a Domo illa de la Scala non maneret amotus.

Nos vero considerantes petitionem hujusmodi honestam, maxime inducti meritis progenitorum suorum, qui officio illius Vicariatus longissimis annorum curriculis glorioso regimine præfuerunt. Ac etiam pensatis fidelissimis servitiis Nobis & Imperio Sacro a primordio concessionis præfati Vicariatus omni constantia & intemerata devotione die noctuque per ipsum Brunorium continua cura exhibitis, quibus nostræ gratiæ munificentiam sibi quodam debito vendicavit, volentes annuere votis & petitionibus suis, ac ipsum ad ulteriora nostra & Imperii Sacri servitia incitare.

Primo præinsertum Privilegium nostrum auctoritate Cæsarea confirmamus & innovamus, ac in omnibus suis clausulis & continentiis approbamus. Et tandem ipsum Privilegium animo deliberato, sano Principum, Comitum & fidelium nostrorum, accedente consilio, & de nostra certa scientia tenore præsentium, & de plenitudine Imperatoriæ potestatis ampliamus, & in personas Magnificorum Fregnani

gnani & Pauli de la Scala, fratrum præfati Brunorii, nostrorum & Imperii Sacri fidelium dilectorum, extendimus, ipsisque Fregnano & Paulo, ac hæredibus eorum masculis legitimis, de lumbis suis descendentibus, hujusmodi Vicariatum prædictarum terrarum & civitatum & pertinentiarum earundem, in quantum præfatus Brunorius sine filiis legitimis masculis ab hac luce, quod absit, decederet, & non aliter gratiosius conferentes, decernentesque, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod ipsi Fregnanus & Paulus, ac eorum hæredes legitimi masculi, ipso Brunorio, ut præmittitur, absque filiis legitimis masculis decedente, hujusmodi Vicariatu præfatarum terrarum gaudeant & fruantur omni honore, dignitate, jure & potestate in privilegio præinserto conceptis, quos eis tenore præsentium concedimus, quocunque obstaculo procul amoto: Reservato tamen Nobis & Successoribus nostris Romanis Imperatoribus & Regibus, ac Romano Imperio debitæ fidelitatis juramento & obedientiæ, tempore suo præstando, quibus eos & hæredes eorum, ut præmittitur, semper astrictos esse volumus.

Cæterum ad declarationem futurarum successionum, utque de ordine ipsarum a posteris omnis ambiguitas auferatur, & tollatur omnis materia quæstionis, confusionisque omnis possibilis dubietas extirpetur, detur autem potius clarus & determinatus succedendi in prædictis Vicariatu ac omnibus supra concessis stylus & ordo. Hoc præsenti Nostro Imperiali edicto in perpetuum valituro statuimus, dicimus & sancimus: Quod primogenitus præfati Brunorii masculus, ex legitimo & vero matrimonio natus, in Vicariatu præfato & cæteris omnibus & singulis supra concessis & indultis sibi succedat.

Et quod dicto primogenito suo decedente, etiam ipso vivente, filius primogenitus masculus, ex legitimo matrimonio ortus dicti primogeniti, præferatur aliis quibuscunque in successione Vicariatus præscripti & aliorum superius concessorum, quod quoad prædictam successionem in singulis primogenitis masculis, ex legitimo susceptis matrimonio descendentibus, observari volumus. Deficientibus vero, ut supra, primogenitis & primogenitorum primogenitis, tunc secundogenitus masculus, ex legitimo matrimonio ex ipso Brunorio ortus, sive ipse primogenitus ab ipso secundogenito ordinarie & secundum rectam lineam masculinam, prout de successione supra primogeniti dictum est, succedat, & sic in omnibus observetur. Illud inde intelligendo suis tertio- & quartogenitis, & sic deinceps intelligendo etiam, quod illi primogeniti succedentes ad regimen Vicariatus præfati sint habiles & idonei, sani mente & ratione: Alioquin repertis illis primogenitis, & his qui ordine supra scripto successuri sunt, in defectum rationis aut mentis & aliis defectibus legitimis & justis, successio in proximiorem post eos, sanum mente & indefectuosum, ut præmittitur, ordine suprascripto transferatur. Deficiente autem præfato Brunorio (quod absit) sine prole & successore, hujusmodi Vicariatu ad fratres suos præfata concessione Nostra devoluto, volumus, ut Fregnanus & Paulus, Fratres sui, tunc indifferenter & simpliciter, ac æqualiter in Vicariatu ipso succedant, & ille eis & hæredibus ac successoribus pertineat pari modo, nisi alter præfatorum fratrum, videlicet Fregnanus, sive Paulus, sine prole legitima procreata masculina decesserit, tunc filii fratris superstitis succedant eo modo & forma, quibus de præfato Brunorio est præmissum. Ad perpetuam autem conservationem charitatis & zeli præfatæ Domus de la Scala concedimus præfato Brunorio & impertimur, quod ipse valeat relinquere cuilibet ex aliis filiis suis legitimis post primogenitum tantum de fortalitiis & bonis, quæ annuatim ad reditus duorum millium ducatorum se extendant, cum hoc tamen, quod tales filii teneantur illa recognoscere per investituram a primogenito.

Et sic quilibet Vicarius de la Scala cæteris ejus filiis de tantis bonis tantorum redituum secundum videre providere valeat, ita tamen, quod semper a primogenito recognoscantur, ut supra.

Quibus quidem sic relictis decernimus, ipsos omnes ac singulos suprascriptos & venientes ab eis esse tacitos & contentos, ipsis super cæteris, quæ ad hæreditatem illam contingerent, perpetuum silentium imponentes, præsentium sub nostræ Imperialis Majestatis sigillo, testimonio literarum. Datum Ratisbonæ, anno Domini millesimo, quadringentesimo trigesimo quarto: die Octobris octavo, Romani vicesimo quinto, Bohemiæ quinto decimo, Imperii vero secundo.

CAPUT XXX.

De Dominis de Scarampis.

I.

Ludovici Bavari, Romanorum Imperatoris, Litera, in quibus Antonium de Scarampis, de feudis Imperialibus, Castris, Villis, seu locis Viginti, Montis alti & Montisbersarii investivit, d. d. 19. Maji, Anno 1329.

Ludovicus DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus discreto viro Antonio de Scarampis, suo & Imperii fideli, salutem, gratiam suam, & omne bonum. Cum justis subditorum Nostrorum & Imperii fidelium votis Imperialem Celsitudinem deceat favorabiliter annuere, & ea, quæ a rationis semita non discordant, effectualiter adimplere, ejus igitur supplicationibus devotis gratiosius intendere volentes, tibi, & hæredibus tuis Castra, villas seu loca viginti Montis alti, & Montisbersarii per te acquisita, & empta, ut pleinus in Instrumentis tuis desuper confectis diceris continere, & quæ nunc tenes & possides cum hominibus, fidelitatibus, poderiis, ac omnibus & singulis dictorum Castrorum, villarum, & locorum pertinentiis, & cum mero, & mixto imperio, & plena Jurisdictione in nobile & gen-

& gentile feudum concedimus, & de plenitudine Nostræ potestatis ex certa scientia conferimus per præsentes, recepto a se prius fidelitatis debitæ Juramento, teque, & hæredes tuos de his omnibus & singulis, tanquam de justo feudo, Imperiali autoritate investimus, tenendum, & possidendum perpetuo per te, & hæredes tuos, omni modo, & forma, ut præmittitur absque cujuslibet personæ contradictione, Jure Nostro, & Imperii semper salvo. Cassantes & irritantes ex nunc prout ex tunc omnia & singula Jura, quæ Commuue & intrinseci Civitatis Astensis Rebelles nostri & Imperii in prædictis Castris, Villis, locis & pertinentiis suis, vel aliquo prædictorum se habere asserunt quoquo modo. Nulli ergo hominum liceat hanc commissionis & infeudationis gratiam infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, gravem indignationem nostram, & pœnam quinquaginta librarum auri, quarum medietas fisco nostro, alia vero medietas ipsi passo applicetur, se noverit incursurum. In quorum testimonium præsentes conscribi, & sigillo Majestatis nostræ jussimus communiri. Datum ante in campis, decimo nono die Maji, Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono, Regni nostri Anno quinto decimo, Imperii vero secundo.

II.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Matthæum, Johannem & Thomam de Scarampis de feudis in ipsis literis nominatis investivit, d. d. Id. April. Anno 1369.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen!

CArolus quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam, notum facimus tenore præsentium universis, quod dilecti fideles Majestatis Nostræ Cæsareæ, Nobilis Matthæus quondam Oddonis legum Doctoris, ac Joannis & Thomæ olim præfati Antonii omnium de Scarampis, civium Nostræ civitatis Astensis nuper coram Majestate Nostra supplicationem obtulit, cujus tenor per omnia sequitur in hæc verba: Serenissimæ Principum Imperiali Majestati Vestræ humiliter & reverenter exponunt fideles vestri Matthæus Miles, quondam præfati Antonii, Jacobus, & Bartholomeus & Matthæus, filii & hæredes quondam Oddonis legum Doctoris, Joannes & Thomas fratres, quondam Antonii, omnes de Scarampis, de civitate Astensi, videlicet, quod ipse Matthæus miles castrum & villam Viginti nomine feudi ac Commune Astens. Jacobus & dicti filii & hæredes prædicti quondam Oddonis Legum Doctoris, castrum & villam Curtismilii cum pertinentiis suis pro tribus partibus tantum nomine feudi ab ipso Communi Astensi, item prædicti filii & hæredes prædicti quondam Oddonis solummodo castrum & villam Carii pro quarta parte tantum nomine feudi a Communi Januæ, Joannes vero dictus castrum & villam Carii pro reliquis tribus partibus nomine quo, ut supra, a dicto Commune Januæ, Thomas autem castrum & villam Montis alti pro tribus partibus tantum nomine feudi a prædicta Commune Astensi tenent & possident, tenuerunt & possederunt pacifice & quiete ipsi, & quilibet ipsorum, & eorum, & cujuslibet ipsorum antecessores annis quadraginta & pluribus, cum mero & mixto imperio, ac omnimoda Jurisdictione, cum hominibus, homagiis, fidelitatibus, & universis juribus ac reditibus, & subventionibus quibuscunque, cum justis titulis atque causis, & vigore longissimæ consuetudinis legitimo tempore præscripta, & tanti temporis, cujus contrarii memoria non existit, referendo singula singulis jurisdictionem omnimodam dictorum castrorum, & villarum, ut præmittitur, exercuerunt secundum debitam formam Investituræ, quarum ipsi, & quilibet ipsorum pro parte sua referendo singula singulis humiliter supplicarunt sacratissimæ Majestati Vestræ, quatenus dignetur, eisdem, & cuilibet eorum confirmare & approbare dicta castra & villas eis, & cuilibet eorum modo & forma superius annotatis, ac de novo eis, & cuilibet eorum concedere & elargiri, cum mero & mixto imperio, & omnimoda Jurisdictione, cum omnibus homagiis, fidelitatibus, & universis Juribus ac reditibus, & obventionibus quibuscunque, sicut longissimis temporibus retroactis ipsi singulariter, & cujuslibet, suorum antecessorum dicta castra & villas, ut præmittitur, tenere, tenere & possidere consueverunt. Nos igitur omnino deliberato, sano Principum, Baronum & Procerum nostrorum accedente consilio, & de plenitudine potestatis Cæsareæ, ac de certa nostra scientia prædictis supplicantibus hæredibus & successoribus eorundem supplicantium dicta castra, villas cum eorum pertinentiis & finibus, juribus, & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio & gladii potestate in dictis terris, castris, villis, pertinentiis eorum & cujuslibet ipsorum referendo singula singulis, de novo in feudum damus, concedimus, & donamus, approbamus atque confirmamus, & ratificamus, modis & formis superius denotatis, ad habendum, tenendum & possidendum, per vos, hæredes, & successores vestros, ut supra particulariter, & conjunctim, latius & expressius declaratur, de quibus omnibus vos, & quemlibet vestrum ex nunc liberaliter investimus. Insuper volumus & mandamus omnibus & singulis incolis & inhabitatoribus dictorum castrorum & villarum, qui nunc sunt, aut qui pro tempore fuerint, quatenus vestris & cuilibet vestrum pareant & obediant, & debitam reverentiam & obedientiam fidelitatis exhibeant, prout de jure & approbata consuetudine est solitum, veris Dominis exhiberi, salvis nostris, Sacri Romani Imperii & nominatarum civitatum nostrarum, Januensis & Astensis, feudalibus & aliorum quorumlibet juribus, quibus vigore præsentium nolumus in aliquo penitus derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, ratificationis, concessionis, donationis, approbationis & de novo infeudationis paginam infringere, aut quovis modo ausu temerario contravenire, sub pœna indignationis nostræ, & quinquaginta marcarum auri purissimi, quas contrafacientes toties, quoties contrafactum fuerit, ipso facto se noverint irremissibiliter incurrisse, quarum medietatem Imperialis Ærarii,

Ærarii, sive fisci, reliquam vero partem injuriam passorum usibus decernimus applicari Signum Serenissimi (Loc. Sig.) Principis & Domini, Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi & gloriosissimi, Bohemiæ Regis. Testes hujus rei sunt Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Guido, Portuens. Episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, pro Majestate nostra Cæsarea in partibus Italiæ locumtenens & generalis Vicarius; venerabiles Joannes Olomucens. Imperialis aulæ nostræ Cancellarius, Gulielmus Lucan. & Joannes Spoletens. Ecclesiarum Episcopi, Illustres Rupertus Lignicens. & Henricus Stinaviæ Duces, Joannes Henricus, Moraviæ Marchio, spectabiles Joannes de Asperg, Matthæus de Briberio Comites, Nobiles, Petrus de Bargniber, Imperialis curiæ nostræ Magister, Bolco de Vilartik, Imperialis curiæ nostræ Mareschallus, Andreas de Duba, Imperialis curiæ nostræ Magister, Benessius de Vertinber, Berugardus, & Jaroslaus fratres Burgravii de Donyn, nec non quamplures alii nostri, & Imperii Sacri nobiles & fideles; præsentium sub Imperialis nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Lucæ, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, idus Aprilis, regnorum nostrorum anno vigesimo quinto, Imperii vero quinto decimo.

III.

Testamentum Ludovici II. de Scarampis, in quo Ambrosium Antonium Cribellum, nepotem suum, testato filii loco adoptatum, hæredem instituit, d. d. 19. Maji, Anno 1543.

IN nomine Domini Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo, quingentesimo quadragesimo tertio, indictione prima & die decima nona Maji. Actum in Castro Canellarum, & in camera cubiculari infrascripti Illustris Domini Testatoris, præsentibus Illustri & Magnifico D. Nicolao de Balbis Ducalis Sabaudiæ Senatore, & Præsidis Patrimonialis spectab. D. Fransc. Bertono de Cherio, ex Condominis Sundi, nec non spectab. artium, & Medicinæ Doctoribus Dominis Vincentio Zoja, cive Astensi, & Bartolomeo de Valariis, cive Casalonsi, ac Nobilibus Vincentio de Damianis, habitante Vinchii, Secondino de Juvenibus de Loco Canelarum, & Reverend. Domino Fratre, Augustiniano de Bergamasco, ord. min. regularis observantiæ Testibus, ad infrascripta omnia & singula ad infrascriptum D. Testatorem vocatis & rogatis. Universis & singulis notum sit, cum humana natura unumquemque hominem mori oporteat, ac incerta sit hora mortis, idcirco ibidem personaliter constitutus Illustr. & præstantissimus D. Ludovicus de Scarampis, Comes Canelarum, sanus DEI gratia mente, sensu, & intellectu, rectoque animi judicio fungens, nolens, ut asseruit, intestatus decedere, sed de bonis suis ita disponere, ut imposterum nulla respectu ipsorum bonorum oriatur controversia, Testamentum suum ordinavit, esse voluit, ac disposuit prout infra. Inprimis quidem animam suam quandocunque eam a corpore suo separari contigerit, Omnipotenti DEO, & Beatissimæ Virgini Mariæ, ac omnibus Sanctis devote commendavit, corpus vero, seu cadaver ipsius post ejus obitum sepeliri voluit & ordinavit in Ecclesia S. Francisci Loci Cairi, in qua infrascripta perillustr. Domina ejus Mater ultimo defuncta, ac alii ejusdem Prædecessores sepulti fuerunt; Jubens & ordinans, ejus funeralia & exequia honorifice fieri, secundum ejus statum, & qualitatem, Missasque, & alia Divina officia juxta solitum celebrari, & in ejus funerali pauperes indui vestibus panni grosci, ad arbitrium infrascripti D. Alexandri Cribelli, ejus generi, ac D. Joannæ uxoris ejusdem D. Testatoris. Item legavit, & jure legati reliquit Fratribus monasterii S. Francisci prædicti Loci Cairi florenos ducentum monetæ currentis in præsenti loco Canelarum, solvendos per hæredem suam infrascriptam annos duos post decessum ipsius D. Testatoris, videlicet pro dimidia in fine cujuslibet anni, & hoc pro amore DEI, & in remissionem peccatorum suorum, ita quod teneantur ipsi Fratres missas S. Gregorii quotannis celebrari, & DEO pro anima ejusdem Domini Testatoris preces fundere. Item voluit & ordinavit, quod per prædictam ejus hæredem emantur, & emi debeant Castagneria in finibus Bubii, juxta alia per quondam Magnificam D. Joannam, matrem ipsius D. Testatoris alias aquisita, & hoc usque ad summam Florenorum quatuor centum monetæ prædictæ, quorum quidem Castagneriorum fructus, ac proventus distribuantur annis singulis in pauperes, modis & formis quibus dicta quondam ejus mater in ejus testamento disposuit. Item jussit & ordinavit, prædictum Dominum, ejus hæredem, & filiam infrascriptam satisfieri, & persolvi, quidquid fuerit opportunum ad perficiendam Capellam inchoatam, & fundatam juxta Ecclesiam S. Francisci Loci Cairi, ipsamque Capellam perfici facere intra biennium post dicti Domini Testatoris decessum. Itemque pariformiter perfici facere debeat hospitale inchoatum in hujusmodi Loco Canelarum quamprimum fieri poterit, & ad arbitrium infrascriptæ D. Joannæ, uxoris ipsius D. Testatoris. Item legavit, & jure legati reliquit Illustri D. Joannæ uxori suæ dilectissimæ, filiæ quondam Magnifici D. Odonini Pallavicini, Domini Staponisii, usumfructum dimidiæ partis omnium bonorum ipsius D. Testatoris Feudalium & Allodialium integraliter, & absque aliqua diminutione quandiu vixerit in humanis. Item dictæ D. Joannæ legavit pro dotibus suis ac ex causa dotium scutos sex mille auri Regis Solis in pecunia numerata, vel alias in bonis ejusdem D. Testatoris, prout ipsa maluerit, & ad æstimationem proborum; ita quod in hujusmodi summa includantur omnes quantitates, quas constiterit ipsi fuisse datas, vel promissas nomine dotis ipsius D. Joannæ, hujusmodique legatum effectum suum sortiri voluit, & vult, etiamsi de ulla constitutione dotis alias non constaret, nec aliquod augmentum seu aliquam donationem propter nuptias factam, per ipsum D. Testatorem ab ea peti posse, mediantibus præmissis. Item legavit, & jure legati reliquit Reverendo Domino Antonio, ejus filio naturali, scutos ducentum annuos, videlicet in tantis bonis immobilibus, quæ sunt, & esse possunt reditus annui dictorum ducentum scutorum in loco, & finibus Vinchii, aut alibi, prout videbitur Illustri D. Alexandro Cribello, Comiti Durni, & Lu-

& Lumelli, ejusdem D. Testatoris genero, ac eidem D. Antonio, ad æstimationem proborum, ita quod hujusmodi bona ipsi D. Antonio tradantur & libere expediantur, sequuta morte ipsius D. Testatoris, & de ipsis bonis idem D. Antonius disponere possit pro ejus libito voluntatis, tam inter vivos, quam in ultima voluntate. Item eidem D. Antonio legavit omnes Bestias & bona mobilia existentes, & existentia in bonis Ecclesiasticis dicti D. Antonii, ac etiam nomina debitorum seu credita massariorum, seu colonorum Ecclesiarum dicti D. Antonii. Item legavit et jure legati reliquit Magnifico D. Urbano de Carreto, ex Dominis Ponti, ejus nepoti, Grangiam unam, seu Massariam in finibus Canelarum, vel alibi, ubi dictæ D. Joannæ, ejus uxori, & Alexandro, ejus genero videbitur, quæ sit valoris & quantitatis per eosdem D. Joannam, & D. Alexandrum, Comitem taxandi, seu taxandæ & arbitrandæ, & hoc in remuneratione quamplurium servitiorum, per ipsum D. Urbanum eidem D. Testatori præstitorum, prout ibidem asseruit, & ulterius ipsum D. Urbanum liberavit & quietavit, ac quietat, liberat & absolvit ab omnibus & singulis pecuniarum summis per eum receptis, & ipsi D. Testatori spectantibus ex quavis causa, & pariter ab omnibus per eundem D. Urbanum gestis & administratis, in & de bonis ipsius D. Testatoris, & generaliter ab omnibus, in quibus sibi teneri posset usque in præsentem diem, confitens & recognoscens idem D. Testator de iis omnibus & singulis redditam sibi suisve debitam rationem, cum reliquorum restitutione. Item jussit, & ordinavit quoscunque ejus servitores, & servitrices indui, seu vestiri post ejus mortem pannis lugubribus secundum uniuscujusque ipsorum qualitatem, & ejus, ac eorum cuilibet dari & persolvi per infrascriptum ejus hæredem pro beneficiis aliquam congruam summam, arbitrio suprascriptorum Dominæ ejus Uxoris, & D. Alexandri, ultra stipendia ipsis debita. Item legavit & jure particularis institutionis reliquit Ven. D. sorori Barbaræ, ejus filiæ naturali, scutos duos Regis Solis annis singulis per infrascriptum ejus hæredem persolvendos, vita ipsius Dominæ Barbaræ durante. Item legavit Monasterio S. Augustini hujus loci Canelarum Florenos quinquaginta monetæ prædictæ, semel tantum per dictam ejus hæredem solvendos. Item legavit Nobili Joanni, filio naturali ipsius D. Testatoris domum unam, quæ appellatur domus Agnesinæ Boschæ, sitam in loco Canelarum sub ipsius cohærentiis, de qua disponere possit pro ejus libito voluntatis. Item legavit Laurentio, Ortolano, ac Petrino coquo ipsius D. Testatoris victum & vestitum pro quolibet, quamdiu vixerint in humanis, ipsis tamen servientibus infrascriptæ D. Margaritæ ejus filiæ, aut præfatæ D. Joannæ ejus uxori, prout hactenus ipsi D. Testatori inservierunt. Item legavit, Bertole de Georgiis de Bubio scutos quinquaginta, semel tantum eidem per dictam ejus hæredem infrascriptam persolvendos pro ejus beneficiis. Item voluit, jussit & ordinavit, quod dicta ejus hæres teneatur & debeat satisfacere venerando Presbytero, D. Joanni pro ejus servitiis ad arbitrium & taxam prædictorum Dominorum, Joannæ suæ uxoris, & Alexandri Cribelli. Itemque legavit Nobili Vincentio de Vinchio scutos viginti quinque solvi pro ejus benemeritis, & plus, ad arbitrium præfati D. Comitis Alexandri. Item legavit Communitati, seu Universitati prædicti loci Cairi florenos centum, semel tantum per dictam ejus hæredem solvendos. Item disposuit & ordinavit, quod omnia & singula bona feudalia ad ipsum Dominum Testatorem obventa, tam et persona quondam Magnificæ Dominæ ejus matris prænominatæ, quam ex successione cujusvis alterius personæ, vel aliter ex causa lucrativa, aut onerosa, & tam conjunctim cum Illustrissimo Domino Nicolao, ejus fratre, quam divisim, & de quibus idem Dominus Testator disponere potest, seu posset, accedente maxime provisione, autoritate vel dispensatione Cæsareæ Majestatis, vel alterius directi Domini ipsorum bonorum jam obtenta, vel obtinenda, quatenus exigatur, & non aliter, perveniant, & pervenire debeant ad Magnificum Dominum Ambrosium Antonium, filium primogenitum infrascriptæ Dominæ Margaritæ, ejusdem Domini Testatoris filiæ, & successive ad liberos masculos primogenitos ejusdem Domini Ambrosii Antonii, & illis deficientibus, ad alios primogenitos dictæ Dominæ Margaritæ masculos, ita quod transeant de masculo in masculum in infinitum; masculis vero deficientibus ad primogenitam filiam ipsius Dominæ Magaritæ, quæ etiam pro tempore fuerit, & subsequenter ad alias omnes primogenitas filias illius, ordine successivo, ut supra; Ita tamen, quod dictus primogenitus præfatæ Dominæ Margaritæ, & alii, ad quos bona prædicta, ut præmittitur, pervenire continget, teneantur, & debeant assumere cognomen & arma dicti Domini Testatoris, ac eis in omnibus opportunis actibus uti, & ita dictus Dominus Testator prænominatum Dom. Ambrosium Antonium, ac alios successive futuros Primogenitos dictæ Dominæ Margaritæ respective, tam Masculos, quam Fœminas ordine successivo, ut supra, sibi hæredes particulares instituit in bonis prædictis, ita quod Filii Primogenitorum in locum ipsorum succedant, aliis exclusis, nec dicta bona dividi, aut alienari quomodolibet possint contra formam, & dispositionem præmissam. Item disposuit & ordinavit, quod omnia reliqua bona feudalia antiqua, avita & paterna dicti Domini Testatoris perveniant, & pervenire debeant ad præfatum Dominum Nicolaum, ejus fratrem, & successive ad Dominum Ludovicum Bonifacium, ejus filium, ac illius imposterum futuros primogenitos Masculos, & iis deficientibus revertantur, & redire debeant ad prædictum Dominum Ambrosium Antonium, aliosque Primogenitos, descendentes ex prædicta Domina Margarita, ipsius Domini Testatoris filia, modis & formis præmissis, & ita prænominatos singula singulis referendo particulares hæredes instituit in bonis prædictis, in omnibus autem aliis bonis, juribus, & actionibus ipsius Domini Testatoris hæredem universalem instituit & nominavit prædictam Illustrissimam Dominam Margaritam ejus filiam legitimam, & naturalem, Uxoremque prænominati Illustris Domini Alexandri Cribelli, Comitis Durni, & Lumelli, & post eam dictum Dominum Ambrosium Antonium, & successive primogenitos masculos ejusdem; ipsisque deficientibus alios primogenitos dictæ Dominæ Margaritæ, qui pro tempore fuerunt, & in quocunque gradu existant usque in infinitum.

IV, *Caroli*

IV.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Testamenti, ultimæque voluntatis, a Ludovico de Scarampis conditi, nec non Privilegii successionis, Ambrosio de Scarampis Anno 1496. a Maximiliano I. Romanorum Rege, indulti, confirmatio, d. d. 8. Junii, Anno 1543.

CArolus quintus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum, Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotherici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Virtembergæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Artesiæ, & Burgundiæ, Palatinus, Annoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Feretti, Kiburgi Namurci, & Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, & Sacri Rom. Imperii &c. Dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ, recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, qualiter Nobis pro parte nobilium nostrorum & Imperii Sacri fidelium & devotorum, Nobis dilectorum Ludovici Scarampi, Margaritæ ejus Filiæ, nec non Ambrosii Antonii, ex eadem Margarita & Comite Alexandro Cribello nepotis reverenter fuerit expositum, quod cum alias Ambrosius de Scarampis nonnulla Castra & Loca, tam in solidum, quam pro divisis partibus, ad eum respective pertinentibus, ex successione antecessorum suorum haberet, ac possideret in Feudum, essetque Vasallus & Feudatarius eorundem respective Illustrissimi Ducis tunc Mediolani, ac Montisferrati Marchionis, & Comitis Astensis, atque de eisdem Locis, Castris & Feudis a præfatis eorum directis Dominis respective fuissent investiti, aliosque liberos præter quam nobilem nostrum, & Imperii Sacri fidelem Nicolaum, & præfatum Ludovicum suos ex Joanna filios Nepotes de Scarampis, & quod Ludovico Scarampo dictæ Joannæ marito legitime procreatos, non haberet, indultum seu privilegium a Divo Cæsare Maximiliano, Avo & Prædecessore Nostro augustæ memoriæ, obtinuit, quo sibi libera facultas de dictis Feudis, aliisque quibuscunque, forsitan acquirendis, disponendi in dictos ejus nepotes, conjunctim vel divisim, per viam contractus, vel voluntatis concessa extitit cum derogationibus opportunis, cumque habilitatione ipsorum nepotum ad successionem ipsorum feudorum, quanquam alias inhabiles censerentur, prout latius in eodem privilegio continetur, cujus tenor hinc infra descriptus est, quod ejus privilegii vigore, præfati Nicolaus & Ludovicus ipsi Ambrosio, sine aliis liberis defuncto, in dictis Feudis successerunt, vel & forsitan ex ipsorum feudorum qualitate & natura, cum nonnulla ex eis essent emptitia, & alia forsitan, ut essent talis qualitatis, ut essent ad fœminas transitoria; Cum vero jam evenerit, ut hic Ludovicus, alter ex dictis nepotibus prole masculina careat, unicamque filiam legitimam & naturalem habeat præfatam Margaritam, quam matrimonio copulavit præfato Comiti Alexandro Cribello, Civi Mediolanensi, ex quo matrimonio nati sunt duo filii masculi, & una filia, magnaque spes sit aliam sobolem suscipiendi, consideransque ipse Ludovicus humanæ fragilitatis exempla a viginti diebus, citra condiderit testamentum, cum ex judicio Medicorum de instanti morte timeret, in quo, factis quibusdam legatis, hæredem universalem in bonis allodialibus instituit præfatam Margaritam ejus filiam, & post eam præfatum Ambrosium Antonium, ejus filium primogenitum, ac successive ejusdem primogenitos masculos, ipsisque deficientibus alios primogenitos præfatæ Margaritæ, qui pro tempore fuerint, usque in infinitum, deficientibusque ipsis masculis, ejusdem Margaritæ filiam primogenitam & primogenitæ primogenitum masculum, ut supra, ita quod assumant cognomen & arma ipsius Ludovici, in eoque testamento disposuerit & ordinaverit, quod omnia & singula bona feudalia ad ipsum obventa, tam ex persona matris suæ, quam ex successione alterius, vel ex alia causa lucrativa, aut onerosa, & tam conjunctim cum præfato Nicolao ejus fratre, quam divisim, & de quibus disponere potest, seu posset, accedente consensu nostro, perveniant in hunc Ambrosium Antonium, filium primogenitum ipsius Magaritæ, filiæ suæ, & successive in ejus liberos masculos, &, eis deficientibus, ad alios primogenitos ipsius Margaritæ masculos, ita quod transeant de masculo in masculum in infinitum; Masculis vero deficientibus ad filiam primogenitam ipsius Margaritæ, quæ pro tempore fuerit, & subsequenter ad alias primogenitas filias illius ordine successivo, ut supra, ita tamen quod dictus primogenitus & alii admittendi teneantur, & debeant assumere arma & cognomen dicti Testatoris, & ejus in omnibus opportunis actibus uti, & ita in prædictis hæredes particulares instituit, ita quod filii primogeniti succedant, cæteris exclusis, nec dicta bona alienari nec dividi possint contra dictam formam datam, & prout in eo testamento, quod in forma fidem faciente Nobis exhibitum fuit latius continens, pro ejus testamenti & contentorum in eo majori robore & firmitate præfatus Ludovicus de Scarampis, & hæredes prædicti ab eo instituti Nobis humiliter supplicare fecerunt, quatenus attentis præmissis, & maxime quod ipsa feuda ex antedicto Privilegio divæ memoriæ Serenissimi Imperatoris Maximiliani, & forte ex sui natura cœperint esse fœminea, testamentum prædictum, & ejus dispositionem ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmare, & approbare in omnibus suis partibus & articulis, decernendo, dictum Ambrosium Antonium, filium dictæ Margaritæ unicæ filiæ primogenitum, & alios ut supra habilem, & habiles ad succedendum in dictis feudis, quæ ipse Ludovicus supplicans possidet, attenta carentia liberorum masculorum ipsius Ludovici, & ad assumendum & gerendum ipsius nomen, & arma, & alia circa pærmissa opportune providere dignaremur. Nos igitur huic petitioni clementer inclinati attentis prænominatis, & ad ipsius Ludovici Scarampi, de Nobis & Sacro Romano Imperio præclare meriti, fidelem & indefessam servitutem receptum habentes, animoque deliberato, & ex certa Nostra scientia & autoritate Imperiali, & de plenitudine Imperialis Nostræ potestatis memoratum testamentum & ultimam voluntatem dicti Ludovici, quoad institutiones & dispositiones superius expressas, in omnibus suis punctis, clausu-

clausulis, articulis & sententiis confirmavimus, approbavimus, ratificavimus & autorizavimus, ac Imperiali auctoritatis robore & firmitate munivimus; decernentes, & præfata Nostra Imperiali auctoritate, & de plenitudine potestatis statuentes ac volentes, prædictum testamentum, & ultimam voluntatem, & in eo contenta, quoad institutionem & dispositionem prænarratas, in omnibus suis punctis, clausulis & articulis, & continentiis, & quorum omnium tenorem hic pro inserto haberi volumus, ac si de verbo ad verbum insertus esset, tamquam a Nobis confirmata, corroborata, & auctorizata, tum rata & grata, tum valida, firma, & perpetua esse, & censeri, ac ab omnibus inviolabiliter observari debere, tam in judicio, quam extra judicium; Quodque dictus Ambrosius Antonius, primogenitus præfatæ Margaritæ & alii hæredes supradicti, servato ordine Primogenituræ ad succedendum in prædictis bonis, & locis feudalibus, nec non ad assumendum, gerendum, & retinendum nomen, cognomen & arma familiæ de Scarampis habiles & capaces esse, et juxta dicti testamenti dispositionem & formam admitti possit & valeat absque omni impedimento & contradictione, supplentes animo, scientia, & potestate præfatis omnes & quoscunque defectus, sive Juris, sive facti fuerint, si qui intervenissent, aut intervenisse dici, aut allegari possent. Tenor vero Privilegii dicti Cæsaris Maximiliani sequitur in hæc verba:

Maximilianus, Divina favente Clementia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ & Geldriæ, Comes Flandriæ, Namurci & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Frisiæ, Marchio Slavoniæ, Portus Naonis, Salinarum & Mechliniæ. Expositum Nobis fuit pro parte Nobis & Imperii Sacri fidelis dilecti Ambrosii de Scarampis, occasione quorundam locorum, videlicet pro sexta decima parte castri & loci Castelletti, & sexta decima parte Vasallorum suorum castrorum, & locorum Dencii, & Gorini Feudatarii Illustrissimi Ducis Aureliani, & pro sexta decima parte castri & loci Vinchii, Feudatarii Ducis Mediolani, & pro quarta parte castri & loci Cairi, Illustrissimi Marchionis Montisferrati Feudatarii, acquisita per quondam Joannem, patrem ipsius Ambrosii, sicut ipse, & ejus Antecessores a præfatis Illustribus Ducibus, & Marchione, secundum naturam Feudorum de dictis partibus Castrorum, & alii cum jurisdictione omnimoda, & pertinentiis suis investiti sunt, pro se & suis hæredibus & successoribus in Feuda nobilia, antiqua, avita & paterna, quæ quidem partes suprascriptæ dictorum castrorum per descendentiam pervenerunt ad dictum Ambrosium, tam in ipsum, quam in ejus parentem & avum per divisionem de dictis Feudis cum Agnatis & Collateralibus de Scarampis factam, consolidatæ fuerint, ipseque in senectute constitutus, summo cordis desiderio, affectu, ut, eo sine liberis descendente, ex testamento, vel ab intestato omnes ejus partes dictorum castrorum & locorum ac pernentiarum in solidum perveniant in Nicolaum & Aloysium, nepotes ex Joanna, filia ipsius Ambrosii, & quod Ludovici Scarampi, dictæ Joannæ mariti, nomine supplicatum Nobis fuerit, ut de solitæ Nostræ Regalis Clementiæ auctoritate, ac perfectæ plenitudine potestatis, eidem pro tali suo voto consequendo privilegium gratiose concedere dignaremur; Nos itaque considerato tenore dictæ supplicationis, & super eo maturo præhabito consilio ipsi Ambrosio hujus nostri specialis privilegii tenore, motu proprio, & ex certa scientia & de plenitudine nostræ Regalis potestatis gratiose concessimus & concedimus liberam licentiam, & potestatem & facultatem de dictis ejus partibus dictorum feudorum habitis, & habentibus, seu tam præsentibus, quam futuris, quæ quomodocunque quæri vel qualicunque successione deferri contingat, ipsi Ambrosio libere disponenti, tam per viam Contractus, quam per viam Testamenti, vel cujuscunque alterius ultimæ voluntatis, ac similiter in dictos nepotes ex filia dicti Ambrosii, & eorum cuilibet, ipsorum descendentes & successores, simul & divisim, prout ipse Ambrosius voluerit, & partes suas dictorum feudorum, ut supra, cum pertinentiis suis omnibus in solidum vel pro parte quacunque transferre in dictos nepotes & eorum successores quoscunque, habilitantes eorum Nepotes ex prædicta filia ad ipsorum feudorum successionem, tam ex Contractu, quam ultima voluntate, ac ipsos in prædicto feudo prænominatis agnatis & Collateralibus præferentes, ex Nostra certa sciéntia, deque Nostræ potestatis plenitudine, jubentes, & statuentes, quod ipso Ambrosio, testato, vel intestato, & sine filiis legitimis & naturalibus decedente, vel aliter, & per viam Contractus disponendi, omnes partes dictorum feudorum jure feudi antiqui, aviti, & paterni, perveniant in dictos nepotes ex filia dicti Ambrosii, & eorum descendentes, & successores omni tempore, & in perpetuum, exclusis dictis Agnatis, & collateralibus, ut supra, & quibuscunque eorum descendentibus, & aliis quibusvis, quovis modo proximioribus Agnatis in successione dictorum feudorum prædicti Ambrosii, non obstante Textu in *Cap. ff. hoc autem notand. qui feudum dare poss.* & *in Cap. de natura success. feudi*, & *Cap. primo as mutus, vel aliter imperfectus*, & *in Cap. primo de Feud. fœmin.* & *in Cap. primo, qualiter feuda ad Fœminas pertineant*, & *in Cap. primo in ff. donare autem qualiter olim feuda potuerint alienari*, & *in Cap. primo de eo qui sibi, vel hæredibus suis masc.* & *in Cap. primo de gradu succedendi in feudo*, & *in libellis feudi* & *in omnibus aliis juribus* inhabilitantibus descendentes ex Fœminis a successione, vel alia quavis acquisitione feudorum, ac non obstante l. nam ita dic ut *ff. de adopt.* & *l. de unoquoque ff. dere judicata*, cum similibus, ac non obstante *l. quoties*, & *l. non damnosa*, & *l. rescripta C. de prast. Imper. offerens non obstante* & *l. finali C. si contra jus, vel utili publico*, nunquam obstantibus dictis investituris antiquis, seu novis, & quibuscunque aliis factis ipsi Ambrosio, & ejus antecessoribus quibuscunque per præfatos Ducem, & Marchionem sub quacunque verborum forma, in quibus appareat, vel apparere possit dictas investituras fuisse factas de dictis feudis pro investitis, & coram hæredibus, & successoribus masculis, non obstante & quacunque generali, vel speciali dispositione, vel consuetudine dictorum feudorum scripta, vel non scripta, contrarium

rium disponente; Quibus omnibus juribus, consuetudinibus, dispositionibus, et Investituris, et aliis quibuscunque in contrarium facientibus, et si de eis facienda esset mentio specialis, de nostræ potestatis plenitudine motu proprio, & omni alio, quo possumus meliori modo ex certa nostra scientia derogamus, & in hoc casu derogatum esse volumus, & mandamus in favorem dicti Ambrosii, ac dictorum Nepotum ex filia dicti Ambrosii, et successorum suorum quorumcunque, quibus prædicta Jura, et alia in contrarium facientia minime volumus obstare, perinde ac si nunquam condita, disposita, vel in rerum natura fuissent, non obstante aliquo privilegio cuiquam personæ per Nos concesso, vel concedendo, et maxime alicui, vel aliquibus ex Agnatis dicti Ambrosii, per quod libertas per Nos hic ipsi Ambrosio concessa testandi, disponendi, et ab intestato relinquendi, quovis modo impugnaretur, cui vel quibus concesso, vel concessis, aut concedendo vel concedendis ipsi Agnato, vel Agnatis, vel cuipiam alii per præsens privilegium in totum derogamus, sub quacunque verborum forma efficacissima et fortissima aliter conceptum sit, vel foret, et si clausulas haberet derogatorias, quibus ex nunc derogamus, etiamsi tales essent de quibus de verbo ad verbum fieri deberet mentio specialis; supplentes insuper ex eadem nostra scientia, et de nostræ potestatis plenitudine omnes et quoscunque defectus, tam obreptionis, quam subreptionis, et alios quoscunque, qui in præmissis, et circa præmissa aut connexa intervenissent, mandantes per præsentes præfatis Ducibus et Marchioni, et quibuscunque nostris et Sacri Imperii subditis, quatenus sub pœna nostræ indignationis præsentem nostram gratiam, concessionem perpetuo observent, et faciant ab aliis quibuscunque, per omnia juris et facti opportuna remedia, inviolabiliter observari, ipsos Duces et Marchiones, et quemlibet ipsorum in solidum ad prædicta exequenda, et observari facient delegatos nostros Constituentes, et in præmissis exequendis, vice et auctoritate nostra ipsi, et cuilibet ipsorum in solidum, qui superinde fuerint repertus vel reperti, ut facere possint, et possit, quæ Nosmet facere possumus per invocationem auxilii cujuscunque fidelis nostri, et cujuscunque status, et præeminentiæ existat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ gratiæ, Decreti, statuti, et derogationis, ac licentiæ, et habilitationis paginam infringere, aut quovis ausu temerario contrarie, sub dicta pœna nostræ indignationis gravissima, et mille marcarum auri puri, quas contrafacientes toties, quoties contrafactum fuerit, ipso facto se noverint irremissibiliter incursuros, quarum medietatem Regalis Fisci, sive ærarii nostri, residuam vero partem injuriam passorum, vel passi usibus decernimus applicandam. Præsentium, sub nostri Regalis sigilli appensione, testimonio literarum. Dat. in Civitate nostra Imperiali Augustensi, duodecima die mensis Junii, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, nonagesimo sexto, Regnorum nostrorum Romani undecimo, Ungariæ vero septimo annis.

Et hæc quidem omnia facimus, constituimus, et decernimus, non obstantibus, quæ in præmissis literis Divus Cæsar Maximilianus voluit, non obstante, et etiam non obstantibus quibuscunque aliis Privilegiis, seu investituris, per præfatum Nicolaum, pro se vel Ludovico Bonifacio ejus filio forsitan, de dictis antea inter ipsum Nicolaum, et hunc Ludovicum communibus Castris, eodem Ludovico ignorante, vel non consentiente obtentis, pure vel sub conditione, aut alia quavis forma, et quibuscunque aliis in contrarium facientibus; Quibus omnibus et singulis quoad præmissa ex certa scientia, et de plenitudine nostræ potestatis derogamus, et derogatum esse volumus, et decernimus, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus oporteret fieri mentionem specialem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, corroborationis, autorizationis, Decreti, voluntatum supplicationis, derogationis, Privilegii et gratiæ paginam infringere, aut eis quovis ausu temerario contraire, vel contra præmissa, aut eorum aliquo quovis modo dicere, vel venire in judicio, vel extra; si quis autem id attentare præsumpserit, nostram et Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam quinquaginta Marcarum auri puri se noverit incursurum, quam medietatem Imperiali Fisco, seu ærario nostro, residuam vero parti læsæ, toties, quoties contrafactum fuerit, decernimus irremissibiliter applicandam. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Dat. in Civitate nostra Imperiali Papiæ, die octava mensis Junii, Anno Domini millesimo, quingentesimo quadragesimo tertio, Imperii nostri vigesimo tertio, et Regnorum nostrorum vigesimo octavo. Signata:

CAROLUS.

Vidit Boisolus.

in angulo:

Ad Mandatum Cæs. Cathol. Majestatis proprium

Jo. Obernburgius.

Cum sigillo S. Majestatis Cæsaræ appenso in cera rubea.

V.

Instrumentum, in quo Ludovicus de Scarampis Ambrosium Antonium de Cribellis, e Margaretha filia nepotem, in locum filii adoptatum, suum in feudis aliisque bonis ea lege ac conditione declarat successorem, ut nomen insigniaque Scaramporum in posterum gerat, d. d. ultim. Julii An. 1548.

IN nomine Domini. Anno a nativitate ejusdem millesimo, quingentesimo quadragesimo octavo die Martis, ultimo mensis Julii in præsentia Illust. & Excell. D. D. Don Ferdinandi Gonzagæ, Principis Melpheti, Ducis Oriani, & Cæs. Majest. Capitanei generalis, & in Dominio Mediolani Locumtenentis, coram Illust. JurisConsulto, Domino Francisco Taberna, supremo Cancellario in statu Mediolani, & Comite Palatino, ut constat privilegio, de quo infra, pro tribunali, sedente supra Cathedra una, posita in infrascripto loco della

della Gualtera, & quam Cathedram, & quem locum elegit pro suis loco & tribunali idoneis, & causa cognita decernente auctoritate, qua fungitur infrascrip. valere, & auctoritatem interponere, comparuit Illustrissimus D. Comes Ludovicus Scarampus, filius alterius quondam Ludovici, de præsenti moram trahens in Civitate Mediolani in Porta Verzellina, Parochia S. Petri intus vineam, carens masculis legitimis, majorque annis quinquaginta septem, & desiderans, ut dixit, omni meliori modo, quo potest, posteritati nominis sui & familiæ consulere, secundum modum a sese traditum, naturam imitaturus, videlicet viam & modum adoptionis; propterea cum habeat nepotem, scilicet Illustrissimum Comitem Amb. Antonium impuberem, bonæ indolis, ejus nepotem, ut supra, ex Illustri Comitissa D. Margarita Scarampa, ejus unica filia legitima & naturali, uxore Illustriss. Comitis Alexandri Cribelli, cupiatque & velit ipsum in filium legitimum & naturalem primi gradus adoptare, qui tanquam vere filius naturalis & legitimus assumptus, & translatus per ipsum modum adoptionis in ejusdem Comitis Ludovici, sui Avi materni, & patris adoptantis, assumere habeat & tenere naturam, imitando cognomen dictæ familiæ Scarampæ, & de Scarampis nominari, & deferre Arma sive insignia præf. D. Comitis Ludovici, & dictæ Familiæ de Scarampis perpetuo, pro se filiis, & descendentibus suis in infinitum, in quibuscunq; actibus, maxime publicis pro conservatione nominis, & honoris Domus & familiæ Scarampæ; & propterea præf. Illust. D. Comes Ludovicus Scarampus omni modo, accedente auctoritate præf. Illustris D. Francisci Tabernæ, supremi Cancellarii, & Comitis Palatini, ita ut in bonis, Juribus, & hæreditate præf. adoptantis succedere possit, ac si vere filius legitimus & naturalis esset, dictum Com. Amb Antonium, ex memorata filia sua Nepotem impuberem, præsentem, volentem, & consentientem cum voluntate, & expresso consensu præf. Ill. Comitis Alexandri Gribellii patris sui, filii quondam D. Antonii, dictarum Portæ & Parochiæ præsentis, & expresse consentientis, & dictum filium suum liberantis a sua patria potestate per relaxationem e manu, qua ipsum Comitem Amb. Antonium tenebat, & sic liberatum in filium primi gradus, ac in potestatem ac familiam dicti Comitis Ludovici libere dantis, tradentis, & transferentis, ipsiusque Comitis Ludovici patriæ potestati plene & absolute submittentis, & nomine præf. Ill. D. Margaritæ quatenus opus sit, pro qua promisit de rato, sub refectione & restitutione omnium expensarum, damnorum & Interesse litis, & extra, voluntarie, & sponte, & ex certa animi scientia, & non per aliquem errorem Juris & facti, & alias omni modo, jure, via, causa & forma, quibus melius potuit, & potest mediante traditione, de qua supra, intervenientibus omnibus solemnitatibus tam Juris, quam facti, adoptavit, & adoptat ipsum Com. Amb. Antonium, accipiendo per manum, atque in suam patriam potestatem cum signo paterni osculi assumpsit & acceptavit, & assumit & acceptat in suum filium legitimum, & naturalem primi gradus, vocando ipsum Com. Amb. Antonium ibidem præsentem filium suum de Scarampis, ita ut deinceps ejus filius legitimus sit, & nominetur, utendo cognomine, & Insigniis domus præf. adoptantis, & ut supra, omnibus prærogativis, ac gratiis, & in omnibus & per omnia ac si ejus Com. Ludovici filius naturalis & legitimus, & de legitimo matrimonio natus esset. Quem quidem Com. Ambrosium Antonium & suos descendentes dictus Com. Ludovicus vult pro ejus filiis, & descendentibus vocari, & ab omnibus reputari; attestando, præsentem adoptionem fecisse eo animo, ut, in ipsius Com. Ludovici bonis, juribus, & hæreditate succedat, quibuscunque contrarium facientibus non attentis, renuntiando exceptioni præfatæ omnes partes non facti, & non celebrati hujusmodi Instrumenti adoptionis, sic, & taliter ut supra & infra, omniquo in præsenti Instrumento contentorum, non ita, & taliter actorum & factorum, omnique probationi & defensioni in contrarium. Quam adoptionem præf. Illustris D. Franc. Taberna, supremus Cancellarius & Comes Palatinus, auctoritate sibi tributa per Cæs. Majest. ut constat privilegio sequentis tenoris, videlicet:

Carolus Quintus, Augustus divina favente Clementia Romanorum Imperator, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Insularum Balearium, Fortunatarum & magni orbis Indiarum &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Galliæ Belgicæ Dominus, spectabili Devoto nostro, & Imperii Sac. fideli dilecto Francisco Tabernæ, J.V.D. Illustris Francisco Sfortiæ Mediolani Ducis, Principis & Consangvinei nostri Carissimi, apud Nos Oratori, Militi seu Equiti aurato, Sac. Lateranensis Palatii, Aulæque nostræ Cæsar. & Imperialis Consistorii Comiti gratiam nostram Cæs. & omnia bona: Imperatoria Majestas tunc ut laudis splendorem sibi comparat, cum dignis hominibus virtute præditis, ac perpetuo sibi studio addictis, merita præmia rependit, eosque adeo exornat, quo ipsorum virtus tanto Autore comprobata vehementiores indies impressus edat, & inclinati jampridem in eam animi propositis meritorum suorum præmiis acrius inhortetur; Cum itaque Nobis semper constiterit, dum Illustris Francisci Sfortiæ, Mediolanensis Ducis, & Consangvinei Carissimi, negotia apud Venetos tractares, te in mirum modum rebus nostris studuisse, & diligentia tua in parte maxima effectum esse, ut Veneti, relicto fœdere primo, quod cum Gallis habebant, Nobiscum, pro conservanda Italiæ libertate, sentirent, & multa præterea egisse in proxima Legatione tua Gallica, quæ, etsi Illustris tui Ducis Dignitatem respiciebat inprimis, non tamen a re nostra abhorrebant, quæ omnia maxime comprobata sunt, præsente tuo ad Nos adventu; Nam cum nuper venires legatus ab eodem Duce, quam literas prudentiam tuam in rebus agendis, & observantiam erga Nos jam diu intellexeramus oculata, ut ajunt, fide, nunc longe majorem perspeximus. His igitur causis, & meritis tuis inclinati motu proprio, & ex certa nostra scientia, animoque deliberato, sano quoque Principum, Comitum, Baronum, Procerum, & aliorum nostrorum & Imperii Sac. fidelium dilectorum accedente consilio, de nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine, te prænominatum, Franciscum Tabernam, ac tuo Intuitu Aloysium Jurisdem & Joannem Baptistam Tabernam fratres tuos, filiosque vestros legitimos utriusque sexus, tam natos, quam nascituros, eorumdemque hæredes, & descendentes in perpetuum in nostros, & Imperii Sac. veros Nobiles Tornearios fecimus, et con-

& constituimus, & creavimus, prout tenore præsentium facimus, creamus, eligimus, & attollimus, vosque juxta conditionis humanæ qualitatem nobiles Tornearios, & tanquam de Nobili Torneario genere procreatos dicimus & nominamus, ac ab universis & singulis, cujuscunque conditionis, præeminentiæ, status, gradus, & dignitatis fuerit, pro talibus sic vere nobilibus Tornneariis vos haberi, dici, nominari volumus & reputari, decernentes, & hoc nostro Cæsareo statuentes edicto, ut posthac præfati Franciscus Aloysius, & Joannes Baptista Tabernæ fratres, successoresque vestri prædicti, ubique locorum, & terrarum, tam in Judicio, quam extra, in rebus spiritualibus & temporalibus, ecclesiasticis, & profanis, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus mentio specialis fieri deberet, omnibus & singulis privilegiis, honoribus, dignitatibus, officiis, juribus, libertatibus, Insignibus, ac Indultis uti, frui & gaudere possitis, & debeatis, quibus cæteri Sac. Rom. Imperii veri Nobiles Tornearii a quatuor Avis paternis & maternis geniti & procreati utuntur, & fruuntur, atque admittuntur & recipiuntur quomodolibet, consuetudine, vel de Jure; Quo vero hujus Nobilitatis vestræ status luculentius clarescat, vobis prædictis Francisco Aloysio, & Jo. Baptistæ fratribus, & hæredibus, & successoribus vestris ut supra præf. hæc infrascripta Armorum Insignia, videlicet scutum quadripartitum in dextra parte inferiori, & superiori sinistræ Canem album in campo cœruleo sedentem in vasi, & suscipientem sidus aureum Jovis Nutricis, & in superiori dextra, & inferiori sinistra fascias sex, quarum tres albæ & tres nigræ sint variatis modis dispositæ, in se continens, & in cono galeæ aptæ laciniis argenteis ac nigris circundatæ; super contortis eorumdem colorum fasciis, sive antiquorum Regnorum diademate exit Aquila dimidia nigra, alis expansis in dextrum conversa, lingua rubra erecta veluti præsentium in medio latius cernuntur depicta, dedimus, concessimus, & elargiti sumus, ac tenore præsentium damus, decernentes, ut posthac prædicta Arma, & signum veræ nobilitatis Torneariæ habeatis, & deferatis ubique locorum & terrarum in omnibus & singulis honestis, decentibusque actibus & expeditionibus Nobilium Tornneariorum more, tam joco, quam serio in torneamentis, hastiludiis, bellis, duellis, singulari certamine, & quibuscunque pugnis, vexillis, tentoriis, annulis, sigillis, sepulcris, monumentis, ædificiis, & tentoriis quibuscunque pro vestro voluntatis arbitrio; Aptique & idonei ad ineundas & recipiendas omnes exemptiones, et libertates, privilegia, Feuda, vacationes, cum muneribus et oneribus quibuscunque, realibus, personalibus sive mixtis, jura quoque et consuetudines, quibus cæteri Sacri Romani Imperii nobiles tornearii, hujusmodi Armorum ornamentis insigniti, gaudeant, et fruantur, consuetudine vel de jure, impedimento et contradictione cessantibus quorumcunque. Creamus præterea et erigimus vos prænominatos Franciscum Aloysium & Jo. Baptistam, fratres, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ & Imperialis Consistorii Comites, aliorumque Comitum Palatinorum numero & consortio adscribimus & aggregamus; hoc Imperiali Nostro statuentes Edicto, ut deinceps omnibus & singulis exemptionibus, gratiis & libertatibus uti fruique debeatis, quibus cæteri ejus ordinis Comites utuntur, fruuntur & gaudent, quomodolibet consuetudine, vel de Jure, dantes & concedentes Vobis amplam auctoritatem & facultatem, qua possitis & valeatis, & quilibet vestrum possit & valeat per totum Romanum Imperium, et ubique locorum et terrarum facere et creare Notarios et Judices ordinarios, qui ad id fide meriti, et experientia digni et idonei fuerint, super quo conscientias vestras oneramus, accepto taman prius ab eis vice & nomine nostro et Sacri Romani Imperii debito solitoque fidelitatis Juramento, quo scilicet sese Nobis, & Sacro Imperio obstringere solent; contractus vero judiciorum, acta, instrumenta quæcunque & ultimas voluntates fideliter, dolo & fraude penitus semotis, in cartis, seu paginis mundis, & non abrasis scribent facientque, nec non requisiti decreta & auctoritates interponent, aliaque omnia & singula juste, pure & fideliter agant, quæ ad ipsum officium pertinere & spectare dignoscuntur, quomodolibet consuetudine, vel de jure; non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus; Insuper vobis præfato Francisco Aloysio, & Jo. Baptistæ concedimus & elargimur, quod possitis & valeatis, & quilibet vestrum possit & valeat naturales, Bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos copulative vel disjunctive, & quoscunque alios ex illicito & damnato coitu procreatos, cujuscunque ætatis, etiamsi infantes, fuerint, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus, legitimare, Illustrium tamen Principum, Comitum & Baronum filiis duntaxat exceptis, & eos ad omnia & singula Jura legitima restituere & reducere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipsos restituendo & habilitando, & ad singula Jura successionum & hæreditatum bonorum paternorum, maternorum, feudalium & emphyteuticorum, etiam ab intestato cognatorum & agnatorum, & ad honores, dignitates, & omnes actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, objectione prolis illicitæ penitus quiescente, & quod ipsorum legitimatio, ut supra facta, pro legitime facta teneatur, & habeatur, ac si foret cum solemnitatibus omnibus Juris; Quorum defectus specialiter auctoritate Imperiali suppleri volumus & intendimus, dummodo tamen legitimationes hujusmodi per vos faciendæ non præjudicent filiis, & hæredibus legitimis & naturalibus, sintque ipsi per vos legitimati de familia, agnatione & casata parentum suorum, ac arma & insignia eorum portare possint et valeant, efficianturque Nobiles, si parentes eorum Nobiles fuerint, possintque et debeant omnibus actibus publicis et privatis, officiis, juribus, honoribus et dignitatibus quibuscunque frui, uti et gaudere, quibus veri legitimi consuetudine, vel de Jure utuntur et potiuntur, non obstantibus quibuscunque legibus, decretis, statutis, consuetudinibus, & aliis quibuscunque in contrarium, quibus omnibus & singulis motu, scientia & auctoritate, potestate, quibus supra, in quantum huic nostro indulto, & concessioni contravenirent, vel quovis modo contravenire possent, pro hac vice derogamus & derogatum esse volumus per præsentes; similiter eadem auctoritate Cæsarea vobis damus, & impertimur plenam facultatem, qua possitis et

tis & valeatis, & quilibet vestrum possit & valeat cum omnibus infamatorum, quacunque notentur infamia, dispensare, & famam eis realiter & cum effectu reintegrare, omnemque ab eis tollere, & abstergere notæ & infamiæ maculam, ac eos ad omnes honores, gradus, officia, & dignitates quascunque reddere habiles & idoneos, nec non filios adoptare, arrogare, & eos adoptivos & arrogatos facere, constituere, & ordinare; Insuper filios legitimos, & legitimandos, adoptivosque emancipare, & adoptionibus, arrogationibus, & emancipationibus quibuscunque omnium & singulorum, etiam infantium & adolescentum, consentire, & præstare veniam ætatis supplicantibus concedereque, auctoritatem & decretum in omnibus interponere, servos etiam manumittere manumissionibus quibuscunque cum vindicta, vel sine, et minorum alienationibus, ac alimentorum transactionibus auctoritatem et decretum interponere, possitisque et valeatis Minores, Ecclesias, et Communitates, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, et in integrum restitutionem eis, vel alteri ipsorum concedere, Juris tamen semper ordine servato; Cæterum cum singularis tua præfati Francisci Tabernæ doctrina, et in utroque Jure, Civili videlicet et Pontificio, summa cognitio, ac variarum insuper rerum scientia Nobis perspecta et comprobata sit, quo et immortalius literarum et studiorum æmulatores (dignum aliquod conferre congruum) ad studiorum capessendos labores spe honoris reddere possis, tibi sæpedicto Francisco supradicta auctoritate et scientia damus et concedimus, et clargimur facultatem, et potestatem plenissimam, qua possis et valeas Doctores in utroque aut altero Jure, adhibitis tamen in qualibet creatione ad minus tribus ejusdem Facultatis Doctoribus, qui omnes pariter promovendos hujusmodi per rigorem examinis sufficientes, et idoneos Judices, & si sufficientes & idonei reperti fuerint, eis licentiam in eadem Facultate impendere, ipsosque more & consuetudine in generalibus studiis desuper observari solitis, doctores facere, creare & promovere, eisdem tandem, quos ad id elegeritis, consueta ornamenta & insignia doctoralia tradere, & conferre, quod iidem per te in Doctores promoti, & promovendi in omnibus civitatibus, locis & terris Sacri Romani Imperii, & ubique terrarum libere debeant & possint omnes actus Doctorales legendi, docendi, interpretandi & glossandi, aliaque facere & exercere, omnibusque & singulis gaudere, & uti privilegiis, prærogativis & exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus, indultis, gratiis, & aliis quibuslibet, quibus Doctores Bononienses, Parisienses, Papienses, Viennenses, ac in aliis quibuscunque studiis promoti & insigniti gaudent & utuntur quomodolibet, consuetudine vel de jure, non obstantibus in prædictis quibuscunque legibus, constitutionibus, decretis, consuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, privilegiis, exemptionibus, gratiis & prærogativis, quocunque nomine censeantur, & cujuscumque munitionis vel tenoris existant, tam factis, quam faciendis, tam per Nos, quam per Prædecessores nostros, vel per quoscunque Principes, Duces, Marchiones, Civitates, Comites, Universitates, vel alios cujuscunque generis & conditionis, sub quibuscunque clausulis, & expressione verborum, etiamsi talia essent, de quibus de verbo ad verbum necesse esset hic fieri mentionem specialem in contrarium facientibus, quibus omnibus Cæsarea Nostra auctoritate per præsentes, in quantum huic nostræ concessioni obstare possent, derogamus & derogatum esse volumus. Præterea cum te præfatum Franciscum Equitem auratum creaverimus, stricto ense, & cum omnibus solennitatibus solitis & consuetis, tenore præsentium, ex eadem nostra scientia, auctoritate, qua supra, te Militem & Equitem auratum facimus, creamus, militaribus foris, militarisque cinguli decore insignimus, & omnia ad hunc ordinem equestrem pertinentia ornamenta concedimus & elargimur, decernentes eadem auctoritate, & firmissimo statuentes edicto, ut de cætero ubique locorum & terrarum in omnibus & singulis exercitiis, studiis, actibus & officiis illis honoribus, juribus, consuetudinibus, privilegiis, insignibus, prærogativis, & gratiis, tam realibus, quam personalibus & mixtis uti, frui, & gaudere possis & valeas, quibus cæteri a Nobis stricto ense milites, sive Equites creati gaudent, & potiuntur quomodolibet, omni & quocunque impedimento & contradictione cessante. Assumimus ulterius vos sæpedictos Franciscum Aloysium, & Jo. Baptistam Fratres in Nostros, & Sacri Romani Imperii familiares, & Aulicos continuos, Domesticos, aliorumque familiarium Nostrorum, Domesticorum numero & consortio favorabiliter aggregamus, volentes, ut deinceps omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, præeminentiis, libertatibus, & commoditatibus uti, frui, & gaudere possitis, & debeatis, quibus cæteri familiares Nostri Domestici utuntur, & fruuntur quomodolibet consuetudine, vel de Jure, volentes quæcunque & singula in præmissis ex nunc pro tunc rata, firma, & perpetua haberi, omni & quacunque exceptione remota. Nulli ergo hominum liceat, hanc Nostræ creationis, erectionis, concessionis, privilegii, derogationis, voluntatis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contrarie. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam triginta Marcharum auri puri ærario, seu Fisco Imperiali, totidem injuriam passi, aut passorum usibus, quoties contrafecerit, se noverit irremissibiliter incursurum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Dat. in oppido nostro Bruxelens. die ultimo mensis Octobr. Anno Domini millesimo quingentesimo, trigesimo primo, Imperii nostri duodecimo. Regnorum autem nostrorum omnium sextodecimo. Signatum CAROLUS. Ad mandatum Cæsaris, & Catholicæ Majestatis proprium, *Alf. Valdesius.* Cum sigillo pendenti servato in capsula, cera alba & rubea, more solito, ac etiam pendentibus cordulis sericeis nigris, & auro vicissim contortis; post privilegium registrat. Obercemburger. Approbavit, & laudavit, decrevitque perpetuo valere, & omnimodum effectum sortiri debere, autoritatem & decretum suum interponendo ut supra; Et quæ omnia fecit, & facit præfatus Illustris Comes Ludovicus, ita, & taliter, quod, quantum opus sit, possit & debeat, per dictum ejus filium adopta-

adoptatum, vel alium, ejus nomine supplicari Cæsarea Majestas pro obtinenda confirmatione præsentis instrumenti, ut suppleantur omnes defectus, & tam Juris, quam facti, siqui forte intervenissent, & constituit dictum filium adoptivum, et præfatum Ill. Comitem Alexandrum Cribellum, & utrumque eorum in solidum procuratores irrevocabiles ad supplicandum, & obtinendum dictam confirmationem, & ut supra &c. lapso mense et Anno, et quandocunque et quotiescunque opus fuerit, et post mortem præf. D. adoptantis, et de prædictis dictæ partes in præsentia ut supra rogaverunt me Notarium infrascriptum, ut publicum conficiam Instrumentum, unum, et plura ejusdem tenoris. Actum in loco Della Gualtera, situm extra Portam Cumanam intra corpora Sanctorum in Parochia S. Simpliciani Mediolani, præsentibus Dominis Joanne Baptista de Cerronetis, filio Domini Joannis Antonii P. V. P. S. Mariæ secretæ Mediolani, Notario Domino Joanne Francisco de Cribellis filio quondam Domini Joannis Petri P. O. P. S. Pauli in Compedo Mediolani Notariis, et Prothonotariis. Interfuerunt ibi testes Multi Mag. Dominus Franciscus Vinta Assess. pro Illustrissimo et Excellentissimo Duce Florentiæ, apud præfatum Illustrissimum et Excellentissimum Dominum Locumtenentem Cæsareum, filium quondam Magnifici Domini Pauli P. Novæ P. S. Victoris ad quadraginta Martyres Mediolani, Dominus Joannes Paulus de Rotundis de Serono, filius quondam Domini Protasii per Portam Tic. Par. S. Petri in Caminadella, ambo noti. Illustris Dominus Sigismondus Franzinus, filius quondam Magnifici Domini Francisci P. et E. Par. S. Sebastiani, Mediolani pariter notus. Magnificus Hieronymus Rolonus, filius quondam Magnifici Domini Domini Francisci P. O, P. S. Babilæ Mediolani, et Magnificus Dominus Joannes Antonius Manara, filius quondam Magnifici Domini Francisci, habitans in Civitate Laudæ in vicinia S. Christophori Sarmati pariter notus, omnesque idonei, ad præmissa vocati specialiter & rogati Signatum et subscriptum omisso signo Tabellionatus. Ego Jo. Philippus Corpanus filius quondam Domini Joannis Antonii P. V. Par. S. victoris ad Theatrum Mediolani, Publicus Imper. autoritate Notarius rogatus confeci, et subscripsi.

VI.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Instrumenti adoptionis antea inserti confirmatio, d. d. 30. Januar. Anno 1549.

CArolus V. Divina favente Clementia Romanorum Imperator, Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum & Indiarum, ac Terræ Firmæ, Maris Oceani &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotrici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, Artesiæ et Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, et Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, et Sacri Romani Imperii, ac Princeps Sueviæ etc. Dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum Tripolis, et Mechliniæ, etc. Recognoscimus, et notum facimus tenore præsentium universis, quod cum pro parte Nobis nostri, et Imperii Sacri fidelis dilecti Comitis Ludovici de Scarampis nobis expositum sit, ipsum Comitum Ludovicum senio confectum esse, carereque prole masculina legitima, et naturali, sed tantum unicam filiam legitimam et naturalem habere, Margaritam de Scarampis, matrimonio copulatam nobili nostro, et Imperii Sacri fideli dilecto Comiti Alexandro Cribello, civi Mediolanensi, et sine spe esse prolis masculinæ legitimæ et naturalis suscipiendæ; cupiens itaque posteritati suæ consulere, sibi in filium legitimum et naturalem adoptavit Amb. Antonium Cribellum, Nepotem suum ex præfata Margarita natum, eamque adoptionem factam esse in præsentia Illustis consanguinei nostri et fidelis, sincere Nobis dilecti Don. Ferdinandi Gonzaghæ, in dominio Mediolani Gubernatoris nostri accedente etiam auctoritate Magnifici Nostri et Imperii Sac. fidelis dilecti Francisci Tabernæ, Comitis Landriani, in prædicto Mediolanensi Dominio supremi Cancellarii Nostri, vigore privilegii eidem per nos concessi, conditione adjecta, ut dictus Antonius Ambrosius nepos in filium adoptatus assumat nomen, et cognomen, et arma de Scarampis, et succedat in omnibus ipsius Ludovici aut materni tam in feudalibus, quam allodialibus, et cujuscunque qualitatis sint, etiam cum ordine primogenituræ, ac si filius legitimus et naturalis esset, ut latius ex ipsius Adoptionis Instrumento in publica forma Nobis exhibitio apparet, et Nobis pro parte præf. Comitis Ludovici de Scarampis humiliter supplicatum fuerit, ut prænarratam adoptionem, et dispositionem, ac omnia et singula in eis contenta ex certa scientia, et de nostræ Imperialis potestatis plenitudine, in omnibus suis clausulis, punctis, articulis et sententiis confirmare approbare, ratificare, auctorizare, dictumque Antonium Ambrosium filium præfatæ Margaritæ unicæ filiæ primogenitum ad succedendum in omnibus feudis, quæ ipse Ludovicus habet et possidet, attenta carentia liberorum ipsius Comitis Ludovici, et ad assumendum et gerendum illius nomen & arma habilem & capacem decernere dignaremur. Nos igitur attendentes ipsius Comitis Ludovici Scarampi fidelem & indefessam servitutem, Nobis & Sacri Romani Imperii propensissimo studio præstitam, & ea de causa illius desiderio condescendere cupientes, animo deliberato, sano accedente consilio, ex certa scientia, & imperiali autoritate nostra memoratam adoptionem, & dispositionem, & Instrumentum super ea re editum, & omnia & singula in eo contenta, in omnibus suis clausulis, punctis, articulis, & sententiis de verbo ad verbum, prout jacent, confirmavimus, approbavimus, ratificavimus, & autorizavimus, ac tenore præsentium confirmamus, approbamus, ratificamus, & auctorizamus, et Imperial. auctoritatis robore & firmitate munimus, decernentes, eadem Imperiali auctoritate, ac de plenitudine potestatis statuentes & volentes, prædictam adoptionem, & dispositionem in omnibus suis punctis, & clausulis, articulis, sententiis,

tentiis, & continentiis de verbo ad verbum, prout jacent, ac si omnium illorum tenor hic insertus, & expressus esset, quem etiam pro inserto & sufficienter expresso haberi volumus, atque decernimus tanquam a Nobis confirmata, approbata, & auctorizata, rata, grata, valida, & firma esse, & censeri, ac ab omnibus inviolabiliter observari debere, tam in judicio, quam extra judicium; quodque D. Antonius Ambrosius, primogenitus præfatæ Margaritæ, & ejus hæredes, servato ordine primogenituræ ad succedendum in prædictis bonis, & locis feudalibus, nec non ad assumendum, gerendum & retinendum nomen, cognomen, & arma familiæ de Scarampis habiles & capaces esse, et juxta dictæ adoptionis et dispositionis formam et tenorem admitti possint, valeant, et debeant absque omni prorsus impedimento et contradictione; supplentes animo, scientia, consilio, autoritate nostra prædicta, omnes et quoscunq; tam Juris, quam facti et cujuscunque solemnitatis intrinsecæ ac extrinsecæ, ac formalis a jure vel consuetudine requisitæ, et quoscunque alios defectus, qui in præmissis dici, allegari aut excogitari quoquomodo possent, non obstantibus quibuscunque legibus, statutis, decretis, constitutionibus, consuetudinibus, ordinibus, beneficiis, privilegiis, prærogativis, et maxime ff. *Adoptivis* si de feud. fuerint content. inter Dom. et Agnat. Vas. et aliis in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus hic mentio specialis fieri deberet. Quibus omnibus et singulis, quatenus præmissis, adoptioni, et dispositioni, aut præsenti nostræ Confirmationi, Approbationi, Ratificationi, Decreti Suppletioni, aliisque prædictis tam in genere, quam in specie, seu alio quoquo modo contrarie seu obstare possent, pro hac vice, et ad hunc effectum derogamus, et derogatum esse volumus, nostris tamen et Imper. Sac. et cujuslibet tertii juribus semper salvis. Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, auctorizationis, suppletionis, et derogationis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram, et Imperii Sac. indignationem gravissimam, et pœnam quinquaginta Marcharum auri puri, pro dimidia Imperiali nostro Fisco, seu ærario, alia vero parte injuriam passo aut passorum usibus irremissibiliter applicandam se noverit ipso facto incursurum; harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxell. die trigesima mensis Januarii, Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Imperii nostri vigesimo nono, et Regnorum nostrorum trigesimo quarto. Subscripta. CAROLUS. In angulo dextro. *V. Parenotus.* Supra plica: Ad mandatum Cæsar. et Cath. Maj. proprium *Oberumburger.* et sigillata sigillo Imperiali magno, pendenti in cera rubea cum Cordulis sericeis nigri et crocei Coloris.

VII.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Venditionis decima sexta partis Belvederii ac locorum Vinchii atque Rocheta, Ludovico Comiti de Scarampis, per Franciscum de Guburiis facta, Confirmatio, d. d. 8. April. Anno 1552.

CArolus V. divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, Rex Germaniæ, Hispaniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Balliarum, Sardiniæ, Fortunatarum & Indiarum, ac Terræ Firmæ, Maris Oceani, & Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotrici, Brabantiæ, Luneburgiæ, & Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Arthesiæ & Burgundiæ, Palatinus Annoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgundiæ, & Sacri Romani Imperii Princeps Sueviæ &c. Dominus Frisiæ, Molinæ Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: Expositum Nobis fuit ex parte Nobilis nostri & Imperii Sacri fidelis dilectissimi, Comitis Ludovici de Scarampis, qualiter egregius noster, & Imperii Sacri fidelis dilectus noster, Franciscus de Guhuriis, vendiderit sextam decimam partem loci Belvederii Diœcesis Astensis, positi sub suis cohærentiis finium Curtiscellarum Marchionis Montisferrati, & locorum Vinchii, & Rochetæ Tanari adhærentis Ducatus Mediolani, ac sextam decimam partem totius jurisdictionis dicti loci, cum sexta decima parte pedagii & furni, & molendini, ac tertia parte unius sediminis simul tenentis cum castro eidem Comiti Ludovico de Scarampis, partem habenti in dicto loco Vinchii, cum reservatione tamen beneplaciti & consensus cujuscunque superioris pretio scutorum octoginta auri, ut in instrumento desuper confecto, in publica forma Nobis exhibito, apparet. Cæterum, ut prænarratus contractus venditionis & emptionis suum sortiatur effectum, Nobis humiliter supplicatum, ut consensum & beneplacitum nostrum in eandem alienationem & contractum præbere, eamque venditionem ac instrumentum superinde editum in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & continentiis confirmare, approbare & ratificare, de benignitate nostra dignaremur. Nos considerantes hanc alienationem fiendam esse in personam Nobis, & Imperio Sacro fidelem, & gratam, & proinde hujus petitioni benigne annuentes, animo deliberato, ex certa scientia, & Imperiali autoritate, gratia, & sano accedente consilio præfatæ venditionis & alienationis prædictæ sextæ decimæ partis Belvederii, Vinchii, & Rochetæ, ac præfatæ sextæ decimæ partis totius jurisdictionis dicti loci, ac sextæ decimæ partis pedagii, furni, & molendini, ac tertiæ partis prædicti sediminis simul tenentis, cum castris, beneplacitum & consensum nostrum benigne impartiti sumus, eamque venditionem, sententiam, & instrumentum superinde editum, in omnibus suis punctis, clausulis articulis, sententiis, & continentiis confirmavimus, approbavimus, & ratificavimus, & Imperialis autoritatis nostræ robur illis adjicientes, decernentes, ea omnia valida, firma, & perpetua esse, & censeri, suumque effectum sortiri debere, supplentes cuicunque defectui, tam juris, quam facti, si quis in præmissis aut aliquo præmissorum intervenerit, aut intervenisse dici possit,

Nostra

Nostra tamen & Imperii Sacri superioritate & feudali obsequio, & aliorum jurium semper salvis, & insuper lege adjecta, quod prædictus Comes Ludovicus teneatur infra terminum unius anni a data præsentium continue numerandum Nobis tam, quam Romanorum Imperio, & Mediolanensis Ducatus directo, utili dominio, ac loco Nostri in manibus Magnifici nostri & Imperii Sacri fidelis dilecti Francisci Tabernæ, Comitis Landriani, Consiliarii nostri & supremi Cancellarii status Mediolani, pro parte adhærenti prædicto statui, ac etiam pro parte Nobis adhærentis, in hac parte vices nostras commisimus, filios vero, & hæredes & Successores ipsius infrascripti Feudi & jurium, toties, quoties casus evenerit, debitum fidelitatis & homagii juramentum præstare, non obstantibus in præmissis quibuscunque legibus, statutis & consuetudinibus Feudorum, & maxime decretis incipientis meminimus &c. solebant majoris nostri &c. & providere volentes, ac & aliis quibuscunque, tam in genere, quam in specie contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis eorum tenorem hic pro expresso habentes, ex certa scientia & Imperiali auctoritate, & Regiæ nostræ potestatis plenitudine in hac duntaxat parte derogamus, & derogatum esse volumus, hujus testimonio literæ & sigilli nostri appensione munitæ. Dat. in oppido Oeniponte Comitatus Tyrolis, die 8. mensis Aprilis, Anno Domini 1552. & Regni nostri 37. signata Carolus. In *angulo:* vidit Perenotus. *In calce:* Consensus venditionis decimæ sextæ partis Belvederii, & locorum Vinchii, & Rochetæ, factæ Ludovico Comiti de Scarampis per Franciscum de Luhuriis, & ad Mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium *Bauer*, & sigillata solito sigillo Imperiali magno in cera rubea, & in capsula cerea serata in alia capsa stannea aperta, cum cordula serica nigri croceique coloris, a tergo registrata in fine libelli.

VIII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Litera, in quibus Petrum Franciscum Mariam, Antonium Mariam, nec non Innocentium Raynaldum Mariam, Scarampos Cribellos, de Montisclari, octava partis Vinchii, ac duodecima Malamortis, seu Belvederii Feudis Imperialibus investivit, d. d. 26. Junii, Anno 1698.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit)

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum humillime Nobis exponendum curaverint Nobiles nostri, & Sacri Romani Imperii fideles dilecti Mauritius, & Petrus Franciscus Maria, quondam Hieronymi Scarampi Cribelli fratres, eorum prædecessores certa feuda in Italia, nominatim Montisclari, Vinchii, Belvederii, & bonorum super finibus Momberfarii sitorum aliquibus abhinc seculis possedisse, & de iis vigore investiturarum ab Imperatoribus Carolo IV. Anno 1345. & Sigismundo Anno 1426. investitos fuisse, injuria vero temporum id accedisse, quod postmodum usque ad annum 1549. investituram non receperint, jam dicto autem anno augustæ memoriæ Imperatorem Carolum V. Prædecessorem nostrum, quandam denuo concessisse investituram, in eaque Ludovici Scarampi testamentum, in quo filium filiæ suæ, Ambrosium Antonium Cribellum, hæredem instituit & adoptavit, simulque hanc adoptionem confirmasse, & quod ab eo rursus tempore, usque in præsens, neque a Nobis, neque ab Imperatoribus Antecessoribus Nostris, sed a Ducibus Mediolanensibus investituram petierint, id citra dolum contigisse, bona fide se tuentes, nimirum se credidisse, feuda hæc a statu Mediolanensi dependere; mortuo sine liberis, Anno 1695. ultimo possessore, ultimoque descendente adoptati Ambrosii Antonii Cribelli, Carolo Antonio, qui adhuc vivens supplicantibus Mauritio & Petro Francisco Mariæ, fratribus Scarampis, tanquam proximis agnatis, hæcce feuda, nimirum Montisclari, octavam partem Vinchii, duodecimam Malæmortis seu Belvederii, cum aliquibus possessionibus super finibus Momberfarii sitis, solenniter refutavit & donavit, & facta usque ad ulteriorem ordinationem nostram per nostrum Commissariatum bellicum dictorum feudorum sequestratione, supplicantes jam edocti, præfata feuda esse Imperialia, Cæsareis Nostris literis patentibus, in Italia publicatis, debitam præstantes obedientiam, Cæsareum Nostrum Thronum accesserint, Nosque pro caducitatis remissione humillime orantes, non modo pro clementissime concedenda prætactorum feudorum investitura, factæque sequestrationis relaxatione Nobis demississime supplicaverint, sed etiam jus suum ad hæcce feuda, tanquam proximi ex linea masculina, a primo acquirente descendentes, deduxerint, insuperque solenne instrumentum refutationis & donationis ab ultimo possessore, Carolo Antonio factæ, exhibuerint, simul autem alius Scarampus, Carolus Alexander dictus, se eodem modo ad hæc feuda legitimare volens, pro clementissime danda investitura supplicem libellum, aliasque juris sui deductiones porrexerit; Nos utriusque partis Juribus, primum coram quondam fiscali nostro in Italia, Francisco Mezzabarba, ad hanc causam specialiter delegato, examinatis, & postmodum in Consilio Nostro Imperiali Aulico mature discussis decrevimus, feuda prætacta esse agnaticia, & sæpe dictis Mauritio & Petro Francisco Mariæ fratribus Scarampis Cribellis competere, ad illosque pertinere: Carolum Alexandrum Scarampum vero a fœmina descendentem, ejusque hæredes & descendentes ab iis exclusos & excludendos esse, non obstantibus in contrarium deductis; eximiam proinde fidei & devotionis constantiam, quam, cum universa Scaramporum familia, tum supplicantium Pater Hieronymus Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus Nostris felicis memoriæ, Nobisque, & Sacro Romano Imperio atque Domui Nostræ Austriacæ indesinenter præstitit, ipsique oratores Petrus Franciscus Maria, & Mauritii, qui interea fatis cessit, bini filii, Antonius Maria, & Innocentius Raynaldus Maria imposterum non minus præstare poterunt atque debebunt, clementer attendentes humillimis eorundem precibus benigne censuerimus annuendum, adeoque ipsos, Petrum Franciscum Mariam, & Mauritii binos filios, Antonium

Mariam & Innocentium Raynaldum Mariam, Scarampos Cribellos, horumque in pupillari adhuc ætate constitutorum testamentarios tutores & curatores, præfatum Petrum Franciscum Mariam Scarampum, Cribellum, patruum, & Mariam Ludovicam Scarampam matrem (omnem & quamcunque iis caducitatem ex speciali gratia Cæsarea remittentes, sequestrationemque relaxantes) de feudis Imperialibus Montisclari, octava parte Vinchii, & duodecima malæ mortis, seu Belvederii, bonisque super finibus Mombersarii sitis, cum omnibus appertinentiis, Juribus, regalibus &c. Recepto jam eorundem loco & nomine ab honorabili nostro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto Joanne Mauritio ab Hornick, tanquam legitimo eorum Procuratore, debito homagii & fidelitatis juramento, investiverimus, quemadmodum vigore hujus Nostri Cæsarei Diplomatis, investimus atque infeudamus, ipsisque Petro Francisco Mariæ, & binis Mauritii filiis Antonio Mariæ & Innocentio Raynaldo Mariæ Scarampis Cribellis præfata feuda Montisclari, octavam partem Vinchii, duodecimam malæ mortis seu Belvederii & bona super finibus Mombersarii sita, quemadmodum ea ultimus possessor, & alii Prædecessores habuerunt, tenuerunt & possederunt, respective pro se, & pro prædictorum binorum fratrum Antonii Mariæ, & Innocentii Raynaldi Mariæ Scaramporum Cribellorum, futuris filiis legitimis masculis, cum jure primogenituræ, de primogenito videlicet in primogenitum, perpetua serie atque ordine successivo in infinitum, in feudum francum & liberum, habens naturam allodii, damus, atque concedimus, supplentes simul omnes defectus, tam juris, quam facti, & quarumcunque solennitatum omissiones, si qui, vel quæ in præinsertis intervenissent, aut quovis modo intervenisse dici, vel allegari possent; Et quo magis Nostram erga eos, Petrum Franciscum Mariam, & Mauritii filios, Antonium Mariam & Innocentium Raynaldum Mariam Scarampos Cribellos, clementiæ affectionem conspicuam testatamque reddamus, eadem autoritate nostra, ipsos una cum præfatis feudis, in nostram & Sacri Romani Imperii, nostræque Imperialis aquilæ protectionem & salvaguardiam clementer recipimus atque assumimus, receptosque & assumptos esse volumus, decernentes, quod omnibus privilegiis, juribus & libertatibus frui debeant, & gaudere, quibus alii sub hujusmodi protectionem nostram, tuitionem & salvaguardiam recepti utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, seu quovis modo uti, frui, potiri & gaudere possunt consuetudine, vel de jure, nostri tamen & Sacri Romani Imperii superioritate semper salva & illæsa.

Nulli ergo omnino hominum cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, fortunæ aut conditionis extiterit, liceat hanc nostræ concessionis, investituræ, infeudationis, approbationis, remissionis, suppletionis, protectionis, salvæguardiæ, voluntatis, decreti, privilegii, & gratiæ paginam infringere, contemnere, ac violare, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis vero id attentare præsumpserit, is, præterquam, quod Nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam incurret, sexaginta marcarum auri puri puti probi, ex semisse ærario Nostro, sive Fisco Imperiali, ex altero vero semisse parti læsæ, toties, quoties contrafactum fuerit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, pendendarum mulctam dare damnas esto.

Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostræ Viennæ, die vigesima sexta mensis Junii, Anno millesimo, sexcentesimo, nonagesimo octavo; Regnorum Nostrorum, Romani quadragesimo, Hungarici quadragesimo tertio, Bohemici vero quadragesimo secundo.

LEOPOLDUS.

Vt. D. A. C. a Kaunitz.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium,

Lutzo Dolberg, mppria.

Caput XXXI.

De Soraneæ Marchionibus.

I.

Diploma Caroli IV. Romanorum Regis, in quo Ugbolotto & Raymundino, Soraneæ Marchionibus, merum mixtumque imperium, & omnem Jurisdictionem, tam civilem, quam criminalem, altam æque ac bassam in terra Soranea ejusque curte, nec non terra de Castione, ipsiusque curte, concessit, d. d. 12. Kal. Octobr. Anno 1347.

CArolus DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum, licet ad prosequenda munifice vota fidelium liberalitatis Regiæ dextra, cui dare immensitas est mensura, generali quadam regularitate prona sit, non mediocriter, & idonea arbitramur quadam ipsius honoris sustinguuntur prudenter recolere, & salubriter reponi, quæ subditis & fidelibus liberaliter conferuntur. Illis tamen nec immerito redditur liberalior, quos ad obsequia gratiæ ipsius fructuosas, utiles & pervigiles claris semper indiciis experitur, ac ad prosperitatem, honorem & statum felicem dicti Regni & Imperii Romanorum, suique Culminis augmentum placide successionis ordine ardentius anhelare gaudentes sub Principe gratioso ad nostræ Celsitudinis obsequia jucundius animentur, quo se per nos senserint uberius & beatius privari. In his retributiones, qui mundum pro meritis, sed ultra merita recompensant, credentes vestigium mutari.

Nam pro parte nobilium Ugholotti quondam Boni-

Bonifacii & Raymundini quondam Rolandini Marchionum de terra Soraneæ in Provincia Lombardiæ infra metas districtus Parmensis nostrorum fidelium dilectorum nostro Culmini extitit humiliter supplicatum, ut eisdem, suisque hæredibus & Successoribus, in perpetuum præfatum Marchionatum, ac etiam merum imperium atque mixtum, omnemque jurisdictionem civilem & criminalem, altam & bassam in dictam terram Soraneæ, ipsiusque Curte, nec non terram de Castione ac ipsius Curte, infra metas districtus Parmensis præfati positam cum cæteris dictarum terrarum Soraneæ, & de Castione pertinentiis & appenditiis dare, donare, & concedere liberaliter dignaremur, ut ab his Vasalli & homines ligii Regni, & Imperii Romani effici mereantur.

Nos itaque attendentes præfatorum Ugholotti & Raymundini sinceræ devotionis constantiam, & intimæ fidei puritatem, nec non pergrandia obsequiorum merita, quibus a longe retroactis temporibus in oculis Nostræ Regiæ Majestatis se reddiderunt gratos, placidos & acceptos, ac sperantes firmiter, ipsos erga Serenitatem nostram Regnique & Imperii Romani honorem devotiores effici, de devotis denique Regnum, & Imperium novæ prolis ornatibus ampliari, præfatis Ugholotto, & Raymundino Marchionibus ipsorumque hæredibus ab his legitime descendentibus, & Successoribus quibuscunque motu proprio de liberalitate Regia ex certa scientia propter multiplicia ipsorum, ut præmittitur, obsequiorum merita damus, concedimus, conferimus & donamus merum imperium atque mixtum, ac omnem Jurisdictionem Civilem, & Criminalem, altam & bassam in dicta terra Soraneæ, ipsiusque Curte, nec non in terra de Castione ipsiusque Curte, positis in dicto Parmensi districtu, & in homines, & personas ipsius habitatores, incolas, accolas, seu municipes, ac forenses, qui ibidem ad præsens, vel postea quandocunque, ex præteritis actibus gestibus quibuscunque, seu communibus, vel quasi delictis, vel qui præsentibus ac futuris seu alia quacunque ratione vel causa possent realiter vel personaliter, civiliter seu criminaliter conveniri. Volentes ut eos possint mulctare, interlocutorias ac sententias diffinitivas adversus eos & eorum bona proferre, easque in eos, & eorum bona ubicunque existentia & posita valeant executioni mandare: Cumque possint eis in eorum bonis imponere munera personalia, realia seu mixta, angarias, perangarias, & alia quocunque modo censeantur, prædictaque omnia possint in sui commodum & utilitatem convertere, in ipsisque terræ Soraneæ, & Castionis, earumque Curtibus, & qualibet ipsarum possint, ad eorum liberam voluntatem, Officiales & Magistratus constituere auctoritate nostra perpetuo valituros, ad prædicta omnia & singula facienda, gerenda & exercenda, ac executione mandanda, prout eis placuerit pleno jure. Ipsosque revocare, totaliterque mutare, quotiescunque videbitur eis expedire. Nihilominus tamen & per se prædicta valeant exercere. Verumque ad nostram audientiam veridica relatione pervenit, prædictas terras, cum earum Curtibus, fore de districtu Parmensi, & sic per consequens ad ipsius Universitatis merum imperium atque mixtum, ac Jurisdictionem plenariam de jure seu consuetudine noscitur pertinere. In hac parte volentes Marchionibus supra dictam nostram concessionem, donationem & gratiam cæteris Juribus anteferri ex certa scientia omnem prædictæ Universitatis Jurisdictionem, merum imperium atque mixtum de jure sibi competentia, aut de consuetudine, sive privilegio speciali in præfatis terris Soraneæ & Castionis, illarumque Curtibus, seu in eorum hominibus, rebus, possessionibus ac personis, seu in personas Marchionum prædictorum, ipsorum successorum in perpetuo ac hæredum, eorumque possessiones ac jura quoquo modo, quacunque ratione vel causa, quæ possent dici, narrari, vel aliqualiter cogitari, ipsam, & eorum singula annullamus, revocamus, ipsis derogamus, illisque totaliter abrogamus, ipsas terras cum earum Curtibus, hominibus, possessionibus earundem, Marchionibus prædictis, cum eorum Successoribus in perpetuum plenarie, ut superius est expressum, quoad hoc in nostra protectione recepimus speciali, per hoc non derogantes in aliqua parte nostræ gratiæ, sed potius ipsam confirmantes. Mandantesque nihil ominus ad cautelam præfatæ Universitati Parmensi, ejusque Capitaneo, potestati, Antianis, Magistratibus & officialibus quibuscunque, quocunque nomine censeantur, præsentibus & futuris, quatenus ab illo tempore, quo hæc nostræ Serenitatis gratia, concessio seu donatio eis quoquo modo fuerit patefacta de præfatis Juribus, Jurisdictionibus meri & mixti Imperii & aliis omnibus supradictis quoquo modo in præfatas terras Soraneæ & Castionis ipsarumque Curtibus sæpedictasque personas, earumque possessiones ac Jura aliqualiter re vel verbo directo, seu per obliquum se interponere non acceptent pœna & Banno Centum Marcarum Argenti, quo vice qualibet, qua fuerit contrafactum in aliquibus capitulis supradictis, ipso jure adversus contrafacientes singulos in solidum committenda, & etiam exsoluta omnia & singula supradicta obtineant plenum robur, cujus pœnæ dimidia nostræ Cameræ ac successorum nostrorum, alia vero dimidia supradictis nominatis Marchionibus applicanda. Insuper volumus, præcipimus & mandamus, quod universitas sæpe dicta, ipsiusque potestas, Capitaneus, Antiani ac alii Magistratus, quocunque nomine censeantur, ac officiales ipsius quoquo modo prædictas terras Soraneæ & Castionis, ipsarumque Curtes, ipsosque Marchiones ac sæpe dictos homines & personas cum omnibus oneribus realibus, personalibus seu mixtis vel angariis seu perangariis quibuscunque sub pœna prædicta similiter committenda, exigenda, prout superius est expressum, per se vel alios directe, seu per obliquum non audeant aggravare, seu aliqualiter molestare, eis in hac parte immunitatem plenariam concedentes ac jus, Dominium & actionem omnimodam omnium & singulorum prædictorum in prædictos Marchiones hæredesque suos & successores, ex ipsis legitime descendentes, seu causam habentes ab eisdem plenariam transferentur, hæc autem omnia & singula Marchiones prædicti coram Nobis procuratores suos per se, & eorum hæredibus & successoribus universis humiliter acceptantes Sacramentum in nostris manibus de parendo præceptis nostris, nostrorumque successorum, Regnorum & imperatorum

rum Romanorum mandatis tanquam Regni et Imperii Romani fideles homines ligii et Vasalli præstiterunt, Nobisque promiserunt solenniter, sub præstito Sacramento, obedientiam, reverentiam et obsequia præstare, nostrisque Successoribus, Romanorum Regibus et Imperatoribus, prout cæteri Regni ipsius et Imperii homines et Vasalli tenentur, nullo unquam tempore, quacunque ex causa a nostri Successorumque nostrorum prædictorum fidelitate, devotione et reverentia discessuri. Non obstantibus quibuscunque juribus, Regalibus, statutis, constitutionibus, tam civilibus quam municipalibus, etiam quibuscunque consuetudinibus, generalibus et localibus, quibus vel quorum aliquo præsens nostra donatio, concessio, collatio et translatio possent in aliquo impediri, confringi, irritari, annullari, mutilari, vel in ipsorum parte aliqua vitiari, etiamsi de prædictis omnibus ipsorumque quolibet in nostræ Celsitudinis donatione, concessione, collatione et translatione præsentibus oporteret, et oporteat, de verbo ad verbum specialem facere mentionem, quæ & quas, quantum ad hæc, nostra auctoritate Regia cassamus, annullamus, revocamus & totaliter abrogamus. Ita, quod omnia & singula jura communia & municipalia, etiam constitutiones & consuetudines, propter quæ & quas nostra præsens donatio, concessio, collatio & translatio irritari posset, vel parte aliqua violari, sint & esse intelligantur, in nostris præsentibus literis inter non obstante supra scripta inserta integraliter, & expressa, ac si eorum & ipsorum tenor totus foret in ipsis expressus specialiter & descriptus. Supplentes in omnibus & singulis præmissis omnem defectum, si qui objici forsan possent de plenitudine Regiæ potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ Serenitatis gratiam, concessionem ac donationem in aliquo violare, seu ausu temerario contraire. Contrarium vero facientes, sperantes firmiter, ipsos erga Serenitatem nostram, Regnique & Imperii Romani honorem devotiores effici, de devotis denique Regnum & Imperium novæ prolis ornatibus ampliari, præfatis Ugholotto & Raymundino Marchionibus, ipsorumque hæredibus ab ipsis legitime descendentibus & successoribus quibuscunque, motu proprio de liberalitate Regia ex certa scientia, propter multiplicia ipsorum ut præmittitur obsequiorum merita, damus, concedimus, conforimus & donamus merum imperium atque mixtum, ac omnem Jurisdictionem, Civilem & Criminalem, altam & bassam in dicta terra Soraneæ, ipsiusque curte, positis in dicto Parmensi districtu, & in homines & personas ipsius, habitatores, incolas, accolas, seu municipes ac forenses, qui ibidem ad præsens vel postea quandocunque, ex præteritis actibus, gestibus quibuscunque seu communibus vel quasi delictis, vel qui præsentibus ac futuris, seu alia quacunque ratione vel causa possent realiter vel personaliter, civiliter seu criminaliter conveniri, volentes, ut eos possint mulctare, interlocutorias ac sententias definitivas adversus eos, & eorum bona proferre, easque in eos, & eorum bona ubicunque existentia & posita valeant, executioni mandare. Cumque possint eis & eorum bonis imponere munera personalia, realia seu mixta, angarias, perangarias, & alia quocunque modo censeantur, prædictaque omnia possint in sui commodum & utilitatem convertere, in ipsisque terræ Soraneæ & Castionis, earumque curtibus et qualibet ipsarum possint ad eorum liberam voluntatem, officiales et Magistratus constituere, auctoritate nostra perpetuo valituros, ad prædicta omnia et singula facienda, gerenda et exercenda, ac executioni mandanda, prout eis placuerit, pleno jure, ipsosque revocare, totaliterque mutare, quotiescunque videbitur eis expedire. Nihilominus tamen et per se, si quis fuerit, quod absit, ultra indignationem nostræ Celsitudinis aculeum, quam ob rem se noverint incursurum, nostri judicii sancimus arbitrio puniendos. In quorum omnium testimonium, et ad certitudinem pleniorem præsentes fieri jussimus, nostræque Majestatis Sigilli appensione muniri. Datum in Castro Pragensi, Anno Domini millesimo, trecentesimo, quadragesimo septimo, XII. Kal. Octobris, Regnorum nostrorum Anno secundo, et sigillatum.

II.

Caroli IV. Roman. Imperatoris, Literæ, in quibus Ugbolottum & Raymundinum, Soraneæ Marchiones, de Soraneæ Marchionatu, nec non mero ac mixto imperio, omnique ejus Jurisdictione civili atque criminali, investivit, d. d. Kal. Februar. An. 1364.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter, Amen.

CAROLUS Quartus divina favente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, et Bohemiæ Rex etc. Ad perpetuam rei memoriam, etsi quorumlibet vota fidelium libenter admittat Imperialis Majestas, et ejusdem grata beneficia, et condigna largitatis donaria liberaliter et copiose impendat, illorum tamen votiva desideria favorabilius exaudit, et ipsorum precibus condignis molibus clementius admittit, quorum exaudivi gratius sincera, quam ad nostram Celsitudinem et Sacrum Romanum gerentem Imperium fides et devotio promerentur. Cum alias pro parte Nobilis quondam Ugoloti quondam Bonifacii et Raymundini, quondam Rolandi Marchionum de Terra Soraneæ, de Provincia Lombardiæ intra metas districtus Parmensis fidelium nostrorum dilectorum nostro consuetum extitit cum instantia supplicatum, ut ipsis, ipsorum hæredibus et successoribus, in perpetuum præfatum Marchionatum ac merum et mixtum Imperium, Jurisdictionem civilem et criminalem, altam et bassam in terra Soraneæ præfata, ac Curte ipsius, nec non in terra de Castione et Curte ejusdem infra metas ejusdem Parmensis districtus etiam sita parte, concedere et conferre, ac eos de hujus Majestate, auctoritate Cæsarea liberaliter dignaremur gratiose, ut ex hoc ipsi Marchiones Soraneæ, Vasalli, et Barones Regii Sacri Romani Imperii efferri mereantur. Attendentes igitur multiplicia merita probitatis, et præclaræ devotionis insignia, quibus præfati quondam Ugolotus et Raymondinus nostram Majestatem

et

et Imperium Sacrum dignis quidem studuerunt honoribus specialiter venerari. Nec non pensantes multiplicia, grata, et utilia obsequia et labores assiduos, quæ et quos ipsi multo studio, ac indefessa promptitudine nostro cultui retroactis temporibus exhibuerunt, et quæ ipse Raymundinus, et sui hæredes indubia Sanctæ fidei constantia cum effectu fructuosorum operum maxime Nobis, et Imperio Sacro abundanterque potuerunt exhibere, dignum arbitramur et congruum, ut ipsos specialibus beneficiis et gratiis singularibus, et concessionibus, gratiosius honoremus. Volentes igitur præmissorum intuitu ipsis facere gratiam singularem eisdem olim Ugoloto, et Raymundino et eorum hæredibus, et successoribus legitime ab eis descendentibus, animo deliberato, non per errorem aut impedimentum, sed ex certa nostra scientia, auctoritate Imperiali, et de plenitudine potestatis ejusdem in dicta terra Soraneæ, et ejus curte, nec non in terra de Castione, et ejus curte ac omnibus pertinentiis eorundem, merum et mixtum imperium et omnimodam Jurisdictionem, Civilem et Criminalem, altam et bassam, et in dictas terras, homines, personas, habitatores, incolas, municipes et forenses, qui ex præsentibus, præteritis et futuris actibus, gestibus quibuscunque, contractibus, delictis, vel quasi, seu alia ratione, aut causa quacunque realiter, personaliter, civiliter vel criminaliter connumerentur, motu proprio, benignitate solita, et ex majori Nobis pietatis clementia dedimus, concessimus, ac tenore præsentium liberaliter in feudum nobile, a Nobis et Imperio Sacro habendum et tenendum, tradimus et donamus, et eos de his solenniter, ut est moris, investivimus, et tenore præsentium investimus, volentes, quod si Raymundinum præfatum, absque legitimis liberis mori contigerit, quod ex tunc præfatus Marchionatus, eidem Raymundino concessus, ad Nobiles Antonium, Simonem et Julionem fratres quondam Guidonis Marchionis Soraneæ, et eorum hæredes et successores masculos, ab ipsis aut eorum aliquo legitime descendentes, libere devolvatur. Si vero Raymundinus et Fratres prædicti sine hæredibus masculis legitime ab eis descendentibus mori continget, ex tunc totus Marchionatus, cum omnibus jurisdictionibus, concessionibus et bonis præfatis ad nobilem Bonifacium natum quondam Ugoloti prædicti libere devolvatur, si autem eundem Bonifacium sine masculis hæredibus ab eo legitime descendentibus in vita dicti Raymundini decedere contigerit, idem Marchionatus cum juribus omnibus perpassatis superius ad eundem Raymundinum, quæ ex nunc ut ex tunc auctoritate Cæsarea sibi dantur, plenarie devolvatur. Si autem Bonifacium præfatum post mortem ejusdem Raymundini, absque liberis masculis legitimis decedere continget, tunc Marchionatus prædictus cum suis pertinentiis, ut præfertur, ad ante dictos Antonium, Simonem et Julionem, et eorum liberos masculos et legitimos, unum vel plures, qui per tempora fuerint, præfatorum Raymundini et Bonifacii libere devolvantur, enunciantes nihilominus auctoritate Cæsarea, et de plenitudine Imperialis potestatis, et de certa nostra scientia omnem concessionem, quam alias Ugoloto et Raymundino fecimus de concessione dicti Marchionatus, in quantum devolutionibus et successionibus prædictis quolibet obstarent, non obstantibus quibuscunque legibus, statutis, constitutionibus, tam civilibus quam municipalibus, consuetudinibus, generalibus et localibus, et præscriptionibus quibuslibet juris communis et consuetudinarii, sola censenaria quam valere volumus, dumtaxat excepta, quibus vel quorum aliquo præsens nostra donatio, concessio, collatio et investitura possent in aliquo impediri, infringi, irritari, annullari, aut aliqualiter vitiari, etiam si de prædictis omnibus ipsorumque quolibet in donatione, concessione, collatione & investitura præfatis in præsentibus oporteret aut oporteat de verbo ad verbum specialem facere mentionem, quæ & quas, in quantum præsentibus obsistent, auctoritate Cæsarea, & de plenitudine potestatis Imperialis cassamus, annullamus, revocamus & totaliter abrogamus, ita, quod omnia & singula jura communia & municipalia, constitutiones, consuetudines & præscriptiones quæcunque, ut præfertur, per quæ & quas præsens nostra donatio, concessio, collatio & investitura irritari possent, vel in aliqua parte violari, sint & esse intelligantur in literis nostris præsentibus inter non obstantia præscripta juxta integraliter & expressa, ac si eorum & ipsarum tenor totus foret in præsentibus expressus specialiter & descriptus, supplentes in omnibus & singulis præmissorum, & citra ea omnem defectum, si quis objici posset, de Imperatoriæ potestatis plenitudine, ut præfertur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ Majestatis paginam infringere, vel ei ausu temerario quolibet contravenire; si quis autem contrarium attentare præsumserit, indignationem nostram & pœnam centum marcarum puri auri, quarum pro medietate Imperiali ærario, residua vero parte injuriam passorum usibus applicandum statuimus, toties, quoties contrafactum fuerit, se irremissibiliter incursurum. Signum Serenissimi Principis & Domini Caroli Quarti, Romanorum Imperatoris invictissimi & gloriosissimi, Boemiæ Regis &c. Testes hujus rei sunt Illustres, Rudolphus Dux Saxoniæ, Sacri Impdrii Archimar. Princeps Elector, venerabiles Arnulphus Pragensis Archiepiscopus, Joannes Olomucens. Joannes Lucho Muschlerus, Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius, Theodoricus Wormaciensis, Petrus Florentin. Petrus Curcensius Episcopi, illustres Joannes Marchio Moraviæ, Stephanus & Albertus Bavari, Balthaser Brunswicensis, Bolco Swidnicens. Bolco Opuliens. Primislaus Teschfinens. & Henricus Lignicens. Duces, Spectabiles Joannes Burggravius Magdeburgensis, Magister Luciæ nostræ, Joannes Lavegramiæ de Lucemburg. & Bertoldus de Henemberg. Comites, & alii quam plures nostri & Imperii Sacri fideles. Præsentium sub Imperialis nostræ Majestatis Sigillo testimonio literarum, Datum Pragæ, Anno Domini millesimo, tercentesimo, sexagesimo quarto, Indictione secunda, Kal. Febr. Regnorum nostrorum Anno Domini decimo octavo, Imperii vero nono.

III.

Ejusdem Diploma, in quo Raymundinum de Lupis, Soranea Marchionem, suum pariter ac S. Imperii Consiliarium, Secretarium, familiarem atque commensalem recepit, d. d. 5. Kal. Julii, Anno 1366.

CArolus Quartus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boëmiæ Rex, Nobili Raymondino de Lupis Marchioni Soraneæ, Consiliario, Secretario, familiari suo domestico, Commensali, & fideli dilecto, gratiam suam, & omne bonum. Licet Imperialis Aula egregiarum personarum semper sit afflua, tanto tamen altioribus preconiis sublimatus, quanto plus Cæsaris Majestas se circumdatam sublimibus gloriatur. Hinc est, quod ob præclara virturum tuarum insignia, & multiplicibus probitatis meritis, quibus præeminere dinosceris, Cæsareis te volentes honoribus, atque favoribus pervenire, te in Consiliarium, Secretarium familiarem, domesticum, & commensalem nostrum, & Imperii Sacri cum sex equis, & totidem personis de certa nostra scientia recipimus, & aliorum Nobilium Consiliariorum familiarium domesticorum, & commensalium nostro Collegio præsentibus aggregamus. Decernentes nostro Imperiali edicto, ut ubicunque locorum omnibus privilegiis, munibus, liberalitatibus, immunitatibus, gratiis & indulgentiis libere potiaris, quibus Nobiles Consiliarii, Secretarii familiares domestici, & Commensales Cæsarei soliti sunt gaudere, ac mandantes universis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, Nobilibus, Officialibus, Communitatibus, devotis & fidelibus, & subditis Sacri Imperii universis firmiter, & attente quatenus te dum, & quoties ad loca eorum perveneris, condigne suscipiant, & caritative pertractent, per terras & passus suos absque quovis tributo, vel onere transire libere permittendo, securum tibi, & tuis præstantes conductum dum, & quoties a te vel tuis super hoc fuerint requisiti ad nostram & Sacri Imperii reverentiam specialem. Pronuntiantes sub nostro Imperialis Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Viennæ Anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, V. Kal. Julii, Regnorum nostrorum Anno vigesimo, Imperii vero duodecimo.

IV.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Bonifacium Aldigerium de Soranea Marchionatu, ejusque juribus atque annexis investivit, d. d. ult. Februar. Anno 1521.

AD perpetuam rei memoriam. Sicuti æquitatis ratio, tum Sacri Romani Imperii autoritas, solitæ beneficentiæ nostræ erga universos fideles subditos, quos latitudo Imperii complectitur, Nos admonet, ita cumprimis & sua unicuique jura in statu solido conservare, & dignis favoribus cunctos afficere ac prosequi, illos vero inprimis ferventiori studio amplectimur, quorum spectata fides, singularisque in Nos & Sacrum Romanum Imperium integritas, dignis quidem testimoniis comprobata existit, ut, quæ eisdem merito debentur, ex abundantia gratiæ nostræ illis adaugeamus. Cum igitur spectabilis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Bonifacius Aldigerius, Civis Parmensis, coram Nobis exposuerit, se alias a clarissimæ memoriæ Maximiliano Imperatore, Avo & prædecessore nostro, de Marchionatu Soraneæ & hæreditate ipsa quondam Degophebi de Lupis Marchionis Soraneæ, ob cujus obitum Marchionatus & hæreditas ipsa, tum quod nullos haberet legitimos filios, tum quod a Sacro Romano Imperio non fuissent recognitus & recognita, ac aliis nonnullis legitimis causis, ad Sacrum Romanum Imperium devolutus & devoluta erant, gratiose tanquam proximiorem ipsius Degophebi cognatum investitum & donatum fuisse, sub literis in forma Privilegii datis in Insprugh, die ultima mensis Octobris, Anno millesimo quingentesimo decimo quinto. Cæterum quia postmodum comperto, se eo huic non fuisse proximiorem cognatum, ex quo forte illæ literæ eidem Bonifacio non suffragarentur, obtenta prius a proximioribus cognatis ipsius Degophebi, Francisco & Paleatio de Ceratis legitima jurium omnium eisdem quomodolibet competentium ad dictum Marchionatum & hæreditatem cessione, Nobis supplicavit humiliter, quatenus de gratia speciali Divi Maximiliani Cæsaris Avi & prædecessoris nostri literas & investituram, ac si nunquam in eisdem expressum fuisset, ipsum Bonifacium fuisse proximiorem cognatum, ac etiam de novo ipsum de dicto Marchionatu Soraneæ & hæreditate ejus investire, & eidem tanquam jus habenti a proximioribus cognatis, de eisdem providere dignaremur.

Nos igitur attendentes ejusdem Bonifacii supplicationem rationi & justitiæ consonam, accedentibus ad hoc singularibus virtutibus & maximis meritis ejusdem, spectata fide & devotione erga Sacrum Romanum Imperium, motu proprio, animo deliberato, ex certa scientia, ac de nostræ Cæsareæ plenitudine potestatis, accedente ad hoc consilio & consensu Principum & procerum nostrorum, literas & privilegium ipsum, quod pro inserto hic haberi volumus, confirmavimus, approbavimus & ratificavimus, ac ratum, gratum, firmum in omnibus suis punctis, clausulis, articulis & expressionibus, ac si de verbo ad verbum his nostris præsentibus insertum foret, esse volumus & decernimus, ut plenam roboris firmitatem obtineat, & Domino Bonifacio suffragetur, in omnibus ac si in eis non fuisset expressum, ipsum fuisse proximiorem cognatum, quod expresse ac omnes & singulos alios defectus tam juris quam facti, si qui in dictis literis & privilegio quomodolibet contigerit reperiri, supplevimus, & tenore præsentium supplemus, & pro majori firmitate, quatenus expediat, ipsum Bonifacium Aldigerium tanquam nunc habentem jus a proximioribus cognatis de dicto Marchionatu Soraneæ & hæreditate ipsius Degophebi, pro se & hæredibus ac successoribus suis legitimis & masculis in infinitum dependentibus, cum quibuscunque singulis & omnibus juribus,

juribus, possessionibus, pertinentiis, pertinentibus, vel quæ de jure seu consuetudine dicto Marchionatui seu hæreditati præfatæ spectare comperientur, ut de feudo nobili & antiquo de novo investivimus, & tenore præsentium omni meliori modo, forma, via ac jure, quo fieri potest ac debet, investimus, ita quod ipse Bonifacius ac hæredes sui masculi descendentes legitimi præfatum Marchionatum Soraneæ, hæreditatemque ut supra, a Nobis & Sacro Romano Imperio ac successoribus nostris in infinitum in feudum nobile & antiquum habere, tenere & possidere possint, sicuti præfatus Bonifacius Nobis fidelitatis & obedientiæ debitum ac subjectionis consuetum juramentum præstabit, concedentes eidem Bonifacio territoria, consuetudines, merum & mixtum Imperium, omnimodam jurisdictionem, honores, gratias & prærogativas ac emolumenta de jure vel consuetudine dicto Marchionatui pertinentia & spectantia, & quæ deinceps aliquo comperto documento pertinere comperient. Volentes ac decementes hanc nostram gratiam, concessionem & investituram perpetui roboris firmitatem obtinere, legibus, juribus, consuetudinibus, statutis, municipalibus, aliisque concessionibus vel investituris seu alienationibus in persona Joannis Baptistæ Equitis de Melis, vel per ipsum quomodocunque & per quascunque alias factis sine nostro scitu, seu speciali consensu de dicto Marchionatu in præjudicium Romani Imperii & præfati Bonifacii & jurium ejus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, quæ omnia habeantur pro expressis, & si essent talia, de quibus specialis mentio in præsentibus facienda esset, quibus omnibus & singulis quatenus obstarent seu impedirent effectum præsentium ex certa scientia, maturo animo & potestate, ut supra derogamus, & derogatum esse volumus, nostris ac Sacri Rom. Imperii & aliorum omnium juribus semper salvis. Ad ampliandam vero gratiæ nostræ amplitudinem & abundantiam erga ipsum Bonifacium Aldigerium, scilicet de nobili progenie procreatum, & dudum Nobilitatis fascibus insignitum, & tum status suæ nobilitatis luculentius clarescat, ita arma & insignia suæ familiæ antiqua ex gratia & speciali privilegio reformamus, videlicet quod scutum ita sit divisum in quatuor æquales partes, ut in duabus superioribus partibus in altera a dextris sit leo integer & erectus ac albus in campo azureo, in altera a sinistris sit in campo rasino seu rubeo quatuor transverse crocea, & quælibet transversa quatuor habeat nodos, ita inter se distinctos, ut par sit aspectus campi & transversarum: pari modo duæ inferiores partes clypei varientur, & in medio clypei sit scutum parvulum, in quo contineatur nostra aquila integra & nigra in campo aureo cum corona in capite, ipsi Bonifacio præsenti nostro privilegio condonata, supra clypeum sit galea aurata & aperta suis teniis redimita, & variatis ad colores insignis, in cono galeæ sit a medio in antea griffus albus, cum alis extensis, rostro & ungulis aureis, & supra caput habeat coronam auream, quemadmodum hæc omnia artificis manu hic in medio elaborata cernuntur; Volentes & decernentes, quod prænominatus Bonifacius & filii ac hæredes sui legitimi & descendentes in infinitum autoritate nostra Imperiali, & de nostræ Majestatis plenissima concessione hujusmodi insignia ex nunc in antea futuris temporibus perpetuis in omnibus & singulis actibus, picturis, sculpturis, hastiludiis, bellis, duellis, ædificiis, annulis, signetis, sigillis & sculpturis ac marmoribus & clenodiis quibuscunque, armigerorum & militantium more ubique pro eorum omnium arbitrio deferre & gestare valeant &c. Nulli ergo &c. Datum Wormatiæ die ultima mensis Februarii, Anno 1521.

V.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Johannem Paulum de Lupis, non solum de Soraneæ Marchionatu, ejusque juribus atque annexis, investivit; verum etiam militum nobilium dignitate ac Privilegiis condecoravit, inque Camerariorum suorum numerum cooptavit, d. d. 10. April. Anno 1530.

CArolus Quintus Augustus, Divina favente Clementia, Romanorum Imperator, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Insularum Balearium, Fortunatarumque, atque Magni Orbis Indiarum Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Italiæ, Belgiique Dominus &c.

Ad futuram rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Cum nobilis noster, & Imperii Sacri fidelis dilectus Joannes Paulus de Lupis, alias de Meliis Marchio Soraneæ ad Nos accedens reverenter Nobis exposuerit, alias per Serenissimum Carolum Quartum Romanorum Imperatorem Prædecessorem nostrum data, concessa, collata, ac donata fuisse Nobilibus de Lupis, Marchionibus Soraneæ, ob eorum erga Romanum Imperium merita, ipsam terram Soraneæ in Provincia Lombardiæ positam in districtu Parmensi, una cum ejusdem Curte, appendiciis, & pertinentiis quibuscumque, nec non mero & mixto imperio, ac omnimoda Jurisdictione, Civili, & Criminali, alta, & bassa, tam in ipsa terra Soranea, ejus Curte, appendiciis & pertinentiis, quam in quoscumque homines ibidem pro tempore habitantes cum facultate officiales deputandi, eosque cassandi, exemptas, & omnino separatas ab ipsa Parmensi Civitate, & ejus pro tempore quomodolibet existentibus officialibus pro se, eorumque hæredibus & Successoribus quibuscunque, eosdemque Marchiones tam per se, quam per eorum officiales in ejusdem terræ Soraneæ Curtis, appendiciarum & pertinentiarum, quarumcunque pacifica possessione, & jurisdictionum prædictarum exercitio continuo extitisse usque ad annum Domini millesimum quingentesimum quintum decimum, quo mortuus est Deiphebus Lupus, ultimus ex Marchionibus supradictis, nullis superstitibus liberis masculis, nec fœminis suo prius condito testamento, in quo sibi hæredem universalem instituit, eundem Joannem Paulum, ipsius ex Sorore pronepotem, conditione adjecta, quod idem Joannes Paulus, hæres suus, de agnatione, & familia Luporum denominaretur, qui propterea Joannes Paulus, seu ejus pater ipso in

ætate

ætate pupillari constituto ejusdem testamenti vigore hæreditatem adivit, omnium & singulorum bonorum tam feudalium, quam allodialium, & omnium aliorum præfati Deiphebi possessionem actualem capiendo, in qua etiam de præsenti existit. Et cum superioribus annis inter Nobilem nostrum & Imperii fidelem dilectum Bonifacium Aldigerium, & eundem Joannem Paulum lites super dicto feudo & Marchionatu Soraneæ exortæ fuerint, a quibus tandem præfatus Bonifacius, facta super his amicorum interventu transactione, & Jurium suorum cessione cessatum sit, & de præsenti cessatur. Ne ergo contingeret, ipsum Joannem Paulum & ejus descendentes, vel quoscunque alios Successores, in prænarrato feudo & Marchionatu posthac molestari, novisque litibus vexari, Nobis humiliter supplicari fecit idem Joannes Paulus, ut prænarratum testamentum, nec non omnia & singula privilegia, gratias, concessiones, collationes, immunitates ac donationes prædictis Marchionibus de Lupis per Prædecessores nostros, Romanorum Imperatores & Reges, concessas, una cum prædicta terra Soraneæ, ejus curte, pertinentiis, mero & mixto imperio, ac omnimoda Jurisdictione confirmare, approbare, & quatenus expediat, eidem Joanni Paulo de novo concedere, dare, transferre & largiri dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicatione benigne suscepta, attendentes ipsius Joannis Pauli de Lupis sinceram & constantem erga Nos & Sacrum Imperium fidem, devotionisque effectum, officiaque non vulgaria, per eum Nobis & eidem Imperio præstita, volentesque ipsum munere & liberalitate nostra ad hujusmodi atque alia præstanda officia invitare, tenore præsentium ex certa nostra scientia, animo deliberato, non per errorem aut improvide, & sano Principum, Comitum, Baronum, Procerum, & aliorum Nertiorum & Imperii Sacri fidelium dilectorum accedente consilio, & de Nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine, prænarratum quondam Deiphebi testamentum, ac omnia & singula in eo disposita, dictum feudum & Marchionatum concernentia, quatenus ea rite ac recte processerint, approbando omnia & singula privilegia, gratias, concessiones, collationes, immunitates, ac donationes, prædictis Marchionibus de Lupis per prædecessores Nostros Romanorum Imperatores & Reges concessas & concessa confirmans, una cum prænarrata terra Soraneæ, ejus curte, pertinentiis, mero & mixto Imperio, ac omnimoda Jurisdictione, & quatenus expediat eidem Joanni Paulo, quemadmodum, ea in præsentia tenet & possidet, de novo concedimus, damus, transferimus, & largimur, ipsumque pro se suisque hæredibus, & Successoribus in perpetuum de dicto Marchionatu Soraneæ cum suis pertinentiis antedictis, recepto prius ab ejus legitimo procuratore & Mandatario nostro, & Imperii Sacri fideli dilecto Galeatio de Beccaria homagio & fidelitatis juramento debito & consueto, investimus, jure tamen feudi & superioritatis, Nobis, & Sacro Imperio, & alterius quibuscumque Juribus in præmissis semper salvis, ad majorem vero præmissorum omnium evidentiam, & ut præfata nostra confirmatio, approbatio, concessio & translatio in suo robore firmius persistat, motu proprio, animo deliberato, & ex certa nostra scientia, consilio ac potestate supradictis prænominatum Joannem Paulum de Lupis, ac filios ejus legitimos natos & nascituros cujuscunque sexus, eorumque hæredes, descendentes & Successores in infinitum, nostros, & Sacri Imperii Nobiles militares tornearios & generosos fecimus, creavimus, ordinavimus & instituimus, ac de novo ad Nobilium militarium torneariorum gradus ereximus & nobilitavimus, prout per præsentes facimus, creamus, constituimus, erigimus & attollimus, & Nobilitatis fascibus & titulis, ordine ac dignitate clementer insignimus, eosque juxta qualitatem conditionis humanæ Nobiles, generosos, tornearios, tanquam de Nobili militarium torneariorum genere procreatos dicimus & nominamus, & ab universis & singulis cujuscunque conditionis, præeminentiæ, status & dignitatis, etiam Regalis, Ducalis, aut Pontificialis existant, pro veris Nobilibus, militaribus torneariis & generosis haberi, teneri, dici & nominari volumus, ac etiam reputari, hoc nostro Cæsareo firmissimo statuentes edicto, expresse eadem Cæsarea autoritate decernentes, quod idem Joannes Paulus de Lupis, Successoresque, & hæredes sui legitimi, deinceps perpetuis futuris temporibus pro nostris & Sacri Romani Imperii veris Nobilibus Militaribus torneariis & generosis nominari, scribi, & ubique locorum & terrarum, in Judicio quocunque & extra, in rebus spiritualibus & temporalibus, Ecclesiasticis, & profanis quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus in præsentibus mentio specialis fieri debebat, nec non in omnibus & singulis exercitiis, negotiis, praeeminentiis & artibus tam spiritualibus, quam secularibus, illis honoribus & dignitatibus, officiis, Juribus, libertatibus, insigniis, privilegiis ac gratiis & indultis gaudere, uti & frui possint & debeant, quibus cæteri Nostri & Sacri Imperii nobiles, Militares tornearii & generosi de nobili prosapia a quatuor suis avis paternis & maternis, Militaribus torneariis & generosis geniti & procreati gaudent, utuntur, & fruuntur, & ad quam admittitur & recipitur, quomodolibet consuetudine, vel de Jure; damus insuper & concedimus eidem Joanni Paulo de Lupis ac ipsius descendentibus, hæredibus & Successoribus in perpetuam, plenam & liberam autoritatem super scutum armorum suorum aquilam nostram Imperialem Bicipitem nigram, cauda & alis dispansis, protensisque pedibus, in aureo crocei coloris campo deferendi. Porro de singulari prudentia, fide, legalitate, & integralitate prænominati Joannis Pauli Marchionis Soraneæ plurimum confisi, eundem in Camerarium Nostrum elegimus & assumimus, & aliorum Camerariorum Nostrorum numero & cœtui adscribimus, & aggregamus, ita ut posthac omnibus & singulis privilegiis, præeminentiis, prærogativis, honoribus, libertatibus, commodis & emolumentis, gratiis & indultis uti & gaudere possit, quibus alii Camerarii Nostri fruuntur, potiuntur, non obstantibus in præmissis omnibus, quibuscunque legibus, decretis, statutis, constitutionibus, consuetudinibus, privilegiis, aut aliis in contrarium facientibus quibuscumque, quibus omnibus & singulis, quatenus obstarent, seu quovis modo obstare possent, per præsentes ex certa nostra scientia & de plenitudine nostræ Cæsareæ potestatis derogamus & derogatum esse volumus,

volumus, supplentes etiam omnes & quoscunque defectus tam Juris quam facti, si qui in præmissis quomodolibet intervenissent. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, novæ concessionis, translationis, declarationis, investituræ, creationis, decreti, voluntatis, derogationis, privilegii & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis temerario ausu contraire. Si quis autem intentare præsumpserit, Nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum marcarum auri puri toties, quoties contrafactum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum dimidiam Fisco, seu Ærario Nostro Cæsareo, reliquam vero partem injuriam passorum, aut passi usibus decernimus applicandam. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Mantuæ, die decima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo, Imperii Nostri anno decimo, aliorum vero Regnorum Nostrorum decimo quinto.

CAROLUS.

Ad Mandatum Cæsareæ Catholicæ Majestatis proprium

Valdesius

VI.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Confirmatio Transactionis, quæ inter Bonifacium de Aldigeriis, atque Johannem Paulum de Lupis, propter Soranea Marchionatum, est sancita, de d. 12. Aprilis, Anno 1530.

CAROLUS &c.

RECognoscimus & notum facimus tenore præsentium, quod cum Nobis pro parte nobilium nostrorum & Imperii Sacri fidelium dilectorum, Bonifacii de Aldigeriis, & Joannis Pauli de Lupis alias de Meliis, Marchionis Soraneæ reverenter fuerit expositum, ipsos, post longas controversias & litis inter eos agitatas, super Dominio, Juribus & pertinentiis dicti Marchionatus Soraneæ, tandem communium amicorum interventu, ad quandam transactionem & concordiam devenisse, qua idem Bonifacius juribus super dicto Marchionatu competentibus cessit, hoc tamen pacto & conditione, quod prædictus Joannes Paulus eidem Bonifacio octo millia scutorum statutis temporibus solvere teneatur; Nobis propterea humiliter supplicando, iidem Bonifacius & Joannes Paulus, ut hujusmodi transactioni & conventioni inter ipsos factæ assentiri, atque illi Nostrum beneplacitum & consensum impertiri, ex solita nostra benignitate dignaremur. Nos itaque pacem & concordiam inter subditos nostros conservare cupientes, eorum supplicatione benigne suscepta, tenore præsentium ex certa nostra scientia, animo deliberato, & sano ad hoc accedente consilio, & de Nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine prædictæ transactioni inter eosdem Bonifacium & Joannem Paulum factæ, nec non instrumentis, & scripturis super eisdem confectis, quatenus tamen ea omnia recte riteque processerint, naturaque feudi in aliquo non mutetur, consentimus, nostrumque assensum ad id impertimur, & autoritatem nostram interponimus, atque ea omnia nostræ autoritatis & decreti interpositione & præsidio roboramus & munimus. Decernentes ac volentes, hujusmodi transactionem ut supra factam perpetuo validam ac firmam esse & teneri, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, nostris tamen & Imperii Sacri & cujuscunque alterius juribus semper salvis. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Mantuæ, die duodecimo mensis Aprilis, Anno Domini 1530. Imperii nostri decimo, aliorum vero Regnorum nostrorum decimo quinto.

CAROLUS.

Ad Mandatum &c.

Alphonsus Valdesius.

Concordat cum Archivo Imperiali aulico, id quod hisce attestor. Viennæ 2. Maji, An. 1710.

(L.S.)

Rab. Herm. de Bertram,
Secret. & Archiv.

VII.

Ejusdem Transactionis inter Bonifacium de Aldigeriis, & Johannem Paulum de Lupis, propter Marchionatum Soranensem, initæ confirmatio, d. d. 12. April. Anno 1536.

CArolus V. Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium, quod cum Nobis pro parte Nobilium nostrorum & Imperii Sacri fidelium dilectorum Bonifacii de Aldigeriis & Johannis Pauli de Lupis, alias de Meliis, Marchionis Soranæ reverenter fuerit expositum, ipsos post longas controversias & lites inter eos agitatas super Dominio, juribus & pertinentiis dicti Marchionatus Soranæ tandem communium amicorum interventu ad quandam transactionem & concordiam devenisse, qua idem Bonifacius juribus sibi super dicto Marchionatu competentibus cessit, hoc tamen pacto & conditione, quod prædictus Joannes Paulus eidem Bonifacio octo millia scutorum statutis temporibus solvere teneatur, Nobis propterea humiliter supplicando iidem Bonifacius & Joannes Paulus, ut hujusmodi transactioni & conventioni inter ipsos factæ assentiri, atque illi nostrum beneplacitum & consensum impertiri, ex solita nostra benignitate dignaremur. Nos itaque pacem & concordiam inter subditos nostros conservare cupientes, eorum supplicatione benigne suscepta, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, animo deliberato, & sano ad hoc accedente consilio, & de nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine prædictæ transactioni inter eosdem Bonifacium & Joannem Paulum factæ, nec non instrumentis & scripturis

ſuper eisdem confectis, quatenus tamen ea omnia recte riteque processerint, naturaque feudi in aliquo non mutetur, conſentimus, noſtrumque aſſenſum ad id impertimur, & autoritatem noſtram interponimus, atque ea omnia noſtræ autoritatis & decreti interpoſitione & præſidio roboramus & munimus. Decernentes & volentes, hujusmodi transactionem ut ſupra factam perpetuo validam ac firmam eſſe & teneri, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque, noſtris tamen & Imperii Sacri, & cujuscunque alterius juribus ſemper ſalvis. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum Mantuæ, die decimo menſis Aprilis, Anno Domini 1536. Imperii noſtri decimo, aliorum vero Regnorum noſtrorum decimo quinto.

CAROLUS.

Ad Mandatum &c.

Alphonſus Valdeſius.

VIII.

Joſephi, Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Joannem Paulum Mariam Melolupi, Soranee Marchionem, Principis Sacri Romani Imperii dignitate atque Privilegiis, una cum Illuſtriſſimi, Dilectionis, *ac* Conſanguinei chariſſimi *Titulo condecoravit, atque donavit, d. d. 4. Auguſti, Anno 1709.*

JOſephus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus. Illuſtri Noſtro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto Joanni Paulo Mariæ Melolupi, Marchioni Soraneæ gratiam noſtram Cæſaream, & omne bonum.

Etſi Majorum gloria velut hæreditario Jure in poſteros derivata, plurimum illi ſplendoris & ornamenti adferre ſoleat, ut in humana ſocietate præ cæteris, qui inferioris ſortis ſunt, hominibus, honorentur & æſtimentur, uſu tamen quotidiano comperitur, decus illud domeſticum, niſi iisdem, quibus a Majoribus partum eſt, artibus conſervetur, facile tanquam lucernam absque fomitis adminiculo extingui & evaneſcere. Unde Romani olim fortiſſimi Viri, quorum heroica facta admiratur potius quam imitatur poſteritas, non tam alienis meritis, quam propriis virtutibus famæ nominisque immortalitatem ſibi comparantes, ſi ſplendidis & Illuſtribus nati Natalibus erant, ad ſplendida & Illuſtria domi militiæque præſtanda, quibusdam quaſi igniculis, ita veræ laudis amore, & honeſto Majores ſuos ſi non ſuperandi, ſaltem aſſequendi & imitandi ſtudio accendebantur. Hinc familiæ illæ veteres apud eos ad tantam pervenere celebritatem, ut nomina ipſis & cognomina ab unius fortitudine, aut a loco, ubi eam exercuiſſet, indita, ut trophæa, coloſſi, & arcus triumphales ipſis erecti, poſteris innatum naturæ beneficio deſiderium ad honeſta quæque ſectanda plurimum incitarint; Poſterior deinde ætas eandem rationem aliquando imitata, certos quosdam honorum & dignitatum gradus, quibus homines ab hominibus diſtinguerentur, adinvenit, ut Divi Anteceſſores noſtri Romanorum Imperatores & Reges, a quibus tanquam a ſole reliqua corpora, ſic homines dignitatum ſplendore colluſtrantur, quosdam qui populis præeſſent, Duces ac Principes, quosdam Marchiones, quosdam Comites, Barones, aut Nobiles, prout quique, vel propter egregia facta, vel propter virtutes, aliqua merita ſua ſuorumque digni videbantur, crearunt ac nominarunt. Quorum quidem Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis Nos, qui Divino conceſſu ad ſublime Imperatoriæ Majeſtatis faſtigium evecti ſumus, inſiſtendum cenſentes, eorum cumprimis benignam rationem habendam ducimus, qui generis ſplendorem proprio virtutis ornamento colluſtrare, ſeque Cæſarea beneficentia Noſtra dignos reddere ſatagunt.

Compertum itaque habentes ex Documentis & Diplomatibus in authentica forma Nobis exhibitis, Joannem Paulum Mariam Melolupi, Marchionem Soraneæ, ex antiquiſſima familia de Lupis oriundum eſſe, quæ jam Anno 1333. Marchionatus titulis ac dignitate gaviſa ſit, & Viros tot virtutibus, tantaque in patriam fide & affectu claros, interque eos Vgolottum, Urbis & Diſtrictus Cremonenſis Vicarium, Montium, Guidonem, Bonifacium, Antonium, & Raymondinum Marchiones Soraneæ protulerit, qui ad inſtaurandam tranquillitatem publicam, ſedandosque motus, Rubeam inter & Pallavicinam gentem tum exortos, complura feuda Pallavicinis ceſſerint, eoque intuitu a Sereniſſimo quondam Joanne Bohemiæ & Poloniæ Rege, civitatumque Parmæ & Cremonæ tum temporis Domino, indultum obtinuerint, quo deinceps Dynaſtia Soraneæ cum locis eo pertinentibus ab omnibus oneribus, tam realibus quam perſonalibus, penitus immunis & exempta eſſe debeat. Quam exemptionem Anno 1347. Sereniſſimus quoque olim Romanorum & Bohemiæ Rex Carolus ob eximia eidem a prædictis Ugolotto & Raymundino præſtita obſequia confirmavit, ac inſuper merum & mixtum imperium in territoriis Soraneæ & Caſtionis iisdem conceſſit, dictum Raymundinum vigore Diplomatum Anno 1350. & 1351. emanatorum, non ſolum Vaſallorum Imperialium numero adſcripſit, eidemque in diſtrictu Placentino nonnulla caſtella & prædia, in modo dictis diplomatibus enarrata, in feudum dedit, ſed etiam anno ſubſequenti nimirum 1353. eundem in Conſiliarium, Secretarium, familiarem, commenſalem & domeſticum aſſumſit, & porro ejusdem prudentia & dexteritate omnino confiſus, ad ineunda cum omnibus ferme Italiæ Rebuspublicis, civitatibus & communitatibus fœdera, Plenipotentiarium conſtituit. Verum nec hoc fuit prædicti Regis Caroli in Soraneorum familiam ſupremum munificentiæ argumentum, quippe qui Marchionem Bonifacium, omnesque ejus deſcendentes Imperii Vaſallos declaravit, illumque de diverſis oppidis & Caſtris, quorum nomina in Diplomate Anno 1354. deſuper edito exprimuntur, inveſtivit; prout etiam a glorioſiſſimo Prædeceſſore noſtro Romanorum Imperatore Carolo quarto Territorio Soraneæ & Caſtionis ex Illuſtri Soraneorum proſapia deſcendentibus cum mero & mixto imperio, omnique alia Jurisdictione in feudum collata fuiſſe, conſtat ex

ſtat ex literis Inveſtituræ de Anno 1364. quo vero modo dictus Imperator Carolus inſignia Marchionum Bonifacii & Raymundini merita manifeſtiora redderet, ambos Anno 1366. conſiliarios, Secretarios, familiares, domeſticos, & commenſales ſuos renunciavit, ac porro dicto Raymundino, quaſi ſuo Vicario generali & locumtenenti, Diſtrictuum Lucenſis & Piſani adminiſtrationem tam in Civilibus quam criminalibus & politicis ampliſſima cum poteſtate commiſit Anno 1367.

Et ſicuti ſæpedictæ Soraneorum familiæ ſplendor, & in Reipublicæ commoda zelus quaſi de manu in manum ad poſteros tranſierunt; ita etiam glorioſiſſimæ memoriæ Imperator Carolus quintus tandem ſingulari quadam Cæſareæ gratiæ teſſera ornandam duxit, dum Anno 1530. Joannem Paulum de Lupis in numerum ſuorum Camerariorum recepit, eidemque & deſcendentibus ejus ſuper Territorio Soraneæ, omnibusque illius appertinentiis Inveſtituram impertitus eſt, & dicti Joannis Pauli perſonam æque ac bona, vigore literarum patentium Anno 1536. publicatarum, in ſpecialem ſuam & Imperii tutelam ſuſcepit.

Ac proinde conſiderantes, Joannem Paulum Mariam Melolupi, Marchionem Soraneæ, Majorum ſuorum veſtigiis alacriter inſiſtentem, nihil unquam neglexiſſe, nec adhuc negligere, quo generis ſui ſplendorem non modo ſartum tectumque conſervaret, ſed etiam magis magisque coruſcantem Poſteritati transmitteret, ſuumque de Nobis, Sacro Romano Imperio, & Auguſta Domo noſtra benemerendi ſtudium re ipſa comprobaret, quippe qui teſte Illuſtriſſimo Principe Eugenio a Sabaudia, per totum hocce in Italia bellum in promovendis noſtris ac fœderatorum noſtrorum rationibus perquam devotum & aſſiduum ſe præbuit: & demum benigne perpendentes, quod divus Romanorum Imperator, Dominus ac genitor noſter colendiſſimus, habita tum præmiſſorum meritorum, tum commendationis a Reverendiſſimo Electore Moguntino eum in finem interpoſitæ ratione, prædictum Joannem Paulum Mariam, Marchionem Soraneæ, Anno 1704. Principibus Imperii annumerandum decreverit, ob continuos vero, quibus tum temporis ejusdem ditiones agitabantur, belli motus conſuetum deſuper diploma expeditum non fuerit: Nos motu proprio, ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ac ſano Principum, ſacrique Romani Imperii Procerum nobis aſſiſtentium accedente conſilio, deque ea, qua per DEI gratiam nunc fungimur, Cæſareæ autoritatis poteſtatisque plenitudine, in nomine omnipotentis DEI, per quem Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt Juſtitiam, ad quem etiam, velut gratiarum omnium primum auctorem, cuncta referimus, præfatum Joannem Paulum Mariam Melolupi, Marchionem Soraneæ, & omnes ejusdem poſteros Maſculos e legitimo thoro deſcendentes, (ſervato tamen, ut infra dicetur, ordine primogenituræ) veros Sacri Romani Imperii Principes una cum prædicato Illuſtriſſimi, Dilectionis, ac conſanguinei chariſſimi, inhærendo divi Imperatoris Leopoldi, Patris noſtri Colendiſſimi, Decreto, confirmavimus, & de novo, quatenus opus ſit, ereximus, ſublimavimus, extulimus, exaltavimus, aliorumque noſtrorum Sacri Romani Imperii Principum numero, cœtui, conſortio aggregavimus, prout per præſentes, una cum prædicato *Illuſtriſſimi, Dilectionis, ac Conſanguinei chariſſimi*, confirmamus, erigimus, ſublimamus, extollimus & aggregamus, ita tamen, ut quidem hæcce prærogativa dicto Joanni Paulo Mariæ plene & abſolute intelligatur conceſſa, ex ejusdem vero deſcendentibus poſt mortem patris filius ſolum primogenitus, ejusdemque primogeniti in infinitum ea gaudere debeant, ac poſſint, nec filius poſſit, vivente patre, Princeps nuncupari ac dici: Deficiente vero linea maſculina primogeniti, ſuccedere debeat ejusdem Joannis Pauli Mariæ filius, ſi quem habeat, ſecundogenitus, ipſiusque deſcendentes maſculi in infinitum, ſervato itidem, etiam extincta linea ſecundogeniti reſpectu ejusdem Joannis Pauli Mariæ filiorum, ſi tot ipſi ſint, tertio-& quarto-vel ultra genitorum, juxta ordinem nativitatis obſervari debeat.

Quod ſi vero nullus ex ejusdem deſcendentibus maſculis amplius ſuperſit, tunc demum locus ſucceſſionis in dicta Principis Imperii dignitate cum prædicatis & prærogativis, ut ſupra, ſæpedicti Joannis Pauli Mariæ proximiori Agnato, ejusque primogenitis maſculis in infinitum competat, hac tamen adjecta expreſſa lege & conditione, ut agnatus, in dicti Principatus dignitate ſucceſſurus, teneatur ſeſe ad Cancellariam noſtram Imperialem Aulicam inſinuare, & præſtanda præſtare.

Decernentes, & hoc Cæſareo noſtro edicto firmiſſime ſtatuentes, ut poſthac perpetuis futuris temporibus præfatus Joannes Paulus Maria Melolupi, ejusque deſcendentes & Agnati legitimi, poſt ejus mortem, ſervato primogenituræ & ſucceſſionis ordine quo ſupra, vigore hujus noſtræ confirmationis, erectionis, exaltationis, ſublimationis, & aggregationis ſint & eſſe debeant, nominentur, nuncupentur, & reputentur tam in ſcriptis quam viva voce, aut alias quotiescunque vel quomodolibet eorum mentio facta fuerit, Sacri Romani Imperii Principes, & qua tales ejusdem Sacri Imperii Ducibus & Principibus eodem, quo ipſi in ſolennibus uti ſolent, ſingulari atque in notam ejusmodi præeminentiæ conceſſo amictu induti proxime aſſideant, citra cujuscunque impedimentum & contradictionem; utque etiam omnibus & ſingulis honoribus, dignitatibus, prærogativis, emptionibus, præeminentiis, libertatibus, Juribus, Privilegiis, inſignibus, gratiis, indultis, regalibus, & aliis quibuscunque, in Judicio & extra, in omnibus rebus, ſtatibus, & cauſis, tam ſpiritualibus quam temporalibus, Eccleſiaſticis quam profanis, ac in quibuscumque ſeſſionibus, conventibus, proceſſionibus & alias ubique, & in locis communibus gaudere, uti, ac frui poſſint, debeantque, quibus alii noſtri, & Sacri Romani Imperii Principes per Romanum Imperium & ubique locorum ac terrarum in dandis & recipiendis Juribus, conferendis ſuſcipiendisque feudis, atque in aliis omnibus & ſingulis, ad Illuſtrem ſtatum & conditionem Principum ſpectantibus, gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur, hactenusque gaviſi, uſi, ac potiti ſunt quomodolibet de conſuetudine vel de jure.

Quo vero etiam externum aliquod meritorum dicti Joannis Pauli Mariæ Principis Soraneæ documentum in immarceſcentem ejusdem poſterorum-

que suorum famam relinqueremus, quod in hominum oculos incurreret, prædicta auctoritate nostra Cæsarea eidem ac suis descendentibus & Agnatis, servato pariter, ut supra, primogenituræ & successionis ordine, avita armorum insignia non modo comprobaverimus, sed etiam ornamentis Principatui Imperiali competentibus adauximus, quemadmodum Diplomate hoc nostro comprobamus & augemus. Scutum videlicet quadripartitum in formam crucis planæ, cujus areola prima aurea Aquilam nigram bicipitem exhibet, Imperiali corona redimitam, alis caudaque expansis, rostro pedibusque croceis, rubicunda lingua exerta. Secunda areola argentea cervum salientem nativi coloris ostentat, cornibus ramorum utrobique quinque, & unguibus aureis. Tertia areola pariter argentea, cærulei coloris lupum erectum exhibet, lingua, unguibusque rubeis. Quarta demum areola rubea binis baltheis dextro diagonalibus aureis ornata. Scutum mitra Ducali aut Principali redimitum, & pallio hermionico circumductum: Quemadmodum artificiosa pictoris manus omnia in medio hujus Diplomatis vivis expressit coloribus:

Locus picturæ.

Ad hæc cupientes benignam animi nostri Cæsarei propensionem in sæpius memoratum Joannem Paulum Mariam Melolupi, sacri Romani Imperii Principem Soraneæ adhuc uberius testificari, ex certa scientia, ac sano accedente consilio, proque ea, qua fungimur, autoritate Cæsarea, deque ejus potestatis plenitudine eidem Principi Soraneæ, ejusque descendentibus & Agnatis juxta primogenituræ & successionis ordinem, supra expressum, benigne dedimus, concessimus & elargiti sumus libertatem & facultatem in aliquo eidem vel iis commodo & opportuno jurisdictionis suæ loco officinam monetariam fabricandi & extruendi, monetamque auream, argenteam & æream cujuscunque generis & valoris, ex una parte Aquila nostra Imperiali, & ex altera armorum suorum insigniis, nominis item & cognominis proprii inscriptione signatam, bonam tamen, probam, sinceram & justam, quæ non sit adulterata, aut deterior illa, quam cæteri Imperii Principes Divorum Antecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum & Regum, gratiosa concessione cudunt (ita ut nemo de ejusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat) faciendi atque cudendi, eamque pro rei necessitate erogandi atque spargendi; volentes, & Cæsareo hocce Edicto nostro firmiter decernentes, quod idem Joannes Maria Melolupi, Sacri Romani Imperii Princeps Soraneæ, & post ipsius mortem descendentes ejusdem legitimi & agnati primogeniti, ut supra, monetam auream, argenteam & æream bonam, justam, probam & sinceram, nec viliorem illa, quæ, ut ante dictum est, a cæteris Sacri Romani Imperii Principibus, juxta tenorem & præscriptum Privilegiorum, ipsis a Divis Romanorum Imperatoribus concessorum, cuditur, in certo aliquo jurisdictionis suæ loco cudere, eamque ubivis terrarum ac gentium erogare, spargere, erogandamque & spargendam seu distrahendam curare, nec non omnibus & singulis gratiis, libertatibus, Privilegiis, Immunitatibus, prærogativis & Juribus citra cujuslibet impedimentum uti, frui, potiri & gaudere possit & valeat, possint & valeant, quibus cæteri Sacri Romani Imperii Principes & ordines, monetam cudendi facultatem habentes, utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent quomodolibet, consuetudine vel de jure, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Quocirca serio & expresse mandamus universis & singulis Electoribus aliisque Sacri Romani Imperii Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus & ignobilibus, Clientibus, Capitaneis & Vice-Dominis, Præfectis, Magistratibus, Procuratoribus, officialibus, quæstoribus, Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Heroaldis, Caduceatoribus, Civibus, Municipibus, ac omnibus denique nostris, & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis aut præeminentiæ existant, ut sæpe nominatum Joannem Paulum Mariam Melolupi, Sacri Romani Imperii Principem Soraneæ, ejusdemque descendentes masculos & agnatos legitimos, juxta Primogenituræ & successionis ordinem, ut supra, ab hoc tempore in futurum & perpetuo Principem vel Principes Imperii nostri Romani reputent & honorent, ipsumque vel ipsos dictis Privilegiis, juribus, honoribus, dignitatibus, libertatibus, insignibus, regalibus, præeminentiis, exemptionibus, prærogativis, gratiis & indultis libere, pacifice & sine omni impedimento & molestatione gaudere, uti, frui & potiri sinant, nec aliquo pacto in iis impediant, seu perturbent, & defendant, ac contrarium non faciant nec fieri procurent vel permittant quovis modo, quatenus nostram & Sacri Romani Imperii indignationem gravissimam & quinquaginta Marcarum auri puri mulctam, pro dimidio Imperiali fisco seu ærario nostro, pro reliqua vero parte injuriam passi seu passorum usibus toties, quoties contrafactum fuerit, omni spe veniæ sublata applicandam evitare voluerint. Harum Testimonio Literarum, manu nostra subscriptarum & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die quarta Mensis Augusti, Anno Domini millesimo septingentesimo nono, Regnorum nostrorum Romani vigesimo, Hungarici 22. Bohemici vero quinto.

CAPUT

Caput XXXII.
De Marchionibus & Dominis Spinulis.

I.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Privilegium, Opicino Spinulæ de Luculo indultum, ut de qualibet salma mercantiæ, ultra consuetum 22. denariorum pedagium, denuo octo denarios per modum augmenti recipere atque levare liceat, d. d. 8. Id. Februar. Anno 1312.

HEnricus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Nobili viro Opicino Spinulæ de Luculo, de Janua, dilecto fideli suo, gratiam suam, & omne bonum! Etsi munificentiæ nostræ gratia cunctis, quos nostræ clementiæ regit Imperium, communis debeat esse fidelibus, illos tamen gratiori humanitate complectimur, quos antiquæ fidelitatis decorat devotio, & grata obsequiorum exhibitio dignos facit; Sane nobilitas generis, mo[illegible]m decor, & alia multiplicia tuæ virtutis merita, nec non sinceræ dilectionis affectus, quem in nostris, & Imperii statu, & honoribus procurandis sumus experti, Regium animum excitant & inducunt, ut petitionibus tuis, tamquam benemeritis, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut asseris, in terris, seu Castris Serravallis, & Arquate, quæ ad præsens possides, ac Stazani, quod tibi de novo duximus committendum, sit certum pedagium colligi consuetum, videlicet de qualibet salma mercantiæ viginti duos denarios, & de qualibet salma bladi & salis sex denarios Januensium parvorum, Nobis humiliter supplicasti, ut dictum pedagium, & ultra illos viginti duos denarios, octo denarios, per modum augmenti de qualibet salma mercantiæ, colligere & levare possis ubicunque malueris in terris tuis, concedere tibi de speciali gratia dignaremur; Nos vero præmissorum intuitu, & ut stratæ, & loca circumvicinia sint pro tua, & tuorum tutela, et custodia exercitium transeuntibus magis tuta, in quo volumus te astringi, tuis supplicationibus inclinati, quod in quocunque loco terrarum tuarum, prout magis expediens tibi fuerit, prædictum pedagium consuetum et ultra illos viginti duos denarios prædictos, octo denarios per modum augmenti, de qualibet salma mercantiæ possis recipere, colligere et levare, dummodo nisi in unico loco dictarum terrarum prædicta pedagium, & augmentum leventur, tibi auctoritate Regia de speciali gratia duximus concedendum, mandantes quibuslibet Romani Imperii fidelibus, ne te super hoc præsumant aliqualiter molestare, sicut indignationem nostram, et gravem pœnam cupiunt evitare. In cujus rei testimonium præsentes conscribi, et Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri, datas Januæ, octavo Id. Februarii, Anno Domini millesimo, tercentesimo duodecimo, Regni vero nostri anno quarto, et sigillat. cum sigillo magno præf. Sereniss. Majest. in cera alba pendente, cum cordula sericea alba et rubea.

II.

Ejusdem Diploma, in quo Opicino de Spinula Castra atque loca, in ipso diplomate nominata, in feudum contulit, d. d. 1. Id. Julii, An. 1313.

IN Nomine Domini Amen! hoc est exemplum, publicatio, sive Registratio cujusdam Privilegii Sereniss. Principis, Domini Henrici Septimi, Divina favente clementia Romanorum Imperatoris, & semper Augusti, cum bulla pendente sericis ialni & vermilii ceræ alba, cum imagine Domini Imperatoris, in dextra manu tenentis crucem, & in sinistra pomum rotundum cum cruce, sedentis in cathedra in medio duorum Leonum, & in alia parte dicti sigilli est aquila sculpta, & in pergameno scripti, & cujus quidem Privilegii tenor talis est:

Henricus Septimus Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Nobili viro Opicino Spinulæ de Luculo, fideli suo dilecto, gratiam suam, & omne bonum; Licet munificentiæ nostræ gratia cunctis, quos clementiæ nostræ regit Majestas, communis debeat esse fidelibus, illos tamen gratiori humanitate complectimur, quos antiquæ & novæ fidelitatis commendat devotio, & antiqua & nova obsequiorum exhibitio dignos facit. Cum igitur tibi, & illis de domo, ex qua traxisti originem, inter alios Italiæ nobiles permissa virtutum merita suffragari noscantur, devotis tuis & instantivis supplicationibus annuentes, emptiones, & acquisitiones per te factas, de Castris, & locis infrascriptis cum fortalitiis, mero & mixto imperio, & omni jurisdictione, territoriis, & pertinentiis eorundem, & si feudalia existant, de Imperialis munificentiæ gratia, & ex certa scientia confirmantes ea omnia etiam cum omnibus, & supradictis, & regaliis quibuscunque, rectum & gentile feudum tibi pro te, tuisque posteris duxit nostra Serenitas concedenda, ac, recepto fidelitatis debito juramento, exinde te pro te tuisque posteris solemniter investimus, Mandantes omnibus & singulis Communitatibus, Marchionibus, Comitibus, Castellanis, & quibuscunque nostri Imperii ditioni subjectis, ut te, vel posteros tuos super castris & locis infrascriptis nullam aliquo tempore inferre præsumant molestiam, vel gravamen, quod si secus a quocunque (quod non credimus) attentari contigerit, post indignationem nostram, & mulctam centum librarum auri pro qualibet Communitate, quinquaginta pro quolibet Marchione, & Comite, & viginti quinque pro qualibet singulari persona, pro dimidia nostri ærarii, pro reliqua tuis, tuæque posteritatis commodis inferendam, quam hoc ipsum se noverit incurrisse, sicut nostræ Majestatis motus arbitrio debita ultione prætendunt; Quam nostræ concessionis gratiam valere volumus & tenere, & servari mandamus, non obstante quod castra & loca ipsa feudalia existant, & quod absque nostri, vel prædecessorum nostrorum consensu alienari nequiverint, seu quod acquisitiones per te factæ a prin-

principio non tenuerint, lege, nec clausula aliqua non obstante, nec causa alia, quæ præmissis videretur, vel posse in aliquo refragari; Quibus omnibus, quæ possent quomodolibet obviare, perinde derogari mandamus, ac si singulæ, vel singulariter forent expressæ, jure Imperii semper salvo, nomina vero Castrorum, & locorum sunt hæc: Castrum & Burgum Serravallis, Castrum & Burgum Arquate, Castrum & Burgum Stazani, Castrum & Burgum Pastoranæ, Castrum & Burgum Castelletti, Castrum & Burgum Sancti Christophori, Castrum Cleremontis, Castrum & Terra vallis Scriviæ, cum villis, curiis, territoriis, & pertinentiis ipsorum, Castrum & grangiam Bissi cum sua jurisdictione. In cujus rei testimonium præsentes fieri, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datas Pissis primo Id. Julii anno Domini millesimo tercentesimo decimo tertio, indictione undecima, Regni nostri Anno quinto, Imperii vero secundo.

Hic cadit signum tabellionatus. Ego Damianus de Ortis de Varagine, quondam Dominici, auctoritate Imperiali Notarius, prædictum exemplum supradicti privilegii Imperialis, ut supra, sumptum & exemplatum ab auctentico dicti privilegii in pergameno scripto, & bulato cum sigillo pendente, ut supra dictum est, vidi, legi, ac diligenter & fideliter auscultavi, una cum infrascriptis Notariis se subscribentibus, & hoc in præsentia & auctoritate infrascripti Domini Judicis, nihil addito, vel diminuto quod mutet sensum, vel variet intellectum, nisi forte sillaba, seu ponto extensionis, vel abbreviationis causa, substantia tamen in aliquo non mutata, sed prorsus omni vitio, & suspicione carente, & quia utrumque concordare inveni, ipsum registravi, publicavi, & auctenticavi, & in hanc publicam formam redegi, signumque meum instrumentorum in testimonium præmissorum apposui consuetum, cui quidem exemplo, & registrationi, & omnibus supradictis, Dominus Joannes D. Marci de Tebaldis de Pistorio, legum doctor, Judex, & assessor Domini Potestatis Januæ, pro Tribunale sedens ad solitum bancum juris, viso, lecto, & insinuato dicto privilegio, suam auctoritatem, & Communis Januæ interposuit, pariter & decretum, laudans, statuens, & decernens, prædictam registrationem, & omnia & singula supradicta habere & obtinere debere perpetuam roboris firmitatem, & prædicto exemplo, & registrationi adhiberi debere eandem fidem, vim, & robur, quemadmodum adhiberetur supradicto auctentico Privilegii supradicti. Et hæc omnia fecit dictus Dominus Judex, ad instantiam & requisitionem nobilis viri, D. Luchesii de Spinulis de Luculo, seu Domini Juliani Grilli, Procuratoris ejusdem nobilis viri D. Luchesii, de cujus procuratione constat publico instrumento, scripto manu Simonini quondam Francisci Notarii, millesimo tercentesimo sexagesimo octavo die nono mensis Julii, habentis ad hæc sufficiens mandatum, vigore dicti instrumenti procuræ a prædicto nobili D. Luchesio, timentis de amissione dicti instrumenti, & asserentis dicto nomine hoc facere justa de causa. Hæc omnia acta sunt Januæ in Pallatio novo Communis ad bancum ejusdem Domini Judicis, & assessoris, Domini Potestatis Januæ, anno Dominicæ nativitatis millesimo tercentesimo sexagesimo octavo, indict. quinta, secundum cursum Januæ, die quarta Septembris, hora tertiarum, præsentibus testibus ad hæc vocatis specialiter, & rogatis, Luchino Camilla de modulo, Guizardo de Sancto Eusebio, Inspeorio, & Bartholomeo de petra, filio Nicolini.

Ego Luchinus de Clavaro, filius Joannis, Sacri Imperii auctoritate Notarius, prædictum exemplum supradicti privilegii Imperialis, ut supra scriptum & exemplatum, ab auctentico privilegii in pergameno scripto, & bulato cum sigillo pendente, ut supra dictum est, vidi, legi, ascultavi diligenter, & fideliter una cum Damiano de Ortis de Varagin. Nicolao de Testana, & Emanuel de Fontanegio Notariis, & in præsentia suprascripti Domini Judicis, & quia utrumque concordare inveni, in ejusdem exempli testimonium, & plenam fidem me subscripsi, signumque meum instrumentorum apposui consuetum. Hic cadit signum tabellionatus.

Ego Emanuel de Fontanegio, filius Joannis, Imperiali auctoritate Notarius, prædictum exemplum supradicti Privilegii Imperialis ut supra scriptum, & exemplatum ab auctentico privilegii in pergameno scripto, & bullato cum sigillo pendente, ut supra dictum est, vidi, legi, & ascultavi diligenter, una cum Damiano de Ortis de Varagin. Nicolao de Testana, & Luchino de Clavaro Notariis, & in præsentia suprascripti Domini Judicis, & quia utrunque inveni concordare, in ejusdem testimonium, & plenam fidem me subscripsi, signumque meum instrumentorum apposui consuetum. Hic cadit signum tabellionatus.

Ego Nicolaus de Testana, Sacri Imperii Notatius, prædictum exemplum suprascripti privilegii Imperialis, ut supra scriptum & exemplatum, ab auctentico privilegii in pergameno scripto, & bulato cum sigillo pendente, ut supra dictum est, vidi, legi, ascultavi, diligenter, & fideliter, una cum Damiano de Ortis de Varagin. Luchino de Clavaro, & Emanuele de Fontanegio Notariis, in præsentia suprascripti Domini Judicis, & quia utrumque inveni concordare, in ejusdem testimonium, & plenam fidem me subscripsi, signumque meum instrumentorum apposui consuetum. Hic cadit signum tabellionatus.

III.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Joannotto Spinulæ in Castro Cassiano ac Scriviæ, nec non Briuntæ territoriis ac ditionibus suas detulit vices, ipsique alia nonnulla Privilegia indulsit, de An. 1313.

Henricus, Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Dilecto, et fideliss. Janotto Spinulæ, quondam Henrici de Spinulis gratiam suam, et omne bonum, de fide, et legalitate, ac circumspectionis industria tui nostra confisa Serenitas, nec non tuis exigentibus meritis, et tuorum, te in Vicarium nostrum Castri Cassiani, ac Scriviæ, Briunti territoriorum, et districtuum eorundem usque ad beneplacitum dignissimæ Imperialis Majestatis Constitutionis recolimus, ac eaque sunt meri, et mixti imperii simplicis jurisdictionis in locis ipsis, tibi plenariæ commisisse, perfecisse ordi-

ordinationem in prædictis, nec non pro te, tuisque posteris, concessisse, ut nomine pedagii tibi liceret colligere, ac colligi facere pro qualibet soma quæ deferretur, vel veheretur per territorium dd. Castri Cassiani, & Briunti, quæ loca tunc tenebas, & possidebas, & hodie tenes, & possides, denarios sex Januensium monetæ, cujuscunque res quæ deferrentur, vel veherentur, conditionis existerent, & pro qualibet bestia per dictum territorium transeunte, bastum habente absque soma, denarios duos dictæ monetæ, quodque tibi liceret dictum pedagium colligere, & colligi facere in dicto territorio, vel in territorio *Domus* S. Bartholomei de Cassiano, ubi tibi magis expedire videretur; volumus tamen, quod, cum flumen Scriviæ per planitiem dicti castri labatur, quod tempore hiemali adeo excrescit, quod nisi cum barchæ auxilio transire non possit, quod ad utilitatem & opus transeuntium, quandam barcam in dicto flumine continue tuis sumptibus manutenere debeas, super qua transeuntes tempore excrescentiæ fluminis pertransire valerent, ut de prædictis ex tenore duorum scriptorum Nostræ Imperialis Majestatis fusius patet, & nihilominus tunc Vicario nostro in Civitate Terdonensi, Consilio, Communi & Universitati Civitatis ejusdem mandavimus sub addictione certarum pœnarum, ut durante dicti Vicariatus officio de hominibus habitantibus in dictis locis Cassiani, ac Briunti, ac territoriis eorundem, se nullatenus intromitterent, & quod pati deberent, se dictum Vicariatus officium libere exercere; ut ex alterius rescripti Nostræ Majestatis tenore apparet secundum, ut super tui gravis querelæ insinuatæ innotuit cum Vicario ipso, Communi, & hominibus dictæ Civitatis Terdonensis, post multa tibi, ex hominibus habitantibus in locis ipsis per eos gravamina irrogata contra formam mandatorum dictæ dignissimæ Imperialis Majestatis, ad pactiones quasdam per metum & impressionem devenisti, secundum formam cujusdam publici Instrumenti, scripti in actis dictæ Civitatis manu Franceschini Calderani, Notarii, millesimo tricentesimo, duodecimo die Jovis 23. mensis Martii, & suprascriptis ex ipsis actis manu Blasini de Notarii, in quo inter alia eorum te renunciasse rescriptis, seu privilegiis & concessionibus supradictis, eidem juri tibi competenti, & acquisito ex vigore privilegiorum ipsorum, ac omnimodam remissionem fecisse de damnis, injuriis, & gravaminibus per dictum Commune, vel Universitatem, vel aliquam singularem personam Terdonensem in tuis bonis illatis, ut latius patet ex serie Instrumenti prædicti; Visis igitur & cognitis verbis dicti Instrumenti, nec non reformatis Consilii Generalis Communis Terdonensis celebrati præsenti millesimo die 24. Martii, & plene cognito, quod dicta transactio & quæcumque contenta in Instrumento præfato per metum, & impressione sumptæ extorta, auctoritate præsentis rescripti dictum Instrumentum, & omnia & singula in eo contenta revocamus, annullamus ex certa scientia dicta rescripta dicti Vicariatus officii, & concessionis dictum pedagium colligendi tibi confirmamus, intacta & inviolabilia esse volumus, aliqua renunciatione, pactione, vel remissione per te facta minime obstante, & ad tui cautelam tibi pro te tuisque posteris dicta privilegia innovamus, & de novo tibi omnia & singula in eisdem contenta, concedimus secundum tenorem seu continentiam Privilegiorum ipsorum, non obstante aliquo rescripto, vel Privilegio quacumque forma concesso dicto Communi, vel Universitati Terdonæ, vel alicui personæ, nomine dicti Communis, & ex certa scientia quibuscumque Privilegiis, & rescriptis dicto Communi, vel in favorem dicti Communis concessis, quantum in his, & pro his, quæ in dictis tibi concessis continentur rescriptis, & quæ nunc tibi, ut supra diximus, innovamus, volumus derogari, non obstantibus aliquibus juribus obviantibus, quibus omnibus volumus derogari, ac si in præsenti rescripto expressum foret, non obstante tali, & tale lege, ac etiam non obstante, quod præsenti non sit rescripto clausula illa adjecta: si preces veritate nitantur, cum de fide precum satis Nostræ Majestati veritas innotescat, ratione autem obedientiæ dicti Communis, & Universitatis Terdonæ procedere nostra intendit Majestas, prout suo culmini crediderit expedire, & distincte mandamus Vicario, qui est, vel pro tempore fuerit in dicta Civitate Terdonæ, & officialibus quibuscumque præsentibus, & futuris, ac Communitati Civitatis ejusdem, ut te in præmissis, tibi concessis, vel aliquo eorundem non debeant, nec præsumant aliqualiter molestare, nec etiam aliquos homines habitantes in Territorio alicujus dictorum locorum, & si forte ipsi, vel eorum aliquis, vel quispiam alius contra præsentis rescripti nostri paginam facere, vel movere præsumpserit, post indignationem nostram, & ultra centum librarum auri pro qualibet Communitate, & quinquaginta pro quolibet Marchione, & Comite, & viginti quinque pro qualibet singulari persona, quas eo ipso se noverit incurrisse sciat. Ser. Nostræ Majestatis motus arbitrio debita ultione plectendum, & ultra addictionem permissarum pœnarum ex certa scientia, & per Vicarium, officiales, Communitatem vel homines dictæ Civitatis Terdonæ in contrarium de cætero aliquid contigerit attentari, Communitatem ipsam ex nunc prout ex tunc præsentis rescripti auctoritate ex certa scientia privamus omnibus privilegiis, beneficiis, gratiis, & immunitatibus ipsi Communitati, vel alii pro ea, vel in favorem ipsius a Romanis Imperatoribus, vel aliquo eorum, vel nobis concessit, quam privationem validam esse, jubemus, non obstante aliqua juris solemnitate in ipsa privatione omissa; in cujus rei testimonium præsentes fieri, & dictæ Majestatis sigillo jussimus communiri anno Domini millesimo tricentesimo decimo tertio, Regni nostri anno quarto, Imperii v. p.

IV. *Di-*

IV.

Diploma, in quo Joannes Spinula Galeatium Mariam Sfortiam Vice-Comitem, Mediolani Ducem, feudi sui Dominum agnovit; cui investitura de oppido Serravallis, in commodum dicti Spinulæ, ejusque filiorum, ex legitimo matrimonio, lineaque masculina procreatorum expedita, deprehenditur adjuncta, d. d. 18. Julii, Anno 1480.

IN nomine Domini Amen, Anno a Nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo octoagesimo secundo, indictione quinta decima, die Jovis, decimo octavo mensis Julii, Theodorus Spinula, filius Carotii defuncti accedens ad Illustrissimum & Excellentissimum Principem, D. Joannem Galleatium Mariam Sfortiam Vice-Comitem, inclytum Mediolanensium Ducem &c. Cum exposuisset, Spect. Joannem Spinulam, filium Spect. Baptistæ quondam Picardini, Oppidum Serravallis, quod majorum suorum fuisse, sibique ejus possessionem jure merito spectare asserit, cum patris ipsius consensu aggressum parvo negotio recepisse, & nunc possidere, petiit summis precibus prædicti Joannis nomine a prælibato Illustrissimo & Excellentissimo Mediolanensium Duce, ut eum in feudatarium & subditum recognoscere, & de oppido ipso titulo feudi nobilis & gentilis investire dignaretur, de quo Majores & Antecessores suos ab Imperiali Majestate investitos, seu de eodem loco recognitos jampridem fuisse affirmat. Qua re audita, idem Illustrissimus Mediolanensium Dux de negotii prædicti successu edoctus, ac etiam non ignarus, quantum Baptista Pater, & Joannes filius nominati, sibi, Imperioque suo afficiantur, quantumque ipsi, ac Progenitores sui, pro suo, Patris, Avi & Majorum, & deinceps omnium honore, & gloria egerint, nulli omnino parcentes nec impensæ, nec labori, neque vitæ periculo, memorem se beneficiorum ostendere, gratumque erga bene de se, imperioque suo merentes cupiens, qui alioquin erga bonos omnes munificentissimus videri semper voluit, constituit pro sui subditorumque suorum status quiete tutiori, Joannis superius nominati petitioni annuere. Itaque in præsentia, & de consensu, licentia, & auctoritate Illustrissimi Domini Ludovici, Mariæ Sfortiæ Vice-Comitis, patrui, tutoris, gubernatoris, & locumtenentis sui generalis, tenore præsentis instrumenti ex certa scientia, motu proprio, ac de potestatis suæ plenitudine, etiam absolute, & omnibus modo, jure, via & forma, quibus melius ac validius potuit, & potest, intervenientibus ibidem omnibus & singulis solemnitatibus, tam juris, quam facti, in similibus necessariis & opportunis, ac apponi consuetis, dedit, ac concessit, ac dat, & concedit Joanni prædicto, sive prænominato Theodoro, ejus procuratori, ac procuratorio nomine, ut constat publico instrumento, tradito in loco Serravallis per Bernardinum de Gentilibus, Notarium Terdonensem, habitatorem Serravallis, die primo Julii anni præsentis, ac pro ipso Joanne, ejusque filiis & descendentibus masculis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina natis, & nascituris, stipulantibus & recipientibus prædictum oppidum, terram & locum Serravallis cum territorio, juribus & pertinentiis suis, eundemque Joannem, sive dictum Theodorum, ejus procuratorio nomine stipulantem & recipientem, ut supra, ac pro ipso Joanne, suisque ut supra per ensis evaginati traditionem de dicto oppido, terra & loco, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione & territorio, seu territoriis investivit, & investit in feudum rectum & honorificum, nobile & gentile, jure feudi honorifici, nobilis & gentilis, nec non cum omnimoda immunitate & exemptione quorumcunque onerum & imbotaturarum, sive illa ordinaria, sive extraordinaria, realia, personalia, vel mixta, sive alio quovis nomine nuncupentur, seu nuncupari continget, aliisque immunitatibus, libertatibus & franchisiis quibuscunque, ita quidem & taliter, quod ipso Joanne decedente in dicto feudo succedat, & admittatur alius filius masculus, descendens ex prænominato Baptista, patre ipsius Joannis, qui reperiatur primum gradum obtinere, cum intentio ipsorum contrahentium sit, ut dictum feudum restet, & debeatur apud unum solum ex dictis descendentibus, obtinentem primum gradum a dicto Joanne, vel a dicto Baptista, ut supra, & ut supra concedens, dans & transferens prælibatus Illustrissimus Dux, ac cessit, dedit & transtulit prædicto Joanni, seu dicto Theodoro, ejus procuratorio nomine, & pro eo stipulanti, & recipienti, ut supra, omnes rationes, actiones, utiles & directas, reales & personales, hypothecarias atque mixtas, & omnia jura sibi & Cameræ suæ inde pro, & super præmissis quomodolibet competentes & competituras, faciens quoque & constituens eum Procuratorem in rem suam, ponensque eum in locum, jus & statum suum, & Cameræ suæ, quoad prædicta ita & taliter, quod prænominatus Joannes, ejusque filii & descendentes, ut supra, respectu præmissorum succedant, & succedere intelligantur in locum, jus & statum prælibati Domini Ducis, & Cameræ suæ, salvo tamen Jure superioritatis, & fidelitatis præsentis, insuper prædicto Joanni liberam licentiam, & ex certa scientia, & ut supra, concedens retinendi & continuandi possessionem, & tenutam prædictorum bonorum superius infeudatorum, in qua est, ac esse reperitur de præsenti, ac de & in eis disponendi & exigendi, prout & quemadmodum veri feudatarii faciunt, & facere consueverunt secundum conditionem & naturam talis feudi; Versa vice prædictus Theodorus procuratorio nomine dicti Joannis ac pro eo, & in animam suam constitutus, flexis genibus, coram prælibato Illustrissimo D. Duce, & in manibus ipsius D. Ducis stipulantis, & recipientis pro se, filiis, & Successoribus suis, manibus corporaliter tactis scripturis super uno missali, specialiter, & expresse promisit & juravit, & promittit, & jurat, quod ab hodierna die in perpetuum ipse Joannes, ac filii, & descendentes sui prædicti, & alii ut supra, & ut supra continue erunt fideles & obedientes Vasalli, feudatarii, & subditi prælibati Illustriss. D. Ducis filiorum, & hæredum suorum ut supra, & quod prædictum oppidum, terram, & locum Serravallis, & bona & jura superius in feudum concessa regent & custodient ad honorem & statum præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra quocunque

que

que modo facere poterunt, & quod personaliter cum toto eorum posse in servitiis, & obedientia Celsitudinis suæ, & suorum, ut supra, in omnem eventum perseverabunt contra quascumque personas viventes seu quæ vivent, & verisimiliter vivere, & mori possint, etiamsi tales essent, de quibus oporteret hic mentionem fieri specialem, ita quod hic pro expressis habeantur, nec a præfati Illustrissimi D. Ducis & suorum favore, ut supra, vel præsidio ullo unquam tempore se retrahent, vel abstinebunt ex aliqua causa nova præsenti, vel futura, quæ dici, vel excogitari possit, etiamsi talis esset, quæ velut gravis nimis in generali sermone non veniret, quinimo cum eorum personis, & ut dictum est, cum toto eorum posse, & cum tota eorum industria, & ad omne mandatum, omnemque requisitionem præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum, ut supra, ut cives ordinarii & subditi, agent & facient omnia, omni tempore necessaria & utilia pro præfato Illustrissimo D. Duce suisque ut supra, & ad majorem omnium prædictorum corroborationem ullo unquam tempore, verbo, consilio, facto, vel opere non agent, aut facient contra honorem & statum præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, & si ad notitiam eorum pervenerit, quod aliquis in aliquo ex prædictis contra Excellentiam suam, aut suas, ut supra, faceret, aut tentaret, aut facere, vel tentare vellet, toto eorum posse, omnique industria impedient, resistent, & prohibebunt, & si etiam prohibere non poterunt, illud tamen per se vel per Nuntium præfato Illustrissimo D. Duci, vel suis, ut supra, quantocitius poterunt, propalabunt & manifestabunt, statumque præfati Illustrissimi D. Ducis, & ut supra, nec non terras, dominium, & honores, & præeminentias suas toto eorum posse, omnique industria & ingenio conservabunt, & augebunt, & consilium, quod ab eis petetur, secundum sibi datam ab æterno DEO prudentiam, immaculatum & fidele præstabunt, & præfati D. Ducis, & suorum, ut supra, facta sibi commissa, vel committenda nemini sine eorum licentia manifestabunt, sed pure, sincere, realiter, & personaliter, & sine ulla exceptione, vel excusatione favebunt, & servient, nec ob aliquam temporum conditionem, seu diminutionem, aut status varietatem, a præfati D. Ducis favore, vel præsidio, ullo unquam tempore se retrahent ex aliqua causa nova, vel præsenti, vel futura, quæ dici vel excogitari possit, sed in servitiis & obedientia præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum, ut supra, integre, fideliter, & accurate in omne tempus & fortunæ eventum, & generaliter facient & observabunt omnia & singula, eaque facere, & observare debent de jure, & secundum conditionem & naturam talis feudi, & formam utriusque fidelitatis, tam scilicet novæ, quam veteris, & prout in ea forma continetur, quæ omnia & singula fecit, & facit præfatus Illustrissimus D. Dux cum & sub his pacto, & lege specialiter & expresse conventis per, & inter contrahentes, videlicet quod prædictus Joannes, ejusque filii & descendentes prædicti, & alii ut supra, nullo unquam tempore possint etiam per renunciationem feudi, vel aliter a præsenti Investitura, aut ab obligationibus in ea contentis, se eximere, & aliqualiter liberare, & quod si contigerit, ipsum Joannem, aut suos ut supra, & ut supra, aliquam in futurum Investituram accipere ab aliquo Domino, Dominio, vel Communitate, in ea specialiter excipient præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, superioritatem, etiam expresse cavendo, quod pro ipsa tali Investitura suscipienda obligati non intelligantur etiam pro ipsis infeudandis ut supra, ad aliquid faciendum, paciscendum, vel committendum contra præfatum Illustrissimum D. Ducem, aut suos, ut supra; jurans denique ac promittens prædictus Joannes, vel ejus nomine dictus ejus procurator, pro se & suis ut supra, & ut supra, in manibus præfati Illustrissimi D. Ducis omnia & singula suprascripta attendere & observare præfato Illustrissimo D. Duci, & suis, ut præmittitur, omni exceptione & excusatione cessantibus sub vinculo juramenti, & perditionis feudi ejus, & item sub pœna refectionis & restitutionis omnium & singulorum damnorum, & expensarum, & interesse per ipsum D. Ducem, & suos ut supra sustinendorum, & faciendorum pro prædictis, & eorum causa in lite, & extra. Pro quibus omnibus & singulis, ut præmittitur, attendendis, & observandis, prædictus Joannes, seu dictus Theodorus ejus procuratorio nomine, sese, suaque omnia bona, mobilia & immobilia, præsentia & futura, præfato Illustrissimo D. Duci, ut supra, penitus obligavit & obligat, renunciando, & renunciant dictæ partes vicissim & exceptioni non factarum dictarum concessionis & obligationum, & omnium & singulorum prædictorum non sic, vel aliter gestorum, & exceptioni doli mali, metus in factum conditioni sive causæ, vel ex injusta causa, omnibusque probationibus, productionibus testium, jurium, & Instrumentorum, quibus dictæ partes, vel altera earum se defendere possent contra præmissa, vel aliquid præmissorum; supplens, ac denique supplere volens præfatus Illustrissimus D. Dux omni defectui quarumcunque solemnitatum, tam Juris, quam facti, & tam juris civilis, quam municipalis, quæ in hoc Instrumento evenisse, & intercessisse posse dicerentur; Et hæc omnia, non obstantibus aliquibus legibus, statutis, decretis, provisionibus, ordinibus, & juribus quibuscumque, quæ prædictis, vel alicui prædictorum obstarent, vel impedimentum afferre possent, seu aliter formam darent. Quibus omnibus & singulis, etiamsi talia forent, de quibus in individuo fienda esset mentio & derogatio, præfatus Illustrissimus D. Dux, ex certa scientia, motu proprio, & de suæ potestatis plenitudine derogavit, & derogatum esse vult, & intendit; Mandans insuper præfatus Illustrissimus D. Dux Mediolani, tenore præsentium universis & singulis stipendiatis, Magistratibus, officialibus & subditis suis, præsentibus & futuris, quatenus prædictam Investituram feudalem, & omnia & singula in ea contenta observent, & faciant inviolabiliter, & ad contextum observari, nihil contra hæc intentantes, aut intentari quovis modo permittentes, sub indignationis suæ Ducalis pœna: Et de prædictis præfatus Illustrissimus D. Dux jussit, & jubet, dictus vero Theodorus procuratorio nomine dicti Joannis, ut supra, rogavit, & rogat me Magneum Bulium, publicum Notarium, ac Illustrissimi D. Ludovici Mariæ Sfortiæ Vice-Comitis Cancellarium, publicum confici debere Instrumentum unum, & plura ejusdem tenoris. Actum in Arce Portæ Jovis Mediolani, in Camera

mera cubiculari præfati Illustr. D. Ludovici, præsentibus Reverendissimo & Illustrissimo D. Ibleto de Flisco, filio quondam D. Alovisii, Sedis Apostolicæ Prothonotario, &Consiliario; Magnificis D. D. Petro Pasino Eustachio, filio quondam D. Antonii, Jureconsulto, Commissario, & Gubernatore Ducali, D. Petro Birago, filio quondam D. Antonii, Commissario, D. Aluisio Terzago, filio quondam D. Gabrielis, Secretario, D. Ugoloto Cribello, Equite aurato, & Comite aulico præfati Illustrissimi D. Ducis, omnibus testibus notis & idoneis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Subscript. Ego Mapheus Bulius, Trivilienfis, filius D. Bartholomæi, præfati Illustrissimi D. Ducis Ludovici Mariæ Sfortiæ Cancellarius, publicusque Imperiali, & Ducali autoritatibus Notarius, prædictis omnibus & singulis interfui, & de eis jussus, & rogatus, hoc publicum tradidi Instrumentum, alterius idonei manu transcriptum, & cum originali concordatum, & propria manu subscripsi, signumque meum tabellionatus apposui, subscript. in angulo *B. Calcus*, consignatum & præsentatum fuit Magnif. D. Commissariis deputatis die vigesimo sexto Aprilis 1514. *A. Rozascus*, & sigillat. sigillo magno Ducali, pendente in cera alba, more solito, cum cordulis sericeis albi & rubei coloris, a tergo registrat. in fol. 206. in libro feudorum.

V.

Conventio super additione, seu Angaria, a Domino Galeatio Maria, Mediolani Duce, Statui Mediolanensi imposita, quam a Johanne Spinula, quod ratam ipsius de oppido Serravallis portionem acceperat, pacta, d. d. 10. Jul. Anno 1485.

JOannes Galeaz Maria Sfortia, Vice-Comes, Dux Mediolani &c. Papiæ, Angleriæque Comes, ac Genuæ & Cremonæ Dominus. Cum superioribus diebus Spect. Joannes Spinula, filius Spect. Baptistæ, quondam Ricardini, adeptus fuisset possessionem & tenutam oppidi, terræ, & locorum Serravallis Diœcesis Derthonensis, quod quidem oppidum Serravallis cum pertinentiis suis per longæva tempora, in majores & antecessores ejusdem Joannis, familiæSpinularum, etiam per feudalesImperialesque concessiones translatum fuisse constat, & eidem speciali Joanni juremerito spectare exposuisset, Nos eundem Joannem, tum ejusdem nobilissimæSpinularum familiæ contemplatione, tum etiam ob eorundem Baptistæ, & Joannis, suorumque prædecessorum, tam in Nos, statumque nostrum, quam Illustrissimos Vice-Comites præcessores nostros, fidem, devotionem, ac præclara eorum facinora, eundem Joannem pro se, suisque filiis, & descendentibus legitimis masculis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina natis & nascituris, in feudum rectum, & honorificum, nobile, & gentile, ac Jure feudi honorifici, nobilis, & gentilis cum omnimoda immunitate & exceptione quorumcumque onerum, & imbotaturarum, sive ordinaria sive extraordinaria, reali, personali, vel mixta, seu alio quovis nomine nuncupentur, seu nuncupari continget, aliisque immunitatibus, libertatibus, & franchisiis quibuscumque, ita quidem & taliter, quod ipso Joanne decedente, in dicto feudo succedat & admittatur ejus filius, seu ejus descendens primogenitus, &, illo deficiente, sine masculis legitime descendentibus, succedat & admittatur alius filius masculus, descendens ex prænominato Baptista, Patre ipsius Joannis, qui reperiatur primum gradum obtinere, & hæc omnia cum clausulis & solemnitatibus debitis, ac per ensis evaginati traditionem, ac promissionibus, juramentis, & solennitatibus opportunis &c. prout in hujusmodi privilegio, seu feudo, ac concessione nostra feudali latius constat, ad quam Nos referimus, de quibus rogatum fuit Instrumentum per Maphæum Bulium, Frivilienfem Notarium, & Cancellarium nostrum, & cum signatura B. Calcus, ac sigilli nostri Ducalis pendentis appositione, sub die Jovis, decimo octavo Julii, 1480. secundo proxime præteriti, seu anno & die in eo contentis. Et cum postmodum pro defensione status nostri, confœderatorumque nostrorum, ac serenissimæ Legæ totiusque Italiæ salute, nobis necesse fuerit maximas gravissimasque impensas subire, & exinde tam feudatariis nostris, quam subditis quibuscumque additionem quandam super reditibus, datiis, & gabellis imponere Civitatibus & terris, ac feudatariis quibuscumque nostris, seu populis sub dominio nostro tam immediate existentibus, hujusmodi additionem gabellarum & datiorum, additionem guerræ merito appellatam, ab ipsis quibuscunque feudatariis & subditis nostris pro hujuscemodi imminentibus necessitatibus belli exigi debere mandaverimus, in quorum feudatariorum numero idem præfatus Joannes Spinula, pro ipsis oppido, terra & loco Serravallis, ut supra dictum est, sit & annumeretur; & cum pro parte præfati Joannis videretur in dubium revocari, non teneri ad hujusmodi solutionem additionis guerræ pro ipsis oppido, terra & loco Serravallis, quibusdam allegatis ex causis, & nihilominus se obsequentissimum exhibuerit velle Nobis morem gerere, ac nostræ inhærere voluntati, & proinde per & inter præfat. Joannem ex una parte, & agentes pro Camera ex altera conventum est, quod ipse Joannes Nobis, seu Cameræ nostræ solvere teneatur ducatos tercentos auri, a libris quatuor Imperialium pro ducato, quos quidem ducatos tercentos vere & realiter habuimus & recepimus per manus Nobilissimi Antonii Landriani, Thesaurarii nostri generalis, cui numerati fuerunt per Nobilissimum Neapolionem Spinulam, ex Magistris intratarum nostrarum extraordinariarum, & ita confitemur, renunciantes exceptioni non numeratæ pecuniæ, & omnibus aliis, quæ in contrarium dicere possemus; Et hoc pro ipso augmento guerræ dictorum oppidi, terræ & locis Serravallis, seu Daciorum ipsius oppidi, terræ & loci Serravallis, & hoc pro tempore præterito, quam præsenti & futuro, ita ut de cætero, sive stante, sive perseverante hujuscemodi exactione additionis guerræ, sive etiam omitteretur, & postmodum alio tempore, iterum talis exactio necessaria esset, seu exigeretur, quod nihilominus ipse Joannes, nec ejus Successores in dominio, seu dicto feudo dictorum oppidi, castri

castri & terræ, & loci Serravallis, ulterius in aliquo non teneantur. Nos itaque hujuscemodi conventionem non tantum ratam, quam etiam gratam habentes, cum in urgentissimis status nostri servitiis dictæ pecuniæ enumeratæ & expensæ fuerint, quibus longe melius & utilius Nobis fuit hac ratione providere, quam dictam additionem guerræ, occasione dicti oppidi Serravallis, & pertinentiarum suarum ut supra, tenere, tenore præsentium, ex certa scientia, motuque proprio, & de nostræ potestatis plenitudine, etiam absolute, & omnibus modo, jure, via, causa & forma, quibus melius & efficacius possumus, facientes, prædicta & infrascripta omnia & singula cum consensu, beneplacito & autoritate Illustr. D. Ludovici Mariæ Sfortiæ, Vice-Comitis, Ducis Barri, patrui & curatoris, & regulatoris nostri præcarissimi, inhærentes ipsi investituræ feudali factæ, ut supra, & contentis in ea, in quantum expediat, approbantes & confirmantes dictam conventionem factam ut supra cum præfato Joanne, seu cum agentibus pro eo approbamus & confirmamus, decernentes ex nunc, & declarantes ipsum Joannem, nec ejus hæredes, & successores in dicto feudo pro ipsa additione guerræ dicti totius temporis præteriti, quam etiam præsentis, & futuri, ulterius in aliquo non teneri, ac ipsos Joannem, & homines ipsius oppidi, castri & terræ ab hujuscemodi præstatione additionis guerræ, tam pro tempore præterito, quam præsenti & futuro absolvimus penitus, & liberamus, & absolutos ac liberatos esse decernimus & mandamus a dictis exactione additionis guerræ, & seu ab omni, & toto eo, quod eisdem per Nos, & Cameram nostram, seu Agentes, pro ea dicta occasione peti posset, & exigi, tam pro dicto tempore præterito, quam præsenti & futuro, ut supra, & hæc omnia volumus, & expresse mandamus valere, tenere, & effectum sortiri, ac executioni mandari, aliquibus legibus, statutis, decretis & ordinibus nostris, & maxime decreto edito de anno 1423. die 6. Octobris, quod incipit: *Providere volentes*, nec aliquibus aliis in contrarium disponentibus non attentis; quibus omnibus ex certa scientia motu proprio, etiam de nostræ potestatis plenitudine, & ut supra, derogamus, & derogatum esse volumus & jubemus. In quorum testimonium præsentes fieri jussimus, ac registrari, nostrique sigilli impressione muniri. Datum Mediolani die decima Julii, Anno 1485. CAROLUS. Signat. *Joannes Galeaz Maria*, Dux Mediolani subscripsit *Ludovicus Maria* subscripsit in calce. *Philippus*. a tergo: Registrat. fol. 140. & sigillat. sigillo magno præfati Illustrissimi Ducis in cera alba pendente cum cordula serica, albi & rubei coloris.

VI.

Confirmatio Investituræ, a Ludovico Maria Sfortia, Mediolani Duce, Johanni Spinulæ de oppido Serravallis facta, d. d. 8. Januar. Anno 1495.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi. Anno Natalis ejus millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, indictione tertia decima, die Jovis, octavo Januarii, cum anno curso millesimo quadringentesimo, octuagesimo secundo, die decimo octavo mensis Julii, Illustrissimus Princeps & Excellentissimus D. Joannes Galeatius Maria Sfortia Vice-Comes, olim Dux Mediolani &c. dignis & rationalibus causis motus, solemniter investiverit in feudum rectum, honorificum, nobile, & gentile, ac jure feudi, recti, nobilis, & gentilis, de oppido, terra & loco Serravallis, cum territorio, juribus & pertinentiis suis, ac cum omnimoda immunitate & exemptione quorumcunque onerum & imbotaturarum, sive illa ordinaria essent, sive extraordinaria, realia & personalia, vel mixta, seu alio quovis nomine nuncupabantur, seu nuncupari contingeret, aliisque immunitatibus, libertatibus & franchisiis quibuscunque, ac mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, magnificum & generosum Equitem, D. Joannem Spinulam, filium M. D. Baptistæ, quondam Ricardini, sive Theodorum Spinulam, filium Carotii, ejus Procuratorem, ejus procuratorio nomine, ac pro ipso D. Joanne, ejusque filio primogenito masculo & legitimo, & deficiente primogenito, sine filiis masculis & legitimis pro altero filio masculo & legitimo, & de legitimo matrimonio prænominati D. Baptistæ, patris ipsius D. Joannis, qui reperiatur primum gradum obtinere, & prout latius publico constat Instrumento, tradito & rogato per Mapheum Bulium, Notarium publicum. Cumque, ab humanis sublato præfato Illustrissimo D. Duce, Joannes Galeaz in ejus locum, jus & statum, ac Ducatus dignitatem successerit & sublimatus fuerit Illustrissimus Princeps & Excellentissimus, D. Ludovicus Maria Sfortia, Anglus. Cumque facta sint proclamata, quod quilibet feudatarius teneretur comparere infra duos menses, & ostendere sua privilegia, & accipere eorum confirmationem, quæ postea ad aliud tempus prorogata fuerunt, & prout in ipsis continetur, & ipse D. Joannes in tempore debito comparuerit, & privilegia sua ostenderit, & modo etiam petierit confirmationem dictorum privilegiorum suorum, & constitutus personaliter coram præfato Illustrissimo D. Duce obtulerit & offerat recognitionem & feudalem investituram a Celsitudine sua accipere, & debitum fidelitatis, homagii, & obedientiæ juramentum in ejus manibus præstare, ac cætera facere & adimplere quæ tenetur & debet vigore talis feudi. Qui quidem Illustrissimus D. Ludovicus Maria Sfortia, Anglus Dux, audita oblatione & requisitione sibi per præfatum D. Joannem, ut præmittitur, facta, duxit illi annuere, cum Celsitudinem suam non lateat, summam ejus fidem & integritatem erga se, statumque suum, & prædictum D. Joannem de prædictis oppido, terra & loco Serravallis, cum Juribus & pertinentiis suis, legitime fuisse investitum, ipsumque oppidum, terram & locum ad se debito jure spectare & pertinere; tenore igitur præsentis Instrumenti ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, ac alias omnibus jure, via, modo, causa & forma, quibus melius, validius & efficacius potuit & potest. Intervenientibusque ibidem omnibus & singulis solemnitatibus, tam juris, quam facti in similibus necessariis, & ap-

& apponi solitis, eundem D. Joannem Spinulam recognovit, & recognoscit in ejus D. Ducis fidelem vasallum & feudatarium de & pro prædictis oppido, castro, terra & loco Serravallis, prædictamque feudalem investituram, ac omnia & singula in ea contenta, prout jacent, confirmavit & approbavit, & confirmat & approbat, ac quatenus expediat, de novo concedit in omnibus & per omnia, ac de verbo ad verbum, ut in alio privilegio continetur, ac ipsum D. Joannem ibidem coram ipso D. Duce reverenter flexis genibus constitutum, stipulantem & recipientem pro se, & ejus primogenito masculo & legitimo, & de legitimo matrimonio nato & nascituro, & ipso deficiente pro secundogenito, & pro aliis in dicto privilegio expressis & comprehensis, ita quod primogenitus prædicti D. Joannis semper in præsenti feudo succedat, & ejus filii, & descendentes masculi & legitimi, & in omnibus, & per omnia, prout in dicto privilegio continetur, de novo investivit, & investit per ensis evaginati traditionem in feudum rectum, honorificum, nobile & gentile, antiquum & avitum, ac jure feudi recti, honorifici, nobilis & gentilis, & antiqui & aviti, ita quod se habeat, & sortiatur naturam feudi aviti & antiqui de prædictis oppido, castro, terra & loco Serravallis cum territorio, juribus & pertinentiis suis, ac mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, nec non immunitatibus & exemptionibus, libertatibus & franchisiis quibuscumque; cedens, dans & transferens præfatus Illustrissimus D. Dux, ac cessit, dedit & transtulit præfato D. Joanni stipulanti, & recipienti, ut supra, omnes actiones & rationes utiles & directas, reales & personales, hypothecarias atque mixtas, ac omnia Jura sibi, & Cameræ suæ in, de, pro & super præmissis quomodolibet spectantes & pertinentes, & spectantia & pertinentia, & competituras & competitura; faciens quoque & constituens eundem D. Joannem, Dominum & Procuratorem in rem suam, ac ponens ipsum D. Joannem in locum, jus, & statum, & Cameræ suæ quoad prædicta, ita & taliter, quod idem D. Joannes, ejusque filii & descendentes, & alii ut supra respectu præmissorum succedant, & succedere intelligantur in locum, jus, & statum præfati Illustrissimi D. Ducis, & Cameræ suæ, salvo tamen jure superioritatis, & præsentis fidelitatis. Insuper concedens præfato D. Joanni stipulanti & recipienti, ut supra, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, liberam licentiam retinendi & continuandi possessionem prædictorum bonorum superius infeudatorum, in qua est de præsenti, & de, & in eis faciendi, disponendi, & exigendi, prout & quemadmodum veri feudatarii faciunt, & facere consueverunt secundum naturam talis feudi. Viceversa præfatus D. Joannes coram præfato Illustrissimo D. Duce flexis genibus, ut præmittitur, personaliter constitutus, in manibus ipsius D. Ducis stipulantis & recipientis pro se, & Illustrissima D. Beatrice Ducissa, ejus consorte, ac inclyto D. Maximiliano, Comite, Papiæ, ejus Primogenito, ac aliis filiis & successoribus suis, ut infra, sponte, deliberate, ex certa scientia, ac alias omnibus jure, modo, causa, & forma, quibus melius, validius, & efficacius potuit & potest, manibus suis corporaliter tacta imagine Crucifixi, Domini nostri JEsu Christi, super uno Missali debitum fidelitatis, homagii & obedientiæ præstitit & præstat juramentum, ac specialiter, & expresse promisit & juravit, ac promittit & jurat, quod ab hodierna die in antea, usque in perpetuum ipse D. Joannes, & sui ut supra, & ut supra erunt veri, sinceri, recti, & obedientes homines Vasalli & subditi præfato Illustrissimo D. Duci & Ducissæ quoad vixerint, & ipso D. Duce decedente, & supervivente præfata Illustrissima D. Beatrice, Ducissa, ejus consorte, erunt fideles, & ut supra ipsi D. Beatrici Ducissæ, tanquam Ducissæ & Dominæ suæ, & item tanquam tutrici, & adveniente tempore curatrici, & administratrici præfati inclyti D. Maximiliani Comitis, ac ipso D. Comite Maximiliano decedente sine filiis masculis & legitimis, erunt fideles, & ut supra secundogenito præfati Illustrissimi D. Ducis, ac filiis, & descendentibus, ac hæredibus, & successoribus suis, ac aliis deinceps filiis & successoribus ipsius D. Ducis in Ducatu succedentibus, & ita secundum hunc ordinem dictæ successionis erunt perpetuo veri, recti, fideles, & obedientes homines, Vasalli, feudatarii, & subditi præfato Illustrissimo D. Duci, & Ducissæ, & suis, ut præmittitur, sicut eorum veris, legitimis, & naturalibus Dominis, & neminem alium viventem, seu qui naturaliter vivere & mori possit, recognoscent in Dominum suum immediatum, nisi præfatum Illustrissimum Ducem, & Ducissam, & suos, ut præmittitur, pro dictis Oppido, Castro, terra & loco, ac bonis, & Juribus in feudum, ut præmittitur, investitis, ipsumque Oppidum, Castrum, terram, & locum, ac bona, & jura tenebunt, regent, & custodient ad honorem & statum præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum, ut supra, quocumque modo facere poterunt, & quod personaliter, & cum toto eorum posse in servitiis, & obedientia ipsius D. Ducis, & suorum ut supra in omnem eventum perseverabunt, & facient contra quascumque personas viventes, seu quæ vivent, ac verisimiliter vivere & mori possent, etiamsi tales essent, de quibus oporteret mentionem fieri specialem, ita quod hic pro expressis haberentur, nec a præfati Illustrissimi D. Ducis & suorum, ut supra, favore, vel præsidio ullo unquam tempore se retrahent, vel abstinebunt ex aliqua causa præsenti, nova, vel futura, quæ dici, vel excogitari possit, etiamsi talis esset, quæ velut gravis nimis in generali sermone non veniret, quinimo cum eorum personis, & ut dictum est, cum toto eorum posse, ac tota eorum industria, ad omne mandatum, omnemque requisitionem ipsius Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, ut Cives Originarii, & subditi sui agent, & facient omnia omni tempore necessaria & utilia pro ipso D. Duce, suisque ut supra, & ad majorem omnium prædictorum corroborationem nullo unquam tempore, verbo, consilio, facto vel opere agent vel facient contra honorem, vel statum præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, & si ad eorum notitiam pervenerit, quod aliquis in aliquo ex prædictis contra eundem D. Ducem, aut suos, ut supra, faceret, vel tentaret, aut facere, vel tentare vellet, toto eorum posse, omnique industria impedient, resistent, & prohibebunt, & si prohibere non poterunt, illud per se, vel Nuntium, aut literas ipsi D. Duci, & suis, ut supra, quanto citius poterunt, propa-

propalabunt, & manifestabunt, statumque præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, nec non terras, dominium, honores & præeminentias suas toto eorum posse, omnique industria, & ingenio conservabunt & augebunt, & consilium, quod ab eis petetur, secundum sibi datam ab æterno DEO prudentiam, fidele & immaculatum præstabunt, & præfati Illustrissimi D. Ducis, & suorum ut supra, secreta sibi commissa, vel committenda, nemini sine eorum licentia manifestabunt, sed pure, sincere, realiter & personaliter, & sine ulla exceptione, vel excusatione favebunt, & servient, nec ob aliquam temporum conditionem, sui status varietatem ab obedientia & fidelitate præfati Illustrissimi D. Ducis & suorum ut supra sese retrahent ex aliqua causa præsenti, nova, vel futura, quæ dici vel excogitari posset, sed integre, fideliter & accurate in omne tempus & fortunæ eventum perseverabunt, & generaliter facient & observabunt omnia & singula ea, quæ facere & observare debent de Jure, & secundum conditionem & naturam talis feudi, & secundum formam utriusque fidelitatis, tam scilicet novæ, quam veteris, & prout in ea forma continetur, quæ quidem omnia & singula fecit, & facit præfatus Illustrissimus D. Dux cum & sub his pacto & lege specialiter & expresse conventis per & inter ipsos contrahentes, videlicet, quod prædictus D. Joannes, ejusque filii & descendentes, & alii ut supra, & ut supra nullo unquam tempore, etiam per renunciationem feudi, vel aliter se a præsenti investitura & obligationibus in ea contentis eximere, vel aliqualiter liberare possint, & si contigerit, ipsum Dominum Joannem, aut suos, & alios ut supra, & ut supra aliquam in futurum feudalem Investituram accipere ab aliquo Domino, vel Communitate, in ea specialiter excipient præfati Illustrissimi D. Ducis & suorum ut supra superioritatem, etiam expresse cavendo, quod pro ipsa tali Investitura suscipienda obligati non intelligantur, etiam pro ipsis infeudandis, ad aliquid faciendum, paciscendum, vel committendum contra præfatum Illustrissimum D. Ducem ac suos, ut supra, & ut supra, jurans denique ac promittens prædictus D. Joannes omnia & singula suprascripta attendere, & inviolabiliter observare præfato Illustrissimo D. Duci, & suis, ut præmittitur, omni exceptione & excusatione cessantibus sub vinculo juramenti, & sub pœna perditionis præsentis feudi, nec non sub pœna refectionis & restitutionis omnium & singulorum damnorum, & interesse, & expensarum per ipsum D. Ducem, suos ut supra sustinendorum, & faciendorum pro prædictis, & eorum causa in lite, & extra; Pro quibus omnibus & singulis, ut præmittitur, attendendis & observandis præfatus D. Joannes se, ejusque omnia bona mobilia & immobilia, præsentia, & futura ipsi Illustrissimo D. Duci stipulanti, & recipienti ut supra penitus obligavit, & obligat renunciando, & renunciavit præfatus Illustrissimus D. Dux, & præfatus D. Joannes vicissim exceptioni non factæ prædictæ recognitionis, & renovationis, ac novæ feudalis Investituræ, & non præstitæ prædictæ fidelitatis, ac non factarum prædictarum promissionum & obligationum prædictorum omnium & singulorum non sic actorum & gestorum, ac omnibus probationibus, & defensionibus in contrarium. Supplens denique præfatus Illustrissimus D. Dux ex certa scientia omni defectui quarumcunque solennitatum, tam juris, quam facti, qui in hoc Instrumento intervenisse dici possent, & hæc omnia & singula fecit & facit præfatus Illustrissimus D. Dux, non obstantibus aliquibus legibus, statutis, decretis, provisionibus, ordinibus, & juribus, quæ prædictis vel alicui prædictorum obstarent, vel impedimentum quovis modo afferre possent, seu aliam formam darent, & maxime decreto condito de anno 1423. die 6. Octobris, incipiente: *Providere volentes &c.* Quibus omnibus & singulis, etiamsi talia forent, de quibus in individuo hic facienda esset specialis mentio, & derogatio, idem Illustrissimus D. Dux ex certa scientia, motu proprio, & de suæ potestatis plenitudine derogavit, & derogat, & derogatum esse vult & intendit. Mandans insuper præfatus Illustrissimus D. Dux tenore præsentis Instrumenti omnibus & singulis Magistratibus, officialibus, stipendiatis, & subditis suis præsentibus, & futuris, ut prædictam feudalem Investituram, ac omnia & singula in præsenti Instrumento contenta firmiter observent & faciant inviolabiliter, & ad contextum observari, nihil contra eam intentantes, aut intentare quovis modo permittentes sub indignationis suæ pœna, & de prædictis omnibus & singulis præfatus Illustrissimus D. Dux jussit, & jubet, dictusque D. Joannes rogavit, & rogat per me Notarium & Cancellarium infrascriptum publicum confici debere Instrumentum unum, & plura ejusdem tenoris. Actum Vighevani, in Camera cubiculari præfati D. Ducis, præsentibus Magnificis D. Jacobo Trotto, Equite, Oratore Ferrariensi, D. Bartholomæo de Cavalleriis, Oratore Pisauriensi, D. Laurentio Mozaniga, Ducali Secretario, testibus notis & idoneis, ad prædicta vocatis, habitis & rogatis. Subscript. Ego Stephanus Gisbertus de Cremona, D. Pauli præfati Illustrissimi & Excellentissimi D. Ducis Mediolani Cancellarius, & Publicus ejus ac Imperatoria auctoritate Notarius, prædictis omnibus & singulis, dum sic agerentur, interfui, & a præfato Illustrissimo D. Duce, & D. Joanne Spinula jussus & rogatus, præsens instrumentum aliena manu fideliter transcriptum in hanc formam confeci, & propterea in testimonium omnium præmissorum propria manu subscripsi, & mei Notariatus signum apposui consuetum. Consignatum & præsentatum fuit Magnificis D. Commissariis deputatis die vigesimo sexto Aprilis 1514. *A. Rosascus*, signat. in calce B. Calcus 18. *Jo. Angelus Castilio*, & sigillat. cum Sigillo magno Ducali, cum cordula sericea pendente, albi & rubei coloris, in cera alba.

VII.

***Diploma**, in quo Franciscus II. Mediolani Dux, Christophorum Spinulam de oppido, arce atque terra Serravallis investivit, d. d. 16. Februar. Anno 1523.*

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejusdem Millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Indictione undecima, die decimo sexto Mensis Februarii. Cum exposuerit specialis Christophorus Spinula,

Spinula, filius quondam D. Baptistæ, oppidum, arcem et terram Serravallis jure merito sibi spectare, summis precibus petiit ab Excellentissimo D. Franc. secundo Sfortia, Duce Mediolani, ut eum in feudatarium et subditum recognoscere, et de oppido ipso titulo feudi nobilis & gentilis investire dignaretur, de quo majores et antecessores suos, ab Imperiali Majestate investitos, seu de eodem loco recognitos jampridem fuisse affirmat, qua re audita idem Mediolanensium Dux, de negotii prædicti successu edoctus, ac etiam non ignarus, quantum dictus Christophorus nominatus sibi Imperioque suo afficiatur, quantumque ipse, ac progenitores sui, pro suo, patris, avi, et majorum deinceps omnium honore et gloria egerint, nulli omnino parcentes nec impensæ, nec labori, nec vitæ periculo, memorem se beneficiorum ostendere, gratumque erga bene de se, imperioque suo merentes præstare cupiens, qui alioquin erga bonos omnes munificentissimus videri voluit, constituit pro sui subditorumque suorum status quiete tutiori, Christophori superius nominati petitioni annuere. Itaque in præsentia infrascriptorum testium tenore præsentis Instrumenti ex certa scientia, motu proprio, ac de suæ potestatis plenitudine etiam absolute, et omnibus modo, jure, via, et forma, quibus melius ac validius potuit et potest, intervenientibus ibidem omnibus, et singulis solemnitatibus tam juris, quam facti in similibus necessariis, et opportunis, et apponi consuetis dedit et concessit, ac dat et concedit prædicto D. Christophoro pro se, ejusque filiis, et descendentibus masculis et legitimis, et de legitimo matrimonio lineaque masculina natis, et nascituris stipulanti, et recipienti prædictum oppidum, arcem, castrum, terram et locum Serravallis cum territorio, juribus, et pertinentiis suis, eundem stipulantem, et recipientem, ut supra, pro ipso, suisque ut supra, per ensis evaginati traditionem de dicto oppido, terra, & loco, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda Jurisdictione, & territorio, seu territoriis investivit, & investit in feudum rectum, & honorificum, nobile, & gentile, jure feudi honorifici, nobilis & gentilis, nec non cum omnimoda immunitate & exemptione quorumcumque onerum & imbotaturarum, sive illa ordinaria sint, sive extraordinaria, realia, personalia, vel mixta, seu alio quovis nomine nuncupentur, seu nuncupari continget, aliisque immunitatibus, libertatibus, & Franchisiis quibuscumque, ita quidem & taliter, quod, ipso D. Christophoro decedente, in dicto feudo succedat & admittatur ejus filius, seu ejus descendens primogenitus, &, illo deficiente sine masculis legitime descendentibus, succedat & admittatur alius filius masculus, descendens ex prænominato D. Christophoro, qui reperiatur primum gradum obtinere, cum intentio ipsorum contrahentium sit, ut dictum feudum restet, & restare debeat apud unum solum ex dictis descendentibus, obtinentem primum gradum a dicto Christophoro, vel a dicto ejus primogenito ut supra, & ut supra. Concedens, dans, & transferens præfatus Illustrissimus D. Dux, & cessit, & dedit, & transtulit præfato D. Christophoro stipulanti & recipienti, ut supra, omnes actiones, rationes, utiles & directas, hypothecarias, atque mixtas, & omnia jura sibi, & Cameræ suæ, in, de, pro, & super præmissis quomodolibet competentes, competituras, & competitura, faciens quoque, ac constituens eum Procuratorem in rem suam, ponensque in locum, jus & statum suum, & Cameræ suæ quoad prædicta, ita & taliter, quod prænominatus D. Christophorus ejusque filii, & descendentes, ut supra, & modo quo supra respectu præmissorum succedant, et succedere intelligantur in locum, jus, et statum præfati D. Ducis, et Cameræ suæ, salvo tamen jure superioritatis et fidelitatis præsentis. Insuper prædicto D. Christophoro liberam licentiam ex certa scientia, et ut supra concedens retinendi et continuandi possessionem et tenutam prædictorum bonorum superius infeudatorum, in qua est, ac esse reperitur de præsenti, et item possessionem, et tenutam, seu quasi prædictorum de novo, et ex integro apprehendendi, et apprehensam retinendi, ac de, & in eis disponendi, & exigendi, prout, & quemadmodum, veri feudatarii faciunt, & facere consueverunt, secundum conditionem & naturam talis feudi; versa vice dictus D. Christophorus pro se, & in animam suam constitutus, flexis genibus coram præfato Illustrissimo D. Duce, ac in manibus ipsius Illustrissimi D. Ducis stipulantis, & recipientis pro se, filiis, & descendentibus suis, manibus suis corporaliter tactis scripturis super uno Missale specialiter & expresse promisit & juravit, & promittit & jurat, quod ab hodierna die in perpetuum, dictus Christophorus, ac filii, et descendentes, supradicti, et alii ut supra, et ut supra continue erunt fideles et obedientes Vasalli, et feudatarii, et subditi præfati Illustrissimi D. Ducis, filiorum, et hæredum suorum ut supra, et quod prædictum oppidum, arcem, castrum, terram, et locum Serravallis, et bona, et jura superius in feudum concessa regent et custodient ad honorem et statum præfati Illustrissimi D. Ducis, et suorum ut supra, quocunque modo facere poterunt, et quod personaliter cum toto eorum posse in servitiis, et obedientia Celsitudinis suæ, et suorum ut supra, in omnem eventum perseverabunt contra quascumque personas viventes, seu quæ vivent, et verisimiliter vivere, et mori possent, etiamsi tales essent, de quibus oporteret hic mentionem fieri specialem, ita quod hic prp expressis habeantur, nec a præfati Illustrissimi D. Ducis, et suorum, ut supra, favore vel præsidio ullo unquam tempore se retrahent, vel abstinebunt ex aliqua causa nova, præsenti, vel futura, quæ dici, vel excogitari possit, etiamsi talis esset, quæ velut gravis nimis in generali sermone non veniret; quinimo cum eorum personis, et, ut dictum est, cum toto eorum posse, et cum tota eorum industria, et ad omne mandatum, omnemque requisitionem præfati Illustrissimi D. Ducis, ac suorum ut supra, ut ejus originarii ac subditi, agent et facient omnia omni tempore necessaria et utilia pro præfato *Illustrissimo* D. Duce suisque, ut supra, et ad majorem omnium prædictorum corroborationem ullo unquam tempore, verbo, consilio, facto, vel opere non agent, aut facient contra honorem et statum præfati Illustrissimi D. Ducis et suorum ut supra, et, si ad notitiam eorum pervenerit, quod aliquis in aliquo ex prædictis contra Excellent. suam, aut suos, ut supra faceret, et tentaret, aut facere, vel tentare vellet, toto eorum posse, omnique industria impedient,

dient, resistent, et prohibebunt, etsi etiam prohibere non poterunt, illud tamen per se, vel nuntium præfato Illustrissimo D. Duci, vel suis, ut supra, quanto citius poterunt, propalabunt et manifestabunt, statumque præfati Illustrissimi D. Ducis, et ut supra, nec non terras, dominium, honores, et præeminentias suas toto eorum posse omnique industria, ac ingenio conservabunt, et augebunt, et consilium quod ab eis petetur, secundum sibi datam ab æterno Deo prudentiam, immaculatum et fidele præstabunt, et præfati D. Ducis, et suorum ut supra facta sibi commissa, vel committenda, nemini, sine eorum licentia manifestabunt, sed pure, sincere, realiter, et personaliter, et sine ulla exceptione, vel excusatione facient et servabunt, nec ob aliquam temporum conditionem, seu diminutionem, et status varietatem, à præfati D. Ducis favore, vel præsidio ullo unquam tempore se retrahent ex aliqua causa, nova, præsenti, vel futura, quæ dici, vel excogitari possit, sed in servitiis et obedientia præfati Illustrissimi D. Ducis, et suorum ut supra, integre, fideliter et accurate in omne tempus, et fortunæ eventum, et generaliter facient, et observabunt omnia et singula ea, quæ facere, et servare debent de jure, et secundum conditionem et naturam talis feudi, et formam utriusque fidelitatis, tam scilicet veteris, quam novæ, prout in ea forma continetur; quæ omnia et singula fecit, et facit prælibatus Excell. D. Dux cum et sub his pacto ac lege, specialiter et expresse conventis per et inter contrahentes, videlicet, quod præfatus D. Christophorus, ejusque filii, et descendentes prædicti, et alii ut supra, nullo unquam tempore possint etiam per renunciationem feudi, vel aliter a præsenti Investitura, aut obligationibus in ea contentis se eximere, et aliqualiter liberare, et quidem si contigerit, ipsum D. Christophorum, aut suos ut supra, et ut supra, aliquam in futurum investituram accipere ab aliquo Domino, vel Communitate, in ea specialiter excipient præfati Illustrissimi D. Ducis, et suorum ut supra superioritatem etiam expresse cavendo, et pro ipsa tali Investitura suscipienda obligati non intelligantur, etiam pro ipsis infeudandis, ut supra, et ad aliquid faciendum, paciscendum, vel committendum contra præfatum Illustrissimum D. Ducem, aut suos, ut supra, nunquam venient, jurans denique ac promittens prædictus D. Christophorus pro sese, et suis ut supra, et ut supra in manibus præfati Illustrissimi D. Ducis omnia et singula suprascripta attendere et observare præfato Illustrissimo D. Duci, et suis ut præmittitur, omni exceptione et excusatione cessantibus sub vinculo juramenti, et perditionis feudi ejus, et item sub pœna refectionis et restitutionis omnium et singulorum damnorum, expensarum et interesse per ipsum D. Ducem, et suos, et ut supra, sustinendorum, et faciendorum pro prædictis, et eorum causa in lite, et extra, pro quibus omnibus et singulis, ut præmittitur, attendendis et observandis prædictus D. Christophorus sese suaque omnia bona præsentia & futura præfato D. Duci ut supra penitus obligavit, et obligat, renunciando, et renunciant partes vicissim exceptioni non factarum dictarum concessionis, et obligationis, et omnium et singulorum prædictorum non sic, et aliter gestorum, et exceptioni doli mali, metus, in factum, conditioni sine causa, vel ex injusta causa, omnibusque probationibus testium, jurium, et instrumentorum, quibus dictæ partes, vel altera earum se defendere possent contra præmissa, vel aliquod præmissorum. Supplens denique, et supplere volens præfatus Illustrissimus D. Dux omni defectui quarumcunque solennitatum tam juris, quam facti, et tam juris civilis quam municipalis, quæ in hoc instrumento evenisse, vel intercessisse posse dicerentur; Et non obstantibus, aliquibus legibus, statutis, decretis, provisionibus, ordinibus, et juribus quibuscumque, quæ prædictis, vel alicui prædictorum obstarent, vel impedimentum afferrent, seu aliter formam darent. Quibus omnibus et singulis etiamsi talia forent, de quibus in individuo facienda esset mentio et derogatio, præfatus Illustrissimus D. Dux, ex certa scientia, motu proprio, et de suæ potestatis plenitudine derogavit, et derogatum esse vult et intendit. Mandans insuper præfatus Illustrissimus D. Dux Mediolani Mag. D. Præsidi, & Senatoribus suis Mediolanensibus tenore præsentium, nec non universis & singulis stipendiatis, Magistratibus, Officialibus & subditis suis præsentibus, & futuris, quatenus prædictam Investituram feudalem, & omnia & singula in ea contenta observent, & faciant inviolabiliter & ad contextum observari, nihil contra hoc intentantes, aut intentari quovis modo permittentes sub indignationis suæ Ducalis pœna, & de præmissis præfatis Illustrissimus D. Dux jussit, & jubet, & pariter dictus Dominus Christophorus ut supra rogavit, & rogat me Policiarium Bertonum, ipsius Illustrissimi D. Ducis Cancellarium, Imperialique auctoritate publicum Notarium conficere Instrumentum unum, & plura ejusdem tenoris, & præsens sigilli sui munimine roborari. Actum Mediolani in Curia Ducali in Camera præfati Illustrissimi D. Ducis, præsentibus Illustrissimo D. Prospero Columna, filio quondam Illustrissimi D. - - - in præsentiarum habitante Mediolani in Porta Vercellina Parochiæ St. Mariæ Pedonis, Mediolani Cæsareo Capitaneo generali in Italia, & Rev. D. Georgio de Andreatiis, filio qv. D. Marsilii, Cive Mantuæ, Ducalique Consiliario, habitante in præfata Curia Mediolani, & Magn. D. Ludovico de Brancamonte, filio D. Alberti, Prætoris Mediolani, nec non D. Petro Paulo Landriano, filio qv. D. Jacobi, Cive Cremonensi, nunc habitante Mediolani in Porta nova Parochiæ St. Joannis in Carotio, omnibus idoneis testibus & specialiter vocatis, & rogatis. Subscript. Ego Policianus Bertonus, filius D. Antonii Civis Papiensis, publica Imperiali auctoritate Notarius, & Ducalis Cancellarius, suprascriptum Instrumentum Investituræ jussus & rogatus tradidi, & in fidem me manu propria subscripsi, tabellionatusque mei signum apposui consuetum, Signat. *FRANCISCUS.* in angulo visa *Moronus*, in calce *Bartholomæus Rezonus*, & sigillat. Sigillo præfati Illustrissimi D. Ducis, pendente in cordula serica albi, rubei, et cœlestis coloris in cera alba more solito. A tergo registrat. in libro viridi, in foliis 26.

VIII.

VIII.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, ac Ducis Mediolani, Literæ, in quibus Christophorum Spinulam de castro atque loco Serravallis investivit, d. d. 13. Decembr. Anno 1543.

CArolus V. Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum & Indiarum, ac Terræ Firmæ, Maris Oceani &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Würtembergæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, Arthesiæ & Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferretæ, Kiburgi, Namurci & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, & Sacri Romani Imperii &c. Princeps Sueviæ &c. Dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, quum Nobis ex parte Nobilis nostri, & Imperii Sacri fidelis dilecti, Christophori Spinulæ, Domini castri & loci Serravallis per ejus legitimum Procuratorem, Jo. Dlingum, J. U. Doctorem, expositum fuerit: qualiter olim, exposcentibus pluribus servitiis per Antecessores suos Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus nostris factis meruerint habere, & cum effectu habuerint inter alia & Castrum, & locum prædictum in feudum rectum & gentile, cum mero & mixto imperio, & omnimoda jurisdictione civili, & criminali, & Regalibus omnibus, liberum tamen, & exemptum a quibusvis gravaminibus & superimpositionibus, prout ex serie suorum privilegiorum sub dat. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio, & aliorum clarius apparere dicitur. Quodque per diversa tempora usque ad præsens ita tenuerint & possederint, ac ipse possideat; sed quia, ut creditum est, ob guerrarum discrimina, & quondam Galeatii, olim Ducis Mediolani potentiam, & metum, seu coercionem in Anno Domini millesimo, quadringentesimo octuagesimo secundo, quidam ex antecessoribus suis, & successive ipse Christophorus novus successor, & ignarus jurium suorum, recognovisse leguntur dictum feudum tenere a Mediolanensibus Ducibus, nulla facta mentione priorum privilegiorum Imperialium, Antecessoribus suis concessorum: eoque casu tales recognitiones nulliter factæ censeantur ipso jure maxime in præjudicium Imperialis Celsitudinis & Præeminentiæ, taliter quod ad eas non fuerit, nec sit habenda consideratio, prout orta lite inter ipsum Christophorum, & homines loci Serravallis ex una, & aliquos Officiales Mediolanenses ex altera parte super aliquibus novitatibus, jurisdictionem & superioritatem, atque exemptionem dicti loci tangentibus, cum effectu habita non fuit: quin potius declaratum per eosdem Officiales Mediolanenses ipsum Christophorum, & homines loci fuisse & esse exemptos, prout ex forma duarum sententiarum latius apparere dicitur, causa cognita latarum Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo secundo proxime præterito: ob quod exinde præfatus Christophorus, habito ad Nos recursu, obtinuit a Nobis & a Sacro Imperio dicti feudi investituram, sub debito tamen fidelitatis juramento inde præstando, intra certa temporum spatia in manu Magnifici Barnabæ Adurni, Genuensis, Camerarii nostri, & Imperii Sacri fidelis dilecti. Quod licet adimpleverit, attamen ad abundantiorem cautelam Nobis supplicari fecit per præfatum suum procuratorem, ut ipsum de præfato Castro & loco Serravallis, cum juribus & pertinentiis suis denuo investire, omnemque caducitatem, si quam forte, ex causis prænarratis recognitionis feudi ab alio, quam a Romano Imperio factæ, vel Antecessores sui, vel ipse incurrisset, aut incurrisse dici posset, clementer remittere & condonare, ipsumque ad pristina jura suorum privilegiorum Imperialium restituere & redintegrare de benignitate nostra Imperiali dignaremur: Nos vero huic petitioni clementius annuentes, attentis insuper ipsius & progenitorum suorum, ac totius Familiæ Spinularum erga Serenissimos Prædecessores nostros, Nosque & Sacrum Imperium fide, meritis & obsequiis, animo deliberato, ex certa scientia & Imperiali auctoritate nostra, eundem Christophorum Spinulam, recepto prius a præfato ejus Procuratore, de cujus mandato Nobis constitit, ipsius nomine debitæ fidelitatis juramento de dicto castro & loco Serravallis, cum universis juribus & pertinentiis suis denuo investivimus & infeudavimus, ac tenore præsentium investimus & infeudamus. Remittentes illi omnem negligentiam, culpam & caducitatem, tam suam, quam prædecessorum suorum; quam ob causam recognitionis feudi ab alio, quam a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus nostris, & Sacro Imperio factæ, quovis modo contraxisse, aut incurrisse, dici possint. Restituentes ipsum ac reponentes in pristinum statum, & ad pristina jura & privilegia sua, a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus nostris augustæ memoriæ, ipsius progenitoribus concessa & indulta. Decernentes insuper, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod ipse Christophorus Spinula, ejusque filii, hæredes & descendentes in præfato feudo successores, eodem feudo, nec non juribus & privilegiis ut supra concessis, ex nunc in antea libere uti, frui & gaudere possint & debeant, quemadmodum ipsius Prædecessores ante recognitionem prænarratam, a Ducibus Mediolani factam, usi & gavisi sint, vel uti, frui & gaudere potuissent, consuetudine, vel de jure, omni impedimento & contradictione cessante, & non obstante prænarrata recognitione, & aliis in contrarium facientibus quibuscunque, Nostris tamen, & Imperii Sacri, & aliorum juribus in cæteris salvis. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellis, die decima tertia mensis Decembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo quadragesimo tertio, Imperii nostri vigesimo quarto, & Regnorum nostrorum vigesimo octavo. Signatum CAROLUS. In angulo: vidit *Perenotus*. In alio: ad Mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium subscript. *Jo. Bernburger* cum ziffera, in calce Investitura, & infeudatio castri & loci Serravallis pro Christophoro Spinula, & sigillatum sigillo magno Imperiali recondito in capsa lignea pendente in cera rubea & alba, more solito cum cordulis sericeis, crocei & nigri coloris.

IX. *Ejus-*

IX.

Ejusdem Diploma, in quo Literas Investituræ, antea insertas, in commodum atque emolumentum Baptistæ Spinulæ confirmavit, d. d. 9. Novembr. Anno 1547.

CArolus quintus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis &c. Magnificis, Spectabilibus, Egregiis, Doctis ac nostris, & Imperii Sacri fidelibus dilectis N. Præsidi, ac Senatui, Præfectis intratarum, ac quibuscunque aliis Magistratibus Officialibus, & judicentibus Dominii Mediolani gratiam nostram, & omne bonum. Quum anno superiori millesimo quingentesimo quadragesimo tertio in oppido nostro Bruxellen. Nobilem nostrum, & Imperii Sacri fidelem dilectum Christophorum Spinulam, Genuensem, de loco, feudo, castro, ac Territorio Serravallis, recepto debito fidelitatis juramento, tamquam Romanorum Imperator, ejus feudi Dominus directus, investiverimus, & in pristinum reposuerimus, prout, & quemadmodum erat, antequam ipse & antecessores sui recognoscerent in superiores olim Duces Mediolani, atque omnem illi caducitatem, quam & ipse, & sui antecessores incurrissent, & prout hæc omnia in literis nostræ Investituræ eidem Christophoro concessæ latius continentur. Cumque eam nostram concessionem & infeudationem ratam & firmam esse, ac suum effectum sortiri plane velimus: Ideo vobis omnibus & singulis ex Imperiali auctoritate nostra, & sub pœna gravis indignationis nostræ, harum virtute, serio edicimus & mandamus, ut concessionem & infeudationem dicti loci, feudi, castri, & territorii Serravallis dicto qv. Christophoro Spinulæ factam, & literas superinde confectas, juxta earum formam, tenorem, & continentiam firmiter, absque omni exceptione observetis, & Baptistam, præfati Christophori filium, ea nostra concessione pacifice uti, fruique sinatis, & in ea de facto extrajudicialiter neutiquam perturbetis, impediatis, aut molestetis per vos, vel alios, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, si quidem gratiam nostram caram habueritis, & indignationem nostram malitis evitare. Hæc est seria nostra voluntas. Dat. in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindelicorum, die nona mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Imperii nostri vigesimo octavo, & Regnorum nostrorum trigesimo secundo. Signat. CAROLUS. In angulo: Ar. cum ziphera. In alio: ad mandatum Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis proprium, Subscript. *Johann. Bernburger* cum ziffera, & sigillat. Sigillo Imperiali in cera rubea.

X.

Philippi II. Hispaniarum Regis, ac Mediolani Ducis, Literæ, in quibus Baptistæ Spinulæ terram, castrum atque locum Serravallis in feudum contulit, ac suorum prædecessorum Investituras confirmavit, d. d. 21. Augusti, Anno 1561.

PHilippus, DEI gratia Hispaniarum utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ, & Tirolis &c. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum ex parte Magnifici & Nobis dilecti Baptistæ Spinulæ de Luculo humiliter expositum sit, ipsum tenere & possidere terram, castrum & locum Serravallis, cum territorio, universisque Juribus, & pertinentiis suis, ac cum omnimoda immunitate & exemptione quorumcumque onerum, & imbotaturarum pro se, ejus filiis, & descendentibus masculis legitimis & ordine primogenituræ, cum mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda Jurisdictione in feudum honorificum, nobile & gentile, antiquum, avitum, & paternum in omnibus, & per omnia, & prout, & sicut in privilegiis antiquis, & Nobis in authentica, & fidem faciente forma exhibitis continetur. Quorum quidem privilegiorum tenor hic sequitur, & est talis:

Inserantur hic Diplomata Imperatoris Henrici VII. d. d. 8. Id. Febr. Anno 1312. & 1. Id. Julii, Anno 1313. & Ducum Mediolani, Galeatii Mariæ d. d. 18. Julii, Anno. 1480. & 10. Julii, 1485. nec non Ludovici Mariæ d. d. 8. Jan. Anno 1495. & Francisci II. d. d. 16. Febr. Anno 1523. supra inserta.

Modo tamen præfati Baptistæ nomine suppliciter a Nobis petitum, ut supra dicta privilegia in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis, articulis, capitulis, & verborum expressionibus approbare, ratificare, confirmare, & renovare de Regia atque Ducali auctoritate nostra, ipsumque de prædictis loco, terra, & castro Serravallis cum omnibus suis juribus & pertinentiis, juxta memoratorum privilegiorum & Investiturarum formam & tenorem gratiose investire dignaremur. Nos igitur attendentes præfati Baptistæ, & progenitorum suorum de Spinulis sincerum in Nos affectum, atque animi ardorem, grataque fidelitatis servitia & obsequia prædecessoribus nostris, & Genitori nostro nunquam delendæ memoriæ, & Nobis multifariam præstita, prout edocti sumus, & quæ deinceps quoque præstiturum confidimus, supradictis ejus precibus benigne annuentes, animo deliberato ex certa nostra scientia in vim motus proprii, & de supremæ plenitudine potestatis nostræ Regiæ, & Ducalis, etiam absolutæ, sano accedente consilio, & alias omni meliori jure, modo, via, & forma, quibus melius, validius & efficacius fieri potest, & debet, memorata privilegia in omnibus suis punctis, sententiis, capitibus, articulis, clausulis, & verborum expressionibus de verbo ad verbum, ut jacent, in ea tamen possessione, qua fuit, & est, confirmavimus, approbavimus, ratificavimus, & innovavimus, ac tenore præsentium confirmamus, approbamus, ratificamus, & innovamus, &, quatenus opus est, de novo concedimus, Regio atque Ducali robore & firmitate munimus. Volentesque

que hujusmodi privilegia, & omnia & singula in eis contenta, rata, valida, stabilia & firma esse, & censeri, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit, tam in judicio, quam extra, inviolabiliter observari, ipsumque Baptistam, filios, & descendentes suos ut supra, hujus nostræ confirmationis & innovationis vigore, ejusque beneficio, omnibus illis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, commodis, prærogativis, emolumentis, & libertatibus uti, frui, & gaudere debere, quibus, eorundem privilegiorum & concessionum virtute, usus est, atque in præsentia utitur, atque eundem Baptistam Spinulam, & suos, ut supra, de prænarratis terra, loco, castro Serravallis, & ut supra, eorumque juribus & pertinentiis universis, & prout ipsius Majores habuerunt & tenuerunt, atque omnia in præsenti tenet & possidet, hac conditione, quod infra spatium sex mensium a die datarum præsentium proxime computandorum per se, vel legitimum Procuratorem suum debitum fidelitatis & homagii juramentum præstare teneatur in manibus Illustrissimi Gubernatoris status nostri Mediolani, investimus, atque in feudum rectum, antiquum, avitum & paternum, honorificum, nobile & gentile pro sese, & ejus filiis & descendentibus masculis legitimis in infinitum, & in omnibus & per omnia juxta formam & tenorem memoratorum privilegiorum & investiturarum infeudamus & concedimus, non obstantibus in præmissis quibuscumque legibus, statutis, decretis, constitutionibus, ordinibus & consuetudinibus, & aliis maxime status, & dominii nostri Mediolanensis in contrarium facientibus vel disponentibus, aut aliam formam dantibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus specialis & individua mentio de verbo ad verbum in præmissis fieri deberet. Quibus omnibus & singulis eorum tenores hic pro expressis habentes, scientia & auctoritate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes, supplentes omnes & quoscumque defectus tam juris, quam facti, & solemnitatis intrinsecæ, extrinsecæ aut formalis, si qui & quæ forsan in præmissis intervenisset, aut intervenisse dici, vel allegari de jure vel consuetudine posset; in reliquis tamen nostris & cujuslibet tertii juribus semper salvis. Mandantes insuper Locumtenenti & Gubernatori nostro præsenti, præsidique, & Senatoribus, nec non Præsidi & Quæstoribus redituum nostrorum status Mediolani, aliisque officialibus & Judicibus nostris, ad quos spectat, & spectabit, ut præinserta privilegia, & has nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, Investituræ, concessionis, derogationis, suppletionis, voluntatis, & gratiæ literas, omniaque & singula in eis contenta, prout in possessione fuerit, inviolabiliter ad unguem, & præcise observent, & observari faciant, hasque nostras primæ, secundæ, & ulterioris jussionis loco habeant, quatenus gratiam nostram caram habeant, & præter indignationem nostram gravissimam, poenam triginta marcharum auri puri, pro dimidia Cameræ, seu ærario nostro Ducali, reliqua vero parte præfato Baptistæ Spinulæ, ejusque Successoribus, toties, quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter applicandam evitare maluerint; harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in oppido nostro Mantuæ Carpetenarum Regni Castellæ die vigesimo primo mensis Augusti, anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Regnorum autem nostrorum, scilicet Hispaniarum, & ulterioris Siciliæ anno sexto, citerioris vero Siciliæ, Hierusalem, & aliorum anno octavo; subscript. IO el REY. Ad mandatum Regiæ, & Catholicæ Majestatis proprium; in calce: vidit *Varrabona*. R. in angulo *Vargas*. vidit; *Casatus*. R. taxa & Cancell. Scuta aurea septuaginta & novem. *Franciscus Barea*. Registrat. in registro provisionum Privil. fol. 213. & sigillat Sigillo Regio pendenti cum duabus cordulis aureis, argenteis, & sericeis rubeis in cera rubea MDLXI. die sexto Novembris, oblato Senatui Excellentissimo ante scripto privilegio Illustr. D. Baptistæ Spinulæ, pro illius approbatione obtinenda, dictum fuit ut illud detur fisco, qui, si quid est, opponat, mox Senatus deliberabit. Signatum *Landrianus*. Postquam jus fisci, & tertii reservatum est, fiscus se remittit Excellentissimo Senatui. Signat. *G. Brugora*.

XI.

Juramentum fidelitatis, Philippo II. Regi Hispaniarum, qua Duci Mediolani, a Baptista Spinula præstitum, d. d. 20. Januar. Anno 1562.

IN nomine Domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta, die Martis vigesimo mensis Januarii. Cum sit, quod Regia Majestas sereniss. D. Philippi, Hispaniarum &c. Regis, & Mediolani Ducis &c. Domini nostri colendissimi confirmaverit, & quatenus opus sit, de novo concesserit in feudum multum Magnifico D. Baptistæ Spinulæ de Luculo, locum Serravallis, Dioecesis Tertonensis, cum territorio, juribus, & pertinentiis suis pro se, filiisque suis masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina natis, & nascituris, secundum formam & dispositionem Privilegiorum suorum antiquorum, & prout seriosius continetur in Privilegio eidem concesso, dato in oppido Mantuæ Carpetanarum, Regni Castellæ, sub die vigesimo primo Augusti 1561. proxime præteriti, quod in publicam formam ibidem exhibuit, signatum manu suæ Majestatis, & pendenti sigillo suo munitum, cum approbatione Excellentissimi Senatus Mediolani: In quo quidem Privilegio inter alia continetur, quod termino sex mensium, computandorum a data ipsius Privilegii, dictus Magnificus D. Baptista teneatur per se, vel legitimum Procuratorem suum præstare debitum juramentum fidelitatis & homagii in manibus Illustrissimi & Excellentissimi Gubernatoris status Mediolani, pro sua Regia & Catholica Majestate; Et propterea idem Magnificus D. Baptista in præsentia mei Secretarii & Notarii publici, ac testium infrascriptorum, ad præsentiam & conspectum Illustrissimi & Excellentissimi D. Francisci Ferrandi de Avolos, Marchionis Piscariæ &c. Locumtenentis & Gubernatoris in statu Mediolani pro sua Regia & Catholica Maje-

Majestate, se contulerit, offerens se paratum præstare debitum fidelitatis & homagii juramentum, juxta formam conditionis prædictæ, in ipso Privilegio sibi concesso insertæ, volensque præfatus Illustrissimus & Excellentissimus D. Marchio Locumtenens dictum juramentum admittere. Hinc est, quod dictus Magnificus D. Baptista, genibus flexis, & positis corporaliter manibus super sacrosanctis DEI Evangeliis pro executione jam dictæ conditionis in dicto Privilegio insertæ, debitum fidelitatis & homagii juramentum præstitit, ac promisit & juravit, promittitque ac jurat in animam, & super animam suam, & descendentium suorum infrascriptorum, in manibus præfati Illustrissimi & Excellentissimi Domini Marchionis Locumtenentis & Gubernatoris pro sua Majestate in statu Mediolani, & mei Secretarii & Notarii publici infrascripti stipulantis, & recipientis nomine, & vice, & ad partem, & utilitatem præfatæ Regiæ Majestatis, & suorum infrascriptorum, & cujuscumque alterius personæ, cujus interest, aut interesse poterit, quod ab hodierna die in antea usque in perpetuum ipse D. Baptista, ejusque filii & descendentes, qui secundum formam dicti Privilegii in dictis bonis & juribus feudalibus succedent, semper erunt fideles, & obedientes feudatarii & Vasalli serenissimo & Catholico D. Philippo, Hispaniarum & utriusque Siciliæ Regi, ac Mediolani Duci &c. Domino nostro Colendissimo, & successoribus suis legitime intrantibus in Ducatu, & Dominio Mediolani, Principatu Papiæ, & Comitatu Angleriæ, & omnia facient, quæ ratione dictorum bonorum feudalium tenentur, & obligati sunt ad obsequium, & fidelitatem suæ Majestatis, & suorum, ut supra, omni dolo, & fraude remotis, nec unquam ob aliquam causam, quæ dici aut excogitari possit, a fidelitate, quam suæ Majestati, & suis, ut supra, præstare tenentur, se retrahent, etiam per renunciationem feudi, vel alio quovis modo, & generaliter facient & observabunt omnia & singula, quæ facere & observare tenentur & obligati sunt veri & fideles feudatarii & Vasalli erga legitimos Dominos suos, secundum formam cujuslibet solemnis fidelitatis, & prout continetur in forma utriusque fidelitatis, tam novæ, quam veteris. Ad quas dignam rationem habere volunt, & quod hic habeantur pro insertis, quodque semper & omni tempore erunt fideles præfato Illustrissimo & Excellentissimo D. Marchioni Locumtenenti, & aliis Locumtenentibus suæ Majestatis, & suorum, ut supra, in statu Mediolani; Et prædicta omnia & singula promisit & juravit, ac promittit & jurat præfatus D. Baptista pro se, & suis ut supra, attendere & observare, omni exceptione et excusatione cessante, sub vinculo juramenti, & perditionis feudi, ac refectione & restitutione omnium et singularum expensarum, & interesse patiendorum & sustinendorum per Majestatem suam, & suos ut supra in lite, & extra, & pro manutentione & observatione prædictorum omnium & singulorum obligavit, & obligat pignori præfato Illustrissimo & Excellentissimo D. Marchioni Locumtenenti, et mihi Secretario & Notario publico infrascripto, personæ publicæ, stipulanti, & recipienti nomine, & vice suæ Regiæ Majestatis & suorum, ut supra, omnia & singula bona sua mobilia & immobilia, præsentia & futura, & de prædictis præfatus Illustrissimus & Excellentissimus D. Marchio Locumtenens jussit, & jubet, & dictus M. D. Baptista rogavit, & rogat me Secretarium, & Notarium infrascriptum, ut publicum conficiam Instrumentum, unum & plura, ejusdem tamen tenoris. Actum in Curia Arenghi, Mediolani, in camera solitæ habitationis præfati Illustrissimi & Excellentissimi D. Marchionis Locumtenentis, quæ est ultima in parte superiori, respiciens versus Sanctam Catharinam prope ipsam Curiam, præsentibus Illustri D. Balthasare Molina, Regio & Ducali Senatore, Consiliario Consilii secreti, & supremi Cancellarii officium agente, filio quondam Magnifici D. Roderici, & Magnifico D. Francisco Locadello, Secretario præfati Illustrissimi & Excellentissimi D. Marchionis, filio quondam D. Mercadelli, ambobus in dicta Curia habitantibus, Magnifico D. Galeatio Brugora, Advocato fiscali, filio quondam D. Petri Francisci, Portæ novæ Parochiæ Sancti Bartholomæi intus Mediolani, Magnifico D. Evasio Ardicio, Secretario Regio, filio quondam D. Antonii Portæ Ticinensis Parochiæ Sanctæ Eufemiæ Mediolani, & Magnifico D. Juliano Goselino, Regio Secretario, filio quondam D. Petri, Portæ Orientalis Parochiæ Sanctæ Babiliæ intus Mediolani, omnibus testibus idoneis vocatis & rogatis. Ego Augustinus de Monte, filius quondam D. Donati, Civitatis Mediolani Portæ Orientalis, Parochiæ Sancti Babillæ intus, Secretarius ad Cancellariam secretam status Mediolani, & publicus Imperiali auctoritate Notarius, suprascriptum Instrumentum tradidi, & pro fide subscripsi, signumque mei tabellionatus apposui consuetum. Nos Jo. Philippus Carpanus, & Galeaz Vergus, ambo Abbates Venerandi Collegii Dominorum Notariorum Mediolani, notum facimus, & attestamur omnibus & singulis præsentes inspecturis, qualiter suprascriptus spect. D. Augustinus de Monte jam annis plurimis fuit, stetit, de præsentique est publicus, legalis, & authenticus Notarius, & in Matricula aliorum Notariorum præfati Collegii descriptus pariterque fuit, & est Secretarius ad Cancellariam Secretam status Mediolani, prout notorium est, quodque publice exercuit & exercet officium tabellionatus in dicta civitate, ejusque Ducatu Mediolani, & infrascriptis, & aliis publicis scripturis per eum confectis, & quæ quotidie per eum conficiuntur, & subscribuntur, adhibita fuit, & adhibetur plena & indubitata fides in judicio, & extra. In quorum testimonium præsentes fieri jussimus sigilli præfati Collegii impressione muniri. Datum Mediolani die lunæ quinto mensis Octobris 1562. sexta indictione, sigillata in cera rubea sigillo confixo. Subscript. *Clemens Arsagus*, Notarius, præfatique Collegii Vice-Cancellarius subscripsit.

XII.

Diploma de Literis Investituræ Anno 1561. die 21. Augusti, Baptistæ Spinulæ insinuatis, quas Senatus Mediolanensis suo comprobavit calculo, utque ad liquidum perducantur, in mandatis dedit, agens, d. d. penult. Januar. Anno 1562.

PHilippus DEI gratia, Hispaniarum, utriusque Siciliæ Rex, & Dux Mediolani &c. confirmavimus sub allegato nostro Diplomate in personam Magnifici Baptistæ Spinulæ de Luculo, suorumque filiorum, & descendentium masculorum legitimorum in infinitum, feudales Investituras ibi relatas, quæ olim ipsius Baptistæ Genitori, suisque antecessoribus concessæ fuerunt per Serenissimos Cæsares, & Illustres Mediolani Duces respective, de terra, loco, & castro Serravallis cum territorio, universisque juribus & pertinentiis suis, in omnibus, & per omnia, prout in eis legitur, & sicuti majores sui habuerunt, & tenuerunt, ipseque Baptista de præsenti tenet, & possidet, & prout est in possessione, ipsumque Baptistam, ac ejus filios, & ut supra, quatenus opus sit, de novo investimus de prædictis loco, castro, ut supra ad formam dictarum Investiturarum, salvis tamen in reliquis juribus nostris, & cujuslibet tertii. Hujus autem nostri diplomatis cum ipsius Baptistæ Agentes peterent approbationem a Senatu nostro Mediolani, & Fiscus noster, cui illud de more datum fuerat, ut si quid haberet, opponeret, se ipsi ordini remisit, & attenta reservatione prædicta a Nobis facta, idem Senatus, uno sui ordinis audito, nullam movit difficultatem, quinimo nostrum privilegium, ut jacet, approbavit & confirmavit. Quapropter mandamus ad quos spectat, & spectabit, ut privilegium ipsum sic, ut supra approbatum exequantur, & exequi faciant. In quorum testimonium præsentes fieri, & registrari, nostrique sigilli munimine corroborari jussimus. Datum Mediolani, die penultimo Januarii, Anno millesimo, quingentesimo sexagesimo secundo. Signatum in angulo *Landrianus &c.* Sigillatum cum duobus sigillis in cera rubea, more solito, uno affixo, altero vero pendente, cum duabus cordulis sericeis, rubei & crocei coloris.

XIII.

Instrumentum Transumptionis & Authenticationis Privilegiorum atque Literarum Investituræ, quas Romanorum Imperatores Dominis Spinulis, de loco, castro atque territorio Serravallis, gratiose exhibuerunt, d. d. 31. Maji, Anno 1575.

IN nomine Domini Amen! Anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, die Martis, vigesimo primo & ultimo mensis Maji in Vesperis hora debita causarum. Quoniam sic exigentibus frequentibus necessitatibus, provida Juris utriusque deliberatione cavetur, ut exemplum scriptum, & extractum ab authentico fide dignis assertionibus comprobatum, & authentico munimine roboratum fidem faciat in agendis in judicio, & extra; Ea propter hoc est exemplum seu transumptum scriptum, & extractum ab originalibus privilegio, approbatione, & instrumentis, de quibus infra, quorum tenor sequitur videlicet:

Inserantur hic Diplomata. d. d. 8. Id. Febr. An. 1312. d. d. 1. Id. Jul. An 1313. d. d. 18. Jul. An. 1480. d. d. 10. Jul. An. 1485. d. d. 8. Jan. An. 1495. d. d. 16. Febr. An. 1523. d. d. 21. Aug. An. 1561. d. d. 20. Jan. An. 1562 & penult. Jan. An. 1562. supra inserta.

Quod quidem Exemplum seu Transumptum superius descriptum, sumptum & extractum per me Marcum Antonium Turrianum, Notarium infrascriptum, a prædictis originalibus, & authenticis Privilegio, approbatione, & Instrumentis, nihil addito nec diminuto, quod aliqualiter mutet sententiam vel effectum coram Magnifico & præstantissimo Juris utriusque Doctore, Domino Joanne Baptista Picenardo, honorando Vicario Magnifici D. Prætoris Civitatis & Ducatus Mediolani, pro tribunali sedente super ejus solito juris Tribunali banco, sito super Palatio magno Broleti communis Mediolani, ubi per eum more solito jura redduntur, & coram Prothonotariis, & testibus infrascriptis, præsente, petente, & requirente D. Francisco Romana, filio quondam Nob. D. Joannis Serravallis Scriviæ oriundo, & jam supra decennium habitante in Porta Romana, Parochia Sancti Nazarii in Brolio Mediolani, præsente, & stipulante suo nomine proprio, & item nomine, & vice, & ad partem, & utilitatem cujuslibet alterius personæ, cujus interest, vel interesse potest, & poterit quomodolibet, in futurum, & per me antedictum Furrianum, & infrascriptos DD. Henricum Fontanam, & Franciscum Landonum, ambos Notarios publicos Mediolanenses, & Antianos Ven. Collegii Dominorum Notariorum Mediolani, nec non & Dominos Joannem Baptistam Bossium, & Hieronymum de Cisnusculo, ambos pariter Notarios Publicos Mediolanenses de præfato Collegio Notariorum Mediolani auscultatum, & diligenter collationatum, & examinatum fuit, una cum prædictis originalibus Privilegii, approbationis & Instrumenti. Ibidem exhibitis, visis, lectis, & palpatis, non vitiatis, nec abolitis, nec in aliqua sui parte suspectis, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentibus, & authenticatis, prout supra. Et quia præfatus Mag. D. Vicarius ipsum Exemplum cum dictis originalibus ut supra concordare reperuit, & in nullo discrepare, ut ipsi exemplo, seu transumpto de cætero ubilibet plena, & indubitata fides adhibeatur in judicio, & extra, prout & quemadmodum adhibetur, & adhiberetur ipsis originalibus, & servatis quibuscumque solemnitatibus tam juris, quam facti in talibus, & similibus servari debitis, & consuetis, præfatus Magnificus D. Vicarius pro tribunali sedens, ut supra, & cum causæ & facti prævia cognitione, & cognitis quibuscumque cognoscendis, maturaque ac diligenti consideratione super prædictis omnibus præhabita, omnibus

modo,

modo, jure, via & forma, quibus melius potuit, & potest, decrevit & decernit, & auctoritatem suam, suumque decretum pariter & Communis Mediolani interposuit, & interponit, in præmissis mandans, & mandavit præfatus Magnificus Dominus Vicarius mihi prædicto & infrascripto Turriano, Notario, ut infra, de prædictis publicum confici debere Instrumentum unum, & plura, unius & ejusdem tenoris. Et ego Turrianus Notarius, ut supra, & infra publicum confeci Instrumentum. Actum ad dictum Bancum Juris præfati Magnifici D. Vicarii, situm ut supra, præsentibus Dominis Jacobo Philippo Lattono, filio quondam D. Francisci, Portæ Orientalis Parochiæ Sancti Pauli in Compito Mediolani, & D. Joanne Andrea Casato, filio quondam Spect. D. Cæsaris Portæ novæ Parochiæ Sancti Stephanini ad Noxigia Mediolani Pronotariis &c. Testes Magnificus I. C. D. Petrus Carpanus, filius quondam M. D. Jo. Dominici, habit. oppidi prædicti Serravallis, D. Antonius Oliverius, filius quondam D. Pantaleonis, & D. Jacobus Carbonaria, filius quondam D. Francischini, ambo habitatores in suprascripto oppido Serravallis, Benedictus de Parentibus, filius Baptistæ pariter oppidi prædicti Serravallis habitator, & D. Jo. Marcus Tittonus, filius quondam spect. D. Francisci Portæ Ticinensis, Parochiæ S. Sebastiani Mediolani, omnes noti, idonei &c. Signat. *Picenardus*, Vicarius Prætorius Mediolani, prævio signo Tabellionatus. Ego Jo. Henricus Fontana, filius quondam spect. D. Eleutherii Portæ Romanæ Parochiæ S. Satiri Mediolani Notarius publicus Mediolani, ac Antianus, Vener. Collegii Dominorum Notariorum suprascriptum transumptum, sumptum, & extractum a dictis originalibus privilegiis, & instrumentis auctenticis, non rasis, nec cancellatis, nec in aliqua sui parte suspectis, tenoris suprascripti coram præfato Magnifico D. Vicario una cum dictis aliis Antiano, Notariis, et Pronotariis supranominatis, et præsentibus dictis Pronotariis, et testibus, quia comperta fuerunt de verbo ad verbum concordare cum dictis originalibus Privilegiis, ut supra, et ut supra, et in nullo ab eis differre, de mandato præfati Magnifici D. Vicarii subscripsi, et signum mei Tabellionatus apposui in fidem præmissorum, die Martis ultimo mensis Maji, Anno 1575. Indictione tertia, in Vesperis; prævio signo Tabellionatus Ego Franciscus Landonus, filius quondam D. Firmi, Portæ novæ Parochiæ Sancti Bartholomæi intus Mediolani Notarius Publicus Mediolanensis, suprascriptum transumptum sumptum, & extractum a dictis originalibus Privilegiis authenticis, et instrumentis non rasis, nec cancellatis, nec in aliqua sui parte suspectis tenoris suprascripti coram præfato M. D. Vicario, una cum dictis aliis Antiano, et Vicariis supranominatis, et præsentibus dictis Pronotariis et testibus, quia comperta fuerunt de verbo ad verbum concordare cum dictis originalibus, ut supra, et ut supra in nullo ab eis differre, de mandato præfati Magnifici D. Vicarii subscripsi, et signum mei Tabellionatus apposui in fidem præmissorum die Martis ultimo mensis Maji, Anno 1575. Indictione tertia. Prævio signo Tabellionatus. Ego Hieronymus Cisnusculus, filius Nobilissimi Domini Ludovici, Portæ Romanæ Parochiæ Sancti Stephani in Brolio Mediolani, Notarius Publicus Mediolani suprascriptum transumptum, sumptum, et extractum a dictis Originalibus Privilegiis, et Instrumentis, non raso, nec cancellato, nec in aliqua sui parte suspecto tenoris suprascripti coram præfato M. D. Vicario, una cum dictis aliis Antiano, et Notariis supranominatis, et præsentibus dictis Pronotariis, et testibus, quia compertum est, de verbo ad verbum concordare cum dictis originalibus Privilegiis, et Instrumentis ut supra, et in nullo ab eo differre, de mandato præfati M. D. Vicarii, ut supra, subscripsi, et signum mei Tabellionatus apposui in fidem præmissorum, die Martis, ultimo mensis Maji 1575. Indictione tertia in Vesperis. Prævio signo tabellionatus. Ego Joannes Baptista Bossius, filius quondam D. Bartholomæi P. V. P. S. Mariæ Pedonis Mediolani, publicus autoritate Imperiali Mediolan. Notarius, suprascriptum, transumptum, sumptum, extractum, et rogatum per suprascriptum Spect. D. M. Antonium Turrianum ut supra a dictis originali privilegio et instrumentis ut supra authenticis non rasis, nec abolitis, nec in aliqua sui parte vitiatis, nec suspectis, tenoris suprascripti coram præfato M. D. Vicario, una cum dictis Antiano, et Notariis ut supra, nominatis, et præsentibus dictis Pronotariis et testibus, quia compertum est de verbo ad verbum concordare cum dictis originalibus Privilegiis, et instrumentis, et ut supra, et in nullo ab eis discordare, de mandato præfati M. D. Vicarii ut supra subscripsi cum appositione soliti mei signi Tabellionatus in præmissorum fidem die Martis, ultimo mensis Maji, anni prædicti 1575. Indictione tertia in Vesperis.

Subscripta cum signo Tabellionatus. Ego Marcus Antonius Turrianus, filius quondam D. Jo. Stephani P. T. P. S. Sebastiani Mediolani publicus Imperiali auctoritate Mediolanensis Notarius &c. de suprascripto transumpto rogatus in fidem subscripsit.

Quoniam ob locorum distantiam sepenumero de fide & legalitate Notariorum dubitari solet; Idcirco Nos Jo. Jacobus Cribellus, Senior, et Octavianus Castelletus, Abbates Ven. Collegii DD. Notariorum Mediolani fidem facimus et attestamur, suprascriptum spect. D. Marcum Antonium Turrianum fuisse, et esse Notarium Publicum Mediolanensem, et in Matricula aliorum Mediolani Notariorum descriptum, ejusque Instrumentis et scripturis per eum authenticatis hactenus adhibitam fuisse, de præsentique fidem adhiberi in judicio, et extra. In quorum testimonium præsentes fieri jussimus, et sigilli nostri impressione muniri. Datum Mediolani die 2. Martii 1582.

(Locus Sigilli.)

Jo. Caspar Gadius, Notarius & Vice-Cancell. præfati Collegii subscripsit.

XIV.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Carolum & Georgium Spinulas, de suis in locis Buzallæ, Petræbissariæ, & Montis Canearum participationibus, earumque juribus atque annexis non solum investivit, verum etiam Investituræ Literas, Exemptionis fori, atque alia Privilegia, nec non salvas guardias, ipsis a Divis Romanorum Imperatoribus concessas, confirmavit, d. d. 4. Octobr. Anno 1577.

RUdolphus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, ac Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac superioris et inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis et Salinarum.

Recognoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis ex parte nostrorum et Sacri Imperii fidelium dilectorum Caroli et Georgii, quondam Luciani Spinularum humiliter expositum sit, ipsos superioribus annis participationes suas in locis Buzallæ, Petræbissariæ, et Montis Canearum, quas ipsi et antecessores ipsorum cum administratione meri et mixti imperii, ac omnimoda gladii potestate a tanto usque tempore, cujus initium memoriam hominum excedat, absque ulla recognitione Romanorum Imperatorum ac Regum tenuissent et possedissent, a divo quondam Imperatore Ferdinando primo, ac deinde divo Maximiliano secundo Imperatoribus, Dominis Avo Paterno, Genitore et Prædecessoribus nostris observandissimis augustæ memoriæ, pro singulari sua erga eosdem et Sacrum Romanum Imperium, inclytamque nostram Austriæ Domum affectione, fide atque observantia sub Imperiali salvaguardia et exemptione fori in feudum liberum, francum et exemptum recognovisse, quemadmodum uberius pateat ex Imperialibus Investituræ et salvægvardiæ atque exemptionis fori privilegiis, quorum alterum datum fuit in oppido Insprugg die octava mensis Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio; Alterum vero in Arce nostra Regia Pragæ die vigesima quinta mensis Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto emanavit. Præterea ipsos fratres non ita pridem medio et opera nostri et Sacri Imperii fidelis dilecti Oberti Spinulæ, quondam Pauli, præsentis, ementis, stipulantis et acceptantis, nomine tamen per eum exclarando, et deinceps legitime exclarato, prout liqueat ex Instrumento exclarationis anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, die decima septima mensis Octobris per Joannem Mariam de Turri edito & confecto, a nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Simone Spinula, quondam Joannis Baptistæ in Jurisdictione, territorio & villis dicti loci Petræbissariæ unam octavam partem cum dimidia, omnibusque suis Juribus & pertinentiis, dominatione, mero & mixto imperio, ac omnimoda Jurisdictione ac gladii potestate, victibusque, datiis, gabellis, pedagiis, homagiis, vasallagiis, censibus, redditibus, venationibus, piscationibus, molendinis, terris, vallibus & aquis, ac aliis quibuscunque bonis, ingressibus et egressibus, commodis, utilitatibus, honoribus, ac aliis dictæ participationi seu præfato Simoni Spinulæ venditori in eadem quomodocunque & qualitercunque spectantibus et pertinentibus, liberam, francam et exemptam ab omni onere et genere servitutis, excepta superioritate Imperatoria, legitimæ exemptionis jure, pro pretio ac nomine veri ac finiti pretii librarum sex millium quingentarum monetæ Genuens. acquisivisse sub certis conditionibus, modis, conventionibus, et pactis, in venditionis Instrumento in Civitate nostra Imperiali Genuæ die decima septima Septembris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, per præfatum Notarium Joannem Mariam de Turri confecto, et coram prælibato genitore nostro, divo olim Imperatore Maximiliano secundo, in forma authentica producto, expressis. Porro eosdem fratres Carolum et Georgium Spinulas a Nostris et Sacri Imperii fidelibus dilectis, Baptista Spinula, quondam Guilielmi, et Nicolao ejusdem Baptistæ filio, dimidiam partem octavæ partis, seu totam ipsorum participationem in molendinis, terra et fullo Petræbissariæ et Meretæ, Jurisdictionis et potestatis Petræbissariæ, cum omnibus et singulis eorum Juribus et pertinentiis, accessibus, ingressibus, egressibus, commodis et utilitatibus, tam aquæductum, quam aliis dictis molendinis, serra ac fullo in præfatis locis ac eorum territoriis, ædificatis seu ædificandis, quovis modo spectantibus et pertinentibus, similiter emptionis Jure, pretio ac nomine veri et finiti pretii librarum nongentarum octuaginta Januinorum, salvo per omnia Cæsareo assensu nostro, acquisivisse, prout plenius ex venditionis Instrumento per Benedictum Rombinum, Notarium publicum in Burgo Insulæ Vallis scripto die decima octava mensis Martii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio edito et confecto, prælibato divo Imperatori Maximiliano similiter in forma authentica exhibito, atque insuper ipsos fratres Carolum et Georgium de Spinulis ab eorum consorte, nostro et Sacri Imperii fideli dilecto Guilielmo Spinula, Capitaneo, emisse, et legitimo emptionis titulo acquisivisse Castrum Plani in Jurisdictione Montis Canearum situm, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, ingressibus, egressibus, commodis, utilitatibus, honoribus, titulis et actionibus quibuscunque, realibus et personalibus sive mixtis, liberum, francum et expeditum, immune et exemptum ab omnibus oneribus et onerum, seu censuum solutione, præterquam a sola superioritate Sacro Romano Imperio competente, pro pretio ac nomine veri et justi pretii hinc inde firmati et acceptati librarum sex millium et quingentarum monetæ Genuensis, modo, forma, pactis et conditionibus in venditionis Instrumento, per Francum Calvum, Notarium publicum, extra mœnia civitatis Genuæ in Villa promontorii, die decima octava mensis Septembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo septua-

septuagesimo quarto edito et confecto, ac coram prælibato Imperatore Maximiliano in forma authentica producto, diffuse comprehensis et expressis. Et quia communem bonorum possessionem atque administrationem omnis generis incommoda plerumque comitari soleant; Idcirco ipsos fratres ad tollendam omnem altercandi occasionem, mutuamque concordiam, quæ fratres maxime decet, firmiter alendam atque conservandam divisionem bonorum instituisse, de qua præfato Domino Genitori nostro iidem fratres publico itidem Instrumento Genuæ per Joannem Mariam de Turri, quondam Baptistæ filium, Notarium Publicum, die secunda mensis Decembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo septuagesimo quarto confecto, ac eidem Domino Genitori nostro similiter in forma authentica exhibito, fidem fecerunt, ac insuper conjunctis votis demisse admodum supplicarunt, ut non modo priores Investituras a prælibatis divis olim Imperatoribus Ferdinando et Maximiliano II. ipsis super memoratis participationibus Buzallæ, Petræbissariæ, Montis Canearum et pertinentiis concessam, una cum Salvaguardia et exemptionis fori privilegio, verum etiam emptionis et acquisitionis jam dictas, ut quibus idem Imperator Maximilianus Cæsareum assensum et consensum suum præstiterit, ac divisionem inter ipsos fratres recens initam, & a Majestate sua gratam ratamque habitam, benigne approbare, confirmare et innovare, ac eos tum de dictis ipsorum bonis feudalibus antehac possessis, tum de participationibus recens acquisitis juxta priorem investituram gratiose infeudare atque investire dignaremur. Nos sane benigna ratione habita præclari et sinceri studii, quo iidem Carolus et Georgius Spinulæ prælibatos divos quondam Dominos Avum Paternum, Genitorem et Prædecessores Nostros, Imperatores Ferdinandum et Maximilianum coluerunt, ac Nos quoque et Sacrum Imperium inclytamque Nostram Austriæ Domum colere videntur, dum se et participationes suas in memoratis locis Buzallæ, Petræbissariæ et Montis Canearum, quas ipsi et Majores ipsorum antehac, uti asseritur, liberas et ab omni recognitione exemptas tenuerunt, in fidem et clientelam Sacri Imperii ultro tradiderunt, simulque portiones feudales denuo acquisitas a Nobis et Sacro Imperio, pro eo, ac par est, recognoscere cupiunt, prout etiam a prælibato divo Imperatore Maximiliano novissime recognoverunt, persuasum Nobis habentes, in futurum quoque ab eis omnia fidei, integritatis et devotionis officia fore expectanda, eorum humillimis petitionibus clementer admodum annuendum duximus. Et proinde tenore præsentium ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, et alias omni meliori modo et forma, quibus validius et efficacius fieri potest, memoratas prælibatorum divorum olim Dominorum avi paterni, Genitoris, et Prædecessorum nostrorum, Imperatorum Ferdinandi et Maximiliani Investituras, nec non Salvæguardiæ et exemptionis fori Privilegia, ipsis Carolo et Georgio Spinulis super dictis participationibus in memoratis locis Buzallæ, Petræbissariæ et Montis Canearum ad ipsos spectantibus, concessa, rata et grata habentes, confirmantes et innovantes, ac quatenus opus est, eosdem Spinulas, omniaque et singula ipsorum bona, a Nobis et Sacro Imperio in feudum dependentia, cum universis suis pertinentiis denuo in nostram et Sacri Imperii clientelam, protectionem et salvamguardiam recipientes, ac præterea dictas portionum feudalium emptiones et acquisitiones recens factas, cum divisione hinc inde inita, omniaque et singula Instrumenta desuper edita et confecta, quorum tenores pro insertis haberi volumus, ac universa in eisdem contenta in omnibus suis punctis, clausulis, Articulis, et verborum expressionibus approbantes, conventionesque et contractus supra allegatos ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter semper observari volentes, dictis Carolo et Georgio Spinulis præfatas eorum participationes in locis Buzallæ, Petræbissariæ et Montis Canearum hæreditario nomine aut quovis alio justo atque legitimo titulo antehac habitas et possessas, nec non quascunque alias portiones denuo acquisitas, videlicet unam octavam partem cum dimidia in Jurisdictione, territorio et villis dicti loci Petræbissariæ a Simone Spinula empta, item dimidiam partem octavæ partis seu totam participationem Baptistæ, quondam Guilielmi, et Nicolai ejusdem Baptistæ filii, in molendinis serra et fullo Petræbissariæ et Maretæ, Jurisdictionis et potestatis Petræbissariæ, et Castrum Plani in Jurisdictione Montis Canearum positum, similiter emptionis Jure a Capitaneo Guilielmo Spinula acquisitum, cum omnimoda earundem participationum tam antehac possessarum quam recens acquisitarum Jurisdictione, mero et mixto imperio, ac gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis et pertinentiis, ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis et Sacro Romano Imperio competunt vel competere possunt, pro se ac legitimis et naturalibus liberis, hæredibus et successoribus suis quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum et alienabile dedimus et concessimus, ac eos, et eorum quemlibet de portionibus ipsis et cuilibet ipsorum juxta supra allegatum divisionis initæ Instrumentum spectantibus et pertinentibus investivimus, ac virtute harum literarum nostrarum damus, concedimus et investimus, quidquid ipsis de Jure vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere, et investire possumus, vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, et quod de eisdem possint ipsi Carolus et Georgius, et successores sui disponere pro libitu voluntatis tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos. Elargientes quoque et dantes, concedentesque eisdem Carolo et Georgio, et Successoribus eorum in memoratis participationibus antehac possessis, et recens acquisitis, omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in eis omnia gerere et exercere possint et valeant, quæ nos ipsimet agere et exercere possumus et valemus, nihil Nobis penitus retinentes, præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis, et Nostris in Imperio Successoribus, et quibus ea specialiter et duntaxat demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis et homagii Juramento, quod Nobis eorundem Caroli et Georgii Spinularum legitimus Procurator, spectabilis, doctus, noster et Sacri Imperii fidelis dilectus, Georgius de Georgiis, Juris utriusque Doctor,

vigore

vigore mandati procuratorii Nobis exhibiti, loco ac nomine, adeoque in animas eorundem Caroli ac Georgii præstitit, volentes, quod iidem Spinulæ sint, teneantur & esse debeant, una cum eorum Castris, terris, locis, hominibus, bonis & rebus omnibus, ac nominatim cum suis participationibus tam hæreditario nomine, quam quovis alio justo ac legitimo titulo antehac possessis & recens acquisitis in locis Buzallæ, Petræbissariæ, & Montis Canearum, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, eorumque pertinentiis, sub tuitione & salvaguardia nostra & Imperialis aquilæ nostræ perpetuo salvi, protecti & securi ab omni gravamine, oppressione & onere hospitandorum militum & stipendiariorum, neque etiam vel ipsi, vel dicti eorum homines & subditi occasione prænominatarum participationum inviti a quocunque hominum coram alio judice, quam coram Nobis, aut iis, quibus hujusmodi controversias & differentias, si quas aliquando inter ipsos aut eorum subditos ex una, & alias quaslibet personas ex altera parte active vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas atque determinandas delegaverimus & commiserimus, in Judicio conveniri debeant, aut queant, quinimo possint & valeant uti, frui, potiri & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis & prærogativis, quibus alii, qui in hujusmodi nostra & Sacri Imperii salvaguardia & protectione constituti sunt, de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, citra cujusquam impedimentum & contradictionem; supplentes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in præmissis aut aliquibus eorum intervenissent, seu intervenisse quovis modo allegari possent, non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus statutis, decretis ac ordinibus, in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus, nostris tamen & Sacri Imperii ac aliorum Juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostram approbationis, confirmationis, ratificationis, Investituræ, infeudationis, salvæguardiæ, exemptionis fori, voluntatis, decreti, concessionis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam & decem marcarum auri puri mulctam Fisco seu ærario nostro Imperiali & parti læsæ ex æquo solvendam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio literarum manu propria subscriptarum, & Cæsarei sigilli nostri appensione munitarum, datum in Civitate Nostra Viennæ die decima quarta mensis Octobris, Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

XV.

Rudolphi II. Roman. Imperatoris, Literæ, in quibus Johannem Baptistam Spinulam de loco Cantalupi, ac Vallis Borbericæ investivit, literasque Investituræ, Anno 1563. a Ferdinando I. Roman. Imperatore obtentas, confirmavit, d. d. 9. Decembr. An. 1605.

Rudolphus II. Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod Nobis anno adhuc millesimo quingentesimo octuagesimo tertio nomine nostrorum & Sacri Romani Imperii fidelium dilectorum Johannis Baptistæ & Johannis Ambrosii filiorum, tum pupillorum quondam Marci Antonii Spinulæ, feudi Imperialis Cantalupi Condomini, humillime supplicatum fuerit per legitimum eorum procuratorem Georgium de Georgiis, Jurium Doctorem, tum in aula nostra Cæsarea agentem, ut, cum pater prædictus ipsorum Marcus Antonius vita jam decessisset, & nonnullæ portiones, quæ is in feudo supradicto habebat, ex successione ad sese fratres pervenissent, eos ipsos juxta formam veteris Investituræ a divo olim Imperatore Ferdinando, avo nostro Paterno augustissimæ memoriæ, Condominis Cantalupi concessæ, clementer investire & infeudare gratiose dignaremur. Tenor autem istius Investituræ antiquæ sequitur in hæc verba:

Ferdinandus Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus. Ad futuram rei memoriam recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis humiliter expositum fuerit, ex parte nostrorum & Sacri Imperii fidelium dilectorum Benedicti quondam Pauli, Marci Antonii & Augustini, ac Jacobi Hieronymi & Antonii Marchionis, quondam Jacobi Baptistæ, participum loci Cantalupi vallis Borbericæ, quod ipsi & majores ipsorum a tanto usque tempore, cujus initium hominum memoriam excedat, tenuerint & possederint dictum locum Cantalupi cum toto ejus territorio ac villis pro feudo immediate Imperiali, licet Privilegia & Investitura propter injuriam temporum nulla reperiantur, tamen quando opus fuit aliqua dispensatione succedendi in dicto feudo aliquibus participibus, vel mota inter eos lis aut controversia aliqua, semper habitum fuisse recursum ad Divos prædecessores nostros Romanorum Imperatores ac Reges, cupere ipsos prænominatos Spinulas pro ea fide & devotione, qua Nos, & Sac. Romanum Imperium prosequuntur, de dicto loco Cantalupo Imperialem Investituram recipere, prout eam ob causam humillime Nobis supplicari fecerunt, ut ipsis memoratum locum Cantalupi cum toto ejus territorio, villis, & pertinentiis pro cujusque rata portione seu participatione in feudum liberum, francum & exemptum pro se, hæredibus, & successoribus suis in perpetuum de benignitate nostra Cæsarea concedere dignaremur; Ita tamen, ut feudum ipsum in omnibus sapiat naturam allodii, & possint de eo præmemorati Condomini, seu participes & successores eorum, disponere pro libitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos, largiendo dictis Condominis, seu participibus, in eo omnem potestatem Nobis competentem, adeo ut in eo possint & valeant omnia agere & exercere, quæ Nos ipsi possumus & valemus, nihil plane penes Nos retinendo, præter solam superioritatem Cæsaream, quæ Nobis & successoribus nostris, quibus ea specialiter ac duntaxat fuerit demandata,

data, intelligatur reservata cum sacramento fidelitatis. Nos sane benigne attento supra nominatorum Spinularum præclarissimorum erga Nos, & Sac. Rom. Imperium fidei & observantiæ studio, memoratis illorum humillimis precibus clementer annuendum duximus. Itaque tenore præsentium ex certa nostra scientia animoque bene deliberato, sano accedente consilio, ac de celsissimæ nostræ potestatis plenitudine, & alias omni meliori modo & forma, quibus validius & efficacius fieri potest. prædictis Benedicto, Marco Antonio, Augustino, Jacobo, Hieronymo, & Antonio Mariæ, memoratum locum Cantalupi vallis Borbericæ cum universo ejus territorio, ac villis, & omnimoda Jurisdictione, mero & mixto imperio, ac gladii potestate, aliisque Juribus, reditibus, pedagiis, molendinis, & pertinentiis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis ac Sac. Rom. Imperio competunt, vel competere possunt, pro se, ac legitimis & naturalibus liberis, hæredibus & Successoribus suis quibuscunque, in feudum liberum, francum, exemptum, & alienabile dedimus & concessimus, ac eos de iis omnibus & singulis investivimus, ac virtute harum literarum nostrarum damus, concedimus & investimus, quidquid ipsis de jure, vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere & investire possumus vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant naturam Allodii, & quod de iisdem possint ipsi Benedictus, Marcus Antonius, Augustinus, Jacobus, Hieronymus & Antonius Maria Spinulæ & Successores eorum disponere pro libitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos; elargientes quoque, ac dantes concedentesque eisdem præfatis Spinulis & Successoribus eorum in recitato loco Cantalupi cum toto ejus territorio, villis, & pertinentiis, omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in eis omnia agere & exercere possint & valeant, quæ Nos ipsimet agere & exercere possumus & valemus, nihil Nobis penitus retinentes, præter solam superioritatem Cæsaream, quæ Nobis & nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea specialiter, & duntaxat demandata fuerit, reservamus, cum subjectione, fidelitatis & homagii juramento, quod Nobis eorundem supra nominatorum Spinularum legitimus procurator, spectabilis noster, doctus, & Sac. Imperii fidelis dilectus Georgius de Georgiis, J U. Doctor, vigore mandati procuratorii Nobis exhibiti loco ac nomine, adeoque in animas eorundem præfatorum Spinularum præstitit, supplentes quoscunque defectus tam Juris, quam facti, si qui in prædictis intervenerint, quibuslibet legibus, statutis, Decretis ac ordinibus non obstantibus; quibus omnibus ac singulis pro hac vice duntaxat auctoritate & scientia prædictis derogamus, & derogatum esse volumus, nostris tamen, & Sac. Imperii, ac aliorum juribus semper salvis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Oppido nostro Insprug die 1. Martii, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.

Nos vero, etsi eo, ut supra, tempore, quo confirmatio ac renovatio istius Investituræ nomine prædictorum fratrum petita fuerat precibus illis (non obstante, nullam per Marcum Antonium Spinulam a Divo Maximiliano II. genitore & prædecessore nostro colendissimo inclytæ memoriæ, Investituram esse receptam) benigne annuerimus, ac Investituram eis decreverimus, contigit tamen certa de causa, quod Diploma Investituræ istius hactenus in Cancellaria nostra Cæsarea non expeditum sit, et interim etiam Johannes Ambrosius diem suum obierit, quapropter ne forte quandoque ob requisitionem & concessionem, ut supra factum, dubitari contingat, ipse nunc Johannes Baptista denuo apud Nos per alium procuratorem suum Theophilum Stephanum Sabinum, Presbyterum, ad hoc mandato procuratorio legitime substitutum, humillime institit, quatenus & concessioni nostræ priori inhærendo, Investituram, ac alia desuper necessaria & consueta fieri, expedirique clementer dignaremur; Nos igitur perspicientes rem, sicuti præmittitur, se habere, nec ipsum Johannem Baptistam injusta petere, attendentes etiam singularem ejus fidem, observantiam atque devotionem, quibus Nos Sacrumque Roman. Imperium, ac inclytam nostram Austriæ domum, uti majores sui, semper coluisse perhibetur, nec impostcrum aliter se facturum promittit. Idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ad hoc accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, ac alias omni meliori modo, ac forma, quibus validius ac efficacius fieri potest, aut debet, prænominatum Johannem Baptistam Spinulam de memoratis portionibus suis Paternis juxta formam & modum in præsentata Investitura magis expressum & specificatum, (ad quam hic habetur relatio) investivimus & infeudavimus, quemadmodum eum etiamnum vigore harum nostrarum literarum investimus & infeudamus, ac quidquid ei in his possumus vel debemus, de Jure vel ex gratia speciali damus, concedimus, & elargimur, nihil etiam Nobis quoad portiones has feudales (ut supra quoque exprimitur) penitus retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis, & nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea specialiter & duntaxat demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis, & homagii Juramento, quod modo Nobis supra nominatus Procurator loco, nomine, ac in animam principalis sui, Johannis Baptistæ Spinulæ, reverenter præstitit, supplentes etiam quoscunque defectus tam Juris, quam facti, si qui forte ob non petitam Investituram memorati Patris sui, aut expeditionem hujusce nostræ hucusque protractam, vel alias quocumque modo intervenissent, aut intervenisse dici, vel allegari possent, quibuslibet legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus, statutis, decretis ac ordinibus non obstantibus, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus, & derogatum esse volumus. Nostris tamen alias & Sacri Imperii, ac aliorum Juribus semper salvis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ, nona die mensis Decembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani trigesimo I. Hungarici trigesimo IV. et Bohemici itidem trigesimo I.

XVI.

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Johanni Benedicto Spinulæ suas in locis Buzallæ, Petræbissariæ & Montis Canearum portiones in feudum contulit, literasque Investituræ Divi Imperatoris Matthiæ de Anno 1617. confirmavit, d. d. 15. Decembris, Anno 1623.

FErdinandus secundus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus. Agnoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod cum demisse Nobis exponi curarit noster et Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Benedictus Spinula, patrem quondam suum Carolum Spinulam certas quasdam participationes in locis Buzallæ, Petræbissariæ et Montis Canearum possedisse, & super iis novissime a divo quondam Imperatore Matthia, Domino Patruele et Prædecessore nostro colendissimo, investitum fuisse, cujus quidem Diplomatis tenor sequitur in hæc verba:

Inseratur hic Investitura Imperatoris Matthiæ de 18. Septembr. 1617.

Nunc vero Patre suo vita defuncto, vigore dispositionis testamentariæ ex paterna hæreditate sibi dictas portiones in feudis Buzallæ & Montis Canearum obtigisse, prout ea de re fides nobis facta fuit, ideoque suppliciter Nos rogarit, ut cum laudatissimo majorum suorum exemplo ratione dictarum portionum Nos, tanquam Romanorum Imperatorem & Regem, in supremum ac directum Dominum suum recognoscere desideret, memoratam dispositionem paternam non modo confirmare & approbare, sed & de prædictis participationibus se investire, omniaque & singula privilegia, a Divis Prædecessoribus nostris concessa, sibi benigne clementerque confirmare dignaremur. Nos sane benigna ratione habita præclari et sinceri studii, quo idem Joannes Benedictus Spinula Nos et Sacrum Romanum Imperium inclytamque nostram Austriæ domum hactenus coluit, atque etiam nunc non minore constantiæ laude colit, Nobisque omnino persuasum habentes, in futurum quoque ab eodem omnia fidei, integritatis et devotionis officia fore expectanda, ejusdem humillimæ petitioni clementer admodum annuendum duxerimus, uti vigore præsentium annuimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, et alias omni meliori modo et forma, quibus validius et efficacius fieri potest, præmemoratas investituras, nec non exemptionis fori, Salvæguardiæ et alia Privilegia, dicto quondam ipsius parenti, Carolo Spinulæ, super dictis participationibus in memoratis locis et feudis Buzallæ et Montis Canearum concessa, rata et grata habentes, confirmantes et innovantes, et supra allegatam dispositionem testamentariam corroborantes, eidem Joanni Benedicto Spinulæ memoratas participationes in feudis Buzallæ et Montis Canearum, de quibus antehac parens ipsius investitus fuerat, una cum earundem participationum Jurisdictione, mero et mixto imperio et gladii potestate, aliisque Juribus, et reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis et pertinentiis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis, et Sacro Romano Imperio competunt, vel competere possunt, pro se ac legitimis liberis, hæredibus ac successoribus suis quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum et alienabile dedimus et concessimus, eumque de portionibus ipsis ut supra investivimus, ac virtute harum literarum nostrarum damus, concedimus, et investimus, quidquid ipsis de jure vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere et investire possumus vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, et quod de iisdem possit ipse Joannes Benedictus ejusque successores disponere pro lubitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos. Elargientes quoque et dantes eidem Joanni Benedicto Spinulæ illiusque successoribus in memoratis participationibus omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in eis omnia gerere et exercere possit et valeat, quæ Nos ipsimet gerere et exercere possumus et valemus, nihil Nobis penitus retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis et nostris in Imperio successoribus, et quibus ea specialiter et duntaxat demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis et homagii Juramento, quod Nobis ejusdem Johannis Benedicti Spinulæ legitimus Procurator, honorabilis, doctus, fidelis Nobis dilectus Blasius Grassus, J. U. Doctor, pleno [illegible] hoc mandato Nobis in authentica et probante forma exhibito suffultus, loco ac nomine, adeoque in animam ejusdem Joannis Benedicti præstitit. Volentes, quod idem Spinula sit, teneatur, et esse debeat una cum suis castris, terris, locis, hominibus, bonis et rebus omnibus, ac nominatim cum suis participationibus tam hæreditario nomine, quam quovis alio justo ac legitimo titulo antehac possessis ac recens acquisitis in locis Buzallæ et Montis Canearum a Nobis et Sacro Imperio in Feudum dependentibus, ejusque pertinentiis, sub tuitione et salvaguardia nostra et Imperialis Aquilæ nostræ, perpetuo salvus, protectus et securus ab omni gravamine, oppressione et onere hospitandorum militum et stipendiariorum, neque etiam vel ipse, vel dicti ejus homines et subditi occasione prænominatarum participationum inviti a quocunque hominum coram alio Judice, quam coram Nobis, aut iis, quibus hujusmodi controversias et differentias, si quas aliquando inter ipsum et ejus subditos ex una, et alias quaslibet personas ex altera parte active vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas atque determinandas delegaverimus et commiserimus, in Judicio conveniri debeat aut queat, quinimo possit et valeat uti, frui, potiri et gaudere omnibus et singulis immunitatibus, gratiis et prærogativis, quibus alii, qui in hujusmodi nostra et Sacri Imperii salvaguardia ac protectione constituti sunt, de Jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, citra cujusquam impedimentum et contradictionem. Statuentes, præmissa omnia et singula rata, valida, firma ac perpetua esse et censeri, atque ab omnibus ad quos spectant, inviolabiliter semper observari debere; supplentes ex eadem nostra scientia quoscunque

cunque defectus, tam Juris, quam facti, si qui in præmissis, aut aliquo præmissorum intervenissent, seu intervenisse quovis modo allegari possent, non obstantibus, aliquibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus statutis, decretis, ac ordinibus in contrarium facientibus; quibus omnibus et singulis pro hac vice duntaxat autoritate et scientia prædictis derogamus et derogatum esse volumus, Nostris tamen et Sacri Imperii ac aliorum Juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram approbationis, confirmationis, ratificationis, Investituræ, infeudationis, salvæguardiæ, exemptionis fori, primogenituræ, voluntatis, decreti, concessionis et gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram et Sacri Imperii indignationem gravissimam et decem marcarum auri puri mulctam Fisco, seu Ærario Nostro Imperiali, et parti læsæ ex æquo solvendam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die decima quinta mensis Decembris, Anno 1623. Regnorum Nostrorum Romani quinto, Hungarici sexto, Bohemici vero septimo.

XVII.

Ejusdem Literæ, in quibus Lucianum Spinulam de sua in locis Buzallæ, Petræbissariæ & Montis Canearum portione investivit, Literasque Investituræ Divi Imperatoris Matthiæ de Anno 1617. confirmavit, d. d. 15. Decembr. Anno 1623.

FErdinandus secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, etc. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, etc. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris et inferioris Silesiæ, Wirtembergæ et Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi et Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris et inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis et Salinarum. Agnoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis demisse exponi curarit Noster et Sacri Imperii fidelis dilectus Lucianus Spinula, Patrem quondam suum, Carolum Spinulam certas quasdam participationes in Locis Buzallæ, Petræbissariæ et Montis Canearum possedisse, et super iis novissime a Divo quondam Imperatore Matthia, Domino Patruele & Prædecessore nostro colendissimo, Investituræ renovationem obtinuisse, cujus quidem Diplomatis tenor sequitur in hæc verba:

Inseratur hic Investitura Matthiæ Imperatoris de Anno 1617.

Nunc vero Patre suo vita functo vigore dispositionis testamentariæ, quemadmodum fides Nobis facta fuit, ex paterna hæreditate sibi dictas portiones in feudo Petræbissariæ obtigisse. Ideoque suppliciter Nos rogarit, ut cum laudatissimo majorum suorum exemplo, ratione dictarum portionum, Nos, tanquam Romanorum Imperatorem ac Regem, in verum ac legitimum Dominum suum recognoscere desideret, memoratam dispositionem paternam non modo confirmare & approbare, sed & de prædictis participationibus se investire, omniaque & singula Privilegia a Divis Prædecessoribus nostris concessa sibi benigne clementerque confirmare dignaremur. Nos sane benigne ratione habita præclari & sinceri studii, quo idem Lucianus Spinula Nos & Sacrum Romanum Imperium, inclytamque nostram Austriæ Domum hactenus coluit, atque etiam nunc non minore constantiæ laude colit, Nobisque omnino persuasum habentes, in futurum quoque ab eodem omnia fidei, integritatis & devotionis officia fore expectanda, ejusdem humillimæ petitioni clementer admodum annuendum duxerimus, uti vigore præsentium annuimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, et alias omni meliori modo et forma, quibus validius et efficacius fieri potest, præmemoratas Investituras, nec non exemptiones fori, salvæguardiæ et alia Privilegia, dicto quondam ipsius parenti Carolo Spinulæ super dictis participationibus in memorato loco et feudo Petræbissariæ concessa, rata et grata habentes, confirmantes et innovantes, et supra allegatam dispositionem testamentariam corroborantes, eidem Luciano Spinulæ memoratas participationes in feudo Petræbissariæ, de quibus antehac parens ipsius investitus fuerat, una cum earundem participationum Jurisdictione, mero et mixto imperio et gladii potestate, aliisque Juribus, reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis, et pertinentiis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis et Sacro Romano Imperio competunt vel competere possunt, pro se ac legitimis liberis, hæredibus et successoribus suis quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum et alienabile, dedimus et concessimus, eamque de portionibus ipsis, ut supra investivimus, ac virtute harum literarum nostrarum damus, concedimus et investimus, quidquid ipsi de Jure vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere et investire possumus vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, & quod de iisdem possit ipse Lucianus ejusque Successores disponere pro lubitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos. Elargientes quoque & dantes eidem Luciano Spinulæ, illiusque Successoribus in memoratis participationibus omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in eis omnia gerere & exercere possit & valeat, quæ Nos ipsimet gerere & exercere possumus & valemus. Nihil Nobis penitus retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis & nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea specialiter & duntaxat demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis & homagii Juramento, quod Nobis ejusdem Luciani Spinulæ legitimus Procurator honorabilis, doctus, fidelis Nobis dilectus

ctus Blasius Grassus, J. U. Doctor, pleno & hoc mandato Nobis in authentica & probante forma exhibito suffultus, loco ac nomine, adeoque in animam ejusdem Luciani præstitit. Volentes, quod idem Spinula sit, teneatur & esse debeat, una cum suis castris, terris, locis, hominibus, bonis & rebus omnibus, ac nominatim cum suis participationibus, tam hæreditario nomine, quam quovis alio justo ac legitimo titulo antehac possessis & recens acquisitis in loco Petræbissariæ a Nobis & S. R. Imp. in feudum dependentibus, ejusque pertinentiis, sub tuitione et salvaguardia Nostra & Imperialis aquilæ nostræ perpetuo salvus, potectus & securus ab omni gravamine, oppressione & onere hospitandorum militum & stipendiariorum, neque etiam vel ipse vel dicti ejus homines & subditi occasione prænominatarum participationum inviti a quocunque hominum coram alio Judice, quam coram Nobis, aut iis, quibus hujusmodi controversias & differentias, si quas aliquando ipsum inter & ejus subditos ex una, & alias quaslibet personas ex altera parte active vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas atque determinandas delegaverimus & commiserimus, in Judicio conveniri debeat aut queat, quinimo possit & valeat uti, frui, potiri, & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis, & prærogativis, quibus alii, qui in hujusmodi nostra & Sacri Imperii salvaguardia ac protectione constituti sunt, de Jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, citra cujusquam impedimentum & contradictionem; statuentes, præmissa omnia & singula rata, valida, firma ac perpetua esse & censeri, atque ab omnibus, ad quos spectant, inviolabiliter semper observari debere; supplentes ex eadem nostra scientia quoscunque defectus tam Juris, quam facti, si qui in præmissis, aut aliquo præmissorum intervenissent, seu intervenisse quovis modo allegari possent, non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus, statutis, decretis ac ordinibus in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus, nostris tamen & Sacri Imperii ac aliorum Juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostram approbationis, confirmationis, ratificationis, investituræ, infeudationis, salvæguardiæ, exemptionis fori, primogenituræ, voluntatis, decreti, concessionis, & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam & decem marcarum auri mulctam fisco seu ærario nostro Imperiali & parti læsæ ex æquo solvendam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die decima quinta Decembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo tertio. Regnorum nostrorum Romani quinto, Hungar. sexto, Bohem. vero septimo.

XIIX.

Testamentum Marchionis Hieronymi Spinulæ, d. d. 7. Decembr. An. 1628. cui duo ejusdem Codicilli d. d. 17. Sept. Anno 1629. & d. d. 28. Sept. Anno 1630. adjecti sunt.

IN nomine Domini Amen! M. D. Hieronymus Spinula, quondam M. Marci Antonii, sanus DEI gratia, mente, sensu, loquela, corpore, et intellectu, et in sua bona ac sana existens memoria divinum judicium, cujus hora nescitur, cupiens testari, ne intestatus decedat, per hoc præsens suum nuncupativum testamentum dicitur, de se bonisque suis disposuit, et ordinavit in omnibus ut infra:

Primo quidem, quando ei mori contigerit, ejus animam demisse commendavit, et commendat Creatori illius, Beatæque Mariæ semper Virgini, ac toti curiæ cœlesti, cadaver vero suum sepeliri voluit in Ecclesia S. Catharinæ, in tumulo suorum prædecessorum, vel alibi, prout videbitur infrascriptis ejus hæredibus, et hoc nisi tamen ipse M. Testator aliquam capellam seu sepulturam emisset; Nam tali casu ordinat, ejus cadaver humari in ipsamet capella, seu in tumulo, quam, seu quod ipse M. Testator acquisivisset, et in associando ejus cadaver ad tumulum, quod indutum habitu Beatæ Mariæ Virginis, et supra eum imaginem ejus gloriosissimæ virginis discoopertum deferri mandat, intervenire vult R. R. D. D. Patribus Beatæ Mariæ carminis, & societati mortuorum sancti Augustini, cui societati, seu confratribus ejusdem, qui associabuntur cadaver, tradi vult pro quolibet intortitiam, in reliquis vero expensas funeris fieri modeste, & parce, arbitrio infrascriptorum ejus hæredum.

Item legavit & legat hospitali magno hospitaletto incurabilium, spectato officio suffragii pauperum, ac redemptionis captivorum, scutos mille quingentos argenti, repartiendos in omnibus ut infra, tamen summa ipsi M. Testatori debita per M. Stephanum Spinulam quondam M. Pauli occasione ejus, quod ipse Testator solvit in Camera Illustrissimorum Procuratorum occasione fidejussionis per eum factæ prodicto M. Stephano, pro qua adest obligatus dictus quondam Paulus, Pater dicti M. Stephani, verum si debitum dicti M. Stephani una cum illius interesse non ascenderet ad dictos scutos mille quingentos qualitatis prædictæ, tali casu vult usque ad dictam summam de effectibus hæreditariis ipsius Testatoris supplere, quos scutos mille quingentos mandat dictus M. Testator repartiri inter dictas operas hoc modo, nempe dicto hospitali magno scutos quingentos, hospitaleto & præstantissimo officio pauperum, scutos quadringentos pro quolibet, & dicto præstantissimo officio redemptionis captivorum reliquos scutos ducentum.

Item legavit & legat R. R. monialibus convertitis scutos centum argenti.

Item legavit & legat filiabus sancti Joseph alios totidem scutos centum argenti.

Item legavit & legat R. R. patribus sanctæ Mariæ Annunciatæ Guastali scutos quinquaginta ejusdem qualitatis pro eleemosyna celebrationis tot missarum pro anima ipsius testatoris.

Item ordinat per infrascriptos ejus M. M. hæredes

redes dispensari scutos centum argenti in maritatione pauperum puellarum jurisdictionis Cantalupi & montis auri, arbitrio dictorum M. M. hæredum.

Item legavit & legat R. R. Patribus JEsus Mariæ, habitantibus in ecclesia sanctæ Margarithæ, villarum Marassii scutos quinquaginta de libris quatuor monetæ currentis singulo pro celebratione tot missarum, & cum onere orandi Dominum DEum pro anima ipsius M. Testatoris.

Item legavit et legat R. R. Patribus S. Siri eam eleemosynam, quæ dictis M. M. ejus hæredibus infrascriptis videbitur pro celebratione missarum S. Gregorii, quas celebrari mandat pro anima ipsius M. Testatoris.

Item ordinat, ultra prædicta celebrari mille missas pro mortuis, et per tres dies continuos missas tres in cantu itidem a mortuis in illis Ecclesiis, bene visis dictis ejus hæredibus, & pro eleemosyna solvi mandat quod dictis ejus M. M. hæredibus videbitur.

Item ordinat celebrari in Ecclesia Parochiali loci Cantalupi ad altare sanctissimi Rosarii, in dicta Ecclesia erectum, tres missas singula quaque hebdomada in perpetuum, scilicet una ex eis in die sabbathi Beatæ Mariæ Virginis pro anima ipsius Testatoris, & reliquas duas in illis diebus bene visis illi seu illis, qui erunt, seu erit, possessores, seu possessor portionis dicti loci, spectantis ipsimet M. Testatori, pro anima parentum, & propinquorum ejusdem M. Hieronymi, per Capellanum, seu Sacerdotem, per dictum professorem dictæ ejus participationis pro tempore eligendum, qui erit ad nutum ejusdem possessoris amovibilis, quem possessorem, seu possessores maxima cum instantia rogat, ut velint toto posse curare, ut Capellanus, seu sacerdos missas prædictas celebret in omnibus, ut supra, doceat legere ac doctrinam Christianam pueros ejusdem loci, & solvant Capellano, seu Sacerdoti eligendo, eleemosynam competentem, & de hoc gravat eorum conscientias, & ita ordinat, & jure legati legat omni meliori modo.

Item legavit & legat R. R. sororibus Mariæ Archangelæ & Mariæ Jacobæ, sororibus ipsius Testatoris, Monicalibus in Monasterio sancti Pauli Genuæ, libras centum quolibet anno pro qualibet earum, in earum, & cujuslibet earum respective vita, & quoad naturaliter vixerint tantum, quas eis respective solvi mandat, nullo accedente consensu, & nulla solemnitate servata ad hoc, ut eis se uti valeant in earum particularibus indigentiis, & hoc ultra illud, quod eis quovis modo spectat.

Item legavit & legat R. D. Stephano Rebia, ejus Confessori ex Religione R. R. Patrum Beatæ Mariæ Magdalenæ, congregationis Somasche, scutos quinquaginta argenti, quos ei solvi mandat, nullo accedente consensu, & nulla servata solemnitate ad hoc, ut de eis faciat, quicquid oretenus ei dixit.

Item ordinat & mandat, quod si Reverenda soror, Maria Evangelista Spinula, Monialis dedicata, & professa in Monasterio sancti Pauli Genuæ, receptis ipsius M. Testatoris ex quondam M. Joanni Ambrosio fratre, voluerit pro solutione illarum librarum sexcentum annuarum, quas ipse M. Testator eidem Reverendæ sorori solvere tenetur, quotannis, ejus vita durante, implicari tot pecunias ex effectibus hæreditariis ipsius Testatoris in aliquo monte, seu in alio reditu in alma urbe, sive ad vitam dictæ Reverendæ, seu aliorum, ordinat & mandat, quod teneantur hæredes ipsius M. Testatoris satisfacere ad satisfactionem ejusdem Sororis Mariæ Evangelistæ, & de proventibus seu fructibus respondeti dictæ Reverend. Sorori, Mariæ Evangelistæ, post vero obitum ejusdem R. S. Mariæ reditus & Capitale prædictarum pecuniarum implicatarum, quatenus ad hæredes emptus fuerit, revertatur hæreditati, & hæredibus ipsius Testatoris, quæ quidem libræ sexcentum annuæ serviant, & servire vult pro solutione & satisfactione dictæ obligationis ipsius Testatoris, quia sic vult & mandat ipse Testator meliori modo.

Item legavit et legat R. R. D. D. Patribus beatæ Mariæ Magdalenæ congregationis Somasche præsentis civitatis Genuæ, scutos quinquaginta argenti, cum onere celebrandi tres missas pro mortuis in cantu pro anima ipsius Testatoris, & in suffragium peccatorum suorum.

Item legavit & legat Reverendo Presbytero Ecclesiæ Cantalupi, qui fuerit ad curam dictæ Ecclesiæ tempore obitus ipsius Testatoris, scutos viginti argenti, de quibus celebrari, vel celebrari facere teneatur in eadem Ecclesia tot missas pro mortuis pro anima ipsius Testatoris, ejusque patris & matris.

Item legavit & legat M. Hyacintho, ejus filio naturali, amore DEI, ratione alimentorum, & omni alio meliori modo, illum annuum reditum illorum annuorum ducatorum octocentum quadraginta cum fructibus, tempore obitus ipsius Testatoris decursis, & jam exactis, quem ipse M. Testator habet, & sibi debetur, sive sub suo nomine proprio, sive uti hæredi quondam M. Joannis Baptistæ ejus fratris, situatum super civitate Neapolis, vigore scripturarum super præmissis apparentium, quibus sit relatio.

Item sciens dictum M. nunc quondam Joannem Baptistam, ejus fratrem, in ejus testamento morte confirmato, in quo ipsum M. Testatorem hæredem instituit, legasse M. M. Feliciano & Hyacintho, filiis ipsius M. Testatoris illum annuum reditum, seu reditus, quem, seu quos dictus M. Joannes Baptista habebat in loco Sale super Communitatem, & homines ejusdem loci, & prout situatum est, & in dicto testamento continetur, cui sit relatio.

Sciensque, dictum M. Felicianum diem suum obiisse; Hoc ideo ipse M. Testator declarat, se velle dictum annuum reditum, seu annuos reditus in dicto loco Sale situatum, ut supra legatur, a die obitus ipsius Testatoris spectare dicto M. Hyacintho, cui ad cautelam, partem, quæ ipsi M. Testatori spectat, vel spectare potest, ex dicto annuo reditu, seu annuis reditibus, tam pro Capitale, quam pro fructibus a die obitus ejusdem M. Testatoris inventurum legavit & legat, qui de eo & eis libere disponere possit; & quia ipse M. Testator partem Capitalis dicti reditus, seu redituum exegit, ut constat ex libro ejusdem M. Testatoris, & cupiens, ut totum Capitale dicti reditus perveniat in dictum M. Hyacinthum, ideo ordinat, ac jure legati legat, quod pecuniæ per ipsum Testatorem exactæ pro Capitale, tantum tradantur dicto M. Hyacintho, sive in pecuniis in tot bonis effectibus hæreditariis ipsius Testa-

Testatoris, & ut melius videbitur infrascriptis M. M. ejus hæredibus, cum conditione tamen, quod non possit dictus M. Hyacinthus petere, nec prætendere in hæreditate ipsius M. Testatoris fructus, seu reditus annuorum redituum exactos, etiam quod dici posset ipse M. Testator exegisse partem dicto M. Hyacintho spectante, & quatenus dictus M. Hyacinthus prætenderet, quod non credit, dictos fructus, seu reditus, vel aliquid aliud in hæreditate & bonis ipsius Testatoris, quoquo modo & quavis de causa præter ea, quæ ad ejus beneficium in præsenti Testamento disposita sunt, eundem M. Hyacinthum privavit & privat præsenti legato, seu legatis, ac de infrascriptis, & de omnibus ad ejus beneficium factis in præsenti testamento, & ita ordinat & mandat, ac jure legati legat dicto M. Hyacintho, pro quo ipse M. Testator multò majorem summam ejus, quod importare possint dicti fructus, ut asserit ipse M. Testator, expendit in curia ejusdem in civitate Mediolani.

Item legavit dicto M. Hyacintho ultra prædicta & infrascripta, quo ad faciliorem intelligentiam vulgari sermone exprimentur, nempe un bacile con stagnara d'argento, due candelieri d'argento, con letto di cortine di Damasco bianco, e cremesile col suo torchio fornito di straponte, cossino e coperte, sei tovaglie, sei dozine, di salviette, o sia tovaglioli e sei para di Sensuoli, quelli che meglio parera alli Ssri Eredi di esso M. Testatore, un Centiglio d'oro di capello il più bello, che sarà in Casa, sei cadreghe, due buffetti, due fortieri di Coiro, tutte l' armi che saranno in casa di detto M. Testatore al tempo della sua Morte.

Item ordinat & mandat ac jure legati legat, quod, exactis per ejus hæredes & successores super dictas quatuor operas omnibus pecuniis per dictum M. Stephanum Spinulam, quondam M. Pauli ipsi Testatori occasione fidejussionis, teneantur infrascripti ejus hæredes, prout eos gravat in onere eorum conscientiæ emere duas Coronas aureas, seu argenteas valoris scutorum tercentorum argenti, easque tradere pro eleemosyna R. R. P. P. Beatæ Mariæ incoronatæ cum conditione, quod illas ponere debeant, alteram super caput sanctissimi pueri, & alteram super caput Beatæ virginis Matris, super quibus mandat dictas duas coronas in perpetuum & in secula seculorum permanere, cum declaratione tamen, quod si ipse M. Testator dictas duas coronas emisset & illas dictis R. R. P. P. consignasset, tali casu non teneantur ejus hæredes illas emere, quia sic vult, ordinat, & mandat ipse M. Testator.

Item legavit & legat servituti, quæ tempore ejus obitus in ejus domo inservierit, eam quantitatem pecuniæ, infrascriptis ejus hæredibus benevisam.

Item legavit & legat pro antiparte & æqualatione dotium M. Mariæ Margheritæ, ejus filiæ legitimæ & naturali, adhuc innuptæ, scutos quadraginta sex mille argenti impressionis coronæ hujus civitatis, pro quorum solutione tradi voluit pecunias, quæ erunt in hæreditate ipsius Testatoris, domum, quam ipse Testator habet in contrata portus fici, seu Luculi portionem, quam ipse Testator habet in loco, seu feudo Cantalupi Montis aurei, & alios effectus hæreditatis ipsius Testatoris, æstimandos a præstantissimis Gubernatoribus Familiæ nobilium Spinularum de Luculo, quorum æstimationi stari vult perinde, ac si ab ipso M. Testatore æstimatio facta fuisset, ita ut dicta M. Margherita habeat dictos scutos quadraginta sex mille qualitatis prædictæ tantum, cum declaratione tamen, quod si dicta M. Margherita, durante vita ipsius M. Testatoris, matrimonio copulata esset, & non aliter tali casu præsenti legato, & contentis in eo locus non sit, & pro infecto habeatur, in quibus tamen scutis quadraginta sex millibus intelligantur comprehensa, prout ipse Testator comprehendit illa loca triginta sex cum dimidio, scripta in una ex columnis Sancti Georgii in credito dictæ M. Mariæ Margheritæ occasione cujusdam legitimæ, quæ dictus M. Testator rationari vult ad libras centum octuaginta monetæ Cactularis quolibet loco, & ita vult, & mandat ipse Testator omni meliori modo.

Verum quia pars dictæ domus, seu domunculæ contigua domui magnæ ipsius M. Testatoris, positæ in contrata portus, fici, seu Luculi est subjecta terratico R. R. Presbyteris Beatæ Mariæ Vinearum, ut ex Investitura, propterea facta, recepta per dictum Jacobum Cuneum Notarium de Anno 1625. die quarta Septembris ipse M. Testator habet facultatem ad infrascriptas.

Idcirco ea utendo declarat, se velle dictam M. Mariam Margheritam in dicta domuncula succedere post ejusdem M. Hieronymi obitum, quam M. Mariam Margheritam admonet, Investituram accipere eo ipso quod animam ipse Testator egerit, quam domunculam ad cautelam dictæ M. Margheritæ legavit & legat omni meliori modo.

Item legavit & legat omnibus filiabus, quæ non erunt matrimonio copulatæ neque monachatæ tempore obitus ipsius M. Testatoris nunc quondam M. Petri Francisci Spinulæ quondam M. Desiderii, scutos centum argenti pro qualibet earum, quos statim, ipso M. Testatore vita functo, implicari vult in aliquo loco tuto & fructifero, arbitrio M. M. fideicommissariorum ipsius M. Testatoris, & per eas multiplicare usque ad earum respective maritare, seu monachare, quas cum eorum augmento in actu celebrationis matrimonii, aut in actu professionis emittendæ vel post eis respective tradi vult, &, decedente aliqua earum ante earum maritare, seu monachare, reliquæ non maritatæ neque monachatæ succedant, & si omnes essent maritatæ seu monachatæ, succedant hæredes ipsius Testatoris, & quatenus aliqua, seu aliquæ ex eis pervenirent ad ætatem annorum triginta nondum maritatæ, seu monachatæ, tali casu eis respective tradentur dicti scuti centum argenti, ipsis respective virtute hujus legati spectantibus cum eorum augmentis, eisque libere respective spectent, quas filias rogat orare dominum DEum pro anima ipsius Testatoris; reliquorum vero omnium & singulorum bonorum, mobilium & immobilium, jurium, rationum & actionum ipsius Testatoris, & ad ipsum quomodocunque spectantium, & pertinentium, & undecunque descendentium, nunc & in futurum sibi hæredes suos universales instituit & esse voluit, ac ore proprio nominavit & nominat M. M. Faustinam, & Mariam Margheritam, ejus filias legitimas & naturales & quamlibet earum pro dimidia, cum conditione tamen, quod, decedente aliqua ex eis sine filiis legitimis & naturalibus

turalibus, tali casu succedat altera superstes, seu ejus filii legitimi & naturales, &, omnibus decedentibus sine filiis legitimis & naturalibus, eis succedere vult dictum M. Hyacinthum, filium ipsius M. Testatoris amore DEI, ratione alimentorum & omni alio meliori modo, si vixerit, secus, ejus filii legitimi & naturales, & ita instituit, & substituit omni meliori modo. Declarat ipse M. Testator dotes dictæ quondam M. Victoriæ ejus uxoris fuisse & esse de libris septuaginta duabus millibus, de quibus ipse M. Testator habuit libras quadraginta mille in pluribus partitis, & locis omnibus summis pecuniarum per ipsum M. Testatorem habitis comprehensis, & reliquæ libræ triginta duæ mille eidem M. Testatori solvi debentur post vitam M. Faustinæ, ejus soceræ, & ut apparet, ex appodisia subscripta per nunc quondam M. Stephanum Spinulam, quondam M. Pauli, existentem penes ipsum Testatorem, & alias scripturas. Fideicommissarios autem & executores præsentis sui Testamenti, & ultimæ voluntatis tutores, & pro tempore curatores dictæ M. Margheritæ ejus filiæ instituit, & esse voluit, ac ore proprio nominavit & nominat M. Dominicum Centurionem, quondam Benedicti D. Equitem, Fr. Albertum Rattum, Equitem Hierosolymitanum, & Joannem Nicolaum Spinulam, quondam M. Stephani, & M. Lazarum Spinulam, M. Pauli Augustini filium, generum ipsius M. Testatoris; Et in casu absentiæ, seu mortis dicti D. Equitis fratris Alberti, spect. D. Bernardum Rattum, ejusdem D. Equitis fratrem, cum declaratione, quod duo ex eis omnia facere possint, in quibus tamen dictus M. Lazarus interveniat, & vult, eosdem M. M. fideicommissarios posse quodcunque munus prædictum exercere, non obstante absentia a præsenti civitate alicujus, seu aliquorum ex eis cum facultate restringendi bona, & effectus hæreditarios ipsius Testatoris implicare, sive in cambiis, sive in censibus & reditibus, emptione locorum, & in aliis locis, dictis suis fideicommissariis melius visis, Actores & Procuratores quosvis pro quavis parte mundi constituendi, cum ea facultate & bailia, & autoritate ipsius melius visis, & hæc omnia risico & periculo, & fortuna hæreditatis, & hæredum ipsius Testatoris, & non in aliquo dictorum fideicommissariorum, cum privilegio, quod non teneantur satisdare, nec unus pro alio teneatur, & quod non teneantur de neglectis, & oblitis, nisi de his duntaxat, quæ ad eorum manus pervenerint, & in quibus suum dederint consensum, & denique cum illa facultate, bailia & auctoritate in similibus fideicommissariis dari solitis & consuetis. Et hæc est &c. Cassans &c. De quibus omnibus &c. Me Philippum, Cameræ Notarium &c.

Actum Genuæ in mediano domus habitationis dicti M. Testatoris, positæ in Contrata Luculi anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, indictione undecima, secundum Genuæ cursum die Jovis, septima Decembris, hora secunda noctis, vel circa existentibus luminibus opportunis, præsentibus Augustino Ternasco, quondam Leonardi, Philippo Dunato, quondam Joannis, Dominico Ruere, quondam Petri, Paulo Castello objecti, & Andrea Pianeto, quondam Dominici, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Anno millesimo sexcentesimo nono, die Martis, decima septima Septembris, in tertiis in porticu domus habitationis mei Notarii infrascripti in platea beatæ M. Magdalenæ. Indictione undecima, secundum Genuæ cursum.

In nomine Domini Amen! Cum mens hominum varia sit usque ad mortem, sitque hora mortis ignota, hoc ideo dictus M. Hieronymus Spinula sanus DEI gratia, mente, sensu, loquela, corpore, & intellectu, & in sua bona ac sana existens memoria de præcedenti ejus Testamento, & contentis in eo memor, volens etiam aliqua addere & alia infrascripta disponere; ideo jure codicillorum & omni alio meliori modo ordinat, ut infra, nempe sciens, se in præcedenti Testamento legasse M. Hyacintho ejus filio naturali annuum reditum annuorum ducatorum octingentorum quadraginta, cum suis fructibus, qui tempore obitus ipsius M. Testatoris erunt decursi, & non exacti, quem reditum ipse M. Testator habet, & sibi debetur, sive sub nomine proprio, sive uti hæredi quondam M. Joannis Baptistæ, ejus fratris, situatum super civitate Neapolis, & ut continetur in legato, dicto M. Hyacintho facto in præcedenti Testamento, cui sit relatio.

Sciensque etiam, dictum annuum reditum diminutum seu abbassatum fuisse, & impositum super Capella farinæ dictæ civitatis Neapolis, ideo ordinat dictus M. Hyacinthus, ut loco dicti reditus cum suis fructibus, qui erat situatus super dicta civitate Neapolis, succedere debeat in dicto reditu imposito super dicta Capella farinæ, cum omnibus suis fructibus, seu tertiis, quæ erunt decursæ, & non exactæ usque ad diem obitus ipsius M. Codicillantis, hac tamen adjecta conditione, quod non liceat dicto M. Hyacintho in hæreditate ipsius Testatoris, prætendere, nisi illud, quod virtute præsentis Codicilli & præcedentis Testamenti ad ejus beneficium legatum, relictum, & dispositum apparet, excluso semper legato dicti annui reditus dictorum ducatorum octingentorum quadraginta diminutorum, & abbassamentorum seu redactarum in scutis quingentis sexaginta, qui fuerat impositus super dicta civitate Neapolis, & impositum ut supra, in dicta Tabella Farinæ annuorum scutorum quingentorum sexaginta, ut supra, & ut constat ex scripturis propterea factis, quibus sit relatio & quatenus aliquid aliud prætenderet, præter contenta in dicto Testamento & Codicillo, eundem M. Hyacinthum privavit & privat de omni eo, quod ad ejus beneficium in præcedenti testamento & in præsenti codicillo factum fuit, in reliquis autem approbat, ratificat, & confirmat, præcedens Testamentum, & omnia in eo contenta. De quibus omnibus &c. Me Philippum Cameræ Notarium &c. Præsentibus Testibus Martino Dacens. quondam Baptistæ, Nicolao Bagheno quondam Stephani, Francisco Razzetto Antonii, Antonio Posso quondam Georgii, & Joanne Baptista Grasso, quondam Andreæ, testibus ad præmissa vocatis & rogatis,

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo, die Sabbathi, vigesima octava Septembris, in vesperis, in bancis ad bancum solitæ residentiæ mei Notarii, indictione decima tertia, secundum Genuæ cursum.

In no-

In nomine Domini Amen! Cum hominum voluntas usque ad necem mutabilis existat, omnibusque hora mortis incerta sit. Hoc ideo dictus M. Hieronymus Spinula, quondam M. Marci Antonii, sanus, Omnipotentis gratia, mente, sensu, loquela, corpore & intellectu, & in sua bona ac sana memoria existens, cupiens infrascriptis codicillando disponere, facere codicillos, & omni alio meliori modo.

Revocat, cassat, & annullat legatum factum in præcedenti suo testamento hospitali magno, hospitaleto incurabilium, officio suffragii pauperum, & redemptionis captivorum de scutis mille quingentis argenti, quos ordinavit repartiri, & ut in dicto legato continetur, ex illa tamen summa ipsi M. Testatori debita per præfatum M. Stephanum Spinulam, quondam M. Pauli, quod legatum incipit: item legavit, et legat hospitali magno, & finit: reliquos scutos ducentum.

Item revocat, cassat, & annullat aliud, quod ordinavit, quod ex actis per ejus hæredes & successores, seu per dictas quatuor operas omnibus pecuniis per dictum M. Stephanum, ipsi Testatori occasione jam dictorum debitorum debetur, ipsi hæredes emere debeant, duas coronas aureas, seu argenteas valoris scutorum tercentum argenti, & eas tradere per eleemosynam R. R. Patribus Sanctæ Mariæ Incoronatæ cum conditione, quod eas ponere debeant alteram super caput sanctissimi pueri, & alteram super caput Beatissimæ Virginis, quod legatum incipit: item ordinat, & mandat; & finit: ipse Testator; quæ duo legata, & omnia in eo contenta haberi vult, perinde ac si facta non fuissent & in dicto testamento non reperirentur apposita, & hac attenta donatione per ipsum M. Testatorem facta hodierna die præstantissimo officio pauperum, cum omnibus eidem præstantissimo Magistratui injuncto per ipsum Marcum Hieronymum ad favorem dictorum pauperum, & in omnibus, ut continetur in Instrumento dictæ donationis prorogatæ per D. M. Antonium Turricellam, Cancellarium dicti præstantissimi officii, cui pro veritate velatio habeatur; In reliquis autem approbat, & ratificat, & confirmat præcedens Testamentum & præcedentem codicillum, et contenta in eo. De quibus omnibus &c. Me Philippum Cameræ Notarium &c. Præsentibus Testibus D. Jacobo Marco Picimbono, D. Joannis Baptistæ, Joanne Antonio Quaquaro, quondam Bartholomæi, Nicolao Bassano, quondam Stephani, & Andrea Costa quondam Thomæ Testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Anno 1690. 17. Februarii.

Extractum in omnibus ut supra ex consimili copia authentica, exhibita per Paulum Chizolum deputatorio nomine &c. in causa appellationis per eum dicto nomine interposita a sententia lata per M. M. D. D. Auditores Rotæ Civilis ad favorem Marci Dominici Spinulæ, quondam Hyacinti, in actis mei infrascripti Notarii, & quidem in Car. 18. præsenti computata licet, salvo, Ca. Marcus Antonius Sola Not. Rursus extracta fuit præsens copia ex supra memorata authentica, mihi Notario exhibita per dictum Illustrissimum Dominicum Spinulam pluribus vicibus, & etiam hodie quæ est dies 19. Aprilis 1702. occasione procuræ per eum factæ, prout fidem facio.

Dominicus de Ponte,
Notar. Publ.

XIX.

Decretum Consilii Imperialis Aulici, in causa feudi Imperialis Campi, inter fratres Spinulæ consortes atque Imperialem Aulicum Fiscalem agitata, in quo modo memoratos fratres ad Investituræ de feudo, cujus jamjam mentio facta est, renovationem esse admittendos, pronunciat, d. d. 21. Februar. Anno 1631.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus noster Clementissimus, auditis & diligenter perpensis ac consideratis iis omnibus, quæ sibi accurate relata fuerunt in causa Campi feudi Imperialis, diu multumque agitata inter singulos Consortes & Fiscalem Imperialem Aulicum, præcipue vero in puncto citationum impetratarum contra Augustinum Spinulam, Anno millesimo sexcentesimo decimo quinto investitum, hac definitiva sententia clementer statuit, decernit & pronunciat, Franciscum Mariam & Joannem Baptistam Spinulas, fratres, pro dimidia, nec non Nicolaum Spinulam pro alia dimidia admittendos esse ad renovationem Investituræ Consortes, prout harum serie eos admittit, excluso fratre Joanne Vincentio Spinula, ordinis Eremitarum sancti Augustini Monacho, ad præsens Episcopo Brugnatensi, non obstantibus etiam exceptionibus & citationibus Fiscalis prædicti, quæ modo cassantur & annullantur. Signatum Viennæ 21. Februarii 1631.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo. Viennæ 3. Aug. Anno 1708.

Rab. Herm. de Bertram,
Secr. & Archiv.

XX.

Transactio inter Marchionissas Faustinam atque Mariam Margaretham de Spinula ex una; earumque fratrem, Marchionem Hyacinthum Spinulam, ex altera parte, propter Testamenti ac Codicillorum Marchionis Hieronymi Spinulæ, parentis sui, executionem, Kal. Maji, Anno 1632. facta.

IN nomine Domini Amen! Cum Calendis Maji anni præsentis 1632. in senatoria dignitate decesserit Illustrissimus Hieronymus Spinula, quondam D. Marci Antonii, suo ante condito testamento, & duobus Codicillis sub eo receptis per me Philippum Cameræ Notarium anno 1628. die septima Decembris, & anno 1629. die septima Septembris, & anno 1630, die 28. Septembris, quorum vigore inter cætera

tera fecit legata, & dispositiones ad favorem Marci Hyacinthi Spinulæ, ejus filii naturalis, amore DEI, ratione alimentorum, & omni alio meliori modo, quorum substantia est infrascripta, nempe: Item legavit dicto D. Hyacintho annuum reditum ducatorum octingentorum quadraginta, quem dictus testator habebat, & seu ipsi debebatur, sive nomine proprio, sive uti hæredi quondam D. Joannis Baptistæ Spinulæ, ejus fratris, situatum olim super civitate Neapolis, postea vero impositum super Tabella Farinæ, diminutumque, & redactum ad annuos ducatos quingentos sexaginta, simul cum omnibus suis fructibus, sive tertiis decursis, & non exactis usque in diem obitus dicti testatoris.

Item declaravit illum annuum reditum, seu reditus quo dictus quondam D. Joannes Baptista Spinula ejus frater, & cujus ipse D. Hieronymus fuit hæres ex testamento, habebat in loco latæ super communitate & hominibus dicti loci, quosque in suo testamento legaverat Magnificis Feliciano, & Hyacintho, filii dicti D. Hieronymi, spectare, & spectare velle, dicto D. Hyacintho, attenta morte dicti D. Feliciani, ipsique D. Hyacintho ad cautelam legavit partem, quæ ipsi D. Hieronymo spectat, vel spectare potest, ex dicto reditu, seu reditibus, tam pro capitale, quam pro fructibus a die obitus dicti testatoris inventurum, ita ut de eo, & eis libere disponere possit, & quia ipse D. Hieronymus exegit partem capitalis dicti reditus, seu redituum, ut constat ex libro ejusdem testatoris, voluit, ut ea pars capitalis exacta, non addatur dicto D. Hyacintho sive in pecuniis, sive in tot donis, effectibus hæreditariis dicti testatoris, ut totum capitale perveniat, in dictum D. Hyacinthum, respectu vero redituum & fructuum annuorum per dictum testatorem exactorum, non possit dictus D. Hyacinthus quicquam petere, nec prætendere, etiamsi dici posset ipsum testatorem exegisse partem, dicto D. Hyacintho spectantem.

Item legavit dicto D. Hyacintho suppellectile & mobilia in dicto testamento recensita, & de quibus etiam infra mentio fit.

Item substituit dictum D. Hyacinthum amore DEI, & ut supra, vel eo non exstante, filios legitimos & naturales dicti D. Hyacinthi, Magnificis Faustinæ & Mariæ Margaritæ, filiabus legitimis & naturalibus ipsius D. Hieronymi, & hæredibus ab eo institutis, si ambæ sine filiis legitimis & naturalibus decesserint.

Ea tamen conditione in dicto testamento apposita, ne liceat dicto D. Hyacintho quicquam aliud petere, nec prætendere in hæreditate ipsius testatoris quoquo modo, & quavis de causa, alias eum privavit beneficio dicti testamenti & Codicillorum, & prout apparet ex dictis testamento & codicillis, quibus &c.

Nolentes modo dictæ M. M. Faustina, & Maria Margherita hæredes ut supra ex una parte, & dictus M. Hyacinthus eorum frater ex altera, facere quæ decent juxta mentem dicti Testatoris, & pro executione ejus ultimæ voluntatis, de qua supra.

Propterea dictæ D. Faustina, & Maria Margherita hæredes, quælibet earum pro dimidia dicti quondam D. Hieronymi patris sui, cujus hæreditatem licet jam adiverint, tamen eam per hunc actum, quatenus expediat, rursus adeunt, & apprehendunt, cum cautela tamen legis & beneficio Inventarii. Sponte, voluntarie & omni meliori modo dederunt, cesserunt, tradiderunt & assignaverunt, ac dant, cedunt, tradunt & assignant, seu quasi M. Hyacintho Spinulæ, eorum fratri præsenti, & acceptanti dictum annuum reditum, olim ducatorum octingentorum quadraginta, situatum super Civitate Neapolis, indeque translatum & collocatum super Tabella Farinæ dictæ Civitatis, & declinatum ad annuos ducatos quingentos sexaginta, ut superius dictum fuit, simul cum omnibus suis fructibus, sive tertiis non exactis, & decursis usque in dictam diem primam Maji superioris, quo die obiit dictus quondam D. Hieronymus ac ex eo die, & imposterum decursis. Nec non dictum reditum seu reditus situatos in loco Salæ, & debitos per Communitatem, & homines ejusdem loci, seu redituum eorum, prout extant, simul cum fructibus a die mortis dicti quondam D. Hieronymi, & deinceps proventuris, ad habendum, tenendum, gaudendum, possidendum & usufructuendum, ac de dictis reditibus, & eorum sorte, & capitale, ac fructibus respective ut supra libere faciendum & disponendum tam inter vivos, quam in ultima voluntate, prout de re propria, & ad libitum & beneplacitum dicti D. Hyacinthi ejusque hæredum & successorum quorumcunque, & cujus seu quorum dederit, & demum sub ea latiori & ampliori forma, qua dictæ hæredes dare, & dictus D. Hyacinthus accipere potest dictos reditus, sibi ut supra legatos, de manu dictarum hæredum, & cum omnibus & singulis suis clausulis & cautelis ad id necessariis & opportunis, & ea natura contractus requisitis, quæ hic habeantur pro extensis omni meliori modo.

Insuper quia dictus D. Hieronymus habuit & exegit ad computum pretii & capitalis dictorum redituum loci Salæ, libras triginta unum mille sexcentum monetæ Imperialium Mediolani, ut apparet ex libro rationum dicti D. Hieronymi, ideo pro executione dicti ejus testamenti dictæ D. Faustina, & Maria Margherita dare & solvere promiserunt & promittunt dicto M. Hyacintho præsenti, & acceptanti, vel legitimæ personæ pro eo intra dies octo proxime venturos valutam librarum triginta unius mille quingentarum triginta ss. 8. 9. dictæ monetæ imperialium rationalis quibuslibet libris quatuor monetæ Genuæ currentis pro solidis nonaginta quinque monetæ imperialium, & magis interesse super eis a die prima Maji proxime præteriti, qua die obiit dictus Illustrissimus D. Hieronymus, quæ sunt menses tres cum dimidio, ad rationem quatuor cum dimidio pro singulo centenario, & hoc ratione lucri cessantis, & damni emergentis & omni alio meliori modo - - pro solutione & satisfactione dictarum librarum triginta unius mille sexcentum Imperialium ut supra per dictum Illustrissimum D. Hieronymum, ad computum pretii capitalis dictorum redituum renunciantes. Præterea dictus M. Hyacinthus declarat & fatetur dictæ D. Faustinæ, & Mariæ Margheritæ præsentibus & acceptantibus, ab eis habuisse & recepisse, ac sibi tradita, & consignata fuisse ante præsens Instrumentum dona infrascripta, eidem per dictum Illustrissimum D. Hieronymum legata in dicto

ejus Testamento, quorum nota est, ut infra vulgari sermone scripta, prout sequitur in dicto Testamento: Un Bacile con stagnara d' argento, due candelieri d' argento, un letto di cortine di Damasco cremesile col suo torchio fornito di straponte cossino, e coperte, sei tovaglie, sei dozine, di salviette, o sia tovaglioli, e sei para sensuoli, un centiglio d' oro di capello il più bello che fosse in casa, sei cadreghe, due buffetti, due fortieri di coiro, tutte l' armi che erano in casa di esso testatore nel tempo di detta sua morte, renuncians & cum juramento tactis &c. exceptioni dictorum donorum sibi nequaquam consignatorum, & omni alii juri, & successive dictus D. Hyacinthus &c. qua re &c. & omni meliori modo &c. acceptavit & acceptat dictos reditus &c. pro quibus in dicto Testamento & Codicillis &c. sibi assignatos ut supra, una cum dictis libris triginta una mille quingentis triginta ß: 8. 9. sibi ut supra solvendis, & prout supra loco partis capitalis exacti per dictum quondam dominum Hieronymum & redituum dicti loci Salæ, nec non & dicta dona mobilia superius enunciata, & sibi, ut confessus fuit, tradita, pro omni eo, & toto, quod vigore & occasione prædicti Testamenti & Codicillorum paternorum petere, prætendere & consequi possit, declarans dictus M. Hyacinthus, se acceptare dicta legata, sibi per dictum quondam Illustrissimum D. Hieronymum facta eo modo, sub illis pactis, formis & conditionibus, prout sibi facta fuerunt, & in omnibus & per omnia juxta voluntatem & dispositionem dicti Illustrissimi Testatoris, & citra præjudicium dispositionis ad ejus beneficium factæ, in institutione hæredum, facta per dictum Illustrissimum D. Hieronymum in dicto ejus Testamento; renunciantes & dictæ mulieres præsertim beneficio *Senat. Consult. Vellej. L. Juliæ pro fundo dotali & ep. Divi Adriani auth. si qua mulier*, & omni alii juri legum & capitulorum auxilio, de quibus &c. jurantes &c. quæ omnia promiserunt dicti contrahentes, sibi ipsis ad invicem, & vicissim præsentibus & stipulantibus habere rata & grata, & ita juraverunt tactis respective corporaliter scripturis &c. sub pœna dupli, & cum refectione &c. ratis &c. & proinde obligaverunt & obligant personas & bona sua respective &c. & fecerunt & faciunt dictæ sorores prædicta omnia & singula in præsentia, cum & de consilio & consensu, autoritate & voluntate, nempe dicta M. Faustina dicti M. Lazari Grimaldi Ceba, ejus viri, & dicta M. Maria Margherita Magn. D. Joannis Baptistæ Spinulæ, quondam M. Sergii Joannis, Nicolai Spinulæ quondam Magnifici Stephani, & dicti M. Lazari Grimaldi Ceba, trium ex quatuor ejus tutorum, & pro tempore curatorum, quorum duo, in quibus interveniat dictus M. Lazarus, omnia facere possint, omnium præsentium, consentientium, autorizantium, & jurantium &c. Jurantes etiam dictæ M. Faustina, & Maria Margherita prædictis non contravenire, & ad formam statuti Genuæ &c. contractibus minorum & mulierum &c. et supplicant dicti Contrahentes, et dictæ mulieres cum consensibus prædictis Serenissimum Senatum, sive primum Magistratum extraordinarios hujus serenissimæ Reipublicæ, quatenus dignetur et velit hoc Instrumentum, et omnia et singula in eo contenta comprobare, et convalidare, et in eo suam autoritatem interponere, et supplere quosvis defectus in eo existentes, et præsertim respectu consensus propinquorum, seu vicinorum dictæ Magnificæ Faustinæ non adhibiti; item et quatenus objici possit præsens Instrumentum non valere ex eo, quia dictus Magnificus Hyacinthus, qui etiam unus ex dictis fideicommissariis et Tutoribus dictæ Magnificæ Mariæ Margheritæ, cum ea præsentem contractum faciens; Item et dispositionem statuti pro contractibus minorum et mulierum non fuisse ad unguem observatam, decernendo omnia prædicta valere, & observantiam habere debere, perinde, ac si in prædictis conficiendis observatæ fuissent omnes solemnitates juris & statutorum, & hoc publico decreto &c. de quibus omnibus Me Philippum, Cameræ Notarium &c. Actum Genuæ ad Cratem ferream portatorii R. R. Monalium Sancti Pauli, Anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, indictione quarta secundum Genuæ cursum, die Mercurii 25. Septembr. in Vesperis, præsentibus Augustino Tamesio, quondam Leonardi, & Joh. Andrea Roberasco, quondam Gregorii, Testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et eisdem millesimo, & indictione die Jovis 26. die mensis Septembris in tertiis, in Bancis ad scriptorium mei Notarii.

In nomine Domini Amen. M. D. Nigronus de Nigro quondam M. Emanueli, uti unus ex proximioribus propinquis dictæ M. Faustinæ, habens notitiam de præcedenti Instrumento, & pro omnibus & singulis in eo contentis, celebrato inter dictas M. Faustinum, & Mariam Margaritam, principales ex una, & dictum Marcum Hyacinthum, ex alia, quod fuit per me Notarium infrascriptum eidem M. Nigrono lectum, & vulgari sermone expositum ad ejus claram intelligentiam, & præsentium infrascriptorum Testium, ut fatetur sponte &c. & omni meliori modo suum consensum & autoritatem dat, & præstat dictæ M. Faustinæ, uxori dicti Magnifici Lazari Grimaldi Ceba pro omnibus contentis in dicto præcedenti Instrumento, & jurat, se credere prædicta omnia & singula in dicto Instrumento contenta, potius esse & cedere ad commodum & utilitatem dictæ M. Faustinæ, quam ad aliquam ejus læsionem vel damnum, in omnibus ad formam statuti de contractibus minorum & mulierum, præsentibus testibus Nicolao Petra, quondam Joannis Augustini, & Joanne Baptista Axeroto, quondam Laurentii, ad præmissa vocatis.

Dat. ea die paulo post loco prædicto.

In nomine Domini Amen. Item & suum consensum & autoritatem & voluntatem etiam præstat dictæ M. Faustinæ pro omnibus contentis in præcedenti Instrumento, & pro Instrumento ipso M. Emanuel de Nigreno, olim Magnifici Emanuelis, præsens ex hoc sponte &c. & omni meliori modo, & jurat in omnibus, etiam juratum fuit per dictum M. Nigronum ejus fratrem & juxta dispositionem dicti statuti pro contractibus minorum & mulierum, audito prius tenore ejusdem Instrumenti, quod fuit per me Notarium ei lectum & vulgari sermone expositum ad ejus claram intelligentiam ut fatetur, præsen-

præsentibus dictis Testibus Nicolao Petra, & Joanne Baptista Axereto vocatis & rogatis.

An. 1702. 21. Aprilis.

Extractum in omnibus ut supra ex folieto Instrumentorum & aliorum secundo, anni 1632. nunc quondam D. Philippi, Cameræ Notarii, Prothocolla, cujus penes me Notarium infrascriptum adservantur, in paginis quinque præsenti comprehensa, salvo &c.

Marcus Ant. Cameræ Notarius.

XXI.

Ferdinandi III. Roman. Imperatoris, Literæ, in quibus Lib. Baronem Franciscum Antonium Spinulam de quibusdam in feudis Imperialibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ participationibus investivit, Literasque Investituræ a divo quondam Ferdinando II. Roman. Imperatore ipsi de eisdem feudis Anno 1632. expeditas confirmavit, d. d. 12. Martii An. 1638.

FErdinandus Tertius, divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Würtembergæ & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretæ, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Rom. Imperii, Burgoviæ ac superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum.

Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis demississime exponendum curarit Nobis noster & Sacri Imperii fidelis Dilectus, Franciscus Antonius Spinula, Liber Baro ab Augmo Imperatore Cæsare, Divo quondam Ferdinando secundo, Domino Genitore & Prædecessore nostro colendissimo, gloriosissimæ memoriæ, se in Sacri Imperii fidem ac clientelam susceptum, sibique participationes quasdam in feudis nostris Imperialibus Montis Auri, Montis Canearum, & Buzallæ, quas post obitum Patris sui Lazari, ordine nimirum primogenituræ, servato hæreditario jure, nemine contradicente, creverit in feudum liberum, francum, exemptum & alienabile, concessas, ac de iisdem se, prout ex subinserta Investitura quarta decima mensis Maji Anno supra mille sexcentos, altero & trigesimo expedito Diplomate clarius sit videre, legitime investitum atque infeudatum fuisse:

Ferdinandus Secundus, divina favente clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac superioris & inferioris Silesiæ, Würtembergæ & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sac. Rom. Imp. &c. Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum:

Agnoscimus tenore præsentium & notum facimus universis, quod cum Nobis nobilis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Franciscus Antonius Spinula, liber Baro, humiliter exposuerit, Antonium quondam Guilielmi, Attavum suum participationes quasdam in feudis nostris Imperialibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ tenuisse & possedisse, in quibus illi Avus suus Guilielmus, & hoc defuncto, progenitor suus Lazarus servato semper ordine primogenituræ successerit, quosque ipse supra nominatus Francus Antonius modo post obitum dicti patris sui tanquam primogenitus ipsius, nullo resistente possideat, & de quibus quid a Nobis vel Antecessoribus nostris, Roman. Imperatoribus ac Regibus, vel ipso Imperio in feudum recognita fuerint, nullum in Archivis nostris, quantumvis diligente inquisitione facta, extet vestigium, prout de his omnibus testimoniis fide dignis productis sufficienter docuit, porro autem debita cum animi devotione ita contestatus sit, tametsi quidem casu sic posito libertatem allodialium dictarum participationum immemorialis præscripti firmamento sibi astruere posset, se tamen nolle ad odiosa ejusmodi confugere, neque judicio Nobiscum contendere, sed potius clementiam nostram Cæsaream invocare, & ab ea gratiam culpæ, vel negligentiæ cujuscunque, quam intervenisse argui posset, petere voluisse; addiderit etiam in his omnibus, & si quid aliud sibi objici posset tum privilegio minorennitatis suæ, tum præteritorum, quoquo tempore bellorum injuriis merito excusandum & sublevandum venire. Ac proinde demisse Nos rogarit, ut se in fidem ac clientelam nostram recipere, ac de portionibus prædictis Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ quas teneat, clementer investire, nec non & primogenituræ ordinem, hactenus in iisdem portionibus observatum, benigne approbare & confirmare dignaremur. Nos sane benigna ratione habita hujusmodi confessionis ingenuæ, cæterarum quoque causarum excusationem ipsius tum maxime studii & devotionis erga Nos & Sac. Imperium, nec non & Augustam Domum nostram Austriacam, quam præ se fert, quamque deinde jam a minoribus annis gessisse ac revera comprobaturum asseverat, & magis imposterum etiam comprobaturum promittit, comprobareque poterit ac debebit, ejusmodi precibus ipsius ex gratia clementiæ nostræ Cæsareæ annuerimus, prout præsentium tenore annuimus, atque idcirco & certa scientia, animoque bene deliberato, sano accedente consilio, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, & alias omni meliori modo & forma, quibus validius & efficacius fieri posset, dictum Franciscum Antonium in fidem & clientelam nostram suscipimus, eidemque dictas participationes, quas & prout possidet in locis Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ, una cum earum participationum omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio ac gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, pertinentiis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis & S. R. I. competunt, vel competere possunt pro se & legitimis ac naturalibus liberis, hæredibus & successoribus suis quibuscunque in feudum

feudum liberum, francum, exemptum & alienabile dedimus et concessimus, ac de iis omnibus et singulis illum investivimus, eidemque Francisco Antonio ordinem succedendi prædictum secundum leges primogenituræ usitatas, confirmamus, vel, si opus sit, eundem ordinem et jus in dictis participationibus, quas modo ipse possidet, de novo investivimus atque ereximus, prout virtute harum literarum nostrarum damus, concedimus, investimus, confirmamus, instituimus et erigimus, quidquid et sicuti ei de jure vel ex gratia speciali in præmissis concedere, investire, confirmare, instituere et erigere possumus vel debemus, ita nimirum quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, et quod de iis possit ipse et successores sui disponere pro lubitu voluntatis suæ tam in ultimis voluntatibus quam inter vivos, elargientes et dantes, concedentesque eidem Francisco Antonio et successoribus suis in recitatis participationibus omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in iis omnia agere et exercere possit et valeat, quæ Nos ipsimet agere et exercere possumus et valemus, nil penitus Nobis retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis et nostris in Imperio successoribus, et quibus data fuerit, reservamus cum subjectionis, fidelitatis, et homagii juramento, quod Nobis idem Franciscus Antonius corporaliter præstitit, supplentes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in prædictis intervenerint, quibuscunque legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus, statutis, decretis, ordinibus non obstantibus, quibus omnibus et singulis pro hac vice duntaxat autoritate et scientia prædicta derogamus et derogatum esse volumus, nostris tamen et Sac. Imperii nec non alterius cujuscunque juribus semper salvis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, Datum in Civitate nostra Viennæ decima quinta mensis Maji, Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani decimo tertio, Hungarici decimo quarto, Bohemici vero decimo quinto.

Et tunc porro Nos suppliciter rogarit, ut, quandoquidem suprema Divinitate bene juvante ac fortunante ad excelsum Augustalis throni fastigium evecti simus, & Nos ipse in supremum ac directum Dominum suum, uti jus fasque est, recognoscere, & clientelaris obsequii justa, quemadmodum fideli nostro Sacri Imperii Vasallo & subdito incumbat, recte atque ordine peragere & adimplere desiderat, de prædictis participationibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ te denuo dignaremur clementer investire. Nos sane attendentes præclarum quod cum universa Spinularum familia, tum præcipue ipse prædictus Franciscus Antonius Nobis, S. R. J. & Augustæ Domui nostræ Austriacæ hactenus præstare pro virili sua contendit, addictæ fidei, devotionis & obsequii studium, tum certam etiam fiduciam ac spem, quam Nobis facit, se in eo deinceps quoque præstando continenter allaboraturum, humillimis ejusdem precibus clementer duxerimus annuendum, adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ nostræ autoritatis ac potestatis plenitudine, ac alias omni meliori modo, forma ac via, quibus validius & efficacius fieri potest, præmemoratum Franciscum Antonium denuo in nostram, & Sacri Imperii fidem & clientelam benigne suscepimus, eundemque de prædictis participationibus, quas, & quemadmodum possidet in locis & feudis nostris Imperialibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzalæ, una cum earundem omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio ac gladii potestate, aliisque, juribus, reditibus, pertinentiis ac regalibus quibuscunq; a supramemorata S. Cæs. Maj. ac Dilectione Sua, Dn. Genitore nostro æternum venerando Augustiss. memoriæ, ipsi pro se ac legitimis naturalibusq; liberis, hæredibus & successoribus suis quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum, & alienabile datis, concessis, de integro investiverimus, eidemque Francisco Antonio prædictum succedendi ordinem juxta usitatas progenituræ leges confirmaverimus, prout vigore harum literarum nostrarum suscipimus, investimus & confirmamus, ac, si opus sit, eundem ordinem & jus in dictis participationibus quas ipse possidet, de novo instituimus & erigimus, damusque & concedimus ipsi, quidquid & quemadmodum ei de jure, vel de gratia speciali in præmissis dare, concedere, investire, confirmare, instituere & erigere possumus, vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, & quod de ipsis possit ipse & successores sui disponere pro libitu voluntatis suæ tam in ultimis voluntatibus quam inter vivos, elargientes, dantes et concedentes eidem Francisco Antonio et Successoribus suis in sæpementionatis partitionibus omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in iis omnia agere et exercere possit, quæ Nos ipsimet agere et exercere possumus, nihil penitus Nobis retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis et nostris in Imperio successoribus, et quibus ea data fuerit potestas, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis et homagii juramento, quod Nobis honorabilis, doctus fidel. Nobis dilectus Petrus Poniculus J. V. D. ejusdem Francisci Antonii constitutus procurator, idoneo ac sufficienti ad id mandato instructus vice, loco, nomine, adeoque in animam ejusdem Francisci Antonii solenniter præstitit, supplentes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in prædictis intervenerint, aut intervenisse dici allegarive possint, quibuscunque legibus, constitutionibus, consuetudinibus etiam feudalibus, statutis, decretis atque ordinibus non obstantibus, quibus omnibus et singulis pro hac vice dumtaxat auctoritate et scientia prædictis derogamus et derogatum esse volumus per præsentes, Nostris tamen, et Sacri Imperii, nec non alterius cujuscunque juribus semper salvis.

Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ duodecimo die mensis Martii Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici tertio decimo, Bohemici vero undecimo etc.

XXII.

Philippi IV. Hispaniarum Regis, Ducisque Mediolani Privilegium, in quo, ad instantiam Claudii Spinulæ, locum villæ Alverniæ titulo atque honore Marchionatus ea conditione condecoravit, ut iisdem non nisi ipse Claudius, ejusque primogeniti legitime descendentes fruantur, d. d. 4. Augusti, Anno 1653. & 27. Julii, Anno 1654.

PHilippus, DEI gratia, Rex Castellæ, Legionis, Arragonum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Navarræ, nec non Indiarum &c. Archidux Austriæ, Dux Mediolani, Burgundiæ, ac Brabantiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, & Tirolis &c. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, cum id regalis munificentiæ, id splendoris Regii inprimis proprium sit, condignos honoribus, titulisque condecorare,

Attendentes Magnifici fidelis Nobis dilecti, Claudii Spinulæ, notoriam qualitatem, obsequia Nobis per eum præstita ab Illustribus nostri status, ac Dominii Mediolanensis satis approbata, atque erga Nos specialem suam devotionem & fidem, divitiarumque affluentiam, nec non quo affectu majores sui jam inde a tempore invictissimi Caroli V. Imperatoris Proavi nostri semper Nobis colendissimi (ut ad Nos est relatum) nostræ coronæ Regiæ inservierunt, quorum ipsemet ita insectatus vestigia, ut filios suos etiam ad prosecutionem incitavit, siquidem natu major D. Pirrus Spinula, ordinis Alcantaræ Eques, unus ex nostris Ephebis, in hac nostra Regia Curia fuit, deinde in bello inservivit, alii pari devotione servitio nostro Regio (ut didicimus) sese addictos ostenderunt; Propter relata, & ut gratos Nos dicto Claudio Spinulæ, uti beneficentiæ nostræ fructus experiri digno exhibeamus, illius precibus inclinati feudum terræ, seu loci Villæ Alberniæ, Comitatus Derthonæ, quem, ut asserit, justis legitimisque titulis in eodem statu nostro, ac dominio Mediolanensi possidet, Marchionatus titulo ac honore, prout infra, condecorare decrevimus.

Tenore igitur præsentium de certa scientia, Regiaque, & Ducali auctoritate nostra deliberate, & consulto, ac ex gratia speciali, maturaque Sacri nostri supremi consilii accedente deliberatione, prædictum Claudium Spinulam, ejusque descendentes, & successores masculos de legitimo matrimonio natos, & nascituros juxta formam constitutionum & ordinum, Marchiones loci, seu Terræ Villæ Alverniæ facimus, nominamus, & solemniter ordinamus, ordine primogenituræ servato, ita ut unus tantum Marchio sit, & nominetur, atque ab omnibus aliis in quibuscumque actibus, atque scripturis, tam publicis, quam privatis, omni et quovis loco, et parte dici et nominari, ac perpetuo reputari volumus, et jubemus, decernentes hanc nostram concessionem, creationem, et erectionem Marchionatus sic ut supra factam nunc et omni futuro tempore valere, tenere, effectumque sortiri, et observari ab omnibus debere, supplentes omnes, et quoscumque defectus tam juris, quam facti, et cujuslibet alterius solemnitatis intrinsecæ, et extrinsecæ, ac formalis, a Jure vel consuetudine requisitæ, si qui forsan in præmissis, aut præmissorum aliquo intervenissent, aut intervenire dici, et allegari quoquo modo possent, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, et signanter ordinibus Status nostri Mediolanensis, si qui forsan huic nostræ concessioni, erectioni, et creationi obstare possent, quibus omnibus et singulis eorum tenores, et specifice annotatis haberi volentes, etiamsi talia essent, quæ specialem et individuam mentionem exigerent, hac in parte derogamus, et derogatum volumus, quoad alia vero in suo robore, et firmitate permansuris. Mandantes propterea Illustri Gubernatori nostro præsenti, et futuris, Præsidi & Senatui, Præsidibus et Magistris utriusque Magistratus, Thesaurario nostro Generali, cæterisque Officialibus, et Subditis nostris Mediolanensis dominii, ad quos spectat & spectabit, ut memoratum Claudium Spinulam, ipsiusque descendentes, et successores, ordine primogenituræ ut supra servato, pro Marchionibus dicti loci Villæ Alverniæ teneant, reputent, honorificent, atque tractent, ab aliisque omnibus haberi, teneri, reputari, honorificari et tractari, et inter Marchiones dicti Status, et dominii nostri Mediolanensis numerari, et suum locum, gradum, et præeminentias quaslibet, ad eum ejusque successores juste, et legitime pertinentes obtineri percipiant, hasque nostras inviolabiliter observent et exequantur, observari et exequi faciant per quos ducant. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ concessionis, erectionis, et creationis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire sub gravissimæ indignationis, nec non marcarum centum auri puri pœna toties, quoties contrafactum fuerit, quarum dimidiam partem Regio et Ducali Fisco, seu ærario nostro Mediolanensi, alteram vero parti læsæ irremissibiliter applicandum esse sancimus, declaramusque memoratum Claudium Spinulam jam hic solvisse mediam annatam a Nobis impositam ad dictam gratiam pertinentem, nec non omnes illius in ipso titulo successores soluturos esse, cum casus successionis evenerit, debitam mediam annatam juxta Regios nostros ordines & terminos in eisdem præfixos. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum Madriti, quarta die mensis Augusti, An. a Nativite Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio.

YO el REY.

Col Senat. del Presid.	*Ad Mandatum Regiæ & Cathol. Majest. proprium*	V. Comes de Mora, Consiliarius.
Vidit Subremonte R.		
Vidit Feloaga R.	D. Blasius de Loyola.	V. Brandolinus R.
Vidit Ansalone R.	Locus † Sigilli Regii.	V. Cantonus R.

1654. 22. Maji, unus ex Egr. Advocatis fiscalibus viso hoc diplomate subjiciat, signat. *Jac. Juagnes.*

1654. die 28. Junii, Fiscus se remittit, signat. *J. B. de Puteo.*

1654. 2. Julii, Cautum in officio dimidiæ annatæ Mediolani in omnibus & per omnia ad formam ordinationum ac diplomatis fidem, ac registrat. fol. 128.

Subscript. *J. B. Ayroldus*, Reg. Cancell.

1654. 3. Julii, attenta cautione admittatur L. T.

 Philip-

Philippus IV. DEI gratia Hispaniarum, utriusque Siciliæ &c. Rex, & Mediolani Dux III. &c. Petita per Claudium Spinulam approbatione sub allegati diplomatis nostri, dati Madriti die 4. Augusti, Anno 1651. quo eundem decoravimus titulo & honore Marchionatus loci villæ Alverniæ, Comitatus Derthonæ, ejusque descendentes & successores masculos de legitimo matrimonio natos, & nascituros, juxta formam constitutionum & ordinum, ordine primogenituræ servato, ita ut unus tantum Marchio sit, & nominetur; jussimus inprimis unum ex Egreg. Advocatis nostris fiscalibus, viso ipso diplomate, subjicere debere, qui se remittit omnibus, itaque coram Senatu nostro propositis, diploma ipsum . is ordo approbatione dignum censuit, prout illud his nostris approbamus & confirmamus in omnibus, prout jacet; mandamusque omnibus, ad quos spectat & spectabit, ut diploma ipsum, sic ut supra, a Nobis approbatum servent, & servari faciant. In quorum fidem præsentes sigillo nostro munitas fieri, & registrari jussimus. Datum Mediolani, die 27. Julii, An. 1654. Locus † Sigilli. Subscript. *Jac. Juagnet,*

XXIII.

Fideicommissum a Claudio Spinula, loci villæ Alverniæ Marchione, in Alverniæ Marchionatu, rebusque in Diplomate ipso nominatis, ea conditione institutum, ut ejusdem usus non nisi ad primogenitos pertineat, d. d. 18. Decembr. Anno 1658.

IN nomine Domini Amen. D. Marchio Claudius Spinula, quondam Domini Lazari, Patritius Genuensis, mihi Notario notus, sciens se habere & possidere jure utilis & directi dominii, ac civilis & naturalis possessionis bona, jura, victus, tam perpetuos, quam temporaneos census, & alia, de quibus infra, allodialia & libera, sita in loco & jurisdictione Cassani, diœcesis Derthonensis, de quibus habet liberam disponendi facultatem. Item se habere, & possidere seu quasi titulum Marchionis loci, seu terræ villæ Alverniæ in statu Mediolani ipsi D. Marchioni Claudio, uti benemerenti de Regia Catholica Majestate, ab ejusdem benignitate concessum pro ipso, & ejus descendentibus masculis, ordine primogenituræ, ut constat privilegio expedito Madriti, die quarto Augusti Anno 1653. cum approbatione Excellentissimi Senatus Mediolani, ejus decreto die 27. Julii, Anni 1654. cujus privilegii & decreti approbationis tenor in calce præsentis registrabitur, post quod quidem privilegium a dicta Regia Catholica Majestate fuit venditus dicto D. Claudio locus ipse Alverniæ, qui fuerat devolutus eidem Regiæ Majestati per mortem quondam Domini Ottoboni Spinulæ, sine liberis masculis de legitimo matrimonio defuncti, sciensque etiam dictus D. Marchio Claudius Spinula se habere, & possidere argentea, ac tapessarias, de quibus infra, & quia cupit dicta omnia bona, & alia, de quibus infra, cum titulo Marchionis manutenere & conservare in ejus descendentia & agnatione, jure & ordine primogenituræ, eaque primo loco pervenire in D. Blasium Spinulam, ejus filium legitimum & naturalem majorem natu filiorum masculorum ipsius D. Marchionis Claudii, ipsiusque D. Blasii descendentes masculos per lineam masculinam de legitimo matrimonio, & deinde in alios vocatos, ut infra, ordine jam dicto primogenituræ, titulo quidem irrevocabilis donationis inter vivos, sortituræ tamen effectum post vitam ipsius D. Claudii, quia dictum D. Blasium ob ejus virtutem, morum probitatem, & singularem observantiam erga ipsum D. Claudium Patrem summa dilectione prosequitur, cum etiam sit ipse D. Blasius major natu ut supra filiorum masculorum ipsius D. Claudii. Ideo ipse D. Marchio Claudius Spinula constitutus coram me Notario, & testibus infrascriptis sponte, & ex certa scientia, ac animo deliberato &c. & omni meliori modo &c. tenore præsentis publici Instrumenti imposuit, & imponit ac constituit super Palatio, cum tribus curtilibus, fabricato ab eodem D. Marchione Claudio, inclusis acquisitionibus, per dictum D. Marchionem Claudium, factis a quondam D. Julio Cæsare Cybo, & a quondam D. Marco Antonio Spinula, cum perticis mille noningentis quinquaginta duabus, vel quot terrarum affilaneatarum, & arboratarum cum via palmorum mille, vel quot sunt, arborata plantis ducentum, vel quot sunt mororonorum, cum omnibus aliis plantis moronorum numero quingentis, vel alio veriori numero; Item capsinam nominatam la Guaciorna, acquisitam per dictum D. Marchionem Claudium a dicto quondam D. Ottobono Spinula cum perticis septingentis quadraginta duabus terrarum, & viridarium, in quo est vinea appiana, & ducentæ arbores, vel quot sunt, fructuum, nec non & omnia alia bona, victus perpetuos, & temporaneos, census, & alios quoscumque effectus, qui, & quæ sunt in loco & jurisdictione Cassani, qui victus perpetui sunt pro summa sacchorum centum decem octo frumenti, vel verioris quantitatis, & tantummodo excluditur domus castri, acquisita jure feudali ob mortem dicti quondam D. Ottoboni Spinulæ sine prole legitima. Item excluditur terra nominata la Barletona cum obligatione tamen hæredis, seu successoris dictæ terræ ad solvendum censum quotannis debitum erga Capellam Beatæ Mariæ Virginis de Rosario dictæ terræ Cassani. Item cum obligatione dicto hæredi seu successori dictæ terræ subeundi onera, quibus dicta terra subjacet, & salvis dicta domo Castri, & terra la Barletona, omnia alia & singula bona allodialia, sita in dicto feudo & jurisdictione Cassani comprehenduntur in præsenti Instrumento, ac si de eis facta esset specialis mentio, & sub eorum respective finibus, qui pro appositis censeantur. Terræ autem quarumcunque mensurarum sint, ita ut error in mensuris non noceat. Item & imponit super dicto titulo Marchionis Villæ Alverniæ & super argenteis infrascriptis ipsius D. Marchionis Claudii, scilicet: Trè bacili d' argento dorati con sue trè stagnare, e quattro sottocoppe dorate, trè grandi, & una piccola con smalto, un saliero grande con suo piatto, Zucariera, pimentera, doglietti da oglio, & aceto uno Toro sopra la coperta del sale tutto dorato, e più pezzi sette di tapezzaria di Fiandra con armi Spinola e Doria; Imposuit inquam, & imponit, ac constituit

tuit super prædictis omnibus & singulis perpetuum & inalienabile fideicommissum & primogenituram, adeo ut dicta omnia bona, jura, census, fictus perpetui, & temporales, ac alia, prædicta argentea, ac tapessariæ cum titulo Marchionis Villæ Alverniæ in toto, vel in parte non possint ullo unquam tempore modo aliquo vendi, obligari, pignorari, nec alio quocumque modo, aut titulo alienari, latissime etiam sumpto alienationis vocabulo, nec ad dicta bona, argentea, & alia prædicta in toto, vel in parte possit haberi recursus, seu regressus a persona aliqua, nec quidem a Fisco pro quavis causa, & obligatione, delicto, seu quasi-delicto, nec quavis alia ratione, occasione, vel causa, etiam dotium, alimentorum, legitimæ, debitæ, seu debendæ, supplementi legitimæ redemptionis captivitatis, vel alia quacumque causa, etiam potiori, magis urgenti, & efficaci, & quantumlibet justa, vel privilegiata, nullusque ex vocatis ad hoc fideicommissum, & primogenituram habeat jus, actionem, aut facultatem modo aliquo disponendi de dictis bonis, ac aliis, de quibus supra, nec de aliqua eorum parte, adeo ut etiam intelligatur, & sit prohibitum, ut ab eodem D. Marchione Claudio prohibetur, quodlibet alienationis genus tam hominis quam legis, in quovis casu cogitato, vel incogitato, nullo excluso, & tam inter vivos, quam in ultima voluntate, annullando, & declarando nullam, prout annullat ex nunc, & nullam declarat quamcunque venditionem, obligationem, alienationem, & dispositionem, quæ de eis, vel aliqua eorum parte fieret. Verum si quis ex vocatis tenore præsentis ad hoc fideicommissum, & primogenituram, ac ad usumfructum dictorum bonorum, ac aliorum, de quibus supra, contraheret aliquod debitum, vel aliquod delictum committeret, vel committere cogitaret, comprehenso etiam delicto læsæ Majestatis Divinæ & humanæ (quod DEus avertat) ex quo fieret, ut dicta bona, & alia prædicta, & eorum fructus pervenire deberent ad alios, vel fiscus seu creditor, aut alias quivis posset ad dicta bona, & alia, vel ad eorum fructus, recursum aut jus aliquod habere, intelligatur dictus vocatus ad dictum fideicommissum, & primogenituram tres dies ante contractum debitum, vel commissum modo aliquo delictum privatus, ut virtute præsentis dictus D. Marchio Claudius eum privat dicto fideicommisso, & primogenitura, ac usufructu dictorum bonorum, ac aliorum, de quibus supra, eaque devolvantur & devoluta censeantur, ut ex nunc dictus D. Claudius devolvit, & applicat ad filium, fratrem, seu alium propinquum illius, ad quem post mortem dicti vocati perveniret dictum fideicommissum & primogenitura, juxta formam a dicto D. Marchione Claudio, ut infra, præscriptam, eo tamen adjecto, quod ipso redeunte in gratiam Principis, redintegretur & restituatur ipsemet ad hoc fideicommissum, & usumfructum dictorum bonorum, & aliorum. Ad quod fideicommissum, & primogenituram, ac usumfructum dictorum omnium bonorum, censuum, ac aliorum, argenteorum ac tapessariarum cum titulo prædicto Marchionis Villæ Alverniæ dictus D. Marchio admittit, vocat, instituit constituit, & eligit dictum D. Blasium Spinulam, ejus dilectum filium legitimum, & naturalem majorem natu filiorum masculorum viventium ipsius D. Marchionis Claudii, Equitem Hierosolymitanum, nondum tamen professum, donec & quousque dictus D. Blasius naturaliter vixerit, & moriente quandocumque dicto D. Blasio (quem DEus diu servet) succedat tunc in dicto fideicommisso, ac primogenitura, ac usufructu dictorum bonorum filius primogenitus masculus legitimus & naturalis dicti D. Blasii, & sic successive de primogenito in primogenitum, servato ordine & forma primogenituræ, adeo ut unus tantum eodem tempore admittatur, & semper nepos excludat Patruum etiam majorem natu, & hæc in infinitum, donec, & quousque aderit aliquis masculus legitimus & naturalis ex linea & descendentia masculina legitima & naturali dicti D. Blasii.

Decedente autem quandocumque, & naturaliter moriente dicto Domino Blasio sine prole legitima, & naturali, seu quandocunque deficiente ejus linea masculina legitima & naturali, succedat in dicto fideicommisso, & primogenitura, ac in prædictis omnibus bonis, & aliis cum titulo Marchionis Villæ Alverniæ, D. Joseph Spinula, filius itidem legitimus & naturalis dicti D. Marchionis Claudii, ejus vita naturali durante, & quamdiu naturaliter vixerit, & eo defuncto, ejus filii masculi legitimi, & naturales, seu descendentes masculi per lineam masculinam legitimi & naturales, ordine jam dicto primogenituræ, formaque ejusdem omnino servata, ita etiam, ut unus tantum eodem tempore succedat, & nepos excludat patrem, etiam majorem natu, & more Regio.

Et deficiente quandocumque dicto D. Joseph, ejusque descendentibus masculis per lineam masculinam legitimis & naturalibus, succedat filia major natu, quæ viveret, dicti D. Blasii Spinula legitima & naturalis, & postea, seu ea non extante, filii masculi dictæ filiæ, & descendentes masculi in infinitum legitimi & naturales dictæ filiæ per lineam masculinam, ordine prædicto primogenituræ, & deficiente dicta filia, ejusque descendentibus masculis per lineam masculinam legitimis & naturalibus, succedat secunda, postmodum tertia, & deinceps aliæ filiæ dicti D. Blasii, & earum filii masculi, & descendentes masculi per lineam masculinam legitimi & naturales ordine & forma primogenituræ, eaque omnino servata, ita ut unus tantum eodem tempore succedat, & nepos excludat patruum etiam majorem natu, & more Regio. Et deficientibus omnibus filiabus fœminis dicti D. Blasii, & earum liberis masculis, & descendentibus masculis per lineam masculinam legitimis & naturalibus, succedant filiæ fœminæ dicti D. Josephi filii legitimi, & naturalis ipsius D. Marchionis Claudii, & post eas earum filii & descendentes masculi legitimi, & naturales per lineam masculinam jure & ordine primogenituræ, ita ut una & unus tantum eodem tempore admittatur, & nepos excludat Patruum, etiam majorem natu. Et non extantibus filiabus fœminis legitimis & naturalibus dicti D. Joseph seu eis quandocumque decedentibus sine liberis masculis & descendentibus masculis per lineam masculinam legitimis & naturalibus, seu eis quandocumque deficientibus, succedat D. Anna Maria, filia legitima & naturalis quondam D. Pyrri Spinulæ, Equitis Alcantaræ, filii legitimi, & naturalis dicti D. Marchionis Claudii, vita naturali durante dictæ D. Annæ Mariæ, si vivet,

vivet, & ea non extante, ſeu quandocumque decedente, ſuccedant filii maſculi, & deſcendentes maſculi per lineam maſculinam legitimi & naturales dictæ D. Annæ Mariæ, ordine & forma primogenituræ, ita ut unus tantum eodem tempore ſuccedat, & nepos excludat Patruum etiam majorem natu. Et non extante dicta D. Anna Maria, & ſeu ea quandocumque decedente ſine filiis maſculis, & deſcendentibus maſculis per lineam maſculinam legitimis & naturalibus, & ſeu dicta linea maſculina dictæ D. Annæ Mariæ quandocumque deficiente, ſuccedat D. Appollonia, filia ipſius D. Marchionis Claudii, uxor quondam D. Andreæ de Mari, & modo uxor D. Sinibaldi Fliſci, filii D. Auguſtini, quousque naturaliter vixerit, ſi extabit. Et ea non extante, vel quandocumque decedente, ſuccedant ejus liberi maſculi, & deſcendentes maſculi per lineam maſculinam legitimi & naturales, ordine & forma primogenituræ, ita ut unus tantum eodem tempore ſuccedat, & nepos ſemper excludat patruum, etiam majorem natu, more regio.

Declarat ipſe D. Marchio Claudius Spinula, quod a filiarum fœminis, & earum deſcendentibus maſculis omnino excluditur titulus Marchionis Villæ Alverniæ, attenta regia conceſſione ejusdem tituli, a qua non vocantur, nec admittantur fœminæ, ut ex privilegio, de quo ſupra in calce præſentis regiſtrando, & quia dictus titulus, & dictum fœudum Villæ Alverniæ ſunt feudalia ; ſed de dictis omnibus bonis, cenſibus, fictis perpetuis, & temporaneis, argenteis, tapeſſariis, ac aliis, de quibus ſupra, quia omnia ſunt allodialia & libera ipſius D. Marchionis Claudii, habet de eis liberam diſponendi facultatem, propterea ipſe D. Marchio Claudius de eis diſpoſuit, & diſponit in omnibus, ut ſupra, & ut in præſenti Inſtrumento continetur.

Declarat ipſe D. Marchio Claudius, quod excluſi cenſeantur ab hoc fideicommiſſo, & primogenitura, & ab uſufructu dictorum bonorum & effectuum, ac aliorum cum titulo Marchionis villæ Alverniæ ille, vel illi, qui ingrederentur aliquam religionem clauſtralem, & in ea profeſſionem emitterent ; Item & qui ingrederentur ſocietatem JEſu, elapſo biennio Novitiatus, ſeu probationis. Item presbyteri ſeculares, poſtquam ſacris ordinibus fuerint inſigniti : Item autem, qui ingrediuntur ſocietatem JEſu, ſi ab ea quandocumque exirent, reasſumpto habitu ſeculari, rurſum admittatur ad dictum fideicommiſſum & primogenituram, eique, donec naturaliter vixerit, uti, frui liceat dictis bonis & aliis cum titulo prædicto : Item & excluduntur a dicto fideicommiſſo Equites Hieroſolymitani, poſtquam emiſerint profeſſionem in dicta religione, dictus tamen D. Blaſius non modo non excluditur, verum & primo loco, ut ſupra vocatus, licet in dicta religione profeſſionem emitteret, qui vivens fruatur dicto fideicommiſſo, & primogenitura, & bonis, & titulo illi ſubjectis, ut ſupra, & poſt eum ejus deſcendentia legitima & naturalis, ſi uxorem duceret, non facta profeſſione in dicta religione, & ſi in ea profiteretur, ſuccedant & eo defuncto alii, ut ſupra vocati, ordine & forma prædictis, Item & excluſi cenſeantur a dicto fideicommiſſo, & primogenitura, ac uſufructu prædictorum omnium cum titulo Marchionis, qui non eſſent de legitimo matrimonio nati & procreati &c.

Declarat dictus D. Marchio Claudius, quod ſi victuarii, & cenſuarii debitores pro cenſibus & victibus comprehenſis in dicto fideicommiſſo & primogenitura unus, ſeu plures ſe redimerent ab annua præſtatione, qua tenentur, debeat ſumma capitalis reinveſtiri, & reimplicari in alios victus, cenſus, ſeu bona immobilia in eodem loco Caſſani, quæ habent annexum & conjunctum idem vinculum & onus, & ſint ſubjecta huic fideicommiſſo & primogenituræ, & hoc toties quoties caſus contigerit. Hoc autem fideicommiſſum & primogenituram ipſe D. Marchio Claudius Spinula conſtituit, & imponit ſupradictis bonis, juribus, victibus, cenſibus, & aliis argenteis & tapeſſariis, de quibus ſupra cum titulo Marchionis villæ Alverniæ, ad favorem dicti D. Blaſii, ac aliorum, ut ſupra vocatorum, ac liberorum & deſcendentium maſculorum per lineam maſculinam, & ut ſupra, ordine & forma primogenituræ in omnibus, ut ſupra (excluſo titulo Marchionis a fœminis, & earum deſcendentibus, ut ſupra) titulo, aut ex cauſa meræ, puræ, ſimplicis, & irrevocabilis donationis inter vivos, quam ipſe D. Claudius fecit, & facit dicto D. Blaſio, ejusque liberis & deſcendentibus maſculis legitimis & naturalibus, & aliis prædictis ut ſupra vocatis ordine primogenituræ, quæ donatio cauſa ingratitudinis, aut quovis alio jure, & cauſa revocari, reſcindi, & annullari non poſſit. Dans & concedens, ac transferens ex dicta cauſa, & omni meliori modo &c. dicto D. Blaſio præſenti & acceptanti pro ſe, & pro ſuis liberis ac deſcendentibus maſculis, & pro aliis prædictis vocatis ad dictum fideicommiſſum & primogenituram, me Notario pro omnibus vocatis ut ſupra ſtipulante &c. dicta bona, & alia prædicta omnia & ſingula cum traditione poſſeſſionis & dominii ex nunc, poſtquam dictus D. Marchio Claudius deceſſerit cum clauſula conſtituti, poſitione in ſui locum, & conſtitutione procuratoris irrevocabilis, & in rem propriam. Cedens dicto D. Blaſio, præſenti &c. acceptanti pro ſe ac aliis prædictis, me Notario etiam ſtipulante (pro omnibus ut ſupra vocatis) omnia & ſingula jura, rationes, & actiones, utiles, & directas, reales, & perſonales & alias qua ſuis, quæ & quas dictus D. Marchio Claudius habet, & ſibi competunt in dictis bonis, ac aliis omnibus & ſingulis prædictis, & contra fictuarios, centuarios & alios quosvis debitores, & quomodolibet obligatos ratione prædictorum, & contra quosvis auctores, nil prorſus juris in ſe ipſo D. Marchione Claudio retento, aut reſervato, nec quidem exercitio directarum actionum &c. ſalvo ſibi uſufructu in ſua vita &c. Ita ut dictis juribus, rationibus & actionibus poſſit & valeat dictus D. Blaſius, & deinceps alii vocati ad dictum fideicommiſſum, & primogenituram uti, agere experiri &c. Renuncians dictus D. Marchio Claudius expreſſe cum juramento beneficio L. L. permittentium revocat. donat, propter ingratitudinem, & requirentium inſinuationem in donatione quingentos aureos excedente, & ipſi inſinuationi, & omni alii juri, legum, & capitulorum auxilio, de quibus, & earum beneficio ſe certioratum fatetur.

Declarat in dicto fideicommiſſo & primogenitura, ac donatione comprehenſa remanere, prout comprehendit omnia beſtiamina, inſtrumenta ruſtica pro agris, & mobilia exiſtentia in dicto Palatio, ac cella-

cella vinaria, & dolia, quæ invenirentur in dicta domo tempore mortis dicti D. Marchionis Claudii. Item quidquid, & quantum remaneret creditor affictuariorum, & censuariorum, & ab aliis debitoribus rerum, & bonorum, ac jurium allodialium in dicto loco, & jurisdictione Cassani. Quæ omnia & singula supradicta, & in præsenti Instrumento contenta dictus D. Marchio Claudius promisit, & juravit attendere, complere & observare &c. sub hypotheca, & obligatione personæ & bonorum &c. Me Notario etiam ad cautelam stipulante &c. De quibus omnibus & singulis supradictis rogavit ipse D. Marchio Claudius, dictusque D. Eques Blasius per me Joannem Thomam Podium, Notarium publicum Genuensem, hoc publicum confici Instrumentum, actum Genuæ in studio Domus habitationis M. Joannis Baptistæ Lomellini, Jurisconsulti, sitæ in vicinia fori mercatorii anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecima, secundum Genuæ cursum, die Mercurii, decimo octavo Decembris, in tertiis, præsentibus M. Jo. Baptista Lomellino, J. C. Joanetto Tomaico Augustini, & Andrea Tomaico, quondam Joannis, testibus ad prædicta vocatis & rogatis.

XXIV.

Literæ Leopoldi, Romanorum Imperatoris, in quibus Liberum Baronem, Franciscum Antonium Spinulam, de quibusdam feudorum Imperialium Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ portionibus investivit, Literasque investituræ d. d. 12. Martii, Anno 1638. superius insertas confirmavit, d. d. 30. Octobr. Anno 1659.

Leopoldus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Luceburgiæ ac superioris & inferioris Silesiæ Wirtenbergæ & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi Tirolis, Ferretæ, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgaviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis humillime exponendum curarit Nobilis Noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Franciscus Antonius Spinula, Liber Baro, ab Augustissimo Imperatore, divo quondam Ferdinando III. Domino Genitore & proximo Prædecessore nostro colendissimo gloriosæ memoriæ, se in Sacri Imperii fidem & clientelam susceptum, nuperque participationibus quibusdam in feudis Imperialibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ, ordine jureque primogenituræ hæreditario ad se devolutis, tanquam feudo libero, franco, exempto & alienabili, die duodecima Martii anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo investitum atque infeudatum fuisse, prout ex inserto hic Investituræ Diplomate fusius videre est.

Inserantur literæ investituræ de Dat. 12. Mart. Anno 1638.

Nunc porro Nos suppliciter rogarit, quandoquidem suprema Divinitate bene juvante ac fortunante ad excelsum Augustalis Throni fastigium evecti simus, & Nos ipse in supremum ac directum Dominum suum, uti jus fasque est, recognoscere, & clientelaris obsequii justa, quemadmodum fideli nostro & Sacri Imperii Vasallo ac Subdito incumbat, recte atque ordine peragere & adimplere desideret, de prædictis participationibus Montis Auri, Montis Canearum & Buzallæ se denuo dignaremur clementer investire.

Nos sane attendentes præclarum quod cum universa Spinularum familia, tum præcipue ipse prædictus Franciscus Antonius Nobis, Sacro Romano Imperio, & Augustæ Domui Nostræ Austriacæ hactenus præstare pro virili sua contendit addictæ fidei, devotionis & obsequii studium, tum certam etiam fiduciam ac spem, quam Nobis facit, se in eodem deinceps quoque præstando continenter adlaboraturum, humillimis ejusdem precibus clementer duxerimus annuendum, adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ nostræ autoritatis ac potestatis plenitudine & alias omni meliori modo, forma ac via, quibus validius & efficacius fieri potest, præmemoratum Franciscum Antonium denuo in Nostram & Sacri Imperii fidem & clientelam benigne susceperimus, eundemque de prædictis participationibus, quas & quemadmodum possidet in locis & feudis nostris Imperialibus montis Auri, montis Canearum & Buzallæ, una cum earundem omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio ac gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, pertinentiis ac regalibus quibuscunque a supra memorata Sacra Cæsarea Majestate ac Dilectione Sua, Domino Avo Nostro æternum Venerando Augustæ memoriæ, ipsi pro se ac legitimis naturalibusque liberis, hæredibus & successoribus suis quibuscunque, in feudum liberum, francum, exemptum & alienabile datis & concessis de integro investiverimus, eidemque Francisco Antonio prædictum succedendi ordinem juxta usitatas, primogenituræ leges confirmaverimus, prout vigore harum literarum nostrarum suscipimus, investimus & confirmamus, ac si opus sit, eundem ordinem & jus in dictis participationibus, quas ipse possidet, de novo instituimus, erigimus, damusque & concedimus ipsi quidquid & quemadmodum ei de jure vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere investire, confirmare, instituere & erigere possumus, vel debemus, ita nimirum, quod memorata bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, & quod de iisdem possit ipse & successores sui disponere pro libertate voluntatis suæ, tam in ultimis voluntatibus quam inter vivos. Elargientes dantes & concedentes eidem Francisco Antonio & successoribus ejus in sæpementionatis participationibus omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in iis omnia agere & exercere possit, quæ Nos ipsimet agere & exercere possumus, nihil penitus Nobis retinentes præter solam superioritatem Cæsa-

Cæsaream, quam Nobis & Nostris in Imperio Successoribus, & quibus de ea data fuerit potestas, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis & homagii juramento, quod Nobis honorabilis, doctus fidelis Nobis Dilectus Petrus Viso de Moilevau, Juris utriusque Doctor, ejusdem Francisci Antonii constitutus Procurator, idoneo ac sufficienti ad id mandato instructus, vice, loco, nomine, adeoque in animam ejusdem Francisci Antonii solenniter præstitit; supplentes quoscunque defectus, tam juris, quam facti, si qui in prædictis intervenerint, aut intervenisse dici allegarive possint, quibuscunque legibus, constitutionibus, consuetudinibus etiam feudalibus, statutis, decretis atque ordinibus non obstantibus: Quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes, nostris tamen & Sacri Imperii, nec non alterius cujuscunque Juribus semper salvis. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum: Datum in Civitate Nostra Viennæ, die trigesima mensis Octobris, Anno Domini millesimo, sexcentesimo quinquagesimo nono, Regnorum Nostrorum Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici vero quarto.

LEOPOLDUS.

Vt. Leopoldus Guilielmus, Comes in Königsegg.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium,

Christoph. Beuer &c.

XXV.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Joanni Baptistæ Spinulæ minorenni, ejusque tutoribus, locum & castrum Vergagni, territorii Mongiardini, vallis Berberiæ, villæ Sancti Nazarii, villarum domus S. Martini, S. Mariæ Vighi, Feghini ac loci Cantalupi, in feudum dedit, d. d. 9. Novembr. Anno 1676.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit)

Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, ac devoti, Nobis grati Joannes Baptista Spinula, quondam Joannis Stephani, ejusque Tutores atque Curatores Ambrosius, Baptista, & Portia Spinulæ D'Oria, humillime Nobis in memoriam revocari curarint, quem in modum per sententias in Judicio nostro revisorio in causis super feudi nostri Imperialis Vergagni, sive Mongiardini, vallis Berberiæ, villæ S. Nazarii, villarum Domus S. Martini S. Mariæ Vighi, Feghini, ac loci Cantalupi tribus quartis partibus controversis latas, easdem tres quartas partes prædicto Joanni Baptistæ Spinulæ, quondam Stephani adjudicaverimus, investiturasque quondam Francisco Spinulæ clementissime datas, tanquam legitime impetratas confirmandas: alias vero binas 27. Aprilis anni superioris 1660. (nostris & Sacri Imperii fidelibus dilectis Raphaëli, & Illustri Marchioni Neapolioni, fratribus Spinulis, super duabus quartis partibus fideicommisso affectis, aliaque tertia parte libera & exempta concessas, cassandas esse, pronunciaverimus: Ac præterea reliqua etiam ejusdem feudi quarta pars jure crediti adhuc a modo dictis Neapolione & Raphaele, fratribus Spinulis possessa, vigore antiquarum Investiturarum ad eundem sit devoluta, quarum quidem Investiturarum dicto quondam Francisco Spinulæ concessarum tenor sequitur in hæc verba:

Inserantur &c.

Proindeque prædictus Joannes Baptista Spinula adhuc minorennis, dictique ejus Tutores & Curatores humillime Nobis supplicaverint, ut, quoniam Nos, tanquam Romanorum Imperatorem, respectu feudi hujus integri in supremum, directum & immediatum Dominum recognoscere, & solitum Nobis fidelitatis juramentum præstare desideret, cassatis suprafatis Investituris 27. April. anni superioris 1660. fratribus Spinulis, Commendatori Raphaëli, & Marchioni Neapolioni concessis, se supradictarum vigore sententiarum (cum reliqua quarta pars jure creditorum a modo dictis fratribus adhuc possessa jam pridem, & citra quæstionem ad se sit devoluta) nunc de feudo hoc integraliter investire clementer dignaremur; Nos benigna ratione habita optimi & integerrimi studii, quo universa Spinularum familia, sicque dicti etiam Joannis Baptistæ Majores, divos quondam Imperatores, Prædecessores Nostros, Sacrumque Imperium jugiter coluerunt, Nosque ipse Joannes Baptista, prædictique ejus Tutores & Curatores etiamnum colunt, ac deinceps quoque pari devotione, fide atque obsequio incessanter culturos esse confidimus, ipsique ita facere pollicentur ac debent: ex certa scientia animo bene deliberato, sano accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine investituris suprafatis Commendatori Raphaeli, & Marchioni Neapolioni Spinulis, fratribus antehac 27. Aprilis Anno 1660. super tribus quartis partibus feudi hujus Imperialis Vergagni concessi plene cassatis; priores supra insertas Investituras Franco quondam Spinulæ, filio quondam Balthasaris, ac alteri Franco quondam Joannis Baptistæ Spinulæ anno hujus Seculi quadragesimo tertio, a Domino Genitore nostro Ferdinando Tertio, Rom. Imperat. pientissimæ memoriæ, Prædecessore Nostro gloriosissimo, concessas, sæpius dicto Joanni Baptistæ Spinulæ minorenni, quondam Joannis Stephani benigne confirmaverimus, & ratificaverimus, simulque eidem, memoratisque Tutoribus, sæpius dictum locum & Castrum Vergagni, territorii Mongiardini, vallis Berberiæ, villæ S. Nazarii, villarum Domus S. Martini, S. Mariæ, Vighi, Feghini, ac loci Cantalupi, cum omnimoda Jurisdictione, mero & mixto imperio, ac gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis & pertinentiis, ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis & Sacro Romano Imperio competunt, vel competere possunt, in feudum dederimus ac concesserimus, ipsosque de omnibus & singulis gratiose infeudaverimus atque investiverimus, quemadmodum vigore harum clementer damus, concedimus, infeudamus atque investimus, quidquid ipsis in præmissis dare, concedere, investire atque infeudare possumus, valemus,

valemus aut debemus: recepto tamen prius debito superinde fidelitatis & homagii juramento, quod Nobis legitime constitutus eorum Procurator, honorabilis, doctus, fidelis Nobis dilectus, atque ad Aulam Nostram Cæsaream Agens, Joannes Franciscus Bernardi I. V. D. Vicario nomine, atque in animam ipsius Joannis Baptistæ Spinulæ ejusque supra nominatorum tutorum atque curatorum submisse præstitit. Supplentes quoscunque defectus tam juris, quam facti, si qui in præmissis intervenissent, aut quovis modo intervenisse dici allegarive possent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ specialem hic & individuam mentionem requirerent, quibus omnibus, & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus, & derogatum esse volumus. Nostris tamen, Sacri Imperii, atque aliorum juribus semper salvis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Viennæ, die 9. Novembris, 1676.

Concordat cum Registratura Imperiali Aulica latina, id quod attestor propria manus meæ subscriptione, & sigilli soliti appressione, datum Viennæ 23. Januarii, 1713.

(L.S.)

Joannes Hermannus Nolden,
Registrator.

XXVI.

Litera Leopoldi, Romanorum Imperatoris, in quibus Laurentium Quilicum Dominicum Mariam Spinulam de duabus tertiis partibus unius sextæ partis unius quindeceni loci & feudi Imperialis Arquato investivit, d. d. 14. Maji, Anno 1693.

LEOPOLDUS &c. (tot. Tit.)

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Laurentius Quilicus, Dominicus Maria Spinula demississime exponi curarit, se post obitum patris sui Stephani Spinulæ una cum ejusdem fratre Joanne Maria die quarta mensis Augusti Anno 1659. de duabus tertiis partibus unius sextæ partis unius quindeceni, loci & feudi Imperialis Arquato investiti, de iisdem portionibus a Nobis die 23. mensis Maji anno 1681. fuisse investitum, sicut ex subinserto Diplomatis tenore fusius videre sit.

Inseratur Diploma Investit. de anno 1681.

Ac porro Nobis supradictus Laurentius Quilicus Dominicus Maria Spinula humillime supplicarit, ut cum etiam suprafatus patruus suus Joannes Maria ab intestato & sine relicta prole e vivis decesserit, adeoque ipse supplicans tanquam nepos ex patre suo antememorato Stephano in prædictas duas tertias partes unius sextæ Jure sanguinis successerit, Nosque propterea, uti fidelem & obedientem subditum ac Vasallum decet, in supremum ac directum Dominum suum recognoscere desideret, ex innato Cæsareæ nostræ benignitatis affectu sibi dictas portiones præfati Castri & loci Arquato cum omnibus Juribus & pertinentiis, prout eas patruus ejus antedictus ac Majores sui tenuerunt ac possederunt, in antiquum, paternum, avitum & liberum feudum concedere & conferre, de iisdem ipsum gratiose investire dignaremur. Nos submissis ejusdem precibus benigne censuerimus annuendum, atque idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, atque Imperiali nostra autoritate ac potestate, dicto Laurentio Quilico Domin. Mariæ Spinulæ, uti legitimo hæredi, dictas duas tertias partes unius sextæ partis unius quindeceni sæpe memorati castri & loci Arquatæ cum omnibus Juribus ac pertinentiis, homagiis, mero & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, in feudum antiquum, avitum, & his modis & formis tenendum & possidendum, quibus dicti pater & patruus ejus ac Majores ipsorum a Nobis ac Divis Romanorum Imperatoribus & Sacro Imperio tenuerunt, ac possederunt, & prout ad ipsum spectant ac pertinent, clementer conferimus & concedimus, & de ejusdem (recepto prius ab honorabili nostro & fideli Nobis dilecto Joanne Francisco de Bernardis, ad Aulam nostram Cæsaream Agente, sufficienti ad id mandato instructo, fidelitatis & homagii Juramento) benigne investimus, atque infeudamus, dantes & concedentes ei omnia & singula, quæ in præmissis de Jure & æquitate, & de gratia dare & concedere possumus vel debemus. Harum testimonio Litterarum &c. Datum Laxenburgi, 14. Maji, 1693.

XXVII.

Ejusdem Literæ, in quibus Julium Spinulam, tam de quadrante feudorum Castri Insulæ Castrique Varianæ, quam de portionibus in loco Petræbissariæ ad ipsum pertinentibus, investivit, d. d. 13. Augusti, Anno 1699.

Leopoldus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis nomine Nostri & Sacri Imperii Romani fidelis dilecti Julii Spinulæ quondam Antoniatti humillime expositum sit, quem in modum ejus quondam Patruus Stephanus Spinula de quadrante feudorum Nostrorum Imperialium Castri Insulæ diœcesis Januensis, Castri item Varianæ, diœcesis Dertonensis, nec non participationibus in loco Petræbissariæ coinvestitus fuerit, sicut ex subinserto Investituræ tenore videre sit.

Inseratur ultimum Investituræ Diploma de 19. Maji 1676. cum cæteris prioribus Investiturarum literis

Ac porro die quinta Februarii Anni 1692. sine liberis legitimis obierit, annexis humillimis precibus, ut cum idem Julius Spinula a memorato patruo suo hæres scriptus, ejusque hæreditatem cum cautela

cautela & beneficio inventarii adierit, Nosque ratione dicti quadrantis ad se devoluti, sicuti fidelem & obedientem vasallum & subditum decet, in supremum & directum Dominum suum humillime recognoscere desideret, ipsum de eodem feudorum memoratorum quadrante investire atque infeudare dignaremur. Nos clementissime attendentes præclarum constantis & addictæ fidei atque devotionis studium, quo hæc Spinularum Linea laudabili Majorum suorum exemplo Prædecessores Nostros, Romanorum Imperatores, Sacrumque Romanum Imperium & Augustam Domum nostram Austriacam, Nosque ipsos hactenus coluit & observavit, atque omnino Nobis persuasum habentes, ipsum supplicantem deinceps quoque in eodem fidei, devotionis & obsequii Nobis nostrisque in Imperio Successoribus rite præstandi gradu firmiter perstiturum, submississimis id genus ipsius precibus clementer censuerimus annuendum, prout vigore præsentium annuimus, adeoque ex certa scientia nostra, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ autoritatis ac potestatis plenitudine, & alias omni meliori modo, via & forma, quibus validius & efficacius fieri potest, ipsi Julio Spinulæ præmemoratum quadrantem Castri Insulæ, ac Castri Varianæ, nec non portionis in loco Petræbissariæ cum eorundem omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio, gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis & pertinentiis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis & Sacro Romano Imperio competunt vel competere possunt, pro se ac legitimis & naturalibus liberis, hæredibus & Successoribus quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum & alienabile gratiosissime dedimus & concessimus, atque ipsum ita de iis omnibus & singulis investivimus atque infeudavimus, prout vigore præsentis hujus nostri Cæsarei Diplomatis damus, concedimus, investimus atque infeudamus, quidquid ipsi de jure, vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere, investire atque infeudare possumus vel debemus, ita nimirum, quod prælibata Castra & bona nihilominus sapiant in omnibus naturam allodii, & quod memoratus Julius Spinula ejusque Successores possint de dicto eorum quadrante ad se spectante, disponere arbitratu suo ac libitu tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos. Elargientes quoque, dantes ac concedentes eidem, ejusque ut supra Successoribus in prætacto feudorum quadrante omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in eis omnia agere atque exercere possint ac valeant, quæ Nos ipsimet agere & exercere possumus & valemus, nihil Nobis penitus retinentes præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis & nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea specifiatim & duntaxat demandata fuerit, reservamus, una cum subjectionis, fidelitatis, & homagii juramento, quod Nobis ejusdem Procurator Honorabilis, doctus, fidelis, Nobis dilectus Joannes Mauritius ab Hornigk, ad Aulam nostram Cæsaream Agens, vigore mandati Procuratorii idonei & sufficientis Nobis exhibiti, loco, nomine, vice atque in animam ejusdem Julii Spinulæ, rite præstitit; supplentes quoscunque defectus tam juris quam facti, si qui in prædictis intervenerint, quibuslibet legibus, constitutionibus, consuetudinibus, etiam feudalibus statutis, Decretis & ordinationibus non obstantibus, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat scientia, autoritate & potestate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus, nostris tamen & Sacri Imperii, & aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis. Harum Literarum testimonio, quas manus nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitas dabamus in Civitate Nostra Viennæ, die decima tertia Augusti, Anno 1699. Regnorum nostrorum Romani quadragesimo secundo, Hungarici quadragesimo quinto, Bohemici vero quadragesimo tertio.

XXIIX.

Ejusdem Literæ, in quibus Felicem Spinulam, Pallavicinum, de Fontis rubei castro, loco atque feudo, nec non Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino Villis, omnibusque terris, cis torrentem Orberam sitis, investivit, d. d. 26. Aprilis, An. 1700.

Leopoldus, divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac superioris et inferioris Silesiæ, Würtembergæ et Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi et Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris et inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis et Salinarum.

Cum Nobis noster et Sacri Imperii fidelis Dilectus, Felix Spinula Pallavicinus, exponendum curarit, a Nobis quondam patrem suum Hieronymum Spinulam Pallavicinum ac Matrem suam Joannam, Barnabæ Centurioni filiam, de Castro, loco et feudo Fontis rubei, utpote quod a dicto Avo suo, Barnaba Centuriono, Mater Joanna in dotem acceperat, infeudatos fuisse, sicut ex subinserto Investituræ Diplomate videre sit:

Leopoldus, divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris et inferioris Silesiæ, Wirtembergæ et Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi et Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum.

Cum Nobis noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Barnabas Centurionus, quondam Aloysii filius primogenitus, nobilis Januensis, humillime exponendum curarit, a Divo quondam Imperatore Ferdinando tertio, Domino Prædecessore ac patre nostro Colen-

Colendissimo Augustissimæ Memoriæ, sese de Castro, loco & feudo Fontis rubei, nec non Villis Pertassi, & Barchi, Borgi, Piscini, & Campi de Molino, omnibusque terris cis torrentem Orberam sitis, aliisque pertinentiis universis, earundemque juribus, jurisdictionibus, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, homagiis, & aliis quibuscunque juribus, ad dictam portionem spectantibus, juxta quod ad ipsum per portionem hæreditatis paternæ pervenerant, die vigesima tertia Junii, Anni millesimi, sexcentesimi, quinquagesimi quarti, ultimo clementer investitum fuisse, dictaque feuda omnia & singula a se in valle Trebiæ diœcesis Derthonensis possessa, quæ sibi in dicta partitione hæreditatis paternæ aliove quolibet titulo obvenerunt, quocunque nomine appellentur, cum omnibus eorundem pertinentiis, titulis, honoribus, vasallis, subditis, reditibus, tam feudalibus quam allodialibus, aliisque omnibus & singulis ad præfata feuda spectantibus, quemadmodum de iis a præmemorato divo prædecessore & patre nostro Colendissimo inclytæ recordationis infeudatus fuit, devotæ, nobis gratæ Joannæ filiæ suæ, nec non nostro Sacri Imperii fideli dilecto Hieronymo Spinulæ Pallavicino, dictæ filiæ suæ marito, ac genero suo, pro ipsis, hæredibusque ac successoribus suis quibuscunque, salvo tamen assensu Cæsareo, jam tum die decima mensis Julii Anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo septimo, in dotem dedisse ac concessisse, prout ex tenore subinsertæ Investituræ Instrumentique dotalis plenius liqueat.

Ferdinandus III. divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Rom. Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis submississime exponendum curarit noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Barnabas Centurionus, Aloysii filius primogenitus, Nobilis Januensis, a Nobis modo dictum patrem suum, Aloysium Centurionum super portionibus quibusdam villæ Fontis rubei, loco Pertassi & parte villæ Barchi, item de tota parte, jurisdictione ac Dominio ad Claudium quondam Antonii Francisci, ejusque filium Ludovicum olim spectante in toto feudo juris una cum molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, juribus, homagiis, jurisdictionum, homagiorum, & aliis quibuscunque juribus, uti & super omnibus villis loci Campi in Marchionatu Bregolæ, vallis Trebiæ diœcesis Derthonensis sitis, nec non super portione quadam dicti feudi Campi, cum prædictis suis portionibus, contigua a Carolo Morello Marchione Malaspina cum benigno nostro Cæsareo assensu vigore contractus cum eodem pacti atque initi coëmpta, omnibus nimirum a Nobis & a Sacro Imperio in feudum dependentibus infeudatum atque investitum fuisse, prout ex subinserto, ex ante diem tertio decimo Calendas Februarias anno Domini mille sexcentos unum de quadragesimo expedito Investituræ diplomate plenius sit videre:

Ferdinandus III. divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio, Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Rom. Imp. &c. Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum:

Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis submississime exponendum curarit noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Aloysius Centurionus, patricius Januensis, ab Augustissimo Imperatore Cæsare, divoque Ferdinando Secundo, Domino parente & prædecessore nostro Colendissimo gloriosissimæ memoriæ, se super portionibus quibusdam villæ Fontis rubei, loco Bertassi & parte villæ Barchi: item de tota portione, jurisdictione ac Dominio ad Claudium qu. Antonii Francisci, ejusque filium Ludovicum olim spectante, in toto feudo Turci, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, juribus, & decursibus aquarum, homagiis, jurisdictonum, homagiorum, & aliis quibuscunque juribus, omnibusque villis loci Campi in Marchionatu Bregolæ, vallis Trebiæ diœcesis Derthonensis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, infeudatum atque investitum fuisse, prout ex subinserto Investituræ ex ante diem septimo Calendas Septembris Anno Domini supra sesqui millesimum centesimo vigesimo primo expedito diplomate plenius sit videre:

Ferdinandus II. divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sac. Rom. Imp. &c. Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis et Salinarum:

Ad perpetuam Rei memoriam recognoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis humillime exponendum curaverit noster et Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Aloysius Centurionus, patritius Cameræ ac Civitatis nostræ Imperialis Genuæ, patrem quondam suum Barnabam super portionibus quibusdam villæ Fontis rubei, loco Bertassi et parte villæ Barchi in Marchionatu Bregolæ, vallis Trebiæ Derthonensis diœcesis, a Nobis et Sacro Imperio in feudum dependentibus, et per illum emptionis titulo acquisitis, ejusdem contractus confirmationem et Investituræ concessionem, eodemq; defuncto, se fratremq; suum Obertum, uti

uti parentis sui in solidum hæredes & successores, iteratam dictæ emptionis approbationem & Investituræ renovationem ab Augustissimæ memoriæ Imperatore Rudolpho II. Domino patrueli & prædecessore nostro colendissimo impetrasse, quemadmodum ex subsequentium diplomatum tenore distinctius videre liceat:

Rudolphus II. Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ ac Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum.

Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod Nos anno superiore millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, nostro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto, Barnabæ Centuriono, patritio Cameræ & Civitatis nostræ Imperialis Genuæ, de portionibus quibusdam villæ Fontis rubeæ, loco Pertassi, & parte villæ Barchii in Marchionatu Bergolæ, vallis Trebiæ, diœcesis Dertonensis a Nobis, ipsoque Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, quæ quidem bona ipse Barnabas emptionis titulo acquisiverat, confirmationem istius emptionis, ac Investituram benigne concessimus, prout hic infra de verbo ad verbum descriptum est, videlicet:

Rudolphus II. Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis humiliter exponendum curaverit Noster & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus, Barnabas Centurionus, quondam Oberti filius, ex gubernatoribus Cameræ & Civitatis Nostræ Imperialis Genuæ, se non ita pridem a nostris itidem & ejusdem Sacri Imperii fidelibus dilectis, Benedicto de Aliæno, Joanne Augustino & Jacobo Marrana portiones quasdam villæ Fontis rubei Antecessoribus ipsorum per Malaspinæ Marchiones olim venditas, nec non ab Antonio Francisco, ex iisdem Malaspinæ Marchionibus locum Bertassi & partem villæ Barchi in Marchionatu Bregolæ, vallis Trebiæ, diœcesis Derthonensis, quæ a Nobis, ipsoque Sacro Romano Imperio in feudum dependent, emptionis titulo acquisivisse, salvo tamen assensu Nostro Cæsareo, prout ternis Instrumentis publicis, altero quidem decima nona Julii elapsi anni millesimi quingentesimi octuagesimi septimi, ac novissimo decima quarta Januarii sequentis anni millesimi quingentesimi octuagesimi noni, per Joannem Hieronymum Paxerium & Antonium Roccatagliatam Notarios superinde confectis, & coram Nobis in forma fide digna productis, id liquido constat, demisse supplicando, quatenus autoritate Nostra Cæsarea hujusmodi emptionem & respective venditionem sic factam approbare & ratificare, ipsumque Centurionum de memoratis portionibus & bonis feudalibus cum iisdem privilegiis, quibus antehac a præfatis Malaspinæ Marchionibus tentæ & possessæ fuerunt, investire clementer dignaremur. Nos itaque benigne considerantes eximiam, qua dictus Centurionus commendatur erga Nos Sacrumque Imperium fidei ac observantiæ devotionem grataque obsequia, quæ Nobis & eidem Sacro Imperio per occasionem præstare poterit, ac debebit, humilibus ejusdem precibus gratiose annuendum duximus, ac proinde ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, emptioni prædictæ clementer acquiescentes Instrumenta desuper edita, quorum tenores hic pro insertis & specificatis haberi volumus, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis sententiis, & verborum expressionibus benigne approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, prout harum vigore ea approbamus, ratificamus, & confirmamus, ipsumque Barnabam Centurionum de prænarratis portionibus villæ Fontis rubei, loco Bertassi & parte Barchi tanquam bonis feudalibus gratiose investimus, decernentes, edictoque hoc nostro Cæsareo firmiter statuentes, quod præfatus Centurionus easdem portiones ut supra acquisitas cum suis pertinentiis a Nobis & Sacro Imperio in feudum tenere ac possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere & quiete frui, gaudere, atque potiri possit, ac debeat, quibus ipsi venditores ac præsertim Malaspinæ Marchiones olim eas tenuerunt ac possederunt, usique, gavisi, ac potiti sunt consuetudine vel de jure, sine cujusvis contradictione & impedimento, dummodo sæpe dictus Centurionus ac hæredes ejus, vel illi, ad quos portiones aut bona ista feudalia pervenerint, deinceps quotiescunque casus tulerit, a Nobis & nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, eorundem bonorum feudalium Investituram recipiant, ac debitum de iis fidelitatis juramentum præstent, prout Nobis ipse Barnabas Centurionus istud jam per honorabilem doctum nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum Lælium Costa J. V. Doctorem uti legitimum suum procuratorem sufficienti ad id mandato instructum præstitit, nostris tamen & Sacri Imperii ac aliorum quorumcunque juribus in præmissis semper salvis & illæsis harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die decima tertia mensis Januarii anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Regnorum Romani decimo septimo, Hungarici vigesimo, & Bohemici itidem decimo septimo.

Nunc vero prædicto Barnaba e vivis sublato, cumque Nobis quoque & Sacri ejusdem Imperii fideles dilecti Aloysius & Obertus Centurioni itidem patricii Genuæ, tanquam filii & hæredes ipsius Barnabæ legitimi, in memoratis bonis feudalibus imme-

immediate successerint, iique etiam patris eorum imitando vestigia a Nobis humillime petierint, ut non solum præinsertam emptionis confirmationem, & Investituram a Nobis concessam denuo approbare & confirmare, verum etiam eos simili ratione gratiose investire dignaremur; Nos itaque considerantes tam patris eorum quam ipsorum Aloysii & Oberti fratrum eximiam erga Nos Sacrumque Romanum Imperium fidei & observantiæ devotionem grataque obsequia, quæ Nobis & eidem Sacro Imperio præfatus Barnabas, dum in vivis adhuc ageret, indefesse præstitit, quæque ipsi Aloysius & Obertus humillime etiam præstare promptos atque paratos se offerunt ac pollicentur, beneque facere poterunt, & debebunt, humilibus eorundem precibus gratiose annuendum duximus; ac proinde ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine præinsertam emptionis confirmationem ac Investituram simulque in eis contenta in omnibus eorum punctis, clausulis, articulis, sententiis & verborum expressionibus benigne approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, quemadmodum etiamnum ea omnia ac singula ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac autoritate & potestate Nostra Cæsarea approbamus, ratificamus, & confirmamus, ipsosque fratres Aloysium & Obertum Centurionos de prænarratis portionibus Villæ Fontis rubei, loco Pertassi & parte Barchi, tanquam bonis feudalibus gratiose investimus & infeudamus, decernentes, edictoque hoc Nostro Cæsareo firmiter statuentes, quod prædicti Centurioni easdem portiones cum suis pertinentiis, a Nobis & Sacro Imperio similiter ut pater eorum dum in humanis ageret, in feudum tenere, possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere & quiete frui, gaudere atque potiri possint ac debeant, consuetudine vel de jure sine cujusvis contradictione & impedimento, dummodo sæpefati Centurioni ac hæredes eorum, vel illi ad quos portiones & bona ista feudalia pervenerint, deinceps etiam quotiescunque casu tulerit, a Nobis & Nostris in Imperio successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus eorundem bonorum feudalium Investituram similiter recipiant, ac debitum de iis fidelitatis juramentum præstent, prout hoc ipsum jam Nobis vice ac nomine, adeoque in animas præfatorum fratrum Aloysii & Oberti per honorabilem doctum, nostrum & Sacri Romani Imperii fidelem dilectum Hieronymum Suascum, Jurium Doctorem, uti legitimum eorum procuratorem, sufficienti ad id mandato instructum, præstitum est: nostris insuper etiam ac Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunque juribus in præmissis semper salvis atque illæsis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce nostra regia Pragæ die vigesima septima mensis Augusti Anno millesimo sexcentesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani trigesimo, Hungarici trigesimo quintos, & Bohemici itidem trigesimo.

Rudolphus. Cæterum cum supra dictus Aloysius Centurionus ulterius Nobis demonstrari fecerit, a morte fratris sui Oberti, qui sine liberis Anno millesimo sexcentesimo quinto decesserit, multoties se tum a divo quondam Rudolpho, tum etiam Matthia utroque præclarissimæ memoriæ renovationem Investituræ solicite, diligenter debiteque cum instantia requisivisse, & si ob impedimenta, Aulæ mutationem, rerum vicissitudines aliaque negotia gravissima expeditionem obtinere nequiverit, nunc porro magnopere Nos rogarit, postquam divini Numinis beneficio ad excelsum Majestatis Imperialis thronum evecti sumus, ipseque Nos, prout fidelem & obedientem Vasallum decet, tanquam supremum & directum dominum recognoscere desideret, ut non modo supradictæ Investituræ renovationem, verum etiam confirmationem acquisitionis, quam anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, salvo & reservato assensu Cæsareo, fecit a Claudio, quondam Antonii Francisci, ejusque filio Ludovico Marchionibus Malaspinis, de tota parte, portione & jurisdictione ac dominio ad ipsos spectante in toto feudo Turni, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, juribus, ac decursibus aquarum, homagiis, jurisdictionum, homagiorum, & aliis quibuscunque effectibus, regaliis, reditibus, introitibus, præstationibus, & aliis quibuscunque juribus, loci Campi in Marchionatu Bregolæ, omnibusque villis ejusdem loci, pro parte tamen seu portione ad dictum venditorem Marchionem Claudium, & successive ejus filium, Marchionem Ludovicum spectante, desuperque Investituram sibi ex benignitate Cæsarea clementer impertiri dignaremur. Nos itaque considerantes dicti Aloysii, ejusque Majorum eximiam erga Nos, Sacrumque Romanum Imperium, fidei & observantiæ devotionem, grataque obsequia, quæ Nobis & eidem Sacro Imperio indefesso studio præstiterunt, quæque ipse Aloysius humillime etiam præstare promptum se paratumque offert, beneque facere poterit, atque debebit, humillimis ejusdem precibus gratiose annuendum duxerimus, ac proinde ex certa scientia, animoque bene deliberato, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine præinsertam emptionis confirmationem, novasque acquisitiones anno millesimo sexcentesimo decimo quarto a Claudio Marchione Malaspina, ejusque filio Ludovico per dictum Aloysium Centurionum factas, de tota parte, portione & jurisdictione ac dominio ad ipsos spectante, in toto feudo tum molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, juribus & decursibus aquarum, homagiis, jurisdictione homagiorum, & aliis quibuscunque effectibus, regaliis, reditibus, inbostibus, præstationibus, & aliis quibuscunque juribus loci Campi in Marchionatu Bregolæ, omnibusque villis ejusdem loci, pro parte tamen seu portione ad dictum venditorem Marchionem Claudium, & successive ejus filium Marchionem Ludovicum spectante, vigore Instrumenti publici desuper erecti, Nobisque in forma authentica exhibiti, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & verborum expressionibus benigne approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, quemadmodum etiam nunc ea omnia & singula ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac auctoritate & potestate Nostra Cæsarea approbamus, ratificamus & confirmamus, ipsumque Aloysium Centurionum de prænarratis portionibus villæ Fontis rubei, loco Bertassi, & parte Barchi tum etiam supradi-

prædicti loci Campi Marchionatus Bregolæ, cum omnibus juribus & pertinentiis, isthuc spectantibus & pertinentibus, tanquam bonis feudalibus gratiose investimus & infeudamus, remittentes omnem culpam & feloniam, quam vel ipse Aloysius, vel supradicti venditores Marchiones Malaspinæ ob non petitam & impetratam debito tempore renovationem Investituræ, vel aliam causam, antehac incurrissent, vel incurrisse dici aut simulari potuissent vel possent; Decernentes, edictoque hoc Nostro Cæsareo firmiter statuentes, quod prædictus Aloysius Centurionus supra nominatas portiones cum suis pertinentiis a Nobis ac Sacro Imperio in feudum tenere, & possidere omnibus & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere & quiete frui, gaudere atque potiri possit & debeat consuetudine vel de jure, sine cujusvis contradictione & impedimento, dummodo dictus Centurionus, ejusque hæredes, vel illi, ad quos portiones & bona ista feudalia pervenerint, deinceps etiam, quotiescunque casus tulerit, a Nobis & nostris in Imperio Successoribus, Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, eorundem bonorum feudalium Investituram similiter requirant, ac debitum de iis fidelitatis juramentum præstent, prout hoc ipsum jam Nobis vice ac nomine, adeoque in animam præfati Aloysii Centurioni, per honorabilem doctum, nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum Blasium Grassum, Juris utriusque Doctorem, uti legitimum illius Procuratorem, sufficienti ad id mandato instructum, præstitum est, nostris insuper etiam & Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunque juribus in præmissis semper salvis & illæsis. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die vigesima sexta mensis Augusti, Anno Domini millesimo, sexcentesimo vigesimo primo, Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici quarto, Bohemici vero quinto.

Anno autem proxime præterito supra mille sexcentos duo de quadragesimo die Mercurii, sexta mensis Octobris se contractum quendam emptionis venditionis super portione quadam dicti feudi, Campi cum suis supradictis portionibus contigua, ad Magnificum nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum, Carolum Morellum, Marchionem Malaspinam spectante, contractum cum eodem pepigisse, adeoque modo dictam portionem mille & quadringentorum Imperialium, & unius trientis pretio, reservato tamen ac salvo Cæsareo nostro assensu & ratificatione vigore subsequentis contractus coëmisse.

In nomine Domini, Amen! Illustrissimus Dominus Marchio, Carolus Morellus Malaspina, quondam Domini Hieronymi de Alexandria, Condominus in Marchionatu Campi, confitens se majorem viginti quinque annis esse, prout ita ex ejus aspectu dignoscitur, ad omnia & singula infra scripta renunciando ad cautelam cum juramento, beneficio restitutionis in integrum, sponte, non vi, dolo, sed omni meliori modo, pro se & ejus hæredibus jure proprio & in perpetuum vendidit, titulo & causa venditionis cessit, ac dedit & vendit, dat & concedit Illustrissimo Domino Marchioni Lodisio Centuriono, quondam Domini Barnabæ, nobili Genuæ præsenti, ementi, stipulanti, & acquirenti pro se, participationem feudi in dicto loco, Campi scilicet a flumine Borecca citra versus eundem locum Campi, cum toto homagio & jurisdictione, & saccos sexdecim, scopellos septem granifictus, tres capones & libras octo cum solidis sex pensionis, prout exigere solebat Dominus Carolus Morellus ab hominibus prædicti loci pro terris in emphytevsin eis concessis, ut ex veteribus ac novis Investituris apparet. Qui omnes victabiles in ordine describentur ad calcem præsentis Instrumenti salvo semper & reservato præfato Domino Carolo Morello in prædicta participatione feudi ejus in tam partem molendini existentia in prædicto flumine Borecca, indivisi cum cæteris Condominis, cum iisdem juribus & actionibus, quod sexdecim saccos granifictus cum scopellis septem annuatim dare & reddere tenebuntur infrascripti homines præfato Domino Lodisio Emptori vel ejus hæredibus & Agentibus in omnem festum S. Bartholomæi, mense Augusti in eodem loco & mensura Campi, ut antea exigere solebat dictus Dominus Carolus Morellus omni exceptione.

Pro pretio, & nomine veri ac finiti pretii ducatorum mille quatuor centum sexaginta novem, & tertium dico ducatóni no. 1469. $\frac{1}{3}$. valutato pretio grani ducat. nonaginta singulo sacco & restum usque in dictam summam pro appendiisque pretio sic inter ipsos D. D. contrahentes convento & amicabiliter accordato ante nunc ut asserunt, renunciantes exceptioni rei non sic, quos mille quatuor centum sexaginta novem ducatonos, & tertium unum fatetur idem Dominus Carolus Morellus præsens habuisse & recepisse, prout vere & [illegible]liter accepit coram me Notario & testibus, ab eodem Domino Lodisio præsente, solvente, ac exbursante in tantis duplis aureis Hispaniarum, Genuæ, & Florentiæ, visis & numeratis, valutata dupla cum Parpasiola una Mediolani pro tribus ducatonis, renunciando exceptioni non numeratæ pecuniæ, faciens de eis finem & quietationem, cum promissione, & si plus Reverendus, possessionem quoque & dominium, salvo semper & reservato assensu & beneplacito Sacræ Cæsareæ Majestatis, cum omnibus & singulis juribus, constituens se tenere, donec, promittens, quod infrascripti homines fictabiles fidelitatem jurabunt semper & quando, debitam obedientiam præstabunt, fictumque annuum, capones & pensionem denariorum reddent, tenore prædicto vel infra. ejus octavam sub obligatione, renuncians, constituens, omnia & singula, ratis & firmis, & proinde jurans tactis corporaliter scripturis, & de prædictis, me Jacobum Avancimum Notarium Imperialem Turriliæ actum in dicto loco Campi domi Domini Joannis Francisci de Nobilibus, anno a nativitate Domini millesimo, sexcentesimo, trigesimo octavo, indictione sexta, die vero mercurii sexta mensis Octobris post vesperas testibus benedicto Guano, filio Dominii & Gregorio Garbarino de Garbarino Notariis vocatis & rogatis.

Nomina hominum fictabilium.

Bartholomæus Cavanna, nepos Baptistæ Granu	St.	3 -
Bartholomæus Barracus, hæres Vescontis Terræ	St.	4 5

Vincen-

Vincentius Ferrarius de Alio	St.	4	2
Laurentius de Nobilibusque Angelitæ ab Alio	St.	3	$\frac{3}{4}$
Hæredesque Jacobi de Nobilibus de Alio	St.	3	3
Baptista de Casatia	St.	3	8
Hæredesque Bartholomæi de Nobilibus de Alio	St.	3	3
Baptista Garbarius de Campi	St.	5	4
Julius Garbarinus de Pissino	St.	7	7
Michael de Nobilibus de Alio	St.	0	5
Et pro repartito Joannis Seroni	St.	0	$2\frac{3}{4}$
Joannalinus Baraæus	St.	2	-
Dominicus de Nobilibus	St.	3	6
Jacobinus Rappalinus, sive Christophorus ejus filius	St.	1	-
Augustinus de Cruce de Catrebiassa, sive Vincentius ejus filius	St.	3	-
Capones duos annuos, & libras sex solidosque			
Sexdecim ex pensione annua			
Paulinus Cavanna granum	St.	1	-
Sentinus Cavanna	St.	1	-
Et pro Dominis Marchionibus Zerba	St.	0	8
Ricolosina Cavanna	St.	1	2
Et pro quondam Spampanino Garbanini	St.	0	1
Et pro repartito Joannis Seroni	St.	0	1
Laurentius Cavanna	St.	0	9
Jacobus Cavanna	St.	1	2
Hæredes quondam Bernardini Cavannæ, sive Sentinus Cavanna supradictus	St.	3	-
Baptistinus Cavanna	St.	2	8
Bartholomæus Cavanna pro DD. Marchionibus Zerba	St.	2	-
Bartholomæus Rappatinus de loco Truzzi	St.	0	15
Jacobus Rappatinus	St.	2	7
Et pro repartito Joannis Seroni	St.	0	4
Christophorus Rappatinus	St.	3	11
Et pro repartito dicti Joannis Seroni	St.	0	3
Jacobus Serronus de Alio, & unus Caponus	St.	0	$13\frac{3}{4}$.
Baptista Nobilis pro repartito dicti Joannis Seroni	St.	1	7

omnes homines villæ Truzzi teneantur in solidum pro solidis triginta pensionis annuæ.

Extractum ab originali meo in omnibus ut supra per me *Jacobum Avancinum*, Notarium Imperialem in fidem.

Atque ea propter Nos humillime rogarit, ut, quum suprema Divinitate bene juvante ad sublime augustalis throni fastigium evecti simus, & ipse Nos, uti fidelem & obsequentem nostrum & Sacri Imperii Vasallum decet, in supremum & directum Dominum recognoscere, & juxta obsequia præstare desideret, cum præmemoratum exemptionis venditionis contractum benigne approbare, & assensus nostri Cæsarei autoritate confirmare, munire, & corroborare, tum super præfatis feudorum portionibus clementer ipsum dignaremur investire, Nos benigne considerantes dicti Aloysii Centurioni ejusque majorum egregium erga Nos, Sacrum Imperium, & Augustam Domum nostram Austriacam continenti gratorum obsequiorum præstatione comprobatam fidem ac devotionem, ad quam imposterum quoque indefesso cultu continuandum ipse se promptum paratumque offert, optimeque facere poterit ac debebit, humillimis ejusdem precibus gratiose annuendum duxerimus, ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ Nostræ autoritatis ac potestatis plenitudine supradictum emptionis venditionis contractum inter præfatos Carolum Marcellum Marchionem Malaspina vendentem, & Aloysium Centurionum ementem, super sæpe dicta portione feudi Campi initum, in omnibus suis capitibus, articulis, punctis, sententiis, & verborum expressionibus clementer laudavimus, approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, ipsumque Aloysium de prænarratis portionibus, villæ nimirum Fontis rubei, loco Bertassi & parte villæ Barchi, item de tota parte, portione, ac jurisdictione ac dominio ad Claudium, quondam Antonii Francisci, ejusque filium Ludovicum olim spectante, in toto feudo turri, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, juribus, & decursibus aquarum, homagiis, jurisdictionum, homagiorum & aliis quibuscunque juribus, omnibusque villis loci Campi in Marchionatu Bregolæ, vallis Terbiæ, diœcesis Dertonensis, a Nobis & Sacro Imperio dependentibus, uti, & super præmemorata portione feudi Campi cum prioribus portionibus contigua, quam vigore modo a Nobis confirmati contractus a Carolo Morello, Marchione Malaspina, acquisivit, & coemit, clementer investivimus atque infeudavimus, quemadmodum tenore præsentium sæpedictum contractum laudamus, approbamus, ratumque, firmum ac validum pronunciamus, & auctoritatis Nostræ Imperialis munimine corroboramus, ipsumque Aloysium recepto prius ab honorabili docto Nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Petro Panicale, Juris utriusque Doctore, legitimo procuratore, sufficienti ad hoc mandato instructo, debito fidelitatis ac homagii juramento infeudamus, ac investimus, quantum Nos in supradictis de jure vel ex gratia confirmare, investire, infeudare, dare & concedere possumus, valemus aut debemus, decernentes, edictoque hoc Nostro Imperiali firmiter statuentes, quod prædictus Aloysius Centurionus supra nominatus portiones universas cum omnibus suis pertinentiis a Nobis ac Sacro Imperio in feudum tenere & possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere, secure & quiete frui, gaudere ac potiri possit & debeat, consuetudine vel de jure, sine cujusvis contradictione & impedimento, Nostris tamen & Sacri Imperii & aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis; harum testimonio literarum manus nostræ subscriptione & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ ex ante diem tertio decimo Kalendas Februarias, anno Domini supra mille sexcentos unum de quadragesimo, Regnorum Nostrorum, Romani tertio, Hungarici quarto decimo, Bohemici vero duodecimo.

Sed quum supradictus quondam Aloysius pater suus ante annum circiter, expleta communi mortalitatis lege ex humanis decesserit, in bona ejusdem feudalia se Barnabam ac Carolum, filios ipsius, successisse,

cessisse, ac sibi in portione eorundem cum modo dicto fratre suo Carolo sub ineuntem annum sesquimillesimum centesimum quartum & quinquagesimum factum obvenisse castrum, locum & feudum fontisRubei, una cumVillisBertassi, Borgi, Piscini & campi de Molino, omnibusque terris cis torrentem Orberam sitis, aliisque pertinentiis universis, earundemque juribus, jurisdictionibus, molendinis nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, privilegiis, homagiis, & aliis, quibuscunque juribus ad portionem illam spectantibus; ac proinde Nos humillime rogarit, & quandoquidem ipse non secus ac quondam Parens & Majores ipsius, Nos, uti fidelem & obsequentem Nostrum & Sacri Romani Imperii Vasallum deceat, in supremum ac directum dominum recognoscere, & clientelaris obsequii juxta, adeoque omnia quæ moribus ac legibus præstare teneatur, adimplere desideret, de præfata portione, castro nimirum, loco ac feudo Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi Piscini, & Campi de Molino, omnibusque pertinentiis ad feudum illud spectantibus, clementer ipsum dignaremur investire. Nos benigne considerantes præmemoratique Aloysii ejusque majorum egregium erga Nos, Sacrum Imperium & Augustam domum nostram constanti gratorum obsequiorum præstatione comprobatam fidem ac devotionem, tum certo confisi fore, ut & ipse Barnabas, laudabilibus majorum vestigiis insistendo, eandem fidem ac devotionem indefesso studio, prout se ad id promptum paratumque offert, atque optime facere poterit, ac debebit, suscipiat continuandam, demissionis ejusdem precibus clementer censuerimus annuendum, atque idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ auctoritatis ac potestatis plenitudine sæpe dictum Barnabam Centurionum de præmentionata portione, castro videlicet, loco ac feudo Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnibusque terris cis torrentem Orberam sitis, aliisque pertinentiis universis, earundemque juribus, jurisdictionibus, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, homagiis, & aliis quibuscunque juribus ad dictam, portionem spectantibus clementer investiverimus, & infeudaverimus, quemadmodum tenore præsentium, eundem Barnabam Centurionum (recepto prius ab honorabili docto nostro, & Sacri Imperii fideli dilecto, Petro Viso de Moileveau, legitimo ejusdem Procuratore idoneo, ac sufficienti ad hoc mandato instructo, solenni ac debito fidelitatis & homagii sacramento) infeudamus atque investimus, quantum Nos ratione dictæ portionis de jure, consuetudine, vel ex gratia investire, infeudare, dare & concedere possumus, valemus aut debemus, decernentes, edictoque nostro Imperiali firmiter statuentes, quod prædictus Barnabas Centurionus supramemoratam portionem, castrum nimirum, locum & feudum Fontis rubei, nec non villas, Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnesque terras cis torrentem Orberam sitas, ad dictam portionem spectantes, cum omnibus suis pertinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum habere, tenere ac possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere, secure & quiete frui & gaudere possit ac debeat consuetudine vel de jure, sine cujusvis contradictione & impedimento, nostris tamen & Sacri Imperii, & aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis.

Harum testimonio literarum manus nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ die vigesima tertia Junii, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, regnorum nostrorum, Romani decimo octavo, Hungarici vigesimo nono, Bohemici vero vigesimo septimo. FERDINANDUS &c. *Ferdinandus, Comes Curtius.* Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium, *Walderode.*

Adeoque Nobis tum præfatus Barnabas Centurionus, tum quoque Joanna filia ipsius, atque etiam Hieronymus Spinula Pallavicinus, dictæ Joannæ maritus, demississime supplicarint, ut, quandoquidem divina favente Clementia ad supremum Majestatis Imperialis fastigium evecti simus, Nosque ipsi in immediatum & directum prædictorum feudorum, suumque Dominum recognoscere, omniaque a fidelibus Vasallis præstanda Nobis in posterum quoque, Sacroque Romano Imperio præstare desiderent, non modo præfatum Instrumentum dotale clementer approbare, ratificare, & confirmare, eique assensum Nostrum Cæsareum concedere, verum etiam sese præfatam Joannam, memorati Barnabæ Centurioni filiam, & prædictum Hieronymum Spinulam Pallavicinum in vim & conformitatem ante dicti Instrumenti dotalis, de prælibato feudo, Castro & loco Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnibusque pertinentiis ad feudum illud spectantibus pro se suisque hæredibus & successoribus quibuscunque benigne investire dignaremur, atque a quæstione & impeditione super prætensa caducitate nominatorum feudorum per Fiscalem nostrum Imperialem Aulicum die quarta Augusti Anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni sibi mota, post maturam discussionem omnium hinc inde judicialiter productorum & actitatorum, tandem etiam præfatus Barnabas Centurionus per decretum Nostrum Cæsareum die tertia Julii Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo emanatum omnino absolutus atque de jure liber pronunciatus, vigoreque dictæ sententiæ ad alienationem præfati feudi ab ipso in Joannam filiam suam, ejusdemque maritum Hieronymum Spinulam Pallavicinum, dotis nomine factam, assensus Noster Cæsareus concessus fuerit, Nos Clementer considerantes tum prædicti Barnabæ Centurioni ejusque Majorum, tum totius familiæ Spinularum, atque etiam supramentionati Hieronymi Spinulæ Pallavicini erga divos prædecessores NostrosRomanorumImperatores, SacrumqueImperium, & Augustam domum nostram Austriacam constanti gratorum obsequiorum præstatione comprobatam devotionem ac fidem, tum certo confisi, memoratam Joannam, dicti Barnabæ Centurioni filiam, ejusque Maritum Hieronymum Spinulam Pallavicinum in pari erga Nos successoresque nostros Romanorum Imperatores & Sacrum Imperium devotione, obsequio & fide juxta ac debent & possunt indefesso studio constanter perstituros demississimis

mis eorundem precibus clementer annuerimus, atque idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ Autoritatis ac potestatis nostræ plenitudine translationi dicti feudi Fontis rubei per Barnabam Centurionum in personam Joannæ filiæ & ejus mariti Hieronymi Spinulæ Pallavicini dotis nomine, ut supra dictum, factæ, assensum Nostrum Cæsareum clementer præbuerimus, pactaque dotalia & Instrumentum dotale desuper confectum in omnibus suis capitibus, articulis, punctis & clausulis approbaverimus, laudaverimus, ratificaverimus, & confirmaverimus, dictamque Joannam, Barnabæ Centurioni filiam, & ejus maritum Hieronymum Spinulam Pallavicinum uxorio nomine pro se suisque hæredibus ac successoribus quibuscunque de præmentionata portione, Castro videlicet, loco ac feudo Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnibusque terris cis torrentem Orberam sitis, aliisque pertinentiis universis, earundemque Juribus, jurisdictionibus, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, homagiis, & aliis quibuscunque juribus, ad dictam portionem spectantibus investiverimus & infeudaverimus, quemadmodum vigore præsentium præfatum Instrumentum dotale approbamus, laudamus, ratificamus, & confirmamus, ipsosque Joannam, Barnabæ Centurioni filiam, quoad dictorum feudorum proprietatem pro se, suisque hæredibus, ac successoribus quibuscunque, & Hieronymum Spinulam Pallavicinum Maritum ejus, uxorio nomine secundum solam administrationem & usumfructum prædictorum feudorum ipsi Hieronymo Spinulæ Pallavicino dotalitio jure duntaxat concessum, recepto prius ab honorabili docto nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Joanne de Jamaigne, ad Aulam Nostram Cæsaream Agente, sufficienti ad id mandato instructo, in ipsorum animas solito & consueto fidelitatis juramento clementer investimus & infeudamus, quantum Nos de ratione dictæ portionis de jure, consuetudine, vel ex gratia investire, dare & concedere possumus, valemus aut debemus, firmiter statuentes, quod prædicta Joanna sæpe memorati Barnabæ, Centurioni filia proprietarie, ejusdem vero maritus Hieronymus Spinula Pallavicinus uxorio nomine tanquam dictorum feudorum Administrator, & dotalitio jure usufructuarius supra mentionatam portionem, castrum nimirum, locum & feudum Fontis rubei, nec non villas Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnesque terras cis torrentem Orberam sitis, ad dictam portionem spectantes, cum omnibus suis pertinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum habere, tenere ac possidere, omnibusque & singulis privilegiis gratiis ac juribus libere, secure & quiete frui & gaudere, quibus illud Barnabas Centurionus tenuit atque possedit, & in hæredes ac successores suos quoscunque, dummodo intra tempus, legibus & constitutionibus feudalibus definitum, eorundem Investituras sibi renovari demisse petant, & a Nobis aut nostris Successoribus, Sacrove Imperio debite & legitime recognoscant, derivare possint ac valeant, sine cujusquam contradictione & impedimento, nostris tamen & Sacri Imperii ac aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis, harum testimonio literarum, manus nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ die vigesima sexta Augusti, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, Regnorum nostrorum, Romani tertio, Hungarici sexto, Bohemici vero quarto.

Deinde vero post parentis sui quondam Hieronymi Spinulæ Pallavicini mortem dictam matrem ejus Joannam religiosæ vitæ ingressu ac professionis voto, ex testamento ab eadem ante condito, universalem hæredem extitisse, proque tali a prætore Genuensi declaratum fuisse, humillime Nos exorando, ut, cum Nos in immediatum ac directum prædictorum feudorum verumque Dominum recognoscere, omniaque a fidelibus Vasallis præstanda, Nobis imposterum quoque Sacroque Romano Imperio præstare desideret, illum de prælibato feudo, Castro & loco Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnibusque pertinentiis ad feudum illud spectantibus, pro se suisque hæredibus, & successoribus quibuscunque benigne investire dignaremur. Nos Clementer considerantes tum prædicti Felicis Spinulæ, ejusque Majorum, tum familiæ Centurionorum erga divos prædecessores nostros Romanorum Imperatores, Sacrumque Imperium & Augustam Domum nostram Austriacam constanti gratorum obsequiorum præstatione comprobatam devotionem ac fidem, tum certo confisi, eundem Felicem Spinulam Pallavicinum in pari erga Nos, successoresque nostros Romanorum Imperatores atque Sacrum Imperium devotione, obsequio & fide juxta ac debet & potest, indefesso studio constanter perstiturum, demississimis ejus precibus clementer annuerimus, atque idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ auctoritatis ac potestatis plenitudine eundem Felicem Spinulam Pallavicinum pro se suisque hæredibus ac successoribus quibuscunque, de præmentionata portione, castro videlicet, loco ac feudo Fontis rubei, nec non villis Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnibusque terris cis torrentem Orberam sitis, aliisque pertinentiis universis, earundemque juribus, jurisdictionibus, molendinis, nemoribus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarum decursibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, homagiis, ac aliis quibuscunque juribus ad dictam portionem spectantibus investiverimus, & infeudaverimus, quemadmodum vigore præsentium ipsum Felicem Spinulam Pallavicinum pro se suisque hæredibus & successoribus quibuscunque, recepto prius ab Honorabili docto nostro, & Sacri Imperii fideli dilecto, Joanne Adamo Dieterich, ad Aulam nostram Cæsaream Agente, sufficienti ad id mandato instructo, in ipsius animam solito & consueto fidelitatis juramento, clementer investimus & infeudamus, statuentes, quod sæpedictus Felix Spinula Pallavicinus, supra mentionatam portionem, castrum nimirum, locum, feudum Fontis rubei, nec non villas Bertassi, Barchi, Borgi, Piscini & Campi de Molino, omnesque terras cis torrentem Orberam sitas, ad dictam portionem spectantes, cum omnibus suis pertinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum habere, tenere

tenere ac possidere, omnibusque & singulis privilegiis, gratiis ac juribus libere, secure & quiete frui & gaudere, quibus illud prædicti Felicis avus maternus, Barnabas Centurionus, ac mater ejus, Joanna, tenuerunt atque possederunt, & in hæredes ac successores suos quoscunque, dummodo intra tempus legibus & consuetudinibus feudalibus definitum, eorundem Investituras sibi renovari demisse petant, & a Nobis aut nostris Successoribus, Sacrove Imperio debite & legitime recognoscant, derivare possint ac valeant, sine cujusquam contradictione & impedimento, Nostris tamen & Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunque juribus semper salvis & illæsis. Harum testimonio literarum manus nostræ subscriptione, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die vigesima sexta Aprilis, Anno millesimo, septingentesimo, Regnorum nostrorum Romani quadragesimo secundo, Hungarici quadragesimo quinto, Bohemici vero quadragesimo quarto.

LEOPOLDUS.

V^t. D. A. C. a Kauniz.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium,

Luzo Dolberg.

XXIX.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Carolum Spinulam, Marchionem Rochæfortis, Comitemque Ronchi, Castrum Rochæfortis, una cum ejus Villis Vighi & Sentrassi in valle Borbiæ, nec non Castra Ronchi, Burgi Furnariorum ac Buzallæ in feudum contulit, de Anno 171-.

CArolus divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum facimus vigore præsentium universis, quod cum Nobis Illustris Noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus Carolus Spinula, Marchio Rochæfortis, & Comes Ronchi submississime Nobis exponendum curarit, a quondam Imperatore Josepho, fratre & prædecessore nostro Colendissimo sacratissimæ memoriæ sibi super Castro Rochæfortis cum suis villis Vighi & Sentrassi, in Valle Borbiæ, vulgo Valle Borbora, sub diœcesi Dertonensi sitis, & super castro Ronchi, Burgi Furnariorum, & Buzallæ itidem in Agro Ligurum sitis sub Januensi Diœcesi tanquam feudis antiquis, nobilibus, rectis, justis, perpetuis, honorificis & francis ab omni servitio præstando, cum omnibus simul pertinentiis, adhærentiis, & dependentiis suis, quemadmodum id Majores & Progenitores ipsius eorumque descendentes, atque hæredes a plurimarum inde usque ætatum memoria perpetua serie habuerint, tenuerint, & possederint, Investituræ renovationem benigne fuisse concessam, prout ex ejusdem Diplomate.

Ac proinde Nobis dictus Carolus Spinula humiliter fuerit supplicatus, ut, quandoquidem suprema Divinitate propria voluntate ad Augustum Throni fastigium evecti simus, ipseque Nos in supremum & directum Dominum, uti fidelem Clientem, Beneficiarium, seu Vasallum decet, recognoscere desideret, & Nos ipsum mediante persona legitimi Procuratoris & Mandatarii sui N. N. de dictis Castris Rochæfortis cum suis villis Vighi & Sentrassi, pertinentiis & cohærentiis ac juribus suis universis, itidem de dictis Castris Ronchi, Burgi Furnariorum, & Buzallæ Clementer investire, ac privilegia a Prædecessoribus nostris divis Imperatoribus ac Regibus Augustis, præsertim Maximiliano I. & Ferdinando III. majoribus suis concessa, eaque omnia & singula in eis contenta approbare, confirmare atque insuper Imperialis nostræ protectionis, tutelæ & salvaguardiæ privilegium ex Cæsarea Nostra benignitate impertiri, approbare, & confirmare dignaremur: Nos sane attendentes ad egregia singularis fidei & devotionis obsequia, quæ Majores ac Progenitores dicti Caroli Spinulæ a multis retroactis temporibus, nostris Prædecessoribus Augustis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Sacro Romano Imperio, atque Augustæ Domui nostræ Austriacæ præstiterunt, & ipse eorum vestigiis laudabiliter insistens etiamnum, sedulo præstat, ac deinceps præstiturum confidimus, demississimis ejusdem precibus clementer annuendum duxerimus, uti vigore præsentis Nostri Cæsarei Diplomatis annuimus, ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, & omni alio meliori modo, via jure, & forma, quibus validius firmius & efficacius fieri potest ac debet, prædicta privilegia Antecessorum nostrorum in Sacro Romano Imperio, inprimis vero prælibatum illud Maximiliani I. & Ferdinandi III. in omnibus suis sententiis, punctis, clausulis, & articulis, ac si illa omnia quoque hic inserta fuerint, laudavimus, approbavimus & confirmavimus, ac per præsentes laudamus, approbamus, confirmamus, atque eis omnem necessariam vim & robur impertimur, eundemque Carolum Spinulam de prædicto castro Rochæfortis cum suis Villis, Vighi, & Sentrassi in valle supra nominata sitis, & de prædictis castris, Ronchi, Burgi, Furnariorum & Buzallæ, cum omnimoda sua jurisdictione, territoriis, ac cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, pedagiis, & molendinis, & Regaliis quibuscunque, quæ Nobis ac Sacro Romano Imperio competunt aut competere possunt, pro ipso, vel Successoribus suis quibuscunque & qualitercunque, etiam fœminis tam inter vivos, quam in ultima voluntate in totum, vel in parte a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum francum, liberum & alienabile, ita quod in omnibus retineat naturam allodii, excepta duntaxat superioritate, & prout hactenus fuit possessum ac recognitum ejus & eorum qualitates, ac situs hic pro sufficienter expressis habentes damus, concedimus, ac de iis omnibus & singulis ipsum Carolum investimus, quemcunque illi vel de jure, vel ex gratia speciali in præmissis dare, concedere, investire, atque infeudare possumus, vel debemus, ita quod iisdem feudis Imperialibus Rochæfortis cum suis villis, Vighi & Sentrassi, Ronchi, Burgi Furnariorum & Buzallæ, ac juribus sæpe memoratis, Marchioni Carolo Spinulæ uti, frui, potiri,

tiri, & gaudere liceat, imponendo & exigendo nova vectigalia, quæ additiones, sive quovis alio nomine nuncupentur, tam in pedagiis, datiis, mercantiisque quam in Gombeta Maxinæ, datii, carnis, seu scaricatura, fructuum, redituum Furnis, tabernis & aliarum Gabellarum pro publicis oneribus supportando, tam pro refectione viarum publicarum quam aliorum, & ex eadem causa imponendo censarias, & alia quæcunque onera, tam realia quam personalia, & mixta, & anomala, tam ordinaria quam extraordinaria, & alia quæcunque quovis nomine vocitentur, & in prædictis ea omnia possit, & valeat ipse Carolus Spinula & ejus hæredes, & successores supradicti, quæ Nos ipsi facere possumus, & valemus, nihil penitus Nobis retinentes præter superioritatem, jus patrocinii beneficii, & consuetam clientelaris juramenti præstationem, quod quidem juramentum Nobis ejusdem Caroli Spinolæ legitimus procurator & Mandatarius N.N. sufficienti ad hoc Mandato instructus, loco & nomine, & quæ in animam ejusdem Caroli Spinulæ præstitit, supplentes quoscunque defectus, tam Juris, quam facti, si qui in prædictis innovaverint, non obstantibus quibuscumque legibus, constitutionibus, consuetudinibus etiam feudalibus, statutis, decretis, & ordinationibus in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis pro hac vice duntaxat autoritate & scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus, Nostris tamen & Sacri Imperii, aliorumque juribus semper salvis; præterea ut Cæsareæ nostræ benignitatis erga se propensionem dictus Marchio Carolus Spinula cumulatius experiatur, Nos eadem autoritate nostra Imperiali eundem Carolum una cum sæpe memoratis locis & castris, Rochæfortis, Ronchi, Burgi Furnariorum & Buzallæ in Agro Ligurum sitis, atque eorum pertinentiis, cohærentiis & dependentiis, nec non hominibus, Colonis, & subditis in Nostram & Sacri Romani Imperii tutelam, protectionem & salvaguardiam suscepimus & assumsimus, suscipimus, & assumimus, harum vigore literarum volentes, firmiterque statuentes & decernentes, quod idem Carolus Spinula ejusque successores, in dictis locis Rochæfortis, Ronchi, Burgi Furnariorum & Buzallæ ac pertinentiis a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus & aliis quibusque bonis acquisitis & acquirendis, nec non hominibus, Ministris, Colonis, subditis, vasallis, reditibus, proventibus, vasallagiis, & rebus omnibus quocumque nomine appellentur, deinceps, & in perpetuum sub hac speciali protectione, tutela, & salvaguardia nostra & Imperialis Nostræ Aquilæ sint, & ab omni hospitandorum militum & stipendiariorum gravamine, molestia, oppressione, & onere salvi, protecti, tuti, securi, & exempti esse valeant, ac debeant, atque inposterum omnibus & singulis immunitatibus, gratiis, & prærogativis uti, frui, potiri, & gaudere possint, quibus alii, qui in hujusmodi Nostra, & Sacri Imperii salvaguardia, tutela, & protectione constituti sunt, de jure, vel de consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent citra cujuscumque impedimentum vel contradictionem, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiamsi talia forent, de quibus mentionem specialem fieri oportet, quibus omnibus & singulis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostram confirmationem Investituræ, Salvaguardiæ, derogationis, concessionis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam, & pœnam centum marcarum auri puri & probi toties, quoties contrafactum fuerit, solvendarum se noverit, omni remissionis & veniæ spe præcisa, eo ipso incursurum, quarum semissem Ærario nostro Imperiali, seu Fisco, alteram vero semissem injuriam passi usibus decernimus applicandum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die - - mensis - - - Anno millesimo, septingentesimo, Regnorum nostrorum Romani, - - -

XXX.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Augustinum Spinulam, Tassaroli Comitem, de Comitatu Tassaroli, ejusque juribus ac pertinentiis investivit, d. d. 5. Novembris, Anno 1714.

CAROLUS VI. &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod Nobis Nobilis Noster, Sacrique Imperii fidelis dilectus, Augustinus Spinula, Tassaroli Comes, humillime exponi curarit, quem in modum ipse in pupillari ætate existens ad demissas Tutorum tunc suorum preces, ab Augustissimo Imperatore Leopoldo, Domino genitore ac prædecessore nostro colendissimo sacratissimæ memoriæ, super feudo Tassaroli per gloriosæ reminiscentiæ Imperatorem Ferdinandum primum, sub dato vigesima mensis Martii Anno millesimo quingentesimo sexagesimo, in Comitatum erecto, cum mero & mixto imperio, homagiis, fidelitatibus, gladii potestate atque omnimoda jurisdictione, die decima septima Februarii Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo nono, investitus, simulque jus primogenituræ, privilegium monetandi, protectio & salvaguardia, nec non dignitas Comitis Palatii Cæsarei, omniaque reliqua in quondam Romanorum Imperatorum, altissime dicti Ferdinandi primi, Maximiliani secundi, & Rudolphi secundi Investiturarum literis uberius expressa, pariterque in subsecutis infeudationum diplomatibus Cæsareis approbata Regalia confirmata sibi fuerint, quodque præfatus Spinula renovationem hujus Investituræ atque confirmationis ab augustæ memoriæ Imperatore Josepho, Domino fratre nostro amantissimo, debita submissione petierit, & decretum admissionis ad fidelitatis juramentum obtinuerit quidem, verum ad ejus actualem præstationem, non sua culpa, sed ob causas, Consilio nostro Imperiali Aulico notas, pervenire haud potuerit: Humillime Nos orando, ut, cum Nos ad supremum Imperatoriæ Majestatis fastigium, propitio Numine evectos in immediatum & directum Dominum suum re-

cognoscere desideret, eundem de prædicto Comitatu, Juribus, Regalibus & præeminentiis in præcitatis infeudationum literis nominetenus contentis clementer investire dignaremur.

Nos sane benigne considerantes tum avitum generis sui splendorem, tum præclarum constantis fidei, devotionis & obsequii studium, quo divos prædecessores nostros, Romanorum Imperatores & Reges Sacrumque Imperium hujus Spinularum familiæ Majores indefesso zelo coluerunt, atque Nobis persuasum omnino habentes, ipsum supplicantem, prout hactenus, ita deinceps quoque in eodem fidelitatis, devotionis & obedientiæ laudabili tramite assidue perrecturum, ejusdem demissis precibus benigne censuimus annuendum: Adeoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano & maturo accedente consilio, atque ex potestatis & autoritatis Cæsareæ plenitudine, supradicto Augustino Spinulæ, Comiti Tassaroli, omnia ab Augustissimis Prædecessoribus nostris, Rom. Imperat. & Regibus concessa, ac memoratis infeudationis diplomatibus comprehensa privilegia, in omnibus suis capitibus, articulis, clausulis, punctis, sententiis & verborum expressionibus clementissime laudavimus, approbavimus, confirmavimus, ac ratificavimus, &, quatenus opus est, de novo & integro concessimus, ipsumque supplicantem de prælibato Comitatu Tassaroli cum mero & mixto imperio, homagiis, fidelitatibus, gladii potestate, omnimoda jurisdictione, regalibus & aliis quibuscunque pertinentiis, immunitatibus & prærogativis in præmentionato Augustissimorum Imperatorum Ferdinandi primi, Maximiliani secundi atque Rudolphi secundi Diplomatum tenore prolixe nominatis, quemadmodum ipse Augustinus Spinula Majoresque ipsius super iisdem infeudati fuerunt, clementer investimus: Prout ea omnia, vigore præsentium, laudamus, approbamus, ratificamus, ac, quatenus opus est, de novo concedimus, atque eundem, recepto jam debito fidelitatis & homagii juramento, per ejusdem Augustini Spinulæ legitimum procuratorem, idoneo & sufficiente mandato procuratorio Nobis exhibito instructum, honorabilem, fidelem Nobis dilectum Joannem Jacobum Joannelli, Consilii Nostri Imperialis Aulici Agentem, vice, nomine atque in animam dicti Augustini Spinulæ rite præstito super prærepetito Comitatu Tassaroli, mero & mixto imperio, gladii potestate, jurisdictione, territoriis ac solitis pedagiis, nec non omnibus & singulis juribus, confinibus, nemoribus, sylvis, pascuis, glandariis, herbariis, pratis, campis, montibus, aquis, aquarum decursibus, salinis, & omnibus metallorum generibus, fructibus, censibus, reditibus, venationibus, piscationibus, molendinis, battendariis, vasallis, colonis & inquilinis cum debito ac solito jure vasallagii & subjectionis, ac præmissorum omnium pleno dominio, aliisque regalibus & præeminentiis benigne investimus: Volentes & autoritate Nostra Cæsarea firmiter statuentes, quod sæpe fatus supplicans dictum Comitatum Tassaroli, ejusque appertinentias, prout ea omnia Majores sui habuerunt, ipseque possedit ac tenuit, deinceps quoque jure feudi antiqui, nobilis & aviti habeat, teneat ac possideat, &, prout hactenus, ita imposterum omnibus prærecensitis, juribus, regalibus, prærogativis & privilegiis gaudeat & fruatur, supplentes quemcunque defectum, tam juris, quam facti, si quis in præmissis omnibus, vel eorum aliquo intervenisset, aut quovis modo intervenisse dici, allegarive posset: Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent de quibus in præsentibus specialis atque individua mentio fieri deberet; quibus utique omnibus & singulis, quatenus obstarent, vel obstare possent, scientes, prudentes, benigni, lubentes derogamus, sufficienterque derogatum esse volumus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, conditionis ac fortunæ fuerit, liceat hanc Nostræ Cæsareæ laudationis, approbationis, confirmationis, ratificationis, concessionis, Investituræ, infeudationis, suppletionis, derogationis privilegii, decreti, voluntatis & gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire; Si quis autem secus fecerit, ac tale quid attentare præsumserit, is, præterquam quod gravissimam nostram & Sacri Imperii indignationem incurret, trecentarum insuper marcarum auri puri puti probi, sui ex semisse ærario nostro sive Fisco Imperiali inferendarum, ex altero vero semisse injuriam passorum, sive passi usibus applicandarum, in præteritis privilegiis expressam, mulctam toties, quoties contrafactum fuerit, dare jam nunc damnas esto; Harum literarum testimonio manus nostræ subscriptione & sigilli Cæsarei appensione munitarum, datarum in Civitate Nostra Viennæ die quinta mensis Novembris Anno millesimo septingentesimo decimo quarto, Regnorum nostrorum, Romani quarto, Hispanicorum duodecimo, Hungarici & Bohemici vero pariter quarto.

CAROLUS.

Vt. Frid. Carl, Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Philipp Wildericus Georgendiel.

XXXI.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Marchionem Carolum Spinulam de Feudorum Buzallæ ac Burgi Furnariorum portionibus, quas memoratus Marchio a Comite Leonardo ab Auria Anno 1714. emerat, investivit, d. d. 9. Febr. Anno 1722.

CAROLUS &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis (tit.) Marchio Carolus Spinula humillime exponi fecerit, se a Nobili nostro, Sacrique Imperii fideli dilecto, Leonardo, Comite ab Auria, portiones illas, quas idem Comes in feudis nostris Imperialibus Buzallæ ac Burgi Furnariorum possedit, & a Nobis desuper die 22. Febr. Anno 1714. investitus fuit vigore contractus empti & venditi Nobis authentice producti emisse, idque tanto majori fiducia & validitate facere potuisse, quanto hæc feuda ex natura sua pro

lubitu

lubitu voluntatis investiti, essent alienabilia, & præfato supplicanti Spinulæ in casum id genus alienationis easdem portiones a quocunque avocandi, ipso jure virtute privilegii sub dato 8. Aprilis Anno 1644. ab Augustæ reminiscentiæ Imperatore Ferdinando III. Avo Nostro Colendissimo, quondam Marchioni Neapolioni Spinulæ benigne impertiti, competeret: Adeoque prænominatus Marchio Carolus Spinula submississime orarit, ut cum Nos, præfatorum feudorum nomine, in supremum directumque Dominum suum recognoscere desideret, se de iisdem feudorum participationibus nunc investire Clementissime dignaremur. Nos sane considerantes eximiam illam fidei & observantiæ devotionem, quibus Nos ac divos Antecessores Nostros Romanorum Imperatores ac Reges, ipsumque Sacrum Romanum Imperium & inclytam Nostram Austriæ Domum, Spinularum familia, ipseque supplicans semper coluit ac demereri studuit, Nobisque persvasum habentes, dictum Carolum Marchionem Spinulam tum progenitorum suorum exemplo, tum propria sua virtute duce, etiam imposterum non facile in se desiderari passurum esse, quod ad suam in Nos & Sacrum Romanum Imperium, Augustamque Nostram Austriæ Domum sinceram constantemque fidem ac bene merendi promptitudinem fidelibus obsequiis magis magisque comprobandam pertinere videbitur: uti quidem facturum se offert, beneque facere poterit ac debebit. Quapropter ex certa scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis Nostræ plenitudine, ad antefatam alienationem non modo assensum Nostrum Cæsareum, qua supremus dictorum feudorum Dominus clementissime impertimur, verum etiam præcitatum contractum empti & venditi in omnibus suis punctis clausulis, sententiis & verborum expressionibus harum vigore confirmamus, corroboramus, & pro firmo atque valido declaramus, adeoque eundem Marchionem Carolum Spinolam super tertia parte Burgi Furnariorum, item participatione Buzallæ, & alia Burgi Furnariorum tertia parte, prout a Nobis de iisdem prænominatus Comes ab Auria infeudatus fuit, cum eorum omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio ac gladii potestate, aliisque juribus, reditibus, territoriis, ac pertinentiis investimus, & secundum formam anteriorum Investiturarum easdem portiones in feudum francum, liberum & exemptum eidem Marchioni Spinulæ damus & concedimus, quidquid de jure vel ex gratia speciali in præmissis confirmare, approbare, dare, concedere & investire possumus vel debemus, ita nimirum, ut memorata bona nihilominus sapiant Naturam allodii, quodque de iisdem possit ipse Marchio Carolus Spinula & successores ejus disponere pro lubitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos: Elargientes & dantes, concedentesque eidem in præcitatis participationibus terris & locis omnem potestatem Nobis competentem, ita, quod in eis omnia agere & exercere possit ac valeat, quæ Nobis ipsimet agere & exercere possumus & valemus, nihil Nobis penitus retinentes, præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis ac nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea specialiter demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, fidelitatis & homagii juramento, quod Nobis vice ac nomine ejusdem Marchionis Caroli Spinulæ, noster Sacrique Imperii fidelis Dilectus Joannes Josephus Wirsching, Consilii nostri Imperialis Aulici Agens, vigore acceptati Mandati Procuratorii, præstitit: supplentes quoscunque defectus tam juris, quam facti, si qui in prædictis intervenerint, non obstantibus quibuslibet legibus, constitutionibus, consuetudinibus & feudalibus statutis, decretis ac ordinationibus, aliisque in contrarium facientibus, quibus omnibus ac singulis pro hac vice duntaxat autoritate ac scientia prædictis derogamus & derogatum esse volumus: Nostris tamen & Sacri Imperii, ac aliorum juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis, aut dignitatis fuerint, liceat, hanc nostram assensus, confirmationis, ratificationis, suppletionis, derogationis, Investituræ, concessionis & remissionis, gratiæ, voluntatis & Decreti paginam infringere, aut eam quovis ausu temerario violare, quisquis vero id attentare præsumpserit, indignationem nostram & Imperii Sacri gravissimam, & pœnam decem Marcarum auri puri, pro dimidia Imperiali Fisco, seu ærario nostro, reliqua vero parte injuriam passi aut passorum usibus absque omni spe veniæ, vel remissionis applicandam se noverit facto ipso incurrisse; harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum Datum Viennæ 9. Febr. Anno 1722.

XXXII.

Caroli VI. Roman. Imperatoris, Literæ, in quibus Carolum Neapolionem Spinulam de feudi Imperialis Buzallæ portiunculæ, olim a familia Gentili possessa, investivit, d. d. 4. Augusti, Anno 1723.

CAROLUS VI.

AGnoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Illustri nostro et Sacri Imperii fideli dilecto Carolo Neapolioni Spinulæ illam, quæ in feudo nostro Imperiali Buzallæ olim per familiam Gentilem possidebatur, portiunculam, ob tenues ejusdem proventus a Gentilibus desertam titulo venditi benigne contulerimus, ipseque Nos humillime orarit, ut eundem de modo dicta portiuncula clementissime investire dignaremur, Nos submissis his precibus benigne annuendum censuerimus. Prout harum vigore gratiose annuimus, et ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ potestatis plenitudine tam portionem feudi Buzallæ cum villis Seniolæ, Servarezzæ, Semino, Camenza, Sarmoria, Varessona, Fransanello, Caterza, Marca et Carsili Frananello, cæterisque omnibus pertinentiis, nec non omnibus suis terris, vasallis, homagiis, hominibus præeminentiis, utilitatibus, fructibus, nemoribus, domibus, omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio, ac gladii potestate, alilsque juribus, reditibus, territoriis, pedagiis, molendinis ac regalibus quibuscunque, quæ Nobis

Nobis, & Sacro Romano Imperio competunt vel competere possunt, & prouti ea Petrus Maria, & Johannes Baptista, Gentiles, vigore Investituræ Cæsareæ, quinta Octobris Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo obtentæ, possederunt, suprafato Carolo Neapolioni Spinulæ ejusque legitimis liberis, hæredibus & Successoribus quibuscunque in feudum liberum, francum, exemptum & alienabile concedimus, eumque de eadem portione, ut supra, benigne investimus, infeudamus, & quidquid ipsi de jure vel ex gratia speciali dare, concedere, & de quo ipsum investire atque infeudare possumus, id ipsum virtute harum literarum damus, concedimus & conferimus, ita nimirum, quod memorata bona in omnibus nihilominus sapiant naturam allodii, & quod de eisdem ipse Carolus Neapolio Spinula ejusque successores, pro lubitu voluntatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos possint & valeant disponere.

Elargientes quoque & dantes eidem Spinulæ, ejusque Successoribus in prænarrata portione omnem potestatem Nobis competentem, ita quod in ea ejusque pertinentiis omnia agere & exercere possint & valeant, quæ Nos ipsimet agere & exercere possumus & valemus, nihil Nobis penitus retinentes, præter solam superioritatem Cæsaream, quam Nobis & nostris in Imperio Successoribus, & quibus ea duntaxat specialiter demandata fuerit, reservamus, cum subjectionis, homagii & fidelitatis juramento, quod Nobis Consilii nostri Imperialis Aulici Agens, noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Johannes Josephus Wirschinus, tanquam prænominati Principalis sui Procurator, loco, vice, nomine atque in animam ejus, speciali mandato ad id instructus humillime præstitit. Impertientes præterea eidem Carolo Neapolioni Spinulæ facultatem & potestatem sæpe fatæ portionis possessionem arripiendi, & in eandem, qua sibi legaliter quæsitam, ingrediendi, eaque & juribus annexis plene utendi ac fruendi, prout etiam hisce eundem in prædictorum omnium utile dominium & actualem, realem ac quietam possessionem introducimus, ponimus & constituimus, atque introductum, positum & constitutum esse volumus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, quæ specialem & individuam mentionem hic requirerent. Quibus omnibus & singulis autoritate nostra Imperiali derogamus & sufficienter derogatum esse volumus per præsentes: nostris tamen & Sacri Imperii atque aliorum quorumcunque juribus semper salvis.

Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ Investituræ, infeudationis, voluntatis, Decreti, derogationis & gratiæ paginam contemnere, spernere, infringere ac violare, aut ei quovis ausu temerario contraire; si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Sacri Romani Imperii indignationem gravissimam, & viginti marcarum auri puri mulctam Fisco, seu ærario nostro Imperiali & parti læsæ ex æquo solvendam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur Pragæ die quarta Augusti, Anno millesimo septingentesimo vigesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani duodecimo, Hispanicorum vigesimo, Hungarici & Bohemici vero decimo tertio.

CAROLUS.

(L. S. C.)

Vt. Frid. Carl, Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Cathol. Majestatis proprium

P. W. L. V. de Georgenthiel.

Caput XXXIII.
De Dominis de Trissino.

I.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, Literæ Investituræ, in commodum atque emolumentum Ugutionis & Zuffredi de Trisino expeditæ, d. d. 4. Aprilis An. 1236.

FEdericus divina favente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, & Rex Siciliæ &c. Majestatis Imperialis præcipuum est officium fideles suos privilegiis decorare, & beneficiis afficere munificentissime. Quamobrem cum Nobis dilecti & fideles, Ugutio, & Zuffreddus de Trissino, omnibus periculis contemptis, nostris literis obedientes ad nos venerint, & egregia servitia diversis temporibus tam prædicti, quam majores sui, pro Majestate Romani Imperii præliando strenue & egregie exhibuerint, eorum insignem devotionem, erga Imperialem nostram Majestatem compensare convenit. Cum igitur multa privilegia coram Nobis produxerint, quæ a prædecessoribus nostris Romani Regni Imperatoribus concessa fuerunt nobili familiæ de Trissino, a qua originem suam habent, & præsertim strenuo & nobili viro, Nicolao de Trissino, qui quondam Vicentini oppidi cum amplissima potestate dominorum Henrici, & Conradi Romanorum Imperatorum, prædecessorum nostrorum, Vicarius fuit, illa omnia de novo confirmamus, & auctoritate nostra renovamus. Castra etiam omnia vallis, quæ dicitur de Agno ditionis Vicentinæ, quæ sub jurisdictione fuerunt strenui quondam Meliorantiæ de Trissino, in perpetuum prædicto Ugutioni, & Zuffreddo, & suis descendentibus concedimus & donamus, præsertim Castrum Trissinum cum tota sylva adjacente, Quargnentam, Cornetum, & Arcignanum, quæ a majoribus suis constructa et ædificata fuisse cum multis aliis eisdem vallis de Agno, notis-

notissima res est, obligantes prædictos, et successores suos, ad solvendum in anno quolibet pro feudo Imperiali Cameræ nostræ marchas viginti. Declaramus etiam, prædictos Ugutionem et Zuffreddum cum suis descendentibus Comites, et scutum armorum familiæ suæ Aquila Imperiali ornatum esse volumus, autoritatem etiam illis concedentes Notarios creandi, et illegitimos ad omnes et quascunque dignitates habilitandi. Insuper fidelem prædictum Ugutionem de Trissino Capitaneum esse volumus equitum omnium, qui ad Imperialis Majestatis nostræ custodiam designati sunt. Nulla igitur persona alta vel infima, ecclesiastica vel secularis huic nostræ concessioni contravenire, vel aliquid in contrarium attemperare præsumat sub pœna mille marcharum. Ad hujus itaque concessionis nostræ perpetuam memoriam, & roboris firmitatem præsens privilegium per manus Tomaxii de Caldetio, Notarii & fidelis nostri scribæ, & bulla aurea typario nostro impressa jussimus communiri, Anno, & mense, & Indictione subscriptis.

Datum apud Veronam Anno Dominicæ Incarnationis, 1236. IV. die mensis Aprilis, Indictione IX. D. nostri Federici, Dei gratia Invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ, Anno vigesimo sexto, Siciliæ trigesimo octavo.

Caput XXXIV.
De Principibus & Marchionibus Vasti.

I.

Decretum Leopoldi, Romanorum Imperatoris, in quo Don Cæsarem Michaelem Angelum Davalos, de Aquino, de Aragonia Carafam, Piscariæ Vastique Marchionem, Supremi Cæsarei Campi Marescalli munere, dignitate ac imperio donavit atque exornavit, d. d. 16. Decembris, Anno 1701.

Nos Leopoldus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, superioris & inferioris Silesiæ, Marchio Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tirolis & Goritiæ &c. Universis & singulis nostris Cæsarei nostri exercitus Generalibus equitatus, supremis rei armamentariæ Præfectis, campi Mareschallis, supremis castrorum vigiliarumque Præfectis & Legionum Tribunis, cæterisque omnibus officialibus & militibus, cujus gradus ac dignitatis & conditionis existant, gratiam nostram & omne bonum. Cum Cæsareo nostro fastigio & dignitati nil magis congruere censeamus, quam ut ii, quos & clara generis prosapia celebres, & propria merita assiduaque in inclytam nostram Austriæ Domum sinceræ fidei & observantiæ studia probatos commendatosque reddunt, condignis se honoribus ornatos intelligerent, alii vero pari virtutis & gloriæ stimulo ad egregia in promovendis Cæsareæ Nostræ Majestatis ac inclytæ nostræ Austriæ Domus compendiis excitarentur conamina, virtutisque decus perpetuo beneficentiæ nostræ pignore, omnium memoriæ commendatum, immortalitatis beneficio adornentur. Itaque benigne considerantes, quod Illustris, fidelis, Nobis sincere dilectus, Don Cæsar Michael Angelus Davalos, de Aquino, de Aragonia, Carafa, Marchio Piscariæ & Vasti, Princeps Francavillæ & Civitatis Iserniæ, Comes Comitatus Montis Odorisii, Scerni, Pallutri, Cæsalis, Bordini, Gissi, Lisciæ, Lenciolæ, Casalanguidæ, Guilani, Furci, Colliamedii, Villarumque Alphonsinæ & Capelli, Dominus Insularum Prochitæ, Binaræ & S. Martini, Serræ, Capriolæ & Chieuti, civitatis Lanxani, ejusque villarum S. Mariæ Petræ Constantinæ, Stanazzi, Mozzagrognæ & Scorriosæ, Dux Montis Nigri, Montis Iuliæ, & Montis Betti, Dominus Castri Taureni, atque Civitæ Campomarani, Baro Diliclæ & Riporsorum Feudi, Gubernator perpetuus Castri, Civitatis & Insulæ Ichiæ, Loricarum equitum Dux, Dominus totius Familiæ de Davalos, Aurei Velleris Eques, & inter Magnates primæ Classis bis Hispaniarum Magnus &c. Non minus intemeratæ in Cæsaream nostram Majestatem, totamque Austriæ Domum fidei, quam generosæ fortitudinis quam plurima, eaque dederit specimina, insignibusque aliis tum animi, tum naturæ dotibus præfulgeat, ac ea clarescat virtutum gloria, ut merito eundem ob peculiarem exinde sibi conciliatam nostram fiduciam in juge Cæsarei nostri affectus testimonium campi nostri supremi Marescalli munere, dignitate & imperio donandum, ac extollendum, ornandumque judicaverimus, ut hisce eum donamus, extollimus & ornamus. Proinde supra recensitis Exercitus nostri Generalibus, Officialibus & gregariis militibus benigne demandantes, ut præfatum Don Cæsarem Michaelem Angelum Davalos de Aquino &c. non solum pro nostro actuali supremo Campi Marescallo agnoscant, verum etiam eidem in omnibus, quæ ad promovenda nostra Cæsarea servitia, vobis nostro nomine injunxerit & demandaverit, debitum morem gerere, obedientiamque præstare velint ac debeant, facturi in eo nostram benignam voluntatem atque mandatum. Dabantur in Civitate nostra Viennæ, die 16. Decembris, Anno 1701. Regnorum nostrorum Romani 44. Hungarici 47. Bohemici 46.

LEOPOLDUS.

Mansfeld.

Adest Sigillum magnum impositum.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium,

Carolus Lachet de Lindenheim.

II.

Monitorium adversus Don Cesarem Michaelem Angelum Davalos, de Aquino, de Aragonia Carafam, Piscariæ atque Vasti Marchionem, Romæ publicatum, cui sententia, adversus eundem ibidem lata, adjecta est, d. d. 18. Martii, Anno 1702.

RAinutius Pallavicinus Referendaire des Signatures de Nôtre Saint Pere le Pape, Gouverneur de Rome, & de son District Général. A Vous Cesar Michel Ange d' Avalos d' Aquin, Marquis del Vasto & de Pescara, de l' Autorité de notre Office, à l' instance d' illustre & excellent Seigneur François de Gambis, Procureur Fiscal Général de nôstre S. Pere le Pape, nous vous ordonnons par la teneur des presentes, nous vous citons & avertissons, que dans trois jours, à compter depuis celui de leurs signification, Vous ayez à comparoître devant Nous, ou devant le Lieutenant Criminel, en personne, & non point par Procureur, pour vous excuser, purger, & défendre des Crimes ci-dessous mentionnez, Excès & Delits par vous commis; & cela sous peine de tenir pour confessez tous ceux, dont on vous accuse, & d' avoir la tête tranchée, avec confiscation de tous vos Biens applicables à la Chambre Apostolique. Nous voulons, que ce present Monitoire vous soit signifié personnellement, s' il est aisé de trouver vôtre Personne; sinon, après avoir fait par la Ville les diligences requises pour vous trouver, & ne vous trouvant point, il vous sera signifié, par Affiches aux Portes de nôtre Cour, & de la Maison, que vous avez jusqu' ici occupée à Rome. Donné au Palais de nôtre Residence ordinaire le 27. Février 1702.

On vous poursuit nommement sur ce, qu' aïant reçû le soir du Lundi 9. Janvier passé, un certain Billet que vous avoit envoié un grand Seigneur, connu de la Cour & de vous, par les mains de Charle Antoine Baron, vôtre Domestique, dans lequel entre autres choses on vous donnoit avis de penser à vous, parce qu' un valet qui couchoit dans vôtre chambre vous devoit assassiner, secondé d' un autre Valet, qui couchoit auprès, tous deux gagnez par Mr. le Cardinal de Janson, vous avez soupçonné, que ce Valet, dont le Billet faisoit mention, ne pouvoit être autre, que Jean Cardonne de Mortara, autrefois surnommé Giovanelli parmi les Dalmates, qui couchoit ordinairement dans un Cabinet près de vôtre Chambre, & aussi-tôt vous avez taché à main armée, avez Nicolas Coppa, d' arracher cet aveu de lui, sous le pretexte, que revenant aupres de vous vers la seconde heure de la nuit, il passoit par l' endroit où il avoit accoutumé de coucher. Quoi qu' il ait protesté, qu' il ne sçavoit rien, & qu' il ètoit innocent de tout ce, qu' on lui imputoit, néanmoins vous lui avez lû le Billet, & vous avez fait ce, que vous avez pû pour l' obliger à vous nommer ses complices. Sur ce qu' il a repliqué, que non seulement il étoit tres innocent, mais que personne ne l' avoit sollicité d' attenter sur vôtre vie, loin d' acquiescer à cette réponse, vous avez fait appeller deux de vos Ecuïers, l' un se nommoit Abbas Cesar, & l' autre Néron, pour arracher de ce malheureux la confession du pretendu ordre. Ils l' ont dépoüillé de ses habits par vôtre ordre, lui ont lié les mains & les pieds; après quoi vous avez pris un foüet, dont on se sert à cheval, ayant un manche de bois, & long d' un palme & demi, & vous l' en avez frappé plusieurs fois de toute vôtre force, sur le dos, & sur les èpaules, après l' avoir fait renverser par terre couché sur le ventre. Ensuite vous lui avez fait donner par Abbas Cesar, quantité de coups de ce même foüet, tandis que vous le fouliez aux pieds avec une cruauté excessive en diverses parties de son corps. Ce traitement rigoureux n' empêchant point ce Valet de dire toûjours qu' on l' accusoit faussement, & que si vous l' aviez jamais trouvé en faute vous le fissiez tailler en morceauz, vous avez fait long temps degouter la cire bouillante sur sa tète, sur son cou, & sur ses oreilles. En fin, desesperant d' obtenir la confession que vous croyiez le pouvoir forcer à faire, vous avez pris un grand vase d' argent qui étoit plein d' eau dans le lieu où il couchoit, & vous l' avez versée sur son dos, en sorte que ces differens tourmens l' ont laissé presque sans vie. En fin, l' aïant fait porter dans un endroit retiré de vôtre logis, vous l' avez fait garder, quoique le lendemain Mardi plusieurs de vos Domestiques aïent été lui parler au lieu où il ètoit détenu & qu' ils l' aïent pressé long-temps de declarer les complices du prétendu crime; que le Pere Maitre de Rubeis, & son Compagnon, appellé le Pere Jerome Ceccarel, lui aïant soutenu en face, faussement & contre la verité, que le Dimanche precedent ils l' avoient vû dans le lieu, qu' on nomme la Barcaccia, prenant son chemin vers la rüe d' Espagne, & ensuite allant en la compagnie d' un autre vers le Palais de Mr. le Cardinal de Janson; toutefois il est toûjours demeuré ferme à protester que cela n' étoit pas vrai, & leur a dit méme par reproche: Etes vous des Pretres? Après cela, diverses menaces rëiterées lui aïant été faites par plusieurs de vos Domestiques, dont l' un s' appelle Mathieu des Comtes, & un autre Noël Pedrinus, que s' il ne disoit la verité il se disposât à mourir, ou montât en haut prour y être tourmenté tout de nouveau, quoiqu' il eut été constant à assûrer jusques-là, qu' il n' y avoit rien de vrai dans tout ce, qu' on lui disoit, toutefois épouvanté de l' image de la mort, après que les Gardes lui eurent lié les deux mains, pour le remener au même lieu, où il avoit déja tant souffert, voïant qu' on lui refusoit un Confesseur, qu' il avoit demandé avec instance, il a supposé faussement que Dominique Braccio, Valet Florentin, arresté aussi par votre ordre, l' avoit sollicité de la part de Mr. le Cardinal de Janson, de vous assassiner; ce que Dominique aïant nié, quoi que ces choses lui eussent été soutenuës en face par Giovanelli dans le Cabinet d' enhaut, où il avoit été mené pour cela: Cependant aïant eté mené en bas, & craignant d' être exposé aux mêmes supplices que l' on avoit fait souffrir à Giovanelli, il a inventé que quelques jours auparavant ce Giovanelli lui avoit donné deux Billets pour les rendre, comme il les a rendus à un certain Inconnu, qui l' attendoit dans la ruë de Saint Marc, dans laquelle est le Palais de Mr. le Cardinal. Vous avez

inventé

inventé ensuite contre le même Cardinal une chose, qui n'a nulle vraisemblance, & que ceux qui ont un peu de prudence ne croiront jamais, sçavoir que Mr. le Cardinal de Janson ait ordonné par Ecrit à un Valet, homme de neant, d'aller vous assassiner. Ainsi, vous avez commandé à un de vos Domestiques de tâcher de tirer de Giovanelli les Billets en question, cè qu'il tâcha en effet de faire ; mais Giovanelli aïant répondu, que bien loin d'avoir rendu des Billets à qui que ce soit, il n'en avoit reçu de personne, quoique Dominique lui ait été amené pour confirmer, que les Billets avoient passé des mains de Giovanelli dans les siennes, il a retracté par un remors de conscience ce qu'il avoit supposé de Dominique, declarant, que ni Mr. le Cardinal, ni aucune autre personne, ne l'avoit fait solliciter de vous tuer, ce qu'aïant appris, vous avez donné ordre à Abbas Cesar & à Neron de faire monter Giovanelli, & vous avez taché, l'épée nuë à la main, de tirer de lui les Billets, que vous supposez que Mr. le Cardinal lui avoit donnez ; mais comme il a protesté toûjours qu'il n'etoit coupable en aucune chose, & qu'il a demandé un Confesseur, vous avez fait venir le Pere Maitre de Rubeis, & aïant sçû, que ce Religieux n'avoit pas le pouvoir de lui administer le Sacrement de Penitence, vous avez fait garder Giovanelli les pieds & les mains liées. Quoique les choses, que l'on supposoit contre Mr. le Cardinal de Janson n'eussent aucune apparence de verité, qu'elles eussent été arrachées de Giovanelli par la crainte de la continuation des tourmens, & qu'il les eût retractées étant encore en vôtre pouvoir, & en vôtre prison particuliere, toutefois la nuit du Mardi au Mercredi II. Janvier, ne craignant ni Dieu, ni la Justice, sans aucun respect pour la dignité de Cardinal, ni pour le caractere d'Evesque, & sans mettre en consideration, que les Cardinaux sont comme attachez aux côtes du Pontife Souverain, jettant sur Mr. le Cardinal de Janson la tache honteuse d'un homicide en vôtre personne, vous avez osé attenter sur sa reputation, & dicter au Prêtre Thomas Trivellius, qui est presentement en la puissance de la Cour, un Libelle diffamatoire conçû en ces termes : Le Cardinal de Janson Fourbin aïant tramé une machination, aussi inhumaine qu'infame, pour faire tuer la nuit le Marquis de Pescara par un Esclave, secondé d'un autre, qui couchoit dans son antichambre, Dieu a permis qu'on ait découvert un si barbare attentat deux heures avant qu'il se mist au lit. C'est pourquoi on fait sçavoir à chacun, que pour cela il y aura exposition du S. Sacrement, pendant trois jours dans l'Eglise de S. André de la Valle. Plusiers Copies de ce scandaleux Ecrit aïant été faites, vous les avez fait afficher en plusieurs lieux de la Ville & particulierement au bout de la ruë du Pellerin vers la pointe du Champ de Flore, & ce, qui est beaucoup plus à condamner, aux Portes des Eglises de St. André de la Valle & de la Sainte Trinité, & même aux murs de l'Eglise S. Jacques des Espagnols, & du College Romain, où le matin du Mercredi ces Copies ont été trouvées & leües, au grand scandale du Peuple. Aïant cependant continué à retenir Giovanelli le Mercredi dans le même lieu avec bonne garde, sans lui avoir rien fait donner à manger depuis sa detention, vous êtes venu à lui vers les dix sept heures, tenant en vos mains vôtre épée dans le foureau, & vous lui avez demandé aigrement pourquoi il avoit formé le dessein de vous tuer. Ensuite, lui parlant avec douceur, vous lui avez promis, que pourvû qu'il vous mist entre les mains les Billets, que vous supposiez qu'il avoit eus de Mr. le Cardinal de Janson, & qu'il declarât quels étoient les complices dans l'attentat conçû contre vous, vous lui laisseriez la vie, & lui fourniriez dequoy subsister. Malgré vos promesses, il a persisté dans la negative, & vous vous êtes retiré. Une heure aprés, Mathieu des Comptes, envoïé par vous, lui aïant réiteré les mêmes promesses, Giovanelli, voulant s'affranchir des supplices, qu'il craignoit encore, & dans l'esperance, qu'on effectueroit les choses, qu'on lui promettoit, a supposé contre toute verité, que peu de jours avant les Fêtes de Noël de l'anneé derniere, il avoit été sollicité par un inconnu, appellé François, de vous poignarder, que cet inconnu assûroit, que c'étoit par l'ordre de Mr. le Cardinal de Janson, avec promesse, de lui donner mille ecus ; que lui Giovanelli l'avoit trouvé par hazard lorsque marchant par la Ville il passoit devant l'Eglise de S. Charles, qu'on appelle ad Catenarios. Cependant, vous, Marquis de Pescara, aïant été requis par le Tribunal du Gouvernement de la Ville, de lui remettre Giovanelli & Dominique, qu'il sçavoit, que vous teniez enfermez, afin qu'ennuïez d'être tenus, & craignant les tourmens dont ils étoient menacez, ils declarassent ce, que la verité ne leur permettoit pas de deposer, songeant à vôtre sureté particuliere, pour empêcher Giovanelli de retracter ce, qu'il avoit supposé faussement en dernier lieu, après l'avoir exhorté de dire la verité dans l'Interrogatoire, qu'il subiroit, & d'avoir bon courage, parce qu'il seroit bien-tôt renvoyé, vous avez eu soin, que le Chanoine Michel Ursus demeurant chez vous, lui ait fait écrire de sa propre main, avant qu'il ait été livré à la Cour, tout ce qu'il avoit dit de bouche, & qu'il l'ait signé après qu'il a été lû devant des Temoins. Giovanelli & Dominique aïant été traduits à la Cour, interrogez par deux Lieutenans, ils ant deposé, que tout ce, qu'ils avoient dit étoit faux, & avoit été inventé pour éviter de plus grands tourmens, ce qu'ils ont confirmé à la question en presence de Mr. le General Fiscal. Cependant le soir du Jeudy suivant, pressé par le remords du crime commis, vous vous êtes retiré dans le Palais du Seigneur dont on a déja parlé, croïant y être à couvert des Ministres de la Cour, sur quoi pesant l'énormité de la calomnie renfermée dans le Libelle affiché contre l'Eminentissime Cardinal de Janson, homme aussi considerable par sa naissance, que par les Dignitez de Cardinal & d'Evêque, d'une trés-grande reputation, & respecté de toutes manieres, que vous avez diffamé contre la forme des Constitutions Apostoliques, & particulierement de Pie V. qui ordonne contre ceux, qui osent attaquer les Princes & les Prelats par de semblables Libelles, les peines du Droit commun & des Canons, & même le dernier Supplice, & la confiscation des Biens, selon la qualité du delit & des personnes ; Nous &c.

Sentence contre le Marquis du Guast.

La Cause aïant été aujourd' hui rapportée dans la Congregation criminelle particuliere, tenüe par ordre de Sa Sainteté, Nous disons, prononçons, déclarons, & sententions le Marquis del Vasto & de Pescara, comme trouvé coupable des Faits rapportez dans le Procez & punissable de Droit, pour n' avoir pas comparu par devant Nous personellement, afin de se purger des choses dont il se trouve accusé; en sorte qu' il a encouru les peines portées dans le Monitoire, qui a été fait contre lui & legitimement executé, & qu' il doit être condamné, ainsi que Nous le condamnons au dernier Suplice, qui est d' avoir la tête tranchée, avec confiscation de tous ses Biens, aplicables à la Chambre Apostolique. A cette fin, Nous ordonnons que s' il est jamais rencontré dans aucune des Places, apartenantes au Saint Siege, après qu' on aura réconnu sa personne dans les formes, il sera conduit au lieu ordinaire des Executions, qu' on y dressera un échaffaut, & qu' il aura la tête coupée, afin que sa punition convienne à son crime, & qu' elle serve d' exemple aux autres; ce qui a été prononcé par moi Marc-Antoine Venturin, Lieutenant, le 18. Mars 1702.

III.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Don Cæsarem Michaelem Angelum Davalos, de Aquino, de Aragonia Carafam, Piscariæ atque Vasti Marchionem, Principis Piscariæ, Vasti, Francavillæ & Roccellæ titulo ac dignitate, variisque insuper Privilegiis indultis, condecoravit, d. d. 12. Martii, Anno 1704.

LEopoldus, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretæ, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. &c.

Don Cæsari Michaëli Angelo Davalos de Aquino, de Aragonia, Marchioni Piscariæ, & Vasti, Principi Francavillæ, Roccellæ, & Civitatis Iserniæ, Duci Montis Nigri, Montis Itiliæ, & Montis Belli, Marchioni Castriveteris, Comiti Grotteriæ, & Comitatus Montis Odorisii, Scerni, Pollutri, Casalis Bordini, Furci, Guilmi, Gissi, Lentiolæ, Casalanguidæ, Lisciæ, Collis Medii, Villarumque Alfonsinæ, & Cupelli, Domino Baronatuum Blanchi, & Condoianni, Domino Civitatis Lanxani, ejusque Villarum Sanctæ Mariæ Petræ Constantinæ, Stanazzi, Mozzagrognæ, & Scorciosæ, Domino Insularum Prochytæ, Bivariæ, & Sancti Martini, Oppidorum Serræ Capriolæ, Chieuti, Civitæ Campomarani, & Castri Taureni, Baroni Diliolæ, & Riporsorum, Domino Juris Patronatus Prioratus Roccellæ Castellano, Capitaneo ad Bellum, & Gubernatori perpetuo Fortalitii, Civitatis, & Insulæ Ischiæ, Cataphractorum Equitum Duci, Aurei Velleris, & Clavis Aureæ Equiti, Domino totius Familiæ Davalos, inter Magnates Primæ Classis bis Hispaniarum Magno, Supremo Campi Mareschallo Nostro, benevolentiam, gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum.

Sicuti rerum humanarum ordo id postulare videtur, ut honoribus etiam, ac dignitatibus inter hominum cœtus constet modus; atque idcirco in conferendis iis prærogativarum titulis, qui ad Augustæ Majestatis nostræ incommunicabilem ac inaccessibilem sublimitatem proxime accedunt, nostram quoque liberalitatem certis terminis circumscribere æquum censeamus, ne dignitates, & prærogativæ eminentiores sua vilescere incipiant frequentia, sed excelsum quidpiam, atque insolitum in eo eluceat, qui ad sublimiorum Principum gradum aspiret; ita ea non minus est Imperatoriæ Majestatis nostræ munificentia, ut si Insignia Domus cujusdam Principalis de Nobis, Divisque Antecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus, Sacroque Imperio, ac inclyta nostra Austriæ Domo merita jure id sibi flagitare censeantur, eam, quam Divinæ Benignitatis Clementia Nobis elargita est, bonorum, Honorumque, ac prærogativarum dispertiendarum amplam potestatem, ac facultatem ad ejusdem Divini Numinis exemplum in illam Domum affluenter derivare Nobis inprimis volupe sit.

Nos itaque considerantes tum antiquissima, & Nobilitate clarissimæ gentis dicti Don Cæsaris Michaelis Angeli Davalos de Aquino, de Aragonia, Marchionis Piscariæ, & Vasti, Principis Francavillæ, & Roccellæ, splendorem, tum Majorum suorum maxima & innumerabilia erga Divos prædecessores Nostros Romanorum Imperatores, ac Reges, Augustamque nostram Austriæ Domum & in pace, & in bello merita, & signanter ea, quibus jam olim sub Republica Romana Sancius Davalos, Eques Calagoritanus, & postmodum Don Ferdinandus Franciscus Davalos, Marchio Piscariæ, & Don Alphonsus Davalos, Marchio Vasti, magni nominis Heroes, olim præfulserunt, dictum Don Cæsarem Michaelem Angelum, Avitarum virtutum haud degenerem, sed earundem eximium imitatorem atque æmulum animadvertimus; siquidem ipse, cum Dux Andegavensium universam Caroli Hispaniarum Regis ditionem ad Augustam Nostram Austriæ Domum post ipsius obitum Jure delatam occupavisset, atque Francorum Rex validissimas in Italiam copias immisisset, omnesque in tanta rerum conversione & perturbatione suspensi & incerti penderent, ipse generis sui memor, vi hostium atque potentia spreta, Neapoli degens, suæ incorruptæ fidei, suæque erga Nos observantiæ non obscura testimonia præbuit, constanterque & libere dilectissimum filium nostrum Carolum, Archiducem Austriæ, suum Regem pronunciavit, Romam deinde proficiscens, ut aperte Nostras partes amplecteretur, patriam, opes, fortunasque omnes haud cunctabundus deseruit: verum cum ex tanto ab ipso suscepto consilio summam imminere sibi perniciem, hostes existimavissent, magnopere verentes, ne cæteri populares prædicti Nostri Don Cæsaris Michaelis Angeli fama, & virtute

virtute excitati animos ſumerent, & jugum a cervicibus ſuis depellerent, omnes ſuos nervos intenderunt, ut a tam illuſtri facinore ipſum dehortarentur, maximique ponderis ei obtulerunt conditiones, quas ipſe ſublimi erectoque animo aſpernatus a ſua ſententia non diſceſſit; dederat namque ipſi ad tam egregiam imitationem exemplar præfatus Ferdinandus Franciſcus, Piſcariæ Marchio, qui a Romano Pontifice, cæteriſque Italiæ Principibus, oblatum ſibi Regnum Neapolitanum incredibili conſtantia reſpuit, Regiumque nomen regali animo ſprevit. Eximium ſane facinus atque memorabile, quod ſicuti perpetuam ipſi gloriam, ſic Nobis inſigne peperit emolumentum; nam alii Proceres ipſius exemplo inflammati hoſtium conditionem deſeruerunt, noſtraſque partes alacriter ſuſceperunt; quapropter cum nonnullas copias ad recuperandum præfatum Regnum Nos mittere decreviſſemus, eundem noſtri exercitus Mareſchallum conſtituimus, atque tantam dicti Marchionis & Principis erga Nos meritorum magnitudinem perpendentes, etſi ipſæ res geſtæ egregia ſint ipſi præmia, attamen ut Noſtram illis munificentiam reſpondere oſtendamus, atque hanc familiam illuſtriorem reddamus:

Motu proprio, ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ac ſano Noſtrorum, & Sacri Romani Imperii Electorum, Principum, Comitum, Baronum, aliorumque Nobis fidelium dilectorum accedente conſilio, eaque qua fungimur Cæſarea autoritate, & de illius plenitudine in nomine DEI omnipotentis, quem honorum dignitatumque omnium fontem inexhauſtum, primamque ſcaturiginem agnoſcimus, antedicto Cæſari Michaeli Angelo Davalos, de Aquino, de Aragonia, Marchioni Piſcariæ, & Vaſti, Principi Francavillæ, & Roccellæ, ejuſdemque filiis, hæredibus, deſcendentibus, & ſucceſſoribus legitimis utriuſque ſexus in infinitum conceſſam anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, die decima ſexta menſis Auguſti a Divo Ferdinando II. Fabritio Caraffa, Principi Roccellæ, S. Romani Imperii Principatus dignitatem, atque poſt ſubſecutam Caroli, & Donnæ Juliæ Caraffa ultimorum Roccellæ Principum mortem, ad prædictum Marchionem & Principem Jure hæreditario delatam confirmavimus, & de novo, quatenus opus eſt, conceſſimus & elargiti ſumus, eoſdemque titulo, & dignitate Sacri Romani Imperii Principum inſignivimus & decoravimus, atque Principes Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ fecimus, creavimus, & extulimus, aliorumque Noſtrorum, & Sacri Imperii Principum numero, cœtui, atque conſortio aggregavimus, & prædicatum *Celſiſſimi* (quod Italico *Altezza Principale*, & latino idiomate *Celſitudo Principalis* exprimi ſolet) nec non *Dilectionis*, & *Conſanguinei Noſtri Chariſſimi* impertivimus, prout per præſentes confirmamus, concedimus, & largimur, facimus, creamus, exaltamus, ſublimamus, aggregamus, & prædicatum *Celſiſſimi, Dilectionis, & Conſanguinei Noſtri Chariſſimi* impertimur, atque pro ſingulari noſtra in ſæpe memoratum Celſiſſimum Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ Principem benevolentia ſuperaddimus, ut Sua Dilectio in Decretis ex Cancellaria Noſtra Imper. expediendis prædicato *Celſitudinis Principalis* honoretur, & afficiatur.

Decernentes, & hoc Noſtro Imperiali Diplomate firmiſſime ſtatuentes, ut poſthac perpetuis futuris temporibus prædictus Celſiſſimus Cæſar Michael Angelus Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ Princeps, ejuſdemque Filii, Hæredes, Deſcendentes, & Succeſſores legitimi Maſculi & Fœminæ, vigore hujus Noſtræ confirmationis, conceſſionis, erectionis, exaltationis, ſublimationis & aggregationis ſint, & eſſe debeant, nominentur, & nuncupentur, ac reputentur a Nobis æque, Noſtriſque Succeſſoribus, ac ab omnibus aliis & ſingulis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exiſtant, tam in ſcripto, quam viva voce, aut alias quotieſcumque, & quomodolibet illorum mentio facienda erit, Sacri Romani Imperii Principes, & Principiſſæ Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ (ſalvis tamen, & in ſuo ſtatu permanentibus antiquis & genuinis illorum titulis, & Dignitatibus per manus acceptis) utque tanquam Imperii Principes aliis Sacri Romani Imperii Principibus eodem, quo ipſi in ſolennibus uti ſolent, ſingulari atque in notam ejuſmodi præeminentiæ conceſſo amictu induti proxime aſſideant citra cujuſcumque impedimentum & contradictionem; inſuperque omnibus & ſingulis honoribus, & dignitatibus, prærogativis, exemptionibus, præeminentiis, libertatibus, juribus, & Privilegiis, Inſignibus, gratiis, indultis, Regalibus, & aliis quibuscunque in Judicio, & extra, in omnibus rebus, ſtatibus, & cauſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, Eccleſiaſticis, & Profanis, nec non in quibuscumque Imperii & Circulorum Seſſionibus, Conventibus, Proceſſionibus, Certaminibus Equeſtribus, & alias ubique, & in locis omnibus gaudere, uti, fruique debeant, ac poſſint, quibus alii Noſtri, & Sacri Romani Imperii Principes per idem Romanum Imperium, & ubique locorum, & terrarum in dandis & ſuſcipiendis Feudis, & in omnibus aliis & ſingulis ad ſtatum, & conditionem Principum, Principatuumque Romani Imperii ſpectantibus gaudent, utuntur, potiuntur, & hactenus gaviſi, uſi, atque potiti ſunt quomodolibet conſuetudine, vel Jure.

Præterea Celſiſſimo Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, pro Noſtro in ipſum affectu, hanc ſpecialem gratiam indulgemus & concedimus, qua ipſe, ſi eundem (hoc præſertim tempore, quo ipſi, ut ſingulare ſuum res rationeſque Noſtras promovendi ſtudium luculentius teſtari poſſet, Hippolita Davalos Uxor ſua lectiſſima Neapoli relinquenda fuit) abſque liberis legitimis ex hac vita decedere contingeret, aliquem ex Illuſtri Domo & Familia Davalos Montis Herculis, vel de Troia omnium & ſingularum, quas in hoc Cæſareo Noſtro Diplomate, ipſi ſuiſque legitimis Deſcendentibus utriuſque ſexus in infinitum conceſſimus & elargiti ſumus, dignitatum, honorum, prærogativarum, gratiarum, jurium, & Privilegiorum Hæredem nominare, vel adoptare poſſit, illumque eo eveniente caſu, una cum omnibus ſuis filiis, hæredibus & deſcendentibus legitimis unius alteriusve ſexus natis, & naſcituris in infinitum, Sacri Romani Imperii, atque Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ & Roccellæ Principum titulo, nomine ac dignitate, nec non omnibus aliis privilegiis, prærogativis, honoribus, juribus ac gratiis in hocce diplomate noſtro

expressis, eodem modo uti, frui, potiri atque gaudere volumus, ac si pro ipso, ipsisve istud Diploma expeditum fuisset.

Ad porro magis magisque Animi Nostri Cæsarei propensionem in prædictum Celsissimum Nostrum Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principem testificandam, ex certa scientia, ac sano accedente consilio, proque ea qua fungimur autoritate Cæsarea, deque ejus potestatis plenitudine, ipsi ejusdemque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus legitimis in infinitum benigne dedimus, concessimus, & elargiti sumus libertatem, & facultatem in aliquo ipsi eisque commodo & opportuno Jurisdictionis loco Officinam Monetariam fabricandi & exstruendi, monetamque auream & argenteam, majoris tamen generis, ex una parte Aquila Nostra Imperiali, & ex altera Armorum Suæ Dilectionis, ejusque descendentium insigniis, nominis item, & cognominis proprii inscriptione signatam, bonam tamen, probam, sinceram, & justam, quæ non sit adulterata, aut deterior illa, quam cæteri vel Italiæ, vel Germaniæ Principes Divorum Antecessorum Nostrorum Romanorum Imperatorum & Regum gratiosa concessione cudunt (ita ut nemo de ejusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat) faciendi, atque cudendi, eamque pro rei necessitate erogandi, atque spargendi; volentes, & Cæsareo Edicto Nostro firmiter decernentes, quod supradictus Celsissimus Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Princeps, ejusque filii, hæredes, descendentes, & successores monetam auream & argenteam, ut supra, bonam, justam, probam, & sinceram, nec viliorem illa, quæ, ut ante dictum est, a cæteris, vel Italiæ, vel Germaniæ Principibus Sacro Romano Imperio subjectis, juxta tenorem, & præscriptum Privilegiorum, ipsis a Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus concessorum cuditur, in certo aliquo Jurisdictionis suæ loco cudere, eamque ubivis terrarum & gentium erogare, spargere, erogandamque & spargendam, seu distrahendam curare, nec non omnibus ac singulis gratiis, libertatibus, Privilegiis, immunitatibus, prærogativis, & Juribus, citra cujuslibet impedimentum uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, quibus cæteri Sacri Romani Imperii Principes, & Ordines monetam cudendi facultatem habentes utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent quomodolibet consuetudine vel de Jure, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Ad hæc cupientes Celsissimum Nostrum Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principem luculentiori quopiam meritis & virtutibus suis congruo liberalitatis Nostræ Cæsareæ argumento prosequi, eadem qua supra autoritate Imperiali, eundem, ipsiusque filios, hæredes, descendentes, & successores legitimos, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorii Comitem, ac Comites fecimus, creavimus, & Comitatus Palatini titulo clementer insignivimus, prout & tenore præsentium facimus, creamus, erigimus, attollimus, & insignimus, ac aliorum Comitum Palatinorum numero & consortio dictum Celsissimum Principem, ejusdemque filios, hæredes, descendentes, & successores legitimos aggregamus, & adscribimus; decernentes, & hoc Imperiali statuentes edicto, quod omnibus & singulis privilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, consuetudinibus, & libertatibus uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, quibus cæteri Sacri Lateranensis Palatii Comites hactenus usi, potiti, & gavisi sunt, seu quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent consuetudine, vel libertate.

Dantes & concedentes sæpefato Celsissimo Principi, ipsiusque filiis, hæredibus, & descendentibus, ac successoribus legitimis amplam autoritatem & facultatem, qua possit, & valeat, possint item, & valeant, per totum Romanum Imperium, & ubique locorum & terrarum facere & creare Notarios Publicos, seu Tabelliones, & Judices ordinarios, & omnibus Personis, quæ fide dignæ, habiles, & idoneæ fuerint (super quo vestram oneramus conscientiam) Notariatus & Judicatus ordinarii officium concedere, & dare, eosque, ac eorum quemlibet autoritate imperiali de prædictis per pennam, & calamarium (prout moris est) investire, dummodo tamen eos habiles & idoneos invenerint, & ab ipsis Notariis Publicis, seu Tabellionibus, & Judicibus ordinariis per ipsos creandi, & ab eorum quolibet nomine nostro, & Sacri Imperii, & pro ipso Romano Imperio debitum fidelitatis recipiant corporale Juramentum, in hunc videlicet modum: quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, omnibusque successoribus Nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, legitime intrantibus, fideles, nec unquam intererunt consilio, ubi nostrum periculum tractetur, sed bonum, & salutem nostram defendent, & fideliter promovebunt, damnaque nostra pro viribus vetabunt, & avertent. Præterea, Instrumenta omnia tam publica, quam privata, ultimas voluntates, codicillos, testamenta, quæcumque Judiciorum Acta, ac omnia alia & singula, quæ illis & cuilibet ipsorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel scribenda, juste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate & dolo remotis legent, facient & dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera, aut alias passiones & favores: Scripturas vero, quas debebunt in publicam formam dirigere, in membranis mundis, non chartis abrasis aut papyreis fideliter secundum locorum consuetudinem conscribent, legent, facient & dictabunt, causas Hospitalium & miserabilium personarum, nec non pontes & stratas publicas pro viribus promovebunt, sententiasque & dicta testium, donec publicata fuerint, & approbata, sub secreto fideliter retinebunt, ac omnia alia & singula recte, juste & pure facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt consuetudine, vel de jure. Quodque hujusmodi Notarii Publici, seu Tabelliones & Judices ordinarii, per ipsum Celsissimum Principem, ejusdemque descendentes legitimos creandi, possint & valeant per totum Romanum Imperium, & ubilibet locorum & terrarum facere, scribere & publicare Contractus, Judiciorum Acta, Instrumenta, & ultimas voluntates, Decreta quoque & autoritates interponere in quibuscumque Contractibus, simile quidpiam requirentibus, ac omnia alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium Publici Notarii, seu Tabellionis & Judicis ordinarii pertinere & spectare dignoscuntur. Decernentes, ut omnibus Instrumentis & scripturis per hujus-

modi

modi Tabelliones, Notarios Publicos, sive Judices ordinarios conficiendis, plena fides ubique adhibeatur.

Insuper antenominato Celsissimo Principi, ipsiusque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus legitimis concedimus, & elargimur plenam facultatem, quod possint & valeant naturales bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos copulative, vel disjunctive, & quoscumque alios, etiamsi infantes fuerint præsentes, vel absentes, ex illicito vel damnato coitu procreatos, masculos, & foeminas, existentibus, vel non existentibus aliis filiis legitimis, eis etiam aliter non requisitis, viventibus, vel etiam mortuis eorum parentibus (Illustrium tamen Principum, Comitum, Baronumque filiis dumtaxat exceptis) legitimare, at eos, & eorum quemlibet ad omnia & singula jura legitima restituere ac reducere, omnemque geniture maculam penitus abolere, ipsos habilitando, & restituendo ad omnia & singula jura successionum, & hæreditatum bonorum paternorum & maternorum, etiam ab intestato cognatorum, & agnatorum, nec non ad honores, dignitates, & singulos actus legitimos, tam ex contractu, quam ultima voluntate, aut alio quovis modo in Judicio, & extra, perinde, ac si de vero legitimoque matrimonio, nati ac procreati essent, objectione prolis illegitimæ penitus quiescente, quodque illorum legitimatio per ipsos ut supra facta, pro juste & legitime facta maxime habeatur ac teneatur, non secus, ac si foret cum omnibus juris solennibus, quorum defectus specialiter autoritate nostra Imperiali suppleri volumus & intendimus peracta, dummodo tamen legitimationes hujusmodi non præjudicent filiis & hæredibus legitimis & naturalibus, qui quidem legitimandi, postquam legitimati fuerint, sint, & esse censeantur, nominenturque, & nominari possint & debeant ubivis locorum & terrarum tanquam vere legitimi, & legitime nati de domo, familia, aut agnatione parentum suorum, arma etiam, ac eorum insignia portare, & ferre possint, & valeant, admittanturque ad omnes actus legitimos, officia, jura, honores, & dignitates tam ecclesiasticas, quam seculares, uti vere legitimi, quin etiam efficiantur Nobiles, si Parentes ipsorum Nobiles fuerint, possintque, & debeant in omnibus actibus publicis, & privatis, iisdem officiis, juribus, honoribus, & dignitatibus frui & gaudere, quibus vere legitimi in Judicio, & extra utuntur, fruuntur, & gaudent, non obstantibus ullis legibus, quibus cavetur, quod naturales bastardi, spurii, manseres, nothi, incestuosi copulative, vel disjunctive, aut alii quicumque ex illicito ac nefario concubitu procreati, vel procreandi non possint, vel debeant legitimari, liberis naturalibus, & legitimis existentibus, vel sine consensu, & voluntate filiorum naturalium, vel legitimorum, vel agnatorum, aut feudi Dominorum, & specialiter in Auth. quib. mod. nat. effic. sui, per totum §. Naturales, si de feud. fuer. Controv. inter Dom. & Agn. & L. jubemus C. de Emancip. Lib. & aliis similibus; quibus quidem legibus, & cuilibet ipsarum voluntus expresse, & ex certa nostra scientia derogari, neque etiam obstantibus in præmissis aliquibus contrahentium dispositionibus, & ultimis defunctorum voluntatibus, aliisque legibus, locorumque statutis, ordinationibus, & consuetudinibus, etiamsi tales forent, quæ specialem hic & individuam mentionem requirerent; quibus obstantibus, & obstare volentibus in hoc duntaxat casu ex certa nostra scientia de Cæsareæ Potestatis plenitudine totaliter derogamus, & derogatum esse volumus.

Similiter eadem autoritate Nostra Imperiali Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus damus & concedimus amplam facultatem, qua possit, ac valeat, possint itidem, ac valeant tutores atque curatores confirmare, dare, & constituere, ipsosque ex causis legitimis amovere, nec non filios adoptare, & arrogare, eosque adoptivos & arrogatos facere, constituere, & ordinare, filiosque legitimatos, sive legitimandos, adoptivosque & adoptandos in quavis ætate constitutos emancipare, ac patria potestate liberare, adoptionibusque & emancipationibus quibuscumque omnium & singulorum, etiam infantium, atque adolescentum consentire. Veniam ætatis supplicantibus concedere, autoritatem & decretum in omnibus interponere; Servos etiam manumittere, manumissionibus quibuscumque, cum, vel sine vindicta, & minorum alienationibus, alimentorumque transactionibus autoritatem pariter, ac decretum in omnibus interponere. Cum infamibus tam juris, quam facti, aut aliter quomodolibet, copulative vel disjunctive dispensare, eosque ad famam restituere, abstergendo ab iis omnem infamiæ notam tam irrogatam, quam irrogandam, ita ut de cætero ad omnes & singulos actus legitimos apti & idonei habeantur & promoveantur, haberique & promoveri possint ac debeant juris ordine semper servato.

Præterea memorato Celsissimo Principi, ipsiusque filiis, hæredibus, descendentibus & successoribus scientia, motu & autoritate, quibus supra, indulgemus, qua possint ac valeant Doctores Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ ac Philosophiæ, nec non Licentiatos in omni licita Facultate, Magistros, Baccalaureos atque Laureatos Poëtas creare, promovere, ordinare & constituere, & facere, adhibitis tamen in cujuslibet Doctoris creatione Doctoribus eximiis de professione creandi, ad minus tribus, qui Doctorandum vel Licentiandum examini subjiciant, & ei, quem idoneum invenerint, sufficientemque comprobaverint, suam autoritatem interponendo, Doctoratus, Licentiæ, Magisterii, Baccalaureatus & Laureæ Poëticæ insignia, ut moris est, conferant, qui quidem Doctoratus titulo a vobis donati libere possint & valeant in omnibus Civitatibus, & ubilibet terrarum omnes Actus Doctorales legendi, docendi, interpretandi, Cathedram ascendendi, & cæteros actus Doctorales, Licentiæ, Magisterii & Baccalaureatus facere & exercere, omnibusque & singulis gaudere, & uti privilegiis, prærogativis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus, indultis & gratiis, quibus cæteri Doctores vel Licentiati, nec non Magistri, Baccalaurei & Poëtæ Laureati, qui in Gymnasio, sive Academia, & Universitate Viennensi, Parisiensi, Papiensi, Pisano, Coloniensi, Ingolstadiensi, & alio quolibet publico & privi-

privilegiato Gymnasio, vel Academia promoti, vel etiam a Nobis ac Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus insigniti fuerunt, seu aliter quocunque modo talia Insignia acceperunt, gaudent, utuntur & fruuntur quomodolibet, consuetudine, vel de Jure.

Ulterius Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusdemque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus liberam potestatem, & facultatem damus, ut possit & possint honestis personis illud petentibus, insignia, seu arma cum, vel sine corona Regia concedere & elargiri idonea, & convenientia qualitati personæ (quod ex ipsius Celsissimi Principis, ejusdemque descendentium arbitrio pendere volumus) eosdemque cum insignium & armorum, tum feudorum capaces reddere, dummodo in hujusmodi armorum concessione abstineant, ne alicui integram Aquilam maxime Imperialem, aut avita Principum, Comitum, Baronum & procerum insignia præcise elargiantur; qui quidem per ipsos sic armis decorati, hujusmodi arma sibi concessa ubique locorum & terrarum in omnibus & singulis honestis & decentibus actibus & expeditionibus, in bellis, duellis, quibuscunque pugnis, vexillis, annulis, sigillis, sepulchris, & universa supellectile pro eorum arbitrio deferre, omnibusque & singulis privilegiis, juribus & gratiis uti, & gaudere possint, quibus cæteri a Nobis & Prædecessoribus nostris armis decorati & feudorum capaces utuntur & gaudent, & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur, & recipiuntur consuetudine, vel de Jure.

Deinde pro insigniore hujus dignitatis ornamento supradicta autoritate nostra Imperiali concedimus, & indulgemus, quod neque Celsissimus Piscariæ, Vasti, Francavillæ & Roccellæ Princeps, omnesque ejus liberi, hæredes, descendentes & successores legitimi utriusque sexus, nec ministri, familiares, domestici aut subditi ipsorum, eorumque omnium res, aut bona moventia vel fixa, ubicunque locorum existentia a quocunque ad Curiæ Nostræ Imperialis Rotweillensis, aut Westphaliæ, aut cujusvis alterius Curiæ, aut Provinciæ Ecclesiasticæ, vel secularis, aut ad quodcunque aliud Sacri Romani Imperii tribunal pro quacunque profana causa, sive ea concernat personas, sive honorem, sive Res, & facultates, vocari, citari, vel pertrahi, neque in aliquo istorum contra eundem Celsissimum Principem, aut ejus hæredes, & descendentes, illorumve corpora, vel bona judicari, pronunciari, & procedi debeat, aut possit: Verum si quis ullam actionem, Jus, aut querelam adversus suam Dilectionem, vel ipsos, aut illorum aliquem sibi competere prætendat, eosdem non alibi quam coram Nobis, aut Successoribus Nostris Romanorum Imperatoribus, & Regibus, contra vero ministros, familiares, domesticos, clientes, & subditos ipsorum, eorumque corpora, res, & bona coram Judicibus ordinariis, quibus ratione bonorum suorum & personarum subjecti fuerint, & non alibi convenire, aut adversus illos actionem intendere & prosequi teneatur, quorum etiam Judicio & cognitione ipsæ partes per quoscunque Judices ad suæ Dilectionis, suorumque avocationem remitti debent, nisi forte actoribus justitiæ remedium postulantibus ad eorum postulata Jus in dictis locis notorie denegaretur, aut dolo malo, seu data opera protraheretur, quo quidem casu unicuique liberum aut licitum sit Jus suum in locis, & Judiciis, ubi id impetrare poterit, persequi; quod si vero contra præmissa contigerit Celsissimi Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principis Dilectionem, ejusdemque descendentes in infinitum, nec non Ministros, Domesticos, aut Familiares eorum, aut ipsorum res & bona, communiter vel divisim, ad alicujus curiæ, vel Provinciæ Ecclesiasticæ aut secularis Rotweillensis, aut Westphaliæ, vel aliud quodcunque tribunal evocari, citari, vel in Jus trahi, aut contra Dilectionem suam, ipsosque, & ipsorum personas, res, & bona, actionem vel querelam institui, procedi, pronunciari, judicari, decerni, vel agi quovis quæsito colore, Nos totum id, & quidquid eo modo intentatum, processum, judicatum, statutum, decretum, & actum fuerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra irritum, cassum & inane, nulliusque roboris, valoris, aut momenti decernimus & declaramus, scientia & autoritate prædictis, ita ut sic evocatis, & citatis, neque in personis, neque in bonis ullum damnum vel præjudicium adferri quoquo modo possit, valeat, ac debeat.

Insuper Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusdemque descendentibus in infinitum hanc quoque insignem prærogativam & gratiam tribuimus atque indulgemus, ut si quando contingat, suam Dilectionem, ipsiusque descendentes in Sacro Romano Imperio, Regnisque, aut Provinciis Nostris hæreditariis, fortalitia, aut arces novas e fundamentis exstruere, ac munire, vel collapsas reædificare, aut etiam jam exstructas arces, castra, oppida, loca, possessiones, dominia, territoria, domos, & habitationes liberas, villas, subditos aut servos emptionis, permutationis, hæreditatis, donationis, aut alio quocunque justo ac legitimo modo & titulo acquirere, realiterque possidere, iisdem arcibus, castris, oppidis, locis, possessionibus, dominiis, territoriis, villis, domibus, habitationibus liberis, subditis aut servis libere uti, frui, potiri & gaudere, ac insuper eorum nomina vel conservare, vel abolere, mutare, aut nova indere, ab iisque denominationem ex sententia atque arbitratu suo sibi assumere possint, & valeant, omni impedimento vel contradictione cessante.

Quo vero circa prædicta castra, oppida, & loca, vel exstructa, vel alias legitime acquisita magis magisque Celsissimo Nostro Piscariæ, Vasti, Francavillæ & Roccellæ Principi, ejusdemque descendentibus sit prospectum, de prædicta Cæsareæ, Regiæque potestatis plenitudine, omnique meliori modo, quo id efficacius fieri potest, ac debet, damus & concedimus ipsi, iisdemque amplam facultatem venandi, piscandi, gabellas, tributa, & vectigalia nova inducendi, nundinas annuas, & hebdomadarias constituendi, tabernas & hospitia publica erigendi, cum potestate propinandi vina, & alia potulentorum genera exercendi, molendina fabricandi, bannitos recipiendi, merum & mixtum imperium exercendi, feuda conferendi, & suscipiendi, aliaque quæcunque Privilegia, quibus alii Principes in suis Oppidis, Castris, Villis, Territoriis, ac Dominiis de Jure, vel ex Privilegio utuntur, & fruuntur, uti frui, potiri, & gaudere possint, & valeant, non

secus

fecus, atque si omnium & singulorum specialis hic & individua mentio facta fuisset; Nostris tamen, & Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunque juribus semper salvis.

Item Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ipsiusque descendentibus in infinitum damus & concedimus plenam licentiam, & facultatem, ut ipse totaque ipsius familia, tam domi, quam in itinere existendo, in omnibus Regionibus, Provinciis, Civitatibus, Castellis, Oppidis, aliisque quibuscunque locis, Nobis, & Sacro Romano Imperio immediate aut mediate subjectis, arma cujuscunque generis, tam defensiva, quam offensiva, quæ virum Nobilem decent, libere, & absque omni impedimento, pro eorundem decore, securitate & necessitate ferre & gestare possit & valeat, possint itidem & valeant.

Pariter sæpefatum Celsissimum Principem, ejusque descendentes cum tota eorum familia, ac cum omnibus bonis, possessionibus, ædibus, prædiis, agris, vineis, hortis & rebus omnibus, quas in præsentiarum in Imperio, Regnis & Provinciis nostris possident, ac in futurum legitime acquirent & possidebunt, in Nostram & Sacri Romani Imperii clientelam, tuitionem, protectionem, & salvamguardiam suscepimus assumpsimusque, & suscipimus assumimusque vigore præsentium; Volentes, & decernentes, quod sint, teneantur, & esse debeant, una cum prædictis personis, bonis, ac rebus omnibus sub hac speciali tuitione & salvaguardia Imperialis nostræ Aquilæ perpetuo salvi, protecti, & securi ab omni gravamine & oppressione, & quod deinceps omnibus ac singulis immunitatibus, gratiis, & prærogativis potiri & gaudere possint, quibus alii, qui sub Nostra, & Sacri Romani Imperii salvaguardia & protectione constituti sunt, de Jure, sive consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent; & ut certo & manifeste omnibus constet de hac Nostra, & Sacri Imperii protectione, tuitione, & salvaguardia, plenam eidem Celsissimo Principi, ejusdemque hæredibus, facultatem, autoritatem, & licentiam concedimus & elargimur, ut toties, quoties opus habuerint, aut voluerint, possint & valeant in dictis suis ædibus, prædiis, fundis, hortis, bonis, & possessionibus effigere, & erigere Aquilam nostram imperialem, una cum Nostris, & Sacri Romani Imperii, aliorumque Regnorum Nostrorum insignibus conjunctim, vel divisim in testimonium & signum hujusmodi salvæguardiæ, & ea quandocunque libuerit, cum debito honore & reverentia amovere citra cujuscunque impedimentum & contradictionem.

Porro Celsissimi Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principis Dilectioni, ipsiusque filiis, & hæredibus hanc facultatem damus, & concedimus, ut de quibuscunque originalibus, privilegiis, Instrumentis, atque aliis literalibus documentis, & actis quovis nomine dici solitis unum, sive plura transsumpta facere, eademque suo impresso & appenso Sigillo authentizare & vidimare possint, quibus scripturis, & transumptis ab iis, ut supra, vidimatis & authentizatis ubique terrarum ac locorum in Judicio, & extra, plena & indubitata fides adhiberi debeat, proinde ac si propria originalia adessent, aut ipsorum transsumpta ab aliquo Sacri Romani Imperii Electore, Principe, aut Prælato, seu aliis ejusdem Imperii Provincialibus vidimata & authentizata fuissent.

Quo vero singularem Celsissimus Princeps benigni animi nostri propensionem uberius experiatur, autoritate Nostra Imperiali & Regia scienter & deliberate ipsi, ejusdemque filiis, hæredibus, descendentibus & successoribus legitimis in infinitum hanc quoque gratiam, facultatem ac potestatem concessimus ac elargiti sumus, ac tenore præsentium concedimus & elargimur, ut si quando ipsis visum & commodum fuerit in aliqua civitate vel oppido tam Sacri Romani Imperii, quam aliorum Regnorum aut Dominiorum nostrorum Jurisdictioni subjecto habitare vel morari, quod modo dictus Celsissimus Piscariæ, Vasti, Francavillæ & Roccellæ Princeps, ejusdemque descendentes legitimi, nec non cuncti domestici, familiaresque in ea civitate vel oppido, ac in aliis etiam quibuscunque locis, terris & civitatibus per Sacrum Romanum Imperium, tum Italiam, ac Regna, & Provincias nostras hæreditarias censeantur, & sint, & esse debeant absoluti, liberi, immunes penitus, & exempti a quibuscunque oneribus, muneribus, impositionibus realibus, personalibus, mixtis, ordinariis & extraordinariis, per quemcunque imponantur, seu erigi soleant, & quacunque is, qui ea imposuerit, vel exegerit, præfulgeat dignitate, autoritate & potestate, atque etiam ab omnibus exactionibus tributi, custodiæ, excubiarum, militiæ, & a gabellis, datiis, pedagiis, atque ab onere hospitandorum militum, ac nostrorum, nec non hæredum & successorum nostrorum, Romanorum Imperatorum ac Regum, Electorumque ac aliorum Principum Familiæ Aulicæ, sive Ministrorum Aulicorum, & ab aliis quibusvis oneribus & gravaminibus, ita ut aliqua ex prædictis nullo modo teneantur, nec eadem ab ipsis, ut supra, ullo modo aut forma exigi possint, nisi forte possessiones, vel bona urbana, vel civilia in ejusmodi locis emerint, vel alio quovis titulo acquisiverint, quæ urbanis oneribus obnoxia sint, quo quidem casu de illis jura consueta persolvere & præstare teneantur.

Ad hæc liberum Suæ Dilectioni, ipsisque sit, atque esse debet, in dictis Civitatibus & Oppidis, apud quoscunque patritios, tribunitios, & alios honestos cives, congressus, & congregationes ingredi, iisdemque, quando libuerit, renunciare, atque ex dictis Civitatibus, aut eorum territoriis, & Jurisdictionibus cum omnibus rebus, & bonis ipsorum sine ulla molestia, vel impedimento; & absque solutione ullius tributi, sive census pro immigratione, vel emigratione, sive de parata pecunia, sive de fixis & moventibus rebus, ac bonis, reditibusque eorum cujuscunque generis, & ubicunque existentibus rursus emigrare, & excedere, seque alio conferre, vel denuo ad illa loca, unde emigrarunt, redire, ibique sedem suam, vel domicilium iterum constituere, ac nihilominus etiam tum eodem immunitatis & exemptionis Privilegio, sicut ante, frui & gaudere possint, & valeant.

Et quo nostram erga Celsissimum Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principem, propensam benignamque voluntatem evidentiori aliquo testimonio comprobemus, ipsi, ejusdemque filiis, hæredibus,

bus, descendentibus, & successoribus legitimis indulgemus & concedimus, quod possit & valeat, possint & valeant singulis annis sex ex legitimo matrimonio procreatos ignobiles, quos virtus, & merita commendant, autoritate & potestate nostra nobilitare, ac in nostros, & Sacri Imperii Nobiles creare, facere, ordinare, constituere, ac Nobilitatis nomine, ordine, atque gradu, fascibusque & titulis insignire, ac insuper familiaribus eorum armis aliquod insigne addere, per quod veram Nobilitatem eos adeptos esse constet; qui & sic per dictum Celsissimum Principem, ejusdemque descendentes legitimos ut supra, Nobiles creati, facti, & constituti, pro talibus vere Nobilibus ab universis & singulis cujuscunque conditionis, præeminentiæ, status, & dignitatis existant, haberi, dici, scribi, & nominari debeant, ubique locorum & terrarum, in Judicio quocunque, & extra, in rebus spiritualibus & temporalibus, Ecclesiasticis & profanis quibuscunque, etiam si talia forent, de quibus in præsenti Diplomate nostro merito specialis mentio fieri deberet, in tantum, quod in omnibus, & per omnia in quibuscunque actibus, negotiis, & exercitiis, honoribus, & dignitatibus, officiis, muneribus, & præeminentiis, libertatibus, Privilegiis, gratiis, & indultis gaudere, uti, & frui possint & valeant, atque debeant, quibus cœteri nostri, & Sacri Imperii, & quorumcunque aliorum locorum & terrarum nobiles utuntur, fruuntur, & ad quæ admittuntur quomodolibet consuetudine vel de Jure.

Verum enimvero cum plurimi diversarum familiarum ingenui Tyrones in Sacro Romano Imperio æque ac in Italia, alibique sub exercitatissimis & peritissimis Exercituum Ductoribus, Archistrategis, & Architalassis terra marique militent, dignum videtur, ut qui ex tyronibus in fortissimos viros abierunt, albo Ordinis Equestris inscribantur; quare prædicto Celsissimo Sacri Romani Imperii Principi Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ, suæque Dilectionis filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus legitimis in infinitum facultas sit & potestas, non solum nostro nomine facere, constituere, & creare sex quolibet anno Milites, sive Equites, & Equestri dignitate eos insignire, ac insignia, ut moris est, conferendo militaria condecorare, sed etiam ut benevoli & grati in ipsum affectus & animi nostri eximium quoddam, atque ejusmodi exstet documentum, quo Celsissimi hujus Principis nomen & virtus immortalitati commendetur, novum Ordinem Equestrem pro suo arbitrio instituere atque stabilire (ea tamen conditione, ut quæ dicto Celsissimo Principi circa novum huncce Ordinem institutum, & stabilitum, cum quoad modum & locum, tum quoad numerum personarum, atque reliqua eo pertinentia, statuere visum fuerit, de iis omnibus Nos certiores facere, atque desuper confirmationem & approbationem Nostram Cæsaream petere teneatur) qui quidem sex Milites, sive Equites vigore hujus Nostræ Clementissimæ concessionis, ab ipso Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principe, ejusdemque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus creati non minus, quam in instituto & stabilito per ipsum novo Equestri ordine creandi plenam potestatem habeant, pennis, vestibus, & torquibus aureis utendi, & Equestris Ordinis locum & præeminentiam (salvis tamen antiquiorum ordinum Equestrium Juribus & prærogativis) tenendi, & cæteros alios actus Equestres faciendi ubique locorum, ac omnia & singula Jura, Privilegia, exemptiones, immunitates, & prærogativas habeant, quibus utuntur, & gaudent alii Milites & Equites, verbo & manu nostra immediate creati, & tali dignitate decorati, non obstantibus præsertim L. 1. & 2. & tot. tit. C. de Vest. Got. & auratis lib. undec. recepto tamen ab ipsis, vel ipsorum quolibet, Juramento in hunc qui sequitur modum, videlicet, quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, nostrisque successoribus ad id legitime venientibus ubicunque terrarum & locorum fuerint, seu ad quamcunque dignitatem, & ordinem quantumcunque majorem pervenerint, semper fideles, nec erunt unquam in consilio, tractatu, & participatione, ubi Nostrum, & Sacri Romani Imperii damnum & periculum agetur, & versabitur, quin potius damna & detrimenta pro virili; & omni possibili modo avertent, orphanos vero & pupillos, viduas, aliasque personas miserabiles, & Ecclesias læsas & oppressas, ubi sciverint, defendent, & tuebuntur.

Similiter Celsissimo Principi, ejusdemque filiis, hæredibus, descendentibus, & successoribus motu, scientia, & potestate, quibus antea dedimus & impertiti sumus plenam potestatem & facultatem, prout etiam per præsens diploma damus, & impertimur, ut nostro nomine, loco, & vice, totidem, sex scilicet quolibet Anno Sacri Lateranensis palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorii Comites ordinarios facere & creare possint & valeant, qui eandem facultatem & potestatem habeant, in creandis scilicet Notariis, & legitimandis bastardis, quibus tales uti consueverunt, aliisque gratiis, Privilegiis, exemptionibus, & honoribus uti possint, ac debeant, quibus hujusmodi Comites Palatini a Nobis facti & creati utuntur, fruuntur, & potiuntur consuetudine, vel de Jure.

Postquam igitur, ut jam supra insinuatum, juxta facultatem Celsissimo Principi Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ, ipsiusque descendentibus & successoribus in infinitum concessam, bona quædam emptionis, hæreditatis, aliove ullo justo possessionis & acquisitionis titulo indepti fuerint, iisdem pleno Dominii Jure utantur, fruantur, nullusque, quicunque is, aut cujuscunque conditionis, status, aut eminentiæ fuerit, molestiam, aut impedimentum creare, vel contributionum, impositionum, alioque exactionum reperiendo vocabulo ab ipsis ullo quodam tempore aut colore erogationes ordinarias, vel extraordinarias petere vel exigere ausit; perinde tamen antiquis, fundo & solo inhærentibus, aliisque legitime acquisitis juribus, & præstationibus neutiquam derogatum esse, sed ejuscemodi antiqua rei incumbentia onera, sine tertii præjudicio, integra & illibata servare volumus.

Et dum prædictus Celsissimus Princeps, omnesque ejus descendentes & successores legitimi, bona, seu territoria, & terras cujuscunque nominis, aut sortis, emptionis, aut alio quolibet contractu ad Dominii translationem apto idonee acquirent; hanc quoque insignem prærogativam eidem, ipsisque ea qua supra autoritate largimur, & benigne concedimus,

dimus, ne omnes alii retractus, vel Vicinitatis, vel Agnationis jure nitentes, dominia in ipsos rite translata irrita reddere, vel rescindere, et annihilare valeant; verum ipse Celsissimus Princeps, ejusque omnes Descendentes, non attento aliorum prothimisios jure, in Possessionibus Dominiisque partis et comparatis tuti et securi sint, imperturbatique relinquantur. Econtra si ab ipsius Celsissimi Principis Antecessoribus, ejusdemque posteris, ex avitis bonis quidquam olim alienatum esset, vel deinceps alienaretur, in iis omnibus legitime recuperandis jus retractus gentilitium Principi, ejusque Descendentibus omnino tribuimus, concedimus, & elargimur, usucapione & præscriptione quacunque ita sublatis, ne ipsi, eisque hæc omnia repetituris obstaculo & impedimento esse queant.

Porro in eo quoque Celsissimo Principi, ejusdemque legitimis Descendentibus clementer prospectum esse volumus, ut quoscunque Contractus ipsum, eosdemque attinentes, vel quomodolibet illi oblatos, ita intra æquitatis terminos coërcere valeant, ne usuræ invicem pactæ stipulatæque legitimum Sacri Romani Imperii, ejusdemque Recessibus determinatum Interesse, lucri videlicet cessantis, damnique emergentis modum, et mensuram egrediantur; quodcunque igitur quincunces usuras excedit, id ipsis revocare, retinere, solutumque repetere jus et fas esto.

Ulterius Celsissimo Principi, ejusque legitimis Descendentibus hanc singularem gratiam, libertatemque dedimus, ac concessimus, damus, et concedimus autoritate qua fungimur Cæsarea, deque ejusdem potestatis plenitudine vigore hujus Diplomatis, quod imposterum omnia et singula nobilio, Equestrique Ordini conformia feuda, et subfeuda, tam Ecclesiastica, quam Secularia, quomodocunque nominentur, ac appellentur, nullis omnino exceptis, quæ a Nobis, et Sacro Romano Imperio, vel ab aliis deinceps, et futuris temporibus consecuti fuerint, coëmerint, aut alio quocunque modo, ut bona feudalia acquisierint, personis Ecclesiasticis, et Secularibus in feuda, et subfeuda concedere, ac elargiri, et ab omnibus illis Vasallis consuetum fidelitatis homagium et Juramentum postulare possint, et valeant, ac Vasalli absque omni contradictione vel impedimento ejusmodi feuda a Celsissimo Principe, ejusdemque Descendentibus suscipere, iisque desuper ut domino, et dominis directis consueta juramenta præstare teneantur, & si ea Vasalli debito tempore non præstiterint, & se opposuerint, vel alia subterfugia quæsiverint, eo ipso feudis & jure feudali privati ac destituti Celsissimusque Princeps, ac ejus Descendentes & successores, quippe feudorum Domini, talia bona feudalia pro incremento, & melioratione aliarum suarum ditionum, & bonorum sibi vendicare, eademque ut propria retinere, vel aliis ea pro libitu, voluntate, et arbitrio concedendi licentiam, facultatemque habere debeant, si quando hæc nostra facultas, et gratia ullis Ecclesiasticis et secularibus juribus, vel communibus, vel feudalibus, legibus, constitutionibus, statutis, libertatibus, vel consuetudinibus contraria essent, vel explicari possent, his omnibus, vel maxime consuetudinibus, ac juribus statuentibus (quod Dominus feudi bona sua allodialia, et propria, absque consensu domini feudalis in alias personas deterioris conditionis ac status haud transferre possit, talique eveniente casu Vasalli a Domino deterioris conditionis, quam prior Dominus fuerit, feuda acceptare non teneantur (Nos ex vera scientia omnino derogamus, & derogatum esse volumus, supplemusque cunctos ac singulos defectus, qualescunque apparere, & inveniri poterunt, statuentes, volentes, ac decernentes, quod contra tenorem præmissorum nihil omnino quomodocunque excogitari, explicari, aut proferri posset, usurpari, aut admitti debeat, idque de prædicta Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, ac virtute præsentium, quibus eidem Celsissimo Principi, ejusdemque Descendentibus legitimis hanc quoque specialem facultatem damus, qua vacante per mortem, vel alias in Sacro Romano Imperio, vel Italia, Principatu, Comitatu, vel alio Dominio (si Nos eum Principatum, Comitatum, vel Dominium retinere non vellemus, neque nostri Successores, Sacrumque Romanum Imperium, & Augusta Domus nostra, ejusdemque Agnati, & Cognati eos retinere vellent, aut prætenderent, nec alii Successores, aut legitimi prætendentes existerent) in ejusmodi Principatu, Comitatu, vel Dominio emendo, & comparando Celsissimus Princeps, ipsiusque Descendentes legitimi aliis extraneis præferri possint, & debeant.

Insuper Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ipsiusque Descendentibus, & Successoribus, & hanc gratiam contulimus, iisdemque omnia & singula, tam feudalia, quam allodialia, & propria bona in ipsorum Principatibus, Ditionibus, Dominiis, Territoriis, & Jurisdictionibus sita, ac vel per mortem, aut per delictum, aut commissam feloniam eorum qui cujusmodi bona occuparunt, & possederunt, aut alio quocunque modo caduca facta, adeoque in nostram nostrorumque Successorum potestatem redacta, & prolapsa, vel per justam cognitionem, vel declarationem in Bannum, aut alias de jure, vel consuetudine vetusta ad Fiscum nostrum devoluta, clementer donavimus, atque elargiti sumus, donamus, & elargimur vigore hujus, de Cæsareæ potestatis plenitudine, plenum Jus & facultatem, quam Nos posterique nostri Celsissimo Principi, ejusque posteris in similibus, vel de jure, vel ex gratia dare atque elargiri possunt; volentes, & decernentes, quod Celsissimus Princeps, ejusdemque Descendentes ejusmodi commissa & confiscata bona nomine Nostro, Successorumque nostrorum occupent, possideant, & in meliorationem suorum feudalium, vel allodialium vertant, cum feudis juxta Jura feudalia, cum allodialibus vero sicuti propriis aliis suis bonis agitare, disponere, & procedere possint, ac valeant, idque absque omni nostra, nostrorumque Successorum contradictione, & impedimento.

Ulterius Celsissimo Principi Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ hanc quoque peculiarem libertatem & gratiam clementer impertimur, quod ipse, ejusque hæredes, & Descendentes legitimi in suis castris, arcibus, possessionibus, & dominiis, quousque eorum districtus, & Jurisdictio cum ædibus, hortis, prædiis, aliisque appertinentiis sese extendunt,

dunt, quæque vel nunc possident, vel deinceps justo titulo obtinebunt, jure asyli gaudere & frui possint, omnesque & singuli homicidæ, similesque intutæ personæ, & delinquentes (exceptis tamen latronibus publicis) in prædictis castris, prædiis, dominiis, aliisque domibus & villis secure morari, talesque homicidæ, & personæ criminales ibidem per annum & diem omni libertate potiri, uti, & frui, nec de, vel absque Jure a quocunque dominio capi, atque eripi possint vel debeant, attamen si post lapsum præscripti unius anni & diei quispiam contra talem, vel tales personas via Juris procedere ac experiri desideraret, sæpefatus Celsissimus Princeps, ejusque Descendentes & successores erunt obligati, vel sponte sine mora administrare Justitiam, vel delinquentes extradere isti jurisdictioni & territorio, in quo delictum perpetratum fuerit, datis tamen literis reversalibus, quod ejusmodi extraditio non debeat vergere in præjudicium unius, vel alterius; Volentes, & decernentes, quod dicto Celsissimo Principi, ejusdemque hæredibus & Successoribus legitimis detentio similium personarum, postquam ex ipsorum territoriis demissi fuerint, nullum omnino inferre debeat detrimentum, aut damnum.

Porro Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusque legitimis Descendentibus, & Successoribus specialem hanc Cæsaream gratiam, facultatemque elargimur & concedimus, quod si aliquando contigerit, ut in ipsorum Principatibus, territoriis, dominiis, aliisque locis ad ipsos pertinentibus fodinæ, vel auri, vel argenti, vel æris, vel plumbi, vel salis, vel alterius metalli appareant, ejusmodi fodinas cum cunctis metallis, omni tempore, vel ipsimet, vel per alios eruere, vel excolere, iisque convenientes, & æquas leges ac statuta præficere ac constituere, atque prout juris & consuetudinis est, iisdem ita inventis & excultis, aurum, argentum, æs, aliaque metalla nutrientibus fodinis, cunctis, & quibuscunque juribus, immunitatibus, jurisdictionibus, fructibus, decimis, aliisque emolumentis secundum jura & consuetudines fodinarias cum omnibus & singulis feudis, propriis & allodialibus, bonis mobilibus & fixis, absque ulla exceptione, quæ dictus Celsissimus Princeps, ejusdemque Descendentes in suis possessionibus, dominiis, territoriis, villisque, quæ quascunque nunc habent, vel deinceps per mortem, delictum, vel commissum eorum, qui talia bona occupant, vel alio quocunque modo caduca fient, adipiscentur, & Nobis, Successoribusque nostris Sacri Romani Imperii, vel nostro, & Imperii Fisco competere possent, libere potiri, frui, ac gaudere possint ac valeant; promittimusque clementer, quod Nos, & Successores nostri Celsissimum Principem, suosque in quieta possessione manutenere, tueri, ac protegere, nec permittere velimus & debeamus, ullum ipsis a quopiam inferri præjudicium, id quod etiam de thesauris reconditis, sive in auro, metallo, lapidibus pretiosis, aureis vel argenteis utensilibus constent, intelligimus, paremque desuper facultatem, & idem jus hisce clementer impertimur, & tribuimus.

Cæterum ut delicta puniantur, & communis salus, & utilitas præservetur, scienter & deliberate, maturoque consilio Celsissimo Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusque Descendentibus legitimis in omnibus suis Principatibus, Comitatibus, dominiis, civitatibus, castris, arcibus, oppidis, & pagis, quæ in præsentiarum possident, aut posthac legitimo, justoque titulo acquirent, Jurisdictionem omnimodam cum Jure superioritatis clementer concessimus, & elargiti sumus, ita ut in iisdem Principatibus, Comitatibus, dominiis, civitatibus, castris plenam facultatem habeant, tribunal instituendi, furcasque, vel infames trabes erigendi, ac pro libitu, locorumque opportunitate unum, pluresve Judices, vel Scultetos præfectosque constituendi, ac præficiendi, illisque personas necessarias surrogandi, ac criminalem jurisdictionem exercendi; concedimus, impertimur, & elargimur, sæpefato Celsissimo Principi, atque ejus Descendentibus in infinitum gratiam hanc de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, animo deliberato, tenore præsentium, quod in præmemoratis Principatibus, Comitatibus, dominiis, castris, oppidis, & territoriis suis, si, & quotiescunque e re visum fuerit, in locis magis commodis unum pluresve Judices idoneos, habilesque officiales, unumque vel plures substitutos iis surrogare ac ordinare, ibidemque per ipsos de omnibus & singulis causis civilibus & criminalibus, utpote præteritionibus telonii, delictis, maleficiis, excessibus (nullis omnino exceptis) sive merces, & bona eo pertinentia, debita, pœnæ, mulctæ, relegationes ex patria, pœnæ corporales, imo vitæ, & necis, & omnes alii casus meri & mixti imperii, vel alias communis jurisdictionis sint, vel æstimentur, querelas formare, judicialiter procedere, cognoscere, & sententiam pronunciare, eamque exequi, nec non in prædictis Principatibus, Comitatibus, dominiis, castris, civitatibus, oppidis, & appertinentibus locis & territoriis, exiles, & graves mulctas pro locorum consuetudine, & æquitate rei dictare, omne hoc peragere quod in similibus decet, in cunctis quoque causis, & casibus tam civilibus, quam criminalibus æquas leges, salutares constitutiones, et statuta Juri Communi, legibusque nostris, et Imperii consona, adeoque efficacia, perinde, ac si a Nobis nostrisque posteris condita forent, ponere, facere, ac stabilire, eaque pro opportunitate temporis, et convenientia, quoties necessitas poposcerit, denuo abolere, mutare, meliorare vel omnino cassare, prætactasque mulctas exigere, iisque sine omni contradictione et impedimento potiri ac frui possint et debeant, omnesque ac singuli, qui ibidem possessionati, ac prædictis jurisdictionibus subjecti degent, ad sistendum se, et parendum erunt obstricti, ita dictus Celsissimus Princeps, ejusdemque Descendentes, et Successores legitimi, Domini, ac Possessores præfatorum Principatuum, Comitatuum, dominiorum, castrorum, civitatum, oppidorum, pagorum, et territoriorum in iisdem uno alterove loco pro libitu et arbitrio patibulum, furcam, et infamem trabem erigere, judicialiter super delictis procedere, honestis, ac idoneis, qualificatisque personis ulteriorem judicaturam committere, ac per ipsos tales personas maleficas in suis Principatibus, Comitatibus, dominiis, civitatibus, oppidis, eorumque districtibus et jurisdictionibus apprehensas incarcerare, easque, ac alios facinorosos aliunde, et extra territorium captos, & ad

et ad debite puniendum adductos, habitis sufficientibus indiciis, torquendo examinare, ac juxta cujusque confessionem, vel manifestas actiones Juribus Imperii et consuetudinibus conformiter publice dijudicare ac punire debeant et possint absque omni contradictione et impedimento; ita tamen ut Celsissimus Princeps, ejusque Descendentes, et successores legitimi, detentores, et possessores antedictorum Principatuum, Comitatuum, dominiorum, castrorum, civitatum, et oppidorum ab ipsorum Judicibus, et officialibus ad id constitutis consuetum juramentum pro debita observantia æquitatis et justitiæ excipiant ea lege, ut tanquam impartiales Judices contra pauperem æque, ac divitem, et viceversa, insuper omni respectu, amore, odio, dono, favore, timore, amicitia, atque inimicitia omnino sepositis et posthabitis, nec secus in aliis causis agant, et procedant, ac decernant, quam, ut decet, et suo tempore coram omnipotenti Deo in extremo judicio respondere, tueri, ac defendere velint et possint bona fide.

Quandoquidem vero usu compertum est, hujusmodi Privilegia et Diplomata non posse semper sine periculo corruptionis vel amissionis de loco ad locum transportari propter frequentes temporum ac rerum mutationes; volentes etiam hac in parte supradicto Celsissimo Principi, ejusdemque Descendentibus, et Successoribus legitimis consulere, ne, quoties præsentium literarum, concessionumque beneficio uti voluerint, necesse habeant, originale hoc nostrum producere; idcirco ordinamus, ut plura exempla sub authentico alicujus Prælati, Principis, Comitis, Baronis, Magistratus, Provincialis, aut Municipalis, vel etiam alterius alicujus egregiæ, et fide dignæ personæ sigillo transumere, vel transumi, sive per Notarium legalem Copiam authenticam, et collationatam in præsentia duorum testium fide dignorum subscribi, & subsignari facere possint, quibus parem fidem in judicio, & extra, ac alias ubicunque adhiberi volumus, ac si hæ originales literæ hujus Diplomatis oculos legentium fugerent, nec agnosci possent, & vel sigillum frangeretur, vel incendio consumeretur, vel etiam Celsissimo Principi, ejusque Descendentibus & Successoribus eriperetur, tum memorata transumpta modo qui supra demonstratus est, facta, eandem quam Archetypus fidem, & roboris firmitatem, ubique locorum & terrarum obtinere, nec in ullis actibus, ac negotiis, tam Ecclesiasticis, quam profanis, ac mixtis, minus, ac præsens originale valere debebunt, non obstantibus in præfatis omnibus & singulis quibuscunque legibus, Constitutionibus, decretis, consuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, & prærogativis, quocunque nomine censeantur, ac cujuscunque tenoris existant tam factis, quam fiendis per Nos, & prædecessores nostros, aut per quoscunque Principes, Duces, Marchiones, Comites, universitates, vel alias cujuscunque generis vel conditionis sub quibuscunque clausulis, & verborum expressionibus, etiamsi talia forent, de quibus de verbo ad verbum necesse esset, hic fieri mentionem specialem, in contrarium facientibus; quibus omnibus & singulis, in quantum huic nostræ concessioni & indulto obstarent, vel obstare possent, Cæsarea autoritate, & potestatis Nostræ plenitudine, motuque, & scientia supramemoratis per præsentes derogamus, & derogatum esse volumus.

Permittimus quoque prædicto Celsissimo Principi, ejusdemque legitimis Descendentibus & posteris, ut, quoties hujusmodi per Nos concessa libertate, aut prærogativa uti contigerit, non opus habeant integrum præsentis diplomatis tenorem literis suis, quas desuper expediri curaverint, sed tantum caput ad hoc spectans, una cum parte exordii, & annotatione loci, & diei, quo ipsum Diploma datum est, commemorare, & speciatim exprimere sufficiat.

Declaramus etiam, si forte contingat, Celsissimum Piscariæ, Vasti, Francavillæ, & Roccellæ Principem, ejusque descendentes legitimos hujusmodi gratiis, libertatibus, indultis, immunitatibus, privilegiis, exemptionibus, & concessionibus, aut aliquibus earum aliquando non uti, hujusmodi non usum in prædictis privilegiis nullum præjudicium, impedimentum, damnum, vel defectum generare, quin imo hujusmodi concessiones, gratias, & immunitates nihilominus in suo robore perpetuo salvas, integras, & incolumes esse, aut dictum Celsissimum Principem, ejusdemque hæredes ac posteros legitimos, quandocunque commodum fuerit, iisdem pro rei necessitate, ac voluntatis illorum arbitrio libere, & sine omni impedimento uti, frui, potiri, & gaudere posse, valere, & debere.

Demum impertimur & concedimus dicto Celsissimo Principi, & ejus Descendentibus legitimis, & posteris hanc specialem gratiam facultatemque, ut pro reali executione, & manutenentia horum Nostrorum Privilegiorum, ac immunitatum, unum, vel plures Nostri, ac Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Prælatos, Comites, Barones, vel civitates pro conservatoribus, protectoribus, Commissariis Cæsareis, executoribus, ac arbitris, qui ad requisitionem ipsorum (sicuti iis eum in finem plenam hisce facultatem ac potestatem elargimur) mandare, inhibere, exequi, manutenere, imo id facere ac peragere possint ac debeant, quod Nos qua Romanorum Imperator ad actualem executionem, & efficacem manutenentiam præmemoratorum nostrorum Privilegiorum faceremus, & facere possemus in omnibus ac singulis occasionibus, occurrentibus casibus, pro rei exigentia, ac liberæ voluntatis ipsorum arbitrio sine omni impedimento eligere possint & valeant; aut si Celsissimo Principi, ejusque Descendentibus legitimis, ac posteris commodum magis, integrumque visum fuerit, horum nostrorum Privilegiorum, concessionum, gratiarum ac immunitatum temerarios contemptores, & violatores in uno, vel pluribus punctis, alia juris via, vel in aliis commodioribus judiciis ob promeritas pœnas, vel mulctas, earumque declarationem coram Nobis, & Nostris Sacri Romani Imperii Successoribus Imperatoribus & Regibus, vel in Camera nostra Imperiali nomine proprio, vel per Cæsareum Nostrum Fiscalem convenire, deferre, atque ad declarationem pœnæ procedere, hoc ipsum Celsissimo Principi, ejusque Descendentibus legitimis liberum sit, Nosque liberæ voluntatis ipsorum arbitrio & electioni clementer committimus, & commissum esse volumus.

Poſtremo ſæpememorato Celſiſſimo Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, ejusque filiis, hæredibus, poſteris, & Deſcendentibus legitimis donamus, & conferimus hanc gratiam facultatemque, neminem eorum teneri, confirmationem hujus privilegii a noſtris, ac Sacri Romani Imperii Succeſſoribus Imperatoribus, Regibus, vel Auſtriæ Archiducibus de novo expetere, præter illam, cujus circa novum Ordinem Equeſtrem mentio facta eſt, verum his decernimus clementer, ac volumus vigore harum literarum, quod omnia & ſingula in his contenta, ac comprehenſa privilegia, conceſſiones, donationes, gratiæ, & immunitates, omni ævo, & in æternum, tanti valoris, tantæque efficaciæ eſſe debeant, perinde ac ſi a quocunque Noſtrorum, ac Sacri Romani Imperii Succeſſorum Romanorum Imperatorum, Regum, & Archiducum Auſtriæ, ſucceſſive ſpecialiter confirmata, vel ſtabilita, confirmatæ, vel ſtabilitæ, ac corroboratæ forent, omnibus privilegiis, ſtatutis, juribus, ac conſuetudinibus præſentibus, & futuris, hiſce contrariis non attentis.

Quapropter mandamus, ac præcipimus omnibus & ſingulis Noſtris, & Sacri Romani Imperii Electoribus, aliisque Principibus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Locumtenentibus, Gubernatoribus, Præſidentibus, Præfectis, Caſtellanis, Rectoribus, Magiſtratibus, Antianis, Vexilliferis, Poteſtatibus, Civium Magiſtris, Conſulibus, Judicibus, ac generaliter omnibus Noſtris, ac Sacri Romani Imperii, Regnorumque, ac Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis, & fidelibus dilectis, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentiæ exiſtant, ut Celſiſſimo Sacri Romani Imperii Piſcariæ, Vaſti, Francavillæ, & Roccellæ Principi, Conſangvineo Noſtro Chariſſimo, ejusdemque filiis, hæredibus, & deſcendentibus legitimis utriusque ſexus in dictis ſimul Principatibus, aliisque terris, & dominiis in infinitum ſucceſſuris Principibus antedictum prædicatum, ac dignationis vocabulum *Celſiſſimorum* (quod Italice *Altezza Principale*, & latine *Celſitudo Principalis* exprimi ſolet) tribui ſedulo curent, idemque ipſis pariter tribuant, nec minus etiam omnibus & ſingulis gratiis, honoribus, dignitatibus, libertatibus, regalibus, præeminentiis, prærogativis, & indultis ipſi, iisdemque hoc Noſtro diplomate conceſſis libere & pacifice uti, frui, potiri, & gaudere ſinant, nec quidquam ipſis ea in parte moleſtiæ, vel impedimenti faceſſant, quin potius eundem, & ipſos in iis, ut ſupra, tueri, defendere, ac conſervare ſtudeant, ac idem ab aliis etiam, quantum in ipſis erit, fieri curent.

Si quis vero præſens Edictum hoc Noſtrum auſu quopiam temerario transgredi, vel violare præſumſerit, is præter graviſſimam Noſtram, & Sacri Romani Imperii indignationem, mulctam quoque centum Marcarum auri puri Fiſco, ſeu ærario Noſtro Imperiali pro dimidia, reliqua vero parte injuriam paſſi, ſeu paſſorum uſibus, toties, quoties in contrarium quidquam attentatum, factumque fuerit, irremiſſibiliter, omnique ſpe veniæ ſublata, pendendam noverit.

Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & Aureæ Noſtræ Bullæ Typario munitarum, quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ die duodecima Martii, Anno milleſimo, ſeptingenteſimo quarto, Regnorum Noſtrorum, Romani quadrageſimo ſexto, Hungarici quadrageſimo nono, Bohemici vero quadrageſimo octavo.

LEOPOLDUS.

Vt. Dominicus Andreas
Comes a Kaunitz.

Cum Appenſione Bullæ Aureæ

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium,
Lutzo Dolberg, mppria.

CODEX

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS.

PARS II.

SECTIO I.

De Summo Pontifice ac Sede Romana.

I.

Constantini M. Romanorum Imperatoris, Diploma, sive Decretum, in quo Sylvestro I. Pontifici Maximo, Sedique Romanæ, eas in Italia Provincias, quæ vulgo Patrimonium Petri *dicuntur, tradidit.*



IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris scilicet & Filii & Spiritus Sancti, Imperator Cæsar Flavius Constantinus, in Christo JEsu, uno ex eadem Trinitate sancta, salvatore Domino DEO nostro, fidelis, mansuetus, beneficus, Alemannicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britanicus, Hunicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper Augustus, sanctissimo ac beatissimo Patri Patrum, Sylvestro, Urbis Romanæ Episcopo, & Papæ, atque omnibus ejus successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem seculi sessuri sunt, Pontificibus, nec non & omnibus reverendissimis & DEO amabilibus Catholicis Episcopis, eidem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per hanc nostram Imperialem constitutionem subjectis in universo Orbe terrarum, nunc & in posterum cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia a DEO patre omnipotente, & JEsu Christo, filio ejus, & Spiritu Sancto, cum omnibus vobis; Ea quæ Salvator & Redemptor noster, Dominus JEsus Christus, altissimi Patris filius, per suos sanctos Apostolos, Petrum & Paulum, interveniente Patre nostro Sylvestro, summo Pontifice, & universali Papa, mirabiliter dignatus est operari, liquida enarratione per hujus nostræ Imperialis institutionis paginam, ad cognitionem omnium populorum in universo orbe terrarum studuit *propagare* propalare nostra mansuetissime Serenitas. Primum quidem nostram fidem, quam a prælibato beatissimo Patre & Oratore nostro, Sylvestro, universali Pontifice, docti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes, & ita demum DEI misericordiam super nos diffusam annunciantes, nosse vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam jussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis & surdis, manufactis, diabolicis compositionibus, atque ab omnibus Satanæ pompis recessisse, & ad integram Christianorum fidem, quæ est vera lux & vita perpetua, pervenisse credentes juxta id, quod nos idem almificus & summus pater & doctor noster Sylvester, Pontifex instruxit, in DEum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in JEsum Christum, Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum, per quem creata sunt omnia. Et in Spiritum Sanctum & vivificatorem universæ creaturæ. Hos, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, confitemur ita, ut in Trinitate perfecta & plenitudo sit dignitatis, & unitas potestatis; Pater DEus, Filius DEus, & Spiritus Sanctus DEus, & tres unum sunt in JEsu Christo. Tres itaque formæ, sed una potestas. Nam Sapiens retro semper DEus edidit ex se, per quod semper erant, gignendo secula, verbum. Et quando, eodem solo suæ sapientiæ verbo universam ex nihilo formavit creaturam, cum eo erat, cuncta sua arcano componens mysterio. Igitur perfectis cœlorum virtutibus, & universis terræ materiis, pio sapientiæ suæ nutu, ad imaginem & similitudinem suam primum de limo terræ fingens hominem, hunc in Paradiso posuit voluptatis. Quem antiquus serpens & hostis invidens Diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum, exulem ab eisdem fecit gaudiis: eoque expulso non desivit sua venenosa multis modis protelare jacula, ut a via veritatis humanum abstrahens genus, idolorum culturæ, videlicet creaturæ, & non creatori, deservire suadeat: quatenus per hoc eos, quos suis valuerit irretire insidiis, secum æterno efficiat concremandos supplicio. Sed DEus noster misertus plasmatis sui, dirigens sanctos suos Prophetas, per hos lumen futuræ vitæ, adventum videlicet filii sui, Domini DEI & Salvatoris nostri JEsu Christi, annuncians, misit eundem unigenitum Filium suum, & sapientiæ verbum. Qui descendens de cœlis propter nostram salutem, natus de Spiritu Sancto ex Maria virgine, verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Non amisit, quod fuerat: sed cœpit esse, quod non erat. DEum perfectum & hominem perfectum, ut DEus mirabilia perficiens, & ut homo humanas passiones sustinens, ita verbum hominem, & verbum DEum, prædicante Patre nostro, Sylvestro, summo Pontifice, intelligimus, ut verum DEum, verum hominem fuisse, nullo modo ambigamus. Electisque 12. Apostolis, miraculis coram eis & innumerabilis populi multitudine coruscavit. Confitemur, eundem Dominum JEsum Christum adimplesse legem & Prophetas, passum, crucifixum secundum scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, assumtum in cœlos, atque sedentem ad dextram Patris, inde venturum, judicare vivos & mortuos, cujus Imperii non erit finis. Hæc est enim fides nostra Catholica, orthodoxa, a beatissimo Patre nostro

nostro Sylvestro, summo Pontifice, Nobis prolata. Exhortamur idcirco omnem populum, & diversas gentium nationes, hanc fidem tenere, colere & prædicare, &, in Sanctæ Trinitatis nomine, baptismi gratiam consequi, & Dominum nostrum JEsum Christum, Salvatorem nostrum, qui cum Patre & Spiritu S. per infinita secula vivit & regnat, quem Sylvester, beatissimus Pater noster, universalis prædicat Pontifex, corde devoto adorare. Ipse etiam Dominus noster, misertus mihi peccatori, misit Sanctos suos Apostolos ad visitandum Nos, & lumen sui splendoris infulsit Nobis, ut abstractum a tenebris ad veram lucem & agnitionem veritatis, me venisse gratularemini. Nam dum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem, & multorum medicorum convenientium cura adhiberetur, nec ullius quidem cura promeruissemus salutem, ad hoc venerunt sacerdotes Capitolii dicentes: mihi debere fieri fontem in Capitolio, & compleri hunc innocentium sanguine, & eo calente loto me, posse mundari. Et secundum eorum dicta aggregatis pluribus innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactare, & ex eorum sanguine fontem repleri, cernens Serenitas nostra lachrymas matrum eorum, ilico exhorrui facinus: miseratusque eas: proprios illis restitui præcepimus filios suos, datisque vehiculis & donis concessis, gaudentes ad propria relaxavimus. Eadem igitur transacta die, nocturno Nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, assunt Apostoli Sanctus Petrus & Paulus, dicentes mihi: Quoniam flagitiis posuisti terminum, & effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo, Domino DEO nostro, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac quodcunque indicamus tibi, Sylvester, Episcopus hujus Civitatis, ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cavernis petrarum cum suis clericis latebram fovet. Hunc ad te cum adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua, dum tertio te merserit, omnis te valetudo ista deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo Salvatori compensa, ut omnes, jussu tuo per totum orbem restaurentur Ecclesiæ: Te autem ipsum in hac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorum, DEum vivum & verum, qui solus est & verus, adores & excolas, ut ad ejus voluntatem attingas. Exsurgens igitur a somno, protinus juxta id, quod a Sanctis Apostolis admonitus sum, peregi: advocatoque eodem præcipuo & magnifico patre, & illuminatore nostro Sylvestro, universali Papa, omnia a Sanctis Apostolis mihi præcepta dixi verba: percontatique sumus ab eo, qui isti dii essent, Petrus & Paulus. Illi vero, non eos deos vere dici, sed Apostolos Salvatoris nostri Domini DEI JEsu Christi respondit: Et rursum interrogare cœpimus eundem beatissimum Papam, utrum istorum Apostolorum imagines expressas haberet, ut ex pictura disceremus, hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc idem venerabilis pater imagines eorundem Apostolorum per Diaconum suum exhiberi præcepit; quas dum adspicerem, & eorum, quos in somno videram, figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapis meis confessus sum eos esse, quos in somno videram. Ad hæc beatissimus idem Sylvester, pater noster, Urbis Romanæ Episcopus indixit Nobis pœnitentiæ tempus intra palatium nostrum Lateranense, in uno cilicio ut de omnibus, quæ a Nobis impie peracta atque injuste disposita fuerant, vigiliis, jejuniis atque lacrymis & orationibus apud Dominum Deum nostrum, JEsum Christum Salvatorem, veniam impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum usque ad ipsum præsulem veni. Ibique renuncians Satanæ, pompis & operibus ejus, vel universis idolis manufactis, credere me in DEum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, & in JEsum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum: Benedictoque fonte, illic me trina mersione unda salutis purificavit. Positoque me in fontis gremio, manum de cœlo me contingentem propriis oculis vidi. De qua mundus exsurgens ab omni me lepræ squalore mundatum agnoscite, lavatoque me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, & vexillum sanctæ Crucis in mea fronte lenivit, dicens: Signet te DEus Sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in consignatione fidei. Cunctusque clerus respondit, Amen. Et adjecit præsul: pax tibi. Prima itaque die post perceptum Sacri baptismatis mysterium & post curationem corporis mei a lepræ squalore, agnovi non esse alium DEum, nisi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, quem beatus Sylvester Papa prædicat, Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate. Nam omnes Dii gentium, quos usque hactenus colui, dæmonia, opera hominum manufacta comprobantur. Etenim quantam potestatem idem Salvator noster suo Apostolo beato Petro contulerit in cœlo ac terra, lucidissime Nobis idem venerabilis Pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens, ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Advertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus Magister & Dominus suo discipulo adjunxit, inquiens: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Mirum est hoc valde & gloriosum, in terra ligare & solvere, & in cœlo ligatum & solutum esse. Et dum hæc, prædicante beato Sylvestro, agnoscerem, & beneficiis ipsius beati Petri integerrime sanitati me comperi restitutum, utile judicavimus una cum omnibus nostris satrapis & universo Senatu, optimatibusque meis etiam, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperii subjacenti, ut sicut in terris Sanctus Petrus Vicarius filii DEI esse videtur constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius Principis Apostolorum, Principatus potestatem, amplius quam terrena Imperialis nostræ Serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a Nobis, nostroque Imperio obtineant, eligentes Nobis ipsum Principem Apostolorum & ejus successores firmos apud DEum esse patronos. Et sicut nostram terrenam imperialem potentiam, sic ejus Sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorari & amplius

quam

quam nostrum imperium & terrenum thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem atque vigorem, & honorificentiam Imperialem, atque decernentes sancimus, ut Principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum DEI Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio, quæque ad cultum DEI, vel fidei Christianorum stabilitatem procurandæ fuerint, disponantur. Justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster, beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumsit poculum, suique magistri & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant; ubi eorum doctor B. Paulus Apostolus, pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est. Illic usque in finem quærant doctorem, ubi fructum doctoris quiescit corpus: & ibi proni ac humiliati, cœlestis Regis DEI Salvatoris nostri JEsu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni Regis serviebant imperio. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intra palatium nostrum Lateranense, eidem Salvatori nostro Domino DEO JEsu Christo Ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, & duodecim nos sciatis, de ejus fundamentis secundum numerum duodecim Apostolorum, cophinos terræ onustatos propriis absportasse humeris: quam Sacrosanctam Ecclesiam, caput & verticem omnium Ecclesiarum, in universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac prædicari sancimus, sicut per alia nostra Imperialia Decreta constituimus. Construximus quoque Ecclesias beatorum Petri & Pauli primorum Apostolorum, quas auro & argento locupletavimus, ubi & sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo prævalet elementorum, construximus, & crucem ex auro purissimo & gemmis preciosissimis per singulas eorum thecas posuimus & clavis aureis confiximus. Quibus Ecclesiis pro concinnatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diversis eas ditavimus, & per nostram imperialem jussionem sacram, tam in oriente, quam in occidente, vel etiam Septentrionali & meridiana plaga, videlicet in Judæa, Græcia, Asia, Thracia, Africa & Italia, vel diversis Insulis nostra largitate eis libertatem concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Sylvestri, Pontificis, successorumque ejus omnia disponantur. Gaudeat ergo una nobiscum omnis populus, & gentium nationes in universo orbe terrarum, & exhortantes monemus omnes, ut DEO nostro & Salvatori JEsu Christo immensas una nobiscum referant gratias, quoniam ipse DEus in cœlis desuper & in terra deorsum, nos per suos sanctos Apostolos visitans, sanctum baptismatis sacramentum percipere & corporis sanitatem, dignos effecit, pro quo concedimus ipsis sanctis Apostolis, Dominis meis beatissimis, Petro & Paulo, & per eos etiam beato Sylvestro, patri nostro, summo Pontifici, & universalis urbis Romanæ Papæ, & omnibus ejus successoribus Pontificibus, qui usque in finem mundi in Sede beati Petri erunt sessuri: atque de præsenti contradimus palatium Imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, id est, mitram, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum: verum etiam, & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, sed & dignitatem Imperialium præsidentium equitum, conferentes etiam & Imperialia sceptra, simulque & cuncta signa atque banta, vel banda etiam, & diversa ornamenta Imperialia, & omnem processionem Imperialis Culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris autem reverendissimis clericis in diversis ordinibus eidem Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ servientibus, illud culmen singularitate, potentia & præcellentia habere sancimus, cujus amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, patricios atque consules effici, nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut Imperialis militia ornatur, ita & clerum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum Imperialis potentia officiis diversis cubiculariorum nempe & ostiariorum atque omnium excubitorum ornatur, ita & Sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et ut amplissime Pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, clericorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ manipulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decorari equos, & ita equitare. Et sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis, sic utantur & clerici, & sic cœlestia sicut terrena ad laudem DEI decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus ipsi sanctissimo patri nostro, Sylvestro, urbis Romanæ Episcopo & Papæ, & omnibus, qui post eum in successum, & perpetuis temporibus advenerint, beatissimis Pontificibus, pro honore & gloria Christi DEI nostri, in eadem DEI magna Catholica & Apostolica Ecclesia, ex nostro indicto, ut quem placatus proprio consilio clericali voluerit, & in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumentem superbe agere. Decrevimus itaque & hoc, ut idem venerabilis Pater noster Sylvester, summus Pontifex & omnes ejus successores Pontifices, diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis pretiosis uti debeant, & in capite ad laudem DEI & pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus Papa quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, nos phrygium quoque candidi nitoris, splendidam resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi illius pro reverentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes, eodem phrygio omnes ejus successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem Imperii nostri. Unde ut Pontificalis apex non vilescat,

lescat, sed amplius etiam quam terreni Imperii dignitas, & gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quamque urbem Romam & omnes totius Italiæ Occidentalium regionum provincias, loca & civitates, præfato beatissimo Pontifici nostro Sylvestro, universali Papæ concedimus atque relinquimus, & successorum ipsius Pontificum potestati & ditioni, firma Imperiali censura per hanc divalem nostram & pragmaticum constitutum, decernimus disponendum, atque juri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansurum. Unde congruum prospeximus, nostrum Imperium & regni potestatem in Orientalibus transferri ac transmutari regionibus & in Byzantiæ provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium: quoniam ubi Principatus Sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia & per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi illibata & inconcussa permanere decernimus. Unde coram DEO vivo, qui Nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur, per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes nostros Successores Imperatores, vel cunctos Optimates, Satrapas, etiam amplissimum Senatum & universum populum in toto orbe terrarum, nunc & in posterum, cunctis retro temporibus, Imperio nostro subjacentem, nulli eorum quoquo modo licere, hæc, quæ a Nobis Imperiali sanctione SacroSanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel ejus omnibus Pontificibus concessa sunt, refragari aut confringere vel in quoquam convellere. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subjaceat innodatus, & sanctos DEI Principes Apostolorum Petrum & Paulum, sibi in præsenti & futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum Diabolo & omnibus deficiat impiis. Hujus vero Imperialis Decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus Beati Petri, Principis Apostolorum, posuimus, ibi eidem DEI Apostolo spondentes nos cuncta inviolabiliter conservare & nostris successoribus Imperatoribus conservanda in mandatis relinquere, ac beato Patri nostro, Sylvestro, summo Pontifici & universali Papæ, ejusque cunctis successoribus Pontificibus Domino DEO & Salvatore nostro JEsu Christo annuente tradimus perenniter atque feliciter possidenda. Et subscriptio imperialis: Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi ac beatissimi Patres. Datum Romæ sub tertio die Kalendarum Aprilium Domino nostro Flavio Constantino Augusto quater & Gallicano viris Clariss. Consulibus.

II.

Ludovici Pii, Romanorum Imperatoris, Patrimonii Petri, a Carolo M. Romanorum Imperatore, Sedi Apostolicæ restituti, Confirmatio, de Anno 817.

In nomine Domini DEI omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

EGo Ludovicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro, Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo, Domino Paschali, summo Pontifici & universali Papæ, & successoribus ejus, in perpetuum, sicut a prædecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam cum Ducatu suo & suburbanis, atque vinculis omnibus & territoriis ejus, montanis, & maritimis litoribus & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis in Tusciæ partibus, id est, Portum, Centum cellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, cum aliis tribus Insulis, id est, Majorem & Minorem, Puluensem & Lacum, Narniam, Otriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad supradictas civitates pertinentibus. Simili modo & in partibus Campaniæ, Signiam, & Agnaniam, Ferentinum, Alatrum, Patricium, Frusionem, cum aliis partibus Campaniæ, nec non & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Nec non & exarchatum Ravennatensem sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis & castellis, quæ piæ recordationis dominus Pipinus Rex, ac bonæ memoriæ genitor Carolus Imperator B. Petro Apostolo & prædecessoribus vestris jam dudum per donationis paginam restituerunt, hoc est, civitatem Ravennam & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Pompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, & Adriam, & Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis atque Insulis in terra, marique ad prædictas civitates pertinentibus. Simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisarum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanam, Aësium, Forum Sempronii, Montem Fenetri, Urbinum & territorium Valvense, Calles Luceolos, Eugubium, cum omnibus finibus ac terris ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a Genitore nostro, Carolo Imperatore, B. Petro Apostolo per donationis scriptum, concessum est, sub integritate, quemadmodum ab Itherico & Macenario Abbatibus, Missis illius, inter idem territorium Sabinense & Reatinum definitum est. Item in partibus Tuscaniæ Longobardorum castellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti castrum, Viterbium, Martam, Toscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas. Et insulas Corsicam, & Sardiniam & Siciliam, sub integritate cum omnibus adjacentibus & territoriis maritimis, litoribus, portubus ad supradictas civitates & insulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam & patrimonia ad potestatem & ditionem nostram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum & Salernitanum, & patrimonium Calabriæ, inferioris & superioris, & patrimonium Neapolitanum, & ubicunque in partibus Regni atque Imperii a DEO Nobis commissi patrimonia esse nostra, noscuntur. Has omnes supradictas provincias, urbes, civitates, oppida & castella, viculos & territoria, simulque &

patri-

patrimonia jam dictæ Ecclesiæ tuæ, B. Petre Apostole, & per te Vicario tuo, spirituali Patri nostro, Domino Paschali, summo Pontifici & universali Papæ, ejusque successoribus, usque ad finem sæculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, principatu ac ditione. Simili modo per hoc nostrum confirmationis decretum, firmamus donationes, quas piæ recordationis Dn. Pipinus Rex, avus noster, & postea Dominus & genitor noster Carolus Imperator, beato Petro Apostolo spontanea voluntate contulerunt. Nec non & censum & pensiones, seu cæteras donationes, quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri solebant: sive de Tuscia Longobardorum, sive de Ducatu Spoletano, sicut in supra dictis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Dominum & genitorem nostrum, Carolum Imperatorem convenit, quando eidem Pontifici idem de supra scriptis Ducatibus, i. e. Tuscano & Spoletano, suæ autoritatis præceptum confirmavit, eo scilicet modo, ut annis singulis supradictus census Ecclesiæ B. Petri Apostoli persolvatur: salva super eosdem Ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem subjectione. Cæterum, sicut diximus, omnia superius nominata, ita ad nostram partem per hoc nostræ confirmationis decretum roboramus, ut in vestro, vestrorumque successorum permaneant jure, principatu atque ditione, ut neque a Nobis, neque a filiis & successoribus nostris, per quodlibet argumentum sive machinationem in quacunque parte minuatur vestra potestas, aut Nobis de suprascriptis omnibus, vel successoribus vestris inde aliquid subtrahatur, de suprascriptis scilicet urbibus, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, nec non & pensionibus atque censibus, ita ut neque Nos ea subtrahamus, neque quibuslibet subtrahere volentibus consentiamus, sed potius omnia quæ superius leguntur, i. e. provincias, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, patrimonia atque insulas, census ac pensiones Ecclesiæ B. Petri Apostoli & Pontificibus in sacratissima illius Sede in perpetuum residentibus, in quantum possumus, defendere Nos promittimus, ad hoc, ut omnia ea in illius ditione ad utendum & fruendum atque disponendum firmiter valeat obtinere; nullamque in eis Nobis partem aut potestatem disponendi, aut judicandi, subtrahendive aut minorandi vendicamus, nisi quando ab illo, qui eo tempore hujus Sanctæ Ecclesiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et si quilibet homo de supradictis civitatibus, ad vestram Ecclesiam pertinentibus, ad Nos venerit, subtrahere se volens de vestra jurisdictione vel potestate, vel quamlibet aliam iniquam machinationem metuens, aut culpam commissam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, nisi ad justam pro eo faciendam intercessionem, ita duntaxat, si culpa, quam commisit, venialis fuerit inventa, sin aliter, comprehensum vestræ potestati eum trademus, exceptis his, qui violentiam, vel oppressionem potentium passi, ideo ad Nos veniant, ut per nostram intercessionem justitiam accipere mereantur, quorum altera conditio est, & a superioribus valde disjuncta. Et quando divina vocatione hujus sacratissimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos, aut publice, aut privatim veniendi, aut electionem faciendi, nullusque in civitatibus vel territoriis ad Ecclesiam B. Petri pertinentibus, aliquod malum propter hoc facere præsumat, sed liceat Romanis cum omni veneratione & sine aliqua perturbatione honorificam Pontifici suo exhibere sepulturam, & eum, quem divina inspiratione, & B. Petri intercessione omnes Romani uno consilio & una concordia, sine aliqua promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate & contradictione more canonico consecrari. Et cum consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad successores nostros, Reges Francorum dirigantur, qui inter Nos & inter illum amicitiam & caritatem & pacem socient, sicut temporibus piæ recordationis Domini Caroli, atavi nostri, sive Domini Pipini avi nostri, vel & Caroli Imperatoris genitoris consuetudo erat faciendi. Hoc autem ut ab omnibus fidelibus sanctæ DEI Ecclesiæ, & nostris firmum esse credatur, firmiusque per futuras generationes & secula ventura custodiatur, propriæ manus signaculo & venerabilium Episcoporum atque Abbatum, vel Optimatum nostrorum sub jurejurando & subscriptionibus pactum istud nostræ confirmationis roboravimus, & per Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem, Paschali Papæ direximus.

Ego Ludovicus misericordia DEI, Imperator subscripsi. Et subscripserunt tres filii ejus, & Episcopi decem & Abbates octo & Comites quindecim, & Bibliothecarius unus, & Mansionarius unus, & Ostiarius unus.

III.

Ottonis M. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Sedi Romanæ omnia Privilegia a Romanis Imperatoribus concessa; insimulque donationes Provinciarum & Urbium ipsi factas non confirmavit solum, verum etiam auxit, d. d. mens. Febr. Anno 962.

IN nomine Domini DEI omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Otho, DEI gratia Imperator Augustus, una cum Othone, filio nostro, divina ordinante Providentia spondemus, atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro, Principi Apostolorum & Clavigero Regni cœlorum, & per te Vicario tuo, Domino Joanni, Summo Pontifici, & universali XII. Papæ, sicut a Prædecessoribus vestris, usque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis & disposuistis Civitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis, & maritimis, litoribus, atque portubus, seu cunctis Civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tusciæ partibus, id est Portum Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Surrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus Insulis suis, id est

id eſt Majore, Minore, Poluenſim, Maruiam, & utriculum cum omnibus finibus, atque territoriis ad ſupra ſcriptas civitates pertinentibus. Nec non Exarchatum Ravennatem ſub integritate, cum urbibus, Civitatibus, oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus Pipinus, & Dominus Carolus, excellentiſſimus Imperator, prædeceſſores videlicet noſtri, beato Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris, jamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt Civitatem Ravennam, & Aemiliam, Bobium, Ceſennam, Forum Populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, & Hadrianis, atque Gabellum cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis, terra marique ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus, ſimul, & Pentapolin, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auſimum, Humanam, Heſim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Urbinum, & Territorium Balnenſe, Calles, Luciolis, & Eugubium cum omnibus finibus & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus.

Eodem modo Territorium Sabinenſe, ſicut a Domino Carolo Imperatore, Anteceſſore noſtro, beato Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt, ſub integritate. Item in partibus Tuſciæ, Longobardorum Caſtellum felicitatis, Urbem veterem, Balneum Regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Martam, Fuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas cum ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis, ac maritimis, oppidis ac viculis, ſeu finibus omnibus. Itemque Almus cum inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque Provincia Venetiarum, & Iſtria, nec non & cunctum Ducatum Spoletanum, ſeu Beneventanum, una cum Eccleſia ſanctæ Chriſtinæ, poſita prope Papiam juxta Padum quarto milliario.

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum & Capuam, nec non patrimonia ad poteſtatem& ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum caſtellis, & territoriis & finibus, & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicuti ad eaſdem reſpicere videntur, nec non patrimonium Siciliæ, ſi DEus noſtris illud tradiderit manibus, ſimili modo Civitatem Cajetam, & fundum cum omnibus earum pertinentiis.

Inſuper offerimus tibi, Beate Petre Apoſtole, Vicarioque tuo, Domino Joanni Papæ, & ſucceſſoribus ejus pro noſtræ animæ remedio, noſtrique filii, & noſtrum parentum, & proprio noſtro Regno, Civitates, & oppida cum Piſcariis ſuis, id eſt Reatem, Amiternum, Furconem, Murſiam, Balvam, & Marſim, & alibi Civitatem Interamnem cum pertinentiis ſuis.

Has omnes ſupradictas Provincias, urbes, Civitates, oppida, & Caſtella, viculos, & Territoria, ſimulque & Patrimonia pro remedio animæ noſtræ, & filii noſtri, ſive parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto a DEO conſervato, atque conſervando Francorum populo, jam dictæ Eccleſiæ tuæ, Beate Petre Apoſtole, & per te Vicario tuo ſpiritali patri noſtro, Domino Joanni Summo Pontifici & univerſali Papæ, ejusque ſucceſſoribus, usque ad finem ſæculi eodem modo confirmamus, ut in ſuo detineat jure, principatu atque ditione.

Simili modo per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pipinus Rex, & poſtea Domnus Carolus, Excellentiſſimus Imperator B. Petro Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt: nec non & cenſum, vel penſionem, ſeu cæteras dationes, quæ annuatim in Palatium Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia, ſive de Ducatu Spoletano, ſicut & in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter Sanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Domnum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de ſupraſcriptis Ducatibus, id eſt, Tuſcano & Spoletano ſuæ auctoritatis præceptum confirmavit, eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis prædictus cenſus ad partem Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli perſolvatur, ſalva ſuper eosdem Ducatus noſtra in omnibus donatione, & illorum ad noſtram partem, & filii noſtri ſubjectionem. Cæterum ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad veſtram partem per hoc noſtræ confirmationis pactum roboramus, ut in veſtro permaneant jure, Principatu atque ditione, & neque a Nobis, neque a Succeſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinationem in quacunque parte veſtra poteſtas iminuatur, aut a vobis inde aliquid ſubtrahatur de ſupraſcriptis, videlicet Provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, caſtris, viculis, inſulis, territoriis atque patrimoniis, nec non & penſionibus atque cenſibus, ita ut neque Nos ea facturi ſimus, nec quibuslibet ea facere volentibus, conſentiamus. Sed potius omnium, quæ ſuperius leguntur, id eſt, Provinciæ, civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria & patrimonia, atque inſulæ, cenſusque & penſiones ad partem Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, atque Pontificum in Sacratiſſima illius Sede reſidentium, Nos, in quantum poſſumus, defenſores eſſe teſtamur, ad hoc, ut ea in illius ditione ad utendum & fruendum, atque diſponendum firmiter valeant obtineri, ſalva in omnibus poteſtate noſtra, & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum, ſecundum quod in pacto & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, id eſt:

Ut omnis Clerus, & univerſa Populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates Pontificum irrationabiles erga Populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas Sacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuscujusque intellectus fuerit) canonice, & juſte fiat; & ut ille qui ad hoc ſanctum atque Apoſtolicum Regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, atque futura conſervatione, qualem Domnus, & venerandus ſpiritalis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.

Præterea alia minora huic opera inferenda prævidimus, videlicet, ut in electione Pontificum, neque liber, neque ſervus ad hoc venire præſumat,

ut il-

ut illis Romanis, quos ad hanc electionem, per constitutionem Sanctorum Patrum, antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum, Quod si quis contra hanc nostram institutionem ire præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper, ut nullus Missorum nostrorum cujuscunque impeditionis argumentum componere in præfatam Electionem audeat, prohibemus. Nam, & hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semel sub speciali defensione Domni Apostolici, sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum.

Illud etiam confirmamus, ut Domno Apostolico justam in omnibus servent obedientiam, sive Ducibus, ac Judicibus suis ad justitiam faciendam. Huic enim constitutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus, ut Missi Domni Apostolici, seu nostri semper sint constituti, qui annuatim Nobis, vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli Duces, ac Judices populo Justitiam faciant. Hanc Imperialem constitutionem quomodo observent qui missi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum, seu Judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apostolici deferant, & ipse unum e duobus eligat, aut statim per eosdem Missos fiant ipsæ necessitates emendatæ, aut Misso nostro Nobis renunciante per nostros Missos a Nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctæ DEI Ecclesiæ, & nostris firmum esse credatur, proprie manus signaculo, & nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus, & Bullæ nostræ impressione obsignari jussimus.

† Signum Domini Othonis, Serenissimi Imperatoris ac suorum Episcoporum, Abbatum & Comitum.
† Signum Adaldagi, Hamaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi.
† Signum Hartberti, Curiensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Druogonis, Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Votonis, Argentinensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Otuuini, Hilsensheimensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Landuuarti, Mindonensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Otgeri, Nemetinensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Gezonis, Tortonensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Hucberti, Parmanensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Widonis, Mutinensis Ecclesiæ Episcopi.
† Signum Attonis, Fuldensis Monasterii Abbatis.
† Signum Guntharii, Herolfesfeldensis Monasterii Abbatis.
† Signum Eberharti Comitis.
† Signum Guntharii Comitis.
† Signum Burgharti Comitis.
† Signum Vtonis Comitis.
† Signum Cronratis Comitis.
† Signum Ernustes.
Signum Thiotheris, Riedages, Liupen, Hartuniges, Arnolues, Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno Dominicæ Incarnationis nonocentesimo, sexagesimo secundo, Indictione quinta, mense Februarii, decimo tertio die ejusdem mensis, Anno vero D. Othonis Imperii invictiss. Imper. XXVII. facta est hæc pactio feliciter.

IV.

Henrici II. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo omnia Privilegia a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ concessa, nec non donationes Provinciarum urbiumque ipsi factas corroboravit, de Anno 100-

IN nomine Domini DEI omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Ego Henricus, DEI gratia Imper. August. spondeo atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro, Principi Apostolorum, & Clavigero Regni Cœlorum, & per te Vicario tuo, Domino Benedicto, Summo Pontifici, & universali Papæ, sicut a Prædecessoribus vestris, usque nunc in potestate vestra, ac ditione tenuistis, & disposuistis, Civitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis, & maritimis, litoribus, ac portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tusciæ partibus, id est Portum Centum Cellas, Ceram, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Castellum Gallicense, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus Insulis suis, id est, Majorem & Minorem, Paluesira, & Lacum, Narniam, Vtriculum, cum omnibus finibus, & territoriis ad supradictas civitates pertinentibus; nec non & Exarchatum Ravennatem sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis (Dominus Pipinus, & Dominus Carolus, & Dominus Ludovicus, & Otho, & itidem Otho, filius ejus, prædecessores videlicet nostri B. Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est Civitatem Ravennam, & Aemiliam, Bodium, Cesenam, Forum Populi, forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, Adrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque Insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus, simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Esim, Forum Sempronii, montem Feltri, Urbium & Territorium Beluense, Callem, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo Territorium Sabinense, sicut a prædictis Imper. antecessoribus nostris beato Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, & est in partibus Tusciæ, Longobardorum, Castellum Felicitatis, urbem veterem, Balneum Regis, Ferenti castrum, Viterbium, Orthem, Martham, Bledam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Roselles, cum suburbanis, atque viculis, & omnibus territoriis, ac maritimis oppidis, seu finibus omnibus. Itemque Almus cum Insula Corsica in Suriano, deinde in

 monte

monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque Provincia Venetiarum, & Istria, nec non & cunctum Spoletanum Ducatum seu Beneventanum, una cum Ecclesia S. Christinæ, posita prope Papiam juxta Pedum quarto milliario. Item in partibus Campaniæ, Sora, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, nec non & patrimonium ad potestatem, & ditionem vestram pertinentia, sicuti est patrimonium Beneventanum, & Neapolitanum, atque patrimonia Calabriæ superioris, & inferioris. De Civitate autem Neapolitana cum castellis, & territoriis, ac finibus, & Insulis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur: nec non patrimonium Siciliæ, si DEus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo Civitatem Cajetanam, & Fundum cum omnibus earum pertinentiis.

Super hoc confirmamus vobis Fuldense Monasterium, & Abbatis ejus consecrationem, atque omnia Monasteria, cartes & villas, quas in Ultramontanis partibus Sanctus Petrus habere dignoscitur, absque Aterna, Vumiteringa, sive Vuilenbanch, quæ a Sancti Petri Ecclesia per conventionis paginam Episcopo nostro Babembergensi collatæ sunt: pro quibus sæpe dictæ Ecclesiæ Sancti Petri transcribimus, concedimus & confirmamus omnem illam terram, quæ inter Narniam Teramnem, vel Spoletum ex Regni nostri parte habuimus.

Sub tuitione præterea Sancti Petri, & Vestra, vestrorumque successorum prætaxatum Episcopum Babembergensem offerimus, unde sub pensionis nostræ debito equum unum album phaleratum ab ejusdem loci Episcopo vos annualiter suscepturos sancimus.

Offerimus insuper, firmamus & corroboramus tibi B. Petro, ac Vicario tuo, Domino Benedicto & successoribus ejus, prout bonæ memoriæ Papæ Joanni, suisque successoribus a prædecessoribus nostris Othonibus factum est, civitates & oppida cum piscariis suis, Reatem, Amiternum, Furconem, Narsiam, Baluam & Marsiam, & alibi Civitatem Teramnem, cum pertinentibus suis.

Has omnes supradictas Provincias, urbes, civitates, oppida atque castella, viculos ac territoria, simulque patrimonia pro statu Regni nostri, cunctoque Christianorum populo conservando, jam dictæ Ecclesiæ tuæ, Beate Petre, Vicarioque tuo Benedicto, ac Successoribus ejus, usque in finem sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineant Jure, principatu atque ditione; Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Pipinus Rex, & postea Dominus Carolus Excellentissimus Imperator, ac deinceps Othones piissimi Beato Petro Christi Apostolo, spontanea voluntate contulerunt: nec non & censum, vel pensionem, seu cæteras donationes, quæ annuatim in Palatio Regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de Ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Adrianum Papam, & Dominum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de supradictis Ducatibus, id est, Tuscano, & Spoletano, suæ autoritatis præceptum confirmavit, eo scilicet modo, ut annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ Sancti Petri persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem subjectione. Cæterum, sicut diximus, omnia suprascripta nomina, ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum corroboravimus, ut in vestro permaneant jure, principatu, atque ditione, & neque a Nobis, neque a Successoribus nostris, per quodlibet argumentum, sive machinationem, in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut a vobis inde aliquid subtrahatur.

De suprascriptis vero Provinciis, urbibus, Civitatibus, oppidis, castris, viculis, territoriis, ac patrimoniis, nec non & pensionibus, atque censibus, sed potius omnia, quæ superius leguntur, id est, provinciæ, civitates, urbes, castella, oppida, terræ, patrimonia, atque Insulæ censusque & pensiones, ad partem Ecclesiæ beati Petri Apostoli, atque Pontificum in sacratissima Sede illius residentium, Nos, in quantum possumus, defensores esse teneamur, ad hoc, ut eam illi ditionem ad utendum, atque disponendum firmiter valeant obtinere, salva in omnibus potestate nostra, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto, & constitutione, ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis, successorumque illius continetur, ut omnis Clerus, & universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates, & Pontificum irrationabiles erga populum sibi subjectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatenus futura Pontificum electio, quantum uniuscujusque intellectus fuerit, canonice & juste fiat, & ut ille, qui ad hoc sanctum regimen eligatur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorum, vel universæ generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione, futura conservatione, qualem Dominus, & venerandus spiritualis Pater noster, Leo, sponte fecisse dignoscitur.

Præterea alia minora huic operi inserendum prævidimus, videlicet, ut in electione Pontificum neque liber, neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem Sanctorum Patrum, antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem venire præsumpserit, exilio tradatur.

Insuper etiam, ut nullus Missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus.

Nam & hoc omnimodo instituere placuit, ut qui semel sub spirituali defensione Domini Apostolici, sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum.

Illud etiam confirmamus, ut Domno Apostolico justam in omnibus servent obedientiam, seu Ducibus & Judicibus suis, ad faciendam justitiam.

Huic enim institutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus, ut missi Domni Apostolici, seu nostri semper sint constituti, qui annuatim Nobis renunciare valeant, qualiter singuli Duces ac Judices populo Justitiam faciant.

Hanc Imperialem constitutionem quomodo observent, qui Missi, decernimus, ut primum cunctos clama-

clamores, qui per negligentiam Ducum, vel Judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apostolici deferant, & ipse unum e duobus eligat, ut statim per eosdem Missos fiant necessitates emendatæ, aut Misso Nostro nobis renunciante per nostros nuncios a Nobis directos emendentur.

Hoc ut ab omnibus fidelibus Sanctæ DEI Ecclesiæ, & vestris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo, & nobilium Optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus, & Sigilli nostri impressione assignari jussimus.

† Signum Domini Henrici, gloriosissimi Romanorum Imp. Augusti.
Signum Erchandildi, Maguntini Archiepiscopi.
Signum Heriberti, Coloniensis Archiepiscopi.
Signum Bobonis, Trevirensis Archiepiscopi.
Signum Thiederici, Metensis Episcopi.
Ego Eberhardus, Bambergensis Ecclesiæ Episcopus, Romanæ Sedis subditus, subscripsi.
Ego Mazelinus, Wirzeburgensis Episcopus subscr.
Ego Walterius, Spirensis Episcopus subscr.
Ego Ruodardus, Constant. Episc. subscr.
Ego Rodalricus, Curiensis Episc. subscr.
Ego Adalbertus, Basiliensis Episc. subscr.
Ego Hemmo, Verdunensis Episcopus subscripsi.
Ego Walter, Heichstedensis Episc. subsc.
Signum Richardi, Fuldensis Abbatis.
Signum Brucardi Abbatis.
Signum Gottifridi Ducis.
Signum Beringardi Ducis.
Signum Thiederici Ducis.
Signum Simonis Comitis.
Signum Welphonis Comitis.
Signum Cunonis Comitis.
Signum Kunradi Comitis.
Signum Bobonis Comitis.
Signum Frederici Comitis.
Signum Bezelini Comitis.
Signum Ezonis, Comitis Palatini,
Signum Frederici, Camerarii.
Signum Ezonis, Infertoris.
Signum Heuzonis, Pincernarii.
Signum Huzis.
Alimunberegen.
Adilman.
Adilbero.
Ego Wizelius, Astrazburgensis Episcopus.
Signum Ryodhois, Fluvanensis Abbatis.

V.

Conradi II. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Ecclesiæ Ravennatensi Archi-Episcopali Comitatum Faventinum, una cum omnibus ejus juribus atque annexis, dono dedit, d. d. prid. Kal. Maji, Anno 1034.

IN nomine omnipotentis DEI; Chuonradus ejus pietatis munere Romanorum Imperator Augustus. Licet omnium Nobis subditorum commodis ac profectibus, ubi justitia exiget & honestas, invigilare velimus, Ecclesiarum tamen utilitatibus propensius favere debemus; quia enim ad Imperialis Celsitudinis solium Divina Nos pietas sublimavit, DEum nostræ dignitatis auctorem fideli mente semper diligere, & ejus debemus Ecclesias de multis, ac maximis, quæ Nobis misericorditer contulit, largiter honorare. Omnium igitur Sanctæ DEI Ecclesiæ præsentium ac fidelium futurorum, sub Romani Imperii universitate degentium, cognitioni pateat ac notitiæ, quod dilectissimæ conjugis nostræ Gislæ interventu, Domnus Gebehardus, Nobis a Regni nostri principio fidelissimus filius, Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus constitutus, nostram convenit præsentiam, nostramque poposcit clementiam, quo pro DEO animæque nostræ salute Comitatum Faventinum Sanctæ Ravennati Ecclesiæ Imperiali largitione concedere dignaremur: cujus Nos fidelitatem devotissimam recolentes, & carissimæ nostræ Conjugis precibus annuentes, prænominatum Comitatum Faventinum, cum omni districtu suo & Legali placito, & judicio, omnibusque publicis functionibus, angariis, & redhibitionibus, teloneis, fodris ripaticis, aquis, aquarumque fluxibus, molendinis & piscationibus, cunctisque postremo ex eodem Comitatu hactenus juri Regio legaliter attinentibus, prænominatæ Sanctæ Ravennati Ecclesiæ studio devotæ religionis offerimus, & a nostro jure, & Dominio in ejus jus perpetuum dominiumque transfundimus, & per hæc nostræ autoritatis instituta donamus, & habendum in proprietatem perpetuam a modo delegamus. Si quis ergo Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Consul, Proconsul, vel aliqua Dominii nostri magna parvaque persona sæpedictam Sanctam Ravennatens. Ecclesiam de jam dicto Comitatu Faventino, vel his, quæ ad eum hactenus pertinere noscuntur, inquietare, molestare, vel disvestire præsumserit, mille librarum auri compositioni se obnoxium Nobis & præfatæ Ecclesiæ procul dubio noverit. Quod ut verius credatur & ab omnibus diligentius custodiatur, manu propria ex consuetudine, roboratum, imaginis nostræ reddi jussimus significatione figuratum. Signum Domni Chuonradi secundi Romanorum Imperatoris invictissimi. Dat. pridie Kal. Maj. Indict. II. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trigesimo quarto. Anno autem Domini Chuonradi secundi, Regni decimo, Imperii vero octavo. Actum Ratisbonæ feliciter, Amen.

VI.

Instrumentum, in quo Mathildis Comitissa omnia bona sua, tam quæ jamjam habebat, quam quæ in posterum acquirere poterat, Sedi Romanæ denuo donavit, d. d. 15. Kal. Decembris, Anno 1102.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri JEsu Christi 1102. quinto decimo die Kal. Decembris, Indictione decima. Tempore Domini Gregorii Septimi Papæ in Latera-

Lateranensi Palatio, in Capella Sanctæ Crucis, in præsentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini & Alberici de Petro Leone, Benincasa, Fratris ejus, Uberti de Tuscia & aliorum plurium. Ego Mathildis, DEI gratia Comitissa, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, dedi & obtuli Ecclesiæ Sancti Petri, per interventum Domini Gregorii Papæ VII. omnia bona mea, jure proprietario, tam quæ tunc habueram, quam ea, quæ in antea acquisitura eram, sive jure Successionis, sive alio quocunque jure ad me pertinent, & tam ea, quæ ex hac parte montium habebam, quam illa, quæ in ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia, sicut dictum est, per manum Domini Gregorii VII. Papæ Romanæ Ecclesiæ dedi & tradidi, & cartulam inde fieri rogavi. Sed quia Cartula nusquam apparet, & timeo, ne donatio & oblatio mea in dubium revocetur. Ideo ego, quæ supra, Comitissa Mathilda, iterum a præsenti die dono & offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi Cardinalis & Legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi, per manum Domini Gregorii, omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quam quæ in posterum, DEO propitio acquisitura sum, & tam ea, quæ ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quæ in posterum DEO propitio acquisitura sum alio quocunque jure pro mercede & remedio animæ meæ & parentum meorum. Quæ autem ista mea bona juris mei superius dicta, una cum accessionibus, seu cum superioribus & inferioribus suarum, qualiter supra legavi, in integrum, ab ea die, in eadem Ecclesia dono & offero, & per præsentem Chartulam offensionis ibidem habendam confirmo. Insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem & vascionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expuli, garpivi, & absentem me feci, & a parte ipsius Ecclesiæ habendam reliqui, faciendum exinde pars ipsius Ecclesiæ dederit a præsenti die quicquid voluerit, sine omni mea, & hæredum & prohæredum meorum contradictione. Si quid vero, quod futurum esse non credo, sive ego Comitissa Mathilda, quod absit, aut ullus de hæredibus ac prohæredibus meis, seu qualibet apposita persona contra hanc chartulam quandoque offersionis aliquid agere tentaverimus, aut tam per quodvis ingenium infringere quæsierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, quod est pœna auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia, & quo repetierimus, vindicare non valeamus; sed præsens hæc chartula offersionis omnibus temporibus firma permaneat atque persistat, & pergamenta cum atramentario de terra levavi paginæ Guidonis Notarii tradidi, & scribere rogavi. In qua subter confirmans testibus obtuli roborandam. Actum Canusiæ feliciter, Mathilda, DEI Gratia, si quid est in hac charta a me facta.

† Ego Ardericus Judex interfui &c.
Ego Ubaldus interfui &c.
Signum manu Attonis de Monte Barranzonis & Bonvicini de Canusia, rogati testes.
Ego Gvido, Notarius Palatii, scriptor hujus chartulæ offersionis post traditam complevi & dedi &c.

VII.

Diploma Henrici V. Romanorum Imperatoris, de Privilegiis, Calixto II. Pontifici Maximo, Ecclesiæque Romana concessis, agens, de Anno 112-

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Henricus DEI gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore DEI & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ dimitto DEO, & Sanctis DEI Petro & Paulo Apostolis, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ, omnem Investituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno, vel Imperio meo sunt, Canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem, Possessiones, & Regalia Beati Petri, quæ a principio hujus discordiæ usque in hodiernum diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem Ecclesiæ Romanæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo, Possessiones etiam aliarum omnium Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum, quæ in Guerra ista amissæ sunt, consilio Principum, vel justitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Domno Papæ Calixto, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & omnibus, qui in parte illius sunt, vel fuerunt; & in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo: & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi justitiam faciam. Hæc omnia acta sunt consensu & consilio Principum, quorum nomina subscripta sunt. Adelbertus, Maguntinus Archiepiscopus. F. Coloniensis Archiepiscopus, A. Ratisponensis Episcopus. O. Bavenbergensis. B. Spirensis. A. Augustensis. G. Trajectensis. V. Constantiensis. G. Vuldensis. Henricus Dux. Fredericus Dux. S. Dux. P. Dux. Teboldus Marchio. Engelbertus Marchio. Gotifridus Palatinus. Otto Palatinus Comes. Ego F. Coloniensis Archiepiscopus & Archicancellarius recognovi.

VIII.

Bulla Innocentii II. Pontificis Maximi, in qua Lothario II. Romanorum Imperatori, itemque Henrico, Bavariæ Duci, tanquam genero, nec non ejus filiæ Gertrudi, Allodium Comitissæ Mathildis, ad dies vitæ, in feudum contulit, d. d. 6. Id. Junii, Anno 1135.

INnocentius Papa II. Lothario Imperatori Augusto & Regi & Imperatrici. Si autoritas Sacra Pontificum, & potestas imperialis vere glutino charitatis ad invicem complentur; Omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil

enim

enim in præsenti seculo est Pontifice clarius, nihil Rege sublimius, nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, DEO gratias! in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis, & cultor justitiæ extitisse cognosceris, & novissime diebus istis, nec personæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ pro Beati Petri servitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante Sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impertire: dignum profecto est, ut Nos, qui disponente Domino, universis Catholicæ Ecclesiæ filiis debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus; & tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his, quæ ad statum Imperii in suo robore conservandum, & utilitatem ac liberationem Catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter Imperatoriam potentiam augeamus: Hoc nimirum intuitu Allodium bonæ memoriæ Comitissæ Mathildæ, quod utique ab ea Beato Petro constat esse collatum, vobis committimus; & ex Apostolicæ Sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum, & Baronum per annulum investimus: ita videlicet, ut centum libras argenti singulis annis Nobis & Successoribus nostris exsolvas, & post tuum obitum proprietas ad jus & dominium Sac. Rom. Eccl. cum integritate absque diminutione & molestia revertatur. Quod si Nos, vel Successores nostri in eandem terram venire, manere, transire oportuerit, tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica Sedes decreverit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, B. Petro & Nobis, nostrisque Successoribus fidelitatem faciant. Cæterum, pro charitate vestra, nobili viro, Henrico, Bavariæ Duci, genero vestro, & filiæ vestræ, uxori ejus, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus, Apostolica benignitate concedimus: ita tamen, ut idem Dux homagium faciat, & fidelitatem S. Petro, ac Nobis, nostrisque Successoribus juret. Post quorum obitum prædictum Comitissæ Mathildæ Allodium, & jus, & dominium Sac. Rom. Ecclesiæ, sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur, salvo tamen semper in omnibus ejusdem Sac. Rom. Eccl. jure & proprietate. Datum Laterani sexto Idus Junii.

IX.

Concordia inter Eugenium III. Pontificem Maximum, & Fridericum I. Romanorum Imperatorem, de mutuis defensionis & amicitiæ officiis, sibi invicem præstandis, inita, de Anno 1152.

In nomine Domini Amen. Hæc est forma concordiæ & conventionis inter Dominum Papam *Eugenium*, & Dominum Regem Romanorum *Fridericum* constituta, mediantibus Cardinalibus *Gregorio*, Sanctæ Mariæ trans Tyberim, *Ubaldo* Sanctæ Praxedis, *Bernardo* Sancti Clementis, *Oct.* Sanctæ Ceciliæ, *Rollando* Sancti Marci, *Gregorio* Sancti Angeli, *Guidone* Sanctæ Mariæ in Porticu, abbate Brunone de Claravelle ex parte Domini Papæ: *Anselmo* Halvelsbergensi, *Hermanno* Constantiensi Episcopis, *Uthelrico de Lenceburch*, *Guidone*, *Werra*, *Widone Blandratense* Comitibus ex parte Domini Regis. Dominus siquidem Rex jurare faciet unum de ministerialibus suis in animam Regis, & ipse idem manu propria data fide in manu legati Domini Papæ promittet, quod ipse nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum *Rogerio* Siciliæ, sine libero consensu & voluntate Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ *Eugenii*, vel Successorum ejus, qui tenorem subscriptæ concordiæ tenere cum Rege Friderico voluerint, & pro viribus Regni laborabit Romanos subjugare Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, sicut unquam fuerunt a centum annis & retro. Honorem Papatus & regalia beati Petri, sicut devotus & spiritualis Advocatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, contra homines pro posse suo conservabit, & defendet, quæ nunc habet. Quæ vero nunc non habet, recuperare pro posse juvabit, & recuperata defendet. Græcorum quoque Regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si ille forte invaserit, pro viribus regni, quantocius poterit, ipsum ejicere curabit; hæc omnia faciet & observabit sine fraude & malo ingenio. Dominus vero Papa Apostolicæ auctoritatis verbo una cum prædictis Cardinalibus, in præsentia præscriptorum Legatorum Domini Regis, promisit, & observabit, quod eum sicut carissimum filium beati Petri honorabit, & venientem pro plenitudine coronæ suæ sine difficultate & contradictione, quantum in ipso est, Imperatorem coronabit, & ad manutenendum atque augendum, ac dilatandum honorem Regni, pro debito officii sui juvabit; & quicumque justitiam & honorem Regni conculcare, aut subvertere ausu temerario præsumserint, Dominus Papa a Regiæ dignitatis dilectione præmonitus, canonice ad satisfactionem eos commonebit. Quod si Regi ad Apostolicam admonitionem de jure & honore Regio justitiam exhibere contemserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi autem Græcorum ex ista parte maris terram non concedet, quod si ille invadere præsumserit, Dominus Papa viribus beati Petri eum ejicere curabit. Hæc omnia ex utraque parte sine fraude, & sine malo ingenio servabuntur, nisi forte libero & communi consensu utriusque immutentur.

X.

Forma Jurisjurandi, quod Otto IV. Romanorum Imperator, Innocentio III. Pontifici Maximo, d. 27. Maji, Anno 1201. præstitit.

Ego Otto, DEI gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, tibi Domino meo Innocentio Papæ, tuisque Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ spondeo, polliceor, promitto & juro, quod omnes posses-

possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam, & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas, & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo; Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Britanorii, cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu & honore suo; verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ, ab Apostolica Sede vocatus, accessero, de mandato Summi Pontificis recipiam procurationes ab illis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & Successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere. Stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum, de bonis consuetudinibus populo Romano servandis & exhibendis, & de negotio Societatis Tusciæ, ac Lombardiæ. Similiter etiam consilio tuo & mandato parebo de pace, vel concordia facienda, inter me, & Philippum Regem Francorum: Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. †

XI.

Ottonis IV. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Privilegia omnia a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ concessa, itemque donationes Provinciarum ac Urbium ipsi factas, non confirmavit solum, verum etiam auxit, d. d. 11. Kal. April. Anno 1209.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto IV. Divina favente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ipsum, ejusque Vicarium & Sponsam ejus sanctam Ecclesiam dispposuimus, & decrevimus magnifice honorare, ut qui Nobis in præsenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis, Reverendissime Pater, & Domine Summe Pontifex, Innocenti Papa, quos pro multis beneficiis Nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reverentiam, semper humili corde ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores Nostri Reges & Imperatores Catholici vestris Antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex iis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius enitescat. Illum igitur abolare volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum libere ac canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis, & causis Ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem libere fiant, eorumque prosecutionem sive processum, nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores admittere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum & Regum a tempore Ludovici, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni Jurisdictione, districtu & honore suo: Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, sive fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Innocentio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, ejusque successoribus, per Nos & nostros Successores, Romanorum Imperatores & Reges, observentur, firma & inconvulsa semper permaneant, præsens exinde privilegium conscriptum, Majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Signum Domini Ottonis IV. Romanorum Regis invictissimi. Ego Conradus, Spirensis Episcopus, vice Domini Siffridi, Moguntini Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archicancellarii, Regalis Aulæ Cancellarius recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCIX. Indictione XII. regnante Domino Ottone IV. Romanorum Rege glorioso, anno Regni ejus undecimo. Datum apud Spiram XI. Kal. April.

XII.

XII.

Forma jurisjurandi, quod Fridericus II. Romanorum Imperator, Innocentio III. Pontifici Maximo præstitit, d. d. 4. Id. Julii, Anno 1213.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. DEI gratia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ. Tibi, Domino meo Sanctissimo, ac Patri charissimo, Innocentio Papæ III. tuisque Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, præsentibus subscriptis Principibus Imperii, & Nobilibus spondeo, polliceor & promitto, & juro, quod omnes possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ, pro posse meo bona fide protegam, & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo: quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam, cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verumtamen, cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocatus accessero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & Successoribus Tuis, omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere, & si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem Imperii, & Nobiles, quibus præsentibus juravi, hi sunt: Evirhardus, Salzburgensis Archiepiscopus, Berardus, Barensis Archiepiscopus, Mangoldus, Pataviensis Episcopus, Engilhardus, Nuemburgensis Episcopus, Conradus Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Luppoldus Dux Austriæ & Stiriæ, Ludovvicus, Dux Bavvariæ Comes Albertus de Evvirtein, Henricus, Mareschalcus de Callindun, Gvalterus Pincerna. Actum in Capella in Castro Egræ, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIII. IV. Idus Julii Indictionis primæ.

XIII.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Privilegia omnia a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ indulta, insimulque donationes Provinciarum atque urbium ipsi factas calculo suo comprobavit, d. d. 4. Id. Julii, Anno 1213.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Fredericus II. divina favente Clementia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ. Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cujus manu ea, quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis & devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso; habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra, charissime Domine & Reverendissime Pater, protector & benefactor noster, Domine Innocenti, DEI gratia Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam & tutelam aliti sumus, protecti pariter & promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra fel. mem. Constantia Imperatrix, & Siciliæ Regina, ex ipso quasi utero nos jactavit, vobis, Beatissime Pater, & omnibus Successoribus vestris Catholicis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra magis devotio enitescat. Illum igitur volentes abolere abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis, & causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant, earum prosecutionem, sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas pro bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ

possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam, & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas, & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo; Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Britanorii, cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu & honore suo; verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ, ab Apostolica Sede vocatus, accessero, de mandato Summi Pontificis recipiam procurationes ab illis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & Successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere. Stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum, de bonis consuetudinibus populo Romano servandis & exhibendis, & de negotio Societatis Tusciæ, ac Lombardiæ. Similiter etiam consilio tuo & mandato parebo de pace, vel concordia facienda, inter me, & Philippum Regem Francorum: Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. †

XI.

Ottonis IV. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Privilegia omnia a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ concessa, itemque donationes Provinciarum ac Urbium ipsi factas, non confirmavit solum, verum etiam auxit, d. d. 11. Kal. April. Anno 1209.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto IV. Divina favente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ipsum, ejusque Vicarium & Sponsam ejus sanctam Ecclesiam dispofuimus, & decrevimus magnifice honorare, ut qui Nobis in præsenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis, Reverendissime Pater, & Domine Summe Pontifex, Innocenti Papa, quos pro multis beneficiis Nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reverentiam, semper humili corde ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores Nostri Reges & Imperatores Catholici vestris Antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex iis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum libere ac canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis, & causis Ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem libere fiant, eorumque prosecutionem sive processum, nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores admittere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum & Regum a tempore Ludovici, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni Jurisdictione, districtu & honore suo: Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, sive fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Innocentio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, ejusque successoribus, per Nos & nostros Successores, Romanorum Imperatores & Reges, observentur, firma & inconvulsa semper permaneant, præsens exinde privilegium conscriptum, Majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Signum Domini Ottonis IV. Romanorum Regis invictissimi. Ego Conradus, Spirensis Episcopus, vice Domini Siffridi, Moguntini Archiepiscopi, & totius, Germaniæ Archicancellarii, Regalis Aulæ Cancellarius recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCIX. Indictione XII. regnante Domino Ottone IV. Romanorum Rege glorioso, anno Regni ejus undecimo. Datum apud Spiram XI. Kal. April.

XII.

XII.

Forma jurisjurandi, quod Fridericus II. Romanorum Imperator, Innocentio III. Pontifici Maximo præstitit, d. d. 4. Id. Julii, Anno 1213.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. DEI gratia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ. Tibi, Domino meo Sanctissimo, ac Patri charissimo, Innocentio Papæ III. tuisque Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, præsentibus subscriptis Principibus Imperii, & Nobilibus spondeo, polliceor & promitto, & juro, quod omnes possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ, pro posse meo bona fide protegam, & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo: quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero fine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam, cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verumtamen, cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocatus accessero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & Successoribus Tuis, omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere, & si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem Imperii, & Nobiles, quibus præsentibus juravi, hi sunt: Evirhardus, Salzburgensis Archiepiscopus, Berardus, Barensis Archiepiscopus, Mangoldus, Pataviensis Episcopus, Engilhardus, Nuemburgensis Episcopus, Conradus Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Luppoldus Dux Austriæ & Stiriæ, Ludovvicus, Dux Bavvariæ Comes Albertus de Evvirtein, Henricus, Mareschalcus de Callindun, Gvalterus Pincerna. Actum in Capella in Castro Egræ, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIII. IV. Idus Julii Indictionis primæ.

XIII.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Privilegia omnia a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ indulta, insimulque donationes Provinciarum atque urbium ipsi factas calculo suo comprobavit, d. d. 4. Id. Julii, Anno 1213.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Fredericus II. divina favente Clementia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ. Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cujus manu ea, quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis & devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso; habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra, charissime Domine & Reverendissime Pater, protector & benefactor noster, Domine Innocenti, DEI gratia Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam & tutelam aliti sumus, protecti pariter & promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra fel. mem. Constantia Imperatrix, & Siciliæ Regina, ex ipso quasi utero nos jactavit, vobis, Beatissime Pater, & omnibus Successoribus vestris Catholicis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra magis devotio enitescat. Illum igitur volentes abolere abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis, & causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant, earum prosecutionem, sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas pro bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ

mitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Massa Trabaria cum adjacentibus Terris, & omnibus aliis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ, ab Apostolica Sede vocati, venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, sive fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & conscientia, consilio & consensu Principum Imperii libere illi dimittimus, renunciamus & restituimus; nec non ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet, & efficacius intelligi, concedimus, conferimus & donamus, ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax, & plena concordia in perpetuum inter Ecclesiam & Imperium perseverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsum spectantibus tam citra Farum, quam ultra, nec non Corsicam & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Innocentio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici ejusque Successoribus, per Nos & nostros Successores Romanorum Reges & Imperatores observentur, firmaque & inconvulsa semper permaneant; præsens privilegium conscriptum Majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Testes autem hi sunt: Sifridus, Maguntinæ Sedis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Eberhardus, Saltzburgensis Archiepiscopus, Conradus, Ratisbonensis Episcopus, Otto, Wirzburgensis Episcopus, Menegoldus, Pactavensis Episcopus, Engelhardus, Zizensis, Otacharus, Boëmorum Rex, Lodovicus, Dux Bavariæ, Liupoldus, Dux Austriæ & Stiriæ, Hermannus Landgravius Thuringiæ, Comes Albertus de Eberstein, Comes Adolphus de Sovvenberg, Comes Burcardus de Mannesveld Berardus de Dets, Comes Lodovicus de Wirtemberch, Gebeardus Burcravius Meigdeburgensis, Henricus de Stahelberch, Walterus de Lagemberch, Hainricus de Chalandina, Mareschalcus Imperii, Walterus de Siph, Pincerna Imperii & alii quam plures. Signum Domini Frederici II. Romanorum Regis invictissimi, & Regis Siciliæ. Ego Conradus, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi, Maguntini Archiepiscopi & Apostolicæ Sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Domini nostri JEsu Christi MCCXIII. Indictione prima, regnante Domino Friderico II. Romanorum Rege glorioso & Rege Siciliæ, anno Regni ejus Romani primo, Regni vero ejus Siciliæ XVI. Datum apud Egram per manus Bertoldi de Niffe, Regalis Aulæ Protonotarii IV. Idus Julii.

XIV.

Forma jurisjurandi, quod Salingverra de Ferraria Innocentio III. Pontifici Maximo, præstitit, d. d. 7. Septembris, Anno 1215.

ANno a Nativitate Domini nostri JEsu Christi MCCXV. Indictione III. tempore D. Innocentii Papæ III. Pontificatus ejus Anno XVIII. die lunæ, in vigilia S. Mariæ, septimo intrante mense Septembri, in præsentia ac testimonio rogatorum testium infra scriptorum. In nomine Domini, Ego Salinguerra de Ferraria, ab hac hora in antea ero fidelis vobis, Domino meo Papæ Innocentio, vestrisque Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ: non ero in facto, consilio vel consensu, ut vitam, vel membrum perdatis, aut mala capiamini captione. Vestrum certum malum si scivero, pro posse meo diligenter impediam: quodsi non potero impedire, significabo illud vobis, aut tali personæ, quam credam vobis pro certo dicturam. Consilium, quod mihi credideritis, ad vestrum damnum me sciente, nulli pandam, Præpositum Romanum, & Regalia beati Petri, specialiter quidem totum, quod mihi concessistis in feudum de terra quondam claræ memoriæ Comitissæ Mathildis, videlicet: Medicinam, & duas partes Argellatæ, Alombarazone, cum plebatu S. Mariæ, Carpum, Carpenetum, Desinantum, Mandrinem, Bibianellum, Castrum Ariani, Fostondum, Mozole, Bondenum, Ardumi, Piginagiam, cum universis curiis, & pertinentiis, juribus, & honoribus omnium prædictorum castrorum & locorum, & cuncta jura & reditus, responsiones, jurisdictiones, & honores, usus & albergarias, quæ sunt dicti poderis præfatæ Comitissæ Mathildis, divæ memoriæ, in his locis, sive pertinentiis, videlicet, in Sablono, Gazolo, Bellogaria, Biolotorta, Dinarano, Casale magno, Casale Gigogno, Tregasso, Pregnano, Caviano, Runcaliis, Planzo, castro Camisiæ, ejusque curia, Fontana, Campogajano, S. Martino, Dorio, Sustiriolo, Padis, Corregia, fossa Canulis, Miliarin. Gurgatellis, Fosulis, Budriono, Soleria, & in toto poderis in Episcopatu Bononiensi, Mutinens. Regin. Parmensi, cæterisque aliis Episcopatibus; Adjutor vero ad retinendum, & ad defendendum contra omnem mortalem. Eandem vero terram nec teneo, nec tenebo, nisi a Romana tantum Ecclesia, & pro ipsa solvam ei singulis annis, nomine census, quadraginta Marchas argenti, & serviam ei pro ipsa terra, meis sumptibus in Lombardia, & Romania, cum centum militibus: in Tuscia vero, valle Spoletan. vel Marchia, cum quinquaginta: ab urbe autem, & infra, versus Apuliam, per Campaniam, & totum Regnum Siciliæ, cum viginti per mensem integrum, singulis annis quandocunque fuero requisitus, tempore veniendi & recedendi, minime computato, ac deinde, quam sibi placuerit, in suis duntaxat expensis Legatos & Nuntios Apostolicæ Sedis in terram venientes præfatam, devote recipiam, & honorifice pertractabo. Hæc omnia promitto me bona fide impleturum & servaturum, sic me DEus adjuvet, & hæc sancta Evangelia. Factum in castro Carpi, in Ecclesia S. Mariæ, in manibus magistri Peregrini, D. Papæ Capellani, ad hoc specialiter delegati, feliciter, Ego Thom. qui vocor Bizardus, D. Othonis Imperatoris Nota-

notarius, rogatus interfui, audivi, & scripsi, & duo Instrumenta uno tempore complevi. Signum propriæ manus D. Salinguerræ, qui hoc fieri rogavit, & sigillo suo communiri præcepit. Ego Nicolaus Regin. Episcopus interfui, subscripsi, & ad majorem cautelam meo sigillo hoc muniri mandavi. Ego Mainardinus Imolens. Episcopus interfui, subscripsi, & hoc similiter sigillo meo roborari jussi. Ego Azo, Abbas S. Benedicti de Laron interfui, subscripsi, & sigillo meo muniri feci Testes autem ad hoc rogati & convocati, clerici & laici, sunt D. Abbas S. Petri de Cremon. & D. Archipresbyter de Carpa, & D. Guilielmus Archipresbyter Quarant. Laici autem Raimundus, Manfredus, Guido, Acto & Manfredus & Guido, omnes de Sisso, Manfredus Lupi, Guillelmus de Palliano, & Hugulinus frater ejus. Paris Grossus, Albriconus Cambiatoris, Paganus de Faviola, Arduinus de Bondeno, & Piscatore judice de Bondeno, Fulchinus de Campaniola, Guizandinus de Campaniola, Jacobus de la Fracta, Hildebrandus de Puntepar, & multi alii.

XV.

Forma Jurisjurandi, a Friderico II. Roman. Imperatore, Honorio III. Pontif. Max. præstiti, d. d. Mens. Sept. An. 1219.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fridericus II. Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Tibi Domino meo Sanctissimo, & Patri charissimo, Honorio Papæ III. tuisque Successoribus & Ecclesiæ Romanæ, præsentibus subscriptis Principibus Imperii & Nobilibus, spondeo, polliceor, & promitto & juro, quod omnes possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo, quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero sine fraude defensor; & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota Terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Exarchatus, Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Lodovici. Has omnes pro posse meo restituam & quiete dimittam, cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocatus, accessero, de mandato summi Pontificis accipiam procurationem ab eis; Adjutor etiam ero ad retinendum, & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ, Tibi etiam Domino meo Honorio Papæ, & Successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere; & si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere gverram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero supradicta tam juramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Principes autem Imperii & Nobiles coram quibus juravi, hi sunt: Henricus Argentinensis Episcopus, Henricus Basiliensis Episcopus, Abbas S. Galli, Hugo Abbas Morbacensis, Golfradus de Wiziburch, Tibaldus Dux Lothoringiæ, Comes Egeno de Urach, Comes Lodovvicus de Virtimberch, Comes Everhardus de Elsratem, Henricus de Niffen, & quam plures alii. Actum apud Hagnovæ anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX. mensis Septembr. Indictione VIII.

XVI.

Friderici II. Roman. Imperatoris, Diploma, in quo omnia Privilegia, a Roman. Imperatoribus Sedi Romanæ indulta, nec non donationes Provinciarum atque urbium ipsi factas, confirmavit, d. d. mens. Septembr. An. 1219.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Amen. Fridericus II. divina favente Clementia Romanorum Rex, semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cujus manu ea, quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis & devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in Nobis, & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso. Habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra, charissime Domine & Reverendissime Pater, protector, & benefactor noster, Domine Honori, Dei gratia Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam & tutelam aliti sumus, protecti pariter, & promoti, postquam in sollicitudinem vestram mater nostra fel. mem. Constantia Imperatrix. & Regina Siciliæ ex ipso quasi utero Nos jactavit, vobis, Beatissime Pater, & omnibus successoribus vestris Catholicis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ, omnem obedientiam, honorificentiam atque reverentiam, semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nil exinde volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra magis devotio enitescat. Illum igitur volentes abolere abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse noscuntur, & dicuntur, in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis, & causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant, earum prosecutionem, sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum,

quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consveverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero Spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis, libere relinquimus disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore, auxilium dabimus, & operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Marchia Aconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Massa Trabaria cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ, ab Apostolica Sede vocati, venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, sive fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & conscientia, consilio & consensu Principum Imperii libere illi dimittimus, renunciamus & restituimus, nec non ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet, & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, & donamus ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsum spectantibus tam citra Farum, quam ultra, nec non Corsicam & Sardiniam, & cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Honorio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, ejusque Successoribus, per Nos & nostros Successores Romanorum Reges & Imperatores observentur, firmaque & inconvulsa semper permaneant, præsens privilegium conscriptum, Majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Testes ii sunt: Henricus Argentinensis Episcopus, Henricus Basiliensis Episcopus, Abbas Sancti Galli, Hugo Abbas Morbacensis, Golfradus Abbas de Wizburch, Tibaldus, Dux Lotharingiæ, Comes Egeno de Vrach, Comes Ludovicus de Wirtimberch, Comes Everardus de Elphinstein, Henricus de Niffen & alii quam plures. Signum Domini Friderici, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti & Regis Siciliæ. Ego Conradus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi, Maguntini Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX. mense Septembris Indictione VIII regnante Domino Frederico II. Romanorum Rege glorioso, & Rege Siciliæ, anno Romani Regni ipsius in Germania VII. & in Sicilia XXII. feliciter, Amen. Datum apud Hagnoviæ per manus Henrici, Regalis Aulæ Prothonotarii, Anno, mense & Indictione præscriptis.

XVII.

Statuum Sacr. Romani Imperii Attestatum, quod Privilegiorum Sedis Pontificia confirmationi, paulo ante inserta, assensum præbuerint, d. d. 9. Kal. Maji, An. 1220.

NOs Principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Ut tollatur de medio omnis materia scandali, dissensionis, seu etiam Rancoris occasio inter Ecclesiam & Imperium, & ii duo gladii in domo domini constituti intimæ dilectionis fœdere copulati exurgant, in Reformationem universi Populi Christiani & merito mundo appareant in omnem exhibitionem justitiæ & veritatis illa duo magna luminaria, posita in medio firmamenti, & nos in opere & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam quam Imperium confovere tenemur, ac etiam unanimiter gubernare quicquid ipsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ factum est per dominum nostrum Fridericum, Dei gratia Romanorum Regem semper Augustum & Regem Siciliæ per Privilegia, seu etiam scripta sua pro omni discordia sopienda & evitanda imposterum, & pro pace totaliter reformanda pariter & observanda, ut sit in omnibus eisdem omni tempore idem velle, & nolle, & nos bonorum operum sectatores feliciter gaudeamus, nostri nomine principatus sicut olim ad petitiones & preces, nec non & mandatum prædicti Domini nostri Regis Friderici tempore bonæ mem. Domini Innocentii III. Papæ pro bono pacis ad omnia scandala evitanda ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ super privilegiis ipsius Regis sibi datis nostram tunc voluntatem præbuimus & consensum, sic nunc eandem voluntatem & consensum nostrum noviter innovamus & per omnia approbamus. Et ut hæc nostra voluntas & approbatio sive Renovatio a Nobis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in perpetuum observentur, ut liqueat in effectu in testimonium illi & ad perpetuam memoriam nostri. Hoc præsens scriptum inde fieri fecimus nostrorum sigillorum munimine roboratum, super omnibus privilegiis ab ipso Rege usque nunc sibi datis, & etiam adhuc dandis tam super facto Regni Siciliæ, ita quod Imperium *nihil* cum dicto Regno habeat unionis vel alicujus Jurisdictionis in ipso. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCCXX. dat. apud Frankenfort in solemni curia IX. Kal. Maji, Indictione VIII.

XIIX.

Friderici II. Romanorum Imperatoris Edictum, de bonis Sedi Romanæ a Comitissa Mathilde donatis, ab aliis vero hactenus possesis, jam vero memoratæ Sedi restituendis, promulgatum, d. d. prid. Kal. mens. Octobr. An. 1220.

FRedericus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ. Per præsens scriptum notum facimus universis, tam præsentibus, quam futuris, quod, cum ad resignationem Comitatus, terræ & poderis quondam Comitissæ Mathildis faciendam sanctæ Romanæ ecclesiæ, venerabili matri nostræ, ad quam pertinet pleno jure, Serenitas nostra contra quoslibet detentores speciale mandatum dederit, ac etiam generale tam per literas, quam per dilectum fidelem, Conradum, venerabilem Metensem & Spirensem Episcopum, Cancellarium nostrum, sub pœna mille marcharum argenti, & dictus Cancellarius castrum Gonzag. cum pertinentiis suis, quod est de Comitatu Comitissæ prædictæ, invenerit occupatum a filiis Comitum Alberti de Casalod. & Nerisii, quibus sub pœna prædicta injunxerit resignandum, & eidem super hoc parere contempserint, ad non modicam injuriam regiæ Majestatis, propter quod sine alia citatione in metum aliorum, præter pœnam prædictam, animadvertendum erat in eos, tamen, ut excellentia nostra potius ad veniam, quam ad vindictam pronior videretur, laboravimus per ipsorum amicos & consanguineos, cum citati non comparuerint coram Nobis, ut sine metu pœnæ Nobis resignarent castrum ipsum, & mandatum nostrum contempserint in hac parte, de consilio venerabilium Principum nostrorum Patriarchæ Aquilegensis, Episcoporum Tridentini, Brissinensis, Vicentini, Paduani, Feltrensis, Mantuani, Cremonensis, Bergamensis, Laudensis, Parmensis, Astensis & Taurinensis taliter contra eos duximus procedendum, confirmantes primo, quod factum est contra eos de banno & pœna injuncta per Cancellarium memoratum, & ex nunc personas ipsorum ponimus sub perpetuo banno Imperii, & etiam bona eorum jubemus, ubicunque fuerint, confiscari sine aliqua spe remissionis seu revocationis, si usque ad diem dominicum proxime venturum dictum castrum cum omnibus pertinentiis detentis, ab eis non resignaverint in manus Alatrini & Raynaldi, Capellanorum Domini Papæ, vel eorum alterius, vel in nostras, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ resignandum.

Quod si non fecerint, quicunque de bonis ipsorum detinent, vel ex tunc occupaverint, sive quocunque alio modo acquisierint, libere possideant & auctoritate nostra detineant. Et super hoc præcipimus Cremonensibus, Parmensibus, Reginensibus, Mutinensibus, Bononiensibus, & generaliter omnibus aliis adjutoribus, fautoribus & detentoribus memorati castri faciant vivam gverram, firmiter inhibentes Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brissiensibus, & omnibus aliis fidelibus nostris sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ, communitati cuilibet prædictarum sub pœna mille marcharum, Marchionibus, Comitibus, Baronibus sub pœna ducentarum marcharum, Militibus centum, & aliis inferioribus quinquaginta, quod eis nullum præstent auxilium, consilium, adjutorium, vel favorem, & tam de castro prædicto, quam de aliis castris, scilicet Pegugnac. & Bonden. nec non de toto ipso comitatu, podere, ac terris Comitissæ prædictæ dictos Capellanos nomine Romanæ ecclesiæ investimus & eos constituimus possessores, & mandavimus de castris prædictis, per venerabilem Episcopum Taurinensem, vicarium nostrum, in corporalem possessionem induci, præcipientes tam militibus & habitatoribus castrorum ipsorum, quam omnibus aliis vasallis de ipso comitatu, seu terris & poderis Comitissæ præfatæ, quos omnes ad præsens absolvimus ab omni juramento, quo Nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, quod dictis nuntiis Domini Papæ, vel alteri eorum, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, abjuratis aliis juramentis contrariis istis, præstent fidelitatis nomine Romanæ Ecclesiæ juramentum. Quod si non fecerint, sciant se ex nunc omnibus bonis Comitatus, poderis sive terrarum ab eisdem possessis hac nostra sententia in perpetuum fore privatos, & milites & habitatores ipsius castri Gonzagæ desuper ponimus in perpetuo banno nostro. Præterea injungimus firmiter & mandamus Potestatibus, Consulibus, seu Rectoribus civitatum, sub pœna mille marcharum, ut omnes possessiones Comitatus prædicti detentas ab ipsis sub pœna prædicta mille marcharum sine difficultate ac mora restituant, & absolvant omnes homines de comitatu & terris prædictis ab omni juramento, districtu & obligationibus, quibus ratione alicujus jurisdictionis, quam hactenus exercuerunt in eos, tenentur eisdem, & removeant Consules, Rectores, Bajulos, & si quos officiales posuerunt in eis, & extrahant quoscunque posuerunt in banno de terris ipsis sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ, ipsis nihilominus injungentes, ut dictis Capellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii ad hoc a sancta Romana Ecclesia destinato, ad retinendam possessionem terrarum, quas habent, & recuperandam, quam non habent, præstent auxilium, consilium & favorem. Verum quia ipsi filii dictorum Comitum nostram contempserunt sententiam & mandatum, prædictum castrum infra terminum sibi datum nequaquam ut superius legitur resignantes, nostram promulgatam sententiam contra ipsos & omnes alios detentores Comitatus prædicti, poderis, seu etiam terrarum in nostra publica Curia publicari fecimus, & ut firma semper & inconvulsa permaneat, Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Principes autem Imperii & Prælati & nobiles Italiæ, quibus præsentibus hæc omnia acta sunt, sunt hi: Patriarcha Aquilegensis, Conradus, Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, & totius Italiæ Legatus, Episcopus Pitaviensis, Syfredus, Augustensis Episcopus, Albertus, Tridentinus Episcopus, Bertoldus, Brissinensis Episcopus, Abbas Augiensis, Ludovvicus, Dux Bavariæ & Comes Palatinus Rheni, Anselmus, Mariscalcus Imperii, & Gvarnerius de Bollandia, Senescalcus, Episcopus Taurinensis & Italiæ Vicarius, F. Papiensis Episcopus, O. Laudensis Episcopus, M. Mutinensis Episcopus, Henricus, Bononiensis Episcopus, Azo, Mar-

Marchio Estensis, Matthæus de Corrigia, Potestas Papiensis, Niger Marianus, Potestas Parmensis, Birrita, Potestas Reginensis, Ægidius, Potestas Mutinensis, Tisus de Campo Sancti Petri, & alii plures.

Datum in castris apud sanctum Leonem VIII. Kal. Octobr. & publicatum apud Spm. Lambert pridie Kalend. mensis ejusdem, anno Domini millesimo CC. XX. Indictione VIII.

XIX.

Rudolphi I. Romanorum Regis, Diploma, in quo Ottoni, S. Guidonis Spirensis Præposito, ac Cancellario suo, jusjurandum, apud Sedem Apostolicam usu atque consuetudine receptum, suo nomine præstandi, liberam potestatem atque speciale mandatum dedit, d. in Crastin. Quasimodog. Anno 1274.

SAnctissimo in Christo Patri & domino suo, Domino Gregorio, sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici. Rodulphus Romanorum Rex semper Augustus, pedum oscula beatorum Sanctitati vestræ præsentibus notescat, quod ego devotus vester & Ecclesiæ Romanæ filius honorabilem virum Othonem, præpositum S. Widonis Spirensis, regalis aulæ meæ Cancellarium, meum Nuncium & procuratorem constituo, dans ei liberam potestatem & speciale mandatum, faciendi nomine meo B. Petro Apostolo, cœlestis regni clavigero, ac vobis ejus successori, cœterisque vestris canonicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ confirmationes, concessiones, privilegia, juramenta, & cætera omnia, quæ mei prædecessores, Reges Romanorum, fecisse noscuntur, seu inveniuntur; nec non & alia promittendi seu faciendi quæ vos, sanctissime Pater & domine, sine demembratione Imperii secundum DEum & honestatem videritis expedire; & in animam meam jurandi, quod ea omnia & singula rata habebo & inviolabiliter observabo, nec contra ea per me, vel per alium publice, vel occulte venire tentabo. Do etiam ei potestatem promittendi nomine meo, quod ego per me ipsum eadem faciam & promittam atque jurabo, quandocunque per vos literis vel nuncio fuero requisitus. Et super his omnibus patentes literas meas dabo, aurea bulla, typario Regiæ Majestatis, impressa bullatas. Do præterea eidem Cancellario potestatem & speciale mandatum dandi super omnibus præmissis & singulis patentes literas, seu publicum Instrumentum, & omnia faciendi, quæ in præmissis & circa præmissa fuerint necessaria, vel etiam opportuna: etiamsi mandatum exigerent speciale. In cujus rei testimonium præsentem procurationem fieri feci, & mei sigilli munimine roborari. Datum Rotemburc, Anno Domini MCCLXXIV. in crastinum Dominicæ, quæ cantatur Quasimodogeniti, Regni nostri anno primo,

XX.

Instrumentum de rebus ab Ottone, S. Guidonis Spirensis Præposito, Rudolphi I. Romanorum Imperatoris, Nuntio, pleno mandato instructo, Lugduni, in publico Summi Pontificis Consistorio gestis, agens, d. d. 6. Junii, Anno 1274.

IN nomine Domini, Amen. Ego Otho Sancti Guidonis Spirensis Præpositus, Regiæ Aulæ Cancellarius, gloriosissimi Principis Domini mei Rudolphi, DEI gratia Regis Romanorum semper Augusti, Procurator & Nuntius, habens ab ipso mandatum in forma subscripta, præsenti scripto confiteor, me privilegia nec non & juramenta claræ memoriæ Ottonis quarti, & quondam Frederici II. Imperatorum, tunc Regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte vitiata, sed in prima sui facie aureis bullis Regum ipsorum, Regiæ Majestatis impressis typario, consignata, diligenter inspexisse, de verbo ad verbum legisse, ac in Theutonico idiomate, propter infrascriptos Nobiles exposuisse in Consistorio vestro, Sanctissime Pater & Domine, Domine Gregori Papa X. adstantibus vobis Reverendis Patribus Joanne, Portuensi, Petro Tusculano, Vice-Domino Prenestrino, Fratribus Bentivenga Albanensi, Petro Ostiensi, Episcopis, Simone tituli Sancti Martini in Montibus, Anchero tit. S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci, Simone tit. S. Ceciliæ Presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Cosmidin, Gottifrido S. Georgii ad Velum aureum Uberto S. Eustachii, & Matthæo S. Mariæ in Porticu Diaconis, Cardinalibus, & præsentibus inibi Venerabilibus Patribus, Henrico Trevirensi, Guarnero Maguntinensi, Engueberto Coloniensi, Conrado Magdeburgensi, Giselberto Bremensi, Archiepiscopis, Conrado Argentinensi, Leone Ratisbonensi, Brunone Brixinensi, Ottone Mindensi, Frederico Merseburgensi, Guidone Misnensi, Joanne Kimensi, Ildebrando Eistetensi, Episcopis, & Nobilibus Viris Frederico Burclavio de Nuremberch, ac Gottifredo Comite Seunensi. Tenores autem prædictorum privilegiorum & juramentorum, de verbo ad verbum tales sunt:

I. *Forma Juramenti Ottonis IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, præstiti felicis recordationis Innocentio Papæ III.*

Ego Otto &c. *ut supra* pag. 705.

II. *Tenor privilegii dicti Ottonis IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, concessi eidem Innocentio, & Ecclesiæ Romanæ.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Otto IV. Divina favente Clementia Romanorum Rex & semper Augustus.

Recognoscentes ab eo &c. *ut supra* pag. 707.

III. *Tenor privilegii Frederici II. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, concessi eidem Innocentio Papæ III. & Ecclesiæ Romanæ.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Fredericus II. Divina favente Clementia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Regnum nostrum &c. *ut supra* pag. 709.

IV. *Si-*

IV. *Simile privilegium concessum ab eodem Frederico, tunc Rege Romanorum, fel. rec. Honorio Papa III.*

In nomine DEI æterni, & Salvatoris nostri JEsu Christi, Amen. Fredericus II. Divina favente Clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Regnum nostrum tunc &c. *ut supra* pag. 713.

V. *Forma juramenti ejusdem Frederici, tunc Regis Romanorum, præstiti præfato Innocentio Papa III.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fredericus II. DEI gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Tibi Domino Meo &c. *ut supra* pag. 709.

VI. *Forma juramenti ejusdem Frederici, tunc Regis Romanorum, præstiti præfato Honorio Papa III.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Fredericus II. DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Tibi Domino meo &c. *ut supra* pag. 713.

De prædictorum itaque Archiepiscoporum, Episcoporum, ac Nobilium consilio, & expresso consensu, Ego memoratus Cancellarius omnia & singula in eisdem contenta privilegiis, ejusdem Regis Rudolphi nomine ratifico, rata, & firma habeo, & ab aliis haberi volo, & eadem innovo, atque de novo concedo, promittens eodem nomine B. Petro, Cœlestis Regni Clavigero, ac Vobis Patri Sanctissimo, ejus Successori, cæterisque vestris Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, ac jurans in animam ipsius Regis Rudolphi, quod ipse per se, vel per alium, seu alios, non occupabit, nec invadet, in totum, vel in partem aliquam, terras ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut terras Vasallorum ejus, quas jure feudi, vel sub census, aut alterius præstationis titulo, sive alio quocumque modo tenent ab ipsa Ecclesia, nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, seu alios, vel invadi: quin etiam nec ipsas, nec tenentes easdem, se, vel terras ipsas sibi ultro volentes subjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque potestatem in terris eisdem, & specialiter in Civitate Romana recipiet, sub quocunque colore, sine vestra, seu successorum vestrorum licentia speciali; & si qui eas occupare, vel invadere tentarent, non solum denegabit illis auxilium, consilium, & favorem publicum, & occultum, verum etiam ad requisitionem vestram, vestrorumve Successorum, adjutor erit contra illos in defendendis & conservandis eisdem. Item quod idem Rex Rudolphus per se, vel per alium non offendet Vasallos Ecclesiæ, & specialiter Magnificum Principem D. Carolum, Regem Siciliæ Illustrem, seu hæredes ipsius, nec volentibus ipsum offendere præstabit consilium, auxilium, aut favorem publice, vel occulte; nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Ecclesia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per se, vel per alium, aut occupari, vel invadi procurabit, nec invadere, aut occupare tentantibus præstabit auxilium, consilium, aut favorem publicum, vel occultum. Alios etiam devotos ipsius Ecclesiæ, qui eidem Ecclesiæ adstiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes, vel successores ipsius, propterea non gravabit; sed nihilominus favorabiliter prosequetur: Vasallos autem suos, contra prædictorum aliquod facientes, pro posse bona fide compescet. Servabit præterea, & faciet omnia & singula, quæ in canonibus positis LXIII. distinct. quorum quidem canonum alter, *Ego Ludovicus*; alter vero, *Tibi Domino Papa*, incipit, continentur. Quodque idem Rex Rudolphus præmissa omnia, tam in privilegiis ipsis contenta, quam alia, inviolabiliter observabit, ac de præmissis omnibus & singulis observandis præstabit, tactis corporaliter Sacrosanctis Evangeliis, juramentum: & privilegia per omnia, verbis tamen competenter mutatis, prout facti qualitas exigit, similia suprascriptis continentia; & nihilominus plene omnia alia, quæ præter privilegiorum præmissorum tenores superius exprimuntur: ac insuper ratificationem, confirmationem, innovationem ac novam concessionem omnium renunciationum, dimissionum, promissionum, pollicitationum, sponsionum, concessionum, cessionum, confirmationum & confessionum, quas tam dictus Fredericus II. quam alii Reges, & Imperatores Romani præcedentes eundem, B. Petro Apostolorum Principi, Summis Pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel Ecclesiæ Romanæ præstitisse noscuntur, præfato Apostolorum Principi, ac vobis Sanctissimo Patri ejus Successori, cæterisque Catholicis vestris successoribus & Ecclesiæ Romanæ concedet, quandocunque per Sedem Apostolicam super hoc literis fuerit, vel Nuntio requisitus: & juramenta etiam præstabit, & literas super hujusmodi præstatione concedet, prout dicti Reges Romanorum præstiterunt, ac concesserunt. Postquam autem Romam, ad recipiendum unctionem, coronationem, seu Imperiale diadema pervenerit, ipsaque perceperit, præmissa omnia & singula innovabit, seu de novo faciet; ac sine aliqua difficultate juramenta præstabit, quæ Imperatores Romani hactenus præstiterunt. Item quod dictus Rex Rudolphus bona fide, sine fraude & malo ingenio procurabit, quod omnes Principes Alemanniæ laici promittent, & jurabunt, se bona fide curaturos, & facturos, quod ipse Rex Rudolphus præmissa omnia & singula inviolabiliter observabit; & si, quod absit, ipse Rex Rudolphus prædicta non servaret, iidem Principes in hoc ipsi aliquatenus non assistent.

Tenor autem mandati, quod ab eodem Rege Rudolpho recepi, per omnia talis est.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Gregorio, Sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Rudolphus, Romanorum Rex semper Augustus, pedum oscula beatorum.

Sanctitati vestræ præsentibus innotescat, quod ego devotus vester, & Ecclesiæ Romanæ filius, honorabilem virum Othonem, Præpositum Sancti Guidonis Spirensis, Regalis Aulæ meæ Cancellarium &c. *ut in Diplomate antea inserto* sub Num. XIX.

Acta sunt hæc Lugduni in prædicto Consistorio, Anno Domini MCCLXXIV. mense Junii, die Martis VI. ejusdem mensis, Pontificatus vestri anno III. Porro ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum de præmissis omnibus præsentes literas fieri feci, & mei sigilli munimine roborari.

XXI.

Diversorum Archiepiscoporum pariter atque Episcoporum, nec non quorundam Germaniæ Principum Testimonium de recognitione & confirmatione Privilegiorum, ab Ottone IV. & Friderico II. Roman. Imperatoribus, Ecclesiæ Romanæ concessorum, tempore Concilii Lugdunensis, sub Gregorio X. Pontifice Maximo, in publico Consistorio, per Ottonem, S. Guidonis Spirensis Præpositum, ac Rudolphi I. Romanorum Regis Nuncium, 6. Junii Anno 1274. habito, facta.

IN nomine Domini Amen. Nos Henricus Treverensis, Guarnerus, Moguntinus, Enguebertus, Coloniensis, Conradus, Magdeburgensis, Giselbertus, Bremensis Archiepiscopi; Conradus, Argentinensis, Leo, Ratisbonensis, Bruno Brixinensis, Otho, Mindensis, Fredericus, Merseburgensis, Uvidego Misnensis, Joannes, Kimensis, Ildebrandus, Eistetensis Episcopi; Fredericus, Burclavius de Nurembere, & Gotifredus Comes Sainensis, præsenti scripto fatemur, nos vidisse, ac diligenter respexisse privilegia, nec non & juramenta claræ memoriæ Ottonis IV. & quondam Frederici II. Imperatorum, tunc Regum Romanorum, non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte vitiata, sed in prima sui facie aureis bullis Regum ipsorum, Regiæ Majestatis impressis typario consignata, quorum tenores tales sunt:

Inserantur superius inserta:

I. *Forma Juramenti Ottonis IV. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, fel rec. Innocentio Papa III. die 27. Maji Anno 1201. præstiti.*

II. *Tenor privilegii Ottonis IV. Imp. tunc Regis Rom. eidem Innocentio & Ecclesiæ Romanæ die 22. Mart. (11. Kal. April.) anno 1209. concessi.*

III. *Tenor privilegii Friderici II. Imperatoris, tunc Regis Romanorum, eidem Innocentio Papæ III. & Ecclesiæ Romanæ die 12. Jul. (IV. Id. Jul.) concessi.*

IV. *Simile privilegium ab eodem Friderico, tunc Rege Roman. fel. rec. Honorio Papæ III. mens. Septembri, Anno 1219. concessum.*

V. *Forma juramenti ejusdem Frederici, tunc Regis Roman. præfato Innocentio Papæ III. die 12. Jul. (IV. Id. Jul.) Anno 1213. præstiti.*

VI. *Forma juramenti ejusdem Friderici, tunc Regis Roman. memorato, Honorio, Papæ III. mens. Sept. Anno 1219. præstiti.*

Prædicta quidem privilegia & tenores juramentorum in Consistorio Vestro, Sanctissime Pater, & Domine Gregori, Divina Providentia Papa X. assistentibus Vobis reverendis Patribus, Joanne Portuensi, Petro Tusculano, Vicedomino Prenestino, Bonaventura Albanensi, Petro Ostiensi Episcopis; Simone Sancti Martini in Montibus, Anchero, Sanctæ Praxedis, Guillelmo, Sancti Marci, Simone, Tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Ottobono Sancti Adriani, Jacobo, S. Mariæ in Cosmidin, Gottifredo, Sancti Georgii ad velum aureum, Uberto Sancti Eustachii & Matthæo S. Mariæ in Porticu Diaconis Cardinalibus, ac Nobis in Vestra præsentia inibi constitutis, per venerabilem virum Ottonem, Sancti Guidonis Spirensis præpositum, Domini nostri Rudolphi, Regis Romanorum illustris Cancellarium & procuratorem lecta, & propter nos supradictos Burclavium, & Comitem, qui nec literas, nec linguam latinam novimus, fideliter fuerunt exposita. Idem quoque Cancellarius habens ab eodem Rege Rudolpho potestatem & speciale mandatum subscripti tenoris, de nostro consilio & assensu, omnia & singula in eisdem privilegiis, & juramentorum contenta tenoribus, ejusdem Regis Rudolphi nomine ratificavit, rata & firma se habere, ac ab aliis haberi velle professus est, & eadem innovavit, ac denuo concessit.

Promisit insuper eodem nomine, ac juravit in animam ipsius Regis Rudolphi, quod ipse Rex per se, vel per alium, seu alios non occupabit, nec invadet, in totum, vel in partem, terras Ecclesiæ Romanæ, aut terras vasallorum ejus, quas jure feudi, vel sub censu, aut alterius præstationis titulo, sive alio quocunque modo tenent ab ipsa Ecclesia: nec eas, vel earum aliquam procurabit occupari per alium, seu alios, vel invadi. Quin etiam nec ipsas, nec tenentes easdem, se, vel terras ipsas sibi ultro volentes subjicere, nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcumque potestatem in terris eisdem, & specialiter in Civitate Romana, recipiet sub quocunque colore, sine vestra, vestrorumque successorum licentia speciali, & si qui eas occupare, vel invadere tentarent, non solum denegabit illis auxilium, consilium, & favorem publicum, & occultum; verum etiam ad requisitionem vestram, dictorumve successorum, adjutor erit contra illos in defendendis & conservandis eisdem.

Item quo idem Rex Rudolphus per se, vel per alium, non offendet Vasallos Ecclesiæ, & specialiter Magnificum Principem, Dominum Carolum, Regem Siciliæ illustrem, seu hæredes ipsius: nec volentibus ipsum offendere præstabit consilium, auxilium, aut favorem, publice, vel occulte: nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Ecclesia, vel aliquam ejus partem occupabit, aut invadet per se, vel per alium; aut occupari vel invadi procurabit; nec invadere aut occupare tentantibus præstabit auxilium, consilium, vel favorem publicum, vel occultum. Alios etiam devotos Ecclesiæ, qui eidem adstiterunt contra prædictum Fredericum, hæredes vel successores ipsius, propterea non gravabit; sed nihilominus favorabiliter prosequetur: vasallos autem suos, contra prædictorum aliquod facientes, pro posse bona fide compescet. Servabit præterea, & faciet omnia & singula, quæ in canonibus positis LXIII. distinct. quorum quidem canonum alter, Ego Ludovicus; alter vero, Tibi Domino Papæ, incipit, continentur. Quodque idem Rex Rudolphus prædicta omnia, tam in privilegiis contenta, quam alia inviolabiliter observabit, ac de præmissis omnibus & singulis observandis præstabit, tactis Sacrosanctis Evangeliis, corporaliter juramentum: & privilegia, per omnia, verbis tamen aliquibus competenter mutatis, prout

facti

facti qualitas exigit, similia suprascriptis continentia, & nihilominus plene omnia alia, quæ præter privilegiorum præmissorum tenores superius exprimuntur; ac insuper ratificationem, confirmationem, innovationem, ac novam concessionem, omnium renunciationum, dimissionum, promissionum, pollicitationum, sponsionum, concessionum, cessionum, & confirmationum, quas tam dictus Fredericus II. quam alii Reges, & Imperatores Romani præcedentes eundem, Beato Petro, Apostolorum Principi, Summis Pontificibus, qui pro tempore fuerunt, vel Ecclesiæ Romanæ præstitisse noscuntur, præfato Apostolorum Principi, ac Vobis sanctissimo Patri, ejus successori, cæterisque vestris Catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ concedet, quandocumque per Sedem Apostolicam super hoc literis fuerit, vel Nuncio requisitus: & juramenta etiam præstabit, & literas super hujusmodi præstatione concedet, prout dicti Reges Romanorum præstiterunt, ac concesserunt. Postquam autem Romam, ad recipiendam unctionem, coronationem, seu Imperiale diadema pervenerit, ipsaque ceperit, præmissa omnia & singula innovabit, seu de novo faciet; ac sine aliqua difficultate juramenta præstabit, quæ Imperatores Romanorum hactenus præstiterunt. Item quod dictus Rex Rudolphus bona fide, sine fraude, & malo ingenio procurabit, quod omnes Principes Alemanniæ, laici promittent, & jurabunt, se bona fide curaturos, quod præfatus Rex Rodulphus præmissa omnia & singula inviolabiliter observabit; & si, quod absit, ipse Rex Rodulphus prædicta non servaret, iidem Principes in hoc ipsi aliquatenus non assistent.

VII. *Tenor autem mandati, quod idem Cancellarius ejusdem Regis Rudolphi nomine præsentavit, per omnia talis est:*

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino *Gregorio &c. vid. supra pag.* 719.

Nos itaque memorati Archiepiscopi, & Episcopi omnia præmissa, quæ per eundem Cancellarium acta sunt, de nostro, ut præmittitur, consilio, & assensu, habentes rata, & firma, promittimus in verbo Sacerdotis, & Sacrosanctis Evangeliis coram positis: ac nos præfati Fredericus, & Comes, eisdem Evangeliis tactis, promittimus, & juramus, nos bona fide curaturos, & facturos quod idem Rex eadem omnia & singula observabit plenarie: nec per se, nec per alium veniet contra ea, seu aliquod eorumdem. Et si quando, quod absit, secus facere attentaret, nos in hoc aliquo modo non assistemus eidem. Acta sunt hæc Lugduni in prædicto Consistorio, Anno Domini MCCLXXIV. mense Junii, die Martis sexta mensis ejusdem, Pontificatus vestri anno III. Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum nos memorati Archiepiscopi, Episcopi, Burclavius & Comes, præsentes literas fieri fecimus, & nostrorum sigillorum munimine roborari.

XXII.

Eorundem Recognitio Diplomatis illius, in quo Principes Imperii ea, quæ a Friderico II. Romanorum Imperatore, Ecclesiæ Romanæ Anno 1220. erant confirmata, rata habuerunt, d. d. 6. Junii, Anno 1274.

IN nomine Domini Amen! Nos Henricus Treverensis, Guarnerus Maguntinus, Engebertus Coloniensis, Conradus Magdeburgensis Giselbertus Bremensis Archiepiscopi, Conradus Argentinensis, Leo, Ratisbonensis; Bruno Brixinensis, Otto Mindensis, Fredericus Merseburgensis, Widego Misnensis, Joannes Kimensis, Ildebrandus Eistetensis Episcopi, Fredericus Burclavius de Nuremberch, & Gottifridus Comes Seunensis præsenti scripto fatemur, nos vidisse, ac diligenter inspexisse patentes literas Principum Imperii subscripti tenoris, sigillis eorundem pendentibus consignatas, quorum tenor talis est:

Inferatur Attestatum Statuum Sacri Romani Imperii, d. d. 9. Kal. Maji, Anno 1220. superius p. 715. *insertum.*

prædictæ quidem literæ in Consistorio vestro, Sanctissime Pater, & Domine Gregori Divina Providentia Papa X. assistentibus vobis Reverendis Patribus, Joanne Portuensi, Petro Tusculano, Vice-Domino Prenestrino, Bonaventura Albanensi, Petro Ostiensi Episcopis, Simone S. Martini in Montibus, Anchero S. Praxedis, Guillelmo S. Marci, Simone tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Ottobono S. Adriani, Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, Gottifrido S. Georgii ad Velum aureum, Uberto S. Eustachii, & Matthæo S. Mariæ in porticu Dioconis Cardinalibus, ac nobis in vestra præsentia inibi constitutis, per honorabilem virum Ottonem Sancti Guidonis Spirensis Præpositum, Domini Nostri Rodulphi, Regis Romanorum Illustris, Cancellarium & Procuratorem lectæ, & propter nos supradictos Burclavium, & Comitem, qui nec literas, nec linguam latinam novimus, fideliter fuerunt expositæ. Præfatæ quoque literæ erant non cancellatæ, non abolitæ, nec in aliqua sui parte vitiatæ, sed per omnia in prima sua figura. Acta sunt hæc Lugduni in prædicto Consistorio, Anno Domini MCCLXXIV. mense Junii, die Martis, VI. mensis ejusdem, Pontificatus vestri Anno III. Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum nos memorati Archiepiscopi, Episcopi, Burclavius, & Comes præsentes literas fieri fecimus, & nostrorum sigillorum munimine roborari.

XXIII.

Forma jurisjurandi, quod Rudolphus I. Romanorum Rex, Gregorio XI. Pontifici Maximo, in Ecclesia Lausanensi, die 13. Kal. Novembr. Anno 1275. præstitit.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Ego Rudolphus, DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus. Vobis Domino meo Sanctissimo & Patri charissimo, Gregorio, divina providentia

Papæ X. vestrisque Successoribus, præsentibus subscriptis Prælatis, Principibus & Nobilibus Imperii spondeo, polliceor, & promitto & juro, quod omnes possessiones, honores & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & servabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo. Quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum, secundum posse meum, ero sine fraude defensor; & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, cum adjacentibus terris, expressis in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocatus accessero, de mandato Summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Vobis etiam, Domino meo, Gregorio Papæ, & Successoribus vestris, omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam devoti & Catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere. Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere gverram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit in expensis. Omnia vero prædicta tam juramento, quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Præter Reverendum autem cœtum Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabiles Patres, Petrum, Ostiensem Episcopum, Ancherum tit. S. Praxedis, Gvillelmum tit. Sancti Marci Presbyteros, Ottobonum, Sancti Adriani, Jacobum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Gottifredum, Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconos Cardinales, qui vobis tunc temporis assistebant. Prælati, Principes & Nobiles Imperii, coram quibus juravi, hi sunt: Ademarus, Lugdunensis, Odo Mediolanensis, Bonifacius Ravennas, Jacobus Ebredunensis, Odo Bisuntinus, Archiepiscopi: Joannes, Leodiensis, Stephanus, Parisiensis, Rudolphus, Constantiensis, Henricus, Basiliensis, Gvillelmus, Lausanensis, Henricus, Tridentinus, Amedeus, Valentinensis, Raymundus, Massiliensis, Aymo, Gebennensis, Alanus Sistaricensis Episcopi, Gerardus, electus Virdunensis, Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavvariæ, Fridericus, Dux Lotharingiæ, Conradus, Dominus de Tekke, Fridericus, Burggravius de Nurembergh, Albertus & Burchardus, Comites de Hohenberch, Emico, & Fridericus, Comites de Liningen, Eberhardus, Comes de Kazenellenbogen, Sigebertus, Comes de Werde, Tibaldus, Comes de Phirreto, Henricus, Comes de Vriburch, Ludovicus, Comes de Honberch, Hermannus, Comes de Sulz, Mangoldus, Comes de Nellemburch & Eberhardus, Comes de Habesburch. Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Gregorio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici vestrisque Successoribus per Nos & nostros Successores Romanorum Reges & Imperatores observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsens scriptum nostro jussimus sigilli cereo communiri: promittentes nihilominus illud de verbo ad verbum, & per omnia simili aurea bulla, typario nostræ Majestatis impressa munitum, infra tempus coronationis nostræ vobis & Sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere. Actum in Ecclesia Lausanensi, Anno Domini MCCLXXV. Indictione III. XIII. Kalend. Novembris, Regni mei Anno III.

XXIV.

Rudolphi I. Romanorum Regis, Diplomatis Principum Imperii Recognitio, in quo rata habuerunt ea, quæ a Friderico II. Romanorum Imperatore, Ecclesiæ Romanæ confirmata erant, d. d. 12. Kalend. Novembr. Anno 1275.

IN nomine Domini Amen. Nos Rudolphus, DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus. Patentes literas Principum Imperii subscripti tenoris, non abolitas, non cancellatas nec vitiatas in aliqua sui parte, sed in prima sui figura, sigillis eorundem Principum pendentibus consignatas, inspici fecimus diligenter, & de verbo ad verbum ad perpetuam rei memoriam præsentibus annotari; auctoritate Regia decernentes, ut idem tenor ipsarum, insertus præsentibus, easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent, & obtinent ipsæ literæ principales, ita quod si forsan ipsas principales literas quomodolibet contingeret deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, in omnibus, & per omnia fidem faciat, sicut ipsæ principales literæ facerent, in sua prima figura, & integritate manentes, lege, seu constitutione aliqua non obstante. Tenor autem prædictus per omnia talis est:

Nos Principes Imperii &c. *ut supra* p. 715.

In cujus rei testimonium præsentes literas fieri fecimus, & sigillo, typario Regiæ potestatis impresso, muniri. Datum Lausannæ XII. Kal. Novembris anno Domini MCCLXXV. Indictione tertia, Regni nostri anno tertio.

XXV.

Rudolphi I. Romanorum Regis, Diploma, in quo omnia Privilegia a Romanorum Imperatoribus Sedi Apostolicæ concessa, nec non Provinciarum atque Urbium donationes ipsi factas, confirmavit, d. d. 12. Kalend. Novembr. Anno 1275.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Rudolphus, Divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus. Ab eo solo, per quem Reges regnant, & potentes scribunt justitiam, recognoscentes inæstimabilem nostræ promotionis gratiam, qui regali jam in Nobis culmine consummato, Nos ad ob-

ad obtinendum Imperialis gloriæ Solium sua sola pietate disponens, ut non solum cum Principibus sedeamus, sed ut illis præsideamus, erexit; Sanctæque matris Ecclesiæ, ac vestra, Pater Reverendissime Domine Gregori, Divina providentia Papa X. universa beneficia, quibus Nos in benedictione dulcedinis prævenistis, felicibus ejusdem promotionis nostræ auspiciis multiplicibus concurrendo favoribus, & ipsam favorabilis prosecutionis auxiliis confovendo, attenta solicitudiue recensentes, reddimur corde soliciti, cogimur cogitare profundius, qua tantæ dignationis gratiam, digne saltem, prout humana sufficientia sufficit, gratitudine prosequamur. Illi ergo, à quo cuncta procedere novimus, & humiliter confitemur, quod ab eo recepimus, offerentes ejus & Apostolicæ Sedis, ac vestris obsequiis, Nos quicquid possumus, quicquid sumus, in perpetuum humili voto, & incommutabili proposito devovemus: vobisque Beatissime Pater, & omnibus Successoribus vestris Catholicis, ac eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ, omnem obedientiam atque reverentiam semper humili corde, ac devoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores catholici vestris prædecessoribus impendisse noscuntur; nihil exinde volentes minui, sed magis augeri, ut nostra magis devotio enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse noscuntur, & dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum liberè & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum: dummodo nihil desit de canonicis Institutis. Appellationes autem in negotiis & causis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant; earum prosecutionem sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis, & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem.

Possessiones etiam, quas Romana Ecclesia recuperavit ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores; & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate, ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicophano, usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Massa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu & honore suo. Verum tamen cum ad recipiendum coronam Imperii vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, sive fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta & quæcunque alia pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate, conscientia, consilio & consensu Principum Imperii, libere illi dimittimus, renunciamus, & restituimus: nec non ad omnem scrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus & donamus, ut sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent. Adjutores erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipsum spectantibus, tam citra Farum, quam ultra: nec non Corsicam & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps. Promittimus quoque B. Petro, cœlestis Regni clavigero, ac vobis, Patri sanctissimo, ipsius B. Petri cæterisque vestris Successoribus, & eidem Ecclesiæ Romanæ, quod per Nos, vel per alium, seu alios non occupabimus, nec invademus in totum, vel in partem aliquas terras ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut Vasallorum ejus, quas jure feudi, vel sub census, seu alterius præstationis titulo, sive alio quocunque modo tenent ab ipsa Ecclesia: nec eas, vel earum aliquam procurabimus occupari per alium seu alios, vel invadi. Quin etiam, nec ipsas, nec tenentes easdem, se, vel terras ipsas Nobis ultro volentes subjicere; nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcunque potestatem in terris eisdem, & specialiter in Civitate Romana, recipiemus sub quocunque colore, sine vestra, seu Successorum vestrorum licentia speciali. Et si qui eas occupare, vel invadere tentarent, non solum denegabimus illis auxilium, consilium & favorem publicum & occultum, verum etiam ad requisitionem vestram, vestrorumque Successorum, adjutores erimus contra illos in defendendis & conservandis eisdem.

Nec offendemus per Nos, vel per alium Vasallos Ecclesiæ ipsius, & specialiter Magnificum Principem, Dominum Carolum, Regem Siciliæ illustrem, seu hæredes ipsius, nec volentibus ipsum offendere præstabimus auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte. Nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eadem Romana tenet Ecclesia, vel aliquam ejus partem occupabimus aut invademus per Nos vel per alium, aut occupari vel invadi procurabimus, nec invadere aut occupare tentantibus præstabimus publicum vel occultum auxilium, consilium aut favorem. Alios etiam devotos ipsius Ecclesiæ, qui eidem Ecclesiæ astiterunt contra quondam Fridericum, olim Romanorum Imperatorem, hæredes aut successores ipsius, propterea non gravabimus; sed nihilominus favorabiliter prosequemur. Vasallos autem nostros, contra prædictorum aliquod facientes, compescemus pro viribus bona fide. Servabimus præterea & faciemus omnia & singula, quæ in Canonibus positis LXIII. distinctione, quorum quidem Canonum alter, Ego Ludovicus; alter vero, Tibi Domino Papæ, incipit, continentur. Postquam autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, præmissa

omnia & singula innovabimus, seu de novo faciemus, & sine aliqua difficultate juramenta præstabimus, quæ Imperatores Romanorum hactenus præstiterunt.

Promittimus insuper, quod bona fide sine fraude ac malo ingenio procurabimus, quod omnes Principes Alemanniæ, Laici, promittent & jurabunt, se bona fide curaturos & facturos, quod Nos præmissa omnia & singula inviolabiliter observemus; & si, quod absit, eadem non servaremus, ipsi Principes Nobis in hoc aliquatenus non assistent. Ut autem hæc omnia vobis memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Gregorio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, vestrisque Successoribus per Nos & nostros Successores, Romanorum Reges & Imperatores observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsens privilegium conscriptum nostro jussimus sigillo cereo communiri. Promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia simile, aurea bulla typario nostræ Majestatis impressa, munitum, infra tempus coronationis nostræ, vobis & Sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere.

Testes hi sunt Ademarus, Lugdunensis, Bonifacius Ravennas, Odo, Bisuntinus & Jacobus Ebredunensis Archiepiscopi, Stephanus, Parisiensis, Henricus, Basiliensis, Joannes, Leodiensis & Amedeus, Valentinensis Episcopi, Ludovvicus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bovvariæ, Philippus, Dominus Karinthiæ, Cunradus, Dominus de Tekke, Henricus, Marchio de Batslerch, Fredericus, Burggravius de Nuremberg, Henicho, & Fredericus, Comites de Liningen, Albertus & Burchhardus, Comites de Hohenberch, Theobaldus, Comes de Pherreto, Ebhardus, Comes de Kazenellenbogen, Gibertus, Landgravius Alsatiæ inferioris, Henricus, Comes de Vriburch, Mangoldus, Comes de Nellemburch, Eberrardus, Comes de Habesburch, Hermannus, Comes de Sulz, Lodovvicus Comes de Honberch, Gottifredus, Comes de Leustein, Conradus, Nobilis de Wartemberch, Ebhardus, Nobilis de Luphe, & Reinhardus, Nobilis de Hanavve, Comes de Buchekke. Acta sunt hæc Anno Domini MCCLXXV. Indictione IV. Regnante Domino Rudolpho Romanor. Rege glorioso Regni ejus anno III. Signum Domini Rudolphi Romanorum Regis invictissimi. Datum Lausannæ per manum Henrici, Episcopi Tridentini, Regalis Aulæ Protonotarii XII. Kalend. Novembris.

XXVI.

Ejusdem eorum omnium, quæ Otto, Præpositus S. Guidonis Spirensis, ipsius Nuntius in Aula Pontificia, Gregorio X. Pontifici Maximo, promiserat, Ratificatio, de Anno 1275.

IN Nomine Domini, Amen. Nos Rudolphus, DEI gratia Rex Romanorum semper Augustus. Constituti in præsentia vestra beatissime Pater, Domine Gregori, divina Providentia Papa X. in Consistorio Vestro apud Lausannam, assistentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet Venerabilibus Patribus, Dominis Petro, Ostinensi Episcopo, Anchero, tituli Sanctæ Praxedis Gvillelmo, tituli Sancti Marci Presbyteris, Ottobono, Sancti Adriani, Jacobo, Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Gottfrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Uberto Sancti Eustachii, & Mathæo, Sanctæ Mariæ in porticu Diaconis Cardinalibus, recognoscimus & fatemur quondam Ottonem, propositum Sancti Guidonis Spirensis, Regiæ Aulæ Cancellarium, habuisse a Nobis mandatum, sigilli nostri munimine communitum, infra scripti tenoris, cujus auctoritate nostro nomine processit ad omnia infra scripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem Cancellarii sigillo signatis, quorum tenor de verbo ad verbum infra subjicitur, seriosius continentur, quæ quidem omnia & singula dicta, sive promissa, acta seu gesta per eundem Cancellarium, prout in eisdem literis & tenore plenius exprimitur, recognoscimus, & fatemur nomine nostro & de voluntate nostra, dicta promissa, acta & gesta, eaque nihilominus acceptamus, ratificamus, rata & firma volumus, & decernimus perpetuo permanere, ac insuper, prout idem Cancellarius promisit, ea omnia & singula, confirmamus, innovamus & de novo concedimus. Et vobis, sanctissime Pater, Summe Pontifex pro Romana Ecclesia vobis vestrisque successoribus recipientibus ea omnia & singula promittimus stipulatione solemni bona fide nos in perpetuum & inviolabiliter servaturos, & contra ea, vel eorum aliquod per nos, vel per alium nullo unquam tempore & modo venturos, ipsa nihilominus proprio præstito corporali Juramento firmantes. Statuimus præterea Regali auctoritate atque decernimus, ut idem tenor insertus præsentibus easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent & obtinent ipsæ literæ principales: ita quod si forsan ipsas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, & in omnibus & per omnia fidem faciat sicut ipsæ principales literæ facerent in sua prima figura, & integritate manentes lege seu constitutione aliqua non obstante; tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis est: *In nomine Domini, Amen. Ego Otto, Sancti Guidonis Spirensis* &c. *inseritur totum Instrumentum ut supra.* p. 719.

Ut autem hæc omnia vobis memorato sanctissimo Patri nostro Dn. Gregorio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici vestrisque successoribus pro Nos, & nostros successores Romanos Reges & Imperatores observentur firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsens scriptum nostro jussimus sigillo cereo communiri, promittentes nihilominus aliud de verbo ad verbum & per omnia simile aurea bulla, typario nostræ Majestatis impressa munitum infra tempus coronationis nostræ, vobis & Sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere. Testes hi sunt Ademarus, Lugdunensis, Bonifacius, Ravennas, Odo, Bisuntinus & Jacobus Ebredunensis Bonifacius Archiepiscopi, Stephanus, Parisiensis, Henricus, Basiliensis, Joannes, Leodiensis, Amedeus, Valentinensis Episcopi, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bovvariæ, Philipus Dominus Karinthiæ, Conradus, Dominus de

de Tekke, Henricus, Marchio de Batslerch, Fridericus, Burgravius, de Nürenberch, Hemio & Fridericus, Comites de Liningen, Albertus & Burchardus, Comites de Hochenberch, Theobadus, Comes de Pherreto, Ebhardus, Comes de Kaznellenbogen, Gibertus, Langravius Alsatiæ inferioris, Henricus, Comes de Vriburch, Mangoldus, Comes de Nellemburch, Eberardus, Comes de Habesburch, Hermannus, Comes de Sulz, Ludovicus, Comes de Honberch, Gottifredus, Comes de Leuften, Conradus, Nobilis de Warcemberch, Eberhardus, nobilis de Ruphe, Renhardus, nobilis de Anavve, Comes de Rukekelle. Acta sunt hæc Anno Domini MCCLXXV. Indictione III. Regni nostri Anno III.

XXVII.

Rudolphi I. Roman. Regis, iterata omnium Privilegiorum a Roman. Imperatoribus Sedi Apostolicæ concessorum; nec non donationum ipsi de quibusdam Provinciis & urbibus factarum confirmatio, d. d. 14. Kal. Febr. An. 1278.

RUdolphus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus per præsentes literas universis, quod Nos devotus Ecclesiæ Romanæ filius, recognoscentes beneficia, quæ Nobis sunt ab ipso Deo, & ejus Vicario Papa Romano concessa, ratificamus, approbamus, innovamus, concedimus, & nihilominus de novo donamus Sanctissimo Patri nostro Domino Nicolao Papæ III. & ipsi Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ distincte, libere, plenarie, & expresse confirmationes, concessiones, Privilegia, & cætera omnia, quæ Nos hactenus fecimus, & nostri prædecessores Reges Romani, seu Imperatores confirmasse, concessisse, & fecisse noscuntur, seu invenientur. Et ad majorem prædictorum omnium firmitatem constituimus religiosum virum Fratrem Conradum, Ministrum Fratrum Minorum superioris Alemanniæ, nostrum Nuncium, & specialem procuratorem, dantes ei expressum, & speciale mandatum pro Nobis & nostro nomine recognoscendi, ratificandi, approbandi, innovandi, concedendi, & nihilominus de novo donandi omnia & singula distincte, libere & expresse, quæ facta, acta, promissa, dicta, confirmata, donata, sive concessa, recognita, seu etiam jurata fuerunt hactenus per bonæ mem. Ottonem Præpositum Sancti Guidonis Spirensis, regalis Aulæ nostræ Cancellarium, seu per quoscumque alios, & per Nos ipsos postmodum, felicis recordationis Domino Gregorio Papæ, X. sive ipsi Domino Papæ, sive alii, seu aliis, ejus nomine, & Romanæ Ecclesiæ recipienti, vel recipientibus; & Nos ipsi nihilominus ea omnia & singula recognoscimus, ratificamus, approbamus, confirmamus, innovamus, concedimus, & de novo donamus. Et etiam ad nostram conscientiam serenandam revocamus, cassamus, annullamus, irritamus & omnibus viribus vacuamus quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per Nos, seu per alios nostros Nuntios, vel officiales mandato nostro, vel nomine, seu quemcumque alium, vel alios quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum; volentes & consentientes expresse, quod per hoc nullum jus Nobis accrescat vel in aliquo Ecclesiæ Romanæ depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem.

Concedimus insuper, & consentimus, quod Ecclesia Romana per se, & per alios accipiat, nanciscatur, intret, & apprehendat, absque ulla nostra, vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis sive petitis, possessionem, & quasi, omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus & juramentis & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta: & promittimus, quod Nos per nos, vel per alium, seu alios non impediemus ipsam Ecclesiam, vel Nuntios, cujus in prædictis, & quolibet prædictorum; sed eam in omnibus præfatis, tam adipiscendis, quam tenendis & habendis nostro posse perpetuo juvabimus. Damus etiam ipsi procuratori nostro specialem, generalem, & liberam potestatem plenarie stabiliendi, solidandi, firmandi, complendi, & perficiendi, ac jurandi omnia & singula prædicta in animam nostram; ita quod plenam omnimodæ perfectionis, & solidationis habeant firmitatem; & promittendi, quod Nos per Nos ipsos eadem faciemus, promittemus, stabiliemus, plene solidabimus, firmabimus, perficiemus atque jurabimus, quandocunque per ipsam ecclesiam literis, vel Nunciis fuerimus requisiti; & faciendi omnia, quæ in præmissis, & circa præmissa fuerint ipsi Ecclesiæ Romanæ utilia, necessaria, vel etiam opportuna, etiamsi mandatum exigant, vel exigerent speciale; promittentes Nos ratum habituros, et firmum, quidquid per ipsum procuratorem in omnibus et singulis supradictis fuerit recognitum, ratificatum, approbatum, innovatum, concessum, donatum firmatum, stabilitum, solidatum, completum, perfectum, atque juratum, actum sive factum. In cujus rei testimonium, et prædictorum omnium firmitatem præsentes literas fieri fecimus, et nostri sigilli munimine roborari. Datum Viennæ Anno Domini MCCLXXVIII. XIV. Kal. Februarii Regni nostri anno V.

XXIIX.

Ejusdem Instrumentum de recognitione super omnibus, quæ tam ipse Rex Roman. Rudolphus, quam Cancellarius ipsius Otto, S. Guidonis Spirensis Præpositus, in præsentia Gregorii X. Pontif. Maximi, apud Lausannam recognoverat, per fratrem Conradum, Nuncium & Procuratorem laudati Regis facta, conscriptum, d. d. 4. Maji An. 1278.

IN nomine Domini Amen. Ego Fr. Conradus Minister Fratrum Minorum superioris Alemanniæ, gloriosissimi et Illustrissimi Principis Domini mei Rudolphi, Dei gratia Regis Romanorum semper Augusti, Procurator et Nuncius, habens ab ipso potestatem et mandatum in forma subscripta, constitutus

tutus in præsentia vestra, Beatissime Pater, Domine Nicolae, divina providentia Papa III. in Consistorio vestro, in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romana, assistentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, venerabilibus Patribus, Domino Ordono Tusculanensi, Bentevenga Albanensi, et Latino Ostiensi, et Velletrensi Episcopis; Anchero Tituli S. Praxedis, Guillelmo Tit. Sancti Marci, et Gerardo Tit. Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Cosmedin, Gottifredo Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Jordano Sancti Eustachii, et Jacobo S. Mariæ in Via lata Diaconis, Cardinalibus. Recognosco et confiteor, quondam Ottonem Præpositum Ecclesiæ Sancti Guidonis Spirensis, Regiæ Aulæ Cancellarium, habuisse a prædicto Serenissimo Principe Domino Rudolpho Dei gratia Rege Romanorum semper Augusto mandatum, sigilli sui munimine communitum, infrascripti tenoris, cujus auctoritate, nomine ejusdem Domini Regis coram piæ memoriæ Domino Gregorio Papa X. astantibus sibi felicis recordationis Domino Innocentio V. tunc Petro Ostiensi, et Velletrensi Episcopo, Adriano V. tunc Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali, et Domino Joanne XXI. tunc Petro Episcopo Tusculano, Romanis Pontificibus, et bonæ memoriæ Joanne Portuensi, Vicedomino Prænestino, et Fratre Bonaventura Albanensi Episcopis, Simone Tituli Sancti Martini Presbytero, et Uberto Sancti Eustachii Diacono, Cardinalibus, ac Reverendis Patribus prædictis Dominis Anchero Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo Tituli Sancti Marci, Simone Tit. S. Cæciliæ Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Gottifredo Sancti Georgii ad Velum aureum, et Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconis, Cardinalibus, & præsentibus inibi Venerabilibus Patribus, Henrico Treverensi, Guarnerio Maguntino, Engueberto Coloniensi, Conrado Magdeburgensi, & Giselberto Bremensi Archiepiscopis, Conrado Argentinensi, Leone Ratisbonensi, Brunone Brixinensi, Ottone Mindensi, Frederico Merseburgensi, Widegone Misnensi, Joanne Kimensi, Ildebrando Eistetensi, Episcopis et Nobilibus Viris, Frederico Burclavio de Nurembergh, & Gottifrido Comite Seunensi, processit ad omnia infrascripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem Cancellarii sigillo signatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra subjicitur, seriosius continentur.

Quæ quidem omnia & singula dicta, promissa, recognita, innovata, concessa, acta, seu gesta, ratificata, confirmata, sive jurata per eundem Cancellarium, prout in eisdem literis, et tenore plenius exprimitur, ejusdem Domini Regis nomine, et pro ipso distincte, libere, et expresse recognosco, ratifico, approbo, innovo, et nihilominus ea omnia et singula de novo dono atque concedo Beato Petro, Cœlestis Regni Clavigero, ac Vobis Pater Sanctissime, ejus Successori, cæterisque vestris Successoribus et Ecclesiæ Romanæ: et ad Domini mei Regis conscientiam serenandam, et ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur, et perficiantur, revoco, casso, annullo, irrito, et omnibus viribus vacuo quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum per ipsum Dominum Regem, seu per alios ejus Nuntios vel officiales, suo mandato, vel nomine, seu quemcunque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum; ac volo, et expresse consentio, quod per hoc nullum jus ipsi Domino meo Regi accrescat, vel in aliquo Ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem.

Consentio insuper et concedo, quod vos, Sanctissime Pater, et eadem Romana Ecclesia per vos, et per alios, nunc, et semper accipiatis, nanciscamini, intretis, et apprehendatis absque ulla ipsius Domini Regis, vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis, sive petitis, possessionem, et quasi omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, seu etiam juramentis, et omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta. Et promitto, quod ipse Dominus Rex per se, vel per alium, seu alios, non impediet vos, vel Nuntios vestros in prædictis, et quolibet prædictorum; sed potius in omnibus præfatis, tam adipiscendis, quam tenendis et habendis, suo posse perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis et solidationis habeant firmitatem, tactis Sacrosanctis Evangeliis, juro in animam prædicti Domini mei Regis, habens ab eo super hoc speciale mandatum, eundem Dominum Regem prædicta omnia, et singula perpetuo inviolabiliter servaturum: et promitto, quod idem Dominus Rex per se ipsum ea omnia et singula faciet, promittet, stabiliet, plene solidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit, quandocunque per vos, et prædictam Ecclesiam literis, vel Nuntiis extiterit requisitus. Prædictarum autem literarum ejusdem Cancellarii et mei procuratorii super his habiti tenores de verbo ad verbum per omnia tales sunt:

In Nomine Domini Amen. Ego Otto &c. *inseratur instrumentum editum pag. 706.*

XXIX.

Instrumentum, in quo Fr. Conradus, Rudolphi I. Roman. Regis Procurator atque Nuntius, ea omnia, quæ Otto, S. Guidonis Spirens. Præpositus, ac laudati Regis Procurator & Nuntius, nec non ipsemet Rex Rudolphus I. Nicolao III. Pontifici Maximo Lausannæ confirmaverant, denuo corroboravit, d. d. 4. Maji, An. 1278.

IN nomine Domini, Amen. Ego Frater Conradus Minister Fratrum Minorum superioris Alamanniæ, gloriosissimi et Illustrissimi Principis Domini mei Rudolphi Dei gratia Regis Romanorum semper Augusti Procurator, et Nuntius, habens ab ipso potestatem et mandatum in forma subscripta, constitutus in præsentia vestra, Beatissime Pater, Domine Nicolae, Divina Providentia Papa III. in Consistorio vestro in Papali Palatio apud S. Petrum in Urbe Romana, assistentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Dominis Ordono Tusculanensi, Bentevenga

venga Albanensi, & Latino Ostiensi, & Velletrensi Episcopis; Anchero Tituli S.Praxedis, Guillelmo Tit. S. Marci, & Gerardo Tit. Basilicæ Duodecim Apostolorum, Presbyteris, Jacobo S. Mariæ in Cosmidin, Gottefrido Sancti Georgii ad Velum aureum, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Jordano S. Eustachii, & Jacobo S. Mariæ in via lata Diaconis Cardinalibus, recognosco, & fateor, quod idem Dominus meus Rex constitutus in præsentia piæ memoriæ Domini Gregorii Papæ X. in Consistorio suo apud Lausannam, assistentibus sibi Reverendo Cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, piæ memoriæ Domino Innocentio V. tunc Petro Ostiensi Episcopo, & Domino Adriano, tunc Ottobono, S. Adriani Diacono Cardinali, Romanis Pontificibus, & bonæ memoriæ Domino Uberto S. Eustachii Diacono Cardinali, & Reverendis Patribus Dominis Anchero tituli S. Praxedis, Guillelmo Tit. S. Marci Presbyteris, Jacobo Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Gottifrido Sancti Georgii ad Velum aureum, & Matthæo S. Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus. Recognovit & confessus est, quondam Ottonem Præpositum S. Guidonis Spirensis, Regiæ Aulæ Cancellarium, habuisse ab ipso Rege mandatum, sigilli sui munimine communitum, infrascripti tenoris; cujus auctoritate idem Cancellarius nomine ipsius Regis processit ad omnia infrascripta, quæ in literis inde confectis, & ejusdem Cancellarii sigillo signatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra in tenore literarum ipsius Domini Regis subjicitur, seriosius continentur. Quæ quidem omnia & singula dicta, sive promissa, acta, seu gesta per eundem Cancellarium, prout in ejusdem literis & tenore plenius exprimitur, idem Rex recognovit, & confessus est nomine suo, & de voluntate sua, dicta, promissa, acta, & gesta, eaque nihilominus acceptavit, ratificavit, & firme voluit, & decrevit perpetuo remanere; ac insuper, prout idem Cancellarius promisit, ea omnia & singula confirmavit, innovavit, & de novo concessit; & ipsi Domino Gregorio pro Romana Ecclesia, sibi, suisque Successoribus recipienti, ea omnia & singula promisit stipulatione solemni, bona fide se in perpetuum, & inviolabiliter servaturum, & contra ea, vel eorum aliquod, per se, vel per alium nullo unquam tempore, vel modo venturum, & ipsa nihilominus, proprio præstito corporaliter juramento, firmavit. Statuit præterea Regali auctoritate, atque decrevit, ut tenor literarum ejusdem Cancellarii, literis ipsius Regis insertus, easdem per omnia vires habeat & obtineat, quas habent & obtinent ipsæ literæ principales; ita, quod si forsan ipsas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat, & in omnibus, & per omnia fidem faciat, sicut ipsæ principales literæ facerent, in sua prima figura & integritate manentes, lege, seu constitutione aliqua non obstante; & ad certitudinem eorum, quæ tunc agebantur, & memoriam futurorum, de ipsis omnibus suas literas fieri fecit, & proprii sigilli munimine roborari; & ut ea omnia ipsi Domino Gregorio, suisque Successoribus per ipsum Regem & suos Successores Romanorum Reges, & Imperatores observarentur, firmaque semper, & inconvulsa permanerent, scriptum inde confectum jussit idem Rex suo sigillo cereo communiri. Promittens nihilominus aliud de verbo ad verbum, & per omnia simile, aurea Bulla, typario suæ Majestatis impressa, munitum, infra tempus suæ coronationis ipsi Domino Gregorio, & Sedi Apostolicæ sine difficultate qualibet exhibere, prout hæc omnia in literis ipsius Domini Regis suo sigillo cereo communitis, quarum tenor de verbo ad verbum infra subjicitur, seriosius continentur.

Quæ quidem omnia & singula dicta, promissa, recognita, innovata, concessa, acta, seu gesta, ratificata, confirmata, sive jurata per eundem Dominum meum Regem, prout in eisdem literis, & tenore plenius exprimitur, ejusdem Domini Regis nomine, & pro ipso distincte, libere, & expresse recognosco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominus ea omnia & singula de novo dono atque concedo Beato Petro, Cœlestis Regni Clavigero, ac vobis, Pater Sanctissime, ejus Successori, cæterisque vestris Successoribus & Ecclesiæ Romanæ: & ad Domini mei Regis conscientiam serenandam, & ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, casso, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo quidquid contra prædicta, vel aliquod prædictorum, per ipsum Dominum Regem, seu per alios ejus Nuntios, vel Officiales, seu mandato, vel nomine, seu quemcunque alium, vel alios, quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum; ac volo & expresse consentio, quod per hoc nullum jus ipsi Domino meo Regi accrescat, vel in aliquo Ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem.

Consentio insuper & concedo, quod vos, Sanctissime Pater, & eadem Romana Ecclesia per vos, & per alios, nunc, & semper accipiatis, nanciscamini, intretis, & apprehendatis, absque ulla ipsius Domini Regis, vel alterius requisitione, autoritate, vel mandato obtentis, sive petitis, possessionem, & quasi, omnium contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, seu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad prædicta. Et promitto, quod ipse Dominus Rex per se, vel per alium, seu alios non impediet vos, vel Nuntios vestros in prædictis & quolibet prædictorum; sed potius in omnibus præfatis, tam adipiscendis, quam tenendis & habendis suo posse perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & solidationis habeant firmitatem, tactis Sacrosanctis Evangeliis, juro in animam prædicti Domini mei Regis, habens ab eo super hoc speciale mandatum, eundem Dominum Regem prædicta omnia & singula perpetuo inviolabiliter observaturum: & promitto, quod idem Dominus Rex per se ipsum ea omnia & singula faciet, promittet, stabiliet, plene solidabit, firmabit, perficiet, atque jurabit, quandocunque per vos, & prædictam Ecclesiam literis, vel nuntiis extiterit requisitus. Prædicti autem literarum ejusdem Domini Regis, & mei procuratorii super his habiti, tenores de verbo ad verbum per omnia tales sunt:

In Nomine Domini Amen. Nos Rudolph. Dei gratia Rex Rom. semper Augustus &c. Constituti, *ut supra.*

Rodulphus Dei gratia &c. Notum esse volumus &c. *ut supra.*

XXX.

Gotifridi, Præpositi Soliensis, Rudolphi I. Romanorum Regis, Nuntii ac Procuratoris Instrumentum, in quo juramenta fidelitatis, quæ Exarchatus & Pentapoleos urbes eidem Rudolpho I. Regi præstiterant, nullius esse valoris declaravit, d. d. 11. Kalend. Julii, Anno 1278.

IN nomine Domini, Amen. Nos Gottifridus, Præpositus Ecclesiæ Soliensis, Salzeburgensis Diœceseos, magnifici Principis, Domini Rudolphi, Regis Romanorum illustris, familiaris Clericus & protonotarius, ad futuram rei memoriam notum esse volumus universis, quod Excellentissimus Princeps, Dominus Rudolphus, Rex Romanorum Illustris, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem & Dominam recognoscens, ac intendens ejus jura non præripere, sed ea potius illæsa servare, nos ad Sanctissimum Patrem & universalem Dominum, Dominum Nicolaum, Divina Providentia Summum Pontificem, cum specialibus litteris destinavit, quarum tenor talis est:

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Nicolao, Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Rudolphus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, cum filialis obeditionis reverentia devotissima pedum oscula beatorum ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ Imperatores Romani, & Prædecessores nostri, Reges Romanorum, de Romanæ Matris Ecclesiæ uberibus susceperunt ipsi velut devoti filii faciem gratitudinis convertentes, nec minus attendentes, quod eadem Ecclesia ipsos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis Imperium ad Germanos, eisdem dederat id, quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabilis recognitionis effectu, interea, quæ ipsi Ecclesiæ confirmarunt, dimiserunt, seu etiam concesserunt totam terram, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Massam Trabariam cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras & possessiones, & jura ad dictam Ecclesiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici, expressa sive contenta, ipsi beato Petro, cœlestis Regni Clavigero, ejusque Successoribus, & eidem Ecclesiæ dimiserunt, renuntiaverunt, restituerunt & confirmarunt, & ad omnem scrupulum removendum, prout melius valeret, & efficacius posset intelligi, contulerunt, concesserunt, & etiam donaverunt, sicut in eorum privilegiis seu literis continetur, Nosque postmodum, prout Domino placuit, ad Regalis Excellentiæ culmen assumpti, prædicta omnia in præsentia recolendæ memoriæ Domini Gregorii, Papæ X. recognovimus, ac ea omnia & singula ipsi pro prædicta Ecclesia, se, suisque successoribus recipienti confirmavimus, innovavimus & de novo concessimus atque donavimus, ipsa nihilominus præstito corporaliter juramento firmantes.

Verum quia postmodum absque nostro consensu, conscientia & mandato Rodulphus, Cancellarius noster, a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cæsenatibus, Ravenatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliorum Civitatum atque locorum illarum partium, Juramentum fidelitatis nostro nomine dicitur recepisse, Nos dilectum familiarem Clericum nostrum, Magistrum Gottifridum, Præpositum Soliensem, Regalis Aulæ Protonotarium, transmittimus ad vestræ præsentiam Sanctitatis, cui damus præsentibus nostris patentibus literis in mandatis, ut quidquid per eundem Cancellarium, seu quemcunque in prædictis civitatibus, locis & terris, seu per homines ipsarum civitatum, terrarum atque locorum actum, gestum, recognitum extitit, & prædicta Juramenta specialiter revocet, casset, annullet, irritet, cassa, nulla & irrita nuntiet, ac omnibus viribus vacuet, volentes & consentientes expresse, quod per hoc nullum jus nobis accrescat, vel Ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris & locis præfatis, ac hominibus, juribus & jurisdictionibus eorundem, & universis & singulis Civitatibus, Communitatibus, locis & hominibus supradictis ex parte nostra omnia & singula prædicta denuntiet, denuntiando sollicitet, & inducat eosdem, quod vestrum & Ecclesiæ prædictæ dominium recognoscentes, vobis & Ecclesiæ memoratæ, tanquam eorum vero domino, in omnibus & per omnia, sicut debent, obediant, pareant & intendant, promittentes nos ratum habituros & firmum, quidquid idem Magister Gottifridus ordinandum seu faciendum duxerit in præmissis. Datum Viennæ, IV. Kalend. Junii, Indictione VI. Anno Domini MCCLXXVIII. Regni vero nostri anno quinto.

Nos itaque traditi Nobis ab eodem Domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, seu alia, quæ Rudolphus, Cancellarius ejusdem Domini Regis, a civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, Cerviensibus, & Forliviensibus ac hominibus castrorum Montisfeltri, & Brittenorii, ac aliis Communitatibus, universitatibus, & incolis Civitatum, & locorum partium earumdem, seu eorum aliquibus, pro ipso Domino Rege dicitur recepisse; ac quidquid per eumdem Cancellarium, seu quemcumque alium, in eisdem Civitatibus, terris & locis sive per Cives, aut alios supradictos actum, gestum & recognitum extitit, remittentes, revocantes, cassantes, annullantes, irritantes, cassa, nulla, & irrita nuntinantes, ac omnibus viribus vacuantes, eisdem Civibus, incolis, & aliis, universis & singulis ex parte ipsius Domini Regis omnia & singula prædicta, in eisdem contenta literis, denuntiamus, & denuntiando eosdem cives, homines, communitates, universitates & incolas sollicitamus, & inducimus, quod eorumdem Domini Papæ, & Ecclesiæ recognoscentes dominium, dictis Domino Papæ, & Ecclesiæ, tanquam vero Domino in omnibus, & per omnia, sicut debent, obediant, pareant, & intendant.

Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum hæc omnia conscribi, & in publicum instrumentum redigi per Magistrum Paulum de Reate, Apostolica autoritate Tabellionem subscriptum, fecimus, atque rogavimus, & proprio sigillo

gillo munivimus. Volumus tamen, & consentimus, quod si dictum sigillum quovis modo, vel casu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus Instrumentum ipsum in suo vigore permaneat, ac si de ipso sigillo facta mentio non fuisset. Actum Viterbii in Episcopali palatio, in magno Consistorio in præsentia Sanctissimi Patris Summi Pontificis prædicti Dom. Nicolai Papæ III. & Venerabilium Patrum Sacri cœtus Dominorum Cardinalium coram his testibus, scilicet, Domino B. Archiepiscopo Ravennate, Domino G. Archiepiscopo Corinthiensi, Domino H. Episcopo Lunensi, Domino P. Episcopo Firmano, Domino - - - Episcopo Viterbiensi, Domino R. Episcopo Massiliensi, Domino - - - Episcopo Burgensi, Domino - - - Episcopo Gallicensi, Domino - - - Episcopo Aprutino, Domino - - - Episcopo Balneoregensi, Domino - - - Episcopo Eugubino, Domino V. Episcopo Egitaniensi, Domino - - - Episcopo Taurinensi, Domino - - - Episcopo Famagustano, & Domino - - - Episcopo Aurasicensi, ac multis aliis Clericis, & Laicis in multitudine numerosa, Anno Domini MCCLXXVIII. II. Kal. Julii, Indictione VI. Pontificatus Domini Nicolai Papæ III. anno primo.

Ego Paulus de Reate, Apostolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius, prædictis interfui, & ut supra legitur, rogatus, scripsi, publicavi, & signum feci.

XXXI.

Epistola ab eodem Gotifrido, de fidelitatis jurejurando, Ecclesiæ Romanæ præstando, ad Exarchatus & Pentapoleos urbes conscripta, d. d. 2. Kalend. Julii, Anno 1278.

PRovidis viris, Potestatibus, Capitaneis, Consiliis & communibus Bononiensi, Imolensi, Faventino, Foropopuliensi, Cæsenati, Ravennati, Ariminensi, Urbinati, Cerviensi, & Forliviensi, Montisfeltri & Brittenorii, ac aliis Communitatibus, Universitatibus & Incolis aliarum Civitatum, castrorum, terrarum & locorum, partium earundem, Gottifridus, Præpositus Ecclesiæ Soliensis, Salzeburgensis Diœceseos, Magnifici Principis Domini Rudolphi, Regis Romanorum illustris, familiaris clericus & Protonotarius, salutem in Domino.

Excellentissimus Princeps, Dominus Rudolphus, Rex Romanorum illustris Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem & Dominam recognoscens, ac intendens ejus jura non proripere, sed ea potius illæsa servare, nos ad sanctissimum Patrem & universalem Dominum, Dominum Nicolaum, Divina providentia Summum Pontificem cum specialibus literis destinavit, quorum tenor talis est:

vid. Mandatum plenum, quod in instrumento antea inserto continetur a verbis: Sanctissimo in Christo Patri &c. *usque ad finem:* Regni vero nostri anno quinto.

Nos itaque traditi nobis ab eodem Domino Rege auctoritate mandati, juramenta fidelitatis seu alia, quæ Rodulphus, Cancellarius ejusdem Domini Regis, a vobis, seu aliquibus vestrum, pro ipso Domino Rege dicitur recepisse, ac quicquid per eundem Cancellarium seu quemcunque alium in vestris Civitatibus, terris & locis, seu per vos aut alios homines ipsorum Civitatum, terrarum atque locorum actum, gestum & recognitum extitit, remittentes, revocantes, cassantes, annullantes, irritantes, cassa, nulla & irrita nunciantes, ac omnibus viribus vacuantes vobis universis & singulis ex parte ipsius Domini Regis omnia & singula prædicta in eisdem contenta literis denunciamus & denunciando vos sollicitamus, & inducimus, quod eorundem Domini Papæ & Ecclesiæ recognoscentes dominium, dictis Domino Papæ & Ecclesiæ, tanquam vero Domino in omnibus & per omnia, sicut debetis, obediatis, pareatis, & etiam intendatis porro ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum hæc omnia conscribi, & in publicum instrumentum redigi, per Magistrum Jacobum Sorbulensem de Parma, ejusdem Domini Papæ Cameræ Clericum, Imperiali autoritate Notarium publicum infrascriptum fecimus atque rogavimus, & proprio sigillo munivimus. Volumus tamen & consentimus, quod si dictum sigillum quovis modo, vel casu deperdi, frangi, vel deformari contigerit, nihilominus instrumentum ipsum in suo vigore permaneat, ac si de ipso sigillo facta mentio non fuisset. Actum Viterbii, in Episcopali Palatio in magno Consistorio in præsentia sanctissimi Patris Summi Pontificis prædicti Domini Nicolai Papæ III. & venerabilium Patrum Sacri cœtus Dominorum Cardinalium coram his testibus, scilicet Domin. B. Archiepiscopo Ravennate, Domin. G. Archiepiscopo Corinthiensi, Domino H. Episcopo Lunensi, Domino P. Episcopo Firmano, Domino Episcopo Viterbiensi, Domino Episcopo Gallicensi, Domino Aprutino, Domino Episcopo Balneoregensi, Domino B. Episcopo Eugubino, Domino V. Episcopo Egitaniensi, Domino Episcopo Taurinensi, Domino P. Episcopo Famagustano &c. Domino Episcopo Aurasicensi, ac multis aliis Clericis & Laicis in multitudine numerosa. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, II. Kal. Julii, Indictione VI. Pontificatus prædicti Domini Nicolai, Papæ III. anno primo.

Ego Jacobus Surbulensis de Parma Sanctissimi Patris Domini Papæ prædicti Cameræ Clericus, imperiali autoritate Notarius prædictis interfui, prout superius legitur, rogatus scripsi & in publicam formam redegi.

XXXII.

Breve Nicolai III. Pontificis Maximi, in quo Rudolphum I. Romanor. Regem, præmissis rebus inter ipsum & Romanam Ecclesiam gestis, rogat atque hortatur, ut Privilegia per Giffridum, Decanum Sancti Andomari, Sedis Apostolicæ Nuntium, sibi præstanda, exequatur, atque, ut Sac. Rom. Imperii Principum consensus eodem accedat, procuret, d. d. 15. Kal. Dec. An. 1278.

NIcolaus Episcopus &c. Regi Romanorum illustri, &c. Claret in gentibus tuæ Serenitatis amœnitas, refulgent in ea radii claritatum, & sua claritate prospere succrescente, resplendent, sicque

que infra Matris Ecclesiæ mœnia regale solium roboras, honoribus amplias, & adauges, feliciter magnificas incrementis. Talis quidem splendor mentem nostram clarificat, serenat, intrinsecat, & excitat affectus Patris ad filium, infra claustrum pectoris recumbentem, ut claris succrescas auspiciis, secure proficias, & in ipsa matre, sicut præclarus filius, solideris. Ad hoc enim cogitatus nostros extendimus; & plenis vigiliis roboramus, ut in quibuslibet tuis processibus omnis maturitas observetur, ut ipsi consulte, ac provide dirigentur: ad hoc intendimus, & ipsa laborat Ecclesia, quod omnibus deliberatione plenaria limitatis & discussis, attentius nos, & eadem Ecclesia, grata jurium nostrorum perceptione lætemur, & illis clara distinctione fruamur, tuque tali præponderatione in omni puritate procedens, quiete fulciaris accepta, & a futuris anfractibus præserveris, Ad hoc quoque tua cum nostris debent vota concurrere, cum ex iis quies succedat salubrius utriusque, tua potissime, qua ipsi Ecclesiæ charus astringeris, & effabiliter præsentaris. Sane dudum, sicut nosti, fili charissime, dilectus filius Frater Conradus, Minister Ordinis Fratrum Minorum superioris Alamanniæ, pro te ad Sedem Apostolicam destinatus, devotionem sinceram, & intentionem puram, quam ad Romanam geris Ecclesiam, nobis, & Fratribus nostris prudenter exposuit, & omnia & singula per quondam Ottonem Præpositum Ecclesiæ Sancti Guidonis Spirensis, Regiæ Aulæ Cancellarium, dicta, sive promissa, acta, seu gesta, & demum per te ipsum in præsentia fel. recor. Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri recognita, confirmata, innovata, & de novo concessa, promissa, dicta, acta, seu gesta, statuta, sive jurata, dictus Frater in nostra, & eorumdem Fratrum præsentia tuo nomine, & pro te debitis & plenis solemnitatibus recognovit, ratificavit, & etiam approbavit; & postmodum dilectus filius Gottifridus, Præpositus Ecclesiæ Soliensis, Salzeburgensis Diœceseos familiaris Clericus, & Protonotarius tuus, ex parte tua, cum specialibus mandato, & literis, ad Sedem transmissus eamdem, traditi sibi a te auctoritate mandati, juramenta fidelitatis, seu alia, quæ Rodulphus Cancellarius tuus a Civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Forolivienfibus, Foropopuliensibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, nec non & aliis aliarum Civitatum & terrarum illarum partium, atque locorum, quæ ipsius Ecclesiæ juris existunt, pro te dicitur recepisse, & quicquid per eumdem Cancellarium, seu quemcumque alium in eisdem Civitatibus, terris, & locis, seu per Potestates, Capitaneos, Consiliarios, & Communia, seu alios homines ipsorum Civitatum, terrarum atque locorum, actum, gestum, & recognitum extitit, remittens, revocans, cassans, annullans, irritans, cassa, nulla, & irrita, nuntians, ac omnibus viribus vacuans, eisdem Potestatibus, Capitaneis, Consiliis, & Communibus, ac aliis universis, & singulis, ex parte tua, omnia & singula prædicta, & alia in Regiis contenta literis nuntiavit, & denuntiando solicitavit, & induxit eosdem, quod nostrum & ejusdem Ecclesiæ recognoscentes dominium, nobis & eidem Ecclesiæ, tanquam vero Domino, in omnibus, & per omnia, sicut debent, obediant, pareant, & intendant; prout hæc omnia, & alia in Instrumentis publicis inde confectis, tenores quorum per eumdem Fratrem tibi transmisimus, & in aliis nostris tibi directis literis, seriosius continentur. Nos autem, ut tuæ Serenitatis integritas reluceret, petivimus, quod tu præmissa omnia & singula per specialia privilegia, regali aurea Bulla munita, distincte recognosceres, ratificares, confirmares, innovares, & de novo concederes, omnia corporali præstito juramento firmando, & ipsa privilegia super iis, & aliis, in eisdem nostris contentis literis, de tua conscientia, & expresso mandato conscripta, faceres aurea bulla, typario tuæ Majestatis impressa, muniri, ipsamque ad perpetuam soliditatem, & certitudinem pleniorem, nobis, & ipsi Ecclesiæ sub formis, quas per eumdem Fratrem tibi transmisimus, exhiberi. Tu vero benedictionis alumnus, Apostolicis beneplacitis te conformans, aliqua ex eisdem privilegiis, nobis per eosdem Fratrem, & Protonotarium destinasti, super quo tuæ promptitudinis studium multipliciter in Domino commendamus. Verum quia nonnulla, quæ per nos ordinata fuerant, & maxime præstationem juramenti petitam, & assensum Principum, omissa comperimus, dilectum filium Giffridum de Anagnia, Decanum Ecclesiæ S. Audomari, Morinensis Diœceseos Capellanum nostrum ad te duximus destinandum, ut suppleantur omissa, & omnia soliditate debita compleantur, & pro celeriori præmissorum expeditione prædicto Gottifrido ad te ad præsens cum eodem Decano remisso, prædictum Fratrem Conradum in Romana Curia retinemus, ut ipse tractatum inter te, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum, Regem Siciliæ Illustrem, prout negotii qualitas exegerit, prosequatur, prospera, dante Domino, prosecutione complendum. Ut igitur affectus tuæ devotionis, quem sic gratanter inhærere sensibus nostris inspicimus, in effectum perfectæ soliditatis appareat, & residere in omni puritate probetur, & ut prosperitas tuorum depressione victoria, quos diebus istis in manibus tuis Divini Judicii virga conclusit, in mansuetudinis gratia, quæ post triumphum regales actus adornat, te nobis gratum, & aliis repræsentet acceptum, ac de Regia gratitudine post felicitatem majorem, nobis & eidem Ecclesiæ mansueta præsagia repromittat, & successive nos reddat de tua sinceritate, majori perfectione securos, Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eadem privilegia, juxta intentionem nostram, quam dictus Decanus tibi ex parte nostra explicabit, apertius suppleas, & perfici facias, & procures, quod Principum Alamanniæ, quibus super hoc scribimus, ad id accedat assensus; ita quod eisdem privilegiis in omni claritate ac soliditate perfectis, ipsorum nova data suppletiones & perfectiones hujusmodi comprehendat, & nos, ac eadem Ecclesia fructus, quos repromittis, in floribus, perfectione sincera, juxta nostra desideria colligamus, & exinde Nobis & tibi quietis arrideant incrementa. Super præmissis autem per prædictum Decanum, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus, plenius informari, & ejus instructionibus percipere poteris, quid præsens negotium ex eminenti sua qualitate requirit. Datum Romæ XV. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

XX XIII

XXXIII.

Ejusdem Breve ad Joannem, Electorem Brandenburgicum, &, mutatis mutandis, *ad omnes Electores exaratum, in quo eos rogat atque hortatur, ut illis, quæ Rudolphus I. Romanorum Rex, vel ipse, vel per alium, in Sedis Apostolicæ gratiam atque favorem recognoverit, & approbarit, suum assensum præbere haud cunctentur, d. d. 12. Kalend. Januarii, Anno 1278.*

NIcolaus Episcopus &c. Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Marchioni Brandeburgensi &c. Statuit in terris Altissimus Romanum Imperium, & ejus culmina dirigi voluit providi stabilitate consilii, & maturitate provida gubernari, ut secure procederet, & in negotiis non erraret, cujus Præsidi per te, ac alios Alamanniæ Principes datur in electione Principum; vos ipsos illi columnas adjungitis, & assistitis in ejus gubernatione custodes. Certe multa te, ac alios prædictos potentia dignitatis amplificat, quam arctat in providis circumspectio veritatis: nam quanto eminentius consilium vestrum extollitur, tanto maturius vos oportet attendere, quod in agendis expediat, ut ex quibuslibet vestris actibus Pater collaudetur æternus, decor servetur Ecclesiæ, amplietur cultus justitiæ, ac in omnibus debitum observetur, cum ex iis Regnorum & Principum quietes adveniant, & eorum solia roborentur, incrementa vigoris & gratiæ perceptura. Cum igitur ex tenoribus privilegiorum, & declarationibus Romanorum Imperatorum, quæ in Archiviis suis Romana servat Ecclesia, evidenter appareat, totam terram, quæ est a Radicophano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, terram Comitissæ Mathildis, Civitates Ravennæ, Æmiliæ, Bobii, Cæsenæ, Forumpopuli, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, Bononiæ, & Ferrariæ, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemfereri, Territorium Balnense, Comitatum Brittenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, & Massam Trabariam cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque Insulis in terra, marique ad Civitates, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus, nec non Civitatem Romanam, Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsum pertinentibus, tam citra Pharum, quam ultra, Corsicam quoque, atque Sardiniam, cum cæteris terris, & juribus ad ipsam Ecclesiam spectantibus, ad Nos, & eandem Ecclesiam pleno jure pertinere, ac nostri, & ipsius Ecclesiæ juris, ditionis, & Principatus existere, & charissimus in Christo filius noster Rudolphus, Rex Romanorum Illustris, hæc omnia prædicta & plura alia, quæ per eosdem Imperatores, & alios prædecessores suos facta, promissa, & gesta fuerant, recognoverit, ratificaverit, declaraverit, ac de novo concesserit per se, ac suos Nuntios speciales. Nos cupientes, ut hæc omnia in sua soliditate permaneant in futurum, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus præmissis omnibus, & aliis, quæ per eumdem Regem, vel alios de mandato suo, facta, gesta, promissa, recognita & ratificata sunt, vel fieri, promitti, recognosci, & ratificari contigerit, tuum præbens assensum, sic ea studeas promptis studiis approbare, juxta formam, quam tibi per dilectum filium Giffridum de Anagnia, Decanum Ecclesiæ Sancti Audomari, Morinensis Diœceseos Capellanum nostrum transmittimus, quod devotio tua, promptitudine vigente, reluceat, obvietur futuris anfractibus, & Nos, ac eadem Ecclesia, dictus Rex, & tu etiam successive, plenæ quietis ubertate fruamur, & in prædicti Regis, & vestris successibus prosperis non immerito delectemur. Ut autem de præmissis plenius informeris, prædictum Capellanum, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus, ad partes illas duximus destinandum, cujus instructionibus percipere poteris, quid præsens negotium ex eminenti sua qualitate requirit. Datum Romæ XII. Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno primo,

In eundem modum dilecto filio Nobili viro *Joanni*, Duci Saxoniæ.

In eundem modum dil. fil. Nobili viro *Ludovico*, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ.

In eundem modum dil. fil. Nobili viro *Alberto*, Duci Saxoniæ.

In eundem modum *Archiepiscopo Trevirensi.*

In eundem modum *Archiepiscopo Coloniensi.*

In eundem modum *Archiepiscopo Moguntino.*

XXXIV.

Rudolphi I. Romanorum Regis, eorum, quæ Conradus, Ordinis Minorum Minister, coram Nicolao III. Pontifice Maximo, pro confirmandis ejusdem Rudolphi Regis apud Lausannam, tempore Gregorii X. actis, gesserat, Ratificatio, d. d. 16. Kal. Martii, Anno 1279.

IN nomine Domini, Amen. Nos Rudolphus, DEI gratia Rex Romanorum semper Augustus, ad æternam rei gestæ memoriam recognoscimus, & fatemur, religiosum virum, fratrem Conradum, Ministrum ordinis fratrum minorum superioris Alamanniæ, habuisse a Nobis mandatum, sigilli nostri munimine communitum, infrascripti tenoris, cujus mandati autoritate nostro nomine processit coram vobis, Sanctissimo Patre, Domino Nicolao, Papæ III. & Reverendo cœtu dominorum Cardinalium & Prælatorum, & aliorum Clericorum & Laicorum multitudine copiosa ad omnia infrascripta, quæ in literis inde confectis, quarum tenor infra subjicitur, seriosius continetur. Quæ quidem omnia & singula per eundem fratrem Conradum recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata atque concessa, dicta, promissa, acta, seu gesta, confirmata, sive jurato, prout in eisdem literis & tenore plenius exprimitur, recognoscimus, & fatemur nomine nostro & voluntate nostra, recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata atque concessa, dicta, promissa, acta seu gesta, confirmata atque jurata, eaque nihilominus acceptamus, ratificamus, rata & firma volumus & decernimus permanere,

manere, ac insuper ea omnia & singula confirmamus, innovamus, & nihilominus ipsa de novo concedimus atque donamus, & ad nostram conscientiam serenandam, & ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur & perficiantur, revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, & omnibus viribus vacuamus, quidquid contra prædicta vel aliquod prædictorum per Nos, seu per alios nostros Nuntios vel Officiales nostro nomine vel mandato, seu quemcunque alium, vel alios quocunque modo, quacunque via factum esset & promissum, sive juratum, volentes & consentientes expresse, quod per hoc, quod contra hoc factum esset, nullum jus Nobis, seu Successoribus nostris, Regibus aut Imperatoribus Romanis accrescat, vel in aliquo Ecclesiæ Romanæ depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem; consentimus insuper atque concedimus, quod vos Sanctissime Pater, Domine Nicolae P. P. III. & eadem Romana Ecclesia per vos, & per alios nunc, & semper accipiatis, nanciscamini, intretis & apprehendatis, absque ulla nostra, successorum nostrorum vel alterius requisitione, autoritate vel mandato obtentis, sive petitis, possessionem & quasi omnium contentorum in nostris, & prædecessorum nostrorum privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus seu juramentis, & omnium eorum, quæ quoquo modo pertinent ad prædicta, & promittimus, quod Nos per Nos, vel per alium, seu alios non impediemus vos, vel nuncios vestros in prædictis, & quolibet prædictorum, seu potius in omnibus præfatis tam adipiscendis quam tenendis, & habendis nostro posse perpetuo adjuvabimus, & ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & solidationis habeant firmitatem, tactis Sacrosanctis Evangeliis juramus in animam nostram, prædicta omnia & singula Nos perpetuo inviolabiliter servaturos. Statuimus præterea Regali auctoritate atque decernimus, ut idem tenor, insertus præsentibus, easdem per omnia vires habeat, & obtineat, quas habent, & obtinent ipsæ literæ principales, ita quod si forsan ipsas principales literas contingeret quomodolibet deperire, dictus tenor perinde vim & robur obtineat in judicio & extra judicium, & in omnibus & per omnia fidem faciat, sicut ipsæ literæ principales facerent in sua prima figura & integritate manentes, lege seu constitutione aliqua non obstante. Promittimus insuper, quod, postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & imperiale diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies præmissa omnia & singula innovabimus & de novo integre ac plenarie faciemus, tenor autem prædictus de verbo ad verbum per omnia talis est:

In nomine Domini, Amen. Ego frater Conradus, Minister fratrum Minorum superioris Alamanniæ, gloriosissimi & Illustrissimi Principis, Domini mei, Rudolphi, DEI gratia Regis Romanorum semper Augusti procurator & Nuncius, habens ab ipso potestatem & mandatum in forma subscripta, constitutus in præsentia vestra beatissime Pater, Domine Nicolae divina providentia P. P. III. in Consistorio vestro in Papali Palatio apud sanctum Petrum, in urbe Romana, assistentibus vobis Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium, videlicet, Venerabilibus Patribus, Dominis Orduno Tusculano, Bentevenga, Albanensi & Latino, Ostinensi & Velletrensi Episcopis: Anchero, Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmo, tituli Sancti Marci, & Gerardo, Basilicæ, duodecim Apostolorum Presbyteris: Jacobo, S. Mariæ in Cosmidin: Gottifrido, sancti Georgii ad velum aureum, Mathæo, Sanctæ Mariæ in via lata Diaconis Cardinalibus, recognosco & fateor, quod idem Dominus meus Rex, constitutus in præsentia piæ memoriæ Domini Gregorii, Papæ X. in Ecclesia Lausannensi, assistentibus sibi Reverendo cœtu Dominorum Cardinalium videlicet fel. rec. Domino Innocentio V. tunc Petro, Ostiensi Episcopo, & Domino Adriano V. tunc Ottobono, Sancti Adriani Diacono Cardinale, Romanis Pontificibus & Reverendis Patribus, Dominis Anchero, tituli Sanctæ Praxedis, & Guillelmo, tituli Sancti Marci Presbyteris, Jacobo, Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Gottifrido, Sancti Georgii ad velum aureum, Mathæo, Sanctæ Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus, & præsentibus multis Prælatis, Principibus & Nobilibus Imperii, ipsi Domino Papæ, suisque successoribus spopondit, pollicitus est, promisit atque juravit, omnia & singula infrascripta, prout in ejusdem Regis literis, suo sigillo cereo communitis, plenius ac seriosius continetur, quarum tenor per omnia talis est:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Rudolphus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, vobis Domino meo &c.

vid. Formam jurisjurandi, d. d. 13. Kal. Novembr. Anno 1275. supra sub Num. XXIII.

Quæ omnia & singula, ut præmittitur, per eundem Regem sponsa, pollicita, promissa atque jurata, nec non & alia in literis eisdem quocunque modo, quibuscunque verbis inserta: Ego prædictus frater Conradus, ejusdem Domini Regis nomine, & pro ipso habens ab eo expressum & speciale mandatum libere, distincte & expresse recognosco, ratifico, approbo, innovo, & nihilominus ea omnia & singula de novo dono atque concedo beato Petro, Cœlestis Regni Clavigero, ac vobis Patri Sanctissimo, ejus Successori, cæterisque vestris Successoribus & Ecclesiæ Romanæ. Et ad Domini mei Regis conscientiam serenandam, & ut prædicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur, & perficiantur, revoco, casso, annullo, irrito, & omnibus viribus vacuo, quidquid contra prædicta, vel aliqua prædictorum, per ipsum Dominum Regem, seu alios ejus nuntios, vel officiales suo mandato, vel nomine seu quemcunque alium, vel alios, quocumque modo, quacunque via factum esset, vel promissum, sive juratum, ac volo & expresse consentio, quod per hoc nullum jus ipsi Domino meo Regi accrescat, vel in aliquo Ecclesiæ Romanæ depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem. Consentio insuper & concedo, quod vos, Sanctissime Pater, & eadem Romana Ecclesia per vos, & per alios nunc & semper accipiatis, nanciscamini, intretis, & apprehendatis absque ulla ipsius Domini Regis, vel alterius requisitione, auctoritate, vel mandato obtentis, sive petitis possessionem, & quasi omnium conten-

contentorum in prædictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus, seu etiam juramentis, & omnium eorum, quæ pertinent ad eam, & promitto, quod ipse Dominus Rex per se, vel per alium, seu alios non impediet vos, vel Nuntios vestros in prædictis & quolibet prædictorum, sed potius in omnibus præfatis, tam adipiscendis, quam tenendis & habendis suo posse perpetuo adjuvabit. Et ut hæc omnia plenam omnimodæ perfectionis & solidationis habeant firmitatem, tactis Sacrosanctis Evangeliis juro in animam prædicti Domini mei Regis, habens ab eo super hoc speciale mandatum, eundem Dominum Regem prædicta omnia & singula perpetuo inviolabiliter servaturum, & promitto quod idem Dominus Rex per se ipsum ea & omnia & singula faciet, promittet, stabiliet, plene solidabit, firmabit perficiet atque jurabit quandocunque per vos & prædictam Ecclesiam literis vel nuntiis extiterit requisitus. Tenor vero mei Procuratorii super his habiti per omnia talis est:

Rudolphus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, universis præsentes literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus &c.

vid. Confirmationem Privilegiorum d. d. 14. Kal. Febr. Anno 1278. supra sub Num. XXVII.

Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum, & ut hæc omnia vobis memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Nicolao, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, vestrisque Successoribus per nos & nostros Successores, Romanor. Rges & Imperatores, perpetuo observentur, firmaque semper & inconvulsa permaneant, præsens scriptum aurea Bulla typario nostræ Majestatis impressa, munitum fieri fecimus, & vobis ad perpetui roboris memoriam exhiberi. Testes, quibus præsentibus hæc sunt acta, sunt hi, venerabiles, Fridericus, Archiepiscopus Salzburgensis, Joannes, Kymens. & Wernhardus Secoviensis Episcopi, Rudolphus, Curiæ nostræ Cancellarius, Magister Gottifridus, Præpositus Soliensis, Prothonotarius noster, Abbas Admontensis, Archidiaconus Tudertinus, Illustres, Albertus & Hartmannus, fratres, de Habspurch & de Kyburch Comites, Landgravii Alsatiæ, Filii nostri ac spectabiles viri, Fridericus, Burggravius de Nurenberch, Marchio de Hochperch, Burchardus de Hohenberch, & Henricus de Furstenberch, Comites, Henricus Sulzzellensis, Capellanus noster, Magister Conradus, de Herwelingen, Magister Angelus H. de Laubenberch, Joannes de Hedingen, Milites Hostiarii nostri. Datum Viennæ per manum Magistri Gottifridi, Protonotarii nostri prædicti. Acta sunt hæc decimo sexto Kalend. Martii, indictione septima Anno Domini millesimo ducentesimo septuagessimo nono, Regni vero nostri anno sexto.

Ego Fridericus, Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, interfui & per manum Joannis Chymensis Episcopi subscripsi.

Ego Joannes, Chymensis Episcopus interfui & subscripsi.

Ego Rudolphus, Imperialis Aulæ Cancellarius interfui, recognovi & subscripsi.

Ego Magister J. Præpositus Soliensis, Regalis Curiæ protonotarius interfui & subscripsi.

Ego Abbas Henricus, Admontensis interfui & subscripsi.

Ego Nicolaus, Archidiaconus Tudertinus interfui & subscripsi.

Ego Albertus, Domini Rodulphi Romanorum Regis primogenitus interfui & subscripsi.

Ego Hartmanus, Domini Rudolphi Romanorum Regis filius interfui & subscripsi.

Ego Fridericus, Burgravius de Nurenberch interfui & per manum R. Notarii mei subscripsi.

Ego Heinricus, Marchio de Hochperch interfui, & per manum Alberti, Notarii Comitis Henrici de Furstenbergh, subscripsi.

Ego Burchardus, Comes de Hohenberch, interfui, & per manum Petri, Notarii mei subscripsi.

Ego Henricus, Comes de Furstenberch interfui & per manum Alberti Notarii mei subscripsi.

Ego Henricus Sulzzellensis, Romanorum Regis Capellanus interfui & subscripsi.

Ego Conradus de Hervellingen, Notarius Regis Romanorum interfui & subscripsi.

Ego Angelus, Canonicus Ecclesiæ S. Valentini de Ferentino interfui & subscripsi.

Ego Joannes de Hedingen interfui & subscripsi.

Adest Bulla aurea pendens.

XXXV.

Rudolphi I. Romanorum Regis, Diploma, in quo non solum Privilegia ab Antecessoribus ejus Romanæ Ecclesiæ concessa confirmavit, verum etiam juramenta, quæ ejusdem Cancellarius, Rudolphus, a diversis exarcbatus urbibus exegerat, nullius esse valoris, declaravit, d. d. 16. Kalend. Martii, Anno 1279.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino, Nicolao, Papæ III. Rudolphus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam.

Summa Reipublicæ tuitio, de stirpe duarum rerum, Sacerdotii, & Imperii, Divina institutione proveniens, vimque suam exinde muniens, humanum genus salubriter gubernavit in posterum, & reget, DEO propitio, in æternum. Hæc sunt duo dona DEI, maxime quidem in omnibus a superna collata clementia, videlicet, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis excellentia potestatis. Hæc duo Salvator noster, mediator DEI & hominum, JEsus Christus, sic per seipsum actibus propriis & dignitatibus distinctis exercuit, ut utraque ab ipso, tanquam ex uno eodemque principio, manifeste procedere omnibus indicaret.

Ab eo igitur solo, vivo & vero DEO, recognoscentes omnia, a quo Reges & Regna sumpsere principia, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ beneficia erga Nos innumera recolentes, plenis excitamur affectibus, ea, quæ possumus, illi retribuendo rependere, a qua Nobis & nostris Prædecessoribus, Regibus Romanorum tam grandia, tam excellentia dona conspicimus esse tributa.

Præfati

Præfati itaque Prædecessores ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quam de ipsius Matris Ecclesiæ uberibus susceperunt, faciem gratitudinis convertentes; nec minus attendentes, quod eadem Mater Ecclesia, ipsos in dulcedinis benedictione præveniens, transferendo de Græcis Imperium in Germanos, eisdem dederat id, quod erant, ut grati prædicarentur filii laudabili recognitionis effectu, inter cætera, quæ ipsi Romanæ Ecclesiæ confirmarunt, dimiserunt, seu etiam concesserunt, totam terram, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Brictenorii, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Massam Trabariam cum adjacentibus terris, & omnia alia bona, terras, possessiones & jura, ad Romanam Ecclesiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici expressa, sive contenta, ipsi Beato Petro, cœlestis Regni Clavigero, ejusque Successoribus, & Romanæ Ecclesiæ dimiserunt, renunciaverunt, restituerunt & confirmarunt; & ad omnem scrupulum removendum, prout melius valeret, & efficacius posset intelligi, contulerunt, concesserunt, & etiam donarunt, sicut in eorum privilegiis, seu literis continetur: Nosque postmodum, prout Domino placuit, ad Regalis Excellentiæ culmen assumpti, ut de susceptis donis innumeris, quæ de manibus dictæ Matris accepimus, non minoris recognitionis debitum solveremus, prædicta omnia in præsentia recolendæ memoriæ Domini Gregorii Papæ X. recognovimus, ac ea omnia & singula ipsi, pro Romana Ecclesia, se, suisque Successoribus recipienti, confirmavimus, innovavimus, & de novo concessimus atque donavimus, ipsa nihilominus proprio præstita corporaliter juramento firmantes.

Verum quia postmodum, absque nostro consensu, conscientia vel mandato, Rudolphus, Cancellarius noster a Civibus Ravennatis, Bobiensibus, Cæsenatibus, Foropopuliensibus, Forliviensibus, Faventinis, Imolensibus, Bononiensibus, Urbinatibus ac hominibus Montisferretri, Bertenorii, nec non & aliis aliarum Civitatum, atque illarum partium & locorum, quæ ipsius Ecclesiæ Romanæ Juris existunt, juramentum fidelitatis nomine nostro dicitur recepisse; Nos conspicientes id in præjudicium juris dictæ Matris Ecclesiæ subsecutum, quidquid per eundem Cancellarium, seu quemcunque alium in prædictis civitatibus, locis & terris, seu per homines ipsorum civitatum, terrarum atque locorum, actum, gestum, recognitum extitit, sive juratum, & specialiter prædicta juramenta, remittimus, relaxamus, & eis expresse renunciamus, ac prædicta omnia revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, cassa & irrita nuntiamus, ac omnibus viribus vacuamus, volentes, statuentes & consentientes expresse, quod per id nullum jus Nobis & Imperio accrescat, vel ipsi Ecclesiæ Romanæ depereat, tam circa possessionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris & locis præfatis, ac hominibus, juribus & jurisdictionibus eorundem.

Et quia decet Regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consuevit inducere, nostra tollat regalis expressio, ac jura ipsius Matris Ecclesiæ per nostram declarationem, quam decernimus esse perpetuam, plenarie solidentur; recognoscimus, fatemur & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declaramus, Civitatem Ravennatem & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam atque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferretrum, Territorium Balnense, supraſcriptas Provincias, Civitates, Loca & Territoria, nec non & omnia supradicta cum omnibus finibus, territoriis atque insulis in terra marique ad provincias, Civitates, territoria & loca supradicta quoquomodo pertinentibus, ad Beatum Petrum cœlestis regni Clavigerum & ad vos Patrem beatissimum Dominum Nicolaum Papam III. & ad Successores vestros Romanos Pontifices, & ad ipsam Ecclesiam Romanam pleno jure ac integre, non solum in Spiritualibus sed etiam in temporalibus in solidum pertinere, ac vestri ipsius Romanæ Ecclesiæ pleni juris, ditionis, ac Principatus existère.

Et ad omnem dubitationis scrupulum in posterum abolendum, & ut nostra devotio erga ipsam Matrem Ecclesiam clarius enitescat; prædicta omnia & singula tam propriis seu specialibus, provinciarum, terrarum, civitatum atque locorum expressa vocabulis, quam etiam non expressa, prout melius valet & efficacius intelligi, ipsi beatissimo Petro & vobis, Sanctissime Pater, Domine Nicolae, Papa III. & per vos Successoribus vestris Romanis Pontificibus & ipsi Romanæ Ecclesiæ de novo libere & plenarie concedimus, conferimus & donamus, ut sublata omnis contentionis, & dissensionis materia, firma pax & plena concordia inter Ecclesiam & Imperium perseverent.

Ut autem hæc omnia vobis, memorato Sanctissimo Patri nostro, Domino Nicolao, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, vestrisque Successoribus & ipsi Romanæ Ecclesiæ per Nos & nostros Successores, Romanorum Reges & Imperatores in perpetuum observentur, firmaque semper & inconcussa permaneant; præsens nostræ recognitionis, declarationis, concessionis & donationis privilegium de conscientia nostra & expresso mandato conscriptum, jussimus aurea bulla, typario nostræ Majestatis impressa muniri, ac ipsum ad perpetuam soliditatem & certitudinem vobis & ipsi Romanæ Ecclesiæ exhiberi. Promittimus insuper, quod, postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem & Imperiale Diadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies præmissa omnia & singula innovabimus, & de novo integre ac plenarie faciemus.

Testes autem hi sunt, Venerabiles, Fridericus, Archiepiscopus Salzburgensis, Joannes Kymensis, & Wernhardus Secoviensis Ecclesiarum Episcopi, Giffridus, Decanus Ecclesiæ Sancti Audomari Morinensis Diœceseos, Domini Papæ Capellanus, Henricus, Abbas Admontensis, Nicolaus Archidiaconus, Tudertinus, Illustres, Albertus, & Hartmannus, Fratres de Habspurch & de Kyburch, Comites Landgravii Alsatiæ, filii nostri, ac spectabiles Viri Fridericus Burgravius de Nurenberch, Hainricus, Marchio de Hahberg, Burcardus de Hohenberg, & Henricus de Fürstenberch Comites, Henricus Sluzzellinus, Capellanus noster, Magister Chunradus de Herwelin-

welingen, Magister Angelus, Canonicus Sancti Valentini de Ferentino, Henricus de Loubenberch & Joannes de Hedingen Milites Hostiarii nostri, & quamplures alii. Signum Domini Rudolphi Romanorum Regis invictissimi. Ego Rudolphus Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Wernheri, (Locus Monogrammatis.) Archiepiscopi Maguntini ac per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc Anno Domini MCCLXXIX. Indictione VII. Regnante Domino Rudolpho, Romanorum Rege, glorioso Anno Regni ejus VI. Datum Viennæ per manus Magistri Gottifridi, Præpositi Soliensis, Protonotarii nostri, XVI. Kalend. Martii.

Sequitur Bulla pendens.

XXXVI.

Diploma, in quo Sacri Romani Imperii Electores antea insertam Rudolphi I. Romanorum Regis, confirmationem ratam habent, de Anno 1279.

Nos Principes Imperii, universis præsentem paginam inspecturis.

COmplectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesia quasi quadam germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum præsidentium super terram, plantans in ea Principes tanquam arbores præelectas, & rigans ipsas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum, qui frena Romani teneret Imperii, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare majus Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit & convertit, ut ejus præsidio Pastorum Pastor adjutus, oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrenet, & corrigat ad vindictam maleficorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia dissensionis & scandali seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam & Imperium auferantur; & ii duo gladii in domo Domini constituti, debito fœdere copulati, seipsos exerceant in utilem reformationem regiminis universi; & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam, quam Imperium confovere tenemur; quicquid per Dominum nostrum Rudolphum, DEI gratia Romanorum Regem semper Augustum, Sanctissimo Patri & Domino nostro, Domino Nicolao, Papæ III. ejusque Successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum & de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum & actum, seu factum est per privilegia vel quæcunque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus & factis, seu gestis tam aliorum Imperatorum & Regum Romanorum, Prædecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis; & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia & reverentia per Romanos Imperatores & Reges Romanis Pontificibus & ipsi Ecclesiæ impendendis; ac possessionibus, honoribus, & juribus ejusdem Ecclesiæ; & nominatim super tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Mathildis, Civitate Ravennæ, & Æmilia, Bobio, Cæsena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, *Comaclo*, Adrianis atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnensi, Comitatu Brittenorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis, in terra marique ad Provincias, Civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo spectantibus; nec non super Civitate Roma & Regno Siciliæ, cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Farum, quam ultra; Corsica quoque atque Sardinia & cæteris terris ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, Nos, nostri nomine Principatus, in omnibus & per omnia approbamus & ratificamus: ac eisdem omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super eisdem per eundem Regem quoquomodo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum atque consensum unanimiter, & concorditer exhibemus; & promittimus, quod contra præmissa, vel aliquod præmissorum, nullo unquam tempore veniemus, sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus, inviolabiliter observari. Et ut hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus atque promissio a Nobis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum. Actum & datum Anno Domini MCCLXXIX. Indictione VII. (circa mensem Octobris) regnante Domino nostro, prædicto Domino Rudolpho, Romanorum Rege glorioso, regni ejus Anno VI.

Adsunt novem sigilla pendentia, scilicet, Henrici Archiepiscopi Trevirensis, Siffridi, Archiepiscopi Coloniensis, Varneri, Archiepiscopi Maguntini, Ludovici, Ducis Bavariæ, Joannis, Ducis Saxoniæ, Alberti, Ducis Saxoniæ, Friderici, Marchionis Brandenburgens. Ottonis, Marchionis Brandenburgensis - - - Marchionis Brandenburgensis. Eorum nomina super sigillis scripta & apposita sunt.

Nota, de *Comaclo*, quod Sacra Cæsarea Majestas sub initium anni 1725. Sedi Apostolicæ, peculiari transactione restituit, vid. Privilegia atque investiturarum literas *supra in Tom. I. Sect. II. Class. I. Cap. V. sub Mutinæ & Rhegii Ducatibus.*

XXXVII.

Ludovici, Comitis Palatini ad Rhenum atque Electoris Diploma, in quo supra insertam Privilegiorum a Rudolpho I. Romanorum Rege, Sedi Apostolicæ indultorum confirmationem approbavit, d. d. 14. Kalend. Aprilis, Anno 1279.

LUdovicus, DEI gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, universis præsentem paginam inspecturis, salutem in Auctore salutis. Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terrenæ dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen, temporaliter tantum præsidentium super terram, plantans in ea Principes, tanquam arbores prælectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum tam mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem illum, qui frena Romani Imperii teneret, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare majus Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit & convertit, ut ejus præsidio pastorum pastor adjutus, oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrenet & corrigat ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam & Imperium auferantur, & duo gladii in domo Domini constituti debito fœdere copulati se ipsos exerceant, in utilem reformationem regiminis universi, & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam quam Imperium confovere tenemur: quidquid per Dominum nostrum Rodulphum, DEI gratia Romanorum Regem semper Augustum sanctissimo patri & Domino nostro Nicolao, Papæ tertio, ejusdemque Successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo donatum, declaratum sive concessum, juratum, & actum seu factum est per privilegia, vel quæcunque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus & factis, seu gestis, tam aliorum Imperatorum & Regum Romanorum, prædecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis super fidelitate, obedientia, honorificentia per Romanos Imperatores & Reges Romanis Pontificibus & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus & juribus ejusdem Ecclesiæ, & nominatim super totam terram, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Mathildis, Civitate Ravennæ, & Æmilia, Bobio, Cæsena, Foropopuli, Forolivii, Flaventia, Imola Bononia, Ferraria, *Comaclo*, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetro, territorio Balnensi, Comitatu Brectonorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria cum adjacentibus terris suis, & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terra marique provinciis, civitatibus, territoriis, ad prædicta quoquo modo spectantibus, nec non super civitate Romana, & regno Siciliæ, cum omnibus ad eam spectantibus tam citra Pharum quam ultra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, Nos nostri nomine Principatus in omnibus & per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super iisdem per eundem Regem, quoquo modo factis, & in posterum faciendis voluntatem nostram, assensum, atque consensum, unanimiter atque concorditer exhibemus & promittimus, quod contra promissa, vel aliquod promissorum nullo unquam tempore veniemus; sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari. Et ut hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus atque promissio a Nobis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum. Actum & datum Anno Domini 1279. 14. Kal. Aprilis, Indictione septima, regnante prædicto Domino nostro Rodulpho, Romanorum Rege glorioso, Regni ejus anno sexto.

Adest Sigillum pendens.

XXXIIX.

Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, atque Sacri Romani Imperii Electoris, Diploma, in quo Rudolphi I. Romanorum Regis paulo ante insertam Privilegiorum Sedis Apostolicæ confirmationem suo comprobavit calculo, d. d. 2. Id. Sept. Anno 1279.

OTto, DEI gratia Marchio Brandenburgensis, universis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter tantum præsidentium super terram, plantans in ea Principes, tanquam arbores prælectas, & rigans ipsas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum, per ipsorum electionem, illum, qui frena Romani teneret Imperii, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ, per luminare majus, Christi vicarium, illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & convertit, ut ejus præsidio Pastorum pastor adjutus, oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrenet & corrigat ad vindictam malorum, laudem vero credentium & bonorum.

Ut igitur omnis materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam & Imperium auferantur, & ii duo gladii in domo Domini constituti, debito fœdere copulati, seipsos exerce-

exerceant in utilem reformationem regiminis universi; & Nos in actu voluntatis & operis inveniamur filius devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam, quam Imperium confovere tenemur; quicquid per Dominum nostrum Rudolphum, DEI gratia Romanorum Regem, semper Augustum, Sanctissimo Patri & Domino nostro, Domino Nicolao, Papæ III. ejusque Successoribus & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, de novo datum, declaratum sive concessum, juratum & actum, seu factum est per privilegia, vel quæcunque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus & factis, seu gestis, tam aliorum Imperatorum & Regum Romanorum, Prædecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis; & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia & reverentia per Romanos Imperatores & Reges, Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis; ac possessionibus, honoribus & juribus ejusdem Ecclesiæ; & nominatim super tota terra, quæ est a Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, Terra Comitissæ Mathildis, Civitate Ravennæ & Æmilia, Bobio, Cæsena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnensi, Comitatu Brittenorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis, ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis, in terra marique ad provincias, civitates, territoria & loca prædicta quoquo modo spectantibus; nec non super Civitate Romana & Regno Siciliæ, cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Farum, quam ultra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus; Nos nostri nomine Principatus in omnibus & per omnia approbamus & ratificamus; ac eisdem omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super eisdem per eundem Regem quoquo modo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum atque consensum irrevocabiliter exhibemus: & promittimus, quod contra præmissa, vel aliquod præmissorum, nullo unquam tempore veniemus, sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari. Et ut hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus atque promissio a Nobis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostri sigilli munimine roboratum. Datum & actum Anno Domini MCCLXXIX. II. Idus Septembris, regnante prædicto Domino nostro, Domino Rudolpho, Romanorum Rege glorioso, Regni ejus anno sexto.

Adest Sigillum pendens.

XXXIX.

Alberti I. Romanorum Imperatoris, omnium Privilegiorum, a Romanis Imperatoribus atque Regibus Sedi Romanæ concessorum, confirmatio, d. d. 16. Kal. Augusti, Anno 1303.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino nostro, Domino Bonifacio, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Albertus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, devota pedum oscula beatorum.

Profiteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori, ac vobis & sanctæ Ecclesiæ tuæ fore pro innumeris misericordiis & immensis beneficiis obligatum. Profiteor, quod desiderii mei recepi desideratum effectum, & diffiteri non audeo, quod & plus, quam desiderasse sciverim, adinveni: mirans, sic in præteritis esse provisum, quod de iis, quæ circa talia in futuro peti poterant, spes miserationis habetur. Assurgens itaque DEO & Sanctitati vestræ, ac eidem Ecclesiæ matri meæ ad gratiarum devotissimas & humillimas actiones totum me devoveo, totum me offero, & expono ad gratificationis debitum per omnia, in quantum humanæ imbecillitatis conditio patitur, exolvendum. Ad hæc licet pridem, antequam circa negotium electionis, de me ad Romanum Regnum & Imperium celebratæ, ac alia, quæ in hac parte incumbebant, esset per Sanctitatis vestræ beneficentiam mei status essentia solidata, fecerim infra scripta, & super his meas beatitudini vestræ literas duxerim destinandas, ac in soliditate hujusmodi procuratores mei, ad hoc specialiter constituti, & in vestra præsentia renovaverint: Ecce nunc tamen, ut gratus reddar, & ipsa in majori firmitate procedant, illa duxi præsentibus innovanda.

Recognoscens igitur, quod Romanum Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est in persona Magnifici Caroli in Germanos, & quod jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, certis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus est ab eadem Sede concessum, a qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladii potestatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: pia devotione & sincero corde profiteor, quod Romanorum Reges in Imperatores postmodum promovendi per Sedem eandem ad hoc potissime & specialiter assumantur, ut sint S. Romanæ Ecclesiæ Advocati, Catholicæ fidei ac ejusdem Ecclesiæ præcipui defensores.

Cætera desiderantur, quæ extant Romæ in Castello S. Angeli, quorum hæc est summa.

Superioribus subjicit juramentum fidelitatis, solitis formulis exhiberi consuetum. Addit his confirmationem juramenti pariter fidelitatis, exhibiti a patre suo Rodulpho, & alia omnia ab aliis omnibus Imperatoribus præstita. Confirmat itidem privilegia ab eodem Rodulpho & aliis Imperatoribus eidem Ecclesiæ Romanæ concessa. Ratificat, quæ statuta & jurata fuerant per Ludovicum Imperatorem Paschali Papæ, & per Ottonem, Joanni Pontifici. Et post reverentiam Patri exhibitam, & filialem amorem insinuatum, Ecclesiæ jura defendit, primatum & libertatem ejusdem Ecclesiæ profitetur defensurum adversus quoscunque ejusdem perturba-

turbatores, adversus quos bella movere, si opus sit, pollicetur, spondens suum cum exercitu in Italiam adventum, si placeat. Datum habetur apud Noremberg, Anno Domini M. CCC. III. Indictione prima, decimo sexto Kalend. Augusti. Regni anno quinto.

XL.

Henrici VII. Romanorum Regis, Mandatum plenum, in quo Nuntios suos atque Procuratores ad Pontificem Summum juramenti fidelitatis præstandi causa missos, de rebus porro agendis instruxit, d. d. 4. Non. Junii, Anno 1309.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino suo, Domino Clementi, Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, cum Reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

Cupientes fervent desiderio vobis Patri ac Domino nostro clementissimo, & Apostolicæ Sedi zelum nostræ devotionis offerre, nosque vestris & ipsius Sedis beneplacitis coaptare, nostroque, & Sacri Romani Imperii statui, sicut expedit, providere, venerabiles Othonem Basiliensis, & Siphridum, Curiensis Ecclesiarum Episcopos, Principes nostros, & spectabiles viros Amedeum, comitem Sabaudiæ, affinem nostrum, Joannem Dalphinum, Viennensem & Albonensem Comitem, Guidonem de Flandria, consanguineum nostrum, Joannem Comitem de Saraponte, fideles nostros dilectos, & honorabilem virum Magistrum Simonem de Manulla, vestrum Capellanum, thesaurarium Metensem, Secretarium & familiarem nostrum dilectum, de quorum fide, legalitate, & industria plenam obtinentes fiduciam, fecimus & facimus, constituimus & ordinamus nuncios & procuratores nostros, mandatum nostrum in se sponte suscipientes; ipsosque ad vestram præsentiam pro nostris & Imperii negotiis specialiter destinantes, damus & concedimus eisdem plenam, generalem, & liberam potestatem, ac speciale mandatum in vestræ Sanctitatis præsentia, devotionem, & filialem reverentiam, quam erga vos & sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem nostram, sinceris affectibus gerimus, exponendi, petendi, procurandi, seu impetrandi pro nobis, & nostris favorem & gratiam vestram; nec non tractandi, explicandi, exercendi, promittendi, offerendi seu præstandi in animam & super animam nostram, debitæ vobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis & cujuslibet alterius generis juramentum; & specialiter ad petendum a vobis unctionem, consecrationem, & coronam Imperii de sacratissimis manibus vestris Nobis impendendam, ac faciendi omnia alia & singula, quæ circa hujusmodi nostra & imperii negotia tractanda, explicanda, exercenda, promittenda fuerint, seu etiam facienda, quæ secundum DEum & honestatem viderint expedire, & quæ ad Nos promovendum ad Romanum Imperium fuerint facienda, ac etiam requirenda & cætera facienda, quæ regalis excellentia nostra faceret & facere posset, etiam in his, quæ mandatum exigunt speciale, & perinde ac si omnes casus, qui mandatum exigunt speciale, essent in præsenti procuratorio specialiter denotati: promittentes nos ratum, gratum & firmum perpetuis temporibus habituros quicquid in præmissis, aut circa præmissa per dictos nuncios & procuratores nostros omnes, vel majorem partem eorum, qui præsentes fuerint, expositum, petitum, impetratum, tractatum, promissum, juratum, seu factum fuerit, ac quomodolibet procuratum. Volumus insuper, salvis præmissis, quod prædicti procuratores, & nuncii nostri possint omnes insimul, vel major pars eorum facere procuratoria fortius, quam fieri poterit, nomine nostro, & in persona nostra sub sigillis eorum ad prædicta facienda, si defectus aliquis fuerit in prædictis. In cujus rei testimonium præsentes literas scribi, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Dat. Constantiæ IV. non. Junii, Indict. septima, Anno Domini MCCCIX. Regni vero nostri anno primo.

XLI.

Henrici VII. Romanorum Regis, omnium Privilegiorum, a Romanis Imperatoribus Sedi Apostolicæ indultorum, Confirmatio, d. d. 5. Id. Octobris, Anno 1310.

SAnctissimo in Christo Patri ac Domino suo, Domino Clementi, sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Henricus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

Ferventi desiderio cupientes Sanctitatis vestræ pedibus, & Apostolicæ Sedi toto corde & animo zelum nostræ reverentiæ, fidei & devotionis offerre, vestris sanctis monitis, exhortationibus, & mandatis Nos pro viribus coaptando, & honorem vestrum ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac aliarum Ecclesiarum jura diligere, & pro posse protegere atque servare; attendentes propensius, quod nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihilque est, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera religio; & quod ad DEI timorem servandum, mandataque ejus custodienda factus est omnis homo, sed præcipue imperialis & regalis potestas, quæ a Domino DEO est, & ad ejus ministerium exequendum, ad fidem & reverentiam sui nominis dilatandum in omnes Regiones & Regna; promittimus & obligamus Nos cum omni efficacia DEO omnipotenti, vobisque Domino nostro Clementi, Summo Pontifici, vestrisque Successoribus, ac sacrosanctæ Sedi Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, quæ Ecclesiarum omnium caput est & magistra; quod sacrosanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, fidemque Catholicam fundatam supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JEsu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cujus nomine omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, nec est nomen aliud sub cœlo, in quo salvari oporteat credentes;

toto

toto corde & animo, pura fide, & sancta intentione conservabimus, reverebimur, atque defendemus totis viribus & toto posse, ac omnem hæresim & schisma, extollentem se contra sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, exterminabimus pro viribus, & omnes hæreticos, cujuscunque sectæ & conditionis existentes, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quibus vineam Domini DEI Sabooth perdere & vastare nituntur; omnesque fautores, adjutores, valitores & receptatores ac defensores eorum: & quod nullo tempore conjungemur, confœderabimur parentela vel fœdere, vel unione quacunque cum quocunque Saraceno vel pagano, vel schismatico Rege, vel Principe, vel quocunque alio fidei Catholicæ communionem non habente, neque cum aliquo rebelle vel inimico ipsius Romanæ Ecclesiæ, vel eidem manifeste suspecto.

Item promittimus & obligamus Nos cum omni efficacia & effectu, quod personam vestram, statum & honorem & successorum vestrorum contra quemcunque seu quoscunque homines, cujuscumque status, præominentiæ vel dignitatis existant, conservabimus & defendemus,& manutenebimus; nec non omnia Privilegia Regum & Principum,& ImperatorumRomanorum Prædecessorum nostrorum, cujuscunque tenoris & continentiæ existant, quocunque tempore concessa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apostolicæ, & quibuscunque Ecclesiis, Prælatis & Ministris ipsarum, conservabimus & manutenebimus: nec aliquo unquam tempore contraveniemus, nec aliquem, quantum in nobis erit, contravenire permittemus, quacunque occasione, vel *titulo* allegato, juris vel facti: imo ad perpetuam rei memoriam& sanctæ Ecclesiæ securitatem atque cautelam ipsa privilegia omnia pro Nobis & Successoribus nostris ratificamus & confirmamus, recognoscimus, innovamus & de novo concedimus, prout melius & plenius possumus, ex certa scientia cum omni efficacia & effectu: volentes ac etiam decernentes, quod ista generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo concessio, perinde robur obtineant perpetuæ firmitatis, ac si omnia & singula privilegiorum verba singulariter & expresse, ac de verbo ad verbum præsentibus inserta fuissent. Specialiter autem & expresse cum omni efficacia & effectu supradictis ratificamus, confirmamus, recognoscimus & innovamus, & de novo concedimus omnia privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Othonis IV. Friderici II. atque Radulphi Regum & Principum, seu Imperatorum Romanorum quocunque tempore concessa super quibuscunque, cujuscunque continentiæ vel tenoris existant, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Romanisque Pontificibus & Sedi Apostolicæ.

Promittimus etiam & obligamus Nos cum omni efficacia & effectu, omni jure & forma, quo melius & efficacius fieri potest, manutenere, & conservare omnia privilegia,cujuscunque tenoris vel conditionis existant, & nullo unquam tempore contravenire, vel aliquo modo, quantum in nobis est, contravenire permittemus, quacunque occasione vel causa, vel titulo allegato juris vel facti,per quoscunqueReges vel Principes, seu Imperatores Romanorum, & præcipue per supradictos Constantinum, Carolum, Henricum, Othonem quartum, & Fredericum secundum atque Radulphum concessa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Romanis Pontificibus & Apostolicæ Sedi super recognitione, innovatione, avocatione, donatione, concessione, quitatione, renunciatione, & libera demissione terrarum & provinciarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ubicunque positarum, præcipue Marchiæ Anconitanæ cum omnibus civitatibus, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, Exarchatus Ravennæ, & Pentapolis, ac Romaniolæ & Brittenorii Comitatus, cum civitate Bononiæ, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Vallis quoque, quæ Spoletana dicitur, sive Ducatus, cum civitatibus Perusii atque Castelli, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus eorundem. Massæ quoque, quæ Trabaria nuncupatur, cum omnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: patrimonii etiam B. Petri in Tuscia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Urbisveteris, & Reate, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & omnibus juribus, & jurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ cum civitate Interamnensi, & cum arce Cesarum & terra, quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Campaniæ atque Maritimæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter & cum omnibus jurisdictionibus & juribus earundem.

Ex superabundanti de novo, & ad majorem cautelam supradictas omnes terras atque provincias cum omnibus juribus, jurisdictionibus, terminis, limitibus, confinibus earundem & jus ad possessionem & proprietatem ipsarum cum omni plenitudine recognoscimus jure plenissimo ad jus & proprietatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ spectare, ac omnimode pertinere, ac ipsas omnes terras atque provincias de novo avocamus, innovamus, atque concedimus, quitamus libere & dimittimus, restituimus & renunciamus: nec non ad omnem scrupulum removendum, & ut pax, quies atque tranquillitas inter Ecclesiam & imperium jugiter vigeat, & futuris,dante Domino, temporibus feliciter augeatur; & omnis contentionis & dissensionis cujuslibet materia præcludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus,& donamus de novo, promittentes & obligantes Nos, prout plenius & efficacius possumus, quod nullo unquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in Nobis est, permittemus civitates, loca, castra, terras & provincias supradictas, vel aliquam ipsarum, vel earum partem; nec in ipsis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte jurisdictionem aliquam per Nos vel per alium geremus, vel exercebimus; vel jura aliqua, possessiones, vel tenutas habebimus, vel possidebimus in eisdem terris, vel provinciis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte; nec officium aliquod gere-

geremus, per Nos, vel per alium potestariæ, vel capitaniæ, seu quocunque nomine censeatur, in ipsis, vel aliqua ipsarum vel earum parte, & quod tanquam Princeps Catholicus, advocatus, & defensor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ juvabimus ipsam, sibique assistemus contra quoscunque occupantes, invadentes & turbantes provincias ipsas, civitates, loca, castra, vel terras, vel aliquam ipsarum, seu earum partem, & quoscunque inobedientes, seu rebelles Ecclesiæ, præcipue in provinciis, civitatibus, locis, castris, & terris eisdem in nullo fovebimus vel manutenebimus, seu per quoscunque foveri, vel manuteneri, quantum in Nobis est, permittemus; sed contra ipsos assistemus, auxiliis, consiliis, & favoribus opportunis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicæ Sedi, quousque rebelles & subditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur.

Promittimus quoque sanctam Romanam Ecclesiam & ecclesias alias, ac libertatem ecclesiasticam & bona, jura, prælatos & ministros ipsarum manutenere, conservare, ac pro viribus defensare; vasallos quoque Romanæ Ecclesiæ contra justitiam non offendere; & quoslibet devotos & fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos, benigne tractabimus, & contra justitiam non opprimemus, neque per alium, quantum in Nobis est, opprimi permittemus, sed conservabimus in juribus & justitiis eorundem. Prædicta autem omnia & singula inviolabiliter observare, & observari facere, & nullo unquam tempore contravenire juravimus ad sancta Dei Evangelia, tacto libro in manibus venerabilis patris domini Balduini Archiepiscopi Treverensis, & discreti viri Joannis de Molans, Scholastici ecclesiæ Tullensis, vestri Capellani, nomine Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ ac vestro, & de vestro mandato specialiter recipientium; de qua etiam receptione tam per alias nostras, quam per ipsorum recipientium literas, seu instrumentum publicum plene constat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam & sanctæ Romanæ ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam præsentes literas regiæ Majestatis sigillo munitas fecimus communiri, promittentes & obligantes Nos cum omni efficacia & effectu, quod post Imperialis diadematis coronationem susceptam prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, & faciemus & servabimus atque jurabimus; & de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum seriem continentes ad perpetuam rei memoriam & ad securitatem & cautelam vestram & Successorum vestrorum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis imperialis Majestatis typario communitas. Dat. Lausannæ V. id. Octobris regni nostri an. secundo, anno Domini MCCCX.

XLII.

Ejusdem Jusjurandum Sedi Apostolicæ Anno 1311. præstitum.

Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo & polliceor atque juro coram Deo & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem & defensorem fore Summi Pontificis & hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores & jura ejus, quantum divino suffultus adjutorio potero, secundum scire & posse meum recta & pura fide, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia!

XLIII.

Instrumentum de octo Comitatuum donatione, ab Ottone M. Roman. Imperatore, Sedi Apostolicæ facta, consignatum, d. d. 20. Mart. An. 1339.

In nomine Domini, Amen. Noverint universi, hoc præsens Instrumentum publicum inspecturi, quod nos Johannes de Amelio Forojuliensis Archidiaconus, Cameræ Domini Papæ Clericus, delegatus seu Commissarius ad infrascripta specialiter deputatus, dudum in Romana Curia insidentes, personaliter recepimus cum debita reverentia qua decuit literas Sanctissimi Patris & nostri Domini Benedicti divina providentia Papæ XII. ejus vera bulla plumbea cum filis canapis more Romanæ Curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, tenoris & continentiæ infrascriptorum:

Benedictus Episcopus servus servorum, Dei dilecto filio Magistro Johanni de Amelio Archidiacono Forojuliensi, Clerico Cameræ nostræ salutem & Apostolicam benedictionem. Cum certis privilegiis, registris, libris & scripturis, Ecclesiam Romanam tangentibus, quæ in thesauro ejusdem Ecclesiæ, qui conservatur in civitate Assisii, existunt, pro quibusdam incumbentibus ad præsens Ecclesiæ memoratæ negociis egeamus; Nos de tuæ circumspectionis & fidelitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te pro eisdem privilegiis, registris, libris & scripturis perquirendis, eligendis ac Nobis mittendis vel deferendis, ad civitatem eandem providimus destinandum. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus illuc te personaliter conferre procurans dilectis filiis, Magistro Raymundo de Paulis, Archidiacono Petragoricensi Rectore, & Johanne Rigaldi Canonico Albiensi, Thesaurario Ducatus Spoletani, vel eorum altero, nec non duobus vel pluribus tabellionibus auctoritate Apostolica publicis tecum adhibitis, visis quoque ac recensitis inventariis alias de thesauro prædicto confectis, privilegia, registra, libros & scripturas hujusmodi, de quibus tibi verbotenus diximus & injunximus, perquirere ac eligere, solerti ac fideli adhibita diligentia, non postpones, illa ex eisdem privilegiis, literis & scripturis, de quibus juxta voluntatem & intentionem nostram, quam tibi oraculo vivæ vocis expressimus, cognoveris expedire, de verbo ad verbum per dictos tabelliones transscribi, & eorum transscripta in formam publicam

cam redigi faciendo. Et nihilo minus decernentes auctoritate Apostolica, eisdem transumptis in publicam formam, ut præfertur, redactis, & coram te solemniter publicatis, esse ibique perpetuo in judicio & extra Judicium fidem plenariam tanquam originalibus adhibendam. Subsequenter vero privilegia, registra, libros & scripturas, quæ, quos & quas elegeris, & de thesauro prædicto receperis, seu ipsorum privilegiorum, literarum & scripturarum transumpta & publicata, ut superius est expressum, Nobis mittere studeas fideliter, vel deferre, te taliter super his habitutus, quod tuam circumspectam fidelitatem & diligentiam hac in parte merito commendare possimus. Datum Avenione II. Kal. Novembr. Pontificatus nostri anno quarto.

Auctoritate quarum Nos Johannes delegatus & Commissarius supradictus ad civitatem Assisii & locum Fratrum Minorum B. Francisci, videlicet ad Cameram juxta Sacristiam superiorem, ubi præfatus thesaurus in archivis Romanæ Ecclesiæ conservatur, venerabili viro Domino Johanne Rigaldi, Legum Doctore, Canonico Albiensi, Spoletani Ducatus Thesaurario, & Magistris Bartolo Vannis de Spello, Bertrando Glanderia, & Geraldo de Carreria, Clericis Spoletanis, & Caturcensis diœcesis, auctoritate Apostolica tabellionibus publicis, nobiscum adhibitis, Nos personaliter conferentes, visis & recensitis inventariis alias de dicto thesauro factis, privilegia, registra, & libros ac scripturas alias, de quibus præfatus Dominus noster Papa Nobis verbotenus dixit specialiter & injunxit, adhibita solerti diligentia tenorem commissionis nostræ servantes & fideliter exsequentes, perquisivimus, investigavimus, inspeximus, ac nonnulla elegimus ex iisdem, juxta voluntatem & mandatum ejusdem Domini nostri, quod Nobis expressit oraculo vocis vivæ. Inter alia vero elegimus ac vidimus & diligenter inspeximus quoddam privilegium, cum quadam bulla plumbea parva impendenti, sive in fine ipsius privilegii cum pergameno alligata: in qua quidem Bulla ab una parte in circumferentia ejusdem scriptum erat: *Ottho Imperator Romanorum*, ab alia vero parte erat caput quoddam hominis cum pilis crispis & cum spatulis, scriptumque erat in circumferentia *Aurea Roma*, ut prima facie apparebat. Quod quidem privilegium Nos Johannes delegatus & commissarius memoratus transscribi per Geraldum de Carreria, & subscribi, & in formam publici Instrumenti redigi fecimus per supradictos inferiusque subscriptos tabelliones: volentes & auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa specialiter decernentes, sedentes pro tribunali, quod transsumpto seu transscripto hujusmodi deinceps illa fides adhibeatur, tam in judicio, quam extra judicium, quæ originali prædicto, ipsumque transscriptum ubique eandem fidem faciat in agendis, quam faceret privilegium memoratum. Quibus omnibus & singulis nostram auctoritatem interponimus & decretum. Tenor vero dicti privilegii sequitur in hæc verba:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Ottho* servus Apostolorum, & secundum voluntatem Dei salvatoris, Romanorum Imperator Augustus. Romam caput mundi profitemur, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur: sed incuria & inscientia Pontificum longe suæ charitatis titulos obfuscasse. Nam non solum quæ extra Urbem esse credebantur, vendiderunt, & quibusdam colludiis a lare sancti Petri alienaverunt; sed (quod absque dolore non dicimus) si quid in hac nostra Urbe Regia habuerunt, ut majori licentia evagarentur, omnibus indicantes pecunias in commune dederunt; Et sanctum Petrum & sanctum Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt, & pro reparatione semper confusionem duxerunt. Confusis vero Papaticis legibus, & jam abjecta Ecclesia Romana in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperii nostri Apostolatui suo conjungerent: jam non quærentes, quæ & quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata dimittentes, quasi culpam suam in Imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est, ad nostra & nostri Imperii maxime migraverunt. Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quibus Johannes Diaconus cognomento Digitorummutius, præceptum aureis literis scripsit, sub titulo Magni Constantini longa mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil dare jure potuisse, utpote jam a Carolo meliore fugatum, jam Imperio privatum, jam destitutum & annullatum. Ergo quod non habuit dedit: sic dedit, sicut nimirum dare potuit, utpote qui male adquisivit, & diu se possessurum non speravit. Spretis ergo commentitiis præceptis & imaginariis scriptis, ex nostra libertate sancto Petro donamus, quæ nostra sunt: non sibi quæ sua sunt, veluti nostra conferimus. Sicut enim pro amore sancti Petri dominum Sylvestrum Magistrum nostrum Papam elegimus, & Deo volente ipsum Serenissimum ordinavimus & creavimus: ita pro amore ipsius Domini Sylvestri Papæ sancto Petro de publico nostro dona conferimus, ut habeat Magister quod Principi nostro Petro a parte sui discipuli offerat. Octo igitur Comitatus pro amore magistri nostri Domini Sylvestri Papæ sancto Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & sancti Petri cum sua & nostra salute habeat & teneat, & ad incrementa sui Apostolatus nostrique Imperii ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus: Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Callium, Hesium, & Ausimum: ut nullus unquam ei & sancto Petro audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicumque vero præsumserit, omnia quæ habuerit, amittat, & sanctus Petrus quæ sua sunt recipiat. Ut hoc autem in æternum manu nostra, diu (Deo adjutore) victura, confirmavimus, & nostro Sigillo præcepimus insigniri, ut sibi suisque Successoribus valeat. Datum Romæ.

Signum Domini Otthonis, invictissimi Rom. Imp. Aug.

In cujus testimonium præsens transcriptum in formam publicam redactum, sigilli proprii, quo utimur, jussimus appensione muniri. Datum & actum Assisii in loco Fratrum Minorum, in Palatio Domini Papæ, Anno Nativitatis Domini MCCCXXXIX. Indictione septima, tempore prædicti nostri Domini

Bene-

Benedicti Papæ XII. Pontificatus sui anno quinto, die XX. mensis Martii, præsentibus venerabilibus Dominis, Johanne Thesaurario prædicto, & Francisco Abbate Monasterii sancti Bartholomei de Campiregio, Simone Carlevaris, Priore Ecclesiæ sancti Angeli de Menanea, Blasto Archipresbytero de Bittonio, Bartolo Plebano Felonitæ, Benora Rectore Ecclesiæ sanctæ Mariæ Intende, & Fratribus Crispolto Custode sacri Conventus Fratrum Minorum de Assisio, & Angelo Mengrelli ejusdem Ordinis Eugubin. Assisinat. diocœs. & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Geraldus de Carreria, Clericus Caturcensis diocœs. auctoritate Apostolica tabellio publicus, dictorum Dominorum Thesaurarii & Notariorum adhibitioni, supradicti privilegii perquisitioni, visioni & inspectioni, auctoritatis & decreti interpositioni, factis per dictum Dominum Johannem Delegatum, seu commissarium, una cum præmissis testibus & Notariis supradictis, inferiusque subscriptis interfui, præsensque transscriptum tenorem dicti privilegii originalis, nec non literarum Apostolicarum commissionis dicti Domini Delegati continens, prout in dictis privilegiis & literis Apostolicis Originalibus vidi, legi, & inveni, nil addens vel minuens, quod sensum mutet, vel variet intellectum, transscripsi: & quia, facta diligenti collatione, de præsenti transsumpto cum dictis privilegiis & literis in eodem transsumpto insertis, una cum dicto Domino Delegato seu Commissario & Thesaurario ac Notariis antedictis de verbo ad verbum concordare inveni, in testimonium veritatis & omnium præmissorum de mandato & auctoritate dicti Domini Delegati, transsumptum prædictum in formam publicam redegi, ipsumque meo signo signavi requisitus & rogatus.

Et ego Bartholus Vannis de Spello, Clericus Spoletanæ diocœs. publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, dictorum Domini Thesaurarii & Notariorum adhibitioni, supradictique privilegii perquisitioni, visioni, & inspectioni, auctoritatis & decreti interpositioni, factis per dominum Johannem Delegatum, una cum præmissis testibus, & Notariis supradictis, inferiusque subscriptis, præsens fui, & quia facta diligenti collatione de præsenti transsumpto cum dictis Originalibus literis Apostolicis commissionem dicti Domini Delegati continentibus, ac originali prædicto, una cum Domino Delegato ac Thesaurario & Notariis antedictis, de verbo ad verbum concordare inveni, in testimonium veritatis, & omnium præmissorum de mandato & auctoritate dicti Domini Delegati huic transscripto me subscripsi, signumque in eum apposui consuetum rogatus & requisitus.

Et ego Bertrandus de Glanderia, Clericus Caturcensis diocœs. publicus Apostolica auctoritate Notarius, dictorum Domini Thesaurarii & Notariorum adhibitioni, supradictique privilegii perquisitioni, visioni, & inspectioni, auctoritatis & decreti interpositioni, factis per dictum Dominum Johannem Delegatum seu Commissarium, una cum præmissis testibus & Notariis supradictis interfui; & quia facta diligenti collatione de præsenti transsumpto cum dictis originalibus &c. huic transsumpto me subscripsi, signumque meum apposui consuetum rogatus & requisitus.

XLIV.

Instrumentum de Juramento, a Carolo IV. antequam Roman. Rex eligeretur, Sedi Romanæ præstito, conditum, d.d. 22. April. An. 1346.

IN nomine Domini Amen. Noverint universi & singuli, quod anno a nativitate ejusdem MCCC. XLVI. indictione XIV. die XXII. mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, Domini Clementis, divina providente clementia Papæ sexti, anno quarto, Avinione in camera ejusdem Domini nostri Papæ, præsentibus reverendis in Christo patribus, dominis Petro Prenestino, Bertrando Ostiensi & Velletrensi, Gaucelino Albanensi, & Joanne Portuensi episcopis, Talayrando tituli S. Petri ad vincula, Petro tit. S. Clementis, Bertrando tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis, Guidone tit. S. Cæciliæ, Aymerico tit. S. Martini in montibus, Hugone tituli S. Laurentii in Damaso presbyteris, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin Diacono, S. R. E. Cardinalibus, nobis Notariis, & testibus infrascriptis, nec non Serenissimis Principibus Dominis Joanne Boëmiæ Rege illustri, & Caroli ejusdem Domini Regis filio primogenito, Principe Moraviæ præsentibus, de mandato ejusdem Domini nostri Papæ volentibus, requirentibus, & consentientibus, fuerunt ibidem lectæ & publicatæ duæ notæ, & una litera imperialis bulla aurea bullata per Magistrum Joannem de Pistorio, Decanum Ecclesiæ S. Salvatoris Trajectensis, quarum notarum & imperialis literæ successive tenores sequuntur sub his verbis:

In nomine Domini. Amen. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod Nos Carolus, primogenitus Regis Boëmiæ, Marchio Moraviæ in præsentia sanctissimi patris & Domini nostri, Domini Clementis, sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summi Pontificis constituti, eidem Domino nostro Papæ, nomine suo, & Ecclesiæ Romanæ recipienti; ac nihilominus Notariis infrascriptis nomine omnium & singulorum, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, recipientibus, & stipulantibus, promisimus & promittimus, fecimus & facimus, in forma, quæ sequitur, & juramenta præstitimus, tactis sacrosanctis Evangeliis, & præstamus.

Ego Carolus, primogenitus Domini Regis Boëmiæ, illustris Marchio Moraviæ, vobis sanctissimo patri ac Domino nostro, Domino Clementi, Sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, pro vobis & Ecclesia Romana recipientibus, promitto bona fide, & juro, quod si Deo favente contingat, me in Regem Romanorum eligi, in Imperatorem postmodum assumendum, faciam, præstabo, concedam, & promittam omnia juramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ claræ memoriæ Dominus Henricus ultimus Imperator, avus meus, per se, vel per alium vel alios fecit, præstitit, promisit, concessit, & confirmavit: nec-

nec non & omnia alia juramenta, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes & confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & assumpti ad Imperium, sive etiam non assumpti, sive ante quam assumerentur, sive post per se, vel per alios Summis Pontificibus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu eorum alteri, per se vel per alios recipientibus seu recipienti, reperientur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet concessisse.

Item promitto & juro, quod omnes processus factos, & quaslibet sententias latas, & quæcunque alia, quocunque nomine censeantur, Romæ, seu ubicunque alibi gesta per Ludovicum de Bavaria, per Ecclesiam de hæresi & schismate justo judicio condemnatum, ac privatum omni jure, si quod per electionem in Regem Romanorum de ipso factam ei fuerat acquisitum seu per alios ejus nomine, vel auctoritate sub Imperiali titulo, quem sibi usurpavit indebite; nec non & omnia, quæ per se, seu alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub Regali nomine, & cætera etiam omnia ubicunque gesta ab eo per se, vel alium, quæ ex defectu jurisdictionis, vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse, ac cassa & irrita pronunciabo & declarabo; illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullando, & penitus revocando.

Item promitto & juro, quod si contingat, me eligi, ut præfertur, non occupabo, nec recipiam, nec acquiram, nec quovis modo usurpabo, Romam, aut provincias, Ducatus, Comitatus, Ferrariam, civitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam mediate vel immediate spectantia in Italia, vel ubilibet extra Italiam, sicut est Comitatus Veneysini, qui ad Romanam Ecclesiam pleno jure noscitur pertinere, & plura etiam alia, ad eandem Ecclesiam pertinentia extra Italiam constituta: & specialiter nec Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ de directo dominio, jure & feudo ejusdem Romanæ Ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda seu quælibet alia loca, ad eandem Ecclesiam mediate vel immediate spectantia; nec jura, personas, vel res aliquas in eisdem; nec aliquibus invadentibus seu occupantibus, vel quovis modo usurpantibus, seu invadere, occupare, vel quomodolibet usurpare tentantibus, seu volentibus prædicta Regna Siciliæ, Sardiniæ vel Corsicæ, seu Romam, ac Provincias, Ducatus, Comitatus, Ferrariam, civitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam Ecclesiam mediate vel immediate spectantia, sive sint intra Italiam, sive extra Italiam, seu aliqua prædictorum non juvabo, nec eis adhærebo, nec etiam ipsis dabo aliqualiter auxilium, consilium vel favorem; quinimo quoscunque invadentes, occupantes, seu quomodolibet usurpantes, seu invadere, occupare vel usurpare volentes, seu attentantes dicta Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, & urbem Romanam, ac Ducatus, Comitatus, Provincias, civitates, castra & terras, seu quævis alia loca Romanæ Ecclesiæ, vel aliqua ex eisdem, retraham & impediam posse meo, eisdem cum armis me opponendo, & ne conatus talium effectum habeat, cum tota mea potentia resistendo: ac vobis & Ecclesiæ Romanæ pro defensione regnorum, provinciarum, & terrarum & locorum prædictorum, contra quoscunque occupatores, invasores, seu occupare, invadere, seu usurpare attentantes, fideliter assistendo; nec dabo, nec concedam ullo unquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliquid de prædictis sub colore, conditione vel titulo quibuscunque: quodque prædictam Romanam Ecclesiam, aut vos Dominum nostrum Papam, seu Successores vestros, vel officiales, ministros, vasallos & subditos vestros, non inquietabo, vel quomodolibet molestabo in dictis Regnis Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, nec in urbe Romana, terris, provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, castris, oppidis & aliis terris & territoriis supradictis, seu aliqua prædictorum: sed nec extra loca prædicta, ratione quorumlibet delictorum, vel excessuum, in locis eisdem commissorum vel committendorum, aliquem vel aliquos puniam, vel alias persequar, nisi hoc ad me pertineret, de jure ex alia ratione, quam territorii, cum territorii ratione hoc ad Regem vel Imperatorem Romanum, quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere: & hoc casu promitto & juro, quod tales contra justitiam non gravabo, nec eis in casu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum, aut ministros, vasallos & subditos eorundem in Regnis prædictis, seu pro eis, vel qualibet eorum parte aliquatenus manifestabo: nec aliquod dominium, jurisdictionem, superioritatem, servitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium, quocunque nomine censeatur, accipiam vel vendicabo, vel per me, vel per alios exercebo in prædictis Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, oppidis, castris, villis, terris & territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem vel advocationem aliquam quovis modo recipiam per me, vel alium seu alios pro me in Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, oppidis, castris, terris & territoriis supradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuslibet rebus vel juribus in præmissis Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris & territoriis supradictis, vel in eorum, seu aliquibus pertinentiis constitutis, etiam si mihi a quibuslibet communitatibus vel personis singularibus offerrentur: nec jus etiam aliud qualecunque vendicabo, acquiram, vel occupabo, seu quomodolibet per me, vel alium seu alios usurpabo, recipiam vel exercebo, nec concedam etiam recipi vel haberi in Roma, Regnis, Veneysino, Provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris, territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem; & specialiter in provinciis, civitatibus, terris & locis expressis in quibusdam literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius est insertus.

Ad evitandam quoque occasionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum, promitto ut supra, quod ante diem, mihi pro coronatione mea Imperiali præfigendam, non ingrediar urbem Romanam: quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, Imperialem recipiam coronam; & quod sive illa die, sive vere ac legitime impeditus die alia recipiam coronam, ipsa die, quo coronam hujusmodi recepero, dictam urbem, vero ac le-

ac legitimo impedimento ceſſante, exibo cum tota etiam, quantum in me fuerit, gente mea: & ceſſante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diætis extra totam terram Romanæ Eccleſiæ me recto greſſu transferam verſus terras Imperio ſubjectas, nunquam poſtmodum ad urbem, regna prædicta Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, provincias, civitates, vel alias terras Romanæ Eccleſiæ, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, acceſſurus. Juro quoque ſuper Sancta DEI Evangelia, per me corporaliter manu tacta, quod ſuper his vel eorum aliquo nullum impedimentum fingam aut præſtabo, aut fingi, aut præſtari per alium vel alios, quantum in me fuerit, permittam. Item promitto, quod contra prædicta, vel eorum aliquod nullatenus per me vel alios veniam, etſi contrarium quovis modo contingeret fieri per me vel alios meo nomine quandocunque ſtatim cum hoc ad meam notitiam deductum fuerit, illud revocabo, & faciam, quantum in me fuerit, effectualiter revocari, & pro non facto volo & decerno haberi, & etiam reputari.

Item ſi per præfatum quondam Dominum Henricum Imperatorem avum meum, vel per jam dictum Ludovicum, ſeu per quemcunque alium ſeu alios ipſorum, vel alterius eorum nomine ſeu auctoritate, aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum aut rerum, vel aliqua ad jurisdictionem pertinentia, attentata in Roma, regnis, provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus immediate vel mediate ſubjectis, promitto & juro, quod illa omnia decernam & pronunciabo eſſe nulla: quodque ſi aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, advocationes, occupationes, ſeu conceſſiones qualescunque, a prædictis Domino Henrico & Ludovico, vel eorum altero per ſe vel alium, ſeu alios factæ fuerint, vel receptæ pro Roma, regnis, provinciis, Ducatibus, Comitatibus, civitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris & territoriis ſupradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus vel juribus in eis vel ſub eis etiam conſtitutis a quibuscunque univerſitatibus vel perſonis ſingularibus quovis modo, illa omnia nulla fore pronunciabo, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter revocabo, & etiam pro non factis volo & decernam haberi. Item promitto & juro, quod ſi in Regem Romanorum aſſumptus fuero, ad Imperium poſtmodum aſſumendus, antequam ingrediar partes Italiæ, & antequam in eis vel de eis per me vel alium ſeu alios aliquid diſponam, aut quomodolibet adminiſtrem, apud Sanctitatem veſtram prædictam, & Sedem Apoſtolicam, approbationem perſonæ meæ, & cætera, quæ electus in Regem Romanorum promovendus in Imperatorem habet proſequi, proſequar cum effectu.

Item promitto, & juro, quod quandocunque poſt approbationem prædictam in Lombardiam & Tuſciam, vel earum alteram aliquem vel aliquos mittam pro terris & juribus Imperii gubernandis, quotiens illum vel illos transmittam, faciam eum & eos jurare, ut adjutor, vel adjutores Domini Papæ ſint ad defendendum terram Sancti Petri & Romanam Eccleſiam ſecundum ſuum poſſe. Item promitto & juro, quod ſi contingat me eligi, ut præfertur, infra octo dies, electionem meam immediate ſequentes, omnes ſupradictas & infraſcriptas promiſſiones & juramenta renovabo, & iterum faciam plene, ſingulariter, & expreſſe, videlicet quod omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta per me promiſſa, & per me præſtito juramento vallata, poſt approbationem meam, per Sedem Apoſtolicam factam, bona fide & inviolabiliter obſervabo, faciam, implebo, & integraliter attendam juxta præſentium continentiam, & tenorem: quodque cum mittam ad Sedem Apoſtolicam pro dicta mea approbatione habenda, mittam etiam ad Sedem eandem certos procuratores meos cum pleno, ſufficienti, expreſſo ac ſpeciali mandato de omnibus promiſſionibus, conceſſionibus, donationibus, & omnibus etiam aliis ſupradictis, vobis nomine veſtro, & Eccleſiæ Romanæ recipientibus, per eos pro me ac meo nomine faciendis: qui procuratores meo nomine omnes promiſſiones, conceſſiones, donationes, & omnia alia ſupraſcripta & infraſcripta in præſentia plene & ſpecifice faciant, & adimpleant, & adimplere & facere teneantur: & poſt approbationem prædictam infra octo dies, ex quo de approbatione ipſa literas apoſtolicas recepero, omnia & ſingula per eosdem procuratores, ut præmittitur, meo nomine facta expreſſe & ſingulariter approbabo, ratificabo, & per me ipſum etiam renovabo, & iterum faciam hæc de novo: & nihilominus poſt conſecrationem & coronationem meam imperialem infra octo dies, conſecrationem, & coronationem eandem immediate ſequentes, pro majori firmitate omnium prædictorum ipſa omnia & ſingula ratificabo & etiam renovabo ſingulariter & expreſſe: & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & pro qualibet vice de prædictis juxta præmiſſam diſtinctionem temporum dabo *literas meas quadruplicatas* ejusdem tenoris patentes & ſufficientes, ac ſigillo, quo dictis utar temporibus, communitas.

Item ſuper ſancta DEI Evangelia corporaliter manu tacta, juro, quod nullam omnino promiſſionem, nullum pactum, nullumque juramentum, nec aliquid aliud feci, per quod præmiſſis, vel eorum alicui poſſit in aliquo quomodolibet derogari. Et nihilominus ſuper ſancta DEI Evangelia corporaliter manu tacta juro, præmiſſa omnia & ſingula me facturum & completurum, & nullo unquam tempore per me, vel alios contra illa, vel aliquod de illis quovis modo venturum. Et ſi (quod abſit,) contingeret me facere, dicere, promittere, vel jurare aliqua vel aliquid, quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſent quomodolibet obviare, vel me ad aliquid ſecus agendum inducere, vel mihi occaſionem agendi contra prædicta, vel eorum aliquod quomodolibet miniſtrare; nihilominus, illis nequaquam obſtantibus, prædicta omnia & ſingula complebo, & inviolabiliter obſervabo, & ad ea complenda & inviolabiliter obſervanda ex promiſſionibus & juramentis præmiſſis ſemper me volo remanere efficaciter obligatum. Et ex nunc etiam atteſtor & proteſtor, me velle & intelligere præmiſſa omnia & ſingula ſic excluſa fore ab omnibus factis & promiſſionibus ac juramentis ſpecialibus & generalibus, per me quomodolibet faciendis, per quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occaſione mihi nullo modo liceat, licereve poſſit

mutare

mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea vel aliquod de eisdem.

Promitto etiam bona fide, quod intrusos in Ecclesiis infra prædicta Regnum & imperium consistentibus, & qui eas contra jus & libertatem, superioritatem, & auctoritatem Ecclesiæ Romanæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, si super hoc per vos, Dominum nostrum Papam, vel Sedem Apostolicam fuero requisitus, expellam ac pro posse faciam expelli de illis; & provisos per Sedem Apostolicam juvabo & faciam juvari, ut ad Ecclesias, quibus de eis per Sedem Apostolicam provisum est, vel fuit in futurum, realiter admittantur, suisque juribus libere uti possint. Tenor autem supradictarum literarum Domini quondam Henrici Imperatoris sequitur sub his verbis: Sanctissimo &c. Ferventi &c. Datum Lausanæ Anno MCCCX. *Inserta sunt ea literæ loco convenienti:* confirmatis vero sponsionibus de tuendis Ecclesiæ juribus, quæ in iis literis continentur, subdit Boemus Rex.

Sane quia ego Johannes, DEI gratia Rex Boemiæ, præmissa omnia & singula, in præsentibus literis contenta, per dictum Carolum, filium meum, Marchionem Moraviæ, promissa & jurata, ipsis per me plenius intellectis, reputo & credo utilia, licita & honesta, & ob hoc per ipsum Carolum, si in Romanorum Regem assumtus fuerit, desiderio compleri, & irrefragabiliter observari, in ejusdem Sanctitatis vestræ præsentia pariter constitutus, vobis nomine vestro & Romanæ Ecclesiæ, ac omnium in præsentibus literis expressorum, ac omnium aliorum, quorum interest, vel intererit, seu interesse poterit in futurum, recipientibus promitto, & super sancta DEI Evangelia corporaliter manu tacta juro, me toto posse meo facturum & curaturum bona fide, quod præfatus Carolus omnia & singula, per eum in literis suprascriptis promissa & jurata, plene, realiter & inviolabiliter faciet & complebit, & quod contra ea, vel eorum aliquod non faciet per se, vel alium quovis modo: & si secus agi contingeret, illud pro posse procurabo ad statum debitum celeriter revocari.

Quibus notis & literis Imperialibus, ut præmittitur, lectis & publicatis, præfati Domini Marchio primus omnia & singula in prima nota & literis Imperialibus, & subsequenter dictus Dominus Rex omnia & singula contenta in secunda nota gratis & sponte promiserunt, & ad sancta DEI Evangelia, tacto libro, ipsorum quilibet juraverunt, se tenere & complere omnia & singula contenta in notis & Imperialibus literis prædictis suo posse, prout in ipsis plenius continentur. Et nihilominus promiserunt præfati Dominus Rex & Marchio, & ipsorum quilibet, nobis Notariis publicis infrascriptis tanquam publicis personis stipulantibus & recipientibus pro omnibus & nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit in futurum omnia & singula suprascripta per ipsos promissa, & jurata plene, & integre, & inviolabiliter observare, perficere, & complere, & in contrarium aliqualiter non venire. De quibus omnibus & singulis sic promissis & juratis præfatus Dominus noster Papa mandavit, & præfati Domini Rex & Marchio requisiverunt per nos subscriptos Notarios fieri unum, duo, vel plura publica Instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, Pontificatu, mense, die, & loco prædictis, & præsentibus supradictis Dominis Cardinalibus, nec non venerabili patre Domino Gasberto, Narbonensi Archiepiscopo, Domini Papæ Camerario, nobili & potenti viro Domino Guillelmo Rogerii vice Comite Bellifortis, Dominis Bernardo, Stephani, Raymundo de Valle Notariis Domini Nostri Papæ. Gasberto de septem fontibus Canonico Ilerdensi, Nicolao, Decano Olomucensi, Nicolao de Lucemburgo, præposito Sacezensi, Pragensis Diœcesis, Rodulfo Losse, Cantore Ecclesiæ Cardonensis, ad præmissa testibus vocatis & rogatis.

XLV.

Caroli IV. Romanorum Regis, Diploma, in quo Sedi Apostolicæ omnia a Romanis Imperatoribus atque Regibus indulta Privilegia, interposito jurejurando, confirmavit, d. d. 5. Kalend. Maji, Anno 1347.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XLVII. Indictione XV. die XXVII. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Clementis, Divina providentia Papæ VI. Anno V. in præsentia mei Notarii Publici, & testium infrascriptorum personaliter constitutus venerabilis & discretus vir, Magister Geraldus de Magnaco, Archidiaconus de Balthesio, in Ecclesia Constantiensi, ejusdem Domini Papæ Capellanus, cum ea, qua decuit, reverentia, dedit, præsentavit & assignavit Serenissimo Principi & Domino, Domino Carolo, DEI gratia Romanorum Regi, semper Augusto, & Boëmiæ Regi, cum reverentia debita recipienti ejusdem Domini Regis approbationis literas Apostolicas, vera dicti Domini Papæ bulla plumbea in filis sericis more Romanæ curiæ bullatas, quarum principium tale est:

Clemens Episcopus servus servorum DEI charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex, cui Rex æternus & summus in personam Beati Petri Apostoli, æternæ vitæ clavigeri, cœlestis simul & terreni jura imperii & plenitudinem potestatis concessit supra cunctos &c. Finis vero ipsarum talis est: Ad cœlestis & æterni Regni provehi gloriam merearis. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc &c. Datum Avinione VIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno V.

Post quarum literarum præsentationem & receptionem, ut præmittitur, reverendus idem Magister Geraldus mandavit, & fecit ibidem, præsentibus infrascriptis testibus per me subscriptis Notarium legi quasdam alias literas Apostolicas in chordula canapis more Romanæ curiæ juxta modum prætactum bullatas: in quibus sibi, ut prima facie apparebat, mandabatur, quod certas a præfato Domino Rege promissiones, juramenta, & concessiones reciperet juxta earundem literarum Apostolicarum

carum continentiam & tenorem. Quarum literarum auctoritate dictus Magister Geraldus ibidem, secundum formam mandati hujusmodi super præstandis & faciendis promissionibus, juramentis, & concessionibus eisdem, prædictum Dominum Regem attentius requisivit. Qui quidem Dominus Rex ad requisitionem hujusmodi ibidem in instanti reverenter & devote in manibus antedicti Magistri Geraldi de Magnaco, supradicti Domini Papæ, Successorum suorum, Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ nomine recipientis, omnes & singulas promissiones, juramenta, & concessiones infrascriptas sigillatim & specifice, tactis corporaliter Sacrosanctis Evangeliis, renovavit, fecit, præstitit, approbavit, ratificavit & confirmavit per omnia in hæc verba:

Sanctissimo in Christo Patri & Domino suo, Domino Clementi, Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Boëmiæ Rex, cum reverentia debita, & devota pedum oscula beatorum.

Summis & ferventibus desideriis in spiritu humili cupientes Sanctitatis vestræ pedibus & Apostolicæ Sedi toto corde & animo zelum nostræ reverentiæ, fidei & devotionis offerre, vestris sanctis dispositionibus, monitis, exhortationibus & mandatis Nos pro totis viribus coaptando reverenter & devote, in manibus discreti viri Magistri Geraldi de Magnaco, Archidiaconi de Balthesio, in Ecclesia Constantiensi Capellani vestri vestro, Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ nomine, de mandato vestro speciali eidem super hoc facto recipientis, promissiones, juramenta, & concessiones omnes & singulas infrascriptas sigillatim & specifice, tactis Sacrosanctis Evangeliis, renovavimus, & renovamus, fecimus & denuo facimus, præstitimus, & præstamus, approbavimus & approbamus, ratificavimus & ratificamus. Et primo facimus, præstamus, concedimus, & promittimus omnia juramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, confirmationes, & cætera omnia quæ claræ memoriæ Dominus Henricus ultimus Imperator, avus noster, per se, vel per alium, seu per alios fecit, præstitit, promisit, concessit, & confirmavit: necnon & omnia alia juramenta, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, & confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Rom. & assumti ad imperium, sive etiam non assumti, sive antequam assumerentur, sive post, per se vel alios Summis Pontificibus, & S. Romanæ Ecclesiæ, seu eorum alteri per se, vel per alios reperirentur suis temporibus præstitisse, fecisse, & confirmasse, seu quomodolibet concessisse. Item omnes processus factos, & quaslibet sententias latas, & quæcunque alia, quocumque nomine censeantur, Romæ seu ubicumque alibi gesta per Ludovicum de Bavaria, per Ecclesiam de hæresi & schismate justo judicio condemnatum, ac privatum omni jure, si quod per electionem in Regem Romanorum de ipso factam, ei fuerat acquisitum, seu per alios ejus nomine vel auctoritate sub Imperiali titulo, quem sibi indebite usurpavit; nec non & omnia, quæ per se vel alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub Regali nomine, & cætera etiam omnia ubicunque gesta ab eo per se vel alium, quæ ex defectu jurisdictionis vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse, ac cassa & irrita pronunciamus & declaramus: illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullamus, & penitus in his scriptis revocamus.

Item promittimus, & ad sancta DEI Evangelia corporaliter per Nos tacta juramus, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quovis modo usurpabimus Romam aut Provincias, Ducatus, Marchionatum Anconitanum, Ferrariam, civitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria, vel loca Ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam mediate vel immediate spectantia, in Italia vel ubilibet extra Italiam, sicut est Comitatus Venaysini, qui ad Romanam Ecclesiam pleno jure noscitur pertinere, & plura etiam alia ad eandem Ecclesiam pertinentia extra Italiam constituta, & specialiter, nec Regna Siciliæ Sardiniæ & Corsicæ, quæ de dominio directo, jure & feudo ejusdem Romanæ Ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda, seu quælibet alia loca ad eandem Ecclesiam mediate vel immediate spectantia: nec jura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec aliquibus invadentibus seu occupantibus, vel quomodolibet usurpantibus, seu invadere, occupare, vel quomodolibet usurpare attentantibus, seu volentibus prædicta Regna Siciliæ, Sardiniæ vel Corsicæ, seu Romam, aut Provincias, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Ferrariam, civitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam Ecclesiam, mediate vel immediate spectantia, sive sint intra Italiam, sive extra Italiam, seu aliqua prædictorum, adhærebimus, nec ipsis etiam dabimus aliqualiter auxilium, consilium vel favorem: quinimo quoscunque invadentes, occupantes, seu quomodolibet usurpantes, seu invadere, occupare seu usurpare volentes, vel attentantes dicta Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, & urbem Romanam, & Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Provincias, Ferrariam, civitates, castra & terras, seu quævis alia loca Romanæ Ecclesiæ, vel aliqua ex eisdem retrahemus & impediemus pro posse nostro, eisdem Nos cum armis opponendo: & ne conatus talem effectum habeat cum tota potentia nostra resistendo: ac vobis & Ecclesiæ Romanæ pro defensione Regnorum, Provinciarum, terrarum & locorum prædictorum contra quoscunque occupatores, invasores & usurpatores, seu occupare, invadere vel usurpare attentantes fideliter assistendo.

Nec dabimus, nec concedemus ullo unquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliquid de prædictis sub colore, conditione vel titulo quibuscunque: quodque prædictam Romanam Ecclesiam, aut Vos Dominum nostrum Papam, seu Successores vestros, vel officiales, ministros, vasallos & subditos vestros non inquietabimus, vel quomodolibet molestabimus in dictis Regnis Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ; nec in urbe Romana, terris, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ferraria, civitatibus, castris, oppidis, & aliis terris & territoriis supradictis, seu aliquo prædictorum; sed nec etiam ratione quorumlibet delictorum vel excessuum, in locis eisdem commissorum vel committendorum aliquem vel aliquos puniemus, vel alias persequemur, nisi

nisi hoc ad Nos de jure pertineret ex alia ratione quam territorii, cum territorii ratione hoc ad Regem vel Imperatorem Romanorum, quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere. Et hoc casu promittimus & juramus ut supra, quod tales contra justitiam non gravabimus, nec eis in casu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum, aut ministros, vasallos & subditos eorundem in Regnis prædictis, seu pro eis vel qualibet eorum parte aliquatenus molestabimus.

Nec aliquod Dominium, jurisdictionem, superioritatem, servitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium, quocunque nomine censeatur, accipiemus, vel vendicabimus, vel per Nos, vel per alios exercebimus in prædictis Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ferraria, civitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem; nec etiam fidelitatem, recognitionem, vel advocationem aliquam quovis modo recipiemus per Nos, vel alium seu alios pro seu in Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ferraria, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territoriis supradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuslibet rebus vel juribus, in præmissis Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ferraria, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris & territoriis supradictis, vel in eorum aliquo seu aliquibus, pertinentiis constitutis; etiam si Nobis a quibuslibet communitatibus, vel personis singularibus offerrentur: nec jus etiam aliud qualecunque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, seu quomodolibet per Nos vel alium seu alios usurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi vel haberi in Roma, Regnis, Venaysino, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ferraria, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem; & specialiter in Provinciis, civitatibus, terris, & locis expressis in quibusdam literis dicti quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius est insertus.

Ad evitandum quoque occasionem veniendi contra prædicta vel aliquod prædictorum, promittimus ut supra, quod ante diem Nobis pro coronatione nostra Imperiali præfigendam non ingrediemur urbem Romanam: quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, Imperialem recipiemus coronam; & quod sive illa die, sive vere & legitime impediti die alia dictam recipiemus coronam, ipsa die, qua coronam hujusmodi receperimus, dictam urbem, vero & legitimo impedimento cessante, inde exibimus cum tota etiam, quantum in nobis fuerit, gente nostra: & cessante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diætis extra totam terram Romanæ Ecclesiæ Nos recto gressu transferemus versus terras Imperio subjectas, nunquam postmodum ad Urbem, Regna prædicta Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, Provincias, civitates, vel alias terras Romanæ Ecclesiæ, nisi de speciali licentia Sedis Apostolicæ, accessuri.

Juramus quoque super sancta DEI Evangelia, per Nos corporaliter manu tacta, quod super his vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præstabimus, aut fingi præstari per alium, vel alios, quantum in nobis fuerit, permittemus.

Item promittimus, quod contra prædicta vel eorum aliquod nullatenus per Nos vel alios veniemus; & si contrarium quovis modo contingeret fieri per Nos vel alios nostri nomine quandocunque, statim cum hoc ad nostram notitiam deductum fuerit, illud revocabimus, & faciemus, quantum in Nobis fuerit, effectualiter revocari, & pro non facto volumus & decernimus haberi & etiam reputari.

Item si per præfatum quondam Henricum Imperatorem avum nostrum, vel per jam dictum Ludovicum, seu per quemcunque alium, seu alios ipsorum vel alterius eorum nomine seu auctoritate aliquæ sententiæ fuerint promulgatæ, seu processus aliqui facti, seu arrestationes personarum aut rerum, vel aliqua ad jurisdictionem pertinentia attentata in Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, civitatibus, mediate vel immediate subjectis; illa omnia decernimus, & in his scriptis pronunciamus esse nulla: quodque si aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, advocationes, occupationes, seu concessiones qualescunque a prædictis Henrico & Ludovico, vel eorum altero per se vel alium seu alios factæ fuerint vel receptæ pro Roma, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, civitatibus, oppidis, castris, locis, terris & territoriis supradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus, vel juribus, in eis vel sub eis etiam constitutis, a quibuscunque universitatibus, vel personis singularibus quovis modo; illa omnia fore nulla pronunciamus, & quatenus processerunt de facto, totaliter revocamus, & etiam pro non factis volumus & decernimus haberi.

Item promittimus & juramus, quod quandocunque in Lombardiam & Tusciam vel earum alteram aliquem, vel aliquos mittimus pro terris, & juribus imperii gubernandis, quoties illum vel illos transmittemus, faciemus eum & eos jurare, ut adjutor vel adjutores Domini Papæ sint ad defendendum terram Sancti Petri & Romanæ Ecclesiæ secundum suum posse.

Item promittimus & juramus, ut supra, quod omnia & singula suprascripta & infrascripta per Nos promissa, & per Nos præstito juramento vallata, bona fide & inviolabiliter observabimus, faciemus, & implebimus, & integraliter attendemus juxta præsentium continentiam & tenorem. Et nihilominus ipsa omnia & singula post inunctionem, consecrationem, & coronationem Imperialem infra octo dies inunctionem, consecrationem, & coronationem eandem immediate sequentes pro majori firmitate omnium prædictorum ipsa omnia & singula ratificabimus & renovabimus singulariter & expresse: & super præmissis omnibus & singulis dabimus literas nostras quadruplicatas ejusdem tenoris patentes, & sufficientes, Imperialis Majestatis typario communitas.

Item supra Sancta DEI Evangelia corporaliter manu tacta juramus, quod nullam omnino promissionem, nullum pactum, nullumque juramentum, nec aliquid aliud faciemus, per quod præmissis vel eorum alicui possit in aliquo quomodolibet derogari. Et nihilominus super sancta DEI Evangelia corporaliter manu tacta juramus, præmissa omnia & singula Nos facturos & completuros, & nullo

 unquam

unquam tempore per Nos vel alios contra illa, vel aliquod de illis venturos: &, ſi (quod abſit) contigerit Nos facere, dicere, promittere vel jurare aliqua vel aliquod, quæ præmiſſis vel eorum alicui poſſent quomodolibet obviare, vel Nos, vel aliquem ad aliquod ſecus agendum inducere, vel Nobis occaſionem agendi contra prædicta vel eorum aliquod quomodolibet miniſtrare; nihilominus illis nequaquam obſtantibus prædicta omnia & ſingula complebimus, & inviolabiliter obſervabimus, & ad ea complenda & inviolabiliter obſervanda ex promiſſionibus & juramentis præmiſſis ſemper Nos volumus remanere efficaciter obligatos. Et ex nunc etiam atteſtamur & proteſtamur, Nos velle & intelligere præmiſſa omnia & ſingula ſic excluſa fore ab omnibus factis & promiſſionibus ac juramentis ſpecialibus & generalibus, per Nos quomodolibet faciendis, per quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occaſione Nobis ullo modo liceat, licereve poſſit mutare aliquid in præmiſſis, vel facere contra ea vel aliquid de eiſdem. Promittimus etiam bona fide, quod intruſos in Eccleſiis, infra prædicta Regnum & Imperium conſiſtentibus, & qui eas contra jus & libertatem, ſuperioritatem & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, ſi ſuper hoc per vos Dominum noſtrum Papam, vel Sedem Apoſtolicam fuerimus requiſiti, expellemus & pro poſſe faciemus expelli de illis: & proviſos per Sedem Apoſtolicam juvabimus & faciemus juvari, ut ad Eccleſias, quibus de eis per Sedem Apoſtolicam proviſum eſt, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, ſuiſque juribus libere uti poſſint. Tenor autem ſupradictarum literarum quondam Henrici Imperatoris ſequitur ſub his verbis:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo Clementi, Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, cum reverentia debita pedum oſcula beatorum.

Dudum antequam ſuſceperimus Imperii diadema in humilitatis ſpiritu &c. Confirmatiſque ſingulis ſponſionibus in iis contentis, ſubjungit Carolus:

Item Nos Carolus, Rex Romanorum prædictus, quia per claræ memoriæ Henricum, ultimum Imperatorem, avum noſtrum, ſeu auctoritate ipſius plures proceſſus facti fuiſſe, & etiam plures ſententiæ capitales, & proſcriptiones bonorum, & aliarum pœnarum & mulctarum diverſarum inflictiones diverſis temporibus promulgatæ fuiſſe dicantur tam contra claræ memoriæ Robertum, Regem Siciliæ, quam contra quondam Joannem, Ducem Duratii, Regis ejusdem germanum, ac etiam contra vaſallos & alios eidem Regi immediate vel mediate ſubjectos Regni Siciliæ, & Comitatus Provinciæ, & aliarum terrarum Regis ejusdem, quam contra nonnullos cives & incolas civitatis Romanæ; nec non contra civitates & commune Florentiæ, ac poteſtates, capitaneos, officiales, miniſtros, & nonnullas ſingulares ejusdem civitatis perſonas, ac etiam contra alias civitates & loca, & contra nonnullas perſonas ſingulares, quæ quidem civitates & perſonæ tempore dicti Henrici adhæſerunt Regi præfato; omnes hujusmodi proceſſus & ſententias, propter quoſcunque etiam & qualeſcunque exceſſus, inobedientias, rebelliones, & injurias ipſi proceſſus facti & ſententiæ promulgatæ fuerunt, quatenus proceſſerunt, revocamus, & eos, & effectum eorum annullamus & tollimus in totum; & quicquid etiam ex eis ſecutum eſt, vel ob eos, & inſuper omnes exceſſus, rebelliones, inobedientias, injurias & offenſas, qui vel quæ commiſſi ſeu commiſſæ fuerunt per Regem & alios ſupradictos vel ipſorum aliquem vel aliquos & per civitates, communitates & loca prædicta in partibus Italiæ contra præfatum Henricum, vel ſuos officiales, ſeu contra Imperium quovis modo, in quantum proceſſerunt, & ad Nos & Imperium pertinere poſſunt; remittimus & tollimus, & penitus abolemus, & in integrum adverſus prædicta ſtatuimus omnes & ſingulos ſupraſcriptos, ac civitates, communitates & loca prædicta ſic, quod illorum occaſione vel cauſa ipſi vel Succeſſores eorum non poſſint per Nos, aut noſtros quoslibet Succeſſores vel per alios noſtro vel eorundem Succeſſorum nomine ullo unquam tempore impeti, ſeu inquietari, vel etiam quomodolibet moleſtari: nec Succeſſores dicti Regis Siciliæ ratione vel occaſione cujuscunque commiſſionis, confiſcationis, ſeu incurſus, ſeu ex quavis alia cauſa pro præterito tempore ſuper Comitatibus Provinciæ, Forcalquerii, & Pedemontis, inquietabimus, moleſtabimus, nec aliquod jus in eis, vel aliquo eorum vendicabimus ob præmiſſa vel aliqua eorundem.

Item ob reverentiam veſtri Domini Noſtri Papæ, & propter etiam bonum pacis, vobis Domino Noſtro Papæ concedimus irrevocabiliter, & damus per præſentes plenam & liberam poteſtatem quitandi & remittendi omnibus civitatibus & Communitatibus quorumcunque locorum omnium partium Italiæ; nec non & quibuslibet perſonis ſingularibus partium earundem, cujuscunque ſtatus aut conditionis exiſtant, omnes injurias, rebelliones, inobedientias & offenſas commiſſas hactenus quandocunque & quomodocunque contra Imperium & Reges ac Imperatores Romanorum, ſeu officiales, miniſtros, vel gentes eorum, ac etiam proceſſus quoscunque & ſententias inde ſecutas, quatenus ad Reges & Imperatores eoſdem, qui fuerunt pro tempore, pertinuit cognitio & punitio prædictorum, & ad Nos illorum proſecutio juri Regni vel Imperii poterunt pertinere, tollendi, caſſandi, revocandi, & totaliter annullandi; pœnasque quaslibet corporum & bonorum, mulctas etiam & infamias, a jure vel homine illorum exceſſuum occaſione vel cauſa inflictas, vel infligi poſſibiles in futurum remittendi & penitus abolendi, & contra prædictos exceſſus, proceſſus, ſententias, pœnas, & infamias hujusmodi in integrum reſtituendi, & alias de illis & ſuper illis omnibus & ſingulis, quandocunque & quomodocunque vobis placuerit, inſimul vel diviſim per vos vel alium ordinandi & diſponendi alte & baſſe pro libito voluntatis, quidquid placuerit Sanctitati veſtræ, & hoc in ſcriptis vel ſine ſcriptis, Nobis etiam abſentibus & non vocatis, nec alio quocunque pro Nobis nec etiam requiſitis. Ratum quoque & gratum per Nos, & pro ſucceſſoribus noſtris habituri promittimus quidquid ſuper præmiſſis, & eo-

rum

rum quolibet per Sanctitatem vestram remissum, sublatum, cassatum, annullatum, revocatum, restitutum, & abolitum fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & super hoc sufficientes juxta voluntatem vestram patentes vobis concedemus literas, nostro munitas sigillo, quoties per vos super hoc fuerimus requisiti. Potestatem autem præmissam durare volumus per annum integrum, computandum a tempore, quo potestatem hujusmodi vobis concesserimus, & Nos ejusdem concessionis potestatis literas fecerimus assignari: eo tamen adjecto, quod, si post approbationem prædictam, durante anno prædicto, illi vel aliqui ex eis, de quibus præmittitur, Nobiscum amicabiliter convenirent, possimus eis, vel pro eis remissionem ac alia prædicta facere, concessione Sanctitatis prædictæ super his facta nequaquam obstante: quæ tamen in suo pleno effectu remaneat quoad omnia alia, de quibus sic non duxerimus ordinandum.

Item cum, sicut est per diversas orbis partes longe lateque diffusum & notum, ac etiam divulgatum, Ludovicus de Bavaria propter multiplices graves, execrabiles & enormes, atque notorios ejus excessus, offensiones, injurias, rebelliones, contumacias & contemptus, ac hæreses & schismata, aliaque nonnulla detestabilia crimina notorie commissa per eum, ac exigentibus suis demeritis & culpis horrendis, fuerit & sit per Sedem Apostolicam pluribus, variis & diversis excommunicationum & anathematum, ac aliis pœnis & sententiis innodatus, ac omni jure, si quod unquam sibi in Regno & Imperio Romanorum competere potuisset, nec non omnibus feudis, quæ tunc a Romana, vel aliis Ecclesiis, vel dicto Imperio obtinebat, & specialiter Ducatu Bavariæ, ac etiam bonis aliis suis omnibus mobilibus & immobilibus, juribus & jurisdictionibus, privatus perpetuo, justitia suadente, ac de hæresi & schismate & aliis diversis criminibus & excessibus condemnatus, ac hæreticus & schismaticus publice nuntiatus; & propterea in pœnas & sententias diversas, tam in processibus dictæ Sedis hujusmodi occasione habitis contra eum contentas, quam in jure contra tales inflictas incidisse, & eas omnino incurrisse, sit & fuerit declaratus, ac etiam Christi fidelibus expositus impugnandus; Nos tanquam devotus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filius, verusque cultor Catholicæ fidei, obstinatam & perniciosam nimiam Ludovici præfati pertinaciam & perfidiam abhorrentes, & consultius attendentes processus Sedis ejusdem, ut præmittitur, habitos contra eum; & considerantes etiam, quod hæretici & schismatici sunt, a Catholicis pro viribus expugnandi, & quod eisdem fidelibus non licet cum ipsis hæreticis vel schismaticis amicitias, societates, confœderationes, pactiones, colligationes vel ligas aliquas facere vel habere; ob zelum DEI & ejusdem fidei, ac ad honorem ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris nostræ, & ob devotionem, quam habemus ad ipsam, ac etiam conscientia merito Nos urgente intendentes; Ludovicum præfatum juxta ipsorum processuum seriem, prout Nobis erit possibile, impugnare bona fide promittimus, & ad sancta DEI Evangelia per Nos corporaliter sponte tacta juramus, quod, quandiu idem Ludovicus in hujusmodi perfidia, hæresi, schismate, pertinacia, excessibus & criminibus permanebit: & quandiu subjacebit pœnis & sententiis supradictis, & quandiu erit extra gratiam dictæ Sedis, nullam amicitiam, societatem, confœderationem, pactionem, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & si aliquas hactenus fecissemus, eis de cætero non utemur.

Item promittimus & juramus, quod nullam parentelam, consanguinitatem vel affinitatem cum Ludovico præfato, nec matrimonium, vel sponsalia aliqua, aut parentelam, consanguinitatem vel affinitatem cum aliquo, vel aliqua, seu aliquibus ab eodem Ludovico per masculinam vel fœmininam lineam descendentibus, contrahemus, Romano Pontifice inconsulto, & absque ipsius Sedis licentia speciali: nec eidem Ludovico consilium, auxilium vel favorem impendemus per Nos vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte; quinimo eundem Ludovicum juxta eorundem processuum continentiam totis nostris viribus impugnabimus & persequemur, & super his faciemus totaliter, realiter & efficaciter posse nostrum. Quæ quidem omnia & singula ex causis prædictis, & ob eas modo prædicto recta & pura fide, sine omni dolo & fraude promittimus, & ad sancta DEI Evangelia corporaliter sponte tacta juramus, Nos efficaciter servaturos & completuros toto posse: & quod contra præmissa vel eorum aliqua per Nos, vel alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione, occasione vel causa, ingenio vel colore, nullatenus veniemus. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam præsentes scribi literas, & Regiæ Majestatis sigillo fecimus communiri; promittentes & obligantes Nos cum omni efficacia & effectu, quod post Imperialis diadematis coronationem susceptam prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, & faciemus & servabimus atque jurabimus: & de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum seriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem & cautelam vestram & Successorum vestrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, Imperialis Majestatis typario communitas. Datum Tridentini V. Kal. Maji, Anno Domini M.CCC. XLVII. Regnorum vero nostrorum anno I.

XLVI.

Venditio Avenionis, per Johannam, Siciliæ Reginam, cum a Clemente VI. Pontifice Maximo, ejus Procurator ipsius emendi potestatem obtinuisset, Sedi Romanæ facta, d. d. 12. Junii, Anno 1358.

In nomine Domini Amen. Universis præsentes literas seu præsens Instrumentum publicum inspecturis, Johanna Dei gratia Hierusalem & Siciliæ Regina, Provinciæ & Forcalquerii Comitissa, & Domina Civitatis Avenionensis, salutem & præsentibus perpetuam dare fidem. Notum facimus, quod in præ-

in præsentia Notariorum publicorum infra scriptorum, ad & proxime infra scripta coram Nobis accersitorum specialiter & vocatorum personaliter existentes, gratis, sponte & non coacta, non seducta, nec ab aliquo in aliquo circumventa, sed ex mera libera & spontanea animi voluntate nostra super hoc ducta, & ex certa nostra scientia, de & cum voluntate & consensu illustrissimi Viri, Domini Ludovici de Tharenta, Comitis Provinciæ, legitimi viri & mariti nostri, ad hæc præsentis & ad infra scripta licentiam & autoritatem, si & quatenus in hac parte indigemus, Nobis super omnibus & singulis sequentibus præstantis; vendimus, cedimus, concedimus, ac ad perpetuum quittamus pro Nobis & hæredibus ac successoribus nostris quibuscunque sanctissimo & beatissimo Patri, Domino Clementi, divina providentia Papæ VI. sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Romanæ, venerabili viro Magistro Guilielmo de Malesicco, Clerico Cameræ ipsius Domini nostri Papæ, ac Procuratori in hac parte per eundem Dominum nostrum Papam, tam pro se, quam etiam nomine dictæ Romanæ Ecclesiæ ad hæc legitime constituto, ibidem præsenti & recipienti; ac pro ipso Domino nostro Papa, ejus successoribus, ac Ecclesia memoratis super singulis infra scriptis solemniter stipulanti; ac in ipsos Dominum sanctissimum Pontificem, ejus successores, & Ecclesiam prælibatam, titulo procuratorio perpetuæ venditionis transferimus irrevocabiliter pleno jure ad habendum, tenendum, & perpetuo ac pacifice possidendum per dictum Dominum nostram Papam & ejus successores ac Romanam Ecclesiam supradictam & aliter, ad faciendum eorum omnimodam voluntatem, videlicet, civitatem nostrem Avenionensem cum toto territorio & confinibus, quæ prætenduntur intra territoria & confinia castrorum ad pontem Forgiæ & de Vedena Castrinovi, & de Cavismontibus ex parte una, & Comitatum Venessim ex alia, & territoria Castrinovarum, Castri Reynardi & de Berbentina ex alia; & territoria Castrorum Rupemauræ & Podii alti, Rupe fortis de Sado, & de termino ac flumine Rhodani, quantum ad Nos spectat secundum confinia & limites civitatis ejusdem ac territorii ipsius & reliqua; ac cum omnibus & singulis villis, castris, Burgis, locis adjacentibus, pertinentiis & sequelis universis, hominibus, Vasallis, Emphiteutis, nomine - - - homagiis, feudis, retrofeudis, fortalitiis, ingressibus & egressibus, ac omni dominio, & omni jurisdictione & justitia alta, media & bassa, mero & mixto imperio, superioritate, omnique actione reali & personali ad Nos pertinentibus ratione prædictæ Civitatis Avenionensis & aliorum præmissorum, vel alicujus ex his infra fines territorii & districtus ipsius Civitatis consistentium; & cum omnibus & singulis censibus, reditibus, residentiis, juribus, deveriis, honoribus, servitiis, emolumentis & explectis, quos, quas & quæ habemus & habere possumus & debemus, quoquo modo ea ad nos spectant & pertinent, quacunque causa seu ratione in civitate prædicta ejusque territorio & districtu ac pertinentiis eorundem; nihil actionis, petitionis, possessionis, proprietatis, dominii, jurisdictionis, meri & mixti imperii, honoris, ressorti, superioritatis, servitutis, emolumenti seu explecti, seu cujuscunque alicujus juris Nobis seu successoribus nostris in prædictis seu prædictorum aliquo penitus retinendo; pro pretio videlicet octuaginta millium florenorum de Florentia, boni & legitimi ponderis.

2. Quos quidem octuaginta mille florenos auri Nos dicta Regina venditrix recognoscimus publice & in veritate legitime confitemur, Nos habuisse & recepisse plenarie & integre pro pretio antedicto, per manum reverendi Patris in Christo Domini Stephani, Dei gratia Episcopi S. Pontii, thesaurarii Camerarii ejusdem Domini nostri Papæ & Apostolicæ Sedis, in bona & electa pecunia numerata. Et de quo quidem pretio præfatum Dominum Papam & ejus Successores atque Ecclesiam Romanam pro Nobis, hæredibus & Successoribus nostris in perpetuum solvimus, quittamus omnino, cum pacto solemni & valido per Nos super hoc interposito, de ulterius ab eisdem Domino Papa, ejus Successoribus & Ecclesia Romana, causa vel ratione hujusmodi aliquid non petendo. Cujusmodi pecuniam Nos dicta Regina recognoscimus in evidentem utilitatem nostram, ac pro necessariis & utilibus negotiis fuisse conversam.

3. Et ex nunc quicquid dicta Civitas Avenionensis cum ejus territorio, pertinentiis & districtu, juribus supra dictis plus valet seu in futurum plus valebit pretio ante dicto; considerantes quod secundum Apostolum verba Domini Jesu memorantem, beatius est dare, quam accipere; ideo præfato Domino summo Pontifici & dicto ejus Procuratori recipienti & stipulanti ut supra, ac dictæ Ecclesiæ Romanæ ex certa scientia, donatione pura, simplici, et irrevocabili facta, cum insinuatione præsentium solemniter inter vivos totum illud plus meliori modo & forma, quibus possumus, damus, cedimus, concedimus ad perpetuum, ac penitus quittamus & donamus.

4. Cedentes nihilominus & quittantes Nos dicta Johanna Regina prædicta sanctissimo Patri & Domino nostro Papæ, ejus Successoribus, ac Romanæ Ecclesiæ prælibatæ, ac in eos transferentes titulo & causa prædictis, perpetuo, totaliter, pleno jure, omnia jura, nomina & actiones quascunque, & quicquid juris, actionis, jurisdictionis, dominii, meri et mixti imperii, honoris, superioritatis, resorti, census, reditus, residentiæ, servitii, emolumenti et explecti, proprietatum, cognitionis, possessionis et deverii habemus, habere debemus & possumus, quacunque causa seu ratione in dicta civitate Avenionensi, ejusque territorio ac districtu, villis, Burgis, locis, adjacentiis, confinibus, sequelis et pertinentiis eorundem; ratione Civitatis Avenionensis, ac in et cum hominibus, Vasallis, subditis nostris, civitatis, territorii et districtus ipsius, cujuscunque conditionis existant, nec non ordines, actiones reales et personales, mixtas, utiles, prætorias ac civiles, Nobis et nostris immediate competentibus et competituris in præmissis omnibus et singulis; ac contra quascunque personas, ratione et occasione promissorum seu alicujus ex eis.

5. Ac insuper prædictum Dominum nostrum sanctissimum Pontificem, ejusque Successores ac Romanam Ecclesiam memoratos ex nunc facimus et constituimus in omnibus et singulis prædictis, veros Dominos proprietarios, possessores, procuratores, actores ut in rem suam propriam, devestientes Nos

do

de civitate prædicta, ejusque territorio, districtu, pertinentiis et sequelis, ac omnibus aliis, universis et singulis, sicut præmittitur, per Nos venditis perpetuo et quittatis, et de omni jure Nobis et nostris in præsenti et in futurum quomodolibet competenti et competituro in eisdem; præfatum Dominum nostrum Papam in personam dicti Procuratoris sui ibidem præsentis et recipientis, ac vice, loco, nomine et autoritate ipsorum Domini nostri Papæ, ejus Successorum et Ecclesiæ Romanæ in hac parte solemniter stipulantium, per traditionem annuli nostri de eisdem liberaliter investimus; constituentes Nos nihilominus et nunc præmissa omnia et singula sic per Nos vendita, ut præfertur, ipsius Domini nostri Papæ et ejus Successorum, et Ecclesiæ Romanæ precario nomine et vice, et non aliter nec alias Nos a modo tenere, et etiam possidere, donec possessio vel quasi dictæ Civitatis fuerit per ipsum Dominum nostrum Papam, vel ejus Successorem, vel alium seu alios nomine ipsorum realiter apprehensa; dantes et concedentes plenariam et liberam potestatem memorato Domino nostro Papæ, a modo per se vel alium seu alios dictæ civitatis et territorii ac districtus, villarum, locorum, homagiorum, recognitionum, et aliorum præmissorum, juriumque et pertinentiarum eorundem, possessionem vel quasi pacificam, liberam et quietam, autoritate propria, quandocunque voluerit, apprehendendi, et perpetuo penes se retinendi.

6. Mandantes nihilominus per præsentes, hominibus et Vasallis, emphyteutis ac subditis universis & singulis prædictæ civitatis & ejus territorii, mandamenti & districtus, pertinentiarumque ejus, cujuscunque fuerint conditionis, ut a modo eidem Domino nostro Papæ, ejusque Successoribus ac Ecclesiæ Romanæ prælibatæ respondeant, pareant, obediant efficaciter & intendant tanquam vero Domino Civitatis ejusdem, territorii, districtus, pertinentiarumque ipsius, ac cum ipso, ejusque Successoribus & Ecclesia Romana, prædicta deinceps in omnibus & per omnia perpetuo sequantur. Et prædictos Vasallos, emphiteutas, homines et subditos cujuscunque conditionis existant, a sacramento fidelitatis et ab aliis juribus quibuscunque, ad quæ Nobis ratione dictæ civitatis et territorii, districtus et pertinentiarum ejusdem, quoquo modo, sive ratione eorum, quæ tenent infra civitatem, territorium seu districtum ejusdem ex quacunque causa tenebantur ac teneri possunt et debent, ex nunc pro Nobis et nostris prædictis, solvimus, liberamus penitus, perpetuo, atque quittamus, cum pacto valido et solenni per Nos super hoc legitime interposito, de ulterius aliquid ab eis seu eorum aliquo modo a modo in perpetuum non petendo; quod si faceremus (quod absit) volumus non audiri aliquatenus, nec admitti, imo perpetuum silentium Nobis et nostris prædictis Successoribus imponimus in hac parte.

7. Promittimusque insuper Nos dicta Johanna Regina præfato Domino Papæ et ejus Procuratori prædicto pro ipso Domino ac ejus Successoribus et Ecclesia prædicta super hoc stipulanti stipulatione solemniter interposita: prædicta omnia et singula, sicut prædicitur, per Nos eis vendita, tam in possessione, quam in proprietate legitime, defendere, et perpetuo guarentire, et ea in pace tenere ab omnibus, et contra omnes, et ab omni Domino, dominio, communi, collegio, universitate, lite, quæstione, causa, calumnia, brigua, controversia, saisina, evictione universali et particulari, amparamento, perturbatione et alio impedimento quocunque. Promittimus etiam (ut supra) litem, debatum seu controversiam non facere aut fieri permittere aut procurare in futurum, per Nos vel alium seu alios contra Dominum Romanum Pontificem memoratum, qui nunc est, et qui pro tempore erit, seu Ecclesiam Romanam prædictam, aut eorum gentes vel Officiales quoscunque, quoquo modo ratione præmissorum seu aliquo eorundem, causa vel occasione quacunque, imo omnem causam, litem, briguam seu controversiam, si quæ in posterum moverentur per aliquem seu aliquos, contra prædictum Dominum Papam seu ejus Successores ac Ecclesiam Romanam, ratione præmissorum, seu aliquorum ex eis in Nos totaliter assumere, et in expensis nostris propriis, ac sine ipsius Domini ejusque Successorum ac Ecclesiæ Romanæ aliquibus custibus et expensis usque ad finem debitum prosequi et finire, nihilominusque ea omnia et singula damna et interesse pariter et expensas, quæ et quas memoratus Dominus Papa seu ejus Successores, aut Ecclesia Romana ob eam causam et defectum guarantiæ hujusmodi quomodolibet facerent seu substinerent in futurum, promittemus legitime et bona fide eidem Domino nostro et eidem Procuratori, ut supra, stipulanti, reddere, solvere, emendare, refundere et resarcire omnino, idque simplici verbo etiam Domino Papæ seu ejus Successoribus de damnis, interesse et expensis hujusmodi stare, credere efficaciter et parere, ut sufficienti probationi; non obstante jure dicente, quod aliquis in causa sua propria judex, testis, et arbiter esse nequit, cui juri certioratæ ei expresse renunciamus in hac parte.

8. Cæterum Nos dicta Regina certificata prius legitime, quid sonant renunciationes sequentes, et de effectibus earum, renunciamus deliberate et consulte, ac expresse omni exceptioni doli, fraudis, læsionis et venditionis exceptæ per Nos, sicut præmittitur, de prædictis non factæ, non habitæ, nec receptæ per Nos; nec numeratæ pecuniæ ob causam prædictam et omni speciei numerationis et exceptionis futurorum, actioni et exceptioni in factum, et juri, per quod læsis et deceptis ultra dimidium justi pretii vel aliter quomodolibet subvenitur, beneficio minoris ætatis, et restitutioni in integrum, si Nobis forsan competeret in hac parte; et *L. Juliæ de Fundo dotali non alienando*, et omni alii juri et privilegio in favorem mulierum introducto quomodolibet et introducendo, et omnibus juris legibus, authenticis, et glossis in toto corpore utriusque juris Canonici et civilis contentis, statutis et consuetudinibus patriæ sive loci quibuscunque, per quæ præsens venditio et donatio hujusmodi possent cassari, infringi, irritari et aliter quomodolibet annullari in totum, vel in aliqua parte sua etiam minima, de quibus in præsentibus literis seu Instrumento publico expressam oporteret fieri mentionem, et specialiter alii juri, per quod cassetur invalida renunciatio generalis, nisi quatenus in contractu esset expressa.

9. Pro quibus omnibus et singulis sicut præscriptum

ptum eſt tenendi per Nos et faciendis, complendis, attendendis et inviolabiliter obſervandis, Nos dicta Regina venditrix, hæredes & Succeſſores noſtros jure pignoris et hypothecæ obligamus, afficimus et adſtringimus, ac ſpecialiter et expreſſe Regna noſtra Hieruſalem et Siciliæ, Comitatus noſtros Provinciæ et Forcalquerii, et alias terras noſtras omnes et ſingulas ubicunque ſint & exiſtant, et omnia alia bona noſtra mobilia et immobilia præſentia et futura quocunque noſtro nomine dici poſſint; quæ quidem Regna, bona, terras et alia ſupra dicta conſtituimus Nos prædicto Domino Papæ emtori et Succeſſoribus, ac Eccleſiæ Romanæ prædictæ, precario nomine poſſidere, donec poſſeſſio dictæ Civitatis in ipſum Dominum Papam vel Succeſſores ſuos vel alium ſeu alios ejus et dictæ Eccleſiæ Romanæ nomine fuerit apprehenſa.

10. Præterea ſi aliquod dubium vel obſcurum eſſet, vel forſitan emergeret in futurum in & ſuper præmiſſis & ea tangentibus; Nos dicta Regina volumus, & ex certa ſcientia concedimus, quod ille dominus memoratus illud poſſit interpretari; cujus declarationem & intellectum haberi volumus pro voluntate noſtra, ac legis habere vigorem, efficaciamque perpetuam obtinere, perinde ac ſi ore noſtro proprio expreſſiſſemus.

11. Volumus etiam & concedimus, quod fiant ſuper his literæ aut Inſtrumenta ſigillo noſtro ſigillanda melioribus modo & forma, quibus fieri poterunt & dictari de & cum conſilio ſapientum, volentes & conſtituentes inſuper Nos ſupra dicta Regina, ſi, cum, quando & quotiens opus fuerit, Nos, hæredes & Succeſſores noſtros quoſcunque cogi & compelli ad obſervantiam omnium & ſingulorum prædictorum per Auditores, Viceauditores, Locumtenentes, Officiales & Commiſſarios Curiæ Domini noſtri Papæ, & per quaſcunque alias Eccleſiaſticas perſonas Eccleſiaſtica cenſura, & per brachium ſeculare ſtrictiori & firmiori modo, quo fieri poterit, conjunctim & diviſim, ſemel & pluries, uno & eodem tempore vel diverſim aut melius viſum fuerit expedire, & per ſolam exhibitionem ſeu oſtenſionem præſentium literarum.

12. Jurantes nihilominus Nos dicta Regina tactis ſacroſanctis Evangeliis manu noſtra contra præſentem venditionem & donationem ac contractum ratione minoris ætatis, vel alias ullatenus in poſterum non venire, nec aliquid per Nos vel alium ſeu alios facere vel procurare clam vel palam, directe vel indirecte, propter quod venditio, donatio, translatio, ceſſio & quittatio hujuſmodi poſſent aliquatenus vel in toto, vel in parte infirmari, vel etiam irritari.

13. Poſtquam in continenti Nos memorata Regina pro ſecuritate & cautela præfati ſanctiſſimi Domini noſtri Pontificis & Eccleſiæ Romanæ tenore præſentium facimus & conſtituimus Procuratores noſtros veros & legitimos in meliori forma, videlicet venerabiles viros & diſcretos Dominum Bernardum de Nexonia, Archidiaconum Antverpienſem in Eccleſia Cameracenſi; Præpoſitum & Sacriſtam Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Damno, Decanum & Sacriſtam Sancti Grigoli Avenjonenſis, Decanum Eccleſiæ Beatæ Mariæ Villænovæ Avenionenſis diœceſis, qui nunc ſunt, & qui pro tempore erunt; Magiſtrum Petrum de Menantio Cadurcenſem, & Guilielmum de Bordia Agennenſem Eccleſiarum Canonicos; & Johannem de Nayvaro, Licentiatum in Legibus, licet abſentes, tanquam præſentes, & eorum quemlibet in ſolidum, ita tamen, quod non ſit conditio melior occupantis, ſed quod per unum eorum inceptum fuerit, per alium ſeu alios eorundem proſequi & mediari valeat, & finiri; ad comparendum pro Nobis & noſtro nomine ad omnes dies, loca & horas, quandocunque, quotiescunque & ubicunque; ad confitendum & recognoſcendum coram dicto Auditore Curiæ Cameræ Domini noſtri Papæ, ejusque Locumtenente & Commiſſario quolibet ipſius, ſive judice vel judicibus aliis quibuscunque, & eorum quolibet; circa omnia & ſingula ſuper illis in præſenti Inſtrumento contenta; cum omnibus expenſis, damnis & intereſſe, ſi quæ eſſent vel fierent per ipſum Dominum noſtrum, ſeu ejus Succeſſores ac Romanam Eccleſiam in futurum, prout ſupra tactum eſt, occaſione præmiſſorum, & jurisdictione omnium & ſingulorum Judicum prorogandi; in quos & eorum quemlibet ex nunc, tanquam in proprios Judices, conſentimus, ut poſſint Nos & noſtros Succeſſores condemnare, mulctare & excommunicare, & omnem jurisdictionem pro præmiſſis in Nos ac noſtros prædictos exercere Eccleſiaſticam vel civilem; & ad ſubmittendum Nos, ſupra dictos hæredes ac Succeſſores, ac Regna noſtra quæcunque Eccleſiaſtico interdicto, & aliter Jurisdictioni & mero examini eorum, & cujuslibet eorundem; & ad audiendum & recipiendum pro Nobis & noſtro nomine, ac noſtro ſupra dictis omnem condemnationem, præceptum, monitionem, novumque terminum longum vel brevem, ac excommunicationis ſententiam in Nos & noſtros prædictos, & interdictum in ipſa Regna noſtra ac terras noſtras quæcunque & Comitatus prædictos; & alia remedia, quæ de jure poſſent ſuper hoc adhiberi; de omnibus & ſingulis ſupra dictis loco & tempore, per dictos judices, ſeu alterum eorundem; & ad volendum & conſentiendum, quod ipſe Auditor, Viceauditor, Locumtenens & Commiſſarius, & alii Judices in & contra Nos, hæredes & Succeſſores noſtros prædictos excommunicationis ſententiam ferant, ac in Regnis, Comitatibus, terris & aliis bonis noſtris ſupra dictis interdictum Eccleſiaſticum apponant, ac cenſuram Eccleſiaſticam aggravent & promulgent, & quoſcunque alios proceſſus faciant pro præmiſſis; & generaliter ad omnia talia & univerſa & ſingula & facienda & dicenda, quæ Nos faceremus & diceremus, ſi perſonaliter præſentes eſſemus; promittentes Nos dicta Regina Notariis Publicis infra ſcriptis & publicis perſonis, nec non dicto Procuratori ut ſupra ſtipulanti ſolemniter nomine illorum omnium, quorum intererit pro Nobis, ratum & gratum habituros, quicquid per dictos Procuratores noſtros aut eorum alterum actum, dictum, factum, recognitum, confeſſatum, ſubmiſſum, conceſſum, receptum, ſuſceptum & geſtum fuerit, vel alias quomodolibet procuratum; & eosdem Procuratores non revocare, imo præmiſſa omnia & ſingula tenere, & inviolabiliter obſervare, & contra non facere aliquatenus in poſterum, vel venire per Nos vel per interpoſitam perſonam,

sonam, sub omnium bonorum nostrorum præsentium & futurorum obligatione & hypotheca.

14. Cæterum Nos Ludovicus de Tharenta supra nominatus Comes Provinciæ, & maritus legitimus præfatæ Reginæ Comitissæque, omnibus universis & singulis, prout superius scripta sunt per eandem consortem nostram charissimam, de & cum licentia & autoritate nostra, assensu pariter & consensu per Nos eidem primitus in hac parte liberaliter præstatis & concessis, agerentur & fierent, ibidem in præsentia Notariorum publicorum ac testium infra scriptorum personaliter; & ea audientes, pleniusque intelligentes ac recognoscentes & confitentes publice & legitime penitus esse vera, sponte, provide, & scienter ac deliberate, consulte ac expresse in eisdem omnibus, universis & singulis nostrum liberum impartimur assensum pariter & consensum: & nihilominus ad instantiam & requestam præfatæ Reginæ Comitissæque, Consortis nostræ charissimæ, quantum in nobis est, & ad Nos pertinet, melioribus, jure, modo & forma, quibus possumus, eadem omnia, universa & singula ex certa scientia nostra laudamus, approbamus, omologamus, autorisamus & ratificamus expresse pro Nobis, ac hæredibus & successoribus nostris quibuscunque: & ea volumus valere & tenere ac habere perpetui roboris firmitatem: & in singulis prædictis Nos efficaciter obligamus sub omni juris & facti renunciatione pariter & cautela; eaque bona fide tenere promittimus & inviolabiliter observare, & contra in aliquo nunquam facere vel venire, ratione minoris ætatis vel aliter; seu aliquid attentare quoquo modo, nec contravenire volenti aliquatenus consentire, seu aliter dare opem, operam, consilium, auxilium vel favorem verbo vel facto per Nos, alium seu alios, clam vel palam, directe vel indirecte; sub bonorum nostrorum omnium præsentium & futurorum obligatione & hypotheca, Procuratore supra nominato ac Notariis infra scriptis vice & nomine dicti Domini nostri Papæ, & ejus Successoribus ac Ecclesia Romana prælibata super omnibus & singulis prædictis & infra scriptis solemniter stipulantibus in hac parte.

15. Et si forsitan aliquid contra prædicta seu aliqua ex eis (quod absit) in futurum Nos seu hæredes ac successores nostros facere vel attentare quoquomodo contingeret, volumus & expresse concedimus, Nos & hæredes nostros ac successores prædictos de evictione totali supra dicta Domino nostro Papæ præfato, ejusque successoribus ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ teneri omnino ex hoc totaliter repelli. Et insuper Nos Ludovicus Comes præfatus modo simili, quemadmodum prædicta Regina Comitissaque charissima consors nostra Cameræ Domini nostri Papæ & aliorum Judicum Ecclesiasticorum & secularium quorumcunque se supposuit ac voluit compelli per Auditores, Viceauditores, Locumtenentes & Commissarios eorundem, & per alios quoscunque Judices Ecclesiasticos & seculares, conjunctim & divisim, prout superius plenius habetur; Nos etiam pari modo & forma compulsioni & coërctioni prædictæ nos & nostros ante dictos atque terras nostras quascunque supponimus ac submittimus, & volumus per eosdem Auditores, Vice-Auditores, Locumtenentes, & Commissarios, & quoscunque alios prælibatos ac eorum quemlibet cogi & compelli. Et nihilominus ad actus omnes & singulos ad quemlibet eorum in solidum pro Nobis facimus & constituimus Procuratores nostros in meliori forma per præsentes, quos quidem Procuratores nostros promittimus, ut supra, nullatenus revocare, imo præmissa omnia atque singula servare sub bonorum nostrorum omnium præsentium & futurorum expressa obligatione.

16. In quorum omnium præmissorum nos Johanna, Regina Comitissaque, & Ludovicus Comes consortes præfati, præsentes literas seu præsens publicum Instrumentum fieri fecimus & mandavimus per Notarios publicos infra scriptos, ac sigillorum nostrorum una cum sigillis, signis & subscriptionibus solitis Notariorum eorundem, nostrum fecimus apponi sigillum. Acta vero fuerunt hæc Avenione in domo habitationis nostræ die 12. mensis Junii 1358. indictione prima, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ Clementis VI. anno septimo, præsentibus dicto reverendo in Christo Patre ac Domino, Stephano, Episcopo Sancti Pontii thesaurario ipsius Domini Papæ Camerario, Nicolao de Acherolio milite, & Johanne de Cerano Jurisperito in Legibus, Consiliariis nostris Reginæ & Comitis prædictorum; Magistris Bertrando de Channaco, Clerico Cameræ Apostolicæ Trivacensi (*forf.* Privacensi) & dictæ Johannæ Reginæ scriptore, Pœnitentiario Domini nostri Papæ ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

In Notarii Instrumento publicationem hujus contractus jussu Papæ factam complexo, ita describuntur sigilla, huic præsenti venditionis Instrumento adjecta.

(1) Instrumentum erat & est duobus sigillis integris, patentibus, cum cera rubea & duobus sericis cordulis pendentibus, uno rubeo & altero violato, sigillatum. Quorum sigillorum primum appensum in cordulo rubeo erat in prima facie approbatum Domini de Tharento, Mariti dictæ Dominæ Reginæ; & erat ab utraque parte impressatum: in cujus una parte apparebat unus scutus cum floribus lilii, & una linea sive barra transversans ipsum scutum; & desuper ipsam barram apparebant tres lambelli: quorum primus extenditur ultra primum caput ipsius barræ, & alius in una sui parte continuatur ipsi barræ, & tertius non attingit ipsam barram. Et extra ipsum scutum immediate erant quatuor parvæ figuræ hominum vel sanctorum ad invicem separatæ & differentes. Et inter dictas imagines & circumferentiam literarum ipsius sigilli erat unus laqueus sive lace, continens ipsum scutum & imagines. Et in ipsa circumferentia erant scripta quadam cruce pendente hæc verba: *Sigillum Justitiæ Curiæ Vicariæ Regni Siciliæ.*

(2) In alia vero parte ipsius sigilli apparebat in medio unus scutus cum floribus lilii, & una linea sive barra transversans ipsum scutum; & desuper tres lambelli & super rectum cornu ipsius scuti erat linea contigua cum flavello, partim cum floribus lilii; Ipsam galeam desuper cooperiente quodam capite avis cum collo in vertice ipsius galeæ existente. Et inter ipsum scutum & circumferentiam

tiam literarum erat unus laqueus five lace; & in quolibet latere ipsius laquei erat unus scutus parvus quadratus, quadam cruce in quolibet ipsorum scutorum existente; & inter lineas cujuslibet crucis erat una parva figura rotunda talis O O & in ipsa circumferentia quadam parva cruce pendente erant scripta hæc verba: *Mongoro Aloys de Thaventa*, & alia etiam quæ legi non poterant propter ruinam ipsius ceræ involutionis.

(3) Aliud vero ex dictis sigillis appensum in cordulo violato erat, & in eodem legebatur: *Illustrissima Domina Johanna Hierusalem & Siciliæ Regina*, in cujus quidem una parte erat imago Regis, more regali sedens in cathedra, coronam habens in capite, tenens in manu dextra quasi gremio prona fideum sive sceptrum regale cum uno flore lilii in ejus summitate, & in manu sinistra quasi brachio levato unum pomum rotundum; in cujus cathedræ pede erant duo leonis cicopatentis (*fors.* Monsignore Lois) & circumcirca ipsam imaginem erant flores lilii & crucis Provinciæ; & in eorum circumferentia partis ipsius sigilli erant descripta quadam cruce modica hæc verba: *Johanna DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Regina, Ducatus Apuliæ &c.* In alia vero parte ipsius sigilli erant quinque scuti modicum ad invicem distantes; qui scuti erant partiti; ex quorum cujuslibet parte dextera erat una crux magna, cum quatuor crucibus, & in parte sinistra erant flores lilii cum rastello seu lambellis desuper; & inter litteras in ipsius parte sigilli erant cruce præposita scripta hæc verba: *Principatus Capuæ, Provinciæ, Forcalquerii, ac Pedemontii Comitissa*

XLVII.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, omnium Privilegiorum, a Romanis Imperatoribus atque Regibus Sedi Apostolicæ indultorum, confirmatio, d. d. 3. Id. Aprilis, Anno 1368.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen.

CArolus IV. Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Literas celebris & recolendæ memoriæ Domini Henrici, Romanorum Imperatoris semper Augusti, avi & prædecessoris nostri charissimi, quas sacrosanctæ Sedi Apostolicæ deliberatæ provisionis officio erogasse noscitur, pro Sedis ipsius reverentia rite vidimus, ac ipsas de nostris imperialibus registris extrahi, & coram Nobis aperte legi mandavimus, quarum tenor per omnia sequitur in hæc verba:

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Clementi, Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Henricus, Divina favente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, cum reverentia debita pedum oscula beatorum. Dudum, antequam suscepimus Imperii diadema &c. (Subjicit Henrici Imperatoris literas Clementi V. postquam Romæ solemni ritu insignibus imperialibus fuit redimitus, transmissas anno hujus seculi duodecimo pridie nonas Julias Regni anno IV. Imperii I. Iis vero profitetur Henricus, ut nuncupati antea Sacramenti religione se exolvat, Imperii jam conscenso apice, omnia Ecclesiæ Romanæ jura confirmare, quæ cum primum Rex Romanorum est designatus, agnovisset; affertque in medium datas ea de re Lausannæ literas, transacto ante biennio, nimirum anno a Virginis partu millesimo trecentesimo decimo, V. Idus Octobris Regni anno II. His subdit Carolus.)

Verum quia propter absentiam Dominorum Summorum Pontificum partium Italiæ, ac etiam nostram multæ novitates in terris prædictæ Ecclesiæ ac terris nostris Romani Imperii sunt exortæ, multæque rebelliones factæ sunt hinc inde tam per populos terrarum prædictarum, quam etiam per tyrannos in illis partibus, quæ contra Romanam Ecclesiam & Imperium perperam rebellarunt post concessionem, & datam literarum prædictarum, cum tempore illo nullus Romanorum Pontificum, in partibus Italiæ fuerit commotus; & ideo propter lapsum temporis, novitatesque & rebelliones prædictas posset pro tempore de juribus Romanæ Ecclesiæ esse dissensio inter Romanum Pontificem, & occupatores terrarum prædictarum, ac eas in futurum occupare volentes; nec non quæstiones & scandala inter Romanam Ecclesiam & Imperium prætextu dictarum terrarum propter diversas adinventiones, opiniones, & oblocutiones æmulas tyrannorum, ac etiam rebellantium populorum posset futuris temporibus suboriri & etiam generari; Nos volentes prædictis obviare periculis, pacemque inter Romanam Ecclesiam & Imperium perpetuis temporibus nutrire ac etiam confovere, & omnia tollere, per quæ possit oriri dubietas occasione terrarum & provinciarum prædictarum, indemnitatique & securitati Romanæ Ecclesiæ providere, pro parte Domini Summi Pontificis super hoc per venerabilem Petrum de Casella, præpositum Nemausensem, Nuntium suum, cum instantia requisiti, quia tam per registra prædicta, de quibus tenorem dictarum literarum de verbo ad verbum extrahi, & superius inseri fecimus, quam per concessionem dicti Henrici avi & prædecessoris nostri factam Romano Pontifici, de qua Nobis est plenius facta fides, sumus de jure Romanæ Ecclesiæ plenarie informati, ideo dictas literas, & contenta in eis privilegia, provinciasque & terras in eis nominatas, & prout singulariter in eis describuntur, cum omnibus juribus & jurisdictionibus, limitibus, terminis & confinibus earundem ex certa scientia pro Nobis & Successoribus nostris ratificamus, & confirmamus, ac etiam innovamus, & ipsas recognoscimus ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ cum omni plenitudine pertinere. Et nihilominus de nostræ Imperialis Majestatis plenitudine dictam Marchiam Anconitanam cum omnibus civitatibus, terris, limitibus terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, Exarchatu Ravennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ, & Bertinorii Comitatibus, cum civitate Bononiensi, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem; vallem quoque, quæ Spoletana dicitur, sive Ducatum cum Comitatibus Perusii atque

que Castelli, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: Massam quoque, quæ Trabaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem; Patrimonium etiam Beati Petri in Tuscia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Urbis veteris, & Reate, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem; Comitatum quoque Sabinæ cum civitate Interamnensi cum arce Cæsarum & terra, quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, Comitatum quoque Campaniæ & Maritimæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem; nec non Romam & Ferrariam cum omnibus etiam civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem sententiamus, decernimus, pronunciamus, ac etiam declaramus & recognoscimus ad Romanam Ecclesiam, jusque, & proprietatem ac possessionem ipsius Ecclesiæ plenissimo jure spectare, ac omnimode pertinere.

Et insuper, sicut prædictus Henricus, avus & prædecessor noster ex abundanti dictas terras & Provincias donasse dicitur sanctæ Romanæ Ecclesiæ prælibatæ, propter multos curiosos in partibus Italiæ constitutos, qui inter se disceptant de his, quæ ad eos non pertinent, de juribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ & nostri Sacri Imperii contendentes, conantes (quantum in eis est) inter Dominum Summum Pontificem & Nos & Sacrum Imperium zizaniam & discordiam seminare, & etiam invenire, ut eorum rebelliones & malitias valeant palliare; ideo dictas Provincias, loca, civitates & terras, prout supra plenius declarantur, cum omnibus limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem, Romanæ Ecclesiæ, ac Domino nostro Urbano, Papæ V. ejusque Successoribus, Romanis Pontificibus, ex superabundanti quitamus libere & dimittimus, ac renunciamus omnino: nec non ad omnem scrupulum & ambiguitatis dubium removendum, prout melius & efficacius fieri & intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus & donamus de novo; promittentes & obligantes Nos (prout melius possumus) quod nullo unquam tempore occupabimus vel occupari (quantum in Nobis est) permittemus civitates, loca, castra, terras & provincias supradictas, vel aliquam ipsarum, aut earum partem, nec in ipsis, vel aliqua ipsarum aut earum parte jus aliquod reclamabimus in futurum, & omnia alia promittimus, quæ in prædictis literis Henrici per ipsum fuerunt commissa, & contra ipsa vel eorum aliqua non facere, vel attentare, aut venire per Nos, vel alium quomodolibet in futurum, quocunque colore quæsito, seu quacunque occasione captata; alias literas nostras quascunque sub quacunque verborum expressione super præmissis, vel aliquibus eorum alias per Nos datas, per concessionem præsentium nullatenus revocantes: immo ipsas in eorum vigore volumus penitus remanere. Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi & Boëmiæ Regis.

Testes hujus rei sunt venerabiles Albertus Pataviensis, Lambertus Spirensis, Joannes Brixinensis, Gerardus Nuemburgensis, & Otho Mindensis Ecclesiarum Episcopi; illustres Albertus & Leopoldus, fratres, Austriæ & Carinthiæ Duces, Joannes, Jodocus, ejus filii, Marchiones Moraviæ, spectabiles Joannes de Habesburg, Burchardus, Burgravius Magdeburgensis, Joannes & Burchardus de Rect, Comites &c. sub bulla aurea, typario Imperialis nostræ Majestatis impressa testimonio literarum. Datum Viennæ, Anno Domini MCCCLXVIII. Indictione VI. III. Idus Aprilis, Regnorum nostrorum anno XXII. Imperii vero XIV.

Ego Joannes, DEI gratia Olomucensis Episcopus, Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius, vice reverendi in Christo Patris, Domini Engelberti, Coloniensis Archiepiscopi, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarii, recognovi.

XLIIX.

Formula Juramenti, Eugenio IV. Pontifici Maximo, nec non Sedi Apostolicæ, a Sigismundo, Romanorum Imperatore, præstiti, d. d. ultim. Maji, Anno 1433.

Vobis sanctissimo Domino Eugenio Papæ IV. ac Summo Pontifici, Nos Sigismundus Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, annuente Domino futurus Imperator, nomine vestro, ac Ecclesiæ nomine recipientibus promittimus, & sanctis tactis Evangeliis juramento firmamus, quod Ecclesiam & fidem Catholicam pura fide totisque viribus conservabimus reverenter, ac etiam defendemus, omnemque hæresim, schisma, & hæreticos quoslibet, fautores, receptatores & defensores eorum exterminabimus pro posse, ac nunquam cum Saracenis, pagano, schismatico, seu alio quomodolibet communionem fidei non habente, aut cum aliquo alio prædictæ Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, unionem quamlibet, parentelam, aut confœderationem inibimus, sed tam vestram, quam Successorum vestrorum personas, honorem, & statum manutenebimus & defendemus, ac etiam conservabimus contra omnes homines, cujuscumque existant præeminentiæ, dignitatis, aut status, hoc etiam adjicientes juramento, quod Nos manutenebimus semper & servabimus privilegia omnia per prædecessores nostros, Reges ac Imperatores Romanorum, Romanæ Ecclesiæ & aliis quibuslibet Ecclesiis, quocumque concessa tempore, & continentiæ cujuscunque, ipsaque omnia & specialiter ac præcipue præclaræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Othonem IV. Fredericum II. atque Rodulphum, prædecessores nostros, præsertim super concessione, recognitione, advocatione, quietatione, & libera dimissione terrarum, & Provinciarum

rum Romanæ Ecclesiæ ubilibet positarum, Sedi Apostolicæ Romanisque Pontificibus sub quocumque tenore concessas, recognoscimus, confirmamus, & ex certa scientia innovamus, ac etiam de novo concedimus, & terras ipsas, ac Provincias recognoscimus ad jus & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissime pertinere, easque nihilominus ex abundanti de novo Ecclesiæ prædictæ donamus, sub prædicto Nos obligantes juramento, quod ipsas vel aliquam partem ipsarum nullo unquam tempore occupabimus, seu, quantum in Nobis erit, permittemus ab alio occupari, nec in eis, aut aliqua parte ipsarum jura aliqua, possessiones, aut tenutas habebimus, seu quomodolibet possidebimus, nec in eis potestariæ seu cujusvis capitaniæ officium aut jurisdictionem quamcumque per Nos, vel alium exercebimus; quodque, ut Princeps Catholicus & supradictæ Ecclesiæ Advocatus atque defensor, ipsam juvabimus, & consiliis ac auxiliis illi assistemus opportunis contra quoscumque inobedientes & rebelles eidem, & præcipue contra occupantes seu turbantes terras prædictas, seu provincias, vel partem quamlibet earundem. Sub eodem etiam promittimus juramento, quod tam ipsam Romanam, quam alias Ecclesias, libertatem ecclesiasticam, bona, jura, Prælatos & Ministros Ecclesiarum ipsarum manutenebimus, conservabimus & defendemus pro posse nostro; & quod Ecclesiæ Romanæ vasallos contra justitiam nullatenus offendemus; devotos ac fideles etiam Ecclesiæ in Imperio constitutos benigne tractabimus, nec eos contra justitiam opprimemus, sed in suis potius juribus & justitiis conservabimus. Sic nos DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia: & continuo suæ Sanctitati subjunximus juramentum in hac forma:

Ego Sigismundus, Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo & polliceor atque juro coram DEO & Beato Petro, me de cætero protectorem & defensorem fore Summi Pontificis, hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores & jura ejus, quantum divino fultus fuero adjutorio, secundum scire & posse meum recta & pura fide. Sic me DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia. Nos itaque Rex Sigismundus pro majori firmitate præmissorum hanc paginam jussimus typario aureæ bullæ nostræ communiri. Datum apud Sanctum Petrum in capella - - - Anno Domini M.CCCC. XXXIII. die ultima Maji, Regnorum nostrorum Anno Hungariæ &c. XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiæ XIII. Imperii vero I.

XLIX.

Conventio inter Alexandrum VI. Pontificem Maximum, atque Carolum IIX. Galliæ Regem, mens. Jun. Anno 1495. inita.

INprimis Papa remanebit bonus pater Regis, & Rex bonus filius Papæ.

Item, Papa contentus est, quod Cardinalis Valentinensis vadat in societate Regis, & permaneat quatuor menses & ultra, ad beneplacitum Regis.

Item Papa Turcum consignavit in manus Regis; & servabitur per Regem in Terracina.

Item Rex in reditu suo restituet Turcum Pontifici.

Item, Rex pollicetur Pontifici, si Turcus ei intulerit aliquod nocumentum, ipsum Pontificem juvare & defendere.

Item, promittit Rex Pontifici, quod faciet dare consensum Rhodianorum infra sex menses.

Item, Rex pro restitutionis securitate dabit Summo Pontifici obsides.

Item Pontifex semper recipiet tributum quadraginta millium Ducatorum consuetum per magnum Turcum mitti.

Item, Papa dabit Regi portum & roccam civitatis Vetulæ.

Item consentit Rex, quod ad urbem advehantur victualia, tam per Ostiam quam civitatem Vetulam, dummodo non veniant ex parte inimicorum.

Item, dabit Papa Regi Franciæ commissarios, ut eidem de viatico provideant per terras Ecclesiæ.

Item, omnia fortalitia & castra, & civitates Ecclesiæ Regi Franciæ aperientur, si contigerit ipsummet adire, donec in tuto fuerit.

Item, redeunte Rege restituentur Papæ omnia loca, infra quatuordecim dies post ejusdem Regis discessum.

Item, redeundo restituet Ostiam in manibus Cardinalis Sancti Petri ad vincula.

Item, civitas Vetula, & alia fortalitia remanebunt in potestate Regis pro securitate sua.

Item, Papa ignoscit omnibus, qui servierunt Regi, ut puta Aquapendentibus, Montisflaconensibus, Viterbiensibus, & aliis.

Item, Papa restituit ex nunc omnes Cardinales suis libertatibus, ea lege & conditione, quod ipsi deinceps sint fideles.

Item, Papa ignoscit & remittit Coloniensibus & de Sabellis.

Et Rex itidem ignoscit Ursinis, & Jacobo de Comitibus, ea conditione, quod restituat pecunias ab eodem Rege per eum receptas.

Item, Rex constituet Gubernatorem ad sui libitum in civitate Cesanatensi.

Item, Rex constituet locumtenentem legati in Marchia Anconitana ad sui beneplacitum.

Item, similiter in legatione patrimonii.

Item Rex constituet in Campania unum Cardinalem sibi amicum.

Item, Rex capit Dominum urbis Præfectum in sui protectionem, & permanebit idem præfectus in pristino statu & dignitate.

Item Dominus Cardinalis Sancti Petri ad vincula redintegratur in sua legatione Avinionensi.

Item Cardinalis Gurcensis recipiet emolumenta sui capelli, tam in absentia, quam in præsentia, permanebitque in pristina dignitate.

Item, Papa restituet Cardinalem de Sabellis in sua Legatione Spoleti.

Item, Papa restituet Colonienses & Sabellos, cum aliis amicis suis pristinis statibus.

Item, Papa absolvit Cardinales ab obligatione per

per eos facta in Conclavi, videlicet de non recedendo absque ejus licentia & consensu: & similiter a juramento ab eis præstito.

Item, Rex restituet Summo Pontifici urbem Romam cum clavibus & aliis munitionibus.

Item, Rex non requiret a Summo Pontifice Castrum Sancti Angeli.

Item, Rex præstabit Summo Pontifici obedientiam personalem.

Item, ipse Rex non offendet in aliquo Summum Pontificem, nec eidem aliquam injuriam inferet; & si quis eidem molestus fuerit, vel in aliquo læserit, tenebitur Rex ipsum defendere.

Item, pollicetur Summus Pontifex Regi securitatem, & a populo Romano personam Regiam, vel quenquam ex suis, in aliquo nec offendi nec læsum iri.

L.

Fœdus inter Julium II. Pontificem Maximum, Ferdinandum, Arragoniæ ac utriusque Siciliæ Regem, nec non Leonardam Lauredanum, Venetiarum Ducem, de recuperanda Bononiæ civitate, ictum, d. d. 4. Octobr. Anno 1511.

Julius Episcopus, servus servorum DEI.

CUm civitas nostra Bononiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta & ad eam pleno jure pertinens & spectans, quam a jugo tyrannidis quondam Johannis Bantivoli filiorumque ejus, magnis nostris laboribus & impensis liberaveramus & ad pacis tranquillitatem ac justitiæ cultum reduxeramus, opera nonnullorum perfidorum civium a nostra & ejusdem Ecclesiæ obedientia se subtraxerit & ad jugum pristinæ servitutis redacta sit, monitisque nostris paternis parere & ad solitam obedientiam redire contempnat: Nos considerantes quam periculosum nostro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ statui sit, civitatem tam insignem & opulentam a rebellibus nostris & hostibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detineri & occupari, & propterea pastorali hoc a Nobis officio exigente, desiderantes illam ad veram & immediatam obedientiam nostram & Apostolicæ Sedis reducere, statuimus recuperationem, tam civitatis prædictæ ejusque Comitatus & districtus, quam aliarum quarumque civitatum, terrarum, arcium, & locorum ad eandem Ecclesiam mediate vel immediate pertinentium & spectantium, a quocumque & qualitercumque occupantur, diutius non differre, quia tamen nostræ & Apostolicæ Sedis vires & facultates, adversariorum potentiæ, qui civitatem prædictam & alia loca Nobis & Ecclesiæ antedictæ, ut præfertur, indebite detinent occupata, pares non sunt, carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, Arragonum & utriusque Siciliæ Regem Catholicum, Administratorem Regnorum Castellæ & Legionis, nobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequentissimum filium, dilectumque filium Nobilem virum Leonardum Lauredanum, Ducem & Dominum Venetiarum in auxilium nostrum, pro recuperatione hujusmodi invocavimus, ut recuperatione ipsa facta, tranquilla pax toti Italiæ reddi, ac sancta & necessaria expeditio contra salutiferæ crucis hostes, in qua animus noster semper defixus est, & quam semper optavimus & quæsivimus in Concilio Generali per nos apud Lateranum indicto decerni possit: Agimus gratias omnipotenti DEO, quod Rex & Dux ac Dominium præfati, pro eorum eximia pietate singularique ad Nos & Apostolicam Sedem devotione se nobis pro recuperatione hujusmodi, defensione personæ nostræ, ac conservatione autoritatis, dignitatis, ac libertatis Apostolicæ sanctæ Sedis, unionique Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occasione sismatis tollendi affuturos benigne professi & polliciti sunt, prout ex auctenticis mandatis, eorum sigillis munitis, Oratoribus suis apud Nos & eandem Sedem agentibus, super hoc missis & recognitis constat, ac in illis plenius continetur, quorum mandatorum tenor est:

Inserantur hic de verbo ad verbum mandata Regis Catholici & Ducis Venetiarum.

Ad laudem igitur DEI Omnipotentis, Gloriosissimæque Genitricis semper Virginis Mariæ, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totiusque Curiæ cœlestis, exaltationem & incrementum Christianæ Religionis, ac pro recuperatione inclitæ Civitatis nostræ Bononiæ, aliarumque civitatum, arcium, terrarum & locorum ad Nos & sanctam Sedem Apostolicam, ut præfertur, pertinentium & spectantium, proque defensione personæ nostræ & conservatione dignitatis, auctoritatis & libertatis ejusdem sanctæ Sedis, ac unione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occasione sismatis, ut præfertur, tollendi, ad tractandum intelligentiam, ligam & confœderationem cum dilectis filiis, Hieronymo de Vich. milite, charissimi in Christo filii nostri, Ferdinandi, Regis Catholici, & Hieronymo Donato, Doctore, Ducis & Dominii Venetiarum prædictorum Oratoribus, nomine ac vice ipsorum Regis Catholici, & Ducis ac Dominii præsentibus & acceptantibus, devenimus, prout in infrascriptis Capitulis & eorum quolibet plenius continetur: Quorum Capitulorum tenor est:

In primis, quod præfatus Rex Catholicus mittere teneatur & debeat infra XX. dies, a publicatione hujusmodi fœderis & ligæ numerandos, Illustrissimum Dominum Don Raymondum de Cardona Vice-Regem Neapolitanum pro Capitaneo Generali totius ligæ, vel aliam personam idoneam per Majestatem suam deputandam & eligendam cum mille & ducentis Cathafractis, id est, equitibus gravioris armaturæ, & mille equitibus levioris, & decem mille peditibus Hispanis idoneis, militiæ apertis, atque decenter armis instructis cum artilliaria hujusmodi expeditioni necessaria, bene munita lapidibus, pulvere & omnibus aliis rebus opportunis, cui Capitaneo Generali tam gentes armigeri sanctissimi Domini Nostri, quam Ducis & Dominii Venetiarum parere debeant.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster pro subsidio hujus ligæ & fœderis mittere debeat & teneatur, sexcentos equites gravioris armaturæ, sub ductu Illustrissimi Domini Ducis Termularum, qui

Dux

Dux locum tenens seu Gubernator generalis totius exercitus Sanctitatis suæ nuncupetur & sit.

Item, quod illustrissimus Dominus Dux & Dominium Venetorum debeat habere copias suas tam equestres quam pedestres bene instructas & paratas cum necessaria artilliaria, ut hostes de tergo invadere possint eodem tempore quo Capitaneus generalis prædictus iter cum exercitu aggredietur pro recuperatione & rebus prædictis.

Item etiam quum majori obediendum est, viribus inimicorum occupantium & eorum qui hujusmodi ligæ & confœderationi opponere se voluerint, dictum Dominium teneatur & debeat classem suam mittere, & nunc saltem tot triremes viris & armis instructas, ac aliis necessariis munitas, quæ conjunctæ undecim triremibus, quas dictus Rex Catholicus pro hujusmodi expeditione habet, non solum resistere viribus inimicorum, ut præfertur, sed etiam invadere & offendere possint.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster & Dominium præfati pro subventione expensarum quæ in expeditione hujusmodi fient, solvere teneantur præfato Capitaneo Generali, in loco, ubi eum pro tempore esse contigerit, quadraginta millia Ducatorum boni auri & justi ponderis singulo mense, durante bello.

Item, quod præfatus Sanctissimus Dominus noster & Dominium Venetorum pro subventione hujusmodi ligæ & fœderis, ac celeriori expeditione teneantur & debeant die publicationis hujusmodi fœderis solvere præfato Capitaneo generali pro stipendio duorum mensium octoginta millia ducatorum auri similium, & idem Capitaneus cum exercitu, ut præfertur, ac opportuna artilliaria, infra XX. dies a publicatione hujusmodi ligæ & fœderis numerandos, castra movere & iter continuare ad expeditionem prædictam debeat.

Item, quod terminus solutionis stipendii prædicti pro duobus mensibus currere & incipere debeat a die, quo, ut præfertur, dictus Capitaneus ad expeditionem hujusmodi iter arripuerit cum numero equitum & peditum suprascripto ac sufficienti artilliaria.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster & Dominium antedicti debeant dare idoneos fidejussores Neapoli vel in Regno Siciliæ qui respondeant & solvere debeant dicto Capitaneo generali finitis dictis duobus mensibus pro quibus ei soluta fuerint octuaginta millia ducatorum auri, ut præfertur, ducatos auri quadraginta mille singulo mense quamdiu bellum, vel expeditio, duraverit, ut præfertur.

Item, quia æquum est & honestum, quod dictus Capitaneus generalis pro debito oneris sibi demandati etiam equites sexcentos Sanctissimi Domini nostri revidere possit, an sint armis & equis recte instructi, vel ne, initum est, quod pariter Sanctissimus Dominus noster unum Commissarium deputare debeat, qui numerum gentium armigerarum utriusque armaturæ ac peditum dicto Capitaneo, ut præfertur, commissarum recensere, ac gentes hujusmodi armigeras ac pedites, nec non artilliariam, si bene munita sit, semel saltem singulo mense, ne desint in numero prædicto, revidere possit.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster teneatur & debeat contra quoscumque quavis autoritate vel dignitate Ecclesiastica, vel mundana, etiam Regia fulgentes, & prædictos hujusmodi ligæ & fœderi se opponentes, eisque auxilium, consilium & favorem præstantes, tam in Italia quam extra, censuras & pœnas Ecclesiasticas fulminare & publicare, prout & quotiens opus fuerit.

Item, quod si alicui ex confœderatis post publicationem fœderis, & illius occasione per quemvis in jure seu bellum illatum fuerit, reliqui confœderati ei auxilio esse teneantur, principali tamen expeditione propter hoc non intermissa seu diminuta.

Item, quod si quis Rex, Principes, vel Potentatus, populus aut quivis alius se opponet hujusmodi ligæ ac fœderi, quominus Sanctissimus Dominus noster Bononiam ejusque Comitatum ac districtum, ac alias civitates, terras, urbes, arces, oppida & loca ad Sanctam Romanam Ecclesiam mediate vel immediate pertinentia & spectantia, a quocumque & quovis modo, ut præfertur, occupatas & occupata recuperare non possit, tunc & eo casu confœderati omnes contra talem sic se opponentem & resistentem teneantur & debeant, ac sint astricti jure ligæ hujusmodi & fœderis, omni conatu & aperto bello procedere ad capiendum talis sic se opponentis omnes civitates, terras, arces & loca, ac statum & Dominia quæ in Italia habet; & quod si talis sic se opponens occupet vel detineat aliquas civitates, terras, arces, oppida, & loca quæ ad aliquem confœderatorum pertineant & spectent, liceat ipsi confœderato illa, si recuperata fuerint, licite tenere & possidere & super hoc stetur declarationi Sanctissimi Domini nostri, de reliquis vero stetur ordinationi confœderatorum.

Item, si contingat, aliquem ex confœderatis aliquid capere extra Italiam, possit illud detinere jure belli, & tamen Sanctissimus Dominus noster extra Italiam aliquod præsidium dare non teneatur, nisi armis spiritualibus, ut præfertur.

Item, quod locus remaneat liber Serenissimo Maximiliano Imperatori semper Augusto, & cuicumque alii Regi & Principi Christiano ad effectum præmissorum ingrediendi hanc ligam effectus, teneanturque confœderati suos confœderatos & adhærentes intra quadraginta dies, a die publicationis ipsius fœderis numerandos, nominare, dummodo talis confœderatus seu adhærens nominandus, non sit mediate vel immediate subditus alicujus ex confœderatis.

Item, quod intelligatur liga & fœdus hujusmodi, in quantum dictum Regem Catholicum concernit, initum absque præjudicio rerum, quæ sunt inter Cæsaream Majestatem & Regem ipsum Catholicum, dummodo non sint contra tenorem capitulorum hujus fœderis & ligæ.

Item, quod liga & fœdus hujusmodi durare firmareque, & inviolabilis esse debeat, donec pax fiat de consensu omnium confœderatorum, & quod interim nullus ex confœderatis possit neque debeat quovis modo pacem, seu treugam cum aliquo Rege, Principe, potentatu, vel populo, qui eidem ligæ se opposuerit, inire sine consensu omnium confœderatorum.

Postremo, quod præfati, Serenissimus Rex Catholicus, ac Illustrissimus Dux & Dominium Venetiarum, Confœderati, ut præfertur, teneantur infra quadraginta dies proxime futuros omnia & singula in su-

in suprascriptis capitulis & eorum quolibet contenta, sub pœnis in Instrumento propterea conficiendo apponendis, ratificare, laudare & approbare, ac mandata seu literas approbationis & ratificationis hujusmodi in publica forma, eorumque sigillis munitas mittere cum omnibus juramentis, clausulis, submissionibus, obligationibus & cautelis in similibus necessariis, opportunis & consuetis.

Et quia omnia & singula in hujusmodi liga & confœderatione contenta, tractata & agitata fuerunt cum participatione & scitu Serenissimi Henrici, Regis Angliæ, qui nihil hactenus intactum obmisit, una cum Rege Catholico socero, pro pacifica restitutione Bononiæ & aliorum locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occupatorum, ut decet Christianum & optimum ac pium Regem, agente pro eo apud Sanctissimum Dominum nostrum, Reverendissimo Domino Christophoro, Eboracensi Cardinali Angliæ, qui de omnibus præmissis optime & particulariter instructus, mandatum concludendi dictam confœderationem indies expectat, sed quia propter locorum distantiam & non tutum transitum tabellariorum adhuc habere non potuit, & conclusio dicti fœderis minus differri potuit cum damno & periculo rerum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ideo visum est sanctissimo Domino nostro, & reliquis confœderatis non ulterius expectare mandatum Serenissimi Angliæ Regis, cum ejus optima & sanctissima intentio ac mens satis perspecta & cognita sit ejus Sanctitati, & cæteris confœderatis, sed interim concludere & exequi ea, quæ ad rem tam sanctam, tamque honestam, necessariam & piam concludenda sunt & exequenda, quæ, ut supra continentur, tractata, inita & conclusa fuerunt, reservato tamen præcipuo & honorificentissimo Majestati suæ loco, confœderationem & ligam hujusmodi aggrediendi: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die quarto Octobris, millesimo, quingentesimo undecimo, Pontificatus nostri anno octavo.

Subscriptio Capitulorum talis est:

Ita convenimus & promittimus.

Ita ut supra & nomine, quo supra, me obligo, ego *Hieronymus de Vich*, Orator, manu propria.

Ita ut supra & nomine, quo supra me obligo & promitto, ego *Hieronymus Donatus*, Orator, manu propria.

LI.

Bulla Leonis X. Pontificis Maximi, in lucem edita contra eos, qui Sacræ Romanæ Ecclesiæ terras atque loca vi invadunt, vel etiam occupant, ad eorum fautores atque complices insimul spectans, d. d. 8. Kalend. Junii, Anno 1515.

LEo Episcopus Servus Servorum DEI. Ad futuram rei memoriam. Inter graves solicitudines & curas, quibus pro Pastoralis officii, & Apostolicæ servitutis debito continue premimur, una est peculiaris, qua semper angimur, ut defensioni & custodiæ civitatum, & terrarum, & locorum Nobis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjectorum assidue invigilemus, ac ne perversorum temerariis ausibus a quibusvis gentium armorum ductoribus, qui sine justitiæ ministerio, sed hostili manu & propria temeritate procedunt, occupentur & dissipentur, omnibus remediis, & juris auxilio opportune prohibere, quod tanto periculosius negligitur, quanto exinde turbatio & confusio civitatum & terrarum Ecclesiastici status de facili causaretur, & Pontificialis auctoritas minueretur.

§. 1. Cum itaque opem & operam efficaces adhibere debeamus, ut omnes Christi fideles, præsertim in terris & locis Nobis, & dictæ Sedi mediate vel immediate subjectis existentes, sublatis quibuscumque armorum strepitibus & impedimentis, quiete & pacifice vivere valeant, omnibus juris remediis (ubi etiam perversorum audacia exigit, vibrato Apostolicæ potestatis mucrone) per censuras Ecclesiasticas providere volentes. Sane cum mente revolvimus, quot, & quantos labores fel. record. Julius Papa II. prædecessor noster pro recuperatione civitatum, terrarum, & locorum ad Romanam Ecclesiam canonico titulo pertinentium, quæ a diversis Ducibus, Principibus, & Potentatibus longo tempore occupata, & detenta fuerant, passus sit, præsertim cum adductus fuerit consilium capere de adeundis, per se ipsum visitandis & reformandis aliquibus Romanæ Ecclesiæ civitatibus, & illarum statu, assumptis etiam aliquibus copiis, ut contumaces compescere posset, iter matura deliberatione cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ipsis eum comitantibus, arripere, illaque felici & prospero successu, dextera Domini sibi etiam assistente, recuperaverit, & dictæ Romanæ Ecclesiæ reintegraverit.

§. 2. Nos etiam post nostram ad Summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumptionem, Parmam & Placentiam civitates, quibus Apostolica Sedes, ea tunc vacante, spoliata fuerat, summa diligentia restitui curavimus. Et omnia quæquæ per eundem Julium prædecessorem recuperata, pro nostro & dictæ Sedis honore, non minori diligentia, ac opportunis juris remediis conservare intendimus, quam idem Julius prædecessor, cum in humanis ageret, recuperare studuerit, animo etiam semper gessimus, Reges & Principes, ac potentatus, quos tempore assumptionis nostræ hujusmodi inter se bello dissidentes audivimus, non armis, sed concordia, eorum differentias & lites Domino concedente terminari, & inter fideles quaslibet controversias super quacumque etiam maximas importante re, via juris, & non armis decidi, & terminari, ipsaque arma Regum & Principum, ac Potentatuum prædictorum unanimi consensu contra immanissimos Christi nominis hostes ad fidei exaltationem converti, summo studio concupivimus.

§. 3. Et cum a quampluribus prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus constitutiones, diversas censuras & pœnas in se continentes contra occupantes civitates & terras, & loca hujusmodi, aut illa hostiliter invadentes emanaverint, & singulis annis censuræ hujusmodi contra talia præsumentes in die Cœnæ Domini innoventur; ea propter ne terrarum, aut locorum, ac jurium, seu bonorum Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ curam negligere videamur, nec non ad tollendam super præmissis ignorantiæ, aut cujuslibet alterius generis excusationem, omnes & singulas constitutiones, & literas Apostolicas, ac processus, qui singulis annis publice promulgantur in die Cœnæ Domini ex more Romanorum Pontificum, ac alias quascumque Constitutiones, seu Canonicas sanctiones quomodolibet editas, excommunicationis ac alias sententias, censuras & pœnas contra civitates, & terras, loca, & jura ad dictam Romanam Ecclesiam pertinentia occupantes, aut illa hostiliter invadentes, vel ad id per se, vel alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem, directe vel indirecte, aut alias quovis quæsito colore præstare præsumentes, cujuscumque ordinis, præeminentiæ & conditionis & status, etiamsi Cardinalatus, aut Patriarchali, Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, continentes approbamus & innovamus, illasque inviolabiliter observari debere decernimus.

§. 4. Ac omnes & singulos Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, ac Communitatum, universitatum tam in Italia quam extra Italiam existentium singulas personas, civitates, terras & loca, præsertim Parmam & Placentiam, ad dictam Romanam Ecclesiam mediate vel immediate pertinentia, seu in quarum vel quorum, aut cujuslibet earum, vel eorum possessione quomodolibet eadem Sancta Romana Ecclesia per se, vel alium exstiterit, hostiliter invadentes, aut alias cum gentibus armorum, aut stipendiariis equestribus, vel pedestribus, aut sine, etiam advocationem populorum, seu factionum, aut privatarum personarum, aut alias qualitercumque, & quomodocumque, & quovis quæsito colore, aut ingenio, absque nostra speciali licentia occupantes, nec non stipendiarios equestres, aut pedestres, quomodolibet contra præsentes literas nostras, & in eis contenta militantes, aut auxilium, consilium, vel favorem præstantes ex parte omnipotentis DEI Patris, & filii, & Spiritus Sancti, auctoritate beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra, & de potestatis plenitudine excommunicamus, anathematizamus, ac maledictionis & damnationis æternæ mucrone percutimus, ac omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos & irretitos esse, vigore præsentium decernimus, ac reos criminis læsæ Majestatis, & a Sede Apostolica, & a S. Romana Ecclesia, ac omnibus dictæ Romanæ Ecclesiæ devotis cum eorum bonis perpetuo diffidatos, infames & inhabiles ad omnes Ecclesiasticas vel mundanas dignitates, omnesque actus legitimos & Ecclesiastica sepultura indignos esse, auctoritate & potestate prædictis etiam decernimus.

§. 5. Et generaliter civitates, terras, oppida & loca quæcumque, ad quæ aliquem eorundem excommunicatorum declinare contigerit, quamdiu ibidem permanserit, etiam triduo post recessum ejusdem Ecclesiastico interdicto subjicimus, nec non excommunicatos, anathematizatos & maledictos, titulis, dignitatibus & honoribus, in quibus constituti existunt, & tam ipsos, quam Communitates, castra, oppida & loca prædicta, omnibus privilegiis, indultis, etiam Studii generalis concessionibus & gratiis, dignitatibus, honoribus, quibus utuntur & gaudent, seu muniti sunt, nec non bonis omnibus, quæ in feudum, vel in emphyteusim, seu alias a præfata Romana, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis & locis Ecclesiasticis, aut alias quomodolibet etiam ab Imperatore, Regibus, seu aliis Principibus ac secularibus potestatibus obtinent, penitus privamus, dictaque bona feudalia, vel emphyteutica, ut præfertur, obtenta, ad Dominos suos reverti debere, ita, ut de illis libere disponere possint, decernimus.

§. 6. Et si aliqui ex excommunicatis, anathematizatis, & maledictis prædictis clerici, seculares, vel Prælati, etiam in Archiepiscopali, vel alia dignitate, etiam Cardinalatus honore, & beneficiati fuerint, illos dignitate ac titulo Cardinalatus, nec non prælaturis, administrationibus, regimineque, et omnibus & singulis beneficiis, dignitatibus, personatibus, officiis, Canonicatibus, & præbendis, aliisque beneficiis Ecclesiastiacis, ac ordinibus, etiam sacerdotalibus, ad quos promoti forent, sine ulla spe restitutionis, & absque alia citatione, seu declaratione privamus, & ex nunc privatos esse per præsentes decernimus.

§. 7. Absolvi autem a prædictis censuris, sententiis, ac pœnis nullus ex supradictis per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus possit, nec etiam tunc, nisi, quantum fieri potest, satisfactione prævia & de stando Sanctæ Matris Ecclesiæ mandatis, & similia ulterius non committendo legitima cautione præstita, aliter autem absolvere, aut indignos sepultura Ecclesiastica, ut præfertur, sepelire præsumentes, supradictis omnibus & singulis pœnis eo ipso subjicimus. Quodque de beneficiis prædictis possit & debeat per Sedem prædictam duntaxat, seu ab illa specialem facultatem habentes absque alia declaratione incursus pœnæ hujusmodi libere illico provideri, auctoritate prædicta, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine.

§. 8. Ac omnibus & singulis civitatum & terrarum Nobis & Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectarum personis sub eisdem pœnis, quas eo ipso, si contrafecerint, absque alia declaratione incurrant, & a quibus, ut præfertur, non nisi a Nobis & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa absolvi possint, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ne aliquas gentes armigeras, præterquam ad nostra & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stipendia militantes, quovis quæsito colore in civitatibus, terris, castris, oppidis, & locis nostris subjectis sine nostra speciali licentia admittere, retinere, illisque victualia, aut aliquod subsidium quoquo modo præstare præsumant, eosque, etiamsi Cardinalatus honore, vel Archiepiscopali, Episcopali, aut quavis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, si contrafecerint, ipso facto eisdem pœnis subjacere, civitates quoque, terras, castra, oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes hujusmodi declinare, & in quibus moram trahere contigerit, Ecclesiastico supposita interdicto, tamdiu firmiter observando, donec compuncti corde hujusmodi interdicti relaxationem debita satisfactione præmissa meruerint obtinere, ac ibidem permanserint, & per triduum

post

post eorum discessum auctoritate Apostolica scientia & potestate prædictis decernimus.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibuscumque privilegiis & indultis, sive indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, a prædicta Sede sub quavis forma vel tenore, quibusvis ex supradictis etiam Cardinalibus concessis, quod excommunicari vel anathematizari non possint, consuetudinibus quoque, observantiis, scriptis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Et quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit, illas deferri volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicujus Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, sigillatis, ea prorsus fides indubia in judicio & extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 11. Insuper ut præmissa omnia & singula ad omnium, ad quos spectat, notitiam & cognitionem deveniant, omniumque in præsentibus literis contentorum certa & indubitata notitia habeatur, nullusque præmissorum ignorantiam juste prætendere possit, nec se legitime excusare valeat, volumus & decernimus, præsentes literas nostras per aliquos Curiæ nostræ Cursores vel Notarios publicos in Basilica Principis Apostolorum & Ecclesia Lateranensi hora divinorum publice, alta & intelligibili voce legi & publicari, & dictarum Ecclesiarum portis, sive valvis, ac in acie Campi Floræ & Cancellariæ Apostolicæ affigi, & ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere.

§. 12. Quæ sic publicatæ & affixæ tunc a die publicationis prædictæ immediate ligent, & effectum sortiantur, & eos, quos concernunt, ita arctent, perinde ac si personaliter eisdem intimatæ essent.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Domin. 1515. octavo Kalend. Junii, Pont. nostri anno tertio.

Anno a nativitate Domini 1515. Indictione tertia, die vero 26. mensis Maji, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Leonis, divina Providentia Papæ X. anno 3. retro scriptæ literæ Apostolicæ, ut ad omnium notitiam citius devenirent, alta & intelligibili voce de verbo ad verbum lectæ fuerunt in valvis basilicæ Principis Apostolorum, ac Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, dum ibidem divina celebrarentur, & multitudo Populi adesset. Nec non earundem Ecclesiarum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis seu portis, ac acie Campi Floræ affixæ & publicatæ, ac congruo temporis spatio dimissæ fuerunt per nos Hubertum Jacobi, & Joannem Valtrini, præfati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

LII.

Pii V. Pontificis Maximi, Bulla, in qua, ut Sacræ Romanæ Ecclesiæ civitates atque loca nec alienentur, nec in feudum conferantur, nec de eorum alienationibus ac infeudationibus ulla suscipiatur tractatio, sub quocunque etiam utilitatis evidentis prætextu ea fiat, prohibetur, d. d. 4. Kalend. April. Anno 1567.

PIus Episcopus, Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Admonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, ut civitates, terræ, oppida, & loca, Nobis & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediate & immediate subjecta, perpetuo in jure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conserventur.

§. 1. Sane licet nonnulli Romani Pontifices, prædecessores nostri, per eorum Constitutiones, rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & jam factas revocaverint, & annullaverint; nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi & dominandi cupidi sub variis prætextibus, coloribus, & causis sæpe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus & insinuationibus suis conati sint ostendere & persuadere, magis utile & expediens S. R. E. & Sedi præfatæ fore, si aliquæ civitates, terræ, oppida, castra, arces & loca ad jus & proprietatem ejusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo, quod alias in feudum data, aut quovis alio titulo hujusmodi alienata fuerint, & propterea tamquam ad Sedem prædictam devoluta, vel devolvenda, posse & debere de jure iterum infeudari & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes & concessiones a Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonii, sed etiam extimationis recepisse dignoscitur.

§. 2. Hinc est, quod Nos considerantes omnium civitatum & locorum prædictorum singularem fidem & promptam devotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde utilem & salutarem fuisse, & esse, ac volentes non solum alienationes hujusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, & quod Nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus, ante Domini nostri JEsu Christi in examine diei magni adventus tribunal, villicationis nostræ rationem reddituros Nos esse, sed ut omnis alienationum hujusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum DEO possumus per amplius providere, Constitutionibus prædecessorum nostrorum hujusmodi etiam inhærendo, illasque innovando, motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, in Consistorio nostro secreto consultatione matura de eorum consilio & unanimi assensu (qui etiam juraverunt, præsenti Constitutioni non contravenire,

nire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones a juramento hujusmodi non petere nec acceptare) hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus & declaramus, civitates & loca prædicta etiam hactenus in feudum aut quemvis alienationis titulum dari solita vel consueta, ad Nos & Sedem præfatam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad jus, & proprietatem & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos & ultra civitates & loca præfata, a Nobis & Sede præfata immediate possessa, & numquam in feudum, aut titulum concessa fuissent.

§. 3. Statuimusque & decernimus, quod omnes & singulæ tam Communitates, & universitates, quam cives & incolæ civitatum, terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcumque personæ, tam Ecclesiasticæ quam seculares, cujusvis dignitatis & ordinis etiam Episcopalis, vel majoris existentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tam publice in consiliis civitatum & locorum præfatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiam civitatum & terrarum earumdem Gubernatores, aut & Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus, de civitatibus & locis præfatis, immediate ad Nos & Sedem præfatam spectantibus & pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu depostulandis a Nobis & Sede præfata quibusvis personis cujusve dignitatis, status, gradus, etiam Nobis & Successoribus nostris secundum carnem conjunctis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut quavis alia temporali, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicæ beneplacitum civitatum & locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Nos & Successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quam Oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes hujusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium, seu alios insinuantes vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læsæ Majestatis, & proditores civitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum fisco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso jure devoluta & incorporata sint, & esse censeantur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso privati existant, neque ad civitates & loca præfata ullo umquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum & dignitatum portæ perpetuo claudantur.

§. 4. Et quoniam intelleximus, aliquos etiam Cardinales civitates, terras, oppida, castra, arces, & loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut alias a dicta Sede, etiam ex causa onerosa, obtinere, habere & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoveri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta hujusmodi expositis, omnes & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusvis personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes, quomodolibet concessas, harum serie revocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta hujusmodi habenti illa, etiam pro munitione & tuitione, nisi ex causa necessariæ conservationis locorum eorumdem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdicimus ac prohibemus, & si secus a quoquam factum attentatumve fuerit, melioramenta quæcumque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minime teneri & obligatam esse volumus & declaramus.

§. 5. Decernentes præsentes literas sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus sub quibusvis tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, totiens in pristinum statum restitutas, & de novo concessas esse & censeri debere.

§. 6. Irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis ac civitatum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Sic igitur devotionis & fidei constantia civitatum & locorum præfatorum erga Nos & Successores nostros, & eamdem Romanam Ecclesiam perseveret, ut merito integritatis virtus majora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur.

§. 9. Volumus autem, quod, sicut omnes & singuli Cardinales præsentes Constitutionem hujusmodi, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem a juramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt & jurarunt, idem per absentes Cardinales a Consistorio in habitatione eorum, & a Romana Curia, ut quandocumque ad eamdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti & jurari debeat, ac promissionem & juramentum hujusmodi in forma juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungi & inseri debere, ac contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ juris & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea quod ipsi Cardinales, occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclavi,

quando

quando de observandis literis Julii Papæ II. Prædecessoris nostri, super electione Romani Pontificis, & aliis constitutionibus, juramentum præstare solent, etiam de inviolabiliter observanda præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem hoc ipsum promittere, ac jurare, & deinde post coronationem suam promissionem & juramentum hujusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud a Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipue eorum Decanus, & capita Ordinum apud eum omni cum instantia & instantissime pro præsentium observatione petere & rogare, ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat, diligentissime curare studeant, statuimus & ordinamus.

§. 10. Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædictas Julii literas, quæ in dicto Conclavi legi solent, inter alias constitutiones nostras adjungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extravagantibus nostris describantur, ac ad valvas basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret, præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quod earum transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Prælati munitus, eadem prorsus fides ubique in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, revocationis, decreti, statuti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Ego *Pius*, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Utinam dirigantur viæ meæ od custodiendas justificationes tuas.

Ego F. Card. Pisanus, Episcopus Ostiens.
Ego Jo. Card. Moronus, Episcopus Portuensis.
Ego Christophorus Card. Madrucius, Episc. Prænest.
Ego A. Card. Farnesius, Episc. Tuscul. Vicecanc.
Ego Jo. Mi. Card. Saracenus.
Ego Ful. Card. Perus.
Jo. Card. Politianus.
Jo. B. Cicada, Card. S. Clementis.
B. Card. Tranens.
Scipio Card. Pisarum.
Jo. Card. Capisuccus.
Ego Clemens, Card. Aræcœli.
Ego Ja. Card. Sabellus.
Ego Jo. Antonius Card. S. Georgii.
Aloysius Card Cornelius.
Berd. Card. Salviatus.
Ego Phi. Card. a Burdesia.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granvelanus.
Ego F. Card. Paciecco.
Ego Marcus Antonius, Card. Amulius.
Ego Hieronymus, Card. de Corrigia.
Ego Jo. Franc. Card. de Gambara.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Hipp. Card. Ferrariens.
Ego Innicus Avalos Card. Arag.
Ego Marcus Antonius, Card. Columna.
Ego Jo. Franciscus, Card. Commendonus.
Ego Marcus Antonius, Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompagnus, Card. S. Sixti.
Ego Alexander, Card. Sfortia.
Ego Alexander, Card. Cribellus.
Ego Franciscus Abundius, Card. Castilion.
Ego Benedictus, Card. Lomellinus.
Ego Gulielmus, Card. Sirletus.
Ego F M. Card. Alexandrinus.
Ego Hieronymus, Card. Simoncellus.
Ego Vitellotius, Card. Vitellius. S. R. E. Cam.
Ego Franciscus, Card. Alciatus.

Anno a Nativitate Domini nostri JEsu Christi 1567. Indictione 10. die vero 23. mensis Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christi Patris, & D. N. D. Pii, Divina providentia Papæ V. anno ejus 2. retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Jo. Andream Rogerium, & Nicolaum de Matthæis, Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici, Mag. Curs.

LIII.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, ad Ferdinandum I. Magnum Etruriæ Ducem conscriptum, in quo eum de Civitate atque Ducatu Ferrariensi, Sedis Romanæ imperio restitutis, certiorem reddit, d. d. 4. Febr. Anno 1598.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Medici Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam benedictionem. Qui facit mirabilia magna, solus Pater misericordiarum DEus ipse, multorum servorum suorum pias orationes & humilitatis nostræ preces in hoc pergravi Ferrariensi negotio exaudire dignatus est. id enim precati a DEO sumus, id summis votis optabamus, ut ex justitiæ præscripto Romanæ Ecclesiæ, quod suum erat, ita restitueretur, ut, si fieri posset, bellorum incommoda & calamitates evitarentur, & Italiæ quies & tranquillitas, quæ Nobis summopere est cordi, conservaretur. Neque enim odio, aut animi perturbatione aliqua incitati, aut privatæ utilitatis studio inducti, sed necessitate coacti ad ea remedia confugimus, quibus jus & dignitatem hujus Sanctæ Sedis, in qua immeriti præsidemus, quod a Nobis postulabat

labat officii Nostri ratio, retinere liceret. Nam Cæsarem Estensem, quamdiu ipse voluit, amavimus semper, quemadmodum Nobilitas tua optime novit, neque eam mentem & voluntatem deponebamus. Itaque singularem voluptatem cepimus, quod is meliora consilia secutus, urbem Ferraram, ejusque Ducatum & ditionem Nobis & Apostolicæ Sedi reddere statuerit, & re ipsa reddiderit dilecto Filio nostro, & secundum carnem Nepoti, Petro Cardinali Aldobrandino, Nostro & ejusdem Sedis de latere Legato, DEO certe, bonisque omnibus comprobantibus. Ipsi vero bonorum omnium auctori, cujus clementiæ totum hoc opus tribuimus, gratias ex intimo corde agere non cessamus, quod bellum tanti momenti, tam periculosum, sine populorum pernicie, sine agrorum & civitatis vastitate, sine ulla prorsus sanguinis effusione tam brevi tempore, tanta facilitate confectum est, ut vere dicere possimus: a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Gaudium vero hoc nostrum cum Tua Nobilitate libentissime communicamus, quia Te præcipuo affectu amamus, quia tuam prudentiam & æquitatem novimus, & quæ cum justitia & honore DEI, & S. hujus Rom. Ecclesiæ amplificatione conjuncta sunt, tibi grata esse non dubitamus. Hæc enim est Mater tua carissima, qua cum ab ineunte ætate conjunctissimus fuisti, quod perpetuum fore, DEO bene juvante, confidimus: nam & tuam in Nos, atque illam pietatem perspectam habemus, & de nostro sensu, & paterna caritate erga te Nobis conscii sumus. Quin & Cæsarem ipsum, ejusque liberos tua etiam causa impensius amabimus, eorumque commodis, quantum cum Domino poterimus, propense suffragabimur. Cætera hoc de genere Magister Offredus Notarius & Nuncius noster Apostolicus, qui apud Te commoratur, Tibi uberius exponet. Nos interea Tibi & Nobili Mulieri Magnæ Ducissæ, Conjugi Tuæ filiisque vestris a DEO bona omnia precamur, & nostram Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Febr. MDXCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

LIV.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, de Civitate atque Ducatu Ferrariensi, Sedi Apostolicæ denuo subjectis, ad Rudolphum II. Romanorum Imperatorem conscriptum, d. d. 7. Februar. Anno 1598.

CArissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Jam ante aliquot dies recepimus literas Majestatis tuæ, quas secunda & vicesima superioris mensis Decembris die, de Ferrariensi negotio ad Nos dedisti, quo tempore, quia Cæsar Estensis saniora, DEO inspirante, consilia secutus, de Civitate Ferrariæ ejusque ditione Nobis, & huic Sanctæ Sedi, in qua licet immeriti, Spiritu Sancto auctore, præsidemus, pacifice restituenda agebat, respondendi officium paulisper distulimus, donec tota tractatio omni ex parte absolveretur, ut plenum hoc & cumulatum gaudium cum Majestate tua communicare possemus: quod singulari DEI benignitate factum est. Nam ad quartum Kalend. Februarias rebus rite & cum multa concordia compositis, Dilectus Filius noster Petrus, Cardinalis Aldobrandinus, Nepos noster secundum carnem, atque item noster & ejusdem Sanctæ Sedis Legatus Ferrariam ingressus, Civitatem & Ducatum illum vetustissimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patrimonium, nostro & ejusdem Ecclesiæ nomine recepit, summa populi illius gratulatione & lætitia: quo in gravissimo negotio nihil consilio aut prudentiæ nostræ, nihil cujusquam nostrorum diligentiæ aut industriæ tribuimus, sed illius solum bonitati & clementiæ acceptum ferimus, qui dives est in misericordia, qui magna & mirabilia solus facit, in quo uno speravimus semper. Non enim in hac causa carni aut sanguini acquievimus, neque ullas privatas rationes nostras secuti sumus, sed solam DEI gloriam Nobis ante oculos proposuimus, eamque quæsivimus semper in sinceritate cordis nostri. DEus autem Omnipotens exaudivit preces & orationes servorum suorum, & magnificavit nomen sanctum suum in conspectu omnium gentium, ut intelligant, quia ipse est defensor & propugnator Romanæ Ecclesiæ, quam Caput, Matrem & Magistram omnium fidelium suorum ipse constituit, & fundavit eam Altissimus supra firmam petram, ejusque justitiam sui divini Numinis patrocinio defendit & declaravit, idque tanta cum [illegible] potentiæ & bonitatis testificatione, ut publica Italiæ quies & tranquillitas, quæ Nobis summopere cordi semper fuit, nulla ex parte imminueretur. Nam etsi humani judicii æstimatione perturbationis materies non defutura, & procellæ multæ impendere videbantur; ille tamen, cujus voluntati cuncta obediunt, qui ventis & mari imperat, qui Beatum Petrum jussit venire ad se supra aquas, ipse omnia tam suaviter disposuit, ut summa cum pace & brevissimo temporis spacio tanta res conficeretur, & quod gaudium omne cumulavit, quod ardenti studio optabamus, quod denique toto ex cordis affectu a DEO precati sumus, in tanto belli apparatu & timore, ne una quidem humani sanguinis guttula est effusa. Non igitur glorietur in conspectu DEI omnis caro, sed soli DEO exercituum omnis honor, laus & gloria tribuatur. Non dubitamus autem, Majestatem Tuam pro sua perpetua erga hanc Matrem suam carissimam pietate, ejus gaudio gaudere, & illius ac tam justa accessione lætari: & quia ex caritatis glutino omnia inter nos communia sunt, tam felicem hujus rei exitum Majestati Tuæ non secus ac Nobis ipsis gratulamur, quod Venerabilis Frater Episcopus Cremonæ, noster Apostolicus apud Te Nuncius, coram etiam jussu nostro faciet, & cuncta uberius exponet. Nos Tibi interea a DEO prospera omnia precamur, & paternam atque Apostolicam benedictionem nostram Tibi amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII. Februarii, MDXCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

LV. Bre-

LV.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, ad Henricum IV. Galliæ Regem, ejusdem cum antea inserto argumenti, d. d. 7. Febr. Anno 1598.

CArissimo in Christo Filio nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Si quisquam est ex Filiis nostris in Christo, Catholicis Principibus, qui ex hoc felici Ferrariensis negotii exitu, & nobilis illius Ducatus ad Romanam Ecclesiam accessione, vere atque ex animo lætetur, hunc præcipue esse Majestatem tuam, certo Nobis persuademus. Cor tuum e longinquo intuemur, quin potius tu ipse in corde nostro habitas, in caritate non ficta, & in visceribus JEsu Christi, in quo omnia inter nos communia sunt, ita ut gaudia nostra tua sint, & tua vicissim nostra. Neque vero obliti sumus, neque ullo unquam tempore obliviscemur, qualem te præbueris in ista causa, quam animi alacritatem, quem ardorem ostenderis, quo pietatis affectu, non opes solum & vires, sed te ipsum obtuleris, ut hæc Sancta Romana Ecclesia, Mater tua carissima, quæ injuste illi occupata erant, juste recuperaret. Optimo igitur jure cum Majestate Tua hanc nostram lætitiam communicamus, & tibi potissimum opus DEI mirabile gratulamur. Non enim in eo quidquam Nobis assumimus, sed solum illius potentiam & misericordiam agnoscimus, & prædicamus, in quo speravimus semper: cujus solam gloriam quæsivimus, cujus auxilium imploravimus in necessitatibus & in tribulatione. Et quamvis nos indigni & immeriti simus, ipse tamen, qui dives est in misericordia, pius multorum servorum suorum orationes exaudivit, & dedit gloriam nomini suo, & Cæsari Estensi inspiravit spiritum sanioris consilii, ut, quod suum non erat, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ erat, eidem ultro restitueret. Itaque hoc bellum necessario susceptum, quod tam difficile, tam periculosum, tam diuturnum fore videbatur, magna cum facilitate, multa cum quiete, brevissimo temporis spatio confectum est, atque ita confectum, ut ne guttula quidem humani sanguinis effunderetur: quod unum in primis tota humilitate cordis nostri ad DEO precati sumus. Ipso igitur Domino præeunte, cujus dextera fecit virtutem hanc, Nepos noster secundum carnem, & tuo Christianissimo nomini singulariter addictus, Petrus Cardinalis Aldobrandinus, noster atque hujus S. Sedis Apostol. de latere Legatus, Ferrariam, ejusque ditionem nostro & ejusdem Sedis nomine recepit: quam urbem ingressus est, pacem annuncians, nona & vicesima die Januarii, magna, ut accepimus, populi illius, omniumque ordinum lætitia. Quamobrem DEO immortali semper gratias agimus, & Tibi, fili carissime, iterum & sæpius gratulamur, in eo etiam sperantes, cujus inexhaustus & plane infinitus est misericordiæ thesaurus, quod novam Nobis apud Te gratulandi materiam cito tribuet ex pace illa optatissima, quam Nos ardentissime scis expetere. Cætera Majestati Tuæ copiosius exponet is, qui Tuæ gloriæ & felicitatis inprimis est avidus, & quem Nos ob egregia ejus merita sincere amamus, Cardinalis Florentiæ, noster Apostolicus Legatus. Interea DEum precamur, ut Te suæ divinæ gratiæ patrocinio semper tueatur, & Nos Tibi Apostolicam benedictionem nostram paterno amore impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Februarii MDXCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

LVI.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, ad Philippum II. Hispaniarum Regem, ejusdem cum supra inserto argumenti, d. d. 7. Februar. Anno 1598.

CArissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. DEus omnipotens, cujus natura, bonitas, & cujus opus misericordia est, magnificavit nomen sanctum suum, & gloriam suam ostendit in diebus humilitatis nostræ, & justam sanctæ Romanæ Ecclesiæ causam, quæ erat de civitate & ditione Ferrariensi recuperanda, suo cœlesti patrocinio defendit & comprobavit. Etenim Cæsar Estensis, quemadmodum fama literas nostras præcurrente jam Majestatem Tuam audisse arbitramur, potentem manum DEI persensit, & humiliavit semetipsum sub ea, & Spiritum sanioris consilii secutus, quæ injuste detinebat, juste restituit. Itaque, rebus compositis, dilectus Filius noster Petrus Cardinalis Aldobrandinus, nepos noster secundum carnem, idemque noster & hujus sanctæ Sedis, in qua immeriti præsidemus, de latere Legatus, ad quartum Kalendas Februarii, Christi pacificatoris nostri pacem secum deferens, Ferrariam est ingressus, summa cum populi illius lætitia, eamque nobilem Urbem & ditionem nostro & ejusdem Apostolicæ Sedis nomine recepit. Qua in re DEI providentiam & abundantes illius clementiæ divitias satis admirari non possumus. Nam humanæ prudentiæ æstimatione negotium hoc gravissimum multis difficultatibus implicitum erat. Italiæ quietem perturbari, diuturni & periculosi belli incendium excitari, multa incommoda & calamitates, quæ bellum afferre consuevit, necessario impendere videbantur, neque Nos hæc ignorabamus: ætas enim & longus rerum usus multa Nos docuit; sed erat cor nostrum fiduciam habens in DEO, cujus solam gloriam quærebamus nullis omnino nostris aut nostrorum privatis rationibus permoti. Ipse igitur, qui sperantes in eo nunquam deseruit, qui hanc Sanctam Romanam Ecclesiam, quam ipse elegit, & supra firmam petram fundavit Altissimus per omnes temporum acerbitates dexteræ suæ potentia semper defendit, ipse Dominus virtutum & Dominus exercituum exsurrexit, & judicavit causam suam, imperavitque ventis & mari, tantamque subito tranquillitatem reduxit, ut humi strati in spiritu humilitatis, illud Prophetæ crebro repetamus: a Domino factum est illud, & est

mirabile

mirabile in oculis nostris. Neque enim prudentiæ aut consilio nostro, neque cujusquam diligentiæ tantum opus tribuimus, sed illius solam vim agnoscimus & prædicamus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: qui aures suas inclinavit ad preces servorum suorum fidelium; & tantam rem tam brevi tempore tanta cum facilitate, tanta cum pace confecit, ut Italiæ quies, quæ nobis est antiquissima, nulla ex parte sit imminuta: & quod ardenti studio, & tota cordis humilitate a Patre misericordiarum precabamur, ne gutta quidem humani sanguinis sit effusa. Ergo, fili carissime, Rex Catholice, benedicamus Dominum in omni tempore, & semper laus ejus sit in ore nostro, gaudium enim nostrum cum Majestate Tua eo libentius communicamus, quo pluribus, & arctioribus charitatis vinculis nobiscum, & cum hac Sancta Romana Ecclesia, Matre Tua amantissima, conjunctus es, & quo certius Nobis persuademus de Tua in nos, & eandem Ecclesiam pietate & observantia: quod ex hoc tam felici eventu, & gravissimi negotii optato exitu singularem capias voluptatem. Sic enim animi tui magnitudinem decet, sic maxima, quibus Te DEus cumulavit beneficia, postulant, ut DEI gloria, & illius Ecclesiæ amplificatione præter cæteros gaudeas. Nos autem eundem bonorum auctorem assidue precamur, ut tibi, liberisque tuis divinæ gratiæ suæ abundantiam, & veram felicitatem largiatur. Cætera Nuncii nostri Apostolici copiosius exponent Majestati Tuæ, cui nos paternam & Apostolicam benedictionem nostram ex intimis amoris præcordiis impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VII. Februarii, MDXCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

LVII.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, ad Ferdinandum I. Magnum Etruriæ Ducem, in quo ipsi pro gratulatione, propter Civitatem pariter atque Ducatum Ferrariensem occupatum, transmissa, gratias agit, d. d. 14. Februar. Anno 1598.

Dilecto filio, Nobili Viro, Ferdinando Medici, Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam benedictionem. Antequam Nobilitatis Tuæ literas acciperemus, Pisis datas, quibus Nobis felicem Ferrariæ receptionem gratularis, jam ad Te eadem de re scripseramus, Tecumque paterno affectu, ut solemus, gaudium nostrum communicavimus, & Tu quidem vere & prudenter divini in Nos beneficii magnitudinem consideras, quod sine ulla sanguinis effusione, integra atque incolumi Italiæ quiete, multis belli incommodis evitatis, tantum negotium tam brevi, tam optatum exitum habuerit, sit bonorum omnium auctori perpetuus honor & gloria, qui preces servorum suorum exaudivit, & humilitatis nostræ desiderium respexit. Hoc enim ardenter & potissimum expetebamus, ita Romanam Ecclesiam, quod suum erat, recuperare, ne humanus sanguis effunderetur, neve Italiæ tranquillitas ulla ex parte imminueretur. Tuæ igitur Nobilitati hoc commune bonum vicissim gratulamur, nam præter publicas rationes multis etiam de causis præcipui amoris nihil inter Nos disjunctum est. DEum precamur, ut hæc mutuæ gratulationis officia crebro inter Nos excurrant ad DEI gloriam, & Christianæ Reipublicæ utilitatem, Tibique interea toto ex animo Apostolicam nostram benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XIV. Februarii, MDXCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

LIIX.

Breve Clementis IIX. Pontificis Maximi, in quo Rudolpho II. Romanorum Imperatori, pro gratulatione, propter res Ferrarienses feliciter compositas, & Ferrariam Sedi Apostolicæ restitutam, peramanter facta, summas agit gratias, d. d. 3. Maji, Anno 1598.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Qui a Majestate Tua ad Nos mittuntur Oratores, eos hilari semper vultu excipimus, quia a Te veniunt, hoc est, a Primogenito & carissimo Filio nostro, quem intimis paternæ caritatis visceribus in Christo Domino complectimur. Sed certe perjucundus Nobis fuit adventus nobilis & præstantis Viri Raymundi, Comitis a Turre, Consiliarii Tui, quem delegasti, ut apud Nos & Apostolicam Sedem tuum ordinarium Oratorem agat; jam enim illius virtutem novimus, eumque & tua causa & suo merito valde amamus. Itaque quod a Nobis postulat Majestas Tua, & nunc illum tua negotia tractantem libenter audivimus, & deinceps, quoties opus fuerit, eodem modo benigne audiemus. Quod autem Nobis tam amanter gratularis, Res Ferrarienses feliciter compositas, & Ferrariam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutam, agnoscimus in eo pietatem tuam. Et sane ita æquum est, optimum Filium Matris carissimæ rebus prosperis lætari, quæ tuis vicissim sincero affectu semper lætatur, quare & Nos Majestati Tuæ pariter gratulamur, res Transylvaniæ quiete & tranquille actas, optamusque eandem quietem, & tranquillitatem perpetuo retineri, Teque pro rei gravitate, id omni diligentia & vigilantia curaturum confidimus, & ut re ipsa cures, atque efficias, DEO adjutore, magnopere hortamur. Tibi præterea etiam atque etiam commendamus Principem illum dignum multis de causis, quæ Tibi inprimis notæ sunt, quem tua Cæsarea gratia & amore complecteris, & beneficentia prosequeris: quod Te ultro propense facere, & nostro etiam intuitu propensius facturum Nobis persuasum est. De auxiliis vero Majestati Tuæ hoc tempore præstandis, de quo ad Nos scripsisti, atque etiam Nobiscum egit idem Orator tuus, Nobis quidem voluntas nunquam deest Tibi gratificandi, rebusque tuis suffragandi, quod nemo Te ipso melius novit, & tam multas & non obscuras significationes palam omnibus testari

existi-

existimamus; sed tamen propter graves & assiduas impensas ita hoc tempore exhausti ac plane exinaniti sumus, ut id nullo modo facere liceat. Nam, ut cætera omittamus, in hoc ipso Ferrariensi negotio, quod adeo celeriter confectum est, magnis tamen copiis conscribendis, tum armis, totoque bellico apparatu summa celeritate instruendo, ingens pecuniæ vis est insumpta: neque ex hujus ditionis & civitatis fructibus quidquam opis expectandum est, qui ad onera necessaria perferenda non sufficiunt: res enim eo loco & statu deprehendimus, ut de illis aliunde etiam sublevandis Nobis sit necessario cogitandum. Sed hæc & cætera, de quibus Nobiscum egit Orator tuus, idem ipse Majestati Tuæ copiosius perscribere poterit, qui non modo ex verbis & sermone, sed ex oculis vultuque nostro perspicere potuit, permolestum Nobis esse, quod in his pecuniarum angustiis versemur, de tuis enim commodis, de tua dignitate & salute ita solliciti sumus, atque ita afficimur, perinde ac si nostra res ageretur; tot enim caritatis vinculis cum inter nos conjuncti simus, omnia etiam inter nos eadem esse merito existimamus. Datum Ferrariæ sub annulo Piscatoris die 30. Maji 1598. Pontificatus nostri Anno VII.

LIX.

Acceptatio Ducatus Ferrariæ, ad Sedem Apostolicam devoluti, a Clemente IIX. Pontifice Maximo, facta, d. d. 19. Januar. & 11. Februar. Anno 1598.

SAnctissimus in Christo pater & Dominus noster, Dominus Clemens, divina Providentia Papa Octavus.

§. 1. Quoniam per obitum Alphonsi Estensis Ferrariæ Ducis, Ducatus & Status Ferrariæ cum omnibus civitatibus, terris, castris, fortalitiis, portubus, locis, membris, jurisdictionibus, juribus, ac aliis annexis, & connexis, de quibus a Sede Apostolica, & suis prædecessoribus, Rom. Pontificibus, idem Alphonsus, sive ejus antecessores investiti fuerunt, seu alios quomodolibet illos, & illa a Sede præfata tenuerunt, & habuerunt, ad eamdem Sedem & Cameram suam Apostolicam, tum ex forma Investiturarum, seu aliarum concessionum de eis factarum, tum vigore Constitutionis fel. rec. Pii Papæ Quinti, prædecessoris, editæ sub dato 4. Calend. April. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus sui anno secundo, reversi & reversa; & devoluti ac devoluta existunt, & utile eorum dominium cum directo consolidatum est, etiam absque aliqua alia ulteriori acceptione, declaratione, ac possessionis apprehensione, & alias juxta præfatam Constitutionem Pii V. ad quam in omnibus & per omnia, & in omnibus ejus partibus relationem haberi voluit.

§. 2. Nihilominus pro potiori cautela, & jura juribus addendo constitutioni inhærendo, de venerabilium fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio pariter & assensu Statum & Ducatum prædictum cum omnibus civitatibus, terris, castris, fortalitiis, portubus, locis, membris, & aliis annexis & connexis per obitum præfati Ducis Alphonsi, seu alias ad eandem Sedem devolutum, & devoluta, & utile illorum Dominium cum directo consolidatum esse declaravit, & hujusmodi reversionem, devolutionem, & utilis cum directo Dominio consolidationem acceptavit, ipsumque Ducatum & Statum Ferrariæ cum omnibus supradictis Sedi Apost. & Cameræ reversum, unitum & incorporatum esse, accenseri decrevit & declaravit omni meliori modo.

§. 3. Et quatenus opus sit, eumdem Ducatum & Statum de novo eidem Sedi & Cameræ univit & incorporavit, & dispositioni Constitutionis præfatæ Pii V. subjacuisse & subjacere similiter decrevit & declaravit, DEOque omnipotenti, Beatæ Virgini, ac S. S. Apostolis Petro & Paulo perpetuo tribuit & dedicavit. Die 19. Januarii 1598. apud S. Petrum in Consistorio secreto, Romæ.

Sequitur alia itidem declaratio & applicatio.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens, divina Providentia Papa Octavus.

§. 4. Dixit Ducatum & Statum Ferrariæ jam fuisse recuperatum, idque sola DEI omnipotentis misericordia factum esse, & propterea illi ingentes esse gratias agendas, præsertim cum id absque ulla sanguinis effusione contigerit.

§. 5. Et iterato ut magis enixam & exploratam ejus voluntatem ostendat, jura juribus addendo, Ducatum & Statum præfatum, omnesque illorum reditus, eidem Sedi & Cameræ Apostolicæ univit & incorporavit, & dispositioni Constitutionis Pii V. editæ sub dat. 4. Kalend. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, subjacuisse, & subjacere similiter decrevit, DEOque omnipotenti, Beatæque Mariæ Virgini, & S. S. Apostolis Petro & Paulo, quorum ope id factum fuit, perpetuo addixit & consecravit.

Romæ apud S. Petrum, die undecima Februarii, millesimo quingentesimo nonagesimo octavo,

LX.

Diploma, in quo Obsides Cæsarei atque Gallici Urbano IIX. Summo Pontifici, tamdiu custodiendi traduntur, donec loca, in ipso Diplomate nominata, legitimis suis possessoribus, secundum Articulorum Clarascensium præscriptum, fuerint restituta, d. d. 19. Junii, Anno 1631.

ESsendo la S. Santità condescesa in riguardo della publica quiete, e benefitio della Cristianità à ricevere in sua mano gli ostaggii, acciò mediante la detta recettione possa quanto prima effettuarsi la pace già conclusa, e stabillta.

Quindi è che'l Signor Barone Matthias Galassò, Plenipotentiario e Commessario generale di S. M. Cesarea; & il Signor di Toiras, Marescciallo di Francia, e Luogotenente generale di S. M. Cristianissima in Italia, & il Signor di Servient, Consigliere e Segretario di Stato, ambi Ambasciadori della detta Maestà convengono, e restano frà di loro d'accordo

cordo di dare alla S. Santità per ostaggi; cioè, dalla parte di S. M. Cesarea il Signor Cavaliere Piccolomini, Cameriero, e Colonnello di mille corazze di detta Maestà; il Signor Barone Gio. Battista Chiesa, Colonnello d' Infanteria; & il Signor Visconte Vrisleben, Cameriero e Colonnello di detta Maestà, e da quella di S. M. Cristianissima, il Signor Marchese di Tavanes, Marescialo di Campo; il Signor Marchese di Nerestan, Colonnello d' un Reggimento; & il Signor Barone d' Aiguebona, Colonnello d' un Reggimento, e Governatore di Brianzone per S. M. Cristianissima, mà però con l' infrascritte dichiarationi, e conditioni senza le quali la S. Santità non haveria accettato li sudetti ostaggi.

Che S. Bne non debba riceverli, nè impegnarsi, nè obligarsi in alcuna maniera per la restitutione de' Forti ò passi di Valtellina, di Rhetia, e Contado di Chiavenna, si che la restitutione ò qualsivoglia dispositione di questi Passi, Forti, e Luoghi de' Grigioni, e di Valtellina, ò Chiavenna non s' intendino per alcun modo imaginabile compresi, nè havuti in consideratione in questa accettatione che la S. Santità fa delli sopra detti ostaggi del che li detti Signori Plenipotentiarii si chiamano contenti havendo pigliato per quelli altre sicurezze separatamente nell' aggiustamento dell' altre cose segnate il presente giorno.

Si come parimente convengono che 'l dare ò ricevere li detti ostaggi non sia tampoco per la restitutione di Bricheras, mà solo per la sicurezza della restitutione da farsi da S. M. Cristianissima, e suoi Ministri delle Piazze d' Avigliana, Susa, e Pinarolo, e da S. M. Cesarea, e suo Ministro di Canete, Porto, e Mantoua.

Che S. Bne non s' intenda havere per ricevuti gli ostaggi nè debba esser tenuta alla custodia di essi, se non dopo, ch' effettivamente si siano condotti, e consegnati in mano di chi deputerà la S. Sta dentro lo stato Ecclesiastico, cioè nelle Marine di Roma, in Civitavecchia, ò altra scala che parerà à S. Bne. tal che la condotta di essi, e la sicurezza della condotta fino alla sudetta consegna spetti omninamente alle parti, & esse ne habbino il pensiero.

Che li detti ostaggi debbano fare in Civitavecchia, nella Rocca ò dove più parerà à S. Bne la quarantena che sarà giudicata conveniente per i sospetti del contagio. E poi si trasferiranno à Roma dentro Castello S. Angelo, ò in altro luogo ad arbitrio di S. Bne.

Dichiara in oltre ch' espressamente li detti Signori Plenipotentiarii convengono, che la S. Santità non possa nè debba entrare ad arbitrare, discutere, nè tampoco estragiudicialmente esaminare, nè in qualunque modo pronuntiare sopra l' adempimento, ò non adempimento delle parti; mà de facto, & ad litteram reder gli ostaggi à chi la S. Santità saprà che habbia restituite le Piazze consegnandoli ancora quelli di chi non haverà restituito. E questa consegna fara S. Bne non come Giudice, nè in forma di giuditio. mà de facto, senza che possa admettere alcuna scusa, etiam giuridica ò altro legitimo impedimento della parte, che non haverà restituito, perche così fra loro restano d' accordo.

Et all' hora s' intenderà che la parte habbia adempito quando alla S. Santità sarà inviata una lettera del Signor Duca di Savoia, & del Signor Duca di Mantoua rispettivamente, nella quale dichiarino esserli state restituite le Piazze contenute nella presente Scrittura, e di più il contrasegno conforme l' aggiustamento stabilito.

Che facendosi la restitutione del Piazze tutte che in un' istesso giorno, debba esser tenuta la S. Santità alla custodia de gli ostaggi dal giorno che ne haverà presa la consegna fino alli venti d' Agosto, & altri quindici giorni seguenti.

Mà dovendosi fare in più volte, sarà la S. Santità tenuta à custodirli fino al primo di Settembre prossimo, & per altri quindici giorni sequenti al detto termine acciò posso giungere l' auviso di quello si sarà fatto delle dette Piazze spirato il qual termine s' intenda S. Santità disobligata affatto del ritenere, e custodire gli ostaggi, e da ogni impegno, & obligo della presente scrittura; e possa liberamente licentiarli, nè appartenghino più in modo alcuno alla sua cura, ò che siano restituite ò che nò le sudette Piazze per qualunque causa, ò impedimento, che fosse occorso, eccetto che se per consenso delle parti si richiedesse la S. Santità di prorogare il tempo, & in tal caso la proroga non potrà essere più che per altri quindici giorni appresso, & à richiesta d' ambe le parti; e s' intendrà concessa con tutte le riserve, conditioni, e limitationi espresse nella presente scrittura, e non altrimenti; e passato il detto termine resterà la S. Santità disobligata, e libera come sopra. Et se i caso occoresse (il che non si crede) che una delle parti non restituisse, S. Bne sarà tenuta di consegnare tutti gli ostaggi alla parte, che havrà restituito, e gliele consegnarà sicuri in Civitavecchia, ò in altro luògo dello stato Ecclesiastico, dove gli haverà ricevuti

Le quali cose tutti promettono Monsignore Panzirolo, & il Signore Giulio Mazzarini, in nome della S. Santità, il Signore Barone Galasso in nome di S. M. Cesarea, & il Signore di Toiras, & il Signore di Servient in nome di S. M. Cristianissima; e per l' osservanza hannosottoscritta la presente di propria mano. Dato in Cherasco, li 19. di Giugno 1631.

Gio. Jac. Panzirolo. M. Galasso. Toiras. Servient. Giulio Mazarini.

LXI.

Diploma, in quo, sub locis restituendis, in Diplomate antea inserto nominatis, loca, in Rhetia, Vallis Telinæ atque Comitatus Clavennensis territorio sita, haud quaquam deprehendi, declaratur, d. d. 19. Junii, Anno 1631.

Essendo che 'l Signor Barone Matthias Galasso, Plenipotentiario e Comessario generale di S. M. Cesarea, & il Sgnor di Toiras, Marescialo di Francia, e Luogotenente generale di S. M. Cristianissima

nissima in Italia; & il Signor di Servient, Consigliere, e Segretario di Stato, ambi Ambasciadori straordinarii della detta Maestà dichiaramo, che frà loro restano accordate, concertate, & appuntate tutte le differenze che potevano havere per le cose comprese nel Capitolato di chierasco sotto li sei d'Aprile, & l'aggiustamento sotto scritto sotto il presente giorno in esecutione della pace d'Italia di modo, che più non rimane loro alcun punto d'accordare, & aggiustare per le sudette cose; ma solo resta mediante la restitutione delle piazze di venire all' esecutione sincera de' capitolati fra essi stabiliti & accettati.

Per tanto richiedono, e pregano S. Santità di accettare in sua mano gli ostaggi che hanno stabilito di dare per l' assicuramento delle detta restitutione delle piazze ritenute da S. M. Cesarea, cioè di Caneto, Porto, e Mantova; e d'Avigliana, Susa e Pinarolo ritenute da S. M. Cristianissima.

Dichiarando li detti Signori Plenipotentiarii che gli ostaggi da darsi allà S. Santità non devono in modo alcuno essere cautione per la restitutione de' passi, Forti, ò luoghi occupati nella Rhetia, Valtellina, e contado di Chiavenna, per li quali hanno pigliato sicurezza à parte; si come tampoco di Bricheras, ma solo per le sei Piazze espresse di sopra; e per essere questa la mente de' sudetti Signori Plenipotentiarii hanno sotto scritta la presente di propria mano. Dato in Cherasco li 19. Giugno 1631.

M. Galasso. Toiras. Servient.

LXII.

Privilegia, a Carolo V. Rom. Imperatore, summisque Pontificibus Clemente VII. Pio IV. Gregorio XIII. Clemente VIII. Paulo V. atque Urbano IIX. Nationi Germanicæ in Gymnasio Bononiensi successive indulta, atque ab ejusdem Nationis Consiliariis Prid. Id. Jun. Anno 1633. publicata.

Jo. Widberus Lusatus & Franciscus ab Enzenberg, Inclytæ Nationis Germanicæ apud Bononiam Consiliarii, & Sacræ Aulæ, & Palatii Lateranensis Comites Palatini, ad posteritatem Germanicam.

SI præclara illa laus veraque censetur, quæ a laudatorum virorum ore sermoneque profluxit, præclarus etiam, & verissimus honos is erit existimandus, qui ab honoratis hominibus proficiscitur. Cui vero adeo cumulate contigit, ut & a laudatis laudetur, & ab honoratis honoretur, annon hunc felicem ac fortunatum numerabimus? Hæc te felicitas atque hæc fortuna, Germana Juventus, sane quam amanter est ac benigne complexa: quippe cui non solum jam pridem laudem magnarum virtutum impertiti sunt, qui earundem laudum ornamentis abundant, verum etiam ab iis, quibus cum vel ipse honos in certamen principatus non auderet descendere, a duobus, inquam, summis Reipublicæ Christianæ Monarchis, qui te egregiis ac amplissimis præ cæteris omnibus ornarunt privilegiis, magnus honos semper est habitus. Nos itaque, qui Consiliariorum munere nunc fungimur, & quos privilegiorum ac immunitatum vestrarum custodes constituistis, nostri officii esse duximus, hanc Nationis auctoritatem ac dignitatem summo studio conservare, fovere, atque ab interitu & temporum injuriis tueri, simul etiam posteritatem ex officio fideliter hortari, ut eam magnifaciat, nec sinat ejus memoriam, (sicut jam sæpius accidisse audivimus) desuetudine, oblivione, aut neglectu apud se antiquari; id enim usu animadversum est, nostros homines majorem virtutem & diligentiam præstare solere rebus quærendis, quam quæsitis asservandis. Quamobrem ex communi totius Collegii nostri consilio, privilegia a S. S. Pont. & Impp. Inclytæ Nationi nostræ, pro eorum singulari erga eandem clementia, concessa, in quibus ornamentum ac decus ejusdem positum esse videtur, accurata temporum, quibus quælibet obtenta sunt, ratione servata, typis denuo mandare decrevimus, cum nullum exemplar eorum, quæ triginta & pluribus abhinc annis divulgata fuere, apud Nationem amplius extaret: tum quod illa Privilegia, quæ post supradictum tempus a S. S. Pontificibus Nationi nostræ indulta sunt, addenda restarent. Quo facto arbitramur & officio nostro nos satisfecisse, & id quod desideramus, plane effecisse, ut antecessorum nostrorum magnis impetrata laboribus, posteris integra transmittantur, & ab omni interitus, & vetustatis periculo vindicentur. Quod nostrum studium, ac Nationis honori & utilitati inserviendi conatum, ut Successores nostri approbent, petimus, & etiam (quali tenore & Antecessores nostri Nos rogarunt) ut imitentur exemplum, rogamus. Valete, & Nationis honori & commodo favete. Bononiæ. Prid. Id. Jun. MDC. XXXIII, Existentibus Officialibus Elia Francisco Bastelio, Syndico. Udalrico Molitore, Quæstore. Jo. Jacobo Russio, Bibliothecario.

Privilegium Imperatoris Caroli V.

In Nomine S. Trinitatis! Carolus V. divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Castellæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granadæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Mutiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Cannariæ, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Calabriæ, Geldriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtenbergæ, &c. Comes Flandriæ, Habspurgi, Tirolis Barchmonæ, Arthois, & Burgundiæ, Comes Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Ferretti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ, & Zutphaniæ: Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, Oristani, Gotziani, & Sacri Romani Imperii, Princeps Sueviæ, Cathalaniæ, Asturiæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ, &c.

Notum facimus tenore præsentium universis; tametsi omnes & singulos Sacri Romani Imperii subditos & fideles gratia & benevolentia prosequi consueve-

ſueverimus; Illos tamen præcipue ſingulari munificentia, & liberalitate favoribusque ſpecialibus, afficere debemus, quorum ſtudium ac diſciplina & Imperii ornamento, & communi Reipubl. commodo deſtinatur, ut noſtro munere gaudentes otio & quiete ſperatos de ipſis fructus commodius præſtare poſſint; Hinc eſt, quod, cum Majeſtati noſtræ Procuratores, & ſcholaſtici, legumque profeſſores Nationis Germanicæ, humili debitaque inſtantia ſupplicarint, quatenus ipſorum Collegium, & Statuta Scholarium juris Germanicæ Nationis Bononiæ confirmare, & ſequentes articulos innovare, roborare ac de novo concedere, videlicet, quod ii, qui præſunt, poteſtatem, & auctoritatem Jus dicendi inter eos, qui in illo Collegio continentur, habeant, & quod externus, aliique, ſi quem e Collegio convenire vellent, ei neceſſe eſſet coram Magiſtratibus Collegii experiri, etiam quod Rector, aut Syndicus, ceſſante Collegii Germanici Magiſtratu, eam Jurisdictionem ad ſe transferre non poſſet. Deinde ut illi de Collegio nulli ex univerſitate, præterquam ſuis Magiſtratibus, ſacramento obſtringerentur, & quod Magiſtratus, quos Procuratores vocant, proximum poſt Rectores Univerſit. & Epiſcopos, Principes, Prothonotariosque Apoſtolicos, locum, tum in publicis, tum in privatis actionibus teneant, quemadmodum hæc omnia olim in uſu habuerunt, & vetuſtate temporisque diuturnitate fuerunt corroborata: Nec non ipſum Collegium in noſtri, & Imperii Sacri protectionem & ſalviguardiam recipere, præterea Procuratores illius Palatinatus privilegio ornare, ipſisque arma ferendi, ſicuti univerſitatis Rector habet, jus & facultatem concedere & elargiri gratioſius dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſupplicationi benignius annuentes, attendentes etiam, quod talia ſtatuta juſtiſſimis ex cauſis ſunt nata, & ut ampliori noſtra munificentia laudabilium ſtudiorum profectus opportune juvetur, motu proprio, ex certa ſcientia, deliberato, & conſulto, auctoritate noſtra Romana Cæſarea præfatum Collegium Scholarium Germanicæ Nationis Bononiæ approbantes, omnia, & ſingula eorum ſupra narrata ſtatuta & privilegia, quæ longe retroactis annis laudabili conſuetudine obſervata fuere, & tandem per ſucceſſum vetuſtatemque temporum, cum inſuper bellorum, tum civilium diſcordiarum cauſa deperdita conſumptaque extiterant, ratificamus, innovamus, confirmamus, & de novo concedimus, & inſuper ſingulari noſtræ benignitatis gratia præfatum Collegium Germanicæ Nationis, ac Procuratores, & Scholaſticos, una cum eorum bonis, ac rebus Bononiæ exiſtentibus in ſpecialem noſtram, & Imperii Sacri protectionem, tuitionem, & ſalviguardiam recepimus & aſſumpſimus, tenoreque præſentis aſſumimus & recipimus gratioſius, atque præfatos Collegii Germanici Procuratores, pro tempore exiſtentes, ſcilicet quo in officio ſunt, ut ad munus ſuum, procurationemque libentius obeundam inſigniori ornamento alliciantur, motu proprio, ex certa ſcientia, ſano conſilio, & Imperialis plenitudine poteſtatis, Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque noſtræ, & Imperialis Conſiſtorii Comites fecimus, creavimus, ereximus, nobilitavimus, extulimus: & tenore præſentium, facimus, creamus, erigimus, nobilitamus, & gratioſe inſignimus: decernentes, & hoc Imperiali ſtatuentes edicto, ut ipſi in antea, quo tempore in prædicto officio fuerint, omnibus Privilegiis, juribus, immunitatibus, honoribus, conſuetudinibus, & libertatibus frui debeant, & gaudere, quibus Lateranenſis Palatii Comites hactenus fruiti ſunt, ſeu quomodocunque potiuntur conſuetudine vel de jure; quique poſſint & valeant facere & creare Notarios, ſeu Tabelliones, & Judices ordinarios, ac univerſis perſonis, quæ dignæ, habiles & idoneæ ſunt, Notariatus, ſeu Tabellionatus, & judicatus ordinarii officium concedere, & dare, & eos ac eorum quemlibet, auctoritate Imperiali de prædictis per pennam, & calamarium, prout moris eſt, inveſtire: dum tamen ad practicam, & executionem habiles, & idoneos invenerint, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, dummodo tamen ab ipſis Notariis publicis ſeu Tabellionibus, & Judicibus ordinariis ab ipſis faciendis, & creandis, ut permittitur, & eorum quolibet, vice & nomine noſtro, ac Sacri Imperii, & pro ipſo debitum fidelitatis recipiant corporale & proprium juramentum in hunc, qui ſequitur, modum: videlicet, quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, & omnibus Succeſſoribus noſtris, Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, fideles, nec unquam erunt in conſilio, ubi noſtrum periculum tractetur, ſed bonum & ſalutem noſtram defendent, & fideliter promovebunt, damna noſtra pro ſua poſſibilitate avertent: præterea Inſtrumenta tam publica, quam privata, ultimas voluntates, quæcunque judiciorum acta, & omnia alia & ſingula quæ illis, & cuilibet ipſorum ex debito dictorum officiorum fienda occurrent, vel ſcribenda, juſte, pure, fideliter, & omni ſimulatione, falſitate, machinatione, & dolo remotis, ſcribent, legent, & facient, non attendendo odium, pecuniam, munera, vel favores, aut alias paſſiones: ſcripturam vero, quam debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, non cartis abraſis, neque papyris fideliter conſcribent, facient, atque dictabunt: cauſas Hoſpitalium & miſerabilium perſonarum, nec non pontes, & ſtratas publicas pro viribus promovebunt: ſententiasque & dicta teſtium, donec publicata fuerint, & approbata, fideliter retinebunt, & omnia alia & ſingula recte & juſte facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt conſuetudine, vel de jure; quodque hujusmodi Notarii publici, ſeu Tabelliones, & Judices ordinarii, per ipſos creandi & faciendi, poſſint per totum Romanum Imperium, & ubilibet terrarum facere, ſcribere, & publicare contractus, Inſtrumenta, ultimas voluntates, decreta, & auctoritates interponere in quibuscunque contractibus requirentibus illa vel illas, ac omnia alia facere, exercere, & publicare, quæ ad dictum officium publici Notarii ſeu Tabellionis & judicis ordinarii pertinere & ſpectare noſcuntur. Inſuper eadem auctoritate ex certa ſcientia motuque ſimili eisdem Procuratoribus concedimus & elargimur, quod poſſint & valeant legitimare naturales, baſtardos, ſpurios, manſeres, nothos, inceſtuoſos copulative, vel disjunctive, aut ex quocunque illicito & damnato coitu procreatos, ſive procreandos, viventibus vel mortuis eorum parentibus: Illuſtrium tamen Principum, Comitum, Baronumque filiis duntaxat exceptis, & eos ad omnia jura legitima reſtituere, & reduce-

reducere, omnemque genituræ maculam, & quemlibet alium defectum penitus abolere, ipsos restituendo ad omnia & singula jura successionum & hæreditatum bonorum paternorum & maternorum, feudalium & emphyteuticorum, etiam ab intestato cognatorum & agnatorum honores & dignitates, & ad quoscunque alios actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio, ut supra dictum est, nati, dummodo legitimationes hujusmodi per eos, ut præmittitur, fiendæ non præjudicent filiis legitimis & hæredibus, non obstantibus in prædictis quibuscunque legibus, decretis, statutis, consuetudinibus, & aliis quibuscunque in contrarium facientibus: quibus omnibus & singulis motu proprio, ex certa scientia de plenitudine nostræ potestatis, in quantum huic nostro indulto contraveniant, vel quovis modo contravenire vel obstare possint, pro hac vice derogamus, & derogatum esse volumus. Ulterius etiam eadem auctoritate memoratis Procuratoribus Collegii Germanici concedimus & elargimur facultatem & jus ferendi arma seu enses tam durante eorum officio procuraturæ, quam cessante, donec uterque eorum in dicto Studio seu Civitate Bononiensi extiterit, quemadmodum Universitatis Rector habet. Mandamus igitur omnibus & singulis nostris & Imperii Sacri fidelibus & subditis dilectis cujuscunque status, gradus, præeminentiæ & conditionis fuerint, ut supradicta omnia inviolabiliter observent, & ab aliis observari faciant. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ ratificationis, confirmationis, innovationis, roboris, de novo cessionis, privilegii, gratiæ, indulti paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire, sub nostra & Imperii indignatione, & pœna quinquaginta Marcharum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit. Quarum medietatem Imperiali nostro Fisco seu Ærario, reliquam vero partem injuriam passi sive passorum usibus decernimus applicandam, harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri pensione munitarum. Datum Bononiæ, die vigesima quinta mensis Februarii, Anno Domini millesimo, quingentesimo trigesimo, Imperii decimo, ac aliorum Regnorum nostrorum XV.

CLEMENS PAPA VII.

Motu proprio, &c. Cum, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Carolus, Romanus Imperator, semper Augustus, volens Collegium Scholarium Nationis Germanicæ Universit. Bononicæ speciali munificentia, & liberalitate complecti motu proprio, & ex certa ejus scientia &c. auctoritate sua Cæsarea institutione Collegii hujusmodi, ac illius statut. Inter alia, quod illius Scholares nulli ex ipsa Universitate Bononiens. sive Rectori, vel Syndico, præterquam suis Magistratibus, quos Procuratores vocant, juramento astringantur, & ipsi Magistratus seu Procuratores post Rectores ipsius Universitatis, Episcopus, Principes ac Prothonotarios Apostolicos locum tam publicis, quam privatis actibus tenerent, & jus dicendi inter ipsius Collegii scholares habeant, & ipsi scholares coram eisdem Magistratibus conveniri debeant, nec Rector aut Syndicus dictæ Universitatis, cessante Collegii Germanici Magistratu, hujusmodi jurisdictionem ad se transferre possit disponente, quæ olim honestis de causis edita, & longa retroactis temporibus laudabili consuetudine observata fuerunt, ac per successionem & vetustatem temporis, nec non turbines bellorum in usu esse destiterunt, innovaverit, & de novo concesserit, ac Collegium ipsum, illiusque Procuratores & scholares, una cum eorum bonis, Bononiæ existentibus, in specialem suam & Sacri Imperii protectionem, tuitionem & salviguardiam receperit, nec non motu & scientia similibus, ac Imperialis plenitudine potestatis Procuratores ipsius Collegii pro tempore existentes, Sacri Lateranensis Palatii Aulæque suæ Imperialis Consistorii Comites creari decreverit, & Imperiali edicto statuerit, ut ipsi omnibus privilegiis, juribus, immunitatibus, honoribus, consuetudinibus & libertatibus frui debeant & gaudere, quibus Lateranensis Palatii Comites hactenus fruiti erant, seu quocunque nomine potiebantur, vel jure, vel consuetudine. Quodque Notarios, Tabelliones, ac milites, Judices ordinarios creare, ac recepto fidelitatis debito, Notariatus, Tabellionatus, & Judicatus ordinarii officium concedere, nec non naturales, bastardos, spurios, manseres, nothos, incestuosos copulative, vel disjunctive, aut ex quocunque illicito & damnato coitu procreatos, sive procreandos, viventibus, vel mortuis eorum parentibus, legitimare, & ad omnia naturæ jura restituere, reducere, omnemque genituræ maculam, & quemlibet alium defectum penitus abolere. Quodque Procuratores ipsi tam durante eorum procurationis officio, quam cessante, quamdiu alter ipsorum in ipso Studio Civit. Bononiens. permanserit, jus deferendi arma, seu enses, prout, & quemadmodum Rector ipsius Universitatis defert, deferre possit, prout in literis ipsius Caroli Imperat. desuper confectis plenius continetur. Nos qui literarum studiis insistentibus generosos favores libenter impendimus, Collegium Scholarium Nationis hujusmodi, quod speciali dilectione in visceribus gerimus, charitatis paterno affectu confovere, ac dictarum literarum veriorem tenorem pro expresso haberi volentes, innovationem, concessionem, receptionem, creationem, statuta & decreta Caroli Imperatoris hujusmodi, ac illa concernenda in literis contenta, cum optima juris & facti defectuum suppletione, ex certa nostra scientia approbamus & confirmamus, ac illud apertum firmitatis robur adjicimus, eaque firmiter observari, ac Procuratoribus & Scholaribus Collegii hujusmodi pro tempore existentibus suffragari debere decernimus, & nihilominus pro potiori cautela, ea omnia & singula, prout per dictum Carolum Imperatorem concessa sunt, ita quod iis omnibus perpetuis futuris temporibus uti, potiri & gaudere, libere & licite possunt, perpetuo concedimus & assignamus, & concessa & assignata existere, & sic in præmissis omnibus judicandum fore, sublatum &c. irritumque &c. decernimus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, legibus Imperialibus, statutis &c. etiam municipalibus reformationum decretis, etiam juramento &c. roboratis, nec non privilegiis & indultis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus in literis latissime exten-

extenſis, etiam ſi de illis, &c. ſpecialiter & expreſſe derogamus. Cæteriſque contrariis quibuſcunque cum clauſulis optimis. Fiat, ut petitur.

Et cum abſolutione a cenſur. ad effectum, & cum approbatione, confirmatione, ſupplicatione, conceſſione, derogatione, decreto de ac pro omnibus & ſingulis ſupradictis latiſſime extenditur, perpetuo in forma gratioſa, & cum deputatione executorum opportuna etiam ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, cum poteſtate aggravandi &c. invocandi &c. ad hoc auxilio brachii ſeculari, ac derogatione conſtitutionum de una, & Concilii Generalis de dictis ſi opus fuerit, & quod præmiſſorum omnium, etiam tenore dictarum literarum, ac aliorum numerorum major, verior, & amplior ſpecificatio & expreſſio fieri poſſit in literis, & literæ expediendæ duntaxat de nova confirmatione dictarum inſtitutionum, & ſtatutorum, quatenus licita & honeſta, & Sacris Canonibus non contraria contineant, & quoad præcedendum ſine præjudicio, & quoad Comitatum, de illo in forma, cum facultate legitimandi ſine præjudicio venientium ab inteſtato, & quoad delationem armorum, de illarum licentia, ſub honeſta toga. Fiat F. Dat. Bonon. pridie Kal. Februarii, anno decimo, ſumptum ex Regiſtro ſupplicationum Apoſt. collationatum per me Lodovicum de Heredia, ejuſdem Regiſtri Magiſtrum.

Diploma Summi Pontificis Pii IV.

Sacri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione præſidentes ad ea libenter intendimus, per quæ literarum ſtudia, utpote communi Reipublicæ commodo deſtinata, per quæ pretioſum acquiritur ſapientiæ donum, undique floreant, & augeantur, & quæ eis, & eorum Collegiis ac Scholaribus proinde conceſſa dicuntur, ut illibata perſiſtant, & ſalutarem pertingant & conſequantur effectum, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, & alias deſuper diſponimus, prout rerum, temporum, perſonarum, & nationum qualitatibus penſatis, conſpicimus in dominio ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum Gaſparis Udalrici, Comitis de Reinſtein, & Domini in temporalibus de Blankemburg, nec non Caroli a Schwendi, procuratorum Collegii Scholarium Nationis Germanicæ, in utroque jure Bononiæ ſtudentium Nobis nuper exhibita petitio continebat: Quod licet alias, poſtquam pro parte tunc Procuratorum Collegii Scholarium hujuſmodi claræ memoriæ Carolo V. olim Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, tunc in humanis agenti ſupplicato, quatenus ſua Majeſtas dictum Collegium & illius ſtatuta confirmare dignaretur: Idem Carolus Imperator volens Romani Imperii ſubditos & fideles gratia & benevolentia proſequi, & illos præcipue, quorum ſtudium & diſciplina eidem Romano Imperio ornamento, & communi Reipublicæ commodo deſtinabantur, ſingulari munificentia & liberalitate, favoribuſque ſpecialibus proſequi, ac laudabiles ſtudentium profectus juvare, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus auctoritate ſua Cæſarea approbando & confirmando dictum Collegium, antiqua illius ſtatuta, & privilegia, quæ longe retroactis annis fuerant laudabili conſuetudine obſervata, quamvis poſtea vetuſtate temporum conſumpta, inſuper & bellorum, & diſcordiarum civilium cauſa, vel alias deperdita inter alia continentia: quod ii, qui præerant, poteſtatem & auctoritatem jus dicendi inter ipſius Collegii Scholares, ſeu perſonas haberent: externi autem aliive ſi quem Scholarium hujuſmodi convenire voluiſſent, illum coram Magiſtratibus ipſius Collegii, quos Procuratores dicunt, in jus vocare, ſeu cum eo experiri deberent. Ita quod Rector, aut Syndicus Univerſitatis Studii Bononienſis, ceſſante Collegii Germanici hujuſmodi Magiſtratu, jurisdictionem in ipſos de dicto Collegio ad ſe transferre non poſſet, deinde ut ipſi de dicto Collegio Germanico nulli ex dicta Univerſitate etiam illius Rectori, vel Syndico hujuſmodi, præterquam eorum Magiſtratui hujuſmodi Sacramento obſtringerentur. Quodque Magiſtratus, ſeu Procuratores Collegii hujuſmodi proximum poſt Rectores dictæ Univerſitatis, nec non Epiſcopos, Principes, Prothonotarioſque Apoſtolicos locum tam in publicis quam in privatis actibus tenerent, quemadmodum hæc omnia antea in uſu habuerant, eademque vetuſtate, ac temporum diuturnitate roborata fuerant, ratificaverit, innovaverit, & de novo conceſſerit. Et inſuper ſingulari benignitatis gratia ſua eosdem, Collegium, & Procuratores, ac Scholares, una cum eorum bonis, & rebus Bononiæ exiſtentibus in ſpecialem ſuam, & ejuſdem Imperii protectionem, tuitionem, & ſalviguardiam receperit, & aſſumſerit; Nec non præfatos Procuratores pro tempore exiſtentes, ſcilicet tamdiu, quamdiu in hujuſmodi officio exiſterent, ut ad munus ſuum procurationemque libentius obeundam inſigniori ornamento allicerentur, motu proprio, & ex certa ſua ſcientia, & Imperialis plenitudine poteſtatis, Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque Suæ Cæſareæ & Imperialis Conſiſtorii Comites fecerit, creaverit, nobilitaverit & erexerit, decreveritque, & Imperiali ſtatuerit edicto, ut ipſi ab illa hora in antea, quamdiu in dicto officio eſſent, omnibus privilegiis, juribus, immunitatibus, honoribus, conſuetudinibus & libertatibus, quibus Lateranenſis Palatii Comites catenus potiti fuerant, ſeu quomodolibet potiebantur de conſuetudine, vel de jure uti, potiri & frui poſſent. Ita quod ad eorum inſtar Notarios, ſeu Tabelliones & Judices ordinarios creare ac facere, ac univerſis perſonis, quæ dignæ, habiles & idoneæ eſſent, Notariatus ſeu Tabellionatus, & judicatus ordinarii officia concedere & dare, eosque & eorum quemlibet auctoritate Imperiali de prædictis per pennam & calamarium, recepto tamen ab eis debito fidelitatis in ſimilibus præſtari ſolito juramento (prout moris eſt) inveſtire, dum tamen eos ad practicam & executionem habiles & idoneos invenirent, ſuper quo eorum conſcientias oneravit. Nec non naturales, baſtardos, ſpurios, nothos, inceſtuoſos copulative vel disjunctive ex quocumque illicito & damnato coitu procreatos ſeu procreandos, viventibus vel mortuis eorum parentibus, Illuſtrium tamen Principum, Comitum, Baronumque filiis duntaxat exceptis, legitimare, eosque ad omnia jura legitima reſtituere & reducere, omnemque geniture maculam, & quemlibet alium defectum penitus abolere, ipſoſque ad omnia & ſingula

jura

jura successionum, & hæreditatum, bonorumque paternorum & maternorum, feudalium & emphyteuticorum, etiam ab intestato cognatorum, & agnatorum honores & dignitates, & ad quoscunque alios actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, restituere, dummodo legitimationes hujusmodi, per eos, ut præmittitur, fiendæ, filiis legitimis, & hæredibus non præjudicarent, libere & licite valerent. Et insuper præfatis Procuratoribus dicti Collegii Germanici deferendi arma seu enses tam durante eorum officio Procuratorio, quam cessante, donec ipsi, vel alter eorum in dicto studio, seu Civitate Bononiensi degerit, ad Rectoris dictæ universitatis instar licentiam & facultatem respective concesserit & elargitus fuerit. Et postmodum felicis recordationis Clemens VII. & deinde Paulus III. nec non Julius III. Romanorum Pontifices prædecessores nostri, præmissa omnia & singula, præfato Collegio & illius Procuratoribus, ac Scholaribus Apostolica autoritate sub certo modo & forma confirmaverint, seu confirmare concesserint, prout in singulis tam prædictorum Imperialibus desuper confectis literis, seu supplicationibus eisdem prædecessoribus porrectis, signatis plenius continetur. Et quam plures dictæ Nationis Scholares dulcedine gaudendi privilegiis hujusmodi allecti ad civitatem prædictam indies confluant, illaque ex hoc reddatur illustrior, & non modicum sentiat commodum. Nec non Scholares ipsi quotiescunque Rector dictæ Universitatis consilium convocat, seu Senatum habet, in eo sponte, & voluntarie non minori fide, & diligentia, quam illi, qui ad hoc juramenti necessitate adiguntur, tanquam membra præfatæ civitatis compareant, suaque munera, & officia libenter, & fideliter obeant, & in possessione pacifica, vel quasi horum præmissorum omnium fuerint, & sint de præsenti. Attamen, ut illa eo firmiorem obtineant roboris firmitatem, quo Apostolicæ Sedis patrocinio sæpius fuerint communita, Gaspar, & Carolus Procuratores Collegii Nationis hujusmodi certa spe ducti, quod Nos non minoribus, quam fecerint Carolus Quintus Imperator, ac Clemens, & Paulus, nec non Julius prædecessores præfati, verum eorum vestigiis inhærendo amplioribus nostris, & ejusdem Sedis eos, ac Collegium, & ejusdem Scholares hujusmodi amplexuri simus muneribus gratiarum, desiderant pro potiori cautelæ suffragio, & ut firmius observentur, ea omnia ipsis & eorum successoribus, etiam per Nos approbari. Nos, qui hujusmodi literarum studia & Scholarium Collegia nostris potissimum temporibus ubique invalescere sincero desideramus affectu, præfatos Gasparum, & Carolum, & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac singularium literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, eorundem Gaspari, & Caroli, Procuratorum supplicationibus & piis desideriis in hac parte inclinati, approbationem, confirmationem, ratificationem, innovationem, novam concessionem, creationem, nobilitationem, decretum, statutum, facultatem & elargitionem Caroli Imperatoris, nec non alias confirmationes, concessiones Clementis, Pauli, & Julii prædecessorum hujusmodi, & singulas illorum literas prædictas, ac prout illas concernunt præmissa, & alia omnia in eis, ac etiam dictis supplicationibus contenta, & inde secuta, quaecunque Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium ex certa scientia approbamus, & confirmamus; illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, & illa omnia valere, nec non valida & efficacia existere, suosque plenarios effectus integre sortiri, & inviolabiliter observari debere. Ipsosque nunc & pro tempore existentes procuratores illis omnibus libere uti, & gaudere, & desuper ullo unquam tempore a quoquam molestari, perturbari, aut inquietari non posse neque debere decernimus, & pro potiori cautela, Collegium Scholarium Germanicæ Nationis hujusmodi, quatenus opus sit, de novo, auctoritate & scientia similibus perpetuo erigimus. Et sub ejusdem Nostra & Successorum nostrorum, Romanorum Pontificum, & Beati Petri, & Sedis prædictæ protectione suscipimus, & eidem Sedi immediate subjicimus, ac nunc, & pro tempore existentes Procuratores, præfatos Sacri Palatii Comites etiam cum potestate, dicta auctoritate Apostolica, similiter quascunque personas, quæ sufficientis literaturæ, ac in practica sufficientes & idoneæ fuerint, Notarios publicos & Tabelliones, ac Judices ordinarios, recepto prius ab eis debito fidelitatis, & alias in forma solito juramento, creandi, faciendi & constituendi, ac de Notariatus, Tabellionatus & judicatus ordinarii officiis supradictis per pennam & calamarium alias, ut moris est, investiendi cum facultatibus solitis. Et insuper sine præjudicio venientium ab intestato naturales, bastardos, spurios, nothos, incestuosos, & alios supradictos, ut præfertur, procreatos & procreandos, viventibus vel mortuis eorum parentibus, ac filiis legitimis & naturalibus, ac aliis ab intestato succedere debentibus, extantibus, vel non extantibus, ad id citatis, vel non citatis alias, ut præfertur, legitimandi, restituendi, reducendi, ac maculam & defectum prædicta ab eis tollendi & abolendi, ac eos ad jura, successiones, hæreditates & dignitates, & officia secularia, publica, privata, ac alia præmissa, ut præfertur, restituendi, de novo facimus, creamus & nobilitamus, aliaque omnia & singula præmissa, prout supra, eis innovamus, ac de novo modo & forma præmissis concedimus.

Quodque pro salubri directione, gubernio, & manutentione Collegii Nationis prædictæ, tam illius Procuratoribus, quam Scholaribus nunc & pro tempore existentibus, quæcunque statuta, ordinationes, constitutiones, & decreta Sacris Canonibus non contrariantia condendi, ac edendi. Illaque postmodum seu jam condita, & edita mutandi, alterandi, reformandi, & si videbitur annullandi, & alia faciendi, & constituendi. Quæ postquam condita, edita, mutata, alterata, reformata, annullata, & constituta fuerint, cum omnium juris, & facti defectuum, si quos tunc intervenire contingat, in eisdem

eisdem ſuppletione prædicta auctoritate Apoſtolica eo ipſo confirmata, & approbata, ac roborata, validaque & efficacia ſint, & eſſe cenſeantur, ſuosque plenarios effectus ſortiri, & ab omnibus, quos illa concernunt, & concernere poterunt, quomodolibet in futurum inviolabiliter obſervari debeant. Decernentes ita per quoscunque Judices, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et inſuper eisdem modernis & pro tempore exiſtentibus procuratoribus unum, quem e Scholarib. dicti Collegii pauperem eſſe, & nihilominus præviis lucubrationib. ſtudio utriusque vel alterius Juris operam diligenter navaſſe, adeo ut ad Doctoratus vel Licentiaturæ gradum in utroque vel altero Jurium hujusmodi aſſequendum ſe reddiderit idoneum ſciverint, ut ex amara literarum radice dulces aliquos recolligat fructus, & ne unde ſumptus & expenſas, quos in dicta Univerſitate gravandos neceſſario ibidem ſubire oportet, non habens condigno fruſtretur honore, pro tempore Collegii Doctoribus, & aliis Collegialibus prædictæ Univerſitatis, qui illum ſolito more præcedente examine prævio idoneum & ſufficientem repertum, ac in utroque vel altero Jurium hujusmodi, in quibus ſeu quo tunc ſtuduerit, Doctoratus, vel Licentiaturæ gradum absque aliqua impenſa, ac regalium, ſeu jurium propterea debitorum, & quomodolibet ſolvi, ſeu etiam donari conſuetorum, ſolutione, & alias gratis ubique promovere, & Doctorem, ſeu Licentiatum facere, & ordinare, ſibique Doctoratus ſeu Licentiaturæ conſueta inſignia, cum ſolitis facultatibus concedere teneantur & debeant, doctorandum, vel licentiandum, ad præmiſſa omnia admittendum, præſentandi, & nominandi, omniaque & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi & exercendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, plenam licentiam, & liberam facultatem & auctoritatem concedimus & indulgemus. Mandantes dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus prædictæ Civitatis Bononienſis Legato ſub excommunicationis, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, quingentorum ducatorum auri pœnis totiens, quotiens præmiſſa non obſervaverint, adimpleverint, & executi fuerint, ſive adimplere & exequi diſtulerint, vel eis non paruerint, per non obſervantes, adimplentes, & exequentes, ſeu differentes, vel non parentes incurrendis, pro una Cameræ Apoſtolicæ, & altera medietate pecuniariæ pœnæ, hujusmodi præfato Collegio irremiſſibiliter perſolvendis Vice-Legato, Gubernatori, ac prædictæ Univerſitatis Rectori, Syndico, Doctoribus, & aliis in Collegialibus, & aliis ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, quatenus dictis Procuratoribus & Scholaribus nunc & pro tempore exiſtentibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter obſervent, & ab omnibus etiam ſub cenſuris & pœnis prædictis obſervari, ac pauperem promovendum pro tempore præſentatum, ſive nominatum hujusmodi absque regalium, aliorumve jurium ſolutione hujusmodi, & alias gratis, ſic, ut præmittitur, graduari, ſive doctorari aut licentiari faciant. Non permittentes, tam Procuratores & Scholares, quam graduandum ſeu præſentandum, aut nominatum hujusmodi, aut eorum aliquem ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo per quoscunque quomodolibet indebite moleſtari, inquietari vel perturbari, invocato etiam ad hoc, ſi opus ſit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis & quibusvis Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ac quacunque litis pendentia ſeu moleſtia ſuper præmiſſis, vel eorum aliqua forſan hactenus orta, & pendente indeciſa. Nec non Civitatis & Univerſitatis prædictæ ſtatutis & conſuetudinibus, etiam municipalibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, ac Legato, Vice-Legato, Gubernatori, Rectori, Syndico, Doctoribus & aliis præfatis, ſub quibuscunque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusvis clauſulis & decretis, etiam motu proprio & ſimili ſcientia, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis: Nec non legibus Imperialibus illis præſertim, quibus caveri dicitur expreſſe, quod naturales & baſtardi prædicti, niſi de conſenſu legitimorum & venientium ab inteſtato, aut alias ſub certis modo & forma tunc expreſſis legitimari non poſſint. Quibus omnibus etiam, ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſis habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſervanda foret, tenores hujusmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuscunque &c. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi relationem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, erectionis, ſuſceptionis, ſubjectionis, conceſſionis, indulti, mandati & erogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDLX. ſexto Kalendas Maji, Pontificatus noſtri anno primo.

Decretum Senatus Bononienſis, In quo Privilegia, & Immunitates Germanicæ Nationi Bonon. Gymn. adeunti conceduntur, S. D. N. Gregorii XIII. Pont. Max. auctoritate confirmatum.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Dum uberes fructus reſpicimus, quos de Catholica fide bene ſentientes, literarumque ſcientia præditi viri in agro Domini indies proferunt; ac meditamur, quam utilis,

utilis & necessarius sit ipsarum literarum usus ad homines, fugatis ignorantiæ tenebris, in viam Domini dirigendos: illa libenter amplectimur, per quæ vel amplissimæ Nationis Germanicæ personis illarum cognitionem adipiscendi occasio & commoditas subministratur. Verum ut hæc in civitate nostra Bononia, quæ nobis est patrium solum, ac quam inter cæteras civitates in visceribus gerimus charitatis, feliciter sequantur, eo major cura nos sollicitat. Veluti enim ejus civitatis inter cæteras Italiæ urbes excellentissima est conditio, sic ad eam ex inclyta Germanica Natione confluentes tanquam ad alumnam virtutum præ cæteris privilegiis & gratiis convenit exornari. Nuper siquidem accepimus, dilectos filios Quadrag. viros, Status libertatis ejusdem civitat. Bonon. Reformatores, perfecta nostra in Germanorum Nationem propensione adductos fuisse, eam Nationem in civitate prædicta, eo quo possent officiorum & bonorum genere colendi, & ornandi, ac ut eam voluntatem declararent, nostra in eo accedente auctoritate statuisse & decrevisse id, quod nullis adhuc exterarum Nationum hominibus, qui Bononiense Gymnasium frequentarent, tributum fuit, prout in dicto decreto & statuto apparet, cujus tenorem de verbo ad verbum inferius describi fecimus. Cum autem, quæ a dictis Quadraginta Viris statuta sunt, ut præfertur, ad omnipotentis DEI laudem, Christianæ Reipub. salutem, ac fidem Catholicam augendam, præcipuumque ejusdem Nationis commodum pertineant; Nos privilegiorum, immunitatum, & exemptionum, ipsis Quadraginta Viris concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes, ex certa nostra scientia, statutum & decretum hujusmodi Apostolica autoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac quibuscunque Germanis, qui in dicta civitate rei literariæ operam dederint, eadem omnia privilegia, exemptiones, immunitates, & commoda quæcunque, quibus iidem quadraginta viri prædicti utuntur, potiuntur, & gaudent, de novo, quatenus opus sit, aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, per quoscunque Romanos Pontif. & præsertim fel. record. Pium Papa IV. Prædecessores nostros, Universitati Scholarium Germanicæ Nationis concessis, nihilominus salvis & illæsis remanentibus (exceptis tamen legitimandi ex illicito coitu genitos, aut alias defectum natalium patientes, & doctorandi, & creandi publicos Notarios & Tabelliones in ejusdem prædecessoris literis contentis, facultatibus) concedimus & impertimur. Per quas literas idem prædecessor inter alia voluit Universitatem Scholarium dictæ Nationis sub sua, & Beati Petri protectione esse, ac ejusdem Universitatis Scholarum Nationis hujusmodi Procuratores proximum post Rectores Universitatis Bononiens. ac Episcopos, & Prothonotarios Apostolicos tam in publicis, quam in privatis actibus, locum habere, ipsosque Procuratores Sacr. Aulæ, & Palatii Lateranens. Comites Palatinos ac nobiles existere, prout illos creavit; eosdemque Procuratores, arma, seu enses tam durante eorum officio Procuratorio, quam cessante, donec ipsi, vel alter eorum in dicto Studio, seu in civitate Bonon. degerent, ad instar Rectoris dictæ Universitatis Bonon., deferre posse, ejusdemque Universitatis Nationis Germanicæ Scholares, quotiescunque Rector Universitatis Bonon. consilium convocaret, in eo sponte & voluntarie non minori fide & diligentia, quam illi, qui ad hoc juramento & necessitate adigerentur, tanquam membra dictæ civitatis comparere, suaque munera & officia libenter, & fideliter obire valere; Doctores vero, & alios Collegiales prædictæ Universitatis Bonon. ad promovendum quemcunque ex Scholaribus Universitatis Nat. Germanicæ, quem pro tempore ejusdem Nationis Procuratoribus pauperem esse, & utrique, vel alteri Jurium sufficienter operam dedisse, constaret, ad Doctoratus, vel Licentiaturæ gradum in utroque, vel altero Jurium, solito more, prævio examine idoneum & sufficientem repertum, absque aliqua impensa, ac regalium seu jurium propterea debitorum, & quomodolibet solvi, seu etiam donari consuetorum solutione, & alias gratis ubique teneri, prout in ejusdem Pii prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus pro expresso, plenius continetur. Ipsos Germanos igitur literarum studiis in dicta Civitate incumbentes, ad eorundem quadraginta Virorum instar exemptos facimus, constituimus, ac Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus. Sicque in præmissis omnibus & singulis, per quoscunque Judices ordinarios, vel commissarios, dictæque Civitatis de latere Legatos, Vice-Legatos vel Gubernatores, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, irritumque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Civitatis & illius Daciorum, Gabellorum, & quarumcunque aliarum dictæ Civitatis impositionum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis eidem Civitati, & præsertim per fel. record. Pium Papam IV. & Sedem prædictam dilectis filiis, populo & Communitati Bononiensi, illiusque Vexillifero, Antianis, Regimini, ac moderno & pro tempore existenti Cameræ ejusdem Civitatis Bononiensis Thesaurario, & Datiorum ac Gabellorum, præsertim vini non soluti dictæ Civitatis, ac aliorum quorumcunque locorum conductoribus, administratoribus, etiam in vim contractus ex causis quantumcunque onerosis, etiam per nos motu simili, etiam consistorialiter iteratis vicibus, ac per modum Capitulorum inter eos, & dictam Sedem, aut illius Cameram initorum, sub quibuscunque verborum formis concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque &c. Volumus autem, quod ejusdem Universitatis Scholarium Germanicæ Nationis pro tempore Procuratores, qui juxta Pii prædecessoris prædicti voluntatem. Sacræ Aulæ & Palatii Lateranensis, itidem Comites erunt, statim postquam ad hujusmodi Procuratoris

ratores officium fuerint delecti, fidem Catholicam in manibus ejusdem Universitatis Bononiensis Rectoris, juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos, profiteantur.

Tenor vero Statuti seu Decreti prædicti talis est:

Die VIII. Aprilis, MDLXXV.

Ad eximium omnipotentis DEI beneficium, quo homines ratione ad omnia recte honesteque tractanda instruxit, hoc proxime arbitramur accedere, si quem nos ante oculos sapientia præfulgentem habere voluit, in cujus vitam intuentes eorum admoneremur, quibus inhærendo nostram utilitatem dignitatemque augere possemus. Quo quidem munere Bonon. nostra Civitas singulari eisdem DEI benignitate florere hoc tempore maxime videtur, quippe quæ Gregorium XIII. Pontif. Max. suo sinu editum nacta, Christianam Rempubl. admirabili prudentia administrantem, non exiguum in eo domesticæ imitationis fructum ferat. Nos enim quadraginta Viri, Status Libertatis ejusdem civitatis Reformatores, tanti Principis facta dictaque ad nostræ gubernationis rationem ita revocamus, ut acta nostra omnia ab ejus nutu atque auctoritate tanquam de præscripto aliquo profecta videri velimus. Dum igitur universam Christianorum rem divina illius virtute sustentatam intuemur, impertitamque omnibus gentibus justitiam ejus bonitatemque admiramur, perspecta in inclytam Germanorum Nationem singularisque ejus propensio nos in eam cogitationem adduxit, ut plane intelligamus, eam ipsam nobilissimam Nationem in civitate nostra, eo quo possimus, officiorum ac honorum genere coli atque ornari debere. Quare, ut hanc voluntatem nostram declaremus, maxima totius Senatus nostri consensione decrevimus, quæ nullis adhuc exterarum Nationum hominibus, qui Bononiense Gymnasium frequentare consueverint, tribuimus, ea Germanis tantum benevolentiæ causa atque honoris elargiri. Statuimus igitur, ut unicuique ex Germanica Natione, in Academia Bononiensi literaria cujuscunque institutionis gratia versanti, frui liceat omnibus beneficiis, commodis, immunitatibus ac privilegiis, quæ ipsis Senatoribus Bononiens. a quocunque aut quoquo modo concessa reperiuntur, pateatque eadem ratio, atque eadem emolumenta communia sint in emendis vendendisque, invehendis ac distrahendis rebus omnibus, quæ ad ipsius victum cultumque, ac omnem plane usum pertineant, quibus ipsi Bonon. Senatores perfruuntur. Volumusque & mandamus, ut hoc nostrum Decretum, quod ex maxima Senatus nostri, si unquam ante alia, frequentia, atque approbatione processit, ratum firmumque ab omnibus nostris civibus in posterum habeatur, accedente præsertim ea, quam diximus, gravissimæ sanctionis instar S. D. N. Gregorii XIII. Pont. Max. auctoritate. Factum Senatus Consultum per suffragia omnia.

Annibal Aurius, Secretarius.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii MDLXXVI. Pontificatus nostri anno quarto.

Caj. Glorierius.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Singularis devotionis affectus, quem erga Nos, Sedemque Apostolicam gerere comprobamini, facit, ut petitiones vestras ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Cum itaque dudum fel. record. Pius Papa IV. vos sub sua, & Beati Petri protectione esse, ac vestros Procuratores proximum post Rectores Universitatis Bononiens. & Episcopos, & Prothonotarios Apostolicos, tam in publicis quam in privatis actibus locum habere, ipsosque Procuratores Sacræ Aulæ, & Palatii Lateranen. Comites Palatinos ac Nobiles existere, nec non arma, seu enses tam durante eorum officio Procuratorio, quam cessante, donec ipsi, vel alter eorum in Studio, seu Civitate Bononiensi degerent, ad instar Rectoris Universitatis Bononiens. deferre posse, ejusdemque Universitatis Nationis Germannicæ Scholares, quotiescunque Rector Universitatis Bononiens. consilium convocaret, in eo sponte & voluntarie, non minori fide & diligentia, quam illi, qui ad hoc juramento & necessitate adigerentur, tanquam membra dictæ civitatis comparere, suaque munera, & officia libenter, & fideliter obire valere. Doctores vero, & alios Collegiales dictæ Universitatis Bononiensis ad promovendum quemcunque ex Scholaribus Universit. Nationis Germanicæ, quem pro tempore ejusdem Nationis Procuratoribus pauperem esse, & utrique vel alteri jurium sufficienter operam dedisse constitisset, ad Doctoratus, vel Licentiaturæ gradum in utroque, vel altero Jurium, more solito, prævio examine, idoneum & sufficientem repertum, absque aliqua impensa, ac regalium, seu jurium propterea debitorum, & quomodolibet solvi, seu etiam donari consuetorum solutione, & alias gratis ubique, teneri voluerit; Et deinde piæ mem. Greg. XIII. Prædecessoris nostri eadem, & alia privilegia, exemptiones, immunitates, & commoda quæcunque per alios prædecessores nostros Pontifices Romanos vobis concessa, approbaverit & confirmaverit, ac Scholares Germanos literarum studiis in dicta civitate incumbentes ad quadraginta virorum dictæ civitatis instar exemptos fecerit, constituerit, & declaraverit, prout in diversis dictorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur. Nos earundem literarum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis & insertis habentes, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, & commoda, vobis, ut præfertur, concessa, confirmata, & approbata Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Ac insuper vobis & Scholaribus Germanis pro tempore in civitate præfata literarum studiis incumbentibus, ut matriculis vestris tam jam concessis quam in futurum concedendis non solum per dictam Civitatem illiusque Statum, ac Territorium, uti ad præsens facitis, sed etiam per totum Statum Ecclesiasticum, illiusque Dominium, uti, frui, & gaudere libere & licite valeatis, ac valeant, auctoritate & tenore præmissis de speciali gratia concedimus & indulgemus. Nolumus tamen vos, aut alios pro tempore Scholares, Nationis Germanicæ isthic degentes,

gentes, quod Bononiæ in pauperibus Doctorali Laurea gratis ornandis conceditur, vobis in aliis Apostolicæ Sedis Academiis licere, minusque eodem Jure, quo in Bononiensi ditione dum Quadraginta Viris, corummet indulgentia, circa immunitates æquiparamini, frui soletis, gaudere etiam in reliquis Dominii Ecclesiastici partibus debere, nec prætendere posse; Decernentes, vos & Scholares pro tempore existentes prædictos a quoquam desuper quoquo modo molestari non posse, neque debere: Sicque per quoscunque Judices vel Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata sit, vel eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate ubique judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid secus super a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, attentari, non obstantibus quibuscunque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis & Status hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, nec non omnibus illis, quæ dicti Prædecessores in suis literis voluerunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Tusculi, sub Annulo Piscatoris, die XII Octobris, MDXCII. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

PAULUS P. P. QUINTUS.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ fidei & devotionis affectus, quem erga Nos, & Apostolicam Sedem gerere comprobamini, promeretur, ut votis vestris benigne annuamus, ac vos specialibus favoribus & gratiis prosequamur. Cum itaque, sicut accepimus, dudum fel. record. Pius Papa quartus prædecessor noster vos sub sua, & Beati Petri protectione esse, ac Vestros Procuratores proximum post Rectores Universitatis Bononiens. Episcopos, & Prothonotarios Apostolicos, tam in publicis, quam in privatis actibus locum habere, ipsosque Procuratores Sacræ Aulæ, & Palatii Lateranens. Comites Palatinos, ac Nobiles existere, nec non arma, seu enses, tam durante eorum officio Procuratorio, quam cessante, donec ipsi, vel alteri eorum in studio, seu civitate Bonon. degerent, ad instar Rectoris Universitatis Bononiens. deferre posse, ejusdemque Universitatis Nationis Germanicæ Scholares, quotiescunque Rector Universitatis Bononiens. consilium convocaret, in eo sponte & voluntarie, non minori fide & diligentia, quam illi, qui ad hoc juramento & necessitate adigerentur, tanquam membra dictæ civitatis comparere, suaque munera & officia libenter & fideliter obire valere. Doctores vero & alios Collegiales d. Universitatis Bononiensis ad promovendum quemcunque ex Scholaribus Universitatis Nationis Germanicæ, quem pro tempore ejusdem Nationis Procuratoribus pauperem esse, & utrique, vel alteri Jurium sufficienter operam dedisse constitisset, ad Doctoratus vel Licentiaturæ gradum in utroque vel altero jurium, more solito prævio examine idoneum & sufficientem repertum, absque aliqua impensa ac regalium, seu jurium propterea debitorum, & quomodolibet solvi, seu etiam donari consuetorum solutione, & alias gratis ubique teneri voluerit; Et deinde piæ memoriæ Gregorius Decimustertius etiam Prædecessor noster eadem, & alia privilegia, exemptiones, immunitates & commoda quæcunque per alios Prædecessores nostros, Romanos Pontifices, vobis concessa approbaverit & confirmaverit, ac Scholares Germanos literarum studiis in dicta Civitate incumbentes ad quadraginta Virorum dictæ Civitatis instar exemptos fecerit, constituerit & declaraverit; Et postremo rec. mem. Clemens Papa VIII. similiter Prædecessor noster, pariter omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates & commoda vobis, ut probatur, concessa, confirmata, approbata, approbaverit & confirmaverit: Ac insuper vobis & Scholaribus Germanis pro tempore in Civitate prædicta literarum studiis incumbentibus, ut matriculis vestris tam jam concessis, quam in futurum concedendis, non solum per dictam Civitatem, illiusque statum & territorium, sed etiam per totum statum Ecclesiasticum, illiusque dominium uti, frui & gaudere, libere, licite valeretis, concesserit & indulserit, prout in diversis eorundem Prædecessorum literis plenius continetur. Nos vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac singularum literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia & singula privilegia, indulta, concessiones, exemptiones, immunitates, ac facultates quascumque, ac literas Apostolicas, etiam in forma Brevis super his per dictos, & alios quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam vobis concessa, & concessas, quatenus sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini, Constitutionibusque Apostolicis non contrarientur, autoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, & si qui in illis intervenerint, supplemus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ nostri Prædecessores in eorum literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die 15. Septembr. 1605. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

URBANUS P.P. OCTAVUS.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Constantis vestræ fidei & devotionis erga Nos, & Apostolicam Sedem meritis inducimur, ut votis vestris, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus, ac vos favoribus, & gratiis prosequamur opportunis. Supplicationibus itaque vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia & singula Privilegia vobis ac Colle-

gio vestro per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros concessa & approbata, quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, Constitutionibusque Apostolicis minime contrarientur, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac eadem privilegia ad Ducatum Ferrariæ, novissime ad Sedem Apostolicam devolutum, extendimus & ampliamus. Quocirca Venerabili fratri Archiepiscopo Bononiensi, seu dilecto filio, ejus Vicario in spiritualibus generali, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerit requisitus, solemniter publicans, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra, vos privilegiis hujusmodi pacifice frui, & gaudere, non permittens, vos desuper a quoquo quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias constitut. & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac civitatis, & Ducatus Ferrariensis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, legibus, usibus, stylis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis eorum tenore præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Novembris, 1623. Pontificatus nostri anno primo.

V. Theatini.

Vidit D. Octavianus Finatius, Rector Pœn. pro Eminentiss. & Reverendiss. Card. Archiep.

Imprimatur.

Fr. Hier. Onuph. pro Reverendiss. P. Inq. Bonon.

LXIII.

Breve Innocentii X. Pontificis Maximi, in quo Nationis Germanicæ, studiis in Gymnasio Bononiensi imcumbentis, privilegia approbavit atque confirmavit, d. d. 14. Julii, Anno 1645.

INNOCENTIUS. PP. DECIMUS.

Dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Constantis Vestræ fidei & devotionis erga Nos, & Apostolicam Sedem meritis inducimur, ut votis vestris, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus, ac vos favoribus & gratiis prosequamur opportunis. Supplicationibus itaque vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: Omnia & singula privilegia vobis ac Collegio vestro per quoscunque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, concessa, & approbata, quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis contrarientur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Quocirca Venerabili fratri, Archiepiscopo Bononiensi, seu dilecto filio, ejus Vicario in Spiritualibus generali, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerit requisitus, solemniter publicans, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate Nostra vos privilegiis ejusmodi pacifice frui, & gaudere, non permittens vos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliisque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac civitatis & Ducatus Bononiensis, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, legibus, usibus, stylis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenore præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die XXIV. Julii, MDCXLV. Pontificatus nostri anno primo.

LXIV.

Breve Clementis XI. Pontificis Maximi, ad Josephum, Romanorum Imperatorem, directum, in quo, ob loca quædam in Sedis Apostolicæ ditionibus occupata, in eum graviter invehitur, d. d. 2. Junii, Anno 1708.

Charissimo in Christo Filio nostro Josepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illustrissimo, in Romanorum Imperatorem Electo, Clemens Pontifex XI. Charissime in Christo Fili noster, salutem. Vix simile vero videretur, copias illas, quæ stipendia faciunt sub vexillis Majestatis Tuæ in Italia, post tot & tantas molestias & gravissima damna frequenti earum transitu per ditionem Ecclesiasticam populis nostris illata, derepente nulla facta belli indictione, intentasse hostile aliquid adversus eandem ditionem, nisi actu reque ipsa ex his, quæ ad Nos nuper allata sunt, nimium compertum esset, id plane evenisse,

eandem

easdem copias loca quædam Jurisdictionis nostræ paulo ante occupasse, ibique constituto præsidio, tuisque signis explicatis insedisse, animo, ut apparet, majora aggrediendi, ubi novis militiis, quæ mox affuturæ dicuntur, augeantur. Vides, Cæsar, hæc contra omnem æquitatem ac rationem, contra debitam Nobis, & Apostolicæ Sedi reverentiam, contra Jura ac rationes Ecclesiæ per abusum tui nominis admissa, divinis humanisque legibus repugnare, recteque opponi titulo defensoris Ecclesiæ, quo maxime gloriati sunt Imperatores inclyti, Majores tui. Non ignoras, quam graviter Sacri Canones & Apostolicæ Constitutiones decernant adversus eos, qui vim rebus & Juribus Ecclesiæ inferunt. Exinde itaque, quousque Te abripuerint (si modo id Te jubente ac conscio admissum est, quod nefas esse videtur, de tuo animo existimare) prava & iniquia eorum consilia, qui Te ad provocandam tam graviter & manifeste DEI iram impulerunt, & pedem nulla mora inde refer, unde certa animæ tuæ pernicies, nedum perpetua Tuo nomini labes consecutura est.

Interim vero de Nobis sic existima, Nos de divina ope, quam humiliter & enixe implorare non cessabimus, confisos ea animi firmitate hanc causam & ea omnia quæ tutelæ nostræ commissa, sunt complexuros esse, ut nemo unquam Nobis succensere possit, Nos muneris nostri partibus defuisse, aut mediis, sive spiritualibus, sive temporalibus non usos fuisse, etiamsi hoc cujuscunque rei jactura & vitæ nostræ dispendio faciendum sit; non enim animam nostram pretiosiorem facimus, quam Nos, dummodo consumemus cursum nostrum, commissumque nobis cœlitus ministerium usque ad mortem fideliter impleamus; Memores siquidem sumus, quemadmodum Te etiam esse oportet, omnes homines, quacunque demum dignitate præstantes, constituendos esse aliquando ante tremendum illud tribunal, coram quo, qui fecerit opus suum negligenter, tum qui tradita sibi potestate abusi fuerint, justi judicis iram non evadent, declinantes in obligatione, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Hæc cogitatio Nos, DEO juvante, impigros in obeundo munere nostro efficiet. Consulat & sibi Majestas Tua. Noli Charissime Fili noster, nomine nostri JEsu Christi, cujus vices indigne gerimus, postremo te alloquimur, noli primitias ferventis ætatis Tuæ totius Christiani populi scandalo maculare, & ab Ecclesiæ, quæ Christi sponsa est, Apostolorumque ejus, injuria Imperii Tui primordia auspicari. Quod quidem ut plane intelligas, & meliora, DEO favente, sapias, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Dat. Romæ die 2. Jun. Anno 1708.

LXV.

Ejusdem Breve ad Josephum, Romanorum Imperatorem, exaratum, in quo ipsum severe serioque exhortatur, ut ab omni violentia hostili abstinere, & ad pacata consilia mentem convertere velit, sin vero minus, vim vi oppositam, durumque demum excommunicationis fulmen præstoletur, d. d. 16. Julii, Anno 1708.

HActenus lenitatis & patientiæ dedimus grande documentum, cum a Te Cæsare sæpe lacessiti, a tuis armis etiam vulnerati, non modo Nos ultionis cupiditas non excitavit, sed culpam patienter dissimulavimus, ne graviter descenderemus ad pœnam. Egimus semper erga Te cœterosque Principes, veluti bonus Pater erga filios suos, qui singulos cum amantissime diligat, non patitur quenquam inter illos amoris sui principalem locum obtinere, neque per Te licuit, de benevolentia erga Te nostra dubitare. Oblivisci non potes, cum Imperii regimen suscepisti, quando eam Tibi, cæterisque Imperii ordinibus, luculenter satis ostendimus; dolebamus Te primum Regnis imperare, cum inter Te & Gallum Regem vehementissimum bellum arderet. Diu multumque studuimus tranquillitati tuæ, ac tale dissidium autoritate nostra componere enixe conati sumus. Verum sic alte vulnus erat impressum, ut indies recrudesceret magis, ac cujuscunque manum respueret. Verum tamen etsi pacem habere non licuit, studia pacis nunquam amisimus. Curavimus igitur semper paternam quandam indifferentiam, & ut ad id magis idonei essemus, conjunctionem armorum, quæ Nobis offerebatur, ut exteris legionibus Italia liberaretur, constanter rejecimus. Ne locus esset suspicioni, accepimus milites tuos, ac detrimenta, quæ ab iis Dominii nostri pars melior accepit, neglexímus, nec ad aures tuas jussimus querelas nostras deferri. Neapolitana expeditio a Nobis initium habuit & incrementum, & quod nec vi nec armis consequi potuisset, ultro concessimus, ut commodis tuis & profectibus facere Nos magis quam nostræ felicitati videremur. Cum vero lenitas ac tanta patientia non modo in Ecclesiam debitum obsequium non confirmaverit, sed illi ruinas ac damna inferendi consilium dedisse videatur, Nos quoque, omissa lenitate & patientia, severissime munus nostrum implebimus. Opinamur, conscientiam Tuam Tibi ipsi denunciaturam fore, Te irretitum teneri, cum Ecclesiastici Dominii partem non exiguam hostiliter deprædatus es, & pensiones ac beneficia, quæ Ministris Ecclesiæ conferebantur, tibi adjudicaveris extensione violenta. Accedit etiam (sic enim ex literis tuis accepimus) ut causam Christi Domini nostri, ejusque in terris Vicarii, tu ipse velis judicare. Desiste Fili, & ad reverentiam Ecclesiæ animum tuum fidelem revoca: Obliviscemur Nos injuriarum, ac Te, tanquam primogenitum Filium diligemus. Sed si perstabis in tanta imtemperantia consilii, abjicimus Patris clementiam, & in Te, tanquam in rebellem Filium, excommunicatione, & armis etiam, si opus est, animadvertemus. Neque vero timebimus, quicquid etiam eveniet, Christi enim Domini nostri, ejusque Ecclesiæ causam defendimus. Christus ipse vires dabit, ut vincamus. Et si Te non pudet, Ecclesiam, & DEum ipsum impugnare, & ab avita pietate Austriaca, & præcipue Patris tui Leopoldi, sanctæ Sedi adstrictissimi, declinare, idem ipse DEUS, qui regna confert, Regna deperdet. Romæ die 16. Julii, Anno M. DCC. VIII.

LXVI.

Proteſtatio, nomine Sedis Apoſtolicæ, Sanctiſſimique Domini, Domini Innocentii Papæ XIII. adverſus tractatus ſuper conceſſione eventualis Inveſtituræ de Parmæ atque Placentiæ Ducatibus prætenſa initos, aut ineundos, in Conventu Cameracenſi emiſſa, d. d. menſ. Mart. Anno 1723. vid. ſupra in Tomo I. hujus Codicis pag. 2338.

LXVII.

Benedicti XIII. Pontificis Maximi, Oratio ad S. R. Eccleſiæ Cardinalium conſeſſum habita, in qua conditiones pacis inter Carolum VI. Romanorum Imperatorem, atque Philippum V. Hiſpaniarum Regem, Viennæ, die 30. Aprilis Anno 1725. initæ, improbavit, ſeque ab iis diſſentire, publico hoc documento declaravit, de Anno 1725. vid. loc. ant. citat. pag. 2386.

Nota 1. Si quis forte plura Diplomata atque Documenta avthentica, quæ Sedis Apoſtolicæ in Eccleſia Germanica Jura reſpiciunt, deſideret, eum ad Imperii Romano-Germanici Archivum, titulo Germanico, *Teutſches Reichs-Archiv*, inſignitum, & a nobis, utpote Collectore, in viginti quatuor Volumina in folio, uti ajunt, diſtributum, remittimus. Talium enim ibi typis expreſſorum haud exiguam copiam, ope Indicis ſubjuncti, ut deſiderio ſuo poſſit facere ſatis, deprehendet.

2. Summaria Privilegiorum Eccleſiæ Romanæ ex Manuſcripto Cardinalis Ottoboni, *per Mabillonium* eruta, vid. in *Edmundi Martenii* atque *Urſini Durandi* collectione ampliſſima veterum ſcriptorum & monumentorum hiſtoricorum, *Tom. II. pag. 1225.*

SECTIO II.
De utriusque Siciliæ Regnis.

I.

Formula Juramenti fidelitatis ac obedientiæ, a Roberto, Apuliæ, Calabriæ atque Siciliæ Duce, Sedi Apoſtolicæ præſtiti; cui tam Gregorii VII. Pontificis Maximi, Literæ Inveſtituræ, in commodum atque emolumentum laudati Roberti expeditæ, quam conſtitutio de cenſu exſolvendo adjectæ ſunt, d. d. 3. Kalend. Julii, Anno 1080.

EGo Robertus, DEI gratia, & Sancti Petri, Apuliæ & Calabriæ, & Siciliæ Dux, ab hac hora, & deinceps ero fidelis Sanctæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio univerſali Papæ. In conſilio, vel facto, unde vitam, aut membrum perdas, vel captus ſis mala captione, non ero. Conſilium quod mihi credideris, & contradixeris, ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum, me ſciente. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tibique adiutor ero, ad tenendum, acquirendum, & defendendum Regalia Sancti Petri, ejusque poſſeſſiones pro meo poſſe contra omnes homines (excepta parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno atque Amalphi, unde adhuc facta non eſt definitio) & adjuvabo te, ut ſecure & honorifice teneas Papatum Romanum. Terram Sancti Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, poſtquam ſcivero, tuæ eſſe poteſtatis, nec invadere, nec acquirere quæram nec etiam deprædari præſumam, absque tua, tuorumque Succeſſorum, qui ad honorem Sancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, præter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt Succeſſores.

Penſionem de terra Sancti Petri, quam ego teneo aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, recta fide ſtudebo, ut illam annualiter Sancta Romana habeat Eccleſia. Omnes quoque Eccleſias, quæ in mea perſiſtunt dominatione, cum illarum poſſeſſionibus dimittam in tua poteſtate, & defenſor ero illarum ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et ſi tu, vel tui Succeſſores ante me ex hac vita migraveritis, ſecundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus, clericis Romanis & laicis, adjuvabo, ut Papa eligatur & ordinetur ad honorem Sancti Petri. Hæc omnia ſupraſcripta obſervabo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi cum recta fide: & hanc fidelitatem obſervabo tuis Succeſſoribus, ad honorem Sancti Petri ordinatis, qui mihi (ſi mea culpa non remanſerit) firmaverint inveſtituram, a te mihi conceſſam. Actum Ciprani (eſt oppidum in Latio, ad ripam Liris fluminis) tertio Kal. Julii.

Ego Gregorius Papa inveſtio te, Roberte Dux, de terra, quam tibi conceſſerunt anteceſſores mei ſanctæ memoriæ, Nicolaus, & Alexander. De illa autem terra, quam injuſte tenes, ſicut eſt Salernus & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter ſuſtineo in confidentia DEI omnipotentis, & tuæ bonitatis, & tu poſtea exinde ad honorem DEI, & Sancti Petri ita te habeas, ſicut & te agere, & me ſuſcipere decet, ſine periculo animæ tuæ, & meæ. *Actum ut ſupra.*

Conſtitutio reddendi cenſus in die Reſurrectionis Domini, duodecim videlicet denariorum Papienſis monetæ, de tota Apulia, Calabria & Sicilia, pro unoquoque jugo boum.

Ego Robertus DEI gratia & Sancti Petri, Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra, quam ego teneo proprie ſub Dominio meo, & quam adhuc nulli Ultramontanorum ita conceſſi, ut teneat, promitto, me annualiter pro unoquoque jugo boum penſionem, duodecim ſcilicet dena-

denarios Papiensis monetæ persolututum beato Petro, & tibi Domino meo Gregorio Papæ, & omnibus Successoribus, aut tuis, aut Successorum tuorum Nuntiis. Hujus autem pensionariæ redditionis erit semper terminus, finito quoque anno, sanctæ Resurrectionis dies Dominicus. Sub hac vero conditione hujus persolvendæ pensionis obligo me, & meos sive hæredes sive Successores tibi Domino meo Gregorio Papæ & Successoribus tuis.

II.

Urbani II. Pontificis Maximi, Bulla, de Libertate Ecclesiæ Siculæ agens, d. d. 3. Non. Julii Anno 1097.

URbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo filio R. Comiti Calabriæ & Siciliæ salutem & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ Majestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltavit: & probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, Sanctæque Sedi Apostolicæ devotam se multis modis semper exhibuit, Nos in specialem atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ assumpsimus, idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam literarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem, aut consilium vestrum, legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus: quinimo, quæ per legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice exhiberi volumus: quando ad vos ex latere nostro miserimus, ad salutem videlicet Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existant, ad honorem beati Petri, sanctæque ejus Sedis Apostolicæ, cui devote hactenus obedisti: quanquam in opportunitatibus suis strenue ac fideliter adjuvisti. Si vero celebrabitur Concilium, tibi mandavero, quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot, & quos volueris mittas: alios ad servitium Ecclesiarum & tutelam retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & te a peccatis absolutum ad vitam æternam perducat. Dat. Salerni per manum Joannis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi. III. Nonas Julii. Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani secundi XI.

III.

Diploma, in quo Rogerius, primus Siciliæ Rex, Messanam Urbem, primariam totius Siciliæ sedem atque caput declaravit, eamque multis Privilegiis donavit, d. d. 15. Maji An. 1129.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Amen. Rogerius, divina favente clementia primus Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ. Optime statuit provida moderatione vetustas, ut sic recipiant præmia laborantes, præcipue, qui publicis utilitatibus obsecundant, ut quis præteritus reputetur, qui probabili fuerat actione laudandus. Novimus itaque narratione scripturaque vetusta pariter & moderna, quot labores, damna, & prælia sustinuerit nobilis & laudanda civitas Messanæ & ejus cives, ut Christianum dominium, expulsis Agarenis, in Sicilia præfulgeret. Nam magnificum quondam patrem nostrum ad illam capessendam introduxerunt, ipsum ope et opere prævenerunt cum maxima substantia et sangvinis effusione, in ipsa magnifici patris nostri dominium Siculis infidelibus fuit tranquilla serenitate pacatum, et Nobis etiam in cunctis necessitatibus suam ostendit virtutem. Propter quod debite adstringimur, ipsam civitatem et cives antiquis prærogativis et honoribus præservare, nec minus de novo concedere, et in remunerationis præmium tribuere. Et quoniam authenticis scripturis indicantibus ea civitas, velut regni caput semper extitit prahonorata, non solum Romani et Græcorum imperii tempore, sed etiam sub eisdem Agarenis oppressa, dignum arbitramur ideo, ut nunc, quod ejus labore juvante colitur, ibi sancta religio Christiana meritis, prærogativis, et immunitatibus extollatur. Igitur perpetuo statuimus, ut in eadem civitate sit in capite regia curia principalis, in quaque sunt Annales, Stratigatus, et Judices ordinarii, tam Græci, quam latini, ubi, et non alibi, in primis judicius cives et habitatores Messanæ tam intra se, quam ab aliis conveniant et conveniantur, incusent, et incusentur, tam de civilibus, quam de criminalibus, magnis et parvis, publicis et privatis, præter si status perversio tractaretur. Et tunc, si decreverit mandatum regium, per officiales hoc immane delictum puniatur ibidem. Qui Stratigatus de se, vel ejus arbitrio nihil consequatur, nullamque capiat mercedem, pœnam, nec solutionem, nisi quantum Judices, mediante justitia, mandabunt. Erit itaque solum justitiæ notabilis executor. Quæ curia præsit omnibus civitatibus, terris, et locis quæ sunt a Leontino usque ad Pactas, et ipsarum habitatoribus, et ejus Officiales visitent, et corripiant eosdem cives et habitatores ipsorumque Officiales. Et si civem Messanæ contigerit criminaliter incusari, in eodem judicio comparere juret sine malitia incusare, incusationem prosequatur usque ad sententiam & executionem, & quoties ulterius prosequi noluerit, judicium protinus extinguatur. Quodque sacri Regii Quæstor nec aliquis Officialis regius contra ipsos cives & habitatores, causas moveat, nec motas accipiat, ubi lis & accusatio est particularium, vel esse debet. Sed si ex commissis per eos aliquid regio competat sacco, illud juridice exigatur in curia supradicta, postquam fuerit per ultimam sententiam judicatum, quodque solus audiatur incusans, qui suam, vel suorum prosequetur injuriam. Statuimus etiam, quod ibidem & in ipsos cives ubique perpetuo justitia præservetur, ita quod non sit locus injustitiæ, nec acceptatio personarum. Etiam si regia potestas, seu persona, vel ejus officialis auctoritatis cujuscunque litigaverit cum cive vel habitatore Messanæ, nullius favore legis neque privilegii præponatur, sed justitia communiter ministretur, & a suo prædicto foro non possit illum extrahere,

here, aut alibi conveniat illum, vel inculet. Et si regium prætorium, aut alius Officialis civem vel habitatorem Messanæ incusaverit pro re quacunque in judicio, & succubuerit, sibi damna resarciat & expensas; & si fuerit de crimine, ea lugeat pœna, quam meruisset incusatus. Adjicimus etiam, quod regia auctoritas non utatur ibidem nec contra eosdem absoluta potestate, sed legibus ordinata, quam ex nunc legibus & justitia moderamur. Quodque nunquam fiat ordinatio, mandatum, vel scriptura, quæ sit contra jus, statuta, constitutiones, mores, consuetudines & privilegia dictæ civitatis, & si fieri contingat, nulli exæquationi mandetur, donec fuerit per justitiam moderatum, nec unquam in eadem novi statuantur officiales, seu de novo, & omnes officiales statuendi a Regia Serenitate, sive ad vitam, ad tempus, vel ad beneplacitum, pro quacunque jurisdictione, vel exercitio, sint cives ejusdem, non suspecti, nec infesti populo, aut molesti. Insuper quod omnes civitates & loca, quæ sunt a Leontino usque ad Pactas, jurare teneantur, manutenere honorem Messanæ, pro qua & civium vindicta ad ejusdem civitatis mandatum facere teneantur armatam per mare, vel terram exequendo, quæ eis dicta civitas mandabit, regia fidelitate præsalva. Et quia caput est regni, et regiam continet potestatem, ordinamus, quod Rex qui fuerit ad tempus, ad ipsius civitatis honorem semper sit et reputetur civis coronatus in eadem. In qua regni status, regni & regiminis omnia conserventur exempla, sitque præ aliis regni civitatibus honorata, et in regiis aliisque convocationibus et synodis sedem primam et locum primum obtineat principalem. In qua etiam totius dominii nostri pecunia aurea, argenta, et ærea cudatur, et officiales Siclæ ipsius cognoscant de qualitate et pondere ipsius monetæ, quæ per omne regni dominium expendetur. Decernimus præterea, quod præsint in eadem curia maris Consules, per navigiorum primates & mercatores eligendi, qui cognoscant de marinis negotiis, quibusvis mercantiis, et earum naturam sapientibus. Qui Consules de usibus marinis et modo regendi curiam, valeant capitula statuere. Volumus etiam, quod ubicunque mercatores navigiorum dominio civitatis prædictæ fuerint adunati, e tribus unum possint Consulem eligere et statuere, confirmandum per Consules antedictos. Qui Consul & nullus alius infra regium dominium audiat, cognoscat, & decidat causas ipsorum civium quascunque, magnas & parvas, civiles & criminales, & quod nullus alius Officialis audeat manus in causis iisdem immittere, nec contra dictos cives & eorum bona aliquid intentare. Si vero causa fuerit de crimine, vel a solidis aureis viginti ultra, & dictus civis elegerit causam suam in eadem civitate tractari, quod caute coram eodem Consule, secundum quantitatem negotii & personæ, ipsum ad dictam civitatem litigaturum transmittat, & si crimen tale fuerit, sub fida custodia & diligentia. Coram vero Consule per eosdem extra nostrum dominium eligendo, omnes de nostra & Successorum nostrorum potestate se conveniant & accusent, & conveniantur & incusentur, & non alibi. Nec aliquis de subditis Regis Siciliæ extra dictum dominium valeat Consulem eligere, nec statuere. Nam hoc præmium eidem civitati concessimus ad ejus honorem. Præterea cives & habitatores prædictos liberos facimus perpetuo per totum nostrum Dominium quod nunc habemus, & favore divino Nos, vel cæteri Siciliæ Reges habebunt in posterum, de omnibus & singulis Gabellis, Dohanis, & aliis solutionibus quibuscunque, tam de magnis rebus & mercibus, quam de parvis mobilibus & stabilibus, in mari & in terra, tam in terris regiis, quam in Ducalibus, ecclesiasticis, Comitum, & Baronum. Adjungimus etiam quod nullo unquam tempore in eadem civitate & extra per suas villas & rura, quæ sunt a rupe Agro usque ad Babusium inclusive tallia, collecta, angaria, parangaria, echioma, gabella, mutuum, extorsio jaciatur, imponatur, nec colligatur, etiamsi Rex quacunque necessitate productus contra regni statuta, vel secundum collectaret, peteret, aut cæteros cogeret pro re quantacunque necessaria, liberi sint, dum causaverint, seu convenerint a trino procento, proque rebus communibus & publicis, ac negotiis civitatis, nec ad regii epistagmatis jura nec exemplorum cogantur solutionem, & nunquam ullo tempore gabella de novo nec impositio quomodolibet apponatur in rebus quibuscunque nec mercibus, tam in rebus, quæ fuerint in civitate, quam quæ portantur ab extra, etiamsi essent res inventæ de novo. Mineræ, aquæ, & similia, quæ in locis civium inveniuntur, sint civium ipsorum, præter eas, quæ in præsidiis regiis concessis ipsis civibus reperientur. Præterea, quod per omnia maria piscari valeant absque aliqua solutione, & quod ipsorum necessaria capere possint a terrenis littoribusque propinquis, nec minus pro usu ipsorum ligna capere, vel capi facere a nemore quocunque & pro navigiis ipsorum civium construendis, aut reparandis, nulla solutione præeunte. Addimus etiam, quod nullus civis Messanæ ad stolum, vel armatam quamcunque regalem, nec alias per mare, seu terram ire cogatur invitus, præter ad hoc opus munere aut stipendiis sublimatus. Civis verus erit & velut oriundus tractabitur, qui illic per annum, mensem, hebdomadam, & diem habitaverit, nec alibi domicilium habuerit. Et quoties statuetur exercitus, aut stolus in eadem civitate, & ex eisdem civibus armetur galea, cum qua regia persona transfretabit. Quæ galea cum signis regiis & civitatis ab omnibus aliis honorabitur & præponetur. Cum pro statu civitatis consilium celebrabitur, Stratigotus, Judices, cæteri Officiales & cives vocati, adire & consulere teneantur. Civis recusans, si non fuerit excusatus juste, per Consilium mulctetur, sed pœna solidum auri non excedat. Jubemus, quod cives Messanæ, & ab eis descendentes, qui extra civitatem prædictam habitaverint, gaudeant eis immunitatibus, & exemptionibus, & prærogativis, quibus intus civitatem commorantes, quoties ejusdem civitatis se voluerint titulo prætueri. Decrevimus etiam, quod omnes exteri tam Nobis & nostris Successoribus subditi, quam non ibidem ea libertate tractentur, tam in Dohana, quam in aliis Regis juribus, qua cives & habitatores eosdem in suis patriis tractaverunt. Supradictis immunitatibus & gratiis gaudebunt Judæi simul cum Christianis; Cives eosdem volumus in regiis officiis majoribus & aliis promoveri; Regium Consilium continuo ipsorum civium consultatione muniri. Demum præcipimus & mandamus omnibus Successo-

cessoribus nostris, quod præsens nostrum exemplar eisdem civitati & civibus observent, & perpetua firmitate custodiant; faciantque ab universis effectualiter observari. Datum est hoc exemplar originale de nostri mandato Petro de Camuglia, Aloysio de Trano, Militibus, Joanni de Columna, juristæ, & Philippo de Bursa, Philosopho, Syndicis dictæ civitatis per Jacobum de Mariscalco, Militem de Messana, in lingua Græca atque Latina peritum, nostrarum scripturarum correctorem, in urbe Panhormi felici, in solennitate nostræ coronationis, die quinto decimo Maji, sub anno incarnati Verbi MCXXIX. astantibus reverendis, Domino Rogerio Beneventano, Johanne Salernitano, & Philippo Capuano Præsulibus, Ricardo Gaetano, Duce Salerni, Anselmo Piperio, Comite de Sancta Flore, Petro de Sancto Severo, domino Marturani, & quampluribus aliis.

IV.

Bulla Innocentii II. Pontificis Maximi, in qua Rogerio II. Siciliæ Regi, Regnum Siciliæ, una cum honoribus Regiis, ac dignitate Regibus competente, in feudum contulit, d. d. 6. Kal. Augusti, An. 1139.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, Rogerio, Illustri, & glorioso Siciliæ Regi, ejusque hæredibus in perpetuum.

Quos dispensatio Divini consilii ad regimen & salutem populi ab alto elegit, & prudentia, justitia, aliarumque virtutum decore decenter ornavit: dignum & rationabile est, ut sponsa Christi, sancta & Apostolica Romana mater Ecclesia affectione sincera diligat, & de sublimibus ad sublimiora promoveat. Manifestis siquidem probatum est argumentis, quod egregiæ memoriæ strenuus & fidelis miles B. Petri, Robertus Guiscardus, Prædecessor tuus, Dux Apuliæ, magnificos & potentes hostes Ecclesiæ viriliter expugnavit, & posteritati suæ dignum memoria nomen, & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus, illustris recordationis, Rogerius per bellicos sudores & militaria certamina inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ religionis diligens propagator, utpote bonus & devotus filius, multimoda obsequia matri suæ S. R. E. impertivit. Unde & prædecessor noster religiosus et prudens Papa Honorius Nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, justitia munitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora provexit.

Nos ergo ejus vestigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes: Regnum Siciliæ, quod utique (prout in antiquis refertur historiis) regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, Excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus. Et ut ad amorem atque obsequium Beati Petri, Apostolorum Principis, & nostrum ac Successorum nostrorum vehementius astringaris, hæc ipsa, id est, Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, hæredibus tuis, qui Nobis & Successoribus nostris (nisi per Nos, & Successores nostros remanserit) ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu jurasti, juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non suspecto, de tuto Nobis & ipsis atque salubri, duximus concedenda: eosque super his, quæ concessa sunt, Deo propitio manutenebimus. Quod si per eos forte remanserit: iidem hæredes tui nihilominus teneant, quod tenebant sine diminutione. Census autem, sicut ut statutum est, id est sexcentorum Schifatorum, a te tuisque hæredibus Nobis nostrisque Successoribus singulis annis reddatur, nisi forte impedimentum interveniat: removente vero te impedimentum, nihilominus persolveretur. Tua ergo, fili charissime, interest, ita te erga honorem atque servitium matris tuæ S. R. E. devotum & humilem exhibere, ita temetipsum in ejus opportunitatibus exercere, ut de tam devoto & glorioso filio Sedes Apostolica gaudeat, & in ejus amore quiescat. Si qua sive Ecclesiastica secularisve potentia huic nostræ concessioni temere contraire tentaverit, donec præsumptionem suam congrua satisfactione coërceat, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, & quousque resipuerit, anathematis sententia percellatur. Amen.

Ego Innocentius, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Albericus, Ostiensis Episcopus.
Haimericus S. R. E. Diaconus Cardinalis.

Dat. in territorio Mamanensi per manum H Cancell. sexto Kalendas Augusti, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ secundi anno decimo.

V.

Instrumentum Pacis inter Hadrianum IV. Pontif. Max. atque Wilhelmum, Siciliæ Regem, initæ, cui laudati Pontificis confirmatio accessit, de An. 115-.

IN Nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi Amen. Domino Hadriano Dei gratia S. R. E. summo Pontifici, Carissimo Domino, & Patri nostro reverendo, ejusque Successoribus, Willelmus, eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Nostræ semper consuetudinis extitit, animum nostrum in triumphis & maximis humiliare successibus, & tunc Nos attentius ad omnipotentis Dei obsequium, & cultum mansuetudinis exponere, cum ad majorem prosperitatem & gloriam Nos vidimus pervenire: tales in tranquillis & prosperis rebus

rebus erga nostri Redemptoris obsequium invenimur volentes, ut perceptorum a Rege omnium Regum beneficiorum non appareamus ingrati, & majores successus atque victorias de brachio virtutis DEI jugiter sperare possimus. Hujus quidem nostræ consuetudinis consideratione inducti, cæsis & comprehensis in manu bellica, ad laudem & gloriam nominis DEI, Græcis & barbaris nationibus, quæ Regnum nostrum nulla earum vi, sed proditorum nostrorum dolositate, intraverant, devictis & fugatis de finibus Regni nostri turbatoribus pacis & proditoribus nostris, humiliandos nos sub omnipotenti manu DEI decrevimus, & ad cultum humilitatis propensius intendendum.

Discordiis igitur illis, quæ inter Romanam Ecclesiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes: cum appropinquavissemus Civitati Beneventi, & inimici nostri ante faciem indignationis nostræ fugissent, venerabiles Cardinales vestros Hubaldum, tituli Sanctæ Praxedis, & Julium Sancti Marcelli, Presbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum, tituli Sancti Marci, Presbyterum Cardinalem, & Cancellarium vestrum, quos ad nostram præsentiam direxistis, eo, quo decuit, honore suscepimus, & desiderium ac monita vestra de bono pacis ex ore ipsorum libenti animo audientes, & ipsis & Majone magno Ammirato Ammiratorum, dilecto fideli, & familiari nostro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano, venerabilibus Archiepiscopis & Willelmo, Calano Episcopo, & Marino, Cavensi Abbate, fidelibus nostris mediantibus; in hunc vobiscum per eos pacis devenimus concordiæque tenorem; videlicet, ut de Capitulis illis, de quibus inter Majestatem vestram & Nos controversia vertebatur, quod subscriptum est, observetur:

De appellationibus quidem ita: Si aliquis Clericus in Apulia & Calabria, & aliis terris, quæ Apuliæ sunt affines, adversus alium Clericum de causis Ecclesiasticis querelam habuerit, & a Capitulo, aut Episcopo, vel Archiepiscopo suo, seu alia Ecclesiastica persona suæ provinciæ non poterit emendari, libere tunc, si voluerit, ad Ecclesiam Romanam appellet. Translationes in Ecclesiis fient, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, & vos aut vestri Successores concedere volueritis. Consecrationes, & visitationes libere Romana Ecclesia faciet Apuliæ, vel Calabriæ Comitatu, ut voluerit, aut illarum partium quæ Apuliæ sunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra, nostrorumque hæredum. In Apulia, & Calabria, & partibus illis, quæ Apuliæ sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiæ non devastent. In Sicilia quoque Romana Ecclesia consecrationes & visitationes habeat, & si de Sicilia personas aliquas Ecclesiastici ordinis vocaverit Magnificentia nostra, nostrorumque hæredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda corona, remoto malo ingenio, retinebit, quas providerit retinendas. Cætera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quæ habet in aliis partibus Regni nostri, excepta Appellatione & Legatione, quæ nisi ad petitionem nostram, & hæredum nostrorum, ibi non fient. De Ecclesiis & Monasteriis terræ nostræ, de quibus Romanæ Ecclesiæ quæstio mota fuit, sic fiat: Vos quidem & vestri Successores in eis habebitis eas, quæ in cæteris Ecclesiis, quæ sub nostra potestate consistunt, solitæ sunt accipi consecrationes & benedictiones a Romana Ecclesia, & debitos insuper & statutos ei census exsolvent. De electionibus quidem ita fiat: Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam Excellentiæ nostræ pronuntient, & postquam persona Celsitudini nostræ fuerit designata, si persona illa de proditoribus aut inimicis nostris, vel hæredum nostrorum non fuerit, aut Magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, vel alia in ea causa non fuerit, pro qua non debemus assentire, assensum præstabimus.

Profecto vos Nobis & Rogerio Duci filio nostro, & hæredibus nostris, qui in Regnum, pro voluntaria ordinatione nostra successerint, concedetis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis suis, *Neapolim*, Salernum & Malphiam, cum pertinentiis suis, *Marchiam* & alia, quæ ultra Marsicam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus, a prædecessoribus nostris hominibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis, honorifice manutenere. Pro quibus omnibus Vobis, vestrisque Successoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & Vobis ligium homagium fecimus, sicut continetur in duobus similibus Capitularibus, quorum alterum penes vestram Majestatem sigillo nostro aureo, alterum vero sigillo vestro signatum, penes nos habetur. Et censum sexcentorum Schifatorum de Apulia & Calabria, quingentorum vero de Marchia, vel æquivalens in auro vel argento, Nos ac nostros hæredes Romanæ Ecclesiæ statuimus annis singulis soluturos, nisi forte impedimentum aliquod intercesserit, quo cessante, census ex integro persolvetur. Omnia vero prædicta, quæ nobis concessistis, sicut nobis, ita etiam & hæredibus nostris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione nostra statuerimus, qui sicut nos, vobis vestrisque Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere, & quæ præscripta sunt, voluerint observare; Ut autem, quæ supra dicta sunt, tam vestro, quam vestrorum Successorum tempore obtineant perpetuam firmitatem, nec nostris aut nostrorum hæredum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari: præsens scriptum per manum Matthæi, nostri Notarii, scribi, ac bulla aurea nostro typario impressa insigniri, ac nostro signaculo decorari jussimus. Datum ante Beneventum, per manus Majonis Magni Ammirati, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo quinquagesimo sexto, mense Junii, quartæ Indictionis, anno vero Regni Domini Willelmi, DEI gratia Magnifici & Gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, sexto feliciter, Amen.

Confirmavit ista suo Diplomate Hadrianus Papa obsessus, ut vidimus, necessitate compulsus: quod sicut invenimus, abbreviatum in multis, hic describemus ex Codice Basilicæ Sancti Petri in Vaticano, verbis istis:

Hadri-

Hadrianus Episcopus servus servorum DEI charissimo in Christo Filio, Willelmo, Illustri, & glorioso Siciliæ Regi, ejusque hæredibus, quos pro voluntaria ordinatione sua statuerit in Regnum in perpetuum.

Licet ex injuncto nobis a DEO Apostolatus officio universos Christi fideles paternæ charitatis brachiis debeamus amplecti atque ad pacem eos & concordiam invitare; Reges tamen, & sublimiores quasque personas tanto amplius diligere & honorare debemus, atque de bono pacis eos tanto studiosius commonere, quanto Ecclesiæ DEI, & fidelibus Christianis major inde fructus spiritualiter atque temporaliter dignoscitur provenire. Constat, charissime in Christo Fili Willelme, gloriose Siciliæ Rex, te inter Reges, & celsiores personas seculi eximiis operibus, potentiaque, clarere, ita ut ex vigore justitiæ, quam in terra sub tua ditione constituta conservas, ex securitate pacis, qua omnes per eandem constituti lætantur, & ex terrore, quem *inimicis* Christiani nominis per opera magnifica incussisti, usque ad extremos angulos fama tui nominis, & gloria protendatur. Quod siquidem Nos, dilectissime in Christo Fili, Willelme eximie, diligentius attendentes, & inspicientes pariter, quantæ utilitates Romanæ Ecclesiæ valeant provenire, si Celsitudo Tua per firmam pacem ei & concordiam conjungantur: dum in civitate Beneventana securi & liberi cum fratribus nostris essemus, ad pacem tecum habendam diligenti studio decrevimus intendere. Misimus ergo ad Excellentiam tuam quosdam fratrum nostrorum, scilicet &c. & proposuimus per eos nostrum de bono pacis & concordiæ desiderium, & invitavimus attentius, & monuimus Excellentiam tuam ad pacem. Et illius inspirante virtute, qui ad cœlum iturus discipulis suis ait: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: talem animum tuum invenimus, qualem filii pacis, & Catholici Principis decuit inveniri. Et, mediantibus prælatis filiis nostris &c. In hanc formam pacis libera & spontanea voluntate nostra devenimus, ut videlicet de Capitulis illis, de quibus inter Nos, & Excellentiam tuam controversia est, per omnia &c. *ut supra in proxime scripta Regis est conclusione*, pergit: ut autem quæ supra diximus, tam nostro, quam Successorum nostrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec tuis, nec tuorum hæredum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari: Nos ea de communi consilio & fratrum nostrorum auctoritate Apostolica confirmamus, & valitura in perpetuum præsentis scripti pagina communimus, & tam a Nobis, quam a nostris Successoribus, perpetuis temporibus statuimus observanda. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit, Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, indignationem incurrat. Amen, Amen, Amen! Datum eadem die, qua & superior.

VI.

Wilhelmi, Siciliæ Regis, Literæ, ad Hadrianum IV. Pontificem Maximum, directæ, atque de juribus Siciliæ Regibus, circa electionem præsulum competentibus, agentes, d. d. mens. Junii, Anno 1156.

In nomine DEI æterni, & Salvatoris nostri JEsu Christi, Amen! Domino Hadriano DEI gratia S. R. E. Summo Pontifici, charissimo Domino, & Patri nostro reverendo, ejusque Successoribus, Willelmus, eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Nostræ semper consuetudinis extitit, animum nostrum in triumphis, & maximis humiliare successibus, & tunc nos attentius, ad omnipotentis DEI obsequium, & cultum mansuetudinis exponere, cum ad majorem prosperitatem & gloriam Nos vidimus pervenire: tales in tranquillis & prosperis rebus erga nostri Redemptoris obsequium inveniri volentes, ut perceptorum a Rege omnium Regum beneficiorum non appareamus ingrati, & majores successus atque victorias de brachio virtutis DEI jugiter sperare possimus. Hujus quidem nostræ consuetudinis consideratione inducti, cæsis & comprehensis in manu bellica ad laudem & gloriam nominis DEI Græcis & Barbaris nationibus, quæ Regnum nostrum nulla earum vi, sed proditorum nostrorum dolositate intraverant, devictis & fugatis de finibus Regni nostri turbatoribus pacis & proditoribus nostris, humiliandos nos sub omnipotenti manu DEI decrevimus, & ad cultum humilitatis propensius intendendum. Discordiis igitur illis, quæ inter Romanam Ecclesiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes: cum appropinquavissemus civitati Beneventi, & inimici nostri ante faciem indignationis nostræ fuissent, venerabiles Cardinales vestros, Hubaldum, tituli Sanctæ Praxedis, & Julium, tituli Sancti Marcelli, Presbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum, tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, & Cancellarium vestrum, quos ad nostram præsentiam direxistis, eo, quo decuit, honore suscepimus, & desiderium ac monita vestra de bono pacis ex ore ipsorum libenti animo audientes, ipsis, & Majone magno Ammirato Ammiratorum, dilecto fideli, & familiari nostro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano venerabilibus Archiepiscopis, & Willelmo Calano Episcopo & Marino Cavensi Abbate, fidelibus nostris mediantibus, in hunc vobiscum per eos pacis devenimus concordiæque tenorem, videlicet, ut de capitulis illis, de quibus inter Majestatem vestram, & Nos controversia vertebatur, quod subscriptum est, observetur.

De appellationibus quidem ita: Si aliquis clericus in Apulia, & Calabria, & aliis terris, quæ Apuliæ sunt affines, adversus alium clericum de causis Ecclesiasticis querelam habuerit, & a Capitulo aut Episcopo, vel Archiepiscopo suo, seu alia Ecclesiastica persona suæ provinciæ non poterit emendari: libere tunc, si voluerit, ad Ecclesiam Romanam appellet, translationes in Ecclesiis fient, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit; & vos, aut vestri successores concedere volueritis. Consecrationes, & visitatio-

tationes libere Romana Ecclesia faciet Apuliæ, vel Calabriæ civitatum, ut voluerit, aut, illarum partium, quæ Apuliæ sunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra, nostrorumque hæredum. In Apulia & Calabria, & partibus illis, quæ Apuliæ sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiæ non devastent. In Sicilia quoque Romana Ecclesia consecrationes & visitationes habeat, & si de Sicilia personas aliquas Ecclesiastici ordinis vocaverit Magnificentia nostra, nostrorumque hæredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda corona, remoto malo ingenio, retinebit, quas providerit retinendas. Cætera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quæ habet in aliis partibus Regni nostri, excepta appellatione, & legatione, quæ nisi ad petitionem nostram, & hæredum nostrorum, ibi non fient. De Ecclesiis & monasteriis terræ nostræ, de quibus Romanæ Ecclesiæ quæstio mota fuit, sic fiat: Vos quidem, & vestri successores in eis habebitis eas, quæ in cæteris Ecclesiis, quæ sub nostra potestate consistunt, solitæ sunt accipi consecrationes, & benedictiones a Romana Ecclesia; & debitos insuper, & statutos ei census exsolvent. De electionibus quidem ita fiat: Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam Excellentiæ nostræ pronuncient, & postquam persona Celsitudini nostræ fuerit designata, si persona illa de proditoribus aut inimicis nostris, vel hæredum nostrorum non fuerit, aut Magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, vel alia in ea causa non fuerit, pro qua non debemus assentire, assensum præstabimus.

Profecto vos Nobis, & Rogerio Duci, filio nostro, & hæredibus nostris, qui in Regnum pro voluntaria ordinatione nostra successerint, concedetis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis suis, Neapolim & Salernum, & Malphiam cum pertinentiis suis, Marchiam, & alia, quæ ultra Marsicam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus a Prædecessoribus nostris, hominibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis honorifice manutenere. Pro quibus omnibus vobis, vestrisque Successoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium homagium fecimus, sicut continetur in duobus similibus Capitularibus, quorum alterum penes vestram Majestatem sigillo nostro aureo, alterum vero sigillo vestro signatum penes Nos habetur. Et censum sexcentorum Schifatorum de Apulia & Calabria, quingentorum vero de Marchia, vel æquivalens in auro vel argento Nos, ac nostros hæredes Romanæ Ecclesiæ statuimus annis singulis soluturos, nisi forte impedimentum aliquod intercesserit, quo cessante, census ex integro persolvetur. Omnia vero prædicta, quæ Nobis concessistis, sicut Nobis, ita etiam & hæredibus nostris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione nostra statuerimus, qui sicut Nos vobis, vestrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere, &, quæ præscripta sunt, voluerint observare. Ut autem, quæ supra dicta sunt, tam vestro, quam vestrorum successorum tempore obtineant, perpetuam firmitatem, nec nostris, aut nostrorum hæredum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari; præsens scriptum per manum Matthæi, nostri Notarii, scribi, ac bulla aurea nostro Typario impressa insigniri, ac nostro signaculo decorari jussimus. Datum ante Beneventum, per manus Majonis, magni Ammirati Ammiratorum, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo sexto, mense Junii, 4. Indict. anno vero Regni Domini Wilelmi, DEI gratia magnifici & gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ sexto, feliciter, Amen.

VII.

Wilhelmi, Regis Siciliæ, Privilegii a Rogerio, Rege Siciliæ, Civitati Messanæ concessi Confirmatio, de Anno 1164.

IN nomine DEI æterni, & salvatoris nostri JEsu Christi, Amen. Wilelmus, Divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Condignum arbitramur nostrorum subditorum, quæ virtutibus acquisiverint, augendo confirmare. Fecimus itaque Messanensibus privilegium, concedens eis aliquas gratias speciales. Datum in urbe felici Panhormi per manus Riccardi Syracusani electi, Anno Dominicæ incarnationis MCLX. mense Maji, indictione IX. Dumque Messanæ personaliter essemus, ex parte universorum hominum civitatis ipsius fuit Nobis exhibitum exemplar originale magnifici Domini patris nostri, requiescentis in pace, datum in urbe prædicta Panhormi, die XV. Maji sub anno incarnati Verbi MCXXIX. in solennitate coronationis ejusdem, aliaque Romanorum chirographa, per quæ plene accepimus, istam civitatem ulteriora mereri, quam sibi nostra munificentia fuit largita. Certi propterea cives ipsos, cum opus fuerit, Nobis similia præstituros, ante nostra lumina discernentes, quæ pro nostra magnitudine præstiterunt, atque præstare non desinunt, eisdem civibus & civitati propter eorum merita omnia & singula privilegia, gratias & munera, prædictæ civitati concessas, præcipue dictum privilegium in exemplari originali contentum excellentis Domini Patris nostri, ut jacet, per Nos inspectum atque visum confirmamus, roboramus, ipsisque ex Nobis concedimus de novo, proque civium ipsorum meritis una cum infra ponendis gratiis elargimur. Cui civitati & civibus etiam libertatem in dicto privilegio declaratam specifice in sancta urbe Hierusalem omnibus & singulis aliis civitatibus, terris, & locis Agarenorum, & aliorum infidelium, quas Nobis subjecimus, & Domini Brachio subjicimus, etiam in civitate Acri, concedimus, damus, & volumus observari, in quibus dicti cives logias ubicunque voluerint ædificare, Consulem statuere cum plena auctoritate velut in eodem privilegio declaratur. Si vero curiæ fuerit solum,

solum, nihil solvant; si privatum a Dominis emant, illud volentibus alienere, ita quod per excessivum logiæ ædificium loci non deformetur aspectus. Portus & portas omnes nostri Domanii & Dominii præsentis & futuri, Ecclesiarum, Comitum, & Baronum, pro victualibus aliisque comestibilibus pro usu civium & civitatis ipsius eidem concedimus civitati cum omni mera libertate & illa, quam de aliis mercibus & rebus habent, secundum dictamen supradicti privilegii. Nec ad impositionem aliquam forsan super iisdem victualibus & comestibilibus per universitates, Prælatos, Comites, aut Barones addictam teneantur, vel solvere cogantur. Ad hujus autem concessionis & munificentiæ nostræ memoriam ac perpetuo stabile firmamentum præsens hoc privilegium nostrum per manus Mathæi, nostri Notarii, scribi jussimus, nostroque, quo utimur, epistagmate roboratum. Datum in eadem civitate Messanæ per manus Riccardi Syracusani electi, Anno Dominicæ incarnationis M C LXIV. vigesimo Augusti, Indict. IX. Regni vero Domini Wilelmi, DEI gratia magnifici & gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno XI. feliciter, Amen.

IIX.

Constitutio dotalitii, a Wilhelmo, Rege Siciliæ, in Johannæ, uxoris suæ, Henrici II. Anglorum Regis filiæ, commodum atque emolumentum, promulgata, d. d. mens. Februar. Anno 1177.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

RErum fœdus & concordiam humanarum inter cætera pacis bona ligat fortius & adstringit vinculum conjugale, quod & Sacramenti altitudine venerandum, & ipsa suæ institutionis est singularitate præclarum, & solemni ab initio mundi & temporis consuetudine celebratum. Hujus itaque juris forma, quia de divina institutione traxit originem, jure de peccato induit maculam, nec de longiori serie temporis desuetudinis potuit sentire jacturam. Quam etiam id honoris venerando auxit mysterio, ut maris & fœminæ consensus matrimonium Christi Ecclesiæ teneret Sacramentum. Tanti ergo mysterii ratione simul & veneratione inducti, nos W. divina favente clementia, Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Johannam, puellam regii excellentia sanguinis illustrissimam, filiam H. Magnifici Regis Angelor. divino nutu & felici auspicio sacri lege matrimonii & maritali nobis fœdere copulamus, ut bonum conjugii castæ dilectionis fides exhibeat, unde Nobis inposterum proles regia, DEO dante, succedat, quæ divini gratia muneris. virtutum stimulis & generis titulo ad regni possit & debeat fastigium sublimari. Quia vero nostra dignum est celsitudine, ut tam nobile ac tam insigne conjugium decenti dotalitio debeat honorari, per hoc præsens scriptum damus & in dotarium concedimus præfatæ Reginæ carissimæ nostræ Comitatum Montis S. Angeli, sicut est inferius annotatum, scilicet in domanio civitatem Montis S. Angeli, civitatem Siponti, & civitatem Vestæ, cum omnibus justis tenementis & pertinentiis earum. In servitio autem concedimus ei de tenementis Comitis Goffridi Alesino, Pischizam, Ritum, Caprile, Baranum & Sfilizam, & omnia alia quæ idem Comes de honore ejusdem Comitatus Montis S. Angeli tenere dignoscitur. Concedimus etiam similiter in servitio candelarum sanctum clericum castellanum Paganum, Bisentinum, & Caizanum. Insuper concedimus ut sint de honore ipsius dotarii monasterium Sancti Johannis de Lania, monasterium S. Mariæ de Pulsano cum omnibus tenementis, quæ ipsa monasteria tenent de honore prædicti Comitatus S. Angeli: ita quidem, ut ipsa Regina uxor nostra prædicta omnia semper recognoscat ab hæredibus nostris nostra ordinatione in Regnum succedentibus, & de omnibus prædictis tenementis servitium, prout exigit feudum eorumdem integre & illibate jam dictis hæredibus nostris. Præsens privilegium per manus Alexandri Notarii Siciliæ, & bulla aurea typario impressa roboratum nostro signaculo jussimus decorari, in quo familiares nostri & aliæ personæ præcepto nostro se subscripserunt anno, mense & indictione subscriptis.

† Ego Walterius, Panormitanus Archiepiscopus.
† Alphanus, Capuanus Archiepiscopus.
† Ego Richer, Siracusanus Episcopus.
† Ego Bartholomæus, Agripp. Episcopus S. Mariæ novæ.
† Ego Reginus, Baront. Archiepiscopus.
† Ego Nicolaus, primus Mess. Archiepiscopus.
† Ego Rust. Cusentinus Archiepiscopus.
† Ego Theodorus, Episcopus, Abbas Regalismontis.
† Ego Robertus, Cathanensis Episcopus.
† Ego Gurdo, Cephal. Episcopus.
† Ego Elias, Trojanus electus.
† Ego Justus, Mat. Episcopus.
† Ego Robertus, Tricaricensis Episcopus.
† Ego Petrus, Galatanensis Episcopus.
† Ego Johannes, Potentinus Episcopus.
† Ego Robertus, de Brano.
† Ego Alexander, Gupill.
† Ego Mathæus, Domini Regis Vice-Cancellarius.
† Ego Robertus, Casertanus Comes.
† Ego Amphusus, Comes Scrullacus.
† Ego Joseclinus, Comes Loret.
† Ego Hugo, Comes Catazarii.
† Ego Richardus, Fundanus Comes.
† Ego Walterus de Moac, Regis Fortunati Stolii Admiralis.
† Ego Aldusius de Candida, Domini Regis Senescallus.
† Ego Bernardus, Gentill. Regiæ primatiæ mansue. de consil.
† Ego Richardus, Sacri Palatii Regii Logotheta.
† Ego Ramaldus, de Monte-forti Magister Justitiarius.
† Ego Persicus, Regiæ Curiæ justitiarius.
† Ego Fredericus, Regiæ Curiæ Justitiarius.
† Ego Robertus, Malconvenant.

Data in urbe Panormi feliciter per manus Walterii, Panormitani Archiepiscopi, & Matthæi Regis Vice-Cancellarii, & Ricardi venerabilis Siracusani Episco-

Episcopi, Domini Regis familiarium, Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. mense Februario, X. indictione, Regni Domini nostri Willelmi DEI gratia, magnifici & gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, principatus Capuæ anno XI. feliciter, Amen.

(L.S.)

IX.

Tabulæ Pacis, inter Fridericum I. Romanorum Imperatorem, & Wilhelmum, Siciliæ Regem, conclusæ, ac per quindecim annos duraturæ, d. d. mense Augusti, Anno 1177.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

NOs Fredericus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Henricus Rex, Filius noster, interventu Venerabilis Patris nostri, Alexandri, DEI gratia Summi Pontificis & Fratrum suorum Cardinalium, pro parte nostra & hæredum nostrorum, paciscimur vobiscum Domine W. eadem gratia Illustris Rex Siciliæ, quod a modo usque ad XV. annos observabimus vobis & hæredibus vestris, & universo Regno vestro, & toti terræ dominationis vestræ, veram & firmam pacem, & quod per Nos, vel per quoslibet alios, mari, vel terra, vos prædictum Illustrem Regem & hæredes vestros, aut Regnum vestrum, aut terram dominationis vestræ, sicut præscriptum & determinatum est, usque ad XV. annos, non invademus, nec invadere faciemus, nec vobis, aut Regno vestro, & jam dictæ terræ dominationis vestræ guerram aliquo modo faciemus. Et ut hæc omnia suprascripta firmiter & illibata a Nobis supradicto Frederico, DEI gratia Romanorum Imperatore, & semper Augusto, & Henrico Filio nostro Rege, & hæredibus nostris, tam vobis supradicto Illustri Regis W. quam hæredibus vestris, & Regno vestro & toti terræ dominationis vestræ attendantur, & observentur. Nos prædictus Imperator, bona fide, sine fraude & malo ingenio, in præsentia Beatiss. Patris Nostri, Papæ Alexandri & Cardinalium, & Legatorum vestrorum, Romualdi, Venerabilis Salernitani Archiepiscopi, & Rogerii Comitis Andriæ, & Principum ac fidelium nostrorum, a Comite Henrico de Diessa in anima nostra, supra sancta DEI Evangelia, & sanctorum reliquias, jurari fecimus, & Henricum Filium nostrum, per interpositam dignam personam, in anima sua ad ipsum jurare fecimus, usque ad medium futurum Septembrem. Ind. X. & Principes nostros idem jurare fecimus, videlicet Christianum Maguntinum Archiepiscopum, Arnaldum Trevirensem Archiepiscopum, Corradum Wormaciensem electum, Godelphidum, Imperialis Aulæ Cancellarium, Guorvunum Prothonotarium, Marchionem Theodoricum de Lupiz, Florentinum, Comitem Hollandiæ, Comitem Deodonem de Groyz, Comitem Henricum de Diessa, Comitem Doupertum de Durna; Ad hujus autem pacti, promissionis, & juramenti nostri, & Henrici Regis Filii nostri, & Principum nostrorum memoriam, & inviolabile firmamentum, præsens privilegium nostrum per manus Wort Vaini, Prothonotarii nostri, scribi fecimus, & Imperiali Sigillo nostro aureo sigillatum, & prædictorum Principum juramento communitum, Vobis supra scripto Illustri Regi W. fecimus assignari. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXVII. mense Augusti Indict. X.

X.

Instrumentum Pacis inter Richardum I. Angliæ, & Tancredum, Siciliæ Regem factæ, de Anno 1190.

TAncredo, DEI gratia Illustri Regi Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Richardus, eadem gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem in eo qui dat salutem Regibus.

Cum pro subventione terræ Jerosolymitanæ (quam, peccatis exigentibus, ex majori parte Paganorum incursus obtinuit, & inimicorum crucis Christi gladius devastavit) susceptum, inspirante Domino, peregrinationis iter ageremus, per terram vestram transitum facientes apud Messanam, civitatem vestram, moram facere compulsi sumus, ventorum & maris, & temporis inclementia navigationis nostræ propositum detinente; ubi inter populum nostrum, & cives præfatæ urbis, seditione casu exorta, damnum hinc & inde contigit rerum & virorum; Unde visum est pluribus, ut ea occasione fraterna inter nos charitas & dilectio turbaretur.

Curantes itaque, ut decebat, peregrinationis nostræ propositum peragere, tum per Nos, & dilectos ac fideles familiares nostros, tum per venerabiles Archiepiscopos vestros, scilicet:

Richardum, Archiepiscopum de Messana, &

Willielmum, Archiepiscopum de Monte Regali, &

Willielmum, Archiepiscopum de Risa, &

Richardum, filium venerabilis Viri Walteri, Cancellarii vestri.

& alios viros egregios missos a latere vestro, statuimus, ut illibatæ pacis inter nos arctius fœdera firmentur; cujus formam in ævum duraturam scripturæ memoria contineret.

Promisimus ergo vobis, & Regno vestro, & toti terræ dominationis vestræ, per Nos & nostros, terra & mari, pacem & perpetuam amicitiam Nos fideliter servaturos, sopitis omnibus quæstionibus, quas tum de dotario Sororis nostræ Reginæ, tum de rebus aliis, quas per nostros vobis Nuncios intelligi feceramus: Hoc nihilominus addito, quod quamdiu in Regno vestro moram fecerimus ad defensionem terræ vestræ, ubicunque præsentes fuerimus, vobis auxilium præstabimus contra quemcunque, qui vellet eum invadere, aut vobis bellum inferre.

Hujus autem pacis tenorem & formam, quam in voto habemus, & in proposito gerimus, vobis & vestris, illæsa fide, servare per

Waltherum, Rothomagensem Archiepiscopum, Girar-

Girardum, Auxiensem Archiepiscopum, & per
Johannem, Ebroicensem, &
Bernardum, Baonicensem Episcopos, & per
Jordanum de Humez, Constabularium nostrum, & per
Willielmum de Curci, & per
Richardum de Camuilla, & per
Girardum de Talebot, & per
Robertum de Sablus, & per
Guidonem de Croum, & per
Guarinum, filium Geraldi, & per
Betramnum de Verdun, & per
Willielmum Chamberlangum de Tancorvile, & per
Robertum de Novo Burgo, & per
Hugonem Bardolf, & per
Wigian de Cheresburg, & per
Robertum de Waltuill, & per
Hugonem de Brun, & per
Johannem de Piller, & per
Amauri de Muntfort, & per
Andream de Chavenni, & per
Willielmum de Forz Dulerum, & per
Gaufridum de Rancune, & per
Amauri Torel,

& per multos alios Nobiles de Familia nostra fecimus, juramentis præstitis coram prædictis Archiepiscopis, ad hoc ipsum efficiendum a vobis destinatis, & viris illustribus vestris, in animam nostram firmari, sicut Capitularis forma continet.

Ut autem pax ista & fraterna dilectio, tam multiplici quam arctiori vinculo convertatur, prædictis Curiæ vestræ magnatibus, id ex parte vestra tractantibus, Domino disponente, condiximus inter Arthurum, egregium Ducem Britanniæ, carissimum Nepotem nostrum, & hæredem, si forte sine prole Nos obire contigerit, & carissimam filiam vestram matrimonium in Christi nomine contrahendum: Ut cum illa, DEO propitio, ad nubiles annos pervenerit, & vos eam mittatis ad locum, ubi pars utraque consenserit, prædictus Nepos noster eam infra dies quindecim, postquam ad eum venerit, debeat in uxorem legitimam desponsare; aut, si Celsitudini vestræ placuerit, eam infra annos nubiles desponsari, prædictus Nepos noster juxta beneplacitum vestrum id faciet, si Summus Pontifex dispensare voluerit.

Volentes autem ei, tanquam illustri Dominæ, & Magnifici Regis Filiæ, dotarium, quod conveniat, designari de Ducatu Nepotis nostri, tale dotarium ei pro parte ipsius Nepotis nostri paciscimur, & quod ad præsens per præfatos fideles nostros jurari fecimus; &, ab ipso Nepote nostro concedi, a Magnatibus sui Ducatus, Episcopis & aliis viris illustribus jurare faciemus.

Pecuniam vero a Magnificentia vestra, pro matrimonio isto, scilicet viginti millia unciarum auri, Nos recepisse ad opus Nepotis nostri fatemur; hoc pacto interveniente, ut, si (quod absit) morte alterius interveniente aut culpa nostri Nepotis, aut nostra, vel partis ipsius matrimonium non fieret, Nos aut hæredes nostri, Vobis aut vestris hæredibus supra dictam pecuniam integram sine difficultate in loco quo statuerimus, restituemus.

Super his autem videlicet, & de pace, quam vobiscum firmavimus, & de matrimonio contrahendo, & de pecunia restituenda, si forte, prædictis causis accedentibus, matrimonium non extaret, Dominum Papam & Romanam Ecclesiam in fidejussione ponimus; ut, si forte, quod DEus avertat, ex parte nostra pacis integritas frangeretur, potestatem habeat Romana Ecclesia Nos, & terram nostram, districtius coercere; similiter & ad matrimonium contrahendum, potestatem habeat Nos, & patrem Nepotis nostri constringere, vel, si, propter caussas prædictas, non fieret matrimonium, ad restituendam pecuniam, Nos, aut hæredes nostros, aut terram nostram, cogere habeat potestatem.

Id quoque de fidejussione Romanæ Ecclesiæ Nos itaque facturos, prædictorum virorum Nos obligavimus juramentis, sicut Capitularis forma continet, quam vobis misimus Sigilli nostri appositione signatam.

Si autem Nobis sine hæredibus decedentibus, ipse ad Regnum nostrum hæreditario jure pervenerit, de Regno nostro tale illi dotarium designamus, videlicet antiquum & consuetum dotarium Reginarum Angliæ.

XI.

Formula Juramenti, vi cujus conditiones pacis antea insertæ ab utraque parte confirmatæ sunt, de Anno 1190.

EGo N. juro super hæc Sancta DEI Evangelia, quod Dominus meus Richardus, Rex Angliæ, ab hora in antea servabit Domino Tancredo Regi Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, & Regno ejus, & toti terræ dominationis suæ pacem perpetuam per se vel per suos, terra & mari.

Et quamdiu Dominus meus Richardus Rex Angliæ fuerit in Regno Domini Tancredi Regis Siciliæ, dabit ei auxilium ad defendendum terram suam ubicunque fuerit in terra Domini Regis Tancredi.

Et quod Dominus meus pacem istam manu sua jurabit, si Dominus Rex Tancredus similiter pacem manu sua juraverit,

Et si aliquando (quod absit) Dominus meus vellet pacem istam infringere, ego ponam me in captione ipsius Domini Regis Tancredi, ubi ipse voluerit.

Et hæc omnia Dominus meus Richardus, Rex Angliæ, & ego bona fide, & sine fraude, sine malo ingenio tenebimus, sic Deus nos adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia, & Sanctorum Reliquiæ, Amen.

XII.

Breve Innocentii III. Pontificis Maximi, in quo, quid circa Præsulum Siciliæ electionem sit observandum, constituit, de Anno 1198.

COnstantiæ Imperatrici, Reginæ Siciliæ, ac charissimo Filio F. Illustri Regi Siciliæ. Nec novum, nec injustum existit, si Regno Siciliæ gratiam facimus specialem, quod inter universas & singulas Regio-

Regiones, in quibus nomen colitur Christianum, fere semper promptius & devotius in Ecclesiæ Romanæ devotione permansit, & ab eo specialius meruit honorari. Reges siquidem, & Princeps ejus in Apostolicæ Sedis fidelitate fortius roborati, usque adeo ei fideliter & familiariter adhæserunt, ut ad ipsius exaltationem potenter intenderint, & ab ea nullius divelli potuerint impetu tempestatis, se in ipsa, & per ipsam exaltari credentes, & in ea (post Deum) suæ spei ponentes & gaudii fundamentum. Specialiter autem inclytæ recordationis Rogerius, quondam pater Willelmus frater, & Willelmus nepos tui filia Imperatrix, Reges Siciliæ, familiari eam venerati sunt devotionis obsequio, & Prædecessoribus nostris usque adeo non minus in adversis, quam prosperis adhæserunt, ut cum fratribus nostris vobis ob eorum memoriam & constantiam sinceritatis, quam ad Nos vos habere cognovimus per effectum, quantum cum DEO & nostra possumus honestate, deferre velimus, & salva justitia, & Ecclesiarum canonica libertate, petitionibus vestris assensum facilem exhibere. Ne igitur ulla de cætero inter Nos & Successores nostros, ac vos, & hæredes vestros, super electionibus dissensio suscitetur, modum faciendæ in posterum electionis præsentibus curavimus literis explicare, in quibus sic in multis Regiæ Serenitati deferimus, ut libertatem Ecclesiæ non lædamus. Sede vacante Capitulum significabit vobis & vestris hæredibus obitum decessoris, deinde convenientes, invocata Spiritus Sancti gratia, secundum DEum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non differant publicare. Electionem vero factam, & publicatam denunciabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus Regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis solennitas, quæ intronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate Pontificiali fuerit confirmatus, administrationi se ullatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, ut libertatem canonicam observemus, nullo prorsus obstante rescripto, quod a Sede Apostolica fuerit impetratum. Rogamus ergo Serenitatem Regiam, & attentius exhortamur, quatenus contra præscriptam electionis formam, nec vos veniatis de cætero, nec cogitatis alios, nec patiamini qualibet occasione venire, sed taliter in hoc Nobis studeatis & Ecclesiasticæ libertati deferre, ut timorem ejus habere præ oculis videamini, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, & sponsam ejus Ecclesiam venerari. Nulli ergo, &c. hanc paginam nostræ dispositionis & constitutionis &c. Datum Lateran.

XIII.

Testamentum Riccardi, Comitis Fundani in Sicilia cis Pharum, in quo Sedem Apostolicam Comitatus, bonorumque suorum hæredem instituit, d. d. ultim. Januarii, Anno 1211.

IN nomine DEI æterni. Anno Incarnationis ejusdem MCCXI. mensis Januarii ultimo die, stante indictione XV. Regnante D. nostro Friederico, DEI gratia Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ. Quia labilis est memoria hominum, & mens humana solicitudinibus occupata, præteritorum facile obliviscitur, sapientium providit discretio, contractus hominum literis publicis annotari. Ideo nos Riccardus de Aquila eadem & Regia gratia secundum Fundanus Comes, attendentes quoquo modo nostræ humanitatis fragilitatem diu in humanis sollicitudinibus implicatam multa & varia incurrisse peccata, Divina gratia inspirante ad id recurrere festinavimus quod nobis salutem pariet & remedium peccatorum. Inde est utique, quod cum testamentum sit ultima testatio mentis, Nos præsentibus literis nuncupatum testamentum facientes ob reverentiam DEI, & nostræ salutis obtentu, Sanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore DEO, D. & reverendissimus Pater noster Innocentius III. Papa præesse dignoscitur de civitate nostra Fundana cum omnibus tenimentis suis & reditibus, cum aquis, silvis, pascuis, piscariis, aucupationibus montanis, maritimis & omnibus pertinentiis suis hæredem instituimus, salvo in omnibus & per omnia nostris hominibus civitatis ejusdem privilegio civitatis, libertatis & immunitatis, quod eis facimus & eorum hæredibus in perpetuum, salvis etiam omnibus bonis consuetudinibus, quas olim eorum antiqui, & ipsi deinde processu temporum habuerunt.

Item instituimus Ecclesiam supra dictam hæredem de Baronia castri vallis Cursæ, quam hodie a Nobis tenet dilectus frater noster Rogerius, & de quocunque alio beneficio antea faciemus eidem. Item de Baronia castri Picæ, quam hodie a Nobis tenet Richardus de Ceperano. Item de Baronia castri Ambrisiæ, quam hodie a Nobis tenet Philippus de Sonrino. Item de Baronia castri Campinelli statuentes, ut a modo ex supradictis omnibus sæpedicta Sancta Romana Ecclesia hujus nostræ prætaxatæ institutionis sit hæres in perpetuum. Item de Baronia castri Aquavivæ quam hodie tenet Matthæus de Argento. Et quoniam ultima testatoris voluntas secundum leges attendenda est & servanda, ne aliqua nostræ voluntatis mutatione fas sit contra præsens testamentum venire, ecce appositis & tactis Sacrosanctis Evangeliis, præsentibus Dominis Roberto, venerabili Fundano Episcopo, Pandulfo, Domini Papæ Subdiacono & familiari, Simulpho, Canonico Ferentino, & supradicto Rogerio fratre nostro; juravimus de cætero, nunquam contra præsens testamentum venire, vel ausu temerario contra religionem nostri juramenti infringere, seu mutare, sed illud curabimus præstitum Domino perenniter inviolatum servare. Illud autem præsenti scripto non est prætereundum, quod Dominus Papa, quocunque tempore DEus Nos de præsenti luce vocaverit, dabit pro anima nostra C. uncias auri distribuendas per manus dicti Roberti, venerabilis Fundani Episcopi, & Stephani, venerabilis Domini Papæ Camerarii &c.

XIV.

Friderici II. utriusque Siciliæ Regis, Diploma, in quo, quid in posterum circa Archiepiscoporum & Episcoporum electionem, confirmationem atque inthronisationem sit observandum, constituit, d. d. mens. Februar. Anno 1211.

IN nomine DEI æterni & Salvatoris nostri JEsu Christi, Amen. Reverendissimo Patri & Domino charissimo Innocentio, DEI gratia S. R. E. Summo Pontifici, Fredericus, DEI gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Ne ulla de cætero inter Vos vel Successores vestros, & Nos vel hæredes nostros super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, quæ nonnunquam inter Ecclesiam & Regnum rancoris & indignationis fomitem ministrabant, modum & ordinem electionis imposterum faciendæ præsentibus literis curavimus explicare, in quibus sic canonicæ libertati deferimus, ut dignitatem Regiam non lædamus. Sancta Sede vacante Capitulum significabit Nobis & hæredibus nostris obitum decessoris; deinde convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, secundum DEum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a Nobis præbere debeamus assensum, & electionem factam non differant publicare: electionem vero factam & publicatam denuntiabunt Nobis, & nostrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius inquiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ inthronizationi videtur innexa; nec antequam autoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se nullatenus immiscebit. Volumus igitur & concedimus, ut secundum prædictam formam electionis de cætero per totum Regnum nostrum libere celebrentur, nullo prorsus obstante rescripto a Sede Apostolica impetrato. Ad hujus autem concessionis nostræ memoriam & robur perpetuo valiturum, præsens rescriptum per manus boni hominis de Gaieta, Notarii & fidelis nostri scribæ, & Bulla aurea typario nostræ Majestatis impressa præcipimus communiri, anno, mense & Indictione subscriptis. Datum in Civitate Missanensi, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXI. mensis Februarii, XV. Indictione, Regni vero Domini nostri Frederici, DEI gratia Gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno III. feliciter, Amen.

XV.

Ejusdem Regis, quod Comes Fundanus, juxta beneplacitum suum, de bonis suis disponere possit, concessio, d. d. mens. April. Anno 1212.

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio, Summo Pontifici, Fridericus DEI gratia & sua Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, in Romanorum Imperatorem electus & semper Augustus. De gratia vestra quam frequentissime sumus experti, indubitatam fiduciam obtinentes præsenti pagina duximus concedendum, quatenus cum dilectum fidelem nostrum R. Fundanum Comitem, cedere in fata contigerit, tam de Comitatu Fundano quam universa terra, citra Garelianum posita, libere disponatis, ipsam donando vel obligando, retinendo, vel concedendo, seu committendo cuicunque personæ juxta vestræ beneplacitum voluntatis. Ad hujus autem concessionis nostræ memoriam præsens privilegium per manus Petri Notarii & fidelis nostri scribi præcepimus, & sigillo nostro jussimus roborari, anno, mense & Indictione subscripta: Data Romæ Anno Dominicæ incarnationis MCCXII. mense Aprilis, XV. Indictione.

XVI.

Ejusdem Diploma, in quo, se Regno Siciliæ cessisse, ac sua jura, Regiamque Siciliæ dignitatem in filium Henricum transtulisse, profitetur, d. d. Kal. Julii, Anno 1215.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino suo Innocentio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici Fridericus DEI & sua gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ, cum filiali subjectione debitam in omnibus Apostolicæ Sedi obedientiam & reverentiam.

Cupientes, tam Ecclesiæ Romanæ quam Regno Siciliæ providere, promittimus & concedimus, statuentes, ut postquam fuerimus Imperii coronam adepti, protinus filium Henricum, quem ad mandatum nostrum in Regem fecimus coronari, emancipemus a patria potestate, ipsumque Regnum Siciliæ tam ultra Pharum, quam citra, penitus relinquamus ab Ecclesia Romana tenendum, sicut Nos illud ab ipsa sola tenemus; ita quod ex tunc nec habebimus, nec nominabimus Nos Regem Siciliæ, sed juxta beneplaitucm vestrum procurabimus illud nomine ipsius Filii nostri Regis usque ad legitimam ejus ætatem per personam idoneam gubernari, quæ de omni jure atque servitio Ecclesiæ Romanæ respondeat, ad quam solummodo ipsius Regni dominium noscitur pertinere, ne forte pro eo, quod Nos dignatione divina sumus ad Imperii fastigium evocati, aliquid unionis Regnum ad Imperium quovis tempore putaretur habere, si Nos simul Imperium teneremus, & Regnum, per quod tam Apostolicæ Sedi, quam hæredibus nostris aliquod posset dispendium generari. Ut autem hæc nostra promissio, concessio & constitutio debitum sortiatur effectum, præsentem paginam Aurea Bulla nostra fecimus communiri. Datum apud Argentinam, Anno Domini millesimo, ducentesimo decimo quinto, Kalend. Julii, Indictione quarta.

XVII.

Honorii III. Pontificis Maximi, Breve ad Fridericum II. Romanorum Imperatorem, Siciliæque Regem, exprobratorium, de Anno 121-.

MIranda tuis sensibus nostra venit Epistola, ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostræ paginæ verba justo librasses examine; Si literam ad rivalem sensum, postposito conjugis nomine, transisses, interpretis non suspecti judicio invenisses in illis, unde spirituali Patri teneris & matri Tuæ; tenor quidem Epistolæ continebat, quod, præter omnium opinionem & consilia Principum, ut tuis verbis utamur, te invenimus ad beneplacita nostra paratum; ita ut nullus prædecessorum tuorum ullis retroactis temporibus recolatur adeo Ecclesiæ fuisse devotus. Sed de Principibus non aliter ex his verbis nostrum informabimus animum, quam probabilis crudelitas habeat, facti experimento probata, de quibus Apostolicæ Sedis constantia rectæ opinionis judicium, sinistræ suggestionis instantia non mutabat, cum facta præferenda sint dictis, & cætera præjudicent positivis. Ecce de Archivo Ecclesiæ monimenta publica prodeunt, quæ singulorum, peno omnium Principum monita signaculis opinionem repudiant, quo forte videris ingemere contra illos, eo quod verisimilitudo non recipit, tales ac tantos viros excellentiæ tuæ consilium dedisse contrarium scripto, tui & ipsorum signato sigillis. De prædecessoribus autem tuis, si aliquid certius - - - dedisset expressio, metiremur in illis, quid in te sperare possemus, quoniam si ad proximos sanguinis scribentis referatur intentio, modicum devotionis sufficiet, ut in ejus comparatione procedas, si tamen comparatio gradum inveniat, ubi jus prævenit positivos. Quod ad illos prædecessores intellectum patiaris extendi, qui fide præclari, claritate ferventes, devotione sinceri, suis subditis proficientes verbo pariter & exemplo, Ecclesiam multis libertatum privilegiis munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditarunt, illis, si placet, se in his Magnificentia tua non præferat; Sed consideres potius, si affluentia talium, illorum metus attingat, discutiatque simul viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ devotionis assumis. Dum beneficia matris Ecclesiæ revocare conaris in dubium, tanquam si possent unius inficiatione celari, quæ multo notam publicat, & singularis assertio reddit ambiguam, quæ universalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre. Sed illa majoris doloris habet aculeos, qua in bono malum præsumitur, & odium in discretione notatur. Circa tutelam quoque tui ac - - - Imperatrice Constantia, Regina Siciliæ, Apostolicæ Sedis relicta, ac beneficiorum gratia excipis, si tutelæ sit debitum satisfactum, eo quod fas inducebat, ne fieret & nefas, si defecerit, notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tum urgeret Ecclesiam, ut in te, qui omni eras suffragio destitutus, onus non leve susciperet, tutelæ susceptio, quæ a gratia sumpserat exordium, habere te debitum, adeo de persecutionis debito non ingratum, saltem, ut tutricis notam non solum suspectæ, verum etiam fraudulentæ administrationis non conareris impingere, dicens, quod Ecclesia nomine defensorum, hostes immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent, & pupilli susciperent Regnum pariter & coronam. Habeat præterea diffamationis adjectio, quod, quum tutrix Ecclesia debuit promovere, dejecit, erigens in paterna Sede hominem alienum, qui non contentus Imperio, ad Regnum nihilominus aspiravit, & quidem non id habuit hactenus tua confessio, non id continebat, usque ad tuarum series literarum, quibus post DEum, totum ascribebas matris Ecclesiæ studio, totum attribuebas ejusdem tutricis laboribus quicquid eras, & etiam quod vivebas. Unde igitur contraria istis tam novella processit opinio? unde præsumptio tam adversaria, tam repentina prorupit? Si enim frequens missio literarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subjecta sit tam novæ scientiæ, neque scientia novæ causæ, cur substituta calumniose impingitur, quod evidentia facti non patitur? Cur sub quodam involucro duplicitatis infertur, quod rei simplicitas non admittit? quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, quod de istis illatio subsequatur. Suntne ista subsidia, quæ promittebas Ecclesiæ si necessitas immineret? Est hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret? non id mater expectavit a filio, non id tutrix expectare debuit a pupillo. Ha DEus! quæ in tali filio spei reliquiæ aliis relinquuntur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ha DEus! quæ de tali pupillo fragmenta favoris cæteri colligent, si tutrix tam utilis jaculis detractionis impetitur. Ha DEus! quot & quantos labores admisit Ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantavit, & coluit, in amaritudine vitis convertitur æliena! cum sit minoris dispendii, fructus nullos producere, quam nocivos. O quam uberes lachrymas, quamquam amaras, Prædecessor noster, Innocentius Papa, multotiens per te fudit? O quanta sollicitudine laboravit, ut te a nocentium reciperet manibus, & insidiantium laqueis liberaret, & quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce, quid retributionis eidem Imperialis Excellentia afferat. Ecce, quid Regalis magnificentia recompensat, dum pupilli vitæ insidiator occultus dicitur, & bonorum tacitus spoliator. Recogita! recogita! fili carissime, & infra claustra pectoris tui frequenti meditatione revolve, quam parvum quamque depressum te ille Summus Pontifex post obitum matris accepit, & quam grandem, quamque promotum in sua morte reliquit. Porro, ut credimus, te nosse, tenellæ infantiæ nondum finem attingeras, cum impius ille Macualdus, tui nominis detractor perfidus, avidusque tuorum invasor, Regni Siciliæ metas aggressus, utrasque invasionis manus extendens, Montecassinum obsedit, & insultibus multis impetiit, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc Ecclesiæ sollicitudo tibi non defuit, quæ per duos Cardinales cum multis militibus & expensis non modicis efficacem manum auxilii porrexit obsessis, vires invasoris debilitatas & conatus obsiden-

obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus insultantis non responderet affectui, & prorogatum spe defensionis ad alios resistentis vigorem, animum resumerent convicini; Sed iniquus ille in Siciliam transtulit, ut si tibi de - - - Regis, desiderii sui fines attingeret, ad Regni fastigium, sine difficultatis obstaculo, perveniret. Sed nec tunc protectionis solitæ dexteram subtraxit Ecclesia, mittens illuc bonæ memoriæ tituli S. Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, Nobili viro Jacobo, Consobrino Prædecessoris nostri, multis associato militibus in subsidium, nihilominus destinato; alius etiam Cardinalis tunc postmodum extitit deputatus, qui tuis utilitatibus non remissus ibi diem clausit extremum, consequenter alio constituto, ut sollicitudinis debitæ plenitudo circa tuæ personæ custodiam non deesset. Interea Diopuldi militia longe lateque diffusa sic se per partes Apuliæ hac terra laboris extendit, quod tantumque receperat incrementi, quod obtenta de P. quondam Comite Celanensi victoria, pro majori parte homines regionis suo applicabat arbitrio, suoque Domino abdicabat, in aliquos, sicut poterat, resistentes eo crudelius debacchando, quominus paucorum & humilium tenebat repagulo, qui de majorum & sublimium viribus triumphabat. Cumque in partibus illis non haberet Ecclesia, quem erigeret contra illum, multosque sumptus amiserat in hominibus regionis, quæ pro te jam fecit expensas multarum millium unciarum, recepto a G. Comite quondam Brennensi, ad opus tuæ fidelitatis Apostolicæ juramento, ipsum misit in Regnum, ut per eum elati cornua constringeret inimici; nunquam hoc fuit commissum spoliare pupillum, de throno DEI prodeat sententia; nunquam hoc fuit commissum prodere puerum, & virtus Altissimi rectum judicium operetur. Si adversus Ecclesiam tuam Excellentiam decuit talia credere, si debuit ex his excepta credulitas in portum prodire, hujus ut verbis & scriptis autoritas exposita in publico compareтur. Sed forsan hoc Divina providentia voluit, ut habeatur imposterum cautela securior ex proviso. Circa hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si tamen patris sedes potest dici vel debeat, quæ successionis, vel electionis jure defertur, erectum fuisse prædixerat tua prudentia, adversus Ecclesiam sustinuisset invectio, eo quod veritas negata de publicis minus relinquit fidei, de occultis nullum enim angulum latet Imperii. Imperatore H. defuncto, quid olim Philippo Duci Sueviæ, quid Ottoni, postmodum Imperatricis diversis voluntatibus adhæserunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primo prætenderit, ad se postea convertit negotium illud. Sic succedentibus prosperis, suis utilitatibus applicans, quod non, cum de jure dubitabat Imperii secundum spem. ad occupationem Regni Siciliæ prorogabat, L. quondam Verniaciensem Episcopum ad hoc mittens, in his etiam tuo subsidio Apostolicæ Sedis providentia non defecit, sic illum per memoratum O. Cardinalem & nonnullos vasallos Ecclesiæ resistentes in Marchia, quoad conatus contrivit adversarium, & interdictus est hostibus aditus, & etiam ad primos Regni fines accessus. Philippo tandem sublato de medio, Ottoni, quem omnium Principum roborata consentibus præstabat electio, nec expedivit, nec decuit diadema Imperii denegata, qui proculdubio, ut scripsisti, subito factus ingratus, tergum, non faciem, vertit Ecclesiæ, immemor receptorum, & quamvis eam multis provocarit offensis, dissimulabat illas utrumque misericordia Ecclesiæ, patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit injuriam, in te, quasi pupilla oculi, tantum contrarium sufferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio suo posset subvenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus ad casum! Quapropter invocavit Ecclesia illius auxilium, qui superbis resistit, & dat humilibus gratiam, qui imperat mari & ventis, & cessat tempestas, qui deponit potentes de Sede & ponit humiles in sublimi. Invocavit etiam Principum corda fidelium, pusillos & magnos sollicitans, ut ei ad tui relevationem collapsæ manum porrigeret adjutricem. Obstitit tandem divina potentia ingratis conatibus, faciens in te cum Ecclesia signum in bonum, ut elato cadente, tu surgeres, & potente debilitato tu posses. Arguit enim illum malitia sua, suaque adversio increpavit, quem justo judicio DEI perdidit, qui avare concupierat aliena, cui tui Regni vix extrema remanserint, illius omnino Imperium obtinens. Hæc itaque salutis remedia cum auxilio Principum, Divinæ Providentiæ virtute præambula, tibi providit mater Ecclesia, talia beneficia puero contulit, & adulto, quid ultra tibi facere potuit, & non fecit? de contingentibus nil omittens, & ea etiam, ad quæ non tenebatur, adjiciens. Miramur autem, quod in his tuos labores commemoras, te dicens dubii casus fata secutum, qui vocatus ad certa, laborantibus aliis in laboribus alterius introisti, metens, quæ non seminasti, & colligens, quæ procul dubio non sparsisti. Denique in defuncti non fatigatu persona nostra tua non præterivit intentio; minus diligenter considerans, quod Nos, qui Prædecessori prædicto, quod ad utilitates tuas affectione plenaria succedentes, ad tui concinnationem honoris potenter astitimus, & potenter nostro in multis detraximus, ut tuo adjiceremus honori, facti quodammodo nostræ famæ prodigi tuæ parti. Sed pro istis & aliis hac nobis retributione respondens quia dicis modo, Regni Siciliæ in electionibus Prælatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris constitutionibus innovari. Verum si scripta tua & genitricis tuæ manum sollicitudinis revolvisses, si & Sanctorum Patrum constitutiones adverteres, non culpares Ecclesiam circa defensionem Ecclesiasticæ libertatis, cum non debeat alium de persecutione mordere justitiæ, qui contendere nititur de abusu; asseris insuper, Nos, præter formam communiter requisitam, te inconsulto, quibusdam Ecclesiis Regni vacantibus præfecisse personas: sed quæ sit illa forma nescimus, quæ pro certo minus esset informis, per quam Apostolicæ Sedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere suspectos, dummodo non ultra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum post hæc Archiepiscopum, quem apud te quasi a summo gratiæ in profundum odii casus repentini mutatio sic dejecit, ut qui paulo ante quasi cor unum & anima una cum Principe censebatur, subito fur, subito proditor, subito tui

tui nominis & sanguinis dictus sit obtrectator, non excludimus a responso, jurantes, quod nullum ultionis expectas, quem per subtractionem bonorum, & interdictum suæ Sedis accessum, contra fas & licitum, tui prosecutor arbitrii, jam punisti, pœna præveniente judicium, & executione non expectante libellum. Sed forsan est, qui dicebat, quod dum sua placuisse creduntur, ipse displicuisse videtur. Cathaniensium quondam Episcopum non duximus omittendum, cujus prodigalitate rerum, totum Regnum dicis esse corrosum; sed si in totum processit corrosio, unde tibi tot remanserunt reliquiæ corrodendæ? hic si merces laboribus, si fructus servitiis, si meritis præmium responderet, aliud pro certo reciperet pro servitiis, quam solvitur, pro quo quid fratribus nostris apud Sanctum Germanum, quid Nobis apud Ferrentinum tua promisit Magnificentia, non ignoras. Deinde Cephaludensis Episcopi, quem sanguinem occisorum ad nos asseris de terra clamare, nec vita nec spoliatio sub nube tegatur, ut de ipso post debitum justitiæ satisfiat, nec movemur. Si super hoc ad lacrymas & querelas tuorum fidelium forte, sicut asseris, movearis, dummodo in illum, qui suo Domino stat, aut cadit, non processeris ad vindictam, primo in Castrum Ecclesiæ, ac bona ejus manu occupationis extenta, quam querelam dilatio justa proferret ad examen judicis competentis. Quapropter non inferas, ut apud nos ille meruit, unde apud te demeruisse videtur, sed tamen non ignores, quod pro justitia spoliatæ stetit Ecclesiæ, Prælatis videlicet inferioris gradus, licet apud te propter hoc demeruisse credatur, apud nos, qui sumus & esse tenemur justitiæ zelatores, sibi meritum comparavit. Tandem concussis columnis Ecclesiæ, Prælatis videlicet inferioris gradus & ordinis clericis, rigor tui gravaminis accessit, & quasi aliorum velis supplere defectum, prætendis negligentiam Prælatorum, licet superioris Sedis non desit autoritas, quæ crimina diligenti examinata judicio, & judiciali examine cognita tanta censura processit, quod pœnæ descriptio culpæ intercidit exemplum, & vindictæ severitas esse poterit aliis limes offensæ. Quia vero DEI causæ deesse non possumus, nec debemus, super omnibus istis & aliis contingentibus Ecclesiasticam libertatem, sic, divina suffulti potentia, debitum nostri prosequemur officii, quod DEO pro posse satisfacientes & homini, in hoc geremus utiliter negotium nostræ salutis & tuæ, cum deferre homini contra DEum, præsertim in talibus, sit nocere, & parcere sit sævire. Manus enim mulierum misericordium filios decoxerunt; sed habet vera dilectio plagas suas, quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur. Adjecisti præterea, quod, post reditum tuum in Regnum Siciliæ, reintegratis viribus tuis, pro temporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, dicis Ecclesiam contra matris officium suspectos filios receptasse, & quidem de virium reintegratione gaudemus, & utinam reintegrantis affectio sic debitis fuisset contenta limitibus, quod a justitia recuperationis in suis, cum alienis, ad superioris injuriam non transisset, quia præter id, quod in die novissimo districti judicis ultione reddatur, consummari felicibus substantia non consuevit eventibus, augmentis non congregata legitimis, quinimmo grandis acervus inficitur partis adjectione corruptæ. Super exclusis responso supersedere possumus, nisi alicujus judicio crederetur retardatum silentium, repetitam justificare querelam. Sed ut videmus, quod respondentis hactenus dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus, quod, Comite Tholosano, Raynaldo de Aversa & fautoribus eorundem, antequam castra, quæ viribus obtinere nequiveras, resignarent, inter alia, quæ publica & authéntica sunt conventione notata, venit expressis personarum securitas in compromissum, & ut id robur majoris firmitatis haberet; Nos, universos fratres nostros affectuose rogasti per literas & nuncios speciales in testimonium conservatos, ut Romana Ecclesia super se - - - confitente reciperet, quæ præmissa inviolabiliter prædictis attenderes & plenarie observares. Sed utrum facta verbis respondeant, fidesque promissis, plus quam decent, Apostolicæ Sedis & Excellentiæ Imperialis honor afflictionibus publicis & pœnis manifestissimis exponuntur. Nonnulli de fautoribus Comitis memorati, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio, & quosdam ignominiosa morte damnasti, proinde possumus non immerito formidare, ne nostra patientia in prædictis, nomen veræ patientiæ amiserit & affectum. Quare non credas id oblivioni esse relictum, licet sit actus dissimulatione suspensus? in quo, quantum autoritati Sedis Apostolicæ sit detractum, quæ ipsos, ad precum tuarum instantiam, sub sua securitate recepit, satis intelligunt, qui rem sciunt. Sed quid in similibus per te inferiores promittere debeant, de speculo poterunt renitenti recipere speculum & exemplar. De Comite vero Mathonum, quem apud te in subtractione suorum terræ sanctæ, subsidium crucis & crucifixi reverentia non defendit; Comite quoque Rogerio olim capto, ut nosti, & postmodum liberato, ut scimus, nec non & quibusdam aliis qui ad urbem & loca confinia venerant, a prosequentis facie confugerunt. Conquiescat quæso de cætero - - - Principis excellentis, ne stipulam prosequi, ne contra folium, quod a vento rapitur, suam monstrare potentiam videatur; hæc quippe a Julii Cæsaris gestis non elicis, qui Dominum pœnæ avidum & contemptorem veniæ, verum servavit initium, & Mecaldum se gladiis offerentem juramenti Principis reputavit indignum. Certe Israelitico populo civitates erant refugii, & urbem ad refugium Christianus populus non habebat. David recursus erat oppressis, & Summus Pontifex David Magisterii Vicarius averteret faciem ab afflictis, & utique cum per illos nulla aut aliqua molestia tibi inferatur & tuis, nisi velis id duntaxat ferre moleste, quod vivunt. Ad hæc de egregio viro socero tuo si ad vestram pervenisset notitiam, quid de his quæ tibi facere debuit obmisisset, nostra eum nunc præteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum & te illi potissime gloriosum, in quo movet multorum corda miratio, quod cum alii consueverint crescere ex affinitate majorum, iste, non sine multorum scandalo, non sine terræ sanctæ dispendio, non sine tui nominis læsione, decrevisse videtur. Et quidem his similia Magnificorum Principum gesta non

conti-

continent, sublimium mores ignorant, & liberalium largitas non attrectat, non sic illius terræ procurat utilitas, non sic ad ejus subsidium bellatores strenui advocantur. Super quo tibi onera gravia & importabilia Nos asseris tuisque humeris alligare, quæ digito nostro movere nolumus, non attendens, quod jam pluribus annis elapsis, ultro te istis oneribus subjecisti. In Theutonia spontaneus signum crucis assumens, Ecclesiæ in Ecclesiasticorum decimatione proventum, non attendens, quod per fratres nostros & alios prædicatores multi potentes, & nobiles, magni & parvi se crucis obsequio devoverunt; pro mercatoribus autem Romaniæ Excellentiæ tuæ frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis. Sed cum per hoc jus suum non assequuntur, ut asserit, non debet illis in sua justitia Ecclesiastica censura deesse. De vasallis quoque patrimonii, de quibus Prædecessorum Privilegiorum inspectio protestatur. Quod si præter debitum, a Nobis in illis aliud pro Terræ sanctæ subsidio petiisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset, provideas tamen advocante notabilium frequenter tuis literis repetitum, tua; si placet, non protrahat interpretatio in abusum. Quoniam, cum Advocatus Ecclesiæ idem intelligi debeat, quod defensor, sedis defensoris admittis effectum, improprie nomen retines Advocati, quod satis marquatæ, & aliis castris quorumdam nostrorum fidelium ostendisti, quæ, contra justitiam detinens, occupata, post illatam violentiam, post commodum opponis adeptum, factus de petitore possessor, offers conquerentibus jus in tua curia redditurum, super quo, si qua jura nova sunt condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua. Quia vero non est abbreviata manus Domini, ut non possit sublimitatem incurvare potentum hominum, & altitudinem humiliare virorum, nunc, cum felicissimum tuis votis successivum & splendor illuxerit, humilitatem in sereno non deferas, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque, quod Principis tam discreti memoriam nunquam sic ad oblivionem deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in æmulo, & culpam quam damnat in hostem, committat. Non ergo seducant te prospera, quam incendisse debuerunt adversa, cum Pharonis Pincerna notatus, eo quod succedentibus prosperis, sui est oblitus interpretis, & lex nobilitatis id habeat, ut nobilium mentes excelsa non eleventt, & infima non dimittant. Quapropter, fili Charissime, a probitatis Apostolicæ Sedis affectibus nullius suggestio te seducat, quæ nisi obstaculum minime indevotionis impediat, a te dextera beneficiorum non subtrahet & dulcedinis verba non abscondet, & cum non sit verisimile, quod animi ferventioris affectum ab illo te facile velit avertere, quem multo sudore fovit in pulvere, multaque sollicitudine promovit adultum.

XIIX.

Diploma, in quo Principes Germaniæ, Regnum Siciliæ Sacro Romano Imperio nunquam nexu aliquo obstrictum fuisse, testatum faciunt, ac profitentur, d. d. 9. Kal. Maji, Anno 1220.

IN nomine Domini Amen. Nos Henricus Trevirensis, Guarnerus Maguntinus, Enguebertus Coloniensis, Conradus Magdeburgensis, Griselbertus Bremensis, Archiepiscopi, Conradus Argentinensis, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixiensis, Otho Mindensis, Fridericus Merseburgensis, Widego Misnensis, Joannes Kimensis, Ildebrandus Eistetensis Episcopi. Fridericus Burgravius de Nurembere, & Gottfridus Comes Seinensis præsenti scripto fatemur, Nos vidisse, ac diligenter inspexisse patentes literas Principum Imperii subscripti tenoris, sigillis eorumdem pendentibus consignatas, quarum tenor talis est:

Nos Principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Ut tollatur de medio omnis materia scandali, dissensionis, seu etiam rancoris occasio inter Ecclesiam & Imperium & ii duo gladii, in domo Domini constituti, intimæ dilectionis fœdere copulati exurgant in reformationem universi populi Christiani; & merito mundo appareant in omnem exhibitionem justitiæ & veritatis illa duo magna luminaria posita in medio firmamenti, & nos in opere & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis & pacis, qui tam Ecclesiam quam Imperium confovere tenemur, ac etiam unaniter gubernare; quicquid ipsi S. R. E. matri nostræ factum est per Dominum nostrum Fridericum, DEI gratia Romanorum Regem, semper Augustum, & Regem Siciliæ, per privilegia, seu etiam scripta sua pro omni discordia sopienda & evitanda in posterum, & pro pace totaliter reformanda pariter & observanda; ut sit in omnibus eisdem omni tempore idem velle & idem nolle, & Nos, bonorum operum sectatores, feliciter gaudeamus nostri nomine Principatus, sicut olim ad petitiones & preces, nec non & mandatum prædicti Domini nostri Regis Friderici, tempore bonæ memoriæ Domini Innocentii III. Papæ pro bono pacis ad omnia scandala evitanda, ipsi S. R. E. super privilegiis ipsius Regis sibi datis nostram tunc voluntatem præbuimus & consensum; sic nunc eandem voluntatem & consensum nostrum noviter innovamus, & per omnia approbamus. Et ut hæc nostra voluntas & approbatio, sive renovatio a Nobis ipsi S. R. E. in perpetuum observentur, ut liqueat in effectu in testimonium illi & ad perpetuam memoriam nostri; hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum, super omnibus privilegiis ab ipso Rege usque nunc sibi datis & etiam adhuc dandis, tam super facta Imperii, quam super facto Regni Siciliæ: ita, quod Imperium nihil cum dicto Regno habeat unionis, vel alicujus jurisdictionis in ipso. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXX. Datum apud Franckenfort, in solemni Curia IX. Kal. Maji, Indictione VIII.

XIX.

Bulla Gregorii IX. Pontificis Maximi, in qua Fridericum II. Romanorum Imperatorem, ac Siciliæ Regem, multorum criminum incusat, d. d. Non. Augusti, Anno 1228.

Gregorius Episcopus Romano Francorum Legato Salutem &c.

ATtendite! quæsumus, & videte, si est dolor sicut dolor noster, quia Filium, quem nutrivit Ecclesia Romana, & exaltavit, sperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit immanem, & hostem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias & jacturas enormes, quibus Fredericus dictus Imperator Ecclesiam, & Personas Ecclesiasticas damnabiliter hactenus flagellavit, Patrimonium Apostolicæ Sedis per Saracenos, & alios impugnat; & quod detestabilius est, cum Soldano & aliis Saracenis nefandis contrahens pactiones; illis favorem, Christianis odium exhibet manifestum, ad exterminandas Domos Hospitales, & Fratrum militiæ templi, per quas reliquiæ terræ sanctæ hactenus sunt observatæ, impie annullando. De mandato enim illius inter Saracenos, & Christianos, fide fracta treuguarum, cum Saracenis Domorum prædictarum hostiliter inquietans; occisis, & captis quamplurimis, cum prædas plures abduxissent, Templarii ex hoc moti, insurrexerunt contra ipsos: & cum prædas abstulissent ad valorem sex millium marcarum, Thomas, Comes Atterarum, Imperatoris Bajulus, illis redeuntibus, furibundus & currens, eandem prædam ipsis non audentibus, juxta ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter, & reddit Saracenis: præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retinuisse. Quod si Saraceni prædam auferant Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem ejus intendit; sed nec pariter, ut Christiani prædam auferant aliquando Saracenis. Quare factum est, ut illi ex hoc violentiores effecti, nostros audacter impugnent: & nostri proditionis formidantes, minus audeant refragari. Et effusio sanguinis Christiani, nonnunquam in Imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem Thomas prædictus, vel potius Imperator per ipsum, prædictas domos immanius persequens, ipsas domibus & possessionibus, quas habebant, vi arctiori per violentiam spoliavit: easque Privilegiis Apostol. Sedis privare contendens, Imperiali subjicere jurisdictioni nititur, in manifestam subversionem Ecclesiasticæ libertatis. Centum Sclavos etiam, quos Domus Hospitalis ac Templi habebant in Sicilia, & Apulia, colligi faciens, eos reddidit Saracenis: nulla exinde recompensatione facta domibus supradictis. Et sic servis Christi servos præfert Machometti, ut ex præmissis ostenditur evidenter. Adhuc pro certo scias, quod licet dictus Imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse; contra Patrimonium Ecclesiæ magnum exercitum Christianorum, & Saracenorum multitudinem destinavit, ut de observatione fidei, & malignitate constet omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam spem fiduciamque habemus in illo, qui Ecclesiam suam supra firmam petram fidei stabiliens: quantumcumque irruant venti, & inundent flumina, ipsam tamen non permittet everti vel naufragari. Dum itaque videmus, eum in subversione Fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impie sævientem, possemus extremum periculum formidare. Sed quantumcumque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit pravitate prævalere, sed in ea potius evanescere. Cum igitur ex officio, licet indignis nobis injuncto, providere cogimur, ne Minister Machometti in Ministros Christi diutius valeat desævire, sed sæviens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur: Dilectioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram Legationis tuæ hæc solemniter prædicans Christi fidelibus, ut pro statu fidei, & Religionis observantia, stent ex animo, tanquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos, & exhortationibus inducere non postponas. Datum Laterani, Nonis Augusti, Pontificatus nostri anno secundo (1228.)

XX.

Sponsio Principum Germaniæ de armistitio observando, ac Pace inter Fridericum II. Romanorum Imperatorem, Regemque Siciliæ, ex una, atque Gregorium IX. Pontificem Maximum, ex altera parte, per arbitros sancienda, d. d. 23. Julii, Anno 1230.

IN nomine Domini, Amen. Nos Bertholdus Aquilejensis Patriarcha, & - - - Archiepiscobus Salseburgens. - - - Episcopus Ratisponensis, Limpuldus Austriæ, ac Stiricæ - - / Carinthiæ, & Otto Moraviæ, Duces, DEI gratia Principes Imperii, per præsentes notum fieri volumus universis, quod inter Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem nostram, & Dominam, & Serenissimum Dominum nostrum Fridericum Imperatorem semper Augustum, Hierusalem & Siciliæ Regem, convenit, quod de communi eorum voluntate tractabitur de via invenienda, qualiter ad ipsum Dominum Imperatorem cum honore Ecclesiæ, Gajetana & S. Agathæ civitates, & omnes cum bonis suis de Regno Siciliæ, quos in fide sua recepit Ecclesia, & in Ecclesiæ devotione perdurant, revertantur. Ad quem tractatum datus est annus, nisi antea via valeat inveniri, ad quam inveniendam dicta Mater Ecclesia curam & sollicitudinem adhibere promisit, nec ultra terminum, nisi de consensu partium prolongabitur, sed si, quod absit, infra ipsum terminum via inveniri non possit, ei tunc per arbitros communiter eligendos procedetur in via, ut dictum est, eligenda, quorum sint duo ex parte Ecclesiæ, & duo ex parte Imperatoris. Qui si concordare non poterunt, quintum eligent, & dicto majoris partis stabitur. Præstitit autem Dominus Imperator juramentum per Thomam de Aquino, Acerrarum Comitem, de mandato suo in anima sua jurantem, quod interim prædictas terras, & homines

mines non offendet, nec permittet offendi a suis, & viam, quæ invenietur per communem tractatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & ejusdem Domini Imperatoris, vel per arbitros, ipse Dominus Imperator observabit.

Notum quoque fecimus, quod Dominus Imperator remittit omnem offensam Theutonicis, Lombardis, Tuscis & hominibus Siciliæ generaliter, & Gallicis, qui contra eum Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, ac dictum Acerrarum Comitem fecit jurare, quod nullo unquam tempore prædictos offendet, nec permittet offendi pro eo, quod contra eum orta discordia, Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, sed pacem eis, ac Ecclesiæ observabit. Remittit etiam ipse Dominus Imperator sententias, constitutiones & banna, si qua per eum, vel per alios lata, vel edita sunt occasione hujusmodi contra eos. Promittit etiam, quod Terras Ecclesiæ in Ducatu, & Marchia, seu alio patrimonio Ecclesiæ non invadet, nec devastabit per se, vel per alios, sicut in scriptis ab ipso Domino Imperatore factis super prædictis omnibus, & Bulla Aurea impressis, ac Typariis S. Majestatis munitis plenarie continetur. Nos etiam nihilominus, tactis sacrosanctis Evangeliis juravimus procurare bona fide, quod prædictus Dominus Imperator prædicta servabit, & contra ea non veniet. Quod si fieret, nisi infra tres menses in Regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter ac patenter, ad requisitionem Ecclesiæ assistemus ei contra eundem Dominum Imperatorem, donec satisfecerit. Quod si per Dominum Imperatorem steterit, quod arbitros non elegerit, vel arbitros impediverit, ne procedant, Nos Ecclesiæ tenebimur, ut est scriptum. Si autem Ecclesia arbitros dare noluerit, vel datos impediverit, ne procedant, Nos ex tunc, quantum ad hunc articulum, non tenebimur juramento. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum fieri fecimus, sigillis nostris communitum. Actum apud S. Germanum, anno 1230. mense Jul. 20. die mensis ejusdem, Indict. 3.

XXI.

Instrumentum Pacis, inter Imperatorem Fridericum II. Siciliæ Regem, & Abuissac, Saracenorum Africæ Principem, per Vibaldum, Legatum, Obsidemque Imperatoris, Anno Hegiræ Mahometis 628. qui est Annus Christi 1230. conciliatæ.

Diploma & Capitulationes Pacis inter Abbuissac, & Vibaldum, Legatum Imperatoris Frederici initæ in Sicilia, anno a fuga 628. Interprete Marco Obelio Cicerone.

IN nomine DEI misericordis Miseratoris. Incipimus cum laude DEI maximi & invocatione illius perlaudate petimus prosperitatem, laus DEO, scienti abscondita, futura, extranea, qui est æternus post finem omnis viventis.

1. Tandem hoc est diploma pacis benedictæ, si voluerit DEus excelsus & pretiosus, quæ est inita per benedictionem DEI, cujus (pacis) toga est picta gemmis observationis jurisjurandi, & rami illius penetrarunt usque ad gradum felicitatis, quam senior, excellens, magnificus, reverendus, fidelis præeminentiæ, benedictus & fortunatus Abbuissac, filius Senioris honorandi, reverendi, defuncti Abjebrahim filii Senioris sanctificati, legis DEI militis & defensoris Abihafri, de quibus DEus sibi complacuit, & duxit illos ad rectitudinem Consilii & Electionis, quemadmodum fecit eos arbitros consiliorum, & secundum voluntatem suam, sic fieri, vel non, ordinavit; mediante Vibaldo, Christiano Equite, fideli Legato Regis celebris, maximi Romanorum Friderici Cæsaris Imperatoris Romæ, & Regis Siciliæ & Saxoniæ; Concordet eum DEus, & ducat ad rectitudinem & prosperitatem secundum optimam intentionem, cum in potestate sua hoc posuisset; quem miserat prædictus Rex, cum quo contraxit fœdus per manus Legati sui Vibaldi, Equitis fidelis secundum Conventiones, quarum postea sequetur declaratio in hoc Diplomate.

2. Inter quas est, ut dimittantur illi omnes, qui sunt in Africa ex captivis Christianorum, qui capti fuerunt, sive mares, sive fœminæ, sive parvi, sive magni, ex omnibus, qui adhuc amplectantur legem Christianismi; Et etiam, ut ipsi dimittant omnes captivos Mahometanos, qui sunt apud eos, amplectentes legem Mahometismi, sive sint mares vel fœminæ, parvi vel magni. Et ut tollantur vexationes & exactiones ordinariæ, & solitæ exigi a Christianis navigantibus ad Provincias Africæ, a mercatoribus Insulæ, Siciliæ, Calabriæ Principatus & Apuliæ; Et ut ipsi etiam tollant omnes exactiones solitas exigi secundum morem & ordinem a navigantibus Africanis ad prædictas regiones prædicti Regis, de quibus diximus, ut sint liberæ.

3. Et etiam detur illis dimidium tributi Insulæ Corsicæ signatum & ordinarium tempore messis solitæ, neque habeant Christiani in prædicta Insula Corsicæ Jurisdictionem super ullum Mahometanum, præter Præfectum Mahometanum missum a prædicto Rege Siciliæ nomine suo, ad regendos tantummodo populos unitatis, & sit occupatus in negotiis populi unitatis, quem DEus honorificet. Omne hoc præstatur illis hoc pacto, ut ipsi etiam se obligent, & habeant curam restituendi omne, quod in hoc mari deprædatur a piratis Christianis, qui subsunt imperio dicti Regis, & qui sunt sub sua Jurisdictione, subjecti suo dominio & potentiæ, ex omnibus Jurisdictionibus suis, præter Genuam, Pisam, Marsiliam & Venetias, cum jam declaratum sit, quod etsi prædicti populi pro personis & statu jam pacem inierint cum Domino nostro Califa Sacerdote, Imperatore fidelium, qui Rex prædictus (scilicet Imperator) se obligat restaurare & satisfacere omne, quod usurpatur ab unoquoque ex omnibus, gentibus, subditis suæ ditionis, sive sint mercatores & milites in omnibus Regionibus Africæ, ut persolvatur omnibus existentibus & venientibus per eam, ex incolis suis: Et ut etiam satisfaciat omnibus euntibus ab Africa ex incolis suis, usque ad Provinciam Ægypti, & qui ad alias Regiones sint navigantes & iter facientes cum Caravalis euntibus ad Africam.

4. Et

4. Et ut etiam reddant secura omnia littora Africæ, oppida, regiones & provincias, cum præsidiis, portibus & limitibus. Et ut etiam, si aliquis introiverit in portum aliquem ex portibus Africæ, vel refugerit ad aliquod littus ex littoribus suis, sive sit habitatum, vel desertum, jam sit securus ab incolis Africæ & ab omnibus Mahometanis, Egyptiis, & aliis, ut si aliquis refugerit ad aliquod littus ex littoribus Africæ, & receperit damnum & molestiam ab aliquo subdito Regi prædicto, obligabuntur ipsi ad resarciendum damnum.

5. Et ut etiam ne irritent, neque provocent aliquem ex illius incolis, spe vel timore, neque conculcent partem aliquam in illa, sponte sua, damni faciendi causa, neque auxilium præstent aliis gentibus ad id faciendum, & se obligent restaurare omne, quod amittetur & auferetur ex illa regione ab omnibus Christianis subditis prædicto Regi, & subditis Imperio illius, ut antea dictum fuit, secundum has conditiones & pacta contra eos, & cum ipsis, cum quibus inita est pax, in spatium continuorum decem annorum, quorum principium incipit ab initio & inscriptione ipsius Diplomatis; & sic statutum est, ut omnia adimplerentur; de quo se obligavit, sic fore pro parte Regis Imperatoris Romæ, & Insulæ Siciliæ, & Saxoniæ, illius Legatus & obses Vibaldus, Eques prædictus, qui dixit, se ab ipso accepisse mandatum, & negotium pacis pro ipso, & ut statuat negotia, loco Imperatoris, secundum quod declaravit Epistola sua, & promisit, verba illius se servaturum. Sic Senior honorandus, Reverendus & Excellens Abbuissac cum ipso conditiones composuit. Deus concordet consilia illorum, & corroboret intentiones suas secundum ordinem prædictum, cum illi dedisset judicium acerrimum ad hoc ordinandum & mittendum ad eum; benedicat eum Deus, qui perducat illum ad rectitudinem consilii, qui est ejus custos & dignus Protector. Hoc contraxit inter illos fore servati secundum pactum DEI inter ipsos actum, quo se obligavit, & quicumque illud amplectitur, prosper evadit & lucratur, & qui ad eum refugit, liberabitur, & qui ad illud recurrit, securus redditur. Factum est Diploma hoc juramento ad confirmanda, quæ in eo sunt, & in DEO est spes, autore mundi & Creatore.

6. Hæc pax prædicta fuit contracta cum prædicto Legato Christiano, in præsentia illorum, quorum DEus misereatur, Mahometanorum & Christianorum, & testes intellexerunt omne hoc, quod præsentatum est ad omne, quod diximus, & illorum, quos vocavit Senior Magnificus, honorandus & benedictus, & corroboratus virtute DEI Abbuissac prædictus; DEus perpetuet altitudinem eorum & prosperitatem illorum, quod ipsis attinet de hoc, & de testimonio interpretum infra dictorum, & quod ipsis attinet, quod declararunt & intellexerunt, quod Christianis prædictus omne hoc confirmasset accepisse & testimonia dedisse, de toto dimidio mensis Jamadalacheri, anno 628.

7. Et ex pactis, quibus hæc pax contracta fuit, expleta & perfecta, est quod nemo ex mercatoribus Mahometanorum, qui navigat, eundo & redeundo ad Regiones & Provincias prædicti Regis ad merces tantum, impediatur secundum confœderationes prædictas, & persolvat decimam. Et hoc Diploma est certum, verum & utile, ut petierunt illud, & est clarum & perfectum.

Hametes Mahometis filius, filii Geber Alceroami, & Hametes Omar, filii Omar, Hametis filii Albilbal & Abduzerami, Abdalla filius Alcorasci, & Mahometes Benabilcazin, Bria Balbin Alcorasci, Hascan Abdalla filius Binalchaim, Athami. In eo sunt etiam scripta testimonia literis latinis testium & magni Roman. Regis.

XXII.

Litera Herbipolensis, Wormatiensis, Vercellensis ac Parmensis Episcoporum, ad Gregorium IX. Pontificem Maximum, directa, in quibus varia crimina, Friderico II. Romanorum Imperatori, Regique Siciliæ objecta, diluunt atque refellunt, de Anno 123-

SAnctissimo Patri in Christo, Gregorio, DEI gratia Summo Pontifici, sui devoti Herbipolensis, Vuormaciensis, Vercellensis, & Parmensis Episcopi, humilem sui commendationem & reverentiam tam debitam quam devotam. Cum omni reverentia, & devotione recepimus literas Apostolicæ Sanctitatis, per quas missi fuimus admonere Dominum nostrum Romanum Principem, super quibus capitibus, quæ missa sunt, eisdem literis interclusa. Nos autem ex obedientiæ debito, qua tenemur ad tantum debitum, hæsitantes tamen, si monita nostra patienter acciperet, reverenter, & devote pervenimus, & expositis singulis, quæ capitula continebant, ac vestrarum per eum habita copia literarum, faciente Domino, qui gerit, ac dirigit, quo voluerit, corda Regnum, in admirabili devotione & insperata humilitate se monitis nostris pronum exhibuit, inclinata Imperialis audientia dignitatis. Ita quod Nobis existentibus coram eo, præsentibus quoque venerabilibus, Panormitanensis, Messanensis Archiepiscopis, Cremonensis, Laudensis, Novariensis, & Mutinensis Episcopis, & Abbate Sancti Vincentii, convocatis etiam quampluribus et fratribus ordinis Prædicatorum, & Minorum, respondit ad singula, quæ proposuimus seriatim, prout in sequentibus distincte ac plenarie continetur, sicut Dominationi vestræ responsionem ipsius juxta seriem Capitulorum expositam, secundum Apostolicam jussionem sub fido testimonio tenore præsentium declaramus. Propositio Ecclesiæ Montis-Regalis, Cæphaludensis, Cathaniensis & Squillatensis Ecclesiæ, Milletensis, Sanctæ Eufemiæ, Terræ Majoris, & Sancti Joannis in Lamis, Monasteria sunt spoliata fere omnibus bonis suis. Item omnes fere Cathedrales, & aliæ Ecclesiæ, ac Monasteria, sunt per iniquam inquisitionem fere omnibus hominibus suis spoliata. *Responsio Imperialis:* Insuper gravaminibus Ecclesiarum, quæ indeterminate ponuntur, quædam ignorantur commissa, corrigi jussa sunt, sine moræ dispendio: quædam vero jam correcta, sicut est in evidenti, de fideli & industrio nuntio nostro: qui etiam jussus est transire

transire per Romanam Curiam, & consulto venerabili Messanensi Archiepiscopo, juxta consilium suum procedere, ad revocationem eorum, quæ inveniret notabiliter facta. Sic quod in ingressu Regni, circa fines illos invenit quædam, quæ tenebantur per quosdam de familia Imperiali, quibus non pepercit, sed eos statim destituit, restituens destitutos: cum tamen habuerit in mandatis, quod ab Imperiali Fisco etiam revocaret, si qua inveniret illicite deprehensa. Si quod fama eorum, quæ gesserat, perveniente ad Curiam Romanam, Dominus Papa dicitur approbasse mittentis providentiam, & diligentiam missi. Qui cum Regnum in diversas Provincias sit divisum, nondum potuit omnes peragrasse, ut quæ corrigenda invenerit, corrigantur. Item de Ecclesia Montis Regalis. *R.* Quod nullum gravamen habuit per Dominum Imperatorem, nisi velit notari de Saracenis, qui occupaverunt bona Ecclesiæ per bellum, qui nec Dominum Imperatorem nec Ecclesiam recognoscebant, nec in aliquo pro posse suo pepercerunt; imo destruxerant & deprædati fuerant eam usque ad muros Ecclesiæ, & alicui de Sicilia non parcebant: ita ut in partibus illis nullus, vel ratus Christicola remansisset. Hos revera fatetur Dominus Imperator exterminasse de Sicilia, cum multis laboribus & expensis: si reputant in hoc gravamen Ecclesiæ, alias nescit, quod unquam gravasset illam, nec vult gravare. Item idem dicit de Ecclesia Cæphaledensi, nisi forte tangatur de Castro Cæphalensi, quod vult munitissimam arcem supra mare, & stantem in Marchia Saracenorum, tenuerunt semper Reges Siciliæ, & bonæ memoriæ Innocentius Papa mandavit Legato suo, tunc temporis pro servitio nostro in Sicilia existenti, ut illud reciperet ab Episcopo, ad cujus manus per turbationem venerat, & non de jure; & quod Legatus tempore pueritiæ nostræ faceret teneri & custodiri pro Nobis, nec Episcopo, nec præsenti restituitur, nec de jure restitui debet, quia non habet jus in re, & alias, quod falsarius, homicida, proditor & Schismaticus, publico testimonio comprobatur, quare si etiam haberet jus in re, quod absit, restitui non tenetur. Item, idem de Cathanensi Ecclesia, nisi forte tangatur de hominibus demanii Domini Imperatoris, qui temporibus belli, propter locum secutum & fertilem se Cathaniam contulerunt. Hos fatetur Imperator, se ad demania sua revocasse secundum formam generalis Constitutionis Regni, per quam etiam Comites & Barones, & omnes de Regno homines, de demaniis revocant, ubicumque eos invenerint, sive in terris Ecclesiarum, sive in Civitatibus ipsius Imperatoris. Nihilominus tamen super his forma statuta est, & meta temporis posita, ad requisitionem Summi Pontificis acceptata: prout constat ex literis testimonialibus Patriarchæ Antiochensis, & Panormitanensis & Messanensis Archiepiscoporum. Item, quod cum Ecclesia Miletensis, & Sanctæ Eufemiæ, cum Abbate & Monarchis Terræ Majoris, permutatio congrua facta sit de voluntate Prælatorum ipsorum & Conventuum, secundum formam Juris, & ipsæ hodie res tenent & possident permutatas. Tassale (*Casale*) vero S. Severii, quod non erat in totum Abbatis Terræ Majoris Acthonensis, ibi quædam jura habebat, quæ tenebat in feudum ab ipso Imperatore, per judicium fuit juste destructum, quia homines illius loci, tempore perturbationis, occiderunt Paulum de Longothan, bajulum Imperatoris, & armenta Imperialia diripuerunt, & nihilominus, ut dictum est, permutatio data est Abbati & Conventui pro parte sua, & hodie tenent. Locus Lamæ cinctus est per sententiam ab Abbate Sancti Joannis Rotundi, qui de eo, velut de re feudali, potuit & debuit, secundum Jus Civile & Canonicum, in Imperiali Curia conveniri. *Propositio Ecclesiæ:* Templarii & Hospitalarii bonis mobilibus & immobilibus spoliati, juxta tenorem pacis non sunt integre restituti. *Responsio Imperialis:* De Templariis & Hospitalariis verum est, quod per judicium & per antiquam constitutionem Regni Siciliæ, revocata sunt feudalia & burgasatica, quæ habuerunt per concessionem invasorum Regni, quibus equos, arma, victualia & vinum, & omnia necessaria ministrabant abunde, quando infestabant Imperatorem, & Imperatori, tunc Regi pupillo, & destituto, omne omnino subsidium denegabant. Alia tamen feudalia & burgasatica dimissa sunt eis, qualitercumque ea acquisierunt & tenuerunt ante mortem Regis Willelmi II. seu de quibus haberent concessionem alicujus antecessorum suorum. Nonnulla vero burgasatica, quæ emerunt, revocata sunt ab eis, secundum formam antiquæ constitutionis Regni Siciliæ, quod nihil potest eis sine consensu Principis de burgasaticis inter vivos concedi, vel in ultima voluntate legari, quin post annum, mensem, septimanam, & diem, aliis burgensibus secularibus vendere & concedere teneantur. Et hoc propterea fuit ab antiquo statutum, quia si libere eis, & perpetuo burgasatica liceret emere sive accipere, modico tempore totum Regnum Siciliæ (quod inter Regiones mundi sibi habilius reputarent) emerent, & adquirerent, & hoc eadem constitutio obtinet ultra mare. *Propositio Ecclesiæ:* Item, quod non permittit Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias ordinari, & hac occasione periclitatur libertas Ecclesiæ, perit fides: quia non est, qui proponit verbum DEI, nec qui regat animas, deficiente Pastore. *Responsio Imperialis:* Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias, Dominus Imperator libenter vult & desiderat ordinari, salvis privilegiis, & dignitatibus, quæ prædecessores sui Reges usque ad sua tempora habuerunt: & quibus ipse modestius, quam prædecessores sui hactenus usi sunt: nec contra ordinationem Ecclesiarum unquam fuit. *Propositio Ecclesiæ:* De Talliis, & exactionibus, quæ contra formam pacis ab Ecclesiis & Monasteriis extorquentur. *Responsio Imperialis:* Talliæ & collectæ Clericis & personis Ecclesiasticis, non pro Ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus, & patrimonialibus imponuntur, secundum quod est Jus commune, & obtinet ubique per orbem. *Propositio Ecclesiæ:* De hoc quod Prælati non audent procedere contra usurarios occasione constitutionis Imperialis. *Responsio Imperialis:* Apparet Generalis & nova constitutio contra usurarios edita per Imperatorem, per quam in omnibus bonis eorum publice condemnantur, & lecta est coram Prælatis, per quam etiam non interdicitur Prælatis audacia procedendi. *Propositio Ecclesiæ:* Quod Clerici capiuntur, incarcerantur, proscribuntur & occiduntur. *Responsio Imperialis:* De

De captis & incarceratis nihil novit, nisi quod per officiales Imperatoris aliqui capti sunt, assignandi juxta qualitatem excessuum judicio Prælatorum. De proscriptis vero novit, quod objecto quibusdam crimine læsæ Majestatis, aliqui de Regno sunt proscipti. Novit etiam de occisis, quod propter impunitatem Clericorum & Monachorum Venusina Ecclesia gemit obitum Prælati sui, a suo Monacho interfecti, & in Ecclesia Sancti Vincentii Monachus Monachum interfecit, nec ista inde aliqua vindicta, sive pœna canonica subsequuta. *Propositio Ecclesiæ:* De Ecclesiis Domino consecratis, quæ prophanantur & destruuntur. *Responsio Imperialis:* Nihil omnino scitur, nisi forte dicatur de Ecclesia Luceriæ, quæ, propter diutinam vetustatem, per se dicitur corruisse, & quam Imperator, nedum quod reædificari permittat, imo paratus est ad honorem DEI, & Ecclesiæ, de suo pro reædificatione ejusdem Episcopum congrue adjuvare. *Propositio Ecclesiæ:* Quod non permittit reparari Soranam Ecclesiam. *Resp. Imperialis:* Soronam Ecclesiam solam ædificari permittit, sed civitatem non; ad minus diebus suis, quæ judicio est destructa. *Propositio Ecclesiæ:* Quod contra tenorem pacis, hi, qui adhæserunt Ecclesiæ tempore turbationis, bonis omnibus spoliati, exulare coguntur. *Responsio Imperialis:* Adhærentes Domino Papæ tempore turbationis contra Dominum Imperatorem, secure in Regno morantur: nisi forte, qui officia & jurisdictiones exercuerunt, metu ponendi rationem, vel aliqui, ne causis civilibus vel criminalibus conveniantur, morantur extra Regnum: de quibus vult Dominus Imperator, quod secure redeant, si sibi, & aliis conquerentibus (non tamen de eo, vel ejus occasione, quod Ecclesiæ adhæserunt) velint facere rationem. Sed cum de forma pacis tractatur, recordatur, quod Dominus Papa contra eam, & contra opinionem fere omnium fratrum, detinet Civitatem Castellæ. Pro qua detinenda in præjudicium Imperii, recepit pecuniam, existente Domino Imperatore pro servitio ejus contra Romanos, & expendente proinde ultra centum millia marcarum argenti, adeo quod magnum commodum inde est Ecclesia consecuta, tam de terra Romanis ablata, & sibi restituta, quam de libertate Ecclesiastica, reformata in urbe, occasione servitii supradicti. *Propositio Ecclesiæ:* De nepote Regis Tunicii, quem non permisit venire ad Apostolicam Sedem, ad suscipiendum Baptismi Sacramentum, sed captivum detinet. *Responsio Imperialis:* Quod nepos Regis Tunicii, non ut baptizaretur, sed ut aufugeret mortem, quam præminabatur patruus suus, de Barbaria fugit in Siciliam. Non tenetur captivus, sed liber per Aupliam vadit; & diligenter quæsitus, si baptizari velit, omnino negat. Si tamen vult baptizari, Dominus Imperator acceptat, & gaudet, prout super hoc respondit alias Panormitanensi, & Messanensi Archiepiscopis. *Propositio Ecclesiæ:* De Petro Saraceno, fideli Ecclesiæ, quem tenet captivum, in injuriam Ecclesiæ, & fratre Jordane, qui tenetur captivus. *Responsio Imperialis.* Petrus Saracenus, tanquam inimicus Domini Imperatoris, & detractor ejus, tam in urbe, quam alibi, captus est per eum; item non in negotium Regis Anglorum venit, sed tantum literas ipsius attulit: ut si forte caperetur, capto parceremus, attentius supplicantes. Quibus non obtemperavimus, quia Rex nescivit, quas mihi paravit insidias. De fratre Jordane, quod ipsum nec cepit, nec capi mandavit: quamvis enim in sermonibus diffamaverat; sed quia videtur a quibusdam fidelibus suis, qui norunt mores & versutias ejusdem fratris, quod status, & mora ejus, si fieret in Marchia Tervisii & Lombardia, suspecta forent & nociva Domino Imperatori; præstita satisdatione: quod in Marchia vel Lombardia remanere, vel morari non debeat, ipsum liberari mandabat, & assignari eum jussisset Domino Messanensi Archiepiscopo: si dictum fratrem in prædictum modum, super se recipere voluisset. *Propositio Ecclesiæ:* De eo quod ipse seditionem movit in urbe contra Ecclesiam, per quam intendebat Romanum Pontificem, & fratres suos a sua Sede repellere, & contra privilegia, dignitates & honores Apostolicæ Sedis, libertatem Ecclesiasticam conculcare. *Responsio Imperialis:* Seditio mota in urbe contra Ecclesiam per Dominum Imperatorem, negatur, sed cum ipse habeat fideles suos in urbe, sicut Prædecessores sui, tam Romani Principes quam Reges Siciliæ soliti sunt habere, quia Senatores aliquando electi per potentiam adversariorum, eos offendere contendebant, adstabat defensioni eorum, sicut adstaret quoties in similibus expediret. Cessante vero causa, videlicet, quod alius Senator communiter electus fuit, cessavit turbatio supradicta: prout constat de rei evidentia, ex Testimonio Panormitanensis & Messanensis Episcoporum. *Propositio Ecclesiæ:* De eo quod mandavit quibusdam fidelibus suis, ut Episcopus Prenestinus, Apostolicæ Sedis Legatus, detineretur. *Responsio Imperialis:* super mandato detentionis Episcopi Prenestini respondit, quod nunquam mandavit, nec etiam id somniavit Dominus Imperator: quamquam de eo id juste facere potuisset, tanquam de inimico suo. Qui licet missus per Dominum Papam, tanquam vir religiosus, tamen de mandato Domini Papæ, ut ipse dixit, Lombardiam pro magna parte contra Dominum Imperatorem callide & perniciose subvertit, & Lombardos contra ipsum, in quantum potuit, animavit. *Propositio Ecclesiæ:* Quod per eum impeditur negotium terræ sanctæ, occasione discordiæ, quam habet cum quibusdam Lombardis: cum parata sit Ecclesia dare opem & operam efficacem, ut sibi & honori Imperii, super his, quæ commissa sunt, contra eum a Lombardis, congrue satisfiat: & Lombardi etiam ad hoc ipsum sint præparati: moneatur super his omnibus, & responsum ejus significetur nobis. *Responsio Imperialis:* Super negotio Lombardiæ dixit Dominus Imperator, quod illud multoties commisit Ecclesiæ, nec inde est aliquod commodum assequutus: nisi quod prima vice condemnati sunt Lombardi in quadringentis militibus, quos Dominus Papa tali modo fecit ei solvi, quod ipsos contra ipsum Imperatorem misit in Regnum. Secunda vice, condemnati sunt in quingentis militibus, quos non Imperatori, contra quem commissa erat injuria, sed sub protectione, & ad requisitionem Domini Papæ & Ecclesiæ, quæ offensa non erat, ultra mare transmitti pronunciavit, quod etiam nunquam factum fuit. Tertia vice, ad requisitionem Cardinalium, scilicet quondam Episcopi Sabi-

Sabinensis, & Magistri Petri de Capua, plene, sicut Dominus Papa dictavit, commissum fuit dictum negotium Ecclesiæ, nec unquam postea de hoc fuit verbum; nisi quando Dominus Papa novit, quod Imperator, postquam ei toties fuerat illusum, descendere cum exercitu a Germania in Italiam se parabat, & tunc instanter petiit denuo negotium sibi committi: & Dominus Imperator, licet in eadem commissione naufragium sæpe expertus fuisset, voluit tamen sibi committere ad certum diem, & sub conditione, quod ad honorem suum, & commodum Imperii firmaretur. Quam conditionem Dominus Papa, prout per literas suas constat, admittere noluit: quamquam ad præsens per literas suas dicat, quod Ecclesia negotium ipsum, salvo jure & honore Imperii, fuisset definire parata. Et ex hoc patet, quod literæ ipsæ sibi invicem manifestissime contradicant. Et ne prætendatur, quod in præjudicium Terræ sanctæ velit Dominus Imperator jura Imperii in Italiam restaurare, qualiter Dominus negotium Terræ sanctæ assumpserit, nec duxerit negligendum, apparet per literas suas responsales, Regibus orbis, & crucesignatis in Francia scriptas, qui ipsum in Dominum & Rectorem exercitus elegerunt, per quas etiam respondit insuper eisdem, quod negotium ipsum de consilio Ecclesiæ tractare volebat. Denique tamen super omnibus gravaminibus Ecclesiarum corrigendis, Notarius Domini Imperatoris in specialem nuntium, sicut superius est propositum, est transmissus. Addidit præterea Imperialis Responsio, quod id quod enormius est, & in admirationem & stuporem omnium audientium verti debet, post recessum supra memoratum, Panormitanensis, & Messanensis Archiepiscoporum, quibus Dominus Papa Ecclesiæ gratiam pro Domino Imperatore promisit, & quod noluit unum & idem esse cum eo, Domino Imperatore, prout decuit, non modice hoc attentate, postquam sufficienter fuerat eis ad quædam Capitula, missa per eos, responsum, prout in eorum attestatione corrigit, per tergum, & in confusionem eorumdem Archiepiscoporum, eis omnino nescientibus, missæ sunt literæ istæ, & capitula interclusa Prælatis, quæ licet speciem admonitionis contineant, sugillationem tamen Imperialis famæ continent manifeste. Ultimo, generale verbum respondit, & proposuit Dominus Imperator, quod cum ipse diu fuerit absens a Regno, & Regni statum ignoret, quicquid unquam in gravamine Ecclesiarum factum est, quod remaneat emendandum, integre & sine difficultate aliqua id emendari mandabit. Et nihilominus, propter universale bonum, quod ex unione inter ipsum & Ecclesiam provenit, paratus est omnem prorsus securitatem, quæ Ecclesiam & ipsum Imperium deceat, præstare Ecclesiæ: quod ad honorem & exaltationem Fidei Christianæ & ad honorem & libertatem Ecclesiasticam conservandam, si unum & idem cum Ecclesia, viribus, & potentia sua ad hoc ex toto conversis. Datum, &c.

XXIII.

Tabulæ fœderis inter Fridericum II. Romanorum Imperatorem, Regemque Siciliæ, ex una, ac Ludovicum IIX. Galliæ Regem, ex altera parte, pacti, de Anno 1232.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex. Sinceræ dilectionis affectus, quem ad carissimum Amicum nostrum, & Fratrem Lodoicum, Regem Francorum Illustrem, habuimus, & habemus, sollicite Nos admonet, & inducit, ut verum amicitiæ fœdus, quod & servavimus hactenus illibatum, stabilitate perpetua fortius roboremus, & firmiter innovemus; Noverint igitur universi, præsentes pariter & futuri, quod Nos subscriptam confœderationem & amicitiam cum præfato Rege, & ipsius hæredibus postmodum, duximus ineundam; Inprimis non erimus dicto, facto, consilio vel assensu, qualiter idem Rex & hæredes ejus vitam aut honorem amittant, seu captionem corporum habeant, & si aliquid istorum sciverimus, illud disturbabimus bona fide; Quod si disturbare non poterimus, significabimus eis, aut alicui, vel aliquibus personis bona fide, quæ hoc valeant disturbare, seu per aliquam, vel aliquas personas significabimus ipsis eisdem. Item non consentiemus, quod de Imperio nostro, & hominibus ejusdem Imperii nostri alicui, vel aliquibus, quod contra prædictum Regem & ejus hæredes, in personis, honoribus & terris eorum quicquam fecerint, vel facere attentaverint, tam de personis, quam de rebus aliquod subsidium tribuatur, sed prorsus inhibemus, quod non fiat, & ne fiat, disturbabimus bona fide. Insuper nos homines Regni sui, vel ad Regnum suum pertinentes contumaces, aut eidem rebelles, seu moventes guerram contra ipsum Regem & hæredes ipsius, vel foris bannitos Regni sui non receptabimus, nec receptari faciemus, nec in Imperio nostro, ubi potestatem habemus, per Nos aut homines nostros sustinebimus receptari, postquam ad ipsum ex parte ipsorum in Nobis fuerit intimatum, sed eos, ubicumque invenire poterimus, per Imperium nostrum capi faciemus in rebus pariter & personis bona fide, ubi potestatem super hoc habeamus. De Rege Angliæ sic erit, quod nullam cum eo faciemus amicitiam seu confœderationem, nec a nostris fieri permittemus, ubicumque potestatem impediendi habeamus sine voluntate prædicti Regis Franciæ. Et hanc confœderationem fecit bona fide Nobiscum idem Rex Ludovicus, quod non erit dicto, facto, consilio vel assensu, qualiter Nos & hæredes nostri vitam aut honorem amittamus, seu captionem corporum habemus, &, si aliquod istorum sciverit, illud disturbabit bona fide. Quod si disturbare non poterit, significabit Nobis, aut alicui, vel aliquibus personis bona fide, quæ hoc valeant disturbare, seu per aliquam vel aliquas personas significabit Nobis ipsis. Item non consentiet, quod de Regno suo & hominibus ejusdem Regni sui, vel aliquibus, qui contra Nos & hæredes nostros in personis, honoribus & terris nostris quicquam fecerint, vel facere attentaverint, tam de personis, quam rebus aliquod subsidium tribuatur, sed prorsus inhibebit, quod non fiat, & ne fiat, disturbabit bona fide. Insuper idem Rex homines Imperii nostri

nostri, ad Imperium nostrum pertinentes, contumaces aut Nobis rebelles, seu moventes guerram contra Nos, hæredes nostros, vel foris bannitos Imperii nostri, non receptabit, nec receptari faciet, nec in Regno suo, ubi potestatem habebat per se, aut homines suos sustinebit receptari, postquam id ipsum ex parte nostra sibi fuerit intimatum, sed eos ubicumque inveniri poterunt, per Regnum suum capi faciet in rebus pariter & personis bona fide, ubi super hoc habeat potestatem prædictam. Itaque confœderationem præcepimus & injunximus jurandam pro Nobis & in anima nostra a dilecto familiari nostro, Magistro Henrico, Vener. Cathan. electo, & Henrico de Aquisgran. Camerario, fidelibus nostris. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ducentesimo tricesimo secundo, mense Maji, quintæ Indictionis. Datum apud Portum Naonis, in foro Julii, anno, mense & Indictione prætitulatis.

XXIV.

Literæ Friderici II. Romanorum Imperatoris ac Regis Siciliæ, ad Richardum, Comitem Cornubiæ, Angliæ Regis filium, datæ, in quibus, Pontificum technis atque machinationibus vivo colore depictis, varia crimina, quorum a Pontificibus Maximis incusatus erat, a se depulit, de Anno 1239.

FRedericus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Richardo Comiti Cornubiæ, dilecto Sororio suo, salutem & omne bonum. Levate in circuitu oculos vestros, arrigite filii hominum aures vestras, orbis scandalum, dissidia gentium, generale justitiæ doleatis exilium, exeunte nequitia Babylonis a Senioribus populi, qui populum regere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum justitiæ in absinthium convertunt. Sedete Principes, & intelligite populi causam vestram. A vultu Domini judicium vestrum prodeat, & oculi vestri videant æquitatem. Scimus etenim, & in supremi judicis virtute confidimus, quod cum apud vos pondus, & pondus, mensura, & mensura non fuerint, profecto modestiam & innocentiam nostram in Judicii vestri libra præponderare videbitis calumniosis detrahentium labiis, & venenosis inventionibus fictionum: sed nec nunc primum causæ nostræ justitiam & residentis in Sede Domini pravitatem ad publicam mundi notitiam novimus pervenire, quin præter agillimæ famæ præloquium, quæ frequenter in maximis virginum aurium deflorat, auditum. Nos ipsi, quod primitus rumor eduxerat, subsequentibus postmodum nostræ Serenitatis affatibus firmaremus, qualiter iste novus athleta, sinistris factus auspiciis Pontifex generalis, amicus noster præcipuus, dum in minoribus esset ordinibus constitutus, beneficiorum omnium, quibus Imperium Christianum Sacrosanctam Ecclesiam ditavit, oblitus, statim post assumptionem suam, fidem cum tempore renovans, & mores cum dignitate commutans, ac habens quodammodo de publica turbatione pruritum in Nos supremum & unicum filium Ecclesiæ, suæ malignitatis aculeos acuisset: dum occasione sumpta, quod propter imminens scandalum evitandum, sacramento præstito, & lata contra Nos excommunicationis sententia, Nos ad certi temporis obligaverimus transitum, adversa valetudine corporis præpeditos, adjectis plerisque capitulis aliis, de quibus antea nunquam fueramus muniti, vel admoniti, excusationibus nostris contra DEum & justitiam omnino rejectis, excommunicationis sententia Nos denuntiavit astrictos, cui velut in Nos primitus de nostra voluntate prolatæ, cum humilitate paruimus, absolutionis beneficium, pristina Nobis incolumitate corporis reddita, postulantes, dum Nos ad transitum instanter pararemus. Quo petito suppliciter & injuriose negato, in Terræ sanctæ subsidium sub pia voti persecutione transivimus, existimantes Vicarium JEsu Christi, ad ejus negotium potius, quam ad conceptæ malevolentiæ contra Nos odium aspirare. Sed is, quem speravimus ea solummodo, quæ sursum sunt, sapere, & visu cœlestia contemplantem, mente credimus in cœlestibus habitare, subito inventus est homo; quinimo per inhumanitatis opera non solum a veritate sepositus, sed ab humanitate discretus, dum præter impedimenta, has nobis insidias præparavit per Nuntios & Legatos, qui Soldanum literis suis, quas Nos captis ipsarum latoribus in testimonium reservamus, ne Nobis terram divino cultui, & Hierosolymitani Regni juribus debitam redderet, monuerunt, Regnum nostrum Siciliæ violenter intravit; Sumpta occasione, quod R. filius olim Ducis Spoleti, præter voluntatem & conscientiam nostram (prout nos postmodum per ipsius pœnam evidenter expressimus) terram Ecclesiæ parabat intrare: & non pro ut sancti per fidem Regna vicerunt, sed per perfidiam & perjuria, prædicans universis, aut si qui ad perjurium prædicatione solummodo provocari non poterant, provocabantur exemplo, dum ipsi Præfecti Papalis exercitus, quo terram facilius obtinerent, Nos captos in Syria manifeste jurabant. Redeuntibus nobis de partibus transmarinis, & injuriam nostram propulsantibus solum, nec juxta magnificum morem Imperii prodeuntibus ad vindictam, per concordiæ medios verbum pacis libenter admisimus. Veram matrem nostram Ecclesiam ex cognitione Catholicæ fidei reperisse cognoscimus, sed patrem semper invenimus simulatum; dum ipsa reconciliationis die viam nostræ confusionis excogitans, de redeundo in Italiam iterum sub inermi & domestico comitatu, Nobis instantissime persuasit, occasionem significans, ne velut ex priori & armato processu, timoris causam nostris fidelibus præstaremus, asserendo, quod Nobis omnia planissima faceret. Cujus contrarium per literas & Nuntios suos manifestissime procuravit, prout constat testimonio plurium nostrorum fidelium, qui tunc temporis erant omnium conscii; velut ex iis quidem participes, & alii Principes factionis, propter quod filio & Principibus nostris ad Nos de Germania venientibus, per rebelles nostros itineribus publicis undique præpeditis, sed & eodem

filio

filio nostro apud Aquilegiam, navali præsidio cum summa difficultate recepto, ac in Teutoniam ab inde destinato, in Regnum de necessitate redivimus, utpote quos ad coercendam rebellium nostrorum nequitiam, patris consilium, vel astutia potius, miserat imparatos. Ubi quodammodo respirantibus Nobis & capessentibus requiem post labores, quieti nostræ sanctissimus Pater noster invidit, consiliatoris sibi formam assumpsit, instantissime persuadens, ut contra Romanos Excellentiæ nostræ devotos, & alios rebelles nostros de Tuscia, quæ jura Ecclesiæ & Imperii detinebant, procederemus audacter: de suo favore securi, quod Nobiscum nostra, & Imperii pondera participare volebat. Et sic ad multam ejus instantiam, Romanos, qui tunc temporis Viterbiam impugnabant, in favorem Ecclesiæ Nos opportuit diffidare, ipso mittente literas latenter ad urbem, quod hæc per Nos præter suam conscientiam, & mandatum, faceremus in odium Romanorum. Et interim in Sicilia quadam seditione suborta, oportuit Nos necessario conferre Messanam, ut factioni ibi inchoatæ principiis obstaremus, occasione solummodo ista prætenta, quod tam nobilem nostram Siciliæ Insulam noluimus amittere; Nobis non requisitis, & omnino celatis, contra omne jus gentium, quod belli socios & participes statuit non relinqui, fœdus iniit cum Romanis, per Nos ad mandatum ejus, ut diximus, diffidatis, non attento, quod Nos non sine dubia vice, & honoris nostri fortuna inter rebelles & seditiosos nostros remanentes inermes, copiosam & strenuam militiam armatorum in ejus subsidium miseramus, quamquam personaliter interesse nequiveramus. Ad hæc cum conscientiæ nostræ integritas, & pura devotio, quam ad matrem nostram Ecclesiam habeamus, novercalia deliramenta Patris agnoscere filium non sinebant: quin quod erat astutiæ, casui reputantes satisfactionis nostræ causam in vitricantis arbitrio sæpius poneremus, qui tanto Nobis vice quàlibet illudebat acerbius, quanto constantius spem uberiorem arbitrii permittebat. Medio deinde tempore, dum de negotio Italiæ per Papam ad honorem Imperii componendo, ex præteritorum conjectura discriminum, nulla spes Nobis remansisset in posterum vel exilii, ac persecutionem eandem congruo tempore servaremus, expectantibus repente credimus arrisisse fortunam, reiterata discordia inter Ecclesiam & Romanos: in qua sic magnifice, sic devote thesauros nostros effudimus, & personam, quod omnem omnino conscientiæ pravæ rubiginem de malevolentium cordibus credebamus erasisse. His etiam omnibus non contenti, ut de Nobis prorsus indubitata securitas Ecclesiæ præberetur, circa ipsum zelo devotionis summe succensi, & incentivo perfectæ charitatis in Deo, ad præsentiam istius Summi Pontificis personaliter ivimus, etiam non vocati, ducentes Nobiscum Conradum, charissimum filium nostrum, nunc Romanum in Regem electum, & Regni Hierosolymitani hæredem, quem Nobis tunc temporis fratris sui manifesta transgressio filium unicum in paternæ dulcedinis affectione reliquerat: Ac eundem post oblatam Ecclesiæ personam nostram, in totum obsidere Summo Pontifici Nos offerre non puduit; unionem omnimodam inter Nos & Ecclesiam, sub attestatione divini judicii, humiliter postulantes, quam dudum Nobis antea iste Prælatus Ecclesiæ generalis, cum esset Episcopus Ostiensis, instanter suaserat expetendam. Propter quæ omnia, dum serenam Nobis totius Curiæ faciem assertio demonstrata prætenderet, & verba gratissima tam Summi Pontificis quam Curialium omnium sinceram ostenderent voluntatem, cum eis omnia perfecisse credentes, sub intentionis nostræ sanctæ proposito, nec minus sub obsequiorum nostrorum fiducia, dissensionis causam inter Nos & Lombardos, in sinu corrupti Judicis toties suffocatam, nec non & sedationem inter Nos discordiæ, Cives & Nobiles Aconenses devotione promptissima duximus exponendum. Sicque de negotiorum nostrorum omnium prospera consummatione securi, in obsequium Ecclesiæ personaliter alacri voluntate processimus cum exercitu copioso, quem sub magnis ærarii nostri stipendiis congregari, tam de Germaniæ, quam de Italiæ partibus feceramus. Nec prius a concepti propositi prosecutione destitimus, quam libertatem Ecclesiæ conculcatam in urbe, & terram exterius occupatam in statum primum & debitum nostra potentia reformavit, indubitabiliter æstimantes, ut quod obtinere prius favor justitiæ nostræ non poterat, devotionis obsequia promererentur. Sed audite retributionem mirabilem, quam pro tanta devotione, pro tot beneficiis, pro tot indubitatæ fiduciæ firmamentis, Christi Vicarius, Pastor Ecclesiæ nostræ Catholicæ, Fidei prædicator, Nobis in singulis reddere procuravit. In primis super negotio ultramarino, quicquid per Ravensem Archiepiscopum, dilectum Principem nostrum, tunc Apostolicæ Sedis Legatum, secundum formam expressam ab Ecclesia sibi datam, videlicet de reducendo Nobis, & prædicto Conrado, nato nostro, in possessionem plenam & pristinam omnium jurium Nobis sub tractatu in Regno, fuerat rationabiliter ordinatum: statim adveniente Cæsariense Archiepiscopo, nec Legato prædicto, nec nuntiis nostris ad Curiam venientibus expectatis, nec ulla majori mora protracta, delatos Bizantios potuit numerare, inordinate fuit ex toto destructum negotium Italiæ, ne dum quod ad honorem nostrum & Imperii, sicut promiserat, ordinaret, imo petentibus & instantibus Nobis ad revocationem hostium nostrorum, quod in Lombardia & Tuscia fideles nostros, tunc temporis divisim exercituum suorum copiis devastabat. Nec Nos cum militibus, quos tunc in partibus ipsis, ut diximus, pro Ecclesiæ Provinciis habebamus, ire permisit: nec aliquem nuntium, seu literas voluit destinare, ex quibus per bella campestria sunt quamplurimum strages hominum & Ecclesiarum incendia subsecuta. Adhuc etiam tanta & superiori nequitia non contentus, civitatem Castellæ, per ipsum introactæ turbationis temporibus occupatam, quam reddi Nobis forma pacis, & fratrum suorum omnium consilia suadebant, receptis libris illius monetæ solummodo, quæ ad quinquaginta marcarum numerum non adscendunt; Nobis cum eo permanentibus in Riata, & pro eorum marcarum millia multa expendentibus, reddere recusavit. Ecce qualiter Pater noster iste Sanctissimus Nos amabat! Deinde super profectibus nostris omnibus,

bus, & super pacificanda Nobis Italia (maxime de qualibet Patris, vel vitrici nostri potius, benevolentia desperare coacti) apprendimus arma, & scutum, vires de Teutonum partibus (ad quas Nos diebus illis prævaricatio filii nostri de necessitate vocaverat) propter ingressum Italiæ congregantes, militibus strenuis justitiam nostram armavimus, quam assequi precibus minime poteramus. Quod cum ad notitiam Summi Pontificis pervenisset, sub prætextu treugarum, pro Terræ sanctæ subsidio fidelibus populis, & Terræ Principibus indictarum, armatum Nobis ingressum Italiæ, per Apostolicas literas interdixit; Obligatusque die eodem ipso quo prædictas treugas indixit, Nos tamquam defensorem & Advocatum Ecclesiæ, requisivit, quod contra Romanos, quos sibi Jura Ecclesiæ subtraxisse dicebat, potenter procedere deberemus, iniquum in Nobis reputans, quod domum nostram, & possessionem avitam, quam Nobis infidelium nostrorum rebellio furiosa præcluserat, viriliter ingredi nitebamur: quod justum crediderat in Romanis, qui patri, vel avo, seu parentibus suis in nullo prorsus extiterant obligati. Adjecit præterea in literis antedictis, quod de negotio Lombardiæ in ipsum præcise sine adjectione temporis, & conditione aliqua, nullo jure & honore Imperii reservato compromittere deberemus: per quod, vel Nos inperpetuum a juris nostri prosecutione cujuslibet suspenderet, vel jus, & honorem Imperii, libere suffocaret. Quod cum Nobis nec nostrorum consilio Principum, nec præteritorum dispendiorum memoria suaderent, ad artes alias postmodum se convertit, mittens Nobis obvium in vestimentis ovium lupum rapacem, Episcopum Prænestinensem, per quem apud Nos literis Apostolicis de vita sanctissima commendatum, Placentiam Nobis subditam, & nostris amicam, ad factionis Mediolanensis revocavit perjuria: per eum firmiter æstimans, sic universaliter, & in tantum fideles nostros evertere, ut processus nostros in Italiam penitus enervaret. Qua spe, faciente divina clementia, quæ suum tuetur imperium, omnino frustratus, clamantibus apud eum rebellium nostrorum incendiis, depopulationibus reorum ex stragibus occisorum, quod ipsum de data eis rebellionis secura fiducia, nec non de fide mentita, quod contra Nos & Imperium ipsis assistere promisisset, publicis vocibus arguebant. Quia juxta petitionem ipsorum, occasione prædicta Nos excommunicare juste non poterat, impedimenta clandestina nostris processibus undique præparavit: literas & Legatos per Imperium, & ubique per orbem, ut quoscumque posset, a fide & assertione nostra seduceret destinando. Quæ omnia cum nostrorum fidelium fides, & amicorum affectio, conscientiam nostram latere non vellent, nolentes adhuc vinci a malo, sed in bono malum vincere cupientes: solemnes Nuntios nostros, venerabiles Panormitanensem Archiepiscopum, Florentinum & Reginensem Episcopos, Magistrum Thaddæum de Suessa, Magnæ Curiæ nostræ Judicem, & Magistrum R. Portastellanum Capellanum, dilectos, ac fideles nostros, ad Sedem Apostolicam duximus destinandos. Quibus oblata sibi per eos ex parte nostra devotione omnimoda, & ratione tractata contra hæreticam pravitatem, & pro Ecclesiastica libertate, de reformandis Ecclesiæ, & Imperii Juribus (dudum inter Nos, & Ecclesiam expetitis & expectatis) Summus Pontifex de præsentium fratrum suorum consilio, legatione nostra in omnibus suis Capitulis acceptata, per eosdem, & Archiepiscopum Messanensem, quem ad Nos pro pace sua Nuntium destinavit, Excellentiæ nostræ promisit, quæ cessari mandaret ubique locorum ab impedimentis omnibus, quæ se nostris Processibus objecisse, coram fratribus suis, & Nuntiis nostris fuit professus manifeste, prout hæc omnia per testimoniales Antistitum omnium præfatorum literas manifestissime comprobantur. Cum qua responsione Nuntiis nostris, & suo ad nostram præsentiam redeuntibus, priusquam per tres dietas a Curia recessissent, ei omnino celatis, & in confusionem ipsorum, G. de Monte Longo, quem primitus ad Nos Nuntium miserat, & contra Nos postmodum ad eversionem Mantuanam, & aliorum fidelium nostrorum statuerat, in Lombardia Legationis officium plene commisit: arbitratus, ut quanto sibi major daretur auctoritas, tanto majora Nobis & nostris impedimentis pararet. Quibusdam tamen Principibus nostris, Prælatis Italiæ & Germaniæ, Nobiscum in Curia nostra manentibus, literas destinavit, sugillationem famæ nostræ non modicam continentes, certis capitulis interclusis, & specialiter de gravaminibus, quæ quibusdam Ecclesiis Regni nostri dicebantur illata, super quos mandavit Nos per eosdem Principes admoneri. Quorum Capitulorum omnium & responsionum nostrarum ad singula, seriem vobis sub testimonio publico misimus intuendam. Quibus omnibus, coram Principibus & Prælatis, ac Religiosis quampluribus, cujuslibet ordinis, sigillatim ostensis (quamquam de tanta Patris instabilitate confusos se filii reputarent, & de verecundia capitis præsentium robur ora perfunderet) nihilominus tamen de ipsorum consilio, prædictos Panormitanensem Archiepiscopum, Magistrum T. & Magistrum R. Portastell. Excellentiæ nostræ cum nuntiis civitatum nostrarum fidelium, ad Sedem Apostolicam duximus remittendos: per quos ad satisfactionem omnem, mora qualibet, & difficultate sepositis, obtulimus Nos paratos. Sed nec in his omnibus est aversus furor ejus, quin dictus evangelizantis pacem Christi Vicarius, sed actor Schismatis, & dissensionis amicus, contra traditionem Sanctorum Patrum, audiens Nuntios nostros, portantes omnimodum nostræ devotionis xenium, & metuens, ne supervenientibus ipsis obice vallo justitiæ, sine publico scandalo forte procedere non valeret; præ festinantia nimia conceptum edidit abortivum, in Nos supremum Christianorum Principem, die Dominica Palmarum contra solemnem morem sacrosanctæ Matris Ecclesiæ: & in cœna Domini postmodum præcipitavit sententiam, per quam (sicut per famam audivimus, licet hoc credere minime debueramus, contradicente saniore parte Fratrum suorum) de quorundam Cardinalium Lombardorum consilio, Nos excommunicationis vinculis dicitur adstrinxisse; præpeditis Nuntiis nostris per fautores & satellites suos, de patrimonio pauperum solidatos, qui jam applicuerant: ne ad allegandum justitiam, & innocentiam nostram, ac demum

demum satisfactionem offerendam etiam ad cautelam, ad præsentiam suam & aspectus publicos pervenirent. De quo licet Nos singulari & propria ratione, propter nostram justitiam, & infamiam procedentis mali merito debueramus, quod perperam & inordinate processerit, cum nequitiam suam editurus fuisset omnimodo, non forsitan antea crepuisset: dolemus tamen, & ex corde dolemus propter verecundiam universalis Ecclesiæ Matris nostræ, quam Dominus noster JEsus Christus sub specie Virginis Gloriosæ, in passionis Testamento discipulo commendavit. Alias Nobis per talem, quem merito nostrum Judicem non habemus, nullam posse fieri reputamus injuriam: utpote cum se prius inimicum capitalem, quam Judicem nostrum, & opere fuerit professus & verbo, rebelles nostros & nostri Imperii publice confovendo. Indignum præterea se tanti coërtione Principis, & generaliter qualibet Pontificalis auctoritate judicii reddidit, dum Mediolanensem civitatem, quæ pro maxima parte, testimonio Religiosorum quamplurium fide dignorum, inhabitatur hæreticis, contra Nos & Imperium manifesto favore tuetur. Et contra R. de Mandello, Civem Mediolanensem, dudum Potentatem Florentinum & Clarentinum Episcopi Florentini, viri vitæ probabilis, ac famæ approbatæ in plerisque capitulis super hæretica pravitate, ob odium nostrum & Mediolanensium gratiam non admisit. Illum haberi præterea Christi Vicarium & Successorem Petri, ac dispensatorem animarum fidelium indigne fatemur, non ob dignitatis injuriam, sed ob personæ defectum: quod dispensationes cum Fratrum deliberatione maxima concedendas, in camera sua more mercatoris cujuslibet, in libra mercationis, celatis fratrum consiliis (cum quibus secundum Ecclesiasticam disciplinam deliberare teneretur) existens sibi bullator, & scriptor, & forsitan numerator. De quibus dispensationes insignes præterire silentio non volumus, per quas Sipham, gnatam quondam Contestabilis Regni Cypri, contra separationis sententiam latam super hoc per Nicosiensem Episcopum, & de non habitando simul præstitum Sacramentum Balianno de Jocelino, & Sororem Joannis de Cæsaris Jacobo de Amendolio, qui prius sororem ipsius desponsaverat, proditoribus nostris, sibi invicem gradu tertio attinentes, concessit uxores, accepta non multæ pecuniæ quantitate: verumtamen quod quantitati vel numero defuit, odii nostri qualitas compensavit. Defectum etiam, & prævaricationem ejus in illo debemus, quod ut contra Nobiles & potentes Romaniæ sibi satellites fautores adquirat, effusione pecuniæ non contentus, ipsis castra & possessiones Sanctis Patribus pia fidelium devotione donata, Rom. Ecclesiam nostro patrocinio commendatam dilapidando, largitur. Itaque non miretur universalis Ecclesia, nec populus Christianus, si Nos talis sententiam Judicis non veremur, non in contemptum Papalis officii, vel Apostolicæ dignitatis (cui omnes orthodoxæ fidei professores, & Nos specialius cæteris, subesse fatemur) sed personæ prævaricationem arguimus, qua se solio tanti regiminis monstravit indignum; & omnes Primates hominis Christiani sanctum intentionis nostræ propositum, & piæ devotionis zelum in Nobis agnoscant, & quod non ex odii fomite, sed ex causa justissima, Romanus Princeps contra Romanum Antistitem commovetur: Dum metuit ne grex Dominicus, sub tali Pastore per devia deducatur. Ecce quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, per sanguinem JEsu Christi, & sub attestatione divini judicii, per literas nostras & nuntios attestamur, ut generale Concilium Prælatorum, & aliorum Christi fidelium debeant evocare. Nuntiis quoque nostris & reliquorum Principum accersitis, in quorum præsentia, Nos ipsi præsentes, cuncta quæ diximus, sumus ostendere & probare parati, & his etiam duriora. Nec minus illi probabili ratione turbamur, quod iste Rector Ecclesiæ, qui deberet esse virtutum quarumlibet & constantiæ maximæ, sine macula cupiditatis, vas electum, ne error majorum in subditos propagaretur cum augmento, contra promissionem suam literis suis de Fratrum consilio Nobis factam, per quas in restaurandis Imperii viribus non deesse Nobis, sed adesse promisit auxilio, consilio & favore, præter personæ nostræ infamiam, nedum blasphemiam, Jus Imperii nititur conculcare; præsertim cum quantumcumque conscientiæ nostræ librum sollicite revolvamus, nullam in Nobis occasionem invenimus, propter quam iste inimicus homo contra Nos debuisset tam acriter commoveri, nisi quod cum ipso contrahere de nepte sua desponsanda Henrico naturali filio nostro, nunc Regi Tunis, & Gallur. Nostra Magnificentia credidit indecens, & reputavit indignum. Tu igitur dilecte cum tibi dilectis, Princeps orbis terræ profuturæ non Nobis solum, sed Ecclesiæ, quæ est omnium fidelium congregatio, condole, cujus caput languidum, Princeps ejus, in medio est, quoniam Leo rugiens, Propheta ejus, vesanus, vir infidelis, Sacerdos ejus polluens Sanctum, injuste faciens contra legem. Nobis tamen pro cæteris Mundi Principibus, defectus est talis Summi Pontificis merito deplorandus, qui veluti sibi viciniores loco, & propinquiores officio honores congerimus, & onera præsentimus. Sed nec illud omittimus, in affinitatem nostram affectuose rogamus, & contumeliam nostram ad injuriam vestram revoces. Ad domos vestras cum aqua concurrite, dum ignis attenditur in vicinis, causam motus Pontificalis attendite, quod in favorem rebellium nostrorum procuratur. Quæ causa licet ad præsens expressa non fuerit, procul dubio tamen subest, similia Vobis in nostris imminere pericula timeatis. Facilis enim & Regum aliorum Principum omnium humiliatio creditur, si Cæsaris Romanorum potentia conteratur, cujus clypeus prima jacula sustinet adversantium. Hæc est namque causa pro vero, videlicet de Lombardis, quæ cor Papæ pungebat, & urebat intrinsecus, licet ipsam foris educere, propter nostrum & audientium scandalum, non auderet: pro qua Nobis per specialem suum Nuntium fide dignum (cujus ad hoc testimonium invocamus) oretenus expresse promisit, quod si negotium Lombardorum in ejus arbitrio poneremus, nedum quod in aliquo magnificentiam nostram offenderet, verum etiam totius orbis decimas Terræ sanctæ necessitatibus consecratas, nostris utilitatibus applicabat. Nec est mirum. Instantibus enim & acutis Lombardorum aculeis pungebatur, quibus, prout per aliquorum Præla-

Prælatorum confessionem accepimus, contra Nos, & Imperium, corporale præstitit sacramentum, cum ipsos, peregrinantibus Nobis in partibus Syriæ pro servitio JEsu Christi, transmisit in Regnum. Sed cum temporis fuerit ista promissio, fidem licite frangere poterat, & editum variare decretum. In quorum favorem, rem auditu horribilem, & discretione qualibet seu ratione carentem facere minime formidavit. Cum enim per G. Brixinensem, H. Cumanum, & alios Episcopos, Nos faceret admoneri, quod vel satisfactionem Lombardorum per ipsum deberemus accipere, vel treugas pro Terræ sanctæ negotio per quadriennium, ut diximus, indictas Lombardis, cum ab indictarum treugarum jam quinquennium excessisset. Nosque rem tanti consilii, ad deliberationem nostrorum fidelium modico temporis spatio servaremus: monitionibus ipsis de approbatione Legati prædicti G. de Monte longo (scilicet, qui apud Mediolanenses interim morabatur) inducias approbantibus supradictas, prout hæc liquido Prælatorum ipsorum testimonio comprobantur. Medio tempore, nec voluntatis nostræ judicio, nec fidelium nostrorum consiliis expectatis, conceptum virus evomuit contra Nos, prout aliquorum relatio declaravit procedendo. Postremo te pro Nobis, imo vos totius optimates orbis, & Principes exigimus adjuvantes, non quod ad propulsationem talis injuriæ nostra non sufficiant munimenta, sed ut totus mundus agnoscat, quod honor omnium tangitur, quicumque de corpore Principum secularium offendatur. Datum Tervisii XX. die Aprilis, nona Indictione.

XXV.

Breve Gregorii IX. Pontificis Maximi, ad Ottonem Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, adversus Fridericum II. Romanorum Imperatorem, Regemque Siciliæ conscriptum, d. d. 3. Id. April. Anno 1239.

GRegorius Episcopus, servus servorum DEI, dilecto filio suo Ottoni, Sancti Nicolai in carcere Tulleano, Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica, sicut totus fere orbis facti evidentia didicit, Fredericum, dictum Imperatorem, ex quo ipsum ex utero matris excepit genibus, affectu materno prosequens, lactavit uberibus, & humeris bajulavit: quem olim omni plene destitutum auxilio, & dubiis tantum derelictum eventibus, suo recepit patrocinio confovendum: opponens se potenter invasoribus Regni sui, cui in terram ejus oculos aviditatis injecerant. Cujus jam fines ingressi, eam absque ullo defensionis obstaculo usurpabant; & defendens eundem ab insidiantibus vitæ suæ, qui æmuli salutis ipsius, conabuntur animam ejus extinguere, & de terra ipsius memoriam abolere. Cumque idem protectionis Ecclesiasticæ clypeo præmunitus, personæ, & Regni sui, bonæ memoriæ G. de Gualgenem, Tituli Sancti Anastasii, Presbytero Cardinali, a Sede Apostolica per multos annos deputato Custode, majoris metas attigisset ætatis, tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit sublimatus. Sed diligentiæ studium circa personam ejus impensum labores plurimos, quos Ecclesia subiit propter eum, quoad ipsum perdidisse videtur, cum tot beneficiorum sit immemor, tantæ gratiæ sit ingratus. Et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum extiterit negatione contentus. Porro licet offensa quælibet aculeos doloris importet, illa tamen jaculo graviori percellit, in qua ingratitudo pro gratia rependitur, & pro beneficiis maleficia compensantur. Verum, quantumcumque ipsum Apostolica Sedes dilexerit, & supremæ culmine potestatis erexerit seculares, suis tamen exigentibus culpis, de quibus quamquam pluries a Nobis monitus satisfacere non curavit, coacti sumus, licet inviti, animadvertere in eumdem. Nam etsi Adam Divina providentia, excellentia dignitatis & auctoritatis extulerit, cui omnia animantia terræ subjecit; quia tamen sui jussa præteriit plasmatoris, ejus excessibus non pepercit. Quæ autem a dicto Frederico, pro tot bonis sibi collatis Ecclesia retributionis præmia reportarit, discretionem tuam volumus non latere, pauca de multis præsenti pagina declarando. In urbe siquidem gravem movit seditionem, exinde Nos, & Fratres nostros, totis viribus nisus excludere, ut se Apostolicæ Sedis honorem deprimeret, ac libertatem ipsius penitus conculcaret, contra juramenta præstita temere veniendo. Et venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem Episcopum, dum ipsum ad partes Albingensium disponeremus, pro corroboratione Fidei Catholicæ destinare, per quosdam suos fideles in viam impediri mandavit. Cathedrales etiam Ecclesias, & alias vacantes Regni sui, nequaquam ordinari permittit, in animarum periculum, & grave detrimentum ipsarum. Eas & quasdam alias nihilominus spoliando fere omnibus bonis suis, & tallias, ac exactiones indebitas Prælatis, Religiosis, & aliis Clericis secularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis, & viduis, usque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura & crudelis exactorum suorum acerbitas non patitur respirare, & sic totum fere Regnum, quod est spirituale patrimonium Beati Petri, pro quo juramento fidelitatis Apostolicæ Sedi tenetur, & ipsius ligius vasallus extitit, quantum in eo est, in favillam quasi, & cinerem jam redegit. Quod si postquam monitus fuerit a Nobis, non duxerit corrigendum, Nos super hoc, auctore DEO, sicut expedire videbimus, procedemus. Insuper negotium impedit terræ sanctæ, nec non etiam Imperii Romani. Præterea cum tempore concordiæ, inter ipsum, & Ecclesiam reformatæ, in manibus Sedis Apostolicæ Legatorum juraverit, Ecclesiæ præceptis obedire, & ipse mandatum ab eis receptum, quod terram Ecclesiæ, vel terras eorum, quas tunc ad suas manus tenebat, aut ipsorum personas nullatenus caperet, occuparet, sive etiam devastaret, adimplere contempsit, terram Ecclesiæ occupando, videlicet in Lombardia, Ferrariam, Bondoniam, Pingnogoman, terram quidem Sardiniæ, & Messinensem, Lucanensem Diœceses capiendo, & dejiciendo illos, quos ad manus suas Ecclesia reservavit,

vavit, & devastando terras ipsorum, licet ex tunc in eum præsentem ipsi Legati excommunicationis sententiam tulerint, si super his non faceret, quod mandarent. Idem etiam Nepotem Regis Tunicii detinet, ad Romanam Curiam & Ecclesiam pro percipiendo Sacri Baptismatis lavacro accedentem. Ac dilectum filium Petrum Saracenum, Nobilem civem Romanum, ex parte charissimi in Christo filii nostri, Illustris Regis Angliæ, ad Sedem Apostolicam missum, & filium ejus, carceri detinet mancipatos. Quia vero super his & quampluribus aliis excessibus pluries a Nobis monitus, correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint ulcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur; Nos hæc absque Christi offensa, præterire sub dissimulatione ulterius non valentes, de fratrum nostrorum consilio, ex parte DEI omnipotentis (cujus vicem in terris gerimus) licet inviti, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, in eum excommunicationis & anathematis sententiam duximus promulgandam, tradentes ipsum Fridericum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus in die Domini salvus fiat. Omnes, qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti hujusmodi absolutos, & firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. Quocirca devotionem tuam monemus, & exhortamur attente, per Apostolica scripta tibi præcipiendo mandantes, quatenus prædictam excommunicationis & anathematis sententiam, singulis diebus Dominicis, & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, solemniter publicari, ac absolutionem & inhibitionem nuntiari procures, & facias per totam terram tuæ Legationis modo simili publicari, & etiam nuntiari. Mandatum nostrum taliter impleturus, quod devotio tua possit exinde merito commendari. Cæterum cum præfatus Fredericus de aliis magnis & gravibus sit plurimum infamatus criminibus, Nos, dante Domino, super his loco suo & tempore procedemus, prout in talibus negotiis natura requirit. Verum quia terroris sonitus semper est in auribus impiorum, & etiam, quando pax est, insidias suspicantur, eo quod turbata conscientia semper sæva præsumit; idem Fredericus, priusquam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quasdam fratribus nostris decrevit literas transmittendas, pro parte inferius annotatas, quæ post eamdem latam sententiam ipsis præsentatæ, ad nostram & eorundem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum, & cordium secreta revelat, ex ipsarum literarum tenore colligitur, quam gerat devotionem ad Romanam Ecclesiam, matrem suam, quam ad Summum Pontificem, ac fratres ejus, ad Sedem Apostolicam reverentiam habeat, cujus ratione Regni vasallus existit. Contra Nos enim, & ipsos, conspirasse videtur, ex quo, quantum, & quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cætera vero, quæ sua continebat epistola, hæc habebantur inserta: Propter quod non indigne dolemus, si pater Apostolicus offendere tam graviter non intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cedit injuria, etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti solent, facti violentia Nos impellat. Verumtamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offensoris, si ex quo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis compensare possemus, ut in ipsum & suos attentata nostræ Sedis injuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cum nec ipse nec tota propter hoc sua passura progenies, tanti forent, ut culmen Imperii zelaret ultionem ipsorum; cumque Sedis auctoritas audaciæ sibi frena relaxat, tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur, angit Nos altiori mente turbatio, quod dum Nos intendamus a persequente defendere, oporteat Nos defendendo gravius offendere resistentes. Datum Laterani, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno XIII. id est anno 1239.

XXVI.

Friderici II. Romanorum Imperatoris ac Siciliæ Regis literæ ad Henricum III. Angliæ Regem, directæ, in quibus de injuriis, sibi a Pontifice Maximo, Siciliæ Regno inhiante, illatis, graviter conqueritur, de Anno 1239.

FRedericus, DEI gratia Rom. Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Illustri Regi Anglorum, dilecto sororio suo salutem & sinceræ dilectionis affectum. Triplex doloris aculeus, qui cor nostrum quotidie pungit, & stimulat, jam Nos ultra flere non patitur, quin dolor intrinsecus prorumpat in gemitus, & gemitus exeant in clamores, dum per dissensionis novæ materiam, ad quam universalis Ecclesiæ Rector, & Pontifex, violenta Nos quadam compulsione coëgit, Catholicæ Fidei detrimenta cognoscimus, eclypsim justitiæ manifeste perspicimus, & terræ sanctæ dispendium miserabiliter deploramus. Sed illa non minus angustia perurgemur, quod Hely sacerdotis oculi caligantes, nullum suorum periculorum aspiciunt, sed tanta circa Nos iracundia commovetur, tanta circa Mediolanenses, & eorum fautores rebelles Imperii dilectione perstringitur, ut orbe toto dubii successus eventibus, vel fortunæ periculis potius prorsus exposito, ad conculcandam Imperii Sacri justitiam, & Mediolanensium rebellium nostrorum auxilium totus assurgat. Nec Nos super hoc læsæ conscientiæ stimulo pungimur, nec lædentis famæ judicium expectamus, quin a multis retro temporibus, periculorum istorum omnium divina quadam inspiratione præsagi, præsens semper evitaverimus scandalum, istius Summi Pontificis gratiam omni quocumque potuimus ingenio, licet frustra, laboravimus obtinere, personæ nostræ non parcendo laboribus, rerum nostrarum non cavendo dispendiis, & persæpe fidelium nostrorum vitam pro suis, & Ecclesiæ Romanæ subsidiis liberaliter exponendo. Sed, quod dolentes referimus, nihil penitus cepimus toto tempore laborantes, nullam ab ipso pro

nostris obsequiis affectionem retulimus, semper se contrarium Nobis posuit, semper Imperii Sacri profectibus obviavit, imo quod crudelius ab omnibus debet reputari, existentibus Nobis in Ecclesiæ sanctæ subsidiis apud eum, civitatem Castellæ subtraxit Imperio, prout per literas suas, quas Castellani Nobis noviter assignarunt, manifeste probatur. Nihil tunc temporis etiam potuimus ab ipso de cunctis petitionibus nostris, Nobis, & Imperio favorabile reportare. Legato quem tunc ipso tempore pro Nobis se misisse dixit in Syriam, ut Aconensium & quorundam Regni Hierosolymitani Nobilium, Nobis, & filio illatas injurias emendaret, autoritatem omnem per contrarias latentes literas subsequenter ademit. Eodemmet ipso tempore Mediolanensibus ne contra fideles Imperii Cremonenses insurgerent, nec Florentinis Vesenenses fideles nostros offenderent, potuimus aliquas literas obtinere, cum Nobis in auxilium ipsorum, ne indefensam dimitteremus Ecclesiam, procedendi licentiam denegaret. In Germaniam deinde procedentibus Nobis, ad primogeniti filii nostri malitiam reprimendam, favorem omnem promisit oretenus, sed per Nuntium suum literas de credentia deferentem, Principibus nostris Nobiscum præsentibus in Curia Maguntina, sub omni qua potuit attestatione latenter injunxit, ne electioni filii nostri minoris, vel cujuslibet de domo, & sanguine nostro quolibet consentirent. Processum nostrum deinde in Italiam ad reformandum Imperium in eadem, per literas & Nuntios suos, præsertim Episcopum Prænestensem, qui Placentiam & Mantuam omni qua potuit calliditatis fraude subjunxit, prout scivit, & potuit, præpedivit. Tandem cum post obtentam faciente Domino de Mediolanensium strage victoriam, prodesse sibi furtivas hujusmodi legationes & literas non videret, ense nostræ justitiæ, suæ nequitiæ fraudibus prævalente, processibus nostris cepit apertioribus obstaculis obviare, manifestius inhibendo civitatibus & Nobilibus Marchiæ Anchonitensis, & Vallis Spoleti, de quibus auxiliari tenebatur Imperium, non noceri, ne in Lombardiam venire, vel mittere milites attentarent. Anchonitanis etiam, & aliis locis maritimis, sub excommunicationis pœnitentia, & banno decem millium marcarum, injunxit, ut Venetis excellentiæ nostræ rebellibus, contra mandatum & interdictum nostrum, quæque necessaria ministrarent, prout hæc omnia per literas suas evidentissime comprobantur. Aliquibus etiam Nobilibus Marchiæ Tervisiæ, quod Imperii fide debiles & vacillantes effecerat, literas destinavit, ut a Nobis manifeste recederent, pro certo scituris, quod nisi ordinationi & mandato suo negotium Lombardiæ vellemus præcise committere, contra Nos excommunicationis sententiam fulminaret. Super quibus omnibus, dilectorum Principum, & aliorum fidelium nostrorum communicato consilio, qui Nobis in obsidione Brixiæ tunc temporis assistebant, volentes, ut diximus, inter Nos & Ecclesiam scandalum præcavere, solemnes Legatos nostros ad Sedem Apostolicam duximus transmittendos, per quos, & de quibusdam aliis frivolis, quæ in Regno nostro Siciliæ contra jus & libertatem Ecclesiæ attentata dicebat, satisfactionem obtulimus, & desideratam inter Nos & Ecclesiam unionem Nuntiis & mutuis cautionibus roborandam, multoties dudum a Nobis per innumerabiles Nuntios expetitam, denuo repetivimus per eosdem. Quam cum libenter affectare se diceret, modum cautionis & formam judicio nostro committens, Nuntiis nostris & suis, cum unionis & pacis concessæ fiducia redeuntibus ad Nos alacriter, omnino celatis, Gregorio de Monte Longo (quem pridem in Lombardiam suspectum Nobis & nostris simplicem Nuntium habebamus, & quem de Regione ipsa promiserat revocare) contra Nos & nostros in eadem Provincia Legationis officium plene commisit. Ad majoris quoque coaggerationem nequitiæ, dum Nos propter unionis promissæ fiduciam reportare incautos, per quosdam Principes & fideles nostros admoneri mandavit super quibusdam gravaminibus, quæ in Regno nostro Siciliæ, & urbe Romana contra se & Ecclesiam per nostros Officiales & Nuntios illata dicebat. Ad quæ omnia cum Domino ipsorum admonitorum, ut minus aliorum quamplurium Religiosorum judicio, Serenitas nostra plenissime respondisset, responsionibus singulis ad singula capitula non contenti, verbum generale subjunximus, quod voluntatem & responsionem nostram in singulis suo judicio committebamus, & totum prout hæc quamplurium Prælatorum omni fide dignorum literis & testimonio manifeste comprobantur. Et cum super his omnibus Nuntios nostros super responsionibus ipsis & satisfactione plenaria facienda, plena nostri culminis autoritate munitos, ad ejus processus sui faciente astutia præcidendam, contra Nos die Palmarum, qui Processibus talibus est prorsus insolitus, contra morem Ecclesiæ, perperam & injuriose processit. Nos autem, qui processum hujusmodi temeritate plenum & justitia vacuum habebamus, ad fratres suos literas & Legatos transmisimus, generale petentes consilium convocari, in quo Judicis corrupti nequitiam, ac Imperatorii nostri justitiam, & innocentiam nostram, argumentis arguere luce clarioribus spondebamus. Super quo nedum quod injustitiæ nostræ delata ratio fuerit, imo contra Jus Gentium, quod violari Legatos & Nuntios non permittit, prædictos Nuntios nostros Episcopus iste, qui scribitur servus servorum DEI, turpissimo carceri mandavit intrudi. Attendite igitur, & videte, si sunt ista facta Papalia, si sunt hæc opera Sanctitatis, & si compositæ prædicationi conveniat in interitum mundi deducere, conculcare justitiam, & dissimulatis fidelium oculorum nostrorum judiciis, secundum infidelium Mediolanensium faciem judicare. Sed nec in his omnibus, cum contra Nos spiritu oris sui licet perperam procedebat, ad justum imperialis vindictæ judicium movebamur, quousque ad extremam interemptionem nostram & manifestam exhæredationem Imperii se ostendit temporaliter prosilire, dum Nobis in Marchia Tervisina morantibus, ad pacificandam eandem (quam ob dissensiones continuas, & antiquis passim stragibus occisorum invenimus rubricatam) Marchionem Estensem, Comitem Sancti Bonifacii, & alios Nobiles Regionis, qui ad suggestionem Summi Pontificis simul in necem nostram conjuraverant, cum civitate Tervisii, non modica data pecuniæ quantitate, fecit Nobis, & Imperio rebellare; Civitatem nostram Ravennæ,

per

per Paulum Transfurarum, antea fidelissimum Nobis, & factum postmodum per corruptionem Papalis pecuniæ proditorem, tractante Magistro Legato Cardinali, tunc Marchiæ & Imperio subtrahens, & ab eis sibi, & Ecclesiæ, tamquam Princeps & Pontifex, sacramenta suscepit, & plateas publicas per Marchiam & Ducatum, quem ab Imperio detinebat, nuntiis ad Nos venientibus, & necessaria Nobis & exercitui nostro deferentibus, præcludi mandavit, adeo quod nonnullos ex eis, more prædonio, bonis omnibus spoliatos, carceri mancipare præsumpsit. Hæc omnia faciens, ut Nos, & milites nostros, tam Italos, quam Germanos, vel fame perimeret, vel ab obsidione Mediolanensium & nostrorum depopulatione rebellium necessario revocaret. Quibus omnibus non contentus, contra Nos & Imperium se belli Ducem & Principem manifeste constituit, Mediolanensium & aliorum infidelium proditorum causam suam propriam faciens, & ipsorum negotium ad se manifeste convertens, Præfectos Mediolanensis, imo verius Papalis exercitus, statuens, loco sui Gregorium de Monte Longo prædictum, & fratrem Leonem, Ministrum Ordinis Fratrum Minorum, qui non solum accincti gladiis, & loricis induti, falsas militum imagines ostendebant, verum etiam prædicationi insistentes, Mediolanenses & alios, quicumque nostram & nostrorum personam offenderent, a peccatis omnibus absolvebant. Hodie quidem prædicti Legatus, & frater, contra Nos & Imperium se scribunt Rectores & Dominos: per quod evidenter datur intelligi, quod Papa non solum sit infidelium fautor, quos omnes pro majori parte publica mundi lingua testatur hæreticos, sed in præjudicium & exhæredationem Imperii, sibi Mediolani regimen & dominium temporaliter usurpavit. Jam igitur ultro justo judicio tot provocati dispendiis, tot injuriis lacessiti, manus nostras continere nequivimus, quin apprehenderemus arma & scutum, nostram & totius Imperii causam contra publicum hostem publice, contra temporalem temporaliter, prosequentes, filialem illi nequivimus amplius dilectionem ostendere, quia nedum quod affectionis paternæ dulcedinem Nobis non redderet, nec dum injuriis exhæredationis afficeret, sed vitam nostram & sanguinem crudeliter sitiebat. Sed Liguriæ partibus, quæ in ditionem nostram venerant, militum & balistariorum præsidio, non sine multis ærarii nostri dispendiis, prout expedit, comminutis, ac in peregrinatione Tusciæ multis Imperii juribus reformatis, præmisso nihilominus H. benigno filio nostro, Illustri Regi Turrium & Galluris, Sacri Imperii in Italia Legato, ad Anconitanam Marchiam revocandam, Nos personaliter versus Ducatum Spoleti, ac partes urbi vicinas, erectis Aquilarum nostrarum victricibus signis, convertimus, totam terram nostris processibus occurrentem, usque Viterbium, civitatibus admodum paucis exceptis, propter tam graves ingratitudinem & offensam ad jus & proprietatem Imperii revocantes. A Viterbiensibus autem & locis, ac civitatibus circumvicinis, cum summa devotione recepti, dum, jam hosti & adversario nostram ostenderemus potentiam, e vicino timore terribili licet juste perterritus, tamen per seram pœnitentiam sibi non crederet posse consulere, in profundum desperationis immersus, ac viribus propriis omnino diffisus, Romano Populo clamante nostrum ad urbem gratanter accessum, garsones quosdam, & vetulas, nec non & paucos admodum conductivos milites, veris præter solitum profusis lacrymis exoravit, ut contra Nos Crucem assumerent, in sua prædicatione mentitus, quod Nos ad eversionem Romanæ Ecclesiæ, ac violationem Sacrarum Reliquiarum Beatissimorum Petri & Pauli, procedere nitebamur. Excuset igitur recto judicio magnificentia Regia motum nostrum, ad quem Nos adversarii nostri malignitas impulit, & quem, ad conservandum non magis Imperii quam omnium Regum & Principum terræ decus, justitia persuasit. Vosque præ cæteris orbis Regibus causam nostram tanto ferventiori favore debetis assumere, tantoque securius confovere, quanto velut totius oneris & honoris nostri participes, ac per Nos ad istarum omnium moderamen, si bene recolitis, confidenter assumpti, & ab adversa parte contempti, innocentiam nostram, & Imperii nostri justitiam puriori zelo, ac sinceriori potestatis conscientia confovere. Datum Viterbii.

XXVII.

Bulla Innocentii IV. Pontificis Maximi, in qua Fridericum II. Romanorum Imperatorem ac Siciliæ Regem, majoris excommunicationis, aliarumque censurarum & pœnarum reum, ac Imperatoria dignitate indignum declaravit, d. d. 16. Kal. Augusti, Anno 1245.

AD Apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione divinæ Majestatis assumti, omnium Christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oraculo singulorum discernere merita, & providæ deliberationis statera librare debemus, ut quos justi rigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus favoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus; appendentes semper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique, juxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutius afflixisset, Nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem & pacem Ecclesiæ sanctæ DEI, ac generaliter cuncto populo Christiano restituere ac reducere, ad præcipuum Principem secularem, hujus dissensionis & tribulationis autorem, a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales Nuntios, magnæ autoritatis viros, videlicet venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem, tunc Rothomagensem Archiepiscopum & C. Sabinensem tunc, quondam Mutinensem Episcopos, ac dilectum filium nostrum Guillelmum, basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem, tunc Abbatem Sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod Nos & fratres nostri, quantum in Nobis erat, pacem per omnia secum habere, nec non cum omnibus homini-

minibus optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia Prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum, quam laicorum quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, cum ut illos restitueret, cum hoc idem tam ipse, quam sui Nuncii, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro Nobis audire & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet Princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, & offerri præterea, quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare, Et si diceret ipse, quod in nullo contra justitiam læserat Ecclesiam, vel quod Nos eum contra justitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos & Principes tam Ecclesiasticos, quam seculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se vel solemnes Nuncios convenirent; eratque parata Ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset, & cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum DEO & honore suo fieri poterat, recipere de injuriis & offensis, ipsi Ecclesiæ suisque per eum irrogatis, satisfactionem ab ipso. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere; ut nunquam hac occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum insistere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam & obthurans more aspidis aures suas, hujusmodi preces & monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram Nobis & fratribus nostris Cardinalibus præsentibus carissimo in Christo filio nostro, Constantinopolitano Imperatore Illustri, cœtu quoque non modico prælatorum, senatoribus populi Romani & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad Apostolicam Sedem convenerant, quod staret nostris & Ecclesiæ mandatis, per Nobilem virum Comitem Tolosanum, ac magistros P. de Vinea & T. de Suessa, curiæ suæ judices, & Nuntios & procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit juramentum: postmodum tamen quod juraverat, non implevit; quin imo ea intentione ipsum præstitisse juramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem Ecclesiæ ac Nobis illuderet potius quam pareret: cum anno & amplius jam elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium revocari potuerit, nec sibi de illatis eis damnis & injuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque gravi Christi offensa ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente Nos conscientia juste animadvertere in eundem. Et ut ad præsens de cœteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima, quæ nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temere violando. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac aliarum Ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & seculares, venientes ad concilium, quod idem prædecessor noster duxerat convocandum.

De hæresi quoque non dubiis & levibus, sed evidentibus argumentis suspectus habetur: plura siquidem eum commisisse perjuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priusquam esset ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ C. sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis legato, felicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro, & successoribus ejus, Ecclesiæque Romanæ pro concessione Regni Siciliæ ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit juramentum, &, sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit & venit ad urbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus Cardinalibus & aliis multis præsentibus, ligium hominum in ejus faciens manibus, innotavit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto bonæ memoriæ Honorio Papæ prædecessori nostro & ejus Successoribus, ac ipsi Ecclesiæ Romanæ, præsentibus Imperii Principibus atque Nobilibus juravit, honores, jura & possessiones Romanæ Ecclesiæ pro posse suo servare, ac protegere bona fide, & quod quæcunque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in hujusmodi juramento: quod postmodum confirmavit, coronam Imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota & læsæ crimine Majestatis. Nam contra præfatum prædecessorem G. & fratres suos comminatorias literas eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet, per literas ab eo tunc directas eisdem, & etiam, prout fertur, per universum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumsit, ac Venerabilem fratrem nostrum O. Portuensem, tunc sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem & bonæ memoriæ I. Prænestinum, Episcopos, Apostolicæ Sedis Legatos, nobilia & magna Romanæ Ecclesiæ membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiose deductos, carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod Beato Petro & Successoribus ejus in ipso tradidit Dominus JEsus Christus, videlicet, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, in quo utique autoritas & potestas Ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiæ auferre sategit: scribens, se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum, non solum contemtis Ecclesiæ clavibus, non servando, verum etiam per se ac officiales suos, & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contemsit, cogendo alios non servare. Possessiones quoque præfatæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cujus muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciæ & Lombardiæ partibus, & quibusdam aliis obtinebat locis,

paucis

paucis exceptis, occupare non metuens, eos adhuc detinet occupatas. Et tanquam ei non sufficeret, quod manifeste contra juramenta præmissa, præsumendo talia, veniebat per se, vel suos officiales, earundem possessionum homines dejerare compulit: ipsos a juramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur Ecclesiæ, de facto, cum de jure non posset, absolvens, & faciens eosdem fidelitatem nihilominus abjurare prædictum, sibique fidelitatis hujusmodi juramenta præstare. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum & Ecclesiam reformatæ jurasset coram bonæ memoriæ J. de Abbati Suilla, Episcopo Sabinensi, & Magistro Th. titulo sanctæ Sabinæ, Presbytero Cardinali, præsentibus multis Prælatis, Principibus & Baronibus, quod staret & pareret præcise, absque ulla contradictione omnibus Mandatis Ecclesiæ, super iis, pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis ejusdem expressis per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus Regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, qui Ecclesiæ contra ipsum adhæserant, omnem remittens offensam & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo, quod Ecclesiæ adstiterant, præstari in anima sua per Comitem Acerrarum faciens juramentum, postmodum pacem & juramentum hujusmodi, nequaquam erubescens irretiri perjuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles, quam alios postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac insuper terras Ecclesiæ contra promissionem, quam eidem T. Sabinensi Episcopo & Thomaso Cardinali fecerat, irreverenter invasit, licet ipsi ex tunc in eum præsentem, si ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis sententiam promulgarant.

Et cum iidem Apostolica ei auctoritate mandassent, ut nec per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones & confirmationes Ecclesiarum & monasteriorum in Regno præfato libere de cætero fierent, secundum statutum Concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem Regno viris Ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de cætero in civili, vel criminali causa conveniretur coram Judice seculari, nisi super feudis quæstio civiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis ecclesiasticis de damnis & injuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum hujusmodi adimplere contemsit. Liquet namque, undecim, aut plures Archiepiscopales & multas Episcopales sedes, Abbatis quoque, ac alias Ecclesias, ad præsens vacare in Regno prædicto, easque, procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius Prælatorum regimine destitutas, in grave ipsarum præjudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus ejusdem Regni Ecclesiis electiones sint a Capitulis celebratæ: quia tamen per illa ejusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius Regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari: sed etiam cruces, thuribula, calices & alios sacros earum thesauros & pannos sericos, velut cultus divini contemtor, auferri licet, ut dicitur, ipsis Ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad judicium seculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hospitalariis & personis Ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & injuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum præfati Portuensis & Prænestinus Episcopi, & complures Ecclesiarum Prælati, & clerici tam religiosi quam seculares, ad Apostolicam Sedem pro celebrando Concilio, quod prius ipse petiverat, convocati per mare venirent, viis terræ ipsis de mandato ejus omnino præclusis, idem destinato Ensio filio suo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante serie præparatos in partibus Tusciæ maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam Prælatorum ipsorum & aliis in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemtis & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in Regnum Siciliæ opprobriose deductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi, miserabiliter defecerunt.

Merito insuper contra eum de hæretica pravitate suspicio est exorta, cum, postquam excommunicationis sententiam a præfatis J. Episcopo Sabinensi & T. Cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. Papa ipsum anathematis vinculo innodavit, ac post Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, Prælatorum & clericorum, ac aliorum etiam diversis temporibus ad Sedem Apostolicam venientium captionem, claves Ecclesiæ contemserit & contemnat, sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, profanari, divina: & constanter asseruit, ut superius est narratum, se præfati G. Papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera pluries distinaverit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens.

Eorundem etiam more uxoribus, quas habuit, de stirpe Regia descendentibus, evnuchos Capuæ, quos, ut dicitur, serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes, & quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, immo collusione verius, cum Soldano, Machometi nomen in Templo Domini diebus & noctibus publice proclamari permisit, & nuper Nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus terræ Sanctæ ac Christianis habitatoribus ejus per se ac suos damna gravissima & inæstimabiles injurias irrogarat, facit per Regnum Siciliæ cum laudibus ad ejusdem Soldani extollentiam, & sicut fertur, honorifice suscipi & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabi-

mnabiliter vilipendentes Apostolicam Sedem, ab unitate Ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ Ducem Bavariæ specialem Ecclesiæ Romanæ devotum fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta per assassinos occidi, & Rattatio DEI & Ecclesiæ inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus, consiliatoribus & fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero Principum actus & mores respuens, neglector salutis & famæ, pietatis operibus non intendit, quinimo, ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu ejus, ut decet Principem Christianum, ad eleemosynas inextenta, cum destructioni Ecclesiarum institerit, religiosas ac alias Ecclesiasticas jugi attriverit afflictione & persecutione personas, nec Ecclesias, nec monasteria, nec alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hæc non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum hæreticorum vocabulo illos Jus Civile contineri asserat, & latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare? Præter hæc Regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium Beati Petri, & idem Princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus & omnibus exinde probis fere ejectis, illos, qui remanserunt ibidem, sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam Ecclesiam, cujus principaliter sunt homines & vasalli, offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod squifatorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesiæ Romanæ tenetur, per novem annos & amplius solvere prætermisit. Nos itaque super præmissis & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris & sacro Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum JEsu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, Nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: Quodcunque ligaveris super terram &c. memoratum Principem, qui se imperio & regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a DEO, ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilo minus sententionando privamus; omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes: autoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi, tanquam imperatori, vel Regi pareat, vel intendat, & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut Regi consilium vel auxilium præstiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant libere Successorem. De præfato vero Siciliæ Regno providere curabimus, cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire, Datum Lugduni XVI. Kal. Augusti, anno tertio.

XXIIX.

Friderici II. Romanorum Imperatoris Regisque Siciliæ, Edictum, in quo Imperatorum ac Regum, summorumque imperantium institutionem pariter atque destitutionem a Pontificum Romanorum nutu & potestate nequaquam dependere demonstrat, suasque cum Summo Pontifice & Longobardis controversias decisioni Regis Galliæ committit, d. d. 22. Septembris, Anno 1245.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, universis præsentes literas inspecturis per Regnum Franciæ constitutis, dilectis sibi salutem & omne bonum.

Cum per aliquos retro actos Romanæ Sedis Antistites & præsentem, Nos & alios Reges, Principes orbis & Nobiles, Regna, Principatus, honores quoslibet & jurisdictionem habentes gravatos merito censeamus, ex eo, quod ipsi contra DEum & justitiam posse, sibi jurisdictionem & autoritatem usurpant instituendi & destituendi, seu removendi ab Imperio, Regnis, Principatibus & honoribus suis Imperatores, Reges & Principes, seu quotcunque magnates, temporalem autoritatem in eos temporaliter exercendo, absolvendo etiam a sacramentis, quibus Dominis suis Vasalli tenentur, contra Dominos excommunicationis tantummodo sententia promulgata.

Quodque quæstione, sive dissensione inter Dominos & Vasallos, seu inter duos nobiles & vicinos invicem contendentes, prout assolet, emergente, prædicti Summi Pontifices ad petitionem unius partis tantummodo partes suas temporaliter interponunt, volendo ipsos invitos in se compromittere, vel aliter ad concordiam coërcere, & alligando se fidelibus contra Dominos, aut uni de partibus supradictis, quod non prius pacem cum aliis faciant, quam alligatos sibi ponant in pace, recipiendo similiter promissionem de non faciendo pacem cum Dominis ac Vasallis.

Item in eo, quod prædicti Summi Pontifices in præjudicium jurisdictionis & honoris Regum & Principum prædictorum ad petitionem Clericorum, seu Laicorum, cognitionem causarum de rebus temporalibus, possessionibus feudalibus, seu bergensalicis, in Ecclesiastico foro tractandas, recipiunt & committunt

Ecce quod Nos ad prædictam injuriam documentis evidentibus ostendendam, & ipsam a Nobis in eis rationabiliter removendam, Magistrum Petrum de Vinea, magnæ Curiæ nostræ Judicem, & G. de Ocra, Clericum, dilectos fideles nostros ad Ludovicum Illustrem Regem Francorum, carissimum amicum nostrum providimus destinandos, affectuose rogantes, ac ob tuitionem & conservationem jurium nostrorum & Imperii, Regum aliorum & Principum seu quorumcunque Nobilium, efficaciter

caciter requirentes eundem, ut congregatis coram se Laicis paribus Regni sui, aliisque Nobilibus tanto negotio opportunis, per se cum eis super omnibus prædictis & singulis audiat jura nostra.

Cæterum si ipse prædicta non duxerit assumenda, cum Nos, qui, auctore Domino Romani Imperii, Regnorum Hierusalem & Siciliæ moderamur habenas, tam enormen injuriam, & tam informem usurpationem diebus nostris tolerare nolimus, Regem eundem justa precum intercessione rogamus, quatenus Nobis causam nostram, suam & aliorum Principum, viriliter prosequentibus se contrarium non opponat; nec de Regno suo aliquos Laicos seu clericos, temporaliter Nobis opponi permittat; nullumque præsenti Summo Pontifici, seu successoribus suis contra Nos, discrimine præsenti durante, in Regno vel de Regno suo præsidium seu receptaculum tribuat, aut tribui patiatur.

Porro si forsitan Rex prædictus una cum Paribus & Nobilibus Regni sui, prout tantum Regem & Regnum condecet, partes suas interponendas viderit in prædictis, Summumque Pontificem sive per justitiæ debitum, vel modo quolibet, ad istud induxerit, ut velit prædicta gravamina Nobis & aliis Christianis Primatibus irrogata, & id specialiter, quod contra nos nuper in Lugdunensi Concilio statuit, quatenus de facto processit, cum prorsus de jure non valeat, revocare.

Nos, ob honorem & reverentiam DEI & redemtoris nostri, nec non ob amorem, quem ad Regem & Regnum Franciæ præ cæteris singularem habemus, causam, quæ inter Nos, & Summum Pontificem vertitur supradictum, quatenus contingit, eandem in manibus ponimus Regis ejusdem; parati omnia quæcunque per Nos idem Rex de consilio parium, nobiliumque suorum, visis & diligenter auditis nostris & Imperii juribus, Ecclesiæ viderit emendanda, corrigere, & in statum debitum integre reformare, ac deinde pace per hoc inter Nos & Ecclesiam procedente, & reliquis Longobardorum, prout tenentur & debent, vel ad mandatum nostrum & Imperii redeuntibus, vel prorsus ab Ecclesiæ defensione seclusis, promtos Nos offerimus & paratos, vel prædicto Rege ad defensionem Christianitatis & statum pacificum conservandum in cismarinis partibus remanente, vel una cum eo, si hoc melius viderit eligendum, ad transmarinas partes per Nos, aut Conradum, carissimum filium nostrum, Romanorum in Regem electum, & Regni Hierosolymitani hæredem, omni prospero transfretare, ad hoc Nos obligantes specialiter & expressim, quod vel cum Rege Franciæ, sive sine eo terram totam Hierosolymitanam, & quicquid unquam a diebus antiquis Regno Hierosolymitano pertinuit, ad proprietatem & ditionem Regni ipsius & Christianitatis cultum, nostris, Imperii & Regnorum nostrorum viribus, laboribus & sumtibus curabimus revocare. Nihilominus tamen, si forte (quod absit) discrimen præsentis discordiæ inter Nos, Ecclesiam & Lombardos durare contigerit, prædicto Regi, ac omnibus cruce signatis cum eo, quatenus præsentium negotiorum & temporum qualitas patitur & tempestas, præsidia nostra terra marique, tam in navibus, quam victualibus, promtis affectibus offerimus per præsentes; superque omnibus & singulis supradictis, quicquid præsentium series continet literarum, auctoritatem & mandatum plenum prædictis Magistro Petro de Vinea, & G. de Ocra duximus conferendum, ratum habentes & firmum, quicquid per eosdem in his pro parte nostri culminis extiterit ordinatum. Datum Cremonæ, vigesimo secundo Septembris, quarta Indictione.

XXIX.

Testamentum Friderici II. Romanorum Imperatoris, Regisque Siciliæ, d. d. 7. Decembris, Anno 1250.

Ex Editione P. Octavii Cajetani in sua Isagoge ad historiam Sacram Siculam, collatum & suppletum ex vetusto Codice manuscripto Bibliothecæ Marchionis Jarratanæ.

IN nomine DEI Æterni, & Salvatoris nostri JEsu Christi. Anno ab Incarnatione Millesimo ducentesimo quinquagesimo, die Sabbathi, septimo die mensis Decembris, nonæ Indictionis. Primi parentis 1. (incauta) transgressio sic posterioris legem 2. (conditionis indixit) ut 3. (eam nec diluvii proclivis ad pœnam effusio effrenis abduceret, nec Baptismatis tam celebris, tam salubris unda liniret, quin fatalitatis eventus mortalibus senescentis ævi præcinctis lascivia) transgressionis in pœnam culpa transfusa, tanquam cicatrix ex vulnere remaneret. Nos igitur Fridericus II. Divina favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex, memores conditionis humanæ 4. quam semper comitatur innata fragilitas) dum vitæ 5. (nobis) instaret terminus, loquelæ & memoriæ in Nobis integritate vigente, ægri corpore, sani mente, sic animæ nostræ consulendum providimus, sic de Imperio & Regnis nostris duximus disponendum, ut rebus humanis assumpti vivere videamur, & filiis nostris, quibus Nos Divina Clementia fœcundavit, quos præsenti dispositione nostra, sub pœna benedictionis nostræ, volumus esse contentos, indignatione sublata, omnis materia scandali sopiatur. Statuimus itaque, Corradum, Romanorum in Regem electum, & Regni Jerosolomitani hæredem, dilectum filium nostrum, Nobis hæredem in Imperio, & omnibus aliis emptitiis, & quoquo modo acquisitis & specialiter in Regno nostro Siciliæ. Quem si decedere contigerit sine liberis, ei succedat Henricus filius noster; quo defuncto sine liberis succedat ei Manfredus filius noster. Corrado autem manente in Alamannia, vel alibi extra Regnum, statuimus prædictum Manfredum Balium dicti Corradi in Italia, & specialiter in Regno Siciliæ, dantes ei 6. (plenariam) potestatem omnia faciendi, quæ persona nostra facere posset, si viveremus; videlicet in concedendis terris, castris, villis, parentelis, dignitatibus, beneficiis, & omnibus aliis, juxta dispositionem suam, præter antiqua Demania Regni Siciliæ; & quod Corradus & Henricus, prædicti filii nostri, & eorum hæredes omnia,

[Left margin notes, partly cut off:] ...ctivum ...) deest ...ne Ca-... ...nditio-... ...luxit) ...ayet. ...n hoc ...n li-... ...) de-... ...t in ...ejet. ...m hæc ...Edit. ...d. ...is) de-... ...ditione ...t.

[Right margin note:] 6. (plenam) habet *Editio Cajetani.*

omnia, quæ ipse fecerit, firma & rata teneant, & observent. Item concedimus, & confirmamus dicto Manfredo filio nostro principatum 7. (Tarenti) videlicet a porta Roseti usque ad 8. (ortum) Fluminis Brandani cum Comitatibus 9. (montis Canusi, Tricarici) & Gravinæ, prout Comitatus 10. (ipse prætenditur) a maritimæ terræ Bari usque 11. (Pallinianum cum terris omnibus a Palliniano) per totam maritimam usque ad dictam portam Roseti, scilicet civitatibus, castris & villis infra contentis, cum 1. (omnibus) justitiis 2. (pertinentiis) & rationibus omnibus tam ipsius Principatus quam Comitatuum prædictorum. Concedimus etiam eidem civitatem montis sancti Angeli cum toto honore suo, omnibus * eidem honori pertinentibus scilicet, quæ de Demanio in Demanium, & quæ de servitio in servitium. Concedimus etiam, & confirmamus eidem quicquid in Imperio est a nostra Majestate concessum. Ita tamen quod prædicta omnia a præfato Corrado teneat, ac etiam recognoscat, cui Manfredo judicavimus pro expensis suis decem millia unciarum auri.

7. (Tarenti) habet *Editio Cajetani.*
8. (portum) habet *Editio Cajetani.*
9. *Edit. Cajet.* habet (montibus Coverti Tritanel)
10. (ipsi protenduntur) habet *Cajet:*
11. (ad Pallinurium, & ipsum Pollinurium cum terris omnibus a Pallinurio) *Editio Cajet.*
1. (omnibus) deest in *Edit. Cajet.*
2. (pertinentiis) deest in *Codice manuscripto.*
* in *Edit. Caj.* legitur (omnibus civitatibus, castris, villis, terris, pertinentiis suis, videlicet quæ in Demanio, &c.)
(*a*) Hoc Capitulum favore Friderici, Ducis Austriæ, deest in *Codice manuscripto.*

Item (*a*) statuimus quod Fridericus nepos noster habeat Ducatum Austriæ, & Stiriæ, quæ a prædicto Corrado teneat, & recognoscat: cui Frederico judicamus pro expensis decem mille uncias auri.

Item statuimus, ut Henricus filius noster habeat Regnum Arelatense, vel Regnum Jerosolymitanum, quorum alterum dictus Corradus præfatum Henricum habere voluerit: cui Henrico judicamus centum millia unciarum auri pro expensis.

Item statuimus ut centum millia unciarum auri expendantur pro salute animæ nostræ in subsidium terræ sanctæ secundum ordinationem dicti Corradi, & aliorum nobilium cruce signatorum.

Item statuimus ut omnia bona militiæ, Domus, Templi, quæ Curia nostra tenet, restituantur eidem, ea scilicet, quæ de jure deberet habere.

Item statuimus, ut omnibus Ecclesiis, & Domibus religiosis restituantur jura eorum, & gaudeant solita libertate.

Item statuimus, ut homines Regni nostri 3. (Siciliæ) sint liberi, & excepti ab omnibus generalibus collectis, sicut consueverunt esse tempore Regis Guillelmi II. consobrini nostri.

3. Deest nomen (Siciliæ) in *Codice manuscripto.*

Item statuimus, quod Comites, Barones, & Milites, & alii Feudatarii 4. (nostri) Regni gaudeant juribus suis & rationibus 5. (omnibus) quæ consueverunt habere tempore Regis Guillelmi in collectis, & aliis.

Item statuimus, ut Ecclesiæ Luceriæ, & Soræ, & si quæ aliæ læsæ sunt per officiales nostros, reficiantur 6. (& restituantur.)

4. (nostri) non adest in *Codice manuscripto.*
5. (omnibus) deest in *Edit. Cajetani.*
6. (& restituantur) deest in *Edit. Cajet.*

Item statuimus, ut tota Massaria nostra, quam habemus apud Sanctum Nicolaum de Ausido, & omnes proventus ipsius deputentur ad reparationem & constructionem pontis ibi constructi vel construendi.

Item statuimus ut omnes captivi in carcere nostro detenti liberentur, præter illos de Imperio, & præter illos de Regno qui capti sunt ex proditionis nota.

Item statuimus, quod præfatus Manfredus filius noster omnibus benemeritis de familia nostra provideat vice nostra in Terris, Castris, & Villis, salvo Demanio Regni nostri Siciliæ, & quod Corradus, & Henricus prædicti filii nostri, & hæredes eorum ratum, & firmum, habeant, quicquid idem Manfredus super hoc duxerit faciendum.

Item 7. (volumus, & mandamus) quod nullus de proditoribus Regni in aliquo tempore reverti audeat in Regnum 8. (nec aliqui de eorum genere succedere possint: imo hæredes nostri teneantur vindictam de eis sumere)

Item statuimus quod mercatoribus creditoribus nostris debita solvantur.

Item statuimus ut Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ restituantur omnia 1. (sua) salvis in omnibus, & per omnia jure, & honore Imperii hæredum nostrorum & aliorum fidelium 2. (nostrorum si) ipsa Ecclesia restituat jura Imperii.

Item statuimus, ut si de præsenti infirmitate nos mori contigerit, in majori Ecclesia Panormi, in qua Divi Imperatoris Henrici, & Divæ Imperatricis Constantiæ parentum nostrorum memoriæ recolendæ tumulata sunt corpora, corpus nostrum debeat sepeliri. Cui Ecclesiæ dimittimus uncias auri quingentas pro salute animarum dictorum parentum nostrorum, & nostræ per manus Berardi, venerabilis Panormitani Archiepiscopi, familiaris & fidelis nostri in reparatione ipsius Ecclesiæ erogandas.

Prædicta autem omnia, quæ acta sunt in præsentia dicti Archiepiscopi 3. (Bertoldi) Marchionis de Benburgio, dilecti 4. (consanguinei) & familiaris nostri, Riccardi, Comitis Casertani, dilecti generi nostri 5. (Petri Ruffi) de Calabria Mariscaliæ nostræ Magistri, 6. (Ricardi de Montenigro, Magnæ Curiæ nostræ Magistri Justitiarii) Magistri Joannis de 7. (Ydronto) Fulconis Ruffi, Magistri Joannis de Procida, Magistri Roberti de Panormo Imperii, & Regni Siciliæ & magnæ Curiæ nostræ Judicis, & Magistri Nicolai de Brundusio, publici Tabellionis Imperii, & Regni Siciliæ & Curiæ nostræ Notarii, nostrorum fidelium, quos præsenti dispositioni nostræ mandavimus interesse per prædictum Corradum filium, & hæredem nostrum & alios 8. (successive) sub pœna benedictionis nostræ tenaciter volumus observari; alioquin hæreditate nostra non gaudeant. Id autem fidelibus 9. (omnibus) nostris præsentibus, & futuris sub sacramento fidelitatis, quo Nobis & hæredibus nostris tenentur, injungimus, ut prædicta omnia illibata teneant & observent. Præsens autem testamentum nostrum, & ultimam voluntatem nostram, quam robur firmitatis volumus obtinere, per prædictum Magistrum Nicolaum scribi & signo sanctæ crucis propriæ manus nostræ, sigillo nostro, & prædictorum subscriptionibus jussimus communiri. Actum apud Florentinum in Capitanata anno, mense, die & Indictione præmissis; anno Imperii nostri trigesimo secundo, Regni Jerusalem 10. (vigesimo octavo) Regni Siciliæ quinquagesimo primo.

† Ego Fridericus II. Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex dico, & declaro hoc fuisse, & esse meum solemne testamentum, meamque ultimam voluntatem, actum & scriptum de mei ordine, voluntate & mandato per manus Magistri Nicolai de Brundisio publici Tabel-

Tabellionis Curiæ nostræ, ac in præsentia supradictorum, & infra scriptorum testium nostrorum fidelium, quos omnibus prædictis mandavimus interesse, ac in fidem omnium præmissorum manu propria subscribimus nostroque solito Imperiali, & Regio sigillo signavimus.

Sub-scri-ptio-nes. † Ego Berardus, Archiepiscopus Panormitanus, rogatus præmissis omnibus interfui, manu propria me subscripsi, ac sigillo Imperiali, & Regio signavi.

† Ego Marchio de Benburgio rogatus præsens fui, manu propria subscripsi, sigilloque Imperiali me signavi.

† Ego Ricardus Comes Casertinus rogatus supradicto Imperiali testamento interfui, manu propria me subscripsi, supradictoque Imperiali, ac Regio sigillo signavi.

† Ego Ruffus de Calabria rogatus supradictis omnibus interfui manuque propria subscripsi, ac Imperiali sigillo me signavi.

† Ego Magister Joannes de Hidronto rogatus interfui, manu mea subscripsi, & Imperiali, ac Regio sigillo me signavi.

† Ego Fulcunon Ruffus rogatus interfui, manu propria subscripsi, & Imperiali, Regioque sigillo signavi.

† Ego Joannes de Ogrea, rogatus ut supra, præsens fui, me subscripsi manu propria, ac supradicto Imperiali sigillo signavi.

† Ego Magister Joannes de Procida supradictis omnibus interfui, subscripsi, sigillavi, & testor.

† Ego Magister Robertus de Pallormo rogatus me subscripsi, & sigillavi, ac omnibus interfui, & Testis sum.

† Ego Ricardus de Montenigro, Imperialis Regiæque Curiæ Magister Justitiarius, supradictis omnibus rogatus interfui, manu propria me subscripsi, ac supradicto Imperiali, & Regio sigillo me signavi, & Testis sum.

† Ego Magister Nicolaus de Brundisio, publicus Tabellio Imperii & Regni Siciliæ, ac Imperialis Curiæ Notarius, rogatus a Domino Imperatore, ut supradictum ejus testamentum, suamque ultimam voluntatem conficerem, quia præmissis omnibus & singulis una cum supradictis Testibus interfui, & publicavi, ac in præsentem publicam formam redegi, ideo subscriptione & signo meis solitis & consuetis subscripsi, & signavi.

Magister Nicolaus de Brundisio, Notarius.

XXX.

Breve, ab Innocentio IV. Pontifice Maximo, de Regno Siciliæ in fratrem ipsius Carolum, Provinciæ Comitem, transferendo, ad Ludovicum IX. Galliæ Regem conscriptum, d. d. Non. Augusti, Anno 1252.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio, Ludovico, Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia nonnunquam ardua negotia desiderant longum tractatum, mirari non debes aliquatenus, nec moveri, si tantus tractatus, qui habitus est inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium, Nobilem Virum Carolum, Comitem Provinciæ, fratrem tuum, super dando sibi Regno Siciliæ, ad eandem Ecclesiam legitime devoluto, non est adhuc, ut desideratur, hinc inde diversis impedimentis emergentibus, consummatus; maxime cum non referat, quantacunque sit in agendis dilatio, si feliciter terminentur, soleantque cum quodam augmento venire, si protrahantur non malitiose, sed inevitabiliter concupita. Verum cum Nos & fratres nostri diu super hoc diligenti deliberatione præhabita, jam in personam ejusdem Comitis, quam ad id preeligimus, concordemus, sperantes firmiter & pro certo tenentes, quod per ipsum, in quem non tam nostra, quam aliorum fere omnium, quos tangit negotium, vota concurrunt, quique, veluti filius dexteræ, pacis Princeps & matutinus lucifer expectatur, quiescet orbis, tumultuosa quassatio Ecclesiæ tranquillitatem recipiet & prosperabitur, ut ipsamet hæc omnia, sicut toto credimus corde, desiderat negotium terræ sanctæ: Dilectum filium Magistrum Albertum, Notarium nostrum, ad tuam & ipsius præsentiam cum pleno mandato consummandi prædictum negotium, & faciendi omnia, quæ ad illud pertinent, de fratrum nostrorum consilio, destinamus; cui tanquam tui & ejusdem Comitis honoris & commodi zelatori, adhibeas in omnibus, quæ tibi ex parte nostra dixerit, plenam fidem. Rogamus itaque devotionem tuam attentius, & hortamur, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus considerato clementer, quam magnifice, quam utiliter, quamque virtuose dictus Comes DEO & Ecclesiæ ac toti Christianitati, hujusmodi onus & honorem suscipiendo, deservit; cum per hoc, summota turbatione seculi, quam ipsius Regni opulentia nutrit, tranquillitas desiderata proveniat, intendatur ad laudem Domini latius, & salubriter futuris periculis occurratur, nec præsumatur, quod eum ad id temporalium rerum cupiditas, sed solus zelus Domini, & fervor fidei ac devotionis inducant; præfatum Comitem tua Magnificentia moneat & inducat, ut idem Regnum, ei & in ipso tibi desideranter oblatum, pro Divina & Apostolicæ Sedis, ac nostra reverentia, cum humilitate ac hilaritate recipiat, ut de terreno ad cœleste, ac de temporali corona pervenire, propitiante illo, cujus in hac parte negotium agitur, valeat ad æternam; sciturus pro certo, quod universa & singula, quæ super his cum eo præfatus Notarius ordinabit, adimplebimus & servabimus immutabiliter, sine aliqua diminutione, prout per eum fuerint ordinata. Datum Perusii, Non. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo; sigillatum sub plumbo, cum cordula canapis.

XXXI.

Alberti, Legati Pontificis Maximi, Literæ, in quibus, nomine Sedis Apostolicæ, Siciliam citra Pharum Eduardo, Angliæ Regis filio, in feudum contulit, d. d. prid. Non. Mart. An. 1254.

EXcellenti Viro Domino Edmundo (*Eduardo*) nato Domini H. Regis Angliæ Illustris, Albertus Domini Papæ Notarius, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem, & paratam ad obsequia voluntatem.

Ut sincera & inconcussa devotio, quam Dominus H. Rex Angliæ Illustris, pater vester, habet ad Romanam Ecclesiam, in Vobis, paterna vestigia imitantibus, propagata fructum, non tam eidem Ecclesiæ, quam toti Christianitati necessarium, afferat, Vosque insigniat fastigio Regiæ dignitatis, de speciali auctoritate & mandato Domini Papæ, facto Nobis, de suorum fratrum consilio & assensu, vobis & hæredibus vestris Regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Ecclesiæ, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana cum ipsius juribus, & pertinentiis) universis in feudum concedimus, salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & terræ, tam in electionibus, quam in aliis pertinentibus ad easdem.

Super conditionibus vero, quæ pertinent ad idem negotium, apponendis, venerabilium Patrum Dominorum, O. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, Phy. Electi Lugdunens. & Episcopi Herefordens. & Nobilium Virorum Dominorum T. de Sabaudia Comitis, & P. fratris ejus; nec non proborum Virorum Dominorum Johannis Maunsel, Præpositi Beverlacensis, & Petri Cachaport, Archidiaconi Wellensis, & nostro arbitrio, prout Vos & prædictus Dominus Rex jam acceptastis, stabitur hinc & inde.

In cujus rei testimonium & perpetuam firmitatem has literas fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Dat. Vindocin. anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, pridie Non. Martii, Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno undecimo.

XXXII.

Innocentii IV. Pontificis Maximi, Literarum antea insertarum Confirmatio, d. d. 2. Id. Maji, Anno 1254.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio Edmundo, Regi Siciliæ Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Specialis dilectionis affectum, quem habemus ad carissimum in Christo filium nostrum, Illustrem Regem Angliæ, patrem tuum, cupientes in suis evidentius ostendere per effectum, Regnum Siciliæ, & totam terram quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Ecclesiæ Romanæ, ad eandem Ecclesiam devoluta, tibi, quem ad id inter alios orbis Principes prælegimus, jampridem duximus offerenda.

Te igitur de assensu ejusdem Regis, oblationem hujusmodi, tamquam ipsius Ecclesiæ devoto & Catholico Principe, humiliter acceptante, dilectus filius Magister Albertus, Notarius noster, Apostolicæ Sedis Legatus, cui velut illi, qui tuum honorem & commodum zelatur ut proprium, negotium ipsum tecum consummandum, de consilio & assensu fratrum nostrorum commisimus, tibi tuisque hæredibus, in feudum, in perpetuum Regnum & terram prædicta, (excepta civitate Beneventana) de speciali mandato nostro concessit, prout in ejus literis, inde confectis (quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus) plenius continetur.

Nosque itaque concessionem eandem ratam & gratam habentes, ac defectum, si quis ex quacunque causa vel omissione in ea extitit, supplentes de Apostolicæ plenitudine potestatis, Regnum & terram prædicta, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta Civitate Benevent. cum ejus juribus, honoribus, districtibus & pertinentiis) universis tibi, qui de voluntate prædicti Regis hoc acceptasse dignosceris, tuisque hæredibus, in feudum, in perpetuum Apostolica auctoritate, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ea tibi de novo in feudum (salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & terræ, tam in electionibus, quam in aliis eas pertinentibus) concedentes.

Tenor autem literarum prædicti Legati talis est:

Excellenti Viro, Domino Edmundo, nato Domini H. Regis Angliæ Illustris, Albertus, Domini Papæ Notarius, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem, & paratam ad obsequia voluntatem.

Ut sincera & inconcussa devotio, quam Dominus H. Rex Angliæ Illustris, pater vester, habet ad Romanam Ecclesiam, in Vobis, paterna vestigia imitantibus &c. ut in ipsa concessione ante, de 14. Martii.

Nulli ergo &c.

Datum Assisii, 2. Idus Maji, Pontificatus nostri anno undecimo.

Sub filis sericis, flavi rubeique coloris.

XXXIII.

Ejusdem Breve, conscriptum ad Albertum, Sedis Apostolicæ in Aula Anglicana Legatum, in quo ei partim significat, se Regni Siciliæ in feudum collationem, Eduardo, Angliæ Regis filio, factam, confirmasse, partim illum de rebus in hoc negotio porro agendis erudit, d. d. 2. Id. Maji, Anno 1254.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, Dilecto filio Magistro Alberto, Notario nostro, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Gratum

Gratum gerimus & acceptum, diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendantes, super eo, quod negotium, tibi ab Apostolica Sede commissum, cum carissimo in Christo filio nostro, Edmundo Rege Siciliæ illustri, laudabiliter consumasti.

Cum igitur collationem, sibi a te de ipso Regno factam, duxerimus, de fratrum nostrorum consilio, confirmandam, defectum, si quis ex quacunque causa in ea extitit, supplentes de plenitudine potestatis.

Volumus, & per Apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus carissimum in Christo filium nostrum, Regem Angliæ illustrem, ad mittendum quantocius eundem Regem in manu forti, ad prosequendum, prout decet tantum Principem, viriliter & potenter idem negotium inducens, & induci faciens modis quibus expedire videris, secundum prudentiam tibi a Domino datam.

Collationis tuæ literas eidem Regi Siciliæ renoves, sub priori data in illum modum, quem in confirmationis nostræ literis, in quibus literarum tuarum renovandarum tenor inseritur, perspexeris contineri. Eam in his, & aliis, quæ pertinent ad festinationem & promotionem ejusdem negotii, sollicitudinem, prout bene fecisti hactenus, habiturus, quod proinde possis apud DEum & homines non immerito commendari.

Datum Asisii, 2. Idus Maji, Pontificatus nostri anno undecimo.

Plumbeo sigillo pendente a filo canabeo.

XXXIV.

Alexandri IV. Pontificis Maximi, Bulla, in qua Eduardo, Angliæ Regis filio, Regnum Siciliæ citra Pharum in feudum contulit, d. d. 5. Id. April. Anno 1255.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio Edmundo (*Eduardo*) Illustri Regi Siciliæ, Nato Carissimi in Christo filii nostri, Regis Angliæ Illustris, salutem & Apostolicam benedictionem.

Assueta Sedis Apostolicæ circumspectio, habens in sua liberalitate providentiæ studium, attente propensat, quibus dexteram aperiat largitatis, ut ampliori erga illos munificentia exuberet qui potioribus circa eam fulgere meritis dignoscuntur. Unde, quia semper inclytum genus tuum puritate fidei, devotionis sinceritate, sedulique prosecutione servitii erga Romanam Ecclesiam Matrem suam, excellenter effulsit; Idcirco ipsa, quæ promta in gratia, in dono benevola, copiosa in præmio, & in retributione magnifica invenitur, majoribus genus ipsum cupit ampliare beneficiis, & altioribus honoribus sublimare; ut quanto abundantius de materni dulcedine uberis auxerit, tanto in ipsius matris beneplacitis vehementius delectetur.

Sane dilectus filius, Magister Albertus, Notarius noster, Apostolicæ Sedis Legatus, tibi & hæredibus tuis, sicut ex parte tua Nobis relatum extitit, Regnum Siciliæ, ac totam terram, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiæ Romanæ, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana, cum ipsius juribus & pertinentiis universis) in feudum, de speciali auctoritate ac mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quarti, Prædecessoris nostri, concessit, salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & Terræ tam in electionibus quam in aliis spectantibus ad eadem.

Idem vero Prædecessor, ut asseris, concessionem hujusmodi, supplendo defectum, si quis in ea fuerat, de plenitudine potestatis, autoritate Apostolica confirmavit tibi, Regnum & Terram præfata in feudum de novo concedens, prout in ipsius literis plenius dicitur contineri.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, concessionem & confirmationem hujusmodi, sub conditionibus infrascriptis ratas & gratas habentes, ipsas de fratrum nostrorum approbamus consilio & assensu, & sub eisdem conditionibus illas auctoritate Apostolica innovantes, Regnum & terram prædicta, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, de fratrum ipsorum consensu, tibi & hæredibus tuis utriusque sexus in feudum, sub eisdem conditionibus, perpetuo concedimus, & etiam confirmamus.

Conditiones autem sunt istæ: quod tu, & hæredes tui, Regnum & terram præfata nullatenus dividetis, sed semper illa unus tantum, sub ipsis conditionibus, immediate ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit; & tam tu, quam ipsi hæredes nobis & Successoribus nostris, canonice intrantibus, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatis præstabitis sacramentum, & ligium homagium facietis, secundum formam inferius annotatam; & singulis ipsis Successoribus & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium, quam hujusmodi sacramentum.

Quolibet vero anno in festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum, vel infra ipsius festi octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, tu tuique hæredes pro prædictis Regno & terra duo millia unciarum boni & puri auri de Tarenis, ad pondus Romanum, census nomine, Romanæ Ecclesiæ persolvetis.

Quandocumque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit Ecclesiam indigere, tu & hæredes tui, pro præfatis Regno & terra, requisiti ab eo, ad urbem in Patrimonium Beati Petri & Ecclesiæ, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in omnes alias terras Ecclesiæ per Italiam, trecentos milites, equis & armis bene & decenter paratos & munitos, in obsequium & subsidium ipsius Ecclesiæ transmittetis, per tres menses integros, in vestris sumtibus & stipendiis, semel tamen in anno in servitio ejusdem Ecclesiæ moraturos; mensibus ipsis a die, quo iidem milites dictum Regnum egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis.

Omnes quoque Ecclesiæ de Regno & terra prædictis, tam Cathedrales, quam aliæ, regulares & seculares, nec non & universæ Ecclesiasticæ personæ illis libertatibus & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipsis competunt secundum Canonicas sanctiones, ita quod circa easdem Ecclesias & personas

ſonas, tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam omnibus aliis, Romanus Pontifex & Romana Eccleſia juriſdictionem & auctoritatem omnimodam libere exercebunt; ſalvo tibi tuiſque hæredibus jure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeu ejuſdem Regni & terræ Domini hactenus in aliqua vel aliquibus Eccleſiarum ipſarum conſueverunt habere; in totum tamen, in quantum Eccleſiarum Patronis in hac parte canonica inſtituta concedunt.

Univerſæ inſuper Eccleſiæ de præfatis Regno & terra, tam regulares, quam ſeculares, de plano ad ad omnia bona immobilia, ipſis ablata ſeu occupata ab aliis, in quorum poſſeſſione ipſas fuiſſe conſtabit, reſtituentur ad plenum; ſuper aliis vero, de quorum poſſeſſione non ſtatim conſtare poterit, fiet eis, abſque difficultate ac dilatione, juſtitiæ complementum.

Porro tu & ſinguli hæredes tui Nobis & ſingulis Succeſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ, quando juramentum præſtabitis fidelitatis, jurabitis vos ad hæc ſpecialiter obligatos, quod nunquam per vos, vel per alios, ſeu quocumque modo procurabitis, ut in Regem vel Imperatorem eligamini Romanorum. Et, ſi electionem ad Imperium de vobis celebrari contigerit, nullum hujuſmodi electioni aſſenſum præſtabitis, nec intromittetis vos de Regimine Imperii ullo modo: Quod, ſi tu, vel aliquis hæredum ipſorum, ſtudentibus vel procurantibus vobis, ad Imperium electi fueritis, & præbueritis aſſenſum electioni taliter factæ de vobis, ſi hoc verum & manifeſtum fuerit; vel, ſi poſt talem electionem & conſenſum de Imperii regimine vos manifeſte intromiſeritis, eo ipſo a jure prædictorum Regni & terræ cadatis ex toto, ipſaque penitus amittatis. Si autem electioni factæ, non procurantibus, aut etiam procurantibus vobis, conſenſeritis; &, ut huic electioni vel juri renuncietis omnino, & quod de Imperio vos nequaquam intromittatis, admoniti, infra quatuor menſium ſpatium poſt monitionem hujuſmodi, tali juri non renunciaveritis, vel de ipſo Imperio vos intromiſeritis quoquo modo, ex hoc ipſo ſuis præmiſſis Regno & terra, & eorum prorſus Jure privati: Si vero ad te vel ipſos hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, ſuper quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode non poſſitis, credetur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis ſive dicto, ſufficiet pro ea publica ſuper hoc ipſius Romani Pontificis monitio & ſolemnis, ita, quod ſi infra ſex menſes poſt illam non renunciaveritis, vel de Imperio vos quomodolibet intromiſeritis, ex hoc ab omni jure prædictorum Regni & terræ cadatis; Cæterum, ſi contigerit, aliquem de tuis hæredibus, qui deberet in Regno & terra prædictis de jure ſuccedere, in Romanorum Imperatorem eligi vel aſſumi, nullatenus poſſeſſionem eorundem Regni & terræ nanciſcatur vel habeat, nec ſe de illorum cura, dominio vel regimine per ſe vel per alios aliquatenus intromittat, niſi prius imperio, & omni juri ſibi competenti in illo, prorſus renunciet, & ipſius imperii regimen, nec de jure illud, nec de facto gerens vel retinens, omnino dimittat, nullo unquam ipſum tempore reſumpturus, alioquin cadat ab omni ſucceſſione ac jure, quæ in eiſdem Regno & terra ſibi competeret ipſo facto, ita quod Regnum & terra præfata ad Romanam Eccleſiam ejuſque diſpoſitionem plene & libere devolvantur.

Si autem tu, aut aliquis tuorum hæredum contra hæc veneritis, ſitis eo ipſo excommunicationis ſententia, quam ex nunc proferimus, innodati, & inſuper reſperſi & notati labe ac reatu perjurii maneatis; cum noſtra perpetua & firma voluntas exiſtat, ut numquam Regnum Siciliæ uniatur vel jungatur Imperio, videlicet, quod unus & idem & Romanorum Imperator & Siciliæ Rex exiſtat.

Civitatem quoque Beneventan. cum omnibus libertatibus, immunitatibus, privilegiis, tenimentis, diſtrictibus, juribus & pertinentiis ſuis Romana ſemper habebit ſibique retinebit Eccleſia, & tu tuique hæredes ad ipſius reædificationem, & reparationem exhibebitis vos favorabiles, benevolos, & benignos, & nullum in hoc prorſus impedimentum præſtabitis, aut obſtaculum opponetis. Incolis etiam ejuſdem civitatis, & totius ſui diſtrictus per te ac hæredes ipſos fidantiæ remittentur, & renovabitis inſuper eis privilegia, cum ſuper hoc ab Eccleſia vel ab ipſis fueritis requiſiti, & in cunctis ſuis libertatibus & immunitatibus eadem plene conſervabitur civitas, ita quod Beneventan. per totum Siciliæ Regnum libere ire, morari valeant, & redire, ac negotiationes & mercimonia exercere, nec eis aliqua ſpecialis ſervitus imponetur. Silvas enim, lapides, arenam ſeu puteolanam, aliaque materialia, & quæque neceſſaria ad reparationem civitatis ejuſdem, tu tuique hæredes, ut citius & commodius reparari valeat, liberaliter exponetis.

Univerſi autem Comites, Barones & Nobiles, ac omnes civitates, & ſpecialiter Neapolitan. & Capuan. cunctaque Caſtra, Villæ ac alia loca de Regno & terra prædictis, & omnes omnino Regnicolæ per te tuoſque hæredes in bono regentur ſtatu, ipſiſque boni uſus, jura & bonæ conſuetudines ſervabuntur.

Centum millia vero librarum, quæ præfatus Prædeceſſor tibi, ad proſecutionem negotii ejuſdem Regni, concedere vel mutuare promiſit, ut dicitur, Nobis, & Eccleſiæ Romanæ, tuo & hæredum tuorum nomine, omnino dimittes, faciendo pactum & ſufficientem cautelam de illis a te vel ipſis hæredibus ulterius non petendis.

Verum cariſſimus in Chriſto filius noſter, Illuſtris Rex Angliæ, Pater tuus tuo nomine Nobis noſtriſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ pro præfatis Regno & terra juramentum fidelitatis ſub forma inferius contenta præſtabit, & in manibus illius, quem ad hoc ſpecialiter deſtinamus, Nobis & ipſi Eccleſiæ pro te ligium homagium faciet, ac formam juramenti hujuſmodi ſeriatim per ſuas Patentes literas ſub ſuo ſigillo, & tua Bulla aurea Nobis mittet: Tu vero, cum ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum & homagium hujuſmodi perſonaliter renovabis. Forma autem juramenti hæc eſt:

Ego, plenum & ligium vaſſallagium faciens Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ eſt citra Farum usque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventan. cum ipſius juribus & pertinentiis univerſis, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Domino

mino meo Papæ Alexandro, suisque Successoribus canonice intrantibus, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut per Nuncios suos, sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; Et, si scivero fieri, vel procurari, seu tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse meo impediam. &, si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Roman. & regalia Sancti Petri tam in Regno Siciliæ, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem, sic me DEus adjuvet & hæc Sancta Evangelia.

In optione quoque & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, vel te & hæredes tuos vocare ad præstandum & faciendum personaliter sacramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc tibi & hæredibus ipsis tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seu alium, qui vice Romani Pontificis sacramentum juxta formam, quæ superius est expressa, & homagium recipiat, destinare

Cæterum donationes, concessiones, confirmationes & privilegia a prædicto Prædecessore vel a Nobis cum subscriptionibus fratrum nostrorum facta, dilectis filiis, nobilibus Viris, Bertholdo, Oddoni & Ludovico, fratribus Marchionibus de Houmburch, firma ipsis, integra, & illibata manebunt; iidemque tenebuntur in bono statu, & eis concessa libertates, gratiæ, cæteraque alia servabuntur, ac omnia donata, confirmata & concessa eis a Sede Apostolica, per te confirmabuntur ipsis, & de novo etiam per tua privilegia concedentur, ac privilegiorum Apostolicorum, quæ super his habent, confirmatio eis, & de verbo ad verbum renovatio per te fiet.

Recti autem reditus horum omnium (exceptis Senescalcia ejusdem Regni, & ipsius Senescalciæ reditibus, in Apostolico privilegio expressis, ac mille quingentis unciis auri annuis, eidem Bertholdo Marchioni quoad vixerit concessis) summam seu valentiam quatuor millium unciarum auri annis singulis non transcendant.

Nolumus tamen, si forte de his tanta summa prædictis Marchionibus non proveniat annuatim, quod occasione hujus expressionis possint aliquid petere ultra donata & confirmata hujusmodi vel concessa, pro quibus siquidem tibi & hæredibus tuis ad servitia, in Apostolicis expressa Privilegiis, teneantur: eisdem etiam Marchionibus de damnis, de quibus ipsis satisfacere promisimus, Nos ad hoc & Romanam Ecclesiam obligantes, satisfactionem, ad quam te obligabis, impendes.

De donationibus vero & concessionibus, ab eodem Prædecessore, vel a Nobis de fratrum nostrorum consilio factis, dilecto filio Nobili Viro Comiti Casertan. simile per te fiet & servabitur, ita tamen quod reditus, ex his provenientes, duorum millium unciarum auri annuatim valentiam non excedant.

Sane prædictus Rex Angliæ, pater, & dilectus filius nobilis Vir Odowardus frater tui, ac plures de proceribus & Consiliariis ipsorum & tuis, jurabunt, quod procurabunt pro posse, ac bona fide laborabunt, & facient, quod, postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum fidelitatis pro prædictis Regno & terra Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ præstabis, ac propter hoc ligium & homagium facies, & jurabis, & servabis quæcumque supra circa Articulos de Imperio continentur, eo omnia præmissa, prout scripta sunt superius & expressa, concedes & approbabis, & acceptationem eorum ac promissionem de servandis iis omnibus renovabis. Et præfatus insuper Rex Pater tuus tuo nomine, ac tu etiam modo super horum omnium approbatione, acceptatione, concessione, ac promissione de ipsis servandis, & de recognitione, quod Regnum & terram prædicta sub præfatis conditionibus recipitis & tenetis a Romana Ecclesia, facietis & concedetis Nobis & ipsi Ecclesiæ privilegia: & tu cum ad prædictam quindecim annorum ætatem veneris, similia super his privilegia iterato & de novo concedes. Et, si forte, quod absit, infra eandem ætatem decesseris, hæres tuus hæc omnia, si minor quindecim annis extiterit, similiter faciet. Si vero major vel quindecim annorum fuerit, infra sex menses, post decessum tuum, ista peraget & complebit; quia quæ in his, circa te supra & infra dicimus, circa tuum etiam hæredem intendimus & volumus esse dicta. Quod si per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine ac per te omnia & singula supradicta approbata, concessa & accepta, & privilegiis super his facta, & per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Canturariens. & Herefordens. ac Elien. Episcopos, & dilectos filios Abbatem Westmonasterii, Johannem Mansel Præpositum Beverlacens. ac nobiles Viros Rodulphum filium Nicolai, Bertrandum de Olivel, & Rogerium de Torquelin, vel aliquos ex eis, aliis nequeuntibus, vel nolentibus interesse, ordinata & stabilita, & per eundem Regem, & te admissa & recepta, sub illorum & ipsius Regis ac tuo sigillis infra Kal. Decembr. proximo venturas, non fuerint, supradictæ approbatio, innovatio, concessio & confirmatio, quas tibi & hæredibus tuis sub præmissis conditionibus facimus, nullius penitus sunt valoris, sed vacuæ prorsus & inanes existant, ita quod tibi & hæredibus tuis in præfatis Regno & terra nullum omnino jus tribuant, nullumque afferant commodum vel effectum; salvo tibi & hæredibus ipsis omni jure, si quod tibi & eis competit, ratione præfatæ concessionis, de auctoritate ac mandato prædicti Prædecessoris a memorato Notario, & etiam ratione prædictarum confirmationis & concessionis ab eodem Prædecessore factarum tibi & ipsis hæredibus, sicut dicis; ac salvis etiam Nobis & Ecclesiæ Romanæ omni jure ac defensione, quæ Nobis & ipsi Ecclesiæ competunt, contra illas. Prædictos enim Archiepiscopum, Episcopum Elien. Abbatem, Radulfum, Bertrandum & Rogerium, loco dilecti filii nostri O. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, & dilecti filii Electi Lugdunensis, præfati Magistri Alberti, Notarii nostri, & nobilium virorum Thomæ de Sabaudia Comitis, Petri de Sabaudia, & quondam Petri Caccepore, Archidiaconi Wellen. quia illorum & prædictorum Episcopi Herefordens. & Johannis Mansel arbitrium in apponendis

minibus optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia Prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum, quam laicorum quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum ut illos restitueret, cum hoc idem tam ipse, quam sui Nuncii, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro Nobis audire & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet Princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, & offerri præterea, quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra justitiam læserat Ecclesiam, vel quod Nos eum contra justitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos & Principes tam Ecclesiasticos, quam seculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se vel solemnes Nuncios convenirent; eratque parata Ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset, & cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum DEO & honore suo fieri poterat, recipere de injuriis & offensis, ipsi Ecclesiæ suisque per eum irrogatis, satisfactionem ab ipso. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere; ut nunquam hac occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum insistere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam & obthurans more aspidis aures suas, hujusmodi preces & monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram Nobis & fratribus nostris Cardinalibus præsentibus carissimo in Christo filio nostro, Constantinopolitano Imperatore Illustri, cœtu quoque non modico prælatorum, senatoribus populi Romani & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad Apostolicam Sedem convenerant, quod staret nostris & Ecclesiæ mandatis, per Nobilem virum Comitem Tolosanum, ac magistros P. de Vinea & T. de Suessa, curiæ suæ judices, & Nuntios & procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit juramentum: postmodum tamen quod juraverat, non implevit; quin imo ea intentione ipsum præstitisse juramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem Ecclesiæ ac Nobis illuderet potius quam pareret: cum anno & amplius jam elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium revocari potuerit, nec sibi de illatis eis damnis & injuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque gravi Christi offensa ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente Nos conscientia juste animadvertere in eundem. Et ut ad præsens de cœteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima, quæ nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temere violando. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac aliarum Ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & seculares, venientes ad concilium, quod idem prædecessor noster duxerat convocandum.

De hæresi quoque non dubiis & levibus, sed evidentibus argumentis suspectus habetur: plura siquidem eum commisisse perjuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priusquam esset ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ C. sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis legato, felicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro, & successoribus ejus, Ecclesiæque Romanæ pro concessione Regni Siciliæ ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit juramentum, &, sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit & venit ad urbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus Cardinalibus & aliis multis præsentibus, ligium hominum in ejus faciens manibus, innotavit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto bonæ memoriæ Honorio Papæ prædecessori nostro & ejus Successoribus, ac ipsi Ecclesiæ Romanæ, præsentibus Imperii Principibus atque Nobilibus juravit, honores, jura & possessiones Romanæ Ecclesiæ pro posse suo servare, ac protegere bona fide, & quod quæcunque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in hujusmodi juramento: quod postmodum confirmavit, coronam Imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota & læsæ crimine Majestatis. Nam contra præfatum prædecessorem G. & fratres suos comminatorias literas eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet, per literas ab eo tunc directas eisdem, & etiam, prout fertur, per universum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumsit, ac Venerabilem fratrem nostrum O. Portuensem, tunc sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem & bonæ memoriæ I. Prænestinum, Episcopos, Apostolicæ Sedis Legatos, nobilia & magna Romanæ Ecclesiæ membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiose deductos, carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod Beato Petro & Successoribus ejus in ipso tradidit Dominus JEsus Christus, videlicet, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, in quo utique autoritas & potestas Ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiæ auferre sategit: scribens, se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum, non solum contemtis Ecclesiæ clavibus, non servando, verum etiam per se ac officiales suos, & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contemsit, cogendo alios non servare. Possessiones quoque præfatæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cujus muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciæ & Lombardiæ partibus, & quibusdam aliis obtinebat locis, paucis

paucis exceptis, occupare non metuens, eos adhuc detinet occupatas. Et tanquam ei non sufficeret, quod manifeste contra juramenta præmissa, præsumendo talia, veniebat per se, vel suos officiales, earundem possessionum homines dejerare compulit: ipsos a juramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur Ecclesiæ, de facto, cum de jure non posset, absolvens, & faciens eosdem fidelitatem nihilominus abjurare prædictam, sibique fidelitatis hujusmodi juramenta præstare. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum & Ecclesiam reformatæ jurasset coram bonæ memoriæ J. de Abbati Suilla, Episcopo Sabinensi, & Magistro Th. titulo sanctæ Sabinæ, Presbytero Cardinali, præsentibus multis Prælatis, Principibus & Baronibus, quod staret & pareret præcise, absque ulla contradictione omnibus Mandatis Ecclesiæ, super iis, pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis ejusdem expressis per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus Regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, qui Ecclesiæ contra ipsum adhæserant, omnem remittens offensam & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo, quod Ecclesiæ adstiterant, præstari in anima sua per Comitem Acerrarum faciens juramentum, postmodum pacem & juramentum hujusmodi, nequaquam erubescens irretiri perjuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles, quam alios postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac insuper terras Ecclesiæ contra promissionem, quam eidem T. Sabinensi Episcopo & Thomaso Cardinali fecerat, irreverenter invasit, licet ipsi ex tunc in eum præsentem, si ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis sententiam promulgarant.

Et cum iidem Apostolica ei auctoritate mandassent, ut nec per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones & confirmationes Ecclesiarum & monasteriorum in Regno præfato libere de cætero fierent, secundum statutum Concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem Regno viris Ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de cætero in civili, vel criminali causa conveniretur coram Judice seculari, nisi super feudis quæstio civiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis ecclesiasticis de damnis & injuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum hujusmodi adimplere contemsit. Liquet namque, undecim, aut plures Archiepiscopales & multas Episcopales sedes, Abbatis quoque, ac alias Ecclesias, ad præsens vacare in Regno prædicto, easque, procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius Prælatorum regimine destitutas, in grave ipsarum præjudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus ejusdem Regni Ecclesiis electiones sint a Capitulis celebratæ: quia tamen per illa ejusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius Regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari: sed etiam cruces, thuribula, calices & alios sacros earum thesauros & pannos sericos, velut cultus divini contemtor, auferri licet, ut dicitur, ipsis Ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad judicium seculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hospitalariis & personis Ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & injuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum præfati Portuensis & Prænestinus Episcopi, & complures Ecclesiarum Prælati, & clerici tam religiosi quam seculares, ad Apostolicam Sedem pro celebrando Concilio, quod prius ipse petiverat, convocati per mare venirent, viis terræ ipsis de mandato ejus omnino præclusis, idem destinato Ensio filio suo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante serie præparatos in partibus Tusciæ maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam Prælatorum ipsorum & aliis in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemtis & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in Regnum Siciliæ opprobriose deductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi, miserabiliter defecerunt.

Merito insuper contra eum de hæretica pravitate suspicio est exorta, cum, postquam excommunicationis sententiam a præfatis J. Episcopo Sabinensi & T. Cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. Papa ipsum anathematis vinculo innodavit, ac post Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, Prælatorum & clericorum, ac aliorum etiam diversis temporibus ad Sedem Apostolicam venientium captionem, claves Ecclesiæ contemserit & contemnat, sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, profanari, divina: & constanter asseruit, ut superius est narratum, se præfati G. Papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera pluries distinaverit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens.

Eorundem etiam more uxoribus, quas habuit, de stirpe Regia descendentibus, evnuchos Capuæ, quos, ut dicitur, serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes, & quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, immo collusione verius, cum Soldano, Machometi nomen in Templo Domini diebus & noctibus publice proclamari permisit, & nuper Nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus terræ Sanctæ ac Christianis habitatoribus ejus per se ac suos damna gravissima & inæstimabiles injurias irrogarat, facit per Regnum Siciliæ cum laudibus ad ejusdem Soldani extollentiam, & sicut fertur, honorifice suscipi & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabi-

mnabiliter vilipendentes Apostolicam Sedem, ab unitate Ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ Ducem Bavariæ specialem Ecclesiæ Romanæ devotum fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta per assassinos occidi, & Rattatio DEI & Ecclesiæ inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus, consiliatoribus & fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero Principum actus & mores respuens, neglector salutis & famæ, pietatis operibus non intendit, quinimo, ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu ejus, ut decet Principem Christianum, ad eleemosynas inextenta, cum destructioni Ecclesiarum institerit, religiosas ac alias Ecclesiasticas jugi attriverit afflictione & persecutione personas, nec Ecclesias, nec monasteria, nec alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hæc non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum hæreticorum vocabulo illos Jus Civile contineri asserat, & latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare? Præter hæc Regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium Beati Petri, & idem Princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus & omnibus exinde probis fere ejectis, illos, qui remanserunt ibidem, sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam Ecclesiam, cujus principaliter sunt homines & vasalli, offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod squifatorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesiæ Romanæ tenetur, per novem annos & amplius solvere prætermisit. Nos itaque super præmissis & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris & sacro Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum JEsu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, Nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: Quodcunque ligaveris super terram &c. memoratum Principem, qui se imperio & regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a DEO, ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilo minus sententionando privamus; omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes: autoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi, tanquam imperatori, vel Regi pareat, vel intendat, & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut Regi consilium vel auxilium præstiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant libere Successorem. De præfato vero Siciliæ Regno providere curabimus, cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire. Datum Lugduni XVI. Kal. Augusti, anno tertio.

XXIIX.

Friderici II. Romanorum Imperatoris Regisque Siciliæ, Edictum, in quo Imperatorum ac Regum, summorumque imperantium institutionem pariter atque destitutionem a Pontificum Romanorum nutu & potestate nequaquam dependere demonstrat, suasque cum Summo Pontifice & Longobardis controversias decisioni Regis Galliæ committit, d. d. 22. Septembris, Anno 1245.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, universis præsentes literas inspecturis per Regnum Franciæ constitutis, dilectis sibi salutem & omne bonum.

Cum per aliquos retro actos Romanæ Sedis Antistites & præsentem, Nos & alios Reges, Principes orbis & Nobiles, Regna, Principatus, honores quoslibet & jurisdictionem habentes gravatos merito censeamus, ex eo, quod ipsi contra DEum & justitiam posse, sibi jurisdictionem & autoritatem usurpant instituendi & destituendi, seu removendi ab Imperio, Regnis, Principatibus & honoribus suis Imperatores, Reges & Principes, seu quotcunque magnates, temporalem autoritatem in eos temporaliter exercendo, absolvendo etiam a sacramentis, quibus Dominis suis Vasalli tenentur, contra Dominos excommunicationis tantummodo sententia promulgata.

Quodque quæstione, sive dissensione inter Dominos & Vasallos, seu inter duos nobiles & vicinos invicem contendentes, prout assolet, emergente, prædicti Summi Pontifices ad petitionem unius partis tantummodo partes suas temporaliter interponunt, volendo ipsos invitos in se compromittere, vel aliter ad concordiam coërcere, & alligando se fidelibus contra Dominos, aut uni de partibus supradictis, quod non prius pacem cum aliis faciant, quam alligatos sibi ponant in pace, recipiendo similiter promissionem de non faciendo pacem cum Dominis ac Vasallis.

Item in eo, quod prædicti Summi Pontifices in præjudicium jurisdictionis & honoris Regum & Principum prædictorum ad petitionem Clericorum, seu Laicorum, cognitionem causarum de rebus temporalibus, possessionibus feudalibus, seu burgensalicis, in Ecclesiastico foro tractandas, recipiunt & committunt

Ecce quod Nos ad prædictam injuriam documentis evidentibus ostendendam, & ipsam a Nobis in eis rationabiliter removendam, Magistrum Petrum de Vinea, magnæ Curiæ nostræ Judicem, & G. de Ocra, Clericum, dilectos fideles nostros ad Ludovicum Illustrem Regem Francorum, carissimum amicum nostrum providimus destinandos, affectuose rogantes, ac ob tuitionem & conservationem jurium nostrorum & Imperii, Regum aliorum & Principum seu quorumcunque Nobilium, efficaciter

caciter requirentes eundem, ut congregatis coram se Laicis paribus Regni sui, aliisque Nobilibus tanto negotio opportunis, per se cum eis super omnibus prædictis & singulis audiat jura nostra.

Cæterum si ipse prædicta non duxerit assumenda, cum Nos, qui, auctore Domino Romani Imperii, Regnorum Hierusalem & Siciliæ moderamur habenas, tam enormen injuriam, & tam informem usurpationem diebus nostris tolerare nolimus, Regem eundem justa precum intercessione rogamus, quatenus Nobis causam nostram, suam & aliorum Principum, viriliter prosequentibus se contrarium non opponat; nec de Regno suo aliquos Laicos seu clericos, temporaliter Nobis opponi permittat; nullumque præsenti Summo Pontifici, seu successoribus suis contra Nos, discrimine præsenti durante, in Regno vel de Regno suo præsidium seu receptaculum tribuat, aut tribui patiatur.

Porro si forsitan Rex prædictus una cum Paribus & Nobilibus Regni sui, prout tantum Regem & Regnum condecet, partes suas interponendas viderit in prædictis, Summumque Pontificem sive per justitiæ debitum, vel modo quolibet, ad istud induxerit, ut velit prædicta gravamina Nobis & aliis Christianis Primatibus irrogata, & id specialiter, quod contra nos nuper in Lugdunensi Concilio statuit, quatenus de facto processit, cum prorsus de jure non valeat, revocare.

Nos, ob honorem & reverentiam DEI & redemtoris nostri, nec non ob amorem, quem ad Regem & Regnum Franciæ præ cæteris singularem habemus, causam, quæ inter Nos, & Summum Pontificem vertitur supradictum, quatenus contingit, eandem in manibus ponimus Regis ejusdem; parati omnia quæcunque per Nos idem Rex de consilio parium, nobiliumque suorum, visis & diligenter auditis nostris & Imperii juribus, Ecclesiæ viderit emendanda, corrigere, & in statum debitum integre reformare, ac deinde pace per hoc inter Nos & Ecclesiam procedente, & reliquis Longobardorum, prout tenentur & debent, vel ad mandatum nostrum & Imperii redeuntibus, vel prorsus ab Ecclesiæ defensione seclusis, promtos Nos offerimus & paratos, vel prædicto Rege ad defensionem Christianitatis & statum pacificum conservandum in cismarinis partibus remanente, vel una cum eo, si hoc melius viderit eligendum, ad transmarinas partes per Nos, aut Conradum, carissimum filium nostrum, Romanorum in Regem electum, & Regni Hierosolymitani hæredem, omni prospero transfretare, ad hoc Nos obligantes specialiter & expressim, quod vel cum Rege Franciæ, sive sine eo terram totam Hierosolymitanam, & quicquid unquam a diebus antiquis Regno Hierosolymitano pertinuit, ad proprietatem & ditionem Regni ipsius & Christianitatis cultum, nostris, Imperii & Regnorum nostrorum viribus, laboribus & sumtibus curabimus revocare. Nihilominus tamen, si forte (quod absit) discrimen præsentis discordiæ inter Nos, Ecclesiam & Lombardos durare contigerit, prædicto Regi, ac omnibus cruce signatis cum eo, quatenus præsentium negotiorum & temporum qualitas patitur & tempestas, præsidia nostra terra marique, tam in navibus, quam victualibus, promtis affectibus offerimus per præsentes; superque omnibus & singulis supradictis, quicquid præsentium series continet literarum, auctoritatem & mandatum plenum prædictis Magistro Petro de Vinea, & G. de Ocra duximus conferendum, ratum habentes & firmum, quicquid per eosdem in his pro parte nostri culminis extiterit ordinatum. Datum Cremonæ, vigesimo secundo Septembris, quarta Indictione.

XXIX.

Testamentum Friderici II. Romanorum Imperatoris, Regisque Siciliæ, d. d. 7. Decembris, Anno 1250.

Ex Editione P. Octavii Cajetani in sua Isagoge ad historiam Sacram Siculam, collatum & suppletum ex vetusto Codice manuscripto Bibliothecæ Marchionis Jarratanæ.

IN nomine DEI Æterni, & Salvatoris nostri JEsu Christi. Anno ab Incarnatione Millesimo ducentesimo quinquagesimo, die Sabbathi, septimo die mensis Decembris, nonæ Indictionis. Primi parentis 1. (incauta) transgressio sic posterioris legem 2. (conditionis indixit) ut 3. (eam nec diluvii proclivis ad pœnam effusio effrenis abduceret, nec Baptismatis tam celebris, tam salubris unda liniret, quin fatalitatis eventus mortalibus senescentis ævi præcinctis lascivia) transgressionis in pœnam culpa transfusa, tanquam cicatrix ex vulnere remaneret. Nos igitur Fridericus II. Divina favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex, memores conditionis humanæ 4. quam semper comitatur innata fragilitas) dum vitæ 5. (nobis) instaret terminus, loquelæ & memoriæ in Nobis integritate vigente, ægri corpore, sani mente, sic animæ nostræ consulendum providimus, sic de Imperio & Regnis nostris duximus disponendum, ut rebus humanis assumpti vivere videamur, & filiis nostris, quibus Nos Divina Clementia fœcundavit, quos præsenti dispositione nostra, sub pœna benedictionis nostræ, volumus esse contentos, indignatione sublata, omnis materia scandali sopiatur. Statuimus itaque, Corradum, Romanorum in Regem electum, & Regni Jerosolomitani hæredem, dilectum filium nostrum, Nobis hæredem in Imperio, & omnibus aliis emptitiis, & quoquo modo acquisitis & specialiter in Regno nostro Siciliæ. Quem si decedere contigerit sine liberis, ei succedat Henricus filius noster; quo defuncto sine liberis succedat ei Manfredus filius noster. Corrado autem manente in Alamannia, vel alibi extra Regnum, statuimus prædictum Manfredum Balium dicti Corradi in Italia, & specialiter in Regno Siciliæ, dantes ei 6. (plenariam) potestatem omnia faciendi, quæ persona nostra facere posset, si viveremus; videlicet in concedendis terris, castris, villis, parentelis, dignitatibus, beneficiis, & omnibus aliis, juxta dispositionem suam, præter antiqua Demania Regni Siciliæ; & quod Corradus & Henricus, prædicti filii nostri, et eorum hæredes omnia,

...djectivum ...ta) deest ...tione Ca... ... conditio... ...induxit) ... Cajet. ...eam hoc ...sum li... ...s ( ) de... ...tur in ... Cajet. ...sunt hæc ... in Edit. ...ani. ...nobis) de... Editione ...ani.

6. (plenam) habet Editio Cajetani.

omnia, quæ ipse fecerit, firma & rata teneant, & observent. Item concedimus, & confirmamus dicto Manfredo filio nostro principatum 7. (Tarenti) videlicet a porta Roseti usque ad 8. (ortum) Fluminis Brandani cum Comitatibus 9. (montis Canusi, Tricarici) & Gravinæ, prout Comitatus 10. (ipse prætenditur) a maritimæ terræ Bari usque 11. (Pallinianum cum terris omnibus a Palliniano) per totam maritimam usque ad dictam portam Roseti, scilicet civitatibus, castris & villis infra contentis, cum 1. (omnibus) justitiis 2. (pertinentiis) & rationibus omnibus tam ipsius Principatus quam Comitatuum prædictorum. Concedimus etiam eidem civitatem montis sancti Angeli cum toto honore suo, omnibus * eidem honori pertinentibus scilicet, quæ de Demanio in Demanium, & quæ de servitio in servitium. Concedimus etiam, & confirmamus eidem quicquid in Imperio est a nostra Majestate concessum. Ita tamen quod prædicta omnia a præfato Corrado teneat, ac etiam recognoscat, cui Manfredo judicavimus pro expensis suis decem millia unciarum auri.

Item (a) statuimus quod Fridericus nepos noster habeat Ducatum Austriæ, & Stiriæ, quæ a prædicto Corrado teneat, & recognoscat: cui Frederico judicamus pro expensis decem mille uncias auri.

Item statuimus, ut Henricus filius noster habeat Regnum Arelatense, vel Regnum Jerosolymitanum, quorum alterum dictus Corradus præfatum Henricum habere voluerit: cui Henrico judicamus centum millia unciarum auri pro expensis.

Item statuimus ut centum millia unciarum auri expendantur pro salute animæ nostræ in subsidium terræ sanctæ secundum ordinationem dicti Corradi, & aliorum nobilium cruce signatorum.

Item statuimus ut omnia bona militiæ, Domus, Templi, quæ Curia nostra tenet, restituantur eidem, ea scilicet, quæ de jure deberet habere.

Item statuimus, ut omnibus Ecclesiis, & Domibus religiosis restituantur jura eorum, & gaudeant solita libertate.

Item statuimus, ut homines Regni nostri 3. (Siciliæ) sint liberi, & excepti ab omnibus generalibus collectis, sicut consueverunt esse tempore Regis Guillelmi II. consobrini nostri.

Item statuimus, quod Comites, Barones, & Milites, & alii Feudatarii 4. (nostri) Regni gaudeant juribus suis & rationibus 5. (omnibus) quæ consueverunt habere tempore Regis Guillelmi in collectis, & aliis.

Item statuimus, ut Ecclesiæ Luceriæ, & Soræ, & si quæ aliæ læsæ sunt per officiales nostros, reficiantur 6. (& restituantur.)

Item statuimus, ut tota Massaria nostra, quam habemus apud Sanctum Nicolaum de Ausido, & omnes proventus ipsius deputentur ad reparationem & constructionem pontis ibi constructi vel construendi.

Item statuimus ut omnes captivi in carcere nostro detenti liberentur, præter illos de Imperio, & præter illos de Regno qui capti sunt ex proditionis nota.

Item statuimus, quod præfatus Manfredus filius noster omnibus benemeritis de familia nostra provideat vice nostra in Terris, Castris, & Villis, salvo

7. (Tarenti) habet *Editio Cajetani*.
8. (portum) habet *Editio Cajetani*.
9. *Edit. Cajet.* habet (montibus Coverti Tritanei)
10. (ipsi prætenduntur) habet *Cajet.*
11. (ad Pallinurium, & ipsum Pollinurium cum terris omnibus a Pallinurio) *Editio Cajet.*
1. (omnibus) deest in *Edit. Cajet.*
2. (pertinentiis) deest in *Codice manuscripto*.
* in *Edit. Caj.* legitur (omnibus civitatibus, castris, villis, terris, pertinentiis suis, videlicet quæ in Demanio, &c.)
(a) Hoc Capitulum favore Friderici, Ducis Austriæ, deest in *Codice manuscripto*.
3. Deest nomen (Siciliæ) in *Codice manuscripto*.
4. (nostri) non adest in *Codice manuscripto*.
5. (omnibus) deest in *Edit. Cajetani*.
6. (& restituantur) deest in *Edit. Cajet.*

Demanio Regni nostri Siciliæ, & quod Corradus, & Henricus prædicti filii nostri, & hæredes eorum ratum, & firmum, habeant, quicquid idem Manfredus super hoc duxerit faciendum.

Item 7. (volumus, & mandamus) quod nullus de proditoribus Regni in aliquo tempore reverti audeat in Regnum 8. (nec aliqui de eorum genere succedere possint: imo hæredes nostri teneantur vindictam de eis sumere)

Item statuimus quod mercatoribus creditoribus nostris debita solvantur.

Item statuimus ut Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ restituantur omnia 1. (sua) salvis in omnibus, & per omnia jure, & honore Imperii hæredum nostrorum & aliorum fidelium 2. (nostrorum si) ipsa Ecclesia restituat jura Imperii.

Item statuimus, ut si de præsenti infirmitate nos mori contigerit, in majori Ecclesia Panormi, in qua Divi Imperatoris Henrici, & Divæ Imperatricis Constantiæ parentum nostrorum memoriæ recolendæ tumulata sunt corpora, corpus nostrum debeat sepeliri. Cui Ecclesiæ dimittimus uncias auri quingentas pro salute animarum dictorum parentum nostrorum, & nostræ per manus Berardi, venerabilis Panormitani Archiepiscopi, familiaris & fidelis nostri in reparatione ipsius Ecclesiæ erogandas.

Prædicta autem omnia, quæ acta sunt in præsentia dicti Archiepiscopi 3. (Bertoldi) Marchinonis de Benburgio, dilecti 4. (consanguinei) & familiaris nostri, Riccardi, Comitis Casertani, dilecti generi nostri 5. (Petri Ruffi) de Calabria Mariscaliæ nostræ Magistri, 6. (Ricardi de Montenigro, Magnæ Curiæ nostræ Magistri Justitiarii) Magistri Joannis de 7. (Ydronto) Fulconis Ruffi, Magistri Joannis de Procida, Magistri Roberti de Panormo Imperii, & Regni Siciliæ & magnæ Curiæ nostræ Judicis, & Magistri Nicolai de Brundusio, publici Tabellionis Imperii, & Regni Siciliæ & Curiæ nostræ Notarii, nostrorum fidelium, quos præsenti dispositioni nostræ mandavimus interesse per prædictum Corradum filium, & hæredem nostrum & alios 8. (successive) sub pœna benedictionis nostræ tenaciter volumus observari; alioquin hæreditate nostra non gaudeant. Id autem fidelibus 9. (omnibus) nostris præs ntibus, & futuris sub sacramento fidelitatis, quo Nobis & hæredibus nostris tenentur, injungimus, ut prædicta omnia illibata teneant & observent. Præsens autem testamentum nostrum, & ultimam voluntatem nostram, quam robur firmitatis volumus obtinere, per prædictum Magistrum Nicolaum scribi & signo sanctæ crucis propriæ manus nostræ, sigillo nostro, & prædictorum subscriptionibus jussimus communiri. Actum apud Florentinum in Capitanata anno, mense, die & Indictione præmissis; anno Imperii nostri trigesimo secundo, Regni Jerusalem 10. (vigesimo octavo) Regni Siciliæ quinquagesimo primo.

† Ego Fridericus II. Divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex dico, & declaro hoc fuisse, & esse meum solemne testamentum, meamque ultimam voluntatem, actum & scriptum de mei ordine, voluntate & mandato per manus Magistri Nicolai de Brundisio publici Tabel-

7. Statuimus habet *Editio Cajetani* loco (volumus & mandamus.
8. Totum hoc inclusum lineis ( ) deest in *Edit. Cajet.*
1. Loco (sua) *Editio Cajetani* habet (jura)
2. (nostrorum) deest in *Codice manuscripto*, conditionale (si) in *Edit. Cajetani* est versa in (&)
3. Nomen (Bertoldi) deest in *Edit. Cajet.*
4. Loco (consanguinei) *Editio Cajet.* habet (consobrini)
5. *Editio Cajet.* loco (Petri Ruffi) habet simpliciter (Ruffus)
6. Nomen ipsius (Ricardi de Montenigro, Magistri Justitiarii) in *Edit. Cajetani* est ... tonce ... situm penultimo loco, & similiter in subscriptionibus.
7. Loco (Ydronto) *Edit. Cajet.* habet (Hitronco)
8. (Successive) habet *Editio Cajetani*.
9. Deest omnibus in *Codice manuscripto*.
10. vigesimo octavo deest in *Edit. Cajetani*.

Tabellionis Curiæ nostræ, ac in præsentia supradictorum, & infra scriptorum testium nostrorum fidelium, quos omnibus prædictis mandavimus interesse, ac in fidem omnium præmissorum manu propria subscribimus nostroque solito Imperiali, & Regio sigillo signavimus.

† Ego Berardus, Archiepiscopus Panormitanus, rogatus præmissis omnibus interfui, manu propria me subscripsi, ac sigillo Imperiali, & Regio signavi.

† Ego Marchio de Benburgio rogatus præsens fui, manu propria subscripsi, sigilloque Imperiali me signavi.

† Ego Ricardus Comes Casertinus rogatus supradicto Imperiali testamento interfui, manu propria me subscripsi, supradictoque Imperiali, ac Regio sigillo signavi.

† Ego Ruffus de Calabria rogatus supradictis omnibus interfui, manuque propria subscripsi, ac Imperiali sigillo me signavi.

† Ego Magister Joannes de Hidronto rogatus interfui, manu mea subscripsi, & Imperiali, ac Regio sigillo me signavi.

† Ego Fulcunon Ruffus rogatus interfui, manu propria subscripsi, & Imperiali, Regioque sigillo signavi.

† Ego Joannes de Ogrea, rogatus ut supra, præsens fui, me subscripsi manu propria, ac supradicto Imperiali sigillo signavi.

† Ego Magister Joannes de Procida supradictis omnibus interfui, subscripsi, sigillavi, & testor.

† Ego Magister Robertus de Palormo rogatus me subscripsi, & sigillavi, ac omnibus interfui, & Testis sum.

† Ego Ricardus de Montenigro, Imperialis Regiæque Curiæ Magister Justitiarius, supradictis omnibus rogatus interfui, manu propria me subscripsi, ac supradicto Imperiali, & Regio sigillo me signavi, & Testis sum.

† Ego Magister Nicolaus de Brundisio, publicus Tabellio Imperii & Regni Siciliæ, ac Imperialis Curiæ Notarius, rogatus a Domino Imperatore, ut supradictum ejus testamentum, suamque ultimam voluntatem conficerem, quia præmissis omnibus & singulis una cum supradictis Testibus interfui, & publicavi, ac in præsentem publicam formam redegi, ideo subscriptione & signo meis solitis & consuetis subscripsi, & signavi.

Magister Nicolaus de Brundisio, Notarius.

XXX.

Breve, ab Innocentio IV. Pontifice Maximo, de Regno Siciliæ in fratrem ipsius Carolum, Provinciæ Comitem, transferendo, ad Ludovicum IX. Galliæ Regem conscriptum, d. d. Non. Augusti, Anno 1252.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio, Ludovico, Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia nonnunquam ardua negotia desiderant longum tractatum, mirari non debes aliquatenus, nec moveri, si tantus tractatus, qui habitus est inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium, Nobilem Virum Carolum, Comitem Provinciæ, fratrem tuum, super dando sibi Regno Siciliæ, ad eandem Ecclesiam legitime devoluto, non est adhuc, ut desideratur, hinc inde diversis impedimentis emergentibus, consummatus; maxime cum non referat, quantacunque sit in agendis dilatio, si feliciter terminentur, soleantque cum quodam augmento venire, si protrahantur non malitiose, sed inevitabiliter concupita. Verum cum Nos & fratres nostri diu super hoc diligenti deliberatione præhabita, jam in personam ejusdem Comitis, quam ad id præeligimus, concordemus, sperantes firmiter & pro certo tenentes, quod per ipsum, in quem non tam nostra, quam aliorum fere omnium, quos tangit negotium, vota concurrunt, quique, veluti filius dexteræ, pacis Princeps & matutinus lucifer expectatur, quiescet orbis, tumultuosa quassatio Ecclesiæ tranquillitatem recipiet & prosperabitur, ut ipsamet hæc omnia, sicut toto credimus corde, desiderat negotium terræ sanctæ: Dilectum filium Magistrum Albertum, Notarium nostrum, ad tuam & ipsius præsentiam cum pleno mandato consummandi prædictum negotium, & faciendi omnia, quæ ad illud pertinent, de fratrum nostrorum consilio, destinamus; cui tanquam tui & ejusdem Comitis honoris & commodi zelatori, adhibeas in omnibus, quæ tibi ex parte nostra dixerit, plenam fidem. Rogamus itaque devotionem tuam attentius, & hortamur, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus considerato clementer, quam magnifice, quam utiliter, quamque virtuose dictus Comes DEO & Ecclesiæ ac toti Christianitati, hujusmodi onus & honorem suscipiendo, deservit; cum per hoc, summota turbatione seculi, quam ipsius Regni opulentia nutrit, tranquillitas desiderata proveniat, intendatur ad laudem Domini latius, & salubriter futuris periculis occurratur, nec præsumatur, quod eum ad id temporalium rerum cupiditas, sed solus zelus Domini, & fervor fidei ac devotionis inducant; præfatum Comitem tua Magnificentia moneat & inducat, ut idem Regnum, ei & in ipso tibi desideranter oblatum, pro Divina & Apostolicæ Sedis, ac nostra reverentia, cum humilitate ac hilaritate recipiat, ut de terreno ad cœleste, ac de temporali corona pervenire, propitiante illo, cujus in hac parte negotium agitur, valeat ad æternam; scriturus pro certo, quod universa & singula, quæ super his cum eo præfatus Notarius ordinabit, adimplebimus & servabimus immutabiliter, sine aliqua diminutione, prout per eum fuerint ordinata. Datum Perusii, Non. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo; sigillatum sub plumbo, cum cordula canapis.

XXXI.

Alberti, Legati Pontificis Maximi, Litera, in quibus, nomine Sedis Apostolicæ, Siciliam citra Pharum Eduardo, Angliæ Regis filio, in feudum contulit, d. d. prid. Non. Mart. An. 1254.

EXcellenti Viro Domino Edmundo (*Eduardo*) nato Domini H, Regis Angliæ Illustris, Albertus Domini Papæ Notarius, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem, & paratam ad obsequia voluntatem.

Ut sincera & inconcussa devotio, quam Dominus H. Rex Angliæ Illustris, pater vester, habet ad Romanam Ecclesiam, in Vobis, paterna vestigia imitantibus, propagata fructum, non tam eidem Ecclesiæ, quam toti Christianitati necessarium, afferat, Vosque insigniat fastigio Regiæ dignitatis, de speciali auctoritate & mandato Domini Papæ, facto Nobis, de suorum fratrum consilio & assensu, vobis & hæredibus vestris Regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Ecclesiæ, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana cum ipsius juribus, & pertinentiis) universis in feudum concedimus, salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & terræ, tam in electionibus, quam in aliis pertinentibus ad easdem.

Super conditionibus vero, quæ pertinent ad idem negotium, apponendis, venerabilium Patrum Dominorum, O. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, Phy. Electi Lugdunens. & Episcopi Herefordens. & Nobilium Virorum Dominorum T. de Sabaudia Comitis, & P. fratris ejus; nec non proborum Virorum Dominorum Johannis Maunsel, Præpositi, Beverlacensis, & Petri Cachaport, Archidiaconi Wellensis, & nostro arbitrio, prout Vos & prædictus Dominus Rex jam acceptastis, stabitur hinc & inde.

In cujus rei testimonium & perpetuam firmitatem has literas fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Dat. Vindocin. anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, pridie Non. Martii, Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno undecimo.

XXXII.

Innocentii IV. Pontificis Maximi, Literarum antea insertarum Confirmatio, d. d. 2. Id. Maji, Anno 1254.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio Edmundo, Regi Siciliæ Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Specialis dilectionis affectum, quem habemus ad carissimum in Christo filium nostrum, Illustrem Regem Angliæ, patrem tuum, cupientes in suis evidentius ostendere per effectum, Regnum Siciliæ, & totam terram quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Ecclesiæ Romanæ, ad eandem Ecclesiam devoluta, tibi, quem ad id inter alios orbis Principes prælegimus, jampridem duximus offerenda.

Te igitur de assensu ejusdem Regis, oblationem hujusmodi, tamquam ipsius Ecclesiæ devoto & Catholico Principe, humiliter acceptante, dilectus filius Magister Albertus, Notarius noster, Apostolicæ Sedis Legatus, cui velut illi, qui tuum honorem & commodum zelatur ut proprium, negotium ipsum tecum consummandum, de consilio & assensu fratrum nostrorum commisimus, tibi tuisque hæredibus, in feudum, in perpetuum Regnum & terram prædicta, (excepta civitate Beneventana) de speciali mandato nostro concessit, prout in ejus literis, inde confectis (quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus) plenius continetur.

Nosque itaque concessionem eandem ratam & gratam habentes, ac defectum, si quis ex quacunque causa vel omissione in ea extitit, supplentes de Apostolicæ plenitudine potestatis, Regnum & terram prædicta, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta Civitate Benevent. cum ejus juribus, honoribus, districtibus & pertinentiis) universis tibi, qui de voluntate prædicti Regis hoc acceptasse dignosceris, tuisque hæredibus, in feudum, in perpetuum Apostolica auctoritate, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ea tibi de novo in feudum (salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & terræ, tam in electionibus, quam in aliis eas pertinentibus) concedentes.

Tenor autem literarum prædicti Legati talis est:

Excellenti Viro, Domino Edmundo, nato Domini H. Regis Angliæ Illustris, Albertus, Domini Papæ Notarius, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem, & paratam ad obsequia voluntatem.

Ut sincera & inconcussa devotio, quam Dominus H. Rex Angliæ Illustris, pater vester, habet ad Romanam Ecclesiam, in Vobis, paterna vestigia imitantibus &c. ut in ipsa concessione ante, de 14. Martii.

Nulli ergo &c.

Datum Asisii, 2. Idus Maji, Pontificatus nostri anno undecimo.

Sub filis sericis, flavi rubeique coloris.

XXXIII.

Ejusdem Breve, conscriptum ad Albertum, Sedis Apostolicæ in Aula Anglicana Legatum, in quo ei partim significat, se Regni Siciliæ in feudum collationem, Eduardo, Angliæ Regis filio, factam, confirmasse, partim illum de rebus in hoc negotio porro agendis erudit, d. d. 2. Id. Maji, Anno 1254.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, Dilecto filio Magistro Alberto, Notario nostro, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Gratum

Gratum gerimus & acceptum, diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendantes, super eo, quod negotium, tibi ab Apostolica Sede commissum, cum carissimo in Christo filio nostro, Edmundo Rege Siciliæ illustri, laudabiliter consumasti.

Cum igitur collationem, sibi a te de ipso Regno factam, duxerimus, de fratrum nostrorum consilio, confirmandam, defectum, si quis ex quacunque causa in ea extitit, supplentes de plenitudine potestatis.

Volumus, & per Apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus carissimum in Christo filium nostrum, Regem Angliæ illustrem, ad mittendum quantocius eundem Regem in manu forti, ad prosequendum, prout decet tantum Principem, viriliter & potenter idem negotium inducens, & induci faciens modis quibus expedire videris, secundum prudentiam tibi a Domino datam.

Collationis tuæ literas eidem Regi Siciliæ renoves, sub priori data in illum modum, quem in confirmationis nostræ literis, in quibus literarum tuarum renovandarum tenor inseritur, perspexeris contineri. Eam in his, & aliis, quæ pertinent ad festinationem & promotionem ejusdem negotii, sollicitudinem, prout bene fecisti hactenus, habiturus, quod proinde possis apud DEum & homines non immerito commendari.

Datum Asisii, 2. Idus Maji, Pontificatus nostri anno undecimo.

Plumbeo sigillo pendente a filo canabeo.

XXXIV.

Alexandri IV. Pontificis Maximi, Bulla, in qua Eduardo, Angliæ Regis filio, Regnum Siciliæ citra Pharum in feudum contulit, d. d. 5. Id. April. Anno 1255.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio Edmundo (*Eduardo*) Illustri Regi Siciliæ, Nato Carissimi in Christo filii nostri, Regis Angliæ Illustris, salutem & Apostolicam benedictionem.

Assueta Sedis Apostolicæ circumspectio, habens in sua liberalitate providentiæ studium, attente propensat, quibus dexteram aperiat largitatis, ut ampliori erga illos munificentia exuberet qui potioribus circa eam fulgere meritis dignoscuntur. Unde, quia semper inclytum genus tuum puritate fidei, devotionis sinceritate, sedulique prosecutione servitii erga Romanam Ecclesiam Matrem suam, excellenter effulsit; Idcirco ipsa, quæ promta in gratia, in dono benevola, copiosa in præmio, & in retributione magnifica invenitur, majoribus genus ipsum cupit ampliare beneficiis, & altioribus honoribus sublimare; ut quanto abundantius de materni dulcedine uberis auxerit, tanto in ipsius matris beneplacitis vehementius delectetur.

Sane dilectus filius, Magister Albertus, Notarius noster, Apostolicæ Sedis Legatus, tibi & hæredibus tuis, sicut ex parte tua Nobis relatum extitit, Regnum Siciliæ, ac totam terram, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiæ Romanæ, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana, cum ipsius juribus & pertinentiis universis) in feudum, de speciali auctoritate ac mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quarti, Prædecessoris nostri, concessit, salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & Terræ tam in electionibus quam in aliis spectantibus ad eadem.

Idem vero Prædecessor, ut asseris, concessionem hujusmodi, supplendo defectum, si quis in ea fuerat, de plenitudine potestatis, autoritate Apostolica confirmavit tibi, Regnum & Terram præfata in feudum de novo concedens, prout in ipsius literis plenius dicitur contineri.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, concessionem & confirmationem hujusmodi, sub conditionibus infrascriptis ratas & gratas habentes, ipsas de fratrum nostrorum approbamus consilio & assensu, & sub eisdem conditionibus illas auctoritate Apostolica innovantes, Regnum & terram prædicta, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, de fratrum ipsorum consensu, tibi & hæredibus tuis utriusque sexus in feudum, sub eisdem conditionibus, perpetuo concedimus, & etiam confirmamus.

Conditiones autem sunt istæ: quod tu, & hæredes tui, Regnum & terram præfata nullatenus dividetis, sed semper illa unus tantum, sub ipsis conditionibus, immediate ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit; & tam tu, quam ipsi hæredes nobis & Successoribus nostris, canonice intrantibus, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatis præstabitis sacramentum, & ligium homagium facietis, secundum formam inferius annotatam; & singulis ipsis Successoribus & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium, quam hujusmodi sacramentum.

Quolibet vero anno in festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum, vel infra ipsius festi octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, tu tuique hæredes pro prædictis Regno & terra duo millia unciarum boni & puri auri de Tarenis, ad pondus Romanum, census nomine, Romanæ Ecclesiæ persolvetis.

Quandocumque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit Ecclesiam indigere, tu & hæredes tui, pro præfatis Regno & terra, requisiti ab eo, ad urbem in Patrimonium Beati Petri & Ecclesiæ, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in omnes alias terras Ecclesiæ per Italiam, trecentos milites, equis & armis bene & decenter paratos & munitos, in obsequium & subsidium ipsius Ecclesiæ transmittetis, per tres menses integros, in vestris sumtibus & stipendiis, semel tamen in anno in servitio ejusdem Ecclesiæ moraturos; mensibus ipsis a die, quo iidem milites dictum Regnum egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis.

Omnes quoque Ecclesiæ de Regno & terra prædictis, tam Cathedrales, quam aliæ, regulares & seculares, nec non & universæ Ecclesiasticæ personæ illis libertatibus & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipsis competunt secundum Canonicas sanctiones, ita quod circa easdem Ecclesias & personas

ſonas, tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam omnibus aliis, Romanus Pontifex & Romana Eccleſia juriſdictionem & auctoritatem omnimodam libere exercebunt; ſalvo tibi tuiſque hæredibus jure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeu ejuſdem Regni & terræ Domini hactenus in aliqua vel aliquibus Eccleſiarum ipſarum conſueverunt habere; in totum tamen, in quantum Eccleſiarum Patronis in hac parte canonica inſtituta concedunt.

Univerſæ inſuper Eccleſiæ de præfatis Regno & terra, tam regulares, quam ſeculares, de plano ad ad omnia bona immobilia, ipſis ablata ſeu occupata ab aliis, in quorum poſſeſſione ipſas fuiſſe conſtabit, reſtituentur ad plenum; ſuper aliis vero, de quorum poſſeſſione non ſtatim conſtare poterit, fiet eis, abſque difficultate ac dilatione, juſtitiæ complementum.

Porro tu & ſinguli hæredes tui Nobis & ſingulis Succeſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ, quando juramentum præſtabitis fidelitatis, jurabitis vos ad hæc ſpecialiter obligatos, quod nunquam per vos, vel per alios, ſeu quocumque modo procurabitis, ut in Regem vel Imperatorem eligamini Romanorum. Et, ſi electionem ad Imperium de vobis celebrari contigerit, nullum hujuſmodi electioni aſſenſum præſtabitis, nec intromittetis vos de Regimine Imperii ullo modo: Quod, ſi tu, vel aliquis hæredum ipſorum, ſtudentibus vel procurantibus vobis, ad Imperium electi fueritis, & præbueritis aſſenſum electioni taliter factæ de vobis, ſi hoc verum & manifeſtum fuerit; vel, ſi poſt talem electionem & conſenſum de Imperii regimine vos manifeſte intromiſeritis, eo ipſo a jure prædictorum Regni & terræ cadatis ex toto, ipſaque penitus amittatis. Si autem electioni factæ, non procurantibus, aut etiam procurantibus vobis, conſenſeritis; &, ut huic electioni vel juri renuncietis omnino, & quod de Imperio vos nequaquam intromittatis, admoniti, infra quatuor menſium ſpatium poſt monitionem hujuſmodi, tali juri non renunciaveritis, vel de ipſo Imperio vos intromiſeritis quoquo modo, ex hoc ipſo ſuis præmiſſis Regno & terra, & eorum prorſus Jure privati: Si vero ad te vel ipſos hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, ſuper quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode non poſſitis, credetur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis ſive dicto, ſufficiet pro ea publica ſuper hoc ipſius Romani Pontificis monitio & ſolemnis, ita, quod ſi infra ſex menſes poſt illam non renunciaveritis, vel de Imperio vos quomodolibet intromiſeritis, ex hoc ab omni jure prædictorum Regni & terræ cadatis; Cæterum, ſi contigerit, aliquem de tuis hæredibus, qui deberet in Regno & terra prædictis de jure ſuccedere, in Romanorum Imperatorem eligi vel aſſumi, nullatenus poſſeſſionem eorundem Regni & terræ nanciſcatur vel habeat, nec ſe de illorum cura, dominio vel regimine per ſe vel per alios aliquatenus intromittat, niſi prius imperio, & omni juri ſibi competenti in illo, prorſus renunciet, & ipſius imperii regimen, nec de jure illud, nec de facto gerens vel retinens, omnino dimittat, nullo unquam ipſum tempore reſumpturus, alioquin cadat ab omni ſucceſſione ac jure, quæ in eiſdem Regno & terra ſibi competeret ipſo facto, ita quod Regnum & terra præfata ad Romanam Eccleſiam ejuſque diſpoſitionem plene & libere devolvantur.

Si autem tu, aut aliquis tuorum hæredum contra hæc veneritis, ſitis eo ipſo excommunicationis ſententia, quam ex nunc proferimus, innodati, & inſuper reſperſi & notati labe ac reatu perjurii maneatis; cum noſtra perpetua & firma voluntas exiſtat, ut numquam Regnum Siciliæ uniatur vel jungatur Imperio, videlicet, quod unus & idem & Romanorum Imperator & Siciliæ Rex exiſtat.

Civitatem quoque Beneventan. cûm omnibus libertatibus, immunitatibus, privilegiis, tenimentis, diſtrictibus, juribus & pertinentiis ſuis Romana ſemper habebit ſibique retinebit Eccleſia, & tu tuique hæredes ad ipſius reædificationem, & reparationem exhibebitis vos favorabiles, benevolos, & benignos, & nullum in hoc prorſus impedimentum præſtabitis, aut obſtaculum opponetis. Incolis etiam ejuſdem civitatis, & totius ſui diſtrictus per te ac hæredes ipſos fidantiæ remittentur, & renovabitis inſuper eis privilegia, cum ſuper hoc ab Eccleſia vel ab ipſis fueritis requiſiti, & in cunctis ſuis libertatibus & immunitatibus eadem plene conſervabitur civitas, ita quod Beneventan. per totum Siciliæ Regnum libere ire, morari valeant, & redire, ac negotiationes & mercimonia exercere, nec eis aliqua ſpecialis ſervitus imponetur. Silvas enim, lapides, arenam ſeu puteolanam, aliaque materialia, & quæque neceſſaria ad reparationem civitatis ejuſdem, tu tuique hæredes, ut citius & commodius reparari valeat, liberaliter exponetis.

Univerſi autem Comites, Barones & Nobiles, ac omnes civitates, & ſpecialiter Neapolitan. & Capuan. cunctaque Caſtra, Villæ ac alia loca de Regno & terra prædictis, & omnes omnino Regnicolæ per te tuoſque hæredes in bono regentur ſtatu, ipſiſque bóni uſus, jura & bonæ conſuetudines ſervabuntur.

Centum millia vero librarum, quæ præfatus Prædeceſſor tibi, ad proſecutionem negotii ejuſdem Regni, concedere vel mutuare promiſit, ut dicitur, Nobis, & Eccleſiæ Romanæ, tuo & hæredum tuorum nomine, omnino dimittes, faciendo pactum & ſufficientem cautelam de illis a te vel ipſis hæredibus ulterius non petendis.

Verum cariſſimus in Chriſto filius noſter, Illuſtris Rex Angliæ, Pater tuus tuo nomine Nobis noſtriſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ pro præfatis Regno & terra juramentum fidelitatis ſub forma inferius contenta præſtabit, & in manibus illius, quem ad hoc ſpecialiter deſtinamus, Nobis & ipſi Eccleſiæ pro te ligium homagium faciet, ac formam juramenti hujuſmodi ſeriatim per ſuas Patentes literas ſub ſuo ſigillo, & tua Bulla aurea Nobis mittet: Tu vero, cum ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum & homagium hujuſmodi perſonaliter renovabis. Forma autem juramenti hæc eſt:

Ego, plenum & ligium vaſſallagium faciens Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ eſt citra Farum uſque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventan. cum ipſius juribus & pertinentiis univerſis, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Domino

mino meo Papæ Alexandro, suisque Successoribus canonice intrantibus, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut per Nuncios suos, sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; Et, si scivero fieri, vel procurari, seu tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse meo impediam. &, si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Roman. & regalia Sancti Petri tam in Regno Siciliæ, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem, sic me DEus adjuvet & hæc Sancta Evangelia.

In optione quoque & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, vel te & hæredes tuos vocare ad præstandum & faciendum personaliter sacramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc tibi & hæredibus ipsis tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seu alium, qui vice Romani Pontificis sacramentum juxta formam, quæ superius est expressa, & homagium recipiat, destinare.

Cæterum donationes, concessiones, confirmationes & privilegia a prædicto Prædecessore vel a Nobis cum subscriptionibus fratrum nostrorum facta, dilectis filiis, nobilibus Viris, Bertholdo, Oddoni & Ludovico, fratribus Marchionibus de Houmburch, firma ipsis, integra, & illibata manebunt; iidemque tenebuntur in bono statu, & eis concessa libertates, gratiæ, cæteraque alia servabuntur, ac omnia donata, confirmata & concessa eis a Sede Apostolica, per te confirmabuntur ipsis, & de novo etiam per tua privilegia concedentur, ac privilegiorum Apostolicorum, quæ super his habent, confirmatio eis, & de verbo ad verbum renovatio per te fiet.

Recti autem reditus horum omnium (exceptis Senescalcia ejusdem Regni, & ipsius Senescalciæ redditibus, in Apostolico privilegio expressis, ac mille quingentis unciis auri annuis, eidem Bertholdo Marchioni quoad vixerit concessis) summam seu valentiam quatuor millium unciarum auri annis singulis non transcendant.

Nolumus tamen, si forte de his tanta summa prædictis Marchionibus non proveniat annuatim, quod occasione hujus expressionis possint aliquid petere ultra donata & confirmata hujusmodi vel concessa, pro quibus siquidem tibi & hæredibus tuis ad servitia, in Apostolicis expressa Privilegiis, teneantur: eisdem etiam Marchionibus de damnis, de quibus ipsis satisfacere promisimus, Nos ad hoc & Romanam Ecclesiam obligantes, satisfactionem, ad quam te obligabis, impendes.

De donationibus vero & concessionibus, ab eodem Prædecessore, vel a Nobis de fratrum nostrorum consilio factis, dilecto filio Nobili Viro Comiti Casertan. simile per te fiet & servabitur, ita tamen quod reditus, ex his provenientes, duorum millium unciarum auri annuatim valentiam non excedant.

Sane prædictus Rex Angliæ, pater, & dilectus filius nobilis Vir Odowardus frater tui, ac plures de proceribus & Consiliariis ipsorum & tuis, jurabunt, quod procurabunt pro posse, ac bona fide laborabunt, & facient, quod, postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum fidelitatis pro prædictis Regno & terra Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ præstabis, ac propter hoc ligium & homagium facies, & jurabis, & servabis quæcumque supra circa Articulos de Imperio continentur, eo omnia præmissa, prout scripta sunt superius & expressa, concedes & approbabis, & acceptationem eorum ac promissionem de servandis iis omnibus renovabis. Et præfatus insuper Rex Pater tuus tuo nomine, ac tu etiam modo super horum omnium approbatione, acceptatione, concessione, ac promissione de ipsis servandis, & de recognitione, quod Regnum & terram prædicta sub præfatis conditionibus recipitis & tenetis a Romana Ecclesia, facietis & concedetis Nobis & ipsi Ecclesiæ privilegia: & tu cum ad prædictam quindecim annorum ætatem veneris, similia super his privilegia iterato & de novo concedes. Et, si forte, quod absit, infra eandem ætatem decesseris, hæres tuus hæc omnia, si minor quindecim annis extiterit, similiter faciet. Si vero major vel quindecim annorum fuerit, infra sex menses, post decessum tuum, ista peraget & complebit; quia quæ in his, circa te supra & infra dicimus, circa tuum etiam hæredem intendimus & volumus esse dicta. Quod si per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine ac per te omnia & singula supradicta approbata, concessa & accepta, & privilegiis super his facta, & per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Cantuariens. & Herefordens. ac Elien. Episcopos, & dilectos filios Abbatem Westmonasterii, Johannem Mansel Præpositum Beverlacens. ac nobiles Viros Rodulphum filium Nicolai, Bertrandum de Olivel, & Rogerium de Torquelin, vel aliquos ex eis, aliis nequeuntibus, vel nolentibus interesse, ordinata & stabilita, & per eundem Regem, & te admissa & recepta, sub illorum & ipsius Regis ac tuo sigillis infra Kal. Decembr. proximo venturas, non fuerint, supradictæ approbatio, innovatio, concessio & confirmatio, quas tibi & hæredibus tuis sub præmissis conditionibus facimus, nullius penitus sunt valoris, sed vacuæ prorsus & inanes existant, ita quod tibi & hæredibus tuis in præfatis Regno & terra nullum omnino jus tribuant, nullumque afferant commodum vel effectum; salvo tibi & hæredibus ipsis omni jure, si quod tibi & eis competit, ratione præfatæ concessionis, de auctoritate ac mandato prædicti Prædecessoris a memorato Notario, & etiam ratione prædictarum confirmationis & concessionis ab eodem Prædecessore factarum tibi & ipsis hæredibus, sicut dicis; ac salvis etiam Nobis & Ecclesiæ Romanæ omni jure ac defensione, quæ Nobis & ipsi Ecclesiæ competunt, contra illas. Prædictos enim Archiepiscopum, Episcopum Elien. Abbatem, Radulfum, Bertrandum & Rogerium, loco dilecti filii nostri O. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, & dilecti filii Electi Lugdunensis, præfati Magistri Alberti, Notarii nostri, & nobilium virorum Thomæ de Sabaudia Comitis, Petri de Sabaudia, & quondam Petri Caccepore, Archidiaconi Wellen. quia illorum & prædictorum Episcopi Herefordens. & Johannis Mansel arbitrium in apponendis

nendis in hoc negotio conditionibus dictus Rex, Pater tuus, olim tuo nomine acceptavit, duximus de assensu ipsius Herefordens. tui & ejusdem Regis Procuratoris & Nuntii, subrogandos, pro eo, quod prædictus Petrus Caccepore erat jam mortuus, & reliqui, propter nimiam distantiam, non possent commode vel facile infra Kalend. ipsas in Anglia convenire.

Si autem, cum ad jam dictam ætatem quindecim annorum perveneris, sacramentum fidelitatis Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ non exhibueris, & ligium eis homagium non feceris, & non juraveris ea, quæ circa Capitula de Imperio superius sunt expressa & præmissa, omnia de novo non acceptaveris & concesseris, & privilegia super iis non renovaveris, vel non feceris iterato, postquam requisitus de iis per Sedem Apostolicam fueris, & post requisitionem hujusmodi per sex mensium spatium expectatus, eo ipso ab omni jure prædictorum Regni & terræ cadas totaliter, & penitus illa perdas.

Sub præfatis igitur conditionibus eundem Herefordens. Episcopum, Nuntium & Procuratorem tuum, tuo nomine de Regno & terra prædictis per annulum, de consilio & assensu Fratrum nostrorum, investivimus; quem in signum hujus investituræ tibi duximus destinandum, possessionem prædictorum Regni & terræ sub eisdem conditionibus procuratori assignantes eidem, & ab ipso postmodum recipientes tuo nomine possessionem eandem, quam utique pro te interim retinemus, ut, cum per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine ac per te præmissa approbata & acceptata fuerint, & per præfatos Archiepiscopum & alios ordinata & stabilita secundum modum superius declaratum, & postquam etiam ea, quæ de expensis, & aliis inferius dicuntur & exprimuntur, adimpleta extiterint, eadem, possessio ad te tuosque hæredes libere revertatur.

Verum postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, & prædictis assenseris, ipsaque acceptaveris, si ante nihilominus per Regem prædictum & te approbata, & per nominatos Archiepiscopum & alios ordinata & firmata, ut præmissum est, fuerint, Romana Ecclesia tibi & hæredibus tuis, si per vos de hoc extiterit requisita, concessionem de præfatis Regno & terra de novo faciet sub conditionibus antedictis; illæ tamen, quæ poterunt interim totaliter & finaliter adimpleri, si de ipsis fuerit medio tempore plenarie satisfactum, ita quod pro eis nil amplius exigi possit vel debeat in futurum, minime inserentur.

Denique nominatus Rex Pater tuus omnes expensas, ab Ecclesia pro negotio prædicti Regni Siciliæ factas hactenus, quæ ascendunt usque ad summam centum & triginta quinque millium & quingentarum & quadraginta & unius Marcarum bonorum novorum & legalium sterlingorum, in qua utique summa viginti millia Marcarum sterlingorum similium Nobis & fratribus nostris ex liberalitate oblata Regia includuntur, plene restituet, & persolvet, ac insuper de damnis, expensis & interesse, ac aliis, quæ hac occasione intervenient, plenam satisfactionem impendet. Hujus autem summæ solutio ita fiet, videlicet, quod idem Rex decem millia marcarum de prædictis viginti millibus, usque ad Festum Nativitatis Dominicæ proximo venturum; alia vero decem millia postmodum, usque ad sequens Festum Sancti Michaelis Nobis & eisdem fratribus exhibebit. Et si forte in ipso Festo Sancti Michaelis dictus Rex deputabit & statuet aliquos idoneos & sufficientes mercatores, acceptos nobis, qui pro prædictis residuis, & ultimis decem millibus se Nobis & eisdem fratribus obligent, & principales in iis constituant debitores, iidem mercatores, si voluerint, dilationem, usque ad aliud Festum Dominicæ Nativitatis, primo sequens post idem Festum Sancti Michaelis, pro prædictis residuis & ultimis decem millibus persolvendis habebunt: Totam vero aliam summam expensarum factarum Rex ipse infra annum, computandum a Festo beati Michaelis proximo futuro, persolvet integre, vel concedet seu deputabit mercatores sufficientes & idoneos, scilicet Senens. vel Florentin. seu Bononiens. vel alios de Italiæ partibus, Ecclesiæ Romanæ devotos, ita quod ipsis contenti simus, qui se sufficienter & specialiter obligabunt ad solvendum hujusmodi summam, infra terminum ipsum, Nobis & Ecclesiæ Romanæ, vel illis, quibus mandaverimus eam solvi, & se in eadem summa Nobis & ipsi Ecclesiæ debitores constituent principales.

Reservamus autem Nobis, & in nostra voluntate ac potestate remanet dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum, prædicto Rege & te, ac alio etiam quocumque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni juris solemnitate supradictas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem, quas tibi & hæredibus tuis sub conditionibus facimus suprascriptis, vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, aut revocare, cassare & irritare ipsas, & cassas & irritas nunciare, si præfatus Rex dicta ultima decem millia marcarum & totam aliam summam expensarum factarum non solverit, vel de ipsis plene non satisfecerit infra præmissos terminos, ut est dictum, & etiam, si præfata prima decem millia marcarum saltem in his ultimis terminis non persolvet, si forte ipsa omiserit solvere in primo termino, eorum solutioni præfixo, ita quod post hujusmodi pronunciationem seu irritationem nostram vel dictum, præfatæ approbatio, innovatio concessio & confirmatio nullius sint vel habeantur efficaciæ vel momenti, salvo tibi & tuis hæredibus jure, si quod vobis competit ratione concessionis a supradicto Notario, & obtentu confirmationis & concessionis a præfato Prædecessore factarum tibi & ipsis hæredibus, sicut dicis, omni jure ac defensione, quæ Nobis & Ecclesiæ contra tales concessiones & confirmationem competunt, salvis semper manentibus & illæsis. Idem autem Rex veniet, vel transmittet Capitaneum cum Militia competenti, secundum negotii qualitatem, quod si non venerit, nec taliter miserit in prædicto termino, videlicet usque ad annum computandum a Festo beati Michaelis proxime futuro, in nostro reservamus beneplacito sine approbatione, innovatione, concessione & confirmatione prædictis, simili modo procedere & proferre; nequaquam tamen veniat vel mittat, nec prædictum Regnum Siciliæ, nec possessionem ipsius

ipsius recipiat, nisi prius de præfatis tota summa & viginti millibus Marcarum, juxta præscriptum modum satisfecerit infra terminos, videlicet, supradictos. Quod si venerit, vel miserit, satisfactione primitus de his omnibus plene facta, prædictæ approbatio, innovatio, concessio & confirmatio habeant firmitatem, dictumque tuo nomine recipiat Regnum & possessionem ejusdem, dummodo & alia omnia & singula suprascripta approbata concessa, & acceptata, ordinata, & stabilita infra præfatum ad hoc terminum prius extiterint, sicut superius plenius est expressum, & memoratus Odowardus, Frater tuus, ipsius Regis Primogenitus, primo fecerit quod ab eo faciendum erit, ut inferius continetur.

Si vero Rex ipse ante confirmationem ejusdem negotii debitum, quod absit, carnis persolverit, prædictus Odowardus dictum negotium efficaciter prosequetur, & idem Rex procurabit & faciet, quod præfatus Odowardus se ad id specialiter obligabit. Quod si ad hoc se non obligaverit, & non fecerit in hac parte ea quæ super his facere Rex ipse deberet, ut supra narratur, in nostra remanet potestate pronunciare super approbatione & aliis prædictis, sicut superius est præmissum. Et nihilominus si præfatus Rex præmissa omnia non solverit, vel de illis non satisfecerit, ut dictum est supra, vel si non venerit, nec miserit, aut si idem Odowardus prædicta non fecerit, ipse Rex & ejus hæredes super pecunia, quam supradictus Episcopus Herefordens. Procurator & Nuntius suus, mutuo ejus recepit nomine, & pro negotii prosecutione persolvit; Et super pecunia etiam, quam deinceps idem Rex pro eodem exhibebit negotio, nullam contra Nos & Ecclesiam, seu quemquam alium repetitionem habebunt, nec aliquam actionem, sed ex toto illas amittent, eritque dictus Rex eo ipso excommunicationis vinculo innodatus, & totum Angliæ Regnum Ecclesiastico suppositum interdicto.

Ministrabit quoque dictus Rex pro posse suo ex nunc Ecclesiæ ad prosequendum idem negotium expensas faciendas usque ad præmissum terminum, scilicet usque ad annum a festo Sancti Michaelis proximo venturo, & ad id se ac filios & hæredes suos, nec non & Regnum Angliæ, & alia omnia bona sua specialiter obligabit; & si ultra id, quod ipsi ministraverit Ecclesia, sumptus aliquos vel expensas in acquisitione vel conservatione Regni Siciliæ vel terrarum ipsius fecerit, pro hujusmodi sumptibus & expensis terram Monasterii Casinens. terram Laboris, terram Principatus Basilicatam. & terram Beneventan. libere ac pacifice ipsa tenebit Ecclesia pignori obligatas; nec idem Rex neque tu Ecclesiam ipsam super his terris molestabitis aliquatenus vel turbabitis, donec de hujusmodi sumptibus & expensis fuerit eidem Ecclesiæ ab ipso Rege vel a te plenarie satisfactum. Et si Ecclesia ipsa ultra fructus & proventus, quos de prædictis terris percipiet, aliquos sumptus fecerit in tenendis, & defendendis, & conservandis eisdem, ipsas, propter hoc etiam tenebit, quousque plene sibi de talibus sumptibus satisfiet; & nihilominus idem Rex se ad restituendum Ecclesiæ istos sumptos, quos ipsa, pro acquisitione & conservatione Regni, & pro tenendis & defendendis prædictis terris faciet, sufficienter & specialiter obligabit, se suumque Regnum, & ejus terras nostræ ac Sedis Apostolicæ Jurisdictioni, quoad hæc, totaliter supponendo.

Proventus vero ac obventiones, qui de præfato Regno Siciliæ, medio tempore ad manus Ecclesiæ pervenient, tibi vel cui volueris, deductis exinde necessariis expensis, integre persolventur. Sed super quantitate sive valore horum proventuum, & obventionum, ac etiam fructuum & proventuum dictarum terrarum, soli dicto nostro stabitur & adhibebitur firma fides; nec exigetur vel requiretur super hoc alia certitudo.

Cæterum reservamus Nobis, quod, prout utilitas & necessitas exegerit, donationes & concessiones in Regno aliquibus de ipso, de quibus expedire viderimus, conscio eo, qui pro prædicto Rege, vel pro te apud Sedem Apostolicam, vel in Regno ipso remanserit, facere interim valeamus.

Porro si cum Manfredo quondam Principe Tarentin. & aliis æmulis & hostibus ipsius Regni aliquam compositionem, vel concordiam seu conventionem fecerimus, tibi nihilominus & tuis hæredibus jus in eodem Regno Siciliæ remaneat semper salvum, nec per compositionem, concordiam & conventionem hujusmodi juri tuo aliquatenus derogetur.

Hæc autem omnia & singula placuerunt præfato Episcopo Herefordens. tuo & ipsius Regis Nuntio & Procuratori, & in his plena & stabili voluntate consensit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, concessionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire;

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Sanctus Petrus. Sanctus Paulus.
Alexander P. IV.

Domine servum tuum in bonum suscipe.

Locus Monogrammatis:

Ego Alexander, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Stephanus, Prænestinus Episcopus.
Ego Frater Johannes, Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Hugo, Tituli S. Sabinæ Presbyter Cardin.
Ego Ricardus, Sancti Angeli Diacon. Cardinalis.
Ego Octavianus, S. Mariæ in via lata Diacon. Cardin.
Ego Willielmus, S. Eustachii Diaconus Cardinalis.

Datum Neapoli, per manum Guillielmi, Magistri Scolarum Parmens. S. Rom. Ecclesiæ Vicecancellarii, quinto Idus Aprilis, Indictione decima tertia, Incarnationis Dominicæ Anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ quarti anno primo.

Sub filis sericis flavi rubeique coloris.

XXXV.

XXXV.

Ejusdem Breve ad Henricum III. Angliæ Regem, exaratum, in quo eum, ut nomine Eduardi, filii sui, declarati Siciliæ Regis, sibi suisque Successoribus, nec non Romanæ Ecclesiæ juramentum fidelitatis præstet, exhortatur, d. d. 12. Kal. Junii, Anno 1255.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio, Illustri Regi Angliæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum Nos Regnum Siciliæ & totam terram, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiæ Romanæ, carissimo in Christo filio nostro, Edmundo, (*Eduardo*) Illustri Regi Siciliæ, nato tuo, duxerimus concedenda, prout in Apostolico privilegio, confecto exinde, plenius continetur;

Ac, inter alia, in eodem privilegio habeatur expresse, quod tu, ipsius Edmundi nomine, Nobis, nostrisque Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, pro præfatis Regno & terra, juramentum fidelitatis, sub forma in ipso privilegio contenta, præstabis.

Et in manibus illius, quem ad hoc specialiter mittimus, Nobis & ipsi Ecclesiæ, pro eodem Edmundo, ligium homagium facies,

Ac formam juramenti hujusmodi seriatim per tuas patentes literas, sub tuo sigillo, & ipsius Edmundi, bulla aurea Nobis mittes:

Nosque venerabilem fratrem nostrum Bononiens. Episcopum propter hoc, & pro recipiendis obligationibus, & pro universis aliis, quæ in præfato privilegio declarantur, ad te specialiter destinamus.

Serenitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus hujusmodi juramentum fidelitatis Nobis & Successoribus nostris, ac Romanæ Ecclesiæ præstes,

Et, in ejusdem Episcopi manibus, Nobis, & prædictæ Ecclesiæ, pro ipso Edmundo, ligium homagium facias,

Ac formam juramenti hujusmodi seriatim per tuas patentes literas Nobis, sub tuo sigillo, & prædicti Edmundi aurea bulla transmittas.

Dat. Neapoli 12. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno primo.

Plumbeo sigillo pendente a filo canabeo.

XXXVI.

Alexandri IV. Pontificis Maximi, Breve ad Episcopum Herefordensem exaratum, in quo eum hortatur, ut Angliæ Regi auctor sit suasorque, negotium, de occupanda Sicilia, filio suo in feudum collata, strenue ut prosequatur, & pecunias ea de re promissas, Romæ confestim exsolvendas curet, d. d. Non. Februar. Anno 1256.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, venerabili Fratri, Episcopo Herefordensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Pluries Nobis extitit intimatum, quod carissimus in Christo filius noster, Illustris Rex Angliæ, zelo magnæ, quam habet ad Romanam Ecclesiam, devotionis inductus, ac de Regis Regum auxilio & virtute confisus, negotium Regni Siciliæ sub conditionibus, in Apostolico contentis privilegio, acceptavit.

Super quo Nos, grandi exultantes in Domino gaudio, ac condignas altissimo gratias referentes, devotis insistimus supplicationibus apud eum, ut ipse, qui primitus inspiravit eidem, ut prædictum negotium libenter assumeret, det ei gratiam illud potenter ac efficaciter prosequendi, ad laudem & gloriam divini Nominis, exaltationem Apostolicæ Sedis, & exterminium inimicorum Ecclesiæ ac fidei Christianæ.

Veruntamen non indigne miramur, quod, circa ea, quæ promotionem & expeditionem ipsius negotii specialiter respiciunt & contingunt, sollicitudo debita, ex parte Regia, non est hactenus habita, nec videtur haberi.

Cum enim ad solutionem debitorum, quibus eadem prægravatur Ecclesia, cunctis procedi deberet studiis, & diligentia in hoc adhiberi efficax, cum mercatores, qui pecuniam mutuarunt, continuis apud Nos insistant clamoribus, importunis Nos vexent exactionibus, & tædiosis querimoniis Nos affligant, apparet ipsum negotium in hac parte quasi postpositum & neglectum.

Cum igitur, sicut prædiximus, ab eisdem mercatoribus jugiter stimulemur, & mercatores Romani parati sint, nisi satisfiat eis in termino, ad possessiones Ecclesiarum urbis, quæ obligatæ sunt eis, avidas manus extendere, illasque totaliter, quod dolentes referimus, occupare;

Fraternitati tuæ per Apostolica scripta, districte præcipiendo, mandamus, quatenus, sicut nostram & Apostolicæ Sedis caram habes gratiam, omnem adhibeas diligentiam, sollicitudinem, & cautelam, ut præmissa debita & ex decima Ecclesiasticorum proventuum Regni Angliæ & aliarum terrarum ejusdem Regis, & alias per Regem ipsum, sicut expedire videris, totaliter persolvantur; ita quod tuam exinde possimus industriam dignis in Domino laudibus merito commendare.

Et cum dilectus filius noster, O. Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis, jam redierit ad Apostolicam Sedem, & sciat idem Rex, quod Provincia Terræ Laboris, & aliæ terræ ipsius Regni, quæ adhærent Ecclesiæ, remanserunt & remaneant imminutæ (cum adeo exhausta sit Camera nostra, quod nequaquam eis de subsidio providere possimus) in admirationem Nobis vertitur vehementem, quod dictus Rex nullum suffragium, in pecunia, vel militibus, pro conservatione & defensione prædictarum Provinciæ ac terrarum, destinare curavit.

Volumus itaque, ut eidem Regi suadeas diligenter, quod propulsa qualibet negligentia, intendat omnino ad prosecutionem negotii supradicti, prædictis Provinciæ ac terris de necessario subsidio celeriter providendo.

Et aperte sibi denuncies, quod mora maximum periculum ad se trahit; & si permiserit adversarium prædictas terras atque Provinciam occupare, id quod ad præsens competentibus manutenuerit sumptibus,

cum

cum multarum & magnarum expensarum effusione, vix postmodum recuperare valebit.

Datum Lateran. Non. Februar. Pontificatus nostri anno secundo.

Hæc schedula pendet ab eodem filo.

Scire te volumus, quod, nisi soluta fuerint debita Ecclesiæ in terminis constitutis, Nos ad irritationem negotii procedere, prout continetur in Apostolico privilegio, procul dubio compellemur, neque deferemus prædicto Regi aliquatenus in hac parte; Et bene placet Nobis, quod idem Rex id specialiter per te sciat.

Plumbeo sigil. penden. a filo canabeo.

XXXVII.

Urbani IV. Pontificis Maximi, Breve ad Henricum III. Angliæ Regem, conscriptum, in quo ejus in occupando Siciliæ Regno, filio ipsius in feudum collato, negligentiam non solum reprehendit, verum etiam, se Regnum illud alii in feudum, nisi ab eadem desistat, esse collaturum, interminatur, d. d. 5. Kal. Augusti, Anno 1263.

URbanus Episcopus, Servus servorum DEI, carissimis in Christo filiis H. Illustri Regi Angliæ, & Nobili Viro Edmundo nato ejus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Non solum ad vestram, sed etiam ad generalem & publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Fredericus olim Romanorum Imperator, ejusque nati, & posteri Romanam Matrem Ecclesiam sub diversitate temporum vexaverunt.

Hi etenim, aliorum persecutorum excedentes tyrampnidem, gravioribus eam affecerunt injuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt; &, velut in cædem & exterminium ejus tendentes, furoris arcum & feritatis gladium acuentes, diris illam tribulavere flagellis, & usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt: Quoniam, in hoc pravo genere, patrum in filios, cum sanguine, derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt.

Et licet Ecclesia eadem ubique locorum, ad quæ persecutorum ipsorum se extendit potentia, crudelissimas eorum pertenserit punctiones; in Regno tamen Siciliæ, quod ad ipsam Ecclesiam pertinet pleno jure, tanto duriores & asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberius iidem persecutores sunt in eo longis temporibus debachati, quantoque severius & atrocius inibi, ante ipsius Ecclesiæ oculos, uteri sui filios oppresserunt: Quia nec etiam Ecclesias, nec personas Ecclesiasticas ipsius Regni, earumque jura, libertates & bona, draconum illorum præteriere furores; sed in hæc eo exarsere ferocius, quo quicquid Ecclesiastico dignoscitur nomine, abhorruerunt odio graviori.

Et ideo prædicta Ecclesia, memorato Freder. & Conrado nato ipsius sublatis de medio, ad Regnum ipsum habens maternæ compassionis affectum, quia erant adhuc lacrymæ in maxillis ejus, & in vultu suo apparebat squalor diutinæ passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis suæ linteo lacrymas ipsas dilueret, & squalorem dextera propitiante detergeret, dictumque Regnum ad optatæ salutis, libertatis solitæ, pacisque solidæ statum plene reduceret, ut illud in eo firma stabilitate, favente Domino, præservaret.

Verum quia Regnum ipsum, cum omnibus districtibus & pertinentiis suis, erat ad eandem Ecclesiam, ejusque dispositionem totaliter devolutum, felicis recordationis Alexander Papa, Prædecessor noster, dictum Regnum (pro cujus recuperatione ipsa Ecclesia, importabilibus non parcendo sumptibus, ac multorum laborum minime devitando tædia, diutius laboravit; rem utique ipsi Ecclesiæ, inter cætera temporalia sua bona, carissimam) tibi, Fili Edmunde, præferendo te in hoc universis Catholicis orbis terræ Principibus, liberaliter contulit sub certis conditionibus atque pactis, prout in Apostolico privilegio, super hoc obtento, plenius continetur.

Et, quia sincera & firma voluntas in dilectionis & operis prosecutione cognoscitur (cum hujusmodi negotium, propter ipsius Regni statum, nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio & favore, magnamque requireret solertiam, & sustentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina, & indeficientis subsidii firmamentum) idem Prædecessor e diversis partibus magnificos instauravit exercitus, deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud, Domino adjutore, perducere ad statum honorabilem & quietum.

Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret, & successoribus prosperis firmaretur; tandem (quia quorundam proditorum, qui eidem Ecclesiæ fraudulenter adhæserant, faciente nequitia) inopinato casu extitit impeditum (propter quod tanto festinatius erat eidem succurrendum negotio, quanto sibi propinquius imminebat confusio & discrimen) dictus Prædecessor te, Fili Rex, pluries requisivit, tibi cum instantia persuadens, ut, quia prædicta Ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum pondus penitus impotens, ac multis & gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia præparares; ita quod, omni difficultate ac tarditate remota, copiosa & strenua militia, cum idoneo Capitaneo, mitteretur pro conservatione quarundam terrarum ipsius Regni, quæ adhuc in devotione ipsius Ecclesiæ persistebant, & per quas alias ejusdem Regni partes liber haberi poterat transitus & processus.

Sed qualiter hæc, quæ memoratus Prædecessor tibi, pro ejusdem negotii sustentatione ac promotione, persuasisse dignoscitur, feceris, non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adjuveris, ac super illo provideris, cunctis luce clarius innotescit, cum nec tuas, nec aliorum curas & vires ad hujus rei prosecutionem curaveris adhibere.

Quinimo sic ipsum negotium per te ac tuos omissum extitit, quod, eo tuis speratis & opportunis subsidiis non suffulto, prædictæ terræ, per quas residuum ipsius Regni recuperari poterat, adversarii ejusdem Ecclesiæ Manfredi, videlicet quondam

dam Principis Tarentin. aggressibus paruerunt, qui, postquam Regnum ipsum totaliter occupavit, sic protinus in superbiæ altitudinem est elatus, & in sævitiæ acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit, humanamque parvi pendit potentiam, & honorem Ecclesiæ, ac libertatem hominum dicti Regni tyrannide furibunda depressit.

De multiplicis etenim necessitatis angusto, in quo serpens iste latuerat, ad affluentis opulentiæ amplitudinem famelicus & sitibundus exiliens, rabido cepit ore Regnum laniare præfatum; sicque in Bona & personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod, hæc insatiabili rapacitate discerpens, illud, proh dolor! ferus plus fera qualibet, fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum, nec ætatem, neque ordinem prætermittens.

Propter quod multotiens dolorose suspirat, & lacrymatur amare Apostolica Sedes; quod Regnum juris & proprietatis suæ carum, quippe sibi dira & dura Pharaonicæ oppressionis mole prosternitur, nec sinitur pia & leni consolationis Apostolicæ dextera relevare.

Expectans enim, expectavit diutius, quod sublime Regni Angliæ solium, cum strenua domus gentis Anglicanæ potentia, quam dictus prædecessor in ipsius Regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderet arma & scutum, & exsurgeret in adjutorium matris suæ, dictumque negotium constanter assumeret: Et, præfatam Ecclesiam liberando magnifice ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, ac extrahendo prædictum Regnum ejusque populum de faucibus persequentis, jugum oneris ejus, & sceptrum exactoris ejus magnificentius superaret.

Sed hujusmodi expectatio & spes, quam in vobis Sedes eadem posuit, nullum sibi prorsus commodum attulit, vel profectum; quinimo Sedes ipsa, hujusmodi spe frustrata, multas & innumerabiles propter hoc injurias & ignominias pertulit, pluraque & inæstimabilia sustinuit detrimenta.

Dictus namque Manfredus, occupatione ipsius Regni Siciliæ non contentus, ad Anchonitan. Marchiam & quamplures alias terras de patrimonio ipsius Ecclesiæ, & demum ad quandam partem Tusciæ, quæ Romano Imperio subjacet, avidas & occupatrices manus extendens, memoratam Ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit, adeo quod eadem Ecclesia, multis malis afflicta, diversis attrita molestiis, & variis flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare.

Quoniam ex hoc libere pullulant hæreses, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, depopulationes castrorum, strages Christianorum, & quamplura alia abominabilia committuntur, quæ divinæ oculos Majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia, invalescentibus ejusdem Manfr. viribus, opportunum super his remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus Apostolicæ jugum servitutis impositum, diligentius attendentes, quod a prædicto Regno Siciliæ omne malum ipsius Ecclesiæ pandebatur, & causa periculorum hujusmodi procedebat; considerantes etiam, quod dicta Romana Ecclesia per vos non potuit, neque poterat (quod inviti referimus) a suis calamitatibus & ærumnis, quantumcunque vos diutius expectaverit, liberari: propter quod omnino expediebat tam Nobis, quam ipsi Ecclesiæ, de præfato Regno Siciliæ aliter cogitare, necessario disposuimus in animo nostro de Regno ipso tractare, ac ordinare utiliter, prout expedire honori & profectui prædictæ Ecclesiæ viderimus.

Cumque hujusmodi nostræ intentionis propositum producere vellemus in actum, tu, fili Rex, hoc intelligens id grave tulisti, sicut accepimus, & molestum; de quo eo vehementiorem admirationem in mente accepimus, quo pleniorem semper de te prædicta Ecclesia fiduciam habuit, quod in cunctis necessitatibus sibi potenter & patenter assisteres; ipsiusque honorem & commodum, non solum penes te, sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, retroactis temporibus dignosceris id laudabiliter peregisse.

Quia ergo liberum est Nobis & ipsi Ecclesiæ de prædicto Regno Siciliæ disponere, ac juxta nostrum beneplacitum ordinare, cum conditiones, sub quibus Regnum ipsum a præfato prædecessore concessum extitit, adimpletæ non fuerint, sicut nostis; Nos (intendentes, omnino urgente ad id Nos necessitatis articulo, in quo est prædicta Ecclesia hoc tempore constituta, de Regno ipso, prout, pensato moderno ipsius Ecclesiæ statu, expedire viderimus, providere) Magnificentiam vestram, de fratrum nostrorum consilio, rogandam duximus attentius & hortandam, in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatenus, præmissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes, & gerentes ad prædictam Ecclesiam, super tot ejus angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu, filialis compassionis affectum, nullum deinceps Nobis & ipsi Ecclesiæ, super hujusmodi dicti Regni negotio, ingeratis impedimentum, nullumque contradictionis obstaculum opponatis; sed, ab iis penitus desistentes, non solum permittatis Nos & eandem Ecclesiam libere de Regno ipso tractare ac facere, sicut viderimus faciendum, verum etiam & verbis ostendatis & literis, quod vobis non displicet, immo placet, si dicta Ecclesia super ipsius Regni negotio tractet cum aliquibus mundi Principibus, suamque possit de ipso Regno conditionem facere meliorem.

Preces super hoc Apostolicas taliter impleturi, quod Regem Regum constituatis exinde vobis propitium & benignum, & prædictam Romanam Ecclesiam reddatis propter hoc vobis perpetuis temporibus, in vestris opportunitatibus, favorabilem adjutricem.

Et ecce venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Cusentin. virum utique expertæ providentiæ ac examinatæ virtutis, cujus super his acquiescatis monitis & exhortationibus, propter hoc specialiter ad vos, de ipsorum fratrum consilio, destinamus.

Dat. apud urbem veterem quinto Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo. Plumbeo sigillo a filo canabeo.

XXXIIX.

XXXIIX.

Urbani IV. Pontificis Maximi, Breve ad Ludovicum IX. Francorum Regem, directum, in quo eum, ut Tit. S. Caciliæ Presbyterum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum, in Franciam, Regni Siciliæ causa, missum, benigne excipiat, orat rogatque, de Anno 126 . .

URbanus Episcopus, Servus servorum DEI, carissimo in Christo filio Ludovico, Illustri Regi Francorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Ecce fili carissime, Manfez, quidam Princeps Tarentinus, innumerabilibus injuriis & offensis, quibus Romanam hactenus vexavit Ecclesiam, non contentus, prætextu negotii Regni Siciliæ, quod inter Nos & dilectum filium, nobilem Virum Carolum, Andegaviæ ac Provinciæ Comitem, Germanum tuum, agitur, durius & asperius solito continuis Ecclesiam ipsam aggressibus impetit, assidua persecutione concutit, rabie tyrannica distrahit, & diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit: adeo quod eadem Ecclesia tot malis afflicta, tot arctata molestiis, totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare. Nam præter id quod idem Manfez, qui Saracenorum actus implectitur, ac illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenet, & præfert, eos, in opprobrium Catholicæ fidei, Christianis, Saracenorum ipsorum præcipue consilio, auxilio, & favore prædictam impugnat Ecclesiam. Præter illud etiam quod Archiepiscopales, Episcopales, & alias prædicti Regni Siciliæ Ecclesias, & Monasteria detinet, seu detineri facit, damnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos & perniciosos intrudendo ministros, vel jam intrusos nefarie confovendo, quædam vero pro suo commendando libito, & illorum convertendo in usus proprios periculose proventus, pullulant fere ubique per Italiam hæreses, cultus divinus minuitur, fides orthodoxa premitur, immo reprimitur, & opprimitur status fidelium, ancillantur Ecclesiasticæ libertates, & jura Ecclesiastica conculcantur: Prælati quoque & alii clericali militia præsigniti pœnas subire coguntur exilii, capiuntur, & ignominiose tractantur, ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur, & morte turpissima condemnantur, spoliantur sacra & pia loca, tam religiosa quam alia, possessionibus & aliis bonis suis, & cum sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos & profanos, despiciuntur, & abominationibus & spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis Ecclesiastico interdicto suppositis in contemptum clavium Ecclesiæ celebrare, & exhibere sceleratis, excommunicatis, & impiis Ecclesiastica sacramenta. Pontificialis parvi penditur auctoritas & potestas, Ecclesiastica censura contemnitur, pereunt animæ, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur castrorum securitas, spoliantur viatores, Saraceni & Schismatici Christicolis præferuntur, defenduntur hæretici, adeo quod in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus vero terris Prædicatores Evangelicæ veritatis verbum DEI proponere fidelibus prohibentur. In quibusdam vero hæreses publice prædicantur. Quam plurima insuper alia detestabilia & abominabilia committuntur, quæ Divinæ oculos majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant & conculcant, nec potest ipsa Ecclesia prædicti persecutoris invalescentibus viribus opportunum super his remedium adhibere; cum nuper etiam idem Manfex truculentas manus in viscera ejus immittens, quosdam Theotonicos suæ utique persecutionis ministros in patrimonium beati Petri in Tuscia, in quo Nos cum tota nostra curia residemus, destinare præsumpserit, in nostrum & ipsius Ecclesiæ opprobrium, turbationem Provinciæ, suorumque fidelium nocumentum. Alias etiam militum copias in Ducatum Spoletanum disponit immittere, ut Nos & prædictam Ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, sic arctet undique vias spatio & transitu, ut nullus ad Nos venire valeat, vel Nos aliquos extra curiam nostram destinare possimus; Verum quia cœlestis altitudo consilii liberationem prædictæ Ecclesiæ tibi tuæque Christianissimæ Domui reservavit, & velle videtur, ut jugum oneris ejusdem Ecclesiæ, & sceptrum exactoris ejus per tui Regni potentiam superentur. Ecce dilectum filium nostrum, Tit. sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, ad Christianissimum Regnum tuum, pro negotio dicti Regni Siciliæ, a quo utique Regno panditur omne malum ipsius Ecclesiæ, & tantorum periculorum causa procedit in personam memorati Comitis, in quem, suæ devotionis & strenuitatis pensatis meritis, oculos mentis nostræ direximus, auctore Domino promovendo, commisso ei plenæ legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinamus. Ideoque Serenitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, in remissionem tibi peccaminum nihilominus suadentes, quatenus prædictum Cardinalem de tua utique benevolentia plurimum confidentem, ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram Regia benignitate recipiens, & honorificentia condigna pertractans, ac habens propensius commendatum, sibi in hujusmodi promotione negotii, quoad illi expedienda, quæ ipsius negotii natura requirit, cum omni diligentia & prompta exhibitione consilii, auxilii & favoris assistas. Et quia novimus, quod piissimum & benignissimum pectus tuum, misericordiæ affluentia & divinæ gratiæ ubertate repletum, prædictæ Ecclesiæ super tot ejus calamitatibus, tribulationibus & pressuris ex multa humanitate compatitur, Nos mansuetudinis tuæ clementiam copiosis exinde laudum titulis efferentes, ac referentes Magnitudini tuæ gratiarum multiplices actiones, supplicamus Altissimo, qui dat salutem Regibus, ut te Nobis & prædictæ Ecclesiæ salvum atque incolumem per tempora longiora conservet, ac dies super dies Regis adjiciens, vitam tuam florenti Regno protendat, detque tibi tranquilla tempora, & ad laudem sui nominis copiosa. Quæsumus ergo, Christianissime Princeps, ut hujusmodi tuæ compassionis affectum in promotione præfati negotii, per quam speramus prædictam Ecclesiam ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, favente Domino, liberari efficaciter, potenter, & libenter ostendas, ita quod etiam post tui dissolutionem corporis nunquam tam pii,

tamque salubris operis memoria celebris moriatur; sed extendatur ab hoc tui gloria nominis in generationibus seculorum. Ne vero prætextu discordiæ, quæ inter carissimam in Christo filiam nostram, Margaritam, Francorum Reginam Illustrem, uxorem tuam, & prædictum Comitem orta dicitur, tantum Ecclesiæ bonum impediri valeat, vel differri, tu, quem tanquam pacis Angelum in Regno tuo providentia divina constituit, & qui ex indulto tibi pacifici Regis dono nosti discordiarum eradicare zizanias, & serere semen pacis; sic hujusmodi discordiam amicabili compositione sopias & decidas, impendendo ad hoc omnem opem & operam efficacem, ut, cujuslibet inter eos scandali causa cessante, dictus Comes memoratum negotium securius aggredi valeat, & liberius ac efficacius promovere, tibique a DEO exinde præmium, & a Nobis cumulata proveniat actio gratiarum. Datum apud - - - V. Non. Maji.

XXXIX.

Urbani IV. Pontificis Maximi, Breve, ad Ludovicum IX. Francorum Regem datum, in quo ab illo, ut Carolo, Provinciæ Comiti, fratri suo germano, certam pecuniæ summam, ad res in Sicilia melius tractandas, credat, magnis contendit precibus, de Anno 126-.

REgi Francorum Illustri. Etsi sufficere soleat his, qui ad aliquos sincero afficiuntur affectu, illorum necessitates exponere, cum hujusmodi expositio apud ipsos efficacis frequenter intercessionis sortiatur effectum; Nos tamen, licet non ignoremus, sinceritatis Regiæ puritatem erga dilectum Nobilem virum, Comitem Provinciæ, ac Andegaviæ Comitem, germanum tuum, & incumbentia sibi negotia paternæ benevolentiæ affici charitate, nihilominus tamen necessitates imminentes eidem, quas te novimus non latere, commemorationis succinctæ ministerio breviter exponentes, eis adjiciendas decrevimus partes nostras. Nosti (fili carissime) memorato Comiti grande Regni Siciliæ negotium imminere. Nosti, quanta idem negotium acceleratione indigeat, quantos sumptus exposcat, nec te latet, quod collectio decimæ prosecutioni hujusmodi negotii deputatæ majoris, quam accelerandæ procul dubio prosecutionis ejusdem qualitas exigat, moras habet, quæ, nisi contra eas Magnificentiæ tuæ dextera succurratur, possent supra prædictum negotium graviores, quam forsitan creditur, difficultates ingerere, ac expensarum importabilium gravamina inculcare. Ideoque Regalis Excellentiæ pietatem rogamus, monemus & hortamur attente, in re tibi petita suadentes, quatenus prudenter attendens, quod memorati negotii accelerata promotio in celebre cedet, illo faciente, qui potest, subsidium Terræ sanctæ, ac Imperii Romani pacem promovebit, Italiæ ac universali Ecclesiæ tanquillum & pacificum statum dabit. Præfato Comiti ad id negotium celerius & commodius prosequendum, pecuniam usque ad quantitatem dictæ decimæ, de ipsius proventibus rehabendam, quam tibi ad hoc specialiter volumus obligari, nomine mutui, de Regia libertate concedas, ut ex felici prædicti consummatione negotii, quæ de hujusmodi tua subventione speratur, tantis per te, totius quasi orbis commodis procuratis, apud retributorem bonorum omnium exinde retributionis æternæ præmia merearis.

XL.

Urbani IV. Pontificis Maximi, Breve, ad Ludovicum IX. Francorum Regem conscriptum, in quo ab eo, ut Carolo, Siciliæ Regi, fratri suo Germano, adversus Manfredum, Principem Tarantinum, opem ferat, amantissimis contendit precibus, de Anno 126-.

ILlustri Regi Franciæ. Ad Serenitatis tuæ notitiam pertulit jam saltem fama celerior, qualiter charissimus in Christo filius noster, Carolus, Siciliæ Rex Illustris, Germanus tuus, volens juxta quod indicit sibi radicata sui generis bonitas, & laudabilis in eo nutritura confirmat, Romanis, quibus se certo tempore venturum ad eorum regimen pleniter assumendum sub jurisjurandi religione promiserat, servare promissum, ac desiderans tanquam benedictionis filius, Ecclesiæ occurrere dispendiis contra inimicos ipsius, qui pro libito in ejus patrocinio grassabantur, nec hostis horrens insidias, nec vitans pericula maris innumera, sed sub fiducia DEI, & inani virtutis audacia incerto ventorum se committens imperio, Romam sine pecunia & equis, cum decenti tamen comitiva hominum, pervenit. Verum Pharao contemptus surgit in scandalum, sic & perditionis nutritius & iniquitatis alumnus Manfredus, quondam Princeps Tarentinus, videns ipsius adventum, & prævidens exinde se præcipitio proximum, & debitæ ruinæ vicinum, ex eo spiritu nimiæ præsumptionis assumpto, quod idem Rex suum ex præmissis causis iter accelerans, venerat equis, ut præmittitur, & pecunia immunitus, quodque militiæ Regis ejusdem per eundem Manfredum variis impedimentis oppositis via non patet, nisi forsan in magna multitudine veniat, tunc præsertim cum auxilio Mediolanensium facile transitura vires suas conflavit in unum, satagens memoratum Regem, vel per repulsæ opprobrium, vel per conclusionis dispendium confundere in sinu Ecclesiæ matris suæ, ac ipsam Ecclesiam in eodem. Ecce fili satis clamat ad te facti hujus qualitas, satis etiam fratris charitas interpellat. Amanti enim sufficit nuntiare; sufficit, ut noveris tu, qui, quos debes amare, non deseris; sufficit, ut firmiter credimus, immo pro certo supponimus, matri tam pio filio suas necessitates exponere. Sufficit fratri apud fratrem gerentem nihilominus erga se matris affectum, talibus interpellare precibus, & ipsum ad succursus accelerandi remedium taliter provocare. Accendatur igitur zelus filii, fratris, & patris, nec in tanta necessitate affectio sic accumulata deficiat matri, filio, ac germano, ad quod & Nos ex intimo mentis affectu,

affectu, quos possumus deprecatorias persuasiones, & persuasorias preces adjicimus, pietatem Regiam rogantes & obsecrantes in Domino JEsu Christo, ac in re tibi petita suadentes, quatenus prædicta pia, qua decet, meditatione considerans memorato Regi compatiaris, & Nobis ad subventionem ipsius, & nostram modis, quos ad hòc utiles & efficaces fore putaveris, dextram potentiæ Regalis extendas. Cum autem particularis solutio Decimæ in negotii subsidium, quod eidem Regi imminet, deputare prosecutioni ejusdem negotii, accelerationem omnimodam exigenti, omnino non congruat, sed multiplicandarum expensarum discrimina, & alia graviora pericula, quæ avertat Dominus, comminetur; Placeat Excellentiæ Regiæ usque ad vires Decimæ ipsius, quæ tuam non possunt latere notitiam, præfato Regi mutuum contegere ac sine damno aliquo ex ipsa decima retrahendum. Sicque piæ matris, chari fratris, & filii succurrendo extremis quasi necessitatibus, & periculis occurrendo, non tam memorato Regi & Nobis, quum illi præcipue fœnerare pecuniam, a quo sperare debes, te infallibilis promissionis centuplum, & æternæ vitæ possessionem inæstimabile quidem interusinum recepturum.

XLI.

Conradi II. vulgo Conradini, Siciliæ Regis, Manifestum, in quo non tantum injurias, a Pontificibus Maximis sibi illatas, commemorat, verum etiam causas, cur Siciliæ Regnum, a Summis Pontificibus sibi ereptum, armata manu occupare allaboret, prolixe exponit, de An. 126-.

EX abundantia cordis os loquitur, & injuræ Nobis illatæ violentia reserat ostium labiorum, quam nequivimus nullatenus ulterioris patientiæ silentio præterire: salva tamen in omnibus, & per omnia Catholicæ Ecclesiæ Sanctitate, quam cultu sacro & debita reverentia toto corde & corpore, quod ad nostram cautelam ulterius insidias, & versutias auctas, fastusque partis alterius merito formidantes; coram DEO, qui corda scrutatur omnium, coram vobis Christianis omnibus publice protestamur. Cum enim Magnif. Rex Conradus D. memoriæ, charis. Pater noster, testamento solemniter condito quondam tempore mortis suæ Nos tenellum infantem in cunabulis vagientem, nondum nutricis ab uberibus ablactatum, in manibus S. Matri Ecclesiæ reliquisset: sperans, ut Nos benigne susciperet in brachiis charitatis, susceptum tractaret benignius, & tractatum fideliter honoribus promoveret. Audite qualiter Summus ille Pontifex, qui tunc erat, Dom. Innocentius, qui nocuit Innocenti: Nam repente plus, quam decuerit Papam, currens, & ardentibus desideriis æstuans, quod a Patre Nobis in pace remanserat, & pro Nobis pacifice tenebatur, hæreditarium Regnum nostrum, quodque dudum antiquitus Primogenitores (*forf.* Progenitores) nostri propriis aspersis sanguinibus, quæsitum possedere diutius, & possessum variis decoraverunt ornatibus, & diversis decorationibus ornaverunt, ipsum eripiens de manu Manfredi, tunc Principis Tarantini, invasit, qualiter cum exercitu numeroso, & sub prætextu liciti, qui se nostrum Balium prætendebat, totum suo dominio vendicavit confestim. Verum tamen apprehensa possessione pravum intentionis nefariæ propositum manifestans, & dicti Regni, tamquam in ejus Regem, totam in se præcise transferens potestatem, paulatim nomen ibi delere nostrum, extinguere fidem nostram, & jura Pupilli Regii suffocare perpetuo satagebat; adeo quod jam ibi non sinebatur fieri de Nobis mentionem omnino, terras nostras magnifice distribuere cœpit in suos consanguineos, & nepotes, velut qui corrigias partitur amplas in corium alternum. Ecce qualiter, proh dolor! Nobis exercuit pietatem: Ecce quomodo nostræ tutelæ decenter officio satisfecit. O severa Patris acerbitas, qui filium sine fraude doli sui, filium suis curis expositum, sine cura postposuit: qui filium innoxium sc. obnoxium potius exhæredationis pœna perperam condemnavit. Postmodum cum ille noster patruus Manfredus, Princeps Tarantinus, qui forte bona fide pro Nobis a principio laborabat, sufferre diutius tantam nequitiam nequivisset, potenter resumsit denuo causam nostram, & sub specie fidelitatis nostræ, sub nostri nominis, titulo Baliatus, per multos bellicos strepitus post diros conflictus, post altercationes innumeras, Regnum ipsum, non præter eorum injuriam Directorum ab Ecclesiæ manibus violenter eripuit; & illud aliquandiu nostra pro parte rexit, qui tandem succedentibus sibi prosperis, quæ frequenter hominum animos solent ad insolentias alterare, oblitus sui sanguinis, oblitus Domini naturalis, fidem in perfidiam permutans, reciprocavit ad se negotium dicti Regni: mentitus est Regnicolis mortem nostram, & sophisticans in eo dominium pseudoregem se fecit, ubi Nobis ex hujusmodi fraudulentia supplantatis, & ita fuit error pejor priore, nam graviorem fecit, in eo Nobis adversitas præterita, & recidiva. O dolor! o nefas! o misera conditio pupillorum, quibus inde plus offensionis nascitur, unde defensio sperabatur: o cœca cupiditas dominii temporalis, qua Summi Pontifices & consanguinei leviter ad iniquam fallaciam secundantur. Excessu prædicto taliter a prædicto Manfredo temere perpetrato, licet B. memoriæ Dominus Alexander, qui in Sede Apostolica præsidebat, contra illum graviter indignatus, non quod a Nobis inique Regnum nostrum subtraxerat, sed quod ab eis extorserat; Regnum nostrum in ejus confusionem intendere voluit, & pio spiritu motus, (ut credimus) ad Nos super ipso tractatu venerab. direxit spiritum Verulanum: nihilominus tamen eodem præsente Nobis cum ad suggestionem forte Fratrum, de Nobis gerentium contra nostram voluntatem, per Nuntios suos, & literas. Reges & Principes alios ad idem Regni nostri commercium invitabat, sive quia non erat datum a DEO desuper, & prædestinatum a fatis, ut per eos nancisceremur gratias & honores: quod quidem aperte patuit per effectum operum subsequentium; Domino Urbano, qui Nobis extitit Inurbanus, ad Pontificatus officium elatos: nam dum inter eum, & ipsum Principem de pace diutius ageretur, ventumque foret ad punctum finaliter, confirmanda concordia credeba-

debatur: profecto secundum ipsius formam idem Apostolicus æquus pater ad Jus nostrum prædictum sibi, & suis hæredibus concedebat: ultra quod stipulabatur eidem, ut contra Nos in Regni defensione juxta posse suum Ecclesia non deesset, ut ob ita ligatam simul geminam nostrorum potentiam fidelium Baliorum ad ejus Regni solium resurgere non possemus. Ah DEus! non sufficiebat eisdem Baliis pupillum exhæredasse solummodo; nisi conjurati sic invicem perpetuo deprimerent exhæredem. Cum ergo tractatus ipse (sicut Domino placuit) caderet imperfectus, seu incompletus: & idem Summus Pontifex in excidium dicti Principis exardesceret, non personam nostram, cui Regnum nostrum rationabiliter debebatur; quæ magis accommoda, magis apta, magisque sufficiens extitisset, unde sopita discordia quievisset pace tranquilla populus Christianus, ac veluti, qui non venit mittere pacem sed gladium, delectatus scandalis, ex quibus effusio sanguinis sequeretur. Hominem extraneum, & a Regno prædicto penitus alienum, Carolum scil. in nostri præjudicium, ad nostrum negotium invocavit, & animans ipsum consiliis, & auxiliis contra illum, quem post ejus felicem obitum, iste sanctiss.P.N.Dom.Clemens, (non clementiam sed inclementiam operatus) in Nobis erexit in Regno præd. nequiter nostrum temerarium Antiregem, qui demum per omne nefas Regnum ipse obtinuit, ut Nobis incognitum non existit. Sed audite. Proh DEus perfidiam, per DEum & homines detestandam! nam Carolus Saracenos Noceriæ, contra quos Dominus Papa sumendam crucem fecerat prædicari, in quorum gentem excidium seducti fuerant, & adducti; salvos, illæsosque servavit: & Christianos Regni prædicti miseros non solum exhausit rebus, sed occidit innumeros cum mille generibus tormentorum. Aperite oculos, & videte, qualiter isti sub specie recti mundum decipiunt & eludunt. Videte, si eis iterum in eodem negotio sit credendum: videte, quomodo Cruce Christi fallaciter in Christianorum perniciem abutuntur. Heu, heu! quantis injur. quantis fraudibus, quantis dolis hæreditas nostra conversa est ad alienos, & Regnum nostrum transiit ad indebitum possessorem. Postquam autem in ipsum Manfredum irruit ira DEI, propter in Nos commissum peccatum, ut firmiter opinamur, fuit per ipsum Carolum superatus, & etiam interemptus, Regno prædicto Nobis, & sibi cum sua persona prodito culpa sui, dum Nos intra sepem Imperii lateamus jacentes humiliter attoniti, & absconditi sub obscuro; factis, & dictis neminem offendentes; tamquam pupillus fere desperatus ab omnibus, & etiam inhonorus; idem Pontifex Generalis rimatus est, ad instar solliciti venatoris, & ubi Nos in Germania viventes invenit, ferens abominabilem vitam nostram, & verens, ne aliquando caput altius levaremus, velut qui quærit in ovo pilum, ut habeat nocendi materiam, & occasionem invenit malignandi, pro eo quod Nobis in literis Regni nostri Siciliæ Titulus scribebatur, intendebat (ut audivimus, licet tantam malitiam non crederemus) in Nos puerum innocentem, inculpabilem, insontem de pharetra sua sagittam mittere, & excommunicationis sententiam fulminare, non reputans esse satis, quod contra DEum, & omnem justitiam ablatum fuerat Nobis Regnum, nisi titulus tolleretur. Ah DEus! quomodo sic universi Pontifices in nostri juris injuriam juraverunt. Ah DEus, quomodo nullam in eis justitiam, nullam misericordiam potuimus invenire! Ah DEus, si hoc in viridi, in arido quid fiet? si hoc in nostra pueritia passi sumus, quid ab eis hinc in antea præstolabimur? Ah huc etiam idem pater a persecutionum instantia non desistens, sed omnem viam & modum excogitans, quibus Nos posset perpetuo conculcare, si dici liceret, extendit ad illicita manus suas, & falcem mittens in nostram messem, prædictum Carolum per totam Italiam Rom. Imperii Vicarium statuit in nostram injuriam manifestam, ut commodius vires nostras opprimeret, & accessum nostrum ad Regnum facilius impediret, sed dum ad id deficit in potestate auctoritas, & in auctoritate potestas, inane pro certo redditur nomen & officium Magistratus. Quid inquam mali fecimus, sancta Mater Ecclesia? quid in Nos tuum devotum filium, olim pupillum tuæ tutelæ commissum, per tuos Rectores sic aspere novercaris? in quo te unquam, o venerande Pater læsimus, quod ita conversus in novercam, Nos multimode persequeris, & injuste forte gravem offensam reputas, quod vivimus super terram. Denique non vivere nequiremus, nullatenus contra tot molestias & pressuras ignorantes penitus, quid facere deberemus: ille DEus, qui non relinquit in se sperantes, ecce suam Nobis aperuit viam: nam multi & innumeri nostri fideles, tam de Imperio, quam de Regno zelo nimiæ fidelitatis accensi in nostrum adjutorium surrexerunt, reponentes pro Nobis non solum bona, sed etiam personas, ut Nos ad recuperationem nostrorum jurium magnifice incitarent: qui apertis thesauris suis pretiosa Nobis munera obtulerunt, aurum sicut Regi magno pro stipendiis gentis nostræ Nobis ad affluentiam ministrantes. Nos itaque, cognito, quod omnimode necessarium erat Nobis, apprehendimus arma, scutum, & gladium ad bellum, & militum copiis armavimus justitiam causæ nostræ, & magnificum genus nostrum, quod jam longis & antiquis temporibus imperavit, nostra non degeneret in persona, & injuriose taliter ipsum pessundari contingat, sed alta potentia domus nostræ, DEus annuerit, temporibus nostris relevetur, non ut adversus eumdem Pontificem Generalem contrarium aliquid cogitemus, quem patrem reputamus ac Dominum, ut Nos filium, & devotum relatione debita recognosceret, ut deceret; sed in Carolum, charum amicum nostrum, nostrorum jurium injuria detentorem, nostram omnino volumus potentiam experiri machinationibus, secum pro justitia nostra ludere, & de nostris cum eo juribus in gladiis disputare. DEus enim respiciens de cœlo justitiam, abominetur superbiam, ferens de sancto suo throno sententiam, judicet æquitatem. Vestram igitur dilectionem deprecamur attente, quoad possumus, quatenus super his amodo, quam Vobis nudam claramque describimus cognitam veritatem, penes vestram conscientiam habeatis nostram innocentiam incusatam, & ad falsam suggestionem forsitan aliquorum de Nobis contrarium aliquid (asseratur) non credatis, imo Nobis in hac justissima causa nostra dare velitis auxilium, consilium, & favorem: eundem-

eundemque Summum Pontificem prodesse Nobis, utinam per vestras speciales literas exhortantes, ut erga Nos se gerens benigne, furorem suum mitiget, & intuitu nostro mitigans metus suos, correptam contra Nos iram indignationis indigne dignetur, vobis intercedentibus, disarmare.

XLII.

Clementis IV. Pontificis Maximi, Bulla, in qua, Henricum III. Angliæ Regem, ejusque filium Eduardum, veros Regni Siciliæ possessores nunquam fuisse, declarat, d. d. 4. Kal. Martii, Anno 1265.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Olim Regno Siciliæ ad dispositionem & ordinationem Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet, cum juribus, districtibus & pertinentiis suis plane ac libere devoluto, ac Sede ipsa circa statum ipsius Regni sollicite cogitante, illiusque regimen alicui Catholico & devoto Principi cupiente committere, qui ad laudem DEI, honorem & pacem Ecclesiæ, ac tranquillitatem & profectum fidelium ipsius Regni, ejus solio præsideret, tandem inter Sedem ipsam & carissimum in Christo filium nostrum, Henricum, Illustrem Regem Angliæ, de Regno ipso in feudum dilecto filio, Nobili viro Eadmundo, ejusdem Regis nato, sub certis conditionibus concedendo, habitus est tractatus. Et quia Rex ipse multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, suumque genus fidei semper claruit puritate, providit tunc Sedes ipsa cum eodem Rege tractatum hujusmodi consummare. Unde relato & exposito ex parte ipsius Eadmundi felicis recordationis Alexandro Papæ quarto prædecessori nostro, quod dilectus filius magister Albertus, Notarius noster, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, eidem Eadmundo & hæredibus suis prædictum Regnum Siciliæ, ac totam terram, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ Romanæ, cum omnibus juribus, honoribus, districtibus & pertinentiis suis, (excepta civitate Beneventana, cum ipsius juribus & pertinentiis universis) in feudum de speciali auctoritate & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quarti prædecessoris nostri concesserat, salvis libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni & terræ tam in electionibus, quam in aliis spectantibus ad easdem.

Quodque idem Innocentius prædecessor concessionem hujusmodi, supplendo defectum si quis in ea fuerat, de plenitudine potestatis, autoritate Apostolica confirmarat, eidem Eadmundo Regnum & terram prædicta in feudum de novo concedens, prout in suis literis dicebatur plenius contineri: præfatus Alexander prædecessor, concessionem & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in privilegio Apostolico inde confecto expressis, ratas & gratas habens, ipsas de fratrum suorum approbavit consilio & assensu, & sub eisdem conditionibus, illas auctoritate Apostolica innovans, Regnum & terram prædicta cum omnibus juribus & pertinentiis suis, de fratrum ipsorum consensu, dicto Eadmundo ac ejus hæredibus utriusque Sexus, in feudum, sub eisdem conditionibus, perpetuo concessit, & etiam confirmavit. Reservavit autem & expresse in eodem privilegio sibi, & in sua voluntate & potestate remansit, dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum suorum, prædictis Rege & Eadmundo, ac alio etiam quocunque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni juris solennitate approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem hujusmodi, quas præfatis Eadmundo & hæredibus sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas & irritas nuntiare, si memoratus Rex quasdam ex dictis conditionibus, statutis terminis non impleret, ita quod post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem, vel dictum præfatæ approbationis innovatio, concessio, & confirmatio nullius essent vel haberentur efficaciæ vel momenti.

Et licet prædicta Sedes plurimum affectaverit, adhibendo quam potuit diligentiam, quod ipsius Regni negotium, præfatis Rege ac Eadmundo prosequentibus illud, laudabiliter proficeret, & per illorum studia & auxilia successibus convalesceret prosperis, & processibus promoveretur optatis, idque diutius, exuberante circa ipsos Apostolica gratia, non sine innumeris & magnis dispendiis, gravibusque periculis, & dolenda jactura ejusdem negotii, exspectarit, eis tamen omnino deficientibus, nec opem aut operam promotioni dicti negotii præbentibus opportunam, neque conditiones adimplentibus supradictas, ipsum negotium speratis suffragiis non adjutum, & continuis impugnatum adversis, profectum non habuit, sed multis debilitatum defectibus periculose languit, Ecclesia incurrente ac sustinente per hoc maxima detrimenta.

Quia igitur manifestum est & notorium, prædictas non fuisse conditiones impletas, & liberum est Nobis, & in nostra voluntate ac potestate consistit, eisdem conditionibus non impletis, dicere, pronuntiare in scriptis, vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum nostrorum, prædicto Rege ac Eadmundo, & quocumque alio non vocatis, & absque omni juris solemnitate præfatas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem vacuas prorsus esse, aut revocare ipsas & irritas nuntiare, sicut in ipso Privilegio est expressum: Nos habito nihilominus fratrum nostrorum consilio & assensu, auctoritate Apostolica sententialiter dicimus, pronuntiamus & proferimus, prædictas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem vacuas esse omnino, nullumque robur vel valorem habere; ac revocamus, cassamus & irritamus easdem, & cassas & irritas nuntiamus, ita quod deinceps nullius sint vel habeantur efficaciæ seu momenti.

Memorata vero concessio, quæ de Regno & Terra præfatis a prædicto Notario, & ejusdem concessionis confirmatio ac nova de illis concessio, quæ a dicto Innocentio Papa de fratrum suorum consilio, nominato Eadmundo & ejus hæredibus factæ fuisse dicun-

dicuntur, in nullo sibi prodesse, ac nullum conferre jus, nullamque utilitatem eidem præstare possunt, nec ullum commodum, aut adminiculum vel favorem, cum ab eodem Notario talis concessio nunquam processerit, & constet, ipsum concessionem hujusmodi non fecisse. Nec prodest, nec juvat, si forsan hujus concessionis tenor ejusdem Innocentii Papæ literis ostendatur insertus, qui facti non continet veritatem, insertione hujusmodi, quæ non ad publicationem, sed ad confirmationem facta exstitit, ad probationem minime suffragante. Nec confirmatio & suppletio ipsius Innocentii Papæ, si sequutæ fuerunt, potuerunt præbere concessioni, quæ revera nequaquam præcesserat, nec facta fuerat, vim aliquam seu efficaciam vel vigorem: nec suo interventu efficere, quod falsum foret verum, vel id quod vere non erat, haberet essentiæ veritatem: ipsaque confirmatio & suppletio, ac prædicta ejusdem Innocentii Papæ nova concessio invalidæ sunt penitus & inanes, utpote nullam omnino habentes radicem, nec aliquod fundamentum. In iis enim hoc intendebat & agebat idem Innocentius, ut hujusmodi processum memorati Notarii firmiter roboraret, cui (cum nullatenus intervenisset) nullum profecto poterat dari robur, & quod fabricatur, cum struitur vel componitur super eo quod existentiam nullam habet, solidum quidem & stabile non est, sed instabile totaliter & infirmum. At etsi hujusmodi prædicti Notarii concessio, ad quam de speciali auctoritate ac mandato ejusdem Innocentii processisse asseritur, facta fuisset, nihilominus tamen vacua & inefficax prorsus esset; cum conditiones apponendæ, quarum expressionem & declarationem idem Notarius in ipsa concessione reservasse arbitrio certarum dicitur personarum, expressæ vel declaratæ per ipsas personas non fuerint, nec possint a modo declarari, aliquibus personarum ipsarum de medio jam sublatis, quibus & reliquis superstitibus, quod simul id facerent, fuerat reservatum, & hoc ipsum de præfata nova concessione ipsius Innocentii merito dici potest, cum idem innovando præmissam ejusdem Notarii concessionem, seu quæ prius ille concessisse dicebatur, noviter concedendo, ab ipsius intentione Notarii, quoad conditiones inserendas, minime recesserit, sed fuerit eam potius prosequutus; quamvis & alias rationabiliter impugnetur, cum Sedes Apostolica in agendis tam arduis multam servare consueverit gravitatem, & ad concessiones rerum sic grandium & sublimium sine maturo consilio & deliberatione solemni, ac expresso consensu Cardinalium non procedat.

Illa denique collatio sive concessio, quam dictus Notarius quibusdam a præfato Rege constitutis procuratoribus fecisse dicitur, de jam dicto Regno tenendo in feudum a memorato Eadmundo sub conditionibus per ipsum Notarium & quosdam alios ordinandis, de quibus condictum exstiterat, quorumque jam aliqui sunt defuncti; adjecto in ipsa, quod si prædictus Innocentius Papa eam gratam & ratam haberet, & ex certa scientia, literarum ipsius Notarii super illa confectarum tenorem de verbo ad verbum suis literis insereret, valida esset & firma, alioquin cassa & irrita haberetur, & nullius esset omnino momenti, valorem non habet aliquem, vel vigorem; præsertim quia conditiones ipsæ nec ordinatæ postea fuerunt, nec possunt ulterius ordinari, sicut ad irritationem alterius concessionis superius est expositum. Nec apparet, neque ostenditur hujusmodi collatio seu concessio per eundem Innocentium confirmata; quare, præmissa etiamsi forte ipsa, vel aliqua ex eis apparere vel ostendi contingeret, nullum prorsus valorem nullamque firmitatem haberent, nec possent Ecclesiæ Romanæ circa liberam ipsius Regni dispositionem inferre alicujus obstaculi documentum.

Et quamquam felicis recordationis Urbanus Papa quartus prædecessor noster, reservata sibi tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia persona mallet, sua & ejusdem Ecclesiæ libertate, præfatos Regem & Eadmundum, de Fratrum suorum consilio, auctoritate Apostolica per suas citaverit literas, ut si forsan in prædicto Regno per quamcumque concessionem sive collationem, eis vel ipsorum alteri de prædicto Regno ab Apostolica Sede, vel ejus Nuntiis seu Legatis factam, vel ex quacumque alia causa crederent se aliquod jus habere, infra quatuor menses a die receptionis literarum ipsarum, quos eis pro peremptorio assignavit termino, per se vel personas idoneas, de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus juribus & munimentis suis Apostolico se conspectui præsentarent, propósituri jus suum, si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de illo fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Hujusmodi tamen citatio, & talis causæ vel quæstionis suspicio nequaquam impedire possunt super ejusdem Regni ordinatione ipsius Ecclesiæ libertatem; cum nec litigiosum factum sit ipsum Regnum, de cujus profecto dominio inter petitorem & possessorem quæstio non movetur, nec etiam rebus sic se habentibus, ut nunc sunt, inter eandem Ecclesiam & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum super ipsius Regni dominio lis posset institui, ejusdem Regni possessione nec apud Nos, nec apud ipsos vel eorum alterum existente, quæ sicut jure cavetur, reali parit & parat adversarium actioni: præsertim cum idem Urbanus, qui securus & certus erat, quod de prædicto Regno libere disponere poterat, in hujusmodi citatione, quæ de ipsius affluente gratia & benignitate processit, libertatem tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno sibi expresse curaverit reservare.

Consideratis itaque præmissis omnibus diligenter, & attenta examinatione discussis, ac vigilanti studio comprehensis, nec non solerter Ecclesiæ Romanæ perquisitis & inspectis regestis, & ipsius Innocentii Papæ, ac prædicti Notarii processibus super eodem Regno circa prædictum Eadmundum habitis, perfecte visis & examinatis, & intente auditis dictis & assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiæ Cardinalium; nec non & ipsius Notarii ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio & processibus hujusmodi plenam notitiam habuerunt, ac plenarie intellectis ipsius Ecclesiæ super hoc validis munimentis, & pensatis vigilanter omnibus, quæ in iis attendenda forent, & cognita plenius veritate, autoritate Apostolica, de Fratrum nostrorum consilio & assensu declaramus, mani-

manifestamus, notificamus, & denuntiamus, quod licitum & liberum omnino est Nobis & Ecclesiæ Romanæ, de præfatis Regno Siciliæ & terra, omnibusque suis juribus, districtibus & pertinentiis, quæ quidem ad Nos & eandem Ecclesiam specialiter & plenarie spectant, disponere, providere, statuere & ordinare, quodque libere ac plene absque omni ambiguitate, secura conscientia possumus ipsa in feudum concedere, ac eorum regimen, & gubernationem committere, prout Nobis & ipsi Ecclesiæ placuerit, & viderimus expedire. Et quod supradictus Eadmundus & præfatus Rex Angliæ cui nulla unquam a Sede Apostolica, vel de ipsius mandato aut autoritate, de ipso Regno collatio vel concessio facta fuit, seu quævis alia persona præter ipsam Ecclesiam in eisdem Regno & terra nihil penitus juris habet. Nec ipse Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius possunt Nos & eamdem Ecclesiam quomodolibet impedire, nec aliquod unquam interponere obstaculum, quin de ipsis Regno & terra pro nostro beneplacito libere ordinemus.

Ut autem hæc nostra pronunciatio, prolatio, revocatio, cassatio, irritatio, & nuntiatio, ac declaratio, manifestatio, notificatio, & denuntiatio illibatæ perpetuo maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem, eas in præsenti conscribi & annotari pagina fecimus, nostra & Fratrum nostrorum subscriptionibus ad perpetuam memoriam roboratæ. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ pronuntiationis, prolationis, revocationis, cassationis, irritationis, & nuntiationis, ac declarationis, manifestationis, notificationis, ac denunciationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Odo, Tusculanus Episcopus.
Ego Stephanus, Prænestinus Episcopus.
Ego Frater Joannes, Portuensis & Sanctæ Rufinæ Episcopus.
Ego Radulfus, Albanensis Episcopus.
Ego Ancherus, tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Guido, tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus, tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Anibaldus, Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.
Ego Riccardus, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Octavianus, Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.
Ego Joannes, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconus Cardinalis.
Ego Ottobonus, Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.
Ego Jacobus, Sanctæ Mariæ in Cosmydin, Diaconus Cardinalis.
Ego Gottifridus, Sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Jordanus, Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
Ego Matthæus, Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii, quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

XLIII.

Bulla Clementis IV. Pontificis Maximi, in qua suo, Apostolicæque Sedis nomine, Carolo I. Comiti Andegaviensi, Siciliæ Regnum in feudum contulit, d. d. 4. Kal. Martii, Anno 1265.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Cum jamdudum tractatum fuisset de Regno Siciliæ, dilecto filio nobili Viro, Carolo, Comiti Andegaviæ & Provinciæ, sub certis conditionibus concedendo, felicis recordationis Urbanus Papa quartus, prædecessor noster, tractatum hujusmodi plena voluntate resumens, dilectum filium Magistrum Albertum Notarium nostrum, ad eumdem Comitem destinavit, certis conditionibus eidem Notario traditis, sub quibus si Comes ipse acceptaret easdem, dicti Regni collatio fieret, prout idem prædecessor de suorum fratrum consilio duceret ordinandum. Cumque ipse Notarius ad eumdem perveniens Comitem, & super ipsis conditionibus sollicite ac prudenter conferens, cum eidem Domino prædecessori, quid ipse Comes addi, quid minui, quid omnino tolli, quidque immutari vellet, & peteret, fideliter retulisset, idem prædecessor deliberatione cum fratribus suis habita, quasdam super eisdem conditionibus modificationes edidit, intendens per hoc ejusdem Comitis satisfacere voluntati.

Sed hujusmodi tractatu præcedente contigit, ipsum Comitem in Senatorem urbis eligi, & ad illius regimen evocari; & licet in eisdem conditionibus contineretur expresse, quod sibi non liceret, vel quod non posset in urbe ipsa Senatoriam recipere dignitatem, & præfatus prædecessor diligenter attendens, quod si prædictus Comes regimen ipsum taliter susciperet, jus Ecclesiæ Romanæ, ad cujus Dominum dicta urbs plene pertinet, graviter læderetur, & volens indemnitati ejusdem Ecclesiæ præcavere, ipsi Comiti speciales super hoc literas direxisset, idem tamen Comes Senatum ipsius urbis, seu dictum regimen recepit, contra formam in ejusdem literis deprehensam. Quod cum postmodum ad eorumdem prædecessoris & Fratrum notitiam pervenisset, ipsi congruos exquisivere modos, certasque perscrutati sunt vias, quibus idem Comes posset saltem ad tempus eodem uti Senatu, vel dictum regimen exercere: quod ad promotionem negotii præfati Regni multum sibi valere poterat & prodesse, ita quod ipso finito tempore dictum Senatum vel regimen dimittere teneretur, ne generaretur præjudicium eidem Romanæ Ecclesiæ, quæ sola in solidum dictæ urbis dominium sibi justissime vindicans, & non sortis impatiens in hac parte sustinere non posset sine gravissimo præjudicio & enormi jactura, sive in perpetuum, sive ad longum tempus quemquam inibi dominari.

Unde idem prædecessor dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem

pro prædicto ipsius Regni negotio in Franciam, commisso sibi plenæ legationis officio, dirigens, & duas sibi formas super ejusdem Senatus articulo exprimens & exhibens, ut si prima dicto Comiti non placeret, saltem sisteret & quiesceret in secunda, inter alia continentia totum ipsum negotium præfato Cardinali imposita & injuncta, commisit eidem, quod, postquam tam super dicti Senatus capitulo, quam super quibusdam conditionibus & modificationibus, ac cæteris aliis cum ipso Comite concordasset, conscriptis vel lectis omnibus in præsentia carissimi in Christo filii nostri Regis Franciæ Illustris, posset idem Cardinalis dicto Comiti promittere ipsius prædecessoris & Ecclesiæ Romanæ nomine, quod, postquam sine gravi scandalo Ecclesiæ Gallicanæ de exhibenda ipsi Comiti decima Ecclesiasticorum proventuum quam petierat, ordinatum existeret & concessum, & negotium pro quo carissimus in Christo filius noster Rex Anglorum Illustris, & Eadmundus natus ejus erant ipsius prædecessoris autoritate citati, foret per Apostolicam Sedem decisum, & pax inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, Illustrem Reginam Francorum, & ipsum Comitem existeret reformata, vel saltem per eundem Cardinalem, vel per alium seu alios, quos idem Rex Franciæ duceret deputandos, talis super pace hujusmodi tractatus procederet, quo esset idem Rex Franciæ contentus, daretur ipsi Comiti ab eadem Sede præfatum Regnum Siciliæ cum juribus & pertinentiis suis, sub conditionibus tractatis, & hinc inde firmatis seu acceptatis, non mutandis, nec augendis, vel minuendis in totum vel aliquam sui partem, & de sic dando ipso Regno daret idem Cardinalis dicto Comiti suas literas; ejusdem Comitis literis, de sic recipiendo præfato Regno ab eodem Cardinale versa vice receptis. Finalem autem concessionem, & investituram ejusdem Regni sibi dictus prædecessor specialiter reservavit. Præfatus vero Cardinalis tam super dicto Senatus articulo, quam super conditionibus & omnibus aliis cum ipso Comite conveniens & concordans, fecit eidem Comiti de conferendo sibi prædicto Regno Siciliæ promissionem nomine ipsius prædecessoris, & ejusdem Ecclesiæ Romanæ juxta præmissam ab eodem prædecessore traditam sibi formam, eodem Comite promissionem de illo sic recipiendo similiter faciente, datis & receptis super hoc literis hinc & inde, prout in ipsis literis dicitur plenius contineri.

Porro dicto prædecessore interim viam universæ carnis ingresso, & Nobis licet immeritis in Apostolatus officio substitutis eidem, præfati Cardinalis & Comes, transmissis propter hoc solemnibus nuntiis, Nobis humiliter supplicarunt, ut, cum de prædicta decima exhibenda in subsidium negotii jam juxta ipsius prædecessoris intentionem & votum ordinatum existeret, & circa præfatæ pacis tractatum idem Cardinalis juxta beneplacitum præfati Regis Franciæ processerit, cujus in hoc dictus voluit prædecessor considerari & inspici voluntatem: præmissum negotium, pro quo jam dictus Rex Angliæ & Eadmundus citati fuerant, per definitivam sententiam decidere, ac ad perfectionem & consummationem præfati negotii Regni Siciliæ procedere curaremus.

Nos autem & fratres nostri super iis attente pensantes, & sollicite conferentes, comperimus, eundem prædecessorem prædictis Regi Angliæ & Eadmundo suas literas destinasse, per quas inter alia ipsis reservata sibi tractandi, disponendi & ordinandi de ipso negotio cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia persona mallet, sua & Romanæ Ecclesiæ libertate, de fratrum suorum consilio Apostolica auctoritate citavit, ut si forsan in prædicto Regno Siciliæ per concessionem factam eidem Eadmundo a felicis recordationis Alexandro Papa IV. prædecessore nostro, seu pro quacumque alia collatione seu concessione, si quam ipsis, vel eorum alteri de ipso Regno ab Apostolica Sede, vel ejus Nuntiis, seu Legatis factam fore assererent, vel ex quacumque alia causa crederent, se aliquod jus habere, quatuor menses a die receptionis literarum ipsorum computandos, quos eis pro peremptorio assignavit termino, per se, vel personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus juribus & munimentis eorum Apostolico se conspectui præsentarent, propposituri jus suum, si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de ipso fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Expresse prædicens & aperte prænuntians, quod sive comparerent, sive non, ipse ex tunc ad jus prædictæ Ecclesiæ declarandum, & perpetuum silentium iis, quos in eodem Regno Siciliæ jus non habere constaret, imponendum, & ad pronuntiandum, discernendum, & statuendum, quidquid super hoc eidem Ecclesiæ, ipsiusque honori, ac libertati, suadente justitia, expedire videret, constanter procederet, eorum absentia non obstante.

Comperimus insuper, præfatas literas fuisse dictis Regi Angliæ & Eadmundo per venerabilem Fratrem nostrum, Archiepiscopum Cusentinum, quem idem Urbanus prædecessor propter hoc specialiter ad ipsos direxerat, præsentatas. Constitit etiam Nobis, quod ipse nec intra terminos, nec in termino, nec etiam post terminum comparuerunt apud Sedem Apostolicam per idoneos procuratores, seu personas sufficienter instructas, propter quod forsitan videbatur, quod contumaces existerent, Nosque procedere in negotio, eis sic absentibus, sine juris offensione possemus.

Sed ad defensionem ipsorum non inconvenienter dici poterat, quod, etiamsi nullam habebant excusationem absentiæ, debebat tamen a Nobis propter subsequutum dicti prædecessoris, qui eos citaverat, obitum, novum emanare citationis edictum, cum jure Civili sit cautum, quod, licet ab antecessore impletus sit numerus edictorum, solet tamen unum dare successor. Quod si jure urgente judices alii observant, multo magis Romanum decet observare Pontificem, cujus extensior debet esse humanitas, sicut liberior est potestas, ut, in quo est plenitudo auctoritatis, sit & mansuetudinis amplitudo. Id quoque in eorum munimen non incongrue veniebat, quod hujusmodi peremptorii dilatione pendente, cum adhuc tantum restaret de tempore quod citatis ad veniendum sufficere forte poterat vel mittendum, gravis & amara turbatio in Anglia supervenit prædicto Rege Angliæ, ac dilecto filio nobili Viro Eduardo ejus primogenito a subditis suis hostiliter subactis, & miserabiliter ac igno-

ignominiose tractis. Et licet dictus Eadmundus citra mare commorans in potestatem hostium non devenerit, tamen filiusfamilias & minor annis personam non habuit in judicio existendi, nec eidem suus pater assistere potuit, sua per suos libertate privatus: quare non immerito videbatur, quod neuter posset de Jure contumax judicari.

Super iis igitur plena discussione præmissa & habito fratrum nostrorum consilio, ad hujus decisionem negotii per prolationem definitivæ sententiæ, cum id fieri non valeret, considerato statu, in quo est, absque manifesta justitiæ læsione, non duximus procedendum. Sane Nobis & eisdem fratribus circa præfati Regni Siciliæ negotium instanter vigilantibus, & anxie cogitantibus super ipso, cum promissio a præfato Cardinali memorato Comiti de illo sibi conferendo facta, Nobis ad præmissam decisionem, ut dictum est, non procedentibus, minime posset inspecta forma, quam eidem prædicto Cardinali Urbanus Papa super hoc dederat, adimpleri, & si contingeret, præfatos Regem Angliæ, & Eadmundum de novo vel iterato citari, multæ confusioni ex hujusmodi dilatione subderetur negotium, magnaque ipsi Comiti, & Ecclesiæ Romanæ in tanta expectatione dispendia, & gravia ipsius Ecclesiæ fidelibus pericula imminerent; viam aliam breviorem & expeditam provida deliberatione prælegimus, per quam facilius & melius ad complementum eodem negotio procedente, ipsius Ecclesiæ ac dicti Comitis honori & commodo, & bono fidelium ipsorum statui provideretur efficacius & utilius, & ingruentia damna & discrimina plenius & salubrius vitarentur. Recensentes itaque ac relegentes tractatus multiplices inter ipsam Ecclesiam & prædictos Regem Angliæ & Eadmundum super eodem Regno habitos, & processus ejusdem Ecclesiæ circa illos, plene invenimus & aperte vidimus & cognovimus, quod ipsa Ecclesia, ejusdem Regis fide sincera & clara devotione pensata, volente ipsum in suo filio magnifice honorare, ac in ejusdem Regni negotio aliis Catholicis Principibus anteferre, supradictus Alexander, Papa, relato & exposito sibi ex parte præfati Eadmundi, quod prædictus Notarius, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, ipsi Eadmundo & hæredibus suis dictum Regnum Siciliæ in feudum de speciali auctoritate & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri concesserat: quodque idem Innocentius concessionem hujusmodi, supplendo defectum, si quis in ea fuerat, auctoritate Apostolica confirmavit, eidem Eadmundo Regnum prædictum in feudum de novo concedens, prout in suis dicebatur literis contineri, concessionem & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in privilegio Apostolico inde confecto expressis approbavit, de fratrum suorum consilio & assensu, & sub eisdem considerationibus illas innovans, Regnum prædictum dare fratrum ipsorum consensu dicto Eadmundo & ejus hæredibus in feudum, sub eisdem conditionibus perpetuo concessit & etiam confirmavit. Reservavit autem expresse in eodem Privilegio sibi, ac in sua voluntate & potestate remansit, dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum suorum, prædictis Rege, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni juris solemnitate, approbatione, innovatione, concessione, & confirmatione hujusmodi, quas præfatis Eadmundo, & hæredibus sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere; aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas & irritas nuntiare, si memoratus Rex quasdam ex dictis conditionibus statutis terminis non impleret; Ita quod post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem vel dictum, præfatæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio nullius essent, vel haberentur efficaciæ vel momenti.

Unde Nos, quia manifestum est & notorium, prædictas non fuisse conditiones impletas, utentes libertate ac potestate, in ipso Privilegio per dictum Alexandrum Papam eidem Romanæ Ecclesiæ reservata, sententialiter pronunciavimus, habito nihilominus Fratrum nostrorum consilio & assensu, prædictas approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem vacuas esse omnino, nullumque robur vel valorem habere; ac revocavimus cassavimus, & irritavimus ipsas, & cassas & irritas nuntiavimus, ita quod nullius de cætero efficaciæ haberentur.

Advertimus insuper, & liquido novimus, quod ejusmodi concessio, quæ de Regno ipso a prædicto Notario, & ejusdem concessionis confirmatio, ac, nova de illis collatio, quæ a dicto Innocentio Papa, de fratrum suorum consilio, nominato Eadmundo & ejus hæredibus factæ fuisse dicuntur, nullum omnino valorem, nullamque firmitatem habebant, cum Ecclesiæ Romanæ diligenter perquisitis & inspectis regestis, & ipsius Innocentii Papæ ac prædicti Notarii processibus super eodem Regno circa prædictum Eadmundum habitis, perfecte visis & examinatis, & intente auditis & comprehensis dictis & assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiæ Cardinalium, nec non & ipsius Notarii ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio & processibus hujusmodi plenam notitiam habuerunt, ac plenarie intellectis ipsius Ecclesiæ super hoc validis monimentis, & consideratis ac discussis vigilanter omnibus, quæ in iis attendenda & discutienda forent, clare patuerit, & constiterit manifeste certis, vivis, & efficacibus rationibus, quod hujusmodi concessio, confirmatio & collatio, etiam si forte ipsas vel aliquas, seu aliqua ex eis apparere vel ostendi contingeret, in nullo ipsi Eadmundo prodesse, ac nullum conferre jus, nullamque utilitatem eidem præstare possent, nec ullum, commodum aut adminiculum, vel favorem, tamquam vacuæ penitus & inanes, nec possent eidem Ecclesiæ circa liberam ipsius Regni dispositionem inferre alicujus obstaculi nocumentum. Sed neque prædicta, quæ a præfato Urbano Papa emanavit citatio, nec illius causæ, vel quæstionis suspicio, cujus fuit decisio postulata, impedire possunt super hoc ipsius Ecclesiæ libertatem, cum nec litigiosum factum sit ipsum Regnum, de cujus profecto dominio inter petitorem & possessorem quæstio non movetur, nec etiam rebus sic se habentibus, ut nunc sunt, inter eandem Ecclesiam, & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum super ipsius Regni Dominio lis posset instituti de

ejusdem Regni possessione, nec apud Nos nec apud ipsos, vel eorum alterum existente, quæ sicut jure cavetur, reali parit & parat adversarium actioni: præsertim cum idem Urbanus, qui securus & certus erat, quod de prædicto Regno libere disponere poterat, in hujusmodi citatione, quæ de ipsius affluente gratia & benignitate processit, libertatem tractandi, disponendi & ordinandi de ipso Regno sibi expresse curaverit reservare. Propter quod Nos, consideratis præmissis omnibus diligenter, & cognita plenius veritate, autoritate Apostolica, de fratrum nostrorum consilio & assensu declaravimus, quod licitum & liberum omnino erat Nobis & Ecclesiæ Romanæ, de præfato Regno Siciliæ, omnibusque suis juribus, districtibus, & pertinentiis, quæ pridem ad Nos & eandem Ecclesiam specialiter & plenarie spectant, disponere, providere, statuere ac ordinare, quodque libere ac plene absque omni ambiguitate, secura conscientia, poteramus, illud in feudum concedere, ac ejus regimen & gubernationem committere, prout Nobis & ipsi Ecclesiæ placeret & expediens videretur, & quod supradictus Eadmundus, & præfatus Rex Angliæ, cui missa unquam a Sede Apostolica, vel de ipsius mandato aut autoritate de ipso Regno collatio vel concessio facta fuit, seu quævis alia persona, præter ipsam Ecclesiam, in eodem Regno nihil penitus juris habebat; nec prædictus Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius poterant Nos & eandem Ecclesiam quomodolibet impedire, nec aliquod unquam interponere obstaculum, quin de ipso Regno libere ordinaremus pro nostræ beneplacito voluntatis.

Ut ergo diuturni tractatus inter eandem Ecclesiam & præfatum Comitem super memorato Regno Siciliæ habiti, fine laudabili concludantur; dilatione ac tarditate repulsis, quæ suspensionis dispendio damnificantes negotia, eorum effectum subvertere, ac evacuare profectum, ad salutarem consummationem eorundem tractatuum nostrum animum firmiter dirigentes, de fratrum nostrorum consilio & assensu dicimus, definimus, & ordinamus, præfati Regni Siciliæ negotium in persona ejusdem Comitis, ut infra dicitur, fore complendum, & acceptata ab ipso ordinatione a Nobis facta super Senatus articulo, quæ inferius inseritur, & factis & impletis per eum, quæ habentur in illa; nec non & acceptatis aliis, quæ in hac pagina continentur, & super acceptatione ejusmodi exhibitis ab eodem Comite suis patentibus & authenticis literis, totum tenorem ipsius paginæ continentibus, præfato Cardinali, vel alii personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam, dictum Regnum esse concedendum eidem sub conditionibus inferius annotatis; ipsumque vocandum, & certum sibi terminum fore præfigendum a Nobis, quem ex nunc ei assignamus, videlicet festum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli primo venturum, ut ipse infra eundem terminum personaliter ad Apostolicam Sedem perveniens, de manibus nostris, si Nos, propitiante DEO, vivos invenerit, alioquin de manu illius, quem Nobis in Apostolatus officio invenerit substitutum, aut a Collegio Cardinalium prædictæ Romanæ Ecclesiæ, si, quod absit, forte vacaret, recipiat sub ipsis conditionibus dictum Regnum, ut sic in omni eventu, sive videlicet tunc, prout Domino placuerit, vixerimus, sive non, perficiatur in persona ejus præfatum negotium, & ipsius Regni concessio sibi fiat, obtineatque in hoc sui desiderii complementum.

Super prædicto ejus Senatus articulo plurimum meditantes, & quid supradicto Comiti, quid ipsi Ecclesiæ, quidque præfati Regni negotio circa illum potius expediret, satagentes discernere, ac quid utilius cuique foret eligere cupientes, in eo considerationis nostræ defiximus oculum, & judicium deliberationis firmavimus, quod decentius & melius pro singulis, Apostolica providentia suadente, cognovimus, & illud tanquam convenientius duximus ordinandum: Consulentes & providentes per hoc saluti & honori ejusdem Comitis, & in nullo ipsius profectibus & utilitatibus detrahentes, ac ipsum perfectius dirigentes negotium, & firmius solidantes. Cæterum volumus & decernimus, quod eodem Comite acceptante prædicta, &, sicut præmissum est, suas super hoc literas concedente, ac veniendi ad prædictam Sedem iter arripiente, præfatus Cardinalis de proventibus prædictæ decimæ quos collegit vel colliget, congruum ei subsidium tribuat, & contra Manfredum, quondam Principem Tarentinum, & Saracenos Luceriæ per terras suæ Legationis verbum Crucis prædicet & faciat prædicari. Ut autem hæc nostra definitio & ordinatio, & hoc nostrum decretum, ac alia præmissa illibata perpetuo maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem, ea in præsenti conscribi & annotari pagina fecimus, nostra & Fratrum nostrorum subscriptionibus, nostraque Bulla, & eorundem Fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roborata.

Conditiones autem sunt hæ: I. Civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, & in suum domanium & dominium cum omnibus juribus & pertinentiis retulit, & totum tenementum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis eidem Ecclesiæ & in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure ipsi Comiti, vel cuicumque alii de Regno prædicto ibi retento, seu quomodolibet reservato. Fines autem seu termini territorii, seu districtus, aut tenimenti civitatis ejusdem, cum de illis ad præsens constare non posset, tempore, quo tractatus sive negotium consummandum erit, per aliquas deputandas ad hoc personas idoneas distinguentur.

II. Idem autem Comes & sui in Regno Siciliæ hæredes in dicta civitate & ejus territorio, ac pertinentiis suis, quæ ipsi remanebunt Ecclesiæ, vel in urbe, seu in Campania, vel Maritima, sive in Ducatu Spoletano, aut in Marchia Anchonitana, vel in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, seu in aliis quibuscumque terris aut domanniis, sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato aut venditione, sive donatione, aut alio quocumque jure vel titulo seu contractu, nihil unquam sibi acquirent vel vindicabunt, seu poterunt acquirere vel quomodolibet vindicare, & nihil unquam recipient, habebunt vel retinebunt, seu poterunt recipere, habere, vel etiam retinere, ac nullam potestariam, seu Capitaniam, vel Rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque dignitatem sive potesta-

potestatem Senatoriam, vel quamcumque aliam aut administrationem, vel commendam, nec quodcumque aliud officium recipient, seu recipere poterunt, habebunt seu retinebunt, vel habere seu retinere poterunt in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis hæredibus ipsius Comitis, qui eidem Comiti in dicto Siciliæ Regno succedent. Nolumus enim, quod delictum aliorum hæredum, qui succedent ei in Comitatibus & aliis terris suis, in pœnam hæredis, qui est ei successurus in dicto Regno, aliquatenus extendatur. Ne vero hujusmodi alii hæredes ipsius Comitis contra ea, quæ in illo continentur articulo, aliquo forsan tempore venire præsumant, acquirendo, vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo, seu retinendo sibi aliquid in terris in articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo, seu retinendo in eisdem terris potestariam seu capitaniam, vel aliquid aliud de iis, quæ in articulo continentur eodem, sic super hoc duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum hæredum ejusdem Comitis ullo unquam tempore liceat sibi quidquam in eisdem terris acquirere, seu vindicare, recipere, habere, vel etiam retinere, aut recipere, vel habere, seu retinere potestariam, seu Capitaniam, vel Rectoriam, aut aliquid aliud ex iis, quæ, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem Regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio deferretur, sed ab illa repellatur omnino, & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contra eum potenter assistere teneatur.

III. Item, pro prædicta civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponet per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsius Regni & terræ, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, & omnem materiam ad ædificia oportunam, puta lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum, & similia, sine præjudicio juris singularium personarum ad unam diætam prope Beneventum. Præstabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum Regnum & terram prædictam, nisi in terra sua de novo delinquant, propter quod ad ipsum de jure justitia pertinebit, Privilegia etiam dictæ civitati a Regibus & Principibus concessa, illibata servabit. Omnia statuta per quemdam Fredericum, olim Romanum Imperatorem, seu quoscumque alios Reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejusdem, revocabit, & in omnibus, & per omnia, quæ libertatis fuerint, cæteris Regnicolis parificabit eamdem, nec aliqua statuta seu aliquas leges condet in posterum, per quæ dictæ civitati, directe vel indirecte possint præjudicia generari, & pro Apostolicæ Sedis & Beati *Bartholomæi*, Patroni civitatis ejusdem, reverentia, fidantias ab omnibus remitti faciet, & remittet eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas & terras excolere, ipsarumque fruges & fructus recolligere, ac easdem vineas & terras vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere, sine aliqua exactione, vel munere, vel etiam datione.

IV. Item, totum ejusdem Regni residuum perpetuo concedetur in feudum eidem Comiti & hæredibus suis, ex eo legitime, sicut infra dicitur, descendentibus sub infra scriptis, & supra scriptis conditionibus, quæ, prout competet, in concessionis Privilegio exprimentur. Ita videlicet, quod, si in ejus vel hæredum ipsorum obitu legitimum, prout subsequitur, hæredem ipsos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur. Si enim Comes ipse Regnum a Nobis receperit, descendentes per rectam lineam ex eodem & ipsius hæredibus Siciliæ Regibus mares & fœminæ in eodem Regno succedent; sic tamen, quod de liberis duobus maribus, in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de duabus fœminis primogenita, & de mare & fœmina in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur.

Si vero eumdem Comitem, quod absit, sine liberis ex eo legitime descendentibus mori contigerit, possit ei in Regno & terra prædictis succedere dumtaxat nobilis Vir Alfonsus, Comes Pictavensis, germanus ejusdem. Et si dictus Alfonsus eidem Carolo non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis Ludovici, Illustris Regis Franciæ, videlicet major natu post illum, qui succedet in Regno Francorum, & hæc gratia vel successio tam ex parte ipsius Caroli, quam ex parte illorum erit tantummodo personalis, ita scilicet, quod ad alterum filiorum vel hæredum ipsius Alphonsi, si Alphonsum ipsum præmori Carolo prædicto contigerit, hujusmodi successio se extendet. Sed hujusmodi major natu succedet in Regno Siciliæ & terra prædictis. Similiter etiam nullus filiorum vel hæredum ipsius majoris natu, si idem major natu præfato Carolo non supervixerit, hujusmodi successionem habebit, sed Regnum Siciliæ ac terra prædicta ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere devolventur. Si vero Alphonsum & majorem natu prædictos præmori Carolo præfato contigerit, nullus alius ipsi Carolo sine liberis ex ipso legitime descendentibus decedenti, in eisdem Regno & terra succedet, sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis Regno Siciliæ, ac terra disponere juxta suæ beneplacitum voluntatis.

Si autem prædictos Alphonsum & majorem natu, post successionem hujusmodi, aut eorum hæredes sine liberis ex ipsis legitime descendentibus mori contigerit, Regnum Siciliæ & terra prædicta, similiter ad eandem Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertentur. Sed si aliquem de aliis Successoribus ejusdem Comitis Regem vel Reginam Siciliæ, sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus si superstites fuerint, hæ personæ, videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis frater, vel soror ac collaterales superiores mares & fœminæ, ut puta patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum, duntaxat illis collateralibus, quos prædictus Comes habet ad præsens, & habebit dum vixerit, & qui post ejus obitum ex eisdem forsitan orientur, exceptis: collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & fœminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, & inferius usque ad

eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ ac collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis, quam etiam de innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus & Ecclesiæ devotis; & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur, sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, & marem fœminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite, Regnum ipsum, sicut prædicitur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem libere revertatur.

V. Item, pro toto generali censu ipsorum Regni & terræ octo millia unciarum auri ad pondus ipsius Regni in festo Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si vero idem Comes vel ejus in dicto Regno hæredes, quocumque termino non solverint integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino & infra subsequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverint; totum Regnum Siciliæ ac tota terra prædicta Ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos plenam satisfactionem illius ejusdem census sibi duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino, & duobus proxime sequentibus mensibus, non sit de octo millibus hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem Regno & terra ipsorumque jure cadant ex toto, & Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam integre ac libere revertentur. Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictos tertium annum, & duos subsequentes menses plenarie satisfecerint, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint, vel illa non solverint, similes pœnas incurrent, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri & haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

VI. Item, postquam dictus Comes præfatum Regnum vel tantum de ipso acquisiverit & habuerit, quod etiam si aliquæ civitates, vel munitiones, aut aliqua alia loca ipsius Regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur & possit ipsius Regni Rex & Dominus reputari, solvet Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcarum sterlingorum per certos & diversos terminos ad hoc statuendos, tempore quo erit tractatusve negotium consummandum. Quod si dictus Comes in hujusmodi terminis illa non solverit, liberum erit Romano Pontifici, contra ipsum Comitem pro singulis terminis ad pœnas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire. Cum tamen negotium, quod agitur, DEO dante feliciter consummari contigerit, Nos petitionem Comitis super remittendis sibi eisdem quinquaginta millibus Marcarum factam, ex parte saltem aliqua, de qua Comes ipse Nobis ad gratias teneri debeat, audiemus.

VII. Item, in quolibet triennio dabit Rex Romano Pontifici unum palafridum album, & pulchrum & bonum, in recognitionem veri dominii eorumdem Regni & terræ.

VIII. Item, quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit, Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, idem Comes, vel ejus in dicto Regno hæredes requisiti ab eo ad urbem, in Campaniam, in Maritimam, in Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam civitatem Beneventanam, ac ejus territorium & pertinentias, quæ remanebunt Ecclesiæ, & in omnes alias terras ipsius Ecclesiæ per Italiam, trecentos milites equis & armis bene ac decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, in obsequium & subsidium Ecclesiæ prædictæ transmittent, per tres menses integros in ipsius vel dictorum in Regno hæredum sumtibus & stipendiis, semel tamen in anno in servitio eidem Ecclesiæ moraturos. Mensibus ipsis a die, quo iidem milites terram sui dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares diætas & solitas computandis. Quod si maluerit Ecclesia eadem ingruenti necessitate, super qua stetur verbo Romani Pontificis, ut est dictum, navali juvari exercitu, prædicti milites debita taxatione ac recompensatione præhabita in navale stolium commutentur.

IX. Item, tam ipse quam sui in Regno hæredes Nobis, nostrisque Successoribus canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & juramentum fidelitatis præstabunt, ac hujusmodi homagium facere, & juramentum fidelitatis præstare secundum formam inferius annotatam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam Regni dominium adepti fuerint, teneantur; & singulis ipsis Successoribus, & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabunt tam ipsum homagium, quam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, ipsum & hæredes suos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc sibi tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seu alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat, destinare.

X. Item, dictus Comes, & ejus in Regno hæredes Regnum & terram præfata nullatenus divident, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus immediate ac in capite a Romana tenebit Ecclesia, & tam idem Comes, quam ipsius in ipso Regno hæredes Nobis & Successoribus nostris canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & fidelitatis juramentum præstabunt in hunc modum:

Ego - - - - plenum & ligium vassallagium faciens Ecclesiæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis (& exprimentur

mentur limites territorii, pertinentiarum, & districtuum civitatis Beneventanæ) ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Domino meo Pontifici, suisque Successoribus canonice intrantibus, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione: consilium quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios suos, sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri tam in Regno Siciliæ, & terra prædictis quam alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in Apostolico Privilegio super ipsorum Regni & terræ concessione confecto, ac omnia & singula, quæ continentur in eodem Privilegio, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa, sic me DEus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

XI. Item, ipsi ac singuli sui in dicto Regno hæredes Romano Pontifici, & singulis Successoribus homagium præstabunt, Juramentum fidelitatis jurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quod nunquam per se, vel alios seu quocumque modo procurabunt, ut eligantur, vel nominentur in Regem vel Imperatorem Romanum, vel Regem Teutoniæ, seu dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ, & si electionem, vel nominationem ad Imperium, vel ad Regnum Romanum, seu ad Regnum Theotoniæ, aut ad dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earum de ipsis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni, vel nominationi assensum præstabunt, nec intromittent se ullo modo de regimine ipsius Imperii, vel Regni Romani, seu Regni Theotoniæ, aut Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris partis earum, a quocumque horum nominati fuerint vel electi. Quod si ipse vel aliquis suorum in Regno hæredum, studentibus & procurantibus eis ad Imperium ipsum, sive ad dictum Regnum Romanum, seu Regnum Theotoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris earum patris electi vel nominati fuerint, si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de Imperii vel Regni Romani, seu Regni Theotoniæ, aut Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine se manifeste intromiserint, eo ipso a jure prædictorum Regni Siciliæ & terræ cedant ex toto, ipsaque prorsus amittant, & eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si autem electioni vel nominationi factæ non procurantibus ipsis aut procurantibus consenserint, & ut huic electioni seu nominationi, vel juri omnino renuntient, & quod de Imperio, seu de aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se nullatenus intromittant, moniti, infra quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi, tali electioni, seu nominationi, vel juri non renuntiaverint, vel de ipso Imperio seu aliquo præmissorum, ad quod electi vel nominati fuerint, se intromiserint quoquo modo, ex hoc sint eisdem Regno Siciliæ ac terra, & eorum omni prorsus jure privati, & ut dictum est, eadem Regnum & terra, ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad ipsum Comitem, vel ejus in eodem Regno hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode nequeant, credetur & stabitur assertioni Romani Pontificis, sive dicto: sufficiet prævia super hoc ipsius Romani Pontificis monitio publica & solemnis, ita, quod si infra sex menses post illam renuntiaverint, aut de Imperio, seu de aliquo alio prædictorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint, cadant ex hoc omni jure ipsorum Regni & terræ, & Regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

XII. Cæterum si contigerit, aliquem de suis hæredibus qui deberet in prædictis Regno Siciliæ, & terra succedere, in Regem vel Imperatorem Romanum, seu Regem Teotoniæ vel dominium Lombardiæ, aut Tusciæ, seu majoris partis eorum nominari, seu eligi, vel assumi, nullatenus possessionem eorumdem Regni Siciliæ ac terræ nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius Imperio, vel Regno Romano, seu Regno Teotoniæ aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis ad quodcumque horum electus, nominatus fuerit vel assumtus, & omni juri competenti sibi in illis omnino renuntiet, & illorum regimen, nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumturus: alioquin cadat ab omni successione ac jure, quæ in Regno Siciliæ ac terra prædictis sibi competerent ipso facto, ita quod eadem Regnum Siciliæ ac terra ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur.

XIII. Quod si non exstantibus masculis fœmina in eisdem Regno & terra successerit, illa Regi vel Imperatori Romano, seu in Regem vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi vel electo in Regem Teotoniæ, seu dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris partis earum, seu electo ad earum dominium, nunquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ Regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis Regno & terra ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem ipse, vel aliquis suorum in Regno hæredum contra hæc venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe ac reatu perjurii respersi & notati existant.

XIV. In hujusmodi quoque juramento addetur expresse, quod nullo unquam tempore Regnum, seu Imperium Romanum, aut Regnum Teotoniæ, vel dominium Lombardiæ, sive Tusciæ seu majoris earum partis, aut easdem Lombardiam vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum per se, vel per alios, seu alium occupabunt, capient, vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vindicabunt; & si secus fecerint, similes secundum præscriptam formam pœnas incurrant.

Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ, sive Tusciæ, intelligitur scienter; si vero

vero ignoranter, eam ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneantur, & si eam Ecclesia mandante dimittant, non incidant in pœnam in isto articulo & consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittant, remaneat pœna, prout est in hoc articulo & aliis consimilibus constituta.

XV. Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad Imperium, alioquin in pœnas incidat in hoc articulo & aliis similibus comprehensas. Quod si Regni possessione prædicti nondum agnita, seu obtenta, in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in Regno cujuscumque fuerit ætatis, emancipet, & Regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad servitium vel subsidium aliquod faciendum juramento vel voto, stipulatione vel pacto sibi vel Successoribus suis adstringat; sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso, protinus investiatur de Regno, ad cujus Regis successionem, si forte decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator existens. Sed si Imperio & omnibus, quæ ad Imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & Regno tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur; & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato ab eo, investituram recipiat Regni ejusdem. Quod si dictus filius sic ad Regnum assumptus, major annis decem & octo fuerit, libere administret, sed quamdiu minor exstiterit, tam ipse, quam Regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse impleverit supradictam ætatem, fructibus & obventionibus Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro ejusdem Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucro alterius, ratione ipsius custodiæ, non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione præmissa a patre ad Imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum. Et si Rex non habens filios in Imperatorem electus, ad Imperium transire voluerit, & de personis, quas supra diximus, liberis non extantibus in Regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia prærordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis.

XVI. Declaramus etiam, quod si Regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ Imperatori, dum ipse Rex viveret, fuerat desponsata, vel nupta, non succedat in Regno, & si Regno sibi delato Imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir ejus Imperio prorsus renuntians, Regno solummodo sit contentus. In primo autem casu repulsis filia & alia prædicta, ad personas illas, servatis gradibus, Regnum perveniat, quas prænotavimus in Regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam devolvatur.

XVII. Item, si forte deficientibus masculis contigerit, fœminam innuptam in Regno succedere, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsius Regni regimen & defensionem existat idonea, Romani Pontificis prius super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto; & si contra hoc fieret, licebit Romano Pontifici contra ipsam ad privationem prædictorum Regni & terræ sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

XVIII. Item, in Regnum & terram prædicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

XIX. Item, Regnum Siciliæ & terra prædicta Imperio nullo modo subdentur, seu sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur, & præcise super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cavebitur, juxta Ecclesiæ voluntatem; cum prorsus intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum & terra prædicta nullo unquam tempore Imperio uniantur, ut scilicet unus Romanorum Imperator & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum Regni & terræ cum Imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem eorundem Regni & terræ cum Regno Romano, aut Regno Teotoniæ, seu cum Lombardia vel Tuscia, sive cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

XX. Item, si ipse vel sui in Regno hæredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium, & pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem eorum aut Campaniam vel Maritimam, seu urbem vel Ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam, sive patrimonium Beati Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaverint, vel occupari fecerint, aut super iis offenderint, vel molestaverint Ecclesiam, seu fecerint molestari, & postquam super hoc a Romano Pontifice moniti & requisiti fuerint, vel si commode moneri aut requiri nequiverint, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem, vel dictum, postquam de hoc ipse publice ac solenniter eos monuerit, infra tres menses non restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab eorumdem Regni Siciliæ & terræ jure cadant totaliter, ipsaque Regnum & terram prorsus amittant, & hæc ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alii quoque hæredes ipsius Comitis, videlicet, qui in Regno succedent eidem, occupare, vel facere occupare easdem terras Romanæ Ecclesiæ, seu molestare, aut molestari facere super illis eandem Ecclesiam non attentent, quodque illi, qui secus attentaverint, præmissas pœnas (ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti Regni, si in aliquo forte casu eadem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur) incurrant. Et quod Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

XXI.

XXI. Item, omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam aliis regularibus & secularibus, nec non & omnibus prælatis & clericis, ac universis personis Ecclesiasticis, secularibus, & religiosis, & quibuslibet religionis locis plenarie dimittentur & restituentur integre omnia bona eorum immobilia a quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia vero, quæ exstant & poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem: hæc autem restitutio fiet absque contradictione seu difficultate qualibet, sicut nanciscentur prædictorum Regni Siciliæ ac terræ possessionem: hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum Regni & terræ, quæ sibi obediet, restitutio ipsa fiat, ipsaque postmodum successive consummabitur, sicut eidem Regnum habebuntur & terra. Ne autem super iis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano Pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium, & erum immobilium & mobilium, quæ exstant, restitutio plena fiat, ita quod ea, de quorum dominio vel proprietate, seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis vero, per ipsos de plano & absque judicii strepitu veritas diligentius inquiretur. Sufficiet autem vocari Camerarium vel Procuratorem, seu Ballivum, in cujus jurisdictione vel Ballivia, seu territorio bona de quibus agetur, consistent, ad videndum jurare testes qui in hujusmodi inquisitione deponent.

XXII. Item, omnes Ecclesiæ tam Cathedrales, quam aliæ Regulares & seculares, nec non & omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ seculares & Religiosæ, ac quæcumque Religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem, sive in electione, vel post, Regius assensus, vel Concilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipse, & sui in Regno hæredes semper manutenebunt & conservabunt, & manuteneri & conservari facient ab omnibus subditis suis, dictæque Ecclesiæ ac personæ utentur libere omnibus bonis & juribus suis, salvo ei & suis in Regno hæredibus jure patronatus in Ecclesiis, in tantum, quantum in hac parte patronis Ecclesiarum Canonica instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipsis Ecclesiis habuerunt. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram ordinariis & aliis Ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus, libere & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout Canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt; ab illis autem Prælatis & Ecclesiis, qui Regalia, sive temporalia bona tenent, si qui tamen sunt qui hujusmodi bona teneant a Domino Regni & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur Canonica, impendentur, salva semper citra Ecclesias Cathedrales, & alias Regulares, & seculares, ac personas & loca Ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione, ac auctoritate plenaria & libera potestate.

XXIII. Item, revocabit omnes constitutiones, seu leges per prædictum Frid. & per Reges Siciliæ, sive per Conradum ipsius Frid. filium, aut Manfredum, quondam Principem Tarentinum, qui de facto Regnum ipsum detinet occupatum, editas contra Ecclesiasticam libertatem: nec statuta, vel constitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ juri vel libertati Ecclesiæ derogetur.

XXIV. Item, Comes promittet, quod nullus clericus vel persona Ecclesiastica eorumdem Regni & Terræ in civili, vel criminali causa convenietur coram judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter; Sed omnes Ecclesiæ, ac personæ Ecclesiasticæ omnimode erunt liberæ, & in nullo Regi vel Principi subjacebunt.

XXV. Item, nullas tallias, vel collectas imponet Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & viris Ecclesiasticis, vel rebus eorum.

XXVI. Item, in Ecclesiis vacantibus Rex nulla habebit Regalia, nullosque fructus, reditus & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia percipiet ex eisdem, custodia earumdem Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas, juxta Canonicas sanctiones.

XXVII. Item Comites, Barones, Milites, & universi homines totius Regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis & aliis antiquis temporibus habuerunt.

XXVIII. Item, omnes exules Regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducentur in Regnum & terram prædictam, ipsique de bonis, & juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione secundum præscriptam formam in capitulo de bonis Ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis, quam in dubiis procedetur.

XXIX. Item, nullam confœderationem, seu pactionem vel societatem cum aliquo Imperatore, vel Rege, seu Principe, vel Barone Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua Provincia, seu civitate, aut communitate, vel loco aliquo contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ scienter faciet, & si etiam faceret ignoranter, teneatur ad mandatum Ecclesiæ revocare.

XXX. Item, omnes captivos, & obsides, qui tenentur in Regno & terra prædictis, Romanos, Regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Marchia Tervizin pro posse suo, bona fide restituet libertati. Hæredibus vero quondam Riccardi Comitis Sorani, Germani felicis recordationis Innocentii Papæ III. jus quod in Comitatu

mitatu Sorani & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus, illud quod in aliis Comitatibus & bonis, si qua eis in Regno & terra prædictis a Regibus & Principibus sunt concessa, obtinent, penitus erit salvum, nec per ipsorum Regni & terræ concessionem Comitatuum seu concessorum eorumdem cuiquam quoad proprietatem seu possessionem præjudicium generabitur, Regio in iis omnibus jure salvo: secundum enim supradictas & infrascriptas conditiones Regnum Siciliæ, excepta civitate Beneventana, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, Comiti concedetur eidem, & revocabuntur omnes concessiones Comitatuum, Baroniarum, feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum & jurium, factæ in prædicto Regno Siciliæ per Fredericum, Conradum, & Manfredum prædictos, & eorum officiales, familiares & fautores post depositionis sententiam in ipsum Friderrper felicis recordationis Innocentium Papam IV. in Lugdunensi Concilio promulgatam.

XXXI. Item, idem Comes veniet cum mille ad minus ultramontanorum militum comitiva, quorum quilibet equitaturas quatuor secum ducet; habebit etiam dictus Comes trecentos Balistarios, & tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii sufficere videbuntur.

XXXII. Item, dictus Comes usque ad annum a die, quo ei fiet collatio de Regno Siciliæ, computandum, sic munitus cum tota sua hujusmodi comitiva fines Comitatus Provinciæ versus Italiam sit egressus, & extimo infra tres menses immediate sequentes sit in terris conterminis Regno Siciliæ, nisi forsan in Italia hostium impediatur obstaculo vel occursu, quorum impugnationi, vel debellationi, quamdiu taliter munitus perseveranter institerit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus prædictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus Comes sic munitus usque ad annum hujusmodi non fuerit fines prædicti Comitatus egressus, vel infra eosdem tres menses tali non præpeditus obstaculo non fuerit in terris, eidem Siciliæ Regno conterminis, cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocumque casu eo prosecutioni negotii opportunam non impendente operam, ad easdem terras conterminas dicto Regno infra tres menses ipsos non venerit sic munitus, liberum erit Romano Pontifici, ac in ipsius potestate remanebit, dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum suorum, eodem Comite, vel alio etiam quocumque, cujus fortsitan interesset, non vocatis, & absque omni juris solemnitate, concessionem eidem Comiti & jus hæredibus de Regno & terra prædictis factam, vacuam omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere, ac eam revocare, cassare, irritare, ac ipsam cassam & irritam nuntiare. Liberum quoque est eidem Romano Pontifici hoc idem facere, si, quod absit, dictus Comes vel longa præpeditus valetudine, vel morte præventus, dictum negotium juxta eamdem formam non assumserit, vel assumtum non fuerit prosequutus, nisi forte talis persona, & tam idonea, juxta formam eamdem vices ejus, vel suorum hæredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficiens possit & debeat Romanæ Ecclesiæ reputari. Quod si dictus Comes alio forsan impedimento legitimo fuerit irretitus, & hoc significaverit Romano Pontifici, tunc liberum erit eidem Romano Pontifici, & in potestate remanebit ipsius vel dicere, pronuntiare, ac proferre juxta formam in capitulo ipso contentam, concessionem, eidem Comiti & ejus hæredibus factam de Regno & terra prædictis, vacuam omnino esse, nullumque valorem vel robur habere, ac eam revocare, cassare & irritare, & ipsam cassam & irritam nuntiare, vel talem personam, & tam idoneam assumere vel admittere ad dictum negotium, quæ merito ad hoc ab ipso sufficiens reputetur.

XXXIII. Item, omnes præmissas conditiones, quæ in persona Comitis apponentur, circa etiam ipsius Comitis in Regno hæredes intelligimus & volumus esse dictas, salvis omnibus quæ circa alios hæredes ipsius Comitis ordinata consistunt, prout superius est expressum.

XXXIV. Item, postquam tractatus hujusmodi negotii fuerit concorditer consummatus, fiet super hoc privilegium concessionis a Domino Papa, subscriptionibus Cardinalium Romanæ Ecclesiæ roboratum, & Comes dabit Privilegium suum eidem Domino Papæ ac Romanæ Ecclesiæ aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebitur & recognoscet expresse, Regnum Siciliæ ac totam terram quæ est circa Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio, & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit, eidem ex sola gratia & mera liberalitate Sedis Apostolicæ sibi suisque hæredibus de novo fore concessa, seque recipere ac tenere Regnum & terram hujusmodi a dicta Romana Ecclesia, sub conditionibus & pactis hinc inde tractatis.

XXXV. Ordinatio vero super Senatus articulo hæc est: Nobilis vir Carolus, Andegaviæ ac Provinciæ Comes, præstito juramento promittat, quod dabit operam bona fide, ut Romanis juret non regere urbem ad vitam. Item, quod finito triennio a die quo fiet ei Regni Siciliæ concessio, computando, vel si infra triennium ipsum totum prædictum Regnum vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere, acquisierit, vel si forte, quod absit, illud acquirere non poterit, & hoc liquido constiterit, Senatum omnino dimittet, & illum ex tunc per se, vel per alium nullatenus resumturus, nec procuraturus quomodolibet, quod Senatum ipsum quivis alius perpetuo ad vitam habeat, aut quod ad illum aliquis etiam usque ad certum tempus absque licentia Romani Pontificis assumatur. Item, quod dabit operam bona fide, ut idem Senatus ad dispositionem & ordinationem Romanæ Ecclesiæ revertatur, cives scilicet Romanos ad hoc, sicut melius & honestius poterit, inducendo. Item, quod, dum Senatum tenuerit, nihil scienter in ceteris ipsius Ecclesiæ, domaniis scilicet & feudis, in ejusdem Ecclesiæ vel suorum præjudicium faciet contra Ecclesiam ipsam & Ecclesiasticam libertatem; & si ipse vel sui quidquam tale fecerint, id sine moræ dispendio revocabit.

Hujusmodi autem juramentum præstabit idem Comes in præsentia fide dignarum personarum, quarum tres, vel duæ ad minus sint Pontificali præditæ dignitate, dabitque super iis, videlicet super juramento & promissione hujusmodi, suas patentes literas

literas sigillis tam suo quam hujusmodi trium vel duorum Pontificum sigillatas: in quibus utique literis nomina personarum, coram quibus hujusmodi juramentum præstabitur, exprimentur, ac se nihilominus per easdem literas obligabit ad infrascriptas pœnas, quas incurrat, si contra præmissa, vel eorum aliquid fecerit; videlicet quod præter reatum perjurii, quod incurret, eo ipso idem Excommunicationis, & terra sua ubilibet constituta interdicti sententiis subjaceant; quas utique sententias si dictus Comes per mensem sustinuerit, eo ipso cadat a jure Senatus; & si postea de facto Senatum tenere contenderit, seu intromiserit se de illo, cadat similiter eo ipso ab omni jure quod erit ei in Regno Siciliæ acquisitum. Duplicentur autem hujusmodi literæ ad cautelam propter viarum discrimina, & sic duplicatæ assignentur dilecto filio nostro, tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, si præsens fuerit, vel alii personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam; ita quod earumdem literarum aliæ deferantur vel mittantur ad Nos, & reliquæ nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine in aliquo tuto loco fideliter deponantur, inibi ad opus nostrum & ipsius Ecclesiæ conservandæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ definitionis & ordinationis, nostrique decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Odo, Tusculanus Episcopus.
Ego Stephanus, Prænestinus Episcopus,
Ego Frat. Joannes, Portuensis & S. Rufinæ Episcopus.
Ego Radulfus, Albanensis Episcopus.
Ego Ancherus, tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Guido, titulo S. Laurentii in Lucina, Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus, tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis.
Ego Frater Anibaldus, Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.
Ego Riccardus, S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Octavianus, S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis.
Ego Joannes, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.
Ego Ottobonus, S. Andriani Diaconus Cardinalis.
Ego Jacobus, Sanctæ Mariæ in Cosmydin Diaconus Cardinalis.
Ego Gottifridus, Sancti Gregorii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Jordanus, Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
Ego Matthæus, Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii quarto Kal. Martii. Pontificatus nostri anno primo.

XLIV.

Testamentum Beatricis, Reginæ Siciliæ, d. in crastino B. B. Petri & Pauli Anno 1266.

IN nomine Domini, Amen. Nos Beatrix, DEI gratia Regina Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Andegavensis, Provinciæ, & Forcalquerii Comitissa, sana mente & corpore, volentes de rebus & bonis nostris disponere Testamentum nostrum nuncupativum condendo, ordinamus, prout inferius continetur. Imprimis filium nostrum Philippum hæredem Nobis instituimus in mille libris Turonensibus annui reditus, percipiendis in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, & assignandis certo loco vel cetis locis in dictis Comitatibus, ad cognitionem & arbitrium Domini Caroli, DEI gratia, Regis Siciliæ, Illustris mariti nostri, vel illorum quos ad hoc ipse deputaverit, volentes ipsum Philippum jure institutionis prædictis mille libris esse contentum, ut nihil amplius possit petere, vel exigere de bonis nostris in Comitatibus, seu de Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii supradictis. Item filiam nostram Blancham, maritatam Roberto Flandrensi, instituimus Nobis hæredem in centum marchis argenti, si maritus ejus decesserit post mortem patris sui, & ad eundem Robertum jus Comitatus Flandrensis devenerit. Si vero dictus Robertus ante mortem vel post mortem patris sui, dum tamen jus Comitatus ad eundem Robertum non devenerit, decesserit, instituimus dictam filiam nostram Blancham Nobis hæredem in decem mille libris Turonensibus, & centum marchis ultra, de quibus superius est expressum; & alteram prædictarum quantitatum, secundum conditiones supra dictas hæres noster, scilicet Carolus, filius noster primogenitus, solvere teneatur. Volentes, ipsam Blancham altera prædictarum quantitatum secundum conditiones supra positas jure institutionis esse contentam, ut nihil amplius possit petere vel exigere de bonis nostris Comitatibus, seu de Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii supradictis. Item Beatricem filiam nostram instituimus Nobis hæredem in decem mille libris Turonensibus, & hanc pecuniæ quantitatem Carolus hæres noster solvere teneatur, volentes ipsam Beatricem hac pecuniæ quantitate jure institutionis esse contentam. Item Isabellim filiam nostram instituimus Nobis hæredem in tribus millibus libris Turonensibus, & hanc pecuniæ quantitatem Carolus hæres noster solvere teneatur. Volentes, eamdem Isabellim hac pecuniæ quantitate jure institutionis esse contentam.

Item ventrem nostrum, si contingat Nos masculum parere, eum Nobis hæredem instituimus in tribus millibus libris Turonensibus annui reditus, percipiendis & assignandis certo loco vel certis locis, ad cognitionem & arbitrium Domini Caroli prædicti mariti nostri, vel illorum quos ad hoc ipse deputaverit, in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii; Volentes ipsum prædictis tribus millibus libris jure institutionis esse contentum. Si vero plures posthumos masculos Nos habere contigerit, quemlibet eorum instituimus Nobis hæredem in tribus millibus libris Turonensibus annui reditus, percipiendis in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii; Volentes quemlibet eorum prædictis tribus milli-

millis libris Turonensibus jure institutionis esse contentum. Si autem filiam posthumam contingat Nos habere, instituimus eam Nobis hæredem in decem millibus libris Turonensibus, quas hæres noster Carolus sibi solvere teneatur, cum venerit dicta filia ad ætatem legitimam ad matrimonium contrahendum. Volentes ipsam filiam posthumam prædictis decem millibus libris Turonensibus, jure institutionis, esse contentam. Verum si plures filias posthumas Nos habere contigerit, ipsarum quamlibet instituimus Nobis hæredem in decem millibus libris Turonensibus, solvendis eisdem per hæredem nostrum, scilicet Carolum, in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii institutum, sicut de una superius est expressum. Sane si filium & filiam, seu plures filios vel filias posthumos seu posthumas insimul vel separatim contigerit Nos habere, quemlibet filium instituimus Nobis hæredem in tribus millibus libris Turonensibus annui reditus, & quamlibet filiam in decem millibus libris Turonensibus. Volentes quemlibet filium prædictis tribus millibus libris annui reditus assignandis, ut supra dictum est, & quamlibet filiam decem millibus libris, prout supra dictum est, jure institutionis esse contentos & contentas.

Item filium nostrum primogenitum Carolum hæredem nostrum universalem Nobis instituimus in totis Comitatibus nostris Provinciæ & Forcalquerii, & eorum juribus & pertinentiis, & in omnibus aliis bonis nostris, exceptis institutionibus & quantitatibus supradictis, & aliis designatis; Ita tamen, quod dictus Carolus nihil petet etiam ratione legitimæ portionis, in Comitatibus, seu de Comitatibus Andegavensi & Cænomanensi, ratione paternæ successionis, ultra quam erit relictum a Domino Carolo Patre suo, imo quantum in se erit, procurabit dictus Carolus, quod Philippus, vel alii fratres sui ex Nobis nascituri, secundum dispositionem dicti mariti nostri patris sui, recipientur a Domino Rege Francorum ad Comitatus Andegavensem & Cænomanensem supradictos. Si vero dictus Carolus filius noster venerit, seu fecerit contra prædicta aliqua, seu aliquod prædictorum, seu etiam procurare non potuerit, quod a D. Rege fratres sui recipiantur ad Comitatus Andegavensem & Cænomanens. prædictos, secundum dispositionem D. Caroli mariti nostri patris sui, volumus, quod dictus Philippus filius noster habeat jure institutionis, cum omnibus emolumentis & honoribus, omnia & singula, in quibus dictum Carolum filium nostrum Nobis instituimus universalem hæredem, legitima dicto Carolo filio nostro jure institutionis reservata tantummodo portione.

Item si contigerit, dictum Carolum filium nostrum sine legitimis liberis ex se procreatis quandocumque decedere, volumus & mandamus, quod dictus Carolus dicto Philippo filio nostro restituat omnia supradicta, in quibus ipse Carolus a Nobis fuerat institutus. Ita tamen, quod dictus Philippus filius noster, habita restitutione prædicta, dimittat fratri suo, scilicet posthumo nostro masculo, quem post dictum Philippum filium nostrum primo contigerit Nos habere, terras & proventus Comitatuum Andegavensis & Cænomanensis jure hæreditario in perpetuum possidendas, secundum dispositionem prædicti Domini Caroli mariti nostri; quod si facere nollet dictus Philippus, volumus & mandamus, quod prædictus Carolus filius noster restituat antedicto posthumo nostro omnia quæ debebat restituere dicto Philippo filio nostro; sicut superius est expressum. Item si contigerit dictum Philippum quandocumque decedere sine liberis legitimis post mortem dicti Caroli filii nostri, volumus & mandamus, quod restituat omnia posthumo nostro masculo supradicto, scilicet majori natu. Et si dictum posthumum sine liberis quandocumque mori contigerit, volumus & mandamus, quod sequenti posthumo masculo restituat omnia supradicta. Si vero Carolus filius noster, præmortuo Philippo filio nostro, decesserit sine liberis legitimis, volumus & mandamus, quod dictus Carolus omnia prædicta restituat posthumo masculo, quem post dictum Philippum contigerit Nos habere. Item si contigerit omnes filios nostros masculos natos & nascituros quandocumque, sine liberis legitimis ex se procreatis decedere, volumus & mandamus, quod ille de filiis nostris masculis, qui ultimo morietur, restituat omnia supradicta Blanchæ filiæ nostræ, ita tamen quod dicta Blancha nihil petet etiam ratione legitimæ portionis in Comitatibus, seu de Comitatibus Andegavensi & Cænomanensi, ratione paternæ successionis, ultra quam erit ei relictum a Domino Carolo patre suo: imo, quantum in se erit, procurabit, quod Beatrix, vel Isabellis, vel alia soror sua ex Nobis nascitura, secundum dispositionem Domini Caroli prædicti, patris sui, recipientur a Domino Rege Francorum ad Comitatus Andegavensem & Cænomanensem supradictos. Si vero dicta Blancha filia nostra venerit, seu fecerit contra prædicta, seu aliquod prædictorum, seu etiam procurare non poterit, quod a Domino Rege Francorum sorores sue recipiantur ad Comitatus Andegavensem & Cænomanensem prædictos, secundum dispositionem Domini Caroli mariti nostri, patris sui, volumus & mandamus, quod ille de prædictis filiis nostris masculis, qui ultimo morietur, Beatrici filiæ nostræ, si tunc vivat, & eadem Beatrice præmortua, Isabelli filiæ nostræ, si tunc vivat, alioquin posthumæ nostræ majori natu, restituat omnia supradicta.

Si vero dicta Blancha filia nostra, & omnes alii filii nostri & filiæ nostræ decesserint sine legitimis liberis ex se procreatis, volumus & præcipimus, quod ille de prædictis, qui ultimo morietur, restituat Domino Carolo marito nostro omnia supradicta. Item volumus & mandamus, & ordinamus, quod Dominus Carolus Rex Siciliæ maritus noster habeat usumfructum quamdiu vixerit in Comitatibus scilicet Provinciæ & Forcalquerii supradictis, & dictam terram teneat, regat & custodiat, quamdiu vixerit, sicut Dominus, ita quod post mortem suam ususfructus consolidetur proprietati, & perveniat ad hæredem vel hæredes nostros, de quibus superius est expressum.

Volumus etiam & præcipimus, quod hæres noster universalis, scilicet in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, habeat omnes conquestus nostros factos sive in Provincia, sive in Lombardia, vel alibi circa partes illas. Volumus etiam, præcipimus & mandamus, quod debita Legata, & relicta nostra ad quascumque causas, & quibuscumque personis

per

per hæredem nostrum universalem solvantur, & foris facta similiter emendentur. Volumus etiam quod debita contracta a carissimo Domino & marito nostro, Domino Carolo Rege Siciliæ supradicto, ratione terræ nostræ Provinciæ & Forcalquerii, & provinciarum earundem, per hæredem nostrum universalem in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii solvantur. Item quod foris facta prædicti mariti nostri in prædictis terris Provinciæ & Forcalquerii, seu ratione earum commissa, per hæredem nostrum in dictis Comitatibus, emendentur. Debita vero bonæ memoriæ Domini Raimundi Berengarii, quondam patris nostri, si soluta non sunt, & foris facta non sunt emendata, volumus & mandamus, quod per hæredem nostrum in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii solvantur & emendentur, secundum quod dictus pater noster in suo disposuit Testamento. Si vero idem hæres institutus per Nos in prædictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii debita relicta & legata nostra, & debita prædicti Domini & mariti nostri, ut supradictum est, nollet solvere, & forisfacta nostra, & prædicti mariti nostri, ut supradictum est, nollet similiter emendare, Nos omnes reditus & gauditas prædictorum Comitatuum obligamus, & esse volumus obligatos, ad omnia & singula supradicta. Item volumus & ordinamus, quod omnes liberi nostri, qui ex successione nostra aliquid habebunt in terris Provinciæ & Forcalquerii, seu pertinentiis earundem, illud teneant in feudum ab hærede nostro universali in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii supradictis.

Hæc est ordinatio seu dispositio de bonis nostris, quam valere volumus jure Testamenti, vel jure Codicillorum, seu jure cujuslibet dispositionis vel ultimæ voluntatis, vel alio quovis modo, quo ultima voluntas alicujus valere potest. Et si aliquo tempore aliam dispositionem, seu ordinationem de terra nostra in totum vel in partem fecimus, illud & illam cassamus & irritamus, & de cætero volumus non valere. Hujus autem Testamenti, ac etiam Codicillorum, quos intendimus facere, exequutores nostros constituimus illos, quorum nomina inferius continentur; scilicet reverendos Patres Willelmum DEI gratia Aquensem Archiepiscopum, Bertrandum Avenionensem, F. Regensem, Alanum Sistaricensem, & Galterum Tolonensem, eadem gratia Episcopos, & carissimum Dominum & maritum nostrum, Dominum Carolum DEI gratia, Regem Siciliæ Illustrem, & venerabilem virum Joannem de Aciaco, Decanum Meldensem, & Magistrum Garnerum, Clericum & Physicum dicti Domini Regis & nostrum. Et si omnes supradicti nollent, vel non possent his exequendis interesse, duo ipsorum una cum dicto Domino & marito nostro, ea nihilominus exequantur. Ad quod si prædictus Dominus & maritus noster nollet, vel non posset commode interesse, tres prædictorum Exequutorum, aliis non exspectatis, sufficiant ad prædicta exequenda.

In cujus rei testimonium præsens testamentum sigillo nostro fecimus sigillari. Actum apud Lacumpensilem, in Camera Palatii, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, die Mercurii in crastino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, præsentibus & vocatis & rogatis testibus, quorum nomina subscribuntur, videlicet:

B. DEI gratia Archiepiscopo Messanensi.
I. de Aciaco, Decano Meldensi, Regni Siciliæ Cancellario.
Gaufrido de Bellomonte, Cancellario Baiocensi.
Magistro Garnero de Villari-bello, Decano S. Petri de cultura Cænomanensi.
Barallo Domino Baucii.
Petro Cambellano Franciæ, Furcone de Podio Ricardi Militibus,
Et me Regnialdo de Caziaco, ejusdem Regis Notario publico Provinciæ & Forcalquerii, qui de mandato dictæ Dominæ Reginæ præsens instrumentum & testamentum scripsi, & hoc meo signo signavi. Huic autem præsenti instrumento & testamento præfati testes sigilla sua in prædictorum testimonium apposuerunt, excepto meo Reginaldo prædicto, qui solum signo meo usus fui in hac parte.

XLV.

Litera Caroli I. Siciliæ Regis, de victoria a Manfredo, Siciliæ usurpatore, reportata, ad Clementem IV. Pontif. Maxim. exarata, d. d. 26. Febr. anno 1266.

Sanctissimo in Christo Patri & Domino suo Clementi, divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus DEI gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, almæ urbis Senator, Andegaviæ Provinciæ, & Forcalquerii Comes, cum omni reverentia & honore, devota pedum oscula Beatorum. Multum meis reputans successibus adjici, si Romana mater Ecclesia de felicibus filii processibus, in quibus sua causa provehitur, certa fuit: ecce significo vobis ad gaudium, quod, postquam Manfredus publicus hostis victus apud sanctum Germanum, a Capua quoque, ubi se jactabat velle resistere, confusus abcessit. Accepi, quod idem hostis cum suarum reliquiis virium, quæ de sancto Germano per fugam evaserant, profugus per terram laboris se transtulit Beneventum. Ego autem meas continuando dietas, per Abiphanos, & Caliphanos campos contra ipsum hostes duxi, in cœlestis virtute præsidii procedendo. Sicque factum est, quod die Veneris XXVI. mensis Februarii quodam desiderio perveniendi citius Beneventum, meo meorumque animo stimulante, ac viarum & passuum difficultatibus, quales vix transieramus antea, superatis, ad quemdam montem perveni, unde subjectus, & admodum patens campus ordinatas jam hostium acies ostendebat. Propter quod ego, licet equos commilitonum meorum præ malitia & magnitudine itineris cognoscerem plurimum fatigatos, propter hoc ad sustinendum pondus prælii minus aptos, instructis tamen meis in illius nomine, cujus agebatur negotium, copiis, ex adverso ad pugnam processi. Et quamvis per magnam horam fuerit utrumque decertatum, cedentibus tamen divinæ potentiæ, non meis viribus, duabus prioribus hostium aciebus, omnes aliæ, cum non confiderent aggredientium impetum sustinere, se fugæ remedio

medio commisere. Facta est itaque in ipso campo tanta strages, quod celant campum oculis superjacentia corpora occisorum. Nec tamen omnes fugientes fugæ remedium salvos fecit, quin major pars fugientium in gladio nostrorum ipsos persequentium eo copiosius ceciderit, quo dispersius fugiendo nec unus tuebatur alterum, nec eis loca, ad quæ confugerent, apparebant. Magnum ergo numerum captivorum ad carcerem nostrum hujusmodi bellicus eventus adduxit. Inter quos Jordanus & Barchinus dictus simplex, qui nomen sibi Comitum hactenus usurparunt, eorumque fratres, nec non Pieratinus de Florentia, perfidissimus Gibellinæ factionis author, in vinculis detinentur. De his autem, qui de prioribus partis adversæ in prælio corruerunt, certam non habens notitiam, nihil vobis exprimere potui, propter festinam præsentium missionem, licet Galvanus & Herrigeccus dicti Comites mihi a pluribus asserantur in eodem prælio corruisse. De Manfredo autem, utrum ceciderit in conflictu, vel captus fuerit, aut evaserit, certum adhuc aliquid non habetur. Destrarius autem, cui insedisse dicitur, & quem habemus, casus affert non modicum argumentum. Hæc igitur, quæ de manu Domini me suscepisse recognosco, ideo Beatitudini vestræ denuntio, ut omnipotenti DEO, qui per ministerium meum causas Ecclesiæ prosequitur, devotas pro tanto triumpho gratias referatis; Certam spem & fiduciam teneatis, quod eradicatis de Regno Siciliæ scandalis & seminariis scandalorum, illud ad antiquam & consuetam devotionem Ecclesiæ Romanæ plene reducam, ad laudem & gloriam Domini, nominis exaltationem, et pacem ipsius Ecclesiæ, incolarum ipsius Regni statum prosperum et tranquillum. Datum Beneventi XXVI. Februarii die idus IX. Regni autem nostri anno primo.

XLVI.

Breve Clementis IV. Pontificis Maximi, ad Wernberum, Archi-Episcopum Moguntinum, exaratum, in quo mandat, ut, Conradinum, Siciliæ Regnum affectantem, una cum asseclis, publice excommunicatum esse, publicari curet, d. d. 14. Kal. Octobr. Anno 1266.

CLemens Episcopus, Servus Servorum DEI, Venerabili Fratri Archi-Episcopo Moguntino salutem et Apostolicam benedictionem. Fundata Domus Domini super immobile fundamentum, cujus secundum Apostolum aliud ponere nemo potest, a columnis stabilibus sub decenti locatis ordine pulchritudinem recipit et splendorem, quarum implent officium, qui Prælationis Ecclesiasticæ ministerium assecuti Spirituale sustinent ædificium et venustatem; inter hos sane quantum in credita Tibi Provincia locum obtines celsiorem, quanto pondus structuræ sustines amplioris, tanto Te decet gravitate majori in omnibus et per omnia stabiliri, ut nec nutes, nec devies a rectitudine tui status, ne dilapsus in partem alteram eo ruas periculosius, quo tecum plures traheres ad ruinam: verum ad justi pariter et honesti soliditatem propositi præter commune debitum, quo Te DEO vehementer astrictum intelligis, cujus ministerii tui vocatus sorte in partem sollicitudinis vicem geris, accumulata te nova obligant beneficia, quæ cum aliis Prælatis Alamanniæ a Sede nosceris Apostolica recepisse, cujus larga benevolentia, largitas quoque benevola vobis hactenus semper affuit, et quasi fons indeficiens vobis et vestris Ecclesiis gratiarum fluenta communicans, vos instruxit consiliis, roboravit auxiliis, vallavit præsidiis, et Privilegiis honoravit, justum est igitur, et pietati conveniens, ut ad matrem levetis oculos universi, et cura pervigili studeatis, ejus obviare periculis, quæ si sua vel vestra dixerimus, sua tamen rectius dicemus, et vestra cum dolente capite non sit in membris sanitas.

Cæterum quantum Ecclesiam flagellaverit, quantum concusserit, quot pro bonis ei mala reddiderit Domus Imperatoris Friderici, nedum Ecclesiis et Principibus Alemanniæ notum exstitit, sed et mundo notorium universo: unde justo damnatus judicio, et tam Imperii quam Regni Siciliæ jure pariter et honore privatus diem miserabiliter claudens extremum sui tenuem reliquit memoriam, cum sublatis e medio filiis in Domo tanti nominis unica tantum scintilla remansit ætatis adhuc teneræ, prææmaturæ tamen malitiæ, prout fida relatione didicimus, Conradinum, cujus congauderemus profectui, si suis contentus reprobatum avum pro meritis, nollet in suis imitari, nec ausu temerario moliretur infringere, quæ contra Avum eundem, exigente Justitia, felicis recordationis Prædecessor noster Innocentius, multis spectata oculis, multis probata sensibus, approbante Sacro Concilio, definivit: sed ecce jam prodit in publicum non transumpta cum semine patris iniquitas, sed avitæ potius ambitu magnitudinis, cujus ei sæpe memoria revocatur, ad nepotem improvidum temere propagata, sicque multum præpropere tumidus adolescens cum aliquibus inimicis Ecclesiæ Lombardis, Marchianis, et Tuscis, Apulis atque Siculis fraudulentis se - - - applicat, potestatem Ecclesiæ non considerans, quæ sicut avum ejus nudavit Imperio, suis meritis exigentibus, atque Regno Siciliæ, sic et eum jure ac honore Regni Jerosolymitani aliisque dignitatibus et juribus, si quæ habet, poterit privare, nisi sibi consilio meliori provideat, et Sedis Apostolicæ beneplacitis se coaptet.

Porro non sine magna cordis amaritudine nuper recepimus, quod nonnulli ex his Principibus et Prælatis, ad quos jus pertinet eligendi Romanorum Regem, ad Imperatorem postmodum promovendum, in eam venerint audaciam, ut super electione Conradini ejusdem ad Imperium, occultos audeant et apertos inire tractatus, suæ salutis immemores, hostes justitiæ, et quietis publicæ turbatores, cum deberent non solum attendere, quod assumere ineligibilem nulli liceat, verum etiam diligenter advertere, quomodo nunc eis paratum quemlibet et omni exceptione majorem liceret eligere, maxime pendente duarum electionum negotio coram Nobis, quæ fuerunt de carissimis in Christo Filiis nostris Rege Castellæ, et Richardo, Rege Cornubiæ, Viris Illustribus et Magnificis per eos, ad quos

quos jus eligendi pertinet, in discordia celebratæ, hunc autem probat esse ineligibilem ætatis infirmitas, quæ inhabilem eum efficit ad honores, cujus etiamsi legitimum terminum attigisset, eum tamen talem eligi non deceret, qui de persecutoribus Ecclesiæ manifestis tam veteribus quam modernis trahens originem, justa posset hac sola ratione repelli. Quocirca cum officio nostræ servitutis incumbat, fraudibus & malitiis perversorum occurrere, ne, quod absit, neglecta valeant incendia vires sumere, quæ in ipsis initiis levius extinguuntur, Nos in omnes & singulos, cujuscumque dignitatis vel Excellentiæ, Archi-Episcopalis etiam, vel Episcopalis, aut alterius Ecclesiasticæ vel Secularis existat, cujuscumque sint gradus, vel ordinis, sive sexus, qui prætactis publicis, vel occultis, seu quibuscunque aliis modis procurabunt dicti Conradini promotionem in Romanorum Regem, vel Imperatorem, aut hujusmodi tractatibus consenserint, vel his procurantibus dabunt consilium, auxilium, & favorem, & in omnes, qui ad id procurandum, vel agendum convenerint, excommunicationis sententiam promulgamus, & anathematis eos vinculo innodantes terras Ecclesiastico subjicimus interdicto: si qui vero ad electionem ipsius processerint, si Principes fuerint, eos & hæredes ipsorum omnibus feudis & honoribus, quos ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis obtinent, & tam eos, quam posteritatem eorum usque ad quartam generationem jure eligendi Romanorum Regem auctoritate Apostolica privamus, & insuper eorum filios Clericos usque ad quartam generationem reddimus prorsus inhabiles ad dignitates vel beneficia Ecclesiastica obtinenda: si vero electores hujusmodi Prælati fuerint, ipso facto depositi ac nudati remaneant omni dignitate Archi-Episcopali & Episcopali, & omni Ecclesiastico beneficio, sine spe restitutionis aut gratiæ, aliquo tempore obtinendæ; omnes etiam, qui prædicto Conradino adstiterint, aut impenderint consilium, vel auxilium aut favorem contra carissimum in Christo filium nostrum, Carolum, nec non Regem Siciliæ a Sede Apostolica constitutum, in quo novam ac nobilem opem Ecclesiæ favor Divinæ Dextræ signis evidentissimis comprobavit, excommunicationis sententia innodamus, in omnes quoque, qui cum eodem Conradino, vel pro ipso, aut in ejus auxilium contra Ecclesiam vel præfatum Carolum, Siciliæ Regem, in Regnum Siciliæ, seu quæcumque ejus loca, vel in Italiam, seu quascumque Italiæ Regiones vel partes accedere, aut ibi dictum Conradinum adjuvare præsumserint, excommunicationis sententiam proferentes, terras eorum Ecclesiastico supponimus interdicto, contra eos gravius processuri, prout excessus meruerit eorundem.

Licet autem de Tuæ devotionis & fidei puritate firmam geramus fiduciam, quod in his & in aliis tuæ providebis saluti, & te nostris beneplacitis coaptabis, quia tamen calcar equum admissum excitat magis, quam molestat, Fraternitati vestræ per Apostolica Scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus a prædictis laqueis vel periculis non solum tibi caveas, sed & alios, qui in ea possent incidere, reddas sollicite cautiores, hanc nostram sententiam, totumque præsentium tenorem in tuis civitate, diœcesi & Provincia, convocatis Clero & populo facias singulis mensibus, vel si expedire videris, pluries publicari.

Datum Viterbii XIV. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno secundo.

XLVII.

Epistola Caroli I. Siciliæ Regis diffidatoria, adversus Petrum, Arragonum & Siciliæ Regem, conscripta, de Anno 126-.

Carolus, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Rex, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ Forcalcherii Comes, *Petro*, filio quondam illustris Viri Regis Arragonum. &c.

Si de sanæ mentis consideratione librata lance justitiæ, tuum apprehendisses consilium, & si non ad fatuam animadversionem mentis denuo delirasses, profecto tuas rapidas manus manere violenti prædonis ad regnum nostrum Siciliæ, quod cum multis bellorum angustiis & sanguinis effusione, & ex aliis & nostro proprio sanguine ab occupantium detentione, matre jubente, retraximus, & suadente Ecclesia, nulla honoris & lucri affectione protractus, aliquatenus convertisses: Sed veracissime intuemur, quod tuum est infatuatum consilium, dum tui rapacem dextram fuisti conatus extendere, ut capta præda, raptisque spoliis exsultares. Nam considerasti, tu improbe, nostræ matris Ecclesiæ insuperabilem excellentiam, quæ cunctis habet nationibus imperare, & cui totus orbis terrarum & omnes obediunt creaturæ, hæc est in qua Dominus DEus fixit totius Christianæ fidei fundamentum. Hæc est, quam Pontus & æthera colunt, prædicant & adorant, & tenentur ei omnes, qui sub sole sunt, reddere tributaria debita, & præstare obsequia capitibus inclinatis. Non consideraftis Celsitudinis nostræ potentiam, quæ altitudinem collium reducit, ad plana monitum cacumina declinat, ad infima superborum elata cornua destruit & confundit, prava in directa convertit, & aspera in vias planas deducit. Et ne longæva petantur exempla, considera, demens, considera, ad quid quondam *Manfredi*, Principis Tarentinorum filii olim *Friderici*, Romanorum Imperatoris, soceri tui, devenerit ingeniosa potentia, dum in campo Beneventano contra nos prælium attentasset. Ubi est ejus insuperabilis dignitas? ubi divitiarum opulenta fœcunditas? ubi solatiorum & jocorum amœna jucunditas! Hæc omnia cum suo Regno & Principatu, & suo toto dominio, unus dies mœstus sustulit, & subjecit, dum ausus fuit in campo belligero contra nostram potentiam apparere. Animadverte, insane, ad quid quondam *Conradini* tui affinis devenerit elata superbia? quomodo suus numerosus exercitus noster Marte prostratus est, & quomodo prædo in prædis mortis patibulum recto judicio invenisset, ac crudelissimi spiculatoris gladio passus fuisset supplicium diræ mortis. Hæc omnia te debuissent terrere, insipiens. Dicis enim in corde tuo: non est DEus; corruptus & abominabilis

factus

factus es gentibus, dum in talibus matrem offendis Ecclesiam, hostem te præparas cæteris Christianis; sputum misisti in cœlum: ipsum in faciem tuam cadet. Omnis enim, qui se ultra sui statum extendit, superbo spiritu ad alta ascendit, ruinæ detrimentum attingit. Stultum namque & fatuum esse dignoscitur, aliquem contra majorem, cui par esse non potest, contendere, & debilem inermem insurgere contra fortem: nam ei sua tenuitas tristes pariter eventus parat, & talium vita semper prosperis successibus caruit. Quare tibi tenore præsentium præcipiendo mandamus, quatenus confestim, lectis nostrarum literarum apicibus, a Regno nostro Siciliæ cum tua gente propere discedas, & numquam reversurus ab eo te totaliter debeas absentare: alioquin nostra victoriosa lilia, tam per mare, quam per terras sic hostiliter, sic potenter contra te & tuos complices dirigemus, quod, DEO dante, cujus res agitur, de te tuaque gente & de proditoribus Regni nostri Siciliæ, ac aliis tale exterminium faciemus, sic, quod væ illis erit, quia ad vasa non poterant habere recursum, qui se non poterunt a potentia nostri mirifici exercitus absentare. Datum &c.

XLIIX.

Epistola Petri, Arragonum Regis, ad antea-insertam diffidatoriam responsoria, de An. 126-.

PEtrus, DEI gratia Arragonum & Siciliæ Rex, *Carolo* Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalcherii Comiti, &c.

De magna tui cordis arrogantia superba manavit epistola, quæ in singulis suis partibus terribilibus coruscationibus visa est ignes evomere, fulguris sagittas emittere, & atroces minas cervicibus eructare. Cujus epistolæ intellecto & considerato tenore, de nullius statera justitiæ ejus manabant loquelæ, sed omni humilitate vacuæ, procellosas ampullus & minarum grandines exspergebant; sed considerare debueras, quod nec leporinam imitamur naturam, nec pertimeamus minas verborum tuorum frondibus arboris leviores, nec meticulosarum ranarum mores consequimur, quæ quovis sono pusillo fugiunt, se securas stagnorum suorum latebris receptantes. Cito enim vero experimento recognoscere poteris, si nostros pedes convertemus in fugam, & si latebrosa receptacula requiremus. O quantæ occisionis strage primo terra madescet! o quanti sanguinis aspersione mare tingetur! Nam ipsius procellæ liquido tinctæ cruoris liquore peremta corpora peregrina ad littora transportabunt. Sed tunc si more bellorum Arragonenses in aliquo offendentur, cum sine strage utriusque partis bella non possint procedere, speramus tamen in DEO, in quo totum nostrum cogitatum & ancoram spei nostræ jactavimus, quod sic docebit manus nostras ad prælium, & digitos nostros fortificabit ad bellum, quod ingemiscet, ac dolebit Gallica natio, de diro exterminio suæ gentis tristis erit Provincia, & sicut Rachel lugebit de occisione filiorum suorum, dum non videbit eos sua sabbata venerari. Insons Apulus & Calaber ingemiscent, & Latinis atque Græcis sonis in organum miseræ lamentationis irrumpent. Tunc dicetur a singulis: Beatæ steriles quæ non conceperunt, & Beatæ mammæ quæ nullum filium lactaverunt: Inflatus enim tenor epistolæ tuæ præfatæ Regis *Manfredi*, soceri nostri, nobilem potentiam fuisse tuo Marte præclusam, nec non & Regis *Conradi II.* nostri affinis, floridam adolescentiam gladio tuo protervo, & iniquo judicio fuisse destructam, non sine tui elatione Spiritus te jactabat. Sed non consideras, impie, quod, unde credis acquirere gloriam, inde infamiæ tibi nota assurgit, & periculum reservatur. Sangvis enim ipsorum vociferatur super terram. Justæ lacrymæ miserandæ matris Regis *Conradi* ascendentes ad æthera jam cœli, pulsavere tribunal, & effusæ ante conspectum summi Judicis & Regis æterni, meruerunt exauditionem attingere. Ipse enim sanguinem justum vindicat, & ulciscitur interemtos filios innocentum: si vero tu Regem juvenem, adolescentem & agnum sine macula, Regni sua jura recuperare volentem, raptum a te & ad occisionem deductum tua falsa & feroci sententia condemnatum turpiter occidisti; credis, tam facinorosum scelus sine pœna transire, & peccatum transcendere sic enorme? O nefas, quantum tuus furor a rationis tramite deviavit, dum Regem captum ad necis excidium tradidisti! O scelus nefandum! Quis unquam Princeps captum Principem trucidavit? Nonne ille magnanimus Alexander Porum, Lindorum Regem captum in bello, non occidit, sed potius conservavit? Et nec longe exempla petamus, nonne tu & magnificus Rex Franciæ, frater tuus, capti a Saracenorum Soldano, misericordiam implorantes, fuistis ab eo misericordiam consecuti? Tu vero Nerone Neronior, & crudelior Saracenis, innocentem agnum in tuo reclusum carcere mortis judicio subjecisti: propter quæ destruat te DEUS, quod tam nefanda præsumsisti, subvertendo Regnum, Ducumque clementiam in severitatem, & parcendi genus in severæ ultionis mortem impie pervertendo. Viri enim sanguinum & dolosi suos dies dimidiare non poterunt, & Regna diu non stabunt, quæ benigna clementia non conservat. Considera, proterve, considera quantam afflictionem miseris Regnicolis intulisti! Nam non contentus eras indebitarum collectarum ipsos gravare oneribus, sed subtiles vias & occasiones tinctas colore mendacii invenire conatus es, per quas ipsos pro rebus reos faceres, & ab eis, tamquam a barbaris, aurum subtiliter extorqueres, & quos puræ fidei tenebat integritas, mendaciorum maculabas infamia, ut ipsos a divitiis spoliares. Demum indifferenter omnes proditorum nomine maculabas, ut eorum substantiam tu insatiabilis usurarius usurpares, & post hoc eis insontibus diræ necis supplicium inferres. Unum tamen DEO nefandum & cunctis rationibus odiosum ab horrida Gallicorum gente non absque DEI judicio fuit commissum, quod prava gens tua Gallica lectum miserarum regnicolarum non sine magna & eorum gravi injuria violabat; & dum pro vindicandis eorum injuriis, & puniendis hujusmodi sceleris patratoribus, ad te nitebantur recurrere, aditus negabatur eisdem. Tu vero tanquam surdus

& non

& non audiens, non intendere voces calamitosorum clamantium simulabas; & sic audacia sceleris indultis crescebat, & pullulabat undique licentia tam nefandi sceleris patratorum. Hæc & alia innumerabilia scelera de summo cardine DEus ultionum respiciens, tuum, ut veraciter credimus, dissipabit dominium, tuam superbam potentiam deponet de sede, & nostram humilitatem dignabitur exaltare. Nam semper DEus injustas iras ulcere percutit gladio, nec virgam peccatorum super sortem justorum diu stare permittit, ne justi extendant ad impia manus suas. Quid ergo, impie, tanquam tubæ, vocem tuam exaltas? non desines ab ira tua, non desines, semper in tua superbia malignaris. Jam Regis nomen non habes, dum Regnum amiseris. Hoc enim accidit ex nutu Divinæ spirationis, Siculorum corda tangentis, nec adhuc cognoscis, improbe, casum tuum. Jam tua cadit superbia, nam superbis DEus resistit, & frangens elatorum cornua, respicit mansuetudinem humilium servientium secundum meritum, superbia cunctis gradibus odiosa, amicos non habet, & undecumque sibi congerit inimicos; Justam namque causam fovemus. Nam hæreditaria jura Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ serenissimæ Dominæ uxoris nostræ, filiæ quondam Regis *Manfredi*, & amitæ Regis *Conradi*, prosequimur: ad cujus prosecutionem negotii jam DEus vias prosperas præparavit, suam Nobis licet indignis auxiliantem dextram porrigens, ut te altissimum & tuis subditis ac cunctis gentibus odiosum evellamus radicitus & confundamus, & non labores, contra nos cum spernendo tuo exercitu properare. Nos enim sic contra te, sic magnifice, sic potenter, DEO nobis favente, ad te per terras, cum nostris insigniis vincentibus veniemus, ac te, tuam gentem & prolem de facie terræ delebimus; & leonem, qui pullos aquilæ interficiens deplumavit, nostro victoriosissimo dracone sic interficiemus morsibus toxicatis, & sic in nihilum reducemus, quod non invenietur de te memoria super terram. Tunc scies & senties, quid Arragonum dextera valet, quid tibi Regum interitus profuerit, effuso sanguine innocentum. Datum &c.

XLIX.

Epistola Panormitanorum ad Messanenses, adversus Carolum I. Siciliæ Regem, Gallosque directa, d. d. 13. April. Anno 1268.

NObilibus civibus urbis egregiæ Messanensis sub Pharaone Principe plus quam in luto & latere ancillatis, Panormitani salutem & captivitatis jugum abjicere, & bravium accipere libertatis.

Consurge, consurge filia Sion, indue fortitudinem tuam, quæ jucunditatis exuta vestibus, & vestimentis tuæ gloriæ denudata, in die calamitatis & miseriæ, in die amaritudinis & ignominiæ contabescis. Noli ultra lamenta promere, quæ tui cordolium pariunt, sed tolle arma tua, arcum & pharetram, & solve vincula colli tui. Jam enim facta es in opprobrium vicinis tuis, derisum & contemtum his, qui in circuitu ejus sunt, barbaris, & Christi fidelium inimicis. Jam humiliati sunt velut Joseph in compedibus pedes tui, & tanquam serva a pravis Ismaelitis viliter venundata. Jam gentes tibi improperant, ubi est Deus tuus? & cur ultra exspectas, & per patientiam vilis efficeris non solum hostibus, sed & Creatori? quid durius, quidve molestius plebs Israëlitica sustulit temporibus Pharaonis, quam quod draco iste magnus fecit, qui seducit universum orbem, & se in hortum B. Petri & electam Ecclesiæ vineam intulit his diebus? Hic est enim Satan solutus a vinculis, qui post mille ducentos annos conglutiens omnia, vitam aufert præsentium & gloriam futurorum. Quid igitur tibi profuit redemtio piissimi Redemtoris, piissimi Salvatoris, si tunc eruta de fraude Diaboli nunc in escam draconis magni, & Æthiopum populi devenisti? Heu miseri! quam vano fuimus errore decepti! Nosti Ecclesia, mater nostra. Sicut enim lucifer, discutiens tenebras, in suo ortu clarus apparet & rutilans, sic istius adventum in nostrum opinabamur prodire lumen & gloriam cœlitus inspiratam, dicentes intra nos: Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus tibi venit mansuetus, qui omnem a te tribulationem auferet, omnemque ibi molestiam exstirpabit. Hic est angelus, cujus ingressum piscina desiderat cordis tui, ut sanet omnes languores tuos, qui te oleo lætitiæ præ participibus tuis unget. Hic est Cherubim, qui portas tibi aperiet paradisi, & Raphaël, qui te, tanquam unicum Tobiæ filium, a mortis laqueo præservabit. O infelix opinio, & spes fallax! Hic revera est Nero sævissimus, qui DEI Apostolos trucidavit, & in matris necem crudeliter exarsit. Hic est ignis æterni judicii æqualiter omnia dissipans, & velut securis posita ad radicem. Proh dolor! Quem pastorem credidimus, est verissime lupus rapax; & quem agnum putavimus mansuetum, leonem ferocissimum experimur. Heu! quid nostram sic fascinavit prudentiam, & vires nostri animi enervavit, ut gentes quæ ebrietati deserviunt, jugum nobis imponerent servitutis? Certe patientia ingens fecit. Si igitur patientia est virtutum omnium condimentum, cur nobis bonorum omnium attulit detrimentum? Suntne ista principis & pastoris, ut, quos debet regere, pascere, & fovere, destruat, dissipet & evellat? Vehementi tamen admiratione miramur, dominam nostram & magnam Apostolicam matrem Ecclesiam feritatem hujus Principis & nequitiam sub silentio transmittere. Quomodo tanti ardoris summus eam latere potuit convicinam, cui de ultimis terræ finibus facta singula patefiunt? Sic autem jam humiliatus est in pulvere ventus noster, quod jam dicere possumus & debemus: Beatæ steriles, quæ non gignunt, & beata ubera, quæ non lactant, & in laudem prorumpere Michaëlis, quod non restat aliud dicere nisi: DEus in adjutorium meum intende. Cum igitur divina potius quam humana inspiratione compulsi, & libertatis antiquæ beneficium intendamus, serpentibus omnibus, quæ ad nostra pendebant ubera penitus amputatis, & aspidum ovis oppressis; hortamur vos, fratres carissimi, ne in vanum gratiam DEI vos recipere contingat. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis vestræ.

vestræ. Nam milvus & hirundo visitationis suæ tempus, testante Domino, cognoverunt. Surge itaque, surge, illuminare civitas generosa, & noctis caliginem procul pelle. Jam enim a Domino tibi dicitur: Tolle grabatum tuum, & ambula, cum sana facta sis. Quæ sedebas in tenebris & umbra mortis viliter tabescebas; leva in circuitu oculos tuos, & contemplare cœlum, novam gloriam libertatis. Non te decipiat falsus error, & simulata bonitas persuadeat tyrannorum, quæ falsis blanditiis suis intendit intentionibus obviare, dum virus eorum vires resumere valeat; quia nunc aquis divinæ gratiæ est sopitum. Sed attende & considera, quod minus tyrannica pravitas exercuit in subjectis Christicolis, quam in rebellibus Saracenis? Melius est igitur nos mori viriliter in conflictu, quam gentis nostræ mala conspicere & sub servitute tyrannica viliter deperire. Heu miseri dum laudem divinam diebus sacri jejunii, passionis & resurrectionis Dominicæ, petebamus in Ecclesia, protinus ministri scelerum venientes, nos inde convitiose trahebant, & ducentes ad carcerem cum clamore dicebant: solvite, solvite Paterini. Nulla dies quantumcunque celebris propter hoc poterat divinis obsequiis deputari: nec feriæ, quæ in laudem DEI fuerant per Catholicos Principes introductæ, locum habebant apud tyrannicam tempestatem. Eramus enim tamquam oves errantes & animæ sine fide. Nunc igitur clamemus in cœlum, & miserebitur nostri DEus omnipotens, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, ut sit nobis turris fortitudinis a facie inimici, & gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ ipsius dextra comprimantur. Estote itaque fortes in bello, & cum antiquo serpente pugnate, & quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite libertatis, ut accipiatis justitiæ gratiam in præsenti, & calamitatis fugiatis miseriam in futuro. Valete carissimi. Datum Panormi XIII. die Aprilis, X. Indictione.

L.

Juramentum fidelitatis, a Carolo I. Siciliæ Rege, Sedi Apostolicæ præstitum, d. 5. Octobris, Anno 1277.

IN nomine Domini Amen. Ego Carolus DEI gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, ad honorem DEI omnipotentis Patris & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ ac gloriosæ virginis Mariæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, & Ecclesiæ Romanæ, ligium homagium facio, tibi Domino meo Joanni Papæ vigesimo primo tuisque Successoribus canonice intrantibus, & ipsi Ecclesiæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ejusdem Ecclesiæ, quæ utique Regnum & terram, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis mihi & hæredibus meis prædicta Ecclesia Romana concessit.

Ego Carolus, DEI gratia Rex Siciliæ, plenum & ligium vasallagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Pharum usquæ ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem, per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro & tibi Domino meo Joanni Papæ vigesimo primo, tuisque successoribus canonice intrantibus sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non in consilio, aut in consensu, vel facto, ut vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per vos aut nuntios vestros sive per literas, ad vestrum damnum, me sciente, nemini pandam. Et si scivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in vestrum damnum, illud pro posse impediam: & si impedire non possem, illud vobis significare curabo. Papatum Romanum, & regalia S. Petri tam in Regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi existentia, adjutor ero vobis ad retinendum & defendendum, ac recuperata manutenendum contra omnem hominem.

Item juro, me ad hoc specialiter obligans, quod ego seu mei in Regno & terra prædictis hæredes nunquam per Nos vel alios, seu quocunque modo procurabimus ut eligamur vel nominemur in Regem, vel Imperatorem Romanum, vel Regem Teutoniæ, seu Dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ, &, si electionem vel nominationem ad Imperium vel Regnum Romanum, seu Regnum Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earundem, de me, vel ipsis hæredibus celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabimus, nec intromittemus nos ullo modo de regimine ipsius Imperii vel Regni Romani, seu Regni Teutoniæ, aut Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earum, ad quodcunque horum nominati fuerimus vel electi.

Quod si ego vel aliqui in Regno hæredum meorum, studentibus & procurantibus me aut eis, ad Imperium ipsum sive ad dictum Regnum Romanum, sive Regnum Teutoniæ aut Dominium Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris earum partis electi seu nominati fuerimus, si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de Imperii vel Regni Romani seu Regni Teutoniæ, aut Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine ego vel ipsi Nos manifeste intromiserimus; eo ipso a jure prædictorum Regni Siciliæ & terræ cadamus ex toto, ipsique prorsus amittamus, & eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si autem ego, vel aliqui ex dictis hæredibus electioni vel nominationi factæ, non procurantibus me vel eis, aut procurantibus consenserimus, & huic electioni seu nominationi vel juri, ego vel ipsi omnino renuntiabimus, & quod de Imperio, seu aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati ego vel ipsi fuerimus, Nos nullatenus intromittamus, moniti infra quatuor mensium spatium, post monitionem hujusmodi tali electioni, seu nominationi, vel juri

non

non renunciaverimus, vel de ipso Imperio seu aliquo præmissorum, ad quod electi vel nominati fuerimus, Nos intromiserimus quoquo modo; ex hoc simus, ego & ipsi eisdem Regno Siciliæ ac terra, & omni prorsus eorum jure privati; & ut dictum est, eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad me, vel ipsos meos in eodem Regno hæredes non poterit commode talis monitio pervenire; super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode ego vel ipsi nequeamus, credetur & stabitur assertioni nostræ, seu successorum vestrorum, sive dicto, sufficiet pro ea super hoc vestra, seu successorum vestrorum ipsorum monitio publica & solemnis, ita quod si infra sex menses post illam non renuntiaverimus, aut de Imperio, seu aliquo alio prædictorum, ad quod ego vel dicti hæredes electi, seu nominati, Nos quomodolibet intromiserimus, cadamus ex hoc ab omni jure ipsorum Regni & terræ; & Regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Cæterum si contigerit, aliquem de dictis hæredibus, qui debent in prædictis Regno Siciliæ & terra succedere, in Regem, vel Imperatorem Romanum, seu Regem Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, seu majoris partis earum nominari, seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorumdem Regni Siciliæ & terræ nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius Imper. vel Regno Romano, seu Regno Teutoniæ aut dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earum, ad quodcumque eorum electus nominatus fuerit vel assumtus; & omni juri sibi competenti in illis omnino renuntiet, & illorum regimen nec de jure nec de facto illud gerens, vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumturus, alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in Regno Siciliæ ac terra prædictis sibi competerent ipso facto: ita quod eadem Regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur. Quod si non extantibus masculis fœmina in ejusdem Regno & terra successerit, illa Regi vel Imperatori Romanorum, seu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, vel Regi aut electo in Regem Teutoniæ, seu dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris partis earum, seu electo ad earum dominium numquam matrimonialiter copuletur: & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ Regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis Regno & terra ad eandem Ecclesiam devolutis. Si autem ego vel aliquis dictorum in Regno meo hæredum contra hæc venerimus, eo ipso excommunicati, prout secundum conditiones, sub quibus Regnum & terra prædicta mihi & hæredibus meis concessa sunt, per Sedem Apostolicam extitit ordinatum, & insuper labe & reatu perjurii respersi & notati existamus. In hujusmodi quoque juramento addo, & per eosdem in dicto Regno hæredes addetur expresse, quod nullo unquam tempore Regnum seu Imperium Romanum, aut Regnum Teutoniæ, vel Dominium Lombardiæ seu Tusciæ, aut majoris earum partis, aut easdem Lombardiam, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum per Nos vel alios, seu alium occupabimus, capiemus vel acquiremus, aut Nobis alias quomodolibet vendicabimus: & si secus fecerimus, secundum præscriptam formam pœnas similes incurramus.

Quod autem dicitur de majore parte Dominii Lombardiæ vel Tusciæ, intelligitur scienter. Si vero ignoranter, eum ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneamur, & si eam, Ecclesia mandante, dimittamus, non incidamus in pœnam in isto articulo & consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittamus, remaneat pœna, prout est in hoc articulo. Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad Imperium, alioquin in pœnas incidat in hoc articulo & aliis consimilibus comprehensas.

Quod si Regni possessione prædicti nondum agnita seu obtenta in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium: in manu prius Romani Pontificis, vel illius, quem idem Pontifex duxerit destinandum filium suum successorem in Regno, cujuscumque fuerit ætatis, emancipet, & Regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis; nec ipsum filium ad servitium vel subsidium aliquod faciendum juramento, vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis adstringat: sicque factus filius sui juris ab eodem Romano Pontifice, vel ab alio destinato ab ipso protinus investiatur de Regno. Ad cujus Regis successionem, si forte decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat, Imperator existens: sed si Imperio, & omnibus quæ ad Imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & Regno tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel ab alio destinato ab ipso, investituram recipiat Regni ejusdem.

Quod si dictus filius sic ad Regnum assumptus major annis decem & octo fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam Regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse impleverit supradictam ætatem; fructibus & obventionibus Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro ejusdem Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem & lucro alterius ratione ipsius custodia non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione præmissa a patre ad Imperium transeunte, dimitti, de filia etiam est concessum.

Et si Rex, non habens filios, in Imperatorem electus ad Imperium transire voluerit, & de personis, quæ in conditionibus, contentis in instrumento, seu literis bonæ memoriæ Anibaldi Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyteri, Richardi S. Angeli, & venerabilium patrum Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobi S. Mariæ in Cosmedin Diaconorum Cardinalium super concessione prædictorum Regni & terræ mihi facta concessit, dicuntur liberis non extantibus in Regno posse succedere, aliqui superstites fuerint; quæ de filio & filia prædicta sunt, conserventur in illis, excepto mancipationis articulo, qui in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existant ratione

patriæ poteſtatis. Quod ſi Regi Siciliæ ſine filio decedenti ſuperſtes ſit filia vel mulier alia, quæ juxta formam in prædictis conditionibus contentam debeat ad hujusmodi ſucceſſionem admitti, quæ Imperatori, dum ipſe Rex viveret, fuerat deſponſata, vel nupta, non ſuccedat in Regno; & ſi Regno ſibi delato Imperatori nupſerat, cadat protinus ab eadem, niſi vir ejus Imperio prorſus renuntians Regno ſolummodo ſit contentus.

In primo autem caſu, repulſis filia & alia prædicta, ad perſonas illas, ſervatis gradibus, Regnum perveniat, quas in Regno poſſe ſuccedere in ipſis conditionibus continetur, ſi Regi præmortuo liberi non ſuperſint. In ſecundo autem caſu Regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam devolvatur, Regnum quoque Siciliæ & terra prædicta Imperio nullo modo ſubdentur, nec ſibi ullo unquam tempore in eadem perſona quomodolibet unientur; & præciſe ſuper hoc articulo tam per pœnas ſpirituales quam alias cautiones cavebo juxta Eccleſiæ voluntatem, quandocunque tu vel dicti ſucceſſores tui hoc duxeritis requirendum, cum prorſus intentionis ſit Romanæ Eccleſiæ, ut Regnum & terra prædicta nullo unquam tempore Imperio uniantur; ut ſcilicet unus Romanus Imperator & Siciliæ Rex exiſtat. Quod autem circa unionem ipſorum Regni & terræ cum Imperio dictum eſt, hoc ipſum circa unionem eorumdem Regni & terræ cum Regno Romano, aut Regno Teutoniæ, ſeu cum Lombardia vel Tuſcia, ſive cum majori parte ipſarum Lombardiæ vel Tuſciæ volo & intelligo eſſe dictum. Univerſas & ſingulas conditiones contentas in prædicto inſtrumento ſeu literis prædictorum bonæ memoriæ Anibaldi, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyteri, Richardi S. Angeli, ac venerabilium patrum Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobi S. Mariæ in Coſmedin Diaconorum Cardinalium, ſuper ipſorum Regni & terræ conceſſione mihi ab eis facta, confectis; & omnia ac ſingula quæ continentur in eisdem inſtrumento ſeu literis, plenarie adimplebo & inviolabiliter obſervabo; nec ullo unquam tempore veniam contra illa, ſic me DEus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia. In hujusmodi autem rei teſtimonium perpetuamque memoriam præſens ſcriptum exinde confici juſſi, & aurea bulla Regiæ Majeſtatis impreſſa, typario communiri. Actum Viterbii in palatio Papali, anno Domini MCCLXXVI. die VII. menſis Octobris, quinta Indictionis, Regni mei anno duodecimo.

LI.

Caroli I. Siciliæ Regis, Diploma, in quo, ſe ſuosque Rudolphum I. Romanorum Imperatorem, Sacrumque Romanum Imperium nunquam eſſe offenſuros, promiſit, d. d. 10. Maji, Ann. 1280.

CArolus, DEI gratia Rex Jeruſalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Princeps Achajæ, Andegaviæ, Provinciæ Folkaiker & Torrodori Comes, univerſis præſentes literas inſpecturis. Ad perpetuam rei memoriam.

Munificentiæ gratiam & affabilitatis affectum, quibus magnificus Princeps, Dominus Rodulphus, Romanorum Rex, Nos & domum noſtram proſequitur, cognoſcentes; ac intendentes Regem ipſum & Romanum Imperium debitæ gratitudinis ſtudio revereri, promittimus pro Nobis & hæredibus noſtris, quod Nos, vel ipſi hæredes, per Nos vel per alios non offendemus Regem eumdem in aliquo, nec volentibus ipſum offendere præſtabimus conſilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte. Imperium etiam vel aliquam ejus partem non occupabimus vel invademus per Nos vel per alios, nec occupari vel invadi procurabimus, nec invadere vel occupare tentantibus præſtabimus conſilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum: in iis auctoritate & Mandato Romani Pontificis vel Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalvis, Vaſallos quoque noſtros contra prædictorum aliquod facientes, pro poſſe bona fide compeſcemus & puniemus, ſalvis auctoritate & mandato prædictis. Et ſi Nos contra prædicta, vel aliquod prædictorum, quæ ſuperius de Imperio loquimur, faceremus, liceat omnibus & ſingulis eccleſiaſticis & ſecularibus Principibus, Baronibus, Vaſallis, & Collegiis ac communitatibus Regni Siciliæ ac totius terræ, quæ eſt citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanæ Eccleſiæ, quæ ab ipſa tenemus Eccleſia, & omnium aliarum terrarum noſtrarum quæ ſunt in eodem Imperio, ad mandatum eorundem Romani Pontificis vel Apoſtolicæ Sedis juvare prædictum Regem & Imperatorem Romanorum contra Nos & hæredes eosdem ad defenſionem Imperii, & pro eo, quod juvabunt Imperatorem vel Regem prædictum ad defendendum Imperium, contra Nos, & hæredes eosdem non reputentur aliquid egiſſe vel agere contra homagium vel fidelitatem ab ipſis præſtita, vel præſtanda Nobis & hæredibus ſupradictis; & quod propter auxilium vel juvamen, quod in hoc caſu ad mandatum Romani Pontificis vel Sedis Apoſtolicæ prædictorum præſtabunt Imperatori vel Regi Romanorum, nullum damnum, detrimentum vel jacturam ipſi vel eorem hæredes in feudis & terris, quæ in Regno Siciliæ, ac tota terra prædictis tenent, incurrent, & accipient; & quod homines, ſeu vaſalli Regni Siciliæ non teneantur obedire Nobis, volentibus per Nos vel alium Imperium, vel aliquam ejus partem, ut dictum eſt, occupare, invadere, ſeu offendere in aliquo, ſalvis auctoritate & mandato Romani Pontificis vel Sedis Apoſtolicæ prædictorum. Præterea inimicos Regis ejusdem non juvabimus contra ipſum, ſalvis auctoritate & mandato prædictis, & excepto, quod ſi Nos haberemus guerram contra eandem Rom. Eccleſiam, vel ipſa Eccleſia contra Nos, poſſit idem Rex dictam Eccleſiam libere adjuvare: & ſi prædictus Rex haberet guerram contra Eccleſiam prædictam, vel eadem Eccleſia contra ipſum, libere Nos memoratam Eccleſiam adjuvare poſſimus.

Poſſit etiam Rex prædictus Regem Ungariæ juvare in defendendo, ſed nec de hominibus Imperii poſſimus Nos alicui ſervire contra Regem Romanorum vel Imperatorem, nec de hominibus Regis Franciæ ſervire teneamur alicui contra ipſum; Poſſimus quoque & Nos Regem Ungariæ in defendendo juvare, ſalvis in his auctoritate ac mandato Romani

Romani Pontificis, vel Sedis Apostolicæ prædictorum; Possimus etiam juvare Regem Franciæ, ut tenemur. Quod si forte, quod absit, inter eundem Regem Romanorum & Nos aliqua discordia orietur, unus non movebit propter hoc guerram alii, nec terram vel vasallos alterius molestabit per se, vel per alios; salvis mandato & auctoritate Romani Pontificis, vel Sedis Apostolicæ supradictis: sed recurremus ad Romanum Pontificem, & super hujusmodi discordiis præfatus Rex Romanorum, & Nos stabimus dicto memorati Romani Pontificis, si forsan inter Nos nequiverimus concordare. Super his autem omnibus & singulis plenarie observandis absolute ac libere Romano Pontifici spiritualiter ac temporaliter Nos tenore præsentium duximus submittendos. In omnibus autem & singulis supradictis consensimus expresse, ut in eisdem omnibus & singulis plenariam interpretationem & declarationem eidem Romano Pontifici ad præsens & in posterum reservantes, ejus interpretationem, seu declarationem faciendam, etiam simplici verbo, Nos servaturos specialiter auctoritate præsentium obligamus: promittentes nihilominus, prædicta omnia & singula, postquam præfatus Rex Imperiale diadema susceperit, renovare ad majorem & perpetuam firmitatem. Præmissa vero omnia & singula juramento corporaliter præstito promittimus inviolabiliter observare. Actum Neapoli anno Domini MCCLXXX. die X. Maji VIII. Indict. Regnorum nostrorum Jerusal. Ann. IV. Siciliæ vero XV.

LII.

Declaratio Rudolphi I. Romanorum Imperatoris, in qua se Comitatum Marchionatumque Provinciæ, nec non Forkalkerii Comitatum, nulli alii, præterquam Carolo I. Siciliæ Regi, in feudum esse collaturum, est pollicitus, d. d. 5. Kal. April. Anno 1280.

RODULPHUS, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, venerabilibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Comitatus & Marchionatus Provinciæ, ac Comitatus Forkalkier Ecclesiarum Prælatis, devotis suis prædilectis gratiam suam & omne bonum. In quibuslibet nostris actibus Ecclesiasticis gratificari solicitis studiis affectantes, earum dispendia, quantum Nobis ex alto permittitur, evitamus. Licet igitur Comitatum & Marchionatum Provinciæ (intendentes hæc duo nomina, scilicet Comitatum & Marchionatum esse synonyma, & unum, non diversa supponere) ac Comitatum Forkalkier, cum omnibus jurisdictionibus, juribus & pertinentiis eorundem; ac omnia, quæ infra Comitatus ipsius consistentiam Romanorum Imperatores per eorum privilegia quondam Domino Raymundo Berengario, Comiti & Marchioni Provinciæ, ac Comiti Forkalkier, ipsiusque prædecessoribus donaverunt, per speciale privilegium confirmemus, concedamus, & de novo tam Domino Carolo Regi Siciliæ Illustri ad vitam suam, si autem voluerit, quam hæredibus Regis ejusdem, qui processerunt ex eodem Rege & claræ memoriæ Beatrice, Regina Siciliæ consorte sua, & omnibus hæredibus & Successoribus eorundem in feudum, sub consuetis censu & servitiis, præstandis in posterum ab iisdem Rege, hæredibus & Successoribus, in perpetuum possidenda, donemus: & promittentes quod per Nos, vel alium, seu alios nullam donationem, confirmationem, investituram, concessionem, vel contractum, aut aliquid cum Domina Margareta, Regina Francorum Illustri, vel ejus Procuratoribus, aut nuntiis, seu aliis quibuscunque personis, Ecclesiasticis vel Secularibus fecimus, per quæ hujusmodi confirmatio, de novo donatis sive concessis, aut aliquid, quod in eodem concesso dicto Regi super iis privilegio continetur, habere non possit, vel debeat firmitatem, vel per quæ confirmationi, donationi & concessioni prædictis, ac iis, quæ in dicto privilegio continentur, aliquod afferri possit, vel debeat nocumentum, seu prædictorum confirmationis, donationis, concessionis, & aliorum contentorum in privilegio supra dicto effectus aliquatenus impediri circa ea, quæ forsan extra Comitatus eosdem prædicta donatio Imperatorum comprehenderet eorundem, nihil ad præsens penitus innovato; Declaraverimus, ordinaverimus, decreverimus, statuerimus, ac expresse facturos, & curaturos Nos specialiter obligaverimus, quod per ea, quæ facta sunt a Nobis, prædictæ Reginæ Franciæ nullum omnino præjudicium fiat & Regi & hæredibus ac successoribus supradictis, vel in jure præterito, quod eis in prædictis Comitatibus competebat, seu competit, vel iis, quæ in confirmatione ac concessione prædictis continentur: Nihilominus tamen declaramus, ordinamus, decernimus atque statuimus, quod per confirmationes, donationes & concessiones Comitatuum eorundem Ecclesiis & personis Ecclesiasticis illarum partium nullum omnino præjudicium generetur: cum intentionis nostræ sit earum jura non imminuere, sed augere. De omnibus autem & singulis supradictis, plenariam interpretationem & declarationem Romano Pontifici ad præsens, & in posterum reservantes, ejus interpretationem seu declarationem faciendam etiam simplici verbo, Nos servaturos specialiter auctoritate præsentium obligamus, promittentes nihilominus prædicta omnia & singula, postquam imperiale diadema, dante domino, susceperimus, renovare. Ad majorem & perpetuam firmitatem, actum & datum Viennæ, V. Kal. Aprilis, Indictione VIII. Anno Domini M CC LXXX. Regni vero nostri Anno VII.

LIII.

Diploma Petri, Regis Arragoniæ atque Siciliæ, in quo, se cum Carolo I. Siciliæ Rege prope Burdegalam certamen singulare die præfixo initurum, & quisnam, victoria obtenta, legitimus Regni Siciliæ possessor sit evasurus, experturum, omni affirmatione asseveravit, d. d. 3. Kalend. Januar. Anno 1282.

PEtrus, DEI gratia Arragoniæ & Siciliæ Rex, ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum. Pridem inter magnificum Principem Carolum, Jerusalem Regem illustrem, & Nos, mutuo præcedente

dente tractatu, quod ipse Rex eligeret sex de suis militibus, viros probos & fideles, & Nos eligeremus sex de nostris militibus, viros probos & fideles, qui omnes duodecim milites, per ipsum Regem Carolum & Nos taliter electi, corporali prius per eos præstito juramento, legaliter & bona fide tenerentur eligere locum communem, & statuere terminum ad pugnam faciendam inter ipsum Regem Carolum & centum de suis militibus ex una parte, & Nos ac centum de nostris militibus ex altera, pro eo quod ipse tamquam petitor Nobis apposuit, & apponit, quod Nos intravimus Regnum Siciliæ contra rationem, & malo modo, & ipso prius non diffidato, & hoc paratus erat & est probare de suo corpore & centum de suis militibus contra nostrum corpus & centum de nostris militibus.

Nosque Rex Petrus prædictus, tamquam defensor, ei respondimus & respondemus, quod in ingressu Siciliæ, vel in aliquo, quod fecerimus contra eum, rem non fecimus unde nostra legalitas minus valeat, vel verecundiam habere debeat in Curia, seu coram aliquo probo viro, & quod pugna de ipso & centum de suis militibus contra Nos & centum de nostris militibus Nobis placet.

Nos, de fide, prudentia, & legalitate, ac armorum experientia, Guillelmi de Castro novo Roderici, Eximeni de Luna, Petri de Cheralto, Eximeni de Arceda, Radulphi de Manuele de Trapare militum, & Judicis Rainaldi de Limogiis de Messana, per Nos ad hoc positi, & pro uno milite computati, familiarium & fidelium nostrorum, plenarie confidentes, ipsos elegimus, fecimus, constituimus, & ordinavimus, eisque per nostras patentes literas exhibuimus plenariam potestatem, quod ipsi, una cum Jordano de Insula, Johanne Vice-Comite de Trambley, Jacobo de Brussono, Eustachio de Hardicourt, Johanne de Denisi, & Guilielmo de Salsis militibus, familiaribus & fidelibus ipsius Regis Caroli, per eum ad hoc electis, factis, constitutis, & ordinatis, prout per Patentes literas, ipsius Regis Caroli pendente cereo sigillo munitas, evidenter apparuit & apparet, corporalibus inter ipsos duodecim, hinc & inde electos, pro parte ipsius Regis Caroli & nostra, ac ipsorum taliter electorum, hinc inde receptis & præstitis juramentis, legaliter & bona fide possent eligere & eligerent locum communem, & terminum statuerent competentem ad pugnam hujusmodi faciendam inter ipsum Regem Carolum & centum de suis militibus, ac Nos & centum de militibus nostris; Certumque præfigerent terminum, in quo ipse Rex Carolus, cum centum de suis militibus, & Nos, cum centum de nostris militibus, commode esse possimus; & simus in loco, quem prædicti duodecim, per ipsum Regem Carolum & Nos taliter electi, ad pugnam hujusmodi faciendam unanimiter & concorditer ducerent eligendum.

Dedimus autem eisdem quinque militibus, & dicto Judici Rainaldo, pro milite computato, familiaribus & fidelibus nostris, plenariam potestatem, quod ipsi securitates necessarias, quas inspicerent, opportunas, nomine nostro præstare & recipere, ac prædicta omnia & singula, (quæ sub hypotheca bonorum nostrorum rata & firma habere, ac inviolabiliter observare promisimus) tractare, eligere, ordinare, statuere possent, facere libere & terminare.

Adjecimus autem, quod, si aliquis, vel aliqui ex prædictis nostris quinque militibus, & judice pro milite computato, infirmitate, vel quovis alio casu emergente in prædictis, vel aliquo prædictorum interesse personaliter non posset, vel non possent; totidem quot ex prædictis nostris sex essent taliter impediti, eximerentur de numero prædictorum sex militum, per ipsum Regem Carolum ad prædicta taliter electorum; & reliqui, tam per eundem Regem Carolum, quam per Nos electi, unanimiter & concorditer ea omnia & singula possent libere perficere & complere.

Et hoc idem servaretur, si aliquis, vel aliqui, de prædictis sex militibus, per ipsum Regem Carolum electis essent infirmitate, vel casu quovis alio præpediti; ita videlicet, quod totidem eximerentur de numero prædictorum quinque militum, & Judicis loco militis computati per Nos taliter electorum; & reliqui qui forent residui, tam per ipsum Regem Carolum, quam per Nos electi, ea omnia & singula perficere possent libere & terminare.

Et ea omnia & singula, quæ prædicti quinque milites, & unus Judex, loco militis computatus per Nos electi, iidemque sex milites ab ipso Rege electi, vel ex eis omnibus electis ab utraque parte, aliquo vel aliquibus ex una vel altera parte præpedito seu præpeditis, & totidem ab una parte vel altera exemto vel exemtis, reliqui concorditer & unanimiter in prædictis omnibus & singulis tractarent, eligerent, ordinarent, statuerent, facerent, terminarent, & jurarent, sub eadem hypotheca bonorum nostrorum, rata & firma habere, & inviolabiliter observare promisimus, & juravimus, tactis corporaliter Evangeliis Sacrosanctis; securitates etiam omnes & juramenta præstare, obligationes ponere, & cautiones cujuscunque generis præbere, quas prædicti duodecim, ab eodem Rege Carolo & Nobis electi, vel residui ex iis, aliquo vel aliquibus ab una parte vel altera præpedito seu præpeditis, & totidem ab una parte vel altera exempto vel exemptis, a Nobis ducerent postulandas;

Prout hæc omnia in patentibus literis nostris, in testimonium inde confectis, & pendente sigillo nostro munitis, eidem Regi Carolo ex parte nostra exhibitis, (quarum est data Messanæ septimo Kal. Januarii, Anno ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo, secundo) plenius & apertius continetur.

Idem autem Rex Carolus prædictus Jordanum de Insula, Johannem, Vice-Comitem de Tambley, Jacobum de Bursano, Eustachium de Hardicourt, Johannem de Denisi, & Guillelmum de Salsis, familiares & fideles suos, ad hoc pro se elegit, fecit, constituit, & etiam ordinavit, dans & concedens eisdem, pro parte sua, consimilem per omnia potestatem; prout in patentibus literis ipsius Regis Caroli, in testimonium inde confectis, & pendente sigillo suo munitis, Nobis, pro parte ipsius Regis Caroli, exhibitis (quarum est data Rhegii, Anno Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo tertio, die vicesima sexta mensis Decembris, undecimæ Indictionis) plenius continetur.

Et

Et licet data, tam prædictarum ipsius Regis Caroli & nostrarum, quam etiam præsentium, & aliarum, pro parte ipsius Regis Caroli, præsentibus consimilium literarum, videatur in annis Domini discordare;

Et quod eorundem literarum nostrarum data posita est Anno Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo secundo, secundum consuetudinem Regni Arragonum,& quamplurium aliarum partium ultramontanarum, qua annus ab Incarnatione Domini computatur;

Et earundem literarum dicti Regis Caroli data posita est secundum Romanæ Ecclesiæ, totiusque fere Italiæ consuetudinem generalem, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio currente, qua annus a Nativitate Domini computatur.

Horum annorum descriptione diversa (scilicet, octuagesimi tertii, & octuagesimi secundi) secundum diversitatem regionum in positione a vocabulo discordante, uno tamen & eodem in existentia permanente, nullum autem propter hoc aliquibus dubium generetur;

Sed sit una singularis consuetudo, quod tam prædictæ de potestate, ipsis duodecim tradita ex parte ipsius Regis Caroli & nostra, quam præsentes, & ipsius Regis Caroli his similes & correspondentes, censeantur fuisse uno & eodem anno, die, mensèque confectæ.

Præfati quoque sex milites, per eundem Regem Carolum, ac præfati quinque milites & unus Judex pro milite computatus, per Nos electi, seu constituti & ordinati, in Regali palatio nostro Messanæ pariter congregati, & ad perfectionem hujus negotii procedentes, post tractatus multiplices, discussiones diversas, examinationes varias, indagationesque subtiles, perpenso, ac diligenti, & deliberato consilio, inter eos ex potestate, ipsis ab eodem Rege Carolo & Nobis per easdem literas tradita, unanimiter & concorditer elegerunt,

Quod prædicta pugna, inter Nos & centum de nostris militibus, ac dictum Regem Carolum & centum de suis militibus facienda, fiat in posse Regis Angliæ; videlicet in Vasconia, in territorio Civitatis Burdegalensis, in aliquo campo vel platea ipsius territorii, quem vel quam idem Rex Angliæ magis convenientem pro utraque parte judicabit ad pugnam ipsam de ducentis militibus faciendam, & quod locus ipse, in quo prædicta pugna fieri debet, sit circumdatus & bene clausus palis & clausuris aliis opportunis, ita quod nullus, pedes vel eques, locum ipsum possit intrare vel exire, nisi per portas.

Statuerunt etiam prædicti duodecim, per ipsum Regem Carolum & Nos electi, præfato Regi Carolo & Nobis terminum, ad præsentandum nos coram Rege Angliæ prædicto in eadem Civitate Burdegalensi, ad pugnam hujusmodi faciendam, nostrum quemlibet cum prædictis nostris centum militibus, primum diem mensis Junii, primo futuri hujus undecimæ Indictionis.

Adjecerunt etiam iidem duodecim, per ipsum Regem Carolum & Nos electi, quod id, quod de præsentatione prædicti Regis Caroli & nostra, coram eodem Rege Angliæ facienda, dixerunt, ut superius est expressum, sic volunt intelligi, quod ipse Rex Carolus & Nos, in prædicto loco & termino nos debemus coram dicto Rege Angliæ præsentare, ad pugnam hujusmodi faciendam:

Et, si ipse Rex Angliæ in eodem loco & termino personaliter esse non posset, idem Rex Carolus & Nos præsentemus nos coram eo, quem idem Rex Angliæ miserit specialiter ad recipiendam præsentationem hujusmodi loco sui;

Et, si ipse Rex Angliæ in eodem loco & termino præsens non fuerit, nec aliquem ad hoc specialiter miserit loco sui; dictus Rex Carolus & Nos teneamur nos præsentare coram eo, qui vices dicti Regis Angliæ gesserit in loco prædicto.

Ordinaverunt etiam & statuerunt prædicti duodecim, quod prædicta pugna, inter prædictum Regem Carolum & Nos facienda in loco prædicto, non fiet coram aliquo de gente ipsius Regis Angliæ, nisi ipse Rex Angliæ personaliter esset præsens; salvo si, ad pugnam ipsam taliter faciendam, ipse Rex Carolus & Nos essemus in communi concordia & assensu;

Et quod, si in prædicta die ipse Rex Angliæ præsens in prædicto loco non esset, idem Rex Carolus & Nos teneamur ipsum Regem Angliæ, vel responsionem suam de veniendo, vel non veniendo ad locum ipsum, a die prædicto dato, usque ad triginta dies expectare.

Et, ut ipsius Regis Angliæ præsentia modis omnibus procuretur, voluerunt, ordinaverunt, & statuerunt prædicti duodecim, quod ipse Rex Carolus & Nos, quilibet per se, promittamus & juremus, quod legaliter & bona fide procuremus, pro posse, sine fraude vel ingenio quolibet, diligenter & sollicite faciamus, & facere studeamus quod idem Rex Angliæ ad prædictum statutum diem primum, primo futuri mensis Junii, in eadem civitate Burdegalensi, sita in Vasconia, præsens sit personaliter, & literas, per ipsum Regem Carolum & Nos, coram ipso offerendas, ipse Rex Angliæ recipiat, ad pugnam hujusmodi faciendam.

Ordinaverunt etiam & statuerunt prædicti duodecim, quod ipse Rex Carolus & Nos, cum nostra utriusque comitiva, donec in Vasconia moram egerimus, pro pugna hujusmodi facienda, & etiam per octo dies post eundem terminum completum, pro recedendo inde & eundo, quo utrique nostrum placuerit, nos & dictæ nostræ comitivæ in personis, animalibus & rebus, quas nos & ipsæ nostræ comitivæ nobiscum duxerimus & portaverimus, ad pugnam hujusmodi faciendam, nos ad invicem nullatenus offendamus;

Sed, quod duodecim treugas & securitates (quas, utriusque nostrum nomine, sibi dederunt & fecerunt ad invicem, ac eidem Regi Carolo & Nobis indixerunt) ordinaverunt, donec in Vasconia, pro eadem pugna facienda, manserimus, & etiam per octo dies post communem terminum completum, pro recedendo inde & eundo, quo utrique nostrum placuerit, treugas & securitates ipsas Nos & comitivæ nostræ inviolabiliter observemus.

Ordinaverunt insuper, & statuerunt, & etiam firmaverunt prædicti duodecim, quod prædictus Rex Carolus & Nos legaliter & bona fide debeamus promittere & jurare,

Quod quicunque nostrum prædictorum duorum Regum,

Regum, videlicet prædicti Regis Caroli & nostri Petri, (legitimo, aperto & bene probato corporis cessante defectu) ad præfatos diem & locum, præfato Regi Carolo & Nobis statutos & præfixos ad pugnam hujusmodi faciendam, defecerit; & in eodem die, qui erit dies primus primo futuri mensis Junii, & in eodem loco, qui est Civitas Burdegalensis, sita in Vasconia, in potestate Regis Angliæ, cum eisdem centum suis militibus præsens non fuerit, ut est dictum,

In antea & toto tempore vitæ suæ se tenere debeat pro devicto, perjuro, falso, fallito, infideli, & proditore, & quod nunquam sibi adscribere debeat nomen regium & honorem; quin immo, ipso facto, remaneat nomine & honore Regio, & cujuslibet alterius officii seu dignitatis exutus, spoliatus, & perpetuo privatus, & tanquam devictus, perjurus, falsus, fallitus, infidelis, & proditor infamis sit, & perpetuo habeatur.

Et, si hoc aliquis ei opposuerit publice vel occulte, negare non possit, sed confiteri publice teneatur, prout hæc omnia per prædictos duodecim electos ordinata, statuta, & firmata sunt in duabus consimilibus Patentibus literis, pendentibus sigillis eorumdem duodecim munitis, inde confectis (una ex eis præfato Regi Carolo, alia vero Nobis tradita ad cautelam) plene satis & evidenter apparet.

Nos autem, præfatus Rex Petrus, nolentes in his de contingentibus quicquam omittere, vel aliquem ex parte nostra intervenire defectum; quin immo volentes prædicta omnia & singula, per præfatos duodecim electos ordinata, statuta & firmata, quantum in Nobis est, complere totaliter & inviolabiliter observare,

Bona & spontanea voluntate nostra legaliter & bona fide promittimus, & juramus, tactis corporaliter Evangeliis Sacrosanctis, quod, si ad eosdem diem & locum, eidem Regi Carolo & Nobis per eosdem duodecim præfixum & statutum, ad pugnam hujusmodi faciendam, defecerimus; & in eodem die, qui erit primus dies primo futuri mensis Junii, hujus undecimæ Indictionis, & in eodem loco, qui est Civitas Burdegalensis, sita in Vasconia, in potestate Regis Angliæ, cum eisdem centum nostris militibus, personaliter præsentes non fuerimus ad pugnam hujusmodi faciendam, prout per prædictos duodecim ordinatum & statutum est, & superius continetur, ab eodem primo die proximo futuri mensis Junii, hujus undecimæ Indictionis, in qua sic defecerimus, & in eadem Civitate Burdegalensi, cum eisdem centum militibus, ad pugnam ipsam faciendam, personaliter præsentes non fuerimus,

In antea, & toto tempore vitæ nostræ, Nos tenebimus pro devicto, perjuro, falso, fallito, infideli & proditore: Et quod Nobis nomen & honorem Regium nunquam adscribemus; quinimmo volumus & consentimus expresse, quod, ex tempore ipso prædicto, remaneamus nomine & honore Regio, & cujuslibet officii seu dignitatis alterius, exuti, spoliati perpetuo & privati, & tanquam devictus, perjurus, falsus, fallitus, infidelis, & proditor infamis simus & perpetuo habeamur,

Et, si hoc aliquis Nobis opposuerit publice vel occulte, nullatenus hoc negemus, nec negare possimus; sed hoc confiteamur & teneamur ubique publice confiteri.

Et, ut hæc omnia eo permaneant firmiora, quo plurium, fide clarorum testimoniis & asseverationibus fuerint roborata, infrascriptos quadraginta milites affectuose rogavimus & rogamus, quod ipsi hæc omnia, quæ Nos facturos & completuros promittimus, pro Nobis & nostro nomine promittere debeant & jurare.

Nos autem præfati quadraginta milites, videlicet;

Guillelmus de Castro novo Roderici.
Eximenus de Luna.
Petrus de Cheralto.
Eximenus de Arceda.
Radulphus de Manuele.
Judex Rainaldus de Limogiis, ad hoc pro milite computatus.
Arnaldus Rogerii, Comes Paliariensis.
Ermangandus, Comes Urgellensis.
Petrus Ferrandi, dicti Regis Petri.
Jacobus Petri, filius ejusdem Regis.
Lupus Ferrandi de Luna.
Pontius de Ribellis.
Santius de Antilione.
Petrus Arnaldi de Burmac.
Alanus de Lentino, Regni Siciliæ magister Justitiarius.
Gildonus de viginti milliis, Comes Insolæ Majoris.
Fredericus Musca, Comes Major.
Orlandus de Aspello.
Galterius de Calatagirono.
Bernardus Rogerii de Benit.
Rogerius de Lauria.
Lupus Ferrandi de Trussillo.
Bernardus de Montepavana.
Petrus Garsiæ de Nuse.
Bertrandus de Bellopodio.
Guillelmus de Ballera.
Garsias de Aratsur.
Eximenus Lupus de Angon.
Raymondus de Molina.
Simon de Laura.
Blasius Massa de Gabalur.
Egidius Roderici de Montagna.
Garsias Arnaldi de Til.
Berengarius de Ensagaro.
Gauterius de Villa Franca.
Raymundus de Cortada.
Jacobus de Oblitis.
Giraldus Estur.
Stephanus Nuncii, &
Blascus de Alastam.

Ad preces & requisitionem dicti Regis Petri, bona & spontanea voluntate nostra promittimus, & juramus, tactis Evangeliis Sacrosanctis, nos legaliter ac bona fide, pro posse, facturos & curaturos, quod ipse Rex Petrus prædicta omnia & singula, per eum promissa & jurata firmiter adimplebit, & inviolabiliter observabit.

Et si, quod absit, contingeret, quod ipse Rex Petrus (legitimo, aperto, & bene probato corporis cessante defectu) ad prædictos diem præfixum & locum

locum statutum deficere, & in eodem primo die mensis Junii, primo futuri, in eadem Civitate Burdegalensi, sita in Vasconia, in potestate Regis Angliæ, cum eisdem centum militibus personaliter præsens non fuerit ad pugnam hujusmodi faciendam, prout per eosdem duodecim ordinatum & statutum est, & per ipsum Regem Petrum promissum est, & firmiter juratum,

Nos ex eo tempore in continenti societatem ac commercium ipsius Regis Petri, velut de dictis promissionibus & conventionibus ex tempore devicti, perjuri, falsi, filliti, infidelis & proditoris, totaliter & perpetuo deseremus, & nunquam postea toto tempore vitæ nostræ cum eo erimus, nec ei præstabimus in aliquo auxilium, consilium vel favorem, verbo vel opere, publice vel occulte.

Et Nos, præfatus Rex Petrus, si, quod absit, in præmissis omnibus (legitimo, aperto, & bene probato corporis defectu cessante) defecerimus, ex nunc volumus, & consentimus expresse, quod ipsi prædicti quadraginta milites ab omni fidelitatis, homagii, & quolibet alio juramento, quo Nobis tenentur, prorsus sint liberi, & remaneant penitus absoluti.

In quorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem Nos, præfatus Rex Petrus, & nos, prædicti quadraginta milites, præsentes literas, de mandato & voluntate nostra inde confectas, pendentium sigillorum nostrorum appensionibus duximus muniendas.

Datum Messanæ, tertio Kalendas Januarii, Anno ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo secundo, Regnorum nostrorum Arragoniæ anno septimo, Siciliæ vero primo.

LIV.

Bonifacii, Pontificis Maximi, Breve, de interdicti Papalis in Sicilia relaxatione agens, d. d. 23. Septembr. Anno 128-.

B*Onifacius* Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis *Guillelmo*, electo Salernitano, & Johanni de *Camera*, Canonico Ecclesiæ de Castro, Ricuricensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Illius exemplo, cujus vices in terra gerimus, nolentes mortem peccantium, sed cupientes potius conversionem eorum fructiferam & salutem, misereri eligimus potius quam ulcisci. Cum igitur, dilecti filii, nobiles viri, *Carolus*, natus claræ memoriæ *Philippi*, Regis Francorum, Comes Andegavensis, & Robertus, Dux Calabriæ, primogenitus carissimi in Christo filii nostri *Caroli*, Siciliæ Regis illustris, in ipsius Siciliæ insula contra Fredericum, natum quondam Petri, olim Regis Arragonum, & Siculos & alios in Insula ipsa rebelles propter multiplicatos eorum graves & enormes excessus, offensas, injurias, contumacias, & contemtus, quibus DEum & Romanam Ecclesiam, & præfatum Regem *Carolum*, longo jam tempore in eadem Insula & aliis Regni prædicti locis & partibus durius provocarunt, progressi nuper, magnifice dignoscantur, ut rebelles ipsi ad devotionem & mandata ejusdem Ecclesiæ coacti, vel voluntarii, divina suffragante potentia reducantur, vosque illuc - - - seritis cum eisdem: Nos de vestra discretionis & circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, & volentes, ut eo libentius rebelles iidem, civitates, castra & loca tam ipsius insulæ, quam aliarum etiam Regni prædicti partium citra Pharum, nec non & circa adjacentium insularum & locorum, & eorum incolæ, qui rebelles dignoscuntur, redeunt ad defensionem nostram & Ecclesiæ memoratæ, quo magis Nos & illam sibi senserunt misericordia & pietate propitios: discretioni vestræ, ut insulas, civitates, castra, terras & loca rebellia prædicta, & alias quascumque personas, quæ in hujusmodi rebellione fuerunt, seu quæ alias rebellibus ipsis contra monitiones, inhibitiones & mandata Sedis Apostolicæ super his assistere præsumserunt, impendendo eis consilium, auxilium, favorem publicum, vel occultum, & quæ ad nostram & ejusdem Ecclesiæ obedientiam & mandata redire curaverint, possitis vos & quilibet vestrum per vos vel alium, seu alios, dum in hujusmodi negotii præsentis prosecutione fueritis, auctoritate nostra, & mandata ipsa nomine nostro & Ecclesiæ prædictæ recipere, ac omnes sententias excommunicationis, suspensionis, interdicti, per eandem Sedem, vel per ejus legatos, aut quemvis alium, seu alios auctoritate nostra ratione, vel occasione hujusmodi rebellionis seu guerræ in eos & ipsorum quemlibet prolatas, postquam super his ad hujusmodi mandata redierunt, relaxare, ac dispensare cum clericis & personis Ecclesiasticis ex eisdem, qui interdictum hujusmodi non servando, vel prædictæ excommunicationis & suspensionis ligati sententiis divina officia celebrando, vel immiscendo se illis in regularitatem contraxisse noscantur, præstito a prædictis juramento, & promisso per eos, quod super his stabunt nostris & Ecclesiæ memoratæ præcise mandatis, quotiens expedire videbitur faciendis, & quod de cætero ad rebellionem hujusmodi non redibunt, nec alias in rebellione ipsa præstabunt auxilium, consilium, & favorem publice, vel occulte, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem, proviso, quod cum constituti in Episcopali dignitate, & supra, ad dispensationem hujusmodi non procedatis. Illi autem, qui, ut præmittitur, absolutionis beneficium ab excommunicationis & suspensionis sententiis fuerunt prosecuti: & civitates, castra, terræ, & loca, in quibus interdictum hujusmodi fuerit relaxatum, si ad vomitum, quod absit, redierint, eo ipso in similes sententias relabuntur, & dispensationes irregularitate, quas taliter redeuntes contigerit obtinere, nullius ex tunc sint roboris vel momenti. Datum Anagniæ, IV. Idus Junii, Pontificatus nostri Anno VIII.

Et quia pro parte universarum personarum, tam ecclesiasticarum, quam secularium Civitatis Panormitanæ, nec non terrarum & locorum diœcesis majoris Panormitanæ Ecclesiæ, cum omni reverentia humilitatis & devotione requisiti fuimus, eos per Nos recipi ad mandata prædicti [illegible]m Domini Summi Pontificis, & Sacrosanctæ Romanæ matris Eccle-

Ecclesiæ, ac eis relaxari omnes sententias excommunicationum, suspensionum & interdicti, per prædictam Sedem Apostolicam vel ejus Legatos, aut quemlibet alium auctoritate Apostolica, ratione vel occasione hujusmodi rebellionis, seu guerræ, contra eas & ipsarum quamlibet prolatas: se offerendo paratas sub religione debitorum juramentorum super præmissis, juxta tenorem prædictarum literarum Papalium, Domini Summi Pontificis & Sacrosanctæ Romanæ matris Ecclesiæ stare mandatis. Earum requisitione & petitione, utpote justis admissis, vobis super præmissis omnibus & singulis exsequendis, faciendis & complendis in prædicta Civitate Panormi, terris & locis diœcesis dictæ Panormitanæ Ecclesiæ, vices nostras duximus committendas, discretioni vestræ ex parte dicti Summi Pontificis diligenter attenta, & in omnibus observata, vos, vel alius seu alii, dum in hujusmodi negotii præsentis prosecutione fueritis, loco nostri, prædictas personas dictarum civitatis, terrarum & locorum prædictæ Panormitanæ diœcesis, tam ecclesiasticas, quam seculares, ad mandata prædictorum Domini Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ recipiatis, ac eis juxta tenorem prædictarum Papalium literarum relaxetis omnes sententias excommunicationum, suspensionum interdicti, per eandem Sedem Apostolicam, vel per ejus Legatos, aut quemvis alium, seu alios, auctoritate Apostolica, ratione vel occasione hujusmodi rebellationis, seu guerræ, contra eas & ipsarum quamlibet prolatas, dispensando cum clericis & personis ecclesiasticis ex iisdem, qui interdictum hujusmodi non servando, vel prædictis excommunicationis vel suspensionis ligati sententiis divina officia celebrando, vel immiscendo se illis, in regularitatem contraxisse noscuntur, præstito a prædictis omnibus juramento ac promisso per eos, quod super his stabunt prædictorum Domini Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandatis, secundum quod in prædictis literis Papalibus continetur. Datum Lentini, XXIII. Septembris primæ Indictionis.

LV.

Martini IV. Papæ Literæ, ad Episcopum Reatinum datæ, in quibus ut Siculis, in Rebellione pertinaciter perseverantibus, neque consilia subministrentur, neque ullus ipsis favor auxiliumque præstetur, est prohibitum, de Anno 128-.

MArtinus Episcopus, Servus servorum DEI, venerabili fratri Episcopo Reatino salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper ascensionis eorum occasione, quæ diebus istis in civitate Panormitana contigerant, juxta morem Ecclesiæ Romanæ habiti sunt processus, quorum tenorem insertum præsentibus tibi duximus destinandum, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus tenore ipso diligenter inspecto, hujusmodi processus in Regno Siciliæ, in terris & locis videlicet ipsius Regni, in quibus expedire videris, publices, & facias per alium, vel alios, quos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas publicari solemniter, ac de publicatione hujusmodi confici publica instrumenta, illa nobis per fidelem Nuntium transmissurus, ac rescripturus fideliter per tuas literas harum seriem continentes, quicquid in prædictis duxeris faciendum. Dictus quidem tenor talis est:

Martinus Episcopus, Servus servorum DEI, ad contradictionem præsentium, & memoriam futurorum. Cogit Nos temporis qualitas, & nequitia plurimum detestanda sollicitat, ut infra scriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archivo conservantur Ecclesiæ, recensentes, ipsius provideri quieti cautius studeamus. Sane felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster, culpas graves, imo gravissimas & multiplices, ac manifestos excessus quondam Frederici, Romanorum Imperatoris, perpensus maturitate consilii, ac certi judicii dijudicans, eique secundum prava opera sua reddens, ipsum honore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, generali super hoc congregato Lugduni Concilio approbante, ac justitia exigente privavit: prout in universalem mundi notitiam non est dubium devenisse, nec ab eadem verisimiliter creditur alienum, qualiter Fredericus ipse, aucto superbiæ spiritu, quanquam sic digne depositus, sic juste privatus, sententiæ privationis hujusmodi prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnes, Regnum & Imperium supradicta post ejusdem prolationem sententiæ occupata detinere præsumsit. Qualiter etiam post jam dicti obitum Frederici, quondam Corradus natus ejus, paternæ malitiæ imitator, dictum Regnum præsumtuosis ausibus occupavit. Et tandem prædicto Corrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus, olim Princeps Tarentinensis, ejusdem, ut dicitur, Frederici filius, qui etiam absque privatione prædicta, propterea legitimæ successionis participium perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnovit; utpote de damnata conceptione susceptum, ad occupationem prædicti Regni temerarias & occupatrices manus extendit. Gravibus igitur & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem injuriis irrogatis Ecclesiæ, ipsaque ipsius multipliciter afflicta fidelibus, respexit Altissimus sponsam suam, & convertens illi nubilum in serenum, scelestam prædicti Frederici Domum, quæ consueverat quavis malis abundare personis, sic pene redegit ad nihilum, sic illam jactura multimodæ dissipationis oppressit, ut de ipsa nonnisi scintilla unica remaneret, Corradinus videlicet, Corradi filius supradicti. Qui cum in eo malitiæ suppleret ætatem, ipseque annorum suorum curricula nequitia superaret, progenitorum suorum nefarios actus sequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentisque ambitiosæ vitio Imperium expetens, sibique Regnum intitulando Siciliæ, se ipsius Regni Regem determinare temere præsumebat. Et cum nonnullis e contra inimicis, Lombardis, Tuscis, Marchinais, & Apulis, præcipuæ de Regno profugis, prælibato, fraudulentis se implicando commerciis, in urbe, Lombardia, Tuscia, & per alia diversa loca suas seminare

nare literas non sinebat sub expressione proprii nominis, & præmissas intitulationes tenere sigillo Regiæ Majestatis impressas, per quas commovere populum, concitare gentes, ac turbare pacem Ecclesiæ nitebatur, in ipsius Ecclesiæ, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli, Siciliæ Regis Illustris, grave præjudicium & discrimen. Unde piæ memoriæ Clemens Papa, prædecessor noster, cum sibi de his evidentius constitisset, diligenter attendens multam ipsius Corradini malitiam, & suorum conatuum perversorum volens obviare principiis, certum habuit in hac parte contra eum processum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas persuasit. Demum præfato Corradino sublato de medio, eidem Regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, sedatis turbationis fluctibus, quos ipsius Corradini prava studia suscitarant. Sed sicut nuper non sine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli protervæ temeritatis spiritum assumentes, ad nostram nec non & Ecclesiæ, dictique Regis turbationem & scandalum aspirantes, in prædicto Regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur. Ad id iniqua studia congeruntur, ad id suarum virium potentiam coadcervant, manus præsumtuosas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur. Testantur hæc inter cætera horrendi sceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi sic debacchatus est gladius, ferrum infremuit, furor canduit, rabies insanivit, manus truculenta deſævit, quod, sicut rumor mœstus enunciat, non suffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, nisi & hi, quos nondum in lucem produxerat maternis apertis uteris, necarentur, trucidarentur innati, & delitescentibus visceribus genitricum impiæ præfocationis exitium inferretur. Quia igitur præfatum Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam pertinere dignoscitur, suique juris & proprietatis existit, ac propter hoc Nos, qui una cum Ecclesia ipsa medullitus in hac parte contingimur, & quasi cujusdam acerbæ punctionis aculeo excitamur, volentes tam gravibus hujusmodi malorum initiis, tantis periculis acceleratis remediis, prout possumus, obviare, ne tam horrenda principia convalescant: præsente hac fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio universos & singulos, cujuslibet præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, monemus attente, districte præcipientes eisdem, ne in prædicto Regno vel ejus parte, Nos, & eandem Ecclesiam, ac præfatum Siciliæ Regem in ipsa, qui prædictum Regnum ab eadem tenet Ecclesiâ, per se, vel per alium, aut alios molestent, seu impetant, vel perturbent, occupando, vel invadendo hostiliter, seu occupari vel invadi hostiliter faciendo Regnum ipsum, vel aliquam partem ejus. Præcipimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, specialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, Communitatibus & Universitatibus castrorum, villarum, & aliorum quorumcunque locorum Italiæ, & maxime jurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subjectis, ne prædictis in occupatione, vel invasione hujusmodi prorsus intendant, & cum armis, vel sine armis, ad turbationem Regni, & ad turbandum in prædicto Regno pacem ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ, in eadem præstent eis in occupatione, vel invasione prædictis consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, & ne super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionem, & præcepta nostra præmissa, per se, vel per alium, aut alios, quibuscunque dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam ex nunc in illos proferimus, ipso facto se noverint innodatos, Civitates quoque & Communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta, quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumserint, Ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus subjacere. Aperte quoque prædicimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quod si contra monitionem & præcepta nostra præmissa, vel eorum aliquod venire attentaverint; Nos eos omni Ecclesiasticæ dignitatis honore, cæteros autem Clericos non Prælationis officium, sed dignitatis forsitan, vel personatus, aut alia quævis Ecclesiastica beneficia obtinentes, obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout Nobis facti qualitas suggeret, & justitia suadebit. Laicis vero cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, & præcipue jurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subjectis, denunciamus expresse, quod si contra monitionem & præcepta nostra hujusmodi per se, vel per alium, seu alios temere veniendo, ea non curaverint observare: Nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis, & aliis omnibus, quæ a prædicta & aliis Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis obtinere noscuntur, privare, & Vasallos eorum, si quos habent, a fidelitatis juramento, quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos, & cum personis eorum circa mortis & mutilationis pericula expositis, ad depositionem ipsorum procedere, DEO auctore, curabimus, prout eorum culpæ exegerint, & videbimus expedire. Cæterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla Castra, seu villæ illarum partium, contra præfatum Regem Carolum, qui Regnum ipsum ab eadem tenet Ecclesia, rebellionis spiritum assumsisse dicuntur; Nos, circa illa nolentes juris observare rigorem, sed uti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur: intendentes ac volentes eadem ab hujusmodi erroris invio paternis studiis revocare, Communitatibus civitatis & castrorum ac villarum prædictarum districte præcipimus, ut sublato cujuslibet difficultatis & dilationis objectu, ad nostram & Ecclesiæ ac Regis prædictorum mandata redire procurent. Eisdem quoque Communitatibus districte præcipimus, ne prædictos molestatores, turbatores, occupatores, seu etiam invasores, aut dantes eisdem in prædictis auxilium, consilium, vel favorem, in civitatem, castra & villas, seu districtus eorum, quovis modo recipiant, vel receptent, & nec ipsorum, aut alicujus eorum dominio, vel regimini quomodolibet se submittant; neque ipsis, vel eorum alicui contra Nos & eandem Ecclesiam ac Regem prædictum in ea, impendant in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publicum, vel occul-

occultum. Nos enim confœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter Communitates easdem, vel ipsas & quoscumque alios initas, sive factas super occupatione & invasione prædictis, penitus dissolventes, ac juramenta de illis servandis, vel alias quomodocunque pro prædictis hinc inde præstita, relaxantes omnino. Communitatibus illis aperte prædicimus, quod nisi præmissa curaverint quantocius adimplere, contra eos, ac civitatem, castra, villas eorum spiritualiter & temporaliter taliter denuo procedemus, quod pœna docente cognoscere poterunt, quam sit temerarium & superbum, mandatis Apostolicis contraire.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas, sive membranas, processum continentes eundem, in majoris Ecclesiæ Urbevetanæ appendi vel affigi ostiis superliminariis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt; Ita quod illi, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum, &c.

LVI.

Bulla excommunicationis atque interdicti, a Martino IV. Pontifice Maximo, ad Petrum, Arragonum Regem, Siculorum rebellium fautorem ac Ducem, ejusque asseclas promulgata, d. d. 12. Kalend. Aprilis, Anno 1282.

MArtinus Episcopus Servus servorum DEI; Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. De insurgentis in Regno Siciliæ fremitu tempestatis, quod execranda Panormitanæ rebellionis audacia inchoavit, & reliquorum Siculorum malitia Panormitanam imitata prosequitur, ad Sedem Apostolicam infausto rumore perlato, Nos post processum in hac Urbevetana civitate, in festo ascensionis Domini transacto, novissime habitum, ad compescendam tempestatem eandem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri, Regis Arragonum, quem stylo circa Reges solito non describi, subscripta ejus demerita meruerunt, invalescere potius videbatur, ut ejusdem Regis, qui Regiæ dignitati non deferens, & generis sui claritati non parcens, dictorum rebellium se ducem constituit & aurigam, nequitia revelaretur apertius, & Ecclesiæ Romanæ instantia contra eum evidentius appareret. Pridem in festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum præterito, nuper in platea Ecclesiæ S. Flaviani Montis-Tlasconis Balneorajensis Diœcesis, præsente tunc multitudine numerosa fidelium diximus recensendum, qualiter felicis recordationis Innocentius Papa IV. Prædecessor noster quondam Fredericum, olim Romanum Imperatorem, qui per suos excessus gravissimos & culpas innumeras Imperio & Regnis, omnique honore ac dignitate reddiderat se indignum in Lugdunensi Concilio, ipso Concilio approbante, propter suarum iniquitatum multitudinem detestandam a DEO, ne regnaret, vel imperaret, abjectum ostendit & denuntiavit, omni honore & dignitate privatum a Domino, & nihilominus sententionando privavit, prout in ejusdem Prædecessoris sententia, contra Fredericum promulgata præfatum, noscitur contineri, qualiter & post ejusdem Frederici obitum, quamquam Regnum Siciliæ ad dispositionem Romanæ Ecclesiæ, cujus juris & proprietatis existit, esse libere devolutum, dictusque Prædecessor se de illo publice in eodem prædixisset Concilio provisurum, quondam Conradus, prædicti Frederici filius, licet in eodem Regno ex ipsius sui genitoris successione nullum penitus jus haberet, tamen, sicut apparet liquido ex præmissis, nec illo mortis suæ tempore habuisset, nec alias pro dicto Conrado jus competeret in eodem, Regnum ipsum præsumtione temeraria occupavit, quodque, ipso Conrado sublato de medio, quondam Manfredus, tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata susceptum a Regni successione præfati, non solum præmissa ejusdem Frederici privatio, sed etiam macula illegitimæ nativitatis arcebat, contra juramentum fidelitatis, ab ipso Prædecessore prædicto præstitum, temere veniens, sub quondam Conradi nati, dicti Conradi sui pronepotis simulata protectione tutoria, ad quasdam Civitates, castra & alia ejusdem loci Regna manus occupatrices extendit, propter quod, & alios etiam nefarios actus suos & graves offensas, piæ memoriæ Alexander Papa IV. Prædecessor noster, ipsum, ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentini Principatus honore, Montis sancti Angeli, omnibus Comitatibus, terris, feudis, dignitatibus & honoribus aliis, ac bonis & juribus, quæ in eodem Regno, & quæ alibi etiam ab Ecclesiis & personis ecclesiasticis obtinebat, nec non & vicaria in quadam ipsius Regni parte, sibi ab eadem Sede concessa, omnibus etiam concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus & privilegiis, sive ab eisdem Frederico patre, vel Conrado fratre suis, sive a prædicta Sede in Regno sibi factis eodem vel alibi, etiam ab Ecclesiis quibuscunque, vel personis ecclesiasticis, tanquam rebellem & hostem Romanæ Ecclesiæ, ac violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumque jurium invasorem, occupatorem, detentorem, sacrilegum, & tanquam sociatum nefando fœdere Saracenis, eorum complicem, ductorem & prætorem publicum, Apostolica autoritate privavit. Cumque Manfredus memoratus nec his, aliisve remediis contra illius malitiam adhibitis, in sua iniquitate remissior, sed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum fraudulenter præfati nepotis sui morte conficta, dictum Regnum proprio nomine occupans, & Regium *in illo* titulum & nomen usurpans, se, ortus sui non erubescens primordia, in ejusdem Regni Regem inungi & coronari fecisset, præfatus Alexander, ejus prædecessor, fraudes & iniquitates abominans & detestans cassavit & irritavit, cassum & irritum nuntiavit, quicquid circa dictum Manfredum per unctionem, vel potius execrationem & coronationem, quas recipere de facto præsumpserat, quasque nullas esse consta-

constabat, extitit tam temerarie tam dolose præsumtum, eisdem vero Manfredo & demum Corradino, qui ætatem præveniendo malitia, ab eorundem prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem Imperium & Regnum adspirans, præfatam Ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum, Carolum, Siciliæ Regem Illustrem, insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestavit. Propter quod contra ipsum suosque fautores per recolendæ memoriæ Clementem Papam, prædecessorem nostrum, varii habiti sunt processus, sua forte succisis Nobis, Regi Regnoque prædictis, pacis & quietis serenitas arrideret, in subitas tempestates acta est æstiva tanquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, & qui memorato Regi Siciliæ ad fidelitatem debitam tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia, sed etiam tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamabat & adhuc clamat infamia, processit adeo Panormitanæ civitatis & civium præsumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia & jurium interversione regalium, suique, quantum in eis fuit, adjectione Domini non contenta, ferinæ immanitatis dextras ad crudelitates inauditas exposuit, dum eorum exitialis iniquitas non solum quos ex devotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexus ætatisve respectu inhumane occidit, verum etiam partus quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis sæve desectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quod eis minus procul dubio innaturaliter lucis usum, antequam concederet natura, substraxit eis adeo prima cura, & impiissima cæde cæsis, quod eorum ortus principia prævenit occasus. Quia vero, sicut ex tunc plurimorum habebat assertio, & evidenter exitus jam probavit, hæc in nostram & ipsius Ecclesiæ turbationem & dispendium tentabantur, & ad hoc plurimum intentio laborabat & studium, ut fornacis quasi recenter exstinctæ, Nos, Ecclesia & Rex prædicti renovata eo graviora sentiremus incendia, quo solent nocere gravius pericula recidiva. Nos tantorum malorum obstare principiis cupientes, ne illis invalescentibus, sero parari contingeret medicina, in dicto festo Ascensionis Domini, præsente fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio, universos & singulos, cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status, attente monuimus, districte præcipientes eisdem, ne in præfato Regno, vel ejus parte, Nos & eandem Ecclesiam, aut præfatum Regem Siciliæ, qui dictum Regnum ab ipsa Ecclesia tenet, per se, vel per alium molestare, impetere, vel etiam perturbare præsumerent, occupando, invadendo, seu occupari, aut invadi faciendo Regnum ipsum, vel aliquam partem ejus; præcipimus insuper universis Christi fidelibus & specialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, civitatibus, communitatibus, & universitatibus castrorum, villarum & quorumcumque locorum Italiæ, maxime ipsius Ecclesiæ Romanæ temporali Jurisdictioni subjectis, ne hujusmodi molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, aut occupari vel invadi facientibus Regnum ipsum, vel aliquam partem ipsius in præmissis intenderent, & ne cum armis, vel sine armis, ad turbandum in eodem Regno pacem prædictorum Ecclesiæ ac Regis, scilicet præstarent illis auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, neve super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus inirent aliquod cum eisdem. Si quis autem, contra monitionem nostram & præcepta præmissa, per se, vel per alium, quibuscunque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuscunque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, excommunicationis sententia, quam ex nunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos; Civitates quoque ac communitates quaslibet, quæ contra monitionem & præcepta eadem quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumerent, interdicti Ecclesiastici sententiæ quam ex nunc in illos promulgavimus, volumus subjacere. Ad hæc prædiximus Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, aliis inferioris gradus Prælatis, quod si contra præmissa, vel eorum aliquod venire attemptarent, eos omni ecclesiasticæ dignitatis honore, cæteros autem Clericos, non Prælationis officium, sed dignitatis forsitan, vel personatus, seu alia beneficia obtinentes, & privare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet; laicis vero cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, & præcipue temporaliter ipsi Ecclesiæ Romanæ subjectis, expresse denuntiamus, quod si monitiones & præcepta hujusmodi, contra ea per se, vel per alium veniendo, temere non servaret, Nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis & aliis omnibus quæ ab eadem, vel aliis tenerent Ecclesiis, privare, vasallos eorum, si quos haberent, a fidelitatis juramento, quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos, & personis eorum citra periculum mortis & mutilationis expositis, ad expositionem honorum suorum, prout culpæ ipsorum exigerent, & expediens videretur, procedere curaremus. Et licet Panormitanæ civitatis, & civium prædictorum, ac nonnullorum castrorum illarum partium, qui contra eundem Regem Siciliæ rebellarent, culpa gravis acerbiorem processum exigeret; Nos tamen desiderantes, quod civitates, cives & loca prædicta mansuetudo corriperet, & a tanti erroris invio revocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem prosequentes, universitatibus earundem civitatum, castrorum, aliorumque locorum districte præcepimus, ut sub moto cujuslibet difficultatis & dilationis obstaculo, ad nostra & Ecclesiæ ac Regis prædictorum mandata redirent, quodque molestatores præfatos, turbatores, occupatores, invasores, aut dantes eis in hoc auxilium, consilium vel favorem, in dictis civitate, castris, villis seu districtibus eorumdem, nullatenus receptare attemptarent, nec ipsorum, aut alicujus eorum, dominio vel regimini, se quovis modo submitterent, neve ipsis, vel eorum alicujus, contra Ecclesiam, vel Regem præfatos, impenderent in prædictis consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum. Et nihilominus confœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter universitates easdem, vel inter ipsas & quoscunque alios initas, sive factas, super occupatione & invasione prædictis, & juramenta de illis servandis, vel alia pro eis hinc inde præstita penitus relaxantes, universitati-

ſitatibus ipſis aperte prædiximus, quod niſi præmiſſa celeriter adimplerent, contra eaſdem civitates & villas earum ſpiritualiter & temporaliter ſic procedere, auctore Domino, curaremus, quod, pœna docente, ſuæ temeritatis & ſuperbiæ recognoſcerent qualitatem. Cæterum, licet dum his & aliis modis & viis filiorum ſalutem paterna venabatur affectio, reliquorum civitatum, caſtrorum, & villarum, cæterorumque locorum civium & incolarum, ſcilicet, in noſtram notitiam perlata rebellio, & præcipue Meſſanenſium, qui Panormitanorum ipſorum imitati ſævitiam, quam plures ex miniſtris & devotis ejusdem Regni Siciliæ, poſt ſecuritatem illis præſtitam, crudeliter trucidaſſe dicuntur, caſtrum Regium ejusdem loci temerariis auſibus occupantes, multæ commotionis cauſam induceret: Nos tamen propterea non deſiſtentes a cœpto, venerabili fratre noſtro G. Epiſcopo Sabinenſi ad partes illas cum plenæ legationis officio, tamquam pacis Angelo deſtinato, bona in illis & pro illis quæſivimus partibus, nec venerunt. Expectavimus pacem, & turbinis tempeſtas gravioris apparuit, machinatis ab olim, prout communis quaſi tenebat opinio, & ſubexecutorum conſideratio ſatis indicabat & indicat evidenter, dolis & inſidiis revelatis. Siquidem Petrus, Rex Arragonum de procedendo adverſus Africam quæſito colore, Siciliæ inſulam, terram utique peculiarem ipſius Eccleſiæ, militum & peditum caterva ſtipatus, invadens & occupans, ac in illa ejusdem Eccleſiæ pacem turbans, gravem ſeditionem excitans contra eum, graviterque populum concitans, in illam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus aliisque locis, univerſitatibus, civibus & incolis ejusdem inſulæ, quibus ratione uxoris, filiæ ſcilicet Manfredi prædicti, natorumque ſuorum ſe tueri prætendit, confœderationibus, pactis & conventionibus, ſicut ex tunc ferebatur, quin potius conſpirationibus & ſceleſtis factionibus initis in Regno prædicto nomen jam uſurpabat Regium, ſe Regem Siciliæ nominans & gerens pro Siciliæ Rege, præſumens in majoris præſumptionis augmentum, Regi Carolo ſupradicto in ſuis literis Regni Siciliæ titulum ſubtrahendo, ſicque non ſolum Panormitanos eosdem, quos alias pluries ad hæc ſollicitaſſe per nuncios dicebatur, in inchoatæ contra præfatum Regem Carolum ſeditionis & rebellionis contumacia obfirmavit, eos per ſe ac gentem ſuam fovens ipſisque favens in illa. Sed tam ipſos, quam exteros inſulæ prælibatæ rebelles adeo contra jam dictam Eccleſiam, eorum ſpecialem matrem & Dominam, concitavit, quod nonnulli ex eis, & ſpecialiter Meſſanenſes, qui ante ipſius in inſula prænominata præſentiam, dicti Legati nuncios devote ac humiliter admittebant, dominium præfatæ recognoſcentes Eccleſiæ, nomen publice invocantes, illos poſtmodum admittere contumaciter recuſarunt, baculo arundineo eidem ſcilicet Regi Arragonum, prætextu eorundem ipſorum & filiorum, ut fertur, periculoſius innitentes. Quos tamen uxorem & filios, ſive Regem per eos, ſeu ratione ipſorum in eadem inſula, vel aliqua dicti Regni Siciliæ parte ejus aliquod non habere, apertius præmiſſa declarant. Et Nos nihilominus determinandum duximus, & etiam declarandum; In quæ autem crimina falſæ Regiæ dignitatis, immo & ſimplicis Magiſtratus aſſumptio, ſeditio, violentiæque cum armis commiſſio incidant, quibus addicendi ſint pœnis talium patratores, nec fuit, nec eſt opus exprimere, quia id nota vetuſtiſſima decreta ſanxerunt. Et quia memorati Regis Arragonum exceſſibus non leve pondus adjicit ipſius & Regni ſui explicite deſcripta conditio, ſerioſe duximus explicandum, qualiter de Archivo ipſius Eccleſiæ prodeuntis monumenta manifeſte teſtantur, quod piæ memoriæ Innocentius Papa IV. Prædeceſſor noſter, quondam Petrum, Regem Arragonum, ejusdem Petri, Arragonum Regis, avum, Arelatenſi Archiepiſcopo, qui tunc erat, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, nec non & quampluribus ſuis aſſociatum proceribus per mare ad Sedem Apoſtolicam accedentem, ut inibi ab eodem Innocentio, Prædeceſſore, militiæ cingulum & Regium acciperet diadema, honoravit multipliciter, honorifice & benigne recepit; & in Eccleſia Sancti Pancratii martyris juxta Trans-tyberim per bonæ memoriæ P. tunc Portuenſem Epiſcopum, in Regem inungi faciens, deinde manibus propriis coronavit, & regalia inſignia univerſa, mantum videlicet & colobium, ſceptrum & pomum, coronam & mitram, quæ ad opus ipſius non ſolum ſpecioſa, ſed etiam pretioſa parari fecerat ex more in Regum coronationibus obſervando, munifice largitus eidem, ab eo juramentum corporale recepit, per cujus religionem præfatus Rex inter cæteros fidelitatem & obedientiam ipſi Summo Pontifici, ejusque ſucceſſoribus, dictæque Romanæ Eccleſiæ, Regnum ſuum in ipſius obedientia fideliter conſervare promiſit, ac demum Rex ipſe, cum multo tripudio & applauſu, coronatus, juxta eundem prædeceſſorem Innocentium ad B. Petri Apoſtolorum Principis baſilicam rediens, ſuper illius altare, ſceptrum & diadema depoſuit, & militarem enſem de manu ejusdem prædeceſſoris accepit, dictumque Regnum ſuum antea cenſuale a ſuis prædeceſſoribus eidem Eccleſiæ conſtitutum cupiens, principali poſt DEum, ipſius Beati Petri & Apoſtolicæ Sedis protectione muniri, præfato Innocentio prædeceſſori, per eum ipſi ſacroſanctæ Apoſtolicæ Sedi obtulit, illudque ſibi & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, divini amoris intuitu, & pro ſua, ſuorumque progenitorum remedio animarum, novo adjecto cenſu conſtituit cenſuale, pollicendo adjiciens, & adjiciendo pollicens, quod ipſe ac ſucceſſores ſui ſpecialiter eidem Sedi fideles & obnoxii teneantur. Hæc autem perpetua lege fore ſervanda decernens, ut hujus regalis conceſſio robur perpetuæ firmitatis & inviolabilis obtineret, ipſam in ſcriptis redactam, & de procerum curiæ ſuæ conſilio, præſentibus dicto Arelatenſi Archiepiſcopo, quondam Sancio, patruo ſuo, Hugone de Bancio & Arnaldo de Faciano, Baronibus ſuis, ſigilli ſui munimine roboratam, eidem prædeceſſori conceſſit. Antequam igitur præmiſſa collata pariter, & ſolerti examinatione diſcuſſa, præfatum Regem nepotem fidelitatis ad quam memoratus avus hujus eſt in eodem Arragonum Regno hæres, ipſum, ſicut & ſucceſſores cæteros, tum publice, tum ſolemniter obligarat, eidem Eccleſiæ debitorem ac violatorem publicum reum non accuſabant, infidelitatis damnabilis accuſant. Profecto fidei debitæ violatio

violen-

violentem procul dubio arguit infidelem; præsertim cum præmissa non leviter aggravet, fraudulenta confictio, qua idem Rex Arragonum nepos, non absque fraudis commento notabilis, finxisse detegitur, etiam apud nos per solemnes Nuncios affirmasse, quod cum sumtuoso & sollicito apparatu ad DEI Ecclesiæ servitium & exaltationem Catholicæ fidei potentiæ suæ brachium dirigebat. Quod tamen contra ejusdem utilitatem fidei dictum Regem Carolum cruce signatum in terræ sanctæ subsidium & publicè ad DEI ejusdemque fidei obsequia persequenda dispositum, nulla diffidatione præmissa, quod multorum judicio proditionis autem non effugit, hostiliter impetendo: nec non & contra ipsam matrem Ecclesiam, terram ejus, sicut prædicitur, invadendo & occupando direxit. Nec eum excusat, sed potius accusat, quod ad partes Africæ, insulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinavit; id enim ipsum ideo concinnasse probat, immo & convicit eventus, ut opportunitate captata commodius iniquitatem, quam conceperat, parturiret. Maxime cum per suos Nuncios missos exinde pluries eosdem Panormitanos sollicitasse, ac ipsis in præsumta malitia obtulisse consilium & auxilium diceretur: nec esset utinam sic verisimile, quod eandem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis, non prorsus imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cujus invasionem vix multorum Regum & Principum quorumcunque, potentia coacervata præsumeret, ipse, ad hoc procul dubio divitiis impar & viribus, cum comitiva modica bellatorum solus assumeret invadendam. Nunquid & iterum hoc non ostendebant & patenter ostendunt, quod idem Rex, Arragonum nepos, tamquam ejusdem Insulæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifestus invasor & occupator, ac Panormitanorum rebellium & seditionis, commotionis seu concitationis, pacisque perturbationis contra præfatum Regem Carolum motæ, notorius fotor & fautor, & adversus eamdem Ecclesiam actor & factor, suique complices, comites, satellites & ministri præmissam per Nos in prædicto Ascensionis latam in omnes, nostris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt. Nec absolutionis vasallorum suorum a juramento fidelitatis, si quo tenebatur eisdem, privationis Feudorum, quæ ipsi a Romana vel aliis quibuscunque tenebant Ecclesiis, & expositionis personarum citra mortem & mutilationem, bonorumque suorum, comminatum in eodem festo periculum evitarunt. Universos autem Insulæ prælibatæ rebelles, scilicet, Messanenses, Agrigentinenses & cæteros Civitatum, castrorum, villarum, aliorumque locorum ipsius Insulæ cives, habitatores & incolas, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, qui Panormitanis eisdem in pertinacia rebellionis assumtæ saltem se illis audacia simili sociando, ac illos proinde validiores & firmiores in illa reddendo, nec non societatibus, confœderationibus, pactionibus, pœnarum & juramenti adjectione firmatis, ut ex tunc dicebatur, juvando faverunt. Et tam alios, quam Panormitanos eosdem, qui prædicto Regi Arragonum nepoti, contra prohibitiones & monita nostra præmissa intendere, in invasione, aut occupatione præfatis, ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibique contra Ecclesiam vel Regem Carolum prædictos favorem & auxilium impendere præsumserunt, eisdem subjectos sententiæ, ac periculo fore procul dubio ex tunc liquebat & liquet expositos; Civitates vero, villas & castra, & alia loca prædicta, nec non & universitates ipsorum Ecclesiastico supposita interdicto. Hæc sunt, quippe quæ per eundem Arragonum Regem, Nepotem, DEO & Ecclesiæ servitia exhibentur. Hæc sunt, quæ ipsius Ecclesiæ prosequi jactabant obsequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa, sic exaltatione religionis Christianæ prosequitur & sic procurat. Sic DEI, fidei, Ecclesiæ ac religionis earundem hostes persequitur, sic impugnat, talibus in se Regalem dignitatem intitulat, talibus titulis vitam suam, famam, genusque decorat. Quamquam autem tantis excessibus, excedentiumque demeritis, processus gravior deberetur, & ad præmissorum comminationem, prosecutionem ex tunc procedere non injuste possemus, immo &, sicut prædictorum perhibet consideratio, deberemus; quia tamen nescit a caris caritas etiam læsa recedere, paternæ caritatis affectio Nos induxit, ut cum simus, licet insufficientibus meritis, illius Vicarius, qui non mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant, se velle fatetur, Regem Arragonum & alios supradictos denuntiationibus, monitionibus & mandatis, prohibitionibus, comminationibus, ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus & sententiarum laqueis, prout ex præmissis liquet, quibus se apertius involverunt, obdormirent in morte, curaremus benignius excitare. Ideoque in festo dedicationis, ex platea prædictis, de fratrum nostrorum consilio, denunciavimus sæpefatos Petrum, Regem Arragonum, Nepotem, suos comites, complices, satellites & ministros, ac Insulæ memoratæ rebelles, ex causis prædictis, excommunicationis; Civitates, villas & castra, & alia loca prædicta, nec non & universitates ipsorum interdicti, præmissis per Nos latis sententiis, subjacere, de novo tam in Regem & alios sæpedictos, quam in universitates, castra, villas & loca prædicta, ex causis eisdem, & propter contumaciam eorundem, in non parendo nostris monitis & præceptis, & a Nobis prohibita pertinaciter prosequendo, durius tunc sententias similes promulgantes; præfatum autem Regem & exteros universos & singulos, qui cum eo, aut alias in præsentis turbationis, sive rebellionis auxilium, prædictam Insulam ingredi præsumserunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quomodocumque faverunt, attente monuimus, eisdemque districte præcepimus, ut ab hujusmodi suis excessibus & offensis penitus desistentes, eandem Insulam exirent, omnino numquam illuc nostrum, Ecclesiæ & Regis Caroli prædictorum, quoad præmissa qualecunque præjudicium, reversuri. Addicimus etiam, ne quis de novo ad idem Insulam supradictam intraret, vel aliquam ejusdem Siciliæ Regni partem, publice vel occulte impeteret, turbaret, vel aliquatenus molestaret: universis quoque civibus, incolis, habitatoribus & universitatibus civitatum, aliorumque locorum ipsius Insulæ cum similibus monitione ac districtione injunximus, ut Regem Arrago-

Arragonum & exteros antedictos prorsus expellerent, nullo unquam tempore ipsos, aut alios ad præmissa, vel similia inibi recepturi. Districtius insuper inhibere curavimus, ne idem Rex Arragonum se Regem Siciliæ nominaret, nec Regium sub intitulatione Regni Siciliæ sigillum assumeret, vel uteretur assumto; Neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quæcumque in eo, aut aliqua ejus parte concederet, vel tanquam Rex Siciliæ quicquam agere attemptaret, neque dominium vel subjectionem aliquam in quascunque singulares personas, aut terras ipsorum, seu potestariam, vel quamlibet rectoriam sive officium quocumque nomine censerentur, in civitate, vel quovis alio loco, maxime ipsius Regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ in nostrum, Ecclesiæ, aut Regis Caroli eorundem quomodocunque vel qualecunque gravamen, per se, vel per alium, reciperet, vel etiam acceptaret, aut cum eis, vel eorum aliquo, in ipsorum Ecclesiæ, vel Regis gravamen, sicut prædicitur, societatem, vel aliam confœderationem contraheret, vel servaret qualitercunque contractam; Neque singulares personæ præmissæ, vel aliæ undecunque civitates, vel alia loca eidem, in Ecclesiæ ac Regis Caroli prædictorum persecutione hujusmodi persistenti, vel alii, pro eo, seu in favorem ipsius, in præmissa concederent, vel aliquem præmissorum, ipsum, aut alium pro eo, vel in favorem illius, ad prædictum vel aliquem eorum eligerent, nominarent, reciperent, vel assumerent quoquo modo: Nec ipse Rex Arragonum vel quivis alius, singulares personas, & loca eadem, vel universitates ipsorum, specialiter autem cujuscumque partis Regni Siciliæ, ut se, vel terras suas, ejusdem Regis Arragonum dominio, vel obedientiæ, cuique supponerentur, aut eum, vel alium pro eo, seu in favorem ipsius in potestatem, rectorem, vel ad aliud quodcumque officium, ut prædicitur, eligere, nominare, vel admittere attentarent, sive cum eo societatem aliquam, vel confœderationem contraherent, aut observarent, qualitercumque contractam, seu quod cives, incolæ, habitatores, civitates, vel alia loca prædicta sive universitates eorum, præsertim cujuscumque partis ejusdem Regni Siciliæ, a nostra, Ecclesiæ, ac Regis Caroli prædictorum fidelitate, seu devotione, quocumque modo adverterentur, vel adversa etiam in hujusmodi adversione persisterent, per se, Nuncium, vel literas inducere, aut donis, promissionibus, seu alio quovis modo allicere, vel sollicitare præsumerent; Neve singulares personæ, civitates, castra, villæ, seu loca præfata se dicti Regis Arragonum hujus Ecclesiæ, ac ipsius Regis Caroli persecutioni quomodolibet, insistentis, dominio, vel regimini vel obedientiæ qualitercunque subjicerent, sive in nostrum, Ecclesiæ, sive Regis Siciliæ præjudicium, vel gravamen, ut prædicitur, ipsum Regem Arragonum literas, vel Nuncios suos, vasa quævis apta cuicumque navigio, gentemve reciperent, vel receptarent, aut accederent ad eumdem, ipsive literas mitterent, aut sibi, genti, vel nuntiis suis, seu alii pro eis, maxime in aliqua parte ipsius Regni Siciliæ obedirent, vel intenderent, ministrarent Todrum, equos, arma vel vasa hujusmodi subventionis titulo, aut aliter quomodocumque ducerent, concedenda, seu ab eodem Rege Arragonum, vel alio, pro ipso immunitates, feuda & largitiones quaslibet in eodem Regno Siciliæ, quas constabat, & nos nihilominus declaravimus, & adhuc declaramus, decrevimus & adhuc decernimus non tenere; vel alibi, occasione instantis negotii ejusdem Regni Siciliæ, aut stipendia ubicumque contra Nos, Ecclesiam vel Regem Carolum supradictos reciperent, vel pro receptis promissum audeant, servitium exhibere, aut alias præstare consilium, vel favorem publicum, vel occultum; nec cum ipso Rege Arragonum, vel alio pro ipso, seu in favorem ipsius societatem, colligationem, seu quascumque conventiones, in nostrum, Ecclesiæ ac Regis Caroli eorumdem dispendium qualecumque, contrahent, aut contractas, etiam sub vinculo juramenti, vel quorumlibet adjectione pœnarum, seu pactorum auderent quomodolibet observare. Singulariter autem Michaëlem Palæologum, qui se Imperatorem nominabat, quique super his, & præcipue exhibito in prædictis eidem Regi Arragonum contra Nos & præfatos Ecclesiam, ac Regem Carolum consilio, auxilio vel favore, nec non pactis, confœderationibus, conventionibus initis cum eodem, ex tunc argumenta verisimilia deferebantur, vox præterea publica & communis accusationis quasi continuo incessabat; omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos attente monuimus, eisque districte præcepimus, ut omnia, monitiones, præcepta & inhibitiones præmissa, quæ Michaëlem & subditos contingebant, eosdem ut possent quoquomodo contingere, aut in eis, seu quoad eos qualitercumque locum habere, quæ omnia & singula volumus pro nominatim & singulariter & expresse repetitis haberi, & veluti taliter repetita robur efficaciamque sortiri, diligentius observarent, eisque studerent in omnibus & per omnia obedire, alioquin tam ipsos Petrum Arragonum Regem, nepotem, & Michaëlem Palæologum, quam alios universos & singulos, dictis nostris monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parentes, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status Ecclesiastici, vel mundani, excommunicationis sententiam, quam in eos de fratrum prædictorum consilio, ex tunc duximus perferendam, perinde innodatos esse decrevimus ipso facto, ac si expressi fuissent in hujus processus nostri serie nominatim; Civitates vero, castra & alia loca quælibet, nec non universitates, quæ jam dictis monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parerent, Ecclesiastico interdicto, quod ex tunc in illa promulgare curavimus, esse volumus eodem modo subjecta. Interdicta vero præmissa sic arcte præcepimus observari, ut in locis, quæ incidissent in eo, vel inciderent in futurum, nulla Ecclesiastica Sacramenta, excepto duntaxat baptismate parvulorum & pœnitentiis morientium, ministrentur, nulla divina celebrentur officia, nisi solum Missarum solemnia, quæ in Cathedralibus, vel aliis Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis ad conficiendum corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis janujs, interdictis & excommunicatis prorsus exclusis, semel tantum in septimana permisimus celebrari. Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel Religiosis aliis,

aliis, secularibus, personis, communitatibus, civitatibus, castris, locis, Collegiis vel universitatibus quibuscumque, sub quavis forma, vel expressione verborum ab eadem Sede concessis, quæ omnia, quoad hæc, volumus omnino viribus vacuari. Et nihilominus societates, colligationes, conventiones hujusmodi & quaslibet alias factas, vel etiam faciendas in favorem ipsius Regis Arragonum quoad instans negotium Regni Siciliæ, aut in Ecclesiæ, seu Regis Caroli prædictorum qualecumque dispendium, vel gravamen, etiamsi essent juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roboratæ, de potestatis plenitudine dissolventes, & carere decernentes omni robore firmitatis, universos & singulos, qui se ad eorum observationem quomodocumque, seu quacumque solennitate astrixerunt, ad eas observandas decernimus non teneri, nec pro eo, quod ipsas deinde minime observarent, de reatu perjurii, aut ratione pœnarum, vel conventionum quarumlibet adjectarum, illis posse in judicio vel extra judicium impeti, seu aliquatenus molestari, quinimo eos ab illarum observatione sub pœna excommunicationis, quam, ex tunc protulimus, eo ipso, si secus facerent, incurrere volumus ipso facto, præcipimus penitus abstinere. Prædiximus quoque apertius omnibus, tam personis Ecclesiasticis & secularibus, quam civitatibus, locisque aliis & universitatibus supradictis, quæ hujusmodi mandatis nostris, præceptis & inhibitionibus contumaciter non parerent, quod non solum ad exequendum comminationes præmissas, sed & alias gravius spiritualiter & temporaliter contra eas, & specialiter contra civitates, quas contingeret in hujusmodi contumacia deprehendi, ad privandum eos Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate, contra memoratos rebelles Insulæ supradictæ, ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscunque cum eis omne commercium, quando & prout facti suaderet qualitas, & fore videremus expediens, procedere curaremus. Ad hæc præfatis Regi Arragonum, Michaeli Palæologo, & aliis universis, qui contra præmissa nostra monita & præcepta, vel inhibitiones, prædictum Regnum Siciliæ in eadem insula, sive in reliquis Regni præfati partibus invadere, turbare, impetere, seu molestare quomodolibet præsumserunt, publice vel occulte, generali & publico edicto denunciavimus, quod nisi Rex ipse Arragonum, aliique prædicti in eisdem Insula & Regno Siciliæ, ac vicinis, seu quibuscumque Italiæ partibus commorantes, infra festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis nuper præteritum, alii vero in locis remotioribus constituti, infra Kal. Aprilis, ac idem Palæologus infra Kal. Maji proxime secuturas, quod quidem tempus eis pro peremptorio termino duximus assignandum, humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redirent, nostris præcise beneplacitis parituri, & tam Nobis & eidem Ecclesiæ, quam præfato Regi Carolo de contumacia & contemptu, damnis & injuriis, omnique interesse, satisfactionem plenariam, competenti tempore, quod eis ad hoc præfixerimus, impensuri, ex tunc personas eorum, citra mortis, & mutilationis periculum, & bona omnia mobilia exposuimus, a quibuslibet fidelibus libere occupanda, ipsosque feudis, bonis & juribus omnibus, quæ ab eadem Ecclesia Romana, vel aliis quibuscumque tenerent Ecclesiis, privilegiis, indulgentiis & gratiis quibuslibet, ipsis ab eadem Sede, sub quavis verborum forma concessit, Apostolica autoritate privavimus, vasallos eorum a juramento fidelitatis, quo forsan tenerentur eisdem, penitus absolventes: prædicto autem elapso termino, quandocumque Nobis videretur expediens ex prædictis ad privandum eumdem Regem Arragonum, ipsius etiam absentia non obstante, præfato Regno Arragoniæ, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa Regnum & terras similiter exponenda, quoad Regnum ipsum terrasque prædictas, semper nostro & ejusdem Romanæ Ecclesiæ jure salvo. Et nihilominus contra eum, pro qualitate criminum, quibus, ut prætactum est, ipsum superiora prætendunt obnoxium, quantum nostrum officium pateretur, facti suggeretur qualitas, Nobisque fore videretur expediens, actore Domino procedere curaremus. Præmissas vero excommunicationis sententias prohibuimus absque speciali Apostolicæ Sedis mandato, nisi forsan in mortis articulo, relaxari. Quo casu, nisi absolutionis beneficium obtinentes, infra tres menses, postquam forent sanitati pristinæ restituti, de loco interdicto supposito, si fortassis existerent inibi recedentes, Apostolicæ Sedis conspectui præsentare curarent, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus incurrerent sententias supra dictas, & Sedis ejusdem beneplacitis parituri, relaberentur in sententias similes eo ipso, dictas quoque sententias sic firmiter & inviolabiliter voluimus observari, quod absolvendi ab eis, vel relaxandi easdem, nisi forte in mortis articulo, ut est dictum, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quam aliis quibuslibet confessoribus, sive generalibus, sive specialibus, seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium, ademimus potestatem, etiamsi a Nobis, vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacunque verborum forma, generalem vel specialem, aut liberam absolvendi aliquem, vel aliquo a sententiis hominis, vel canonis, seu alias quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem absque speciali Sedis Apostolicæ mandato, ex tunc obtinendo, contrarium forte præsumeret, tam absolventem a prædictis sententiis, seu relaxantem easdem, quam hujusmodi absolutionem, vel relaxationem recipientem, in quacumque forent dignitate, præeminentia, statu, vel ordine constituti, ex causa, hujus excommunicationis vinculo duximus innodandos, Hujus etiam relaxationem sententiæ præfatæ Sedis similiter observantes, mortis articulo duntaxat excepto, & tunc, nisi sanitate recepta, infra temporis spatium competentis, juxta locorum distantiam, ad Sedem venerint supradictam, suum humiliter recognituri reatum, & Sedis ejusdem beneplacitis parituri relaberentur in sententias similes ipso facto. Ab his vero mulieres in hoc tantum voluimus excipi, ut si solum præstiti ratione favoris in hujusmodi sententias forsan inciderent, possent per Diœcesanos suos juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere. Tantis itaque ac talibus per præmissas monitiones, prohibitiones, & pœnarum comminationes, memoratis P. Regi Arragonum nepoti, rebellibusque

Siculis, ministris, complicibus & satellitibus, & fautoribus eorundem, tanquam apertis datis significationibus, ut a facie arcus fugerent, & se ab instantia recti judicii merita duritia liberarent; non humiliatum, sed obduratum est in suis perversitatibus insipiens cor eorum; Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere sævitiam, nec ab eorum instantia expaverunt; Sed eis contemptis omnimodis suas non solum continuatione aggravavere nequitias, verum etiam multiplicationibus variis ampliarunt, & alias partes Regni Siciliæ extra sæpefatam insulam constitutas hostiliter impetendas, suos, sicut fertur, conatus nefarios extendentes. Ne igitur tam justæ comminationes fiant injusto ludibrio, si eorum justitia persecutione debita fraudaretur, neve sine vindicta gravis adeo crescat insania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum, nepotem, Regem Arragonum, tantamque ipsius proterviam ultrix sententia prosequatur. Et ideo Regnum Arragoniæ, cæterasque terras Regis ipsius, de fratrum nostrorum consilio exponentes, ut sequitur, ipsum P. Regem Arragonum eisdem Regno & terris, Regioque honore sententialiter, justitia exigente, privamus, & privantes exponimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apostolica duxerit providendum, in dictis Regno & terris ejusdem, Romano, ut præmittitur, jure salvo, Vasallos ipsius, quos ut præmissa declarant, a juramento fidelitatis, si quo tenebantur eidem, jam absolvimus, denunciantes penitus absolutos, & denuo ab eodem & a quolibet fidelitatis vinculo & homagio expressius absolventes, ac eosdem P. quondam Regem, Siculos, complices & fautores eorum, omnesque alios singulos, qui prædictas monitiones, inhibitiones & comminationes damnabiliter contempserunt, præmissæ excommunicationis; Universitates vero, castra, civitates & loca cætera denuntiamus interdicti sententiis subjacere, ipsos & ipsa ex causis eisdem & propter continuatam auctamque ipsorum contumaciam similibus sententiis supponentes. Universis præterea Christi fidelibus cujuscumque conditionis, præeminentiæ, sive status, etiamsi dignitate Pontificali, seu Regia forsitan decorentur, & specialiter Archiepiscopis, Episcopis aliisque inferioris gradus Prælatis & personis Ecclesiasticis, religiosis, cujuscumque religionis aut ordinis, & secularibus, ipsique P. quondam Regi Arragonum, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus, universitatibus civitatum, castrorum, cæterorumque locorum, ac universis incolis & habitatoribus eorum Regni & terræ quibus dictum P. tunc Arragonum Regem privavimus, districtius inhibemus, ne ipse P. de dictis Regno & terris se de cætero aliquatenus intromittat; neve cæteri supradicti eidem P. dudum Regi, vel aliis quibuscumque contra dictas privationem & expositionem, aut persequentes easdem, per quos dicta Regnum & terras occupanda Sedes eadem providebit, temptantibus se opponere assistant, vel qualitercumque faveant, sive præstent in hoc consilium, auxilium vel favorem publicum, vel occultum, quacumque occasione quæsita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuscumque colligationis, confœderationis, societatis, seu cujusvis conventionis, aut jure contractæ hactenus, sive imposterum contrahendæ, etiamsi colligationes, confœderationes, societates & conventiones hujusmodi & alia supradicta pœnarum adjectionis, literarum, vel juramenti, seu cujuslibet alterius sint vinculo firmitatis innexa: Nos enim colligationes, confœderationes, societates, conventiones, cæteraque hujusmodi præmissa quoad hoc, de potestatis plenitudine dissolvimus, juramenta super illis præstità pœnasque propter ea promissas penitus relaxantes, & universos & singulos, qui eas contraxerunt, se ad earum observantiam quantumcumque solemniter adstringendo, ab ipsarum in præmissis observatione penitus absolventes. Specialiter autem Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris personis Ecclesiasticis, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus, incolis & habitatoribus supradictis earundem Regis Arragonum terrarum prohibemus expresse, ne dictum P. olim Regem Arragonum pro Rege, vel Domino recipiant, vel habeant, neve sibi obediant, vel intendant, aut ipsi vel alii pro eo, de redditibus, vel obventionibus, sive juribus regalibus, seu ratione Dominii debitis respondeant, vel aliquam satisfactionem impendere sub velamine quocumque præsumant, alioquin memoratum P. quondam Regem, & omnes singulares personas cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, Ecclesiastici, vel mundani, etiamsi Regalis dignitatis honore præfulgeant, excommunicationis, Civitates vero, Castra, villas & loca cætera, nec non universitates ipsarum, quæ dictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire, propria temeritate præsumserant, interdicti sententiis, quas ex nunc fecimus, decernimus subjacere; non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, quibuscumque Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiscopis, seu quibuslibet Prælatis aliis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hospitariis, Templariis, seu Religiosis aliis aut secularibus personis, etiam in dignitate qualibet constitutis, civitatibus, castris, locis, communitatibus, Collegiis, vel quibusvis universitatibus, sub quacumque verborum forma vel expressione ab eadem Sede concessis, & quibuslibet aliis indulgentiis ejusdem Sedis, per quas præsentis processus effectus impediri valeat, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia & indulgentias, quoad hoc omnino viribus vacuamus. Et nihilominus contra hujusmodi præsumptores, & specialiter contra dictos Prælatos, Religiosos, Comites, Vice-Comites, Barones, incolas, habitatores, civitates, castra, villas, & alia loca & universitates ipsorum, ad privandum eos, & ea quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus sive gratiis, ipsis ab eadem Sede concessis, nec non terris, feudis & juribus, quæ a præfata Romana, vel aliis quibuscumque tenent Ecclesiis, seu personis ecclesiasticis, ac alias gravius spiritualiter & temporaliter, quando & sicut facti suaserit qualitas, & expedire viderimus, prævia Divina gratia procedemus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem, in majoris Ecclesiæ Urbevetanæ appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio,

conio, patulo judicio publicabunt; Ita, quod idem Petrus, vel alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cum non sit verisimile, remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris Ecclesiæ, XII. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

LVII.

Martini IV. Pontificis Maximi, Breve ad Carolum I. Siciliæ Regem inhibitorium, ut ne cum Petro, Rege Arragonum, singulare certamen congrediatur, de Anno 1282.

REgi Siciliæ Illustri. His, quos sinceræ caritatis zelus afficit, esse solet gravius, de carorum inordinatione turbari, acerbius illorum errores arguere, illosque diutius increpare. Hunc morem erga te, fili carissime, exigente qualitate, prosequimur, nunc præsertim, cum vices, licet insufficientibus meritis, geramus illius, qui, quos diligit, arguit, & castigat non indigne, servamus. Quod est enim verbum in quo te audivimus, Nobis insciis & saltem ex hoc juris censura invitis omnino censendis, tam temerarie consensisse, videlicet ut cum Petro, Rege Arragonum, particulare certamen, ita quod tu centesimo milite, ac ipse similiter e regione conveniatis, in illo insimul confligatis, inire promiseris, & in subitatione spiritus, prævio juramento, firmaris, communi consensu pariter in pœnam partis succumbentis adjecto, ut ille, quem ex vobis contingeret in certamine ipso succumbere, si de illo vivus evaderet, ex tunc nec Regem se, nec alicujus terræ dominum nominet, sed & toto tempore vitæ suæ solus incedat, planicie Burdegalensi pro loco, & Kal. Junii pro termino ad id, ut prædicitur, assignato. An nescis, quod Regnum Siciliæ a Romana tenes Ecclesia, & es Nobis & ipsi ad multa exinde, sub juramenti corporalis vinculo repetiti multotiens, obligatus? Ex quo satis advertisse debueras, ipsius Regni negotium tam contra dictum Regem Arragonum, quam quoslibet eandem Ecclesiam & te impugnantes in illo, ipsius Ecclesiæ non minus esse, quam tuum. Unde igitur tanta præsumptio? Quod tibi jus ista permittit? Quæ ratio persuadet, ut in te ac centum militibus circa defensionem Regni propriæ potentiæ ipsius Ecclesiæ finem ponas, immo immensæ virtuti Filii DEI vivi, qui discipulis suis, quos ipsius Ecclesiæ jecit velut præcipua fundamenta: Ego, inquiens, vobiscum sum usque ad consummationem seculi, eidem Ecclesiæ promisit potentiam perpetuo assistricem. Profecto, fili carissime, non est sermo iste, qui misericordiam provocet, sed iram concitet, & furorem accendat. Estne itaque inconsulte hoc actum? Suntne ista tuæ solitæ providentiæ opera? Num tibi ad prudentiam putas adscribi, vel ad imprudentiam potius imputari, quod præfatum Regem Arragonum, tibi prorsus viribus inæqualem, ut de cæteris taceamus, qui velut desperatus censetur, hæc agere, utpote contra DEI justitiam, ipsius Ecclesiæ, tuam tuorumque potentiam desperans merito, posse subsistere, tibi judicio bellicæ damnatæque sortis æquasti? Quomodo te potuit inimici tam insidiosi, tam subdoli, terram tuam fraudulenter ingressi, adeo provocatio irritare, ut ad tam inordinata procederes, ad tam erronea prosilires, quasi te, in eventu quocunque, Nobis non consentientibus, tuæ voluntatis arbitrio ab iis possis absolvere, ad quæ ipsi Ecclesiæ, Nobis, nostrisque Successoribus pro Regno eodem tam solemniter es adstrictus, tam obnixe teneris, vel jure id negante amittere in eo tibi commissum imperium illud a te taliter abdicando? Non attendis, ad quam indiscreta, quam temeraria, quam damnosa te per hoc dicti Regis Arragonum prorumpere fecit iniqua sagacitas, sagaxque nequitia, ut scilicet Regnum tuum cum ipso, qui nullum jus habet in illo, eventui, quantum in te fuit, pari commiseris, &, te consentiente, in re tua, si tibi & ipsi par judicium, par exitus, par eventus; ut ipse, quem sui graves & enormes excessus in eandem Ecclesiam, tuamque commissi magnificentiam, culpis gravioribus obligant, brevis & æqualis tibi & sibi pugnæ commissio pœnas redimat graviores, non tam æquale, quam idem cum passis injurias ipse tantas & tales inferens judicium subiturus; ut tu, cujus vires mundus majores non dubitat, tuas angustares spontaneas, & suas illis in cujusdam non laudandæ animositatis impetu inconsultus æquares; ut te a recuperatione Siciliæ, quam non in sui fortitudine brachii, sed in populi rebellione Siculi occupavit, quin verius de ipsorum rebellium ipsam occupatam jam tenentium manibus clandestinus insidiator & usurpator accepit, sollicitudo hujus futuri conflictus abstraheret, & tam ipse, quam alii, qui forsan in tua persecutione non dormiunt, te maxime ipsius occasione conflictus absente, suas liberius insidias prosequantur. O fili, si adesset tuæ præsentiæ copia, si daretur mutuis hora narrantibus, quam plenius commissas in præmissis temeritates exprimeret, lingua, quam litera, quam amarius argueret, quam profundius increparet, quam clarius causas justas increpationis ostenderet vivus sermo, quam scriptus? Verum quia in iis increpatio affectui paterno sola non sufficit, nisi & correctio subsequatur, ad remedium cœlestis correctionis intendimus, ad illud plenis desideriis suspiramus; ideoque promissionem tuam prorsus illicitam, & juramentum super ea præstitum temerarium declarantes, & carere viribus, teque ad illorum non teneri observantiam decernentes, ab illis te nihilominus absolvendo, quatenus processere de facto, Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, in remissionem tibi peccatorum suadentes, & nihilominus sub dicto Nobis & ipsi Ecclesiæ præstito juramento factoque vasallagio & homagio arctius injungentes, quatenus a prosecutione promissorum & juratorum totaliter prorsus abstineas, & omni modo desistas. Nos enim universis & singulis Christi fidelibus, ne illa tibi prosequenda qualitercunque suadeant, neve in illorum prosecutione tibi consilio, auxilio vel favore, aut alio modo quovis assistant, districtius inhibemus. Et nihilominus

minus in omnes secus quolibet modo præsumentes, cujuscunque sint præeminentiæ, conditionis aut status, etiamsi Regalis vel Imperialis, aut cujuslibet alterius secularis dignitatis honore præfulgeant, non obstante aliqua indulgentia, sub quacunque forma, vel expressione verborum eis, vel eorum alicui ab Apostolica Sede concessa, etiamsi de ipsa oporteat plenam & expressam, sive de verbo ad verbum in nostris literis fieri mentionem, ex nunc excommunicationis sententiam promulgamus; & te, nisi prædictis nostris monitis & mandatis præcise parueris, eandem sententiam incurrere decernimus ipso facto; nullo tibi suffragaturo in hoc ejusdem Sedis privilegio, vel indulto, quæ, cujuscunque tenoris vel expressionis existant, quoad id omnino viribus vacuamus.

LIIX.

Caroli I. Siciliæ Regis, Diploma, in quo Petro, Arragoniæ Regi, se loco, cujus superius mentio facta est, statuta die esse compariturum, promisit, d. d. penult. Decembr. Anno 1283.

CArolus, DEI gratia Rex Hierusalem & Siciliæ & Sardiniæ, ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum.

Pridem inter magnificum Principem, Petrum, Arragoniæ Regem Illustrem & Nos, mutuo præcedente tractatu, quod ipse Rex eligeret sex de suis militibus, viros probos & fideles, & Nos eligeremus sex de nostris militibus, viros probos & fideles, qui omnes duodecim milites per ipsum Regem Petrum & Nos taliter electi, corporali prius per eos præstito juramento, legaliter & bona fide tenerentur eligere locum communem, & statuere terminum ad pugnam faciendam inter ipsum Regem Petrum & centum de suis militibus ex parte una, & Nos ac centum de nostris militibus ex parte altera, pro eo quod Nos, tanquam petitor, eidem Regi Petro apposuimus, quod ipse intravit Regnum nostrum Siciliæ contra rationem & malo modo, & Nobis prius non diffidatis, & hoc parati eramus, & sumus probare de nostro corpore, & centum de nostris militibus, contra suum corpus, & centum de suis militibus.

Qui Rex Petrus tanquam defensor Nobis respondit & respondet, quod in ingressu Siciliæ, vel in aliquo, quod fecerit contra Nos, rem non fecit unde sua legalitas minus valeat, vel verecundiam habere debeat in curia, seu coram aliquo probo viro; & quod pugnam de Nobis & centum de nostris militibus contra ipsum Regem Petrum, & centum de suis militibus sibi placet;

Nos, de fide, prudentia, & legalitate, ac armorum experientia Jordani de Insula, Johannis Vice-Comitis de Tramblay, Jacobi de Brussono, Eustachii de Hardicourt, Johannis de Denisi & Guillelmi de Salsis militum, familiarium & fidelium nostrorum, plenarie confidentes, ipsos elegimus, fecimus, constituimus, & ordinavimus, eisque per nostras patentes literas exhibuimus plenariam potestatem, quod ipsi una cum Guillelmo de castro novo Roderici, Eximeno de Luna, Petro de Cheralto, Eximeno de Arceda, Radulpho de Manuele de Trapare militibus, & judice Rainaldo de Limogiis de Messana, ipso judice Rainaldo per ipsum Regem Petrum ad hoc posito, & pro uno milite computato, familiaribus & fidelibus ipsius Regis per eum ad hoc electis, factis, constitutis, & ordinatis, prout per patentes literas ipsius Regis Petri, pendenti cereo sigillo munitas, evidenter apparuit & apparet.

Corporalibus inter ipsos duodecim, hinc & inde electos, pro parte ipsius Regis Petri, & nostra, ac ipsorum taliter electorum, hinc inde receptis & præstitis juramentis, legaliter & bona fide possent eligere & eligerent locum communem, & terminum statuerent competentem, ad pugnam hujusmodi faciendam inter ipsum Regem Petrum & centum de suis militibus, & Nos cum centum de nostris militibus;

Certumque præfigerent terminum, in quo ipse Rex Petrus, cum centum de suis militibus, & Nos cum centum de nostris militibus, commode esse possimus, & simus in loco, quem prædicti duodecim, per ipsum Regem Petrum & Nos taliter electi, ad pugnam hujusmodi faciendam, unanimiter & concorditer duxerint eligendum.

Dedimus autem eisdem sex militibus, familiaribus & fidelibus nostris, plenariam potestatem, quod ipsi securitates necessarias, quas inspicerent opportunas, nomine nostro præstare & recipere, ac prædicta omnia & singula (quæ sub hypotheca bonorum nostrorum rata & firma habere, ac inviolabiliter observare promisimus) tractare, eligere, ordinare, statuere possent libere & firmare.

Addidimus etiam, quod, si aliquis, vel aliqui ex prædictis nostris sex militibus, infirmitate vel alio casu quolibet contingente in prædictis vel aliquo prædictorum, interesse personaliter non posset, vel non possent, totidem, quot ex prædictis nostris sex essent taliter impediti, eximerentur de numero prædictorum quinque militum, & unius judicis pro milite computati, per eundem Regem Petrum ad prædicta taliter electorum, & reliqui, tam per eundem Regem Petrum, quam per Nos electi, unanimiter & concorditer ea omnia & singula possent libere perficere & complere.

Et hoc idem servaretur, si aliquis, vel aliqui de prædictis quinque militibus, & uno judice pro milite computato, per eundem Regem Petrum electis, essent infirmitate vel casu quovis alio præpediti; ita videlicet, quod totidem eximerentur de numero prædictorum sex militum, per Nos taliter electorum, & reliqui, qui forent residui, tam per ipsum Regem Petrum, quam per Nos, electi, ea omnia & singula perficere possent libere & firmare.

Et ea omnia & singula, quæ prædicti quinque milites & unus Judex, loco unius militis computatus, per eundem Regem electi, iidemque sex milites, a Nobis electi, vel ex eis omnibus electis ab utraque parte aliquo vel aliquibus, ab una parte vel altera præpedito seu præpeditis, & totidem ab una parte vel altera exempto vel exemptis, residui concorditer & communiter & unanimiter in prædictis omnibus & singulis tractarent, ordinarent, eligerent, statuerent, firmarent, & jurarent, sub eadem

dem hypotheca bonorum nostrorum rata & firma habere, & inviolabiliter observare promisimus, & juravimus, tactis corporaliter Evangeliis sacrosanctis; securitates etiam omnes & juramenta præstare, obligationes ponere, & cautiones cujuscunque generis præbere, quas prædicti duodecim, ab eodem Rege Petro & Nobis electi, vel residui ex eis, aliquo vel aliquibus ab una parte vel altera præpedito seu præpeditis, & totidem ex una parte vel altera, exempto vel exemptis, a Nobis ducerent postulandas;

Prout hæc omnia in patentibus literis nostris, in testimonium inde confectis, & pendente sigillo nostro munitis, eidem Regi Petro ex parte nostra exhibitis, quarum est data Rhegii, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, die vigesima sexta mensis Decembris, undecima Indictione, Regnorum nostrorum Jerusalem anno sexto, Siciliæ vero decimo octavo, plenius & apertius continetur.

Idem autem Rex Petrus prædictus Guillelmum de Castronovo Roderici, Eximinum de Luna, Petrum de Cheralto, Eximinum de Arceda, Rodulphum de Manuele de Trapare Milites, & Judicem Rainaldum de Limogiis de Messana (ipso tamen Judice Rainaldo per ipsum Regem Petrum ad hoc pro uno milite computato) familiares & fideles suos ad hoc pro se elegit, fecit, constituit, & etiam ordinavit, dans & concedens eisdem pro parte sua consimilem per omnia potestatem; prout in patentibus literis ipsius Regis Petri, in testimonium inde confectis, & pendenti sigillo suo munitis, Nobis pro parte ipsius Regis Petri exhibitis, quarum est data Messanæ, septimo Kal. Januarii, anno ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, octuagesimo secundo, plenius continetur.

Et, licet data tam prædictarum ipsius Regis Petri & nostrarum, quam etiam præsentium & aliarum, pro parte ipsius Regis Petri, præsentibus consimilium literarum videatur in Annis Domini discordare,

Eo quod earundem literarum nostrarum data posita est Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, secundum Romanæ Ecclesiæ, totiusque fere Italiæ consuetudinem generalem, qua Annus a Nativitate Domini computatur, & earundem literarum dicti Regis Petri data posita est secundum consuetudinem Regni Arragonum, & quamplurium aliarum partium ultramontanarum, qua Annus ab Incarnatione Domini computatur.

Horum annorum descriptione diversa (scilicet octuagesimi tertii, & octuagesimi secundi) secundum diversitatem Regionum in positione a vocabulo discordante, uno tamen & eodem in existentia permanente, nullum autem propter hoc aliquibus dubium generetur;

Sed sit una singularis, consentiendo, quod tam prædictæ de potestate, ipsis duodecim tradita ex parte ipsius Regis Petri & nostra, quam præsentes, & ipsius Regis Petri his similes & correspondentes, censeantur fuisse uno & eodem anno, die, mensque confectæ.

Præfati vero quinque milites & unus Judex pro milite computatus, per eundem Regem Petrum, ac præfati sex milites, per Nos electi, facti, & constituti, congregati in Regali palatio Messanensi, pariter ad perfectionem hujusmodi negotii procedentes, post tractatus multiplices, discussiones diversas, examinationes varias, indagationesque subtiles, perpenso ac diligenti & deliberato consilio inter eos, ex potestate, ipsis ab eodem Rege Petro, & Nobis per easdem literas tradita, unanimiter & concorditer elegerunt.

Quod prædicta pugna inter Nos & centum de nostris militibus, & dictum Regem Petrum, & centum de suis militibus facienda, fiat in posse Regis Angliæ, videlicet in Vasconia, in territorio civitatis Burdegalensis in aliquo campo, vel platea ipsius territorii, quem vel quam Rex Angliæ magis convenientem pro utraque parte judicaret ad pugnam ipsam de ducentis militibus faciendam; & quod locus, in quo prædicta pugna fieri debet, sit circumdatus, & bene clausus palis & clausuris aliis opportunis, ita quod nullus pedes vel eques locum ipsum possit intrare, vel exire, nisi per portas.

Statuerunt etiam prædicti duodecim, per eundem Regem Petrum & Nos electi, præfato Regi Petro & Nobis terminum, ad præsentandum Nos coram prædicto Rege Angliæ, in eadem Civitate Burdegalensi, ad pugnam hujusmodi faciendam, nostrum quemlibet cum prædictis centum nostris militibus, primum diem mensis Junii, primo futuri, hujus undecimæ Indictionis.

Adjecerunt autem iidem duodecim, per ipsum Regem Petrum & Nos electi, quod id, quod de præsentatione prædicti Regis Petri & nostra, coram eodem Rege Angliæ facienda, dixerunt, ut superius est expressum, sic volunt intelligi, quod ipse Rex Petrus & Nos in prædicto loco & termino debeamus Nos coram eodem Rege Angliæ præsentare, ad pugnam hujusmodi faciendam:

Et, si ipse Rex Angliæ in eodem loco & termino personaliter interesse non posset, idem Rex Petrus, & Nos præsentemus Nos coram eo, quem idem Rex Angliæ miserit specialiter ad recipiendam præsentationem hujusmodi loco sui;

Et quod, si ipse Rex Angliæ in eodem loco & termino præsens non fuerit, nec aliquem ad hoc specialiter miserit loco sui, dictus Rex Petrus & Nos teneamur Nos præsentare coram eo, qui vices dicti Regis gesserit in loco prædicto.

Ordinaverunt etiam & statuerunt prædicti duodecim, quod prædicta pugna, per dictum Regem Petrum & Nos facienda, in loco prædicto non fiat coram aliquo de gente ipsius Regis Angliæ, nisi ipse Rex Angliæ personaliter esset præsens; salvo si ad pugnam ipsam taliter faciendam ipse Rex Petrus & Nos essemus in concordia communi & assensu;

Et quod, si prædicta die prædictus Rex Angliæ in prædicto loco præsens non esset, idem Rex Petrus & nos teneamur ipsum Regem Angliæ, vel responsionem suam de veniendo, vel non veniendo ad locum ipsum, a die prædicto dato, usque ad triginta dies expectare.

Et, ut ipsius Regis Angliæ præsentia modis omnibus procuretur, voluerunt, ordinaverunt, & statuerunt prædicti duodecim, quod ipse Rex Petrus & Nos, per se quilibet, promittamus & juremus, quod legaliter & bona fide procuremus, pro posse, sine fraude vel ingenio quolibet, diligenter & sollicite facia-

faciamus, & facere ſtudeamus, quod ipſe Rex Angliæ ad prædictam ſtatutam diem, primo futuri menſis Junii, in eadem Civitate Burdegalenſi præſens ſit, & gardias, per ipſum Regem Petrum & Nos coram ipſo offerendas, ipſe Rex Angliæ recipiat ad pugnam hujusmodi faciendam.

Ordinaverunt etiam & ſtatuerunt prædicti duodecim, quod ipſe Rex Petrus & Nos cum noſtra utriusque comitiva, donec in Vaſconia moram egerimus, pro pugna hujusmodi facienda, & etiam per octo dies poſt eundem terminum completum, pro recedendo inde & eundo, quo uterque noſtrum voluerit, Nos & dictæ noſtræ comitivæ in perſonis, animalibus & rebus, quas Nos & ipſæ noſtræ comitivæ nobiſcum duxerimus, & portaverimus ad pugnam hujusmodi faciendam, Nos ad invicem nullatenus offendamus;

Sed, quod duodecim treugas & ſecuritates (quas utriusque noſtrum nomine ſibi dederunt & fecerunt ad invicem, ac eidem Regi Petro & Nobis indixerunt) ordinaverunt easdem, donec in Vaſconia pro eadem pugna facienda manſerimus, & etiam per octo dies poſt communem terminum completum, pro recedendo inde & revertendo, quo uterque noſtrum voluerit, Nos & Comitivæ noſtræ inviolabiliter obſervemus.

Ordinaverunt inſuper, & ſtatuerunt, & etiam firmaveruut prædicti duodecim, quod prædictus Rex Petrus & Nos legaliter & bona fide debeamus promittere & jurare,

Quod, quicunque noſtrum, prædictorum duorum Regum, videlicet, prædicti Regis & noſtri Caroli (legitimo, aperto, & bene probato corporis ceſſante defectu) ad præfatos diem & locum, præfato Regi Petro & Nobis ſtatutos & præfixos ad pugnam hujusmodi faciendam, defecerit, & in eodem die, qui erit primus dies proximo futuri menſis Junii hujus undecimæ Indictionis, & in eodem loco, qui eſt Civitas Burdegalenſis in Vaſconia, cum eisdem centum ſuis militibus præſens non fuerit, ut eſt dictum, ad pugnam hujusmodi faciendam,

Ab eodem die primo proximi futuri menſis Junii in antea, toto tempore vitæ ſuæ, tenere ſe debeat pro devicto, perjuro, falſo, fallito, infideli & proditore: & quod nunquam ſibi adſcribere debeat nomen Regium & honorem; quin immo, ipſo facto, remaneat nomine & honore Regio, & cujuslibet alterius officii ſeu dignitatis exutus, ſpoliatus & perpetuo privatus, & tanquam devictus, perjurus, falſus, fallitus, infidelis, & proditor infamis ſit, & perpetuo habeatur.

Et, ſi hoc aliquis ei oppoſuerit publice & occulte, negare non poſſit, ſed confiteri publice teneatur; prout hæc omnia per prædictos duodecim electos ordinata, ſtatuta & firmata ſunt in duobus conſimilibus patentibus literis, pendentibus ſigillis eorundem duodecim communitis, inde confectis (una ex eis præfato Regi Petro, alia vero Nobis tradita ad cautelam) plene ſatis & evidenter apparet.

Nos autem, nolentes in his de contingentibus quicquam omittere, vel aliquem pro parte noſtra intervenire defectum, quin immo volentes prædicta omnia & ſingula, per prædictos duodecim ordinata, quantum in nobis eſt, complere totaliter, & inviolabiliter obſervare.

Bona & ſpontanea noſtra voluntate legaliter & bona fide promittimus & juramus, tactis corporaliter ſacroſanctis Evangeliis, quod, ſi ad eosdem diem & locum eidem Regi Petro & Nobis per eosdem duodecim præfixum & ſtatutum, ad pugnam hujusmodi faciendam, defecerimus, & in eodem die & loco eidem Regi Angliæ, cum eisdem noſtris centum militibus, præſentes perſonaliter non fuerimus, ad pugnam hujusmodi faciendam,

Ab eadem die in antea, in qua defecerimus, toto tempore vitæ noſtræ, Nos tenemus pro devicto, falſo, fallito, infideli & proditore: & quod nunquam Nobis nomen & honorem Regium adſcribemus; quin immo volumus & conſentimus expreſſe, quod ex nunc ipſo facto remaneamus nomine & honore Regio, & cujuslibet officii ſeu dignitatis alterius exuti, ſpoliati perpetuo, & privati, & tanquam devictus, perjurus, falſus, fallitus, infidelis, & proditor infamis ſimus, & perpetuo habeamur.

Et, ſi hoc aliquis Nobis oppoſuerit publice vel occulte, nullatenus hoc negemus, nec negare poſſimus; ſed hoc confiteamur & teneamur ubique publice confiteri.

Et ut hæc omnia eo permaneant firmiora, quo plurium fide clarorum teſtimoniis & aſſeverationibus fuerint roborata, infraſcriptos quadraginta milites affectuoſe rogavimus, & rogamus, quod ipſi hæc omnia, quæ Nos facturos & completuros promittimus, pro Nobis & noſtro nomine promittere debeant & jurare.

Nos autem præfati quadraginta milites, videlicet:

Jordanus de Inſula.
Johannes Vice-Comes de Tramblay.
Jacobus de Borſona.
Euſtacius de Ardicone.
Johannes de Deniſi.
Guillelmus de Salſis.
Johannes, Comes de Monteforti, Comes de Falaciis,
- - - & de Monte Scaggioſo.
Erigus Comes de Vadimonta.
Odo de Cuſiaco.
Ricardus de Montemores.
Johannes de Barris.
Odo de Solats.
Ancelmus de Caproſia, Regni Siciliæ Mareſcallus.
Rotbertus de Altitia.
Ludovicus de Rotheſia.
Rainaldus Galardus.
Amelius Carbono.
- - - de Caſtellano.
Conradus de Tornay.
Hugucionus de Perna.
Johannes de Laganeſſa.
Simon de Belvedere.
Gaufridus de Milli.
Gerardus de Nipri.
Guillelmus de Bars.
Albertus de Durbano.
Johannes de Vaſeralle.
Thomaſius de Baſins.
Tibaldus Alamannius.
- - - Eſtandardus.

Maine

Maine de Ubere.
Simon de Caprosia.
Amioctus de Suis.
Theonisius de Bononen.
Adam de Crivis.
Johannes Villanus.
Stephanus de San Jorn.

Ad preces & requisitionem dicti Regis Caroli promittimus, & juramus, tactis Evangeliis sacrosanctis, nos legaliter & bona fide, pro posse, facturos & curaturos, quod ipse Rex Carolus prædicta omnia & singula, per eum promissa & jurata, & per prædictos duodecim ordinata, firmiter adimplebit & inviolabiliter observabit.

Quod, si non fecerit, ex tunc in continenti societatem & servitium ipsius Regis Caroli, vel ut devicti, perjuri, falsi, falliti, infideles, & proditoris, totaliter & perpetuo deseremus, nec postea unquam, toto tempore vitæ nostræ, cum eo erimus, nec sibi præstabimus in aliquo auxilium, consilium vel favorem, verbo vel opere, publice vel occulte.

Et Nos præfatus Rex Carolus, si, quod absit, in prædictis (legitimo, aperto, & bene probato corporis cessante defectu defecerimus) ex tunc volumus, & consentimus expresse, quod ipsi prædicti quadraginta milites ab omni fidelitatis, homagii, & quolibet alio juramento, quo Nobis tenentur, prorsus sint liberi & remaneant penitus absoluti.

In quorum omnium testimonium, & evidentiam pleniorem, Nos, præfatus Rex Carolus, præsentes literas inde fieri, & sigilli nostri pendentis, & sigillorum omnium prædictorum quadraginta militum, munimine roborari voluimus.

Datum Rhegii penultima die mensis Decembris, undecima Indictione, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio; Regnorum nostrorum Jerusalem anno sexto, Siciliæ vero decimo octavo.

LIX.

Martini IV. Pontificis Maximi, Breve, ad Eduardum I. Angliæ Regem, conscriptum, in quo eum, ut Duellum inter Petrum, ac Carolum I. Siciliæ Reges, apud Burdegalam ineundum, omni adhibito studio atque cura impediat, serio hortatur, d.d. Non. April. Anno 1284.

Martinus Episcopus, Servus servorum DEI, Eduardo Regi Angliæ illustri.

Decet Excellentiam Regiam, & saluti tuæ nihilominus congruit, quod in te semper vigeat sic ordinatus affectus, ut animum libenter ad promovenda Christi negotia dirigas, tranquillitatem publicam votive promoveas, desideranter horum impedimenta præpedias, &, prout ex alto conceditur, incrementa procures.

Ideoque conventiones, multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas, inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum, Illustrem Siciliæ Regem, & Petrum, exigentibus suis excessibus, per Sedem Apostolicam vinculo excommunicationis astrictum, quondam Arragonum Regem, non absque nimiæ animositatis inordinatione habitas, circa quod ambo, cuilibet eorum comitiva centum militum assistente, ad illud concurrant, altrinsecus insimul confligant, Celsitudini Regiæ confidenter exponimus;

Et, ut tibi earum qualitas plenius pateat, sub bulla nostra, ipsarum de verbo ad verbum seriem, prout eam a memorato Siciliæ Rege recepimus, destinamus;

Ex quarum circumspectione manifeste circumspectio Regalis advertet, quantum sint conventiones eædem obviæ crucifixi negotiis, & præcipue terræ sanctæ, quantumque toti Christianitati damnosæ: cum illarum persecutio non solum memoratum Regem ab eisdem negotiis, & ipsius Christianitatis promovendis utilitatibus abstrahat, sed & alios Principes & Magnates, cæterosque fideles, qui circa prosecutionem eandem in se, vel in suis occupantur, avertat; & proinde manifesto exponatur terra præfata discrimini, dum ejus subsidium, multis excogitatum vigiliis, multisque sumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur.

Nec minus attendere poterit eisdem tuæ circumspectionis industria, quam periculosa potest inter Christicolas, ex prosecutione hujusmodi, excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri; ac quantum Nobis, Ecclesiæ, tibi, cunctisque Catholicis, quibus est eis quomodolibet obviare possibile, posset a DEO & hominibus negligentia imputari, ad quantam notam adscribi, si talia procedere pateremur.

Propter quæ, nec non & alia non facile numeranda discrimina, quæ dictarum conventionum executio, Christiani procul dubio prodiga sanguinis, animarum inimica saluti, publicæque pacis æmula & quietis, verisimiliter comminatur; Nos, illis promptis remediis obstare volentes, promissionem factam a memorato Rege Siciliæ, super dictis conventionibus observandis prorsus illicitam, utpote rem prohibitam expressius continentem (cum non solum in Principibus, similibusque personis, sed etiam in privatis duellum non sit ab Ecclesia tolerandum) reprobandam, irritandamque duximus, & penitus vacuandam, & juramentum super eis præstitum non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus; ipsumque Regem Siciliæ ad illorum decernentes observantiam non teneri; absolvendo eum nihilominus ab eisdem, quatenus processerunt de facto, sibi districte præcipimus, ut a prosecutione promissorum, & juratorum taliter, prorsus abstineat, & omnino desistat; eidem nihilominus, sub pœna excommunicationis, & comminationis processus cujuslibet, quem contra eum quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis, tam nefandi procedat; universis & singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant, neve consilio, auxilio vel favore in illis prosequendis assistant, districtius inhibendo.

Cum itaque impediendi tam detestabilia, tam nociva, tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod, sicut earundem conventionum docet inspectio, loci determinatio, ad hujusmodi conflictus exercitium depu-

deputandi, de arbitrio tuo dependet; &, secundum earum conventionum tenorem, idem conflictus, novo eorundem Siciliæ & olim Arragon. Regum non interveniente consensu, absque tua præsentia non procedit; expedit, ut ad id te promptum exhibeas, solers & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam perversa negligeres, ea fovere non immerito censereris, sicque pœnæ & comminationis adjectæ in præmissa nostra prohibitione periculum, ut decet tam Catholicum Principem, non vitares.

Quocirca Serenitatem Regiam monentes, rogantes, & hortantes ac obsecrantes in Domino JEsu Christo, & per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus in remissionem tibi peccatorum injungentes, mandamus, quatenus conflictum hujusmodi, tam detestabilem, tam horrendum, ejusque præparatoria, omni studio, quo potes, impedias:

Dictorum Siciliæ & quondam Arragonum Regum adventum ad Civitatem Burdegalensem, ejusque territorium, quin etiam ad quamcunque partem Vasconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, apertius interdicas;

Tuam nihilominus in his præsentiam denegando, & tuis insuper, in partibus illis, vicariis, & officialibus acrius injungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquid aliud in his ministerium exhibere præsumas: super quibus eis omnem penitus adimas potestatem.

Nos enim, ad tam perniciosa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ, ac dudum Arragonum Reges civitatem eandem, seu quamvis, ut prædicitur, Vasconiæ partem ad hæc ingredi patiaris, neve in his præsentiæ tuæ copiam facias, aut promittas, seu locum sæpefato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus vicarios, sive officiales, in his aliquod ministerium exhibere permittas, districte subjicimus prohibitionis edicto; ac illa omnia & singula, quantumcunque in aliis Regio intendimus honori deferre, tibi & eis, sub pœna excommunicationis, expressius inhibemus; sub eadem pœna mandantes, ut, si ad aliquid horum est processum, illud studeas cum celeritate, qua poteris, revocare.

Et nihilominus dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem, virum utique grandi scientia præditum, prudentia & morum honestate decorum, quem, suæ probitatis obtentu, grandi affectione prosequimur, cujusque consiliis te in his acquiescere rogamus & petimus, ad id inter cætera destinamus, ut tam te, quam prædictos vicarios, & officiales tuos, per se, si facultas adfuerit, vel per suos Nuncios, vel literas, efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus & mandatis.

Alioquin per excommunicationis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in Regnum tuum & alias tuas, ac eorumdem vicariorum & officialium terras, Apostolica, prout expedire viderit, auctoritate compellat;

Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, tibi, vel eisdem vicariis, sive officialibus, sub quacumque verborum forma, seu expressione concessis; quod tu, vel iidem vicarii & officiales excommunicari vel interdici non possitis: aut eadem Regnum & terra nequeant ecclesiastico interdicto supponi, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, seu de verbo ad verbum de privilegiis & indulgentiis hujusmodi, sive obtinentium eadem nominibus mentionem: & qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia, cujuscumque formæ vel tenoris existat, per quam, præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud Urbem Veterem Nonis Aprilis, Anno tertio.

LX.

Bulla Honorii IV. Pontificis Maximi, in qua Privilegia atque libertates ademptas Siculis restituit, d. d. 15. Kal. Octobr. Anno 1285.

HOnorius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Justitia & pax complexæ sunt se ita societate indissolubili sociatæ, sic se comitatu individuo comitantes, ut una sine altera plene non possit haberi, & qui lædit alterutram, pariter offendat utramque. Hinc complexus earum graviter impeditur injuriis, per eas etenim læsa justitia pax turbatur; ipsaque turbata facile in guerrarum discrimina labitur: quibus invalescentibus justitia inefficax redditur, dum debitum sortiri nequit effectum. Sicque ipsa sublata nimirum pax tollitur, opus ejus & ipsius fructus subducitur seminandus in pace, ac proinde complexis deficientibus, necessario deficit & complexus. In horum vero defectu licentia laxata dissidiis multiplicantur bella, pericula subeunt animarum & corporum, crimina frequentantur, nec rerum vastitas præteritur; hæc in præsidentiam injuriosis processibus & inductarum in subditos oppressionum excessibus patent apertius, & evidentius ostenduntur. In quorum multiplicatione sauciantur corda læsorum, & quanto minus datur opportunitas licite propulsandi quæ illicite inferuntur, tanto rancor altius radicatur interius, & periculosius prorumpit exterius opportunitate concessa. Fiunt enim plerumque hostes ex subditis, transeunt auxilia securitatis in metum, munitiones in formidinem convertuntur, nutant regnantium solia, redundant Regna periculis intestinis, quatiuntur insidiis extrinsecis, insultibus impetuntur audacius, & regnantes in eis, qui operantes justitiam, exaltationis gloriam merentur, humiliati propter injustitias frequenter opprobrium dejectionis incurrunt.

In præmissis, etsi Scripturæ Nos instruant, efficacius tamen notis docemur exemplis. Quantis enim tempore quondam Friderici, olim Romanorum Imperatoris, propter illatas regnicolis afflictiones illicitas & oppressiones indebitas in Regno Siciliæ, non absque immensitate gravaminum inductas ab ipso, Regnum ipsum tempestatibus fluctuant; quot

quot & quantis rebellionibus concussum extiterit, quot invasionibus attentatum; quantum per ipsum & posteros suos depauperatum opibus, quot incolarum exiliis & stragibus diminutum, nullum fere angulum orbis latet: quam præcipiti Fridericus idem, & genus ipsius ruina corruerunt, probat notorius casus ejus, & manifestum eorumdem exterminium posterorum. Verum adeo Friderici ejusdem in dictis continuata & aucta posteris, ac in alios exemplari derivatione transfusa processit iniquitas, quod per eum inventa gravamina usque ad hæc tempora duravisse, nec non & augmentata dicuntur aliqua eorundem, & adjecta nihilominus alia non minora: propter quod nonnullorum supponit opinio, quod claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, quem prosecutionis dictorum gravaminum eorumdem Friderici & posterorum perniciosa exempla fecerunt saltem permissione participem; dum opinaretur forsitan licita, quæ ab illis audiverat tam longis temporibus usurpata; reddiderunt etiam prædictorum consequentium ad illa discriminum non prorsus expertem, prout Siculorum rebellio multis onusta periculis, aliorumque ipsam foventium persecutio manifestant, non solum in ejusdem Regis ac hæredum suorum grave adeo excitatæ discrimen, quod ipsis hæredibus, nisi per Nos celeri occurratur prætactorum subductione gravaminum, instans perditionis totius dicti Regni periculum comminantur, sed & in grande nostrum & Ecclesiæ Romanæ dispendium prorogatæ, cum sit per eas in Siciliæ insula, & nonnullis aliis ejusdem Regni partibus, ipsarum incolis nec Nobis, nec Ecclesiæ ipsi parentibus, sed adhærentibus potius inimicis, nostra & ipsius Ecclesiæ civilis interversa possessio, & in cæterarum aliquibus turbata frequentius & turbetur. Ex quo datur patenter intelligi, quantum in iis nostrum & Ecclesiæ præfatæ interesse versetur, quantumque ad nostrum spectet officium, & hæredum ipsorum præcipue necessitas exigat, non tantum præmissis obortis in eodem Regno, quod est ipsius Ecclesiæ speciale, tamquam ad jus & proprietatem ejus pertinens, dictisque Regi & hæredibus in feudum ab ipsa concessum, obviare periculis; sed etiam, ne similia oriantur inposterum, diligentem curam & curiosam diligentiam adhibere, prætacta gravamina eorumdem periculorum, ut veritati concurrat expressio, manifestas occasiones & causas congruæ provisionis beneficio abrogando, cum proprietatis domino prædium, in quo est jus alii constitutum, pro eo, quod sua interest tueri, fines ipsius custodire liceat, eo etiam, cui jus debetur, invito: custodiæ autem nomen id habeat, quod qui tenetur ad eam, non solum id debeat, ut si casu viderit, in re custodienda fieri quid adversum, prohibeat facientem; verum etiam ut curet, dare operam, ne id fiat.

Multiplex itaque Nos ratio interpellat & exigit, illud in hujusmodi gravaminibus, super quibus fama publica & variæ inquisitiones per venerabilem fratrem nostrum, Gerardum, Sabinensem Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, factæ de speciali mandato Sedis ipsius, & indagationes alias habitæ Nos informant nostræ provisionis edicto remedium adhiberi, per quod, injustis submotis oneribus, circa ea, in Regno præfato solide stabilita justitia Regium thronum firmet, pacis tranquilla producat; sic inibi publicæ tranquillitatis silentium cultus ejus, & ipsa vinculum societatis humanæ sic superiorem populi sibi subjecto domesticet, eique ipsius populi corda consolidet, quod superior, insidiarum sollicitudine absolutus securitatis jucunditate lætetur, populus pressuris indebitis liberatus in pacis pulchritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat; & in unanimitate ipsorum ac mutuo sinceritatis affectu, ejusdem Regni statu roboraro pacifico, non sit, profligatis hostibus, qui foris exterreat, aut qui, pacatis incolarum ejusdem animis, intus turbet.

Instantiæ quoque præmissæ interpellationis non modicum adjicit, quod memorati Regis, dum viveret, & dilecti filii Nobilis viri Caroli, sui primogeniti, ex eo manifeste percepimus, ad id vota concurrere, quod idem Rex super directione, ordinatione, reformatione, seu quacunque alia dispositione collectarum, exactionum, matrimoniorum aut aliorum quorumlibet, quæ gravamina dicerentur, vel dici possent, tam circa Ecclesias, monasteria & alias Ecclesiasticas personas, quam circa communitates & universitates civitatum, castrorum & aliorum locorum, & etiam circa singulares personas totius Regni prædicti, aut cujuslibes partis ejus, felicis recordationis Martini Papæ IV. prædecessoris nostri directioni, reformationi, dispositioni, & ordinationi se plene ac libere, alte & basse submisit; dans & concedens eidem super iis plenam & liberam potestatem, ac promittens quicquid per eundem prædecessorem, ipso Rege, dictove primogenito nunc ejus vicario in Regno eodem, & aliis suis officialibus requisitis vel irrequisitis etiam actum foret, se ac hæredes suos ad hoc specialiter obligando, inviolabiliter observare, suis super hoc patentibus literis prædecessori concessis eidem. Præmissa, missa quoque in mortis articulo per alias suas similiter patentes literas plenius repetens & confirmans, eidem prædecessori per eas humiliter supplicavit, ut omnia onera fidelium Regni sui, & quæ gravamina dici possent, removere, tollere, & cassare, dictumque Regnum prospere reformare, omniaque statuere, quæ ad bonum statum hæredum suorum, & fidelium eorundem expedire videret, sua provisione curaret; non obstante si Regem ipsum, tunc infirmitate graviter laborantem, naturalis debiti solutione contingeret præveniri, sicut præmissæ ipsius Regis literæ, quæ per Nos & aliquos ex fratribus nostris diligenter inspectæ, in archivo ejusdem servantur Ecclesiæ, manifestius attestantur. Et tam idem Rex, quam dictus primogenitus super tollendis aliquibus eorundem gravaminum constitutiones varias edidisse dicuntur, licet & illæ plenioris executione observationis indigeant, non plene, ut intelleximus, hactenus observatæ. Volentes igitur & illis robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ut inferius exprimetur, & prætactum nostrum exequi accommodæ provisionis adjectione propositum, infrascripta omnia, prout subjecta eorum series indicat, de fratrum nostrorum consilio & assensu, ac potestatis plenitudine providendo, a gravamine illo deliberavimus inchoandum, quod majorem scandali materiam & generalius ministrabat. Ideoque, ut omnino cesset in Regno eodem onerosa exactio collectarum, præsenti edictali provisione ac constitutio-

turione valitura perpetuo prohibemus, per Reges, qui pro tempore fuerint, seu pro eis dominantes in Regno prædicto, vel ministros ipsorum collectas fieri, nisi tantum in quatuor casibus infrascriptis.

Primus est pro defensione terræ, si contingat invadi Regnum invasione notabili, sive gravi, non procurata, non simulata, non momentanea, seu transitura facile, sed manente; aut si contingat in eodem Regno notabilis rebellio, sive gravis, similiter non simulata, non procurata, non momentanea, sive facile transitura, sed manens. Secundus est pro Regis persona redimenda de suis reditibus & collecta, si eum ab inimicis captivari contingat. Tertius est pro militia sua, seu fratris sui consanguinei, sive alicujus ex liberis suis, cum se hujusmodi fratrem suum, vel aliquem ex eisdem liberis militari cingulo decorabit. Quartus est pro maritanda sorore simili conjunctione sibi conjuncta, vel aliqua ex filiabus, aut neptibus suis, seu qualibet alia de genere suo ab eo per rectam lineam descendente, quam & quando eam ipse dotabit.

In prædictis enim casibus, prout qualitas tunc imminentis casus exegerit, licebit Regi collectam imponere, ac exigere a subjectis: dum tamen pro defensione, invasione, seu rebellione prædictis, aut ipsius domini redemptione quinquaginta millium, pro militia duodecim millium, pro maritagio vero quindecim millium unciarum auri summam collectæ universalis totius Regni ejusdem tam ultra Pharum, quam citra, quantitas non excedat. Nec concurrentibus etiam aliquibus ex prædictis casibus, collecta in uno & eodem anno nisi una tantummodo imponatur. Sicut autem collectæ quantitatum prædictas summas in suis casibus limitatas excedere, ut præmittitur, prohibemus, sic nec permittimus indistincte ad ipsas extendi, sed tunc tantum, cum casus instantis qualitas id exposcit. Et ut in prædictis etiam casibus possit Rex, qui pro tempore fuerit, ea vitare commodius gravamina subditorum, quo uberiores fuerint reditus & obventiones ipsius, cum a demaniorum donatione volumus abstinere, id sibi consultius suadentes.

Simili quoque prohibitioni subjicimus mutationem monetæ frequentem, apertius providentes, quod cuilibet Regi Siciliæ liceat semel tantum in vita sua novam facere cudi monetam; legalem tamen & tenutæ secundum consilium peritorum in talibus, competentis, sicut in Regnis illis observatur, in quibus est usus legalium monetarum; quodque usualis moneta sit valoris exigui, & talis, quod in eodem valore sit apta manere toto tempore vitæ Regis, cujus mandato cudetur, nec pro ea, vel aliqua magna moneta, quam idem Rex semel tantum in vita sua fecerit, expendenda, fiat collecta vel distributio, sed campsoribus & aliis mercatoribus, volentibus eam sponte recipere, tribuatur: & hoc ita præcipimus perpetuis temporibus observari.

In homicidiis clandestinis providendo præcipimus, nihil ultra pœnam inferius annotatam ab universitatibus exigendum; videlicet, ut pro Christiano, quem clandestine occisum invenire continget, ultra centum augustales, pro Judæo vero vel Saraceno ultra quinquaginta nihil penitus exigatur; augmento, quod circa eandem pœnam idem Rex dicitur induxisse, omnino sublato: præsertim cum memorati Rex & primogenitus dicantur idem per suas constitutiones noviter statuisse; quas quoad hoc decernimus inviolabiliter observandas; & hæc intelligi tantum in homicidiis clandestinis, in quibus ignoratur maleficus, nec aliquis accusator apparet, adjicientes, quod non nisi tantum in locis magnis & populosis exigi possit quantitas supradicta; in aliis vero infra quantitatem eandem pro quantitate locorum exactio temperetur.

Eidem provisioni adjiciendo præcipimus, universitates ad emendationem furtorum, quæ per singulares personas contingit fieri, nullatenus compellendas, nec ad mutuandum Regi aut Curiæ suæ, aut officialibus vel ministris ipsorum; aut recipiendum aliquatenus Regiæ massariæ custodiam sive onus, seu possessionum regalium procurationem, aut cabellæ vel navium, seu quorumcumque vassellorum fabricandorum curam quemquam cogendum invitum, usurpationibus, quæ contrarium inducebant, penitus abrogatis, maxime cum dicti Rex & primogenitus ad relevanda, non tamen plene, gravamina in præmissis inducta, constitutiones varias promulgasse dicantur. Concedimus autem, ut si casus emergat, in quo sit necessarium, naves vel alia vassella pro utilitate publica fabricari, liceat tunc regnanti committere curam fabricationis hujusmodi, expensis Regiis faciendæ personis idoneis, videlicet hujus rei peritiam habentibus, & quos officium tale decet, & ipsis satisfiat pro susceptione curæ prædictæ de competenti mercede; & idem servari præcipimus in faciendo biscotto. Ad captivorum custodiam universitates vel singulares earum personæ, nullatenus compellantur; præsertim cum hoc ipsum dicatur ejusdem Regis constitutione provisum, quod præcipimus inviolabiliter observari.

Gravamen quod in pecunia destinanda Regi vel regali cameræ, seu ad loca quæcumque alia universitatis alicujus expensis per aliquas personas ejusdem universitatis periculo eligendas inferri dicti Regni universitatibus dicebatur, provisione simili prohibemus ipsis universitatibus, vel singularibus personis earum de cætero irrogari, maxime cum dicatur idem quoad universitates dicti primogeniti prohibitoria constitutione provisum, quam in hac parte decernimus inviolabiliter observandam.

Illud, quod in eodem Regno dicitur usurpatum, videlicet quod incolæ ipsius Regni ad reparanda castra, & construenda in eis expensis propriis nova ædificia cogebantur, emendatione congrua corrigentes providendo præcipimus, ut nihil ultra expensas necessarias ad reparationem illorum antiquorum castrorum, quæ consueverunt hactenus incolarum sumtibus reparari, & ædificiorum, quæ in hujusmodi castris fuerant ab antiquo, ab eisdem incolis peti possit: & constitutio, quam circa hoc idem primogenitus edidisse dicitur, in hujusmodi antiquis castris & ædificiis solummodo intelligenda servetur. Antiqua vero castra intelligi decernimus in hoc casu, quorum constructio annorum quinquaginta jam tempus excessit.

Circa personas accusatas, quæ in eodem Regno injuste capi dicebantur, etiamsi idoneos fidejussores offerrent, licet dictus Rex aliquid statuisse dicatur ad gravamen hujusmodi temperandum, Nos tamen, ut nulla

ut nulla super hoc querela superfit, providendo præcipimus jura civilia observanda: & eadem observari volumus circa destitutionem possessorum Comitum, Baronum, & quorumlibet aliorum, qui per Regalem curiam & officiales ipsius, ac alios alienigenas feuda tenentes in Regno, suis possessionibus, quando curia, officiales, vel alienigenæ prædicti se jus habere prætendebant in illis, spoliari sive destitui dicebantur, & de possessoribus effici petitores, nullo juris ordine observato; nec non & cum aliquis dicitur invenisse thesaurum, & etiam cum quis apud eamdem curiam pro alio fidejussit; ita, quod nec aliquis suæ destituatur possessionis commodo, vel spolietur aut destituatur eadem, nec quoad illum, qui defertur, aut convincitur de inventione thesauri; nec quoad fidejussores curiæ datos aliter, quam eadem jura statuunt, procedatur.

Regibus futuris pro tempore in Regno prædicto, & memoratis incolis, qui de inordinata passuum ejusdem Regni custodia querebantur, de passu se immoderate gravari, similiter providentes, eidem custodiæ moderamen competens adhibemus; videlicet quod tempore impacato, seu imminente turbatione, aut verisimili turbationis suspicione & contra ipsum Regem aut dictum Regnum, seu in Regno eodem Rex possit facere passus eosdem ad evitandum pericula custodiri. Tempore vero pacifico incolis Regni habitantibus in eodem, ac aliis non suspectis, liber sit ex eo exitus & ingressus in illud; ita tamen quod equi ad arma nullo tempore sine Regis licentia extrahantur exinde ad vendendum. Victualia vero quælibet de suis possessionibus vel massariis, seu oves, boves & alia animalia humano competentia usui, de propriis gregibus, armentis vel reditibus habita extra Regnum; dum tamen non ad inimicos eorundem Regis & Regni, unusquisque libere mittat, etiam ad vendendum, nisi sterilitas aut prætactæ turbationis instantia seu verisimilis suspicio suadeat, circa missionem hujusmodi per Regem ejus temporis aliud ordinandum. Si vero prædicta victualia vel animalia ex negotiationis commercio habeantur, etiam fertilitatis tempore absque Regnantis licentia extra Regnum mittere, vel ex ipso extrahere non liceat sic habenti; in omnibus præmissis missionis, seu extractionis casibus, jure, quodcunque Regi competit, per omnia semper salvo. Infra Regnum vero etiam per mare liceat cuilibet Ecclesiasticæ secularive personæ frumentum & alia blada, nec non & legumina de propriis terris, massariis, atque reditibus habita, sine jure exituræ fundici seu dohanæ in loco, in quo victualia recipiantur, vel deponantur, præstando de uno loco deferre, seu facere deferri ad alium, a Rege seu ipsius officialibus licentia non petita. Emptitia vero jure exituræ ac fundici non soluto, sed alio, si quod Regi debetur, dummodo emptitiorum delatio de portu licito ad similem portum, & cum barcis parvis centum solummodo salmarum, vel infra capacium tantum fiat, & deferentes seu deferri facientes præmissa emptitia dent particulari portulano loci, in quo fiet oneratio eorumdem, fidejussoriam cautionem, quod literas testimoniales de ipsorum victualium & leguminum extractione a simili portulano loci, in quo exoneratio ipsa fiet, habeant infra certum terminum pro locorum distantia præfigendum. & hæc omnia perpetuo præcipimus observari.

Abusum contra naufragos, ut fertur, inductum, in eo quod bona, quæ naufragium evadebant, capiebantur per curiam, nec ipsis naufragis reddebantur, ejusdem provisionis oraculo penitus abolemus, præcipientes, bona hujusmodi illis restitui, ad quos spectat.

Querelam gravem hominum Regni ejusdem super eo Nobis exhibitam, quod curiales, stipendiarii Regii, & allii Regalem sequentes curiam in civitatibus & locis, ad quæ cum dicta curia vel sine ipsos declinare contingit, domos civitatis seu locorum eorundem pro suo arbitrio Dominis intrabant invitis; & interdum ejectis, eisque in altilibus animalibus & aliis bonis eorum, & quandoque horum occasione in personis ipsorum & graves injurias inferebant, sopire competentis provisionis remedio cupientes prohibemus, ne aliquis curialis, stipendiarius, vel alius sequens curiam memoratam, domum, vel hospitium aliquod capere, sive intrare propria auctoritate præsumat, sed per duos, vel tres, aut plures, prout civitatis aut loci magnitudo poposcerit, per eandem curiam & totidem electos a locorum incolis, auctoritate tamen Regia deputandos, hospitia memoratis curialibus, stipendiariis & aliis assignentur. Iidem autem curiales, stipendiarii & alii nulla bona suorum hospitum capiant, nec in illis aut in personis eorum ipsis aliquam injuriam inferant, nec ipsorum aliquis pro eo, quod sibi hospitium fuerit aliquando taliter assignatum, si eum alias ad eundem locum cum curia vel sine curia venire contingat, sibi jus hospitandi vendicet in eodem, aut ipsum intrare audeat, nisi fuerit sibi modo iterum assignatum. Hujusmodi autem hospitia taliter assignata præfati Rex, & illi de domo ac familia sua gratis semper obtineant. Reliqui vero, sive stipendiarii, sive quicumque alii per unum mensem solum, si tanto tempore in eodem loco contingat curiam residere; si vero ultra resederit, vel ipsos stipendiarios, aut alios ad aliqua loca sine curia venire contigerit, satisfaciant dominis hospitiorum, seu ipsorum actoribus, de salario competenti per deputatos, ut præmittitur, moderando.

Similiter prohibemus, ne in locis, in quibus vina & victualia possunt venialia reperiri, quisquam ea per regalem curiam, aut curiales, seu quoscunque ministros ipsorum, vel quoscunque alios invitus vendere compellantur: nec aliqua bona nolentibus vendere auferantur, nec eorum vegetes consignentur: & si de facto fuerint consignatæ, signa eis imposita liceat dominis auctoritate propria removere: præsertim cum præfatus Rex hoc ipsum de remotione hujusmodi statuisse dicatur. Si vero in loco, ad quem curiam, curiales, & alios prædictos declinare contingit, talia venalia non habentur, abundantes in illis per aliquem vel aliquos ad hoc a regali curia, & totidem a locorum incolis electos, auctoritate tamen Regia deputandos, omnia hujusmodi, quæ habent ultra necessaria, suis & familiarum suarum usibus, non solum curiæ, sed curialibus, & aliis eam sequentibus, cogantur vendere pretio competenti, per deputatos, ut præmittitur, moderando.

In matrimoniis, in quibus volentibus ea contrahere varia impedimenta, contrahendi adimentia libertatem, per Regem & suos ingeri dicebantur, Apostolicæ provisionis beneficium deliberavimus adhibendum. Ideoque provisione irrefragabili prohibentes Regnicolis, Regni habitatoribus matrimonium inter se contrahere volentibus per Regem & suos officiales, aut alios quoslibet inhibitionis, seu cujuslibet obicem impedimenti præstari declaramus, & declarando præcipimus, libera esse matrimonia inter eos, ita quod bona mobilia vel immobilia, feudalia vel non feudalia libere sibi mutuo dare possint in dotem, nec iidem Regnicolæ, Regni, ut præmittitur, habitatores ejusdem, super matrimonio inter se contrahendo, aut in dotem dando bona quælibet, licentiam petere teneantur: nec pro eo, quod matrimonium, cum bonis quibuslibet, aut dote quantacumque contractum fuerit, a Rege licentia non petita, contrahentibus, aut alterutri eorumdem, vel parentibus, consanguineis, sive amicis ipsorum in personis aut rebus impedimentum, dispendium vel gravamen aliquod irrogetur, nulla in præmissis constitutione, vel consuetudine contraria de cætero valitura.

Providendo præcipimus, ut, si quando in Regno prædicto contra certam personam fuerit inquisitio facienda, nisi ea præsente, vel se per contumaciam absentante, non fiat. Si vero præsens fuerit, exhibeantur sibi capitula, super quibus fuerit inquirendum, ut sit ei defensionis copia & facultas. Simili provisione præcipimus, ut pro generalibus inquisitionibus nihil, vel sub compositionis colore, vel alias ab universitatibus exigatur, sed si procedendum fuerit, juste procedatur ex eis, præsertim cum dictus Rex Carolus hoc idem statuisse dicatur. Hujusmodi præcepto adjicimus, ut, quoties inter fiscum & privatum causam moveri contingit, non solum in examinando jura partium, sed & diffinitivam sententiam juste ferendam sive pro privato, sive pro fisco, nec non & ad ipsius executionem, nulla in hoc difficultate ingerenda per fiscum, efficaciter procedatur, ita quod nec in prædicto examine, nec in prolatione vel executione sententia injustam moram, vel aliam injuriam patiatur per fisci potentiam justitia privatorum.

Providendo districtius inhibemus, forestas per Regem aut magnates suæ curiæ, vel officiales seu quoscumque ministros in terris fieri privatorum; vel aliquarum forestarum occasione per Regiam curiam, magistros, vel custodes forestarum ipsarum aliquem in cultura terrarum suarum, seu etiam perceptione fructuum impediri, sive ipsis propter hoc damnum aliquod, vel injuriam irrogari, factas vero de novo forestas hujusmodi omnino præcipimus amoveri.

Omnes Ecclesiasticæ seculares ve personæ Regni Siciliæ libere suis salinis utantur, & præsentis provisionis oraculo prohibemus, ne illis per Regem, officiales, aut quoscumque ministros ipsius usus aut exercitium interdicatur earum; neve quisquam prohibeatur sal de salinis ipsis proveniens emere ab eisdem. Abusiones castellanorum per quas homines dicti Regni ad portandum eis paleas, ligna & res alias etiam sine pretio cogebantur inviti, & iidem castellani de rebus, quæ circa seu per castra eadem portabantur, pedagia exigebant, præsentis provisionis beneficio prohibemus.

Ejusdem provisionis edicto præcipimus, ut pro literis Regiis & sigillo nihil ultra ipsius Regni antiquam consuetudinem exigatur: videlicet, ut pro literis justitiæ nihil omnino; pro literis vero gratiæ, in qua non est feudi vel terræ concessio, nihil ultra quatuor tarenos auri ab impetrante solvatur, nulla in præmissis distinctione habita inter clausas literas, & apertas. Pro literis autem super concessione feudi vel terræ confectis, nec non & privilegiis aliis, pro concessionis seu privilegii qualitate, ac benevolentia concedentis, curiæ satisfiat; dum tamen summam decem unciarum pro quolibet concesso feudo integra satisfactio non excedat. Sed ne prætextu sigilli Regii, justitiæ sive gratiæ literis in aliquo casuum prædictorum impressi vel appensi, forsitan impetrans ultra quam præmittitur, solvere compellatur.

Animalia deputata molendinis, quæ centimuli vulgariter nuncupantur, per regalem curiam, officiales aut ministros ipsius, eamve sequentes, stipendiarios vel quoscumque alios, nullo modo ad aliquod eorum ministerium Dominis capiantur invitis, nec alia etiam, sed pro competenti pretio, de quo conventum fuerit inter partes, a volentibus conducantur. Et hæc ita de cætero præcipimus observari: maxime cum idem Rex statuisse dicatur, quod justitiarii & subofficiales eorum, ac stipendiarii & subofficiales non capiant animalia deputata ad centimulos; sed cum est necesse inveniantur alia habilia ad vecturam & loërium convenientia: & si contra fecerint, restitutis animalibus cum toto damno eorum dominis pœnæ nomine, & pro qualibet vice & quolibet animali solvant curiæ unciam auri unam. Præmissam quoque constitutionem dicti Regis similiter observari præcipimus de creatione officialium, præsertim extraneorum, qui propter ignorantiam status Regni & favorem, qui eis a Regali curia præstabatur, subjectos impune gravabant, consulte suggerimus, quod Rex creare studeat officiales idoneos, qui subjectos injuste non gravent.

Super eo, quod regnicolæ querebantur, videlicet quod eis gravatis pro relevationis obtinendo remedio ad Regem aditus non patebat, suademus per Regem taliter provideri, quod querelæ subditorum ad eum valeant libere pervenire. Prohibemus, ne quisquam pro animali silvestri, extra defensam, vel limites defensæ invento, sine aliqua invenientis impulsione, arte vel fraude aliquatenus puniatur, etiam si illud capiat vel occidat. Nullus Comes, Baro, vel alius in Regno prædicto de cætero compellatur ad terridas, vel alia quæcunque vassella propriis sumptibus facienda. Per hoc autem juri Regis in lignaminibus & marinariis, vel alio servitio vassellorum, quæ a quibusdam universitatibus & locis aliis, sive personis singularibus dicti Regni deberi dicuntur, nolumus in aliquo derogari.

Si contigerit Baronem aliquem mori filio vel filia superstitibus, ætatis quæ debeat cura balii gubernari, providendo præcipimus, quod Rex alicui de consanguineis ejus balium concedat ipsius, & qui ad hoc inter consanguineos proximior, si fuerit idoneus, præferatur. Si aliquem, feudum a

Rege

Rege tenentem, in capite, vel etiam subfeudatarium, nullo hærede legitimo per lineam descendente, sed fratre aut ejus liberis superstitibus, mori contingat; si decedentis feudum ab aliquo ex parentibus sibi & fratri communibus pervenerat ad defunctum, idem frater aut ex liberis suis usque ad trinepotem ille qui tempore mortis supererit, defuncto proximior in feudo succedat, habiturus illud cum onere servitii consueti; ad successionem feudi omnibus personis, feudatario, aut subfeudatario defuncto simili gradu conjunctis, eodem ordine admittendis. In successione vero præmissa inter feudatarios & subfeudatarios, viventes in Regno eodem, jure Francorum, sexus & primogenituræ prærogativa servetur, ut inter duos eodem gradu feudatario defuncto conjunctos fœminam masculus, & juniorem major natu præcedat, sive sint masculi, sive fœminæ concurrentes: nisi forsan duabus concurrentibus esset primogenita maritata, & junior remanserit in capillo, tunc enim junior, quæ in capillo manserat, primogenitæ maritatæ in successione hujusmodi præferatur. Sed, si nulla remanente in capillo, duæ vel plures fuerint maritatæ, majori natu jus primogenituræ servetur, ut alias in dicta successione procedatur. Si vero feudum, de quo agitur, non ab aliquo parentum processerat, sed inceperat a defuncto, tunc solus defuncti frater in eo succedat: nisi lex concessionis in præmissis aliud induxisset. Et hæc ita de cætero præcipimus observari, qualibet contraria consuetudine vel constitutione cessante. Nullus subfeudatarius pro feudo, quod ab aliquo feudatario Regis tenet, compellatur ipsi Regi servire: sed si aliquod aliud feudum ab ipso Rege tenet in capite, pro eo sibi serviat, ut tenetur. Si contingat subfeudatarium crimen committere, per quod publicanda fuerint bona ejus, aut ipsum sine legitimis hæredibus fati munus implere, si feudum ejus fuerit quaternanum, nihilominus immediatus Dominus illud cum onere servitii consueti personæ concedat idoneæ, Regi postmodum præsentandæ, ut ejus super hoc habeatur assensus. Si vero quaternanum non fuerit, sic ad eumdem immediatum dominum revertatur, ut ipsum hujusmodi personæ pro sua voluntate concedat, nec eam Regi præsentare, aut ejus super hoc requirere teneatur assensum, iis ita deinceps ex nostro præcepto servandis, constitutione vel consuetudine contraria non obstante.

Vasalli Baronum per curiam, vel officiales ipsius ad aliqua privata officia non cogantur, & si ea voluntarii subeant, ratione debiti ex hujusmodi officii receptione, vel gestione contracti, vel delicti forsan in ea commissi, Baronibus eorum dominis in bonis vasallorum ipsorum, vel aliis præjudicium nullum fiat. In terris Ecclesiarum, Comitum, & Baronum Regni prædicti magistros juratos poni de cætero prohibemus, & positos exinde præcipimus amoveri. Ad novas communantias vasalli Baronum, vel aliorum ire non compellantur inviti: sed nec voluntarii admittantur, si sint adscriptitiæ, similisve fortunæ vel ratione personæ, non tamen rerum, personalibus servitiis obligati. Si vero ratione rerum tantummodo hujusmodi servitiis teneantur, & ad easdem communantias transire voluerint, res ipsis dominis suis sine conditione dimittant. Barones, vel alii extra Regnum, nec servire personaliter, nec addohamenta præstare cogantur, in casibus quoque, in quibus intra Regnum servire, vel addohamenta præstare tenentur, servitia exhibeant, & addohamenta præstent antiquitus consueta; videlicet, ut vel tribus mensibus personaliter serviant cum numero militum debitorum, vel pro singulis militibus, ad quos tenentur pro quolibet trium mensium prædictorum tres uncias & dimidium auri solvant; & hæc ita de cætero inconcusse de nostro præcepto serventur.

Cæterum ut contra pericula, quæ, sicut prætactum est, propter gravamina illata subditis excitata creduntur (ne, quod absit, recidant in tanto periculosius recidivum, quanto recidenti solet esse deterius quam cadenti) eo major sit regnantibus in Regno prædicto securitas, quo minus erit libera eadem gravamina irrogandi facultas, provisioni præmissæ subjungimus ad perpetuum sui roboris fulcimentum, quod si ventum fuerit in aliquo contra eam, licitum sit universitatibus, & gravato cuilibet, libere ad Apostolicam Sedem habere pro sua querela exponenda, & obtinenda illati gravaminis emendatione recursum; adjicientes inter illa, in quibus contra provisionem eandem fieri contigerit congrua distinctione delectum, videlicet, ut si ea fuerint, quæ per ipsam prohibitorie vel præceptorie sunt provisa, & principaliter factum regnantis respiciunt, nec solent absque ipsius auctoritate præsumi, ut est collectarum impositio, monetæ mutatio, matrimoniorum prohibitio vel impedimentum aliud eorundem, nisi Rex ejus temporis illa infra decem dies revocaverit per se ipsum, eo ipso capella sua Ecclesiastico sit supposita interdicto, duraturo solum, quousque gravamen fuerit revocatum.

In reliquis vero prohibitoriis & præceptoriis, & specialiter si universitas singularisve persona gravata volens propterea recurrere ad Sedem eandem, per officiales Regios, seu quoscunque ministros, vel quoslibet alios fuerit impedita, vel ipsos aut alios pro eis exinde damnum passi; nisi satisfactione læsis præstita, impedimentum infra mensem postquam ipse Rex sciverit, revocetur, ex tunc sit capella eadem similiter interdicta. In quolibet autem casuum præmissorum, si Regnans interdictum hujusmodi per duos menses sustinuerit animo contumaci, abinde loca omnia, ad quæ ipsum, uxorem, vel filios suos declinare continget, donec tibi præsentes fuerint, simili subjaceant interdicto. Et si deinde per sex menses interdicta hujusmodi sustinuerit animo indurato, exinde sit excommunicationis sententia innodatus: quam si per alios sex menses contumacia obstinata sustineat, ex tunc subditi ad mandatum Sedis ejusdem ipsis propterea faciendum in nullo sibi obediant, quamdiu in hujusmodi obstinatione persistet.

Ad majorem quoque provisionis hujusmodi firmitatem, eidem specialiter illud adjicimus, quod quilibet Rex Siciliæ, quando juramentum fidelitatis & homagii præstabit Summo Pontifici, solemniter eidem & Ecclesiæ Romanæ pro se, ac suis hæredibus in Regno sibi successuris eodem promittere teneantur, quod provisionem præsentem in omnibus & per omnia, quantum in eis erit, observabunt inviolabiliter, & facient ab aliis observari; nec contra eam, vel aliquam partem ipsius per se, vel per

 alium

alium quoquo modo aliquid attentabunt: & super hoc tam ipse, quam quilibet eorundem Successorum dent ipsi Pontifici & Ecclesiæ suas patentes literas, sui pendentis sigilli munimine roboratas. Licet autem præmissæ provisionis verba gravamina certa respiciant, de quibus ad Nos querela pervenit; Regis tamen, qui continuanda temporum & Successorum perpetuitate regnabunt in Regno prædicto, non propterea existiment, gravandi alias subditos arbitrium sibi fore concessum; sed sciant potius, se debere ipsos in bono statu tenere, ab omnibus illicitis exactionibus, & indebitis eorum oneribus per se ac alios abstinendo. Sane si quod in eadem provisione, vel aliquo ejus articulo dubium non tam sollicitam, quam rationabilem dubitationem continens, oriri contingat, interpretationem dubii hujusmodi Nobis, quanquam etiam de jure competat, reservamus expresse. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ provisionis, constitutionis, inhibitionis, præcepti, declarationis, abolitionis & abrogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego *Honorius*, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Ordonius, Tusculanus Episcopus, subscripsi.
Ego Frater Bentevenga, Albanensis Episcopus, subscripsi.
Ego Frater Latinus, Ostiensis & Velletrensis Episcopus, subscripsi.
Ego Frater Hieronymus, Penestriensis Episcopus, subscripsi.
Ego Bernardus, Portuensis & S. Ruffinæ Episcopus, subscripsi.
Ego Ancherus, tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, subscripsi.
Ego Hugo, tit. S. Laurent. in Lucina Presbyter Card. subscripsi.
Ego Gervasius, tit. S. Mart. Presbyter Cardinalis, subscripsi.
Ego Comes tit. SS. Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis, subscripsi.
Ego Gaufridus, tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis, subscripsi.
Ego Gottifridus, S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, subscripsi.
Ego Jordanus, S. Eustachii Diaconus Cardinalis, subscripsi.
Ego Jacobus, S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis, subscripsi.
Ego Benedictus, S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, subscripsi.

Datum Tybure, per manum Magistri Petri de Mediolano, S. R. E. Vicecancellarii XV. Kal. Octobris, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ MCCLXXXV. Pontificatus vero Domini Honorii Papæ IV. anno I.

LXI.

Instrumentum Cautionis, in quo illi, quorum nomina in ipso Instrumento adducta sunt, Carolum II. Siciliæ Regem, statuto tempore in captivitatem Alphonsi, Arragoniæ & Siciliæ Regis, esse rediturum, receperunt, d. d. ultim. Octobr. Anno 1289.

IN nomine Domini nostri JESU Christi, Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo octogesimo nono, die Lunæ ultimo mensis Octobris, tertiæ Indictionis, Pontificatus Domini Nicholai Papæ IV. anno secundo,

Nos, DEI gratia Rostagnus, Arelatensis Archiepiscopus, Bertrandus Nomausensis, Petrus Agecensis, Episcopi, & Frater Guillielmus de Vilareto, Prior Hospitalis Sancti Egidii Jerosolimitani, in Provincia,

Per præsens scriptum notum fieri volumus universis, quod Nos, ad preces & requisitionem inclyti Principis, Domini Caroli secundi, eadem gratia Jerusalem & Siciliæ Regis Illustris, contulimus Nos in Catiloniam cum eodem, inter Collem de Paniczariiis & Junokeriam, magis prope ipsam Junokeriam,

Ibique prædicto die ultimo Octobris, in præsentia nostra, & infrascriptorum Prælatorum, aliorumque Virorum Ecclesiasticorum, tam religiosorum, quam secularium: Baronum, Militum, aliorumque Nobilium; Johannis de Capua & Taffuri, Apostolica auctoritate Notariorum, & aliorum plurium ibi adstantium,

Idem Rex Jerusalem & Siciliæ præsentari fecit duo scripta, quæ oculata fide perspeximus, non cancellata, non abrasa, non abolita, nec in eorum parte aliqua vitiata,

Quorum unum in modum chyrographi factum erat; &, sicut ejus scriptura narrabat, confectum erat apud Oleronem in Bearn, in Festo Beati Jacobi Apostoli, anno Domini 1287.

Præsentibus,
Spectabili Principe Domino Edwardo, Anglorum Rege magnifico: &
Reverendis Patribus, Dominis Bonifacio, Ravennensi, &
Petro Montis Regalis, Archiepiscopis,
Nunciis Apostolicæ Sedis, ac pluribus aliis probis viris,

Magnifici Viri, Dom. Alfonsi, nati quondam Domini Petri, olim Reg. Arragon. sigilli noti pendentis appensione munitum.

Aliud confectum fuerat, apud Campum Francum in Arragonia, per manus Johannis Erturi de Catomo, publici Apostolicæ Sedis auctoritate Notarii, Anno a Nativitate Domini 1288. Indictione secunda, quarta die exeunte mense Octobri, Pontificatus Domini Nicholai Papæ IV. anno primo.

Præsentibus,
Venerabili Patre Domino R. Bathoniensi & Wellensi Episcopo; &
Discretis viris Hugone, de Mataplan. Massiliens. Pontio Celsonen. ac
Gaufrido Apten. Ecclesiarum Præpositis;
Ac pluribus aliis viris probis,

Sigil-

Sigillorum notorum prædictorum Dominorum Regum Angliæ & Alfonsi, ac annuli, sculpti ad tres facies hominis, ejusdem Domini Regis Siciliæ, tunc Principis, appensionibus roboratum:

In quibus scriptis, continentibus conventiones, initas inter præfatum Dominum Regem Jerusalem & Siciliæ (qui in conventionibus ipsis intitulatur Salernitanus Princeps) & eundem Dominum Alfonsum (qui in eisdem Rex Arragonum nominatur) inter cætera, vidimus & audivimus contineri,

Quod præfatus Rex Jerusalem & Siciliæ promisit pacem facere prædictis Domino Alfonso, & Jacobo fratri suo (qui Siciliæ Rex ibi describitur) pro se, & Ecclesia Romana, Domino Rege Franciæ, & Domino Carolo fratre suo, de qua idem Dominus Alfonsus esset contentus, vel hæredes ipsius,

Et quod Ecclesia Romana firmaret & assecuraret idonee,

Quod, nisi dictus Rex Jerusalem & Siciliæ faceret pacem cum dictis Dominis Alfonso, & Jacobo fratre suo, & eorum hæredibus, pro se, & Ecclesia Romana, dictis Dominis Rege Franciæ, & Carolo fratre suo, de qua esset contentus dictus Dominus Alfonsus & hæredes sui;

Vel nisi idem Rex Jerusalem & Siciliæ rediret ad carcerem dicti Domini Alfonsi infra tres annos post liberationem suam,

Prædicta Ecclesia non faceret guerram eisdem Domino Alfonso & Jacobo: nec hæredibus eorundem: nec terris, quas tunc tenebant & possidebant: nec juvaret ipsum Regem Jerusalem & Siciliæ, nec noceret dictis Dominis Alfonso & Jacobo, vel eorum hæredibus; nec permitteret quod idem Dominus, Rex Franciæ, vel idem R. Jerusalem & Siciliæ, vel dictus Dominus Carolus, aut aliqui alii facerent guerram dictis Dominis Alfonso & Jacobo fratribus, aut hæredibus eorum, nec terris quas ipsi tunc tenebant, vel ex causa aliqua possidebant.

Et si istam securitatem idem Rex Jerusalem & Siciliæ non procuraret, & fieri non faceret infra annum unum post liberationem suam, numerandum a Festo omnium Sanctorum proximo præterito secundæ Indictionis, sicut ejusdem Alfonsi aliæ literæ exprimunt & declarant,

Idem Rex Jerusalem & Siciliæ pro pœna perderet quinquaginta millia Marcharum argenti, quæ applicanda erant dicto Domino Alfonso & hæredibus suis; pro qua pœna apud eundem Dominum Alfonsum prædictus Rex Angliæ extitit intercessor pro eodem Rege Jerusalem & Siciliæ;

Promisit etiam idem Rex Jerusalem & Siciliæ, quod infra annum unum, a die dicti Festi omnium Sanctorum in antea computandum, poneret Dominum Carolum primogenitum suum, nunc Principem Salernitanum, in pleno & libero posse dicti Domini Alfonsi, vel hæredum suorum:

Alioquin triginta millia Marcarum argenti per eundem Regem Jerusalem & Siciliæ, apud eundem Dominum Alfonsum pro conventorum securitate deposita: & alia viginti millia, quæ idem Rex Angliæ pro eodem Rege Jerusalem & Siciliæ apud eundem Dominum Alfonsum pro eadem securitate in obligatione susceperat, perderentur in damnum ejusdem Regis Jerusalem & Siciliæ, & applicarentur Domino Alfonso & hæredibus suis pro pœna; & nihilominus Randulfus Berengarius, natus dicti Domini Regis, eidem Domino Alfonso obses traditus (membris sibi salvis & vita) eidem Domino Alfonso & suis hæredibus erat incursus.

Promisit quoque idem Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ procurare & facere, quod infra annum unum, numerandum a die Festi omnium Sanctorum, prædicti, ipse Rex Jerusalem & Siciliæ, Romana Ecclesia, Dominus Rex Franciæ, & Dominus Carolus frater suus, pro eis & valitoribus eorundem, darent prædictis Dominis, Alfonso & Jacobo fratribus, eorum hæredibus & valitoribus, triennales treugas;

In cujus promissione si ipse Rex Jerusalem & Siciliæ forsitan defecisset, hostagia omnia per ipsum Regem Jerusalem & Siciliæ eidem Domino Alfonso data, terra Comitatus Provinciæ & quantitas quinquaginta millium Marcharum argenti (pro quibus dictus Rex Angliæ intercessor extitit) pro securitate Romanæ Ecclesiæ facienda, in posse dicti Domini Alfonsi & hæredum ipsius essent incursa, ad faciendum de eis eorum liberas voluntates; membris & vita obsidibus ipsis salvis.

Prædictus tamen Rex Jerusalem & Siciliæ, infra unius anni spatium, a die prædicti Festi omnium Sanctorum in antea numerandi, ad ejusdem Domini Alfonsi, vel hæredum suorum carcerem rediens, etiam nullo de præmissis impleto, in aliquam de prædictis pœnis non incidebat; & obsides & pecunia, ab ipso dati, tam liberi ejus, quam Nobiles alii de Provincia, & omnia essent absoluta, & liberi deberent restitui Domino Jerusalem & Siciliæ Regi prædicto:

Quæ omnia idem Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ, infra spatium dicti anni, rediens ad captionem dicti Domini Alfonsi, inter Collem de Paniczariis & Junkoriam, vel apud Sanctam Christinam, recuperare debet; sic quod, si per eundem Regem Jerusalem & Siciliæ non staret, sed per eundem Dominum Alfonsum, quo minus ipse Rex ad captionem ejusdem Domini Alfonsi rediret, si hoc constaret, dictus Rex in pœnam non caderet, & hæc debebant fieri tute, & sine utriusque partis periculo, sicut ipsarum Conventionum series, in prædictis duobus scriptis inserta, oculo cum diligentia diffuso per clausulas, apertius continet & exponit.

Quibus scriptis, sic visis, & certis eorum Capitulis, ad rem tangentibus, vulgariter lectis in publico, idem Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ, coram Nobis & personis aliis supradictis, prædicto die ultimo Octobris, in campis inter Collem de Paniczariis & Junokoriam, quandam protestationem in scriptis obtulit in hunc modum:

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, die ultimo mensis octobris, tertiæ Indictionis,

Coram vobis venerabilibus Patribus, Prælatis, religiosis personis, annotatis inferius, & Notariis auctoritate Apostolica, & aliis infrascriptis Testibus præsentialiter hic existentibus,

Nos, Carolus secundus, DEI gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, protestamur & ostendimus evidenter coram vobis, quod hoc prædicto die ultimo Octobris personaliter venimus, inter Collem de Panic-

Paniczariis & Junkariam, juxta formam Conventionum, initarum inter Nos & Dominum Alfonsum, Regem Arragonum,

Et parati sumus, & ad hoc Nos offerimus in præsenti, intrare carcerem ejusdem Regis Arragonum juxta modum & formam, in ipsis conventionibus comprehensos; cum promissa, per Nos in conventionibus ipsis eidem Regi Arragonum, juxta velle nostrum, in statuto in conventionibus eisdem termino, nequiverimus adimplere:

Petentes a vobis & requirentes expresse, quod de hujusmodi nostra protestatione, & oblatione, ac diei spatio, quo hodierna die Lunæ præsentes his fuimus, in prædictis protestatione & oblatione durantes, scriptum faciatis Nobis conveniens ad cautelam.

Quam quidem protestationem & oblationem idem Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ immediate fecit etiam oraculo vivæ vocis.

Nos itaque, DEI gratia Rostagnus, Arelatens. Archiepiscopus, Bertrandus Nomausen. Petrus Agecen. Episcopi, & Frater Guillielmus de Vilareto, Prior Hospitalis sancti Egidii Jerosolimitani, in Provincia.

Præsentis scripti tenore, certum & veridicum testimonium perhibemus, quod prædictus Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ, firma notitia Nobis notus prædicta die ultima Octobris, ad dictum locum, qui dicitur inter Collem de Paniczariis & Junakeriam, ante horam tertiam, venit inermis, & cum modica gente sua inermi similiter; & in dicto loco usque ad solis occasum commorans, prædictam protestationem & oblationem coram Nobis fecit in scriptis, & subsequenter immediate oraculo vivæ vocis.

Per præfatum vero ejusdem diei spatium prædictus Dominus Alfonsus ad prænominatum locum non venit, nec Nuncium aut Procuratorem transmisit, qui per Nos visi fuerint vel auditi, maxime cum per diversas partes loci prædicti discursum sæpius faceremus;

Unde, ad futuram memoriam, & ejusdem Domini Regis Jerusalem & Siciliæ cautelam, præsens scriptum fecimus appensione sigillorum nostrorum pendentium, & nostrum qui supra, Johannis de Capua & Taffuri, Apostolica auctoritate publicorum Notariorum, subscriptionibus roboratum.

Quod scripsi ego prædictus Johannes de Capua, publicus Apostolica auctoritate Notarius, qui prædictis omnibus rogatus interfui, eaque in hanc publicam scripturam redegi, & meo consueto signo signavi.

Actum in prædicto loco, inter Collem de Paniczariis & Junkeriam,

Præsentibus,

Fratre Berengario, Abbate Montis Sancti Michaëlis de Cassano, Ordinis Sancti Benedicti.
Fratre Montasino, Abbate Monasterii Montis Frigidi, Ordinis Cisteriens.
Fratre Bernardo, Abbate Montis de Sinaqua, Ordinis Cisternens.
Fratre Arnaldo, Priore Mon. Sanctæ Mar. de Aspiran. Ordinis Sancti Augustini.
Fratre Arn. de Tumicella, Præceptor Domus Mausidei, Ordinis Militiæ Templi.
Fratre Gaucerando de Tous, Mon. Sanctarum Crucium.
Domino Albert. Archid. Arelatens.
Magistro Guillielmo de Romans. Offic. Nomausen.
Magistro Pontio Rynard, Offic. & Canonico Agacin.
Magistro Guillielmo, Sacrista Regen.
Domino Amelio, Sacrista Aquen.
Magistro Guillielmo de Viridi Campo, Canonico Eborum Nuncio Illustr. R. Anglor.
Domino Bertrando Coronati, Canonico Nomausen.
Magistro Johanne Fickeria, Massiliens.
Domino Hugone de Baucio.
Domino de Mayranicis.
Domino Bertrando de Baucio.
Domino Berre.
Domino Reymundo de Baucio.
Domino Podii Riccardi.
Domino Alsiasio de Sabano.
Domino Aususii.
Domino Reynaldo Porcelletto.
Domino Sonatii.
Domino Johanne de Roulasio, Seniore.
Domino Guillielmo Ferandi.
Domino Philippo de Lavona.
Domino Corre.
Domino Burgundio de Podio Oliverii.
Domino Bertrando de Mentiliis.
Domino Ynardo de Pontenos Juniore.
Domino Reymundo Durgi.
Domino Gilberto de Barbaran.
Domino Petro de Fonelleto.
Domino Arn. de Saga.
Domino Arn. Bajuris, Juris perito.
Gerardo de Batrusis, Cive & Mercatore Lucan.

Et pluribus aliis Clericis & Laicis ad hoc vocatis & rogatis testibus.

In quorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem, præfati

Frater B. Abbas Mon. de Cassan.
Frater A. Prior Mon. de Aspiran.
Frater A. Præceptor Dom. Mausidii.
Domini A. Archid. Arelatens.
A. Sacrista Aquen.
Magister G. Nuncius R. Angliæ.
Domini H. de Baucio.
R. de Baucio.
A. de Sabina.
R. Porcelletti.
J. de Bullasio.
P. de Lauon.
J. de Ponteus Junior.
R. Durgi.
G. de Barbaran.
P. de Fenelleto.
A. de Saga.
R. de Burbon. milites.
G. Amici.
G. de Sumana.
G. Aldermarii.
G. de Baccusis, &
Frater Robertus, Prior de Ulmatis, qui prædictis omnibus interfuit, ac
G. Sacrista Regen.

præsenti scripto, una cum sigillis nostris, sua sigilla pendentia posuerunt.

LXII.

LXII.

Contractus matrimonii inter Margaretham, Caroli II. Regis Siciliæ, filiam, atque Carolum, Valesiæ Comitem, qui a Gallis Arragonum Rex vulgo salutatur, initus, de Anno 1290.

CArolus, DEI gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ & Forcalquerii Comes, tenore præsentium notum facimus universis, quod cum Nos, obtentis super hoc licentia & assensu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad tractandum de pace inter ipsam Romanam Ecclesiam ac magnificos Principes, & eadem gratia Philippum Franciæ, Carolum Arragoniæ, & Nos Jerusalem & Siciliæ Reges ex una parte, atque Alphonsum, filium quondam Petri Regis Arragonum, ex altera parte, pro exaltatione fidei Christianæ, acceleratione succursus Terræ Sanctæ, recuperatione Insulæ Siciliæ, quibus posset vacare liberius, nec non pro liberatione obsidum nostrorum, qui sub dicti Alphonsi potestate tenentur, proponeremus interponere partes nostras: cumque ad tractatum hujusmodi effectui mancipandum Nobis expediens plurimum videretur, si inter dictum Carolum, Regem Arragonum, fratrem dicti Regis Domini Franciæ, & domicellam Marguaritam nostram, matrimonium fieret, præfatum Dominum Regem Franciæ super hæc cum instantia duximus requirendum: cum quo post tractatus varios, certas exinde conventiones fecimus: quæ inter alia continent, quod Nos prædictam filiam nostram dicto Carolo, Regi Arragonum, in uxorem dabimus, mediante dispensatione Sedis Apostolicæ jam obtenta, & præfatus Dominus Rex Franciæ procurare tenetur, quod idem Carolus, Rex Arragonum, eamdem filiam nostram accipiet in uxorem. Item, quod Nos dabimus eidem Carolo cum ipsa Marguarita Comitatus Andegaviæ & Cenomaniæ, totamque terram, quam habemus in Andegavia & Cenomania, & locis inhærentibus, seu vicinis, adjectis pactis & conventionibus, quæ sequuntur; videlicet, quod si inter jam dictas partes pacificari contingat, & idem Carolus jus, quod habet in Arragoniæ Valentiæque Regnis, ac Comitatu Barchinoniæ, ex deputatione facta auctoritate dictæ Sedis quittaverit, quod ad requisitionem nostram, vel hæredis nostri, accedente ad hæc consensu Romanæ Ecclesiæ facere, pace interveniente, tenetur, habebit ex tunc ipse, & etiam posteritas post eum, sive ex dicta nata nostra, sive ex alia conjuge legitima descenderit, in propriam hæreditatem, tamquam si ei a suis parentibus obvenisset, Comitatum totamque terram Andegaviæ & Cenomaniæ, ut est dictum: si tamen idem Carolus præmoriatur filiæ nostræ, prole non extante de matrimonio eorumdem, dicta Marguarita, quamdiu vixerit, totam terram ipsam tenebit: sed ea de medio sublata, etiamsi prolem ex alio viro susceperit, prædicti Comitatus, seu terra cum suis pertinentiis libere & integre devenient ad prædictum Dominum Regem Franciæ, vel hæredem suum, similiter Regem Franciæ: & si proles extans, de corpore dicti Caroli deficeret, ad ipsum Dominum Regem Franciæ, vel hæredem suum, similiter Regem, devenirent. Item, expresse conventum est, quod si pax hujusmodi non fuerit, procedente matrimonio prædicto, & ipso Carolo jus suum in dictis Arragoniæ Valentiæque Regnis, & Barchinonensi Comitatu retinente, vel illud sine nostra, vel hæredis nostri requisitione quittaverit, Comitatus, seu terram Andegaviæ & Cenomaniæ cum pertinentiis suis, ut prædicitur, nihilominus assignabimus ipsi Carolo in maritagium cum dicta filia nostra, tali conditione apposita, quod si prolem ex dicto matrimonio reliquerit, ipsa proles, salvo dictæ filiæ jure balli, secundum locorum consuetudinem, in ipsis Comitatibus seu terris succedat; sed ipso Carolo sine prole ex eodem matrimonio decedente (quod absit) supervivente dicta filia nostra, Comitatus Cenomaniæ eidem filiæ nostræ ad vitam suam remanebit, & Comitatus Andegaviæ ad Nos, vel principalem hæredem nostrum, statim post obitum dicti Caroli, libere revertetur. Verumtamen si ipse Comitatus Cenomaniæ a dotalitio dominæ & matris nostræ Marguaritæ, Reginæ Jerusalem & Siciliæ, nondum fuerit liberatus, habebit ipsa filia nostra super Comitatu Andegaviæ tria millia librarum Andegavensis monetæ, dicto dotalitio solummodo durante; eodem vero dotalitio deficiente, cessabit perceptio ipsarum trium millium librarum Andegavensium. Conventum est etiam, ut quocumque modo, sive in hæreditatem, sive in maritagium, dicta terra, seu Comitatus ipsi Carolo fuerint assignati, dicta filia nostra, si eidem Carolo, prole de eorum matrimonio extante, supervivat, jure balli secundum locorum consuetudinem sibi salvo; habebit etiam post ballum finitum cum dotalitio illo, quod in propria terra dicti Caroli percipit, quod ad tria millia librarum Turonensium annui reditus per dictas conventiones est statutum: & tenebit atque expectabit, quamdiu ipsa vixerit, totum Comitatum Cenomanensem, de quo nihil alienare poterit, quum ad prolem eorum, si extet, vel ad Dominum Regem Franciæ, seu ad hæredem suum, Regem Franciæ, si ipsa proles defecerit, pace interveniente, ut dictum est, plene & libere cum suis pertinentiis devenient post obitum prædictæ Marguaritæ: & post ballum finitum, Comitatum Andegavensem statim eidem proli derelinquet. Item, per easdem conventiones tenebamur dictos Comitatus, seu terras Andegaviæ, Cenomaniæque, quocumque modo ipsi Carolo fuerant assignati, liberare ab illa pensione annua, sive assignatione, quam exinde habet & percipit amita nostra Marguarita, Regina Franciæ, & a dotalitio dictæ matris nostræ Marguaritæ, Reginæ Jerusalem & Siciliæ, consors nostra, ab omni eo præterea, quod habebat, vel habere, seu petere poterat in eis domicella Maria de Jerusalem, aliisque obligationibus & juribus universis, sed ad redemtionem nostri, pro hujusmodi liberatione & exoneratione procuranda habere, & percipere debebimus totum emolumentum quatuor auxiliorum, terrarum, seu Comitatuum eorumdem; videlicet pro redemptione nostra, pro militia filii nostri, pro terræ nostræ racheto, & pro maritagio filiæ nostræ prædictæ. Cæterum cum præfata Marguarita Franciæ, & Marguarita Jerusalem & Siciliæ Reginæ oblatam a Nobis ibi recompensationem congruam, pro iis, quæ perci-

percipiunt, seu habent in ipsis seu Comitatibus prædictis acceptare, & renuntiare juri pensionis & dotalitii prædicti renuerint, inter Nos ex una parte, & præfatos Dominum Franciæ, & Carolum Arragoniæ Reges ex altera, de novo conventum est, & in pactum deductum, quod Nos ab omnibus aliis oneribus specialiter & generaliter supra expressis, dictos Comitatus, seu terras Andegaviæ & Cenomaniæ cum suis pertinentiis, dicto Carolo liberos & absolutos cum dicta filia nostra trademus, & traditos habebit idem Carolus pro recompensatione oneris, pensionis, seu assignationis dotalitii Franciæ & Jerusalem, & Siciliæ Reginarum prædictarum, in ipsis terris seu Comitatibus remanentis, quadraginta quinque millia Tur. nigrorum in terminis & modo qui sequitur. De prædicto siquidem emolumento quatuor auxiliorum, ad Nos per dictas conventiones pertinente, quod præsente quodam viro probo a Nobis deputando, auctoritate dicti Caroli Regis Arragoniæ colligetur, percipiet dicta Domina & mater nostra Marguarita, Jerusalem & Siciliæ Regina, octo millia librarum Tur. nigrorum, in quibus ei tenemur, & Nos inde percipiemus sex millia librarum ejusdem monetæ ad opus nostrum, ex primis leveis emolumentorum prædictorum, & totum residuum eorumdem habebit ipse Carolus in solutionem & acquitationem dictæ summæ quadraginta quinque millium librarum Turonensium nigrorum: ita quod quicquid supererit de ipsa summa eidem Carolo solvendum, quod non percipit ex emolumentis eisdem, quod remanserit, solvere tenemur eidem Carolo vel ejus procuratori, seu mandato in domo templi Parisius, scilicet tertiam partem ejus quod remanserit in festo Resurrectionis Dominicæ, quod erit anno ejusdem MCCXCIII. reliquam vero partem tertiam in eodem festo anni sequentis immediate, & aliam tertiam partem in ipso eodem festo anni proxime subsequentis. Adjectum quoque est eisdem conventionibus, certis auxiliis, sive subventionibus, Domino Regi Franciæ per Romanam Ecclesiam faciendis, sicut habetur plenius in literis sub sigillis Dominorum G. Episcopi Sabinensis, & B. sancti Nicolai in carcere Tullianensi Diaconi Cardinalis, & dicti Domini Regis Franciæ & nostro hinc confectis, quod Nos, recuperata Insula Siciliæ, tenemur dictos Franciæ & Arragoniæ Reges, ad conquirendum Arragoniæ & Valenciæ Regna, ac Comitatum Barchinonensem, nisi pax intervenerit prædicta, juvare cum gentibus, & posse omnium terrarum nostrarum. Tenemur etiam procurare, quod dicta Maria Regina Jerusalem & Siciliæ, conjux nostra, totum jus dotalitii sui, & aliud quod habere & petere possit in futurum in dictis Comitatibus, seu terris Andegaviæ & Cenomaniæ ac eorum pertinentiis & adjacentiis quittabit, & ei renunciabit omnino, quodque primogenitus noster & alii liberi nostri expresse consentient eis quæ superius conventa sunt & dicta, & ea laudabunt & approbabunt, ad eorum observantiam efficaciter obligando, & quod tam ipsi liberi, quam ipsa conjux nostra super quittatione & renunciatione, consensu & approbatione hujusmodi suas patentes literas dicto Carolo Regi Arragonum dabunt, vel alias fide dignas, quæ omnia & singula, prout superius continentur, ex parte nostra conventa & dicta bona fide sub obligatione omnium bonorum nostrorum, mobilium, & immobilium, præsentium & futurorum, sive in Regno Franciæ, sive alibi fuerint, promittimus Nos facturos, integre & firmiter servaturos, tenore præsentium sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui Nos & omnia nostra, quantum ad hoc, supponimus, requirentes, quod Nos, ac Successores nostros ad faciendum, complendum & observandum præmissa de plano & sine judiciario strepitu coërceat temporaliter per occupationem & distractionem omnium bonorum nostrorum prædictorum. In quorum omnium testimonium præsentes literas sigillo nostro fecimus communiri.

Actum Sylvanectis Anno Domini MCCXC. die XVIII. præsentis mensis, III. indictionis, Regnorum nostrorum Jerusalem & Siciliæ anno VI.

LXIII.

Cœlestini IV. Pontificis Maximi, transactionis inter Carolum II. Siciliæ, & Jacobum II. Arragoniæ Reges pacta confirmatio, d. d. Kal. Octobr. Anno 1294.

COelestinus Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Post commotionis & rebellionis strepitum in Insula Siciliæ, ex adipe iniquitatis exortum, & subsequentem invasionem & occupationem ipsius, factam per quondam Petrum, olim Regem Arragonum, ex ipso rebellionis & invasionis excessu & continuatione reprobabili posterorum, prout supponunt sana judicia, eventusque declarant, mundo flagitia, fluctuationes, collisiones Regnorum, guerrarum diffidia, quæ animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus & destructiones innumeras induxerunt, hinc multa non facile numeranda discrimina, hinc graviter deploranda contritio, & in terra Domini gravis admodum pudendaque confusio populi Christiani. In quorum turbinibus licentia laxata diffidiis quantum charissimus in Christo filius noster Carolus, Siciliæ Rex Illustris, idemque Regnum oppressi fuerint, & contra DEum & apertam justitiam multiplicibus pressurarum generibus prægravati, volantis famæ notorium publicat, & fere per universa mundi climata ipsa injuriosa transgressionis evidentia manifestat. Verum idem Rex Siciliæ ambulans in viis Domini & per semitas charitatis ingrediens post suam liberationem a carcere, ut hostes ejus & Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ revocaret a pervio, & pacis fructum sibi & multis mundi Principibus procuraret, per diversas & remotas orbis terræ provincias laboravit, non parcens laboribus corporis nec cohibens profluvia in expensis. Post excursiones vero temporum & tractatus multiplices, diversos & varios qui facit concordiam in sublimibus suis Jacobi de Arragonia (præfati quondam Petri olim Regis Arragonum successoris in vitium præfatam Insulam & nonnulla alia loca in Regno Siciliæ citra Pharum occupata tenentis, hostis Ecclesiæ Regisque dictorum, ut insinuatio Nobis & fratribus nostris

facta

facta continet) animum convertit ad pacem, sicque inter jam dictos Regem & Jacobum tractatus pacis est habitus, qui quatenus tractatus ipse tangit Nos & Romanam Ecclesiam, ejusque in eo includitur interesse, prout ipsius Regis habet assertio, sano ipsius intellectu servato, sed in propriis & superfluis ejus verbis omissis præsenti serie annotatur.

Habet quidem ex parte dicti Regis in eodem tractatu expressa promissio, quod ipse bona fide cum sacrosancta Romana Ecclesia procurabit, quod misericorditer, gratiose & sine difficultate per ipsam relaxarentur Ecclesiam omnes sententiæ excommunicationis, suspensionis & interdicti, & quælibet aliæ, quæ latæ fuerunt per eandem Ecclesiam ratione guerræ præscriptæ contra Petrum de Arragonia & Jacobum prædictos, nec non Fridericum & quondam Alfonsum filios dicti Petri, & quaslibet alias personas Ecclesiasticas vel seculares, cujuscunque dignitatis aut conditionis existant, fautores, valitores ipsorum, capitula, universitates, & loca eorum; dispensetur quoque per ipsam Ecclesiam cum illis, qui sic excommunicati immiscuerunt se divinis, vel violaverunt interdictum scienter, vel susceperunt ordines, & ministraverunt in ordinibus sic susceptis, ita, ut in eorum beneficiis & dignitatibus secure remaneant, sicut prius, antequam dictæ sententiæ latæ forent: & pro hujusmodi relaxatione & dispensatione facienda celerius specialem personam ordinabit Ecclesia aliquem de Prælatis Regnorum Arragonum & Valentia, aut Comitatus Barciloniæ, qui prædicta compleat ex ejusdem Ecclesiæ potestate: quodque facta prius per charissimos in Christo filios nostros, Philippum, Regem Francorum, & Carolum fratrem ejus, Arragonum, renuntiatione legitima de prædictis Regnis & Comitatu claræ memoriæ Philippo, Regi Francorum, ipsorum parenti, per Ecclesiam ipsam concessis, sententia lata per Sedem Apostolicam contra dictum Petrum de Arragonia, super depositione seu privatione prædictorum Regnorum Arragonum & Valentiæ, & Comitatus Barciloniæ, & processus ex ipsa sententia habiti, præfato Jacobo, dicta Regna & Comitatum tenenti, & ejus hæredibus non noceant, neque præjudicent, sed per restitutionem redituum, atque concessionem dictorum Regnorum & Comitatus, faciendam per eamdem Sedem Jacobo memorato, sint & remaneant idem Jacobus & hæredes sui in illo jure & dominio prædictorum Regnorum, Comitatus, & jurium, in quibus erat præfatus Petrus, olim Rex Arragonum, pater prædicti Jacobi, antequam ipsam Romanam Ecclesiam in aliquo offendisset. Amplius ex ipsius promissionis & tractatuum colligitur sententia, quod per prædictas restitutionem, redditionem & concessionem de dictis Regnis ac Comitatu, eidem Jacobo per Ecclesiam faciendis, nullum jus eidem acquiratur Ecclesiæ, nec retineatur in illis occasione retentionis, seu reservationis, quam fecit Ecclesia in dictis Regni & Comitatus cum ipsa prædicto Philippo, Francorum Regi, concessit: sed prænominato Jacobo, suisque hæredibus seu Successoribus in eisdem Regnis, Comitatu, juribus sua jura firmata & illibata consistant, nec ex his sibi vel suis in aliquo præjudicium generetur.

Ab eodem etiam Rege Siciliæ deducitur in promissum, quod eadem pia mater Ecclesia præfatos Jacobum Fridericum valitores, & adjutores eorum ad sinum gratiæ suæ clementer recipiet, eisque omnes injurias, offensas, & damna irrogata per ipsos & prædecessores eorum eidem Ecclesiæ misericorditer & gratiose remittet; & quod de mobilibus vel se moventibus, quæ dicti Jacobus, prædecessores, valitores, vel adjutores eorum de bonis ipsius habuerunt Romanæ Ecclesiæ, vel de aliis Ecclesiis, locis religiosis, & personis aliis quibuscunque, postquam dicta guerra extitit inchoata, ac de expensis, quas eadem Ecclesia in ipsa guerra, vel ejusdem occasione subivit quoquo modo, idem Jacobus & hæredes sui per eandem Ecclesiam, prout ad eam pertinet, perpetuo quietentur; quodque prænominata Ecclesia omnes & singulos de Insula præfata Siciliæ, & Insulis ei adjacentibus, & aliis locis Regni Siciliæ, qui se publice cum dicto Jacobo tenuerunt, ad benignitatis suæ gratiam misericorditer & gratiose recipiet, eisque omnes offensas & injurias contra jam dictam commissas Ecclesiam relaxabit: mittetque specialem Nuntium ad præfatam Insulam, qui interdictum de ipsa removebit & tollet, omnesque ligatos excommunicationis & suspensionis sententiis quibuscumque locis ratione, vel occasione guerræ præteritæ benigne, gratiose & sine obstaculo difficultatis absolvet; dispensabit etiam gratiose & sine difficultate cum irregularibus irregularitatis nodo ejusdem guerræ ratione vel occasione ligatis, ita quod prælati, clerici & religiosi remaneant in suis dignitatibus, vel beneficiis, quæ juste tenuerunt ante strepitum dictæ guerræ.

A præfato vero Jacobo de Arragonia in eodem tractatu pacis expresse deducitur in promissum, quod ipse Ludovicum, Robertum, & Raimundum Berengarii, natos dicti Regis Siciliæ obsides omnes, & captivos cujuscumque conditionis, ubicumque sint, eidem restituet: nec non totam terram, fortalitias, & castra, quam & quæ tenent ipse Jacobus, valitores sui, & adjutores seu complices, satellites seu ministri in tota Calabria & terra, Jordano Principatu, Basilicata & pertinentiis eorumdem, omnesque insulas, quæ sunt circa Pharum, videlicet Isclam, Capeum, Procidam omnesque alias terras & insulas, quas idem Jacobus, valitores sui, adjutores, satellites, seu ministri tenent circa fretum, sive habitatæ fuerunt, sive non.

Ab eodem etiam Jacobo in promissione subjungitur, quod ipse post tres annos completos, numerandos continue a festo omnium Sanctorum futuro proximo qui erit anno Domini MCCXCIV. Ecclesiæ Romanæ immediate restituet præfatam Insulam Siciliæ cum omnibus terris, castris, casalibus, fortalitiis, Insula Malta, aliisque omnibus Insulis eidem Insulæ Siciliæ adjacentibus ubicumque sint, sicut bonæ memoriæ Carolus Rex Siciliæ tenuerat ante rebellionem Insulæ Siciliæ memoratæ. Fiet tamen prius per ipsam Ecclesiam & præfatum Regem Siciliæ remissio omnibus Siculis de omnibus offensis, injuriis, & damnis factis & irrogatis per ipsos dictæ Ecclesiæ & præfato Regi Siciliæ, ac nominato claræ memoriæ patri suo.

Dabitur etiam ipsis Siculis per Ecclesiam dictumque Regem Siciliæ securitas conveniens & honesta, quod

quod de prædictis offensis, injuriis, atque damnis factis & irrogatis per ipsos Siculis ejusdem Ecclesiæ atque Regibus Siciliæ, viventi scilicet nunc filio & patri jam mortuo per eandem Ecclesiam vel Regem præfatum nullo unquam tempore aliquid possit peti; & quod de toto prædicto triennio, quod dictus Jacobus Insulam Siciliæ memoratam tenuerit, ab eodem Jacobo nihil peti valeat per ipsam Ecclesiam, vel per Regem Siciliæ nominatum. Post restitutionem vero ejusdem Insulæ Siciliæ, factam per ipsum Jacobum eidem Ecclesiæ, ipsa Ecclesia tenebit præfatam Insulam Siciliæ in manibus suis super annum unum, a dictæ restitutionis tempore numerandum, nec ipsam Insulam alicui præfata Ecclesia illo anno restituet sine consensu Jacobi de Arragonia nominati.

Et si forte dicta Insula Siciliæ rebellis esset Ecclesiæ Romanæ, vel ejus nollet obedire mandatis, dictus Jacobus ipsam juvare tenetur Ecclesiam de persona & gente sua ad expensas ejusdem Jacobi bona fide cum toto posse suo per terram & per mare, quousque dicta Ecclesia de præfata Insula Siciliæ intentum suum plene obtineat, ejusque pareat devote mandatis; tempore tamen restitutionis prædictæ insulæ faciendæ ab eodem Jacobo præfatæ Romanæ Ecclesiæ, omnia mobilia, quæcunque dictus Jacobus habet in ipsa insula, licebit ei pro beneplacito suo extrahere, vel aliter exinde suam facere voluntatem. Debetque idem Jacobus assecurare præfatam Ecclesiam meliori, saniori, & utiliori modo quo fieri poterit, quod post prædictos tres annos completos, quibus dictam Insulam Siciliæ tenere debebit, immediate & sine dilationis objectu, jam dictam Insulam Siciliæ Ecclesiæ restituet prælibatæ; quæ per dictum Regem Siciliæ juxta præfati tractatus seriem eidem Jacobo facienda sunt & complenda, in sua remanentibus firmitate.

Supplicavit igitur Nobis idem Rex Siciliæ devotus filius noster & ejusdem Ecclesiæ, ut tenorem & substantiam præscripti tractatus, prout in prædictis Romanam contingit Ecclesiam, acceptare de Apostolicæ benignitatis clementia curaremus. Nos autem cernentes undique frementia mundi pericula, & quæ instant præ foribus ruinam minantia gravia detrimenta super terram sanctam desertam incolis Christi fidelibus, ipsorumque destitutam suffragiis, flentes amare cum Catholicis Principibus distractis ad bella civilia, ut non sit, qui consoletur illam ex omnibus charis suis: ad reparationem quoque status præfati Regis Siciliæ specialem habentes considerationis intuitum, supraſcriptum tractatum pacis, in quantum ad Nos & Romanam Ecclesiam (prout præmittitur) pertinet, si tamen in prædictis, quatenus ad eos pertinet, præfatorum Regis Franciæ & Caroli Regis Arragonum fratris sui accedit assensus cum conventionibus, concessionibus sive pactis, dudum cum claræ memoriæ Philippo Rege Francorum parte prædictorum & Romana Ecclesia initis, quantum ad conventa seu promissa per ipsam Ecclesiam eidem Regi Philippo suisque successoribus absque successorum ipsius expresso præveniente consensu nolumus in aliquo derogare; ex nunc prout ex tunc infra sequitur, acceptamus & approbamus de fratrum nostrorum consilio & assensu, decernentes & declarantes aperte, quod si dictis suo loco & tempore, sicut clarius, commodius, & aptius tractatum ipsum ad successivos actus produci divina gratia disponente continget ad ejusdem Jacobi hæredum, adjutorum & valitorum suorum, ac universorum hominum, prælatorum, clericorum, & laicorum dictorum Regnorum Arragonum, Valentiæ, Comitatus Barcilonia & Insulæ Siciliæ cautelam perpetuam, & particulariter, sicut honestum & expediens fuerit, & Romanam decebit Ecclesiam, competenter de prædictis omnibus & singulis relaxatione, dispensatione, restitutione, redditione, concessione, remissione, absolutione, equitatione & receptione per ipsam Ecclesiam, ut præscribitur, faciendis.

Hæc tamen omnia sub hac terminatione supponimus, & conditionis regula limitamus, si per præfatum Jacobum & ilios, ad quos ea res pertinebat conventa, & promissa prædicta per ipsum suis temporibus, prout congruum, decens seu rationabile fuerit, bonæ fidei puritate servata, firmiter observentur; ita quidem, quod si in prædictis vel prædictorum aliquibus, quæ agenda sunt per eandem Ecclesiam, in faciendo ipsa Ecclesia præveniret, idemque Jacobus vel illi, ad quos ea res pertinebit, in præmissis per eumdem Jacobum & conventis deficerent, iis ex quibus esset præventum ab eadem Ecclesia, pro cassis & nullis habitis, præfati Jacobus, omnes de prædictis Comitatu & Insula Siciliæ, & alii, ad quos spectaret negotium in sententias & pœnas spirituales & temporales factas per Apostolicam Sedem contra præfatos Petrum olim Regem Arragonum & Jacobum filium ejus, eorumque fautores seu complices, & interdicta posita per ipsam Sedem in dictis Regnis Comitatu & Insula Siciliæ, ipso jure, & sine aliquo facto hominis, sicut competentius, aptius, justius, & decentius fieri poterit, relabantur.

Per prædicta autem vel aliquod prædictorum, quæ vel in conventionibus sive pactis prædictorum Regis Siciliæ & Jacobi expresse vel generaliter, explicite vel implicite, seu in acceptatione & approbatione nostris quomodolibet continentur, non proponimus nec intendimus super solutione census & aliis in contentis conventionibus dudum habitis inter Romanam Ecclesiam & prædictum quondam Carolum & eundem Regem Siciliæ natum ejus aliqua immutare, detrahere, vel etiam innovare, sed ea omnia & singula in sui volumus persistere roboris firmitate. Nulli ergo &c. Datum Aquilæ per manus Joannis Archiepiscopi Beneventani S. R. E. Vicecancellarii, Kal. Octobris, Indictione VII. anno Domini MCCXCIV. Pontificatus Domini Cœlestini Papæ V. anno I.

LXIV.

Friderici, Arragonum Siciliæque Regis infantis, Epistola ad Communitatem Patermonis, neque minus, mutatis tantummodo mutandis, ad alias Communitates conscripta, in qua eas ad Coronationis suæ solennia invitavit, d. d. 12. Decembr. Anno 129-.

FRedericus, infans Illustris Regis Arragonum & Siciliæ claræ memoriæ filius, bajulo, judicibus & universis hominibus Patermonis, devotis suis salutem & gratiam.

Feli-

Feliciter dudum pro parte Vallis Mazaois discurrentes indefessis studiis circa reformationem status prosperi Siciliæ, & oportuna remedia exhibendo, rumoribus aliquibus intellectis, quibus fides aderat veritatis; perpensa deliberatione providimus pro pacifico statu, & tranquillo, & salubri apud civitatem Panormi inter Syndicos omnium terrarum & locorum Siciliæ citra flumen Salsum, generale colloquium celebrare: quibus ibidem coadunatis a quam pluribus Comitibus, Baronibus & aliis Nobilibus, juxta promissionem, quam Siculis dudum in colloquio per Nos apud Melacium celebrato nostra fecerat Celsitudo, quod universos rumores & singulos undecunque ad nostram pervenientes conscientiam, & specialiter super tractatu pacis habito inter dictum Dominum fratrem nostrum, Ecclesiam Romanam, & Principem *Carolum*, hostem nostrum, eis patefacere deberemus, gerentes de conditione & tractatu pacis ipsius notitiam & certitudinem plenariam, non absque vehementi turbatione mentis & dolorum aculeis magnitudinem nostram oportuit inter alia in eodem colloquio ibidem, undecimo præsentis mensis celebrato, publice nunciare & deducere ad notitiam singulorum, Illustrem Regem *Jacobum*, Dominum fratrem nostrum prædictum, cujus personam honorem, & exaltationem nostram propriam reputamus, in tractatu compositionis & pacis prædictæ, tractatæ & firmatæ inter eum, Ecclesiam Romanam & prædictum Principem *Carolum*, hostem nostrum insulam Siciliæ & alias terras Regni Siciliæ ultra Pharum suo subjectas Dominio dimisisse Romanæ Ecclesiæ, & dicto Principi *Carolo*, cedendo & renunciando juri & Dominio, quod habet & habere posset aliquo modo, ratione vel causa, in dicto Siciliæ (Regno) cujus qualitatem negotii iidem, ut prædicitur, memorati Comites, Barones, milites, & Syndici ipsi, quos tanti casus concussit acerbitas, considerantes, se tanti Regis & Domini Dominio & auxilio irrationabiliter destitutos, & attendentes, quod in manu dicti Principis, qui tantum eorum sitiat mortem & sanguinem per diversa mundi climata publica fama laborat, de facili poterant, quod absit, incidere, Nos in eorum Dominum unanimiter & humiliter implorarunt. Nos igitur, in virtute Altissimi confidentes, qui fuit auctor & principium status & negotii Siculorum, ad precum nobilium & Syndicorum instantiam, petitionibus suis benigne præstitimus voluntatis assensum, immensæ devotionis ac fidei constantia, quam inviolabiliter apud eos huc usque invenimus, Nobis rationabiliter & misericorditer suggerente, ut ad defensionem & conservationem ipsorum personam nostram & singula, quæ habemus, intrepide & liberaliter exponamus, & speramus in eo, qui huic Principi salubriora & meliora media clementia sua concessit, in manu nostra continuabit in melius finem negotii, & tempora erunt Siculis omnibus sub nostro dominio & protectione tranquilla. Consideratoetenim, quod, ex quo prædicto Domino fratri nostro placuit, juri & dominio dicti Regni cedere, & de prædictorum nobilium & Syndicorum unanimi voluntate processit, Nos in eorum Dominum eligere & habere; unde dicti Domini fratris nostri locum & vicem a modo Nos tenemus, & provisum existit de consilio sapientum, quod præscripto titulo nostræ literæ dirigantur, & quod bannitores & præcones in singulis terris & locis nostri dominii, quotiens banna publicare contigerit, dicant & banniant: audite bannum & mandatum illustris Domini nostri *Friderici*, & in publicis instrumentis deinceps conficiendis in eadem terra Patermonis, videlicet in principio instrumentorum, Notarius publicus verbis istis utatur, videlicet: Dominante inclyto Domino nostro, Domino Frederico, illustris Regis Arragonum & Siciliæ claræ memoriæ filio, dominii ejus anno primo, feliciter Amen: Quæ omnia in prædicta terra Patermonis observetis, & faciatis inviolabiliter observari. Nuperrime autem certo certius nostra didicit Celsitudo, quod die sabbati XXIX. die mensis Octobris proxime præterito, præsentis nonæ Indictionis, prædictus Dominus Rex apud Villam Bertram de partibus Cataloniæ Siculorum Nunciis finale responsum hujusmodi dedit: quod Insulam Siciliæ in tractatu dictæ pacis Romanæ Ecclesiæ, & dicto Principi *Carolo* dimisit & cessit, renuncians juri, quod in ea habebat, ut superius est expressum. Qui Siculorum Nuncii immensi doloris acerbitate propterea contristati coram multitudine copiosa Baronum, militum, & aliorum nobilium partium earumdem fuerunt legitime & solemniter protestati, quod, ex quo prædictus Dominus Rex ipsos deseruerat, ut præfertur, quod ipsi nomine & pro parte omnium Siculorum, & ipsi Siculi se eximebant a suo dominio & omnimoda potestate, & quod erant & reputabant se legitime absolutos & penitus liberatos ab omni sacramento, fidelitate, promissione, & homagio, quibus ipsi eidem Regi, tamquam Domino, hactenus tenebantur: quod de cætero libere possunt & debent eis providere de Domino & de Rege, juxta eorum arbitrium. Voluntatem quorum & protestationem prædictus Dominus Rex legitimam reputando, coram prædictis nobilibus voluntarie acceptavit. De quibus protestatione & acceptatione ad æternam rei memoriam & Siculorum cautelam, prædicti Nuncii fecerunt sibi fieri legitima publica documenta. Eodem die a prædicto rege memorati Nuncii recesserunt, quos in eorum recessu præfatus Dominus Rex rogavit, ut ipsi deberent Dominam Reginam, carissimam matrem suam, & Dominam *Yolandam*, sororem ejus, recommendare Siculis carius quam valerent, dicendo Nunciis memoratis: De Domino *Frederico*, aliquatenus non rogamus, quia ipse cum miles sit, quod debeat agere, non ignorat, & vos, quid oporteat facere, bene scitis. Et sequenti die Dominico penultimo ejusdem mensis per Archiepiscopum - - - Ecclesiæ Romanæ legatum, tunc ibidem præsentem, interdictum, quo dicta terra dicti Regis erat supposita, fuit penitus relaxatum. Et eodem die prædictus Dominus Rex ibidem colloquium celebrans, omnibus publicavit, se insulam Siciliæ dimisisse totaliter, ut superius est expressum. Subsequenti autem die Lunæ, ultimo mensis ejusdem, prædictus Rex ad quandam terram, vocatam Figerias, distantem a prædicta villa Bertram per milliaria duo, se personaliter contulit, ubi Princeps *Carolus* cum filia sua, Domina *Blanca* ejusdem Regis præstolabatur adventum, qui Princeps memoratam filiam suam eidem Regi tradidit in instanti,

ſtanti, & prædictus Dominus Rex ſtatim immediate reſtituit dicto Principi filios ſuos, & alios omnes obſides, quos ſuo detinebat carceri mancipatos, memorato Rege cum dicta Domina *Blanca* ad prædictam villam Bertram die eodem redeunte. Subſequenti vero die Martis primo Novembris, ibidem præfatus Dominus Rex eandem Dominam *Blancam* duxit, celebratis nuptiis, in uxorem. Et quia ſupradicti Comites, Barones, Nobiles, & Syndici ipſi conſultius providerunt, quod, vocatis & coadunatis Syndicis omnium terrarum & locorum totius Inſulæ apud civitatem Catheriæ XV. menſis Januarii primo venturi hujus nonæ Indictionis, debemus ibidem generale colloquium celebrare, & a Syndicis ſupradictis nomine, & pro parte omnium terrarum & locorum ipſorum, fidelitatis & homagii conſueta recipere ſacramenta, noſque eis ſacramento firmabimus inviolabiliter obſervare ea, quæ ipſi pro bono & pacifico ſtatu Regni Siciliæ in ipſo Colloquio promittemus die ſtatuto, in quo Regni Siciliæ diadema feliciter aſſumamus. Quo circa devotioni veſtræ mandamus, quatenus ſtatim, præſentibus receptis, Syndicos veſtros, & de melioribus & nobilioribus ſapientibus ditioribus, & ſufficientibus veſtrum numero ſex eligere ſtudeatis, quos electos, cum decreto electionis & approbationis ipſorum, ac veſtrum ſuper præmiſſis & aliis plenaria auctoritate ſuffultos ad Nos apud eandem civitatem Catheriæ, pro cauſa prædicta infallibiliter in præſcripto termino deſtinetis. Datum &c. XII. Decembris, IX. Indictionis.

LXV.

Bonifacii IIX. Pontificis Maximi, Bulla adverſus Fridericum, Siciliæ Regem, ejusque aſſeclas, Sacræ Romanæ Eccleſiæ rebelles, publicata, de Anno 1296.

Ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum. Dudum per felicitatis recordationis Martinum primo, & ſubſequenter Honorium & Nicolaum, Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, contra quondam Petrum olim Regem Arragonum & natos ipſius, ac Siculos, Eccleſiæ Romanæ rebelles & hoſtes, ad cujus dominium Siciliæ Inſula noſcitur pertinere; aliosque fautores, adjutores, complices, & ſequaces eorum propter graves & enormes exceſſus, manifeſtas injurias, contumacias & contemptus, per eos contra DEum & eandem Eccleſiam longo jam tempore damnabili temeritate præſumptos, prout in multorum notitiam non ambigimus perveniſſe, diverſi & varii, qui in archivio Sedis Apoſtolicæ conſervantur, habiti ſunt proceſſus, monitiones, exhortationes, inhibitiones, citationes, ac ſpirituales & temporales pœnas atque ſententias varias continentes. Poſtmodum vero Nos ex divinæ diſpoſitionis arbitrio ad ſummi Apoſtolatus officium evocati, inter alia noſtræ ſolicitudinis ſtudia diverſos & varios tractatus aſſumpſimus, & cogitavimus vias & modos, quibus ad gremium ipſius matris Eccleſiæ, nobilem juvenem Fredericum, filium dicti Petri & Siculos reduceremus eosdem, a cujus inſulæ detentione aliisque inſolentiis chariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus, nunc Rex Arragonum, prudenti devotione ceſſavit, ac illam, quantum in eo extitit, expeditam & liberam Eccleſiæ memoratæ dimiſit, & voluit, quod ad ipſius manum & mandata Eccleſiæ Inſula & Siculi prædicti redirent.

Deinde Nos experiri volentes, utrum timor Domini & reverentia prædictæ matris Eccleſiæ tangeret Fredericum & Siculos prælibatos, ut ſaniori ducti conſilio ad ipſius Eccleſiæ mandata reverterentur humiliter; noſtros & ejusdem Sedis ſolennes Nuncios ad eos propterea in ſignum munifici muneris de ipſius Sedis exuberanti clementia duximus deſtinandos, quos iidem Fredericus & Siculi, inflati ſuperbiæ ſpiritu, admittere recuſarunt; immo potius ipſos verbis contumelioſis affectos inhoneſte tractantes, ac prolatis comminationibus gravibus in eosdem ejicere, & repellere præſumpſerunt, in non modicum dictæ Sedis opprobrium & contemptum: &, quod eſt gravius & horrendum auditu, Fredericus ipſe, pravis paternis inhærendo veſtigiis, ſe præcipuum Siculorum ipſorum fautorem, ducem, & aurigam conſtituit: & nimis propere quaſi tumidus adoleſcens, ultra ſe ipſum erectus, ad præcipitium promptus ac diſpoſitus ad ruinam, prout famæ veridicus afflatus inſinuat, & evidentia facti clamat; propria & Siculorum eorumdem ductus inſania, ipſorumque conſilio, auxilio & favore, non ſine divinæ Majeſtatis offenſa, dictæ Sedis injuria, ac chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli, Siciliæ Regis Illuſtris præjudicio & contemptu in Siciliæ Regem eligi, inungi, coronari, vel verius execrari ſe fecit, ſoliumque regale conſcendere, verecundia a ſe penitus relegata, præſumpſit, & ejusdem Regni Regem ſe nominat, & cum nonnullis de Lombardiæ, Tuſciæ & Regni, ac aliis Italiæ partibus profugis, quos a propriis laribus eorum malitia effugavit, ſe implicat commerciis fraudulentis, non attendens, quam ſit graviter puniendus, non ſolum qui Regium ſibi nomen uſurpat, ſed etiam qui aſſumit indebite nomen ſimplicis magiſtratus.

Nos igitur ejusdem Frederici præſumptionem tam temerariam & ſuperbam, ac ejus iniquitates, dolos, fraudesque multiplices abominabiliter deteſtantes, nominationem, electionem, aſſumptionem, inunctionem, & coronationem, de ipſo Frederico in Siciliæ Regem de facto præſumptas, & quicquid circa præfatum Fredericum extitit, per nominationem, electionem, aſſumptionem, inunctionem & coronationem, immo verius execrationem hujusmodi, quas recipere de facto non metuit, & quas utique conſtat nullas eſſe præſumptum; præſente hac fidelium multitudine copioſa caſſamus, irritamus, & juribus vacuamus omnino, immo caſſas, irritas & vacuas nuntiamus, diſtricte præcipientes eidem, ut ſe nec Regem Siciliæ nominet, nec nomen Regium quomodolibet aſſumere vel uſurpare præſumat, ac de Siciliæ Regni regimine ſive alicujus ejus partis ſe nullatenus intromittat, nec utatur literis ſub hujusmodi expreſſione nominis aut ſigillo cum typario Regiæ majeſtatis.

Memoratis inſuper Frederico & Siculis, & aliis quibus-

quibuscumque cujusvis eminentiæ, dignitatis, conditionis aut status Ecclesiastici vel mundani, qui Frederico prædicto in præmissis vel aliquo præmissorum assistere, dare consilium vel favorem, vel auxilium præsumpserunt, expresse præcipimus, ut usque ad octavas festi Beatorum Apostolorum Petri & Pauli proximo venturas, quas eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus, ad nostra & dictæ Sedis mandata redire procurent, alioquin ipsos excommunicationis sententia innodamus, ac nihilominus contra ipsos spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.

Ad hæc universis Christi fidelibus, cujuscumque eminentiæ, dignitatis fuerint sive status, quos Petri claves & Romanæ Sedis potestas astringunt, districte injungimus sub excommunicationis pœna, quam si secus fecerint, eos incurrere volumus ipso facto, non obstantibus quibuslibet privilegiis sive indulgentiis, sub quacunque verborum forma concessis, seu interpretatione vel voluntate alicujus seu aliquorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quod ipsi hujusmodi generalibus sententiis nullatenus includantur, ut Frederico & Siculis memoratis in præmissis contra Romanam Ecclesiam & Regem Carolum suprascriptum, in detentione Siciliæ, seu quorumcunque locorum Calabriæ, vel Regni prædicti, seu occupatione quarumcunque Provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum seu locorum, ad dictam Apostolicam Sedem & præfatum Carolum, Regem Siciliæ, spectantium, constitutorum ubilibet, nullum præstent auxilium, consilium vel favorem, neque nuntium seu literas mediate vel immediate mittant ad eos, vel recipiant ab eisdem. Quod si secus egerint, ipsos simili sententia innodamus, a qua per neminem absolvi valeant, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali per ejusdem Sedis literas, plenam & expressam facientes de præsentibus mentionem.

Cæterum omnia privilegia, indulgentias, gratias, absolutiones, concessiones, dispensationes, remissiones, restitutiones, donationes, largitiones, & liberalitates dictis Frederico, & Siculis & aliis quibuscunque, cujuscunque fuerint præeminentiæ, conditionis, aut status, ecclesiastici vel mundani, qui in insula prædicta aut locis eidem Frederico parentibus vel subjectis permanserint, & qui dicto Frederico in nominatione, electione, inunctione, coronatione seu execratione præmissis dederunt consilium, auxilium vel favorem, a Nobis, vel auctoritate nostra, sub quacunque verborum expressione concessa, propter eorum ingratitudinem auctoritate Apostolica revocamus, & nullius fore decernimus firmitatis, prædicentes aperte ipsis Frederico & Siculis, ac aliis qui eidem Frederico, ut prædicitur, auxilium, consilium vel favorem impendere præsumserunt, quod prætextu dilationis & termini præfixionis hujusmodi, quæ potius ex gratia seu misericordia, quam ex juris necessitate procedunt, nequaquam differre vel etiam abstinere proponimus, quin etiam ipsa dilatione ac termini assignatione pendentibus tam ex præteritis eorum contumaciis, excessibus & offensis, quam ex futuris, si quos eos committere fortasse contigerit, procedamus spiritualiter & temporaliter, prout & quando viderimus expediens contra ipsos &c. Datum Romæ in basilica B. Petri, in festo Ascensionis Domini, Pontificatus nostri Anno II.

LXVI.

Juramentum fidelitatis, nomine Friderici, Siciliæ Regis, Sedi Apostolicæ per Procuratorem præstitum, d. d. 6. Id. Decembr. Anno 1303.

CHarissimo in Christo filio Friderico, Regi Trinacriæ Illustri.

Ne rei gestæ memoriam diuturnitas temporis in posterum forsan obliteret, testamur tenore præsentium, quod dilectus filius Nobilis vir Conradus, Auriæ procurator & nuntius tuus, ligium homagium & fidelitatis juramentum nomine tuo præsencialiter Nobis nomine nostro & Ecclesiæ Romanæ recipientibus, pro insula Siciliæ ac aliis circumadjacentibus Insulis, quas a Nobis & ipsa Ecclesia ad vitam tuam tenes in feudum, fecit & præstitit in hac forma: Ego Conradus, Trinacriæ magnifici Principis Domini mei, Domini Friderici, Regis Illustris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis & vasalli, procurator & nuntius, recognoscens & confitens nomine præfati Domini mei, quod quicquid in Siciliæ & circumadjacentibus insulis habet & tenet, totum in vita sua tantummodo habet & tenet in feudum a prædicta Romana Ecclesia, ex sola gratia & mera liberalitate ipsius, ejusdem Regis nomine & pro ipso vobis, sanctissime Pater, Domine Benedicte undecime, divina providentia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ Summe Pontifex, & ipsi Romanæ Ecclesiæ pro eo, quod in Siciliæ & aliis circumadjacentibus insulis prædictis ipse Dominus meus, Dominus Rex habet & tenet ad vitam suam, ligium homagium facio, & fidelitatis præsto in animam dicti Domini mei, & meam solitum juramentum, videlicet, quod ipse Dominus meus Rex ab hac hora in antea fidelis & obediens erit beato Petro & vobis, vestrisque Successoribus canonice intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non erit in consilio aut consensu, vel facto ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione.

Consilium quod sibi credituri estis per vos, aut per nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum & eorum damnum nemini pandet, se sciente: & si sciverit fieri vel procurari, seu tractari aliquod, quod sit in vestrum vel aliorum damnum, id pro posse impediet, & si impedire non posset, illud vobis & eis significare curabit. Papatum Romanum & Regalia S. Petri, tam in prædictis Siciliæ & circumadjacentibus Insulis, quam alibi existentia adjutor erit vobis & ipsis, ad retinendum & defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Sic eundem Dominum meum, Dominum Fridericum Regem, & me DEUS adjuvet, & hæc, quæ manibus meis teneo, sancta DEI Evangelia.

Promitto insuper procuratorio nomine dicti Domini mei, & pro ipso, & quod ipse Dominus meus Rex pro omni eo, quod sibi, ut prædicitur, ex mera libera-

liberalitate Romanæ Ecclesiæ, ab ea in sæpedictis Siciliæ & circumadjacentibus insulis habet & tenet, vobis Successoribus vestris canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ, ubicumque vos & Successores vestri, Romani Pontifices, fueritis, annuum censum trium millium unciarum auri, in B. Petri festo persolvet; ac servitium centum militum, convertendum quandoque in navale subsidium, juxta formam & modum super hoc in conventionibus initis habitos, vice sua tempore toto præstabit. Modus autem & forma hujusmodi præstationis in conventionibus ipsis expressi ii sunt, quod quilibet dictorum centum militum tres equitaturas ad minus habeat, sitque armis bene & decenter munitus; quodque dictum præstetur servitium per tres menses integros, expensis dicti Domini mei Regis, computandos a die quo iidem milites seu navale servitium egressi fuerint, aut egressum fines districtum insularum dictarum semel in anno, quandocunque vos vel Successores vestri Romani Pontifices, qui pro tempore fuerint, asserueritis eodem servitio Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi vestro & prædictorum Successorum vestrorum simplici verbo stetur. Idemque servitium in navale subsidium debita proportione ac compensabili taxatione præhabita, iisdemque modo & forma juxta vestrum, eorundem Successorum, & Ecclesiæ beneplacitum convertetur: quodque inimicos & hostes dictæ Romanæ Ecclesiæ pro hostibus & inimicis habebit, ac omnes Ecclesias insularum dictarum plenarie restituet & restitui faciet, si forte adhuc restitutæ non sint, ad omnia bona & jura ipsorum, in quorum possessione erant tempore, quo Insula Siciliæ memorata contra claræ memoriæ Dominum Carolum rebellavit, per quoscunque præfata bona & jura ablata vel occupata sint, aut detineantur ad præsens, nisi forsitan circa prædictum tempus aliqua justa alienatio per personas auctoritatem habentes de prædictis bonis & juribus rite & rationabiliter facta esset, & quod omnes prædictas Ecclesias & personas ecclesiasticas Ecclesiarum ipsarum præfatus Dominus meus Rex libertatibus, privilegiis, & immunitatibus, a Sacris Canonibus eis concessis, & specialiter quod immunes sint a collectis & taliis, gaudere permittet & faciet; quodque Romanus populus, cum indigebit idem Dominus meus ejus vita durante ad requisitionem vestram & dictorum Successorum vestrorum de portubus, Siciliæ victualia & legumina deferenda ad urbem pro ipsorum usibus, cum solutione tamen juris exituræ, quod per ejusdem Domini mei Regis curiam fuerit ordinatum, vosque & dicti Successores vestri, ejusdem Domini mei vita durante, quando indigueritis, aut præfata Ecclesia præcipue pro subsidio terræ sanctæ, anno quolibet hujusmodi necessitate durante, de præfatæ Siciliæ partibus salmarum decem millia libera a jure quolibet exituræ & alterius cujuscunque districtus ferenda, quo vos vel Ecclesia memorata mandabitis, extrahatis juxta vestrum beneplacitum voluntatis, & extrahi facere valeatis.

Et quicquid in dictis Siciliæ & circumadjacentibus insulis idem Dominus meus, ut prædicitur, habet, non dividet absque Sedis Apostolicæ & dicti Domini Caroli Regis Siciliæ voluntate: ac concordiam & pacem factas & initas inter Dominum Carolum Regem Siciliæ Illustrem, & Dominum meum Regem prædictum, confirmatam per bonæ memoriæ Dominum Bonifacium Papam VIII. prædecessorem vestrum, ipse Dominus meus Rex gratam & ratam habebit, & generaliter universas & singulas conventiones jam dudum inter dictam Romanam Ecclesiam & felicis memoriæ Dominum Carolum Regem Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ in concessione Regni Siciliæ, & totius terræ citra Pharum, usque ad confinia terrarum præfatæ Ecclesiæ Romanæ sibi per eamdem Ecclesiam olim factam, affirmative vel negative de faciendo sive de non faciendo, quatenus ipsum Dominum meum F. contingere possunt, quam nuper in pace inter ipsum Dominum meum & pro parte ipsius & Dominum Serenissimum Principem Dominum Carolum, Regem Siciliæ Illustrem, & pro ipsius parte initas & habitas, ac per Sedem eamdem reformatas & approbatas, ac eisdem conventionibus additas, sicut si specialiter & nominatim essent expressæ in juramento & promissione præsenti, plene & integre adimplebit & inviolabiliter observabit tempore vitæ suæ, nec in aliquo veniet vel faciet contra eas; quodque idem Dominus meus Rex consentiet & volet. Quod si ipse prædictum censum non solveret, & servitium non præstaret, pœnas hoc ipso incurrat appositas in persona inclytæ recordationis dicti Domini Caroli & hæredum suorum circa census octo millium unciarum auri & servitii trecentorum militum præstatione in conventionibus prædictis, inter dictam Romanam Ecclesiam & Regem Carolum memoratum, olim habitis in Regni concessione præfata.

Et quod per concordiam & pacem prædictas, ejusque tractatum, confirmationem factam per præfatum quondam Dominum Bonifacium, ac Domini Caroli Regis vel procuratorum suorum assensum, seu præstationem & receptionem homagii vel dictorum census trium millium unciarum auri & servitii militaris seu navalis, & intitulationem qua dictus Dominus meus Fredericus Rex utetur secundum pacem prædictam nullum præjudicium, mutilatio vel diminutio conventionibus prædictis, initis inter dictam Romanam Ecclesiam & præfatum Dominum quondam Carolum Regem Siciliæ, ac dicto Domino Carolo Regi Siciliæ ejusque hæredibus & posteris afferatur, quin post obitum dicti Domini mei Regis jam dicta Insula Siciliæ cum Insulis circumadjacentibus, omnibusque aliis pertinentiis suis ad unitatem, integritatem, & soliditatem alterius partis terræ citra Pharum positæ, sicut erat concessionis tempore, factæ per Apostolicam Sedem præfato quondam Carolo Siciliæ Regi ipso jure & sine aliquo facto hominis juxta dicti tractatus pacis seriem sic revertatur, quod liceat tunc prædicto Domino Carolo Siciliæ Regi & legitimis hæredibus suis dictam Insulam Siciliæ cum insulis ei circumadjacentibus, aliisque juribus & pertinentiis suis ad soliditatem & integritatem prædictæ terræ alterius citra Pharum & unitatem totius Regni Siciliæ auctoritate propria, & sine jussu alicujus præsidentis, seu judicis revocare præfatis conventionibus inter Ecclesiam & quondam Regem prædictos habitis, & pace prædicta, ejusque tractatu in sua manentibus firmitate: & quod per detentionem vel reten-

retentionem aut divisionem prædictarum insularum, jurium & pertinentiarum ipsarum faciendas juxta pacis prædictæ tenorem, jamque factas ad vitam dicti Domini mei per confirmationem præfatam post obitum ejus ipsis Domino Carolo ejusque successoribus nullum in petitorio, vel possessorio præjudicium generetur, aut ex possessione, vel tenuta prædictis allegari possit præscriptio vel opponi: quodque hominibus insularum universarum non possit aliquod afferri præjudicium in futurum, nec per hoc insula ipsa ad prædictas unitatem, integritatem & soliditatem immediate post ipsius Domini mei Regis obitum, ut prædicitur, redeunte in functionibus publicis aliisque debitis præstationibus gravetur in plus quam rationabilis & moderata proportio patietur. Et juro ut supra, quod idem Dominus meus Rex prædicta per me promissa inviolabiliter observabit & fideliter adimplebit. Datum Laterani VI. id. Decembris anno I.

LXVII.

Caroli II. Siciliæ Regis, Diploma, in quo Pedemontii Comitatum, cum Provinciæ & Forcalquerii Comitatibus unitum, in unum corpus redegit, d. d. 14. Febr. Anno 1306.

CArolus II. DEI gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii Comes, universis præsentis scripti seriem inspecturis, tam præsentibus quam futuris, Principale præsidium. De subditorum cura prævidens nonnunquam ex causa præcipue Regionis loca separat, ac interdum divisa reducit ad integrum per alligabilem unionem sancitam. Circa fidelium & subjectorum nostrorum augmenta status prosperi meditatione sollicita intendentes, attento, quod dum ipsi ex regionum diversitate ac partium separatione disjuncti, ad unitatem reducti redduntur amabiliores ad invicem, & contra alios fortiores, cum vis unita congregata sit fortior, & colligatus funiculus difficilius dissolvatur; Comitatum Pedemontis, nostrum utique patrimoniale peculium, recuperatum noviter de manibus detentorum, cum omnibus terris, castris, villis, casalibus & locis aliis ac pertinentiis suis, Comitatibus nostris Provinciæ & Forcalquerii de certa nostra scientia incorporandum & uniendum duximus, ac etiam advertendum, ita, quod sub felici nostro & hæredum nostrorum dominio Comitatibus ipsis incorporatis invicem & mutuo conjunctis, nostri fideles & subditi eorundem, vinculo uniti corroborationis arctiori, mutuis se coadjuvent viribus, & cum casus emerserit, minime adversariorum potentias pertimescant. Hoc excepto specialiter & expressius reservato, quod in dicto Comitatu Pedemontis noster in præfatis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii Senescallus nullam jurisdictionem habeat, sed in eo per Curiam nostram Senescallus per se, aliique officiales per tempora statuantur, quodque propter unionem & incorporationem præmissas juribus, honoribus & libertatibus dicti Comitatus Pedemontis ac specialium personarum ipsius nullum præjudicium quomodolibet generetur; nec idem Comitatus propter unionem ipsam eisdem Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ad subjectionem vel submissionem aliquam teneatur. In cujus rei testimonium præsens scriptum duplicatum fieri, & aurea bulla nostræ Majestatis impressa typario jussimus communiri. Datum Neapoli, per manus M. Di. C. &c. Anno Domini millesimo trecentesimo sexto, die decima quarta Februarii, quartæ Indictionis, Regnorum nostrorum Anno XXII.

LXIIX.

Caroli II. Siciliæ Regis, Diploma, in quo ea omnia, quæ ipsius filius Robertus, Calabriæ Dux, Sedi Apostolicæ, interposito jurejurando, erat pollicitus, approbavit atque rata habuit, d. d. 11. Novembr. Anno 1306.

SAnctissimo in Christo Patri, & clementissimo Domino suo, Domino Clementi, Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus II. DEI gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.

Robertus primogenitus Dux Calabriæ, ac meus in Regno Siciliæ Vicarius generalis, per literas suas mihi nuper aperuit, quod in præstatione sacramenti fidelitatis & homagii, ad quam eum benigne de speciali gratia meo nomine recepistis, idem primogenitus ad vestri & Ecclesiæ Romanæ cautelam suas concessit literas sub serie subsequenti:

Nos Robertus, Illustris Jerusalem & Siciliæ Regis primogenitus, Calabriæ Dux, ejusque vicarius generalis tenore præsentium notum facimus universis, quod die nono præsentis mensis Februarii XV. Indict. apud Sanctum Genesium prope Lugdunum offerentibus Nobis procuratorio nomine dicti Domini genitoris nostri, cujus inde mandatum speciale suscepimus, sanctissimo in Christo patri & clementissimo Domino nostro, Domino Clementi, divina providentia sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, sacro Dominorum Cardinalium assistente Collegio, ligium homagium, & fidelitatis debitæ juramentum pro Regno Siciliæ, & tota terra citra Pharum, quæ dictus Dominus genitor noster a Romana Ecclesia tenet in feudum, ipse Dominus noster Papa tanquam pius pater & Dominus benigne respondit, quod juxta formam conventionum initarum ab olim inter Romanam Ecclesiam, & claræ memoriæ Dominum Carolum, Regem Siciliæ, avum nostrum, non tenetur per procuratorem vel nuntium homagium & juramentum prædicta recipere; quinimo ex illarum vigore possit ad id Dominum patrem nostrum personaliter evocare, vel ad eum aliquem mittere, qui nomine Romanæ Ecclesiæ præmissa reciperet ab eodem: de paterna tamen benignitate & gratia speciali a Nobis illa nomine, quo supra, reciperet, cum ea protestatione videlicet, quod ipsa receptio sibi, vel futuro Romano Pontifici præju-

dicium aliquod non pararet: quin utique vocare possent ad personalem præstationem illorum Regem Siciliæ, etiam si & quando sibi placuerit dictum Dominum Patrem nostrum, vel ad eum personam aliquam mittere, quæ suo & Ecclesiæ Romanæ nomine illa reciperet ab eodem, cum nollet ipse Dominus noster ad consequentiam trahi receptionem seu præstationem hujusmodi, nec per illam Domino patri nostro, vel Nobis, aut ejus Successoribus in præstando per procuratorem, etiam primogenitum suum, homagium & juramentum prædicta imposterum novum aliquod acquiri. Qua quidem præstatione, ut præfertur, emissa, Nos eidem Domino nostro, sacro assistente Collegio, dictum homagium dicti Domini genitoris nostri fecimus nomine, & fidelitatis præstitimus juramentum.

Et quia, sicut decet gratum filium & devotum, cum ipsius Domini nostri beneplacito in iis & aliis concurrere promptis affectibus cupimus, & proinde nolumus propter ipsam præstationem nostram in aliquo derogari Romanæ Ecclesiæ, dicto Domino nostro aut futuro Romano Pontifici; nec Domino Patri nostro, Nobis, aut Successoribus ejus in præstatione juramenti & homagii prædictorum per procuratorem vel nuntium novum aliquod in futurum propterea jus acquiri, ecce protestationi præmissæ liberaliter assentimus; sic tamen, quod per assensum hujusmodi Domino patri nostro, Nobis, vel Successoribus ejus in jure, si quod circa id sibi quomodolibet competit, nullatenus detrahatur: & nihilominus Nos facturos & curaturos expresse promittimus, quod dictus Dominus genitor noster infra festum beatorum Apostolorum Petri & Pauli proximum eidem præstationi præbebit assensum: de cujus præbitione infra idem tempus mittet ad Sedem Apostolicam regias patentes literas aurea bulla Regiæ Majestatis impressa typario communitas. In cujus rei testimonium præsentes fieri fecimus literas, sigilli nostri appensione munitas. Datum Lugduni, die undecimo Februarii, Anno Domini MCCCVI. Indict. IV.

Ego igitur, pie pater, pro dicta gratia vestra gratus, sicut & de aliis vestris beneficiis, esse DEO dante confido, omnia & singula in præfatis literis dicti Ducis contenta ratificans & acceptans, illis expresse consentio, & mea ratihabitione confirmo. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri feci, & Aurea Bulla meæ Majestatis impressa, typario communiri. Actum Neapoli, Anno Domini MCCCVI. Datum ibidem per manus Bartholomæi de Capua, militis Logothetæ, & Protonotarii Regni Siciliæ, sub eisdem annis Domini, die XV. April. IV. Indict. Regnorum meorum Anno XXII.

Nota. Cum se pluribus beneficiis Clementi obstrictum, Carolus in superioribus literis professus sit, haud quidem inter alia id premendum silentio est, quod ei ob præterita bella exhausto Ærario, nonaginta trium millium unciarum auri supra trecentas quadraginta, ad quas Pontificio fisco census exactis annis debiti ergo inferendas devinctus erat, solutio a Clemente extracta est. Et quidem primum, cum Bonifacius IIX. memoratam vim auri, labente anno hujus Seculi secundo, & Festo Petri & Pauli Apostolorum die recurrente repeteret, nec solvendo esset Carolus, ad biennii fluxum solutionis diem protogavit. Cum vero tunc Benedicto XI. vita functo Sedes pastore vacaret, Carolus Rex a Cardinalium senatu precibus elicuit, ut illius auri pensio ad proximum annum prorogaretur. Evecto vero superiore anno ad Pontificios apices Clemente V. Rex defuit officio: cumque censuris ob id se illaqueasset, missis oratoribus Clementem flexit, ut illum suscepra noxa solveret, diemque solvendæ illius vis auri ad Apostolorum Petri & Pauli celebritatem proferret. Quo beneficio affectus Carolus, grates Pontifici præstitit, a Regiis literis hac formula consignatis. Datum Neapoli, per Bartholomæum de Capua, militem logothetam, & Protonotarium Regni Siciliæ, Anno Domini MCCCVI. die XVIII. Martii, IV. Indict. Regnorum meorum Anno XXII. Appetente sacro Apostolorum Petri & Pauli die, omne illud vectigale aurum tot annis debitum Pontificiis quæstoribus numerare non potuit; solitam vero in eum benignitatem explicuit Clemens: quare accepti beneficii testes repetitæ sunt de extracta solutione census ad Clementem V. Caroli literæ, cum in Provinciam venisset, quæ hac formula consignatæ sunt. Datum Massiliæ, Anno MCCCVI. XI. Novembr. V. Indict. Regnorum nostrorum Anno XXII.

LXIX.

Bulla Clementis V. Pontificis Maximi, in qua, Sedem Apostolicam, ad sumptus, propter Regni Siciliæ, tanquam feudi sui, defensionem, minime obligatam atque obstrictam esse declaravit, d. d. 13. Kal. Augusti, Anno 1307.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam Rei memoriam.

Charissimus in Christo filius noster Carolus, Siciliæ Rex Illustris, & claræ memoriæ pater ejus, dudum bello Siculo a quondam Petro, olim Aragoniæ Rege, suisque filiis ipsis illato afflicti graviter diu & attriti, coacti sunt propter necessitates, expensas, & onera, quæ belli ipsius diuturnitas introduxit, & adversa fortuna paravit, impares sumtibus hactenus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Rom. Ecclesia, a qua prædictum Regnum genitor Regis ejusdem tenuit, & ipse Rex tenet in feudum, diversa flagitare subsidia; eisque usque ad summam trecentarum sexaginta sex millium unciarum auri, ex causa mutui ab ipsis Rege & genitore hujusmodi occasione suscepti, se ac bona sua solemniter obligare. Nuper vero a Nobis in præsentia fratrum nostrorum & sua Rex ipse per venerabilem fratrem nostrum, Petrum, Archiepiscopum Arelatensem, suppliciter petiit, quatenus de misericordia & Apostolicæ Sedis gratia, pluribus allegatis suæ ad solutionem tanti debiti impotentiæ causis, & ad fortius suadendum etiam juris rationibus, & variis argumentis admixtis, quod Romana Ecclesia, sicut Domina Regni præfati, ei ut vasallis ejusdem pro Regno prædicto ad defensionem tenebatur ipsorum & Regni, ac onera & expensas hujusmodi occasione fienda subire debuerat, dicti debiti remissionem ei saltem compensationis jure facere dignaremur.

Nos igitur prius super his cum dictis fratribus nostris & aliis viris prudentibus collatione habita diligenti, & prædictis rationibus confutatis; consideratis etiam, quæ in conventionibus in concessione

ſione olim per eandem Eccleſiam facta de Regno eodem patri Regis ejuſdem appoſitis continentur; attentis inſuper multis aliis, quæ variare longiſſimum foret, volentes errorem hunc, ne in futurum creſcat, in ſui ipſius ortu ſuccidere, & omnem imposterum dubitationis materiam amputare; Rege ipſo præſente, & ad id ſuum ſponte & ſpecialiter præbente conſenſum, de eorundem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu definimus & ſententialiter declaramus, quod Romana Eccleſia in bello prædicto, quod ſæpe dictus Rex & genitor ejus in dicto Regno Siciliæ paſſi ſunt, non debuit, nec ſi moveretur in poſterum contra eum, vel hæredes, & Succeſſores ejus bellum univerſale vel particulare quodcunque, aut rebellio quævis in eodem Regno, ſive terris, quæ ab eadem Eccleſia tenet in feudum, ipſos defendere, vel eis ſumtus aliquos in hoc impendere teneretur; ſed iisdem Rex, hæredes, & Succeſſores ad expenſas, a quibus dictam Eccleſiam pronunciamus & decernimus liberam & immunem, pro defenſione ſua, Regni præfati, & quarumcunque terrarum ejus irrefragabiliter teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis, declarationis, pronunciationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Pictavis XIII. Kal. Auguſti, Pont. noſtri anno ſecundo.

Ego Clemens, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Joannes, tit. Sanctorum Marcellini & Petri presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus, tit. Sanctorum Nerei & Achillei presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Arnaldus, tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego frater Thomas, tit. Sanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego frater Nicolaus, tit. S. Euſebii presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Guillelmus, tit. Sanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Stephanus, tit. S. Cyriaci in thermis presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Leonhardus, Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Petrus, Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Johannes Portuenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego frater Nicolaus, Oſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Petrus, Præneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Landulfus, S. Angeli Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Guillelmus, S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Franciſcus, S. Mariæ in Coſmedin ſubſcripſi.
Ego Ricciardus, S. Euſtachii Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Lucas, Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Raymundus, S. Mariæ novæ Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Arduinus, Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis ſubſcripſi.

LXX.

Breve Clementis V. Pontificis Maximi, de parte pecuniarum remiſſa, quas Carolus II. Siciliæ Rex, Eccleſiæ Romanæ debebat, agens, d. d. 13. Kal. Auguſti, Anno 1307.

CLemens Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, chariſſimo in Chriſto filio, Carolo, Regi Siciliæ Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Capit pro filiis pater conſilium, & qui Chriſti legem adimplet, onera portat alterius, ac DEI Patris juſſionem exequitur, ſi deprimentes quis ſolvit faſciculos, & pondus aggravans benigna pietate diſrumpit. Quæ tanto vehementius Nos aſtringunt, quanto præcellentiori, quia ſuprema, Nos ipſe Deus, quamvis immeritos, poteſtate fulcivit, tuque non ſolum, prout & cæteri, ſed quadam prærogativa filius noſceris, ac ratione Regni Siciliæ, quod a Romana in feudum tenes Eccleſia, Nobis ut Domino ſubditus, & velut nobiliſſima ovis commiſſus ſicut paſtori gregis Dominici comprobaris. Unde inter alia merentur hoc quaſi funiculus triplex fortiter colligata, quod in tui perſona ſpeciale faciamus aliquid, tibique ſine exemplo benevolentiam noſtram & ſupereffluentem liberalitatem Eccleſiæ in tuis neceſſitatibus oſtendamus. Sane nuper in noſtra & fratrum noſtrorum proponi feciſti præſentia, quod a tempore motæ guerræ Siciliæ usque nunc eras Romanæ Eccleſiæ in trecentis & ſexaginta ſex millibus unciarum auri vel circa ex contractibus mutui cum eadem Eccleſia per claræ memoriæ G. Sabinenſem Epiſcopum Legatum, & quondam nobilem virum Robertum, Comitem Attrebatenſem, tunc Ballivos Regni ejuſdem per Romanam Eccleſiam conſtitutos, ac plures, varios, & diverſos tuos & eorum nuntios celebratis frequentius obligatus, quodque, cum ad hujusmodi ſolutionem debiti eſſes impar, de Sedis Apoſtolicæ clementia ſolita, miſericordiam ipſius in hoc implorando, & gratiam a debito liberari prædicto humiliter ſupplicabas. Nos autem deliberatione eisdem fratribus noſtris habita, non ſine turbatione mentis diuturnitatem Siculi belli in conſiderationem deducimus, tui filiorumque carceres, conflictus varios, tam maritimos quam terreſtres, quos paſſus es, cædes, incendia, prædas, damna, innumerasque rurſus quas belli calamitates introduxit clades advertimus, & finem feliciorem - - - - qui datus eſt bello, conſpeximus diligenter. Hæc tuas Regnique prædicti attriverunt opes. Hæc tui habendam miſerationem ſuadent. Hæc noſtra commovent viſcera pietatis. His adverſis mutua quærere, his infallibiliter coactus es ſuffragia poſtulare. Quis dirus pater non miſereatur tui, fili cariſſime? Quis crudelis Dominus tibi opem, inclyte Vaſalle, non ferat? Aut quis Paſtor ſævus te, ovis præclara, in uberibus paſcuis non locabit? Abſit quod a Principe recedas vacuus, a Romano Pontifice fruſtra poſtuleris auxilium, & in tempore placito non fueris exauditus. Eliſæus, non tantum viduæ mulieri ſubve-

ſubvenit, ut redderetur debitum creditori, verum etiam unde ipſa ejusque filii viverent, de multa benignitate providit. Habet nempe aurum Eccleſia, non ut ſervet, ſed eroget, & neceſſitatibus ſubveniat oppreſſorum; argentumque & aurum templi divitis Judæorum hoſtis non aſportaſſet Aſſyrius, ſi non avare, aut in pompam ſervatum fuiſſet, ſed miſericorditer erogatum. In Evangelii etiam narratur parabola, quod duorum debitorum, non habentium unde redderent, creditor donavit utrisque. Num quid habes, fili cariſſime, unde commode reddas, qui tanta mole debitorum premeris, quod ſecundum dignitatem Regiam tibi & tuis liberis in expenſis providere debes, quive olim ex pluribus cauſis graviter aliis diceris debitis oneratus? Numquid contra decus Regium immobilia Regni præfati in ſolutum dabis Eccleſiæ, ut relinquaris pauper & efficiaris egenus, & tui, ne egeas, non habeamus crudeliter rationem? certe id humanitatis, quæ requiritur in nobis, quod provideatur egenis, non eſſet, nec ſacerdotis hoc fore modeſtiæ probaretur, qui manum ſuam aperit inopi, & extendit ad pauperem palmas ſuas. Jubilæus inſuper in lege veteri annus fuit, in quo fiebat remiſſio debitorum. Res quippe favorabilis eſt remiſſio debiti. Et ideo major pars creditorum in hoc minori præjudicat; & qui inducias eligunt, præferuntur iis, qui bonorum poſtulant ceſſionem. His igitur ad pietatem moti, quodque dictus genitor tuus inæſtimabilia fere obſequia Romanæ impendit Eccleſiæ, Nos tuus in Chriſto Dominus atque Pater tui, dilectiſſimi filii, glorioſi vaſalli, & dulciſſimæ ovis paſcuæ noſtræ diſponimus portare onera, deprimentes te faſciculos cupimus ſolvere, & pondus aggravans benigne disrumpere cogitamus. Quapropter in tuis tibi compatientes preſſuris, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, de mera liberalitate & miſericordia ſola noſtra & Romanæ Eccleſiæ, nullo ad id debito vel jure alicujus exequaris cauſa compenſationis aſtricti, tibi tuisque hæredibus & Succeſſoribus memorati debiti trecentarum & ſexaginta ſex millium unciarum auri, ſive ſit tantum, ſive minus, ſive etiam plus aſcendat, tertiam partem remittimus, & de noſtra gratia, non trahenda ab aliis in exemplum, ſpeciali donamus, ita quod tu, & Succeſſores tui prædicti ad eam ſolvendam Romanæ Eccleſiæ minime teneamini, ſed ſitis a debito ipſo pro dicta parte omni perſonali & reali occaſione ad illud & pro illo pro ſæpedicta parte eidem Romanæ Eccleſiæ competentibus, penitus & in perpetuum liberati, non obſtantibus quibuslibet obligationibus, pœnis, juramentis, vel quavis alia firmitate vallatis, quas omnino ad ſæpedictam tertiam partem viribus vacuamus, & nullius deinceps volumus eſſe vigoris. Nec in hoc miretur aliquis, quia dum tecum, ut præmittitur, Nobis & ipſi Eccleſiæ Romanæ conjuncti ſic agimus, etiam ac ſi intra familiam donationem hanc Nos feciſſe reputamus; quoniam in te civilia, ſcilicet velut filialis ejusdem adoptionis ſubjectionis eam, qua ut paſtori & Epiſcopo tuo ſubes, ac quodam modo naturalia, videlicet vaſallagii jura contraxerint, & juxta eandem per oblatam majoris tuæ dilectionis ex hoc, quem fur furari non poteſt theſaurum, acquiramus Eccleſiæ ſupradictæ. Pro reliquis vero duabus partibus debiti memorati, uti obtuliſti Nobis, conſtituiſti, conveniſti & promiſiſti, quod, quando paſſagium generale fiet pro recuperatione terræ ſanctæ, tu in propria ibis perſona, vel unum de filiis tuis mittes, quod ſi tu, quod abſit, prius rebus ſolvereris humanis, hæres tuus Regni Siciliæ perſonaliter perget, vel unum de fratribus aut filiis ſuis in hujusmodi paſſagium deſtinabit, &, ſive tu perſonaliter vadas, vel filium tuum mittas, ſive dictus hæres tuus vadat, aut fratrem, aut filium ſuum mittat, duces tu, vel ille de prædictis qui ibit, trecentos armatos equites, equos phaleratos habentes, ita quod habeat quilibet eorum tres equos, & eosdem equites ibi tamdiu tenebis, ſive tenebit hæres tuus præfatus, quandiu durabit ipſius paſſagii proſecutio generalis, & poſt etiam terra ipſa, vel parte ipſius acquiſita, pro illius cuſtodia equites ipſos tamdiu tenebis, aut hæres tuus jam dictus tenebit ibidem, quandiu Eccleſia utile reputabit, usque ad dictorum complementum reliquorum debiti ſupradicti, quodque in ipſo generali paſſagio & proſecutione illius quatuor menſibus ſingulorum annorum, quibus durabit ipſa proſecutio generalis, vel acquiſitæ terræ cuſtodia ſupradicta, tu, hæres tuus prædictus, habebitis viginti galeas bene armatas, atque neceſſariis munitas propriis veſtris per omnia ſumptibus, donec Eccleſia ipſa id utile reputabit, usque ad complementum præfatum; quod ſi antequam dictum paſſagium generale fieret, tartari acquiſiverint dictam terram ſanctam, vel partem ipſius de Sarracenorum manibus, & offerant acquiſitam liberam reſtituere Chriſtianis, & Summus Pontifex, ſive Romana Eccleſia reputet tutum & utile oblationem ipſam recipere, & ipſe Summus Pontifex, ſeu Eccleſia, vel alii Principes mundi mittant pro recipienda ea gentem ad ipſum negotium ſufficientem, quod idem Summus Pontifex, ſeu Eccleſia Romana, prout ſibi videbitur & placuerit, æſtimabit & arbitrabitur, tunc mittes cum dicta gente Eccleſiæ, ſeu aliorum Principum pro recipienda terra prædicta equites centum, equos ſimiliter phaleratos & tres equos habentes, & galeas quinque tenendas ſumptibus tuis, equites ſcilicet continue, & galeas quatuor menſibus ſingulorum annorum, quandiu gens ſufficiens Eccleſiæ, vel aliorum Principum ibi morabitur, vel Eccleſia Romana hujusmodi equites & galeas utiliter & neceſſario providerit ibi eſſe, usque videlicet ad ſatisfactionem reliquorum dictorum debiti memorati. Et ſi Eccleſia Romana pro defenſione terræ ſuæ, quam habet in Italia, ſeu pro alia neceſſitate urgente, quæ ipſam ſpecialiter tangeret, in ipſis Italiæ partibus, de qua ſimplici requiſitioni noſtræ & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, vel Romanæ Eccleſiæ a te & hæredibus tuis ſtabitur, ſubſidio hominum indigeret, tu equites centum, equos, ut ſupra de aliis dicitur, coopertos habentes, & tres equos dabis tenendos, ad ſumptus tuos in eisdem partibus Italiæ per decem annos utiles, hujusmodi neceſſitate vel defenſione durante. Quæ per te taliter oblata tali moderatione perſtringis, quod ſimul & ſemel eodemque tempore dicta tria, vel duo ex eis ſervitia non concurrant, & ſi in aliquo vel in aliquibus de prædictis tribus ſervitiis totum præfatum reſiduum ſeu reliquum debiti expenderis, poſt complementum ipſius reſidui ad aliquod ſervitiorum ipſorum

minime

minime tenearis, quodque quia propter guerram præteritam & alias necessitates tuas plurima sustinuisti gravamina, & adhuc sustinere oportet, ad prædicta servitia vel aliquod prædictorum usque ad tres annos, ex nunc in antea numerandos, minime tenearis, & quod ipsa servitia vel aliquod eorumdem in nullos alios usus permutari vel converti debeant, nec tu & hæredes tui ad aliam satisfactionem quamcunque prædicti debiti teneamini quoquo modo. Hæc itaque debita meditatione pensantes & oblationem hujusmodi, cum ea, quæ perierunt, repetere, & tam requisita quam parta debeamus tueri, utiles reputantes, prædicta per te oblata, & oblationis prædictæ modum & formam, quibus, ut prædicitur, eam modificas & restringis, de eorumdem fratrum nostrorum consilio & assensu obligationem prædictam dictarum duarum partium debiti memorati novantes expresse, & in exhibitionem dictorum servitiorum per te oblatorum nihilominus transferentes, approbamus, & in ea ac obligationem hanc novam ex præmissis causis ortam, obligationem ipsam memoratarum duarum partium debiti sæpedicti transfundimus ac novamus, volentes, quod pro quolibet dictorum equitum viginti florenis & galea qualibet prædictarum mensibus singulis, quibus, ut prædicitur, erunt in memoratis servitiis centum uncias auri, usque ad dictum complementum sæpedicti residui per te & hæredes tuos, imputentur ad plus Nobis & Ecclesiæ prælibatæ. Per hoc autem vel eorum aliquod, quæ superius exprimuntur, nolumus, & etiam tu noluisti, nullum præjudicium generari, quin ad servitia, quæ juxta conventiones, in concessione ejusdem Regni olim facta in feudum per sanctam Romanam Ecclesiam dicto genitori tuo appositas, præstare debes eidem Ecclesiæ, sic tu & hæredes tui efficaciter teneamini, sicut, si hæc inter te & Nos minime processissent, & perinde conventiones omnes prædictæ inviolabiles, inconcussæ, illibatæ, illæsæ, & efficaces in perpetuum conserventur. Ac si subeundo dicta servitia, vel aliqua ex eis, si aliquod totum debitum dictarum duarum partium per te, sive hæredes tuos non fuerit erogatum, residuum, quod non erit expressum in eodem, quæ dictam terram sanctam respiciunt servitia, quotiens dicti casus ad eam pertinentes acciderint, in servitium, vel in Italia, ut prædicitur, faciendum, non tamen ultra taxationem ejusdem servitii, tam temporis, quam numeri equitum supradictam ad arbitrium Ecclesiæ revertatur. Quod si forte tu vel hæredes tui Regni prædicti requisiti a Nobis vel eisdem Successoribus nostris, aut sæpe dictam Romanam Ecclesiam in præmissis servitiis exhibendis, vel eorum aliquo in mora fueritis, quotiens in mora fueritis, totiens eo ipso excommunicationis sententiam incurratis. Et si de sufficienti requisitione, vel mora tua, sive hæredum ipsorum, quæstionem fieri contigerit, nostro in iis & eorumdem successorum nostrorum simplici verbo stetur. Non enim decet patrem & Dominum cum filio & vasallo super talibus quæstionibus intrare judicium, vel litis inire certamen. Fili ergo carissime, propter hanc exuberem gratiam tibi factam a Nobis Patre & Ecclesia matre, devotum per exhibitionem operis ad ipsam tuam dilectionem ostende, ita quod devotio ad eam sit tua matutina oblatio, & obedientia sacrificium vespertinum. Sic faciens, disciplinam patris tui audies, & legem matris tuæ Ecclesiæ non dimittes, capiti tuo addetur gratia, & torques aurea collo tuo. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ remissionis, donationis, vacuationis, translationis, approbationis, acceptationis, transfundutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Pictavis, XIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

LXXI.

Testamentum Caroli II. Siciliæ Regis, d. d. 16. Mart. Anno 1308.

IN nomine Domini Amen. Carolus II. DEI gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ; Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis Comes; Universis præsentis scripti seriem inspecturis. Lex communis ab Adam conditioni humanæ fragilitatis indicta, mortem, rerum ultimam lineam, extremum terminum illi constituit, ipsamque inevitabili sorti fragilitatis solventis omnia sine aliqua personarum distinctione subegit; quæ licet in ea sit certa, indicta præfixi diei terminatione suspensa, frequenter se dulcibus annis inserens actus primordia præmature succidit, prævenit infantiæ terminos, metas pubertatis anticipat, juventutis florem intempestive decerpit, ac Principum spiritum auferens eorum consilia diutius maturata dissolvit. Et cum hominis status imbecillis & tenuis unum diem vitæ suæ in potestate, quidve futura pariat dies, ignorat, laxius semper vivendi spatium sibi promittit, ut persæpe spei promissione frustratus cautelam sui & posterorum dispositionem debitam negligat, & improvisa naufragia periculosæ mortalitatis incurrat. Præveniendus est igitur ordinatæ provisionis remedio dies iste, ut, cum ejus tumultuosa tempestas ingruerit, extremæ tollens dispositionis arbitrium, per repentini casus eventum disponendi potestatem non auferat, & oblivionem ex supervenientis turbationis discrimine non inducat. His itaque provise pensatis, & in scrutinio libratæ considerationis adductis, Nos sani corpore, mentis propria integritate sinceri, tam pro nostrorum remissione peccaminum, quam pro cautela etiam posterum & parentum nostrorum animarum remedio, prout infra sequitur, deliberavimus disponendum.

1. Imprimis instituimus hæredem & universalem Successorem nostrum in Regnis nostris Jerusalem & Siciliæ, Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis, atque in omnibus aliis terris, juribus & actionibus nostris *Robertum primogenitum nostrum, Ducem Calabriæ.* Si vero Dux ipse decederet sine liberis masculis vel fœminis, Nobis viventibus aut vita functis, substituimus hæredem nostrum & Successorem universalem in omnibus prædictis Regnis, Comitatibus & terris illum ex liberis nostris, masculum scilicet, qui juxta tenorem colla-

lationis factæ de Regno Siciliæ bonæ memoriæ Domino Patri nostro per Sanctam Romanam Ecclesiam, succedere debebit in Regno ipso Siciliæ. Si vero secundum tenorem collationis ejusdem ad successionem ipsius Regni Siciliæ factis fœmina vocaretur, quæcunque sit, & ex quocunque libero nostro nata, in casu illo substituimus illam hæredem & Successorem in eodem Regno Siciliæ & Regno Jerusalem, ac aliis terris, juribus & actionibus nostris; *præterquam in prædictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis* ac juribus & pertinentiis eorum omnibus: præter etiam quam in aliis terris nostris quæsitis & conquærendis extra Regna prædicta, in quibus Comitatibus ac prædictis aliis terris, in eo casu scilicet ubi fœmina in dicto Regno Siciliæ succederet, ut est dictum, substituimus *Philippum filium nostrum Tarenti & Achajæ Principem*, si tunc superesset, & si tunc non viveret, substituimus in dictis Comitatibus ac prætactis terris quæsitis & quærendis dicto casu unum de aliis filiis nostris masculis post eundem Philippum natis & nascituris primogenitum; & si nullus de hujusmodi filiis nostris post eundem Philippum natis aut nascituris tunc superesset, substituimus unum de nepotibus nostris masculis natis aut nascituris descendentibus scilicet ex viventibus nunc filiis nostris masculis, eum quidem qui ex nostro majore natu filio primogenitus esset; & si a majore natu non superesset masculus, substituimus in eodem casu in supra tactis Comitatibus & terris primogenitum ex alio filio nostro sequenti, & super ordinem de sequentibus filiis nostris, si de priore non superesset masculus, servato ordine quo supra in casu ipso nepos ex majore natu filio nostro tunc superstes aliis nepotibus ex sequentibus nostris filiis præferatur. Si autem Nobis viventibus Dux prædictus decedat relictis liberis masculis vel fœminis aut utrisque, natis aut nascituris, & casus esset, in quo ad successionem dicti Regni Siciliæ non vocarentur ex tenore collationis prædictæ; substituimus ipsos liberos ejusdem Ducis in Ducatu Calabriæ, sicut invenietur per Nos ipsi Duci concessus, ita quod inter eos masculus fœminæ & primogenitus præferatur: Ita quod idem primogenitus fratribus & sororibus teneatur providere juxta consuetudinem & constitutionem Regni in talibus observatas, & in ipsa provisione substituimus eisdem minores.

3. Item relinquimus jure institutionis eidem Philippo filio nostro Principi Achaye & Tarenti ducentas uncias auri annuas solvendas sibi in vita sua tantum, de Camera Regis vel super aliquibus Regni partibus assignandas, ultra Principatus Achaye & Tarenti, & terras alias ac provisiones quas ex dono Celsitudinis nostræ tenet. In quibus omnibus ipsum Principem instituimus hæredem, &, si in vita nostra decederet dimissis liberis masculis vel fœminis aut utriusque, natis vel nascituris, substituimus ipsos liberos ipsis Principatibus, & prædictis terris, quos scilicet ex collatione nostra perpetuo tenet vel tenebit tempore mortis suæ, majoris natu & sexus masculini inter eos prærogativa servata. Minores vero ex ordine substituimus in provisione ipsis debita a Principatibus & terris eisdem juxta consuetudinem & constitutionem prædictis.

4. Item relinquimus jure institutionis *Joanni & Petro filiis nostris* Comitatus & terras, quos nunc tenent & habent in Domo nostra, qui si non valeant quatuor millia unciarum, duo videlicet millia unciarum pro quolibet eorundem, suppleatur eis defectus in aliis *ex cadentibus dicti Regni*, & donec supplementum ipsum assequantur, recipiant illud annuatim de Camera nostra in pecunia. Relinquimus etiam jure institutionis aliis filiis nostris ex præsenti vel alio matrimonio nascituris, cuilibet scilicet eorundem pro se & suis hæredibus, ex suo corpore legitime descendentibus, annuum reditum duorum millium unciarum auri assignandum cuilibet ipsorum in Comitatu vel Comitatibus aut Baroniis, *dummodo titulum habeant Comitatus*, ita scilicet quod ipsi filii nostri nati & nascituri suo ordine hujusmodi assignationes recipiant, si simul non currerent omnibus vel pluribus eorum faciendæ. Et intendimus, quod donec hujusmodi assignationes fiant eis, recipiant de Camera Regia vel super Regni proventibus in pecunia dictum reditum annuum duorum millium unciarum auri. Hoc salvo, quod si aliqui eorum essent impuberes, non teneatur hæres Regni hujusmodi assignationem vel solutionem eis facere usque ad tempora pubertatis, dummodo eis provideat in alimentis & aliis necessariis competenter. Intendimus etiam, quod omnes filii nostri tam Principes quam alii dictos Principatus Achayæ & Tarenti, Comitatus, Baronias, terras & provisiones alias, quas in dicto Regno & ubicunque extra illud, quæ tamen sunt de feudis ejusdem Regni, habent & habebunt, *teneant in feudum in capite* a prædictis Duce vel alio, qui erit hæres & universalis Successor in prædicto Regno Siciliæ, sub debito militari servitio ac consueto censu juxta tenores privilegiorum nostrorum, quæ inde habent & habebunt.

5. Item instituimus *Beatricem filiam nostram* in dote, & *dotario* suis, & in centum unciis auri ei semel solvendis. Item instituimus quamlibet filiarum nostrarum viventium in dote data & in centum unciis auri similiter illi solvendis. Similiter etiam instituimus Nepotes & Neptes nostras ex quondam *Margarita Comitissa Valesiæ filia nostra* susceptos in dotem ipsi quondam Margaritæ datam, & in centum unciis illis similiter exsolvendis, quæ quidem filiæ nostræ nunc viventes, si in vita nostra decederent, instituimus ad hoc liberos remanentes ex eis. Si vero aliqua earum absque sui corporis prole legitima moreretur, substituimus ei hæredem & universalem Successorem Regni prædicti.

6. Item relinquimus jure institutionis, *Carolo Nepoti nostro, primogenito quondam primogeniti nostri Regis Hungariæ* duo millia unciarum auri semel & in Regno nostro Siciliæ solvendarum. Item instituimus *Beatricem filiam dicti Regis Hungariæ* in dote sibi per Nos donata, & in trecentis libris Turon. parvorum sibi semel exsolvendis. Item relinquimus jure institutionis *Clementiæ filiæ Regis Hungariæ* pro dote octo millia unciarum auri, sed si voluerit religionem ingredi, instituimus eam in mille unciis ei semel solvendis.

7. Item relinquimus *Mariæ Reginæ Consorti nostræ* quatuor millia unciarum auri annua in vita sua, pro jure & dotario suo, & volumus, quod percipiat eas *in fundito & Doanna* Neapolis, Terræ

Summæ,

Summæ, & super serecia Apuliæ & alia terra quam tenet in dono nostro, quas sibi & propterea specialiter obligamus, & volumus assignationem & perceptionem ipsam & per hæredem & Successorem prædictum eidem Reginæ inviolabiliter observari, habeatque pro habitatione sua castra Capuan. de Neapoli Terram & Summæ, *ita quidem quod Regina ipsa nihil petat nec petere possit in bonis illorum & nepotum suorum* descendentium ab intestato.

8. Item volumus & mandamus quod omnia male ablata per Nos vel officiales nostros, si tamen ablata ipsa ad nostram Cameram vel curiam pervenerint, vel Nobis mandantibus aut volentibus ablata sunt, restituantur per executores nostros. Item relinquimus duo millia unciarum auri eroganda pro maritagio orphanorum virginum & aliarum pauperum honestarum ac sustentatione aliarum miserabilium personarum prædicti Regni nostri ac Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii & Pedemontis prædictis, videlicet mille in Regno, & millia reliqua in Comitatibus ipsis.

9. Item volumus & jubemus omnino perfici & compleri *Hospitale*, quod per Nos & ex provisione nostra in *balneis Puteoli* cœptum est, & jam pro majori parte constructum pro refugio pauperum & infirmorum illuc viventium, ac emi & tradi lectos & aliam necessariam suppellectilem ad opus infirmorum seu pauperum usque ad centum. *Quod hospitale subdimus hospitali Sancti Spiritus de Roma*, & deputamus sustentationi hujusmodi pauperum & infirmorum usque ad eundem numerum, pecuniam, quam homines Puteoli pro juribus & proventibus ipsius terræ curiæ nostræ solvere annuatim convenerint & debent, quæ per manus illorum, qui jura & proventus ipsos percipient, ad credentiam vel ex talium solvetur annis singulis per debitos terminos, præceptori vel illi, qui præerit eidem hospitali, & ipse præceptor seu Præpositus retineat ibi tot personas, quæ sufficient ad servitium dictorum pauperum & infirmorum, in quorum sustentationem & administrationem ejusdem hospitalis, & etiam pro sustentandis & retinendis in statu domibus hospitalis ipsius, convertet pecuniam supradictam, convenienter providendo eisdem pauperibus, ac infirmis & ministris. Et si aliquando non concurreret, quod eis opus esset totam pecuniam ipsam expendere, quidquid supererit, convertit in meliorationem & avantagium hospitalis ipsius. Ipse autem Præceptor, seu *Præpositus* ordinabitur per Magistrum dicti *Hospitalis Sancti Spiritus*, & non admittetur ad administrationem in dicto hospitali faciendam, nisi prius dicto hæredi & universali Successori vel ei, qui per eum statutus fuerit, juramentum præstiterit de præmissis fideliter observandis, & nihilominus ad cautelam duo probi homines ordinentur per curiam, qui videant, utrum convenienter provideatur dictis pauperibus & infirmis, & domus in statu debito teneatur; & si forte prædicta dictus Præceptor aut Præpositus non servaret aut alias minime bene se gereret, Magister dicti Hospitalis sancti Spiritus ad requisitionem dicti hæredis teneatur eum amovere, & alium idoneum subrogare, & quilibet Præceptor seu Præpositus faciat ingressum suæ administrationis in testimonio publico, & præsentibus dictis duobus probis hominibus, inventaria consimilia de omnibus bonis & rebus hospitalis ipsius quæ recipiet, & in quo statu hospitale ipsum inveniet, quorum unum sibi retineat, & aliud curiæ dicti hæredis assignet; reservato hæredi prædicto, quod si voluerit reditus & proventus dictæ terræ in suis manibus retinere, id facere possit, dato tamen prius dicto Hospitali simili redditu in locis convenientibus & vicinis; volumus etiam & ordinamus, quod Hospitale ipsum nullo unquam tempore detur alicui in beneficium, & si fieret nec revocaretur administratione dicti hæredis nostri per illum qui faceret, aut superiorem, ex nunc ut ex tunc eidem Hospitali adimimus dictam pecuniam jurium, redituum, & proventuum dictæ terræ vel alium quemcunque reditum, quem per Nos vel hæredem prædictum de prædictis ex cambio, vel alias haberet, & ipsos in dicto casu transferimus ad hæredem eumdem, qui ea possit propria autoritate recipere in ipso casu, & retinere absque alicujus licentia vel assensu, & sub hac conditione intelligimus & intelligi volumus donationem, & assignationem dictorum redituum eidem hospitali esse factam. Pro Capella vero, quæ jam in ipso hospitali facta est pro divinis celebrandis, nullos reditus assignamus, sed volumus, quod dictus Præceptor uni Capellano & uni Clerico retinendis ibidem ministret alimenta & alia necessaria competenter.

10. Item volumus & mandamus, quod gabella *Niciæ*, deputata per Nos operi, quod fieri facimus *in sancto Maximino*, nec non & provisiones & assignationes factæ per Nos pro operibus *sancti Nicolai de Baxo & Ecclesiæ Civitatis S. Mariæ*, usque ad complementa ipsorum operum absque impedimento vel interruptione aliqua dimittantur. Item volumus & expresse mandamus, quod omnia quæ ordinavimus huc usque, & in antea Nos ordinare contingeret pro ipso loco S. Maximini, & fratribus, qui sunt & esse debent ibidem, & pro *Monasterio Beatæ Mariæ de Nazaret de Aquis* per Nos fundato, & omnes concessiones per Nos eidem loco & fratribus, Monasterio & sororibus factæ & faciendæ, per illum qui erit hæres in dictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, tenaciter & inviolabiliter observentur. Volumus etiam, quod Prior & Moniales dicti Monasterii certas pecuniæ summas, quas per manus ejusdem Prioris conventus fratrum Prædicatorum dicti loci sancti Maximini Conventibus Religiosorum dictæ civitatis Aquensis, videlicet Fratrum Prædicatorum, Minorum, Heremitarum sancti Augustini & Carmelitarum, annis singulis pro eleemosyna & sustentatione ipsorum ordinamus erogari, de reditibus, per Nos eidem Monasterio assignatis, vel imposterum assignandis, juxta tenorem privilegiorum seu literarum nostrarum factarum exinde seu faciendarum, in antea absque defectu solvere teneantur.

11. Item volumus & mandamus, quod pro opera Capellæ castri novi de Neapoli de mandato & provisione nostra incepta, tradatur usque ad ejus complementum pecunia opportuna, quodque ordinatio ipsius Capellæ ac alia eam tangentia serventur, & fiant, prout in privilegiis inde factis vel faciendis distinctius exprimetur.

12. Item ubicunque Nos mori contingat, volumus & eligimus *sepulturam* corporis nostri in Ecclesia

clesia prædicti Monasterii Beatæ Mariæ de Nazaret de Aquis, ubi scilicet convenientius fuerit, ita quod si in Regno vel ubicumque alibi in posse dicti hæredis & successoris in eodem Regno Nos mori contingat, teneatur hæres ipse intra biennium ossa nostra facere ad Ecclesiam ipsam deferre, inibi tumulanda; qui si in hoc esset negligens & remissus *in pœnam* ejus adimimus sibi Comitatus prædictos Provinciæ, Forcalquerii & Pedemontis, & eos transferimus in eo casu, in eum ex liberis nostris, qui esset primogenitus post eum. Volumus etiam, quod interea corpus nostrum tumuletur in Ecclesia *sancti Dominici* de Neapoli, fundata in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ.

13. Item volumus & mandamus, quod *Testamenta Domini Patris & Dominæ Matris nostrorum mandentur executioni*, & id quod ordinatum est per eos fieri in Regno, fiat per prædictum hæredem & Successorem in eodem Regno, & quod ordinatum est fieri in Provincia, fiat per illum, qui erit hæres seu Successor in prædictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii; & quod executores nostri una cum executoribus dictorum Parentum nostrorum debeant dicta testamenta executioni mandare; & quicumque eorum possint melius & commodius hoc facere, faciant.

14. Item omnibus familiaribus, quibus provisum est, per Nos in annuo reditu, & nondum sunt assignatæ provisiones in terra, dictus hæres, & universalis Successor in Regno Siciliæ *excadentiis, & bonis fiscalibus* ejusdem Regni quæ non sint *de domanio*, debeat, & teneatur facere assignationem juxta tenorem & formam literarum nostrarum eis exinde concessarum. Item volumus, ordinamus & mandamus, quod omnibus familiaribus nostris, qui tempore mortis nostræ invenientur in *Comitiva* vel in servitiis aliis nostris esse, aut qui apud hostes nostros capti tenerentur, illis scilicet quibus per Dominum Patrem nostrum aut Nos de terra vel aliis reditu provisum non est, per prædictum hæredem & universalem Successorem in Regno super *excadentiis* & bonis fiscalibus dicti Regni provideatur hoc modo: scilicet *cuilibet militi de annuo reditu quadraginta unciarum auri*, & ad hæreditagium; cuilibet *scutifero nobili & de genere militari* de annuo reditu viginti unciarum auri ad hæreditagium; *scutifero vero*, qui de *genere militari non esset*, de annuo reditu duodecim unciarum ad hæreditagium; cuilibet pediti dentur similiter in pecunia semel solvendæ unciæ auri sex; & nihilominus illi familiarium prædictorum, qui ad hoc apti & habiles fuerint, teneantur & sint de hospitio hæredis & Successoris prædicti.

15. Item relinquimus fratribus Prædicatoribus & *Minoribus* Capellæ nostræ, qui erunt tempore mortis nostræ, equos deputatos *ad equitatum* eorum & *arnesium*, quod assignatum fuisset eis a curia nostra. Item duobus fratribus Minoribus ejusdem Capellæ nostræ, qui essent seu erunt tempore mortis nostræ, principali libras quinquaginta, & socio ejus *libras viginti reforciatorum*. Capellanus & Clericus Capellæ nostræ, qui invenientur tempore mortis nostræ, & quibus per Nos vel alium provisum non esset de Ecclesiastico beneficio, cuilibet Capellano libras quinquaginta, Clerico vero libras quadraginta semel solvendas.

16. Item coronam nostram, sceptrum, *pomum, faudestorium*, & alia jocalia pretiosa, Regalia, nec non *Vaysella* & ornamenta Capellarum nostrarum, & omnia alia mobilia nostra, non derogando prioribus, relinquimus dicto Duci, vel alii universali Successori in Regno, deductis tamen debitis nostris, sive ære alieno.

17. Item volumus & mandamus, quod omnes donationes & concessiones factæ per Dominum Patrem nostrum in nos & per Nos in antea faciendæ quibuscumque personis *Gallicis, Latinis, Provincialibus*, & aliis cujuscunque nationis, sive laici sint, sive clerici, cujuscumque status & conditionis existant, irrevocabiliter observentur eis & Successoribus eorum per dictum Ducem & Successores suos, seu alium succedentem Nobis in Regno & Comitatibus supradictis, & concessiones & donationes easdem ad simplicem requisitionem illorum quibus factæ fuerint, approbare & confirmare teneantur expresse.

18. Item volumus, quod ea, quæ ordinata sunt per dictum Dominum Patrem nostrum & Nos pro bono statu Regni Siciliæ & Comitatuum prædictorum per hæredes & Successores nostros inviolabiliter perpetuo costodiantur & specialiter pro favore Ecclesiarum. Item volumus & mandamus, quod *si Collecta Generalis*, quæ consuevit imponi singulis annis in Regno Siciliæ *probetur indebita, nullo modo imponatur* nec exigatur per hæredes & Successores nostros. Item volumus & mandamus, quod civitates, castra & casalia Calabriæ vallis gratis, Basilicatæ Principatus & aliarum partium Regni quæ destructa sunt, devastata & diminuta in proxime præterita guerra pro fide nostra servanda, habeant immunitatem a collectis & omnibus, quæ imponentur per Curiam nostram pro tempore in parte vel in totum secundum hæredis & executorum nostrorum prædictorum arbitrium. Item volumus, quod omnia debita in quibus tenemur mercatoribus, & societati *Buccusorum* de Luca integraliter restituantur eisdem. Item volumus, quod dictus Dux vel quicumque Successor noster, sicut universalis Successor & hæres, teneatur ad omnia debita nostra, & alii liberi nostri non teneantur ad ipsa debita, & si hæres specialis esset in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis, hæres ipse ad illa debita, quæ in eisdem Comitatibus fuerint, teneatur.

19. Item relinquimus *pro cassia & tumulo* faciendis pro corpore bonæ memoriæ *Ludovici Episcopi Tholosani filii nostri* duo millia librarum parvorum Turonensium. Item declaramus & volumus, quod omnia supradicta per Nos legata & relicta in pecunia semel solvenda solvantur per dictum hæredem & Successorem universalem tam Regni Siciliæ quam dictorum Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii & Pedemontis. *Sed si specialis hæres esset in eodem Regno, teneatur ad tres partes, & qui erit in eisdem Comitatibus, ad quartam partem legatorum* & relictorum ipsorum. Et secundum eandem divisionem prædicta duo millia unciarum eroganda, sicut supra expressum est, pro maritagio orphanarum virginum, & aliarum pauperum honestarum, ac sustentatione aliarum miserabilium personarum Regni & Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis, dentur & erogentur pro

tribus

tribus partibus per hæredem Regni, & quarta per hæredem Comitatuum prædictorum: salvo quod dictum est supra de divisione duarum millium unciarum prædictarum pro maritagio orphanorum, virginum & aliarum, ut prædictum est, personarum.

20. Item, si contingat, illum, qui secundum modum & ordinationem succedet prædictam in prædictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis, absque liberis decedere, & relinquat fratrem vel fratres, aut sorores, vel utrosque, in casu ipso substituimus in ipsis Comitatibus fratrem suum primogenitum, & si fratrem aliquem non haberet, substituimus nepotem masculum primogenitum qui superesset ex fratre majore natu, & ita per ordinem de nepotibus descendentibus ex aliis fratribus, habendo respectum, quod nepos primogenitus ex fratre primo natu aliis nepotibus præferatur; & in defectu nepotum eodem modo substituimus pronepotes ex fratrum masculorum linea descendentes; in *defectu* vero nepotum & pronepotum *masculorum substituimus sororem dicti succedentis* in prædictis Comitatibus, *quæ tunc inveniretur innupta, & esset habilis ad nubendum*, & si plures sorores essent innuptæ, primogenita præferatur; in *defectu verò innuptarum ipsarum substituimus sororem nuptam* majorem natu; & in defectu sororum omnium præmissarum nuptarum & innuptarum ac habilium substituimus nepotes seu pronepotes, in defectu nepotum, servato gradu matrum nepotum hujusmodi, ut descendentes ex majore natu descendentibus ex aliis minoribus præferantur, prærogativa etiam primogenituræ sexus masculini inter descendentes ipsos servata. Eodem modo substituimus in defectu nepotum & neptium, ipsorum pronepotes vel proneptes in eorum defectu ex ipsis sororibus descendentes.

21. Item volumus & declaramus, quod omnes & & singulæ *substitutiones* supra factæ intelligantur *directæ*, in casu in quo jure directe valere possunt, & hæ ut vulgaris vel pupillaris, in aliis vero casibus eas volumus intelligi *fideicommissarias*, & illo jure valere. Item si contingeret, Nobis in continenti aut vita functis, aliquam vel aliquos natos vel nascituros apparere, qui prætextu præsens nostrum possent *nullum reddere vel rumpere testamentum*, illum, & eorum quemlibet instituimus in quingentis libris Turonensium sibi solvendis. Item ordinamus & præcipimus, quod *non detrahatur Falcidia vel Trebellianica* de legatis seu relictis singulariter & universaliter in præsenti nostra dispositione seu testamento.

22. Et hanc ultimam voluntatem nostram perpetuo volumus firmiter observari, quam valere volumus jure testamenti, & si non valet vel valeret imposterum quocumque casu præteritionis nati vel posthumi aut alio jure, valeat *jure Codicillorum* aut cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, non obstante quacunque alia ultima voluntate seu *dispositione nostra jam facta*, quocumque nomine censeatur, quam quidem ex nunc irritamus, *revocamus* & annullamus, expresse etiam si supradictæ voluntati seu dispositioni essent *verba derogatoria* apposita, quæ utique ex certa scientia revocamus & annullamus, nec habere volumus firmitatem, ita quod pro ea nullum fiat præjudicium huic nostræ ultimæ voluntati præsenti. Et si contingat, Nos in futurum eligere, aut in præteritum elegisse sepulturam nostram alibi, quam in Ecclesia supra dicta, interveniente scriptura vel sine scriptura, quicquid inde pro tempore retro lapso electum esset, vel ordinatum in contrarium de sepultura ipsa, præsentialiter revocantes, quicquid etiam per Nos eligi inde contingeret in antea, valere volumus, nisi cum scriptura electio ipsa fieret, in qua prædictus articulus de scripturis nostris prætactis de verbo ad verbum insereretur.

23. Item volumus & ordinamus, præsentis nostri *Testamenti*, seu ultimæ dispositionis *Executores*, venerabiles in Christo patres Dominos J. Sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum, G. Sancti Nicolai in carcere Tulliano Cardinales, & præfatam *Reginam Consortem nostram*, Carolum Valesiæ, Alansoni & Andegaviæ Comitem, *Generum nostrum*, prædictum Robertum, Ducem Calabriæ primogenitum, ac Philippum Achajæ & Tarenti Principem natos nostros, venerabiles in Christo Patres Archiepiscopum Aquensem, qui erit pro tempore, & J. Forojuliensem Episcopum; viros nobiles Ermengarium de Sabrano, Comitem Arian. Mag. justitiarium Bartholomæum, Siginulphum Tholosiæ Comitem, magnum Camerarium, Guillelmum Estendardum Connestabulum, Bartholomæum de Capua, *Logothetam Protonotarium*, Hugonem de Baucio, Seneschallum ejusdem Regni, Joannem Pipinum de Barolo, militem, magnæ Curiæ nostræ Magistrum Rationalem, Seneschallum Provinciæ qui pro tempore fuerit; Joannem Cabasolem militem, Magistrum Rationalem ejusdem magnæ Curiæ nostræ, Priores Provinciales ordinis fratrum Prædicatorum, qui erunt pro tempore in eodem Regno Siciliæ circa Pharum, ac in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii supradictis; Priores, qui erunt in dictis conventu Sancti Maximini & Monasterio Beatæ Mariæ de Nazaret de Aquis; dantes eis plenam & generalem liberam potestatem agendi & diffidendi pro Nobis & juribus nostris &, alienandi bona nostra, in quantum expediet pro executione dispositionis nostræ, propria auctoritate recipiendi & obtinendi, bona nostra seu possessionem bonorum nostrorum in alium transferendi, in negligentiam hæredis nostri seu hæredum nostrorum, pro executione eis commissa.

24. Volentes & ordinantes, quod tres ex dictis executoribus habeant potestatem exequendi secundum modum prædistinctum; & si alii interesse non possent aut nollent, etiam duo vel unus ex eis; ita tamen quod illi, qui exequentur ea quæ sunt exequenda in Regno, habeant requirere consilium & consensum super illis omnibus exequendis præfatæ Reginæ consortis nostræ, Bartholom. de Capua & Johannis Pipini prædictorum, vel alicujus eorum in hoc superstitum; in his vero, quæ sunt in Provincia exequenda, habeant requirere consilium & assensum Priorum Loci Sancti Maximini & monasterii prædictorum, qui erunt pro tempore, vel alicujus eorundem; & in alienationibus fiscalium, si fieri continget, trium ad minus executorum, si supersint, consensus & conscientia requiratur.

25. In cujus rei testimonium & cautelam præsens scriptum publicum duplicatum per manus infra nominati Notarii fieri jussimus, aureæ Bullæ

impressæ Majestatis nostræ Typario, ac etiam sigilli nostri appensione munitum. Et hoc ad abundantiorem cautelam; ut si forte casu accideret aliquo, sigillum aut Bullam ipsam frangi vel quomodolibet devastari, altero in sufficiente sui integritate manente, indubitata nihilominus fides eidem scripto debeat adhiberi. Actum Massiliæ præsentibus venerabilibus in Christo Patribus prænominato J. Forojuliense, P. Venciense Episcopis, supra fato Hugone de Baucio, Regni Siciliæ Seneschallo, Magistro Guillelmo Ebraldi, Archi-Diacono Aquensi, Vice-Cancellario nostro, fratre Jacobo de Fusiniano, Electo Civitatis Sanctæ Mariæ, Richardo de Gambatesa, prædictorum Comitatuum Provinciæ & Forcalquierii Seneschallo, jam dicto Joanne Cabasola Magnæ Regiæ Curiæ Magistro Rationali, & fratre Jacobo de Corva Eleemosinario nostro, testibus præmissorum ad hoc per Nos vocatis specialiter & rogatis. Et datum ibidem per eundem Magistrum Guillelmum Ebraldi Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, die sexto decimo Martii, sextæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno vicesimo quarto. Et ego Petrus Fiabi, clericus Petragoricen. diœcesis, ubique per Regnum Siciliæ & Comitatus eosdem Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis & terras alias Regias Publicus Regia autoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis una cum testibus prænominatis interfui, & vocatus ac requisitus per ipsum Dominum nostrum Regem, ea omnia propria manu scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo consueto signavi. Extrait des Archives du Roy en Provence & du Registre intitulé. Copiæ Testamentorum Regum Siciliæ & Comitum Provinciæ fol. LVI. & suivans, & fut iceluy collationne par moy Conseiller du Roy, Auditeur & Secretaire de Sa Majesté soubsigné Magnan.

LXXII.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Robertum, Siciliæ Regem, dignitate, juribus atque Privilegiis Regiis indignum declaravit, atque proscripsit, d. d. 7. Kalend. Maji, Anno 1311.

HEnricus, DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum, DEus judex justus, fortis & longanimis omnes secundum merita sua judicans, superbientem illum spiritum, qui ante suum thronum demens se gloria & honore ornatum conspiciens, sedem suam ad Aquilonem, ut esset similis Altissimo, ponere cogitavit; de altis cœlorum fastibus ad inferiora terræ in opprobria sempiterna demergens, ipsum omni gratia & spe minime condigne privando duxit æternalibus ultionibus exponendum. Sic ad præsens justitiam respiciat, & æquitatem videat ipse cœlestium, terrestrium, & infernorum Dominus, qui novit occulta cordium, & ante cujus tribunal cessat omnis calumnia, & veritas nullius nequitiæ tenebris obscuratur. Deponat & hunc de sede potentem, qui tentavit & exacerbavit ipsum, & concitavit eum in iram: perdat eum qui male quærit, & det illi qui obstinato animo viam innocentiæ refugit, & gloriatur in malitia, opprobrium sempiternum: faciat in eum judicium conscriptum, & sit gloria omnibus sanctis ejus. Nequitiæ si quidem & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Caroli secundi, qui se Siciliæ Regem intitulat, & Imperii Romani adipe impinguatus, incrassatus & dilatatus, contra illud (cui etiam causa feudorum multorum & bonorum ipsius Imperii, quæ hactenus tenuit, & quæ injuste principaliter occupat, humiliter obedire debet) vitiis & iniquitatibus eminens, odia, dolos & fraudes pro fidelitate retribuens, ex detestando ingratitudinis vitio calcaneum rebellionis resumpsit erigere: & contra stimulum indurata nequitia recalcitrare non cessat, nefandaque superbia tumefactus, sedem ab Aquilone, hoc est ab opposito Majestatis Cæsareæ, quam ejus dominam & magistram revereri & honorare tenetur, supponere satagens, ipsam convitiis & contumeliis provocavit hactenus, & continuo animo protervo continue provocare præsumit. Ipse namque inter cæteros suæ malignitatis conatus, licet, antequam Imperialis coronationis causa proficisceremur ad urbem, per suas literas speciales pluries culmini nostro scripsisset, quod ipse (sicut ex causa prædicta debebat, & Nos qui nec opere, nec verbo gravavimus, nec gravare, sed potius gratiose tractare intendebamus, eundem ex gravitate conscientiæ credebamus) ad exhibendam Nobis debitam reverentiam & honorem tam in dicta coronatione quam alibi intendebat, & ad id pro viribus se parabat: confœderationes tamen, conspirationes, uniones & ligas in offensam & impedimentum processus Cæsarei una cum Florentinis, Lucanis, Senensibus, & aliis nostri Imperii Romani subditis per Lombardiam, & ut eos in rebellionis præcipitium excitatos foveat, omne contrarium (sicut expresse dignoscitur) per se suosque procuratos nuncios & ambasiatores, in nostræ Majestatis injuriam & offensam, & impedimentum Processus Cæsarei, facere procuravit & fecit. Tractavit etiam, quod civitas Cremonæ, Parmæ & Rhegii, quæ sub nostra obedientia consistebant, contra Nos & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipsarum Civitatum, quam subditos nostros prædictos ad rebellionem hujusmodi, & eis ad id pollicendo auxilium, consilium & favorem. Et nihilominus dicti Roberti fulti favoribus, suæque nequitiæ conscii & ministri civitatis Astensis, & castra Valentiæ, Casalis, S. Evasii, & alias nonnullas civitates & castra Provinciæ, Lombardiæ, quæ mandata nostra juraverant, & Nos in eorum Dominum recognoverant, & officiales nostros receperant & habebant, officialibus ipsis violenter ejectis, nequiter occupatis, & occupatas, & occupata pro Roberto detinent suprascripti. Denique Robertus Joannem fratrem & stipendiarios Romam, videlicet ea intentione transmisit, ut urbe (si posset) suæ proditioni dolose subjecta, vel saltem turbata, in ejus periculo nefandæ seditionis immissio dictæ coronationis impediret solemnia. Prout dicti Joannis & stipendiariorum in ingressu nostro in urbem prædictam,

dictam, quamdiu in partibus illis moram traximus, efficaciter operum argumento probantes, una cum copiosa subditorum dictorum multitudine, quæ per instigationem dicti Roberti submissi sibi subsidii & defensionis fiducia cum armis & equis ad opponendum se Nobis, & exercendum per excogitatam malitiam, simul cum Joanne, stipendiariisque prædictis convenit, ibidem contra Nos & gentes nostras hostiliter posuerunt insidias, fecerunt insultus, spoliationes, violentias & homicidia perpetraverunt, viasque publicas & loca, per quæ ad tendendam Basilicam Principis Apostolorum de urbe omnibus religionem profitentibus Christianam liber aditus patere debebat, bellicosis apparatibus claudere, Nobis ac gentibus nostris ad basilicam ipsam, ne ipsa coronatio celebrari valeret, accessum totis viribus prohibere, ac alias omni modo, quo poterat Majestatem nostram offendere, procurarunt. Aliaque præfatus Robertus committebat, & erat in situ contra Nos committendi omnia, quæ ad nostri Imperii dammum tenderent, & ad ea modis omnibus, quibus poterat, nitebatur. Hæc siquidem crescente clamore notorio, & in pluribus rerum experientia edocente, licet ipsa tam publica & notoria essent, quod nulla possent tergiversatione celari, & Nos, qui subjecti non sumus, contra dictum Robertum propter præmissa eo irrequisito potuissemus procedere; tamen ex Augusta clementia (quæ libentius emendat in subditis pœnas, quam puniat, nec exercet ferrum in eos, quos sanare potest lenitas medicinæ;) post secessum nostrum de urbe prædicta, super dicto notorio, & prædictis per ipsum Robertum contra nostram Majestatem commissis, ad inquisitionem descendimus, quam ut fidei vel amoris scintilla (si qua forsitan remansit in eo) ipsius viscera tangeret, & ipse interim spatium ad cor redeundi haberet, usque in præsens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitime fecimus, ut comparere curaret, suam (si posset) innocentiam ostensurus. Verum idem Robertus in sua protervia perseverans, in terminis sibi ad hoc præfixis, vel eorum aliquo, vel per se vel per alium comparere contumaciter non curavit. Quare Nos super præmissis in ipsius Roberti contumacia, fide dignis & sufficientibus receptis testibus, & eorum dictis in scriptis redactis, & per Nos solemniter publicatis, & de mandato nostro a proceribus nostris Palatii cum diligentia recensitis, & facta Nobis de ipsis & per ipsos relatione fideli, per ea quæ probata fuerunt, prædicta omnia & singula publica & notoria esse, in scriptis interloquendo pronunciavimus & declaravimus exigente justitia, & postmodum eum requiri & citari sufficienter & peremptorie fecimus, ut certo termino jam elapso coram Nobis (ubicunque essemus) ad hanc nostram sententiam audiendam comparere curaret. Quod ipse præscius, & diffusus injuriis & offensis in sua obstinatione & contumacia, & fraudibus perniciosis induratus, facere prætermisit.

Quia igitur de præmissis omnibus & singulis (prout apertius in inquisitione continetur) specialiter per dictos testes plenarie Nobis constat, Nos prædictos & alios prædicti Roberti excessus nefarios & opera detestanda maturo & justo librantes examine, ac illud notissimum nullatenus omittentes, quod ipse Robertus tum in urbe prædicta causa prædictæ coronationis essemus, dilectissimi nostri Pisani (qui inter cæteros nostros subditos, fidelitatis ac opinionis sinceritate, galeas ac gentes ad nostrum servitium & honorem Romam miserant) galeas ipsas in nostræ Majestatis injuriam invadi, spoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari & in carcere detineri mandavit & fecit; & nihilominus in hujusmodi continuationis terminis perseverando, mala malis addendo, & pejora continue committendo, dum contra rebelles nostros dereximus signa Cæsarea, rebellibus ipsis (sicut publicum & notorium est, & facti evidentia docebat & docet,) misit plures armatorum in subsidium, ut eos diutius in eorum rebellionis erroribus confoveret; & attendens, quod dum ipse potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, ad nostram benevolentiam & dilectionem, quam sibi ex animi sinceritate paraveramus obtinere, noluit, bella quæsivit, iniquitates exercuit, & pro posse curavit, sicut etiam procurare non cessat in Imperii populos seminare zizania, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata & fovere discordias; & sine intermissione in actu committendi continuandique perstare contra nostrum Imperium non omisit, non solum in nostri Imperii contemptum, Reique publicæ detrimentum, sed etiam in perturbationem prosperitatis Ecclesiasticæ, quæ ad Imperii statum plurimum dignoscitur tendere, & in retardationem negotii Terræ Sanctæ, ad quod (teste DEO, qui omnia novit,) totis conatibus & affectibus anhelamus, & videntes aperte, quod dictus Robertus irrevocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis expiavit omnino, & tanquam aspis surda non obtinens auditum, nec mandata nostra, nec legis pœnam, in quam suis culpis (nam omne quod est ex DEO vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra) incidisse ac incidere noscitur, nec etiam Imperatoriæ plenitudinem potestatis veretur, sed quotidie cervicis durioris efficitur, & quantum ipsum ad pœnitudinem expectamus, tanto majorem assumit audaciam malignandi. Considerantes etiam, quod ipse Robertus de Imperii crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illicitis sibi laxatis habenis furit, & Nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito injurias refert, Nosque ac quoscumque fideles Imperii Nobis obedientes pro posse impugnare conatur, ejusque pravitas non in ædificationem, sed in destructionem, non ad fructum & juvamen, sed ad pestem esse dignoscitur: Et volentes præmissis injuriis & ipsius fraudibus obviare & Evangelicam sequi doctrinam, quæ Nos monet, quod omnis arbor, quæ fructum non fert bonum, abscindatur & mittatur in ignem, licet fideles Reges & Principes in suorum dignitatis eminentiam libenter condignis honoribus & gratiosis favoribus prosequamur, tamen ut culpa supplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum prædictum, cujus elegimus domare superbiam & præsumptionem erectam conterere, ipsumque a statu suo quantumcunque sublimi deponere, cum propter præmissa Majestatis criminis reus sit, universis & singulis dignitatibus quocunque titulo comprehensis, quibus se intitulat & decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immuni-

munitatibus & privilegiis, Provinciis, Comitatibus, civitatibus, castris, terris, villis & aliis feudis, vasallis, bonis, rebus, juribus & jurisdictionibus universis tam perpetuis quam temporalibus, quas & quæ habet, tenet & possidet, vel quasi, seu habuerunt & possederunt hactenus quomodolibet ipse vel sui prædecessores, privamus: eundem Robertum rebellem, proditorem & hostem Imperii, dictæque Majestatis crimine reum, de toto prædicto Imperio exbannimus & diffidamus; Ipsum, si quo tempore in nostram & Imperii fortiam pervenerit, vita, per capitis mutilationem privandum, in his scriptis sententialiter condemnamus. Statuentes & mandantes, quod nulla persona cujuscumque Nobilitatis, excellentiæ, status vel conditionis existat, nullaque civitas, castrum, villa, vel universitas eidem contra Nos & Imperium præbeat publice vel occulte consilium, auxilium, vel favorem sub pœna centum librarum auri, pro qualibet civitate libras 50. pro quolibet castro, villa, Marchione, Duce, Comite, Barone & quolibet Nobili, viginti librarum auri, & pro qualibet, qua contra fecerint, committenda: quodque cuilibet liceat impune, Cives, incolas, habitatores civitatum, castrorum, villarum, & quaslibet alias singulares personas, cujuscumque status vel conditionis existant, quæ contra nostrum honorem obediant ei, vel darent consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte offendere in persona, rebus & juribus; & ipsos, & ea capere, & arrestare & retinere; Inhibentes etiam & præcipientes expresse, ne aliqui debitores ipsius Roberti, de bonis in quibus ei tenentur, in aliquo satisfaciant, vel reddere quomodolibet præsumant, sed alioquin tantundem Cameræ nostræ persolvant, & ad hæc sine strepitu & figura judicii compellantur. Adhæc universitates & Provincias nostras, civitates, villas & singulares personas cujuscunque præeminentiæ vel excellentiæ, etiamsi Regia dignitate, vel cujuscumque alterius dignitatis, conditionis vel status existant, quæ ex aliquo pacto vel promissione seu obligatione dicto Roberto, aut prædecessoris sui facto, pacto, vel pœna sub qualicunque forma comprehensa vel comprehensi sint, ratione, causa vel titulo, & specialiter de aliquo servitio faciendo, vel hominum armatorum aliudque subsidium dando, per mare vel per terram, teneretur eidem Roberto: ab ipsis, pacto, promissione, obligatione & pœna apposita, vasallos quoque & feudatarios, omnes & singulos, qui eidem fidelitatis vinculo, vel alia quacunque ratione vel causa, ad aliqua servitia realia vel personalia tenerentur, ab omni vinculo fidelitatis, subjectionis & obedientiæ, ei vel suis hæredibus faciendis, absolvimus penitus & in totum, ita, quod nec civitates, castra, villæ, universitates & personæ prædictæ, pacto vel obligatione prædictorum, aut vasalli, aut feudatarii præfati cives, fidelitatis, subjectionis & obedientiæ ratione, causa vel titulo, sibi vel suis hæredibus quomodolibet teneantur. Ipsas etiam contratas, civitates, castra, villas, feudatarios, vasallos, bona, res, jurisdictiones, servitia & jura, & quæcunque alia sub nostra contenta privatione & absolutione hujusmodi confiscamus. Demum omnibus & singulis militibus, Auditoribus, Judicibus, Jurisperitis & Notariis, qui ejusdem Roberti domestici seu familiares existunt, sive aliis, qui in ejus servitio esse noscuntur, & quibusvis aliis, districte præcipiendo mandamus, quod ab ipsius Roberti familiaritate, consiliis, directione, & obsequiis quibuscunque, infra duorum mensium spatium ab hodie computandum, cum effectu recedant, & nunquam ad ejus servitium vel consilium accedere publice vel occulte præsumant: alioqui ipsos milites honore ac dignitate militiæ, judices adjudicandi & assidendi omnibus & singulis privilegiis & immunitatibus, ac Notarios Notariatus officio: eos videlicet ex dictis militibus, Auditoribus, Judicibus, Jurisperitis, Notariis, qui hujusmodi mandato nostro non paruerint cum effectu, ex nunc prout ex tunc, privamus termino suprascripto, & inhabiles & infames reddimus: ita, quod elapsis mensibus supra dictis ad nullos actus legitimos quocunque tempore postmodum admittantur. Hujusmodi autem privationis, confiscationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis & absolutionis sententias in his scriptis fecimus, & omnia alia singula facta & incerta facimus existente justitia, & bono Reipublicæ requirente, ac ex certa scientia & plenitudine potestatis, supplentes omnem defectum, si quis forsan in inquisitione prædicta, de quibuscunque processibus propterea habitis, ob aliquam juris solennitatem omissam esset habitus. Non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus contrariis, vel privilegiis sub quacunque forma verborum concessis: etiamsi oporteret de ipsis de verbo ad verbum in præsentibus fieri mentionem: quæ contra præmissa, vel præmissorum aliquod possent quomodolibet aliquid objici, seu opponi, quibus specialiter derogamus. Actum Pisis in præsentia nostrorum Principum & Baronum, ac populi multitudine copiosa 7. Kal. Maji, Regni nostri anno quinto, Imperii vero anno primo.

LXXIII.

Literæ Philippi IV. Francorum Regis, in commodum atque emolumentum Roberti, Regis Siciliæ, ad Clementem V. Pontificem Maximum, datæ, d. d. 12. Maji, Anno 131-.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Clementi, divina providentia sacrosanctæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici. *Philippus*, DEI gratia Rex Francorum devota pedum oscula Beatorum.

Ad nostrum alias quorundam Magistrorum relatu, & nunc ex assertione charissimi consanguinei nostri, Principis Achajæ, pervenit auditum, quod Magnificus Princeps Henricus, Imperator Romanorum, Apuliæ, Siciliæ, & alias terras proprias Illustris Principis Roberti Regis Siciliæ, Consanguinei nostri charissimi, debellare proponens ad ipsius exhæredationem suos intendat exercere conatus, turbando pacem universam Christianorum, impediendo negotium passagii Terræ Sanctæ in universale, & specialiter Romanæ Ecclesiæ, cujus dictæ terræ patrimonium proprium esse dignoscitur, excidium, & jacturam. Cum igitur Nos prædicti Regis Siciliæ, qui de consanguinitate nostra traxit originem, & de nostra

de nostra domo Regia processit, exhæredationem non de facili sustinere possemus, Beatitudini vestræ super hoc alias scripsimus, ut consideratis incommodis, quæ ex præmissis, si (quod absit) contingerent, sequerentur, ad occurrendem tantis, & talibus periculis velit vestra Sanctitas in hac parte de competenti remedio celeriter providere, ne propter hujusmodi incommoda possit dictæ Terræ sanctæ negotium retardari, vel totaliter impediri. Verum cum Imperatorem in prædictis non intellexerimus suum propositum divertisse; quinimo paret se diebus singulis ad eadem, vestram iteratis precibus Clementiam deprecamur, quatenus imminentibus periculis occurrentes, prout ad vestrum spectat officium, in prædictis sic celeriter tale remedium apponatis, quod pacis pulchritudo servetur, negotiumque passagii terræ sanctæ, quod alias fieri posse non credimus, impediri non debeat, aut turbari, & ne, cum velletis super his alias occurrere, tunc commode non possetis, dictumque Regem, & subditos dignetur Vestra Sanctitas specialiter recommendatum habere. Data Parisiis XII. Maji.

LXXIV.

Tabulæ fœderis, inter Robertum, Siciliæ Regem, ac Johannem, Dalphinum Viennensem, contra Amadeum V. Sabaudiæ Comitem, ad sexennium initi, d. d. 13. Febr. Anno 1314.

In nomine Domini nostri JEsu Christi, Anno Nativitatis ejusdem M. CCC. XIV. die XIII. instantis Februarii, XII. Ind. Pontificatus SS. Patris Domini Clementis Papæ V. Anno IX. Nos Inguerrannus miseratione divina Archiepiscopus Capuanus, Frater Raymundus Albensis, & Frater Franciscus Gayetanus, Episcopi, Bartholomæus de Capua Miles, Logotheta & Protonotarius Regni Siciliæ, Johannes Pipinus de Barolo Miles, magnæ Regiæ Curiæ Magister Rationalis, Leo de Regio Miles, Regii Hospitii Magister Rationalis, Ricardus de Gambetesa Miles, Ricanus de Stellas Capellanus Thesaurarius, Consiliarii & familiares Regii, Willelmus Dominus Castri de Belsemblant, Stephanus Pegey Miles, Johannes Petri Judex Vapincensis, magnifici Viri Domini Johannis Dalphini Vienn. Consiliarii & familiares, & Pisanus Gelardi de Neapoli Notarius, notum facimus præsenti scripto & testamur, quod egregius vir D. Guido Dalphini frater D. Dalphini præd. in nostra præsentia constitutus, præsente quoque inclyto Principe D. Roberto, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Rege Illustri, ostendit Nobis quoddam procuratorium tenoris sequentis: Nos Johannes Dalphinus Vienn. & Albonis Comes, Dominusque de Turre, notum facimus universis, quod de industria viri magnifici D. Guidonis Dalphini, carissimi fratris nostri, merito confidentes, ipsum in omnibus negotiis nostris peragendis, tractandis, ordinandis & perficiendis cum Inclyto Principe D. Roberto, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Rege facimus nostrum Procuratorem Generalem, concedentes eidem liberam potestatem cum D. nostro Rege, & ejus consilio tractandi, ordinandi, perficiendi quascumque pactiones, conventiones & confœderationes, & eas in animam nostram jurandi contra quamcumque personam, Collegium & Universitatem &c. Acta sunt hæc apud Gratianopolim anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XIII. scilicet die Dominico post Festum Beati Lucæ Evangelistæ, præsentibus testibus DD. Hugone de Comeriis, Willelmo de Belsemblant, Stephano Petziati, militibus, Humberto Clareti, Canonico Valentinensi & Ebredunensi, Andreveto Zuppi, Clerico nostro, & me Alberto de Braida. Ex cujus potestatis autoritate eidem D. Guidoni concessa, licet inter memoratos DD. Regem Siciliæ & Dalphinum nexus affinitatis intimæ vigeat, & naturalitas, qua idem Dominus Dalphinus per subjectionem Vasallagii jam dict. D. Regi stringitur, connexe subsistat, ad majorem tamen visibilemque unitatem, memoratus D. Guido nomine, & pro parte D. Dalphini jam dicti cum eodem D. Rege Siciliæ ad alligationem, confœderationem & assistentiæ vinculum adstringendum, conventiones iniit, & firmavit, hoc modo, videlicet, quod per sex annos continuos, a die purificationis Beatæ Mariæ proximo præteritæ, in antea numerandos, præfatæ alligatio & confœderatio perfectæ permaneant, cum utriusque partis præstatione subsidii, ut infra describitur, duraturæ, sic equidem, ut D. Dalphinus, vel hæredes sui tribus vicibus per tres annos de dictis sex, æqua sorte divisis, dent cum expensis suis præfato D. Regi, & suis hæredibus subsidium quinquaginta equitum armatorum sufficienter & bene, vel majorem quantitatem, si præfatus Dalphinus hoc voluerit, quod idem Dominus Guido credit indubie contra Comitem Sabaudiæ, communem æmulum dictorum Domini Regis & Dalphini, & contra quoscumque alios hostes, rebelles, inimicos, seu adversarios Domini Regis ejusdem, in Provinciis scilicet Pedimontis & Lombardiæ, usque Mediolanum, Cremonam & Parmam inclusive, usque ad Mare Meridianum, in tali terra vel loco inclusive, qui non distet plus a terra dicti Domini Dalphini, quam Civitas Januensis inclusive similiter intellecta, mari excluso, ita quod juvare non teneatur in mari, ita quidem, quod prædicti quinquaginta equites pro præsenti anno, qui est in anno Domini MCCCXIV. præstandi per eumdem Dominum Dalphinum armis & equis decenter muniti sint, per totum instantem mensem Martii in terra seu Comitatu Pedimontis, parati ad prosequendum id quod genti Domini Regis pro negotiis regalibus videbitur expedire. Et si dictus Dominus Dalphinus voluerit majus præstare subsidium, procurabit & faciet quod illi equites, quos ultra præstare voluerint, pro eodem subsidio erunt usque ad medietatem sequentis mensis Aprilis armis & equis muniti decenter, ut supra in Civitate Alexandriæ. Et sciendum, quod si augebitur per dictum Dominum Dalphinum hoc anno præfatum subsidium ultra quinquaginta jam dictos, sic per omnes sex annos prædictos ex utraque parte præstabitur in gente vel pecunia, ut distinguetur inferius ratione habita, quod præfatus Dominus Rex pro parte sua ad duplicatum & triplicatum in casu, prout infra describitur, teneatur. Præstabit autem prædictus Dominus Dalphinus idem subsidium nunc promis-

promissum, & quod augere voluerit ac hæredes ipsius dicto Domino Regi & hæredibus suis per quatuor menses continuos quolibet anno de tribus prædictis, quibus idem subsidium eidem Domino Regi præstare tenetur, computato accessu & regressu dictorum equitum armigerorum per communes & ordinatas dietas &c. Exceptus est tamen de utriusque partis assensu egregius Vir, Dominus Philippus de Sabaudia, a nexu & vigore conventionum præsentium, idem Dominus Dalphinus contra ipsum præstare præfatum subsidium non stringetur, nisi prædictus Dominus Philippus terram aut terras Domini Regis, ejusdem fidelium subditorum aut amicorum suorum quomodolibet offenderet, quibus casibus jam dictus Dalphinus præstabit memoratum subsidium tam promissum, quam auctum, ad manutenendum terras eorumdem Domini Regis subditorum fidelium & amicorum suorum, non ad impugnationem terræ Domini Philippi. Anno vero sequenti proximo, qui erit in anno Domini MCCCXV. idem Dominus Rex, vel hæredes sui præstabunt similiter per menses quatuor dicto Domino Dalphino vel hæredibus suis præfatum subsidium quinquaginta equitum armatorum sufficienter & bene duplicatum, ita quod sint centum numero cum expensis eorum, & si dictus Dominus Dalphinus elegerit hoc anno præsenti majus, quam dictorum quinquaginta equitum armatorum præstare subsidium, totum id, quod ultra dictus Dominus Dalphinus præstare voluerit, duplicabit eodem anno sequenti Dominus Rex præfatus, vel hæredes ipsius, & computabuntur dicti quatuor menses militaris subsidii ab ipso Domino Rege præstandi, a die quo de Comitatu Provinciæ recesserint equites armati prædicti recta via euntes per communes & ordinatas dietas pro subsidio memorato, in quorum quatuor mensium spatio accessus & reditus eorundem armigerorum computabitur, ut præfertur. Præstabitur autem dictum subsidium per eundem Dominum Regem, vel hæredes ejus in terris ejusdem Domini Dalphini vel amicorum suorum contra Comitem Sabaudiæ & terras suas, intrando terras ipsas, & eum in illis adjuvando, & contra quoscunque alios dictum Comitem ibidem vel circa actualiter adjuvantes. Tertio vero anno sequenti, qui erit in Anno Domini MCCCXVI. præfatus Dominus Dalphinus, vel hæredes sui præstabunt eidem Domino Regi, vel suis hæredibus dictum militare subsidium tam expressum quam non expressum si augebitur, ut præfertur, secundum quod præsenti anno præstare tenentur, modo, forma & tempore prælibatis. Quarto autem anno sequenti, qui erit in Anno Domini MCCCXVII. iidem Dominus Rex Siciliæ vel hæredes sui præstabunt dicto Domino Dalphino vel suis hæredibus jam dictum duplicatum militare subsidium, tam expresse promissum de quinquaginta equitibus, quam aliud majus, quod idem Dominus Dalphinus pro anno præsenti voluerit, ut prædicitur, adaugere sub modo, forma & tempore, qui in præstatione dicti subsidii facienda per dictum Dominum Regem vel hæredes suos, superius sunt expressi &c. Ita quod in fine prædictorum sex annorum eidem Domino Regi, vel suis hæredibus pro tribus annis de dictis sex per eumdem Dominum Dalphinum, vel hæredes suos, de dicto militari subsidio, modo & forma præmissis satisfactum sit integre, & pro reliquis tribus annis dicto Domino Dalphino, vel suis hæredibus per dictum Dominum Regem, vel hæredes suos, modo & forma prætactis satisfactio sequuta sit integra, reddendo singula singulis secundum sanum & rationabilem intellectum; Hoc expresse in conventione deducto, quod si dictus Dominus Rex, vel hæredes sui, Civitatem Mediolanensem, cum pertinentiis suis, subjectam suo regimini & gubernationi habuerint, seu tenuerint, tunc donec ipsa tenuta duraverit, præfatus Dominus Rex, vel hæredes sui, sicut promissum est, memorato Domino Dalphino vel suis hæredibus sub præmissis modo, forma & tempore, de triplicato militari subsidio tenebuntur, quod si dicta habitio vel tenuta cessaverit, idem Dominus Rex vel hæredes sui ad duplicatum subsidium adstringeretur: Sic equidem, quod cessante guerra Insulæ Siciliæ per victoriam sive pacem, nihilominus iidem Dominus Rex vel hæredes sui ad idem triplicatum subsidium tenebuntur. Illud etiam est in conventione deductum, quod sicut dictus Dominus Dalphinus vel hæredes sui debent præstare hoc anno præsenti dictum militare subsidium in gente armigera, sicut prædicitur, sic sæpefatus Dominus Rex vel hæredes sui anno sequenti similiter, ut proponitur, in armigera gente præstent, nisi forte dicti Dominus Rex, vel hæredes ejus essent notabili guerra perplexi, quo casu medietatem dicti militaris subsidii in armigera gente sub vexillo dicti Domini Regis ducenda, & reliquam medietatem in pecunia ad rationem de decem florenis per mensem pro quolibet Equite ad dictum subsidium ituro, iidem Dominus Rex vel hæredes sui præstare poterunt, si hoc duxerint eligendum. Pro reliquis vero quatuor annis, quibus ex utraque parte præstandum est ipsum militare subsidium, præmisso modo successivis vicibus alternatim, quælibet partium volens pro dicto subsidio pecuniam solvere ad rationem proxime positam, hoc facere poterit, si sibi videbitur expedire. Cum autem ex parte dicti Domini Regis vel hæredum suorum notificabitur eidem Domino Dalphino, vel hæredibus suis, quod parent se pro præstatione dicti militaris subsidii, committet idem Dominus Rex vel hæredes sui uni personæ, quam elegerint, ut monstram videat de gente armigera, quam dictus Dominus Dalphinus, vel sui hæredes facere tenebuntur, quæ fiat de talibus personis, equis & armis decenter munitis, quod recipiens de illa valeat rationabiliter contentari. Et idem per omnia in subsidio faciendo per dictum Dominum Regem & hæredes suos est circa hoc similiter faciendum. Hoc similiter ex utraque parte in ipsis conventionibus est deductum, quod non liceat dicto Domino Regi & Dalphino vel hæredibus cum eodem Comite Sabaudiæ pacem facere vel treugas inire nisi per modum subscriptum: videlicet quod in tali pace seu treugis hujusmodi, si fierent per dictum Dalphinum vel suos hæredes, includantur præfati Dominus Rex & sui hæredes, si includi voluerint & teneri ad observantiam earundem. Si vero in illis includi, & eas servare nollent, sed guerram facere vellent contra Comitem Sabaudiæ memoratum, vel ejus hæredes, complices fautores eorum, aut alios inimi-

inimicos Regios, dictus Dalphinus, vel sui hæredes, non obstantibus ipsis pace vel treugis sic initis cum Comite supradicto, vel suis hæredibus, teneantur prædictum præstare subsidium contra ipsum Comitem, ac omnes hostes, inimicos & æmulos Regios, in partibus Pedimontis, non expectata alternitate annorum, vel vicium, prout superius continetur. Et si illos armigeros, quos Dominus Rex mittet in subsidium dicti Domini Dalphini, velit idem Dominus Dalphinus remanere spatio octo dierum, ad defensionem terrarum Domini Guidonis, fratris sui, contra invadentes ipsas terras, maxime contra illos, qui Comitem Sabaudiæ contra dictum Dominum Guidonem actualiter adjuvarent, placet hoc ipsum Domino Regi, ita quidem, quod ipsi octo dies in eodem quadrimestri tempore computentur. Item, quod prædictus Dominus Dalphinus prælibatas conventiones per suas patentes literas, earundem conventionum de verbo ad verbum seriem continentes, acceptet & confirmet, & post seriem ipsarum conventionum, si sibi placuerit, ponat & exprimat majus militare subsidium, quam dictorum quinquaginta equitum, ut præfatus Dominus Rex certius esse exinde valeat, & scire pro firmo, quid per eum, vel hæredes suos, sit de ipso subsidio duplicatum, vel in casu, qui præmittitur, triplicatum, quæ omnia præfatus Dominus Rex pro se & suis firmiter observare, & idem Dominus Guido nomine & pro parte dicti Domini Dalphini, & hæredum suorum, ad invicem inviolabiliter promiserunt, & memoratus Ricardus de Gambetesa miles, in anima Domini Regis præfati eo volente, præsente & mandante, & ipsum ad hoc specialiter constituente, & idem Dominus Guido in anima Domini Dalphini jam dicti, ex præfata potestate sibi concessa, de observatione hujusmodi corporale præstiterunt juramentum, & nihilominus idem Dominus Guido, pro parte memorati Domini Dalphini, sub pœna mille, & præfatus Dominus Rex sub pœna duorum millium marcharum argenti, si contra prædicta factum, aut ventum fuerit, se obligarunt specialiter. In cujus rei testimonium præsens scriptum duplicatum pro utriusque partis cautela factum est, exinde sigillo magno pendenti Domini Regis ejusdem, nec non Domini Guidonis prædicti, & sigillorum pendentium eorumdem Prælatorum appensione munitum. Actum Neapoli, anno, mense, die, indictione & Pontificatu, quibus supra, præsentibus omnibus supradictis testibus - - - Et ego prædictus Pisanus Gelardi de Neapoli, publicus de Apostolica autoritate Notarius.

LXXV.

Bulla Clementis V. Pontificis Maximi, adversus hostes Regis, Regnique Siciliæ invasores promulgata, d. d. 9. Julii, Anno 131-.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Inter cætera, quorum Nos cura sollicitat, illa præcipue meditatio mentem nostram occupat, illaque Nos sollicitudo fatigat, ut Ecclesiæ Romanæ bonis & juribus in sua stabilitate servatis, instanter observetur, felicia semper incrementa suscipiat, & nostræ ministerio servitutis copiosæ pacis affluat libertate. Nuper quidem multorum fide relatione percepta, quod nonnulli multorum in diversis locis & partibus præparabant stolium galearum, & alios faciebant bellicos apparatus, quosdam ipsorum ex certis tenebat conjecturis exorta suspicio, quod Regnum Siciliæ seu terra citra Pharum, quæ de Regno ipso fore dignoscitur, quæ ad Nos, & Romanam Ecclesiam pertinent pleno jure, & quæ Carissimus in Christo filius noster, Rex Robertus Siciliæ Illustris, nunc pro Ecclesia prædicta Vasallus, a Nobis, & eadem Ecclesia tenet in feudum, hostiliter invadendus, vel offendendus, stolium, & apparatum hujusmodi, quamvis hoc vix possumus credere, parabatur. Nos Ecclesiæ præfatæ, ac Nobis, & Regno, ac terræ prædictis, quæ veluti recreationis pomœrium delectabiliter intuemur, & in Apostolici pectoris medio, præ multa dilectione, portamus, & adversus talium munimina providere volentes, & periculis animarum, corporum detrimentis, bonorum dispendiis, & gravissimis scandalis, & irrecuperabilibus incommodis Terræ sanctæ, quæ possent ex eis sic procedi (quod absit) ad illa, quæ contigerint, merito formidanda, salubriter obviare, præsertim cum simus parati omnibus de ipso Rege Siciliæ conquerentibus justitiam adhibere. Universis & singulis Clericis & laicis, cujuscumque conditionis, & status, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ sint, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, sive Regali, aut quacunque alia fulgeant dignitate, ac Universitatibus, Communitatibus, & Civitatibus quibuscumque auctoritate Apostolica districtius inhibemus, & expresse præcipimus, ne dictum Regnum, vel terram, aut partem, vel aliqua loca eorum, vel alterius eorundem per terram, vel per aquam, mare, quocunque quæsito colore invadere, vel offendere, aut propter hoc recipere, vel exhibere stipendia, sive galeas, seu alia maritima dare, locare, commodare, aut alio titulo quocunque concedere, seu remigare in eis, vel eisdem galeas, seu vasa concedere quovis modo præsumant; sive præstare super his præsumptionibus ipsis auxilium, consilium, vel favorem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte. Nos enim in omnes & singulos, qui contra inhibitionem & mandatum hujusmodi venire præsumpserint, etiamsi (ut prædicitur) Pontificali, aut Imperiali seu Regali, aut quavis alia præeminentiæ dignitate fulgeant, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrant, sententiam promulgamus, eorumque terras, ac loca ipsorum, & quaslibet alias Communitates, Universitates & Civitates, contra præmissa, vel præmissorum aliquid attentantes, Ecclesiastico subjicimus interdicto, contra eos nihilominus ad privationem omnium Privilegiorum, indulgentiarum, & gratiarum, quæ ab eadem Romana curia, non modo feudorum, bonorum, honorum, officiorum & jurium quorumcunque, & ab ipsa & quibuscunque aliis tenent Ecclesiis, & aliis spiritualiter, & temporaliter graviter processuri, prout eorum inobedientia exegerit, qualitas facti suaserit, viderimus expedire. Data & acta apud Castrum Novum Avinionensis Diœcesis, in palatio ipsius Castri die II. Junii, Pontificatus nostri anno VIII. & præsentatæ Januæ die IX. Julii.

LXXVI.

LXXVI.

Jacobi, Arragonum Regis, Epistola ad Joannem XXII. Pontificem Maximum, directa, ac de pace, inter utriusque Siciliæ Reges concilianda, agens, d. d. 3. Martii, Anno 1320.

SAnctissimo, & in Christo Patri sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, *Jacobus*, DEI gratia Rex Arragonum, suus devotissimus filius se ipsum ad pedum oscula beatorum.

Vestra Sanctitas non ignorat, quam dura, quamque gravis guerrarum commotio suscitatur inter Illustres Reges *Robertum* & *Fredericum* occasione Siciliæ. Quæ guerra non erit modicum damnosa dictis Regibus, ac toti Christianitati, nisi per Sanctitatem vestram de opportuno remedio succurratur. Ea propter Sanctitati vestræ preces porrigimus subjectivas, quatenus Vos, qui estis universorum Christianorum caput & custos, & de animabus eorum estis redditurus Altissimo rationem, ipsis Christicolis, ad bella & guerras mortiferas & viriliter & potenter parantibus, pio & paterno compatientes affectu, dignemini & velitis, si placet, super his taliter interponere partes vestras, quod inter nominatos Reges & eorundem regnicolas non facta pacis tranquillitas & unanimitas affectualiter reformetur, ne sanguis ipsorum in die districti examinis de vestris manibus requiratur; alioquin constet Vobis, quod Nos non possemus ullo modo deficere in necessitatibus suis dicto Regi Frederico fratri nostro: quin immo ex tunc intendimus ipsum juvare contra prædictum Regem & quoscumque valitores suos; cujuscumque conditionis & status existant, describentes Vobis, si placet, quicquid Vestra Sanctitas duxerit super his, dante Domino, salubriter disponendum. Altissimus per sui misericordiam vos conservet ad sui condignum servitium & Ecclesiæ suæ Sanctæ. Datum tertio Martii, anno Domini MCCCXX.

LXXVII.

Friderici, Siciliæ Regis, Literæ, in quibus Siciliæ Proceres ad Petri, filii sui, coronationis solennia invitat, d. d. 6. Martii, Anno 1320.

FRiedericus, DEI gratia Rex Siciliæ, Matthæo de Bicaro de Panormo fideli suo gratiam, & bonam voluntatem.

Devotis supplicationibus per Comites, Barones & milites Siciliæ fideles nostros, pro parte omnium & singulorum hominum Siciliæ, fidelium nostrorum, in colloquio pridie infra proxime præteritum mensem Decembris hujus quartæ Indictionis in civitate Syracusana per nostram curiam celebrato, & deinde per universitates hominum singulorum, civitatum, terrarum & locorum Siciliæ in scriptis publicis, sub sigillis universitatum earundem ac bajulorum, judicum juratorum, & certorum aliorum militum, & proborum virorum cujuslibet civitatis, terrarum, & locorum prædictorum culmini nostro humiliter factis, ut videlicet inclytum Petrum, infantem primogenitum nostrum carissimum, futurum Successorem nostrum legitimum, ad majorem firmitatem & securitatem, ac tranquillum statum eorum in Regem Siciliæ coronare nostra Excellentia dignaretur, benignius inclinati, hujusmodi coronationis solemnia in proxime futuro festo Resurrectionis Dominicæ, annuente Altissimo, in civitate Panormi proponimus celebrare. Et quia in dictæ coronationis solemniis ad honorem & decus Regiæ dignitatis plures ex nostris fidelibus, nostri honoris & dominii zelatores, & præcipue ad hoc aptos, militari cingulo expedit decorari, tuusque filius ad suscipiendum decus militiæ aptus, idoneus & sufficiens dignoscatur, Nobis, & eidem primogenito nostro plurimum complacebis, si dictum filium tuum decenter præpares, ad decorandum se honore militiæ in solemniis supradictis. Datum Trapani VI. Martii quartæ Indictionis.

LXXIIX.

Ejusdem Literæ ad personas Siciliæ ecclesiasticas, de pecuniarum subsidio a proventibus & reditibus annuis Ecclesiarum præstando, conscriptæ, d. d. 28. Augusti, Anno 1320.

FRedericus, DEI gratia Rex Siciliæ, religioso viro, Abbati S. Spiritus de Panormo devoto suo salutem in Domino JEsu Christo.

Cum pro structione, reparatione, munitione & armatione galearum nostri *Frederici* exstolii, quod in proximo futuro vere in majori numero & ex forti quo fieri poterit, construi, reparari, muniri, & deinde feliciter armari providimus, ad defensionem & statum prosperum tam nostrorum fidelium, quam monasteriorum & Ecclesiarum quarumlibet, procurata indemnitas & tranquillitas agitur possessorum. Ad quod perficiendum, ut expedit, proventus & jura Insulæ nostræ Siciliæ bono modo sufficere non videntur, diligenti communicato consilio, ne tot & tanta necessaria & opportuna servitia remaneant imperfecta, provisum & determinatum exstitit, quod de omnibus juribus, proventibus & reditibus singularum Ecclesiarum, nec non quorumlibet Insulæ nostræ Siciliæ a primo Septembris proxime futuræ quartæ Indictionis in antea, in prædicta forma & pro dicta causa pecuniale subsidium recipere & habere penitus debeamus. Et propterea te præsentem habere velimus, & devotionem tuam requirimus, quatenus in continenti, receptis præsentibus, pro prædicta causa celeriter ad nostram præsentiam debeas te conferre. Et si propterea commode nequiveras venire, procuratorem tuum ad hoc sufficienter instructum, & omni tua auctoritate suffultum, responsurum, tractaturum & facturum Nobiscum super his & aliis, ac si præsens esses, ad nostram præsentiam celeriter mittas; adeo, quod te vel prædictum procuratorem tuum, ut supra, infra dies quindecim a die datæ præsentium, in antea numerandos in Curia nostra præsenti infallibiliter habeamus. Datum Messanæ XXVIII. Augusti, tertiæ Indictionis.

LXXIX.

LXXIX.

Contractus matrimonii inter Johannem, Gravinæ Comitem, Carolique II. Siciliæ Regis, filium, atque Agnetem, Archembaudi, Petragoricensis Comitis, filiam sancitus, d. d. 14. Novembr. Anno 1321.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen. Prudentum dogmata suadent rerum gestarum seriem in publica monumenta conferre, ne præteritorum memoriam edax consumat oblivio, sed fulta potius scripturæ publicæ testimoniis immortalis permaneat probatio veritatis. Eapropter præsentis scripti publici serie cunctis fiat in antea manifestum, quod puræ affectionis instinctus & consideratio circumspecta interpellarunt interiora communium amicorum pertractare de matrimonio contrahendo inter inclytum Dominum Johannem, felicis recordationis, Domini Caroli II. Jerusalem & Siciliæ Regis illustris natum, Gravinæ Comitem, & honoris Montis sancti Angeli Dominum, & magnificam Domicellam Agnetem, filiam spectabilis Viri Archembaudi, Comitis Petragoricensis quondam. Tandem post tractatus plurimos super hoc subsecutos, divina gratia operante, ministerio, & diligentia communium amicorum, varietate tractatuum ad plenum concordia jam deducta, spectabilis Domina Brunissenda de Fuxo, Comitissa Petragoricensis, mater, & Archembaudus Comes Comitatus ejusdem, filius ejus, germanus Agnetis præfatæ, ex una parte, & nobilis & circumspectus vir, Dominus Silvester de Macera, magnæ Regiæ Curiæ judex Procurator, & procuratorio nomine ipsius inclyti Domini Johannis Comitis Gravinæ, ad subscriptam concordiam communi placito devenerunt de conscientia & beneplacito sanctissimi Patris & Domini Johannis, divina providentia Papæ XXII. & Serenissimi Principis, Domini Roberti DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Regis Illustris, nec non Serenissimæ Principissæ Dominæ Sanctiæ, eorundem Regnorum Reginæ, præfati Domini Regis consortis. Videlicet quod præfatus procurator dicti Domini Johannis procuratorio nomine ipsius, de cujus procuratione constat per instrumentum publicum manu mei, Matthæi de sancto Georgio, publici Apostolica auctoritate Notarii infrascripti, promisit præfatis Comitissæ & Comiti & mihi Notario, tanquam personæ publicæ, stipulantibus & recipientibus vice & nomine dictæ Agnetis, se curaturum & procuraturum cum effectu, quod dictus Dominus Johannes ad ipsorum Agnetis, genitricis, & fratris requisitionem, & omnimodam voluntatem matrimonium contrahet per verba, de præsenti in facie Ecclesiæ more catholicorum Principum, juxta sacrorum Canonum instituta. Et pari forma prædicti Comitissa & Comes Procuratori prædicto & mihi Notario ante dicto, tanquam personæ publicæ, sicut supra, præsentibus, stipulantibus & recipientibus, vice & nomine dicti Domini Johannis, promiserunt se curaturos & procuraturos cum effectu, quod dicta Agnes cum præfato Domino Johanne matrimonium contrahet per verba de præsenti ad ipsius pariter voluntatem omnimodam forma & modo proximo declaratis. Et ex causa dotis & pro dote, dotisque nomine ipsius Agnetis prædicti Comitissa mater & Comes Petragoricensis germanus, quilibet in solidum & pro toto solemniter promiserunt Procuratori prædicto, & mihi sæpedicto Notario præsentibus, stipulantibus & recipientibus vice & nomine dicti Domini Johannis, Comitis Gravinæ, statuerunt, constituerunt, statuunt, constituunt & promittunt solvere triginta quinque millia florenorum auri puri & fini ponderis, & cunei Florentiæ per solutiones & terminos subdistinctos, videlicet in Festo Resurrectionis Dominicæ primo venturo sex millia florenorum, & in Festo omnium Sanctorum proximo alia sex millia florenorum, & annis singulis in dicto Festo omnium Sanctorum alia sex millia florenorum, donec de dicta quantitate triginta quinque millium florenorum sit plene & integre ipsi Domino Johanni, Gravinæ Comiti, per memoratas solutiones & terminos satisfactum. Et pro uberiori securitate & cautela ejusdem Domini Johannis, cum solemnitate necessaria promiserunt se curaturos, & cum effectu effecturos, quod infra scripti Prælati & Nobiles pro dicta dote & pro omni interesse, ut fidejussores & principales debitores, quilibet in solidum & pro toto se obligabunt dicto Domino Johanni, Comiti Gravinæ, sub forma, pactis & vinculo juramenti, clausulis, conventionibus, renuntiationibus & cautelis, quibus in præsenti instrumento invenientur pro dictis dote & interesse fidejussores & principales debitores alii ipsi Comiti, seu alii pro eodem astricti, seu etiam obligati. Et nihilominus præfati Comitissa & Comes ostendentes puritatem interioris affectus, ipsi Domino Johanni, Gravinæ Comiti, complacere per omnia intendentes, promiserunt præfato Procuratori ipsius, & mihi prædicto Notario, ejus nomine stipulantibus, sicut supra, quod si cum ipsorum habilitate solutiones facere poterunt pinguiores, illas pura fide facient & implebunt, prout eis Altissimus habilitatem administrabit in posterum, prout cum ipsa habilitate solvere poterunt solutionibus pinguioribus & etiam prænarratis. Acto inter dictas partes & solemniter convento nominibus quibus supra, quod, ubi casus restitutionis dictæ dotis emergeret, videlicet ipsa Agnete sine liberis decedente, ex memorato matrimonio procreandis, dictam dotem, quatenus de ea solutum esset, dictus Dominus Johannes ejusque hæredes dicto Comiti Petragoricensi ejusve hæredibus in pecunia numerata legis & ponderis, quibus recepisset, eandem restituere teneatur per sex solutiones & terminos sex annorum spatio æqualiter distinguendos, scilicet quod annis singulis dictorum sex annorum a die soluti matrimonii fiat solutio & restitutio, ita quod infra sex annos dictos recepta sit dicto Comiti seu ejus hæredibus restituta. Item inter memoratas partes prædictis nominibus actum extitit & conventum, quod dicta Agnes de summa & usque ad summam trium millium florenorum dotis prædictæ pro anima sua possit disponere & testari; ita quod residuum dictæ dotis, liberis non extantibus, ad præfatum Comitem Petragoricensem, vel ejus hæredem libere revertatur, solvendum & restituendum per sex annorum terminos jam distinctos. Item inter dictas partes

partes præfatis nominibus cum solemnitate necessaria ordinatum extitit & conventum, quod liberi, quos ex dicto matrimonio contigerit procreari, succedant dicto Domino Comiti Gravinæ in omnibus bonis ejus; servata tamen prærogativa sexus & ætatis, prout communiter observatur in Regno Siciliæ in successionibus Comitum & Baronum. Hoc specialiter addito & expresso, quod si contingeret post obitum dictæ Domicellæ tantum ex dicto matrimonio filiam superesse, & dictum Comitem Gravinæ ex alio postmodum matrimonio filias habere, quod dicta filia prima superstes cæteris filiæ vel filiabus secundi vel ulterioris matrimonii in successione hujusmodi præferatur, legitimis filiabus cæteris reservatis. Dotem autem prædictam terminis prædistinctis dicti Comitissa & Comes solvere promiserunt prænominato procuratori & mihi Notario stipulantibus vice & nomine dicti Domini Johannis, Gravinæ Comitis, eidem Domino Johanni vel alii ejus nomine & mandato de plano & sine strepitu judicii & figura, & absque libello & simplici petitione, statutis temporibus interpellantibus, absque hominis interpellatione aliqua subsecuta; & ipsis libello & simplici petitioni eorumque oblationi & petitioni expresse renuntiantes, se reos & debitores principales pro prædicta causa dotis quilibet in solidum, & pro toto, & cum omni solemnitate ad id necessaria se constituentes penes dictos procuratorem & me Notarium stipulantes & recipientes nomine & nominibus quibus supra. Et si forsitan, quod absit, dictus Dominus Johannes, Comes Gravinæ, damnum aliquod vel interesse sustineret vel incurreret quoquo modo, pro memoratis quantitatibus dictæ dotis vel ipsarum aliqua conventis temporibus non solutis, vel etiam non soluta, promiserunt damna ipsa & interesse & expensas, quas propterea incurrisset, vel etiam sustinuisset, pactis præmissis semper firmis manentibus, ipsi Domino Johanni Gravinæ Comiti ejusque hæredibus ex integro & absque aliqua contradictione & dilatione & absque libello, ut supra, restituere, resarcire, & etiam emendare, & de illis & eorum quantitate credere & stare simplici verbo ipsius & hæredum ejusdem absque sacramento & testibus, & alterius probationis genere de ipsis interesse, damnis & expensis, ex nunc ut ex tunc juramentum deferentes dicto Domino Comiti Gravinæ & ejus hæredibus, & susceptum per ipsum Procuratorem nomine quo supra remittentes, ita quod præstitum habeatur & reputetur pro delato, suscepto, & subsequenter sufficienter & convenienter remisso. Et pro prædictis per prædictos Comitissam & Comitem, ad ipsorum preces & requisitiones, venerabiles in Christo Patres Domini Oddo Carpertoratensis & Archembaldus Sancti Flori Episcopi, Dominus Bertrandus de Sancto Genesio, Decanus Engolismensis, Dominus Lambertus Prior de Compliaco, Dominus Eblo de Bironio, Decanus sancti Juliani, Dominus Bertrandus Jordani, Dominus de Insula, Amagneus primogenitus Nobilis Comitis de Asteraco, Dominus Aymericus Vice-Comes de Aleschentro, Guido Dominus de Burdelia, Helias de Sancto Asterio, filius quondam Domini de Monteinciso, Fulco de Monteretrello Domicellus, Dominus Elias de Sancto Asterio de Insula Miles, Dominus Guillermus Barrieya Miles, Guillermus de Monte Pavonis, & Brunus de Saya penes prædictum Procuratorem & me sæpedictum Notarium ut personam publicam præsentes, stipulantes, & recipientes nomine dicti Comitis Gravinæ se constituerunt fidejussores & principales reos & debitores & quilibet in solidum & pro toto tam prædicti Comitissa & Comes, quam prænominati fidejussores pro omnibus & singulis supra & infra scriptis, quilibet eorum sub observantia & solemnitate ad id quocunque jure necessariis se submittunt & submiserunt, jurisdictionem ex certa scientia prorogantes, exceptis præfatis Domino Bertrando de Insula, Amagneo primogenito Comitis de Asteraco, Domino Aymerico Vice-Comite de Alchencro, Guidone Domino de Burdelia, Helia de Sancto Asterio, filio quondam Domini de Monteinciso, Fulcone de Monteretrello Domicello, Domino Helia de Sancto Asterio de Insula milite, Domino Guillermo Barrieya milite, & Guillermo de Monte Pavonis, Cameræ Summi Pontificis, & Curiæ ipsius Cameræ, seu Auditoris ejusdem Cameræ vinculis excommunicationis & aggravationis, quæ per Auditorem ejusdem Cameræ proferantur seu declarentur, & foro, stilo, consuetudinibus, vinculis & obligationibus, atque ordinationibus Curiæ ejusdem Cameræ, seu Auditoris ipsius, & exceptis præfatis Dominis Carpentoratensi, & sancti Flori Episcopis, Domino Decano Engolismensi, Domino Priore de Compsiaco, Domino Decano Sancti Juliani, & Amagneo primogenito Comitis de Asteraco, sigillo Regio Curiæ Regiæ Montispessulani Illustris Regis Francorum, & nexibus ejusdem sigilli & Curiæ alterius cujuscunque secularis & ecclesiasticæ, ita quod electa Curia Cameræ Domini Papæ, Dominus Johannes, vel alius ejus nomine & mandato possit eligere Curiam Montispessulani simul vel separatim, & non impediatur concursu vel alia quacunque varietate super hoc sæpius etiam lite contestata, nullo sibi per electionem hujusmodi præjudicio generando, donec realem & plenam solutionem & satisfactionem fuerit assecutus, prout superius est conventum. Et amplius hoc quolibet termino ipso jure absque hominis interpellatione, ubi non esset juxta conventum solutio subsecuta, saltim uno mense elapso continue numerando, præfati fidejussores, exceptis prædictis, Dominis Carpentoratensi & sancti Flori Episcopis, Domino Decano Engolismensi, Domino Priore de Compsiaco, & Domino Decano sancti Juliani, ostagia tenere teneantur; ad quæ tenenda omnes prædicti & quilibet ipsorum, excepto dicto Amagneo, se solenniter obligarunt in civitate Aquensi, & infra ipsam civitatem, sitam in Comitatu Provinciæ, & abinde non recedere quoquo modo donec foret de quantitate illius termini satisfactum, pro qua ipsa ostagia tenerentur. Et sic de singulis terminis observetur, quousque de dicta dote integre fuerit satisfactum. Volentes & consentientes expresse prædicti Comes & Comitissa, & omnes alii singuli supra nominati, quod obligationes & promissiones ipsorum, in præsenti instrumento comprehensæ, vigorem & efficaciam habeant & effectum sententiæ definitivæ, per competentem judicem prolatæ, quæ in rem judicatam transivisset, nec posset appellationis,

tionis, nullitatis, in integrum restitutionis, supplicationis, beneficiis vel remediis aliisve auxiliis infringi, revocari, annullari, vel etiam suspendi. Et ut omnia prædicta, sicut desiderant & sicut conventa sunt, plenum & indubitatum sortiantur effectum, ex pacto & ex certa scientia certiorata de juribus & beneficiis infrascriptis, dicta Comitissa renuntiavit beneficio Vellejani, & tam ipsa quam dictus Comes, ejus filius, & omnes alii supradicti, & quilibet eorum pro se & suis hæredibus renuntiaverunt ex pacto beneficio epistolæ D. Adriani & novæ constitutioni de duobus reis, & nominatim dividendarum & cedendarum actionum, & juri dicenti, principalem debitorem prius fore conveniendum quam fidejussorem, & specialiter legi *Si convenerit, ff.* de jurisdictione omnium judicum, & beneficio restitutionis in integrum, & speciali vel generali clausula petenda, & juri appellandi, provocandi, reclamandi, recurrendi ad arbitrium boni viri, jurique revocandi ob errorem facti vel juris, & juri supplicandi, nec non feriis municipalibus, & omnibus & singulis privilegiis & rescriptis inclusis in Corpore juris, & - - - concessis & concedendis, impetratis & impetrandis, cujuscunque sint continentiæ, tenoris, efficaciæ, & effectus, omnibusque etiam dilationibus quinquennalibus, majoribus & minoribus - - - per majorem partem creditorum ipsorum vel alicujus ex eis in cumulo & in numero concederentur eisdem vel alicui ex eis - - - singulis exceptionibus & defensionibus competentibus - - - & demum auxiliis & remediis cujuscunque juris, Canonici & Civilis, promulgati & promulgandi, quorum prætextu nunc vel in antea possent se juvare contra aliqua de prædictis, prædicta omnia & infrascripta rata & firma tenere promittentes sub præmissa obligatione omnium bonorum ipsorum - - - præsentium & futurorum contra in aliquo non venire, de jure vel de facto, in judicio vel extra, per se vel per alium, directe vel per obliquum, tacite vel expresse, principaliter vel incidenter. Et ad uberiorem securitatem prædicta omnia & singula tenere, & penitus adimplere omnes prædicti & quilibet eorum ad quatuor sancta DEI Evangelia, ab ipsorum quolibet corporaliter sponte tacta, juraverunt, renuntiationes, conventiones & clausules omnes & singulas supradictas repetentes & comprehendentes sub præmissi vinculo juramenti, & salvo, quod fidejussores prædicti minime teneantur ex lapsu alicujus termini, licet solutio facta non esset per Comitissam & Comitem memoratos, reliquis omnibus aliis supra recitatis sine innovatione tacita vel expressa in sua remanentibus firmitate & comprehensis sub præstiti vinculo juramenti. Et versa vice Procurator dicti Domini Johannis Gravinæ Comitis volens agere bona fide, & securitati prædictorum Comitissæ & Comitis, dictæque Agnetis, futuræ suæ conjugis, providere, plena potestate suffultus, prædicta omnia, quatenus dictum Dominum Johannem tangunt, & specialiter, quantum ad restitutionem dictæ dotis conventis temporibus faciendam, & quoad potestatem & liberum arbitrium retentum & reservatum dictæ Agneti disponendi pro anima, & testandi de tribus millibus florenorum auri, & circa successionem liberorum & eorundem succedentium eidem Domino Johanni, idem Procurator vice & nomine dicti Domini Johannis, ipsis Comitissæ & Comiti, mihique prædicto Notario præsentibus, stipulantibus & recipientibus, tam ipsorum nomine & cujuslibet eorum, quam nomine dictæ Agnetis promisit solemniter & expresse rata & firma & irrevocabilia observare. Et volens dotarium juxta morem Regni Siciliæ observatum inter Comites & Barones statuere, vice & nomine, quo supra, ad securitatem & utilitatem dictæ Agnetis, prædictæ dotis quantitate considerata, dotarium annui reditus trium millium & quingentorum florenorum auri statuit & promisit, & assignavit in Baronia Guillomsii & aliis castris, terris & locis ejusdem Comitis Gravinæ, circumadjacentibus Baroniæ prædictæ, prænominatis Comitissæ & Comiti, mihique prædicto Notario stipulantibus & recipientibus vice & nomine dictæ Agnetis, ita videlicet, quod realis & vera traditio dicti dotarii fiat, & realis ipsius satisfactio subsequatur ipsi Agneti pro rata, ipso dotario diviso per tempora, per quæ fiet dotis solutio memorata, ut sic in illis solutionibus dotis dicta Agnes pro rata realiter & cum effectu dictum dotarium consequatur, in eo casu promissione, constitutione & assignatione dicti dotarii duntaxat effectum habente, prout conventis temporibus fiet dotis solutio memorata, & eodem modo, quo dictæ dotis fiet solutio, fiet pro rata realis & effectualis eidem Agneti dotarii assignatio memorati; promittens etiam se facturum & curaturum cum effectu, quod præfatus Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ promittet sub verbo & fide Regiæ Majestatis, quod, sicut Dominus ejusdem Domini Johannis ipsum ejusque hæredes efficaciter, realiter, & cum effectu, sine strepitu & figura judicii compellet ad complementum & observantiam præmissorum, se suosque hæredes per suas patentes literas Regias obligabit, quod, ubi idem Dominus Johannes renueret vel differret implere prædicta, idem Dominus Rex per captionem & distractionem locorum, terrarum, & bonorum ipsius Domini Johannis indubie impleri & servari faciet & curabit, quantum ad ipsum Dominum Johannem pertinet, omnia & singula supradicta, seque curaturum promisit, & realiter effecturum, quod idem Dominus Johannes Gravinæ Comes sub vinculo juramenti & cum renunciationibus opportunis, & sub obligatione omnium bonorum ejus approbabit, ratificabit, & emologabit omnia & singula supradicta. Et nihilominus idem Procurator, quatenus tangit eundem Dominum Johannem Dominum ejus, omnia prædicta & singula sub prædictis renunciationibus inter ipsos per ordinem repetitis, firma & irrevocabilia tenere, servare & adimplere promisit sub obligatione expressa bonorum ejusdem Domini Johannis, & in animam ipsius super sancta quatuor Evangelia, ab eodem corporaliter tacta, sponte juravit. Et ultra omnia & singula supradicta prædicti Domina Comitissa & Comes Petragoricensis promiserunt solemniter sicut supra, & ad Sancta DEI Evangelia juraverunt pro dicta dote conventis temporibus persolvenda se curatores & facturos fidejussores & debitores principales in ampliori numero sufficientes & idoneos juxta præmissorum seriem obligare juxta voluntatem & arbitrium Dominorum Regis & Reginæ prædictorum.

Acta fuerunt supradicta omnia & singula in Valle viridi diœcesis Nemausensis infra tertiam & meridiem, sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, Indictione quinta, die quarta decima mensis Novembris, Pontificatus prædicti sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Johannis, Divina providentia Papæ XXII. anno sexto, præsentibus venerabilibus in Christo Patre, Domino fratre Guillermo, Episcopo Puteolano, confessore prædictæ Dominæ Reginæ, & Domino Helia de Petragoris Archidiacono Petragoricensi, ac Nobilibus & potentibus viris Domino Johanne Cabassole, juris Civilis professore, magnæ Regiæ Curiæ magistro rationali, Consiliario, Domino Ludovico Cabassole, ejus filio, & Domino Rogerio de Rossano, Cambellanis militibus, magistro Nicolao de Boyano Consiliario, Domino Raynaldo Amilloti, Capellano, & magistro Antonio Marinonario de Neapoli Notario, & familiaribus prædicti Domini Regis, Domino Arnaldo de Duroforti, Milite, & magistro Iterio Rosselli, ac pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Post hæc eodem die statim post horam prædictam in loco prædicto, præsentibus dictis testibus & me Notario, prædictus inclytus Dominus Johannes, Comes Gravinæ, præsens ibidem omnia & singula facta, ordinata & tractata ipsius nomine per dictum Judicem Silvestrum, Procuratorem suum, prout & qualiter superius exprimuntur, approbavit, ratificavit, & emologavit, promittens Comitissæ ac Comiti & Agneti prædictis & mihi prædicto Notario stipulanti nomine & pro parte ipsorum, sub hypotheca & obligatione omnium rerum & bonorum ipsius, illa, quæ superius distinguuntur, inviolabiliter observare, & repetitis prætactis renuntiationibus in persona sua præmissa omnia & singula adimplere & tenere, super ipsa sancta quatuor DEI Evangelia juravit, corporaliter tacto libro. Actum anno, Indictione, die, mense, loco, & Pontificatu suprascriptis, immediate post horam prædictam, præsentibus testibus supradictis. Et ego Matthæus Goffridi de Sancto Georgio, terræ monasterii Cosmensis publicus Apostolica auctoritate Notarius supradictis omnibus & singulis una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula, prout supra leguntur, fideliter scripsi, & in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi, ad præmissa requisitus, vocatus & rogatus.

LXXX.

Tractatus inter Robertum, Siciliæ Regem, atque Humbertum, Delphinum Viennensem, de Delphinatu, in laudatum Regem certis conditionibus transferendo, pacti, Anno 1337.

SAcræ Regiæ Majestati, Hierusalem & Siciliæ Regi, Domino præcipuo devotus fidelis, Humbertus Dalphinus Viennensis, se ipsum cum recommendatione perpetuæ felicitatis vovet. De te, Sacra Majestas Regia, præcipue Domine Reverende, receptis his, quæ mihi super relatis Excellentiæ Vestræ, pro mea parte per discretum virum Jacobum Caputgrossi oretenus, nec non super capitulis, vobis per eundem inscriptis, sub meo sigillo exhibitis & portatis, sub vestro annulo secreto rescripsistis, quorum tenorem de verbo ad verbum feci inseri præsentibus ad cautelam, his examinatis provide, ut postea subsequitur, Vestræ sublimi Majestati duco, prout in corde habeo, articulatim respondendum, & nihilominus illa vel consimilia capitula, quæ dictus Jacobus Caputgrossi, vester Consiliarius, atque meus, ut prædictum est, Vestræ Celsitudini ex mea parte assignavit, paucis resecatis, ut videbitis, in effectu præsenti, etiam feci describi.

Tenor vero scriptionis vestræ talis est: Spectabili viro Humberto Viennensi Dalphino, Nepoti carissimo, Robertus DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Rex votivæ felicitatis exuberantiam & salutem. Veniens ad Nos vir discretus Jacobus Caputgrossi de Salerno, Juris Civilis Professor, dilectus, fidelis & Consiliarius vester, Nobis ex parte tua viva voce retulit, & sub tuo sigillo capitula conformia apportavit, & quamquam tam negotium in substantia, quam tuum potius affectum ex Dominica benevolentia duxerimus acceptandum, nihilominus præter illa quæ - - - apparent aliqua resecanda.

Acceptamus enim in casu, in quo, quod avertat DEus, absque legitimis hæredibus ad cœlos migrares, quod Dalphinatus cum annexis Baroniis ad Nos, hæredem & hæredes Successoresque nostros, qui in Regno & Provincia erunt, pro proprio devolvatur, & in eorum titulis quibuslibet inseratur, ipsiusque Dalphinatus titulo libere uti debeant atque possint. Insuper & quod pro cautela & certitudine ampliori, per Prælatos & Barones & Universitates ipsius Dalphinatus & Baroniarum expressius juretur, prædicta omnia & singula debere tenaciter observari; & inde faciant quidquid ad hoc rationabiliter videbitur opportunum. Item, quod pro certitudine & cautela eadem conventis, & firmatis aliis & ex utraque parte - - - in eis complendis, ac de prædictis omnibus & singulis inviolabiliter observandis, assignetur possessio seu tenuta Baroniarum Montis-Albani, Vapincesii & Medullionis Comitatuum, tenendo etiam fortalitia, & Officiales creando, ac salvis ipsorum expensis propter ea opportunis, tibi ipsorum Comitatuum & Baroniarum reditus & proventus residui assignentur, ac etiam reserventur, tenenda tamen cum dicto Dalphinatu in dicto casu, si accideret, vel in casu alio, quousque dicto Dom. Regi & suis hæredibus satisficeret de pecunia subdistincta.

Pro parte autem Regia, prædictis concordatis & firmatis, offeruntur in ordinando seu statuendo per eos terminum simul & semel florenorum quadraginta millia, & anno quolibet decem millia, usque ad satisfactionem completam, computatis primis quadraginta millibus usque ad centum millia florenorum, & libenter annueremus petitioni tuæ, nisi præsentialiter gravaremur expensis, in solutione censuum Ecclesiæ solvendorum in guerra Pedemontis & Tusciæ, & aliis plurimum sumptuosis. Placet etiam Nobis cum voluntate universitatum & Baronum Provinciæ, quorum devotione solita confidimus, & speramus cum nostra concurrere, quod de Comitatibus Provinciæ & Forqualquerii, nec non & Pedemontis, de quo idem speramus, subvenia-

veniatur ad defensionem dictorum Dalphinatus, & Comitatuum, & Baroniarum ipsi Dalphinatui annexarum, & idem intelligatur versa vice, & fiat de dicto Dalphinatu, Comitatibus & Baroniis annexis ad defensionem dictorum Comitatuum Regiorum.

Item, intendimus specialiter & expresse, quod de dictis Dalphinatu, Comitatibus & Baroniis annexis, & ejus Domaniis, quæ scilicet tenuit pater tuus, & ut credimus, frater, nihil alienari, distrahi, mutilari aut diminui possit inter vivos quoquo modo, seu in ultima voluntate, sive vigore Testamenti, sive Codicillorum, vel Epistolæ, vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis, nisi modo inferius declarato, in alium, vel in alios, aut etiam obligare ipsorum reditus & proventus, nec quod jam factum diceretur, vel foret, aut in antea fiendum, excepto dotario assignato nepti nostræ, carissimæ Dalphinæ, quod credimus cum decentia & modestia rationabiliter assignatum, & de prædictis omnibus fiant cautelæ idoneæ, sicut potuit & melius dici poterit de consilio hominum sapientum.

Quia verendum est, ut fidedignis didicimus, ne aliqui creditores, vel alii jus habentes insurgerent, qui prædictum Dalphinatum, & bona superius annotata, vel partem ipsorum, dicerent fore eis legitime obligata, petimus expresse, quod prædicta Nobis declarentur, & nomina creditorum ipsorum, seu aliorum jus habentium particulariter & distincte, & scribatur de remediis opportunis.

Memorandum etiam de eo quod dicis, quod de bonis tuis possis testari, quod taliter possis hoc facere, & in talibus bonis, quod præmissis non præjudicet nec deroget, quod intelligimus eo modo, videlicet ut non priveris omnino libera testamenti factione, sed possis & debeas moderate testari super aliquo certo declarando per te ex nunc, & in dicto casu facias notitiam inde Nobis.

Et quia forsitan non sumus bene informati de conditionibus supradictis, si aliquid videbitur rationabile obstare Nobis, quoties expedierit, rescribatur, quousque tractatus votivum, annuente DEO, sortiatur effectum. Datum in Casa sancta prope Castrum Maris de Stabia, sub annulo nostro secreto, die septima Julii, quintæ Indictionis.

Voluntas autem mea, & responsio ad præmissa per Majestatem vestram Regiam, mihi devoto ut filio, & nepoti rescripta pro constanti hæc est:

Primo, super primo articulo respondeo, quod placet mihi, quod Vos Regia Majestas, mi Domine, præcipue tanquam pater & hæredes vestri succedant mihi in Dalphinatu & in Comitatibus, & Baroniis annexis Dalphinatui meo, in casu tamen, quod absit, quo sine liberis decedere me vellet DEus, retento tamen mihi Dalphino, triginta millia florenorum in reditibus assignandis in medio Dalphinatu vel in Provincia, & dandis parentibus meis, vel pro anima mea meo arbitrio; Ita quod illi triginta mille floreni in reditibus remaneant & teneantur de feudo Regio, & hæredum vestrorum succedentium mihi. Item placet mihi, quod Prælati, Barones, Nobiles, & universitates Dalphinatus, jurent prædicta inviolabiliter observare.

Super secundo articulo respondeo, & primo, super pecunia, quod, prout alias scripsi, mea est intentio habere sex viginti millia florenorum, de quibus statim concordato negotio solvantur mihi sexaginta millia flor. & demendo quocumque anno continue duodecim millia florenorum, donec dicti sex viginti millia flor. mihi essent integre persoluti. Item pro assecuratione prædictorum sex viginti millium florenorum, obligabo vobis generaliter totum Dalphinatum meum, & specialiter Baronias contentas in ipso titulo secundo. Item, si, quod concedat DEus, liberos contingat me habere quandiu fuero in humanis, nihil tenear solvere vobis, vel hæredibus vestris, de pecunia supradicta, sed post me hæredes mei teneantur vobis vel hæredibus vestris solvere & restituere pecuniam prædictam per me tunc habitam, per solutiones particulares, videlicet quolibet anno duodecim millia florenorum continue, donec ipsa summa pecuniæ foret integraliter restituta. Item, si in Comitatibus Provinciæ & Forqualquerii, vel altero eorum, per vos vel vestros contingat habere guerram, quod ego tenear vos juvare de ducentis hominibus equitibus in armis, cum expensis meis per duos menses tantum quolibet anno quo indigueritis. Item, etiam si guerram haberetis in vestris partibus Pedemontis, volo, quod tenear vos, seu vestros juvare de prædictis ducentis hominibus in armis, vestris tamen stipendiis, & expensis, quandiu placuerit vobis. Item, etiam si indigeatis vel vestri in altero Comitatuum vestrorum prædictorum, tenear vos juvare de toto Dalphinatu expensis Regiis contra omnes, exceptis duntaxat Dominis meis & vasallis. Item, si contingat guerram me habere in Dalphinatu, vel Baroniis annexis Dalphinatui, vos teneamini atque vestri, me juvare de Comitatibus vestris Provinciæ & Forqualquerii universaliter de hominibus, equitibus & peditibus, sumptibus Regiis per duos menses quolibet anno quo indigerem. Item, de Comitatu vestro Pedemontis teneamini me juvare ad meam requisitionem propriis stipendiis meis vel expensis, & prædicta intelligantur hinc inde semel in anno.

Super tertio articulo respondeo, quod nunquam alienabo ad perpetuum, nec completo negotio alienare possim proprietates Dalphinatus, est tamen mea intentio, quod omnia debita mea & clamores, quæ & quos forsan deberem tempore mortis meæ, vos teneamini, vel hæredes vestri, qui mihi succedent, solvere creditoribus meis, ego namque paratus sum jurare & fideliter servare, quod non concontraxi, non feci, nec contraham debita, nec obligationes faciam, quin easdem facerem, si haberem liberos, - - - præterea volo, quod possim mortis tempore ordinare pro libito voluntatis, usque ad quinquaginta millia florenorum semel tantum, quos eo casu vos teneamini, vel hæredes vestri solvere, ubi, & quibus ego duxerim ordinandum. Item, mea est intentio, quod omnia alia Celsitudine vestra ordinata pro parte mei per Jacobum Caputgrossi, Consiliarium vestrum & meum, & capitulis missis, quæ inferius, simili modo, nihil variato in substantia, sunt inserta, quæ tamen sunt hic superius declarata, & de quibus, - - - dictis capitulis, vel isto tertio mentio expressa non est facta, inviolabiliter observentur, nec in ipsis & superius contentis, mutare intendo aliquid, vel in effectu variare. Datum Viennæ, die decima mensis Septembris.

 Sequun-

Sequuntur Capitula Sacræ Regiæ Majestati super hujusmodi negotio per Jacobum Caputgrossi, Consiliarium Regium sæpe dictum, præsentata.

In nomine Domini. Vult Illustris Dominus Humbertus Dalphinus Viennensis, quod ubi ipsum sine legitima prole mori contingeret, quod, Rex Robertus sibi succedat in Dalphinatu, ac sit hæres suus, ubi vero dictum Regem præmori contingeret, quod sibi succedat Dux Calabriæ, Regis Hungariæ filius, hoc adjecto, quod dictus Dalphinatus annectatur & uniatur Comitatu Provinciæ, & quod in subscriptionibus & titulis post titulum Regium immediate Rex se nuncupet Dalphinus, ita quod retineatur perpetuo nomen Dalphinatus, & in aliqua parte armorum regalium sculptetur forma Dalphini. Item, quod omni tempore perpetuo, primogenitus Regis, qui successurus est in Regno, & in dicto Comitatu, in vita patris sui debeat esse Dalphinus. Item, petit dictus Dalphinus sibi subveniri de centum viginti millibus florenis, quorum sexaginta millia in principio solvantur, & deinde singulis annis duodecim millia, donec de dicta quantitate fuerit integraliter satisfactum, & pro prædictis obligentur dicto Regi Baroniæ Montis-Albani, & Medullionis, & nihilominus dictus Dominus Dalphinus obliget se Curiæ Domini Papæ, & aliis Curiis, modo quo fieri poterit fortiori. Item, vult dictus Dominus Dalphinus, quod gratia sibi concessa per dictum Dominum Regem sibi assignetur in terra, ita quod non oporteat ire per mendicata suffragia Collectarum. Item, vult quod dictus Dominus Rex sibi concedat in vita sua tria millia florenorum de gratia speciali. Item, quod Rex sibi gratiose remittat servitium in vita sua pro terris, quas ipse habet in Regno. Item, vult quod Rex sibi concedat unam villam in Provincia, in qua possit morari tempore hyemali. Item, vult dictus Dalphinus, quod si ipsum guerram habere contigerit, quod ipse Rex teneatur ipsum juvare, quamdiu guerra duraret, sui ipsius Regis sumptibus & expensis de toto Comitatu Provinciæ, Forqualquerii & Pedemontis. Item, quod dictus hæres & successor dicti Domini Dalphini teneatur & debeat donationes inter vivos seu causa mortis, legata & alia, quæ dictus Dominus Dalphinus ordinabit in vita sua, & in suo testamento, attendere, exequi & servare, dum tamen Delphinatum & Principales dignitates & Baronias Dalphinatus non alienet, prout plenius declarabitur & dictabitur, & clarius in instrumentis conficiendis exinde. Item, quod facto negotio supradicto & completo, duodecim filii Baronum & Magnatum Dalphinatus, eligendi per dictum Dominum Dalphinum, stent & morentur in servitiis & hospitio Domini Ducis Calabriæ, ad hoc, quod amor major firmetur & consolidetur inter Dominos Regem & Ducem & Barones Dalphinatus. Item, quod privilegia, libertates, consuetudines & boni usus Delphinatus semper durent & debeant observari, & quod officiales quicumque, qui pro tempore erunt in eventu dictæ successionis, quotiens creabuntur aut mutabuntur, antequam suis officiis se immisceant, teneantur jurare, servare & custodire privilegia, libertates, usus bonos et consuetudines Dalphinatus. Item, quod, quicumque officiales, qui erunt pro tempore, finito præsenti negotio in Comitatibus Provinciæ, Forqualquerii et Pedemontis, in creatione sua debeant jurare prædicta pacta, potissime adjuvare de guerra dictum Dominum Dalphinum, ut præfertur. Item, quod negotio concordato, jurare faciat Barones, et vasallos alios fidelitatem, contingere dicto casu, quod absit, ante traditionem pecuniæ. Prædicta & alia, quæ sunt in Capitulis ordinatis, fiant coram Summo Pontifice & certis Cardinalibus, quos Dominus Rex duxerit ordinandos.

LXXXI.

Petri II. Siciliæ Regis, mandatum, quod Legatis suis, Romam missis, dedit, ut nomine suo Apostolicæ Sedi non solum fidelitatis juramentum præstarent, verum etiam censum annuum offerrent, d. d. ultimo Martii, Anno 1338.

PEtrus II. DEI gratia Rex Siciliæ. Præsentis scripti serie manifestum fieri volumus universis. Etsi zelo sanctissimæ fidei Christianæ, studio charitatis sinceræ, quam erga sanctam Catholicam & Apostolicam & universalem Ecclesiam ardentibus desideriis animo gessimus, & gerimus, cordi Nobis & in voto nostro fuerit, & sic nunc præcipue in Regni nostri primordiis ardentissimis affectibus, & mente devota noster animus propulsetur, ad sanctissimum Patrem & Dominum, Dominum Benedictum, digna DEI providentia sacrosanctæ Romanæ matris & universalis Ecclesiæ Summum Pontificem, & reverendissimum cœtum venerabilium Dominorum Cardinalium, qui dictam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam constituunt & repræsentant, ut cultui Christiano, & sanctæ & reverendissimæ Sedi Apostolicæ debitam reverentiam, & honorem præcipuum redderemus, ac omnia, ad quæ de jure tenemur & debemus, devotissime & plenissime nostra firma & indefessa devotio, ut desiderat, adimpleret, personaliter Nos conferre, & eos debitis & humilibus obsequiis visitare; tamen quia consideratis guerrarum tempestatibus & periculis, quæ inter Christicolas, specialiter Italicos, nunc vehementius solito inardescunt, & præsertim guerræ calamitatibus, quæ inter Nos & illustrem Regem Robertum efferbuit, & actu manifesto nunc effervet, noster accessus ad Romanam Curiam, qui non sine magno nostro nostrorumque fidelium personali & reali periculo posset verius consummari, Nobis rationabilibus excusationibus denegatur; propterea habito consilio diligenti, ad vitandum præcipue personalia pericula, & ad præmissorum & infrascriptorum conceptum & desideratum opus perficiendum, coram prædicto Domino Summo Pontifice & præfato cœtu venerabilium Cardinalium, proposuimus & ordinavimus per mediam personam in prædicta Romana veneranda Curia comparere.

Et ideo confisi de fide, sufficientia, & legalitate nobilium Nicolai de Lauria, & Andreæ de Josso de Messana militum, consiliariorum, familiarium, & fide-

& fidelium nostrorum, eos & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus inceperit, alter prosequi valeat & finire, sponte constituimus, fecimus & ordinavimus nostros veros & legitimos Procuratores, ambaxiatores, & nuntios speciales præsentes, & procurationem & ambaxiatam, & nunciationem ipsas sponte suscipientes, ad conferendum & præsentandum se nomine & pro parte nostra in dicta Romana Curia coram sanctissimo Patre, & Domino nostro Benedicto, digna DEI providentia sacrosanctæ Romanæ matris & universalis Ecclesiæ, Summo Pontifice, & Reverendissimo cœtu venerabilium Cardinalium, & coram eis, debitis reverentia & honore propensius exhibitis, præmissa narrandum, & Nos excusandum, qualiter præmissis rationibus atque causis & aliis, de quibus sunt verbo informati, ad prædictam Romanam curiam, & coram eis, nunc accedere personaliter commode non valemus; nec non ad petendum, impetrandum & recipiendum ab eisdem Domino Summo Pontifice, & dicto reverendissimo cœtu Dominorum Cardinalium pro Nobis nostrisque hæredibus & Successoribus investituram perpetuam, confirmationem, & concessionis renovationem prædicti Regni Siciliæ, cum omnibus insulis ei adjacentibus & vicinis, & cum omnibus & singulis dignitatibus, honoribus, jurisdictionibus, mero & mixto imperio, juribus & pertinentiis eorum, sub debito & consueto annuo censu, præfato Domino Summo Pontifici, & præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ singulis annis in perpetuum per Nos, hæredes & Successores nostros integraliter præstando & solvendo; ac ad offerendum & obligandum Nos, hæredes & Successores nostros, & promittendum, quod ex nunc in antea prædictum Regnum Siciliæ cum omnibus prædictis Insulis habebimus, tenebimus, possidebimus, & recognoscemus a dicto Domino summo Pontifice, & prædicta sancta Romana Ecclesia, sub recognitione & annua solutione dicti annui census; & quod prædictum annuum censum pro prædictis Regno & insulis anno quolibet dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ integraliter persolvemus, nec non ad offerendum eisdem Domino Summo Pontifici, & reverendissimo cœtui Dominorum Cardinalium nomine dictæ sanctæ Romanæ, & eidem Ecclesiæ pro prædictis Regno & Insulis puram & perpetuam fidelitatem, & a modo in perpetuum eorum esse subditum & fidelem, & sub eorum fidelitate stabiliter perpetuo permanere. Et ad majorem securitatem ipsorum Domini Summi Pontificis & reverendissimi cœtus Dominorum Cardinalium, & præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ debitum fidelitatis offerendum & præstandum efficax sacramentum, & manus & oris homagium; etiam de pecunia restanti ad solvendum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro temporibus retroactis, pro quibus eidem Ecclesiæ solutum & satisfactum non extitit pro annuo censu non soluto, a prædicto Domino Summo Pontifice, & præfato reverendissimo cœtu Dominorum Cardinalium, gratiam, remissionem, liberationem, finem, & quietationem omnimodam & finalem petendum, impetrandum & recipiendum de prædicto ipso annuo censu non soluto, sed restanti ad solvendum pro prædictis retroactis temporibus dictæ sanctæ Ecclesiæ, ut supra, cum prædictis Domino Summo Pontifice, & dicto reverendissimo cœtu Dominorum Cardinalium nomine præfato, & cum eadem Ecclesia componendum, transigendum & paciscendum, prout cum eis poterunt melius & commodius convenire: insuper etiam ad petendum, obtinendum & impetrandum nomine & pro parte nostra, successorum & vasallorum nostrorum indulgentiam, remissionem & relaxationem omnium & singularum pœnarum, culparum & sententiarum, quas bonæ memoriæ Rex Fridericus, Reverendissimus genitor noster, Nos, nostri regales Consiliarii, familiares, subditi & vasalli nostri, cujuscumque status, gradus & conditionis existant, Regnum etiam nostrum, ratione dicti census non soluti, vel quacunque alia ratione, occasione vel causa, de jure vel de facto incurrissemus, vel incurrere aliquatenus potuissemus. Datum Messanæ, Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXXXVIII. mense Martii ultimo, ejusdem sextæ Indictionis.

LXXXII.

Testamentum Roberti, Siciliæ Regis, d. d. 16. Januarii, Anno 1343.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die vicesimo septimo mensis Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Clementis, Divina providentia Papæ sexti anno primo, Neapoli in Castro novo. Noverint universi, præsentis Instrumenti seu transsumpti publici tenorem inspecturi, præsentes pariter & futuri, quod constitutis Nobis Notario & testibus infrascriptis, in præsentia Serenissimæ Dominæ nostræ, Dominæ Sanciæ, DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Reginæ, ipsa Domina Regina præsentari & exhiberi fecit ac legi quoddam instrumentum publicum Testamenti seu ultimæ voluntatis claræ memoriæ Serenissimi Principis & Domini nostri, Domini Roberti, DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Regis Illustris, viri sui, ejus vera & nostra Bulla Aurea in filis sericis suæ Regiæ Majestatis impressa typario, per Notarium Mapillum Ruffullum de Neapoli Notarium publicum confectum, & Magistri Nicolai de Alisia ad contractus per totum Regnum Siciliæ Regia autoritate Judicis, & subscriptorum aliorum testium subscriptionibus roboratum, cujus instrumenti tenor, nihil in eo mutato, detracto vel addito, per omnia de verbo ad verbum dignoscitur esse talis:

In nomine Domini nostri JEsu Christi, anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, Regnante Serenissimo Principe & Domino nostro, Domino Roberto, inclyto DEI gratia Rege Hyerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forqualquerii ac Pedemontis Comite, Regnorum vero ejus anno tricesimo quarto, feliciter, Amen. Die sexto decimo mensis Januarii, undecimæ Indictionis, Neapoli in Regio Castronovo, in Camera ejusdem Domini

mini Regis, Nos Nicolaus de Alisia per totum Regnum Siciliæ ad Contractus Regia autoritate Judex, Mapillus Ruffullus de Neapoli, publicus ubilibet per totum præfatum Regnum Siciliæ eadem Regia autoritate Notarii, & subscripti testes literati, ad hoc specialiter vocati & rogati; videlicet venerabilis Pater, Dominus Frater Guillelmus, Episcopus Salon, Dominæ Reginæ Confessor, venerabilis & Religiosus vir frater Johannes de Bortholco, Illustris Dominæ Ducissæ Calabriæ Confessor, ordinis Minorum, Dominus Joannes Grilli, Vice-Protonotarius Regni Siciliæ, Frater Robertus de Miloto, Dominus Petrus Beudeti, Magister Capellæ & Eleemosinarius Regius, Dominus Egidius de Bevanco, magnæ Regiæ Curiæ Magister Rationalis, ac Dominus Guigue de Cavillione, & Dominus Hugo de Figueria milites, Magister Joannes de Arianco, & Magister Bartholomeus de Giscuto, Physicus, Secretarii Reginales, Raymundus de Roca, & Audibertus de Roca filius, ejus Regii Cambellanii ac familiares, præsenti scripto publico declaramus, notum facimus & testamur, quod accersitis Nobis ad præsentiam ejusdem Domini Regis, existentis in Camera sua dicti Castri-novi, idem Dominus Rex attentione salubris provisionis advertens, quod primi parentes a Paradiso declinantes per culpam in carne transgressionis abjectio in totam futuram sobolem ad mortis pœnam propagata, fragilitate transfusa misere incertitudinaliter dormivit, quod in hac lachrymarum valle mortales vitam in ipsius seculi tenebris, quæ nihil aliud videre sinunt, cruciosa nostra dissolutione, & sic omnibus posteris indicta lex mortis ejusdem facta est æqualis & unica, quod inter Reges & Principes non discernens suæ edacitatis in fine morsu communiter & æque pariter cuncta mordet: ideoque pia consideratione revolvens suum incolatum prolongatum per dies in ejus cursu dubitari, certi termini omnino inscium, & vocatione peremptoria rationabiliter plus verendum, ut ejus animæ ad confitendum nomen Domini de carcere feliciter educendæ sibi talenti dispensatione provida consulat, & illum diem præveniendo novissimum ejus Domini consulta ordinatione disponat hora sua transiturus, sub spe divinæ Clementiæ ad habitandum cum beatam habitantibus mansionem; ipse Dominus Rex licet ægrotans corpore, sanæ tamen mentis existens, recte loquens, & ordinate dispositus, ac de Regno Siciliæ ultra citraque Pharum, Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis, nec non omnibus aliis terris, suis Dominiis, jurisdictionibus, bonis & rebus suis quibuslibet stabilibus & mobilibus ubicumque sistentibus sibi quoquo modo competentibus & competituris, coram Nobis Judice, Notario, testibusque prædictis, disposuit, prout infra describitur, & tale suum ultimum condidit Testamentum. Inprimis quia Testamenti cujuslibet institutio principium esse dignoscitur sive caput, instituit sibi hæredem universalem Joannam Ducissam Calabriæ, neptem ejus primogenitam, claræ memoriæ inclyti Domini Caroli Ducis Calabriæ, ejusdem Domini Regis primogeniti in Regno Siciliæ ultra citraque Pharum, nec non Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii & Pedemontis, ac omnibus aliis terris, locis, Dominiis, Jurisdictionibus, locis & rebus suis stabilibus & mobilibus, ubicumque sistentibus, sibi competentibus, & quomodolibet competituris. Item spectabilem Dominam Mariam similiter neptem suam & ejusdem quondam Domini Ducis Calabriæ secundogenitam hæredem dumtaxat instituit in Comitatu Albæ, nec non Justiciaratu Vallis Gratis, & Terræ Jordanæ, cum terris, Castris, hominibus, vasallis, planis, montibus, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, fructuariis, juribus & pertinentiis suis omnibus quibuscumque, ac in unciis triginta millibus in pecunia tempore sui maritagii per competentes terminos exhibendis, de quibus eam contentam esse voluit, ita quod ultra vel amplius de dicta ejus hæreditate petere non possit, vel debeat ullo unquam tempore quocumque jure, ratione seu causa, seu alio quovis modo: quos quidem Comitatum & Justiciariatum præfata Domina Maria tenere debeat in feudum immediate & in capite ab eadem Domina Ducissa, & suis hæredibus seu Regia Curia, sub debito servitio ac etiam confecto, hac tamen conditione, quod, ubi præfata Domina Ducissa dabit & assignabit, seu dari & assignari faciat eidem Dominæ Mariæ sorori suæ vel alii pro ea in pecunia simili per terminos competentes unciarum decem millia in compensatione dicti Justiciariatus Vallis Gratis & Terræ Jordanæ ultra dicta triginta millia unciarum, & dictum Comitatum dicti Justiciariatus remaneat Dominæ Ducissæ pro se & hæredibus suis, & revertatur ad manus ipsius & suorum hæredum prædictorum, dicto tamen Comitatu modo remanente Dominæ Mariæ cum unciarum triginta millibus supradictis, & in præmissis casibus alter alteri beneplacito, & assensu Domini Regis præsentis renunciavit voluntarie & expresse in bonis hæreditariis Regiis supradictis, & aliis quibuscunque, præterquam in casu substitutionis infrascriptæ. Item voluit & mandavit Dominus Rex, quod in casu, quod absit, quod præfatam Dominam Joannam Ducissam decedere contingeret quandocumque, liberis ex suo corpore legitimis non relictis, vel illis superstitibus sine legitimis hæredibus descendentibus, succedat sibi præfata Dom. Maria, soror ejus vel hæredes sui, seu hæredes hæredum suorum in Reg. Siciliæ ultra citraque Pharum, ac Comitatibus & omnibus aliis supradictis, & vice versa, quandocumque, quod absit, contingeret, præfatam Dominam Mariam decedere liberis ex suo corpore non superstitibus, succedat sibi Domina Joanna, nunc Ducissa, soror ejus primogenita, vel hæredes sui, seu hæredes hæredum suorum, in omnibus & singulis supradictis, & in substitutione præmissa, altera similiter alteri, sponte & libere, ipsius Regis interveniente beneplacito & assensu, consentiit, & voluerunt expresse, illam existere inviolabilis efficaciæ & vigoris; & pro majori robore firmitatis & pleniori cautela unam alteri substituit in casibus supradictis, ac per fideicommissum, rogavit easdem & voluit substitutiones ipsas valere omni via & modo, quibus de jure melius valere possunt & debent; ita tamen, quod quarta trebellianica, falcidia, vel quæcumque alia nullum in dispositione præsenti & substitutione prædicta vendicet quomodolibet sibi locum. Item statuit & voluit, quod in casu, quo dictam Dominam Joannam Ducissam decedere, quod absit,

absit, contingeret, legitimis liberis ex suo corpore non relictis, Illustris Dominus Andreas, Dux Calabriæ, vir ejus, habeat & habere debeat Principatum Salerni cum titulo Principatus & fructibus, reditibus, juribus & pertinentiis omnibus quibuscunque. sibique suppleri dicto Principatu computatu usque, ad quantitatem integram cum reditu unciarum auri duorum millium, juxta tenorem privilegii; proinde sicut dicitur sibi facti tenendum, per eum immediate & in capite a Domino Rege vel Regina Siciliæ, qui vel quæ pro tempore fuerit sub debito & consueto servitio, secundum usum & consuetudinem dicti Regni. Item voluit & ordinavit, corpus suum sepeliri in Ecclesia Monasterii sui Reginalis Sancti Corporis Christi de Neapoli, ubi provideatur de certa speciali eleemosyna, sicut Serenissimæ Dominæ Reginæ Sanchiæ, consorti suo & aliis executoribus infrascriptis sui Testamenti hujusmodi visum fuerit. Item statuit & mandavit, quod præfata Domina Regina principaliter, nec non Venerabilis Pater, Dominus Philippus Episcopus, Cavallic. Regni Siciliæ Vice-Cancellarius, ac Magnifici viri Dominus Philippus de Sanguineto, Comes Alti-Fulminis, Senescallus Provinciæ, Dominus Gaufridus de Marsan, Comes Squallacii Admiratus dicti Regni, & Carolus Artus, sint & esse debeant Gubernatores, Dispensatores, Rectores & Administratores, vel quocumque alio modo & nomine melius censeri possunt, de jure dicti Illustris Domini Andreæ Regis, Ducis Calabriæ, ac præfatarum Dominarum Dominæ Ducissæ & Dominæ Mariæ sororum, & Regni Comitatuum, & aliorum omnium prædictorum, quousque præfati Domini Dux & Ducissa ac Domina Maria compleverint vicesimum quintum annum, sic equidem, quod præfati Domini Dux & Ducissa & Maria nihil debeant, vel possint agere in judicio vel extra judicium contrahendo, dando vel alienando, seu alias quomodocunque & qualitercunque, sive expresse, conscientia & assensu principaliter ipsius Dominæ Reginæ & aliorum Administratorum, Rectorum, Dispensatorum, & Gubernatorum prædictorum: quod si interim, usque post lapsum dicti vicesimi quinti anni secus forte fecerint, quod ipse Dominus Rex non credit neque intendit, ipso jure sit nullum, ac prorsus vacuum & inane. Item voluit & ordinavit, quod Domina Maria præfata debeat matrimonialiter contrahere cum inclyto Principe Domino Ludovico præsente, Rege Hungariæ, propter certas conditiones secretas, quo ipsum Dominum Regem movit, sicut expressit, quod, si dictum matrimonium aliquod impedimentum reciperet, propter matrimonium, quod ponitur juratum & firmatum inter ipsum Dominum Regem Hungariæ & Regem Bohemiæ, vel ejus filiam nubere debeant cum primogenito Excellentis Domini Domini Joannis Ducis Normandiæ, primogeniti Illustris Domini Philippi præsentis Regis Francorum vel in ejus defectu cum secundogenito Regis Franciæ supradicti. Item statuit & mandavit, quod omnes & singuli officiales & familiares sui, cujuscumque conditionis & status, remanere debeant & esse secundum gradum cujuslibet in servitio præfatorum Dominorum, Domini Ducis & Dominæ Ducissæ, ac Dominæ Mariæ, eo modo, & sicut fuerunt in servitio ejusdem Domini Regis, & ipsi omnibus & quibuscunque aliis prædicti debeant præferri, & mandat expresse eidem Dominæ Reginæ principaliter, nec non dictis gubernatoribus, Dispensatoribus, Rectoribus, Administratoribus, quod hoc procurent & faciant fieri ac effectualiter executioni mandari & tenaciter observari. Item voluit & ordinavit, quod in omnibus & singulis Archiepiscopatibus & notabilibus Episcopatibus prædictorum Regni & Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii deputetur unus Sacerdos in quolibet, qui continue celebret pro anima dicti Regis, prædecessorum & Successorum suorum, quibus provideatur de alimentis & aliis necessariis secundum arbitrium principaliter dictæ Dominæ Reginæ ac aliorum Gubernatorum, Dispensatorum & Administratorum præfatorum. Item voluit & ordinavit, quod in omnibus & singulis universitatibus Regni & Provinciæ qualibet die in missis & vesperis ordinetur fieri commemoratio pro animo sua ac dictorum Prædecessorum & Successorum suorum, & propter ea certa eleemosyna deputetur secundum arbitrium principaliter ipsius Dominæ Reginæ, & aliorum Gubernatorum jam dictorum. Item statuit & mandavit, quod pecunia thesauri, quæ est in eodem Castro novo, servetur & servari debeat, sicut fuit & est intentionis suæ, pro acquisitione Siciliæ & defensione Regni in casibus opportunis. Item renunciavit cum omni reverentia, humanitate, & devotione sanctissimo & clementissimo Domino nostro Summo Pontifici & Reverendis Patribus Dominis Cardinalibus Sacri Collegii præfatam Dominam Reginam, nec non Dominos Ducem & Ducissam, & Sorores ejus prædictos, ac Regnum, Comitatus eosdem, & quæcunque alia bona, terras & loca, & sperat præfatus Dominus Dominus Rex, quod jam dicta Domina Regina, Dominus Dux, Ducissa & Soror ejus, Regnum, Comitatus & alia supradicta favore & assistentia præfatorum Domini nostri & Dominorum Cardinalium manuteneantur, defensentur, & a noxiis præserventur, attenta præsertim filiali reverentia & devotione ipsius Domini Regis & prædecessorum ejus erga ipsos, semper ad Successores propaganda, sicut huc usque extitit propagata. Item voluit & ordinavit, quod semper & perpetuo Comitatus Provinciæ & Forcalquerii supradicti sint uniti cum Regno suo uno Domino inseparabili Dominio, & nunquam possit vel debeat aliqua separatio fieri, etiam si plures filii & filiæ essent, seu quacumque alia ratione vel causa, cum hoc maxime respiciat præsidium mutuum, & prosperum statum Regni & Comitatuum prædictorum. Item statuit & mandavit, quod de Insula Siciliæ, quod per dictam ejus hæredem & Successores alios quocumque tempore in perpetuum nulla pactio, conventio seu transactio, vel aliter quoquomodo fieri valeant, ut separetur & mutiletur a reliqua notabiliori, & majori parte Regni, quin expresse & penitus sit & esse debeat conjuncta & unita ipsi reliquæ parti prædicti Regni, sicut pars a reliqua mutilita, ut sub uno Pastore unum sit & fiat ovile; nam scriptum est: omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur. Item de certa scientia & expresse confirmat præfatæ Dominæ Reginæ omnes terras, loca & jura quæ nunc habet & habere

debet quacumque ratione vel causa; & quod tam in excambio terrarum domanii, quas habet ad præsens in assecutione provisionis suæ, omnibus præferatur, & singulare præcipua, quia dignum est & rationabile, quod omni modo permittatur intelligibili hoc, sano & simplici intellectu & sensu ad interpretationem aliam quibusvis juris & facti subtilitatibus & adinventionibus nullatenus retorquendo, non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium concessis, vel in posterum concedendis, sub quacumque serie & expressione verborum, quæ in hac parte ex nunc, prout ex tunc de ipsa certa scientia omni efficacia censuit vacua, & nullius existere firmitatis. Item voluit & mandavit ex nunc, de certa sua scientia quitavit, & pro quita habere voluit prædictam Dominam Reginam de omni administratione gesta per eam tam in Regno, quam in terris præfatarum Dominarum Ducissæ & Mariæ sororum: & si forte aliquo tempore reperiretur vel appareret, seu reperiri vel apparere contingeret, in aliquo debitrix ratione administrationis prædictæ illud sibi reliquum remisit atque legavit, ac hujusmodi quitationi, remissioni & legato præfatæ Dominæ Ducissa & Maria sorores, in quantum tanguntur vel tangi possent, libere & voluntarie consenserint. Item statuit & voluit, quod construi, compleri & dotari debeat Hospitale Sanctæ Elisabeth in loco, sicut ipse Dominus Rex illud fieri disposuit & providit, ita quod ibi possint semper recipi centum ex familiaribus suis & suorum, ut ibi commode valeant sustentari, & super hoc incumbit specialiter & principaliter præfatæ Dominæ Reginæ, & aliis executoribus infrascriptis. Item voluit, statuit & mandavit expresse, quod revocetur, ac revocata & irrita intelligantur quælibet & quæcumque gravamina, statuta & ordinationes, si qua forte tam in Regno quam dictis Comitatibus contra justitiam indebite præcesserunt, cum nunquam fuerit intentionis suæ aliquid statuere vel ordinare, quod ipsi justitiæ repugnaret, ipseque Dominus Rex ex nunc de certa sua scientia expresse prædicta gravamina, statuta & ordinationes revocat, cassat, irritat & annullat ipso jure, ac pro irritis, cassatis & annullatis habuit, decrevit & censuit specialiter & expresse, clausulis quibuscumque hujusmodi suæ ordinationi contrariis & derogatoriis quoquomodo non obstantibus, quas de dicta certa scientia revocat, ac vacuas esse voluit & inanes. Item voluit & mandavit, quod omnia residua generalium subventionum, collectarum & donorum, & compositiones de residuis ipsis factæ, & hucusque non solutæ, sint & omissæ & remissæ omnibus & singulis terris & locis dicti Regni, pro præteritis temporibus debita usque ad diem obitus sui, & nullo unquam tempore exigantur, vel ipsæ terræ & loca, ipsorumque cives & incolæ propterea pœnaliter vel personaliter impetantur, & quod de cætero imponatur & exigatur tantummodo una collecta in anno: sperat tamen præfatus Dominus Rex, quod fideles regnicolæ subveniant dictæ hæredi suæ & Successoribus gratiose in casibus opportunis. Item voluit & mandavit, quod restituantur & restitui debeant omnia male ablata, sicut melius & salubrius fieri poterit, pro salute animæ suæ, de quo incumbit principaliter eidem Dominæ Reginæ, & aliis sui hujusmodi testamenti executoribus infrascriptis. Item mandavit & statuit, quod die ejus obitus omnes carcerati ob remissionem suorum peccatorum debeant liberari, exceptis maladrinis & aliis publicis diffamatis, nec non aliis singulis quibuscumque hostibus, & illi sine juris præjudicio alicui. Item statuit & ordinavit, quod prædicta Domina Regina ac Domini Ph. Cavalic. Archiepisc. Phil. de Sanguineto, Amiratus Regni, & Artus, supradicti sint executores hujusmodi suæ ultimæ voluntatis, quam valere voluit jure testamenti, & si non valet vel valebit jure testamenti, valere debeat jure codicillorum ac donationis causa mortis, vel cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, ac omni alio jure & modo quibus melius valere potest & debet. Item voluit & mandavit, quod ex prædictis Gubernatoribus, Rectoribus, Dispensatoribus, Administratoribus, & executoribus cum præfata Domina Regina, ipsa vivente, & interesse valente vel volente, sive post mortem ipsius, duo tantum aliis mortuis, vel modo aliquo nequentibus interesse, prædictas gubernationem, regimen, dispensationem, administrationem, & executionem, ac omnia præmissa & singula, prout superius exprimuntur, exerçere exequi habeant, juxta votum testatoris jam dicti: Concedens præfatus Dominus Rex dictis suis executoribus, vel duobus ex eis, sicut prædicitur, facultatem liberam & omnimodam potestatem autoritate propria capiendi, bona ejus omnia mobilia, ubicumque & in quibuscumque consistentia, ac etiam fructus, reditus & proventus, & jura Regni & Comitatuum prædictorum, præmissis supra expressis duntaxat exceptis, & illa ac illos vendendi, distrahendi, alienandi, & faciendi, sicut melius pro executione integra dicti testamenti viderint expedire. Item præfati Dominus Dux ac Domina Ducissa, & Maria soror ejus, puberes se affirmantes, & sic ex eorum aspectu apparebat, in præsentia dicti Domini Regis, nostrique Judicis, Notarii, & testium suprascriptorum, promiserunt & juraverunt ad sancta DEI Evangelia corporaliter tacta, præmissa omnia & singula tenaciter & inviolabiliter observare, & nullo unquam tempore per se, vel per alium quovis modo contra facere vel venire, recipientes sibi ad invicem ipsam promissionem & sacramentum prædictum, meque Notario, tanquam persona publica, etiam recipiente promissionem eandem & sacramentum ipsum a prædictis Domino Duce, ac Dominabus Ducissa & Maria sorore ejus, & legitime stipulantibus pro parte omnium & singulorum quorum interest, & poterit interesse quoquo modo; in præmissis autem omnibus & singulis non obstantibus quibuscumque Legibus, Constitutionibus, Juribus, consuetudinibus, ritibus ac quibuscumque aliis, præmissæ Regiæ dispositioni, seu ultimæ voluntati repugnantibus vel refragantibus quoquo modo, sub quacumque serie & expressione verborum, etiamsi de illis, vel aliquo, seu aliquo illorum vel illarum esset hic specialis & expressa mentio facienda, quæ & quas in præsentia nostrum, qui supra, Judicis & Notarii & testium præfatus Dominus Rex velut solutus legibus, de certa sua scientia & Regiæ potestatis plenitudine, quoad præmissa omnia & singula, nullius esse voluit & censuit roboris, efficaciæ vel

vigoris,

vigoris, & habere pro specificatis, appositis & expressis, omnemque supplet defectum, ita & taliter, quod in omnem eventum hujusmodi sua dispositio, seu ultima voluntas, vicem legis obtinens, præscripto modo, in omnibus & singulis effectum suum realiter & infallibiliter consequatur. In cujus rei testimonium prædictorum Domini Ducis, & Dominæ Ducissæ, & Dominæ Mariæ sororis, ac omnium aliorum & singulorum, quorum interest & poterit interesse, certitudinem & cautelam de præmissis, facta sunt ex eodem quatuor publica consimilia Instrumenta per manus mei Notarii supradicti, signo meo solito signata, subscriptione mei, qui supra, Judicis, & nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roborata; quæ scripsi ego, qui supra, Mapillus Rufullus, de Neapoli, publicus ubilibet per totum præfatum Regnum Siciliæ eadem Regia autoritate Notarius, qui præmissis omnibus una cum testibus subscriptis interfui, eaque rogatus scripsi, signoque meo consueto signavi; præfatus enim Dominus Rex per hanc suam ultimam voluntatem de certa sua scientia expresse cassavit, irritavit, annullavit, ac viribus & efficacia vacavit Testamentum vel Testamenta, Codicillum vel Codicillos, seu quamcumque aliam ultimam voluntatem, vel donationem vel donationes causa mortis, si qua vel quas fecisset, & in futurum reperiri contingeret, vel quomodolibet aperiret; ac voluit, decrevit & mandavit præsens suum Testamentum, seu ultimam voluntatem existere finalem, & obtinere in omnibus & singulis, sicut supra exprimitur, omnimodo roboris firmitatem, & insuper ad majorem omnium & singulorum certitudinem, robur & cautelam præfatus Dominus Rex mandavit & voluit dicta quatuor consimilia Instrumenta aurea sua Bulla Regia impressa Typario communiri. Ego qui supra, Nicolaus de Alisia per totum prædictum Regnum Siciliæ ad Contractus Regia autoritate subscripsi. Ego qui supra, frater Guillelmus, Episcopus Scallensis, subscripsi. Ego Frater Joannes de Bertolio, qui supra, subscripsi. Ego qui supra, Joannes Gulli de Sallucio prædictis interfui, & me subsignavi. Ego qui supra, Frater Robertus de Mileto subscripsi. Ego Petrus Baudeti, Magister Capellæ & Eleemosinarius Regius subsignatus. Ego Ægidius de Bujana, Miles, magnæ Regiæ Curiæ Magister Rationalis, qui supra, subscripsi. Ego Guigo Guigonis de Carelliome, qui supra, subscripsi. Signum Crucis propriæ manus Hugonis de Figueria, Militis, scribere nescientis. Ego qui supra Bartholomæus de Biscuto, Medicinalis Scientiæ Professor & Physicus rationalis subscripsi. Ego qui supra Joannes de Arriano, Reginalis Secretarius, testis, prædictis interfui & subscripsi. Ego qui supra Raymundus de Roca me subscripsi.

Quo quidem Instrumento seu ultima voluntate claræ memoriæ præfati Domini Regis Roberti prædicta sua aurea & Regia Bulla, & subscriptionibus præfatorum Judicis & testium roborato, viso diligenter, & lecto, non cancellato, non vitiato, non abolito, nec in aliqua sui parte scisso, nobis Notario & testibus, requisitioni præfatæ Dominæ nostræ, Dominæ Sanchiæ, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Reginæ, asserentis sibi opus esse transsumptum, seu Instrumentum publicum faciendum, & sumendum ex prædicto Instrumento, dicti Testamenti Regii originale mittendum, sicut expedit, ad partes alias pro cautela ipso originali Instrumento Bullato, apud eam alium remanere in evidens præmissorum testimonium, omnium quorum interest & interesse poterit, cautelam & certitudinem pleniorem, tenorem suprascripti Instrumenti dicti Testamenti Regii Nos Notarius & testes authentiquamus. Ego qui etiam prædictus Notarius, de verbo ad verbum per omnia ab ipso originali Instrumento sumpsi, & duxi in hanc formam publicam redigendum, & ad majorem cautelam & robur omnium prædictorum de mandato præfatæ Dominæ Reginæ, sigillis dictæ Dominæ Reginæ, ac Regni Siciliæ Curiæ Vicariæ, præsens Instrumentum publicum extitit communitum. Acta fuerunt supradicta omnia & singula Neapoli in dicto castro novo, in Camera præfatæ Dominæ Reginæ, præsentibus Magnificis & Nobilibus viris dicto Domino Amirato Regni Siciliæ, Domino Petro de Cadeneto, & Domino Roberto de Pontiaco, Juris Civilis Professore, Militibus, Regentibus dictæ Curiæ Vicariæ, Domino Joanne de Lando, de Capua, Juris Civilis Professore, & prædicto Domino Egidio de Bujana, Militibus, Magnæ Regiæ Curiæ Magistris Rationalibus, ac Magistris, Bartholomæo de Bastivo, & Joanne de Arriano, prædictis pluribus aliis testibus ad præmissa, anno, Indictione, die vicesimo septimo Januarii, Pontificatus subscr. & ego Matthæus de Sancto Georgio, diœcesis Casmen. Publicus Apostolica autoritate & Reginalis Cameræ Notarius supradictus, præmissis exhibitioni, præsentationi & lectioni subscriptis, Instrumenti Testamenti præfati Domini Regis Bulla dicta aurea ipsius roborati subscriptionibus supradictis, ac omnibus & singulis supradictis, præfatis & habitis, una cum prænominatis testibus præsens fui, præsensque Instrumentum seu transsumptum publicum, ad requisitionem præfatæ Excellentiæ Reginalis mihi factam ex eadem, sicut prædicitur, de verbo ad verbum ab ipso originali Instrumento sumpsi, nihil exinde mutato, sicut prædicitur, addito vel detracto, propria manu scripsi, & in hanc publicam formam redegi, meoque signo una cum appensione præfatorum sigillorum consueto signato. Anno, Indictione, die, mense, loco & Pontificatu supradictis, in evidens omnium præmissorum &c.

Extrait des Registres.

Copia Testamentorum Regum Siciliæ & Comitum Provinciæ, fol. 18. conservé aux Archivs du Roy en Provence, Collationné par moy son Conf. Aud. Secr. & Arch. audit Pays.

de Beaumont.

LXXXIII.

Clementis VI. Pontificis Maximi, prorogatio census pro Regno Siciliæ singulis annis Sedi Apostolicæ exsolvendi, d. d. 15. Kal. Junii, Anno 1345.

CArissimo in Christo filio, Regi Siciliæ Illustri. Cum existens Imperii in Tuscia Vicarius multum subieris onera expensarum; ac nunc, Regnum tuum ingressus, longe plura cogaris expendere,

dere, ad peccatorum cornua confringenda, qui contra te, cum agebas in remotis, suum temere supercilium erexerunt; Nobis humiliter supplicasti, ut solutionem census VIII. millium unciarum auri, quæ in instanti festo Apostolorum Petri & Pauli solvere Nobis & Ecclesiæ Romanæ teneris, prorogare in tempus ulterius dignaremur. Nos igitur tuis compatientes laboribus & oneribus, ac etiam volentes tibi gratiam facere specialem, solutionis prædictæ terminum usque ad instans festum S. Michaelis Archangeli, hac vice de fratrum nostrorum consilio duximus prorogandum, ut ex hoc in posterum solutionis annuæ terminus non mutetur, sed in festo eorundem Apostolorum fiat solutio annis singulis sub pœnis conventis, sicut in conventionibus inter Nos & te habitis plenius continetur: & tu nihilominus pœnis tenearis eisdem, si in prædicto festo S. Michaelis non solveris, quibus, cessante hac gratia, si in proximo festo ipsorum Apostolorum non solveres, tenebaris. In hoc tamen attentum te reddimus, & sine præjudicio concessæ gratiæ volumus esse cautum. Quod si medio tempore, succedentibus prosperis, prorogatum volueris terminum prævenire, nostræ & fratrum necessitati consulere, & beneplacito satisfacere non omittas. Datum Viterbii XV. Cal. Junii, Anno IV.

LXXXIV.

Excommunicationis majoris sententia, a Clemente VI. Pontifice Maximo, contra Andreæ, Siciliæ Regis, sicarios, eorumque detentores, lata, d. d. Kal. Februar. Anno 1346.

CLemens &c. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Detestanda nimium & horrenda nequitia, & infandi nefandique sceleris immanitas, per viros sanguinum & dolosos, innoxium sangvinem sitientes, in personam claræ memoriæ Andreæ, Regis Siciliæ, proditionaliter perpetrata, Nos, (qui propterea diris dolorum aculeis pungimur) inducit pariter & compellit, & communis utilitas fidelium (quorum interest, peccata nocentium nota existere, & criminosos pœnas debitas luere) persuadet, ut quod apud multos est infausto rumore perlato longe lateque dispersum, Nos silentio, innocentis sanguine clamante ad Dominum, non tradamus, sed potius enormitatem sceleris & acerbitatem flagitii in notionem publicam deducamus, & ipsius detestabilis crudelitatis acerbitatem, & acerbitatis facinoris crudelitatem, DEO & hominibus abominabilem, impunitam nullatenus, sicut nec salva conscientia possumus, relinquamus. Dudum siquidem inter Andream & charissimam in Christo filiam nostram Joannam, Reginam illustrem Siciliæ, præcedente dispensatione legitima, matrimonio per carnis copulam consummato, Nos ipsi Andreæ, deliberatione cum fratribus nostris habita diligenti, nomen & titulum Regium, prout ad Nos pertinere dignoscitur, duximus adscribendum, ordinantes, ipsum in Regem Siciliæ una cum dicta Joanna conjuge sua inungi, & Regale simul dictis conjugibus tribui diadema.

Cum itaque venerabili fratri nostro Guillelmo, Episcopo Carnotensi, tunc de mandato nostro in illis partibus existenti, commisissemus, quod ad dictorum conjugum honorem, & communem nostram & regnicolarum lætitiam ipsos auctoritate nostra inungeret, & diademate Regio coronaret; ecce, quod versa est in planctum cithara, & Rachel plorante filium, conversum est speratum gaudium in mœrorem. Quidam etenim sceleratissimi iniquitatis filii & perditionis alumni, summum cogitantes & cogitatum audentes nefas perficere, prædictum Andream adolescentem ætate, moribus compositum, gestuque modestum, ac nullam in se machinationem fieri, cum quasi in propriis laribus & inter suos securus existere crederet, suspicantem, circa primum noctis silentium, ut cameram, in qua sibi erat nocturna quies, exiret, proditionaliter seduxerunt, ipsumque tanquam agnum ad victimam foras eductum morti turpissimæ, cogitatu terribili, dictuque lamentabili immaniter tradiderunt. O impietas Herodiana, & inhumanitas perhorrenda! quæ innocentis inebriata sanguine sævitia sic nefanda desævit. O effrenata temeritas, & crudelis factio, quæ non considerans illum, qui in Regem, etiam a Domino reprobatum, sine dolo manus injecerat, a David Rege mitissimo mortis judicium pertulisse; in Regem innocentem dolosa perfidia manus cruentas apponere non expavit. O nefarium & inauditum scelus, immane facinus, & piaculare flagitium, in quo ab impiis egressa est impietas, & prædones pietatis prædantes nequiter pietatem, tanquam hostes humanæ naturæ virum innoxium proditorie ac crudelissime peremerunt, non ipsius adolescentiæ, non innocentiæ, non tam illustrium, videlicet Franciæ, Siciliæ, Ungariæ ac Poloniæ Regum, a quibus traxerat originem, claritati, neque regali, qua pollebat, excellentiæ deferentes. Cujus itaque cor tam lapideum & penitus sic saxeum, quod de tanto scelere non emolliatur, & commoveatur ad gemitum & dolorem? Cujus natura tam inhumana, qui non provocetur ad lachrymas? Cujus tam durus animus, qui de tanta impietate, tam crudeliter perpetrata, non appetat justitiam, & ultricis pœnæ debitum non expectet?

Sed nec hoc silentio præterimus, quod in peremtione Andreæ Regis præfati, ultra divinam offensam, nostra & Apostolicæ Sedis reverentia per prædicti facinoris patratores & ejus participes non mediocriter est contemta: cum enim eundem Andream, quem affectione singulari, & paterna benevolentia prosequebamur, speraremus futurum prædicti Regni Siciliæ utilem & pacificum gubernatorem, ac specialem nostrum & Romanæ Ecclesiæ filium, & fidelem & strenuum defensorem; nunc per sceleratorum hujusmodi flagitium spe nostra frustramur, & de Regni ipsius turbatione ac periculosis dispendiis verisimiliter dubitatur. Res etiam publica & universa fidelium multitudo ex hoc est læsa multipliciter & offensa. Quis enim locus tutus esse poterit, cuique domus, quæ consuevit esse tutissimum refugium, dicetur secura, cum in habitatione propria tantus Princeps occubuerit sceleribus impiorum; de quibus audebunt homines confidere, aut quibus fiducialiter se committent,

quando

quando Rex ab illis, per quos liberari ab illorum insidiis sperare debuerat, proditorie traditus est diræ morti?

Cum igitur prædictum flagitium in gravissimam divinæ Majestatis offensam, in nostrum & Apostolicæ Sedis contemtum, & cunctorum fidelium scandalum, ut præmittitur, ac exempli perniciem fuerit sic nequiter perpetratum; dignum reputamus & justum, ut qui tot & tantis præsumpserunt offendere, indignationis justæ non evadentes aculeos, pœna multiplici feriantur, ut similium proditorum malitia successorem non inveniat, & punitæ transgressionis exemplar alios retrahat ab offensa. Ideoque Salvatoris nostri, qui est DEus ultionum, & justus judex, vindicans delicta patrum in filios, vices licet immeriti gerentes in terris, provida consideratione pensantes, facinus hujusmodi in Regno Siciliæ, quod juris & proprietatis Ecclesiæ Romanæ, nostræque temporali jurisdictioni subjectum existit, perpetratum fuisse, & ad Nos (attentis prædictis & aliis causis rationabilibus) in casu præsenti cognitionem & punitionem dicti criminis pertinere; ac nolentes, prout nec velle debemus, tam horrendum facinus & detestabile scelus impunitum relinquere, ne ex impunitate trahatur in exempli perniciem, sed potius metus pœnæ meta similis præsumtionis existat; considerantes quoque, quod, cum dicti sceleris enormitati vix, attentis omnibus ejus circumstantiis, pœna condecens valeat respondere, non indignum existit, ut ultionis severitas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum plagarum modus exuberet, nec pœnis solitis contentemur; ad infligendas infrascriptas pœnas, quas ob maleficia solvi ratio magna suadet, contra malefactores prædictos in virtute Altissimi exurgentes, deliberatione cum fratribus nostris præhabita diligenti, de ipsorum consilio, auctoritate Apostolica, & de plenitudine potestatis omnes & singulos, cujuscunque status, dignitatis, præeminentiæ, sexus, vel conditionis, ecclesiasticæ, vel secularis existant, qui interfecerunt vel interfici mandaverunt Andream Regem prædictum, vel interficientibus ipsum ad hoc dederunt scienter auxilium, consilium vel favorem, aut interfectionem hujusmodi eorum nomine factam ratam habuerunt, vel interficientium eorundem in ipsa interfectione socii & complices extiterunt, tanquam famæ suæ prodigos infamiæ perpetuæ nota damnamus, omnibus legitimis actibus privantes eosdem, ac decernentes, quod sint prorsus intestabiles, ut nec testandi liberam habeant facultatem, nec ex testamento seu ab intestato succedere, vel aliquid ex cujusquam successione percipere valeant, nec ad reddendum testimonium admittantur. Dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, nec sit qui inhabitet ea, & perpetuæ infamiæ notam perpetua ruina testetur, nulloque tempore reparentur. Nullus eis debita reddere, vel respondere in judicio teneatur. Bona quoque omnia mobilia & immobilia, jurisdictiones, jura ipsorum ubilibet consistentia publicamus, eis, sub quorum consistunt dominio, sine juris alieni præjudicio, applicanda. Omnibus dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis, quæcunque & qualiacumque existant, quæ obtinent, omni spe restitutionis ademta, ac etiam honoribus & dignitatibus, ac publicis officiis & administrationibus, & earum exercitiis secularibus privamus eosdem, ipsos reddentes inhabiles ad similia inposterum obtinenda. Vasallos etiam & subditos eorum, si quos habent, a fidelitate, qua tenentur eisdem, absolvimus, juramenta super hoc præstita de Apostolicæ potestatis plenitudine relaxantes.

Decernimus quoque, ut omnia loca, ad quæ dicti rei, postquam per Nos vel alios, quibus hoc commiserimus, rei & culpabiles tanti sceleris fuerint declarati, pervenerint, quamdiu inibi scientibus ipsorum locorum Dominis, sive rectoribus, aut universitate eorum præsentes fuerint, nisi, quam cito sciverint, capiantur, & capti ad Nos fideliter deducantur, Ecclesiastico eo ipso sint supposita interdicto. Ad hæc universis & singulis civitatibus & universitatibus quibuslibet, & personis singulis ecclesiasticis & mundanis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, conditionis, aut sexus existant, hoc generali mandamus edicto, ut nullus supradictos aliquo ex dictis modis reos, ut præmittitur, declaratos receptet, vel defendat, vel quantum in eo fuerit, receptari, aut defendi permittat: nulla eos universitas in potestatem, vel consules aut rectores recipiat, vel ad quodlibet aliud officium, quocumque nomine censeatur, admittat: nullus commercium aliquod, aut communionem quamlibet, nisi forsan in illis, quæ salutem animarum ipsorum respiciunt, habeat cum eisdem; nullus eis præstet auxilium, vel favorem, publicum vel occultum: nullus cum eis sub quovis prætextu seu colore societatem, ligam, seu confœderationem aliquam inire præsumat; nulla universitas, nullave singularis persona, eis, vel eorum alicui quovis jure subjecta, post declarationem prædictam pareat aliqualiter, vel intendat. Alioquin omnes singulares personas, scienter contrarium facientes, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurrere volumus ipso facto. Universitates autem, quæ secus scienter fecerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, & terras eorum, qui scienter dictos reos receptaverint, aut defensaverint, aut societatem seu confœderationem cum ipsis scienter inIverint, ecclesiastico supponimus interdicto; ipsasque societatem, ligam, & confœderationem initas & inposterum ineundas, etiamsi pœnarum aut juramenti adjectione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallata, quatenus in ipsis eorum commodum vertitur, omnino viribus vacuamus, & esse decernimus vacuas, irritas, & inanes. Ut autem facinoris hujusmodi pœna, in ipsorum reorum producenda & duratura posteris, in omnium notitiam futuris temporibus diffundatur, eadem autoritate statuimus, ut sicut nec ipsis, ita nec descendentibus usque ad secundum gradum ab ipsis, unquam portæ pateant dignitatis, nec ad dignitatem aliquam ecclesiasticam vel secularem ipsis vel eorum alicui pandatur aditus, seu ad impetrationem illius eis vel supplicantibus pro eisdem præstetur auditus: & omnibus legitimis actibus privantes eosdem, districtius inhibemus, ut ad Clericatum vel Clericorum consortium, ministerium, vel beneficium ecclesiasticum seu in regularibus domibus ad eminentiam prælationis cujuslibet, seu quodcunque ecclesiasticum vel seculare officium publicum nullo unquam

tempore ipsorum aliqui assumantur, & ad ea obtinenda inhabiles prorsus existant.

Monemus insuper omnes & singulos in dicto Regno & terris ipsius citra Pharum, ac vicinis eis partibus infra unius diætæ vulgaris spatium commorantes, cum de illis sit magis verisimile, quod de reis prædicti criminis & veritate facti possint infrascriptos melius & certius informare, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, sexus, vel conditionis, ecclesiasticæ, vel secularis existant, qui sciunt illos, vel aliquos ex eis, qui fuerint facto, opere, aut consilio, seu alio quovis modo culpabiles sceleris supradicti, quatenus hujusmodi reos, & quicquid de crimine prædicto sciunt, dilectis filiis nostris Bertrando S. Marci, & Guidoni S. Cæciliæ titulorum Presbyteris Cardinalibus, quos ad partes Italiæ cum plenæ legationis officio providimus destinandos, seu eorum alteri, vel ad hoc deputatis ab ipsis, postquam ipsi legati Regnum prædictum, seu terras prædictas ipsius Regni citra Pharum intraverint, vel ab ipsis Regno vel terris per triginta milliaria non distabunt, infra triginta dierum terminum, ex quo commode poterunt, omni fraude cessante, revelare clare & specifice teneantur. Alioquin ipsos sententia excommunicationis innodamus, contra eos & alios prædictos gravius spiritualiter & temporaliter processuri, prout viderimus expedire: non obstante si aliquibus ex supradictis a Sede sit indultum prædicta, quod excommunicari vel interdici, sive ipsorum terræ seu loca interdicto supponi ecclesiastico non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, locis, & nominibus propriis mentionem.

Cæterum prædictas omnes excommunicationum sententias sic firmiter & inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quam quibuslibet aliis confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quorumcunque vel quantumcunque sublimium personarum ubilibet consistentium, etiam si eis a Nobis, vel aliquo Prædecessorum nostrorum, sub quacunque verborum forma absolvendi a sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi generalis vel specialis sit concessa facultas, adimimus potestatem. Concedimus tamen, quod omnes illi, cujuscunque status aut sexus existant, qui solum ratione scientiæ & non revelationis reorum præfati facinoris in hujusmodi sententias forsitan inciderint, possit per dictos Cardinales, seu eorum alterum, postquam de iis, quæ super prædictis sciverint, revelaverint veritatem, juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere. Per præsentem autem processum non intendimus prædictis Cardinalibus, quin juxta potestatem, per Nos eis circa præmissa, vel eorum occasione concessam, vel in posterum concedendam, per se vel alium, seu alios ad pœnas alias imponendas, & per Nos, ut præmittitur, impositas declarandas, & executioni mandandas contra reos prædictos procedere libere valeant, adimere potestatem. Ut autem processus noster hujusmodi & omnia contenta in ipso ad omnium illorum, quos tangere dignoscitur, notitiam communem deducatur, chartas sive membranas, processum continentes eundem, in majoris Ecclesiæ Avinionensis appendi vel affigi ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut ipsi, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non sit verisimile, quod ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum in palatio nostro Avinionensi Kal. Februarii Anno IV.

LXXXV.

Ludovici, Siciliæ Regis, Literæ, ad Carolum IV. Romanorum Regem exaratæ, in quibus Appellationem Roberti Dyrrachii, contra Hungariæ Regem promulgatam, improbat, d. d. 25. Junii, Anno 135-.

EXcellenti Principi, Domino Carolo, DEI gratia, Regi Romanorum Illustri, carissimo & honorabili consanguineo nostro, Ludovicus, eadem gratia Jherusalem & Siciliæ Rex, successus prosperos & salutem! Quantum nobis displicuerit (quia debuit multipliciter displicere) appellum, factum per Robertum de Duratione, nostrum consobrinum, contra Illustrem Regem Hungariæ, carissimum consanguineum nostrum, testes esse possunt incultæ sæpius literæ nostræ, quas ab eo tempore, quo, referentibus aliquibus hoc Nobis, innotuit, permisimus ad Sanctitatem Pontificiam, & ad Robertum eundem, ostendendo sibi rationes efficaces & causas, quibus omnino a tali proposito concepto desisteret, & expresse pariter prohibendo, quod a novis, si qua movisset, exinde protinus resiliret, maxime, quia communis exigebat decentia & expedientia suadebat, quod refirmata utrorumque caritas ad votiva incrementa proficeret, & turbationis olim exortæ reliquias dispositiva sinceritate deleret. Cum reprehensibile Nobis occurret, recensere maledicta litis præteritæ, & ad resuscitanda inter conjunctos sopita discrimina tranquillatos animos provocare. Et quia tædiose nimis & moleste nuper recepimus, ipsum Robertum fecisse jam dictum Appellum, scriptionibus nostris non deferens; multum exinde turbamur interne, & majori displicentia provocamur in mente, cum intendamus, quantum ex parte nostra fuerit, esse cum eodem Rege Hungariæ, si velit esse nobiscum! unanimes, &, si per eum steterit, præcedentibus mutuæ sinceritatis opibus, & amabili voluntate concordes. Has autem ad vestræ Celsitudinis præsentiam providimus perducenda, ut non lateat insciis vestræ circa ista solicitudinis studium, qui potuissent faciliter ex ignorantia boni nostri propositi, vobis adscribere negligentiæ vel dissimulationis defectum. Sed excusatio vestra, quæ satis ex præmissis ostenditur, justificata magis apud tantum Principem appareat in se ipso, & veritas ad eundem Regem Hungariæ valeat pervenire in hujus puritate diffusa, nihilominus circa disturbationem ipsius Appelli non admittere

mittere aliquid intendentes, scripturas nostras iteramus tam ad eandem Sanctitatem, quam præfatum Robertum, per quas didicerit plenius nostræ turbationis animi & provocationis conceptum. Et, præteritis tamen, quæ præscivit conjecturas dissimiles de futuris, satis constanter credimus, hujus consilium ex deliberatione cordis pertinacis, moderatoris ac præceptoris sui ac suorum, in derogationem vestri honoris & nominis, ac Regni turbinem, dolosis machinationibus prodiisse. Sed in eo, qui est veritas ipsa, confidimus, quod iniquorum rogitationes disperdet, & malignantium consilia dissipabit. His autem adjicientes, Celsitudinem vestram precamur attente, ut Nobis, Serenitati vestræ placere desiderantibus, velitis interdum scribere, si qua possemus grata vestris affectibus & vestrorum. Datum Neapolis, sub annulari nostro secreto, die XXV. Junii, sexta Indictione.

LXXXVI.

Procuratorium Ludovici Johannæque, Siciliæ Regis ac Reginæ, ad investituram de bonis, quæ a Sacro Romano Imperio in feudum tenebant, a Carolo IV. Romanorum Imperatore recipiendam, ipsorum Procuratoribus exhibitum, d. d. 15. Junii, Anno 1354.

LUdovicus & Johanna, DEI gratia Rex & Regina Jherusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalqueris, ac Pedemontis Comites, tenore præsentis procuratorii, notum facimus universis ejus seriem inspecturis, tam præsentibus, quam futuris; quod Nos confisi de fide, prudentia & legalitate reverendi Patris Bertrandi, Episcopi Aptensis, ac magnifici & prudentis viri Fulchonis de Agonita, militis dictæ Provinciæ, Sevilli & Johannis de Vice-Dominis, de Arecio, eorundem Comitatuum nostrorum, Provinciæ, & Forcalqueris majoris Judicis, Consiliariorum & fidelium nostrorum constituimus, ordinamus, & facimus ipsum videlicet Episcopum, tanquam præsentem, & onus procurationis hujus in se sponte suscipientem; præfatosque Fulchonem, Sevillum, & Johannem, tanquam absentes, & quemlibet eorum in solidum, ita, quod non sit melior conditio occupantis, sed, quod unus inceperit, alius possit prosequi & finire, nostros veros, legitimos, & indubitatos procuratores, negotiorum gestores, & Nuncios speciales, seu quocunque alio modo melius de jure censeri possent & debent, specialiter & expresse, ad se conferendum ad præsentiam Excellentis Principis, Domini Caroli, DEI gratia Romanorum Regis Illustris, carissimi, & honorabilis consanguinei nostri ac Domini reverendi, ratione Feudorum, quæ a Sacro Romano Regno & Domino nostro Romanorum Rege tenemus; in & de Marchionatu & Comitatibus infra scriptis; sibique, tanquam Domino nostro ordinario, ratione prædictorum Feudorum, offerendum nomine, & pro parte nostra, videlicet nostra, Regis, tanquam viri ipsius Reginæ, & Domini rei dotalis, & sicut comiter administrantis, gubernantis, & regentis; & nostra, Reginæ, tanquam Dominæ jure proprio homagium, pro Comitatu & Marchionatu Provinciæ intelligendo: hæc duo nomina esse synonyma, & unum supponere; non diversa, & Comitatu Forcalqueris & Pedemontis, Provinciis separatis & distinctis, cum terris aliis quibuscunque, quas claræ memoriæ Dominus Rex Robertus, reverendus Dominus avus noster, tenere in partibus eorundem Comitatuum adjacentibus & circumpositis consuevit, omnibusque aliis, quæcunque ad Nos, Regem, tanquam virum ipsius Reginæ & Dominum rei dotalis, & sicut comiter administrantem, gubernantem, & regentem; & ad Nos, Reginam, tanquam Dominam jure proprio pertinent, & pertinere possent; & in quibus Nos, Regina præfata, succedimus, & succedere possumus & debemus, ubicunque in vel sub Romano Imperio consistentibus, cum jurisdictionibus, juribus & pertinentiis eorundem quibuscunque ad ipsos Comitatus, dictasque terras & earum quamlibet spectantibus, & specialiter ad fidelitatis juramentum præstandum dicto Domino Romanorum Regi, tanquam Domino nostro, sicut præmittitur, & ad obligandum Nos ad consuetos honores & reverentias exhiberi solitos, vel solitas, Romanis Imperatoribus, sive Regibus, Dominis nostris, de Marchionatu & Comitatibus ante dictis, nec non ad recipiendum nomine & pro parte nostra, modo præmisso investituram ab eodem Rege Romanorum, Domino nostro. Proinde opportunam dantes & concedentes eisdem procuratoribus nostris, negotiorum gestoribus, & nunciis specialibus, & cuilibet eorum in solidum, aliorum absentia non obstante, plenam, generalem, liberam, & omnimodam ac specialem potestatem, prædicta omnia & singula exequendi, & alia dependentia & emergentia ab iisdem faciendi, quæ in his & circa hæc quilibet veri & indubitati procuratores, negotiorum gestores, aut nuncii speciales facere possunt & debent, Nosque similiter facere possemus & deberemus, si inibi præsentes essemus, & promittimus sub hypotheca bonorum nostrorum omnium Petro de Ageriis - - - per totum Regnum Siciliæ Regia autoritate Nobis stipulandi, & hypothecam ipsam recipiendi, pro parte omnium, quorum interest, vel interesse poterit, Nos ratum & gratum habituros, & firmum, totum, & quicquid per eos, & eorum quemlibet in solidum, nomine & pro parte nostra in præmissis actum, procuratum & gestum extiterit, sive factum. In hujus rei testimonium præsens procuratorium scriptum exinde fieri, & dependentibus sigillis nostris, quibus utimur, jussimus communiri. Actum Neapolis, præsentibus Reverendo Patre, Joanne, Archi-Episcopo Tarentino, Magnifico Domino de Reumundo de Baucone, Comiti solerti, magni Regni Siciliæ Camerario; Mathia de Porta, Juris Civilis Professore, magnæ Curiæ nostræ Magistro rationabili, Tucillo Zurulo de Neapoli, milite nostri ospitii, Sevillo, dilectis Consiliariis, familiaribus, & fidelibus nostris, testibus ad præmissa rogatis. Datum vero ibidem per Sergium Dominium Ursonis de Neapoli, militem, Juris Civilis Professorem, magnæ nostræ Curiæ Magistrum rationabilem, Vice-Protonotarium Regni Siciliæ, Anno Domini cIↄ CCCXLIV, die XV. Junii, VII. Indictione, Regnorum nostrorum Regis Anno sexto, nostrorum vero Reginæ Anno duodecimo.

LXXXVII.

LXXXVII.

Formula Juramenti Fidelitatis, quod Ludovici Johannaque, Siciliæ Regis, ac Reginæ, Procuratores, pro investitura de bonis, quæ laudati Rex atque Regina a Sacro Romano Imperio in feudum tenebant, obtinenda, Carolo IV. Romanorum Imperatori, præstiterunt, d. d. 1. Februar. Anno 1355.

NOs Bertrandus, DEI gratia Aptensis Episcopus, Fulcho de Agonita, Sevillus, ac Johannes de Vicedominis, de Arecio, major judex Comitatuum, Provinciarum, & Forcalqueris, Ambasiatores, procuratores, negotiorum gestores, & nuntii speciales Serenissimorum Principum, Domini Ludwici, Regis, Dominæ Johannæ, Reginæ Iherusalem, & Siciliæ, Comitum Comitatuum Provinciarum & Forcalisqueris, ac Pedemontis ad infra inserta plenam potestatem ac speciale mandatum habentes a dicto quidem Domino Rege, tanquam viro præfatæ Dominæ Reginæ, & Domino rei dotalis, & sicut comiter administrante, gubernante, & regente; ab ipsa vero Domina Regina, tanquam Domina jure proprio, de speciali & expresso mandato eorundem Domini nostri Regis, & Dominæ nostræ Reginæ in animas eorum solemniter juramus vobis, invictissimo ac Serenissimo Principi ac Domino, Domino Carolo, Romanorum semper Augusto, & Boëmiæ Regi Illustri, quod ipsi Domini nostri, Rex & Regina Iherusalem & Siciliæ, Comites Comitatuum prædictorum, videlicet ipse Dominus Rex, tanquam vir ipsius Dominæ Reginæ, & Dominus rei dotalis, & sicut comiter administrans, gubernans, & regens: ipsa vero Domina Regina, tanquam jure proprio pro Comitatu & Marchionatu provinciali, intelligendo hæc duo synonyma esse, & unum supponere non diversa, & Comitatibus Forcalisqueris & Pedemontis, nec non terris & locis circumpositis & circumadjacentibus, quas & quæ a divis Romanorum Imperatoribus seu Regibus, prædecessoribus vestris, dicti nostri Domini, Rex & Regina, aut progenitores, aut prædecessores eorum, tenuisse, seu possedisse noscuntur, & pro earum pertinentiis quibuscunque fideles homines vobis erunt, ad defendendum & manutenendum Regnum vestrum ac Romanum Imperium, utilitates & honores, & commoda vestra fideliter procurabunt, damna & incommoda vestra nullatenus procurabunt, sed procurare illa volentes impedient juxta posse, jura Majestatis vestræ & imperii dicent & exponent, quotiens a Vobis fuerint requisiti, & omnia alia & singula facient, quæ debitæ fidelitatis juramentum juxta leges & consuetudines Romani Imperii, juste & inviolabiliter continet & requirit; Ita ipsos & Nos DEus adjuvet & sancta DEI Evangelia! Et hæc juramus & promittimus solemniter nomine & mandato prædictorum Domini nostri Regis, & Dominæ nostræ Reginæ Iherusalem & Siciliæ, Comitum Comitatuum prædictorum, modo & forma supra Nobis præscriptis, Serenissimo Domino Carolo, Regi Romanorum semper Augusto, & recipienti juramentum & promissionem nostram. Supra quibus omnibus testimonium & officium subscriptione nostra, publice duximus innotandum. Reverendis in Christo patribus ac Dominis Nicolao Aquileg. Patriarcha, Joanne Pisan. Archiepiscopo; Marquardo August. Gerardo Spirens. Joanne Spoletan. Egidio Vincent. Joanne Emonens. Ecclesiarum Episcopis; nec non illustribus Principibus ac Dominis Nicolao, Oppaviæ, Nicolao Münsterbergensi; Wladislao, Teschinensi, Ducibus, ac spectabilibus Joanne Nürnbergensi, Burghardo Magdeburgensi, Burggraviis; Ludvico de Ottingen, Henrico de Schwartzburg, Ernesto de Gleichen, Joanne de Anhald, Joanne de Retz, Comitibus, & nonnullis aliis Principibus Comitibus, Baronibus & Nobilibus, testibus ad præmissa & actum præsentibus. Pisæ, Anno Domini cIↃCCCLV. Indictione VIII. prima die mensis Februarii, Regnorum supra dicti Domini Romanorum semper Augusti, & Boëmiæ Regis anno nono.

LXXXIIX.

Mandatum sive plenipotentia, a Friderico, Trinacriæ Rege, Oratoribus, cum Johanna I. Siciliæ Regina, de pace aliisque rebus transacturis, data, d. d. 2. Martii, Anno 1372.

FRidericus DEI gratia Rex Trinacriæ, ac Athenarum, ac Neopatriæ Dux.

Universis & singulis præsens commissorium scriptum, seu Instrumentum publicum inspecturis volumus notum esse, quod, cum inter Serenissimam Dominam Joannam, Jerusalem & Siciliæ Reginam, honorabilem matrem nostram, proprio nomine ex una parte, & venerabilem Magistrum Ubertinum de Corliono, Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Professorem Magistrum, magnum Capellanum & devotum nuntium nostrum, vice nostra ex altera fuerit dudum pacis tractatus sub certis conditionibus, conventionibus, capitulis, atque pœnis habitus & firmatus, per dictam Dominam Reginam & Nos mutuo & corporali sacramento juratus, sub reservatione Apostolici beneplaciti & consensus, pro cujus obtentu suppliciter impetrando, eundem Magistrum Ubertinum ad dictam Apostolicam Sedem Curiamque Romanam jussimus accessurum; nuper vero de fide laudabili sufficienter cognita, & legalitate probata Jacobi Pitigne, militis, Magistri Notarii, & Bartholomæi de Papaleone de Messina, Jurisperiti, magnæ nostræ Curiæ judicis, Consiliariorum, familiarium & fidelium plene confisi, ac optantes, ut inter dictam Dominam Reginam & Excellentiam nostram, ac subditos uniuscujusque vera pax vigeat, & firmiter servetur illæsa; ipsos Jacobum & Bartholomæum præsentes & onus commissionis prædictæ in se sponte suscipientes, & ipsorum quemlibet in solidum (ita quod non sit præoccupantis conditio melior; nec potior censeatur, sed quod unus ipsorum inceperit, alter prosequi libere valeat, & debita conclusione finire) facimus, ordinamus, & constituimus nostros veros & legiti-

legitimos procuratores, actores, factores, negociorum gestores, ambaxiatores, & Nuncios speciales, & quocunque alio nomine sive modo efficacius dici possit, cum omni juris & facti solemnitate conveniente ad acceptandum, ratificandum, & confirmandum vice & nomine nostris præfatum pacis tractatum cum omnibus capitulis, ordinationibus, conventionibus, pactis & clausulis quibuscunque, quibus inter eandem Reginam & Nos firmatus & juratus extitit (ut præfertur) seu etiam cum additionibus, mutationibus, & reformationibus, omnibus & singulis, prout per sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum Gregorium, divina providentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papam XI. ordinabitur, & videbitur melius expedire: & ad promittendum pro Nobis & Successoribus nostris in Regno, & jurandum in animam nostram de observantia ordinationum, adjectionum & capitulorum prædictorum, & omnium & singulorum contentorum in ipsis ad dictum pacis tractatum spectantium, qualiter de ipsius Domini nostri, Summi Pontificis, beneplacito & mandato erit solemniter ordinatum: ac etiam ad petendum, recipiendum & habendum investituram & concessionem de novo dicti Regni Trinacriæ, cum adjacentibus Insulis & omnibus aliis pertinentiis suis a dicto Domino nostro Summo Pontifice Ecclesiaque Romana, & faciendum pro eis ligium homagium, & fidelitatis debitæ juramentum tam pro Nobis & Successoribus nostris prædictis eidem Domino nostro Papæ, vel ejus Commissariis, ad hæc specialiter & expresso statutis, vel de novo forsan statuendis, a quibuscunque personis dictus Dominus Summus Pontifex ordinaverit faciendum cum promissionibus, obligationibus, juramentorum præstationibus, pœnarum adjectionibus, & aliis circumstantiis singulis & clausulis universis, ac etiam ad tractandum & de novo contrahendum, concordandum & ratificandum, prout opus fuerit, dictum tractatum pacis, tam cum ipsa Domina Regina, ac cum aliis ejus habentibus potestatem, quam cum præfato Domino nostro Papa, vel ejus Commissariis & Legatis, ad hæc Apostolica autoritate suffultis; ac firmandum & concludendum cum eisdem sub pacis prædictæ tractatu, quicquid de novo forsitan occurreret, ut prædictorum nuntiorum nostrorum arbitrio & discretioni videbitur expedire, cum præfatis omnibus promissionibus, obligationibus, juramentorum præstationibus, aliisque clausulis opportunis, pœnarum etiam adjectionibus, solemnique stipulatione vallatis, secundum quod fieri est in talibus consuetum; dantes, mandantes & concedentes eisdem nuntiis nostris sub dictæ pacis tractatu, & omnibus & singulis dependentibus connexis, & emergentibus in eodem, plenam licentiam, auctoritatem omnimodam, & liberam facultatem, cum generali, ampla, libera, speciali & expressa potestate ad agendum vice nostra & dicto eorum procuratorio nomine in exequendo & complendo omnia & singula suprascripta, & omnia ac quæcunque alia circa hæc juxta dictorum nostrorum nunciorum arbitrium, & eis largitam potentiam opportunam; ratificantes, confirmantes, ratum habentes & acceptantes, quicquid super his dicti nuntii & ambaxiatores nostri duxerint peragendum; promittentes etiam, & Nos firmiter obligantes, ab eo, quod ipsi exinde perfecerint, nullo unquam tempore resilire, id ex nunc prout ex tunc sub fide Regia firmissimum reputantes: ac etiam ad petendum precibus humiliter instantibus, & devote impetrandum, obtinendum et recipiendum vice nostra ab eodem Domino nostro, vel alio, seu aliis quibuscunque ad hæc statutis, vel etiam statuendis Commissariis, aut delegatis remissionem integram et totalem excommunicationum, interdictorum, pœnarum temporalium et spiritualium, et suspensionem omnium, quibus tam Nos, quam prædecessores nostri bonæ memoriæ, nostrique vasalli et subditi, aut ipsum Regnum nostrum Trinacriæ, et prædictæ circumadjacentibus Insulæ per sententias ecclesiasticas tam dicti Domini nostri, quam aliorum prædecessorum nostrorum in scriptis, vel sine scriptis videamur subjici, vel aliquatenus alligari: ac ad implorandum et habendum absolutionem plenariam omnium debitorum contra eosdem prædecessores nostros ad Nos hactenus contractorum ratione juris census Ecclesiæ non soluti; aut quacunque alia ratione, occasione, vel causa, atque probabiliter obligari aut teneri de jure, vel de facto possimus, ut jam reconciliatione sanctæ matris Ecclesiæ optata diutius obtenta salubriter, ac quas guerrarum introduxit calamitas, culpis extersis simus quodammodo nova sancti Spiritus infusione renati: ac ad petendum, exigendum & recipiendum a dicta Domina nostra Regina Joanna pro se, hæredibus & Successoribus suis, aliisque personis, prout extiterit opportunum, corporale, & debitum, tactis sacrosanctis evangeliis, juramentum sub observantia prædictorum capitulorum, conditionum, & clausularum omnium dictæ pacis: ac ad requirendum, petendum & habendum ab eodem Domino nostro, aut ejus statutis, seu statuendis Commissariis, vel Legatis dispensationem liberam & confirmationem matrimonii tractati dudum & jurati inter præfatum Magistrum Ubertinum nomine nostro, & magnificum virum Raimundum de Baucio, magnum Regni Siciliæ Camerarium, procuratorio nomine, & pro parte illustris Dominæ Antoniæ, filiæ spectabilis Ducis Andriæ, ac vice & nomine ejusdem Ducis: & ad requirendum & habendum super his, a quibuscunque personis expediens fuerit, & fieri faciendum expedientia rescripta & publicas sub debita forma scripturas: & generaliter ad gerendum & exercendum in præmissis, & super præmissa causa cum præfatis Domino nostro Summo Pontifice, Cardinalibus & Commissariis aliis, aut Legatis specialiter ordinatis seu ordinandis, ut supra, quam cum dicta Domina Regina & personis aliis substitutis, & ad ea omnia & singula, quæ dictis nuntiis nostris necessaria viderentur, & infra, sub hypotheca & obligatione omnium bonorum nostrorum. Et ad majorem rei gestæ & gerendæ cautelam præsens commissarium scriptum seu Instrumentum publicum exinde fieri, nostræque Majestatis sigillo pendente jussimus communiri. Datum & actum Messanæ anno incarnationis Domin. MCCCLXXII. die secunda mensis Martii, XI. Indict.

LXXXIX.

Gregorii XI. Pontificis Maximi, Bulla, de nexu, quo Siciliæ utriusque Regna Sedi Apostolicæ obstricta sunt, modoque succedendi in eis constituto, agens, d. d. 6. Kalend. Septembris, Anno 1372.

GRegorius &c. Ad perpetuam rei memoriam. Tractatum ipsum per nonnullos S. R. E. Cardinales fecimus magna diligentia recenseri: & quia (prout ipsius tractatus evidenter ostendebat inspectio) *omissa erant aliqua*, propter quorum omissionem de directo dominio, quod Nos & eadem Romana Ecclesia in præfato Regno habemus, grave, præjudicium generari poterat, quæ suppletionem; aliqua vero superflua interserta, quæ resecationem; & nonnulla etiam inordinata, quæ, ipsarum partium voluntate inspecta, necessario mutationem requirebant, prædictum tractatum, prout Nobis fuit exhibitus, non duximus admittendum: sed superfluis resecatis, & illis, quæ erant omissa, suppletis, ac immutatis quæ immutanda Nobis visa fuerunt, circa pacem prædictam, ubi dictarum partium consensus accedit, de fratrum nostrorum consilio in forma infrascripta duximus procedendum. Primo siquidem, quia jura sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ, conservare, protegere & defendere ex officii nostri debito obligamur, ordinandum providimus, quod Joanna & Fredericus præfati recognoscant, ad Nos & Ecclesiam Romanam spectare & pertinere de jure directum dominium in toto Regno Siciliæ tam ultra quam citra Pharum: cui directo dominio & juri, quod in toto Regno, tam ultra quam citra Pharum, Nos & Ecclesia Romana habemus, non intendimus in aliquo derogare; sed ea volumus, & intendimus remanere illæsa, & quod tale, & totum jus Nobis & Ecclesiæ Romanæ remaneat in dicta Insula & adjacentibus Insulis (quæ Regnum Trinacriæ intitulabuntur) quale & quantum habemus in terris citra Pharum: & si quæ in præsentibus capitulis inveniantur, quæ directe vel per obliquum præfato dominio & juri, quod Ecclesia Romana habet in dicta Insula & adjacentibus Insulis, quomodolibet præjudicarent, illa ex nunc pro non appositis & non adjectis habeantur; et quod ad contenta in isto capitulo Joannæ et Friderici prædictorum expressus consensus accedat.

Item, cum per Johannam et Fredericum præfatos in forma infrascripta tractatus pacis, prout ipsum transmittimus, fuerit acceptatus cum solennitatibus debitis et cautelis, dictus Fredericus et Successores sui in Regno Trinacriæ facient ratione directi et majoris dominii, quod ad Nos pertinet, homagium ligium Nobis et Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, et sacramentum fidelitatis præstabunt sub hac forma:

Ego Fredericus, DEI gratia Rex Trinacriæ, plenum & ligium homagium facio Domino nostro Gregorio, Papæ XI. & Successoribus suis, canonice intrantibus, pro Insula Siciliæ ac adjacentibus Insulis, quæ Regnum Trinacriæ nominantur: & juro super hæc sancta DEI Evangelia, quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vitæ meæ, fidelis & obediens ero beato Petro, Sanctæque Ecclesiæ Romanæ, præfatoque Domino Gregorio, ejusque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, vel facto, quod vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri erunt per eos, aut per nuntios ipsorum, sive per literas, ad eorum damnum (me sciente) nemini pandam: & si scivero fieri vel procurari, sive tractari aliquid (quod absit) ad eorum damnum, illud pro posse impediam, & si non possem impedire, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & Regalia Sancti Petri tam in Insula Siciliæ & aliis Insulis adjacentibus, quam in Regno Siciliæ præfato, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad defendendum, & retinendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem: & omnia & singula capitula sub forma fidelitatis comprehensa, inviolabiliter observabo. Universas & singulas promissiones, conventiones & obligationes in præsenti privilegio, literis sive instrumento contentas, & omnia & singula in eis contenta, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo; nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me DEus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Et quia volumus, quod per hujusmodi homagium ligium, & fidelitatis juramentum, quæ per dictum Fredericum & suos in Regno Trinacriæ Successores, Nobis & Successoribus nostris, Romanis Pontificibus (qui pro tempore fuerint) præstabuntur, juribus eidem Reginæ & ejus Successoribus in Regno competentibus, quoad homagium & juramentum fidelitatis eisdem præstanda, ut sequitur, nullum præjudicium generetur; faciet insuper dictus Fredericus, & sui imposterum Successores in Regno Trinacriæ, eidem Joannæ Reginæ & Successoribus suis ex suo corpore descendentibus legitime tantum, homagium, & præstabit debitæ fidelitatis juramentum: & si ipsam Joannam sine liberis ex suo corpore descendentibus mori contingat, singuli Successores ejusdem Joannæ Reginæ in Regno prædicto Siciliæ, dictus Fredericus, & sui Successores in Regno Trinacriæ, præstabunt fidelitatis debitæ juramentum secundum formam, quæ infra in Capitulo ordinato super hoc continetur. Hujusmodi autem homagium ligium prædictum, quod Nobis, Successoribus nostris, & Ecclesiæ Romanæ præstabitur, Fredericus præfatus & ejus Successores in Regno, si interim moreretur, infra annum, postquam præsens tractatus fuerit approbatus per ipsos Joannam & Fredericum, Nobis & nostris Successoribus, qui pro tempore fuerint, facere teneantur, & fidelitatis juramentum præstare secundum formam præscriptam: & tam ipse, quam singuli sui Successores in Regno infra annum, postquam successio Regni eis delata fuerit, Nobis & Successoribus nostris singulis, ac ipsi Romanæ Ecclesiæ præstabunt, & facient, ac renovabunt. Item tam ipse Fredericus, quam singuli ejus in dicto Regno Trinacriæ Successores, in talibus præstatione & renovatione homagii hujusmodi & fidelitatis juramenti tradent realiter, & assignabunt Nobis & Successori nostro, Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, literas Regias aurea Bulla bullatas, in quibus approbabunt

omnes

omnes istas conventiones: & id observare promittent & jurabunt, inserendo eas de verbo ad verbum in istis literis cum expressione propriorum nominum Romani Pontificis, qui tunc erit, & ipsius facientis homagium & juramentum prædictæ; vel saltem infra menses sex, postquam hujusmodi homagium præstiterint & fidelitatis debitæ juramentum, literas prædictas assignare tenebuntur.

Descendentes autem ex præfato Frederico & ejus liberis utriusque sexus succedant in Insula prælibata cum adjacentibus Insulis suis; sic tamen, quod de liberis masculis, in eodem gradu ac per eandem lineam concurrentibus, primogenitus; de duabus fœminis primogenita: de viro et fœmina, et in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur; sic tamen, quod filia jam nata dicti Friderici admitti debeat ad successionem prædictam, juxta formam et ordinem in præsenti capitulo declaratam. Sed si aliquem de Successoribus suis, qui in dictis Insulis, seu Regno Trinacriæ successerit, sine legitima prole sui corporis mori contingat in futurum, succedant eisdem in servatis gradibus seu ordine supradictis, si superstites fuerint hæ personæ (dum tamen de descendentibus fuerint præfati Regis, Friderici videlicet Regis vel Reginæ, sine legitima prole sui corporis decedentis) frater vel soror, ac collaterales superiores mares et fœminæ, utpote patrui et avunculi, amitæ et materteræ, et sursum usque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares et fœminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre, vel sorore, et inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ, et collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam de innuptis; dummodo nuptæ sint fidelibus, et Ecclesiæ Romanæ non suspectis, sed devotis. Et sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic et in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, et marem fœminæ in hujusmodi Successoribus volumus anteferri. Personarum autem descendentium hujusmodi nulla superstite, Regnum Trinacriæ, seu Insula Siciliæ prædicta, cum aliis Insulis adjacentibus, ad præfatam Joannam Reginam Siciliæ, ejusque Successores in Regno, ipso jure libere revertantur: aut, eisdem Reginæ et Successoribus in Regno non existentibus, vel existentibus in casu quo Regnum Siciliæ juxta conventiones habitas inter felicis recordationis Clementem IV. prædecessorem nostrum, et claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ esset ad Rom. Eccles. devolutum; Regnum Trinacriæ seu Insula prædicta cum adjacentibus Insulis ad præfatam Rom. Eccles. ipso jure libere revertantur. Quod si forte, deficiente masculo, contigerit, fœminam innuptam succedere in Regno Trinacriæ, seu Insula prælibata, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsorum regimen & defensionem existat idonea, Summi Pontificis, qui erit pro tempore, consilio requisito, ut nubat viro catholico & Ecclesiæ Romanæ non suspecto, sed devoto, nec dictæ Joannæ seu ejus Successoribus in prædicto Regno Siciliæ inimico. Et idem per omnia in filia primogenita, & si nondum ei Regni successio sit delata, quæ in Regno verisimiliter sit successura, volumus observari: & si contra hæc fieret, licebit Summo Pontifici, qui erit pro tempore, contra ipsam ad privationem Regni seu Insulæ prædictæ & adjacentium Insularum procedere absque omni juris solemnitate, & sine strepitu & figura judicii, in quacunque ætate ipsam esse contigerit, si hoc ei videbitur expedire. Et eo casu ad ipsam Reginam Siciliæ præfatam, seu ejus Successores in Regno, seu ad Romanam Ecclesiam juxta prænotatum ordinem dicta Insula seu Regnum libere devolvatur.

Illud etiam providimus ordinandum, quod si ille, ad quem successio Regni Trinacriæ seu Insularum hujusmodi devolvetur qualitercunque seu quomodocunque, & major decem & octo annis fuerit, libere administret: si autem fuerit minor decem & octo annis natu, quousque prædictam ætatem compleverit, tam ipsius persona, quam Regnum in custodia, regimine, & administratione nostris, seu Successorum nostrorum & Ecclesiæ Romanæ, remaneant libere absque impedimento quocunque. Fructus tamen qui supererunt, deductis expensis, quæ fient pro statu Regis & Regni manutenendi & conservandi eidem Regi, postquam major decem & octo annis fuerit, integre restituentur. In Regno autem, seu Insulis prædictis nullus succedet, qui non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nec aliquis ab eo mediate vel immediate descendens, etiam si ipse fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Item quod dictus Fredericus & Successores sui Regnum Trinacriæ prædictum nullatenus divident, sed semper dictam Insulam cum adjacentibus Insulis, seu Regnum teneat unus tantum, modis, formis & conditionibus supra & infra scriptis: nec terras demanii Insularum, seu Regni prædicti infeudabunt, seu alienabunt, quovis titulo, vel colore quæsito, nisi in filios, vel in filias Regis natos, seu natas, nascituros, seu nascituras, & descendentes ab eis, in quos loca & terras, quæ consueverunt alienari tempore Regis Frederici avi sui, & prædecessorum suorum in Regno, alienare poterunt, civitatibus tamen exceptis.

Item quod præfatus Fredericus promittet solemniter & jurabit, quod omnibus Ecclesiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, regularibus & secularibus, nec non aliis Ecclesiis, & omnibus Prælatis & Clericis, ac universis personis ecclesiasticis, secularibus & regularibus, & quibuscunque religiosis locis & personis in Regno Trinacriæ, seu Insulis prædictis infra tres annos, quanto citius poterit, bona fide assignabit realiter, & cum effectu suo posse omnia castra, fortalitia, jura & bona ad ipsas Ecclesias seu ecclesiasticas personas spectantia quoquo modo, seu pro eis, seu eorum nomine quomodolibet possessa, seu in quorum possessione fuerunt tempore, quo Siculi contra inclytæ memoriæ præfatum Regem Carolum rebellarunt, ita quod de nullo cursu temporis opponatur eisdem, cum notorie dictis temporibus hostilitates duraverint, nisi quod per Prælatos Ecclesiarum ipsarum, vel alios auctoritatem habentes, aliqua ex prædictis castris, fortalitiis, possessionibus, juribus & bonis quibuscunque personis concessa, permutata, sive alienata legitime extiterint: quo casu prædicta concessio, datio, permutatio seu alienatio inviolabiliter observentur, & in suo robore perseverent: quodque liber-

libertatem ecclesiasticam conservabit suo posse universis personis ecclesiasticis, ac rebus & bonis eorum ac earum Ecclesiarum, prædictas ecclesiasticasque personas, omnia religiosa & pia loca, resque & bona eorum in sua libertate restituet, & curabit restitui facere, & gaudere permittet juribus & jurisdictionibus, privilegiis, libertatibus a jure concessis, beneficiis, bonis, juribus, reditibus & proventibus earundem, nec aliquas exactiones quovis quæsito colore petet vel exiget ab eisdem per se vel alium, directe vel indirecte, nec peti vel exigi permittet. Ne autem super iis restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano Pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium & rerum immobilium (si qua extent) restitutio plena fiat, ita quod eam, de quorum dominio & proprietate, seu possessione notum fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddantur. In dubiis vero per ipsos summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura judicii veritas inquiratur, & justitia ministrabitur.

Omnes insuper Ecclesiæ tam cathedrales, quam aliæ regulares & seculares, nec non omnes prælati & clerici, ac universæ, personæ, ecclesiasticæ, seculares & religiosæ in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt: nec ante electionem, nec in electione, vel post dicti Frederici seu ejus Successorum in Regno sive Insulis prædictis, consensus vel consilium aliquatenus requiratur: quam utique libertatem ipse Fredericus, ipsiusque in dictis Insulis seu Regno Successores semper manutenebunt, & conservabunt, & manuteneri facient ab omnibus subditis suis, dictæque Ecclesiæ & personæ, & omnia religiosa & pia loca utentur libere omnibus bonis & juribus suis; salvo sibi & Successoribus suis in Regno prædicto Trinacriæ seu Insulis jure patronatus, prout & secundum quod patronis Ecclesiarum canonica instituta concedunt, & in illis tantum Ecclesiis, in quibus Reges antiqui Siciliæ hujusmodi jus patronatus habuerunt; salva semper circa Ecclesias cathedrales, & alias regulares & seculares quascunque, ac personas & loca ecclesiastica tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam in reservationibus de ipsis Ecclesiis faciendis, quam in omnibus & quibuscunque aliis, Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione, ordinatione & auctoritate plenaria, & libera potestate.

Omnes vero causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, libere & absque ullo impedimento agitabuntur, ventilabuntur, & tractabuntur coram ordinariis & delegatis Apostolicis, & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos: & si ad Sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati ad eandem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus libere, & absque inhibitione aliqua & impedimento quolibet permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur Frederico præfato, & ejus in Regno Trinacriæ Successoribus secundum antiquam & rationabilem consuetudinem (prout Canonica instituta permittunt) ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores antiquis Regibus Siciliæ præstiterunt. Si qui autem sint Prælati & Clerici, qui temporalia sive regalia bona teneant a dicto Rege & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia ipsi Regi & Dominis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut statuta patiuntur Canonica, impendent. Promittet etiam, quod nullus Clericus vel persona ecclesiastica eorundem Regni seu Insularum in civili, vel criminali conveniatur coram judice Seculari: sed omnes personæ ecclesiasticæ omnimode erunt liberæ, & in nullo dicto Friderico seu ejus Successoribus subjacebunt. Nullas insuper talias vel collectas, seu alia onera Ecclesiis, Monasteriis, Clericis & viris ecclesiasticis, vel rebus eorum directe vel indirecte imponent, imponi facient vel permittent; & in Ecclesiis ac beneficiis vacantibus ipse Fredericus, vel ipsius in Regno Trinacriæ, vel Insulis Successores nulla habebunt regalia, nullam justitiam, nullosque fructus, reditus, & proventus; nullas obventiones, & nulla prorsus alia percipient ab eisdem: sed custodia earundem Ecclesiarum & beneficiorum interim libera penes personas ecclesiasticas juxta & secundum statuta Canonica remanebit. Revocabunt etiam omnes constitutiones seu leges per eundem Fridericum, seu prædecessores suos, præfatarum Insularum detentores, si quæ editæ existant contra ecclesiasticam libertatem; quas Nos etiam ex nunc irritas nunciamus, nec constitutiones, vel statuta edent aut promulgabunt, quæ juri vel ecclesiasticæ libertati in aliquo derogant.

Item, quod Dominus Fredericus & Successores sui in Regno seu Insulis præstabunt hujusmodi juramentum, ad hoc se specialiter obligantes, quod nunquam per se vel alium aut alios, seu quocunque modo procurabunt, ut eligantur vel nominentur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Teutoniæ, seu Dominum Lombardiæ vel Tusciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ, nisi hoc de expressa Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, processerit voluntate: & si electionem, vel nominationem ad ipsum Imperium vel Regnum Romanorum, seu ad Regnum Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earundem, de eo celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni, vel nominationi assensum præstabunt; vel intromittent se ullo modo de regimine ipsius Imperii vel Regni Romanorum seu Regni Teutoniæ, vel Dominii Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis ipsarum, ad horum quodcunque nominatus fuerit, vel electus. Quod si ipse, vel aliquis seu aliqui ipsius in Regno Trinacriæ, seu Insulis Successores ad Imperium, vel ad dictum Regnum Romanorum, vel Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earum procuratione eorum, vel studio nominati fuerint vel electi, si hoc verum & *manifestum* fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem dicti Imperii, Regni Romanorum seu Regni Teutoniæ, aut Dominii Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine seu manifeste intromiserit seu intromiserint, eo ipso a jure Regni Trinacriæ seu Insularum Siciliæ prædictarum cadat & cadant ex toto, ipsaque prorsus amittat seu amittant; & prædictum Regnum seu Insula cum adjacentibus Insulis ad Joannam prædictam, seu

ſeu ejus Succeſſores in Regno Siciliæ, ſeu (Regno ad Eccleſiam devoluto) ad Romanam Eccleſiam libere revertantur. Si autem ipſe vel aliqui ex prædictis Succeſſoribus nominationi vel electioni factæ eis non procurantibus, conſenſerint vel conſenſerit, tunc huic electioni vel nominationi, vel juri omnino renuncient & renunciet; & de Imperio ſeu aliquo alio præmiſſorum, ad quod electi vel nominati fuerint, vel fuerit, ſe nullatenus intromittent, vel intromittet; & ſi moniti infra quatuor menſium ſpatium poſt monitionem hujusmodi tali nomini, ſeu electioni vel juri non renunciaverint vel renunciaverit, ſeu de ipſo Imperio vel aliquo præmiſſorum, ad quod electi vel nominati fuerint vel fuerit, ſe intromiſerit vel intromiſerint quoquo modo, ex hoc ſit & ſint eisdem Regno, ſeu Inſula cum adjacentibus Inſulis, & omni prorſus eorum jure in illis privati & privatus, &, ut dictum eſt, ad prædictos, prout ſuperius eſt expreſſum, libere devolvantur. Si vero ad ipſum Fredericum, vel ipſius in dicto Regno, ſeu Inſulis Succeſſores non poterit commode talis monitio pervenire (ſuper quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeat, ſeu nequeant, credetur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis, ſive dicto) ſufficiat ſuper hoc Romani Pontificis monitio publica & ſolemnis, ita, quod ſi infra ſex menſes poſt illam hujusmodi electioni, nominationi ſeu juri non renunciaverit ſeu renunciaverint, aut de Imperio ſeu de aliquo alio prædictorum, ad quod ipſe vel dicti Succeſſores electi vel nominati fuerit vel fuerint, ſe quomodolibet intromiſerit vel intromiſerint, ex hoc cadat & cadant ab omni jure ipſorum Regni ſeu Inſularum cum adjacentibus Inſulis, & ipſa ad præfatos libere devolvantur, ut ſupra.

Cæterum ſi contingeret, aliquem de ſuis Succeſſoribus, qui deberet in prædictis Regno ſeu Inſulis ſuccedere, in Regem ſeu Imperatorem Romanorum ſeu Regem Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ aut Tuſciæ, aut majoris earum partis nominari, vel eligi ſeu aſſumi, nullatenus poſſeſſionem dicti Regni ſeu Inſularum nanciſcatur, vel habeat, nec de illorum jure, ſeu dominio & regimine per ſe vel alios ſe aliquatenus intromittat, niſi prius Imperio vel Regno Romanorum ſeu Regno Teutoniæ, aut Domino Lombardiæ aut Tuſciæ, aut majoris earum partis, ad quodcunque eorum electus, nominatus fuerit, vel aſſumtus, & omni juri ſibi in illo competenti omnino renunciet, & de illorum regimine nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, ſe aliqualiter intromittat; ſed omnino dimittat, ipſum nullo unquam tempore reſumturus: alioquin cadat ab omni ſucceſſione & jure, quæ in dicto Regno Trinacriæ ſeu Inſulis competerent ſibi eo ipſo; ita quod eadem Regnum, ſeu Inſulæ ad præfatum juxta prædictum ordinem plene & libere devolvantur. Quod ſi, non extantibus maſculis, fœmina in dicto Regno ſeu inſulis ſucceſſerit, illa Regi vel Imperatori Romanorum, ſeu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi vel electo Teutoniæ, ſeu Lombardiæ vel Tuſciæ Domino, aut majoris partis earum, ſeu electo ad eorum dominium nunquam matrimonialiter copuletur. Et ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat a Regno ſeu Inſulis prælibatis & jure quod in illis haberet, maneatque prorſus illorum jure privata, ipſumque Regnum ſeu Inſulæ ad præfatos juxta præmiſſorum ordinem devolvantur. Si autem dictus Fredericus, vel alius ſuorum in Regno Succeſſorum contra hæc venerit, ſeu venerint, eo ipſo excommunicatus ſeu excommunicati, inſuper labe & reatu perjurii notatus vel notati exiſtat vel exiſtant.

In hujusmodi quoque juramento ipſe Fredericus nunc expreſſe addet, & per ipſius in dicto Regno ſeu Inſulis Succeſſores addetur expreſſe, quod nullo unquam tempore Regnum ſeu Imperium Romanorum ſeu Regnum Teutoniæ, vel dominium Lombardiæ ſive Tuſciæ, ſeu majoris partis earum, aut easdem Lombardiam ſeu Tuſciam, vel majorem partem ipſarum, per ſe, vel alium ſeu alios, occupabunt, capient, vel acquirent, aut ſibi quomodolibet vendicabunt; & ſi ſecus fecerint, ſecundum formam præſcriptam, pœnas ſimiles incurrant. Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ, intelligitur ſcienter Si vero ignoranter, etiam eam ad mandatum Eccleſiæ dimittere teneantur; & ſi eam ad mandatum Eccleſiæ dimittant, non incidant in pœnam in articulo iſto, & conſimilibus conſtitutam: ſi vero moniti non dimittant, incidant in pœnas in articulo iſto & conſimilibus conſtitutas. Quod ſi forte in poſterum Regem Trinacriæ contingat in Imperatorem vel Regem Romanorum aut Teutoniæ, ſeu Dominum Lombardiæ ſeu Tuſciæ eligi, poſtquam fuerit ipſius Regni Trinacriæ ſeu inſularum poſſeſſionem adeptus, ad Imperium, Regnum, ſeu dominium prædicta, ſeu eorum aliquod non tranſeat: alioquin in pœnas incidat in hoc articulo & ſimilibus comprehenſas.

Quod ſi, Regni Trinacriæ ſeu inſularum prædictarum poſſeſſione habita ſeu obtenta, in Imperatorem, Regem ſeu Dominum electus tranſire voluerit ad imperium, Regnum, ſeu dominium hujusmodi, in manu prius Romani Pontificis vel illius, quem ad hoc idem Pont. duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſurum in Regnum Trinacriæ, ſeu Inſulas, cujuscunque fuerit ætatis, prius emancipet, & Regno, ſeu inſulis cujuscunque fuerit ætatis, prius emancipet & Regno ſeu inſulis prædictis renunciet, nihil dominii, jurisdictionis, aut cujuscunque ſervitutis, ſeu poteſtatis in eo, vel eis retinens, clam vel palam, nec ipſum filium ad aliquod ſervitium vel ſubſidium faciendum ſtimulatione, pacto, juramento, vel voto, ſeu alias qualitercunque ſibi vel ſuis Succeſſoribus obliget, vel aſtringat: quod ſi hujusmodi emancipatione & renuntiatione non factis, ad Imperium, Regnum, ſeu dominium hujusmodi tranſiverit, eorum vel alterius ipſorum adminiſtrationi ſe qualitercunque immiſcendo, eo ipſo cadat a Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis hujusmodi, & ad dictam Joannam, ſeu ejus in Regno Siciliæ Succeſſores, vel (Regno ad Romanam Eccleſiam devoluto) ad ipſam Romanam Eccleſiam libere devolvantur. Quod ſi, emancipatione & renunciatione hujusmodi factis, ad Imperium, Regnum, Dominium prædicta, vel eorum alias tranſiverit, filius ejus ſic emancipatus ad ſucceſſionem Regni, ſeu Inſularum prædictarum libere admittetur; ſicque factus filius ſui juris homagium ligium, & fidelitatis juramentum juxta formam in præſentibus annotatam præſtabit Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & alia faciet, quæ juxta præſentis tractatus tenorem Reges Trinacriæ Romano Ponti-

Pontifici & Sedi Apostolicæ facere sunt astricti. Faciet etiam præfatæ Joannæ Reginæ, & ipsius in Regno Siciliæ Successoribus, tam juramentum fidelitatis, quam omnia alia & singula, quæ in capitulis præsentis tractatus, eosdem Joannam & Successores tangentibus, exprimuntur. Et si filium ipsum absque liberis decedere forte contigerit, ad successionem Regni Trinacriæ, seu Insularum hujusmodi pater nullo unquam tempore admittetur, Imperator seu Rex Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominus Lombardiæ, seu Tusciæ, seu majoris partis earum existens. Si autem Imperio aut Regno, seu Dominio hujusmodi veraciter, sine dolo & fraude verbis & facto renuntiaverit, & hujusmodi Regno Trinacriæ, seu Insulis velit esse contentus, ad ipsius filii successionem post renuntiationem hujusmodi libere admittetur, facietque tunc Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Romanæ Ecclesiæ, ac dictæ Joannæ Reginæ, & ejus in Regno Siciliæ Successoribus, omnia & singula, quæ supra in ejus filio sunt expressa. Cum autem Rex Trinacriæ, seu Insularum hujusmodi, legitimum non habens filium, ad Imperium, Regnum vel Dominium prædicta, seu eorum aliquod eligetur, ac hujusmodi Regno Trinacriæ renunciare, & ad Imperium, Regnum vel Dominium, ad quod sic electus, vel nominatus fuerit, transire velit, si filiæ, vel aliquæ aliæ de personis, quas supra diximus in Regno Trinacriæ prædicto posse succedere, superstites sint, quæ de filio præordinavimus, observentur in illis: excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in solis personis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Si autem nullæ tales personæ superstites fuerint, Regnum Trinacriæ, seu Insulæ hujusmodi ad dictam Joannam, seu ejus in Regno Siciliæ Successores, vel Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto, ad ipsam Romanam Ecclesiam juxta prænotatum ordinem revertantur libere.

Declaramus etiam, quod si Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes sibi filia vel mulier alia fuerit, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori aut Regi Romanorum seu Teutoniæ, aut Domino Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earum, dum ipse Rex viveret, fuerat desponsata vel nupta, non succedat in Regno seu Insula prælibata: & si, Regno seu Insulis sibi delatis, Imperatori vel Regi Romanorum vel Teutoniæ, seu Domino Lombardiæ vel Tusciæ, vel majoris earum partis nupserit, cadat protinus ab eisdem, nisi in quocunque duorum casuum præmissorum vir ejus Imperio, aut Regno seu Dominio prædictis prorsus renuntians, Regno seu Insulis prædictis solummodo sit contentus: & hæc locum habeant, nisi ad Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, Imperium vel Regnum, seu Dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis ipsarum expressa acceptaverit voluntate. In primo autem casu, videlicet, quod filia vel mulier alia Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes extiterit, & quæ juxta formam prædictam debeat ad successionem admitti, Imperatori, Regi, aut Domino præfatis, Rege vivente, fuerit desponsata vel nupta, propter quod a successione præmissa (ut præmittitur) repellatur, ad personas alias, servatis gradibus, Regnum seu Insula cum adjacentibus Insulis perveniant, quas prænotavimus in Regno seu Insulis posse succedere in casu, quo Rege præmortuo filii non supersint. In secundo autem casu, videlicet quo, Regno seu Insulis sibi jam delatis, Imperatori, Regi, aut Domino præfatis postea nupserit, Regnum seu Insula cum adjacentibus Insulis, ad prædictam Reginam seu Successores ejus in Regno Siciliæ, seu (Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur: prædictaque Regnum, seu Insulæ Imperio, Regno, aut Dominio prædictis nullo modo subdentur, nec sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur. Et præcise super hoc articulo, tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocunque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum: cum prorsus intentionis sit nostræ & Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum Trinacriæ, seu Insulæ prædictæ nullo unquam tempore Imperio, aut Regno Romanorum aut Teutoniæ, seu Dominio Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis earum uniantur, quod scilicet unus Romanorum Imperator, vel Rex Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominus Lombardiæ, seu Tusciæ, vel earum alicujus majoris partis & Trinacriæ Rex existat; ita quod ipse Fredericus & sui Successores in Regno Trinacriæ in Urbe, sive Campania, vel Maritima, seu Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, aut in patrimonio B. Petri in Tuscia, sive in aliis quibuscunque terris, aut Dominiis, aut feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione, legato, aut venditione, aut donatione, sive alio quocunque jure vel titulo, sive contractu nihil unquam sibi acquirent, seu vendicabunt, seu poterunt acquirere, seu quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipient, habebunt, vel retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt, nisi in Regno Siciliæ & terra citra Pharum, si ad ipsos de jure spectaret successio: ad quem casum prohibitiones hujusmodi declaramus aliqualiter non extendi. Nullam etiam potestariam, seu capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, dignitatem, seu potestatem senatoriam, vel quamcunque aliam administrationem, seu commendam, nec quodcunque aliud officium recipient seu recipere habebunt, & retinebunt, recipere, habere vel etiam retinere poterunt in eisdem.

Quod si contra præmissa, vel aliquod de contentis in præsenti capitulo facere, vel attentare præsumserint, aut Capitaniam, vel Maritimam, seu Urbem, vel Ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive Patrimonium B. Petri in Tuscia, vel alias terras quascunque Romanæ Ecclesiæ ubilibet constituta, seu earum aliquam partem occupaverint vel occupari fecerint, aut super his offenderint, seu molestaverint Ecclesiam, seu fecerint molestari; & postquam a Romano Pontifice moniti vel requisiti fuerint, vel si commode moneri vel requiri nequiverint, juxta Romani Pontificis assertionem, vel dictum, postquam de hoc ipse publice vel solemniter ipsos monuerit, infra tres menses acquisita, vel delata realiter integre & effectualiter non dimiserit; aut a Capitaneatu, rectoria, senatoria, vel alio, (quodcunque illud sit) officio, eorumque seu

ſeu eorum alicujus exercitio omnino non deſtiterint, vel reſtituerint integre omnia occupata, eo ipſo ab eorundem Regni Trinacriæ ſeu Inſulæ Siciliæ, cum adjacentibus Inſulis, jure cadent totaliter, ipſaque totaliter amittent; & ad præfatos Reginam, ſeu Succeſſores ejus in Regno, vel Romanam Eccleſiam juxta prænotatum ordinem libere devolventur. Quod ſi etiam reſtituerint occupata, nihilominus ad plenum de univerſis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejuſdem Romani Pontificis ſatisfacere teneantur. Alii quoque ipſius Frederici hæredes, videlicet qui ſibi non ſuccedent in Regno ſeu Inſulis prædictis, ſi contra præmiſſa, vel eorum aliquod facere, vel venire attentaverint quomodolibet, eo ipſo ſint excommunicati, & tam ipſi, quam eorum poſteritas in perpetuum ad ſucceſſionem prædictorum Inſulæ cum adjacentibus Inſulis, ſeu Regni (ſi in aliquo forte caſu ejuſdem ſucceſſio devolveretur) ad illam nullatenus admittantur: & Rex Trinacriæ, qui erit pro tempore, teneatur potenter aſſiſtere Romano Pontifici contra ipſos.

Nullam etiam confœderationem vel pactionem, ſeu ſocietatem faciant dictus Fredericus aut ſui Succeſſores, aut parentelam contrahent cum aliquo noſtro, vel Succeſſorum noſtrorum, aut Romanæ Eccleſiæ inimico, nec etiam cum aliquo Imperatore, Rege, Principe vel Barone Chriſtiano, Saraceno, Græco, aut cum alia Provincia, civitate aut communitate, aut loco alio ſcienter contra Romanam Eccleſiam. Et ne poſſet inpoſterum ſuper hoc oriri dubietas, illum declaramus debere reputari noſtrum, ſeu Romanæ Eccleſiæ inimicum, de quo fuerit eidem Regi Trinacriæ per Romanum Pontificem, qui erit pro tempore, nunciatum, quod ſuus ſeu Romanæ Eccleſiæ inimicus exiſtit, vel qui Eccleſiæ fidem non teneat, ſeu de quo manifeſtum eſt, quod Eccleſiæ Romanæ inimicus exiſtat, etiamſi non fuerit ſibi nuntiatum. Et ſi contra fecerit vel fecerint, eo ipſo cadat & cadant a dictis Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis, & ad præfatam Reginam, ſeu ejus in Regno ſuo Siciliæ Succeſſores, ſeu ad Romanam Eccleſiam juxta præmiſſum ordinem libere revertantur. Item quod dictus Fredericus habebit & tenebit inimicos noſtros & Romanæ Eccleſiæ pro inimicis ſuis, & amicos noſtros pro amicis ſuis, & præfatos inimicos noſtros & Romanæ Eccleſiæ ad noſtrum & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, mandatum perſequetur toto poſſe.

Item, quod Nobis & Succeſſori noſtro, qui pro tempore fuerit, ubi Nos vel Succeſſor noſter, qui pro tempore fuerit, vellemus pro ſubſidio terræ ſanctæ, licitum erit & liberum extrahi facere anno quolibet, prædicto occurrenti caſu, de prædictæ Inſulæ partibus ſalmas frumenti ad menſuram Siciliæ decem millia; & ubi Nobis & ipſi Succeſſori, qui pro tempore fuerit, placebit pro uſu noſtro & Succeſſorum noſtrorum, venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, familiariumque noſtrorum & Succeſſorum (quantum Nobis & ipſi Succeſſori, qui pro tempore fuerit, videbitur expedire) liberas a jure quolibet exituræ, dohanæ, ſeu alterius oneris vel vectigalis, quocunque nomine nuncupentur, transvehendas, quo Nos vel Succeſſor noſter, vel Romana Eccleſia mandaverimus, juxta noſtræ ac ſuæ beneplacitum voluntatis. Item, quod omnia & ſingula contenta in pactis & conventionibus habitis inter Romanam Eccleſiam & prædictum quondam Carolum, Regem Siciliæ, tam affirmative, quam negative, quæ in dando vel in faciendo, vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo, vel mixtim conſiſtunt, ipſe Fredericus & ſui in Regno Trinacriæ Succeſſores plene & integre ſervabunt, quatenus non diſcrepant, nec contrariantur capitulis in præſenti tractatu poſitis, prout ipſos contingit, ſeu contingere poſſit, & non aliter; præſertim in eo caſu, quo Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam redire contingat. Intendimus etiam, quod per nominationem ipſam Regni Trinacriæ honori regalis tituli, qui de Regno Siciliæ apud præfatam Joannam ejuſque Succeſſores in Regno Siciliæ remanet, quemque apud eam & Succeſſores ejus remanere volumus, nullum (etiam quantum ad vulgi labia ſeu prolationem ſermonis) præjudicium afferatur.

Et ſi contingat, quod aliqua emergat dubietas vel contentio in tractatu pacis prædictæ, vel circa ipſum, Nos, ſeu Succeſſor noſter, qui pro tempore fuerit, tanquam ſuperior Dominus cognoſcamus, & ſtetur ſimplici dicto noſtro & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, etiam parte aliqua non vocata. Omnes vero præmiſſas & ſequentes conditiones, quæ in perſona præfati Frederici apponuntur, circa ipſius etiam in dictis Inſulis ſeu Regno Trinacriæ Succeſſorum intelligimus, & volumus eſſe dictas: & quod omnia & ſingula prædicta & infraſcripta juramenta, homagia, obligationes, promiſſiones, & conventiones dicti Frederici in dictis Regno ſeu Inſulis Succeſſores promittere, revocare, præſtare, ſervare, & facere teneantur Nobis & ſingulis Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & Joannæ præfatæ & ſingulis Succeſſoribus ſuis in Regno Siciliæ, in quam tum ex tenore præſentium capitulorum facere tenentur; eiſdem ſalvis omnibus, quæ circa alios hæredes dicti Frederici ordinata conſiſtunt, prout ſuperius & inferius eſt expreſſum. Per aliqua autem in præſentibus capitulis deſcripta ſeu contenta non intendimus pacta & conventiones habitas inter Romanam Eccleſiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ, quæ affirmative vel negative, in dando vel faciendo, vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo, vel mixtim conſiſtunt (& præſertim ſuper ſolutione cenſus & exhibitione ſervitiorum Nobis & Eccleſiæ Romanæ debitorum juxta conventiones prædictas) mutare, innovare, ſeu eis in aliqua ſui parte detrahere, vel aliquid derogare, niſi de expreſſo conſenſu Reginæ præfatæ: ſed ad prædicta omnia, & ſingula alia, dicta Joanna & Succeſſores ſui in Regno Siciliæ integraliter Eccleſiæ Romanæ perinde remaneant obligati, ſicut ſi Regnum ipſum Siciliæ cum ea integritate, qua dicto Domino Carolo infeudatum extitit, totaliter poſſideret; & omnia contenta in prædictis pactis & conventionibus cum cenſurarum, pœnarum ſpiritualium & temporalium adjectionibus, & omnibus capitulis ex clauſulis ibidem deſcriptis (ſalvo quod in proximo capitulo ſequitur) inconcuſſa & illibata in ſuo robore volumus remanere.

Verum quia in conventionibus inter Romanam Eccleſiam & dictum quondam Carolum habitis conti-

continetur, quod Insula Siciliæ & terra circa Pharum dividi non deberent; Nos, considerantes tot & tantas strages hominum, deprædationes & dissolutiones Ecclesiarum, raptus, incendia, divini cultus diminutionem, & alia mala innumerabilia, quæ ex guerris, quæ diu viguerunt inter dictam Reginam & suos Prædecessores ex una parte, & dictum Fredericum & suos ex altera (qui dictam Insulam & terram aliam citra Pharum de facto divisas tenuerunt jam per septuaginta annos, & ultra) sunt secuta; & quod propter interdictum, cui dictæ Insulæ jam per multos annos subjacuerunt, in dictis Insulis tantum excrevit indevotio populi, hæreses pullularunt, quod de totali subversione Catholicæ fidei in eisdem probabiliter dubitatur, nec non quietis, quæ in subditis utriusque terræ (cujus ad Nos directum dominium pertinet) proveniret ex pace prædicta, maxime quia quodammodo guerris hujusmodi finis imponeretur, alias quam per pacem spes verisimilis non habetur, immo quod ex dilatione ipsius pacis Reginæ, & ipsius Regno, ac Romanæ Ecclesiæ hostes hostibus adderentur, non immerito formidatur: ex his & aliis causis justis, ad hoc Nos moventibus, dictam conventionem ad supplicationem ipsius Reginæ de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, ex certa scientia relaxamus: adjicientes, quod si in aliquo casu juxta hujusmodi tractatus conventionem dictas Insulas ad manus Joannæ, seu Successorum suorum, in Regno pervenire, seu reverti contingat, resumat suum robur præfata conventio, ita videlicet, quod dicta Insula ab alia terra citra Pharum nullatenus dividatur. Circa Capitula autem tractatus præfati, habiti inter partes, Nobis (ut præmittitur) præsentati, modo & serie infra scriptis duximus procedendum, videlicet, quod partes ipsæ vicissim rancores & odia hucusque habita inter eos, nec non damna cujuscunque generis, seu interesse, quæ ex præteritis guerrarum temporibus, vigentium in Regnis, tam ultra, quam citra Pharum; tam pro se, quam pro fidelibus & vasallis suis, subditis, sequacibus quibuscunque fautoribus, aut habentibus causam dictæ guerræ, etiam fructus, reditus & proventus, qui percepti sunt ab ipso Frederico, seu Prædecessoribus suis, vel percipi poterunt, seu occasione, prætextu vel causa præmissorum ab eodem Frederico quomodolibet peti possent, sibi invicem remiserunt; sumus de ipsarum partium super hac ordinatione contenti: & propterea volumus, quod in perpetuum universaliter & singulariter, simpliciter & bona fide vigere debeat vera pax & sincera concordia inter eos dictosque eorum fideles, vasallos, & alios superius nominatos.

Item dictus Fredericus & singuli ipsius Successores in Regno Trinacriæ ex singulis antedictis recognoscent pro se & Successoribus supradictis, tenere dictum Trinacriæ a dicta Joanna Regina & suis Successoribus in Regno Siciliæ, ex suo corpore descendentibus legitime tantum. Post mortem vero dictæ Joannæ Reginæ ejusque hæredum ex suo corpore descendentium, seu ejus, si nulli ex suo corpore hæredes superstint, recognoscent tenere in feudum Insulam & Regnum prædictum cum adjacentibus Insulis suis, a Nobis & Successoribus nostris & Sancta Romana Ecclesia, tanquam a superiori & directo Domino (honore Regalis tituli Regni Siciliæ, quem apud Joannam præfatam, suosque Successores in Regno remanere volumus, semper salvo) ut in præsentibus capitulis continetur; reservatis obligationibus solutionis census trium millium unciarum, servitii equitum & galearum, & præstatione homagii & juramenti fidelitatis eidem Joannæ Reginæ & ejus hæredibus ex suo corpore descendentibus & etiam non descendentibus, etiam reservatis singulis Successoribus ejus in Regno, etiam non descendentibus ex suo corpore, obligationibus census trium millium unciarum, servitii equitum & galearum, & præstatione juramenti fidelitatis; & aliis obligationibus, ordinationibus, retentionibus supra & infra scriptis in suo robore permanentibus. Item quod dictus Fredericus, & Successores ipsius utriusque sexus, descendentes ex eo, succedentes in Regno seu Insulis prædictis, præstabunt præfatæ Joannæ Reginæ & singulis Successoribus suis in Regno Siciliæ servitium decem galearum, & centum militum, præstandum in pecunia anno quolibet, tempore notabilis invasionis ipsius Regni Siciliæ citra Pharum in hunc modum, videlicet tertiam partem istis temporibus usque ad redintegrationem supradictæ Insulæ, vel majoris partis ipsius, ad Dominium & obedientiam ipsius Frederici ad rationem quidem unciarum centum quindecim per mensem pro qualibet ipsarum galearum: quæ unciæ reductæ ad florenos de auro ad pondus generale Regni Siciliæ ad rationem de florenis quinque per unciam faciunt summam unciarum trium millium centum quinquaginta, & pro prædictis militibus equitibus centum ad rationem de unciis duabus pro quolibet ipsorum per mensem in florenis prædictis faciunt summam unciarum sexcentarum: & tota prædicta pecunia erit in summam pro tribus mensibus unciarum quatuor millium quinquaginta annis singulis, quibus continget fieri invasionem prædictam computando, ut supra.

Redintegrata vero Insula, vel majori parte ipsius, ut supra, ad Dominium & obedientiam ipsius Frederici, præstabit ipse Fredericus, & sui Successores dictum servitium in pecunia juxta præmissum calculum sine diminutione quacunque: & si dubium oriri contingat, quæ censeri debeat notabilis invasio, vel redintegratio Insulæ, de quibus supra, statur simplici dicto nostro & Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, etiam parte non vocata. Sufficiet autem, dictam redintegrationem, de qua præmittitur, semel fieri, dictusque Fredericus per Procuratorem & Successores ipsius utriusque sexus descendentes ex eo, succedentes in dicto Regno Trinacriæ seu Insulis per se ipsos, nisi justum impedimentum contigerit. Quo casu per Procuratorem sufficientem & idoneum, sufficienti potestate suffultum teneantur & debeant præstare & facere pro dictis Insulis & Regno Trinacriæ homagium, fidelitatis juramentum præfatæ Joannæ & singulis Successoribus suis in dicto Regno Siciliæ ex suo corpore descendentibus; & etiam singulis non descendentibus ex suo corpore teneantur modo simili præstare, & facere fidelitatis juramentum sub hac forma: Ego Fredericus DEI gratia Rex Trinacriæ juro super hæc Sancta DEI Evangelia, quod ab hac hora in antea ero fidelis vobis serenissimæ Dominæ

Dominæ Joannæ, Reginæ Siciliæ Illustri, & vestris in Regno Siciliæ Successoribus, ac intentata omnia sinistra, & præjudicialia vobis, Regno, statui, & honori vestris, cum ad meam notitiam pervenerint, quanto melius scivero & potero, avertam: quod non ero in consilio vel facto contra personam, Regni statum, & honorem Regalem vestrum; sed ipsas personas, Regnum & Regalem honorem defensabo toto posse per me & meos bona fide contra omnem hominem viventem, excepto Domino nostro Gregorio Papa XI. & ejus Successoribus, ac Sede Apostolica: & omnia & singula capitula, sub forma fidelitatis contenta, inviolabiliter observabo: universas & singulas promissiones, obligationes, conventiones in præsenti privilegio, Instrumento seu literis contentas, & omnia & singula in eis contenta plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa: Sic me DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia; ita tamen quod ex prædictis recognitione Regni Trinacriæ seu Insularum, ac homagio & fidelitatis juramento Comites, Barones, & omnes vasalli & fideles Frederici præfati, hæredum & Successorum suorum in Regno & Insulis supradictis, nullo respectu nulloque jure intelligantur astricti, nec censeantur subjecti præfatæ Reginæ, seu hæredibus suis; nec in eosdem præfata Regina seu hæredes sui cognitionem, jurisdictionem, seu aliam potestatem exercere valeant, nec prætendant: immo præfatus Fredericus, hæredes & Successores sui in dicto Regno Trinacriæ, seu insulis in eosdem Comites & Barones & alios suos vasallos, per se omnem ac liberam possint & debeant jurisdictionem exercere & plenissimam potestatem; juribus tamen omnibus & singulis nostris & Romanæ Ecclesiæ semper salvis.

Item, quod præfatus Rex, hæredes & Successores ipsius in dicto Regno Trinacriæ solvent, tradent, & assignabunt, & solvere tenebuntur eidem Reginæ & singulis hæredibus & Successoribus suis in dicto Regno anno quolibet, in festo Apostolorum Philippi & Jacobi in civitate Neapolitana periculo & expensis ipsius Frederici & suorum Successorum in Regno, seu Insulis, uncias auri tria millia ad rationem præmissam de florenis quinque, aut ad pondus generale Regni Siciliæ, pro qualibet uncia, quæ reductæ ad florenos auri ad pondus & rationem prædictam, faciunt summam florenorum quindecim millium contingentium dictas Insulas, seu Regnum Trinacriæ ratione debiti per ipsam Reginam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi; concesso tamen gratiose per eandem Reginam, quod præfatus Rex eximatur, absolvatur, & veniat liberatus pro se, hæredibus, & Successoribus suis à præstatione & solutione dicti census per annos tres, inchoandos in prædicto festo Apostolorum proxime elapso. Completis vero annis tribus, teneantur ipse Rex solvere dicta quindecim millia florenorum anno quolibet pro censu prædicto eidem Reginæ & singulis suis Successoribus in Regno Siciliæ prædicto in civitate Neapolitana absque diminutione quacunque in prædicto termino Festi Apostolorum Philippi & Jacobi modo præmisso. In casu vero, quo contingeret, Regnum Siciliæ redire ad manus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, eo casu teneantur & debeant dictus Fredericus & Successores ipsius præfati dare & solvere dicta tria millia unciarum pro censu in Festo Apostolorum Petri & Pauli Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ anno quolibet, ubicunque Summum Pontificem, seu Romanam Curiam adesse contingat, expensis suis & periculo; ea remissione dicti census de prædictis tribus annis futuris per præfatam Reginam facta, (si eis durantibus contingeret Regnum ad Ecclesiam Romanam redire) nihilominus in suo robore manente.

Si vero dictus Fredericus, aut Successores sui in dicto Regno, seu Insulis, quomodocunque non solverint integrum censum Joannæ præfatæ, aut Successoribus suis in Regno Siciliæ, vel (Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto) ipsi Romanæ Ecclesiæ, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de eo ad plenum non satisfecerit, aut satisfecerint, eo ipso erit & erunt excommunicationis vinculo innodatus & innodati. Quod si in secundo termino subsequente duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum Regnum Trinacriæ, seu Insulæ Siciliæ adjacentes, prædicto ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses primos per plenam satisfactionem ejusdem illius census sibi non duxerit consulendum, ita, quod transactis eodem termino tertio, & duobus proxime sequentibus mensibus, non sit de tribus millibus unciarum hujusmodi primi termini ipsi Joannæ, seu ejus Successoribus, aut Romanæ Ecclesiæ juxta ordinem prædictum integre satisfactum, ab ipso Regno seu Insulis, ipsorumque jure cadat & cadant ex toto, & Regnum ipsum, sive Insulæ ad præfatam Joannam, ejusque Successores in Regno, vel (Regno ad Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam ipso jure libere & integre revertantur. Si autem de censu trium millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictum tertium & duos sequentes menses plenarie satisfecerit aut satisfecerint, nihilominus semper pro singulis tribus millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in earum solutione cessaverit, vel cessaverint, vel ipsa non solverit, vel solverint, pœnas similes incurret & incurrent; salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri, vel haberi poterunt per Romanum Pontificem, seu per Joannam præfatam aut ejus Successores in Regno Siciliæ in hoc casu. In omnibus vero casibus, in quibus vel propter cessationem solutionis census (ut dictum est) vel alio quoquo modo Regnum Trinacriæ, vel Insula cum adjacentibus Insulis prædictis, dictum Fredericum & suos Successores in Regno sive Insulis, sive jure, quod habet in illis, privati ipso jure contingat, seu privari debere, Regnum, Insulæ, seu jura prædicta ad Joannam præfatam, seu ejus Successores in Regno, seu (Regno ad Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Item, quod præfatus Fredericus, hæredes, & Successores sui nullo unquam tempore intitulabunt, nec scribent se titulo Regni Siciliæ, sed tantummodo titulo Trinacriæ, & intitulent & scribant se Reges Trinacriæ, & non scribant, seu intitulent se Reges Siciliæ, nec alio titulo Siciliæ: ipsaque Regina & hære-

hæredes & Successores sui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ; ita tamen, quod intitulatio Regni Siciliæ nullum afferat præjudicium intitulationi Regni Trinacriæ, nec e converso: immo quodlibet Regnum distinctum per se suum habeat titulum, nec uni pro altero derogetur, servatis dictæ Reginæ & Successoribus suis juribus, quæ occasione præsentis contractus ad eos possunt quomodolibet pertinere. Item quod dictus Fredericus pro se & singulis suis Successoribus in Regno Trinacriæ, seu Insula Siciliæ prædictis promittet solenniter, non facere confœderationem, seu pactionem cum aliquo Imperatore, aut aliquibus Principibus, seu communitatibus mundi Christianis vel infidelibus contra dictam Reginam, hæredes & Successores suos in Regno Siciliæ prædicto; & e converso dicta Regina prædictas confœderationes & pactiones promittat pro se & suis in Regno Siciliæ Successoribus, non facere contra eundem Fredericum & Successores suos.

Item, quod præfatus Fredericus veniat liberatus ab omni & quolibet censu debito pro dictis Insulis dictæ Reginæ, seu Romanæ Ecclesiæ, & habentibus causam ab eis pro omnibus retroactis temporibus usque nunc ratione Insularum supradictarum; ac etiam ab omni jure, actione, debito, ad quæ præfatus Fredericus teneri possit ratione dictarum Insularum & causa guerrarum eidem Reginæ & dictis suis hæredibus & Successoribus alias quomodolibet teneretur. Item præfatus Fredericus pro se & Successoribus suis promittet præfatæ Reginæ & Successoribus suis, quod ipse Fredericus, aut aliquis ejus in Regno Trinacriæ Successor, non receptabit in dicto Regno Trinacriæ rebelles, seu facientes guerram dictæ Reginæ, seu Successoribus suis, nec eisdem præstabit auxilium, consilium, nec favorem: & e converso præfata Regina promittet pro se, & Successoribus suis, non receptare rebelles, seu guerram facientes præfato Frederico & Successoribus suis, nec eis præstare auxilium, consilium, seu favorem. Item quod Insula Lipari, quam nunc tenet Regina præfata, remaneat cum vasallis, fortalitiis, juribus, & pertinentiis suis in potestate & plenissima jurisdictione dictæ Reginæ Siciliæ, quamdiu vixerit: post mortem vero ipsius Reginæ redire debeat cum omnibus supradictis juribus suis ipso facto ad dictum Fredericum, hæredes & Successores suos, tanquam bona de adjacentibus Insulis dictæ Insulæ Siciliæ: quodque prædicta Regina juret, & per stipulationem solemnem promittat pro suis hæredibus Successoribus, prædictam Insulam cum juribus ante dictis restituere & restitui facere præfato Regi, hæredibus, & Successoribus suis; & nihilominus prædicto casu præfatus Rex, hæredes & Successores valeant, & licitum sit eis autoritate propria, seu qualitercunque melius possint, recuperare & capere dictam Insulam, tanquam unam de adjacentibus Insulis Insulæ Siciliæ, præsenti pacis tractatu nihilominus in suo robore permanente; convento expresse, quod in superioribus Capitulis, ubi fit mentio de adjacentibus, Insulæ Siciliæ & Regni Trinacriæ, non intelligatur de Insula Lipari, nisi prout in isto Capitulo continetur.

Et cum firmata fuerint per partes & solemniter roborata contenta in præsentibus capitulis, & tradita Instrumenta, seu literæ aurea bulla bullatæ, ut inferius continetur, dictum Fredericum in eo casu ex nunc Regem Trinacriæ facimus, constituimus & creamus: & concedimus autoritate Apostolica, quod dictus Fredericus & Successores sui in Regno seu Insula prædictis, titulo prædicto Trinacriæ intitulare possit se; & non aliter, nec alio ullo modo. Item quod præfata Regina & ejus in Regno Siciliæ Successores dabit & dabunt, præstabit & præstabunt præfato Frederico, hæredibus & Successoribus suis, auxilium, consilium & favorem juxta posse suum circa reductionem, & redintegrationem dictæ Insulæ ad dominium & obedientiam præfati Frederici & Successorum suorum; non adstringendo se nec Successores suos nisi juxta velle & beneplacitum suum, & eorum. Et ut præmissa omnia & singula cum mutationibus, additionibus & detractionibus auctoritate Apostolica per Nos factis, per Joannam Reginam & Fredericum præfatos inviolabiliter observentur, prout superius sunt expressa; infra sex menses a die, qua eis fuerint præsentata, teneantur promittere, & solemniter, tactis Sacrosanctis Evangeliis, jurare, quod ipsa omnia & singula inviolabiliter observabunt. De pœnis autem, obligationibus, clausulis, solemnitatibus & cautelis pro inviolabili observantia omnium præmissorum partes ipsæ provideant inter se, sicut eis videbitur expedire; pœnis tamen per Nos pro observantia præsentis tractatus generaliter, seu aliquorum capitulorum in eo contentorum particulariter adjectis, in sua nihilominus semper remanentibus firmitate: declarantes expresse, quod per aliquas adjectiones ad tractatum habitum inter partes, per Nos factas, quæ superius describuntur, non intendimus juri, quod ex feudatione facta de Regno Siciliæ Carolo præfato & suis Successoribus competit, Joannæ præfatæ, seu ejus in Regno Successoribus, in aliquo derogare; immo illud volumus remanere illæsum, iis salvis, quæ in præsentibus Capitulis continentur. Et ulterius declaramus specialiter & expresse, quod per præsentem tractatum, seu aliqua, quæ continentur in eo, non intendimus juri alieno quomodolibet derogare. Volumus etiam, quod de contentis in præsentibus articulis, qui per Nos destinantur, nihil partes ipsæ valeant immutare. Et ad hoc, ut firmius observentur, Prælati, Principes, Duces, Comites & Barones, & Syndici notabilium civitatum, ad hoc potestatem habentes, tam Insulæ, quam terræ citra Pharum jurabunt, quanto commodius fieri poterit, infra tempus nostro arbitrio statuendum in illius, vel illorum manibus, quos ad hoc duxerimus deputandos: qui curabunt & facient bona fide, quod præmissa omnia & singula (quantum eis erit possibile) fideliter & inviolabiliter servabuntur. Debunt etiam Instrumenta seu literas præfata Joanna Regina, & Fredericus, Nobis & Romanæ Ecclesiæ aurea Bulla bullatas, in quibus contineantur & approbentur omnia de verbo ad verbum, prout superius sunt expressa, & in singulis homagiis & fidelitatis juramentis Romano præstandis Pontifici per eundem Fredericum & ejus Successores in Regno Trinacriæ antedicto, ipse Fredericus & sui in Regno hujusmodi Successores modo præmisso bullas hujusmodi renovabunt cum expressione nominis

Romani

Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, & ipsius renovantis, prout superius est expressum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam Avinionensis dioecesis VI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

XC.

Adoptio Ludovici, Ducis Andegavensis, a Johanna I. Regina Siciliæ facta, d. d. 29. Junii, Anno 1380.

JOhanna, DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Regina, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis Comitissa, &c. Sane præfatum Dominum Ludovicum, Ducem Andegavensem, in nostrum legitimum filium adoptavimus, recepimus, admisimus, instituimus, & etiam ordinavimus; adoptamus, recipimus, admittimus, instituimus & etiam ordinamus per præsentes: statuentes & ordinantes, quod ipse Dominus Ludovicus noster legitimus filius omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, juribus, immunitatibus justitiis, dominationibus, nobilitatibus, dignitatibus, honoribus, præeminentiis & prærogativis gaudeat & utatur, quibus filii legitimi adoptivi uti & gaudere possunt & debent quomodocumque & qualitercumque, tam de jure communi quam de quocumque jure alio speciali.

2. Quem dictum legitimum filium uberibus maternis & intimis prosequi cupientes affectibus, quem inter nostra præcordia prærogativa dilectionis internæ merito debemus amplecti, ex causis superius designatis & aliis, utilitatem, defensionem & tranquillitatem Romanæ Ecclesiæ prælibatæ, nostri Status Regii, Regni, terrarum & subditorum nostrorum pacifici manutentionem ac protectionem, & alias Rempubl. concernentibus, quas in nostro rectæ considerationis examine veras, evidentes, necessarias atque justas scimus, habemus, tenemus & reputamus, ipsum eumdem Dominum Ludovicum Ducem legitimum filium nostrum adoptivum, licet absentem, tanquam præsentem, petentem & requirentem per Procuratores & Nuntios supra dictos Procuratorio nomine & pro parte ipsius Domini Ludovici, legitimi filii nostri, de auctoritateque & beneplacito præfati Domini nostri Papæ Clementis, & vigore suarum literarum præscriptarum, nostræque Reginalis plenitudine potestatis, etiam de consilio & consensu prædictis, deliberationeque diligenti, provida & matura, cum personis supradictis & aliis multis fidelibus nostris, præhabita & præmissa, pro evidenti & communi utilitate Regni, terrarum, Vasallorum & subditorum nostrorum, ac provisione suprascriptorum, ex nostra certa scientia, libero proposito, prævisæ & certioratæ, non inductæ per aliquem vel aliquos fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi vel metu, sed de mera, libera ac spontanea voluntate, ac proprio motu, nostris illisque melioribus, modo & forma, quibus tam de jure, quam consuetudine ac alias possumus & valemus in futurum Regem Siciliæ, hæredem & Successorem nostrum (post obitum tamen nostrum) & eo deficiente, Ludovicum ipsius Domini Ludovici nostri legitimi filii natum, & eodem Ludovico nato sublato de medio, quemcumque alium legitimum filium & naturalem dicti Domini Ludovici Ducis, legitimi filii nostri, inter eos ordine geniture servato, in Regno, terris, locis & dominiis citra Pharum, ac in Comitatibus Provinciæ, Forcalquerii & Pedemontis, nec non in omnibus & singulis terris, locis & dominiis eorumdem ad Nos & Antecessores nostros pertinentibus & spectantibus, pertinereque & spectare debentibus, & valentibus quomodocunque & qualitercunque, tenore præsentium nominamus, pronuntiamus, declaramus, facimus, instituimus & ordinamus, ac pro futuro Rege, Successore & hærede nostro post decessum nostrum in Regno, Comitatibus, terris, locis & dominiis nostris omnibus & singulis suprascriptis ordinamus, habemus, tractamus, tenemus & reputamus; habebimus, tenebimus, tractabimus & reputabimus, & ac si noster esset legitimus filius naturalis, haberi, teneri omnibus vasallis, subditis nostris & quibuscumque aliis personis, cujuscunque status seu conditionis existant, tractari ac reputari volumus & mandamus.

3. Et amplius præsentium tenore fatemur, attestamur, & ad notitiam universorum deducimus, quod præfatus sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Clemens Papa VII. clausulam de successione Regni Siciliæ loquentem in infeudatione facta claræ memoriæ Domino Carolo I. ipsius Regni Regi, qua cavetur, quod nullus in dicto Regno succedere possit, nisi sit de descendentibus a dicto Domino Carolo (omnibus aliis in dicta infeudatione contentis in sua firmitate manentibus) de nostro pleno assensu pariter & consensu, expresse per suas Apostolicas literas superius descriptas revocavit, & viribus vacuavit, ipsamque dictæ clausulæ revocationem, & ejusdem jurium vacuationem factas, sic & prout in ipsis Apostolicis literis continetur, ex nunc etiam, quantum in nobis est, approbamus, ratificamus, & ratas & gratas habemus, ipsisque assentimur, eisdem præstantes nostrum beneplacitum, voluntatem pariter & consensum, ut ex causis superius expressis prædicta omnia & singula post nostrum obitum, uti prædictum est, suum plenum sortiantur effectum.

4. Dantes nihilominus, & etiam transferentes, tenore præsentium in eumdem Dominum Ludovicum, legitimum filium nostrum, & ejus posteros, ac prædictos suos Procuratores & Nuntios, præsentes recipientes & stipulantes nomine dicti Domini Ludovici, & pro ipso ac suis posteris ex nunc in casu obitus nostri prædicti, Regnum, Comitatus, terras, loca & Dominia prædicta, ac omnia & singula Jura competentia quomodolibet in Regno, Comitatibus, terris, locis & dominiis antefatis; insuper declaramus, ordinamus & volumus, de auctoritate & beneplacito præfati Domini nostri Papæ, ac etiam nostra Reginali auctoritate ad eundem

Dominum Ludovicum, nostrum legitimum filium, seu Ludovicum, ejusdem Domini Ludovici filii nostri natum, ac eorum posteros, Regnum, terras, loca & dominia citra Farum; Comitatus Provinciæ, Forcalqueriique & Pedemontis, terras, loca & dominia eorundem ad Nos, & Prædecessores nostros quomodocumque pertinentia & spectantia, & pertinere ac spectare valentia & debentia, spectare & pertinere debere, post obitum tamen nostrum &c.

5. Datum & actum in Castro nostro Ovi prope Neapolim, Anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, Indictione tertia, die penultima mensis Junii, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Papæ prædicti anno secundo; præsentibus Viris magnificis, Jacobo Magno, Regni nostri Siciliæ Camerario Minerbini, & Antonio Casertano, Comitibus; nec non Ludovico de Constantio, Milite Neapolitano, Locumtenente ejusdem Magni Camerarii, Consiliariis, & Magistro Angelucio de Furno de Ravello, fidelibus nostris dilectis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XCI.

Johannæ I. Siciliæ Reginæ, Diploma, in quo Ludovicum, Ducem Andegavensem, filium suum adoptatum, Calabriæ Ducis titulo ac juribus gratiose condecoravit, d. d. 29. Junii, Anno 1380.

JOhanna, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Regina, Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Folcalquerii, ac Pedimontis Comitissa, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Cum Nos ex certis causis defensionem & honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Clementis, divina providente Clementia Papæ VII. ejusdem Ecclesiæ vere sponsi, nec non exaltationem fidei orthodoxæ ad exterminium schismatis, nunc proh dolor! vigentis in Ecclesia Sancta DEI, & ipsum faventium, nec minus manutentionem & protectionem status nostræ Regiæ Majestatis, Regni, terrarum & subditorum nostrorum pacifici, & tranquilli, ac aliis rempublicam concernentibus; quas in nostro rectæ consideratiqnis examine jugiter deductas scimus & approbamus justas & veras ad Illustrem Principem, Dominum Ludovicum, Regis quondam Francorum filium, & Serenissimi Principis, Domini Caroli, Regis Francorum germanum, Ducem Andegavensem, & Turonensem, Comitemque Cenomanensem, Nobis de propinquo nexu sanguinis conjunctum, magnanimitate, strenuitate, & potentia, ac aliis præclaris ineffabilibus titulis multipliciter prædotatum, nostræ mentis aciem dirigentes; ipsum, inquam, Dominum Ludovicum vigore literarum Apostolicarum & autoritate nostra Regia, ex nostra scientia, libero proposito, prævisæ & certioratæ, non inductæ per aliquem, vel aliquos fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi vel metu, sed de mera ac libera, & spontanea voluntate, ac proprio motu nostris, illisque meliori modo & forma, quibus tam de jure, quam consuetudine, ac alias valuimus & potuimus, in nostrum legitimum filium adoptaverimus, receperimus, admiserimus, & ordinaverimus: quem etiam pro nostro legitimo filio habemus, tenemus, tractamus, & reputamus: habebimus, tenebimus, tractabimus, & reputabimus, ac pro tali ab omnibus haberi, tractari, reputari, volumus, & teneri, volentes prædictarum literarum Apostolicarum vigore, & nostra auctoritate Reginali, statuentes & ordinantes, quod ipse Dominus Ludovicus, noster legitimus filius omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, juribus, immunitatibus, justitiis, dominationibus, præeminentiis & prærogativis gaudeat & utatur, quibus filii legitimi adoptivi uti & gaudere possunt & debent, quomodocunque & qualitercunque, tam de jure communi, quam de quocumque alio jure speciali. Præterea Nos ipsum Dominum Ludovicum Ducem Andegavensem, nostrum legitimum filium adoptivum, uberrimis ac maternis prosequentes affectibus, ex causis superius designatis, vigore aliarum literarum Apostolicarum Nobis directarum, ac nostræ Reginalis auctoritatis plenitudine, in Regem futurum Regni, terrarum, locorum, & dominiorum citra Pharum, nec non Comitatuum Provinciæ, Forcalquerii, & Pedimontis, ac terrarum, locorum, & dominiorum eorumdem ad Nos & antecessores nostros pertinentium & spectantium, pertinere & spectare valentium, & debentium, ipsum & ejus posteros illis melioribus modo & forma, quibus tam de consuetudine, quam de jure, & alias potuimus, & valuimus, adhibitis solemnitatibus omnibus & singulis in subscriptis necessariis, seu quomodolibet opportunius, quas hic etiam habemus pro expressatis, ex nostra certa scientia, libero proposito, prævisæ & certificatæ, non per aliquem, vel per aliquos inductæ fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi, vel metu: sed de mera, libera, & spontanea voluntate, ac motu proprio nostris nominaverimus, pronunciaverimus, declaraverimus, fecerimus, instituerimus, & ordinaverimus, in hæredem & Successorem nostrum legitimum post decessum nostrum, quem pro tali tenemus, habemus, tractamus, & reputamus, ac pro tali ab omnibus haberi, teneri, reputari volumus & tractari, prout præmissa omnia & singula in certis nostris literis per Notarios infrascriptos de mandato nostro receptis, confectis, publicatis & signatis, nostrique magni sigilli Reginalis munimine roboratis, plenius continentur, & latius describuntur.

Nos itaque dictum Dominum Ludovicum, Ducem, legitimum filium nostrum adoptivum, hæredem & Successorem nostrum, post tamen obitum nostrum, ut est dictum, quem intra nostra præcordia intensa & interna dilectione amplectimur, totis cupientes studiis prosequi, privilegiis, libertatibus, titulis, prærogativis, dominationibus, dignitatibus, honoribus, & præeminentiis, perinde ac si noster legitimus filius existeret naturalis, Ducatum Calabriæ, quem semper primogeniti Regni Siciliæ & futuri Reges habere consueverunt, & continue de eodem Ducatu fuerunt intitulati, & ipsius Ducatus Duces nominati & appellati, in executionem & de-

& demonstrationem clariorem, quem Nos ipsum Dominum Ludovicum Ducem ex nunc habemus, tenemus & reputamus nostrum legitimum adoptivum filium, & post nostrum obitum hæredem, & etiam Successorem, eidem Domino Ludovico absenti, tamquam præsenti, mediantibus dictis procuratoribus præsentibus, nomine procuratorio, & pro parte ipsius Domini Ludovici petentibus, requirentibus, & recipientibus, vobisque Notariis infrascriptis stipulantibus & recipientibus vice & nomine, tam dicti Domini Ludovici & posterorum suorum, quam omnium & singulorum aliorum, quorum interest & interesse poterit quomodolibet in futurum, in verbo, & fide regali, omni perpetuo tempore, prædicta omnia & singula habere rata, grata, & firma, ac fateri & dicere fuisse & esse vera, nec ullo umquam tempore per Nos vel alios nostri parte contra prædicta & eorum singula tam conjunctim, quam divisim, facere, dicere, opponere, vel venire, seu veniri, fieri, dici, vel opponi facere directe, vel indirecte, palam, publice vel occulte, seu eis aliquatenus contraire, de jure, vel de facto, nec non prædicta omnia & singula pura fide, ac vera intentione, sub religione per Nos corporaliter propriis manibus præstiti juramenti tenaciter & inviolabiliter observare, simili tenore præsentium promittimus, & etiam pollicemur. Præterea ipsa omnia & singula præscripta omnibus & singulis, quos suprascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, insinuamus, intimamus, notificamus, & ad eorum notitiam deducimus per præsentes. Ceterum omnem defectum, si quis in nostris præsentibus literis esset forsitan, sive allegari posset quomodolibet, vel prætendi, de certa nostra scientia, & plenitudine Regiæ potestatis supplemus, lege aliqua, constitutione, & consuetudine forsan contrariis non obstantibus in adversum, quas de nostra certa scientia, & ejusdem Regiæ plenitudine potestatis in hac parte tollimus, cassamus, & irritamus, ac viribus & efficacia vacuamus. Et ut nostræ præsentes literæ, in eisque omnia & singula contenta majoris existant roboris & etiam firmitatis, eisdemque fides perpetuo valeat adhiberi, ipsas per Notarios infrascriptos fieri, publicari & subscribi mandavimus, nostrique magni Reginalis sigilli munimine roborari.

Datum & actum in castro nostro Ovi prope Neapolim, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, Indictione III die penultima mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Papæ prædicti anno II. præsentibus viris Magnificis, Jacobo, magno Regni nostri Siciliæ Camerario Minerbini, & Antonio Casertano Comitibus, nec non Ludovico de Constantio, Milite Neapolitanensi, locum tenente ejusdem magni Camerarii, Consiliariis, ac Magistro Angelucio de Furno de Ravello Secretario, fidelibus nostris dilectis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Ego vero Nicolaus Morini de Dullendio, Ambianensis diœcesis, publicus Apostolica & imperiali auctoritatibus Notarius, collationi, donationi, concessioni, assignationi, et translationi Ducatus Calabriæ memorati, voluntati, ordinationi, promissioni, defectus suppletioni, & aliis omnibus & singulis dum sic prout subscribuntur, per Dominam Reginam prælibatam agerentur, & fierent, una cum Notario infrascripto, & prænominatis testibus præsens interfui, & has literas de ipsius Dominæ Reginæ autoritate & mandato expressis exinde confeci, & propria manu subscripsi, ac in hanc publicam formam, una cum dicto Notario redegi, eisque signum meum una cum magni præfatæ Reginæ sigilli Reginalis appensione consuetum apposui, & hic me subscripsi requisitus etiam & rogatus, in robur & testimonium præmissorum.

Et ego Arnulphus la Caille Sylvanectensis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, qui præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, per præfatam Dominam Reginam fierent, & ordinarentur, cum Notario & testibus suprascriptis præsens interfui, per has præsentes literas cum dicto Notario, in hanc publicam formam redegi, hic me manu propria subscripsi, signumque meum apposui solitum, de mandato prædictæ Dominæ Reginæ, una cum sui magni sigilli appensione requisitus in testimonium præmissorum.

Ego, qui supra, Jacobus, Comes Minerbini, magnus Camerarius Regni Siciliæ, testis interfui, & me subscripsi.

Ego, qui supra, prædictus Anthonius de la Rach, Comes Casæ, testis interfui, & subscripsi.

Ego, prædictus Ludovicus de Constantio Miles testis interfui, & subscripsi.

Ego, qui supra, prædictus Angelucius de Furno de Ravello, Regalis Secretarius, testis prædictis interfui & me subscripsi.

Scellé en las de soie cramoisi, & jaune en cire vermeille, representant d'un coté, la Reine Jehanne sur son throsne, la couronne en teste, tenant de la main droite un sceptre, au haut duquel est une fleur de lis, & de la main gauche une boule: ledit sceau seme de croix & de fleurs de lis, & autour est écrit: Johanna, DEI gratia Regina Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, &c. Et au contre-seel sont marquez cinq petits écussons, un au milieu, un en haut, un en-bas, & deux aux costez, lesquels écussons sont semblables, & sont mi-partis de Jerusalem & de Sicile; & dans ledit contre-seel, pour garnir, sont plusieurs las, dans lesquels sont figurez des lions, & des oiseaux, & au-tour est écrit: Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedimontis Comitissa. Le sceau a plus de trois pouces de diametre.

XCII.

Clementis VII. Pontificis Maximi, Adoptionis paulo antea insertæ, Confirmatio, d. d. 11. Kalend. Augusti, Anno 1380.

CLemens Episcopus Servus servorum DEI, carissimo filio Ludovico, Duci Andegavensi, salutem & Apostolicam benedictionem &c. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum

cum Regnum & terra citra Pharum prædicta jure directi Dominii ad præfatam Romanam Ecclesiam, spectare noscantur, dictique Comitatus Provinciæ, Forcalquerii & Pedimontis ab Imperio, teneantur in feudum, ipsumque Imperium vacet ad præsens, nominationi, pronuntiationi, declarationi, factioni, institutioni, ordinationibus, translationi, & donationi prædictis, ac omnibus & singulis aliis in eodem Instrumento contentis, quoad Regnum & terram, auctoritate Apostolica, & quoad Comitatus Provinciæ, Forcalquerii & Pedimontis, prædicta tam ex superioritate, quam ad ipsum Imperium habere dignoscimur, quam ex potestate, qua eodem vacante Imperio, Imperatori succedimus, ac etiam eadem auctoritate Apostolica robur confirmationis adjicere cum suppletione defectuum, si qui forsan intervenerint in præmissis, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque, qui adoptionem prædictam per alias nostras literas confirmavimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, nominationem, pronuntiationem, declarationem, institutionem, ordinationes, translationem & donationem prædictas, ac omnia & singula alia in prædicto Instrumento contenta eas quomodolibet concernentia, rata & grata habentes illa, quoad Regnum auctoritate Apostolica, & quoad Comitatus ex superioritate & potestate prædictis, nec non illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum & Dominus Dominantium nobis licet immeritis in personam B. Petri concessit, de fratrum nostrorum consilio & assensu ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes quemcunque defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem &c.

XCIII.

Litera Urbani VI. Pontificis Maximi, quibus Regnum Neapolitanum in Carolum Dyrrachinum certis conditionibus transtulit, d. d. Kal. Junii, Anno 1381.

CArissimo in Christo filio Carolo, Regi Siciliæ Illustri. Divina disponente clementia, per quam Reges regnant & Principes imperant, in eminente specula, & super gentes & Regna, licet immeriti & constituti, necesse habemus interdum de Regnis & terris, præsertim de illis, quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis specialiter existunt, cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum, perpetua stabilitate disponere, ac in eorum soliis ad gubernationem & regimen gentium subjectarum, quas dignas novimus, sublimare, ut gladii potestate iis ad vindictam malorum, laudemque bonorum cœlitus attributa ipsi assumto dominandi officio, judicent in æquitate populos, & dirigant in terris subjectis sibi gentium nationes, voluntasque eorum sit in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis. Sane porrecta Nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod, cum Regnum Siciliæ, cum tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ de præfato Regno Siciliæ esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem nostram, & Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet, plene ac libere sit devolutum, Nosque ac Sedes ipsa, intuitu specialis devotionis, qua persona tua erga Nos & Romanam præfulget Ecclesiam, & propter fidei puritatem, qua olim Christianissimum genus tuum dignoscitur claruisse, propenso consilio disposuerimus de Regno & terra prædictis, personam & domum tuam specialiter honorare; pro parte tua fuit Nobis humiliter supplicatum, ut hujusmodi Regnum & terram tibi & tuis hæredibus in feudum concedere, de speciali gratia dignaremur. Nos igitur attendentes eximiam devotionem, quam tu & progenitores tui ad eandem semper gessistis Ecclesiam, ac volentes de eisdem Regno & terra utiliter disponere, & salubriter ordinare, habitis super hoc cum fratribus nostris tractatibus plurimis, & tandem deliberatione solemni, & hujusmodi supplicationibus inclinati, ad personam tuam, quæ delectabilis pacis cognomine insignitur, & erga Nos & dictam Ecclesiam singulari devotione præfulget, & præcipua semper claruit puritate, nostrum animum dirigentes, de dictorum fratrum consilio eandem personam tuam, tuumque præclarum genus de ipso Regno decrevimus honorare, ipsumque Regnum & prædictam terram, tibi tuisque hæredibus ex te legitime, ut infra describitur, descendentibus, in feudum perpetuo concedentes sub conditionibus infra scriptis.

Ad laudem igitur omnipotentis DEI, Patris ac Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac honorem & pacem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ, ac tranquillitatem & profectum fidelium Regni ejusdem, totum prædictum Regnum Siciliæ, & totam terram prædictam, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum dictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, per Romanum Pontificem distinctis, vel in posterum distinguendis, quas Romana Ecclesia sibi hactenus reservavit, ac nunc, prout plenius infra exprimitur, retinet & reservat, in feudum perpetuo tibi, ac tuis hæredibus, jam natis & in posterum nascituris ex corpore tuo legitime, ut infra describitur, descendentibus, sub infra scriptis conditionibus tibi plenarie expressis ac expositis, autoritate Apostolica, tenore præsentium, de dictorum fratrum consilio, duximus concedendum, teque de ipsis Regno & terra, per vexillum dictæ Romanæ Ecclesiæ præsentialiter investimus, recepto tamen a te in forma, quæ sequitur, fidelitatis debitæ juramento, ac pleno homagio ac vasallagio pro hujusmodi feudo debitis & consuetis. Conditiones vero prædictæ sunt hæ, videlicet: Promittetis enim & jurabitis tam tu, quam etiam tui in dicto Regno hæredes, quod nullas unquam conspirationes, colligationes vel conversationes cum quibuscunque Regibus, Principibus seu Magnatibus, communitatibus, universitatibus, aut personis aliis, fidelibus, aut infidelibus contra Nos, vel Successores nostros, Romanos Pontifices, canonice intrantes, aut

aut Romanam Ecclesiam, seu in eorum damnum facietis &c. (adduci alias leges longa & diffusa oratione Carolo dictas, quarum nonnullæ cum aliis olim Carolo primo impositis consentiunt, quæ prætermittendæ visæ sunt, cum eæ contentæ sint in literis Caroli e Dyrachio a Nobis afferendis, quas Urbanus, adjectis in diplomatis Apostolici calce his verbis, exegit.)

Tu etiam & dicti tui in eodem Regno hæredes, dabitis privilegium vestrum Nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ, aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini, & recognoscetis expresse, Regnum Siciliæ & totam terram, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia, mera liberalitate Sedis Apostolicæ tibi tuisque hæredibus, de novo fore concessa, vosque recepisse, & tenere Regnum & terram prædictam a Nobis & dicta Romana Ecclesia, sub pœnis & conditionibus supradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, investituræ, intentionis, reservationis, exceptionis, voluntatis & promulgationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Cunctis vero præmissa servantibus sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Urbanus, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Joannes, tit. S. Sabinæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Philippus, tit. S. Susannæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Fr. Bonaventura, tit. S. Cæciliæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Fr. Nicolaus, tit. S. Cyriaci Presb. Card. subscripsi.
Ego Poncellus, tit. S. Clementis Presb. Card. subscripsi.
Ego Bartholomæus tit. S. Marcelli Presb. Card. subscripsi.
Ego Galeottus, S. Agathæ Diaconus Card. subscripsi.

Datum in Basilica S. Petri de urbe per manum meam Raynulphi, tit S. Potentianæ Presb. Card S. R. E. Vice-Cancellarii, Kal. Junii, Indictione quarta, Incarnationis Dominicæ millesimo tricentesimo octuagesimo primo, Pontificatus vero Domini Urbani Papæ VI. anno quarto.

XCIV.

Diploma, quo Carolus II. Dyrrachinus legibus, ab Urbano VI. Pontifice Maximo, de translatione Regni Neapolitani propositis, solenni ritu se reddidit obnoxium, d. d. 1. Junii, Anno 1381.

SAnctissimo ac beatissimo in Christo Patri & Domino meo, Domino Urbano, divina providentia Papæ VI. Carolus DEI & Apostolicæ Sedis gratia Siciliæ Rex, Sanctitatis vestræ devotus & reverendus filius, devotionem, reverentiam, & obedientiam filialem, & pedum oscula beatorum. Ad perpetuam rei memoriam & ejusdem Sanctitatis vestræ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ certitudinem & cautelam. Cum hodie de speciali gratia & mera liberalitate vestra, mihi & hæredibus meis, ut infra describitur, concessa fuerint in feudum Regnum Siciliæ & terra citra Pharum, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quæ prædictæ Ecclesiæ remanebit juxta modum, conditiones, conventiones, & pacta infra scripta; egoque promiserim & juraverim, me daturum Sanctitati vestræ, & prædictæ Romanæ Ecclesiæ privilegium meum cum bulla aurea, in quo homagium, ligium, ac plenum, & ligium vasallagium in manibus vestris me factum, & fidelitatis juramentum per me præstitum contineantur expresse, ac fatear & recognoscam expresse, me & hæredes meos ob Regnum & terram prædicta, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quam Sanctitas vestra sibi & dictæ Ecclesiæ reservavit, & quæ dictæ Ecclesiæ remanebit, ex sola gratia & mera liberalitate vestra & Sedis Apostolicæ, in feudum fore concessa, ideoque volens servare hujusmodi meum promissum & juramentum, ac bonam fidem agnoscere, homagium, ligium & vasallagium & recognitionem hujusmodi facio, & juramentum fidelitatis præsto in forma, quæ sequitur:

Ego Carolus, DEI gratia Rex Siciliæ, ad honorem DEI omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, & Beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri ac Pauli, & Ecclesiæ Romanæ, constitutus coram Vobis sanctissimo in Christo Patre & Domino meo, Domino Urbano, divina providentia Papa VI. Vobis Domino meo recipienti nomine vestro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Successorum vestrorum canonice intrantium, homagium, ligium, & vasallagium facio pro Regno Siciliæ, & tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum ejusdem Ecclesiæ, quæ utique Regnum & terra, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum & districtuum civitatis ejusdem, per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos, quæ Sanctitas vestra & Romana Ecclesia prædicta, mihi & hæredibus meis, sub pactis & conditionibus infrascriptis, in feudum concessit; & recognosco & fateor, quod inter Nos & dictam Ecclesiam Romanam, ex parte una, ac me, pro me & hæredibus meis prædictis, ex altera, conditiones, conventiones, modus & forma ac pacta infra scripta intervenerunt, & fuerunt apposita in hujusmodi concessione Regni Siciliæ mihi meisque hæredibus, per Vos & dictam Romanam Ecclesiam facta in prædicta concessione, pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui in eisdem successuri sunt mihi, meisque hæredibus, in Regno & terra prædictis, quæ omnia & singula, tam me quam meos in dictis Regno & terra hæredes servaturos

vaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia sunt:

Promitto ac juro ego Carolus Rex, quod ego vel mei in dicto Regno hæredes, nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuscunque Regibus, Principibus, seu magnatibus, universitatibus, aut personis aliis, fidelibus seu infidelibus, contra Vos, Dominum Urbanum Papam, vel Successores vestros, Romanos Pontifices canonice intrantes, aut Romanam Ecclesiam, seu in vestrum, vel eorum damnum faciemus, nec fieri consentiemus, seu permittemus, quantum in Nobis erit, & factas irritas habebimus, & quod nunquam a vestra & prædictæ Ecclesiæ obedientia recedemus, nec aliquod schisma contra Vos, vel Successores vestros, aut contra Romanam Ecclesiam facientes, aut cujuscunque schismatis seu hæresis imitatores, seu fautores erimus, nec hujusmodi conspirationes, colligationes, aut conjurationes seu schisma, contra Vos, vel Successores vestros, aut Ecclesiam prædictos faciemus, aut schismaticos seu hæreticos receptabimus, seu quoquo modo eos fovebimus, aut eis aliquod auxilium, consilium vel favorem præstabimus, nec aliquos Vobis aut dictæ Ecclesiæ rebelles, aut vestros, seu ipsius Ecclesiæ hostes vel inimicos, seu rerum aut bonorum ipsius Ecclesiæ invasores aut occupatores, in Regno, vel terra prædictis, aut aliqua ipsorum parte, aut alio quovis loco, in quo temporalem potestatem habebimus, receptabimus, aut per alios receptari quoquo modo patiemur, seu permittemus scienter; sed illos efficaciter persequemur. Quod autem supra dicitur de injuriis & rebellibus extra Regnum & terra prædicta non receptandis, intelligitur de notoriis, vel declaratis seu declarandis, vel alias nominandis per Romanum Pontificem. In Regno autem & terra prædictis intelligatur, prout superius est expressum, & insuper omnes & singulos processus, sententias, constitutiones, mandata & ordinationes per Vos, vel Successores vestros, seu auctoritate Apostolica jam factos ac faciendos, & latas & ferendas, nec non factas & faciendas contra Robertum, olim Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem, nunc Antipapam, qui se Clementem VII. nominat, ac Joannam olim Reginam Siciliæ, ac electores ipsius Roberti olim Cardinales, ipsorumque sequaces fautores, receptatores & adhærentes eisdem, & alios in dictis processibus vestris comprehensos, ac omnia & singula in eis contenta publicari, observari, & executioni demandari, in dictis Regno & terra, & alibi ubicunque poterimus tam ego, quam prædicti mei in dicto Regno hæredes faciemus, & fieri permittemus diligenter, ac bona fide.

Et si, quod absit, ego vel prædicti mei in dicto Regno & terra hæredes, promissa non servaverimus, seu contra ea, aut aliqua eorum faciemus, seu veniemus scienter, præter alias pœnas a jure statutas, Regnum ipsum ac terra prædicta ad dictam Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem eo ipso libere revertantur. Si vero ignoranter & monitus seu moniti, super præmissis non emendavero, seu emendaverimus, aut mandatis Ecclesiæ super his non paruero, seu paruerimus, Regnum & terram prædicta ad dictam Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem eo ipso libere revertantur: & nihilominus in præmissis casibus omnes & singuli Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles ac Milites, & alii de dictis Regno & terra, nec non communitates & universitates, & singulares personæ earundem communitatum & universitatum, eo ipso sint absoluti a juramento fidelitatis & dominii, aut alterius cujuscunque obsequii debito, submissione, obligatione vel pacto quacunque firmitate vallato, quibus mihi vel ipsis hæredibus meis essent astricti, ac Vos & dictam Ecclesiam, cujus homines ac vasalli principaliter existunt, etiam contra me & dictos hæredes jurare & defendere teneantur.

Si vero in meo, vel meorum dicti Regni hæredum obitu legitimum, prout subsequitur, hæredem me, aut ipsos hæredes meos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad prædictam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur: descendentes autem ex me, vel ipsis meis hæredibus Siciliæ Regibus, mares & fœminæ in eodem Regno succedent, sic tamen, quod extantibus maribus usque ad quartum gradum, ut infra describitur, fœminæ non succedent, sed mares hujusmodi duntaxat, & de liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus præferatur. Et si aliquem de hæredibus, vel Successoribus meis, Regibus Siciliæ, sine legitima & masculina prole sui corporis, mori contigerit, succedant eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, eæ personæ, videlicet Regis sine filio masculeo legitimo ex suo corpore descendente frater, aut collaterales superiores mares tantum si supersint, ut puta patrui & avunculi & sursum usque ad quartum gradum duntaxat, illis collateralibus, quos ego habeo ad præsens, & habebo dum vixero, & qui post meum obitum ex eisdem forsitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores succedent. Similiter mares tantum, si supersint, utpote nepos ex fratre, & inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Deficientibus vero hujusmodi maribus, succedent fœminæ ex corpore meo legitime descendentes, si superstites fuerint usque ad quartum gradum, ut superius est expressum, videlicet, si aliquem de Successoribus meis Regem vel Reginam Siciliæ, sine prole legitima sui corporis mori contigerit in futurum, succedent eidem servatis gradibus, si superstites fuerint eæ personæ, videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima ex suo corpore descendentes sorores, aut collaterales superiores fœminæ, ut puta amitæ & materteræ sursum usque ad quartum gradum duntaxat. Illis collateralibus, quos ego habeo ad præsens, & habebo dum vixero, & qui post meum obitum ex eisdem forsitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores succedant similiter fœminæ, ut puta neptis ex fratre vel sorore, & inferius, usque ad ejusdem tantummodo quartum gradum.

Quod autem de fœminis quartæ lineæ, & collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam de innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus, & Ecclesiæ Romanæ devotis; & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori præferatur, sic etiam

etiam in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori in hujusmodi successione volumus anteferri: personarum autem hujusmodi nulla superstite, Regnum ipsum ad dictam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur. Quod si forsan deficientibus masculis, ut præfertur, contigerit, fœminam innuptam in Regno succedere, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsius Regni regimem & defensionem existat idonea, & de consensu Romani Pontificis, nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto, & si contra hæc fieret, licebit eidem Romano Pontifici, contra ipsam ad privationem dictorum Regnorum, & terræ sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, & in quacunque ætate filia ipsa consistit, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Deficientibus vero masculis, ut præmittitur, fœminæ succedant hoc modo, videlicet, quod, si una tantum reperiatur & nupta, dummodo nupta fuerit viro catholico & fideli, ac Romanæ Ecclesiæ devoto, tunc, si nupta fuerit de consilio & assensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo paterno domus Franciæ succedat; & si forsan ille, cui nupta fuerit, esset talis, qui non videretur Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni, tam Regina ipsa, cujuscunque ætatis fuerit, quam Regnum ipsius in custodia, regimine & administratione Romani Pontificis ac Ecclesiæ remaneant, donec vir ipse talis factus fuerit, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen gubernationem & defensionem prædicti Regni, vel donec soluto hujusmodi matrimonio, quo casu, si Regina ipsa existens vidua habeat filios, & sit major decem & octo annis, administret; Si vero non haberet filios, ad custodiam, regimen, gubernationem, & defensionem prædicti, deputentur duo, unus videlicet per Romanum Pontificem, vel Romanam Ecclesiam, & alius per eandem Reginam, donec Regina ipsa de consensu ejusdem Romani Pontificis nupta fuerit viro Catholico & fideli, ac Ecclesiæ Romanæ devoto, & alias tali, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, & gubernationem ac defensionem ejusdem Regni, fruetur fructibus & obventionibus Regni, ex quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem Regni administratione, gubernatione, & custodia deducantur Reginæ conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris, & si extra prædictum genus nupta esset de consensu Romani Pontificis, ita succedat, si tali nupta reperiatur, qui videatur Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem prædicti Regni.

Ubi autem præter consensum Romani Pontificis maritata reperiretur viro non Catholico, aut non fideli, vel non devoto Romanæ Ecclesiæ, aut Imperatori, vel Regi Romanorum, aut Regi Teutoniæ, seu in Regem vel Imperatorem Romanorum, aut in Regem Teutoniæ electo, seu Domino Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earum, aut electo ad earum dominium, vel majoris partis ipsarum, non succedat, sed Regnum & terra prædicta ad eam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur. Et in casu quo Romano Pontifici videretur, fœminam ipsam tali fore maritatam, qui non esset de personis prohibitis, vel superius expressis, sed alias ad regimen & gubernationem ac defensionem Regni, ut præmittitur, non videretur Romano Pontifici idoneus, tunc Regina ipsa, cujuscunque ætatis fuerit, & Regnum ipsius in custodia, regimine & administratione Romani Pontificis, seu Ecclesiæ Romanæ remaneant, prout est superius expressum.

Si autem plures fœminæ reperirentur, siquidem omnes nuptæ, illa cæteris præferatur & succedat, quæ de consensu Romani Pontificis nupta reperiretur, quamvis gradu posterior, & natu minor sit, Et siquidem duæ, vel plures, vel omnes maritatæ taliter reperirentur, scilicet de consensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo prædicto, tunc prior in gradu & major natu, aliis præferatur. Ubi autem quædam nuptæ & quædam innuptæ, tunc siquidem prima in gradu & major natu, quæ nupta esset, ut præmittitur, de consensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo prædicto, illa succedet. Si autem nulla taliter nupta esset, tunc innupta maritanda de consensu Romani Pontificis, ut præmittitur, succedat. Et si forte contingeret, innuptam esse priorem gradu & majorem natu, illa maritanda, ut præmittitur, de consensu Romani Pontificis succedat, quamvis alia nupta esset de consensu Romani Pontificis, vel alicui de prædicto meo genere, ut præfertur. Quod si forsan una reperiretur nupta extra prædictum genus meum, etiam de consensu Romani Pontificis, & alia nupta, etiam sine licentia vel consensu Romani Pontificis alicui de dicto genere meo, hujusmodi nupta alicui de genere meo, dummodo viro Catholico, & fideli ac Ecclesiæ prædictæ devoto, & alias tali, qui videatur Romano Pontifici idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni, nupta fuerit, alteri præferatur. Et si non videretur Romano Pontifici ad hujusmodi regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni idonea, gubernetur Regnum, sicut superius est ordinatum, in casu soluti matrimonii, & filii ex eodem genere nati, similiter aliis præferantur. In Regnum vero & terram prædictam nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hoc promitto, quod tam ego, quam mei in dicto Regno hæredes, Regnum & terram prædictam nullatenus dividimus, sed semper illa unus tantum sub hujusmodi conditionibus immediate & in capite, nomine Ecclesiæ Romanæ tenebit, & tam ego, quam prædicti mei in dicto Regno hæredes, sub propriis nominibus, Vobis & Successoribus vestris, Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, ac Romanæ Ecclesiæ, expressis vestro & ipsorum nominibus, ligium homagium faciemus, & dictum juramentum fidelitatis, faciendo expressam mentionem de literis Apostolicis, super hujusmodi concessione Regni & terræ prædictorum nobis facta præsentibus, ut præfertur.

Hujusmodi autem ligium homagium ego & dicti hæredes mei facere, & juramentum fidelitatis præstare, juxta subscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; Si vero extra Italiam esset, infra annum, postquam Regni dominium adepti fuerimus, tenebimur, & singulis Successoribus, ac eidem Romanæ Ecclesiæ renovabimus,

Pontifici & Sedi Apostolicæ facere sunt astricti. Faciet etiam præfatæ Joannæ Reginæ, & ipsius in Regno Siciliæ Successoribus, tam juramentum fidelitatis, quam omnia alia & singula, quæ in capitulis præsentis tractatus, eosdem Joannam & Successores tangentibus, exprimuntur. Et si filium ipsum absque liberis decedere forte contigerit, ad successionem Regni Trinacriæ, seu Insularum hujusmodi pater nullo unquam tempore admittetur, Imperator seu Rex Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominus Lombardiæ, seu Tusciæ, seu majoris partis earum existens. Si autem Imperio aut Regno, seu Dominio hujusmodi veraciter, sine dolo & fraude verbis & facto renuntiaverit, & hujusmodi Regno Trinacriæ, seu Insulis velit esse contentus, ad ipsius filii successionem post renuntiationem hujusmodi libere admittetur, facietque tunc Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Romanæ Ecclesiæ, ac dictæ Joannæ Reginæ, & ejus in Regno Siciliæ Successoribus, omnia & singula, quæ supra in ejus filio sunt expressa. Cum autem Rex Trinacriæ, seu Insularum hujusmodi, legitimum non habens filium, ad Imperium, Regnum vel Dominium prædicta, seu eorum aliquod eligetur, ac hujusmodi Regno Trinacriæ renunciare, & ad Imperium, Regnum vel Dominium, ad quod sic electus, vel nominatus fuerit, transire velit, si filiæ, vel aliquæ aliæ de personis, quas supra diximus in Regno Trinacriæ prædicto posse succedere, superstites sint, quæ de filio præordinavimus, observentur in illis: excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in solis personis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Si autem nullæ tales personæ superstites fuerint, Regnum Trinacriæ, seu Insulæ hujusmodi ad dictam Joannam, seu ejus in Regno Siciliæ Successores, vel Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto, ad ipsam Romanam Ecclesiam juxta prænotatum ordinem revertantur libere.

Declaramus etiam, quod si Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes sibi filia vel mulier alia fuerit, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori aut Regi Romanorum seu Teutoniæ, aut Domino Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earum, dum ipse Rex viveret, fuerat desponsata vel nupta, non succedat in Regno seu Insula prælibata: & si, Regno seu Insulis sibi delatis, Imperatori vel Regi Romanorum vel Teutoniæ, seu Domino Lombardiæ vel Tusciæ, vel majoris earum partis nupserit, cadat protinus ab eisdem, nisi in quocunque duorum casuum præmissorum vir ejus Imperio, aut Regno seu Dominio prædictis prorsus renuntians, Regno seu Insulis prædictis solummodo sit contentus: & hæc locum habeant, nisi ad Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, Imperium vel Regnum, seu Dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis ipsarum expressa acceptaverit voluntate. In primo autem casu, videlicet, quod filia vel mulier alia Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes extiterit, & quæ juxta formam prædictam debeat ad successionem admitti, Imperatori, Regi, aut Domino præfatis, Rege vivente, fuerit desponsata vel nupta, propter quod a successione præmissa (ut præmittitur) repellatur, ad personas alias, servatis gradibus, Regnum seu Insula cum adjacentibus Insulis perveniant, quas prænotavimus in Regno seu Insulis posse succedere in casu, quo Rege præmortuo filii non supersint. In secundo autem casu, videlicet quo, Regno seu Insulis sibi jam delatis, Imperatori, Regi, aut Domino præfatis postea nupserit, Regnum seu Insula cum adjacentibus Insulis, ad prædictam Reginam seu Successores ejus in Regno Siciliæ, seu (Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur: prædictaque Regnum, seu Insulæ Imperio, Regno, aut Dominio prædictis nullo modo subdentur, nec sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur. Et præcise super hoc articulo, tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocunque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum: cum prorsus intentionis sit nostræ & Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum Trinacriæ, seu Insulæ prædictæ nullo unquam tempore Imperio, aut Regno Romanorum aut Teutoniæ, seu Dominio Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis earum uniantur, quod scilicet unus Romanorum Imperator, vel Rex Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominus Lombardiæ, seu Tusciæ, vel earum alicujus majoris partis & Trinacriæ Rex existat; ita quod ipse Fredericus & sui Successores in Regno Trinacriæ in Urbe, sive Campania, vel Maritima, seu Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, aut in patrimonio B. Petri in Tuscia, sive in aliis quibuscunque terris, aut Dominiis, aut feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione, legato, aut venditione, aut donatione, sive alio quocunque jure vel titulo, sive contractu nihil unquam sibi acquirent, seu vendicabunt, seu poterunt acquirere, seu quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipient, habebunt, vel retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt, nisi in Regno Siciliæ & terra citra Pharum, si ad ipsos de jure spectaret successio: ad quem casum prohibitiones hujusmodi declaramus aliqualiter non extendi. Nullam etiam potestariam, seu capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, dignitatem, seu potestatem senatoriam, vel quamcunque aliam administrationem, seu commendam, nec quodcunque aliud officium recipient seu recipere habebunt, & retinebunt, recipere, habere vel etiam retinere poterunt in eisdem.

Quod si contra præmissa, vel aliquod de contentis in præsenti capitulo facere, vel attentare præsumserint, aut Capitaniam, vel Maritimam, seu Urbem, vel Ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive Patrimonium B. Petri in Tuscia, vel alias terras quascunque Romanæ Ecclesiæ ubilibet constituta, seu earum aliquam partem occupaverint vel occupari fecerint, aut super his offenderint, seu molestaverint Ecclesiam, seu fecerint molestari; & postquam a Romano Pontifice moniti vel requisiti fuerint, vel si commode moneri vel requiri nequiverint, juxta Romani Pontificis assertionem, vel dictum, postquam de hoc ipse publice vel solemniter ipsos monuerit, infra tres menses acquisita, vel delata realiter integre & effectualiter non dimiserit; aut a Capitaneatu, rectoria, senatoria, vel alio, (quodcunque illud sit) officio, eorumque seu

seu eorum alicujus exercitio omnino non destiterint, vel restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab eorundem Regni Trinacriæ seu Insulæ Siciliæ, cum adjacentibus Insulis, jure cadent totaliter, ipsaque totaliter amittent; & ad præfatos Reginam, seu Successores ejus in Regno, vel Romanam Ecclesiam juxta prænotatum ordinem libere devolventur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alii quoque ipsius Frederici hæredes, videlicet qui sibi non succedent in Regno seu Insulis prædictis, si contra præmissa, vel eorum aliquod facere, vel venire attentaverint quomodolibet, eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi, quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædictorum Insulæ cum adjacentibus Insulis, seu Regni (si in aliquo forte casu ejusdem successio devolveretur) ad illam nullatenus admittantur: & Rex Trinacriæ, qui erit pro tempore, teneatur potenter assistere Romano Pontifici contra ipsos.

Nullam etiam confœderationem vel pactionem, seu societatem faciant dictus Fredericus aut sui Successores, aut parentelam contrahent cum aliquo nostro, vel Successorum nostrorum, aut Romanæ Ecclesiæ inimico, nec etiam cum aliquo Imperatore, Rege, Principe vel Barone Christiano, Saraceno, Græco, aut cum alia Provincia, civitate aut communitate, aut loco alio scienter contra Romanam Ecclesiam. Et ne posset inposterum super hoc oriri dubietas, illum declaramus debere reputari nostrum, seu Romanæ Ecclesiæ inimicum, de quo fuerit eisdem Regi Trinacriæ per Romanum Pontificem, qui erit pro tempore, nunciatum, quod suus seu Romanæ Ecclesiæ inimicus existit, vel qui Ecclesiæ fidem non teneat, seu de quo manifestum est, quod Ecclesiæ Romanæ inimicus existat, etiamsi non fuerit sibi nuntiatum. Et si contra fecerit vel fecerint, eo ipso cadat & cadant a dictis Regno Trinacriæ, seu Insulis, & ad præfatam Reginam, seu ejus in Regno suo Siciliæ Successores, seu ad Romanam Ecclesiam juxta præmissum ordinem libere revertantur. Item quod dictus Fredericus habebit & tenebit inimicos nostros & Romanæ Ecclesiæ pro inimicis suis, & amicos nostros pro amicis suis, & præfatos inimicos nostros & Romanæ Ecclesiæ ad nostrum & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, mandatum persequetur toto posse.

Item, quod Nobis & Successori nostro, qui pro tempore fuerit, ubi Nos vel Successor noster, qui pro tempore fuerit, vellemus pro subsidio terræ sanctæ, licitum erit & liberum extrahi facere anno quolibet, prædicto occurrenti casu, de prædictæ Insulæ partibus salmas frumenti ad mensuram Siciliæ decem millia; & ubi Nobis & ipsi Successori, qui pro tempore fuerit, placebit pro usu nostro & Successorum nostrorum, venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, familiariumque nostrorum & Successorum (quantum Nobis & ipsi Successori, qui pro tempore fuerit, videbitur expedire) liberas a jure quolibet exituræ, dohanæ, seu alterius oneris vel vectigalis, quocunque nomine nuncupentur, transvehendas, quo Nos vel Successor noster, vel Romana Ecclesia mandaverimus, juxta nostræ ac suæ beneplacitum voluntatis. Item, quod omnia & singula contenta in pactis & conventionibus habitis inter Romanam Ecclesiam & prædictum quondam Carolum, Regem Siciliæ, tam affirmative, quam negative, quæ in dando vel in faciendo, vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo, vel mixtim consistunt, ipse Fredericus & sui in Regno Trinacriæ Successores plene & integre servabunt, quatenus non discrepant, nec contrariantur capitulis in præsenti tractatu positis, prout ipsos contingit, seu contingere possit, & non aliter; præsertim in eo casu, quo Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam redire contingat. Intendimus etiam, quod per nominationem ipsam Regni Trinacriæ honori regalis tituli, qui de Regno Siciliæ apud præfatam Joannam ejusque Successores in Regno Siciliæ remanet, quemque apud eam & Successores ejus remanere volumus, nullum (etiam quantum ad vulgi labia seu prolationem sermonis) præjudicium afferatur.

Et si contingat, quod aliqua emergat dubietas vel contentio in tractatu pacis prædictæ, vel circa ipsum, Nos, seu Successor noster, qui pro tempore fuerit, tanquam superior Dominus cognoscamus, & stetur simplici dicto nostro & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, etiam parte aliqua non vocata. Omnes vero præmissas & sequentes conditiones, quæ in persona præfati Frederici apponuntur, circa ipsius etiam in dictis Insulis seu Regno Trinacriæ Successorum intelligimus, & volumus esse dictas: & quod omnia & singula prædicta & infrascripta juramenta, homagia, obligationes, promissiones, & conventiones dicti Frederici in dictis Regno seu Insulis Successores promittere, revocare, præstare, servare, & facere teneantur Nobis & singulis Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & Joannæ præfatæ & singulis Successoribus suis in Regno Siciliæ, in quam tum ex tenore præsentium capitulorum facere tenentur; eisdem salvis omnibus, quæ circa alios hæredes dicti Frederici ordinata consistunt, prout superius & inferius est expressum. Per aliqua autem in præsentibus capitulis descripta seu contenta non intendimus pacta & conventiones habitas inter Romanam Ecclesiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ, quæ affirmative vel negative, in dando vel faciendo, vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo, vel mixtim consistunt (& præsertim super solutione census & exhibitione servitiorum Nobis & Ecclesiæ Romanæ debitorum juxta conventiones prædictas) mutare, innovare, seu eis in aliqua sui parte detrahere, vel aliquid derogare, nisi de expresso consensu Reginæ præfatæ: sed ad prædicta omnia, & singula alia, dicta Joanna & Successores sui in Regno Siciliæ integraliter Ecclesiæ Romanæ perinde remaneant obligati, sicut si Regnum ipsum Siciliæ cum ea integritate, qua dicto Domino Carolo infeudatum extitit, totaliter possideret; & omnia contenta in prædictis pactis & conventionibus cum censurarum, pœnarum spiritualium & temporalium adjectionibus, & omnibus capitulis ex clausulis ibidem descriptis (salvo quod in proximo capitulo sequitur) inconcussa & illibata in suo robore volumus remanere.

Verum quia in conventionibus inter Romanam Ecclesiam & dictum quondam Carolum habitis conti-

continetur, quod Insula Siciliæ & terra circa Pharum dividi non deberent; Nos, considerantes tot & tantas strages hominum, deprædationes & dissolutiones Ecclesiarum, raptus, incendia, divini cultus diminutionem, & alia mala innumerabilia, quæ ex guerris, quæ diu viguerunt inter dictam Reginam & suos Prædecessores ex una parte, & dictum Fredericum & suos ex altera (qui dictam Insulam & terram aliam citra Pharum de facto divisas tenuerunt jam per septuaginta annos, & ultra) sunt secuta; & quod propter interdictum, cui dictæ Insulæ jam per multos annos subjacuerunt, in dictis Insulis tantum excrevit indevotio populi, hæreses pullularunt, quod de totali subversione Catholicæ fidei in eisdem probabiliter dubitatur, nec non quietis, quæ in subditis utriusque terræ (cujus ad Nos directum dominium pertinet) proveniret ex pace prædicta, maxime quia quodammodo guerris hujusmodi finis imponeretur, alias quam per pacem spes verisimilis non habetur, immo quod ex dilatione ipsius pacis Reginæ, & ipsius Regno, ac Romanæ Ecclesiæ hostes hostibus adderentur, non immerito formidatur: ex his & aliis causis justis, ad hoc Nos moventibus, dictam conventionem ad supplicationem ipsius Reginæ de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, ex certa scientia relaxamus: adjicientes, quod si in aliquo casu juxta hujusmodi tractatus conventionem dictas Insulas ad manus Joannæ, seu Successorum suorum, in Regno pervenire, seu reverti contingat, resumat suum robur præfata conventio, ita videlicet, quod dicta Insula ab alia terra citra Pharum nullatenus dividatur. Circa Capitula autem tractatus præfati, habiti inter partes, Nobis (ut præmittitur) præsentati, modo & serie infra scriptis duximus procedendum, videlicet, quod partes ipsæ vicissim rancores & odia hucusque habita inter eos, nec non damna cujuscunque generis, seu interesse, quæ ex præteritis guerrarum temporibus, vigentium in Regnis, tam ultra, quam citra Pharum; tam pro se, quam pro fidelibus & vasallis suis, subditis, sequacibus quibuscunque fautoribus, aut habentibus causam dictæ guerræ, etiam fructus, reditus & proventus, qui percepti sunt ab ipso Frederico, seu Prædecessoribus suis, vel percipi poterunt, seu occasione, prætextu vel causa præmissorum ab eodem Frederico quomodolibet peti possent, sibi invicem remiserunt; sumus de ipsarum partium super hac ordinatione contenti: & propterea volumus, quod in perpetuum universaliter & singulariter, simpliciter & bona fide vigere debeat vera pax & sincera concordia inter eos dictosque eorum fideles, vasallos, & alios superius nominatos.

Item dictus Fredericus & singuli ipsius Successores in Regno Trinacriæ ex singulis antedictis recognoscent pro se & Successoribus supradictis, tenere dictum Trinacriæ a dicta Joanna Regina & suis Successoribus in Regno Siciliæ, ex suo corpore descendentibus legitime tantum. Post mortem vero dictæ Joannæ Reginæ ejusque hæredum ex suo corpore descendentium, seu ejus, si nulli ex suo corpore hæredes superfint, recognoscent tenere in feudum Insulam & Regnum prædictum cum adjacentibus Insulis suis, a Nobis & Successoribus nostris & Sancta Romana Ecclesia, tanquam a superiori & directo Domino (honore Regalis tituli Regni Siciliæ, quem apud Joannam præfatam, suosque Successores in Regno remanere volumus, semper salvo) ut in præsentibus capitulis continetur; reservatis obligationibus solutionis census trium millium unciarum, servitii equitum & galearum, & præstatione homagii & juramenti fidelitatis eidem Joannæ Reginæ & ejus hæredibus ex suo corpore descendentibus & etiam non descendentibus, etiam reservatis singulis Successoribus ejus in Regno, etiam non descendentibus ex suo corpore, obligationibus census trium millium unciarum, servitii equitum & galearum, & præstatione juramenti fidelitatis; & aliis obligationibus, ordinationibus, retentionibus supra & infra scriptis in suo robore permanentibus. Item quod dictus Fredericus, & Successores ipsius utriusque sexus, descendentes ex eo, succedentes in Regno seu Insulis prædictis, præstabunt præfatæ Joannæ Reginæ & singulis Successoribus suis in Regno Siciliæ servitium decem galearum, & centum militum, præstandum in pecunia anno quolibet, tempore notabilis invasionis ipsius Regni Siciliæ citra Pharum in hunc modum, videlicet tertiam partem istis temporibus usque ad redintegrationem supradictæ Insulæ, vel majoris partis ipsius, ad Dominium & obedientiam ipsius Frederici ad rationem quidem unciarum centum quindecim per mensem pro qualibet ipsarum galearum: quæ unciæ reductæ ad florenos de auro ad pondus generale Regni Siciliæ ad rationem de florenis quinque per unciam faciunt summam unciarum trium millium centum quinquaginta, & pro prædictis militibus equitibus centum ad rationem de unciis duabus pro quolibet ipsorum per mensem in florenis prædictis faciunt summam unciarum sexcentarum: & tota prædicta pecunia erit in summam pro tribus mensibus unciarum quatuor millium quinquaginta annis singulis, quibus continget fieri invasionem prædictam computando, ut supra.

Redintegrata vero Insula, vel majori parte ipsius, ut supra, ad Dominium & obedientiam ipsius Frederici, præstabit ipse Fredericus, & sui Successores dictum servitium in pecunia juxta præmissum calculum sine diminutione quacunque: & si dubium oriri contingat, quæ censeri debeat notabilis invasio, vel redintegratio Insulæ, de quibus supra, statur simplici dicto nostro & Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, etiam parte non vocata. Sufficiet autem, dictam redintegrationem, de qua præmittitur, semel fieri, dictusque Fredericus per Procuratorem & Successores ipsius utriusque sexus descendentes ex eo, succedentes in dicto Regno Trinacriæ seu Insulis per se ipsos, nisi justum impedimentum contigerit. Quo casu per Procuratorem sufficientem & idoneum, sufficienti potestate suffultum teneantur & debeant præstare & facere pro dictis Insulis & Regno Trinacriæ homagium, fidelitatis juramentum præfatæ Joannæ & singulis Successoribus suis in dicto Regno Siciliæ ex suo corpore descendentibus; & etiam singulis non descendentibus ex suo corpore teneantur modo simili præstare, & facere fidelitatis juramentum sub hac forma: Ego Fredericus DEI gratia Rex Trinacriæ juro super hæc Sancta DEI Evangelia, quod ab hac hora in antea ero fidelis vobis serenissimæ Dominæ

Dominæ Joannæ, Reginæ Siciliæ Illustri, & vestris in Regno Siciliæ Successoribus, ac intentata omnia sinistra, & præjudicialia vobis, Regno, statui, & honori vestris, cum ad meam notitiam pervenerint, quanto melius scivero & potero, avertam: quod non ero in consilio vel facto contra personam, Regni statum, & honorem Regalem vestrum; sed ipsas personas, Regnum & Regalem honorem defensabo toto posse per me & meos bona fide contra omnem hominem viventem, excepto Domino nostro Gregorio Papa XI. & ejus Successoribus, ac Sede Apostolica: & omnia & singula capitula, sub forma fidelitatis contenta, inviolabiliter observabo: universas & singulas promissiones, obligationes, conventiones in præsenti privilegio, Instrumento seu literis contentas, & omnia & singula in eis contenta plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa: Sic me DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia; ita tamen quod ex prædictis recognitione Regni Trinacriæ seu Insularum, ac homagio & fidelitatis juramento Comites, Barones, & omnes vasalli & fideles Frederici præfati, hæredum & Successorum suorum in Regno & Insulis supradictis, nullo respectu nulloque jure intelligantur astricti, nec censeantur subjecti præfatæ Reginæ, seu hæredibus suis; nec in eosdem præfata Regina seu hæredes sui cognitionem, jurisdictionem, seu aliam potestatem exercere valeant, nec prætendant: immo præfatus Fredericus, hæredes & Successores sui in dicto Regno Trinacriæ, seu insulis in eosdem Comites & Barones & alios suos vasallos, per se omnem ac liberam possint & debeant jurisdictionem exercere & plenissimam potestatem; juribus tamen omnibus & singulis nostris & Romanæ Ecclesiæ semper salvis.

Item, quod præfatus Rex, hæredes & Successores ipsius in dicto Regno Trinacriæ solvent, tradent, & assignabunt, & solvere tenebuntur eidem Reginæ & singulis hæredibus & Successoribus suis in dicto Regno anno quolibet, in festo Apostolorum Philippi & Jacobi in civitate Neapolitana periculo & expensis ipsius Frederici & suorum Successorum in Regno, seu Insulis, uncias auri tria millia ad rationem præmissam de florenis quinque, aut ad pondus generale Regni Siciliæ, pro qualibet uncia, quæ reductæ ad florenos auri ad pondus & rationem prædictam, faciunt summam florenorum quindecim millium contingentium dictas Insulas, seu Regnum Trinacriæ ratione debiti per ipsam Reginam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi; concesso tamen gratiose per eandem Reginam, quod præfatus Rex eximatur, absolvatur, & veniat liberatus pro se, hæredibus, & Successoribus suis à præstatione & solutione dicti census per annos tres, inchoandos in prædicto festo Apostolorum proxime elapso. Completis vero annis tribus, teneatur ipse Rex solvere dicta quindecim millia florenorum anno quolibet pro censu prædicto eidem Reginæ & singulis suis Successoribus in Regno Siciliæ prædicto in civitate Neapolitana absque diminutione quacunque in prædicto termino Festi Apostolorum Philippi & Jacobi modo præmisso. In casu vero, quo contingeret, Regnum Siciliæ redire ad manus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, eo casu teneantur & debeant dictus Fredericus & Successores ipsius præfati dare & solvere dicta tria millia unciarum pro censu in Festo Apostolorum Petri & Pauli Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ anno quolibet, ubicunque Summum Pontificem, seu Romanam Curiam adesse contingat, expensis suis & periculo; ea remissione dicti census de prædictis tribus annis futuris per præfatam Reginam facta, (si eis durantibus contingeret Regnum ad Ecclesiam Romanam redire) nihilominus in suo robore manente.

Si vero dictus Fredericus, aut Successores sui in dicto Regno, seu Insulis, quomodocunque non solverint integrum censum Joannæ præfatæ, aut Successoribus suis in Regno Siciliæ, vel (Regno ad Romanam Ecclesiam devoluto) ipsi Romanæ Ecclesiæ, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de eo ad plenum non satisfecerit, aut satisfecerint, eo ipso erit & erunt excommunicationis vinculo innodatus & innodati. Quod si in secundo termino subsequente duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum Regnum Trinacriæ, seu Insulæ Siciliæ adjacentes, prædicto ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses primos per plenam satisfactionem ejusdem illius census sibi non duxerit consulendum, ita, quod transactis eodem termino tertio, & duobus proxime sequentibus mensibus, non sit de tribus millibus unciarum hujusmodi primi termini ipsi Joannæ, seu ejus Successoribus, aut Romanæ Ecclesiæ juxta ordinem prædictum integre satisfactum, ab ipso Regno seu Insulis, ipsorumque jure cadat & cadant ex toto, & Regnum ipsum, sive Insulæ ad præfatam Joannam, ejusque Successores in Regno, vel (Regno ad Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam ipso jure libere & integre revertantur. Si autem de censu trium millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictum tertium & duos sequentes menses plenarie satisfecerit aut satisfecerint, nihilominus semper pro singulis tribus millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in earum solutione cessaverit, vel cessaverint, vel ipsa non solverit, vel solverint, pœnas similes incurret & incurrent; salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri, vel haberi poterunt per Romanum Pontificem, seu per Joannam præfatam aut ejus Successores in Regno Siciliæ in hoc casu. In omnibus vero casibus, in quibus vel propter cessationem solutionis census (ut dictum est) vel alio quoquo modo Regnum Trinacriæ, vel Insula cum adjacentibus Insulis prædictis, dictum Fredericum & suos Successores in Regno sive Insulis, sive jure, quod habet in illis, privati ipso jure contingat, seu privari debere, Regnum, Insulæ, seu jura prædicta ad Joannam præfatam, seu ejus Successores in Regno, seu (Regno ad Ecclesiam devoluto) ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Item, quod præfatus Fredericus, hæredes, & Successores sui nullo unquam tempore intitulabunt, nec scribent se titulo Regni Siciliæ, sed tantummodo titulo Trinacriæ, & intitulent & scribant se Reges Trinacriæ, & non scribant, seu intitulent se Reges Siciliæ, nec alio titulo Siciliæ: ipsaque Regina & hære-

hæredes & Successores sui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ; ita tamen, quod intitulatio Regni Siciliæ nullum afferat præjudicium intitulationi Regni Trinacriæ, nec e converso: immo quodlibet Regnum distinctum per se suum habeat titulum, nec uni pro altero derogetur, servatis dictæ Reginæ & Successoribus suis juribus, quæ occasione præsentis contractus ad eos possunt quomodolibet pertinere. Item quod dictus Fredericus pro se & singulis suis Successoribus in Regno Trinacriæ, seu Insula Siciliæ prædictis promittet solenniter, non facere confœderationem, seu pactionem cum aliquo Imperatore, aut aliquibus Principibus, seu communitatibus mundi Christianis vel infidelibus contra dictam Reginam, hæredes & Successores suos in Regno Siciliæ prædicto; & e converso dicta Regina prædictas confœderationes & pactiones promittat pro se & suis in Regno Siciliæ Successoribus, non facere contra eundem Fredericum & Successores suos.

Item, quod præfatus Fredericus veniat liberatus ab omni & quolibet censu debito pro dictis Insulis dictæ Reginæ, seu Romanæ Ecclesiæ, & habentibus causam ab eis pro omnibus retroactis temporibus usque nunc ratione Insularum supradictarum; ac etiam ab omni jure, actione, debito, ad quæ præfatus Fredericus teneri possit ratione dictarum Insularum & causa guerrarum eidem Reginæ & dictis suis hæredibus & Successoribus alias quomodolibet teneretur. Item præfatus Fredericus pro se & Successoribus suis promittet præfatæ Reginæ & Successoribus suis, quod ipse Fredericus, aut aliquis ejus in Regno Trinacriæ Successor, non receptabit in dicto Regno Trinacriæ rebelles, seu facientes guerram dictæ Reginæ, seu Successoribus suis, nec eisdem præstabit auxilium, consilium, nec favorem: & e converso præfata Regina promittet pro se, & Successoribus suis, non receptare rebelles, seu guerram facientes præfato Frederico & Successoribus suis, nec eis præstare auxilium, consilium, seu favorem. Item quod Insula Lipari, quam nunc tenet Regina præfata, remaneat cum vasallis, fortalitiis, juribus, & pertinentiis suis in potestate & plenissima jurisdictione dictæ Reginæ Siciliæ, quamdiu vixerit: post mortem vero ipsius Reginæ redire debeat cum omnibus supradictis juribus suis ipso facto ad dictum Fredericum, hæredes & Successores suos, tanquam bona de adjacentibus Insulis dictæ Insulæ Siciliæ: quodque prædicta Regina juret, & per stipulationem solemnem promittat pro suis hæredibus Successoribus, prædictam Insulam cum juribus ante dictis restituere & restitui facere præfato Regi, hæredibus, & Successoribus suis; & nihilominus prædicto casu præfatus Rex, hæredes & Successores valeant, & licitum sit eis autoritate propria, seu qualitercunque melius possint, recuperare & capere dictam Insulam, tanquam unam de adjacentibus Insulis Insulæ Siciliæ, præsenti pacis tractatu nihilominus in suo robore permanente; convento expresse, quod in superioribus Capitulis, ubi sit mentio de adjacentibus, Insulæ Siciliæ & Regni Trinacriæ, non intelligatur de Insula Lipari, nisi prout in isto Capitulo continetur.

Et cum firmata fuerint per partes & solemniter roborata contenta in præsentibus capitulis, & tradita Instrumenta, seu literæ aurea bulla bullatæ, ut inferius continetur, dictum Fredericum in eo casu ex nunc Regem Trinacriæ facimus, constituimus & creamus: & concedimus autoritate Apostolica, quod dictus Fredericus & Successores sui in Regno seu Insula prædictis, titulo prædicto Trinacriæ intitulare possit se; & non aliter, nec alio ullo modo. Item quod præfata Regina & ejus in Regno Siciliæ Successores dabit & dabunt, præstabit & præstabunt præfato Frederico, hæredibus & Successoribus suis, auxilium, consilium & favorem juxta posse suum circa reductionem, & redintegrationem dictæ Insulæ ad dominium & obedientiam præfati Frederici & Successorum suorum; non adstringendo se nec Successores suos nisi juxta velle & beneplacitum suum, & eorum. Et ut præmissa omnia & singula cum mutationibus, additionibus & detractionibus auctoritate Apostolica per Nos factis, per Joannam Reginam & Fredericum præfatos inviolabiliter observentur, prout superius sunt expressa; infra sex menses a die, qua eis fuerint præsentata, teneantur promittere, & solemniter, tactis Sacrosanctis Evangeliis, jurare, quod ipsa omnia & singula inviolabiliter observabunt. De pœnis autem, obligationibus, clausulis, solemnitatibus & cautelis pro inviolabili observantia omnium præmissorum partes ipsæ provideant inter se, sicut eis videbitur expedire; pœnis tamen per Nos pro observantia præsentis tractatus generaliter, seu aliquorum capitulorum in eo contentorum particulariter adjectis, in sua nihilominus semper remanentibus firmitate; declarantes expresse, quod per aliquas adjectiones ad tractatum habitum inter partes, per Nos factas, quæ superius describuntur, non intendimus juri, quod ex feudatione facta de Regno Siciliæ Carolo præfato & suis Successoribus competit, Joannæ præfatæ, seu ejus in Regno Successoribus, in aliquo derogare; immo illud volumus remanere illæsum, iis salvis, quæ in præsentibus Capitulis continentur. Et ulterius declaramus specialiter & expresse, quod per præsentem tractatum, seu aliqua, quæ continentur in eo, non intendimus juri alieno quomodolibet derogare. Volumus etiam, quod de contentis in præsentibus articulis, qui per Nos destinantur, nihil partes ipsæ valeant immutare. Et ad hoc, ut firmius observentur, Prælati, Principes, Duces, Comites & Barones, & Syndici notabilium civitatum, ad hoc potestatem habentes, tam Insulæ, quam terræ citra Pharum jurabunt, quanto commodius fieri poterit, infra tempus nostro arbitrio statuendum in illius, vel illorum manibus, quos ad hoc duxerimus deputandos: qui curabunt & facient bona fide, quod præmissa omnia & singula (quantum eis erit possibile) fideliter & inviolabiliter servabuntur. Dabunt etiam Instrumenta seu literas præfata *Joanna* Regina, & Fredericus, Nobis & Romanæ *Ecclesiæ* aurea Bulla bullatas, in quibus contineantur & approbentur omnia de verbo ad verbum, prout superius sunt expressa, & in singulis homagiis & fidelitatis juramentis Romano præstandis Pontifici per eundem Fredericum & ejus Successores in Regno Trinacriæ antedicto, ipse Fredericus & sui in Regno hujusmodi Successores modo præmisso bullas hujusmodi renovabunt cum expressione nominis

Romani

Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, & ipsius renovantis, prout superius est expressum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, & beator m Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam Avinionensis diœcesis VI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

XC.

Adoptio Ludovici, Ducis Andegavensis, a Johanna I. Regina Siciliæ facta, d. d. 29. Junii, Anno 1380.

JOhanna, DEI gratia Hierusalem & Siciliæ Regina, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis Comitissa, &c. Sane præfatum Dominum Ludovicum, Ducem Andegavensem, in nostrum legitimum filium adoptavimus, recepimus, admisimus, instituimus, & etiam ordinavimus; adoptamus, recipimus, admittimus, instituimus & etiam ordinamus per præsentes: statuentes & ordinantes, quod ipse Dominus Ludovicus noster legitimus filius omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, juribus, immunitatibus justitiis, dominationibus, nobilitatibus, dignitatibus, honoribus, præeminentiis & prærogativis gaudeat & utatur, quibus filii legitimi adoptivi uti & gaudere possunt & debent quomodocumque & qualitercumque, tam de jure communi quam de quocumque jure alio speciali.

2. Quem dictum legitimum filium uberibus maternis & intimis prosequi cupientes affectibus, quem inter nostra præcordia prærogativa dilectionis internæ merito debemus amplecti, ex causis superius designatis & aliis, utilitatem, defensionem & tranquillitatem Romanæ Ecclesiæ prælibatæ, nostri Status Regii, Regni, terrarum & subditorum nostrorum pacifici manutentionem ac protectionem, & alias Rempubl. concernentibus, quas in nostro rectæ considerationis examine veras, evidentes, necessarias atque justas scimus, habemus, tenemus & reputamus, ipsum eumdem Dominum Ludovicum Ducem legitimum filium nostrum adoptivum, licet absentem, tanquam præsentem, petentem & requirentem per Procuratores & Nuntios supra dictos Procuratorio nomine & pro parte ipsius Domini Ludovici, legitimi filii nostri, de auctoritateque & beneplacito præfati Domini nostri Papæ Clementis, & vigore suarum literarum præscriptarum, nostræque Reginalis plenitudine potestatis; etiam de consilio & consensu prædictis, deliberationeque diligenti, provida & matura, cum personis supradictis & aliis multis fidelibus nostris, præhabita & præmissa, pro evidenti & communi utilitate Regni, terrarum, Vasallorum & subditorum nostrorum, ac provisione suprascriptorum, ex nostra certa scientia, libero proposito, prævisæ & certioratæ, non inductæ per aliquem vel aliquos fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi vel metu, sed de mera, libera ac spontanea voluntate, ac proprio motu, nostris illisque melioribus, modo & forma, quibus tam de jure, quam consuetudine ac aliis possumus & valemus in futurum Regem Siciliæ, hæredem & Successorem nostrum (post obitum tamen nostrum) & eo deficiente, Ludovicum ipsius Domini Ludovici nostri legitimi filii natum, & eodem Ludovico nato sublato de medio, quemcumque alium legitimum filium & naturalem dicti Domini Ludovici Ducis, legitimi filii nostri, inter eos ordine genituræ servato, in Regno, terris, locis & dominiis citra Pharum, ac in Comitatibus Provinciæ, Forcalquerii & Pedemontis, nec non in omnibus & singulis terris, locis & dominiis eorumdem ad Nos & Antecessores nostros pertinentibus & spectantibus, pertinereque & spectare debentibus, & valentibus quomodocunque & qualitercunque, tenore præsentium nominamus, pronuntiamus, declaramus, facimus, instituimus & ordinamus, ac pro futuro Rege, Successore & hærede nostro post decessum nostrum in Regno, Comitatibus, terris, locis & dominiis nostris omnibus & singulis suprascriptis ordinamus, habemus, tractamus, tenemus & reputamus; habebimus, tenebimus, tractabimus & reputabimus, & ac si noster esset legitimus filius naturalis, haberi, teneri omnibus vasallis, subditis nostris & quibuscumque aliis personis, cujuscunque status seu conditionis existant, tractari ac reputari volumus & mandamus.

3. Et amplius præsentium tenore fatemur, attestamur, & ad notitiam universorum deducimus, quod præfatus sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Clemens Papa VII. clausulam de successione Regni Siciliæ loquentem in infeudatione facta claræ memoriæ Domino Carolo I. ipsius Regni Regi, qua cavetur, quod nullus in dicto Regno succedere possit, nisi sit de descendentibus a dicto Domino Carolo (omnibus aliis in dicta infeudatione contentis in sua firmitate manentibus) de nostro pleno assensu pariter & consensu, expresse per suas Apostolicas literas superius descriptas revocavit, & viribus vacuavit, ipsamque dictæ clausulæ revocationem, & ejusdem jurium vacuationem factas, sic & prout in ipsis Apostolicis literis continetur, ex nunc etiam, quantum in nobis est, approbamus, ratificamus, & ratas & gratas habemus, ipsisque assentimur, eisdem præstantes nostrum beneplacitum, voluntatem pariter & consensum, ut ex causis superius expressis prædicta omnia & singula post nostrum obitum, uti prædictum est, suum plenum sortiantur effectum.

4. Dantes nihilominus, & etiam transferentes, tenore præsentium in eumdem Dominum Ludovicum, legitimum filium nostrum, & ejus posteros, ac prædictos suos Procuratores & Nuntios, præsentes recipientes & stipulantes nomine dicti Domini Ludovici, & pro ipso ac suis posteris ex nunc in casu obitus nostri prædicti, Regnum, Comitatus, terras, loca & Dominia prædicta, ac omnia & singula Jura competentia quomodolibet in Regno, Comitatibus, terris, locis & dominiis antefatis; insuper declaramus, ordinamus & volumus, de auctoritate & beneplacito præfati Domini nostri Papæ, ac etiam nostra Reginali auctoritate ad eundem Domi-

Dominum Ludovicum, nostrum legitimum filium, seu Ludovicum, ejusdem Domini Ludovici filii nostri natum, ac eorum posteros, Regnum, terras, loca & dominia citra Farum; Comitatus Provinciæ, Forcalqueriique & Pedemontis, terras, loca & dominia eorundem ad Nos, & Prædecessores nostros quomodocumque pertinentia & spectantia, & pertinere ac spectare valentia & debentia, spectare & pertinere debere, post obitum tamen nostrum &c.

5. Datum & actum in Castro nostro Ovi prope Neapolim, Anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, Indictione tertia, die penultima mensis Junii, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Papæ prædicti anno secundo; præsentibus Viris magnificis, Jacobo Magno, Regni nostri Siciliæ Camerario Minerbini, & Antonio Casertano, Comitibus; nec non Ludovico de Constantio, Milite Neapolitano, Locumtenente ejusdem Magni Camerarii, Consiliariis, & Magistro Angelucio de Furno de Ravello, fidelibus nostris dilectis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XCI.

Johannæ I. Siciliæ Reginæ, Diploma, in quo Ludovicum, Ducem Andegavensem, filium suum adoptatum, Calabriæ Ducis titulo ac juribus gratiose condecoravit, d. d. 29. Junii, Anno 1380.

JOhanna, DEI gratia Jerusalem & Siciliæ Regina, Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Folcalquerii, ac Pedimontis Comitissa, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Cum Nos ex certis causis defensionem & honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Clementis, divina providente Clementia Papæ VII. ejusdem Ecclesiæ vere sponsi, nec non exaltationem fidei orthodoxæ ad exterminium schismatis, nunc proh dolor! vigentis in Ecclesia Sancta DEI, & ipsum faventium, nec minus manutentionem & protectionem status nostræ Regiæ Majestatis, Regni, terrarum & subditorum nostrorum pacifici, & tranquilli, ac aliis rempublicam concernentibus; quas in nostro rectæ considerationis examine jugiter deductas scimus & approbamus justas & veras ad Illustrem Principem, Dominum Ludovicum, Regis quondam Francorum filium, & Serenissimi Principis, Domini Caroli, Regis Francorum germanum, Ducem Andegavensem, & Turonensem, Comitemque Cenomanensem, Nobis de propinquo nexu sanguinis conjunctum, magnanimitate, strenuitate, & potentia, ac aliis præclaris ineffabilibus titulis multipliciter prædotatum, nostræ mentis aciem dirigentes; ipsum, inquam, Dominum Ludovicum vigore literarum Apostolicarum & autoritate nostra Regia, ex nostra scientia, libero proposito, prævisæ & certioratæ, non inductæ per aliquem, vel aliquos fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi vel metu, sed de mera ac libera, & spontanea voluntate, ac proprio motu nostris, illisque meliori modo & forma, quibus tam de jure, quam consuetudine, ac alias valuimus & potuimus, in nostrum legitimum filium adoptaverimus, receperimus, admiserimus, & ordinaverimus: quem etiam pro nostro legitimo filio habemus, tenemus, tractamus, & reputamus: habebimus, tenebimus, tractabimus, & reputabimus, ac pro tali ab omnibus haberi, tractari, reputari, volumus, & teneri, volentes prædictarum literarum Apostolicarum vigore, & nostra auctoritate Reginali, statuentes & ordinantes, quod ipse Dominus Ludovicus, noster legitimus filius omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, juribus, immunitatibus, justitiis, dominationibus, præeminentiis & prærogativis gaudeat & utatur, quibus filii legitimi adoptivi uti & gaudere possunt & debent, quomodocunque & qualitercunque, tam de jure communi, quam de quocumque alio jure speciali. Præterea Nos ipsum Dominum Ludovicum Ducem Andegavensem, nostrum legitimum filium adoptivum, uberrimis ac maternis prosequentes affectibus, ex causis superius designatis, vigore aliarum literarum Apostolicarum Nobis directarum, ac nostræ Reginalis auctoritatis plenitudine, in Regem futurum Regni, terrarum, locorum, & dominiorum citra Pharum, nec non Comitatuum Provinciæ, Forcalquerii, & Pedimontis, ac terrarum, locorum, & dominiorum eorumdem ad Nos & antecessores nostros pertinentium & spectantium, pertinere & spectare valentium, & debentium, ipsum & ejus posteros illis melioribus modo & forma, quibus tam de consuetudine, quam de jure, & alias potuimus, & valuimus, adhibitis solemnitatibus omnibus & singulis in subscriptis necessariis, seu quomodolibet opportunius, quas hic etiam habemus pro expressatis, ex nostra certa scientia, libero proposito, prævisæ & certificate, non per aliquem, vel per aliquos inductæ fraude, deceptione, dolo, circumventione, vi, vel metu: sed de mera, libera, & spontanea voluntate, ac motu proprio nostris nominaverimus, pronunciaverimus, declaraverimus, fecerimus, instituerimus, & ordinaverimus, in hæredem & Successorem nostrum legitimum post decessum nostrum, quem pro tali tenemus, habemus, tractamus, & reputamus, ac pro tali ab omnibus haberi, teneri, reputari volumus & tractari, prout præmissa omnia & singula in certis nostris literis per Notarios infrascriptos de mandato nostro receptis, confectis, publicatis & signatis, nostrique magni sigilli Reginalis munimine roboratis, plenius continentur, & latius describuntur.

Nos itaque dictum Dominum Ludovicum, Ducem, legitimum filium nostrum adoptivum, hæredem & Successorem nostrum, post tamen obitum nostrum, ut est dictum, quem intra nostra præcordia intensa & interna dilectione amplectimur, totis cupientes studiis prosequi, privilegiis, libertatibus, titulis, prærogativis, dominationibus, dignitatibus, honoribus, & præeminentiis, perinde ac si noster legitimus filius existeret naturalis, Ducatum Calabriæ, quem semper primogeniti Regni Siciliæ & futuri Reges habere consueverunt, & continue de eodem Ducatu fuerunt intitulati, & ipsius Ducatus Duces nominati & appellati, in executionem & de-

in demonstrationem clariorem, quem Nos ipsum Dominum Ludovicum Ducem ex nunc habemus, tenemus & reputamus nostrum legitimum adoptivum filium, & post nostrum obitum hæredem, & etiam Successorem, eidem Domino Ludovico absenti, tamquam præsenti, mediantibus dictis procuratoribus præsentibus, nomine procuratorio, & pro parte ipsius Domini Ludovici petentibus, requirentibus, & recipientibus, vobisque Notariis infrascriptis stipulantibus & recipientibus vice & nomine, tam dicti Domini Ludovici & posterorum suorum, quam omnium & singulorum aliorum, quorum interest & interesse poterit quomodolibet in futurum, in verbo, & fide regali, omni perpetuo tempore, prædicta omnia & singula habere rata, grata, & firma, ac fateri & dicere fuisse & esse vera, nec ullo umquam tempore per Nos vel alios nostri parte contra prædicta & eorum singula tam conjunctim, quam divisim, facere, dicere, opponere, vel venire, seu veniri, fieri, dici, vel opponi facere directe, vel indirecte, palam, publice vel occulte, seu eis aliquatenus contraire, de jure, vel de facto, nec non prædicta omnia & singula pura fide, ac vera intentione, sub religione per Nos corporaliter propriis manibus præstiti juramenti tenaciter & inviolabiliter observare, simili tenore præsentium promittimus, & etiam pollicemur. Præterea ipsa omnia & singula præscripta omnibus & singulis, quos supra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, insinuamus, intimamus, notificamus, & ad eorum notitiam deducimus per præsentes. Ceterum omnem defectum, si quis in nostris præsentibus literis esset forsitan, sive allegari posset quomodolibet, vel prætendi, de certa nostra scientia, & plenitudine Regiæ potestatis supplemus, lege aliqua, constitutione, & consuetudine forsan contrariis non obstantibus in adversum, quas de nostra certa scientia, & ejusdem Regiæ plenitudine potestatis in hac parte tollimus, cassamus, & irritamus, ac viribus & efficacia vacuamus. Et ut nostræ præsentes literæ, in eisque omnia & singula contenta majoris existant roboris & etiam firmitatis, eisdemque fides perpetuo valeat adhiberi, ipsas per Notarios infrascriptos fieri, publicari & subscribi mandavimus, nostrique magni Reginalis sigilli munimine roborari.

Datum & actum in castro nostro Ovi prope Neapolim, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, Indictione III die penultima mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Papæ prædicti anno II. præsentibus viris Magnificis, Jacobo, magno Regni nostri Siciliæ Camerario Minerbini, & Antonio Casertano Comitibus, necnon Ludovico de Constantio, Milite Neapolitanensi, locum tenente ejusdem magni Camerarii, Consiliariis, ac Magistro Angelucio de Furno de Ravello Secretario, fidelibus nostris dilectis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Ego vero Nicolaus Morini de Dullendio, Ambianensis diœcesis, publicus Apostolica & imperiali auctoritatibus Notarius, collationi, donationi, concessioni, assignationi, et translationi Ducatus Calabriæ memorati, voluntati, ordinationi, promissioni, defectus suppletioni, & aliis omnibus & singulis dum sic prout subscribuntur, per Dominam Reginam prælibatam agerentur, & fierent, una cum Notario infrascripto, & prænominatis testibus præsens interfui, & has literas de ipsius Dominæ Reginæ autoritate & mandato expressis exinde confeci, & propria manu subscripsi, ac in hanc publicam formam, una cum dicto Notario redegi, eisque signum meum una cum magni præfatæ Reginæ sigilli Reginalis appensione consuetum apposui, & hic me subscripsi requisitus etiam & rogatus, in robur & testimonium præmissorum.

Et ego Arnulphus la Caille Sylvanectensis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, qui præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, per præfatam Dominam Reginam fierent, & ordinarentur, cum Notario & testibus suprascriptis præsens interfui, per has præsentes literas cum dicto Notario, in hanc publicam formam redegi, hic me manu propria subscripsi, signumque meum apposui solitum, de mandato prædictæ Dominæ Reginæ, una cum sui magni sigilli appensione requisitus in testimonium præmissorum.

Ego, qui supra, Jacobus, Comes Minerbini, magnus Camerarius Regni Siciliæ, testis interfui, & me subscripsi.

Ego, qui supra, prædictus Anthonius de la Rach, Comes Casæ, testis interfui, & subscripsi.

Ego, prædictus Ludovicus de Constantio Miles testis interfui, & subscripsi.

Ego, qui supra, prædictus Angelucius de Furno de Ravello, Regalis Secretarius, testis prædictis interfui & me subscripsi.

Scellé en las de soie cramoisi, & jaune en cire vermeille, representant d'un coté, la Reine Jehanne sur son throsne, la couronne en teste, tenant de la main droite un sceptre, au haut duquel est une fleur de lis, & de la main gauche une boule: ledit sceau seme de croix & de fleurs de lis, & autour est écrit: Johanna, DEI gratia Regina Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, &c. Et au contre-seel sont marquez cinq petits écussons, un au milieu, un en haut, un en-bas, & deux aux costez, lesquels écussons sont semblables, & sont mi-partis de Jerusalem & de Sicile; & dans ledit contre-seel, pour garnir, sont plusieurs las, dans lesquels sont figurez des lions, & des oiseaux, & au-tour est écrit: Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedimontis Comitissa. Le sceau a plus de trois pouces de diametre.

XCII.

Clementis VII. Pontificis Maximi, Adoptionis paulo antea inserta, Confirmatio, d. d. 11. Kalend. Augusti, Anno 1380.

CLemens Episcopus Servus servorum DEI, carissimo filio Ludovico, Duci Andegavensi, salutem & Apostolicam benedictionem &c. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut

cum Regnum & terra citra Pharum prædicta jure directi Dominii ad præfatam Romanam Ecclesiam, spectare noscantur, dictique Comitatus Provinciæ, Forcalquerii & Pedimontis ab Imperio, teneantur in feudum, ipsumque Imperium vacet ad præsens, nominationi, pronuntiationi, declarationi, factioni, institutioni, ordinationibus, translationi, & donationi prædictis, ac omnibus & singulis aliis in eodem Instrumento contentis, quoad Regnum & terram, auctoritate Apostolica, & quoad Comitatus Provinciæ, Forcalquerii & Pedimontis, prædicta tam ex superioritate, quam ad ipsum Imperium habere dignoscimur, quam ex potestate, qua eodem vacante Imperio, Imperatori succedimus, ac etiam eadem auctoritate Apostolica robur confirmationis adjicere cum suppletione defectuum, si qui forsan intervenerint in præmissis, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque, qui adoptionem prædictam per alias nostras literas confirmavimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, nominationem, pronuntiationem, declarationem, institutionem, ordinationes, translationem & donationem prædictas, ac omnia & singula alia in prædicto Instrumento contenta eas quomodolibet concernentia, rata & grata habentes illa, quoad Regnum auctoritate Apostolica, & quoad Comitatus ex superioritate & potestate prædictis, nec non illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum & Dominus Dominantium nobis licet immeritis in personam B. Petri concessit, de fratrum nostrorum consilio & assensu ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes quemcunque defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem &c.

XCIII.

Literæ Urbani VI. Pontificis Maximi, quibus Regnum Neapolitanum in Carolum Dyrrachinum certis conditionibus transtulit, d. d. Kal. Junii, Anno 1381.

CArissimo in Christo filio Carolo, Regi Siciliæ Illustri. Divina disponente clementia, per quam Reges regnant & Principes imperant, in eminente specula, & super gentes & Regna, licet immeriti & constituti, necesse habemus interdum de Regnis & terris, præsertim de illis, quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis specialiter existunt, cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum, perpetua stabilitate disponere, ac in eorum soliis ad gubernationem & regimen gentium subjectarum, quas dignas novimus, sublimare, ut gladii potestate iis ad vindictam malorum, laudemque bonorum cœlitus attributa ipsi assumto dominandi officio, judicent in æquitate populos, & dirigant in terris subjectis sibi gentium nationes, voluntasque eorum sit in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis. Sane porrecta Nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod, cum Regnum Siciliæ, cum tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ de præfato Regno Siciliæ esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem nostram, & Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet, plene ac libere sit devolutum, Nosque ac Sedes ipsa, intuitu specialis devotionis, qua persona tua erga Nos & Romanam præfulget Ecclesiam, & propter fidei puritatem, qua olim Christianissimum genus tuum dignoscitur claruisse, propenso consilio disposuerimus de Regno & terra prædictis, personam & domum tuam specialiter honorare; pro parte tua fuit Nobis humiliter supplicatum, ut hujusmodi Regnum & terram tibi & tuis hæredibus in feudum concedere, de speciali gratia dignaremur. Nos igitur attendentes eximiam devotionem, quam tu & progenitores tui ad eandem semper gessistis Ecclesiam, ac volentes de eisdem Regno & terra utiliter disponere, & salubriter ordinare, habitis super hoc cum fratribus nostris tractatibus plurimis, & tandem deliberatione solemni, & hujusmodi supplicationibus inclinati, ad personam tuam, quæ delectabilis pacis cognomine insignitur, & erga Nos & dictam Ecclesiam singulari devotione præfulget, & præcipua semper claruit puritate, nostrum animum dirigentes, de dictorum fratrum consilio eandem personam tuam, tuumque præclarum genus de ipso Regno decrevimus honorare, ipsumque Regnum & prædictam terram, tibi tuisque hæredibus ex te legitime, ut infra describitur, descendentibus, in feudum perpetuo concedentes sub conditionibus infra scriptis.

Ad laudem igitur omnipotentis DEI, Patris ac Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac honorem & pacem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ, ac tranquillitatem & profectum fidelium Regni ejusdem, totum prædictum Regnum Siciliæ, & totam terram prædictam, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum dictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, per Romanum Pontificem distinctis, vel in posterum distinguendis, quas Romana Ecclesia sibi hactenus reservavit, ac nunc, prout plenius infra exprimitur, retinet & reservat, in feudum perpetuo tibi, ac tuis hæredibus, jam natis & in posterum nascituris ex corpore tuo legitime, ut infra describitur, descendentibus, sub infra scriptis conditionibus tibi plenarie expressis ac expositis, autoritate Apostolica, tenore præsentium, de dictorum fratrum consilio, duximus concedendum, teque de ipsis Regno & terra, per vexillum dictæ Romanæ Ecclesiæ præsentialiter investimus, recepto tamen a te in forma, quæ sequitur, fidelitatis debitæ juramento, ac pleno homagio ac vasallagio pro hujusmodi feudo debitis & consuetis. Conditiones vero prædictæ sunt hæ, videlicet: Promittetis enim & jurabitis tam tu, quam etiam tui in dicto Regno hæredes, quod nullas unquam conspirationes, colligationes vel conversationes cum quibuscunque Regibus, Principibus seu Magnatibus, communitatibus, universitatibus, aut personis aliis, fidelibus, aut infidelibus contra Nos, vel Successores nostros, Romanos Pontifices, canonice intrantes, aut

aut Romanam Ecclesiam, seu in eorum damnum faciatis &c. (adduci alias leges longa & diffusa oratione Carolo dictas, quarum nonnullæ cum aliis olim Carolo primo impositis consentiunt, quæ prætermittendæ visæ sunt, cum eæ contentæ sint in literis Caroli e Dyrachio a Nobis afferendis, quas Urbanus, adjectis in diplomatis Apostolici calce his verbis, exegit.)

Tu etiam & dicti tui in eodem Regno hæredes, dabitis privilegium vestrum Nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ, aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini, & recognoscetis expresse, Regnum Siciliæ & totam terram, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia, mera liberalitate Sedis Apostolicæ tibi tuisque hæredibus, de novo fore concessa, vosque recepisse, & tenere Regnum & terram prædictam a Nobis & dicta Romana Ecclesia, sub pœnis & conditionibus supradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, investituræ, intentionis, reservationis, exceptionis, voluntatis & promulgationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Cunctis vero præmissa servantibus sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Urbanus, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Joannes, tit. S. Sabinæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Philippus, tit. S. Susannæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Fr. Bonaventura, tit. S. Cæciliæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Fr. Nicolaus, tit. S. Cyriaci Presb. Card. subscripsi.
Ego Poncellus, tit. S. Clementis Presb. Card. subscripsi.
Ego Bartholomæus tit. S. Marcelli Presb. Card. subscripsi.
Ego Galeottus, S. Agathæ Diaconus Card. subscripsi.

Datum in Basilica S. Petri de urbe per manum meam Raynulphi, tit S. Potentianæ Presb. Card S. R. E. Vice-Cancellarii, Kal. Junii, Indictione quarta, Incarnationis Dominicæ millesimo tricentesimo octuagesimo primo, Pontificatus vero Domini Urbani Papæ VI. anno quarto.

XCIV.

Diploma, quo Carolus II. Dyrrachinus legibus, ab Urbano VI. Pontifice Maximo, de translatione Regni Neapolitani propositis, solenni ritu se reddidit obnoxium, d. d. 1. Junii, Anno 1381.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo Patri & Domino meo, Domino Urbano, divina providentia Papæ VI. Carolus DEI & Apostolicæ Sedis gratia Siciliæ Rex, Sanctitatis vestræ devotus & reverens filius, devotionem, reverentiam, & obedientiam filialem, & pedum oscula beatorum. Ad perpetuam rei memoriam & ejusdem Sanctitatis vestræ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ certitudinem & cautelam. Cum hodie de speciali gratia & mera liberalitate vestra, mihi & hæredibus meis, ut infra describitur, concessa fuerint in feudum Regnum Siciliæ & terra citra Pharum, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quæ prædictæ Ecclesiæ remanebit juxta modum, conditiones, conventiones, & pacta infra scripta; egoque promiserim & juraverim, me daturum Sanctitati vestræ, & prædictæ Romanæ Ecclesiæ privilegium meum cum bulla aurea, in quo homagium, ligium, ac plenum, & ligium vasallagium in manibus vestris me factum, & fidelitatis juramentum per me præstitum contineantur expresse, ac fatear & recognoscam expresse, me & hæredes meos ob Regnum & terram prædicta, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quam Sanctitas vestra sibi & dictæ Ecclesiæ reservavit, & quæ dictæ Ecclesiæ remanebit, ex sola gratia & mera liberalitate vestra & Sedis Apostolicæ, in feudum fore concessa, ideoque volens servare hujusmodi meum promissum & juramentum, ac bonam fidem agnoscere, homagium, ligium & vasallagium & recognitionem hujusmodi facio, & juramentum fidelitatis præsto in forma, quæ sequitur:

Ego Carolus, DEI gratia Rex Siciliæ, ad honorem DEI omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, & Beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri ac Pauli, & Ecclesiæ Romanæ, constitutus coram Vobis sanctissimo in Christo Patre & Domino meo, Domino Urbano, divina providentia Papa VI. Vobis Domino meo recipienti nomine vestro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Successorum vestrorum canonice intrantium, homagium, ligium, & vasallagium facio pro Regno Siciliæ, & tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum ejusdem Ecclesiæ, quæ utique Regnum & terra, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum & districtuum civitatis ejusdem, per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos, quæ Sanctitas vestra & Romana Ecclesia prædicta, mihi & hæredibus meis, sub pactis & conditionibus infrascriptis, in feudum concessit; & recognosco & fateor, quod inter Nos & dictam Ecclesiam Romanam, ex parte una, ac me, pro me & hæredibus meis prædictis, ex altera, conditiones, conventiones, modus & forma ac pacta infra scripta intervenerunt, & fuerunt apposita in hujusmodi concessione Regni Siciliæ mihi meisque hæredibus, per Vos & dictam Romanam Ecclesiam facta in prædicta concessione, pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui in eisdem successuri sunt mihi, meisque hæredibus, in Regno & terra prædictis, quæ omnia & singula, tam me quam meos in dictis Regno & terra hæredes servaturos

vaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia sunt:

Promitto ac juro ego Carolus Rex, quod ego vel mei in dicto Regno hæredes, nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuscunque Regibus, Principibus, seu magnatibus, universitatibus, aut personis aliis, fidelibus seu infidelibus, contra Vos, Dominum Urbanum Papam, vel Successores vestros, Romanos Pontifices canonice intrantes, aut Romanam Ecclesiam, seu in vestrum, vel eorum damnum faciemus, nec fieri consentiemus, seu permittemus, quantum in Nobis erit, & factas irritas habebimus, & quod nunquam a vestra & prædictæ Ecclesiæ obedientia recedemus, nec aliquod schisma contra Vos, vel Successores vestros, aut contra Romanam Ecclesiam facientes, aut cujuscunque schismatis seu hæresis imitatores, seu fautores erimus, nec hujusmodi conspirationes, colligationes, aut conjurationes seu schisma, contra Vos, vel Successores vestros, aut Ecclesiam prædictos faciemus, aut schismaticos seu hæreticos receptabimus, seu quoquo modo eos fovebimus, aut eis aliquod auxilium, consilium vel favorem præstabimus, nec aliquos Vobis aut dictæ Ecclesiæ rebelles, aut vestros, seu ipsius Ecclesiæ hostes vel inimicos, seu rerum aut bonorum ipsius Ecclesiæ invasores aut occupatores, in Regno, vel terra prædictis, aut aliqua ipsorum parte, aut alio quovis loco, in quo temporalem potestatem habebimus, receptabimus, aut per alios receptari quoquo modo patiemur, seu permittemus scienter; sed illos efficaciter persequemur. Quod autem supra dicitur de injuriis & rebellibus extra Regnum & terra prædicta non receptandis, intelligitur de notoriis, vel declaratis seu declarandis, vel alias nominandis per Romanum Pontificem. In Regno autem & terra prædictis intelligatur, prout superius est expressum, & insuper omnes & singulos processus, sententias, constitutiones, mandata & ordinationes per Vos, vel Successores vestros, seu auctoritate Apostolica jam factos ac faciendos, & latas & ferendas, nec non factas & faciendas contra Robertum, olim Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem, nunc Antipapam, qui se Clementem VII. nominat, ac Joannam olim Reginam Siciliæ, ac electores ipsius Roberti olim Cardinales, ipsorumque sequaces fautores, receptatores & adhærentes eisdem, & alios in dictis processibus vestris comprehensos, ac omnia & singula in eis contenta publicari, observari, & executioni demandari, in dictis Regno & terra, & alibi ubicunque poterimus tam ego, quam prædicti mei in dicto Regno hæredes faciemus, & fieri permittemus diligenter, ac bona fide.

Et si, quod absit, ego vel prædicti mei in dicto Regno & terra hæredes, promissa non servaverimus, seu contra ea, aut aliqua eorum faciemus, seu veniemus scienter, præter alias pœnas a jure statutas, Regnum ipsum ac terra prædicta ad dictam Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem eo ipso libere revertantur. Si vero ignoranter & monitus seu moniti, super præmissis non emendavero, seu emendaverimus, aut mandatis Ecclesiæ super his non paruero, seu paruerimus, Regnum & terram prædicta ad dictam Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem eo ipso libere revertantur: & nihilominus in præmissis casibus omnes & singuli Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles ac Milites, & alii de dictis Regno & terra, nec non communitates & universitates, & singulares personæ earundem communitatum & universitatum, eo ipso sint absoluti a juramento fidelitatis & dominii, aut alterius cujuscunque obsequii debito, submissione, obligatione vel pacto quacunque firmitate vallato, quibus mihi vel ipsis hæredibus meis essent astricti, ac Vos & dictam Ecclesiam, cujus homines ac vasalli principaliter existunt, etiam contra me & dictos hæredes jurare & defendere teneantur.

Si vero in meo, vel meorum dicti Regni hæredum obitu legitimum, prout subsequitur, hæredem me, aut ipsos hæredes meos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad prædictam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur: descendentes autem ex me, vel ipsis meis hæredibus Siciliæ Regibus, mares & fœminæ in eodem Regno succedent, sic tamen, quod existantibus maribus usque ad quartum gradum, ut infra describitur, fœminæ non succedent, sed mares hujusmodi duntaxat, & de liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus præferatur. Et si aliquem de hæredibus, vel Successoribus meis, Regibus Siciliæ, sine legitima & masculina prole sui corporis, mori contigerit, succedant eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, eæ personæ, videlicet Regis sine filio masculeo legitimo ex suo corpore descendente frater, aut collaterales superiores mares tantum si supersint, ut puta patrui & avunculi & sursum usque ad quartum gradum duntaxat, illis collateralibus, quos ego habeo ad præsens, & habebo dum vixero, & qui post meum obitum ex eisdem forsitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores succedent. Similiter mares tantum, si supersint, utpote nepos ex fratre, & inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Deficientibus vero hujusmodi maribus, succedent fœminæ ex corpore meo legitime descendentes, si superstites fuerint usque ad quartum gradum, ut superius est expressum, videlicet, si aliquem de Successoribus meis Regem vel Reginam Siciliæ, sine prole legitima sui corporis mori contigerit in futurum, succedent eidem servatis gradibus, si superstites fuerint eæ personæ, videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima ex suo corpore descendentes sorores, aut collaterales superiores fœminæ, ut puta amitæ & materteræ sursum usque ad quartum gradum duntaxat. Illis collateralibus, quos ego habeo ad præsens, & habebo dum vixero, & qui post meum obitum ex eisdem forsitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores succedant similiter fœminæ, ut puta neptis ex fratre vel sorore, & inferius, usque ad ejusdem tantummodo quartum gradum.

Quod autem de fœminis quartæ lineæ, & collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam de innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus, & Ecclesiæ Romanæ devotis; & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori præferatur, sic etiam

etiam in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori in hujusmodi successione volumus anteferri: personarum autem hujusmodi nulla superstite, Regnum ipsum ad dictam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur. Quod si forsan deficientibus masculis, ut praefertur, contigerit, foeminam innuptam in Regno succedere, illa maritabitur personae, quae ad ipsius Regni regimem & defensionem existat idonea, & de consensu Romani Pontificis, nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiae Romanae devoto, & si contra haec fieret, licebit eidem Romano Pontifici, contra ipsam ad privationem dictorum Regnorum, & terrae sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, & in quacunque aetate filia ipsa consistit, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Deficientibus vero masculis, ut praemittitur, foeminae succedant hoc modo, videlicet, quod, si una tantum reperiatur & nupta, dummodo nupta fuerit viro catholico & fideli, ac Romanae Ecclesiae devoto, tunc, si nupta fuerit de consilio & assensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo paterno domus Franciae succedat; & si forsan ille, cui nupta fuerit, esset talis, qui non videretur Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni, tam Regina ipsa, cujuscunque aetatis fuerit, quam Regnum ipsius in custodia, regimine & administratione Romani Pontificis ac Ecclesiae remaneant, donec vir ipse talis factus fuerit, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen gubernationem & defensionem praedicti Regni, vel donec soluto hujusmodi matrimonio, quo casu, si Regina ipsa existens vidua habeat filios, & sit major decem & octo annis, administret; Si vero non haberet filios, ad custodiam, regimen, gubernationem, & defensionem praedicti, deputentur duo, unus videlicet per Romanum Pontificem, vel Romanam Ecclesiam, & alius per eandem Reginam, donec Regina ipsa de consensu ejusdem Romani Pontificis nupta fuerit viro Catholico & fideli, ac Ecclesiae Romanae devoto, & alias tali, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, & gubernationem ac defensionem ejusdem Regni, fruetur fructibus & obventionibus Regni, ex quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem Regni administratione, gubernatione, & custodia deducantur Reginae conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiae non cessuris, & si extra praedictum genus nupta esset de consensu Romani Pontificis, ita succedat, si tali nupta reperiatur, qui videatur Romano Pontifici aptus & idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem praedicti Regni.

Ubi autem praeter consensum Romani Pontificis maritata reperiretur viro non Catholico, aut non fideli, vel non devoto Romanae Ecclesiae, aut Imperatori, vel Regi Romanorum, aut Regi Teutoniae, seu in Regem vel Imperatorem Romanorum, aut in Regem Teutoniae electo, seu Domino Lombardiae, vel Tusciae, seu majoris partis earum, aut electo ad earum dominium, vel majoris partis ipsarum, non succedat, sed Regnum & terra praedicta ad eam Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem libere revertantur. Et in casu quo Romano Pontifici videretur, foeminam ipsam tali fore maritatam, qui non esset de personis prohibitis, vel superius expressis, sed alias ad regimen & gubernationem ac defensionem Regni, ut praemittitur, non videretur Romano Pontifici idoneus, tunc Regina ipsa, cujuscunque aetatis fuerit, & Regnum ipsius in custodia, regimine & administratione Romani Pontificis, seu Ecclesiae Romanae remaneant, prout est superius expressum.

Si autem plures foeminae reperirentur, siquidem omnes nuptae, illa caeteris praeferatur & succedat, quae de consensu Romani Pontificis nupta reperiretur, quamvis gradu posterior, & natu minor sit. Et siquidem duae, vel plures, vel omnes maritatae taliter reperirentur, scilicet de consensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo praedicto, tunc prior in gradu & major natu, aliis praeferatur. Ubi autem quaedam nuptae & quaedam innuptae, tunc siquidem prima in gradu & major natu, quae nupta esset, ut praemittitur, de consensu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo praedicto, illa succedet. Si autem nulla taliter nupta esset, tunc innupta maritanda de consensu Romani Pontificis, ut praemittitur, succedat. Et si forte contingeret, innuptam esse priorem gradu & majorem natu, illa maritanda, ut praemittitur, de consensu Romani Pontificis succedat, quamvis alia nupta esset de consensu Romani Pontificis, vel alicui de praedicto meo genere, ut praefertur. Quod si forsan una reperiretur nupta extra praedictum genus meum, etiam de consensu Romani Pontificis, & alia nupta, etiam sine licentia vel consensu Romani Pontificis alicui de dicto genere meo, hujusmodi nupta alicui de genere meo, dummodo viro Catholico, & fideli ac Ecclesiae praedictae devoto, & alias tali, qui videatur Romano Pontifici idoneus ad regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni, nupta fuerit, alteri praeferatur. Et si non videretur Romano Pontifici ad hujusmodi regimen, gubernationem & defensionem dicti Regni idonea, gubernetur Regnum, sicut superius est ordinatum, in casu soluti matrimonii, & filii ex eodem genere nati, similiter aliis praeferantur. In Regnum vero & terram praedictam nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hoc promitto, quod tam ego, quam mei in dicto Regno haeredes, Regnum & terram praedictam nullatenus dividimus, sed semper illa unus tantum sub hujusmodi conditionibus immediate & in capite, nomine Ecclesiae Romanae tenebit, & tam ego, quam praedicti mei in dicto Regno haeredes, sub propriis nominibus, Vobis & Successoribus vestris, Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, ac Romanae Ecclesiae, expressis vestro & ipsorum nominibus, ligium homagium faciemus, & dictum juramentum fidelitatis, faciendo expressam mentionem de literis Apostolicis, super hujusmodi concessione Regni & terrae praedictorum nobis facta praesentibus, ut praefertur.

Hujusmodi autem ligium homagium ego & dicti haeredes mei facere, & juramentum fidelitatis praestare, juxta subscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; Si vero extra Italiam esset, infra annum, postquam Regni dominium adepti fuerimus, tenebimur, & singulis Successoribus, ac eidem Romanae Ecclesiae renovabimus,

bimus, tam ipsum ligium, quam etiam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romani Pontificis, seu prædictæ Ecclesiæ, me & hæredes meos prædictos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, & ligium homagium hujusmodi Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc mihi vel illis tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam, & homagium hujusmodi recipiat, destinare. Ego quoque in vestris manibus juro ad præsens, me ad hoc specialiter obligatum, & tam ego, quam prædicti mei in dicto Regno hæredes, Vobis & singulis Successoribus prædictis, ac eidem Ecclesiæ, quando præstabo & præstabunt hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabimus, Nos ad hoc specialiter obligantes, quod nunquam ego vel ipsi per nos vel alium, seu alios quocunque modo procurabimus, ut eligamur vel nominemur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Teutoniæ, seu Dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ.

Et si electionem vel nominationem ad Imperium vel ad Regnum Romanorum, seu ad Regnum Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earum, de vobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabimus, nec intromittemus Nos ullo modo de regimine ipsius Imperii, vel Regni Romanorum, seu Regni Teutoniæ, aut Dominii Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earum, ad quodcunque eorum nominati fuerimus vel electi. Quod si ego, vel aliqui meorum in dicto Regno hæredum (studentibus & procurantibus me aut eis) ad Imperium ipsum, sive ad dictum Regnum Romanorum, Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earum electi seu nominati fuerimus, & hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem seu nominationem de Imperii vel Regni Romanorum, vel Regni Teutoniæ, aut Dominii Lombardiæ seu Tusciæ, aut majoris ipsarum partis regimine, ego, vel ipsi manifeste me intromisero, vel ipsi se intromiserint; eo ipso a jure prædictorum Regni & terræ cadam, & cadant ex toto, ipsaque prorsus amittam, & amittant, & eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Si autem ego, vel aliqui ex dictis meis hæredibus, electioni vel nominationi factæ, non procurantibus me vel ipsis, aut procurantibus, consensero vel consenserint, & huic electioni vel nominationi, seu juri omnino renunciem vel renuncient, & quod de Imperio, seu aliquo alio præmissorum, ad quod electus seu electi aut nominatus seu nominati fuero vel fuerint, nullatenus me intromittam, vel ipsi se intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium, præmonitionem hujusmodi tali electioni seu nominationi, vel juri non renunciavero vel renunciaverint, vel de ipso Imperio, seu aliquo præmissorum, ad quod electus seu nominatus, aut electi vel nominati fuero, vel fuerint, me intromisero, vel ipsi se intromiserint quoquo modo, ex hoc sim & sint eisdem Regno Siciliæ & terra, ac omni prorsus eorum jure, privatus atque privati, & ut dictum est, eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad me, vel ad meos, in eodem Regno hæredes, non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode nequeam, vel nequeant, credetur & stabitur assertioni Romani Pontificis sine dicto, sufficietque per ea super hoc ipsius Romani Pontificis monitio publica & solennis, ita, quod si infra sex menses post illam non renunciavero, vel hæredes ipsi non renunciaverint, aut de Imperio seu aliquo alio prædictorum, ad quod ego electus vel nominatus, vel hæredes mei prædicti electi seu nominati fuero, vel fuerint, quomodolibet me intromisero, vel ipsi se intromiserint, ex hoc cadam & ipsi cadant ab omni jure ipsorum Regni & terræ, ac Regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Cæterum si contigerit aliquem de ipsis hæredibus, qui deberent in prædicto Regno Siciliæ & terra succedere, in Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regni Teutoniæ, vel dominium Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis earum, nominari seu eligi, vel assumi, nullatenus possessionem eorundem Regni Siciliæ ac terræ nanciscantur vel habeant, nec se de illorum cura, seu dominio, aut regimine per se, vel alios aliquatenus intromittant, nisi prius Imperio vel Regno Romanorum, seu Regno Teutoniæ, aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis, ad quodcunque eorum electus aut nominatus fuerit vel assumptus, & omni juri competenti sibi in illis omnino renunciet, & illorum regimen, nec de jure, nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore reassumturus: alioquin cadant ab omni successione & jure, quæ in Regno Siciliæ & terra prædictis competerent ipso facto, ita quod eadem Regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur. Quod, si non extantibus masculis, fœmina in eisdem Regnis & terra successerit, illa Regi, vel Imperatori Romanorum, seu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi, vel electo in Regem Teutoniæ, seu Dominio Lombardiæ, seu Tusciæ, aut majoris partis earum, seu electo ad earum vel majoris partis earum dominium, nunquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ Regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis Regno & terra ad eandem Ecclesiam devolutis. Si autem ego vel aliquis meorum in Regno prædicto hæredum contra hoc venero vel venerit, eo ipso excommunicatus & excommunicati, & insuper labe & reatu perjurii respersus ac respersi, & notatus ac notati, existam & existant. In hujusmodi quoque juramento ego nunc expresse addo, & tam per me, quam per meos in dicto Regno hæredes, expresse addetur, quod nullo unquam tempore Regnum seu Imperium Romanorum, aut Regnum Teutoniæ, vel Dominium Lombardiæ seu Tusciæ, aut majoris earum partis, seu easdem Lombardiam vel Tusciam, seu majorem partem ipsarum, per me vel alium, seu alios, occupabo, capiam vel acquiram, aut mihi alias quomodolibet vendicabo, vel dicti hæredes per se vel alium, seu alios occupabunt, capient seu acquirent,

aut

aut alias sibi quomodolibet vendicabunt, & si secus fecero aut fecerint, secundum præscriptam formam pœnas similes incurram & incurrant. Quod autem dicitur de majori parte Dominii Lombardiæ, sive Tusciæ, intelligitur scienter, si vero ignoranter, eam ad mandatum Ecclesiæ dimittere tenear & teneantur, etsi eam, mediante Ecclesia, dimittam vel dimittant, non incidam, nec ipsi incidant, in pœnam in isto articulo & in similibus constitutam. Si vero monitus, aut moniti, non dimittam aut dimittant, incurram & incurrant in pœnam, prout est in hoc articulo & in aliis constituta. Quod si forte in posterum me Regem Siciliæ, vel aliquis meorum in dicto Regno hæredum, contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni fuero vel fuerit possessionem adeptus, non transibo, nec idem hæres meus transibit ad Imperium; alioquin in pœnas incidam & incidant, in articulo & in aliis consimilibus comprehensas.

Item promitto, quod si Regni possessione prædicti nondum habita vel obtenta, aliquis hæredum meorum in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in Regno, cujuscunque fuerit ætatis, emancipabit & Regno renunciabit, nihil juris in eo retinens, clam vel palam, nec etiam cujuslibet potestatis, nec ipsum filium, ad subsidium vel servitium aliquod faciendum, juramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel Successoribus suis astringat, sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato, ab ipso protinus investiatur de Regno, ad cujus Regni successionem, si forte ipse filius decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator existens, sed si Imperio & omnibus, quæ ad Imperium pertinent, idem pater renunciare voluerit, & Regno tantum esse contentus post renunciationem hujusmodi, ad illius successionem libere admittatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato ab eo, investituram recipiat Regni ejusdem.

Quod si dictus filius sic ad Regnum assumtus, major annis decem & octo fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam Regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneant, donec Rex ipse impleverit ætatem supradictam, fructibus & obventionibus Regni, ex quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem Regni custodia, deducentur Regi conservandis eidem & lucro alterius, ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione præmissa, a patre ad Imperium transeunte, dimitti, de filia etiam est concessum, salvis aliis conditionibus supradictis. Et, si Rex non habens filios, in Imperatorem electus, ad Imperium transire voluerit, & de personis, de quibus supra dicitur, liberis non extantibus, in Regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia præordinata sunt, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, qui capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Quod si mihi Regi Siciliæ, aut alicui meorum hæredum, in dicto Regno sine filio decedenti, superstes sit filia, vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ Imperatori, dum ego Rex vivam, vel dum meus hæres Rex Siciliæ vivet, fuerit desponsata vel nupta, non succedat in Regno; & si Regno sibi delato, Imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir ejus Imperio renuncians, Regno solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsis filia & aliis prædictis, ad personas illas, servatis gradibus, Regnum Siciliæ perveniat, quæ prænotatæ sunt, in eodem Regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint; in secundo autem casu Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur.

Item promitto pro me, & meis in ipso Regno hæredibus, ad hoc tam me, quam ipsos obligans, quod Regnum Siciliæ & terra prædicta Imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur; & super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam per cautiones cavebimus, tam ego, quam mei in dicto Regno hæredes, juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocunque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum, cum prorsus intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum & terra prædicta nullo unquam tempore uniantur, ut scilicet unus Romanorum Imperator & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum Regni & terræ cum Imperio dicitur, hoc ipsum circa unionem ipsorum Regni & terræ cum Regno Romanorum & Regno Teutoniæ, seu cum Lombardia vel Tuscia, sive cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ intelligitur esse dictum.

Item promitto, quod pro toto generali censu ipsorum Regni & terræ octo millia unciarum auri, ad pondus ipsius Regni, in Festo B. Petri Apostoli, de mense Junii, ubicunque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolvam, & ad illum similiter persolvendum obligo omnes & singulos in dictis Regno & terra meos hæredes. Si vero ego, vel dicti mei in dicto Regno hæredes, quocunque termino non solverimus integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerimus, eo ipso erimus excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino, infra subsequentes duos menses eundem censum, sine diminutione qualibet, non persolverim, totum Regnum Siciliæ, ac tota terra prædicta, ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero in tertio termino, nec infra duos menses proximos, per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxerimus consulendum, ita, quod transactis eodem tertio termino, duobus proxime subsequentibus mensibus, non sit de octo millibus unciarum hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem Regno & terra, ipsorumque jure, cademus ex toto, & Regnum ipsum & terra ad Romanam Ecclesiam integre & libere revertantur. Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictos tertium terminum, & duos subsequentes menses, plenarie satisfecerimus, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum; simili modo, si in eorum solutione cessaverimus, vel illa non solve-

ſolverimus, ſimiles pœnas incurremus, ſalvis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc caſu.

Item promitto, quod in quolibet termino dabimus ego & mei in dicto Regno hæredes, Vobis & Succeſſoribus veſtris Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, unum palafredum album, pulcrum & bonum in recognitionem veri dominii eorundem Regni & terræ.

Promitto inſuper, quod ego, poſtquam præfatum Regnum, vel tantum de ipſo acquiſivero & habuero, quod etiam, ſi aliquæ civitates vel munitiones, vel aliqua loca ipſius Regni adhuc rebellia mihi eſſent, reputer & poſſim ipſius Regni Rex & Dominus reputari, ſolvam Vobis & dictæ Romanæ Eccleſiæ quinquaginta millia marcarum ſterlingorum, per infra ſcriptos terminos, videlicet, quod infra ſex menſes, poſtquam dictum Regnum acquiſivero, prout dictum eſt, ſolvam Vobis & eidem Eccleſiæ decem millia Marcharum ſterlingorum, & infra ſingulos ſex menſes ſucceſſive ſolvam ſingula decem millia, donec tota prædicta quinquaginta millium Marcharum ſterlingorum ſumma fuerit integre perſoluta. Quod ſi in hujusmodi terminis illa non ſolvam, liberum erit Vobis & eidem Romano Pontifici, contra me pro ſingulis terminis ad pœnas ſpirituales & temporales procedere, prout Vobis, vel ipſis videbitur expedire.

Promitto etiam, ad hoc tam me, quam hæredes meos in dicto Regno obligans, quod, quandocunque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, aſſeruerit vel dixerit, Romanam Eccleſiam indigere, ita quod ſuper indigentia hujusmodi, ipſius Romani Pontificis ſimplici verbo ſtetur, ego, vel mei in dicto Regno hæredes requiſiti ab eo in urbem, in Campaniam, vel in Patrimonium B. Petri, in Tuſciam, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in præmiſſam civitatem Beneventanam, & ejus territorium & pertinentias, quæ, ut præfertur, eidem remanebunt Eccleſiæ, ac in civitates Peruſinam, civitatem Caſtelli, Bononienſem, Ferrarienſem & Avenionenſem, & in Comitatum Venayſinum, & in omnes alias terras ipſius Eccleſiæ ubicunque conſiſtentes, trecentos milites equis & armis decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipſorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, in Eccleſiæ prælibatæ obſequium & ſubſidium transmittemus per tres menſes integros, meis & dictorum meorum in prædicto Regno hæredum ſumptibus & ſtipendiis, ſemel tantum in anno, in ſervitio ejusdem Eccleſiæ moraturos, menſibus ipſis, a die, qua iidem milites terram mei dominii vel fines mei diſtrictus egreſſi fuerint, per vulgares dietas & ſolitas computandas. Et ſi maluerit Eccleſia, eadem ingruente neceſſitate, ſuper qua ſtetur verbo Romani Pontificis, ut dictum eſt, navali exercitu juvari, prædicti milites debita taxatione & recompenſatione præhabita, in navale ſtolium computabuntur. Et prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Eccleſia ſibi retinuit, & in ſuum demanium & dominium, cum omnibus juribus ſuis & pertinentiis reſervavit, & totum tenimentum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex, quandocunque ſemel tamen ſibi placuerit, bona fide ſibi diſtinguet, eidem Eccleſiæ, & in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure in eis mihi, vel cuicunque alii de Regno prædicto retento, ſeu quomodolibet reſervato, & quod nullum jus ego & mei in dicto Regno hæredes acquiremus vel habebimus in eisdem, diſtinctioni quoque per Romanum Pontificem ſemel faciendæ, ut dictum eſt, ſtabimus ego & prædicti mei in dicto Regno hæredes, absque contradictione, ſeu refragatione quacunque, prout ipſa diſtinctio per literas Apoſtolicas apparebit.

Pro prædicta quoque civitate Beneventana reparanda, reficienda & refortificanda per Romanam Eccleſiam, exponam per ſeptennium pro lignaminibus, omnia nemora ipſius Regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportuna, ut puta, lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum, & ſimilia ſine præjudicio juris perſonarum ſingularium ad unam dietam prope Beneventum. Et promitto, quod præſtabimus ego & dicti mei in præfato Regno hæredes, ipſis Beneventanis ſecuritatem per totum Regnum & terram prædicta, quodque privilegia dictæ civitatis, a Regibus & Principibus conceſſa, illibata ſervabimus, & omnia ſtatuta, per quondam Fredericum Romanorum Imperatorem, ſeu quoscunque alios Reges, aut per Joannam olim Reginam Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejusdem, revocabimus, & in omnibus & per omnia, quæ libertates fuerint, ceteris regnicolis patificabimus illa, nec aliqua ſtatuta, ſeu aliquas leges concedemus in poſterum, per quæ dictæ civitati, directe vel indirecte, poſſit præjudicium generari, & pro Apoſtolicæ Sedis & Beati Bartholomæi, patroni civitatis ejusdem, reverentia, fidentias ab omnibus remitti faciemus & remittemus eisdem. Fidentiarum autem remiſſio, eſt conceſſio libertatis, ut cives Beneventani poſſint libere vineas & terras excolere, ipſarum fruges & fructus recolligere, & easdem vineas & terras vendere, & de ipſis, pro ſua voluntate, diſponere, ſine aliqua vexatione, vel munere, vel etiam datione.

Promitto etiam, me & meos in eodem Regno Siciliæ hæredes obligans, quod in dicta civitate, & ejus territorio ac pertinentiis ſuis, quæ Romanæ remanebunt Eccleſiæ, vel in urbe, ſeu in Campania vel Maritima, ſeu in Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, vel in Patrimonio B. Petri, in Tuſcia, aut in civitatibus Peruſina, Civitatis Caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Avenionenſi, & Comitatu Venayſienſi, ſeu in aliis quibuscunque terris, aut demaniis ſive feudis ipſius Eccleſiæ, ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, vel legato aut venditione, ſive donatione, aut alio quocunque jure vel titulo, ſeu contractu nihil unquam, tam ego quam hæredes mei in dicto Regno acquiremus vel vendicabimus, ſeu poterimus acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipiemus, vel habebimus, vel retinebimus, ſeu poterimus recipere, habere vel etiam retinere, ac nullam poteſtariam, Capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullam dignitatem, ſeu poteſtatem ſenatoriam, vel quamcunque aliam adminiſtrationem, vel commendam, nec quodcunque aliud officium recipiemus, ſeu recipere poterimus, habebimus ſeu retinebimus, vel habere ſeu retinere poterimus in eisdem: hæc

autem

autem intelligo de illis hæredibus meis, qui mihi in eodem Regno Siciliæ succedent. Nolo enim, quod delictum aliorum hæredum, qui succedent mihi in Comitatibus & aliis terris meis, in pœnam hæredis, qui est mihi successurus in Regno, aliquatenus extendatur. Ne vero hujusmodi alii hæredes mei contra ea, quæ in isto continentur articulo, aliquo forsitan tempore, venire præsumant, acquirendo vel vendicando, aut recipiendo vel habendo, seu retinendo sibi aliquod in terris, in articulo isto expressis seu comprehensis, vel recipiendo, habendo seu retinendo, in terris eisdem potestariam seu Capitaniam vel rectoriam, vel aliquod aliud de his, quæ in articulo continentur eodem, promitto, tam me, quam ipsos hæredes meos obligans, quod nullus etiam hujusmodi aliorum hæredum meorum, ullo unquam tempore, sibi quicquam in eisdem terris acquiret, seu vendicabit, recipiet & habebit, vel etiam retinebit, aut potestariam, seu Capitaniam vel rectoriam, vel aliquod aliud ex iis, quæ, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur, nec alicui eorum recipere, habere vel retinere licebit. Quicunque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem Regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi decisio deferretur, sed ab illo repellatur omnino & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur.

Si vero ego, vel aliqui mei in Regno ipso hæredes, prædictam civitatem Beneventanam, territorium, vel pertinentias ejus, quæ remanebunt, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam, vel Maritimam, seu urbem, vel Ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam, seu Patrimonium B. Petri in Tuscia, aut Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem & Avenionensem civitates, & Comitatum Venaysinum, seu alias quascunque terras Romanæ Ecclesiæ, ubilibet constitutas, vel aliquam ipsarum partem, occupaverimus vel occupari fecerimus, aut super iis offenderimus, vel molestaverimus etiam, seu fecerimus molestari, & postquam super hoc a Romano Pontifice moniti & requisiti fuerimus, vel si commode moneri aut requiri nequiverimus, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse publice & solenniter me, vel hæredes ipsos monuerit, infra tres menses non restituerimus integre omnia occupata, eo ipso ab eorundem Regno Siciliæ & terra, jure cadamus totaliter, ipsaque Regnum & terram prorsus amittamus, & ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Quod si etiam restituerimus occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis, ad mandatum ejusdem Romani Pontificis, satisfacere teneamur.

Promitto insuper, tam me, quam hæredes meos alios in dicto Regno obligans, quod ipsi hæredes mei, videlicet, qui mihi succedent in Regno, occupare vel occupari facere easdem terras Romanæ Ecclesiæ, seu molestare aut molestari facere super illis eandem Ecclesiam non attentabunt. Illi vero, qui secus attentaverint, præmissas pœnas incurrant, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quam eorum posteritas, in perpetuum ad successionem Regni prædicti, si in aliquo forte casu eadem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur. Et Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

Promitto quoque, me & hæredes meos obligans, quod omnibus Ecclesiis, tam cathedralibus, quam aliis, etiam regularibus & secularibus, nec non omnibus Prælatis & Clericis, ac universis personis ecclesiasticis, etiam secularibus, & religiosis, & quibuslibet religiosis locis plenarie dimittam, & restituam, & dimitti & restitui faciam, & procurabo integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscunque ablata vel occupata sint, & per quoscunque detineantur. Mobilia vero, quæ extant & poterunt inveniri, simili modo restituam, & restitui facere procurabo eisdem, & quod hanc restitutionem faciam, seu fieri procurabo absque contradictione seu difficultate qualibet, hoc modo scilicet, quod statim in illa parte ipsorum Regni & terræ, quæ mihi obediet, restitutio ipsa fiet, ipsaque postmodum successive consummabitur, sicut eadem Regnum habebuntur, & terra ad mandatum & arbitrium aliquorum virorum discretorum deputatorum a Romano Pontifice, ad quorum mandatum, bonorum & rerum immobilium & mobilium, quæ extant, restitutionem plenam faciam, & fieri procurabo, ita quod ea, de quorum dominio vel proprietate, seu possessione notorium fuerit, ad eorum arbitrium & mandatum reddam & reddi faciam. In dubiis vero per ipsos de plano & absque judicii strepitu veritas diligentius inquiretur, ita quod sufficiat vocari Camerarium, vel procuratorem, seu balivum, in cujus jurisdictione, balivia seu territorio, bona, de quibus agetur, consistent, ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi depositione deponent.

Omnes insuper Ecclesiæ, tam cathedrales, quam etiam regulares & seculares, nec non omnes Prælati, & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ, seculares & religiosæ, & quæcunque religionis loca, cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt, nec ante electionem, sive in electione, vel post Regis assensus, vel consilium aliquatenus requiretur, quam ubique libertatem promitto, quod ego & mei in ipso Regno hæredes, semper manutenebimus & conservabimus, & manuteneri & conservari faciemus ab omnibus subditis nostris, & quod dictæ Ecclesiæ, & personæ utentur libere bonis omnibus & juribus suis, salvo mihi, meisque in dicto Regno hæredibus jure Patronatus in Ecclesiis, in tantum, quantum in hac parte Patronis Ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipsis Ecclesiis habuerunt. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes, libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis, & aliis Ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos, & si ad Sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati, ad eandem venire Sedem pro appellationum prosecutoribus, libere & absque inhibitione aliqua permittentur. Et promitto, tam me,

me, quam meos hæredes facturos, curaturos & promissuros, quod sic agitari, tractari & ventilari, ac terminari possint, & quod sic appellari possit & libere veniri. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum Prædecessores antiqui illa Siciliæ Regibus præstiterunt.

Ab illis autem Prælatis & Ecclesiis, qui Regalia sive temporalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona teneant a Domino Regni & aliis bonis temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere. Hujusmodi honesta & antiqua servitia, secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur Canonica, impendantur, salva tamen circa Ecclesiasticas & alias regulares & seculares personas, & loca Ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscunque aliis, Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione & autoritate, plenaria & libera potestate. Revocabo etiam omnes constitutiones seu Leges, per dictum Fredericum vel Reges Siciliæ, sive per Conradum, ipsius Frederici filium, aut Manfredum, quondam Principem Tarentinum, aut per dictam Joannam, quæ Regnum ipsum de facto detinet occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta nec constitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ juri & Ecclesiasticæ libertati derogetur.

Promitto etiam, quod tam ego quam mei in dicto Regno hæredes non patiemur, quod aliquis Clericus vel persona Ecclesiastica eorundem Regni & terræ, in civili vel in criminali causa, vel ad faciendum fidem de titulo, vel possessione Clericatus, conveniatur coram judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter. Sed omnes Ecclesiæ, monasteria, hospitalia, ac alia pia ac religiosa loca, ac personæ Ecclesiasticæ omnimode erunt liberæ ac libera, & in nullo Regi vel Principi subjacebunt, & quod nullas tallias vel collectas imponemus Ecclesiis, monasteriis & locis prædictis, aut Clericis & Viris Ecclesiasticis vel rebus eorum, & quod in Ecclesiis vacantibus ego vel prædicti mei in Regno hæredes, nulla habebimus regalia nullosque fructus, reditus & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia recipiemus ex eisdem, custodia earundem Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas, juxta Canonicas sanctiones. Comites vero, Barones, Nobiles & universi homines totius Regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guilielmi II. Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Et promitto, quod ego, & prædicti mei hæredes, ipsos prædictis libertate, immunitatibus & privilegiis permittemus gaudere, & in dicta vivere libertate, & quod omnes exules Regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscunque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducemus in Regnum & terram prædicta, ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutionem plenariam faciemus, & fieri procurabimus, & quod in hujusmodi restitutione, secundum præscriptam formam, in capitulo de bonis Ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis quam in dubiis procedemus, & permittemus procedi, & quod omnes captivos & obsides, qui tenentur in Regno & terra prædictis, Romanos, regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Marchia Tarvisina, bona fide restituam libertati pro posse, & quod omnes concessiones ac donationes & infeudationes, factas per Vos Dominum Urbanum, Papam VI. Nobili Viro Francisco Prignano, Principi Capuano, & suis hæredibus ex suo corpore legitime descendentibus, de Principatu Capuæ, Ducatu Amalphitano, Comitatibus Casertano, Fundano, Menerbini & Altemare, & civitatibus Aversana, Cajetana, Insulana, Capritana, Castrimaris, de Scabia, Surrentina, & terris Nuceriæ ac Summæ, nec non aliis civitatibus castris, terris, villis, fortalitiis & locis, ac bonis mobilibus & immobilibus, feudalibus & Burgensaticis, cum mero & mixto imperio, & quibuslibet aliis rebus, cum eorum hominibus & Vasallis, ac honoribus, prærogativis, juribus & jurisdictionibus, redditibus, proventibus, & obventionibus ac pertinentiis universis contentas, & expressas in diversis literis nostris super his confectis, penitus salvabimus & salvari procurabimus, nec per hujusmodi Regni & terræ prædictorum concessionem, mihi per Vos factam, præfato Francisco vel hæredibus suis prædictis, quod hujusmodi per Vos concessa, donata, seu infeudata, & eorum proprietatem seu possessionem, præjudicium aliquod generetur. Sed ego & mei hæredes prædicti concessiones, donationes & infeudationes hujusmodi, nec non concessionem officii magni Camerarii dicti Regni, eidem Francisco ad vitam ipsius per Nos factam, ratas & gratas habebimus, illasque servabimus & manutenebimus, ac servari & manuteneri faciemus bona fide, nec ullo unquam tempore contra illas, directe vel indirecte, publice vel occulte, per Nos, vel alium, seu alios, veniemus aut quomodolibet faciemus. Deficientibus vero hujusmodi hæredibus dicti Francisci, ex suo corpore legitime descendentibus, præmissa omnia in feudum ei concessa, ad prædictum Regnum libere revertantur. Jus etiam, quod aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus, in aliis civitatibus, castris, villis, terris seu locis, a Romanis Pontificibus vel Regibus, seu Principibus sibi concessum obtinent, nec non jus, quod privati a jure vel processu vestro, occasione damnati schismatis olim habebant, si eos abjurato prius schismate per Vos restitui contingat, etiam penitus salvabimus, & salvari curabimus, nec per hujusmodi Regni & terræ concessionem Comitatuum, seu concessorum cuiquam, quoad proprietatem seu possessionem, præjudicium generetur, Regis in iis omnibus jure salvo.

Promitto etiam, quod nullam confœderationem, seu pactionem vel societatem cum aliquo Imperatore, Rege seu Principe, vel Barone, Saraceno, Christiano vel Græco, aut cum aliqua Provincia, seu civitate aut communitate, vel loco aliquo, scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ faciam; Et si eam fecero ignoranter, teneor & promitto ad mandatum Ecclesiæ Romanæ revocare. Promitto etiam, quod habebo mille ad minus

minus bonorum militum comitivam, quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit. Habebo etiam trecentos balistarios, & tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii sufficere videbuntur, & usque ad duodecim dies a præsenti die computandos, sic munitus cum tota hujusmodi comitiva mea esse tenear infra Regnum Siciliæ, vel terram prædictam, nisi forte hostium obstaculo impediar, vel occursu; quorum impugnationi & debellationi, quamdiu taliter munitus, perseveranter institero, intelligar negotium persequi, nec tempus dictorum duodecim dierum mihi currat. Quod si ego sic munitus usque ad terminum hujusmodi, tali non præpeditus obstaculo, non fuero infra eadem Regnum vel terram cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocunque casu me prosecutioni negotii non impendente operam opportunam, & in eisdem Regno & terra infra ipsos duodecim dies non fuero sic munitus, liberum erit Vobis, aut Romano Pontifici, Successori vestro, & in potestate vestra, seu ipsius Successoris, remanebit dicere, pronunciare vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum vestrorum, me vel alio etiam quocunque, cujus forsan interest, non vocatis, & absque omni juris solemnitate, concessionem & investituram mihi & meis hæredibus de Regno & terra prædictis factas, vacuas omnino esse, nullumque robur & valorem habere, & eas revocare, cassare & irritare, & ipsas cassas & irritas renuntiare.

Liberum quoque erit Vobis, vel Successori vestro, Romano Pontifici, hoc idem facere, si, quod absit, tam gravi & longa præpeditus valetudine, vel morte præventus, dictum negotium juxta eandem formam non assumpsero, vel assumptum non fuero prosecutus, nisi forte talis persona & tam idonea juxta formam eandem, vices meas, vel meorum hæredum, in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficiens possit & debeat a Romana Ecclesia reputari. Quod si forsan ego alio impedimento fuero irretitus, & hoc significavero Vobis aut eidem Successori vestro, Romano Pontifici, tunc liberum erit Vobis, vel eidem Successori, & in potestate remanebit vestra, vel ipsius, vel dicere, pronunciare aut proferre juxta formam in Capitulo ipso contentam, concessionem & investituram hujusmodi, mihi & meis hæredibus factas de Regno & terra prædictis, vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eas revocare, cassare & irritare, & ipsas cassas & irritas nunciare, vel talem personam & tam idoneam assumere vel admittere ad dictum Regnum, quæ merito ad hoc a Vobis, vel ipso Successore vestro, sufficiens reputetur. Denique præmissas omnes conditiones, quæ in persona mea apponuntur circa meos in dicto Regno hæredes & Successores, intelligo & volo esse dictas, salvis omnibus, quæ circa alios hæredes meos ordinata consistunt, prout superius est expressum.

Forma autem juramenti per me præstiti, & per meos in dicto Regno hæredes præstandi, talis est: Ego Carolus, DEI gratia Rex Siciliæ, plenum homagium & ligium vasallagium faciens Vobis Domino meo, Domino Urbano Papæ VI. & Ecclesiæ Romanæ, pro Regno Siciliæ & tota terra quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos, vel imposterum distinguendos, ab hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Vobis Domino meo, Domino Urbano, divina providentia Papæ VI. vestrisque Successoribus Canonice intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdatis, seu perdant, aut membrum, vel capiamini aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per Vos, aut per Nuncios vestros, vel per literas, ad vestrum vel eorum damnum, scienter nemini pandam, & si scivero fieri, procurari, seu tractari aliquid, quod sit in vestrum vel eorum damnum, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem, illud Vobis vel eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia Sancti Petri, tam in Regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum, defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones suprascriptas, & contentas in vestris literis Apostolicis super ipsorum Regni & terræ concessione confectis, ac omnia & singula, quæ continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, & nullo unquam tempore veniam contra illa.

Item Roberto, olim Basilicæ XII. Apostolorum Cardinali, vulgariter dicto Gebenensi, nunc Antipapæ, qui se Clementem VII. nominat, Anglico olim Albanensi, Joanni olim Penestrino vulgariter dicto, Lemovicensi, Bertrando olim Ostiensi, vulgariter dicto Glandacensi, Episcopis: Guillelmo, olim tit. Sancti Stephani in Cœlio monte, vulgariter dicto de Agrifolio, Guillelmo olim tit. S. Vitalis, vulgariter dicto Mimatensi, Hugoni olim tit. S. S. Quatuor coronatorum vulgariter dicto de Britannia, Guidoni olim tit. sanctæ Crucis in Jerusalem, vulgariter dicto Pictaviensi, Petro olim tit. S. Laurentii in Lucina, vulgariter dicto Vivariensi, Joanni olim tit. S. Marcelli, vulgariter dicto Ambianensi, & Geraldo, olim tit. S. Clementis vulgariter dicto, majoris monasterii Presbyteris. Hugoni olim S. Mariæ in porticu vulgariter dicto Sancti Martialis, Guillelmo olim S. Angeli, Petro olim S. Mariæ in via lata vulgariter dicto de Vernio, & Petro olim S. Mariæ in Cosmedin, vulgariter dicto de Luna, Diaconis Cardinalibus, perditionis filiis, justo DEI judicio, autoritate Apostolica condemnatis, & eorum sequacibus ac dantibus eis, vel eorum alicui, auxilium, consilium vel favorem, cujuscunque fuerint præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis aut status, etiamsi Pontificali, Regali, aut Reginali, vel quavis alia præfulgeant, dignitate, etiam si fuerint Romanæ Ecclesiæ Cardinales, seu aliis quibuscunque per Ecclesiam denotatis, vel in posterum denotandis, quamdiu extra gratiam & communionem Sedis Apostolicæ permanebunt, non dabo quovis modo per me, vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium vel favorem; nec ab aliis, quantum in me fuerit, & impedire potero, dari permittam, sed eos, secundum posse meum, donec convertantur, juxta processus

cessus Apostolicos, prout justum fuerit, persequar & invadam, sic me DEus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Ego autem ad hoc privilegium seu literas præsentes Vobis, Domine Papa, & dictæ Romanæ Ecclesiæ aurea bulla bullatum, seu bullatas, in quo vel in quibus proprio juramento fateor & recognosco expresse, Regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia & liberalitate Sedis Apostolicæ, mihi meisque hæredibus in feudum de novo concessa fore, Nosque recepisse ac tenere Regnum & terram hujusmodi a Vobis, & dicta Ecclesia Romana, sub pactis & conditionibus & forma & modo supradictis, & sub aliis quæ in nostris literis prædictis plenius continentur. Cæterum ut præmissa omnia & singula, ac insuper, ut conditiones, conventiones & pacta, quæ inter Vos Dominum meum, Dominum Urbanum Papam VI. & Romanam Ecclesiam ex parte una, & me pro me, meisque hæredibus ex altera intervenerunt seu fuerunt apposita, prout in dictis vestris Apostolicis literis plenius continentur, illibata perpetuo maneant, & inconcussa semper obtineant firmitatem, ipsa omnia & singula juro, & per solemnem stipulationem promitto, quod ea plenarie adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me DEus adjuvet. In prædictorum autem testimonium & perpetuam memoriam, præsens scriptum inde confici, & aurea bulla Regiæ Majestatis impressa, typario communiri feci.

Acta fuerunt præmissa in Basilica Principis Apostolorum de urbe, præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis, *Philippo* tit. S. Susannæ, *Poncello* tit. S. Clementis, *Rainulpho* tit. S. Potentianæ, *Bartholomao* tit. S. Marcelli, *Bonaventura* tit. S. Cæciliæ, *Nicolao* tit. S. Cyriaci Presbyteris, *Gentile* S. Adriani, & *Galeotto* S. Agathæ, Diaconis dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Reverendis Patribus Dominis *Nicolao Parnomitano, Petro Jadrensi*, Archiepiscopis &c. Sequuntur testium nomina. Datum Romæ in dicta Basilica per manum discreti viri Angeli de Mari, de Neapoli Secretarii & Thesaurarii mei fidelis dilecti, in absentia logothetæ, & Protonotarii dicti Regni, Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, die prima mensis Junii, Pontificatus prædicti sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Urbani, divina providentia Papæ VI. anno quarto, & Regni nostri & assumptionis ad præfatum Regnum, anno primo.

XCV.

Literæ bullatæ, in quibus Clemens Papa VII. Regnum Adriæ, terrarum Ecclesiæ Romanæ partem in Italia complectens, instituebat, ac Ludovico, Andegavensi Duci, ac Johannæ I. Siciliæ Reginæ filio adoptato, tribuebat, d. d. 15. Kal. Maji, Anno 1382.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, charissimo in Christo filio nostro, Ludovico Regi Adriæ, Duci Andegavensi & Turonensi, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris germano, salutem & Apostolicam benedictionem. Constituti in suprema militantis Ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant, & Principes imperant, & qui solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, necesse habemus, interdum de Regnis & terris ipsis, & specialiter, quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, terras ipsas dignitate decorare Regia, & in earum soliis ad regimen gentium subjectarum, quos dignos credimus, sublimare; ut evulsis spinosis vepribus plantas inseramus proficuas, fructus uberes suo tempore in domo Domini allaturas; instructi cœlestis Regis exemplo, qui terrenis Regibus potestatem tribuit, ut assumto officio dominandi in æquitate judicent populos, & dirigant in terris sibi subditis gentium nationes, sitque eorum voluntas in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis.

2. Ea propter terras nostras & Ecclesiæ Romanæ, quas habemus in Italia, respicientes oculo pietatis, & conspicientes eas, seu habitatores earum retro jam lapsis temporibus adeo esse lacessitas, & dominantium in eis jure & auctoritate Sedis Apostolicæ crebra mutatione effecta, multitudine Tyrannorum tam circa, quam infra eas ipsas occupare conantium sic esse afflictas, quod pene ad exinanitionem clerus & populus est deductus in eis; Nosque, utpote orbis regimine occupati, ad debitam earum reformationem intendere nequeamus.

3. His & aliis justis considerationibus moti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, terras ipsas, videlicet Provincias Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Ducatus Spoletani, Massæ Trabari, nec non civitates Bononiam, Ferrariam, Ravennam, Perusium, Tudertum, cum earum omnibus Comitatibus, territoriis & districtibus, & omnes alias & singulas terras, quas ad præsens Nos & Ecclesia Romana in Italia extra Regnum Siciliæ habemus, & habere debemus, per quoscunque & quacunque auctoritate possideantur seu detineantur ad præsens, exceptis duntaxat urbe Romana cum ejus districtu & provinciis Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Campania & Maritima ac Sabina, seu Rectoratibus dictarum provinciarum (*per Rectores*) regi solitis, quæ terræ specialium commissionum vocantur, nobisque Successoribus & Romanæ Ecclesiæ expresse & specialiter retinemus; in unum Regnum erigimus, ipsas provincias & civitates cum earum Comitatibus, districtibus seu territoriis, dignitate Regia decoramus, ac Regnum Adriæ ordinamus, statuimus & decernimus perpetuo nuncupari.

4. Et considerantes, quod personam tuam, qui de illa præclarissima domo Franciæ, quam benedixit Dominus, traxisti originem, strenuitate, magnanimitate ac prudentia, aliarumque virtutum donis multiplicibus Dominus dignatus est adornare, prout judex veritatis, experientia, ac præclaræ famæ præconium luce clarius manifestant; & propterea ipsam

ipsam personam tuam honorare & sublimare volentes, ad honorem DEI omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non ad utilitatem Regni, seu terrarum ipsarum, pacificumque ac tranquillum statum incolarum, seu habitantium in Regno, seu terris prædictis, Regnum Adriæ prædictum, & omnes terras, quas extra Regnum Siciliæ Nos & Romana Ecclesia in Italia habemus, seu habere debemus, per quoscumque, & quacumque ac cujuscumque auctoritate possideantur, seu detineantur ad præsens; exceptis urbe Romana cum suo territorio & districtu, ac provincia Patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabina, Campania & Maritima, cum earum Rectoratibus & terris specialium commissionum per Rectores dictarum provinciarum gubernari hactenus solitis, cum dignitate, honore, prærogativis, præeminentiis, privilegiis, immunitatibus & libertatibus quibuscumque Regiis, & sub Regni titulo in feudum perpetuum, seu perpetuo habendum, tenendum & possidendum, tibi tuisque hæredibus ex te legitime, sicut infra dicitur, descendentibus, sub infra scriptis modis & conditionibus auctoritate Apostolica, ac de Apostolicæ plenitudine potestatis, de Fratrum nostrorum consilio & consensu conferimus, concedimus & donamus, teque Regem Regni prædicti constituimus & creamus.

5. Conditiones autem sunt hæ: Si in tuo vel hæredum tuorum obitu legitimum hæredem, prout infra scribitur, te aut ipsos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex te & tuis hæredibus, scilicet Regibus, mares & fœminæ in eodem Regno succedant, sic tamen, quod de liberis pluribus maribus, in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Quod si nepotem ex filio primogenito præmortuo cum filio, vel neptem ex filia primogenita præmortua cum filia, ad successionem hujusmodi concurrere forte contingat, nepotem patruo, & neptem amitæ volumus anteferri. Si vero nepos cum amita vel neptis cum patruo forsan ad hujusmodi successionem concurrerint, marem fœminæ volumus anteferri.

6. Si vero te, quod absit, sine liberis ex te legitime descendentibus mori contigerit, possit tibi in Regno prædicto succedere unus de descendentibus ex Regia stirpe Regum Franciæ masculus dumtaxat, quem tu quandocunque ad successionem hujusmodi qualitercunque duxeris nominandum; & si te, quod absit, absque liberis ex te legitime procreatis, & nullo per te de stirpe præfata Regum Franciæ ad successionem hujusmodi nominato, ut dictum est, vel etiam nominato, si ipsum per te nominandum, sine liberis mori contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur. Sed si aliquem de aliis Successoribus tuis Regem vel Reginam Adriæ sine prole legitima sui corporis mori contigerit, in futurum succedent sibi servatis gradibus, si superstites fuerint, hæ personæ, videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis, frater vel soror, ac collaterales superiores, mares & fœminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & fœminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, & inferius usque ad eumdem tantummodo quartum gradum.

7. Quod autem de fœminis rectæ lineæ & collateralium superius expressum, intelligimus tam de nuptis quam etiam innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus & Ecclesiæ Romanæ devotis: & sicut inter has personas collateralium linearum, ad successionem hujusmodi venientes, gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic & in eode gradu, pluribus concurrentibus, priorem natu & marem fœminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri.

8. Personarum autem ipsarum nulla superstite, Regnum ipsum, sicut prædicitur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem libere revertatur. Quod si forte deficientibus masculis contingat, fœminam innuptam in Regno ipso succedere, illa maritabitur personæ quæ ad ipsius Regni regimen & defensionem existat idonea, Romani Pontificis tamen super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto; & si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano Pontifici, contra ipsam ad privationem sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacunque ætate fœmina ipsa consistat, procedere, si hoc ei videbitur expedire. In Regnum vero prædictum nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

9. Ad hæc, tam tu, quam tui in Regno hujusmodi hæredes, Regnum prædictum nullatenus dividetis, sed semper illud unus tantum sub ipsis modis & conditionibus immediate & in capite ab Ecclesia Romana tenebit. Tu autem Romanæ Ecclesiæ & Nobis recipientibus juras ad præsens, ac modo simili tam tu quam tui in Regno hujusmodi Successores cuilibet Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, juramentum fidelitatis præstabitis, & homagium ligium facietis, & prædicta juramentum & homagium, faciendo mentionem de præsentibus literis, facietis in hunc modum:

10. Ego Ludovicus, DEI gratia Adriæ Rex, plenum & ligium vasallagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Adriæ præfato, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Domino meo, Domino Clementi Papæ, suisque Successoribus canonice intrantibus, sanctæque Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri sunt per se aut nuntios suos, vel per literas, ad eorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possum, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & Regalia S. Petri, tam in Regno Adriæ prædicto, quam alibi existentia, adjutor eis ero ad defendendum & retinendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas conditiones, contentas in præsentibus literis, plenarie adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa: Sic me DEus adjuvet & hæc sancta DEI Evangelia.

11. Hujusmodi autem homagium facere & juramentum fidelitatis præstare tu & dicti tui hæredes secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero extra Italiam ipsum esse contigerit, infra annum, postquam Regni Dominium adepti fueritis, teneamini; & singulis ipsis Successoribus nostris & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium, quam hujusmodi juramentum. In opinione (forsan *optione*) autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, te & hæredes tuos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, & homagium ligium Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ prædictæ, dummodo ad hoc vobis locum tutum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare.

12. Tu quoque Nobis & Ecclesiæ Romanæ in nostris manibus juras ad præsens, te ad hoc specialiter obligando; & tam tu singulis nostris Successoribus ac prædictæ Ecclesiæ, quam tui in dicto Regno hæredes, Nobis & singulis nostris Successoribus, & prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabitis, vos ad hoc specialiter obligantes.

13. Quod si contigerit pro tempore, vos, seu vestrum aliquem in Regem Romanum, seu Alamanniæ vel Teutoniæ, seu in Regem vel Dominum Lombardiæ, aut majoris partis ipsius Lombardiæ eligi, seu qualitercumque nominari vel assumi, vobis seu aliquo vestrum per vos, vel alias quovis modo pro vobis, vel aliquo vestrum quocumque studio, vel alias procurantibus, seu sine vestra vel vestrum alicujus procuratione ad procurationem alterius cujuscumque, seu sine procuratione alicujus, motu proprio Principum, vel aliorum seu alterius cujuscunque, ad quos seu quem electio hujusmodi, nominatio seu assumptio noscitur pertinere, seu alias quomodocunque vel qualitercunque: vos electioni seu nominationi aut assumptioni hujusmodi nullatenus consentietis, nec de Regno hujusmodi Romaniæ, Alamanniæ seu Teutoniæ, aut de Regno seu Dominio Lombardiæ, seu majoris partis ipsius, de ipsorum Regnorum vel eorum alterius regimine vel administratione in toto vel in parte aliqualiter vos intromittetis, nisi prius is vestrum, qui sit electus, nominatus fuerit vel assumptus, in manibus Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Romanus Pontifex duxerit deputandum, filium suum successurum in Regno, vel filiam, si forte filium non haberet, cujuscunque fuerit ætatis, emancipet, & Regno renuntiet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium, seu filiam ad aliquod servitium, seu subsidium faciendum, juramento vel voto, stipulatione vel pacto sibi vel suis Successoribus adstringat, sicque factus filius vel filia sui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de Regno, ad cujus successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat Imperator, vel Rex alicujus prædictorum Regnorum. Sed si Imperio vel Regno, & omnibus, quæ ad ipsum Imperium seu Regnum pertinent, idem Pater renuntiare voluerit, & Regno Adriæ præfato tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio deputato, investituram recipiat Regni præfati.

14. Quæ vero de filio dicuntur vel filia, ut videlicet eis possit sub observatione præmissa a Patre, ad Imperium vel Regnum Romanum, vel Alamanniæ, seu Regnum vel Dominium Lombardiæ transeunte, Regnum dimitti; si Rex liberos non habeat, in aliis personis, quas supra diximus, liberis non extantibus, in Regno ipso Adriæ posse succedere, si aliqua personarum prædictarum superstes fuerit, observetur; excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in solis ipsis personis procedere potest, quæ capaces emancipationis existunt ratione paternæ potestatis; nec nisi de Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, licentia speciali, nec etiam post obtentam licentiam, nisi formam, conditiones & modos in concessione licentiæ expressatos plenarie adimplendo; & si contrarium, quod absit, feceritis, vel vestrum aliquis faceret, Nos electionem, nominationem & assumptionem hujusmodi, ac præstationem consensus, tamquam contra tenorem præsentis contractus, te ad hoc pro te, & singulis tuis in Regno ipso Successoribus, specialiter & expresse consentiente, decernimus irritas & inanes: decernentes, ut occasione talis electionis, nominationis seu assumptionis, de regimine vel administratione Imperii, vel Regnorum hujusmodi Romani, Alemanniæ seu Teutoniæ, vel Regni seu Dominii Lombardiæ, vel ipsius majoris partis, vos vel vestrum aliquis intromittere non valeatis; & si contra feceritis, vel aliquis vestrum fecerit (electioni, nominationi, vel assumptioni hujusmodi, nisi prius Regno per modum præmissum dimisso, vel nisi de licentia Romani Pontificis) consentiendo, & administrationi Imperii vel Regni Romani, Alamanniæ seu Teutoniæ, sive Regni seu Dominii Lombardiæ vel ipsius partis majoris pro parte vel pro toto vos immiscendo; eo ipso cadatis a jure Regni Adriæ præfati, & ad Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ dispositionem libere revertatur.

15. Cæterum si contigerit aliquem de vestris hæredibus, qui deberent in Regno succedere memorato, in Imperatorem, vel Regem Romaniæ, aut Alamanniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ, vel ipsius majoris partis, eligi, nominari, vel assumi, antequam Regni hujusmodi sibi successio deferretur, dum casus successionis ipsius Regni Adriæ obveniet, nullatenus successionem ipsius Regni acceptet, nec possessionem nanciscatur ejusdem, nec de ipsius Dominio, cura, administratione vel regimine per se vel alios aliqualiter se intromittat, nisi prius Imperio vel Regno Romaniæ, Alemanniæ seu Teutoniæ, vel Regno seu Dominio Lombardiæ vel majoris partis ipsius, ad quodcunque eorum electus, nominatus fuerit vel assumtus, & omni juri sibi competenti in ipso vel eis, verbo & facto omnino renuntiet, & nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumpturus, nisi de Romani Pontificis licentia speciali: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in Regno præfato

fato sibi competeret ipso facto; ita quod ipsum Regnum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur.

16. Si vero aliquem de vestris hæredibus, qui in Regno deberent succedere memorato, in Imperatorem vel Regem Romaniæ, aut Alemanniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ, vel majoris partis ipsius, contigerit eligi, nominari vel assumi, antequam sibi Regni successio deferretur, & ipse Imperio, Regno Romaniæ, Alemanniæ seu Teutoniæ, vel Lombardiæ voluerit esse contentus, sic quod in Regno Adriæ prædicto nullum velit sibi jus quomodolibet vendicare; tunc quando casus successionis obveniet, ad illum proxime sequens in successionis gradu secundum formam superius annotatam, dummodo superstes sit aliqua de personis, quas supra diximus posse succedere in Regno præfato Adriæ, succedat. alias ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plene & libere revertatur.

17. Quod si non exstantibus masculis, fœmina in eodem Regno successerit, quæ maritata non esset, illa Imperatori vel Regi Romaniæ, seu in Imperatorem vel Regem Romanum electo, aut Regi seu electo in Regem Alemanniæ, seu Regi vel Domino Lombardiæ, aut in ejus Dominum aut Regem electo, aut majoris partis ipsius, numquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Regno Adriæ, maneatque ipsius jure prorsus privata, ipso Regno ad eamdem Ecclesiam devoluto. Si vero, non extantibus masculis, fœmina in Regno hujusmodi successura, antequam hujusmodi successio deferretur eidem, fuerit matrimonialiter copulata Imperatori, vel Regi Romaniæ, aut Regi Alamanniæ, seu in Regem aut Dominum Lombardiæ electo vel assumto, non succedat in Regno Adriæ prædicto, sed ad illas personas servatis gradibus Regnum perveniat, quas prænotavimus in Regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint: cum nostræ intentionis existat, ut præfatum Regnum Adriæ Imperio aut Regno Romaniæ vel Alemanniæ, aut Regno vel Dominio Lombardiæ, aut ejus majoris partis nullo umquam tempore subjiciatur, vel quod ipsum Regnum Adriæ cum Imperio, vel Regno Romano aut Alemanniæ, vel cum Regno seu Dominio Lombardiæ prædicto quomodolibet in unam personam uniantur, ut scilicet unus & idem simul sit Imperator & Rex Adriæ, vel Rex Romaniæ, aut Alemanniæ, seu Lombardiæ, & Rex Adriæ. Et super hoc articulo cavebitur tam per pœnas spirituales, quam alias idoneas cautiones, quomodocumque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum.

18. Ad hæc volentes, ut ipsum Regnum Adriæ nullo tempore careat legitimo defensore; volumus, & Apostolica auctoritate ordinamus, ut si in Regno hujusmodi succedens ætatis decem octo annorum fuerit, libere administret; sed quamdiu minor fuerit, tam ipse quam Regnum in baillio & custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse compleverit prædictam ætatem; fructibus & emolumentis ipsius Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro statu Regis & ipsius Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucri alterius ratione hujusmodi custodiæ non cessuris.

19. Tu autem & tui in Regno præfato Adriæ hæredes in urbe Romana, aut ejus territorio vel districtu, aut in Provinciis Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Sabina, Campania, vel maritima, aut in terris specialium commissionum, quæ per Rectores dictarum Provinciarum solitæ sunt gubernari, aut aliis domaniis seu feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato, aut quocumque alio jure, titulo vel contractu, nihil umquam vobis acquiretis, vel vindicabitis, recipietis, habebitis vel retinebitis, seu poteritis acquirere, vindicare, habere, recipere, vel retinere: nullam etiam Potestariam, Capitaneam, Rectoriam, vel alium honorem, nullamque dignitatem seu potestatem senatoriam, vel quamcunque aliam administrationem, commendam, vel quodcumque aliud officium recipietis, habebitis, vel retinebitis; seu recipere, habere vel retinere poteritis in eisdem.

20. Præfatam etiam urbem, aut provinciam Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Sabinam, Campaniam, vel Maritimam, nec terras specialium commissionum prædictas, aut earum vel ipsarum alicujus partem non occupabitis, nec occupari facietis, nec in eis offendetis, vel quomodolibet molestabitis Romanam Ecclesiam, aut molestari facietis: quod si contrarium feceritis, & moniti vel requisiti per Romanum Pontificem, vel si commode requiri vel moneri nequiveritis, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam ipse publice & solemniter de hoc vos monuerit, infra sex menses habita, acquisita, vindicata vel capta hujusmodi realiter & de facto non dimiseritis, ea postmodum nullatenus repetituri; vel si a præfatis molestationibus, inquietationibus & impedimentis omnino non destiteritis, seu si per vos vel alios pro vobis occupata seu invasa non restitueritis integre & perfecte, eo ipso ab ejusdem Regni jure cadatis totaliter, ipsumque Regnum prorsus amittatis, & ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Quod si restitueritis occupata, nihilominus de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum Romani Pontificis ad plenum satisfacere debeatis.

21. Alii vero hæredes vestri, qui non sunt successuri in Regno, si in Urbe & aliis terris prædictis aliquid acquirere vel vindicare, recipere, vel retinere ex quocumque titulo, vel Capitaneam vel potestariam, aut quodcumque aliud officium, præeminentiam vel honorem in eisdem acceptare, recipere vel retinere præsumpserint; aut si aliquas de prædictis Provinciis sive terris, aut earum aliquam vel per se, vel per alios occupaverint, vel fecerint occupari, aut si Romanam Ecclesiam molestaverint in eisdem; si moniti vel requisiti, aut (si secundum dictum vel assertionem Romani Pontificis moneri vel requiri non possint commode) postquam ipse Romanus Pontifex eos publice & solemniter monuerit, infra sex menses, habita, acquisita, vendicata quocumque titulo vel causa non dimiserint, vel si a præfatis molestationibus vel inquietationibus quibuscumque non destiterint, seu si occupata vel invasa plene non restituerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & nihilominus ipsi vel eorum posteri in perpetuum non possint in Regno ipso succedere, si ipsis in casu aliquo eadem successio deferretur, sed ab illo tanquam indigni prorsus & tota-

& totaliter excludantur, & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni Adriæ gubernaculis præsideret, Romano Pontifici patenter & cum effectu assistere teneatur.

22. Rursus cum non expediat Romanæ Ecclesiæ, ejusdem feuda in unam personam uniri, volumus &, te pro te & tuis Successoribus universis expresse consentiente, disponimus & irrefragabiliter ordinamus, ut tu vel tui in posterum Successores in Regno hujusmodi, Regi seu Reginæ Siciliæ, qui pro tempore fuerit in Regno Siciliæ & terris, quod & quas ab Ecclesia Romana tenet in feudum, ex quacumque causa, jure sive titulo non possitis succedere, vel alias ad dicti Regni Siciliæ & dictarum terrarum dominium vel successionem venire; nec e converso scilicet Rex Siciliæ, qui pro tempore fuerit, tibi vel alicui tuorum in Regno Adriæ prædicto hæredum, ex quacumque causa, jure sive titulo non possit succedere, vel alias ad dicti Regni Dominium vel successionem venire. Quod si contingeret, ut propter propinquitatem generis, vel alias Rex vel Regina Siciliæ, Regi vel Reginæ Adriæ deberet in Regno succedere, vel e converso, successio hujusmodi ad sequentem in gradu, illum videlicet qui deficiente Rege vel Regina Siciliæ esset successurus Regi Adriæ vel e converso, qui scilicet deficiente Rege vel Regina Adriæ, esset successurus Regi Siciliæ, successio hujusmodi transferatur, pacta infeudationum possint succedere in eisdem Regnis: alias ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem ipsum Regnum, de cujus successione agitur, libere devolvatur, non movebitis.

23. Præterea tu, nec aliquis tuorum in Regno Successorum pro te vel alio quocunque, ex quacumque causa, titulo vel occasione guerram vel aliam per viam facti quamlibet novitatem contra Regem Siciliæ, qui pro tempore fuerit, vasallos, subditos vel valitores ipsius, qui de ipso Siciliæ Regno existant, facietis: nec facienti alteri dabitis auxilium, consilium vel favorem; nec ipse Rex Siciliæ contra te seu aliquem tuorum in ipso Regno hæredum, vasallos subditos vel valitores tuos, & ipsorum tuorum hæredum, qui de ipso Regno existunt; sed si quid dissensionis, quæstionis vel querelæ inter Vos, Reges scilicet Adriæ & Siciliæ contingeret exoriri, Regum Dominus adeatur, qui Romanus Pontifex Vobis Regibus per concordiæ vel litigii viam, seu alias, ut sibi videbitur, justitiam administret. Si autem contra aliquem vestrorum vasallorum seu subditorum ex quacumque causa qualiscumque per alterum Regum prædictorum querimonia proponatur, is Regum pro ministranda justitia adeatur, contra cujus subditum vel vasallum fuerit querimonia deferenda; qui si distulerit justitiam ministrare, Romanus Pontifex ejusdem Regis suppleat negligentiam seu defectum.

24. Si autem tu vel aliquis tuorum in Regno Adriæ præfato hæredum, contrarium, quod absit, attentaveritis, contra Regem Siciliæ, ejus subditos vel vasallos, guerram movendo, vel novitatem facti aliam faciendo, seu facienti aut moventi dando auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, aut si Rex Siciliæ, qui pro tempore fuerit, contrarium attentaverit contra te vel aliquem tuorum in ipso Regno Adriæ hæredum, seu contra vestros subditos vel vasallos guerram movendo, vel faciendo per viam facti novitatem aliam, seu facienti vel moventi dando auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, ipse guerram movens vel novitatem attentans, aut moventi vel facienti dans auxilium, consilium vel favorem; ad emendationem damnorum datorum in guerra hujusmodi plenarie teneatur, & nihilominus eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, quam si animo indurato per tres menses sustinuerit, non cessando totaliter & effectualiter a guerra, auxilio, consilio, vel favore prædictis, vel si de damnis vel injuriis in guerra seu novitate hujusmodi irrogatis, infra sex menses postea immediate sequentes ad plenum non satisfecerit, ecclesiastico subjaceat interdicto.

25. Nullam etiam confœderationem vel pactionem, seu societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, Principe vel Barone, Saraceno, Christiano vel cum Græco, aut cum aliqua Provincia, civitate & communitate, vel aliquo loco, scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Romanæ Ecclesiæ facietis; & si eam feceritis ignorantes, ad mandatum Romani Pontificis revocare teneamini, & si scienter tale quid feceritis, & ad mandatum Romani Pontificis nolueritis revocare; eo ipso sententiam excommunicationis incurratis, quam si animo indurato per mensem sustinueritis, ex tunc totum Regnum ecclesiastico subjaceat interdicto, donec ipsam effectualiter duxeritis revocandam.

26. Si quis præterea Imperator, Rex vel alius Princeps quicumque, universitas, communitas, tyrannus vel quævis persona ecclesiastica vel secularis provincias Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Sabina, Campania, Maritima, aut ipsarum aliquam, seu partem alicujus ipsarum, vel aliquam de terris specialium commissionum, quæ per Rectores dictarum Provinciarum sunt solitæ gubernari, & quas Nos Nobis, Ecclesiæ Romanæ, & nostris Successoribus expresse & specialiter retinemus, occupaverint, aut fecerint occupari, seu in eis aliquo modo Romanam Ecclesiam aut Nos vel nostros Successores molestaverint vel fecerint molestari; seu si urbs aut provinciæ ipsæ, seu terræ, vel earum aliqua contra Romanam forsan rebellarent Ecclesiam, vos ipsam Ecclesiam Romanam, ejusque honores & jura in eisdem urbe, provinciis atque terris, & aliis semper bona fide teneamini custodire; & nihilominus, quandocumque Romana Ecclesia indigebit, super qua indigentia stabitur Romani Pontificis simplici assertioni vel dicto, tunc tu aut tui in dicto Regno hæredes, requisiti ab eo, ad Urbem, Campaniam, Maritimam, aut Provinciam Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, seu alias terras, quas Nobis, Romanæ Ecclesiæ & nostris Successoribus specialiter retinemus, trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos & paratos, ita, quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas bonas, vel tres ad minus, in ipsius Ecclesiæ Romanæ auxilium transmittetis, per tres menses integros & continuos, postquam illam ex provinciis vel terris, in qua ipsis indigebit Romana Ecclesia, ingressi fuerint, in tuis vel tuorum in dicto Regno hæredum sumtibus & expensis semel in quolibet anno bene & fideliter servituros; quorum si aliquos interim pendente servitio mori, vel alias quomodocunque deficere

deficere contigerit, tu & tui in Regno hæredes tenebimini numerum trecentorum militum modo consimili statim supplere; vel post lapsum dictorum trium mensium, cum tot, quot defuerint, & pro tanto tempore, quanto defuerint, Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ teneamini bene & fideliter facere deserviri.

27. Sane omnibus Ecclesiis Cathedralibus, quam aliis secularibus & regularibus, nec non omnibus Prælatis & Clericis, ac universis personis Ecclesiasticis, secularibus, & religiosis in dicto Regno Adriæ injuriam passis, plenarie dimittentur & restituentur integre eorum bona immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Hæc autem restitutio fiet sine contradictione & difficultate qualibet sicut nactus fueris ipsius Regni possessionem, hoc modo, scilicet, quod statim in illa parte Regni, quæ tibi obediet, restitutio ipsa fiat, & postmodum successive consummabitur, sicut habebis restituendi facultatem.

28. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Nobis seu Romano Pontifice, qui tunc fuerit, aliqui discreti viri, ad quorum mandatum & arbitrium restitutio ipsa fiat, ita quod ea, de quorum Dominio, vel proprietate aut possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano, & absque judicii figura & strepitu diligentius inquiratur: sufficiet autem vocari rectorem seu thesaurarium vel procuratorem, in cujus jurisdictione vel administratione seu territorio bona de quibus agetur, consisterent ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent; hujusmodi quoque temporalia & mobilia bona quæcumque, etiamsi civitates, castra, jurisdictiones existant, quæcumque & quocunque nomine censeantur Rectores Ecclesiarum tam Cathedralium quam aliarum, regularium & secularium, & universæ aliæ personæ Ecclesiasticæ, tenebunt libere, absque eo, quod ab eis possit ratione ipsorum temporalium, per te vel aliquem tuorum hæredum peti seu exigi homagium, juramentum fidelitatis vel recognitio aliqualis; nec dissaisentur Ecclesiæ Cathedrales, vel aliæ regulares & seculares, nec earum Prælati seu ceteræ personæ Ecclesiasticæ per te, vel aliquem tuorum hæredum vel Officiales vestros, quocumque nomine nuncupentur, eorum temporalitate vel parte ipsius, nec poterunt dissaisiri, nec in eorum domibus, vel eorum bonis mobilibus vel immobilibus vastatores seu custodes ponentur, nec poni debeant seu poterunt quoquo modo; seu omnes Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ omnino erunt liberæ, & in nullo Regi vel Principi subjacebunt.

29. Nullas insuper taillias vel collectas imponetis Ecclesiis, Monasteriis, Clericis & viris Ecclesiasticis, seu bonis vel rebus ipsorum, & in Ecclesiis vacantibus tu vel tui de Regno Adriæ hæredes nullam habebitis Regaliam, nullosque fructus, reditus & proventus; nullas etiam obventiones, nullaque alia percipietis ex eisdem; custodia earum Ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

30. Omnes insuper Ecclesiæ tam cathedrales, quam aliæ regulares & seculares, nec non & omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ ecclesiasticæ, seculares & religiosæ, ac quæcunque loca ecclesiastica cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione, vel post, Regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem tu & tui in Regno hæredes semper manutenebitis & conservabitis, ac manuteneri & conservari facietis ab omnibus subditis vestris plenarie sine fraude; salvis semper circa Ecclesias Cathedrales & alias tam seculares quam regulares, ac alias personas & loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam in omnibus & quibuscumque aliis Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ jurisdictione & auctoritate plenaria & libera potestate.

31. Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis & delegatis judicibus ecclesiasticis; & terminabuntur per eos; &, si ad Sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum suarum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittentur. Et si qui sint Prælati vel aliæ personæ ecclesiasticæ, qui bona aliqua teneant a te Rege prædicto, & Successoribus tuis, vel ab aliis Dominis temporalibus tibi subditis, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Nobis nostrisque prædecessoribus & ipsis Dominis temporalibus aliqua servitia pecuniaria, vel alia exhibere, hujusmodi antiqua & honesta servitia tibi tuisque Successoribus, & eisdem Dominis secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonica, impendantur.

32. Poterunt insuper omnes habitatores & incolæ Regni Adriæ præfati libere & absque omni impedimento ad Curiam Romanam, ubicumque eam esse contigerit, pro suorum negotiorum commoditatibus venire, stare & redire ad propria, nec non ad ipsam Curiam Romanam blada, vina, carnes, pisces, & alia victualia quæcumque pro ipsius Romani Pontificis, Cardinalium Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & aliarum personarum ecclesiasticarum, Curiam Romanam sequentium, & in ea, & in loco, ubi Curia residebit, commorantium provisionibus portare & portari facere libere & sine impedimento, per terram vel per mare, prout duxerint eligengendum sine solutione tractæ, pedagii, leudæ, gabellæ, impositionis, vel quocumque alio costagio, vel onere vel redhibentia aliquali. Et de provisionibus Romani Pontificis & suorum familiarium, & aliarum personarum ecclesiasticarum, literis Camerarii nostri & Ecclesiæ Romanæ, de provisionibus vero Cardinalium & familiarium suorum, cujuslibet ipsorum Camerarii literis stabitur & credetur plenarie & absque omni difficultate.

33. Promittis insuper pro te & tuis Successoribus in Regno hujusmodi universis, quod nullus Clericus, vel persona ecclesiastica ejusdem Regni in civili vel criminali causa convenietur coram Judice seculari, nisi de feudo & petitorio civiliter forsan ageretur. Non facietis quoque seu edetis, seu fieri aut

aut edi facietis aut permittetis in Regno hujusmodi statuta, constitutiones vel leges contra ecclesiasticam libertatem, seu per quæ juri aut libertati ecclesiasticæ in aliquo derogetur.

34. Comites vero, Barones, Milites, & universi homines totius Regni prædicti, vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quales & quæ antiquis temporibus habuerunt. Præterea exules & exititii Regni prædicti seu Provinciarum, Civitatum, Comitatuum ac omnium locorum ipsius, cujuscunque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducentur in Regnum, ac etiam in suis civitatibus, castris, seu locis aliis quibuscumque restituentur eis possessiones & quæcumque immobilia bona, & jura ipsorum, quæ non essent legitime confiscata. In hujusmodi autem restitutione, secundum formam in Capitulo de bonis Ecclesiarum restituendis præscriptam, tam in notoriis, quam in dubiis procedetur.

35. Habebis autem tu & tui in Regno Successores ipsum Regnum, sicut ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, ea videlicet, quæ de Domanio sunt Romanæ Ecclesiæ, in Domanium; & alia illo jure, modo & forma, quibus ad Nos & Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; cum nostræ intentionis existat, ut per præsentem concessionem alicui in suis possessionibus vel proprietatibus nullum præjudicium generetur, Regio in iis jure semper salvo.

36. Pro toto vero generali censu ipsius Regni quadraginta millia florenorum boni auri ad pondus Cameræ Apostolicæ in festo Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si vero tu vel tui in dicto Regno hæredes, quocunque termino non solveritis integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis sententia innodati, quod si in secundo termino, & infra duos subsequentes menses, eumdem censum sine diminutione aliqua non persolveritis, totum Regnum Adriæ ecclesiastico erit suppositum interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem ejusdem census vobis duxeritis consulendum, ita quod transacto eodem tertio termino infra duos menses, ipsum tertium terminum sequentes, ipsi Romanæ Ecclesiæ integre non fuerit satisfactum, ab eodem Regno ipsiusque jure cadatis ex toto, & Regnum ipsum integre & plenarie ad Romanam Ecclesiam revertatur. Si autem de censu quadraginta millium florenorum prædicto hujusmodi primi termini infra dictos tertium terminum, & duos subsequentes menses plenarie satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis quadraginta millibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illa non solveritis, similes pœnas incurretis, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel fieri poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

37. In quolibet etiam triennio dabitis tu & tui in Regno hujusmodi hæredes Romano Pontifici unum palafredum album, pulchrum & bonum, in recognitionem dicti Dominii ejusdem Regni.

38. Ad hæc, postquam tu prædictum Regnum acquisiveris, vel tantum de ipso, quod etiam si aliquæ civitates vel munitiones, aut aliqua alia loca ipsius Regni adhuc tibi rebellia fuerint, reputeris & possis ipsius Regni Rex & Dominus reputari, ad dicta quadraginta millia florenorum & palafredum terminis supra dictis, & sub pœnis annotatis superius tenearis, & tui subsequenter hæredes in Regno hujusmodi perpetuo teneantur.

39. Ad hæc si Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, vellet cum sua Curia in aliqua civitatum vel aliarum terrarum seu locorum ipsius Regni Adriæ morari, hoc possit libere & absque impedimento quocunque, & cum eisdem libertatibus, privilegiis & immunitatibus, quas Ecclesia Romana tam de jure quam de antiquis observantiis habere debet, & usa est temporibus retroactis; & tam circa libratas ordinandas cancellos f - - - ta, rationes domorum, jurisdictione Marescalli libera & aliorum officialium Romanæ Curiæ, quam alias in quibuscumque consistant & qualitercunque retro temporibus fuerit observatum.

40. Tu etiam ad præsens & singuli tui in Regno hæredes, quando facient homagium, & juramentum fidelitatis præstabunt, dabitis privilegium vestrum aurea bulla bullatum Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ, in quo proprio juramento fatebimini & recognoscetis expresse, Regnum Adriæ prædictum ex sola gratia & mera liberalitate Sedis Apostolicæ vobis de novo fore concessum, vosque recepisse & tenere Regnum hujusmodi a Romana Ecclesia sub pactis & conditionibus supradictis.

41. Habebis autem tu militum, ballistariorum & aliorum belligerorum hominum comitivam talem & tantam, quod ad prosecutionem & perfectionem negotii acquisitionis ipsius Regni sufficiens reputetur, & cum arripiendo & prosequendo iter versus Italiam pro prosecutione negotii, quam citius commode poteris, & ad longius infra duos annos, a data præsentium computandos, debeas Regnum Franciæ exivisse, legitimo impedimento cessante; quod si in tua persona esses forsitan impeditus, ut infra dictum terminum personaliter non posses præfato negotio acquisitionis vacare, loco tui talem substitutum seu locum tenentem debeas ordinare, qui, judicio Romani Pontificis ad tale & tantum negotium idoneus & sufficiens reputetur. Et si tu personaliter, vel, ubi esses in persona propria impeditus, per substitutum vel locum tenentem, ut est dictum, idoneum intra dictum terminum per modum præscriptum, vel saltem infra duos menses, finem termini immediate sequentes, non inceperis & prosecutus fueris acquisitionis negotium antedictum; vel si, quod DEus avertat, te interim mori contingeret, ex tunc præsens concessio, infeudatio, & omnia, quæ in præsentibus literis continentur, sint nulla, cassa & irrita ipso jure, liceatque Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ de Regno & terris ipsis disponere & ordinare, prout placuerit, & eis videbitur rationabiliter faciendum.

42. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, decreti, concessionis,

cessionis, donationis, constitutionis, creationis, voluntatis, dispositionis, collationis & retentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Spelunga Cajetanæ diocesis, XV. Kal. Maji. Pontificatus nostri anno primo.

XCVI.

Caroli III. Siciliæ Regis literæ, in quibus Ludovicum, Franciæ Regis filium, a Johanna I. Siciliæ Regina, adoptatum An. 1382. ad duellum provocavit.

CHarles troisieme par la grace de Dieu Roy de Jerusalem & de Sicile, Comte de Provence, Forcalquier & Piedmont, à Louys fils du feu Roy de France.

Nous t' auons autrefois escrit par nos Ambassadeurs particuliers que lors que Matthieu des Sauvages devoit estre de retour, avec asseure saufconduict, il a esté tellement quellement meurtri & supplicié contre toute Loy, & tout usage de guerre. Pour ceste occasion nous t' envoyons la coppie d' une lettre par toy envoyée à queiqu' un de nos amis. Si te disons de present, comme nous avons tousiours dit & soustenu, que s' il est ainsi, que tu ayes escrit telle lettre (par le discours de la quelle tu veux dire, que nous sommes lasche & meschant) tu en as menti par la gorge: parole que je suis prest & appareillé de soustenir, maintenir & defendre par voye d' armes, de ma personne contre la tienne. Et jaçoit, que tu sois en nostre Royaume si pourras-tu neantmoins cognoistre & sçauoir, auquel de nous deux le champ demeurera: car tes gens & les miens ne desirent rien tant que de combattre, & voir l' Yssue de nostre different & de ceste guerre. Mais il faut que le Combat se face par une façon singuliere de toy à moy, & seul à seul, afin que la gloire & la victoire en demeurent perpetuellement a celuy, qui gaignera le dessus, & le prix de ce combat. Quant au Droit pretendu par toy sous la subornée adoption de la Royne Jeanne, elle n'a peu ny deu disposer d'une chose où elle n' avoit aucun droict, puis qu' il appartenoit plustost aux enfans de Charles Martel, Roy d' Hongrie, fils de Charles deuzieme, Roy de Sicile, le droict qu' elle y pretendoit, venant plus par usurpation, que par trait juste & legitime succession. Et posé le cas que son titre eut esté bon & valable, encor n' en pouvoit elle frustrer les plus proches du sang de Charles: qui legitimement succedoient à la Couronne, & au Sceptre de Naples, outre qu' elle avoit esté declarée meurtriere infame de son mari, pour avoir meschamment & cauteleusement faict estrangler d' un lacs & pendre aux fenestres de son chasteau, André d' Hongrie, son premier & legitime espoux. Qu' il soit ainsi, on sçait fort bien qu' elle n' a jamais faict mine, ny semblant d' en faire aucunes poursuittes, ny recerches, se rendant par telle negligence de plus en plus notoirement convaincuë & suspecte. Pour le regard du droict, qui nous appartient, attendu que Jeanne est decedée sans hoirs de son corps, nous tenons pour nulle & pour vaine ta pretenduë adoption, aussi bien que la donnation à toy & à ta faveur par elle faicte, comme de chose, qu' elle n' a peu donner, ny distribuer à sa volonté: pouvant aussi peu disposer de l' heritage d' autruy, que Clement, qui se dit Pape souverain, & ne l' est point, en donner l' investiture. Parce que si telle donnation a esté bonne, & le don des Papes bon & utile, Jeanne ne l' a deuement faicte, Urban estant tenu pour vray & legitime Evesque de Rome, Clement pour Antipape reprouvé. Somme pour le faire court, quant à ce qui regarde le combat, nous sommes plus prests & disposés d' en venir promptement aux effects, qu' aux vaines & inutiles paroles. Donné à Naples par le magnifique Jean des Ursins, Comte de Manopoly, Logothete, & Protonotaire du Royaume de Sicile, nostre tres-cher Conseiller, & fidele Collateral l' an MCCCLXXXII. de nostre regne le deuzieme.

Charles.

XCVII.

Ludovici, Franciæ Regis filii, a Johanna I. Siciliæ Regina adoptati Responsio ad antea insertas provocationis literas, d. d. 26. Nov. An. 1382.

LOuis fils de Roy de France, adopté de Madame Jeanne par la grace Dieu Royne de Jerusalem, & de Sicile, Duchesse d' Apulie, Princesse de Cappua, Comte de Provence, Forcalquier & Piedmont, son heritier universel & futur successeur en ses Royaumes, Comtés & Seigneuries, Duc de Calabre, d' Anjou & de Turene, & Comte du Mayne à Charles de Duras.

In nomine Domini, Amen. Cum faciente prava moderni temporis conditione certa defensio ex nonnullis rebus & causis intervenerit inter Serenissimum Principem, Dominum Ladislaum, DEI gratia Regem Hungariæ, Jerusalem, Siciliæ, &c. ex parte una, & viros magnificos, Jacobum e Martzano, Comitem Squilaciæ, ac Regni Siciliæ admiratum, Goffridum e Martzano, Comitem Alifiæ, & magnum Camerarium dicti Regni, fratrem ejus, Jacobum de Ursinis, Comitem Taliacotii, & Jacobum Extandardum, militem, ejusdem Regni Mareschallum, ex parte altera, ideo disponentes tam præfatus Rex Ladislaus, quam dicti Magnates venire ad concordiam de prædictis; contentantur omnia quæcumque versantur circa materiam dictæ discordiæ inter eos, & inde pendentia ponere, & ex nunc ponunt absolute in manibus sanctissimi Domini nostri Papæ, Bonifacii IX. cujus Domini nostri Papæ declarationi, determinationi & simplici sententiæ parati sunt idem Dominus noster Rex, & præfati Magnates cum puro, sano & bono intellectu & effectu stare atque parere; promittuntque in fide ipsorum pura & recta immediate, & sine aliqua dilatione, ac omni quacumque dilatione, ac omni exceptione, causa vel occasione remota, stare & parere declarationi, determinationi & simplici sententiæ prælibatæ ejusdem Domini nostri Papæ: & interim, donec fiat dicta declaratio & determinatio per eundem Dominum nostrum Papam, contentantur præfatus Dominus Rex & dicti Magnates tollere, & ex nunc tollunt offensas hinc inde securitatem mutuæ praticationis, conversationis & transitus inter terras, vasallos & subditos, ac gentes eorum armigeras cum marchantiis, rebus & bonis quibuslibet. Contentanturque tam præfatus Dominus Rex, quam dicti Magnates, quod gentes, armigeri, & alii subditi & obedientes dicti Domini Regis, possint stare in villa Centoræ, & in locis ulterioribus aliis territorii Suessani per quindecim dies vel infra; & quod potissime dum inibi moram fecerint, & videre & intrare civitatem Suessanam, & alias terras & loca dictorum Magnatum, moderatis tamen, & in moderato numero: & interim possint per territoria & pertinentias Suessanæ & aliarum terrarum eorundem Magnatum, ac passus ipsorum per vias vel extra vias, de die vel de nocte, armati, vel inermes cum quibuscumque rebus ire pariter & redire, libere & secure, pendente declaratione & determinatione prædictis; absque tamen offensione subditorum & rerum eorumdem Magnatum, exceptis herbis & arboribus sylvestribus. Et si forte per dictas gentes subditas & obedientes

ejusdem

ejusdem Domini Regis aliquod aliud damnum eis fieret, dictus Dominus Rex promittit per fidem suam illud facere emendare: dictique Magnates dabunt & dari facient præfatis gentibus dicti Domini Regis foragium & grassiam competenti pretio. Verumtamen elapsis dictis diebus quindecim, præfatæ gentes dicti Domini Regis egredi debeant dicta territoria Suessana, & aliarum terrarum eorundem Magnatum, sed cum expediens fuerit, possint per easdem terras & territoria ire & redire, ac conversari modo prædicto, pendente præfata declaratione & determinatione ejusdem Domini nostri Papæ. Insuper prædicti Magnates interim pendente præfata declaratione & determinatione dicti Domini nostri Papæ, promittunt, non dare auxilium, consilium vel favorem, aut transitum per terras, passus & loca Duci Andegaviæ, suisque gentibus, sequacibus & adhærentibus ipsius, sed transitum ipsum eis possetenus impedire.

Promittunt etiam, ad ipsum Ducem non mittere absque licentia dicti Domini Regis, nec ejus fautores, adhærentes, sequaces, obedientes, & gentes armigeras receptare: immo statim infra triduum post datam præsentium capitulorum licentiabunt Zbrigolectum per totum mensem præsentem Maji, Leonellum de Constantio, ac per totum instantem mensem Augusti anni præsentis Abramontem cum eorum sociis, & quascumque alias gentes armigeras dicti Ducis Andegaviæ, quas haberent in terris eorum, & eas ulterius non receptabunt, & etiam, si poterunt, eas prius licentiabunt, si deberent eis dare aliquid de suo ultra id, quod debent habere. Jam dictus Dominus Rex promisit præfatis caporalibus & gentibus licentiandis facere salvum conductum recedendi, quo voluerint. Item addidit præfatus Dominus Rex, & dicti Magnates contentantur, quod in prædicta sublatione offensarum intelligatur Comes Fundorum & sui sequaces, hoc est, quod tam dictus Comes, quam præfati magnates & eorum sequaces & gentes non deberent alterutrum se offendere, sed omnino offensas tollere & removere, facta declaratione & determinatione concordiæ per prædictum Dominum nostrum Papam inter eundem Dominum Regem & præfatos Magnates fiat pax & concordia, & facta esse intelligatur ex tunc inter eundem Comitem & Magnates prædictos. Item in prædictis intelligatur Comes S. Agathæ modo simili, durante tantum tempore ligæ & unionis, quod est inter dictum Dominum Regem & præfatum Comitem & non ultra. Item dictus Dominus Rex contentatur, & dat licentiam præfatis Magnatibus mittendi Neapolim ad Ducem Andegaviæ, Comites Tircairiti & Montisalti, & Stephanum de S. Severino, ad faciendum excusationes eorum.

Item dictus Dominus Rex promittit pro se & dicto Comite Fundorum, ac eorum sequacibus & gentibus subditis & vasallariis securitatem plenam ambasciatoribus, mittendis per eosdem Magnates ad dictum Dominum nostrum Papam in eundo. In quorum omnium fidem dictus Dominus Rex, in verbo & fide Regali, & præfati Magnates in fide nobilium & Magnatum promittunt sibi ipsis invicem, unus videlicet alteri, & alter alteri pro sequacibus & adhærentibus eorum, prædicta omnia pura & bona fide observare, & facere observari, nec contra facere vel venire, publice vel occulte, quacumque ratione & causa; & in præmissorum testimonium facta sunt tria consimilia scripta, quorum præsens factum est præsentandum dicto Domino nostro Papæ, sigillis & subscriptionibus, tam dicti Domini Regis, quam prædictorum Magnatum roboratum: aliud factum est ad cautelam dicti Domini Regis Ladislai per eosdem Magnates, eorum sigillis, & subscriptionibus communitum: tertium vero factum est ad cautelam dictorum Magnatum per eundem Dominum Regem Ladislaum, ipsius parvo sigillo & subscriptione munitum. Acta sunt hæc in territorio Suessano sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, die quarta decima mensis Maji, sexta indictione. Nos Rex Ladislaus prædicta promittimus. Ego Admiratus prædicta promitto. Ego Comes Alifiæ, Magnus Camerarius Regni Siciliæ, prædicta promitto. Ego Angelus de Arpino, Secretarius Magnatis Domini mei, Domini Jacobi Exantdardi supradicti; de mandato dicti Domini, scribere nescientis, præsentia capitula subscripsi propria manu mea; & eadem ejusdem mandato sigillo proprio dicti Domini mei sigillavi.

Nos igitur, qui in agro Dominico sumus Divina disponente clementia constituti, vigilibus studiis, dextera Domini Nobis assistente propitia, ad operam manus nostræ possibilitatis libenter apponimus, quam præfato Regno, & terræ citra Pharum, quæ a Nobis & dicta Ecclesia tenentur in feudum, ac eorum incolis & habitatoribus, speramus DEO propitio profuturam. Nam tandem itaque totis desideriis cupientes, ut Regnum & incolæ prælibati ad statum prosperum, pacificum & tranquillum per Apostolicæ Sedis ministerium & providentiam reducantur, ac in statu hujusmodi solidentur, confirmentur, ac etiam augeantur, auxilio divini Numinis implorato, tam Apostolica, quam dicti compromissi auctoritate, tenore aliarum literarum nostrarum. In primis volumus & mandamus, pronunciamus, decernimus, laudamus, & etiam declaramus, quod Jacobus e Martzano, Comes Squilaciæ, & Regni prædicti Admiratus, nec non Goffridus e Martzano, Comes Alifiæ & Magnus Camerarius dicti Regni, ac Jacobus de Ursinis, Comes Talliacotii, & Jacobus Extandardus, miles, ipsius Regni Mareschallus, supradicti & eorum colligati ad debitam fidelitatem dicti Regis, nimirum - - - penitus se reducant, illique humiliter pareant, obediant, & intendant, & illico sibi præstent ligium homagium, & fidelitatis debitum juramentum secundum constitutiones Regni prædicti, & alias, prout est hactenus fieri consuetum, aliaque faciant, quæ ad hujusmodi fidelitatem noscuntur quomodolibet pertinere. Præterea dicto Regi autoritate prædicta districte præcipiendo mandamus, quod ipse Admirato cum aliis superius nominatis expresse quæcumque provisiones & bona burgensatica, hæreditaria & feudalia, ac empta, & juste acquisita per eos ac eis donata, nec non civitates, castra, terras, Comitatus, Baronias, & omnia alia quocumque nomine censeantur, & in quibusvis partibus dicti Regni consistant, jura quoque & actiones ad eos pertinentia, Regia autoritate

ritate restituat, illosque, si occasione discordiarum, quæ inter eos, ut præmittitur, viguerunt, crimen læsæ Majestatis incurrissent, ad honores, prærogativas, dignitates, famam, status, officia, & beneficia, quibus ante hujusmodi discordias potiebantur, restituere non postponat, & specialiter Admiratum prædictum ad Ducatum Suessanum, eidem Admirato de injuriis & offensis quibuscumque plenam & generalem remissionem & indulgentiam faciendo; sequaces vero & complices & colligatos eorum, adhærentes eisdem, postquam ipsi præfato Regi infra duos menses hujusmodi fidelitatis & homagii præstiterint juramentum, per eundem Regem restitui similiter declaramus. Insuper auctoritate Apostolica volumus, & declaramus, quod, quamprimum dictus Rex præfatæ civitatis Neapolitanæ possessionem pacificam, liberam, & expeditam, Domino concedente, fuerit assecutus, Goffridus, magnus Camerarius antedictus, officialem in civitate Capuana valeat deputare.

Cum vero idem Rex prædictæ civitatis Neapolitanæ & fortalitiorum ejusdem cum DEI adjutorio habuerit possessionem pacificam, ut præfertur, Rex ipse dicto Goffrido civitatem Capuanam prædictam cum fortalitiis ejusdem in capitaniam & castellaniam teneatur realiter assignare, præstito tamen prius per eundem Goffridum dicto Regi in hac parte fidelitatis debitæ juramento, sic quod Goffridus ipse in eisdem civitate Capuana & fortalitiis libere possit Capitaneatus officium exercere; salvo tamen, quod si pro bono dicti regni ante recuperationem præfatæ civitatis Neapolitanæ Nobis videbitur expedire, quod memoratus Goffridus officialem in civitate Capuana prædicta valeat deputare. Rursus volumus & mandamus auctoritate præfata, quod Rex præfatus procuret realiter, & faciat cum effectu, quod castrum maris de Volturno Capuanæ diœcesis nostro ac Romanæ & Capuanæ Ecclesiarum nominibus, cum oneribus & conditionibus per Nos declarandis, usque ad beneplacitum nostrum tenendum assignetur. Cum autem dicta civitas Neapolitana ad manus ipsius Regis Domino volente pervenerit, Admiratus prælibatus cum dicto magno Camerario & ejus benevolis & amicis, totis viribus teneantur assistere dicto Regi ad recuperationem dicti castri in casu, quo is, qui castrum ipsum ad præsens possidet, renitentiam forsitan molirerur. *Et paulo infra:* Amplius eadem auctoritate volumus & mandamus, quod per dictum regnum fiat moratoria, ut eorum vocabulo utamur, in quantum partes tanguntur aliquibus, usque ad decennium, aliquibus vero usque ad tempus, de quo duxerimus declarandum. Item auctoritate prædicta volumus & mandamus, quod præfatus Rex, Jacobo Admirato, Goffrido, magno Camerario, Jacobo comiti Talliacotii, & Jacobo Mareschallo præfatis, quæcumque privilegia, literas, cedulas, prærogativas, immunitates, & gratias, exceptiones & remissiones collectarum, de quibuscumque communitatibus, baroniis, civitatibus, terris, castris, villis, casalibus, & feudis per claræ memoriæ Carolum Regem, dicti Ladislai Regis genitorem, & charissimam in Christo filiam nostram Margaritam, Jerusalem & Siciliæ Reginam, tempore quo Regina ipsa in dicto regno Vicariatus officium exercebat, & per eundem Regem illis facta, prout ante ortam discordiam habuerunt per ipsius patentes & authenticas literas studeat confirmare. Datum Romæ apud S. Petrum, Kal. Junii, Pontificatus nostri anno nono.

CVI.

Tabulæ Pacis, inter Innocentium VII. Pontificem Maximum, & Ladislaum, Siciliæ Regem, conclusæ, d. d. Id. Augusti An. 1406.

Ad futuram rei memoriam. Decens reputamus & congruum, ut ea, quæ per Commissarium nostrum nostro & ecclesiæ Romanæ nomine facta sunt, ut illibata persistant, apostolico munimine roboremus. Cum itaque nuper inter charissimum in Christo filium nostrum Ladislaum, Regem Siciliæ illustrem, pro se ac Regno Jerusalem & Siciliæ, ac terra citra Pharum, quæ a Nobis & Romana Ecclesia tenet in feudum, nec non subditis, vasallis, gentibus, adhærentibus, complicibus, & sequacibus ipsius ex una, & dilectum filium nobilem virum, Ludovicum de Melioratis domicellum Sulmonensem, ac provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ pro Nobis & eadem Ecclesia Rectorem, vigore commissionis per Nos eidem factæ, per alias nostras literas pro Nobis & eadem Ecclesia, nec non alma urbe, provinciis, civitatibus, terris, & locis ad Nos & ipsam Ecclesiam spectantibus gentibus, subditis, adhærentibus, complicibus, & sequacibus nostris ex altera partibus, nonnulla pacta, compositiones & fœdera circa reductionem & reintegrationem præfati Regis ad nostra, & Ecclesiæ prædictæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam facta, firmata, & celebrata fuerunt.

In primis quod de omnibus & singulis guerris, novitatibus & offensionibus motis, factis, & illatis hactenus ubicumque, quomodocumque, usque in diem vigesimum octavum mensis Julii proxime præteriti per dictum Regem, subditos, vasallos, gentes, adhærentes, complices, & sequaces ipsius contra almam urbem, provincias, civitates, terras, castra, & loca prædicta, nec non subditos, gentes, adhærentes, complices, & sequaces nostros, vel alios quoscumque, seu contra venientes ad Romanam Curiam, & recedentes ab ea, & è converso facta esset, & esse intelligeretur pax, ac plena reintegratio bonæ pacis sub modis, pactis, & conditionibus debitis congruentibus, & honestis, & circa talem materiam opportunis, quæ hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis, et quod de cætero et super quibuscumque damnis, criminibus, culpis, excessibus, et delictis per quoscumque ex superius comprehensis usque in dictam diem civiliter vel criminaliter, seu mixtim ex officio cum promotione vel sine, procedi, cognosci, seu requiri non posset, etiamsi esset cognitum, vel non cognitum, et quod in agendo, procedendo, cognoscendo et exequendo cuilibet magistratui et aliis quibuslibet quoad præmissa et dependentia esset, et esse intelligeretur adempta omnis jurisdictio, cognitio, et facultas, ac super iis omnibus facta utrique plena, et generalis remissio cum membris, clausulis et substantialitatibus opportunis;

nis; salvis tamen et reservatis iis, quæ restitui debent per formam præsentium et aliorum capitulorum circa reductionem hujusmodi, ut supra præmittitur, firmatorum.

Item, quod idem Rex, tanquam benedictionis filius, contrito corde et humiliato spiritu, prout decet, de cætero teneretur et deberet sub filiali devotione, fidelitate, et obedientia nostris et præfatæ Ecclesiæ, ac Successorum nostrorum, Romanorum Pontificum Regia integritate se conservare, et omnia et singula facere et adimplere Nobis, Ecclesiæ, et Successoribus nostris, Romanis Pontificibus, ad quæ astringitur per formam concessionis Regni ac terræ citra Pharum prædictorum, eidem per Romanos Pontifices, et maxime per felicis recordationis Bonifacium Papam IX. prædecessorem nostrum immediatum, sub certis pactis, modis, censuris, pœnis, et conditionibus, quæ hic alias haberi debeant pro sufficienter et specifice declaratis, in feudum concessorum.

Item, quod idem Rex teneretur & deberet possessionem vacuam, liberam & expeditam castri Crescentii, alias S. Angeli, siti in præfata urbe & civitate Leonina, ad Nos & ipsam Ecclesiam pleno jure pertinentis ac spectantis, libere reddere, restituere, & consignare, ac reddi & consignari facere præfato Ludovico, quamprimum Romam appulisset, pro Nobis & eadem Ecclesia recipienti cum omnibus & singulis munitionibus, existentibus in dicto castro, omni contradictione & exceptione cessantibus pure atque libere.

Item, quod quicumque, cujuscumque status, gradus, habitus, vel conditionis seu præeminentiæ esset, spiritualis, vel temporalis, etiamsi cardinalatus, regia, reginali, aut quacumque alia dignitate fulgeret, seu quævis universitas aut singularis persona de provinciis Romanis, Patrimoniis B. Petri in Tuscia, Sabinæ, Campaniæ, Maritimæ, Ducatus Spoletani, Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Massæ, Trabariæ, civitatum & terrarum specialis commissionis, & Arnulforum, aut aliarum civitatum, terrarum, seu locorum, ad Nos & Ecclesiam præfatos spectantium vel pertinentium, aliquid non solum facere, sed attentare præsumeret per se vel alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, vel quovis quæsito colore, dicto, facto, vel assensu, seu alias quomodocumque aut qualitercumque, contra statum & honorem nostrum & Ecclesiæ præfatorum, almam urbem, provincias, civitates, terras, castra vel loca, subditos, adhærentes, complices, vel sequaces nostros & Ecclesiæ, res vel bona, quæ idem Rex per se vel alium non posset vel deberet quomodolibet, sub quacumque forma, tacita vel expressa, publica vel occulta, aut quovis colore talibus non solum offendentibus, sed attentantibus, offensionem aliquam facere, ut præfertur, præbere receptum, auxilium, consilium, vel favorem: quinimmo eos & quemlibet eorum, res & bona juxta posse persequi, ac Nos & Ecclesiam prædictos juvare teneretur modo & forma in concessione regni & terræ præfatorum contentis.

Item, quod idem Rex non posset vel deberet, aut per se vel alium, ut præfertur, movere seu moveri facere, aut cœptam continuare aliquam guerram, seu volentibus prosequi cœptam contra aliquem, vel aliquos subditos, recommendatos, vel adhærentes nostros, qui subditi recommendati vel adhærentes per Nos declarati essent, *& infra*, per literas apostolicas seu publicum documentum infra dies triginta a die conclusionis ipsorum capitulorum assistere vel favere, vel præstare consilium vel assensum modo aliquo seu forma, & maxime contra infrascriptos; videlicet almam urbem, provincias Campaniæ atque Maritimæ, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Sabinam, civitates & terras specialis commissionis & Arnulphorum, Ducatus Spoletani, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trabariæ, Romaniolæ, Bononiensem, & Perusinam ac Civitatem Castellanensem, civitates cum earum civitatibus, Comitatibus, territoriis atque districtibus, habitatoribus, & incolis; nec non nobiles viros Nicolaum, Marchionem Estensem, Bertoldum Suanensem Comitem, cum cæteris de domo Ursinorum, excepto Jacobo Nepesino, Joannem de Vico, almæ urbis præfectum, Franciscum & Nicolaum Anguillariæ & Crapalicæ Comites, cum omnibus consortibus eorundem, Ugolinum de Trinciis, Rodulphum de Varano cum consortibus ipsius, Guidonem militem de Clavellis, & Matthæum ejus germanum, Guidonem militem, & Fredericum de Matelica cum consortibus, Honophrium & Antonium de S. Severino, Joannem de Cimis de Cingolo, Rainerium militem, fratres & consortes ejus de Æsio Guidemtonium, Comitem Montisferretri, Pierfranciscum de Brancaleonibus cum nepotibus & consortibus suis, Carolum Pandulphum, Militem, & Malatestam germanos, Malatestam quondam Pandulphi militis de Malatestis, cum eorum consortibus de Malatestis, Ludovicum de Alidosiis, militem Imolensem, Opizonem & Stazium de Polenta, Agabitum & Jannotum de S. Eustachio, Antonium & Leonardum de Farnesio cum fratribus eorundem, & omnes et singulos alios vicarios quarumcumque civitatum, terrarum, castrorum, et locorum, ad Nos et ipsam Ecclesiam ubicumque spectantium, cum omnibus et singulis civitatibus, terris, castris, fortalitiis, et locis, quæ dicti superius nominati, et alii, ubicumque tenent, seu possident. Et vice versa quod per Nos nostrosque subditos, vasallos, adhærentes et recommendatos præsentes non deberet de cætero fieri guerra aut novitas, nec de novo incipi contra Regem præfatum, suaque regna, provincias, et terras prædicta, nec contra suos subditos, vasallos, adhærentes, fautores recommendatos tam in regno, quam extra, et specialiter contra infra scriptos ejus adhærentes et vasallos, videlicet Paulum de Guinigiis, de Luca, Joannem de Vico almæ urbis præfectum, Joannem et Nicolaum fratres, Jordanum et Landulphum milites, et Antonium de Columna, Ildebrandinum Colam et Jacobum ac Nicolaum de Comite, Baptistam, Antonellum, et Franciscum de Sabellis, Jacobum militem de Cajetanis, Ricardum de Anibaldis, Conradinum de Antiochia, Matthencium de Monteleone, Cintium de Paterno, Joannem de Capocinis, Cecchum de Palumbaria, Gorum Matthæi Velletrensis, Jacobum de Ursinis Nepesinum, Andream Matthæum Ducem Æriæ, Gentilem de Monterano, Baptistam de Romagna, aut alios, qui devenerunt homines et vasalli dicti Regis, nec contra ipsorum vel alicujus eorum, tam nominatorum, quam non

non expressorum subditos, vasallos, civitates, terras, castra & loca, ac bona. Ita tamen, quod præfati superius nominati, & alii non expressi, si, & prout de jure deberent, tenerentur respondere de quibuscumque pecuniis & rebus aliis Nobis & Romanæ Ecclesiæ supradictæ.

Item, quod idem Rex non posset vel deberet, pro suis adhærentibus vasallis seu colligatis recipere, aut alio quovis modo ad se allicere vel complicare aliquem ex subditis, vasallis seu adhærentibus nostris, & Ecclesiæ supradictæ, qui Nobis & eidem Ecclesiæ hactenus adhæsissent, vel adhærent quomodolibet in futurum; & vice versa, quod Nos pro nostris vel aliter, præterquam in spiritualibus, non deberemus recipere, seu ad Nos reducere aliquem ex Magnatibus Regni præfati, vel exteris vasallis, vel hominibus ligiis, aut colligatis ipsius Regis, & specialiter illos, quos Principes urbis vocant.

Item, quod si quis ex absentatis, seu exititiis Romanis, moram trahentibus nunc vel in futurum in aliquibus civitatibus, terris, castris & locis dicto Regi subjectis, vel recommendatis, aut in quibus de jure vel facto, per se vel alios quomodocumque, aut qualitercumque habent aliquam præeminentiam vel majoritatem, seu custodiam, vel prærogativam, aliquid de cætero ordinaret, tentaret vel faceret per se, vel alios contra statum & honorem nostrum & dictæ Ecclesiæ, quod eo ipso idem Rex teneretur & deberet contra hujusmodi tentantes vel committentes aliquid contra statum & honorem nostrum, nec non urbem, provincias, civitates, subditos, adhærentes, vel commendatos nostros præfatos, punitionem & justitiam fieri facere, prout delictorum & excessuum qualitas postularet.

Item, quod idem Rex infra terminum, qui per Nos declarabitur, teneretur, & deberet homagium & ligium facere per se, vel procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, juramentumque fidelitatis præstare Nobis, ac Successorum nostrorum & Romanæ Ecclesiæ prædictorum nomine recipientibus secundum formam dictæ concessionis, ac sub illis modis, censuris, & pœnis, quibus astringitur per formam concessionis hujusmodi & contentorum in ea.

Item, quod supradictus Rex teneatur & dein omnia & singula bona immobilia ad Ecclesias seu monasteria aliqua, seu eorum prælatos quomodolibet spectantia in dicto Regno invasa, seu quomodolibet occupata per quoscumque sibi subditos, prælatos Ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi, qui hujusmodi bonis vel aliquo eorundem spoliati fuissent: & hujusmodi restitutionem facere & fieri facere infra menses duodecim, incepturos ab anno proxime sequuturo XV. Indictione, & ab inde in antea ad petitionem hujusmodi Prælatorum; & quod de bonis mobilibus, quæ reperirentur per hujusmodi suos subditos, Ecclesiis, Monasteriis & Prælatis hujusmodi ablatis & occupatis mandabit fieri justitiam expeditam. Et quia idem Rex & nonnulli alii sui subditi, vasalli, sequaces & adhærentes proceres expedientibus causis, ut asserebant, antea tenuerunt & adhuc tenent, & tenere eos oportet, nonnulla castra, fortalitia, terras & loca spectantia ad nonnullas Ecclesias dicti Regni, quod liceret dicto Regi & præfatis tenentibus ipsa adhuc tenere & possidere per annos duodecim.

Item, quod omnia & singula animalia dilectorum filiorum, Romanorum civium, quomodolibet detenta, vel arrestata, ad cujusvis etiam præfati Regis instantiam in Regno, seu Provinciis supradictis, vel alibi sub potestate dicti Regis, libere restituerentur, & restitui & facere quod restituerentur, videlicet quod ad præsens repeciuntur, usque & per totum præsentem mensem Augusti Dominis eorundem, vel Procuratoribus ipsorum, & non ultra; solutis tamen prius per patronos animalium, vel alios pro eis nunciis duabus carlenorum pro quolibet centenario animalium repertorum, & etiam restitutorum pro expensis custodum, & pascuis, & aliis opportunis.

Item, quod absolveremus & liberaremus ab omnibus & singulis culpis, excessibus & delictis commissis & perpetratis hactenus a tempore assumptionis nostræ hujusmodi, usque in dictam diem XXVIII. mensis Julii proxime præteriti, omnes & singulos exititios præfatæ urbis occasione adhærentiæ, seu fautoriæ præfati Regis & sequaces ejus, ab ipsa urbe quomodolibet absentatos in forma opportuna, & restitueremus ad jura & bona, quæ in præsentiarum possident, & incolarum eorum in forma debita, salvo quod nullo ex hujusmodi exititiis esset licitum vel permissum, posse stare vel quomodolibet residere prope dictam urbem per milliaria quadraginta usque ad biennium proxime secuturum.

Item, quod si quis ex illis, quos Principes & Dominos Romani vocant, teneretur aliquid facere vel præstare Romanis, quod ad id compelli aut astringi non possint, quamdiu eorum durabit absentia a dicta urbe, videlicet per spatium duorum annorum proxime futurorum. *Et infra.*

Item, quod de omnibus & singulis damnis hinc inde illatis tempore præsentis guerræ quibuscumque, per quoscumque, & qualitercunque essent, & esse deberent factæ remissiones & compensationes hinc inde; & quod nullo unquam tempore repeti per aliquem, vel aliquos possent vel deberent, aliquibus repressaliis quomodocumque factis non obstantibus; salvo quod præmissa non vendicent sibi locum in iis quæ restituenda venirent per formam præsentium capitulorum.

Item, quod omnes & singuli processus contra claræ memoriæ Carolum III. Regni Siciliæ Regem & ejus sequaces per felicis recordationis Urbanum Papam VI. prædecessorem nostrum in meliori forma, qua fieri poterit, tollerentur.

Item, quod si quis scrupulus alicujus suspicionis vel rancoris, dicto vel facto conceptus, esset contra dilectum filium, nobilem virum Jacobum de Ursinis, Comitem Taliacotii, idem Rex consideratione nostra præfato Jacobo omnem injuriam remittet, ac subditis & vasallis suis, ac eundem tractabit tanquam fidelem vasallum ac verum & bonum servitorem ejusdem, nullam per se, vel alium dicto Comiti, subditis & vasallis, terris & locis molestiam vel injuriam illaturus.

Item, quod in quantum pro parte dicti Regis, aut suorum subditorum, aut adhærentium, vel sequacium nulla fiat molestia Nobis, aut successoribus nostris & Ecclesiæ prædictæ, aut almæ urbi, seu Provinciis, civitatibus, terris, castris, & locis, ad Nos

ad Nos & eandem Ecclesiam spectantibus, aut subditis, adhærentibus, complicibus, vel sequacibus nostris, quod interponeremus Nos, vel etiam faceremus, quod Ludovicus Commissarius noster præfatus & dilectus filius Nobilis vir, Paulus de Ursinis, domicellus Romanus, nonnullarum gentium nostrarum armigerarum Capitaneus, pro se & gentibus eorundem, aut aliæ gentes nostræ non invadent Regnum & terras, quæ tenentur per dictum Regem, suosque subditos, vasallos, sequaces, adhærentes & recommendatos; nec etiam Provincias nostras Campaniæ atque Maritimæ, durante tempore concessionis per Nos factæ & faciendæ de ipsis.

Nos itaque volentes præmissa omnia sic, ut præfertur, firmata & conventa inter Regem & Ludovicum (scilicet de Melioratis) præfatos executioni debitæ demandari, habentes ipsa rata & grata, prout gesta sunt, ea omnia ex certa scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Id. Augusti, Pontificatus nostri anno II.

CVII.

Literæ Innocentii VII. Pontificis Maximi, ad Ladislaum, Siciliæ Regem, datæ, in quibus eum Sedis Apostolicæ, Sacræque Romanæ Ecclesiæ defensorem, conservatorem atque vexilliferum declaravit, d. d. Id. Augusti, Anno 1406.

CHarissimo in Christo filio Ladislao, Regi Siciliæ Illustri, ac nostro & Ecclesiæ Romanæ defensori, conservatori, ac vexillifero salutem, &c. Inter curas multiplices, quibus assidue premimur, illa præcipue solicitat mentem nostram, ut ad defensionem & conservationem status & honoris nostri & Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ, cui auctore Domino præsidemus, ad ejusdem Ecclesiæ vexilliferatum viros deputemus illustres, fidei sinceritate præclaros, providentiæ studio circumspectos, & gerendarum rerum experientia doctos, solerter vigilantes, & potenti magnitudine communitos, qui statum & honorem nostrum & præfatæ Ecclesiæ diligant, pacem ament, concordiam nutriant, & oppressores seu turbatores status & honoris nostri præfatorum sub potenti brachio, si se emendare contempserint, Altissimi virtute prosternant. Horum igitur consideratione inducti, ac etiam attendentes Omnipotentis gratiam, qui nubilo dat serenum, indirecta convertit, & aspera in vias planas dirigit, tuæque Regiæ Serenitatis filialem intentionem erga statum & honorem hujusmodi, prout ex assertione fide digna dilectorum filiorum, nobilium virorum ab ejusdem tuæ Serenitatis præsentia redeuntium noviter, videlicet Ludovici de Melioratis, Sulmonensis, Provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ pro Nobis & eadem Ecclesia Rectoris, Pauli de Ursinis, Romani domicelli, nonnullarum gentium nostrarum armigerarum capitanei, Gentilis de Merolinis, legum Doctoris Sulmonensis, & Jacobi Galgani, nobilis Aversani, nuper accepimus, ac sperantes, quod per ejusdem tuæ Serenitatis excellentiam status & honor præfati defensionem & conservationem adversum contradictores & rebelles quoslibet, dextera Domini assistente propitia, incrementa salutaria quoque suscipient; te nostrum & præfatæ Ecclesiæ defensorem, conservatorem, ac vexilliferum auctoritate Apostolica, tenore præsentium usque ad nostrum beneplacitum, deputamus, tibi quandocumque sive contra Turcos Christiani nominis inimicos, seu quoscumque hostes & rebelles præfatæ Ecclesiæ, sive alias, juste tamen, arma te capere contigerit, nostra & Ecclesiæ prædictæ vexilla libere & licite capiendi ac deferendi, & omnia & singula gerendi & exercendi, quæ pro statu & honore hujusmodi opportuna fuerint, & ad ipsum defensoriatus, conservatoriatus, ac vexilliferatus officium spectare noscuntur, de consuetudine vel de jure faciendi, gerendi & exercendi, dicto durante beneplacito, ac etiam exequendi, harum serie potestatem & licentiam concedentes. Tu igitur, fili charissime, ex tradito tuæ Celsitudini munere cœlesti, virtutis officium hoc Regia Serenitate, & filiali ac devota integritate suscipiens, sic illud studeas prudenter, fideliter, ac solicite exercere ac exequi, ut eadem tua Serenitas apud Largitorem bonorum omnium, Nos & Sedem Apostolicam condignis possit laudum præconiis commendari, nostramque & ejusdem Ecclesiæ benedictionem & gratiam peramplius promereri. Volumus autem, quod, antequam hujusmodi defensioratus, conservatoriatus & vexilliferatus officium incipias exercere, de eodem fideliter exercendo, & aliis fidelitatis in manibus nostris, seu dilecti filii Simonis de Novaria, Canonici Novariensis, & Apostolicæ Cameræ Clerici, & familiaris nostri, eadem tua Serenitas præstare debeat in forma debita juramentum. Datum Romæ apud S. Petrum Id. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CIIX.

Tabulæ Pacis inter Ludovicum III. Siciliæ Regem, & Amadeum IIX. Sabaudiæ Comitem, factæ, d. d. 5. Octobris, Anno 1418.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen. Anno Nativitatis ejusdem Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo, die vero quinta mensis Octobris, paulo post vesperas, quæ fuit & intitulatur Jovis, duodecimæ Indictionis. Noverint universi & singuli præsentes pariterque futuri, hoc verum & publicum Instrumentum visuri, lecturi & etiam audituri, quod cum quæstio, lis, debatum, discordia & controversia verterentur & essent, ac diu fuerint, vertique majora sperarentur & pararentur, inter Serenissimam & Illustrissimam Principissam, Dominam Yolandam, Reginam Jerusalem & Siciliæ, Ducissam Andegaviæ, Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii, Cenomaniæ & Pedemontis

Comitissam, Tutricem & Administratricem Serenissimi & Illustrissimi Domini Regis, ejus Primogeniti infra nominati, & aliorum ejus liberorum; Serenissimumque & Illustrissimum Principem, Dominum Ludovicum, Regnorum Regem, Ducatus Ducem, & Comitatuum Comitem prædictorum, ipsius Dominæ Reginæ filium, ex parte una: & Illustrem Principem, Dominum Amadeum, Ducem Sabaudiæ, Chablasii & Augustæ, in Italia Marchionem, Principem Pedemontium, & Gebennarum Comitem, parte ex altera, de & super eo, quod dictus Dominus Illustris Dux Sabaudiæ petit, petiit & petebat a dicto Illustrissimo Domino Ludovico & dicta Domina Regina, velut Bajula, & Administratrice ipsius Serenissimi Domini Ludovici Regis, ejus primogeniti filii, & Tutrice aliorum liberorum suorum, & Illustrissimi recolendæ memoriæ Domini Regis, secundi eorundem Regnorum Regis, Ducatuum Ducis, & Comitatuum Comitis, quondam filii & hæredis Illustrissimi & Serenissimi Principis, Domini Ludovici primi, Regis Regnorum prædictorum, & etiam Ducatuum Ducis, & Comitatuum Comitis prædictorum, sicut ab ipso Domino Ludovico secundo, Rege prædicto, quondam dictæ Dominæ Reginæ viro, velut filio & hærede dicti Domini Ludovici primi, Regis dictorum Regnorum, & avi paterni, ipsius moderni Domini Ludovici tertii, dictæ Dominæ Reginæ filii, petiit & petebat tempore vitæ suæ, centum sexaginta quatuor millia Francorum auri boni & justi ponderis, de & pro resta stipendiorum Illustris Principis recolendæ memoriæ, Domini Amedei, Sabaudiæ Comitis, quondam Avi paterni Illustris Domini Amedei Sabaudiæ Ducis moderni, dicto Illustri memoriæ recolendæ Domino Amedeo, avo quondam paterno dicti Illustris Domini Ducis moderni Sabaudiæ, actoris, cujus ipse Illustris Dominus Dux Sabaudiæ, est universalis & in solidum hæres, debito tempore, quo ipse Dominus Amedeus, Comes Sabaudiæ fuit cum sua comitiva cum dicto Illustrissimo Domino Ludovico primo Rege, quondam avo paterno dicti Illustrissimi Domini Ludovici, moderni Regis prædictorum Regnorum, in partibus Siciliæ & Apuliæ, in armis pro conquesta ipsius Regni Siciliæ, prout de dicto debito constat per literas autenticas dicti Illustrissimi Regis Ludovici primi, ejus sigillo sigillatas & manu sua propria signatas, quas dictus Illustris Dominus Sabaudiæ Dux alias exhibuit, cum damnis, interesse, gravaminibus & expensis, tam per dictum Illustrem Dominum Comitem Sabaudiæ, quondam avum paternum dicti Illustris Domini Amedei Ducis Sabaudiæ petitoris, quam per ipsum Dominum Ducem & Illustrem Principem Dominum Amedeum, bonæ memoriæ Sabaudiæ Comitem, Patrem dicti Domini Ducis Sabaudiæ moderni, occasione & prætextu dicti debiti non soluti, sustentis, factis & supportatis, quæ & quas ponebat & ponit ipse Illust. Dom. Dux Saubaudiæ, ad magnam pecuniæ summam, quam cum dicto debito principali petit & petebat sibi solvi per dictam Illust. Dominam Reginam, & dictum Illust. Dominum Ludovicum, ejus primogenitum, quibus supra nominibus. Et dicta Illust. Domina Regina, quo supra nomine, & dictus Illustrissimus Dominus Ludovicus, ejus primogenitus, suo proprio nomine, excipiendo proponebant et dicebant, excipiendoque dicunt & proponunt, prædictum Illustrem Dominum Amedeum, bonæ memoriæ Sabaudiæ Comitem, quondam Patrem ipsius Domini Ducis moderni, tam per se, quam per alium tenuisse civitatem Niciæ, Villam-francam, portum ejusdem, castra Ysiæ, Turbiæ & sanctæ Agnetis, cum mari eisdem contiguo, villas, castra & loca Sospitelli, Luceranii, Savogii, sancti Martini, vallis Lantusæ, sanctum Stephanum, Thenearium & ejus Vallem, Barceloniam & ejus Vallem, castra & villam Pugeti, Thenearium & ejus Bayliaca, seu Viguerium, locum Alosii, castrum & Villam Vinadii, castrum & Villam Jauseni, valles montium Esturanæ cum vallibus, castris & locis omnibus in dictis vallibus situatis, & generaliter omnia alia loca & terras, quæ & quas dictus Dominus Sabaudiæ Dux tenet & possidet de præsenti in dictis Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii & Vintimillii, omnibus & singulis eorum juribus, territoriis & pertinentiis; qui quidem Comitatus Vintimillii est ab antiquo & esse solet, in, de & sub Comitatu Provinciæ & pertinentiis ipsius Comitatus, multis & longis temporibus fructus, exitus & proventus exinde recepisse: quam civitatem Niciæ cum suis pertinentiis, terras, villas & loca, de quibus supra fit mentio, & dictum Comitatum Vintimillii, asserunt dicta Illustrissima Domina Regina & dictus Illustrissimus Dominus Rex, ejus filius, quibus supra nominibus, ad eos pertinuisse & pertinere; adeo, quod si quid debitum fuerit & deberetur prædicto quondam Sabaudiæ Comiti, tempore avi decessus de & pro stipendiis & suarum gentium seu comitivæ suæ, fuit de ipsis fructibus, exitis, proventibus & emolumentis dictæ terræ Provinciæ, quam dictus Illustris Dominus Dux Sabaudiæ modernus tenet & possidet, tam eidem quam dicto ejus quondam Patri plene & integre satisfactum; quare petebat dictam terram sibi restitui & expediri, cum literis dicti debiti supra petiti. Supradicto Illustri Domino Duce Sabaudiæ replicante & dicente, eum tenere, & dictum quondam ejus Patrem tenuisse dictam civitatem, seu territorium Niciæ, cum suis pertinentiis, villas, castra, terras, oppida supradictas & supradicta, & ea, quæ tenet & possidet in & de Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, & Vintimillii, longo tempore justis titulis atque causis, sine quavis controversia, & ad eum pertinere, sua & suas esse justis titulis & bona fide, fructusque, exitus & proventus inde perceptos tam per ipsum Dominum Ducem Sabaudiæ, quam per Illustrem Dominum Amadeum, Comitem Sabaudiæ, patrem suum quondam, fuisse & fore suos, & ad eos pertinuisse & pertinere, tanquam ad veros Dominos dictarum terrarum & locorum memoratorum; & ita dictum debitum, ut supra petitum, centum sexaginta quatuor millium Francorum adhuc sibi deberi, & per eum dictam summam Francorum, ut sibi debitam, velut hæredi dicti ejus avi paterni, cum damnis, interesse, gravaminibus & expensis occasione dicti debiti non soluti factis petere posse & debere, & dictos liberos & hæredes dicti Illustrissimi Domini Ludovici I. Regis Jerusalem & Siciliæ, in dictis literis obligatoriis & debiti nominati adhuc obligatos fore & solvere debere dicto Illustri Do-

mino

mino Duci Sabaudiæ dictam summam Francorum petitam, non obstantibus contra ipsum ut supra ex adverso propositis & excipiendo allegatis. Hinc si quidem fuit & est, quod tractu amicabili nonnullorum benevolorum & amicorum communium dictarum partium præcedente, & maxime Reverendissimi in Christo Patris, Domini F. Archi-Episcopi Narbonensis, Domini nostri Papæ Camerarii, & spectabilis militis Domini Petri d' Atigue, Senescalli Provinciæ, Vice-Comitis Rellaniæ, Baronis Grimaldi, & Vallis Fraynati Domini, ut pax & concordia jam longævis & diuturnis temporibus per partes memoratas præoptata, ac finis super præmissis quæstione, materia, discordia, & dependentibus, emergentibus & connexis ex eisdem debite imponantur, ad tollendum & penitus evellendum & removendum omne scandalum, omnemque litem, discordiam atque guerram, quæ forte prætextu & occasione præmissorum inter prænominatas partes oriri possent: personaliter constituti & existentes in præsentia testium ad hoc vocatorum & rogatorum, & nostrorum Notariorum, subscriptorum videlicet, egregii, potentes & venerabiles viri Dominus Guillermus de Medulione miles Senescallus Bellicadri & Nemausi, & dicti Illustris Regis Jerusalem & Siciliæ Marescallus; Petrus Franconis in Decretis Licentiatus, Cantor & Canonicus Monasterii Montismajoris, Ambaxiatores, procuratores & amici speciales prælibatorum Dominæ Reginæ & Domini Regis Jerusalem & Siciliæ, ab una parte, omnimodam circa hæc omnia & singula supra & infra scripta peragenda, habentes plenissimam & largam potestatem ab eisdem Domina Regina & Rege, ut de hujusmodi potestate claram, promtam & plenissimam fecerunt fidem literis patentibus & autenticis ipsorum Dominorum Reginæ & Regis, eorum sigillis cera rubea sigillatis impendenti solito more. Et egregii & potentes viri Domini Joannes Servagii, Legum Doctor & miles, Dominus de Varays, Præsidens Cameræ computorum; Lambertus Oddineti, Legum Doctor, miles & Præsidens consilii præfati Domini Ducis Chamberiaci residentis; & Dominus Petrus Amblardi miles, Magister Hospitii præfati Domini Ducis Sabaudiæ, Procuratores, Ambaxiatores & speciales Nuncii prælibati Domini Ducis Sabaudiæ, parte ex altera, debitam & omnimodam habentes potestatem, ad omnia & singula supra & infra scripta peragenda, prælibato Illustri Domino Duce Sabaudiæ, ut debitam & plenam fecerunt fidem literis patentibus ipsis, Domini Ducis Sabaudiæ ex pargameno descriptis, ejus sigillo, cera rubea more solito sigillatis. Et ad veram pacem & finalem concordiam transigendo & conveniendo, pervenerunt in hunc qui sequitur modum, & sub capitulis & conditionibus infra scriptis: videlicet, prænominati Domini Guillermus de Medulione, Petrus Franconis, & Joannes Putatoris Ambaxiatores, Nuncii & Procuratores, nominibusque Procuratoriis prædictorum Dominæ Reginæ & Domini Regis Jerusalem & Siciliæ, ut supra, eorum certa scientia, & libera & spontanea voluntate, vigore præinsertæ eis attributæ potestatis, transigendo, pacificando, accordando & conveniendo quittant, cedunt & desampatant, remittunt & deliberant, ac de novo, si opus fit, transportant, procurabuntque cum effectu & sine ullo defectu, quod memorati Domina Regina & Dominus Rex Jerusalem & Siciliæ, ac alii dictæ Dominæ Reginæ liberi cedent, quittabunt & remittent ac transportabunt prælibato D. Duci Sabaudiæ licet absenti, nobisque Notariis publicis subscriptis præsentibus, & more publicarum & aventicarum personarum solemniter stipulantibus & recipientibus, vice, nomine & ad opus ipsius Domini Ducis Sabaudiæ, ejusque hæredum & Successorum, ac omnium & singulorum, quorum interest, intererit, & interesse poterit quomodolibet in futurum, omne jus, omnemque rationem & actionem, ac omne id, & quicquid præfati Domina Regina & Dominus Rex, & alii dictæ Dominæ Reginæ liberi, & eorum quibus habent & habuerunt, sibique competunt & competere possent & potuerunt, quibusvis modis, titulis & causis in dictis civitate Niciæ, aliisque omnibus & singulis villis, locis, castris, oppidis, terris & Dominiis supra nominatis, & aliis quæ & quas præfatus Dominus Dux Sabaudiæ præsentialiter tenet & possidet tam per se quam ejus vasallos, fideles & subditos, & tam mediate quam immediate in Comitatibus, Provinciæ & Forcalquerii & Vintimillii, quæ ab antiquo, ut notorium est, de Comitatu Provinciæ extitit & existit, cum omnibus & singulis feudis, retrofeudis, homagiis, hominibus, reditibus, jurisdictionibus, meris & mixtis imperiis & omnimodis Jurisdictionibus, juribus, regalibus, montibus, fluminibus & maritimis, portubus, pascuis, nemoribus, aquarum decursibus, angariis, perangariis, pedagiis, gabellis, focagiis, cavalcatis, albergiis & aliis juribus, pertinentiis & reditibus quibuscumque dictæ patriæ & locorum prædictorum, una cum etiam omnibus & singulis commodis perceptis & habitis, ut in dicta patria & singulis locis ejusdem, per dictum Dominum Ducem Sabaudiæ & ejus Prædecessores, ejusque officiarios, vasallos & subditos a toto tempore præterito usque ad diem præsentem, & cum omnibus & singulis financiis, pecuniis, jocalibus, vaysellis, auro & argento, & aliis valoribus quibuscumque, habitis & receptis per præfatum Dominum Amedeum, Sabaudiæ Comitem, avi paterni dicti Domini Ducis Sabaudiæ, seu ejus Thesaurarios, gentes & nuncios, quovis modo, quandocumque & quomodocumque in dicto Viagio Regni Siciliæ & Patriæ Apuliæ, sive ante decessum dicti Domini Amedei, Comitis Sabaudiæ, sive post, & de quibus omnibus dictum Dominum Ducem Sabaudiæ, & suos hæredes & successores, quittant & liberant per præsentes, cum pacto expresso, Aquiliana stipulatione vallato, de quicquam ulterius pro præmissis, seu aliquo præmissorum non petendo, ita & taliter, quod præfatus Dominus Dux Sabaudiæ, & sui perpetuo hæredes & successores, sint & remaneant veri Domini Niciæ, & aliarum terrarum, castrorum, villarum, locorum, & omnium & singulorum præmissorum, ipsisque & eorum juribus ab inde in antea uti, gaudere & frui possint & debeant integre, tanquam veri Domini, quemadmodum Comites Provinciæ, seu Reges Siciliæ utebantur & veri Domini erant tempore quo dictæ terræ & loca sub eorum dominiis tenebantur. Dicti vero Domini Joannes Ser-

nes Servagii, Lambertus Oddineti, & Petrus Amblardus, procuratores & procuratoriis nominibus supra dictis Domini Ducis Sabaudiæ, vigore etiam præinsertæ eis attributæ potestatis, eorum & cujuslibet ipsorum certis scientiis & spontaneis voluntatibus, ut dicebant, quittant, cedunt, remittunt, procurabuntque cum effectu & sine aliquo defectu, quod præfatus Dominus Dux Sabaudiæ, pro se & suis hæredibus & Successoribus quibuscumque cedet, remittet, quittabit & desamparabit memoratis Dominæ Reginæ, Domino Regi Jerusalem & Siciliæ, & aliis dictæ Dominæ Reginæ liberis, & eorum hæredibus & Successoribus quibuscumque dictam summam centum sexaginta quatuor millium francorum auri, per præfatum Dominum Ducem Sabaudiæ supra petitorum, seu summam in dictis literis obligatoriis contentam, una cum omnibus & singulis aliis summarum quantitatibus & summis pecuniarum auri & argenti, & aliis demandis, seu petitionibus quibuscumque, seu eorum interesse & aliis expensis, quas occasione dictorum stipendiorum, ac summis seu viagii supra designatis petere poterat, & potest petere in futurum a dicta Domina Regina & Domino Rege, & aliis liberis ejusdem Dominæ Reginæ, eorumque hæredibus & Successoribus quibuscumque, ad causam ab eis habentibus, etiam una cum omnibus & singulis expensis inde quomodolibet factis & sustentis per dictum Dominum Ducem Sabaudiæ & ejus Prædecessores, aut suos, occasione dicti debiti seu partis ejusdem. Et hoc pro mediantibus quindecim millibus florenis auri Papæ currentibus boni & justi ponderis, facta tamen prius ipsi Domino Duci Sabaudiæ satisfactione & contentatione de dictis quindecim millibus florenis, & ratificatione, ut infra. Qui quidem quindecim millia florenorum auri & ponderis prædictorum, promittunt & conveniunt prænominati Domini Guillermus de Medulione, Petrus Franconis, & Joannes Putatoris, procuratores & procuratoriis nominibus prædictorum Dominæ Reginæ & Regis, quibus supra, & quilibet eorum juramentis ad sancta DEI Evangelia corporaliter tactis, & per eorum quemlibet præstitis, & sub obligatione omnium & singulorum bonorum dictorum Dominorum Reginæ & Regis Siciliæ, mobilium & immobilium, præsentium & futurorum quorumcunque, dare & realiter expedire in civitate Avinionensi, sine exceptione Juris & facti quacumque, præfato Domino Duci Sabaudiæ, seu ejus certo Nuncio vel mandato: videlicet, medietatem dictorum quindecim millium florenorum hinc ad festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & reliquam medietatem dictorum quindecim millium florenorum in proximo sequenti festo Purificationis ejusdem Beatæ Mariæ anno revoluto, una cum omnibus & singulis damnis, gravaminibus, interesse & expensis, quæ & quas dictus Dominus Dux Sabaudiæ, seu ejus Nuncius sustinuerit per se, vel alium, quoquomodo, occasione dictorum quindecim millium florenorum, seu partis eorundem, termino & loco prædictis & non solutorum: ita tamen, quod pro parte dictorum Dominorum Reginæ & Regis, mercatores idonei & habiles ad solvendum & convenienduni respondebunt, & se obligabunt erga Franciscum Rich, mercatorem & civem Avinionis, de solvendo eidem vice & nomine Domini Ducis Sabaudiæ recepturo dicta quindecim millia florenorum terminis supra dictis. Et si dictus Franciscus hujusmodi responsionem & obligationem acceptet, & affirmet præfato Domino Duci de dicta responsione & obligatione contentum, taliter, quod præfatus Dominus Dux Sabaudiæ a præfato Francisco assecuratus maneat de dictis quindecim millibus florenis, eo casu dicta Domina Regina, & Dominus Rex, ejus filius, & alii liberi ipsius Dominæ Reginæ, a solutione & obligatione prædictis liberi sint atque quitti. Item transigendo & conveniendo ut supra, pro bono pacis & concordiæ perpetuo et illæse valituræ, fuit actum, dictum et ordinatum per Ambaxiatores & Procuratores utriusque partis prænominatos: ut quicumque homines & subditi præfati Domini Ducis Sabaudiæ, & eorum perpetuo Successores, tam Provinciales, quam Pedemontani & Sabaudienses, abinde in antea perpetuo possint & valeant, & eis licitum sit emere, habere & recipere ubicumque locorum terras patriæ provinciæ, subjectas dictæ Dominæ Reginæ & Regi, ejus primo nato, & aliis ejus liberis; & tam Massiliæ quam alibi sal, frumentum, blada, vina, olea, pisces & quævis alia victualia, mercantias, & bona, pretiis similibus quibus subditi Regis ement & habebunt, aut pro minoribus, si possint, aut alias, prout cum venditoribus poterunt melius convenire, & exinde ad quævis loca præfato Domino Duci subdita portare & ducere, sive vehi, portari & duci facere, per mare, vel per terram, tute, libere, pacifice & quiete; solvendo tamen vectigalia, tributa & pedagia antiqua, & solvi consueta tempore bonæ memoriæ Dominæ Reginæ Johannæ, & quæ de præsenti per subditos & vasallos dictorum Dominorum Reginæ & Regis Jerusalem & Siciliæ solvuntur, & quæ forsan solventur in futurum; & quod hujusmodi victualia ipsa solvendo non denegentur vasallis & subditis dicti Domini Ducis Sabaudiæ; nisi forsan per dictam Dominam Reginam & Regem ejus filium, seu eorum Senescallum, aut alium eorum officiarium ad hoc potestatem habentem, aut Successores & hæredes eorum, fuerit justis causis ad hoc ipsos moventibus, decretum generale per totam patriam Provinciæ factum, de victualibus non extrahendis ab eadem: quod si fieri contigerit, ut postmodum licentia aliquibus vel alicui particulariter vel generaliter concederetur, & dicta licentia concedatur & concessa sit ipso facto dictis hominibus & subditis dicti Domini Ducis Sabaudiæ, & ejus officialium, ita quod victualia ipsa habere & extrahi facere possint, quemadmodum illis, quibus dicta licentia particulariter vel generaliter fuit data, & simili modo, fiat pro parte dicti Domini Ducis Sabaudiæ & ejus officialium, hominibus subditis & vasallis præfatorum Dominorum Reginæ & Regis Jerusalem & Siciliæ, quibuscumque in patriis & Dominiis ejusdem Domini Ducis Sabaudiæ. Item quod omnes & singuli homines & subditi dictarum partium, quicumque sint & ubicumque, homines & subditi dictorum Dominorum Reginæ & Regis Jerusalem & Siciliæ, ac homines præfati Domini Ducis Sabaudiæ, ab inde in perpetuum, non obstantibus guerris, discor-

discordiis & marchis præteritis quibuscumque, possint & valeant ire, redire, morari, transire & negotiari in & per omnia & singula loca cujuslibet dictarum partium, per mare sive per terram ad eorum commodam & liberam voluntatem, cum omnibus eorum & cujuslibet ipsorum mercantiis, bestiis, vinis, summis, quantitatibus auri, argenti, monetati & non monetati, ac aliis rebus & bonis quibuscumque, tute, libere, pacifice & quiete: solvendo tributa, pedagia & vectigalia antiqua & consueta, ut præfertur, & latius in præcedenti capitulo declaratur; excepto billiono in massa, quod sine licentia extrahi de dicta patria Provinciæ non valeat. Item, quod ad requisitionem pro parte præfati Domini Ducis Sabaudiæ, fiendam dictæ Dominæ Reginæ & Domino Regi Jerusalem & Siciliæ prædicto, vel eorum officialibus, expediantur dicto Domino Duci Sabaudiæ in Archivo Aquensi, seu ejus Nunciis, copia, vidimus, aut exemplar de dictis pedagiis, vectigalibus et tributis, de quibus supra fit mentio, ut subditi præfati Domini Ducis in ipsorum solutione deficere non possint, una cum copia signata more constituto in dicto Archivo jurium, redituum, et informationem facientium, ad opus præfati Domini Ducis Sabaudiæ, pro dictis terris, locis et rebus quæ tenet et possidet in dictis Comitatibus Provinciæ, Forcalquerii et Vintimillii, libere et absque contradictione quacumque. Item, quod præfati Domini Ambaxiatores et Procuratores Regis procurabunt, quod dicta Domina Regina, ut Administratrix dicti Domini Regis, et Tutrix aliorum liberorum, et idem Dominus Rex nomine suo proprio, hæredum et Successorum suorum quorumcumque, præmissa omnia et singula hinc ad Festum omnium Sanctorum ratificabunt, confirmabunt et approbabunt; et nihilominus præfati Domina Regina et Dominus Rex procurabunt cum effectu facere ratificari per dictos liberos dictæ Dominæ Reginæ, fratresque dicti Domini Regis, adveniente tempore pubertatis eorundem, et cujuslibet eorundem, & cætera in præmissis opportuna ad utilitatem et honorem dicti Domini Ducis Sabaudiæ, et suorum hæredum et Successorum; et pari forma, idem Dominus Dux Sabaudiæ, ad honorem et utilitatem dictorum Dominæ Reginæ et Domini Regis liberorum fratrumque dicti Domini Regis, et suorum hæredum et Successorum quorumcumque, prædicta omnia ratificabunt. Item quod præfati Domini Ambaxiatores et Procuratores Regii procurabunt cum effectu erga prælibatos Dominos Reginam et Regem, quod fiet et ministrabitur brevis et expedita justitia super restitutione et satisfactione fiendis præfato Domino Duci Sabaudiæ, et ejus officiariis et Nunciis, de mille et septingentis florenis Regiis, in quibus Petrus Leydeti et ejus mater fuerunt condemnati, soluturi dicto Domino Duci Sabaudiæ, et de tricentis florenis allatis Honorato Gvalhen de Nicia in civitate Grassensi. Item, quod ratificationes utriusque partis, videlicet dictorum Dominorum Reginæ et Regis, ac præfati Domini Ducis, mandabuntur et expedientur in manibus dicti Domini Reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Camerarii, hinc ad dictum Festum omnium Sanctorum, per quem literas dicti debiti Domini Ludovici Regis primi, ratificatione per ipsos Dominam Reginam, et Dominum Regem, et responsione pecuniarum fiendis, secutis cum ratificatione omnium præmissorum, hinc ad dictum Festum omnium Sanctorum, per dictum Dominum Ducem Sabaudiæ expedientur partibus ipsis, prout ad quemcunque spectabit. Item fuit actum inter prædictas partes, quod literæ potestatis dictorum Dominorum Ambaxiatorum Regiorum remaneant penes Ambaxiatores dicti Domini Ducis Sabaudiæ, et vice versa dictæ literæ potestatis dictorum Dominorum Ambaxiatorum dicti Domini Ducis Sabaudiæ remaneant penes dictos Dominos Ambaxiatores Regis. Item, quod mediantibus præmissis, et per hanc transactionem, concordiam et conventionem, sit pax facta et valida, finis et concordia inter dictas partes, eorumque imposterum hæredes et Successores, de et super prædictis controversiis, litibus, quæstionibus et querelis, inperpetuum duraturis, omnibusque et singulis, quæ una pars alteri, et altera alteri usque in diem præsentem petere posset, quavis occasione, vel causa, præmissorum occasione, seu aliquo ex ipsis. Quam quidem pacem, transactionem concordiam et conventionem, ac omnia et singula supra et infra scripta, promiserunt dicti Domini Procuratores, quibus supra, nominibus, in animam, et sub obligatione bonorum dictorum Dominorum Magistrorum suorum, rata habere atque grata, ac facere confirmari, & nunquam contra facere, vel venire, sub omni et qualibet juris et facti renunciatione ad hoc necessaria, pariter et cautela. De quibus omnibus, universis et singulis supra dictis, dicti Domini procuratores requisiverunt fieri duo publica Instrumenta, videlicet ad opus cujuslibet unum, ejusdem substantiæ et tenoris, per nos Notarios Publicos subscriptos, quæ possint & valeant, si necesse fuerit, dictari, corrigi, refici et emendari, consilio et dictamine cujuslibet partis, substantia non mutata. Acta fuerunt hæc in Villa Chamberiaci, domo habitationis dicti Domini Joannis Servagii, in platea introitus dictæ domus: Præsentibus ibidem nobili viro, Carolo de Medulione, Domino de Rippariis in Dalphinatu, Petro de Bombellis Cenomaniæ, Ferolcio Thomassin de Forcalquerio, venerabilibus viris Dominis Anthonio Canoni Licentiato in Legibus, Petro Magni-Magistro Computorum dicti Domini Judicis, Petro Curti, Petro Vayronis de Chamberiaco, Joanne Palestorti de eodem loco, & Mattheo Busquete de Nicia, testibus ad hæc vocatis et rogatis.

CIX.

Breve Martini V. Pontificis Maximi, in quo Joannam II. Reginam Siciliæ coronandi potestas Apostolicæ Sedis Legato est concessa, d. d. 4. Kal. Decembr. Anno 1418.

Constituti in suprema militantis Ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant, Principes imperant, et populis justitiam administrant, pridem carissimæ in Christo filiæ nostræ Joannæ II. Reginæ Siciliæ Illustri, matura consultatione præhabita, prout tantæ rei gravitas expostulat, ac de

fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et ex certis rationabilibus causis, animum nostrum moventibus, Regnum Siciliæ ac terram citra Pharum, quæ juris et proprietatis ipsius Ecclesiæ fore nascuntur, usque ad confinia terrarum præfatæ Ecclesiæ, in feudum perpetuo de novo, si essent ad Nos et eandem Ecclesiam quomodolibet devoluta, concessimus, ac personam suam de ipsis Regno et terra investire, nec non coronam in forma debita de illis tradere per Nos, vel aliquem ex præfatis fratribus nostris, sub modis et conditionibus in infeudatione et concessione declaratis hujusmodi, quas de verbo ad verbum hic alias haberi volumus pro concessis ac specifice declaratis, decrevimus, prout in literis nostris infeudationis et concessionis hujusmodi desuper confectis, seriosius denotatur.

Cum autem inter cætera in ipsis literis infeudationis, et concessionis hujusmodi specialiter caveatur per præfatam Reginam, cum de illis Regno et terra DEO duce coronabimus, seu coronari mandabimus, per vexillum præfatæ Ecclesiæ investire, receptis prius a præfata Joanna Regina in forma descripta in infeudatione et concessione hujusmodi, fidelitatis debitæ juramento, ac pleno homagio, ligio et vasallagio, pro hujusmodi feudo debitis et consuetis, et reliquis provisionibus, obligationibus ac renunciationibus, ad quas ipsa Regina præfatam infeudationem hujusmodi obnoxia redditur et astricta; Nos attendentes zelum devotionis et fidei, quo eadem Regina erga DEum et præfatam Ecclesiam, Nosque etiam flagrare et clarere dignoscitur, et volentes, quantum ad Nos et eandem Ecclesiam spectare concernimus, erga eandem Reginam in singulis exequi, et Nobis et ipsi Ecclesiæ, quantum ad eam spectare potest, etiam fieri et observari, ac de tuæ circumspectionis industria, quam potentem quidem opere pariter et sermone in magnis expertam, et arduis eximia probitate, fidelitate, magnitudineque consilii, morum elegantia, scientiæ claritate, nobilitate, et aliis grandium virtutum titulis, quibus earum largitor Dominus, personam ejusdem tuæ circumspectionis multifariam insignivit, et in cujus affectibus, nec ambigimus, geritur illa semper efficere, quæ status, honor et gloria ejusdem Ecclesiæ atque nostra, nec non tranquillitatis Reginæ, Regni terræque præfatorum ac degentium in eisdem continuis et salutaribus proficere valeant incrementis, sumentes in Altissimo fiduciam specialem, quod illa, quæ eidem tuæ circumspectioni (cujus præsentia Nobis summe perutili, pro tam celebris boni consummatione votiva in præsentiarum carere compellimur) committenda duxerimus, adimplere curabit cura exactissima atque pervigili, habitis super iis cum ipsis fratribus nostris ejusdem Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione solemni, te tanquam pacis Angelum nostro & Ecclesiæ præfatæ nomine ad Regnum Siciliæ, ac terram citra Pharum in Joannam Reginam prædictam, Apostolicæ Sedis Legatum, de fratrum eorundem consilio, providimus destinandum, indubitabili ratione tenentes, quod inspirante de throno suæ ineffabilis clementiæ pacifico Rege Regum, qui solus Regibus & Principibus dat salutem, præmissa & cætera alia, quæ in concessione, infeudatione ac literis præfatis seriosissime denotantur, per ejusdem suæ circumspectionis industriam, ad executionem plenariam & votivam pro viribus perducentur, & etiam servabuntur, & propterea præfatæ tuæ circumspectioni, nostro & Ecclesiæ præfatæ nomine, supradictam Reginam pro se, hæredibus & Successoribus suis, qui ad successionem Regni & terræ prædictorum, secundum exigentiam concessionis & infeudationis hujusmodi venire noscuntur, recepto prius juramento fidelitatis, homagio, ligio & vasallagio pro Regno & terra prædictis debitis & consuetis, per vexillum ipsius Ecclesiæ investiendi, auctoritate nostra, nec non coronam de illis, in forma celebri & solemni in talibus consueta, eidem Reginæ tradendi, ac ipsam more solito inungendi, per te vel unum antistitem, communionem Apostolicæ Sedis habentem, & alias idoneum, nec non promissiones & obligationes quaslibet dictis nominibus a præfata Regina recipiendi & stipulandi, ad quas ipsa Regina obnoxia redditur, ut præfertur, ex concessione & infeudatione prædictis, & omnia & singula alia faciendi, fieri & exequi mandandi & decernendi, & cætera providendi, quæ pro statu & honore nostro & ipsius Ecclesiæ, ac tranquillitate, salute & incremento ipsius Reginæ, nec non Regni & terræ præfatorum, & incolarum eorundem, & executione & observatione omnium & singulorum in concessione, infeudatione & literis hujusmodi contentorum, & ab illis dependentium, quæ salutaria seu opportuna quomodolibet videbuntur; etiamsi talia essent, quæ mandatum exigerent speciale, ac in generali commissione non caderent, *& infra:* plenam & liberam concedimus, usque ad nostrum beneplacitum valituram tenore præsentium, facultatem, &c. Datum Mantuæ, IV. Cal. Decembris, Pontificatus nostri anno XI.

CX.

Bulla Eugenii IV. Pontificis Maximi, in qua vetat, ut ne Siculi nec Alphonso, nec Renato, Regibus, de successione in Regnum Neapolitanum inter se litigantibus, adhæreant, d. d. 5. Id. Junii, Anno 1435.

AD futuram rei memoriam. Inter cæteras curas, quibus ex debito summi Apostolatus officii sedulo agitamur, illa præcipue in animo nostro insidet ardentius, ut terræ, Ecclesiæ ac fideles ipsi pace fruantur, et deletis belli turbinibus ad concordiam et tranquillitatem deducantur. Cum itaque post obitum claræ memoriæ Joannæ, quondam Siciliæ Reginæ Illustris, Regnum Siciliæ, quod ad Nos et Romanam Ecclesiam pertinet, guerrarum molestiis graviter vexetur, et nonnulli proceres, communitates, ac Domini in dicto Regno existentes, inter se dissidentes, diversas partes secuti, ad prædictum Regnum occupandum, præter et contra voluntatem nostram, externas potentias excitarint, cum carissimus in Christo filius noster Alphonsus, Arragonum Rex Illustris, hujusmodi Regni dispositionem considerans, ad invadendum dictum Regnum cum magna classe accesserit, et civitatem Capua-

Capuanam occupaverit, et Gajetanam obsederit in non modicam ipsius læsionem ac jacturam, et scandalum plurimorum, et propterea Oratores carissimorum in Christo filiorum nostrorum, Caroli Francorum, et Renati Regum Illustrium, quorum Prædecessorum brachio et potentia ipsum Regnum a manibus tyrannorum retroactis temporibus ereptum, pristinæ obedientiæ Ecclesiæ restitutum extitit, hujusmodi Regni invasionem, non sine nostro assensu et voluntate processisse suspicantes, gravem desuper Nobis querelam exposuerunt; Nos igitur qui ad pacem dicti Regni sincera voluntate semper dispositi fuimus, atque sumus, & ut hujusmodi de Nobis opinio, quæ veritate caret, ex animis hominum deponatur, tenore præsentium declaramus, nunquam fuisse nec esse nostræ voluntatis & intentionis, ut dictus Rex Arragonum ad præfatum Siciliæ Regnum accederet, civitates quoque, terras, loca & fortalitia caperet in præfato Regno, fidelitateque homagia & juramenta exigeret, aut sponte præstare volentibus reciperet.

Verum quia ex continuatione guerrarum dicti Regni, etiam majora scandala provenire possent, quantum Nobis ex alto permittitur, providere volentes, ac hujusmodi controversiam, una cum venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione, prout justitia & æquitas suadebunt, terminare intendentes, Regem Arragonum prædictum, omnesque in hac parte sibi adhærentes, autoritate apostolica hortamur in Domino, requirimus & monemus, ac etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus ab invasione dicti Regni, & occupatione civitatum, terrarum & locorum ipsius penitus desistant, nec aliquid in dicto Regno moliri & attentare quovis quæsito colore præsumant, donec de præmissis per Nos fuerit cognitum & decisum. Et consimiliter communitati Neapolitanæ, aliisque communitatibus, universitatibus & oppidis, quæ post obitum Reginæ præfatæ, dictum Regem Renatum in Regem assumserunt & nominarunt, non expectato nostro consensu, Regnumque ipsum hactenus suo nomine regere conati sunt, quatenus ab omni novitate pariter & offensa supersedeant & desistant, sub eisdem pœnis, scilicet a jure constitutis, quousque aliud a Nobis susceperint in mandatis, nec non universis & singulis Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus Baronibus, Dominis, aliisque nobilibus & vasallis dicti Regni Siciliæ, ut ab adhærentia, obedientia & fidelitate præfati Regis Arragonum penitus desistant, nec sibi in acquisitionem ipsius Regni auxilium, consilium vel favorem exhibeant quovis modo, Nos enim omne fidelitatis & homagii juramentum, præfato Arragonum Regi, per quoscunque Principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, Dominos ac communitates, & singulares personas præstitum, (cujus juramenti formam atque tenorem præsentibus haberi volumus, pro expressis & specifice declaratis,) per quod hujusmodi nostræ declarationis, intentionis & voluntatis effectus posset quovis modo impediri vel differri, cassamus, irritamus ac penitus annullamus, nulliusque esse decernimus roboris vel momenti. Principes, Marchiones, Duces, Comites & Barones, & Dominos, ac communitates, universitates & singulares personas hujusmodi, ad observantiam juramenti prædicti minime obligatos & astrictos esse, etiam decernimus per præsentes, dispositi unicuique Regum prædictorum justitiam ministrare. Per præfatam autem nominationem Renati Regis non intendimus cuique jus de novo in dicto Regno conferre, aut habenti jus auferre. Datum Florentiæ, &c. V. Id. Junii anno V.

CXI.

Mandatum, in quo Renatus, Siciliæ Rex, Legatis suis cum Summo Pontifice, Eugenio IV. de Regni Siciliæ negotio transigendi potestatem dedit, d. d. 20. Januar. Anno 1438.

Renatus, DEI gratia Jerusalem et Siciliæ Rex, Andegaviæ, Barry, et Lotharingiæ Dux, Comitatuumque Provinciæ, Forcalquerii, Cœnomanii, ac Pedemontis Comes, universis et singulis præsentes literas inspecturis salutem.

Notum facimus, quod Nos de fide, legalitate, scientia, probitate, et aliis virtutibus et meritis reverendorum in Christo Patrum Nobilium et egregiorum virorum Bertrandi Aurasicensis, et Mitrii Sistaricensis, Episcoporum, Joannis Cassani de Neapolii hospitii nostri Senescalli, Vitalis de Cabannis legum Doctoris, et Alani Coci requestarum hospitii nostri Magistri Consiliariorum nostrorum fidelium dilectorum, plenarie ab experto confidentes ipsos Episcopus Joannem Vitalem, et Alanum et duos ex ipsis in solidum facimus, constituimus, et ordinamus per præsentes de certa nostra scientia et cum deliberatione nostri Nobis assistentis Concilii nostros Ambassiatores, oratores, et nuntios speciales ad se præsentandum nomine nostro, et pro Nobis coram sanctissimo Domino nostro, Domino Eugenio, divina providentia universalis Ecclesiæ Summo Pontifice, reverentiamque filialem & obedientiam debitam impendendi suæ Sanctitati, nec non cum dicta sua Sanctitate, vel ab ea deputando seu deputandis, de negotiis & agendis omnibus Nos & dictum Regnum nostrum Siciliæ quomodolibet tangentibus tractandi ea, componendi & in eis concludendi quantumcumque grandia, ponderosa fuerint, vel ardua, promittendi quoque nomine nostro dictæ suæ Sanctitati, quod ut devotus ejusdem Sanctitatis suæ & universalis Ecclesiæ sacrosanctæ filius ei & ejus mandatis, ordinationibus, & literis quibuscumque, prout hactenus obedivimus, obediemus in futurum & obediri faciemus ab omnibus vasallis & subditis nostris, etiam in promotionibus & provisionibus Ecclesiarum & dignitatum Episcopalium, & aliarum quarumlibet fiendis de personis Nobis fidis, gratis & acceptis, nec non ad se præsentandum, incorporandum, & interveniendum & comparendum nomine nostro & pro Nobis, de consensu tamen & beneplacito ejusdem sanctissimi Domini nostri Papæ in sacrosancta Synodo universalis Ecclesiæ Catholicæ in loco Ferra-

Ferrariæ, vel alibi, ubi præfatus sanctissimus Dominus noster Papa statuerit pro œcumenico Concilio celebrando, in Christi nomine de proximo congreganda. Datum in civitate nostra Massiliæ die XX. mensis Januarii, anno a nativitate Domini MCCCCXXXVIII. primæ indictionis, Regnorum vero nostrorum Anno III.

CXII.

Bulla Eugenii IV. Pontificis Maximi, in qua Alphonso, Arragonum Regi, Regnum Neapolitanum in feudum contulit, d. d. Id. Julii, Anno 1443.

EUgenius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Regnans in altissimis ac triumphans Ecclesia, cui Pater æternus, cœli ac terræ dominator Dominus præesse dignoscitur, cuique sanctorum & sanctarum ministrant agmina, & Angelorum laudis gloriam decantant, vicariam sibi in terris constituit Ecclesiam militantem, unigenito filio DEI vivi, Domino JEsu Christo, ineffabili conjunctione copulatam. Ad hujusmodi namque militantis Ecclesiæ regimen, licet immeriti, divina dispositione vocati, circa quarumlibet fidelium nationum felicem statum & animarum salutem, prout ex debito tenemur Summi Pontificatus officii, Nobis ut præfertur injuncti, cogitatus nostros libenter effundimus, ac partes Apostolicæ solicitudinis adhibemus, sed illa Nos cura propensius urget atque compellit, ut Nobis & Romanæ Ecclesiæ subjecta Regna, civitates, terras atque loca omnia & singula, per nostræ provisionis ministerium, sublatis ab ea sinistris quibuslibet, ac omnibus & singulis, eorum salutem ac felicem statum, nec non desolationis evitationem concernentibus, mature ac debite compensatis, utilissimi ac felicissimi regiminis præsidio fulciantur, pacisque tranquillitatis & quietis dulcedine gaudeant, ex hujusmodi pace & tranquillitate alia nostra & dictæ Romanæ Ecclesiæ civitates, terræ ac loca a guerrarum turbinibus, earumque suspicionibus liberata, prosperis gratulentur eventibus, ipsaque omnia etiam ad laudem & gloriam Christiani nominis, dictæque Ecclesiæ statum salubrem, felicia spiritualium & temporalium suscipiant incrementa.

Dudum bonæ memoriæ *Johanna secunda*, olim Regina Siciliæ & terræ citra Pharum, quod juris & proprietatis ejusdem Romanæ Ecclesiæ existunt, gravibus inimicorum suorum oppressionibus vexata & conculcata, carissimum in Christo filium nostrum, *Alphonsum*, Arragonum Regem Illustrem, in sui subsidium & tutelam, hostiumque propulsationem advocavit, qui non sine gravibus laboribus, impensis & periculis, relictis Regnis suis, omnique alia cura postposita, cum copiis & gentibus suis ac potenti classe, ad liberationem præfatæ Reginæ personaliter veniens, eam auxiliante Domini præsidio liberavit, & in veram sui ipsius libertatem salutemque reduxit. In cujus rei memoriam ac summi beneficii compensationem prænominatum Regem Arragonum in filium arrogavit, eidem Regnum prædictum cum omnibus juribus suis, iis melioribus viis & modis quibuscunque potuit, per publica Instrumenta, quæ hic haberi pro expressis volumus, suisque legitimis Successoribus dedit, tradidit & concessit. Post cujus quidem Reginæ obitum, Rex ipse nulli parcens suo suorumque periculo, nulli indulgens labori, nec non impensarum profluviæ, relicta sua Regna pro dicti Regni recuperatione, pecuniis, rebus & bonis pene exhauriendo, Regnum ac terram prædictam, propitiante sibi ad hæc Altissimo, ejusque ad hoc accedente strenua animi virtute & magnanimitate, & grandi constantia cæterisque virtutibus, quibus eum Dominus omnipotens insignivit, dotavitque indies, forti congressu ac acri bello pedetentim acquisivit, omnesque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & regnicolas, nec non civitates, terras, castella, & tandem inclytam civitatem Neapolitanam ditioni suæ subjecit.

Cum itaque, sicut pro parte dicti Regis Nobis nuper expositum extitit, omnes & singulæ Regni & terræ prædictorum Principes, Comites & Barones, nec non civitatum, castrorum, terrarum & locorum infra Regnum & terram hujusmodi consistentium communitates & universitates, præsertim post captam, ut præfertur, tandem civitatem Neapolitanam, præfatum Regem in eorum verum & legitimum Regem atque Dominum recognoverint, & pro tali eum teneant & reputent, sibique tanquam Regni & terræ præfatorum vero & legitimo Regi ac Domino, in omnibus pareant, obediant & intendant, ac etiam cuncti Principes Comites, & Barones, & eorum singuli in manibus suis fidelitatis solitum juramentum præstiterint, & alias ipse Rex Regnum & terram prædicta in pace, quiete & tranquillitate de cætero tenere confidat, ac ut devotissimus & Catholicus Princeps, nostris & dictæ Romanæ Ecclesiæ mandatis debite parere & intendere, nostrum & hujusmodi Ecclesiæ statum, juxta facultatem sibi desuper pro tempore traditam, conservare, defendere & augere proponat, & ad id se specialiter efferat, nec dubitet in possessione Regni & terræ hujusmodi, per quemvis alium facile perturbari posse, pro parte ipsius Regis fuit Nobis humiliter supplicatum, ut Regnum Siciliæ ac terram citra Pharum, hujusmodi cum territorio & districtibus, aliisque juribus & pertinentiis suis, sibi pro se, & suis hæredibus masculis, in perpetuum concedere & donare, & de illis eum investire, ac alias super hoc ei, & hæredibus præfatis, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, Nos tam celebris recordationis Regis Ferdinandi genitoris sui, maxime in extirpando a DEI Ecclesia tunc vigente pestifero schismate, tum dicti Regis Alfonsi in acquirenda restituendaque ipsi Ecclesiæ Marchia Anconitana præstita obsequia, ipsiusque Regis prædicti potentiam, ac pro ipsius parte Nobis exposita, aliaque præmissa omnia & singula, nec non etiam damna, scandala, atque pericula gravia & immensa, quæ ex persona cujusvis, Regnum & terram hujusmodi absque speciali Sedis Apostolicæ privilegio detinentis, ac e contra utilia & salubria, etiam grandia bona, quæ ex eodem, si suæ petitioni favorabiliter annua-

annuatur, Nobis ac statui nostro, & Romanæ Ecclesiæ facile provenire possent, matura deliberatione, ac juxta rei tam grandis exigentiam, debita providentia compensantes, & etiam attendentes, nec non Principibus, Ducibus, Comitibus, & aliis Nobilibus, communitatibus quoque & universitatibus, & incolis præsentibus & futuris civitatum, castrorum, terrarum & locorum Regni & terræ prædictorum, ne de cætero ulterioribus guerrarum turbinibus, cum tanto excidio & gravi detrimento subjaceant, providere volentes ac sperantes, quod dictus Rex per providentiam & plurimarum virtutum excellentiam, quibus personam suam illarum largitor Dominus insignivit, Regnum & terram hujusmodi feliciter regere, & salubriter gubernare, nec non more progenitorum suorum, nostri ac Sedis & Ecclesiæ prædictorum status conservator & defensor præcipuus esse debeat, hujusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis DEI Patris & Filii, & Spiritus Sancti, nec non gloriosæ Virginis Mariæ, DEI genitricis, ac Apostolorum Petri & Pauli, totiusque Curiæ cœlestis laudem & gloriam, nec non nostræ Sedis, Ecclesiæ, Regni & terræ prædictorum salubrem statum & honorem, Regnum Siciliæ prædictum cum terra prædicta, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum dictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate nostra Beneventana, cum toto ejus territorio ac omnibus districtibus & pertinentiis, per Nos seu Romanum Pontificem distinctis, vel distinguendis, quam dicta Romana Ecclesia sibi olim retinuit & reservavit, prout Nos etiam harum serie reservamus, etiam si ipsa Regnum & terra ad Nos & præfatam Romanam Ecclesiam per obitum claræ memoriæ Joannæ secundæ, Siciliæ Reginæ, vel alias qualitercunque, seu per mortem cujuscunque alterius personæ, seu ex quacunque vacet, seu quovis modo aut ex alterius cujuscunque personæ devolutum, existat in feudum perpetuum tibi carissimo in Christo filio nostro Alphonso, Regi prædicto, licet absenti, pro te tuisque hæredibus descendentibus per rectam lineam masculis jam natis, & in posterum nascituris, cum modis, formis, conditionibus, adjectionibus, promissionibus, cautelis, clausulis, voluntatibus & ordinationibus inferius denotatis, ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio & assensu, & Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium concedimus & donamus, ac in Te & in hæredes tuos supradictos totaliter ac plenarie transferimus & transportamus, nec non de ipsis Regno & terra, eorumque juribus & pertinentiis universis, te etiam absente, in personam dilecti filii Magistri Alphonsi, Hispani, Notarii nostri, per te ad Nos præsentialiter destinati, per annuli nostri ejusdem Alphonsi digito annulari traditionem & impositionem præsentialiter investimus, receptis tamen prius a te in forma, quæ sequitur, fidelitatis debitæ juramento ac pleno homagio, servitio, vasallagio ligio pro hujusmodi feudo debitis & consuetis, &c. (Reliquæ adjectæ leges consentiunt cum aliis, quas Carolo I. Carolo II. Roberto, Joannæ, Carolo III. & Ladislao a Romanis Pontificibus imperatas vidimus.)

Nos enim intentionem, voluntatem & declarationem nostras, nec non constitutionem, ordinationem, statutum, infeudationem, translationem, donationem, investituram dictorum Regni & terræ, sic per Nos Regi Alphonso & dictis suis hæredibus, ut præmittitur, factas, de consilio & assensu fratrum nostrorum prædictorum, ex nostra certa scientia, auctoritate apostolica, ac potestatis plenitudine, harum serie volumus & decernimus perpetuo valitura, ac irritum & inane quicquid per alios quoscunque & qualitercunque & quavis auctoritate, scienter vel ignoranter in contrarium jam forsan attentatum est, aut in posterum contigerit, quomodolibet attentari, concessionibus, infeudationibus, investituris & coronationibus de dictis Regno & terra, per quoscunque prædecessores nostros ac pro Romanis Pontificibus se gerentes, præfatis, aut quibusvis aliis factis & concessis, nec non juribus, constitutionibus feudalibus, ac Regni & terræ prædictorum constitutionibus, ac aliis contrariis, quæ possent præmissis aliquatenus obviare, quæ omnia haberi volumus pro expressis, non obstantibus quibuscunque, quin imo eis, quatenus præfatis nostris voluntati, intentioni, declarationi, decreto, statuto, concessioni, infeudationi & investituræ, ac aliis præmissis, aut alicui eorum in aliquo obviarent, scientia, auctoritate, potestate & causis prædictis, & aliis animum nostrum moventibus, derogamus, etiam si talia essent, in quorum derogatione quæcunque alia verba seu actus aliqui alii requirerentur, ac etiam jura, constitutiones & consuetudines hujusmodi, quantum ad præsentem concessionem, quo minus ipsa ac omnia & singula in ea contenta, nunc vel in posterum suum plenum sortiri possint effectum, quovis modo impedientia, revocamus, ac ea quoque ad hoc pro infectis haberi volumus, omnem defectum, si quis in præmissis aut aliquo ipsorum, vel circa ea aut eorum aliquod forsan inesset supplentes scientia, auctoritate, consilio & causis prædictis, ac de eisdem plenitudine potestatis. Nulli ergo &c. nostræ declarationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, investituræ, intentionis, reservationis, exceptionis, decreti, voluntatis & promulgationis infringere. Si quis &c. incursurum, cunctis vero præmissa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud DEum districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniantur. Amen. Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIII. Id. Julii, Pontificatus nostri anno XIII.

CXIII.

Ejusdem Bulla, in qua Alphonso, Arragonum ac Siciliæ Regi, 200000. florenos auri de Camera a Clero Regnorum suorum exigendi facultatem atque potestatem concessit, d. d. Kalend. Octobris, Anno 1443.

AD futuram rei memoriam. Ad præclara devotionis & fidei merita, quibus charissimus in Christo filius noster Alphonsus Rex, Arragonum & Siciliæ illustris, erga Nos & Romanam Ecclesiam splen-

ſplendere dignoſcitur, apoſtolicæ conſiderationis intuitum dirigentes, inducimur non indigne, ut votis ſuis, noſtrum præſertim & dictæ Eccleſiæ felicem ſtatum, ac Chriſtiani nominis laudem & propagationem concernentibus, Nos favorabiles reddamus pariter & benignos. Cum itaque, ſicut accepimus, Rex prædictus tanquam Princeps catholicus, & fideliſſimus, ac hujuſmodi noſtri & dictæ, (nimirum Romanæ) Eccleſiæ ſtatus zelator cupidiſſimus, nuper in propria perſona, nullis parcendo periculis atque laboribus, cum non parva potentia verſus Marchiam noſtram Anconitanam per plura tempora, cum omnibus & ſingulis illius civitatibus, terris, atque locis, a nonnullis noſtris, & dictæ Eccleſiæ etiam potentibus inimicis indebite detentam & occupatam, in noſtrarum gentium armigerarum, tunc in Marchia ipſa pro illius recuperatione de mandato noſtro militantium, ſubſidium atque favorem ſe contulerit, & inimicis ipſis exinde viriliter fugatis, iiſque partim captis & partim debellatis, fere omnia & ſingula, civitates, terras, caſtra, villas, & loca ſupradicta, ejus providentia, conſilio, atque potentia cum noſtris gentibus ſupradictis, ac non modica hujuſmodi ſtatus noſtri & Eccleſiæ exaltatione recuperavit, & ad noſtram ejuſdemque Eccleſiæ fidelitatem, obedientiam, & ſubjectionem, cum illorum civibus, incolis, & habitatoribus reduxerit, ac ulterius adverſus nonnullos temporales Dominos temporaliumque dominiorum gubernatores, qui olim a Nobis cum humilitate, placabilitate, & benignitate plurima, ut Nobiſcum in pace permaneat, ac civitatum, terrarum, & locorum noſtrorum occupatoribus & indebitis detentoribus, favorem & auxilium de cætero præſtare deſinant, multiplicatis vicibus exhortati & requiſiti, exhortationibus penitus ipſis neglectis, inimicis præfatis novam recuperatorum prædictorum occupationem tentare, & nonnulla alia Nobis & memoratæ Eccleſiæ damna, detrimenta, & moleſtias inferre non deſinentes, ſuffragia plurima præſtare, ac etiam conſpirationes & ligas in noſtri & dictæ Eccleſiæ ſtatus præjudicium facere præſumpſerunt pariter & præſumunt, cum ſua Regia potentia realiter inſurgere, & eorum conatibus reſiſtere, ac demum claſſem maximam & potentiſſimam, contra perfidiſſimos Turcos, alioſque infideles Chriſtiani nominis inimiciſſimos, ad illorum confuſionem & extirpationem, quas noſtris potiſſime temporibus videre atque ſentire ſummis deſideramus affectibus, de proximo parare, & tam circa ea, quam etiam alia omnia & ſingula Eccleſiæ hujuſmodi ſalubrem ſtatum, ac illius & noſtrorum pro tempore rebellium & inimicorum, eorumque præſumptionis & audaciæ repreſſionem concernentia toto poſſe intendere proponat, & ad id ſe ſpecialiter offerat, Nos, qui olim multiplicatis vicibus pacem & concordiam conſpiratoribus & inimicis præfatis non ſolum obtulimus, ſed etiam ſumma cum inſtantia poſtulavimus, conſpirationes & ligas prædictas, & quod ex illis ac conſpiratorum eorundem obſtinata malitia atque potentia ſubſiſtentibus, noſtri & præfatæ Eccleſiæ ſtatus, præſertim in Italiæ partibus, totalis deſolatio & deſtructio facile provenirent, niſi vi & armis, quæ ad obviandum tantis, & tam arduis noſtris & memoratæ Eccleſiæ imminentibus periculis excitare compellimur adverſus nequitiam conſpiratorum hujuſmodi, omni cum proviſione, & ſollicitudine reſiſtatur, aſſiduis meditationibus conſiderantes & attendentes, ac alias ipſius Regis præclaram devotionem & ſummam fidelitatem, nec non merita condigna ſalubriaque, propoſitum, intentionem, & oblationem hujuſmodi, condignis in Domino laudum præconiis, ac multa & magna in bene geſtis prædictis hactenus ſuſcepta, nec non in conſequendo effectu propoſiti, & ejus intentionis præfatorum ſuſcipienda per eundem Regem expenſarum onera memori mente repetentes, & ne Rex ipſe, abſque cujus ſuffragio, cauſante modernorum temporum malitia, potentiæ conſpiratorum & inimicorum præfatorum obviare non poſſumus, ob facultatum carentiam in tam ſanctiſſimo ac utiliſſimo propoſito deficiat, dictaque Eccleſia tantis & talibus periculis ulterius ſubjaceat, quantum cum DEO poſſumus, providere volentes, ac congruum & debitum recenſentes, ut pro cauſa omnipotentis DEI & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ, etiam inter perſonas Eccleſiaſticas ipſius Regis regnorum atque dominorum, pars ſuſceptarum & ſuſcipiendarum expenſarum prædictarum æquo libramine præferatur, matura ſuper hoc deliberatione præhabita, unum ſubſidium ducentorum millium florenorum auri de camera, eidem Regi, ab hinc uſque & per totum proxime futurum annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum quartum realiter donandorum, aſſignandorum, & tradendorum, ac alias juxta formas atque tenores in aliis diverſis noſtris literis, quas quoad hoc certis Prælatis ſeu perſonis Eccleſiaſticis dirigere intendimus, contentos exigendorum ſuper univerſis fructibus, redditibus, atque proventibus, tam præſentis quam futuri annorum hujuſmodi, metropolitanarum, cathedralium & collegiatarum, ac aliarum Eccleſiarum, nec non monaſteriorum, prioratuum, præpoſiturarum, præceptoriarum, magiſtratuum, dignitatum, perſonatuum adminiſtrationum, officiorum, canonicatuum, et præbendarum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, nec non hoſpitalium et aliorum piorum locorum, in quibus hoſpitalitas non ſervatur, cum cura et ſine cura, ſecularium, et quorumvis ordinum regularium exemptorum et non exemptorum, infra Arragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, Majoricarum et Sardiniæ, nec non Siciliæ citra et ultra Pharum, et alia quæcumque præfati Regis regna et temporalia dominia, nec non provincias, civitates, et diœceſes eorundem conſiſtentium, videlicet in Arragoniæ, Cataloniæ, Valentiæ, Majoricarum, et Minoricarum centum et quadraginta, ac in Siciliæ ultra Pharum Regnis viginti, nec non in terra citra Pharum triginta, et Inſula Sardiniæ decem millium Florenorum ſimilium illis et eis, quæ obtinent, ac in quibus, et ad quæ jus habent, ac interim obtinebunt, et jus habebunt, venerabilibus fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui in partem noſtræ ſolicitudinis, divina miſeratione vocati, grandia ad eorum ſtatum decenter tenendum expenſarum onera quotidie ſubire noſcuntur, dumtaxat exceptis auctoritate apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium imponimus, et ex nunc impoſitum eſſe decernimus. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCXLIII. Kal. Octobris, Pontificatus Noſtri Anno XIII.

CXIV.

CXIV.

Ejusdem Bulla, in qua ea omnia, quæ hactenus ab eodem avulsa fuerunt, cum Regno Siciliæ denuo univit atque conjunxit, d. d. 4. Non. Novembr. An. 1443.

AD futuram Rei memoriam. Romanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, inter multiplices, quibus assidue premitur, curas et sollicitudines, etiam ad Regnorum et Dominiorum ad eum et Romanam Ecclesiam directo dominio spectantium Regum et Dominiorum eorundem jurium recuperationem et conservationem suæ considerationis intuitum libenter extendens, ea, quæ in illorum præjudicium præcessisse comperit, interdum cassat, revocat, et annullat, ac desuper providet et disponit, prout, personarum, locorum, et temporum qualitate pensata, id conspicit in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, Regnum Siciliæ et terra citra Pharum, ad præfatam Ecclesiam directo dominio pertinentia, ac Regi Siciliæ pro tempore existenti ab eadem Ecclesia quoad utile illius dominium dudum concessa, nec non provinciæ, civitates, terræ, castra, et loca infra Regnum et terram prædictam consistentia, propter guerras durissimas, nec non rebelliones, seditiones, aliasque diversas calamitates a longissimis citra temporibus partes illas diversis vicibus crudelissime affligentes, ac ex litibus et controversiis, super Regno et terra præfatis inter diversos Reges, Reginas, Principes, et alios temporales Dominos diutius vigentibus, specialiter provenientes, maxima et innumerabilia damna & detrimenta intulerunt, ac etiam interdum multæ & diversæ personæ ex concessionibus & donationibus Regiis, ex malignitate temporum potius, quam ex ipsorum Regum & Reginarum voluntate propria procedentibus, ac etiam alias absque titulo plura & diversa ex civitatibus, terris, castris, locis, dominiis, & membris infra regnum & terram hujusmodi consistentibus, eorumque & ex ipsis provenientibus, aliisque censibus, reditibus, datiis, gabellis, feudis, juribus, jurisdictionibus, ac bonis ad Regem præfatum ac ejus & dicti Regni Siciliæ dominium legitime pertinentibus detinuerunt, prout etiam hodie detinent, in Ecclesiæ, Regis, & Regni prædictorum damnum non modicum pariter & detrimentum: Nos attendentes, quod dicta Ecclesia regni & terræ prædictorum concessionem potissime ad eum finem, ut exinde ab ipso Rege jurium ejusdem Ecclesiæ conservatio & defensio sedulo provenirent, fecisse dignoscitur, ac super hoc eorundem Regni, terræ, atque Regis statum, & ut charissimus in Christo filius noster Alphonsus, Rex Arragonum & Siciliæ illustris, prout intendit atque desiderat, ac Successores sui pro tempore existentes Siciliæ Reges, nostri & Romanæ Ecclesiæ vasalli, circa jurium Ecclesiæ, ac illius & Regni præfatorum felicis status conservationem & defensionem, continuo insistere, & ne ob suorum jurium hujusmodi carentiam in conservatione & defensione prædictis deficere, & pro quotidie ipsis incumbentibus magnarum expensarum oneribus supportandis, & ut commodius censum Ecclesiæ Romanæ debitum solvere, nec aliena suffragia quærere debeant, prout ex debito tenemur, summi Pontificatus officii Nobis ex alto concessi utiliter & salubriter providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Alphonsi Regis, vel alicujus pro eo Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia, de apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium omnes & singulas donationes, assignationes, concessiones, venditiones, alienationes, infeudationes, dimembrationes, segregationes, separationes, & quasvis alias distractiones, de quibusvis ex civitatibus, terris, castris, locis, dominiis, membris, censibus, reditibus, datiis, gabellis, feudis, juribus, jurisdictionibus, & bonis ad Regem pro tempore, ad regnum ac demanium hujusmodi pertinentibus, quibuscumque nominibus nuncupentur, etiam si aliqua eorundem dominiorum, Principatus, Ducatus, aut Comitatus existant, per quoscumque Reges & Reginas quibusvis personis, cujuscumque nobilitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam si quavis Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant in genere, vel specie, sub quibusvis formis aut verborum expressionibus, ac effectuum præsentium præjudicialibus clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam si quorumvis meritorum & impensorum servitiorum, aut expensarum, & laborum susceptorum intuitu seu respectu, & ex aliis compensata tunc ipsorum varietate forsan legitimis & rationabilibus causis, etiam motu & scientia prædictis hactenus factas atque concessas, revocamus, irritamus, cassamus, tollimus, & annullamus. (Revocat etiam ad coronam Regiam omnia alia jura, quæ præteritis temporibus ab ea divulsa quacumque ratione, vel vi ac dolo occupata extiterint, atque etiam Alphonsum Regem incussa censurarum religione ad ea redintegranda obstringit, tum etiam Archiepiscopo Beneventano & Episcopo Iserniensi præcipit, ut detrectantes pœnis Ecclesiasticis afficiant,) etiam præfato Alphonso Regi, ut civitates, terras, villas, castra, loca, dominia, membra, census, reditus, datia, gabellas, feuda, jura, jurisdictiones, & bona detenta, prædicta omnia & singula de manibus detentorum eorundem, videlicet, postquam venerabilibus fratribus nostris, Archiepiscopo Beneventano & Episcopo Iserniensi, ac dilecto filio præceptori domus Sancti Antonii Neapolitani, aut uni, vel duobus ex eis constiterit, præfatos detentores mandatis nostris eis factis hujusmodi debite non paruisse, propria ac Regia auctoritate extrahere, ac ad jus, proprietatem, usus & utilitatem suam Successorum demanii & Regni præfatorum reducere & aggregare non differat, sed ad id diligentiam ac efficaces opem & operam adhibere studeat, alioquin tam in Alphonsum Regem, quam in illos omnes & singulos ex supradictis, qui mandatis nostris hujusmodi debite non paruerint, ex nunc, prout ex tunc, excommunicationis sententiam proferimus & promulgamus, ac illa eos irretitos fore decernimus & declaramus, a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint, & nihilominus præfatis Archiepiscopo, Episcopo & præceptori, & eorum singulis, tam conjunctim, quam divisim, per se, vel alium seu alios præsen-

tes

tes literas publicandi, intimandi, insinuandi & notificandi, nec non illos ex Rege & aliis præfatis, quos constiterit excommunicationis sententiam hujusmodi incurrisse, excommunicatos publice nuntiandi, & ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari faciendi, ac contra dictos excommunicatos ad aggravationes & reaggravationes procedendi, nec non civitates, terras, & loca omnia & singula, in quibus ipsi inobedientes et excommunicati pro tempore permanserint, aut eis subjecta fuerint, ecclesiastico interdicto supponendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, cæteraque in præmissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, auctoritate Apostolica prædicta harum serie plenam et liberam facultatem et potestatem concedimus, ac etiam ad præmissa omnia et singula facienda et exequenda speciale mandatum damus. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCCXLIII. IV. Non. Novembris, Pontificatus nostri anno XIII.

CXV.

Ejusdem Bulla, in qua Alphonsi, Arragonum Regis adoptionem, a Johanna II. Siciliæ Reginæ, factam, confirmat, d. d. Id. Decembr. Anno 1443.

CHarissimo in Christo filio Alphonso, Arragonum & Siciliæ citra & ultra Pharum Regi Illustri, salutem. Tanta est Sedis Apostolicæ benignitas & gratia, ut recurrentium ad eam cum devotione vota & supplicationes liberaliter exaudiat, eorumque statui libenter consulat, qui de Ecclesia Romana bene meriti sunt. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum bonæ memoriæ Joanna secunda, olim Regina Regni Siciliæ & terræ citra Pharum, quæ juris & proprietatis ejusdem Romanæ Ecclesiæ existunt, gravibus inimicorum suorum oppressionibus vexata ac conculcata, te Regem prædictum, de cujus virtute, fide & omni præstantia plurimum confidebat, in sui subsidium & tutelam, hostiumque propulsationem advocavit, qui non sine gravibus laboribus, impensis & periculis, relictis Regnis tuis, omnique alia cura posthabita, cum copiis & gentibus tuis, ac potenti classe ad liberationem præfatæ Reginæ personaliter veniens, eam a dictorum hostium oppressionibus liberasti, & in veram sui ipsius libertatem salutemque reduxisti. Quo summo beneficio accepto, præfata Regina te prænominatum Regem Arragonum in filium arrogavit, Regnumque prædictum cum omnibus suis juribus iis melioribus viis & modis, quibus potuit, per publica Instrumenta tibi tuisque legitimis Successoribus dedit, tradidit & concessit. Post cujus quidem Reginæ obitum tu nullis tuis seu tuorum parcens periculis aut laboribus, nullis denique indulgens expensis, aliqua tua Regna, pro dicti Regni recuperatione, pecuniis, rebus & bonis pene exhauriens, tandem Regnum & terram prædictam magna virtute & laboribus intolerabilibus, longo post tempore acquisivisti, omnesque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & regnicolas, nec non civitates, terras, castella, & tandem inclytam civitatem Neapolitanam ditioni tuæ subjecisti, ita, ut omnes & singuli Regni & terræ præfatorum Principes, Comites & Barones, nec non civitatum, terrarum, castrorum & locorum infra Regnum & terram hujusmodi consistentium, communitates & universitates, præsertim post captam, ut præfertur, civitatem Neapolitanam, te præfatum Regem in eorum verum ac legitimum Dominum atque Regem recognoverunt, & pro tali te tenent ac reputant, tibique tanquam Regni & terræ præfatorum vero & legitimo Regi ac Domino in omnibus parent, obediunt & intendunt. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi & statui tuo super his opportune providere, & dictam arrogationem confirmare, & omnes defectus, si qui forsan in ea intervenissent, supplere dignaremur.

Nos igitur, qui singularem personarum, & præcipue Regum Catholicorum, a quibus Romana Ecclesia magna potest sperare præsidia, salutem quærimus & quietem, ac non immerito considerantes ea, quæ superioribus annis, ut Catholicum & devotum Regem decet, pro augmento & conservatione nostri & Ecclesiæ Romanæ status, contra ejusdem hostes & rebelles egeris, & in futurum pro ejusdem status conservatione facere paratus sis, considerantes etiam, quod, sicut petitio tua continebat, omnes Regni & terræ præfatorum Principes, Duces, Marchiones, Comites & Barones, & eorum singuli in manibus tuis fidelitatis solidæ juramentum præstiterunt, tuis supplicationibus inclinati, prædictam arrogationem de te prædicto per Reginam Joannam ad successionem hujusmodi Regni & terræ præfatam, cujus quidem arrogationis tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, non obstante, quod dictum Regnum per vim seu violentiam ad manus tuas redegeris, seu occupasse noscaris, aut alias te ad illud habendum quomodocunque indignum reddideris, tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, atque vim & robur Sedis Apostolicæ adjicimus, omnes & quoscunque defectus, si qui forte in dicta arrogatione intervenerint, de potestatis plenitudine supplentes, privilegiis, indultis, decretis, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, legibus Imperialibus & municipalibus, & aliis Regni & terræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ego &c. Datum Romæ Id. Decembris Anno XIII. MCCCCXLIII.

CXVI.

CXVI.

Ejusdem Breve, in quo, ea lege ac conditione, si masculi ex linea directa descendentes deficiant, ad masculos Alphonsi Regis transversales Regni Siciliæ successio extenditur, d. d. Id. Decembris, Anno 1443.

CHarissimo in Christo filio Alphonso, Arragonum, nec non Siciliæ citra & ultra Pharum, Regi Illustri salutem &c. Cum jus concessionis hujusmodi tuæ Serenitati atque descendentibus per lineam directam masculis duntaxat, natis & nascituris factum fuerit, neque transversales secundum ipsarum bullarum tenorem ad successionis & concessionis prædictæ vocarentur, immo penitus excluderentur, volentes tecum & cum Successoribus tuis etiam transversalibus plenioris gratiæ liberalitate uti, confidentes, eos & eorum quemlibet ad nostrum, & Ecclesiæ Romanæ statum augendum, tuendumque, & veram Apostolicæ Sedi fidem, & obedientiam exhibendam, tuæ Serenitatis vestigia atque exempla secuturos, de nostra mera liberalitate & gratia, auctoritate Apostolica, ex certa scientia tenore præsentium decernimus, volumus, atque declaramus, quod dicti Regni concessio atque investitura, cum omnibus juribus, conditionibus, & pertinentiis suis in defectum masculorum descendentium ex linea directa, etiam ad transversales masculos jam natos, & in antea nasciturus, secundum gradus prærogativam extendantur, ita quod præfati transversales in dicto Regno in descendentium per directam lineam defectu succedere valeant & admitti, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac natura & consuetudine feudi, vel concessionis hujusmodi, omnibusque & singulis in præfatis literis contentis cæterisque contrariis, quibus ex nunc, quatenus contra prædicta, vel aliquod prædictorum faciant vel disponant, ex certa scientia volumus atque declaramus esse derogatum. Nulli ergo &c. Datum Romæ id. Decembris, Indictione XIII. anno MCCCCXLIII.

CXVII.

Formula Juramenti fidelitatis atque obedientiæ, quod Alphonsus, Siciliæ Rex, Eugenio IV. Pontifici Maximo, Sedique Apostolicæ Anno 1445. præstitit.

EGo Alphonsus, DEI gratia Rex Siciliæ, plenum homagium ligium & vasallagium faciens Vobis Domino meo, Eugenio Papæ quarto, et Ecclesiæ Romanæ pro Regno Siciliæ et tota terra ipsius, quæ est citra Pharum, usque ad confinium terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio ac omnibus districtibus ac pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, et districtus civitatis ejusdem, per Rom. Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos: ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, et Vobis Domino meo, Domino Eugenio Papæ IV. vestrisque Successoribus, Rom. Pontificibus canonice intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, vel consensu, seu facto, ut vitam perdatis, seu perdant, aut membrum, sive capiamini, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri estis per Vos, aut Nuntios vestros, vel per literas, ad vestrum, vel eorum damnum, scienter nemini pandam. Et si scivero fieri aut procurari, seu tractari aliquid, quod sit in vestrum aut ipsorum damnum, illud pro posse impediam. Et si hoc impedire non possum, illud Vobis vel eis significare curabo. Papatum Romanum, Regalia S. Petri, tam in Regno Siciliæ et terra prædictis, quam alibi consistentia, adjutor Vobis, et eis ero ad retinendum, defendendum et recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnes homines.

Universas et singulas conditiones suprascriptas, et contentas in præsentibus literis Apostolicis, super ipsorum Regni et terræ concessione confectis, et omnia et singula, quæ continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo, et nullo unquam tempore veniam contra illa: et maxime, quod ego nunquam per me, vel alium, seu alios, quoquo modo procurabo, ut eligar, vel nominer in Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Teutoniæ, aut Dominum Longobardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earundem; et si electio de me celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni seu nominationi assensum præstabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicujus ipsorum regimine, neque etiam de civitate Beneventana, et suis pertinentiis, seu Campania, vel Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Patrimonio B. Petri in Tuscia, Massa Trebaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi et Avenionensi, Comitatu Venassini, seu in aliis terris quibuscunque vestris et demaniis, seu feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato, aut venditione seu donatione, seu alio quovis titulo vel contractu: nihil unquam mihi acquiram, seu vendicabo, seu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare; & nihil unquam recipiam, vel habebo, vel potero recipere, habere vel retinere in illis; neque ullam potestariam, capitaniam vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, seu accipere potero, habebo vel retinebo, aut habere seu retinere potero in eisdem aut ipsorum aliquo; nec etiam occupabo, aut occupare permittam, seu faciam præmissa, vel partem aliquam eorundem: nec illa offendam nec molestabo, nec etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo sub censuris, pœnisque spiritualibus et temporalibus in suprascriptis conditionibus et infeudationibus contentis, quas hic haberi volo in singulis partibus alias pro specifice repetitis etiam & expressis.

Item perditionis alumno Amadeo, hæretico et schismatico, a fide devio, et ab ipsa Ecclesia præciso et sententialiter condemnato, ejusque sequacibus, et dantibus ei auxilium, consilium vel favorem, non dabo quovis modo per me, seu alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem, nec ab aliis, quantum

tum in me fuerit, si impedire potero, dari permittam, sed eos juxta posse meum, donec convertantur, prosequar et invadam. Sic me DEus adjuvet, et hæc sancta Evangelia.

Hactenus homagium & juramentum intextum in ipsa Alphonsi ratificatione, ubi in fine:

Datum Neapoli apud majorem Ecclesiam per manus mei prædicti Regis Alphonsi, anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, die secunda mensis Junii octavæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno trigesimo, hujus vero Siciliæ citra Pharum Regni undecimo.

CXIIX.

Tabulæ fœderis, inter Alphonsum, Arragoniæ ac utriusque Siciliæ Regem, ex una; atque Ludovicum, Sabaudiæ Ducem, ex altera parte, propter status atque libertatis Mediolanensium conservationem & defensionem, pacti, d. d. 17. Junii, Anno 1449.

COnventiones & capitula super universali intelligentia & Liga, tractata & concordata inter Serenissimum Principem & Dominum, Dominum Alphonsum, Arragoniæ et utriusque Siciliæ Regem ex una parte; et Illustrissimum Dominum, Dominum Ludovicum, Sabaudiæ Ducem, ex parte altera; non solum pro communi status ipsorum Dominorum Principum defensione, casu quo aliquis Italicus, hoc est aliqua Communitas, aliqua potestas, aliquis Capitaneus, aliquod Dominium, vel aliquis Dominus in Italia contra statum ipsorum Dominorum Principum communiter vel divisim insurgeret; sed etiam pro conservatione et defensione status et libertatis Mediolanensium, ad quorum occupationem Franciscus Sfortia, Comes Cotignolæ, et nonnulli alii Itali manu militari laborant, ac etiam pro totali exterminio et confusione ejusdem Comitis, depulsione quoque aliorum Italicorum, Mediolanensium statum et libertatem opprimentium; inita et firmata per eandem Regiam Majestatem et Magnificum Virum, Dominum Nicodum de Menthonei Dominum Nerniaci, militem, Consiliarium et Cambellanum ejusdem Domini Ducis, Oratorem, Nuntium et Procuratorem, ut de ejus procuratione constat, dictoque procuratorio nomine firmatum sub pactis, conventionibus, reservationibus et conditionibus inferius declarandis.

Inprimis siquidem dictæ partes convenerunt inter se, ac una alteri ad invicem, et vice versa promiserunt, quod si aliquis, hoc est, aliqua Communitas, aliqua potestas, aliquis Capitaneus, aliquod Dominium, vel aliquis Dominus in Italia, communiter vel divisim ex quavis consideratione, vel causa insurgeret, sed etiam statum ipsius Regiæ Majestatis, vel ejusdem Domini Ducis in Italia et Nicia, teneantur eadem Regia Majestas, et idem Dominus Dux mutua invicem sibi præstare auxilia et juvamina juxta posse, nullo Domino, nulla Communitate, nulla Potestate, nullo Capitaneo, nulloque Domino in Italia Ecclesiastico vel temporali, etiam si de eis facienda esset mentio specialis, exceptis. Præterea cum ad depellendum, expugnandum et exterminandum hostiles impetus ejusdem Comitis, et aliorum, qui vel principaliter vel eidem Comiti adhærendo Mediolanensium statum et libertatem opprimunt, oporteat eandem Regiam Majestatem, et eundem Dominum Ducem circa viginti ducentum armigerorum numero tam equitum quam peditum castra metari; convenerunt partes hujusmodi inter se, ac una alteri sibi ad invicem et vice versa promiserunt, quod earum exercitus teneatur et debeat castra metari ac incipere offendere eundem Comitem Franciscum et alios quoscumque libertatem et statum Mediolanensium offendentes, hinc ad quintam decimam diem mensis Augusti proxime instantis, et inde successive usque ad exterminium ipsius Comitis et aliorum, libertatem, ut prædicitur, Mediolanensium, et statum manu militari opprimentium; et quod hujus exercitus coinvicem vel divisim, prout eisdem Dominis Principibus vel eorum Ministris visum fuerit, teneatur et debeat cum effectu, ac cum omni diligentia et cura defendere statum et libertatem Mediolanensium, cum recuperatione terrarum et castrorum prædictorum, contra eundem Comitem Franciscum, et contra quascumque communitates, potestates et quosvis Capitaneos et Dominos in Italia, nunc vel in futurum Mediolanensium statum et libertatem opprimentes, continuando hujusmodi offensionem et defensionem usque ad totale exterminium et depulsionem ejusmodi Comitis et aliorum opprimentium, ut prædicitur, libertatem Mediolanensium, et eorum statum.

Etiam dictæ partes convenerunt inter se, ac una alteri ad invicem, et vice versa, promiserunt, quod de gagiis seu stipendiis totius exercitus utriusque partis, de quinque partibus tres partes solvat ipsa Regia Majestas, et reliquas duas partes idem Dominus Dux.

Ulterius dictæ partes convenerunt inter se, ac una alteri ad invicem, et vice versa promiserunt, quod salvis semper remanentibus et illæsis quibusvis appunctuamentis, capitulis, conditionibus, reservationibus et pactis inter eandem Regiam Majestatem eundemque D. Ducem, ipsosque Mediolanenses hinc inde initis, conventis et firmis, omnia et singula, quæ a (die) dictæ initæ Ligæ hujusmodi ac confirmationis et ratificationis per dictum Dominum Ducem, fiendæ inter eos acquirentur, sic inter præfatos Dominos Principes dividantur, ut de quinque partibus tres partes habeat ipsa Regia Majestas, et duas partes idem Dominus Dux, et inter eas censeantur et intelligantur esse divisa et acquisita a tempore ipsorum acquisitionis per per alteram partium prædictarum. Nihilominus partes hujusmodi inter se convenerunt, ac una ad invicem & vice versa promiserunt, quod si ante vel post ipsius Comitis Francisci & aliorum quorumvis, statum Mediolanensium & libertatem opprimentium, totale exterminium & depulsionem quam-

quamcunque, ipsi Mediolanenses in alterum ipsorum Dominorum Principum liberam & sine oppressione aliqua & dolo electionem in Dominum duxerint faciendam, quilibet ipsorum Dominorum Principum, hoc est, ipsa Regia Majestas & idem Dominus Dux electionem hujusmodi a tempore hujus notitiæ in antea ratam & acceptam habere promittunt & conveniunt; pactis tamen, conventionibus, reservationibus, conditionibus & capitulis inter ipsam Regiam Majestatem, eundemque Dominum Ducem, seu eorum alterum, ipsosque Mediolanenses hinc inde initis, conventis & firmatis, salvis semper remanentibus & illæsis.

Cæterum dictæ partes voluerunt & convenerunt inter se, ac promiserunt una alteri ad invicem & vice versa, hujusmodi confœderationem & ligam, omniaque supra & infra scripta, & eorum singula esse efficaciter duratura, non solum usque ad totale exterminium & depulsionem ipsius Comitis & ejus status, & aliorum quorumcunque vexantium & opprimentium Mediolanensium statum & libertatem eorum, nec non usque ad pacificam liberationem ipsorum Mediolanensium, integramque recuperationem eorum Comitatuum, castrorum & terrarum, sed etiam vita ipsorum Dominorum Principum durante, & hæredum eorum. Sed ut solutionis onus gagiorum seu stipendiorum armigerorum hujusmodi inter eosdem Dominos Principes juxta partes inter eos conventas superius, æqua lance distribuatur & succedat, & ab altero emendetur, quicquid alter ultra partem sibi contingentem habuerit: Convenerunt inter se dictæ partes, ac promiserunt una alteri ad invicem & vice versa, quod dictæ personæ exigendæ una per eundem Dominum Ducem de tribus in tribus mensibus accipient monstras & revistas armigerorum & peditum hujusmodi, vel sic eis visis, si alter ipsorum ampliori numero castra metetur, quam sibi incumbat jure conventionis præsentis, ab altera parte emendetur infra unum mensem a die monstrarum & revisionum hujusmodi in antea computandarum, salvo justo impedimento. Convenerunt præterea dictæ partes, & promiserunt una alteri ad invicem & vice versa, nullam inire confœderationem, seu ligam, aut aliquod genus fœderis, seu alicujus intelligentiæ, cum aliquo Domino, potestate vel communitate, quæ directe vel indirecte, tacite vel expresse esse possent, venire seu redimere in aliquam interruptionem, læsionem seu præjudicium, aut impedimentum conventionis, ligæ & intelligentiæ præsentis, aut alicujus superius, vel inferius scriptorum.

Item est conventum et in pactum deductum inter partes prædictas, quod idem Dominus Dux Sabaudiæ hinc ad quintam decimam Augusti proxime futuri et anni præsentis inclusive ratificet personaliter et confirmet, ratamque et gratam habeat in fide Principis et virtute juramenti per eum ad Sancta quatuor DEI Evangelia præstandi, et sub obligatione omnium bonorum suorum formam præsentium Capitulorum, per dictum magnificum Nicodum de Menthone, Dominum Nerniaci, ejus Oratorem et procuratorem factam, et omnia et singula quæ superius continentur præmissa; itaque omnia et singula superius et inferius descripta dictæ partes in fide Principum & virtute juramenti per eos præstandi convenerunt & promiserunt, hoc est una pars alteri ad invicem & vice versa, Prothonotario infra scripto tanquam publicæ personæ & authenticæ, nomine & ad opus omnium illorum, quorum interest, intererit aut interesse poterit in futurum, stipulanti & recipienti, attendere, complere & observare, & in aliquo non contra facere vel venire modo aliquo, ratione vel causa, sub pœna millium Ducatorum auri, danda, solvenda, & acquirenda parti tenenti & observanti, quæ superius & inferius continentur, per partem contra facientem, vel non servantem, quæ desuper invicem conventa sunt & promissa sub pœna & nomine pœnæ, damno & interesse ejusdem; quæ pœna totiens committatur, & cum effectu a contra faciente & non observante, & bonis suis & vasallorum suorum exigi possit & valeat, quotiens fuerit contra factum, vel cum effectu non fuerit observatum, rato semper manente pacto; qua pœna semel & pluries commissa, exacta vel non exacta, aut gratiose remissa vel non, nihilominus præmissa & infra scripta omnia & eorum singula suam obtineant roboris firmitatem. Pro cujus quidem pœnæ executione, casu quo committitur, dictæ partes ex pacto convenerunt, inter se voluerunt, & statuerunt, quod a parte contra faciente vel non servante, quæ superius vel inferius sunt descripta, bonisque suis & vasallorum suorum, pars altera cui ex contraventione pœna ejusmodi fuerit acquisita, etiam manu militari exigere possit, & commoditatibus inferre. Data & acta in nostro dicti Regis Castellonovo civitatis Neapolis, die XXVII. Junii, MCCCCXLIX. Signé Alfonse & Nicodus de Menthone.

CXIX.

Bulla Nicolai V. Pontificis Maximi, vi cujus Alphonso, Siciliæ Regi, parvam in mari Mediterraneo Insulam, juxta Rhodum sitam, atque habitatoribus destitutam, dono dedit, d. d. prid. Non. Octobris, Anno 1450.

Nicolaus V. etc. Inter innumeras et multiplices curas, quibus continuo pro rerum et negotiorum varietate premimur, illam libenter amplectimur, per quam nostræ provisionis auxilio et suffragiis Christianum nomen et fides orthodoxa nostris præcipue temporibus defendatur, crescat, et augmentum suscipiat, ac pro hujusmodi defensione militantes, honorem, gloriam et commoda consequantur. Cum itaque nuper fide dignorum relatione percepimus, juxta Insulam Rhodi esse aliam parvam Insulam, incolis et habitatoribus penitus viduatam, in qua quoddam oppidum, quondam Castrum Rubeum nuncupatum, ad hospitale S. Joannis Jerosolymitani pertinens, cujus ædificia, turres & structuræ, per Teucros & Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes diruta & solo æquata sunt, nec spem ullam esse, quod hospitale illorum reparationi intendere possit, imo periculum maximum

mum imminere, ne Teucri & Saraceni, qui totam illam oram maritimam singulis annis, modo classe, modo copiis pedestribus, hostiliter discurrunt, dictam Insulam occupent, & castrum ipsum reædificent, quod propter loci & situs opportunitatem, maxima damna circumvicinis locis Christianorum, & maxime Rhodiis, inferre posset; e contra vero, si dictum castrum per aliquem potentissimum Principem Christianum reædificaretur & muniretur, magna exinde præsidia Christianis adversus perfidos crucis Christi inimicos parari possent: nam cum eadem Insula portum in mari habeat, classis Christianorum tuto se ibi recipere posset, & Insula ipsa populo & habitatoribus fœcundaretur. Eam ob rem Nos potentiam, existimationem, & devotionem charissimi in Christo filii nostri Alphonsi, Arragonum Regis Illustris, considerantes, ac attendentes pium ejus propositum & desiderium, nedum ad Insulam Rhodi & regnum Cypri, verum ad alias circumvicinas Regiones Christianas conservandas, & a miserrima oppressione ac crudelissima vexatione infidelium liberandas, qui pro infensissimo odio, & nefandissima cupiditate, qua flagrant, ad nomen Christianum exterminandum, singulis annis, ut audivimus, multa millia Christianorum capiunt, & (quod cum lacrymis, & ingenti animi dolore referimus) miseras eorum animas dæmonis fraudulenter prostituere conantur; cupientes, quantum cum DEO possumus, hanc barbarorum rabiem in Christianos comprimere, ac animadvertentes, quod Rex Arragonum potentissimam classem paret, & omnes vires suas exercere velle se obtulit, ad infringendam Teucrorum & Saracenorum superbiam, modo dominium ipsius Insulæ & castri ei concederemus, prædictis omnibus matura deliberatione pensatis, eidem Regi concedimus, ut dictum castrum reædificare, & Insulam hominibus & habitatoribus fœcundare, ipsumque castrum & Insulam, tanquam Dominus, libere & licite possidere possit, quamdiu suæ Celsitudini videbitur & placebit, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis, stabilimentis, consuetudinibus, usibus ac naturis dicti hospitalis, quibus omnibus, etiamsi de illis, ac eorum totis tenoribus specialis & expressa mentio habenda foret, hac vice dumtaxat specialiter derogamus. Nulli ergo &c. Datum Assisii, Anno &c. MCCCCL. pridie Non. Octobris, Pontificatus nostri anno IV.

CXX.

Mandatum Calixti III. Pontificis Maximi, ut ne populus Neapolitanus cuiquam Principi sacramento se obstringat, inhibitorium, d. d. 4. Id. Julii, Anno 1458.

CAllistus Episcopus, Servus servorum DEI, ad futuram rei memoriam, Regis æterni, per cujus inscrutabilem providentiam Reges regnant, vices (quamvis immeriti) gerentes in terris, si de singulorum Christianorum Regnorum regiminibus, ut in spiritualibus salubriter regantur, cogitare debeamus, de illorum etiam Regnorum, quæ ad Romanam Ecclesiam immediate pertinent, & quæ per prædecessores nostros, in Sacra Petri Sede sedentes, in feudum interdum concessa fuerunt, cum concessio hujusmodi cessat salubri nedum in eisdem spiritualibus, verum etiam in temporalibus gubernaculo cogitare Nos convenit, ut Petri hæreditas nullo modo distrahatur, sed ad manus ejusdem Ecclesiæ omnium Regnorum matris & Dominæ reducantur, & personis, de quibus præsidentis in specula circumspectioni visum fuerit, prudenti ac matura deliberatione prævia, regenda committatur, & subditi sub Regis pacifici quieta gubernatione lætentur.

Sane cum Regnum Siciliæ citra Pharum, quod de Patrimonio B. Petri existit, & quod olim per nonnullos Romanos Pontifices, prædecessores nostros, diversis Regibus & aliis Dominis temporalibus successive in feudum, sub certis modis & formis, quas præsentibus haberi volumus pro expressis, concessum extitit, quodque nuper claræ memoriæ Alphonsus Rex Arragonum a Romana Ecclesia in feudum obtinebat, per obitum ejusdem Alphonsi Regis, qui, sicut Domino placuit, debitum naturæ persolvit, infeudatione hujusmodi per ipsius obitum cessante, sit ad eandem Ecclesiam legitime devolutum, atque in ipsum Regnum, quod ad Nos pertinet, nemo se intromittere quoquo modo debeat sive possit, Nos cupientes singulos ipsius Regni regnicolas, tanquam Nobis & nulli alteri immediate subditos, per nostræ provisionis ministerium, sub nostro felici regimine in pacis & quietis amœnitate gratulari, universis & singulis ipsius Regni Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiasticis Prælatis, nec non Ducibus, Marchionibus, Principibus, communitatibus, universitatibus, baronibus, militibus, civibus, regnicolis & habitatoribus quibuscunque, tam ecclesiasticis, secularibus, & ordinum quorumcunque regularibus, quam laicis cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, conditionis & præeminentiæ existant, sub interminatione divini judicii, nec non anathematis, maledictionis æternæ, excommunicationis in singulos, & interdicti in communitates, universitates, capitula, conventus & collegia pœnis, quas ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, in singulos contrafacientes proferimus, ipso facto de venerabilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio pariter & assensu, ac potestatis plenitudine districtius inhibemus, ne ipsi aut eorum aliquis per se, vel alium seu alios directe vel indirecte, quovis quæsito ingenio vel colore, alicui, præterquam Nobis, aliquod fidelitatis juramentum, ratione civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, locorum aut feudorum, quæ in dicto Regno obtinent, præstare præsumant seu præsumat.

Quod si forte ipsi aut eorum aliquis hujusmodi juramentum hactenus præstiterint seu præstiterit, Nos omnes & singulos, qui juramentum ipsum præstiterint, ut præfertur, ab hujusmodi juramentis & temeritate jurandi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium absolvimus, ipsaque juramenta eis & eorum cuilibet relaxamus, ipsosque & quemlibet eorundem ad hujusmodi juramentorum observationem minime teneri, dictumque Regnum per

obitum

obitum hujusmodi ad Nos & Romanam Ecclesiam prædictam devolutum fuisse & esse, ac ad Nos & dictam Ecclesiam immediate & nullum alium pertinere, & de illo per alium, quam per Nos, ordinari seu disponi nullo modo potuisse sive posse, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

Si vero aliquis in ipso Regno vel ad illud jus habere prætenderit, aut super eo sua Interesse quoquomodo putaverit, Nos ad justitiam cuilibet desuper ministrandam, cum in ea singulis debitores simus, offerimus Nos paratos. Est denique officium pastorale nostrum sic utiliter providere, ne Regnum ipsum tyrannide devastetur, aut vepribus laceretur, sive in prædam detur, ut oves gregis Dominici Regni nostri illæsæ & integræ conserventur in pace & quiete vivendo; justitia enim & pax osculatæ sunt.

Præterea, ne quis de præmissis ignorantiam prætendere possit, seu quomodolibet allegare, præsentes literas in valvis Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis de urbe, ad quam de diversis mundi partibus quamplurimi continue confluunt, affigi publice mandamus, ita ut minime sit ambigendum, quin ad Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Ducum, Marchionum, Principum, Comitum, Baronum, communitatum, universitatum, militum, procerum, civium, regnicolarum, & habitatorum, aliorumque supradictorum notitiam quanto ocyus deveniant &c. (Addis alia imperia, ut hoc edictum divulgetur in Neapolitano Regno, ac publicis in locis affigatur.) Datum Romæ apud S. Petrum, anno MCCCCLVIII. IV. Id. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

CXXI.

Conventio, nomine Calixti III. Pontificis Maximi, atque Ferdinandi, Siciliæ Regis, inita, d. d. 17. Octobris, Anno 1458.

Capitula, conventiones, & pacta inita & firmata inter reverendum in Christo Patrem, Dominum Berardum, Episcopum Spoletanum, & venerabilem Dominum Agapitum Cincii de Rusticis, Juris utriusque Doctorem, nomine ac pro parte sanctissimi ac beatissimi Domini nostri, Pii, Papæ II. parte ex una, & magnificos viros, Dominos Matthæum Joannem Apostolicum & Regium Secretarium, & Antonium de Alexandro, Juris utriusque Doctores, oratores & procuratores Serenissimi atque Illustrissimi Regis, Domini Ferdinandi, Regis Siciliæ &c. nomine atque parte dicti Domini Regis ex altera.

INprimis præfatus reverendus Episcopus, & Dominus Agapitus, nomine & pro parte dicti Serenissimi Domini nostri promiserunt, quod Sanctitas sua cum consilio & assensu sacri Collegii Dominorum Cardinalium, sublatis literis & censuris, per antecessorem suum Callistum adversus dictum Regem & regnicolas &c. noviter promulgatis, infeudabit, & de novo concedet infeudationem, & novam investituram dicto Serenissimo Domino Regi Ferdinando, de Regno Siciliæ & terra citra Pharum in forma solita & consueta, & de infeudatione ipsa literas debitas expediri mandabit, atque ipsi Domino Regi seu suo Procuratori tradi faciet realiter, & cum effectu, omni exceptione remota, hoc tantum intendunt, quod faciet Dominus noster sine præjudicio juris alieni. Item & promiserunt pro parte sanctissimi Domini nostri, quod Sanctitas sua per se, vel legitum de latere, ad omnem requisitionem dicti Domini Regis coronabit ipsum Dominum Ferdinandum, Regem Siciliæ, juxta formam & consuetudinem, in coronandis Regibus Siciliæ prædecessoribus suis hactenus servatas. Et vice versa dicti Regii Oratores & Procuratores promiserunt pro parte dicti Domini Regis, quod præfatus Dominus Rex singulis annis loco & tempore, contentis in literis infeudationis, & novæ investituræ concedi solitis, pure & simpliciter, omni exceptione & compensatione remota, solvet manualiter in pecuniis Romano Pontifici, pro tempore existenti, censum octo millium unciarum, in literis investituræ contentum, in signum recognitionis, proprietatis & dominii ipsius Regni apud Romanam Ecclesiam existentis.

Et quia pro parte dicti Domini Regis prætenditur, quod certis ex causis prædictus census minui debeat & moderari, convenerunt partes præfatæ nominibus, quibus supra, quod hoc remittatur judicio, cognitioni & arbitrio, ac determinationi duorum ex Reverendissimis Dominis Cardinalibus sacri Collegii, unius scilicet eligendi per præfatum Dominum nostrum, & alterius per præfatum Dominum Regem, qui hanc causam auditis partibus de jure, & de facto, sive de jure tantum, prout eis melius videbitur, possint & debeant terminare, & in casu, quo prædicti Domini Cardinales concordari non possent, & in aliquo essent discordes, tunc & eo casu per eosdem Dominos Cardinales commissarios eligatur tertius; quibus non concordantibus in electione tertii, ille debeat esse tertius, quem Dominus noster judicabit, ex hoc tamen determinetur, vel non ex quavis causa solutio præfati census in quantitate prædicta, suis locis & tempore fienda, non debeat retardari in totum vel in partem, seu aliquatenus impediri.

Promiserunt etiam dicti procuratores pro parte præfati dicti Domini Regis, quod civitas Beneventana, quæ in literis infeudationis, concedi solitis, excipitur, ab infeudatione Regni ac Romanæ Ecclesiæ specialiter reservatur, per præfatum Dominum Regem libere dimittetur, ac sanctissimo Domino nostro actualiter per realem possessionis traditionem restituetur cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis, ac etiam cum libertatibus, privilegiis, immunitatibus, ac aliis in literis infeudationis contentis & declaratis, sine aliqua reservatione & impedimento, in possessione, & usu præfatorum jurium præstando.

Item præfatus reverendus Dominus Episcopus, & Dominus Agapitus nomine & pro parte dicti sanctissimi Domini nostri promiserunt, & in pactum deduxerunt, quod civitas Terracinæ remaneat apud Dominum Regem, iis modis & formis, videlicet, quod sanctissimus Dominus noster in continenti

tinenti concedat præfatam civitatem præfato Domino Regi in Vicariatum ad quinquennium, nomine & pro parte dicti Domini nostri tenenda, incipiendo a tempore datarum literarum dicti Vicariatus, cum annuo censu unius equi albi in festo Pentecostes, in loco, ubi Romanus Pontifex residebit, singulis annis transmittendi & solvendi, quo quidem quinquennio finito, præfatus Dominus Rex teneatur, a præfato Domino nostro renovationem dicti Vicariatus petere, & dictus Dominus noster ad aliud quinquennium concedere; quibus finitis dictus Dominus Rex teneatur dimittere Ecclesiæ Romanæ civitatem ipsam, vel alias de ea facere ad voluntatem dicti Domini nostri, & in casu non soluti vel transmissi equi singulis annis in tempore debito, incurrat ipsa Regia Majestas pœnam unciarum quinquaginta.

Item promiserunt dicti procuratores, quod præfatus Dominus Rex mandabit & operabitur effectualiter, quod Comes Jacobus Piccinius infra terminum unius mensis, a tempore acceptationis præsentium capitulorum per ipsum Dominum Regem faciendæ, inchoando restituet sanctissimo Domino nostro civitatem Assisii, Nuceriam, Gvaldum & terras, castraque & quæcunque alia loca, quæ de bonis Ecclesiæ Romanæ violenter aut alio modo per se vel alium recepit vel occupavit, & quod ab incursionibus violentis, quas hucusque in terris Ecclesiæ fecit, omnino desistat, quod si infra præfatum terminum non fecerit, & a prædictis Comes ipse destiterit, præfatus Dominus Rex ipsum, ut hostem, diffidet, & a suis stipendiis amoveat, & desinat ille dare subventiones, & contra eum bellum indicat, & secundum pacta & capitula in confœderatione & liga Italiæ, & etiam in literis infeudationis contenta, contra eum insurgat, & ad defensionem Ecclesiæ veniat cum armigeris & equitibus, de quibus in capitulis & literis supradictis sit mentio specialis. De voluntate tamen dicti Domini nostri equites ad VIIII. mille, & pedites ad mille quingentos limitantur, cum quibus ad requisitionem dicti Domini nostri, ad ipsius Domini Regis sumptus, contra dictum Comitem continue per se vel alium, prout Dominus noster requisiverit, procedat usque ad finem guerræ, salvis & reservatis iis omnibus, quæ in capitulis ligæ & in literis infeudationis continentur, nisi major necessitas supervenerit, & sanctissimo Domino nostro aliter visum fuerit seu requisiverit.

Item est conventum, quod causas & differentias, quæ sunt inter Dominum Regem ex una, & Dominum Sigismundum de Malatestis ex altera, ipsa Regia Majestas ponat pro parte sua in manibus Domini nostri libere & absolute, qui causas ipsas de jure vel de facto, auditis partibus, terminet; & quod stabit atque parebit sententiæ dicti Domini nostri sub pœnis, de quibus eidem sanctissimo Domino nostro videbitur, & quod dictus Dominus noster possit indicere & ponere treugas, & tollere offensas quandocunque sibi placuerit, dummodo prius per dictum Dominum Sigismundum sit plene & sufficientissime cautum de judicio sisti, & judicato solvendo ad arbitrium dicti Domini nostri.

Item prædicti Oratores & procuratores dicti Domini Regis promiserunt, quod omnia & singula in literis infeudationis contenta, quæ singulariter prolixum foret exprimere, Regia Majestas realiter & cum effectu adimplebit, exequetur & faciet, omni exceptione & excusatione remotis, etiamsi per prædecessores suos in dicto Regno servata non fuerint, & sic jurabit. Firmata fuerunt & expedita præsentia capitula Romæ apud S. Petrum, & in palatio Domini nostri & in Camera ipsius Domini Episcopi, die XVII. Octobris, MCCCCLVIII. Pontificatus ejusdem Domini nostri Anno I.

CXXII.

Bulla Pii II. Pontificis Maximi, in qua Decretum Calixti, Papæ III. adversus Ferdinandum, Siciliæ Regem, promulgatum, pro nullo declaratur, de Anno 1458.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum juxta occurrentiam negotiorum, & ingruentium temporum qualitates oporteat in singulis matura deliberatione procedere, & mutare consilia, ac inhibita revocare, & quæ alias visa non sunt, concedere & ordinare; Nos qui pro pace & quiete omnium regnicolarum dicti Regni, ac ejusdem Romanæ Ecclesiæ commodo concessionem, confirmationem & novam infeudationem fecimus antedictas, cogitantes præfatas literas non modo ad statum dicti Regis Ferdinandi, verum etiam totius ipsius Regni perturbationem, adempta subditorum fidelitate & obedientia posse, procul dubio, procedente tempore redundare, ne (quod absit) præmissa evenire contingat, habito super hoc cum venerabilibus fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, diutino tractatu & deliberatione matura, tandem de eorum consilio pariter & assensu & Apostolicæ plenitudine potestatis, inhibitionem, absolutionem, relaxationem, decretum, declarationem, mandatum, & alia quælibet in præmissis literis contenta, & inde secuta quæcunque, ipsas quoque literas, in quantum in præjudicium juris præfati Ferdinandi Regis emanaverint, & non aliter ex nostra certa scientia tenore præsentium revocamus, cassamus & annullamus, ac pro infectis habere decernimus. Et insuper omnes & singulos Prælatos, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles & incolas utriusque sexus, Ecclesiasticos vel seculares, nec non communitates, universitates & collegia dicti Regni, quod contra inhibitionem eis per easdem literas a præfato Calixto prædecessore factam, eidem Ferdinando Regi homagium aut fidelitatis juramentum quavis ratione, occasione vel causa præstiterint, & præterea anathematis, excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aut alias sententias, censuras & pœnas spirituales & temporales quomodolibet incurrerint, etiamsi desuper opportune publicationes seu denunciationes fuerint subsecutæ, videlicet ab illis de plenitudine potestatis hujusmodi penitus absolvimus, & absolutos reddimus. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno MCCCCLVIII. &c. Pontificatus nostri Anno I.

CXXIII.

CXXIII.

Breve Pii II. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Latinum scriptum, in quo ei, ut Ferdinando de Arragonia, Siciliæ Regi, coronam Regiam imponat, in mandatis dedit, d. d. 4. Id. Novembris, Anno 1458.

Dilecto filio Latino, tit. S. S. Joannis & Pauli Presbytero Cardinali, A. S. L. salutem. Cum Nos super Regnum Siciliæ & totam terram, quæ est citra Pharum, quæ de jure & proprietate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fore noscuntur, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & districtu, ac juribus & pertinentiis suis, charissimo in Christo filio nostro Ferdinando de Arragonia Regi Siciliæ citra Pharum, Illustri claræ memoriæ Alphonsi, Arragonum & dicti Regni Regis primogenito, & in ipso Regno & terra Successori, pro se suisque liberis de fratrum nostrorum consilio & assensu concesserimus, confirmaverimus & de novo in feudum dederimus, ac elargiti fuerimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur; Nos intendentes, ut dictus Ferdinandus Rex juris Regni & terræ prædictorum ac regalium insignium plenitudine gratulari, ac statum suum firmum stabilire valeat, circumspectioni tuæ tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus ad dictum Regnum te personaliter conferens præfatum Ferdinandum Regem, præstito ab eo & per te accepto nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine sub forma, quam in eisdem inseri fecimus, corporali juramento per impensionem vexilli ejusdem Romanæ Ecclesiæ in suis manibus, de Regno & terra prædictis ac omnibus juribus & pertinentiis eorundem auctoritate Apostolica investias, ipsumque in illorum realem, corporalem & actualem possessionem inducas.

Et nihilominus cum Reges Siciliæ, qui fuerunt pro tempore, ad mandatum Romani Pontificis inungi & coronari consueverint, præfatum Ferdinandum Regem, postquam illum investieris, & in possessionem hujusmodi induxeris, ut præfertur, solemniter inungas, ipsumque in signum pleni juris atque dominii, Regni & terræ prædictorum, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, & gloriosæ Virginis Mariæ, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & totius Curiæ cœlestis, statumque nostrum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Regni & terræ prædictorum salubrem & felicem, de dictis Regno & terra eadem auctoritate corones. Privilegium quoque seu literas dicti Ferdinandi Regis ejus aurea Bulla bullatas, in quibus præfatus Ferdinandus Rex fateatur & expresse recognoscat, Regnum & terram prædicta ex sola gratia & mera liberalitate Sedis Apostolicæ sibi suisque liberis, ut præfertur, confirmata fore, donata atque concessa, ac formam ipsius juramenti continentes, prout in dictis literis continetur, ab eo postules, ac Nobis & præfatæ Ecclesiæ in tuo reditu reportare & præsentare procures. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. IV. Non. Decembris, Pontificatus nostri Anno I.

CXXIV.

Bulla Pii II. Pontificis Maximi, in qua Siciliæ Regnum Ferdinando de Arragonia in feudum contulit, d. d. 4. Id. Novembris, Anno 1458.

Pius Episcopus, Servus servorum DEI, charissimo in Christo filio Ferdinando de Arragonia, Regi Siciliæ Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Divina disponente clementia, per quam Reges regnant & Principes imperant, in eminenti specula & super gentes & Regna, licet immeriti, constituti, necesse habemus interdum de Regnis & terris illis, & præsertim, quæ Romanæ Ecclesiæ Juris & proprietatis specialiter existunt, fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, ac in eorum soliis ad gubernationem & regimen gentium subditarum, quos dignos novimus, sublimare, ut gladii potestate eis ad vindictam malorum laudemque bonorum cœlitus attributa, ipso assumpto dominandi officio, judicent in æquitate populos, & dirigant in terris subditas illis gentes & nationes, voluntasque eorum sit in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis. Sane ex parte tua nuper fuit expositum coram Nobis, quod dudum claræ memoriæ Alphonsus Arragonum & utriusque Siciliæ Rex genitor tuus, post concessionem, infeudationem & investituram, sibi de præfatis Regno Siciliæ & terra citra Pharum, per felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, auctoritate apostolica, de suorum fratrum consilio factas, te primogenitum filium suum, jam antea ad successionem Regni & terræ citra Pharum hujusmodi per eundem Eugenium, ac piæ memoriæ Nicolaum Papam V. etiam prædecessorem nostrum, habilem & capacem factum in ipsis Regno & terra citra Pharum, post mortem suam Successorem suum, dictorumque Regni & terræ legitimum hæredem fore statuit & etiam declaravit: pro quorum quidem statuti & declarationis robore, ac de sua futura successione firmiori certitudine dilecti filii, Nobiles viri, Principes, Comites, Barones, Magnates, & populi Regni & terræ prædictorum in tuis manibus, dum adhuc ipse Alphonsus Rex ageret in humanis, homagium & fidelitatis solitæ juramentum præstiterunt.

Deinde vero, dum in ultimis dictus Alphonsus in eadem voluntate persistens, te suo ultimo testamento in dictis regno & terra hæredem suum & universalem Successorem instituit, in qua quidem institutione & dispositione perseverans Alphonsus ipse, sicut Domino placuit, extitit vita defunctus. Post obitum quoque ipsius Alphonsi Regis universi, Principes, Comites, Barones, populi & magnates antedicti in eadem voluntate firmiter persistentes, teque solum in ipsorum legitimum Regem habere volentes, communi omnium voluntate unanimique consensu

ſenſu, te in ipſorum Regem pacifice cognoverunt, & iterato ſimili homagio & juramento tibi præſtito, te talem cenſuerunt & reputarunt, prout cenſent & reputant de præſenti. Et cum tu DEI fretus auxilio, ac procerum & populorum benevolentia circumfultus, ob ſummam audoritatem, quam tu in ipſo regno non ſine magna induſtria vendicaſti, ultra pleraque alia adminicula, plane confidas, regnum ipſum a quibuscunque poſſe defendere, ſolumque reſtet ad res tuas componendas, quietemque perpetuam fundandam, ut Nos pro eadem Romana Eccleſia, quam tu in veram ipſius Regni & terræ citra Pharum dominam & proprietariam recognoſcere intendis, te, uti Regis ipſius Alphonſi hæredem Succeſſoremque legitimum, ſicuti a prædeceſſoribus noſtris tibi ad ſucceſſionem patefactus eſt aditus, de eodem Regno & terra citra Pharum infeudemus & inveſtiamus, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum tu ejusdem Romanæ Eccleſiæ devotiſſimus filius, & quoad ſe tuæ vires extendere poterunt, pro ea pugil & propugnator eximius paſſim & perpetuo ſis futurus, eidem quieti tuæ ſuper his benigne conſulere dignaremur.

Nos igitur attendentes immenſam devotionem, quam tu & progenitores tui ad eandem ſemper geſſiſtis Eccleſiam, ac volentes eisdem regno & terræ utiliter diſponere ac ſalubriter ordinare, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI Patris & Filii & Spiritus ſancti, & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad honorem quoque, pacem & tranquillum ſtatum noſtrum & Sedis Apoſtolicæ, ac ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, & Regni prædictorum, ſalutem quoque eorundem Principum, Ducum, Comitum, procerum & populorum, præfatum Regnum Siciliæ cum tota dicta terra citra Pharum, usque ad confinia terrarum dictæ Romanæ Eccleſiæ, excepta civitate noſtra Beneventana, cum ejus territorio, diſtrictibus & pertinentiis, ſive Regnum cum terra hujusmodi per obitum dicti Alphonſi Regis, ſive aliter qualitercunque ad eandem Eccleſiam legitime reverſum & devolutum ſit, ſive tu in eo legitime ſucceſſeris, tibi Regi Ferdinando, tanquam dicti Alphonſi Regis filio primogenito, & in dictis Regno & terra Succeſſori, pro te tuisque liberis ex recta linea & tuo corpore legitime deſcendentibus, natis & naſcituris, cum cenſu annuo, aliisque conditionibus, modis & formis, adjectionibus, promiſſionibus, cautelis, clauſulis, voluntatibus, & ordinationibus inferius annotatis, matura ſuper hoc deliberatione præhabita, de fratrum noſtrorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, conſilio pariter & aſſenſu, ac ex certa noſtra ſcientia & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium in feudum perpetuum concedimus, confirmamus, & de novo largimur, volentes & intendentes de te ipſis regno & terra citra Pharum, per vexillum Romanæ Eccleſiæ tibi per dilectum filium noſtrum Latinum, tituli S. S. Joannis & Pauli presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis legatum, noſtro & ejusdem Romanæ Eccleſiæ nomine conferendum & exhibendum de proximo inveſtiri: ita tamen, ut tu juxta formam inferius annotatam, fidelitatis debitæ juramentum & homagium, nec non ſervitium, vaſſalagium & ligium in manibus ipſius Cardinalis, noſtro & dictæ Eccleſiæ nomine recipientis, præſtes, pro hujusmodi feudo præſtari debita ac etiam conſueta. Civitatem autem Beneventanam prædictam cum ejus territorio, diſtrictibus & pertinentiis, per Nos ſeu Romanum Pontificem diſtinctis, vel diſtinguendis, cum eorum incolis, prout illam ſibi dudum præfata Romana Eccleſia ſpecialiter retinuit & reſervavit, Nos quoque harum ſerie ſpecialiter reſervamus. Conditiones vero prædictæ ſunt hæ, videlicet:

Promittetis & jurabitis tam tu in manibus ipſius Cardinalis, quam in ſingulis inveſtituris eorum, tui in dicto Regno hæredes, juxta formam infra ſcriptam, quod tu vel illi nullas unquam conſpirationes, colligationes vel conjurationes cum quibuscunque Regibus, Principibus ſeu magnatibus, communitatibus, univerſitatibus aut perſonis aliis, fidelibus vel infidelibus, contra Nos vel Succeſſores noſtros, Romanos Pontifices canonice intrantes, aut dictam Romanam Eccleſiam, ſeu in eorum damnum facietis, aut fieri conſentietis, ſeu permittetis, quantum in te vel illis erit, nec factas ratas habebitis, & quod nunquam a noſtra & dictæ Eccleſiæ obedientia recedetis, nec aliquod ſchiſma contra Nos aut Succeſſores noſtros, aut Romanam Eccleſiam facietis, aut cujuscunque ſchiſmatis vel hæreſis imitatores eritis aut fautores; nec hujusmodi conſpirationes, colligationes, conjurationes ſeu ſchiſma contra Nos vel Succeſſores noſtros aut Eccleſiam prædictam facietis, aut ſchiſmaticos vel hæreticos receptabitis, ſeu quocunque modo eis favebitis, aut eis, vel eorum alteri aliquod conſilium, auxilium vel favorem præſtabitis: nec aliquos Nobis aut dictæ Eccleſiæ rebelles, aut noſtros ſeu dictæ Eccleſiæ hoſtes vel inimicos, ſeu rerum aut bonorum ipſius Eccleſiæ invaſores aut occupatores, in Regno vel terra prædictis, aut in aliqua ipſorum parte, vel alio quovis loco, in quo temporalem poteſtatem habebitis, receptabitis, aut per alios receptari quoquomodo patiemini, ſeu permittetis ſcienter, ſed illos efficaciter perſequemini. Quod autem ſupra dicitur de inimicis & rebellibus extra Regnum & terram prædictam non receptandis, intelligatur de notoriis vel declaratis ſeu declarandis, aut alias nominandis per Romanum Pontificem. In Regno autem & terra prædictis intelligitur, prout ſuperius eſt expreſſum.

Si vero in tui vel tuorum in dicto Regno hæredum obitu, legitimum, prout ſubſequitur, hæredem, te aut ipſos (quod abſit) non habere contigerit, Regnum ipſum ad prædictam Romanam Eccleſiam & ejus diſpoſitionem libere revertatur. Deſcendentes autem ex te vel ipſis tuis hæredibus, dicti Regni Regibus, mares & fœminæ, in eodem Regno ſuccedant, ita tamen, quod ſtantibus maribus, ſive ex directa ſive ex transverſali linea usque ad quartum gradum, fœminæ non ſuccedant, ſed mares duntaxat, inter eos gradus lineæ prærogativa ſervata ſecundum Juris diſpoſitionem, & duobus aut pluribus liberis maribus, in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus aliis præferatur: extantibus vero fœminis tantum in eis eadem forma, quæ in maribus, ſervetur. In Regno vero & terra prædictis nullus ſuccedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Ad hæc tam tu, quam

tui

tui in dicto Regno hæredes, Regnum & terram prædictam nullatenus dividetis, sed semper unus tantum vestrum sub hujusmodi conditionibus immediate, & in capite, nomine Romanæ Ecclesiæ illa tenebit, & tam tu, quam prædicti tui in dicto regno hæredes, sub propriis nominibus Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, ac Romanæ Ecclesiæ, expressis vestro & hæredum ipsorum nominibus, ligium & homagium facietis, & dictum Juramentum fidelitatis, mentionem expressam de præsentibus literis faciendo, præstabitis, ut præfertur. Hujusmodi autem ligium & homagium, tu & dicti tui hæredes facere, & juramentum fidelitatis præstare, juxta subscriptam formam; tu videlicet de proximo in manibus præfati Cardinalis; iidem vero hæredes, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero extra Italiam esset, infra annum, postquam Regni dominium adepti fuerint, teneamini. Et singulis Successoribus ac eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum ligium & homagium, quam etiam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romani Pontificis, seu prædictæ Ecclesiæ, te & hæredes tuos prædictos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, ac ligium & homagium hujusmodi Romano Pontifici ac eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc illis tutum locum statuat & assignet, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam & homagium hujusmodi recipiat, destinare.

Tu quoque in ipsius Latini Cardinalis manibus jurabis de proximo, te ad hoc specialiter obligatum, & tam tu quam tui in dicto Regno hæredes, Nobis & singulis Successoribus prædictis, atque eidem Ecclesiæ, quando præstabitis & præstabunt hujusmodi fidelitatis juramentum, jurabitis, vos ad hoc specialiter obligatos, quod videlicet nunquam tu aut ipsi hæredes per vos, aut alium seu alios, procurabis quocunque modo, vel procurabunt, ut tu eligaris vel nomineris, aut aliquis eorum eligatur vel nominetur in Regem vel Imperatorem Romanum, vel in Regem Teutoniæ, aut Dominum Lombardiæ vel Tusciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ; & si electionem vel nominationem ad Imperium vel Regnum Romanum, seu ad Regnum Teutoniæ, aut dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis hujusmodi de te vel illis celebrari contigerit, nullum hujusmodi nominationi vel electioni assensum præstabunt, aut te intromittes, vel illi se intromittent nullo modo in regimine ipsius Imperii, vel Regni Romani, seu Regni Teutoniæ, aut dominii Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earundem, ad quodcunque eorum tu vel illi nominati fueritis vel electi. Quod si tu, vel aliquis tuorum in dicto Regno hæredum, studentibus & procurantibus te aut eis, in Imperium ipsum sive dictum Regnum Romanum, sive Regnum Teutoniæ, aut dominium Lombardiæ, seu Tusciæ, aut majoris partis earum electi seu nominati fueritis, aut si post talem electionem in Imperii vel Regni Romani seu Regni Teutoniæ, aut dominii Lombardiæ seu Tusciæ, aut majoris partis ipsarum regimine tu te vel ipsi se manifeste intromiseritis sine expresso nostro, vel Successorum nostrorum mandato, eo ipso a jure prædictorum Regni Siciliæ & terræ cadas, ipsique hæredes cadant ex toto, illaque prorsus amittant, & eadem Regnum Siciliæ & terræ ad Romanam Ecclesiam libere revertantur. Si autem tu vel aliquis ex dictis hæredibus electioni vel nominationi pro tempore factæ, non procurantibus te vel ipsis, aut etiam palam vel occulte procurantibus, forsan consenseris vel consenserint, & quod hujusmodi electioni vel nominationi, seu Juri omnino renuncies, seu renuncient, & quod de imperio seu aliquo præmissorum, ad quod electus seu electi, nominatus seu nominati fueris seu fuerint, nullatenus te intromittas, vel ipsi se intromittant, moniti, nisi infra quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi, tali electioni vel nominationi aut juri renunciaveris seu renunciaverint, vel si de ipso Imperio vel aliquo præmissorum, ad quod electus vel nominatus, electi vel nominati fueris vel fuerint, te intromiseris, vel ipsi se intromiserint quoquo modo, ex hoc sis vel sint eisdem Regno Siciliæ & terra, & omni prorsus eorum jure privatus atque privati, &, ut dictum est, eadem Regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad te vel tuos in eodem Regno hæredes non possit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet, quod moneri commode nequeas vel nequeant, creditur & stabitur assertioni duntaxat Romani Pontificis, sufficiat monitio publica & solemnis, ita, quod si infra sex menses non renunciaveris, vel hæredes ipsi non renunciaverint, aut de Imperio seu aliquo alio prædictorum, ad quod tu electus seu nominatus, vel hæredes tui electi seu nominati fueris vel fuerint, quomodolibet te intromiseris, seu illi se intromiserint, ex hoc cades & ipsi cadent ab omni jure ipsorum Regni & terræ, ac Regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Cæterum, si contigerit aliquem de prædictis hæredibus, qui deberet in prædictis Regno & terra succedere in Regem, vel Imperatorem Romanum, seu Regem Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ aut Tusciæ, seu majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus eorum Regni & terræ possessionem nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura, seu dominio aut regimine per se vel alios aliquatenus intromittat, nisi prius Imperio seu Regno Romano, seu Regno Teutoniæ, aut dominio Lombardiæ seu Tusciæ, seu majoris partis earum, ad quodcunque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumptus, & omni jure sibi in illis competente omnino renuntiet; etsi illorum aliquod, sive de jure sive de facto, tenere voluerit, Regnum Siciliæ omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumpturus, cadatque ab omni successione & jure, quæ in Regno Siciliæ & terra prædictis sibi competerent ipso facto, ita, quod eadem Regnum & terræ ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plenarie & libere devolvantur. Quod si non extantibus masculis, fœmina in eisdem Regno & Siciliæ terra successerit, illa Regi vel Imperatori Romano, seu in Regem vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi vel electo in Regem Teutoniæ, seu Domino Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis earum, seu electo ad earum, vel majoris

partis earum dominium, nunquam matrimonialiter copuletur: & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ Regno & terra prædictis, atque prorsus ipsorum jure privata sit, ipsis Regno & terra ad eandem Ecclesiam devolutis. Si autem tu, vel aliquis tuorum in Regno prædicto hæredum, contraveneris vel contravenerit, eo ipso excommunicati, & insuper labe & reatu perjurii respersi & notati existatis. In hujusmodi quoque juramento etiam per te de proximo faciendo, tu expresse addes, te tam per te, quam per tuos in dicto Regno hæredes, quoties illud præstiteritis, addetur expresse, quod nullo unquam tempore Regnum seu imperium Romanum, aut Regnum Teutoniæ, vel dominium Lombardiæ seu Tusciæ, aut earum majoris partis, seu easdem Lombardiam vel Tusciam, aut majorem partem earum per te, vel alium seu alios occupabis, capies vel acquires, aut tibi alias quomodolibet vendicabis, vel dicti hæredes per se vel alium seu alios occupabunt, capient vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vendicabunt sine nostra aut Successorum nostrorum voluntate & assensu, & si secus feceris sive fecerint, secundum prædictam formam, pœnas similes incurras & incurrant. Quod autem de majori parte dominii Lombardiæ seu Tusciæ, intelligitur scienter: si vero ignoranter, eadem ad mandatum Ecclesiæ dimittere tenearis, & ipsi hæredes teneantur. Et si ea ad mandatum Ecclesiæ dimittas seu dimittant, non incidas nec ipsi incidant in pœnam, in isto articulo & similibus constitutam: si vero monitus aut moniti non dimittas aut dimittant, incurras aut incurrant pœnam, prout est in hoc articulo & aliis constituta.

Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni Siciliæ fuerit possessionem adeptus, non transeat ad imperium, alioquin in pœnas incidat, in hoc articulo & aliis similibus comprehensas. Quod si dicti Regni Siciliæ possessione nondum habita vel obtenta in Imperatorem electus transire voluerit ad imperium, in manus prius Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium successurum in Regno & terra prædictis, cujuscunque fuerit ætatis, emancipet, ac Regno & terræ præfatis renunciet, nihil juris in eis retinens clam vel palam, nec etiam cujuslibet patriæ vel alterius potestatis occasione, nec ipsum filium ad subsidium vel aliquod servitium faciendum juramento vel voto, stipulatione vel facto, sibi vel Successoribus suis astringat, sicque factus filius sui juris ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato, ab ipso protinus investiatur de Regno Siciliæ & terra præfatis, ad cujus Regis successionem, si forte decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator existens, sed si Imperio & omnibus, quæ ad ipsum Imperium pertinent, idem pater renunciare voluerit, & ipsis Regno Siciliæ & terra tantum esse contentus, post renunciationem hujusmodi ad illius successionem libere dimittatur. Et tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato, ab eo investituram recipiat Regni & terræ prædictorum. Idem vero filius sic ad Regnum assumptus, si major decem vel octo annis fuerit, libere administret, sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam Regnum & terra prædicta in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneat, donec Rex ipse ætatem compleverit antedictam, fructibus nihilominus & obventionibus ipsorum Regni & terræ, ex quibus sumptus necessarii faciendi, pro eorundem Regni & terræ custodia deducuntur Regi conservandis eidem & lucro alteri, ratione ipsius custodiæ non cessaris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione præmissa, a patre ad Imperium transeunte, dimitti de filia etiam duximus statuendum, salvis aliis conditionibus supradictis. Et si Rex non habens filios, in Imperatorem electus, ad Imperium transire voluerit, de personis, quas supra diximus, liberis non extantibus in Regno idem de aliis qui superstites fuerint, quæ de filio & filia prænordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, qui in solis illis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis.

Declaramus etiam, quod si Regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia, vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori, dum Rex ipse viveret, fuerat desponsata vel nupta, illa non succedat in Regno, ut præmittitur. Et si Regno sibi delato Imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians, ipsis Regno & terra solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsis filia & aliis prædictis, ad personas alias servatis gradibus Regnum Siciliæ perveniat, quæ prænotatæ sunt, quod in eodem Regno possint succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu, Regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur, Regnumque Siciliæ & terra prædicta Imperio nullo modo subdantur, seu sibi nullo unquam tempore in eadem persona, quomodolibet uniantur, & præcise super hoc articulo, tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones, cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocunque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum, cum prorsus sit intentionis Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum & terra prædicta nullo unquam tempore uniantur, ut scilicet unus Romanus Imperator & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem Regni & terræ hujusmodi cum Imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem Regni & terræ prædictorum cum Regno Romano & Regno Teutoniæ, seu cum Lombardia vel Tuscia, sive cum majori parte ipsarum Lombardiæ & Tusciæ, intelligimus & volumus esse dictum.

Pro toto generali censu ipsius Regni & terræ, octo millia unciarum auri ad pondus ipsius Regni in festo beati Petri Apostoli, de mense Junii, ubicunque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ per te & tuos in dictis Regno & terra hæredes, annis singulis persolventur. Si vero tu, vel iidem tui in dicto Regno hæredes, quocunque termino non solveritis integre censum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentem, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculis innodati. Quod si secundo termino infra alios subsequentes duos menses sine diminutione qualibet non persolveritis, totum Regnum Siciliæ & tota terra prædicta Ecclesiastico erunt interdicto supposita

posita. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos alios menses proximos, per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxeritis consulendum, ita, quod transactis eodem tertio termino, & duobus proximis sequentibus mensibus, non sit de octo millibus unciarum auri hujusmodi primi termini ipsi Romanæ Ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem Regno Siciliæ & terra citra Pharum ipsorumque jure cadatis ex toto, Regnumque & terra prædicta ex tunc ad Romanam Ecclesiam integre & libere revertantur. Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini, infra dictum terminum & duos subsequentes menses plenarie satisfeceritis, nihilominus semper pro octo millibus unciarum singulorum terminorum, simili modo, si in earum solutione cessaveritis, vel illas non solveritis, similes pœnas incurratis, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

In quolibet etiam triennio dabis tu & tui in dicto Regno hæredes Nobis & Successoribus nostris, Romanis Pontificibus canonice intrantibus, unum palafredum album, pulchrum & bonum in recognitionem veri dominii eorundem Regni & terræ. Ad hæc cum Regnum Siciliæ & terram possideas antedicta, & in eis plenam obedientiam habeas, ac ipsius Regni verus Rex censearis, ut præfertur, pro investitura hujusmodi ex nunc sub infra scriptis terminis solves Nobis & præfatæ Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcharum sterlingorum, videlicet infra sex menses proxime venturos decem millia, & infra singulos alios sex menses, post eosdem primos sex menses successive computandos, singula alia decem millia marcharum usque ad totam summam quinquaginta millium marcharum sterlingorum hujusmodi, donec tota ipsa summa per te aut nomine tuo Nobis & eidem Ecclesiæ fuerit persoluta. Quod si in eisdem terminis illas non solveris, liberum erit Nobis, vel eidem Romano Pontifici, contra te pro singulis terminis ad pœnas spirituales & animales procedere, prout Nobis vel ipsi videbitur expedire.

Quandocunque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita, quod super indigentia hujusmodi Romani Pontificis simplici verbo stetur, tu vel tui in dicto Regno hæredes, requisiti ab eo in urbem, in Campaniam, in patrimonium B. Petri, in Tusciam, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, in præmissam civitatem Beneventanam, & ejus territorium ac pertinentias, quæ, ut præfertur, eidem remanebunt Ecclesiæ, ac in civitates nostras Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem & Avinionensem, ac Comitatum Venaysini, & in omnes alias terras ipsius Ecclesiæ ubicunque consistentes, trecentos milites, equis & armis decenter munitos & paratos, ita, quod unusquisque eorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, in Ecclesiæ prælibatæ obsequium & subsidium transmittetis per tres menses integros, tuis & dictorum tuorum in dictis Regno & terra hæredum sumptibus & stipendiis, semel tantum in anno, in servitiis ejusdem Ecclesiæ moraturos, mensibus ipsis a die, qua iidem milites terram tui dominii, vel fines tui districtus egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis: & si maluerit Ecclesia eadem ingruente necessitate, super qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est, navali exercitu juvari, prædicti milites debita taxatione & recompensatione præhabita, in navale subsidium commutentur.

Verum quia prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Ecclesia Romana sibi retinuit, & in suum demanium, seu dominium, cum omnibus suis juribus & pertinentiis reservavit, & totum tenimentum civitatis ejusdem, confinibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex quandocunque, semel tamen, sibi placuerit, bona fide sibi distinguet eidem Ecclesiæ, & in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure in eis tibi, vel cuicunque alii de Regno prædicto retento, seu quomodolibet reservato. Distinctioni quoque per Romanum Pontificem semel faciendæ, ut dictum est, stabitis tu, & prædicti tui in dictis Regno & terra hæredes, absque contradictione seu refragatione quacunque, prout ipsa distinctio per literas Apostolicas apparebit. Pro dicta quoque civitate Beneventana reparanda, reficienda, & fortificanda per Romanam Ecclesiam exponetis per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsorum Regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportunam, ut puta lapides & arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum & similia, sine præjudicio juris singularum personarum ad unum diem prope Beneventum. Præstabitis etiam ipsis Beneventanis securitatem per totum Regnum & terram prædicta. Privilegia insuper dictæ civitatis, a Regibus & a Principibus concessa, illibata servabitis. Omnia statuta per quondam Fridericum, olim Romanorum Imperatorem, seu quoscunque alios Reges, & per quondam Joannam, olim Reginam prædictam, facta contra libertatem civitatis ejusdem, revocabitis, & in omnibus & per omnia, quæ libertatis fuerint, cæteris regnicolis parificabitis illa; nec alia statuta seu aliquas leges condetis in posterum, per quæ dictæ civitati directe vel indirecte possit præjudicium generari, & pro Apostolicæ Sedis ac beati Bartholomæi, patroni civitatis ejusdem, reverentia, fidentias ab omnibus remitti facietis & remittetis eisdem. Fidentiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint vineas libere & terras excolere, ac ipsarum fructus & fruges recolligere, ac easdem vineas & terras vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione, vel muneris donatione.

Tu autem & dicti tui in eisdem Regno & terra hæredes, in dicta civitate & ejus territorio, ac pertinentiis suis, quæ Romanæ Ecclesiæ remanebunt, vel in urbe seu in Campania, vel maritima, seu Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, vel in patrimonio B. Petri in Tuscia, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Avinionensi, & Comitatu Venaysini, seu in aliis quibuscunque aut demaniis, seu feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato, aut donatione, seu venditione, aut aliorum jure, sive titulo seu contractu, nihil unquam vobis acquiretis vel vendicabitis, seu poteritis acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipietis vel habebitis, aut

aut retinebitis, ſeu poteritis habere, recipere, vel etiam retinere, aut nullam poteſtariam, capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullam dignitatem ſeu poteſtatem ſenatoriam, vel quamcunque aliam adminiſtrationem ſeu commendam, nec quodcunque aliud officium recipietis, ſeu recipere poteritis in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis hæredibus tuis, & tuorum in dicto Regno & terra hæredum, qui in eisdem Regno Siciliæ & terra ſuccedent. Nolumus enim, quod delictum aliorum hæredum, qui ſuccedent tibi vel illis in civitatibus & aliis terris tuis, vel ipſorum in pœna hæredis, qui eſt tibi vel ipſis ſucceſſurus in Regno & terra præfatis, aliquatenus extendatur. Ne vero hujusmodi alii hæredes, vel ipſorum contra ea, quæ in iſto continentur articulo, aliquo forſitan tempore venire præſumant, acquirendo vel vendicando, aut recipiendo vel habendo, ſeu retinendo ſibi aliquid in terris, in articulo ipſo expreſſis, ſeu comprehenſis, vel recipiendo, habendo vel retinendo in terris eisdem poteſtariam, ſeu capitaniam vel rectoriam, vel aliquid aliud de his, quæ in articulo continentur eodem, ſicut ſuper his duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum hæredum tuorum, vel ipſorum ullo unquam tempore liceat ſibi quicquam in eisdem terris acquirere ſeu vendicare, percipere, habere vel etiam retinere poteſtariam ſeu capitaniam vel rectoriam, vel aliquod aliud in his, quæ, prout dictum eſt, in eodem articulo plenius continentur. Quicunque autem ipſorum ſecus præſumſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat, nec ipſe nec ejus poſteri in perpetuum poſſint in eodem Regno ſuccedere, ſi eis in aliquo caſu hujusmodi ſucceſſio deferretur, ſed ab illa repellantur omnino: & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni gubernaculo præſidebit, Romano Pontifici patenter aſſiſtere teneatur. Si vero tui in ipſis Regno & terra hæredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium & pertinentias ejus, quæ remanebunt Eccleſiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam vel Maritimam, ſeu urbem vel Ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam, ſeu patrimonium B. Petri in Tuſcia, aut civitate Peruſina, civitate Caſtelli Bononienſi, Ferrarienſi, Avinionenſi, aut Comitatu Venayſini, ſeu alias quascunque terras Romanæ Eccleſiæ, ubilibet conſtitutas, vel ipſarum aliquam partem occupaveritis ſeu occupari feceritis, aut ſuper his offenderitis, vel moleſtaveritis Eccleſiam, ſeu feceritis moleſtare; & poſtquam ſuper his a Romano Pontifice moniti & requiſiti fueritis, vel ſi commode moneri aut requiri nequiveritis, juxta ipſius Romani Pontificis aſſertionem, vel dictum, poſtquam ad hoc ſolemniter te vel hæredes ipſos monuerit, infra tres menſes non reſtitueritis integre omnia occupata, eo ipſo ab ipſorum Regni Siciliæ & terræ jure cadatis totaliter, ipſaque Regnum & terram prorſus amittatis, & ad Romanam Eccleſiam libere devolvantur. Quodſi etiam retinueritis occupata, nihilominus ad plenum de univerſis injuriis & damnis illatis, ad mandatum ejusdem Romani Pontificis ſatisfacere teneamini: alii quoque hæredes tui, videlicet qui tibi non ſuccedent in Regno, occupare vel occupari facere ſuper illis eandem Eccleſiam non attentent: illi vero qui ſecus fecerint, præmiſſas pœnas incurrant, ut videlicet eo ipſo ſint excommunicati, & tam ipſi quam eorum poſteritas in perpetuum ad ſucceſſionem Regni & terræ prædictorum, ſi in aliquo forte caſu eadem ſucceſſio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur, & Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur aſſiſtere Romano Pontifici contra ipſos, ut ſuperius eſt expreſſum.

Sane omnibus Eccleſiis tam cathedralibus, quam aliis etiam regularibus & ſecularibus, nec non omnibus prælatis & clericis, ac univerſis perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus vel regularibus, & quibuscunque religioſis locis Regni & terræ prædictorum plenarie remittentur, & reſtituentur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscunque ablata, vel occupata ſint, & per quoscunque detineantur: mobilia vero, quæ extant & poterunt inveniri, ſimili modo reſtituentur eisdem. Hæc autem reſtitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, ſicut nanciſcemini prædictorum Regni Siciliæ & terræ poſſeſſionem hoc modo, ſcilicet, quod ſtatim in illa parte ipſorum Regni & terræ, quæ tibi vel ipſis hæredibus obediet, reſtitutio ipſa fiet, ipſa poſtmodum ſucceſſive conſummabitur, ſicut eadem Regnum & terra habebuntur. Ne autem ſuper his rebus reſtituendis oriri poſſit aliqua difficultas, deputabuntur a Romanis Pontificibus aliqui viri diſcreti, ad quorum mandatum & arbitrium bonorum & rerum mobilium & immobilium, quæ extant, reſtitutio plena fiat, ita, quod eadem, de quorum dominio, vel proprietate ſeu poſſeſſione notorium fuerit, ad eorum arbitrium & mandatum mox redduntur: in dubiis vero per ipſos de plano & absque judicii ſtrepitu diligentius veritas inquiretur. Sufficiat autem vocari Camerarium, vel procuratorem vel baillium, in cujus jurisdictione vel baillivia, ſeu territorio bona, de quibus agetur, conſiſtent, ad videndum jurare teſtes, qui in hujusmodi diſpoſitione deponant.

Omnes inſuper Eccleſiæ tam cathedrales, quam aliæ regulares, nec non omnes Prælati & clerici, ac univerſæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeculares & religioſæ, & quæcunque religionis loca in Regno & terra prædictis conſiſtentia, cum omnibus bonis ſuis in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, quas (ſalvis reſervationibus Apoſtolicis,) fieri contigerit, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt, nec ante electionem ſive in electionem, vel poſt, Regis aſſenſus, vel conſilium, aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem tu & tui in dicto Regno hæredes ſemper manutenebitis & conſervabitis, ac manuteneri & conſervari facietis ab omnibus ſubditis veſtris, dictæque Eccleſiæ & perſonæ utantur libere bonis & juribus ſuis omnibus, ſalvo tibi & tuis in hujusmodi Regno hæredibus jure patronatus, in Eccleſiis tantum, quantum in hac parte Patronis Eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipſis Eccleſiis habuerunt.

Omnes etiam cauſæ, ad forum Eccleſiaſticum in Regno & terra prædictis pertinentes, libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, ac ventilabuntur coram ordinariis & aliis Eccleſiaſticis judicibus, & terminabuntur per eos.

Et ſi ad Sedem Apoſtolicam pro hujusmodi cauſis

causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus, libere & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores antiqui illa Siciliæ Regibus præstiterunt, ab illis autem Prælatis & Ecclesiis, qui regalia sive temporalia bona tenent.

Si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona teneant a Domino Regni & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia, secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur canonica, impendentur, salva tamen Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis auctoritate & jurisdictione plenaria, & libera potestate circa Ecclesias, & alias regulares & seculares personas, & loca Ecclesiastica prædicta, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam quibuscunque aliis concessionibus & gratiis, ac super eis conficiendis literis Apostolicis, quas cessante omni impedimento, per vos seu officiales & subditos vestros præstando permittetis libere & absolute executioni debitæ demandari: quin imo præstantes impedimentum, aut retinentes & inobedientes comprimetis & punietis, & ad obedientiam & reverentiam literis Apostolicis exhibendam compelletis & constringetis, & requisiti manu militari, prout ipsarum literarum Apostolicarum executori, judici seu nuncio videbitur, assistetis remediis opportunis.

Revocabitis etiam tu & dicti tui hæredes in ipso Regno omnes constitutiones & leges per dictum Federicum, Regem Siciliæ, sive per Conradum, ipsius Federici filium, aut Manfredum, quondam Principem Tarentinum, seu per dictam quondam Joannam Reginam, vel alios Reges aut Reginas Regni & terræ præfatorum, seu alios quoscunque editas contra ecclesiasticam libertatem: nec statuta edetis, aut consuetudines introducetis, seu etiam promulgabitis, per quæ juri & libertati ecclesiasticæ in aliquo derogetur.

Promittetis etiam, quod nullus clericus aut persona Ecclesiastica eorundem Regni & terræ in civili vel criminali causa ad faciendam fidem de titulo vel possessione clericatus, conveniatur coram judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter: sed omnes Ecclesiæ, monasteria, hospitalia & alia pia & religiosa loca & beneficia, ac personæ Ecclesiasticæ Regni & terræ prædictorum, omnimode erunt liberæ & libera, & in nullo Regi aut Principi subjacebunt.

Nullas insuper tallias seu collectas imponetis Ecclesiis, monasteriis, locis vel beneficiis prædictis, aut clericis & personis Ecclesiasticis, seu rebus eorum, & in Ecclesiis dictis Regno & terra vacantibus, tu vel prædicti tui in Regno hæredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, reditus & proventus, nullasque etiam obventiones, ac nulla prorsus alia recipietis ab eisdem, custodia Ecclesiarum earundem interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas, juxta canonicas sanctiones.

Comites vero, Barones, milites, & universi homines totius Regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, & eis gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Gvillelmi II. Siciliæ Regis & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Omnes exules Regni Siciliæ & terræ prædictorum, cujuscunque conditionis existunt, ad mandatum Romanæ Ecclesiæ reducentur ad Regnum & terram prædicta, ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione secundum præscriptam formam in capitulo de bonis Ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis quam in dubiis procedetur, omnesque captivos & obsides, qui tenentur in Regno & terra prædictis, Romanos & regnicolas alios quoscunque restituetis eorum libertati pro posse.

Jus etiam, quod, quicunque de terris Ecclesiæ seu Tusciæ, vel Lombardiæ, aut Romanæ Ecclesiæ fideles in Comitatibus, civitatibus, castris, villis seu locis, a Sede Apostolica, seu a Regibus seu Principibus sibi concessum obtinent, nec non jus, quod privati a jure, vel per processus Apostolicos olim habebant, si eos ad illud Apostolica auctoritate legitime restitui contingat, etiam penitus salvum erit, nec per præsentem Regni & terræ concessionem Comitatuum, seu aliorum concessorum hujusmodi cuiquam quoad proprietatem & possessionem præjudicium aliquod generetur, Regio jure in his omnibus semper salvo.

Nullam etiam confœderationem seu pactionem vel societatem cum aliquo Imperatore vel Rege seu Principe, vel Barone Christiano, Græco vel Saraceno, aut cum aliqua Provincia, seu civitate aut communitate, seu aliquo loco scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in ejus damnum facietis: & si secus fieret, quod factum fuerit, sit ipso jure nullum, etsi eam feceritis ignoranter, nihilominus, quatenus de facto feceritis, indilate teneamini ad mandatum Ecclesiæ revocare.

Denique omnes præmissas conditiones, quæ in persona tua apponuntur, circa tuos etiam in dictis Regno & terra hæredes & Successores intelligimus & volumus esse dictas, salvis omnibus, quæ circa alios tuos hæredes ordinata sunt, prout superius est expressum. Cæterum, quoniam in quibuscunque articulis seu capitulis prædictarum conditionum continetur expresse, quod in certis casibus, tu & prædicti tui hæredes excommunicationis sententiam incurratis, & dictum Regnum & terra, & tuæ & ipsorum hæredum terræ sint Ecclesiastico supposita interdicto, & ad Romanam Ecclesiam Regnum & terra prædicta libere devolvantur; Nos hujusmodi sententias, videlicet, excommunicationem in te & eosdem hæredes, ac interdicti in Regnum & terram prædicta, si tua vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserint, de prædictorum fratrum consilio ex nunc auctoritate Apostolica, tenore præsentium promulgamus.

Forma autem juramenti prædicti per te de proximo in manibus dicti Latini Cardinalis, & per tuos in dicto Regno hæredes præstandi, talis est:

Ego Ferdinandus, DEI gratia Rex Siciliæ, plenum dominium, ligium, & vasallagium faciens, Vobis Domino

mino meo, Domino Pio Papa II, &c. Ecclesiæ Romanæ, pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Pharum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio ac omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem, per Romanum Pontificem distinctos, & in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, & Vobis Domino Pio Papæ II. vestrisque Successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctaque Apostolica Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio vel consensu seu facto, ut vitam perdatis seu perdant, aut membrum, seu capiamini aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per Vos aut nuntios vestros, vel per literas, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandam; & si sciero fieri, vel procurari seu tractari aliquid, quod sit in vestrum vel ipsorum damnum, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem, illud Vobis vel eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in Regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi consistentia, adjutor Vobis & eis ero ad retinendum, defendendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem.

Universas & singulas conditiones supra scriptas, & contentas in præsentibus literis Apostolicis, seu ipsorum Regni & terræ concessione confectis, ad omnia & singula, quæ in eis continentur literis, plenarie adimplebo & inviolabiliter observabo, & nullo unquam tempore veniam contra ea. Non procurabo per me vel alium seu alios quoquo modo, ut eligar vel nominer in Regem, vel Imperatorem Romanum, seu Regem Teutoniæ, aut Dominum Lombardiæ vel Tusciæ; et si electionem vel nominationem ad Imperium vel Regnum Romanum, seu Regnum Teutoniæ, aut dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis earundem de me celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni seu nominationi assensum præstabo, nec intromittam me modo aliquo, de eorum vel alicujus ipsorum regimine.

Neque etiam de civitate Beneventana & suis territorio, districtibus & pertinentiis, seu Campania, neque de Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Patrimonio B. Petri in Tuscia, Massa, Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avinionensi, aut Comitatu Venaysini, seu aliis terris quibuscunque vestris, & demaniis seu feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato seu donatione, aut venditione, vel alio quovis titulo vel contractu, nihil unquam mihi acquiram vel vendicabo, seu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipiam, vel habebo; seu retinebo, vel potero recipere, habere, aut etiam retinere in illis. Neque ullam potestariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, seu recipere potero in eisdem aut ipsorum aliquo. Nec etiam occupabo aut occupare permittam seu faciam præmissa, vel partem aliquam eorundem. Nec illa offendam vel molestabo, nec etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo sub censuris pœnisque spiritualibus & temporalibus, in supra dictis conditionibus & infeudatione contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus alias pro specifice repetitis & expressis. Schismatico aut hæretico cuicunque, vel a fide devio & ab ipsa Ecclesia præciso, ejusque sequacibus aut dantibus eis auxilium, consilium vel favorem, non dabo quovis modo per me vel alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit, si impedire potero, dari permittam, sed eos juxta posse meum, donec convertantur, persequar & invadam. Sic me DEus adjuvet & hæc sancta DEI Evangelia.

Tu etiam, & dicti tui in eisdem Regno & Siciliæ terra hæredes, dabitis privilegium vestrum Nobis & dictæ Romanæ Ecclesiæ, aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini & recognoscetis expresse, Regnum Siciliæ & totam terram ipsius, quæ est citra Pharum usque ad confinia ejusdem Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio & pertinentiis suis, quæ Ecclesiæ remanebit eidem ex sola gratia & mera liberalitate Sedis Apostolicæ, & nostra tibi tuisque hæredibus fuisse concessa, vosque recepisse & tenere Regnum & terram hujusmodi a Nobis & dicta Romana Ecclesia sub pactis, modis & conditionibus supradictis. Nolumus autem per præsentes tuis, vel aliorum quorumcunque juribus, si qua tibi & illi in Regno & terra prædictis quomodolibet competunt, nullatenus derogari. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, confirmationis & novæ largitionis, investituræ, infeudationis, decreti, reservationis, ordinationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Cunctis vero præmissa servantibus sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, MCCCCLVIII. IV. Id. Novembris, Pontificatus nostri anno I.

Ego PIUS, catholicæ Episcopus, subscripsi.

Ego Isidorus, Episcopus Sabinensis, Cardinalis Ruthenus, consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego B. Episcopus Tusculanensis, Cardinalis Nicenus, consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Joannes, Cardinalis S. Sixti, consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Antonius, S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Philippus, tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Bononiensis consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Nicolaus, tit. S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis, consensi, & manu propria subscripsi.

Ego Petrus, tit. S. S. Marci Presbyter Cardinalis, Venetiarum Episcopus Vicentinus, consensi, & subscripsi.

Ego Ludovicus Joannes, tit. S. Quatuor coronatorum Presbyter Cardinalis Segobicensis, consensi, & manu propria subscripsi.

Ego Joannes, tit S. Priscæ Presbyter Cardinalis Zamorensis consensi, & manu propria subscripsi me.

Ego

Ego Jacobus tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis consensi, & manu propria subscripsi.

Ego Prosper S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis de Columna consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Jacobus S. Eustachii Diaconus Cardinalis consensi, & subscripsi.

Ego Rodericus Cardinalis Diaconus S. Nicolai S. R. E. Vice-Cancellarius consensi, & manu propria subscripsi.

CXXV.

Testamentum Renati, Siciliæ Regis, d. d. 22. Julii, Anno 1474.

IN nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, & die vicesima secunda mensis Julii. Universis ac singulis hoc verum & publicum Instrumentum visuris, lecturis ac etiam audituris tam præsentibus quam futuris evidenter pateat & sit notum, quod in præsentia Dominorum & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, Serenissimus Dominus noster, Dominus Renatus, DEI gratia Jerusalem, Arragonum, utriusque Siciliæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corsicæ Rex, Ducatuum Andegaviæ & Barri Dux, Comitatuum Barchinoniæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis Comes. Compos mentis & omnino sanus corpore, de sua certa scientia, motuque proprio ac consulto & deliberante, prout palam dixit suum ultimum testamentum nuncupativum, suamque ultimam voluntatem & dispositionem finalem fecit, condidit & ordinavit sub his verbis Gallicis quæ sequuntur:

Ce sont en brief les clauses du testament de tres-excellent & puissant Prince René, par la grace de Dieu Roy de Jerusalem, de Sicile, d'Arragon, &c. Duc d'Anjou, de Bar, &c. Comte de Provence, &c. Premierement il recommande son ame au jour de son trespas de ce monde à Dieu le Createur, à la glorieuse Vierge Marie, &c. Et à toute la Cour celeste. Item, le dit Seigneur Roy Testateur veult, que en quelconque lieu qu'il trespassera selon la volunté de Dieu, son corps soit porté en l'Eglise d'Angers, pour estre en icelle sevely & inhumé où qu'il a ja esleu & preparé pour sa sepulture, & ou qual est ia seuely le corps de la feuë Royne Ysabel de tres-noble memoire en son vivant son espouse, Item, ledit Seigneur Roy Testateur veult & ordonné, que à tousioursmais chascun jour perpetuellement soit dicte une Messe basse pour son entention à l'Autel qu'il a fait edifier & eriger devant sa dite sepulture en la dite Eglise d'Angers. Item, ledit Seigneur veult & ordonne que chascun an à tousiourmais soient dictes & celebrées deux Messes solennelles à note audit Autel, l'une pour son entention, & à tel jour qu'il trespassera de ce monte, l'autre à tel jour que trespassera ladite feuë Royne Ysabeau pour le remede & entention de leurs ames & de leurs parens & amys trespassez, & les Vigiles solennelles des trespassez le jour devant à vespres. Item, ledit Seigneur veut & ordonne que chascun an à tousioursmais le second jour de Novembre qui est le jour de la Commemoration des mors, soit faite solennelle Commemoration & Oraison des trespassez devant lesdites sepultures. Et aussi devant les sepultures de feu le Roy Louis second, son pere de tres-digne memoire, & de la feuë Royne Yoland sa mere, & de la Royne Marie son ayeule. Et que devant chascune desdites sepultures soit chanté un respons des morts, ensemble les verset & collecte accoustumez, c'est assçavoir *Inclina* & *Fidelium*. Et pour les services dessusdits, ledit Seigneur laisse, ordonne & baille à ladite Eglise d'Angiers, la somme de cinquante livres tournois de rente annuel & perpetuel, pour laquelle avoir & acheter ledit Seigneur veut et ordonne estre baillé aux Doyen & Chapitre de ladite Eglise pour une fois la somme de mil cinq cents livres. Item, ledit Seigneur ordonne & laisse à ladite Eglise d'Angiers, la belle Croix d'or dont le pié est d'argent doré, qui a accoustume servir au grant Aultier de sa Chapelle aux bonnes Festes, en laquelle a une grande piece de la vraye Croix. Item, il donné & laissé à icelle Eglise sa belle tapisserie en laquelle sont contenus toutes les figures & visions de l'Apocalypse. Item, ledit Seigneur veut & ordonne que son cueur soit porté le landemain de son obit à l'Eglise des freres Minours, dudit lieu d'Angiers pour estre inhumé & sepulturé en la Chapelle de sainct Bernardin, qu'il a fait eriger, edifier, parer & fournir contigue à l'Eglise desdits freres Mineurs. Item ledit Seigneur veut & ordonne que en ladite Chapelle de sainct Bernardin soit dicte & celebrée chascun jour de l'an à tousioursmais perpetuellement une basse Messe, & chascun an à tel jour qu'il trespassera une Messe à note, & le jour devant Vigiles des trespassez, solennelles pour le remede & salut de son ame, de ses predecesseurs, parens & amis trespassez. Et pour lesdits services estre fais & continuez, il laisse & donne ausdits freres Mineurs en aumosne perpetuelle chascun an à tousioursmais le nombre & quantité de trente sextiers de froment, & pour le liminaire desdites Messes aussi chascun an à tousioursmais la somme de dix livres tournois. Lesquelles quantité de trente sextiers froment & somme de dix livres, ledit Seigneur assiet & assigné sur les rentes & revenues de la menistre. Item, veult & ordonne ledit Seigneur, que le jour de l'inhumation de son corps, cinquant pouvres soient vetus de noir à ses despens lesquels porteront chascun une torche du pois de trois livres. Et veult en outtre que les luminaires de cierges, torches & flambeaux soient mis par dedans l'Eglise tout à l'environ comme est accoustumé à faire pour les Rois, tant le jour de l'inhumation du corps comme le jour du service. Et que la Chapelle ardente qui sera dessus le corps soit fournie de luminaire & les paremens comme en tel cas pour les Rois est accoustumé. Et aussi que par dedans l'Eglise tout à l'environ soit une litre de bougran ornée & semée des armes dudit Seigneur avec les paremens des autres, semblables à ceux qui furent mis en ladite Eglise à la sepulture ou inhumation de ladite feue Royne Ysabel. Et que le grant

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio nobili, Alphonso de Arragonia, Duci Calabriæ, salutem & apostolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Eugenius Papa IV. Prædecessor noster, claræ memoriæ Alphonso Arragonum Regi, avo tuo, Regnum Siciliæ cum terra citra Pharum, excepta civitate nostra Beneventana, cum ejus territorio, districtibus & pertinentiis, etiamsi Regnum cum terra hujusmodi ad præfatam Ecclesiam (nimirum Romanam) per obitum claræ memoriæ Dominæ Joannæ, olim dicti Regni Reginæ II. vel alias qualitercunque devolutum foret, in feudum perpetuum, pro se, hæredibus & Successoribus suis masculis recta linea legitime descendentibus tunc jam natis, & nasci turis sub certis modis & conditionibus tunc expressis, de fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio per quasdam literas concessit, & deinde pro parte carissimi in Christo filii nostri, Ferdinandi, præfati Regni Regis illustris, piæ memoriæ Pio Papæ II. Prædecessore nostro exposito, quod præfatus Alphonsus ipsum Ferdinandum, ejusdem Alphonsi filium primogenitum suum, in præfatis Regno, & terra citra Pharum post ipsius Alphonsi obitum Successorem suum ac dictorum Regni & terræ legitimum hæredem fore statuerat & declaraverat, & pro eorumdem statuti & declarationis robore ac suæ successionis hujusmodi firmiori certitudine tunc Principes, Comites, Barones, Magnates & populi Regni & terræ præfatorum in ipsius Ferdinandi Regis manibus ipsi Alphonso tunc in humanis agenti homagium, & fidelitatis solitum juramentum præstiterat, idemque Alphonsus Rex, in ultimis dierum suorum constitutus, eundem in ejus ultima voluntate testamentum, & in eadem voluntate persistens ipsum Ferdinandum, suum hæredem universalem, & in eisdem Regno & terra Successorem instituerat, & quod postea dicti Alphonsi Regis vita durante, universi Principes, Comites, Barones, & populi & Magnates antedicti in eadem voluntate firmiter perseverantes, ipsum Ferdinandum Regem pacifice cognoverunt, & iterato simili homagio & juramento præstito, eum talem censuerant & reputaverant, tuncque censebant & reputabant idem prædecessor, præfatum Regnum Siciliæ cum dicta terra citra Pharum, excepta similiter dicta civitate Beneventana, cum ejus territorio & districtu, sive per obitum dicti Alphonsi Regis, sive alias, qualitercunque ad præfatam Ecclesiam reversum & devolutum foret, sive ipse Ferdinandus Rex eidem Alphonso Regi in illis legitime successisset, sive non, eidem Ferdinando Regi, tanquam Alphonsi Regis filio primogenito, & in dictis Regno & terra Successori, ejusdem liberis, recta linea ex suo corpore legitime descendentibus, modis, formis, adjectionibus, promissionibus, cautelis, & voluntatibus tunc expressis, matura super hoc deliberatione præhabita, de fratrum suorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio & assensu, ex certa sua scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine per alias suas literas in feudum perpetuum concessit, confirmavit, & de novo donavit & mandavit, & fecit eumdem Ferdinandum Regem de Regno & terra præfatis jure feudi hujusmodi per bonæ memoriæ Latinum, Episcopum Tusculanum, tunc tituli SS. Joannis & Pauli presbyterum Cardinalem, actualiter investiri, prout in eorumdem Eugenii & Pii prædecessorum literis plenius continetur.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte Ferdinandi Regis petitio continebat, ipse Rex cupiat te, ejus filium primogenitum legitimum & naturalem, qui, juxta dictam literarum continentiam & in Regno & in terra prædictis succedere debes: & si te, eodem Ferdinando Rege adhuc durante, mori contingat, dilectum filium Nobilem Virum, Ferdinandum de Arragonia, Principem Capuanum, primogenitum filium tuum etiam legitimum naturalem, ipsius Ferdinandi Regis nepotem Successorem, &, pro majori successionis hujusmodi securitate & soliditate, sub eadem conditione, si te eidem Ferdinando Regi præmori contingat, præfatum Ferdinandum Principem de Regno & terra præfatis ex nunc jure feudi hujusmodi investiri, etiam investitura, quæ fieri deberet pro Ferdinando Rege vita functo, de te, si supervixeritis, vel dicto Ferdinando Principi si prædecesseris, ipsum Ferdinandum Regem investituram ex nunc, sine tamen ipsius Ferdinandi Regis ullo præjudicio fieri, quæ ejusdem roboris & efficaciæ existat & eosdem operetur effectus, cujus esset, & quod operaretur, si ipso Ferdinando Rege vita functo fieret, Nos, qui ejusdem Ferdinandi Regis, quem, suis exigentibus meritis, singulari benevolentia prosequimur, & gerimus in visceribus charitatis, votis in his præsertim, quæ ad tui præfatique Ferdinandi Principis, quos in peculiares nostros & præfatæ Ecclesiæ filios habuimus hactenus & habemus, commodum & honorem, ac tuorum & illius jurium in Regno & terra prædictis uberiorem securitatem tendere dignoscuntur, libenter annuimus, & immensam devotionem, quam Alphonsus, dum vixit, & Ferdinandus Reges præfati pariter & dictus Ferdinandus Princeps ad præfatam gessistis hactenus, & adhuc Ferdinandus Rex & Princeps gerunt, in quorum ac tua grandia merita debitum respectum habentes, pariter & sperantes, quod tu & idem Princeps prædecessorum vestrorum vestigia prosequendo, in vestris fidei sinceritate & devotione erga præfatam Ecclesiam perseverabitis. Ferdinandi Regis in hac parte supplicationibus inclinati, habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, ad laudem DEI omniporentis, Patris & Filii ac Spiritus sancti, & gloriosæ virginis Mariæ, nec non Beatorum Petri & Pauli, ad honorem quoque pacem & tranquillum statum Sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ & Regni præfatorum, salutem quoque Principum, Ducum, Comitum, procerum & populorum ejus, præfatum Regnum Siciliæ cum dicta terra, ut præfertur, post felicis ipsius

Regis

Regis Ferdinandi dies ad præfatam Ecclesiam devolvi, seu ejusdem Ferdinandi Regis regimine destitui contigerit, ex nunc prout ex tunc, & e converso, tibi, tamquam ejusdem Ferdinandi Regis filio primogenito & Successori, si tunc supervixeris, alioquin te prædefuncto, dicto Ferdinando Principi, tamquam ejusdem Ferdinandi Regis in dicto Regno & terra legitimo Successori, pro te, & in eventum, ut supra, pro ipso Ferdinando Principe, ac tuis ex te, vel ejusdem Ferdinandi Principis, in eventum ejusdem, liberis ex ipso Ferdinando Principe recta linea legitime descendentibus, respective natis & nascituris, cum censu annuo aliisque conditionibus, modis & formis, adjectionibus, promissionibus, cautelis, clausulis & voluntatibus, & inferius ordinationibus annotatis, de eorumdem fratrum nostrorum consilio pariter & assensu, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, in feudum perpetuum concedimus, confirmamus & de novo elargimur, volentes & intendentes, si tunc supervixeris, alioquin dictum Ferdinandum Principem de præfatis Regno & terra citra Pharum, ut præfertur, per vexillum præfatæ Ecclesiæ, si tibi supervixerit, & alias dicto Ferdinando Principi per Nos, seu Romanum Pontificem, pro tempore existentem, aut aliquo ex ejusdem Ecclesiæ Cardinalibus, aut alium, cui Nos aut Sedes præfata id duxerimus committendum, ejusque Ecclesiæ nomine tradendum & assignandum per obitum dicti Ferdinandi Regis, ut præfertur, ministrari, ita tamen, quod tu & Ferdinandus Princeps respective, ut præfertur, ante præsentium literarum de manibus nostris, seu mandatariorum nostrorum receptionem, juxta formam inferius annotatam, fidelitatis debitæ juramentum & homagium, nec non servitium, vasallagium, vel ligium in manibus nostris per Vos vel Procuratorem vestrum, ad hoc Vobis specialiter constitutum, & iterato tu, vel dictus Ferdinandus Princeps, qui de Regno & terra præfatis contigerit, ut præfertur, actualiter investiri, tempore traditionis dicti vexilli & actualis investituræ præfatæ, præstare teneamini, pro hujusmodi feudo præstari debita & consueta. Quorum quidem juramenti, homagii, servitii, vasallagii & ligii præstationes, quas ante actualem investituram hujusmodi per te & eumdem Ferdinandum Principem præstari contingit, sub jam dicta conditione: si ei supervixeris, dicto Ferdinando Rege decedente, alioquin eumdem Ferdinandum Principem, qui eidem Ferdinando Regi in dictis Regno & terra succedet. Civitatem autem Beneventanam præfatam, cum ejus territorio, districtibus & pertinentiis per Nos, seu Romanum Pontificem distinctis, vel distinguendis, cum eorum incolis, prout illa sibi dudum præfata Romana Ecclesia specialiter retinuit, & reservavit, harum serie Nobis & præfatæ Ecclesiæ reservamus. Conditiones vero præfatæ sunt hæ, videlicet. Promitto &c.

Conceptæ sunt eæ leges, eodem verborum ordine ac numero, quo descriptæ fuerant eæ, quas Ferdinando datas a Pio II. vidimus, quibus repetitis subditur.

Forma autem juramenti præfati per te & eumdem Ferdinandum Principem, sive tuum & illius procuratorem, ex nunc in manibus nostris, & iterato per illum ex te & dicto Ferdinando Principe, quem tempore obitus dicti Ferdinandi Regis & in Regno præfato vigore præsentium succedere contigerit, tempore investituræ præfatæ per traditionem vexilli, ut præfertur, faciendæ, ac per tuos, si te, nec non dicti Ferdinandi Principis in dicto Regno Regi immediate succedere contingat, vigore præsentium, est talis:

Ego Alphonsus, Dux Calabriæ, Ferdinandi, DEI *gratia Regis Siciliæ Illustris, primogenitus, si me, decedente præfato Ferdinando Rege, in Regno & terra præfatis in Regem succedere contingat, & ego Ferdinandus Princeps Capuæ, dicti Alphonsi Ducis primogenitus, in tempore obitus dicti Ferdinandi Regis, prædefuncto dicto Alphonso Duce genitore meo, superesse me* DEI *gratia præfato Ferdinando Regi in Regno & terra præfatis juxta tenorem literarum Nobis super hoc concessarum succedere, & Regem Siciliæ & terræ præfatorum esse contingat, plenum homagium, ligium & vasallagium faciens Vobis Domino meo, Domino Innocentio Papæ VIII. & Ecclesiæ Romanæ in Regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Pharum, & quantum spectat ad terram citra Pharum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio, ac omnibus districtibus pertinentiisque suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanos Pontifices distinctos & in posterum distinguendos, ab hac hora & in antea fidelis & obediens ero Beato Petro, & Vobis, Domino Innocentio, Papæ VIII. vestrisque Successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, vel consensu, seu facto, ut vitam perdatis, seu perdant, aut membrum, seu capiatur, seu capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri estis per Vos, aut nuntios vestros, vel per literas, ad vestrum, vel eorum damnum scienter nemini pandam; & si scivero fieri, vel procurari, seu tractari aliquid, quod in vestrum, vel ipsorum damnum cedat, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem, illud Vobis, & eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia Beati Petri, tam in Regno Siciliæ & terra suprascriptis, quam alibi consistentia, adjutor Vobis ero ad retinendum, defendendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem diversas & singulas conditiones supra scriptas & contentas in præsentibus literis apostolicis super ipsorum Regni & terræ concessione confectis, ac omnia & singula, quæ in eis continentur literis, plenarie adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra ea. Non procurabo per me vel alium, seu alios, quoquo modo, ut eligar vel nominer in Regem, vel Imperatorem Romanum, seu Regem Teutoniæ, aut Dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, et si electionem, vel nominationem ad Imperium, vel Regnum Romanorum seu Regnum Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis eorumdem de me celebrari contingat, nullum hujusmodi electioni seu postulationi assensum præstabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum vel alicujus ipsorum regimine, neque etiam de civitate Beneventana, & suis territoriis, districtibus, & pertinentiis, seu Campania, neque de Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Patrimo-*

trimonio Beati Petri in Tuſcia Maſſa, Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus, Peruſina civitate caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Avinionenſi & Comitatu Venayſinenſi, ſeu aliis terris quibuscunque veſtris & dominiis, ſeu feudis Eccleſia ubilibet conſtitutis ex ſucceſſione, vel legato, pro donatione, aut venditione, vel alio quovis titulo, vel contractu, mihi nihil unquam acquiram, vel vendicabo, nec recipiam, vel habebo, ſeu retinebo, vel potero recipere, habere aut etiam retinere in illis: neque ullam poteſtariam, Capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, ſeu recipere potero in eisdem, aut ipſorum aliquo, nec etiam occupabo, aut occupari permittam, ſeu faciam præmiſſa, vel partem aliquam eorum, nec illa offendam, nec moleſtabo, nec etiam Romanam Eccleſiam quoquomodo ſub cenſuris, pœnisque ſpiritualibus & temporalibus in ſupraſcriptis conditionibus & infeudatione contentis, quas hic haberi volo in ſingulis ſuis partibus alias pro ſpecifice repetitis & expreſſis, ſchiſmatico aut hæretico cuicumque, vel a fide devio, & ab ipſa Eccleſia præciſo, ejusque ſequacibus, aut dantibus eis auxilium, conſilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit, ſi impedire potero, dari permittam, ſed eos, juxta poſſe meum, donec convertantur, perſequar. Sic me DEus adjuvet & hæc ſancta DEI Evangelia!

Tu autem ſimiliter, & idem Ferdinandus Princeps, ſic cum dicto Ferdinando Regi ſuccedentes in eisdem Regno Siciliæ & terra hæredes, dabitis Privilegium veſtrum Nobis & dictæ Eccleſiæ Romanæ aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini, & recognoſcetis expreſſe Regnum Siciliæ, aut totam terram ipſius, quæ eſt citra Pharum, ut præfertur, usque ad confinia Romanæ Eccleſiæ, excepta civitate noſtra Beneventana, cum territorio & pertinentiis ſuis, quæ Eccleſiæ remanebunt eidem, ex ſola gratia & mera liberalitate Sedis Apoſtolicæ & noſtra, tibi ſimiliter & dicto Ferdinando Regi ſuccedere in Regno & terra præfatis, vigore præſentium contingat, ejusque & dicti Ferdinandi Principis ſic ſuccedentis hæredes fuiſſe conceſſa, vosque recepiſſe & tenere Regnum & terram hujusmodi a vobis & dicta Romana Eccleſia ſub pactis, modis, & conditionibus ſupra dictis. Nolumus autem per præſentes tuis, & dicti Ferdinandi Principis, vel aliorum quorumcunque juribus, ſi quæ tibi & Ferdinando Principi in illis quomodolibet competant, ullatenus derogari &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. pridie nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno VIII.

CXXIX.

Formula Sacramenti Alexandro VI. Pontifici Maximo, Sedique Apoſtolicæ, per Alphonſum, Siciliæ citra Pharum ſitæ, Regem, præſtiti, d. d. 14. Kal. Maji, Anno 1494.

EGo Alphonſus, Rex Siciliæ, plenum homagium, ligium & vaſallagium faciens Vobis Domino meo, Domino Alexandro Papæ VI. & Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ eſt citra Pharum, juxta & ſecundum illum ſtatum, quem tenebat & poſſidebat dictus Rex Ferdinandus in dicta terra citra Pharum usque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis, ſecundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & diſtrictus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem diſtinctos, & in poſterum diſtinguendos, ab hac hora fidelis & obediens ero B. Petro & Vobis, Domino Alexandro Papæ VI. veſtrisque Succeſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Non ero in conſilio, vel conſenſu, ſeu facto, ut vitam perdatis, ſeu perdant, aut membrum, aut capiamini, ſeu capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri eſtis per Vos, vel nuntios veſtros, vel per literas, ad veſtrum, vel eorum damnum ſcienter nemini pandam, & ſi ſcivero fieri, procurari vel tractari aliquid, quod in veſtrum, vel ipſorum damnum cedat, illud pro poſſe impediam, & ſi hoc impedire non poſſem, illud Vobis, vel eis ſignificare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in Regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi conſiſtentia, adjutor Vobis ero ad retinendum, defendendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Univerſas & ſingulas conditiones, contentas in literis Innocentii prædeceſſoris veſtri, ſuper ipſorum Regni & terræ conceſſione confectis, ac omnia & ſingula, quæ in eis continentur literis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, & nullo unquam tempore veniam contra ea. Non procurabo per me, vel alium, ſeu alios quoquo modo, ut eligar, vel nominer in Regem, vel Imperatorem Romanum, ſeu Regem Teutoniæ, aut Dominum Lombardiæ, vel Tuſciæ; & ſi electionem, vel nominationem ad Imperium, vel Regnum Romanum, ſeu Teutoniæ Regnum, aut Dominium Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu per majoris partis eorumdem de me celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni ſeu poſtulationi aſſenſum præſtabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicujus eorum regimini, nec etiam de civitate Beneventana & ſuis territoriis, diſtrictibus & pertinentiis, ſeu Campania, neque de Maritima Ducatus Spoletani, Marchia Anconitana, Patrimonio B. Petri in Tuſcia, Maſſa Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Peruſina, civitate Caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Anconienſi, aut Comitatu Venayſini, aut aliis terris quibuscunque, vel Dominiis, ſeu feudis ipſius Eccleſiæ ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, vel legato, ſeu donatione, vel venditione, vel alio quovis titulo vel contractu, nihil mihi unquam acquiram, vel vendicabo, ſeu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipiam, vel habebo, ſeu retinebo, vel potero recipere, habere, aut etiam retinere cum illis, neque ullam poteſtariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, ſeu recipere potero in eisdem, ſeu ipſorum aliquod, nec etiam vendicabo, aut occupari permittam, ſeu faciam præmiſſa, vel partem aliquam eorundem, nec illa offendam, vel moleſtabo, nec etiam Romanam Eccleſiam quoquomodo ſub cenſuris, pœnis ſpiri-

spiritualibus & temporalibus in supradictis commissionibus, conditionibus & infeudatione contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus alias pro specifice repetitis & expressis. Schismatico aut hæretico cuicunque, vel a fide devio, & ab ipsa Ecclesia præciso ejusque sequacibus, aut dantibus eis auxilium, consilium vel favorem, non dabo quovis modo per me, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit, si impedire potero, dari permittam, sed eos juxta posse meum, donec convertantur, persequar & invadam. Sic me DEUS adjuvet & hæc sancta Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. XIV. Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno II.

CXXX.

Caroli VIII. Galliæ Siciliæque Regis, Literæ pompaticæ, in quibus partim profitetur, se sacrum in Turcas bellum moliri quidem, at enim vero, se neque Romanæ Ecclesiæ, neque ejus clientibus injuriam ullam esse illaturum; partim etiam sua in Regnum Neapolitanum jura exponit, ac liberum per ditiones Ecclesiasticas iter atque commeatum exposcit, d. d. 22. Novembris, Anno 1494.

CArolus, DEI gratia Francorum Rex, universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis zelum Catholicæ fidei & salutem in Domino sempiternam. Considerantes attentius, & intra nostræ mentis arcana sæpenumero revolventes innummerabilia damna & incommoda, cædes, strages, ac nobilium civitatum & fidelium populorum desolationem & devastationem, ac plura alia horrendissima facinora, quæ spurcissimi Turci, in sanguinem Christianum incessanter debachantes, a quinquaginta annis citra, ut a majoribus nostris profecto fide dignis didicimus, inhumanissime perpetrarunt, cupientesque more progenitorum nostrorum, Francorum Regum Christianissimorum, tantis sceleribus, quæ ipsi perfidissimi Turci religioni Christianæ continuo minantur, pro viribus occurrere, ac eorum sitibundam rabiem totis conatibus expellere, postquam placuit Altissimo in Regno & Dominiis nostris suam pacem ponere, proposuimus, pro debellando Turcos eorumque furores rabidos, & recuperandis Terra sancta & aliis Dominiis, per eos Christianis Principibus & populis ablatis, propriis personæ laboribus facultatibusque non parcere, quinimo dilectissimis uxore & filio nostro unico, Regnoque amplissimo, pacifico & opulentissimo, ac præter voluntatem Principum & pro eorum Regni nostri relatis, statuimus cum adjutorio DEI, cujus causam amplectimur, ac summi omnium Christianorum Pontificis & pastoris, nec non Principum aliorum fidelium præsidio sacratissimum hoc opus fidei devotione & magno animo aggredi, quod quidem sanctum propositum divina credimus inspiratione nostro cordi fuisse infusum. Nec arbitretur quispiam, ut ad occupandum quorumcunque Principum vel populorum Dominia aut civitates, opus hoc tam sanctum tamque laudabile aggrediamur: sed, ut ipse DEus ineffabilis verus testis est, hoc solum ad ejus laudem & gloriam, suæque fidei Christianæ religionis exaltationem & ampliationem amplectimur, sperantes in ipso DEO, a quo omnia perfecta opera perfectionem suscipiunt, Nos hoc sanctum desiderium nostrum ad optatum finem perducturos. Sed quia Regnum Siciliæ, quod *Neapolin* vocant, per progenitores nostros & e manibus infidelium, & aliorum, Rom. Ecclesiæ restitutum, & de quo ipsi progenitores circa quatuordecim investituras, videlicet duodecim a diversis Romanis Pontificibus, & duas alias, factas a duobus generalibus conciliis, receperant, & quod ad Nos jure hæreditatis pertinet (quamvis Pius Papa II. volens suos ex humili plebe natos ad Principatuum fastigium extollere, Regnum ipsum contra justitiam abstulerit, & illud quondam Ferdinando de Arragonia concesserit) ad depugnandum perfidissimos Turcos præcipue per portum Valoniæ, & nonnulla alia loca Nobis faciles ingressus præbere potuerit, illud, DEO auxiliante, intendimus recuperare, ut vobis & Nobis facilis ingressus & egressus, ac tutum præsidium esse possit; nec intendimus propter almæ urbis Romæ, prout modernus Alphonsus de Arragonia, ac sui prædecessores, alius Alphonsus & Ferdinandus magna temeritate & rebellione obsidendo eam fecerunt, aut aliis terris Romanæ Ecclesiæ præjudicium aliquod, seu damnum inferre, sed illa & ipsius Ecclesiæ subditos pro illius & Apostolicæ Sedis honore & reverentia, ab omni damno & injuria pro posse nostro illæsos conservare, ac ipsius Ecclesiæ statum, honorem, dignitatem, more dictorum progenitorum nostrorum, quamdiu poterimus, potius adaugere. Quia vero pro Regno recuperando & nostro sancto proposito exequendo, pro faciliori & breviori via, ad urbem prædictam veniendo, per nonnullas terras Ecclesiæ transitus sit Nobis faciendus, sanctissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum Alexandrum, divina providentia Papam VI. ac sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium, nec non quarumcumque civitatum, oppidorum, terrarum & locorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ rectores, gubernatores, potestates, officiales, cives, incolas & habitatores quoscumque in Domino requirimus, hortamur & contestamur, ut saltem, quemadmodum hostibus nostris, & in hoc sacro proposito Nobis adversantibus, favores & auxilia, quæ potuerunt, præstiterunt & præstant; ita Nobis & nostris liberum ingressum & regressum per civitates, oppida, terras & loca prædicta, ac victualia necessaria nostris expensis & sumptibus exhibere dignentur. Nisi aliqui Nos hoc in opere saluberrimo impedivissent, ut credimus, jam urbem Neapolim & magnam Regni partem expugnassent, & in principio mensis proxime futuri fines hostium ingredi potuissent; si vero ingressus & regressus, & liber transitus, & victualia Nobis & nostris solvendo debita pretia fuerint, quod non credimus, denegata, nihilominus curabimus totis viribus invenire & capere, & victualia necessaria, quibus poterimus mediis, præstantes solemniter Nobis ad culpam non debere

debere imputari, sed potius illis, qui perfida iniquitate de fide nostra non recte sapientes nostrum pium & sanctum propositum voluerint impedire. Protestamur insuper de injuriis DEO & vobis faciendis, damnis quoque & interesse per Nos propterea jam incursis, si quæ in futurum incursuri fuerimus, quam protestationem prosequimur coram universali Ecclesia, ac Principibus totius Christianitatis, quos convenire intendimus pro hac sanctissima expeditione, DEO duce fideliter adimplenda. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes literas fieri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari, nec non Regalis sigilli appensione muniri fecimus. Datum *Florentiæ* XXII. mensis Novembris, Anno Domini M.CCCC. XCIV. & Regni nostri Anno XII.

CXXXI.

Tractatus Pacis, Unionis, bonæque amicitiæ, inter Carolum IIX. Galliæ, Siciliæ ac Hierosolymi Regem, & Ludovicum Mariam Sfortiam, Mediolani Ducem, initus, d. d. 10. Octobris, Anno 1495.

P*Remierement :* Que la château & châtelet de Genne sera mis en neutralité entre les mains du Duc de Ferrare, & que ledit Duc & Messire Augustin Adorne, Jean Adorne son frere, & Jean Loüis de Fiesque, & pareillement les anciens au nom de la cité jureront, que le Duc de Milan observera & gardera l' obligation du fief de Gennes envers le Roi tres-Chrêtien tant à armer, qu' à desarmer audit lieu de Gennes, & pareillement en toutes autres grandes choses, esquelles il est obligé par l' obligation dudit fief; & où ledit Duc n' observeroit les choses dessus-dites, ledit Duc de Ferrare mettra ledit châtelet és mains dudit Roi tres-Chretien; & les dessusdits Gubernateurs Messire Jean Adorne, & Messire Jean Loüis, & les Anciens d' icelle cité, se mettront en la rojale obedience dudit Roi tres-Chrêtien.

Item : Et au cas que ledit Duc de Ferrare allast de vie à trépas, ce que Dieu ne veüille, celui qui sera elû par ledit Roi tres-Chrêtien, & que ledit Duc de Milan agréera, devra faire pareil & semblable jurement; & pareillement le Lieutenant dudit Duc de Ferrare & tous les Soldats, qui seront mis au châtelet par ledit Duc de Ferrare, feront pareil & semblable jurement, & tiendra ledit châtelet en neutralité, comme dessus est dit.

Item : Et lequel châtel & Chatelet demeurera deux ans seulement entre les mains dudit Duc de Ferrare en la neutralité dessusdite, & en tant que touche les juremens dudit Gouverneur & Anciens durera pour dix ans; mais aprés lesdits deux ans passez, ledit Duc de Ferrare sera tenu de remettre ledit châtelet entre les mains dudit Duc; & aprés dix ans passez, lesdits Gouverneurs & Anciens, Messire Jean Adorne, & Messire Jean-Loüis seront quittes dudit serment, demeurans neanmoins en leur force, & vigeur l'obligation de fief, au moien de laquelle ledit Duc est obligé envers le Roi à l' occasion dudit fief de Gennes & de Savonne, & sans que à l' occasion de ces presentes ledit Roi tres-Chrêtien, & Duc de Milan se départent de la nature, & substance dudit fief.

Item : Et promettra le Roi qu' avec les navires, galeres & armes, qu' il fera à Gennes, il ne fera aucune chose contre ledit Duc de Milan, ni le present état & Gouvernement dudit Gennes, directement ou indirectement; & qu' en armant à Gennes, il prendra les navires des amis du gouvernement & état d' apresent, & non d' autres, pourvû qu' ils lui baillent lesdits navires à prix raisonnable, qu' ils ne baillent navires aux ennemis du Roi, & que les Patrons & Mariniers des Navires, que le Roi prendra, soient tenus de faire serment, que loiaument ils serviront le Roi.

Item : Que ledit Duc ne baillera aide ni secours aux Rois Alfonse & Ferrand, ni à leurs Successeurs, ni à aucun autre, qui pretendist droit au Roiaume de Naples, directement ni indirectement; & s' ils avoient aucuns gens par mer ou par terre ou navires à l' encontre dudit Roi tres-Chretien, il les fera retourner.

Item : Que ledit Duc de Milan fera crier, que nul de ses sujets ne voise contre le Roi en son Raiaume de Naples; & si aucun fait le contraire, il sera puni en corps & en biens.

Item : Que le Duc de Milan restituera à Messire Jaques de Trivulce tous se biens, meubles & immeubles, de quelque qualité ou condition qu' ils soient, & qu' il puisse être, aller & retourner par toutes les Seigneurs du Duc, & que ledit Duc l' ait en grace ainsi, qu' il l' avoit auparavant.

Item : Quant à Messire Francisque Sero, ledit Duc exhortera le Marquis de Mantoüe à ce qu' il veüille lui pardonner, & le remettre & restituer en tous & chacuns ses biens; & si ledit Duc à quelque chose du sien, il le lui restituera.

Item : Que pareillement ledit Duc restituera à Messire Jean Ressio, & ses enfans, ce qu' ils avoient auparavant qu' ils allassent avec le Roi; & s' il avoit aucune chose, qui lui apartinst, il lui en fera la raison.

Item : Que ledit Duc de Milan sera tenu faire relâcher franchement & quittement le Sieur de Miolans & pareillement Etienne de Nesve, si ledit de Nesve est trouvé entre les mains de lui ou de ses sujets, ensemble tous & chacuns leurs biens, meubles, ou ce qu' il plaira au Roi ordonner.

Item : Que ledit Duc restituera reellement & de fait neuf galeres avec leurs munitions, qui furent retenües par ledit Duc au Port de Gennes, ou par les siens étant le Roi à Naples.

Item : Que ledit Duc sera tenu de revoquer Messire Gaspard & Fracasse de Saint-Severin avec les gens & Compagnie, qu' il a dans Pise, & autres gens de guerre ses sujets, & autres, qui y sont de par lui.

Item : Que le Roy sera content, que la Ligue faite entre nôtre Saint Pere le Pape, les Roys de Romains & d' Espagne, la Seigneurie de Venise, & ledit Duc de Milan, demeure en sa force & vigueur, pourvû qu' il n' y ait chose en icelle Ligue, qui soit contre le Roy de France, ni son Royaume de Na-

de Naples, auquel cas ledit Duc de Milan s' en departira.

Item: Que le Roy observera les conventions faites entre lui d' une part, & le Roy de Romains d' autre.

Item: Que si aucuns des Alliez avoient mené guerre au Roy pour secourir ledit Duc de Milan, ou pour divertir l' Armée du Roy, qu' il a en ce Pais, que à l'occasion de ce le Roy ne lui puisse faire guerre, en remettant par eux au premier état, & dû ce qu' ils avoient innové contre ledit Seigneur Roy tres-Chretien.

Item: Que le Roi sera tenu de faire rendre la cite & château de Navarre, son camp levé.

Item: Que le Roi levera la main aux Marchands Genois & Milanois, & leurs suites, de Marchandises, qu' ils ont au Roiaume de France, & icelles, faire relâcher, & pouront Marchander audit Roiaume, ainsi qu' ils ont fait au tems passé.

Item: Que ledit Duc de Milan ne poura aucune chose pourchasser à l' encontre de la Maison de Savoie, ni des Pais & seigneuries d' icelles, sous couleur de quelque aide, passage, ou secours qu' elle ait baillé au Roi, au Duc d' Orleans, ni à ses gens.

Item: En cette presente Paix seront compris les Alliez du Roi, dont la teneur s' ensuit: les Rois des Romains & d' Espagne, le Roi d' Angleterre, les Rois de Hongrie, d' Ecosse, Portugal, de Dace, l' Archiduc d' Autriche, le Riche Duc de Baviere, le Comte Palatin, & toute la Maison de Baviere, & Electeurs du Saint Empire, le Duc de Savoie, le Duc de Ferrare, les ligues vieilles & nouvelles, la Seigneurie de Florence, le Marquis de Monferrat, le Sieur Constantin Elû & Gouverneur, le Marquis de Saluces, la Seigneurie & Comté d' Ast, la Seigneurie de Sienne, la Seigneurie de Luques, le Sieur Prefet, le Cardinal de Gennes, le Cardinal ad vincula, & le Sieur Jean-Jâques de Trivulce, comme recommandé du Roy pour sa Comté de Nuisset.

Item: Jouira le Cardinal ad vincula de tous & chacuns les biens & benefices, qu' il a en la Seigneurie dudit Duc, & ne donnera ledit Duc audit Sieur Prefet, par lui ni par autres, aucun empechement en son Etat.

Item: Et procurera ledit Duc de Milan envers nôtre Saint Pere, de faire revoquer, casser & annuller toutes les censures, qu' il avoit promulgées à l' occasion de cette presente guerre, contre la conqueste faite ou à faire par le Roy en son Royaume de Naples, comme nulles, & de nulle valeur & effet.

Item: Et quant aux Alliez dudit Duc, il les nommera dedans deux mois.

Item: Et sera tenu ledit Duc de Milan de faire rendre tous & chacuns les biens à ceux de la Comté d' Ast, pris durant la Treve d' entre le Roy & ledit Duc.

Item: Que les Sieurs de Ligues confederées vieilles & nouvelles pouront aller & retourner marchandement, & autrement par les Terres & Seigneuries dudit Duc de Milan, en telles franchises, libertez & Privileges, qu' ils etoient auparavant cette guerre.

Item: Que pour la Seureté des choses contenües en ce present Traité, pour le fait de Gennes, ledit Duc baillera pour ôtages lesils âiné de Messire Augustin Adorne, & pareillement aucuns autres, que le Roy voudra nommer.

Item: Que ledit Duc laissera joüir le Cardinal de Gennes de tous & chacuns les benefices, qu' il a en sa Seigneurie.

Item: Que pareillement Messire Batiste de Campefregouze joüira de tous & chacuns ses biens, tant meubles que immeubles, & poura ledit Batiste aller par tout où bon lui semblera, excepté en l' Etat dudit Duc de Milan & Gennes.

Item: Et quant à Messires Alexandre & Michel Restes, ledit Duc leur pardonnera en tant qu' à lui touche, & qu' ils puissent joüir de tous & chacuns leurs biens.

Item: Et retourneront tous ceux, qui sont hors de la Duché & Territoire de Gennes, & qui se sont absentez pour la guerre presente, si bon leur semble, & ledit Duc sera tenu de leur pardonner, & les remettre en tous & chacuns leurs biens, meubles & immeubles.

Item: Et pour ce que le Sieur de Monnegue a tenu le parti du Roy, ne lui sera pourchassé, ni procuré aucun mal, ni faite aucune chose contre son Etat; & si aucune étoit faite, il sera reparé & remis en tous & chacuns ses biens.

Item: Pardonnera ledit Duc à tous les nobles & citoiens de la cité de Navarre, & aussi à tous ceux du Diocese & territoire d' icelle, & aussi de Blannûre, de quelque état ou condition, qu' ils soient, & mêmement à ceux, qui ont baillé, conclu, & conseillé de bailler icelle cité de Novarre; & que à l' occasion de ce, directement ou indirectement, par soi ni par autrui, il ne procedera à la punition ni vangeance aucune à l' enoontre des personnes ou biens desdits de Novarre, & pareillement le Roy baillera pardon à tous les Sujets dudit Duc, qui ont fait la guerre contre lui.

Item: Que lesdits nobles & citoiens, & chacun d' eux, puissent habiter perpetuellement ou à tems à leur bon plaisir, en la Seigneurie ou hors la Seigneurie dudit Duc de Milan, sans qu' on les puisse, pour quelque cause que ce soit, contraindre à y demeurer, ni soi personellement presenter en la Seigneurie dudit Duc, ni en sa jurisdiction, & neanmoins, qu' ils puissent prendre les fruits, profits, revenus & émolumens feodaux, ou allodiaux, sans aucuns empêchemens quelconques, & d' iceux en disposer, non obstant qualconques contrats, donations ou alienations, faites par ledit Duc.

Item: Que tous & chacuns les prisonniers, excepté ceux qui sont mis à rançon, & lesquelles ne pouront être contraints à paier plus grande somme, seront delivrez.

Item: Que ledit Duc de Milan sera tenu de faire pardonner à tous ceux, qui ont donné aide au Duc d' Orleans, lesquels pouront demeurer en la Seigneurie de Milan où bon leur semblera, & jouir de leurs biens tant meubles que immeubles, allodiaux & feodaux.

Item: Que ledit Duc de Milan sera tenu de rendre les Galeres, Galions, & autres Navires & munitions, qui furent pirs à Rapallo, ensemble l' Artillerie, qui fut prise audit lieu.

Nnn n 3 *Item:*

Item: Que ledit Duc de Milan ſera tenu de rendre à tous & chacuns les biens, tant feodaux que allodiaux, à tous ceux qui ont ſervi le Roy en ſon entrepriſe, & permettra qu' ils en jouiſſent ainſi qu' ils faiſoient auparavant cette guerre; & au regard des biens meubles, ils en joüiront ainſi qu' ils les trouveront.

Item: Et pareillement le Roy ſera tenu de rendre à tres-Reverend le Cardinal de Saint-Severin, & au Comte de Gayaſſe, au Gouverneur de Gennes, Meſſire Jean Adorne ſon Frere, & à Meſſire Loüis de Fieſque, & à quelconques antres ſujets dudit Duc, qui l' ont ſuivi en cette preſente entrepriſe, tous & chacuns les benefices, & biens feodaux & allodiaux, qu' ils tenoient, tant andit Royaume de Naples, que antrement ea la Juriſdiction du Roy & permettra qu' ils en joüiſſent ainſi qu' ils faiſoient anparavant cette preſente guerre; & quant aux biens meubles, ils en joüiront ainſi qu' ils les trouveront quant à preſent.

Item: Et neanmoins donnera paſſage au Roy par tous ſes Païs, & aux Gensdarmes, que le Roy envoiera en ſon Royaume de Naples, pourvû qu' il ne paſſe que quatre-cens hommes d' armes, & quatre mille hommes de pied à une fois, en baillant bonne ſeureté de ne l' offenſer en ſa perſonne, etat & Seigneurie.

Item: Que le Roy ne puiſſe donner aide au Duc d' Orleans, a l' encontre dudit Duc de Milan, ni contre ſon Etat, en entretenant par ledit Duc de Milan les choſes par lui promiſes en ce preſent Traité.

Item: Et pour le frais, miſes & dépens, que le Roy à mis en cette preſente guerre, ledit Duc quittera au Roy ce qui lui peut être dû de la ſomme de quatre-vint mille ducat, & rendra les obligation, qu' il a de ſes chambellans, & autres qu' il a en deduction deſdits quatre-vint mille Ducats.

Item: Que pareillement baillera au Duc d' Orleans dedans dix-huit mois cinquante mille Ducats en la maniere qui s' enſuit; c' eſt à ſavoir de ſix mois en ſix mois, en trois parties, en lui baillant bonne ſeureté, à la diſcretion du Roy, dedans le Royaume de France, à commencer le premier paiement le premier jour d' Avril prochainement venant.

Item: Et aidera ledit Duc au Roy de deux groſſes caraques en cette année, & l' année aprés de trois, le tout à ſes dépens, équipées & armées.

Item: Et touchant la Principauté de Tarente, quand le Roy & ledit Duc parleront enſemble, ſera tant ledit Seigneur, que icelui Duc devra être content.

Item: Que ledit Duc ne poura pretendre aucun droit de Superiorité, Souverainité, ni autres droits quelconque en la Cour d' Aſt, ni en ſes apartenances & dépendances, dont eſt le Marquiſat de Sienne, ni pareillement droit d' adherence, confederation, protection, on ligue avec les Sujets, Vaſſaux, ou Marquis deſdites Terres.

Item: Que toutes & quantes fois, que le Roy voudra aller en perſonne en la conqueſte de ſon Royaume de Naples, ledit Duc l' accompagnera en perſonne par Mer & par Terre, & lui aidera de ſes gens darmes.

Item: Que ſi le venitiens ne vouloient entretenir cette Paix, & accorder les trois articles dedans deux mois, & qu' ils fiſſent guerre au Roy en ſon Royaume de Naples, en faveur du Roy Ferrand, ou d' autres qui pretendiſſent droit audit Royaume, ou qui leur donaſſent quelque aide directement, ou indirectement a l' encontre du Roy, en ce cas ledit Duc de Milan ſe declarera à l' encontre deſdits Venitiens, & ſera tenu aider au Roy à défendre ledit Royaume de Naples contre les Venitiens, & pour choſes deſſusdites, ledit Duc de Milan ſera tenu de lui bailler paſſage & à ſon Armée, & lui aider à faire Guerre en leursdites terres, ou és terres, que leſdits Venitiens tiendront, dedans ledit Royaume de Naples, laquelle aide ſera de cinq-cens hommes d' armes & de toutes autres choſes, qu' il étoit tenu l' année paſſee.

Leſdits Traité & apointement faits avec ledit Duc de Milan par les Sieurs de Gié, Maréchal de France; Philippe de Comines, Chevalier, Sieur d' Argenton; Raoul de Lannoy, auſſi Chevalier, Conſeiller & Chambellan du Roy; Maitre Jean de Gannay, Preſident en la Cour de Parlement à Paris, Commis à la Gardé du Scel; & Rigault d' Oreilles, Chevalier, Maitre d' Hôtel dudit Seigneur, & Bailli de - - - Ambaſſadeurs d' icelui Roy tres-Chretien, les jour & en deſſusdits.

Ainſi ſigné, *Charles*, & *Dumont*.

Lettre du Duc de Bourbon au ſujet du Traité de Paix précédent avec le Duc de Milan. Au Moulins le 18. Octobre 1495.

Tres-chers & bons amis, j' ai reçû les lettres de Monſeigneur le Roy, & les Articles de la Paix, qui a été faite entre lui & le Duc de Milan, parquoi il s' en vient par-deçà, & eſpere qu' il pourra etre à Lion vers la Touſſaints, ainſi qu' il lui a plû me faire ſavoir. Et pour ce que ce ſont toutes bonnes nouvelles, & que je ſuis ſeur que vous deſirez toûjours le bien & proſperité de mon dit Seigneur le Roy, & que en ſerez tres-joieux, vous en ai bien voulu avertir, & vous envoier le double deſdits articles. Et treschers & bons amis, Nôtre-Seigneur Vous ait en ſa garde. Ecrit à Moulins le 18. l' Octobre. le *Duc Bourbon, & d' Auvergne*, Lieutenant General du Roy, *Robertet*.

CXXXII.

Bulla Alexandri VI. Pontificis Maximi, in qua Cæſari Borgiæ, Cardinali, ſuo & Apoſtolicæ Sedis Legato, Fridericum, Siciliæ Regem, de Regno Siciliæ, citra Pharum ſito, inveſtiendi poteſtatem dedit, d. d. 5. Id. Junii, Anno 1497.

Dilecto filio Cæſari, S. Mariæ novæ Diacono Cardinali, ad Regnum Siciliæ noſtro & Apoſtolicæ Sedis legato. In præſentiarum Regni noſtri Siciliæ & totius terræ, quæ eſt citra Pharum, quæ juris ejuſdem Romanæ Eccleſiæ ſpecialis & proprietatis exiſtunt, atque cunctorum in illis degentium

gentium populorum necessitates ex intimo cordis affectu intuentes, nec non tranquillitati, profectui & prosperitati Regni & terræ prædictorum paterna charitate consulentes, ut quæ sub justo, provido & claro Rege ac Principe juste provideque regantur, providere cupientes, Regnum prædictum cum tota dicta terra usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate nostra Beneventana, cum ejus territorio & districtu, juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus I. & Alphonsus II. dicti Regni Reges, dum in humanis agebant, melius tenebant & possidebant, seu alter ipsorum melius tenebat & possidebat, charissimo in Christo filio nostro Frederico, ejusdem Regni Regi Illustri, tanquam in dictis Regno & terra Successori, pro eo suisque liberis ex recta linea a suo corpore legitime descendentibus, natis & nascituris, in feudum perpetuum sub certis modo & forma, & conditionibus legitime expressis, de venerabilium fratrum nostrorum, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio, pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine duximus concedendum, confirmandum, & de novo elargiendum, ipsumque Fredericum Regem per vexillum dictæ Romanæ Ecclesiæ principaliter investiri, nec non ab eo fidelitatis debitæ juramentum, plenumque homagium & vasallagium ac ligium pro hujusmodi feudo debita & consueta recipi, & nonnulla alia tunc expressa fieri & adimpleri mandavimus, prout in aliis nostris desuper confectis literis plenius continetur. Attendentes igitur, quod assistente tibi divina gratia, omnia & singula, per ipsas literas nostras præfato Frederico Regi concessa, prudenter, fideliter & diligenter exequaris, habita super hoc cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, te, nostro & ejusdem Ecclesiæ nomine, ad præfata Regnum & Regem, ad præmissa omnia in dictis literis contenta plenarie exequendum, ac pro nonnullis aliis ejusdem Rom. Ecclesiæ arduis negotiis peragendis, tanquam pacis Angelum Apostolicæ Sedis Legatum de latere, de fratrum eorundem consilio, comitante pacis Angelo, duximus destinandum, tibi in Regno & terra prædictis plenæ legationis officium cum plena potestate Legati de latere committendo, ut nostro & ejusdem Rom. Ecclesiæ nomine a præfato Frederico Rege fidelitatis debitæ solitum hujusmodi recipias juramentum, nec non promissiones, sponsiones & conditiones in literis ipsis contentas, cures efficaciter adimpleri, ac etiam privilegium præfati Frederici Regis aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fateatur & recognoscat expresse Regnum Siciliæ & totam terram ipsius, quæ est citra Pharum, usque ad confinia ejusdem Romanæ Ecclesiæ, excepta dicta civitate Beneventana, cum territorio & pertinentiis suis, quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia & mera liberalitate Sedis Apostolicæ & nostra sibi suisque hæredibus fuisse concessa, ipsumque recepisse & tenere Regnum & terram hujusmodi a Nobis & dicta Romana Ecclesia sub pactis, modis & conditionibus in dictis literis contentis, de manibus ipsius Frederici Regis recipies, ad Nos & Sedem prædictam deferendum, & Nobis ac Sedi prædictæ præsentandum, & alias in Regno & terra prædictis evellas, destruas, disperdas, ædifices, plantes, deformata reformes, corrigenda dirigas, dissidentes Proceres ad concordiam pacemque reducas, inobedientes vero atque rebelles, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam ac alia opportuna remedia compescas, prout cœlestis gratiæ infusio tuaque prudentia tibi ministrabunt, firma spe prudentiaque tenentes, quod actus tuos dirigente, qui novit aspera in vias planas convertere, per tuæ circumspectionis industriam, quodque tibi per Nos fideliter commissa optatum finem recipient, & ad præfati Regis pacem ac statum prosperum & felicem ejusdem Regni pro tua prudentia componentur. Præterea tibi inter Regem præfatum & quascunque personas ecclesiasticas & seculares dicti Regni bonum pacis & concordiæ inducendi, & quantum ad laudem & gloriam omnium Redemptoris & orthodoxæ fidei augmentum, & Sedis prædictæ honorem, nec non Regis præfati pacificum & tranquillum statum, ejusque corroborationem, & Regni prædicti redintegrationem & conservationem, ecclesiasticæ libertatis reformationem, morum honestatem, justitiæ cultum, relevationem Ecclesiarum & pauperum quomodolibet pertinebunt, statuendi, ordinandi, mandandi, decernendi, exercendi & etiam exequendi, ipsos quoque contradictores & rebelles, quacunque ecclesiastica, vel etiam mundana præfulgeant dignitate, ut præmittitur, appellatione postposita, compescendi, brachium quoque seculare, si opus fuerit, invocandi, quibusque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus & literis Apostolicis generalibus & specialibus, sub quacunque verborum forma & expressione concessis, per quæ nulli, qualiscunque status, gradus, ordinis & conditionis, in hac parte volumus afferre suffragium nequaquam obstantibus, plenam & liberam tenore præsentium simili consilio concedimus facultatem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno MCCCCLXXXXVII. V. Idus Junii, Pontificatus nostri Anno V.

CXXXIII.

Breve Alexandri VI. Pontificis Maximi, ad Fridericum, Siciliæ Regem, directum, in quo ei significat, se Legato suo, Cæsari Borgiæ, S. R. E. Cardinali, in commissis dedisse, ut ipsum de Regno Siciliæ investiret, unctumque coronaret, d. d. 5. Id. Junii, Anno 1498.

ALexander &c. Charissimo in Christo filio Frederico de Arragonia, Siciliæ Regi Illustri.

Cum Nos hodie Regnum Siciliæ cum tota terra citra Pharum juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus primus & Alphonsus II. dicti Regni Reges, dum in humanis agebant, melius tenebant & possidebant, seu alter ipsorum melius tenebat & possidebat usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, civitate nostra Beneventana illiusque territorio & districtu exceptis, tibi dicti Regni Illustri, tanquam in dictis Regno & terra Successori, per te tuosque liberis ex recta linea

linea a tuo corpore legitime descendentibus & nascituris, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, & ex certa nostra scientia & de Apostolicæ potestatis plenitudine in feudum perpetuum confirmavissemns & de novo elargiti fuissemus, tandem intendentes, ut tu juris Regni, & terræ prædictorum ac regalium insignium plenitudine gratulari, & statum tuum firmius stabilire valeres, dilecto filio nostro Cæsari, S. Mariæ novæ Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis legato, de dictorum fratrum consilio per alias literas nostras commisimus & dedimus in mandatis, ut ad dictum Regnum se personaliter conferens, te per vexillum ejusdem Ecclesiæ de Regno & terra prædictis ac omnibus juribus & pertinentiis eorundem investiret, & in illorum possessionem induceret; & quia Reges Siciliæ, qui pro tempore fuerint, ad mandatum Romanorum Pontificum inungi & coronari consueverunt, postquam te investiisset & in possessionem hujusmodi induxisset, ut præfertur, te in Regem solemniter inungeret, & in signum pleni juris atque Dominii, te de Regno & terra prædictis coronaret, præstito a te, & ab eo nostro & ejusdem Romanæ Ecclesiæ nomine excepto, solito juramento, prout in eisdem literis plenius continetur.

Cum itaque, fili charissime, per unctionem Principatus, per coronam virtutes, per sceptrum potestas in Rege congrue designentur, attendat Regia Celsitudo tua non utique per qualemcunque Principatum, sed eum, qui prudentia, justitia, fortitudine temperantiaque subsistit, Regios humeros inungi, & tempora coronari, studeat tua devotio sic sceptro uti & dominari, ut Nos ex tanto tibi impenso munere collaudari, Romana Ecclesia apud tuos regnicolas in summa devotione haberi, ipsi quoque Regnicolæ de justo, sapienti, modesto ac forti Principe gratulari non immerito valeamus & valeant. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno MCCCCLXXXXVIII. V. Idus Junii, Pontificatus nostri Anno V.

CXXXIV.

Bulla Alexandri VI. Pontificis Maximi, in qua Fridericum, Siciliæ Regem, Regno Siciliæ, citra Pharum sito, privavit, ac Ludovico XII. Galliæ Regi, Neapolim & Cajetam civitates, una cum terra Laboris atque Aprutina Provincia, nec non earum juribus atque annexis; Ferdinando Catholico autem & Isabellæ, Hispaniarum Regibus, Calabriam atque Apuliam, in feudum contulit, d. d. 7. Kal. Julii, Anno 1501.

AD perpetuam rei memoriam. Regnans in altissimis & triumphans Ecclesia, cui Pater æternus, cœli & terræ dominator, Dominus præesse dignoscitur, cuique sanctorum & sanctarum ministrarum agmina & angelorum laudis gloriam decantant, vicariam sibi in terris constituit Ecclesiam militantem, unigenito filio DEI vivi, Domino nostro Jesu Christo, ineffabili communione copulatam. Ad hujus namque militantis Ecclesiæ regimen, licet immeriti divina dispositione vocati, circa quarumlibet fidelium nationum felicem statum & animarum salutem, prout ex debito tenemur, summi Pontificatus officii, Nobis, ut præfertur, injuncti, cogitatus nostros libenter effundimus, ac partes apostolicæ sollicitudinis adhibemus, sed illa Nos propensius urget atque compellit, ut Nobis & Romanæ Ecclesiæ subjecta Regna, civitates, terras, atque loca omnia & singula per nostræ provisionis ministerium, sublatis ab ea sinistris quibuslibet, ac omnibus & singulis eorum salutem & felicem statum, nec non desolationis evitationem, concernentibus mature ac debite compensatis, utilissimi ac felicissimi regiminis præsidio fulciantur, piaque tranquillitatis & quietis dulcedine gaudeant, & ex hujusmodi pace & tranquillitate alia nostra & dictæ Romanæ Ecclesiæ civitates, terræ, ac loca bellorum turbinibus eorumque suspicionibus libera prosperis gratulentur eventibus, ipsaque omnia etiam ad laudem & gloriam Christiani nominis, nostrumque ac dictæ Ecclesiæ statum salubrem felicia temporalium & spiritualium suscipiant incrementa.

Dudum sperantes, quod tunc charissimus in Christo filius noster Fredericus de Arragonia in fidei sinceritate ac obedientia & devotione erga Ecclesiam Romanam perseveraret, illamque in veram Regni Siciliæ & terræ citra Pharum Dominam & proprietariam recognosceret, prout etiam se sponte facturum obtulerat, ejusdem Frederici in ea parte supplicationibus inclinati, Regnum Siciliæ cum dicta tota terra citra Pharum juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus I. pater, & Alphonsus II. frater præfati Frederici Regis ejusdem Regni & terræ, illud melius tenebant & possidebant, sive alter eorum tenebat & possidebat, civitate nostra Beneventana & illius territorio ac districtu exceptis, qualitercunque ad eandem Ecclesiam legitime reversum & devolutum esset, præfato Frederico pro se suisque liberis recta linea ex suo corpore legitime descendentibus natis & nascituris, cum censu annuo aliisque conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promissionibus cautelis, clausulis, voluntatibus & ordinationibus tum expressis de venerabilium fratrum nostrorum, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia & de apostolicæ potestatis plenitudine per alias nostras literas concessimus & confirmavimus, & de novo largiti fuimus; volentes & intendentes præfatum Fredericum de prædictis Regno & terra citra Pharum ut præfertur, per vexillum præfatæ Ecclesiæ, illius nomine sibi tradendum & assignandum, investiri, recepto ab eo fidelitatis debitæ juxta formam inferius annotatam, juramento, prout in literis Prædecessoris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus, pro sufficienter expressis & insertis, plenius continetur.

Cum autem præfatus Fredericus, postquam actualem de Regno & terra citra Pharum hujusmodi investituram per traditionem & assignationem dicti

vexilli

vexilli per tunc nostrum & Sedis Apostolicæ legatum, ad eum propterea destinatum, recepisset, & Regiam coronam capiti suo impositam de manibus dicti legati suscepisset, juramento fidelitatis debitæ juxta formam inferius annotatam, ex homagio nec non servitio, vasallagio & ligio per eum in præfati legati manibus præstitis, quæ etiam antea per procuratorem suum legitimum in manibus nostris præstiterat, suæ salutis suique status & honoris immemor, DEI timore postposito, erecta cervice in reprobum sensum datus, contra proximum juramentum veniens, nostris & ejusdem Romanæ Ecclesiæ notoriis rebellibus receptum, in Regno & terra prædictis dare, illisque ac terrarum & locorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ notoriis occupatoribus favorem & auxilium præstare, provisiones Apostolicas etiam, in favorem ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium factas, illarumque effectum, nec non libertatem Ecclesiasticam in nostrum & dictæ Sedis contemptum multipliciter impedire, ac ad almam urbem victualia deferentibus nova victualia imponere, & etiam ne deferrentur, prohibere, ac (quod pejus & abominabilius est, ac Christiano Principe omnino indignum) intelligentiam non parvam cum Turcorum tyranno, apud quem continue suos tenet oratores, habere, illique adhærere, præfatique Turcorum tyranni oratores sæpenumero cum maximo honore recipere, illosque penes se retinere, & cum eis conversari, ipsosque perfidissimos Turcos ad invadendum Christianorum terras atque loca, ac Italiam ingrediendum hortari & inducere non expaverit, ex quo superiori anno maxima & fere irreparabilia damna universæ Reipublicæ Christianæ subsecuta fuerunt, de quibus nobis inexcusabili notorio constitit, propter quod cum jure, si quod ei in dicto Regno & terra citra Pharum competebat, ipso jure privatum censuimus, prout harum literarum serie censemus.

Et propterea charissimi in Christo filii nostri Ludovicus, Rex Francorum Christianissimus, & Ferdinandus Rex ac Elizabeth, Regina Hispaniarum Catholici, quorum quilibet etiam Regnum cum terra citra Pharum hujusmodi ad se de jure spectare prætendit, ut veri ejusdem fidei Catholicæ zelatores & propugnatores considerantes, ac animo secum sæpius revolventes, quot & quanta mala, dispendia & detrimenta, nisi brevi occurratur, eidem Reipublicæ Christianæ ob rabiem ipsorum perfidissimorum Turcorum, indies cum majori audacia Christianorum terras invadentium & occupantium, & suæ tyrannidi ac spurcissimæ sectæ subjicientium, ex mutua præfati Frederici cum eisdem Turcis intelligentia sint proventura, pro eorundem pia erga ipsam Rempublicam Christianam devotione ac Regia magnanimitate decreverunt, præfato Frederico eisdem Turcis adhærente, & illos in dictum Regnum (quod DEus avertat) introducere volente, de Regno & terra præfatis expulso, præfatisque Regno & terra juxta divisionem per Nos faciendam, in eorum ditionem redactis, contra ipsos Turcos terra marique nostris adhortationibus eis sæpius pro zelo defensionis fidei Catholicæ factis irrumpere, & usque ad totale illorum exterminium perseverare more progenitorum suorum, qui diversa Regna, Provincias, terras atque loca ab infidelium manibus eripuerunt, pro parte eorundem Franciæ & Hispaniarum Regum & Reginæ, affirmantium, se velle hanc contra ipsos Turcos Provinciam pro eorum pia & singulari devotione, ac fidei Catholicæ exaltatione, Reipublicæ Christianæ defensione habitis, Regno & terra prædictis, per quæ facilius aditus contra ipsos perfidissimos Turcos eis patebit, & sine quibus nihil eidem sanctæ expeditioni utile facere posse confidunt, omnino suscipere, & susceptum non relinquere, donec divina favente clementia felicem & optatum consequantur effectum, ac plane confidere Regnum ipsum ab ipsis perfidissimis Turcis ac aliis quibuscumque defendere, & in pacis amœnitate fideliter regere & gubernare posse, solumque superesse ad hanc sumendam Provinciam, resque suas componendas, quietemque perpetuam inter eos fundandam, cum quilibet eorum, ut dictum est, jus in Regno & terra prædictis habere prætendant, ut Nos pro eadem Romana Ecclesia, quam etiam ipsi in veram Regni & terræ prædictorum dominam & proprietariam recognoscere, ac jura, illi etiam ratione census & investituræ debita, exhibere volunt & intendunt, eos de eisdem Regno & terra citra Pharum respective juxta infrascriptam divisionem, per Nos, ad evitandum dissensiones & bella, quæ aliter inter eos occasione dicti Regni, cum maximo totius Reipublicæ Christianæ damno, periculo, & detrimento facile evenire possent, faciendam investiamus, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum nostri & ejusdem Romanæ Ecclesiæ devotissimi filii, & quoad se res suæ se extendere potuerunt, pro Nobis & eadem Romana Ecclesia pugiles & propugnatores eximii eorum passim ac perpetuo, pro eorum pia devotione ac Regia magnanimitate sint futuri, & ad præmissa omnia peragenda promptissimi & paratissimi eos de Regno & terra citra Pharum hujusmodi respective investire, aliasque eis & eorum statui, totiusque Reipublicæ Christianæ paci & quieti in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ad immensam devotionem, quam Franciæ & Hispaniarum Reges & Regina præfati ad Nos & præfatam semper gesserunt & gerunt Ecclesiam, ac illarum præclara gesta, suaque quamplura grandia merita, quibus personas suas illorum largitor Altissimus insignivit, debitum respectum habentes, sperantes quoque, quod ipsi progenitorum suorum prædictorum vestigia imitantes in suæ fidei sinceritate, obedientia & devotione erga Nos & præfatam Ecclesiam perseverabant, ac publicæ utilitati, quæ privatæ præferenda est, consulentes, pro eorum Regia magnanimitate atque potentia rempublicam Christianam tot & tantis calamitatibus jam dudum ab ipsis perfidissimis Turcis oppressam & quassatam restituent & liberabunt, ac rebus in discrimine positis opportune consulent, & deinde in pacis quiete & dulcedine omnia conservabunt, quemadmodum per dilectos filios nobiles viros Rogerium de Agramont, Dominum loci de Agramont, ejusdem Ludovici Francorum & Franciscum de Royas, Dominum de Villameliori, Ferdinandi & Elizabeth Hispaniarum Regum & Reginæ prædictorum consiliarios & oratores ad Nos destinatos, constanter asseverarunt, volentesque de

eisdem Regno Siciliæ citra Pharum, & terra utiliter disponere & ordinare, ac præmissis salubriter providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, habitis super iis cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, ad laudem omnipotentis DEI Patris & Filii & Spiritus sancti, ac gloriosæ semperque virginis Mariæ, nec non beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totiusque curiæ cœlestis triumphantis, ad honorem quoque, pacem & tranquillum quoque statum nostrum & Sedis prædictæ ac ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sponsæ nostræ & Regni prædicti, salutem quoque, quietem & conservationem Principum, Ducum, Comitum, Procerum, Magnatum & populorum ejus, de fratrum nostrorum eorundem consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, & de simili Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica, tenore præsentium præfatum Regnum Siciliæ cum dicta tota terra citra Pharum in duas partes dividentes: Neapolitanam & Cajetanam civitates, ac totam terram laboris, & Provinciam Aprutinam pro eorum justo valore Ludovico Franciæ cum titulo Regis Neapolis & Jerusalem, Ducatus vero & omnes Provincias Calabriæ & Apuliæ, cum tota eorum terra, etiam pro eorum justo valore Ferdinando & Elizabeth, Hispaniarum Regibus & Reginæ præfatis cum titulo Ducis & Ducissæ Calabriæ & Apuliæ pro eis in simul dum vixerint, & altero eorundem Regis & Reginæ Hispaniarum decedente pro illo ex eis, qui superstes remanserit, suisque liberis & Successoribus tam masculis quam fœminis, ex legitimo matrimonio natis, per rectam lineam ex suis corporibus respective legitime descendentibus natis & nascituris, prout ad unumquemque Regum & Reginæ prædictorum juxta hujusmodi divisionem pertinent, qualitercunque Regnum, Terra laboris, Ducatus & Provinciæ hujusmodi ad eandem Ecclesiam legitime reversa & devoluta sint, vel alias quovis modo illorum dispositio ad Nos pertineat, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, exceptis tamen civitate nostra Beneventana, & illius territorio, & districtu prædictis, cum censu annuo aliisque conditionibus, modis, formis, adjectionibus, provisionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus & ordinationibus universis, respective annotatis, de similibus consilio, assensu, scientia, potestatis plenitudine, & auctoritate in feudum perpetuum, sine tamen præjudicio juris, eis alias in Regno, terra, Ducatibus & Provinciis prædictis, forsan respective competentis, & per præsentes derogare non intendimus, divisione prædicta per Nos inter dictos Reges & Reginam facta, salva tamen remanente etiam respective concedimus & elargimur; volentes & intendentes eosdem Franciæ & Hispaniarum Reges & Reginam de ipsis Regno & terra, ac Ducatibus, Provinciis, ut præfertur, juxta prædictam divisionem per vexillum ejusdem Romanæ Ecclesiæ, per Nos, seu Sedem prædictam, aut per aliquem ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, vel alium, cui hoc duxerimus committendum, nostro & ejusdem Romanæ Ecclesiæ nomine conferendum & exhibendum, de proximo investiri, ac Ludovicum, Regem Neapolis & Jerusalem, Ferdinandum vero & Elizabeth, præfatos Calabriæ & Apuliæ Ducem & Ducissam, eisque in Regno, terra, Provinciis & Ducatibus prædictis succedentes, ita de cætero nominari, sicque ab omnibus censeri, teneri & reputari debere, ita tamen, ut ipsi ante præsentium de manibus nostris, seu mandatariorum nostrorum receptionem, juxta formam inferius annotatam, fidelitatis debitæ juramentum & homagium, nec non servitium, vasallagium, & ligium in nostris per se vel Procuratores suos ad hoc ab eis specialiter constitutos, & iterato cum eos de Regno, terra & Ducatibus, ac Provinciis prædictis contigerit, ut præfertur, actualiter respective investiri, tempore traditionis dicti vexilli, & actualis investituræ prædicti in ipsius Commissarii nostri nostro & ejusdem Ecclesiæ nostræ nomine recipientis manibus præstent, pro hujusmodi feudo præstari debita ac etiam consueta; civitatem autem nostram Beneventanam prædictam, cum ejus territorio, districtibus & pertinentiis per Nos seu Romanum Pontificem distinctis vel distinguendis cum eorum incolis, prout illam sibi dudum præfata Romana Ecclesia specialiter retinuit & reservavit, harum serie Nobis & præfatæ Ecclesiæ specialiter reservamus.

Et ne ullo unquam tempore inter Franciæ & Hispaniarum Reges & Reginam præfatos, eorumque Successores occasione dictæ divisionis ac fructuum, redituum, & proventuum Regni, Terræ laboris, Ducatuum, & Provinciarum prædictorum sic divisorum, aliquæ dissensiones possint suboriri, sed inter eos pax, amicitia & concordia ad effectum conservationis status nostri & ejusdem Romanæ Ecclesiæ ac totius reipublicæ Christianæ perpetuo vigeant & perseverent, de similibus consilio, assensu, scientia, potestatis plenitudine & auctoritate volumus, statuimus & ordinamus, quod quilibet Regum & Reginæ prædictorum, suorumque Successorum in parte eum contingente, sicut supra divisa, Dominium ac integram supremam æqualem & Regiam in omnibus & per omnia jurisdictionem habeat, reservata semper Nobis & Sedi Apostolicæ prædictæ jurisdictione illa, quæ ratione hujusmodi feudi debetur, ac omnes fructus, reditus, proventus, obventiones, & emolumenta quæcumque partis, eis contingentis, & sic ut supra, divisæ pro eorum justo valore habere debeat, ita tamen quod præfatus Rex Franciæ medietatem Dohanæ pecudum dictæ Provinciæ Apuliæ ultra omnia præmissa de manibus Commissariorum eorumdem Regis & Reginæ Hispaniarum, puram quietam & absolutam percipiat annuatim, ac per Regem & Reginam Hispaniarum præfatos quolibet anno statuatur una dies, in qua dicta Dohana ad firmam concedi debeat, cui concessioni faciendæ præfatus Franciæ Rex si voluerit, suos Commissarios poterit destinare, qui prædictæ ad firmam concessioni sic faciendæ interesse & consentire debeant, & si forsan contingeret partem unius ex Regina præfatis sic, ut supra, divisam majorem annui reditus parte alterius existere, fiat hinc inde inter vos compensatio, ita ut ipsi Reges & Regina in portionibus redituum & proventuum prædictorum sint æquales, excepta tamen dicta medietate Dohanæ, quam præfatus Rex Franciæ puram, quietam & absolutam ultra omnia, ut præfertur, percipiet, supplentes eisdem consilio, assensu, & scientia potestatis plenitudine & aucto-

& auctoritate omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis aut aliquo eorum.

Conditiones vero, de quibus supra dictum fuit, sunt hæ, videlicet, promittent & jurabunt tam Franciæ & Hispaniarum Reges & Regina præfati ex nunc in manibus nostris, qui successive in ipsius Commissarii nostri per traditionem vexilli prædicti de Regno & terra, ac Ducatibus & Provinciis prædictis modo præmisso investientis manibus, ut præfertur, quam etiam in singulis investituris eorum, seu in dictis Regno, terra, Ducatibus, & Provinciis hæredes juxta formam infrascriptam, quod ipsi vel illi nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuscumque Regibus, Principibus, seu Magnatibus, Communitatibus, Universitatibus, aut personis aliis, fidelibus vel infidelibus, contra Nos vel Successores nostros Romanos Pontifices, canonice intrantes, aut dictam Romanam Ecclesiam, seu in eorum damnum facient, aut fieri consentient seu permittent, quantum in eis erit, nec factas ratas habebunt, & quod nunquam a nostra & dictæ Ecclesiæ obedientia & devotione recedent, nec aliquod schisma contra Nos, vel Successores nostros aut Romanam Ecclesiam facient, aut cujuscumque schismatis vel hæresis imitatores erunt seu fautores, nec hujusmodi conspirationes, colligationes, conjurationes, seu schisma contra Nos vel Successores nostros aut Ecclesiam prædictos facient, aut schismaticos vel hæreticos receptabunt, seu quocumque modo eis favebunt, aut eis seu eorum alteri aliquod consilium, auxilium vel favorem præstabunt, nec aliquos Nobis & dictæ Ecclesiæ rebelles, aut nostros seu dictæ Ecclesiæ hostes vel inimicos, seu rerum & bonorum dictæ Ecclesiæ invasores aut occupatores in Regno, terra, & Ducatibus prædictis, aut in aliqua ipsorum parte receptabunt, aut per alios receptari quoquo modo patientur, seu permittent scienter, sed illos efficaciter persequentur. Si vero in eorum & suorum in dictis Regno, Ducatibus, Provinciis hæredum obitu legitimum, prout subsequitur, hæredem & Reginam, ac hæredes suos præfatos, quod absit, non habere contigerit, Regnum & Ducatus hujusmodi ad prædictam Ecclesiam Romanam & ejus dispositionem libere revertantur; descendentes autem ex ipsis Regibus & Regina ac suis hæredibus dictorum Regni & Ducatuum & provinciarum, respective Regibus & Ducibus, mares & fœminæ in illis etiam respective succedant; ita tamen quod masculi fœminis & majores minoribus in eodem gradu præferantur, & sic exinde omnibus Successoribus observetur; volumus tamen filium, vel filium filii vel filiæ majoris etiam in vita patris & matris præmortui seu præmortuæ, in successione prædicta semper patruo, vel sorori patris aut matris, aliisque transversalibus præferri. In Regno vero & Ducatibus prædictis nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hæc tam ipsi Reges & Regina, quam sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes Regnum & Ducatus hujusmodi aliter quam ut supra dictum est, & nullatenus divident, sed semper unus tantum eorum in parte cum contingente sub hujusmodi conditionibus & divisione immediate & in capite nomine Romanæ Ecclesiæ illa respective tenebit, & tam ipsi quam prædicti sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes sub propriis nominibus Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac Romanæ Ecclesiæ, expressis suis & hæredum ipsorum nominibus, ligium & homagium facient, & dictum juramentum fidelitatis, mentionem expressam de præsentibus literis faciendo, præstabunt, ut præfertur. Hujusmodi autem ligium & homagium ipsi Reges & Regina ac dicti sui hæredes facere, & juramentum fidelitatis præstare, juxta subscriptam formam, quilibet videlicet ipsorum Regum & Reginæ per eum vel procuratorem suum intra datam præsentium literarum, quæ eis, vel eidem procuratori fiet in manibus nostris, & cum ipsos de Regno & Ducatibus prædictis actualiter per traditionem dicti vexilli investiri continget, in manibus Commissarii nostri ad hoc propterea destinandi investientis. Iidem vero hæredes, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero extra Italiam esset, infra annum, postquam Regni & Ducatuum prædictorum Dominium adepti respective fuerint, teneantur, & singulis Successoribus ac eidem Romanæ Ecclesiæ renovabunt tam ipsum ligium & homagium, quam etiam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romani Pontificis seu prædictæ Ecclesiæ, ipsos Reges & Reginam, ac hæredes suos prædictos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, ac ligium & homagium hujusmodi Romano Pontifici ac eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc illis tutum locum statuat & assignet, vel aliquem Cardinalium ipsius Ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam, & homagium hujusmodi recipiat, destinare. Ipsi quoque Reges & Regina in nostris ex nunc, ut præfertur, & deinde in ipsius Commissarii nostri destinandi manibus jurabunt, se ad hoc specialiter fore obligatos, & tam ipsi Reges & Regina, quam sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes Nobis & singulis Successoribus prædictis, atque eidem Ecclesiæ, quando præstabunt hujusmodi fidelitatis juramentum, jurabunt, se ad hoc specialiter obligatos, quod videlicet nunquam ipsi, & sui hæredes prædicti, per se, vel alium, seu alios quocumque modo procurabunt, ut ipsi vel aliquis eorum eligatur vel nominetur in Regem, vel Imperatorem Romanorum, vel in Regem Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, vel Tusciæ; & si electionem vel nominationem ad Imperium vel Regnum Romanorum, seu Regnum Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ aut Tusciæ, seu majoris partis hujusmodi de illis celebrari contigerit, nullum hujusmodi denominationi vel electioni assensum præstabunt, aut se intromittent ullo modo in regimine ipsius Imperii vel Regni Romanorum, seu Teutoniæ, aut Dominii Lombardiæ, seu Tusciæ vel majoris partis eorumdem, ad quodcumque eorum ipsi nominati fuerint vel electi.

Quod si ipsi Reges & Regina vel aliquis in dictis Regno vel Ducatibus hæredum studentibus & procurantibus eis ad Imperium ipse, sive dictum Regnum Romanum sive Regnum Teutoniæ, aut Dominium Lombardiæ sive Tusciæ aut majoris partis eorum electi seu nominati fuerint, aut si post talem

talem electionem, in Imperii vel Regni Romanorum, sive Regni Teutoniæ, aut Dominii Lombardiæ seu Tusciæ, aut majoris partis ipsorum regimini ipsi se manifeste intromiserint, sine expresso nostro vel Successorum nostrorum mandato, eo ipso a jure Regni & Ducatuum prædictorum respective cadant ex toto, illaque prorsus amittant, & ad Romanam Ecclesiam libere revertantur. Si autem ipsi Reges & Regina vel aliquis ex dictis hæredibus electioni, vel nominationi pro tempore factæ, non procurantibus ipsis, aut etiam palam vel occulte procurantibus, forsan consenserunt, & quod hujusmodi electioni, vel nominationi seu juri omnino renuntient, & quod de Imperio seu aliquo præmissorum, ad quod electus seu electi, nominatus seu nominati fuerit aut fuerint, nullatenus se intromittat seu intromittant, moniti, nisi infra quatuor mensium spatium post nominationem hujusmodi, vel tali electioni vel nominationi, aut juri renuntiaverit seu renuntiaverint, vel si de ipso Imperio vel aliquo præmissorum, ad quod electus seu nominatus, electi seu nominati fuerit seu fuerint, se intromiserit vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sit vel sint eisdem Regno & Ducatibus, & omni prorsus jure eorum respective privatus ac privati, & ut dictum est, ad Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad eos vel suos in eisdem Regno & Ducatibus hæredes non possit talis monitio pervenire, super quo utroque impedimento, videlicet, quod moneri commode nequeant, credetur & stabitur assertioni dumtaxat Romani Pontificis, sufficiat monitio publica & solemnis, ita, quod si infra sex menses eorum quilibet, prout eum concernit, non renuntiaverit, vel hæredes non renuntiaverint, aut de Imperio seu aliquo alio prædictorum, ad quod ipsi vel hæredes sui electi vel nominati fuerint, quomodolibet se intromiserint, ex hoc cadant ab omni jure Regni & Ducatuum prædictorum, ac illa ad ipsam Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Cæterum si contigerit, aliquem de prædictis hæredibus, qui deberet in prædictis Regno & Ducatu Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis eorum nominari, seu eligi vel assumi, nullatenus eorum Regni & terræ possessionem nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio, aut regimine per se vel alios aliquatenus intromittat, nisi Imperio seu Regno Romanorum, seu Regno Teutoniæ, aut Dominio Lombardiæ, seu Tusciæ, seu majoris partis eorum, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit, vel assumptus, & omni juri sibi de illis competenti omnino renuntiet; & si illorum aliquod sive de jure, sive de facto tenere voluerit, Regnum & Ducatus hujusmodi omnino dimittat, ipsa nullo unquam tempore reassumpturus, cadatque ab omni successione & jure, quod in Regno & Ducatibus hujusmodi sibi competerent, ipso facto, ita quod illa ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plenarie & libere devolvantur. Quod si non extantibus masculis fœmina in eisdem Regno & Ducatibus prædictis successerit, illa Regi vel Imperatori Romano, seu in Regem vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi seu electo in Regem Teutoniæ, seu Dominum Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis eorum Dominum nunquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Regno & Ducatibus prædictis, & prorsus ipsorum jure privatus sit, illis ad eandem Ecclesiam devolutis. Si autem Reges & Regina præfati, vel aliquis suorum in Regno vel Ducatibus prædictis hæredum contra hoc venerit vel venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe & perjurii reatu respersi & notati existant. In hujusmodi quoque juramento etiam per dictos Reges de proximo faciendo ipsi & sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes, quoties illud præstiterint, addent expresse, quod nullo unquam tempore Regnum seu Imperium Romanum, aut Regnum Teutoniæ, vel Dominium Lombardiæ, seu Tusciæ, aut eorum majoris partis, seu Lombardiam vel Tusciam, vel majorem partem earum, per se vel alium, seu alios occupabunt, capient vel acquirent, aut sibi alias quoquo modo vendicabunt, vel dicti hæredes per se vel alium, seu alios occupabunt, capient vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vendicabunt sine nostra ac Successorum nostrorum expressa voluntate & assensu; & si secus fecerit, seu fecerint, secundum prædictam formam, pœnas similes incurrat & incurrant.

Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ seu Tusciæ, intelligatur scienter & præterquam de Ducatu & Dominio Mediolanensi, ac aliis terris & Dominiis, quæ præfatus Ludovicus Rex ibi tenet & possidet, ac ad eum ratione Ducatus & Dominii prædictorum pertinent. Si vero ignoranter eadem ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneatur, & ipsi hæredes teneantur, & si ea ad mandatum Ecclesiæ dimittat, seu dimittant, non incidat, nec ipsi incidant in pœnam, in isto articulo & similibus constitutam; si vero monitus aut moniti non dimittat seu dimittant, incurrant pœnam, prout est in hoc articulo & in aliis constitutum. Quod si forte in posterum Regem & Duces præfatos contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni & Ducatuum prædictorum fuerint possessionem adepti, non transeant ad Imperium, alioquin in pœnas incidant in hoc articulo & aliis similibus comprehensas.

Quod si Regni & Ducatuum prædictorum possessione nondum habita vel obtenta, in Imperatorem electi transire voluerint ad Imperium, in manibus ipsius Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium successurum in Regno & Ducatibus prædictis, cujuscunque fuerint ætatis, emancipent, ac Regno & Ducatibus præfatis renuntient, nihil juris in eis retinentes clam vel palam, nec etiam cujuslibet patriæ vel alterius potestatis occasione, nec ipsum filium ad subsidium vel aliquod servitium faciendum juramento, vel voto, stipulatione vel facto sibi vel Successoribus suis astringant, sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de Regno & Ducatibus prædictis, ad quorum successionem, si forte decederet sine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator existens, sed si Imperio & omnibus, quæ ad ipsum Imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & ipsis Regno & Ducatibus tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illorum successionem libere admittatur,

tatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato ab eo, investituram recipiat Regni & Ducatuum prædictorum; idem vero filius sic assumtus si major decem & octo annis fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse, quam Regnum & Ducatus hujusmodi in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneant, donec Rex vel Dux ipse ætatem compleverit antedictam: fructibus nihilominus & obventionibus ipsorum Regni & Ducatuum, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro eorumdem Regnis & Ducatuum custodia, deducentur Regi vel Duci conservandis eidem, & lucro alteri rationis ipsius custodiæ non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut & videlicet Regnum & Ducatus hujusmodi possint sub observatione præmissa, a patre ad Imperium transeunte dimitti.

De filia etiam duximus statuendum, salvis aliis conditionibus supradictis; & si Rex vel Dux, non habens filios, in Imperatorem electus, ad Imperium transire voluerit, de personis, quas supra diximus, liberis non extantibus, in Regno & Ducatibus prædictis succedere possint, alii qui superstites fuerint, quæ de filio & de filia præordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, qui in solis illis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis. Declaramus etiam, quod si Regi vel Duci, sive filio decedenti, superstes sit filia vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori, dum Rex ipse viveret, fuerat desponsata vel nupta, illa non succedat, ut præmittitur; & si Regno & Ducatibus prædictis sibi delatis Imperatori nupserit, cadat protinus & ab eisdem, nisi vice ejus & Imperio prorsus renuntiatis, ipsis Regno vel Ducatibus solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsis filia & aliis prædictis, ad personas alias, servatis gradibus, Regnum & Ducatus prædicti perveniant, quæ prænotatæ sunt, quod in eisdem Regno & Ducatibus possint succedere, si Regi vel Duci præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu Renum & Ducatus ipsi ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur, Regnumque & Ducatus prædicti Imperio nullo modo subdantur, seu sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet uniantur, & præcise super hoc articulo tam per pœnas spirituales quam alias cautiones cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quomodocumque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum, cum prorsus sit intentionis Romanæ Ecclesiæ, ut Regnum & Ducatus hujusmodi nullo unquam tempore uniantur, ut scilicet unus Romanorum Imperator & Neapolis Rex, aut Calabriæ & Apuliæ Dux existat, Quod autem circa unionem hujusmodi cum Imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem cum Regno Romanorum & Regno Teutonico, seu cum Lombardia vel Tuscia, sive cum majore parte ipsorum Lombardiæ & Tusciæ, exceptis supra expressis, intelligimus & volumus esse dictum.

Pro toto vero generali censu Regni Neapolis quatuor, ac pro censu Ducatuum Calabriæ & Apuliæ prædictorum etiam quatuor millia unciarum auri, ad pondus ipsorum Regni & Ducatuum, in festo Beati Petri Apostoli de mense Junii, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ per dictos Reges & Regnum, ac suos in dicto Regno, & Ducatibus hæredes annis singulis persolventur. Si vero ipsi Reges & Regina, vel iidem sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes quocumque termino non solverint integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculis innodati. Quod si secundo termino infra alios duos subsequentes menses sine diminutione qualibet non persolverint, totum Regnum & Ducatus hujusmodi ecclesiastico erunt interdicto supposita. Si vero nec in tertio termino, nec infra alios duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census eis duxerint consulendum, ita, quod transactis eodem tertio termino, ac duobus proximis sequentibus mensibus, non sit de hujusmodi censibus primi termini ipsi Romanæ Ecclesiæ satisfactum integre, ab eisdem Regno & Ducatibus, ipsorumque jure cadant ex toto, Regnumque & Ducatus hujusmodi ex tunc ad eandem Romanam Ecclesiam integre & libere revertantur; si autem de censibus hujusmodi primi termini infra dictum tertium terminum, & duos subsequentes menses plenarie satisfecerint, nihilominus semper pro dictis censibus singulorum terminorum simili modo, si dictorum solutione cessaverint, vel illos non solverint, similes pœnas incurrant, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

In quolibet etiam triennio ipsi Reges & Regina, suique in dictis Regno & Ducatibus hæredes, dabunt Nobis & Successoribus nostris, Romanis Pontificibus canonice intrantibus, quilibet unum palafredum album pulchrum & bonum, in recognitionem veri dominii eorumdem Regni & Ducatuum. Adhæc, cum Regnum & Ducatus hujusmodi possideant, & in eis plenam obedientiam habeant, ac Neapolis & Jerusalem verus Rex, & Ducatuum prædictorum verus Dux & vera Ducissa, cum omnibus Regiis & supremis præeminentiis respective censeantur, ut præfertur, pro investitura hujusmodi ex nunc sub infrascriptis terminis solvant Nobis & præfatæ Ecclesiæ Romanæ quinquaginta millia Marcharum sterlingorum, æquis portionibus inter vos dividendos, videlicet infra sex menses proxime venturos decem millia, & infra alios sex menses post eosdem primos sex menses successive computandos, sex alia decem millia marcharum, usque ad totam summam quinquaginta millium marcharum sterlingorum hujusmodi, donec tota ipsa summa per ipsos Reges & Regnum, aut nomine suo, Nobis & eidem Ecclesiæ fuerint persoluta. Quod si in eisdem terminis illas non persolverint, liberum erit Nobis, vel eidem Romano Pontifici, contra eos pro singulis terminis ad pœnas spirituales & temporales procedere, prout Nobis vel ipsi videbitur expedire. Quandocumque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit, Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi Romani Pontificis simplici verbo stetur, ipsi Reges & Regina, vel sui in dicto Regno & Ducatibus hæredes, requisiti ab eo in urbem, in Campaniam, in patri-

patrimonium Beati Petri, in Tusciam, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, ad præmissam civitatem Beneventanam, & ejus territorium ac pertinentias, quæ, ut præfertur, eidem remanebunt Ecclesiæ, ac in civitates nostras Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem, Avinionensem, & Comitatum Venaysini, & in omnes alias terras ipsius Ecclesiæ, ubicumque existentes, trecentos milites equis & armis decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, quilibet videlicet eorum medietatem in Ecclesiæ prælibatæ obsequium & subsidium transmittet & transmittent, per tres menses integros ipsorum & suorum prædictorum in dictis Regno & Ducatibus hæredum sumptibus & stipendiis, semel tunc in anno in servitiis ejusdem Ecclesiæ moraturos mensibus ipsis a die, qua iidem milites terram sui Dominii, vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis; & si maluerit Ecclesia eadem ingruente necessitate, super qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est, navali exercitu juvari, prædicti milites debita taxatione & recompensatione præhabita, in navale subsidium commutentur.

Verum quia prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit in suum demanium seu dominium, cum omnibus suis juribus & pertinentiis reservavit, & totum territorium civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, quas Romanus Pontifex quomodocumque semel tantum, si placuerit, bona fide distinguet eidem Ecclesiæ, & in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure in eis eisdem Regibus & Reginæ, vel cuicumque alii de Regno & Ducatibus prædictis retento, seu quomodolibet reservato, distinctionique per Romanum Pontificem semel faciendæ, ut dictum est, stabunt ipsi Reges ac Regina, ac prædicti sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes absque contradictione, seu refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per literas Apostolicas apparebit. Pro dicta quoque civitate Beneventana reparanda, reficienda & fortificanda, per Romanam Ecclesiam exponent per septennium pro lignationibus omnia nemora ipsorum Regni & Ducatuum, & omnem materiam ad ædificium opportunam, ut puta, lapides & arenam, quæ puteolana vocatur, cæmenta & similia, & sine præjudicio juris singularum personarum, ad unam diætam prope Beneventum. Præstabunt etiam ipsis Beneventanis securitatem per totum Regnum & Ducatus prædictos. Insuper privilegia in dicta civitate, a Regibus & Principibus concessa, illibata servabunt, omnia statuta, per quondam Fredericum, olim Romanorum Imperatorem, seu quoscunque alios Reges, & per quondam Joannam, olim Reginam prædictam facta contra libertatem civitatis ejusdem, revocabunt, & in omnibus & per omnia, quæ libertatis fuerunt, cæteris regnicolis parificabunt illa, nec alia statuta, seu aliquas leges condent in posterum, per quæ dictæ civitati directe vel indirecte possit præjudicium generari, & pro Apostolicæ Sedis & beati Bartholomæi, patroni civitatis ejusdem, reverentia fidantias ab omnibus remitti facient, & remittent eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere vineas & terras excolere, ac ipsarum fructus & fruges recolligere, ac easdem vineas & terras vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere, sine aliqua exactione, vel muneris donatione.

Ipsi autem Reges & Regina, ac dicti sui in eisdem Regno & Ducatibus hæredes in dicta civitate & ejus territorio ac pertinentiis suis, quæ Romanæ Ecclesiæ remanebunt, vel in urbe seu Campania, vel Maritima, seu Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, vel in patrimonio Beati Petri, in Tuscia, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avinionensi, & Comitatu Venaysino, seu in aliis quibuscumque dominiis sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato, aut donatione vel venditione, aut alio quocumque jure sive titulo seu contractu nihil unquam eis acquirent vel vendicabunt, seu poterunt acquirere vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipient vel habebunt, aut retinebunt, seu poterunt recipere vel etiam retinere, aut nullam potestariam, capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullam dignitatem seu potestatem senatoriam, vel quamcunque aliam administrationem, seu commendam, nec quodcunque aliud officium recipient seu recipere poterunt in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis hæredibus ipsorum Regum & Reginæ, ac suorum in dictis Regno & Ducatibus hæredum, qui in eisdem Regno & Ducatibus succedent; noluimus enim, quod delictum aliorum hæredum, qui succederent ipsis Regibus & Reginæ, vel illis in civitatibus & aliis terris eorum, in pœnam hæredis, qui est eisdem Regibus & Reginæ vel hæredibus successurus in Regno & Ducatibus præfatis, aliquatenus extendatur. Ne vero hujusmodi alii hæredes ipsorum Regum & Reginæ, vel hæredum suorum contra ea, quæ in isto continentur articulo, aliquo forsan tempore venire præsumant, acquirendo vel vendicando, aut recipiendo vel habendo seu retinendo sibi aliquid in terris, in articulo ipso expressis seu comprehensis, vel recipiendo, habendo, vel retinendo in terris eisdem potestariam, capitaniam, vel rectoriam, vel aliquid aliud de iis, quæ in articulo continentur eodem, sic super iis duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum hæredum dictorum Regum & Reginæ, vel ipsorum nullo unquam tempore liceat, sibi quidquam in eisdem terris acquirere, seu vendicare, percipere, habere, vel etiam retinere potestariam seu capitaniam vel rectoriam, vel aliquid aliud in iis, quæ, prout dictum est, in eodem plenius continentur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse nec ejus posteri in perpetuum possint in eisdem Regno & Ducatibus succedere, si aliquo casu hujusmodi successio deferatur, sed ab illa repellatur omnino; & nihilominus ille, qui tunc eorundem Regni vel Ducatuum gubernaculo præsidebit, Romano Pontifici potenter assistere teneatur. Si vero dictorum Regum & Reginæ in ipsis Regno & Ducatibus hæredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium & pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam seu Maritimam, vel Urbem, vel Ducatum Spoletanum aut Marchiam

Anco-

Anconitanam, seu patrimonium Beati Petri in Tuscis, aut civitates Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem, vel Avinionensem, aut Comitatus Venaysini, vel alias quascumque terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas, vel ipsarum aliquam partem occupaverint, seu occupari fecerint, seu super iis offenderint, vel molestaverint Ecclesiam, seu fecerint molestari, etiam postquam desuper a Romano Pontifice moniti & requisiti fuerint; vel si commode moneri, aut requiri nequiverint, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem, vel dictum, postquam ad hoc publice & solemniter ipsos Reges & Reginam, vel dictos hæredes monuerint, infra tres menses non restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab ipsorum Regni & Ducatuum jure cadant totaliter, ipsaque Regnum & Ducatus prorsus amittant, & ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur; quod si etiam restituerint occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis, ad mandatum ejusdem Romani Pontificis, satisfacere teneantur; Alii quoque hæredes dictorum Regum & Reginæ, videlicet qui eis non succedent in Regno & Ducatibus prædictis, occupare, vel occupari facere super illis eandem Ecclesiam non attentent, illi vero, qui secus fecerint, præmissas pœnas incurrant, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi, quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem Regni & Ducatuum prædictorum, si in aliquo casu forte eadem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur, & Rex Neapolis, vel Dux Calabriæ & Apuliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, ut superius est expressum.

Sane omnibus Ecclesiis tum cathedralibus, metropolitanis, quam aliis regularibus & secularibus, nec non omnibus Prælatis & clericis, ac universis personis Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, & quibuscumque religiosis locis Regni & Ducatuum prædictorum plenarie dimittantur & restituantur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoslibet detineantur, mobilia quæ extant & poterunt inveniri, simili modo restituantur eisdem; hæc autem restitutio fiat absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscentur prædictorum Regni & Ducatuum possessionem, hoc modo, scilicet quod statim illa parte ipsorum Regni & Ducatuum, quæ eisdem Regibus & Reginæ, vel ipsis hæredibus obediat, restitutio ipsa fiat, ipsasque postmodum successive conservabitur, sicut Regnum & Ducatus hujusmodi habebuntur. Ne autem super iis rebus restituendis oriri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romanis Pontificibus aliqui viri discreti, ad quorum mandatum & arbitrium bonorum & rerum mobilium & immobilium quæ extant, restitutio plena fiet, ita quod earum de quorum Dominio vel potestate seu possessione notorium fuerit, ad eorum arbitrium & mandatum mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano absque judicii strepitu diligentius veritas inquiretur; sufficiat autem vocari Camerarium, vel procuratorem, vel balivum, in cujus jurisdictione vel balivatu bona, de quibus agetur, consistent, ad videndum jurare testes qui in hujusmodi depositione deponent.

Omnes insuper Ecclesiæ tam metropolitanæ & cathedrales, quam aliæ seculares & regulares, nec non omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ, seculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca in Regno & Ducatibus prædictis consistentia, cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, quas salvis reservationibus Apostolicis fieri contigerit, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post Regis aut Ducis vel Ducissæ assensus ac consilium aliquatenus requiretur; quam utique libertatem ipsi Reges & Reginæ, & sui in ipsis Regno & Ducatibus, hæredes semper manutenebunt & conservabunt, ac manuteneri & conservari facient ab omnibus subditis suis, dictæque Ecclesiæ & personæ utantur libere bonis & juribus suis omnibus, salvo eisdem Regibus ac Reginæ, ac suis in hujusmodi Regnis & Ducatibus hæredibus, jure patronatus in Ecclesiis tantum, quantum in hac parte patronis Ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ in dictis Regno & Ducatibus respective, ac etiam eorundem Ducatuum Calabriæ & Apuliæ Duces hujusmodi jus patronatus in ipsis Ecclesiis habebant. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum in Regno & Ducatibus prædictis & pertinentiis libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Sedem Apostolicam pro hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati ad eandem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus, libere & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum Prædecessores antiqui illa Siciliæ Regi præstiterunt, respective secundum divisionem prædictam. Ab illis autem Prælatis & Ecclesiis, qui regalia sive temporalia bona tenent, si tamen sint qui hujusmodi bona teneant a Dominis Regni & Ducatuum, & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione bonorum temporalium hujusmodi ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia, secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur canonica, impendentur, salva tamen Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis auctoritate, & jurisdictione plenaria & libera potestate.

Circa Ecclesiasticas & alias regulares & seculares personas, & loca Ecclesiastica prædicta, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quam quibuscunque aliis concessionibus & gratiis, ac super eis conficiendis literis apostolicis, quas cessante omni impedimento per eos seu officiales & subditos suos præstando permittent libere & absolute executioni debitæ demandari, quinimmo præstantes impedimentum aut retinentes & inobedientes comprimènt & punient, & ad obedientiam & reverentiam literis apostolicis exhibendam compellent & constringent, & requisiti manu militari, prout ipsarum literarum apostolicarum executori judici seu nuntio videbitur, assistent remediis opportunis.

Revo-

Revocabunt etiam Reges & Regina, & sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes omnes constitutiones & leges per dictum Fredericum Regem Siciliæ, sive per Conradum, ipsius Frederici filium, aut Manfredum, quondam Principem Tarentinensem, seu per dictam quondam Joannam Reginam, vel alios Reges aut Reginas Regni & Ducatuum præfatorum, seu alios quoscunque editas contra Ecclesiasticam libertatem, nec statuta edent aut consvetudines introducent seu etiam promulgabunt, per quæ juri & libertati Ecclesiasticæ in aliquo derogatur. Promittent etiam, quod nullus Clericus, aut persona Ecclesiastica eorundem Regni & Ducatuum in civili vel criminali causa ad faciendum fidem de titulo & possessione clericatus convenietur coram judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes Ecclesiæ & monasteria, hospitalia & alia pia & religiosa loca, & beneficia ac personæ Ecclesiasticæ Regni & Ducatuum prædictorum omnimode erunt liberæ & libera, & in nullo Regi aut Duci subjacebunt.

Nullas insuper tallias seu collectas imponent Ecclesiis, monasteriis, locis vel beneficiis prædictis, aut Clericis & personis Ecclesiasticis seu rebus eorum, & in Ecclesiis in dictis Regno & Ducatibus vacantibus ipsi Reges & Regina, vel prædicti sui in dictis Regno & Ducatibus hæredes nulla habebunt regalia, nullosque fructus, reditus & proventus, nullasque etiam obventiones, & nulla prorsus alia recipient ab eisdem, custodia Ecclesiarum earundem interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones; Comites vero, Barones, milites & universi homines totius Regni & Ducatuum prædictorum vivent in eadem libertate, & habebunt illas immunitates illaque privilegia, & eis gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Primo namque sanctissimus Dominus noster pro se & Successoribus suis, Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac sancta Romana Ecclesia ipsum Carolum Regem a perjurii reatu, censuris & pœnis, (si quas forsan, propterea que per ipsum circa electionem de persona sua factam hujusmodi acta seu procurata fuissent, incurrisset) absolvit & absolutum nunciavit, juramentumque per eum præstitum, quoad hoc duntaxat Majestati suæ relaxavit, ut electionem de persona sua factam, ut præmittitur, absque alicujus censuræ pœna & labe, ac perjurii reatus respersione, ac Regni Siciliæ citra Pharum, hujusmodi amissione consentire, nec non Romanorum Regis, electique Imperatoris titulis uti, & se Romanorum Regem ac Imperatorem nominare, & quoad vixerit, Imperium regere, & Regnum Siciliæ hujusmodi cum Imperio & Romano Regno prædictis retinere, dummodo Majestas sua alia, quæ in literis concessionis feudi Regni Siciliæ citra Pharum hujusmodi continentur, a quibus per Apostolicam Sedem dispensatio seu remissio facta non appareret, sub pœnis in eisdem literis contentis, quoad vixerit, inviolabiliter observare teneatur, libere & tacite valeat, Majestati suæ licentiam & facultatem concessit, illumque ad præmissa si expedierit, habilitavit, personam suam ad hujusmodi electionem approbando, & legitimam fore declarando, prout in literis Apostolicis eidem Carolo Regi per Nos concessis, quarum tenor præsentibus de verbo ad verbum est insertus; ac etiam dictum Regnum Siciliæ citra Pharum eisdem modo & forma, quibus per felicis recordationis Julium Papam secundum illud claræ memoriæ Ferdinando Regi avo suo & subditis, quæ tamen per Sedem Apostolicam non apparerent, remissæ, & infra scriptis conditionibus implendum, de novo concessit, & ideo etiam ipsum investivit. Joannes vero procurator, sicut præfertur, constitutus & deputatus, procuratorio nomine promisit, & eumdem Carolum Regem & omnes Regnum ipsum Siciliæ, tenentes vigore concessionis per prædictum Julium Papam, quam eumdem sanctissimum Dominum nostrum, eidem Carolo Regi pro tempore obtinentes obligavit & obligat, quod ipsi teneantur inviolabiliter observare, & implere omnia alia in literis contenta, super quibus de dispensatione, aut illorum remissione per Sedem Apostolicam facta non constare:

ftaret seu appareret, infrascriptas conditiones sub pœnis in eisdem literis Julii Papæ contentis.

Item obligavit, & obligat ipsum Carolum Regem, quod ipse teneatur ad suæ Sanctitatis, & Successorum suorum instantiam paratas habere ejus expensis duas triremes armatas & munitas septem anni mensibus, Kal. Aprilis usque ad finem Octobris pro tuitione maris Tyrrheni & aliorum locorum, & rerum Ecclesiæ tutela ac defensione, tam contra infideles quam quoscunque invasores, Ecclesiæ loca, & terras molestantes, nisi Rex ipse justo distraheretur impedimento, quo casu non censeatur huic capitulationi contravenire. Item simili modo obligavit, & obligat eumdem Carolum Regem, & Regnum ipsum Siciliæ citra Pharum pro tempore obtinentes, quod ipsi pro recognitione veri & directi dominii teneantur solvere singulis annis in perpetuum Cameræ Apostolicæ septem millia Ducatorum auri de Camera in festo ejusdem beati Petri ultra solitum censum parafreni albi.

Item obligavit, & obligat eundem Carolum Regem, quod ipse permittere teneatur, Sanctitatem suam & Romanum Pontificem pro tempore existentem decem millia rubra grani penuriarum tempore, dummodo subditis Regnorum Siciliæ citra & ultra Pharum granum sufficiens remaneat, extrahere absque juris tractæ solutione, nec non ex quibusque granis & victualibus pro usu palatii Apostolici; Sanctæ vero Romanæ Ecclesiæ Cardinales pro domorum seu familiarum suarum necessitate duntaxat ex fructibus Ecclesiarum & beneficiorum suorum in dictis Regnis consistentium educere, & exportare. Item obligavit & obligat dictum Carolum Regem, & Regnum ipsum Siciliæ citra Pharum pro tempore obtinentes, quod ipsi ad suæ Sanctitatis & Cameræ Apostolicæ requisitionem delinquentes in dictæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectis, ad dictum Regnum Siciliæ citra Pharum & illius civitates, terras, & loca confugientes capi, et ad urbem vel alium locum remitti faciant, dummodo Sanctitas sua et Successores sui Romani Pontifices, ac dicta Camera ad ipsius Caroli Regis et officialium suorum requisitionem delinquentes in terris et locis et ad terras et loca Ecclesiæ confugientes pariter remittant. Item obligavit et obligat ipsum Carolum Regem, quod ipse teneatur præstare homagium et fidelitatis juramentum ratione novæ concessionis dicti feudi.

Item ipsius Caroli Romanorum Regis electi, et futuri Imperatoris nomine et pro eo, et sub nomine Romani Regis et in Imperatorem electi, ligam et fœdus inter Majestatem suam ante electionem in Romanorum Regem ac eandem Sanctitatem suam innitam, et omnia capitula in eis contenta approbavit et confirmavit, approbat et confirmat modis et formis in eis contentis. Quæ omnia et singula supra et infrascripta ipse S. D. N. pro se et Successoribus suis ac Sancta Romana Ecclesia in verbo Romani Pontificis, et prædictus Joannes, procurator in hac parte ipsius Caroli Regis per juramentum ejus, tactis per eum ob hoc corporaliter Scripturis sacrosanctis, rata, grata & firma habere, & tenere, observare & observari facere & adimplere effectualiter & in totum, & non contrafacere, dicere, opponere vel venire per se vel alium seu alios modo aliquo vel ingenio directe vel indirecte, tacite vel expresse, de jure vel de facto aut alio quovis quæsito colore vel ingenio, in judicio, vel extra.

Pro quibus omnibus & singulis firmiter observandis & adimplendis prædictus S. D N. nomine suo et Successorum ac Romanæ Ecclesiæ omnia & singula jura & bona ad dictam Cameram Apostolicam pertinentia, & præfatus Joannes procurator, nomine quo supra, & utraque earum partium invicem & vicissim nominibus ante dictis omnia & singula ipsius S. D. N. & Successorum ac Romanæ Ecclesiæ, & Dominii constituentis bona mobilia & immobilia status, Regna & Dominia præsentia & futura, ac etiam subditos & bona subditorum & cujuslibet eorum: ac etiam procurator ipse ipsum Carolum Regem ad observandum omnia & singula supradicta, ac Regnum ipsum Siciliæ citra Pharum pro tempore obtinentes hujusmodi præsertim solutionem census septem millium Ducatorum auri ratione novæ concessionis feudi dicti Regni de novo impositi, ita quod nulli liceat allegare, quod non licuerit eidem Carolo Regi dictum censum septem millium Ducatorum de novo imponere, ex quo non sibi sed Ferdinando Regi avo ejus, concessio dicti feudi facta fuerit, & in eventum, quod id allegarent aut præmissa non observarent, caderent ab omni jure suo, dictumque Siciliæ Regnum citra Pharum ad Romanum Pontificem ac Romanam Ecclesiam hujusmodi libere reverteretur; & admittendam ratificationem omnium præmissorum per publicum Instrumentum cum præsentis capitulationis insertione solemniter obligarunt. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium ipsæ ambæ partes prædictæ fieri fecerunt duo ejusdem tenoris scripta, suis propriis manibus subscripta & signata, pro qualibet parte unum Instrumentum capitulatis hujusmodi debeat inseri in bulla sub plumbo expedienda, quæ habet vim novæ concessionis feudi hujusmodi. Ita promittimus I. & ego Joannes Manuel, orator. (Adjecta sunt testium nomina) Acta fuerunt hæc in dicto Palatio Apostolico, Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, die vero tertia mensis Junii, Pontificatus S. D. N. Leonis, divina providentia Papæ X. anno nono.

CXXXIX.

Ejusdem Bulla, in qua Carolum V., Romanorum Imperatorem, à perjurii reatu, censuris atque pœnis, quas, tanquam Siciliæ, citra Pharum sitæ, possessor, incurrere poterat, absolvit, d. d. 6. Id. Junii, Anno 1521.

LEo Episcopus, Servus servorum DEI, charissimo in Christo filio, Carolo, Romanorum & Hispaniarum & utriusque Siciliæ Regi Catholico, in Imperatorem electo salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum in mentis nostræ arcano diligenti consideratione perpendimus singularem fidei constantiam & integritatem, ac eximiæ devotionis affectum, quibus in nostro conspectu semper claruisti, & indies magis clares, dignum profecto sed potius debitum reputa-

reputamus, ut tua humilia vota, ac ea præsertim, per quæ universæ Christianæ reipublicæ utilitati non minus, quam propriæ animæ tuæ saluti consulitur, ad exauditionis gratiam benigne & favorabiliter admittamus. Sane dilectus filius, nobilis vir, Joannes Emmanuel, tuus ad Nos & Sedem Apostolicam orator, pro parte tua Nobis nuper exposuit, quod, licet felicis recordationis Julius Papa secundus, prædecessor noster, Regnum Siciliæ & Jerusalem cum tota terra citra Pharum, claræ memoriæ Ferdinando Catholico Regi pro se & Successoribus in Regno Arragoniæ hæredibus & Successoribus tam masculis, quam fœminis, & natu majores minoribus in eodem Regno præferrentur: ac inter alia voluerit jure jurando affirmari, quod tam ipse Ferdinandus Rex, quam ejus in præfato Regno hæredes & Successores, nequaquam procurarent eligi vel nominari in Imperatorem vel Regem Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, seu Tusciæ, dictique electi & nominati nequaquam præstare assensum; verum si post talem electionem de Imperio, seu Romanorum Regno, Dominio Lombardiæ, aut Tusciæ manifeste se intromitterent, sine expresso Romani Pontificis mandato, eo ipso a jure Siciliæ citra Pharum hujusmodi cederent ex toto; Majestasque Tua dicto Ferdinando, avo tuo materno, vita functo, velut illius in eodem Regno, maxime citra Pharum, hæres & Successor, cum dilecta in Christo Filia Joanna, Regina, matre tua, per dilectum filium Hieronymum Vich, utriusque Majestatis Tuæ oratorem & procuratorem legitimum, fidelitatis debitæ ratione feudi hujusmodi Regni Siciliæ citra Pharum juramentum præstiterit, & ut omnia legi investituræ adjecta inviolabiliter observarentur proprio juramento promiserit.

Quia tamen inclytæ memoriæ Maximilianus in Imperatorem electus, avus tuus paternus, dum in humanis ageret, cupiens Majestatem Tuam in Imperatorem, seu Romanorum Regem eligi, cum Regem eligerent & nominarent, ipsoque Maximiliano vita functo Majestas Tua ut Electoribus ipsis libera eligendi facultas pateret, si quod obligationis vinculum iis subesset, sponte ut per suas patentes literas relaxavit eosdem Electores ab iis omnibus, quæ dictus Maximilianus ceperat, penitus quietando & liberando, & omnino liberos & immunes a quovis obligationis nexu decernendo; verum cum cerneres & mente revolveres summa conjectura Christianorum quieti & tranquillitati Catholicæ Religionis conservationi & augmento & universæ Reipublicæ saluti & exaltationi, ut electio hujusmodi in tuam electionem cadere posset, ut inde optimæ Tuæ intentionis fructus universo orbi paterent; iis rationibus freta Majestas Tua bonis quidem persvasionibus utens, ac omnis ambitionis labe semota, per nuntios suos palam & aperte hujusmodi electionem prosecuta, in tantum, ut unanimi electorum voto Spiritus Sancti gratia, DEIque optimi maximi favente clementia, Romanorum Rex futurusque Imperator electus fuerit, cum soliti decreti interpositione; & si prætendas, te justis aliquibus de causis excusari posse, ne quid perperam actum, seu attentatum censeatur, more tamen bonarum mentium agendo timendoque culpam etiam, ubi culpa non esset, per eundem Joannem oratorem pro parte tua Nobis supplicare feceris, ut electioni & nominationi hujusmodi, de persona tua factæ, libere consentiendi, ac titulum in Romanorum Imperatorem electi assumendi, simulque feudum Regni Siciliæ citra Pharum hujusmodi cum Imperio ac Romanorum Regno retinendi licentiam concedere, nec non personam tuam ad præmissa approbare & legitimam declarare, & quatenus expedierit, super iis dispensare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos considerantes, quod, etsi prohibitiones hujusmodi non sine rationabili & magna causa a prædecessoribus nostris emanarunt; sperantes tamen, ac Nobis ipsis firmiter persvadentes, quod Majestas Tua in suæ fidei sinceritate & obedientia erga Nos & prædictam Ecclesiam, sponsam nostram, eo firmior & constantior erit, quo Nos & illam repererit in se magis munificos, ac in suis opportunitatibus liberales, & quanto major erit, tanto magis eidem Ecclesiæ, cujus Advocatus est, favere, eamque contra improbos perversorum conatus defendere ac juvare procurabit: præmissis omnibus matura meditatione pensatis ac examinatis, petitiones hujusmodi per prædictum Joannem oratorem tuum Nobis porrectas duximus admittendas; Majestatemque Tuam a quibusvis perjurii reatu, censuris & pœnis, si quas forsan propter ea, quæ per Te circa electionem hujusmodi acta, seu procurata fuerant, incurreris, auctoritate Apostolica tenore præsentium absolventes, & absolutum fore nuntiantes, juramentum prædictum quoad hæc duntaxat Majestati Tuæ relaxantes, ut electioni de persona tua, ut præmittitur, factæ absque alicujus censuræ pœna & labe, ac perjurii reatus respersione, Regnique Siciliæ hujusmodi amissione consentire, ac Romanorum Regis in Imperatorem electi titulo uti, et te Romanorum Regem in Imperatorem electum nominare, & quoad vixeris, Imperium regere, ac Regnum Siciliæ citra Pharum cum Regno Romano hujusmodi retinere, dummodo Majestas Tua alia, quæ in literis constitutionis feudi Regni Siciliæ citra Pharum & per Nos factis hujusmodi continentur, ac si per ipsam Apostolicam Sedem dispensatio seu remissio facta non appareret, sub pœnis in eisdem literis contentis, quoad vixeris, inviolabiliter observare tenearis, libere & licite valeas auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ licentiam & facultatem concedimus, teque ad præmissa, si expediat, habilitamus, personam tuam ad hujusmodi electionem approbantes, & legitimam fore declarantes, eamque propterea censuras & pœnas aliquas minime incurrisse, & tenore præsentium decernimus, non obstantibus præmissis constitutionibus Apostolicis nec non omnibus aliis, quæ prædictus prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod, si Majestas Tua ullo unquam tempore, quod absit, sed nostra & dictæ Ecclesiæ ratione dicti Regni Siciliæ citra Pharum fidelitate retraxerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti, dictumque Regnum citra Pharum et tunc ad Nos & Romanam Ecclesiam revertatur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, sexto Idus Junii, Pontificatus nostri anno nono.

CXL.

Ejusdem Bulla, in qua, se, concessione Regni Siciliæ, Carolo V. sub d. 3. Junii Anno 1521. facta, juri, Johannæ, Hispaniarum & Siciliæ Reginæ, ex Investitura Julii II. Pontificis Maximi, competenti, nequaquam præjudicare, aut detrahere voluisse, declarat, d. d. 3. Non. Jun. Anno 1521.

AD futuram rei memoriam. Nuper, postquam charissimus in Christo filius noster Carolus, Hispaniarum Rex Catholicus, in Romanum Regem & Imperatorem electus fuerat, cum ad eum Regnum Siciliæ citra Pharum alias per felicis recordationis Julium, Papam II. prædecessorem nostrum, claræ memoriæ Ferdinando Regi Catholico avo suo pro se & suis in Regno Arragonum hæredibus & Successoribus in feudum perpetuum ea conditione inter alia concessum, ut ipse & ejus in dicto Regno Siciliæ hæredes & Successores in perpetuum cum dicto Regno Siciliæ retinere possent, jure hæreditatis & successionis pervenisset, & dubitaretur, juramento per eum & per charissimam in Christo filiam nostram, Joannam, Hispaniarum Reginam, in concessione Feudi hujusmodi comprehenso, ratione dicti Feudi per certum eorum procuratorem, ad id speciale mandatum habentem, Nobis præstito contravenisse, & censuras in literis concessionis Feudi hujusmodi contentas incurrisse, & ad retinendum Regnum Siciliæ hujusmodi habilem non esse, nec illud cum Imperio retinere posse; Nos eundem Carolum Regem per alias nostras literas a quibusvis perjurii reatu, censuris & pœnis, si quas forsan propterea incurrisset, absolvimus, & absolutum nunciavimus, juramentumque per eum præstitum, ut præfertur, ad id duntaxat relaxavimus, ut electioni de persona sua in Romanorum Regem & futurum Imperatorem factæ absque alicujus censuræ pœna & labe perjurii reatus respersione ac Regni Siciliæ amissione consentire, & Imperium regere, & Regnum Siciliæ citra Pharum cum Imperio & Regno retinere valerent, licentiam & facultatem concessimus, eumque ad præmissa habilitavimus, ac personam suam ad hujusmodi electionem approbavimus, & legitimam fore declaravimus, ipsumque propterea censuras & pœnas aliquas minime incurrisse decrevimus, & deinde cum dilecto filio nobili Joanne Emmanuele, ipsius Caroli Regis consangvineo & oratore, per eum ad Nos & Sedem Apostolicam destinato, & ad paciscendum & capitulandum Nobiscum ab eodem Carolo Rege speciale mandatum habente, certa capitula inivimus. De quibus dilectus filius Joannes Matthæus Guilbertus, clericus Panormitanus, dilecti filii nostri Julii, S. Laurentii in Damaso presbyteri Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, Secretarius rogatus fuit, in quorum uno specialiter continetur, quod eidem Carolo Regi dictum Regnum Siciliæ citra Pharum eisdem modis & formis, quibus ipse Julius prædecessor illud præfato Ferdinando Regi concesserat, ac etiam sub tunc expensis, de quarum tamen dispensatione aut remissione, per Sedem Apostolicam facta, appareret, ac certis aliis per Nos adjectis conditionibus, in feudum de novo concessimus, & de eo etiam ipsum Carolum Regem investivimus. In alio vero ex dictis capitulis etiam continetur, quod ipse Joannes orator dicto nomine obligavit eundem Carolum Regem & Successores, pro recognitione veri & directi Dominii ipsius Regni Siciliæ solvere singulis annis in perpetuum cameræ Apostolicæ septem millia Ducatorum auri de camera in festo beati Petri ultra solitum censum parafreni albi, prout in Instrumento capitulorum & aliis nostris literis, in quibus tenor capitulorum & Instrumento super illis confectis, ut præfertur, de verbo ad verbum est insertus, plenius continetur, in quibus nostræ & ejusdem Joannis procuratoris procuratorio nomine fuit intentionis, præfatæ Joannæ Reginæ juribus, ex ipsius Julii prædecessoris investitura competentibus, præterquam quoad solutionem census septem millium Ducatorum per ipsum Carolum Regem in nova feudi Regni Siciliæ hujusmodi concessione aucti, & alias oblationes in investitura Julii prædecessoris hujusmodi contentis nullatenus derogare. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis revocetur in dubium, an nostræ mentis fuerit, per capitula & literas, in quibus illorum tenor est insertus, juri, eidem Joannæ Reginæ quoad alia quam quoad census annui septem millium Ducatorum solutionem & obligationes, & alia in investitura Julii prædecessoris contenta, competenti, in aliquo præjudicare vel detrahere; Nos quia juris cuique quæsiti, præsertim in profanis ablatione pro posse semper abstinuimus, & unumquemque in jure sibi quæsito conservare curavimus; & ad quos spectat hujusmodi ambiguitates cum de mente nostra & resultantibus ex literis nostris dubitationibus quæreretur declarare; motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, nostræ mentis & intentionis non fuisse per capitula & novam feudi concessionem, Carolo Regi factam hujusmodi, & literas in quibus tenor capitulorum hujusmodi est insertus, ut præfertur, juri, eidem Ioannæ Reginæ in dicto feudo, ex priore concessione per Iulium prædecessorem Ferdinando Regi genitori suo facta, competenti, præterquam quoad obligationes & alia in literis investituræ Iulii, prædecessoris, hujusmodi contenta, & solutionem census annui septem millium Ducatorum per ipsum Carolum Regem ratione investituræ per Nos sibi de novo factæ aucti, quem Nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ tam per Carolum Regem & Joannam Reginam præfatos, quam quoscumque alios, ad quos Regnum ipsum Siciliæ citra Pharum tam ratione Investituræ a præfato Julio prædecessore, quam a Nobis factæ, ut præfertur, quam alias quavis occasione, jure, vel causa, & quovis etiam prætenso titulo pro tempore devenire & per eos detineri contigerit, donec illud detinuerint, omni exceptione vel quavis allegatione in contrarium non obstante, persolvi debere decernimus, in aliquo præjudicare, seu præjudicium aliquod generari. Sicque per quoscumque auditores & judices etiam Sanctæ Romanæ Eccl. Cardinales, in quavis causa, quæ desuper moveri contigerit, sublata, eis & cuilibet

reputamus, ut tua humilia vota, ac ea præsertim, per quæ universæ Christianæ reipublicæ utilitati non minus, quam propriæ animæ tuæ saluti consulitur, ad exauditionis gratiam benigne & favorabiliter admittamus. Sane dilectus filius, nobilis vir, Joannes Emmanuel, tuus ad Nos & Sedem Apostolicam orator, pro parte tua Nobis nuper exposuit, quod, licet felicis recordationis Julius Papa secundus, prædecessor noster, Regnum Siciliæ & Jerusalem cum tota terra citra Pharum, claræ memoriæ Ferdinando Catholico Regi pro se & Successoribus in Regno Arragoniæ hæredibus & Successoribus tam masculis, quam fœminis, & natu majores minoribus in eodem Regno præferrentur: ac inter alia voluerit jure jurando affirmari, quod tam ipse Ferdinandus Rex, quam ejus in præfato Regno hæredes & Successores, nequaquam procurarent eligi vel nominari in Imperatorem vel Regem Romanorum aut Teutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, seu Tusciæ, dictique electi & nominati nequaquam præstare assensum; verum si post talem electionem de Imperio, seu Romanorum Regno, Dominio Lombardiæ, aut Tusciæ manifeste se intromitterent, sine expresso Romani Pontificis mandato, eo ipso a jure Siciliæ citra Pharum hujusmodi cederent ex toto; Majestasque Tua dicto Ferdinando, avo tuo materno, vita functo, velut illius in eodem Regno, maxime citra Pharum, hæres & Successor, cum dilecta in Christo Filia Joanna, Regina, matre tua, per dilectum filium Hieronymum Vich, utriusque Majestatis Tuæ oratorem & procuratorem legitimum, fidelitatis debitæ ratione feudi hujusmodi Regni Siciliæ citra Pharum juramentum præstiterit, & ut omnia legi investituræ adjecta inviolabiliter observarentur proprio juramento promiserit.

Quia tamen inclytæ memoriæ Maximilianus in Imperatorem electus, avus tuus paternus, dum in humanis ageret, cupiens Majestatem Tuam in Imperatorem, seu Romanorum Regem eligi, cum Regem eligerent & nominarent, ipsoque Maximiliano vita functo Majestas Tua ut Electoribus ipsis libera eligendi facultas pateret, si quod obligationis vinculum iis subesset, sponte ut per suas patentes literas relaxavit eosdem Electores ab iis omnibus, quæ dictus Maximilianus ceperat, penitus quietando & liberando, & omnino liberos & immunes a quovis obligationis nexu decernendo; verum cum cerneres & mente revolveres summa conjectura Christianorum quieti & tranquillitati Catholicæ Religionis conservationi & augmento & universæ Reipublicæ saluti & exaltationi, ut electio hujusmodi in tuam electionem cadere posset, ut inde optimæ Tuæ intentionis fructus universo orbi paterent; iis rationibus freta Majestas Tua bonis quidem persvasionibus utens, ac omnis ambitionis labe semota, per nuntios suos palam & aperte hujusmodi electionem prosecuta, in tantum, ut unanimi electorum voto Spiritus Sancti gratia, DEIque optimi maximi favente clementia, Romanorum Rex futurusque Imperator electus fuerit, cum soliti decreti interpositione; & si prætendas, te justis aliquibus de causis excusari posse, ne quid perperam actum, seu attentatum censeatur, more tamen bonarum mentium agendo timendoque culpam etiam, ubi culpa non esset, per eundem Joannem oratorem pro parte tua Nobis supplicare feceris, ut electioni & nominationi hujusmodi, de persona tua factæ, libere consentiendi, ac titulum in Romanorum Imperatorem electi assumendi, simulque feudum Regni Siciliæ citra Pharum hujusmodi cum Imperio ac Romanorum Regno retinendi licentiam concedere, nec non personam tuam ad præmissa approbare & legitimam declarare, & quatenus expedierit, super iis dispensare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos considerantes, quod, etsi prohibitiones hujusmodi non sine rationabili & magna causa a prædecessoribus nostris emanarunt; sperantes tamen, ac Nobis ipsis firmiter persvadentes, quod Majestas Tua in suæ fidei sinceritate & obedientia erga Nos & prædictam Ecclesiam, sponsam nostram, eo firmior & constantior erit, quo Nos & illam repererit in se magis munificos, ac in suis opportunitatibus liberales, & quanto major erit, tanto magis eidem Ecclesiæ, cujus Advocatus est, favere, eamque contra improbos perversorum conatus defendere ac juvare procurabit: præmissis omnibus matura meditatione pensatis ac examinatis, petitiones hujusmodi per prædictum Joannem oratorem tuum Nobis porrectas duximus admittendas; Majestatemque Tuam a quibusvis perjurii reatu, censuris & pœnis, si qua forsan propter ea, quæ per Te circa electionem hujusmodi acta, seu procurata fuerant, incurrerit, auctoritate Apostolica tenore præsentium absolventes, & absolutum fore nuntiantes, juramentum prædictum quoad hæc duntaxat Majestati Tuæ relaxantes, ut electioni de persona tua, ut præmittitur, factæ absque alicujus censuræ pœna & labe, ac perjurii reatus respersione, Regnique Siciliæ hujusmodi amissione consentire, ac Romanorum Regis in Imperatorem electi titulo uti, et te Romanorum Regem in Imperatorem electum nominare, & quoad vixeris, Imperium regere, ac Regnum Siciliæ citra Pharum cum Regno Romano hujusmodi retinere, dummodo Majestas Tua alia, quæ in literis constitutionis feudi Regni Siciliæ citra Pharum & per Nos factis hujusmodi continentur, ac si per ipsam Apostolicam Sedem dispensatio seu remissio facta non appareret, sub pœnis in eisdem literis contentis, quoad vixeris, inviolabiliter observare tenearis, libere & licite valeas auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ licentiam & facultatem concedimus, teque ad præmissa, si expediat, habilitamus, personam tuam ad hujusmodi electionem approbantes, & legitimam fore declarantes, eamque propterea censuras & pœnas aliquas minime incurrisse, & tenore præsentium decernimus, non obstantibus præmissis constitutionibus Apostolicis nec non omnibus aliis, quæ prædictus prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod, si Majestas Tua ullo unquam tempore, quod absit, sed nostra & dictæ Ecclesiæ ratione dicti Regni Siciliæ citra Pharum fidelitate retraxerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti, dictumque Regnum citra Pharum ex tunc ad Nos & Romanam Ecclesiam revertatur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, sexto Idus Junii, Pontificatus nostri anno nono.

CXL.

CXL.

Ejusdem Bulla, in qua, se, concessione Regni Siciliæ, Carolo V. sub d. 3. Junii Anno 1521. facta, juri, Johannæ, Hispaniarum & Siciliæ Reginæ, ex Investitura Julii II. Pontificis Maximi, competenti, nequaquam præjudicare, aut detrahere voluisse, declarat, d. d. 3. Non. Jun. Anno 1521.

AD futuram rei memoriam. Nuper, postquam charissimus in Christo filius noster Carolus, Hispaniarum Rex Catholicus, in Romanum Regem & Imperatorem electus fuerat, cum ad eum Regnum Siciliæ citra Pharum alias per felicis recordationis Julium, Papam II. prædecessorem nostrum, claræ memoriæ Ferdinando Regi Catholico avo suo pro se & suis in Regno Arragonum hæredibus & Successoribus in feudum perpetuum ea conditione inter alia concessum, ut ipse & ejus in dicto Regno Siciliæ hæredes & Successores in perpetuum cum dicto Regno Siciliæ retinere possent, jure hæreditatis & successionis pervenisset, & dubitaretur, juramento per eum & per charissimam in Christo filiam nostram, Joannam, Hispaniarum Reginam, in concessione Feudi hujusmodi comprehenso, ratione dicti Feudi per certum eorum procuratorem, ad id speciale mandatum habentem, Nobis præstito contravenisse, & censuras in literis concessionis Feudi hujusmodi contentas incurrisse, & ad retinendum Regnum Siciliæ hujusmodi habilem non esse, nec illud cum Imperio retinere posse; Nos eundem Carolum Regem per alias nostras literas a quibusvis perjurii reatu, censuris & pœnis, si quas forsan propterea incurrisset, absolvimus, & absolutum nunciavimus, juramentumque per eum præstitum, ut præfertur, ad id duntaxat relaxavimus, ut electioni de persona sua in Romanorum Regem & futurum Imperatorem factæ absque alicujus censuræ pœna & labe perjurii reatus respersione ac Regni Siciliæ amissione consentire, & Imperium regere, & Regnum Siciliæ citra Pharum cum Imperio & Regno retinere valerent, licentiam & facultatem concessimus, eumque ad præmissa habilitavimus, ac personam suam ad hujusmodi electionem approbavimus, & legitimam fore declaravimus, ipsumque propterea censuras & pœnas aliquas minime incurrisse decrevimus, & deinde cum dilecto filio nobili Joanne Emmanuele, ipsius Caroli Regis consangvineo & oratore, per eum ad Nos & Sedem Apostolicam destinato, & ad paciscendum & capitulandum Nobiscum ab eodem Carolo Rege speciale mandatum habente, certa capitula inivimus. De quibus dilectus filius Joannes Matthæus Guilbertus, clericus Panormitanus, dilecti filii nostri Julii, S. Laurentii in Damaso presbyteri Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, Secretarius rogatus fuit, in quorum uno specialiter continetur, quod eidem Carolo Regi dictum Regnum Siciliæ citra Pharum eisdem modis & formis, quibus ipse Julius prædecessor illud præfato Ferdinando Regi concesserat, ac etiam sub tunc expensis, de quarum tamen dispensatione aut remissione, per Sedem Apostolicam facta, appareret, ac certis aliis per Nos adjectis conditionibus, in feudum de novo concessimus, & de eo etiam ipsum Carolum Regem investivimus. In alio vero ex dictis capitulis etiam continetur, quod ipse Joannes orator dicto nomine obligavit eundem Carolum Regem & Successores, pro recognitione veri & directi Dominii ipsius Regni Siciliæ solvere singulis annis in perpetuum cameræ Apostolicæ septem millia Ducatorum auri de camera in festo beati Petri ultra solitum censum parafreni albi, prout in Instrumento capitulorum & aliis nostris literis, in quibus tenor capitulorum & Instrumento super illis confectis, ut præfertur, de verbo ad verbum est insertus, plenius continetur, in quibus nostræ & ejusdem Joannis procuratoris procuratorio nomine fuit intentionis, præfatæ Joannæ Reginæ juribus, ex ipsius Julii prædecessoris investitura competentibus, præterquam quoad solutionem census septem millium Ducatorum per ipsum Carolum Regem in nova feudi Regni Siciliæ hujusmodi concessione aucti, & alias oblationes in investitura Julii prædecessoris hujusmodi contentis nullatenus derogare. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis revocetur in dubium, an nostræ mentis fuerit, per capitula & literas, in quibus illorum tenor est insertus, juri, eidem Joannæ Reginæ quoad alia quam quoad census annui septem millium Ducatorum solutionem & obligationes, & alia in investitura Julii prædecessoris contenta, competenti, in aliquo præjudicare vel detrahere; Nos quia juris cuique quæsiti, præsertim in profanis ablatione pro posse semper abstinuimus, & unumquemque in jure sibi quæsito conservare curavimus; & ad quos spectat hujusmodi ambiguitates cum de mente nostra & resultantibus ex literis nostris dubitationibus quæreretur declarare; motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, nostræ mentis & intentionis non fuisse per capitula & novam feudi concessionem, Carolo Regi factam hujusmodi, & literas in quibus tenor capitulorum hujusmodi est insertus, ut præfertur, juri, eidem Ioannæ Reginæ in dicto feudo, ex priore concessione per Iulium prædecessorem Ferdinando Regi genitori suo facta, competenti, præterquam quoad obligationes & alia in literis investituræ Iulii, prædecessoris, hujusmodi contenta, & solutionem census annui septem millium Ducatorum per ipsum Carolum Regem ratione investituræ per Nos sibi de novo factæ aucti, quem Nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ tam per Carolum Regem & Joannam Reginam præfatos, quam quoscumque alios, ad quos Regnum ipsum Siciliæ citra Pharum tam ratione Investituræ a præfato Julio prædecessore, quam a Nobis factæ, ut præfertur, quam alias quavis occasione, jure, vel causa, & quovis etiam prætenso titulo pro tempore devenire & per eos detineri contigerit, donec illud detinuerint, omni exceptione vel quavis allegatione in contrarium non obstante, persolvi debere decernimus, in aliquo præjudicare, seu præjudicium aliquod generari. Sicque per quoscumque auditores & judices etiam Sanctæ Romanæ Eccl. Cardinales, in quavis causa, quæ desuper moveri contigerit, sublata, eis &

cuilibet eorum quavis aliter interpretandi & judicandi facultate, & auctoritate, nec non irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, motu, scientia & potestate similibus decernimus: & nihilominus venerabilibus fratribus nostris Granatensi & Hispalensi Archiepiscopis & Episcopo Dertosensi motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, præmissa, ubi & quando ac quoties expedire cognoverint, fuerintque pro parte ejusdem Joannæ Reginæ, vel alterius, cujus intersit, legitime requisiti, solemniter publicantes, ac eidem Joannæ Reginæ efficacis defensionis auxilio assistentes non permittant, eam super jure sibi competenti alias, quam ut præfertur, quomodolibet indebite molestari, contradictores auctoritate &c. non obstantibus præmissis ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo &c. nostrorum decreti & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo vigesimo primo, tertio non. Junii, Pontificatus nostri anno nono.

CXLI.

Bulla Clementis VII. Pontificis Maximi, in qua Carolo V. Romanorum Imperatori & Regi Siciliæ, in Regnis atque Provinciis, in ipsa Bulla nominatis, Jus Patronatus, æque ac idoneas personas, ad Cathedrales atque Metropolitanas Ecclesias præsentandi potestatem concessit, d. d. 3. Id. Martii, Anno 1530.

Clemens &c. Si ea, quæ per Pontifices, præsertim Catholicis Regibus ob eorum erga Catholicam Sedem præclara facinora, pro eorum & Successorum suorum decore, & honoris incremento concessa fuisse dicuntur, plenam obtinent roboris firmitatem, illis tamen quandoque robur nostræ approbationis & innovationis adjicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo sæpius fuerunt Apostolico præsidio communita, eaque & de novo eisdem Regibus concedimus, ut ipsi in eorum solita devotione erga Sedem Apost. & S. Ecclesiam, eorum matrem, ferventius perseverent, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane cum diversi Romani Pontifices prædecessores, antiquis & modernis temporibus, claræ memoriæ Ferdinando Regi, & Elisabeth Reginæ, & aliis Castellæ & Legionis, ac Arragonum Regnorum Regibus eorum prædecessoribus; nec non charissimo in Christo filio nostro, Carolo V. Imperatori semper Augusto, dictorum Regnorum Regi, ejusque in dictis Regnis Successoribus jus patronatus præsentandi personas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, & quæcunque monasteria Consistorialia, pro tempore quovis modo vacantia, & vacatura, tam motu proprio, quam certa scientia ac potestatis plenitudine, ratione illorum fundationis ac recuperationis earumdem de manibus infidelium, & ex diversis aliis causis per diversas eorum literas concesserint, prout in illis plenius continetur. Nos autem revolventes, quæ his calumniosis temporibus, & quam præclare & salubriter Carolus ipse Imperator gesserit, qui his procellis, quibus omnia erant inclusa, novum quasi sidus effulsit, nec enim in Italiam se contulit ea quidem mente, ut corona, infulisque imperialibus a Nobis insigniretur, sed ut Italiæ languenti & assisteret, & per tot annos bello, fame, peste laboranti opem ferret, totidemque Christianæ Reipublicæ, ob incrementum Turcarum exercitus maximo in discrimine versanti, suis omnibus, & viribus, & copiis, consuleret. Quapropter ipsum dignissimum judicamus, illi, quæcunque per prædecessores nostros eidem Carolo, suisque majoribus, & Successoribus concessa & largita fuerunt, ea approbare, innovare, & Apost. Sedis robore stabilire; Hinc igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, matura deliberatione, de eorum consilio, ac unanimi consensu, singulas literas prædictas, quarum tenores haberi volumus pro expressis, tam concessione juris patronatus, præsentandi personas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, nec non quæcunque monasteria Consistorialia, in prædictis Regnis consistentia, ac omnibus aliis in eis contentis clausulis, tenore præsentium approbamus, innovamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere decernimus, nec non potiri pro cautela jus patronatus, & præsentandi personas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, ac quæcunque Monasteria Consistorialia in Castellæ & Legionis, Arragonum, & Valledolit; nec non Cataloniæ, & ubi alterius præsentandi non competebat in cæteris Hispaniarum Regnis ac dominiis respective consistentes, & consistentia, quoties illas & illa quovis modo & ex quacunque etiam eorundem Cardinalium persona, præterquam quoad illa monasteria, in quibus de novo eidem Carolo Imperatori, ejusque Successoribus jus patronatus conceditur, videlicet eo casu, quo in dicta curia vacare contigerit, de simili consilio, & assensu, de novo concedimus. Decernentes, jus patronatus, & præsentandi hujusmodi illius naturæ & efficaciæ existere, & quoad omnes effectus ejusdem juris censeri debere, cujus jus patronatus ex fundatione & dotatione Regum existit, ac reservationis, affectionis, unionis mandata de Ecclesiis & monasteriis hujusmodi per Romanos Pontifices pro tempore existentes, facta, ne præsentare possent, nullatenus se extendere, sed illa invalida penitus existere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate Apostolica, & per Nos, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Ecclesiasticis de Cathedralibus, & Metropolitanis, ac monasteriis Consistorialibus hujus-

hujusmodi, per Nos, & Sedem prædictam pro tempore factis reservationibus, seu affectionibus specialibus, vel generalibus, nec non & Cancellariæ Apost. regulis editis, & pro tempore edendis, & quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apost. & Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi statutis & consuetudinibus juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, ac literis Apostolicis per eosdem prædecessores concessis eidem, & per illos, ac Nos super renovatione juris patronatus & præsentandi ad Ecclesias, Consistorialia Monasteria, & alia quæcunque beneficia hactenus de eorundem fratrum consilio, & unanimi consensu sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialibus, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua exquisita forma servanda esset; illorum tenores præsentibus pro expressis & insertis habentibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ac specialiter & expresse derogamus. Cæterisque contrariis &c. Nulli &c. Datum Bononiæ 3. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno 7.

CXLII.

Pauli III. Pontificis Maximi, Bulla, de Universitatis in Civitate Messanensi erectione atque institutione agens, d. d. 16. Kal. Decembris, Anno 1548.

PAulus Episcopus, Servus servorum DEI, venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Rossanensi, & Episcopo Salutiarum, & dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri, Archiepiscopi Messanensis, in spiritualibus generali salut. & Apostol. benedictionem. Hodie emanarunt literæ tenoris sequentis: Paulus Episcopus Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Copiosus in misericordia Dominus & in cunctis suis operibus gloriosus, a quo omnia bona defluunt, ad hoc Nobis licet immeritis suæ sponsæ universalis Ecclesiæ regimen committere, & nostræ debilitati jugum Apostolicæ servitutis imponere voluit, ut, tamquam de summo vertice montis, ad infima deflectentes intuitum, quid pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei orthodoxæ propagationem conferat, quid statui fidelium quorumlibet conveniat, attente prospiciamus, & quibuslibet a fidelibus ipsis præfugatis ignorantiæ tenebris, illi per donum sapientiæ in viis mandatorum Domini conserventur, solertius attendentes, eos ad quærenda literarum studia, per quæ militantis EcclesiæRespublica geritur, divini nominis & ejusdem fidei cultus protenditur, omnisque prosperitatis humanæ conditio augetur, nostræ sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri, Joannis de Vega, Pro-Regis Regni Siciliæ ultra Pharum, nec non Communitatis Civitatis Messanæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum, postquam ipsi cupientes incolis & habitatoribus dictæ civitatis & aliorum locorum dicti Regni tam circa vitæ & morum probitatem, quam circa lumen & claritatem scientiarum, & pro fide, pietateque Christiana illustranda & confovenda, ac ejusdem civitatis ornatu & decore consulere, nonnullis ex dilectis filiis, sociis Societatis de JEsu nuncupatæ, per Nos dudum in alma Urbe institutæ & confirmatæ, moribus, vita & scientia comprobatos viros ad eamdem civitatem transmitti obtinuerant, proinde considerantes piis dictorum sociorum laboribus maximum in dicta civitate in moribus & doctrina tam latinæ, & græcæ, ac hebraicæ linguarum, quam artium liberalium, ac Sacræ Scripturæ, & Theologiæ scholasticæ, quæ quidem disciplinæ continuis & fructuosis lectionibus per eosdem socios in quodam Collegio, dudum ad id per dictos Joannem Pro-Regem, & Communitatem in dicta civitate constructo, & postea per Nos erecto laudabiliter ad DEI gloriam, & honorem interpretantur, & leguntur, fructum provenire, dictamque civitatem, quæ inter alias Regni civitates percelebris & valde insignis, ac habitationibus, & omnibus ad victum necessariis abundans reputatur, ita commode sitam existere, ut non solum Siculi, sed etiam Ducatus Calabriæ, & Regni Græciæ, & aliorum locorum maritimorum incolæ, ad inibi operam literis impendendum, & virtuti studendum, convenire facile & commode possent, salubrem & gratam aëris temperiem, omniaque alia ad universitatem studii generalis requisita inesse, & propterea existimantes, Communitatem ipsam, si in dicta Civitate studium generale, velut fons quidam omnium scientiarum honestarum constituatur, qui a piis & doctis viris dictæ Societatis pure & sine ulla hæresi, aut aliorum errorum admixtione communicetur, majus profecto decus, & majorem spiritualem fructum prædictorum Civitatis & locorum ad fidei & religionis defensionem & propagationem esse consecuturam in dicta Civitate Universitatem Generalis studii, in qua unus Rector, qui etiam illius Cancellarius, & Universitatis, & Collegii prædictorum Rector esse possit, & alii officiales, & alia omnia ad Universitatem prædictam regendam, honorandam, & manutenendam, & prout in aliis generalium Studiorum Universitatibus esse solent, in congruenti numero existant, in qua Cathedræ diversarum lectionum, & scientiarum ex propriis bonis dictorum Communitatis dotatæ, & omne litterarium genus, ac omnium disciplinarum scientiæ interpretari, & publice legi possint, cum arca & sigillo communibus, & aliis ad similem universitatem necessariis, erigi & institui summopere cupiant; quare pro parte dictorum Joannis Pro-Regis, & Communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicta civitate generalis studii Universitatem hujusmodi (ut profertur) erigere & instituere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostol. dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ex literarum studio animarum saluti consulitur, & alia spiritualia & temporalia commoda mundo proveniunt, pium desiderium Joannis Pro-Regis & Communitatis hujusmodi plurimum in Domino commendantes, & quemlibet ex Joanne Pro-Rege, & Communitate

tate prædictis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ab jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in Civitate prædicta, Universitatem generalis studii hujusmodi, in qua unus Rector per Præpositum Generalem deputandus, qui etiam illius Cancellarius & Universitatis, & Collegii prædictorum Rector esse possit, & alii officiales opportuni, & prout in qualibet ex Bononiensi, & Parisiensi, ac Salmaticensi, & aliis Universitatibus generalium studiorum esse consueverunt in convenienti numero existant, & in qua Cathedræ stipendiis dictorum Communitatis constitutæ, & omnia literarum genera licita & honesta publice interpretari & legi, ac Doctoratus, Magisterii, Licentiaturæ, & Baccalaureatus, & si qui alii sint gradus more quarumcunque aliarum Universitatum generalium studiorum scholaribus & personis idoneis per examen repertis absque alicujus licentia impendi, & offerri possint, cum Collegiis, domibus, ædificiis, officinis, aulis, cameris, cortilibus, divisionibus, & locis ad legendum & exercendum actis, & aliis necessariis auctoritate Apostol. tenore præsentium erigimus, & instituimus, ac eidem Universitati sic erectæ & institutæ pro illius dote, & dictorum Magistrorum, ac aliorum inibi legentium stipendio & substentatione omnia & singula bona, & annuos reditus per dictum Joannem Pro-Regem & Communitatem ad id assignanda & deputanda, & tam per ipsos, quam quascumque alias personas privatim, seu communiter donanda, leganda, & relinquenda, postquam assignata, deputata, donata, legata, & relicta fuerint, appropriamus & applicamus, nec non Doctoribus, Magistris, & aliis in dicta Civitate cujuslibet disciplinæ Professoribus & auditoribus in matricula ipsius Universitatis pro tempore descriptis & existentibus etiam in eadem Universitate per unum annum non legerint, aut studuerint, ac aliis ministris, rebus, & bonis quibuscumque dictæ Universitatis pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, concessionibus, favoribus, facultatibus, exemptionibus, & libertatibus, immunitatibus, indultis, & gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus Bononiensis, Parisiensis, Salmaticensis, & aliorum generalium Studiorum, Universitatum hujusmodi ubilibet consistentium Rectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, & alii scholastici, ac familiares, & bona quæcumque ex concessionibus Apostolica, & Imperiali, vel alias quomodolibet, in genere tantum concessis utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, gaudere poterunt in futurum, ipsi quoque Rector, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, scholares, & officiales, ministri, res & bona quæcumque dictæ universitatis æque principaliter, & absque ulla penitus differentia in omnibus & per omnia perinde, ac si illa eis specialiter & specifice concessa fuissent, ac Doctores, Magistri, Licentiati, & Baccalaurei prædicti in Bononiensi, & Parisiensi, seu Salmaticensi, vel aliis Universitatibus prædictis gradus suscepissent, & studuissent, & legissent, uti, potiri, & gaudere, ipsique Societas, vel alius Præpositus quæcumque statuta & ordinationes felix regimen, & salubrem directionem dictæ Uuniversitatis concernentia, licita tamen & honesta, quæ postquam facta, alterata, mutata, aut de novo condita fuerint, eo ipso Apostol. auctoritate prædicta approbata, & confirmata sint, & esse censeantur, facere, & quoties eis expedire videbitur, alterare & mutare libere & licite valeant auctoritate Apostol. & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus, ipsamque Universitatem in Rectoris, & officialium, & aliorum præmissorum constitutione & amotione, nec non lectionum, & Rectorum numero, & qualitate, ac gratiarum & concessionum communicatione, & restitutione, & demum in omnibus & aliis regimini, & administrationi Societatis, vel illius Præpositi hujusmodi, qui per Rectorem ibi constitutum, vel si quem alium ad id miserint, per dictam Universitatem administrent, & regant, eisdem auctoritate & tenore subjicimus, decernentes præsentes literas ex quavis causa de subreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu vocari, vel impugnari nullatenus posse, sed validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri debere, ac sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, & suspensionibus, limitationibus, derogationibus, moderationibus, aut aliis quibusvis concessionibus, etiam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore factis & concessis minime comprehendi, sed ab illis prorsus exceptas existere, & quotiens illæ emanabunt, totiens in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse & censeri, & sic per quoscumque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam caussarum Palatii Apostol. auditores sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi, atque decidendi debere, irritum quoque, & inane, si secus super iis a quoque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Apostolicis, & in Provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, nec non privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Cataniensi, ac præfatis Bononiensi, Parisiensi, & Salmaticensi, & aliis Universitatibus studiorum generalium per quoscumque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostol. sub quibuscumque tenoribus & formis, ac quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis decretis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, innovatis, quibus omnibus etiam, si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogare possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inseri foret, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter

liter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, indulti, subjectionis, decreti, & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & B. B. Petri, & Pauli Apostolorum citius se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnat. Domini 1548. 16. Calend. Decembris, Pontificat. nostri Anno 15. Quo circa discretioni vestræ per Apostol. scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, per insertas literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando expetiti fueritis, ac quotiens pro parte Joannis Pro-Regis, & Communitatis prædictorum, vel alicujus eorum desuper eorum fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate nostra literas & in eis contenta hujusmodi plenum effectum sortiri, & ab omnibus inviolabiliter observari, & singulos, quos ipsæ literæ concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper, & per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Non obstantibus præmissis & felicis recordationis Bonifacii P. P. VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur, nequis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu, ne Judices a dicta Sede deputati extra civitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis, vigore præsentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostol. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Dom. Incarn. 1548. 16. Cal. Decemb. Pont. an. 15. *Jo. Milesi* pro *R. Jo. Baptista de Bernardis* Marchesanus *B. de Milins.* execut. in urbe Panor. 14. April. 8. Ind. 1550.

CXLIII.

Philippi II. Hispaniarum Regis, Diploma constitutionis Vicarii Regii in Regno Neapolitano, de Anno 157-.

PHilippus DEI gratia Rex, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Cum in singulis Regnis, quæ DEus optimus maximus sua benignitate Nobis commisit, uno codemque tempore præsentes esse non possimus, in hoc omni cogitatione & cura incumbimus, ut eos viros ipsorum gubernationi præficiamus, quorum consilio & virtute quam optime administrentur. Cumque fidelem Nobis dilectum Don Joannem de Zunica, Principem Petræ Persiæ, ac majorem Commendatarium ordinis S. Jacobi de Spata in Provincia Castellæ, qui munus Vice-Regis, Locumtenentis, & Capitanei generalis in fidelissimo nostro Regno Neapolis, nostra cum gratia, sua magna cum laude, ac Regni ipsius utilitate, gessit geritque, ad Nos accersiri jusserimus, necesse porro fuerit eidem muneri virum præponere non solum veteri & illustri prosapia, sed etiam magna morum gravitate, ac longo rerum usu & experientia commendatum, qui rebus pro temporibus consulat, & ea, quæ Regni tuitionem, ac populorum pacem salutemque respiciunt, recta ratione provideat. Hæc cogitantibus Nobis, & accurate omnia circumspicientibus, Illustris consanguineus noster, Don Petrus Gironius, Dux Ossunæ, Comes Ureniæ, Marchio de Pennafiel, fidelis Nobis dilectus, ante alios summos & singulares viros, occurrit aptus, quem tanti Regni administrationi præficeremus. Ejus enim prudentiam & æquitatem, cum non vulgari pietate & fide conjunctas, præter majorum suorum decora & ornamenta, multis variisque in rebus cognitas & perspectas habemus. Ipsum itaque eligere voluimus, a quo tam præclarum & fidelissimum Regnum, tot florentissimæ urbes, tot tantique viri, Principatuum, Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum dignitates, atque alios honorum titulos sustinentes, gubernentur atque regantur. Tenore igitur præsentium, de certa scientia Regiaque auctoritate nostra deliberate & consulto, ac ex gratia speciali, maturaque sacri nostri supremi Consilii accedente deliberatione, præfatum Illustrem Ducem Ossunæ, Comitem Ureniæ, Marchionemque de Pennafiel, ad unum triennium a die captæ possessionis computandum, Vice-Regem, Locumtenentem generalem nostrum, a latere nostro dextero sumptum, personamque nostram & alterum Nos repræsentantem, armorumque Capitaneum nostrum generalem, tam in mari, quam in terra, in dicto nostro Siciliæ citra Pharum Regno, facimus, deputamus, creamus, constituimus & ordinamus; Ita ut deinceps dicto triennio durante, sit Vice-Rex, Locumtenens & Capitaneus generalis & alter Nos in dicto Regno, ac vice, loco, & nomine nostris, & in personam nostram præsit & præferatur omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, ac Religiosis personis; nec non fidelissimæ civitatis nostræ Neapolis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, aliisque civitatibus & terris & universitatibus, ac universis & singulis tribunalibus & officialibus nostris, & aliis personis, tam majoribus, quam minoribus, quovis officio, dignitate, auctoritate & gradu atque conditione distinctis, & præcipue castrorum Castellanis armorumque nostri terrestris exercitus, & maritimæ classis Capitaneo. Dantes & concedentes eidem Duci amplissimam auctoritatem & potestatem, ut nostris vice, nomine & auctoritate, & tanquam persona nostra & alter Nos, possit & valeat super

super ipsos, & quemlibet ipsorum, universaliter, singulariter ac distincte disponere, mandare, ordinare, & statuere pro suo arbitrio, quæ servitio nostro, boni status conservationi, & beneficio Reipublicæ dicti Regni nostri, videbuntur expedire, atque in ipsos, & alios quoscunque dicti Regni subditos nostros, ac etiam super extraneos ibidem existentes, & quomodolibet declinantes & transeuntes, seu moram trahentes, præsentes pariter & futuros, per se, aut officiales nostros ad id deputatos, seu deputandos, nostro nomine exercere & exerceri facere omnem jurisdictionem, civilem & criminalem, altam & bassam, & aliam quamcunque, merum & mixtum imperium, cum omnimoda gladii potestate quoscumque delinquentes & culpabiles castigare, & pœnis debitis plectere, aut si ei videbitur, de & super criminibus, excessibus, seu delictis quibuscunque, quoquo supplicio dignis, etiam de crimine læsæ Majestatis in primo capite, guidare, remittere indulgereque, atque reos & culpabiles punire, componere, castigare, pacisci, & pœnas tam civiles, quam criminales remittere, causas quascunque patrimoniales, & alias quasvis civiles & criminales motas, & movendas etiam supplicationum, & appellationum jam introductarum, & alias quascunque tam viduarum, pupillorum & pauperum, quam Universitatum & singularium personarum, ad se & audientiam nostram Regiam evocare, easque committere & decidere, & fine debito terminare, & servatis in omnibus Privilegiis, constitutionibus, pragmaticis sanctionibus, capitulis & observantiis dicti Regni ad effectum deducere, & etiam cum potestate summarie & de plano procedendi. Præterea guidatica, crimina, & debitorum, ut vocant, elongamenta, salvos conductus & emparamenta concedere, quosque ex illicito & damnato coitu procreatos, aut procreandos, tam ad honorem, quam ad successionem bonorum burg. & feudalium legitimare & habilitare, deferendi arma tam offensiva quam defensiva facultatem concedere, tutores, & curatores, ac ballias, pupillis, minoribus & aliis dare, illosque confirmare, ac in causis, spiritum vitæ insufflare, mercandi & repræsaliandi licentias impartiri. Quoscunque officiales majores & minores, tam ad beneplacitum, quam ad vitam, Castellanos castrorum, Doctores in nostris consiliis, & Regiis Tribunalibus, Gubernatores & Auditores Provinciarum, Capitaneos, Justitiarios, Advocatos & Procuratores fiscales & Magistros Portulanos, Dohanerios nostros, Provinciarum secretos credetitiarios, & alios quoscunque officiales, tam in casu vacationis, quam alias, donec consulto provideatur, creare & instituere, & illos creatos, etiam si fuerint a nostra Majestate creati & ordinati, punire, & ex causa, ab eorum officiis suspendere & privare, & alios de novo constituere & ordinare, prout ei visum fuerit. Equites quoque aut milites, & Doctores in quacunque facultate, Judices ad contractus, & Notarios creare, Magistros actorum ex causa facere & assumere, etiam in casu non ordinato, acta & processus revalidare, nec non contractibus super feudalibus assentire, exceptis tamen casibus per Regiam pragmaticam, vel alias, reservatis: Novas investituras quorumque Principatuum, Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum, Baroniarum, & aliorum quorumcunque bonorum feudalium, tam titulatorum quam sine titulo, legitimis Successoribus & aliis personis, de rebus feudalibus facere, & homagia, & fidelitatis juramenta a Feudatariis accipere possit. Insuper matrimoniis, quæ per Magnates, & Barones, & alios regnicolas prædicti Regni fieri contingat, assensum præstare; & ordinationibus & statutis, per quascumque universitates faciendis, consentire. Nec non prohibitiones, ne victualia seu pecuniæ, seu aliæ quæcunque res a prædicto Siciliæ citra Pharum Regno, extrahantur, facere, & super illis dispensare. Nec non possit, & valeat in dignitatibus, Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis, & aliis Prælaturis, cæterisque quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, ad provisionem, collationem, & præsentationem nostram pertinentibus & spectantibus, providere, & præsentare personas idoneas; Et executorias de quibuscumque Bullis Apostolicis, & rescriptis concedere, consultationibus super dispensatione Regiæ pragmaticæ digestis per bonæ memoriæ Alphonsum secundum, Ferdinandum secundum, & Federicum Prædecessores nostros in dicto Regno, respondere. Et quæ facienda per consultatores erunt, disponere & ordinare cum quibuscumque legibus, pragmaticis & constitutionibus ad supradictorum omnium effectum nostro nomine: Et dispensare, & generaliter omnia alia & singula facere, statuere, exequi & ordinare, quæ ejusdem Regni bono & pacifico regimini & administrationi, ac defensioni in præmissis, & circa ea, cum dependentibus & emergentibus ex iis, necessaria visa fuerint & opportuna, & quæ Nos ipsi faceremus, & facere, & exequi, & mandare possemus, si personaliter interessemus, etiam si talia fuerint, quæ de jure vel de facto, personaliter nostram præsentiam exigerent; & sine quibus præmissa, vel eorum aliquod, ad debitum effectum deduci nequirent; etiamsi majora vel graviora fuerint, superius expressis; & quæ de jure vel de facto, aut alias, mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus, est expressum. Nos enim in & super prædictis omnibus & singulis ex eis dependentibus, & emergentibus, incidentibus, & annexis, ac eis quovis modo connexis, totum, & plenissimum posse nostrum eidem Duci Ossunæ per præsentes concedimus, & plenarie elargimur, cum libera & generali administratione, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus, etiam si talia forent, de quibus expressam mentionem fieri oportet. Quibus omnibus & singulis eisdem nostra scientia & auctoritate derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes: Supplentes ad cautelam, de nostræ Regiæ potestatis plenitudine, omnes & quoscunque defectus, & solemnitatum omissiones, si qui, aut si quæ forte in his omnibus & singulis intervenire aut allegari possent. Exhortantes universos & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prælatos & alias Ecclesiasticas personas, mandantesque fidelissimæ civitatis nostræ Neapolis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, cæterisque Universitatibus, officialibus & subditis nostris, quocunque titulo, officio & auctoritate fungentibus, capitaneis quoque militum & equitum, triremium aliarumque navium, Præfectis castro-

castrorum, & quibuscunque aliis in prædicto nostro citerioris Siciliæ Regno constitutis, & constituendis, ut prædictum Illustrem Ossunæ Ducem, dicto triennio durante, pro Vice-Rege, Locumtenente & armorum Capitaneo generali, & altero Nos, eorumque superiore, & auctoritatem, potestatem & personam nostram omnino repræsentante, habeant, teneant, & reputent, revereantur, & observent, eique, & jussionibus suis, ut nostris, obtemperent, & obediant. Omnesque ei assistant, servitiis, honore, & honorificentia, etiam si oportuerit manu forti, & non contrafacere, vel venire permittant ratione aliqua, sive causa, si præterire indignationis nostræ incursum, & pœnam confiscationis omnium suorum cupiunt evitare, ac fidelitati nostræ, qua obstricti sunt, non contravenire desiderant. In cujus rei testimonium præsentes fieri jussimus, magno nostro negotiorum prædicti citerioris Siciliæ Regni impendenti sigillo munitas. Datum &c.

CXLIV.

Sanctio Philippi II. Hispaniarum Regis, ad Vice-Regem in Regno Neapolitano directa, in qua, quid circa adeundi Regem voluntariam libidinem, ac controversiam inter popularem plateam & quinque sedilia hactenus agitata observandum sit, determinat, d. d. 4. Decembr. Anno 1579.

El Rey.

ILlustre Principe di Petra Persia primo nuestro, Visorey, Lugarteniente y Capitan general. Haviendo venido a qui lo dias passados, el Marques de Padulo embiado por essa Ciudad, y particolarmente por la nobleza della, sobre algunas differençias, que se offrecian entre ellos y el Marques de Mondejar, nuestro Visorey desse Reyno, vuestro predecessor, y principalmente sobre el recurso que ellos pretenden à nos en sus necessidades, tanto en universal quanto en particolar. Y offreciendose despues durante su estada en esta corde lo que terneis entendido del aucto de Vincentio de Franquis con occasion deque las plaças de los nobles dessa Ciudad, querian escrivir, y embiar denieros al dicho Marques: se ordenò en ambas cosas al dicho nuestro Visorey, vuestro predecessor lo que convenir; de que ya à vuestra llegada a esse Ciudad y Reyno terneis notiçia; pues conforme a la orden, que para ello sele dio, os haura entregado las que en materias semejantes y otras de officio, sele dieron. Y por que de nuevo nos hà sido supplicado por parte del dicho Marques, enombre desse Ciudad y Reyno, que para, que el se pueda despachar desta corte, fuessemos servido declarar quanto al primero dela licentia de poder acudir à nos en sus necessidades nuestra mente y intençion, pues ellos non tinen noticia ninguna delo que en esto se ha proveydo, y sara de grandissima satisfaçion universal intenderlo, y assi mismo ordenar, que las quatro plaças delas seys dessa Ciudad sean restituidas en la possession, que siempre han stado de poder y risolver y essequtar todas la cosas publicas en nombre de tota la Ciudad, y que los segios della puedan trattar sus negocios por medio de deputados, como siempre lo han echo, pues en todas tres cosas seles ha alterado en tiempo del dicho Marques de Montejar, la possession en que ellos han stado, nos havemos resuelto teniendo consideracion aloque fedelidad y muchos, y buenos servicios desse Reyno, y subditos del nos merescen en los dichos tres cabos en la maniera siguiente:

Y quanto alo primiero podreis dar à entender à essa nuestra fedelissima Ciudad y Reyno, que nunca hasido, ni es de nuestra mente y intencion estorvar que mis Vasallos, specialmente los desse Reyno, de cuya fedelidad y servicios tenemos tanta satisfacion, no tengan recurso a nos siempre que se offresciere causa bastante por la qual con venga hazerlo, aunque ental caso es nuestra voluntad, que primeramente ayan de acudir a vos en vuestro tiempo, o al Visorey que adelante estuviere en esse Reyno, como aquienes representan nuestra persona, y pedirle licencia por la uenta que es justo que se tenga con su auctoridad, pues ni vos, ni los que dispues venieren no se la negaran, advertiendo, que quando fuere sobre cosas tocantes al beneficio desse Reyno, o de la Ciudad, den tanbien primero cuenta dello al Visorey, para que se el viere, que es cosa que con communicacion del Consejo, y embiandonos los memoriales con su parescer lo puede rimediar, lo haga assi, y escuse ala Ciudad y Reyno el gasto de embiar persona a su costa. Mas que si fuere cosa que paresca convenir representar nos la con persona propria, que assi mismo en tal caso el Visorey selo consentira, y ultimamente que quando el embiar persona fuere para quexarse del Visorey, (aunque speramos que los que enbiaremos en nuestro lugar a esse Reyno, seran tales y se gouvernaran de manera, que no den causa de quexa yusta) tan bien en este caso pediendole la dicha licentia se le dara.

Y quando al segundo punto dela pretencion, que tienen las quattro placas, pues ay lite entre las placas nobles dessa Ciudad y el Eletto del pueblo, nuestra voluntades por no aggraviar a la una parte, ni ala otra, que sigan su justicia, y entre tanto en las cosas que se offrescieren ordinareis que se garde lo accostumbrado, en tiempo de los otros Visoreys de antes que el Marques de Mondejar fuesse a esse Reyno.

Y quanto alo delos deputados, tanbiens es nuestra voluntad que no se haga novedad delo que se ha accostumbrado, en este caso, se no que se siga à quello sin alteracion ninguna, con que queda satisfecho a todos los tres cabos, que el Marques de Padulo nos ha supplicado en nombre dessa Ciudad y Reyno. De que potran collegir el cuydado que nos queda mirar por lo que les toca como elles lo merescen, y à el sele ha dicho que se accudan a vos que les dareys la respuesta circa destos particulares. Del Pardo a 4. di Decembre 1579.

CXLV.

Sixti V. Pontificis Max. Bulla, de B. Januarii, Neapolitanorum Patroni, ejusque sociorum festa die, in totius orbis terrarum Ecclesiis celebranda, agens, d. d. 6. Kal. Februarii, Anno 1585.

SIxtus Episcopus, Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Pia Sanctorum Patrum providentia institutum est in Ecclesia DEI, & posteris traditum, ut complurium martyrum insignium memoria statis diebus, solemnibusque ceremoniis atque anniversariis Sacris in cunctis Ecclesiis recolatur. Ita enim & illis honor debitus tribuitur, & fideles ad eorum imitanda exempla pro suo quisque modulo invitantur. Proinde Nos operæ pretium duximus, efficere, ut sanctorum Martyrum *Januarii* Episcopi, & sociorum ejus, qui post vincula & carceres gloriosa martyrii corona, propter Christi nominis confessionem sunt donati, jucundam recordationem, diu intermissam renovando, plebem DEI hilaremus: Cujus quidem beati *Januarii* sanctitatem DEus omnipotens multis, iisque clarissimis editis miraculis ad nostram usque ætatem in *Neapolitana* potissimum civitate, in qua ejus corpus sepultum religiose asservatur, celeberrime apud omnes gentes testatam esse voluit, adeo ut non immerito tum in divinis officiis, tum in ipso sacrificio ab universo fidelium cœtu, eorum commemoratio fieri debeat, prout ante novam reformationem *Romani* Missalis, & Breviarii fieri consveverat. Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus, ut eorundem Sanctorum *Januarii* & Sociorum ejus dies festus tertio decimo Calendas Octobris, in totius orbis terrarum Ecclesiis, simplici officio de communi plurimorum martyrum celebretur; ac decernimus, ut in novo etiam, quo nunc utimur, sicut antea in veteri Calendario, ad eum diem Sanctorum eorundem nomina, & simplicis nota, adscribatur. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis. Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in universo orbe constitutis, ut in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, Civitatibus, & Diœcesibus præsentes nostras solemniter publicari faciant, ab omnibusque Ecclesiasticis personis, secularibus, & quorumvis ordinum regularibus omnino observari; licet adnotatio hujus celebritatis in postremis Breviarii, & Missalis reformationibus fuerit prætermissa. Volumus autem, ut præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum *Romæ* apud *Sanctum Petrum*, Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, octuagesimo quinto, sexto Calendas Februarii, Pontificatus nostri Anno primo.

CXLVI.

Sixti V. Pontificis Maximi Breve, in quo Bullam Carolo V. Rom. Imperatori, de Patronatus atque præsentationis jure, in Siciliæ ac Sardiniæ Ecclesiis exercendo, exhibitam, Philippo V. Hispaniarum Regi confirmavit, d. d. 10. Sept. An. 1586.

SIxtus Pontifex V. Charissime in Christo fili noster, salutem, & Apostol. benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quam tua Majestas erga Nos & Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, nec non eximia, singularisque fidei tuæ constantia, qua veluti fortissimo Christiani nominis propugnaculo, pro æterni Regis gloria, quam præ oculis semper habes, universam Christianam Rempublicam non solum, ut Catholicum decet Principem, tueri, sed summo studio latius extendere, & propagare contendis, in nostro & Apostolicæ Sedis conspectu adeo splendescere noscuntur, ut non immerito illa tibi, tuoque christianissimo nato Hispaniarum Principi favorabiliter concedenda fore censeamus, per quæ & facile ab omnibus cognosci possit, Nos tui honoris, quem semper plurimi fecimus, & DEO dante inposterum faciemus, condignam habuisse rationem, & tu ipse, dictusque Princeps aliis magis gratiosos vos exhibere valeatis. Nos igitur, ex præmissis, & cæteris aliis causis, animum nostrum moventibus, felicis memoriæ Clementis Papæ Septimi, prædecessoris nostri, qui claræ memoriæ Carolo V. Romanorum Imperatori, tunc in humanis agenti, genitori tuo, ob ejus præclara de eadem Sede merita, de tunc existentium fratrum suorum, S. R. E. Cardinalium consilio, jus patronatus, & præsentandi personas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias in Siciliæ ultra Pharum, & Sardiniæ Regnis & Insulis, quorum Rex & Dominus in temporalibus idem Carolus Imperator existebat, consistentes, quoties illas vacare contigerit, quamdiu idem Carolus Imperator viveret, reservavit, atque concessit, prout in ipsis prædecessoris literis desuper confectis, plenius continetur, vestigiis inhærendo, ac provide attendens, quod tu, qui & Siciliæ, & Sardiniæ Regnorum Rex existens, non minoribus meritis, quam prædictus genitor tuus in nostro, & ejusdem Sedis conspectu præfulgens, ac indubie sperantes, quod dilectus filius, nobilis puer Philippus, Hispaniarum Princeps natus tuus, gratia sibi assistente divina pii & Catholici Regis imbutus doctrina, paternaque & avita sequens exempla, paribus etiam præfulgebit meritis, te, ac Philippum Principem prædictum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes: habita super his cum venerabilibus fratribus nostris, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, matura deliberatione, de illorum consilio & assensu, & de Apostolicæ potestatis plenitudine Tibi, quamdiu vixeris, & deinde Philippo Principi præfato etiam, quamdiu vixerit, jus patronatus, & præsentandi personas idoneas Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, & quæcumque monasteria etiam consistorialia in Siciliæ

ciliæ ultra Pharum, & Sardiniæ Regnis prædictis, ac illorum Insulis consistentia, quoties illas, quibus modis, ac ex quorumcumque etiam S. R. E. Cardinalium personis vacare contigerit, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & assignamus; Decernentes quascumque provisiones, & alias dispositiones de Ecclesiis, & monasteriis prædictis aliis, quam tuis, quamdiu vixeris, & post tui obitum ejusdem Principis præsentationibus, seu expresso consensu pro tempore quomodolibet faciendas, & inde sequuta quæcumque, nulla, & invalida, nulliusque roboris vel momenti fore & esse, irritum quoque & inane, quidquid secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus cathedralium etiam Metropolitanorum Ecclesiarum, ac Monasteriorum prædictorum reservationibus, vel affectionibus, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis editis & edendis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, & monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consvetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam qua suis clausulas & reservationes in se continentibus per eosdem prædecessores, & Nos & Sedem eandem quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, & concedendis, confirmandis & innovandis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita, observata insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plane & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Per præsentes autem juris patronatus, si quod tibi competit, seu eidem Philippo Principi competere poterit ad Metropolitanas, & alias Cathedrales Ecclesias, ac monasteria prædicta Siciliæ, & Sardiniæ Regnorum hujusmodi ratione illorum fundationis, seu recuperationis a manibus inimicorum, vel per privilegia Apostolica, quæ nihilominus valere, & in suo robore permanere volumus, aliquid innovare, seu minuere non intendimus. Cum intentionis nostræ semper fuerit & sit, Majestatem tuam novis favoribus prosequi, non autem ea tollere, quæ sui juris sunt. Datum Romæ ad S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 10. Septembr. 1586. Pont. nostri anno 2. Thomas Thomasius Gualtitutius.

Charissimo in Christo filio nostro, Hispaniarum Regi Catholico.

CXLVII.

Gregorii XIV. Pontif. Maxim. Bulla, in qua Sixti V. Pontificis Max. Bullam, de S. Januarii, Neapolitanorum Patroni, ejusque sociorum festa die celebranda promulgatam non solum confirmavit, verum etiam auxit, d. d. 20. Maji, An. 1591.

GRegorius Papa XIV. ad perpetuam rei memoriam. Catholica *Romana* Ecclesia, quæ sanctorum, præsertim martyrum, gloriam, anniversariis solemnitatibus, divino consilio recolendam instituit: ut exinde DEO debitus, in sanctis ejus, cultus exhibeatur: et fidelibus virtutum exempla imitanda proponantur; ad ea libenter intendit, per quæ Sanctorum veneratio, et divinus cultus cum populorum pia devotione augetur. Nos itaque dilectorum filiorum cleri Nobilium et populi Civitatis *Neapolitana* qui erga sanctum *Januarium* Episcopum, et Martyrem, prædictæ civitatis patronum, singularem gerunt devotionis affectum, piis votis benigne satisfacere cupientes; de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ *Romana* Ecclesiæ Cardinalium congregationis sacrorum rituum consilio, diem festum ejusdem Sancti *Januarii*, de quo, una cum sociis, felicis rec. *Sixtus* Papa V. prædecessor noster, ejus perpetuo valitura Constitutione, die XIX. Septembris in universi terrarum Orbis Ecclesiis, simplici officio de communi plurimorum martyrum celebrari statuit: post hac in perpetuum, per universum Clerum secularem et quorumvis ordinum regularem, in civitate et Regno *Neapolitano*, officio duplici, pro cæteris vero in universo terrarum orbe semiduplici, de communi plurimorum martyrum celebrari, atque in Calendario *Romano*; ad eum diem, semiduplicis nota adscribi, prædictumque festum S. *Januarii* in toto Regno *Neapolitano* prædicto, ut cætera festa de præcepto Ecclesiæ servari solita, servari debere statuimus, et decernimus: Mandantes Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, in totius *Christiani* orbis partibus constitutis, ut in suis quisque Ecclesiis præsentes literas solemniter publicari, et ab omnibus Ecclesiasticis personis sæcularibus et quorumvis ordinum regularibus perpetuo observari, in Regno vero *Neapolitano* prædicto, festum hujusmodi, tanquam de præcepto servari, et custodiri faciant; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis; quodque dies festus hujusmodi in Breviario, et Missali *Romano* hactenus adnotatus non sit, cæterisque contrariis quibuscunque. Præsentium autem transumptis, etiam impressis manu publici Notarii, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ obsignatis, indubiam ubique fidem adhiberi volumus, et mandamus. Datum Romæ in Monte *Quirinali*, sub Annulo Piscatoris. Die XX. Maji 1591. Pontificatus Nostri Anno primo.

CXLIIX.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Breve, in quo Philippo II. Hispaniarum Regi, unius integri mensis usumfructum de qualibet in Sicilia præbenda ecclesiastica percipiendi liberam concessit potestatem, d. d. 31. Augusti, Anno 1625.

URbanus P. P. VIII. charissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Orthodoxæ fidei conservandæ & propagandæ zelus ac singularis erga Nos, & hanc sanctam Sedem devotio, aliaque Catholici cognomine optimo jure insigniti Regis præclara merita, quæ in Majestate tua cœlesti gratia refulgent, plane exigunt, ut illi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque tu, claræ memoriæ Philippi II. & III. Hispaniarum Catholicorum avi & genitoris, aliorumque majorum tuorum exemplo Christianæ Reipublicæ utilitati inservire, & non solum Catholicæ fidei defensioni, sed illius etiam propagationi totis viribus incumbere desiderans, adeo ingentia expensarum onera subieris, ut non solum Regnorum tuorum ordinarios & extraordinarios reditus, verum etiam omnia illorum æraria fere exhauseris. Nos, ad egregia utriusque Philippi, Regis, avi & genitoris, aliorumque majorum tuorum, tuaque propria merita hujusmodi paternæ dirigentes considerationis intuitum, laudabiles, & DEO maxime gratos conatus tuos, quantum Nobis ex alto conceditur, adjuvandos duximus. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tibi omnes & singulos fructus, reditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta, in quibus etiam pensiones annuas, quantumvis liberas, immunes & exemptas, quas de cætero super illis Apostolicam auctoritatem reservari contigerit, comprehendi volumus, unius integri mensis a die possessionis infra scriptos portionarios, nec non provisos præfatos, seu institutos de Ecclesiis, seu aliis beneficiis infra expressis habitæ, seu qua per eos steterit, quo minus possessionem hujusmodi adipiscantur, computandi proportionabiliter ad ratam anni & veri annui valoris, deductis oneribus quarumcunque primatialium, Metropolitarum, Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium & aliarum Ecclesiarum, nec non monasteriorum, mensarumque abbatialium, prioratuum quoque, præpositurarum, præceptoriarum, dignitatum etiam majorum & principalium, canonicatuum & præbendarum, personatuum, administrationum, officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium (non tamen quoad curata eorum, quorum centum, quo vero ad simplicia, quorum fructus, reditus, & proventus valorem annuum viginti quatuor Ducatorum auri de Camera non excedunt) nec non S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Præmonstratensium, ac quorumcumque aliorum ordinum regularium, nec non militiarum, præterquam S. Joannis Hyerosolem, cæterorumque locorum etiam exemptorum in Regno Siciliæ ultra Pharum, & de tuo jure patronatus, sive ad nominationem tibi legitime competentem disponi solitorum tantum existentium, de quibus, quovis modo, etiam per translationem vacaturis, quascumque personas, quavis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentes, ad putationem, seu nominationem tuam præfici, vel provideri, sive illas in eis quomodolibet instituti, seu quibus pensiones ipsas reservari contigerit, (ut præfertur) per personas in dignitate Ecclesiastica constitutas a Ven. fratre moderno, & pro tempore existente Archiepiscopo Panormitano, ad hoc specialiter deputandas, a quibuscumque primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præceptoribus, Canonicis, Præbendatis, Rectoribus & personis secularibus & regularibus etiam militiarum hujusmodi, nec non pensionariis prædictis cujuscumque dignitatis, etiam Cardinalatus & conditionis fuerint, percipienda, exigenda, & levanda, tibique integre persolvenda tenore præsentium concedimus, & assignamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub anulo piscatoris 31. Augusti 1625. Pontificatus nostri Anno II.

CXLIX.

Capitulatio inter Regis Hispaniarum in Regno Neapolitano Vicarium & incolas urbis Neapolitanæ, die 13. Julii, Anno 1647. conclusa.

IN nome di Dio, della beatissima Vergine Maria del Carmine, del glorioso San Gennaro, Sant' Anello, Sant' Antonio di Padua, & altri padroni, e protettori di questa fedelissima città di Napoli; ad honore, conservatione, e gloria della Maestà Cattolica, del nostro benignissimo Re, e Signore; dell' Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinale Filamarino, nostro Arcivescovo, e Pastore amantissimo; dell' Eccellentissimo Signor Duca d' Arcos, Vicere, e Capitano Generale del Regno di Napoli, padre amorevolissimo di questo fedelissimo popolo; e del Signot Tomaso Aniello d' Amalfi, Capo del istesso fedelissimo popolo, per mezzo del quale si è compiaciuta S. Eminenza in nome di S. M. Cattolica, restituirci, ampliarci confermarci gl' infrascritti privilegi, videlicet: Philippus DEI gratia Rex &c.

Don Rodericus Ponze de Leon, Dux Civitatis Arcos, Marchio de Zara, Comes de Bosilen, Dominus Domus Villæ de Marchena, & Garzia, & in præsenti Regno Vice-Rex, Locumtenens & Capitaneus Generalis, &c.

Essendoci stato supplicato per parte del fedelissimo popolo di questa fedelissima città di Napoli l' esecutione de' privilegi, e concessioni fate dalla felice memoria del Re Ferdinando Primo d' Aragona per infino al Re Federico, e dopo il spoglio di detto Re Federico della metà de' voti alla piazza del popolo, che fù promessa la restitutione da Ferdinando il Cattolico à petitione dell' Eletto di quel tempo Alberico Terracina, e questo nell' anno 1506. e sempre per detto popolo si è preteso la restitutione di detta metà de' voti, e che per tal' effetto se li dovesse dare, ed esibire il proprio privilegio

vilegio originale, & in caso, che non si trovasse, che da noi si procurasse haverlo quanto prima da Spagna, e trattanto tutta la Città, e Regno goda detto privilegio in perpetuo con gl' infrascritti altri Capitoli, che ci sono stati presentati per parte del detto fedelissimo popolo quali sono gl' infrascritti, videlicet:

1. In primis questo fedelissimo popolo di Napoli vuole il proprio privilegio originale del Re Ferdinando d' Aragona per insino al Re Federico, e di poi il spoglio del Re Federico della metà de' voti alla Piazza del fedelissimo popolo, che fu promessa la restitutione da Ferdinando il Cattolico à petitione del Eletto di quel tempo Alberico Terracina, e questo nell' anno 1505. e sempre per detto popolo si è pretesa la restitutione di detta metà de' voti, e se non si trovasse vadino otto ò dieci Deputati del popolo à trovarlo, e dato caso, che non si trovasse, che S. Eccellenza procuri di haverlo quanto prima da Spagna frà tanto tutta la Città, e tutto il Regno goda il detto privilegio in perpetuo.

2. Item, che goda la Città il perdono generale de' crimini lesæ-Majestatis, etiam in primo capite quatenus ci fosse incorsa, e così d' ogni altra cosa etiam in persona di S. Eccellenza (benche il popolo intenda non essere incorso mentre sempre hà detto: Viva il Re di Spagna) da' sette del presente mese di Luglio per tutto il tempo, che si darà esecutione à questo privilegio, perche detto popolo pretende essere stato tantummodo emotione di gente, figlivoli, e bassi per levamento, ed oppressioni di gabelle, e che li carcerati, che hanno fatto uscire dalle carceri godano l' istesso indulto non obstante qualsivoglia altro ordine, che non godessero altro indulto in loro favore.

3. Item, che l' Eletto del popolo si facci per sei mesi in Sant' Agostino da' Capi del' Ottine come concesse Carlo V. in virtù di privilegio tiene stampato, e non piacendo al popolo detto Eletto, ne possano fare un' altro, e di più si debbano mutare li Capitani di strada, Consultori, e Deputati ogni sei mesi, e che li faccia il popolo in Sant' Agostino il tutto conforme li capitoli auvertendo, che da quà avanti per detto Eletto non si possi pretendere conferma de' Capitani, ma dall' Ottine, e che sopra di questo si osservino li Capitoli stampati.

4. Item, che l' Eletto sopradetto habbia tanti voti ò voci egualmente quante ne hà tutta la nobilità, conforme li teneva avanti, che Re Federico ne lo privasse, e se occorrerà multiplicare le Piazze de' Nobili si accrescano altrettante voci al popolo.

5. Item, se per caso detto privilegio non si trovasse, che nessuna gabella stia in piede, ma si levino tutte tanto per la città quanto per il Regno, & anco delle cose spettanti à Moccia ò al Regio Portolano, & alle impositioni, ò alla Piazza de' melloni, & ad ogni altra cosa spettante alla città, e che questo habbia effetto.

6. Item, che il donativo nuovamente imposto dal Signor Duca di Medina si levi perche nel privilegio di Carlo V. non vi è, e se in detto privilegio ci fosse si obliga il popolo di darlo purche non stia nella margine overo aggiunto, e questo intendo per la città, e tutto il Regno, e detto donativo duri per il tempo conforme la stipulatione de' Baroni.

7. Item, che si levino le impositioni de' sigilli della Regia Camera della summaria, della gran Corte della Vicaria, del Conseglio, delle Regie audientie del Regno, e per la città, e dette prerogative si habbino da firmare sotto il sopradetto privilegio di Carlo V. di gloriosa memoria, quando si trovasse da tutto il Collaterale, e Conseglio di stato, e anco che si levi il Jus dell' uno, e mezo per cento, che si paga nelle sentenze del sacro Conseglio nuovamente introdotto.

8. Item, che non si facci dimostratione alcuna di questo tumulto successo da' sette del corrente mese di Luglio insino all' infrascritto giorno del presente privilegio, che S. E. prometta frà 'l termine di tre mesi far venire la ratifica, e confermatione di S. M. per dette prerogative, e che tutto il contenuto si debba scolpire in marmo da ponersi nella Piazza del mercato, & in tutti gli altri luoghi dove vorrà il popolo à sua elettione.

9. Item, che in nessun' altro futuro tempo non si possa mai più ponere nessuna gabella, ma havendo bisogno S. M. vuole il popolo souvenirla con la vita, con la roba, e quanto hanno.

10. Item, Vogliono ancora il popolo, che detto privilegio si stipuii nel luogo dove elegerà detto fedelissimo popolo publicamente con gli Eletti Nobili, e con quello del popolo firmato da S. Eccellenza Collaterale, e Conseglio di stato, e che detta stipulatione si habbia da fare nella Chiesa maggiore di S. Maria del Carmine di questa fedelissima città di Napoli, e che venghi poi la ratifica da S. M. frà detto tempo.

11. Item, che il Grassiero lo facci il popolo con la nobilità accettando detto privilegio.

12. Item, che li deliquenti, e contumaci Napoletani sieno liberi, e indultati da qualsivoglia loro inquisitione, e delitti ancorche non tenessero remissione di parte offese, ma dove sarà necessario, la debbiano procurare frà dieci anni di tempo, ancorche fossero fuor giudicati di sentenza in qualsivoglia Tribunale, etiam Regie Gionte, e Visite; e tutte le Gionte debbano restare estinte, ma che i negotii si trattino ne' Tribunali ordinarii, e particolarmente, che restino assoluti, liberi, ed indultati tutti gl' inquisiti, de gl' intercetti, e contrabandi, e che li carcerati per tal causa sieno subito scarcerati tanto Napoletani quanto forestieri, levando anco tutte le legationi restando in piedi quelle fate da S. M. servata la forma della sua Real Lettera.

13. Item, che le armi non si debbano levare à detto popolo fino à tanto non si sia data *l'Exequatur* à detti privilegii, e capitoli, e che infino che non se li consegnerà detto privilegio non si levino dette armi, ringratiando similmente detto popolo S. E. di tal privilegio accettando detto privilegio.

14. Item, che s intendano levate tutte le gabelle tanto della Regia Corte, che della fedelissima Città non solo quelle imposte d' ordine de' Signori Vicere, e Nibilità ma anco del popolo, ma che

che ſiano mantenuti nella poſſeſſione, che al preſente ſi ritrovano ottenuta etiam per violenza di non pagare gabella alcuna, coſì di Corte, come della Città, & anco tutti i nuovi impoſti, & impoſitioni, che ſi eſigono nella Dogana ma ſolamente reſtino in piedi quelle, che ſi pagavano nel tempo dell' Imperadore Carlo V. e qualſivoglia altra *etiam in ſolutum data* a' particolari, ed occorrendo ſoccorrere a' biſogni del Re noſtro Signore, habbiane da concludere, il modo l' Eletto del fedeliſſimo popolo ſolamente, Capitani di ſtrada, e Conſultori.

15. Item, che le chiavi dove ſi conſervino i privilegi della Città una di quelle ne habbia da tenere l' Eletto del popolo.

16. Item, in caſo, che non ſi trovaſſe il privilegio originale conforme di ſopra S. E. permetta, che il fedeliſſimo popolo facci le minute del detto privilegio, e d' altre gratie, che deſidera, che S. E. ce li concedera per li meriti del detto fedeliſſimo popolo.

17. Item, che l' attioni fate dal popolo contra chi hà conſultato dette impoſitioni, ed indebite gabelle, e di chi l' havea affittate, eſtorquendo, ed eſigendo quelle con tanta rigoroſità in havere abbruciato li mobili di quelli, loro in pena, e che detti tali non poſſino havere giamai voto nelle coſe publiche, nell' admiratione di queſta Città, e che di qualſivoglia coſa, e delitto per detta cauſa non ſe ne poſſa pigliare informationi come di ſopra.

18. Item, che neſſuno de' detti, che hanno patito d' eſſerli abbruciate le robe, cioè, Uficiali Regii ſieno ſoſpetti contro chì ſi foſſe trovato abbruciare dette robe tanto per cauſe civili, che criminali.

19. Item, che le coſe comeſtibili ſi poſſano, e debbano vendere in tutti i luoghi publici non oſtante qualſivoglia prohibitione di Portolano ò altri Miniſtri.

20. Item, che tutte le contraſſiſe, che ſi faranno a' ſudetti etiam à faccia non s' intenda altro di pena che di carlini ſette, e, grana ſette.

21. Item, che tutti li forzati di galera, che hanno finito il tempo ſieno liberati ſubito.

22. Item, nel detto indulto generale vada anco compreſſo Maſanello d' Amalfi Napoletano, e ſuoi compagni li quali marciando verſo la Torre del Greco con la ſua compagnia accompagnato da molti di Portici à S. Gio. à Teduccio per incontrare alcune compagnie, ch' entravano nella Città, & havendone quelle incontrate ſi poſero dentro la Chieſa di S. M. di Conſtantinopoli in difeſa di eſſo Tomaſo Aniello, e compagni per havere l' armi, che portavano detti ſoldati, fu neceſſario mettere fuoco alla porta della Chieſa, e per detto eceſſo in detto luogo ſi perdoni ad eſſo Tomaſo Aniello, e compagni ſtante che ſi è fatto per ſervitio del publico, e per oſſervanza de' privilegii mentre, ch' eſſi non tenevano armi.

COnviene per servigio di S. M. Cattolica, e per buon governo del detto fedelissimo popolo, che nessun Barone ò Titolato di questo Regno, nè qualsivoglia altra persona di qualsivoglia grado, stato, e conditione si sia, debba tenere, ne far comitiva di persone armate presso di esso à piedi ò à cavallo, e nessuna persona di qualsivoglia stato, grado, e conditione si sia, ardisca di accudire in tale comitiva, ne pigliar l' armi contra il detto fedelissimo popolo di essa città, e Regno; e per provedere anco ad altre cose per indennità, e beneficio di esso fedelissimo popolo ci è parso ordinare con voto, e parere, e di comune consenso di esse conforme per il presente dicemo, ordiniamo, e comandiamo, à tutti Baroni, Titolati, & à qualsivoglia altra persona di qualsivoglia stato, grado, e conditione si sia, che non possa tenere ne far comitiva, nè à piedi nè à cavallo, e niun' anco di qualsivoglia stato, grado, e conditione si sia, ardisca accudire in tale comitiva, nè pigliare l' armi contra detto fedelissimo popolo altrimenti li contravenienti si possano impunemente uccidere, e l' uccisore debba godere l' indulto di qualsivoglia delitto insieme con la sua comitiva, e pigliare le loro robe delle quali la quarta parte si applichi all' uccisore, e l' altre parti ad esso fedelissimo popolo. E uccidendosi il Duca di Madalone oltre della sopradetta quarta parte di tutti i suoi beni se li daranno di più ducati dieci mila da esso fedelissimo popolo, e l' indulto dell' occisore, compagni, e comitiva, e di venti altri nominandi dal detto occisore per qualsivoglia delitto, che havessero commesso; e di più ammazzandosi D. Giosceppe Mastrilli all' occisore se li daranno ducati mille, e anco ammazzandosi Lucio Sanfelice, il Duca di Siano, e li figli di Francesco Antonio Muscettola per ogn' uno di loro se li daranno ducati mille conforme è stato per un' altro nostro ordine alli 15. del presente ordinato, eccettuando però dall' indulto predetto il detto Duca di Madalone, il Conte di Conversano, e il Marchese del Vasto.

Item, che ciascuno de gl' Incendiati, e altri contenuti nel destierro di questo Regno conforme li capitoli debbano frà due giorni di hoggi mandare fede autentica de' Sindici, e Eletti de' luoghi doue si ritrovino come si ritrovano fuori di questa fedelissima città di Napoli, e suo distretto, altrimenti elasso detto termine, e non ritrovandosi haver portata detta fede si possano impune uccidere dimorando in questa città, e suo distretto, con la perdita di tutti i loro beni da applicarsi la quarta parte al' occisore, e l' altre tre al detto fedelissimo popolo, e poi sotto l' istessa pena ritrovandosi in Regno debbano frà altri giorni quattro sfrattare fuori di esso, e l' occisore goda di più l' indulto di qualsivoglia altro delitto.

Item, che nessuno Barone, Titolato, Uficiale, e qualsivoglia altra persona di qualunque stato, grado, e conditione si sia, possa in questo presente Regno fare mercantie, nè comprare per vendere grano, farina, orgio, vino, e altra sorte di robe comestibili sotto pena della vita, e perdita di tutti i loro

loro beni d' applicarsi la quarta parte al denuntiante, ò occisore, e l' altre tre parti ad esso fedelissimo popolo.

Item, che ciascuna persona di qualsivoglia stato, grado, e conditione si sia, che tiene grano ò farina oltre l' uso di sua casa, e famiglia, e della semina à rispetto di quelli, che seminano intendendosi detto uso di uno tumolo per persona il mese fino al mese di Settembre primo venturo debbano di continuo tenere fondico aperto con nota di tenere quelli à vendere à prezzo corrente sotto pena della perdita di tutti i loro beni d' applicarsi la quarta parte al denuntiante, e l' altre al detto fedelissimo popolo oltre l' altre pene corporali ad arbitrio di questo fedelissimo popolo.

Item, che nessuna persona ut supra ardisca d' impedire le genti, che vengono armate in beneficio del fedelissimo popolo, ò che portassero vettovaglie per uso, e grassa, ò altra cosa per servitio di guerra di esso fedelissimo popolo sotto le pene contenute nel primo sudetto capitolo da eseguirsi inviolabilmente. E che perciò li Sindici, & Eletti delle Terre donde veniranno le persone ò robe predette per la grassa, e servitio di guerra ut supra, debbano mandare fede autentica del numero delle persone, loro nomi, cognomi, e delle qualità, e quantità delle robe, che porteranno, & ogn' uno li debba dare aiuto, e favore. Dato in Napoli 16. Ottobre 1647.

CLIII.

Manifestum populi Neapolitani procerum, in quo rationes recensent, quæ ipsos, ut jugum Ministrorum Hispanicorum intolerabile humeris suis excuterent, ad arma capessenda commoverint, d. d. 17. Octobr. Anno 1647.

Il fedelissimo popolo di questa città, e Regno di Napoli, dice, dichiara, fà noto, e manifesto à tutti li qualsivoglia dignità, stato, grado, e conditione si siano nella Christiana Religione, come havendo professato, e professando esse fedelissimo popolo sempre fedeltà verso la Maestà Cattolica del suo Re, e ritrovandosi, con eccessivi pesi di diverse, & onerose impositioni, e gabelle, quasi al pari del prezzo di beni, senza mai cessarsi da nuove ogn' anno da Ministri di detta Maestà Cattolica la maggior parte di quelle procurate con voci de' Nobili, comprate, ò permutate con officii, ò con violenze di mandati penali, ò carcerationi, anco contro la forma de' loro privilegii, e ragioni essendone frà questi pochi anni di guerra, che hà tenuta detta Real Corona Cattolica in altri suoi Regni, e Stati, cavati da quello da cento milioni, con quali esso fedelissimo popolo era, & è ridotto à tal necessità estrema, che la maggior parte si vedeva famelica, e li padri, madri, e mariti à vilissimo prezzo costretti à vendere il più caro tesoro dell' honestà, e castità per vivere, anco per le dure, e violenti esattioni di dette impositioni, e gabelle per le pretese fraudi de' quali anco per ogni minima cosa de fatto essi del popolo d' ogni sesso, & età erano carcerati, & esecuti, e violentati à pagare pene eccessive. Permettendosi all' incontro à persone Nobili, e Potenti impune dette fraudi eccessive in dette gabelle, & impositioni, con che molti si sono visti ricchissimi con tal industria, e con il comprare à vilissimo prezzo le polizze di quelli del popolo creditori consignatarii sopra dette impositioni, e gabella, a' quali non si permetteva esattione; ma solo a' detti Nobili, e Potenti, & a' Regii Ministri, & à persone supposte dall' istessi Assittatori di quelle; Permettendosi anco à detti Nobili, Potenti, ò Titolati del Regno impune offender le persone, & occupar li beni di essi del popolo per lo che la Divina Maestà permise, che alquanti piccioli, e poveretti figlioli di essa città, à quali fù revelato forsi quello, che a' maggiori stava nascosto s' indussero con debili cannuccie à comparire avanti l' Eccellentissimo Duca d' Arcos Vicere in essa città, e Regno sotto li 7. di Luglio del presente anno 1647. per alleviamento di tali pesi, all' applauso de' quali essendo concorso anco esso fedelissimo popolo con le armi per difesa de' suoi privilegii, e ragioni, per quali anco se li permetteva senza incorso di pena alcuna resistere, con haver fatto diverse dimostrationi contro diverse persone, che erano pur state causa di tali pesi, e danni.

E havendo ciò riconosciuto detta Eccellenza del Vicere del Regno con suo Collat. Conseglio, e di Stato, e di guerra si compiacque di togliere dette gabelle, & impositioni da essa città, e Regno, & anco in remuneratione della perfetta, e viva fedeltà dimostrata da esso fedelissimo popolo di continuo, e con viva voce gridando viva Spagna, e con fatti esponendo per tutte le parti più principali della città l' effigie del suo Re concesse nell' istesso tempo altre gratie, e privilegii promettendo anco frà trè mesi la confirma di quelli da essa Regia Maestà Cattolica dando anco frà questo licenza di tener dette armi ad esso fedelissimo popolo, e tutto ciò con publica, e sollenne stipulatione giurata nella Cathedrali di Napoli in presenza dell' Eminentissimo Cardinal Filomarini Arcivescovo di essa città.

E standosi in questo con pace, e quiete, trattossi dopo da alcuni Regii Ministri, & altri mal contenti per lor privati, e particolari interessi di far apparire, che buona parte di quello era seguito fusse stato fatto contro ragione, e non senza grave delitto, e contro la volontà di esso fedelissimo popolo. E volendosi rappresentare à detta Eccellenza del Regno da molti cittadini di esso popolo nel Real Palazzo furono all' improviso assaliti di archibuggiate da' Regii soldati, per lo che fù costretto di nuovo pigliar l' armi per sua difesa esso fedelissimo popolo sotto li 21. d' Agosto prossimo passato, sempre però con simili voci, & atti di dimostratione di sua vera fedeltà verso il suo Re; onde detta Eccellenza con suo Collaterale Conseglio di Stato, e di guerra li concesse nove gratie, e privilegii, rimediando anco al che posseva essere cagione di nuova molestia ad esso fedelissimo popolo, e con questo ridotta di nuovo la città, e Regno

à pace,

à pace, e quiete universale, mediante anco la persona del detto Eminentissimo Cardinale Filomarino, quale à Cavallo per tutta la città andò, assecurando esso fedelissimo popolo di detta pace, e quiete, seguendo dopo similmente altro solenne giuramento della detta Eccellenza sopra dette nove gratie, e privilegii dentro la Chiesa di S. Barbara nel Castello novo di essa città à 7. di Settembre.

Hora aspettandosi la confirma di dette gratie, e privilegii di detta Real Cattolica Maestà nel primo del presente mese d' Ottobre, essendo all' improviso insorta voce, benche pur dubbia, che in questo porto con armata Reale entrava l' Altezza del Signor D. Giovanni d' Austria, figlio di detta Maestà, concorse tutto gioioso con universale applauso esso popolo ansioso di veder personaggio tale tel sangue del suo amatissimo Re, e quando da giorno in giorno sperava vederlo, fù rappresentato, che non voleva venire in terra, se esso fedelissimo popolo non posava l' armi, quali subito furono deposte in loro case, ancorche non dovessero in conformità de' loro privilegii. Talmente, che sabbato mattina cinque dell' istesso mese non si vedeva persona armata, ma ci era universal quiete, e mentre pur stava anelando la vista di tal Principe, da qual sperava altre gratie, e favori all' improviso sù il mezzo dì in un' instante da' Regii soldati da più parti dell' istessa città à forza d' arme fù occupata, entrando in molti Monasterii, & Conservatorii, violando Vergini, e commettendo altri enormissimi eccessi, e nell' istesso tempo tutta la città assalità, e battuta in ogni parte da più di tremila cannoni, & artiglierie di tre Castelli, e di più da quaranta vascelli, e galere per molti giorni, e notte continue, e poi fin al presente da tempo in tempo, per quali à quest' hora, conforme credevasi, dovea esser spianata tutta questa sì vaga, e nobil città Giardino dell' Europa con tutti i suoi nobilissimi edificii, Chiese, Monasterii d' ogni sesso, e luoghi pii, e suoi habitanti d' ogni età atterrati senza atto alcuno di pietà, e Religione; ma Dio benedetto non hà permesso, che tali sì crudeli, e fieri atti de' Ministri di detta Real Maestà havessero in tutto l' effetto da loro desiderato; per il che esso fedelissimo popolo è stato costretto ricorrere al natural rimedio della sua difesa; & in quella conservarsi senza habere speranza di havere quiete, ne sicurtà delle persone, e beni di esso fedelissimo popolo, ne prestar fede alle promesse di detti Regii Ministri; onde hà giudicato pur bene, e necessario ricorrere prima alla Divina Maestà, alla gloriosissima Vergine Madre di Dio, al glorioso S. Gennaro, & à tutti altri Santi Protettori di detta città e Regno, e quelli invocando, e supplicando ad assistere alla detta sua difesa, agiùto, e protettione, con pregare anco, si come supplica, dimanda, e chiede con ogn' interno affetto la Santità de Sommo Pontefice, suo sacro Collegio, e Prelati tutti di Santa Chiesa, le Maestà dell' Imperatore, e di Re, Republiche, Prencipi, Duchi, Marchesi, Conti, Baroni, & altri qualsivogliano in dignità, titoli, e gradi constituti, e ciascun fedel Christiano, che tanto con l' orationi, quanto in tutti gli altri modi, che potranno, e conosceranno necessario, si compacciano dare il loro agiuto, e favore, e proteggere esso fedelissimo popolo in detta sua difesa, che oltre la remuneratione, che potranno sperare dalla divina bontà in atto di tanta giustitia, e pietà, restera esso fedelissimo popolo perpetuamente obligato di far il simile, ò maggiore secondo le sue forze in ogni loro occorrenza. Di Napoli li 17. d' Ottobre 1647.

CLIV.

Regis Hispaniarum in Regno Neapolitano Vicarii Declaratio, in qua omnes, qui contra Hispanos ad arma concurrerunt, ac rebelles fuerunt, in gratiam receptum iri promittit, si modo, armis abjectis, Regi Hispaniarum pristinam fidem atque obedientiam sint præstituri, d. d. 7. Novembris, Anno 1647.

Filippus DEI gratia Rex, &c. D. Roderico Ponze de Leon, Dux d' Arcos, Vice-Rex, Locumten. & Capitan. Gener. in presenti Regno.

Considerando noi l' amor paternale, che porta la Maestà de Re nostro Signore à questo fedelissimo Regno, e quanto sia grande la sua benignità, e Reale clemenza, che in ogni occasione hà dimostrato a' suoi vasalli, e popoli conformandoci con la sua Real mente, e desiderando, che da tutti si continui la solita fedeltà, e divotione al suo Real servitio affinche lo possano fare con maggior volontà, prontezza, e sicurtà habbiamo risoluto d' aggratiare, & indultare tutti quelli, che continueranno con la solita fedeltà da hoggi avanti in accudire al servigio di S. M. in questa presente occasione appresso la nostra persona, ò dove sarà da noi ordinato così come con la presente l' aggratiamo, e l' indultiamo da tutti, e qualsivoglia delitti, & eccessi, che coll' occasione della presente rivolutione, e tumulti fossero incorsi, e d' ogni altro, di che per il passato fossero inquisiti ancorche fossero eccettuati; dandoli, e concedendoli in nome della predetta Maestà, e del Serenissimo Signor D. Giovanni d' Austria indulto, e perdono generale in amplissima forma; & oltre del predetto indulto, e perdono volemo, che tutti quelli, che caleranno, e veniranno à servire S. M. in detta presente occasione come di sopra oltre delle gratie fatali in levar le gabelle siano franchi, & esenti da qualsivogliano pesi continuando però con la solita fedeltà al Re nostro Signore, e nell' ubbidienza de' loro Baroni, eccettuandone però li Capi a' quali si dichiara, che disponendo la gente da loro dipendenti à ridursi al servigio di S. M. non solo se li concederà il medesimo indulto, e perdono generale, ma se li faranno anco tutte quelle gratie, e mercedi, che suol fare sua Real clemenza à quelli, che procureranno il suo Real servigio è publico beneficio; e perche venga à notitia di tutti habbiamo fatto publicare, e affiggere la presente n' luoghi soliti. Dato in Castelnuovo li 7. Novembre 1647.

Il Duca d' Arcos.

D. Girolamo d' Almeyda.

CLV.

CLV.

Promissio Oratoris Gallici in Aula Pontificia degentis, quam Nobilitati Neapolitanæ, ea lege ac conditione, fecit, si præsentium motuum occasione adversus Hispanos arma capessere non cunctaretur, d. d. 20. Januarii, Anno 1648.

IL Marchese di Fontenay, Consigliere del Re ne' suoi Consegli, Luogotenente Generale dell' armate di S. M. e suo Ambasciadore straordinario presso S. Santità.

Havendo noi considerate le propositioni fateci dal Signor Abbati Laudati Caraffa Napoletano, Fratello del Signor Duca di Marzano per impiegare la Nobilità del Regno di Napoli a pigliare l' armi contra gli Spagnuoli nella presente congiuntura de' movimenti di quello, & essendoci nota la qualità della persona, l' esempio che hà de' suoi antenati i quali hanno sempre nel detto Regno seguito il partito Francese; il credito e le buone intelligenze, che hà con quella nobilità nella quale hanno tanta parte li suoi parenti habbiamo giudicato importar molto al servigio di S. M. animare detto Signore Abbate Laudati à detta impresa assicurandolo con la presente promessa, che li facciamo in nome di S. M. che in ogni evento, che dette rivolutioni si componessero a favore de gli Spagnuoli S. M. li promette tenere della sua persona particolare protettione, e ricompensarlo in Francia di tutte le perdite, che per seguire il suo partito venisse a fare nel Regno di Napoli consistenti in Badia di quatro mila scudi di rendita intitolata Santa Catharina nella città di Marzano Ducato di suo fratello in detto Regno, e cinque mila scudi annui di patrimonio potendosi in ogni futuro tempo valere di questa promessa per sua maggiore cautela come di una scrittura publica. Et in fede di ciò habbiamo segnata la presente promessa di nostra mano, e sigillata col nostro sigillo. Data nel nostro Palazzo di Roma li 20. Gennaro 1648. *Fontenay.* Per S. E.

Board.

CLVI.

Manifestum Ludovici XIV. Galliæ Regis, in quo rationes adducit, quibus ad bellum Siciliæ ultra Pharum sitæ, ac sub Hispanorum jugo tunc temporis gementi, inferendum sit commotus, d. d. 11. Octobris, Anno 1675.

L' Etat déplorable, où se trouvoit l' année derniere la ville de Messine, prête a retomber plus cruellement que jamais sous un joug que les violences des Espagnols lui avoient déja rendu insupportable; le recours qu' eût cette ancienne & fameuse ville a la protection du Roy; & la compassion qu' excita dans l' esprit de sa Majesté la vûe d' un grand peuple sur le point de perir, tant par la rigueur d' une longue famine, que par les supplices qui lui étoient préparez, porterent sa Majesté, plus encore par un mouvement de generosité, que par l' interêt d' une diversion importante contre l' Espagne, a ne pas abandonner tant de pauvres innocens opprimez, a qui il ne restoit d' esperance de salut que dans sa seule bonté. Les Vaisseaux, qu' elle donna ordre d' armer en Provence, porterent double secours a Messine, ils y firent cesser par l' entrée des vivres qu' ils y conduisirent, le plus pressant de tous les maux, dont elle étoit attaquée, & lui rendirent par une victoire signalée la liberté du Port, que les forces maritimes d' Espagne tenoient ferme depuis longtems. De si grands bienfaits imprimerent aux Messinois la reconnoissance qu' ils devoient a leur liberateur; ils crurent ne pouvoir la lui mieux témoigner, qu' en le choisissant pour Maitre, & ne pouvoir rien faire de si avantageux pour eux-mêmes, que de s' assurer de la protection de la France qu' ils venoient d' eprouver si puissante & si favorable. Ils supplierent sa Majesté de les recevoir au nombre de ses Sujets, & elle voulut bien accepter, a leurs prieres, le serment de fidelité qu' ils lui en prêterent avec l' applaudissement general de tout ce peuple.

Sa Majesté pouvoit par ce nouveau titre, & par les droits si justes & si anciens qu' elle a sur le Royaume des deux Siciles, unir a sa Couronne non seulement la ville de Messine, mais encore les autres Places, qu' elle possede dans l' Isle, & toutes celles a qui l' amour de la liberté inspireroit de secoüer le joug des Espagnols. Mais parce que sa vûë a bien moins été dans cette occasion d' etendre ses limites, que de secourir des peuples, qui avoient imploré son assistance; Elle veut bien déclarer par le present Memoire, qu' elle n' a reçû les Messinois, quand ils se sont donnez a elle, que pour les rendre en quelque sorte a euxmemes, aussi bien que les autres Villes de Sicile, qui voudront suivre leur exemple: Que son dessein n' a pas été de les faire vivre sous ses loix, qui leur sembleroient toûjours étrangeres, en les unissant a sa Couronne; mais qu' a l' exemple de ses Prédécesseurs, qui ont donné deux fois des Roys a Naples & a la Sicile, dans deux Branches de la Maison Royale de France, son intention est encore de donner à cette Isle un Souverain, qui tire son origine du même sang; qu' elle lui remettra tous les droits, qui sont aquis à la France sur ce Royaume, & tous ceux que le consentement des peuples à deferez & pourroit deferer a l' avenir à Sa Majesté: Que ce Prince prendra les moeurs, les coûtumes & les loix de son Etat, & qu' il retablira chez les Siciliens un trône que leurs Ancêtres ont vû avec douleur transporté en Arragon & en Castille: Que de tous les intérêts que le Roy a pû prendre jusques à present à la Sicile, Sa Majesté se réserve seulement celui de raffermir de plus en plus la puissance de ce Royaume, & le bonheur & la felicité de ses peuples, par la liaison & la protection toûjours assurée de la France.

C' est ce que sa Majesté a bien voulu rendre public par cet écrit, & faire connoitre à toute l' Europe, combien dans l' assistance qu' elle à donnée aux Siciliens, elle a peu regardé son utilité particuliere, puisque sans vouloir rien ajoûter à sa Couronne, elle songe seulement à en relever une, dont le nom a été toûjours si grand en Italie, & par tout le monde. Fait à Versailles l' onziéme Octobre 1675.

LOUIS.

Arnauld.

CLVII.

Literæ Caroli Belgici Hollandi, Ducis de Tremollia, ad Aloysium de Bevilaqua, Sedis Apostolicæ ad Tractatus Noviomagenses Nuntium extraordinarium directæ, in quibus huic jura in Regnum Neapolitanum sibi competentia diligenter commendat, d. d. 7. Jul. An. 1678.

Illustrissime & Reverendissime Domine,

CUm vestra omnia consilia eo tantum spectent referanturque, ut instaurata per orbem Christianum pace, Reges & Principes quotquot sunt, qui aliquam passi sunt vel injuriam vel jacturam, sua in jura pristinumque statum restituantur, mei ipsius & avitæ dignitatis oblitus videar, si transmissum in mea Serenissimo Frederico Neapolitano Rege, avi mei tritavo, jus indubitatum & legitimum coram Dominatione vestra Illustrissima, tam opportuna data occasione, non persequar. Optimus ille, ut cuilibet est notorium, & pacatiore seculo dignissimus Princeps, tum a Serenissimo Arragonum Rege, Ferdinando Catholico, patruele, Novercæ Germano, perpetuamque amicitiam professo, sibi ostentatam prius, promissamque sæpius opem sponderet, ab eodem in dignitatis fortunarumque totius adeo familiæ perniciem adductus, priusque ab illis, quas auxiliatrices credebat, copiis est oppressus, quam vel imminens periculum prævidere vel illatam sibi vim liceret propulsare, liberis ejus eorumque posteris jus illud legitimum reliquit. Nunc vero cum Sapientissima DEI providentia sub ipsis universæ Europæ oculis Principum quorumcunque rationes, earundemque momenta Illustrissimæ Dominationi vestræ veniant expendenda, visum est mihi, cum bona Christianissimi Regis, Domini mei supremi, venia, meo meorumque nomine, Illustrissimæ Dominationi Vestræ denunciare, me unicum legitimum hæredem, recta linea ab ipso Rege ortum, quem nullius offensæ reum, nulla belli indictione præcedente, solio fortunisque universis excussit Ferdinandus Quintus, Arragonum Rex. Cum autem Catholicus Hispaniarum Rex, Carolus Secundus, Regnum Neapolitanum nullo alio jure quam successione dicti Ferdinandi invasoris retineat, id officii mei rationem postulare credidi, ut Illustrissimæ Dominationi Vestræ, Mediationem Apostolicam dignissime obeunti, causam meam commendarem. Hoc consilio Generosum Virum, Joannem Gabrielem Sanguiniere, Dominum de Charansac, Regi Christianissimo a Consiliis, & in Curia Præsidiali Parisiensi Senatorem, ad Dominationem Vestram misi, qui mea studia exhibens causæ æquitatem exponat, cujus pro merito suo officiique demandati religione rationem habeat Illustrissima Dominatio Vestra, & in me meosque benevolenti sit animo, demisse oro & obtestor,

Illustrissime & Reverendissime Domine

Datum ex exercitu Regis Christianissimi die septima Julii 1678

Dominationi Vestræ addictissimus.
Carolus Belgicus Hollandus de Tremollia.

Inscriptio.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Domino Aloisio de Bevilaqua, Patriarchæ Alexandrino, Sacræ Sedis Apostolicæ Nuncio Extraordinario, & ad Pacis Universæ Tractatus Noviomagenses Mediatori æquissimo.

CLIIX.

Ejusdem Protestatio apud eundem deposita, in qua jura in Regnum Neapolitanum sibi competentia sarta tectaque conservare annisus est, d. d. 16. Aug. An. 1678.

IN Nomine Domini, Amen. Per hoc publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, die decima sexta Mensis Augusti in mei Adriani Roukens Ducatus Gueldriæ Noviomagi residentis publici Notarii, testiumque infra nominatorum præsentia, petita ac obtenta per me ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Domino Aloysio de Bevilaqua, Patriarcha Alexandrino, Nuntio Extraordinario, munus mediationis pro Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. Papâ, ad Tractatus Pacis Universalis Noviomagi tractandæ obeunte, hujus Instrumenti faciendi licentiâ, Nobilis Dominus Joannes Gabriel Sanguiniere, Dominus de Charansac, Regis Christianissimi in sua Curia Præsidiali Parisiensi Consiliarius, nomine Plenipotentiarii Celsissimi ac Illustrissimi Principis Caroli Hollandi Belgici de Tremollia, Tarenti ac Talemundi Principis; Tremolliæ, Thoarsii ac Loduni Ducis; Vallis, Montisfortis, Gisnarum, Jonvellæ, ac Taleburgi Comitis; Vitrei, Malileonis, Berriæ & Didonæ Baronis; Rhedonum, Baisii, ac Marsillei Vicecomitis; Spinæi Marchionis, Paris Franciæ ac Regis Christianissimi Nobilium Cubiculariorum Primarii, &c. ejusque Plenipotentiæ Mandato sub die 7. Julii proxime præteriti dato, ad calcem præsentium describendo, specialiter munitus, se contulit hora decima matutina ad palatium prædicti Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, & se dirigens ad ejus personam, ipsi, me Notario testibusque infra nominatis præsentibus, exposuit, declaravit, ac repetiit, se illi libellum supplicem nomine Plenipotentiarii Celsissimi & Illustrissimi Principis de Tremollia, cum bona venia Regis Christianissimi

nissimi, Domini sui Clementissimi, sub die vigesimo Mensis Julii novissime elapsi, ea qua par est, reverentia exhibuisse, quo & Instrumentis annexis eum clare docuit Jura antedicti Principis de Tremollia circa Regnum Neapolitanum, quod ipsi tanquam ex asse hæredi Carlotæ Arragoniæ, causis & juribus, in prædicto libello allegatis, & abunde probatis, legitime competit, ac ipsum vigore mandati plenipotentiæ suæ enixe, & eo quo potuit studio, tam voce quam scriptis obsecrasse, ut æquissimæ causæ cognitionem suscipiens, præfatum Celsissimum & Illustrissimum Principem de Tremollia, tanquam è Frederico Neapolitano è solio deturbato ortum, adversus Serenissimum Principem, Carolum II. Hispaniarum Regem, Ferdinando Arragonio Neapoli intruso editum, audiret & audiri procuraret, manifestissimoque ejus juri, ut par erat, opitularetur: Nihilominus tamen contra spem, licet dictus Illustr. ac Reverendissimus Nuntius Mediator dictum libellum ac Instrumenta ad causam facientia receperit, accidisse, ut petitioni tam justæ præfati Domini Sanguiniere, Plenipotentiarii, nihil datum, officiaque sua omnia irrita, afflictæ domus patrocinium neglectum, & omnia juris remedia denegata fuerint. Quamobrem pace a tempore dati libelli cum Batavis subscripta, & cum Hispanis de hora in horam, ut fertur, subscribenda, protestatus est ac declaravit prædictus Dominus Joannes Gabriel Sanguiniere, in vim mandati sui, siquid sive in præsens, sive in posterum generalibus speratæ pacis pactis, hic Noviomagi, vel alibi faciendis quocumque modo, vel prætextu inseratur, quod hæreditariis prædicti Celsissimi & Illustr. Principis de Tremollia, liberorum ejus, aut ab eo causam habentium juribus, dignitatibus, gradibus, prærogativis ac commodis inde pendentibus, ac nominatim juri, illi, ejus liberis, aut ab eo causam habentibus, circa Regnum Neapolitanum competenti, directe vel indirecte derogare queat, muneris sibi commissi ergo per ejus expressum mandatum infra, ut fertur, describendum, hæc omnia melioribus, quibus potuit & debuit, verbis declarans coram DEO & hominibus, se nunquam acquievisse, sicut nec per iterata mandata acquiescere potuisse, imo nihil intentatum reliquisse, ut quod attentatum fuerit præveniret, & vel minimum causæ sibi commissæ præjudicium amoveret, quemadmodum inpræsentiarum facit, ad meliora tempora provocans, & integrum illibatumque Celsissimæ & Illustrissimæ Domus Tremollianæ jus, quibus potuit vindiciis asserens; de quibus omnibus ac singulis publica hac apud omnes & singulos, non solum præsentes, sed absentes etiam & posteros, protestatione petiit a me Notario publico testibusque infra nominatis semper astantibus, sibi fieri & tradi Instrumentum, illi sub hac forma concessum, & Celsissimo ac Illustrissimo Principi de Tremollia, suo principali, prout de jure, valiturum. Cujus exemplar a me Notario subscriptum dictus Dominus Sanguiniere, Plenipotentiarius, præfato Illustrissimo & Reverendissimo Domino Nuntio ad majorem rei evidentiam tradidit & dimisit, illumque rogavit, ut protestationem suam in registris Mediationis Apostolicæ mandare registrari dignetur. Acta fuerunt hæc Noviomagi, in palatio prædicti Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nuntii, præsentibus Nobili Viro, Domino Ægidio de Bourgeauville, & Nobili Viro, Domino Armando de Boscager, testibus ad præmissa specialiter vocatis atque rogatis; anno, die & hora prædictis. Dictus Dominus Sanguiniere ac prænominati testes signarunt mecum Notario in minuta præsentium, quæ penes me remansit.

Signatum *Adrien Roukens, N. P.*

CLIX.

Caroli II. Hispaniarum Regis litera, in quibus Henricum, S. R. I. Comitem a Mansfeld, de Statu & feudo de Fundi, Principatus titulo insignito, atque in citerioris Siciliæ Regno sito, investivit, d. d. 16. Julii Anno 1690.

CArolus DEI gratia Rex Castellæ, Arragonum, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galletiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Siennis, Algarbii, Algeriræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ, nec non Indiarum Orientalium, & Occidentalium, Insularum, ac Terræ firmæ Maris Oceani; Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Athenarum, & Neopatriæ; Comes Habspurgh, Flandriæ, Tyrolis, Barcinonæ, Rossilionis, & Ceritaniæ; Marchio Oristani, & Comes Goceanæ, universis & singulis præsentium seriem inspecturis, tam præsentibus, quam futuris. Illustri Consanguineo nostro, fideli, Nobis dilecto Don Henrico, S. R. I. Comiti a Mansfeld, Aurei Velleris Equiti, ex numero Procerum Cæsarei Cubiculi, Statusque Consilii, Generali Imperialis exercitus militum Tribuno, nec non Ablegato a Serenissimo Imperatore, Avunculo Nostro Colendissimo, ad Nos Oratori, gratiam Nostram Regiam, & bonam voluntatem; Viros non minus propriis virtutum meritis, quam majorum gloria, ac sanguinis fulgore conspicuos, condignis honorum exornare titulis, ac non solum illos, verum etiam illorum posteros congruis Regiæ munificentiæ prosequi præmiis, Regibus perantiquus, Nobis vero hæreditarius semper mos fuit. Nos igitur perpenso singulari illo integerrimi animi zelo, ac eximio tuo in Nos devotionis affectu, quo Serenissimam Reginam, Uxorem nostram charissimam, summeque dilectam, in Hispaniæ Regnum ad plenam Nostri satisfactionem conduxisti, magni habentes grati adeo obsequii meritum, præsenti id ipsum gratitudinis signo remunerari, Statumque & feudum de Fundi Principatus titulo insignitum, in Nostro Citerioris Siciliæ Regno situm, tibi, tuisque Hæredibus, & Successoribus utriusque Sexus, ex corpore tuo legitime descendentibus concedere decrevimus; Ita tamen, ut extinctis præfatis utriusque Sexus Lineis, prædictum feudum, & Status de Fundi, ad Regiam Nostram Curiam rursum devolvatur, ac Regali iterum Patrimonio incorporetur.

Tenore igitur præſentium, ex certa ſcientia, Regiaque autoritate Noſtra deliberate, & conſulto, ac ex gratia ſpeciali, maturaque Sacri Noſtri ſupremi Conſilii accedente deliberatione, tibi dicto Illuſtri Conſanguineo noſtro Don Henrico, Comiti a Mansfeld, tuisque utriusque ſexus Hæredibus, & Succesſoribus ex corpore tuo legitime deſcendentibus, (ordine ſucceſſivo, ætatis, ſexus, & gradus prærogativa ſervata, ſecundum jura, Conſtitutiones, Capitula, & Pragmaticas dicti Regni, & gratias a Nobis, & Prædeceſſoribus Noſtris fideliſſimæ civitati, & Regno prædicto quoad ſucceſſionem Feudi antiqui conceſſas) prædictum Statum, & Feudum de-Fundi in dicto Regno ad Nos, & Regiam Noſtram Curiam ſpectans, & pertinens, ſub debito & contingenti feudali ſervitio, ſeu Adoha, quoties in dicto Regno generaliter indicetur, & cum onere etiam Adohæ taxandæ per Regiam noſtram Summariæ Cameram, ſalvisque literis de aſſecuratione Vaſallorum a Regia noſtra Curia, ſecundum uſum & conſuetudinem dicti Regni, impetrandis, & cum titulo, ac honore Principatus, & ejus integro ſtatu, corporibus, membris, introitibus, reditibus, & omnibus bonis ad Regiam noſtram Curiam ſpectantibus & pertinentibus, & aliis quibuscunque ſolitis & concesſis juribus, actionibus, rationibus, & proprietatibus ad dictum Feudum de-Fundi, ac ejus Statum, ipſiusque utile Dominium, tam de jure, quam de conſuetudine, vel alio quocumque modo legitime ſpectantibus, absque ulla diminutione, prout, & quemadmodum Illuſtris Don Nicolaus Carrafa Princeps de Stillano, ultimus ejusdem Feudi & Status de-Fundi poſſeſſor, illo Statu & Feudo rite fuit potitus, & cum eodem mero mixtoque imperio, iisdemque Vaſallis, Vaſallorumque reditibus, angariis, perangariis, Feudis, ſub-Feudis, Feudatariis, ſub-Feudatariis, quaternatis, & non-quaternatis, nobilibus, & ruſticis, planis, & de tabula, reditibus, cenſibus, maſſariis, hortis, olivetis, furnis, montaneis, vineis, arbuſtis, terris cultis, & incultis, ſervitutibus, & ſervitutum juribus, terris, communitatibus, uſibus, juribus platearum, nemoribus, glanditiis, herbariis, paſcuis, pratis, querquetis, caſtanetis, fidis, diffidis, franchitiis, immunitatibus, honoribus, privilegiis, gratiis, aquis, aquarumque decurſibus, paludibus, pontaneis, fontibus, molendinis, balcheriis, battinderiis, lacubus, rivis, piſcationibus, ſerris, venationibus, bonis vacantibus, mortitiis, defenſis, foreſtis, montibus, planis, vallibus, campiſiis, ſi qui, vel ſi quæ ſunt, & denique cum omnibus iis, quæ dictus Illuſtris Nicolaus Carrafa, Princeps de Stillano, tanquam utilis prædicti Feudi & Status de-Fundi Dominus & poſſeſſor habuit, tenuit, & poſſedit, damus, donamus, concedimus, & liberaliter elargimur, cum eodem Banco Juſtitiæ omnium illarum cauſarum civilium, criminalium, & mixtarum prædicto Principi de Stillano, ultimo hujus Feudi poſſeſſori conceſſarum, etiam in perſonis, & hominibus in dicto Feudo & Statu de-Fundi, ejusque integro Statu & territorio habitantibus, & habitaturis, abdicando eos a qualibet altera jurisdictione, & foro, & quod non posſint cognoſci in ſupradictis cauſis ab alio tribunali, etiamſi eſſet contra viduas, pupillos, & alias miſerabiles perſonas, derogando Legi unicæ Cod. *Quando Imperator, &c.* Cum quatuor literis arbitrariis, quarum prima incipit, *de Juris Cenſura*, ſecunda *Exercere volentes*, tertia *Heruorum*, quarta *Proviſa Juris Sanctio;* cum poteſtate componendi delicta, pœnasque commutandi de corporali in pecuniarias, juxta formam Regiæ pragmaticæ ejusdem Regni, vel indulgendi, præcedente tamen partis læſæ remisſione; cum emolumentis & proventibus dictæ jurisdictionis, & poteſtate cognoſcendi de delictis dictorum Vaſallorum etiam extra territorium delinquentium, exceptis tamen delictis commiſſis in dicta noſtra fidelisſima Neapolis civitate, ejusque diſtrictu; & cum jurisdictione portulaniæ per terram ponderum, & menſurarum (ſi alias non fuerint conceſſæ) de quibus corporibus expreſſatis ad nihilum Regia Curia teneatur, & cum aliis omnibus & ſingulis bonis burgenſaticis, & feudalibus, & reditibus ad prædictum Feudum, & Statum de-Fundi ſpectantibus & pertinentibus, cum quibus illa, & illos prædictus Princeps de Stillano ultimus hujus Feudi poſſeſſor, & Regia noſtra Curia melius & plenius tenuit & poſſedit, exceptis tamen criminibus læſæ Majeſtatis, Hæreſis, & falſæ ac diminutæ monetæ; ita, ut in cauſis, in quibus cognitio ſpectat ad Curiam Feudi & Status de-Fundi, nullus officialis noſter Regius, nec Baronalis posſit de iis cognoſcere, nec ſe intromittere, ſed cognitio prædicta ſpectet, & ſpectare debeat ad te dictum Illuſtrem D. Henricum Comitem a Mansfeld, & ad tuos in eodem Statu, & Feudo de-Fundi utriusque ſexus Hæredes & Succeſſores, etiam in caſibus, in quibus quæcunque pœna foret imponenda: etiam mutilationis membrorum, fuſtigationis, & ultimi ſupplicii incluſive, & cum poteſtate furcas erigendi, & aliis meri mixtique imperii ſignis, juſtitiæ executionem denotantibus, carceres publicos tenendi, contumaces denotandi, deſcribendi, componendi, & publicandi, ac etiam cum poteſtate forjudicandi, & confiſcandi; Capitaneos, magiſtros Actorum, aſſeſſores, aliosque officiales creandi, & inſtituendi, eosque mutandi; ita ut in cauſis prædictis, homines prædicti Feudi, & Status de-Fundi, ejusque incolæ, & habitatores, & deinceps habitaturi, vel commoraturi in quibusvis cauſis, & pro quibusvis criminibus, quorum cognitio ſpectet, & ſpectare poterit ad dictam Curiam dicti Feudi & Status de-Fundi (exceptis tamen ſupra expresſis) non posſint, nec valeant aliquo futuro tempore ullo pacto citari, denuntiari, ad judicium trahi, impeti, vexari, aut quomodolibet moleſtari, vel conveniri, civiliter, criminaliter, & ex officio Curiæ, ſeu ad inſtantiam cujusvis, etiam Fiſci noſtri extra Tribunal dicti Illuſtris Don Henrici Comites de Mansfeld, prædictorumque tuorum utriusque ſexus Hæredum & Succeſſorum, & eorum officialium, nec in alia Curia, foro, ſeu Tribunali Baronali, ſive Demaniali, aut coram ullo alio judice ordinario, ſeu delegato, aut delegando, ſub quacumque ſerie, vel verborum expresſione, vel cum quavis clauſula derogatoria, etiam in noſtra magna Vicariæ Curia, & coram gubernatoribus provinciarum, juſtitiario, ſeu Commiſſario, alioque quocumque judice, ſed coram Te præfato Illuſtri Comite a

Manſ-

Mansfeld, tuisque prædictis utriusque sexus Hæredibus & Successoribus, & eorum Officialibus in dicto Feudo residentibus: & si forsan in causis præfatis habitantes & habitaturi, vel commoraturi in dicta terra & Feudo de-Fundi, ejusque territorio & districtu citari, aut quomodolibet conveniri alibi contigerit, ad solam præsentium ostensionem remitti debeant tibi dicto Illustri Don Henrico, Comiti a Mansfeld, tuisque utriusque sexus Hæredibus & Successoribus, & eorum Officialibus supradictis: Si vero aliqui delinquentes ex dicta terra & Feudo de-Fundi aufugerint, seu se absentaverint, teneantur Officiales nostri, & utiles terrarum Domini, illos, ad omnem tui, dicti Illustris Don Henrici, Comitis de Mansfeld, tuorumque in dicto Feudo de-Fundi Hæredum & Successorum, & eorum Officialium requisitionem absque ulla contradictione remittere & consignare: Decernentes irritum & inane, quidquid in contrarium factum fuerit, aut quomodolibet attentatum; ita, ut ex nunc imposterum dictum Feudum de-Fundi Principatus titulo nunc insignitum, cum ejus territorio, confinibus, districtu & integro Statu, prout illud melius & plenius præfatus Princeps de Stillano habuit & possedit, translatum esse intelligatur in plenum dominium, possessionem & potestatem dicti Illustris Don Henrici, Comitis a Mansfeld, prædictorumque tuorum utriusque sexus Hæredum & Successorum in perpetuum, & in feudum, ad habendum, possidendum & utendum fructibus, introitibus & Juribus dicti Feudi de-Fundi, ac etiam ad petendum, percipiendum, vendendum, alienandum, legandum, donandum, permutandum, in solutum dandum, & aliter de dicto Feudo de-Fundi, ejusque terra & integro Statu faciendum & disponendum, tam inter vivos, quam in ultima voluntate, nostro tamen Regio assensu reservato; & quicquid de cætero tibi, dicto Illustri Don Henrico, Comiti a Mansfeld, tuisque supra memoratis Hæredibus & Successoribus in perpetuum placuerit, & melius visum fuerit, prout de aliis rebus propriis, dummodo divisio Feudi non fiat; ac cum omnibus prærogativis, præeminentiis, privilegiis, autoritatibus, dignitatibus, exemptionibus, immunitatibus & superioritatibus, quibus alia bona feudalia haberi, teneri & possideri possunt, & prout melius, magisque libere & plenius Nos habemus & tenemus, habereque & tenere possumus, etiamsi talia essent, de quibus specialis & expressa mentio fieri oporteret, & essent de novo specialiter & expresse concedenda & exprimenda, & in generali concessione non venirent, nec censerentur comprehensa, etiam cum facultate reintegrandi, & acquirendi quæcunque bona, jura, res, actiones, sive introitus, ad vasallos dicti feudi, vel ad ipsum Feudum spectantia, vel indebite alienata, occupata, illicite detenta, sive distracta, aut devoluta ex mortitiis, vel alia quacunque causa. Et ad hunc effectum Nos tibi prædicto Illustri Don Henrico Comiti de Mansfeld, tuisque prædictis utriusque sexus Hæredibus & Successoribus totaliter damus, transferimus, & donamus omnes vices, & potestatem Regiæ nostræ Curiæ, si quæ, & prout competunt, servata forma juris, nec non Constitutionum, & Pragmaticarum dicti nostri Citerioris Siciliæ Regni, cum conditione, quod dicta nostra Curia nullatenus teneatur evictioni membrorum acquirendorum, ac reintegrandorum, expressorum, seu nominatorum, quæ volumus in omnibus, & per omnia hic pro expressis haberi sub eodem ligio, homagio, & fidelitate per te supra nominatum Illustrem Don Henricum Comitem a Mansfeld, tuosque prædictos Hæredes, & Successores, vel tuum, aut illorum procuratorem, juxta formam in similibus observari solitam, de novo, & quoties casus contigerit, seu postulaverit, præstando; & pro hujusmodi gratiæ effectu & consecutione in te dictum Illustrem Don Henricum Comitem de Mansfeld, tuosque utriusque sexus Hæredes & Successores in perpetuum (ut supra) omne jus, omnemque actionem realem, personalem, utilem, prætoriam, mixtam, anomalam, peremptoriam, hypothecariam, rei & juris prosecutoriam, tacitam, & expressam, & in rem scriptam, & omnem, & quamlibet Nobis competentem, in & super dictum Feudum, & Statum de-Fundi, contra quascunque personas, quomodocunque & qualitercunque, ex quibusvis causis & rationibus transferimus, tibi & eis tradimus, concedimus, & destinamus, constituentes te dictum Illustrem Don Henricum Comitem de Mansfeld, tuosque supradictos Hæredes & Successores in perpetuum (ut supra) procuratores velut in rem propriam, quoniam nullam actionem, usum, seu dominium in dicto Feudo de-Fundi, ejusque integro Statu, juribus, actionibus, pertinentiis, dominio, seu possessione Nobis, nostrisque Hæredibus & Successoribus, aut alteri cuicumque personæ reservamus, & reservatum esse volumus; declaramus tamen, quod extinctis tuis supradictis utriusque sexus in hoc feudo Hæredum & Successorum lineis, ex corpore tuo legitime descendentibus, præmemoratum Feudum de Fundi, cum integro Statu ad Regiam nostram Curiam iterum devolvatur; erigentes, decorantes, & illustrantes ex dicta nostra certa scientia, deliberate, & consulto, ac ex nostra Regiæ potestatis plenitudine legibus absoluta, prædictum Feudum de-Fundi cum ejus integro Statu (modo, quo supra) in dictum Principatus titulum decorantes, prout præsenti Diplomate decoramus te dictum Illustrem Don Henricum Comitem a Mansfeld, tuosque ex utroque sexu Hæredes & Successores (ordine successivo, ætatis, sexus, & gradus prærogativa, supradicto modo servata) Principatus titulo, & te ipsum, ac tuos utriusque sexus Hæredes & Successores, ex corpore tuo legitime descendentes (dicto ordine successivo servato) Principem, & Principes dicti Feudi de-Fundi dicimus & nominamus, ab aliisque in omnibus & quibuscunque actis & scripturis dici & nominari volumus, & perpetuo reputari; decernentes, & volentes, ut tu præfate Illustris Don Henrice Comes a Mansfeld, præfatique tui utriusque sexus Hæredes & Successores ordine successivo (ut supra) omnibus & singulis Privilegiis, prærogativis, Juribus, dignitatibus, favoribus, immunitatibus, præeminentiis, libertatibus, & exemptionibus uti, frui & gaudere possis, & possint, valeas & valeant, quibus hujusmodi dignitate decorati potiti sunt, seu quomodolibet potiuntur

Sacramenta vero fidelitatis, ſeu aſſecurationis præſtabuntur ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt, ab illis Eccleſiarum Prælatis, quorum prædeceſſores illa antiquitus ſoliti ſunt præſtare. Ab illis autem Prælatis & Eccleſiis, qui temporalia bona tenent, ſi qui tamen ſunt, qui hujuſmodi bona teneant a Domino dicti Regni & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione hujuſmodi bonorum ab antiquo conſueverunt Regibus vel aliis Dominis temporalibus, in dicto Regno Sardiniæ & Corſicæ conſtitutis, ſervitia exhibere, hujuſmodi honeſta & antiqua ſervitia eis, ſecundum rationabilem & antiquam conſuetudinem, & ſicut inſtituta patiuntur canonica, impendantur, ſalva ſemper circa Eccleſias cathedrales, & alias regulares, ac perſonas & loca Eccleſiaſtica, tam in faciendis proviſionibus & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscunque aliis Romani Pontificis & Eccleſiæ Romanæ juriſdictione & auctoritate plenaria, & libera poteſtate.

Revocabis quoque omnes conſtitutiones, ſeu leges, vel ſtatuta, per Reges, ſeu Principes ſeculares Sardiniæ & Corſicæ editas contra eccleſiaſticam libertatem, nec ſtatuta vel conſtitutiones aliquas, tu, vel aliquis hæredum tuorum in dicto Regno edetis, aut promulgabitis, per quæ, ſeu quas juri & libertati eccleſiaſticæ derogetur. Promittes etiam, quod tuo, vel hæredum tuorum tempore nullus clericus, vel perſona eccleſiaſtica ejuſdem Regni in civili, vel criminali cauſa convenietur coram judice ſeculari, niſi ſuper feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, quatenus canonica jura permittunt, ſed omnibus Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis conſervetur libertas, niſi ſit de illis perſonis, de quibus jura permittunt. Nullas inſuper, tu, aut quiſquam alius tuus in Regno Sardiniæ & Corſicæ hæres, tallias imponetis Eccleſiis, monaſteriis, clericis, & viris eccleſiaſticis, vel rebus ſeu vaſallis eorum, & in Eccleſiis vacantibus tu, vel tui in prædicto Regno hæredes nulla habebitis regalia, nulloſque fructus, reditus & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorſus alia percipietis ex eis, nihilominus cuſtodia earumdem Eccleſiarum, jurium & bonorum ipſarum interim libera remanente penes perſonas eccleſiaſticas juxta canonicas ſanctiones, ſalvis tibi dictiſque hæredibus his, quæ tibi vel eis, tanquam Regi vel Domino temporali, competerent ex præſcriptione legitima, conſuetudine antiqua & rationabili privilegiis legitimis, aut alias de jure quibus jura divina vel canonica non obſiſtant. Judices vero Comites, Barones, milites, & perſonæ cæteræ ſeculares Regni ejuſdem, tam magnæ quam parvæ, iu ſuis bonis juribus, rationabilibus, & irrationabilibus conſuetudinibus ſerrabuntur. Et tam tu, quam in prædicto Regno hæredes per vos, alium, ſeu alios exercebitis regimen dicti Regni ſecundum jura civilia, quibus canonica inſtituta non obviant & laudabiles conſuetudines, ſalvis regiminibus Eccleſiarum, vel ſecularium perſonarum, competentibus eis de approbata & laudabili conſuetudine privilegiis legitimis, aut alias de jure.

Omnes captivos & obſides, præſertim Romanos, & alios de terra Eccleſiæ oriundos, ſi quos tu, vel tui in dicto Regno hæredes, tempore quo acquiretis

dictam

dictum Regnum Sardiniæ & Corsicæ, invenietis in eo, ad mandatum Romani Pontificis, seu Romanæ Ecclesiæ restituetis pristinæ libertati, vel de eis facietis, quod dictus Romanus Pontifex, vel Romana curia ordinabunt. Nullam etiam confœderationem, seu pactionem, vel societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, seu Principe, vel barone, Christiano, vel Græco, aut Saraceno, vel cum aliqua provincia, seu civitate vel communitate, vel loco aliquo, seu personis scienter contra Romanam Ecclesiam tu, vel tui in eodem Regno hæredes in damnum Ecclesiæ facietis: & si etiam feceritis ignoranter, teneamini, ad mandatum Romani Pontificis, seu Romanæ Ecclesiæ, revocare. Et tam tu, quam tui in eodem Regno hæredes amicos & devotos Ecclesiæ habebitis pro amicis & pro devotis; & inimicos & indevotos Ecclesiæ pro indevotis habebitis, nec æmulis, seu inimicis Ecclesiæ auxilium dabitis, consilium, vel favorem. In Urbe, Urbisque districtu, seu in circumposita regione, aut in provinciis, civitatibus, terris, seu locis, Ecclesiæ Romanæ subjectis, non recipietis, vel assumetis, aut acquiretis dominium, regimen, seu rectoris officium, quocumque nomine censeatur; nec de occupandis, vel recipiendis, aut capiendis, vel subjugandis eisdem, seu aliis bonis & juribus ejusdem Ecclesiæ, tu & quivis tuorum hæredum intromittetis vos publice, vel occulte, scienter; quod si contra feceritis ignoranter, & moniti ab ipsa Ecclesia non destiteritis, cadetis a jure dicti Regni Sardiniæ & Corsicæ ipso facto, vel eritis illo privati, & Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur.

Quod si forte contingeret, te, vel hæredes tuos, in prædicto Regno Sardiniæ & Corsicæ Successores, in Regem, vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Teutoniæ eligi, vel assumi, electus, vel assumptus nullo modo dictum Regnum Sardiniæ et Corsicæ cum dictis Imperio et Regno valeas vel valeant retinere; et si moniti ab ipsa Ecclesia dicta Imperium et Regna Romanorum, seu Teutoniæ non dimiseritis, a jure dicti Regni Sardiniæ et Corsicæ ipso facto cadatis ex toto, ac Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur; nisi forte tu, vel idem electus, vel assumptus filium habeat successurum sibi in Regno Arragoniæ, quæ voluerit emancipare, legitime poterit, sine fraude, renunciando dicto Regno Sardiniæ et Corsicæ, nihil unquam juris habiturus in eo publice, vel occulte, et dicta Regna Romanum, seu Teutoniæ, ac Imperium retinere. Quod si contra tu, vel tui in prædicto Regno Sardiniæ et Corsicæ hæredes feceritis, et moniti ab ipsa Ecclesia non destiteritis, a jure dict. Regni Sardiniæ et Corsicæ ipso facto cadatis, et Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Ad hæc, ut tibi pius præsidii et favoris accrescat, te, Regna et bona tua stabilia ubilibet constituta sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, disponentes, te et ipsa gladio spirituali defendere ac tueri, prout expediens fore videbimus.

Demum in nostra præsentia confiteberis et recognosces expresse, ex gratia et liberalitate nostra et dictæ Ecclesiæ dictum Regnum Sardiniæ et Corsicæ tibi tuisque hæredibus fore concessum in feudum; et sic te illud recipere, vel recepisse sub conditionibus, conventionibus, sive pactis, modo, tenore ac forma, quæ in præsentibus nostris literis continentur, quos per stipulationem solemnem promittes et jurabis, te inviolabiliter servaturum: pro quibus etiam servandis dictum Regnum Sardiniæ et Corsicæ, jura tibi in eo competentia et competitura et bona tua, quæ ibidem consistent, Nobis et ipsi Ecclesiæ obligabis. Et promittes nihilominus, quod Successores tui hæredes in dicto Regno Sardiniæ et Corsicæ eo tempore quo facient et præstabunt vasallagium, homagium et fidelitatis juramentum, sub forma prædicta similia confessiones, recognitiones, promissiones juramentum et obligationes facient et præstabunt Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Ecclesiæ supradictæ.

Insuper tam tu, quam quilibet hæredum tuorum in dicto Regno Sardiniæ et Corsicæ, illis temporibus, quibus feceritis et præstiteritis vasallagium et fidelitatis juramentum, pro eodem Regno Sardiniæ et Corsicæ dabitis infra mensem post privilegium, seu literas aurea bulla bullatas, in quo vel quibus fatebimini et recognoscetis expresse dictum Sardiniæ et Corsicæ Regnum a Nobis et Romana Ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conventionibus, modo et forma, atque tenore, quæ in præsentibus literis continentur; quos tenorem, modum, conditiones, conventiones et formam promittetis vos inviolabiliter servaturos; pro quorum observantia obligabitis vos et dictum Regnum Sardiniæ et Corsicæ jura et bona vobis competentia et competitura in eo. Omnium autem prædictorum, quæ in præsentibus nostris literis continentur, declaratio et interpretatio quoties opus fuerit, faciendæ, ad Romanum Pontificem, seu Romanam Ecclesiam pertinebunt, quotiescumque super ipsis, vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid, vel dubii oriri continget cuivis, Romani Pontificis, vel Romanæ Ecclesiæ interpretationi et declarationi stabitur verbo seu literis, prout ipsis Romano Pontifici, vel Ecclesiæ placuerit, faciendis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ collationis, concessionis, donationis, investituræ, promulgationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, pridie Non. Aprilis, pontificatus nostri anno III.

II.

Instrumentum de Actu illo solenni, quo nomine Jacobi II., Arragonum Regis, Orator ab eo constitutus Joanni XXII., Pontifici Maximo, de Sardiniæ & Corsicæ Regno juramentum fidelitatis præstitit, consignatum, d. d. 21. Junii Anno 1325.

In Christi nomine, Amen. Anno ejusdem a nativitate MCCCXXV. indictione VIII. Pontificatus sanctissimi patris & Domini nostri, Domini Joannis, divina providentia Papæ XXII. anno nono, die

die XXI. mensis Junii, constitutus in Consistorio coram sanctissimo patre & Domino nostro prædicto, ac sacro collegio reverendorum patrum, Dominorum S. R. E. Cardinalium, præsentibus nobilibus, clericis cameræ, notariis & testibus infra scriptis, nobilis miles, Dominus Bernardus de Boxados, Domini Jacobi, DEI gratia Arragonum, Valentiæ Sardiniæ, Corsicæ Regis Illustris, Comitisque Barchinonensis, ac S. R. E. Vexillarii, Ammirati, & Capitanei generalis procurator & nuntius, per ipsum Dominum Regem ad admittenda, acceptanda, recognoscenda, & facienda quæ inferius describentur, ad ipsum Dominum nostrum Papam specialiter destinatus, quasdam ipsius Domini Regis patentes literas, suo magno pendenti sigillo sigillatas, humiliter præsentavit & exhibuit dicto Domino nostro Papæ, quarum tenor inferius inseretur, per quas idem miles de sua dicebat procuratione constare.

Quibus quidem procurationis literis coram se, & dicto collegio, nobis Notario ac dicto milite præsentibus, primo publice electis, idem Dominus noster Papa quasdam alias literas ejusdem Domini Regis aurea sua bulla bullatas; in quibus idem Rex fatetur & recognoscit expresse Sardiniæ & Corsicæ Regnum a Domino summo Pontifice & Romana Ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conventionibus, modis & forma, atque tenore, qui in papali rescripto continetur, facto super donatione & concessione ipsius Sardiniæ & Corsicæ Regni per felicis recordationis Dominum Bonifacium Papam VIII. sub certis modo & formis in ipsis literis Regiis comprehensis, quarum secunda linea incipiebat: Sanctitati vestræ, tenore præsentium patefiat, &c. penultima finiebat: Bona Nobis competentia & competitura in eo humani &c. nec non & copiam alterius literæ, quam ipse Dominus noster Papa eidem Regi olim sub bulla sua transmiserat, ut asseruit, pro eo, quod ipsa contingebant negotia, ad quæ dictus procurator & nuntius destinatus extiterat immediate, mihi fecit legi, cujus tenor sequitur in hunc modum &c. Dat. Avinione XII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno IX.

Item aliæ publicæ tabulæ, quibus Jacobus Rex Bernardum a Boxados, procuratorem, regio instruxit mandato, ut se obstringeret, remissionem illam futuram irritam, si reliquum censum pontificio fisco non inferri contingeret: tum caveret eam rem pontificiis juribus fraudi non fore, nec leges a Bonifacio in conferenda jure beneficiario Sardinia abrogatum labefactatumque iri. Dat. Valentiæ VIII. id. Martii anno Domini MCCCXXIV. Subdunt publicæ tabulæ.

Quibus lectis, idem Dominus noster summus Pontifex sententiam dictarum literarum præfatarum Domini Bonifacii Papæ VIII. super donatione Sardiniæ & Corsicæ Regni confectarum, summatim eidem militi exposuit in vulgari: & interrogavit eundem, si vellet admittere, acceptare, facere & adimplere omnia & singula, ad quæ se suum procuratorium extendebat, ita quod per præmissa, pactis, conditionibus, & obligationibus prædictis inter eandem Romanam Ecclesiam & ipsum Regem Arragonum factis & stabilitis non derogaretur in aliquo; quin potius in suo robore & efficacia permanerent. Qui quidem miles respondit, quod volebat, in quantum ad hoc se electum suum procuratorium extendebat. Tunc Dominus noster præfatus, juxta formam oblationis eidem Domino Petro infanti per ipsum Dominum nostrum dudum, & postmodum præfato Regi Arragonum per suas literas factæ, prout in tenore ipsarum literarum superius lecto plenius continetur, sub modis, conditionibus, & forma prædictis, de fratrum suorum consilio medietatem duorum millium marcharum argenti sterlingorum census annui & militaris servitii prædictorum usque ad X. annos proxime venturos, præfato Regi Arragonum, suisque hæredibus in dictarum expensarum suffragium de mera liberalitate & gratia speciali remisit: adjecto tamen per eundem Dominum nostrum, quod si ipse Rex Arragonum, vel hæredes sui in solutione residuarum mille marcharum census annui præfati, in dicto termino festi beatorum Petri & Pauli Apostolorum facienda, quocunque anno dicti decennii forte cessarent, remissio hujusmodi de illis mille marchis pro censu ipso, quam faciebat tam pro illo anno, quo cessatum esset a solutione prædicta, quam pro toto residuo temporis dictorum decem annorum haberetur penitus pro non facta; quodque per præmissa pactis, conditionibus, & obligationibus prædictis inter eandem Romanam Ecclesiam, & ante dictum Regem factis & stabilitis non derogaretur in aliquo; quia potius in suo robore & efficacia permanerent

Ac consequenter præfatus miles, humiliter genu flectens, nomine dicti Regis Arragonum Domini sui, dictam gratiam per dictum Dominum nostrum summum Pontificem & Romanam Ecclesiam, præfato Domino suo, & hæredibus ejus factam, admisit, recepit & acceptavit, & eidem expresse confessit, & nomine quo supra recognovit præfatum Regem Arragonum Dominum suum, ejusque hæredes, eidem Domino nostro, suisque Successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac Romanæ Ecclesiæ ad totum censum duorum millium marcharum argenti sterlingorum annis singulis; & ad militare servitium supradicta pro Sardiniæ & Corsicæ Regno teneri, quod idem Rex tenet, & hæredes sui tenere debent in feudum ab eis, sub modis, formis, & conditionibus, contentis in literis, supra dicta donatione confectis. Et voluit & consensit expresse procurator præfatus nomine, quo supra, quod si Rex, Dominus suus, vel hæredes sui in solutione residuarum mille marcharum census annui præfati, in dicto termino festi beatorum Petri & Pauli Apostolorum facienda, quocumque anno dicti decennii forte cessarent, remissio hujusmodi de mille marchis pro censu ipso, Regi Arragonum ejusque hæredibus facta, tam pro illo anno, quo cessatum esset a solutione prædicta, quam pro toto residuo temporis dictorum decem annorum, haberetur penitus pro non facta: quodque per præmissa pactis, conditionibus & obligationibus prædictis inter eandem Romanam Ecclesiam & antedictum Regem factis & stabilitis non derogaretur in aliquo; quin potius in suo robore & efficacia permanerent. De quibus omnibus & singulis tam per Dominum nostrum ex mera liberalitate eidem Regi de gratia speciali remissis & adjectis, quam per eundem militem nomine procuratorio Regis ipsius ad-

missis

missis, acceptatis, recognitis, quibus expresse consensit, mandavit nobis Notariis infra scriptis idem Dominus noster summus Pontifex, quod inde faceremus unum, vel duo publica Instrumenta, quæ idem miles fieri voluit & concessit.

Cumque præfatus miles pro ampliori gratia, eidem Domino suo Regi Arragonum facienda, Domino nostro humiliter supplicaret, idem Dominus noster summus Pontifex de fratrum suorum consilio gratiam prædictam, eidem Domino Regi factam, sub modo ampliavit & forma inferius comprehensa: videlicet, quod si ipse Rex Arragonum, vel hæredes sui in solutione residuarum dictarum mille marcharum annui census præfati, in dicto festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum facienda, quocunque anno dicti decennii forte cessarent, remissio hujusmodi de mille marchis pro censu ipso, & medietate servitii militaris prædicti pro illo anno solummodo, quo cessatum esset a solutione prædicta, haberetur penitus pro non facta, cœteris omnibus supra positis in sua liberalitate & gratia, & adjectionibus antedictis, ut supra plenius continetur, in omnibus & per omnia in suo robore duraturis: & de hoc etiam voluit idem Dominus noster, quod faceremus publicum seu publica Instrumenta. Quam quidem ampliationem gratiæ & omnia contenta in ipsa, sub forma superius expressa, dictus miles nomine dicti Regis reverenter & humiliter acceptavit, & eidem expresse consensit. Acta fuerunt hæc Avinione in Episcopali palatio, ubi prædictus Dominus noster Papa cum sua curia residebat, anno, indictione, die & Pontificatu prædictis, præsentibus venerabilibus in Christo patribus & Dominis Gasberto Archiepiscopo, Arelatensi Camerario, Ademario Episcopo Massiliensi, thesaurario ejusdem Domini nostri Papæ, & Domino Petro de Abbatia, Canonico Valentino, ad præmissa vocatis testibus & rogatis.

III.

Bulla Urbani V. Pontificis Maximi, cujus vigore Petrum IV., Arragoniæ Regem, censum annuum pro Sardiniæ & Corsicæ Regno solvere recusantem, citat, ut, statuto termino, Romæ in Consistorio Pontificio legitime compareat, ibique sententiam, tum excommunicationis adversus semetipsum, tum interdicti, contra Sardiniæ & Corsicæ Regnum conceptam, promulgandam audiat, d. d. 3. Id. Martii Anno 1364.

URbanus &c. ad futuram rei memoriam. Olim, cum in concessione per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, claræ memoriæ Jacobo Regi Sardiniæ & Corsicæ de Regno Sardiniæ & Corsicæ, quod Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis existit, cum omnibus juribus & pertinentiis suis dicto Regi, & suis hæredibus, ex suo & ipsorum corporibus legitime descendentibus utriusque sexus, natis tunc & etiam nascituris, in perpetuum feudum sub modo, forma, tenore, conditionibus & conventionibus in ejusdem prædecessoris literis declaratis, ab ipso prædecessore, suisque Successoribus canonice intrantibus, & dicta Romana Ecclesia tenendam, gratiose facta, inter alia contineretur, quod tam ipse Rex, quam quilibet suorum hæredum in dicto Regno pro ipso Regno dicto prædecessori & eidem Romanæ Ecclesiæ præstaret seu præstare teneretur, prout idem Rex, & nonnulli sui in eodem Regno Successores præstiterunt, ligium homagium, vasallagium plenum, & fidelitatis juramentum sub certa forma in ejusdem prædecessoris literis annotata: & quod ipse Rex similia fidelitatem, vasallagium plenum, & homagium ligium, & juramentum renovaret, faceret & præstaret unicuique Romano Pontifici & dictæ Ecclesiæ infra annum, a die, quo electus esset in Romanum Pontificem, computandum; & similia præstaret & faceret, & similiter renovaret, & facere, præstare & renovare teneretur unusquisque hæredum suorum in dicto Regno unicuique Romano Pontifici, qui esset pro tempore, & ipsi Romanæ Ecclesiæ secundum formam eandem, nomen Romani Pontificis, qui tunc esset, & suum proprium exprimendo; sed postquam ipse Rex & hæredes sui in Regno Sardiniæ & Corsicæ supradicto præstitissent & fecissent personaliter juramentum, fidelitatem, vasallagium secundum prædictam formam uni Romano Pontifici, non astringerentur personaliter præstare & facere, dummodo illa præstarent et facerent infra annum per idoneum, vel idoneos substitutos, ad hoc plenum mandatum habentes: et si plus placeret Romano Pontifici, vel Romanæ Ecclesiæ supradictis, juramentum, fidelitatem, vasallagium et homagium prædicta præstarent et facerent ipse Rex et hæredes sui, nomine summi Pontificis et Romanæ Ecclesiæ illi vel illis, quæ vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex vel Sedes Apostolica deputaret: et pro eodem Regno tam dictus Rex, quam quilibet suorum hæredum in Regno Sardiniæ et Corsicæ pro ipso Regno censum duorum millium marcharum argenti bonorum et legalium sterlingorum, ubicumque Romano Pontifici, qui esset pro tempore, vel eidem Ecclesiæ, ubi ipsa esset, Sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, et pro portione, collegium ipsius Ecclesiæ Cardinalium contingente, in festo beatorum Petri et Pauli annis singulis integraliter pro dicto Regno Sardiniæ et Corsicæ persolverent; ad quem censum, ut præmittitur, persolvendum tam idem Rex, quam quilibet hæredum suorum in dicto Regno tenerentur, et essent astricti: et quod si Rex idem vel quicunque suorum in dicto Regno hæredum in præfato statuto termino non solvissent integre (ut præmittitur) dictum censum, expectati per quatuor menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfacerent, eo ipso essent excommunicationis vinculo innodati: quod si secundo termino infra subsequentes quatuor alios menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverent, totum Regnum Sardiniæ et Corsicæ esset Ecclesiastico suppositum interdicto; si vero nec in tertio termino, nec infra alios quatuor menses proximos per plenam satisfactionem ejusdem census idem Rex et sui hæredes sibi non ducerent consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino, et quatuor proxime sequentibus mensibus, non

non eſſet de hujuſmodi cenſu primi termini ipſi Eccleſiæ integre ſatisfactum, ab eodem Regno Sardiniæ & Corſicæ ipſo jure caderent ex toto, & Regnum ipſum ad dictam Romanam Eccleſiam ejusque diſpoſitionem libere & expedite reverteretur: nihilominus pro ſingulis duobus millibus marcharum ſingulorum terminorum, ſi ſimili modo in eorum ſolutione ceſſarent, vel illa non ſolverent, idem Rex aut quivis ſuorum hæredum in dicto Regno Sardiniæ & Corſicæ pœnas ſimiles incurrerent, ſalvis aliis pœnis, proceſſibus & ſententiis, quæ vel qui de jure inferri, vel haberi ſeu proferri poſſent per Romanum Pontificem, vel Sedem eandem ſpecialiter in hoc caſu.

Quam quidem conceſſionem ſeu infeudationem ſub hujusmodi forma, tenore, conditionibus, & conventionibus ipſi Jacobus Rex & ſui in dicto Regno Succeſſores acceptarunt, & ratas & acceptas etiam habuerunt, prout hæc & alia in dicti prædeceſſoris ejus bulla, & etiam in præfati Jacobi & nonnullorum ſuorum Succeſſorum Regum Sardiniæ & Corſicæ, & ſpecialiter magnifici Principis Petri, Regis Arragonum Illuſtris, qui eidem Regi Jacobo in dicto Regno Sardiniæ & Corſicæ poſtremo ſucceſſit, ipſorum aureis bullis munitis literis plenius continetur. Et cum idem Petrus Rex in ſolutione hujuſmodi cenſus annis quamplurimis ceſſaviſſet, felicis recordationis Innocentius Papa VI. prædeceſſor noſter, ejuſdem Eccleſiæ diſpendiis occurrere, ac præfati Regis ſaluti & ſtatui providere paterna ſolicitudine cupiens, ſuper hoc fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium frequenti querela pulſatus, per diverſas ſolemnes perſonas, ac per Apoſtolicas literas Regem ipſum ſalutaribus monitis excitavit, & hortatus fuit benevole more patris, attente rogans eundem, ut ipſe conſiderans pericula gravia, quibus propter non ſolutum cenſum hujuſmodi ſubjacebat; & attendens provide, quam benigne ipſe prædeceſſor ſecum egiſſet, cum de militari ſervitio, in quo etiam eidem Eccleſiæ pro dicto Regno tenebatur, multo tempore expectando, eiſdem periculis per debitam ſolutionem occurreret, ac commiſſam in ipſa ſolutione dicti cenſus moram ſatisfactione celeri compenſaret; ita quod, incumbenti circa hoc ſibi debito reali exhibitione ſoluto, idem prædeceſſor (ſuadente juſtitia) aliud contra Regem eundem non compelleretur in hac parte remedium adhibere. Sed idem Rex exhortationes & preces præfati Innocentii prædeceſſoris obaudiens, poſt primum annum Pontificatus dicti Innocentii prædeceſſoris de cenſu præfato quidquam ſolvere non curavit.

Poſtremo vero præfato Innocentio prædeceſſore, ſicut Domino placuit, viam univerſæ carnis ingreſſo, cum Nos (divina favente clementia) ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, memoratum Petrum Regem de ſolutione dicti cenſus expectaviſſemus de benignitate paterna, ipſeque patientiam & benignitatem dictæ Sedis in augmentum ſuæ convertens duritiæ, quam debuerat emollire, nihil de dicto cenſu ſolviſſet; nec etiam Nobis infra primum annum noſtri Pontificatus, nec etiam poſtea fidelitatis juramentum per ſe, vel alium præſtitiſſet, nec feciſſet homagium prælibata (propter quod, quod jam fluxiſſent decem anni a tempore ultimæ ſolutionis dicti cenſus, factæ Innocentio prædeceſſori præfato ſecundum præmiſſa, ipſe Petrus Rex dictam ſententiam excommunicationis, dudum per eum Bonifacium prædeceſſorem in conceſſione dicti Regni in Regem Sardiniæ & Corſicæ, qui eſſet pro tempore, ſi in terminis ad hoc ordinatis dictum cenſum non ſolveret, ut præmittitur, promulgatam incurrerat, & totum Regnum prædictum erat Eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto: & idem Rex a dicto Regno ex toto ceciderat, illudque ad dictam Romanam Eccleſiam & ejus diſpoſitionem integre & libere reverſum erat) Nos attendentes, quod, quanto Apoſtolica Sedes præfato Petro Regi ſe reddidit proniorem ad gratiam, tanto eum (quod diſplicenter referimus) reperimus ad ſolutionem dicti ſui debiti tardiorem, cum de culpa dicti Petri Regis commiſſa in hujuſmodi negligentia non factæ ſolutionis dicti cenſus appareat manifeſte; hac prælatorum & aliorum fidelium in publico conſiſtorio, præſente multitudine copioſa, præfatum Regem auctoritate Apoſtolica præſentium tenore peremtorie citamus per hoc publicæ citationis edictum, cujuſmodi citandi modum ex certis rationabilibus cauſis elegimus, ut tertia decima die menſis Maji proxime futuri, ſi conſiſtorium erit, alioquin prima die conſiſtoriali, ex tunc proxime ſequenti, hora conſiſtorii, quam ſibi pro peremptorio termino aſſignamus, compareat legitime coram Nobis, auditurus declarationem noſtram ſuper incurſione dictarum ſententiarum excommunicationis in ejus perſonam, ac interdicti in præfatum Regnum Sardiniæ & Corſicæ; ac ſuper amiſſione dicti Regni, & reverſione ipſius ac Romanam Eccleſiam prælibatam, & ad liberam & expeditam diſpoſitionem ipſius, per Nos (auctore Domino) prout de jure fuerit, faciendam; aperte prædicentes eidem, quod ſive compareat, ſive non compareat in termino memorato, nos contra ipſum ad declarationem hujuſmodi faciendam, vel alias, prout juſtum fuerit, & Nobis videbitur expediens, procedemus, ipſius Petri Regis abſentia ſeu contumacia non obſtante &c. Dat. & actum Avin. in palatio Apoſtolico III. id. Martii anno II.

IV.

Bulla Pii V. Pontificis Maximi, de Præbendis atque dignitatibus, Eccleſiis Inſulæ Sardiniæ conceſſis, agens, d. d. Kal. Octobr. An. 1568.

PIus Epiſcopus, Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Quantum animarum cura cæteras omnes ſuperat & excellit, tanto Nos impenſius providere neceſſe eſt, ut id officii genus omni ubique adhibita induſtria excolatur. Ex multis enim offenſionibus, quæ ad noſtram quotidie notitiam perferuntur, illam quoque graviſſimam intelligimus, quod Canonici, & alii habentes dignitates, perſonatus & officia earum Inſulæ Sardiniæ Eccleſiarum, quas partim rerum inopia depreſſas, partim etiam æris inclementia deſertas, jampridem Apoſtolica Sedes proximis Metropo-

tropolitanis, & aliis Cathedralibus Ecclesiis provi- denter adjunxit, quamquam personali in ipsis obsequio soluti residentiam detrectant, atque refugiunt apud parochiales Ecclesias, quæ sunt, vel in præbendas suorum hujusmodi Canonicatuum instituta, vel prædictis dignitatibus, beneficiis, & officiis applicat, nullum habentes perpetuum Vicarium, vel alium proprium sacerdotem, qui curam exerceat animarum. Rursus multæ parochiales Ecclesiæ sive pro præbendis habitæ, sive dignitatibus, beneficiis & officiis non unitarum, nec suppressarum Ecclesiarum incorporatæ reperiuntur, quæ sunt hujusmodi Vicariorum solatio destitutæ.

§. 1. Nos adversus periculosam hanc negligentiam volentes juris prosecutione cavere, de Nobis attributæ potestatis plenitudine extinguimus & abolemus omnes dignitates, etiam majores & principales, nec non canonicatus, præbendas, personatus, administrationes, officia, cæteraque beneficia, omnium & singularum dictæ Insulæ Ecclesiarum aliis unitarum, vel etiam suppressarum, quæ parochiales Ecclesias habent, uti præbendas, vel alias annexas, ubi non est vicaria perpetua constituta.

§. 2. Ipsas vero parochiales Ecclesias ad primævum statum simplicem & liberum revocamus, ita ut in earum collatione dehinc ab Ordinariis locorum facienda, Concilii Tridentini forma, quæ de parochialibus Ecclesiis super hoc præscripta est, omnino debeat observari. Statuentes, ut quicumque dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia & officia prædicta sic extincta, etiam plura & diversis hujusmodi Ecclesiis ex dispensatione Apostolica, aut alias obtinebant, ex quo jam amplius non sunt, nullum in dictis principalibus Ecclesiis locum habere contendant, sed singulas prædictas parochiales Ecclesias, ut simplices earum rectores retinentes, debeant ibi præsentes perpetuo residere, ac debita parochialia officia per se ipsos, ut congruit, exercere; nec ulli omnino id effugere, aut consuetudine immemorabili, aliave prætensa juris cautione defendi possint, etiam si eam curam ad solos Episcopos objiciant pertinere, sed eos, qui canonica monitione præmissa in dictis parochialibus Ecclesiis præsentes residere neglexerint, censuris & pœnis omnibus contra non residentes, tam a dicto Concilio, quam etiam nostris & aliis Canonicis sanctionibus impositis, volumus subjacere. Verum, si de pluribus etiam diversarum diœcesium parochialibus unica dumtaxat præbenda constiterit, aut unio de illis uni tantum dignitati, beneficio, vel officio sic suppresso facta fuerit, singuli possessores, etiam, qui plura ex suppressis præfatis obtinebant, ut præfertur, in una parochiali Ecclesia dumtaxat perpetuo residentes, quam intra sex menses post publicationem præsentium eligere debeant, si censuras & pœnas prædictas effugere voluerint, potuerunt, vita eis comite, in cæteris omnibus tolerari, dummodo reliquis Vicarii idonei ab Ordinariis locorum cum debito stipendio assignentur. Illis vero cedentibus & decedentibus singuli rectores in singulis ordinentur, nisi forte loci propinquitas, rerum angustia, aliave legitima causa connexionem patiatur.

§. 3. Porro Ecclesiis parochialibus, vel in præbendas canonicatuum erectis, vel dignitatibus, officiis, & beneficiis non unitarum nec suppressarum Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum dictæ Insulæ Ecclesiarum perpetuo annexis, in quibus nullæ sunt vicariæ hucusque perpetuæ institutæ, quoniam canonici, & alii dignitates, officia & beneficia hujusmodi obtinentes, in ipsis Metropolitanis, Cathedralibus, & aliis Ecclesiis deservire tenentur, prædicti Ordinarii locorum illas quam primum ordinare, vel alias providere debeant, quemadmodum in generalibus, & prædicto Tridentino Conciliis dignoscitur ordinatum, portione fructuum, etiam super certa re assignanda, ac per Vicarios propria auctoritate percipienda, quæ tamen centum annuc non transcendat, inferior vero quam quinquaginta scutorum esse possit, quando sine notabili Principalis incommodo nequeat esse pluris, & ea sit annonæ utilitas, ut sacerdos queat ex minori commode sustentari.

§. 4. Præcipimus igitur universis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per dictam Insulam constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ, ut prædicta omnia & singula in suis quisque civitatibus, diœcesibus, & locis quamprimum exequantur, & inviolate faciant ab omnibus observari. Contradictores quoslibet & rebelles per prædictas, quas viderint ipsi, censuras & pœnas, cæteraque remedia opportuna, appellatione quacumque postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstantibus prædictis & nostris de non tollendo jure quæsito, ac de Vicariis hujusmodi aliter instituendis, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, in quibus canonicatus & præbendæ, ac dignitates, beneficia, & officia prædicta consistunt, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, seu quod aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra hujusmodi statuta, & consuetudines, ac privilegia eis concessa, ad residentiam & alia prædicta compelli non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de statutis & consuetudinibus, nec non Ecclesiarum, locorum, & personarum hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Quin etiam ex nunc irritum decernimus & inane, quicquid secus per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Cæterum mandamus, easdem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more applicari, volumusque, & Apostolica auctoritate decernimus, quod literæ ipsæ sic publicatæ, omnes & singulos absentes, & ubique extra dictam Insulam degentes, ac etiam monitiones, cita-

citationes, & inhibitiones per quemcumque Ordinarium edicto publico valvis suæ Cathedralis Ecclesiæ affigendo, vigore præsentium faciendæ, monitos, citatos, & inhibitos perinde arctent, ac si eis personaliter factæ fuissent.

§. 7. Quia vero difficile, & incommodum valde esset, easdem præsentes ad singula loca, ubi illis opus fuerit, transferre, similiter volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici vel ejus curiæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1568. Kalend. Octobris, Pontificatus nostri anno 3.

Anno a Nativitate D. 1568. Indictione II. die vero 23. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Pii, Divina providentia Papæ V. Anno 3. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem retroscriptarum literarum copiis, per Nos Julium Parinum, & Jo. Bornotum prælibati Sanctissimi D. N. P. P. Curs.

V.

Conventio inter Comitem Mercyum, Cæsareum Campi-Mareschallum, ac Byngbium, Anglicanæ Classis Præfectum, ex una; Marchionem vero Ledium, copiarum Hispanicarum Ducem, ex altera parte, de dimittendo Sardiniæ Regno, hucusque ab Hispanis possesso, pacta, d. d. 8. Maji, Anno 1720.

IN virtù delle Plenipotenze, che Noi li Generali Comandanti delle Armate guerreggianti in Sicilia tanto per Mare, che per Terra, habbiamo ricevute da' Nostri Sovrani per trattarvi d' una Sospensione d' Armi, e dell' Evacuazione del Regno di Sardegna, habbiamo convenuto, doppo molte Conferenze, degli Articoli seguenti.

I.

La medesima Sospensione d' Armi, della quale si è convenuto per il Regno di Sicilia, e per il Mediterraneo, sussisterà in tutti i Punti per quello di Sardegna.

II.

Le Truppe Spagnuole evacuaranno il Regno di Sardegna subito, che le Truppe Alemane, ò altre, che sono destinate per prenderne il possesso, vi saranno arrivate. Si consegnaranno tutte le Piazze forti con l' Artiglieria, e Munizioni di Guerra, che vi sono state trovate, quando le Truppe di Spagna l' hanno occupate.

III.

Gli Ammalati, e Feriti delle Truppe di Spagna restaranno nel medesimo Ospitale nelle Piazze, in cui si trovano, con tutti li Medici, Chirurgi, & altre Persone impiegate al detto Ospitale per loro assistenza, e servizio, e sarà permesso di lasciarvi degli Uffiziali per haverne cura; e si fornirà per il medesimo Ospitale tutto ciò, che farà loro di bisogno per loro sussistenza al Direttore col suo Denaro; e subito, che vi saranno convalescenti in stato di marchiare, si forniranno loro de' Baggagli, e Barche con li Passaporti per passar in Spagna mediante il pagamento, e quelli ch' haveranno Armi, potranno condurle con loro.

IV.

Sarà permesso, che il Ministro dell' Intendenza, Commissario di Guerra, commesso del Contadore, e del Tesoriere sì di terra, che di mare, restino nelle Piazze del detto Regno, tanto per l' aggiustamento de' conti, che per le disposizioni necessarie per l' imbarco delle Truppe finche sia effettuato. Si darà uno stato col nome di quelli, che restaranno.

V.

Sarà permesso alli Ministri di Sardegna, & altri senza eccezzione, & agli Uffiziali delle Truppe di Spagna, e tutti quelli, che possano essere impiegati al servizio delle dette Truppe, di ritirare dal detto Regno le loro Famiglie, Effetti, & Equipaggi, per trasportarli in Spagna, dandosi loro li necessarii Passaporti, Bagagli, e Barche, che dimandaranno mediante il pagamento.

VI.

Tutti li Magazzeni delle Munizioni di Guerra, e Viveri di qualsivoglia specie, compresovi orzo, e paglia, appartenenti alle Truppe di Spagna nelle Piazze, ò altri Luoghi, vi restaranno con ogni sicurezza; e sarà permesso alle dette Truppe d' imbarcarli, ò di servirsene, come trovaranno meglio convenire; e si nominaranno de' Commissarii per haverne cura, facendovi metter una guardia di Truppe Alemane, ò altre, che prenderanno possesso per la sicurezza delli detti Magazzeni.

VII.

L' Evacuazione di Cagliari, e del Castello Aragonese si farà nel tempo segnato, purche le Imbarcazioni necessarie siano pronte à Cagliari, per ricevervi le Truppe, e che vi siano tutti li viveri necessarii per 40. giorni, dove s' imbarcarà parimente la Guarniggione di Algeri, senza che si possa obligare le due Guarniggioni di marchiare per terra à Cagliari per imbarcarle, e quella di Cagliari s' imbarcarà al detto Cagliari, la Cavalleria in una di queste due Piazze, di cui convenirà il Capitano Generale, che comanda in questo Regno; come pure tutta l' Artiglieria, Magazzeni, e Munizioni da Guerra, e da bocca, che potranno trovarsi nella detta Piazza, appartenenti alle Truppe di Spagna; e si consegnaranno le Piazze alle Truppe Alemane, ò altre, che prenderanno possesso in loro nome, senza toccare le Fortificazioni, il medesimo giorno, che le Truppe Spagnuole s' imbarcaranno per passare in Spagna.

VIII.

Tutte le Truppe di Spagna sì di Fanteria, che di Cavalleria, e Dragoni doveranno essere trasportate in Spagna, con le loro Armi, Bandiere, Stendardi, Cavalli, Abiti, e Baggagli con ogni sicurezza senza farsi loro alcun ostacolo, per essere sbarcate alle Costiere di Cattalogna, ò di Valenza, tanto nelle

nelle Imbarcazioni, che si potranno fornire prontamente, quanto in quelle, che potranno venire di Spagna, ò altre appartenenti ad altre Potenze, per la via più breve.

IX.

Tutte le Truppe sì di terra, che di mare, nello stato in cui si trovano presentemente nel Regno di Sardegna, tutti li Generali, Uffiziali, Ministri, & altre Persone, che possano essere impiegate al servizio delle Truppe di Spagna, sarà loro permesso d' imbarcarsi per passar in Spagna; come pure gli altri naturali del Paese di Sardegna, che volessero altresi passarvi, senza che si possa loro impedirlo.

X.

Si sarà obligato di fornire tutti li Vascelli, & altre Imbarcazioni necessarie per l' imbarco delle Truppe di Spagna, sì di Fanteria, che di Cavalleria, e Dragoni, Artiglieria, Munizioni di Guerra, & Equipaggi, però à loro spese, dandosi loro de' Vascelli di Guerra di S. M. Brittannica, per scortarle sicuramente in Spagna.

XI.

L' imbarco delle Truppe si farà nelle due Piazze nominate, e nel tempo assegnato, purche le Imbarcazioni siano pronte à riceverle, e provedute di Viveri per 40. giorni tanto per i Soldati, quanto per li Cavalli sul piede della razione ordinaria; nè si potrà obligare ad imbarcar più Gente nelle Barche, ò Vascelli di quella, che potranno capire secondo le regole ordinarie.

XII.

Sarà permesso d' imbarcar, e trasportar in Spagna con ogni sicurezza tutta l' Artiglieria, e Mortari sì di Bronzo, come di Ferro, che si trovano nelle Piazze del Regno di Sardegna, e che vi sono state portate da Spagna, ò d' altre parti, doppo che le Truppe di Spagna sono nel detto Regno, e Piazze del medesimo, lasciando quella, e quelli, che vi hanno trovati, e che vi sono ancora; e si consegnaranno altresi di buona fede tutte le Munizioni di Guerra, che hanno trovate nelle dette Piazze, allorche le Truppe di Spagna le hanno occupate, e che vi sono ancora, essendo permesso d' imbarcare tutta quella Artiglieria, che vi hanno portata dalla Spagna, ò fatta venire d' altrove.

XIII

Tutti li Vascelli, Galere, & altre Imbarcazioni appartenenti alla Spagna, ò a' suoi Sudditi, che si trovaranno in questo Regno, potranno liberamente passar in Spagna con la loro Artiglieria, Equipaggi, e tutti gli Effetti, che potranno havervi. Sarà permesso altresi di rimbarcare tutta l'Artiglieria, Armi, Ancore, Cordagi, Vele, e qualunque altra cosa appartenente alle Galere di Spagna, ò altre Imbarcazioni, che sono state disarmate, ò che hanno fatto naufragio, che si trovano nelle Piazze, ò Luoghi, che occupano le Truppe Spagnuole oggi dì.

XIV.

Sarà permesso alli Commissarii, che saranno nominati, di restar in questo Regno, per rendere gli Effetti, che si trovaranno nelli Magazzeni, ò in qualsivoglia altro Luogo, come anche per havere cura degli Ammalati, che non saranno in stato d' imbarcarsi col resto delle Truppe, alli quali si sarà obligato subito, che saranno in stato d' imbarcarsi, di fornire loro delle Imbarcazioni per trasportarli in Spagna mediante il pagamento.

XV.

Nel tempo dell' imbarco, ò prima, ò doppo, non si potrà ritenere, nè reclamare alcun Desertore d' una parte, ò l' altra, nè ritenere alcun Soldato sotto pretesto di Nazione.

XVI.

Tutti gli Uffiziali, e Soldati delle Truppe, che sono in Sardegna sì di mare, che di terra, che saranno stati fatti prigioni durante la Guerra di Sicilia, e quella di Sardegna, saranno restituiti, tanto d' Alemani, che d' altre Nazioni.

XVII.

Si daranno de' Passaporti à tutti li Vascelli, Galere, Felucche, & altre Imbarcazioni, che hanno in Sardegna, per andar in Spagna, ò altre parti per servizio dell' Armata di Spagna.

XVIII.

Per ciò che riguarda le spese de' Vascelli, e di tutte l' altre Imbarcazioni, che serviranno per il trasporto delle Truppe in Spagna, saranno pagate al prezzo accostumato, circa del quale si converrà per il pagamento in Denaro Contante, ò in Lettere di Cambio.

XIX.

Si accordaranno sei mesi di tempo agli Uffiziali Spagnuoli, ò altri naturali del Paese, che haveranno Beni, ò Effetti in questo Regno, affinche dentro il detto termine possano venderli, ò alienarli; doppo di che si daranno loro de' Passaporti per passar in Spagna.

XX.

Si nominarà un Commissario di Guerra per essaminare li debiti, e liquidare quelli, che potranno havere contratti gli Uffiziali delle Truppe di Spagna, come altresi quelli, che potrebbero havervi per conto del loro Sovrano, liquali trovandosi giusti, e liquidi, saranno pagati, e fino al loro pagamento si lasciarà in Ostaggio un Commissario di Guerra.

XXI.

Sarà permesso, e si daranno de' Passaporti per mandar à prendere per mare, ò per terra in qualsivoglia Luogo del Regno, tutti li Viveri di qualsisia qualità, & altre cose, che potranno bisognare per la sussistenza, & imbarco delle Truppe Spagnuole mediante il pagamento.

XXII.

Gli Uffiziali tanto generali, che particolari, che sono in Ostaggio d' una parte, e l' altra per la sicurezza del Trattato della Sospensione, e dell' Evacuazione del Regno di Sicilia, serviranno medesimamente per Ostaggio della sicurezza dell' Evacuazione di quello di Sardegna.

XXIII.

Quando li Trasporti, che portaranno le Truppe destinate per prendere possesso della Sardegna, non bastassero per trasportare tutte le Truppe di Spagna in una volta, queste s' imbarcaranno à misura, che le prime arrivaranno.

XXIV.

Quando si haverà preso possesso di Cagliari, le Truppe di Spagna, che restaranno fino à un' altro

imbarco, si radunaranno ne' Villaggi intorno di Cagliari, dove convenirà il Capitan Generale, che vi comanda, con il Ministro, che sarà autorizato di prendere possesso del Regno, dove le dette Truppe viveranno à loro spese, ad esclusione della paglia, legna, e foraggio verde, che si farà fornire loro per li Luoghi, che saranno li più à portata; e preso possesso di Cagliari, non potranno più gli Spagnuoli mischiarsi nel Governo Politico di Sardegna.

Noi li sottoscritti Generali guerreggianti per mare, e per terra in Sicilia, in virtù delle Plenipotenze, che habbiamo dalli nostri Sovrani, promettiamo d' una parte, e l' altra di far'esseguire di buona fede gli Articoli di sopra menzionati. Fatto al Campo vicino à Palermo gli 8. di Maggio dell' anno 1720.

IL CO. DI MERCY.
BYNGHS.
IL MARC. DI LEEDE.

Noto. 1.) Vigore *fœderis quadruplicis* Articuli II. qui supra in *Tom. I. hujus codicis pag. 273.* reperitur, Sacra Cæsarea Catholicaque Majestas Insulam Regnumque Sardiniæ, cum titulo Regni cunctisque Regio axiomati annexis honoribus cessit Duci Sabaudiæ, qui tunc temporis Rex Siciliæ nominabatur.

2.) Plura de *Corsica Insula* vide infra Cap. VII. sub *Republica Genuensi.*

Sectio IV.
De Parmæ & Placentiæ Ducatibus.

I.

Privilegium Communi Placentino, de cudenda moneta, a Conrado III. Roman. Rege, concessum, de Anno 1140.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus divina clementia favente Romanorum Rex secundus. Auctoritas exposcit Regiæ dignitatis, ut privilegia ab Antecessoribus nostris collata firmare ac roborare intendamus, & a nullo ausu temerario infringi permittamus. Unde justis petitionibus fidelium nostrorum (Communis Placentini) acquiescentes, monetam ab Antecessoribus nostris Henrico quarto & Henrico quinto Imperatoribus collatam, concessam, & confirmatam, Nos eadem auctoritate concedimus & confirmamus, & præsentibus scriptis semper eam ibi ad honorem Ecclesiæ & civitatis Placentinæ, cum omni jure & utilitate, & debita justitia, manere decernimus, dantes auctoritatem, & potestatem monetariis, consilio Communis, corruptum redintegrandi, corruptores justo judicio castigandi. Quod si quis hujus nostræ confirmationis & donationis paginam quoquo modo temerario ausu infirmare, aut infringere præsumserit, centum libras auri purissimi componat, quarum partem dimidiam nostræ Cameræ, reliquam vero partem præfatæ civitati solvat. Ut autem hæc nostræ confirmationis concessio firma & inconcussa omni tempore permaneat, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque nostra, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum D. Conradi, Romanorum secundi Regis invictissimi.

Ego Arnoldus, Cancellarius, vice Arnoldi Coloniensis Archi-Cancellarii recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXL. Indictione tertia, regnante Conrado secundo Romanorum Rege, anno vero Regni ejus tertio. Datum in Alsatia, in loco, qui dicitur Molescum, in Christo feliciter, Amen.

II

Innocentii IV. Pontificis Maximi Breve ad Parmenses, in causa Civitatis Parmensis, conscriptum, d. d. 15. Kal. Jun. Anno 124-.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, potestati, conscilio, & communi Parmensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Impleverat cor nostrum multo gaudio, ad aures nostras, rumoribus baiulis, fama perveniens, qua impositum esse finem bellorum calamitatibus, quibus Parmensis languebat civitas, ferebatur. Sed postmodum in omnibus sensibus nostris exultationis letitiam missa Nobis per literas vestras rei certitudo perfecit, ita ut eam senserit anima nostra ex illa novi relatione dulcedinem, quam sincerus pater certe acciperet, qui binos filios ab interitu ereptos audiret, quos fleverat perituros. Communis quippe paternitatis, qua universos Ecclesie filios, generosos atque degeneres, in una universali fidei complexione prosequimur, fovendo constantes in bono, & eos, qui a veritate recedunt, ut redant constantes in bono, insequendo, nimio tædio & dolore Nos afficit, erga singulos Ecclesie catholice filios sese lacerantes ad invicem, odientes alterutrum, & invicem persequentes. Sed circa vos, quos in divisas partes malignitas inimica secuerat, simultates immittens, succedens odia, & consanguineas concivium acies in exitum mutue cedis impellens, alia private affeccionis ratio animam nostram in timorem propensius submittebat, ne civitatem utrisque communem infelicitas desolacionis extreme in irreparabilem ruinam everteret, & in alterne calamitatis miseriam extirparet. Sic enim nullo servante civitas ipsa Friderici olim Imperatoris proposito & inconsulto furori concertantium paruisset, commune eversionis dampnum, utrosque discordantium animos, tam vos, quam alios, adherentes Friderico præfato, fecisset exteros, item que dolor utrorumque animos cruciaret, & amarissime flerent exules, se non

non habere, cui possent restitui, civitatem. Spes namque repetende patrie, quantumlibet grave levat exilium, quia eadem omnino sublata, mors & vita exulum parum distant.

Non ergo sufficimus dignas DEO nostro agere gratias, qui intentionis nostre propositum circa conservandum predicte civitatis statum, ne illum radicitus predicti Friderici ferrum hostile succenderet, desiderato est exitu prosecutus, ut spiritu malitie de cordibus altercantium profugato, in fraternam redeat divisus populus unitatem, &, DEO pacis consilium inspirante, undique civium vestrorum congregata dispersio agnoscat, per illa studia, quibus communis civitas cum civibus est servata ne caderet, salubrius fuisse provisum tam voluntariis, quam invitis, quam si dejecta per hostem improbum oporteret rursus constitui fundamenta. Habemus itaque duplicem intencionis nostre de vestre civitatis reintegracione proventum, quem quidem diligentie nostre molimina intendebant, quia videlicet conversa sunt ad fratres non periculose, sed amicabiliter, juxta cordis nostri desiderium, corda vestra fratrum. Unde confidimus eo quod futura sit firma concordia, quod de tanta equanimitate provenit, alium quoque exinde fructum in suavitate percepimus, quia in querendo pacis vestre commodo, devotionis vestre sinceritas, quam Ecclesie Romane manifesta gratitudinis ratione debetis, diminutionis, vel immutationis detrimentum victa non sensit, sed operose circa Nos benivolentie vestre memoria inviolabiliter retinet fundamentum. Ex quo non solum a Nobis facti vestri laudabile circa fructuose gratie incrementum, pacem habendam cum omnibus approbationem laudemque meremini, verum etiam fructuose gratie incrementum. Toto ergo, quod gestum est, accipimus gratulationis aplausu, &, ut pacis opus metam composite perfeccionis attingat, fervorem (favorem) ei Apostolicum adhibemus, DEI misericordiam suppliciter implorantes, ut que pia ceperunt hominum studia in hac parte, rore superne gratie adolescat, universitatem vestram monentes attente, rogantes attentius, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus in omnibus processibus vestris DEI omnipotentis reverenciam, quem cordium occulta non fallunt, & Apostolicæ Sedis benivolentiam, manifesto vobis experimento certissimam, semper ante oculos habeatis, ut ex hoc DEum propicium, homines benivolos, Nosque specialiter vobis reddatis in opportunitatibus promptiores. Ceterum licet status vestri reformatio, circa civitatis & castrorum vestrorum custodiam, vos a sumptuum oneribus relevasse credatur, que cum vobis adesse finaliter volumus, in hiis, que adhuc necessitas, vel cautela requirit, pro eadem custodia vobis ad presens solita mandamus, camere nostre subsidia exhiberi, preterea, ne propositum reconsiliationis vestre principium aliquo impedicionis obice retardetur; ... Vitalii dilecti filii, electi Parmensis, nostris damus literis in mandatis, ut Parmensibus extrinsecis, ad communionem vestre civitatis redeuntibus, super eo, quod quondam Friderico, olim Imperatori, vel Conrado nato suo, aliisque complicibus ejus, contra Ecclesiam, ejusque devotos prestiterunt consilium, auxilium vel favorem, ad humilem petitionem ipsorum, vestramque instantiam, auctoritate nostra, juxta formam Ecclesie, beneficium absolutionis impendat. Dat. Assisii XV. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno X.

III.

Instrumentum super homagio, a Civitate Communique Placentino, Rudolphi I. Roman. Imperatoris Legatis præstito, die 10. Oct. An. 1275. conditum.

IN Nomine Domini! Amen! Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo, ducentesimo septuagesimo quinto, Indictione quarta, die Jovis, decima Octobris, in domo Communis Placentini, coram Dominis Guidone de Suzaria, Legum Professore, Raimundo de Joculo, Judice & Assessore Domini Alberti Cazanimici, Potestatis Placentini, Guilielmo de Mazolino, Judice præfati Potestatis, Joanne de Balionibus, Judice ipsius Potestatis, & aliis quam plurimis testibus, congregato consilio generali Communis Placentini, sono campanæ voceque præconis, solito more, de mandato Domini Cazanimici, Domini Alberti Cazanimici, Potestatis Placentini, præsente in eodem Domino Juliano Archidiacono, judice Domini Manarini de Manariis, Capitanei societatis Mercatorum & Paraticorum, convocatis in eodem consilio Consulibus dictæ societatis & societatum populi Placentini, ibidem lectis literis legationis venerabilis patris, Domini Guilelmi, DEI gratia Ferrariensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati; lectis etiam literis Vener. patris, Domini Rodulfi (*ab Hohenegg, Episcopi Gurcensis*) Canzellarii Imperialis Aulæ, & fratris Beringarii, Prioris hospitalis Hierosolymitani per Alemaniam &c. Illustr. viri, Domini Henrici, Comitis de Furstenberg, & monitione facta ibidem per eundem Dominum legatum Domino Cazanimico, Domino Alberto Cazanimico, Potestati Placentino, & Domino Juliano Archidiacono, judici & vicario Domini Manarini de Manariis, Capitanei societatis mercatorum & paraticorum civitatis Placentinæ & Consulibus dictæ societatis, nec non universis & singulis de ipso consilio, ut sacramentum fidelitatis facerent præfatis legatis Serenissimi Domini Rodulfi Regis, in Imperatorem Roman. electi, petentibus sacramentum fidelitatis sibi fieri vice & nomine Domini Regis prædicti: Dominus Cazanimicus, Domini Alberti Cazanimici Potestatis supra scripti, & prædictus Vice-Capitaneus, de consensu expresso & parabola expressa hominum de Placentia universorum & singulorum, in dicto consilio, tactis sacrosanctis Evangeliis, corporaliter sacramentum fidelitatis fecerunt, juxta formam inferius notatam, videlicet, quod præfati Potestas & Vice-Capitaneus, & universi & singuli, in ipso consilio congregati, erunt ab hac hora in antea fideles Romano Imperio & Domino Rodulfo, Illustr. Regi Romanorum semper Augusto, & quod non erunt in facto, neque in consilio, ubi præfatus Dominus Rex perdat vitam vel membrum, aut capiatur mala captio-

captione: consilium, quod per se, aut nuntios suos, seu literas, eis crediturus est, ipsis scientibus, ad ejus damnum seu præjudicium nulli pandent: si damnum ejus tractari sciverint, pro posse eorum impedient, ne fiat: quod si per se impedire non potuerint, per nuntium aut per literas ei significare curabunt, ut ad notitiam ejus perducatur: Imperium Romanum & regalia ejus, quæ habet (Rex) ubicunque, & specialiter in Italia, manutenebunt totis viribus & defendent; ad defendendum & manutenendum vero, quæ habet seu tenet, adjutores erunt: officium eis commissum in Italia bene & fideliter exercebunt: jura & jurisdictiones & possessiones Romani Imperii, quæ ubicumque consistere scient, revelabunt, & conservabunt: nuntios præfati Domini Regis Rodulfi recipient, & fideliter ac benigne tractabunt; & omnia juraverunt & promiserunt, bona fide, & sine fraude, & dolo attendere & observare, tactis sacrosanctis Evangeliis, in omnibus, & per omnia, ut superius legitur & continetur.

IV.

Caroli, Siciliæ Regis, Literæ, ad Opizonem Ceratam de Alba, Ærarii Placentini Præfectum, datæ, in quibus ei injungit, ut scripta ærarii causa confecta, Potestati Capitaneoque Placentino extradat, d. d. 3. Junii An. 1281.

CArolus, DEI gratia Rex Hierusalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, almæ Urbis Senator, Achajæ, Andegaviæ, Provinciæ, Forcalker, & Tornad. Comes, Opizoni Ceratæ de Alba, Ærario Placentiæ, fideli suo, gratiam suam, & bonam voluntatem.

Cum Nos quaternos omnes & scripta singula, facta olim tempore nostri in Placentia Dominii, quo ibidem pro Nobis de nostro mandato Ærarius extitisti, quæ penes te sunt, in Camera Civitatis, ipsius Potestati & Capitaneo Placentino per te assignari volumus, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus statim, receptis præsentibus, quaternos & scripta hujusmodi, facta in Placentia prædicti nostri Dominii tempore, quæ penes te habes, vocatis sapientibus Placent. ipsis Potestati & Capitaneo in illorum sapientum præsentia studeas assignare, facturus fieri de assignatione hujusmodi scriptum publicum, & cautelam. Dat. apud Urbem Veterem anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, tertia Junii, nona Indictione, Regnorum nostrorum Hierusalem anno quinto; Siciliæ vero sexto decimo.

V.

Instrumentum de actu solenni, quo populus Placentinus Marchionem Palavicinum & Lancilotum de Anguxolis Abbates, Gubernatores Placentini Rectoresque elegit, conscriptum, d. d. 25. April. An. 1307.

ANno Dominicæ Incarnationis MCCCVII. indictione quinta, die Martis, XXV. Mensis Aprilis, Placentiæ in platea Communis, coram Dominis Ubertino de Cario, Ubertino de Lando, Tedaldo de Cario, Opizone Mancasola, Rolando Barbarubea, & Philippo Fulgosio testibus rogatis. Inspiratione divina, & motu proprio congregato in platea Communis Placentiæ universo populo Placent. armato, in nocte die Martis exeunte, & die Mercurii subsequent. XXV. mensis Aprilis MCCCVII. Indictione quinta, cum vexillis & insigniis societatum populi supradicti: ipse universus populus Placentinus, intendentes ad honorem DEI, & Beatæ Virginis Mariæ, & B. Antonini, ac totius curiæ cœlestis, ac etiam ad honorem & exaltationem Sanctiss. Pont. D. Clementis Papæ Quinti, & DD. Cardinalium, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac etiam ad conservationem, & pacificum statum universæ Civitatis, & districtus, & præsentis status, ac populi Placent. & ad confusionem & destructionem Alberti Scoti, & sequacium suorum, & omnium inimicorum rebellium præsentis status, & populi Placentini, unanimiter & concorditer divina voce inspirati, & volentes ipsius universi populi bono statui, & pacifico, ac totius Civitatis Placent. ac districtus providere, nominaverunt & decreverunt, voluerunt & elegerunt Nobiles viros D. Vicecomitem egregium Marchionem Pallavicinum, & D. Lancilotum de Anguxolis militem, ibi præsentes in ipsa platea, Abbates & Gubernatores, ac Rectores ipsius populi Placent. usque ad duos annos proxime venturos: concedentes eisdem Abbatibus, & Gubernatoribus eorum, plenam, liberam & omnimodam potestatem, & bailiam ordinandi, providendi, statuendi, & faciendi quicquid pro utilitate, favore, defensione & conservatione supradicti universi populi, & præsentis status, & totius Civitatis, & districtus Placent. eisdem videbitur expedire; volentes & statuentes ex nunc, quod prædicta reducantur coram DD. Abbatibus, & viginti quatuor Sapientibus, ut per eos, & eorum auctoritate provideatur & ordinetur, & fiat in prædictis, & circa prædicta in totum, & prout plenius, & largius ipsi DD. Abbates, & 24. Sapientes statuerint, decreverint & ordinaverint, seu voluerint, non obstantibus aliquibus statutis, provisionibus, reformationibus Communis, credentiæ & populi specialibus & generalibus, in contrarium loquentibus, seu facientibus, a quibus omnes, qui tenerentur, ipse universus populus Placent. liberaverunt, & penitus absolverunt.

Franciscus de Pontenurio, Notarius, huic interfuit, & rogatus dictam cartam ita scripsit.

VI.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Bertrandum, Legatum Sedis Apostolicæ, in quo ei in mandatis dat, ut recuperatæ Civitatis Placentinæ Regimen Verzusio de Lando committat, d. d. 10. Kal. Nov. Anno 1322.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Audita nuper civitatis Placentiæ recuperatione votiva, in qua per dilectum filium, nobilem Virum Verzusium de Lando, impensa strenuæ militiæ studia in Domino plurimum commendamus, discretioni tuæ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus ejusdem civitatis statu & conditione pensatis, committas ad tempus præfato Verzusio regimen civitatis ipsius, prout videris expedire: de quo literarum tuarum commoda series curet Nos reddere certiores.

Datum Avenione X. Kal. Novemb. Pontificatus Anno VII.

VII.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Guilielmum Rolandum & Andreasium de Rubeis, cives Parmenses, exaratum, in quo eos, ut, ad exemplum Placentinorum, sub pristinum Sedis Apostolicæ imperium redeant, exhortatur, d. d. 3. Non. Novembr. Anno 1322.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis nobilibus Viris Guillelmo, Rolando & Andreasio de Rubeis, Parmensibus Civibus, Spiritum consilii sanioris.

Noveritis, Nos recepisse noviter literas, per quas a non admissis exhortationis nostræ sollicitis monitis, tyrannica prætensa formidine, vos plurimum excusatis. Sane cum jacere fundæ saltem unum percutiat, multos terrens, ne longe quærantur exempla, ex felici recuperatione civitatis Placentiæ, in qua opprimens vos & con-cives vestros Tyrannus ille succubuit: cujus vires unius casus ingruentia subjici obstupescunt, nec per effectum evidentissimi operis tollitur vestra constantia ipsius causa formidinis, nec metus omnis excutitur, dum porrigitur securitatis materia invictæ fidei vestræ votis, ut abjiciatis molestæ servitutis obnoxia, & resumatis libertatis pristinæ ornamenta. O acceptabile tempus, ad prospera sub aliqua pretii æstimatione non cadens! O via recto parata consilio! O felix consilium rebus aptum! Quando & qualiter, viri probi, vestris affectibus, similia istis facta contingent? Ubi & quomodo, viri fortes, sic vobis auspicia facultatis proximæ arridebunt? Profecto, nisi dum habetis lucem, protensis passibus ambuletis, superveniente noctis caligine, qua oportet subsistere ambulantes, & agendarum proposita protelantur, arguetis votiva celeritate desideria, medelam ulceratis ex jugo cervicibus increpabitis retardatam. Quocirca discretionem vestram rogamus, & per viscera Domini nostri JEsu Christi in remissionem peccaminum obsecramus, quatenus vicina consilia propinquis effectibus maturantes, ad instar dilectorum filiorum Placentinorum fidelium, qui vigent in gremio Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ tam notabili probitate, moræ sublatis obstaculis, ita prudenter & ita viriliter vestro animarum & corporum salubri statui consulatis, quod ipsa Romana Mater duris Tyrannorum sauciata doloribus, super vos & dictos concives vestros, peculiares ejus utique filios, præcipitio deditos, amaris fletibus ingemiscens, de utrorumque salute suscipiat pro gemitu gaudium, Nosque de gratis successibus placatæ ipsius Romanæ Matris Ecclesiæ dignas actiones reddamus Altissimo gratiarum.

Datum Avenione tertio Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno VII.

IIX.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Symonem, Guidonem, Azonemque de Corrigia milites, ac Rectores Parmenses, in quo eos serio hortatur, ut civibus Parmensibus, quo Sedi Apostolicæ haud cunctanter sese submittant, persuadere velit, d. d. 3. Non. Novembris, Anno 1322.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, nobilibus Viris Symoni, Guidoni & Azoni, natis quondam Giberti de Corrigia Militis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Parmenses Cives erga devotionem Apostolicæ Sedis, nescimus, quo spiritu seducente, parentum vestigia non sequentes, quamvis in hac parte cognoscant lubricum labentis eorum pedis in devium, a quo redire ipsos pridem nostra exhortatione monuimus, & reditum eorum ad tramitem solitæ devotionis in desiderio gerere, per suas responsales literas fateantur. Pro eo tamen executione prætensa, id se non posse perficere, asserunt, quod timendam scilicet vicinam tyrannicæ malignitatis potentiam metuebant. Verum quia divina provisio, sicut ex alto dispofuit, ad devotionem dictæ Sedis, ut nostis, Civitatem Placentiæ jam reduxit, cujus eventu cessavit pristini metus causa, ecce dictis Parmensibus civibus, ut causa qualibet excusationis omissa, desiderium suum hujusmodi effectibus exprimant, exhortatoria monita inculcamus. Propter quod, reditu vestro ad civitatem Parmæ lætanter audito, cujus Rectoribus fiduciose jungimini glutino caritatis, nobilitatem vestram, de qua plene confidimus, exhortamur attente, quatenus tam apud eosdem Rectores, quam præfatos Parmenses Cives, de quibus expedire videritis, quod nostris salutaribus monitis annuant tam opera, quam opero-

rosis studiis pro reverentia nostri & prædictæ Apostolicæ Sedis, efficaciter insistatis, ita quod, sicut diligentiam inde vestram grata relatione noverimus, sic devotionis & promptitudinis vestræ solertiam tam laude, quam præmio commendemus.

Datum Avenione tertio Nonas Novembris, Pontificatus Anno VII.

IX.

Instrumentum de possessione quadam decem librarum Placentinarum millibus emenda, inque feudum a civitate Placentina Opizoni, dicto Verzusio de Lando, concedenda agens, d. d. 8. Junii, Anno 1323.

IN nomine Domini Amen! Anno ab incarnatione ejusdem millesimo, trecentesimo, vigesimo tertio, indictione sexta, die octavo Junii, Placentiæ in Episcopali palatio, in camera, in qua morabatur D. Legatus infrascriptus, coram Ven. Patre, Dno. B. DEI gratia Episcopo Carosopitensi &c. D. D. Obertinus de Rizzolo, J. U. D. Fulchinus Strictus Judex, Gallutius de Fulgoxiis, & Albericus Cossadoca de Vicedominis, electi per Rev. Patrem, & D. D. Bertrandum, DEI gratia tit. S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, ad providendum, statuendum, & confirmandum auctoritate & præcepto dicti D. Legati, & auctoritate provisionis, factæ in Consilio generali civitatis Placent. super provisione fienda, seu quam dictus D. Legatus fieri volebat, Nobili Viro D. Opizoni, dicto Verzusio de Lando, tanquam benemerito; pro eo maxime, quod se morti exposuit pro redimendo civitatem Placentiæ, & ejus districtum, & cives ejusdem, de manibus & captivitate Galeazii, Vicecomitis, tyranni, inimici, & rebellis S. R. E. Quæ provisio facta fuit die 2. mensis Junii præsentis, & scripta per me Janonum Raynum, Notarium: providerunt de beneplacito ipsius D. Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, quod dictus D. Verzusius habeat, & habere debeat, ac percipiat de bonis, & havere Communis Placent. decem millia libr. Placent. quæ libræ decem millia convertantur, & converti debeant in emptione fienda per dictum Commune Placent. in una possessione, seu possessionibus perpetuo tenendis & possidendis, & dictumD. OpizonemVerzusium, & ejus hæredes in feudum, & jure feudi a Communi Placent. & jurante dicto Verzusio, prout juravit, quod tenebit semper partem S. R. E. eritque ei fidelis &c. sub pœna privationis dicti feudi &c.

X.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Bertrandum, Sedis Apostolicæ Legatum, in quo illi committit, ut in ea, quæ Cives quidam Parmenses a se petierunt, diligenter inquirat, sibique, in quo statu res deprehenderit, exponat, d. d. 9. Kalend. Februarii, Anno 1325.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii, populus & Commune Civitatis Parmensis nuper Nobis humiliter supplicarunt, ut possessiones, honores, jurisdictiones & jura, quæ quondam Manfredinus & Thomas Pelavicini, qui, sicut asserunt, fuerunt de hæresi condemnati, tenuerunt & possederunt in Curiis SoranEæ, Parolæ & Curiæ Redaldi, Parmensis & Cremonensis diœcesium, quæve, ut dicitur, propterea fuerunt Romanæ Ecclesiæ confiscata, dilectis filiis, Nobilibus Viris, Montino, Hugoloto, Guidoni, Bonifacio, Antonio, & Raymundino de Lupis, civibus Parmensibus, qui pro eminenti briga ab indevotis Romanæ Ecclesiæ damna gravia incurrisse dicuntur, concedere dignaremur. Quia igitur de præmissis notitiam non habemus, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus de præmissis, & eorum conditionibus & circumstantiis, in talibus attendendis, diligentius te informes, & quæcumque super iis inveneris, & quid in hac parte faciendum tibi videatur expediens, Nobis per tuas literas, harum seriem continentes, fideliter intimare procures.

Datum Avenione IX. Kal. Februarii, Anno decimo.

XI.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Bertrandum, Sedis Apostolicæ Legatum, in quo ei, quid Franciscus Scotus, civis & Ambassiator Placentinus a se petierit, significat, illumque de rebus in hoc negotio porro faciendis instruit, d. d. 15. Kalend. Julii, Anno 1325.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exposuit Nobis dilectus filius, Franciscus Scotus, Civis Placentinus, Ambaxiator dilectorum filiorum Communis civitatis Placentiæ, quod Manfredus de Lando, concivis suus, ut fautor filiorum damnatæ memoriæ Matthæi, Vice-Comitis de Mediolano, de hæresi condemnati, castrum Zavatarelli, cum pertinentiis suis ad ipsum Franciscum pertinens, Bobiensis diœcesis, per viginti annos vel circa detinuit & adhuc detinet occupatum, ac residet in eodem, & proventus usque ad valorem trecentorum quinquaginta florenorum auri annuatim ex illo percepit. Quare dictus Franciscus Nobis humiliter supplicavit, ut sibi providere super iis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui sumus omnibus in

bus in justitia debitores, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus partibus convocatis, per te, vel alium, seu alios de præmissis simpliciter & de plano, & sine strepitu & figura judicii plenarie te informans, facias super iis auctoritate nostra justitiæ complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Avenione, XV. Kal. Julii, Anno decimo.

XII.

Breve ejusdem ad eundem, in quo illum de eo, quod Franciscus Scotus, civis & Ambassiator Florentinus, respectu filiarum Maxoni Ferrabovis, civis Placentini, petierat, certiorem reddit, d. d. 15. Kal. Julii, Anno 1325.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Significavit Nobis dilectus filius, Franciscus Scotus, Civis Placentinus, Ambaxiator dilectorum filiorum Communis Civitatis Placentiæ, quod, cum quondam Maxonus Ferrabos, Civis Placentinus, jam sunt tres anni elapsi, perforasset murum civitatis ejusdem, mortis periculo se exponens, quando dilectus filius, nobilis vir, Verzusius de Lando de Placentia cum militibus Ecclesiæ civitatem cepit eandem, Commune prædicti constituerunt eidem Maxono dare quingentos florenos auri, solemni super hoc deliberatione secuta: quam florenorum summam nondum solverunt eidem. Quare dictus Franciscus Nobis humiliter supplicavit, ut cum præfati Maxoni remanserint duæ superstites filiæ inopes & innuptæ, eisdem filiabus de prædicta summa satisfieri faceremus. Nos igitur, qui sumus omnibus, præsertim pauperibus & orphanis in justitia debitores, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus partibus convocatis, per te, vel alium seu alios de præmissis simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura judicii plenarie te informans, facias super iis auctoritate nostra justitiæ complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Avenione, XV. Kal. Julii, Anno decimo.

XIII.

Breve ejusdem ad eundem, de Familiæ Scotanæ prætensione, intuitu expensarum, pro defensione Civitatis Placentinæ erogatarum, agens, d. d. 15. Kal. Julii, Anno 1325.

JOannes Episcopus Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tit. S. Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius, Franciscus Scotus, Civis Placentinus, ambaxiator dilectorum filiorum Communis civitatis Placentiæ, quod quondam Albertus pater ipsius Francisci tempore, quo ipse fuit protector & defensor Communis eorundem per multos annos, pro manutenendis statu prospero civitatis prædictæ, ac ipsius juribus, & libertatibus defendendis, de sua propria substantia, præter labores diuturnos, quos in iis subiit, dicto Communi mutavit usque ad summam sexdecim millium florenorum auri, de quorum mutuis apparet per publica instrumenta. Quare dictus Franciscus Nobis humiliter supplicavit, ut de annuis redditibus & proventibus dicti Communis, eidem Francisco de prædicta florenorum summa pro quarta parte eum contingente, quum alii dicti patris sibi fuerint cohæredes, satisfieri faceremus. Nos igitur &c. mandamus, quatenus convocatis partibus &c. super his auctoritate nostra justitiæ complementum facias &c.

Datum Avenione, XV. Kal. Julii, Pontificatus nostri anno decimo.

XIV.

Breve ejusdem ad eundem, in quo ipsi, quid Francisca, quondam Alberti Scoti Placentini nata, una cum filio suo, prætendat, exponit, eumque, quid hac in re porro faciendum sit, instruit, d. d. 8. Id. Octobr. Anno 1326.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Bertrando, tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exposuit Nobis dilecta in Christo filia Francisca, nata quondam Alberti Scoti, ac relicta quondam Gerardi Claponi, civium Placentinorum, vidua Placentina, quod dudum Galeacio de Vicecomitibus de Mediolano de hæresi condemnato, Civitati & districtui Placentinis, per oppressionem tyrannicam dominante, dictus Albertus una cum nonnullis nobilibus Placentinis per gentes ipsius Galeacii captus, & Mediolanum ductus, quodque dilectus filius Antoniolus, ejusdem Franciscæ natus, tunc

tunc in tertio, vel quarto ætatis ſuæ anno conſtitutus, per eaſdem gentes Placentiæ captus extitit & detentus: deinde vero dicta Franciſca una cum eodem Antoniolo, nato ſuo, de manibus prædictarum gentium liberata, perſecutionem dicti Galeacii fugiens, ad Caſtrum Arquatum Placentinæ diœceſis, tunc eidem Galeacio contrarium & rebelle, ſe transtulit, ipſiſque in eodem caſtro manentibus, gentes prædictæ ac cum eis etiam cives aliqui Placentini, tunc eidem Galeacio adhærentes, Domos Franciſcæ & Antoniolo prædictorum, quas habebant in civitate prædicta, diruerunt, & nonnulla eorum bona mobilia & immobilia, exquiſitis variis coloribus & doloſis commentis, ac fraudulentis machinationibus invaſerunt, diripuerunt, ac etiam occuparunt, ipſaque occupata detinent indebite & injuſte. Quare eadem Franciſca Nobis humiliter ſupplicavit, ut ſibi & eidem Antoniolo providere ſuper iis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui ſumus omnibus, præſertim viduis & orphanis, in Juſtitia debitores, de præmiſſis notitiam non habentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios, vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, ſuper præmiſſis ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii facias auctoritate noſtra juſtitiæ complementum, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum Avenione, VIII. Idus Octobris, Anno XI.

XV.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Hugolinum, Epiſcopum Parmenſem, directum, in quo eum, ejusque fratres, quod Civitatem Parmenſem Regimini Sedis Apoſtolicæ ſponte ſubjecerunt, condignis proſequitur laudibus, d. d. 9. Novembr. Anno 1326.

JOhannes Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, Venerabili fratri Hugolino, Epiſcopo Parmenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Lætanter audivimus, quod te, frater, ac dilectis Nobilibus viris Rolando & Marxilio de Rubeis, familiaribus noſtris, Germanis tuis, volentibus & procurantibus, Parmenſis civitas nuper ſub noſtro ſpeciali regimine ſponte & liberaliter ſe ſubmiſit. Et licet civitatem ipſam, dum per germanos regeretur eoſdem, in manibus noſtris exiſtere, reputare merito valeremus; ex tua tamen, quam ſuper his adhibere ſtuduiſti principaliter, ſicut pro certo didicimus, opera efficaci, ac dictorum germanorum tuorum fidelitate, quam in hoc caſu operis exhibitione cognovimus, læti quamplurimum efficimur & jucundi, fraternitatem tuam attentius exhortantes, quatenus ut eadem civitas erga Nos & Romanam Eccleſiam in devotionis & fidelitatis ſoliditate perſiſtat, ſic ſtudeas operoſam ſollicitudinem adhibere, dilecto filio Bertrando, Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, & aliis fidelibus, opportunis auxiliis & conſiliis aſſiſtendo, quod exinde noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam uberius valeas de bono ſemper in melius promereri.

Datum Avenione, IX. Novembris, Anno XI.

XVI.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Regimina, Conſilium, Communeque Civitatis Parmenſis directum, in quo eos, ut in fide ac devotione, Sedi Apoſtolicæ debita, perſiſtant, ſedulo hortatur, d. d. 9. Novembr. Anno 1326.

JOhannes Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, dilectis filiis, Regiminibus, Conſilio & Communi Parmenſibus, noſtris & Eccleſiæ Romanæ fidelibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Lætanter audivimus, quod vos, qui, tanquam benedictionis & gratiæ filii, Romanam Eccleſiam matrem veſtram ſtuduiſtis in omnibus hactenus venerari, nunc devotionem veſtram, qua clarere non ceſſatis, jugiter erga eam in lucem clariorem deducere, ut fides lucidius comprobetur operibus, procurantes, Civitatem Parmenſem cum ſuo Comitatu & territorio in noſtro & ipſius Eccleſiæ ſpeciali regimine realiter poſuiſtis: ſuper quo veſtræ devotionis promptitudinem cum gratiarum actionibus plurimum in Domino commendantes, veſtram prudentiam attentius exhortamur, quatenus in devotione ac fidelitate hujusmodi, pro quibus in conſpectu Sedis Apoſtolicæ locum præcipui favoris & gratiæ vobis & veſtris poſteris vindicaſtis, ſic continuatione ſolida perſiſtere, dilecto filio noſtro Bertrando, tituli ſancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, aliiſque fidelibus aſſiſtendo auxiliis & opportunis favoribus, procuretis, quod proinde noſtram & ejusdem Sedis uberiorem gratiam valeatis ſemper de bono in melius promereri.

Datum Avenione, IX. Novembris Anno XI.

XVII.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Rolandum & Marxilium de Rubeis datum, in quo illis pro auxilio, ut Civitas Parmenſis ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Regimini ſubjiceretur, præſtito gratias agit, d. d. 9. Novembr. Anno 1326.

JOhannes Epiſcopus Servus ſervorum DEI, dilectis filiis, Nobilibus viris, Rolando & Marxilio de Rubeis, familiaribus noſtris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quamvis fidelitate veſtra, qua erga Nos & Romanam Eccleſiam vigere noſcimini, diligenter attenta, civitatem Parmenſem, dum eſſet in veſtris manibus, noſtram & in noſtris manibus exiſtere merito

rito reputare possemus; lætanter tamen admodum audivimus, quod, vobis volentibus & procurantibus, nunc se sub nostro constituit regimine speciali: super quo devotionis vestræ promptitudinem cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, Nobilitatem vestram attentius exhortamur, quatenus ut dicta civitas erga Nos & prædictam Ecclesiam in suæ fidelitatis & devotionis soliditate persistat, adhibere velitis opem & operam efficaces, dilecto filio nostro Bertrando, Tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, auxiliis & opportunis consiliis sic prompte & fideliter assistendo, quod nostram & Apostolicæ Sedis gratiam vobis uberius de bono semper in melius acquiratis.

Datum Avenione, IX. Novembris. Anno XI.

XIIX.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, exaratum ad Cardinalem Bertrandum, Sedis Apostolicæ Legatum, in quo, se potestariam Plani Octobono de Salimbenis, Civi Placentino, per quinque annos regendam commisisse, ipsum certiorem reddit, d. d. 7. Idus Maji, Anno 1327.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, venerabili fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Sinceræ devotionis studia, qua dilectum filium Octobonum, natum dilecti filii Jannatii de Salimbenis, Civis Placentini, & suos erga Nos & Apostolicam Sedem vigere percepimus, Nos inducunt, ut ipsum gratiosis favoribus prosequamur. Sane petitio pro parte dicti Octoboni nuper Nobis exhibita continebat, quod in districtu Placentino est, & fuit ab antiquo quoddam officium, quod *potestaria Plani* dicitur, ad custodiam ruralium villarum & hominum provide & salubriter introductum, consuetum singulis sex mensibus per aliquem Nobilem de Placentia gubernari; quodque tu officii prædicti necessitatem considerans, ac attendens fructum, quem idem Octobonus inibi contra rebelles & quoscumque damnificantes, seu damnificare volentes gentes, infra dicti Plani limites constitutas, jugiter afferebat & afferre poterat, eidem Octobono interpolatim tribus vicibus ipsius officii regimen & exercitium, cujus proventus officii summam viginti quinque florenorum auri quolibet eorumdem sex mensium spatio non excedunt, liberaliter & provide commisisti. Cum autem, sicut asseritur, gentes infra dictos limites existentes, præfati Octoboni, utpote habentis in medio earum majorem partem bonorum suorum, & ex aliis multis causis rationabilibus, speciales amici existant, & aliorum potestatum regimina, extorsiones, quas eis inferunt, si inibi deputantur interdum eorum minus benevoli, formidantes, habeant minus grata, pro parte dicti Octoboni Nobis extitit supplicatum, ut indemnitati earumdem gentium salubriter consulentes, concessionem sive commissionem prædicti officii per te factas Octobono præfato, ratas & gratas habere, dictumque officium usque ad quinquennium a fine sibi per te commissi præsentis regiminis computandum, concedere dignaremur. Nos itaque consideratione præmissorum inducti, cupientes, quantum cum DEO possumus, in hac parte & ipsius Octoboni annuere precibus, & prædictarum gentium providere quieti, concessionem sive commissionem prædicti officii per te factas, ut prædicitur, Octobono præfato, ratas & gratas habentes, Fraternitati tuæ, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, concedendi dicto Octobono prædictum officium usque ad tempus dicti quinquennii vel minus, si, & prout videris expedire, plenariam tenore præsentium committimus potestatem.

Datum Avenione, VII. Idus Maji, Anno duodecimo.

XIX.

Ejusdem Breve ad eundem datum, de Naulo in Civitate Placentina constituendo, murisque reparandis, factoque Gobii, nec non de bonorum fisco adscriptorum distributione agens, d. d. Id. Junii, Anno 1327.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, Venerabili fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

In nostra pridem constituti præsentia dilecti filii Leonardus de Arcellis & Jannatius de Salimbenis, civitatis Placentinæ Ambaxiatores & Nuncii, verba exponere curaverunt, quod si Naulum per te ordinatum, sicut dicunt, in Placentia compleatur, erit honor & commodum Ecclesiæ devotis & fidelibus securitas, & hostibus & rebellibus oppressio manifesta. Et hoc idem asseruerunt de hominibus armigeris, equitibus & peditibus, si magna pars illorum in Placentia, quæ ad locum multum aptum existere dignoscitur, teneatur; præterea subjungentes, quod, licet Venerabilis frater noster Episcopus, & dilecti filii Clerus Placentinus pro reparatione murorum civitatis Placentiæ per te inducti, super hoc certum duxerint subsidium offerendum; illud tamen, attentis oneribus, Communi civitatis ejusdem pro reparatione prædicta incumbentibus, nequaquam debet, ut asserunt, sufficiens reputari. Quare petierunt Ambaxiatores prædicti, ut pro tam utili, tam ipsis Episcopo & Clero, quam aliis, opere consummando, ad exhibendum pinguius subsidium inducantur. Asseruerunt insuper, multipliciter expedire, quod circa factum Gobii vigilanter & sedulo intendatur, supplicantes, ut mandare super hoc, quod Nobis videretur expediens, curaremus. Rursus petierunt, ut super concessione bonorum confiscatorum rebellium facienda fidelibus, præsertim ipsis supplicantibus, qui propter honorem Ecclesiæ & ad-

& adhæsionem fidelium se dicunt damna perpessos plurima, procedere, sicut alias Nobis supplicatum extitit, dignaremur. Nos autem præmissis diligentius intellectis, fraternitati tuæ præsentium tenore mandamus, quatenus ad perfectionem Nauli, per dilectos filios Bertrandum, Præpositum Sistaricensis, & Aymericum Canonicum Lingonensis, Ecclesiarum, Apostolicæ Sedis Nuncios, faciens, prout expedire videris, diligenter illam partem armatorum equitum & peditum Ecclesiæ teneri ordines in Placentia, de qua cognoveris opportunum; providendo nihilominus, quod circa factum prædicti Gobii adhibeatur, quæ poterit, opportuna diligentia, & negligentia relegetur, cum mala plurima & innumera dispendia inde dicantur fidelibus provenisse. Circa inductionem vero dictorum Episcopi & Cleri ad contribuendum uberius dictæ reparationi & constructioni murorum, te reddere volumus sollicitum & attentum. Porro super concessione dictorum bonorum confiscatorum Rebellium, nunc & alias postulata, tibi direxisse dudum meminimus scripta nostra. Quare volumus, ut juxta literarum nostrarum alias tibi directarum seriem super hoc procedere non postponas, Nobis, quicquid super præmissis egeris, rescripturus.

Datum Avenione, Id. Junii, Anno XII.

XX.

Instrumentum de annuo duorum florenorum auri censu, Cameræ Sedis Apostolicæ per Dominos de Lupis de Soranea, cives Parmenses, assignato, conscriptum, d. d. 14. Junii, Anno 1328.

Anno a Nativitate Domini, MCCCXXVIII, die XIV. mensis Junii. Nobiles Viri Hugolotus, filius quondam Domini Bonifacii, & Bonifacius, Guido, Montinus, Antonius & Raynaldus, filii quondam Domini Rolandini Militis de Lupis de Soranea, cives Parmenses, pro censu unius floreni auri, in quo pro possessionibus, honoribus & bonis, quorum medietatem idem Hugolotus, & alii Nobiles supradicti, reliquam medietatem in curiis Soraneæ, Parolæ, & Redaldi, Parmensis diœcesis in Feudum a Romana tenent Ecclesia, cum ostensione instrumenti super dicto censu confecti, assignarunt Cameræ per manus Magistri Manfredini de Baratis, Domini Papæ Scriptoris pro censu duorum annorum terminandorum in festo Beatorum Petri & Pauli proxime venturo, duos florenos auri.

XXI.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Bertrandum Cardinalem, Legatum Sedis Apostolicæ, directum, de fossata terræ Florentiolæ, in diœcesi Placentina sitæ, reparanda agens, d. d. 6. Id. Januar. Anno 1331.

Johannes Episcopus, Servus servorum DEI, venerabili fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii Communis civitatis Placentiæ Nobis fecerunt exponi, quod fossata terræ Florentiolæ, Placentinæ diœcesis, quæ per ordinationem & mandatum Communis prædictorum reparari, cum opus erat, consueverunt hactenus & mundari, nunc reparatione ac mundatione necessario indigere noscuntur. Nobis igitur pro parte ipsorum humiliter supplicato, ut omnes & singulos habitatores villarum, castrorum & locorum prædictæ diœcesis ad contribuendum pro reparatione ac mundatione prædictis mandaremus compelli, ad hoc idoneis executoribus deputatis; Nos de præmissis notitiam non habentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quid in hac parte decet & expedit, diligenter attendens, si ea, quæ per eosdem Commune petuntur super his, ut præfertur, sine alicujus injuria fieri valeant & concedi, ad ea per te, vel alium, seu alios procedere non postponas; ipsos, si forsan ad præmissa ex debito non reperirentur teneri, ad illa curialiter viis & modis, quibus expedire videris, inducendo. & ad hoc dilectum filium nobilem virum, Jacobellum de Nicolais, habitatorem dictæ terræ, si expedire cognoveris, deputando.

Datum Avenione VI. Idus Januarii, anno XVI.

XXII.

Ejusdem Breve ad eundem datum, in quo eum, ut a tractatibus, cum Manfredo de Lando, infensissimo Sedis Apostolicæ, Urbisque Placentinæ hoste, initis desistat, serio hortatur, d. d. 17. Kal. Februar. Anno 1331.

Johannes Episcopus, Servus servorum DEI, Venerabili fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Miramur admodum, quod, licet quid de introductis Terdonam, & per te dudum Bononiam, acciderit, nequaquam excidisse memoria, sed esse potius continue debeat ante oculos mentis tuæ, tu tamen Manfredum de Lando, qui contra civitatem nostram Placentiam, ac cives ipsius, & alios nostros & Ecclesiæ Romanæ fideles & devotos, personamque tuam horrenda scelera fuisse dicitur machinatus, & excessus alios execrabiles commisisse, ad tractatum reintroductionis in civitatem Placentiam, sicut percepimus displicenter, admittas. Quare volumus ut præmissis diligenter attentis, a tractatu hujusmodi discedas omnino, eum ad illum de cætero nullatenus admissurus. Sed si de non inferendo damnum civitati, civibus & fidelibus antedictis, idoneas tibi præstiterit cautiones, eidem concedere, sicut tibi expedire videbitur, poteris, quod extra civitatem prædictam existens, gaudere valeat bonis suis.

Datum Avenione, XVII. Kal. Februar. Anno XVI.

XXIII.

XXIII.

Breve ejusdem, de Borgognoni de Fontana, civis Placentini, pratensionibus, ad eundem conscriptum, d. d. II. Kal. Augusti, Anno 1331.

Johannes Episcopus, Servus servorum DEI, venerabili Fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Illos libenter Sedis Apostolicæ benignitas gratiosis favoribus & auxiliis prosequitur opportunis, quos ipsorum sincera devotio apud Nos & Sedem eandem gratos reddit pariter & acceptos. Petitio siquidem dilecti filii Borgognoni de Fontana, Civis Placentini, nuper Nobis exhibita, continebat, quod tam ipse, quam nonnulli de domo & genere suis, propter devotionem sinceram, quam ad Nos & ad Romanam hactenus gesserunt & continue gerunt Ecclesiam, in personis & rebus labores & damna maxima incurrerunt. Quare Nobis idem Borgognonus humiliter supplicavit, ut de aliquo reditu, vel proventu aut pensione annua, per eum quoad vixerit, percipienda, in loco & quantitate, de quibus tibi expediens videretur, vel aliqua pensione tenenda per eum, ut exinde ipse & sui in aliquo a dictis damnis & laboribus relevari valeant, per te sibi provideri de benignitate Apostolica mandaremus. Nos itaque ipsius Borgognoni supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de hujusmodi quantitate, & ubi poterit assignari, te diligenter informes, & quod per hujusmodi informationem inveneris, Nobis per tuas literas harum seriem continentes referre procures, ut tua hujusmodi relatione instructi possimus super his consultius ordinare.

Datum Avenione, II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

XXIV.

Mandatum plenum, in quo Placentiæ Commune Syndicis suis, ad Johannem XXII. Pontificem Maximum missis, concessit, ut Civitatem Placentinam Sedis Apostolicæ potestati subjiciant, ejusdemque nomine juramentum fidelitatis homagiumque præstent, d. d. ult. Septembris, Anno 1331.

In nomine Domini Amen.

Anno ab Incarnatione Domini MCCCXXXI. indictione XV. secundum cursum Placentinorum, die Lunæ, ultima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri, Domini Johannis Papæ XXII. Anno XVI.

Placentiæ in palatio Communis coram Reverendis in Christo Patribus, Dominis fratre Aycardo, DEI gratia Archiepiscopo Mediolanensi, Bernardo, DEI gratia Episcopo Placentino, & Comite Stephano Sancti Savini, Thoma Sancti Sepulcri monasteriorum dictæ civitatis Abbatibus, Bosone, Abbate monasterii Sancti Pauli de Mezano diœcesis Placentinæ, Domino Petro de Castris, Jurisperito de Narbona, Domino Arnaldo de Russilione milite Locumtenente Mareschalli pro Sancta Romana Ecclesia in dicta civitate Placentiæ, & Dominis Guillelmo de Carrubio, Bartholomæo de Prevedino, Benincasa Marcelli, Paganello & Antonio de Peregrinis, Obertino de Perdonis, omnibus de Mutina, Jurisperitis, & Bonamico de Bonamicis, Venerio de Veneriis, & Marco de Albicinis de Mutina, assessoribus & sociis infrascripti Domini Rectoris, & multis aliis testibus rogatis.

Nobilis vir, Dominus Rodulfus de Grassonibus, miles, Rector civitatis Placentiæ & districtus pro Sancta Romana Ecclesia, & Domini Philippus de Presbytero de Fulgoxiis Jurisperitus, Prior Antianorum, & Bonjohannes de Vicino, Notarius, Franciscus de Staforte, Notarius, Jacobus Vicedominus Modius, Franciscus Maximus, Jacobus de Porta, Notarius, Bernardus Brachifortis, Johannes de Pirardo, Notarii, Petrus de Spectinis, Obertus de Cajo, Petrus de Vidalta, & Petrus de Banchis Bazolellus, Antiani dictæ Civitatis, fecerunt generale Consilium & Universitatem Communis & hominum dictæ civitatis sono tubarum, voceque præconum & campanarum sonitu dicti Communis more solito in palatio ipsius Communis simul redunari, & solemniter congregari pro infrascriptis Syndicis constituendis ad exequenda infrascripta & omnia alia, eisdem specialiter & generaliter committenda; & pro infrascriptis aliis ipsius Communis & Universitatis negociis peragendis. In quo quidem Consilio & universitate prædicta interfuerunt satis ultra quam duæ partes hominum dicti Consilii Universitatis prædictæ, quorum nomina inferius sunt inserta, & qui totum dictum Consilium & Universitatem dictæ Civitatis repræsentant & repræsentare consueverunt. Ibidemque prædicti Domini Rector Prior Antianorum, & Antiani, de consensu & voluntate hominum dicti Consilii & Universitatis jam dictæ, ibidem congregatorum, & ipsi homines de dicto Consilio & Universitate ibidem existentes, de consensu, mandato & auctoritate prædictorum Dominorum Rectoris, Antianorum, & ipsorum Antianorum, & simul omnes, tanquam generale Consilium, & Universitas ac Commune dictæ civitatis pro se ipsis & eorum Successoribus quibuscumque, scientes & recognoscentes, se fideles & subditos sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimi in Christo Patris, Domini nostri, Domini Johannis, divina providentia ipsius sacrosanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ Papæ XXII. & ipsam civitatem cum toto districtu suo esse & fuisse, & esse debere suppositam & immediate subjectam dominio & regimini temporali dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsum dominium & regimen ad ipsam Ecclesiam dumtaxat pertinere & pertinuisse hactenus, & pertinere debere, & cives dictæ civitatis, & quoscumque habitatores districtus ejusdem dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in totum & immediate esse & fuisse subditos & subjectos, unanimiter & concorditer fecerunt, constituerunt, & ordina-

ordinaverunt Dominos Jacobum de Strictis, Jurisperitum & militem, & Obertinum de Arcellis, Jurisperitum, cives civitatis prædictæ, ibidem præsentes, & mandatum sponte suscipientes, ipsorum & dicti Communis & Universitatis Syndicos & nuntios speciales, utrumque eorum in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, & quod unus ipsorum inceperit, alter valeat prosequi & finire, specialiter ad eundem, & se dicto nomine personaliter præsentandum coram Sanctissimo Patre, Domino Johanne Papa prædicto, & ad standum & parendum mandatis ipsius Domini Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, & se dicto nomine, & Universitatem, & cives & districtuales dictæ civitatis, ac civitatem & districtum ejusdem temporaliter submittendum, & se submissos & subjectos esse confitendum dicto Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & canonice succedentibus in eadem, universam potestatem & jurisdictionem dictæ civitatis, Consilii & Universitatis ejusdem a se dicto nomine & ab ipsa civitate & Universitate abdicando, & eam in ipsum Dominum Papam & Romanam Ecclesiam, & succedentes, ut supra, universaliter, perpetuo, & irrevocabiliter transferendo: & specialiter ad promittendum & se obligandum nomine antedicto dicto Sanctissimo Patri, Domino Papæ, dicto nomine recipienti, de stando & perpetuo parendo mandatis ipsius, & Romanæ Ecclesiæ, & succedentium prædictorum, & de recipiendo & generaliter retinendo, habendo & reputando in suum verum & generalem Rectorem illum, & illos, quem, & quos ipse Dominus Papa, vel qui eidem, ut supra, successerit, vel commiserit, elegerit, seu miserit, in Rectorem, & pro Rectore generali civitatis prædictæ, & districtus ejusdem cum familia, salario, jurisdictione, arbitrio, ac pro tempore solitis, vel aliis ordinandis; & quod eidem Rectori, vel ejus familiaribus parebunt in his omnibus, quæ committentur eidem, & aliis quibuscumque nuntiis, & officialibus eligendis, seu transmittendis, ut supra, & quod inimicos & rebelles Sanctæ Matris Ecclesiæ, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, habebunt, & tenebunt pro suis inimicis & rebellibus, ipsosque quomodolibet persequentur: & fideles & devotos dictæ Sanctæ Matris Ecclesiæ pro amicis & sociis habebunt & reputabunt, & ipsos totis viribus juvabunt, & ipsorum statum defendent & augmentabunt, & generaliter honores, dignitates, & jurisdictiones dicti Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & succedentium prædictorum defendent, augebunt, & quibuscumque favoribus prosequentur, nec aliquibus infidelibus adhærebunt, & a potestate, & jurisdictione dicti Domini Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, & succedentium in eadem, ut supra, perpetuo non discedent. Ac etiam ad petendum, & humiliter dicto nomine impetrandum & obtinendum a prædicto Sanctissimo Patre Domino Papa, & Romana Ecclesia, quod ipsam civitatem & districtum, & cives & districtuales ejusdem debeat de ipsius solita clementia recipere & tenere perpetuo sub sua jurisdictione & protectione, ita quod perpetuo temporaliter subesse non possint vel debeant alteri, quam ipsi Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, &, ut supra, succedentibus in eadem, & ipsius legatis vel aliis, quibus ipse Dominus Papa & Romana Ecclesia, vel succedentes, ut supra, suo nomine, committeret supradicta, nomine ipsius Romanæ Ecclesiæ, & pro ea, exercenda, habenda, & retinenda; ita tamen, quod exceptis Apostolicæ Sedis Legatis, qui sunt de latere, ipsius civitatis & districtus regimen committi non debeat alicui habenti in Lombardia alicujus civitatis dominium vel regimen: & ad cætera omnia impetranda & obtinenda ab ipso Domino Papa & Romana Ecclesia, quæ in prædictis necessaria viderentur, vel quæ videbuntur eisdem Syndicis quomodolibet expediri: & etiam ad promittendum, & se, dicto nomine, obligandum dicto Domino Papæ, de firmis & ratis habendis, tenendis, & observandis omnibus & singulis supradictis, & aliis quibuscumque, de quibus convenerint cum eodem, & quæ in Instrumentis de prædictis fiendis apponentur & fient, vel quomodolibet inserentur, & de non veniendo, vel non faciendo contra prædicta vel aliquod prædictorum, eaque omnia observando sub pœna decem millium marcharum argenti, toties committenda & exigenda, &Rom Eccl. applicanda, quoties in singulis capitulis & membris fuerit contra factum, vel non fuerit observatum: & ea commissa vel non, nihilominus firma maneant omnia supradicta, & sub pœnas generalis interdicti dictæ civitatis & districtus, in quam incidant ipso facto; & ad obligandum pro prædictis omnibus prædicto Domino Papæ dicto nomine omnia bona dicti Communis & Universitatis, & singularum personarum, in quibuscumque locis existant: quæ si contra fient, vel non observentur prædicta, dictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ipso facto confiscentur & applicentur. Ac etiam ad renunciandum in prædictis omnibus privilegio fori, feriis quibuscumque, & alii cuicumque juris auxilio. Et ad submittendum se dicto nomine in prædictis & pro prædictis omnibus jurisdictioni, cognitioni & definitioni dictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & dicti Domini Papæ, & succedentium prædictorum.

Item ad jurandum in animabus & super animabus ipsorum, & cujuslibet de ipso Consilio & Universitate, ac de dicta civitate, & districtu ejusdem, de stando & parendo mandatis prædictis, de faciendo & observando omnia & singula supradicta, & de non contrafaciendo, vel veniendo per viam restitutionis in integrum, vel alia quacumque via vel modo ex causa damni modici, vel enormis vi metus, seu alia quacumque ratione vel causa: ita quod hæc generalis clausula tantum valeat, & perinde habeatur, ac si de omnibus casibus, qui dici possent, vel excogitari, hic fieret mentio specialis: & generaliter ad omnes & singulas promissiones, conventiones, obligationes reales & personales, renunciationes pœnarum, adjectiones cujuscumque quantitatis, pacta & juramenta, dicto nomine faciendas, & facienda, seu præstanda in animabus & super animabus prædictorum, quas & quæ in prædictis & circa prædicta, vel ipsorum occasione fieri expediret, vel de quibus convenerint cum ipso Domino Papa, vel quæ per ipsos Syndicos agentur & fient, & quæ in Instrumento de prædictis fiendo, apponentur, seu inserentur de jure, consuetudine, vel de facto, dantes & concedentes in prædictis & circa prædicta, & ipsorum occasione dictis

eorum

eorum Syndicis, & cuilibet eorum in solidum, ut supra, purum, merum, liberum, absolutum, & generale arbitrium, & mandatum cum pura, mera, libera, & generali administratione, ac etiam speciali in casibus, in quibus speciale requireretur. Nec non compromittentes dictis Syndicis, & mihi Notario infrascripto, utpote publicæ personæ, stipulanti & recipienti vice & nomine dictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & dicti Domini Papæ, & omnium & singulorum, quorum interest vel intererit, perpetuo firma & rata habere omnia & singula gerenda, administranda, seu fienda per ipsos Syndicos in prædictis & circa prædicta, vel ipsorum occasione, & contra ea vel eorum aliquod perpetuo non facere vel venire per se vel per alios in judicio vel extra, de jure vel de facto, directe vel per obliquum, seu alio quoquo modo sub pœnis prædictis & obligatione omnium bonorum dicti Communis ac singularum quarumlibet personarum, ubicumque extiterint, quæ in casu prædicto dictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ confiscentur & applicentur.

Quæ omnia acta & facta fuerunt in præsentia Venerabilis Viri, Domini Armandi de Fargis, Archidiaconi Billioni in Ecclesia Claramontensi, Camerarii Reverendi in Christo Patris, Domini Bertrandi, DEI gratia Ostiensis & Velletrensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, & in ipsa civitate pro ipso Domino Legato residentis.

Hæc sunt nomina eorum, qui in dicto Consilio interfuerunt.

DOMINI

Jacobus de Strictis, miles.
Johannes de Lando.
Obertinus Vicedominus.
Franciscus Gislandus.
Petracius Gislandus.
Bergondius Rondana.
Lanfrancus Tenaldus.
Bertolinus Dulzarius.
Rufinus de Stabile.
10. Nicolinus Bagarottus.
Aymericus Casolus.
Ægidius Crosus.
Carnelevarius Cupalatus.
Thomasius Rondana.
Fridericus de la Rocchetta.
Johannes Palmanus.
Albertonus de Adamis.
Guillelmus de Fornicibus.
Rebusus de Rebusis.
20. Johannes Codepons.
Jacobus de Magnano.
Johannes Transpadinus.
Manfredus Surdus.
Obertus de Pasquali.
Michael Cappellus.
Martinus de Musso.
Petrus Fanxellus.
Bernardus de Maltonso.
Obertus Malanca Calderarius.
30. Johannes de Alexandria.
Gerardus Rondana Speciarius.
Jacobus de Oltre.
Petrus Transilerius.
Johannes Malauricula.
Ruanus Marusus.
Paganus de Complano.
Jacobus de Ugiano.
Vicedominus de Amico.
Antoniolus Pictor.
40. Grimerius de Unicha.
Paulus Vicedominus.
Raymundus Rebotus.
Andriolus de Montebexago.
Guillelmus Rubeus.
Johannes Malcoldus.
Obertinus Gattus.
Petrus Castignolus.
Nicolaus Malexia.
Gerardus Malexia.
50. Obertus de Porta.
Obertus Antonulfus.
Cavalca Cupalata.
Petrus Bonus Olearius.
Franciscus de Runco.
Oddo Palmanus.
Obertus de Pontino.
Petrinus Barberius.
Philippus Palmanus.
Jacobus de Renzo.
60. Obertus de Costa.
Franciscus de Ecclesia.
Laurentius de Montecchο.
Robertus Anguixola.
Raymundus Vegius.
Lanfrancus Bagarottus.
Obertus de Cogno.
Obertus Marcellinus.
Petrus Pegoletus.
Guillelmus de Parma.
70. Johannes Guastalavezus.
Galutius de Fulgosiis.
Laurentius de Rustigasio.
Albericus Coxadoca.
Gerardus de Curtibus.
Thomasius Mancasola.
Rogerius de Ripalta.
Joseph de Fornicibus.
Johannes de Puteo.
Opizo Ferrarius.
80. Franciscus Milius.
Guillelmus Lecafarina.
Johannes Coxadoca.
Franciscus de Celoris.
Michael Vicedominus.
Johannes Belletus.
Jacobus Marencus.
Lariotus de Cassellis.
Obertinus de Noveliano.
Jacobinus de Sarturano.
90. Raymundellus de Casoli.
Jacobus Mazola.
Obertinus de Podio.
Johannes de Communalia.
Robertus Seccamilica.
Petrus de Communalia.
Obertinus de Roncalia.

Janninus de Monte Dondono.
Rolandus de Gropallo.
Philippus Gaſtaldus.
100. Bonvenutus de Bubiano.
Jacobus de Pontremulo.
Fachinus Clavarius.
Johannes Lecacorvus.
Armannus de Vigoleno.
Janninus de Zoncatis.
Thomaſius Concarius.
Obertus de Lazarello.
Thomaſius de Argine.
Obertus Gambaſia.
110. Johannes de Corneliano.
Gregorius Paganus.
Thomaſius Torcellus.
Jacobus de Caſino.
Gratiolus Bonetus.
Gerardus Clericus de Vicedominis.
Petrus Faxatus.
Petrus de Rocchetta.
Daniel de Gropoduganio.
Jacobus Lecacorvus.
120. Gabriel Malpes.
Franciſcus Lecacorvus.
Janninus Antaria.
Antoninus Goroprius.
Lanfrancus Ferrarius de Gropo Vicedominorum.
Jacobus Papa.
Lanza Rex.
Franciſcus de Scotis, miles.
Jacobus de Confanoneriis, miles.
Frendenzonus Poyſius.
130. Franciſcus Malcalzatus.
Andreas de Cornu.
Franciſcus Aginonus.
Petrus Maſtruſius.
Caſtellus de Burla.
Janonus Raynus.
Albericus de Porta.
Aldrinus de Prata.
Jacobus de Vidore.
Opizo Villanus de Porta.
140. Jacobus Balbus.
Rolandus de Ripalta.
Albertonus Olearius.
Albertacius Poyſius.
Franciſcus Cantarellus.
Petrus Baratterius.
Raymundus de Andreis.
Gregorius de Porta, Judex.
Jacobus Maxaferratus.
Fulco Bigulus.
150. Simon Cappellus.
Thomaſius Terronus.
Nicolinus de Bubiano.
Robecus de Porta.
Guido de Suzo.
Guido de Groppo.
Guillelmus Brachus.
Jacobinus Ratus.
Obertus Fenarolus.
Petrus Bugiolus.
160. Johannes Malpes.
Paganus Cixerellus.
Johannes de Dominico.
Janinus Quatroſius.
Obertus de Rezano.
Salvus Mariginus.
Jacobus Cavallinus.
Fulco de Pecoraria.
Albertus de Romario, Notarius.
Vidigianus de Valle.
170. Johannes Semenza de Arcellis.
Nicolinus de Ripalta.
Maſcarinus de Maſcato.
Johannes Prevedonus.
Villanus de Roccha.
Petrus de Acerbo.
Petrus Aliarius.
Zerbinus Confector.
Delay Mareſcalcus.
Petrus Monachus.
180. Franciſcus de Ancarano.
Johannes Soldanus.
Gregorius de Parente.
Raynaldus Lanzulfus.
Johannes de Treviano.
Albertus Rubeus.
Johannes de Centenario.
Johannes Valſinus.
Petrus de Breno.
Rolandus de Olubria.
190. Petrus de Breno.
Rolandus de Olubria.
Petrus de Centenario.
Jacobus Mallonus.
Johannes Terronus.
Johannes de Monteregio.
Gerardus Ravaxius.
Rufinus Caroſius.
Johannes de Montemarino.
Rufinus Mocolarius.
200. Raynaldus Barberius.
Nigronus Bonixanus.
Gerardus de Coſta.
Marchiſius Olearius.
Obertus Ginarius,
Fava Beccarius.
Johannes de Occaxio.
Manfredus Campana.
Johannes de Corano.
Jacobus Ferrabos.
210. Olivetus Mancaſola.
Jacobinus Pectenarius.
Petrus de Rivalgano.
Nicolinus Commalis.
Leonardus Malpes.
Leonardus de Arcellis, miles.
Albertacius de Vice-Dominus, miles.
Johannes de Fontana, Judex.
Ubertinus de Arcellis, Judex.
Guizardus Brachifortis.
220. Obertus Scalionus.
Thomaſius Seneca.
Bertolinus Scotus.
Gabriel Scalferius.

Gabriel

Gabriel Dianus.
Petrus Bruxavillanus.
Bertolinus Franchifortis, filius Domini Jacobini.
Franciſchinus de Fontana.
Guillelmus de Brutilio.
Bertolinus Severa.
230. Johannes Aygarius.
Gerardus Scalferius.
Blaxius Malchiellus.
Palmerius de Alfiano.
Bernardus de Rizolo.
Leonardus Bigulus.
Jacobus Vaqueta.
Johannes Berardus.
Gabriel de Bocho.
Johannes de Sille.
240. Petracius Buccadaxina.
Franciſcus de Roccha,
Tomaynus de Fontana.
Gabriel Gandagabena.
Johannes Gabellus.
Jacobus Rexegator.
Franciſcus de Ziliano.
Jacobus de Campinaldo.
Raynaldus Rubeus.
Leonardus de Rozo.
250. Nicolaus Belixius.
Petrus de Vice-Dominis.
Ainricus Marabotus.
Rogerius de Ripalta major.
Bonjohannes de la Nova.
Petrus de Beſco.
Antoninus Brachifortis.
Gaſparrus de Fontana.
Baldaſſarus de Fontana,
Jacobatius de Fontana.
260. Aldricus de Muzeſo.
Jacobus de Arcellis.
Bertolinus Brachifortis de Ronco.
Raynaldus Altacana.
Obertus de Paguliago.
Stephanus de Vicellis.
Stefanus Boracius.
Johannes Grandis.
Johannes de Tranano.
Franciſchinus, Cremonenſis Notarius.
270. Leonardus de la Cazana.
Jacobinus Sellarius.
Fridericus Bacarinus.
Petrus de Albatia.
Johannes Villanus.
Gerardus Moſus.
Jacobus Sellarius.
Gabriel de Caverzago, Notarius.
Philippinus de Laude.
Rogerius de Carali.
280. Jacobus Giroldus.
Johannes Sellarius.
Petrus de Pecudibus.
Johannes de Spectinis.
Nigrinus Buccadaxina.
Jacobinus Brachifortis.
Bertoldus de Arcellis.
Paulus Brachifortis.
Gabriel de Corona.
Gabriel de Monteregio.
290. Johannes Surdus.
Jacobus Cantarellus.
Andriolus Sellarius.
Obertus de Mezano.
Janninus Rubeus.
Conradus de Cario, Judex.
Nicolaus de Bubiano.
Boſo de Spectinis.
Gabriel de Spectinis.
Magiſter Obertus de Spectinis.
300. Grimerius de Arcellis.
Zancellus Agimonus.
Raymundus Ferracanis.
Palmerius de Rizolo.
Gabriel Bozonus.
Boſo Boſonus.
Petrus Marinus.
Obertus Speronus.
Matthæus de Rizolo.
Ugo Zocula.
310. Tampeus de Vitalibus.
Lanfrancus Zocula.
Johannes Pelatus.
Johannes Zovencupa.
Obertinus Spinazarius.
Anricus Scalionus.
Franciſcus de Vicoviſtino.
Petrus Bigulus.
Guillelmus de Porta.
Philippus de Porta.
320. Jannotus Gryllus.
Philippinus de Verano.
Franciſchinus Fugacia.
Simon Tenerellus.
Petrus Cavagnus.
Fridericus de Rizolo.
Tedixius de Rizolo.
Jacobus de Caxano.
Johannes Marinus, Notarius.
Simon de Celoris.
330. Jacobus de Torſello.
Guillelmus Porrus.
Ainricus de Cario.
Daniel de Cario.
Conradus de Landriano.
Jacobus de Rocchetta.
Armannus Fauxellus.
Nicolaus Ventrilius.
Petrus de Romano.
Bertolinus Todiſchus.
340. Janninus Todiſchus.
Bonjanninus de Lavernaſco.
Nicolaus Brexanus.
Nicolaus Orzellus.
Johannes Belmarius.
Lanfrancus Pellizarius.
Raynaldus Pellizarius.
Petrus Polzagallus.
Rolandus de Albericis.
Palmerius Confanonerius.
350. Bernardus Chiapellinus.
Obertus de Suzano, Tabernarius.

Petrus de Parietibus.
Petrus Lorius.
Antolotus de Urso, trombetta.
Rolandus de Ambrosio.
Petrus de Antonio.
Jacobus de Benegocio.
Bernardus de Pelli.
Johannes Comes.
360. Gerardus de Villa.
Obertinus de Montacuto.
Nicolaus Garugionus.
Jacobinus Bonizonus.
Baldasarus Dionus.
Nicolinus Zocula.
Gerardus de Gropallo.
Gerardinus Pectenarius.
Petrus Montenarius.
Palmerius Porrus.
370. Francischinus Porrus.
Opizarius Porrus.
Johannes de Antonio.
Daniel Rondana.
Gerardus Zapetonus.
Johannes de Ecclesia.
Guillelmus de Roncho.
Albericus Gropallus.
Jacobus de Roxato.
Guillelmus Vallonga.
380. Jacominus Tornarius.
Franciscus Penutus.
Janninus de Bagnolo.
Guido de Macinasio.
Paganus Picius.
Obertollus de Pomario.
Philippus Potinus.
Janninus Ocellus.
Obertus Transiversus.
Obertellus de Gerardis.
390. Johannes de Turre.
Obertinus Dezo.
Janninus de Tinia.
Guido Ferrarius.
Armannus Calegarius.
Bernardus Parmexanus.
396. Antolonus Stagnarius.

Et de prædictis supradictus Dominus Rector rogavit me Aldericum de Prata, & Janonum Raynum, Leonardum Malpedem, & Petrum Taculam, Notarios Publicos Placentinos præsentes, unum & plura unius tenoris conficere publica Instrumenta.

Ego Aldericus de Prata, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Publicus Placentinus, supradictis omnibus & singulis una cum prænominatis Janono, Leonardo, & Petro, Notariis, interfui, & per jamdictum Dominum Rectorem rogatus hæc scripsi, & ad majorem cautelam signum meum apposui consuetum.

XXV.

Instrumentum de actu solenni, quo Civitas Placentina Sedis Apostolicæ imperio se subjecit, agens, d. d. 25. Novembr. Anno 1331.

In nomine Domini, Amen.

ANno a Nativitate ejusdem millesimo, trecentesimo, trigesimo primo, Indictione XIV. die vigesimo quinto mensis Novembris, Pontificatus sanctissimi Patris & Domini nostri, Domini Johannis, Divina providentia Papæ XXII. Anno XVI.

Avenione in palatio papali existentes Nobiles & discreti Viri, Domini Jacobus de Strictis miles, & Aubertinus de Arcellis, Jurisperiti, cives Placentini ac Syndici Communis ipsius civitatis, ad instar plenam & liberam potestatem habentes, prout de eorum Syndicatu & potestate, ac ratificatione quorumdam Nobilium & Consulum artium constat per duo publica Instrumenta, quorum tenores inferius inseruntur, in præsentia dicti Domini nostri Summi Pontificis, assistentibus ibidem Reverendis in Christo Patribus, Dominis Petro Prænestinensi, & Gauscelino Albanensi, Episcopis, Petro tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbytero, ac Bertrando Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono, Cardinalibus, cum debita reverentia & devotione proposuerunt, quod cum civitas Placentiæ cum suo districtu immediate subjecta sit & fuerit ab antiquo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & cives ac habitatores ipsius fideles & subditi sint & fuerint sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro prædicto, ac universalis potestas & jurisdictio, Rectorum positio & depositio, ac regimen dictæ Civitatis & ejus districtus, Consilii, & Universitatis ejusdem ad Romanam Ecclesiam pertineat; dictæque civitas & universitas cum suo districtu in omnibus & per omnia Romanæ Ecclesiæ temporaliter sint subjectæ, quatenus Sanctitati suæ dictam civitatem & districtum, cives & districtuales ejusdem, sicut fideles, subjectos & devotos, de ipsius solita clementia recipere, fovere, & tenere perpetuo sub sua jurisdictione, & protectione Romanæ Ecclesiæ, & necessariam recognitionem dictæ civitatis & districtus, ad quam faciendam Romanæ Ecclesiæ tenentur, ac oblationem mixti aut meri imperii seu cujuscumque alterius jurisdictionis, si quam dicta civitas habeat ex privilegio, consuetudine, aut alia quacumque causa, ab ipsis Syndicis nomine dictæ civitatis benigne recipere & admittere, ad prædicta Syndici se obtulerunt, & se tam proprio, quam universitatis & constituentium nomine prædicta per ipsos proposita, supplicata & oblata facere observari sub pœnis & confiscationibus in eorum syndicatu contentis.

Quibus sic propositis, supplicatis, & petitis per dictos Syndicos in præsentia Domini nostri Papæ, ac diligenter auditis & intellectis, protestato & retento primitus per Dominum nostrum Papam, quod in casu, in quo sibi vel ejus Successoribus pro utilitate incolarum partium Lombardiæ in ipsis vel aliqua parte ipsius Principem aliquem sub quovis nomine constituere fidelem & devotum Ecclesiæ ad tempus vel perpetuo pro bono regimine partium earundem expediens videatur, quod tunc de dicta Civitate, Universitate, & districtu plene ordinare possint, sicut de terris aliis ipsarum partium ordinabunt. Dicti vero Syndici eisdem protestationi

tioni & retentioni expresse consentientes, & prædicta omnia & singula grata & rata habentes, dictam Civitatem, Universitatem, & ejus districtum nomine, quo supra, recognoverunt, se hactenus tenuisse, & nunc & in perpetuum tenere debere ab Ecclesia Romana, & a Domino Nostro Papa, & ejus Successoribus, & fidelitatem sibi & suis Successoribus perpetuo servaturos. Nihilominus si quam jurisdictionem, aut mixtum aut merum imperium Civitas & Universitas prædicta haberet, ex nunc totum illud in Romanam Ecclesiam & Dominum Nostrum Papam, & ejus Successores perpetuo transtulerunt & transportarunt, & a dicta civitate, & a se ipsis totaliter abdicarunt: & prædicta omnia superius expressa, recognita, donata & oblata ac alia quæcumque in eorum Syndicatu contenta, sacrosanctis DEI Evangeliis positis coram eis, ac per eos corporaliter tactis, in animam suam & omnium illorum, quorum Syndici & procuratores existunt, animas juraverunt attendere & complere, & in nullo contravenire sub pœnis & confiscationibus, in dicto Syndicatu contentis.

Quibus sic petitis, supplicatis, recognitis, oblatis, donatis, & juratis, dictus Dominus Noster Papa attendens & recognoscens, dictam Civitatem Placentiæ, Universitatem, & districtum ipsius, ut præmittitur, ad Romanam Ecclesiam hactenus pertinuisse, & pertinere debere, dictas petitionem, supplicationem recognitionem, oblationem, donationem, & juramenti præstationem devotorum civium civitatis prædictæ, & fidelitatem, quam ad eum & sanctam Romanam Ecclesiam, quam his & aliis ostendunt, & ostenderunt, quamdiu extra regimen tyrannorum fuerunt, multipliciter recommendans, libere cum gratiarum actione admisit, jure Romanæ Ecclesiæ semper salvo: de quibus omnibus mandavit Nobis Notariis infrascriptis conficere publica Instrumenta.

Tenor Syndicatus prædicti sequitur in hunc modum:

In nomine Domini, Amen.

Anno ab Incarnatione &c. *vide præcedens mandatum d. d. ultimo Septembris, Anno 1331.*

Tenor vero ratificationis, de qua superius est facta mentio, dicitur esse talis:

In nomine Domini, Amen.

Anno ab Incarnatione millesimo, trecentesimo, trigesimo primo, Indictione XV. secundum cursum civitatis Placentiæ, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini Nostri Johannis, divina providentia Papæ XXII. anno XVI. die Martis XV. mensis Octobris.

Placentiæ in aula episcopali coram Dominis Petro de Castris, Jurisperito de Narbona, Guillelmo de Carrubio Jurisperito, Bonamico de Bonamicis, Marco de Albicinis, familiaribus infrascripti Domini Rectoris, testibus rogatis, convocatis, & congregatis infrascriptis hominibus atque Consulibus artium sive Paraticorum dictæ civitatis Placentiæ, videlicet singulis cum pluribus ex illis Artis suæ, solemni requisitione nuncii sive currerii ejusdem Communis de mandato nobilis viri, Domini Rodulphi de Grassonibus, militis, Rectoris Civitatis & districtus Placentiæ pro Sancta Romana Ecclesia, atque Domini Pugnani de Fontana, Jurisperiti, Prioris Antianorum populi, ac etiam ipsorum Antianorum in Aula Episcopali, ubi habitat venerabilis & discretus vir, Dominus Armandus de Fargis, Archidiaconus Billioni in Ecclesia Claramontensi, Camerarius Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Bertrandi, Ostiensis & Velletrensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, pro ipso Domino Legato locumtenens in civitate prædicta, & existentibus ibi suprascriptis Dominis Camerario, Rectore, Priore & Antianis, lecto ibi prius in ipsorum omnium hominum & Consulum præsentia vulgariter per me Aldericum de Prata, Notarium Publicum Placentinum, de mandato dictorum Dominorum, tenore cujusdam Instrumenti Syndicatus, per ipsos Dominos, Rectorem, Priorem, Antianos & Consilium generale dicti Communis nomine ipsius Universitatis facti in Dominos Jacobum de Strictis, Jurisperitum & militem, & Aubertinum de Arcellis, Jurisperitum, specialiter ad eundem, & se dicto nomine personaliter præsentandum coram Sanctissimo Patre & Domino nostro, Domino Johanne, Papa XXII. & ad standum & parendum mandatis ipsius Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ. & se dicto nomine & Universitatem, & cives & districtuales dictæ civitatis, ac civitatem & districtum ejusdem temporaliter submittendum, & submissos & subjectos esse confitendum dicto Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, & canonice succedentibus in eadem, universam potestatem & jurisdictionem dictæ Civitatis, Consilii & Universitatis ejusdem a se dicto nomine, & ab ipsa Civitate & Universitate abdicando, & eam in ipsum Dominum Papam & Romanam Ecclesiam, & succedentes, ut supra, universaliter, perpetuo & irrevocabiliter transferendo, prout in ipso Instrumento plenius continetur, scripto per me Aldericum de Prata, Notarium Publicum, & alios Notarios infrascriptos die Lunæ ultima mensis Septembris proxime præteriti, quod prædicti homines & Consules, quorum nomina inferius describuntur, nomine ac vice eorum, & eorum, qui sunt de Artibus ipsorum, supradictum Instrumentum Syndicatus, in eorum præsentia solemniter vulgarizatum, & per eos diligenter intellectum, ratificaverunt & approbaverunt in totum & per totum, prout in eo plenius continetur, approbantes & ratificantes ex nunc, prout ex tunc, omni modo & jure, quibus melius potuerunt omnia & singula, quæ per dictos Syndicos vel alterum ipsorum, sicut in iis & circa hæc, quæ sibi commissa sunt, & dependentibus ab eis, sub pœnis & obligationibus generaliter & specialiter in dicto Instrumento Syndicatus appositis & contentis, & de prædictis supradictus Dominus Rector rogavit me Notarium & Jannonum Raynum, Leonardum Malpedem, & Petrum Taculam, Notarios Publicos Placentinos præsentes, unum & plura unius tenoris conficere publica Instrumenta.

Nomina ratificantium sunt hæc:

I.

Nobiles Domini

Guillelmus de Vice-Dominis, miles.

Thedaldus, Johannes, Grimerius, fratres de Vicecomitibus.

II.

Consules Judicum.

Domini

Gerardus de Ziliano.
Albertonus de Cassellis, Jurisperiti.

III.

Consules Mercatorum.

Domini

Carnelevarius Cupalatus.
Albertacius Poysius.
Armannus Farixellus.

IV.

Consules Notariorum.

Domini

Laurentius de Rustigasio.
Petrus de Lacu.
Bonjohannes de Vicino.

V.

Consules Tabernariorum.

Gerardus de Curtibus.
Gregorius de Parente,
Johannes Zovencupa.

VI.

Consules Beccariorum.

Albertonus Olearius.
Raynaldus Pellizarius.

VII.

Consules Ferrariorum.

Bernardus de Alberono.
Obertinus de Pigugiago.

VIII.

Consules Pellizariorum.

Thomasius Torsellus.
Guido Turbidus.
Jacobus Turbidus.

IX.

Consules Magistrorum lignaminis & muratorum.

Nicolaus Orzolus.
Jacobus Mellonus.
Nicolaus Viterigus.
Guillelmus de Silva.

X.

Consules de Cordovaneriorum.

Martinus de Musso.
Fulco Pavarus.
Johannes Grassellus.

XI.

Consules Sartorum.

Obertus Juanus.
Jacobus de Caxino.
Obertus de Vixirano.

XII.

Consules Paraticorum.

Franciscus Zuperius.
Gerardus de Gropallo.
Oddo de Spectinis.

XIII.

Consules Furnariorum.

Johannes de Berardo.
Obertus Bruzus.
Johannes de Attonibus.
Lanfrancus Justus.

XIV.

Consules Molinariorum.

Gerardus de Villa.
Johannes Grandis.
Jordanus Cazarellus.

XV.

Consules Barberiorum.

Janninus de Vicomario.
Janninus Ocellus.

XVI.

Consules Pistatorum.

Nicolaus Quirus.
Baxanus de Nova.

XVII.

Consules Bubulcorum.

Rolandus Ferrarius.
Ugo Zocula.

XVIII.

Consules Tornariorum.

Albertacius Tornarius.
Rufinus de Colle.

XIX.

Consules Calegariorum.

Johannes Codepons.
Franciscus de Runco.

Ego Aldericus de Prata, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Publicus Placentinus, suprascriptis omnibus & singulis una cum supradictis Jannono, Leonardo, & Petro Notariis interfui, & per jam dictum Dominum Rectorem rogatus hæc ita scripsi, meoque consueto signo signavi in testimonium præmissorum.

Acta fuerint hæc Avenione, anno, Indictione, die, mense, loco, & Pontificatu prædictis, præsentibus Venerabili in Christo Patre Domino Gasberto, Arelatensi Archiepiscopo, Domini Nostri Papæ prædicti Camerario, Domino Petro Marini, Canonico Xanctonensi, & Magistro Alderico de Prata, Notario Placentino ad præmissa vocatis specialiter & requisitis.

Et ego Guillelmus de Peyrelha, Caturcensis diœcesis, Cameræ Domini nostri Papæ Clericus, auctoritate Apostolica Publicus Notarius, dictis petitioni, recognitioni, oblationi, donationi, juramenti præstationi, protestationi, & omnibus aliis supradictis, una cum dictis testibus ac Magistro Bernardo infrascripto Notario præsens fui, & huic publico Instrumento manu Arnaldi Jandonis, Clerici dictæ Caturcensis diœcesis, auctoritate Apostolica publici Notarii, vice nostra scripta me subscripsi, & ipsum meo signo solito consignavi requisitus.

Et ego Bernardus de Pereto, Bituricensis diœcesis, Cameræ Domini Papæ Clericus, auctoritate Apostolica Notarius, dictis petitioni, recognitioni, oblationi, donationi, juramenti præstationi, protestationi, & omnibus aliis supradictis, una cum dictis testibus ac Magistro Guillelmo de Peyrelha, suprascripto Notario, præsens fui, & huic publico Instrumento manu Arnaldi Jandonis, Clerici dictæ Caturcensis diœcesis, auctoritate Apostolica Publici Notarii, vice nostra scripto, me subscripsi, & signo meo solito signavi requisitus.

XXVI.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Bertrandum, Legatum Sedis Apostolicæ, directum, in quo ei mandat, ut, quo mercatus in loco de Burgo novo, in districtu Placentino sito, per cujuslibet mensis quindecim dies semel instituatur, permittere nullus dubitet, d. d. 6. Id. Decembr. Anno 1331.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, Venerabili Fratri Bertrando, Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Significavit Nobis dilectus filius, Nobilis Vir Leonardus de Arcellis Miles Placentinus, quod in loco de Burgonovo, districtus Placentini, in quo ipse possessiones & matrimonium sua habere dignoscitur, qui quidem locus ob fidelitatem, quam incolæ ipsius ad Nos & Romanam Ecclesiam gerebant, per damnatæ memoriæ Galeatium de Vicecomitibus de Mediolano dudum destructus extitit, a viginti annis citra, præterquam tempore, quo dictus locus destructus extitit, quoddam mercatum semel infra quoslibet quindecim dies cujuslibet mensis successive est fieri consuetum. Quare Nobis humiliter supplicavit, ut dilectis filiis, Communi & hominibus dicti loci, quod in ipso fiat mercatum semel infra quindecim dies cujuslibet mensis, futuris temporibus, sicut est inibi a dicto tempore citra consuetum fieri, ut præfertur, per nostras literas concedere dignaremur. Nos igitur de circumspectione tua, qui in præmissis plenius informari poteris, gerentes in Domino fiduciam pleniorem, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictis Communi & hominibus præmissa postulata, auctoritate nostra concedas.

Datum Avenione VI. Idus Decembris, Anno XVI.

XXVII.

Literæ recredentiales a Johanne XXII. Pontifice Maximo, ad Placentiæ civitatem, Syndicis & Oratoribus Placentinis traditæ, d. d. 6. Id. Jan. Anno 1332.

JOannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, Communi Civitatis Placentiæ, nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelibus & devotis, salutem & Apostolicam benedictionem. Pridem ad nostram venientes præsentiam dilecti filii, nobiles viri, Jacobus de Strictis, & Obertus de Arcellis, Jurisperiti, vestri Procuratores & Syndici, per Nos tam consideratione mittentium, quam ipsorum missorum probitatis obtentu, favorabiliter & benigne recepti, prius ab eis vestra, & Civitatis Placentiæ recommendatione præmissa, devotionem sinceram, & fidelitatem integram, quas ad Nos, & Romanam Ecclesiam gessistis hactenus, & gerere non cessatis continue gratis & placidis obsequiis, recensere, suamque ambaxiatam prudenter proponere curaverunt. Quibus per Nos super iis audientia benigna concessa, quæ proposuerunt, obtulerunt, & petierunt, intelleximus diligenter, eosque favorabiliter expedivimus super eis, sicut in instrumentis, & literis inde confectis continetur plenius, & ipsi Syndici ad vos de nostro beneplacito redeuntes; quorum prudentiam & solertem diligentiam, super iis, quæ coram Nobis habuerunt agere, commendamus; vobis referre poterunt viva voce, scituri filii, quod in iis, quæ vestrum, & civitatis prædictæ commodum respicient, & honorem, Nos reperietis quantum cum DEO poterimus, propitios & benignos. Datum Avenione, sexto Idus Januarii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

XXIIX.

Bulla Johannis XXII. Pontificis Maximi, in qua liberam Statuta, Ordinationes &c. condendi facultatem, insuperque alia nonnulla Privilegia Civitati Placentinæ concessit, d. d. 6. Id. Januar. Anno 1332.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, Communi civitatis Placentiæ, nostris, & Ecclesiæ Romanæ fidelibus & devotis, salutem & Apostolicam benedictionem. Romana Mater Ecclesia illos prærogativa favoris & gratiæ prosequitur amplioris, qui eam non desinunt devotis & fidelibus studiis jugiter honorare. Sane ad nostram pridem venientes præsentiam dilecti filii, Nobiles viri, Jacobus de Strictis, & Obertus de Arcellis, Jurisperiti, vestri Procuratores & Syndici, coram Nobis & quibusdam fratribus nostris, ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, constituti, suo Syndicatu & procuratorio exhibito, per quod eos ad omnia infrascripta habere mandatum sufficiens constitit evidenter, proponere curaverunt, quod civitas Placentina cum suo districtu est & fuit ab antiquo eidem Ecclesiæ Romanæ immediate subjecta, eidemque fidelis & devota existit hactenus, postquam fuit de manibus tyrannorum erepta, quodque universalis potestas, & jurisdictio, Rectorum positio & depositio, ac regimen civitatis ejusdem, & districtus ipsius Consilii & universitatis ad memoratam Romanam Ecclesiam pertinet pleno jure, ipsaque civitas, ejusque universitas cum suo districtu in omnibus, & per omnia eidem Ecclesiæ temporaliter est subjecta, & tenetur ad recognitionem prædictorum fidelitatemque Nobis & nostris Successoribus, ac Ecclesiæ prælibatæ servandam, & nihilominus, si quam jurisdictionem, aut mixtum sive merum imperium civitas, vel universitas supradicta habebat, ibidem præfati Procuratores & Syndici suo & vestro nomine omnia illa in Romanam Ecclesiam, & Nos, & Successores prædictos perpetuo transtulerunt, ea a se ipsis, & ipsa

civitate

civitate totaliter abdicando, quæ Nos ad eorum supplicationem instantem nostro, & eorumdem Successorum, supradictæque Ecclesiæ nomine recepimus, jure ipsius Ecclesiæ in omnibus semper salvo. Cupientes itaque vos, & civitatem eandem infra nostra, & ejusdem Sedis brachia recumbentes, in pacis & quietis pulchritudine confoveri, quod statutis, consuetudinibus, provisionibus, reformationibus, ordinamentis, gabellis, sive pedagiis hactenus observatis, quæ consuevistis interdum, sicut pro parte vestra proponitur, de voluntate, assensu, & auctoritate illius, qui pro eadem Ecclesia nunc præest, aut præfuit hactenus, in civitate prædicta mutare, tollere, ac de novo facere, condere, seu indicere, prout secundum diversitatem temporum expediens videbatur, uti & gaudere possitis, eaque de voluntate, assensu & auctoritate præsidentis, nunc vel in futurum pro dicta Romana Ecclesia in civitate jam dicta, mutare, minuere, augere, corrigere, amovere, de novo condere, ponere, seu indicere valeatis, sicut pro varietate negotiorum, & temporum sibi, & vobis videbitur expedire. Rursus, quod omnes & singulæ causæ civiles & criminales, ad seculare forum spectantes, per Judices, & alios officiales in eadem civitate, auctoritate nostra, & ejusdem Ecclesiæ deputatos, vel etiam in posterum deputandos, sicut solitum est hactenus fieri, examinentur & terminentur ibidem, ita quod per viam appellationis vel supplicationis, aut alias extra civitatem ipsam extrahi, seu deduci nequeant, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione, 6. Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno sexto decimo.

XXIX.

Ejusdem Bulla, in qua duos Archi-Diaconos, unum Ecclesiæ Bononiensis, scilicet Raimundum de S. Artemio, alterum vero Ecclesiæ Pergamensis, nimirum Petrum Marini, Civitatis Placentinæ, ejusque Comitatus & districtus Vicarios constituit, d. d. 14. Septembris, An. 1333.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, Magistris Raymundo Bernardi de Sancta Artemia, Bononiensis, & Petro Marini, Pergamensis Ecclesiarum Archidiaconis, Civitatis Placentiæ, ejusque Comitatus & districtus Vicariis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cupientes Civitatem Placentiam, quæ sub temporali Dominio nostro & Ecclesiæ Romanæ tenetur, status pacifici tranquillitate lætari, libenter personas, per quas confidimus promoveri & confoveri statum hujusmodi, ad ipsius directionem & regimen deputamus. Hinc est, quod vos & quemlibet vestrum in solidum, quos ad statum civitatis ejusdem & civium incolarum ipsius prosperum, affici supponimus & speramus, civitatis ejusdem ac Comitatus, districtus & pertinentiarum ipsius Vicarios usque ad nostrum beneplacitum tenore præsentium deputamus, officiales & ministros in eisdem civitate, Comitatu & districtu opportunos constituendi & destituendi, prout & quoties cognoveritis expedire, nec non mandandi, præcipiendi, statuendi, ordinandi, gerendi, & faciendi omnia & singula, quæ ad hujusmodi Vicariatus officium ac bonum statum & regimen civitatis, Comitatus & districtus prædictorum pertinent, & insuper spiritualem jurisdictionem ibidem, in fulcimentum temporalis duntaxat, in casibus necessariis exercendi, vobis & vestrum cuilibet in solidum potestatem plenariam concedentes.

Datum Avenione XIV. Kal. Septembris Anno XVIII.

XXX.

Ejusdem Breve, ad Civitatis Placentinæ Communitatem conscriptum, in quo eam, ut in fide Romana Ecclesiæ debita constanter perseveret, ac Capitaneo, ipsi a Sede Apostolica præposito, morem gerat, exhortatur, d. d. 6. Novembr. Anno 1333.

JOhannes Episcopus, Servus Servorum DEI, dilectis filiis, Communi Civitatis Placentiæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

Constantia puræ devotionis & fidei, quibus erga Nos & Romanam Ecclesiam clarere studuistis hactenus, & præfulgere continue non cessatis, a nostra & Apostolicæ Sedis memoria non excidit; quinimo ad perennem conscripta in tabulis cordis nostri memoriam perseverat indelebiliter, vobis & vestris posteris locum amplioris favoris & gratiæ vindicando. Sane cum inter virtutes currentis ad bravium perseverantia coronetur, vestram prudentiam attentius in Domino exhortamur, quatenus hoc considerantes attente, ac eidem virtuti perseverantiæ adhærentes, in fide ac devotione solitis sic immobiliter persistatis, quod divinam & ejusdem Sedis ac nostram valeatis propter hoc benedictionem & gratiam uberius promereri. Et ut quovis obscuritatis repulso nubilo fidelitas vestra clarior semper emineat, circa solertem civitatis nostræ custodiam, prout dilectus filius Berengarius de Carisiaco, Canonicus Ecclesiæ Sancti Pauli Narbonensis, Capitaneus per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum, Episcopum Ostiensem, Apostolicæ Sedis Legatum ibidem deputatus, ordinaverit, invigilare taliter studeatis, quod æmulis nostris & hostibus, præsertim vigente præsentis temporis malitia, nullo modo patere valeat aditus ad eandem.

Datum Avenione VI. Novembris Anno XVIII.

XXXI.

Ejusdem Breve ad eandem monitorium, ut a fide Sedi Apostolicæ jure meritoque præstanda nullo modo se dimoveri patiatur, d. d. 8. Kal. Aug. Anno 1334.

BEnedictus Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, Communi civitatis Placentiæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

Non miremini, nec moleste feratis, quæsumus, filii, si vestros Ambaxiatores & Nuncios, quos dudum ad Sedem Apostolicam destinastis, diutius in curia retinuimus, & adhuc retinemus. Licet enim ipsi super expeditione sua diligenter apud Nos sæpius duxerint insistendum, Nos tamen variis & arduis occupati negociis, eos adhuc commode nequivimus expedire; Sed breviter circa eorum expeditionem intendere, opportunitate captata, proponimus, Domino concedente. Vos vero fidelitatis vestræ, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam gessistis hactenus & geritis, continuantes constantiam, & persistentes invicem in vinculo unitatis & pacis conjuncti circa custodiam civitatis Placentiæ, ipsiusque Comitatus & districtus soletter, more solito, vigiletis. Et ecce quod dilectis filiis, Nobilibus viris, Azoni de Vice-Comitibus, & Alberto & Mastino de la Scala, quod territorium vestrum non invadant, per literas scribimus opportunas.

Datum apud Pontem Sorgiæ Avenionis diœcesis VIII. Kalendas Augusti, anno primo.

XXXII.

Ejusdem Breve ad Azonem de Vice-Comitibus conscriptum, in quo eum, ut ne Civitati Placentinæ, aut ejus districtui aliquid damni inferat, exhortatur, d. d. 8. Kalend. Augusti, Anno 1334.

BEnedictus Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio, nobili viro Azoni de Vice-Comitibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum, sicut tua Nobilitas plene novit, civitas Placentia cum suo Comitatu & districtu sub manu nostra & Ecclesiæ Romanæ gubernetur & teneatur ad præsens, sicut etiam diutius sub Dominio ejusdem Ecclesiæ fuisse noscitur gubernata, Nobilitatem eandem requirimus attentius, & rogamus, quatenus consideranter attendens, quod eadem civitas, seu pars aliqua Comitatus & districtus ejusdem offendi non posset ab aliquo, Nobis & eadem Ecclesia remanentibus inoffensis, nullam inibi novitatem inferas, nec ab aliquo vel aliquibus, quantum in te fuerit, permittas inferri, cum hoc etiam esset, si attemptaretur, quod absit, contra promissiones ac pacta, per te, sicut nosti, jurata.

Datum VIII. Kalendas Augusti, anno primo.

XXXIII.

Ejusdem Breve ad Episcopum Mantuanum, reliquosque, in ipso Brevi nominatos, datum, in quo de monte quodam, in Diœcesi Parmensi sito, atque ab Azone de Corrigia, cive Parmensi, in feudum desiderato, agitur, d. d. 5. Id. Octobr. Anno 1338.

BEnedictus Episcopus, Servus servorum DEI, Venerabili fratri, Episcopo Mantuano, & dilectis filiis, Abbati monasterii Sanctæ Mariæ Vallis Serenæ, ac Præposito Ecclesiæ Sancti Dunini de Burgo, Parmensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Significavit Nobis dilectus filius, nobilis vir, Azo de Corrigia civis Parmensis, quod quidam mons est in quadam villa, quæ vocatur *Casterignanum*, Parmensis diœcesis, qui mons non extenditur per summitatem in aliqua parte sui per dimidiam balistratam: in quo Parmensis Ecclesia non habet in solidum omnia, sed in eo habere dicitur certa jura, & quod idem Azo juxta dictum montem, & in contratis & locis circumstantibus dicto monti habet magnas possessiones, & homines suos vasallos & fideles ultra octingentos: & quod idem mons aptus fore dignoscitur ad munitionem construendam, ad modum arcis: de quo vel ex quo dicta Parmensis Ecclesia nullam jamdudum ab annis præteritis, qui in memoria hominum esse possint, utilitatem habuit, neque habet. Quare idem Azo, pro tuitione & defensione dictorum vasallorum & illarum vicinarum partium securitate, desiderans in dicto monte munitionem construere prælibatam, Nobis humiliter supplicavit, ut prædictum montem sibi & hæredibus suis in perpetuum feudum concedere dignaremur. Quia igitur de facto hujusmodi & ejus circumstantiis notitiam non habemus, nihilque in hac parte intendimus agere, quod vergat in præjudicium aliorum, discretioni vestræ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de jure ejusdem Ecclesiæ & omnibus circumstantiis in talibus attendendis, per vos & alios cuctis diligentius informari; & quæcumque super his inveneritis, Nobis per vestras literas, harum seriem continentes, fideliter referatis, ut per relationem vestram de præmissis plenarie informati, quod super his agendum fuerit, auctore Domino, securius agere valeamus. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris.

Datum Avenione, V. Idus Octobris, Anno quinto.

XXXIV.

Caroli IV. Romanorum Regis, Diploma, in quo de castro sancti Joannis de Olupra, una cum tota Valle ac torrente Tidonis, in Comitatu atque Diœcesi Placentina sitis, Dondatium de Malvicinis de Fontana Placentinum investivit, d. d. 4. Kal. Decembr. Anno 1354.

CArolus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Boëmiæ Rex. Notum facimus tenore præsentium universis, quod accedens nobilis Dondatius de Malvicinis de Fontana, de civitate Placentiæ, ad Regiæ Majestatis præsentiam, nostro auditui patefecit, qualiter Castrum Sancti Joannis de Olupra cum tota Valle Tidonis, ac torrente Tidonis ejusdem Comitatus, & Diocesis Placentiæ, nec non cum possessionibus, terris, & mercatis, sitis infra vallem prædictam pro majori parte ad dictum Dondatium, suosque progenitores, & domum suam, hæreditario justo titulo pertineat, & pertinuerit ab antiquo: & ut in Castro, ac bonis prædictis pro nostræ Regiæ liberalitatis munificentia se sentiat uberius consolatum; Nobis cum instantia supplicavit, quatenus eidem Dondatio & suis Successoribus merum & mixtum imperium, ac omnimodam jurisdictionem in præmissis omnibus, quod, & quam in eis jure tunc Romani Imperii dignoscimur obtinere, donare & concedere gratiosius dignaremur. Nos igitur considerantes attentius, quod illos Regalis clementia uberioribus debeat gratiæ donis attollere, & ipsorum votis animo concurrere gratioso, quos per probatæ devotionis & fidei studia, obsequiorumque grata impendia cæteris viderit anteferri; volentes quoque præmissorum intuitu, memorato Dondatio, qui se Nobis, & Sacro Romano Imperio fidelitate & obsequiorum studiis plurimum reddidit fructuosum, gratiam facere specialem; sibi, suisque Successoribus, ac hæredibus legitimis libere in feudum nobile in perpetuum, merum & mixtum imperium, ac omnimodam jurisdictionem in prædicto Castro Sancti Johannis de Olupra, & in tota Valle Tidonis, & in torrente dicti Tidonis Comitatus & Diocesis prædictorum; quorum quidem confrontationes, & confines & cohærentiæ sunt istæ: Ab uno latere a mane aqua, sive flumen Luretæ; a sero territorium & districtus Papiæ: ab alio latere aqua, sive flumen Padi; ab alio latere versus meridiem jus Abbatiæ Mezani in una parte, & in parte altera Diocesis seu territorium Bobiense, nec non jura imponendi & exigendi tam nova, quam solita vectigalia, sive mudas: de nostra Regali munificentia liberaliter dedimus, contulimus, & donavimus, nostro & Sacri Imperii, ac aliorum juribus in omnibus semper salvis. Universis itaque Principibus, Illustribus, Nobilibus, Comitibus, Vicecomitibus, Militibus, Clientibus, Rectoribus, Potestatibus, Antianis & Communibus civitatum, Castrorum, aliorumve locorum quorumcunque præcipientes, firmiter inhibemus, ne contra eandem nostram donationem seu concessionem, vel personam dicti Dondatii, aut hæredum suorum occasione hujusmodi ullo unquam tempore aliquid audeant attemptare. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem nostram, ac pœnam centum librarum auri componendarum se noverit incursurum, quarum medietas fisco nostro Regali, & alia medietas ipsi Dondatio, ejusque hæredibus debeat applicari. Decernentes nihilominus irritum & inane, quicquid contra hanc nostram donationem seu concessionem a quoquam, quavis auctoritate, fuerit attemptatum; & cum hoc decernentes, & perpetuo statuentes edicto, quod prædictus Dondatius, hæredes & Successores sui perpetuo Nobis, nec non Serenissimis, Romanorum Imperatoribus & Regibus, Successoribus nostris, & Sacro Romano Imperio supradicta feuda, dum, & quoties eadem per mortem, seu alio quovis legitimo titulo vacare contigerit, more vasallorum in feudum suscipere, & fidelitatis, homagii, & obedientiæ juramenta solita præstare & facere teneantur, præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Dat. Mantuæ, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, indictione septima, quarto Kalend. Decembris, Regnorum nostrorum anno nono.

XXXV.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Ludovico de Rizzolo, Placentino, Legum Doctori, non solum Comitivæ Sacri Palatii dignitatem contulit, verum etiam Fisci Imperialis Advocatum constituit, d. d. 10. Kal. Augusti, Anno 1368.

CArolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boemiæ Rex, honorabili Ludovico de Rizzolo de Placentia, Legum Doctori, Comiti Palatino, fideli suo dilecto, gratiam suam & omne bonum. Imperialis Serenitas augmentatione notabili grandem gerit de tuæ virtutis industria, & indubitatam fiduciam: nec immerito. Nam nisi privilegiata quadam sufficientia deposcente, nulla ratione tantam potuisses Apostolicæ Sedis tibi comparare notitiam, ut in Romana Curia erga Sedis Apostolicæ summos apices advocatiæ fungereris officio, & ibi dicereris sapiens, ubi thesauri sapientiæ, quasi de quodam fonte perpetuo, indesinenter emanant, ut totius orbis irrigent climata spatiosa. Ad te igitur virum tantæ prudentiæ, cujus jam odor gratissimus in omnem terram exivisse dignoscitur, Cæsareæ Majestatis oculos dirigentes, merito aspectibus favorosis, imo deliberato & sano præcedente consilio, te Comitem Palatinum ordinamus, creamus & facimus; dantes tibi facultatem plenariam legitimandi, & ad quævis legitima jura reducendi quoslibet naturales, bastardos, spurios, nothos, manseres, & quosvis alios ex quovis illegitimo, illicito seu damnato coitu procreatos; ut te auctoritante, & ipsos legitimante, ex testamento, sive ab intestato succedere possint & valeant in quibuscunque urbanis, civilibus, seu rusticanis bonis, hæreditatibus, prædiis & possessionibus; & quod ad omnia publica officia regenda, & quoslibet actus legiti-

legitimos, honores, & dignitates temporales admitti debeant, non obstante defectu natalium, cum iidem non proprio, sed alieno vitio laboraverint. Et, ut latius diffundatur tuæ virtutis industria, quo tibi plura commissa fuerint, (eo quod bonum eo sit utilius, eoque divinius, quo ad plures extenditur, & felici augmento dilatatur) te familiarem atque domesticum Advocatum Imperialis Fisci nostri in Italiæ partibus instituimus, ut auro sapientiæ tuæ, & argento linguæ tuæ, quæ Tullianam facundiam æquiparare censetur, Imperialia jura repetens, Imperiale dites Ærarium, cum facultate & potestate plenissima jura Imperialis Fisci nostri ubique locorum apprehendendi, repetendi, colligendi, & in locis tutis, juxta tuæ discretionis modulum, ad usus Cæsareos conservandi, Nobisque & Imperiali Cameræ nostræ fructus per te colligendos præsentandi, ad instar Nobilium progenitorum tuorum, qui in obsequiis & ad honorem Divi Henrici, quondam Romanorum Imperatoris semper Augusti, avi nostri carissimi, devotæ fidei studio militarunt. Damus & tibi auctoritatem, & potestatem omnimodam de quolibet flumine publico Placentinæ diœcesis aquas extrahendi, & derivandi, & per agros tuos hinc inde spargendi, ne siccitate laborent, sed gratæ segetes, in humorem ductæ lacteum, in culmos & spicas germinent, ut inde fructus colligas, quos optabas. Liceat & tibi aggeres, aquarios & canalia ordinare, & facere pro instituendis, & ædificandis molendinis, ut, dum fructus horrei applicati fuerint, in farinam vertantur molendini præsidio, & demum panis ipse eloquentia tua guttura refocillet. Moveat igitur tuam prudentiam, fidelis carissime, ut sapientiam, a cujus beneficio tot tibi bona succedunt, in veneratione semper obtineas. Nam si legibus sapientiæ industria tua ferventer intendit, ampliora tibi spondet Imperialis Serenitas, quibus successu temporum te reputare debebis & poteris merito consolatum, præsentium sub Imperialis nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Mantuæ, Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, Indictione sexta, X Kal. Augusti, Regnorum nostrorum anno Roman. 22. Boemiæ 22. Imperii vero 14.

XXXVI.

Gregorii XI. Pontificis Maximi, Literæ Credentiales, Sedis Apostolicæ Nuntio, Uberto nomine, ad Civitatis atque districtus Placentini populum traditæ, d. d. 7. Id. Decembr. Anno 1372.

GRegorius Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, populo Civitatis Placentiæ, ac universis & singulis nobilibus & universitatibus terrarum, castrorum, & villarum districtus civitatis ejusdem, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Antiquam devotionem, quam vos ad Romanam Ecclesiam inter omnes Lombardos specialius habuisse cognovimus, jam ex diu ad nostram memoriam revocantes, vobis de tot & tantis miseriis & angustiis, quibus tyrannica sævitia Vice-Comitum de Mediolano, tyrannorum crudelium, & inimicorum DEI & dictæ Ecclesiæ, vos crudeliter oppressit diutius, & opprimere crudelius non desistit, paterno compatientes affectu, ad liberationem vestram cum spe divini auxilii per Ecclesiæ præfatæ & suorum devotorum potentiam, quæ est DEI, cujus, licet indigni, vices in terris gerimus, qui filios suos propter peccata ipsorum flagellat ad tempus, sed non in perpetuum irascitur, nec in æternum comminatur, intendendum providimus, sicut jam experientia didicistis, & ad alios quoque Lombardos, subjectos tyrannis eisdem, hujusmodi nostræ compassionis habentes affectum, ejus operam intendimus extendere juxta posse. De felicibus autem successibus recuperationis & obedientiæ multorum castrorum & villarum Placentini districtus, quæ manus tyrannica detinebat, lætantes quamplurimum, DEO, cujus dextera facit virtutem, & operatur mirabiliter, gratias referentes, & illos vestrum, qui in iis operati sunt, proinde dignis laudibus commendantes, vos attentius deprecamur, ut ad eripiendum de dicta manu tyrannica Civitatem Placentiam, & alia loca districtus ejusdem, ac etiam partium vicinarum, & ad obtinendum libertatem, præfatorumque tyrannorum exterminium, ad quæ ex misericordia DEI adesse festinant tempora, concordibus & promptis animis exsurgatis, per hoc vestro perpetuo providentes statui, & vicinis vestris, sub simili pressura laborantibus, exemplum faciendi similiter tribuentes. Nos enim ad confortandum vos & vicinos vestros, ac vobis assistendum consiliis, directionibus, & favoribus opportunis dilectum filium Ubertum, Abbatem monasterii S. Johannis Evangelistæ Ravennatensis, Ordinis Sancti Benedicti, latorem præsentium, Apostolicæ Sedis nuncium, vestrum origine concivem, vestrorumque libertatis & status prosperi zelatorem, de quo merito debetis confidere & sperare, præsentialiter destinamus: cujus relatibus, consiliis, & persuasionibus, utique fidelibus & providis, curetis fidem plenariam adhibere.

Datum Avenione, VII. Idus Decembris, anno secundo.

XXXVII.

Breve Gregorii XI. Pontificis Maximi, in quo Danielem de Carretto, Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani in Lombardia Priorem, Territorii Placentini, partiumque circumjacentium, suo pariter ac Romanæ Ecclesiæ nomine Capitaneum constituit, d. d. 8. Kalend. Martii, Anno 1374.

GRegorius Episcopus, Servus servorum DEI, dilecto filio Danieli de Carreto, Priori Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani in Lombardia, Rectori Provinciarum Campaniæ & maritimæ, ac Capitaneo totius territorii Placentini ac circumvicinarum partium pro Nobis & Romana Ecclesia, salu-

ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex fideli & ſollicita, ac diligenti providentia & probitate, prudentia quoque circumſpecta, aliiſque virtutibus pluribus, quibus, prout familiari experientia cognovimus, & ſæpius in arduis Eccleſiæ Romanæ negociis comprobatum eſt, te Dominus inſignivit, præſumimus evidenter, quod ea, quæ tibi peragenda commiſerimus, ſolerti ac ſalubri ſtudio fideliter adimplebis. Hinc eſt, quod Nos de hujuſmodi probitate & virtutibus plurimum in Domino confidentes, te, de cujus circumſpectionis induſtria in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, Capitaneum Generalem in toto territorio Placentino & circumvicinis partibus pro Nobis & Romana Eccleſia, ſub obedientia tamen dilecti filii noſtri Guillelmi, Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, in nonnullis terris Italiæ, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectis noſtri, & pro eadem Eccleſia in temporalibus Vicarii Generalis, tenore præſentium conſtituimus, facimus, ordinamus, & etiam deputamus, tibi hujuſmodi Capitaneatus officium usque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum committentes. Quocirca diſcretionem tuam rogamus & hortamur attente, tibi nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hujuſmodi Capitaneatus officium recipias devote, ipſumque juxta datam tibi a Domino gratiam exercere ſtudeas diligenter, ita quod utilitati publicæ conſulatur, tuque omnipotentem Dominum tibi conſtituas propitium, ac Nobis & Apoſtolicæ Sedi dignis in Domino laudibus commendandus occurras.

Datum Avenione, VIII. Kal. Martii, Anno IV.

XXXIIX.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, Privilegium, in quo Antonini de Surdis filios, Joannem atque Ludovicum, Placentinos, tam in Civitate Placentina ipſiusque diſtrictu, quam alibi per totum Romanum Imperium immunes ab omni onere reali non minus, quam perſonali declaravit, d. d. 11. Kal. Jan. Anno 1376.

CArolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex. Venerabili Joanni Epiſcopo Vicentino, Principi devoto, & Nobili Ludovico ejus germano, filiis quondam Antonini de Surdis de Placentia militis, fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam, & omne bonum. Conſideratis obſequiis & laboribus quamplurimis, quibus Nobis, & Imperio Sacro promptæ fidelitatis officio ſtuduiſtis hactenus complacere; vos, nec non tui Ludovici prædicti legitimos hæredes & Succeſſores decernimus, & ex certa ſcientia eſſe volumus perpetuo liberos & immunes ab omni onere reali, perſonali, ſeu mixto, ſeu quovis nomine cenſeantur, impoſito vel imponendo per Commune & officiales civitatis Placentiæ, vel diſtrictus, ſeu per quoſcunque per totum Rom. Imperium ubicunque: ita quod in dicta civitate, vel diſtrictu, ſeu in quibuscumque aliis terris, vel locis per totum Rom. Imperium vos, & tui præfati Ludovici hæredes non teneamini ad aliqua onera realia, vel perſonalia, ſeu mixta, vel quovis nomine cenſeantur, impoſita, vel imponenda per quoſcunque. Mandantes omnibus Vicariis, Poteſtatibus, Judicibus, & officialibus quicuſcunque dictæ civitatis & diſtrictus Placentiæ, & aliis Communibus & hominibus per totum Romanum Imperium, quatenus vos, ac tui Ludovici præfati hæredes & Succeſſores in perſonis, vel rebus, occaſione dictorum onerum, vel alicujus eorum aliqualiter non moleſtent, ni pœnam librarum centum auri puri velint incurrere, quam quilibet contra faciens incurrat ipſo facto, cujus medietas noſtræ Cameræ, & alia medietas vobis, tuique Ludovici hæredibus & Succeſſoribus præfatis applicetur. Et nihilominus quilibet officialis dictæ civitatis vel diſtrictus, & aliorum quorumcunque locorum, ſeu alia quæcunquæ perſona, contra dictum noſtrum privilegium faciens, privatus ſit ipſo facto omni officio, beneficio & dignitate. Præſentium ſub Imperialis Majeſtatis noſtræ ſigillo teſtimonio literarum. Datum Pragæ, Anno Domini 1375. Indictione 13. undecimo Kal. Januarii, Regnorum noſtrorum anno 30. Imperii vero 21.

XXXIX.

Johannis Galeatii, Mediolani Ducis, Privilegium, in quo, in utroque Jure, Medicina atque Philoſophia, ſtudium generale erigendi & inſtituendi facultatem Civitati Placentinæ indulſit, d. d. 1. Jan. Anno 1399.

JOannes Galeaz, Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæ, ac Virtutum Comes, &c. Inter cætera, quæ cognoſcimus ad curam optimi Principis pertinere, hoc eſt maximum, ut non ſolum opes & fortunas civium defendendo, & quantum ſteterit in ipſo, ampliando, reducere ſtudeat potentiorem opulentioremque Rempl. ſed, ut virtutes atque ſcientias propagando, ornatiorem melioremque conetur efficere, polliceatur; & ſane quantum animus immortalis, qui cœleſtem habet originem, hoc terreſtri & corruptibili corpore melior eſt; tantum ſunt animi bona bonis deſervientibus corpori meliora: adeo ut in illis potiſſimum hujus, quæ in terris habetur, fundamentum humanæ felicitatis exiſtat, ad quam quidem felicitatem non ſolum hominum ſingulorum vita, ſed etiam perfecta quomodolibet communitatis, ut eſt civitas, ordinatur. Princeps igitur, qui ſuam vult (ſicut eſt debitum) bene inſtituere & felicitare Rempubl. dare operam debet, & omni, quo poteſt, ſtudio providere, ut non ſolum opulenti ſint cives, ſed etiam eruditi: quod hoc maxime modo fieri poſſe comprehendimus, ſi pluribus in locis fuerint generalia ſtudia conſtituta, ad quæ pro virtutibus & ſcientiis acquirendis habiliter homines transferre ſe valeant. Etenim, (ut de antiquiſſimis memoriam faciamus) ſi illa quondam accommodata doctrinis opportunis Athenarum totam celebrem Græciam fecit,

fecit, & ad eam copiam disciplinæ provexit, ut exinde postea per universum rivuli sæcularium literarum, velut ex fonte, manaverint. Deinde Romana Respubl. magno imperio jam erecto, non solum armis, sed etiam literarum studiis illustrata, si, quod hodie non vidimus, per Italiam, per Germaniam, per Gallias, & per alias nationes formosa quædam studia Provincias ac Regna nobilitant; Nos, qui Ducalem sane nostram Monarchiam desideramus scientiis ac virtutibus fœcundare, & hujusmodi veris ornamentis fulcire, non immerito, motu proprio, de nostræ plenitudine potestatis a Cæsarea dignitate Nobis, & nostris Successoribus attributa, DEO auctore, & ex certa scientia, & omni modo, quo melius possumus, duximus in civitate nostra Placentiæ generale studium instaurandum. Volentes igitur ad perpetuam rei memoriam, & ipsius studii utilitatem, gratiis, honoribus, immunitatibus & privilegiis debitis roborare, & ex auctoritate atque potentia Nobis evectis ad Ducalis fastigii dignitatem concessis per Serenissimum Principem, & gloriosissimum D. N. Dominum Vincislaum, DEI gratia Romanorum & Boemiæ Regem, sicut in privilegio collationis nostri Ducatus plenius continetur; specialem in hoc gratiam faciendo civitati, & civibus Placentiæ, præsentium tenore concedimus, ut in prædicta civitate Placentiæ generale studium utriusque Juris, videlicet tam Canonici, quam Civilis, nec non Philosophiæ, Medicinæ, & artium liberalium, ac quarumcunque scientiarum approbatarum erigant, & ex nunc in antea perpetuis temporibus observetur. Quod quidem studium, ejusque studentes, nec non Rectores, Doctores, Baccalaureos, Bidellos, tam generales, quam speciales officiales, atque ministros, famulos & famulas eorum, & cujuslibet eorundem, quocunque nomine censentur, qui fuerint per tempora, cujuscumque etiam dignitatis, præeminentiæ, status & ordinis, seu conditionis prædití, & singuli eorum extiterint; omni eo privilegio, libertate, immunitate, indulto & gratia, quibus Parisiense, Paduanum, Bononiense, Oxoniense, Aurelianense, Monpesulanense, Papiense, Perusinum, & quæcunque alia studia generalia privilegiata & approbata noscuntur; hujus nostræ concessionis gratia perfrui in perpetuum volumus, & gaudere per omnia, ac si privilegium, libertas, immunitas, indulta, & gratiæ hujusmodi singulorum quorumcunque prædictorum præsentibus de verbo ad verbum essent inserta: decernentes & hac nostra constitutione Ducali, Imperiali auctoritate concessa, perpetuis valitura temporibus, ex certa scientia lancientes de Ducalis plenitudine potestatis, ut præfata Civitas Placentina, præsenti nostra Ducali concessione suffulta, generalis studii gratioso privilegio gaudeat & utatur, possitque dumtaxat Reverendus in Christo Pater, D. Frater Gulielmus de Centueriis, sacræ paginæ, seu Theologiæ Doctor eximius, præsens Episcopus Placentinus per se, vel per Vicarium suum, seu locumtenentem de consilio, approbatione & consensu Doctorum & Magistrorum studii memorati, secundum diversitatem scientiarum prædictarum, singula singulis congrue & debite referendo, servatis forma, modo & ordine, qui in talibus consueverunt in prædictis generalibus, & aliis studiis laudabiliter observari, illos, quos ad hoc idoneos & dignos noverit, studioso examine præmisso, licentiare, & ad Doctoratus seu Magistratus insignia eis rite conferre, ac de eis solenniter investire, & legendi licentiam indulgere, & quoscunque actus Doctoreos exercere & expedire. Cæterum, ut Scholares & studentes quilibet Placentini prædicti tanto liberius valeant literarum studiis insudare, quanto a molestiarum & turbationum impetu expeditius liberati, & ampliori fuerint libertate, Ducali nostra dignitate, fulciti; Rectores, Doctores, Scholares, sive studentes ejusdem studii, universos quoque & singulos eorum, & cujuslibet ipsorum familiares, famulos, & ministros; nec non scholas & domos, sive hospitia in nostræ protectionis tutelam ac defensionem recipimus; & mandamus omnibus & singulis officialibus & subditis nostris, qui sunt, & in futurum erunt, quatenus hanc concessionem nostram in his, quæ ad eos spectat, vel spectare poterit quomodolibet, in futurum observent, & inviolabiliter observari faciant, tuendo, & defendendo studium antedictum, sibique & ejus Rectoribus, Doctoribus, Scholaribus & Studentibus, bidellis, & Officialibus favores honestos & licitos exhibendo. In cujus rei testimonium præsentes fieri jussimus, & registrari, nostrique sigilli pendentis munimine roborari. Dat. Belziosi, die prima Januarii, MCCCLXXXXIV. septima indictione.

XL.

Bulla Leonis X. Pontificis Maximi, in qua Franciscum I. Galliæ Regem, ejusque asseclas, tam diu excommunicatos, anathematizatos ac maledictos declaravit, donec Civitates Parmam atque Placentiam, nec non sal Mediolani ablatum, Sedi Apostolicæ restituerint, d. d. prid. Non. Septembris, Anno 1521.

LEo Episcopus Servus servorum DEI, ad futuram rei memoriam.

Ad bonorum tutelam, & malorum perniciem scelerumque vindictam, justitia cœlitus emanavit, ut qui virtutis amore peccare non verentur, pœnæ formidine compescantur, & quos DEI timor a malo non revocat, eorum audaciam ecclesiastica severitas reprimendo castiget. Cum itaque Nobis tradita sit potestas pœnarum spiritualium & temporalium, jure & merito noster excitari ac insurgere debet animus cum talia a Christi fidelibus, præsertim illis, quibus Regnorum cura a DEO commissa est, fieri ac perpetrari audimus, propter quæ DEus offenditur, jus gentium violatur, & justitia ipsa perturbatur, disciplina confunditur, censuræ Ecclesiasticæ & mandata Apostolica vilipenduntur, scandalizatur fidelis populus, & in superbiam erigitur indevotus. Sane qualis circa Regum & Principum Christianorum pacem & concordiam mens nostra semper fuerit, quantumque circa eam componendam laboraverimus, ipsosque Reges & Principes non solum literis, sed etiam propriis Nunciis

paterna caritate hortati fuerimus, ut ipsam pacem, tanquam bonum hæreditarium Nobis a DEO relictum, complecti vellent, omnibus notum esse, apertissimeque constare non dubitamus. Nec ad alium finem nostra unquam aspiravit intentio, quam, ut Christianorum rebus compositis atque pacatis, sanctam contra infideles expeditionem, per Nos ac felicis recordationis Julium Papam secundum, prædecessorem nostrum, toties in moderni Concilii Lateranensis sessionibus non solum propositam & promissam, sed etiam sacro ipso approbante Concilio decretam, sumere & prosequi, ac, dextera Domini assistente propitia, ad laudem DEI, Christianæque fidei exaltationem terminare possemus. Et propterea ne tam sanctum & salutiferum ac necessarium opus impedimento aliquo differri seu retardari posset, inter claræ memoriæ Maximilianum in Imperatorem electum, & alios Reges, Principes & Potentatus Christinos, nec non Respublicas, Communitates, cæterosque Christi fideles quinquennales inducias seu treugas de fratrum nostrorum consilio indiximus, easque sub excommunicationis latæ sententiæ ac anathematis, & aliis tunc expressis pœnis dicto durante quinquennio inviolabiliter servari debere decrevimus, ipsosque in virtute sanctæ obedientiæ monuimus, ut, dictis induciis durantibus, in caritate mutua, firmaque amoris & benevolentiæ unione persistentes, ab omni prorsus abstinerent injuria & offensione, ut omni metu & suspicione invicem carentes, eidem contra Turcas expeditioni libere intendere possent. Et licet Nobis persuaderemus, omnes Reges, tanquam veros & Catholicos Principes, ac Romani Pontificis, ut par est, mandatis obsequentes, dictas inducias, de ipsorum consensu per Nos indictas, & per eos acceptatas, servaturos fore; nullum tamen fidelius & constantius id facturum sperabamus, quam Carissimum in Christo filium nostrum, Franciscum, Francorum Regem Christianissimum, ea potissimum ratione, quod, postquam Ducatum Mediolanensem, quem contra nostram & fere omnium Christianorum Principum voluntatem, qui tunc Ducem Mediolani in Ducatu suo publicæ utilitatis & quietis causa manutenere volebamus, non sine maxima rerum prope omnium confusione, ac plurimorum Christi fidelium sanguine & strage affectaverat, & nostrorum militum potius negligentia, quam virtute sua, potitus fuerat; Nosque ejus furori resistere non valentes, ac majora scandala propter ejus insolentiam & minas formidantes, Parmam & Placentiam civitates ad Nos & Romanam Ecclesiam pertinentes, quiete & pacifice reliqueramus. Et ut eum ad arma deponenda & filialem obedientiam Nobis personaliter præstandam induceremus, Nos ad civitatem nostram Bononiæ contuleramus, ipsumque, tanquam peculiarem filium nostrum, receperamus, ac ei mentem nostram super induciis & expeditione hujusmodi declaraveramus, & ad eum & alios Reges, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Legatos a latere nostro destinaveramus. Qui Legatus ad eum destinatus, ad Nos rediens, in Consistorio nostro secreto coram eisdem fratribus nostris retulerat, eundem Franciscum Regem dictas inducias libentissimo animo acceptasse, ac expeditionem ipsam propriis expensis & militaribus copiis suis susceptu-rum, ac non solum Ducatum Mediolani in nostri & Sacri Collegii Cardinalium manibus, sed proprium etiam filium usque ad finem expeditionis hujusmodi depositurum fore, ut omnes tutos ac securos redderet, quod nullis, præterquam Infidelibus ipsis, bellum inferret. Quibus adeo magnis promissis ac pollicitationibus persuasi, credentesque, ipsum, ut nomine, ita etiam re Christianissimum esse, ac præstitam fidem servare didicisse, nihil tale suspicabamur, quale nuper, non sine gravi mentis nostræ perturbatione cognovimus, manifesteque deprehendimus. Homo enim fortuita victoria illa, qua dictum Mediolani Ducatum sibi comparavit, nimium elatus, & propriis viribus, ultra quam sapientem decet, confidens, ignarusque, Divina permissione sæpius fieri, ut stulti successibus abundent, & immodicas cupiditates suas expleant, ut prosperitatum dulcedine inebriati in adversa præcipites corruant, ac merita supplicia & stultitiæ pœnas tandem luant, causa fidei penitus relicta, & præclaris illis promissionibus oblivioni traditis, universalem pacem, in qua omnes quiescebant, perturbare adortus est.

2. Cum primum itaque intellexit, populares dissensiones per absentiam Carissimi in Christo filii nostri, Caroli, Romanorum & Hispaniarum Regis exortas fuisse, non solum eas extinguere, ac eidem Carolo Regi in Imperatorem electo auxilium contra seditiosos ac rebelles, ut fraterna caritate tenebatur, offerre & præstare neglexit, sed nimia dominandi & imperandi libidine victus, inde occasionem sibi datam putavit, qua ex malis alienis propriæ utilitati consulere, ac Regnum suum in manifestam totius Christianitatis perniciem magis dilatare atque ampliare posset, unoque & eodem tempore multa partim clandestinis insidiis & tractatibus, partim aperto marte contra eundem Carolum Regem in Imperatorem electum, præter dictas seditiones, variis & diversis curis implicitum, nulla injuria ab eo provocatus, moliri cœpit. Siquidem ad Regnum Navarræ, quod claræ memoriæ Ferdinandus Rex Catholicus, dicti Caroli Regis in Imperatorem electi avus maternus, sibi a præfato Julio prædecessore, propter tunc Regis Navarræ conciliabulo per Schismaticos congregato adhæsionem, concessum, justo ac legitimo bello ceperat, & deinde, sibi ab eodem Julio prædecessore confirmari obtinuerat: quodque ipse Carolus Rex in Imperatorem electus, tanquam ejusdem Ferdinandi Regis legitimus hæres & verus Successor, pacifice possidebat, magnum & copiosum exercitum misit: qui dictum Regnum defensoribus vacuum, & a nonnullis auro corruptis proditum, facile occupavit, ac nonnullas etiam proximas civitates Regni Hispaniarum tormentis bellicis admotis invasit, si forte eas propter intestinas discordias capere posset.

3. Nec defuit idem Franciscus Rex in Regno Neapolitano in civitate Cajetanensi quosdam ejusdem civitatis primarios, rerum novarum cupidos, corrumpere, & ad rebellionem ac tumultus in dicto Regno excitandos sollicitare. In Comitatu etiam Flandriæ cuidam Roberto de la Marca, ut ab ipsius Caroli Regis in Imperatorem electi debita obedientia recederet, similesque seditiones ac tumultus in

in dicto Comitatu excitaret, vires & animum præstare præsumsit: quæ profecto ab aliis malis operibus suis minime aliena fuerunt. Memores enim sumus, quod superioribus annis non solum humanam, sed etiam divinam iram contra se provocare non timuit, quippe qui, postquam decimas super fructibus omnium Ecclesiarum, monasteriorum, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum in toto Regno Franciæ consistentium, exigendas & sibi consignandas, & per eum in sanctæ Cruciatæ dumtaxat usum convertendas, a Nobis importunissimis temporibus ac flagitationibus obtinuit, illasque in nullum alium, quam dictæ expeditionis usum exponere Nobis promisit, ac jurejurando confirmavit; Nosque audientes, Turcarum Tyrannum, orientalibus rebus per se compositis & pacatis, ingentem classem, formidandumque exercitum parare, ut uno eodemque tempore Christianos terra marique aggredi posset, eundem Franciscum Regem requisivimus, ut tam grandi ac universæ Christianæ Reipublicæ imminenti periculo cum pecuniis ad dictum usum collatis, juxta jusjurandum per eum præstitum, occurrere vellet, super hoc responso, id negavit, & negotium hoc ad se minime pertinere dixit, causamque Christianæ fidei, cui Christi fideles omnes adstricti & obligati tenentur, a se tanquam alienam abdicando, ac præstitum jusjurandum non servando, se non verum Christianum, sed infidelem & perjurum esse declaravit. Ex pluribus, quæ contra libertatem Ecclesiasticam, quam præ cæteris omnibus contra quoscumque defendere ac illæsam servare tenetur, facere præsumsit, illud silentio præterire non possumus, quod, cum in Concordatis inter Nos & hanc Sanctam Sedem, ac ipsum Franciscum Regem pro abrogatione Pragmaticæ initis, inter alia contineretur, quod impetrantes beneficia Ecclesiastica, in dicto Regno Franciæ consistentia, verum eorum valorem exprimere tenerentur, ac nonnulli valorem hujusmodi expressissent, sicut Nobis relatum fuit, eorum collo Bullas Apostolicas desuper expeditas alligari, ipsosque in flumine mergi sævitia plus quam tyrannica jussit: & quondam Joannem Abbatem monasterii Sancti Tiberii, Ordinis Sancti Benedicti, Agathensis diœcesis, de mandato dilectorum filiorum Parlamenti Tolosani in proprio monasterio captum, ac publicis carceribus in civitate Tolosana, quia literarum Apostolicarum vigore eis inhibuerat, ne de causa certæ absolutionis sibi commissæ se intromitterent, incarceratum, & inibi per plures annos detentum, licet pluribus literis non solum benigne hortatus ac requisitus, sed etiam rogatus fuisset, ut eum contra omnem justitiam, & in maximum ecclesiasticæ libertatis præjudicium diu indebiteque detentum, e dictis carceribus pro nostro & hujus Sanctæ Sedis honore tandem relaxari mandaret, id facere pertinacissime semper negavit, donec dictus Abbas pluribus corporis incommodis & mœrore animi confectus, in carceribus ipsis miserabilem vitam finivit. Nec veritus est idem Franciscus Rex innumeris aliis modis dictam libertatem ecclesiasticam impugnare, benignas ac paternas monitiones nostras continue respuendo, & in nostrum & dictæ Sedis contemptum ea consentiendo & faciendo, quæ nos in præsentiarum referre quodammodo pudet, ut merito dicere possimus, in eo, quem omnibus gratiis & favoribus prosequuti semper fuimus, bonum triticum seminasse, & spinas invenisse.

4. Postremo ut conceptum contra Nos & hanc Sedem odium universo terrarum orbi notum ac manifestum faceret, civitatem nostram Regii per iniquitatis filium, Thomam de Foix, Dominum de Lescu, Odeti de Foix, Domini de Lautrech, Gubernatoris dicti Ducatus Mediolani fratrem germanum, ejusque in dicto Ducatu Locumtenentem, dolo & insidiis occupare tentavit: qui dictam civitatem equestribus & pedestribus copiis incredibili celeritate eo adductis ex improviso adortus, cum eam capere non potuisset, ac illius agros & territorium depopulatus fuisset, sal Cameræ nostræ Apostolicæ, quod per ipsius Cameræ officiales in civitate Mediolani vendebatur, ad manus suas, ipsis officialibus ejectis, recepit, ac fructus Ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum per Cardinales & alios Prælatos & Curiales obtentorum sequestrari fecit, & alia plura in nostrum & hujus Sanctæ Sedis dedecus, damnum & præjudicium commisit: quæ omnia de ipsius Francisci Regis consensu & voluntate facta fuisse, nemo dubitare potest, ipseque Franciscus Rex omnibus apertissime ostendit, qui non modo ipsum Thomam pro talibus excessibus nullo supplicio jussit affici, sed etiam ipsum Odetum cum pluribus militum copiis in Italiam misit, qui dictum Thomam foveret, ejusque temerarios conatus juvaret.

5. Præterea, ut majori injuria Nos afficeret, mercatores Florentinos, quos tanquam cives nostros paterna caritate diligi a Nobis sciebat, in civitate sua Lugduni commorantes, contra salvumconductum eis concessum, detineri mandavit. Sed benedictus sit semper Dominus DEus noster, qui superbis ac propria temeritate confidentibus resistit, & vias occultas invenit, quibus mala non solum effectu careant, ac victis & innocentibus nihil obsint, sed quandoque etiam in bonum & utile vertantur. Siquidem præfati Francisci Regis contra dictum Carolum Regem in Imperatorem electum conatus non solum irriti omnes ac vani reciderunt, nihilque eidem Carolo Regi in Imperatorem electo, ejusque Regnis nocere potuerunt; sed etiam dictas seditiones, quæ nullis humanis remediis sedari posse videbantur, repente quasi in totum extinxerunt, ac Hispaniarum populos invicem bellis civilibus dissidentes unierunt, adeo quod paucorum dierum spacio non solum Gallos Hispaniam ingressos, ac civitates ad rebellionem sollicitantes inde profligarunt, sed etiam amissum Navarræ Regnum recuperarunt; ipseque Carolus Rex in Imperatorem electus omnia castra dicti Roberti, ab eo rebellare ausi, fere sub oculis ipsius Francisci Regis vi & armis expugnavit.

6. Populus autem dictæ civitatis Regii acriter se & dictam civitatem defendit, & ad pericula prospicienda & vitanda factus est imposterum cautior & diligentior: Nobisque tot injuriis aperte lacessitis & provocatis justa ac legitima occasio data est, ecclesiasticam libertatem in pristinum statum vindicandi, ac Parmam ac Placentiam civitates prædictas, ad Nos & Romanam Ecclesiam pertinentes, recuperandi, quarum possessionem, cum (ut præfertur) dictus

dictus Franciscus Rex Ducatum Mediolani cepit, per ejus ministros capi toleravimus, cum illius victoris & armati potentiæ nullo pacto resistere, ac jura nostra tueri possemus: & propterea singulis annis in die Cœnæ Domini declaravimus, ac palam protestati fuimus, juribus Sedis Apostolicæ ac dictæ Romanæ Ecclesiæ undecumque & quomodocumque quæsitis, per quoscumque actus contrarios, aut quomodolibet præjudiciales, tacitos vel expressos, a Nobis vel a Sede Apostolica quomodolibet factos & faciendos, aut quemcumque fluxum temporis, seu patientiam vel tolerantiam nostram nullatenus quomodolibet præjudicari debere aut posse.

7. Cum itaque tot rationes & causæ tam Divinæ, quam humanæ Nos invitent, vel potius compellant, ut non solum temporalibus, sed etiam spiritualibus armis in eundem Franciscum Regem, tanquam publicæ Christianorum pacis & quietis turbatorem, ac induciarum ipsarum violatorem, fideique Catholicæ & Christianæ Religionis ac Religiosorum hostem, Christianissimique nominis, quod ejus prædecessores, Christianæ fidei terminos propagando, & hanc sanctam Sedem Apostolicam contra quoscumque eam molestantes defendendo, non sine maximis laboribus & periculis compararunt, penitus indignum, ulciscamur, & prædecessorum nostrorum exemplo, qui Reges Francorum, libertati Ecclesiasticæ contravenire, eamque temere violare præsumentes, excommunicarunt, contra eundem Franciscum Regem, quo agente, jubente & judicante, divina humanaque jura omnia sunt confusa, ac Odetum & Thomam præfatos, aliosque eorum adhærentes, sequaces & fautores, ac eis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes, modis a jure permissis procedamus; licet eos ob præmissa & alia, quæ recensere longum fuisset, majoris excommunicationis, anathematis, aliisque sententiis, censuris & pœnis, in literis induciarum & treugarum hujusmodi, ac Constitutione, per Nos & prædecessores nostros in dicta die Cœnæ Domini singulis annis publicata, contentis, & in tales generaliter promulgatis, damnabiliter irretitos & ligatos esse censeamus; ad convincendum tamen ipsorum Francisci Regis, ac Odeti, & Thomæ, Parmæ & Placentiæ civitatum hujusmodi occupatorum & detentorum, Cameræ Apostolicæ ac Ecclesiasticorum bonorum direptorum, aliorumque adhærentium, sequacium & fautorum, nec non auxilii & consilii præstitorum malitiam & proterviam; ut omni excusationis adminiculo penitus careant, eos ipsos ac omnes & singulos ad eorum stipendia militantes, eorumque complices, sequaces & fautores, auctoritate Apostolica tenore præsentium requirimus & monemus, eisque sub excommunicationis & anathematis pœnis prædictis, nec non maledictionis æternæ, districte præcipiendo mandamus, ut infra XV. dierum spacium, post publicationem præsentium, in locis infra scriptis, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro tertio, ultimo & peremptorio termino eorum cuilibet assignamus, Parmam & Placentiam civitates nostras, ac sal ablatum, eidem Cameræ, seu nostro & dictæ Sedis Legato in Castris Sanctæ Ligæ, inter Nos & eundem Carolum Regem in Imperatorem electum, ut præfertur, initæ, existenti, omni prorsus exceptione & provocatione cessantibus, restituant, & fructuum sequestrum hujusmodi relaxent, ac de damnis illatis satisfaciant: alioquin Franciscum Regem, Odetum & Thomam, ac complices, & ad eorum stipendia militantes hujusmodi, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, sententias, censuras & pœnas prædictas incurrisse, eosque excommunicatos & anathematizatos esse declaramus; ita quod ab eisdem sententiis, censuris & pœnis absolvi nequeant, nisi Parmæ & Placentiæ civitatum, ac salis hujusmodi restitutione, & sequestri relaxatione, ac congrua damnorum satisfactione prævia; qua mediante a Nobis & Sede prædicta mereantur absolutionis beneficium obtinere.

8. Civitates vero, terras, oppida, castra, & loca, sub ipsius Francisci Regis ditione constituta, ecclesiastico subjicimus interdicto, ad nostrum beneplacitum firmiter observando. Et quoniam juxta canonicas & legales sanctiones non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, universos Duces, Marchiones, Comites & Barones, atque alios nobiles Dominos, civitatum quoque Communitates, Universitates, terrarum, oppidorum & locorum Dominos, vasallos, & subditos, sub ditione sua hujusmodi & alibi existentes, quocumque nomine nuncupentur, donec ipse Franciscus Rex in hujusmodi censuris permanserit, ab omni subjectionis, homagii, & fidelitatis juramento ac obligatione quacumque, quibus dicto Francisco Regi antea quomodolibet tenebantur & obligati erant, plenissime absolvimus, & absolutos fore, nec deinceps eos ad observationem alicujus eorum teneri, nec jure constringi, aut propter non observationem, de infamia vel alia quavis macula notari posse vel debere decernimus, sublata cuicumque quavis aliter interpretandi facultate aut potestate.

9. Quo circa Venerabilibus fratribus nostris, universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, electis, & locorum ordinariis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis a sacerdotali ministerio, præcipimus & mandamus, quatenus præsentes literas in lingua materna, seu vulgari idiomate civitatum & diœcesium suarum, ita quod ab omnibus etiam indoctis intelligi valeant, verti, & transferri, ac ubi, quando, & quatenus opportunum fuerit, in Ecclesiis & aliis locis earundem civitatum & diœcesium diebus Dominicis & festivis faciant solemniter publicari, ac Franciscum Regem, Odetum & Thomam, aliosque omnes & singulos in præmissis culpabiles nominatim & in specie, & eorum nomina & cognomina, si sciri poterunt, alioquin in genere, tamdiu excommunicatos, anathematizatos & maledictos publicari procurent, donec resumentes spiritum consilii sanioris Parmam & Placentiam civitates, ac sal ablatum restituerint, & sequestrum relaxaverint, ac de damnis prædictis integraliter satisfecerint, & absolutionis beneficium consecuti fuerint, ut præfertur. Postremo quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca deferri, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumpto, manu

manu Notarii publici confecto, seu saltem subscripto, & sigillo alicujus Prælati ecclesiastici munito, ubique stetur, prout originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

10. Et cum eædem præsentes literæ in civitatibus & locis dicto Regi subjectis propter ejus potentiam tuto publicari nequeant, ne Franciscus Rex, Odetus, ac Thomas & alii, quos ipsæ literæ concernunt, quibus illud mandatur aut prohibetur per easdem, valeant de præmissis ignorantiam allegare, & prætextu ignorantiæ hujusmodi, si illis non paruerint, excusationis velamen assumere, volumus, literas ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Sancti Johannis Lateranensis, & deinde Bononiensis, Imolensis & Mutinensis Ecclesiarum valvis affigi, & hujusmodi affixiones publicari, decernentes, quod earundem literarum publicatio sic facta perinde Franciscum Regem, Odetum & Thomam, & alios, quos literæ ipsæ tangunt, arctet, ac si literæ ipsæ a die affixionum & publicationum hujusmodi eis personaliter lectæ & insinuatæ fuissent, cum non sit verisimilis conjectura, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, privilegiis, indulgentiis, concessionibus & literis Apostolicis, præfato Regi, vel quibuscunque aliis personis, quavis dignitate fulgentibus, ac Regnis, Dominiis, Provinciis, civitatibus, terris, oppidis & locis, quomodolibet concessis, etiam quibus caveretur, quod ad privilegiorum exhibitionem compelli, seu ipsi & eorum Regna ac civitates interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quibus illorum omnium tenores, ac si præsentibus insererentur, pro expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica ex certa scientia & potestatis plenitudine derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

11. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ requisitionis, monitionis, assignationis, declarationis, interdicti, absolutionis, constitutionis, præcepti, mandati, voluntatis, decreti & derogationis chartam infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, ie iram omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem senserit incursurum.

Datum Romæ, anno millesimo, quingentesimo, vigesimo primo, pridie Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

D. de Comitibus.

Collat. Hisp. de Cast.

XLI.

Bulla Pauli III. Pontificis Maximi, in qua Petro Aloysio Farnesio, ejusque descendentibus, utramque Civitatem, Parmam videlicet atque Placentiam, una cum illarum Comitatibus, Territoriis atque districtibus, ea conditione in feudum contulit, ut novem millium Ducatorum auri de Camera censum Sedi Apostolicæ quotannis solverent, d.d. 7. Kal. Septembr. Anno 1545.

PAulus Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti Apostolicæ Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, ad ea jugiter intendimus, per quæ omnis scandalorum tollatur occasio, & Sedes ipsa non solum a bellis, quæ prætextu civitatum & locorum Nobis & Romanæ Ecclesiæ immediate subjectorum facile suscitari possunt, immunis præservetur; verum etiam ab impensis, quibus pro illorum custodia in dies premitur, libera, aliis commodioribus & tranquillioribus civitatibus & locis, nec non certis annuis proventibus cum majori ejus quiete ac commoditate fruatur.

Superioribus siquidem diebus animo revolventes, quod civitates Placentiæ & Parmæ Provinciæ Galliæ Cispadanæ a reliquo statu & dominio temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disjunctæ & separatæ, ac exinde plurimis in dies periculis expositæ erant, maximisque pro earum custodia sumptibus indigebant, & quod, si aliquando ab aliquo occupatæ fuissent, quod non semel nostris temporibus tentatum fuerat, præter earundem civitatum amissionem, Sedem prædictam bellis involvi, omnemque ejus ditionem in periculum conjici necesse erat; ex quo turbandæ tamdiu exoptatæ & tandem impetratæ pacis materia sine dubio nata fuisset; volentes præmissis occurrere, habita desuper cum Venerabilibus fratribus nostris, ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in Consistorio nostro secreto matura deliberatione, de eorum consilio & assensu, ex præmissis & certis aliis, tunc animum nostrum moventibus causis, dilecto filio Guidoni Ascanio, Sancti Eustachii Diacono Cardinali, de Sancta Flora nuncupato, Camerario nostro, vivæ vocis oraculo mandavimus, ut receptis a dilecto filio nobili viro, Octavio Farnesio, urbis Præfecto, & tunc Camerini Duce, Ducatus Camerinensis, & tam ab eodem Octavio, quam a dilecto filio etiam nobili viro, Petro Aloysio, etiam Farnesio, Castri Duce, ejusdem Romanæ Ecclesiæ Confalonerio & gentium armorum ad nostra & ipsius Ecclesiæ stipendia militantium, Capitaneo generali civitatis Nepesinæ, pro juribus, eis in eadem civitate respective competentibus, cessionibus, quas idem Petrus Aloysius Dux in favorem Sedis & Ecclesiæ prædictarum, si civitates hujusmodi sibi in feudum concederentur, offerebat, civitates prædictas eidem Petro Aloysio Duci in feudum concederet.

Cum autem postmodum prædictus Guido Ascanius Cardinalis & Camerarius, ac dilecti filii Clerici, Cameræ Apostolicæ præsidentes, cessionibus prædictis, ut petitur, receptis & admissis, easdem Parmæ & Placentiæ civitates cum illarum Comitatibus, territoriis & districtibus, ac aliis tunc expressis, eidem Petro Aloysio Duci pro se, quoad viveret, & deinde Octavio præfato, ejus nato, eorumque descendentibus masculis in perpetuum pro annuo censu novem millium Ducatorum auri de Camera, Cameræ prædictæ in Vigilia, seu Festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli de mense Junii in reco-

recognitionem ſupremi Dominii, annis ſingulis in Romana Curia, ubicunque fuerit, ſolvendorum, in feudum nobile, gentile, francum, avitum & antiquum cum pactis & conditionibus, ac modis & formis inibi expreſſis conceſſerunt, prout in Inſtrumento publico deſuper confecto, quod antea in eadem Camera inſpici & diligenter examinari, ac cujus tenorem de verbo ad verbum, ſignis & characteribus omiſſis, inſeri fecimus, plenius continetur; Nos intendentes, conceſſionem hujuſmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, & nullo unquam tempore infringi poſſe, Petrum Aloyſium & Octavium præfatos, & utrumque eorum a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti pœnis & cenſuris, quomodolibet innodati exiſtant, etiamſi illas per quatuor menſes ſuſtinuerint, & in illis per unum, duos, aut plures annos inſorduerint, ad effectum dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, nec non Communitatum, territoriorum & diſtrictuum, ac aliorum in dicto Inſtrumento expreſſorum nomina, cognomina, qualitates, ſituationes, vocabula, & tam illorum, quam civitatum hujuſmodi fructus, reditus & proventus, ac valores etiam annuos perinde, ac ſi exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, conceſſionem prædictam, & prout illam concernunt, omnia & ſingula capitula, pacta ac clauſulas, ac alia in Inſtrumento prædicto contenta, & inde ſecuta quæcumque, de eorumdem fratrum conſilio pariter & aſſenſu, ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, noſtramque auctoritatem & decretum interponimus, decernentes, ea omnia & ſingula perpetui roboris firmitate ſubſiſtere, ac ſuos plenarios effectus ſortiri debere; Noſque aut Succeſſores noſtros ab illis nullo unquam tempore & quovis prætextu vel cauſa reſilire poſſe, ſed ad eorum omnium & ſingulorum veram, plenam & integram obſervationem teneri & obligatos eſſe; ſupplentes omnes & ſingulos quarumcunque ſolemnitatum, tam accidentalium, quam ſubſtantialium forſan omiſſarum, ac alios quantumcumque majores juris & facti defectus, etiamſi tales forent, de quibus hic ſpecialis & ſpecifica mentio habenda eſſet, aut alias ſpeciali nota digni reperirentur, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Et inſuper eaſdem Placentiæ & Parmæ civitates pariter & æque principaliter cum Comitatibus, territoriis, & diſtrictibus, ac aliis prædictis in Ducatum de ſimili conſilio & aſſenſu, auctoritate & tenore prædictis, perpetuo erigimus & inſtituimus, ac Ducalibus nomine, titulo, Juribus, facultatibus, inſigniis, honoribus, prærogativis, antelationibus, & præeminentiis univerſis inſignimus & decoramus, ac quatenus opus ſit, Parmæ & Placentiæ civitates, illarumque Ducatuum hujuſmodi, nec non territoria & diſtrictus, ac alia in dicto Inſtrumento, ut præfertur, expreſſa, in omnibus & per omnia, juxta illius continentiam & tenorem eidem Petro Aloyſio Duci pro ſe & dicto Octavio Præfecto, ac ejuſdem Octavii Præfecti primogenito, & aliis deſcendentibus modo & forma præmiſſis, in perpetuum pro annuo cenſu novem millium Ducatorum hujuſmodi, ut præfertur, ſolvendorum, in feudum nobile, antiquum, perpetuum, liberum, francum cum omnium & ſingulorum, tam ſubſtantialium, quam accidentalium, ac quarumcumque aliarum ſolemnitatum, auctoritatum, decretorum, & formarum in præmiſſis de jure, conſuetudine, vel alias quomodolibet interponi debitorum, ac aliorum forſan majorum juris & facti defectuum ſuppletione, paribus conſilio & aſſenſu, auctoritate & tenore præmiſſis, de novo in perpetuum concedimus & aſſignamus, ac conceſſa & aſſignata, nec non in eos translata eſſe volumus atque decernimus, eoſque de civitatibus, Ducatu, territoriis & diſtrictibus, ac aliis prædictis perpetuo inveſtimus, ac Petrum Aloyſium Ducem, & Octavium Præfectum prædictos, nec non ipſius Octavii filium primogenitum, ac alios deſcendentes in perpetuum civitatum, Ducatus, territoriorum, diſtrictuum & aliorum expreſſorum prædictorum, nec non civium, & incolarum, ac habitatorum eorumdem Duces, & in temporalibus Dominos, etiam cum generaliſſima & ampliſſima clauſula conſtituti, ac poſſeſſionis translationem veram & naturalem civitatum, Ducatus, territoriorum, diſtrictuum & aliorum prædictorum poſſeſſionem in Petrum Aloyſium Ducem, & Octavium Præfectum, ac Octavii Præfecti filium primogenitum, & alios deſcendentes, prædictos, transferentes, de ſimilibus conſilio & aſſenſu, ac auctoritate & tenore præmiſſis conſtituimus, creamus, facimus, & deputamus; decernentes, præſentes literas vim validæ & efficacis probationis præmiſſorum omnium & ſingulorum, ac aliorum in dicto Inſtrumento contentorum, ita ut nulla probatio in contrarium admitti poſſit, habere, & ad illorum probationem in judicio, & extra ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, ipſoſque Petrum Aloyſium Ducem, & Octavium Præfectum, ac alios deſcendentes ad verificationem præmiſſorum & aliorum in dicto Inſtrumento narratorum minime teneri, & ad id cogi aut compelli non poſſe: nec propterea ſeu ex quacumque alia cauſa eaſdem præſentes de ſubreptione vel obreptione, ſeu nullitatis, aut intentionis, vel quocumque alio etiam majori defectu, ſeu quovis alio prætextu notari aut impugnari, ſeu aliquo modo in dubium revocari ullatenus poſſe, mandantes prædictis modernis, & pro tempore exiſtentibus Camerario & Clericis præſidentibus, ac aliis, ad quos ſpectat, quatenus omnes & ſingulas ſcripturas ac patentes & alias literas, nec non quæcumque Inſtrumenta publica in præmiſſis neceſſaria, eiſdem Petro Aloyſio Duci, & Octavio Præfecto in forma ſolita expediant & expediri faciant, ac realiter & cum effectu tradant & conſignent; nec non communitatibus, civitatibus & univerſitatibus oppidorum, caſtrorum, villarum & locorum hujuſmodi, eorumque ſingularibus perſonis, quatenus eoſdem Petrum Aloyſium Ducem, ac Octavium Præfectum ac deſcendentes præfatos in eorum veros Duces & Dominos recipiant & admittant, eiſdemque in omnibus & per omnia, prout Nobis & Sedi prædictæ parere tenebantur, pareant & obediant, eorumque mandata & præcepta inviolabiliter obſervent.

Et nihilominus Venerabilibus fratribus noſtris Placentino & Parmenſi Epiſcopis, ac dilecto filio moder-

moderno & pro tempore existenti Curiæ causarum dictæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Petri Aloysii Ducis, & Octavii Præfecti, ac descendentium prædictorum, vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos illæ concernunt, eis pacifice gaudere, non permittentes, eos desuper quovis modo indebite molestari, inquietari seu perturbari, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, appellatione postposita, compescendo. Nos enim eisdem Episcopis & Auditori contradictores & rebelles prædictos, ac quoscunque alios, quorum intererit, constito summarie & extrajudicialiter de non tuto accessu ad eos, etiam per edicta publica locis publicis affigenda, quæ eos arctent, perinde ac si personaliter eis intimata forent, monendi, eisque mandandi & præcipiendi, ac quoties inhibendum fuerit, etiam simili edicto ac sub eisdem sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, nec non legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravandi, ac auxilium brachii secularis desuper, si opus fuerit, ad hoc invocandi, cæteraque in præmissis necessaria & opportuna faciendi plenam & liberam, dicta auctoritate tenore præsentium, concedimus facultatem & potestatem, non obstantibus felicis recordationis Symmachi incipientibus: *non liceat*, & Pauli II. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, ac Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum *de una*, & Concilii generalis *de duabus dietis*, nec non quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, ac civitatum, Communitatum, territoriorum, & districtuum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam per Nos & prædecessores nostros, & Sedem prædictam Cameræ, Camerario, præsidentibus Clericis, civitatibus, communitatibus, oppidis, castris, terris, & aliis locis prædictis, eorumque singulis in genere vel in specie, ex quibusvis etiam onerosis causis, & sub quibuscumque tenoribus & formis, ac etiam cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consistorialiter ac motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, approbatis, & innovatis; nec non quibusvis conventionibus, pactis, & contractibus, etiam inter Nos & Cameram prædictam, ac communitates, & alios præfatos desuper in contrarium seu alias quomodolibet initis: quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse, illaque adversus præmissa nullatenus suffragari posse decernimus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Tenor vero Instrumenti prædicti sequitur, & est talis:

In nomine Domini nostri JEsu Christi, Amen! Cunctis præsens publicum Instrumentum visuris, lecturis pariter & audituris, evidenter pateat & sit notum, quod, cum superioribus diebus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Paulus, divina providentia Papa III. cum Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Consistorio suo secreto mature considerato, quod civitates Placentiæ & Parmæ Provinciæ Galliæ Cispadanæ, a reliquo statu & dominio temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ distantes & separatæ, nonnisi magno cum periculo, multis ad illarum occupationem anhelantibus, defendi & teneri poterant; & nihilominus interim pro illarum præsidio, defensione & manutentione immensos opus erat facere sumptus extraordinarios, ita quod dumtaxat tempore Pontificatus Suæ Beatitudinis extraordinarii sumptus hujusmodi excedebant summam ducentorum millium ducatorum: & si casus contingeret, quod ab aliquo occuparentur, difficillima quodammodo & impossibilis esset recuperatio: unde non solum de ipsarum recuperatione dubitandum, verum etiam, ne inde majores perturbationes & tumultus exorirentur, cavendum erat: quodque ordinarii introitus earumdem civitatum, deductis impensis ordinariis & necessariis, non ascendebant ad summam octo millium aureorum de Camera. Et si civitates ipsæ alicui personæ in perpetuum feudum concederentur, quæ illarum conservationi sedulo intendere posset & vellet, & vicissim eidem Romanæ Ecclesiæ aliquas alias civitates cederet & concederet, & præsertim aliquo notabili censu annuo super civitatibus prædictis imposito, exinde satis ipsius Romanæ Ecclesiæ indemnitati, quieti & commodo consuleretur: & tandem proposita & nominata persona Illustrissimi Domini Petri Aloysii Farnesii, Ducis Castri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Confalonerii, & ejusdem Domini nostri Papæ Capitanei generalis, qui ultra ejus & antecessorum familiæ Farnesiæ erga eamdem Romanam Ecclesiam fidem & devotionem jam multis annis pro Ecclesia & Sede prædicta strenuam in rebus, & præsertim bellicis navaverat operam, & cujus potissimum ductu, opera, industria, diligentia & laboribus Firmani tumultuantes, & ad rebellionem inclinantes, compressi, Ducatus Camerini de manu illum indebite occupantium recuperatus, civitas & populus Perusinus, qui ab eodem Domino nostro Papa & Ecclesia prædicta se subtraxerant, ad eamdem reducti, compluresque alii etiam potentes, qui Domino

nostro Papæ, & Sedi prædictæ rebellaverant, debellati fuerant: & qui etiam curaret, quod Illustrissimus Dux Octavius, ejus filius, Urbis Præfectus, & Dux Camerini ac civitatis Nepesinæ, Ducatum Camerini, ab Urbe non longe distantem, & contiguum Marchiæ Anconitanæ, in umbilico fere Ecclesiasticæ ditionis consistentem, & civitatem Nepesinam prædictam, quæ Urbi admodum propinquat, & propugnaculis, compluribusque machinis & tormentis bellicis est mirum in modum munita: & etiam ipse Dominus Petrus Aloysius omnibus juribus sibi in dicta civitate Nepesina competentibus, eidem Domino nostro Papæ & Sedi præfatæ sponte & libere, respective, cederent & dimitterent: quorum quidem Ducatus Camerini & civitatis Nepesinæ ordinarii reditus, deductis similiter ordinariis expensis, non excedunt summam decem millium Ducatorum auri similium, prout etiam superioribus diebus ex diligenti inquisitione in Camera Apostolica facta compertum extitit. Et propterea pro censu & responsione ac recognitione directi Dominii civitatum Placentiæ & Parmæ prædictarum, si sibi concederentur, solveret anno quolibet Cameræ Apostolicæ summam novem millium Ducatorum auri similium.

Prædictis & nonnullis aliis rationibus & urgentibus causis, tunc in eodem Consistorio narratis & consideratis, omnibusque intellectis, & mature discussis & deliberatis, de ipsorum Reverendissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ Sedis potestatis plenitudine decrevit, infeudationem, & feudi perpetui dationem & concessionem hujusmodi, sicut prædicitur, in personam dicti Illustrissimi Domini Petri Aloysii esse faciendam: & pro executione mandavit Reverendissimo Domino Guidoni Ascanio, Sancti Eustachii Diacono Cardinali, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ut cessionem seu resignationem Ducatus Camerini & Civitatis Nepesinæ per prædictos Dominos Petrum Aloysium & Octavium faciendam, recipiat & admittat, & illa recepta in Camera Apostolica, ipse Reverendissimus Dominus Camerarius cum Reverendis patribus Dominis Præsidentibus & Clericis dictæ Cameræ, concessionem & infeudationem perpetuam dictarum civitatum Parmæ & Placentiæ dicto Domino Petro Aloysio, & omnia instrumenta & scripturas desuper necessarias & opportunas faceret & expediret. Super quibus plenam & liberam & omnimodam facultatem & auctoritatem ei concessit, prout latius ex actis ipsius Consistorii, & ex notula Reverendissimi & Illustrissimi Domini Vicecancellarii, desuper in eodem Consistorio conscripta, apparet.

Hinc est quod anno a Nativitate ejusdem Domini nostri JEsu Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, die vero vigesima quarta mensis Augusti, Pontificatus prælibati Domini nostri, Pauli Papæ III. anno undecimo, in mei Cameræ Apostolicæ ac publici Notarii, testiumque infrascriptorum præsentia prænominati Reverendissimus Dominus Guido Ascanius, Cardinalis Camerarius, & Reverendi Patres Domini Bernardinus Elvinus, electus Anglonensis Thesaurarius Apostolicus, Julius Gonzaga ex Comitibus Novellariæ, Petrus Lippomanus, Veronensis, ac Hieronymus, Torcellanus, respective, Episcopi, Cameræ Apostolicæ Clerici, cameraliter congregati & Cameram facientes, ut moris est, assistentibus etiam Reverendis Patribus, Dominis Francino Michaele, almæ urbis Gubernatore Vicecamerario, Johanne Baptista Cicada Episcopo Albinganensi, Cameræ Auditore, Julio de Grandis Præsidente, Antonio Gabrielis, Fisci Advocato, Nicolao Farfaro, dicti Fisci Procuratore, & Guidone Palello, dictæ Cameræ Commissario, coadunati more solito in Palatio, *la Cancellaria vecchia* nuncupato, habitationis ejusdem Reverendissimi Domini Camerarii pro infrascriptis & aliis negotiis Cameralibus pertractandis & expediendis, ad concessionem & infeudationem prædictam deveniendum & procedendum esse concluserunt & decreverunt; ita quod constitutus personaliter ibidem prædictus Illustrissimus Dominus Octavius Dux & præfectus, major, ut etiam medio juramento tactis Scripturis sacrosanctis asseruit, viginti annis, sciens aliter non teneri, ad effectum infeudationis & concessionis, ut præfertur, dicto Illustrissimo Domino suo genitori faciendæ, teneri volens, ipsaque facienda Investitura & concessione hujusmodi suum validum & plenarium effectum sortiente, & non alias, aliter, nec alio modo, sponte & ex ejus certa scientia ac spontanea voluntate pro se, suisque hæredibus & Successoribus quibuscumque Ducatum Camerinensem & civitatem Nepesinam prædictos, ac omnia & quæcumque jura sibi in & super illis quomodolibet competentia, Sedi & Cameræ Apostolicæ prædictis, ac Reverendissimo Domino Camerario & aliis Dominis Cameralibus supradictis, & mihi Notario pro Sede & Camera prædictis recipientibus & acceptantibus resignavit & cessit, & dimisit, nihilo penitus in illis sibi reservato, ita tamen, quod de evictione ipse, suique hæredes aliter, quam pro dicto & facto suo nullatenus teneantur, pro dato, auctoritate & facto suo promisit & se obligavit, promittitque & se obligat de evictione in forma juris valida. Qua resignatione & cessione, sicut præfertur, facta & recepta, Reverendissimus Dominus Camerarius & alii Domini Camerales prædicti sponte & ex certa scientia, non aliquo errore juris vel facti ducti, omnibus melioribus, jure, via, modo & forma, quibus melius & efficacius potuerunt & possunt, tam virtute sui officii, quam vigore prædictæ specialis commissionis Domini nostri Papæ dederunt, cesserunt & concesserunt prædicto Illustrissimo Domino Petro Aloysio, licet absenti, & pro eo Magnifico & egregio I. U. D. Domino Johanni Nicolao Angelono de Monte Leone ejus procuratori, qui de suo mandato hujusmodi constare dicit per publicum Instrumentum, per publicum Notarium rogatum, quod in Camera Apostolica infra viginti dies consignare, & nihilominus etiam de rato & ratificari faciendo, promisit, præsenti & una mecum Notario, pro eodem Domino Petro Aloysio stipulantibus & recipientibus, proque ipsius Domini Petri Aloysii Successoribus infrascriptis civitates Parmæ & Placentiæ, cum illarum universis Communitatibus, territoriis & districtibus: & etiam omnes terras, oppida, castra & loca, tam intra, quam extra territoria prædicta, etiam ab ipsis civita-

civitatibus & illarum Comitatibus & jurisdictionibus, quavis etiam auctoritate Apostolica separata & distincta, in illis partibus sub legatione Provinciæ Galliæ Cispadanæ comprehensa, vel comprehendi solita ultra civitatem Regiensem in dicta Provincia Lombardiæ, & tam citra, quam ultra Padum existentia, & Sedi Apostolicæ tam mediate, quam immediate subjecta, nec non omnibus & singulis in eisdem civitatibus, communitatibus, territoriis, districtibus & locis existentibus, terris, oppidis, castris, arcibus, fortalitiis, palatiis, gabellis, datiis, pedagiis, portoriis, fluminibus, montibus auri, argenti, & aliorum quorumcumque metallorum, lapidum & materiarum mineriis & fodinis, silvis, lacubus, stagnis & aliis locis, nec non juribus, pertinentiis, reditibus & proventibus quibuscumque, etiam regalibus, ac mero & mixto imperio, omnimodaque jurisdictione, potestate & superioritate temporali, inibi per præfatam Romanam Ecclesiam & ipsius Romanæ Ecclesiæ officiales pro ea exerceri solitis, ac cum omnibus incolis, comitativis, habitatoribus & vasallis quibuscumque in omnibus & per omnia, prout ad Sedem & Cameram prædictam spectabant & pertinebant, spectantque & pertinent.

Nec non omnia jura & omnes actiones reales & personales, utiles & directas, tacitas & expressas, hypothecarias, & pignoratitias, sive mixtas & in rem scriptas; officium judicis & beneficium juris: quæ & quas Sedes aut Camera prædicta aliquo unquam tempore habuit & habet, ac sibi competiit & competit, aut competere potuit, seu potest vel poterit quomodolibet in futurum, in, de, & super dictis civitatibus & aliis prædictis contra quascumque personas, universitates, & loca, nullo jure, nullaque actione, præterquam directi Dominii & census infra dicendi Sedi & Cameræ prædictis reservati; cum pactis tamen & conditionibus inferius describendis, & sub annuo censu novem millium Ducatorum auri de Camera solvendo, ut inferius dicetur, in feudum Nobile, gentile, francum, avitum & antiquum, jureque & nomine feudi Nobilis, franchi, & gentilis, quod naturam & effectum sapiat franchi, aviti, gentilis, antiqui & antiquissimi feudi, ad habendum, tenendum, possidendum, usufructuandum, & de eo faciendum & disponendum, salvis pactis & conditionibus infrascriptis, pro suo & suorum libito voluntatis; ita quod dictus Dominus Petrus Aloysius & sui, ut infra, pro dictis rebus, ut præfertur, concessis, & omni jure, cunctisque utilitatibus & usibus, ad dictas res in feudum concessas pertinentibus, utantur, habeant & teneant; & exinde jure feudi quicquid voluerint, faciant sine alicujus contradictione: dictumque Dominum Petrum Aloysium absentem, & pro eo prædictum Dominum Joannem Nicolaum Procuratorem, & me Notarium præsentes, & cum reverentia coram dicto Reverendissimo Camerario & aliis Dominis Cameralibus constitutis, una mecum Notario, tanquam publica persona, pro dicto Domino Petro Aloysio & Successoribus suis & aliis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, stipulantibus & recipientibus de civitatibus Parmæ & Placentiæ, & aliis prædictis investiverunt per annulum, quem dictus Reverendissimus Dominus Cardinalis Camerarius suis in manibus tenens dicto Domino Joanni Nicolao procuratori accipienti porrexit & dimisit, traditionem: ponentes Reverendissimus Dominus Camerarius, & Domini Clerici prædicti præfatum Illustrissimum Dominum Petrum Aloysium, & pro eo Dominum Joannem Nicolaum procuratorem & me Notarium præsentes & acceptantes de & super civitatibus Parmæ & Placentiæ, & aliis oppidis, terris & locis prædictis, illorumque & illarum territoriis, districtibus, & omni illarum & illorum jurisdictione, potestate & superioritate, ac aliis superius expressis & concessis in locum, jus & privilegium Sedis & Cameræ prædictarum: ac constituentes eumdem Dominum Petrum Aloysium absentem, nobis Procuratore & Notario prædictis, ut supra, stipulantibus & recipientibus, super illis Procuratorem, ut in rem suam propriam; ita quod ex nunc in perpetuum ipse Dominus Petrus Aloysius & sui prædicti civitatibus Placentiæ & Parmæ prædictis, & aliis sibi, ut præfertur, concessis utantur & fruantur, deque & pro illis in judicio & extra experiantur, agant, defendant & excipiant, aliasque & alia faciant, quemadmodum Summus Pontifex & Camera Apostolica ante concessionem hujusmodi facere potuissent & poterant. Constituentes sese prædicti Reverendissimus Dominus Camerarius & alii Domini Camerales dictarum civitatum & aliorum, ut præfertur, concessorum possessionem realem & corporalem, vacuam, liberam & expeditam nomine ejusdem Domini Petri Aloysii, & pro eo tenere & possidere, donec & quousque ipse Dominus Petrus Aloysius corporalem actualemque possessionem hujusmodi fuerit ipso facto assecutus: dantes & concedentes nihilominus potestatem & liberam licentiam eidem Domino Petro Aloysio, licet absenti, me Notario & dicto Domino Joanne Nicolao Procuratore, nominibus, quibus supra, respective stipulantibus, possessionem hujusmodi, propria auctoritate, & sine alicujus judicis vel curiæ licentia vel mandato capiendi, intrandi, & apprehendendi & continuandi. Promittentes insuper de evictione pro dato & facto ipsius Cameræ & Sedis Apostolicæ tantum, & prout ex parte prædicti Domini Octavii supra promissum fuit.

Hanc autem infeudationem, dationem & concessionem, atque alia prædicta fecerunt & faciunt prædicti Reverendissimus Camerarius & Domini Camerales ex causis superius narratis, ac etiam mediante prædicta cessione per Illustrissimum Dominum Octavium de Ducatu Camerini & civitate Nepesina, ac etiam ex & pro eo, quia dictus Dominus Joannes Nicolaus procurator, etiam quatenus opus sit, cum promissione de rato, ut supra, promisit & convenit prædictis Reverendissimo Camerario & aliis Dominis Cameralibus, & mihi Notario pro Sede & Camera prædictis stipulantibus & recipientibus, quod Dominus Petrus Aloysius & sui, ut supra, annuatim in vigilia seu Festo Beatorum Apostolorum Petri & Pauli mensis Junii in recognitionem supremi dominii solvent eidem Cameræ summam novem millium Ducatorum auri de Camera. Et insuper nomine prædicto cessit & resignavit omnia & singula jura dicti Domini Petri

Aloysii in dicta civitate Nepesina, & in machinis ac tormentis bellicis, ibi existentibus, quomodolibet illi competentia, similiter & in omnibus & per omnia, sicut cessit dictus Dominus Dux Octavius. Conditiones autem & pacta, de quibus superius est facta mentio, sunt hujusmodi, videlicet: Quod ipse Dominus Petrus Aloysius censeatur, & sit investitus, ut supra, pro se & successive dicto Domino Octavio ejus filio, ipsiusque Domini Octavii filio primogenito, & sic in perpetuum pro filiis primogenitis & descendentibus masculis, quandocumque nascituris, ordine successivo, omnibus aliis exclusis; ita quod primogeniti hujusmodi intelligantur & esse debeant nati ex proprio utero legitimarum uxorum, constante matrimonio concepti, Rom. Pont. Imper. vel alterius cujuscumque Principis legitimatione seu qualibet alia dispensatione circa ipsorum filiorum legitimationem penitus & omnino exclusa. Et contingente casu, quod dictus Dominus Octavius aut ejus primogenitus, seu aliquis alius ex aliis futuris primogenitis prædictis decederent sine filiis masculis legitimis & naturalibus, ut præfertur, tunc sic decedenti succedat alius filius major natu superstes, & ex eo primogeniti, ut supra, descendentes & successive, ut supra: ita tamen, quod semper proximior ultimo defuncto succedat. Nullis vero ex ipsis Octavio & suis descendentibus exstantibus filiis masculis, & ut præfertur, legitimis & naturalibus, tunc & eo casu feudum hujusmodi transeat ad Illustrissimum Dominum Horatium, ipsius Domini Octavii fratrem, si exstabit: & ipso non exstante, aut exstante & postea moriente, in ipsius Horatii primogenitum, & successive de primogenito in primogenitum; & deficiente primogenito, in secundogenitum ultimo defuncti; ita quod semper hujusmodi feudum stet & remaneat unitum & integrum in domo & familia ipsorum Illustrissimorum Dominorum Petri Aloysii, Octavii & Horatii, ipsorumque primogenitorum masculorum naturalium & legitimorum supradictorum: qui tamen sint etiam laici ac clerici simplices habiles sine dispensatione ad matrimonium contrahendum, ita, quod existentes dumtaxat in sacris Ordinibus sint exclusi. Et si dicti masculi legitimi & naturales laici deficerent, tunc feudum ipsum deveniat & transeat ad tunc existentem de Successoribus Domus Farnesiæ antiquiorem clericum & virum Ecclesiasticum, secularem tantum, non autem Regularem Ordinem professum, feudatario tunc defuncto proximiorem legitimum & naturalem, etiamsi esset dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, vel alia quavis dignitate ecclesiastica ornatus, in sacris etiam sacerdotali ordine constitutus; hoc addito, quod, quotiescumque contra eos, aut eorum quemlibet pro quacumque etiam, quantumcumque criminali, & gravi, & gravissima causa quoquo modo procedendum erit, non possit procedi, & processus non valeat, & sit ipso jure irritus, nisi prius illo, contra quem procedendum erit, vel saltem suo Procuratore seu Oratore, nuncio aut negociorum gestore, in Romana Curia pro tempore residente personaliter citato, & de faciendo processum advisato & certiorato.

Itaque Dominus Petrus Aloysius & sui prædicti in omnibus & per omnia in civitatibus & feudo, omnibusque & singulis oppidis, terris, castris, locis & aliis prædictis possint condere Leges & Statuta, & ibidem conditas & condita, confirmatasque & confirmata emendare & moderari, prout Sanctæ Romanæ Ecclesiæ similes feudatarii de jure vel consuetudine facere possunt & consueverunt: nec non tam Placentiæ, quam Parmæ monetas, cujuscumque sortis, probas tamen & legitimas, etiam aureas & argenteas cudi facere, merumque & mixtum imperium, & gladii potestatem in cives, Comitativos, Barones, Comites, Marchiones, & alios quoscumque feudatarios, terras, castra, oppida, arces, fortalitia, & quæcumque alia loca in civitatibus, oppidis, terris, castris, locis, territoriis, Comitatibus & districtibus prædictis in feudum, seu alias a Romana Ecclesia & Camera Apostolica habentibus & tenentibus; ita quod illi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam separationum, dismembrationum, exemptionum, & immunitatum cujuscumque tenoris, eis forsan quomodolibet concessis, de cætero non amplius Sedem & Cameram prædictas, sed dictos Dominum Petrum Aloysium, & qui pro tempore fuerit juxta prædicta ejus Successor, in superiorem, loco Sedis & Cameræ prædictæ, recognoscere, ipsisque Domino Petro Aloysio & Successoribus etiam novum & de præsenti fidelitatis juramentum & obedientiam propterea quomodolibet debitam præstare teneantur. Et sive propter deficientiam familiarum & linearum, sive propter culpam vel delictum, aut alias quomodolibet feuda ipsa per illorum possidentes amitti seu aperiri, & ad Dominum devolvi continget, non ad Sedem & Cameram prædictas, sed ad ipsum Dominum Petrum Aloysium & suum futurum pro tempore Successorem aperiantur & devolvantur. Habeant quoque ipsi Domini Petrus Aloysius, & Octavius, & Successores prædicti jus, facultatem, auctoritatem, libertatem, privilegium vendendi omnem & quamcumque quantitatem salis, tam pro hominibus, quam pro quadrupedibus & aliis animalibus in civitatibus, terris, oppidis, castris, territoriis & locis prædictis, quomodolibet vendi hactenus consuetam, & in futurum necessariam, seu quomodolibet opportunam, pro pretio & pretiis, ac modis & temporibus, de quibus eis placuerit, etiam feudatariis, subditis, & aliis quibuscumque: & ne sal hujusmodi ab alio seu aliis emant, aut quomodolibet accipiant, sub quibusvis pœnis, & alias prout eis & eorum cuilibet videbitur, prohibendi: habeantque ipsi Domini, Petrus Aloysius & Successores per se vel alios, prout eis videbitur, plenam cognitionem omnium causarum & litium, quæ super temporalibus rebus in civitatibus & locis prædictis per inibi habitantes, & per quoscumque alios quomodolibet subditos pro tempore movebuntur, tam civiliter, quam criminaliter, occasione quarumcumque rerum, etiam feudalium, cujuscumque etiam notabilissimæ importantiæ, & in quibuscumque instantiis, usque ad totalem executionem. Et demum habeant, & habere, atque uti & potiri debeant omnibus & singulis etiam majoribus supradictis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, præeminentiis, quibus quicumque alii a prædicta Romana Ecclesia quocumque loco, & sub cujuscumque etiam Ducalis dignitatis titulo deputati feuda-

feudatarii utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum.

Et pro præmissorum majori validitate dictus Dominus Joannes Nicolaus procurator genuflexus nomine dicti Illustrissimi Domini Petri Aloysii, in manibus prælibati Reverendissimi Domini Camerarii juramentum fidelitatis præstitit sub hac forma, videlicet:

Ego Joannes Nicolaus Angelonus, Procurator Illustrissimi Domini Petri Aloysii de Farnesio, Ducis Castrensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Confalonerii, & gentium armorum Capitanei generalis, civitatumque Placentiæ & Parmæ cum illarum Comitatibus & districtibus, & aliis locis Provinciæ Lombardiæ tam ultra, quam citra Padum, feudatarii procuratorio nomine hujusmodi plenum homagium ligium, & vasallagium faciendi Sanctissimo Domino nostro, Domino Paulo Papæ III. ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro civitatibus Placentiæ & Parmæ & aliis locis prædictis, illarumque & illorum jurisdictionibus & pertinentiis universis, per vos Reverendissimum Dominum Camerarium & Cameram Apostolicam, etiam de mandato dicti Domini nostri Papæ dicto Domino Petro Aloysio, principali meo, & Domino Octavio ejus filio, & aliis eorum futuris Successoribus auctoritate Apostolica concessis, promitto, quod dictus Dominus Petrus Aloysius, meus principalis, ab hac hora in antea fidelis & obediens erit Beato Petro Apostolorum principi, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & dicto Domino nostro Paulo Papæ III. suisque Successoribus canonice intrantibus: nec erit in facto, consiliove aut consensu, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod ipsi Domino Petro Aloysio Dominus noster Papa & Successores prædicti per se vel literas, aut nuncios suos credituri erunt, ad eorum damnum scienter nemini pandet: & si sciet procurari vel tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, ne illud fiat, pro posse impediet; & si hoc impedire non poterit, illud ipsi Domino nostro Papæ vel Successoribus prædictis significare curabit. Papatum Romanum & Regalia Beati Petri, tam in civitatibus, & locis prædictis, quam alibi existentia, adjutor erit ad retinendum & defendendum, & ubi opus fuerit, recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones descriptas & contentas in Instrumento, quod super concessione & infeudatione civitatum & locorum prædictorum modo per præsentem Notarium legitur & stipulatur, ac omnia & singula, quæ continentur in eodem, plenarie adimplebit, & inviolabiliter observabit.

In signum autem proprietatis, superioritatis, & dominii, Domino nostro Paulo, & Successoribus suis prædictis in Romana Curia, ubicumque fuerit, novem millia Ducatorum auri de Camera pro censu annis singulis in Vigilia seu Festo Apostolorum Petri & Pauli de mense Junii dabit & assignabit, aut dare & assignare faciet suis sumptibus & expensis, similiterque faciet ipse Dominus Octavius, & alii ipsius Domini Petri Aloysii futuri Successores. Et ulterius militare subsidium, exercitus & cavalcatas, & alia quæ veri & fideles feudatarii ultra censum consueverunt facere, & exequi tenentur, faciet, & exequetur; & quod Dominus Octavius & alii Successores prædicti facient, præstent, & exequantur effectualiter, providebit. In prædictis quoque civitatibus & locis justitiam servabit, & servare pro posse faciet. Castra, villas, homines, jurisdictiones, seu quæcumque bona, jura civitatum, & territoriorum prædictorum, nisi, & quatenus vi & virtute concessionis ei factæ concedetur, sine vestro aut Successorum vestrorum mandato, & licentia speciali, non vendet, seu alienabit. Et insuper omnia & singula, quæ verus & fidelis feudatarius Ecclesiæ Romanæ facere debet & tenetur, & quæ in sacramento fidelitatis continentur, faciet & adimplebit juxta formam & continentiam literarum Apostolicarum super concessione civitatum & locorum prædictorum, & alias prout juris fuerit, faciet & adimplebit. Supradicta omnia & singula promitto & juro. Sic me DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

Quæ omnia & singula supradicta, & in præsenti publico Instrumento contenta, dictæ partes nominibus prædictis per solemnem stipulationem promiserunt, & convenerunt sibi vicissim, perpetuo, & perpetuis futuris temporibus firma, rata & grata habere & tenere, & contrafacere volenti in aliquo non consentire, sub omnium damnorum, interesse, & expensarum in judicio & extra faciendarum restitutione: quæ, qualia, & quanta sint, & de quibus damnis, expensis & interesse, ac illorum quantitate & numero, ipsæ partes stare & credere voluerunt pro plena & sufficienti probatione, cæteris probationibus postpositis. Et ulterius in pœna & sub pœna decem millium Ducatorum toties, quoties contraventum fuerit, eo ipso incurrenda: qua pœna commissa, soluta, vel non, firma & rata permaneant omnia & singula supradicta.

Pro quibus omnibus & singulis sic tenendis, complendis & inviolabiliter observandis prædicti Reverendissimus Dominus Camerarius, ac præsidentes & Clerici Cameræ hujusmodi & alii Camerales se ipsos, tanquam Camerales, & pro tempore existentem Camerarium & Camerales, ac eamdem Cameram Apostolicam, ac ipsius Cameræ Apostolicæ bona quæcumque, præsentia & futura, tam mobilia, quam immobilia, & Ecclesiæ Romanæ hujusmodi Status; Joannes Nicolaus vero se ipsum, nec non se ipsum Dominum Petrum Aloysium, Ducem, suum principalem, ac Octavium Farnesium etiam se ipsum, ac ipsorum Domini Petri Aloysii & Octavii hæredes & Successores, ac sua & hæredum, Successorumque hujusmodi bona quæcumque, præsentia, & futura, etiam feudalia hinc inde, prout quemlibet ipsorum concernit, singula singulis referendo, in pleniori forma Cameræ Apostolicæ obligarunt, & quilibet ipsorum obligavit, ac etiam Curiæ ejusdem Cameræ Domini nostri Papæ, ejusque pro tempore existentis Camerarii, Vice-Camerarii, Auditoris, Viceauditoris, Regentis, Locumtenentis, & Commissarii, ac omnium & singularum Curiarum Ecclesiasticarum & secularium, ubilibet constitutarum, jurisdictionibus, coercitionibus, compulsionibus, viribus, rigoribus, stilis, & meris examinibus supposuerunt & submiserunt: per quas quidem Curias & earum quamlibet in solidum,

dum, tam conjunctim, quam divisim voluerunt, & expresse consenserunt, se ipsos ac successores, hæredes & bona prædicta respective singula singulis referendo, posse & debere cogi, compelli, constringi, moneri, excommunicari, aggravari, reaggravari, & ad brachium seculare deponi, arrestari, capi, incarcerari & detineri, uno & eodem tempore vel diversis temporibus, per diversorum temporum intervalla usque ad plenariam & integram omnium & singulorum in præsenti Instrumento contentorum observationem, ac omnium & singulorum damnorum, expensarum & interesse præmissorum occasione, quomodolibet forsan patiendorum & sustinendorum refectionem & restitutionem; ita tamen, quod executio unius Curiæ executionem alterius non impediat, nec retardet, non obstante jure dicente, quod, ubi judicium cœptum est, ibidem finem accipere debeat: & qualibet alia juris & facti exceptione in contrarium faciente, non obstante.

Renunciaveruntque insuper dictæ partes, quibus supra nominibus, omni & cuilibet exceptioni doli mali, vis, metus, fraudis, læsionis, & machinationis, ac præsentis Instrumenti, non sic, ut supra præmittitur, celebrati & initi, alias plus vel minus fuisse factum, dictum, recitatum, & scriptum, & e contra, omnibusque aliis & singulis exceptionibus, auxiliis, & legibus, ac cavillationibus, & cautelis, quibus mediantibus contra præmissa vel eorum aliqua partes ipsæ, aut sui prædicti, dicere, facere vel venire, aut se tueri quovis modo possent, & specialiter juri dicenti, generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis & expressa. Et ibidem statim & in continenti partes ipsæ pro majori & tutiori cautela & observatione præmissorum sponte omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma, quibus melius potuerunt & debuerunt, fecerunt, constituerunt, creaverunt, nominaverunt, deputaverunt, & solemniter ordinaverunt suos veros, legitimos, & indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorumque suorum infrascriptorum gestores, actores, ac nuncios speciales & generales, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, videlicet egregios viros Dominum Martinum Romanum, & Alexandrum de Urbino, in Romana Curia causarum procuratores, ac Petrum Paulum Arditium, & Bartholomæum Capellum, Cameræ Apostolicæ, nec non Bonifacium de Bragia, & Adam de Invidia, dictæ Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Notarios, respective, omnesque alios & singulos procuratores & Notarios, qui nunc sunt, & pro tempore futuro erunt in Romana Curia: quorum nomina & cognomina hic habere voluerunt pro expressis, absentes, tanquam præsentes & eorum quemlibet in solidum, ita tamen, quod non sit melior conditio primitus occupantis, nec deterior subsequentis; sed quod unus ipsorum inceperit, alter eorumdem id prosequi, mediare, terminare valeat, & finire, et ad effectum debitum perducere specialiter et expresse ipsarum partium nominibus, et pro eis et qualibet earum, omni tempore, diebus feriatis, & non feriatis, quoties parti, præmissa servanti & adimplenti, placuerit et visum fuerit expedire, coram eisdem pro tempore existentibus Camerario, Vice-Camerario, Auditore, Vice-Auditore, Regente, Locumtenente, & Commissario, ejusdem & aliarum Curiarum prædictarum officialibus & judicibus, seu eorum Locumtenentibus comparentem: & contenta in præsenti Instrumento semel vel pluries confitendum, recognoscendum, & ad petendum, audiendum & recipiendum ad partis præmissa observantis instantiam omne præceptum, omnemque monitionem, condemnationem, sententiamque excommunicationis in partem præmissa non observantem, ejusque hæredes & bona prædicta ferant, proferant, promulgent, aggravent, reaggravent, aliosque processus reales & personales gerant & faciant, quos voluerint, & parti præmissa servanti placuerit & visum fuerit expedire, quousque omnia & singula, in præsenti Instrumento contenta, observata & adimpleta fuerint, juxta ejusdem præsentis Instrumenti seriem & tenorem, & generaliter omnia & singula faciendum, dicendum, gerendum, exercendum & procurandum in præmissis necessaria & opportuna. Promittentesque mihi Notario Publico infrascripto, tanquam publicæ et authenticæ personæ solemniter stipulanti et recipienti, nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest, intererit, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, se ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros totum id, et quicquid per dictos Procuratores constitutos, et eorum quemlibet actum, dictum, factum, gestum vel procuratum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum; Relevantes nihilominus eosdem ab omni onere satisdandi, judicioque sisti et judicatum solvi, cum quibusvis clausulis opportunis et necessariis sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum suorum, mobilium et immobilium, præsentium et futurorum, etiam feudalium, et qualibet alia juris et facti renunciatione, ad hæc necessaria pariter et cautela. Et voluerunt partes prædictæ, quod desuper omnibus et singulis præmissis et infrascriptis, et quolibet præmissorum et infrascriptorum unum vel plura insimul vel divisim possint et valeant extendi et dari Instrumentum et Instrumenta, ad sensum et dictamen sapientis ipsi Domino Petro Aloysio, et ab ipso solo etiam ipsis Reverendissimo Domino Camerario, et Dominis Cameralibus in suis eligendo: cui sic electo dederunt facultatem et auctoritatem, non mutata substantia, extendendi.

Et pro præmissorum omnium & singulorum majori robore & firmitate prædicti Domini Præsidentes & Clerici, ac Thesaurarius, & Domini Camerales, impetrata venia, demandarunt vices suas prædicto Reverendissimo Domino Camerario ad hoc, ut etiam nomine Cameræ Apostolicæ, & pro ipsis etiam consistorialiter, præmissa conjunctim vel divisim prælibato Domino nostro Papæ exponat, & suæ Beatitudini supplicet pro illorum confirmatione, prout moris est, in amplissima forma vel alias, prout Beatitudini suæ & sacro Collegio visum fuerit, desuper ordinet, mandet & disponat: & præmissa omnia & singula, in præsenti publico Instrumento contenta, tenere, complere, & inviolabiliter observare, ac contra ea seu eorum aliqua non facere, dicere vel venire, de jure vel de facto, & quovis quæsito colore: dictosque Procuratores suos, ut præfertur, constitutos, non revocare, seu revocari facere, donec & quousque præmissa omnia & singula

singula, in præsenti Instrumento contenta, observaverint, & adimpleverint, promiserunt & convenerunt: & ita Reverendissimus Dominus Camerarius, & alii Camerales, videlicet ad pectus, Dominus Octavius vero & Johannes Nicolaus tactis Scripturis Sacrosanctis ad Sancta DEI Evangelia, respective, jurarunt, et quælibet ipsarum partium juravit. Super quibus præmissis omnibus et singulis ipsæ partes dictis nominibus sibi a me Notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica fieri petierunt atque confici Instrumentum et Instrumenta.

Acta fuerunt præmissa Romæ in palatio Cancellariæ veteris in sala magna, sub anno, indictione, die, mense, et Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Reverendis et egregiis viris, Dominis Antonio Massa de Gallesio, J. U. D. Niculao Carulano, et Joanne Nicia, Cameræ Apostolicæ Connotariis, et Magnificis viris, Dominis Joanne Baptista Tophia, et Papirio Capisucco Patriciis Romanis, Jacobo Hermolao Cubiculario, et Stephano Palatino de Luca, scutifero, domesticis Sanctissimi Domini nostri Papæ, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et ego Michael Angelus Thomasinus de Ripa Transona, Clericus Firmanæ diœcesis, Cameræ Apostolicæ Notarius, quia præmissis interfui, rogatus præsens Instrumentum subscripsi et publicavi, signoque meo tabellionatus consueto munivi, requisitus in testimonium veritatis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, interpositionis, suppletionis, creationis, institutionis, insignitionis, decorationis, assignationis, voluntatis, investituræ, constitutionis, factionis, deputationis, mandatorum, concessionum, derogationis et decretorum, infringere. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, septimo Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno undecimo.

Ego PAULUS, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Jo. Do. Episcopus, Cardinalis Ostiensis.
Ego. Ja. Cardinalis Sadoletus.
Ego R. Cardinalis de Carpo.
Ego P. Cardinalis Bembus.
Ego V. Cardinalis de Gambara.
Ego A. Cardinalis Ariminensis.
Ego B. Cardinalis Guidiccionus.
Ego Jo. Cardinalis Moronus.
Ego M. Cardinalis Crescentius.
Ego Jo. Vincentius, Cardinalis de Aquaviva.
Ego R. Cardinalis de Mendoza.
Ego G. Cardinalis Consentinus.
Ego F. Cardinalis Amalphitanus.
Ego Fr. Tho. Cardinalis Sancti Silvestri.
Ego N. Cardinalis Ardinghellus.
Ego F. Cardinalis de Cæsis.
Ego A. Cardinalis Sancti Hadriani.
Ego F. Cardinalis Pisanus.
Ego N. Cardinalis Sanctorum Viti et Modesti.
Ego A. Cardinalis de Farnesio Vice-Cancellarius.
Ego G. Ascanius Sfortia, Cardinalis Camerarius.
Ego N. Cardinalis Cajetanus.
Ego Ja. Cardinalis Sabellus.
Ego A. Cardinalis Cornelius.

XLII.

Literæ Civitatis Placentinæ ad Paulum III. Pontificem Maximum, datæ, in quibus, se cruentam Petri Aloysii, Parmæ atque Placentiæ Ducis, mortem acerbissime dolere, significat, inque obedientia Sedi Apostolicæ debita constantissime esse perseveraturum promittit, d. d. 10. Septembr. Anno 1547.

Sanctissimo Domino nostro, Domino Clementissimo.

Santissimo Padre,

COn grandissima displicenza, e con le lagrime sugli occhi con questa nostra notifichiamo a Vostra Santità l' acerbo caso, oggi fra le quindici ore e mezza occorso, della morte del nostro Signor Duca, della quale tanto ne increfce a tutta la Città nostra, e ne resta così sconsolata, quanto avversità alcuna le avesse potuto occorrere. Non lasciamo ancora di significarle qualmente la Città di questo eccesso ne è innocentissima, e intende perseverare nella ubbidienza, fede, e divozione di Vostra Beatitudine, e di Santa Madre Chiesa umilmente supplicandola, che si degni tenerla in sua buona grazia, e non mancarle d' ogni opportuna difensione contra qualunque persona, che avesse pensato, o che pensi altramente. E così facendo fine, con ogni sommissione le baciamo il santo piede: e Nostro Signore Iddio la conservi lungamente felice.

Di Piacenza ai X. di Settembre 1547. a ore 17.

Di Vostra Santità.

Umilissimi e fedelissimi Sudditi.

Il Priore, gli Anziani, e i Richiesti della sua fedelissima città di Piacenza.

XLIII.

Literæ credentiales a Paulo III. Pontifice Maximo, ad Carolum V. Romanorum Imperatorem, exaratæ, inque causa Ducis Parmensis, Nuntio Sedis Apostolicæ, ad eundem ablegato, traditæ, d. d. 20. Septembr. Anno 1547.

Carissimo in CHristo Filio nostro Carolo, Romanorum Imperatori.

Carissime in Christo Fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

CRedimus, Majestatem tuam audivisse jam immanem et violentam cædem bonæ memoriæ Petri Aloysii Farnesii, nostri Parmæ et Placentiæ Ducis, a nonnullis sceleratis et impiis civibus Placenti-

centinis, ejus subditis, contra omnia, etiam Gentium Jura, et contra jusjurandum, per illos ei præstitum, perpetratam; idque tibi pluribus de causis displicuisse non dubitamus. Nos sane maximo cum dolore rem intelleximus. At illud, fili carissime, dolorem Nobis auxit, quod dilectum filium, Ferrantem Gonzagam, Mediolani pro tua Majestate Gubernatorem, Placentiam cum Magno Militum Præsidio ingressum fuisse, tuæque Majestatis nomine, sicut ipse jactitat, detinere, audivimus: id enim Nobis, qui tuam Majestatem semper dileximus, et huic Sanctæ Sedi, cujus peculiaris es Advocatus, molestissimum accidit, et Duci Octavio genero tuo, cujus erga te observantiam et fidem, si nunquam antea, in proximo Germaniæ bello cognoscere potuisti, tuisque ex eo nepotibus, ad quos Placentia pertinet, damnum intulit: sequutumque est, ut in tota fere Italia rumor percrebuerit, Majestatem tuam contra Nos et Sedem Apostolicam arma movisse. At agat Ille quicquid velit, Nos nunquam credere poterimus, Majestatem tuam his temerariis ausibus consensisse, aut ab eo gesta approbare debere. Scimus enim, quanto semper studio procuraveris, ne famam tuam, tanto sudore, tot vigiliis, tot præclare gestis a te partam, aliquo indigno facinore maculares, neve DEum omnipotentem, cui victorias tuas omnes semper acceptas referre solitus es, offenderes.

Licet autem Nos, tuam Majestatem sine ulla nostra instantia, his rebus intellectis, pientissimi et justissimi tui animi signum super illis jam dedisse putemus, tamen, ut Nobis ipsis in hoc satisfaciamus, mittimus ad Majestatem tuam Venerabilem fratrem, Fabium, Episcopum Nucerinum, Prælatum domesticum, et ad id specialem Nuncium nostrum, ut omnia plenius Majestati tuæ referat. Hortamur proinde ipsam tuam Majestatem, et omni, quo possumus, studio ab ea petimus, ut ipsum Fabium, Episcopum Nucerinum, virum ob suas virtutes et fidem Nobis gratum, cum fide audire, et pro ea summa spe, quam Nos et omnes nostri in te collatam habemus, si id nondum ab ea factum est, providere velit, ut ipse Ferrantes Placentiam Duci Octavio restituat, et quantum in eo fuerit, dicti Petri Aloysii Ducis necem tuæ Majestatis auctoritate, pro justitia & dictæ Sedis honore, ulciscatur. Sic enim Nos & omnes nostros, qui hujus beneficii memores semper erimus, tibi arctius devincies, & ortum de motis a te armis in Italia rumorem extingues, efficiesque, ut animi tui religionem & pietatem omnes agnoscant.

Datum Perusiæ, XX. Septembr. 1547. anno XIII.

XLIV.

Literæ Credentiales ejusdem, ad Ferdinandum I. Romanorum Regem, in causa Ducis Parmensis, eidem Nuntio datæ, d. d. 20. Septembr. Anno 1547.

Carissimo in Christo filio nostro, Ferdinando, Regi Romanorum electo.

Paulus Episcopus, Servus Servorum DEI, Carissime in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

AFfecti magno dolore, ob indignam & violentam cædem bonæ memoriæ Petri Aloysii Farnesii, Parmæ & Placentiæ Ducis, & ob occupatam Placentiam a Ferrante Gonzaga, Mediolani Gubernatore, qua in re ipse Ferrantes nomen etiam Serenissimi Cæsaris, fratris tui, admiscet, mittimus ad ipsum Cæsarem Venerabilem fratrem Fabium, Episcopum Nucerinum, Nuncium nostrum, præsentium exhibitorem, Placentiæ restitutionem ab ejus Majestate petiturum, sicut plenius ab eo intelliges. Quamobrem hortamur & requirimus Serenitatem tuam in Domino, ut pro tua solita probitate & in Nos observantia, ipsum Fabium, Episcopum Nucerinum, cum fide audire, eique omni tua gratia & auctoritate apud ipsum Cæsarem adesse velis. Facies in hoc rem Nobis gratissimam, & ipsius Cæsaris honori & gloriæ consules.

Datum Perusiæ XX. Septembris 1547. anno XIII.

XLV.

Monitorium Julii III. Pontificis Maximi, in quo Octavius Farnesius, Parmæ & Placentiæ Dux, citatur, ut se Romæ coram Sede Apostolica sistat, seque alterius Principis stipendia nec cepisse, ejusque servitium acceptasse, nec in Civitate Parma præsidium admisisse, nec denique aliquas pactiones, hanc ipsam Civitatem concernentes, cum aliis Principibus fecisse, suamque ipsis adstrinxisse fidem, defendat, ac pro se verba faciat, d. d. 3. Idus Aprilis, Anno 1551.

JUlius Episcopus, Servus servorum DEI, ad futuram rei memoriam. Sicut humiles et pacificos, ac Nobis et Sedi Apostolicæ obsequentes subditos nostros, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ feudatarios benigno favore et summa liberalitate complecti consuevimus, ita inobedientes, et Apostolicæ auctoritatis contemptores, ac qui pacificum ipsius Ecclesiæ statum pro privato eorum interesse perturbare velle videntur, juxta eorum inobedientiam severe coërcere et castigare cogimur, ne horum exemplo cæteri audaciam capiant delinquendi.

Dudum siquidem cum dilectum filium, Nobilem virum, Octavium Farnesium, Ducem Parmæ, officii sui quod erat, postquam noster et prædictæ Ecclesiæ Confalonerius et Capitaneus generalis, ac feudatarius et stipendiarius existebat, et tanquam talis obedientiam Nobis publice præstiterat, nullius Principis stipendia sine nostra expressa licentia capere, nullumque alienum præsidium in civitate Parmæ, cujus directum Dominium ad Nos et dictam Sedem pertinet, recipere, per diversos ejus Nuncios ac Secretarios, et dilectum filium nostrum Alexandrum, Sancti Laurentii in Damaso Diaconum Cardinalem, Farnesium nuncupatum, ejusdem

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarium, fratrem suum germanum, et postremo per dilectum filium Petrum Camajanum, Cubicularium nostrum secretum, ad ipsum Octavium Ducem ad hoc specialiter destinatum, paterne admonuissemus, et dictus Octavius Dux admonitioni nostræ hujusmodi responsum, sua obedientia dignum, et quod expectabamus, non dedisset, Nos eidem Octavio Duci per nostras in forma Brevis literas sub pœna rebellionis & læsæ Majestatis, ac confiscationis omnium bonorum suorum, & amissionis privilegiorum & feudorum, quæ ab eadem Sede habebat, & præsertim civitatum Parmæ & Placentiæ, eo ipso, quod contra fecisset, per eum incurrendam, præcepimus, ne ad alicujus Principis stipendia aut servitia transiret, neve alicujus etiam Principis præsidium in dicta civitate Parmæ admitteret aut reciperet, nec aliquam pactionem aut promissionem, eandem civitatem Parmæ concernentem, faceret; & si quam fecerat aut fieri mandaverat, revocaret & irritaret, prout in eisdem literis plenius continetur. Et deinde cum Nobis, vaga fama referente, innotuisset, quod dictus Octavius Dux contra admonitiones & literas nostras hujusmodi ad alterius Principis stipendia aut servitia sine licentia nostra transire, & alienum præsidium in dicta civitate Parmæ admittere, ac diversas pactiones & promissiones, civitatem ipsam Parmæ concernentes, cum aliis Principibus facere præsumpserit, in maximum nostrum & ejusdem Sedis præjudicium, vilipendium & contemptum, tunc almæ Urbis nostræ pro Nobis & dicta Ecclesia Gubernatori mandavimus, ut ex ejus mero officio, seu ad instantiam dilecti filii, Procuratoris nostri fiscalis, summarie & extrajudicialiter procedendo, de præmissis omnibus, & singulis aliis circa ea necessariis, etiam per examen testium, se diligenter informaret, & quod superinde reperisset, Nobis fideliter referret.

Cum autem dictus Gubernator Nobis postmodum retulerit, sibi ex diversis testibus coram eo super præmissis inductis & juratis, ac diligenter examinatis, de præmissis omnibus per publicam famam constitisse, Nos ex relatione hujusmodi eo gravius commoti, quominus ea ab eo, quem innumeris beneficiis & paternis officiis cumulaveramus, Confalonerio, Capitaneo generali, feudatario & stipendiario nostro, expectabamus; licet contra eundem Octavium Ducem ad declarationem incursus pœnarum prædictarum absque alia ulteriori mora aut citatione, præsertim stante notorietate facti, quod nulla tergiversatione negari potest, procedi conveniret; nihilominus volentes potius Nobis innatam benignitatem & mansuetudinem sequi, quam ad ipsius Octavii Ducis culpam respicere, motu proprio, non ad alterius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione & certa scientia nostris eundem Octavium Ducem in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ac anathematis & maledictionis æternæ, nec non criminum læsæ Majestatis & rebellionis, ac depositionis omnium & singulorum titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, nec non privationis dictæ civitatis Parmæ, quam ex nunc, prout ex tunc, & e contra, eidem Sedi Apostolicæ per Nos & Successores nostros, Romanos Pontifices, pro tempore existentes, nunquam infeudandam, nec alio quovis modo alienandam, sed semper pro eadem Sede jure proprio, etiam quoad utile Dominium, retinendam, restituimus & reincorporamus, ac quarumcumque aliarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum, & aliorum bonorum ac feudorum, tam ecclesiasticorum, quam temporalium, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa inposterum obtinenda, perpetuæque infamiæ, ac convictorum & confessorum criminum & reatuum præmissorum omnium, nec non aliis tam a jure, quam ab homine contra similia perpetrantes inflictis censuris & pœnis, per eum ipso facto incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium requirimus & monemus, quatenus infra terminum triginta dierum a publicatione præsentium, modo infrascripro facienda, immediate sequenda, quorum decem pro primo, ac alios decem pro secundo, & reliquos dies decem pro ultimo & peremptorio termino ac monitione canonica, ipsi Octavio Duci assignamus, compareat legitime coram Nobis, ad se super præmissis omnibus & singulis realiter & cum effectu defendendum, excusandum & expurgandum, ac se alterius Principis stipendia non cepisse, nec ejus servitium acceptasse, nec alienum præsidium in dicta civitate Parmæ admisisse, nec aliquas pactiones aut promissiones, ipsam civitatem Parmæ concernentes, cum aliis Principibus fecisse, docendum: & quod de cætero præmissa aut eorum aliqua absque nostra speciali & in scriptis habita licentia non faciet, nec facientibus consentiet, sufficienter arbitrio nostro cavendum, & fidejubendum, alias ad videndum & audiendum se, quem ex nunc, prout ex tunc, & contra, ad primam diem, ipsos triginta dies immediate sequentem, qua Consistorium fieri contigerit, citamus & requirimus ad videndum & audiendum, se majoris excommunicationis & anathematis, ac maledictionis æternæ sententiam, ac criminum læsæ Majestatis & rebellionis, nec non depositionis titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, ac privationis ejusdem Parmensis, & quarumcumque aliarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum & aliorum bonorum & feudorum prædictorum, nec non inhabilitatis ad illa & alia quæcumque in posterum obtinenda, perpetuæque infamiæ, ac convictorum & confessorum criminum & reatuum præmissorum omnium, nec non alias pœnas & censuras prædictas incurrisse, & tanquam talem puniendum esse, declarari: nec non se ac omnia & singula loca, in quibus eum esse, vel ad quæ eum ire contigerit, arctissimo ecclesiastico interdicto per quoscumque inviolabiliter observando, subjici & supponi, ac contra eum auxilium brachii secularis quorumcumque Principum & Regum Christianorum, et præsertim Carissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, decerni, invocari et implorari, ac ad ulteriora etiam executive, et manu forti et armata, coactoque et congregato exercitu procedi, nec non definitivam, declaratoriam, privativam, et si opus sit, condemnatoriam sententiam desuper ferri et promulgari, aliasque et alia fieri, prout justum fuerit, et justitia suadebit.

Certificantes eundem Octavium Ducem, quod sive comparuerit, sive non, nisi se nostris in forma Brevis literis prædictis paruisse, & se alterius Principis stipendia non cepisse, nec alienum præsidium in dicta civitate Parmæ admisisse, nec aliquas pactiones aut promissiones, ipsam civitatem Parmæ concernentes, cum aliis Principibus fecisse, legitime docuerit, & quod de cætero præmissa aut eorum aliquod absque nostra speciali & in scriptis habita licentia non faciet, nec facientibus consentiet, sufficienter, arbitrio nostro, caverit & fidejusserit, ad declarationem incursus sententiarum, censurarum, & pœnarum prædictarum, ac definitivam, declaratoriam, privativam, & si opus est, condemnatoriam sententiam, aliaque præmissa uno & eodem contextu, ac una & eadem Consistorii die, justitia mediante, procedemus & procedi faciemus.

Et quoniam cogitationes pacis quotidie cogitamus, nec eam quoquo modo turbari volumus, ne interim in eadem civitate Parmæ aut circa illam, vel illius occasione aliquid innovetur, nec quicquam in nostri & dictæ Sedis præjudicium attentetur, motu & deliberatione, ac scientia similibus dilectos filios, nobiles viros, universos & singulos, nostros & ejusdem Ecclesiæ in temporalibus vicarios, nec non Duces, Principes, Comites, Barones, Dominia, Magistratus, Communitates & Universitates, ac singulares personas civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum locorum, Nobis & Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectorum, nec non quoscumque alios, cujuscumque status, gradus, conditionis & præeminentiæ existant, & quacumque ecclesiastica aut seculari dignitate præfulgeant, ex parte omnipotentis DEI ac per viscera misericordiæ Domini nostri JEsu Christi, Apostolica auctoritate & tenore prædictis, hortamur & requirimus, ac monemus, eisque, subditis videlicet nostris, sub præmissis pœnis, aliis vero non subditis sub interminatione divini judicii districtius præcipiendo mandamus, quatenus interim quovis titulo, colore, vel prætextu defensionem aut protectionem ipsius Octavii Ducis assumere, aut arma pro eo capere, seu sibi, aut dictæ civitati Parmæ commeatus aut alicujus sortis victualia seu pecunias, etiam cedularum depositi aut cambii, subministrare, vel aliquod auxilium, consilium, favoremve præstare quoquo modo, directe vel indirecte, non audeant vel præsumant.

Ut autem præmissa omnia ad omnium, quorum interest, præsertim ipsius Octavii Ducis, ad quem personaliter monendum & citandum tutum non patere accessum Nobis notorie constat & sic est, attestamur & declaramus, notitiam deducantur, præsentes literas in Basilicæ Sancti Petri, & Cancellariæ Cameræ Apostolicæ valvis seu portis, & in acie campi Floræ de Urbe affigi volumus & mandamus ad hoc, ut requisitiones, monitiones, citationes, hortationes, præceptum & mandatum nostrum hujusmodi, suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio, publicentur, & Octavius Dux & alii, ut præfertur, requisiti & citati ac moniti, quod ad eorum notitiam non pervenerint, aut præmissa ignoraverint, nullam possint prætendere excusationem, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, apud eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Volumus etiam, & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quod hujusmodi requisitiones, monitiones, & citatio in eisdem valvis & acie intimatæ, valeant, & sub præsentibus comprehensos arctent, quacumque constitutione Apostolica contraria non obstante, perinde ac si illis personaliter & præsentialiter intimatæ & insinuatæ extitissent, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non civitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, literis Apostolicis Octavio Duci, & aliis prædictis sub quibuscumque tenoribus & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis quomodolibet, etiam infeudatione dictæ civitatis Parmæ per felicis recordationis Paulum, Papam III. Prædecessorem nostrum, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiam disponentibus contra Ducem Parmæ pro tempore existentem, nisi ex machinatione in propriam personam Romani Pontificis, procedi non posse. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad id servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ restitutionis, reincorporationis, assignationis, citationis, certificationis, cogitationis, hortationis, requisitionum, monitionum, attestationis, declarationis, mandati, voluntatum, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

XLVI.

Tabulæ Fœderis inter Henricum II. Galliæ Regem, atque Octavium Farnesium, Parmæ Ducem, contra Carolum V. Romanorum Imperatorem, initi, d. d. 27. Maji, Anno 1551.

FUrent presens & personnellement establis Messeigneurs Charles Cardinal de Lorraine, Duc de Guise, Pair de France, Anne Sieur & Baron de Mommorancy, Connestable & Grand maistre, & Jaques Dabbon, Sieur de sainct Andre, Marechal de France au nom & comme procureurs generaux & speciaux du Roy trés-Chretien Henry second, nostre Souverain Seigneur, suffissament fondé de lettres de Procuration & pouvoir de Sa Majesté en cette partie, dont la teneur est cy aprés de mot a mot inserée d' une part. Et le Seigneur Horace Farnaise Chevalier de l' ordre de Sa Majesté fondé quand au cas qui s' offre de present du Seigneur Octavio Farnesi, Duc de Parme & de Plaisance, son frere, ainsy, qu' il appert par les lettres de procuration pareillement inserée de mot a autre a la fin de ces presentes, lesquels Seigneurs procureurs dessus nommés d' une part & d' autre ont pardevant nous Notaires & Secretaires du Roy & de la maison & couronne de France soubsignés respectivement confessé avoir fait passe, transigé & accordé les traictés accords, capitulations & conventions, qui s' ensuivent, suivant les offres, qui par cy devant ont esté faictes au Roy de la part du dict Duc Octavio liberalement, & de son bon gré, c' est a savoir:

De servir sa Majesté perpetuellement avec ses personnes & Estats fils, & freres les Reverendissimes Cardinaux de Farnese & sainct ange, & ledict Duc Horace, des quels il se faict & porte fort en ce contre quelque personne que ce soit, excepté contre le sainct Siege, & en signe de ce hausser la banniere de France, en ses villes, & places, lieux & endroicts de sa jurisdiction & s' il se presente occasion, que le Roy voulut que luy, ou l' un, ou l' autre des dicts freres vint par deça vers sa Majesté, ils y viendront a son simple mandement.

Que venant a mouvir le dict Duc Octave avant que son fils qu' il a vivant soit en aage, son dict fils, les ville & chactau de Parme, avec les autres places, & forteresses de son dict Estat, seront consignés par ceux, qui en ont, ou auront lors la garde es mains premierement du Cardinal Farnese, aprés du Cardinal sainct Ange, & pour le dernier du Duc Horace afin qu' il ne soit en la puissance de la mere, estant fille de l' Empereur, d' en disposer a son plaisir, & sera envoyé au Roy le double devement collationné & approuvé dedans deux mois prochainement venants de la promesse & acte de serment, qu' ont sur ce faict, & feront avec cet accord & capitulation, les Capitaines & autres ayans la garde des dittes villes, chasteaux & forteresses, & encores ledict cas advenant du trespas du dict Duc Octave, celui es mains de qui se fera la consignation dessusdicte fera & baillera incontinent apres icelle faicte semblable promesse, & obligation a Sa Majesté, que presentement ledict Duc luy fait quant a ce point. Qu' iceluy Duc n' acceptera jamais party, ne accord de l' Empereur, encore qu' il luy voulust restituer Plaisance, sans premierement le faire entendre au Roy, & avoir sur ce son consentement, auquel Empereur il envoyera le collier de son ordre qu' il luy avoit par cy devant baillé.

Que voulant par cy aprés Sa Majesté faire & dresser quelque masse, ou assemblée de ses forces en Italie, pour aucune occasion, ou entreprise, qui le pourroit a ce mouvoir, & que pour cet effet il veville s' ayder & accommoder de la dicte ville de Parme, & desdictes places & forteresses qui en dependent, ses gens y pourront entrer forts & foibles, comme & autres de son obeissance, pour y estre aydés & secourus de ce, qu' ils auront à faire.

Lesquelles offres & promesses telles que dessus, le dict Sieur Duc Horace, pour & au nom, & comme procureur de son dit Frere le Duc Octave a derechef faictes, & promises, & accordées, fait, promet, & accorde au Roy par devant nous es presences des dicts Seigneurs, Cardinal de Lorraine & Duc de Guise, de Mommorancy, & de Sainct André, Connestable & Mareschal de France, procureurs de sa dite Majesté, qui au dict nom les ont acceptées & reçeuës, acceptent & reçoivent, & en ce faisant ont pour ledict Sieur retenu & retiennent le dict Duc Octave au Service de sa dite Majesté & sous les conditions dessus declarées, promis & accordées, promettent & accordent au nom que dict est, qu' iceluy Duc Octave avec sa ville & son estat de Parme, & ses legitimes Successeurs seront & demeureront doresnavant en la protection & garde du dict Sieur Roy, pour par luy les deffendre & garder envers & contre tous sans nul excepter, & que pour la dicte garde & conservation des dictes ville & estat de Parme avec les places fortes qui en dependent, sa dicte Majesté entretiendra & soldoyera le nombre de quinze cens hommes de pied & deux cens chevaux legers qu' il fera payer par chascun mois de leur solde, & advenant l' occasion d' un siege en la dicte ville de Parme par une armée & force notable, la dicte garde se croistra & augmentera de quelques nouvelles & autres bandes, qui seront mises sus pour faire une force suffisante, pour l' entiere conservation & defense du dict Parme, & des places du dict estat qui se pourront garder, & seront les capitaines de telles bandes nouvelles nommés & mis par le Roy tels qu' il les voudra choisir, voulant & accordant Sa Majesté, que Paul Vitelle, Lieutenant du dict Duc Octave soit Superintendant general & commande aux dictes bandes, tant de gens de pied, que de chevaux legers durant le temps qu' ils seront a Parme, & au Parmesan, & aura du Roy par chascun mois cent escus d' estat.

Tous le quels gens de pied, & de chevaux legers avec leurs Capitaines feront le serment & jureront selon la forme qui en a esté pour ce baillée au dict Duc Horace au nom que dessus de bien & loyaument servir le Roy envers & contre tous sans nul excepter sous le dict Duc, & soubs la charge de leurs Capitaines particuliers, & du dict Paul Vitelle Superintendant general sur les dittes

dittes bandes pour la protection du dict Duc Octave Farnese & ses legitimes Successeurs, seureté, deffense, & conservation de ses villes, chasteaux, & Estat de Parme, ou de la place en la quelle les bandes, qui feront le dict serment establi pour y tenir garnison & tout selon & ainsy qu' il leur a esté commandé de par sa dicte Majesté, sans prejudice de la fidelité qu' iceluy Duc doit a nostre sainct Pere, & au sainct Siege, comme son feudataire.

Et pour ayder au dit Seigneur Octave a supporter & entretenir la deffense, qu' il' est, & sera tenu de faire, il aura par maniere de pension la somme de huict mille escus par chascun an, qui luy seront payès par ses simples quittances, & la ou le Cardinal Farnese son Frere viendroit a perdre aucuns de ses benefices, soubs pretexte, & al' occasion d' estre intervenu en ce present traicté, & accord, le Roy sera tenu l' en recompenser, aussy ne sera par sa dicte Majesté faict aucun accord ne appoinctement de nouveau avec l' Empereur, que ledict Duc Octave avec son dict estat ny soit compris.

Et dautant que les dictes bandes de gens de pied & de chevaux legers selon & ainsy, que dict est cy dessus, doivent estre payés & soldoyés par le Roy, sa Majesté deputera un gentil-homme des siens pour commissaire, avec un Controlleur de ses guerres, pour assister & estre presents a faire les monstres en la maniere accoustumée tant des dicts gens de pied que de cheval, afin de voir si le nombre des dites bandes sera complet sous leurs enseignes, en quel estat ils se trouveront, expedier les roolles & acquists des dicts monstres, & faire observer les ordonnances de sa dicte Majesté.

Toutes lesquelles choses cy dessus declarées avec ce, qui en depend, les dicts Sieurs procureurs dessus nommés ont pour & au nom des dicts leurs constituans & en vertu de leur dict pouvoir & procuration, promis & accordé respectivement l' un a l' autre avec les obligations & submissions en tels cas requises, entretenir, garder, & observer inviolablement, & le tout faire ratifier & aggréer, par les dicts Sieurs constituans, & chascun d' eulx en droict soy soubs leurs seings & scélé en la meilleure & vallable forme que faire se pourra de dans le terme susdict de deux mois prochainement venans. En tesmoin de ce ils ont signé de leurs mains ces presentes, lesquelles par nous reçeuës nous avons, à leur requeste, pareillement signées & approuvées avec les dessus dittes promesses, & obligations & submissions, que de droict & raison ils ont respectivement peu & deub faire l' un a l' autre es noms & qualités que dessus. Faict à Amboise le vingt septiesme jour de May, 1551.

XLVII.

Bulla Julii III. Pontificis Maximi, in qua Octavium Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, ob commissum feloniæ crimen, non solum Ducatu Parmensi ac Placentino, omnibusque inde pendentibus titulis, juribus atque dignitatibus privavit; verum etiam arctissimo interdicto Ecclesiastico subjecit atque supposuit, d. d. 11. Kal. Junii, Anno 1551.

JUlius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis auctoritas super omnes fidelium nationes, Nobis, disponente Domino, concessa, exposcit, ut adversus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vasallos, qui gratiis & donis, in eos a Sede Apostolica collatis, abutentes, contra eandem Ecclesiam cornua erigere, & illius mandatis resistere temere præsumunt, nec moniti resipiscunt, mucrone spirituali & alias, prout expedire dignoscitur, exsurgat, ut, quos DEI timor ab illicitis non revocat, severitas coërceat disciplinæ. Sane Nos hodie contra iniquitatis filium, Octavium Farnesium, olim Ducem Parmæ, infra scriptis literis nostris monitorialibus non parentem, procedentes, nostram definitivam contra eum in scriptis tulimus sententiam sub hujusmodi tenore, videlicet:

Dudum emanavit a Nobis Monitorium contra Octavium Farnesium in nostris literis sub plumbo, & juxta earumdem dispositionem fuit executioni legitime demandatum tenoris, ut sequitur, videlicet:

Julius Episcopus &c. *vide præcedens Monitorium d. d. 3. Id. April. Anno 1551.*

Cum autem in termino præscripto triginta dierum assignato idem Octavius non modo non comparuerit, nec docuerit, aut doceri fecerit, se contentis in Monitorio paruisse, nec se, ut tenebatur, expurgaverit per se, vel per alium saltem legitime & sufficienter; sed omnino contravenerit, & continue magis pertinaciter in contraventionibus perseveret, sitque hæc dies, qua contingit immediate primum fieri Consistorium post lapsum supradictum assignatum terminum, ad quam ipse est citatus & requisitus ad videndum & audiendum nostram super his declarationem & sententiam, etsi ad benignitatem & clementiam semper erga omnes propensi fuimus, foreque in dies magis cupimus; nihilominus, ne ubi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & urgens jus publicum exposcit, justitiæ partes negligere videamur, & ex tolerantia præbere ansam nonnullis in deteriora prolabendi cum gravi scandalo, etiam inter præcipuos Christianos Principes, Nos Julius Divina providentia Papa III. in throno justitiæ Apostolicæ Sedis pro tribunali sedentes, & solum DEum præ oculis habentes, per hanc nostram declaratoriam & sententiam definitivam, quam, Domini nostri JEsu Christi Redemptoris, ejusque gloriosæ Matris Mariæ semper Virginis nominibus invocatis, in his scriptis ferimus, Octavium Farnesium supradictum in causa & causis in nostris monitorialibus literis prædictis contra illum decretis & executioni demandatis contenta & contentis, & illarum occasione, rerum, ut supra, monitum, & qui nunquam per se vel per alium saltem legitime & sufficienter de præmissis vel aliquo eorum expurgavit, nec paruisse Monitorio docuit aut doceri fecit, imo in dies magis contravenerit, & pertinaciter perseverando contraveniat, & quæ ad supradictum terminum & usque ad hanc diem exspectavimus, per complurium attestationem ac per publicam vocem & famam, nec non per plures & diver-

diversas epistolas & documenta, in actis causæ & causarum hujusmodi etiam per dilectum filium nostrum, & nostræ Cameræ Apostolicæ Procuratorem fiscalem reproductas & repetitas, reproducta & repetita, ac etiam per facti permanentis notorietatem, & de quibus delictis & reatibus plenam, certam, & indubitatam notitiam habuimus & habemus: & cum adeo ea sint manifesta, indubitata, & nullo modo excusabilia, prout sunt, & prout decernimus, & declaramus, & determinamus, ea sic fuisse & esse culpabilem repertum & de jure punibilem, ac etiam propter non paritionem literarum nostrarum Apostolicarum prædictarum, monitorialium, excommunicationis majoris latæ sententiæ, anathematis & maledictionis æternæ, nec non criminum læsæ Majestatis ac rebellionis, & depositionis omnium & singulorum titulorum, honorum, officiorum & dignitatum, nec non privationis civitatis Parmæ, nunquam per Nos, aut Successores nostros, pro tempore Romanos Pontifices, infeudandæ, nec alio quovis modo alienandæ, sed semper pro eadem Sede, jure proprio, etiam quoad utile Dominium restituendæ, reincorporandæ & retinendæ, prout ex nunc illam restituimus & reincorporamus, & aliarum quarumcumque civitatum, terrarum, castrorum, locorum, domorum, palatiorum, & aliorum bonorum & feudorum, tam ecclesiasticorum, quam temporalium, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinendum, perpetuæque infamiæ, ac convictorum & confessorum criminum & reatuum, de quibus culpatur: nec non alias quascumque tam a jure, quam ab homine contra similia perpetrantes, ac in literis prædictis nostris Monitorialibus contentas censuras & pœnas, damnabiliter incurrisse & incidisse, & ut talem eum fore & esse puniendum, & ab omnibus Christi fidelibus vitandum, ex certa nostra scientia, ac de plenitudine Apostolicæ potestatis, decernimus & declaramus.

Necnon eundem Octavium, & omnia & singula loca, in quibus esse, vel ad quæ ipsum ire contigerit & ibi morari, arctissimo ecclesiastico interdicto, per quoscumque inviolabiliter observando, subjiciendum & supponendum fore & esse, prout subjicimus, & supponimus, ac contra eumdem auxilium brachii secularis quorumcumque Principum & Regum Christianorum, præsertim Carissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti decernendum, invocandum, implorandum, prout decernimus, invocamus, & imploramus, & ad ulteriorem executionem manu forti, etiam armata, coactoque & congregato exercitu procedendum fore & esse, prout procedi decernimus, & mandamus, nec non constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac etiam civitatum & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Octavio ipsi, & aliis prædictis, & sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam quomodolibet infeudatione dictæ civitatis Parmæ per felicis recordationis Paulum Papam III. prædecessorem nostrum concessis; ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiam disponentibus contra Ducem Parmæ pro tempore existentem, nisi ex machinatione in propriam personam Romani Pontificis vel manifesta hæresi procedi non posse. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad id servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes specialiter per hanc nostram sententiam et tenore præsentium cum decreto irritanti, si secus contigerit attentari, ac etiam expresse derogamus et contrariis quibuscumque, etiamsi communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Insuper cum ipse Octavius, ut ex præmissis constat, Nobis infidelis, et inobediens ac rebellis fuerit et sit, ac propterea facto et culpa sua ab omni jure infeudationis, homagii et juramenti, sibi a feudatariis subditis & vasallis, ipsius civitatis etiam, vel aliis pro eo recipientibus quomodolibet dati vel præstiti, ceciderit, ideo eandem civitatem Parmæ, tam Communitatem ipsam & generale Consilium in communi, quam omnes & singulos ecclesiasticos & seculares, tam in dicta civitate, quam in ejus pertinentiis, Comitatu & districtu habitantes, vel aliter degentes & existentes, ac feudatarios & vasallos omnes, & quomodolibet interesse habentes, arcium & portarum castellanos & custodes quomodolibet inservientes, a quocumque vinculo juramenti fidelitatis, verbi, parabolæ, promissionis & obligationis quomodocumque & qualitercumque eidem Octavio, seu alteri vel aliis pro eo præstiti, dati, facti & promissi, respective, amplissime ex eadem nostra scientia et Apostolicæ potestatis plenitudine in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus, literasque propterea Apostolicas super hujusmodi sententia nostra, ac declarationibus et decretis omnibus desuper necessarias et opportunas decernendas et concedendas, et expediendas atque tradendas fore, prout decernimus, concedimus, expediri et tradi mandamus, etiam cum omnium tam juris, quam facti, et quarumcumque aliarum solemnitatum, etiam substantialium, omissarum et processuum desuper nulliter seu non rite forsan habitorum defectum ex similibus sententia, plenitudine et suppletione.

Ita pronunciavi J.

Ne igitur super præmissis ab aliquo hæsitari contingat, aut eorum ignorantia allegari possit, motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præsentes literas ad sententiam nostram prædictam, ac omnia et singula alia præmissa ubique in judicio et extra plenissime probanda, sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam ejusdem Romanæ Ecclesiæ

Ecclesiæ Cardinales, et eorum Collegium, in quacumque causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi auctoritate et facultate, judicari et definiri debere, ac si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Et nihilominus universis et singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, et quarumvis aliarum Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, nec non aliis personis ecclesiasticis, etiam quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, Religiosis exemptis et non exemptis, ubique locorum, et præsertim in Italia constitutis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, in eorum Ecclesiis, Dominicis et aliis festivis diebus, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicent, et ab aliis publicari faciant et permittant. Cæterum quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus earum publicatio necessaria erit, deferri, volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, ut earum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Prælati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in literis monitorialibus ac sententia prædictis voluimus non obstare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo, XI. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

XLIIX.

Breve Julii III. Pontificis Maximi, ad Ferrantem Gonzagam, Gubernatorem Mediolanensem, directum, in quo eum expeditionis adversus Octavium Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, Parmæ Civitatis recuperandæ causa susceptæ, Capitaneum Sedis Apostolicæ generalem declarat atque constituit, d. d. 6. Junii, Anno 1551.

Dilecto filio, Nobili Viro, Ferranti Gonzagæ,

Julius Episcopus, Servus servorum DEI, Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

CUm nihil Nobis hoc tempore magis cordi sit, quam ut Civitatem nostram Parmæ, vel pacis, ut esset Nobis gratius, vel quacumque alia via pro hac Sancta Sede recuperemus, ejecto inde Octavio Farnesio, quem omni jure, quod in illa habere prætendebat, ob ejus notoriam defectionem et rebellionem, ac alias justas et rationabiles causas, de quibus in processu contra eum formato, et sententia per Nos lata, privatum esse declaravimus: et ad hanc recuperationem brachium seculare carissimi in Christo filii nostri Caroli, Romanorum Imperatoris semper Augusti, invocaverimus; hortamur te, ut cum exercitu et militibus ipsius Imperatoris, quibus præs, expeditionem hanc prompto animo suscipere, et recuperationi ipsius civitatis pro hac Sancta Sede totis viribus et omni conatu incumbere velis. Nos enim, quantum ad Nos spectat, te hujus expeditionis Capitaneum Generalem cum omnibus prærogativis, honoribus, præeminentiis et auctoritatibus solitis et consuetis pro Nobis et dicta Sede facimus, creamus, et deputamus, supplentes omnes ceremonias et solemnitates, in similibus fieri solitas, quas ob temporis brevitatem omittimus; volentesque, ut ante te vexillum nostrum et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et alia quæcumque insignia nostra ad libitum tuum deferri facere possis: ac mandantes omnibus equitibus et peditibus, atque etiam subditis nostris, ut tibi, tanquam hujus expeditionis generali Capitaneo, omnino obediant, faveant et assistant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI. Junii, 1551. Pontificatus nostri anno secundo.

XLIX.

Breve Julii III. Pontificis Maximi, ad Joannem Angelum, Cardinalem de Medicis datum, in quo illum Sedis Apostolicæ, in expeditione adversus Octavium Farnesium suscipienda, Legatum de Latere creavit ac deputavit, d. d. 7. Junii, Anno 1551.

Dilecto filio Joanni Angelo, Tituli Sanctæ Potentianæ Presbytero Cardinali, de Medicis nuncupato, civitatis nostræ Parmæ etc. nostro et Apostolicæ Sedis de latere Legato,

Julius Episcopus, Servus servorum DEI, Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

HAbebamus in animo, te civitatis nostræ Parmæ, ac etiam expeditionis, quam ad ipsam civitatem pro hac Sancta Sede recuperanda paramus, nostrum et dictæ Sedis Legatum de Latere in Consistorio nostro secreto, de cæterorum Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio, ut moris est, deputare. Sed quoniam ob nostram chiragræ indispositionem Consistorium habere non possumus, et temporis angustia Nos urget; de singulari tua virtute, doctrina et prudentia confisi, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, te dictæ civitatis in spiritualibus et temporalibus, ac hujusmodi expeditionis nostrum et ejusdem Sedis de latere Legatum cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, prærogativis et honoribus similibus, Legatis dari et concedi solitis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, facimus, creamus et deputamus, hortantes dilectum filium,

filium, Nobilem virum, Ferrantem Gonzagam, ejusdem expeditionis Capitaneum Generalem a Nobis deputatum, ut te, tanquam nostrum et ipsius Sedis Legatum, cognoscat et tractet, inferioribus vero Capitaneis, et exercitibus et militibus, nec non communitati dictæ civitatis mandantes, ut debitam reverentiam et obedientiam tibi exhibeant, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII. Junii, 1551. Pontificatus nostri anno secundo.

L.

Breve Julii III. Pontificis Maximi, ad Didacum Mendozam, Ministrum Cæsareum, conscriptum, in quo ei expeditionis adversus Horatium Farnesium, Castri Ducem, suscipiendæ potestatem curamque demandavit, d. d. 23. Junii, Anno 1551.

Dilecto filio, Nobili viro, Didaco de Mendoza,

Julius Episcopus, Servus servorum DEI, Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

VEnit his proximis diebus in Italiam ex Galliis, ut tu quoque scire potuisti, iniquitatis filius, Horatius Farnesius, Pauli Papæ III. prædecessoris nostri nepos, immemorque plurium ac magnorum beneficiorum, quæ ab hac Sancta Sede recepit; nulla præterea aut ab ipsa Sede, aut a Nobis lacessitus injuria, Octavium Farnesium, fratrem suum, in rebellione contra Nos et ipsam Sedem confovendo, bis jam agrum civitatis Bononiæ magna exulum et damnatorum manu hostiliter invasit et diripuit ea impudentia, et in subditos nostros et eorum bona, deprædatione et sævitia, ut non magis ipsos Turcas facturos, fuisse arbitremur. Habet idem Horatius Ducatum Castri prope in foribus almæ Urbis nostræ, unde posset, si liberet, (quid autem est, quod tam perfrictæ frontis juveni non libere censeamus?) Nobis et eidem Urbi injuriam et damnum inferre. Quamobrem volentes tantæ temeritati obviam ire, cogimur Serenissimi Imperatoris, utpote Ecclesiæ Advocati, brachium et auxilium implorare. Cum autem nemo alius, quam tu pro ipso Imperatore apud Nos sit, hortamur te, ut collectis iis, quas potes, militum copiis, una cum nostris ad ipsum Ducatum Castri proficiscaris, provideasque, ne ullum inde detrimentum Nobis et huic Urbi inferatur. Nos enim de tua ingenti virtute ac fide confisi, curam generalem hujus expeditionis pro Nobis et Sancta Romana Ecclesia tibi demandamus, volumusque, ac tibi plenam potestatem concedimus, ut omnia, quæ ad negotium ipsum peragendum opportuna judicaveris aut censueris, ordinare, mandare, agere, exequi et conficere omnino possis, mandantes militibus nostris omnibus, ut tibi in executione hujus expeditionis omnino obediant; Legatis vero, Vice-Legatis, et aliis ministris et officialibus nostris, ut tibi faveant et assistant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII. Junii, 1551. Pontificatus nostri anno secundo.

LI.

Literæ Rudolphi II. Romanorum Imperatoris, ad Rainutium I. Parmæ atque Placentiæ Ducem, datæ, ac de feudi Imperialis Burgi Vallis Tari, a Ducibus Parmensibus detenti, restitutione agentes, d. d. 24. Januar. Anno 1594.

RUDOLPHUS &c.

ILlustris Princeps, noster Carissime. Existimamus Dilectionem tuam haud ignorare, qualiter Avus ejusdem, Illustris quondam Octavius, Dux Parmæ & Placentiæ, superiori Anno 78. Burgum Vallis Tari, feudum Imperiale de facto, non sine gravi auctoritatis nostræ læsione, Sacrique Imperii præjudicio occuparit, idque, posthabitis benignis monitionibus nostris, de restitutione ejusdem sæpius factis, e majoribus unquam dimittere noluerit, diversis sub prætextibus, & eo maxime quod illius possessionem jussu sanctissimi tunc D. Summi Pontificis Gregorii XIII. piæ memoriæ, sanctæ Sedis Apostolicæ nomine, teneret. Etsi vero Nobis haud defuissent media, quibus memoratum feudum eo ipso tempore recuperare poteramus, nihilominus tamen pro benigna animi affectione, qua Dilectionem ipsius complectebamur, omisso rigore, mitiorem restitutionis consequendæ viam inivimus, adeoque Sanctitatem Suam non solum per literas, & nostrum tunc in Urbe residentem oratorem, sed etiam per specialem legatum eadem de causa diligenter requisivimus. Verum accidit præter expectationem, quod, durante hujusmodi tractatione, Sanctitas Sua morte præventa ex hoc seculo migravit.

Succedente autem in locum illius Sanctissimo olim D. Sixto V. Summo Pontifice, felicis æque recordationis, Nos rem apud eundem pari modo per alios oratores nostros Cæsareos, tunc temporis ad Sanctitatem Suam de adepto summo Apostolatus fastigio gratulandi causa ablegatus prosequendam, positisque eidem ob oculis nostris & Sacri Imperii Juribus, ipsa luce meridiana clarioribus, dicti feudi restitutionem denuo omni majori studio solicitandam suscepimus. Qui quidem auditis fundamentis nostris, sola evidendissimæ æquitatis ratione ductus, præfatum Dilectionis tuæ Avum a possessione dicti Burgi Sedis Apostolicæ nomine tenenda, liberavit, seque cognitione controversiæ istius prorsus abdicavit. Quo secuto, Nos, cum in eo essemus, ut hujusmodi restitutio apud ipsum Illustrem Octavium Ducem, eoque paulo post defuncto, apud Dilectionis tuæ etiam genitorem Illustrem Alexandrum, Parmæ & Placentiæ Ducem, ulterius urgeretur, intelleximus denique

nique, Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem Catholicum, avunculum, ſororium, & fratrem noſtrum cariſſimum, ne ea abſque Serenitatis Suæ præſcitu fieret, inhibuiſſe. Unde, licet ſat cauſæ habuiſſemus ad eas tunc ſtatim deveniendi proviſiones, de quibus jam pridem inter pleroſque Sacri Romani Imperii Electores & Principes convenerat, nihilominus tamen pro ſingulari noſtro pacis & tranquillitatis publicæ fovendæ ſtudio, arctiſſimaque illa ſanguinis conjunctione, quæ Nobis cum prælibato Sereniſſimo Rege intercedit, ab iis tum etiam abſtinendum duximus, adeoque totam rei ſeriem ad Serenitatem Suam per noſtrum iſthic commorantem Oratorem, Magnificum, Nobis fidelem dilectum, Joannem Kevenhüller ab Aichelbergh, liberum Baronem, priusquam alia ſuperinde caperemus conſilia, referri juſſimus, Serenitatem Suam benevole fraterneque hortantes, ut habita eorum omnium, quæ ſic acta erant, conſideratione, manus ſuas a negotio iſto continere, atque providere velit, quod dictum Vallis Tari Burgum uti indubitatum noſtrum & Sacri Imperii feudum citra moram aut difficultatem aliquam reſtitueretur. Interim vero, dum a Serenitate Sua reſponſum deſuper expectabamus, idem Alexander Dux e vivis quoque deceſſit.

Cum igitur, elapſis diebus, a prælibato Sereniſſimo Hiſpanorum Rege Catholico &c. talem ſuper eodem Burgi Vallis Tari negotio reſolutionem acceperimus, qua Serenitas Sua reſtitutionem dicti feudi ſe non modo haud impedituram declarat, ſed & opportunas ſuperinde ad Dilectionem Tuam literas daturam eſſe; utique pro munere noſtro Cæſareo omittere nolumus, quin iis inhærendo, quæ ſuperioribus menſibus hac ipſa de cauſa ad Dilectionem Tuam per tuum Oratorem, Petrum Franciſcum Malaſpinam, Marchionem, viva voce referri juſſimus, has ad eandem daremus literas, quibus benevole poſtulamus, ut tanquam hæres & ſucceſſor defuncti Genitoris Tui, dictique feudi in præſentiarum detentor, ad ea quamprimum reſpondere, ſeque tandem ſuper memorata reſtitutione, quæ Nobis, tanquam ſupremo feudi Domino, etiamnum præcipue cordi eſt, iſta declarare velit, uti æquitas ipſa expoſcit, atque adeo ſpectata Dilectionis Tuæ integritas, ac præclara Nos Sacrumque Imperium demerendi promptitudo omnino pollicetur. Factura hoc loco rem ſe cumprimis dignam, noſtræque expectationi conſentaneam, cui de cætero benevolentiam ac gratiam noſtram Cæſaream propenſe deferimus. Datum Pragæ, die 24. menſis Januarii, 1594.

LII.

Litera Rainutii I. Parmæ atque Placentiæ Ducis, ad Clementem IIX. Pontificem Maximum, ſcripta, in quibus, ſe ſuperiorem, Dominumque Ducatus Parmæ & Placentiæ directum, præter Sedem Apoſtolicam, neminem agnoſcere, declarat, d. d. 14. Octobr. Anno 1594.

Beatiſſimo Padre,

Dopo baciati i ſantiſſimi piedi di Voſtra Beatitudine.

CON mio grandiſſimo diſpiacere ho inteſo tuttociò, che è venuto all' orecchio della Santità Voſtra per opera di perſone maligne, e deſideroſe di porre in dubbio la fede e divozion mia verſo coteſta ſanta Sede. E ſebbene al primo auviſo, che io ebbi della voce ſparſa, non mi curai di farne motto alla Santità Voſtra, parendomi la vanità della oppoſizione, e l' innocenza mia baſtanti a reprimere un tal romore; non dimeno auviſato ora del ragionamento, che ſopra di ciò ha Voſtra Santità avuto col Cavalier Tommaſi, non mi è parſo di differire a ſcrivere la preſente di mia propria mano, poichè non potrò ſubito mandare il Cavalier Picedi, come avrei volentieri fatto per la poſta, trovandoſi egli convaleſcente di una faſtidioſa infermità. Supplico dunque la Santità Voſtra a volerſi aſſicurare, che io veramente non ho riconoſciuto, nè riconoſcerò giammai altro Prencipe per ſuperiore e padrone in queſti Stati di Parma, e Piacenza, che la Santità Voſtra e la Sede Apoſtolica, per chè queſta è la ſteſſa verità: anzichè per l' eſaltazione, ed accreſcimento delle giuriſdizioni della ſanta Sede Apoſtolica ſarò ſempre pronto a ſpargere il ſangue, non chè a ſpendere ciò, che io mi trovo nel Mondo, ſiccome più largamente Voſtra Santità intenderà dal Picedi alla ſua venuta, che ſpero ſarà in breve. Trattanto ſupplico Voſtra Santità a conſervarmi nella grazia ſua, come fedeliſſimo e divotiſſimo vaſallo e ſervidore, che io le ſono: con che reſto pregando Dio, che conſervi e proſperi per lunghiſſimi anni la ſantiſſima perſona di Voſtra Beatitudine conforme al biſogno, che ne ha tutta la Criſtianità.

Di Parma il dì 14. d' Ottobre 1594.

Di Voſtra Santità

Umiliſſ. Servidore e divotiſſ. vaſallo,

Ranuccio Farneſe.

LIII.

Litera Rainutii I. Parmæ atque Placentiæ Ducis, ad Dominum Paulum Coperchium, Generalem Cameræ Apoſtolicæ Camerarium, data, in quibus, ſe neminem ſuperiorem, directumque Parmæ atque Placentiæ Dominum, præter Sedem Apoſtolicam, agnoſcere, aſſerit, &, quo nexu Regi Catholico, feudi Burgi Vallis Tari cauſa, ſit obſtrictus, exponit, d. d. 14. Octobr. Anno 1594.

Molto Reverendo Signore,

IO non ho curato il primo auviſo della voce ſparſa coſtì contro di me ſopra l' Inveſtitura e giuramento, che dicono di Piacenza, e di altri luoghi di queſto Stato, parendomi non convenire, che io entraſſi a giuſtificazione alcuna di coſa sì vana. Ma

Ma poichè ho inteso per lettere del Cavalier Tommasi, e di V. S. che sua Beatitudine avendo penetrate tali ciance, è restata in qualche dubbio, e quasi ne ha mostrata alterazione, non mi è parso di differire più oltre il chiarire la mente di Sua Santità: ed avrei mandato subito il Cavalier Picedi per la posta a questo effetto, accelerando la venuta sua già ordinata; ma per trovarsi ancora in letto di una indisposizione, che ha avuta, della quale però spero, che resterà tantosto libero, e se ne verrà, ho voluto intanto scrivere a Sua Beatitudine per quietarla interamente, certificandola, che questa è una mera malignità, inventata da alcuni miei emuli per particolare interesse loro. E che ciò sia, avvertisca V. S. a quella illazione, che si fa in quel primo auviso, che finsero esser venuto dal Mastro delle poste di Genova, dove dice, che per l' auvenire sarà lecito a questi miei sudditi ricorrere al Senato di Milano: la qual cosa accenna chiaramente la passione di chi scrive. Ma chi può ragionevolmente dubitare in questo fatto, vedendo, che io seguito lo stile de' miei Antecessori in pagare ogni anno publicamente e in faccia dell' Ambasciador Cattolico il dovuto censo alla Sede Apostolica, cosa ripugnantissima a quella, che i maligni divulgano? E nella causa del Lando non ricuso io palesemente di andare ai tribunali di Sua Maestà Cattolica per il Borgo di Val di Taro, e per li beni del Piacentino, e del Parmigiano, allegando in voce, e in iscritto di non riconoscere altro padrone in tutto questo Stato di Parma e Piacenza, che Sua Beatitudine? Ed oltre a questo ha da sapere V. S. che in tutte le altre occorrenze io tratto le cose di questo Stato, come totalmente separato da quelli di Sua Maestà, come è notorio: e se il Governator di Milano, o il Senato vuole cosa alcuna da me, o da' miei uficiali, la ricerca in cortesia, come tra tutti gli altri Principi e loro uficiali si costuma. Ed in particolare saprà anco, che sendo differenze di confini in più luoghi del Piacentino, e del Parmigiano con lo Stato di Milano, sono stati eletti arbitri per deciderle, uno per la parte del Rè, cioè il Senatore Odescalco, già morto, e l' altro del Signor Duca, mio Padre, che sia in Cielo, cioè il Consigliere Pietra, e dopo la morte sua, da me confermato il medesimo Pietra, ed eletto e surrogato il Senator Corrado anco da Sua Maestà, dinanzi a' quali ancor pende la causa: donde si può comprendere, se io tratto con Sua Maestà come Vasallo, o come separato in tutto dalla giurisdizione sua: e così io sono per far sempre. Nè lascio di porre in considerazione, che l' aver io mandato il Conte Renato Borromeo, Vasallo di Sua Maestà, a giurare fedeltà per tutto questo Stato a Sua Beatitudine, dimostra con che sincerità io procedo in cospetto del Mondo. Ma appresso a queste e altre ragioni assai, che si potrebbono addurre, consideri solo V. S. a che potrebbe servire l' atto, che inventano questi maligni, poichè dato il primo giuramento di fedeltà a Nostro Signore ed alla Santa Sede, così ampio ed espresso per Piacenza e per tutto lo Stato, il secondo sarebbe nullo ed invalido, nè potrebbe servire ad altro, che a mostrare mala volontà in altri senza profitto alcuno, e senza nuocer punto alle ragioni antiche della Sede Apostolica in questo Stato. Sicchè mi assicuro, che Sua Beatitudine, Principe di tanta prudenza, e che già sà la fedeltà mia, e di Casa mia verso la Santa Sede, dalla quale in tutto dipendiamo, non darà orecchie a simili invenzioni, nè piglierà ombra alcuna. Prego anco V. S. a tenere Sua Santità bene edificata di questa verità, della quale la informerà poi più largamente il Cavalier Picedi alla venuta sua: e a V. S. mi offerisco di cuore,

Parma 14. Ottobre 1594.

Di V. S. M. R.

Al comando,
Ranuccio Farnese.

LIV.

Breve Urbani IIX. Pontificis Maximi, ad Odoardum I. Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, scriptum, in quo eum serio hortatur, ut, temporibus hisce calamitosissimis, omnem adhibeat cautionem, quo Sedis Apostolicæ in feudis Parmæ atque Placentiæ Jura omni ex parte sarta atque tecta conserventur, d. d. 25. Augusti, Anno 1635.

Dilecto filio, Nobili Viro, Odoardo Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duci.

Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam benedictionem.

Calamitosa temporum conditio cum diu variis detrimentis & periculosis vicibus vexasset Italiæ tranquillitatem, dum tamen, recedentibus ex ea armorum incursionibus, saltem in hac provincia frui pacis optato bono sperabamus, formidolosiores repente belli motus impendere cœperunt, inter quos ferebatur, a te copias instrui militares, ex quarum apparatu conterminis aliorum Principum ditionibus materia dari potuisset ambigendi, quo tui tenderent conatus, & inde oriretur suspicio, ne præliorum turbines excitandi sumeretur occasio. Quamobrem Nos, qui pro nostri muneris peculiaris sollicitudine satagimus, ut universus orbis Christianus, & præsertim Italia, pace perfruatur, ad te aliquos viros probos, & præsertim dilectum filium, Magistrum Julium Mazarinum, in utraque signatura nostra Referendarium, & deinde Venerabilem fratrem Lælium, Archiepiscopum Thebanum, misimus, qui cum tua Nobilitate differentes, paternam tibi nostram declararent benevolentiam, consentaneaque publicæ quieti, & quæ e re tua sunt, tibi proponentes, & quod imminere videbatur ex hac novitate discrimen, insinuarent, petentes, ut tuum Nobis aperires consilium. Multa præfati Nobis retulerunt, a te esse deducta, quibus nitebaris suadere, te necessitate compulsum ad cogenda arma pro tua dumtaxat & tuorum Statuum defensione, in eaque oportere, ut insistas & assidue perseveres. Cum vero nuper Nobis relatum sit, a te bellicos apparatus augeri, & hinc posse talem conflari motum, qui vires & incrementum sumens,

ſumens, reſultet in non modicum præjudicium Sedis Apoſtolicæ, a qua Parmæ & Placentiæ Ducatus, & illi annexa, aliasque civitates, oppida, caſtra & loca cum ſuis pertinentiis obtines in feudum & recognoſcis, cogimur credito Nobis ex divini placiti providentia Sedis Apoſtolicæ regimini ſatisfacere. Mittimus igitur dilectum filium civitatis noſtræ Bononienſis Vice-Legatum, qui cum Nobilitate tua de prædictis agat, & haſce tibi noſtras literas exhibeat, quibus Sedis Apoſtolicæ juribus proſpicere & præcavere volumus, inſinuantes tibi, ut accurate perpendas, quæ tua ſit obligatio, & quanta vis Juramenti fidelitatis, quibus obſtringeris Nobis & huic Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, etiam juxta tenorem Inveſtituræ & Inveſtiturarum prædictorum feudorum, quæ ab eadem Sancta Sede Apoſtolica habes. Nos enim, qui omnibus & ſingulis damnis & præjudiciis, quæ quomodolibet poſſent occaſione præmiſſorum dictis feudis inferri, intendimus præcavere, & indemnitati eorumdem conſulere, de noſtra te certiorem voluntate reddimus, ſignificantes tibi, tuas eſſe partes ita te gerere, ut jura Sedis Apoſtolicæ in prædictis feudis tecta ſartaque & illæſa in omnibus & per omnia juxta obligationem, qua de jure teneris, permaneant & conſerventur, ac etiam reparentur & reſarciantur. Et hac utimur tecum ſignificatione pro quacumque legitime requiſita jurium Sedis Apoſtolicæ in dictis feudis præſervatione, cautione & indemnitate, ac ut illibatam & integram retineas perſonæ tuæ debitam fidelitatem. Quod in Domino ſperamus, & de tuis actionibus Nobis pollicemur, noſtramque tibi benedictionem iterum impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris, die 25. Auguſti 1635. Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

M. A. Maraldus.

LV.

Ejusdem Breve ad eundem directum, in quo eum hortatur, velit milites ſuos ita in obſequio continere, ut Parmæ atque Placentiæ Civitatibus, earumque ditionibus motu eorum hoſtili nullum plane detrimentum ſive præjudicium, nec directe, nec indirecte, inferatur, d. d. 6. Septembris, Anno 1635.

Dilecto filio, Nobili viro Odoardo Farneſio, Parmæ & Placentiæ Duci.

Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm noſtras literas ad Nobilitatem tuam die XXV. Auguſti exaratas dedimus, ad Nos tantum allatum fuerat, milites pro tua tuorumque ſtatuum defenſione conſcribi, & imminentis belli ſuſpiciones ſumere incrementum. Ideo pro paſtorali noſtra ſollicitudine, Italiæ incolumitati omnem operam navantes, tibi ſignificavimus, publicam tranquillitatem Nobis ſummopere curæ eſſe, & Nos præcipuo ſtudio intendere, ut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ jura ſarta & tecta ſerventur, & a quibuscumque damnis immunia & illibata cuſtodiantur, quæ ex hujusmodi tuis armorum motibus quomodolibet excitatis oriri poſſent in Ducatu Parmæ & Placentiæ, aliisque locis, terris & caſtris, quæ a Sede Apoſtolica in feudum obtines. Nunc vero Nobis refertur, tuas militares copias extra tuam ditionem fuiſſe deductas, vel ſaltem in procinctu eſſe, ut deducantur, & ſe alio hoſtiliter transferant non ſine gravi animi noſtri ſenſu. Quamobrem intelligimus, noſtra pacis ſtudia tot curis & vigiliis promota, perturbari: ideoque iterato per noſtras in forma Brevis literas monere te cogimur, ut memor obſequii & fidelitatis, qua Sedi Apoſtolicæ & Nobis obſtringeris, noſtram ſequaris voluntatem: quod effeceris prudenter & opportune, ſi milites eo redegeris & ita continueris, ut ex eorum hoſtili motu directe vel indirecte prædictis civitatibus Parmæ & Placentiæ, aliisque terris, caſtris, & locis præjudicium quomodolibet non inferatur, aut ratione qualibet eadem ſancta Sedes ad expenſas, aliaque gravamina ſubeunda non compellatur, nec Nobis ſit neceſſe ad ea progredi, per quæ Sedis Apoſtolicæ indemnitati conſulatur. Fuſius de his noſtro nomine tecum differet dilectus filius civitatis noſtræ Bononienſis Vice-Legatus, cui fidem habebis. Et Apoſtolicam benedictionem tibi iterum peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam majorem, ſub annulo Piſcatoris die VI. Septembris, 1635. Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

M. A. Maraldus.

LVI.

Inſtrumentum de antea inſertorum Brevium Apoſtolicorum inſinuatione, Odoardo I. Farneſio, Parmæ atque Placentiæ Duci, facta, agens, d. d. 24. Sept. Anno 1635.

DIe 24. Septembris, 1635. in loca prope & extra oppidum Valentiæ Status Mediolani, ubi Sereniſſimus Dominus Odoardus Farneſius, Dux Parmæ & Placentiæ, militares copias habebat, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Joannes Baptiſta Gorius Pannelinus, utriusque Signaturæ Referendarius, & Bononiæ Vice-Legatus, & ego Protonotarius Apoſtolicus infraſcriptus inſimul cum eo præſentavimus duo Brevia Originalia, quorum præſens copia per me extracta & de verbo ad verbum auſcultata & collationata, eſt præinſerta: quæ Brevia Originalia idem Sereniſſimus Dominus Dux reverenter accepit, & penes ſe retinuit, præſentibus Illuſtribus Dominis Franciſco Maria Sinibaldo de Foroſempronii, Vicario generali Parmæ, & Joanne Baptiſta Nato de Eugubio, ejusdem Illuſtriſſimi Domini Vice-Legati Auditore. Et deinde paulo poſt præſentationem prædictorum Brevium, ut ſupra, factam coram ſupradicto Illuſtriſſimo Domino Vice-Legato, ac in præſentia mei Protonotarii Apoſtolici

stolici infrascripti, comparuit Illustrissimus Dominus Comes Scottus, major Præfectus Domus ejusdem Serenissimi Domini Ducis, præ manibus habens supradicta duo Brevia aperta, & dixit, quod prædictus Serenissimus Dominus Dux illa aperuerat & perlegerat, quodque potius monitoria, quam Brevia Celsitudini suæ illa videbantur, tum quia non erant subscripta a solito Secretario Brevium Principum, tum etiam quia eidem videbantur continere verba rigorosa. Et ex tunc & in continenti tam dictus Illustrissimus Dominus Vice-Legatus, quam ego Protonotarius dicto Domino Comiti respondimus, Sanctissimum Dominum nostrum duos habere Secretarios Brevium, & utrumque scribere Brevia Principibus ad libitum Suæ Sanctitatis. Sequenti autem die, quæ fuit 25. ejusdem mensis Septembris, prædictus illustrissimus Dominus Vice-Legatus, & ego accessimus ad dictum Serenissimum Dominum Ducem, qui eadem verba, Nobis jam dicta a dicto Illustrissimo Domino Comite super prædictis Brevibus repetiit, & illi nos dedimus responsionem, prædicto Domino Comiti datam.

Et ego Joannes Antonius Massanus, Protonotarius Apostolicus, habens facultatem Magistri Cursorum Sanctissimi Domini nostri Papæ tenoris sequentis, hujusmodi relationem prædictæ præsentationis in supradicta copia prædictorum Brevium per me extracta feci, Romæ hodie V. Novembris, Anno 1635.

Tenor vero prædictæ facultatis meæ est infra scriptus, videlicet:

Dilecto filio Joanni Antonio Massano, nostro & Apostolicæ Sedis Notario.

Urbanus Papa VIII. dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum nuper duo Brevia per Nos sub annulo Piscatoris expedita, dilectoque filio Nobili viro, Odoardo, Parmæ & Placentiæ Duci, directa tibi tradi fecerimus, ad effectum, ut dilectus filius Magister Joannes Baptista Gorius Pannelinus, utriusque Signaturæ nostræ Referendarius ac civitatis nostræ Bononiensis Vice-Legatus, & tu cum eo, vel ipse Joannes Baptista Vice-Legatus solus, sive tu solus ipsamet Brevia nostro & Apostolicæ Sedis nomine eidem Odoardo Duci præsentetis, sive alter vestrum præsentet; quæ Brevia sunt tenoris sequentis, videlicet:

Dilecto filio &c. Urbanus &c.
ut supra.

Idcirco pro faciliori eorumdem Brevium præsentatione facienda, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Joanni Baptistæ Vice-Legato & tibi, conjunctim vel divisim, ad peragendum & exequendum omnia & singula præmissa, ac quæcumque alia desuper necessaria & quomodolibet opportuna, facultatem plenam & amplam, atque tibi etiam eamdem, quæ Magistro Cursorum nostrorum in Romana Curia competit, quodque prædictus Joannes Baptista Vice-Legatus, ac tu, etiam non exhibitis nec ostensis præsentibus nostris literis, possitis, & quilibet vestrum possit eadem Brevia clausa aperire & perlegere, testibusque adhibendis ostendere, copiamque ac transumptum illorum sumere, ac illa cum testibus vel absque testibus auscultare & conferre, ipsaque Brevia claudere & custodire, seu alteri eidem Joanni Baptistæ, Vice-Legato, vel tibi fido & bene viso custodienda consignare vel consignari facere, & una cum eodem Joanne Baptista, Vice-Legato & testibus adhibendis, vel etiam, si opus fuerit, absque testibus, seu solus ipse Joannes Baptista, Vice-Legatus, sive etiam tu solus, similiter absque testibus, seu prout occasio temporis & loci dictaverit, vel alias quomodolibet tibi videbitur, eadem Brevia ipsi Odoardo Duci præsentare, & de præsentatione prædicta, sive per dictum Joannem Baptistam, Vice-Legatum, & te Notarium Apostolicum conjunctim, vel alterum vestrum divisim facienda, & de aliis præmissis omnibus & singulis, cæterisque necessariis & opportunis, tu Instrumentum & Instrumenta publica, unum vel plura conficere, ac tu, tanquam habens facultatem prædictam Magistri Cursorum nostrorum, relationem unam, vel plures etiam in Copiis prædictorum Brevium per te extrahendis, facere etiam possis & valeas, concedimus & impertimur.

Nos enim omnia & singula, quæ vigore, & alias pro executione præsentium nostrarum literarum feceritis, seu quilibet vestrum fecerit, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus ex nunc approbamus & confirmamus, omnesque & singulos, tam juris, quam facti, & quarumcumque solemnitatum, nec non quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam specialem derogationem ac mentionem requirentibus, legibusque ac sanctionibus etiam Imperialibus, & statutis etiam juratis, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, & sæpius approbatis, tam Urbis, quam quorumcumque aliorum locorum, ac usibus & stylo Romanæ Curiæ, ac quorumcumque locorum & quarumcumque curiarum, nec non consuetudinibus etiam longævis & immemorabilibus, investituris quoque ac privilegiis, & indultis etiam Apostolicis, tam eidem Odoardo & suis in prædicto Ducatu Antecessoribus, & Duci pro tempore existenti, quam Collegio Cursorum, ac Magistro illorum prædicto, & quibusvis aliis quomodolibet respective concessis, ac alias competentibus, cæterisque contrariis quibuscumque, etiam habentibus decreta insolita & clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alias quomodolibet præsentibus præjudiciales & contrarias, ac præjudicialia & contraria: quorum omnium & singulorum tenores hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis ad effectum præmissorum, expresse derogamus.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die VII. Septembris, MDCXXXV. Pontificatus nostri Anno XIII.

LVII.

Monitorium Marci Antonii Franciotti, Protonotarii Apostolici &c. in quo Odoardum I. Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, ut e Comitatu Mediolanensi copias suas confestim educat, sub læsæ Majestatis feudorumque Pontificiorum Parmæ & Placentiæ privationis pœna, hortatur, d. d. 18. Augusti, Anno 1636.

MArcus Antonius Franciottos, Protonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius, nec non Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, sententiarum quoque & censurarum, tam in Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque universalis & merus executor, ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus.

Universis & singulis Reverendissimis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialium & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Vice Plebanis, Curatis & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non clericis, & tabellionibus publicis quibuscumque, illi vel aliis, ad quem vel ad quos præsentes nostræ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

Noveritis, qualiter infrascripta die comparuit coram Nobis R. P. D. Joannes Ghinus, Sanctissimi Domini nostri Papæ & ejus Reverendæ Cameræ Apostolicæ generalis Commissarius, & exposuit, quod, licet Serenissimus Dominus Odoardus Farnesius, Dux Parmæ & Placentiæ S. R. E. Confalonerius & Feudatarius sciret, vel scire deberet, quod ipse tenetur & obligatus existit, dictas Parmæ & Placentiæ, aliasque civitates, castra & loca, quas & quæ a Sede Apostolica tenet in feudum & recognoscit, meliorare potius, quam deteriora reddere, & illæsa ac immunia ab omnibus periculis & damnis conservare, & ab illis se abstinere, quæ in ipsarum civitatum, terrarum & castrorum, nec non directi & supremi Dominii præjudicium redundare possunt, & præsertim a motibus belli, maxime vero contra finitimos: ex quo etiam propriæ civitates, terræ & castra invaduntur, occupantur & diruuntur, civium & incolarum facultates diripiuntur, territoria etiam devastantur, & alia etiam gravissima damna inferuntur; nihilominus idem Serenissimus Dux mensibus præteritis, prout & publicum & notorium, copias militares instruxit.

Quapropter Sanctissimus Dominus noster ex debito pastoralis officii & paterno ductus amore, ut prædictis civitatibus, terris, castris, eorumque incolis & habitatoribus, ipsius Serenissimi Domini Ducis rebus & Sedis Apostolicæ indemnitati consuleret, nonnullis diversis temporibus probos viros & Prælatos, & inter alios R. P. D. Julium Mazarinum, utriusque Signaturæ Referendarium, & Reverendissimum Dominum Lælium Falconerium, Archiepiscopum Thebanum, ad eundem Serenissimum Dominum Ducem transmisit, qui illi discrimen, quod ex hujusmodi novitate sibi & Sedis Apostolicæ rebus & feudis imminebat, significarent, prout significarunt. Et successive cum copias prædictas augeri relatum esset, sub die 25. mensis Augusti, 1635. literas in forma Brevis sub annulo Piscatoris decrevit; cumque percrebuisset fama, easdem copias fuisse deductas, vel in procinctu esse, ut alio hostiliter transferrentur, alias consimiles sub die 7. mensis Septembris ejusdem anni literas expediri fecit, quas R. P. D. Joannes Baptista Gorius Pannellinus, utriusque Signaturæ Referendarius, & Vice-Legatus Bononiæ, ac Reverendus Dominus Joannes Antonius Massanus, Protonotarius Apostolicus, ad id specialem facultatem & mandatum a Sanctissimo Domino nostro habentes, die 19. dicti mensis Septembris, prædicto Serenissimo Domino Duci Odoardo, reperto in obsidione oppidi Valentiæ Status Mediolani, præsentarunt, tenoris, ut infra, exhibendi, literis Apostolicis registrandas.

Prædictus autem Serenissimus Dominus Dux Odoardus, præmissis non attentis, non solum copias militares non continuit intra sui Status fines, seu illas non redegit & non revocavit, quinimo in obsidione dicti castri Valentiæ perstitit & perseveravit, ac deinde ad alios hostiles actus processit & procedit. Idcirco prædictus R. P. D. Commissarius, exhibitis & præsentatis prius Nobis literis Apostolicis Sanctissimi Domini nostri Papæ sub annulo Piscatoris in forma Brevis, & datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, die XI. currentis mensis, ut moris est, expeditis, de & super facultate Nobis concessa prædictum Serenissimum Odoardum Ducem, omnesque alios, quos opus fuerit, monendi, citandi & inhibendi, & in eventum illarum & infrascriptarum nostrarum monitorialium non paritionis, ad omnium & singularum pœnarum & censurarum in dictis literis contentarum, & per Nos in nostris opponendarum incursus declarationem procedendi, & alias, prout in eisdem literis Apostolicis, hujusmodi sub tenore, videlicet:

Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam.

Alias a Nobis emanarunt literæ in forma Brevis, sub annulo Piscatoris expeditæ, & dilecto filio Nobili Viro, Odoardo Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duci directæ, quarum tenor talis est:

Dilecto filio &c. Urbanus &c. *ut supra, de Dat. 25. Aug. 1635. & 6. Septembr. 1635.*

Quæ Brevia juxta ordinem nostrum & facultatem per Nos dilectis filiis Vice-Legato Bononiæ & Johanni Antonio Massano, Protonotario Apostolico concessam, præsentata fuerunt eidem Odoardo Duci, tunc prope Valentiam, in ejus obsidione cum suis militaribus copiis existente; cumque propterea Nos pro indemnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ, earumque jurium & actionum quarumcumque & quomodocumque competentium & competiturarum, eumdem Odoardum Ducem monere intendamus, ut copias suas milita-

militares intra sui Status fines reducat, & alia, ad quæ tenetur, adimpleat, sine tamen præjudicio cujuscumque hactenus incursæ caducitatis & devolutionis civitatum, castrorum, terrarum, oppidorum ac locorum, & privationis quarumcumque dignitatum, graduum, privilegiorum & indultorum, jurium & bonorum, nec non restaurationis & reparationis quorumcumque damnorum, eidem Sedi & dictis civitatibus, terris & oppidis, castris & locis quomodolibet factorum, & illatorum, & faciendorum & inferendorum; circa quæ Nobis & Sedi Apostolicæ omnia & singula jura intacta & illæsa reservamus; idcirco investiturarum, concessionum, privilegiorum & indultorum quorumcumque, eidem Odoardo Duci, ejusque Antecessoribus & Successoribus quomodocunque, & per quoscumque, etiam Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac etiam per Nos quomodolibet & consistorialiter concessorum, ac alias competentium, omniumque aliorum contrariorum hic exprimendorum tenores pro plene expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certaque scientia ac matura deliberatione nostris, deque Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, committimus & mandamus Auditori Cameræ, nunc & pro tempore existenti, ut ad instantiam Commissarii Cameræ, nunc & pro tempore existentis, eumdem Odoardum Ducem sub incursu rebellionis, criminis læsæ Majestatis, confiscationisque omnium & singulorum bonorum, ac jurium suorum, nec non caducitatis & devolutionis tam earumdem civitatum Parmæ & Placentiæ, quam quarumcumque aliarum civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum & locorum, quæ a Sede Apostolica in feudum tenet & recognoscit, amissionis & privationis dignitatis Confaloneratus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliarumque dignitatum & titulorum quorumcumque, nec non privilegiorum, indultorum, cujuscumque qualitatis & tenoris, etiam pluries & iterato concessorum ac approbatorum, ac sub aliis poenis sibi bene visis, & in juris subsidium, excommunicationis, aliarumque censurarum, moneat, monerique faciat, ut suas copias militares intra sui Status Parmæ & Placentiæ fines reducat, & ab actibus hostilitatis se abstineat, suosque abstineri faciat, aliaque omnia & singula, ad quæ de jure & forma Investituræ & Investiturarum ac juramenti & juramentorum fidelitatis, ac alias quomodolibet Nobis & Sedi Apostolicæ tenetur, faciat & adimpleat, præsentibusque nostris literis ac ejusdem Auditoris Cameræ monitorialibus pareat & obediat, ac de paritione, obedientia & adimplemento infra tempus sibi præfixum doceat; alias in eventum non paritionis idem Auditor Cameræ ad omnium & singularum personarum, cujuslibet earum incursus declarationem & pronunciationem procedat, procedique mandet & faciat, causamque & causas, quam & quas idem Cameræ Commissarius habet & movet, habereque & movere intendit contra prædictum Odoardum Ducem, omnesque alios, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis & dignitatis, etiam ecclesiasticæ, & speciali nota & expressione dignas, quicumque & quotcumque sint & fuerint, cognoscat, & prout juris fuerit, decidat, & determinet, aliaque omnia & singula quomodolibet necessaria & opportuna faciat, gerat & exequatur cum facultate eumdem Odoardum Ducem, omnesque alios prædictos monendi, ut præfertur, ac citandi, illique ac quibus & quoties opus fuerit, inhibendi in Curia & extra, etiam per edictum publicum, constito summarie & extrajudicialiter, & quantum sufficienter sibi videbitur, de non tuto accessu.

Volumus autem, quod idem Auditor Cameræ, intimato saltem semel ejus Monitorio in personam dilecti filii, Alphonsi Carandini, qui ejusdem Odoardi Ducis apud Nos Residentem se gerit, ut prædicto Odoardo Duci omnibusque aliis prædictis per affixionem in valvis Ecclesiarum Bononiensis & Ferrariensis, ac etiam in valvis Basilicæ Sancti Petri, ac aciei campi Floræ de Urbe, deinde contra ipsum Odoardum Ducem, omnesque alios prædictos non comparentes procedat, procedique mandet & faciat, perinde ac si essent in quolibet actu personaliter moniti, intimati & citati. Nos enim eidem Auditori Cameræ omnem facultatem, plenam & amplam, necessariam, & quomodolibet opportunam desuper concedimus & impertimur, & ex nunc omnia & singula, quæ præsentium vigore facta fuerint, valere, plenamque roboris firmitatem obtinere decernimus & declaramus, illaque approbamus & confirmamus, supplentes omnes & singulos defectus quantumlibet substantiales, si qui forsan desuper intervenirent, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus, & præinsertis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus diætis, stilo Curiæ, nec non Ducatus, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum & locorum prædictorum, & juramenti, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, statutis etiam juratis & consuetudinibus, quantumlibet antiquis & antiquissimis, privilegiis quoque & indultis, investituris, renovationibus, & literis etiam Apostolicis prædicto Odoardo Duci ejusque antecessoribus & Successoribus prædictis, & quibuscumque aliis, etiam eisdem civitatibus, terris, oppidis & locis sub quibuscumque tenoribus, formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam investitura & investituris, ac infeudationibus & concessionibus dictorum Ducatus & civitatum Parmæ & Placentiæ, aliarumque civitatum & terrarum, oppidorum, castrorum & locorum prædictorum pro tempore possessorum, nisi ex machinatione vel alia offensione in propriam personam Romani Pontificis, procedi non posse, vel non nisi prius citato ejus ministro seu officiali, in Romana Curia pro eo residente, vel non nisi alia speciali forma in citando, monendo & procedendo servata. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque copiis, tenoribus specifica & individua ac de verbo ad verbum mentio, expressio & assertio facienda ac qualibet alia exquisita forma servanda foret, eorumque omnium & singulorum tenores, etiam ampliores & veriores, ac si de verbo ad verbum inserti, otiam forma in eis tradita observata esset, præsentibus pro plenis & expressis habentes specialiter & expresse ad effe-

ctum

ctum præmissorum, & inde quomodolibet resultantium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, ac si Odoardo Duci prædicto & pro tempore existenti, & quomodolibet alias ab Apostolica sit Sede indultum, ut interdici, suspendi vel excommunicari non possint, ac contra illum & illos procedi non possit a quocunque, etiam per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac integram de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Per præsentes autem & quæcumque inde sequenda non intendimus prohiberi eidem Odoardo tuitionem, defensionem & conservationem prædicti sui status & prædictarum Civitatum Parmæ & Placentiæ, ac recuperationem quamcumque respective aliarum civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, seu locorum, sibi a Sede Apostolica in feudum concessorum, ac alias sub investitura seu investituris aut concessionibus Sedis Apostolicæ, sibi vel ejus antecessoribus quomodolibet factis, comprehensorum, & dependentium membrorum & annexorum quorumcumque, quatenus aliqua vel aliquod illorum a quocumque hactenus invasum vel invadendum fuisset, vel imposterum invaderetur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die XI. Augusti, 1636. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

M. A. Maraldus.

Ac sine præjudicio caducitatis, devolutionis, privationis hactenus incursæ, & cum expressa reservatione jurium pro damnis quibuscumque, præmissorum occasione, eidem Sedi Apostolicæ & dictis civitatibus, terris, oppidis & locis quomodolibet factis & illatis, seu faciendis & inferendis, & illis ac quibuscumque aliis juribus, sibi & Sedi Apostolicæ quomodolibet competentibus, semper salvis & non alias: de quo expresse protestatus fuit ac protestatur & petiit, & summa cum instantia postulavit, quatenus sibi literas Monitoriales ad partes per edictum publicum in locis, in præinsertis literis Apostolicis designatis, exequendas & publicandas, pro illis exequendis & publicandis, cum in civitatem Parmæ & Placentiæ, & illarum Statum, ubi dictus Odoardus moram trahit & morari solet, tutus non pateat accessus, in forma solita decernere & concedere; & aliasmet super præmissis omnibus & singulis tam conjunctim, quam divisim, & alias omni meliori modo, via & forma jus & justitiam ministrare dignaremur.

Nos igitur Marcus Antonius Franciottus, Judex & Auditor prædictus, considerantes, petitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam, quodque justa petenti non est denegandus assensus, inhærentesque præinsertis literis Apostolicis, Nobis, ut præfertur, præsentatis, ac facultate in illis Nobis concessa utentes, constitoque Nobis per testes fide dignos nostro de mandato examinatos, ad dictas civitates & Statum Parmæ & Placentiæ ad prædictum Serenissimum Dominum Odoardum Ducem monendum & citandum pro præsentibus nostris monitorialibus literis exequendis & præsentandis, tutum non patere accessum, literas Monitoriales petitas concedendas fore & esse duximus & mandamus per præsentes. Quare vobis & omnibus & singulis suprascriptis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, quatenus visis eisdem præsentibus per præsens publicum edictum, in Romana Curia ad valvas Principis Apostolorum & in acie campi Floræ de Urbe, nec non in personam supra nominati Illustrissimi Domini Comitis Carandini residentis, & ex Curia in valvis Ecclesiarum Bononiensis & Ferrariensis, affigendum & publicandum ex parte nostra, imo verius Apostolica auctoritate, prædictum Serenissimum Dominum Odoardum Ducem, omnesque alios & singulos, in executione præsentium nominandos & cognominandos, requiratis & moneatis, prout Nos harum serie monemus & requirimus primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra dierum XXX. spatium ab expeditione præsentium, modo præmisso facienda, immediate sequentium, quorum decem pro primo, alios decem pro secundo, reliquos vero decem dies pro ultimo & peremptorio termino ac trina monitione canonica, eidem Serenissimo Domino Duci Odoardo assignamus, & vos assignetis, sub crimine læsæ Majestatis, rebellionis, amissionis, caducitatis, devolutionis & privationis dicti Ducatus & civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum & locorum, jurium & pertinentiarum, quæ a Sede Apostolica, aliisque Ecclesiasticis inferioribus, monasteriis, collegiis & locis piis tenet, recognoscit, & quorumcumque aliorum bonorum, ac amissionis, privationis & depositionis omnium & singulorum titulorum, graduum, honorum, officiorum & dignitatum, aliisque, tam a jure, quam ab homine, & signanter per quoscumque Summos Pontifices, contra similia perpetrantes, ac præinsertis literis Apostolicis contentis & inflictis pœnis, & in juris subsidium excommunicationis majoris, debeat dictas copias militares infra sui Status fines redegisse & revocasse, redactas & revocatas continuisse, & a bello contra quoscumque Principes, viros & personas, cujusvis status, ordinis, gradus, conditionis & qualitatis fuerint & sint, nationes, Respublicas, Universitates, dignitates, castra, oppida, terras, fortalitia, alia loca, quæcumque, & ab earumdem civitatum, terrarum, castrorum, fortalitiorum, & aliorum quorumcunque locorum obsidione, invasione, & aliis hostilibus actibus cessare, eosque & ea obsessos & obsessa exemisse & liberasse, ac redigi & revocari, cessari & eximi, ac liberari fecisse ac mandasse, præinsertis literis Apostolicis ac præsentibus nostris monitorialibus literis in omnibus & per omnia paruisse & obedivisse, & de ejus obedientia & paritione infra terminum aliorum sequentium XXX. dierum coram Nobis vel in Actis infrascripti Notarii legitime docuisse, ipsi Reverendo Domino Commissario in præmissis deducens omne jus, omnemque actionem sibi & dictæ Sedi Apostolicæ magis proficuum & competens jus & justitiam fieri & ministrari, aliosque & alia in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna fieri & exequi vidisse & audivisse.

Per præsentes autem & quæcumque inde sequenda' non prohibemus eidem Serenissimo Domino Odoardo Duci tuitionem, defensionem & conservationem præsentis sui Status prædictarum civitatum

Parmæ

Parmæ & Placentiæ, & recuperationem quamcumque respective aliarum civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, seu locorum, sibi a Sede Apostolica in Feudum concessorum, & alias sub investitura seu investituris, aut concessionibus Sedis Apostolicæ sibi, vel ejus antecessoribus quomodolibet factis comprehensorum, dependentiumque membrorum & annexorum quorumcumque, quatenus aliqua vel aliquod illorum, a quocumque hactenus invasum fuisset, vel imposterum invaderetur, certificantes eumdem Serenissimum Dominum Odoardum Ducem, quod si in dicto termino sibi præfixo non paruerit, & de paritione hujusmodi legitime non docuerit, nos ad dictorum omnium & singularum censurarum & pœnarum incursus declarationem, & alia opportuna juris remedia procedemus, justitia mediante.

Volumus insuper, & auctoritate nostra ordinaria, & infra insertis literis Apostolicis nobis concessa decernimus, quod præsentes nostræ literæ, modo præmisso executæ, in eumdem Serenissimum Ducem Odoardum perinde valeant, ac si personaliter factæ & executæ forent, & quomodolibet præsentatæ. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex ædibus nostris, anno Domini 1636 Indictione IV die vero 18. Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Urbani, divina Providentia Papæ VIII. anno XIV.

Marcus Antonius Franciottus,
Auditor & judex commissarius.

Dominus Fonthia,
Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

LIIX.

Ejusdem Monitorium, in quo Princeps Joannes Andreas ab Auria citatur, ut, cur oppidum Burgi Vallis Tari, in districtu Placentino situm, atque, ratione directi Dominii, ad Ecclesiam Romanam spectans, occupaverit, coram Sede Apostolica rationem reddat, d. d. 19. Aug. An. 1636.

Marcus Antonius Franciottus, Protonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius, nec non Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, sententiarum quoque, ac censurarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque universalis & merus executor, ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus.

Universis & singulis Reverendissimis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Thesaurariis, Sacristis, parochialiumque & collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis & non Curatis, cæterisque presbyteris, nec non clericis, & tabellionibus quibuscumque, illique vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

Noveritis, quod hac infrascripta die comparuit coram nobis Reverendus Pater, Dominus Joannes Ghinus, Sanctissimi Domini nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarius generalis, & exposuit, quod, licet Ecclesiarum, & præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Jurisdictiones, civitates, oppida, castra, loca, res & bona quæcumque, uti de Patrimonio Beati Petri, sint sacra, & contra illorum aggressores, invasores, perturbatores, occupatores & detentores quoscumque, tam per sacros canones, quam per Concilia generalia, & per diversas Summorum Pontificum constitutiones gravissimæ pœnæ & censuræ Ecclesiasticæ inflictæ & promulgatæ sint; signanter vero per Bullam in die Cœnæ Domini quotannis legi & publicari solitam omnes & singuli, qui per se, sive alios, directe vel Indirecte, sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare ac detinere præsumpserint in totum vel in partem civitates, terras, oppida, castra & loca quæcumque, ad Romanam Ecclesiam pertinentia, eidem Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjecta, ac supremam, seu aliam quamcumque jurisdictionem, in illis Summo Pontifici & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, variisque modis vexare præsumunt, nec non illis adhærentes, fautores & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes excommunicentur & anathematizentur, ita quod tales excommunicationi & anathemati tam diu subjaceant, quamdiu jurisdictiones, civitates, oppida, castra, res, jura & bona, quæ occupaverint, integre restituerint, deinde absolutionem reportaverint; nihilominus Excellentissimus Dominus Princeps Joannes Andreas ab Auria, DEI timore postposito, & salutis suæ æternæ immemor, censurisque & pœnis prædictis non attentis, ausus fuit atque præsumpsit terram, seu oppidum Burgi Vallis Tari, Placentini districtus, ad Sanctam Romanam Ecclesiam ratione directi Dominii spectans, illiusque territorium, membra, annexa, connexa, & dependentia occupare & detinere, in maximum dictæ Sedis Apostolicæ damnum & præjudicium, non sine ejus dolo & culpa manifesta, cum sciverit aut scire debuerit, prout est notorium & manifestum, quod terra, seu oppidum prædictum est sub & de Dominio directo & supremo ejusdem Sedis Apostolicæ. Quare idem Reverendus Pater Dominus Commissarius generalis, exhibitis & præsentatis nobis literis Apostolicis a Sanctissimo Domino nostro Papa in forma Brevis sub annulo Piscatoris, & datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, die undecima currentis mensis emanatis, tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, Joannes Andreas, Princeps ab Auria, nescitur quo spiritu ductus, terram sive oppidum Burgi Vallis Tari, Placentini districtus, ad Sanctam Romanam Ecclesiam ratione directi Dominii spectans, illiusque territorium & membra, annexa-

annexaque, & connexa ac dependentia occupare ausus fuerit, sive occupata detinuerit, vel detineat. Propterea Nos volentes, ut contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios invasores, occupatores ac detentores juris remediis opportunis, præsertim declarationis incursus excommunicationis majoris, aliarumque censurarum & pœnarum, a sacris canonibus & conciliis universalibus, constitutionibusque Apostolicis, etiam in Bulla Cœnæ Domini adversus talia perpetrantes inflictarum & promulgatarum per Auditorem Cameræ, qui quarumcumque literarum Apostolicarum est generalis executor, procedatur; ne unquam de ejus jurisdictione & facultate, in præmissis quomodolibet necessaria & opportuna, dubitari contingat, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, salvo tamen & reservato Nobis & Sedi Apostolicæ jure agendi ad quæcumque alia, nunc & inposterum quomodolibet & quandocumque competentia, & competitura, ac prævia, quatenus sit opus, avocatione a quibuscumque judicibus, etiam per Romanos Pontifices, prædecessores nostros, quomodolibet datis, tenore præsentium eidem Auditori Cameræ, nunc & pro tempore existenti, committimus & mandamus, ut nedum vigore suarum generalium facultatum, sed etiam vigore præsentium, ad instantiam Commissarii generalis Cameræ Apostolicæ pro tempore existentis, ad prædictam declarationem incursus excommunicationis, aliarumque censurarum & pœnarum quarumcumque, etiam caducitatis & devolutionis feudorum & bonorum emphyteuticorum, si quæ prædictus Joannes Andreas ab Auria, omnesque alii, tam proprio, quam cujuscumque alterius nomine invadentes, occupantes, sibique assistentes, auxiliumque & favorem præstantes, & qui præstiterunt ad invadendam, seu occupandam, vel detinendam prædictam terram, ejusque arcem & territorium, aliaque bona, jura, membra annexa & dependentia quæcumque, ad prædictam Romanam Ecclesiam Sedemque, & Cameram Apostolicam, & respective quamlibet aliam inferiorem Ecclesiam, ratione directi dominii & alias quomodolibet spectantia, obtinent; nec non amissionis & privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum & indultorum, si quæ ab ipsa Ecclesia Romana, aliaque Ecclesia inferiori quomodolibet habent, procedat, omniaque alia & singula in præmissis necessaria & quomodolibet opportuna gerat, faciat & exequatur, etiam omni & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate etiam ex tribus aliisque remediis, ordinariis & extraordinariis penitus & omnino remotis, cum facultate prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios in executione præsentium nominandi & cognominandi, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis & dignitatis, etiam speciali nota & expressione dignos, quicumque & quotcumque sint & fuerint, citandi, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie & extrajudicialiter, & quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu.

Volumus autem, ut facta per affixionem saltem semel intimatione Monitorii desuper expediendi, in valvis Ecclesiarum Bononiensis, & Ferrariensis, ac in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie campi Floræ de Urbe, omnia acta deinde contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios, ut præfertur, nominandos, facienda, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valide decernimus, perinde ac si ipsi & quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti & intimati fuissent, illisque quoties & quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris & pœnis sibi bene visis inhibendi & præcipiendi, aliisque facultatibus necessariis & opportunis, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & præsertim Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus diætis, ac quacumque commissione aliis judicibus seu tribunalibus Urbis, etiam per Breve Apostolicum vel supplicationem sive decretum, etiam motu, scientia, deliberatione & potestate similibus, ac alias quomodolibet, etiam consistorialiter expeditum, facta, partibusque intimata, & forsan causa instructa, cæterisque contrariis quibuscumque, statum litis & litium quarumcumque, ac nomina & cognomina judicum, litigantium, aliorumque contrariorum, & hic etiam de necessitate exprimendorum & inserendorum tenores & compendia pro plene expressis & insertis habentes: quibus omnibus & singulis plenissime derogamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die XI. Augusti 1636. Pontificatus nostri anno XIV.

M. A. Maraldus.

Petiit, & summa cum instantia postulavit, quatenus sibi literas monitoriales ad partes per edictum publicum in locis, in præinsertis literis Apostolicis designatis, affigendas, exequendas & publicandas, cum pro illis exequendis in civitate Genuensi & alibi, ubi dictus Excellentissimus Dominus Princeps ab Auria moram trahit & morari solet, tutus non pateat accessus, in forma solita decernere & concedere & alias de opportuno juris remedio providere dignaremur.

Nos igitur Marcus Antonius Franciottus, judex, executor & Auditor prædictus, attendentes, requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam, in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertisque literis Apostolicis, nobis, ut præfertur, præsentatis, inhærentes, ac etiam facultate in illis nobis tradita utentes, constitoque nobis per testes fide dignos, nostro de mandato examinatos, ad dictam civitatem Genuæ, & prædictum Excellentissimum Dominum Joannem Andream ab Auria citandum & monendum pro præsentibus nostris monitorialibus literis exequendis, tutum non patere accessum, literas monitoriales petitas concedendas, & in locis infra dicendis exequendas & publicandas fore & esse duximus & mandamus per præsentes. Quocirca vobis omnibus & singulis supra dictis ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, quatenus visis eisdem præsentibus per præsens publicum nostrum edictum in Romana curia in valvis Basilicæ Principis Apostolorum & in acie campi Floræ de Urbe, & extra eam in valvis Bononiensis & Ferrariensis Ecclesiarum

affigen-

affigendum, publicandum & exequendum ex parte nostra, imo verius Apostolica auctoritate, supradictum Excellentissimum Dominum Principem, Joannem Andream ab Auria, omnesque alios in executione præsentium nominandos & cognominandos citetis, moneatis & requiratis, prout nos eosdem harum serie citamus, monemus & requirimus primo, secundo, tertio & peremptorio termino, quatenus infra XXX. dierum spatium, quorum decem pro primo, alios decem pro secundo, & reliquos decem dies pro tertio, ultimo & peremptorio termino, ac trina monitione canonica assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat coram nobis per se ipsos legitime comparuisse, & comparere ad deducendum & allegandum causam, quare non debeat, ipsos & eorum quemlibet in omnes & singulas censuras & pœnas, in sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus, & respective in præinsertis literis Apostolicis contentas, inflictas, impositas & comminatas incidisse & incurrisse declarari, ac contra eos & illorum quemque literas declaratorias quascumque desuper necessarias & opportunas decerni & relaxari, ac ad omnes & singulos actus de & super præmissis & circa ea quomodolibet necessarios et opportunos procedi, nec non respective ad videndum, sese in censuras et pœnas hujusmodi incidisse et incurrisse declarari, ipsique Domino Commissario jus et justitiam ministrari, aliaque desuper necessaria et opportuna usque ad condignam prædictorum satisfactionem, ac terræ seu oppidi, illiusque annexorum membrorum et pertinentiarum quarumcumque hujusmodi liberam dimissionem & restitutionem, totalemque præsentium nostrarum literarum paritionem fieri & exequi, certificantes eosdem Excellentissimum Dominum Principem ab Auria & alios sic citatos & monitos, quod si in dicto termino sibi præfixo non comparuerint, nos ad omnium & singularum censurarum & pœnarum prædictarum incursus declarationem procedemus justitia mediante, eorum absentia & contumacia non obstante. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex ædibus nostris anno Domini 1636. Indictione quarta, die vero XIX. Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Urbani, divina Providentia Papæ VIII. anno XIV.

Marcus Antonius Franciottus,
Auditor & judex commissarius.

Dominus Fonthia,
Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

LIX.

Breve Urbani IIX. Pontificis Maximi, ad Marchionem de Leganes, Status Mediolani Gubernatorem, datum, in quo ei, se Odoardum Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, a bello Statui Mediolanensi inferendo serio dehortatum esse, nuntiat, atque, ut milites Hispanicos e Ducatu Parmensi revocet, enixe rogat, d. d. 25. Octobr. Anno 1636.

Dilecto filio, nobili viro, Marchioni de Leganes, Status Mediolani Gubernatori & Capitaneo generali.

Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem & Apostolicam benedictionem.

Assidua mentis sollicitudine ab universo quidem Catholico orbe, præsertim vero ab Italia, armorum tumultus amovere pro pastorali munere conati sumus. Nec defuit inter hæc officia studium curandi, ne quis, Apostolicæ Sedis Juribus, vel auctoritate suffultus, alios læderet, simulque avertendi motuum occasiones, qui eidem Sedi damnum quoquo modo parere possent. Quolibet propterea opportuno conatu ac omni, qua ratione potuimus, opera a Nobis adhibita est, ne nobilis Vir Odoardus, Parmæ & Placentiæ Dux, quicquam moliretur, quod ullo pacto publicæ tranquillitati officeret. Haud igitur consentaneum videtur, ut ex iis, quæ isthic patrata sunt, aut etiam patrantur, aliquod hæc sancta Sedes subeat detrimentum. Quare cum a Nobilitate tua militares copiæ intra ejusdem Ducatus fines immissæ fuerint, cavendum apprime est, ne, dum illatas injurias ulcisci contendis, Apostolicæ Sedi præjudicium afferatur: quod accidit, dum non modo a Mediolanensi Statu hostiles invasiones propellis, sed in loca, quæ juris sunt Apostolicæ Sedis, deducto exercitu, devastatis agris, oppidanis maximo incommodo affectis, propugnaculis excitatis, & aliis additis molitionibus, quæ indies referuntur, arma invehis. Itaque a te enixe postulamus, ut Parmæ, Placentiæ, & aliorum locorum, ab earum ditione dependentium, habita ratione, quorum directum dominium ad Sanctam hanc Sedem pertinet, milites revoces, nec populos, ab omni prorsus culpa remotos, bellorum calamitatibus diutius affligi patiaris. Habes, in quo de Beati Petri Patrimonii incolumitate & Sedis Apostolicæ Juribus sollicitus, summa cum pietatis laude bonorum omnium animos demereri facile possis. Nos, quibus peculiaris tua religio, ac propensa in publicum bonum voluntas jam pridem perspecta est, Nobis non dubie pollicemur, fore, ut ab Ecclesiæ rebus lædendis abstineas, simulque alios ab earum aggressione desistere pro tuo munere diligenter contendas. Nec tibi nova, neque inexpectata cura nostra videri debet, cum satis exploratum sit, quænam Summos Pontifices obligatio compellat, hujusmodi res & Jura inviolata atque integra custodiendi. Eo autem propensius postulatis nostris obsequi debes, quod, cum nostrarum sit partium de præsenti ejusdem Ducis causam cognoscere, Nos, si quid in ipsum animadvertendum erit, nihil prætermissuri sumus, sed illud decernemus, quod nostræ dignitati, justitiæ, & publicæ quieti consentaneum fuerit. Profecto si optatis nostris, quemadmodum de tua in Nos observantia expectare par est, te obsecundantem præbueris, rem præstabis æquitati consonam, nomini tuo valde gloriosam, cum Catholici Regis pietate & clementia conjunctam, & Nobis, qui in te non minus virtutes, quam sanguinis splendorem magni facimus, inprimis gratam. Nobilitati tuæ pontificiam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Castro Gandulphi die 25. Octobr. 1636. Pontificatus nostri anno XIV.

LX.

Ejusdem Breve ad Philippum IV. Hispaniarum Regem, datum, in quo, ut ne Parmæ & Placentiæ Ducatum, sub directo Sedis Apostolicæ Dominio comprehensum, a militibus suis devastari diutius patiatur, peramanter rogat, d. d. 15. Novembr. An. 1636.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro, Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.

Urbanus Papa VIII. Cariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

NOn modo veteri Auſtriacæ familiæ inſtitutione, ſed propriarum etiam virtutum incitamento ſæpius Majeſtas tua non levibus argumentis teſtata eſt, quanti Eccleſiæ Jura atque exiſtimationem ſemper fecerit: Etenim a veſtigiis, quæ inſignis proavorum tuorum religio jam olim ad poſteritatis exemplum impreſſit, non deflectens, non minus præcipuam eorum erga Apoſtolicam Sedem venerationem, quam eximiam gloriam æmularis, adeo, ut non ſine Regii tui nominis laude, minime recens opinio in omnium animis percrebuerit, ampliſſimi iſtius dominatus conſervandi rationes peculiari quodam ſtudio cum Eccleſiæ dignitate conjunctas eſſe: quo fit, ut pro certo habeamus, a voluntate tua maxime alienas eſſe eas militum invaſiones, quibus Parmæ & Placentiæ Status devaſtari narratur. Et ſane inducere in animum nequaquam poſſumus, fore, ut paſſurus ſis, earum ditiones, ſub directo Apoſtolicæ Sedis Dominio conſtitutas, Auſtriacis armis oppugnari. Nos hac de re ad dilectum, filium nobilem virum, Marchionem de Leganes, Mediolanenſis Status Gubernatorem, literas dedimus, accurate flagitantes, ne Romanæ Eccleſiæ res ac jura aliqua ex parte lædi, aut innocentes populos alienæ militionis pœnas atque incommoda ſubire velit. Inſuper declaravimus, Nos adverſus ipſum Ducem, prævia cauſæ cognitione, quidquid juſtum fuerit, ſedulo præſtituros, & executioni demandaturos eſſe. Speramus, illum æquiſſimis poſtulatis noſtris obſecuturum eſſe, neque permiſſurum, Parmam, Placentiam, aliaque loca ab illis dependentia, bellorum calamitatibus diutius affligi. Quod ſi ſecus, quam opinamur, ipſe id præſtare diſtulerit, a Majeſtate tua majorem in modum petimus, ut jubeat, ex hujusmodi locis primo quoque tempore exercitum revocari. Erit tuæ pietatis, ingentium malorum gliſcentem flammam extinguere, quæ ex præſentibus conatibus indies proficiſci poſſent. Non te fugit, Catholici Regis proprium eſſe, Apoſtolicæ Sedis Jura ſarta tecta undique cuſtodire. Quare ut hanc de univerſa Chriſtiana Republica benemerendi occaſionem amplectaris, nihil eſt, quod te hortemur. In hoc certe integritas & Regia tua virtus elucebit. Nosque magnum pontificiæ ſollicitudini ſolatium partum eſſe fatebimur. Fuſius in hanc ſententiam noſtro nomine tecum diſſeret Venerabilis Frater, Laurentius, Epiſcopus Senogallienſis, Nuncius Apoſtolicus. Eidem cupimus integram adhiberi fidem a Majeſtate tua, cui Nos amantiſſime benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die XV. Novembris 1636. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXI.

Sententia, in tribunali Pontificio, contra Odoardum I. Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, lata atque publicata, in qua memoratus Dux non solum majori excommunicationi innodatur, verum etiam omnibus feudis, bonis, dignitatibus, titulis atque juribus privatur, de Anno 1642.

CHriſti nomine invocato pro Tribunali ſedentes, & ſolum DEum præ oculis habentes. Per hanc noſtram ſententiam, quam de Juriſperitorum conſilio ferimus in his ſcriptis, in cauſa, & cauſis nobis a Sanctiſſimo D. N. Papa commiſſis, & coram nobis in prima vertente inſtantia inter Perilluſtrem & Excellentiſſ. D. Fauſtum Gallutium, Fiſci Sanctiſſimi D. N. Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalem Procuratorem Fiſcalem, Actorem, & promotorem ex una: & Sereniſſimum D. Odoardum Farneſium, Parmæ & Placentiæ Ducem, reum conventum, inquiſitum, proceſſatum, præceptatum, & ad perſonaliter comparendum monitum de & ſuper eo, quod cum alias & de menſe Julii proxime præteriti, ac aliis præcedentibus & ſubſequentibus menſibus & diebus, pro publicæ fidei conſervatione, & ad conſulendum indemnitati Reverendæ Cameræ prædictæ & Montiſtarum Montis non vacabilis Plani Abbatiæ & Montis Farneſii nuncupatorum tam primæ quam ſecundæ erectionis, & cujuslibet ipſorum reſpective fuiſſet neceſſe ad eorundem, & Reverendiſſimi Patris, D. Commiſſarii Generalis, ejusdem Cameræ inſtantiam, coram Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali, Camerario, et Congregationibus Montium, et Baronum, quibus ex ſpeciali prædicti Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ commiſſione de eodem menſe Julii proxime præteriti hæc cauſa fuit commiſſa contra prædictum D. Ducem agere, et ad diverſos judiciales actus procedere et devenire, non ſolum pro dictorum Montium extinctione, fructuumque a multo tempore citra decurſorum ſolutione: Verum etiam quia præſcripta in cedulis, et motibus propriis felicis recordationis Clementis Papæ VIII. et Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ſuper eorundem Montium erectionibus emanatis, et inſtrumentis deſuper celebratis non fuerunt ex parte ejusdem Domini Ducis adimpleta, quinimo in multis etiam fuit controventum. Et propterea idem Dominus Dux, ex quo, ut ex Proceſſu deſumitur, parum curans prædictis ejus creditoribus ſatisfacere, hoc judicium ægre ferens, et ad animum revocans, ac etiam timens mandatorum exequutorum relaxationem, illorumque exequutionem contra ejus bona jurisdictionalia et non jurisdictionalia, et præſertim contra civitatem et Statum Caſtri, per ipſum in Provincia Patrimonii Sancti Petri nuncupata poſſeſſum, tanquam obligatum et hypothecatum ad favorem prædictorum Mon-

Montistarum, decrevit mediantibus infra dicendis novitatibus & apparatibus paratam & imminentem impedire exequutionem, illique se opponere. Unde immemor debiti obsequii, reverentiæ & fidelitatis, quibus uti feudatarius Sanctæ Sedi Apostolicæ de jure tenetur, & obligatus existit; nescitur quibus de causis motus, nisi ex superius enunciatis, indebite & de facto non solum in civitatem Castri, ejusque arcem, & in aliis locis ejusdem Status ex Civitate Parmæ moschettos trecentum, & maximam plumbi tam elaborati, quam non elaborati quantitatem ad multa librarum millia ascendentem, considerabilemque militum copiam ad numerum bis centum sexaginta circiter ascendentem, inter quos etiam exteri aderant sub Præfectura Delphini Angelerii, quem ad hunc effectum idem D. Dux ad civitatem, & Statum prædictum misit, sed etiam arma & munitiones omnis generis in maximam copiam ibidem introduci ex aliis locis jussit, æneaque tormenta muralia super curribus, dictæque civitatis parietibus, mediante opera & assistentia dicti Delphini, disponi curavit, & mandavit, nec non etiam idem Dominus Dux ad tanto magis obstandum & impediendum exequutionem justitiæ ad muniendum dictam civitatem, Arcem, & Terram Montis Alti, nec non Pontem Abbatiæ, aliaque forsan ejusdem Status loca, suum applicavit animum, ad quem effectum pariter, mediante opera dicti Delphini, aliorumque ejus Ministrorum, & officialium pro majori dictæ civitatis, & Arcis munimento, & fortificatione, maximam etiam aliorum militum peditum & equitum quantitatem, in ipso statu Castri collectorum introduci, viamque inter dictam civitatem, & terram Farnesii sitam devastari ac intercidi, ac propugnaculum versus eandem civitatem respiciens, nec non duo valla, vulgo dicta *Fortini*, a capite Cavæ extra prædictam civitatem, & parum ab ea distantia ædificari & construi, & pro eorum custodia milites, excubias, nocturnasque eorundem militum vigilias apponi fecit, & mandavit non sine magna nedum Sanctitatis Suæ, & status ecclesiastici, sed etiam aliorum Principum & Statuum, præsertim vicinorum perturbatione & seditione respective, ut est notorium, pro quorum militum sustentatione & alimento de ejusdem D. Ducis, ejusque Ministrorum mandato generaliter in eodem statu Castri omnia descripta fuere victualia ad effectum frumento, hordeo, vino, caseo, carne salsa, straminibus & lodicibus, aliisque rebus & bonis, quæ terrigenis ejusdem status supererant, hac utendi occasione, & ad dictam civitatem castri, aliaque loca ejusdem status introducendi & transmittendi, prout cum effectu, ex prædictorum præcepto per subditos ejusdem status coactos, maximo eorum incommodo cum eorum bestiis transmissa & asportata fuerunt, una cum magna frumenti quantitate per ipsam reverendam Cameram Apostolicam, a DD. Joann. Baptista & Alexandro de Siris empti, & ad eandem spectantis & pertinentis, prædictæque militum collectio, & novitates, ut ex processu desuper fabricato apparet, sequutæ fuerunt de ordine, mandato & commissione supradicti D. Ducis, ob supradictas displicentias & ægreferentias, quas dictus D. Dux occasione antedicti Judicii injuste suscepit. Et denique pro majori delictorum cumulo, publico omnium scandalo ex eadem civitate Castri nuper fuerunt de ordine & mandato dicti Delphini aliqui ejusdem civitatis incolæ expulsi, sub prætextu, quod Sedis prædictæ essent subditi, & pariter de dicti Domini Ducis mandato, & eodem statu per eosdem ministros & officiales etiam fuit publicatum rigorosum edictum, quod nullus ex militibus prædicti Status auderet extra locum suæ habitationis pernoctare sub pœna ultimi supplicii & confiscationis bonorum, ac sub eisdem pœnis eos omnes promptos & paratos esse debere cum eorum armis, equis & vestimentis ad effectum sese conferendi ad dicta loca munita, aliaque ejusdem Status ad omne mandatum dictorum officialium & ministrorum, & prout dictus D. Procurator Fiscalis dixit & asseruit, apparere ex eodem processu desuper fabricato, ad quem relationem haberi &c. Et licet pro Jurium Romanæ Ecclesiæ, Sedisque & Cameræ prædictæ defensione injustis dicti D. Ducis armis justa Romanæ Ecclesiæ arma rationabiliter opponere, novitatesque supradictas re ipsa facillime tollere idem Sanctissimus D. Noster Papa merito valuisset, tamen Sanctitas Sua suavia volens adhibere remedia, cunctari potius aliquandiu maluit, ad effectum videndi, an forte dictus D. Dux respiciens, & melius cogitans omnia prædicta, quæ fieri ita injuste mandaverat revocare, & in pristinum statum reducere curasset. Quapropter de ipsius sanctissimi D. Nostri ordine sub die vigesima prima mensis Augusti, & sub die vigesima quarta Septembris, proxime præteritorum, seu aliis verioribus temporibus fuerunt per Illustriss. D. Auditorem Cameræ, Prædecessorem nostrum, nunc Eminentiss. & Reverendiss. Dom. Cardinalem Raggium expedita monitoria, seu præcepto contra eundem D. Ducem, quatenus infra certum temporis spatium sibi in eisdem Monitoriis præfixum, & assignatum amovere, tollere, & respective dirui facere omnino deberet omnes munitiones & innovationes hactenus factas, & quæ dietim absque sanctissimi D. Nostri Papæ licentia & beneplacito in civitate & Arce Castri, ac in Terra Montis Albi, aliisque locis Ducatus, seu Status Castri fiebant, aliasque & reliqua quomodolibet innovata revocare, & in pristinum Statum reducere, revocando, & dimittendo milites quoscunque introductos ultra consuetum præsidium, cum expressa quoque prohibitione alios quoslibet milites per se, vel alium seu alios in prædictum Statum, & Ducatum, ejusque loca quæcumque introducendi, sub comminatione certarum pœnarum in eisdem Monitoriis, seu præceptis contentarum & expressarum in eventum inobedientiæ & contraventionis, cum insertione de verbo ad verbum in eis prædictarum, & aliarum literarum Apostolicarum ultimo loco sub die 21. mensis Septembris expeditarum, seu &c, ac speciali & expressa derogatione omnium & quorumcunque indultorum & privilegiorum prædicto D. Duci ejusque antecessoribus, & Successoribus per quosvis Romanos Pontifices quomodolibet concessorum, & in specie per felicis recordationis Paulum Papam Tertium, & alias, prout in supradictis Monitoriis, seu præceptis contra dictum D. Ducem non solum juxta formam in eis præscriptam, in urbe & Civitatibus Bononiensi, & Ferrariensi, verum

rum etiam ex superabundanti ad tanto magis eundem Dom. Ducem disponendum, primo dictum Monitorium etiam in Civitate Placentiæ sub die 27. supradicti mensis, ubi de dicto tempore dictus D. Dux residebat, ac ultimo loco secundo dictum aliud Monitorium, seu præceptum in urbe sub die trigesima ejusdem mensis Septembris, seu alio veriori tempore ex superabundanti, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum legitime exequutum, & in actis reproductum plenius continetur, ad quæ in omnibus & per omnia relatio habeatur. Et dum eumdem D. Ducem juxta suum debitum, præsertim vero prædictæ ejusdem nostri Prædecessoris, immo verius Apostolicæ primæ monitioni firmiter obtemperaturum, omniaque in pristinum statum reducturum, debitamque obedientiam & filiale obsequium prædicto sanctissimo D. nostro, Sanctæque Sedi Apostolicæ delaturum esse sperabatur: Item Dom. Dux salutis suæ immemor, in ejus resolutione adhuc perseverans, hujusmodi prædicti D. Auditoris Cameræ, prædecessoris nostri, imo verius Apostolica mandata & præcepta adimplere & exequi neglexit. Immo munitiones, milites, & victualia prædicta in maximam copiam augeri fecit in grave animæ suæ detrimentum, Divinæ Majestatis offensionem, & prædicti sanctissimi D. Nostri Papæ, & Sedis Apostolicæ contemptum, perniciosumque exemplum, & Christi fidelium scandalum manifestum: Ad quas supra dictas omnes novitates tollendum, ac etiam ad eundem D. Ducem magis disponendum, ut obediret, & adimpleret contenta in dictis literis Apostolicis & Monitoriis, seu præceptis, idem sanctissimus D. Noster Papa, cui ex ejus pastoralis officii debito summopere cordi est, ut jus suum unicuique tribuatur, & debita Sedi Apostolicæ, & præsertim a feudatariis, præstetur obedientia, & ad omnem alium meliorem finem & effectum, coactus fuit maximo cum dispendio Rev. Cameræ Apostolicæ, peditum & equitum copias instruere, & in eodem Statu Castri ad prædictum, & ad omnem alium meliorem finem transmittere, a quibus eo, quia prædicti Ministri, aliique milites prædicti D. Ducis, adhuc in eorum inobedientia & obstinatione perseverabant, nedum expugnata fuerunt supradicta loca, de ordine dicti Dom. Ducis munita, nempe, Terra montis alti, & Arx in ea sita, una cum Turri ejusdem terræ seu oppidi, prope mare posita, & Pons Abbatiæ, ejusque vallum; verum etiam alia valla, seu propugnacula a capite cavæ extra eandem civitatem castri, & pro illius majori custodia & fortificatione, ut supra, constructa, & ædificata, nec non aliud propugnaculum extra eamdem civitatem a parte superiori ad prædictum effectum pariter ædificatum, & ipsamet civitas cum omnibus aliis fortificationibus, extra, & intus eam factis, & constructis. In quorum locorum expugnatione maxima intervenit de ordine dicti D. Ducis hostilis oppositio & repugnantia, exceptis tamen Terra Montis Alti, & ejus Arce, ex quibus per aliquas horas ante adventum ibidem exercitus Pontificii quinquaginta circiter milites, qui ibidem ad se opponendum illius expugnationi, transmissi fuerant, magno terrore affecti, cum eorum diversorum armorum generibus castrum versus aufugerunt, & turri prædicta, ex quo custodes ipsius numero septem circiter, licet in prima monitione discedere recusassent, tamen in secundo jussu Illustrissimi & Excellentissimi Domini Aloysii, Marchionis Matthæi, Generalis Magistri Campi exercitus Pontificii, a diversis equitibus gravis armaturæ ipsis facto, ex eo discesserunt, illamque eidem Dominio Marchioni quo supra nomine consignaverunt, cum omnibus tormentis magnis, & parvis, aliisque munitionibus in ea existentibus; in ponte autem Abbatiæ, ad prædictum effectum ab hostibus abscisso, ejusque vallo ad eundem effectum constructo, sequenti die, scilicet vigesima nona prædicti mensis Septembris præteriti, seu &c. adversus milites Pontificios, qui illius expugnationi incumbebant, multi explosi fuerunt Moschettonum ictus. Unde dictus Dominus Marchio, ex quo milites numero quadraginta circiter, qui in eisdem Ponte & Vallo ad pugnandum appositi fuerant, amicabiliter ex eis discedere recusabant, immo hostiliter, ut supra, Pontificio exercitui se opponebant, fuit coactus pro illorum expugnatione quatuor magnorum tormentorum ictus explodere, quorum formidine hostes perterriti fugam tandem arripuerunt, in qua unus ipsorum interfectus remansit, & nonnulli alii a Pontificio exercitu capti extiterunt. In accessu autem facto ab eodem exercitu sub die sexta mensis Octobris, proxime præteriti, seu &c. prope dictam Cavâm Ducales milites, qui in insidiis se posuerant, ex improviso adversus equites Pontificios ingentes parvorum tormentorum ictus exoneraverunt, a quibus unus ex dictus equitibus mortuus, & alii quatuor circiter vulnerati remanserunt. Die vero octava ejusdem, seu &c. cum antedictus exercitus ad expugnationem dictorum Vallorum prope dictam Cavam Fabricatorum se disposuisset, post maximam oppositionem ab hostibus sibi factam, maximamque bombardarum, ac etiam tormentorum magnorum & minorum quantitatem, contra dictum exercitum exoneratorum, eadem valla expugnavit, licet in hujusmodi certamine nonnulli ex dictis Pontificiis militibus vulnerati, novemque circiter ex hostibus mortui moschettorum ictibus, remanserint, multique alii intus castrum se receperint. Et denique die decima, seu &c. supradicti mensis Octobris, proxime præteriti idem exercitus prosequendo expugnationem aliarum fortificationum extra dictam civitatem factarum, ac etiam ipsiusmet civitatis, cujus occasione etiam multa hinc inde exonerata fuerunt tormenta magna, & aliorum generum tam muralium quam manualium, ex quorum impulsu hostes prædicti die decima quarta ejusdem mensis Octobris, seu &c. coacti fuerunt, civitatem antedictam aliaque propugnacula deserere, & sua diversis pactis & conventionibus, ab ipsa civitate, & fortificationibus recedere, eamque cum munitionibus & victualibus præmisso Illustrissimo & Excellentissimo Domino Marchioni quo supra nomine consignare, prout consignarunt, hostesque prædicti numero sexcenti octuaginta circiter, ultra maximum aliorum militum, peditum & equitum numerum, qui post adventum Pontificii exercitus in dicto Statu ex eadem civitate, & vallis, seu propugnaculis respective aufugerunt, ultra mortuos & carceratos ex eadem civitate ut supra discesserunt, rebusque aliis in actis

cauta

causæ & causarum hujusmodi latius deductis, & illorum occasione partibus ex altera. Quapropter inhærendo supradictis Apostolicis in forma Brevis sub diebus decima septima mensis Augusti, & vigesima mensis Septembris, proxime præteritorum expeditis, seu &c. eidemque D. Auditori Cameræ, prædecessori nostro, nunc ut supra Eminentissimo D. Cardinali Raggio directis, & facultatibus in eisdem literis concessis, & attributis, ac etiam aliis nostris facultatibus, & ex superabundanti etiam illis a Sanctissimo Domino nostro nobis concessis in literis Apostolicis expediti sub die vigesima tertia Decembris, proxime præteriti, seu &c. & alias omni meliori modo, firmisque & in suo robore permanentibus omnibus & singulis protestationibus aliis, nedum per Reverendiss. Patrem, D. Joannem Ghinum, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, ejusque Rev. Cameræ Apostolicæ generalem Commissarium, sed etiam per ipsum D. Procuratorem Fiscalem generalem factis, & per eundem Auditorem Cameræ, prædecessorem nostrum, nunc Cardinalem Raggium admissis, visisque per nos omnibus videndis, & consideratis considerandis, Christi nomine repetito: Dicimus, pronunciamus, declaramus & sententiamus, supradictum Serenissimum D. Odoardum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, tanquam de præmissis delictis & criminibus repertum culpabilem, & de jure punibilem, & ob non factam coram nobis, seu prædicto D. Auditore Cameræ, nostro prædecessore, in termino sibi præfixo & assignato personalem comparitionem, eorundemque delictorum contra ipsum objectorum exculpationem, defensionem, & expurgationem fore & esse condemnandum, prout illum per hanc nostram sententiam condemnamus, & pro condemnato haberi volumus & mandamus, in pœnam confessatorum criminum & delictorum prædictorum, de quibus imputatur, incursusque in excommunicationem majorem, a qua non nisi a Sanctissimo *D. N. Urbano*, & Summo Pontifice pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia ipso facto, quatenus convalescat, absolvi possit, aliasque Ecclesiasticas censuras, a Sacris Canonibus, Conciliis universalibus, Apostolicisque Constitutionibus, etiam in die Cœnæ Domini legi solitis, eumque cum reservatione ut supra excommunicatum, & in supradictas censuras Ecclesiasticas incursum, & innodatum esse decernimus; & propterea a fidelium consortio disjungimus, segregamus, ac separamus, & pro disjuncto, segregato & separato haberi volumus, ipsumque sic excommunicatum ab omnibus Christi fidelibus evitandum esse, prout evitari præcipimus & mandamus: Nobisque ... & facultatem interdicto ecclesiastico subjiciendi omnes, & quoscumque dicti Domini Ducis status, civitates, terras, castra, villas, loca & dominia quæcumque, eidem Duci subjecta, dictumque interdictum in amplissima & consueta forma publicandi, & affigendi in locis nobis bene visis, juxta facultates nobis attributas reservamus: Nec non rebellionis, criminis læsæ Majestatis in primo capite, devolutionis, confiscationisque dicti Ducatus & status, & aliorum quorumcumque feudorum, civitatum, terrarum, castrorum, locorum, dominiorum, actionumque & jurium, etiam individua expressione dictorum, ac bonorum quorumcumque feudalium, & non feudalium, stabilium, mobilium, se moventium, præsentium & futurorum ubique existentium, Reverendæ Cameræ Apostolicæ applicandorum & incorporandorum, prout supradictum Ducatum & Statum, & alia quæcumque feuda, civitates, terras, castra, loca, dominia, bonaque omnia feudalia & non feudalia, cæteraque alia bona stabilia, mobilia, se moventia, præsentia & futura, ubique existentia, juraque & actiones quascumque, ad ipsum Dominum Ducem quomodocumque, & quovis titulo & prætextu spectantes & pertinentes, seu habere prætendentem, eidem Reverendæ Cameræ Apostolicæ applicamus & incorporamus, & pro applicatis & incorporatis haberi volumus & mandamus, Nec non eumdem Dominum Odoardum privandum fore & esse, prout per hanc nostram sententiam ipsum cum effectu privamus omnibus & quibuscumque dignitatibus, etiam Confaloneriatu, quas & quem ipse a Sede Apostolica, aliisque inferioribus Ecclesiis quomodocumque habet & tenet, habereque & obtinere prætendit, eundemque ad illas, & illum imposterum obtinendum perpetuo inhabilitamus, privatumque & inhabilitatum esse respective, nec non pro privato & inhabilitato, ut supra, haberi volumus & declaramus: Ac ulterius eundem Dominum Odoardum pariter condemnandum fore & esse, prout eum condemnamus, & pro condemnato haberi volumus & mandamus ad restitutionem totius quantitatis frumenti, per dictos ejus ministros ablati, & ad dictam civitatem castri transmissi, ad Reverendam Cameram Apostolicam spectantis, seu illius valoris, ac etiam ad reficiendum Reverendæ Cameræ omnia & singula damna, expensas & interesse, per eandem Cameram occasione dictarum novitatum hactenus factas & passas, & in futurum faciendas, & patiendas coram nobis, vel cui de jure taxandas & liquidandas. Pro quorum omnium & singulorum supradictorum exequutione mandata quæcumque exequutiva, & alia desuper necessaria & opportuna ad favorem Fisci, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ, ac etiam Cedulones prædictæ excommunicationis, aliarumque censurarum prædictarum contra eumdem D. Odoardum decernimus, relaxamus & exequi, affigique, & publicari respective mandamus. Et ita dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, relaxamus, sententiamus & exequi mandamus non solum modo & forma præmissis, verum etiam omni & quocumque alio meliori modo &c.

Ita pronunciavi *Ego Marius Theodolus, Aud. & Jud. dep.*

Dominicus Fonthia, caus. Curiæ Cam. Apost. Notarius.

Lecta, lata, & in his scriptis promulgata fuit supradicta sententia per eundem Illustriss. & Reverendiss. D. A. C. Romæ in palatio suæ solitæ residentiæ, anno a Nativitate D. N. JEsu Christi millesimo, sexcentesimo, quadragesimo secundo, Indictione decima, die vero 13. mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Urbani, divina Providentia Papæ VIII. anno decimo novo, præsentibus DD. Augustino Theulo, & Cæsare Columna, ambobus Romanis Connotariis testibus &c.

Dominicus Fonthia, Notarius.

Sere-

Sereniſſimus Dominus, Odoardus Farneſius, Apoſtolica autoritate declaratur excommunicatus majori excommunicatione, ac etiam incurſus, & innodatus aliis cenſuris eccleſiaſticis, tam in ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Conciliisque univerſalibus, quam etiam in Bulla in die Cœnæ Domini ſingulis annis legi ſolita contentis, & a fidelium conſortio disjunctus, ſegregatus, & ſeparatus, a qua & quibus nonniſi a Sanctiſſ. D. N. & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtitutus, & tunc cum reincidentia eo ipſo poſtquam convaluerit, abſolvi poſſit pro delictis, & criminibus per eundem D. Odoardum, & de ejus ordine & mandato commiſſis, pro quibus in ſupradicta ſententia per Nos lata in ſupradictas cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas fuit condemnatus, juxta formam & tenorem ejusdem ſententiæ, ad quam &c. & propterea tanquam excommunicatus, & ſupradictis cenſuris eccleſiaſticis innodatus & illaqueatus ab omnibus Chriſti fidelibus evitetur, donec, & quousque abſolutionis beneficium ab eodem Sanctiſſ. D. N. ſeu a Romano Pontifice pro tempore exiſtente obtinuerit, inſtante Perilluſtr. & Excellentiſſ. D. Fauſto Gallurio, Fiſci Sanctiſſ. D. N. Papæ ejusque Rev. Cam. Apoſtol. Generali Procuratore Fiſcali.

Marius Theodolus, Aud. & Judex Deput.

Dominicus Fonthia, Notarius.

Amoventes, lacerantes, ſeu quomodolibet deturpantes ſint ipſo facto eisdem excommunicatione majori, & cenſuris innodari & excommunicati ut ſupra.

Marius Theodolus, Aud. & Judex Deputatus.

Dominicus Fonthia, Notarius.

LXII.

Fœdus inter Rempublicam Venetam, Magnumque Etruriæ & Mutinæ Duces, belli, Odoardo I. Farneſio, Parmæ & Placentiæ Duci, illati, occaſione initum, d. d. 1. Septembr. Anno 1642.

Nel nome della Santiſſima & Individua Trinità, della B. V. M. & di S. Marco.

E Univerſalmente appreſa per così grave la moſſa imminente dell' Armi contro il Duca di Parma, che potendoſi molto chiaramente antivedere turbulenze ſempre di maggior conſequenze all' Italia; ſi ſono la Republica di Venetia che ſempre hà procurato di conſervar la Pace, e la quiete, il Gran Duca di Toſcana, che hà li medeſimi fini: & il Duca di Modena, che non meno vi concorre propoſti inſieme di cercare con tutti li mezzi opportuni il rimedio alli mali, che ſopraſtanno; & havendo conoſciuto per il meglio, così per accompagnare gli ufficii come per far più conſiderabile li preparamenti, il praticare, concludere, e ſtabilire Lega, & unione tanto à propria difeſa trà di loro, quanto per procurare la conſervatione, la pace, e la quiete de' Prencipi Collegati in ogni miglior modo;

Per queſto effetto ſono ſtati nominati per parte della Republica li Senatori Gio. Battiſta Nani, e Vicenzo Guſſoni Cavalieri. Dal Gran Duca di Toſcana, ſono ſtati Deputati Franceſco Maria Zati ſuo Gentilhuomo, Reſidente in Venetia, & il Cavaliere Domenico Pandolfini, ſuo Segretario di Stato. E dal Duca di Modena il Marcheſe Hippolito Eſtenſe Taſſoni Generale della ſua Artiglieria, li quali havendo moſtrati li loro poteri, e facoltà, e riconoſciutili ſofficienti s' è divenuto all' infraſcritta capitulatione d' Unione, Lega & accordo; cioè

Promettono vincendevolmente, e di buona fede li Prencipi collegati di defenderſi, & aiutarſi l' uno, e l' altro in virtù di queſta Unione in ogni caſo, che ſiano attaccati e per quello, che occorreſſe loro di comune concerto operare à difeſa di Prencipi Italiani per qualſivoglia cauſa, e preteſto, che derivaſſe da queſto co 'l conſenſo di forza nella maniera già ſtabilita.

Che la Republica di Venetia darà ſei mila fanti, e nove cento cavalli. Che 'l Gran Duca darà quattro mila fanti, & ſei cento cavalli, e che 'l Duca di Modena darà due mila fanti, e trè cento cavalli di ſoldateſca pagata, e fornita di tutte le coſe neceſſarie, che ſaranno in tutto dodeci mila fanti, mille otto cento cavalli, per eſſere accreſciuto il numero colla proportione ſopradetta ogni volta che 'l biſogno lo richiedeſſe nella maniera, che li Prencipi Collegati ſtimaranno à propoſito.

E quanto alli viveri, munitioni & appreſtamenti militari dourarno eſſere ſomminiſtrate da' Prencipi collegati; e ſe alcuno non potrà fare la proviſione per la parte, che gli ſi aſpetta, ſiano ſomminiſtrare da quelli, che potrano, ò con li pagamenti; ò pure con obligatione di reſtituire la robba della medeſima qualità e conditione; e ſia in arbitrio di quello che l' haurà data di ricevere il prezzo al coſto della Piazza, overo la robba effettiva.

Se occurrerà adoperar l' armi nello ſtato di qualche d' uno de' confederati, che ſia aſſalito, quello le commanderà; e ſe dovrranno unirſi in luogo neutro, la Republica di Venetia nominerà il Generale con partecipatione, & aſſenſo de' Collegati; il quale con quello, che ſarà ſtabilito nella conſulta di ſtato, e di guerra di concerto formato habbia autorità, e poſſa ordinare quelle eſſecutioni, che ſaranno neceſſarie, e lo ſtipendio, che le ſarà aſſegnato ſia contribuito ſecondo il riparto delle forze.

Che ſe alcuno de' Prencipi collegati foſſe invaſo, non foſſe obligato di concorrere alla contributione per poter difender ſe ſteſſo con tutte le ſue forze. E che li Prencipi, che non ſaranno invaſi, ſiano obligati à ſoccorrere prontamente l' invaſo con le forze ſtabilite come ſopra, ò fare quelle diverſioni, che di concetto foſſero aggiuſtate; e ſecondo il biſogno ſtabilite.

Che alcuno de' Prencipi Collegati non poſſa per l' auvenire far Lega, Unione, Conventione, ò Capitulatione, che derghino alla preſente; ne concludere pace, ò Tregua ſenza participatione, ò conſenſo

fenso de gli altri Collegati, e sia reservato luogo à gli altri Prencipi Italiani, che facessero instanza d' entrare nella Lega d' essere ricevuti con quelle conditioni, che pareranno alli Collegati.

Che la presente Lega duri per 10. anni, e no essendo disdetta due anni avanti la fine del tempo s' intenda durare per altri cinque anni è così successivamente. E la presente Capitulatione promettono, che sarà ratificata nel termine di dieci giorni, ò quel meno, che si potra, e sarà publicata se parerà a' Collegati nel tempo, che sara stabilita. Data in Venetia alli 31. Agosto, 1642.

Jo Gio. Battista Nani } Deputati della Republica di Venetia.
Jo Vicenzo Gussoni Cavalliere
Jo Francesco Maria Zati } Deputati del G. Duca di Toscana.
Jo Domenico Pandolfini
Jo Ippolito Estense Tassoni, Deputato del Duca di Modena.

Essendo stata stabilita Lega frà la Republica di Venetia il Gran Duca di Toscana, & il Duca di Modena sono li sopradetti col mezzo de' loro deputati devenuti anco in accordo del Capitolo seguente:

Vedendosi, che le Armi sono hora principalmente indrizzate all' offesa del Duca di Parma, & suoi Stati, sono per questo convenuti insieme, & convengono li Collegati di aiutarlo con tutti li mezzi, che si stimeranno proprii, & convenienti, concorrendo con quella proportione, che s' è nella Capitulatione della Lega stabilita, & che però sia riservata luogo al medesimo Duca di entrare anch' egli nella detta Lega, & unione, facendone instanza con quelle conditioni, modi, & patti, che con li Collegati saranno concertati, Data in Venetia il 1. Settembre, 1642.

Jo Gio. Battista Nani } Deputati della Republica di Venetia.
Jo Vincenzo Gussoni Cavalliere
Jo Francesco Maria Zati } Deputati del G. Duca di Toscana.
Jo Domenico Pandolfini
Jo Hippolito Estense Tassoni, Deputato del Duca di Modena.

FRANCESCO, Duca di Modena & di Reggio, &c.

Essendosi pratticato, e sotto li 31. d' Agosto, 1642. conchiuso trattato di buona, sincera, e scambievole Lega, e confederatione nella Città di Venetia trà li nobili Signori Battista Nani, e Cavaliere Vicenzo Gussoni deputati dalla Serenissima Republica à tale effetto sotto li dodeci d' Agosto, 1642. per una parte.

Et per l' altra del Serenissimo Gran Duca di Toscana, trà li Sign. Francesco Maria Zati Gentilhuomo Residente di S. A. e Cavaliere Domenico Pandolfini suo Segretario di stato mandatari, e Procuratori di S. A. come appare per Procura de 5. Agosto, qui sotto registrata.

FERDINANDO II. Gran Duca di Toscana, &c.

Essendosi introdotto felice trattamento d' unione, è concerto frà la Serenissima Republica di Venetia, Sereniss. Signor Duca di Modena, e Noi per ouviare alle novità, che potrebbero nascere di nuovo in Italia per le differenze vertenti frà Sua Santità, & il Signor Duca di Parma: Perciò Noi sommamente per beneficio universale, e quiete d' Italia desiderando la prospera conclusione è fine di questo negotiato, eleggiamo, e deputiamo, e costituiamo il Protonotario Francesco Maria Zati, nostro Gentilhuomo Residente appresso la suddetta Serenissima Republica & il Cavaliere Domenico Pandolfini, nostro Segretario di stato per nostri mandatari, Procuratori, Commissari à proseguire, concludere, e stabilire l' unione, e concerto suddetto col Serenissimo Doge, e Republica di Venetia, è Serenissimo Sign. Duca di Modena, e loro mandatari, Procuratori, e Commissari, con quelle conditioni, patti, modi, e forme, che alla loro prudenza pareranno proportionate al negotio, & à nostri sensi ad essi pienamente dichiarati. E diamo à i medesimi ampia autorità di poter per tale effetto fare a nostro nome qualsivoglia promessa, & obligatione ancorche fosse tale, che per sua validità ricercasse spetiale, espressa & individua mentione, e di fare circa le cose predette qualsivoglià scrittura publica, e privata, salva sempre l' approvatione, e ratificatione da farsene da Noi dentro il termine di - - - giorni dalla loro soscrittione. In fede delle quali cose habbiamo ordinato spedirsi dall' infrascritto nostro primo Segretario di stato questa nostra lettera patente della facoltà, e commissione, & altre cose predette, che sarà di nostra mano firmata, e del nostro sigillo solito munita, e dal medesimo nostro primo Segretario di stato sottoscritto. Data in Firenze li 5. Agosto, Anno 1642.

Il Gran Duca di Toscana, &c.

Gio: Battista Gondi.

E per Noi il Marchese Hippolito Estense Tassoni, nostro Generale dell' Artigliaria, e Commissario, e deputato espresso, come pure appare per procura de 29. di Luglio 1642. qui sotto registrata, cioè:

FRANCESCO, Duca di Modena, e Reggio, &c.

Considerando Noi con attenta applicatione la pericolosa congiontura de' tempi, e la calamitosa constitutione à cui si riducono le cose del Mondo, e quelle dell' Italia particolarmente, & non cessando nell' animo nostro il giusto, & ardentissimo desiderio della publica tranquillità, alla quale fin dal principio delle correnti torbidezze per quello poteva dipendere dalle nostre forze habbiamo intensamente cooperato in ogni luogo, e tempo; e sapendo dall' altra parte il paterno, e pietosissimo zelo, con che la Serenissima Republica di Venetia và del continuo con la sua grand' autorità e per mezzo de' suoi accurati, e giudiciosi ministri invigilando alla quiete universale, & in ispetie alla conservatione de Prencipi d' Italia; habbiamo creduto di non potere con più sano consiglio provedere à gl' interessi nostri, & insieme alla commune necessità che con aderire a' suoi prudenti, e sempre aggiustatissimi sentimenti, è però in virtù di queste nostri patenti lettere spontaneamente, di certa scienza con animo deliberato, & in ogn' altra ma-

tra maniera, via, e forma, che migliore, è più valida possa trovarsi, e con tutte quelle solennità, che ò per ragione, ò per consuetudine si ricerchino confidati nella singolar prudenza, fede, integrità, e diligenza dell' egregio, e generoso Marchese Hippolito Estense Tassoni, nobile Ferrarese, nostro Consigliere di stato, e Generale dell' artigliaria, ancorche assente, nientemeno, che se fosse presente, l' eleggiamo, facciamo, constituimo, & ordiniamo nostro vero, certo, indubitato, e legitimo Commissario, Procuratore, mandatario, Nuncio speciale, Plenipotentiario, e ciò, che possa più specificamente dirsi, e riputarsi, & espressamente à trattare, à nome nostro conchiudere, e firmare qualsivoglia Lega, confederatione, unione, e società Generale, e particolare, & in tutte quelle guise, che più saranno di gusto ad essa Serenissima Republica per tutte le cause in generale, & in particolare, & insieme con tutti quegli altri Prencipi, e Potentati, ò loro idonei Procuratori, ò Commissarii, à cui piaccia d' entrare in detta Lega, con quei modi, forme, conditioni, qualità, capitoli, conventioni, promesse, oblighi, e patti, siansi di che maniera esser si vogliano, che più piaceranno ad esso Marchese Hippolito, e ch' egli giudicherà piu convenirsi; dando, e concedendo al medesimo le nostre vici, e tutta la nostra potestà à tal' effetto, & individualmente à pigliare e prestare per noi, e sopra di noi qualsivoglia giuramento d' osservare, e non contravenire alla prefata confederatione, e generalmente à tutte, e singole quelle cose, che doveranno farsi, procurarsi, & esseguirsi nè più, nè meno, che se noi medesimi personalmente c' intervenissimo, & ordinassimo, che alla presenza nostra fosse, ò fossero fatti uno, ò più strumenti per rogito di publico Notario, con tutte quelle Clausole, Capitoli, solennità, patti, giuramenti, pene, additioni di pene, & ogn' altro punto necessario, & opportuno, non tanto per la forma d' un solenne strumento, quanto per l' uso del Luogo oue convenisse di farlo; Promettendo noi d' havere per fermo, rato, e grato tutto ciò, che per lo detto Marchese Hippolito Commissario, e Procurator nostro, e della nostra mente pienissimamente informato sarà fatto, conchiuso, e stabilito, e tutto ciò in fede di buono, e Leal Prencipe, e sotto l' obligo di tutti i nostri beni cosi presenti, come futuri. In testimonio, é validità di tutto questo le presenti saranno firmate di nostro proprio pugno, e munite del nostro solito sigillo. Data in Modena li 29. Luglio 1642.

FRANCESCO, &c.

D. Fulvio Testi.

Del qual trattato di Lega, e confederatione il tenore, e contenuto, è quello che segue:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis, & D. Marci.

E universalmente appresa per così grave la mossa imminente dell' armi contro del Duca di Parma, &c. ut supra.

Habbiamo deliberato di ratificare, & approvare il detto trattato, come in virtù delle presenti lo ratifichiamo, approviamo, e confirmiamo in tutte le sue parti; Promettendo in parola di Prencipe, e di buona fede di guardarlo, mantenerlo, & osservarlo inviolabilmente senza mai contravenire diretta, o indirettamente in qualsivoglia modo, e maniera. In testimonio di che la presente sarà fermata di nostra propria mano, e sigillata col nostro solito sigillo. Data in Modena, li 3. di Settembre 1642.

FRANCESCO, &c.

D. Fulvio Testi.

Habbiamo deliberato col Senato nostro d' approvare e ratificare il detto Trattato, e Capitolo, come in virtù della presente deliberatione lo ratifichiamo, approbiamo e confermiamo in tutte le sue parti, promettendo in parola di Prencipe, & di buona fede di guardarlo, mantenerlo, & osservarlo inviolabilmente senza mai contravenirvi direttamente, o indirettamente in qualsivoglia maniera. In testimonio di che habbiamo fatto sigillare le presenti col nostro sigillo di San Marco, e sottoscrivere da' uno de nostri Segretarii del Senato.

M. Antonio Padavino, Segretario.

LXIII.

Induciæ inter belligerantes, in causa Parmensi, die 13. Octobr. An. 1642. factæ.

L' Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinale Spada, & il Signor di Lionne trovandosi in questo primo giorno à Castel Giorgio, Territorio di Arvieto, per trattar l' accommodamento delle differenze nate per occasione delle cose di Castro, hanno inteso che l' Essercito di Nostro Signore comandato dall' Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinale Antonio, & l' Essercito del Signor Duca di Parma si sono assai avvicinati, e che forse anche l' Essercito del Serenissimo Gran Duca di Toscana, comandato dal Serenissimo Prencipe Mattias, non sia molto lontano; onde tanto il detto Signor Cardinale Spada, al quale nostro Signore hà appoggiato il trattato della pace, per parte di Sua Santità; quanto il Signor di Lionne inviato espressamente dal Rè Christianissimo in Italia per il medesimo effetto, dubitando, che se non si trova qualche presentanneo rimedio, i detti Esserciti siano per impegnarsi assai presto a maggiori rotture, per desiderio, e zelo d' impedirle, & speranza, che hanno di accordar ben tosta la pace, ridotta à buonissimo termine, si sono unanimamente convenuti d' accordare, si come accordano una sospensione d' armi per cinque giorni da cominciar il giorno di domani quattordeci corrente, & finire per tutto Sabbatto prossimo deciotto dell' istesso, il qual termine durante, non sia lecito ad alcuna delle parti far atto alcuno d' ostilità contro l' altro, nè avvicinarsi più di quel che sono e tutto ciò promettono detto Signor Cardinale Spada, & il detto Signor di Lionne, salva la ratificatione, e non altrimente del Signor Cardinale Antonio, e respettivamente del Signor Duca di Parma, e del Signor Prencipe Mattias. Et in fede lapresente, e due altre simili saranno sottoscritte dal Signor Cardinale Spada e dal Signor di Lionne soprodetti. Data in Castel Giorgio li 13. dì Ottobre 1642. à hore tre di notte.

Il Cardinale Spada.

De Lionne.

LXIV.

LXIV.

Articuli Pacis præliminares, mediante Galliæ Regis Ministro, inter Urbani IIX. Pontificis Maximi, Plenipotentiarium, Cardinalem Spadam, & Odoardum I. Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, sanciti, d. d. 23. Octobr. An. 1642.

HAvendo la Santità di Nostro Signore in tutt' il tempo del suo Pontificato sempre desiderata, & procurata la pace fra Prencipi Cattolici; quando con la missione di Nuncii, quando di Legati, & con ogni altro mezzo & maniera possibile; Ora nelli presenti moti d' armi, che si sentono nello Stato Ecclesiastico, & a' suoi confini conservando l' istessa propensione alla quiete publica, & massimamente de' suoi sudditi, tanto mediati quanto immediati; ha sentito con paterno affetto & benignita le preghiere & intercessioni del Rè Christianissimo per mezzo del Marchese di Fontane, suo Ambasciatore, & del Sign. di Lionne mandato da Sua Maestà in Italia per i correnti affari, come anche d' altri Prencipi Cattolici, i quali hanno supplicato Sua Santità, à volere perdonare al Signor Duca Odoardo Farnese tutte le cose seguite per occasione delle differenze sopra il Ducato di Castro, di assoluerlo dalla scomunica, & altri pregiuditii in che fosse incorso, & di riceverlo nella pristina sua buona gratia da S. A. sommamente desiderata, & con quella umiltà riverenza, & sommissione richiesta, che conveniva à devoto vasallo di S. S. & della Santa Sede verso il suo Prencipe sourano, con mostrarsi pronto non solo à deporre l' armi & ritirare la soldatesca, ma anche à rimettere in sua Santità, ò in chi à quella parerà tutte le differenze, & pienamente obedirla con ogni altra dimostrazione d' ossequio di rispetto, & di confidenza.

Per tanto l' Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinale Spada di ordine, & come Plenipotentiario di N. S. da una banda, & il detto Signor di Lionne à nome del Rè Christianissimo dall' altra per dichiaratione, & essecutione delle suddette cose, sono devenuti, & devengono al seguenti capitoli & conventioni:

Et prima detto Signor di Lionne in nome del Rè Christianissimo promette, che il sopradetto Signor Duca dentro lo spatio di otto giorni prossimi si partirà per Lombardia con tutta la sua soldatesca, & officiali tanto à piede, quanto à cavallo, & se ne tornerà ne gli Stati di Parma, & Piacenza senza passare per alcuna Città, Territorio, ò Provincia dello Stato Ecclesiastico, al quale effetto asserendo, che S. A. habbia di già ottenuto passaporto dal Serenissimo Gran Duca di Toscana per potere transitare per i suoi Stati, detto Signor di Lionne procurerà con effetto di farne dare parola & sicurezza anche à sua Santità prime del Deposito infrascritto.

All incontro detto Sign. Cardinal Spada Plenipotentiario come sopra in riguardo delle preghiere, sommissioni, & esibitioni sopradette, come anche in riguardo della efficace intercessione del Rè Christianissimo, & particolarmente della petitione, fatta per l' assolutione della Scommunica, & per il perdono sopradetto dichiara, & promette, che la Santità di N. S. si compiacerà di condescendere all' assolutione di S. A. & di concedergliene tutte le facultà opportune, & condonargli ogni cosa seguità per occasione delle differenze sopra il Ducato di Castro & di riceverlo nella sua pristina buona gratia, &c.

In oltre S. E. per manifestare tanto maggiormente la buona volontà & benignità di N. S. promette, che sua Santità per tutti li ventinove del corrente mese farà mettere in deposito la Città, & Ducàto di Castro, con tutti gli altri beni stabili, mobili se moventi, ragioni & scritture, che il Signor Duca possedeva nello Stato Ecclesiastico al tempo che cominciarono i presenti moti, & che con titolo di Deposito come sopra farà consegnare tutte le suddette cose in mano del Signor Duca di Modena, ò de' suoi Ministri, ò Plenipotentiarii, subito che detto Signor Duca di Modena sarà stato nominato per tale effetto dalla Lega, & che la medesima Lega haurà assicurato sua Santità dell' adempimento della presente capitolatione, & che in oltre haurà dichiarato, & promesso, che essa Lega non hà altri fini che la difesa de' Collegati, & il cooperare con tutti mezzi possibili alla quiete, & che mentre si faccia il Deposito, come sopra, detta Lega rimane pienamente sodisfatta; con che però nessun Prencipe particolare di detta Lega venga à pregiudicarsi alle ragioni, & pretensioni, che habbia ò possa havere, & coopererà con tutti i mezzi possibili alla quiete.

Promette il Signor Cardinale Spada in nome, come sopra, che N. S. si contenterà, che detto deposito stia nelle mani di detto Duca di Modena, per spazio di 4tre mesi, con questo, che S A. prometta di ben custodirlo, & durante il detto tempo non consegnarlo ad alcuno, dovendosi in questo mezzo andare negoziando ciò che se n' haurà à fare.

Premettono anche tanto S. E. à nome di N. S. quanto il Signor di Lionne à nome del Rè Christianissimo, che durante il detto Deposito, il Depositario non sara molestato nella custodia, ò conservazione di esso, anzi che ciascuno l' assisterà, et l' ajuterà tutte le volte, che per ill detto effetto ò l' uno ò l' altro ne farà ricerco.

Parimente si conviene, che per la spesa, che si farà nel presidio et custodia della Città di Castro durante li detti 4tre mesi, N. S. sia tenuto contribuire alla metà, et il Signor Duca all' altra metà.

Et perche dal principio de correnti moti in sino al tempo presente tanto per parte del Signor Duca, quanto per parte di N. S. si sono fatti diverse fortificazioni dentro, et fuori della Città di Castro, et della Terra di Montalto, sia lecito à S. S. di fare demolire dette fortificazioni, et solo quelle lasciarvi, che vi erano prima de suddetti moti, et l' incumbenza di detta demolizione spetti ad un Deputato di N. S. con participazione del Depositario, il quale Depositario sia tenuto provedere al Deputato suddet-

ſuddetto di cinquecento guaſtatori del Ducato di Caſtro per la detta demolizione.

La ſpeſa della demolizione ſimilmente appartengà à N. S. havuto però riguardo di compenſare (in caſo che il Depoſito ſi conſegnaſſi al Signor Duca) parte di detta ſpeſa della demolizione con le ſpeſe gia fatte in quelle fortificazioni, che la ſi contenterà di laſciare in piedi, ò che reſterarno nello Stato preſente à benefizio, et vantaggio della Piazza di Caſtro.

Così anche ſia lecito à N. S. di ritirare dalla Piazza di Caſtro, et d' ogni altro luogo di quel Ducato innanzi, et doppo il Depoſito tutte l' artigliarie, armi, et monizioni tanto da bocca, quanto da guerra, che haveſſe intromeſſo nella Città, et Ducato ſuddetto, laſciando però l' artigliarie, che vi furno trovate, quando l' Eſſercito Eccleſiaſtico vi entrò.

All' incontro il Signor Duca ſia tenuto reſtituir ſubito fatto il Depoſito quei pezzi d' artigliaria, che erano à Caſtiglione del Lago nel tempo, che S. A. vi paſſò et così ogn' altro, che n' haveſſe levato da qualſivoglia luogo dello Stato Eccleſiaſtico.

In oltre ſi conviene, che netto Depoſitario debba promettere di tenere buon conto dell' entrate de i beni depoſitati per pagarne i Montiſti, et altri Creditori ſecondo, che ſara di ragione.

Et in caſo, che detto Depoſito, et beni depoſitati innanzi, ò doppo i 4tre meſi ſuddetti perveniſſero in mano del Signor Duca per qualſivoglia cauſa, et con qualſivoglia titolo, modo, et ragioni; ſi conviene, et dichiara, che percio non ſe gli acquiſti alcuno Jus, ò ragione di nuovo, ma ſolamente gli reſti, et ſia ripoſto in quel Jus, et ragione, che prima de' preſenti moti gli competeva, et l' iſteſſo s' intenda reſpettivamente convenuto et diſpoſto anche in riguardo della Camera Apoſtolica.

Et perche nella proſſima paſſata Vigilia della Feſtività di S. Pietro, havendo il Signor Duca mandato à Roma denaro ſufficiente per pagare in Camera Apoſtolica il ſolito tributo et cenſo del Ducato di Parma, et di Piacenza per il corrente anno 1642. la detta Camera ordinò, che detto denaro gli foſſe confiſcato. Di qui è, che il detto Signor Cardinale Spada in nome come ſopra promette, che N. S. ſi compiacerà d' aſſolvere S. A. dal detto pagamento del preſente anno, et da ogni pregiudicio, che per diffetto di quello ſi pretendeſſe incorſo, come ſe il ſuddetto denaro haveſſe ceduto non in cauſa di confiſcatione, ma di tributo, et cenſo come ſopra.

Et per oſſervanza delle ſuddette coſe il Signor Cardinale Spada, Plenipotentiario di N. S. in virtù della ſua Plenipotenza obliga la parola di ſua Santità, per le promeſſe fatte à nome della Santità ſua, et il Signor di Lionne deputato con ſufficiente potere dal Rè Chriſtianiſſimo obliga la parola di S. M. nelle coſe ſpettanti al Signor Duca &c.

LXV.

Breve Urbani IIX. Pontificis Maximi, ad Cardinalem Dunghium ſcriptum, in quo illi, Odoardum I. Farneſium, Parmæ & Placentiæ Ducem, ab excommunicatione, cui innodatus erat, liberam abſolvendi facultatem commiſit, d. d. 27. Febr. An. 1643.

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noſter ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Vices illius, quamquam immeriti, gerentes in terris, qui viſitat in virga iniquitates hominum, et in verberibus peccata, miſericordiam autem ſuam non diſpergit ab iis, multæque miſerationis eſt, et præſtabilis ſuper malitia, eos quibus errantibus inviti adhibuimus virgam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, reverſos in viam libenter paterna complectimur miſericordia et benignitate. Dudum ſiquidem cum fuiſſet judicialiter actum contra Odoardum Pharneſium olim Ducem Parmæ et Placentiæ, ne dum pro Montium Plani Abbatiæ, ac Farneſii extinctione, fructuumque a multo retro tempore decurſorum, et non ſolutorum ſolutione, ſed etiam, quia ex parte ipſius Odoardi non fuerant adimpleta præſcripta et contenta in cæteris motuum propriorum, ſeu chirographis felicis recordationis Clementis Papæ Octavi, prædeceſſoris noſtri, ac noſtris ſuper erectionibus montium hujuſmodi emanatis, ac in Inſtrumentis deſuper celebratis. Cumque dictus Odoardus ut mandatorum relaxatorum executionem contra bona tunc ſua, & prælertim contra civitatem Caſtri, per eum tunc poſſeſſam, & poſſeſſum uti hypothecatum pro dictis Montibus impediret, civitatem Caſtri, aliaque Ducatus Caſtri loca muniviſſet, monitoriiſque ſeu præceptis ſibi ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ factis, & legitime intimatis, ut novitates eo uſque factas, & quæ indies abſque licentia noſtra in civitate, et aliis Ducatus Caſtri hujuſmodi locis fiebant, tolleret, nec non omnia ab eo, ejuſque juſſu innovata in priſtinum ſtatum reſtitueret, ipſe Odoardus non paruiſſet: ac deinde ipſe ejuſque adhærentes Statum noſtrum Eccleſiaſticum hoſtiliter invaſiſſent, Bondeni, et Oſtellatæ, ac alia ejuſdem Status loca, occupando, Auditor Cameræ, et deinde etiam Nos eundem Odoardum in majorem excommunicationem, ac in alias cenſuras Eccleſiaſticas incurriſſe declaravimus, eumque excommunicatione majori excommunicatum, et, ut præfatur, incurſum denuntiavimus, et publicavimus; ſique intra quindecim dies continuos a publicatione noſtrarum deſuper in ſimili forma Brevis expeditarum literarum computandos, ipſe Odoardus non reſipuiſſet, ac alia expreſſa in dictis literis non feciſſet; ex tunc lapſis dictis quindecim diebus Parmæ et Placentiæ, aliaſque civitatates, oppida, et loca quæcumque per eumdem Odoardum quovis modo, et loco detenta, et de facto poſſeſſa, excepto tamen Statu, quem intra fines Regni Neapolis poſſidere dicitur, Eccleſiaſtico ſubjecimus interdicto, nec non omnes et ſingulos milites, Capitaneos, Officiales bellicos, et Miniſtros, Univerſitates, Communitateſque et earum Conſiliarios, et Officiales quoſcumque, nec non cæteras quaslibet perſonas, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, et dignitatis, quantumvis qualificatæ tam temporalis, quam Eccleſiaſticæ, etiam Regularis,

laris, etiam specifica & individua mentione dignos & dignas, eidem Odoardo auxilium, consilium vel favorem quoquo modo præstantes in eandem excommunicationem majorem, aliasque censuras præfatas respective incurrisse declaravimus, & alias prout in nostris desuper expeditis literis, ac in Actis Auditoris Cameræ factis super præmissis, quorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, dum ejusdem Odoardi, eique adhærentium, consiliumque, auxiliumque & favorem præstantium, aliorumque præfatorum correctionem expectamus; carissimus in Christo filius noster Ludovicus, Francorum Rex Christianissimus, pro Odoardo præfato apud Nos intercesserit, Nobisque humiliter supplicaverit, ut, quoniam idem Odoardus Nobis & Sedi prædictæ plenissime satisfacere paratus est, ipsum ab excommunicatione & censuris prædictis absolvere & liberare, dictumque interdictum Ecclesiasticum amovere de benignitate Apostolica dignaremur; hanc ob rem Nos morem Ecclesiæ, quæ nemini ad se post errata humiliter redeunti claudit gremium, cum misericordia servare, ac præfati Ludovici Regis precibus honorem habere, dictique Odoardi, & aliorum præfatorum saluti consulere paterna charitate volentes: circumspectioni tuæ, de cujus fide, integritate & prudentia plurimum in Domino confidimus, Apostolica autoritate tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus per te, seu personam, vel personas Ecclesiasticas ad hoc a te deputandam, vel deputandas, si & quando dictus Odoardus, eique adhærentes, consiliumque, auxiliumque & favorem quomodolibet præstantes, aliique præfati ea status nostri Ecclesiastici, quæ invaserunt & occuparunt, ac detinent loca, respective dimiserint, Nobisque & Sedi præfatæ libere restituerint, indeque præsidia, & ex reliquo Statu præfato quoscumque milites suos realiter & cum effectu revocaverint & abduxerint, cæteraque, ad quæ, juxta capitula inter Nos Sedemque præfatam, & præfatum Ludovicum Regem nomine dicti Odoardi facta & concordata, seu facienda & concordanda, tenentur, seu tenebuntur, plene adimpleverint, & non alias, ipsum Odoardum, aliosque præfatos, & eorum singulos respective, si hoc a te humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, prædictisque censuris, per dictum Cameræ præfatæ Auditorem, ac Nos, ut præfertur, contra eos respective latis & promulgatis, ac quomodolibet per sacros Canones & Constitutiones Apostolicas inflictis, in utroque foro penitus & omnino eadem autoritate nostra absolvas, & liberes: nec non interdictum Ecclesiasticum præfatum remittas, tollas & relaxes: ac sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis eosdem restituas, imposita eis pœnitentia, quæ tibi videbitur, salutari. Nos enim stantibus præmissis, in præfatis omnibus & singulis faciendis & exequendis, eidem circumspectioni tuæ; ac personæ, seu personis a te, ut præfertur, deputandæ seu deputandis, autoritate & tenore præfatis facultatem concedimus & impertimur; Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac universalibus provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum &c.

M. A. Maraldus.

Foris:

Dilecto filio nostro, Joanni Stephano, S. Georgii in Velabro Diacono Cardinali, Dungho nuncupato.

LXVI.

Tabulæ fœderis, in causa Parmensi, inter Rempublicam Venetam, Magnumque Etruriæ & Mutinæ Duces denuo corroboratii, d. d. 24. Maji, Anno 1643.

In nomine Sancta & Individua Trinitatis, B. Maria Virginis, & D. Marti.

LE turbulenze cagionate in Italia, mediante la mossa d' armi contro il Duca di Parma, diedero giusto motivo alla Republica di Venezia, al Gran Duca di Toscana, & al Duca di Modena, di pensare non solo alla difesa degli Stati, sicurezza, & indennità de' proprii sudditi, mà al sedare le medesime turbulenze, per l' applicazione e desiderio, che hanno havuto sempre del ben comune. A questo effetto stabilirono Lega frà di loro sotto li 31. d' Agosto 1642. & con ogni genere d' officio hanno procurato di conseguire il fine predetto, mà come, che è riuscito di divertire le aggressioni minacciate allora agli Stati di Lombardia del Duca di Parma; così non è successo di conseguire interamente il frutto dell' opera loro. Onde essendo determinati di far tutto il possibile per ristabilire la quiete, & levare l' occasioni, che l' hanno perturbata; hanno conosciuto con loro dispiacere essere necessario l' adoperare mezzi più efficaci, però sono devenuti all' infrascritta Capitolazione, & accordo, col mezzo de' Senatore Gio Battista Nani, & Vincenzo Gussoni, Cavaliere, Deputati dalla Republica di Venezia; del Senatore Cavaliere Gio Battista Gondi, primo Segretario di Stato del Gran Duca, di Francesco Maria Zati, suo Gentilhuomo Residente à Venezia, & del Cavaliere Domenico Pandolfini, suo Segretario di Stato, Deputati dal medesimo Gran Duca, & del Marchese Ippolito Estense Tassoni Generale dell' Artigliaria del Duca di Modena, parimente suo Deputato: I quali havendo mostrato i loro poteri, & facultà, si sono trovati sufficienti, & saranno nel fine registrati.

Primo: Che di presente si augmentino le forze della Lega fino al numero di 18. mila fanti, & di 2700. cavalli di leva, & possa essere anco accresciuto secondo quello, che stimeranno à proposito, da essere fornita & pagata detta gente da ciascuno de' Prencipi Collegati, con la proporzione, & riparto stabilito nella Capitolazione de' 31. Agosto, anno 1642.

Secondo: Che della soprascritta gente si facciano due Corpi d' Essercito, uno per operare dalle parte di Toscana; l' altro per quella di quà. Il primo sia di fanti 8. ò 9. mila, & 1900. cavalli, cioè, 6. mila fanti del Gran Duca, & 900. caval-

li, & 2. mila fanti del corpo degli altri Collegiati, che ſiano di nazione oltramontana, & mille cavalli, & non eſſendo la fanteria oltramontana ſi doverà mandare fino al numero di 3. mila d' altre nazioni.

Terzo: Che nell' uno, & nell' altro Eſſercito ſia inalborato lo Stendardo della Lega.

Quarto: Che ſia formata una Conſulta di guerra pure nell' uno & nell' altro Eſſercito, nella quale ciaſcuno de' Collegati habbia il voto ſuo, e ſia eſeguito interamente quello, che ſarà nella detta Conſulta con la pluralità de Voti deliberato.

Quinto: Che per la predetta eſſecuzione il comando in Toſcana, e da quella parte ſia ſoſtenuto dal Gran Duca Dalla parte di quà dal Duca di Modena, non dovendo queſto derogare à quanto fù ſtabilito nella Lega de' 31. Agoſto 1642. circa la nominazione del Generale riſervata alla Republica di Venezia, con la participazione, & aſſenſo degli altri Prencipi Collegati; potendo anco succedere, che ſi habbiano ad unire le genti in un ſolo Corpo d'Eſſercito.

Seſto: Che la proviſione de' viveri, monizioni, artiglieria, tiraglio, & altro in ordine à ſimili biſogni dalla parte di Toſcana ſia fatta dal Gran Duca, è dall' altra parte di quà, li Stati più vicini degli altri due Collegati ſomminiſtrino quel che poſſino, dovendoſi ſupplire, & ragguagliare la ſpeſa con la proporzione della Lega.

Settimo: Che le moſſe degli Eſſerciti per entrare nello Stato Eccleſiaſtico ſi facciano in uno iſteſſo giorno, che doverà eſſere di concerto ordinato da Prencipi Collegati, reſtando ſtabilito, che prima di tutto ſi aſſicurino le ripe del Pò per la banda dello Stato della Republica, & il paſſaggio del medeſimo fiume, per poter meglio proſeguire nello Stato Eccleſiaſtico.

Ottavo: Chei nei luoghi, che ſi acquiſteranno ſia poſto quel preſidio, che parra ſufficiente alla Conſulta, e ſiano tenuti à diſpoſizione della Lega.

Nono: Che non ſi poſſa fare nè Pace, nè Tregua da alcuno de' Collegati ſeparatamente, ſenza l' aſſenſo degli altri Collegati.

Decimo: Che con la preſente capitolazione non ſi deroghi à quella de' 31. d' Agoſto 1642. mà s' intenda aggiunta alla medeſima, la quale reſti nel ſuo vigore, & forza in ogni parte. Et ſiano i Collegati tenuti à difenderſi reciprocamente l' un l' altro, tanto per quello, che poteſſe occorrere in virtù dell obligo della Lega defenſiva, quanto per ogni emergente dell' aggreſiva.

Undecimo: Et perche in Capitolo à parte del primo Settembre, 1642. fù riſervato luogho ſpecificatamente al Duca di Parma di entrare nella Lega, e ſi è inteſa la ſua inclinazione di eſſere co' Prencipi Collegati, di qui è ch' al preſente pure hanno riſoluto di riſervarli luogo, anco per unirſi nella Capitolazione preſente; con che debba reſtare obligato alle condizioni della Lega defenſiva, & alle ſopraſcritte per quel tempo che ſarà eſpreſſo.

Duodecimo: Che al preſente trattandoſi di ſuo principale intereſſe, concorra con le forze, che ſi è eſpreſſo d' havere in eſſere, di 1400 Cavalli, 600. Dragoni, & 1400 Fanti, & nel caſo che ſopraveniſſe occaſione di ſoccorrere alcuno de' Collegati, che fuſſe invaſo, ſia tenuto concorrere con 3. mila Fanti, & 450. Cavalli, conforme apunto all' obligazione del Duca di Modena.

Terzodecimo: Che ſia eſtratto à proporzione della ſua gente quel numero, che li toccherà per mandarſi in Toſcana li mille cavalli, & li 2. mila, ò trè mila fanti reſpettivamente.

Quartodecimo: Che in Lombardia ſi aggiuſti il comando per l' eſecuzione nella perſona ſua à vicenda col Duca di Modena, reſtando in Toſcana il comando al G. Duca.

Quintodecimo: Che habbia il ſuo voto nella Conſulta, e perche li voti ſariano quattro, in caſo di parità, prevaglia quella parte nella, quale concorrerà quello della Republica.

Seſtodecimo: Che la Lega faccia tutto il poſſibile, perche il Duca ſia reintegrata di Caſtro, & di quello, che gli è ſtato occupato dagli Eccleſiaſtici con eſſo, e ſiano tenuti i luoghi, che riuſciſſe d' acquiſtare ſin tanto, che'l Duca ſia rimeſſo nel ſuo, come di ſopra.

Decimoſettimo: Che la preſente capitolazione ſia ratificata nel termine di dieci giorni, ò quel meno che ſi potrà.

Decimo ottavo: Et perche nel ſettimo Capitolo e detto, che prima di tutto ſi aſſicurino le rive del Pò dalla banda dello Stato della Republica, & il paſſaggio del medeſimo fiume; a maggior dichiarazione, & per ben eſeguire quanto è predetto, convengono li collegati; che prima di formare li due Corpi d' Eſſercito, ſi habbia da fare la detta occupazione delle ripe, & aſſicurazione del paſſaggio del Fiume nella ſeguente forma. Che ſi uniſcano le genti della Republica, & del Gran Duca, che ſono nel Modeneſe, & quelle del Duca di Modena procurando, che ſia fatto il medeſimo di quelle del Duca di Parma, come hà dato intenzione, reſtando però ſempre ſalvo l' arbitrio del G. Duca di poter richiamare le ſue truppe in Toſcana, quando non oſtante la conſiderazione delli emergenti nuovi, non ſtimaſſe bene, che reſtaſſero in Lombardia. Che la ſopradetta gente con lo Stendardo della Lega entri nello Stato Eccleſiaſtico; & nel medeſimo tempo la Republica ſpinga le ſue genti, che ſono di quà da Pò all' occupazione delle ripe, e da una banda, e dall' altra ſi operi con buon concerto per aſſicurarſi delle medeſime ripe, & del paſſo.

Eſſeguito quanto ſi contiene nel ſopradetto Capitolo ſi uniſca il reſtante delle truppe, che la Republica deve dare in virtù dell' obligo della Lega, con le altre de' Collegati, & ſi mandino li due, ò trè mila fanti reſpettivamente, & mille cavalli in Toſcana, come e detto nel capitolo ſecondo non potendo eſſere l' effetto di ciò impedito dalla conſulta, mà ſia eſeguito ſenza contradizzione alcuna; perche ſi formino li due Corpi d' Eſſerciti per operare da ambe le parti, conforme e ſtabilito. Et dato caſo, che il Gran Duca conſentiſſe, che non partiſſero le ſue proprie truppe di Lombardia, debbano anche queſte incaminarſi alla volta di Toſcana inſieme con le ſudette del Corpo delli altri Prencipi della Lega. Data in Venezia à di 26. Maggio, 1643.

Battiſta Nani, Deputato della Republica di Venezia.

Vincenzo

Vincenzo Gussoni, Cavaliere Deputato della Republica di Venezia.

Giovan Battista Gondi. } Deputati del Gran-
Francesco Maria Zati. } Duca.
Domenico Pandolfino. }

Hippolito Estense Tassoni, Deputato del Duca di Modena.

Marc' Antonio Padavino, Segretario.

Fù poi approvata da' Prencipi Collegati la sudetta Capitolazione: consegnandosi reciprocamente le ratificazioni loro distese nella seguente forma:

Franciscus Ericio, DEI gratia Dux Venetiarum &c.

Essendo che sotto li 26. Maggio, 1643. è stato fatto, e concluso un Trattato di buona, sincera, e scambievole Lega e Confederazione in questa Città di Venezia trà li dilettissimi Nobili Nostri Battista Nani, & Vincenzio Gussoni, Cavaliere, Deputati da noi al detto Trattato sotto li 12. Decembre 1642. da una parte; & il Senatore Cavalliere Gio. Battista Gondi, primo Segretario di Stato del Gran Duca, Francesco Maria Zati, suo Gentilhuomo, Residente à Venezia, & il Cavaliere Domenico Pandolfini, suo Segretario di Stato Commessi, Procuratori di detto G. Duca, appar procure de' 30. Marzo, 1645. data in Livorno, qui sotto registrata. Et il Marchese Hippolito Estense Tassoni, Commesso, e Deputato del Duca di Modena, appar procura di 6. Decembre, 1642. pure qui sotto registrata, nel quale Trattato il tenore è come segue, &c.

Qui era la capitolazione.

Habbiamo deliberato col Senato nostro di ratificare & approbare il detto Trattato, come in virtù della presente deliberazione lo ratifichiamo, approbiamo, & confermiamo in tutte le sue parti, promettendo in parola di Prencipe, e di buona fede, di guardarlo, mantenerlo, & osservarlo inviolabilmente, anzi mai contravenirvi direttamente ò indirettamente in qualsivoglia modo, ò maniera. In testimonio di che habbiamo fatto sigillare le presenti col nostro Sigillo di San Marco, e sottoscrivere da uno de' nostri Segretarii del Senato.

Data in nostro Ducali Palatio die 26. Maji, Indictione II. 1643.

Marc' Antonio Padavino, Segretario.

LXVII.

Ferdinandi II, Magni Etruriæ Ducis, Mandatum plenum, in quo Ministris suis, in eodem nominatis, tam cum illis, qui in causa Parmensi fœdere juncti erant, quam tractatus quoslibet ineundi liberam concessit facultatem, d. d. 30. Martii, Anno 1643.

Essendo già felicemente conclusa confederatione, unione, & Lega trà la Serenissima Republica di Venezia, il Serenissimo Signor Duca di Modena, & Noi per desesa comune degli stati, & altro; come per la scrittura, & Capitoli della medesima formati in Venezia sotto li 31 d' Agosto, 1642. & portando il presente stato delle cose d' Italia, che possino occorrere alcune altre più particolari capitolazioni & concerti per quel che debba essequirsi; Perciò continuando nel desiderio & zelo, che con questi mezzi si pervenga alla publica quiete & tranquillità per beneficio universale, in vigore di queste nostre Lettere patenti, eleggiamo, deputiamo, & constituiamo Nostri Procuratori, Mandatarii & Commissarii il Cavaliere Giovan Battista Gondi, nostro primo Segretario di Stato, & gran Cancelliere della nostra Religione di S. Stefano; Francesco Maria Zati, nostro Gentilhuomo Residente appresso la Serenissima Republica, & il Cavaliere Domenico Pandolfini, nostro Segretario di Stato, à trattare, conchiudere, stabilire & proseguire tutti quei parti, condizioni, capitolazioni, e convenzioni con i Sudetti Potentati, Collegati, & loro Mandatarii, & qualsivoglia altro Prencipe & Potentato & similmente loro Mandatarii, & Commissarii, ch' alla prudenza de' sudetti pararanno proportionati al negozio, & a' nostri sensi, à medesimi largamente espressi. Dichiarando di dar l' autorità predetta primiera, & separatamente al Senatore Cavaliere Gondi solo, & in solido sempre ch' al medesimo occorrà di negoziare, trattare, & conchiudere separatamente dagli altri, di che sopra; & in oltre ancora al medesimo congiunta, & unitamente con loro sempre, che tutti trè insieme intervenghino alle cose predette. Et che in ogni caso di trovarsi per nostro ordine il medesimo Senatore fuori de' luoghi dove occorrà trattare, rimanga tutta la medesima autorità congiuntamente ne' due sudetti Protonotario Zati, & Segretario di Stato Pandolfini. Et vogliamo, che i detti nostri Procuratori & Mandatarii (come sopra) possino per l' effetto predetto fare à nostro nome qualsivoglia promessa & obligazione, ancorche fosse tale, che per sua validita ricercasse speciale, espressa, & individua menzione; & in oltre qualsivoglia scrittura publica, ò privata circa le predette cose necessarie, salva sempre l' approvazzione, e ratificazione da farsene da noi dentro al termine di 12. giorni della loro sottoscrizzione. In fede delle quali habbiamo ordinato spedirsi le presenti dall' infrascritto nostro Segretario di Stato. E saranno però firmate di nostra mano, impresse col nostro Sigillo e sottoscritte dal medesimo nostro Segretario di Stato. Dato in Livorno li 30. di Marzo mille sei cento quaranta trè.

Il Gran Duca di Toscana.

Luogo † del Sigillo.

Lorenzo Poltri.

LXIIX.

LXIIX.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Literæ patentes, ad omnes Europæ Principes directæ, in quibus de bello, sibi a Principibus Italiæ, in causa Parmensi fœdere junctis, illato, gravissime conqueritur, d. d. 6. Junii, Anno 1643.

Urbanus Papa Octavus.

DIlecti filii, Nobiles Viri, salutem & Apostolicam benedictionem. Catholicorum arma Pontificiam dignitatem defendere, non oppugnare consueverant. Nunc autem in ipsa Italia Principes reperiuntur, qui inito inter se fœdere, nulla causa impulsi, nulla prævia belli denuntiatione Apostolicam ditionem hostiliter aggrediuntur. Nos tanta facinoris immanitate permoti ipsorum audaciam vehementer cogimur lamentari, qui a majorum exemplis & propriæ pietatis institutis longissime aberrantes, Romanæ Ecclesiæ Majestatem & Beati Petri Jura contumaciter lædunt. Minime Nos latet, quin molesta hujusmodi novitas futura sit Nobilitatibus vestris, quarum animos pro innata virtute haud dubie in hujus facti meditatione exardescere tenemus. Interim Christiano zelo Altissimum precabimur, ut potenti suo brachio Nobis præsto esse non dedignetur. Et diu sospites servet Nobilitates vestras, quibus Apostolicam benedictionem intimo affectu impertimur. Datum Romæ 6. Junii, anno 1643.

LXIX.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Declaratio, quod Odoardus I. Farnesius, Parmæ & Placentiæ Dux, aliique ei auxilium præstantes, in excommunicationem majorem, aliasque censuras ac pœnas, cum appositione interdicti, incurrerint, d. d. 22. Junii, Anno 1643.

Urbanus Papa Octavus, ad futuram rei memoriam.

CUm de mense Julii, 1641. & in aliis præcedentibus & subsequentibus mensibus & diebus pro conservatione fidei publicæ, & ut consuleretur indemnitati Cameræ nostræ Apostolicæ, Montistarumque Montium non vacabilium Plani Abbatiæ, ac Farnesii tam primæ quam secundæ erectionis nuncupat, & cujuslibet eorum respective ad prædictorum Montistarum, nec non dilecti filii Commissarii ejusdem Cameræ instantiam fuisset judicialiter actum contra Odoardum Farnesium, olim Ducem Parmæ & Placentiæ, coram dilecto etiam filio nostro S. R. E. Cardinale Camerario, congregationibusque Montium, & Baronum, quibus per specialem commissionem nostram causa hujusmodi de prædicto mense Julii commissa fuerat, ac contra eundem Odoardum ad diversos actus processum, nedum pro Montium prædictorum extinctione, fructuumque a multo retro tempore decursorum, & non solutorum solutione, sed etiam quia ex parte ipsius Odoardi non fuerunt adimpleta præscripta & contenta in cedulis Motuum propriorum, seu Chirographis Felicis & Clementis Papæ Octavi, Prædecessoris nostri, ac nostris super erectionibus Montium hujusmodi emanatis, ac in Instrumentis desuper celebratis, immo in multis contraventum præmissis fuerat, & quia, ut ex processu patet, D. Odoardus creditoribus suis satisfacere neglexit, judicium contra se, ut præfertur, factum ægre ferens, mandatorumque relaxationem, & illorum executionem contra bona tunc sua tam jurisdictionalia, quam non jurisdictionalia, & præsertim contra civitatem & Statum Castri, per eum tunc in Provincia nostra, Patrimonii S. Petri nuncupata, possessam & possessum, uti obligatam, & obligatum, hypothecatamque & hypothecatum ad favorem eorundem Montistarum timens imminentem sibi executionem impendere, illique se opponere decrevit, & idcirco obsequii, reverentiæ & fidelitatis, ad quæ, uti Sedis Apostolicæ Feudatarius, tenebatur, oblitus indebite, & de facto ex civitate Parmensi in civitatem castri, ejusque arcem nedum sclopos, plumbum rude, & elaboratum, militesque transmisit, & tormenta bellica in mœnibus civitatis Castri disposuit, sed etiam illic ex aliis locis arma, & provisiones omnis generis in maxima copia introduci fecit, mandavitque & procuravit, & insuper ut tanto magis obstaret, executionemque justitiæ impediret, animum ad muniendam dictam civitatem Castri, ejusque Arcem, terramque montis Alti & Pontis Abbatiæ appulit, atque ut munitiora redderentur, aliam militum tam peditum, quam equitum vim, ex eodem Castri Statu collectam, in civitatem & arcem Castri prædictas induci, viamque inter civitatem hujusmodi & oppidum Farnesii proscindi rumpique, ac duo propugnacula sub capite Cavæ extra civitatem hujusmodi, & non procul ab ea extrui, ac pro eorum custodia milites in iis excubiasque collocari fecit, non sine magna nostra Statusque Nostri Ecclesiastici perturbatione, ac aliorum Principum, Statuumque præsertim vicinorum commotione, ut notorium existit; quamvis autem pro Jurium Romanæ Ecclesiæ, ac Sedis & Cameræ prædictarum defensione, Nos jure merito injustis ejusdem Odoardi armis vires nostras opponere potuissemus, nihilominus suavibus remediis uti, eidemque Odoardo pœnitentiæ tempus præbere volentes, ut officii sui memor revocaret prædicta, quæ adeo injuste fieri fecerat, in statum pristinum restitueret. Propter ea vigesima prima Augusti & vigesima quarta Septembris diebus ejusdem anni 1641. seu alio veriori tempore, jussu nostro fuerunt a dilecto nostro filio Octaviano, tituli S. Augustini Presbytero Cardinali, Raggio nuncupato, tunc causarum curiæ Cameræ Apostol. Generali Auditore, expedita monitoria, seu præcepta, contra dictum Odoardum, ut infra certum terminum, & in monitoriis seu præceptis hujusmodi assignatum, deberet omnino tollere, & respective demoliri facere omnes munitiones & novitates eousque factas, & quæ indies absque licentia nostra in civitate & Arce Castri, terraque montis Alti prædictis, & aliis Ducatus & Status Castri hujusmodi

locis

locis fiebant, nec non omnia, ab eo, ejusque jussu innovata, in pristinum statum restituere, militesque illic ultra consuetum præsidium introductos revocare & dimittere, cum expressa prohibitione, ne ipse Odoardus per se vel alios in Statum Castri prædictum, ejusque loca alios milites introduceret, sub pœnis contentis & expressis in monitoriis, seu præceptis hujusmodi, in eventum inobedientiæ & contraventionis, prout uberius continetur in iisdem monitoriis, seu præceptis, quæ nedum in Urbe, ac Bononiense, & Ferrariense civitatibus, sed etiam ad majorem cautelam, & ut tanto magis dictus Odoardus ad parendum disponeretur, eorundem monitoriorum, seu præceptorum, primum in civitate Placent. Provinciæ Bononiensis, ubi dictus Odoardus tunc temporis commorabatur, executioni demandata respective fuerunt. Dumque sperabatur, fore, ut idem Odoardus, prout dicebat, monitionibus hujusmodi pareret, omniaque in pristinum statum reponeret, ac obedientiam & obsequium debita Nobis & Sedi prædictæ præstaret, ipse salutis suæ plane oblitus, inque sua contumacia & inobedientia persistens, monitoriis præceptisque dicti Octaviani obtemperare omisit, quinimo in animæ suæ perniciem, & cum gravi divinæ Majestatis offensione, nostroque & dictæ Sedis contemptu, publicoque bonorum scandalo munitiones, milites, & victualia hujusmodi copiosius augeri fecit, unde quo novitates prædictæ tollerentur, ipseque Odoardus magis ad parendum literis Apostolicis, monitoriisque, & præceptis hujusmodi incitaretur, Nos, quibus pro Pastoralis officii nostri debito, summopere cordi est, ut jus suum unicuique tribuatur, debitaque obedientia Sedi prædictæ maxime ab ejus Feudatariis exhibeatur, & ad omnem alium meliorem finem & effectum oportuit, gravissimo cum dictæ Cameræ dispendio, milites, tam pedites quam equites colligere, illosque in prædictum Statum Castri mittere, per quos cum ministri & milites dicti Ducis in sua inobedientia & obstinatione hostiliter perseverarent, loca prædicta jussu dicti Odoardi Ducis munita, videlicet, Terra Montis Alti & ejus Arx cum Turri, ad eandem terram spectanti, ad littus maris extructa, nec non Pons Abbatiæ ejusque propugnaculum, aliaque propugnacula, & munimenta extructa ad Caput Cavæ prædictæ pro majori custodia & munitione dictæ civitatis Castri, & aliud propugnaculum eadem de causa extra civitatem hujusmodi extructum, ipsaque civitas cum omnibus munimentis, tam intra, quam extra eam factis, expugnata fuerunt; cumque terminus in jam dicto Monitorio præfixus assignatusque dicto Odoardo expirasset, tandem dilectus filius Magister Marius Theodolus, causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditor Generalis, inhærendo nostris literis in forma Brevis 17. Augusti, & 29. Septembris Anni 1641. prædicti expeditis, dictoque Octaviano Cardinali tunc, ut præfertur, Auditori Generali, directis, facultatibusque tam in literis hujusmodi concessis, quam propriis suis, & ad abundantiorem cautelam etiam illis ipsi Mario per alias nostras in simili forma Brevis literas, die 23. Decembris ejusdem anni expeditas, speciatim concessis utens, & omni alio meliori modo die 13. Januarii, 1642. eundem Odoardum uti culpabilem, & jure ob prædicta delicta punibilem condemnavit in pœnam confessatorum delictorum hujusmodi, declaravitque illum in excommunicationem majorem, a qua a nemine, nisi a Nobis & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus, & tunc cum reincidentia eo ipso, quo convaluerit, absolvi possit, aliasque Censuras Ecclesiasticas contra similia perpetrantes a sacris Canonibus, universalibusque Conciliis & Constitutionibus Apostolicis, etiam in die Cœnæ Domini quotannis legi solitis, fulminatas, incurrisse, cumque, ut supra excommunicatum, & in dictas censuras Ecclesiasticas incursum, illisque innodatum, a fidelium consortio disjunctum, segregatum & separatum haberi, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari debere voluit, & præcepit, sibique jus & facultatem interdicto ecclesiastico subjiciendi omnes & quoscunque dicti Odoardi Status, civitates, terras, castra, villas, loca & dominia quæcunque, eidem Odoardo subjecta, dictumque interdictum in amplissima & consueta forma publicandi, & affigendi in locis ipsi Mario bene visis, juxta facultates sibi concessas reservavit, nec non eundem Odoardum in rebellionis & criminis læsæ Majestatis in primo Capite, aliasque pœnas, quas hic pro expressis haberi volumus, condemnavit, prout fusius continetur in sententia, per dictum Marium, Auditorem Generalem, prædicta, die 15. Januarii lata, in cujus executionem dictus Odoardus, affixis in locis solitis urbis cedulonibus, fuit excommunicatus, & incursus, ut præfertur, publicatus, & prout plenius constat ex processu desuper fabricato. Cum autem idem Odoardus his spretis tantum absit, ut ipsum errorum suorum pœniteat, eorumque veniam postulet, & ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redire Nobisque, & Sedi prædictæ debitam obedientiam exhibere satagat, ut potius in sua obstinatione damnabiliter obfirmatus, totque hostilitatum & novitatum ejus jussu cum adeo gravi nostro, & Sedis prædictæ dispendio commissarum multitudine nondum satiatus, sed de abysso in abyssum prolapsus, eo audaciæ & temeritatis processerit, ut Septembri proxime præterito ipsemet collecto equestri exercitu hostiliter, & tanquam noster & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostis, Statum Ecclesiasticum per Bononiense Territorium invaserit, & loca quædam occupaverit, variasque animalium aliarumque, quas reperit, rerum deprædationes, & gravia crimina tam in territorio prædicto, quam in Romandiolæ, Umbriæ & Patrimonii prædicti Provinciis commiserit, ubi ejus milites, ipso sciente & permittente, passim furtis, rapinis, devastationibus, & deprædationibus grassati, Provinciarum hujusmodi incolas, damnis & injuriis gravissimis summa cum animi nostri molestia, publicoque bonorum offendiculo affecerunt; ut autem exercitum suum sustentaret, personas & loca ea Ecclesiastica civitatum Parmæ & Placentiæ, aliorumque Ducatus Parmensis locorum gravare, & ad contribuendum pro expensis sui exercitus hujusmodi compellere, DEI timore postposito, non expavit, insuper delicta delictis cumulando sub finem præteriti mensis Maji magna equitum peditumque copia eundem Statum nostrum Ecclesiasticum hostiliter invaserit, Bondeni & Ostellatæ loca sub legatione Ferrariense occupando;

Prout præfata reſpective conſtant ex proceſſibus, & Nobis, ac in Romana Curia & in Italia ita notoria, publica & manifeſta exiſtunt, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari. Hinc eſt quod Nos, quorum patientia & manſuetudine dictus Odoardus manifeſte in ſui perniciem abutitur, nefarios & hoſtiles ejus actus amplius ſufferre nolentes, nec non cœdularum, motuum propriorum, ſeu chirographorum, proceſſuum, monitoriorum ſeu præceptorum, eorumque intimationum & executionum, ac literarum Apoſtolicarum, & ſententiæ prædictorum, aliorumque quomodolibet etiam neceſſario hic exprimendorum, & inſerendorum, tenores etiam veriores, & datas præſentibus pro plene expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex parte omnipotentis DEI, & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli autoritate, & noſtra, eundem Odoardum Ducem, ob invaſiones, occupationes, & gravamina ſeu delicta præfata, poſtquam a prædicto Mario Auditore condemnatus & excommunicatus declaratus fuit, ut præfertur, commiſſa earundem tenore præſentium iterato in majorem excommunicationem, ac in alias cenſuras, & pœnas a Sacris Canonibus, univerſalibus Conciliis, Conſtitutionibus Apoſtolicis, etiam in die Cœnæ Domini quotannis legi ſolitis contra ſimilia perpetrantes inflictas, promulgatas, & fulminatas, a quibus non niſi a Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtitutus, atque tunc cum reincidentia eo ipſo, quo convaluerit, abſolvi poſſit, incurriſſe declaramus, eumque excommunicatum majori excommunicatione, &, ut præfertur, incurſum denunciamus, & declaramus, & publicamus; ſique intra quindecim dies continuos, a publicatione earundem præſentium computandos, ipſe Odoardus non reſipuerit, ac milites a Statu noſtro & Sedis Apoſtolicæ non revocaverit, armaque non depoſuerit, & milites, quos ultra ſolita præſidia ſuſtentat, realiter & cum effectu non dimiſerit, ſed excommunicationis hujusmodi ſententiam animo, quod abſit, ſuſtinuerit indurato, ex nunc prout ex tunc, lapſis dictis quindecim diebus, prædictas Parmæ & Placentiæ, aliasque civitates, oppida, terras, caſtra, villas, ſuburbia & loca quæcunque, per eundem Odoardum quovis loco & modo detenta, & de facto poſſeſſa, excepto tamen ſtatu, quem intra fines Regni Neapolis poſſidere dicitur, omnesque & ſingulas, ac omnia & ſingula Eccleſias, Monaſteria, Oratoria etiam privata & domeſtica, Capellas, ac Religioſa & pia loca quæcunque, etiamſi de jure Patronatus Regum, & aliorum Principum, ex dotatione, fundatione vel privilegio Apoſtolico exiſtant, & ſpeciali mentione indigeant, in civitatibus, oppidis, terris, caſtris, villis, ſuburbiis, & locis prædictis exiſtentes, & exiſtentia, Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, ita ut in illis, interdicto hujusmodi durante, nec publice, nec privatim, Miſſarum ſolemnia, aliaque Divina officia, præterquam in caſibus a Jure permiſſis, & tunc non niſi janius clauſis, non pulſatis campanis, interdictisque & excommunicatis excluſis, celebrentur, etiam prætextu quarumcunque conceſſionum, privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum, quibuscunque Prælatis, aut aliis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam quorumvis Ordinum, ſive Mendicantium ſive non Mendicantium, aut Congregationum, inſtitutorum etiam Societatis JEſu, ac Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani & aliarum Militiarum Regularibus, vel ipſismet civitatibus, oppidis, terris, caſtris, villis, ſuburbiis, & locis hujusmodi, eorumque Dominis, & Univerſitatibus, & Populis ac Eccleſiis, Monaſteriis, Oratoriis, Capellis, ac Religioſis & piis locis prædictis, nec non particularibus perſonis, & quibuscunque aliis in genere vel in ſpecie, etiam motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet conceſſorum, & concedendorum, quæ omnia & ſingula, eorum tenores præſentibus pro expreſſis & plene inſertis habentes ad hunc effectum, & quoad loca & perſonas interdicto, ut præfertur, ſuppoſitas & ſuppoſita ſuſpendimus, nullique ſuffragari volumus; cæterum per easdem præſentes nullum prorſus ſententiæ per dictum Marium Auditorem, ut ſupra dictum eſt, latæ, Juribusque, Fiſco & Cameræ prædictæ in vim illius & aliunde quomodolibet contra dictum Odoardum acquiſitis, quam & quæ in ſuo robore & firmitate, absque eo, quod aliquid deſuper innovatum fuiſſe vel eſſe, ullatenus prætendi poſſit, remanere volumus, præjudicium inferre intendimus, prout etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnes & ſingulos Milites, Capitaneos, Officialesque Bellicos & Miniſtros, Univerſitates, Communitatesque, & earum Conſiliarios, ac Officiales quoscunque, nec non cæteras quaslibet perſonas, cujuscunque gradus, ſtatus, conditionis, dignitatis, quantumvis qualificatæ, tam temporalis, quam Eccleſiaſticæ, etiam regularis, etiam ſpecifica & individua mentione dignos, & dignas, qui, & quæ eidem Odoardo in ultima dicti Status Eccleſiaſtici invaſione auxilium, conſilium vel favorem quoquo modo præſtiterunt, aut ad præſens quomodocumque præſtant, in eandem excommunicationem majorem, aliasque cenſuras & pœnas prædictas reſpective, illisque innodatos etiam fuiſſe & eſſe, eosque & eas ab illis abſolvi niſi in caſu, formaque & modo præmiſſis, nequaquam poſſe declaramus, & reſpective mandamus, & volumus. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod dictus Odoardus & alii quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, vel audiri fuerint, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, aut alio quocunque etiam ſubſtantialiſſimo defectu, ex quacunque cauſa, occaſione, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, notari, impugnari, redargui vel invalidari nunquam poſſe, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſeu, interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis,

ciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non Ducatus, seu Status Castri, ac Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, Villarum, Suburbiorum, locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum Ordinum, Congregationum, Institutorum Societatis JEsu, Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani ac Militiarum hujusmodi, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, quantumlibet antiquis, nec non investituris, infeudationibus, Vicariatibus, permutationibus, instrumentis, & quibusvis aliis concessionibus, quocumque nomine nuncupatis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, per dictum Odoardum quomodolibet detentorum, privilegiis quoque indultis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus etiam custodiendi, servandi & defendendi ab omni occupatione contra inimicos Sedis Apostolicæ, vel alios etiam, motu, scientia, & deliberatione & potestate similibus, ac etiam Consistorialiter concessis, tam in acquisitione Civitatis Castri, & Gryptarum, ac Montis Alti, aliarumque Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum prædictorum, quam in erectione Ducatus Castri, postea Consistorialiter confirmata, nec non investitura Ducatus Parmæ & Placentiæ, quamvis in ea pariter caveatur, quod, quotiescumque contra Ducem pro tempore existentem, vel in Investitura vocatos, aut eorum quemlibet pro quavis etiam quamtumcumque criminali, & gravi & gravissima causa quoquo modo procedendum erit, non possit procedi, & processus non valeat, & sit ipso jure irritus, nisi prius illo, contra quem procedendum erit, vel saltem suo Procuratore vel Oratore, Nuncio, ac negotiorum gestore in Romana Curia pro tempore Residente, personaliter citato, & de faciendo processum advisato & certiorato, & quibusvis Decretis, etiam Consistorialibus, quomodolibet in investituris, infeudationibus, Vicariatibus, concessionibus dictorum Ducatuum, & aliorum prædictorum locorum, per recentis memoriæ Paulum tertium, aliosque Romanos Pontifices, etiam Prædecessores Nostros, factis & concessis, aut eorum causa, & occasione emanatis, ac etiam forsan juratis respective, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, effectumque, ut prætenditur, sortitis, & abinde citra observatis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis cuicumque prædictorum in præsentibus literis expressorum sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis, nec non omnibus & singulis, quæ in prædictis nostris literis voluimus non obstare; quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter & expresse derogamus: Volumus autem, ut præsentes literæ in solitis Urbis locis, & ad valvas Bononiensis Ecclesiæ Cathedralis, seu Ferrariensis publicentur, illarumque copiæ etiam impressæ ibidem affixæ relinquantur, quæ sic publicatæ, & affixæ eundem Odoardum, omnesque & singulos alios, quos ipsæ concernunt, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent, quodque earundem præsentium literarum transumtis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel extensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1643. Pontificatus nostri anno vigesimo.

M. A. Maraldus.

LXX.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Mandatum plenum, in quo Cardinali Donghio, cum fœderatis in causa Parmensi pariter atque ipso Odoardo I. Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duce, tractatus Pacis instituendi atque concludendi liberam potestatem dedit, d. d. 24. Aug. Anno 1643.

Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Bellum contra nostrum et hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ Statum a Republica Veneta, Principibusque illi confœderatis, ac Odoardo Farnesio motum, stabili pace pro communi bono componi, quantum in Nobis est, summopere cupientes. Motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectioni tuæ, de cujus fide, prudentia, & in rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ut cum dicta Republica, Principibusque illi confœderatis, ac præfato Odoardo, sive cujuslibet eorum Plenipotentiariis, sive etiam pro eodem Odoardo, aliisque præfatis cum charissimo in Christo filio nostro, Rege Christianissimo, seu cum quolibet alio Catholico Principe, mediante Regis præfati, seu cujuslibet Catholici Principis, Plenipotentiario pacem nostro & dictæ Sedis nomine tractare, & concludere, & pacis, quam vigore præsentium concluseritis, inviolabilem, perpetuamque observationem ex nostra ejusdemque Sedis parte spondere, & polliceri, etiamsi talia essent, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, nihil omnino excipiendo. Nosque, & Sedem præfatam ad servandam illam omni meliori & validiori modo obligare ac desuper quascunque scripturas necessarias, & quomodolibet opportunas conficere & confici facere libere & li-

cite poſſis & valeas, pleniſſimam & ampliſſimam facultatem, poteſtatem & auctoritatem, tenore præſentium concedimus & impertimur. Decernentes ex nunc, validum, firmum & efficax fore, quidquid præſentium hujusmodi vigore tractaveris, pepigeris, conveneris & concluſeris. Nosque & eamdem Sedem ad illius obſervantiam obligatos fore, non ſecus, ac ſi Nos ipſi perſonaliter pacem ipſam tractaviſſemus, & concluſiſſemus, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos. Nosque ipſos, & Succeſſores noſtros, ac Sedem præfatam, & quoscumque alios, quavis poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exhibentes, ſublata eis, & eorum cujuslibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis autoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXIV. Auguſti, milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Foris.

Dilecto filio noſtro, Johanni Stephano, S. R. E. Cardinali Diacono, Dongo nuncupato.

LXXI.

Inſtrumentum de interceſſione Regis Galliæ pro Odoardo I. Farneſio, Parmæ & Placentiæ Duce, apud Urbanum IIX. Pontificem Max. facta, agens, d. d. 24. Februar. Anno 1644.

In nomine Domini amen.

PRæſenti publico Inſtrumento cunctis ubique pateat, notumque ſit, quod anno a Nativitate ejusdem milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto, die vero Mercurii, XXIV. menſis Februarii, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini Urbani, divina providentia Papæ VIII. anno XXI. Indictione XII. coram eodem Sanctiſſimo Summo Pontifice, exiſtente in palatio Vaticano, in cubiculo interiori, in mei Joannis Mariæ Roſcioli, Protonotarii Apoſtolici, teſtiumque infraſcriptorum ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter comparuerunt Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Alexander Bichius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Sabinæ, Regni Franciæ comprotector, & Excellentiſſimus Dominus Franciſcus Marchio de Fontenay, Orator ordinarius, apud eundem Sanctiſſimum; idemque Orator habens, ut aſſeruit, ſpeciale mandatum a Chriſtianiſſimo Rege Franciæ Ludovico XIV. de conſenſu Reginæ regentis, ipſius genitricis, & de expreſſo ordine & mandato ipſius Regis, ſupplex pro Duce Odoardo Farneſio petiit ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro, & deprecatus eſt, ut dignaretur præfatum Odoardum in gratiam recipere, eumque pœnis liberare, & abſolvere ab Excommunicatione & cenſuris, & removere interdictum, in Ducatu Parmæ & Placentiæ poſitum, & bona eidem reſtituere, prout in cedula mihi tradita tenoris ſequentis:

Comme le Roy a eu toujours grand deplaiſir de voir, que M. de Parme ne ſe ſoit pas conduit en ſorte, qu' il ait peu jouir de la continuation des bonnes graces de V. S. auſſi S. M. eſt elle aujourd-huy tres-aiſe, qu' il ſe ſoit diſpoſé à lui donner toute ſorte de ſatisfaction. Pour celà elle m' a commandé expreſſement de ſupplier de ſa parte V. S. de vouloir oublier tout le paſſé, luy pardonner, & l' abſoudre des excommunications, cenſures, & autres choſes, qui luy peuvent prejudicier, comme auſſi d' avoir agreable de luy reſtituer tous les biens, qui luy ont été pris, de lever l' interdict, ou ſes etats ont été mis, & de le recevoir en ſes bonnes graces.

Quam poſtea idem Orator de verbo ad verbum in præſentia ejusdem Sanctiſſimi & teſtium prætatorum, me auſcultante & collationante, perlegit: ſuper quibus omnibus & ſingulis petitum fuit à me, ut unum, ſeu plura, publicum ſive publica conficerem Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta.

Acta ſunt hæc in eodem Palatio Vaticano, uti ſupra, præſentibus Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis Joanne Baptiſta Spada, Patriarcha Conſtantinopolitano, Secretario Status, Julio Roſpiglioſo, utriusque Signaturæ Referendario, Secretario literarum ad Principes, Marchione Bernardino Naro, Capitaneo equitum levis armaturæ, & Silveſtro Collicola, ejusdem Sanctiſſimi Phyſico, teſtibus vocatis atque rogatis.

Et ego Joannes Maria Roſciolus, Protonotarius Apoſtolicus, præfectus Cubiculo ejusdem Sanctiſſimi Domini noſtri, quia prædictis omnibus, dum agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, & de eis rogatus fui, ideo, in fidem & teſtimonium præmiſſorum, me ſubſcripſi, meoque ſigillo munivi & publicavi.

Locus Sigilli.

LXXII.

Tabulæ Pacis inter Urbanum IIX. Pontif. Max. ac Principes in cauſa Parmenſi fœdere junctos, factæ, d. d. 31. Martii, Anno 1644. una cum paciſcentium ratificationibus.

Al Nome di Dio.

ESſendoſi hoggi col divino favore capitolato per il bene della pace, trà la Santità di noſtro Signore, Papa Urbano VIII. mediante il Signor Cardinale Donghi, ſuo Plenipotentiario, et il Rè Chriſtianiſſimo

En nomme de Dieu!

EStant aujourd' huy par l' aide de Dieu traité, & capitulé pour le bien de la Paix, entre la Sainteté de noſtre Saint Pere le Pape Urbain VIII. par l' entremiſe du Sieur Cardinal Donghi, ſon Pleni-

nissimo per mezzo del Signor Cardinale Bichi, Plenipotentiario di S. Maestà, come per scrittura, alla quale sarà la presente correspettiva, la Republica di Venetia, il Granduca di Toscana, & il Duca di Modena, li quali come si è detto, in quella s' erano collegati insieme, si dichiarano, che come non per altro fine si sono uniti in lega offensiva & hanno mosso le armi, che per la detta reintegratione, così fermissimi in continuare li non mai interrotti ossequii loro verso la santa Sede & alla persona della Santità sua, ad honore di Dio & servitio della medesima santa Sede, hanno convenuto con S. Santità mediante scambievolmente li loro Plenipotentiari per mezzo del Signor Cardinale Bichi, Plenipotentiario come sopra, ne gl' infrascritti capitoli, & dichiarationi:

I. Che questa scrittura, come s' è detto s' intenda correspettiva all' altra di questo medesimo giorno e correlativa à quella.

II. Cesserà dal giorno della sottoscrittione della presente fatta da tutte le parti ogn' atto d' hostilità dall' una parte & dall' altra, per doversi scambievolmente procedere trà loro con i soliti termini di christiana benevolenza.

III. Seguite le sottoscrittioni & ratificationi della presente si riteranno da ogni parte l' armi ne gli Stati propri, lasciando solo gli presidi i ne' luoghi presi fino al giorno assegnato per le restitutioni da farsi, & detta ritirata sarà fatta pacificamente, & senza che la Soldatesca nel ritirarsi commetta atti d' hostilità, ò altro disordine ne' luoghi di doue partirà, & per doue passerà; & quelle truppe che sua Santità hà di presente nel Perugino, eccetto però gli presidii de' luoghi, che tiene guardati, saranno ritirate di là dal Tevere.

IV. Sarà liberamente restituito con reciproche consignationi da gli Prencipi della lega tutto quello, che hanno preso nello Stato Ecclesiastico per occasione della presente guerra; & da S. Santità Castro & Montalto al Duca Odoardo Farnese, con tutti gli altri bene à lui confiscati, mediante però la restitutione, che douera essere fatta dal medesimo Duca, si come è espresso nell' altra scrittura sopranominata; & tali restitutioni anderanno fate il sessagesimo giorne immediato dopo l' ultima ratificatione, che tutte le parti havranno fatta del presente trattato.

V. Li presenti possessori de' luoghi da restituirsi faranno demolire le fortificationi fatevi.

VI. Sara permesso alli medesimi di ritirare da detti luoghi tutte le artiglierie, & altre armi, & munitioni, che vi havessero introdotto; lasciandovi però quelle artiglierie, & altre armi, ch' al tempo della presa vi havranno trovato, & riponendovi quelle che per auventura ne havessero levato.

VII. Saranno rimosse dall' una parte & dall' altra le gelosie, & le novità, che potessero essere cagione di sospettione, ò diffidenza; & à tal fine saranno demolite dalla Republica le fortificationi fate per occasione della presente guerra alla Polisella & in diversi luoghi lungo il Canale Bianco, & altre

Plenipotentiaire, & le Roy Tres-Chretien par celle du Sieur Cardinal Bicchi Plenipotentiaire de Sa Majesté, comme il appert par une écriture à laquelle la presente sera correlative; la Republique de Venise, le Grand Duc de Toscane, & le Duc de Modene, lesquels comme il s' est dit en ladite écriture, s' étoient liguez ensemble, declarent que comme ils n' avoient fait ladite Ligue offensive, & pris les Armes, que pour ladite reïntegration & restitution, ainsi resolus de continuer les mesmes devoirs & respects qu' ils ont toujours rendus sans aucune interruption envers le saint Siege & la personne de Sa Sainteté, pour l'honneur de Dieu & le service dud. saint Siege, leurs Plenipotentiaires ont reciproquement convenu avec Sa Sainteté par l' entremise du Sieur Cardinal Bicchi, Plenipotentiaire susdit, aux cy-apres mentionnées capitulations & declarations.

I. Que cette écriture comme il s' est dit, correspondra à l' autre de ce mesme jour, & sera correlative à icelle.

EBbi in Agosto passato umilissimo ricorso a Vostra Maestà, rappresentandole la voce uscita da Milano, che il Signor Conte Generale Carafa avesse disegno di ricercarmi nell' imminente invernata quartieri ne' miei Stati a qualche numero di soldadi; e riverentemente le esposi di non poter prestar fede a tal voce, ben consapevole della rettissima mente della Maestà Vostra, e dell' integrità e prudenza del suo ministro, che avrebbe in simil contingenza distinta la qualità degli Stati de' Principi d' Italia, che fu sempre uno de' principali motivi, per li quali mai ne' pure una volta è stata a me, o a' miei precessori fatta simil dimanda; onde doveva io sperare, che il Signor Conte non mi avrebbe chiamato ad un consenso, che non avrei potuto mai prestare. Mi ristrinsi in fine a supplicare la gran clemenza, che Vostra Maestà si è sempre compiaciuta di avere per questa sua umilissima Casa, a degnarsi di assistermi, quando fosse occorso, col sovrano suo patrocinio, ordinando, che in tutte le occasioni venisse cortesemente guardato, e non incomodato punto il mio Stato.

Quando però io stava coll' animo quieto, appoggiato alla giustizia degli accennati motivi, e a quello sopra ogni altro della costante fiducia, riposta nella benignità somma e nell' animo invitto e sempre pio di Vostra Maestà, veggo comparirmi una lettera dello stesso Signor Conte General Carafa, segnata ai 28. del caduto Ottobre, con cui mi ricerca di deputar persona in Milano a trattar seco del passaggio de' Reggimenti da acquartierarsi nel Modanese, in Pontremoli e nelle vicinanze, e a trattare ancora della Parte, che toccherà, come dice, a me, delle milizie, in Riguardo de' Feudi Imperiali, e del mio concorso al ben publico nella presente congiuntura. Come però i suddetti Feudi non sono infallibilmente capaci di prestar quartiere ad alcun numero di soldati per la situazione de' medesimi, essendo sulle Cime di Aspre Montagne,

gne, e per la Povertà del Paese, e de' sudditi, i quali non sapendo, come comparvi, l' inverno appunto vanno tutti gli anni a procacciarsi altrove il vitto, e sarebbero l' anno passato periti di fame, senon gli avessi sostentati co' grani de' miei magazzini: nè io mi trovo in termine di poter concorrere a titolo del ben comune degli altri Prencipi, avendo io i pesi proprii molti gravi, ne' quali non vengo punto da essi sollevato; così mi fo animo di ricorrere di nuovo all' Augustissima clemenza della Maestà Vostra, supplicandola a degnarsi di esaudire le mie umilissime suppliche coll' autorità de' suoi ordini al suddetto Signor Conte General Carafa di lasciarmi esente dall' accennato incomodo, che questi miei Stati non hanno mai avuto, degnandosi di farmene la grazia prima, che le truppe si avanzino a tale impegno. Imploro quest' atto di benignità, e lo spero, in premio Ancora della divozione profonda professata sempre da' Prencipi di questa Casa ai Cesari, e all' Augustissima Casa d' Austria, e da me specialmente, che ho sempre avuta la gloria di essere con distinta e riverentissima venerazione.

Parma primo Novembre, 1691.

LXXXII.

Literæ Leopoldi, Romanorum Imperatoris, ad Rainutii II. Parmæ atque Placentiæ Ducis, antea insertas responsoriæ, d. d. 11. Novembr. Anno 1691.

Serenissimo Raynutio Farnesio, Duci Parmæ & Placentiæ, Principi nostro carissimo.

Leopoldus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

Serenissime, Princeps carissime.

Accepimus Dilectionis vestræ literas, prima hujus mensis ad Nos datas, & singularem, quam in benevolentia nostra repositam habet fiduciam, quæque præterea, occasione factæ sibi a nostro Consiliario arcano & campi Mareschallo, ac Commissario generali, Comite Carafa, insinuationis, a Nobis petere voluit, ex iisdem intelleximus. Optamus sane ex animo, ut pro sincero nostro, quem erga Dilectionem vestram, tum ob multiplices sanguinis & affinitatis nexus, tum ob propria non minus, quam majorum in Nos & Augustam Domum nostram merita, gerimus, affectu, Dilectionis vestræ votis cumulatissime respondere possemus, Nobisque integrum fuisset copias nostras, quibus tam in Hungaria, adversus Christiani nominis hostem, quam pro defensione Imperii ad Rheni tractum, indigebamus, extra Italiam retinere. At postquam Galliæ Rex, occupato dudum Casali, arma sua demum in Pedemontium intulit, & Serenissimum Sabaudiæ Ducem, iniquissimas conditiones detrectantem, hostiliter adoriendo, toti Italiæ extremam servitutem imponere molitus est; Nos pro supremo, quod DEI providentia tenemus, Imperiali munere, nihil facere minus potuimus, quam ut ad vindicandam Italiæ libertatem & ad tuendum dictum Ducem, utpote Sacri Imperii Statum, validam copiarum nostrarum partem illuc mitteremus. Et cum iis inter tam immensos, quibus nunc aliquot annos oneramur, bellorum pro tota Christianitate exantlandorum sumptus, in Italia propriis mediis prospicere non valeamus, coacti certe contra voluntatem nostram sumus, ut per prædictum Plenipotentiarium nostrum vicinos, & præcipue nostros & Sacri Romani Imperii Status & Vasallos in partem onerum bellicorum, & ad præbenda saltem militi, alias, dum victus deficit, immorigero, alimenta hybernalia, invitaremus, omnino confisi (quemadmodum hic non minus de privata cujusque, quam de communi salute & incolumitate agitur) neminem futurum, quin publico & proprio bono modicum quid lubens immolaret, & perpetuæ, quæ impendebat servituti, brevem & exiguo tempore duraturam molestiam præferret. Dilectionem autem vestram plane persuasam esse volumus, nihil Nos pro viribus curaturos, impensius, quam ut eidem propensissima nostra, qua erga eandem & totam ejusdem familiam propendemus, voluntas re ipsa pateat; ideoque tametsi certi simus, Dilectionem vestram, pro comperto suo in Reipublicæ commodum studio, proque tam necessitudinis, quam clientelæ jure, quo Nobis & Domui nostræ cohæret, cæteris Italiæ Principibus, exigente necessitate, egregio in ferendis oneribus publicis exemplo laudabiliter anteituram esse; prænominato tamen nostro Plenipotentiario in mandatis dedimus, ut singularem Dilectionis vestræ Provinciarum curam & rationem habeat, & non tantum transitum, si quem forte per eas facere contingat, quoad fieri poterit, omnino innoxium præstet; sed etiam, nisi extrema & insuperabilis necessitas impendat, modicis aut subsidiis pecuniariis, aut annona contentus, eas hospitationibus militaribus eximat: qua in parte dum promptum Dilectionis vestræ animum Nobis pollicemur, vicissim cordi sumus habituri, ut eidem quibuslibet occasionibus constet, quam singulari nostro Cæsareæ benevolentiæ affectu Dilectionem vestram prosequamur.

Datum in civitate nostra Viennæ die XI. mensis Novembris, Anno MDCXCI. Regnorum nostrorum Romani XXXIV. Hungarici XXXVII. Bohemici vero XXXVI.

LEOPOLDUS.

Locus Sigilli Imperialis in cera rubra impressi.

Vidit Sebastianus Winibaldus, Comes a Zeiler.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Lutzo Dolberg, manu propria.

LXXXIII.

LXXXIII.

Breve Innocentii XII. Pontificis Maximi, ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem, ſcriptum, in quo de Copiis Cæſareis, in ditiones Parmenſes hyemandi cauſa miſſis, graviter conqueritur, atque ab eodem, ut copias ſuas a memoratis ditionibus revocari curet, ardentiſſimis contendit precibus, d. d. 23. Novembr. Anno 1691.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem electo.

Innocentius Papa XII.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

INter inſignia ac nullis unquam præconiis ſatis commendanda Majeſtatis tuæ decora, principem ſibi vindicare locum filialem obſervantiam, quam erga Sanctam hanc Sedem profiteris, nemo eſt, qui neſciat. Dubitare quocirca minime poſſumus, quin ubi reſciveris, immiſſa fuiſſe ad hyemandum in ditiones dilecti filii, Nobilis Viri, Raynutii, Parmæ & Placentiæ Ducis, quæ ditiones ejusdem Sedis Feudum ſunt, aliquot Germanorum millia, tuis ſub ſignis in Italia militantium, manifeſtum omnibus facere non omittes, non ſolum te inſcio, ſed etiam improbante, dolenteque, tam grave adverſus ipſam Sedem attentatum admiſſum fuiſſe. Muneris nihilominus eſſe noſtri duximus, juſtas ferventesque de eodem attentato ad Majeſtatem tuam querelas deferre, atque a pietate, qua præſtas, etiam petere, ut a præmemorati Ducis ditionibus copias revocari mandes, prædictæque Sedis dignitati, cujus tutela in te repoſita eſt, conſulere velis. Propenſam jampridem erga Majeſtatem tuam compluribus nominibus voluntatem noſtram magis quoque magisque tibi præclaro hoc documento conciliabis, cariſſime in Chriſto fili noſter: cui interim ad majorem indies Chriſtianæ Reipublicæ amplificationem & gloriam, læta cuncta fauſtaque a DEO impenſe precamur, ac Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam majorem die XXIII. Novembris, 1691. Pontificatus noſtri anno primo.

Marius Spinola.

LXXXIV.

Ejusdem Breve ad Rainutium II. Parmæ atque Placentiæ Ducem, datum, in quo ei, quid ad Imperatorem Romanum de Parmæ atque Placentiæ Ducatibus, a militibus ejus hyemandi cauſa occupatis, ſcripſerit, luculenter ſignificavit, d. d. 24. Novembr. Anno 1691.

Dilecto filio, Nobili viro, Raynutio, Parmæ & Placentiæ Duci,

Innocentius Papa XII.

Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

INcredibili plane animum noſtrum mœrore affecerunt Nobilitatis tuæ literæ, a dilecto filio, Doctore Felino, redditæ ac diligenter expoſitæ, quibus de immiſſis ad hyemandum in ditiones Parmenſem & Placentinam Germanicis copiis certiores Nos feciſti. Præter caritatem enim, qua te ſingulariter proſequimur, quæque in cauſa eſt, ut cuncta ſeu læta, ſeu triſtia tua, ad Nos profecto metipſos pertinere cenſeamus, ſollicitudo etiam, quam de indemnitate prædictarum ditionum, ad hanc ſanctam Sedem in primis ſpectantium, gerere debemus, prorſus id a Nobis repoſcebat. Muneri itaque noſtro omni ex parte reſponſuri, Cæſareæ Majeſtati, ejusdem adminiſtris Romæ commorantibus, nec non Comiti Carafæ, armorum in Italia ipſius Majeſtatis Generali ob oculos ponere, non omiſimus & inceſſanter ponere non omittemus, quam grave ejusmodi facto præmemoratæ Sedis juribus præjudicium inferatur. In ſpem autem venientes fore, ut ab anguſtiis, in quibus verſaris, quantocius fieri poterit, evadas, Nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die XXIV. Novembris, MDCXCI. Pontificatus noſtri anno primo.

LXXXV.

Ejusdem Breve ad Antonium Comitem Carafam, Copiarum Cæſareæ Majeſtatis in Italia Generalem, conſcriptum, in quo eum exhortatur, ut copias Cæſareas, hyemandi ergo, in Parmenſem atque Placentinam ditionem miſſas, haud cunctanter revocet, atque milites, in Ferrarienſi & Bononienſi finibus verſantes, in officio contineat, ſubditorumque Pontificiorum indemnitati conſulat, d. d. 28. Novembr. Anno 1691.

Dilecto filio Nobili viro, Comiti Carafæ, Cæſareæ Majeſtatis in Italia armorum Generali.

Innocentius Papa XII.

Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ETſi non dubitamus, quin perſuaſus ſis de propenſa voluntate, qua Nobilitatem tuam ob decora, quibus inſigniris, proſecuti jampridem ſumus, & proſequimur, de eadem nihilominus voluntate magis magisque te certiorem in præſens facimus, non defuturi occaſionibus, quæ ſe offerent, luculentis ipſam teſtimoniis declarandi. Quia vero de filiali viciſſim erga Nos obſervantia tua conſtantem gerimus opinionem, merito confidimus fore, ut, ea ſuadente, immiſſas ad hyemandum in ditiones Parmenſem & Placentinam, quæ ad hanc

Sanctam

Sanctam Sedem in primis spectant, Germanicas copias absque mora revoces, ne Pontificatus nostri tempore prædictæ Sedis Jura, quæ Nos omni studio curaque tueri debemus, tam grave atque insuetatum hactenus detrimentum patiantur. Illud insuper etiam atque etiam a te petimus, ut milites, qui in confiniis Ferrariensi & Bononiensi versantur, in officio contineri mandes, subditorumque nostrorum indemnitati consulas. Utrumque autem Nobis prorsus pollicentes, Nobilitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. Novembris MDCXCI. Pontificatus nostri anno primo.

LXXXVI.

Antonii, Comitis Carafæ, Cæsarearum in Italia copiarum Generalis, Literæ ad Cardinalem de Vicecomitibus, Archiepiscopum Mediolanensem, datæ, in quibus ei, quod Parmæ atque Placentiæ Dux, saltem ratione feudorum, Romano Imperio nexu clientelari obstrictorum, tributa ipsi indicta exsolvere teneatur, exponit, d. d. 11. Decembr. Anno 1691.

Eminentissimo e Reverendissimo Signor mio, Signore e Padrone colendissimo.

Essendosi degnata l' Eminenza vostra di onorare della sua presenza la mia casa, mi hà nello stesso tempo comunicati i veneratissimi sensi di Sua Santità sopra l' alloggio delle Cesaree truppe negli Stati del Serenissimo Signor Duca di Parma, dolendosi, che queste si sieno mandate colà all' improviso, e che si sieno presi quartieri ne' Feudi della Chiesa. Io resto in estremo mortificato, che Sua Beatitudine da sinistre informazioni sia stata indotta a formare un giudicio così opposto a' miei più rispettosi portamenti con tutti i Serenissimi Prencipi d' Italia, e alla mia specialissima venerazione verso la Santa Sede: nè so con qual fondamento possa essere stato rappresentato alla Santità Sua, che le suddette milizie sieno giunte inaspettate a Sua Altezza di Parma, quando un pezzo prima io ne le aveva dato l' auviso con mie lettere, di cui ne mando ingiunta la copia à vostra Eminenza, e che già ne avea ricevuta la risposta. Col far riflessione al tenore della mia richiesta, espressa chiaramente nella suddetta mia lettera, dovrà formar da sè stessa la soluzione dell' altro punto. La Maestà dell' Imperadore, mio clementissimo Signore, mi ha ordinato il mantenimento delle Cesaree truppe, venute in difesa dell' Italia, colle contribuzioni de' Feudi Imperiali, che sono nella provincia. Io so, che il Serenissimo Signor Duca di Parma ne gode alcuni, e l' Altezza stessa nol niega: nè io debbo sapere quali sieno, bastandomi saper di certo, che ne abbia. In Riguardo di essi ho mandato colà una parte delle milizie ad acquartierarsi: nè importa, che per questi ne abbia pagata una somma, da me ricevuta per mantenimento di quelle, perchè bisogna riflettere, che corrono già dieci anni, dachè Sua Maestà sta in continua guerra col Turco, e colla Francia, e che tutti i Prencipi e Stati dell' Imperio, secondo la loro obbligazione, le hanno data ogni assistenza, uniforme al potere di ciascheduno: la quale in tutto questo tempo non si è avuta da essi Prencipi d' Italia, Feudatarii dell' Imperio, come si erano obbligati. Facendosi dunque il calcolo delle contribuzioni, che il Serenissimo di Parma avrebbe dovuto dare a Cesare nel suddetto spazio di dieci anni a rispetto de' mentovati Feudi Imperiali, che possiede, ne risulterà una somma assai maggiore di quella, che ho dimandata ne' presenti bisogni pel ben pubblico della provincia. Che poi i quartieri si sieno allargati in altri luoghi, che non fossero Feudi Imperiali, questa non è mia colpa, avendogli io ricercati solamente per questi: nè se n' è fatta da me la ripartizione. Voglio però credere, che S. A. medesima per usare maggior finezza a Sua Maestà Cesarea, e per mostrare ugual carità verso i proprii sudditi, non abbia voluto gravar più uno, che l' altro di questo peso, ma con paterna provedenza ripartirlo ugualmente fra tutti, perchè riesca più leggero. Se io non temessi, che le mie suppliche, ancorchè dettate da un umilissimo ossequio, potessero aver faccia di severità, oserei porgerle a V. E. perchè si degnasse dar l' onore a questa riverente mia lettera d' umiliarsi a' piedi di Sua Santità: Ma subordinandola all' infallibile disposizione della sua provedenza, la supplico almeno concedere à me quello de' suoi pregiatissimi comandi. E con profondo rispetto mi rassegno

Di V. E.

Di casa agli XI. Dicembre 1691.

Umiliss. & divotiss. Servidore

Antonio Carafa.

LXXXVII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, ad Innocentium XII. Pontificem Maximum, directæ, in quibus, copias suas, extrema necessitate coactas, in Parmæ atque Placentiæ Ducatu hyberna occupasse, demonstrat, eamque ob causam de melioris se excusat, d. d. 14. Decembr. Anno 1691.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Innocentio XII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime:

Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum.

Quod copiæ nostræ militares in ditiones Serenissimi Parmæ & Placentiæ Ducis ingressæ sint, id pro affectu in eundem Principem nostro, sane perquam dolenter ferimus; dolentius multo, quod

quod id Sanctitati Vestræ querelarum, quas ex ejusdem ad Nos, die vigesima tertia mensis proxime præteriti datis literis legimus, ansam dederit. Qua enim sumus erga Sanctam Sedem inviolabili observantia, qua pietate & amore filiali erga Sanctitatem Vestram, ut ejusdem dignitatem voluntatemque, etiam cum rationum nostrarum dispendio, defendere ac propugnare nunquam non parati simus, non mediocriter Nos afficit, contingere quicquam ex parte nostra, quod ejusdem Sanctæ Sedis auctoritati, vel Sanctitatis Vestræ desiderio, vel minimum videatur adversari. Id vero Sanctitati Vestræ religiosissime asseveramus, quod, uti nullas in Italia acquisitiones, nulliusve damnum aut præjudicium meditamur, nullumque etiam alium ob finem copias nostras illuc immisimus, quam ut proximam tunc perpetuamque servitutem ab ejusdem cervicibus propelleremus; ita etiam Generalis noster Campi-Mareschallus, Comes Carafa, tam stricta a Nobis mandata habet, ut, tametsi par esset, omnes Italiæ Principes pro communi perpetuoque libertatis beneficio momentaneam quasi incommoditatem non recusare; persuasos Nos tamen esse oporteat, eum, nonnisi summa necessitate coactum, a Principis & Nobis tam arcte conjuncti, & Sanctæ Sedis vasallagio adstricti ditionibus certo fuisse abstenturum. Equidem quis status rerum nostrarum sit, quæ Nos circumstent difficultates, duplici & iniquissimo simul & gravissimo bello pressos, vix ullus magis, quam ipsamet Sanctitas Vestra, a qua subsidia præter genium & voluntatem nostram tam impense flagitare cogimur, perspexit, & tam duræ necessitatis legi aliquid condonabit. Quod tamen, ne eo a Nobis dictum putetur, ac si quod a dicto Generali, Vicario nostro, ita actum est, tueri velimus, eidem iterum iterumque serio præcipimus, ut omnes suas curas & cogitationes eo conferat, ut si id ulla ratione fieri possit, quemadmodum id non omnino impossibile fore credimus, collato in medium a Serenissimo Duce, Nobis etiam ob Feuda, quæ ab Imperio recognoscit, Vasallagii Jure addicto, proportionato quodam subsidio pecuniario, ejusdem Ducis ditiones omni actuali hospitatione quamprimum liberet. Quod si efficere, Vestræque Sanctitati hac in parte satisfacere valuerimus, Nobis profecto ipsis plurimum gratulabimur. Neque porro ullum observantissimi Filii & fidelissimi Ecclesiæ Advocati officium, quotiescumque id testandi facultas erit, prætermissuri sumus: qui de reliquo Nos ad Oratoris nostri Principis Liechtinsteinii prolixiorem explicationem referentes, DEum oramus, ut Sanctitatem Vestram seros in annos Ecclesiæ & Nobis sospitem ac felicem præstet.

Datum in Civitate nostra Viennæ die XIV. Decembris anno MDCXCI. Regnorum nostrorum, Romani XXXIV. Hungarici XXXVII. Bohemici vero XXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius,
LEOPOLDUS.

LXXXIIX.

Rainutii II. Parmæ atque Placentiæ Ducis, Literæ ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem, conscriptæ, in quibus ab eo, ut hybernorum atque tributorum onere omni studio liberetur, contendit, d. d. 7. Januarii An. 1693.

Sacra Reale Cesarea Maestà.

SO il rispetto dovuto alle cure gravissime di Vostra Maestà, e ogni altra ragione mi consiglia di non rendermele molesto colla frequenza de' miei ricorsi. Ma troppo veemente è l' impulso, che oltre ai motivi della natura mi danno ancora quei dell' ossequio verso la medesima Maestà Vostra per replicar sempre i miei giustissimi clamori fino a riportare dalla sua clemenza il riparo alle mie oppressioni, mentre non penso già, che risulterebbe in vantaggio del sommo decoro, dovuto al nome Augustissimo di Vostra Maestà, che le sue armi, spedite a titolo della libertà d' Italia, avessero rovinato lo Stato, e la Casa d' un Prencipe di questo sangue, il quale, quando fosse stato in pericolo di ricevere aggravii da altre Potenze, non avrebbe dovuto sperare sollievo nè più pronto, nè più meritato della divozione mia, e de' miei passati, che dalle medesime armi Cesaree. Ricorsi sotto li 29. del passato mese a Vostra Maestà rappresentandole le miserie, nelle quali si trovava lo Stato mio per le esorbitanti esazioni, che si vollero ne' due quartieri, dati alle truppe Imperiali ne' precedenti inverni per li debiti fatti, e per anche non pagati a causa de' medesimi quartieri, e per la carestia dell' anno presente, in cui i poveri sudditi non hanno con che vivere, nè si trova modo di provedergli di grano; e mi diedi anche l' onore di riferirle umilmente le strettezza estreme di questa casa, a cui è convenuto soccombere ne' passati anni a spese gravissime, che possono esser ben note alla Maestà Vostra, e quest' anno ancora a nuovi incomodi per le morti di due Prencipi: e supplicai la Maestà Vostra a non rendermi di condizione deteriore di quella di ogni altro, che avendo ricorso a lei per ricevere giustizia, viene ascoltato, come riverentemente mi espressi nella lettera, che per duplicato, caso che si fosse smarrita, includo in questo foglio, giacchè mi convien replicare e ricorrere di nuovo, e reiterate le mie suppliche per il giusto sollievo del peso del quartiere di quest' anno, che mi riesce impossibile sostenere, e preveggo o la rouina del Stato colla perdita de' sudditi, che morranno di fame, o qualche grave disordine, cagionato dalla disperazione de' medesimi sudditi, o forse anche l' uno e l' altro.

Supplico la Maestà Vostra d' informarsi da' medesimi suoi Ufficiali e Ministri in Italia della sincerità e della ragione delle mie esclamazioni; di riandare le memorie de' trattamenti, che le truppe hanno avuto ne' miei Stati i due passati inverni; di riflettere alla differenza de' miei Stati, che questa casa riconosce non da altri, che dalla chiesa; e all' annua e grossa contribuzione, che le fa: e finalmente di benignamente auvertire, che per esercitar sempre, anche ne' casi estremi, verso la Maestà Vostra tutti gli atti possibili di ossequio, ho voluto a

fronte

fronte di tutte le difficoltà, che adesso ancora sia ricevuta molto parte della milizia Cesarea, e che venga ripartito quello scarso pane, che c' è, trà miei sudditi e trà soldati con isperanza, che la Maestà Vostra sia per gradire questi ultimi sforzi della mia riverenza, e si degnerà di corrispondere colla sua grande benignità, e di non ritardarmi di vantaggio il supplicato sollievo. Tanto io spero costantemente, onde io possa rendermi continuata la gloria, che ho della buona grazia della Maestà Vostra, inchinandomi profondamente. Parma 7. Gennaro 1693.

LXXXIX.

Rainutii II. Parmæ atque Placentiæ Ducis, Literæ, ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem, datæ, ejusdemque cum antea insertis argumenti, d. d. 21. Junii, Anno 1693.

Sacra Reale Cesarea Maestà.

SEbbene le speranze, date da' Cesari, si pongono à calcolo di grazie già conseguitte, nè io m' avanzerei a rivocare in dubbio, che quando succeda di continuare anche per altri anni la guerra in Italia, non sia Vostra Maestà per disporre le cose in modo, che non abbia da essere caricato più il mio Stato dal peso di nuovi quartieri per le truppe, mentre la Maestà Vostra colla Reale sua cattà de' 5. di Febraro dell' anno corrente si degnò di darmene benigna intenzione; tanto nondimeno è il momento di un' affare, in cui si tratta di preservare lo Stato, i sudditi, e questa umilissima casa dalle scosse estreme, che mi fo animo di ricorrere alla somma clemenza della Maestà Vostra, supplicandola d' usurare con noi quella pietà e giustizia, che sono tanto connaturali all' Augusto suo animo. Non dubito, che non sieno tuttavia presenti alla gran mente di Vostra Maestà i motivi, che pajono pur assai forti di dover conseguire questa grazia. Ella sa, essere presso a due secoli, che questa Casa fu investita dalla Santa Sede Apostolica de' suoi Stati. Sa ancora, che i Prencipi miei precessori hanno publicamente, e notoriamente prestati tutti gli atti di Vasallagio alla Chiesa Romana, e niuno all' Imperio. Che pago l' annuo tributo al Papa: e posso dire con verità, che in quest' anno, reso esausto dalla contribuzione, che si è voluta per mantenimento delle truppe, mi è convenuto unire, e prendere sue credito e su la fede da Milano, da Venezia, e d' altronde le tratte per non vedere posta in contingenza la caducità dello Stato, che devolve, quando per un sol giorno fosse ritardata la prestazione del canone: ed è ancora notissimo alla Maestà Vostra, che per questa ragione mai più altra volta, e pur tante di simil natura ne sono succedute in congiuntura di spedizioni d' eserciti Cesarei in Italia, non è Stato obbligato questo Dominio Ecclesiastico a simile aggravio.

Mi fo lecito di aggiungere umilmente alle passate rappresentazioni, che quando anche mancasse ogni ragione, si trovano i sudditi tanto estenuati e il paese così desolato, che sarebbe affatto impossibile il poter reggere ad altro peso, che si volesse imporre. Di questa verità posso credere, che Vostra Maestà sia abbastanza consapevole, essendo impossibile, che gli Uficiali stessi Imperiali, guerniti d' onore e d' integrità, non l' abbiano palesato alla Corte per lo zelo ancora del servigio Cesareo, prevedendo, che rimarebbono esposte le truppe a penuriare del necessario, non valendo tutta la forza del Mondo, nè tutto il rigore più severo a trovare quel, che non v' è.

Per compire a parte delle spese di quest' anno, mi è convenuto levare gli argenti dalle mie tavole, e fargli fondere e coniare in Milano, dove pure si sono impegnati que' de' sudditi, che erano i pochi avanzi, restati alle famiglie migliori, alle quali è convenuto in fine levargli a forza, chiuso l' orecchio a que' clamori, a' quali senza dubbio non avrebbe potuto resistere la pietà della Maestà Vostra. La redenzione di questi pegni cade appunto al fin dell' anno in quel tempo, in cui le truppe sono à quartiero, non essendosi potuto sperare di mettere insieme prima di molti mesi il danaro preso in prestito, e contato al Commissario Imperiale. Intanto a' negozianti, che hanno dato il soldo, conviem pagare l' interesse.

Resta inoltre il debito di trentaseimila Fiorino, o sieno sei mila doble, da corrispondersi in virtù dell' arbitramento del Signor Marchese Governatore di Milano al medesimo Commissariato nel mese prossimo, colla sola abilità di compire in grani, che in un' anno, scarso di raccolti, battuti da pioggie eccedenti, da inondazioni e da grandini, tolti una volta a' sudditi in natura, non vi saranno più senza dubbio, nè ve gli troverebbono le milizie Alemanne, quando tornassero a un nuovo quartiero.

Di questa verità può ella pure riceverne la testimonianza infallibile da' medesimi Uficiali Tedeschi, i quali sanno, che lo Stato non produce, se hanno da vivere i sudditi, tanto grano e tanti fieni, che bastino per mantenimento delle truppe, avendo veduto, che mi è convenuto in quest' anno comprare a danaro contante il frumento in altri dominii. Che se il Commissario stesso Schweiger non otteneva dal Signor Marchese di Leganes i passaporti per l' estrazione de' fieni, comprati nel Cremonese e nel Lodigiano, e le biade, era inevitabile, che i cavalli delle truppe perissero per mancanza di foraggio, ancorchè per nutrirgli, molte vaccherie del mio Stato siensi spogliate de' fieni, e costrette andar raminghe altrove a mendicare uno scarso sostentamento.

I sudditi, che non solo per quest' ultimo quartiere, ma per l' altro ancora somministrarono robà in natura oltre le collette generali, erogate a titolo di paghe de' soldati, o di supplimento per non essersi potuto pagargli, sono ridotti a tanta miseria, che ho stimato mio debito di farla a me comune con ispogliarmi di gran parte di dazii e rendite camerali per erigere un monte in Piacenza, e andar sovvenendo chi in altro modo non potrebbe sussistere. E pure osservo di quanto incomodo sieno per risultare a me queste forzose risoluzioni in tempo, che questa umilissima Casa di V. M. ha il peso attuale del mantenimento di sei Corti, ciascuna co' propri

proprii graviſſimi peſi, e in tempo, che mi trovo aver contribuito al ſervigio di V. M. nel mantenimento delle ſue truppe tutto quel poco danaro, che era reſtato nel mio erario, eſauſto dalle graviſſime ſpeſe, a tutti note, e altre volte riverentemente portate al benigno rifleſſo della M. V. come una gran parte o impiegate in ſervigio dell' Auguſtiſſima Caſa d' Auſtria, o per qualche dipendenza, o relazione alla medeſima.

Umilio al pietoſo guardo di V. M. queſto ſpettacolo, e non reputo già luſinga la ſperanza, che ho di riportare clemenza e giuſtizia, in riſcontro ancora dell' oſſequio profondo profeſſato ſempre da' Prencipi di queſto ſangue a V. M. e agli Auguſti ſuoi preceſſori, e da me ſingolarmente, che ſempre ho avuta la gloria di vivere ſotto la ſovrana protezione di V. M. che umilmente ſupplico di continuarmi, profondamente inchinato.

Parma 21. Giugno 1693.

XC.

Rainutii II. Parmæ atque Placentiæ Ducis, Literæ, ad Leopoldum, Romanorum Imperatorem, directæ, in quibus ſubmiſſe ab eo petit, ut non ſolum tributa, ditionibus ſuis imperata, moderari, verum etiam Parmæ atque Placentiæ Ducatum, omni plane belli onere eximere dignetur, d. d. 29. Decembr. Anno 1693.

Sacra Reale Ceſarea Maeſtà.

IO ho sì alta eſtimazione della Giuſtizia, che regna nell' animo di Voſtra Maeſtà, che parmi impoſſibile di non avervela a trovare anche per me. Finalmente ſe dimandaſſi grazie, non ſarebbero forſe ſoverchiamente animoſe le ſuppliche mie, perchè in fine trà le Caſe de' Prencipi d' Italia pare, che queſta non ſia mai ſtata ſuperata da verun altra in atti di riſpetto divoto e di oſſequio profondo verſo l' Auguſtiſſima della Maeſtà Voſtra. Mi trovo aver già fatti varii ricorſi alla ſua clemenza e con lettere mie umiliſſime, e con iſpedizioni di Gentiluomini, rappreſentandole, che io riconoſco lo Stato dalla Santa Sede, dalla quale la mia Caſa ne è Stata inveſtita, e a cui corriſponde ogni anno un groſſo canone, onde calcata ancora ogni legge umana, per diritto delle maſſime divine avrei creduto di non dover ſoggiacere a doppio carico, e a duplicata ſovranità. Non obſtante queſto principio, che ha ſempre fatta e farà finchè avrò ſpirito una forza infinita all' animo mio, ſtimolato dagl' impulſi della ſola divozione verſo la Maeſtà Voſtra, condeſceſi a promettere, che foſſe ſervita nel primo quartiere del 1691. e fù il mio Stato carico di tanto numero di porzioni, ſebbene la maggior parte di eſſe non fù qui nè men veduta, che queſto dominio, tanto riſtretto, reſtò ſmunto di danaro ed eſtremamente debilitato di forze.

Ma tuttavia ſi andò ſoffrendo l' aggravio colla ſperanza, che doveſſe eſſere per quell' anno ſolo, preſtandoſi fede al Conte Plenipotenziario Carafa, che l' atteſtò, e ſe ne dichiarò apertamente, come io giuro ſù la fede, dovuta a Voſtra Maeſtà, e propria della mia condizione. Succeſſe il ſecondo anno, e con mio eſtremo rammarico ſi volle di nuovo il quartiero. Ma pure umiliandomi alle benigne intenzioni, datemi da Voſtra Maeſtà per mezzo del mio miniſtro Marcheſe di Borgognono, e delle di lei benegniſſime lettere, che quando anche foſſe occorſo di continuare la guerra in Italia, ella avrebbe preſe altre diſpoſizioni, onde io non ſarei reſtato di vantaggio aggravato, preſi forza dalle debolezze proprie dello Stato, e de' ſudditi, ponendo a calcolo di ſicurezza infallibile le benigne ſperanze datemi da Voſtra Maeſtà, e levando per dir così il pane di bocca a' ſudditi, e ſmungendogli di quegli ſcarſi avanzi di danaro, che era reſtato loro, feci trattare le truppe nel modo, che ella avrà inteſo dagli Uficiali Imperiali, a ſegno, che con maraviglia anche de' medeſimi, la milizia ſi trovò sì bene trattata e contenta, che non deſertò nè meno un fantaccino in tutto il tempo del quartiero. E perchè non fù poſſibile colle proprie forze andare a capo del quartiero, convenne a me ſpogliare le mie tavole degli argenti, e levare quelli, che aveano, alle migliori Caſe dello Stato, e pregare il Signor Marcheſe di Leganes, Governatore di Milano, a far coniare, i miei in quelle regie zecche, e impegnare quei de' ſudditi nella ſteſſa Città di Milano, facendo paſſare a dirittura il danaro al Commiſſario Ceſareo, tutto queſto non baſtò a rendere contento il Commiſſariato. Non eſſendo pertanto poſſibile il fare allora di più, e conoſcendo il medeſimo Governatore di Milano tale impoſſibilità, moſſo non meno dal generoſo ſuo ſpirito, che da un umano compatimento, s' interpoſe per una dilazione fino al raccolto, e ottenne l' abilità di compire al reſiduo accordato in tanto frumento. Ma ſucceduta poi la careſtia di queſt' anno, il quale in molti luoghi non ha date le ſementi, o poco più, per tutto queſto Stato, non volendo io mai mancar di fede, nè ſapendoſi, come ſupplire altrimenti, è biſognato prendere un groſſo mutuo con rigoroſa obbligazione di reſtituirle.

Trà queſti graviſſimi debiti tanto recenti, e che vivono tuttavia, del quartiero paſſato, quando non ci è grano aſſolutamente per altri due meſi da mantenere i ſudditi, nè ſe ne trova in luogo alcuno da comprarne, ſebbene quando anche ſe ne trovaſſe, mancherebbe il danaro; e quando io non aveva altra quiete, che di vivere affidato nelle grazie intenzionatemi da Voſtra Maeſtà, ſtando anche aperte e freſche di ſangue le piaghe dell' animo per le morti del Primogenito e dell' unica mia ſorella, le quali ſono ſtate anche di molto incomodo e di diſpendii aſſai gravi alla Caſa, mi ſento intimare a' confini le truppe Ceſaree per un nuovo quartiero ſenza che abbia dovuto provederlo, e ſenza che ſiaſi potuto fare o procurato di fare il minimo de' pagamenti: e veggo comparire il Commiſſario Ceſareo di Guerra a intimarmi condizioni così rigidi e poco doveroſe, che rieſce impercettibile il capirle, e impoſſibile il ſoddisfarle, pretendendoſi in danaro effettivo il mantenimento de' due paſſati meſi, è anco in moneta contante

il prez-

il prezzo delle robe in natura, e di aggravare lo Stato al pagamento delle bocche, che non vi saranno effettive, ma solo intenzionalmente ideatevi. Sicchè nella somma ed estrema agitazione d'animo, in cui mi trovo, e in cui viene costituito un povero Prencipe, che ridotto al sessanta quattresimo anno della sua età, si vuol far perire tra l'estremità delle passioni, non ho altro rifugio, che di ricorrere alla somma pietà di Vostra Maestà, in cui sta riposta tutta la mia fiducia, giacchè veggo, che ella stessa non ha chiuso l'adito della sua clemenza ad altri suoi vassalli in questo stesso proposito; nè sapendo io già d'aver mai demeritata la sua buona grazia, onde abbia a vedermi ridotto in rovina lo Stato da' ministri Imperiali, costringendomi a quello, che in fatti e assolutamente non si può, Supplico però umilmente la sua somma clemenza delle sue grazie, e costantemente le spero, profondamente inchinato.

Parma 29. Dicembre, 1693.

XCI.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, ad Rainutium II. Parmæ atque Placentiæ Ducem, datæ, in quibus illum certiorem reddit, se Commissario suo bellico in Italia injunxisse, ut, quoad ejus fieri possit, ejus rationem habeat, omnique studio in hanc incumbat curam, quo ejusdem subditis parcatur, eisque levamen aliquod afferatur, d. d. 30. Maji, Anno 1694.

Serenissimo Raynutio Farnesio, Duci Parmæ & Placentiæ, Principi nostro carissimo.

Serenissime Princeps, carissime.

SI eo in statu res meæ essent, ut necessitatem vincere possem, Dilectioni vestræ non solum petita contributionum moderatione pronissime gratificarer, sed eandem omni plane onere lætanter eximerem: ita & ultro erga Dilectionem vestram animatus & literis ejusdem die undecima elabentis mensis ad me scriptis, nec non ferventissimis dilectissimæ Dominæ conjugis meæ, Romanorum Imperatricis, instantiis, commotus sum. Nihil certe est, quod adeo reluctante natura faciam, quam ut aliis, & innocentibus quidem, onus quoddam supra vires imponam: quo magis durum mihimetipsi & grave accidit, tantum molestiæ Dilectioni vestræ exhibendum esse, quam ob majorum merita, tum ob proprium erga me devotionis studium & arctum affinitatis nexum sincero animi affectu foveo & complector. Jussi proinde denuo exquiri & investigari summa diligentia, si qua forte adhuc superessent media ad sublevandam Dilectionem vestram, ejusdemque afflictos subditos. Sed offerunt se revera tam immensi omni ex parte sumptus, & insuperabiles difficultates, ut non videam, quo pacto me iis expedire possim. Jam decennium amplius est, quod bellum contra communem Christianitatis hostem sustineo ferme solus, grave & dispendiosum.

Exercitus præterea non tantum in Italia, sed & pro bono Italiæ in Imperio habendi & alendi sunt. Auctis ubique rerum pretiis crescunt ultra modum sumptus, & præter aliquot centena scutatorum millia, quæ jam hoc anno in Italiam transmisi, adhuc plura centena millia, etiamsi contributiones Italicæ absque ulla diminutione pendantur, illuc suppeditanda sunt; pro quibus fundus nondum repertus est, & quod pejus, exercitus neque sine solutione in campum prodire, neque sine magno publicæ rei detrimento præsenti anni tempore in stativis hybernis diutius commorari posset: inter quæ extrema injunxi quidem supremo meo ibidem Commissario bellico, Comiti à Breuner, ut omnem, quam possibile est, Dilectionis vestræ rationem habeat, & pro mea erga eandem benevolentia aliorumque vinculorum intuitu, omni industria & conatu id agat, quo ejusdem subditis parci & levamen aliquod ultra id, quod ab initio modernorum hybernorum concessi, afferri queat.

Sed Dilectionem vestram insimul enixe requirere cogor, ut si præstare ipse absolute non possit, quod Dilectionis vestræ causa illi præcipio, perpensis rerum, temporumque circumstantiis, nervos omnes intendere sedulo velit, quo laborantibus copiis succurratur, eædemque quantocius in castra educi queant. Dabit hoc illa pro æquanimitate sua, ut spero, invictæ necessitatis legibus, neque defectui voluntatis erga se meæ adscribet, quod iis morem gerere invitus debeam: certoque sibi persuadeat velim, me hoc qualecumque incommodum, brevi quidem transiturum, perpetuaque patriæ utilitate & libertate compensandum, aliis modis, & proficuis benevolentiæ meæ Cæsareæ, qua in Dilectionem vestram constanter feror, significationibus aliquatenus resarciendi, nullam occasionem prætermissurum esse.

Datum Laxemburgi, die 30. Maji, anno 1694.

Dilectionis Vestræ.

Benevolus consanguineus,

LEOPOLDUS.

XCII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Franciscum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, de Castro Rosennæ atque ejusdem pertinentiis investivit, d. d. 15. Martii, Anno 1695.

LEopoldus, divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ Wirtembergæ, & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superi-

perioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, expositum Nobis fuisse ex parte Serenissimi Nostri & Sacri Imperii Principis fidelis dilecti, Francisci Farnesii, Ducis Parmæ & Placentiæ, a Nobis Patrem quondam illius Serenissimum Principem Rainutium, Parmæ & Placentiæ Ducem, super Castro Rosennæ & illius pertinentiis, una cum singulis & universis suis juribus, Judiciis, hominibus, datiis, gabellis, honorantiis & præeminentiis pro se & hæredibus suis masculis legitimis & naturalibus, ex legitimo matrimonio descendentibus Investituram, atque ejusdem renovationem sub die 16. Septembris anni 1659. obtinuisse, prout subsequentis Diplomatis tenor latius demonstret:

Inserantur Investituræ priores d. d. 16. Septembr. 1659. cum antecedentibus.

Ac proinde eundem Serenissimum Franciscum Farnesium reverenter Nos rogasse, ut, cum post antedicti Rainutii, Patris, obitum ipse tanquam filius ejus legitimus & naturalis primogenitus Successor indubitatus sit, Nosque in supremum Dominum suum recognoscere velit, Nos ipsum de eodem Rosennæ Castro ejusque pertinentiis una cum singulis & universis suis juribus, judiciis, hominibus, datiis, gabellis, honorantiis & præeminentiis quocunque nomine censeantur, gratiose investire, nec non privilegia, literas & quascunque facultates, super eodem Castro & pertinentiis datas & concessas, autoritate nostra Cæsarea denuo approbare, ratificare & confirmare dignaremur. Nos sane, considerata eximia devotione, fide & integritate, quam olim Majores ipsius supradicti Ducis Francisci Farnesii, Parmæ ac Placentiæ Duces, Nobis nostrisque in Imperio antecessoribus, Romanorum Imperatoribus, & Augustæ nostræ Domui singulari promptitudine domi militiæque testatam reddiderunt, in qua modernum Serenissimum Ducem Franciscum Farnesium erga Nos quoque ac Successores nostros laudabiliter perseveraturum haud quaquam ambigimus, precibus istiusmodi benigne clementerque annuisse, quemadmodum vigore præsentium annuimus, & supradicto Serenissimo Francisco Farnesio Parmæ ac Placentiæ Duci, non per errorem, hec improvide, sed animo bene deliberato maturoque consilio, ex certa scientia ac de potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine (recepto tamen prius a fideli Nobis dilecto Petro Aloysio a Rosa, tanquam legitimô ad hoc constituto procuratore, vigore Instrumenti authentici desuper Nobis exhibiti, debito & consueto subjectionis & fidelitatis juramento) feudum & Castrum Rosennæ cum ejus Villis, territoriis, ac universis & singulis pertinentiis, meroque & mixto imperio, ac exercitio Jurisdictionis temporalis & gladii potestate, nec non cum omnibus suis juribus, facultatibus, consuetudinibus, observantiis, utilitatibus, honorantiis & proventibus, jurisdictionibus, præeminentiis, dignitatibus & immunitatibus, nec non dictorum locorum datiis, pedagiis, gabellis, regalibus & piscationibus, sicut ad Illustrissimum quondam Ducem Odoardum, Avum ipsius, pervenerunt, & ad Patrem illius, Raynutium pertinuerunt, clementer contulimus, ipsumque nunc Ducem Franciscum Farnesium pro se & hæredibus suis legitimis & naturalibus e legitimo matrimonio descensuris, de prædictis investivimus, prout tenore præsentium conferimus, & in feudum nobile investimus, eaque illis a Nobis Sacroque Romano Imperio habenda, tenenda & recognoscenda concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus individua hic & expressa mentio fieri deberet. Supplentes omnes & singulos defectus tam juris, quam facti, si qui fortasse in præmissis reperientur. Præterea privilegia ac literas super hujusmodi castro & pertinentiis datas & concessas in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis & expressionibus, prout rite ac rationabiliter processerunt, & sicut de verbo ad verbum scripta sunt, approbemus & innovamus, auctoritateque nostra Cæsarea confirmamus ad favorem prædicti Ducis & suorum, ut supra, in infinitum, ad quos ea omnia extendimus, nostris tamen & Sacri Imperii in cæteris feudis Nobis & eidem Imperio competentibus juribus semper salvis & illæsis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ infeudationis, investituræ, concessionis, approbationis, innovationis, confirmationis, suppletionis, voluntatis & gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire, sub pœna indignationis nostræ gravissimæ, & centum marcarum auri puri pro una Fisco nostro Cæsareo, pro alia vero parte injuriam passi usibus applicandarum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die 15. Martii, 1695.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo. Viennæ, 10. Aprilis, 1706.

Rab. Hermannus de Bertram, Secretarius & Archivarius.

(L.S.)

XCIII.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus non solùm Rosanelli & Ciani loca sub Rosennæ pertinentiis comprehendi declaravit; verum etiam Franciscum Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, de Castro Gombii, ejusque juribus atque annexis, investivit, d. d. 15. Martii, Anno 1695.

LEOPOLDUS &c.

AGnoscimus & notum facimus vigore præsentium universis, expositum fuisse Nobis ex parte Serenissimi nostri & Sacri Imperii Principis fidelis dilecti, Francisci Farnesii, Ducis Parmæ & Placentiæ, qualiter a Nobis pater quondam illius Serenissimus, Rainutius Farnesius, Parmæ & Placentiæ Dux, super locis & feudis Rosanellæ & Ciani tanquam

tanquam Castri Rosennæ pertinentiis, & quæ pro talibus per declarationem Cæsaream pronunciata fuerint; de Castro Gombii vero cum omnibus & singulis illhuc spectantibus, uti peculiari feudo, renovatio Investituræ eidem Serenissimo Duci Rainutio Farnesio illiusque hæredibus masculis legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio descendentibus in infinitum sub dato 16. Septembris anni 1659. clementer concessa fuerit, prout sequentis Diplomatis tenor latius demonstret.

Inserantur Investituræ priores de 16. Septembr. 1659. cum præcedentibus.

Ac proinde eundem Serenissimum Franciscum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, reverenter Nos rogasse, ut, cum post antedicti patris sui obitum ipse, tanquam filius ejus legitimus & naturalis ac primogenitus, Successor indubitatus sit, Nosque in supremum suum Dominum agnoscere velit: Nos sibi dictam declarationem & renovationem autoritate nostra Cæsarea denuo approbare, ratificare & confirmare dignaremur. Itaque Nos, considerata eximia devotione, fide & integritate, quam olim pater ac Majores ipsius Nobis nostrisque in Imperio Antecessoribus Romanorum Imperatoribus & Augustæ Domui nostræ singulari promptitudine domi militiæque testatam reddiderunt, & in qua modernum Serenissimum Ducem Franciscum Farnesium erga Nos quoque & Successores nostros laudabiliter perseveraturum, haud quaquam ambigimus, precibus istiusmodi benigne clementerque annuisse quemadmodum vigore præsentium annuimus. Ac proinde ex certa scientia, animo bene deliberato, sano & maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine dicta Rosanellæ & Cani loca sub Rosennæ pertinentiis comprehendi tenore præsentium declaramus cum cessione & renunciatione omnium & singulorum jurium, Nobis & S. Rom. Imp. in iisdem competentium; Gombii vero feudum antedicto Duci Francisco Farnesio (recepto tamen prius a fideli Nobis dilecto Petro Aloysio a Rosa, tanquam legitimo ad hoc constituto Procuratore, vigore Instrumenti authentici, desuper Nobis exhibiti, debito & consueto subjectionis & fidelitatis juramento) cum ejus territorio ac universis & singulis pertinentiis, meroque & mixto imperio, ac exercitio jurisdictionis temporalis & gladii potestate, nec non cum omnibus suis juribus, facultatibus, consuetudinibus, usibus, hominibus, vasallis, vasallagiis, vallibus, montibus, sylvis, nemoribus, pascuis, aquis, fluminibus, aquæ ductibus, honoribus, immunitatibus, consuetudinibus, observantiis, utilitatibus, honorantiis & proventibus, jurisdictionibus, præeminentiis, dignitatibus & immunitatibus: nec non dicti loci Gombii datiis, pedagiis, gabellis, regalibus & piscationibus, sicuti illud ad quondam Ducem Odoardum, Avum ejus, pervenit, & ad patrem illius Rainutium pertinuit, clementer contulimus, ipsumque nunc Ducem Franciscum Farnesium pro se & hæredibus suis legitimis & naturalibus, e legitimo matrimonio descensuris, de prædicto feudo Gombii investivimus, prout vigore præsentium conferimus & investimus, idque a Nobis & Sacro Romano Imperio habendum, tenendum & recognoscendum concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia forent, de quibus hic individua & expressa mentio fieri deberet, supplentes omnes & singulos defectus tam juris, quam facti, si qui fortasse in præmissis reperirentur. Præterea privilegia ac literas super hujusmodi castro & pertinentiis datas & concessas in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis & expressionibus, prout rite & rationabiliter processerunt, & sicut de verbo ad verbum scripta sunt, approbamus & innovamus, autoritateque nostra Cæsarea confirmamus ad favorem prædicti Ducis & suorum, ut supra in infinitum, ad quod ea omnia extendimus, nostris tamen & Sacri Imperii in cæteris feudis Nobis & eidem Imperio competentibus juribus semper salvis & illæsis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ infeudationis, investituræ, concessionis, approbationis, innovationis, confirmationis, suppletionis, voluntatis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, sub pœna indignationis nostræ gravissimæ & centum marcarum auri puri, pro una Fisco nostro Cæsareo, pro alia vero parte injuriam passi usibus applicandarum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennæ, die 15. Martii, 1695.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce testatum volo. Viennæ, 10. Aprilis, 1706.

Rab. Hermannus de Bertram, Secretarius & Archivarius.

(L.S.)

XCIV.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Franciscum Farnesium, Parmæ atque Placentiæ Ducem, de Marchionatu Bardi, & Comitatu ac Baronia Complani, eorumque annexis atque juribus investivit, d. d. 15. Martii, Anno 1695.

LEOPOLDUS &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis humillime exponi curarit Serenissimus Franciscus Farnesius, Dux Parmæ & Placentiæ, Princeps noster charissimus, Patrem quondam suum Rainutium Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, de feudis nostris Imperialibus Marchionatu Bardi & Comitatu ac Baronia Complani eorumque pertinentiis, postquam, vigore obtenti a Nobis assensus, cum Illustri nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Joanne Andrea ab Auria Landi, Principe Melphi, Marchione Turriliæ & Sancti Stephani, Vallis Avanti desuper transegisset, die 17. Septembris, 1681. legitime fuisse investitum juxta tenorem sequentem:

Inse-

Inferatur dicta Investitura cum transactione.

Porro autem 11. die mensis Decembris, 1694. dictum Patrem suum e vivis decessisse, humillime supplicando, ut se, velut filium legitimum & naturalem primogenitum, adeoque hæredem & Successorem super dictis feudis, Marchionatu Bardi & Comitatu ac Baronia Complani, nec non Plebis Bedoni & villis omnibus & universis dictorum feudorum, eorumque omnibus & singulis & cujuscunque generis & speciei pertinentiis, una cum Castris, fortalitiis, arcibus, territoriis, jurisdictionibus, regalibus, privilegiis, immunitatibus, homagiis, mero & mixto imperio, gladiique potestate, datiis, gabellis, pedagiis, aquis, nemoribus, pascuis, terris & juribus quibuscunque in dictis locis, Castris, territoriis, jurisdictionibus, villis, & ad ipsas & ipsa quomodolibet & qualitercunque spectantibus & pertinentibus, ac omnibus & singulis juribus, rationibus & actionibus, quæ dicto Joanni Andreæ, Principi ab Auria, competierunt, aut imposterum in & super dictis bonis & feudis competere poterunt, clementer investire dignaremur.

Nos æquis supplicantis precibus benigne tantoque libentius annuerimus, quanto Nobis notiora sunt cum præclara universi Farnesii nominis erga Nos, Sacrum Romanum Imperium, Augustamque Domum nostram Austriacam continuata merita, tum ipsiusmet quoque Ducis Parmensis Francisci constans addictæ Nobis & Sacro Imperio, Domuique nostræ Austriacæ fidei, devotionis, & obsequii studium. Ideoque ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, deque Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, atque omni alias meliore modo & forma, quibus validius & efficacius fieri potest, eundem Franciscum Farnesium, Ducem Parmæ & Placentiæ, utpote qui Nos in supremum & directum Dominum suum, uti fidelem nostrum & Sacri Imperii subditum & Vasallum decet, recognoscere desiderat, de sæpe memoratis a dicto Joanne Andrea Principe ab Auria, ejusdem Francisci Patri defuncto, Rainutio Farnesio, cessis, & jam per hujus obitum in memoratum Franciscum devolutis feudis Bardi & Complani, nec non Plebis Bedoni, una cum omnibus ac universis dictorum feudorum villis, eorumque & earum omnibus & singulis, & cujuscumque generis ac speciei pertinentiis, ut & Castris fortalitiis, arcibus, territoriis, Jurisdictionibus, regalibus, privilegiis, immunitatibus, homagiis, mero & mixto imperio, gladiique potestate, datiis, gabellis, pedagiis, aquis, nemoribus, pascuis, terris, bonis & juribus quibuscumque in dictis locis, castris, territoriis, jurisdictionibus, villis, & ad ipsas & ipsa quomodolibet & qualitercunque spectantibus & pertinentibus, ac omnibus & singulis juribus, rationibus, & actionibus, quæ sæpe fato Joanni Andreæ Principi ab Auria antehac competierunt, aut imposterum in & super dictis bonis & feudis competere poterunt, prout & ipse defunctus Dux Rainutius de illis omnibus a Nobis investitus fuit (recepto tamen prius ab ejusdem sæpedicti Francisci Farnesii Ducis Ablegato, Petro Aloysio a Rosa, sufficienti ad id mandato instructo, subjectionis ac fidelitatis juramento) eundem Franciscum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, descendentesque illius Masculos primogenitos, ex legitimo matrimonio natos & nascituros, eorumque descendentes per lineam masculinam in infinitum (salvo jure cujuscumque) clementer investiverimus atque infeudaverimus, prout eundem, descendentesque illius masculos primogenitos, ex legitimo thoro natos & nascituros, eorumque descendentes, per lineam masculinam in infinitum, salvo jure cujuscunque, tenore præsentium investimus atque infeudamus, volentes, expresseque decernentes, quod ipse descendentesque ipsius masculi primogeniti legitime nati & nascituri, eorumque descendentes per lineam masculinam in infinitum, sæpedicta feuda una cum prærecensitis juribus appertinentiis & dependentiis, omnibusque Patri illius, Duci Parmensi, Rainutio, a sæpenominato Principe ab Auria vigore supra allegatæ transactionis cessis ac translatis, jamque in ipsummet Franciscum tanquam filium primogenitum devolutis, a Nobis Sacroque Romano Imperio in feudum habere, tenere ac possidere valeant ac debeant, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, nostris tamen & Sacri Imperii, aliorumque juribus semper salvis & illæsis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in civitate nostra Viennæ 15. Martii, 1695.

Concordat cum Archivo Imperiali Aulico, id quod hisce attestor. Viennæ, 10. April. Anno 1706.

Rab. Hermannus de Bertram, Secretarius & Archivarius.

(L.S.)

XCV.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Declaratio, qua diversa sua Decreta, in Ducis Parmensis favorem promulgata, denuo corroboravit, d. d. 27. Julii, Anno 1697.

SAcra Cæsarea Majestas, Dominus noster clementissimus, benigne intellexit, quid Serenissimi Parmæ & Placentiæ Ducis Ablegatus, Dominus Philippus Maria Scotti de Vigoleno, de compensandis contributionibus, a dicto Serenissimo Duce copiis Cæsareis in Italia subministratis, cum in diversis scripturis, tum vivo etiam sermone proposuit, eidemque responderi jussit, non latere Serenissimum Ducem, qualiter Sacra Cæsarea Majestas, postquam Galliæ Rex Italiæ fines hostiliter invasit, armaque sua in eandem ulterius proferre conatus fuit, nullius lucri spe, sed solo Italiæ libertatem vindicandi, imminentemque tunc temporis servitutem ab ea avertendi studio, copias suas Cæsareas illuc miserit. Et cum Sacra Cæsarea Majestas ea in re præstiterit, quod non solum Imperiale munus suum, sed etiam totius Italiæ & cujuscumque in ea existentis Status, aut Principis se-

curitas

curitas & defensio exigebat; neque tamen ob ea, quæ alibi locorum sibi pro salute Christianitatis gerenda sunt bella, id sola efficere, suisque sumptibus integram belli molem sustinere posset, aut deberet, Serenissimum Parmæ Ducem pro sua prudentia haud ægre judicaturum censet, repetenda, aut compensanda non esse, quæ Sacra Cæsarea Majestas tam ex belli & publicæ necessitatis, quam defensionis naturalis ratione, & ex clientelæ vinculo, ab Italiæ Statibus poscere coacta fuit. Interea tamen Serenissimus Dux pro certo tenere poterit, quod Sacra Cæsarea Majestas, sicuti ejusdem promptitudinem, occasione dicti belli, repetitis vicibus magna sua laude exhibitam, liberaleque subsidium non ex mero vasallagii debito (nam pauca tantum Serenissimus Dux a Sacra Cæsarea Majestate & Sacro Romano Imperio feuda recognoscit) sed pro spectato suo erga Sacram Cæsaream Majestatem observantiæ studio collatum, perpetua conservabit memoria; ita nullam occasionem prætermittet, qua sincerum suum erga Serenissimum Ducem affectum & propensam voluntatem, juxta diversa sua decreta Cæsarea, & quidem diei XI. Novembris anni 1691. V. Februarii anni 1692. & XXX. Maji anni 1694. quæ hic loci in omnibus & per omnia repetantur, & denuo pro insertis habeantur, re ipsa porro testari queat, omnino confisa, eundem nunc quoque in pendendis iis, quæ copiis Cæsareis ob discessum ex Italia, hybernorum loco assignata sunt, haud difficilem porro futurum; quin potius residuam portionem suam brevi numeraturum esse. Nihil enim gravius aut ingratius esset Sacræ Cæsareæ Majestati, quam si ob tarditatem solutionis eorum interventionem adhibere necesse foret, qui dicti armistitii executionem in se susceperunt. De quo ut dictus Dominus Ablegatus ad Serenissimum Ducem decenter referat, idque negotii sua etiam ex parte promoveat, Sacra Cæsarea Majestas benigne cupit, eundemque de gratia sua Cæsarea securum reddit.

Viennæ sub sigillo Sacræ Cæsareæ Majestatis secreto die XXVII. Julii, anno MDCXCVII.

Sigillum in cera rubra impressum.

Sebastianus Winibaldus, Comes a Zeyler.

Lutzo Dolberg, manu propria.

Foris:

Sacræ Cæsareæ Majestatis, Domini nostri clementissimi nomine, Serenissimi Parmæ & Placentiæ Ducis Ablegato, D. Philippo Mariæ de Vigoleno, intimandum.

Originale est in Capsula 815. num. 13. Archivii secreti Serenissimi Ducis Parmæ &c.

XCVI.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Ablegato Parmesano, satisfactionem propter damna Principi suo improbis belli casibus illata, urgenti, exhibita Resolutio, d. d. 16. Junii, Anno 1703.

SAcræ Cæsareæ Majestatis, Domini nostri clementissimi, nomine Serenissimi Parmæ & Placentiæ Ducis, Ablegato extraordinario, Domino Comiti Ferranti Anquissolai hisce gratiose significandum. Congeriem damnorum, a subditis mox fati Serenissimi Domini Ducis hucusque exantlatorum, precibus ab eodem Domino Ablegato porrectis fusius expositam, Sacræ Cæsareæ Majestatis piissimam mentem eo altius quidem penetrasse, quo magis ea semper non aliena fuit, jura in Hispaniæ Coronam sibi debita, Statusque Romano Imperio immediate subjectos contra injustos ejusdem Coronæ invasores vi armorum vindicare; at ubi iniquo Gallicæ ambitionis stimulo excitatum belli incendium voto, vel otio, haud etiam apertis quorundam Italiæ statuum studiis quoque promotum eam, modo Italiæ partem, in qua Suæ Serenitatis Dominia sita sunt, suo etiam comprehendit, ac involvit furore, ingemiscere sane Sacræ Cæsareæ Majestatis benignitatem, qua eadem Serenissimam Farnesiorum prosapiam semper amplexata fuit, sinistræ suæ Serenitatis, ejusdemque subditorum sorti, variis, ac improbis belli casibus, qui nocentes juxta, ac innocentes affligunt, imputandæ. Verum enim vero haud suæ defuturam Clementiæ, si hostilis vis, qua Parmensis jam totus inundatus tenetur Ager, cessaverit, aut pacatiora etiam inter arma redierint tempora, vel eorum intervalla, aut quemadmodum jam demandatum extitit, omnium damnorum authentice demonstrandorum rite ineatur ratio, nec non æquitati consona tribuatur satisfactio.

Quod eidem Domino Ablegato hisce pro sua ulteriori directione intimandum fuit, dum alte memorata Majestas eidem quoque gratia sua Cæsarea propensa manet.

Subscribitur in originali

H. F. C. a Mansfeld, mppr.

Item cum Sigillo Impetiali, in cera rubra impresso.

Item per Imperatorem ex Consilio Bellico, Viennæ 16. Junii, 1703.

Item subscribitur *Carolus Locher de Lindenheim*, S. mppr.

XCVII.

Breve Pontificium, in puncto Investituræ eventualis Ducatus Parmensis atque Placentini, in Conventu Cameracensi stabiliendæ, ad Archiepiscopum Salisburgensem exaratum, d. d. 17. Februar. Anno 1723.

Innocentius P. P. XIII.

VEnerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Publica tranquillitate & stabili Christianorum concordia nihil fuit unquam paternis studiis nostris optatius. Sed quæ stabiliendæ tranquillitatis nomine contra hujus Sanctæ Sedis jura hactenus tam in Conventu Cameracensi, quam in Comitiis Ratisbonensibus acta sunt, alia omnia Nobis denunciant, ac non modo nullam pacem nullumque pacis fructum pollicentur, sed eam potius

tius calamitatem Apoſtolicis rationibus intendunt, qua nulla bellorum injuria objiceret graviorem, ſi quidem Clariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi, Catholici Regis Legati in eo conventu, hanc prævian ineundæ concordiæ conditionem poſtulaverunt, ut inveſtitura, quam vocant eventualem, Ducatus Parmenſis & Placentini, ad directum ac ſupremum hujus Sanctæ Sedis Dominium pertinentis, Carolo, ejusdem Catholici Regis filio, ab Aula Imperiali concederetur; Ratisbonenſium præterea Comitiorum ſuffragia infirmo prorſus, injuſto, irritoque capitulo acceſſerunt ad eandem Hiſpanorum conditionem, quæ Apoſtolicam Sedem antiquis, certis & exploratiſſimis juribus ſpoliaret, atque e pacifica diuturnaque concedendæ renovandæque inveſtituræ poſſeſſione dejiceret.

Nam quis ignorat, a proximo jam & altero ſuperiori ſeculo, ut antiquorum temporum memoriam repetere ſuperſedeamus, inveſtituras illius Ducatus continenti ſerie ab hac Sancta Sede fuiſſe conceſſas, eique annuum cenſum fuiſſe, nemine reclamante, perſolutum.

Nos igitur in amaritudine animæ noſtræ præpoſteram ejusmodi ineundæ concordiæ rationem averſantes, & tractatum, quem diximus Cameracenſem, ac ſimul etiam Ratisbonenſe capitulum improbantes, fraternitati tuæ ab his alienum prorſus animum noſtrum duximus eſſe teſtandum per haſce literas, quas publicum ac perenne diſſenſus & improbationis noſtræ monumentum eſſe volumus, ne quid detrimenti juribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ illatum eſſe per tractatum & capitulum ejusmodi cenſeatur. Te præterea, venerabilis frater, vehementer hortamur, ut in ſanctuarii juribus obſervandis, ac tuendis, tuo ordini, dignitati & virtuti reſpondere ſtudeas, atque ut improvidum conſilium Miniſtrorum Ratisbonenſium, quos inter tui etiam eſſe ſolent, idonea opportunaque emendatione corrigatur & reſcindatur, pro viribus adnitaris.

Hanc enim operam, tua integritate ac religione dignam, juſtitia requirit, firmandæque pacis ratio poſtulat, ac debita Beato Petro, Apoſtolorum principi, reverentia omnino depoſcit, ac DEus pacis, qui juſtus eſt in omnibus viis ſuis, te ducat ſuper ſemitas juſtitiæ & ſcuto bonæ voluntatis ſuæ, ac protegat fraternitatem tuam, cui Apoſtolicam benedictionem peramenter impertimur. Datum Romæ, apud ſanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Februar. 1723. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Mathæus Scaglionus.

SECTIO V.

De militari S. Joannis Hieroſolymitani, vulgo Melitenſi, Ordine.

I.

Rogerii, Siciliæ Regis, Diploma, in quo totum locum ac tenimentum, in campo Meſſanæ extra muros civitatis ſitum, cum omnibus ejusdem pertinentiis, Magno militaris S. Johannis Hieroſolymitani Ordinis in Sicilia Priori dono dedit, de Anno 1136.

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpectaturis. Jacobus, miſeratione Divina Sacroſanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis, quod pro parte religioſi viri, Magiſtri ſacræ domus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, Nobis extitit præſentatum quoddam privilegium ſanum & integrum, in nulla ſui parte vitiatum beatæ memoriæ D. Rogerii, Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ quondam Regis, bullatum ejus Regis bulla plumbea, cum filo ſerico violaceo pendente, & humiliter ſupplicatum, ut illud manu propria transcribi, & authenticari, noſtraque bulla plumbea roborari de gratia dignaremur, cujus privilegii tenor talis eſt:

In nomine Domini, anno incarnationis ejusdem MCXXXVI. Indict. XI. Rogerius, Divina favente Clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Si pietatis opera inſpicimus, quæ Regiam Majeſtatem amplificant, illa erga DEum, & homines clariora noſcuntur, quæ religioſis locis, & in eis Domino quotidie ſervientibus ſunt benigne conceſſa, Regiæ protectionis & confirmationis munimine roborantur. Hinc eſt, quod Nos, quos DEus in Regno Siciliæ primo ſolio præſidere voluit, attendentes fervorem devotionis, & religionis obſervantiam, ac eleemoſynarum largitionem pio nomine approbatam, quæ domus hoſpitalis ſacra Beati Joannis Baptiſtæ Hieroſolymitani Chriſti pauperibus & infirmis continuum præſtat hoſpitium, & levamen, ad juſtas & humiles preces fratris Gubaldi, Vener. Magni Prioris, ejusdem Sacræ domus Hoſpitalis, & Conventus ipſius totum locum & tenimentum, ſitum in Campo Meſſanæ extra muros civitatis, ubi eſt Eccleſia, quæ in honorem S. Johannis Baptiſtæ, ſub beatæ recordationis glorioſo Comite Rogerio, Patre noſtro, conſtituta pie noſcitur, cum omnibus ſuis ædificiis, cœmiterio, diviſis & pertinentiis, ſubnotatis, de munificentia noſtræ gratiæ, & favore, pro remedio animæ ejusdem patris noſtri fel. mem. Comitis Rogerii, matrisque noſtræ Adelaſiæ Reginæ, nec non & noſtra, noſtrorumque parentum ſalute perpetua, dicto venerando Priori, & ejus Sacro Conventui, ac eorum Succeſſoribus concedendum duximus, & perpetuo confirmamus, firmiter inhibentes, ut prædictum locum, & recreationem infirmorum illuc confluentium miſericorditer deputari ob reverentiam JEſu Chriſti, qui ſe in pauperibus recipi profitetur, nulla perſona ſublimis, vel humilis, prælata, vel ſubdita, perturbare aliquo modo audeat, vel offendere, ſeu aliquam violentiam eis inferre, vel inju-

injuriam, aut jacturam, cum omnino præcipue manutenere, & observare DEI cultores, & hospites, ac bona eis collata protegere, qui se ad confirmationem langventium, & sustentationem pauperum, quotidie indefessos exhibent, & paratos, & ne dicta stantia, cupiditas hominum locum ipsum, in quo sita est Ecclesia & domus Hospitalis, in futurum audeat ausu aliquo interrumpere, vel violare, seu diminuere, contra indignationem Omnipotentis DEI, & nostri culminis, eumque sub designatis finibus jussimus distingvendum. Ab Oriente siquidem littus maris incipiens a pede flumariæ Logothetæ, & extenditur in directum maris usque ad flumariam S. Leonis, descendentem ad mare a parte Septentrionis, exinde per viam publicam ex parte Occidentis, & finit terminus indirectus usque ad macellum, & descenditur ex parte meridei secundum rectum cursumque flumariæ Logothetæ, descendentis ad mare, vel ad priorem pedem littoris supradicti, unde incepit divisio & concluditur. Ad hujus autem nostræ concessionis & confirmationis memoriam, & inviolabilem firmitatem, præsentem paginam per manus dicti Notarii fidelis nostri scribi, nostraque pari bulla plumbea insigniri præcepimus. Datum Panormi, per manus Guarini, Can. 6. Idus Octobr. anno quinto Regni Rogerii, gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ decimo, feliciter Amen.

II.

Rogerii, Siciliæ Regis, Diploma, in quo Magnum militaris S. Johannis Hierosolymitani Ordinis in Sicilia Priorem ejusque fratres, in tutelam atque protectionem suam recepit, eorumque Privilegia denuo confirmavit, d. d. 6. Id. Octobr. Anno 1137.

IN nomine Domini æterni & Salvatoris nostri JEsu Christi. Anno Incarnationis ejusdem MCXXXVII. Indict. XII Rogerius, divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Quando in multis offendimus omnes, non tamen in nostris meritis, quam supra scriptorum religiosorum virorum precibus, Christi misericordiam assequi confidenter constrictam, nam quæ est, & multum valet deprecatio justi assidua, ideoque & rationabili omni oratori, quatenus de bonis, quæ vobis Omnipotentis DEI misericordia habere concessimus pauperum Christi, & servientium DEO usui, quæ pro Nobis orationibus assiduis, dum in præsenti naufragio, propria manu subvenimus, qui pro Nobis orationibus assiduis interpellant Regem Cœlorum, & ut Nobis janua paradisi aperiatur, pulsare assidue non desistant, ac contra dictam compunctionem, laudabilis considerantur Magistri Raymundi de Podio, & Sanctam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani honestamque vitam, & eleemosynarum largitionem, pio nomine approbatam, quam facit Xenodochium Hierosolymitanum, in reparationem & recreationem pauperum, & infirmorum undique influentium, pro honore & reverentia JEsu Christi, quem in paupere recipi confitentur. Nos igitur, cui DEus in Regno Siciliæ primo solio voluit elevare, in salutem animæ patris gloriosæ memoriæ, Rogerii, Comitis, matrisque nostræ Adeletiæ, Reginæ, & nostræ, nostrorumque denique parentum, fratres Hierosolymitanos omnesque domos Hospitalis, quæ in Regno nostro sunt, cum confratribus, hominibus, possessionibus & omnibus justitiis, & rationibus suis simili protectione, & defensione nostra, nostrorumque hæredum recepimus, & habemus, & quicquid per totum Regnum ubique, aut intra civitates, sive extra a dicto Hospitali præsenti nostro tempore est obtentum, & in futuro concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium prædicto Hospitali fuerit attributum, concedimus, & robore perpetuo confirmamus. Volumus insuper, ut Hospitale prædictum habeat libertatem herbarum, aquarum, pro animalibus suis, & usum lignorum siccorum, & viridium pro suis domibus reparandis, & aliis necessitatibus suis, plateatica, quæ omnibus domibus Hospitalis prædicti, & hominibus suis per Regnum nostrum tam in terra, quam in mari penitus indulgemus, ut libere vendere & emere possint, tam civibus, quam alienigenis de proventibus, & eleemosynis Hospitalis ubicunque, sive extrahere undecunque aliis civitatibus, sive castris, & villis pro utilitate Hospitalis ejusdem. Concedimus etiam quandiu DEus Nos, & nostros hæredes manuteneat, & conservet ut Rectores, & fratres ipsius Hospitalis, ubicumque facere voluerint Hospitale, vel receptaculum infirmorum, liberam inde habeant potestatem, & quod quidem ipse Hospitali in eleemosynam a Christi fidelibus, sive indigenis, aut alienigenis de universis Provinciis fuerit elargitum sine condictione nostra, nostrorumque fidelium pro infirmis confortandis, & pauperibus sustinendis recipiat absolute, sicut fuerit sibi elargitum; ut autem ad plenitudinem salutis - - - animarum nostrarum nihil desit, atque ecclesiastica Sacramenta, & divina officia Nobis in Christi pauperibus commode efficiantur; sancimus, ut liceat vobis clericos, & sacerdotes, habita prius de ipsorum honestate, & ordinatione, quantum ad vestram scientiam per literas, sive per testes convenienter testaretur, undecunque ad vos suscipere, & tam in principali domo nostra, quam in pertinentiis, & locis sibi subjectis vobis habere, iidemque nulli alii professioni & ordini teneantur obnoxii. Et si Episcopi eosdem clericos forte noluerint, nihilominus tam auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipientes, & recipientes habeatis licentiam, eisdem vero clericis nulli personæ extra capitulum, nisi Romano Pontifici subjecti sint, nec aliquis magnus, vel minor, nobilis, vel ignobilis fidelium, aut Bajulorum vestrorum, fratribus, vel hominibus Hospitalis prædicti aliquam violentiam inferant, nec jacturam, nec de aliquibus rebus, vel possessionibus, quas dictum Hierosolymitanum Hospitale nostro regio dono habet, aliqua jurisdictione dissipare præsumat. Volumus etiam prædictum Hospitale uberiori & speciali gratia pergaudere, ut Rectores & fratres ipsius Hospitalis cum familia sua ad defensionem rerum & personarum suarum ubilibet per Regnum nostrum Siciliæ deferant

ſtituimus, ut de laboribus, quos veſtris ſumptibus colitis, nullus omnino clericus, vel laicus, decimas a vobis exigere præſumat. Statuimus, ut nulli Epiſcopo in Eccleſiis vobis ſubditis, interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam liceat promulgare. Verum tamen ſi generale interdictum fuerit in locis illis prolatum, excluſis excommunicatis & nominatim interdictis, clauſis januis, absque campanarum pulſatione, plane divina officia celebrentur.

Ut autem ad plenitudinem ſalutis, & curam animarum veſtrarum nihil vobis deſit, atque Eccleſiaſtica Sacramenta & Divina officia vobis & Chriſti pauperibus commodius exhibeantur: ſancimus, ut liceat vobis Clericos & Sacerdotes, habito prius tamen de eorum honeſtate & ordinatione, quantum ad veſtram ſcientiam pertinet, per literas ſive teſtes convenientes, teſtimonio, undecunque ad vos venientes ſuſcipere, & tam in principali domo veſtra, quam etiam in obedientiis ſibi ſubditis, vobiſcum habere, dummodo, ſi e vicino ſunt, eos a propriis Epiſcopis - - - iidemque nulli alii profeſſioni vel ordini teneantur obnoxii. Quod ſi Epiſcopi eosdem vobis concedere forte noluerint, nihilominus tamen, autoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, eos ſuſcipiendi & retinendi licentiam habeatis. Iidem vero Clerici nulli perſonæ, extra veſtrum Capitulum, niſi Romano Pontifici, ſint ſubjecti. Laicos vero liberos ad converſationem & pauperum Chriſti ſervitium absque alicujus contradictione ſuſcipiendi, nihilominus vobis concedimus facultatem. Fratribus vero veſtris ſemel in - - - atque in ſacro veſtro Collegio receptis, poſt factam profeſſionem, & habitum religionis aſſumptum, revertendi ad ſeculum interdicimus facultatem. Nec alicui eorum fas ſit, poſt factam profeſſionem, ſemel aſſumptam crucem Dominicam, & habitum veſtræ profeſſionis abjicere, vel ad alium locum, ſeu etiam monaſterium, majoris ſeu minoris religionis obtentu, invitis, ſive inconſultis fratribus, aut ejus, qui Magiſter extiterit, licentia, transmigrare. Nullique Eccleſiaſticæ ſecularique perſonæ ipſos ſuſcipiendi aut retinendi licentia pateat. Conſecrationes vero altarium, ſeu baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, & cætera Eccleſiaſtica Sacramenta, a diœceſano ſuſcipiantur Epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam ſive communionem Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea gratis absque aliquâ pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis Catholicum, quemcunque malueritis, adire antiſtitem, qui nimirum noſtra ſuffultus autoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci proviſore, atque præpoſito, nullus ibi qualibet ſubreptione, aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres ibidem ſecundum DEum elegerint.

Præterea honores omnes, ſive poſſeſſiones, quas idem xenodochium ultra ſeu citra mare, in Aſia, vel in Europa, aut in præſenti juſte habet, vel in futurum rationabilibus modis DEO propitio poterit adipiſci, vobis pro hoſpitalitatis ſtudio enitentibus, & per vos jam dicto xenodochio confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Lateran. per manum Rolandi, S. R. E. presbyteri Cardinalis & Cancellarii, XII. Kalendas Novembr. Indict. IV. Incarn. Dominicæ MCLIV. Pontificatus Domini Anaſtaſii IV. Anno II.

VII.

Diploma, de Donatione, quam Odo Scarpo, S. Johannis Hieroſolymitani in Sicilia Hoſpitali fecit, agens, de Anno 1174.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Anno ab Incarnatione Domini 1174. Indict. 8. regnante glorioſiſſ. Rege Willemo, Illuſtris Regis Willemi filio, venerabili Nicolao primo Meſſan. Archiepiſcopo præſidente, ego Odo Scarpo Domui Hoſpitalis Meſſanenſis ſub cuſtodia venerabilis Gaufridi de Andevilla - - pro redemptione animæ meæ & omnium dedi vineam, quam emeram a Giraldo de Mabilia, cum omnibus pertinentiis ſuis, in iſta terra ego Odo cum licentia venerabilis Nicolai primi Meſſan. Archiepiſcopi Eccleſiam in honorem B. Michaëlis ædificavi, quam dictæ Domui Hoſpitali ſimul cum prædicta vinea dedi, & ædificiis, pro iſta Eccleſia B. Michaëlis annuatim Eccleſiæ Archiepiſcopatus B. Nicolai reddebam libram unam incenſi, & unam de cera, & duo rotula olei, iſta omnia debent fratres in feſtivitate S. Mariæ, ſeu B. Nicolai, ut Dominus Archiepiſcopus indulſerit, perſolvere; debent etiam ſemper in Eccleſia B. Michaëlis ſacerdotem cum uno clerico pro anima mea, & parentum meorum tenere, & ipſi Eccleſiæ procurationem officii ſufficientem exhibere; Tali conditione, ut ſi fortaſſis iſte, vel alii Priores & fratres in Eccleſia ſacerdotem & clericum ad obſequium divinum noluerint tenere, mihi, vel hæredibus meis revertatur.

IIX.

Diploma, vi cujus Rogerius de Aquila, Avellinæ Comes, Hoſpitali S. Johannis Hieroſolymitani Eccleſiam quandam in Sicilia ſitam, dono dedit, d. d. Menſ. Decembri, Anno 1177.

ANno Incarnationis Dom. 1177. menſe Decembris. Indict. XI. Ego Rogerius de Aquila, DEI & Regia gratia Comes Avellinæ, pro anima Regis Rogerii felic. recordationis, & pro anima Regis Willelmi beatæ memoriæ, & pro Domino Rege Willelmo II. quem DEus omnipotens cuſtodiat, & pro anima Dominæ meæ Deliciæ, aviæ meæ, pro animabus patris, & matris meæ & anteceſſorum meorum parentum, & pro anima mea, & omnium meorum, donavi Domino DEO, & Hoſpitali S. Joannis, quod eſt in Hieruſalem in manu fratris Gebilini, Prioris Meſſanæ, Eccleſiam in honorem S. Joannis fabricatam in terra noſtra, in plano Adernionis, ſuper caſalem Canneti, cum totis pertinentiis & juſtitiis, & Eccleſiam in villa veteri S. Philippi, quæ eſt prope Eccleſiam S. Mariæ de Catania

tania: & præterea molendinum in terra nostra Politii, nec non ego Comes de Avellina concessi & confirmavi omnia, quæ Domina avia mea Delicia dedit hospitali Hierosolymitano, quæ ut rata sint, præsens privilegium signo Crucis, & bulla nostra corroboravi.

IX.

Tabulæ Pacis atque Unionis, tam inter militiæ templi, ex una: quam Domus S. Johannis Hierosolymitani Magistrum, ex altera parte, initæ; cui Alexandri III. Pontificis Maximi, adjecta est Confirmatio, d. d. 4. Non. Augusti, Anno 1182.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, Magistro, & fratribus militiæ templi, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto religio vestra & fratrum Jerosolymitanorum hospitalis DEO & hominibus creditur magis grata existere, & Terræ Orientali amplius necessaria & opportuna probatur, tanto de vestra & ipsorum unitate majus debemus gaudium lætitiamque concipere, &, ut semper inter vos vinculum dilectionis servetur, toto studio laborare; hac itaque ratione inducti, pacem & concordiam, quam cum dilectis filiis nostris, Magistro, & fratribus hospitalis S. Joh. de omnibus querelis, quæ inter domum vestram & ipsorum a longo tempore fuerant agitatæ, tam de terris & possessionibus, quam etiam de pecuniis, vel quibuslibet aliis rebus, de illorum assensu fecistis, non solum gratam, verum etiam ratam habentes, auctoritate Apostolica confirmamus, & perpetuis temporibus firmam illibatamque manere censemus, quam utique de verbo ad verbum his literis duximus annotandam:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Notum sit omnibus, tam futuris, quam præsentibus, quod per voluntatem Omnipotentis DEI, & per Domini Papæ Alexandri, cui soli, post Dominum, obedire tenemur, præceptum & ammonitionem, ego Frater Odo Sancti Amantis, humilis Magister militiæ templi, & ego Rogerius de Mulinis, Magister domus Hospitalis Jerosol. consilio & voluntate Capitulorum nostrorum, firmam pacem & gratam concordiam fecimus de omnibus querelis, quæ inter domum Templi & domum Hospitalis fuerant usque ad hanc diem ventilatæ, tam de terris & possessionibus, quam etiam de pecuniis, vel quibuslibet aliis rebus; sopitis ita cunctis querelis, tam citra, quam ultra, quod nulla deinceps suscitari possit vel repeti.

Hanc autem pacem & concordiam, universarum querelarum terminationem, nec non ad invicem fraternam dilectionem universis Fratribus Templi & Hospitalis tenere, conservare & fovere statuimus & præcipimus, salvis abhinc in perpetuum, quieteque ac pacifice remansuris utrique Domui rebus & possessionibus, quas hodie domus utraque tam ultra mare, quam citra, noscitur tenere.

Si qua vero querela deinceps inter Nos vel successores nostros, seu etiam inter Fratres nostros citra mare, vel ultra surrexerit, per tres utriusque partis Fratres, sicut in mandatis a Domino Papa percepimus, eam statuimus terminari; taliter videlicet, quod Præceptores illarum domorum & provinciarum, inter quas orta fuerit quæstio, assumptis quisque discretioribus Fratribus, querelam illam dissolvere, & pacem inter se studeant conservare, sine fraude & sine gravamine alterutrius partis, quantum potuerunt, cavere.

Si vero per se nequiverint Fratres illi querelæ finem imponere, asciscant sibi de suis amicis communiter, quorum consilio & mediatione quæstio valeat terminari; sic scilicet, quod, in quo major pars Fratrum illorum convenerit vel amicorum, in eo finis querelæ imponatur, & inter Fratres pax semper integra, & dilectio firma consistat.

Si autem nec ad id pacis adhuc poterint pervenire, querelam ad Nos scriptam transmittant, & nos illam, DEO volente, terminabimus: ipsi vero fratres nihilominus pacem & benevolentiam inter se teneant.

Si quis vero fratrum, quod absit, ab hac pace, pacisque ac dilectionis conservatione dissiluerit, se contra Magistri sui præceptum & capituli Jerosolymitani constitutionem sciat egisse; reatumque suum hujusmodi nullatenus poterit expiare, quousque Magistri sui & capituli Jerosolymitani conspectui se præsentet.

His autem duximus adnectendum, quod fratres utriusque domus se ubique diligant & honorent, & alter commodum alterius mutua caritate & unanimitate fraterna perquirant & observent; ut, duarum domorum existentes per professionem, unius esse pareant per dilectionem.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Sign. IV. Non. Aug.

Communita sigillo plumbeo pendente a filis sericis rubei coloris.

X.

Diploma, vigore cujus Guilielmus Malconvenant, Comes atque Magnus Siciliæ Admiratus, res proprietatis suæ, in ipso Diplomate nominatas, Hospitali S. Johannis Hierosolymitani Messanensi dono dedit, de d. Mens. Augusti, Anno 1203.

ANno 1203. mense Augusti Indict. 6. Regni nostri Friderici anno VI. Nos Guillelmus Malconvenant Comes, Magnus Admiratus, qui in vitæ nostræ militia sat deliquimus; statuimus animæ nostræ remediis providere: advertentes pietatis opera, quibus quotidianis usibus hospitali S. Joannis de Messana necesse habentibus subvenitur, creatoris ad gloriam & præcursoris, ad animæ nostræ remedium, & subsidium egenorum, concessimus dicto hospitali S. Johannis Messanæ duo Casalia

salia nostra Cellarii cum omnibus tenimentis & pertinentiis ipsorum, quæ sunt in valle Mazariæ, & domum nostram, quam habemus Panormi, quæ sita est in loco, qui dicitur Bebelagerin, in ruga S. S. XL. cum voluntate dominæ Margaritæ, charissimæ consortis nostræ, & ipsi fratres & Successores prædicti loci tam Nobis, quam Dominæ conjugi nostræ anniversarium nostri obitus faciant, & DEO orationibus commendent.

XI.

Diploma, in quo Fridericus, Siciliæ Rex, S. Johannis Hierosolymitani in Sicilia Domos, & in primis Messanensem, in protectionem suam recepit, iisque varias immunitates atque Privilegia donavit, d. d. Mens. Octobr. Anno 1209.

IN nomine DEI æterni, & Salvatoris nostri, Amen. Fridericus, Divina favente Clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Etsi omnia caduca sunt hominum, & temporum diuturnitate labuntur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetuæ stabilitati connexa, illa videlicet, quæ divinis addita cultibus hæreditatis DEI funiculum inter homines amplectuntur, tunc præcipue, cum loca venerabilia, in quibus placens Domino sectatur hospitalitatem militia, Regalis protectionis favore muniunt, & eis munimenta, quæ vetustas non diluat, votivo liberalitatis indulgent. Inde est, quod Nos attendentes celebrem vitam, & piæ religionis ordinem, in quo per hospitalitatis, & divini cultus observantiam fratres domus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani de Messana, & aliarum domorum, quæ sunt per Regnum nostrum, laudabiliter militant, JEsu Christi intuitu, qui dat salutem Regibus, & qui Regalis culminis Nobis sceptrum donavit; pro remedio quoque animarum divorum quondam augustorum parentum, & aliorum Regni progenitorum nostrorum, ipsam domum Hospitalis Sancti Joannis Hierosolimytani de Messana, omnesque domos, quæ sunt in Regno nostro, confratres, possessiones & homines ipsarum domorum, sub nostra protectione & defensione suscipimus: concedentes, & confirmantes eis perpetuo plenariam libertatem, ut de fructibus ipsarum domorum libere de cætero sine datione aliqua, sine plateatico, passagio, & portulatico mittere, introducere, & exhibere liceat, tam per mare, quam per terram, tam per portas, quam per portus, & passagia, vendere quoque, emere, seu alienare quæcunque, & ubicunque voluerint per Regnum nostrum pro negotiis, & servitiis ipsarum domorum, & ut libere possint mittere sine datione, & conditione aliqua quocunque voluerint ad matrem; & etiam earum magnam domum Hospitalis Hierosolymitani tam per mare, quam per terram, cui magnæ domui cæteræ domus Hospitalis S. Joannis sunt ubique subjectæ. Concedimus etiam prædictæ domui Hospitalis Sancti Joannis de Messana, cæterisque domibus Hospitalis Sancti Joannis, quæ per Regnum nostrum sunt, libera pascua pro animalibus suis, & ligna sicca ad usum ipsorum domorum, ubicumque sunt per nemora, & forostas Regni nostri, ipsis domibus vicinas, & jubemus, ut homines ipsius Hospitalis Messanæ, & aliarum domorum de Regno nostro liberi sint ab omni vasallagio, adjutorio, ab omni exactione, & servitio seculari, ne teneantur respondere aliquibus de quibuscunque constitutionibus, nisi tantum in Curia vestra Hospitalis, etiam de criminalibus, quæ pertinent ad Curiam nostram. Volumus etiam, ut quicunque utriusque sexus cum stabilibus, vel mobilibus suis, ipsi domui Hospitalis Messanæ, vel alicui aliarum domorum se in vita sua, vel in testamento reddere, vel offerre voluerit, sicut solet in mortificatis fieri, liberam exinde habeant facultatem, exceptis angariis iis, quæ sunt de feudis, qui etiam, de licentia dominorum suorum, si voluerint, domui Hospitalis poterunt se offere. Item confirmamus, & Regali sancimus edicto, ut fratres Hospitalis S. Joannis de Messana, & aliarum domorum de Regno, cum omni libertate, bona ordinis ipsius Hospitalis cum omnibus, quæ concessione Pontificum, donatione, vel confirmatione Regum, progenitorum nostrorum, ac nostra, nec non & oblatione fidelium rationabiliter in præsentiarum habent, vel justis in antea poterunt titulis adipisci, quiete, pacificè, & sine contrarietate qualibet perpetuo vonserventur. Prohibemus etiam, quod nullus infra situm ipsarum domorum Hospitalis occasione qualibet insultum facere, hominem capere, vel domos ipsas in rebus suis inter, vel extra, vel in personis, qui ibi sunt, temere perturbare, vel in aliquo damnificare præsumat. Nullus sit igitur, qui contra concessionem, confirmationem, & sanctionem nostram aliqua præsumat temeritate venire, quod si in aliquo attentaret, indignationem nostri culminis, & detrimentum personæ, & rerum suarum se noverit incursurum. Ad hujus autem concessionis, & confirmationis, & sanctionis nostræ memoriam & inviolabile firmamentum præsens privilegium per manus Jacobi de Capua, Notarii, & fidelis nostri scribæ, & sigillo nostræ celsitudinis mandavimus insigniri, anno, mense & indictione subscriptis. Datum Casaludi per manus Gualterii de Palena, venerabilis Cetanensis Episcopi, & Regni Siciliæ Cancellarii. Anno Domini Incarnat. 1209. mense Octobris, Indict. 11. Regni vero Domini nostri Friderici, DEI gratia Magnifici Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ 12. feliciter, Amen.

XII.

Ejusdem Diploma, vigore cujus res in eodem nominatas Domui S. Johannis Hierosolymitani Messanensi dono dedit, d. d. Mens. Decembr. Anno 1209.

FRidericus, Rex Siciliæ, &c. attendentes religionis ordinem, in quo per Hospitalis, & divini cultus observantiam fratres domus Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani de Messane laudabiliter

Domi-

Domino famulantur; illius intuitu, qui dat salutem Regibus, pro remedio quoque animarum Augustorum bonæ memoriæ parentum nostrorum donamus in perpetuum eidem domui hospitalis Messanæ Montana Mesofletu, quæ est juxta tenimentum Nugariæ, cum omnibus justitiis, finibus, ac divitiis suis, &c. data in Civitate Catanæ, per manus Gualterii de Pallena, Vener. Catanensis Episcopi & Regni Siciliæ Cancellarii, anno 1209. mense Decembris, Indict. XIII. Regni Domini Friderici XII. feliciter.

XIII.

Diploma, in quo Alemandus, Syracusæ Comes, res, in ipso Diplomate commemoratas, Hospitali S. Johannis Hierosolymitani muneri dedit, d. d. Mens. Junii, Anno 1211.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Alemandus, DEI & Regia gratia, ac Communitatis Januæ Comes Syracusæ, & Domini Regis familiaris; inter cætera, quæ Præsidentibus, & terrarum Principibus magnum honoris & gloriæ culmen acquirunt, ea præminent largitatis opera, per quæ gloria in excelsis a DEO, & in terra laus ab hominibus bonæ voluntatis comparatur. Quia cum terrarum Principes sacris locis, & honestis viris cœlesti Regi servientibus, de terrenis bonis sibi a DEO præstitis munifice tribuunt, in cœlestibus Regnis æternæ sibi partem hæreditatis acquirunt, & in terris humanæ laudis meritum perpetuo promerentur. Inde est, quod Nos providentes - - - DEO, & quanta utilitas universæ Christianitati ex domo hospitalis B. Joannis proveniat, in qua diversa mundi loca Christus in persona pauperis excipitur, & pauperes in Christi nomine reficiuntur, assidue considerantes etiam, quantum superbia inimicorum crucis per eamdem prædictam domum - - - - bus comprimatur, intuitu DEI, & Beati Joannis Baptistæ, nec non pro honore Domini nostri Sereniss. Regis Frederici, Communitatis Januæ, & nostro perpetuo concedimus, & donamus prædicto hospitali S. Joannis in tenimento nostro Syracusæ, quoddam Casale meum, quod dicitur Bigens, terram quandam his terminis interclusam continens - - - terminus ipsius terræ a scala rubra usque ad magnam mandram, & inde descenditur per caveam usque ad divisam Salinæ, & deinde procedens comprehendit totum Pantanum, quod ibi est, usque ad - - - & usque ad magnam mandram, quæ est super Casale Bigenei Hanc itaque terram sic terminatam cum prædicto Pantano, & cum prædicto Casali, præfato hospitali ad opem pauperum Christi, & ut orationum, & beneficiorum, quæ in ipsa domo fiunt, mereamur esse participes; damus, & concedimus, ut prædictum hospitale ipsam prædictam terram - - - libere & quiete teneat & possideat, sine omni nostra, & hæredum nostrorum, ac omnium per Nos contradictione in perpetuum. Ad hujus itaque donationis, & perpetuam memoriam præsens privilegium per manus Magistri Ladulfi, Notarii nostri, scribi, & Sigillo nostro fecimus communiri. Dat. Syracusæ Anno Dominicæ Incarnationis 1211. mense Junio, Indict. XIII. Regni vero Illustriss. Regis nostri Frederici anno XIII. feliciter, Amen.

XIV.

Innocentii III. Pontificis Maximi, Bulla, in qua nulli personæ Ecclesiasticæ, sine Summorum Pontificum mandato, ullam excommunicationis vel interdicti sententiam, contra Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani fratres pronunciandi facultatem concessam ac permissam esse debere, pro auctoritate constituit, d. d. Non. Junii, Anno 1220.

INnocentius Episcopus, Servus servorum DEI, &c. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Archidiaconis, ad quos literæ istæ pervenerint &c. Cum dilecti filii fratres Hospitalis Hierosolymitani nullum habeant Episcopum vel Prælatum, (præter Romanum Pontificem) & speciali prærogativa gaudeant libertatis, non decet vos, in eos, vel clericos, aut eorum Ecclesias, in quibus potestatem Ecclesiasticam non habetis, absque mandato nostro excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare: sed si quando vos, vel subditos vestros iidem fratres injuste gravaverint, per vos vel nuntios vestros id Romano Pontifici significare debetis, ac per ipsum de memoratis fratribus justitiam obtinere. Inde est, quod universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus in prædictos fratres sive clericos, aut Ecclesias eorum, in quibus autoritatem nequaquam habetis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare nullatenus præsumatis, nec eos alias indebita vexatione gravetis, sed erga ipsos vos totaliter habeatis, quod non habeant adversus vos materiam querelandi; scituri, quod si mandatum nostrum neglexeritis in hac parte, dimittere non poterimus, quin eisdem fratribus in sua justitia, si apud Nos querelam iterum deposuerint, efficaciter providere curemus. Datum Lugduni, nonas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

XV.

Literæ, in Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris commodum atque emolumentum, a Friderico II. Romanorum Imperatore, ad Comitem d' Euoli exaratæ, d. d. 26. Novembris, Anno 1226.

Federico II. Imperadore, &c.

PIetro Conte d' Euoli, nostro fedel diletto. Con le presenti lettare alla fedeltà tua volemo, che sia noto, come il Santissimo in Christo Padre, & Signore, Il Sommo Pontefice per la ricuperatione di Terra Santa hà stabilito alcuni Capitoli tra li

tra la Serenità nostra, & il Maestro della Casa dell' Hospedale di Gierusalem, quali furono publicati per Frà Cubaldo Rodiano. Onde confidati nella tua industria, e diligenza te in tutto, e per tutto destinamo Commissario sopra la speditione, & osservanza de' predetti Capitoli. Per la qual cosa alla tua devotione raccomandamo, per quanto amore porti alla Persona nostra, che à nostro peso tutto quello, che detto Frà Cubaldo dimandera in nome del predetto Maestro della Casa dell' Hospedale, per quanto à te spetta concedigli, & onninamente osservagli, & fagli, da qualsivoglia Officiale della Curia, tanto secreti, quanto vicesecreti, Castellani, &c. inviolabilmente osservare; Che se da te, o altri il contrario si facesse, si verrebbe contro li trasgressori all' esecutione delle pena debita. Data in Foggia a' XXVI. di Novembre, 1226.

XVI.

Bulla Clementis V. Pontificis Maximi, cujus ope, bonis, Ordini militiæ templi in terris Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum oblatis, Ordinis S. Johannis Hierosolymitani militaris facultates auxit atque amplificavit, d. d. 17. Kal. Maji, Anno 1310.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis, Nobilibus Viris, universis Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & Baronibus per Regnum Alemanniæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper in generali Concilio per Nos Viennæ celebrato post longam deliberationem præhabitam ac maturam, acceptabilius fore Altissimo, magisque honorabile fidei orthodoxæ cultoribus, ac subventioni terræ sanctæ utilius, bona quondam domus & Ordinis militiæ Templi Ordini hospitalis sancti Johannis Jerosolymitani concedere, quam Ordini de novo creando unire, aut etiam applicare consilium nostræ deliberationis providit. Sed quia tunc aliquibus asserentibus utilius fore bona ipsa Ordini creando noviter conferre, quam dicti hospitalis ordini applicare, tunc noster affectus speratum effectum super hoc obtinere nequivit. Tandem vero si per DEI gratiam actum fore dignoscitur, quod VI. Non. præsentis mens. Martii, eodem sacro approbante Concilio, hospitali, seu ipsius ordini hospitalis supradicto prædicta bona concedenda & applicanda duximus, ac etiam unienda; bonis ejusdem Ordinis militiæ templi in Regnis & terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum, Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum, Regum Illustrium, extra Regnum Franciæ consistentibus, exceptis, quæ a concessione & applicatione hujusmodi excipienda, & excludenda censuimus, ipsa dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ specialiter reservantes, quousque de illis aliter pro prædictæ terræ subsidio per nostram & dictæ Sedis Apostolicæ providentiam extiterit ordinatum. Quare vestram Nobilitatem rogamus & hortamur attentius, quatenus pro reverentia Salvatoris, cujus in hac parte negotium promovemus, ac dictæ Sedis, Magistro & fratribus, seu Prioribus hospitalis ejusdem in terris vestris constitutis, & eorum singulis, seu Procuratori vel Procuratoribus eorundem, quod prædicta bona, in eisdem terris consistentia, juxta prædictæ nostræ concessionis tenorem integre & pacifice assequi valeant & habere, vestri favoris impendatis auxilium, prout extiterit opportunum, & eis circa consequendam, habendam, & retinendam possessionem bonorum illorum, & alias executoribus super executione hujusmodi concessionis nostræ deputatis & in posterum deputandis super eadem executione assistatis efficaciter & ferventer. Sic igitur in præmissis vos promptos & paratos exhibeatis, quod præter retributionis æternæ præmium, quod inde merebimini, vobis laudis humanæ cumulus augeatur, Nosque Nobilitatem vestram dignis commendare laudibus in Domino valeamus. Volumus autem, quod præsentes literas vobis præsentatas & ostensas eisdem coram latoribus restituatis omnino, ut & aliis, de quibus expedit, valeant præsentari. Datum Liberoni, Valentinensis diœcesis XVII. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno VII.

XVII.

Bulla Clementis V. Pontificis Maximi, vi cujus, Ordine militiæ templi Hierosolymitani penitus abrogato atque abolito, ejus bona & reditus ex locis, extra Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum terras, nec non Franciæ Regnum sitis, percipiendos, Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini tradidit, d. d. 6. Non. Maji, Anno 1311.

AD perpetuam rei memoriam. Ad providam Christi Vicarii præsidentis in specula Apostolicæ dignitatis circumspectionem pertinet vices pensare temporum emergentium, negotiorum causas discutere, ac personarum attendere qualites: ut ad singula debitum dirigens necessariæ considerationis intuitum & opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet, sic prævaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet, quam destruat, & in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota DEO plantamina transferendo, potiorem præbeat de provisa & utili eorum locorum unione & translatione lætitiam, quam vera justitia, quæ compassionem habet doloris, intulerit detrimentum personarum & locorum hujusmodi per ruinam. Sic enim sufferendo, quod officit, & subrogando, quod proficit, virtutum profectus amplificat, & sublata de medio meliori subrogatione restaurat. Dudum siquidem Ordinem domus militiæ Templi Hierosolymitani, propter Magistrum & fratres, cæterasque personas dicti Ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis & diversis, non tam nefandis, quam infandis, proh dolor! errorem & scelerum obscœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe respersos, quæ propter tristem & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus, ejusque Ordinis statum, habitum, atque

que nomen, non sine cordis amaritudine & dolore, sacro approbante Concilio, non per modum definitivæ sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones, & processus super his habitos, non possemus ferre de jure, sed per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes: districtius inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere, vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret: quod si quis contra faceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto: universa etiam bona Ordinis prælibati Apostolicæ Sedis ordinationi & dispositioni autoritate Apostolica duximus reservanda. Inhibentes districtius, ne quis, cujuscunque conditionis, vel status existeret, se de personis, vel bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in præjudicium Ordinis, seu dispositionis Apostolicæ per Sedem eandem, ut præmittitur, faciendæ, aliquid faceret, innovaret, vel etiam attentaret: decernentes ex tunc irritum & inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum, ne dicta bona, quæ dudum ad subsidium terræ sanctæ & impugnationem inimicorum fidei Christianæ, a Christi cultoribus data, legata, concessa & acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tanquam vacantia deperirent, vel converterentur in usus alios, quam in illos, ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis & dispositionis hujusmodi, eorum destructio vel dilapidatio sequeretur: cum fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & Prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus & illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium Prælatorum, & etiam Capitulorum & Conventuum, Ecclesiarum & Monasteriorum Procuratoribus, in dicto Concilio constitutis, habuimus ardua, morosa & diversa consilia & tractatus: ut per hujusmodi consiliorum & tractatuum deliberationem præhabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio & dispositio ad honorem DEI, augmentum fidei, exaltationem Ecclesiæ, dictæ terræ subsidium, salutem quoque fidelium & quietem, salubris & utilis perveniret. Postque utique longa, præmeditata, provisa & matura consilia, suadentibus plurimis justis causis, nostra & dictorum fratrum, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum Prælatorum, ac excellentium & illustrium personarum prædictorum, in dicto Concilio tunc præsentium, deliberationes & consilia in hoc finaliter resederunt, ut prædicta bona Ordini hospitalis S Johannis Hierosolymitani & ipsi hospitali ac dilectis filiis, Magistro & fratribus hospitalis & Ordinis eorundem, qui tanquam athletæ Domini pro defensione fidei se periculis mortis jugiter exponentes, onerosa nimis & periculosa dispendia continue perferunt, in partibus transmarinis in perpetuum unirentur. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quibus vigere dignoscitur observantia regularis, dictum Ordinem hospitalis & ipsum hospitale sinceræ caritatis plenitudine prosequentes, ac attendentes, quod, sicut evidentia facti in DEO divinis obsequiis ferventer insistitur, pietatis & misericordiæ opera vigilantibus studiis exercentur, fratres hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione terræ prædictæ, tanquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis & desideriis intendentes, qualibet ducunt humana pericula in contemptum: considerantes quoque, quod ex hoc tanto eorundem Magistri & fratrum dictorum Ordinis & hospitalis crescet strenuitas, animorum fervor augebitur, & ipsorum roborabitur fortitudo ad propulsandas nostri redemptoris injurias, & hostes ejusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia, in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quæ prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius & facilius poterunt supportare: & propterea non indigne vigiles redditi, studiisque sollicitis excitati, ut ad sui status augmentum opem & operam impendamus, eodem sacro approbante Concilio, ipsam domum militiæ Templi, cæterasque domos, ecclesias, capellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias & loca, possessiones, jurisdictiones, reditus atque jura, omniaque alia bona immobilia & mobilia, vel se moventia, cum omnibus membris, juribus & pertinentiis suis, ultra & citra mare, ac in universis & quibuslibet mundi partibus consistentia, quæ ipse Ordo & dicti Magister & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi, tempore, quo ipse Magister & nonnulli ex eisdem fratribus militiæ Templi, in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet Anno Domini millesimo, trecentesimo octavo, Mense Octobri, per se vel quoscunque alios habebant, tenebant & possidebant, vel ad eosdem domum & Ordinem militiæ Templi, & dictos, Magistrum & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant, nec non nomina, actiones & jura, quæ prædicto tempore captionis ipsorum, eisdem domui, Ordini, vel personis ipsius Ordinis militiæ Templi, quocunque modo competebant, vel competere poterant, contra quoscunque, cujuscunque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus & libertatibus, quibus præfati Magister & fratres dictorum domus & Ordinis militiæ Templi, & ipsa domus & Ordo, per Sedem Apostolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges & Principes, & fideles alios, vel quocunque alio modo, erant legitime communiti, eidem Ordini hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, & ipsi hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus & annectimus in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis, exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipsius militiæ Templi, consistentibus in Regnis & terris charissimorum in Christo filiorum nostrorum, Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum Regum illustrium, extra Regnum Franciæ, quæ a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione & annexione prædictis, specialiter excipienda duximus, & etiam excludenda. Ea nihilominus dispositioni & ordinationi Sedis Apostolicæ reservantes, inhibitionem dudum per alios processus nostros factam, ne quis videlicet, cujuscunque conditionis vel status existeret, se de personis & bonis hujusmodi aliquatenus intro-

intromitteret, vel circa ea, in præjudicium ordinationis, seu dispositionis Sedis ejusdem faciendæ de illis, nec non decreti nostri interpositionem, quoad personas & bona, in dictis Regnis & terris eorundem Regum proxime expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis & rebus prædictis in eisdem Regnis & terris consistentibus, per dispositionem Sedis ejusdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores, cujuscunque status, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis extiterint, etiamsi Pontificali, Imperiali vel Regali præfulgeant dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos Magistrum & fratres ipsius Hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratorem, seu Procuratores eorum, fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene ac libere restituerint Ordini ipsius Hospitalis & eidem Hospitali, aut Magistro, seu Prioribus, vel Præceptoribus, aut fratribus Hospitalis ejusdem, in quibuscunque partibus & Provinciis constitutis, eorumque singulis, vel Procuratori, seu Procuratoribus eorundem, ejusdem Ordinis ipsius hospitalis nomine, etiamsi dicti Priores, Præceptores & fratres ipsius hospitalis & Procuratores ipsorum, & eorum quilibet, a dicto Magistro ipsius hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo Procuratores prædicti a dictis Prioribus & Præceptoribus, vel eorum singulis in Provinciis & partibus, in quibus hujusmodi Priores & Præceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint, vel ostenderint speciale. Qui omnes & singuli, videlicet Priores & Præceptores, & fratres dicto Magistro, Procuratores vero prædicti eisdem Prioribus & Præceptoribus, eorumque singulis, a quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, receptis & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, computum & rationem ponere & reddere teneantur: nec non omnes, qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione, vel detentione hujusmodi dederint consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis; capitula vero, collegia, seu conventus Ecclesiarum & monasteriorum, nec non universitates civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum, & ipsas civitates, castra, villas & loca, quæ in his culpabilia extiterint, ac etiam civitates, castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi Dominium obtinuerint temporale, si hujusmodi Domini temporales in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro & fratribus Ordinis hospitalis, ejusdem nomine hospitalis ipsius, obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc, ut præmittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subjacere; a quibus absolvi non possint, donec super his plenam & debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium, vel favorem, sive singulares personæ, sive capitula, collegia seu conventus Ecclesiarum & monasteriorum, ac universitates civitatum, castrorum, terrarum vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ a Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscunque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos, sive privata. Ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant, illa libere sine contradictione aliqua revertantur, earumque Ecclesiarum Prælati, sive Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut utilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire. Nulli ergo &c. nostrorum donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reservationis, inhibitionis, voluntatis & constitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Viennæ, VI. Non. Maji, Pontificatus nostri anno septimo.

XIIX.

Mandatum Eduardi II. Angliæ Regis, in quo severe prohibuit, ut ne, absque prævio Parliamenti consensu, Ordo S. Johannis Hierosolymitani in bonorum Ordinis templi Hierosolymitani, in Anglia sitorum, possessionem immittatur, d. d. 1. Augusti, Anno 1312.

REx, dilecto sibi in Christo Priori Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani in Anglia salutem. Rumor, nostris sensibus admirandus, auribus nostris innotuit his diebus; videlicet, quod certæ personæ, de Regno nostro, ad assignandum vobis omnia bona Templariorum, mobilia & immobilia, infra Regnum consistentia, jam sunt executores per literas Apostolicas deputati: quodque vos erga executores ipsos, pro executione literarum prædictarum, ad opus vestrum, celeriter facienda, insistitis diligenter. Et, quia executio illa, si fieret, in nostrum, & Dignitatis Coronæ nostræ Regiæ præjudicium cederet manifeste, vobis, sub gravi foris factura nostra, firmiter inhibemus, ne quicquam ulterius super negotio memorato, clam vel palam, per vos, vel per alios, aut alium, procurare, facere, vel attemptare, citra proximum Parliamentum nostrum, quomodolibet præsumatis. Teste Rege apud Londonias, primo die Augusti.

XIX.

Philippi IV. Galliæ Regis, Diploma, in quo Summi Pontificis constitutionem, qua bona Ordinis templi Hierosolymitani, in Gallia sita, Equestri S. Joannis Hierosolymitani Ordini adjudicaverat, ratam habuit, d. d. 14. Augusti, Anno 1312.

SAnctissimo Patri in Domino, Clementi, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum Rex, pedum oscula beatorum. Pater Sanctissime, cum nuper in Concilio generali Viennensi propter hæreses, enormitates, & scelera reperta in fratribus tunc Ordinis Militiæ Templi, tanquam infructuosum, odiosum, & abominabilem,

lem, per ordinationem, seu dispositionem Apostolicam, vestra Sanctitas Ordinem eundem, statum & nomen ipsius tollere curaverit ab Ecclesia sancta DEI, Nosque Beatitudini vestræ assensum præbuerimus, quod de bonis quondam templi, in Regno nostro consistentibus, eadem transferendo in novum Ordinem, vel antiquum militarem ordinaretis, prout, secundum DEum, pro subsidio Terræ Sanctæ viderit vestra Sanctitas expedire: Sanctitatisque vestræ finalis deliberatio, Nobis assentientibus, in hoc resedit, quod bona Ordinis præfati cum suis honoribus & oneribus in fratres & ordinem Hospital. S. Joannis Jerosolymitani per ordinationem Apostolicam transferrentur pro Terræ Sanctæ servitio, cui prius fuerant deputata, sicut & bona Ordinis Hospitalis ejusdem. Nos itaque, quorum interest, cum bona prædicta, quatenus in Regno nostro sunt, sub nostra gardia speciali & protectione consistant, & in eis ad Nos Jus Patronatus, mediate, vel immediate, plenarie pertinere noscatur, ad hujusmodi consensum impertiendum, una cum Prælatis in Concilio congregatis, fuerimus per vos inducti, quia Sanctitas vestra disposuerat & ordinaverat, quod per Sedem Apostolicam sic dictorum hospitaliorum Ordo regularetur, & reformaretur, tam in capite, quam in membris, quod DEO, Ecclesiasticis personis & secularibus esset acceptabilis, non autem infestus, sed subsidio Terræ Sanctæ quam plurimum fructuosus; sic etiam provideretur, & disponeretur de bonis præfatis omnibus, quod revocatis bonis omnibus alienatis, utriusque Ordinis fructus, proventus & redditus eorundem bonorum utriusque Ordinis, deductis expensis necessariis pro custodia & administratione bonorum ipsorum, fideliter ac integre converterentur in servitium & subsidium supradictum: Sicque vestra Sanctitas sacro approbante Concilio ordinavit, & ordinationem hujusmodi in dicto Concilio solenniter publicavit. Nos igitur dispositionem, ordinationem & translationem hujusmodi acceptamus, & ei nostrum præbemus assensum, juribus omnibus, Nobis & Prælatis, Baronibus, Nobilibus & aliis quibuscunque Regni nostri ante prædicta competentibus in bonis prædictis, salvis perpetuo Nobis & eis. In quorum testimonium, & munimen sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum Parisiis, die 14. Augusti, Anno Domini millesimo, trecentesimo duodecimo. Et sont les dites Lettres séellies sur doublé qveüe de Parthemin, d' un grand seau de cire jaune.

XX.

Magistri Ordinis S. Johannis Hierosolymitani militaris, ejusque Capituli Mandatum plenum, in quo Alberto de Castro nigro, eique subordinandis liberam plenamque, bona Ordinis Templariorum per universæ Europæ ambitum occupandi, omniaque, in Ordinis sui augmentum & utilitatem vergentia, promovendi potestatem dederunt, d. d. 17. Octobr. Anno 1312.

NOverint universi, præsentes literas inspecturi, quod nos, frater Fulco de Vilareto, DEI & Sedis Apostolicæ gratia sanctæ Domus Hospitalis Sancti Johannis Jerusalem Magister humilis & pauperum Christi Custos, frater Tertitius de Lorgne, Marescallus, frater Petrus de Claromonte, tenens, locum hospitalarii, frater Richardus de Ravelino, Draperius, frater Ren de DEO, Thesaurarius, frater Philippus de Gragnana, Urbis, frater Martinus Petri de Ros, Messanæ, Priores, frater Petrus de Sancto Johanne, Præceptor Achayæ, cæterique omnes & singuli fratres & conventus Domus ejusdem, ad sonum campanæ Rodi, ut moris est, in loco solito congregati, interna meditatione pensantes beneficiorum largitionem innumerabilium per sanctissimum in Christo Patrem, Dominum nostrum Clementem V. Divina providente Clementia, Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summum Pontificem, Sacrum ejus Dominorum Cardinalium Collegium & totum generale Concilium, Viennæ proxime celebratum, nobis & Domui liberalitate maxima largitorum. Viasque & modos cum summa diligentia exquirentes, per quos possint in nostris manibus reparari, emendari, augmentari, ac provide gubernari dicta immensa beneficia & fructus uberes, cum DEI benedictione, ex ipsis & aliis bonis nostris, & Domus prædictæ haberi, percipi, & colligi: quibus Terra Sancta de Mahomethicolarum infidelium manibus possit, DEO faciente, celeriter liberari; Attendentesque etiam, Domos nostras partium transmarinarum, improvida administratione Præsidentium, attritas mutipliciter & afflictas visitatione, correctione ac reformatione celeri, tam in capite, quam in membris, valde admodum indigere: Ac, de discretione, prohibitate, legalitate, bona administratione, diligentia & industria religiosi in Christo, nobis charissimi, fratris Alberti Alamani, ejusdem Domus Magni Præceptoris, in partibus cismarinis, quas in magnis & arduis, quæ nos & Domus hactenus sibi commisimus, fructuosas & utiles invenimus, plenam in Domino gerentes fiduciam, eundem fratrem Albertum communi omnium tractatu, concordia, Concilio, voluntate ac consensu expresso ad Romanam Curiam & Curias Illustrium Regum & aliorum Principum Orthodoxorum, & ad universas, cum Religiosis in Christo, Nobis carissimis dilectis, fratre Richardo de Ravielino, Draperio, fratre Philippo de Gragnana, Priore Urbis, fratre Leonardo de Tibercis, Priore Venetiarum & Procuratore in Romana Curia generali, fratre Henrico de Mayneriis, fratre Arnaldo & Solerio, fratre Artando de Chavanono, nostri Magistri Sociis, & fratre Duranto de Præpositura, Præceptore Montis Chalini & Salvitatis de Auriliaco, quos ei donamus & assignamus in Socios, Consiliarios & coadjutores, disponimus destinandum. Ipsumque in omnibus & singulis Prioratibus, Præceptoriis, Castellaniis, Bajuliis, domibus, civitatibus, castris, villis, locis, & quibuscunque aliis bonis, juribus & rationibus nostris, & Domus nostræ antiquis, ac nobis & domui noviter quoquomodo concessis, & imposterum concedendis, in dictis transmarinis partibus existentibus, quæcunque sint, ubicunque, & in

& in quibuscunque consistant, & quocunque censeantur nomine, Visitatorem, Inquisitorem, Correctorem, Reformatorem, Administratorem cum libera, locum nostrum tenentem, verum, certum & indubitatum Procuratorem, Syndicum, Yconomum, Actorem, & ad prædictas curias, nostrum, & Domus specialem Nuncium facimus, constituimus, autoritate præsentium, & creamus: dantes & concedentes eidem Visitatori, Inquisitori, Correctori, Reformatori cum libera, locum nostrum tenenti, Procuratori, Syndico, Yconomo, Actori & Nuncio nostro & Domus, in transmarinis partibus & Curiis antedictis plenam & liberam facultatem, auctoritatem & licentiam, ac etiam speciale mandatum, se ad ipsas partes transmarinas & Curias & ipsarum quamlibet personaliter transferendi. Ac in eis & in universis & singulis Prioratibus, Præceptoriis, Castellaniis, Bajuliis, Domibus, civitatibus, castris, villis, & aliis quibuscunque locis, & bonis, juribus & rationibus nostris & domus nostræ antiquis, noviterque Nobis & domui, in præfato Sacro Generali Concilio de bonis Domus militiæ templi quondam, vel aliunde quomodolibet elargitis, & deinde largiendis, de consilio, voluntate, ac expresso assensu prædictorum Sociorum suorum, vel majoris partis eorum sibi tunc assistentium, per se, vel alium, seu alios, visitandi, inquirendi, corrigendi, reformandi, administrandi, procurandi, nunciandi, reparandi, emendandi, excusandi, supplicandi in dictis Curiis & aliis quibuscunque, nomine nostro & domus, & literas gratiæ atque justitiæ impetrandi: de largitione dictorum bonorum & aliorum quamplurium beneficiorum, dicto Domino nostro Summo Pontifici, ejus Sacro Collegio, Illustrissimis Regibus & aliis Principibus orthodoxis grates devotissimas referendi; Visitatoris, Inquisitoris, Correctoris, Reformatoris, Administratoris cum libera, Nunciatoris, Procuratoris, & locum nostrum tenentis in capite ac in membris, & in quascunque personas Domus nostræ, cujuscunque status, gradus, dignitatis, autoritatis & conditionis, & quocunque exemptionis generalis, vel specialis munitas privilegio, vel literis sub quacunque forma verborum eis concessis. Officium seu officia, conjunctim vel separatim, plene & libere exercendi, contra ipsas personas & ipsarum quamlibet, per modum inquisitionis, denunciationis & accusationis, prout discretioni suæ visum fuerit, procedendi. Eas & quamlibet earum ad sui præsentiam, quando & quotiens voluerit, evocandi. Plantam seu plantas fratrum, Esgardium seu Esgardia faciendi & tenendi de eis, & easdem de suis excessibus, juxta Domus nostræ statuta ac bonas consuetudines puniendi. Removendi eas a suis bajuliis, domibus, officiis & administrationibus, &, si necesse fuerit, carceribus mancipandi; vel nobis, citra mare judicandas, puniendas, corrigendas, aut in carceres recludendas, cum plena informatione suorum excessuum transmittendi: De eis, & earum qualibet postulanti cuilibet, complementum justitiæ faciendi, & sibi fieri de ipsis coram quibuscunque Judicibus, Ecclesiasticis vel Secularibus, nostro & domus nostræ nomine, postulandi: Domos, Bajulias, officia & administrationes sic eis oblatas, personis aliis sufficientibus tenendas & regendas libere committendi: Universas & singulas domus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, civitates, castra, villas, terras, grantias & loca, possessiones, jurisdictiones, reditus atque Jura, omniaque alia bona, mobilia & immobilia, vel se moventia, cum omnibus membris, Juribus & pertinentiis suis in dictis partibus transmarinis consistentia, Domus & Ordinis militiæ Templi, quondam nobis ac Domui in dicto Sancto Concilio collata & imposterum conferenda ubilibet; immo nomina, actiones & jura, quæ tempore captionis Magistri, & quorundam fratrum ipsius Ordinis Templi in Regno Franciæ communiter factæ, eisdem Domui & Ordini, vel personis ipsius Ordinis militiæ Templi quocunque modo competebant, vel competere poterant, contra quoscunque petendi, requirendi, exigendi, recipiendi a quibuscunque personis, Ecclesiasticis vel Secularibus, & ea ad nos, & proprietatem domus nostræ, ac nostri Ordinis adducendi: Corporaliter possessionem vel quasi eorundem, nostro & domus nostræ nomine, per se, vel alium seu alios adipiscendi: Ipsamque regnandi, gubernandi & administrandi voluntate & beneplacito Sedis Apostolicæ: Eadem bona etiam antiqua, fructus & proventus eorum, taxandi & taxari faciendi: & ea per domos seu Bajulias determinatas ut limitatas, & utilius sibi & astantibus ei visum fuerit, dividendi: Bajuliis seu domibus per eum, vel alium seu alios, limitatis taliter, responsiones certas & pingues ad utilitatem Terræ Sanctæ negotii imponendi: Ipsas Bajulias & domos regendas & administrandas ad vitam, vel alias ipsis, quibus expedire noverit, committendi & conferendi, & eos ab eisdem removendi, quum & quotiens sibi expedire videbitur. Nobiles homines & innobiles, Clericos & Seculares, pro servitio & regimine dictarum Bajuliarum & domorum, ad Domus nostræ consortium, si necesse fuerit, admittendi; & ipsis admissis nostræ religionis habitum & Nobilibus militiæ cingulum tribuendi: Fratres & Donatos, de una domo in aliam, & de uno Prioratu in alium transferendi: & citra mare etiam fratres, donatos, homines, Vasallos & subditos quoscunque domus nostræ, cujusvis status, gradus, dignitatis, auctoritatis & conditionis, pro Terræ Sanctæ servitio, vel quacunque alia ratione seu causa transmittendi: aut, si maluerint, secum ducendi: & ut citra mare veniant, eis & singulis eorum effectualiter injungendi, eosque, si non venerint, tanquam rebelles & inobedientes, & quoscunque mandatis nostris rebelles & inobedientes invenerint, per justitiam Domus nostræ ducendi: vel ipsos aliter puniendi: ac vocatos per nos ad partes transmarinas in transmarinis partibus retinendi: & eis ipsorum passagium, seu passagia relaxandi & remittendi; numerum Fratrum suorum, donatorum & aliorum Servitorum, in dictis bajuliis, seu domibus nostris quibuscunque sistentium, diminuendi, & si sibi expediens videbitur, augmentandi: pro universis & singulis dictis bonis nostris, & domus antiquis ac noviter concessis, & in futurum concedendis, in dictis transmarinis partibus constitutis, & positis in judicio vel extra, coram quibuscunque judicibus, ecclesiasticis, secularibusve, & in quacunque Curia, ecclesiastica vel mundana, agendi, defendendi, petendi, proponendi,

excipi-

excipiendi, libellum, vel libellos offerendi, oblato vel oblatis respondendi, litem contestandi, jurandi de calumnia & de veritate dicendi in animas nostras, & scribendi cujuslibet alterius generis juramentum: testes & Instrumenta & alia quæcunque documenta legitima producendi & productis objiciendi, concludendi & renunciandi: In causis de jure & de facto, sententiam & sententias diffinitivas & interlocutoria vacuandi & audiendi, & ab ipsis atque gravaminibus illatis & inferendis, semel vel pluries appellandi, Apostolos petendi, appellationem & appellationes prosequendi. Ad exequendum processus & quascunque sententias, super recuperatione dictorum bonorum Nobis & Domui de novo datorum, juxta mandatum Apostolicum, Prælatos, Executores, Commissarios & quoscunque alios ad executionem deputatos hujusmodi requirendi: computa & rationes ab his, qui dicta bona, vel aliqua de prædictis, aut etiam de nostris antiquis, dudum quoquomodo tenuerint & habuerint, & rexerunt & receperunt, & administrarunt: Et a Procuratoribus nostris, loca nostra tenentibus, Præceptoribus Camerarum nostrarum, Prioribus, Præceptoribus & Ballivis, vel eorum loca tenentibus, & quibuscunque aliis fratribus nostris & subditis, ad quorum manus responsiones, talliæ, subventiones, promissiones, bona defunctorum, pecuniæ, jocalia, arnesia, procassia nostra, indulgentiarum, legatorum & relictorum pecuniæ, vel aliqua ex prædictis quomodolibet pervenerint, aut pervenient, ipso in partibus transmarinis agente, ac potestate sibi durante hujusmodi, petendi, audiendi, exigendi & recipiendi de his, qui recipient ab eis, vel a quibuscunque aliis, & pro quibuscunque causis & rationibus, cum effectu quittandi, absolvendi, definiendi & pactum de ulterius non petendi, dandi & faciendi: solutionem & solutiones accipiendi, & eas nostro nomine faciendi: pro necessitatibus nostris & Domus, mutuum seu mutua, a quibus voluerit & invenerit, accipiendi & contrahendi pro pecuniis mutuo susceptis aut suscipiendis, & aliis quibuslibet causis & rationibus, nos, domum nostram & bona omnia nostra & futura generaliter vel specialiter, effectualiter obligandi atque ypothecandi. Bona ipsa, vel quæ voluit ex prædictis in perpetuum ad vitam, vel aliud tempus, pure, conditionaliter, aut in emphitevsin, sub certo annuo censu, vel precarii, commodati, depositi donationis, venditionis, permutationis, infeudationis, pignoris & cujuslibet alterius contractus titulo, personis, quibus voluerit, donandi, concedendi, tradendi & assignandi. Et hos, cum quibus contrahent, vel Procuratores eorum, in possessionem corporalem vel quasi, dictorum bonorum inducendi, & inductos defendendi: Et possessionem corporalem vel quasi, horum, quæ contrahendo, vel quocunque alio modo sibi, vel alii ejus nomine atque Domus, donata & concessa fuerint, per se vel per alium seu alios apprehendendi & adipiscendi: Et de his & aliis bonis nostris & Domus, prout Nobis & Domui expedire noverit, ordinandi: Priores, Præceptores, Ballivos, nostri Magistri, vel eorum loca tenentium, fratres, donatos & quoscunque alios subditos nostros, & domus in sæpe dictis partibus transmarinis constitutos, cujuscunque status, auctoritatis, dignitatis aut conditionis existant, ad congregationes & Capitula Provincialia per eum, de consilio dictorum sociorum & aliorum fratrum & procerum Domus ei assistentium, vel majoris partis eorum, ordinandas, quum & quotiens discretioni suæ faciendum noverit personaliter evocandi: & dictas congregationes atque capitula celebrandi & in eis dicendi, ordinandi, concedendi, statuendi, destituendi, & quæque alia faciendi, quæ tangere & respicere cognoverit honorem & commodum domus nostræ: Compromittendi, opponendi, paciscendi, transigendi, conveniendi, substituendi Procuratores, unum vel plures, ante litem contestatam, vel post, & eosdem revocandi, quando & quotiens sibi videbitur expedire. Et demum universa alia & singula dicendi, faciendi, tractandi & ordinandi in præmissis, & præmissorum quolibet, quæ Nos in generali nostro capitulo, vel extra in nostris congregationibus dicere, facere, tractare ac ordinare possemus, si præsentes essemus, & quæ talium contractuum & negotiorum merito desiderant & requirunt, etiamsi mandatum exigant speciale: ratum, gratum, firmum & stabile habituri perpetuo, quicquid per eundem Visitatorem, Inquisitorem, Reformatorem, Administratorem cum libera, locum nostrum tenentem, Procuratorem Syndicum, Yconomum, Actorem & nostrum ac domus nostræ nuncium specialem, vel substituendum, aut substituendos ab eo, in prædictis, & prædicta quoquo modo tangentibus de consilio, cum voluntate ac consensu dictorum sociorum vel majoris partis eorum tunc ei assistentium, actum, dictum, visitatum, inquisitum, correctum, reformatum, administratum, donatum, concessum, petitum, exactum, receptum, solutum, quittatum, procuratum, tractatumque fuerit, vel aliter ordinatum. Promittentes rem ratam haberi & judicatum solvi, cum omnibus suis clausulis sub ypotheca & obligatione bonorum omnium domus nostræ, præsentium ac etiam futurorum, Nosque fidejussores constituentes pro eodem Procuratore nostro, Syndico, Yconomo, & actore, & substituendo ac substituendis ab eo: ipsos & ipsorum quemlibet relevare volentes ab omni onere satisdandi. Et ne forsan, aliquo casu interveniente, quod absit, posset executio potestatis atque auctoritatis hujusmodi, per Nos eidem fratri Alberto attributarum præsentibus, in detrimentum nostrum & domus annullari, aut in aliquo retardari; volumus & concedimus tenore præsentium dicto fratri Philippo de Gragnana, Priori Urbis, quod in defectu dicti fratris Alberti, aliquo casu interveniente, potestatem & autoritatem nostras præmissas perficere nequiuntis, possit, de consilio, voluntate, ac expresso assensu dictorum aliorum sociorum suorum vel majoris partis, tunc sibi assistentium, prædicta omnia & singula sibi assumere, ipsaque facere, dicere, procurare, exequi, tractare, ordinare, incipere, mediare, complere, ac incepta per eundem fratrem Albertum in omnibus & per omnia effectui mancipare: eundem Priorem Urbis in casu prædicto, vel simili, loco dicti fratris Alberti ex nunc, ut ex tunc, & super universis & singulis superius expressatis & ea tangentibus, per præsentes cum omni potestatis plenitudine subrogantes, & sibi vices nostras totaliter committentes. Quo-

Quocirca districte præcipiendo mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ nihilominus injungentes, religiosis in Christo Nobis charissimis, universis & singulis Prioribus, Vice-Prioribus, Præceptoribus & Baylivis & eorum, aut nostri Magistri loca tenenti, fratribus, sororibus, donatis, hominibus, vasallis & subditis quibuscunque nostris & domus ac Ordinis, & domus quondam militiæ Templi, in prædictis transmarinis partibus constitutis, quatenus prædictum fratrem Albertum, visitatorem & locum nostrum tenentem, vel in defectu ejusdem, ut præmittitur, dictum fratrem Philippum, Priorem Urbis, benigne admittant, caritativeque tractent, & sibi ac familiis suis, in omnibus suis necessariis, eundo, stando, & redeundo, liberaliter provideant, ac ei, tanquam Nobis, in omnibus, spiritualitatem & temporalitatem quoquomodo tangentibus, intendant & pareant reverenter, sibi impertire studentes in his, quæ ad curam & regimen, & administrationem dictorum bonorum, ac expeditionem felicem & celerem negotiorum nostrorum, & Domus, suum fideliter consilium, auxilium & favorem, sic, tanquam filii obedientiæ se habentes in prædictis, quod devotionis eorum promptitudinem condignis in Domino laudibus attollere valeamus. In quorum omnium testimonium & certitudinem Bulla nostra communis, plumbea, præsentibus est appensa. Data Rodi, die septima decima mensis Octobris, Anno MCCCXII.

XXI.

Mandatum Eduardi II. Angliæ Regis, terrarum ac tenimentorum Regni custodibus datum, ut Equestris S. Johannis Hierosolymitani Plenipotentiariis bona, quæ hucusque in Anglia ad Templarios pertinuerunt, in possessionem traderent, d. d. 28. Novembr. Anno 1313.

REx Custodi quarundam terrarum & tenementorum, quæ quondam fuerunt templariorum in civitate nostra Londoniarum, & suburbio ejusdem civitatis, salutem.

Cum Dominus Clemens, Divina providentia, Papa quintus, nuper in Generali Concilio, Vienn. congregato, ordinem quondam Domus militiæ Templi, propter varias causas, sustulerit, & perpetuo suppofuerit interdicto, & eandem domum, cæterasque domus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, civitates, castra, villas, grangias, loca, possessiones, jurisdictiones, reditus, atque jura, omniaque alia bona, immobilia & mobilia, ac se moventia, cum omnibus juribus, membris, & pertinentiis suis, in universis & quibuslibet mundi partibus consistentia, quæ olim fuerunt Magistri & fratrum Ordinis illius, (hujusmodi bonis, in Regnis & terris Regum, Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum existentibus, ex certis causis, exceptis, & prædicti Domini Papæ, ac Apostolicæ Sedis ordinationi reservatis) Ordini Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani duxerit concedenda, applicanda & unienda, memoratoque Ordini Hospitalis prædicti, vel ipsius Procuratoribus, ejus nomine, infra certum tempus restituenda. Contra detentores dictorum bonorum, & restitutionem eorundem impedientes, graves censuras Ecclesiasticas statuendo; Et per literas suas bullatas, Nobis inde directas, Nos rogaverit exhortando, quod bona hujusmodi, infra Regnum & Dominium nostrum, præfato Ordini Hospitalis prædicti, vel ipsius Procuratoribus, ejus nomine, restitui facere curaremus: Nos, considerantes diversa damna & pericula, quæ per detentionem bonorum prædictorum, in Regno & Dominio nostris, si fieret, Nobis & eidem Regno, ac subditis nostris possent multipliciter evenire, quæ propter brevitatem temporis, infra quod hujusmodi restitutio fieri petebatur, non possent ea vice alias præcaveri: volentesque damna & pericula hujusmodi evitare, Domos, Ecclesias, villas, maneria, terras, reditus, loca, & alias possessiones quascunque, cum omnibus suis juribus & pertinentiis, quæ olim fuerunt dictorum, Magistri & fratrum prædictæ militiæ templi in prædictis Regno & Dominio nostris, facta prius per Nos quadam protestatione, pro conservatione juris nostri & subditorum nostrorum in hac parte, fratribus, Alberto de Nigro Castro, Magno Præceptori Domus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani prædicti & locum tenenti, citra mare Mediterraneum, Magni Magistri Hospitalis ejusdem, & Leonardo de Tibercis, Priori Venetiarum, Procuratori generali Hospitalis prædicti, nomine Hospitalis ejusdem, duximus liberando; salvo jure nostro & subditorum nostrorum quorumcunque, juxta vim & effectum protestationis nostræ supradictæ. Et ideo vobis mandamus, quod præfatis, Alberto & Leonardo, vel illi, aut illis, quem vel quos ipsi ad hoc per suas patentes Literas deputaverint loco sui, domos, Ecclesias, maneria, terras, reditus, loca & alias possessiones quascunque, cum suis juribus & pertinentiis universis, quæ fuerunt dictorum, Magistri & Fratrum Militiæ prædictæ in civitate & suburbio prædictis, & quæ in custodia vestra ex commissione nostra existunt, una cum bladis in terris seminatis & ornamentis Ecclesiarum illarum, sine dilatione aliqua liberetis, salvo jure nostro & subditorum nostrorum quorumcunque juxta vim & effectum protestationis nostræ prædictæ, sicut prædictum est: volumus enim vos inde ex nunc erga Nos exonerari. Teste Rege apud Westm. 28. die Novembris, per ipsum Regem.

Nota. Consimiles literæ directæ fuere Custodibus singulis de Domibus, Ecclesiis, Villis, Maneriis, Terris, Reditibus, locis, possessionibus quibuscunque cum suis juribus & pertinentiis universis, quæ fuerunt dictorum, Magistri & fratrum militiæ prædictæ, in Comitatibus Angliæ.

XXII.

Permutatio inter Hospitale S. Joannis Hierosolymitani, & Amadeum, Comitem Sabaudiæ, de domo quadam, prope Lugdunum sita, certisque reditibus, ex Viennesio percipiendis, facta; d. d. 15. Julii, Anno 1315.

NOs Amedæus, Comes Sabaudiæ, & Nos Franciscus de Monasterio, Præceptor Bisuntin. Guillelmus de Ulmo, Præceptor de Espessia, fratres Ordinis Sancti Johannis Jerosolymitani, notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod ex vigore & virtute nobis fratribus prædictis concessa per religiosum virum, fratrem Leonardum de Tibertis, dictæ sanctæ domus hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani Priorem Venetiarum, Visitatoremque in cunctis citramarinis partibus generalem, de facienda permutatione cum Nobis Comite supradicto de Domo dicti hospitalis, sita apud Lugdunum, quæ quondam fuit militia Templi, cum quibusdam pertinentiis, sitis juxta ipsam domum, & de quibusdam rebus, sitis apud Vulpilleriam, quæ sunt hospitalis prædicti, prout plenius de prædictis constat per literam sigillatam sigillo dicti fratris Leonardi, datam Parisiis die XV. mensis Octobris, Anno Domini MCCCXV. & ex vigore cujusdam Procuratorii nobis prædictis fratribus concessi pro prædictis permutationibus adimplendis per eumdem fratrem Leonardum, prout de prædicto Procuratorio constat per literam sigillatam sigillo ejusdem fratris Leonardi, datam apud Molins in Alvernia, die Veneris, quinta die mensis Martii, anno prædicto, super prædictis permutationibus faciendis unanimi consensu & voluntate, cura & examinatione præhabita diligenti, considerando maxime, quod Nos Comes prædictus utilitatem ipsius hospitalis facere volumus, personasque ipsorum & bona recommendata habere, convenimus & concordamus in modum, qui sequitur: Inprimis quod ex causa permutationis prædicta domus hospitalis apud Lugdunum sita, quæ quondam fuit militiæ Templi, una cum capella, grangiis, stabulis & ædificiis quibuscunque, vineis, hortis & aliis sitis infra clausum dictæ domus, quæ ad dictum hospitale pertinebant, prout protenditur juxta aquam Sagonæ, protendendo videlicet a clausura domus fratrum Prædicatorum inferius, versus domum de la Franchicheri via intermedia publica, & de la Franchicheri versus domos sancti Anthonii, existentes inter Laberour & domum Templi ex altera; & juxta dictas domos & hortum Sancti Anthonii ex altera; & juxta domos & hortum exeuntes versus domum Prædicatorum horto dicti templi contiguo ex altera, &c. ad dictum Comitem ejusque Successores pertineat & pertinere debeat pleno jure. In recompensationem prædictorum, Nos Comes prædictus eisdem dare & assetare convenimus triginta quinque libras terræ annui reditus, quæ assetari debebunt; videlicet pro eo valore reditus qui traditur Nobis dicto Comiti apud Vulpilleriam in Mandamento & infra Mandamentum Falaverii; residuum vero, quod ad domum Præceptoris Lugdunensis pertinere debebit, assignabitur & assetabitur vel infra Mandamentum Sancti Simphoriani, vel Sancti Georgii, vel Septimi, conventumque est, quod fiat assetamentum limitatioque, & terminorum impositio apud Vulpilleriam de iis, quæ Nobis dicto Comiti traduntur per religiosum virum, fratrem Guillelmum, Præceptorem domus Sancti Anthonii de Camberiaco, & Hugonem de Fayo positos ex parte nostra Comitis supradicti, & per Nos Præceptorem de Espessia prædictum, & Præceptorem domus Vulpilleriæ, positos ex parte hospitalis prædictorum. Et ut ex ipsa permutatione dictum hospitale locupletius habeatur, & ut cesset omnis materia quæstionis, ordinatum inter Nos & conventum fuit: videlicet, quod Præceptor Bellecombæ, qui est, & qui pro tempore fuerit, habeat pacifice & quiete in villa de Valencins, & in territorio, quod habet ibi hospitale prædictum Minuta Banna, Saysinas & Clamas septem solidorum Vienn. & infra, absque quod Nos Comes prædictus vel Successores nostri in ipsis Bannis aliquid petere vel reclamare possimus. In dicta vero villa & territorio merum & mixtum imperium & alta justitia in omni casu, in quo mors civilis vel naturalis, vel membri mutilatio seu fustigatio evenire deberet, una cum exitibus & obventionibus quæ occasione altæ justitiæ meri & mixti imperii ibidem evenire contigerit, ad dict. D. Comitem pertinebunt & Successores ejusdem. Quas quidem permutationes & omnia universa & singula supradicta, Nos dictus Comes pro Nobis & Successoribus nostris, & Nos dicti fratres, Franciscus & Guillelmus promittimus ad invicem bona fide, ac per juramenta nostra rata, grata habere perpetuo &c. Et Nos dictus Franciscus & Guillelmus facturos, quod Prior domorum hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani in Alvernia, & D. Prior major & superior dicti Ordinis prædicta omnia ratificabunt vice & nomine totius Ordinis - - - Asserentes Nos, dictus Franciscus & Guillelmus, dictam permutationem fore factam ex causis legitimis, & in evidentem utilitatem totius Ordinis supradicti, pro eo, quia præd. res & reditus per Nos traditæ dict. D. Comiti apud Vulpilleriam, sunt subditæ & suppositæ guerrarum periculis, propter quas dictus locus fuit destructus & quotidie destruitur, a quibus guerris & oppressionibus dict. ordo se defendere & tueri non potest, & prædicta domus, quæ sita est apud Lugdunum, dicto Ordini nostro parum vel nihil utilitatis consuevit afferre. Datum & actum sub sigillis nostris, die decima quinta Julii, Anno Domini MCCCXV.

Ratificatio Magistri Generalis Ordinis supradicti.

Noverint universi & singuli - - - Quod Nos frater Elionus de Villa-Nova, DEI gratia Sanctæ domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani Magister humilis & pauperum Christi Custos, visa permutatione, facta inter magnificum & potentem virum, D. Amedæum, bonæ memoriæ Comitem Sabaudiæ ex parte una; & in Christo Nobis carissimos fratres, Franciscum de Monasterio Bisuntinensis & Guillelmum de Ulmo de Espersia, dict. domus tunc Præceptores, nomine domus seu Reli-

ligionis ex altera; deducta in nostro Consilio examinataque in dicto Consilio per sapientes nostros, ac nonnullos fratres domus, qui plenam dicuntur habere notitiam de permutatione ipsa, & de omnibus, quæ pervenerunt in eadem; quæ quidem permutatio inventa est utilis & accommoda, fructuosa & proficua domui nostræ seu Religioni per sapientes ipsos & fratres proceres domus nostræ, Nobis in ipso Consilio assistentes, de consilio, voluntate & assensu Religiosorum in Christo Nobis carissimorum fratrum, Aymerici de Gureio Sancti Ægidii, Oddonis de Monte Acuto Alverniæ, Petri de Ungula Tolosæ, Leonardi de Thibertis Venetiarum, & Petri de Immola Urt. dict. domus Priores, & Artaudi de Sancto Romano de Casaleto, Petri Cornilhani, socii nostri de Manuacio, Jarentoni de Orchano, Senescalli nostri de Montilio, & Petri Vesiani Magistri scutiferi nostri Castri-Novi, & nonnullorum aliorum fratrum & Procerum domus nostræ Nobis assistentium in hac parte, eamdem permutationem & omnia & singula in ea contenta, tenore præsentium approbamus, confirmamus & ratificamus, prout melius de jure possumus & debemus, voluntate, & beneplacito Domini nostri, Domini Summi Pontificis in omnibus & per omnia salvis ac etiam reservatis &c. Datum Avinione per me Petrum de Imola, die penultima mensis Maji, anno ab Incarnatione Domini millesimo, tercentesimo vicesimo septimo, decimæ indictionis. Et in testimonium præmissorum, Nos frater Elyonius Magister præfatus præsentibus bullam nostram plumbeam in appenso apponi jussimus in fidem & testimonium præmissorum. Datum ut supra.

XXIII.

Conventiones inter Johannem Dalphinum, ac S. Johannis Hierosolymitani Hospitale, de quæstionibus variis, occasione quorundam jurium ac domorum, prope Eschirolium, Bellumriparium, & Regalem Montem sitarum, inter eos agitatis, initæ, d. d. 19. Mens. Aprilis, Anno 1317.

IN nomine Domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem M. CCC. XVII. Indict. XV. die XIX. mensis Aprilis coram me Notario & testibus infrascriptis, viri venerabiles, & discreti, ac etiam Religiosi, D. Frater Humbertus de Balma, Præceptor domus hospitalis Visiliæ, & D. Frater Artaudus Helye, Præceptor domus hospitalis de Chalma, Ordinis Sancti Johannis Jerosolymitani Procuratores generales & speciales constituti & creati per D. fratrem Leonardum de Tibertis, ejusdem Ordinis, tenens locum Reverendi Patris Domini Frat. Falconis de Villareto, DEI gratia Magistri prædictæ domus dict. hospitalis Sancti Johannis Jerosolymit. in Prioratu Venetiarum, ac Visitatorem generalem in cunctis partibus citramontanis, & ad faciendum permutationem domorum & jurium ac pertinentiarum earumdem Vallis-Aureæ, & Castri seu Juris, quod dict. hospitale habebat in castro Regalis-Montis cum Illustri & magnifico viro, Domino nostro Dalphino Viennensi, ac etiam constituti & creati per præfatum D. Leonardum ad petendum & recipiendum emendam & satisfactionem gravaminum, injuriarum, ac etiam dampnorum datorum, tam per ipsum D. Dalphinum & Officiales suos, quam per alios subjectos ejusdem D. Dalphini, in bonis, rebus, juribus & domibus antedictis, & etiam in cæteris bonis, rebus & juribus, quæ dict. hospitale habebat & habere poterat in Dalphinatu & in Baronia de Turre, & in tota terra submissa eidem D. Dalphino, & etiam ad petendum restitutionem bonorum occupatorum per dict. Dominum Dalphinum, officiales, & alios subditos suos, quæ bona fuerunt quondam Templariorum, & ex concessione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt hospitalariorum præd. &c. Item proposuerunt, quod idem D. Dalphinus & officiales sui, ac etiam alii subditi sui, aliis domibus dict. hospitalis, & juribus & pertinentiis dict. Domorum, sitarum infra terram, districtum & jurisdictionem præfati D. Dalphini multa gravamina intulerunt, & adhuc non cessant dict. hospitale gravare, &c. Quare supplicant præfati Procuratores, sibi de opportuno remedio provideri. Cum ipsi super prædictis haberent potestatem, sibi datam per præfatum D. fratrem Leonardum, ordinandi, finiendi, terminandi & emendam & recompensationem pro præmissis recipiendi &c. Cujus tenor talis est: Nos frater Leonardus de Tibertis, Sanctæ domus hospitalis Sancti Johannis Jerusalem humilis, Reverendi Patris, D. fratris Falconis de Villareto, DEI gratia Magistri dict. domus, in Prioratu Venetiarum locum tenens, ac visitator in cunctis citra montanis partibus generalis, notum facimus universis, quod nos, inspecta & considerata utilitate nostræ domus, & de consilio fratrum Nobis assistentium, religiosos viros & carissimos Nobis in Christo, Fratrem Humbertum de Balma, Præceptorem domus Visiliæ, & fratrem Artaldum Helye, Præceptorem Calmæ, exhibitores præsentium, facimus & constituimus & ordinamus Procuratores nostros generales & speciales ratione quarumdam permutationum domorum nostrarum Vallis-Aureæ & castri Regalis-Montis & pertinentiarum earumdem, faciendarum cum Magnifico viro, D. Johanne Dalphino Viennensi, nec non & aliorum gravaminum & injuriarum, quæ tam per ipsum quam per subditos suos in bonis nostris ipsarum partium illata sunt, & quotidie inferuntur. Dantes dict. Procuratoribus nostris plenariam potestatem & speciale mandatum, dict. permutationem tractandi, & pro dict. permutatione æquivalens escambium recipiendi &c. Datum & actum in Molinis in Arvernia, die Jovis post *Invocavit me*, anno Domini millesimo tercentesimo decimo quinto. Offerentes dict. Procuratores se paratos, præd. permutationes facere, & recipere valorem dict. bonorum permutandorum in recompensationem eorumdem, & etiam recipere emendam & satisfactionem aliorum damnorum datorum, & bonorum occupatorum prædict. ac etiam restitutionem congruam & decentem ad arbitrium bonorum virorum &c. Qui D. Dalphinus, auditis & intellectis propositis per præfatos Procuratores atten-

attendens, proposita & supplicata esse rationabilia, voluit, quod præd. permutationes fierent rationabiliter & æqualiter, & quod damna data, injuriæ & occupationes factæ, prout supra præmittitur, per dictos Procuratores emendentur eisdem hospitalariis &c. Quibus sic ordinatis prænominati Procuratores ex una parte Procuratorio nomine dicti hospitalis, & præfatus Dominus Dalphinus pro se hæredibus atque successoribus suis ex altera, tractatu proborum virorum communiter electorum ad permutationes præd. emendam, satisfactionem, declarationem, querimoniam prædictam pervenerunt &c. pacem, concordiam & transactionem fecerunt, ut sequitur. Imprimis præfati Procuratores - - - permutaverunt, & ex causa permutationis tradiderunt D. Dalphino præsenti & recipienti pro se & suis hæredibus, quidquid dictum hospitale habebat in Valle-Aurea, & in Castro Belli-Repayre & ejus Mandamento, & in Castro Regalis-montis & Mandamento ejusdem, tamen exceptis dumtaxat octo sextariis & emina frumenti censualibus, & sex libris decem & octo solidis cum quinque denariis census de censibus veteribus, qui census veteres restant ad dictum hospitale in Castro & Mandamento Belli-Repayre, tradiderunt inquam præfati Procuratores præfato D. Dalphino ex causa dict. permutationis omnia bona, jura, jurisdictiones &c. Versa vice præfatus D. Dalphinus in recompensationem dictorum bonorum, sibi ex causa permutationis traditorum per prædictos Procuratores, eisdem dedit Domum de Levata, sitam juxta Castrum de Aybeno in Graysivodano, exhoneratam a leprosis rendutis & a quolibet alio onere, excepto onere debito Prioratui de Domena &c. - - - confirmando idem D. Dalphinus omnes literas, omnia Privilegia, omnes declarationes concessas & concessa per ipsum D. Dalphinum, & Prædecessores suos in Dalphinatu, Rectoribus dictæ Domus de Levata, & specialiter Magistro Rodulfo, physico, quondam Gubernatori dictæ Domus - - - Item, cum prædecessores dicti D. Dalphini in dicto Dalphinatu dederint perpetuo domui Sancti Johannis Hospitalis de Visilia Mansum Veelent, cum jure quod habebat in dicto Manso, & Castellanus Visiliæ, & cæteri officiales Domini Dalphini impedirent Præceptorem dictæ Domus Visiliæ & familiares suos, quominus uterentur juribus suis - - - supplicaverunt dicto D. Dalphino, ut sibi placeret declarare jura dictæ Domus Visiliæ in dicto Manso, & quibus juribus Præceptor Domus Visiliæ, & sui familiares uti possint & debeant de cætero in dicto Manso & ratione dicti Mansi; hoc idem supplicaverunt de juribus, quæ habet dictum hospitale ratione domus de Eschiroliis in omnibus terris, feudis, nemoribus, hominibus, pascuis & cæteris bonis suis, quæ habet ratione dictæ Domæ de Eschiroliis, & quibus modis uti debeant. Qui D. Dalphinus, auditis supplicationibus - - - fecit suas declarationes; videlicet, quod Præceptor dicti Hospitalis de Visilia, & sui successores in dicta domo de Visilia per se, vel per alium de quæstionibus realibus rerum & bonorum, quæ tenentur ab ipsis in dicto Manso de Veelent, possint cognoscere & diffinire inter quoscunque, inter quos dictæ quæstiones reales vertantur - - - Item quod possint per dictum Mansum cum animalibus suis pasquayrare, pasquayragium recipere a debentibus eumdem, & animalia sua ibidem depascentibus, Bannerium ponere, bannimenta accipere, levare, exigere a comitantibus eadem, a septem solidis sex denariis inclusive usque ad unum denarium. Dampna data & danda in dicto Manso emendari facere, & pro dictis bannis & dampnis solvendis infra dictum Mansum pignorare res & bona dicti Mansi, quæ ab ipsis Hospitaleriis tenentur, & fructus crescentes in eisdem rebus & bonis, & infra eundem Mansum existentes, saysire & dissaysire possint. Cæterum vero Jurisdictionem, exceptis casibus prædictis, idem D. Dalphinus retinuit sibi in Manso prædicto, & in omnibus prædictis similiter ressortum & superioritatem &c. Item, declaravit, quod Præceptor dict. Domus de Eschiroliis per se vel per alium in omnibus feudis, rebus emphiteotecariis suis & dict. domus de Eschiroliis, & etiam de pascuis, de bannis, jurisdictione & aliis juribus ad dictam domum de Eschiroliis spectantibus utantur, & de cætero uti possit ac debeat, quemadmodum Præceptores dict. domus de Eschiroliis antiquitus per se vel per familiares suos usi fuerunt &c. Et expresse prohibuit tenore præsentis Instrumenti Castellano Gratianopolis & de Visilia, & cæteris Officialibus eorumdem locorum præsentibus & futuris, ne dictum Præceptorem de Eschiroliis impediant, turbent, seu molestent, quominus utatur & uti possit & valeat per se vel per alium de juribus prædictis, & aliis quibuscumque, quibus Præceptores dictæ domus de Eschiroliis per se vel per alium usi sunt & consueverunt antiquitus, antequam dicta domus de Eschiroliis ad manum dicti Domini Dalphini deveniret, vel eamdem domum idem D. Dalphinus teneret per se vel per alium. Item fuit actum inter partes prædictas, & specialiter per dictum D. Dalphinum concessum, quod si contingeret in futurum, aliquem vel aliquos facere, delinquere, committere aliquid in Dalphinatu & in Baronia de Turre, seu sub districtu jurisdictionis & Baroniæ dicti Domini Dalphini prædictæ, propter quod bona illius delinquentis confiscarentur, seu dicto Dalphino aut Curiæ suæ adjudicarentur, & ille vel illi sic condemnati, vel condemnatus aliqua bona immobilia tenebat in feudum seu emphiteosim a dicto Hospitali & de dominio ejusdem, quod illa bona, quæ sic tenerentur a dicto Hospitali, eidem Hospitali applicentur, & remaneant integraliter, & sine aliqua diminutione, talia, qualia essent tempore condempnationis. Quæ omnia universa & singula dictæ partes juraverunt tenere, & inviolabiliter observare. Actum apud Moyrencum in Capitulo Fratrum Minorum dicti loci, præsentibus testibus vocatis & rogatis, videlicet Domino Amedeo, Domino de Cusantiis, Domino Guillelmo Grinde, milite, Domino Guillelmo de Royno Ballivo Viennensi, D. Johanne de Sancto Valerio, Andrea Zuppi, & Domino Johanne de Heriis, Capellano.

XXIV.

Transactio inter Jacobum II. Arragonum Regem, & Ordinis Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani fratres, de bonis Templariorum, in Regnis laudati Regis sitis, ac memorato Ordini adjudicatis, Joanne XXII. Summo Pontifice, mediatore existente, instituta, d. d. 4. Idus Junii, Anno 1317.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Ad fructus uberes quos sacer Ordo hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitanensis & professores illius fidei orthodoxæ cultores industrii, & Christianæ religionis strenui defensores, hactenus in DEI Ecclesia sicut fortes athletæ illius, bella viriliter præliando dominica, ac quælibet pro recuperatione terræ Sanctæ præcipue contemnendo, quin etiam non verendo subire dispendia, produxerunt, & ipsos in futurum speramus divina opitulante gratia producturos, considerationis aciem convertentes, eo libentius eis in iis, quæ salutare suum circa promissa propositum efficacius exequi valeant & commodius adimplere, provisionis dexteram aperimus, quo majori desiderio cupimus, ut ipsius miserabilis terræ status, cujus compatienter deploramus angustias, a suis calamitatibus & pressuris, eorum & fidelium aliorum adjuta suffragiis DEO propitio relevetur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa V. Prædecessor noster, quondam Ordinem militiæ templi Hierosolymitanensis, propter nefandos errores ac scelera varia & diversa, quibus erant dicti Ordinis personæ respersæ, ipsiusque statum, habitum, ac nomen in Concilio Viennensi, eodem approbante Concilio, irrefragabili & perpetuo valitura sustulit sanctione illum, prohibitioni perpetuæ supponendo, ac inhibendo districtius, ne quis ex tunc dictum Ordinem vel habitum ejus suscipere seu deferre, vel pro Templario se gerere quomodolibet attentaret, bonis omnibus dicti Ordinis Apostolicæ Sedis ordinationi cum inhibitione & decreto auctoritate Apostolica reservatis. Demum vero idem Prædecessor attente considerans, quod fratres Ordinis hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitanensis, pro recuperatione maxime ipsius terræ sanctæ ducebant, sicut & ducunt, pericula quælibet in contemptum, post deliberationem super hoc cum fratribus suis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac Prælatis aliis, & nonnullis Principibus & illustribus viris, ac Prælatorum absentium, Capitulorum quoque atque conventuum, cathedralium Ecclesiarum & monasteriorum Procuratoribus, tunc in dicto Concilio constitutis, præhabitam diligentem, omnia bona prædicti quondam Ordinis Templariorum, quæ idem Ordo eo tempore, quo Magister & nonnulli ex fratribus dicti Ordinis in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini MCCCVIII. mense Octobri, per se vel per quoscunque alios habebat, tenebat, & possidebat ubilibet, vel ad ipsum Ordinem & prædictos Magistrum & fratres ipsius Ordinis pertinere poterant & debebant, prætacto Ordini hospitalis & ipsi hospitali donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit & annexuit in perpetuum de Apostolicæ plenitudine potestatis, bonis illis, quæ idem Ordo Templariorum in Regnis & terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Arragonum, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illustrium extra Regnum Franciæ habebat, seu possidebat, & ad eum poterant debite quomodolibet pertinere, duntaxat exceptis, quæ dictus Prædecessor nonnullis ex causis, quæ tunc pro parte Regum ipsorum prætensæ fuerunt, a donatione, concessione, unione, incorporatione, applicatione, & annexione, prædictis excepit specialiter & exclusit, ea nihilominus Apostolicæ dispositioni & ordinationi reservans. Postmodum autem, ne propter prætensionem causarum hujusmodi ordinatio prædictorum bonorum, in prædictis Regnis & terris existentium, teneretur diutius in suspenso, Prædecessor ipse certum peremptorium terminum dictis Regibus per Apostolicas literas assignavit, in quo per Procuratores, seu nuntios idoneos, plenum & speciale mandatum habentes ab eis, cum omnibus rationibus & munimentis ad causas pertinentibus memoratas, Apostolico se conspectui præsentarent, informaturi eum de causarum veritate & essentia prædictarum, suæque super illis ordinationis beneplacitum audituri. Cumque dictus Rex Arragonum propter hoc ad Prædecessoris ejusdem, & subsequenter ad nostram, postquam fuimus Domino permittente ad statum Apostolicæ dignitatis assumpti, præsentiam nuntios suos diversis vicibus destinasset, qui causas & rationes varias allegarunt, propter quas bona ipsa in Regno suo sistentia uniri & incorporari non posse memorato Ordini hospitalis absque ipsorum Regis & Regni evidenti præjudicio, & dispendioso periculo asserebant, tandem, post longam & diutinam altercationem super hoc habitam, cum dilecto filio, Nobili Viro Vitale, de Villa-nova, Nuntio & Procuratore dicti Regis Arragonum, ad hoc sufficiens, plenum & speciale mandatum habente, cujus equidem mandati copiam præsentibus inseri jussimus ad cautelam, ipsiusque Regis nomine consentiente, præsentibus quoque atque consentientibus, in quantum tangi poterant, dilectis filiis, fratribus Leonardo de Tibertis, Priore Venetiarum, generali Visitatore & generali Procuratore, ac multis ex Prioribus & fratribus dicti Ordinis Hospitalis, ejusdem Ordinis nomine, de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ plenitudine potestatis, in modum qui sequitur, duximus ordinandum. Cum enim illa fœda Saracenorum natio & impia, Christiani nominis inimica, in fronteria Regni Valentiæ, quod est ipsius Regis Arragonum, constituta, Regnum ipsum, ejusque fideles in summi Regis offensam per successus ab olim temporum diversorum angustiis, multarum tribulationum afflixerit, discriminibus subjecerit variis, & crudeliter propriam impietatem armaverit, sicut & adhuc armare conatur, in exterminium eorundem, Nos eidem Regi & Regno atque fidelibus adversus hujusmodi hostiles incursus prospici cupientes, monasterium in castro de Montesia Valentinensis diœcesis, infra dictum Regnum Valentiæ constituto, ad honorem DEI & exaltationem

nem

nem Catholicæ fidei, ac depressionem infidelium prædictorum ordinavimus de novo, ducti præsertim devota dicti Regis instantia, construendum, in quo fratres Ordinis Calatravensis, ad quos Rex ipse non parum affici dicitur, & de quorum strenuitate confidit, ut fertur, pro defensione dicti Regni Valentiæ, & fidelium incolarum ipsius ab hostium dictæ fidei vicinorum eisdem periculosis insultibus, collocentur, ut sic iidem Regnum & fideles eo ferventius dictis hostibus resistere valeant, quo plurium viribus conflatis in unum, majori potentia fulcientur. Cui quidem monasterio, plena super hoc cum eisdem fratribus nostris deliberatione præhabita, & de ipsorum consilio, ex causa præmissa, dicti Regis supplicationibus inclinati, bona immobilia omnia & singula quæcunque, & in quibuscunque sistentia, quæ dictus quondam Ordo Templi tempore captionis prædictæ habebat & habere debebat, & quicquid idem Ordo Hospitalis habet ad præsens, & ad eum pertinere potest & debet quacunque ratione vel causa in eodem Regno Valentiæ, ac etiam parochialem Ecclesiam dicti castri de Montesia, donanda, concedenda, unienda, incorporanda, applicanda in perpetuum duximus, ac etiam annectenda; domo cum Ecclesia, censibus ac reditibus, quos idem Hospitale S. Johannis in civitate Valentiæ & ejus territorio per mediam leucam circumcirca, & castro etiam, loco seu villa de Torrent dictæ Valentinensis diœcesis, cum juribus & pertinentiis suis, ab hujusmodi donatione, unione, incorporatione & applicatione duntaxat exceptis, quæ Hospitali prædicto volumus remanere, prout in nostris certi tenoris literis super hoc confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Cætera vero loca & possessiones, domos, Ecclesias, capellas, oratoria, monasteria, castra, villas, terras, fortalitia, & quæcunque alia bona immobilia, tam ecclesiastica quam mundana, nec non nomina, actiones, jura, jurisdictiones & honores, homines & vasallos quoslibet, quæ dictus quondam Ordo militiæ Templi, tempore captionis prædictæ, in eodem Regno Arragonum & terris aliis, Regi prædicto subjectis, habebat, possidebat, & habere poterat & debebat, & quæ ad illum poterant rationabiliter pertinere, quæve per dictum Regem Arragonum, vel alium quemlibet, detinentur in Regno & terris eisdem, assentiente dicto Vitale nomine dicti Regis, Ordini & Hospitali prædictis de prædictorum fratrum consilio & ejusdem plenitudine potestatis donamus, concedimus, unimus, incorporamus, annectimus & perpetuo applicamus; decernimus irritum & inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac volentes & expresse mandantes, ea omnia & singula Magistro, fratribus, Hospitali & Ordini sæpedictis, seu alii vel aliis pro eisdem per dictum Regem Arragonum & detentores alios quoslibet indilate restitui, assignari & reddi integraliter cum effectu. Volumus autem, & auctoritate præsentium ordinamus, pro plena securitate ipsorum Regis & Regni Arragonum, & ad propellenda imminentia sibi quæque pericula, quod Magister prædicti Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitanensis, aut Præceptor seu Castellanus loci Empostæ, in partibus Cataloniæ constituti, vel Commendator major, qui tam Hospitalis ejusdem, quam iis, quæ fuerunt quondam dicti Ordinis Templariorum bonis pro tempore in Regnis & terris, eidem Arragonum Regi subjectis, præfuerit, antequam administrationi hujusmodi bonorum se ingerat, coram dicto Rege, qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, si Regem ipsum tunc in aliquo Regnorum suorum, Arragoniæ videlicet, seu Valentiæ, aut Comitatu Barchinonensi (esse) contigerit, personaliter se præsentet, eique præstet juramentum, & homagium faciat in hunc modum, videlicet, quod ipse Magister aut Castellanus, vel Commendator fidelis erit eidem Regi, & per se vel alium nunquam aliquid faciet vel procurabit, vel fieri seu procurari consentiet publice vel occulte, propter quod eidem Regi & suis, vel Regnis aut terris ejus aliquod damnum valeat evenire; quod si forte sciret aliquid procurari vel fieri, quod in damnum dicti Regis, aut Regnorum seu terrarum ipsius esse, vel cedere posset, id eidem Regi, quam cito poterit, intimabit, vel faciet intimari, & nihilominus impediet juxta posse, quodque de castris, villis & locis aliis ac hominibus, quæ dictus Ordo hospitalis habet ad præsens vel habebit in posterum in Regnis & terris prædictis, nec non castris, villis, & locis aliis, ac hominibus, qui fuerunt quondam dicti Ordinis Templariorum, nunquam dicto Regi, vel subditis, Regnis & terris suis, eodem Magistro, seu Præceptore aut Castellano, seu Commendatore sciente nolente emendare aut ratum habente, aliquod damnum eveniet in futurum; quod si forte id sciverit vel senserit, totis impediet, viribus, & in quantum in eo fuerit, amovebit. Juramentum vero & homagium supradicta per dictum Magistrum vel Præceptorem aut Castellanum seu Commendatorem non ratione dictorum bonorum, sed ratione personæ præstantis, Regi præstari & fieri volumus supradicto, nullumque ipsi Regi ex juramento vel homagio sæpedictis in bonis eisdem quomodolibet jus acquiri. Quæ quidem juramentum & homagium idem Rex infra decem dierum spatium recipere teneatur. Quod si Rex ipse juramentum & homagium hujusmodi infra terminum ipsum forte recipere non curaret, liceat dicto Magistro aut Præceptori vel Castellano seu Commendatori absque displicentia & indignatione dicti Regis ab ipso Rege recedere, & officium præceptoriæ seu castellaniæ aut commendariæ bonorum hujusmodi exercere libere, & sicut pro utilitate dicti Ordinis sibi videbitur expedire, administrare plenarie in eisdem. Si vero in primo Magistri seu præceptoris, aut Castellani, seu Commendatoris ejusdem adventu ad Regna vel Comitatum prædicta dictum Regem, qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, ab ipsis Regnis & Comitatu abesse forte contingeret, idem Magister vel Præceptor, aut Castellanus, seu Commendator, locum tenenti dicti Regis teneatur præstare juramentum, & homagium facere supradicta. Eodem vero Magistro seu Præceptore, Castellano, aut Commendatore absente, locumtenens ipsius teneatur dicto Regi, si in aliquo dictorum Regnorum aut memorato Comitatu extiterit, alioquin ejusdem Regis locum tenenti, juramentum præstare & homagium facere, sicut superius est expressum. Et si contingeret fortassis inter-

 dum,

dum, quod prædictis bonis Magister aut Præceptor, seu Castellanus vel commendator aliquis, non præesset, locum tenens illius aut ille, qui bonorum ipsorum administrationem habuerit, præfato Regi vel ejus locum tenenti, ipso Rege a Regnis & Comitatu prædictis absente, juramentum præstet & homagium faciat supradicta. Inferiores quoque Præceptores hospitalis ejusdem, eorumque locum tenentes, cum Præceptores ipsos a dictis terris ejusdem Regis Arragonum absentes fore contingeret, antequam incipiant in bonis administrare prædictis, offerre juramentum & homagium hujusmodi dicto Regi, si ipse in aliquo dictorum Regnorum aut Comitatu, in quo præceptoria fuerit, præsens extiterit, alioquin locum tenenti ejus infra prædictum tempus præstare juramentum, & homagium facere hujusmodi teneantur. Quo elapso, sive dicta juramentum & homagium sint recepta, vel etiam non recepta, liceat prædictis inferioribus præceptoribus, vel ipsorum loca tenentibus, ad eorum loca redire, & absque displicentia vel indignatione Regis ejusdem, seu locum tenentis ipsius, in bonis administrare libere supradictis. Volumus tamen, quod tam Magister ipse, seu Castellanus aut Præceptor major prædicti hospitalis, seu locum tenens ipsius, eo absente, quam alii, qui fuerint sub eodem in Regnis & terris ejusdem Regis Arragonum, ad Curias ipsius Regis accedant, & ei & suis hæredibus & Successoribus omnia faciant, quæ ipsi iidem ac quondam templarii prædictæ ipsorum captionis tempore facere tenebantur, quodque dictus Rex Arrogonum omnia servitia & jura regalia, quæ tam ipse quam sui ab hospitalis & quondam templi Ordinum prædictorum fratribus, dum Ordo ipse templariorum subsistebat, nec non & hominibus atque bonis ipsorum habere consueverant temporibus retroactis, & habere noscuntur, a Magistro sive Castellano & fratribus Ordinis hospitalis habere valeat supradicti, ac eisdem Regi & suis in eisdem hominibus & bonis salva & illibata serventur & integra jura & servitia supradicta, nec super ipsis eidem Regi vel suis aliquod præjudicium generetur. Quæ omnia & singula idem Vitalis nomine Procuratorio dicti Regis Arragonum, nec non visitator, Procurator, Priores, & fratres dicti Ordinis hospitalis præsentes inibi, ejusdem Ordinis nomine, in quantum videlicet quælibet pars exinde tangebatur & tangi poterat & debebat, acceptaverunt & approbaverunt, expresse rata habuerunt & grata, nihilominus promittentes, se bona fide effecturos & curaturos, quod Rex & Ordo prædicti ea omnia & singula, prout ad unumquemque pertinebit, pertinere poterit & debebit, acceptabunt & approbabunt, rata habebunt & grata, eaque servare ac adimplere curabunt, ullo unquam tempore in contrarium non venturi. Tenor autem Procuratorii dicti Vitalis talis est: Nos Jacobus, DEI gratia Rex Arragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, ac Comes Barchinonæ, confidentes de fide, legalitate, & industria vestri dilecti, Consiliarii ac familiaris nostri, Vitalis de Villa-Nova, militis, cum testimonio præsentis publici Instrumenti constituimus & ordinamus, vos dictum Vitalem præsentem, & hanc procurationem sponte suscipientem, certum & specialem procuratorem nostrum ad tractandum, concordandum & conveniendum pro parte nostra cum sanctissimo in Christo Patre ac Domino, Domino Johanne, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifice, super ordinatione per ipsum Dominum Summum Pontificem facienda de bonis, quæ Ordo quondam templi habebat infra limites Regnorum & terrarum, nostræ ditioni subjectarum, & ad consentiendum nostro nomine ordinationi, de dictis bonis per dictum Dominum Summum Pontificem faciendæ, prout idem Dominus Summus Pontifex voluerit ordinare, & super hujusmodi ordinatione cum ipso Summo Pontifice poteritis concordare, & ad firmandum ex parte nostra quamcunque dispositionem seu ordinationem dictus Dominus Summus Pontifex fecerit, ut præmittitur, de bonis prædictis, & ad obligandum vos nostro nomine dicto Domino Summo Pontifici, quod ordinationem, jam dictam, faciendam per eum de bonis præmissis, tenebimus & sequemur per Nos & Successores nostros, nec contraveniemus eidem; dantes & concedentes vobis dicto Vitali potestatem plenariam & generalem administrationem, cum libera tractandi, concordandi, & conveniendi cum dicto Domino Summo Pontifice in prædictis, & consentiendi cuicunque ordinationi de ipsis bonis per eum, ut prædicitur, faciendæ, ac firmandi ordinationem prædictam, & in personam nostram admittendi & recipiendi, quæcunque spectaverint ex ordinatione jam dicta ad Nos & Regni nostri satisfactionem, & omnia alia faciendi in & super prædictis, prout vobis videbitur, quæcunque Nos in prædictis & eorum quolibet possemus facere, si præsentes essemus; ratum & firmum habere promittentes perpetuo per Nos & nostros, quicquid per vos dictum Vitalem nostro nomine in prædictis tractatum, concordatum, conventum, & firmatum fuerit, & nullo tempore revocare sub bonorum omnium nostrorum hypotheca. In cujus rei testimonium præsens scriptum inde fieri jussimus, sigilli Majestatis nostræ munimine roboratum. Quod actum est Barchinonæ XX. Kal. Martii, Anno Domini M. CCC. XVI. Signum Jacobi, DEI gratia Regis Arragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ, ac Comitis Barchinonæ, qui hæc concedimus & firmamus. Testes sunt, qui prædictis interfuerunt, Gondisalbus Garsiæ miles Consiliarius, Petrus Marci Thesaurarius, & Guillelmus Oulomarii, Judex curiæ Domini Regis prædicti. Signum mei Bernardi de Aversone, dicti Domini Regis Notarii, & publici etiam auctoritate sua per totam terram & dominationem ipsius Domini Regis, qui mandato suo hæc scribi feci, & clausi loco, die, & anno præfatis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis, donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applicationis, annexionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, IV. Idus Junii, Pontificatus nostri anno primo.

XXV.

Transactio ejusdem argumenti iterata, ac inter eosdem, mediante Johanne XXII. Pontifici Maximo, composita, d. d. 4. Junii, Anno 1317.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Pia matris Ecclesiæ cura de fidelium salute sollicita, sicut in palmitibus fidei Catholicæ dilatandis accensa caritatis ardoribus delectatur, solerter invigilat, & fructuosi operis prosecutione laborat, sic vias & modos diligenter exquirit, quibus hostium ipsius fidei conatus obviet, vires reprimat, & ii præsertim fidei Catholicæ cultores, quos loci vicinitas eisdem hostibus appropinquat, opportunæ tuitionis muniti præsidiis, ab eorum impugnationum incursibus juvante Domino præserventur. Dudum siquidem felicissimæ recordationis Clemens, Papa V. Prædecessor noster &c. *ut in præcedenti usque* infra dictum Regnum Valentiæ constituto de prædictorum fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ plenitudine potestatis ordinamus de novo ad honorem DEI & exaltationem Catholicæ fidei, ac depressionem ipsorum infidelium construi, in quo fratres &c. *usque* eisdem vicinantium periculosis insultibus debeant collocari, ut sic idem Regnum ac fideles eo ferventius &c. *usque* præhabita, & de ipsorum consilio ac ejusdem plenitudine potestatis, ducti præsertim dicti Regis instantia, ex nunc ex causa præmissa omnia & singula bona immobilia, quæcunque & in quibuscunque sistentia, nomina, actiones, jura, jurisdictiones, & honores, homines & vasallos quoslibet, quæ dictus quondam Ordo Templi tempore captionis &c. *usque* Regno Valentiæ, nec non parochialem Ecclesiam dicti Castri de Montesia auctoritate Apostolica donamus, incorporamus, applicamus, annectimus in perpetuum, & unimus; Domo tamen cum Ecclesia, censibus, & reditibus, quos idem Ordo hospitalis Sancti Johannis &c. *usque* volumus remanere, decernentes irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus concedentes Magistro & fratribus Ordinis supradicti, qui pro tempore fuerint, quod omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, & libertatibus gaudeant, quæ Magistro & fratribus ejusdem Ordinis, in dicto Regno Castellæ consistentibus, sunt ab Apostolica Sede concessa, quodque ipse Magister & fratres ejusdem Ecclesiæ de Montesia curam gerere valeant per idoneum Presbyterum, ipsius Ordinis professorem. Volumus autem, quod Magister & fratres ejusdem monasterii construendi, qui pro tempore fuerint, pro dictis bonis, ut prædicitur, concessis eisdem, ea, quæ dicti Hospitalis, & quondam Templariorum fratres facere debebant, cum bona tenebant prædicta, facere teneantur, quodque dictus Rex Arragonum omnia servitia & jura regalia, quæ tam ipse, quam sui ab Hospitalis & quondam Ordinis Templi prædictorum fratribus, dum Ordo ipse Templariorum subsistebat, nec non & hominibus atque bonis ipsorum habent & habere consueverant, temporibus retroactis habere valeat a Magistro & fratribus prædicti monasterii construendi, sibique & suis in eisdem hominibus & bonis salva & illibata serventur & integra jura & servitia supradicta, nec super ipsis eidem Regi, vel suis aliquod præjudicium generetur. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quod præfatum monasterium taliter construendum eidem Ordini de Calatrava hoc sit modo subjectum, videlicet, quod Magister ipsius Ordinis de Calatrava, qui est, & qui pro tempore fuerit, possit per se, vel per alium seu alios, dictum monasterium semel in anno vel pluries, si necesse fuerit, visitare, & in eodem corrigere, quæ fuerint corrigenda, ita tamen, quod ipse Magister de Calatrava, cum voluerit in eodem novo monasterio hujusmodi visitationis officium exercere, diem adventus ejus dilecto filio, Abbati monasterii sanctarum crucum Ordinis Cisterciensis, Terraconensis diœcesis, per tantum tempus ante ipsius Magistri vel illius, quem ipse Magister ad ipsius visitationis officium destinabit, debeat nuntiare, quod idem Abbas sanctarum crucum ipso die adventus præfati Magistri, vel illius, quem ad hoc idem Magister, ut prædicitur, destinabit, pro visitatione prædicta possit esse paratus, vel si forsan ipse vacare non posset, dilectus filius Abbas monasterii de Valledigna, ejusdem Cisterciensis Ordinis Valentinensis diœcesis, valeat in dicta visitatione cum dicto Magistro, vel alio pro visitatione hujusmodi destinando, suam præsentiam exhibere, nec Magister ipse in eodem monasterio noviter construendo, absque consilio & assensu alterius Abbatum prædictorum correctionem vel ordinationem possit aliquam exercere. Quod si forte neuter Abbatum ipsorum ad præfatum monasterium novum die visitationis hujusmodi posset accedere, dicto Magistro visitationem exercere liceat supradictam. Volumus autem, quod administratores novi monasterii supradicti Abbati & Magistro de Calatrava pro personis & equis eorum, dicta visitatione durante, teneantur in victualibus providere. Cæterum provisionem de primo Magistro dicto novo monasterio faciendam dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ reservamus. Qui cum creatus extiterit, recipiendi fratres ibidem, quot voluerit & viderit expedire, plenam & liberam habeat potestatem; ad quorum informationem iidem Magister & Abbas ejusdem monasterii sanctarum crucum decem fratres ejusdem Ordinis de Calatrava in eodem Ordine approbatos, de quibus eis visum fuerit, convocabunt. Statuimus etiam auctoritate prædicta, quod Magistro ipsius novi monasterii, qui pro tempore fuerit, cedente, vel etiam decedente, conventus seu fratres ejusdem monasterii eligendi sibi & eidem monasterio Magistrum aliquem de ipso Ordine Calatravensi liberam infra trium mensium spatium ad tardius habeant facultatem; qui eo ipso quod electus extiterit, pro confirmato, si in plena concordia electus fuerit, habeatur, & sine confirmatione alia libere administret. Quod si forte idem conventus & fratres infra dictum tempus Magistrum non elegerint antedictum, præfatus Magister de Calatrava cum consilio & assensu alterius Abbatum prædictorum possit de Magistro dicto novo monasterio providere. Cætera vero bona

bona omnia & singula, quæ dictus quondam Ordo militiæ Templi tempore captionis prædictæ in eodem Regno Arragonum & terris aliis Regi prædicto subjectis habebat, possidebat, & habere poterat & debebat, & quæ ad illum poterant rationabiliter pertinere, quæve per dictum Regem Arragonum vel alium quemlibet detinebantur & detinentur in Regno & terris eisdem, assentiente prædicto Vitale nomine dicti Regis, ordini & Hospitali prædictis donanda, concedenda, unienda, incorporanda, annectenda duximus & perpetuo applicanda, certis modis adjectis, quos pro plena securitate ipsorum Regis & Regni Arragonum ad propellenda imminentia sibi quæque pericula vidimus expedire, prout in nostris certi tenoris literis super hoc confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Quæ omnia & singula idem Vitalis nomine procuratorio dicti Regis Arragonum, nec non visitator &c. usque hanc paginam nostræ ordinationis, donationis, incorporationis, applicationis, annexionis, unionis, voluntatum, constitutionum, concessionis & reservationis infringere &c. *ut in alia.* Datum Avenione IV. Idus Junii, Pontificatus nostri anno primo.

XXVI.

Declaratio Johannis XXII. Pontif. Max. de annalium beneficiorum vacantium perceptione, in favorem Equestris S. Johannis Hierosolymitani Ordinis promulgata, d. d. Kal. Mart. Anno 1318.

JOhannes Papa XXII. Magistro & Fratribus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani. Exhibita Nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dudum post constitutionem per Nos editam, qua specialiter & expresse cavetur, quod habentes annalia in Ecclesiis, de consvetudine, privilegio, vel statuto, qui ratione dictorum annalium fructus primi, vel secundi, vel alterius cujuscunque sequentis anni beneficiorum vacantium, ubi hactenus in totum vendicaverant, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consvevit in decimæ solutione taxari, prætextu cujusvis privilegii, consvetudinis, vel statuti, quovis modo perciperent, sed ipsius summæ perceptione duntaxat deberent esse contenti, totali residuo prædicta obtinentibus beneficia remansuro, nisi forsan illi, qui fructus illos soliti essent cum integritate percipere, mallent ipsum habere residuum, & obtinentibus beneficia dimittere summam memoratam, quo casu percipiendi quod mallent, erat eis optio derelicta. Quandam aliam declaratoriam constitutionem fecimus, in qua specialiter cavebatur, quod si hujusmodi beneficium obtinentes, in Ecclesia, in qua specialiter illud beneficium existeret, minime residerent, ad debitum servitium impendendum, Capitulo ejusdem Ecclesiæ deberet accrescere, cum cessante causa cessare deboat pariter quod vigebat. Quodque ex verbis declarationis hujus satis innui videbatis, quod fructus beneficiorum non residentium accrescere debeant habentibus annalia memorata. Verum ex eo, quod in declaratione dicta non continetur expresse de perceptione annalium beneficiorum vacantium vobis debitorum, de prædictis consvetudine, privilegio, vel statuto, quoad fructus non residentium in eisdem, qui vobis accrescere debent, nullum adhuc commodum assequi potueritis, licet, ut præmittitur, dicti fructus Capitulo non accrescant. Quare Nobis humiliter supplicastis, ut, quod in hujusmodi declaratione nostra tacite innuitur, declarare expressius dignaremur. Nos itaque petitionem vestram juri consonam æstimantes, ac propterea in hac parte quieti & indemnitati vestræ providere volentes, præsenti oraculo declaramus, quod fructus prædictæ Ecclesiæ, vel beneficii vacantis, cujus annalia, in quibus consistunt, debentur vobis ex privilegio, consuetudine, vel statuto, etiam pro ea parte, quæ obtinentibus præbendam, vel beneficium hujusmodi (si in Ecclesia, ubi illa consistunt, personalem residentiam facerent) deberetur, si non resideant ibidem vere, vel interpretative, utpote per speciale privilegium Apostolicum, vel alias ex causa rationabili ab hujusmodi residentia legitime excusentur, cum dicta pars (ut præmittitur) Capitulo non accrescat, vobis accrescere debet secundum intentionem & mentem declaratoriæ memoratæ. Nulli ergo &c. Datum Avenione, Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

XXVII.

Breve Johannis XXII. Pontificis Maximi, ad Eduardum II. Angliæ Regem, datum, in quo eum paterne rogat atque hortatur, velit, pro ea, qua valeat, autoritate, efficere, ut domus atque bona, quæ ad Ordinis Templi milites in Angliæ Regno olim pertinuerunt, Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini plene integreque restituatur, d. d. 10. Kal. Jun. Anno 1322.

JOhannes Episcopus, Servus servorum DEI, charissimo in Christo filio, Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum post sublatum quondam ordinem Militiæ Templi Jerosolimitani, in generali Concilio Viennensi, felicis recordationis, Clemens Papa V. Prædecessor noster, sicut ad communem omnium notitiam credimus pervenisse, volens de bonis ipsius Ordinis salubriter ordinare; Eodem approbante Concilio, domum ejusdem Militiæ Templi, cæterasque domos, Ecclesias, capellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias, loca, possessiones, jurisdictiones, reditus atque jura, omniaque alia bona mobilia & immobilia, vel se moventia cum omnibus membris, juribus & pertinentiis suis ultra & citra mare, ac in universis & quibuslibet mundi partibus consistentia; Quæ ordo ipse, ac Magister & fratres ejusdem Ordinis Militiæ Templi, tempore, quo idem

idem Magister & nonnulli ex eisdem fratribus communiter capti fuerant, per se, vel quoscunque alios habebant, tenebant & possidebant, vel ad eosdem domum & Ordinem, & ad dicto Magistrum & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant; Nec non & actiones ac jura, quæ dictis domui, Ordini, vel personis ipsius, quomodolibet competebant, vel competere poterant, contra quoscunque, cujuscunque dignitatis, status, vel conditionis existerent, cum omnibus indulgentiis, privilegiis, immunitatibus & libertatibus, quibus præfatus Magister, & fratres dictorum domus & Ordinis, ac ipsi, domus & Ordo, per Sedem Apostolicam, vel Catholicos, Imperatores, Reges, ac Principes & fideles alios, vel quocunque modo, erant legitime communiti; Ordini ejusdem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani & ipsi Hospitali; quibusdam tamen ex dictis bonis in certis locis consistentibus, tunc per Prædecessorem eundem exceptis; quæ Nos postmodum, ad apicem summi Apostolatus assumti, præter quædam ex eis, de quibus aliter duximus ordinandum eisdem, Magistro & Fratribus ac Hospitali Sancti Johannis Jerosolymitani, de fratrum nostrorum consilio, modo simili duximus concedenda; Donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit & annexuit in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis. Qualiter etiam idem Prædecessor occupatores dictorum bonorum, ac illicitos detentores, cujuscunque status, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis existerent, etiamsi Pontificali, vel Regali dignitate fulgerent, nisi infra unius Mensis spatium, postquam per eosdem Magistrum & fratres, vel ipsorum quemlibet, aut procuratores eorum, ipsorum nomine, requisiti fuissent, dicta bona plene, libere & expedite dimitterent, ipsis, in quibuscunque partibus & pertinentiis constitutis, & eorum singulis, vel procuratoribus eorundem, nomine Hospitalis & ordinis prædictorum; Nec non & omnes, qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione vel detentione hujusmodi darent consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis; Capitula vero, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum, nec non & universitates civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum; & ipsa, civitates, castra, villas & loca, quæ in his culpabilia existerent, & etiam civitates, castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si iidem Domini temporales, in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro & fratribus Ordinis Hospitalis ejusdem, nomine Hospitalis ipsius, obstaculum exhiberent, & infra dictum Mensem ab hujusmodi præmissis non desisterent, postquam super hoc, ut præmittitur, requisiti forent, interdicti, sententiis ipso facto subjacere decrevit, a quibus absolvi non possent, donec super his plenam & debitam satisfactionem exhibere curarent. Et nihilominus occupatores & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium vel favorem, sive singulares personæ sive Capitula, Collegia seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ac universitates civitatum, castrorum, terrarum vel aliorum locorum existerent, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ a Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscunque tenerent in feudum, esse privatos, seu privata, ipso facto decrevit; ita quod ad Ecclesias, ad quas illa spectabant, reverterentur libere & sine contradictione quacunque, ipsarumque Ecclesiarum Prælati, sive Rectores de ipsis, pro sua voluntate disponerent, sicut utilitati ipsarum Ecclesiarum cognoscerent expedire. Et licet Tu, Progenitorum tuorum succedens virtutibus, qui Ecclesiæ Romanæ ordinationibus & Mandatis semper humiliter paruerunt, ad requisitionem ipsorum Magistri & fratrum, facta tibi de concessione hujusmodi & aliis præmissis fide plenaria, omnia præfata bona dicti quondam Ordinis Templi, in Regno & terris tuis consistentia, tanquam devotus Ecclesiæ filius, Magistro & fratribus ac Hospitali prædictis obeditione pura & libera dimisisses, eaque omnia expedita per alios Regni tui dimitti mandasses; Nonnulli tamen Comites, & Barones, Nobiles, milites, universitates civitatum, castrorum & alii laici, &, quod gravius mentem nostram amaricat, aliæ personæ Ecclesiasticæ, quæ se deberent pro fratribus ipsis murum defensionis opponere, præfatas sententias non verentes, ad dicta bona concessa, ut prædicitur, pro tam salubri negotio, Magistro & fratribus supradictis, extendentes rapaciter manus suas, ea, sicut ex ipsorum Magistri & fratrum dolorosis audiveramus relatibus, occuparant hactenus violenter, & detinebant violentius occupata, sicut adhuc detinere noscuntur in animarum suarum perniciem, grave damnum Hospitalis ejusdem, ac Terræ Sanctæ præcipue, ad cujus subsidium deputata, ut prædicitur, fore noscuntur, non modicum detrimentum; nonnullis Executoribus, eisdem Magistro & fratribus, super eisdem bonis & sententiis supradictis per prædecessorem deputatis eundem, &, quod deterius est, per eosdem Magistrum & fratres requisitis frequenter, in ipsorum manifestam injuriam & Apostolicæ Sedis contemptum, procedere non curantibus in præmissis. Propter quod, cum nostra interesset, sicut & interest, in prædictis auxiliatrices manus apponere, quibus specialiter inest ipsius Terræ Sanctæ cura præcipua, cujus oppressiones, DEO teste, Nos opprimunt, & ad recuperationem ipsius intentis desideriis aspiramus; ac de tali super occupationibus ipsis, volentes remedio subvenire, quod tam salubris negotii, videlicet Terræ prædictæ subsidii, tolleretur cujuslibet causa, & concessio dictorum bonorum, facta per Sedem eandem, debitum sortiretur effectum, & occupatores hujusmodi a suis illicitis resipiscerent actibus, ipsosque sequeretur pœna condigna. Venerabilibus fratribus nostris, Cantuariensi & Eboracensi Archiepiscopis, ipsorumque suffraganeis, in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, quam eos & quemlibet eorum, postquam hujusmodi mandatum nostrum pervenisset ad eos, incurrere voluimus ipso facto, si mandatis Apostolicis in hac parte negligerent obedire, per diversas dedimus literas in mandatis, ut omnes & singulos in eorum Civitatibus & Diœcesibus constitutos, cujuscunque status vel conditionis existerent, quos invenirent bona occupasse, vel occupata tenere prædicta, per se vel per alios, publice vel occulte, peremtorie monere curarent, ut infra unius Mensis spatium, post monitionem ipsorum, ea omnia & singula, in quibuscunque consisterent, & quocunque nomine censerentur, cum fructibus inde perceptis, & qui medio tempore percipi potuerunt, Magistro & fratribus, ac Hospitali

Hospitali restituerent supradictis, alioquin, si infra dictum terminum hujusmodi monitioni humiliter & effectualiter non parerent, occupata per eos, vel ipsorum nomine cum fructibus inde perceptis, ut prædicitur, non dimittendo libere Magistro & fratribus antedictis, ipsos omnes & singulos, cujuscunque status, ordinis, vel conditionis exiterent, quantacunque dignitate fulgerent, ex tunc autoritate nostra excommunicationis: Capitula vero, Collegia, seu conventus Eccles. & Monaster. nec non & universitates civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum; & ipsa, civitat. castra, villas & loca, quæ in his culpabilia forent, vel in quibus occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si infra dictum Dominium, post mentionem hujusmodi bona non restituerent, ut præmittitur, ante dicta, ipso facto decernerent interdicti, sententiis subjacere. Et, ad majorem ignominiam eorundem, dictas sententias & alias pœnas per prædecessorem eundem, ut prædicitur, promulgatas, denunciarent incurrisse, & facerent ab aliis nunciari & ab omnibus arctius evitari, donec restituerent, cum integritate præmissa, & mererentur absolutionis beneficium obtinere. Et licet postmodum dictum mandatum nostrum Archiepisc. & Suffraganei memorati diligenter fuerint executi, nonnulli tamen, sicut ex conquestione Magistri & fratrum prædictorum accepimus, prætextu quarundam Appellationum, ad Sedem interjectarum frivole, & inhibitionum, quas injuste super his fieri procuraront, præfata bona injuste & indebite retinebant, illaque dictis Magistro & Fratribus, quamvis dictæ Ordinationi Celsitudo Regia paruisset, dictisque Magistro & fratribus bona dimisisset, eadem reddere non curabant. Propter quod Archiepiscopi & Suffraganei memorati denunciarunt eosdem, juxta prædicti mandati nostri tenorem, dictas pœnas & sententias incurrisse, quas diu sustinuerunt, sicut & adhuc sustinent animis induratis, in propriæ salutis dispendium & scandalum plurimorum. Postmodum autem Nos, volentes detentorum ipsorum malitiis obviare, Archiepiscopis & Suffraganeis supradictis, sub eisdem pœnis per alias diversas nostras dedimus literas in mandatis, ut omnes & singulos Domorum & aliorum prædictorum bonorum detentores, in eorum Civitate & Diœcesi consistentes, quibusvis affectu, favore & timore sepositis, ad restitutionem domorum & bonorum ipsorum, per aggravationem pœnarum & sententiarum earundem, appellationibus & inhibitionibus memoratis nequaquam obstantibus, compellere procurarent. Cum igitur, dilectissime fili, hujusmodi restitutionis nondum fuerit debitus subsecutus effectus, Nosque illam pro Terræ sanctæ commodis, ad quæ desiderantes aspirare te novimus, intentis desideriis affectemus: Magnificentiam Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, & per misericordias ejus, qui terram ipsam aspersione sui pretiosissimi sangvinis pro humani salute generis consecravit, instantius obsecramus, quatenus domos & bona prædicta præfatis, Magistro & fratribus sic plene, sic integre, pro divina & Apostolicæ Sedis ac nostra reverentia, restitui facias cum effectu, detentores ipsorum, Laicos videlicet, ad restitutionem eorum integram, prout expediens fuerit, compellendo; & super his, Archiepisc. & suffraganeis memoratis, favoribus & auxiliis opportunis, nec non & per potentiam Brachii secularis, si opus fuerit, assistendo, quod dicti Magister & fratres eorum in hac parte jura plenius assequantur; tibi proinde apud eum, qui pro minimis grandia recompensat, augeatur cumulus meritorum, humanæ laudis crescant præconia, & a Nobis condigna proveniat actio gratiarum, Nosque pro restitutione bonorum hujusmodi non oporteat amplius laborare. Dat. Avinion. dec. Kal. Jun. Pontif. nostri Anno sexto. Sigillo avulso.

XXIIX.

Richardi II. Angliæ Regis, Privilegiorum quorundam, Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini ab Angliæ Regibus concessorum Confirmatio, d. d. 20. Novembr. Anno 1386.

Rex omnibus, ad quos &c. Salutem.

INspeximus literas patentes de confirmatione, quas Johannes Dominus de Nevill, nuper Locumtenens noster in partibus Aquitaniæ, fieri fecit, sub sigillo, quo utimur in partibus illis, in hæc verba:

Johannes Dominus de Nevill, Locumtenens in partibus Aquitaniæ pro Illustrissimo Principe & Domino nostro, Domino Ricardo, DEI gratia Franciæ & Angliæ Rege.

Universis & singulis Senescallis, Judicibus, Prælatis, Baronibus, Præpositis, Executoriis, Majoribus, Submajoribus, & Juratis civitatum & Villabus, Custodibus portuum, pontium & passagiorum, Justiciariis, Officiariis, & Ministris, aliisque fidelibus subditis dicti Domini nostri Regis, & nostris in toto Principatu, seu Dominis, qui nunc sunt, & qui pro tempore fuerint, ad quos præsentes literæ pervenerint, vel eorum loca tenentibus, salutem.

Venientes ad Nos Religiosi viri, frater Arnaldus de la Cal, & Deodatus Ymbard, Ordinis Sancti Johannis Jerusalem, moram trahentes in Domo Pontis Sancti Johannis Burdegalæ dicti Ordinis, quasdam patentes literas Privilegiorum dicti Ordinis, ipsi concessas per claræ & Illustris memoriæ Dominum E. quondam Regem Angliæ, Dominum Hiberniæ, & Ducem Aquitaniæ, sigillo suo magno impendenti, cum cera viridi, & laqueo cirico, viridis & rubei coloris, sigillatas, Nobis die hodierna infra scripta exhibuerunt & præsentaverunt, quas Nos ab eisdem cum debitis reverentia & honore recepimus, tenorem qui sequitur, continentes:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis, & fidelibus suis, *salutem*.

Inspeximus cartam confirmationis, *quam nuper* sub sigillo, quo tunc utebamur, fecimus DEO, & beatæ Mariæ, & Sancto Johanni Baptistæ, & fratribus hospitalis Jerusalem, in hæc verba:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus,

bus, Justitiariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis & fidelibus suis, salutem.

Inspeximus Cartam Confirmationis, quam Dominus E. nuper Rex Angliæ, Pater noster, fecit DEO, & Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni Baptistæ, & fratribus hospitalis Jerusalem in hæc verba:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis & fidelibus suis, salutem.

Inspeximus Cartam Confirmationis, quam claræ memoriæ Dominus Edwardus, quondam Rex Angliæ, Pater noster, fecit DEO, & Beatæ Mariæ & Sancto Johanni Baptistæ, & fratribus hospitalis Jerusalem in hæc verba:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis & fidelibus suis, salutem.

Inspeximus Cartam, quam celebris memoriæ Dominus Henricus, quondam Rex Angliæ, Pater noster, fecit DEO, & Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni Baptistæ, & fratribus hospitalis Jerusalem, in hæc verba:

Henricus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Forestariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis, & fidelibus suis, salutem.

Sciatis, Nos concessisse, & præsenti Carta nostra confirmasse, DEO & Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni Baptistæ, & fratribus hospitalis Jherusalem omnes donationes rationabiles terrarum, hominum, & eleemosynarum, eis a prædecessoribus nostris, vel ab aliis in præterito, vel a Nobis in præsenti collatas, vel in futurum, a Regibus, vel ex aliorum liberalitate, conferendas, vel alio modo adquisitas, vel adquirendas, tam in Ecclesiis, quam in rebus & possessionibus mundanis;

Quare volumus, & firmiter præcipimus, quod prædicti fratres, & eorum homines, omnes possessiones & eleemosynas suas habeant & teneant, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus, & quietantiis suis, in Bosco & Plano, in pratis & pasturis, in aquis & molendinis, in viis & semitis, in stagnis & muariis, in maricis & piscariis, in grangiis & virgultis, infra Burgum & extra, cum Sock, et Sack, et Thorp, et Theam, et Infangenethef, et Utfangenethef, et Hamsock, et Gridbrith, et Blodwyte, et Fidhwyte, et Flitwyte, et Fredwyte, et Hengwyte, et Leyrwyte, et Flemenefryth, et Murdro, et Latrocinio, et Forstal, et Ordel, et Oreste, infra tempus et extra, et in omnibus locis, et cum omnibus causis, quæ sunt vel esse possunt.

Concedimus etiam in perpetuum, quod prædicti fratres quieti sint de omnibus Misericordiis, & quod ipsi & omnes homines sui liberi sint ab omni Scoto & Geldo, & omnibus auxiliis Regum, Vice Comitum, & omnium ministerialium eorum, & Hidagio & Carrutagio, & Danegeld & Hornegeld, & Exercitibus & Wapentachiis, & Scutagio, & Tallagio, & Lestagio, & Stallagio, Schiris, & Hundredis, placitis & querelis, & Warda, & Wardepeny, & Averpeny & Hundredpeny & Borghalpeny, & Thethyngpeny, & de omnibus operibus castellorum, parcorum, & pontium, clausuris, & omni Carreio, & Summagio, & navigio, & domuum Regalium ædificatione, & omnimoda operatione; Et prohibemus, ne Bosci eorum ad prædicta opera, vel ad aliqua alia ullo modo capiantur; & similiter Bladum eorum, vel hominum suorum, vel aliquid de rebus suis, vel hominum suorum ad castella munienda, non capiantur: volumus etiam, quod libere & sufficienter, sine qualibet occasione, capiant de omnibus Boscis suis, ad usus domus suæ, quandocunque voluerint, nec propter hoc in Forisfacto de Vasto, vel in Misericordia ponantur; omnes quoque terras et Assarta sua, et hominum suorum, jam facta, et quæ imposterum fient assensu Regio, eis Imperpetuum Quietum clamamus de Vasto, Regwardo, et de Visu Forestariorum, et omnibus aliis consuetudinibus:

Concedimus insuper eisdem fratribus, quod de omnibus Boscis suis, quos habent in præsenti infra Metas Forestæ, possint assartare et excolere sine licentia nostra, vel Hæredum nostrorum, vel Ballivorum nostrorum facta, quod inde in nullo a Nobis, vel Hæredibus nostris, in perpetuum occasionentur; et quod ipsi, et homines sui proprii, quieti sint de expeditatione Canum suorum in perpetuum.

Præcipimus etiam, quod ipsi fratres Hospitalis, et omnes homines sui, liberi sint et quieti ab omni theolonio in Foro, et in omnibus nundinis, et in omni transitu pontium, viarum et maris, per totum Regnum nostrum, et per omnes terras nostras, in quibus libertates eis dare possumus; et omnia mercata sua et hominum suorum sint similiter, in prædictis locis, ab omni theolonio quieta:

Concedimus etiam eis, & confirmamus, quod, si aliquis hominum suorum, pro delicto suo, vitam, vel membrum debeat amittere, vel fugerit, & Judicio stare noluerit, vel aliud delictum fecerit, pro quo debeat Catalla sua perdere, ubicunque justitia fieri debeat, sive in Curia nostra, sive in alia Curia, ipsa Catalla sint prædictorum fratrum, & liceat ipsis fratribus, sine disturbatione Vice Comitum, & omnium Ballivorum nostrorum, & aliorum, ponere se in seisinam de prædictis Catallis, in prædictis casibus & aliis, quando Ballivi nostri, si ad Nos pertinerent, Catalla illa in manum nostram ea seisire possent & deberent.

Insuper concedimus, quod animalia, quæ dicuntur Wayft, inventa in Feodo hospitaliorum, sint ipsorum fratrum, nisi aliquis ea secutus fuerit, qui velit & possit probare, quod sua sint, & nisi fuerint infra terminos competentes, secundum consuetudinem patriæ petita & secuta; & si aliquis tenentium prædictorum fratrum Feodum suum foris fecerit, liceat ipsis fratribus ponere se in seisinam de ipso Feodo, & ipsum Feodum cum pertinentiis suis possidere, non obstante eo, quod Nos consuevimus Feoda damnatorum & fugitivorum per unum annum & unum diem possidere; similiter, si aliquis hominum suorum sit Amerciatus erga Nos vel Ballivos nostros, pro quacunque causa, vel debito, vel forisfacto, Mercia & Amerciamen-

ciamenta pecuniæ ſint collecta, et in una Burſa ad Scaccarium noſtrum portata, et prædictis fratribus ſint ibidem liberata; ſervata Regiæ poteſtati juſtitia mortis et membrorum.

Concedimus inſuper eis, quod, licet aliqua libertatum contentarum in hac Carta, per temporis diuturnitatem, quocunque caſu contingente, uſi non fuerint, nihilominus tamen libertate eadem de cætero utantur ſine aliqua contradictione; non obſtante eo, quod per temporis diuturnitatem, ea uſi non fuerint, ſicut prædictum eſt.

Hæc autem omnia prædicta, et omnia alia ſervitia ſecularia, et conſuetudines, quæ in hoc ſcripto non comprehenduntur, eis concedimus et confirmamus in perpetuam eleemoſynam, cum omnibus libertatibus et liberis conſuetudinibus, quas Regia poteſtas liberiores, alicui Domui Religionis conferre poteſt, pro DEI amore, et pro anima Domini Johannis Regis, Patris noſtri, et pro animabus omnium Anteceſſorum et Succeſſorum noſtrorum.

Et prohibemus inſuper forisfactum noſtrum, quod nullum eis, vel hominibus ſuis, contra hanc cartam noſtram in aliquo forisfaciat, quia ipſos & omnes res & poſſeſſiones ſuas, & omnium hominum ſuorum, in cuſtodiam & ſpecialem protectionem noſtram ſuſcipimus;

Hiis Teſtibus,

Venerabili Patre, B. Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primate,

R. Comite Cornubiæ, Fratre noſtro,

Ricardo de Clare, Comite Gloceſtriæ & Hertfordiæ, Humfrido de Bohun, Comite Herefordiæ,

Johanne Maunſell, Præpoſito Beveracenſi,

Magiſtro W. de Kelkenny, Archidiacono Coventriæ,

Radulpho, filio Nicholai,

Bertramo de Croill,

Johanne de Grey,

Johanne de Leyncton,

Roberto Walrand,

Willielmo Grenoun, & aliis.

Dat. per manum noſtram, apud Wyntoniam, viceſimo die Julii, anno Regni noſtri triceſimo ſeptimo.

Inſpeximus etiam Cartam, quam idem Dominus Henricus, quondam Rex Angliæ, Pater noſter, fecit prædictis fratribus Jheruſalem in hæc verba:

Henricus, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſtitiariis, Seneſcallis, Vice-Comitibus, Ballivis, Miniſtris, & univerſis fidelibus ſuis, ſalutem.

Præcipimus vobis, quod cuſtodiatis, protegatis, & manuteneatis homines, terras, res, reditus, poſſeſſiones, & tenementa fratrum hoſpitalis Jheruſalem, ſicut res noſtras proprias, nullam injuriam, vel moleſtiam, aut gravamen eis facientes, nec ab aliquo fieri permittentes; quia ipſi, & homines, & omnes res & poſſeſſiones eorum, ſunt in cuſtodia & protectione noſtra: Et prohibemus, ne de aliquo ponantur in placitum, niſi coram Nobis, vel coram capitali Juſtitiario noſtro: Et ſi quis eis in aliquo forisfecerit, id eis ſine dilatione faciat emendari.

Teſte me ipſo apud Wynton, viceſimo tertio die Junii, anno Regni noſtri triceſimo ſeptimo.

Nos autem prædictam conceſſionem ratam habentes et gratam, eam, pro Nobis et hæredibus noſtris, quantum in Nobis eſt, prædictis, DEO et Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni, & Fratribus Hoſpitalis prædicti, & ſucceſſoribus ſuis, concedimus & confirmamus, ſicut Cartæ prædictæ rationabiliter teſtantur:

His Teſtibus,

Venerabilibus Patribus,

J. Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primate.

G. Wygornienſi,

Th. Herefordenſi,

R. Bathonienſi & Wellenſi,

Et W. Norwicenſi, Epiſcopis.

Edmundo, Fratre noſtro, Comite Cornubiæ,

Gilberto de Clare, Comite Glouceſtriæ & Hertfordiæ,

Henrico de Lacy, Comite Lincolniæ,

Johanne de Warenna, Comite Surriæ,

Willielmo de Bello Campo, Comite Warrewicæ,

Humfredo de Bohun, Comite Herefordiæ,

Rogero de Mortuo mari,

Johanne de Veſcy,

Rogero de Clifford,

Otone de Grandiſono,

Roberto de Tibelot,

Roberto de Nevyll,

Reginaldo de Grey,

Galfrido de Genevill,

Hugone, Filio Otonis,

Roberto, Filio Johannis, & aliis.

Datum per manum noſtram, apud Weſtmonaſterium, octavo die Julii, Anno Regni noſtri octavo.

Nos autem, ob devotionem, quam erga DEum, & glorioſam Virginem Mariam, & Sanctum Johannem Baptiſtam, nec non & affectionem, quam ad fratres dicti Hoſpitalis habemus, conceſſiones & confirmationes prædictas, ratas habentes & gratas, eas pro Nobis, & Hæredibus noſtris, quantum in Nobis eſt, DEO & Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni, ac Fratribus Hoſpitalis prædicti, & eorum Succeſſoribus, concedimus & confirmamus, ſicut dicta Carta Confirmationis rationabiliter teſtatur;

Hiis Teſtibus,

Venerabili Patre,

J. Biceſtrenſi Epiſcopo, Cancellario noſtro,

Thoma, Comite Lancaſtriæ,

Johanne de Warenna, Comite Surriæ, Willielmo de Leyburn, Roberto de Tony,

Willielmo Paynek,

Henrico de Apelpy, & aliis.

Datum per manum noſtram, apud *Certeſeve*, viceſimo ſecundo die Septembris, *Anno Regni* noſtri ſecundo.

Nos autem conceſſiones & confirmationes prædictas ratas habentes & gratas, eas pro Nobis & Hæredibus noſtris, quantum in Nobis eſt, DEO, & Beatæ Mariæ, & Sancto Johanni, ac Fratribus Hoſpi-

Hospitalis prædicti, & eorum Successoribus, concedimus & confirmamus, sicut dicta Carta Confirmationis rationabiliter testatur;

Hiis Testibus,

Venerabilibus Patribus,
W. Eborum Archiepiscopo, Angliæ Primate,
J. Eliensi Episcopo, Cancellario nostro,
H. Lincolniensi Episcopo, Thesaurario nostro,
Thoma, Comite Norffolciæ, & Marescallo Angliæ, Avunculo nostro,
Johanne de Warenna, Comite Surriæ,
Rogero de Mortuo mari,
Johanne de Sancto Johanne,
Johanne de Roos, Senescallo Hospitii nostri, & aliis.

Dat. per manum nostram, apud Eborum, tricesimo die Junii, anno Regni nostri primo.

Nos autem tenorem Cartæ prædictæ, sub Sigillo, quo nunc utimur, ad requisitionem Prioris hospitalis prædicti, duximus exemplificandum;

Hiis Testibus:

Venerabilibus Patribus,
W. Archiepiscopo Eborum, Angliæ Primate,
J. Eliensi Episcopo, Cancellario nostro,
H. Lincolniensi Episcopo, Thesaurario nostro,
J. Wyntoniensi,
Et W. Norwicensi, Episcopis.
Henrico, Comite Lancastriæ,
Rogero de Mortuo mari,
Th. Wake,
Johanne de Roos, Senescallo Hospitii nostri, & aliis.

Dat. per manum nostram, apud Eborum, decimo die Februarii, anno Regni nostri secundo.

Item exhibuerunt Nobis & præsentaverunt præfati Fratres, Arnaldus & Deodatus, quasdam alias patentes literas Privilegiorum dicti hospitalis, ipsi concessas, per claræ & illustris memoriæ Dominum Edwardum, quondam Regem Angliæ & Franciæ, & Dominum Hiberniæ, suo magno sigillo impendenti, cum cera viridi & filo viridi & rubeo, sigillatas, quarum tenor talis est:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & fidelibus suis, salutem.

Inspeximus tenorem Cartæ Domini Ricardi, quondam Regis Angliæ, Progenitoris nostri, dudum Magistro & fratribus Domus Hospitalis de Jerusalem factæ, in quibusdam literis patentibus, sigillo, quo utimur in Burdegalia ad Contractus consignatis, & coram Nobis in Cancellaria nostra exhibitis, contentum in hæc verba:

Ricardus, DEI gratia, Rex Anglorum, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Abbatibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus, Senescallis, Justitiariis, Præpositis, & omnibus Ballivis & fidelibus suis totius terræ & universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsens Carta pervenerit, salutem in Domino.

Quam Magnifica, quam jugis in operibus Sacrosancta Domus hospitalis, Jerosolymitani existat, ad universitatis vestræ notitiam, non minus ipsa immensitas rei, quam famæ potest celebritas deduxisse, cujus rei fidem certissimam, in Jerosolymitanis partibus constituti, propriorum oculorum testimonium & experientia ipsa fecere, nam propter quotidiana, quæ cæteris indigentibus; & supra fidem, & super omnes ipsius domus facultates, Magister & fratres ipsius domus hospitalis de Jerusalem exhibuerunt subsidia, Nobis quoque, & ultra mare, citra, tam devote, quamque magnifice, ut & ipsa magnitudo subventionis & obligatæ sibi conscientiæ nostræ indicium, tanta Nos beneficia dissimulare sub magnitudine non permittant.

Quocirca piis eorum operibus volentes pariter in opere pietatis respondere, pro salute animæ Domini Regis H. Patris nostri, & Dominæ Reginæ, Matris nostræ, & fratrum nostrorum, nec non & Antecessorum nostrorum, & nostræ, dedimus & concessimus DEO, & Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beato Johanni Baptistæ, & supradictæ domui Sancti Johannis de Jerusalem, & Magistro & fratribus & hominibus suis, in omnibus tenementis suis, & in Eleemosynis, quæ eis datæ & factæ sunt & erunt, & in quibuscunque adquirere potuerunt, dedimus, & in puram ac perpetuam eleemosynam concessimus omne jus, omne Dominium, quod ad Nos pertinet & pertineat, omnem potestatem, omnes libertates, & liberas consuetudines, quas Regia potestas conferre potest in omnibus, ut habeant & teneant omnes res & possessiones, & universas pertinentias suas, quas in præsenti possident, & in futuro possidebunt, bene & in pace, libere & quiete, integre, plenarie, & honorifice, in Bosco & Plano, in pratis & pascuis, & maricis & piscariis, in vinariis & stagnis, in aquis & molendinis, in furnis & feriis, & in Nundinis, in terris, in agris & vineis, in censibus, & venditionibus, in villicationibus (scilicet) & in latrociniis, & in raptu mulierum, in incendiis & in multicidiis, in paagys & in metis, in hominibus, in domibus, & in mensuris, & in civitatibus, in castellis, & in villis, in viis, & extra vias.

Et ita volumus & firmiter præcipimus, quod homines prædicti Sancti Hospitalis de Jerusalem, sint liberi & quieti de exercitu & equitatu, de theolonio & peagio, pontagio & passagio, & homagio & stallagio, & de omnibus reditibus, & de omnibus querelis, placitis, auxiliis & Talagiis, & de omnibus operationibus civitatum, castellorum, villarum, ut pacem habeant in omnibus; similiter si aliquis hominum prædictorum fratrum sit immerciatus erga Nos, vel erga Ballivos nostros, pro quacunque causa, vel delicto, vel forisfacto, mercia & amerciamenta pecuniæ prædictis fratribus sine dilatione reddantur.

Prohibemus etiam, ne de aliquo ponantur in Placitum, nisi coram prædictis fratribus, vel eorum Domesticis, Ballivis, vel servientibus sancti prædicti hospitalis Jerusalem;

Hæc omnia prædicta, & omnes exitus, qui inde provenire potuerunt, concessimus & confirmamus, cum aliis libertatibus & liberis consuetudinibus suis, cum universis rebus, ad prænominatam Domum & fratres & homines prædicti Sancti hospitalis de Jerusalem pertinentibus, in universo Regno nostro, & in

& in tota terra noſtra ultra mare, & citra, vel ubicunque ſint, nihil Nobis retinentes, nec hæredibus & Succeſſoribus noſtris, niſi tantummodo orationes & bona Spiritualia ſæpedictæ Domus Sancti Johannis Jeruſalem,

Teſtibus:

R. Lemovicenſi,
Et H. Xanctonienſi, Epiſcopis.
Radumo de Retham,
Willielmo de Ferr,
Roberto de Harecourt,
Gaufrido de Sei,
Aymerico, Vice-Comite de Thoardz,
Hugone de Brunbellay, de Moſtrell,
Johanne, Præpoſito de Duay,
Goffrido, Theſaurario de Ciceſtria.

Datum per manum Willielmi, Elienſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, Cancellarii noſtri, apud Spiram, quinto die Januarii, anno quinto Regni noſtri.

Nos autem donationes, conceſſiones & confirmationes prædictas ratas habentes & gratas, eas, pro Nobis & hæredibus noſtris, quantum in Nobis eſt, dilectis Nobis in Chriſto, nunc Magiſtro & Fratribus dicti Hoſpitalis Jeruſalem, & ſucceſſoribus ſuis, concedimus & confirmamus, ſicut Carta prædicta rationabiliter teſtatur, & prout iidem, Magiſter & Fratres, & Prædeceſſores ſui, res & poſſeſſiones prædictas hactenus rationabiliter tenuerunt, & libertatibus & quietantiis prædictis hactenus rationabiliter uſi ſunt & gaviſi,

In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes,

Hiis Teſtibus:

Venerabilibus Patribus,
J. Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primate,
W. Wyntonienſi Epiſcopo, Theſaurario noſtro,
Henrico, Comite Lancaſtriæ,
Willielmo de Bohun, Comite Norhamptoniæ,
Thoma Wake de Lydel,
Johanne de Moubray,
Ricardo Talbot, Seneſcallo hoſpitii noſtri, & aliis.

Data per manum noſtram, apud Weſtmonaſterium, octavo die Martii, Anno Regni noſtri Angliæ viceſimo ſecundo, Regni vero noſtri Franciæ nono.

Per Breve de privato Sigillo, & pro centum ſolidis ſolutis in Hanaperio.

Item, etiam exhibuerunt & præſentaverunt Nobis quaſdam alias patentes literas, per dictum Dominum noſtrum, quondam Regem Angliæ, Fratribus & Hoſpitali prædictis conceſſas, ſuo magno Sigillo impendenti, cum cera alba ſigillatas, quarum tenor ſequitur in hunc modum:

Edwardus, DEI gratia Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, Conſtabulario ſuo Burdegaliæ, qui nunc eſt, vel qui pro tempore fuerit, & ejus Locumtenenti ibidem, ſalutem.

Quia, dilecti Nobis, Fratres Hoſpitalis Sancti Johannis Jeruſalem, in Ducatu noſtro Aquitaniæ, per cartas progenitorum noſtrorum, quondam Regum Angliæ, & Confirmationem noſtram, pro ſe, & hominibus ſuis, clamant, habere diverſas libertates & quietantias, quibus ipſi, & Prædeceſſores ſui, Fratres Hoſpitalis illius, a tempore confectionis Cartarum, & Confirmationis prædictarum, pro ſe, & hominibus ſuis prædictis, uſi ſunt & gaviſi, ſicut dicunt,

Vobis mandamus, quatenus, viſa Carta noſtra prædicta, ipſos Fratres libertatibus & quietantiis prædictis, pro ſe, & hominibus ſuis prædictis, absque impedimento, uti & gaudere permittatis, juxta tenorem Cartarum Conceſſionis & Confirmationis prædictarum, & prout eis uti debent, & iidem Fratres & Prædeceſſores ſui prædicti, eis, a tempore prædicto hucusque, pro ſe & hominibus ſuis uti & gaudere conſueverunt.

Datum apud Weſtmonaſterium viceſimo die Auguſti, Anno Regni noſtri Angliæ decimo nono, Regni vero noſtri Franciæ ſexto.

Quibus quidem Privilegiis & literis, ſic Nobis præſentatis & exhibitis, ut præmittitur, per fratres, Arnaldum & Deodatum, ipſi Nobis ſupplicaverunt cum magna inſtantia, ut dicta Privilegia & literas confirmare dignaremur,

Supplicationi quorum Nos annuere volentes, ob devotionem, quam erga DEum Salvatorem noſtrum, & beatam virginem Mariam, & Sanctum Johannem Baptiſtam, ac ipſius Ordinem, habemus, & ob reverentiam ipſorum & Hoſpitalis Jeruſalem prædicti, contenta omnia & ſingula in dictis Privilegiis, ex parte Regia, atque noſtra poteſtate Nobis ſuper hoc attributa, laudamus, emologamus, acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus per præſentes,

Volentes & decernentes, tantam fidem ab omnibus & ubique præſentibus literis noſtris adhiberi, quanta vero Originali ipſorum Privilegiorum literarum prædictarum adhiberetur & adhiberi poſſunt & debent, ubicunque,

Mandantes vobis, & veſtrum ſingulis, ex parte qua ſupra, ut omnia & ſingula, in his præſentibus literis noſtris, inviolabiliter obſervantes, nil præſumatis per vos, vel per alium in contrarium facere, vel etiam attemptare quoquo modo.

Datum Burdegaliæ ſub Sigillo Regio officii noſtri, viceſimo die menſis Novembris, Anno Domini milleſimo, treceteſimo, ſeptuageſimo octavo.

Nos autem, literas prædictas, & omnia & ſingula in eis contenta (exceptis duntaxat illis verbis, omne jus, omne Dominium, quod ad Nos pertinet & pertineat) rata habentes & grata, ea, pro Nobis, & hæredibus noſtris, quantum in Nobis eſt, ratificamus, acceptamus, approbamus, ac fratribus hoſpitalis prædicti, in Ducatu noſtro Aquitaniæ, concedimus & confirmamus, ſicut literæ prædictæ rationabiliter teſtantur, & prout iidem fratres & prædeceſſores ſui libertatibus, quietantiis, Privilegiis, & conſuetudinibus prædictis rationabiliter uſi ſunt & gaviſi.

In cujus &c.

Teſte Rege apud Weſtmonaſterium tertio die Julii.

Pro decem Libris ſolutis in Hanaperio.

XXIX.

Diploma, vigore cujus Martinus, Siciliæ Rex, Domus Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani Messanensis Priori quinquaginta uncias dono dedit, d. d. 14. Novembris, Anno 1407.

MArtinus &c. Roberto de Diana, Militi Sacræ Domus hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Messanæ Priori, Consiliario, familiari, & fideli nostro &c. Cum nostræ Majestati feratur, habitatores Casalis Castaneæ, tenimenti nobilis Civitatis Messanæ deliquisse, propter quod ad pœnam quinquaginta unciarum damnentur; de tuis namque virtutibus, prudentia, & legalitate confisi, quam executionem, & decisionem hujusmodi pœnæ tibi duximus committendam, dando prorsus illam auctoritatem & potestatem, quam super hoc nostri culminis fiscus habere dignoscitur, te super hoc penitus nostri fisci procuratorem, actorem, & quæstorem constituendo, ita tamen, quod super hoc contra habitatores prædictos delinquentes rite procedatis, juris ordine servato. Cum vero habitatores jam dicti per solemne judicium apparuerint, sententia præmittitur debita forma prolata contra delictores; recompensatione servitiorum per te, desuper Thomasium de Diana, fratrem tuum, excellentiæ nostræ collatorum, quæ confertis ad præsens, & conferre poteritis in futurum, dante Domino, gratiora, prædictas uncias quinquaginta, si comparuerit, habitatores prædictos merito juris ad illas damnandi, vobis gratiose concedimus & donamus, quas præsentium tenore possitis & valeatis exigere, capere a delinquentibus ipsis, ac vestris utilitatibus applicare. Quapropter nobili Magistro, Justitiario Regni nostri, consanguineo, Judicibus magnæ nostræ Curiæ, Straticoto nobilis Civitatis Messanæ, Consiliariis, cæterisque officialibus Regni nostri mandamus expresse, quatenus ut pœnam ante dictam modo supradicto judicare permittat, & judicatam exigere & habere, contradictione qualibet procul exclusa, favorem & auxilium tibi præstando, quotiens fuerit opportunum. Datum Leontini, die 14. Novembris primæ Indictionis Anno Domini 1407. Rex Martinus, Dominus Rex mandavit Magistro Bono.

XXX.

Alexandri V. Pontificis Maximi, Bulla, qua Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris Fratres ab omni diœcesanorum, aliorumque Ordinum delegatorum &c. jurisdictione, potestate atque Dominio exemtos declaravit, d. d. 3. Kal. Augusti, Anno 1409.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI. Ad futuram rei memoriam. Decens reputavimus & congruum, ut, cum super literis seu indultis Apostolicis dubia & ambiguitates insurgunt, Romanus Pontifex per suæ declarationis oraculum dubia & ambiguitates hujusmodi submoveat & decidat, &c. & sub finem:

Nos paci & tranquillitati eorundem Magistri & fratrum in hac parte providere cupientes, nec non ad tollendam omnem ambiguitatis materiam in præmissis dictam clausulam interpretantes auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, fratres ejusdem hospitalis in sacerdotio constitutos, & parochianarum eorumdem Ecclesiarum animarum curam exercentes pro tempore, nec non generaliter omnes alios & singulos dicti hospitalis fratres, quo ad personarum correctionem & excessuum punitionem & visitationem fuisse & esse, ab omni ipsorum diocesanorum, & aliorum ordinariorum delegatorum, subdelegatorum, & judicum quorumlibet jurisdictione, potestate, & dominio, etiam ratione executionum ultimarum voluntatum, in quibus forsan ipsi fratres fideicommissarii, aut executores instituti, seu deputati fuerint, vel alia circa præmissa, vel alias qualitercumque deliquerint, prorsus exemptos, ac religione præfatæ in casibus quorumlibet delictorum vel excessuum per eos commissorum pro tempore ad puniendum seu corrigendum illos juxta hospitalis instituta regularia penitus remittendos, præmissa, ac etiam felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi circa executiones ultimarum voluntatum edita, quæ incipit: Religiosis etiam exemptis, & quibuscumque aliis constitutionibus, nec non privilegiis & indultis Apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus, non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum posset impediri quomodolibet vel differri. Et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum præsentibus habenda esset mentio specialis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque; decernentes etiam, prout est, irritum & inane quidquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est, vel imposterum contigerit attentari, &c. Nulli ergo, &c. Datum Pisis, 3. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

XXXI.

Martini V. Pontificis Maximi, Bulla, in qua mandat, ut Fratrum Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris jura atque bona, decimarum Papalium exactione, porro non graventur, d. d. Id. Decembr. Anno 1428.

MArtinus Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis collectoribus, & subcollectoribus integræ decimæ, super universis bonis Ecclesiasticis ubilibet consistentibus, per Nos novissime impositæ pro subsidio contra Bohemos hæreticos in quibus suis Provinciis, civitatibus terris & locis auctoritate Apostolica deputatis salutem, & Apostolicam benedictionem &c. sub finem.

Volumus

Volumus, & mandamus vobis & cuilibet vestrum, ut Præceptores, Priores, & fratres dictæ religionis (scil. Ordinis S. Joh Hierosol.) in locis & partibus, in quibus vos pro exactione hujusmodi generalis decimæ collectores deputavimus, eorum res, jura & bona, nullo modo ad contributionem dictæ decimæ requiratis, impediatis, exigatis, aut molestetis, nec per alios exigi aut gravari permittatis, præcipue, cum Nobis constet, quod ipsi Magister & fratres quotidie parent, atque disponant, armata classe omnem potentiam suam, & cum omni, qua possunt recollectæ Religionis substantia ad expugnandos perfidos hostes Christi, qui quotidie in Cypro, & partibus convicinis conantur totis viribus evertere fidem Christi. Datum Romæ apud sanctos Apostolos, Idus Decembris, Pontificatus anno 12.

XXXII.

Breve Sixti IV. Pontificis Maximi, in quo Magistrum ac Generale Religionis S. Johannis Hierosolymitani in Rhodo Insula proxime celebrandum Capitulum, ut Statutorum observationi atque Insulæ defensioni provideant, serio hortatur, d. d. 15. April. Anno 1475.

Dilecti filii, salutem &c. Pro desiderio, quo veluti communis pater tenemur, ut religio ista Jerosolymitana cum laude conservetur, & salubria suscipiat in Domino incrementa, nullam superfluam diligentiam arbitramur, in vobis monendis & excitandis ad ea curanda & statuenda, quæ DEI honorem & communem laudem atque utilitatem concernunt. Quocirca, cum Domino auctore capitulum mense Septembris proxime futuri sitis celebraturi, hortamur vos per præsentes in Domino, & auctoritate Apostolica attente monemus, in virtute sanctæ obedientiæ expresse mandantes, quatenus in ipso capitulo, depositis omnibus privatis affectibus, communi utilitati vacetis, & ante omnia, quæ ad divinum cultum hospitalitatemque servandam & defensionem civitatis, Insulæ, ac subditorum pertinere noscuntur, statuenda & observanda curetis, viamque aliquam opportunam excogitetis, qua creditoribus religionis, qui non sine jactura jam diu expectant, & quorum querelis assidue fatigamur, debite & celeriter satisfiat. In reliquis vero in dicto capitulo tractandis integre & modeste vos habeatis, & ea juxta laudabiles consuetudines vestræ religionis, ac prout est in aliis generalibus capitulis consuetum, tractetis; ne DEI indignationem, si secus feceritis, incurratis, & officio vestro desitis, sed potius commendari in Domino valeatis. Datum Romæ, die XV. Aprilis MCCCC. LXXV. anno IV.

XXXIII.

Leonis X. Pontificis Maximi, Bulla, qua Literas sive Brevia Apostolica, de beneficialibus decimis atque oneribus edita, ad Prioratus, Bajulivas, aliaque Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris bona haudquaquam extendi debere declarat, d. d. 10. Augusti, Anno 1517.

Dilectis filiis, Magistro & Conventui Rhodi Ordinis Sancti Johannis Hierosolymitani. Leo Papa X. dilectis filiis salutem & Apostolicam benedictionem, &c. in medio, Accepimus in nostris literis, & in forma Brevis desuper emanatis clausulam appositam esse, per quam præter, & contra mentem & intentionem nostram etiam ad militias Sancti Johannis Hierosolymitani onerum & decimarum hujusmodi impositionis extensas fuisse. Et quia non ignoramus, quot laboribus, quot expensis, & proprio sanguini non parcendo, dilecti filii fratres & milites Hierosolymitani, pro Christi fide tuenda, contra ejusdem immanissimos hostes passim pugnant, & pro ipsis, & classe maritima tuenda singulis annis onera, majora longe decimis, subeant: Volentes in præmissis opportune providere, & ne ultra onera personalia etiam duplicata onera realia subire teneantur, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, nostræ mentis non fuisse nec esse literas quascumque Apostolicas & Brevia, sub quibuscumque verborum formis, clausulis, & tenoribus hactenus super beneficialibus decimis & oneribus emanatas, & quæ in futurum forsan emanare contigerit ad Prioratus, Baiulivas, Castellaniam Empostæ, præceptorias, domos, & hospitalia dictæ Religionis S. Joannis Hierosolymitani aliquo pacto extendi posse, quinimo a dictis decimis, & oneribus, & aliis, ut præfertur, imponendis penitus & omnino immunes, liberos & exemptos fore & esse declaramus.

Decernentes, quotiens aut dictis, aut similibus literis clausulam aliquam, per quam decimæ & onera hujusmodi ad militiam Hierosolymitanam extendi contigerit, totiens clausulam irritam & inanem existere, prout ex nunc irritamus, cassamus, & annullamus. Mandantes omnibus & singulis dictarum decimarum & impositionum, seu onerum exactoribus, collectoribus, subcollectoribus, tam præsentibus, quam futuris, quatenus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, & duplici restitutione Baiulivos, Priores, fratres, Milites, & Capellanos Hierosolymitani Ordinis, nec eorum colonos, portiarios, arrendatarios seu factores prætextu dictarum decimarum, impositionum, & onerum aliquo pacto, directe vel indirecte ratione personarum, seu domorum & bonorum nullatenus molestent. Et nihilominus Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & Canonicis, ac aliis quibuscumque in dignitate Apostolica constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus declarationem & decretum hujusmodi inviolabiliter observari faciant, illamque seu illud violantes censuris Ecclesiasticis, & aliis arbitrio ipsorum, seu alicujus eorum imponendis & applicandis, invocato, si opus fuerit bracio

brachii secularis, auxilio mulctent, & mulctari faciant, irritum & inane decernentes, si cuiquam contra præmissa, vel ipsorum aliquod scienter vel ignoranter attentari contigerit, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac literis prædictis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habemus, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Et quia difficile foret, præsentes ad diversa loca transmitti, volumus, quod illarum transumptis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati munitis, eadem fides prorsus adhibeatur tam in judicio, quam extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si illæ essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decima Augusti, millesimo quingentesimo decimo septimo, Pontificatus nostri anno quinto.

XXXIV.

Clementis VII. Pontificis Maximi, Bulla, qua Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris bona ab exactione Decimarum, quas Galliæ Reges, Summorum Pontificum permissu, a personis Ecclesiasticis Regni sui exigebant, libera atque immunia declarantur, d. d. 17. Kalend. Decembr. Anno 1526.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI. Ad futuram rei memoriam. Etsi dispensatione superna ad universalis Ecclesiæ regimen, meritis licet imparibus, evocati &c. & in medio.

Nos considerantes, quam gravia onera idem Franciscus Rex in congregando & manutenendo dicto exercitu indies subire necesse habeat, ac etiam ex præmissis Ecclesiis & personis ecclesiasticis non modicam utilitatem proventuram fore. Ac propterea sumentes de venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus ac Clericis Civitatum, ac Diœcesium Regni Franciæ, ac Ducatus Britanniæ, nec non dominiorum, terrarum & locorum, eidem Francisco Regi mediate vel immediate subjectorum, in Domino fiduciam specialem, unam integram decimam omnium & singulorum fructuum, proventuum, & redituum Ecclesiasticorum, secundum verum valorem annuum quarumcumque Cathedralium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, aliarumque Ecclesiarum, Prioratuum, Monasteriorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium, & ordinum quorumcunque regularium, etiam militiatum (non tamen Sancti Joannis Hierosolymitani) in Regno Franciæ, ac Ducatu, dominiis, terris, & locis, eidem Francisco Regi subjectis hujusmodi existentium; Ab eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis electis, administratoribus, commendatariis, & Abbatibus, cæterisque personis Ecclesiasticis, secularibus & regularibus ordinum & militiarum, quarumcumque exemptis & non exemptis in Regno Franciæ, Ducatu, dominiis, terris, & locis prædictis, beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & fructus hujusmodi beneficiorum habentibus, & infra unum annum duntaxat percepturis, & habituris, cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & religionis existant, &c. in fine: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Domini, millesimo quingentesimo vigesimo sexto, 17. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

XXXV.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, omnium exemptionum, Privilegiorum atque immunitatum illarum, quibus Fratres Ordinis S. Johannis Hierosolymitani equestris in ejus Regnis atque Dominiis hactenus usi sunt, Confirmatio, d. d. 17. Octobr. Anno 1531.

CArolus, Divina favente clementia Romanorum Imperator, Rex Germaniæ, &c. Et paulo post: Pro parte admodum Reverendi Magistri, & Conventus Ordinis Sancti Johannis Hierosolymitani Nobis humiliter exponi fecit, quod, cum temporibus præteritis Summi Pontifices, Sanctaque Sedes Apostolica, ac Reges Arragonum et Siciliæ Prædecessores nostri, felicis memoriæ, ob singularem devotionem, quam erga dictum (scil. S. Johannis Hierosolymitani) Ordinem, seu religionem gesserant, eidem concesserit nonnullas exemptiones, privilegia, et immunitates præcipuas in Regnis nostris Arragonum, quas Nos deinde privilegiis et provisionibus nostris confirmari jussimus, illis tamen non obstantibus, per officiales nostros circa usum et exercitium dictarum exemptionum et immunitatum interdum obstaculum et impedimentum objicitur et infertur in maximum dicti Ordinis præjudicium et gravamen, Nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut easdem exemptiones, privilegia, et immunitates, aliasque præeminentias et libertates, præfato Ordini ac religioni concessas, ad unguem observari, et modo aliquo non infringi, seu minui, ex solita munificentia nostra providere et mandare dignaremur. Nos vero nolentes dictum Ordinem, religionem, et conventum, circa usum privilegiorum, exemptionum, et immunitatum suarum in Regnis, et Dominiis nostris aliquatenus præjudicari, imo in eadem possessione, prout hactenus, manuteneri, eadem supplicatione benigne suscepta, tenore præsentium, ex certa scientia, Regiaque auctoritate nostra et consulto vobis et vestrum unicuique dicimus, præcipimus, et jubemus ad incursum nostræ indignationis et iræ, pœnæque unciarum mille a bonis contra facientis irremissibiliter exigendum, nostrisque inferendum ærariis, quatenus eidem Reverendo Magistro, Conventui, et religioni Sancti Johannis Hierosolymitani, ejusque factoribus, et administratoribus, omnes et quascumque exemptiones, privilegia, et immunitates eidem religioni per Sanctam Sedem Apostolicam, et per Reges prædecessores nostros collatas et conces-

concessas, per Nosque deinde acceptatas, approbatas, & confirmatas, quibus in Regnis & dominiis nostris hactenus usi fuerunt, suntque huc usque & in præsentia in earum usu, & pacifica possessione, eodem modo & forma eis uti, & gaudere sinatis, & permittatis, ipsisque observari faciatis, & provideatis, nullum vitiosum obstaculum eisdem inferendo, aut inferri permittendo, &c. Et in fine. Datum Bruxellæ die 17. mensis Octobris, quintæ Indictionis, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo primo, sic signatum *Yo el Rey.* &c.

XXXVI.

Pii IV. Pontificis Maximi, omnium Privilegiorum, a Summis Pontificibus Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini concessorum Confirmatio, atque extensio, d. d. Kal. Julii, Anno 1560.

PIus Episcopus, Servus servorum DEI: Ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis providentia Prædecessorum suorum gestis, quæ suadentibus honestis causis pro personarum Ecclesiasticarum, præsertim regularium, pro fidei catholicæ adversus Christi inimicos defensione & conservatione jugiter laborantium, commodo & utilitate provide emanaverunt, ut & eo firmius perdurent, quo sæpius fuerint Apostolicæ Sedis præsidio roborata, libenter suæ approbationis robur adjicit, ea de novo concedit, aliasque desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem, postquam fel. rec. Martinus V. ex certa scientia per suas literas statuerat & ordinaverat, quod quælibet querelæ, quæstiones, lites, causæ & controversiæ, quas ex tunc inter fratres & subditos Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, tunc præsentes & futuros, ex quibusvis occasionibus oriri & moveri contingeret, quovis modo, cum suis incidentibus, emergentibus, annexis & connexis, ac omni cujusvis appellationis (præterquam in defectus aut denegatæ justitiæ, vel illati perperam contra stabilimenta & consuetudines dicto hospitali gravaminis, casibus) remoto obstaculo, per pro tempore existentem Magistrum, & dilectos filios, Conventum dicti Hospitalis, seu illos ex illis fratribus, quibus ipsi Magister & Conventus eas committerent, etiam usque ad tertiam definitivam sententiam inclusive audirentur, nec non juxta laudabiles consuetudines & stabilimenta Hospitalis hujusmodi, & prout alias juris foret, debito fine deciderentur, omnesque & singuli Priores, Præceptores, Bajulivi, Castellani & fratres Hospitalis prædicti, postquam de mandato seu auctoritate Magistri & Conventus præfatorum in quibusvis ex prædictis contra eos intentandis causis ad comparendum coram ipsis & Commissariis per eos, ut præfertur, pro tempore deputatis, in locis, quantumcunque ab eodem Hospitali remotis, citati forent, coram eisdem Magistro, Conventu & Commissariis, prout contingeret, legitime comparare deberent & tenerentur, juri & justitiæ, secundum stabilimenta, approbationes, usus, & laudabiles consuetudines præfati Hospitalis parituri. Quodque illi ex Prioribus, Præceptoribus, Castellano, Emposta, Bajulivis, fratribus & subditis præfatis, qui contra eorum aliquem super quibusvis querelis, rebus vel negotiis, præterquam in casibus præfatis, coram alio, quam præfatis Magistro & Conventu, ac per eos pro tempore datis Commissariis, in causam traheret, & ad alium, quam eosdem appellationes quascunque interponerent, causas hujusmodi prorsus perderent, & excommunicationis sententiam incurrerent, neque super qua contenderent, privati existerent eo ipso.

Et Sixtus IV. inter alia omnes & singulas collationes, provisiones, uniones, annexiones & incorporationes, ac quascunque alias concessiones & dispositiones de Præceptoriis, Cameris, magistralibus nuncupatis, seu illarum fructibus, reditibus & proventibus, quibusvis personis, cujuscunque status, ordinis vel conditionis existerent, quavis consideratione, & sub quacunque verborum forma, ac cum quibusvis clausulis derogatoriis, etiam motu proprio, & ex simili scientia, ac cum expressa derogatione jurium Magistri dicti Hospitalis, seu annuæ responsionis illi faciendæ, eatenus auctoritate Apostolica factas, nullas & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fuisse & esse, etiam per suas declaraverat, & quatenus viribus subsistere dicerentur, revocaverat, cassaverat & irritaverat, ac illas, & quas in futurum, etiam cum expressa derogatione literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi, fieri contingeret, pro infectis haberi voluerat. Ac monuerat & requisiverat omnes & singulos earundem Camerarum magistralium detentores, seu possessores, qui tunc erant, & pro tempore essent, prætextu concessionum, provisionum, & dispositionum quarumlibet, quæ ab alio, quam pro tempore existente Magistro dicti Hospitalis eatenus emanaverant, & in futurum emanarent, etiam a dicta Sede, ut infra certum tunc expressum terminum Camerarum per eos pro tempore detentarum, seu possessarum hujusmodi possessionem vacuam, liberam & expeditam Magistro dicti Hospitalis, aut illius legitimo Procuratori traderent & assignarent, alioquin ex tunc, prout ex ea die, in omnes & singulos, qui non parerent, seu, ut non parerent, suaderent, aut alias auxilium, consilium vel favorem præstarent, excommunicationis sententiam promulgaverat, a qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quam Romano Imperatore, nequirent absolutionis beneficium obtinere, & præter sententiam excommunicationis hujusmodi, si dicti Hospitalis fratres forent, & excommunicationis sententiam hujusmodi per mensem animo sustinerent indurato, Prioratibus, Castellaniis, Bajuliviis, Præceptoriis & officiis præfati Hospitalis, per eos tunc obtentis, eo ipso privati & inhabiles ad illa & alia in posterum obtinenda essent, possetque per Magistrum & Conventum præfatos de illis sic vacantibus per privationem hujusmodi libere disponi: liceret quoque Magistro pro tempore existenti Hospitalis hujusmodi dicto termino decurso, per se, vel procuratores suos possessionem Camerarum earundem propria auctoritate libere apprehendere, ac illarum fructus, reditus & proventus percipere, ac in suos & ejus magistratus usus & utilitatem convertere & retinere cujusvis licentia super eo minime requisita.

Et Inno-

Et Innocentius VIII. ex certis causis tunc expressis inter alia sancti Sepulchri Dominici, Hierosolymitani Ordinis Sancti Augustini, & Militiæ Sanctæ Lazari in Bethlehem & Nazareth, etiam Hierosolymitani Ordinis, eorumque Prioratus & Præceptorias, nec non domum de Montemorillon, dicti Ordinis Sancti Augustini Pictaviensis Diœcesis nuncupatam, & alia ab eis dependentia membra cum suis pertinentiis, ac eorundem Ordinum & Militiæ Archiprioratum, Prioratus & Magistratus generales, ac in eorundem Ordinum Prioratibus, Præceptoriis, domibus & membris, illorumque, quibus denominabantur, nomina, dependentias & pertinentias de fratrum suorum consilio per quasdam suppresserat, & extinxerat, illaque omnia & singula per universum orbem existentia Hospitali præfato pro illius membris, ac domum prædictam expresse pro membro Prioratus Aquitaniæ dicti Hospitalis de simili consilio perpetuo univerat, incorporaverat, concesserat & assignaverat, ac voluerat, quod tam, qui in titulum, quam qui in Commendam illam tunc obtinerent, ad aliorum fratrum dicti Hospitalis instar juxta tunc Magistri, & Conventus præfatorum, aut ab eis autoritatem habentium providam moderationem pro temporum qualitate, de eorundem membrorum, quæ sic obtinerent, proventibus, communi Thesauro dicti Hospitalis suffragia & onera exhiberent annuatim, ac Magistri & Conventus prædictorum mandatis obtemperarent, nec quovis modo, clam vel palam, illi qui Prioratus, beneficia & loca Ordinum suppressorum hujusmodi tenerent, eis cederent, vel renuntiarent, aut de eis donationem facerent absque expresso consensu, licentia & auctoritate Magistri, & conventus præfatorum, & si secus facerent, irritum & inane, nulliusque roboris esse decreverat, & nihilominus pœnam privationis beneficiorum, & excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrere censerentur.

Et de simili consilio, omnes & singulas exemptiones Priorum, Bajulivorum, castellaniæ, Empostæ, Præceptoriarum & Fratrum ejusdem Hospitalis tam a superioritate, jurisdictione, obedientia & correctione tunc Magistri & Conventus prædictorum, ac aliorum Prælatorum ipsius Hospitalis, etiam cum eorum receptione in protectionem dictæ Sedis, ita ut illi solummodo essent subjecti, & Magistro ac Conventui & Prælatis præfatis parere, & ad Hospitale prædictum accedere non tenerentur, quam ab onere solutionis, eorumque communi thesauro prædicto, & illius receptoribus annis singulis ratione Prioratuum, Bajulivarum, Castellaniæ, Empostæ, Præceptoriarum, & aliorum membrorum ejusdem hospitalis, quæ obtinerent, solvere tenerentur; nec non quascunque speciales reservationes & conferendi mandata de Prioratibus, Bajuliviis, Castellania, Præceptoriis & membris prædictis quomodolibet, & quacunque ratione vel causa, etiam impensorum per eos Fidei & Hospitali, aut Sedi præfatis obsequiorum, aut alia inexcogitabili consideratione ab Innocentio prædecessore, & Sede præfatis, etiam cum motus proprii, & certæ scientiæ, aliisque favorabilibus & insolitis clausulis concessas, etiamsi in eis contineretur expresse, quod per quascunque revocationes & derogationes, ac literas & concessiones non censerentur revocatæ, imo illis non obstantibus, in suis remanerent robore & efficacia, perinde ac si revocatæ non essent, nisi dum et quoties sub certis tunc expressis modo ac forma, ac verborum conceptione revocarentur, per alias suas ex certa scientia revocaverat, cassaverat, et annullaverat, et voluerat pro infectis haberi, et illis, quibus concessæ erant, minime suffragari, liceretque Magistro, omnem ejus superioritatem in eos sic exemptos exercere, ac receptoribus prædictis eos ad solvendum eis, et dicto thesauro, quæ pro tempore deberent, perinde ac si exemptiones ipsæ nunquam concessæ fuissent, de simili consilio decreverat.

Ac in perpetuum valitura constitutione, de eorundem fratrum consilio statuerat, et ordinaverat, quod ex tunc perpetuo de cætero perpetuis futuris temporibus Prioratus, Bajuliviæ, castellaniæ, Empostæ, præceptoriæ, et membra quæcunque dicti Hospitalis, quæ pro tempore qualitercunque vacarent, tam in Romana Curia, quam extra eam, sub quibusvis generalibus, vel specialibus reservationibus Apostolicis factis, et quas fieri contingeret, de beneficiis Ecclesiasticis, etiam apud Sedem præfatam pro tempore vacantibus, utpote ad hospitalitatem et Fidei tuitionem ordinata, nullatenus includerentur, nec reservata, vel affectata existerent, sed hospitalitium pauperum, quæ sub reservationibus ipsis non includebantur quoad id sortirentur naturam, deberetque de illis per pro tempore existentem Magistrum et Conventum præfatos duntaxat, et non alium, juxta stabilimenta prædicta Fratribus dicti Hospitalis provideri, et quas fieri contigerit, per ipsum Innocentium, prædecessores, aut Successores suos, Romanos Pontifices, pro tempore existentes, ac dictam Sedem, vel ejus autoritate, aut alia quacunque, de illis reservationes, provisiones, collationes, Commendas, uniones, et quascunque alias similes, vel dissimiles dispositiones et exemptiones Priorum, bajulivorum, præceptorum et fratrum, a Magistri et Conventus prædictorum obedientia et superioritate, aut debitis per eos præfato thesauro responsionibus annuis, et aliis juribus, quacumq; ratione, et causa, etiam motu et scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, cum derogatione posteriorum literarum Innocentii prædecessoris hujusmodi, nullius penitus essent roboris vel momenti, et haberentur prorsus pro infectis, nec censeretur statuto Innocentii prædecessoris hujusmodi unquam derogatum per quascunque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores et efficaciores, nisi dum, et quoties ipsarum posteriorum literarum, de verbo ad verbum, vere, et non per clausuras id importantes inserto tenore, de simili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio derogari contingeret; nec etiam tunc, nisi ad id Magistri et Conventus prædictorum expressus assensus accederet, et non aliter, nec alio modo, censereturque semper in hujusmodi, quæ sic fierent de consilio prædicto, derogationibus, apposita clausula, quod effectum sortirentur de consensu Magistri et Conventus prædictorum, et non aliter, nec alio modo decernens collationes, provisiones, Commendas, uniones, dispositiones, et reservationes quaslibet, quas per alios, quam Magistrum et Conventum prædictos de eisdem Prioratibus, bajuliviis, præceptoriis, castellania et membris,

concessas, per Nosque deinde acceptatas, approbatas, & confirmatas, quibus in Regnis & dominiis nostris hactenus usi fuerunt, suntque huc usque & in præsentia in earum usu, & pacifica possessione, eodem modo & forma eis uti, & gaudere sinatis, & permittatis, ipsisque observari faciatis, & providentis, nullum vitiosum obstaculum eisdem inferendo, aut inferri permittendo, &c. Et in fine. Datum Bruxellæ die 17. mensis Octobris, quintæ Indictionis, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo primo, sic signatum *Yo el Rey.* &c.

XXXVI.

Pii IV. Pontificis Maximi, omnium Privilegiorum, a Summis Pontificibus Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini concessorum Confirmatio, atque extensio, d. d. Kal. Julii, Anno 1560.

PIus Episcopus, Servus servorum DEI: Ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis providentia Prædecessorum suorum gestis, quæ suadentibus honestis causis pro personarum Ecclesiasticarum, præsertim regularium, pro fidei catholicæ adversus Christi inimicos defensione & conservatione jugiter laborantium, commodo & utilitate provide emanaverunt, ut & eo firmius perdurent, quo sæpius fuerint Apostolicæ Sedis præsidio roborata, libenter suæ approbationis robur adjicit, ea de novo concedit, aliasque desuper disponit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem, postquam fel. rec. Martinus V. ex certa scientia per suas literas statuerat & ordinaverat, quod quælibet querelæ, quæstiones, lites, causæ & controversiæ, quas ex tunc inter fratres & subditos Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, tunc præsentes & futuros, ex quibusvis occasionibus oriri & moveri contingeret, quovis modo, cum suis incidentibus, emergentibus, annexis & connexis, ac omni cujusvis appellationis (præterquam in defectus aut denegatæ justitiæ, vel illati perperam contra stabilimenta & consuetudines dicto hospitali gravaminis, casibus) remoto obstaculo, per pro tempore existentem Magistrum, & dilectos filios, Conventum dicti Hospitalis, seu illos ex illis fratribus, quibus ipsi Magister & Conventus eas committerent, etiam usque ad tertiam definitivam sententiam inclusive audirentur, nec non juxta laudabiles consuetudines & stabilimenta Hospitalis hujusmodi, & prout alias juris foret, debito fine deciderentur, omnesque & singuli Priores, Præceptores, Bajulivi, Castellani & fratres Hospitalis prædicti, postquam de mandato seu auctoritate Magistri & Conventus præfatorum in quibusvis ex prædictis contra eos in tentandis causis ad comparendum coram ipsis & Commissariis per eos, ut præfertur, pro tempore deputatis, in locis, quantumcunque ab eodem Hospitali remotis, citati forent, coram eisdem Magistro, Conventu & Commissariis, prout contingeret, legitime comparare deberent & tenerentur, juri & justitiæ, secundum stabilimenta, approbationes, usus, & laudabiles consuetudines præfati Hospitalis parituri. Quodque illi ex Prioribus, Præceptoribus, Castellano, Empolta, Bajulivis, fratribus & subditis præfatis, qui contra eorum aliquem super quibusvis querelis, rebus vel negotiis, præterquam in casibus præfatis, coram alio, quam præfatis Magistro & Conventu, ac per eos pro tempore datis Commissariis, in causam traheret, & ad alium, quam eosdem appellationes quascunque interponerent, causas hujusmodi prorsus perderent, & excommunicationis sententiam incurrerent, neque super qua contenderent, privati existerent eo ipso.

Et Sixtus IV. inter alia omnes & singulas collationes, provisiones, uniones, annexiones & incorporationes, ac quascunque alias concessiones & dispositiones de Præceptoriis, Cameris, magistralibus nuncupatis, seu illarum fructibus, reditibus & proventibus, quibusvis personis, cujuscunque status, ordinis vel conditionis existerent, quavis consideratione, & sub quacunque verborum forma, ac cum quibusvis clausulis derogatoriis, etiam motu proprio, & ex simili scientia, ac cum expressa derogatione jurium Magistri dicti Hospitalis, seu annuæ responsionis illi faciendæ, eatenus auctoritate Apostolica factas, nullas & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fuisse & esse, etiam per suas declaraverat, & quatenus viribus subsistere dicerentur, revocaverat, cassaverat & irritaverat, ac illas, & quas in futurum, etiam cum expressa derogatione literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi, fieri contingeret, pro infectis haberi voluerat. Ac monuerat & requisiverat omnes & singulos earundem Camerarum magistralium detentores, seu possessores, qui tunc erant, & pro tempore essent, prætextu concessionum, provisionum, & dispositionum quarumlibet, quæ ab alio, quam pro tempore existente Magistro dicti Hospitalis eatenus emanaverant, & in futurum emanarent, etiam a dicta Sede, ut infra certum tunc expressum terminum Camerarum per eos pro tempore detentarum, seu possessarum hujusmodi possessionem vacuam, liberam & expeditam Magistro dicti Hospitalis, aut illius legitimo Procuratori traderent & assignarent, alioquin ex tunc, prout ex ea die, in omnes & singulos, qui non parerent, seu, ut non parerent, suaderent, aut alias auxilium, consilium vel favorem præstarent, excommunicationis sententiam promulgaverat, a qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quam Romano Imperatore, nequirent absolutionis beneficium obtinere, & præter sententiam excommunicationis hujusmodi, si dicti Hospitalis fratres forent, & excommunicationis sententiam hujusmodi per mensem animo sustinerent indurato, Prioratibus, Castellaniis, Bajuliviis, Præceptoriis & officiis præfati Hospitalis, per eos tunc obtentis, eo ipso privati & inhabiles ad illa & alia in posterum obtinenda essent, possetque per Magistrum & Conventum præfatos de illis sic vacantibus per privationem hujusmodi libere disponi: liceret quoque Magistro pro tempore existenti Hospitalis hujusmodi dicto termino decurso, per se, vel procuratores suos possessionem Camerarum earundem propria auctoritate libere apprehendere, ac illarum fructus, reditus & proventus percipere, ac in suos & ejus magistratus usus & utilitatem convertere & retinere, cujusvis licentia super eo minime requisita.

Et Inno-

Et Innocentius VIII. ex certis causis tunc expressis inter alia sancti Sepulchri Dominici, Hierosolymitani Ordinis Sancti Augustini, & Militiæ Sanctæ Lazari in Bethlehem & Nazareth, etiam Hierosolymitani Ordinis, eorumque Prioratus & Præceptorias, nec non domum de Montemorillon, dicti Ordinis Sancti Augustini Pictaviensis Diœcesis nuncupatam, & alia ab eis dependentia membra cum suis pertinentiis, ac eorundem Ordinum & Militiæ Archiprioratum, Prioratus & Magistratus generales, ac in eorundem Ordinum Prioratibus, Præceptoriis, domibus & membris, illorumque, quibus denominabantur, nomina, dependentias & pertinentias de fratrum suorum consilio per quasdam suppresserat, & extinxerat, illaque omnia & singula per universum orbem existentia Hospitali præfato pro illius membris, ac domum prædictam expresse pro membro Prioratus Aquitaniæ dicti Hospitalis de simili consilio perpetuo univerat, incorporaverat, concesserat & assignaverat, ac voluerat, quod tam, qui in titulum, quam qui in Commendam illam tunc obtinerent, ad aliorum fratrum dicti Hospitalis instar juxta tunc Magistri, & Conventus præfatorum, aut ab eis autoritatem habentium providam moderationem pro temporum qualitate, de eorundem membrorum, quæ sic obtinerent, proventibus, communi Thesauro dicti Hospitalis suffragia & onera exhiberent annuatim, ac Magistri & Conventus prædictorum mandatis obtemperarent, nec quovis modo, clam vel palam, illi qui Prioratus, beneficia & loca Ordinum suppressorum hujusmodi tenerent, eis cederent, vel renuntiarent, aut de eis donationem facerent absque expresso consensu, licentia & auctoritate Magistri, & conventus præfatorum, & si secus facerent, irritum & inane, nulliusque roboris esse decreverat, & nihilominus pœnam privationis beneficiorum, & excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrere censerentur.

Et de simili consilio, omnes & singulas exemptiones Priorum, Bajulivorum, castellaniæ, Empostæ, Præceptoriarum & Fratrum ejusdem Hospitalis tam a superioritate, jurisdictione, obedientia & correctione tunc Magistri & Conventus prædictorum, ac aliorum Prælatorum ipsius Hospitalis, etiam cum eorum receptione in protectionem dictæ Sedis, ita ut illi solummodo essent subjecti, & Magistro ac Conventui & Prælatis præfatis parere, & ad Hospitale prædictum accedere non tenerentur, quam ab onere solutionis, eorumque communi thesauro prædicto, & illius receptoribus annis singulis ratione Prioratuum, Bajulivarum, Castellaniæ, Empostæ, Præceptoriarum, & aliorum membrorum ejusdem hospitalis, quæ obtinerent, solvere tenerentur; nec non quascunque speciales reservationes & conferendi mandata de Prioratibus, Bajuliviis, Castellania, Præceptoriis & membris prædictis quomodolibet, & quacunque ratione vel causa, etiam impensorum per eos Fidei & Hospitali, aut Sedi præfatis obsequiorum, aut alia inexcogitabili consideratione ab Innocentio prædecessore, & Sede præfatis, etiam cum motus proprii, & certæ scientiæ, aliisque favorabilibus & insolitis clausulis concessas, etiamsi in eis contineretur expresse, quod per quascunque revocationes & derogationes, ac literas & concessiones non censerentur revocatæ, imo illis non obstantibus, in suis remanerent robore & efficacia, perinde ac si revocatæ non essent, nisi dum et quoties sub certis tunc expressis modo ac forma, ac verborum conceptione revocarentur, per alias suas ex certa scientia revocaverat, cassaverat, et annullaverat, et voluerat pro infectis haberi, et illis, quibus concessæ erant, minime suffragari, liceretque Magistro, omnem ejus superioritatem in eos sic exemptos exercere, ac receptoribus prædictis eos ad solvendum eis, et dicto thesauro, quæ pro tempore deberent, perinde ac si exemptiones ipsæ nunquam concessæ fuissent, de simili consilio decreverat.

Ac in perpetuum valitura constitutione, de eorundem fratrum consilio statuerat, et ordinaverat, quod ex tunc perpetuo de cœtero perpetuis futuris temporibus Prioratus, Bajuliviæ, castellaniæ, Empostæ, præceptoriæ, et membra quæcunque dicti Hospitalis, quæ pro tempore qualitercunque vacarent, tam in Romana Curia, quam extra eam, sub quibusvis generalibus, vel specialibus reservationibus Apostolicis factis, et quas fieri contingeret, de beneficiis Ecclesiasticis, etiam apud Sedem præfatam pro tempore vacantibus, utpote ad hospitalitatem et Fidei tuitionem ordinata, nullatenus includerentur, nec reservata, vel affectata existerent, sed hospitalitium pauperum, quæ sub reservationibus ipsis non includebantur quoad id sortirentur naturam, deberetque de illis per pro tempore existentem Magistrum et Conventum præfatos duntaxat, et non alium, juxta stabilimenta prædicta, Fratribus dicti Hospitalis provideri, et quas fieri contigerit, per ipsum Innocentium, prædecessores, aut Successores suos, Romanos Pontifices, pro tempore existentes, ac dictam Sedem, vel ejus autoritate, aut alia quacunque, de illis reservationes, provisiones, collationes, Commendas, uniones, et quascunque alias similes, vel dissimiles dispositiones et exemptiones Priorum, bajulivorum, præceptorum et fratrum, a Magistri et Conventus prædictorum obedientia et superioritate, aut debitis per eos præfato thesauro responsionibus annuis, et aliis juribus, quacumq; ratione, et causa, etiam motu et scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, cum derogatione posteriorum literarum Innocentii prædecessoris hujusmodi, nullius penitus essent roboris vel momenti, et haberentur prorsus pro infectis, nec censeretur statuto Innocentii prædecessoris hujusmodi unquam derogatum per quascunque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores et efficaciores, nisi dum, et quoties ipsarum posteriorum literarum, de verbo ad verbum, vere, et non per clausuras id importantes inserto tenore, de simili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio derogari contingeret; nec etiam tunc, nisi ad id Magistri et Conventus prædictorum expressus assensus accederet, et non aliter, nec alio modo. censereturque semper in hujusmodi, quæ sic fierent de consilio prædicto, derogationibus, apposita clausula, quod effectum sortirentur de consensu Magistri et Conventus prædictorum, et non aliter, nec alio modo decernens collationes, provisiones, Commendas, uniones, dispositiones, et reservationes quaslibet, quas per alios, quam Magistrum et Conventum prædictos de eisdem Prioratibus, bajuliviis, præceptoriis, castellania et membris, etiam

etiam apud Sedem ipsam pro tempore, per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vacantibus, fieri contingeret, & si per ipsum Innocentium prædecessorem, et pro tempore existentem Pontificem Romanum fierent, illis, quibus sic fierent, nullum jus, nullumve coloratum titulum tribuere possidendi, et eos, quoad omnes effectus, etiam constitutionis suæ de triennali possessore non molestando, pro meris detentoribus sine titulo haberi et reputari, ac irritum et inane, quicquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Nec non Julius II. omnes et singulas expectativas, reservationes, antianitates, mandata de providendo, concessiones, coadjutorias sine consensu, et omnes alias gratias et literas super Prioratibus, bajuliviis, præceptoriis, castellania, emposta, ac quibusvis aliis beneficiis dicti Hospitalis quomodocunque et qualitercunque, absque Magistri et Conventus prædictorum consensu quibusvis personis, cujuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis forent, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ex quibusvis causis, etiam onerosis, eatenus concessas et concessa, etiam quasvis clausulas illarum ab hujusmodi revocationibus præservativas in se continentes, et continentia, similibus scientia, et potestatis plenitudine pro revocatis, cassatis, et annullatis perpetuo valituræ constitutionis edicto per quasdam decreverat, et ordinaverat, quod Prioratus, castellania, empostæ et bajuliviæ, præceptoriæ, rectoriæ, administrationes, officia, domus et loca Hospitalis hujusmodi, seu eorum aliquod, vel aliqua, sub quibuscunque dictæ Sedis vel Legatorum ejus literis, sub quacunque forma, vel expressione verborum, etiam motu et scientia similibus, ac cum quibusvis urgentissimis, efficacissimis et derogatoriis clausulis, irritantibusque decretis, in genere, vel in specie, quovis modo, in antea concedendis cadere, seu comprehendi nullatenus deberent, nec illarum vigore per quempiam acceptari, aut alicui de iis provideri posset, sed illorum commissiones, et omnimoda dispositio ad Magistrum, Conventum, Priores & Castellaniam empostæ hujusmodi, juxta consuetudines, usus & naturas dicti Hospitalis, & illi concessa privilegia & indulta libere pertinerent, quodque fratres dicti Hospitalis inobedientes, & male solventes, juxta formam stabilimentorum Hospitalis hujusmodi privationis pœnam incurrent.

Et per alias omnes et singulas speciales reservationes, coadjutorum deputationes, regressus, accessus, concessiones, gratias et facultates aliorum quam fratrum dicti Hospitalis favorem, commodum, et utilitatem, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, præeminentiæ vel conditionis forent, etiamsi Cardinalatus honore fulgerent, quavis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum consideratione, vel intuitu, aut ex quavis quantumcunque grandi, inexcogitabili, et urgentissima causa et respectu per Sedem præfatam eatenus concessas et factas, quæ ad finem commendæ perpetuæ, vel temporalis tendere dignoscerentur, revocaverat cassaverat, et annullaverat, illaque cassa, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti esse, nec illarum etiam regressuum, seu accessuum hujusmodi, aut aliarum facultatum seu commendarum etiam ex tunc, prout ex diebus vacationis earundem, et e converso pro tempore factarum prætextu, aliqua ex præceptoriis seu aliis beneficiis hospitalis hujusmodi acceptari, vel assequi, aut jus in re, vel ad rem cuiquam acquiri potuisse, seu posse decreverat.

Et per alias motu simili literas Martini, Prædecessoris hujusmodi approbans ac innovans omnes et singulas lites, causas, querelas, et controversias inter fratres præfatos, coram quibuscunque causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac eorum Locaten. nec non judicibus, etiam Cardinalibus, dicta auctoritate Apostolica vel aliter deputatis, tam in dicta curia, quam in quibusque mundi partibus pendentes, ad se advocans, illas, & quas antea inter fratres eosdem et quoscunque aliis super Prioratibus, bajuliviis, castellania, emposta, præceptoriis, aut beneficiis Hospitalis hujusmodi moveri contingeret, per Magistrum et Conventum præfatos, seu eorum Commissarios, juxta ejusdem hospitalis stabilimenta et approbatas consuetudines, decidendas remiserat, ac auditoribus locatenentibus, et judicibus præfatis, ne in causis hujusmodi ad ulteriora procederent, seu de illis, vel aliis quibuscunque in futurum quoquo modo se intromitterent, inhibuerat, ac quicquid per eos contra inhibitionem hujusmodi scienter vel ignoranter contingeret attentari, irritum et inane decreverat.

Ac indulgentias per quoscunque Romanos Pontifices visitantibus domos, et loca ipsius Hospitalis concessas innovaverat.

Nec non motu et scientia similibus, omnia et singula privilegia, immunitates, indulgentias et exemptiones secularium exactionum, ac prærogativas, & alias quascunque gratias, concessiones, facultates, libertates, & indulta, terram mareque concernentia, dicto hospitali, & illius religionis Prioratibus, bajuliviis castellaniæ, empostæ, præceptoriis, administrationibus, officiis, capellis, oratoriis, & membris, ac Magistro pro tempore existenti, & Conventui præfatis, nec non Prioratus, bajulivias, castellaniam, empostam, præceptorias, Ecclesias, oratoria, administrationes, & membra præfata obtinentibus, per piæ memoriæ Clementem V. Bonifacium VIII. Calistum III. ac præfatos Sixtum & Innocentium, nec non quoscunque alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, tunc suos, in genere, vel in specie concessa, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum per eos a Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus obtentas, ac decimas, primitias, census, fructus, redditus, proventus, agros, possessiones, dominia, prædia, jura, jurisdictiones, aliaque mobilia & immobilia, sive in terra, vel in mari existentia, & ad Hospitale, Prioratus, bajulivias, castellaniam, empostam, præceptorias & membra hujusmodi in genere, vel in specie spectantia, per reliquas suas literas de Apostolicæ potestatis plenitudine approbaverat, laudaverat, ratificaverat & confirmaverat, supplens omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem, ac omnia & singula ea ab universis Christi fidelibus, tam clericalis ordinis, quam temporalis potestatis, secularibus, ac etiam aliis regularibus personis, sub pœnis & censuris in eisdem contentis inviolabiliter observari voluerat.

Nec

Nec non omnibus & singulis Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis & locorum Ordinariis, eorumque officialibus atque Vicariis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub eisdem pœnis similiter injunxerit, ut quascunque indulgentias, & peccatorum remissiones, per eorum diœcesin & loca publica nuntiari permitterent.

Ac Leo X. quondam Fabritii de Carreto, Magistri dicti Hospitalis, & præfatorum Conventus, asserentium, se a tunc immemorabili tempore citra in possessione vel quasi deputandi in singulis Prioratibus unum Vicarium cum facultate præceptorias, bajulivias, & alias domos Hospitalis hujusmodi conferendi, antianitates, tam speciales, quam generales, dandi & concedendi, ac pensiones, seu responsiones, & onera super domibus, præceptoriis, & aliis beneficiis dicti Hospitalis, imponi solita a quibuscunque clericis, etiam secularibus, illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis, & inquilinis, etiam laicis, eo modo, quo a fratribus dicti Hospitalis exigebantur, exigendi, & cum inhabilibus, ratione ætatis, & defectus natalium dispensandi existere, supplicationibus inclinatus, singulas, non tamen Innocentii Prædecessoris hujusmodi, ac omnes & singulas alias, tam ipsius Martini, & recolendæ memoriæ Alexandri VI. Pii II. & ipsius Julii, quam aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum, similiter prædecessorum nostrorum, tunc suorum, eisdem Hospitali & Magistro pro tempore existenti, ac Conventui & fratribus concessa, & in illis contenta quæcunque, etiam quoad Advocationem omnium causarum, etiam super Prioratibus, præceptoriis & aliis beneficiis Hospitalis hujusmodi etiam in eadem Curia pendentium, quas ad se tunc advocavit (exceptis tunc, & pro tempore per appellationem a definitiva sententia juxta formam stabilimentorum prædictorum introductis, & pendentibus) per quasdam sub plumbo approbaverat, innovaverat ac confirmaverat, ac perpetuæ firmitatis robor obtinere, & inviolabiliter observari debere decreverat, eique omnia de novo concesserat.

Ac Fabritio, & pro tempore existenti Magistro & Conventui hujusmodi, ut in singulis Prioratibus ipsius hospitalis unum Vicarium cum facultate conferendi præceptorias, Bajulivias, & alias domos Hospitalis hujusmodi deputare, antianitates, tam speciales, quam generales dare, & concedere, ac pensiones, seu responsiones, & onera super domibus, præceptoriis, & aliis beneficiis hospitalis hujusmodi imponi solita a quibuscunque, etiam Clericis secularibus illa in commendam obtinentibus, eorumque colonis & inquilinis, etiam Laicis eo modo, quo a fratribus dicti hospitalis exigebantur, exigere, & cum inhabilibus ratione ætatis & defectus natalium, quoad Prioratus, præceptorias & alia beneficia dicti Hospitalis duntaxat dispensare possent.

Ac quod verbis in ipsorum Magistri, & Conventus literis, circa professionis emissionem, habitus susceptionem, debitorum & obsequiorum in partibus orientalibus præstationem plena fides adhiberetur, facultatem concesserat. Et nihilominus quod ipse Fabritius, & pro tempore existens Magister, & Conventus, præmissa omnia & singula, prout eatenus consueverant, sine contradictione alicujus facere possent.

Quodque quæcunque literæ antianitatis, seu provisiones a Magistro pro tempore existente, & conventu præfatis, eatenus concessæ, & in posterum concedendæ eo ipso confirmatæ & approbatæ censerentur.

Et quod provisiones beneficiorum quorumcunque dicti Hospitalis, quæ per cessationem solutionis præfato Hospitali, vel inobedientiam duntaxat vacassent, nunquam ad superiorem ipsum Leonem Prædecessorem & Sedem præfatam devolvi censerentur, quoad hoc, ut dictus Magister pro tempore existens impediretur, quo minus illa quandocunque libere conferre posset.

Quodque omnes & singulæ donationes, & alienationes bonorum immobilium dicti Hospitalis, seu ejus locorum in posterum faciendæ duntaxat, ipso jure nullæ, nulliusque roboris vel momenti existerent.

Et quod clausula cum derogatione Privilegiorum, dicto Hospitali concessorum, latissime extendenda, & additione illorum pro expressis, tam in quibusvis commissionibus, justitiam concernentibus, quam in quibusvis gratiosis supplicationibus, tunc & pro tempore signatis, non operaretur, nec ejus vigore in causis, seu literis Apostolicis super ipsis supplicationibus conficiendis privilegia ipsa ultra, quam in supplicationibus narrata essent, narrari possent, neque illis, si prætextu dictarum clausularum narrarentur, derogatum censeretur, statuerat & ordinaverat. Decernens sic per quoscunque judices, etiam causarum Palatii hujusmodi Auditores, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debere, irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Et per reliquas in forma Brevis literas motu simili quascunque gratias, expectativas, speciales & generales reservationes, etiam in mente sua, & in nullius, seu quarumvis personarum favorem, ac uniones, annexiones, & incorporationes, suppressiones, extinctiones, & applicationes, ac uniendi, annectendi, incorporandi, & commendandi facultates, & mandata, nec non coadjutorum deputationes, etiam de consensu, & alias concessiones, & dispositiones, de quibusvis Prioratibus, bajuliviis, castellaniæ empostæ, præceptoriis, cameris, magistralibus, & aliis beneficiis dicti Hospitalis vacaturis, nec non specialium reservationum, unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, extinctionum, facultatum, mandatorum, coadjutoriarum, regressuum & accessuum, ac aliarum dispositionum hujusmodi executiones, ampliationes, revalidationes, reintegrationes, repositiones, restitutiones, & super illis & eorum efficacia, & quod illorum revocationibus, modificationibus, suspensionibus, restitutionibus, & ad jus commune reductionibus, per Leonem, prædecessorem & Sedem præfatos factis, non includerentur declarationes, & intentionis mentis suæ attestationes, quæ quorumvis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prælatorum, Ducum, Principum, Marchio-

chio-

chionum, universitatum, studiorum, jurium cessorum vel oblatorum, etiam pro sedandis litibus, aut servitiorum, & obsequiorum Leoni prædecessori, & Sedi præfatis, etiam pro fide Catholica impensorum, & damnorum eis etiam per infideles illatorum, seu quavis alia, quantumcunque grandi consideratione pro quibusvis personis, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existentibus, & quacumque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus & mundana dignitate fulgentibus, etiam, cum motus proprii, & certæ scientiæ, ac plenitudine potestatis, & quibusvis præservatoriis, ac aliis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & insolitis clausulis a Leone prædecessore, & Sede prædictis, ac ejus Legatis, etiam de Latere, & Nuntiis, etiam cum eorundem Legatorum potestate, quavis autoritate catenus quomodolibet emanaverant, quoad ea, in quibus nondum vere fuerant effectum sortita, expresse revocaverat, & voluerat illas, & quas emanare contingeret in futurum, similes & dissimiles speciales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, nominationes, nominandique, reservandi & conferendi facultates, mandata, coadjutorum deputationes, regressus & accessus hujusmodi, & super illis provisiones, ampliationes, reintegrationes, restitutiones, repositiones, & declarationes, etiam cum expressa posteriorum literarum hujusmodi derogatione, etiamsi in eisdem, quæ emanaverant, & in futurum emanarent, specialibus reservationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, nominationibus, facultatibus, mandatis coadjutoriis, regressibus, accessibus, & eorum extensionibus, ampliationibus, revalidationibus, reintegrationibus, repositionibus, restitutionibus & declarationibus, ac si super illis confectis literis contineretur expresse, quod in aliquibus specialibus, seu generalibus revocationibus, suspensionibus, modificationibus, & restrictionibus, quæ pro tempore fierent, nullatenus includerentur, nisi de personarum, quas tunc concernebant, & in futurum concernerent, ac quarum consideratione emanaverant, & in posterum emanarent, nominibus, cognominibus, dignitatibus & officiis, ex causis, propter quas eis concessæ erant, seu concederentur, expressa mentio fieret, idque ipsis personis intimaretur per diversas literas sub diversis Datis, cum certi temporis intervallo inter datas hujusmodi, & personarum earundem in revocationibus hujusmodi expressus accederet assensus, intelligerenturque gratiæ ipsæ toties revalidatæ, & in pristinum statum repositæ, quoties eas revocari, restringi & modificari contingeret, ac pro infectis & non concessis haberi, & viribus omnino carere, etiamsi per eas, quæ emanarent, speciales reservationes, & alias gratias viribus vacuatas, hujusmodi eisdem posterioribus literis cum earum Dat. insertione, specifice quomodolibet derogari videretur, & ne similes reservationes ac gratiæ, & Priorum revalidationes, quas ab ipso Leone, Prædecessore, etiam cum posteriorum literarum hujusmodi expressa derogatione, ac supradictis, aliisque efficacioribus, fortioribus, & insolitis clausulis in posterum emanare contingeret, contra præmissorum tenorem sortirentur effectum, sed quoties emanarent, toties revocarentur, easque posteriores literas, ac omnia & singula, in eis contenta, ad id, ut omnes & singulas speciales reservationes, uniones, coadjutorias, regressus & accessus, ac alias gratias prædictas semper includerent, de qualibet die Pontificatus sui repetierat, & innovaverat, decernens repetitionem & innovationem hujusmodi eis, quorum interest, de singulis diebus dicti Pontificatus, prout magis expediret, in omnibus, & per omnia perinde, ac si eisdem diebus ab ipso Leone Prædecessore actu emanassent, suffragari, & sic judicari debere, ac quicquid secus attentari contingeret, irritum & inane decreverat.

Et cum nefandissimus Christiani nominis hostis, Turcarum Tyrannus, validissima classe maritima, maximoque exercitu terrestri paratus, Insulam Rhodi, totius Christianitatis specimen, acerrimis & multiplicatis conatibus invasisset, ac crudeli & inaudita obsidione affecisset, & tandem Insulam & civitatem Rhodi hujusmodi vi, & armis expugnasset, ac literæ, libri, & monumenta, seu documenta antiqua privilegiorum & indultorum, eis a dicta Sede concessorum, periissent, & deperdita fuissent, similis mem. Clemens Papa VII. pariter Prædecessor noster, motu & scientia, ac potestatis plenitudine similibus, omnia & singula Privilegia, jurisdictiones, facultates, immunitates, concessiones, indulgentias, libertates, prærogativas, gratias, exemptiones favores, & indulta dicto hospitali, ac illius bajuliviis, prioratibus, præceptoriis, domibus, hospitalibus, Ecclesiis, capellis, locis & membris, nec non Magistro, bajulivis, Prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus, & personis ac eorum vasallis, subditis & servitoribus pro tempore existentibus, catenus per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, tunc suos, successivis temporibus, & demum per Leonem Prædecessorem, & Sedem præfatos, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis quomodolibet concessa, approbata & innovata, per quasdam approbaverat, confirmaverat, & innovaverat, ac valida & efficacia existere, nec non perpetua roboris firmitate subsistere, & inviolabiliter observari, ac Magistro, bajulivis, Prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus, personis, vasallis, subditis & servitoribus præfatis suffragari debere decreverat, ac omnia & singula, prout per Leonem & alios Prædecessores, ac Sedem præfatos concessa fuerunt, ita ut Magister, bajulivi, Priores, præceptores, milites, fratres, personæ, vasalli, subditi & servitores illis libere perpetuo uti possent de novo.

Nec non tunc, & pro tempore existenti Magistro, & Conventui hospitalis hujusmodi juxta illius stabilimenta, & laudabiles consuetudines ac mores in bajulivias, Prioratus, castellaniam empostæ, domos, hospitalia, membra, loca & bona quæcunque nec non quoscunque bajulivos, Priores, castellanum empostæ, præceptores, fratres, & personas hospitalis & religionis hujusmodi, ac illorum vasallos, subditos & servitores ubicunque, tam citra, quam ultra montes, tunc & pro tempore constitutos & commorantes, qui omnes eidem Magistro & subdelegatis ab eo firmiter, tam personaliter quam realiter, omni exceptione cessante, & quocunque

cunque a Clemente, Prædecessore, vel Sede prædictis obtento, vel obtinendo indulto non obstante, parere & obedire tenerentur, plenariam & omnimodam, etiam meri & mixti imperii jurisdictionem & superioritatem.

Ipsique Magistro contra rebelles, & suis mandatis non obedientes, etiam vigore literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ab ipso Clemente & Successoribus suis emanatarum, servatis quatuor terminis ad docendum se paruisse, & satisfecisse in loco Conventus Hospitalis hujusmodi, post legitime executam primam citationem, ad mulctam sive pœnam personaliter, juxta mores & stabilimenta prædicta, seu etiam privationem habitus, aut beneficiorum, domorum & prædiorum, per eos obtentorum, procedendi, vel etiam, si magis expedire videretur, beneficia, domos & prædia ipsa ad manus suas, seu receptorum dicti Hospitalis ducendi, & donec ipsi inobedientes contumaciam purgarent, vel debita onera persolverent, sive seculares, aut alterius Ordinis Regulares, beneficia dicti Hospitalis possidentes, forent pro suo arbitrio retinendi, illorumque fructus, reditus & proventus arrendandi & percipiendi, nec non Cameras magistrales prædictas ad se recipiendi, sive illas solitis pensionibus pro suæ voluntatis libito imponendis & moderandis, onerandi, & alias de illis, tanquam de præceptoriis & prædiis mensæ magistrali unitis, & incorporatis disponendi.

Ac in Romana Curia Procuratorem generalem, cum generali vel speciali, & limitata potestate & facultate constituendi, seu deputandi. Et in eadem Curia per se, seu dictum Procuratorem ad id potestatem a Magistro & Conventu præfatis habentem, quæcunque ejusdem Hospitalis beneficia, cujuscunque qualitatis existentia, apud Sedem prædictam quomodolibet (præterquam per resignationem in manibus suis, & Successorum suorum, Romanorum Pontificum) pro tempore vacantia, juxta ipsius Hospitalis stabilimenta libere conferendi. Et tam Magistro, quam Conventui præfatis, etiam de illis, de quibus eatenus dispositum fuerat de novo, ac aliis beneficiis hujusmodi, etiam tanquam privatis prædiis in titulum perpetui beneficii Ecclesiastici, seu etiam ad nutum, aut amovibiliter, uni vel diversis personis assignari solitis, etiam dictæ Sedi reservatis, seu alias affectis, aut ad Sedem ipsam devolutis, libere providendi, & illa uniendi, dismembrandi, & alias de illis disponendi, nec non antianitates, tam generales, quam speciales super eisdem beneficiis fratribus ejusdem Hospitalis concedendi, ac resignationes dictorum beneficiorum recipiendi & admittendi, illaque resignantibus titulum, seu denominationem, ac omnes eorum fructus, seu illorum partem, aut super illis quascunque pensiones annuas, quæ etiam transirent ad Successores in eis, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, etiam privationis in talibus apponi solitis, ad vitam, vel ad tempus, reservandi, concedendi, constituendi & assignandi, & quod, altero decedente, superstes in illius possessione succederet, indulgendi, seu regressum ad illum concedendi.

Ipsique Magistro & Conventui privilegia, exemptiones & indulgentias ejus, & dicto Hospitali concessa ubique locorum, etiam absque alicujus Ordinarii licentia, sub sigillo tamen Prioris illius Provinciæ, vel eorum conservatoris in ea degentis, publicandi & quæstuandi, seu eleemosynas & Confraternitatum obventiones quærendi & recipiendi.

Nec non Cœmeteria in eorum Parochialibus Ecclesiis habendi, ac quorumcunque Christi fidelium cadavera, etiamsi excommunicati, vel interdicti forent, dummodo interdicto causam non dedissent, salvo jure rectori Parochiano debito, absque aliquo onere & solutione Episcopo facienda, recipiendi & sepeliendi.

Legata & donata, tam inter vivos quam qualibet ultima voluntate exigendi & percipiendi.

Nec non bajulivis, Prioribus, Præceptoribus, militibus, fratribus & personis præfatis quæcunque Ecclesiastica sacramenta, ac omnes etiam sacros Ordines a quocunque mallent Catholico Antistite, gratiam & communionem dictæ Sedis habente, nihil oblato, vel soluto, recipiendi.

Et tam ipsis, quam eorum familiaribus arma quæcunque, & ubique locorum pro sui defensione, & hostium dictæ Sedis offensione gestandi,

Nec non Capellanis ejusdem Hospitalis bajulivorum, Priorum, Præceptorum, militum, fratrum, personarum, vasallorum, subditorum & familiarium prædictorum confessiones audiendi, & pœnitentiam salutarem eis injungendi, ac Eucharistiæ ac alia sacramenta Ecclesiastica ministrandi.

Nec non tempore interdicti (dummodo illi causam non dedissent) excommunicatis & interdictis exclusis, clausis janius & submissa voce, missas & alia divina officia celebrandi.

Nec non quibusvis Christi fidelibus in quibusvis civitatibus, locis & diœcesibus præceptorias, domos & hospitalia sub dependentia & subjectione dicti Hospitalis per illius fratres obtinenda, quæ eisdem privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus & indultis, quibus aliæ dicti Hospitalis præceptoriæ, domus & hospitalia utebantur, potiebantur & gaudebant, uterentur, potirentur & gauderent, assignata illis congrua dote, Ordinariorum locorum, & quorumvis aliorum licentia minime requisita, & nulla præterea in illis Ordinariis ipsis jurisdictione, aut oneris imponendi facultate reservata, construi & erigi faciendi, plenam & liberam facultatem & auctoritatem concesserat.

Quascunque donationes, concessiones, locationes, investituras & alias alienationes censuum, redituum, jurium, jurisdictionum, & bonorum quorumcunque ad bajulivias, Prioratus, castellaniam empostæ, præceptorias, domos, hospitalia, beneficia & loca hospitalis hujusmodi pertinentium, in illorum læsionem, jacturam vel detrimentum, etiam per personas dictæ religionis, etiam cum renuntiationibus, pactis, juramentis & pœnis desuper impositis & adjectis, ac Instrumentis & literis desuper confectis, & confirmationibus forsan inde secutis, etiam de licentia dictæ Sedis, absque tamen consensu seu expressa licentia Magistri & Conventus prædictorum, quacumque præscriptione, seu longissima pacifica possessione & detentione non obstantibus.

Nec non quoscunque accessus, ingressus & regressus, ac coadjutorias ad bajulivias, prioratus, castella-

ſtellaniam empoſtæ, præceptorias, domos, hoſpitalia & alia beneficia Hoſpitalis hujuſmodi, præterquam ex cauſa oneroſa, & de conſenſu dictorum Magiſtri & Conventus, etiam per Clementem & Prædeceſſores ſuos præfatos conceſſos caſſaverat, revocaverat, annullaverat & irritaverat, nulliusque roboris vel momenti fore, & pro infectis haberi decreverat.

Ac cenſus, reditus, jura, jurisdictiones & bona alienata hujusmodi, ac etiam per quoscunque, etiam ſeculares, occupata, uſurpata & detenta, ad jus & proprietatem dicti Hoſpitalis, ſeu illius bajuliviarum, prioratuum, caſtellaneæ empoſtæ, præceptoriarum, domorum, hoſpitalium, & beneficiorum prædictorum reduxerat, illaque in integrum adverſus conceſſiones, donationes, & alias quaslibet alienationes prædictas, nec non inveſtituras illarum prætextu quomodolibet quavis auctoritate factas & conceſſas, in integrum ac in priſtinum, & eum ſtatum, in quo antea erant, reſtituerat, repoſuerat, & plenarie reintegraverat, illarumque detentores, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentes, ad illorum relaxationem per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia cogi & compelli poſſe voluerat, & ſimiles alienationes de cætero ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis beneficiorum per eos obtentorum pœnis, per contrafacientes eo ipſo absque aliqua declaratione incurrendis fieri prohibuerat, & ſi fierent, illas viribus omnino carere decreverat.

Nec non omnes & ſingulas lites, etiam in dicta Curia, & Rotæ Auditorio ſuper quibusvis dicti Hoſpitalis beneficiis inter quascunque perſonas motas, & in quibusvis inſtantiis pendentes, in quibus concluſum non fuerat, ad ſe advocaverat, & illas eisdem Magiſtro & Conventui per eos juxta formam ſtabilimentorum, & laudabilium conſuetudinum prædictorum, & ſi eis videretur, tam in eadem Curia, quam extra eam, in ſtatu debito reasſumendas & decidendas commiſerat, eisque, quorum intereſt, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum (conſtito tamen ſummarie de non tuto acceſſu ad eas) citandi, a quibus, & quoties opus foret, inhibendi, etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, etiam contra condemnatos, etiam in Curia prædicta, tam realiter quam perſonaliter, exequi mandaverat.

Et inſuper Hoſpitale, ac illius bajulivias, Prioratus, caſtellaniam empoſtæ, domos, Cameras, hoſpitalia, & loca quæcunque, nec non Magiſtrum, bajulivos empoſtæ, Priores, præceptores, milites & perſonas, ac eorum ſubditos, vaſallos colonos & ſervitores, tunc & pro tempore exiſtentes, etiam Presbyteros, curam animarum exercentes, quamdiu illa exercerent, & in illorum obſequiis forent, ac illorum res, animalia, prædia, domos, molendina & bona quæcunque, quæ obtinebant & poſſidebant, ac in futurum canonice obtinerent & poſſiderent, ſub Beati Petri & dictæ Sedis atque ſua protectione ſuſceperat, ac ab omni jurisdictione, correctione, onere, ſtatutis, bannis, dominio, ſuperioritate & poteſtate quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum, nec non quorumcunque temporalium Dominorum quavis poteſtate, etiam Imperiali, Regali & Ducali fulgentium, ac univerſitatum & illarum Regentium, etiam præterquam dicti Hoſpitalis Ordinariorum, tam ſpiritualium, quam temporalium ubicunque, tam citra, quam ultra montes & mare conſtitutorum, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentium, illorumque Vicariorum & Officialium, Locatenentium & Judicum, tunc & pro tempore exiſtentium quorumlibet;

Nec non a ſolutione & exactione paſſagii, arreragii, gabellæ, datii, tractæ, collectæ, procurationis, jocundi adventus, jurium etiam Synodalium, cenſuum & decimarum, etiam novalium, etiam hortorum, pratorum, piſcationum & molendinorum, ad quæ cuilibet acceſſus nullatenus directe vel indirecte prohiberi poſſet, & terrarum, quas per ſe ipſos, vel alios eorum nominibus, etiam colonos, arrendatarios & emphyteutas excolebant, & de quibus fructus percipiebant, & cujusvis alterius oneris perſonalis, ſeu mixti ab Ordinariis ubicunque, & ex quacunque cauſa impoſiti, vel imponendi, pro tempore liberaverat & exemerat, ac ſibi & dictæ Sedi immediate ſubjecerat, illosque & illa, etiamſi in quibuscunque ſtatutis, literis, conſtitutionibus & regulis, etiam per Clementem Prædeceſſorem, & Sedem prædictos pro tempore editis, nominatim, ſpecialiter & expreſſe gravarentur, ſeu onerarentur, ſemper liberos, immunes & exemptos, ac exceptos, & ipſi Clementi Prædeceſſori immediate ſubjectos eſſe decreverat; Ita quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Ordinarii, Vicarii, Officiales, Locatenentes & Judices præfati, etiam ratione delicti, vel contractus, ſeu rei, de qua ageretur, ubicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, nullam in eos, vel ea, jurisdictionem, correctionem, viſitationem, ſuperioritatem, dominium, partitionem, exactionem ſeu poteſtates exercere, aut excommunicationis aliasve ſententias, cenſuras & pœnas promulgare, aut etiam ratione perſonarum vel rerum, animalium, ac bonorum ſuorum ad aliquam ſolutionem pontium, fontium, furnorum, murorum, ſeu etiam aliarum Eccleſiarum, quam dictæ religionis, etiamſi forſan eatenus per abuſum, ſeu alterius privilegium aut negligentiam, etiam per longiſſimum tempus taliter obſervatum non fuiſſet. Quæ omnia etiam præſcriptiones, nullo pacto ſaltem in poſterum, quo minus hujusmodi exceptionibus uti poſſent, obſtare voluit, & decrevit eos coarctare, aut alii quicunque, cujuscunque Eccleſiaſticæ vel mundanæ dignitatis, aut præeminentiæ, ſtatus vel conditionis exiſterent, etiam locis & terris S. R. E. etiam immediate ſubjectis, & ad inſtantiam cujuscunque Principis, ſeu Communitatis, ſeu excommunicationis latæ ſententiæ, & quadrupli ultra damna & expenſas reſtitutionis pœnis, per contrafacientes eo ipſo incurrendis, eos in judicio & extra, ſuper præmiſſis, & eorum uſu, ſeu poſſeſſione vel quaſi, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio, moleſtare, impedire, vexare, aut alias quomodolibet impetere præſumerent, deberent, ſeu etiam valerent.

Et inſuper ſtatuerat, & ordinaverat, quod jus patronatus, & præſentandi perſonas idoneas, ad baju-

bajulivias, Prioratus, præceptorias, hospitalia, membra, alia beneficia & loca Hospitalis hujusmodi, nisi ratione fundationis, aut dotationis saltem ad tertiam partem illorum fructuum, quo casu liceat Magistro & Conventui præfatis, si dicta eorum beneficia & loca Hospitalis hujusmodi a dicto jure Patronatus liberare vellent, aut dotantibus bona restituere, seu illorum pretium persolvere, ac ex tunc bajulivias, Prioratus, præceptorias, hospitalia, membra, & beneficia hujusmodi conferre.

Quodque super eorum fructibus, reditibus & proventibus aliquæ pensiones annuæ quibusvis personis secularibus, seu alterius Ordinis, quam dicti Hospitalis regularibus, sine expresso consensu Magistri & Conventus prædictorum, etiam per Sedem prædictam reservari, constitui & assignari nullatenus possent, & si reservarentur, concederentur, constituerentur & assignarentur, reservationes, constitutiones, assignationes, & concessiones hujusmodi nemini suffragarentur, nec propterea aliquas censuras vel pœnas incurrere possent.

Quodque omnes & singuli eorum bajuliviarum, Prioratuum, præceptoriarum, domorum & beneficiorum in vim dictarum collationum possessores seculares, aut alterius Ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus, reditibus & proventibus hujusmodi eatenus etiam per Sedem eandem reservatas percipientes, illas & illa infra sex menses a die intimationis dictarum literarum in manibus Magistri & Conventus prædictorum, juxta formam stabilimentorum dictæ religionis dimittere & transferre, seu illarum cassationi consentire tenerentur, alioquin beneficia & pensiones hujusmodi, nisi illa possidentes, & illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, & professionem regularem ipsius religionis emitterent, lapsis mensibus ipsi vacarent, ac cassæ & extinctæ essent, & esse censerentur eo ipso.

Ac quod quæcunque personæ in dignitate Ecclesiastica, & ubilibet constitutæ, per ejusdem bajulivos, Priores, præceptores & fratres, ac eorum singulos pro tempore eligendæ, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ipsos adversus inferentes eis injurias, seu gravamina, vel damna, in personis, rebus & bonis, manutenere, conservare, & quamcunque jurisdictionem exercere, nec non sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas contra rebelles & inobedientes cum effectu promulgare, nec non omnibus facultatibus & concessionibus quibusvis conservatoribus, eis per quascunque literas Apostolicas eatenus deputatis, quomodolibet concessis, uti, potiri & gaudere deberent, in omnibus & per omnia, perinde ac si per easdem literas conservatores & Judices deputati fuissent.

Et quod presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emisissent, nisi de expressa licentia, vel consensu Magistri, seu Priorum, Præceptorum, vel fratrum, quos id tangeret ad deserviendum Parochialibus & aliis Ecclesiis, aut capellis ipsius Religionis nullatenus admitterentur, sed in quibuscunque Parochialibus & aliis Ecclesiis ac capellis Hospitalis hujusmodi, capellani ejusdem Religionis, per locorum Ordinarios, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, si contrafacerent, eo effectu incurrenda, ad requisitionem, seu præsentationem dictorum bajulivorum, Priorum, præceptorum & fratrum, absque aliqua exactione & oneris impositione recipi, vel admitti deberent.

Quodque illi duntaxat fratres privilegiis prædictis gauderent, qui a præfato Magistro, seu de ejus licentia habitum suscepissent, & professionem emisissent, seu de habitu suscipiendo, & professione hujusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuissent, nullusque bajulivorum, Priorum, Præceptorum & fratrum prædictorum, absque mandato, seu licentia præfati Magistri, aut saltem sui Prioris, seu Procuratoris ipsius Hospitalis, in dicta Curia existentis, privilegiis præfatis in eadem Curia uti valeret, nec illa absque hujusmodi licentia vagantibus suffragarentur.

Ac manus violentas in eos, qui ad Ecclesias seu domos ejusdem Religionis pro sua salute confugerent, per quempiam injici, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna prohibuerat.

Decernens literis prædictis, & in eis contentis quibuscunque, etiam per quascunque literas Apostolicas, etiam quasvis clausulas, generales, vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores & insolitas, ac etiam irritantia decreta sub quacunque verborum expressione in se continentes, nullatenus derogori posse, nec derogatum censeri, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, ac hujusmodi derogationis consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas, eundem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, Magistro & Conventui præfatis legitime intimatæ & insinuatæ forent, ac ipsorum Magistri & Conventus ad id expressus accederet assensus, & aliter factas derogationes nemini suffragari, ac Magistrum & Conventum præfatos ad parendum literis derogatoriis hujusmodi, & decretis, super illis processibus, ac illorum executoribus & subexecutoribus, eorumque mandatis & monitionibus minime teneri, & literarum hujusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ hujusmodi censuris Ecclesiasticis, per eosdem executores & subexecutores latis, innodari posse.

Et sic in præmissis omnibus & singulis, per quoscunque judices & Commissarios, quavis autoritate fungentes, tam in dicta Curia, quam extra eam pro tempore deputatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter circa præmissa judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super præmissis omnibus, vel eorum aliquo a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Nec non literas etiam piæ memoriæ Alexandri, V. Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clementis etiam V. Innocentii IV. & Callisti III. Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, tunc suorum, eidem Hospitali, etiam super decimis ex eorum terris, possessionibus & animalibus non solvendis concessas, per alias suas literas approbaverat, ac quoad terras possessiones ad quantumcunque longum tempus, non tamen in perpetuum feudum, seu Emphyteusin concessas, observari debere decreverat.

Et per alias motu simili, omnes & singulas causas, tam inter Priores, bajulivos, castellanum empostæ, præceptores, fratres & milites Hospitalis hujusmodi, quam etiam pro communi thesauro prædicto agente, tam ratione Prioratuum, bajuliviarum, præceptoriarum, domorum Hospitalis hujusmodi, quam etiam bonorum, etiam pecuniarum, etiam dicti thesauri, seu delictorum, etiamsi ex adverso aliqui Clerici seculares, vel Regulares, aut Laici existerent, & active seu passive in dictis causis quomodolibet, in quacunque instantia intervenissent, & cum opportuna derogatione stabilimentorum, usuum, morum, consuetudinum & privilegiorum dicti Hospitalis, etiam ab eodem Clemente Prædecessore concessorum, etiam prætextu juratæ perhorrescentiæ (dummodo non ex causa denegatæ justitiæ, aut perperam observatorum stabilimentorum processissent, commissas, & in futurum etiam cum similibus derogationibus pariter committendas, ad se in terminis, quibus reperirentur, etiam executivis advocaverat, illasque in eisdem terminis per Magistrum ac Conventum præfatos in eorum consilio ordinario, sive in generali Capitulo, ut moris erat, & eorum stabilimenta ac consuetudines exigebant, ipsaque privilegia expostulabant, cum omnibus & singulis illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, tam conjunctim, quam divisim, etiam sine aliqua registrorum in hujusmodi causis factorum exhibitione & productione cognoscendas, seu reassumendas, & fine debito terminandas, prout tunc Magistro dicti Hospitalis videretur expedire, commiserat & mandaverat. Inhibens ex tunc Judicibus, & partibus extra Conventum & suos Judices contra formam stabilimentorum prædictorum litigantibus, ne ex tunc de cætero in dictis causis quomodolibet procedere præsumeret, decreto irritanti desuper adjecto.

Et per reliquas suas in forma Brevis literas, omnes & singulas speciales & generales, etiam mentales reservationes, expectativas, mandata de providendo, concessiones, coadjutorias, uniones, etiam perpetuas, nec non alias præventivas gratias, & literas Apostolicas super Prioratibus, & castellania empostæ, bajulivatibus, præceptoriis, rectoriis, domibus, locis & membris ac aliis beneficiis dicti Hospitalis quovis modo nuncuparentur, etiam in Castellæ & Legionis, ac Valentiæ Regnis, ac Principatu Catalauniæ, quomodocunque & qualitercunque, etiam cum quibusvis fortissimis & insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, ac inhibitionibus quibusvis, etiam non dicti Hospitalis personis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ forent, etiam Cardinalatus honore fulgentibus & functuris, etiam ex quibusvis justissimis & urgentissimis causis, quam per Clementem Prædecessorem, & Sedem præfatos, tam in genere quam in specie concessas & concessa, & quasvis etiam præventivas & restitutorias ac præservativas clausulas in se continentes, & continentia, eorumque omnium vim & effectum revocaverat, cassaverat & annullaverat, nulliusque roboris vel momenti fore & esse, ac nemini suffragari posse, neque debere, nec per eas cuiquam in Prioratibus, castellania empostæ, bajulivatibus, præceptoriis, dignitatibus, domibus, locis & membris, ac aliis beneficiis Hospitalis hujusmodi, vel ad illa jus acquiri potuisse vel posse, neque coloratum titulum possidendi, sed illis non obstantibus Magistrum & Conventum præfatos conjunctim, vel divisim, juxta consuetudines & stabilimenta hujusmodi hospitalis de castellania empostæ, bajulivatibus, præceptoriis, domibus, locis & membris ac illis beneficiis Hospitalis hujusmodi libere disponere potuisse & posse, & sic judicari debere, ac quicquid secus super his attentari contingeret, irritum & inane decreverat.

Similis memoriæ Paulo Papæ III. similiter Prædecessori nostro, pro parte tunc Magistri, ac Priorum, bajulivorum, præceptorum, fratrum & militum dicti Hospitalis exposito, quod antea eisdem Magistro, Prioribus, præceptoribus, et fratribus a dicta Sede concessum fuerat, ut in Parochiis & locis, in quibus veteres decimas percipiebant, novalium decimas, pro ea parte, qua veteres percipiebant, similiter perciperent (licet de concessione hujusmodi, cum eorum munimenta in prædicta expugnatione periissent, ut præfertur, docere non possent) præfatus Paulus, Prædecessor, Magistri, Priorum, bajulivorum, præceptorum, militum & fratrum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinatus, concessionem, facultatem, cassationem, revocationem, annullationem, irritationem, reductionem, restitutionem, repositionem, reintegrationem, commissionem, mandatum, liberationem, exemptionem, derogationem, statutum, & alia per Clementem VII. concessa & gesta, nec non suppressionem, extinctionem, applicationem, approbationem, concessionem, assignationem, absolutionem & translationem per Innocentium VIII. ac facultatem, seu indultum percipiendi decimas novalium pro ea parte, qua veteres decimas percipiebant, nec non omnia & singula tam per præfatos Alexandrum, Gregorium, Bonifacium, Clementem V. Innocentium IV. Callistum, Leonem & Clementem VII. quam etiam similis memoriæ Joannem XXII. Martinum V. Alexandrum V. Pium II. Paulum etiam II. Alexandrum VI. & quoscunque alios Romanos Pontifices, Prædecessores suos, ac Sedem præfatam eisdem Hospitali, & illius Prioratibus, bajuliviis, præceptoriis, domibus, hospitalibus, Ecclesiis, capellis, & aliis locis ac membris, nec non pro tempore existentibus Magistro, Prioribus, bajulivis, præceptoribus, militibus, fratribus & personis, ac eorum vasallis & servitoribus eatenus sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis quomodolibet concessa, approbata & innovata, ac cum inhibitionibus & decretis, nec non omnibus & singulis aliis in eis contentis clausulis singulas Prædecessorum prædictorum desuper, tam sub plumbo, quam in forma Brevis, literas confectas ex certa scientia, per suas sub plumbo confectas literas approbavit, confirmavit, & innovavit, ac valida & efficacia existere, & perpetua roboris firmitate subsistere, suosque effectus sortiri.

Ac etiam quoad possessiones, terras & bona, quæ per quantumcunque longum tempus (quod nonaginta novem annos, seu trium vitam intelligi, seu censeri

censeri debere decrevit, & declaravit) non tamen in perpetuum feudum, seu emphyteusim eatenus concessa fuerant, & in futurum concederentur inviolabiliter, ita quod ipsi Priores, præceptores & fratres, nec non coloni, arrendatarii & firmarii, pro possessionibus, terris & bonis, etiam ad nonaginta novem annos, seu trium vitam, non tamen in perpetuum feudum, seu emphyteusim, ut præfertur, pro tempore concessis, nec non suis & aliis in illis pro tempore natis, aut nascituris animalibus, a solutione quorumcunque datiorum, seu decimarum, vel aliorum onerum, juxta tenorem literarum Clem. VII. prædecessoris hujusmodi immunes & excepti perpetuo existerent, per quoscunque quavis dignitate & præeminentia præfulgerent, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis in eis contentis perpetuo observari. Nec non Magistro, Prioribus, bajulivis, præceptoribus, militibus, fratribus, personis, vasallis, subditis & servitoribus præfatis suffragari debere decrevit, omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem, supplevit, ac præmissa omnia & singula, prout per singulos prædecessores & Sedem præfatos decreta, concessa, prohibita, statuta, ordinata, innovata & gesta fuerant, in omnibus & per omnia perpetuo concessit, decrevit, prohibuit, statuit, ordinavit & fecit.

Illaque etiam ad hoc, ut Magister & singuli Priores, bajulivi, præceptores, milites & fratres Hospitalis hujusmodi pro eorum libito voluntatis Parochiales, ac etiam sine cura Ecclesias, vel earum vicarias, seu capellanias, perpetuas, aut capellas, vel altaria, seu alia beneficia simplicia ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, ratione prioratuum, bajuliviarum, præceptoriarum, etiam cameralium magistralium nuncupatarum, hospitalium, domorum, & aliorum beneficiorum dicti Hospitalis, per eos pro tempore obtentorum, de jure statuto, consvetudine, fundatione aut privilegio, vel alias quomodolibet spectantia & pertinentia, & ab ipsis bajuliviis, præceptoriis, domibus, hospitalibus & aliis beneficiis dependentia, seu illis annexa, quæ dudum fratribus, saltem capellanis ejusdem Hospitalis, & ab eisdem Magistro, Prioribus, bajulivis, ac præceptoribus, & aliis prædictis conferebantur, a longo tamen, & forsan longissimo tempore citra, de cujus initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsos Magistrum, priores, bajulivos, præceptores, milites & fratres, per abusum, aut ex defectu fratrum Capellanorum, vel aliarum personarum ejusdem Hospitalis ad id idonearum, clericis seu Presbyteris secularibus collata, aut conferri, & per ipsos Presbyteros, vel Clericos seculares obtineri solita, etiam fratribus Hospitalis hujusmodi, præsertim Capellanis nuncupatis, qui, ut asserebatur a Presbyteris, seu Clericis, nisi quoad gestationem crucis, vel habitus dicti Hospitalis ad pectus, non differebant, imo privilegiis Clericorum Secularium, juxta forsan eorum privilegia & consvetudines gaudere solebant, si ad id alias idonei & habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis providere & disponere, ipsique fratres, quibus beneficia hujusmodi conferri contingeret, illa si sibi alias canonice conferentur, aut ipsi eligerentur, præsentarentur, vel alias assumerentur ad illa, & instituerentur in illis, recipere, & in titulum etiam, quoad viverent, retinere respective, libere & licite valerent, extendit & ampliavit, eisque concessit, & pariter indulsit, ac cum eis super hoc legitime dispensavit. Nec non Magistrum, priores, bajulivos, præceptores, milites, fratres, personas, vasallos, subditos & servitores prædictos illis omnibus, juxta illorum continentiam, & tenorem perpetuo uti, potiri, frui & gaudere, libere & licite posse decrevit, prout in singulis literis prædecessorum hujusmodi plenius continetur.

Nos igitur cupientes, ut Religio Hospitalis hujusmodi, cujus fratres nullis parcendo periculis, contra piratas, Turcas, & alios Christi nominis hostes dimicare, ac pro salute Christiana honestam mortem oppetere non cessant, & quaversum classis Christianorum in infideles dirigitur, vocati se illis adjungunt, primosque congressus fortiter sustinent, sicuti novissime in expugnatione terræ Africæ priscam virtutem ostendentes, omnium primi illius muros conscenderunt, salubriter dirigatur & amplietur, dilectos filios Joannem de Valeta, modernum Magistrum, ac Priores, bajulivos, præceptores, milites, fratres et personas Hospitalis hujusmodi, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad Joannis de Valeta Magistri, aut bajulivorum, Priorum, præceptorum, militum, fratrum vel personarum prædictarum, seu aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuta, ordinationes, declarationes, revocationes, cassationes, irritationes, voluntates, monitiones, requisitiones, promulgationes, suppressiones, extinctiones, uniones, incorporationes, concessiones, etiam facultatum assignationes, decreta, annullationes, advocationes, remissiones, inhibitiones, injunctionem, moderationem, repetitionem, renovationem, approbationem, confirmationes, suppletiones, restitutionem, repositionem, commissionem, mandatum, susceptionem, liberationem, exemptionem, subjectionem, prohibitionem, extensionem, ampliationem, indultum et dispensationem Martini, Sixti, Innocentii, Julii, Leonis, Clementis, et Pauli Prædecessorum hujusmodi, nec non omnia et singula privilegia, jurisdictiones, facultates, immunitates, concessiones, indulgentias, libertates, prærogativas, exemptiones, gratias, favores et indulta Hospitali, bajuliviis, prioratibus, castellaniæ, præceptoriis, domibus, conventibus, seu Monasteriis, Ecclesiis, capellis, locis et membris, nec non pro tempore existentibus Magistro, bajulivis, Prioribus, castellano, præceptoribus, militibus, fratribus, et personis, ac eorum vasallis, subditis et servitoribus, per prædictos, et alios quoscunque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, et Sedem prædictam, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis hactenus quomodolibet concessa, approbata, et innovata, nec non cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas

singulas eorundem Prædecessorum, tam sub plumbo, quam in forma Brevis literas, prout per Antecessores nostros Leonem X. Clementem VII. et Paulum III. concessa, confirmata et approbata fuerunt, et constitutionem eorum nuncupatam in novissime celebrata Curia Regum Arragonum, ut accepimus, editam, qua inter alia caveri dicitur expresse, quod pro evitandis litibus et discordiis, quæ sæpius in præceptoriis dicti Hospitalis suscitari solent, in præceptoriis et beneficiis Hospitalis hujusmodi ad manus judicum ad id competentium apprehensis, in tenuta et possessoriis, ac aliis articulis et processibus, qui coram judicibus secularibus tractari possunt, illi obtinere debeant, qui per Magistrum & Conventum Hospitalis hujusmodi provisi, eorum bullas, & executoriales Regias habuerint & reportaverint, juxta literarum ipsius Joannis prædecessoris continentiam & tenorem.

Et insuper omnia & singula stabilimenta, ordinationes & decreta, in capitulo generali novissime celebrato edita, præsertim de festis Apostolorum duplici officio celebrandis, & responsione, ac novis impositionibus, juxta formam stabilimentorum, & Privilegiorum eorundum factis, super Prioratibus, ac aliis beneficiis & locis dicti Hospitalis, ad sublevandum illius onera. Et de illegitimis in fratres milites ejusdem Hospitalis neutiquam cooptandis, nisi ex Comitum, aut superiorum genere, nec etiam illis, nisi a patre, avo & proavo paterno per seriem Illustribus prognatis. Nec non divisiones animalium, quæ in præceptoriis decedentium præceptorum reperiuntur, pro una præceptoriis ipsis, & pro alia medietatibus, vel etiam aliquando in totum ærario publico in certos casus applicandis. Ac pœna in non solventes responsiones, & impositiones ærario. Nec non commutatione solutionis jurium, ratione mortuariorum, & vacantium. Et dilatione divisionis bonorum & spoliorum, mortuo Magistro præfato. Et annumeratione certarum Præceptoriarum, quæ Magistratui sunt perpetuo unitæ. Ac forma licentiarum exercendi Militiam secularem per fratres, cum pœnis in contra facientes. Et provisione adversus malos administratores bonorum. Nec non acceptatione administrationis communis ærarii per Magistrum præfatum factam ad requisitionem sexdecim Capitularium, & reliqua, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis haberi volumus, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, confirmamus & innovamus.

Ac ad Hospitale prædictum ad præsens in Meliten. & non in Rhodi Insula consistens, illiusque Magistrum, bajulivos, Priores, Præceptores, fratres & personas, ac alia infra scripta extendimus & ampliamus, eaque omnia valida & efficacia existere, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, suosque effectus sortiri, ac ab omnibus, quavis dignitate & præeminentia fulgeant, etiam sub sententiis, censuris & pœnis in eis contentis perpetuo inviolabiliter observari decernimus.

Nec non causas sub literis Martini & Clementis Prædecessorum hujusmodi comprehensas, ac omnes ac singulas lites, & querelas, sive in dicta Curia, tam in Auditorio nostro, quam per commissiones, sive extra eam super quibusvis dicti Hospitalis beneficiis ac bonis & pecuniis thesauri, & fratrum quorumcunque, seu super eorundem delictis, etiamsi ex adverso aliqui Clerici seculares, vel regulares, aut Laici existerent, & active seu passive juxta alias formas stabilimentorum & privilegiorum prædictorum in dictis causis quomodolibet, & in quacunque instantia intervenissent, hactenus motas, in quibus tamen non conclusum sit, & in futurum quovis prætextu movendas, in quibusvis instantiis pendentes, quarum status, & merita etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, ad nos advocamus, ac illas eisdem Magistro & Conventui per eos juxta formam dictorum stabilimentorum, & laudabilium consvetudinum prædictorum in statu debito reassumendas, & decidendas committimus, eosque, quorum intererit, citandi, &, quoties opus fuerit, inhibendi, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, tam in Curia prædicta, quam extra eam, facultatem concedimus. Nec non illorum sententias, & rem judicatam per Priorem Ecclesiæ dicti Conventus, etiam sub censuris et pœnis Ecclesiasticis contra condemnatos, etiam in Curia prædicta, tam realiter, quam personaliter exequi mandamus, ita, quod alii, quam in dicto Hospitali, aut extra illud ex Magistri et Conventus commissione, juxta stabilimenta, et usus hujusmodi cognosci et terminari nequeant.

Nec a sententiis per Judices dicti Hospitalis pro tempore latis, ad alium quam Magistrum et Conventum prædictos, seu judices ab eis deputatos in quavis instantia, neque a sententiis per ipsum Magistrum & Conventum latis, alio quam ad ipsum generale Capitulum, sive per ipsius Hospitalis fratres, sive per ipsos subditos & vasallos quoquo modo appellari possit, imo usque ad tertiam sententiam in eodem Conventu procedere teneantur.

Et similiter, quod omnes sententiæ per eosdem magistrum & Conventum latæ, omnes item commissiones, citationes, collationes, bullæ. & omnia denique eorundem rescripta ad omnes suæ jurisdictioni subditos, ac reliquos etiam, quorum intererit, causas, lites, seu querelas coram ipsis pertractari directa exequi, & a nullis locorum & terrarum dominis, etiam Ducali, aut Regali dignitate fulgentibus aliqua ratione expectandi consensus, seu alio quovis quæsito colore in eorundem executione impediri possint, servato tamen in eis exequendis Dat. ordine, ita quod eorum ultima primis anteferri nequeant.

Ac quod contra Clericos seculares, seu Laicos, prioratus, bajulivias, præceptorias, domos, & alia beneficia Hospitalis hujusmodi occupantes, seu illi, aut ejus communi thesauro, seu fratribus occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum, annatarum, passagiorum, arreragiorum, seu alias quomodolibet debentes, sive agant, sive conveniantur, etiam in quavis instantia ad causam veniant, Magister & Conventus præfati, modo, & forma, quibus contra ipsius Hospitalis fratres procedi consvevit, libere procedere, & eos prioratibus, bajuliviis, præceptoriis, domibus, & aliis beneficiis hujusmodi juxta alias formam privilegiorum prædictorum privare valeant, concedimus & indulgemus.

Nec

Nec non personas in dignitate Ecclesiastica ubilibet constitutas, & quoscunque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios & Officiales, nec non Canonicos Metropolitan. & Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum Prælatos & Rectores, per eosdem bajulivos, Priores, Præceptores & fratres, ac eorum singulos pro tempore eligendos in Conservatores, qui, quamdiu exercuerint dictum officium, a nemine, quo minus illud exerceant, sub aliquo prætextu impediri, vel molestari possint, deputamus; Ita quod ipsi sic electi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per eosdem Priores, bajulivos, Præceptores & fratres, & eorum singulos adversus inferentes eis, aut eorum servitoribus & familiaribus injurias, seu gravamina vel damna, in personis, rebus & bonis, seu exigentes ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera, defendere & præservare, ac omnem eorum jurisdictionem exercere. Nec non sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, contra rebelles & inobedientes cum effectu promulgare: ac omnibus facultatibus Conservatoribus dicti Hospitalis, & illius personarum, per quascunque literas Apostolicas quomodolibet concessis, uti, ac privilegia Prioribus, bajulivis, Præceptoribus & fratribus præfatis pro tempore concessa, eis observare facere debeant & teneantur.

Ac jura mortuariorum, & vacantium, nec non arreragiorum, passagiorum, & aliorum quorumcunque, ita, ut quævis personæ, cujuscunque Ecclesiasticæ dignitatis existentes, beneficia Hospitalis hujumodi pro tempore obtinentes, illa solvere omnino teneantur, & adstricti sint, ac id etiam sub sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac alias juxta eorundem privilegia privationis & apprehensionis etiam beneficiorum ad manus suas remediis cogi possint, solvi mandamus.

Nec non exemptionem, & liberationem prædictas, ita quod Magistri bajulivorum, priorum, præceptorum, & dicti Hospitalis fratres, Capellani, a quocunque Catholico Antistite, sub Romanæ Sedis obedientia constituto sacros ordines, etiam extra tempora a jure statuta, tribus diebus festivis suscipere, & in quibusvis tam secularium, quam Regularium Ecclesiis absque alicujus licentia, etiam in altari portatili celebrare possint.

Nec omnino aliquis ex prædicti Hospitalis fratribus, donatis, servitoribus, vasallis & colonis in Prioratibus, bajulivatibus, commendis, domibus, membris, aut aliis quibusvis beneficiis, prædiis, sive grangiis, quomodocunque a dicto Hospitali dependentibus, in quibuscunque locis, sub quorumcunque Patriarcharum, Episcoporum, Universitatum, Hospitalium, Rectorum Ecclesiarum limitibus, & jurisdictione constitutis, decimas, aut canonicam portionem, seu charitativum subsidium, aut quartas nuncupatas, seu alias quascunque collectas, vel contributiones, tam ex antiquis eorum culturis, quam ex recenter cultis novalibus, alicui quovis modo solvere teneantur: a quibus omnibus exactionibus, atque etiam tam novo subsidio dilecto filio nostro, Philippo, Hispaniarum Regi in suis Regnis per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros concesso, quam canonica portione, seu quarta nuncupata, in Franciæ Regnis nuper imposita, nec non a quibuscunque aliis facultatibus Regibus hujusmodi, & aliis Principibus concessis, vel concedendis in futurum, omnia dicti Hospitalis loca, ut præfertur, nec non Ecclesiarum quomodocunque a dicto Hospitali dependentium fabricas libera & liberas, exempta & exemptas, sicut per Prædecessores nostros, Romanos Pontifices, fuisse, ita modo esse declaramus & volumus.

Addentes, quod præfati Magister & Conventus, Priores, bajulivi, Præceptores, aut quicunque alii ex dicti Hospitalis fratribus, per quoscunque locorum aut terrarum dominos, tam spirituales, quam temporales, etiamsi Regali dignitate præfulgeant, etiam in terris S. R. E. (sicut alias per suas olim, Paulus III. Prædecessor noster, concesserat) ab extractione frumenti, hordei, vini, olei, leguminum, & quorumvis fructuum, atque etiam pecuniarum, ex Prioratibus, bajulivatibus, commendis membris, domibus, grangiis, aliisque prædicti Hospitalis locis provenientium, nullo unquam modo impediri possint, pro minus præfata omnia pro sua possessorum voluntate in quæcunque fidelium loca ab omni pedagio, datio seu tracta, quæ dicitur, libera & exempta valeant asportare; & bona etiam patrimonialia, Magistri bajulivorum, Priorum, Præceptorum & statuum, ac aliarum personarum hujusmodi tam acquisita, quam in posterum acquirenda, aut illis quovis modo, etiam ex concessione Apostolica, vel Magistrali pertinentia, ex die emissæ per eosdem Magistrum, bajulivos, Priores, Præceptores, fratres & personas professionis, ut præfertur, ab omnibus decimis, & aliis oneribus libera, immunia & exempta existant.

Et ipsi Magister ac Conventus, nec non Prior Ecclesiæ, aliique Priores, & Præceptores intra limites suarum jurisdictionum, & administrationum veri Ordinarii, juxta formam stabilimentorum, & privilegiorum prædictorum existant, & esse censeantur. Ac beneficia Ecclesiastica ad præsentationem, seu collationem, bajulivorum, Priorum, Præceptorum, & Hospitalis hujusmodi suffragari debere decernimus; Ita quod presbyteri seculares illa ad præsens in Commendam, seu alias quomodolibet obtinentes, Commendæ hujusmodi cedere, aut illa alias dimittere nequeant, nisi de consensu eorum, ad quos præsentatio, seu collatio spectat, & in favorem dicti Hospitalis, seu personarum, quæ habitum per fratres, Capellanos ejusdem Hospitalis deferri solitum suscipiant, & professionem per eos emitti solitam emittant: nec illa deinceps ipsi, nisi infra sex menses a die intimationis habitum ipsius Religionis susceperint, & regularem professionem infra alios sex menses emiserint, possidere possint, & si secus fiat, aut cessionem seu resignationem hujusmodi, ac de dicti Ordinis beneficiis, etiam in manibus nostris in futurum fieri contingat, hujusmodi cessiones, resignationes & provisiones, nullius sint roboris vel momenti, nisi in illis expresse dicatur, & de consensu Magni Mag. & de illis juxta formam Privileg. d. Relig. provideatur.

Ac quascunque indulgentias, & peccatorum remissiones hactenus eis per prædecessores nostros concessas, & præsertim Sixti IV. de plenaria indulgentia, semel in vita, & in mortis articulo, pro eis eorumque servitoribus & ministris pugnantibus,

 ac Ho-

ac Honorii III. de alia plenaria de his, qui eis manus porrexerint adjutrices, ac Clementis VII. & suorum prædecessorum de quadraginta annis, & totidem quarantenis, ac septima parte injunctæ pœnitentiæ pro visitantibus eorum Ecclesias & Oratoria ubicunque existentia, & manus porrigentibus adjutrices in singulis secundis, quartis & sextis feriis Quadrag. & capitis jejuniorum, ac festi Sancti vocabuli dictarum Ecclesiarum. Nec non Clementis V. quoad facultatem super votis (Terræ Sanctæ & castitatis duntaxat exceptis) ac super usuris, rapinis, & male ablatis, vel acquisitis, quorum Domini certi non reperiuntur, & indistincte relictis in ultimis voluntatibus pro sustentatione pauperum, ac super divinis officiis, & Horis Canonicis omissis componendi & absolvendi. Ac Urbani etiam prædecessoris, quoad confratrias dicti Ord. pro colligendis eleemosynis semel in anno admittendas, & aliis confratribus non postponendas, confirmamus & approbamus.

Et insuper cum prioratus, bajuliviæ, præceptoriæ, domus & alia beneficia Hospitalis hujusmodi, eorumque bona omnia præfato Hospitali inserviant, & quodammodo unita sunt, & pro tempore existentes Magister & Conventus Hospitalis hujusmodi plenam in ea jurisdictionem habeant, prioratus, bajulivias, præceptorias, domos, Conventus, monasteria, & alia beneficia hujusmodi de cætero ex personis illa obtinentibus vacare non posse, sed cedentibus, vel decedentibus eorum pro tempore possessoribus, ea uni, seu pluribus, non in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, sed tanquam manualia ad nutum, seu amovibiliter juxta formam stabilimentorum & privilegiorum prædictorum concedi & assignari debere.

Et per quamcunque rem judicatam Mag. & Conventui præfatis, nisi ipsi specialiter ad causam vocati fuerint, super jurisdictione prædicta, & sua civili eorum possessione præjudicari, aut præjudicatum censeri non posse, sed eos semper, re judicata hujusmodi non obstante, super possessorio hujusmodi agere, & de spolio dare posse.

Ipsosque Magistrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, milites, fratres, personas, vasallos, subditos, & servitores in ipsius Hospitalis, & religiosorum causis in omni Judicio, & contra quoscunque, ubi aliæ probationes non existant, etiam juxta formam stabilimentorum, & Privilegiorum prædictorum in testes adhiberi.

Nec non Magistrum & Conventum, quoscunque & singulos Priores, Bajulivos, Castellanum empostæ, suorum Prioratuum, bajuliviarum & castellaniæ fratres, seu religiosos delinquentes, vel inobedientes, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existentes, etiamsi quavis, etiam Apostolica exemptione fungantur, in quocunque loco, quantumvis privilegiato, & quavis etiam Imperatoris, Regum, seu aliorum Principum, etiam Ecclesiasticorum Curia, per se, aut suos officiales, & ministros capere, & incarcerare, ac captos a se, vel eorum nomine liberare, & ad Hospitale prædictum; per Magistrum & Conventum prædictos juxta eorum constitutiones, & stabilimenta puniendos, sub debita custodia transmittere, & transmitti facere, libere & licite posse. Ac tam ecclesiasticos, quam seculares officiales, & locorum potestates, ad eisdem Magistro & Conventui, Prioribus, Bajulivis & Castellano in præmissis assistendum, ac auxilium, consilium, favorem, & juvamen præstandum sub excommunicationis, & aliis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis teneri & obligatos fore.

Nec non præsentium & quorumcunque Privilegiorum Apostolicorum eis hactenus concessorum, & in posterum concedendorum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Curiæ Ecclesiasticæ munitis plenam, & eam, quæ præsentibus adhiberetur, fidem in judicio & extra adhiberi debere decernimus.

Ac volumus, quod tam præsentium, quam aliarum quarumcunque literarum Apostolicarum, seu earum transumpti, ac Mandatorum Magistri & Conventus prædictorum publicatio & affixio in singulis prioratibus, bajulivatibus, præceptoriis, membris, & beneficiis dicti Ordinis factæ, perinde arctent, ac si contra contentos sub eisdem personaliter factæ essent, facta inprimis diligentia de illis personaliter reperiendis in dictis locis.

Et nihilominus statuimus, ac dictis Magistro & Conventui perpetuo concedimus, quod si quisquam Priorum, Bajulivorum, Præceptorum, Militum & fratrum dicti Hospitalis Crucem, vel habitum extra dictum Conventum, a Romano Pontifice, vel de ejus licentia receptum, gestans, intra annum, postquam illam susceperit, aut sibi de Prioratu & Bajulivia, Præceptoria, officio, vel beneficio Hospitali hujusmodi provisum, vel alias in ejus favorem dispositum fuerit: ac quicunque alius dicti Ordinis beneficium, vel pensionem obtinens, aut fructus percipiens, quandocunque pro servitiis Religionis, aut alias evocatus, seu in solutione jurium communis ærarii morosus fuerit, coram dictis Magistro & Conventu personaliter non comparuerit, & obedientiam, aliaque jura debita eisdem Magistro & Conventui non præstiterit, eo elapso, habitu, dignitate, administratione & beneficio, ac quocunque honore, & officio, juxta alias formas stabilimentorum & privilegiorum prædictorum, eo ipso careat, privatusque censeatur, seu, si videbitur, privari possit. Nec ulla hujus statuti derogatio, aut exemptio realis, vel personalis, seu alia gratia præservativa, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, quomodolibet pro tempore facta, seu concessa contra præmissa, valeant, nec Magister & Conventus præfati illis parere teneantur, sed illis non obstantibus, de Prioratu, Bajulivia, Præceptoria, dignitate, officio, vel beneficio, sic aut per privationem hujusmodi vacante, juxta stabilimenta & alia præmissa libere disponere, aut illa alias per eum, vel eos ad quem, seu quos Antianitatis, vel alio jure pertinet, acceptari possint.

Decernentes præsentibus, & in eis contentis omnibus, non nisi eisdem, modo, & forma, quibus in literis Leonis, Clementis & Pauli, Prædecessorum prædictorum concessum est, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri.

Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, tam in dicta Curia, quam extra eam

eam pro tempore deputatos, (sublata eis, & eorum cuilibet quavis alia circa præmissa judicandi & interpretandi facultate & auctoritate) judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super præmissis omnibus & singulis a quoquam quavis autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Toletano & Episcopo Parisiensi, ac pro tempore existenti Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Regenti, seu generali Auditori, per Apostolica scripta, motu simili, mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri, Priorum, bajulivorum, præceptorum, militum & fratrum prædictorum, seu alicujus eorum fuerint desuper requisiti, solenniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant autoritate nostra præsentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsæ præsentes literæ concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores & rebelles quoslibet per censuras & pœnas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, ac alia juris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac quoscunque, quorum interfuerit, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto accessu, citando, ac quibus & quoties inhibendum fuerit, etiam simili edicto, ac sub eisdem pœnis & censuris inhibendo, ipsasque censuras & pœnas ecclesiasticas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus præmissis, ac dicti Bonifacii Prædecessoris, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede præfata deputati extra civitatem vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dictis in Concilio generali edita, ac quibusvis aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus,& quibusvis privilegiis,indultis & literis Apostol. etiam ordinariis præfatis, & quibusvis Ecclesiis, Monasteriis,ordinibus,& locis & personis, cujuscunque dignitatis, status vel conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in robore suo permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus eorum simul vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Kalendis Julii, Pontificatus nostri Anno primo.

XXXVII.

Bulla Pii IV. Pontificis Maximi, in qua omnia Fratrum militum Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani ubique decedentium bona, vel ex illicita negociatione acquisita, uti spolia, ad ipsum Hospitale, non vero ad Cameram Apostolicam, pertinere constituit, d. d. 24. Martii, Anno 1561.

Pius Papa IV. Ad perpetuam rei memoriam. Romani interest Pontificis, ut cunctorum sibi & Sedi Apostolicæ devotorum, præsertim fratrum militum, qui tamquam fortissimum orthodoxæ fidei adversus crudelissimos Christiani nominis hostes propugnaculum duros hostium expectant insultus, gratiæ, & alia eis concessa, ut illibata sibi remaneant, providere, & eas concessiones, quæ gratiis hujusmodi aliquod inferre præjudicium, aut eas dubias reddere videntur, ad omnem tollendi, hæsitandi materiam, ac pacem confovendam declarare, aliasque & alia in his operari, prout in Domino salubriter cognoscit expedire.

§. 1. Sane Nobis pro parte dilectorum filiorum Magni Magistri & Conventus Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani fuit expositum, quod licet omnia & singula fratrum militum ejusdem Hospitalis bona post eorum obitum relicta ad Hospitale & Conventum prædictum in vim stabilimentorum, usuum, & naturarum dicti Hospitalis, seu Privilegiorum & indultorum Apostolicorum eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro & personis per diversos Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessorum, ac etiam per Nos approbatorum, & alias legitime & de jure spectant, & pertinent.

§. 2. Cum autem Nos nuper, postquam acceperamus, a nonnullis verti in dubium, an res & bona per Clericos, etiam in sacris ordinibus constitutos, ex negociatione illicita, aut alias contra sacros Canones acquisita, uti spolia, vel alias ad Cameram nostram Apostolicam jure legitimo spectare & pertinere deberent; Nos omnem desuper hæsitationis materiam submovere, ac cavillationibus & altercationibus, litibusque præcludere, & denique malitiis eorum, qui jura dictæ Cameræ usurpare satagebant, obviam ire, aliasque in præmissis opportune providere, tunc volentes omnia & singula, res & bona, cujuscumque qualitatis & quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus, & Regnis, ac dominiis tam citra quam ultra montes & maria consistentia, per quosvis clericos, tam seculares quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum, ac Militiarum regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, cujuscumque status, ordinis, & conditionis essent, ac Archiepiscopali, Episcopali, vel alia majori dignitate præfulgerent ex negociatione illicita, aut alias

contra

contra sacros Canones, quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate, quam habuissent testandi, condito testamento ubivis locorum decessissent, & decederent, aut quibus illos destitui contigisset, remansissent & remanerent, ad eandem Cameram, & non ad alios, etiam in quibusvis Cathedralibus, & metropolitanis, & collegiatis, ac aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus, & quorumvis Ordinum regularibus qualitercumque qualificatis Successores, illa in titulum, commendam, administrationem, ac alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiam si ad illa, vigore prioris tituli, jus regrediendi seu accedendi & ingrediendi aliquibus concessum fuisset, spectasse, & spectare, & sub nomine spoliorum venire, illaque uti spolia ad Cameram ipsam pertinentia perpetuo colligi, & recuperari potuisse, et posse ac debere. Et ita per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes in quacumque instantia sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere; nec non irritum & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decreverimus & declaraverimus cum mandati derogationis, aliisque clausulis tunc expressis, prout in nostris desuper in forma Brevis sub dato videlicet nonis Novembris, Pontificatus nostri anno I. ex prædictis literis, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, latius continetur.

§. 3. Cumque Magnus Magister & Conventus, ac fratres Milites præfati, occurente fratrum Militum Hospitalis prædicti obitu super eorumdem decedentium fratrum Militum bonis, per jurium & spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ prædictæ Collectores, & ejusdem Cameræ Commissarios, earumdem literarum vigore molestati dubitent. Nosque ejusdem Hospitalis & illius personarum manutentioni ac necessitatibus, quantum cum DEO possumus, libenter providere procuramus, maxime considerantes attentius ejusdem hospitalis fratres Milites, se & sua pro fide & illius defensione in crudelissimos Christiani nominis hostes exponere necesse esse continuo, hoc præsertim instanti tempore, quo idem immanissimus hostis Turcarum Tyrannus, lucri proxime præteriti non immemor, in animas Christi fidelium adeo spirat minas, ut omnibus fidelibus, magis tamen fratribus Militibus pavorem incutiens, ipsos non immerito ad diligentem excitat rerum providentiam; propterea non convenire, ut iidem fratres Milites, qui superstites existunt, defunctorum spoliati bonis ad suorum aliorumque Christicolarum defensionem rebus priventur necessariis.

§. 4. Idcirco, ut omnis hæsitandi materia submoveatur, ejusdem Hospitalis, & illius personarum hujusmodi indemnitatibus paterno consulere affectu, ipsosque specialis gratiæ favore prosequi volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apost. tenore præsentium declaramus, decernimus, & in verbo veritatis attestamur, nostræ intentionis numquam fuisse, nec esse, nec in posterum fore, per dictas nostras, aut quascumque alias literas a Nobis & Sede Apostolica, ac alias quomodolibet pro tempore emanatas, etiam quascumque generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores, & insolitas clausulas, nec irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentia statutis, stabilimentis, usibus & naturis hospitalis prædicti, ac privilegiis, indultis, ac aliis gratiis, illi ejusque personis concessis & concedendis, in aliquo derogasse nec derogare, seu aliquod ejus, vel eorum cuilibet præjudicium intulisse, nec inferre, sed semper valida, & efficacia, ac illæsa, & in suo robore permansisse & permanere, nec eadem, neque Hospitale, Conventum, fratres, milites, & personas præfatas, subscriptis, aut quibuscumque similibus aut dissimilibus literis, decretis, declarationibus, onerum impositionibus, ullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quotiens illæ emanabunt, totiens in pristinum & validum statum restitui debere, ac excepta & restituta, & de novo etiam sub dat. &c. per MagnumMagistrum & Conventum præfatos eligenda concessa fore, & censeri debere.

§. 5. Omniaque & singula, res & bona cujuscumque qualitatis & quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus, & Regnis, nec non Dominiis, tam citra, quam ultra montes & maria consistentia, per quosvis fratres, milites, & personas dicti Hospitalis, quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post eorum obitum, ubivis locorum decesserint, & decedent, aut quibus illos etiam eis viventibus (non tamen per Sedem Apostolicam privari, aut eis destitui contingeret) hactenus remanserunt, remanent & remanebunt, ad Hospitale & Conventum præfatos, non autem ad eamdem Cameram, seu alios quoscumque alias juxta stabilimentorum, usuum, naturarum, statutorum & privilegiorum hujusmodi formam & tenorem spectasse, & spectare.

§. 6. Nec non Hospitale & Conventum hujusmodi, aut pro eis agentes per Cameræ hujusmodi jurium, spoliorum & bonorum Collectores, & Subcollectores, Exactores, Commissarios, vel alios, quacumque auctoritate, dignitate vel officio fungentes et functuros, nullatenus molestari, inquietari, vel perturbari posse, nec debere. Et ita per quosvis Judices, quavis etiam auctoritate Apostolica fungentes, etiam Palatii nostri causarum Auditores in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, nec non irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum est forsan hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac reformationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, & Cameræ hujusmodi jurium, spoliorum, & bonorum collectoribus, subcollectoribus, exactoribus, commissariis prædictis, & quibusvis aliis personis in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis-

qui

que efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam motu, scientia ac potestate similibus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24. Martii, millesimo, quingentesimo sexagesimo primo, Pontificatus nostri anno 2.

XXXIIX.

Pii V. Pontificis Maximi, Privilegii, ab ejus antecessoribus Ordini S. Joannis Hierosolymitani Equestri olim indulti, Confirmatio, quo illum a solutione Decimarum, aliorumque præstatione onerum, quocunque veniant nomine, immunem declaraverunt, d. d. 19. Novembris, Anno 1568.

PIus, Papa V. Ad futuram rei memoriam. Etsi cuncta, quæ ex multa Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, providentia, in favorem militiarum quarumlibet, in fidei Catholicæ defensionem salubriter institutarum processerunt, executioni debitæ demandanda esse censemus, illa tamen præcipue, quæ ad illarum statum prospere dirigendum per eosdem Romanos Pontifices prudenter concessa comperimus, ut illibata firmaque perpetuo subsistant, libenter approbationis nostræ munimine roboramus.

Cum itaque, sicut accepimus, licet alias felicis recordationis, Leo X. Clemens VII. Paulus III. & Pius IV. Romani Pontifices, Prædecessores nostri, inter alia privilegia & indulta, dilectis filiis, Magistro & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani a Sede Apostolica concessa, eundem & pro tempore existentem Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites aliasque personas Hospitalis hujusmodi, nec non eorum subditos, vasallos, colonos, & servitores, ac alios in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam Presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, prædia, domos, molendaria, & bona quæcunque, quæ obtinebant, ac in posterum obtinerent, & possiderent, a solutione & exactione decimarum, censuum, jurium etiam Synodalium, & Canonicarum portionum, seu charitativi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartæ, aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcunque onerum, sub certis modo & forma, exemerint & liberaverint, & prout in diversis ipsorum Prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Et licet privilegia, exemptiones, libertates & indulta præfata, si unquam a primæva erectione dicti Hospitalis, nunc præcipue favore & complemento digna sint, cum ipsi pro fide Catholica defendenda non modo facultates & fortunas, verum etiam eorum vitam & sanguinem perdere non dubitaverint; nihilominus diversi locorum Ordinarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, ac multæ sæculares personæ id sibi omnino, juxta Sacri Concilii Tridentini decreta licere asserentes, eosdem Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites & personas diversis oneribus contra eorum privilegia pergravare, illosque ad decimas, census, subsidia etiam charitativa, congruas portiones, jucundum adventum, pastor bonus, aut alias nuncupata onera, etiam Jura Synodalia cogere præsumunt, in grave ipsius Hospitalis detrimentum & gravamen.

Nosque attendentes, quod nuper inter alia Mendicantium Ordinum fratribus concessa Privilegia eos & eorum quemlibet, tam a Seminarii Clericorum in qualibet civitate, juxta ejusdem Concilii Tridentini decreta erecti, seu erigendi, quam decimarum, subsidii, & aliorum onerum contributione totaliter exemisse & liberasse, præfatosque Magistrum, Bajulivos, Priores, Castellanum Empostæ, præceptores, milites, fratres & personas non minus dignos esse, ut eos paribus favoribus & gratiis prosequamur, illosque & eorum singulos ac singulares dicti Hospitalis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non omnium & singulorum Privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum & gratiarum per præfatos, & alios quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali, illiusque Magistro, Conventui & Fratribus, Militibus, aliisque quibusvis personis præfatis hactenus concessorum, ac literarum desuper confectarum, tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad Magistri & Conventus Hospitalis hujusmodi, aut alicujus alterius super hoc pro eis Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, indulta, facultates, exemtiones, immunitates, libertates & alias gratias, eisdem Magistro & Conventui quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjici-

adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus.

Decernentes, præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum Ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibuscunque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri. Et ita per quoscunque judices & Commissarios, quavis autoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum & Neapolitano, nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus nuntiis, aut Curiæ earum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Magistri & Conventus fuerint requisiti, solenniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Magistrum & Conventum confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione, decreto, & aliis præmissis pacifice uti, frui & gaudere, non permittentes eos per Ordinarios præfatos, aut quoscunque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, ac inquietari, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstante piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, auctoritate præsentium, ad judicium non extrahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, nec non juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, etiam præfatis locorum Ordinariis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu & scientia similibus, etiam consistorialiter, & de fratrum nostrorum consilio in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiam, si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, quod præsentes literæ non comprehendant neque ecclesias, neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini hujusmodi omnino servari debeant.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 19. Novembris 1568. Pontificatus nostri anno tertio.

XXXIX.

Gregorii XIII. Pontificis Maximi, Statutorum atque Privilegiorum Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Equestris Declaratio, qua eundem Ordinem ab omnium Decimarum solutione, aliorumque onerum præstatione denuo immunem pronunciavit, d. d. 12. Martii, Anno 1580.

GRegorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quo magis ac firmius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Ordini, Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Nobis acceptissimo, ac de Christiano nomine, fideique Catholicæ defensione optime merito, illiusque Magno Magistro, Præceptoribus & Commendatariis, hactenus per Sedem Apostolicam concessa privilegia præserventur, quo eundem Ordinem complectimur, æquum est providere.

Dudum siquidem fel. rec. Pius PP. IV. Prædecessor noster, dum favore ejusdem Hospitalis & Religionis, privilegia eidem antea concessa confirmavit, atque approbavit, vel etiam ampliavit, animadvertens, piæ mem. Clem. PP. VII. etiam prædecess. nostrum statuisse, quod omnes & singuli Bajulivarum, Prioratuum, Præceptoriarum, domorum & beneficiorum, in vim collationum eis factarum, possessores, seculares, aut alterius Ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi eatenus etiam per Sedem eandem reservatas percipientes, illas & illa infra sex menses a die intimationis dictarum literarum in manibus Magistri & Conventus prædictorum juxta formam stabilimentorum dictæ Religionis dimittere & transferre, seu illarum cassationi consentire tenerentur, alioquin beneficia & pensiones hujusmodi, nisi illa possidentes, & illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, & professionem

nem Regularem ipsius religionis emitterent, lapsis mensibus ipsis vacarent, ac cassæ & extinctæ essent, & esse censerentur eo ipso.

Ac deinde recol. mem. Paulum Papam III. etiam Prædecessorem nostrum, ut Magister, & singuli Priores, Bajulivi, Præceptores, Milites, & fratres Hospitalis hujusmodi pro eorum libito parochiales, ac etiam sine cura Ecclesias, seu earum Vicarias, seu Capellanias perpetuas, aut Capellas, vel Altaria, seu alia beneficia simplicia, ad eorum collationem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, ratione Prioratuum, Bajuliviarum, Præceptoriarum, etiam Camerarum magistralium nuncupatarum, Hospitalium, domorum & aliorum beneficiorum dicti Hospitalis, per eos pro tempore obtentorum de jure, statuto, consuetudine, fundatione aut privilegio, vel alias quomodolibet spectantia & pertinentia, ab ipsis Bajuliviis, Præceptoriis, domibus, Hospitalibus, & aliis beneficiis dependentia, seu illis annexa, quæ dudum forsan fratribus saltem Capellanis ejusdem Hospitalis, & ab eisdem Magistro, Prioribus, Bajulivis ac Præceptoribus, & aliis prædictis conferebantur, a longo tamen, & forsan longissimo tempore citra, de cujus initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsos Magistrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, Milites & Fratres, per abusum, aut ex defectu hujusmodi Capellanorum, vel aliarum personarum ejusdem Hospitalis ad id idonearum, Clericis, seu presbyteris secularibus collata, aut conferri, & per ipsos presbyteros vel Clericos seculares obtineri solita, etiam fratribus hujusmodi, præsertim Capellanis nuncupatis, qui, ut asseritur, a presbyteris, seu Clericis, nisi quoad gestationem Crucis, vel habitus dicti Hospitalis ad pectus, non differebant, imo privilegiis Clericorum secularium, juxta forsan eorum privilegia & consuetudines gaudere solebant, si ad id alias idonei & habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis providere, & disponere, ipsique fratres, quibus beneficia hujusmodi conferri contigerit, illa, si sibi alias canonice conferrentur, aut ipsi eligerentur, præsentarentur, vel alias assumerentur ad illa, & instituerentur in eis, recipere, & in titulum, etiam quoad viverent, retinere, respective libere & licite valerent, statuta & ordinationes extendisse & ampliasse, eisque desuper indulsisse.

Idem Pius IV. concessiones & Privilegia dictorum Prædecessorum confirmans, ipsos Magistrum & Conventum, nec non Priorem Ecclesiæ, aliosque Priores & Præceptores intra limites suarum jurisdictionum & administrationum veros ordinarios, juxta formam suorum stabilimentorum & Privilegiorum existere, & esse censeri decrevit, ac beneficia Ecclesiastica ad præsentationem, seu collationem bajulivorum, Priorum, & Præceptorum Hospitalis hujusmodi suffragari debere, ita quod Presbyteri seculares, illa tunc temporis in Commendam, seu alias quomodolibet obtinentes, Commendæ hujusmodi cedere, aut illa alias dimittere non possent, nisi de consensu eorum, ad quos præsentatio, seu collatio spectaret, & in favorem dicti Hospitalis, seu personarum, quæ habitum per fratres Capellanos ejusdem Hospitalis deferri solitum susciperent, & professionem per eos emitti solitam emitterent, nec illa deinceps ipsi, nisi infra sex menses, a die intimationis, habitum ipsius Religionis suscepissent, & regularem professionem infra alios sex menses emisissent, possidere possent, & si secus fieret, aut cessionem, seu resignationem hujusmodi, aut de d. Ordinis beneficiis etiam in manibus suis in futurum fieri contigerit, hujusmodi cessiones, resignationes, & provisiones, nullius essent roboris vel momenti, nisi in illis expresse diceretur, & de consensu Magni Magistri, & de illis juxta formam privilegiorum dictæ Religionis provideretur.

Inter statuta etiam ejusdem Religionis, per similis mem. Paul. PP. III. similiter prædecessorem nostrum, approbata & confirmata, ita cautum reperitur, Priores in suis Cameris, Prioratibus, Bajulivi & Commendatarii in suis Commendis habeant provisionem, vel præsentationem beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura animarum, vel sine, a suis commendis dependentes, nisi id privilegio, vel consuetudine ad alios pertineat. Item frater Claudius de la Sengle, Magister, statuit, ut omnia beneficia Ecclesiastica ejusdem Ordinis, quorum collatio aut præsentatio ad dictum Ordinem pertinet, nullis conferrentur, aut nulli ad ea præsentarentur, nisi essent fratres ipsum Ordinem expresse professi, & alias, prout in ejusdem Pii IV. prædecessoris præfati literis ac statutis & stabilimentis, vel privilegiis dicti Hospitalis plenius continetur. Quæ omnia cum dispositione juris Communis maxime congruunt, tum autoritate sacrosancti Conc. Trid. nituntur.

Verum, cum, sicut accepimus, Clerici seculares, possessores, cum cura & sine cura beneficiorum eorundem ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Priorum, Bajulivorum, Commendatariorum, & possessorum aliorum dictæ Religionis bonorum, jure eorundem, Prioratuum, Bajulivatuum, Commendarum & aliorum bonorum ejusdem Religionis habitum suscipere, & professionem regularem, prout in eadem Religione consuevit, emittere negligant, ac recusent, in statutorum ejusdem religionis contemtum, ac Juris Communis dispositioni, & Concilii præfati decretis, Privilegiisque, ab hac Sancta Sede Apostolica, ut præmittitur, concessis, contraveniendo, ac prætendant ejusdem Pii IV. Prædecessoris nostri, mentis & intentionis non fuisse ad habitus susceptionem, & professionis emissionem eos teneri, qui post ab eodem Prædecessore obtentam Privilegiorum confirmationem & ampliationem, de iisdem, sive similibus beneficiis concessiones fieri quomodocunque obtinuerunt, cum de illis, qui tunc temporis in Commendam, seu alias obtinerent, eundem Pium IV. Prædecessorem sub isto verbo ad præsens statuisse duntaxat prætendatur. Allegantes, quod Commendæ, provisiones, sive alias quomodocunque concessiones, de similibus beneficiis eisdem factæ, post datam ejusdem Pii IV. Prædecessoris literarum, sive mentio fiat, sive reticeatur, beneficia esse dictæ Religionis, sunt loco absolutionis ac derogationis tacitæ, statutorum & privilegiorum ejusdem Ordinis, ita ut ad suscipiendum illius habitum, ac professionem emittendam minime teneantur, cum susceptio habitus, & professio ab eis emittenda, ex ipsarum literarum serie expresse injunctæ fuisse, non appareant. ex quibus eidem Ordini, illiusque Magistro, Prioribus, Baju-

Bajulivis, et Commendatariis maxima indies exoriuntur incommoda, atque perturbationes, præsertim dum eorundem beneficiorum status ponitur in incerto.

Quare Nos, ut par est, debito pastoralis officii, omnium Christi fidelium, præsertim vero ejusdem Ordinis præfatarum regularium personarum pro JEsu CHristi nomine, ac Catholicæ fidei tuitione ad interitum usque jugiter laborantium commodis & indemnitati, quantum in Nobis est, prospicere cupientes, simulque de communi ejusdem Ordinis ac Religionis bono vehementer solliciti, ne quid ei indebite detrahatur, sacrorum Canonum ac Decretorum dicti Concilii, eorundemque statutorum et privilegiorum auctoritati, et tenoribus innitentes, eademque privilegia, statuta et ordinationes, ac dictorum prædecessorum nostrorum literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, illaque omnia approbantes et confirmantes, præsentisque nostri scripti patrocinio communientes, ac rata & grata habentes, ac quatenus opus sit, innovantes & de novo concedentes.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate præsentium declaramus, nunquam intentionis prædecessorum nostrorum, vel nostræ fuisse, in provisionibus sive Commendis, aut quibusvis aliis concessionibus beneficiorum Ordinis & Religionis hujusmodi, sive illa curata, sive sine cura sint, per eosdem Prædecessores nostros, vel per Nos & eandem Sedem, forsan etiam cum simplici derogatione privilegiorum, & stabilimentorum religionis prædictæ, non tamen speciali de non suscipiendo habitum, & non emittendo professionem mentione, seu per Magistrum, Conventum, Priores, Bajulivos ac Commendatarios, vel alios quibuscunque personis, cujuscunque status & dignitatis, factis & concessis, tacite illos absolvendi, quo minus, juxta ejusdem Ordinis statuta & privilegia infra tempus præfixum habitum suscipere, & professionem per Fratres ejusdem Ordinis emitti solitam, emittere debeant regularem, etiamsi hoc explicite in eorundem Prædecessorum, aut nostris literis adjectum, vel injunctum his, ad quorum favorem hujusmodi beneficia concessa extiterint, nequaquam fuerit.

Ac quo nostra hæc intentio singulis apertius innotescat, statuimus, ut omnes & singuli, qui vel per Sedem præfatam, vel per Nos, aut Romanos Pontifices, prædecessores nostros, etiam cum simplici derogatione privilegiorum, seu per Priores, Bajulivos & Commendatarios fuerunt de beneficiis hujusmodi provisi, sive hi, quibus eadem commendata, aut quomodolibet concessa extiterunt, etiamsi super his in Curia, vel extra, aliqua lis pendeat, ac de eisdem in posterum futuris perpetuis temporibus providebuntur, aut demum, quibus eadem commendabuntur, vel concedentur, etiam per Sedem Apostolicam, si post sex menses a die, quo id eis legitime indictum atque denuntiatum fuerit, illico numerandos, professionem non emiserint, & habitum non susceperint, Ordinis prædicti, absque alia desuper facienda declaratione & citatione, omni & quocunque jure in dictis beneficiis vel ad illa competente, careant eo ipso, ipsique, tanquam illiciti detentores & occupatores, & intrusi ab iisdem amoveantur, deque illis tanquam de jure atque de facto vacantibus, Magistrum ac Conventum, Priores, Bajulivos, Commendatarios & alios, ad quos spectat, libere providere, ac illis juxta Magistri & Religionis præfatæ stabilimenta & consvetudines exequi posse, eorundemque possessores ab eorundem beneficiorum possessione, vel potius detentione & occupatione amovendos esse, prout Nos indictum casum & eventum amovemus, ac regulis de annali & triennali possessore & aliis privilegiis, remediisque quibuscunque, etiam in Corpore Juris clausis, quibus diutini beneficiorum possessores utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere non posse, quavis etiam longissimi temporis præscriptione minime obstante, verum eosdem pro amotis & expulsis habendos esse & censeri, amotisque & expulsis actionem spolii, nec unde vi, vel aliud quodvis remedium possessorium, sive petitorium competere, seu desuper propterea agere non valere.

Et quo facilius, si qui ad præsens reperiuntur quomodolibet provisi de beneficiis a Prioratibus, Bajulivatibus & Commendis hujusmodi dependentibus, seu ad illorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem spectantibus, etiamsi habitum dictæ Religionis non susceperunt ad habitus ipsius susceptionem, & professionis emissionem inducantur, eisdem Prioribus, Bajulivis & Commendatariis licentiam & facultatem concedimus, ipsis condonandi & relaxandi eorum spolia, quæ ad dictos Priores, Bajulivos & Commendatarios spectant, ita ut de illis disponere possint tam in vita quam in mortis articulo, condonationemque ac relaxationem hujusmodi ejusdem roboris ac momenti esse, ac si ab eadem Sede emanassent.

Nec non fel. rec. Pii Papæ V. etiam prædecessoris nostri literis inhærentes, illasque approbantes & confirmantes, omnes & singulas personas in dicti Ordinis beneficiis quomodolibet existentes a seminarii Clericorum in qualibet civitate, juxta dicti Concilii decreta erecti, seu erigendi, ac decimarum, subsidii & aliorum onerum contributione totaliter eximimus & liberamus, ac liberos & exemptos esse volumus. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dicti Ordinis apud Nos dictamque Sedem Protectores, & alios S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter & ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum & Neapolitano nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus nuntiis, aut Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & quibuscunque conservatoribus per eosdem Magistrum, Bajulivos, Priores & Commendatarios juxta formam privilegiorum Ordinis prædicti in dignitate Ecclesiastica constitutis, electis & eligendis, per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes literas,

literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri & Conventus, sive Priorum, Bajulivorum, Præceptorum & Commendatariorum præfatorum, & aliarum personarum, & possessorum præfatorum fuerint requisiti, solenniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant autoritate nostra eos præmissis omnibus & singulis juxta præsentium continentiam & tenorem, pacifice frui & gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles, & præmissis non parentes, per opportuna juris & facti remedia, ac demum per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus Commendis & provisionibus aliisque dispositionibus vel concessionibus, quibuscunque verborum formulis illa concessa fuerint, ac fel. record. Bonifacii Papæ Octavi prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres aliquis autoritate præsentium ad judicium trahatur, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Decernentes præsentibus, & in eis contentis omnibus per quasvis literarum concessiones, provisiones, & alias quaslibet dispositiones aliter, quam ut præmittitur, per Nos, vel eandem Sedem factas, vel forte quomodolibet faciendas aut concedendas, etiam motu proprio & ex certa scientia derogari non posse, nec derogatum censeri, cujuscumque tenoris & formæ emanaverint, & cum quibuscunque decretis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus et insolitis, etiam si causas quascunque legitimas et favorabiles continerent, quinimo per præsentes illis omnibus expresse derogamus, earum tenores pro sufficienter expressis habentes, præsentibus semper in suo robore permansuris, nisi harum tenor de verbo ad verbum in illis esset insertus, et Magistri et Conventus consensus accederet.

Volumus autem, quod præsentium transumtis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 12. Martii 1580. Pont. nostri anno 8.

XL.

Sixti V. Pontificis Max. Privilegii illius Confirmatio, quod Paulus, Papa V. Equestri S. Johannis Hierosol. Ordini concesserat quidem, sed ob prematuram ejus mortem expeditum non fuerat, in quo omnes, beneficia a laudato Ordine percipientes, ac inter ipsos S. R. E. Cardinales communi Ordinis ærario addictos atque adjudicatos, pecuniarum reditus prompte ac directe exsolvere teneri fixum est atque statutum, d. d. 1. Maji, Anno 1585.

Sixtus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Æquum arbitramur & congruum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster sollicita considerationis indagine perscrutans, quantis periculis quantisque bellorum turbinibus tunc agitata fuerit Insula Milivitan. menteque recolens, quam indefesse et viriliter dilecti filii Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Milites in illa a Christianæ fidei hostibus defendenda se præstiterant, dignum, quin potius debitum reputavit, ut ea, quæ a Romanis Pontificibus illis liberaliter concessa fuerant, non solum confirmationis suæ munimine roborentur, verum etiam illa, quæ suam utilitatem et commodum concernerent, si minus generaliter facta viderentur, ita extenderet, ut propter illa omnis in posterum dubitandi materia tolleretur.

Accepto igitur per eundem Prædecessorem, quod, licet alias, stabilimentis, usibus et naturis Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani hujusmodi, seu privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, eidem Hospitali et dilectis filiis, illius Magistro et Conventui concessis, expresse cautum fuerat, quod etiam Apostolica auctoritate, etiam per resignationem in manibus pro tempore existentis Romani Pontificis factas, provisio ac provisiones, Commendas, seu alias dispositiones etiam Apostolicas, de Præceptoriis, seu aliis beneficiis dicti Hospitalis, sibi pro tempore factas, prosequendis et certa jura vacantia, seu mortuaria, aut alias nuncupata, forsan duplicata, communi Hospitalis prædicti Thesauro, seu alias persolvere, ac quædam alia tunc expressa onera subire tenerentur. Quodque de reditibus et proventibus hujusmodi Præceptoriarum, primo et secundo, ac, forsan aliis annis provenientibus disponere, seu illos percipere minime possent, sed illo dicto Thesauro, ac alias in usum et utilitatem Hospitalis, ac illius Militum, seu mensæ applicati, et pro illius necessitatibus sublevandis, ac tuitione fidei adversus Turcas, Christiani nominis hostes, distribui deberent. Ac insuper Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostæ, Præceptorias, et alia illius beneficia quæcunque pro tempore qualitercunque obtinentes, certas responsiones, ac ordinarias, et extraordinarias impositiones eidem communi Thesauro annis singulis solvere tenerentur. Ipsisque Prioratibus Bajulivatibus, Castellaniis, Præceptoriis et beneficiis, per obitum seu resignationem, etiam in manibus prædicti Romani Pontificis, aut alias quomodolibet pro tempore vacantibus, illorum fructus, reditus et proventus, si per resignationem, juxta vero novam reformationem, usque ad festum S. S. Jacobi et Philippi de Mense Maji ex tunc immediate sequentis pro mortuario et vacantibus ab eodem festo usque ad alium proximum ejusdem S. Johannis Baptistæ, seu ut præfer-

præfertur, SS. Jacobi & Philippi de dicto mense respective, eidem Thesauro cederent.

Cum tamen sæpe contingeret, nonnullorum petentium ambitionem ita se extendere, ut Sedis Apostolicæ liberalitate non contenti, etiam ea, quæ in magnum dictæ Religionis præjudicium tendere conspiciebant, a Sede prædicta extorquere, Romanumque Pontificem, ob ejus innumeras occupationes, ad aliquas gratias sibi concedendas impellere non erubescerent, quas si plene cognovisset, eas profecto illis non concessisset.

Attendens itaque dictus Prædecessor, quanta & quam gravia discrimina dicta Insula passa fuerat, & quam graves Magister & Conventus prædicti, tam in illa defendenda, quam in civitate nova per eos constructa, munienda & reparanda subierant expensas & incommoda, quod si ipsi, qui pro expensis hujusmodi supportandis certa jura, quæ super quibuscunque dicti Ordinis Prioratibus, Bajulivatibus, Castellaniis, Præceptoriis & aliis beneficiis prædictis exigere consueverant, ab illorum exactione desisterent, illorum vires non parum debilitarentur, considransque:

Quod, postquam piæ memoriæ Pius Papa IV. etiam Prædecessor noster, tunc suus, unam S. Jacobi in Platea Nussiæ Spoletan. & alteram Sanctissimæ Trinitatis Tudertin. respective Diœcesis dicti Hospitalis Præceptorias tunc certo modo vacantes, tunc dilecto filio Simoni Brombillæ, Clerico Bergomensi, sub certis modo & forma commendaverat, & seu de illis per suas literas providerat, dictusque Simon, sub earundem, seu aliarum literarum prætextu, per quas stabilimentis, usibus, naturis, privilegiis & indultis prædictis per eundem Pium IV. Prædecessorem derogatum esse, prætendebat fructus earundem Præceptoriarum, & jura illarum ratione dicto communi Thesauro, ut præfertur, debita solvere & relaxare recusaverat & recusabat, eundem Pium IV. Prædecessorem motu proprio, non ad Magni Magistri, aut Conventus, seu Hospitalis fratrum prædictorum sibi pro eis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex suis certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, per suas in simili forma Brevis desuper confectas literas declarasse, per derogationem hujusmodi aliquod, vel minimum Thesauro hujusmodi præjudicium afferre noluisse, & alia fecisse, prout in ipsius Pii IV. Prædecessoris literis plenius continetur.

Idem Pius V. Prædecessor, tam Pii IV. Prædecessoris hujusmodi vestigiis inhærens, quam præmissis de causis motus, omnia & singula in ejusdem Pii IV. Prædecessoris literis contenta approbans & confirmans, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjiciens, omnesque & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenissent, in eisdem supplens, nec non quarumcumque litium, inter venerabiles fratres nostros, tunc suos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Religionem prædictam pendentium, status & merita, & in qua pendebat instantia, pro expressis haberi volens, motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, sub dat. videlicet duodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, decrevit & declaravit, omnes & singulos Prioratus, Bajulivatus, Castellanias, Præceptorias, & alia beneficia hujusmodi, seu illorum membra, & ab illis dependentia obtinentes, & ab illis regressus, accessus, coadjutorias, & alias gratias, tam a Sede Apostolica, quam quavis auctoritate concessas habentes, nec non illorum fructus & proventus, aut alia jura loco pensionis annuæ, seu pensiones ipsas super eorundem fructibus, reditibus & proventibus, quavis de causa impositas, & imponendas percipientes, pro rata fructuum & pensionum eorundem, de omnibus & singulis annatis, vacantiis, mortuariis, & aliis quibuscunque juribus, per eos dicto communi Thesauro quomodolibet debitis, satisfacere nec quascunque literas statutorum, stabilimentorum, usuum ac privilegiorum, indultorum, etiam quod præceptoriarum fructus, reditus & proventus, & aliorum dicti Hospitalis beneficiorum, pro primo & secundo annis, vel alias communi Thesauro dicti Hospitalis, pro mortuariis, seu aliis causis applicati essent, & esse censerentur, seu applicari deberent.

Dictique Hospitalis Præceptores seu Receptores, aut alii pro eis agentes, illos propria auctoritate exigere & percipere, ac interim possessionem Præceptoriarum, & beneficiorum prædictorum, nomine dicti Hospitalis apprehendere & retinere, ac hujusmodi fructus de facto exigere, & alias de illis, certis modo & forma tunc expressis, disponere possent, disponendi, vel aliis illorum totali insertione, vel cum decreto, quod pensiones ipsæ a quocunque onere mortuario, & passagio, vel alias quomodolibet nuncupato, quavis etiam Apostolica, seu Magni Magistri dicti Hospitalis pro tempore existentis, auctoritate exempti essent, vel titulares beneficiorum, ratam partem ipsos pensionarios tangentem, pro solutione pensionis hujusmodi sibi retinere valerent, & ad solutionem, pensionis hujusmodi minime tenerentur, ac alias hujusmodi titulares renuntiassent, onusque illam solvendi in se suscepissent, in quibuscunque gratiis, Commendis, provisionibus, regressibus, accessibus, ingressibus, coadjutoriis, cæterisque dispositionibus de Prioratibus, Bajulivatibus, Castellaniis, Præceptoriis & aliis beneficiis hujusmodi quovis modo, etiam apud eandem Sedem vacantibus, nec non fructuum & pensionum hujusmodi reservationibus, per eum, etiam motu simili, & quorumvis, etiam Imperatoris, vel Regum intuitu, ac etiam quibusvis eatenus factis, & in posterum faciendis, quibusvis personis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis & præeminentiæ existentibus, etiam forsan Cardinalatus honore & officio fungentibus, per eum quomodolibet eatenus concessis, & in posterum concedendis derogatorias, ac desuper confectas & pro tempore conficiendas literas Apostolicas, etiam quascunque generales, vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores & insolitas clausulas, nec non irritantia decreta, sub quacunque verborum expressione in se continentia, personas, quibus Prioratus, Bajulivatus, Castellaniæ, Præceptoriæ, seu ab illis dependentia beneficia prædicta, aut illorum membra collata, seu ad vitam commendata fuerant, seu fructus, reditus & proventus, aut pensiones annuæ reservatæ & assignatæ fuerant, aut in quorum favorem de illis dispositum extiterat,

rat, vel illæ commendarentur, seu conferrentur, aut fructus vel pensiones reservarentur & assignarentur, vel alias disponerentur, a solutione & præstatione fructuum, censuum, passagiorum, annatarum, vacationum & mortuariorum, aut aliorum quorumcunque jurium, seu responsionum, aut ordinariarum, vel extraordinariarum impositionum, vigore dictorum stabilimentorum, & privilegiorum debitorum in toto vel in parte eximere, vel liberare, aut alias communi Thesauro Hospitalis hujusmodi, seu illius juribus in aliquo præjudicasse, nec per illas præjudicatum, seu præjudicium aliquod generatum fuisse, vel esse, vel in posterum fore, sed derogatorias ipsas ad effectum validitatis, collationum, commendarum & aliarum dispositionum hujusmodi duntaxat, processisse & suffragari debuisse, illasque, in quantum communi Thesauro, & illius juribus in aliquo præjudicassent, aut præjudicarent, a se & Sede Apostolica, per occupationem, & circumventionem, præter & contra voluntatem suam extortas, ac nullius roboris, vel momenti fuisse, & esse, & in posterum fore, illisque non obstantibus, omnes & singulas hujusmodi derogationes, tunc & pro tempore habentes, & prosequentes, etiamsi a jurisdictione Magni Magistri & Conventus prædictorum, & aliorum quorumcunque Judicum Apostolica auctoritate prædicta exempti, ac ei & Apostol. Sedi immediate subjecti essent, ad exhibitionem & relaxationem fructuum ac pensionum hujusmodi, ut præfertur, eidem communi Thesauro faciendam teneri & adstrictos fore in omnibus & per omnia, perinde ac si provisiones commendarum, & regressus, accessus, coadjutoriæ & aliæ dispositiones, nec non fructuum & pensionum reservationes, non a Sede Apostolica, sed a Magistro & Conventu prædictis emanassent, & ad id etiam per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, cogi & compelli posse.

Literasque, tunc desuper conficiendas, & in eis contenta quæcunque, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis suæ defectu, notari, vel impugnari, minusve sub quibusvis revocationibus, suspensionibus & limitationibus similium gratiarum comprehendi ullatenus posse; sed quoties illæ emanarent, toties in pristinum & validissimum, ac eum, in quo antequam illa emanarent, statum restitutas & plenarie redintegratas, ac de novo etiam sub quacunque data per Magistrum & Conventum bene visa, toties, quoties opus esset, concessas esse censerentur. Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, judicari, definiri & interpretari debere, & quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decrevit. Et nihilominus pro potiori cautela, supradictas & alias derogatorias clausulas, in quibuscunque literis appositas, in quantum communi Thesauro hujusmodi, quoad præmissa, præjudicare videbantur, revocavit, cassavit, irritavit & annullavit, ac toties, quoties concessa essent, quod jure vacantia, & mortuaria, ratione gratiarum, per eum & quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, tunc suos, concessa, quod ea, quæ suum tempus nondum effluxerant tantum, toties pro nullis & infectis haberi, nullamque prorsus in judicio vel extra, fidem facere, vel effectum sortiri debere, & constitutionem suam de non tollendo jure quæsito, adversus tunc conficiendas literas prædictas, locum sibi vendicare non posse, ac illis minime suffragari voluit.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ipsorum Prioratuum, etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, illis alias in robore suo permansuris, ea vice duntaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ne autem de decreto, declaratione, revocatione, cassatione, irritatione, annullatione, voluntate & derogatione dicti Pii Prædecessoris, quod ejus superveniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ac Magnus Magister, Conventus, & fratres, seu Milites Hospitalis prædicti illarum frustrentur effecta: volumus, & Apostolica autoritate decernimus, quod decretum, declaratio, revocatio, cassatio, irritatio, annullatio, voluntas & derogatio dicti Pii V. Prædecessoris, a dicta die duodecima Kal. Aprilis suum sortiantur effectum, perinde ac si super illis, ipsius Prædecessoris literæ sub ejusdem diei data, confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, declarationem, revocationem, cassationem, irritationem, annullationem & derogationem dicti Pii V. Prædecessoris ubique sufficiat, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Toletano, & Episcopo Parisiensi, sive eorum officialibus, ac dilecto filio, Curiæ causarum Cameræ Apostol. generali auditori per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque valere decernentes, ac pro tempore existenti Magno Magistro, Conventui & fratribus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant autoritate nostra præmissa omnia ab omnibus, quos illa concernunt, integre & inviolabiliter observari, illosque eis pacifice & quiete frui, uti & gaudere. Non permittentes eos, aut eorum aliquem, contra earundem præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non omnibus supradictis obstantibus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. May. 1585. Pontificatus nostri anno primo.

XLI.

XLI.

Statuta Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Equestris, d. d. 23. Julii, Anno 1584. quibus eorundem Confirmatio à Sixto V. Pontifice Maximo, indulta, annexa est, d. d. 23. Julii, Anno 1586.

DE REGVLA
TITVLVS PRIMVS.

I.

Regula Hospitaliorum & Militiæ Ordinis Sancti Johannis Baptistæ Hierosolymitani.

F. RAYMVNDVS DE PODIO MAGISTER.

IN nomine Domini, Amen. Ego Raymundus Seruus pauperum Christi, & Hospitalis Hierusalem Custos, de Concilio Capituli fratrum instituo hæc in domo Hospitalis Sancti Joannis Baptistæ Hierusalem. Præcipio enim, quod omnes fratres accedentes ad obsequium pauperum, & tuitionem fidei Catholicæ teneant, & cum diuino præsidio seruent tria, quæ promissa sunt DEO, videlicet castitatem, obedientiam; hoc est, quod adimplebunt, quicquid eis erit iniunctum a suo Magistro: atque viuere sine proprio: quoniam DEus requiret hæc tria ab eis in vltimo iudicio.

II.

Exercitium Militiæ pro Christo.

CONSVETVDO.

ORdo noster ab eius primæua institutione Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ, Catholicorumque Regum, Principum, & deuotorum Christicolarum munificentia, suffragio, fauore, prædiis, possessionibus, ditionibus, gratiis, priuilegiis, immunitatibus dotatus, auctus, ampliatus, ditatus est: vt vera charitate, virtutum matre, firmaque basi intenti milites ordinem professi, Sanctæ Hospitalitati fidei militiam adiungerent, cumularent, copularent, duplicique fungentes officio & exercitio, gestis virtuosis sese dicarent. Peculiare, certe, & proprium est Christi militibus (non postpositis sacræ Hospitalitatis sanctis operibus) pro Christi nomine, pro culto diuino, pro fide Catholica pugnare, iustitiam colere, reuereri, tueri, oppressos fouere, subleuare, defendere. Ad hoc enim Hospitalarii milites, Christi hospitalitatem & militiam exercentes, exteriori veste signum crucis octogonum deuota consideratione virtutibus insignitum gestant: vt interiori etiam veste viuificæ crucis signum spiritualiter deferant, dextraque manu acutum vibrantes gladium, post multifariam eleemosynarum clargitionem, gentem Mahumetanam, & qui a fide deuiant, oppugnant, premant, pessundent. Quibus quidem sanctis operibus addicti, sanctorum martyrum militum Machabæorum pro cultu diuino pugnantium exemplum saluberrimum sequi, imitarique monentur, inuitantur, accenduntur. Qui pauci innumeros exercitus prophanarum gentium diuino adiuti præsidio quandoque premere, vincere, subjicere soliti sint. Meminerint, perpetuaque mente teneant Religiosi milites nostri, cultus diuini zelo informati, Sacratissimæ Regulæ vota substantialia, obedientiam, castitatem, paupertatem tenere, complere, perficere: virtutibusque moralibus, & Theologicis intendere studeant. Quibus prudenter, temperanter, fortiter, charitate inflammati pro Christi Saluatoris nostri sacro nomine, pro viuificæ Crucis signo, pro iustitia, pro pupillis, pro viduis gladio exerto quæque certe pericula aggredi non formident. Nemo quippe maiorem charitatem habet, quam vt animam, id est, vitam ponat pro amicis, id est, catholicis. Id eorum proprium est, ea est vocatio, ea est electio, ea est iustificatio, ea denique est sanctificatio: vt hac peregrina vita peracta, spe firma erecti, æterno fruantur præmio, ad quod humanum genus a DEO creatum est. Ei vero, qui sanctorum operum, & belli (quod pro Christiano nomine geretur) præuaricator, detractator, desertor, conuictus fuerit, ad peruersorum terrorem, & proborum laudem animaduersio, & seuera pœna pro statutis & consuetudinibus Ordinis proposita haud immerito censetur.

III.

De Pœna Transgressionis Regulæ, & statutorum.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

VT fratres ordinis nostri Regulæ, ac Statutorum transgressores non fiant, decernentes declaramus, quod contentorum in Regula transgressio animam corpusque obligat: Statutorum autem, & consuetudinum infractio & violatio corpus tantum ad pœnam obnoxium reddit, nisi horum quorundam omissio, aut transgressio secundum ius diuinum, aut canonicas sanctiones animam obligaret.

IV.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRæcipimus vt in assembleis, quæ in ieiuniis quatuor temporum celebrantur, Regula palam coram omnibus fratribus legatur.

V.

F. PETRVS DAVBVSSON.

SAncimus, quod post Regulam legantur Statuta infrascripta.

De Regula.

II. Exercitium militiæ pro Christo.

III. De pœna transgressionis Regulæ, & Statutorum.

De receptione Fratrum.

III. De habitu fratrum Hospitalis Hierosolymitani.

De Ecclesia.

I. De rebus diuinis, ac sacris colendis.

II. De orationibus per Fratres quotidie dicendis.

III. Dies, in quibus Fratres ieiunare tenentur.

XXXIII. Dies in quibus Fratres mantellum portare tenentur.

De Hospitalitate.

I. Quod Fratres Hospitalitatem exerceant.

De communi ærario.

XXII. De debitoribus nostri communis ærarii.

De

De Capitulo.

II. Quod Fratres accedant ad capitulum generale.

De Magistro.

I. Quod Fratres obediant Magistro.

De officio fratrum.

V. De honesto vestitu Fratrum, cum sequenti.
VIII. Quod Fratres in armis se exerceant.
IX. Quod Fratres quolibet anno conficiant despropriamentum.

De Commendis.

XXXVIII. De Resignationibus.
XXXIX. De pœna resignantium.
LXV. Quod Fratres non impetrent commendas, aut beneficia extra ordinem nostrum.

De Contractibus & alienationibus.

III. Quod Fratres non exerceant mercimonia.
IV. Inhibitio fœnoris, & vsuræ.
V. Quod bona ordinis nostri non alienentur.
VI. Quod nullus frater impignoret, aut obliget bona ordinis nostri.
X. Quod Fratres non alienent bona acquisita.

De prohibitionibus & pœnis.

I. Quod non licet fratribus testamenta condere, hæredem instituere, aut legata facere.
XIV. Quod fratres non discedant a conuentu sine licentia.
XVI. Quod fratres non impetrent literas commendatitias pro obtinendis commendis.
XXXII. Casus per quos fratres habitu priuantur, cum quatuor sequentibus.
LII. De concubinariis publicis, cum sequenti.
LXI. De obedientia.
LXIV. De pœna eorum qui non intersunt officiis diuinis.

DE RECEPTIONE FRATRUM TITVLVS SECVNDVS.

I.

Qvaliter Fratres Religionis Hierosolymitanæ recipi debent ad professionem.

CONSVETVDO.

QVI infirmorum obsequio, ac fidei catholicæ tuitioni sub habitu regulari ordinis nostri personam adscribere cupiunt, hac norma formaque ad professionem deuote admittuntur. Qui enim professurus est, sciat nouum hominem se induere. Igitur labem omnis iniquitatis abiiciens, confessionem de more Ecclesiæ sacerdoti humiliter peragat, sicque mundus & vitiis purgatus cum veste longa seculari solutaque (vt se liberum ostendat, qui suaui laqueo vinctus erit) reuerenter genibus flexis ante Altare se præsentet, ardentem cæreum manibus tenens (vt charitatem significet, quæ amor est igneus) missamque audiat, Eucharistiamque suscipiat: & ante suscipientem fratrem ea reuerentia constitutus humiliter ab eo petat, se ad fratrum & sacræ Religionis hospitalis Hierusalem consortium comitiuamque admitti. Tunc frater suscipiens discretis & deuotis verbis petentis propositum roboret, docens quam salubre, quam præclarum existit, pauperibus Christi seruire, ac misericordiæ opera exequi, & fidei obsequio ac tuitioni se adscribere. Multi quidem id expetiuerunt, sed assequi non valuerunt. Demum de Religionis obedientia & seueritate eum doceat, qua non priuatos appetitus ipsum sequi licet: quinimo superioris arbitrio viuere oportet, propria abnegata voluntate. Qui, si quandoque quidpiam agere voluerit, aliud obedientiæ vinculo perficere compellatur. Quo peracto, interrogetur professurus: si hoc complere paratus sit. Si se paratum esse respondet, vlterius interrogetur: si alterius Religionis vota emiserit, si nuptias contraxit, & matrimonium per carnalem copulam consummauit, si alicui personæ graui debito sit astrictus, vel si seruus alicui adscriptus; nam si aliquid horum post votorum emissionem commisisse aut esse comperiretur, tunc ei, cui aliquo modorum prædictorum esset astrictus, habitu Religionis ablato, cum sua ignominia, tamquam fidei semel datæ transgressor restitueretur. Si præmissa negauerit, & se liberum affirmaverit, tunc frater recipiens missale exhibitum aperiat, quo aperto ambas manus iunctas professurus super sacras literas apponat: sicque fratre recipiente, interrogante, & qui recipitur respondente, profiteatur in hæc verba: Ego N. voueo & promitto DEO Omnipotenti, Beatæque Mariæ semper Virgini, DEI genitrici, ac Sancto Joanni Baptistæ perpetuo, cum DEI auxilio, seruare veram obedientiam cuicumque superiori, qui a DEO & Religione nostra mihi dabitur, amplius viuere sine proprio, & castitatem seruare. Et continuo post hæc leuet manus a sacris Scripturis, & recipiens frater dicat: Recognoscimus, te esse seruum Dominorum pauperum infirmorum, & tuitioni fidei Catholicæ dedicatum. Qui professus subiungat: Ita me esse cognosco. Postea missale osculetur, quo sumpto ipsum deferat ad Altare, & illic reponat, & post Altaris osculum ad recipientem missale reportet in veræ obedientiæ signum. Quibus sic peractis recipiens pallium nigrum assumit, quod manibus tenens ostendat professo Crucem albam, & dicat: Credis Frater, quod hoc sit signum viuificæ crucis, in qua Christus mortuus est, & pro nobis peccatoribus redimendis pependit? At ille respondet: Credo. Vlterius recipiens dicat: Hoc est nostrum signum, quod iubemus, vt semper in habitu gestes. Postea vero professus signum Crucis osculetur. His actis recipiens pallium & crucem ante pectus in parte sinistra imponat, ipsumque osculetur & dicat: Accipe hoc signum in nomine Sanctæ Trinitatis, Beatæque Mariæ semper Virginis, & S. Johannis Baptistæ, ad augmentum fidei, & tuitionem Christiani nominis atque pauperum obsequium. Ideo enim frater tibi Crucem in hac parte ponimus, vt hanc toto corde diligas, & dextra pugnes, & defendas, & defensam conserues. Nam si pro Christo contra fidei hostes pugnans sanctæ Crucis vexillum pedem referens deseras, & ex bello tam iusto fugias, pro statutorum & consuetudinum ordinis forma signo Crucis sacerrimo merito tu voti violator priuaberis, & tamquam fœtidum membrum a cœtu nostro expulsum iri te noueris. Deinde pallii laqueum collo liget, dicens: Accipe iugum Domini, quia suaue & leue est, sub hoc inuenies requiem animæ tuæ, subinde dicat: Non delitias tibi, sed panem & aquam, & humilem vestitum tantum

tum promittimus, atque participem facimus animam tuam, tuorumque parentum & consanguineorum in bonis operibus ordinis nostri, fratrumque nostrorum, quæ per vniuersum orbem fiunt, & in futurum fient. Professus dicat: Amen, quasi dicat; ita sit, oro, & tunc frater recipiens primo, deinde circumstantes ad amplexus & osculum nuper professum recipiant: quod sit amoris, pacis fraternæque dilectionis signum. Sacerdotes autem qui adfuerint, præsertim ille qui missam celebrauerit, orent in hunc modum:

Suscepimus DEus misericordiam tuam in medio templi tui. Psal.

Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate DEI nostri, in monte sancto ejus, &c. Ps.

Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c. Suscepimus DEus, &c. vt sup.

Psalm. Ecce quam bonum & quam iucundum, &c. Gloria Patri, &c. Suscepimus DEus, &c. Kyrie eleis. Christe eleis. Kyrie eleis. Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c. V. Saluum fac seruum tuum. Resp. DEus meus sperantem in te. V. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. Resp. Et de Syon tuere eum.

V. Nihil proficiat inimicus in eo. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. V. Esto ei, Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici & persequentibus eum. V. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

DEVS, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum, maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt hunc famulum tuum de tua misericordia confidentem, cœlesti protegas benignus auxilio; & assidua protectione conserues, ut tibi iugiter famuletur, & nullis a te tentationibus separetur. Per Christum Dominum nostrum Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum. N. spiritum gratiæ salutaris, & vt veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem benedictionis tuæ infunde. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus.

SVscipiat te Dominus in numero fidelium, & licet nos indigni te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Dominus locum, bene agendi, voluntatem perseuerandi, & gratiam ad æternæ vitæ beatitudinem hæreditatemque feliciter perueniendi; vt sicut nos charitas fraternitatis coniunxit in terris, ita diuina pietas, quæ dilectionis auxiliatrix est, cum suis fidelibus te coniungere dignetur in cœlis, præstante Domino nostro JEsu Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat DEus, per omnia secula seculorum. Amen.

II.
De Diuisione Graduum Fratrum ordinis nostri.

CONSVETVDO.

FRatrum nostrorum triplex est differentia. Alii enim sunt milites, alii sacerdotes, alii seruientes: sacerdotum item & seruientium status rursus in duo diuiditur. Sacerdotum in sacerdotes, conuentuales, & sacerdotes obedientiæ. Seruientium, in seruientes armorum, videlicet in Conuentu receptos, & seruientes officii siue stagii. Qui vero sub gradu militiæ ad hoc idoneus & aptus pro forma statutorum & consuetudinum, ad professionem ordinis nostri admitti postulabit, priusquam habitum suscipiat & professionem faciat, cingulo militiæ decoretur necesse est. Si autem ab aliquo Principe Catholico, aut altero, facultatem militiam præstandi habente, militiæ insignia non fuerit adeptus, a fratre milite ordinis nostri suam professionem recipiente, aut ab altero fratre milite militiæ hujusmodi insignia secundum consuetudinem, militiam præstandi recipiat, & demum ordine prætacto ineat professionem. Capellanos autem & seruientes armorum & officii insignibus militiæ decorare non oportet, nec consuetum, nec ordinatum est, sed sub eorum gradu ad professionem admittuntur.

III.
De habitu Fratrum Hospitalis Hierosolymitani.

F. RAYMVNDVS DE PODIO.

PRofessioni nostræ congruit, vt omnes fratres Hospitalis clamidem siue mantellum nigri coloris cum cruce alba gestare teneantur.

IV.

F. NICOLAVS DE LORGVE.

IN armorum autem exercitio statuimus, quod sagula siue suprauestes rubeas cum Cruce alba recta deferant.

V.
De Qualitate admittendorum ad professionem ordinis nostri.

F. HVGO REVEL.

STatuimus, ne quis deinceps ad Religionis nostræ professionem admittatur, qui sit extra matrimonium, & a parentibus illegitimis natus, præter Comitum aut majoris gradus & tituli Dominorum filios.

VI.

F. IOANNES DE VALLETTA.

QVi quidem Comitum aut maioris gradus & tituli Dominorum filii, patre, auo & proauo paterno sæcularibus, iisque Comitibus aut maioris gradus, & tituli Dominis sint prognati.

VII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ET vt sint ex ingenua matre nati. Insuper nulli detur habitus ordinis nostri, qui originem a Iudæis, Marranis, Saracenis, aut aliis Mahumetanis traxerit, etiam si filii Comitum aut aliorum Principum essent.

VIII.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

PRohibentes linguis & prioratibus, ne cuiquam de huiusmodi defectu gratiam faciant, quam si fecerint, nullam esse declaramus.

IX.

F. HVGO REVEL.

QVicunque in alio ordine professionem fecerit, in nostro nulla vnquam ratione recipiatur, & si receptus fuerit, habita notitia, habitu priuetur.

X.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ET a Conuentu expellatur, ablata illi omni spe habitum nostrum, aut alimenta vel quicquam aliud in ordine nostro, siue sit commenda, siue membrum, vel pensio etiam, de gratia speciali consequendi.

XI.

CONSVETVDO.

SI quis alicui graui debito sit astrictus, aut matrimonium contraxerit, & id per carnalem copulam consumauerit; ad ordinem nostrum non admittatur.

XII.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

INsuper, qui homicidium commiserit, aut in sæculo existens flagitiose & peruerse se gesserit.

XIII.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

NVlli detur habitus nostri ordinis, qui annum ætatis suæ decimum octauum non attigerit: Magistro tamen conceditur, vt octo pueros sibi eligat, ex qua voluerit natione, & in quouis gradu, ad familiare, & domesticum suum seruitium, quibus nihil de ætate vel antianitate obiici possit. Ita tamen, vt sint annos nati duodecim.

XIV.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

SI quis autem secus electus, & receptus fuerit, nulla antianitatis, aut residentiæ prærogatiua fruatur, nec tabulam, & soldeam a communi ærario percipiat, etiam si de gratia Magistri, & linguarum electus & receptus erit.

XV.

IDEM MAGISTER.

ADhærentes Sacrosancti Concilii Tridentini decreto, statuimus, vt nullus ante decimum sextum suæ ætatis annum expletum, ad professionem ordinis nostri, id est, votorum emissionem admittatur.

XVI.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

NVllus omnino recipiatur qui non sit corpore firmo, & recte compacto atque laboribus apto, prospera valetudine, mente sana, probisque moribus præditus.

XVII.

De probationibus faciendis ante receptionem.

F. HVGO REVEL.

QVi in fratrem militem recipi optabit, necesse est, ut authentice probet, se ex iis parentibus esse procreatum, qui nomine & gentilitiis insignibus sint Nobiles.

XVIII.

De nonnullis qualitatibus requisitis in conficiendis probationibus fratrum Capellanorum & seruientium armorum.

F. IOANNES DE VALLETTA.

ETsi iure nostro in eis qui in gradum fratrum Capellanorum aut seruientium armorum in nostro ordine cooptandi sunt, generis nobilitas non exigatur, non tamen ita ex infima plebe assumi debent, & sine aliquo delectu, vt incontemptibiles, & in paruo precio vulgo habeantur. Ideo statuimus, vt in posterum nemo in ordinem & gradum fratrum Capellanorum, aut seruientium armorum, tam in conuentu quam extra conuentum ipsum, etiam de speciali gratia linguarum aut prioratuum admittatur, nisi prius vna cum aliis qualitatibus, per statuta nostra requisitis & necessariis, legitime probauerit, se honestis parentibus natum, in liberalibusque officiis versatum, nunquam alicui in aliquo exercitio vili ministrasse, aut se, seu parentes eius, hoc est patrem & matrem, in artificiis sordidis & mechanicis manibus propriis operatum esse, exceptis iis, qui in re militari, aut præclaris ordinis nostri obsequiis enituerit.

XIX.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi ordinem nostrum ingressurus est, probabit, se esse natum in illius linguæ, aut Prioratus limitibus, in quo se recipi postulabit.

XX.

IDEM MAGISTER.

POstremo teneantur, qui habitum nostrum suscipere volent, facere coram delegatis & deputatis a Priore & Capitulo prouinciali seu assemblea probationes ad receptionem suam per statuta nostra ordinatas, easque sic factas in ipso Capitulo vel assemblea inspiciendas & legendas, comprobandas aut reprobandas exhibere.

XXI.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

TVm demum solemnibus omnium supradictorum instrumentis ad nos in conventum mittantur. Etenim prohibemus, ne, qui frater miles esse velit, habitu nostro extra conuentum induatur.

XXII.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

PRohibentes vt tempus solitum de gratia dari ad faciendum & exhibendum probationes supradictas, a linguis, prioratibus, aut a Magistro & concilio amplius concedi non possit. Quod contrafactum fuerit nullius roboris censeatur.

XXIII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VOlumus etiam, vt nulli detur habitus nostri ordinis, qui non habuerit clamidem quam rostratam siue ad puntas vocamus cum veste longa, & præterea si fuerit miles aut seruiens armorum arma cum sagulo militari id est supraveste.

XXIV.

De pœna admissorum contra formam statutorum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi præter formam statutorum receptus fuerit, si frater miles in fratrem armorum seruientem redigatur; si frater Capellanus in fratrem obedientiæ

dientiæ, ſi frater ſeruiens armorum in fratrem officii, & ſint inhabiles ad omnem adminiſtrationem commendarum & bonorum ordinis noſtri.

XXV.

Nulli in gradum militum ſemel recepto de eius ſtatu lis moueatur.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

STatuimus, quod, qui ſemel in conuentu in gradum fratrum militum receptus fuerit, ei nulla vmquam de eius ſtatu controuerſia a quoquam moueatur, niſi qui quærit talionem ſubire, id eſt, non probata intentione reiici in gradum fratris ſeruientis. Nulli vero poſt quinquennium ſuper gradu ſuo quæſtio inferatur.

XXVI.

DE SORORVM ORDINIS NOSTRI RECEPTIONE.

F. HVGO REVEL.

COncedimus facultatem Prioribus, & Caſtellano empoſtæ admittendi ad profeſſionem ordinis noſtri mulieres honeſtæ vitæ, ex legitimo matrimonio & nobilibus parentibus natas.

XXVII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

DVmmodo in monaſteriis habitent.

XXVIII.

De Anno approbationis.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

SAncimus, quod deinceps nullus in conuentu noſtro habitum ſuſcipiat: niſi per annum in eo moram traxerit, vt illius mores, vita & ſufficientia cognoſci poſſint, quo tempore ancianitatis, & reſidentiæ prærogatiua fruatur, tabulamque & ſoldeam accipiat, qui contra fecerit, illius temporis ancianitate non gaudeat.

XXIX.

De receptione Fratrum Capellanorum & Seruientium pro obſequiis commendarum.

F. ELIONVS DE VILLA NOVA.

NOn liceat cuiquam fratrum noſtrorum, cuiuscumque conditionis exiſtat, quempiam in fratrem ordinis noſtri recipere, præter fratres Capellanos, ſi deficerent in eorum Eccleſiis vel Capellis, & ſeruientes officii pro ſuis vel commendarum, quas obtinent, obſequiis & ſeruitiis.

XXX.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

APprobatos tamen prius per Capitulum prouinciale, ſeu aſſembleam, quibus ſunt præſentandi cum aſſignatione victus, veſtitus & habitationis de ſuo, vel alicuius beneficii eccleſiaſtici.

XXXI.

Quod fiat matricula de Fratribus Capellanis & Seruientibus receptis extra Conuentum.

IDEM MAGISTER.

PRæcipimus Prioribus & Caſtellano empoſtæ, vt de huiusmodi fratribus extra Conuentum noſtrum receptis matriculam fieri mandent, in qua omnes notentur, & conſcribantur: alioquin pro ordinis noſtri fratribus non habeantur, neque illius priuilegiis gaudeant, aut bona & beneficia ejus eccleſiaſtica obtineant.

XXXII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi aliter quam ſupra ordinatum eſt, quemquam receperit, ſiue ſit Prior, ſiue Baiuliuus, ſiue etiam Commendatarius, priuentur omni adminiſtratione prioratuum, baiuliuatuum & commendarum per quinquennium, quorum fructus omnes per id tempus applicabuntur noſtro communi Ærario, & ſi fuerit frater Conuentualis, per tantumdem temporis careat antianitate in fauorem filiorum amaldorum.

XXXIII.

Quod frater ſeruiens non poſſit eſſe miles.

F. ROGERIVS DE PINIBVS.

NOn conuenit Religioſo, ſtatum ſemel aſſumptum immutare, & gradum ſuæ qualitatis peruertere. Prohibemus igitur, ne frater ſeruiens, cuiusuis conditionis fuerit, in fratrem militem admitti poſſit. Quod ſi a Principe ſæculari, aut alio militiæ inſignibus decoretur, nihilominus gradu, adminiſtratione, officio & ſtipendio fratris ſeruientis dumtaxat gaudere teneatur.

XXXIV.

De forma recipiendi confratres ſeu donatos in ordine noſtro.

CONSVETVDO.

QVi in confratrem, aut donatum ordinis noſtri recipi cupit: coram fratre ipſum recipiente reuerenter compareat, genibusque flexis, poſitis manibus ſuper miſſale, quod recipiens teneat, ſpondeat in hæc verba: Ego N. promitto DEO omnipotenti, Beatæque Virgini Mariæ, DEI genitrici, ac S. Ioanni Baptiſtæ, Magiſtroque Religionis Hieroſolymitanæ, quod charitatem & amorem erga Magiſtrum, fratres, & ordinem, ſecundum poſſibilitatem meam geram: pro viribus quoque eos ac bona ordinis defendam: quod ſi facere nequiero, eis pandam; & quæcunque ſibi nociua mihi nota, ipſis manifeſtabo; Alteriusque Religionis niſi Hieroſolymitani ordinis profeſſionem non faciam. Quem, ſi profeſſus non fuero, poſt meum obitum in cæmeterio Hoſpitalis ſepeliri peto. Quotannis quoque in feſto Natiuitatis S. Joannis Baptiſtæ aliquid in recognitionem confraternitatis ordini elargiar. Quibus peractis frater recipiens dicat: quia prædicta promiſiſti, ideo te animamque tuam, tuorumque parentum participes efficimus omnium officiorum diuinorum, beneficiorum, orationum, miſſarum & piorum operum; quæ perpetuo in noſtra Religione fient. De quibus Dominus noſter IEſus Chriſtus participes nos reddat. Quo peracto oſculum pacis a recipiente & aliis fratribus aſſiſtentibus præbeatur, poſtea in libro confraternitatis ejus nomen regiſtretur: Annotetur quoque, quod anno quolibet dare pollicetur. Hæc ſeruari in receptionem confratrum iubemus, reſeruatis vſibus quorumdam prioratuum, in qui-

in quibus fortassis aliter consuetum esset, qui morem apud eos vsitatum in dicta receptione seruare debent.

XXXV.

F. IOANNES DE HOMEDES.

INhibemus Prioribus & Castellano empostæ, Baiuliuis, & quibusuis ordinis nostri fratribus, ne quempiam in donatum seu confratrem ordinis nostri sine iussu & mandato Magistri admittant. Qui contrafecerit, habitu priuetur, & sic admissi inter confratres seu donatos nostros non reputentur, aut immunitatibus & priuilegiis donatorum fruantur & gaudeant.

XXXVI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COnfratres seu donati tres tantum ramos aut brachia crucis nostræ in vestis suæ parte sinistra pro signo deferent, id est, crucem nostram, dempta parte superiore. Quod si non fecerint, priuilegiis non gaudeant.

XXXVII.

De qualitate eorum qui in donatos recipientur.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

QVoniam in recipiendis in ordine nostro confratribus seu donatis nonnullos abusus interuenisse compertum est, operæ precium duximus, huic rei remedium adhibere. Quocirca hac præsenti sanctione statuimus, vt nemo deinceps secularis, cuiuscunque gradus & conditionis fuerit, in donatum & confratrem ordinis nostri admittatur, nisi per Magistrum aut de eius mandato (vt iam statutum est) & coram illo constare fecerit, se honestis natalibus procreatum; & a Iudæis, seu Saracenis, aut aliis Mahumetanis non ducere originem, probeque & non flagitiose semper vixisse, nullamque artem, seu exercitium sordidum aut mechanicum per se exercuisse. Ac demum aliquam partem suorum bonorum ordini nostro obtulerit: Quod si quis præter hanc formam admissus vel receptus fuerit, vel post receptionem signum donatorum vestibus insutum palam & publice non detulerit, in numero donatorum non habeatur, nec Priuilegiis confratrum gaudeat, aut quoquomodo fruatur; excepta congregatione donatorum & confratrum Commendæ de modica, inter quos ex antiquissima consuetudine aliud obseruatur. Tenebuntur tamen qualitates præfatas coram Commendatario probare, non obstantibus statutis & consuetudinibus in contrarium facientibus.

XXXIIX.

Forma qua Fratres nostri habitu priuantur.

CONSVETVDO.

CVm Frater ordinis nostri ob delictum a se commissum habitus priuationem incurrit, Magister seu locumtenens, ad quem priuationis auctoritas spectat, de crimine atque delicto Concilium ordinarium certum reddat, consultetque, quid super hoc agendum sit. Demum matura deliberatione præhabita, ex Concilii ordinarii decreto ad delicti probationem perueniatur; Informationes quoque & attestationes recipiuntur secundum formam statutorum & consuetudinum. Quibus peractis si contra reum ad habitus priuationem pro casus exigentia procedendum sit, Magister seu Viceregens, vt dictum est, querimoniam seu plantam ad generalem assembleam referat. Assemblea enim ad hoc conficiendum sono campanæ solito more congregatur, in qua Magister seu Viceregens crimen accusati proponit, & de tali crimine in propria forma, aut sub colore damni commissi vltra marcham argenti, ad eius delicti atrocitatem velandam, & iniquum exemplum vitandum, querelam faciat, præsente reo, & audiente, qui ad assembleam per Magistrum scutiferum sub tuta custodia adducitur. Querela peracta, Magister, siue locumtenens illic præsidens, Sgardium Baiuliuorum contra reum concedit, qui ipsum secundum DEum, dictamenque rectæ rationis, ac statuta, laudabilesque consuetudines Religionis, visa informatione, probatione, & confessione delicti, iudicent. Moxque Magister vel eius locumtenens caput Sgardii assignat, & quempiam probum religiosum suum procuratorem deputat, qui coram Sgardio comparens agat pro casus exigentia. Quo peracto, caput & Baiuliui Sgardii ad partem secedunt: coram quibus Magistri Procurator ex vna, & reus ex altera parte comparent; petitque Magistri Procurator, secundum delicti grauitatem reum habitus priuatione damnari. Reo vero potestas respondendi, & defendendi conceditur: qui vel delictum fatetur, aut negat. Si fatetur, & misericordiam suppliciter petierit; Sgardium ad Magistrum & assembleam accedit, veniamque pro reo trina vice implorat. Si Magister in vim statutorum, & non aliter indulget, ad vlteriora non proceditur. Si vero perseueranter iustitiam fieri petit, tunc Sgardium ad locum separatum secedit. Si vero reus crimen negauerit, tunc attestationes, probationes, & informationes producantur. Itaque reo propria confessione, & attestationibus legitimis, & testimoniis conuicto, Sgardium sententiam profert, & ad habitus priuationem reum condemnat. Qua sententia lata, accersito Magistri procuratore, quod decretum est, ei panditur. Ipse vero procurator reum hortatur, vt Sgardium sequatur, quod coram Magistro & assemblea comparet. Reus quoque adest gemebunda voce misericordiam implorans. Itaque Sgardium veniam delinquenti crimine conuicto concedi humiliter petit. Si vero Magister vel locumtenens perseueranter sententiam promulgari iusserit, post trinam iussionem Caput & Baiuliui Sgardii, reoque præsente, sententiam priuationis habitus pronunciant, & crimine conuictum condemnant. Promulgata sententia, reus gemebundus genibus flexis misericordiam perseueranter implorat ante Magistrum seu Locumtenentem constitutus, cuius lateri Magister scutifer, iussiones Magistri seu locumtenentis præstolans, adhæret. Magister vero seu locumtenens reum damnatum his verbis alloquitur, & priuationem profert. Quia indignum signo viuificæ crucis & habitu ordinis nostri, tuis exigentibus demeritis & sceleribus, te reddidisti: ad cuius professionem prius, tuis bonis moribus inducti admisimus. Idcirco statutis & vsibus ordinis nostri inhærentes, in bonorum laudem, & peruersorum terrorem, atque vt cæteris cedat in exemplum, te habitu ordinis nostri priua-

 mus,

mus, & abdicamus, atque de nobili cœtu & consortio fratrum nostrorum remouemus, reiicimus, & separamus, & tamquam putridum, fœtidumque membrum & sepositum abiicimus. His dictis, Magister scutifer iussu Magistri aut eius locumtenentis reo habitum leuat, hoc modo: Ad primam iussionem manum tantum ad pallium rei vel accusati admouet. Ad secundam vero iussionem nodum soluit rostrorum, quæ resoluta in anteriorem partem proiicit. Ad tertiam denique iussionem laquei vinculum resoluit, & habitum ab humeris leuat, dicens: Auctoritate superioris fungens a te laqueum, iugum quidem Domini suaue, & habitum ordinis nostri, quo te indignum reddidisti, aufero, leuo & remoueo. His peractis, Magistri iussu Magister scutifer damnatum in carcere claudit. Si vero reus absens per contumaciam prius citatus, vel secundum formam statutorum nostrorum, & consuetudinum vocatus non affuerit, aut comprehendi non posset, in eius absentia, ac si præsens esset, vel si delictum palam, & publice expresse contra formam statutorum perpetratum sit, aut notorium crimen existat, propter quod accusatus habitus priuationem incurrere debeat, tunc etiam, reo personaliter non comparente, proceditur, constito tamen de delicto legitimis attestationibus, & modo ac forma superius declarata, contumax per sgardium condemnatur, &per Magistrum vel locumtenentem habitu priuatur: locoque rei absentis clamis siue pallium ibidem constituitur, & post trinam iussionem Magister scutifer in absentis ignominiam leuat, & aufert.

XXXIX.

Forma, qua priuatis habitus restituitur.

CONSVETVDO.

SOlet ordo noster benignitate & misericordia vti erga eos, qui peccatorum suorum pœnitentia ducti resipiscunt, & in melius vitam suam instituunt. Quapropter vbi quispiam e fratribus nostris propter sua flagitia habitu priuatus fuerit, & pœnitentia ductus, ea corrigere sit paratus, & secundum statutorum nostrorum tenorem veniam mereatur, & non sit ei deneganda habitus restitutio, hoc modo fieri solet: Iussu Magistri, aut eius vicegerentis, ad sonum campanæ publica congregatio seu assemblea congregatur. Sedentibus quoque Magistro & Baiuliuis, Prioribus, cæterisque Proceribus, & fratribus more solito: Magistri seu locumtenentis iussu adducitur per Magistrum scutiferum seculari veste, vel camisia cum corda in collo secundum criminis atrocitatem indutus is, qui prius habitu priuatus fuit, iunctis manibus ardentem cæreum tenens, in signum de proximo veræ charitatis & dilectionis ordinis recuperandæ: sicque humilis ad Magistri pedes procumbit, suppliciter veniam sibi concedi, habitum restitui, ac consortio fratrum ascribi, morum ac vitæ emendationem, & honestatem præ se ferens, postulat, requirit, supplicat. Magister autem, his auditis, hæc profert: Licet olim te demeritis tuis exigentibus habitu priuatum merito constat: tamen cum morum, & vitæ laudabilis spes habeatur, tibi veniam elargimur, habitumque ordinis nostri restituimus, atque cœtui & fratrum nostrorum consortio denuo adscribimus. Da igitur operam, vt sic virtuose, rite, & probe viuas, ne, quod DEus auertat, occasionem, iustitiæ seueritatem rigoremque in te exequendi præbeas, Recipis enim ingentem gratiam, & paucis admodum concessam: quæ animi & corporis saluti conducat. Quo dicto, iussu Magistri Magister scutifer pallio sumpto cum super humeros eius imponit, ac vinculum reuincit dicens: Accipe iterum iugum Domini leue atque suaue, quod tibi animæ salutem afferat. Hoc peracto DEum laudans gratias agit, & obsequiis ordinis se dedicat.

XL.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COntra hanc formam restitutus pro restituto non habeatur. Hoc addito, quod per restitutionem habitus non censetur restituta antianitas nec residentia.

DE ECCLESIA

TITVLVS TERTIVS.

I.

De diuinis rebus colendis.

CONSVETVDO.

PRimum & præcipuum Religiosi hominis officium est, toto animo ac mente DEum colere, rebus diuinis ac sacris intendere. Ideo fratribus nostris præcipimus & mandamus, vt in primis res diuinas ac sacras colant, & venerentur, vt diuino auxilio adiuti fortius, & felicius arma in Christi hostes ferant & exerceant.

II.

De Orationibus per Fratres quotidie dicendis.

CONSVETVDO.

REligionis nostræ institutores prudentissima ratione suasi iniunxerunt, vt fratres nostri milites & seruientes (qui orationi vacare tenentur, qua in DEum mens eleuatur) breuem orandi modum haberent: vt facile orationi, hospitalitati & fidei tuitioni operam adhibere possent. Itaque maiores nostri hanc orandi consuetudinem instituerunt, videlicet, quod omnes fratres ordinem nostrum professi milites, & seruientes singulis diebus simul, aut horis diuersis orationem Dominicam a Domino IEsu Christo in lege Euangelica institutam, quæ vulgo Pater noster vocatur, centies quinquagies dicant. Qui numerus orationis Dominicæ datus censetur in compensationem horarum ecclesiastic. videlic. Pro matutinis diurnis tredecim. Pro matutinis horar. nostræ Dominæ xiij. Pro prima hor. xiij. Pro tertia xiiij. Pro meridie xiiij. Pro nona xiiij. Pro vesperis xviij. Pro completorio xiiij. Pro quindecim Psalmis matutinor. xv. Pro vigiliis mortuorum xiiij. Pro vesperis mortuorum viij. Hinc etiam laudabili consuetudine, Apostolicoque priuilegio inoleuit, quod si alicui placuerit, & ocium dabitur, De Beata Virgine, vel de mortuis horas dicere, quod horum alterum dicendo ad eum numerum orationis Dominicæ non est obligatus, fratres vero sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi, & Clerici ordinis nostri secundum sacratissimi Sepulchri Hierosl. consuetudinem officium canonicum, pro gradu sui ordinis suscepti cele-

celebrare tenentur. Eam quoque institutionem a maioribus traditam inuiolabiliter seruari iubemus.

III.

Hi sunt dies, in quibus fratres nostri ieiunare tenentur.

CONSVETVDO.

PRimum per totam Quadrag. a quarta feria quinquages. vsque ad diem Paschæ. Præterea in magna letania, quæ fit in festo S. Marci Euangelistæ, eo ipso die; qui si inciderit infra octauam Paschæ, ieiunium transfertur post octauam. Insuper in diebus rogationum quæ fiunt ante Ascensionem Domini: Videlicet in secunda, tertia, & quarta feriis. Item in vigilia Pentecostes, & in hebdomada sequenti, in diebus quatuor temporum, & in aliis etiam diebus quatuor temporum. Nec non in vigiliis Sanctor. Ioannis Bapt. Petri, & Pauli, & omnium Apostol. Laurentii martyr. Assumptionis, Conceptionis, Natiuit. Annunciationis, & Purific. Beatæ Mariæ, omnium S. & in vigil. Nat. Domini.

IV.

CONSVETVDO.

FRatres ordinis nostri, tam milites quam seruientes, tenentur ter in anno Eucharist. Sacramentum recipere, videlicet Diebus Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini.

V.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ATque in festo S. Johannis Baptistæ, Patroni nostri; declarantes ad idem teneri clericos ad Presbyteratus ordinem non promotos, nec non confratres seu donatos.

VI.

De dispropriamento, & confessione facienda per fratres, qui nauigia conscendunt.

F. PHILIPPVS DE NILLIACO.

PRæcipimus omnibus ordinis nostri fratribus qui triremes, aut nauigia conscendunt, vt deuotam confessionem complere debeant, atque despropriamentum conficere teneantur. Quod clausum & sigillatum in manibus Prioris Ecclesiæ, seu ejus Vicegerentis deponatur. Qui hæc non compleuerit, pœna quarantenæ plectetur, & si frater conuentualis fuerit, stipendium vnius anni perdat: si Commendatarius, fructus vnius anni commendæ amittat; qui communi ærario applicentur.

VII.

Cui confiteri debeant fratres ordinis nostri.

F. HVGO REVEL.

PRohibemus, ne fratres ordinis nostri cuipiam sacerdoti peccata sua confiteantur, nisi eorum Priori, aut alicui Capellano ordinis nostri, si eius copiam habuerint. Si vero alteri confiteri voluerint a Priore, seu Vicepriore in Prioris absentia id faciendi licentiam petant.

VIII.

De moderatione Fratrum in celebratione diuinorum officiorum.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, ne fratres nostri, cum diuina celebrantur, cancellum seu chorum intrent, nec Altari adhæreant; ne sacerdotibus sacrum officium celebrantibus impedimento sint. Qui contrafecerit, quarantena puniatur.

IX.

Quod fratres sedeant & procedant secundum ordinem antianitatis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

AD hoc adiungimus, vt omnes fratres nostri in Ecclesia & processionibus secundum ordinem antianitatis sedeant & procedant. Quodque nullus in sedibus seu scamnis Priorum seu Baiuliuorum, & locatenentium Baiuliuorum conuentualium in diuinis officiis locum capiat. Alioquin eadem pœna quaranten. puniatur.

X.

De processionibus faciendis.

CONSVETVDO.

SVpplicationes seu processiones solemnes, quæ fieri solent in Ecclesia Hospitalis, sunt hæ, videlicet, in festis Purific. & Assumptionis Beatæ Virg. Mariæ, Ascensionis Domini, Corporis Christi, S. Joannis Bapt. & ad Infirmariam quolibet die Dominico. Præterea singulis diebus veneris pro pace, & sedando terræ motu. In aliis festis fieri non solent: nisi inciderint in diem Dominicum.

XI.

Quod Apostolorum festa duplici officio solemniter celebrentur.

F. IOANNES DE VALLETTA.

APostolorum omnia festa, qui omnes nationes Religione Sancta imbuerunt, & super omnem terram Principes constituti sunt, tam hic in Ecclesia nostri Conuentus, quam in aliis omnibus nostri ordinis per orbem constitutis, annis singulis, sub officio duplici solemniter celebrari iubemus.

XII.

SOLEMNITAS, QVÆ FIERI DEBET IN FESTO NATIVITATIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, OB VICTORIAM CONTRA TVRCHAS EO DIE OBTENTAM.

F. IOANNES DE VALLETTA.

DIem festum, natali Deiparæ, gloriosæque Virgini dicatum, summa veneratione, peculiarique cultu prosequi atque venerari debemus, cum ob varia & singularia beneficia ab eadem Virgine nobis, ordinique nostro perpetuo præstita, tum ob felicem, & diuinitus Nobis contra Barbaros eo die traditam victoriam. Nam cum Turcarum Tyrannus, Christiani nominis, & præsertim ordinis nostri acerrimus hostis, classem instructissimam & numerosissimam, A. Domini M. D LXV. aduersus Nos misisset, Insulamque hanc nostram Melitæ graui obsidione, ac prope incredibilibus, tam mari quam terra oppugnationibus pressisset, in eisque tam pertinaciter & obstinate, labore non intermisso, quatuor ferme menses perseuerasset, vt Arce nostra S. Elmi, quæ in faucibus portus sita est, expugnata, aliis

aliis arcibus, castellis & propugnaculis euersis, muris solo æquatis, ac in planum effusis, vicis & villis accensis, Templis dirutis, Insulaque tota vastata, in magno discrimine & periculo versaremur: Nihilominus tamen DEI Omnipotentis ope, nostrorumque virtute ac constantia, inimicorum impetus & impressiones ita fortiter & constanter sustinuimus atque repulimus, vt ad extremum hostes præter grauissimas, quas acceperunt in hoc bello a nostris, iacturas, aduentu & auxilio classis Philippi, Regis Hispaniar. vere Cathol. ac pii, Duce, & illius Præfecto, Garsia a Toleto, Sicil. Prorege, perterriti, re infecta, maiorique exercitus parte desiderata, turpiter discedere coacti fuerunt. Quamobrem cum tantam victoriam DEO in primis Optimo Maximo, eiusque genitrici Virg. Mariæ, & Diuo Ioanni Bapt. tutelari nostro, acceptam referamus, in memoriam & recordationem tam singularis beneficii, hac lege perpetua, quam ad vnguem obseruari volumus, & mandamus, sancimus & statuimus, vt singulis annis, per vniuersas ordinis nostri Ecclesias, Festum Natiu. eiusdem Virg. cum supplicationibus seu processionibus, aliisque solemnitatibus, & ceremoniis ecclesiasticis, summa cum veneratione & cultu celebretur, sermo seu concio in laudem ipsius Virginis, cuius precibus tam gloriosam victoriam adepti fuimus, seriemque & progressum eiusdem continens, ad populum habeatur, ac in peruigilio, hoc est, pridie eiusdem Festi, officium missæ, quam de Requiem appellamus, tam pro fratribus nostris, quam aliis omnibus, qui in hoc sæuissimo bello pro fide, & pro Religione gloriose occubuerunt, cum precationibus & obsecrationibus consuetis decantetur; sexque virgines hic in conuentu nostro ex his, quæ in domo Hospitalis sumptu publico ordinis nostri ali & nutriri solent, & eis non existentibus, aliæ virgines pauperculæ ad electionem Magistri, pudicæ & honestæ, dote quinquaginta scutorum in singulas constituta, tam in vestibus, quam in pecunia matrimonio honeste collocentur. Mandantes & expresse præcipientes in vim obedientiæ: Prioribus, Castellano empostæ, ac Baiuliuis & Commendatariis, omnibusque aliis ordinis nostri fratribus, vt hanc præsentem sanctionem & statutum quisque suis sumptibus & expensis, prout ad eum pertinet, in Ecclesiis eorum obseruent, & obseruari ac custodiri mandent & procurent.

XIII.

Quod fiant preces pro pace.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

STatuimus per vniuersas Ecclesias, & oratoria Religionis nostræ, pro pace preces fieri, in quibus hanc obseruantiam teneri volumus: quod presbyter, qui missam solemnem celebrabit, post orationem Dominicam flexis genibus ante Altare preces DEO intonet. Quæ incipiunt: Lætatus, &c. pro pace & tranquillitate Ecclesiæ Catholicæ, populi Christiani, & Ordinis Hierosl. quorum fauoribus, auxiliis & emolumentis sustentamur, atque a tyrannidis iugo defendimur.

XIV.

Quod pro Magistro & ordine fiant preces.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, vt in singulis ordinis nostri Ecclesiis & oratoriis, in vniuerso orbe constitutis sacerdotes diuina officia celebrantes, inter orationes quas DEO offerunt, debeant specialem memoriam habere, deuotaque mente, & verbo orare pro Magistro, & fratribus ordinis nostri, vt DEO auctore, diuino adiuti præsidio, de fidei Cathol. hostibus ad laudem omnipotentis DEI, pro cujus fide & nomine pugnant, reportent atque consequantur victoriam. Magistrumque & ordinem conseruare Diuina dignetur Maiestas.

XV.

De orationibus dicendis pro quolibet fratre defuncto.

CONSVETVDO.

PRo quolibet fratre defuncto triginta missæ celebrentur, in prima fratres qui aderunt, cereum accensum, & denarium vnum offerant, qui denarii pauperibus erogentur. Vnusquisque vero Capellanus missam celebret. Diaconi autem, & Subdiaconi psalterium legant. Milites, & seruientes centies quinquagies orationem Dominicam recitent, vel officium mortuorum pro defuncti fratris anima, vltra ordinarias orationes quas singulis diebus dicere obligantur.

XVI.

De missa pro defunctis celebranda.

F. HVGO REVEL.

STatuimus, quod quotannis in feria secunda quinquagesimæ, per omnes ordinis nostri Ecclesias, in quibus sacerdotes sunt deputati, celebretur missa solemnis pro Magistris & fratribus defunctis. Pridie vero huius diei, hoc est Dominica ad vesperam, cantentur vigiliæ mortuorum.

XVII.

F. GVILLELMVS DE VILLARETO.

IN eo officio omnes fratres adesse volumus & iubemus. In missa vero singuli eorum cereum & denarium vnum offerant. Magister autem fratribus qui aderunt, gigliatum vnum dare tenetur.

XVIII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FRater vero, qui ad dictum officium venire neglexerit, septenæ pœna puniatur.

XIX.

De ordine seruando in celebratione Missarum.

F. IACOBVS DE MILLY.

IN celebratione missarum hunc ordinem seruari volumus, vt nisi completa & finita vna, alia non inchoetur.

XX.

CONSVETVDO.

IN singulis diebus Dominicis Aduentus, & aliis diebus festiuis per annum, & per totam Quadragesl. fiat sermo, vel concio in Ecclesia nostri conuentus.

XXI.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

STatuimus, quod qualibet sexta feria legantur nouem lectiones de sancta Cruce in Ecclesia nostri ordinis

ordinis, exceptis Aduentu Domini, Septuagesima, vsque ad Pentecostem, & in celebritatibus nouem lectionum, octauis festorum, & vigiliis quatuor temporum.

XXII.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, quod nullus frater ordinis nostri libros Ecclesiasticos Ecclesiarum nostrarum sine mandato Prioris Ecclesiæ emendare, corrigere, aut quidpiam addere seu subtrahere præsumat. Alioquin pœnam quarantenæ subeat.

XXIII.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, vt fratres sacerdotes pro Iure trentenarii illas vestes fratrum defunctorum habeant, quas habere soliti sunt.

XXIV.

F. IACOBVS DE MILLY.

DEputetur aliquis doctus vir, qui adolescentibus clericis quotidie legat, & eos Latinas literas doceat; & alius, qui eos in cantu instruat. Quibus congruum salarium & stipendium ab ærario assignetur.

XXV.

De promotione Clericorum ad sacros ordines.

F. HVGO REVEL.

PRohibemus, ne aliquis frater, cuiuscunque conditionis fuerit, quempiam clericum, ordinem nostrum professum, ad sacros ordines promoueri procuret, nisi præsentatum prius Priori Ecclesiæ, & obtenta ab eo licentia; Quodque Clerici in hospitali promoueri non possint ad Subdiaconatum, donec XVIII. ad Diaconatum donec XXII. ad Sacerdotium XXV. annum attigerint. Clericusquoque, qui ordinem nostrum professus non est, in obsequium Hospitalis non admittatur, nisi prius de sacrorum ordinum receptione literas testimoniales & authenticas demonstrauerit.

XXVI.

De ornandis & reparandis Ecclesiis.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

SAncimus & decernimus, quod Baiuliui, Priores, Castellanus empostæ, Baiuliui Capitulares, Commendatarii, & fratres qui regimen Commendarum, aut bonorum ordinis nostri tenent, Ecclesias & oratoria restaurent, reparent, & manuteneant in debito & honesto statu; eaque muniant & ornent libris Ecclesiasticis, vestimentis, calicibus, & vtensilibus diuino vsui aptis, pro qualitate & conditione prouentuum dictarum commendarum & domorum; ad ipsarum quoque Ecclesiarum & oratoriorum cultum & obsequium fratres Capellanos honestæ vitæ, & si fratres Capellanos ordinis non reperirent, tunc Capellanos honestos, tam seculares quam regulares, quos habere potuerint, quousque copia fratrum Capellanorum adfuerit, deputent & eligant, qui deuote diuino officio vacent, & intendant. Super quo exequendo Priores & Castellanus empostæ tempus competens Commendatariis & fratribus assignent. Quod si facere recusauerint, contrafacientes fructibus commendarum & domorum priuati existant, donec prædicta diligenter compleantur. Super tamen hujusmodi reditibus arcto victu & vestitu ipsis reseruato. Quod si Priores, & Castellanus empostæ super his diligenter prouidere non curauerint, tunc ipsorum propriis expensis ea exequi debeant; quia ex officio ipsis incumbit, super his diligenter vigilare.

XXVII.

De pensione seu subsidio Curatis, Rectoribus, aliisque Beneficiariis præstando.

F. IOANNES DE VALLETTA.

QVoniam plerique Ecclesiæ nostri ordinis, curam animarum habentes, aliæque Ecclesiæ & oratoria, in quibus diuinum officium celebrandum est, adeo exigui & tenues reditus sunt, vt sustinendis decenter pro locorum & personarum qualitatibus eorum Parochis, Curatis, seu Rectoribus, & Vicariis perpetuis ac Beneficiariis minime sufficiant, licitum erit Prioribus, Castellano empostæ, vna cum Capitulo prouinciali, quibus plenam damus in iis rebus, sub pœnis sibi beneuisis, ordinandi & exequendi potestatem, vt diligenter perpensa & examinata etiam ex officio vel alicuius simplicis & vicini beneficii ecclesiastici vnionem, vel alicuius honestæ pensionis siue portionis assignationem, aut qua commodiori eis videbitur iuridica ratione tantum ipsis Curatis, Parochis, seu Rectoribus, & Vicariis, siue Beneficiariis constituere, vnde digne & honeste sustentari, & onera earundem Ecclesiarum & oratoriorum ipsis incumbentia supportare & sustinere valeant.

XXVIII.

De probis hominibus Ecclesiæ.

F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod per Magistrum & Concilium ordinarium duo religiosi probatæ vitæ, & experti probi homines eligantur, & ex omnibus linguis, diuersis tamen, deputentur, qui in comitiva Prioris Ecclesiæ vel alicuius Capellani idonei, & probatæ sufficientiæ, quem ad hoc eius loco Prior deputabit, summa cum diligentia, cura & sollicitudine videant, perquirant, scrutenturque, si in Ecclesia S. Ioannis, ac capellis & oratoriis fiunt & complentur ea, quæ ad cultum diuinum spectant, secundum maiorum instituta, tam spiritualia quam corporalia ipsius Ecclesiæ & capellarum concernentia; Defectus quoque corrigant & reparent. Inuentarium etiam & registrum institutionum & fundationum capellarum, pariter prædiorum, possessionumque earundem, ac omnium ornamentorum, bonorum quoque mobilium & immobilium faciant & habeant; Quod quidem inuentarium, finito officii termino, Magistro & Concilio ordinario præsentabunt, vt successoribus probis viris consignetur. De his quoque quæ in officii exercitio compererint, quatuor temporum assembleis fieri solitis in anno, & de omnibus defectibus, Magistro & Concilio ordinario relationem facient, a quibus pro rerum exigentia prouideatur: termino vnius anni dicti fratres dictum officium exercebunt, vel plus si Magistro & Concilio expediens videbitur, & ut dicti probi homines liberius officio vacare possint, ad manus Magistri retenti censeantur, & excubiis exempti sint.

XXIX.

Quod omnia bona diuino cultui deputata, in ſpoliis fratrum reperta, ad Eccleſiam conuentus perueniant.

F. IOANNES FERDINANDVS D' HEREDIA.

STatuimus, vt omnia bona ad diuinum cultum deputata, vt calices, vaſa argentea, aurea, ſeu deaureata, panni aurei, argentei, & ſericei, & alia quæcumque huiusmodi in ſpoliis fratrum noſtrorum reperta, tam citra, quam vltra mare decedentium, perueniant ad Eccleſiam noſtri conuentus, niſi priuatis Eccleſiis Commendarum a Prioribus, Baiuliuis, vel Commendatariis, conſtante eorum vita, adſcripta & dedicata eſſent; quo caſu in dictis Eccleſiis remanere volumus, ac inuentario notari.

XXX.

De muneribus per Priores electos Eccleſiæ offerendis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Priores & Caſtellanus empoſtæ, poſtquam electi & promoti fuerint, & fructus vnius anni Prioratus, & Caſtellaniæ empoſtæ perceperint, teneantur dare & offerre Eccleſiæ Conuentus noſtri aliquod munus, quod non ſit minoris æſtimationis, quam quinquaginta ſcutorum auri; quo tempore elapſo, ſi intra alios ſex menſes illud in Conuentum non miſerint, & probis hominibus Eccleſiæ tradiderint, cenſeantur debitores, ac ſi eam ſummam deberent communi noſtro ærario.

XXXI.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ADiicientes, vt Baiuliui capitulares, poſtquam electi vel promoti fuerint, & fructus vnius anni ex ſuis Baiuliuatibus prouenientes perceperint, teneantur ſub eadem pœna qua Priores, dare & offerre Eccleſiæ conuentus noſtri aliquod munus, quod non ſit minoris æſtimationis, quam viginti quinque ſcutorum auri.

XXXII.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, vt Magiſtri, elapſo quinquennio a die eorum electionis & promotionis, ad Magiſterium, nullis gratiis & præeminentiis Magiſtralibus in conferendis commendis de gratia vti poſſint, niſi ornamenta eccleſiaſtica, quæ ad pontificiam diuinorum officiorum celebrationem ſufficiant, ſuis ſumptibus Eccleſiæ præſentauerint.

XXXIII.

Dies, quibus fratres mantellum portare tenentur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SEquuntur dies, quibus fratres noſtri chlamydem ſiue mantellum portare tenentur. In vigilia Natiuitatis Domini ad veſperas; eodem die Natiuitatis ad miſſam, & veſperas. Poſtero die S. Stephani ad miſſam, & veſperas. S. Ioannis ſequente ad miſſam. Circumciſionis Domini ad miſſam. Epiphaniæ ad miſſam. Purificationis B. Mariæ ad miſſam. Domin. in ramis palmarum ad miſſam. Diebus Iouis, Veneris & Sabbati S. Hebdomadæ ad omnia officia. Die S. Paſche, & die poſtero ad miſſam, & veſperas Aſcenſ. Domini ad miſſam. In vigilia Pentecoſtes ad veſperas, & in ipſo die & poſtero ad miſſam & veſperas. In die S. Trin. ad miſſam. In vigilia corporis Chriſti ad veſperas, & in die ad miſſam, & veſperas. In vigilia S. Ioannis Bapt. ad veſſuras, & in die ad miſſam, & veſperas. In feſtis Inuentionis & exaltationis S. Crucis ad miſſam. In die aſſumptionis B. Mariæ ad miſſam, & veſperas. In die decollationis S. Ioann. Bapt. ad miſſam. In die Natiuitatis Beatæ Mariæ ad miſſam. In feſto omnium Sanctorum ad miſſam & veſperas. In commemorationem mortuorum ad miſſam. Et quandocunque fratres ad ſacram Euchariſtiam accedunt. Item Capitulares in Capitulis generalibus. Baiuliui conuentuales, aut eorum locatenentes. Priores & Baiuliui capitulares in ſgardiis & aſſembleis. Sexdecim electores in electione Magiſtri. Qui contrafecerit, pœnam quarantenæ ſubeat.

DE HOSPITALITATE TITVLVS QVARTVS.

I.

Quod fratres hoſpitalitatem exerceant.

CONSVETVDO.

INter cætera pietatis atque humanitatis officia, communi totius populi Chriſtiani conſenſu, hoſpitalitas præcipuum locum obtinet, vtpote quæ alia omnia complectatur. Ea ſi a bonis omnibus magno ſtudio colenda eſt, quanto maiori ab iis, qui Hoſpitalariorum militum appellatione & cognomento ſe notos eſſe volunt? Quapropter nihil potius nobis faciendum eſt, quam quod in nomine profeſſimus, re & actis præſternus.

II.

De probis hominibus Infirmariæ.

F. IOANNES DE LASTICO.

VT Infirmariæ noſtræ ſtatus rectius & diligentius adminiſtretur, ſtatuimus, vt per Magiſtrum & Concilium quotannis eligantur duo probi homines ex diverſis linguis, qui quolibet die, ſumma cura & ſtudio, vna cum Infirmario ægrotos viſitent. Et ſi quid ad eorum curam deeſſe compererint, exacte reparent. Quibus ſingulis quoque menſibus, Infirmarius rationem impenſarum, quæ in ipſa Infirmaria fiunt, in ſcriptis reddere teneatur. Quod ſi facere omiſerint, is per quem ſteterit quominus id fiat, eo ipſo priuatus officio intelligatur.

III.

Qualiter probi homines, & ſcriba Infirmariæ, & Commendatarius paruæ commendæ ſe gerere debent.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

AD euitanda ſiniſtra, quæ facile committi poſſunt, ſtatuimus, quod probi homines Infirmariæ poſtquam a Magiſtro & Concilio ordinario fuerint electi, in eodem concilio ſolemne ſacramentum faciant de bene & fideliter officium exercendo, ad refocillationem dominorum infirmorum, & quod diſtincte notabunt omnes expenſas, quæ quolibet die fient, tam in Apotheca quam in Infirmaria, de quibus ærarium noſtrum ſatisfactionem facere tenetur.

tenetur. Et simile sacramentum faciet scriba infirmariæ, postquam secundum antiquas consuetudines fuerit ab Hospitalario præsentatus Magistro, & Concilio, & ab eisdem acceptatus; & pariformiter Commendatarius paruæ commendæ. Qui in vim dicti sacramenti nihil distribuet sine ordinatione medicorum, & scitu proborum hominum. Qui etiam de his notam facient. Si autem præter hunc ordinem aliquæ expensæ fiant, non admittantur.

IV.

F. IOANNES DE LASTICO.

Idem probi homines infirmariæ, diebus singulis, expensas quæ ibi fiunt, ad vesperam examinabunt, & in eis nomina sua subscribant. Aliter dictæ expensæ per procuratores nostri communis ærarii non admittantur.

V.

Quod fiat inventarium vtensilium infirmariæ.

IDEM MAGISTER.

SAncimus, vt probi homines ac Hospitalarius diligenter, & cum vigilantia, anno quolibet legata, dona, ac vtensilia infirmariæ perquirant, recognoscant, ac videant. De omnibus quoque vtensilibus, & bonis infirmariæ, videlicet, vasis argenteis, aureis, stanneis, æneis, quibusuis lectis, coopertoriis, linteaminibus, papillionibus, & cæteris aptis, & deputatis: De omnibus aliis quoque bonis, rebus, & utensilibus, cuiusuis generis fuerint, seruitio capellæ Palatii, Camerarum, coquinæ, & aliis officinis adscriptis, Inuentarium authenticum in præsentia Infirmarii, ac Prioris, & testium conficiant, signent, & bullent. Valorem quoque eorum, & æstimationem annotare debeant. Ipsa quoque bona & vtensilia aliquo charactere, signo vel bulla muniant, & sigillent; atque in loco tuto, mundo & idoneo conseruari iubeant. Præcipientes Infirmario, sub pœna priuationis sui officii, ne quouis modo præsumat aliquid ex dictis bonis clam, vel palam, directe, vel indirecte extra ipsam infirmariam transportare, vel mutare, vel in alios vsus conuertere.

VI.

Quod apotheca infirmariæ visitetur.

IDEM MAGISTER.

NE per rerum medicinalium impuritatem infirmi detrimentum corporale patiantur. Iubemus, quod Apotheca Infirmariæ per Hospitalarium & probos viros, accersitis medicis, visitetur quoties ipsis Hospitalario, & probis viris videbitur. Medici quoque in præsentia eorum diligenter, caute, & prudenter scrutentur, si Apotheca munita sit aromatibus & medicinis, infirmis congruis & necessariis, ne per Aromatarii culpam infirmiorum cura omittatur atque parui pendatur.

VII.

F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod Infirmarius ac probi homines, omnia statuta Hospitalitatem concernentia in membrana scribi faciant, quæ tabulæ affixa in ægrotantium palatio appendatur, vt omnibus pateat; & secundum eorum seriem infirmorum administrationi intendatur.

IIX.

De bulla Hospitalarii.

IDEM MAGISTER.

AD conseruationem bonorum & suppellectilium vsui ægrotorum dedicatorum, statuimus, quod Hospitalarius, vel eius vicegerens bullam ferream teneat, qua bullentur coopertoria, paramenta, ornamenta, ac cætera suppellectilia & bona mobilia, quæ bullari possunt, ne permutentur, transferantur, aut alienentur. ipsa quidem bulla ponatur in sacculo de corio, signato sigillo Hospitalarii, vel eius locumtenentis & proborum hominum, quam Infirmarius custodiet. Bona vero & vtensilia quæ vsui quotidiano applicata non erunt, aut necessaria, in aliquo loco, sub clauibus Infirmarii & proborum hominum reponantur.

IX.

Quod deputetur Capellanus cum Prioris infirmariæ.

F. IOANNES DE LASTICO.

VOlumus, vt Hospitalarius deputet aliquem Capellanum ordinis nostri, vitæ honestæ & probatæ, præsentatum prius Priori Ecclesiæ, vt ab eo confirmetur. Qui in infirmaria quatuor missas qualibet hebdomada celebret. Prior vero tres, vt vnoquoque die ægroti missam audiant, in qua pro salute animæ & corporis eorum preces fiant; quibus stipendium solitum assignetur Iidem teneantur diligenter & accurate confessionem audire, sanctum Eucharistiæ sacramentum ministrare, mortuos sepelire, & ea omnia exercere, quæ ad salutem animarum ægrotantium, & obsequia sepulturæ defunctorum sunt necessaria.

X.

De exemptione Prioris infirmariæ.

F. IACOBVS DE MILLY.

DEcet Priorem infirmariæ vigilantem in obsequiis infirmorum & assiduum esse, præsertim circa ea quæ ad animarum salutem spectant. Ideo iubemus, quod Prior infirmariæ diligenter inuigilet infirmorum saluti, missarum celebrationi, sacramentorum exhibitioni, & cæteris quæ ad eius officium spectant. Quod vt commodius fieri possit, ipsum a carauanarum onere liberamus, atque famulum vnum retinendi auctoritatem concedimus; pro cuius manutentione apodixia frumenti, sicut fratri militi concedatur, quam a communi ærario accipiat.

XI.

De Medicis infirmariæ.

F. IOANNES DE LASTICO.

ACcersantur ad curam ægrotorum Medici periti & experientes, qui in præsentia octo fratrum linguarum & Infirmarii iurare teneantur, quod ægrotantium valetudini magna diligentia, & secundum probatorum medicorum regulas & scripta intendent. Et saltem bis in die ægrotantes omnes visitare teneantur, & ea quæ ad eorum curam necessaria sunt, ordinare: idque nulla mora aut impedimento obstante, exequantur. Illi autem Medicorum visitationi aderunt Infirmarius & scriba, qui in scriptis fideliter & sigillatim excipient

pient id, quod pro ſalute ægrotorum a medicis ordinatum fuerit. Medici ipſi ſtipendium ab ærario ſument, & nihil ab ægrotis pro opera ſua accipere aut exigere poterunt.

XII.

De Chirurgis.

IDEM MAGISTER.

STatuimus etiam, vt ad idem miniſterium habeantur duo chirurgi, prudentes, diſcreti, & artis ſuæ peritiſſimi. Qui prius a medicis infirmariæ examinati & approbati ſint, alias non admittantur.

XIII.

Quod infirmarius qualibet nocte ægrotos viſitet.

IDEM MAGISTER.

DEcet infirmarium circa ægrotorum curam uigilantem eſſe, ne per incuriam ſiniſtrum aliquod ipſis contingat. Iubemus igitur, vt qualibet nocte infirmarius, fido comitatus famulo, hora completorii & auroræ, ægrotos prudenter & diſcrete uiſitet, alloquatur, hortetur, corroboret, & præſidio adſit. Probi quoque homines die ſequenti, cum aderunt, perſcrutentur, ſi idem infirmarius viſitationem compleuerit: in quo ſi defecerit, eum obiurgent & reprehendant, & ad faciendum compellant. Qui ſi renuerit, in eius defectum prouideant. Alimenta autem corpori humano, quanto puriora & meliora ſunt, tanto magis nutrimento proſunt. Idcirco infirmario mandamus, vt de bonis & præſtantioribus nutrimentis, pullis gallinaceis, pane & vino prouideat; in quo Hoſpitalarius & probi homines diligenter curam adhibeant, vt de eis ægrotis ſubueniatur.

XIV.

Quod ægroti in infirmaria modeſte ſe gerere debeant.

IDEM MAGISTER.

INſolentiam & immodeſtiam nonnullorum reprimere volentes, ſtatuimus, quod ægroti fratres & ſeculares in infirmaria modeſte, temperanter & honeſte ſe gerant, & conuerſentur: Nec liceat aut permittatur alicui quidpiam petere aut obtinere, niſi tantum illud, quod & quale a medicis pro eius remediis ordinatum fuerit. Quod ſi audacia fretus importune petierit, nihilominus ei ſubminiſtrari prohibemus. Ipſi etiam valetudinarii ibidem ſilentio & honeſto exercitio vtantur: nec aleis, ſcacchis, aut hiſtoriarum vel chronicarum lectioni intendant, ſeu quidpiam exerceant, quod in perturbationem vel moleſtiam ægrotorum vergat. Qui contra fecerit, priuetur miniſtratione neceſſariorum in infirmaria; ab ægrotorum quoque comitiua reiiciatur, ſuo arbitrio vitam ducens. Non enim medicina & medici auxilio dignus eſt, qui medicinæ dogmata paruipendit. Hanc quoque regulam Infirmarius obſeruari faciet: in quo ſi negligens fuerit, officio priuetur. Si quis autem frater ex ægrotis, poſtquam a medicis licentiatus fuerit, menſa infirmarii pro termino decem dierum aut minori frui voluerit, id agendi licentiam damus: Infirmario quoque de menſa ærarium ſatisfaciet.

XV.

F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

FRatres infirmitatis initio toto triduo poſſunt ſtare in cameris ſuis, & eis adminiſtrari debent neceſſaria, ac ſi eſſent in infirmaria. Eo autem termino elapſo tenentur adire infirmariam, alias denegatur neceſſariarum rerum miniſtratio Religionis impenſis.

XVI.

Quod fratres in ingreſſu infirmariæ confiteantur, & deſpropriamentum faciant.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod omnes fratres qui ad infirmariam noſtram ægroti accedunt, vt illic curentur, in ipſo infirmariæ ingreſſu, & antequam prætereant horæ XXIV. confiteri, & Euchariſtiæ ſanctum ſacramentum ſumere teneantur. Deinde deſpropriamentum, id eſt, rerum ſuarum declarationem conficere: cui ſigillo Prioris infirmariæ corroboratæ plena fides adhibeatur. Si vero id facere recuſauerint, elapſo dicto horarum ſpatio, ab infirmaria eiiciantur, nec eis neceſſaria miniſtrentur. Præcipientes, vt infirmarius habere teneatur ad miniſterium dictæ infirmariæ famulos bonæ famæ & diligentes, ac ſufficienti numero ad obſequium ægrotantium tantum, ac duas mulieres honeſtas pro expoſitis infantibus nutriendis: qui omnes Chriſtiani exiſtant.

XVII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

OMnia deſpropriamenta fratrum noſtrorum, tam in Conuentu, quam extra decedentium, in Camera noſtri communis ærarii regiſtrentur.

XVIII.

De teſtamento conficiendo per ſeculares ægrotos in infirmaria.

F. IACOBVS DE MILLY.

SAncimus, vt quotieſcunque ſeculares ægrotantes in infirmariam introducti fuerint, confiteri teneantur, Euchariſtiamque ſuſcipiant; & demum eos infirmarius, Prior, & probi homines moneant & hortentur, vt teſtamentum conficiant. Quod quidem teſtamentum per Priorem vel ſcribam infirmariæ, præſente Priore, vel alio presbytero Prioris loco, duobus vel tribus adhibitis teſtibus conficiatur. Nec illud ſub pœnis iuris Canonici reſcindatur. Ipſe quoque Prior & ſcriba dictum teſtamentum, auctoritatem, & facultatem conficiendi admiſſis teſtibus ad minus duobus, tamquam ſi Notarii publici eſſent, habeant. Taleque teſtamentum in aliquo libro redigatur ad futuram memoriam, ac pro conſeruatione iuris & iuſtitiæ vniuscuiusque in bonis defunctorum. Si vero ſeculares infirmi teſtamentum condere recuſarent, vel non poſſent: tunc infirmarius & probi homines per Priorem vel ſcribam, Inuentarium de bonis eorum fieri coram teſtibus iubeant, vt infirmis ad priſtinam ſalutem reductis, dentur & reſtituantur, vel vt eis defunctis, de bonis ipſorum conſtet, ad eorum quorum intereſt, iurium conſeruationem. Ipſa quoque bona inuentariata in loco tuto ſub clauibus

uibus

nibus infirmarii & proborum hominum recludantur.

XIX.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SUpremam autem secularium in infirmaria decedentium voluntatem, ipsi probi homines faciant fideliter exequi.

XX.

Quomodo fratres defuncto sepeliantur.

F. NICOLAVS DE LORGVE.

LAudabile censeri debet, vt quo habitu fratres nostri in ingressu Religionis, & in vita fuerint redimiti, eodem in sepultura & funeris pompa ornentur. Igitur sancimus, vt omnes fratres Hospitalis, cum e vita decesserint, mantellis ad rostra, id est, cum punctis & cruce alba sepeliantur.

XXI.

Quod corpora defunctorum secularium honeste sepeliantur.

F. IOHANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod corpora personarum secularium, in infirmaria nostra decedentium, decenter & honeste ad sepulturam efferantur; præcedentibus capellanis pro anima defuncti precantibus; Fiant autem quatuor vestes nigri coloris, quibus hi qui funus deferunt, induantur; quas ad id opus servari, & supradicta exequi infirmarius faciet.

XXII.

Quod nullus pullatus funera fratrum comitetur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COrpora fratrum nostrorum honestissime etiam sepeliri volumus: verum prohibemus, ne post hac vllus omnino, siue sit frater, siue secularis pullatus, id est, veste lugubri indutus, funera ipsorum fratrum comitetur, neque etiam ipsius Magistri: vbicunque mortem obierit.

XXIII.

De aperiendis capsis defunctorum.

F. IACOBVS DE MILLY.

NE per incuriam bona defunctorum deperdantur. Iubemus districtius, ne cuiquam liceat capsas defunctorum in infirmaria aperire, aut bona recognoscere, nisi præsente Hospitalario, infirmario ac duobus probis hominibus. Adiicientes, quod supellectilia vsui infirmorum apta, & congrua in eis inuenta, non debeant cuipiam exercitio deputari, nisi infirmorum vsui duntaxat.

XXIV.

De florenis quadringentis a Villaguto infirmariæ legatis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COngruum est, testatorum deuotionem sequi. Non liceat igitur alicui fratrum nostrorum, quacunque auctoritate fungenti, de illa florenorum summa infirmariæ, per fratrem Ioannem de Villaguto, Castellanum empostæ, legata, & postea aucta, & quæ augebitur disponere, nisi magno conseruatori nostri conuentus, cui hanc facultatem concedimus de eisdem pecuniis disponendi ad vsum infirmorum, secundum dicti testatoris voluntatem & ordinationem.

XXV.

De immunitate infirmariæ.

F. FABRITIVS DE CARETTO.

SAncimus, quod si delinquens aliquis confugerit ad Asylum & immunitatem infirmariæ, & sit dubitum, an illi sit profutura, an non: tunc ad instantiam Castellani, & Iudicis, Hospitalarius, aut eius locumtenens, iubeat delinquentem in ipsa infirmaria secure custodiri, donec super eo cognitum fuerit. Quod si immunitas valida iudicetur, cum primo nauigio ab hac Insula, & omni nostra ditione emittatur, prout antiquitus fuit obseruatum.

XXVI.

Quibus casibus infirmariæ immunitas non prodest.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

HI sunt casus, in quibus infirmariæ immunitas nemini proderit. Latronibus, aut nocturnis agrorum depopulatoribus, incendiariis, sodomitis, conspiratoribus, furibus. His quoque, qui ex insidiis, aut de industria & deliberato, vel proditione, veneноue hominem occiderint: nec fratrum domesticis, nec percussoribus ipsorum fratrum, vel iudicum nostrorum, & aliorum iustitiæ ministrorum, nec iis, qui ære alieno obstricti sunt. Nec iis, qui in ipsa infirmaria, aut spe immunitatis eiusdem delictum commiserint, nec falsis testibus aut Notariis, sacrilegis, grassatoribus.

XXVII.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod eleemosynæ in commendis nostris dari solitæ continuentur.

DE COMMVNI ÆRARIO TITVLVS QVINTVS.

I.

De oneribus communis ærarii, & legibus super id condendis.

CONSVETVDO.

CVm bona & facultates, quæ ordo noster possidet, piorum hominum liberalitate collata sint ad sustinendas hospitalitatis impensas, & propulsandos Christiani nominis hostes: Certum est, fratres nostros proprii in eis aut priuati iuris nihil habere: sed eorum verum dominium ac proprietatem, & ius omne ad solum ipsum ordinem nostrum spectare. Verum cum in communi recte administrari non possent propter locorum distantiam, & dissidentiam nationum, maiores nostri ea viritim fratribus per partes regenda commendarunt, (vnde nomen commendarum sumpserunt) impositis annuis pensionibus, quæ augerentur & minuerentur, prout & rei & tempori, hoc est necessitati conuenire visum est. Etenim vt minimum quinta, sæpe quarta fructuum pars penditur, & in commune ærarium inferri iubetur, nonnunquam etiam dimidia, vel omnes etiam fructus, si ita a Capitulo generali fuerit statutum, penes quod vnum imponendarum & assignandarum pensionum & colla-

collationum hujusmodi, quas responsiones & impositiones vocamus, ius est. Id autem, quid a quoque sit pendendum & soluendum, decernit, & publice declarat: Decretum & declarationem suam Prioribus, Castellano empostæ, Capitulis prouincialibus per literas suas significat, mandatque, vt pensiones a se impositas exigi & persolui ab administratoribus procurent.

II.

Quod omnes teneantur ad solutionem iurium communis ærarii.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod omnes Priores, Castellanus empostæ, Baiuliui, Commendatarii, & fratres tam exempti, quam non exempti ratione Prioratuum, Castellaniæ empostæ, Baiuliuatuum, Commendarum, domorum, & aliarum administrationum nostrarum quarumcunque, non obstante quacunque clausula, gratia aut exemptione (quæ iuribus nostri communis ærarii derogare & præiudicare non volumus) omni exclusa mora, excusatione, appellatione, oppositione & impedimento, tam ratione bellorum seu deuastationum, quam alias realiter & cum effectu anno quolibet in Capitulo prouinciali; & si fortasse in aliquo loco Capitulum prouinciale non celebretur, in natiu. s. Joannis Bapt. soluere iura communis ærarii pro tempore instituenda & imponenda, & debiti reliquum seu arreragia, & alia quæcunque debita nostro communi ærario teneantur & debeant, seu receptoribus & procuratoribus eiusdem pro tempore instituendis, in pecunia numerata.

III.

Quod iura communis ærarii integre soluantur, non obstante quovis casu vel impedimento.

IDEM MAGISTER.

QVod si aliqui ex dictis Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus, Commendis aut administrationibus nostris, propter bella, inuasiones seu exactiones Principum, seu aeris intemperiem, aut aliquo quouis fortuito aut inopinato casu, ad ruinam, vastationem, etiam totalem destructionem, quod DEus prohibeat, redacti sint: nihilominus portio iurium ærarii imposita, & pro tempore imponenda, liquide, pure & simpliciter, tamquam immunis & libera huiusmodi iacturis ac Principum exactionibus ad ærarium, omni oppositione & mora reiecta, perueniat, ac iactura, damnum & exactio sit & esse intelligatur in damno Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum, & aliorum administratorum: etiamsi clades tanta esset, quod id, quod superesset ex fructibus, ad portionem iurium soluendam non sufficiat. Administratores enim cauere & prouidere pro futuris necessitatibus tenentur.

IV.

Mutatio supputationis annorum mortuarii & vacantis.

F. IOANNES DE VALLETTA.

COnsuetum & hactenus obseruatum fuit, vt per mortem Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum, & aliorum bonorum nostrorum administratorum commune nostrum ærarium vltra alia, mortuarii & vacantis iura percipiat, hac declaratione, vt appellatione mortuarii fructus intelligantur a die obitus Commendatarii, vsque ad proximum festum Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ; & vacantis ab eo die ad aliud idem festum proxime futurum; sed quia ex hac supputatione variæ lites in conuentu nostro ortæ fuerunt, id commutandum esse duximus, vt appellatione mortuarii deinceps, non vt antiquitus, sed a die obitus Prioris, Baiuliui, Commendatarii & administratoris, vsque ad festum diuorum Philippi & Iacobi, quibus prima dies Maii dicata est, fructus & reditus, qui colliguntur, Prioratuum, Baiuliuatuum, Commendarum & aliarum administrationum intelligendi sunt, & pro vacante ab eodem die, vsque ad aliud festum Sanctorum eorundem proxime futurum anno peracto, quos nostro communi ærario solui mandamus: Nihil per hoc derogantes consuetudini & statutis nostris, quibus cautum est, vt solutio iurium communis ærarii, & aliorum debitorum in Capitulo prouinciali, aut eo non indicto vel celebrato, in festo Natiu. S. Ioannis Bapt. fiat: sed ea in suo robore & vigore permanere volentes.

V.

De iuribus communi ætario soluendis per eos, qui commendam per resignationem obtinebunt.

F. PETRVS DAVBVSSON.

PRæterea statuimus, quod ex omnibus Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus, Commendis, & administrationibus, quæ per cessionem & resignationem ad manus alterius administratoris peruenerint, fructus & reditus duorum annorum integrorum ærarium ipsum percipiet. Quos nouus administrator soluere tenebitur, vel si vtilius videbitur, receptor dictos fructus ipse colligere aut alteri locare debebit, exceptis his quæ ratione melioramenti capiendi vel permutationis secundum formam statutorum nostrorum factæ dimittuntur.

XI.

Quod noui administratores commendæ resignatæ ad solutionem debitorum resignantis teneantur, quibus erat obnoxius tempore resignationis.

IDEM MAGISTER.

INsuper tenebuntur dicti Priores, Castellanus empostæ, Baiuliui, Commendatarii, & noui administratores sic per resignationem constituti soluere omnia debita, quibus resignantes tempore resignationis obnoxii erant. Id etiam excipientes, vt qui contra statuta & consuetudines ordinis nostri prouisi fuerint, ius ad Prioratus, Castellaniam empostæ, Baiuliuatus, commendas & nouam administrationem non acquirant.

VII.

De oneribus soluendis per possessores membrorum.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod omnes nostri ordinis fratres membra aut prædia Prioratuum, Castellaniæ empo-

empostæ, Baiuliuatuum, commendarum & administrationum possidentes, iura communis ærarii imposita & imponenda pro rata portione, valoris dictorum membrorum vel prædiorum soluere teneantur. Quod sic declaramus, videlicet, quod, quando dimidia, tertia vel quarta pars fructuum imposita fuerit super bonis huiusmodi, possidentes membra soluent similiter tertiam, quartam, vel dimidiam partem fructuum pro rata portione veri valoris, præter pensionem Priori vel Commendatario pro recognitione reseruatam.

VIII.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

ET si ordinis nostri fratres, qui membra Prioratuum, Baiuliuatuum, aut Commendarum habent, eam, quæ ipsos contingit, ratam partem pro responsionibus & impositionibus tempore præfixo & constituto non soluerint, non obstante solutione facta pro eisdem per Priores, Baiuliuos, & Commendatarios, Receptoribus nostris, (quibus optio datur a quouis illorum eam portionem exigendi) habeantur & censeantur debitores communis ærarii, & incapaces ad consequendum officia aut bona ordinis nostri, donec dictis Prioribus, Baiuliuis, & Commendatariis integre satisfecerint. Qui facta prius ad hoc legitima requisitione, auctoritatem habeant capiendi tot fructus vel de dictis membris, vel a conductoribus præfatorum membrorum, si forte antea locata fuerint, vsque ad integram solutionem. Et si repugnantia siue retinentia in huiusmodi exactione a dictis possessoribus membrorum fieri contigerit, eo ipso absque alia sententia & declaratione dicta membra sint & intelligantur incorporata, & vnita commendis a quibus dependent, inuocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis ad prædictam exactionem: Concedentes auctoritatem & facultatem Prioribus, Castellano empostæ, Baiulivis & Commendatariis, vt possint quemlibet ordinis nostri fratrem requirere ad executionem præsentis statuti, ita tamen quod soluant fratri requisito dictas congruas & competentes partes quas renitentes membrorum possessores soluere tenebuntur.

IX.

De mortuario & vacante soluendo per possidentes membra.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod decedentibus Prioribus, Castellano empostæ, Baiulivis & Commendatariis quandocunque & quotiescunque id acciderit, membra dependentia a Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus., & Commendis, & illi qui ea possident, teneantur soluere iura mortuariorum & vacantium, quemadmodum administrationes a quibus dependent: Decernentes, quod in literis & bullis administrationum membrorum debeant expresse reseruari iura communis ærarii, mortuarii, & vacantis: Quæ etiam si non reseruata essent, intelliguntur implicite reseruata, & ad id obligantur.

X.

Qualiter solutio mortuarii & vacantis fieri debeat per possidentes membra tempore vacationis.

F. IOANNES DE HOMEDES.

SAncimus, quod si frater teneat membrum commendæ, cuius administratio vacet, habeat etiam aliam commendam, cuius fructus percipiat, eo casu teneatur soluere integros fructus membri dependentis a commenda vacante, non secundum communem æstimationem ordinis nostri, sed secundum verum valorem pro tempore mortuarii, & vacantis, hoc est, quanti ipsa membra tempore mortuarii, & vacantis arrendari locariue possint. Si autem tenens membrum commendam non habuerit; retenta sibi pro alimentis tertia parte fructuum membri, reliquas duas ad verum valorem communi ærario solvere teneatur.

XI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt idem ius in pensionibus obseruetur.

XII.

F. IOANNES DE VALLETTA.

DEclarantes, vt, qui non commendam sed membra, vel pensiones duas, aut plures habuerit, fructus membri vel pensionis commendæ vacantis eo tempore similiter integre ad commune ærarium perueniant, nisi membra ipsa, aut pensiones ex vna eademque commenda sint, vel ex pluribus ab eo tempore vacantibus, nam tunc tertia pars dictorum membrorum, vel pensionum fratri debebitur. Reliquum vero commune ærarium percipiet, diuisione & supputatione fructuum membrorum, seu pensionum huiusmodi secundum ratam mensium, non autem fructuum acquisitorum proportionabiliter facta, ratione veri valoris, seu precii semper habita eius, quo hujusmodi membra eo tempore locari solent.

XIII.

In villis, grangiis, & domibus mortuarium & vacans sit.

F. IOANNES LEVESQ. DE LA CASSIERE.

STatuimus, & declaramus, in villis, grangiis & domibus a commendis dependentibus esse mortuarium & vacans.

XIV.

Fructus commendæ, cuius nullus frater capax est, ærario applicentur.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SI quod accidere nonnunquam solet, vacante administratione alicuius commendæ, aliqua tamen ratione in lingua seu Prioratu fratres nulli sint illius capaces, disponimus, vt huius reditus communi nostro ærario vendicentur ad eum vsque diem, quo idoneus aliquis extiterit ad eam obtinendam. Atque cum primo mortuarii & vacantis tempore cedere seu currere incipiant.

XV.

De iure passagiis soluendi per fratres.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

STatuimus, quod, quicunque ordinem nostrum deinceps profiteri volet: si in gradum militum recipi cupiat, soluet pro suo traiectu, quod passa-

passagium dicimus, nostro communi ærario, aut ab eo deputatis, antequam ad professionem admittatur, scuta auri in auro ducenta, vel eorum valorem: si in seruientem armorum, scuta centum quinquaginta similia in numerata pecunia, quod si non soluerit, antianitate non gaudeat. Nam antianitatem numerari volumus a die, quo passagii sui solutionem integre fecerit; & qui eum ad professionem admiserit, non uisa solutione passagii, de suo soluere teneatur, nón obstante quacunque licentia ad id concessa. Nemini tamen, postquam passagium soluerit, super antianitate lis moueri possit. Non proderit autem cuiquam, si cœpta iam lite soluat.

XVI.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

DEclaramus, quod qui auctoritate Summorum Pontificum ordinem nostrum professi fuerint, ad solutionem passagii, sicut cæteri fratres, teneantur.

XVII.

IDEM MAGISTER.

QVicunque autem in confratrem seu donatum ordinis nostri, cum delatione crucis, juxta dispositionem statuti xxxvi. de recept. fratrum, recipietur, pro eius passagio summam scutorum quinquaginta auri eidem ærario soluere teneatur, aliter pro recepto non habeatur.

XVIII.

Quod bullæ antianitatum non sint in præiudicium communis ærarii, Magistri & Priorum.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, *quod antianitates siue expectatiua*, quæ dantur de commendis in futurum, suadente aliqua iusta ratione, non intelligantur in præiudicium nostri communis ærarii iurium, spoliorum, mortuariorum, vacantium, & aliorum iurium ipsius impositorum & imponendorum, nec dispositionum præheminentiæ Magistralis aut Prioralis, nec camerarum Magistralium, quas saluas & illæsas semper esse decernimus.

XIX.

Quo tempore iura communis ærarii solui debeant, & de pœna non soluentium.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVia plerique ordinis nostri fratres administrationem Prioratuum, Baiuliuatuum, Commendarum, membrorum, & aliorum bonorum habentes, & alii quicunque possessores negligenter vel potius contumaciter se gerunt in soluendis communis nostri ærarii iuribus, statuimus, *vt qui responsiones* & *impositiones*, tam ordinarias, quam extraordinarias, *mortuaria* & *vacantia*, *arrengia*, & alia quæcunque iura & debita nostri communis ærarii in Capitulo prouinciali, aut si id non celebretur, in festo S. Ioannis Bapt. non soluerint, quod illico Prioratus, Castellania empostæ, commendæ, membra & administrationes sint, & esse censeantur incorporata communi nostro ærario, & tandiu a nostris receptoribus, seu aliis ad id deputatis retineantur & administrentur, eorumque fructus & prouentus colligantur & percipiantur, aut aliis per ipsos receptores locentur, donec de ipsis, & de impensis super eo factis, communi ærario integre satisfactum fuerit. Quod si fratres nostri, aut alii Prioratuum, Castellaniæ empostæ, Baiuliuatuum, Commendarum, membrorum, ac bonorum aliorum possessores, aut quiuis alius eorum nomine pertinaciter dictis receptoribus, aut aliis ad id deputatis resistendum refragandumque duxerint, quominus fructus dictorum Prioratuum, Castellaniæ empostæ, Baiuliuatuum, Commendarum, membrorum & aliorum bonorum percipiant, eosue locent & arrendent: Tunc eo ipso, absque alia monitione, citatione, processu, sententia, seu alia declaratione ipsis Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus, Commendis, membris, & aliis bonis, illorumque possessione priuati existant, etiam si essent minores quatuordecim annis, & sine curatoribus, (si qui fuerint) de quibus non habebitur ratio, de qua quidem resistentia & repugnantia verbis aut literis receptoris fides habebitur. Præcipientes Prioribus & Castellano empostæ, vt hoc statutum faciant in suis Prioratibus, & Castellania empostæ plene & exacte exequi & obseruari. Quod si neglexerint, sint & intelligantur priuati prærogatiua retentionis quintæ cameræ, & gratiosæ dispositionis commendæ ad eorum præheminentiam pertinentis, ita quod prouisiones de illa factæ irritæ sint.

XX.

Contra debitores communis ærarii.

F. IOANNES DE VALLETTA.

CVm parum sit leges condere, nisi debita subsequatur executio, earum præsertim, quæ recuperandis iuribus nostri communis ærarii modum adhibent & præscribunt. Statuimus, vt suprascriptum statutum ad amussim, sineque alia exceptione obseruetur. Adiicientes, vt qui iura & debita ipsius publici ærarii in Capitulo prouinciali, vel eo non celebrato, in festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ in manibus receptorum integre non exoluerint, nisi intra triginta dies ab vltimo die Capituli peracti, aut ab eodem festo, per se, vel suum legitimum Procuratorem, eius nomine ipsos Receptores sponte, & non coacte adierint, tametsi super id minime requisiti & interpellati a Receptoribus fuerint, Prioratusque, Castellaniam empostæ, Baiuliuatus, seu Commendas, aliaque bona, quæ possident in manibus eorumdem Receptorum pro debitis ipsis, libere, legitime, & per scripturam authenticam tradiderint & consignauerint, ipso facto, absque alia citatione aut monitione, quia terminus in eodem Capitulo per Capitulum generale assignatus, pro eodem ærario interpellat, authentice & legitime ad Conuentum citati intelligantur, vt nisi in termino nouem mensium post ipsius Capituli seu festi celebrationem, seu ipsorum triginta dierum lapsum, præsentes, ac personaliter in Conuentu adfuerint, tum, ipso iure, sine alia hominis sententia aut declaratione, huiusmodi Prioratibus, *Castellania* empostæ, Baiuliuatibus, Commendis & bonis priuati intelligantur, ac libere ad eorum smutitionem & prouisionem procedi poterit, & interim licitum sit Receptoribus non solum Prioratus, Baiuliuatus, Commendas & bona, super quibus debita

ipsi

ipsa fuerint contracta, sed alia omnia, quæ debitor possidet, etiam a dictis debitis libera, vsque ad integram satisfactionem, ad manus suas, eiusdemque communis ærarii, capere, tenere & gubernare, ac secundum formam allegati statuti procedere, cui nullo pacto derogare, sed maiorem vim adiicere intendimus. Mandantes Receptoribus sub pœna duplicis solutionis ipsius debiti, vt de negligentia & incuria huiusmodi debitorum statim Magistrum & Conuentum certiores faciant.

XXI.

De eodem.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QUoniam plerique ordinis nostri fratres communis ærarii debitores, non obstantibus pluribus statutis, stabilimentis, & ordinationibus capitularibus contra eos clamantibus, spreto DEI timore, Religionis zelo, & pœnis grauissimis in eisdem contentis, contumaces in iuribus nostri communis ærarii soluendis reperiuntur; Statuimus, ne de cætero ad Capitulum generale, Sgardium, Concilium ordinarium, completum, electionem Magistri, cameram computorum, congregationes singularum, collectarum, & assemblearum admittantur.

XXII.

De debitoribus condemnatis per cameram computorum.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, vt qui bona ordinis nostri administrauerint, tam in Conuentu, quam extra, & in eorum ratione reddenda per cameram computorum ad soluendum communi ærario quamlibet pecuniarum summam pro quacunque causa condemnati fuerint, quamuis ad nos nostrumque Concilium appellauerint, minime debere audiri in ipsis appellationibus, nisi prius iudicatum soluerint.

XXIII.

Quod conductores commendarum debitoribus ærarii non soluant.

F. PETRVS DAVBVSSON.

VOlentes in executione contra male soluentes facienda acrius prouidere; Statuimus, quod sub pœna priuationis commendarum fratres, & vasalli sub pœna violati iuramenti fidelitatis, vt conductores siue arrendatores huiusmodi commendarum & bonorum nullo pacto respondeant de fructibus & reditibus, commendatariis priuatis. Quod si fecerint, huiusmodi pœnam incurrant, & nihilominus quod per eos exolutum fuerit, non admittatur in computo eorum: quinimo iterum exoluere teneantur. Volumus etiam, quod Priores, Receptores, & Procuratores hujusmodi statuta, super male soluentibus edita, in quolibet capitulo prouinciali publicari faciant, & nihilominus contrafaciendo in suo robore permaneant.

XXIV.

De debitoribus communis ærarii.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod nullus frater ordinis nostri, cuiuscunque fuerit conditionis, qui debitor nostri communis ærarii fuerit, dignitates, commendas, officia, & beneficia ordinis nostri nullo pacto consequi possit, quousque debita sua eidem ærario persoluerit.

XXV.

F. IOANNES DE VALLETTA.

NEc membra, aut pensiones, etiam ex gratia magistrali, linguæ, Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum vel alterius cuiuscunque, nec etiam alteri conferre.

XXVI.

Qui debitores ærarii tempore smutitionis fuerint, dignitates & commendas consequi non possunt.

F. IOANNES DE HOMEDES.

SAncimus, quod frater, qui tempore smutitionis dignitatum seu commendarum in lingua faciendæ communis nostri ærarii iurium debitor fuerit, nihilo ei suffragante, quod ante in manibus eiusdem ærarii pro soluendis debitis suas commendas posuerit, vel post ipsam smutitionem communi ærario satisfecerit, dictas dignitates seu commendas vacantes consequi non possit, immo ad eas consequendas penitus inhabilis & incapax censeatur.

XXVII.

Quibus committi debent commendæ ablatæ male soluentibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Prioratus, Castellania empostæ, & commendæ ablatæ a male soluentibus, per Magistrum & Conuentum committantur fratribus, qui priuatorum debita soluere communi ærario voluerint, seruato ordine & stilo nostræ Religionis, præferendo omnibus aliis eos fratres, qui nondum cabimentum sunt assecuti secundum gradum & turnum antianitatis, si eas pro cabimento acceptare voluerint, soluendo ea quæ priuatus ærario nostro debet. Si autem talis frater nullus reperiatur, tunc indifferenter tam Commendatariis, quam fratribus conuentualibus, seruato ordine antianitatis, de gratia committi poterunt, saluis iuribus communis ærarii, & si forte non reperiatur qui debita priuati velit soluere, remaneant in manibus communis nostri ærarii, donec integre satisfactum fuerit.

XXVIII.

Quod in priuatione fratrum sit mortuarium & vacans in commendis.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

STatuimus, in priuatione habitus Priorum, Castellani empostæ, Baiuliuorum, & Commendatariorum esse in Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus, & commendis mortuarium & vacans, quocunque ex crimine aut delicto fuerint privati, declarantes ipsum mortuarium & vacans cadere in commodum & vtilitatem communis ærarii.

XXIX.

De commendis debitoribus per priuationem habitus ablatis.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, vt Prioratibus, Baiuliuatibus, commendis, & aliis bonis, quæ malis administratoribus,

toribus, delinquentibus, & debitoribus communis ærarii per priuationem habitus ablata fuerint, commune ærarium fruatur, donec integre debita sibi exegerit; quibus recuperatis, mortuarium & vacans exigi incipiat, & noui electi & prouisi Prioratuum, Baiuliuatuum, & commendarum prouentus consequi minime valeant, donec communi ærario omnia debita persoluantur.

XXX.

Quod bona fratrum decedentium ad ærarium perueniant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

OMnia bona mobilia & se mouentia quorumcumque fratrum nostrorum, tam in Conventu quam extra decedentium, cuiuscumque conditionis & qualitatis fuerint, quæ spolia vocamus, ad commune nostrum ærarium pleno iure pertinent, exceptis bonis fratrum capellanorum obedientiæ, & seruientium officii, quorum spolia peruenient ad illos, in quorum Prioratibus, Baiuliuatibus, aut commendis residentiam & stagium habuerint.

XXXI.

Quæ bona ex spoliis ad Ecclesiam pertinent.

F. DEODATVS DE GOZONO.

EXcipimus etiam vasa argentea, aurea, & deaurata, quæ figuram calicis ad sanctum sacrificium dedicata, seu crucis habent, etiam vascula vini & aquæ, altaris obsequio deputata, uel ad reponendas sacras reliquias: Insuper ornamenta ecclesiastica quæcunque aurea, argentea, & deaurata atque sericea, & omnem supellectilem, quæ ad ministerium ecclesiasticum pertinet. Nec non breuiaria & psalteria, quæ ad Ecclesiæ cultum & ornamentum relinquuntur. Excepta sunt etiam spolia Senescalli, Magistri, Castellani, & aliorum fratrum, qui sunt in seruitio Magistri, quæ ad ipsum Magistrum pertinent.

XXXI.

Quæ bona ex spoliis ad statum commendarum relinquenda sunt.

IDEM MAGISTER.

PRo vsu autem domorum commendarum relinquentur vtensilia necessaria, id est, omnis supellex, videlicet, culcitræ, lecti, coopertoria, & alia vtensilia pro palatio & cameris, pro penu & coquina, quibus Commendatarius, dum viuebat, vtebatur. Currus quoque, vehicula & omnia instrumenta rustica. Pecorum vero, iumentorum, armentorum, & reliquorum animalium quorumcunque, quæ in dictis spoliis, vltra statum commendæ, reperientur, dimidia pars ad ipsum statum adiungetur, alia ad commune ærarium pertinebit.

XXXII.

F. IOANNES DE VALLETTA.

DEclaramus, tum demum suprascriptum statutum habere locum in commendis, quibus in his generibus animalium status constitutus & assignatus est. In aliis vero commendis, quarum status in huiusmodi animalibus non consistit, ea animalia ad commune ærarium integre pertinere; quod si in huiusmodi commendis iumenta, aut boues extra statum pro agricultura in spolio reperta fuerint, horum mediam partem, quæ futuro Commendatario per modum inuentarii relinquenda erit, statui adscribimus; alteram vero nostri communis ærarii esse volumus, quæ pro iusto precio futuro Commendatario relinqui poterit, statum autem huiusmodi animalium tum demum constitutum esse dicimus, si ab antiquo is fuerit, vel Commendatarius de nouo per scripturam authenticam coram Priore, Capitulo, seu assemblea prouinciali præsentatam, aut in certificatione suorum melioramentorum eum constituerit, aut iam se constituisse declarauerit.

XXXIII.

F. IOANNES DE HOMEDES.

EQui tamen, & muli fratrum, extra Conuentum decedentium, & alia animalia, quæ equitari solent, & sella deseruiunt, cum suis ornamentis ad commune ærarium spectare debent.

XXXIV.

De armis in spoliis fratrum repertis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ARma cuiusuis generis, siue ad offendendum, siue ad defendendum parata, in spoliis fratrum in conuentu, & citra mare defunctorum, ad ærarium pertinent, & in vnum locum conferantur, vbi sub fida custodia seruabuntur ad opus, & pro munitione nostri conuentus, demptis ensibus & gladiolis, quos dagas & pugnales vocant.

XXXV.

De Receptoribus.

F. ROGERIVS DE PINIBVS.

VT commodius iura nostri communis ærarii recipi possint, & in agendorum expeditione distribui valeant, volumus, quod in quolibet Prioratu, & Castellania empostæ, receptores iurium ipsius ærarii per Magistrum, & conuentum pro eorum arbitrio constituantur, qui iura huiusmodi exigant, recipiant & teneant, ac de eisdem secundum ordinationem Magistri & Conuentus disponant.

XXXVII.

De Juramento receptorum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi quidem receptores teneantur iurare in manibus Magistri, si in Conuentu præsentes fuerint, aut manibus Prioris, si a Conuentu absfuerint, quod bene, fideliter, & diligenter ea, quæ ad ipsum officium pertinent, exequentur, quorum officium per triennium durabit; reseruatur tamen Magistro & Concilio, id tempus ex aliqua iusta causa prorogare, si ita illis videbitur.

XXXVIII.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVo dicto triennio elapso infra mensem omnes & singulas pecuniarum quantitates, nomina debitorum, iocalia, vasa tam aurea, quam argentea, spolia, documenta, mortuaria, aliaque cuiuscunque qualitatis bona ad commune ærarium pertinentia, sub pœna priuationis commendarum, membrorum, pensionum, & aliorum quorumcunque bonorum ordinis, quæ possident, communi tarii

ærario applicandorum, suis in officio successoribus tradere & consignare teneantur. Quo facto intra sex menses proxime sequentes, ad rationem & computum finale suæ administrationis reddendum, ad Conuentum personaliter veniant, qui quidem sex menses pro residentia in Conuentu habeantur, quod si redditis computis debitores reperti fuerint, & intra mensem non soluerint, in carcerem detrudantur, & a die redditionis computorum, vt præfertur, sint incapaces ad consequendum dignitates, bona & officia ordinis nostri. Decernentes suas commendas, membra, pensiones, & quæcunque alia bona, etiam mobilia ab eis possessa, apprehendi & detineri a communi ærario vsque ad plenam solutionem, tam pro summa principalis debiti, quam pro resarciendis damnis & impensis inde sequutis.

XXXIX.

De officio receptorum & procuratorum nostri communis ærarii extra conuentum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

AD receptores spectat exigere, consequi, & accipere a Prioribus, Castellano empostæ, Bajuliuis, Commendatariis, & aliis quibuscunque bona nostri ordinis in limitibus Prioratuum, in quibus sunt constituti, possidentibus, responsiones, impositiones, passagia fratrum, debita vetera, hoc est, arreragia, & alia quæcunque spolia fratrum, mortuaria & vacantia per mortem administratorum, ærario nostro debita, & alia quæcunque iura, bona & debita, quomodocumque ad ærarium nostrum spectantia & pertinentia. Quod si morte, ægritudine, vel alio quouis impedimento receptores detinerentur, ita, vt ipsi non possent per se, quæ supradicta sunt, facere: volumus, vt in eorum absentia, Procuratores in dictis Prioratibus deputati, id exequi teneantur. Iidem receptores & procuratores aderunt in Capitulis prouincialibus ad responsiones, impositiones, & alia debita petenda, exigenda & recipienda.

XL.

Quomodo gerere se debent receptores in colligendo iure mortuarii & spolii.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

STatuimus, quod, quotiescunque Receptor, aut Procurator ærarii, vel alius ad id deputatus se conferet ad colligendum, & habendum iura mortuarii & spolii, non accedat solus, sed assumat secum aliquem probum commendatorem vel fratrem, aut duos ex propinquioribus locis defuncti, aut secularem personam honestam, his deficientibus, & Notarium publicum, in cuius præsentia visitet, & notare faciat per Inuentarium authenticum, in præsentia testium receptum, omnia bona & vtensilia, atque agriculturas & fructus quos inuenerit; De quibus hoc facto dimittat statum commendæ in ea conditione & qualitate, in qua ipsum inuenerit, & medietatem supellectilis de superabundantibus ad augmentum status dimittere teneatur, vltra statum primum antequam bona transferantur; & de omnibus, quæ gesserit per scripturam authenticam, Capitulum Prouinciale admoneat; si quis receptorum contrafecerit, & damnum marcam argenti excesserit, pœnam privationis habitus incurrat.

XLI.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRæterea Receptores ipsi, vel Procuratores, aut Commissarii supradicti, duo inuentaria separata faciant, vnum status commendæ, & alterum bonorum spolii ad ærarium pertinentium, & in præsentia prædictorum notare faciant omnia credita fratris defuncti, & aperiant, seu aperire faciant illis videntibus, & vocatis, eius despropriamentum: quorum creditorum, & despropriamenti exemplum hic ad Conuentum nostrum mittant, vbi per scribam ærarii registrabuntur in aliquo separato libro illius Prioratus: singulorum enim Prioratuum singulos libros ad id deputatos esse volumus. Quod si frater defunctus despropriamentum non fecerit, vel si fecerit, non reperietur, Receptor de eo Magistrum & Conuentum certiores facere tenebitur.

XLII.

Declaratio iurium spolii & mortuarii.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

AD declarationem iurium spolii, & mortuarii, dicimus, fructus, qui die obitus possidentium in terra nondum collecti reperientur, ad mortuarium, fructus vero collectos ad spolium spectare & pertinere.

XLIII.

Quod receptores in Capitulo Provinciali manifestent ea quæ receperunt.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

INiungimus receptoribus, vt particulariter & per singulas summas in quolibet Capitulo Provinciali computum eorum quæ receperunt, & quæ restant, manifestare & reddere teneantur. Attamen Priores & Capitulum Provinciale nullam habent potestatem hujusmodi computa concludendi, seu quietandi, sed dumtaxat audiendi & signandi. Quorum computorum conclusio & definitio Magistro & Conuentui reseruatur, atque spectat. Adiicientes, quod ipsi receptores in dicto Capitulo teneantur manifestare omnes pecuniarum quantitates ac summas, quas receperunt de iuribus ærarii tam mortuariorum quam vacantium & reliquorum quorumcunque; & Prior finito dicto Capitulo de his eo ipso certiores reddere debet Magistrum & Conuentum: Quibus computum duplicatum mittant Receptores, vt de negotiis ærarii claram notitiam habeant. Quod quidem computum apud ærarium registretur.

XLIIII.

De cædula mittenda per receptores de iis qui soluerunt, & qui debitores remanserunt.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

REceptores statim finito capitulo prouinciali tenebuntur vna cum suis computis anni præcedentis mittere ad Magistrum & Conuentum breuem cædulam, quæ contineat nomina eorum qui in eo capitulo soluerunt, & eorum qui debitores remanserunt,

runt, & pro quibus summis, & distincte omnes pecuniarum summas, quas pro quacunque ratione seu debito receperint; si quis contrafecerit, & contenta in hoc statuto, & in superiori non adimpleuerit, priuetur fructibus vnius anni commendæ; si frater conuentualis perdat vnum annum antianitatis, in fauorem filiorum arnaldorum.

XLVI.

Receptores nihil capere possunt de spoliis.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod receptores in quolibet Prioratu, & Castellania empostæ nullo modo de spoliis Priorum, Castellani empostæ, nec commendatariorum, vel fratrum morientium, in dictis Prioratibus & Castellania empostæ lectos, aut alia vtensilia vel res quascunque sumere præsumant. Qui contrafecerint, officio privati eo ipso censeantur, ac duplum illius quod ceperint, ærario persoluant: quacunque consuetudine in contrarium faciente in aliquo non obstante.

XLVII.

Quod Receptores nihil capiant de statu commendarum.

F. DEODATUS DE GOZONO.

DE his quæ ad statum commendarum, & vsum domorum pertinent, receptores in colligendo spolio & mortuario, vel alias nihil omnino etiam capere poterunt, sed ea omnia integra & intacta relinquent. Quod si contrafecerint, & aliquid e commendis abstulerint, id omne resarcire, reficere, restituere sua pecunia teneantur: Nam ærarium nostrum ad hujusmodi quicquam obligatum esse nolumus: & præter hoc pœnam valoris mortuarii ejusdem commendæ subeant, qui ærario nostro applicabitur. Prior vero & Castellanus empostæ ad instantiam commendatarii læsi receptorem compellat ad talem restitutionem faciendam. Quod si in eo Prior vel Castellanus empostæ negligens fuerit, ipse suo nomine restituere & reficere teneatur, & ad hoc a Magistro & conuentu, instante commendatario compellatur.

XLVIII.

Receptores in loco tuto pecunias, quas recipiunt, reponere debent.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod receptores in quolibet Prioratu & Castellania empostæ pecunias iurium ærarii per eos receptas, & quas pro tempore recipient, apud tutas & fidas personas deponant. De quibus recognitionem & documentum authenticum, validamque obligationem habeant, vel apud se in loco tuto ipsas fideliter conseruent. De his quoque, & apud quos sint securæ, Priores, & Castellanum empostæ seu eorum vicegerentes, & commendatarios dictorum Prioratuum & Castellaniæ empostæ in prouinciali Capitulo, & non aliter, certiores reddant, pro quorum indubitata verificatione instrumenta & recognitiones obligationis ostendere teneantur: ne aliquo casu contingente pecuniæ surripi, aut occultari possint. Si quis receptorum contra fecerit, in priuationis habitus pœnam labatur.

XLVIII.

Quod Receptores, non obstante quacunque lite, exigant iura ærarii.

F. IOANNES DE LASTICO.

SAncimus, quod receptores nostri communis ærarii quæcunque jura ipsius, omni reiecto litigantium respectu, exigant, petant, & recipiant ab illis, qui quoquomodo tenent & possident Prioratus, commendas, & domos, ratione quarum disceptatur & litigatur: nec propterea partium juribus ullum præiudicium generari intendimus; Qui vero tales commendas tenebant, si soluere recusabunt, eo ipso pœnam priuationis incurrant, a suo quoque jure cadant, & contra tales tamquam inobedientes & rebelles procedatur.

XLIX.

Quod Receptores absque alicuius licentia pro mortuario & vacante commendarum possessionem capiant.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod cum primum Priores, Castellanus empostæ, Bajuliui, commendatarii, & alii bonorum nostrorum administratores e vita decesserint, vel viuentes ipsi administrationi cesserint, & renunciauerint, vel eam resignauerint; Receptores & procuratores nostri ærarii dictos Prioratus, Castellaniam empostæ, commendas & bona, sua propria auctoritate, & sine licentia alicujus judicis, vel curiæ, eorumque corporalem possessionem nomine nostræ Religionis capere, fructus colligere, spolia mortuaria, & vacantia, & alia debita exigere, eaque retinere per se vel per alios, vsque ad integram satisfactionem nostri communis ærarii debeant. Si qui vero fratrum nostrorum dictos nostros receptores quauis occasione in prædictis fructibus & spoliis percipiendis, atque in dictis possessionibus adipiscendis, aliquo modo impediuerint, Prioratibus, commendis, & omnibus ordinis nostri officiis & beneficiis priuati sint, &, si fuerint fratres conuentuales, antianitatem perdant.

L.

Contra Receptores negligentes in exigendis debitis.

IDEM MAGISTER.

SI receptores fuerint negligentes in exigendis debitis, & capiendis ad manum nostri communis ærarii commendis debitorum, secundum formam statuti nostri, eo casu ipsi sua pecunia pro debitore soluere teneantur. Idem obseruari volumus in aliis omnibus debitis dicti ærarii, si ea, postquam dies solutionis aduenerit, exigere non procurarent, & debitas diligentias non adhibuerint, de quibus cum suis computis legitime constare faciant.

LI.

Per quoscunque Processus, seu sententias ad requisitionem receptorum in male soluentes factas, & promulgatas a nostris constitutionibus non intelligatur recessum.

F. IO-

F. IOHANNES DE HOMEDES.

CVm, vt sæpe euenire solet, nostri ordinis receptores, quo facilius debita iurium nostri communis ærarii a male soluentibus recuperent, contra eos ex præscripto priuilegiorum nostrorum seu alias procedant; & a plerisque in dubium vertatur, an tunc temporis constitutiones nostræ vendicent locum. Ideo hanc dubitationem tollentes, hac præsenti lege decernimus, & declaramus: quod, etsi per eosdem receptores ex forma indultorum, priuilegiorumque Apostolicorum, seu alias coram quocunque iudice ordinario, seu nostri ordinis Superiore, etiam contra minores xiiij. annis, non eis constitutis curatoribus, aliosue nostri publici ærarii debitores, etiam ad aliquas priuationes, declaratorias sententias, seu priuationem prioratuum, castellaniæ empostæ, Baiuliuatuum, commendarum, & beneficiorum, eorumque possessionis quomodolibet processum fuerit; Nihilominus non sit, neque censeatur a constitutionibus contra eosdem debitores disponentibus recessum, vel alias præjudicatum. Quinimmo statuta ipsa illæsa permanere, processus, pœnasque ipsas, & omnia inde sequuta suam vim habere, suosque effectus sortiri iubemus, & volumus.

LII.

IDEM MAGISTER.

SAncimus, vt libris receptorum nostrorum, & cædulis, eorum manibus subscriptis, quoad debitores ærarii nostri, integra & indubia fides absque alia probatione adhibeatur.

LIII.

De Procuratoribus communis ærarii in conuentu.

F. IOHANNES DE LASTICO.

CIrca iurium, & bonorum publici ærarii conseruationem nulla satis potest esse diligens cura & vigilantia; Idcirco pro utili administratione prædictorum, vltra magnum commendatarium, qui ratione sui officii huic exercitio expresse est deputatus, & ab eo dimoueri non potest; duos probos, religiosos, prudentes, & discretos ex Baiuliuis, aut Prioribus ordinis nostri, in Conuentu existentibus: his quoque deficientibus ex Baiuliuis capitularibus, vel locatenentibus Baiuliuorum conuentualium per Magistrum & concilium summa cura eligi, iuramento interueniente, iubemus. Ad conseruationem quoque iurium dictorum bonorum ipsi magnus commendatarius, & procuratores capsas firmas, & tutas, optimisque seris clausas habeant; quarum clauium quilibet ipsorum trium vnam teneat; Pariformiter res, & alia bona dicti ærarii in magazenis, seu voltis reponant, & locis aptis recludant sub eorum clauibus, de quibus nulla fiat distributio, nisi prius per conseruatorem, & scribam ærarii in libris diligenter annotetur: qui quidem Procuratores communis ærarii rationem suæ administrationis quolibet anno reddere teneantur Magistro & concilio.

LIIII.

De Residentia magni Commendatarii in conuentu.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt magnus Commendatarius teneatur facere residentiam in conuentu, nec possit ab eo discedere, quandiu in eo officio fuerit; & quod alii duo procuratores communis ærarii in eo officio per duos annos seruire, & permanere debeant; in quo tempore licentiam abeundi a Conuentu obtinere non poterunt, nec simul ambo officium dimittere, sed singulis annis vnus tantum de duobus mutabitur, ita vt non fiat vna vice nisi vnus procurator.

LV.

De Ærarii Conseruatore.

F. IOANNES DE LASTICO.

PRo conseruatione & distributione bonorum ærarii nostri, iubemus, eligi in Conseruatorem generalem ærarii vnum fratrem idoneum & sufficientem ex quacunque lingua libuerit: Qui omnium pecuniarum & bonorum mobilium, ad ærarium pertinentium, curam & custodiam habeat, atque recipiat, conseruet, & distribuat secundum dispositionem, ordinationem, & voluntatem Magistri & concilii cum scientia & apodixia magni Commendatarii, ipse autem conseruator, si frater miles fuerit, centum ducatos Rhodi, si vero Capellanus, aut Seruiens armorum extiterit, centum florenos Rhodi currentes a communi ærario percipiat, cum in conuentu residentiam fecerit; Quod si ad partes ponentis mittetur, tunc stipendia ei constituantur, prout Magistro & Concilio videbitur; Qui conseruator generalis in quolibet capitulo generali mutetur, & alius subrogetur; successor tamen de lingua prædecessoris eligi non possit nisi decennio præterito.

LVI.

De Auditoribus Computorum.

IDEM MAGISTER.

VLtra magnum Commendatarium & duos Procuratores communis ærarii, conseruatoremque generalem, octo fratres octo linguarum, vnum de qualibet lingua deputari iubemus: qui computa & omnia ærarii negocia visitandi, audiendi, recognoscendi quomodo gerantur & ministrentur, autoritatem, & facultatem habeant. Qualibet quoque hebdomada vnum diem deputent, in quo id exerceant Quod si aliquid reformandum compererint ad Magistrum & concilium ordinarium referant, qui postpositis aliis negociis super hoc prouideant: dicti enim fratres sufficientes, idonei, probi, & huic officio apti a fratribus linguarum eligentur: qui sic electi Magistro & concilio ordinario præsententur, constituti quoque coram Magistro solemni iuramento adigantur, quod fideliter commodum ærarii procurabunt, & ipsum pro eorum conscientia a damno conseruabunt, dicti octo fratres redditioni computorum, quæ magistro, & concilio fiet, aderunt; intererunt quoque solutionibus per commune ærarium faciendis.

LVII.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

QVos auditores quolibet biennio mutari volumus non omnes simul, sed per interualla, vt semper aliqui ex veteribus remaneant.

LVIII.

De Probo Homine Conſervatoris.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod per Magiſtrum & Concilium ordinarium deputetur & eligatur aliquis frater ordinis noſtri idoneus, & ad hoc aptus, qui computum liquidum & clarum teneat diligenter de omnibus & ſingulis tam pecuniis quam rebus quibusuis, quas in dies conſeruator generalis nomine communis ærarii recipit; in quorum receptione deputatus ipſe ſit præſens, & etiam redditioni computorum conſeruatoris aſſiſtat, & quod teneantur duo libri eorum quæ recipientur, vnus apud conſeruatorem, & alter apud deputatum exiſtat: qui quidem deputatus recepta in duobus libris præfatis ſcribat & annotet, ut de receptis clara notitia habeatur. Quodque Magiſter et concilium ordinarium eidem deputato pro ſtipendio aſſignent ab ærario percipiendo, quod eis bene viſum fuerit; ſtetque in eo officio deputatus pro termino, Magiſtro et concilio beneuiſo; quo elapſo ipſe idem deputatus, aut alius pro comperta idoneitate et ſufficientia ſubrogetur.

LIX.

Debita Fratrum Defunctorum creditoribus ſoluantur.

F. IOANNES DE VILLERS.

STatutum eſt, quod debita fratrum defunctorum, quæ legitime atque authentice apparebunt, creditoribus exoluantur ex bonis tantum mobilibus fratris defuncti, ſaluo ſtatu commendæ, et ſi bona mobilia non ſufficerent, tunc de bonis ſtabilibus de nouo per fratrem Religioni acquiſitis ipſis creditoribus ſatisfactio fiat et non aliter.

LX.

Quod debita Fratrum defunctorum non ſoluantur ex anno mortuarii.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

PRohibemus Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Capitulis prouincialibus, aſſembleis, receptoribus, et aliis quibuſcunque nobis ſubiectis, ne poſſint nec debeant ſoluere, nec decernere, et ordinare, vt debita fratrum defunctorum, Priorum, Baiuliuorum, commendatariorum ſoluantur ex fructibus, reditibus, et prouentibus mortuariorum, Prioratuum, Baiuliuatuum, et commendarum vacantium, quæ mortuaria pleno iure ſpectant ad ipſum ærarium, qui contrafecerint, de ſuo cum omni intereſſe communi ærario reſtituere et ſatisfacere teneantur.

LXI.

De Spoliis Baiuliuorum æſtimandis.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

BOna, et res ſpoliorum Priorum, Baiuliuorum, commendatariorum, et fratrum in Conuentu decedentium per octo fratres antianos octo linguarum, prout fieri ſolitum eſt, æſtimentur.

LXII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVæ quidem æſtimatio fieri debet ad verum valorem, vocatis expertis medio iuramento, de qua dimidia pars detrahi poterit; in ſpoliis Priorum, Baiuliuorum, et Locatenentium Bajuliuorum, ſoli Baiuliui, Priores et Locatenentes Bajuliuorum participare debent. In ſpoliis commendatariorum, commendatarii, et fratres conuentuales. In ſpoliis fratrum conuentualium ſoli fratres conuentuales milites.

LXIII.

Quod fratres Ægroti manifeſtent bona ſua.

F. ELIONVS DE VILLA NOVA.

QVæ fratres noſtri tenent et poſſident, ad noſtrum ordinem cenſentur pertinere, quapropter cum fratres noſtri morbo tenentur occupati, in vim obedientiæ cenſentur obligati vocare ad ſe duos fratres ex propinquioribus locis vbi in infirmitate detenti ſunt, quorum vnus ſit capellanus, ſi adeſſe poterit, & alius probæ conditionis. Quibus quidem duobus manifeſtent omnia bona vtenſilia, pecunias, & res quas tenent. Quæ in ſcriptis redigantur, & poſtea ſigillo fratris infirmi, & ipſorum duorum fratrum in eorum præſentia, quæ ſcripta fuerunt, ſigillentur: ipſumque ſcriptum ei qui adminiſtrationem, aut procurationem ærarii habet, præſentari debeat; ſi autem conualuerit, ipſum ſcriptum ſibi reſtituatur. Nec liceat ſub pœna inobedientiæ ipſis fratribus qui aderunt cum ſcribentur, viuente ipſo fratre quæ ſcripta ſunt, reuelare. Quod ſi contra fecerint, adminiſtratione commendarum decem annos eo ipſo priventur. Si vero contrafaciens ſit frater conuentualis, fiat de eo querela, & per iuſtitiam Religionis ducatur; & ſi in dictis bonis ſpolii aliquis frater, cuiuscunque conditionis fuerit, apponat manum, vel aliquid capiat, de eo fiat querela & priuetur cætu, & ſocietate fratrum ordinis noſtri. Si vero frater infirmus contempſerit adimplere quæ dicuntur, ipſo conualeſcente de eo fiat querela, & per iuſtitiam tamquam inobediens ducatur: cum contra paupertatis votum bona ſibi adſcripſerit & ea manifeſtare contempſerit.

LXIV.

Quod Jura Ærarii in litibus non impendantur.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

STatuimus, quod nullus Prior, Commendatarius aut frater poſſit ex bonis & iuribus communis ærarii, ac ſpoliorum mortuariorum & vacantium lites fouere, proſequi, & manutenere, aut ea in alienos vſus conuertere. Quinimo dicta iura, ſpolia, mortuaria & vacantia ad ipſum ærarium perueniant, qui contrafecerit, vel manus dictis iuribus iniecerit, & damnum attulerit, ſi vltra marcam argenti exceſſus fuerit, perdat habitum, ſi infra marcam, ſit in quarantena.

LXV.

Quod Stipendium ſoluatur oratoribus.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

ORatoribus & nunciis, quos ſecundum rerum & negociorum exigentiam ad diuerſas orbis prouincias mittere neceſſe fuerit, hoc ſtipendium moderate conſtituimus; quia licet onera profeſſionis ſuſcipiant, ordini tamen ſeruire tenentur, & pro obſe-

obsequiis maiora consequuntur præmia, quam quæ suorum retributioni & compensationi ascribuntur. Prior aut Baiuliuus, cuius onus legationis pro partibus occiduis imponitur, a communi ærario duos ducatos accipiet quolibet die, suæ legationis tempore durante; Commendatarius autem ducatum vnum: si tamen Commendatarius talis conditionis fuerit, quod Magistri & Concilii arbitrio videbitur vltra dictam quantitatem promereri, tunc dimidium ducatum pro quolibet die addere poterunt. Oratoribus vero, qui in oriente legationem exercebunt, Magister & Concilium stipendium pro rerum & profectionis qualitate deputabunt. Volumus quoque, dictos oratores personaliter ad Conuentum reuerti debere, vt eorum relatu Magistro & Conuentui cuncta innotescant. Quo habito, Magister & Conuentus pro rerum ingruentia prouideant, & cognita oratoris prudentia, diligentia, & curiosa agendorum executione suis iuribus & promotionibus commendatum suscipiant.

LXVI.

IDEM MAGISTER.

MAgnas commendas Cypri, Langonis & [illegible]fari, omnibus linguis communes, nostro communi ærario vnimus & incorporamus.

LXVII.

De Soldeis Fratrum soluendis.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod soldeæ fratrum soluantur per totum mensem Septembris, quo suis necessitatibus pro rerum ingruentia fratres subuenire possint, fratres autem, qui de bonis ordinis nostri habent prouisionem, aut domos vel alios reditus vltra sexaginta florenos Rhodi currentes, soldeam a communi ærario non sumant, similiter etiam, qui commendam cuiuscunque valoris fuerit, possident, soldea careant.

LXVIII.

De Iocali, quod capitur a magno commendatario in spoliis fratrum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, non obstante quacunque consuetudine in contrarium faciente, quod magnus Commendatarius, siue eius locumtenens, capere de spoliis fratrum decedentium aliquod iocale non possit, nisi ad summam florenorum Rhodi currentium quinque dumtaxat & non plurium. Quod quidem iocale in computo tabularum aut stipendiorum, quæ ab ærario sumit, reponatur.

LXIX.

Quod solum generale Capitulum debita possit remittere.

F. FABRICIVS DE CARRETO.

QVæ communi vtilitati sunt adscripta, in priuatos vsus conuerti non debent; Ideo statuimus, quod nullus, cuiusuis qualitatis, gradus, officii & conditionis existat, præsumat remittere, relaxare aut condonare quasvis pecuniarum summas debitoribus communis ærarii, ab ipsis quouis modo vel causa debitas, sine legitimæ causæ cognitione, quæ tummodo ad Magistrum & generale Capitulum pro tempore celebrandum spectat. Si quis autem contra hanc ordinationem remiserit aut condonauerit, de suo fecisse intelligatur. Contra quos commune ærarium regressum habeat pro summa remissa, & nihilominus, cui præter hanc normam remissum fuerit, vt verus debitor non sit absolutus, donec commune ærarium aut a donante, aut a debitore suam integram satisfactionem receperit.

LXX.

De Literis cambii.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod Vicecancellarius sub pœna priuationis officii non faciat literas assignationum vel cambii pro fratribus aut secularibus personis, nisi prius de eisdem fuerit deliberatum per Magistrum & concilium, & postquam factæ fuerint, bulla communi plumbea muniantur, & in Cancellaria registrentur; Et antequam parti consignentur per conseruatorem conuentualem & scribam nostri communis ærarii sub bullæ plica signentur. Quibus solemnitatibus deficientibus pro nullis habeantur.

LXXI.

De Prouisione equorum pro custodia Insulæ.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

FRatres nostri in conuentu equos aptos pro tuitione Insulæ tenere & habere debent, & ærarium debet dare per totum annum monstras dictis equis, qui per Marescallum siue eius locumtenentem & probos homines idoneos, & ad id deputatos, & iureiurando solemni adactos, quod recte & iuste iudicabunt, iudicati apti & idonei pro ipsa custodia extiterint. Illi autem equi qui repulsi, & minus idonei iudicati a prædictis Marescallo, & probis hominibus fuerint, monstras non habeant.

LXXII.

Quod equis detur ordeum ab ærario.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod commune ærarium nostrum pro monstra equorum soluere debeat cuilibet fratrum nostrorum pro quolibet equo salmas sex ordei, quod si ærarium ordeum non habuerit, pro quolibet salma scutum vnum soluere tenetur. Fratres autem qui ab ærario ordeum accipient, statim, vbi a Magistro aut Marescallo exire iussi fuerint ad custodiam Insulæ, obedire tenebuntur. Quod si qui restiterint, & alios comitati non fuerint, amittant ordeum vnius anni.

DE CAPITVLO TAM GENERALI QVAM PROVINCIALI.

TITVLVS SEXTVS.

I.

Quomodo Capitulum generale celebretur.

CONSVETVDO.

MAiores nostri solerti mente rerum publicarum statui consulentes, pro veteri consuetudine generale Capitulum indicere atque celebrare consueuerunt; vbi religiosorum mores reformentur, regiminis norma dirigatur, & quæ statum, & publicam vtilitatem concernunt, componantur.

Nos

Nos quoque veſtigiis ipſorum inhærentes, generale Capitulum hac inueterata conſuetudine celebrare ſolemus. Decens autem eſt, in exordio atque initio publici conſeſſus almum Spiritum, ſine quo nullum rite fundatur exordium, inuocare, ſuppliciterque exorare, vt cœptis faueat, mentesque dirigat, ac illuſtret. Vbi itaque capitulantes conueniunt, priusquam ad acta capitularia procedatur, vna cum Magiſtro ad Eccleſiam accedunt. Illic quoque de Sancto Spiritu ſolemnis miſſa per Priorem Eccleſiæ in aurora cantatur, cuncti quoque Spiritum Sanctum deuotiſſime inuocant, quatenus intellectus gratiam eis infundat, qua illuſtrati recta mente de publicis agendis conſultent & ordinent. Miſſa peracta Magiſter cum cœtu capitulantium atque fratrum ab Eccleſia proceſſionaliter diſcedens, cum vexillo ſiue ſtendardo Religionis ad locum capituli procedit. Adſunt ordine ſolemnis proceſſionis, campana ſonante, Prior Eccleſiæ in ornatu pontificali, Capellani, Diaconi & Clerici, hymnum de Sancto Spiritu pſallentes. Cumque ad capituli locum peruenerint, cantatur Verſ.

Saluos fac ſeruos tuos &c. Diciturque oratio de Spiritu Sancto.

Poſtea Capellanus Euangelium decantat, videlicet: Cum venerit filius hominis.

Demum Magiſter, Baiuliui, Priores, Caſtellanus empoſtæ & Proceres capitulantes pro gradu dignitatis & præeminentiæ conſidunt. Regula quoque legitur; Ac poſtea ſermo per quempiam doctum & idoneum pro rerum exigentia de his, quæ publicam vtilitatem ac animarum ſalutem concernunt, habeatur; Quibus peractis, Capellani, & qui Capitulo intereſſe non debent, diſcedunt. Poſt hæc Magiſter, ſi libuerit, de ſtatu Religionis, de publicis agendis dirigendis verba facit.

Poſtea die prima Capituli non feriata, congregatis capitularibus deputantur & eliguntur in ipſo loco Capituli per Magiſtrum, & alios, qui in Concilio ordinario adeſſe ſolent tantum, aliqui ex ipſis Commiſſarii, qui procurationes ſeu procuratoria mandata Baiuliuorum, Priorum, & aliorum abſentium, qui ad ipſum generale Capitulum venire tenentur, vocato Vice-Cancellario, examinent & recognoſcant; Quæ idonea & ſufficientia repererint, admittant, cætera reiiciant. Quo peracto Baiuliui, Priores, Caſtellanus empoſtæ & Proceres capitulantes burſam ſuo nomine inſcriptam, cum quinque Ianetis argenteis ſignum deſpropriationis, & ei alligatum rotulum ſeu ſcriptum, ſtatum ſuorum officiorum, ac ſententias ſuper his, quæ ad publicum commodum agenda ſunt, continentem; ipſorumque officiorum ſigillum pro communi vtilitate & honore Magiſtro cum oſculo manus reuerenter ſecundum eorum ordinem & præeminentiam, & Mareſcallus præterea ſuo ordine vexillum & ſtendardum Religionis præſentant. Burſis autem vexillo ac rotulis præſentatis, in Capitulo incorporati nominatim deſcribuntur: Demum rotuli ipſi ordine gradus & præeminentiarum alta & intelligibili voce Vice-Cancellarii organo leguntur. His lectis ad ſexdecim capitulantium electionem hoc modo proceditur:

Fratres capitulantes, & in ipſo Capitulo incorporati, confeſſi & contriti, ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento accepto, ſolemne iuramentum præſtent rite & recte ſecundum DEum & conſcientiam, in cauſis & negotiis, quæ coram illis tractabuntur, ſe proceſſuros & iudicaturos, nec quicquam omnino decreturos aut conceſſuros, quod in apertum, manifeſtum ſeu graue detrimentum alicuius tertiæ perſonæ tendat ac vergat.

Quo peracto, ſeparatim in loco Capituli de licentia & mandato Magiſtri per linguas conueniunt, vbi quælibet lingua duos ex eis in Capitulo incorporatis, ſuæ linguæ idoneos & prudentes eligit, & Magiſtro præſentat. Quod ſi in aliqua lingua deficerent fratres, ex alia aſſumantur de incorporatis in Capitulo. Hi ſexdecim ſic electi, conſtituti coram Magiſtro & Capitulo, reuerenter iuramentum præſtant, quod omni ſemoto priuato affectu & paſſione, decus & vtile Religionis & fratrum conſultabunt, decernent, & ſtatuent. Magiſter vero & cæteri capitulantes, in loco Capituli ad cætera agenda & pertractanda remanentes, in eos compromittunt, & iureiurando promittunt, tenere ſe & grata habere quæcunque per ſexdecim concluſa deliberata & conſtituta fuerint. Sic ſexdecim ſolemni iuramento adacti ad locum ſeparatum ſecedunt, & cum eis procurator Magiſtri, qui habet votum conſultiuum, & non deciſiuum, & Vice-Cancellarius pro redigendis deliberationibus in ſcriptis; vbi agenda tractant, concludunt, & deliberant hac norma:

Primo, de portionis impoſitione, quo ordini ſubueniatur: Inſuper, de ærarii gubernatione & regimine: Demum vſitatis rotulis de reformandis moribus, inſtituendisque legibus: Ac poſtremo de cæteris ordinationibus, aliisque emergentibus negotiis, ſtatum publicum concernentibus, diſcutiunt, deliberant, concludunt, & definiunt. Alii vero capitulantes cætera negotia pro rerum ingruentia tractant. Quibus peractis, ſigno campanæ dato ad Magiſtrum & Capitulum, cunctis fratribus euocatis, accedentibus quoque Capellanis proceſſionaliter, deliberata, concluſa, & ſtatuta per eos palam referuntur, publicantur, & organo Vice-Cancellarii promulgantur. His publicatis, burſæ & ſigilla, ac vexillum per Magiſtrum, Baiuliuis, Mareſcallo, ac Prioribus, & cæteris capitulantibus ſecundum ordinem reſtituuntur. Quo peracto, Capellani, qui proceſſionaliter acceſſerunt, orant in modum infraſcriptum. Quibus finitis, Capitulum clauditur.

II.

Quemadmodum finito generali & Prouinciali Capitulo preces fiunt.

CONSVETVDO.

DIgnum exiſtit, vt cunctis actionibus peractis, mentem ad DEum dirigamus, & ſuam clementiam ad quietem humanam, & beatitudinem conſequendam ſupplicemus. Itaque generali & prouinciali finito Capitulo Capellani aſſiſtentes, qui illuc proceſſionaliter acceſſerint, preces & orationes ad DEum pro omnium fidelium pace, viuentium & defunctorum quiete, vt ſequitur, facere ſolent, & ſic ſeruari iubemus.

Oratio pro Pace.

ORemus, vt DEus & Dominus noſter IEſus Chriſtus pacem, quietem & concordiam omnibus

omnibus fidelibus Christianis concedat, bella & seditiones reprimat, infidelium rabiem refrenet, & omnium Christianorum semitas in viam dirigat salutis æternæ.

Oratio pro fructibus terræ.

ORemus, vt DEus & Dominus noster IEsus Christus fructus terræ dare, multiplicare, & conseruare dignetur.

Oratio pro Summo Pontifice.

ORemus, vt DEus & Dominus noster IEsus Christus Pastorem gregis sui N. non deserat, sed continua protectione defendat, fidem & charitatem augeat; vt vna cum commisso sibi grege ad vitam perueniat sempiternam.

Oratio pro Cardinalibus & Prælatis.

ORemus, vt DEus & Dominus noster IEsus Christus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & cæterum vniuersum Clerum in suo sancto obsequio confirmare & conseruare dignetur.

Oratio pro Imperatore & Principibus.

ORemus, vt DEus & Dominus noster IEsus Christus Imperatorem, Reges, & Principes Catholicos in pace & vera concordia conseruet, ac eos ad subigendam Barbarorum & infidelium gentem, atque terram Sanctam Hierusalem a seruitutis iugo liberandam feruentius animare dignetur.

Oratio pro Magistro Hospitalis.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus Magistrum nostrum N. ad gubernationem Domus Hospitalis, & Religionis nostræ fratrumque nostrorum illustrare & instruere dignetur, ipsumque longæuum, & in prospero statu conseruet.

Oratio pro Baiuliuis, & Prioribus.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus Baiuliuos, Priores, & Castellanum empostæ ordinis nostri dirigat, & eorum mentes illustret, quo honorem & vtilitatem ordinis nostri adimplere studeant.

Oratio pro fratribus Hospitalis.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus fratres nostros conseruare dignetur, ac nos à votis promissis declinare non permittat.

Oratio pro infirmis & captiuis.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus omnibus infirmis, & captiuis salutem tribuat, vt captiuitate, ac ægritudine liberati ad Ecclesiam sanctam veniant gratias reddituri.

Oratio pro peccatoribus.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus omnes peccatores a vinculis peccatorum absoluat, & æternam faciat obtinere salutem.

Oratio pro benefactoribus nostri Hospitalis.

ORemus: vt DEus & Dominus noster IEsus Christus pro piis operibus illorum dignam mercedem tribuat, & post mortem æternam salutem concedat.

Oratio pro confratribus & consanguineis.

ORemus pro animabus confratrum, parentum, & coniunctorum nostrorum, & pro his qui in nostris cœmeteriis per vniuersum orbem requiescunt.

Psal. DEus misereatur &c. Psal. De profundis &c. Kyrie eleyson; Christe eleyson; Kyrie eleyson. Pater noster, &c. V. Fiat pax in virtute tua. R. Et abundantia in turribus tuis. V. Saluos fac seruos tuos. R. DEus meus sperantes in te. V. A porta inferi. R. Erue Domine &c. V. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

III.

Quod fratres accedant ad Capitulum generale.

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

INiunctum est Baiuliuis, Prioribus, Castellano empostæ, Commendatariis, & aliis qui ratione sui status, aut dignitatis, Capitulo generali incorporati sunt, vt ad illud accedere teneantur, nisi vrgentissima & pene ineuitabili causa præpediti fuerint, quo casu procuratorem mittant cum expresso mandato. Qui contrafecerit, tamquam inobediens habitu priuetur.

IV.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVæ quidem pœna moderari poterit per Magistrum & Capitulum generale.

V.

De Residentia admittendorum in Capitulo generali, & quouis Concilio.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

IVstum est, ut qui constitutionum ordinis est ignarus, & in negotiis Religionis parum versatus, iudicis officio fungi non debeat. Idcirco statuimus, vt frater, qui in Conuentu per annos octo continuos, aut per interualla residentiam non fecerit, minime in posterum in Capitulum generale admittatur; Nec in quouis concilio siue iudicio nostri ordinis, nisi per annos quinque; præterquam fratres venerandæ linguæ Angliæ & Alemaniæ.

VI.

Quod Procuratores ad Capitulum generale non admittantur, nisi sufficientem procurationem suorum principalium demonstrauerint.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

MAndantes, quod procuratores Priorum, Baiuliuorum, Castellani empostæ, ac Commendatariorum, cuiuscunque conditionis sint, non admittantur per Magistrum & generale Capitulum, nec Capitulo intersint, nisi sufficiens & authenticum procuratorium mandatum suorum principalium monstrauerint, cum speciali potestate ad compa-

parendum in Capitulo, & concludendis ac tractandis in eodem consentiendum. Qui vero aliquo impedimento retenti venire, aut Procuratorem mittere non potuerint, censeantur Capituli decretis consensisse, & ea rata & grata habuisse, ac si præsentes interfuissent.

VII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NVlli Procuratori ad Capitulum generale constituto liceat, virtute cuiuscunque mandati alium substituere: sed ipse præsens adesse tenebitur: & si in procuratorio mandato ad Capitulum generale plures nominabuntur, tunc præferatur magis antianus, nisi aliter de voluntate constituentis appareat.

VIII.

Forma Procuratorii Mandati Baiuliuorum & Priorum pro Capitulo generali.

IDEM MAGISTER.

FRater N. miles Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Prioratus seu Baiuliuatus N. humilis Prior seu Baiuliuus. Notum facimus, quod nos confisi de prudentia, probitate, fide, & industria religiosorum in Christo fratrum nostrorum N. & N. eos de nostra certa scientia, melioribus via, modo, quibus potuimus & possumus, fecimus, constituimus & deputauimus, & per has nostras literas facimus, constituimus, & deputamus nostros veros & legitimos procuratores generales & speciales, absentes tamquam præsentes, & quemlibet eorum in solidum; hoc videlicet modo: Primo præfatum fratrem N. solum & in solidum & in euentum absentiæ, vel alicuius impedimenti ipsius N. prædictum N. similiter solum & in solidum, & data absentia vel alio impedimento tam N. quam N. fratrem N. principaliter & in solidum ad comparendum pro nobis & nomine nostro coram Illustriss. Domino Magno Magistro, & generali Capitulo in nostro Conuentu proxime celebrando, & in eo interessendum & interueniendum, & vices nostras gerendum, specialiter & expresse ad consentiendum, acquiescendum, & assensum liberum & voluntarium præstandum omnibus & quibuscunque decretis, constitutionibus, statutis, deliberationibus & ordinationibus dicti generalis Capituli, & Reuerendorum Dominorum sexdecim Capitularium, & generaliter omnia alia & singula faciendum, procurandum & exercendum, quæ in prædictis, & circa prædicta necessaria & opportuna quomodolibet fuerint, & quæ nos ipsi faceremus aut [illegible]re possemus, vel etiam deberemus, si præsentes [illegible] dicto Capitulo adessemus; etiam si talia forent, quæ specialius mandatum exigerent, vel magis generale, quam præsentibus sit expressum. Promittentes bona fide habituros nos ratum & gratum, & integre obseruaturos, quicquid per eos aut aliquem ex eis modo, forma, & ordine in rebus suprascriptis actum, gestum, factum & procuratum fuerit. In cuius rei fidem præsentes literas manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro muniri fecimus. Datum, &c.

IX.

Formula literarum Procuratoriarum Commendatariorum prioratuum.

IDEM MAGISTER.

NOs N. N. Commendatarii in Prioratu N. vna cum Reuerendo Domino fratre N. Priore dicti Prioratus, ad celebrandum Capitulum nostrum Prouinciale vel assembleam congregati; Notum facimus, quod, &c. In cuius rei fidem præsentes literas manu Secretarii vel Notarii, & sigillo ipsius Capituli subscribi & muniri fecimus.

Si per assembleam fieret procuratorium, & non haberent copiam sigilli Prioratus, aut in eo Prioratu sigillo, vti solitum, non munitum esset, tunc commendatarii qui in assemblea aut Prioratu adessent, procuratorium manibus suis vel Secretarii Capituli, aut alterius Notarii subscribi faciant, & sigillis suis vel duorum aut trium ex ipsis sigillabunt.

X.

Quod is ex XVI. de cuius negotio tractatur, in illius deliberatione non assistat.

P. PETRVS DAVBVSSON.

ARatione absonum videtur, vt quis simul & semel in aliquo negotio particulari deliberando sit pars & iudex. Ideo statuimus, quod, quotiescunque euenerit, vt proponatur aliquod negotium consultandum & definiendum inter venerandos XVI. capitulares, tangens particularitatem alicuius in ipsorum conclaui incorporati, qui se pro parte formata gesserit, in tali consultatione & deliberatione tantum a cæteris excludatur, & nihilominus quod per reliquos consultatum & conclusum fuerit, robur & vim XVI. Capitularium secundum tenorem statuti habeat & obtineat, & ei contradici non liceat.

XI.

Si quis ex XVI. Capitularibus morbo grauari vel aliquo legitimo impedimento detineri contigerit, alius eligatur.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

STatuimus, vt, si contigerit aliquem ex sexdecim Capitularibus morbo grauari, vel aliquo legitimo impedimento detineri, ita ut non possit interuenire cum reliquis in conclaui ad negotia, & res pertractandas & finiendas; Magister, vocatis coram se & Capitulo Capitulantibus linguæ, cuius fuerit ægrotus vel impeditus, & præstito iterum per eos iuramento, vt moris est, iubeat eos congregari ad alium nominandum & eligendum, qui electus iuramentum præstet & compromittat, sicut cæteri præstiterunt & compromiserunt.

XII.

De Moderatione XVI. Capitularium.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

CVm interdum aliquis ex sexdecim capitularibus non satis modeste se gerens, suffragium ferre super re a præsidente proposita renuerit, ita vt conclaue perturbauerit, quo fit, vt in rebus maximis, quæ ad communem vtilitatem pertinent, non leue detrimentum accidere posset. Statuimus, vt, si quis ex sexdecim viris eo temeritatis forte processerit, vt sua sponte e congregatione, in qua status & dignitas totius ordinis consistit, ad ea, de quibus

quibus tractantur perturbanda, exire tentauerit, aut suffragari quouis modo recusauerit, & a dicto præsidente admonitus, in sua temeritate pertinaciter perseuerauerit, si Prior, Baiuliuus, Commendatarius fuerit, eo ipso fructibus annorum trium Prioratus, Baiuliuatus aut Commendæ, quam & quem possidet, communi ærario applicandis, priuetur, si frater conuentualis tres annos antianitatis perdat; & illico e conclaui excludatur, ac in eius locum alius eligatur ea forma, qua per supradictum statutum ordinatum est: qui exclusus ad Capitulum generale, Concilium, & alias congregationes interueniendum, nec non nouiter ad dignitates alias promouendum vel eligendum inhabilis reddatur & declaretur.

XIII.

Quod nulli Fratrum liceat appellare vel protestari de his, quæ per sexdecim tractata & conclusa fuerint.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

AD nonnullorum insolentiam reprimendam, qui iudiciorum subterfugiunt diffinitiones, vt hos qui ius optimum fouent, expensis & laboribus defatigent; Imitati etiam maiorum inueteratas consuetudines, secundum quas Sexdecimuiratus capitulares, id est Domini sexdecim Capitulares, qui per capitulum iuramento adacti eliguntur, vt de rebus ordinis nostri tamquam suprema auctoritate fungentes, ordinent & disponant. Nec enim pro veteri more alicui fratri ordinis nostri Dominorum sexdecim, qui etiam potestatem & vim compromissi habere dignoscuntur, statutis, ordinationibus, & sententiis refragari conuenit, quinimo omnes his ordinationibus humiliter ceruices flectere solent: Attamen quidam, iuramentum per eos præstitum paruipendentes, plerumque contra hanc institutionem agere satagunt in pessimum exemplum & graue incommodum, nisi talium insolentiæ leges & consuetudines objicerentur, ea propter temeritati contumacium obuiare cupientes, statuimus, consuetudinibus antiquis inhærentes, quod nulli fratrum ordinis nostri, in Capitulo generali incorporatorum, aut eorum qui in eo intersunt, quocunque honore aut dignitate fungentium protestari, appellare, aut prouocare a Dominis sexdecim Capitularibus, aut eorum statutis, sententiis, deliberationibus, & ordinationibus contradicere seu refragari quouis modo liceat. Qui contrafecerit si commendas vel beneficia possideat, eis eo ipso contrafaciendo priuatus censeatur: si vero conuentualis frater fuerit, antianitatem in continenti perdat.

XIV.

Quot Dies Capitulum generale durare debeat.

IDEM MAGISTER.

INstituimus, vt Capitulum generale apertum durare intelligatur diebus quindecim non feriatis, in quibus res & negotia commodius tractari & concludi possint. Postquam autem clausum fuerit, secundum reseruationem dicti Capituli aliquot diebus, pro rerum exigentia designatis ac præfixis, Magister & Concilium completum quæ in dicto Capitulo proposita fuerunt, & nondum deliberata, concludant & exequantur.

XV.

Qui teneantur accedere ad Capitulum Prouinciale.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

OMnes & singuli Baiuliui & Commendatarii in Prouinciis degentes ad Capitulum Prouinciale sui Prioratus quolibet anno accedere tenentur. Qui contrafecerit, duplicem responsionem communi ærario soluat: nisi iusto aliquo impedimento detineretur, quod Capitulo Prouinciali per suum procuratorem significare tenebitur, in quo quidem Capitulo Prior adesse sub eadem pœna debeat.

XVI.

De Moderatione Capitulantium.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, vt Priores, Castellanus empostæ, Commendatarii & fratres, cuiusuis gradus fuerint, in Capitulis Prouincialibus & assembleis maturitatem, grauitatem, temperantiam, ac modestiam seruare debeant, quatenus vnusquisque pro sua qualitate & gradu loquatur, opinetur, ac suum votum & suffragium emittat, reiectis contumeliis, iniuriis, conuiciis & gestis indecentibus, quinimo intendant pacifice ad honorem & commodum religionis. Qui contrafecerit, quarantenæ pœnam subeat.

XVII.

Priores in Capitulis Prouincialibus nulli particulariter fauorem præbeant.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

INhibemus Prioribus & Castellano empostæ, ne in Capitulis seu assembleis prouincialibus in fratris absentis vel præsentis fauorem aut odium procurent, loquantur aut insistant; quinimo quiete & attente negotia intelligant, & pro rectitudine diiudicent, nec verbo aut facto iura cuiuspiam perturbent.

XVIII.

Quod Regula & Statuta legantur in Capitulis Prouincialibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NIhil est, quod maius dedecus & damnum afferat, quam ignorantia statutorum & consuetudinum ordinis, quibus religio gubernatur, regitur & administratur, vbi potissime ignorantia crassa & affectata esse dignoscitur, quibus ex causis plerumque plura committuntur religioni incommoda. Idcirco super his prouidere cupientes, & ne de cætero ignorantia prætendatur; Statuimus, quod statuta, quorum series sequitur, sub bulla communi plumbea mittantur ad omnes & singulos Prioratus, præsententurque auctoritate nostra Prioribus & Castellano empostæ, receptoribusque communis ærarii. Quibus præcipimus & mandamus, in vim obedientiæ iniungentes, vt in quolibet Capitulo Prouinciali, antequam ad aliquos actus capitulares procedant, missa Spiritus Sancti celebrata, & lecta regula ad omnium intelligentiam legantur publica voce, & a quibusuis obseruentur, si autem Priores & Castellanus empostæ & receptores id facere contempserint, aut neglexerint, eo ipso pœnam incurrant inobedientiæ.

De Regula.

Regula Hoſpitalariorum & militiæ ordinis Sancti Ioannnis Baptiſtæ Hieroſolymitani de pœna transgreſſionis regulæ.

De communi ærario.

De oneribus communis ærarii, & de legibus ſuper id condendis.

Quod omnes teneantur ad ſolutionem iurium communis ærarii.

Quod iura communis ærarii integre ſoluantur, non obſtante quouis caſu vel impedimento.

De iuribus mortuarii & vacantis, communi noſtro ærario ſoluendis.

De oneribus ſoluendis per poſſeſſores membrorum, cum tribus ſequentibus.

De iure paſſagii ſoluendi per fratres.

Quo tempore iura communis ærarii ſolui debent, & de pœna non ſoluentium.

De debitoribus noſtri communis ærarii, cum ſequenti.

Quod bona fratrum decedentium ad ærarium perueniant, cum tribus ſequentibus.

De officio receptorum & Procuratorum noſtri communis ærarii extra conuentum, cum tribus ſequentibus.

Contra receptores negligentes in exigendis debitis.

De Capitulo.

Qui teneantur accedere ad Capitulum prouinciale.

De Prioribus.

De iuriſdictione Priorum.

De ſigillis Priorum, cum ſequenti.

De officio Fratrum.

De cuſtodia fortalitiorum, cum ſequenti.

De Commendis

De reſignationibus, cum ſequenti.

Quod non dentur membra aut prædia ſecularibus.

Quod fratres non impetrent commendas, aut beneficia extra ordinem noſtrum.

Quod ſeculares non deputentur ad regimen commendarum.

De Viſitationibus.

De viſitatione commendarum, cum duobus ſequentibus.

De Contractibus & alienationibus.

Quod bona ordinis non alienentur.

Quod nullus frater impignoret aut obliget bona ordinis noſtri cum ſequenti.

Quod in Capitulis ſeu aſſembleis prouincialibus non tractetur de alienatione bonorum noſtri ordinis, cum ſequenti.

Quod fratres non alienent bona acquiſita.

De Locationibus.

Quod locatio mortuarii & vacantis fiat in Capitulo prouinciali.

Quod durante mortuario & vacante non fiant reparationes.

De probibitionibus & pœnis.

Ne fratres occupent commendas.

Ne fratres impetrent literas commendatitias pro obtinendis commendis cum ſequenti.

Ne quis apponat manum iuribus ærarii.

De obedientia.

De malis adminiſtratoribus.

DE CONCILIO ET IVDICIIS.
TITVLVS SEPTIMVS.

I.

Forma quæ in Judiciis Ordinis noſtri ſeruatur.

CONSVETVDO.

QVoniam fratres noſtri Hoſpitalitatis & armorum exercitio potius quam iudiciis animum intendere debent; Mos eſt nobis antiquus a maioribus noſtris relictus, vt in cauſis, quæ inter fratres noſtros oriuntur, ſummatim & ſine aliqua forma iudicii verbo tantum & non ſcripto procedatur, id eſt, quod nulla cauſæ acta ſcribantur: ſed partes ipſæ ſua iura voce propria deducunt, & allegant, ſuper quarum nudo ſermone iuſtitia adminiſtratur. Poſſunt tamen ad probanda iura ſua literas antea confectas producere, veluti prouiſiones, teſtificationes, & alia huiuſmodi; teſtes quoque afferre poſſunt qui a Concilio vel a Commiſſariis ab eo deputatis audiuntur; quorum dicta, ſi res ita poſtulauerit, ſcribuntur.

II.

Qui in Conciliis Ordinis noſtri interuenire debent.

CONSVETVDO.

DVplex habemus Concilium, ordinarium videlicet, & completum. In ordinario interueniunt Magiſter & locumtenens Magiſtri ſeu Magiſterii; Si quis erit, Epiſcopus Melitenſis qui nuper introductus eſt. Prior Eccleſiæ & octo Baiuliui conuentuales ſeu eorum locatenentes. Præterea Priores prouinciarum: Baiuliui per Capitulum qui in Conuentu degent, Theſaurarius ſiue eius locumtenens: Et Seneſcallus Magiſtri qui non habet ſuffragium. In Concilio completo præter ſupradictos, qui etiam adſunt, adhibentur alii duo fratres ex qualibet lingua. In vtroque intervenit Vice-Cancellarius. Soli tamen octo Baiuliui Conuentuales aut eorum locatenentes neceſſario interesse debent, ſine quibus Concilium haberi non poteſt. Aliis vocatis & non venientibus ſoli octo Baiulivi Conuentuales aut eorum locatenentes Concilium tenere, & de omnibus rebus ad illud pertinentibus determinare poſſunt. Concilium tamen ſine Magiſtro vel eius licentia haberi non poteſt.

III.

Forma Juramenti Admittendorum in concilium.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

NVllus admittatur in Concilium, niſi prius in manibus Magiſtri ſolemniter iurauerit, quod tractata vel decreta & concluſa in ipſo Concilio cuiquam non reuelabit: nec amore, odio aut precio ſententiam feret: Præterea quod ſtatuta & conſuetudines ordinis noſtri tam in iudiciis, quam in publicis negociis ſincere & fideliter obſeruabit. Qui contra fecerit, ſit inhabilis ad obtinendas adminiſtrationes & officia noſtri ordinis, & pro periuro habeatur, & ſententiæ ſic latæ nullæ cenſeantur.

IV. F.

IV.

F. PETRVS DE MONTE.

STatuimus, vt quando aliquis ordinariorum a Conciliis fuerit absens, vel suspectus habebitur, eius loco alius admittatur, qui iuramentum iuxta formam praecedentis statuti praestare teneatur. Decernentes, quod post relationem Commissariorum factam, & disceptationem litigantium, nemo Consiliariorum pro suspecto allegari possit.

V.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACHOSTA.

PRohibemus, ne aliquis frater ordinis nostri, cuiusuis conditionis fuerit, citetur, nisi per Magistrum & Concilium ordinarium deliberetur, an sit citandus.

VI.

De Moderatione Consiliariorum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

VT maturius res & negotia in Conciliis agantur, tractentur, & deliberentur: statuimus, quod Magister, Baiuliui, Priores, & Castellanus empostae, & qui Conciliis intersunt, cum silentio partes coram ipsis disceptantes, earumque rationes & allegationes intelligant; & absque alia vocis aut sermonis interruptione audiant, ne fauor alicui partium dari dignoscatur; quinimo aequalitas erga quemlibet esse uideatur. Quod, si aliquis praefatorum contrafecerit, pars, quae in hoc se laesam senserit, contra facientem siue Magistrum siue alium pro suspecto allegare possit, qui tunc non reddita suspicionis alia causa a Concilio illico discedat.

VII.

Quot causae in Conciliis proponi possunt.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

EXpeditioni causarum consulere volentes, statuimus, vt in vnoquoque concilio tres tantum causae proponantur, & teneantur partes antequam ad Concilium accedant, venire in Cancellariam, & ibi nomina sua & causae rasae rationem inscribi facere: quae postea in Concilio per Vice-Cancellarium vocabuntur, iuxta ordinem ab eo scriptum. In numero causarum non comprehenduntur petitiones Commissariorum.

VIII.

Quomodo testes examinantur.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod testes hic in conuentu producti coram partibus iuramentum praestare teneantur, & in earum absentia examinentur. Qui quidem testes diuisim interrogabuntur super re de qua fuerit quaestio; qui autem illos examinabunt, diligenter eos interrogabunt de loco, tempore, & scientia, & quomodo res, de qua agitur, acciderit; quae quidem dicta testium, si necesse fuerit, scribantur.

IX.

In disceptatione causarum compareant tantum duo Procuratores.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

AD euitandas confusiones & iudiciorum prolixitatem statuimus, quod, quandocunque erunt differentiae inter fratres aut linguas, seu Priores & Castellanum empostae, pro quibus differentiis discutiendis & decidendis debeant comparere Procuratores coram Concilio, sgardio vel Commissariis: non debeant nec possint coram praedictis comparere, nisi duo Procuratores tantum pro qualibet parte, & quod vnus illorum loquatur cum informatione, quam habebit, veniantque cum decenti habitu longo & sine armis. Qui contrafecerint, plectantur poena quarantenae; quam obseruent sedendo & comedendo.

X.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

OPtima ratione suasi, sancimus, quod secularis persona non assistat in Concilio ordinis nostri.

XI.

Quod frater pro patre in Conuentu praesente non procuret.

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

QVia ad submouendas lites & differentiarum prolixitates iudicia in nostro ordine ex veteri consuetudine summaria censentur, ne fratres nostri litibus impliciti ab armorum exercitio studium retrahant. Idcirco prohibemus sub poena quarantenae, quod frater nomine alterius fratris in Conuentu praesentis non procuret, nisi morbo implicitus esset, propter quod comparere non posset. Si autem pro fratre absente procurauerit, procurationem sufficientem ad id agendum exhibere teneatur. De cuius sufficientia per superiorem dignoscatur. Fratres autem Angli & Alemanni, si aliud idioma in Conuentu vulgatum praeter maternum ignorauerint, praesentes etiam Procuratores habere poterunt.

XXV.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SI vero linguae vitio aut alio impedimento quis explicandis suis rationibus aptus esse non videretur, per Procuratorem agere ei licebit, quod Magistri & Concilii iudicio relinquimus.

XXVI.

Quod Baiuliui & Priores possint habere procuratores.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod, quandocunque inter Baiuliuos capitulares aut conuentuales, Priores & Castellanum empostae ex una, & commendatarios ac fratres conuentuales partibus ex altera differentia vertitur, in quocumque iudicio existat, Baiuliui & Priores ipsi ad dictam litem Procuratores instituere possunt, qui suo nomine contra Commendatarios & fratres conuentuales coram iudicibus iura sua defendant.

XXVII.

Quod nemo extraneus ordini nostro admittatur ad procurandum in iudiciis ordinis nostri pro religiosis.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

NE iudicia ordinis nostri, quae summaria esse debent, falsis interpretationibus, argumentis & cau-

& cautelis subuertantur & prorogentur; Statuimus, quod seculares personæ seu alterius ordinis regulares, cuiuscumque gradus vel qualitatis, admitti non possint ad agendum & procurandum pro Baiuliuis, Prioribus & aliis religiosis nostris coram Magistro & Conciliis ac generali Capitulo, nec in iudicio sgardiorum vel ab ipsis aut Priore Ecclesiæ vel Marescallo Conuentus nostri commissis & deputatis. Per hæc tamen non intendimus derogare consuetudini, quæ permittit personis secularibus defensionem causarum suarum in Capitulis nostris prouincialibus ac aliis iudiciis.

XXIIX.

Quod causæ militum, Capellanorum & seruientium per Magistrum & Concilium concludantur.

CVpidi erga fratres nostros æqua iustitiæ statera procedere, & ne minor a maiori opprimatur, sed vnicuique iustitiæ æqualitas appareat; Ideo omnes differentias, quas ratione cabimenti vel melioramenti oriri contigerit inter fratres milites ex una, ac fratres capellanos vel armorum seruientes partibus ex altera, Magistro & Concilio decidendas reseruamus, & eas ab ipsis decidi decernimus & volumus.

XVI.

De modo tractandi in Conciliis.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod in Conciliis, quando de aliqua re agi oportet, antequam ad suffragia danda deueniatur, eo, de quo deliberari debeat, in medium proposito, quilibet Consiliarius, ordine non seruato, pro suo arbitrio allegare, dicere, proponere quod ad rem pertineat, omni semota reprehensione, valeat, & cum res peroptime discussæ & agitatæ fuerint, quot opiniones reperientur, per suffragium ballottarum scrutinium recipiant: & pars quæ plures ballottas obtinebit, pro se sententiam & conclusionem habuisse censeatur, statuentes, quod omnes res & negotia, cujuscunque naturæ fuerint, etiam causæ criminales, quæ per Concilia tractantur, aut deliberantur, per scrutinium ballottarum concludantur, alias deliberationes nullæ censeantur.

XVII.

F. IOANNES DE HOMEDES.

IDem obseruari volumus in Capitulis Prouincialibus, & assembleis; quod secus actum fuerit, sit irritum & inane.

XVIII.

De modo & ordine Ballotandi.

IDEM MAGISTER.

MAiores nostri maxime interesse reipublicæ existimauerunt, vt libera essent iudicia & suffragia quam occultissima. Ideo vsum ballotandi inuenerunt: sed quia nihil scriptis mandatum est, placuit nobis paucis verbis perstringere. Quare statuimus, vt quandocunque duo vel plures fuerint competitores dignitatis vel officii, pro omnibus simul in suffragia eatur ordine antianitatis: nisi aliquis eorum sit ex primatibus nostri ordinis, quos magnæ crucis appellamus; nam pro eo primo in suffragia eundum erit hac forma: Post iuramentum præstitum statutis ordinatum, Vicecancellarius tot vrnas, quot fuerint competitores, adhibeat primum Magistro, postea cuique Consiliario quo sederit ordine: vt, in quam voluerit, pixidem, calculum seu ballottam mittat. Quo peracto calculi palam numerentur, & is qui plures ballottas vel suffragia habuerit, pronuntiatur electus a Vicecancellario. At si ad æquilibrium suffragiorum venerint, tunc antianior in religione electus promulgetur; nisi filius arnaldus fuerit magnæ crucis, nam ille electus promulgabitur; vel si fuerit eiusdem passagii ad Concilium completum remittetur electio. In aliis vero controuersiis, si ad æqualitatem calculorum deuentum erit, res ipsa decidenda & definienda ad idem Concilium completum absque alia appellatione deducatur.

XIX.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

SAncimus, consuetudinem & vsum statuto scripto præualere non posse: ubi vero non fuerit statutum scriptum, vsus & consuetudo militet.

XX.

De Appellationibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

A Decretis Capituli generalis, quod est summum & supremum ordinis nostri iudicium, nulli fratrum nostrorum liceat appellare. In causis item criminalibus non appellatur, aut si de correctione regulari agatur. Nec etiam ab electione fratrum & commendatariorum in Baiuliuos magnæ crucis; a promotione tamen potest appellari, id est, a translatione Baiuliuorum ad alias dignitates. In creationibus quoque officialium appellatio locum non habet, nec a decreto quo Commissarii deputantur; a declaratione quoque super suspicione Commissariorum, aut Consiliariorum non datur appellatio. Nec ab executione, aut mandato exequendi: neque a sententiis Capitulorum Prouincialium, quæ summam scutorum centum non excedant, & id inter fratres: sed in causis vertentibus inter fratres & laicos pro quacunque summa re & negocio, non liceat fratri a sententia Capituli Prouincialis appellare. In aliis autem casibus & controuersiis omnibus liberum cuique esto appellare. Incidentes autem & emergentes in controuersiis casus omnes iudicabuntur per Commissarios ad id deputatos, a quibus ad eos, a quibus fuerint deputati, appellari poterit: A quorum sententia, super istiusmodi appellationibus latis, nulli appellare licebit. A sententiis tamen, quos delobia vocant, latis a scutis decem infra inclusiue appellatio non admittatur, a scutis vero decem supra, si controuersia fuerit inter fratrem & fratrem ad Concilium ordinarium, si inter fratrem & laicum, quicunque illorum sit actor vel reus, ad audientiam appelletur, & sententiæ per dictam audientiam, seu Concilium vel compromissarios, in dictis causis appellationis deputatos, exequantur, nulla ad aliud tribunal admissa appellatione.

XXI.

Intra quod tempus appellandum est.

IDEM MAGISTER.

INtra decimum diem a publicata & pronuntiata sententia appellandum est, si in Conuentu feratur:

si vero extra, intra idem tempus, dummodo pars fuerit præsens aut eius procurator: quod si non affuerint, numerantur a die quo de sententia factus fuerit certior; aliter illi consensisse intelligitur. A sententia autem, super incidentibus a Commissariis lata, eodem vel postero die appellandum erit.

XX.

De ordine appellationum.

IDEM MAGISTER.

A Priore autem & assemblea, & a Priore solo appellatur ad Capitulum prouinciale, & inde ad Concilium ordinarium: quod si causa in Capitulo prouinciali initium habuerit, ab eo ad Concilium ordinarium, & deinde ad completum: ita tamen, quod si Capitulum prouinciale confirmauerit sententiam assembleæ vel Prioris, aut Concilium ordinarium sententiam Capituli prouincialis, si in eo lis cœpta fuerit, talis sententia executioni mandabitur, non obstante appellatione: Si vero lis coram Concilio ordinario inchoata fuerit, ab eo appellabitur ad completum: & inde ad Capitulum generale; verum quod per Concilium completum fuerit iudicatum, etiam, si ad Capitulum generale fuerit appellatum, exequendum erit.

XXI.

De tempore prosequendæ & finiendæ appellationis.

IDEM MAGISTER.

SI a Priore & assemblea vel a Priore solo ad Capitulum prouinciale fuerit appellatum, tenetur appellans in proxime sequenti Capitulo appellationem suam prosequi & finire. Quod si non fecerit nullo legitimo impedimento prohibitus, appellatio ipsa deserta censeatur; Si vero a Capitulo prouinciali ad Concilium ordinarium, datur illi annus, & ex iusta causa biennium ad causam prosequendam & finiendam: si a Concilio ordinario ad completum, conceduntur quatuor menses a die appellationis numerandos: si a Concilio completo ad Capitulum generale, in proximo Capitulo prosequi & diffiniri procuret. Aliter, vt supradictum est, pro deserta habeatur. Appellatio autem a sententia super incidentibus a Commissariis lata, intra decimum diem ab ea interiecta prosequenda & finienda est.

XXII.

De Appellationibus Fratrum Capellanorum obedientiæ & seruientium officii extra Conuentum.

IDEM MAGISTER.

LIberum erit fratribus Capellanis obedientiæ & seruientibus officii vel stagii, si a suo Priore, vel Commendatario, cuius obedientiæ suppositi sunt, grauati fuerint, ad Priorem & assembleam, vel ad prouinciale Capitulum appellare; per quod etiam decidentur controuersiæ, quæ inter dictos fratres obedientiæ, officii vel stagii, & Priores vel Commendatarios oriri contigerit.

XXV.

Quod sententiæ scribantur & publicentur.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod decreta & sententiæ Capitulorum generalium, Conciliorum & Sgardiorum in Conuentu scribantur per Vicecancellarium; Capitulorum autem prouincialium, & assemblearum per Secretarium, & per eos publicentur & pronuntientur, & fiant de eis libri & registra.

XXVI.

De Moderatione Fratrum in congregationibus linguarum.

F. PETRVS DAVBVSSON.

QVoniam plerumque contingit contra omnem modestiam, honestatem & reuerentiam veræ illibatæque obedientiæ, quod fratres in congregationibus linguarum vtuntur gestis & actis indecentibus, nulla reuerentia in Baiuliuos & superiores seruata; Quinimo deliberationes & consultationes in dedecus ordinis & præiudicium publici commodi perturbant; ea propter statuimus, quod Baiuliui, Priores, Commendatarii, & fratres, cuiuscunque conditionis fuerint, in congregationibus linguarum in Conuentu debeant vti modestia & temperantia in sedendo secundum eorum ordinem & gradum, audientes Baiuliuos vel eorum locatenentes in his quæ proponunt etiam procuratores tam dictæ linguæ fratres quam alterius, aut partes in causarum disceptatione, ita, quod non dent eis molestiam, vel aliquam perturbationem: & ita cum maturitate & quiete, intellectis propositis ac differentiis, debeant pro eorum ordine & gradu date suffragium & loqui, lingua quoque compleat suam deliberationem. Cui si quis contradixerit, aut propterea se senserit grauatum, ab illa deliberatione ad Magistrum & Concilium ordinarium habeat recursum, coram quibus sua iura allegabit. Iustitia quoque partibus auditis ministrabitur: qui contrafecerit in pœnam quarantenæ labatur.

XXVII.

De vsu Ballottarum in Linguis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VT liberius fratres nostri suffragia, & vota sua in linguis dare possint: Statuimus, quod, quandocunque in dictis linguis, aut Prioratibus tractari contingat de gratiis faciendis aut de nominandis fratribus ad Baiuliuatus & dignitates, debeant vti ballottis, prout in Concilio fieri solitum est; gratia autem facta non censetur, nisi concordi omnium fratrum voto facta fuerit.

XXVIII.

F. PETRVS DE MONTE.

SAncimus, quod nullus frater, qui per annos tres continuos, aut per interualla in Conuentu non resederit, suffragium in linguis, exceptis fratribus Reuerendissimis linguæ Angliæ, & Alemaniæ, ferre possit.

XXIX.

De Collectis Linguarum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, antiquam & veterem consuetudinem sequentes, quod in collectis Albergiarum per fratres tantum deliberari & tractari possit de vineis, domi-

domibus, cameris & possessionibus Linguæ vel Albergiæ. Caueantque fratres sub inobedientiæ pœna, ne in dictis collectis tractare aut concludere de rebus, quæ quouis modo ordinis Rempublicam concernant, aut aliquod arduum vltra antiquam consuetudinem audeant vel præsumant. Quod si contra fecerint, nullius valoris censeatur, pœnamque inobedientiæ incurrant.

XXX.

De eodem.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

QVia bonum vniuersale totis viribus promouendum est; Statuimus, quod, quandocunque in congregatione cuiuslibet linguæ siue collectæ disceptabitur de ædificatione, vel instauratione domorum siue camerarum, & cultiuatione siue directione vinearum & aliarum possessionum stabilium linguarum, & duæ partes fratrum dictæ linguæ deuenerint concordes in vnam sententiam, eadem mandetur executioni, quam tertia pars dissentiens non possit impedire. Cætera autem negocia dictarum linguarum remanent intacta in sua antiqua consuetudine & robore.

XXXI.

De Licentia Baiuliuorum & Priorum recedendi a Conuentu.

F. RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod Magister non possit dare licentiam recedendi de Conuentu Baiuliuis, capitularibus & conuentualibus, Prioribus, & Castellano empostæ, sine scitu & consensu Concilii completi, ita quod tres partes in vna opinionè concordent, alias deliberatio, sit nulla: & si Magister contrafecerit, licentia nulla sit: & nihilominus contra eos qui vigore talis licentiæ recessissent, procedatur tamquam contra eos qui sine licentia de Conuentu recedere præsumunt.

XXXII.

F. PETRVS DAVBVSSON.

ATtamen Magistro & Concilio ordinario pro negociis publicis ordinis nostri aliquem ex prædictis destinare ad partes occiduas seu extra Conuentum liceat.

XXXIII.

De Literis expediendis per Magistrum, & Concilium.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod literæ saluorum conductorum, licentiarum recedendi de Conuentu, instructiones, literæ missiuæ, aut aliæ patentes, quæ per Magistrum & Concilium ordinarium siue completum deliberantur & conceduntur, per Vicecancellarium tantum expediantur, manu propria ab eo signentur, ac in cancellaria, saluo Vicecancellarii iure, registrentur, alias Concilii autoritatem non habeant.

XXXIV.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VOlumus & mandamus, quod omnes literæ supradictæ Magno sigillo Magistri in cera nigra sigillentur.

XXXV.

De audientia publica.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

LAudabili institutione sancitum est, quod qualibet hebdomada die veneris audientia publica celebretur; in qua assistant Magister seu eius Locumtenens, Baiuliui conuentuales, & per Capitulum Priores, Castellanus empostæ & cæteri qui adesse solent in Concilio ordinario. Præterea Castellanus, Iudices appellationum, & Ordinarius, & Vicecancellarius; vbi secularium querelæ & supplicationes quarumcumque legantur & audiantur, & secundum casuum emergentiam, meritis causarum sapienter discussis, super his prouideatur, vt querelarum materia prorsus extinguatur, & cuique ius suum tribuatur.

XXXVI.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

CApitaneus & Iudex ciuitatis nostræ, & Magister notarius castellaniæ in audientia adesse solent. Licitum est etiam Magistro & Concilio ad illam vocare aliquos probos viros iurisperitos, prout eis necessarium videbitur.

XXXVII.

De Officialibus Syndicandis.

IDEM MAGISTER.

ÆQuum est, vt vnusquisque actionum suarum rationem reddat. Statuimus, quod Castellanus, Vicecastellanus, Iudex appellationum, & Ordinarius, Capitaneus, Iurati, Iudex, & omnes & singuli officiales ciuitatis nostræ, soliti syndicari, debeant syndicari per duos Commissarios, vnum religiosum, & alium literatum per Magistrum & Concilium ordinarium, postquam officio functi & alii in eorum loco suffecti fuerint, eligendos, prout hactenus consuetum est: vt, si qui deliquerint, puniantur.

XXXVIII.

De Bulla Magistri & Conuentus.

F. NICOLAVS LORGVE.

AD deliberatorum exploratam indubitatamque notitiam non immerito sigillorum ac bullarum impressiones cuneique inuenti sunt. Hinc firma sanctione decretum est, vt duo cunei ferrei fabricentur, quibus Magistri & Baiuliuorum imagines sculpantur, & his tanquam bulla conuentuali Conuentus vtatur. Hac bulla omnes & singulæ concessiones, procurationes, permutationes, obligationes, prouisiones & cætera, quæ per deliberationem Magistri & Conuentus, seu Concilium & generale Capitulum expediuntur, & quæ sub bulla plumbea communi expediri consueuerunt, muniantur et bullentur.

XXXIX.

Quod Procuratores communis ærarii in causis ad id spectantibus non excludantur.

SAncimus, quod in cognitione et decisione causarum communis ærarii excludi non possint venera-

venerabiles, magnus Commendatarius et procuratores dicti ærarii, qui pro inueterata consuetudine interesse solent: quia priuatas earum causas non agunt, sed communes.

XL.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ITa tamen quod inter litigandum non loquantur quod ad causam pertineat: sed procuratorem deputent, qui causam ipsam nomine ærarii agat et prosequatur.

XLI.

Quod Frater Fratrem ad aliud iudicium non trahat quam ordinis nostri.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

ABsurdum et penitus ab ordine nostro alienum est, cui grauissimum plerumque attulit detrimentum, quod fratres nostri fidei catholicæ tuitioni ascripti, litibus implicentur, et iugo obedientiæ reiecto se ad aliud tribunal extra nostrum ordinem conferant; statutis enim et consuetudinibus subiecti sunt, quibus sua iura defenduntur et iudicantur per ordinis nostri iudicium non dilatorium, quatenus causæ breuitate sopiantur, et fratres nostri litibus immunes armis exercendis liberius vacare possint. Prudenti igitur sanctione statutum est, quod fratres nostri quacumque ex causa nullo pacto valeant aut possint extra nostrum ordinem coram quocunque iudice Ecclesiastico vel seculari fratres ordinis nostri in causam trahere, et contra eos procedere, seu lites contestari, vel processum conficere, declinando ab ordinis nostri iudicio. Quod si quis contrafecerit, antianitatem perdat, et per quinquennium omni administratione priuetur.

XLII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRæterea causam perdat. Qui vero a sententiis nostris extra Conuentum aut nostri ordinis iudices appellauerint, vel prouocaverint, etiam si appellationem vel prouocationem prosequuti non fuerint, a causa sua cadant, et re de qua contenditur, eo ipso priuati existant.

XLIII.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

VOlumus idem a fratribus Capellanis obedientiæ obseruari, sub pœna priuationis beneficiorum et rectoriarum ac portionum quas possident, nec non habitus ipso facto incurrenda.

De Feriis.

Feriæ quæ seruari debent in iudiciis nostræ religionis.

In Januario.

Circuncisionis Domini.
Antonii Abbatis.
Fabiani et Sebastiani.
Conuersionis sancti Pauli.

Februario.

Purificationis Beatæ Mariæ.
Blasii Episcopi et Martyris.
Agathæ virginis.

Dedicationis Ecclesiæ S. Jo. Baptistæ.
Cathedræ sancti Petri.
Mathiæ Apostoli.

Martio.

Gregorii Papæ.
Sancti Ioseph.
Annunciationis B. Mariæ.

Aprili.

Georgii Martyris.
Marci Euangelistæ.

Maio.

Philippi et Iacobi Apostolorum.
Inuentionis sanctæ Crucis.
S. Ioannis ante portam Latinam.

Iunio.

Barnabæ Apostoli.
Ioannis Baptistæ cum tota octaua.
Petri et Pauli Apostolorum.
Commemoratio S. Pauli.

Iulio.

Visitationis B. Mariæ.
Mariæ Magdalenæ.
Iacobi Apostoli.
Sanctæ Annæ.

Augusto.

Petri ad vincula.
Dominici confessoris.
Transfigurationis Domini.
Laurentii Martyris.
Assumptionis B. Mariæ.
Bartholomei Apostoli.
Augustini Episcopi.
Decollationis S. Ioannis Baptistæ.

Septembri.

Natiuitatis B. Mariæ. 8
Exaltationis S. Crucis. 14
Matthæi Apostoli et Euangelistæ. 21
Michaelis Archangeli. 29
Hieronymi confessoris. 30

Octobri.

Francisci confessoris. 4
Lucæ Euangelistæ. 18
Simonis et Iudæ. 28

Nouembri.

Omnium sanctorum. 1
Commemorationis animarum. 2
Martini Episcopi. 11
Præsentationis B. Mariæ. 21
Catharinæ virginis. 25
Andreæ Apostoli. 30

Decembri.

Nicolai Episcopi. 6
Ambrosii Episcopi. 7
Conceptionis B. Mariæ. 8
Luciæ Virginis. 13
Thomæ Apostoli. 21

A vigilia Natiuitatis Domini vsque ad diem Epiphaniæ, cum duobus sequentibus.

Feriæ Mobiles.

A Die Iouis ante carnispriuium vsque ad diem cinerum inclusiue.

A Die Sabbathi ante ramos vsque ad octauam Paschæ inclusiue.

Die Aſcenſionis Domini.
Die Pentecoſtes cum duobus ſequentibus.
Die Corporis Chriſti cum octaua incluſiue.

DE SGARDIO.
TITVLVS OCTAVVS.
I.
Forma tenendi Sgardii.

NE fratrum noſtrorum animi longis litibus implicitati, a ſuæ profeſſionis officio euocarentur: maiores noſtri breue quoddam & expeditum iudicii genus excogitarunt, quod Sgardium appellarunt. Id ita habetur: Aſſumuntur fratres octo, ex ſingulis linguis ſinguli, quibus additur nonus ex qua libuerit lingua, nullo delectu. Is caput ſeu Præſes Sgardii vocatur, & a Magiſtro aſſignatur, vel a Mareſcallo: cum fratres ex eius ſunt iurisdictione. Reliqui octo a Baiuliuis conuentualibus ad ſignificationem Magiſtri ſcutiferi nominantur, ita tamen quod Baiuliui linguarum, de quibus partes diſceptantes fuerint, nullum alium nominent, niſi eum in quem partes ſponte conſenſerint. Ab hoc Sgardio itur ad Renfortium Sgardii, ac ſi diceret ad fortius Sgardium, duplicato ſcilicet fratrum numero, vt ex qualibet lingua duo fratres interueniant. Ab eo deuenitur ad Renfortium Renfortii, hoc eſt, a forti ad fortius: vt ſint tres fratres ex vnaquaque lingua, remanente eodem capite ſeu Præſide primum aſſignato. Quod ſi trium horum Sgardiorum ſententiæ partes ſtare noluerint, adhibetur Sgardium Baiuliuorum: quod ex octo Baiuliuis conuentualibus aut eorum vicegerentibus conſtat. Iis datur a Magiſtro alter Præſes ex Baiuliuis quiſpiam aut Prioribus, vel Prior Eccleſiæ. Quod ſi Præſes a Magiſtro datus fuerit Baiuliuus conuentualis, tunc in eius locum ad Sgardium ſubrogatur frater aliquis ex eadem lingua antianus. In hoc iudicio ſinguli vnico ſuffragio vtuntur, præter Præſidem Sgardii Baiuliuorum, cui duo conceduntur ad euitandam ſuffragiorum paritatem. Quod ſi in aliqua linguarum defuerint fratres ad id idonei, vel penitus nulli fuerint, ex aliis linguis implebitur numerus, vt ſint omnino octo in vnoquoque ſgardio. Præterea ſi altera aut vtraque diſſidentium pars fuerit Baiuliuus aut Prior, eo caſu Præſes & caput omnium ſgardiorum erit Baiuliuus aut Prior. Vbi tandem partes coram ſgardio comparuerint, interrogantur a Præſide: num quem ex eo numero ſuſpectum habeant. Quibus reiectis, ſi qui fuerint, & aliis in eorum locum ſuffectis, ad cognitionem cauſæ proceditur, actore actionem ſuam proponente, etiam ſi reo petente ſgardium conceſſum eſſet: Quæ quidem cauſa plene & ſummatim tractabitur. Nam neque libellus vllus, neque ſcripta petitio datur: ſed iura ſua partes verbo proſequuntur. Teſtes tamen producuntur, quorum dicta auribus tantum non autem ſcripto excipiuntur. Nec admittuntur procuratores, niſi pro iis qui a Conuentu abſunt, aut quibus per ſtatuta noſtra permittitur. Poſtquam vero partes ipſæ iura ſua coram ſgardio deduxerint, dimittuntur: & fratres ſgardii ſecedentes de tota cauſa inter ſe conferunt, remque accurate examinant. Tum demum afferuntur duæ pyxides ſiue vrnulæ, affirmatiua ſcilicet & negatiua. Qui pro actore ſententiam ferre voluerint, in affirmatiuam ſphærulam, quam ballottam, id eſt, calculum dicimus, mittent. Qui pro reo, in negatiuam. Hæc eſt ſuffragiorum dandorum ratio: in quibus dandis gradus antianitatis vnicuique ſeruatur. Collectis ſphærulis aut ballottis, priuſquam caput ſeu Præſes ſgardii ſententiam ferat, vocantur partes & rogantur: An ſgardii ſententiæ ſtare velint, nec ne? Si conſenſerint, excluſis iterum illis, caput ſgardii ſuffragium ſuum dat, iniecta ballotta in pyxidem. Dehinc pyxides coram ſgardio aperiuntur, & ballottæ palam numerantur. Pro parte quæ plures habuerit, ſtabit ſententia; ea per Vice-Cancellarium ſcribitur, & partibus pronunciatur. Quod ſi partes aut altera earum negauerit, ſe id iudicium ſuſcipere velle, numeratis per Vice-Cancellarium ballottis & ſuffragiis, ſcriptis mandet quot quæque pars ballottas habuerit. Id ſcriptum apud ſgardii Præſidem deponetur: vbi ſecretum permaneat & ad renfortium procedetur. Si neque hoc, partes contentæ erunt, ad renfortium renfortii, & deinde ad ſgardium Baiuliuorum deuenitur, vltra quod progredi non eſt. Cum autem renfortium renfortii Baiuliuorumque ſgardium habetur, Præſes primi ſgardii cum aliquibus fratribus eorum, qui in primis ſgardiis interfuerunt, adeſſe debet, vt audiant an partes quicquam allegabunt, præter id quod in primis ſgardiis allegarunt: non enim eis licet quidpiam ad confirmandam ſuam cauſam adducere in hoc poſtremo iudicio, quam id quod in primo ſgardio attulerunt & propoſuerunt. Etenim ipſum hoc cum Prioribus vnum & idem iudicium eſſe cenſetur. Partibus tandem, quantum ſatis erit, auditis, ſecedent primi ſgardii fratres præter Præſidem, qui in renfortio & renfortii renfortio ſuum locum ſemper obtinet. Poſtremo cum ad ſententiam ſgardii Baiuliuorum ventum fuerit, Præſes primorum ſgardiorum ante Præſidem ſgardii Baiuliuorum per ballottam ſuffragium dabit. Apertis poſtea pyxidibus & numeratis ballottis, Præſes priorum ſgardiorum ipſorum ſuffragia ſcripta proferet, aſtantibus aliquot fratribus, qui in ipſis prioribus ſgardiis interfuerunt. Quibus ſuffragiis cum vltimis Baiuliuorum nominatis, pro parte, quæ plures habuerit, feretur ſententia, quæ executioni mandatur. Sgardiorum autem ſuffragia occulta eſſe debent non ſolum partibus, verum etiam ſgardiis ipſis inter ſeſe, donec controuerſia ſit diffinita. Hoc iudicium maiores noſtri iuſtitiam domus appellarunt, in quo contra etiam abſentes legitime citatos per contumaciam proceditur. A cuius ſententiis appellare non licet, quia vim compromiſſi habent.

II.
De quibus rebus celebrantur Sgardia.

CONSVETVDO.

QVædam ſgardia oriuntur ex querelis ſiue planctis, per Magiſtrum ſiue eius locumtenentem, vel Mareſcallum, aut alium ſuperiorem faciendis. In ſgardiis autem, quæ oriuntur ex talibus querelis, intereſſe debent tantum octo Baiuliui conuentuales, ſiue eorum locatenentes, vel fratres octo & Præſidens, ſiue caput per Magiſtrum aſſignandum, qui ſit Prior vel Baiuliuus, aut per Mareſcallum, cum de plan-

de planctis suis agitur, aliquis frater, qui vnico suffragio fungatur. Nec de tali recurritur ad renfortium & alia sgardia, sed hoc primum sententiam dat diffinitiuam, in quo Baiuliuus linguæ, cuius est is, de quo fit querela, interesse potest & debet. Quodque per maiorem partem decisum fuerit, exequi debet. In sgardio autem, quod celebratur per querelam Marescalli, aut alium superiorem præter Magistrum & eius locumtenentem, adsunt fratres ex octo linguis, vel alii pro ipsis, vbi ex his non reperientur. Nec de tali recurritur ad renfortium sgardii, sed illud primum diffinit. Alia quidem sunt sgardia, quæ procedunt ex demanda, siue differentia & lite inter aliquos vertente. Ex quibus sgardiis, siue causa sit ciuilis, siue criminalis, recurritur ad renfortium, & renfortium renfortii, ac etiam sgardium Baiuliuorum.

III.

Quod super mandato superioris potest peti sgardium.

F. GVILLERMVS DE VILLARETO.

SI quid a Magistro vel alio Superiore cuipiam fratrum ordinis nostri præter tenorem statutorum nostrorum & consuetudinem mandatum fuerit, frater ipse sgardium petere poterit. Quod si Magister illud dare recusauerit, aut distulerit, perseueret nihilominus frater in eo petendo. Nec tali mandato obedire teneatur, donec per sgardium cognitum, iudicatumque fuerit.

IV.

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

INterloquutoriis sententiis sgardium non vtitur, aut incidentia iudicanda suscipit, ante diffinitam totius causæ summam, ad quam solum respicit & tendit.

V.

IDEM MAGISTER.

NOn datur sgardium super re vlla aut negocio concluso, aut diffinito, vel etiam cœpto in Conciliis; nam quicquid in illis cœptum iudicatumue fuerit, sequitur formam illius iudicii.

VI.

F. IOANNES DE LASTICO.

NEque super controuersiis motis aut mouendis inter fratres milites ex vna, & Capellanos, vel seruientes armorum ex altera partibus, neque super emergentibus aut dependentibus ab illis.

VII.

F. PETRVS DAVBVSSON.

NEque etiam vbi agitur de iuribus communis nostri ærarii aut ipsius prærogatiuis: nec super præheminentiis & autoritate Magistri, ac in his rebus quæ ipsum vel eius præheminentias & autoritatem directe, proprie & immediate tangunt.

IIX.

Concilium completum cognoscere debet, an tenendum sit sgardium vel non.

F. RAYMVNDVS ZACOSTA.

VT multis controuersiis occurratur, quæ oriuntur ex modo concedendi sgardia, statuimus, quod, quandocumque aliquis frater petet sgardium a Magistro, & pars aduersa contradicet: eo casu cognoscatur per Magistrum & Concilium completum, an tale sgardium dari debeat. Quod si nulla partium obstiterit, quominus sgardium concedatur, tum Magister illud absque vlla mora & dilatione dare teneatur.

IX.

Quod Caput & Fratres sgardiorum assignentur, absque dilatione & de suspicione habita de fratribus sgardii.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

AD omnem iustitiæ dilationem & suspicionem remouendam, statuimus, quod, quotiescunque sgardium fratrum ex consensu partium, aut per Magistrum, & Concilium completum datum & concessum fuerit, a die concessionis infra terminum duorum dierum Magister caput sgardiorum assignare teneatur. Alias vrgente necessitate Concilium ordinarium, dilatione semota, caput deputet. Baiuliui autem & Pilerii linguarum in termino vnius diei pariformiter suarum linguarum fratres pro sgardiis deputent idoneos. Quod si renuerint, ipsum Concilium prouideat, si partes suspectos aliquos allegauerint, causas suspicionis legitimas ostendere Magistro, & concilio ordinario obligantur: qui de hoc deliberare debeant. Capita enim & fratres sgardiorum cum silentio & attentione partium rationes audire teneantur absque aliqua interruptione vocis aut sermonis, ne fauor alicui dare videatur, sed æqualitas erga omnes seruetur. Si quis contrafecerit, pars, quæ se læsam senserit, contra facientem siue caput siue fratrem pro suspecto allegare possit: qui tunc non reddita suspicionis alia causa a sgardio discedat.

X.

De Moderatione Fratrum in sgardio.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, vt præses vel caput sgardiorum summa attentione, silentio, & prudentia partes ante sgardium constitutas audiat; & caueat ne verbo aut facto sermones & rationes earum interrumpat, immo eas loqui permittat. Postquam dicendi finem fecerint fratres sgardii, sibi assistentes consulat, & præsentibus partibus interroget, si rationes & allegationes partium intellexerunt. Quod si intellectæ non fuerint, tunc partes ipsæ suas rationes & iura compendio & breuiter ad intelligentiam assistentium assumant. Quod si scripturæ vel bullæ præsentatæ fuerint, eas explicari fratribus sgardii per Vice-Cancellarium sinat; vt audientium mentes omnem veritatem accipiant.

XI.

Quod Fratres sgardii iuramentum præstare teneantur.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, vt per caput sgardii sumatur solemne iuramentum ab illis qui sgardium intrabunt, quod secretum tenebunt, quicquid illic dictum & deliberatum fuerit, & nullo vnquam tempore reuelabunt, ac iuste secundum statuta & laudabiles consuetudines indicabunt. Qui contrafecerint, inhabiles ad obtinendas commendas & officia ordinis nostri in perpetuum censeantur.

XII.

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

SAncitum est, quod super Sgardio nec peti, nec dari possit aliud Sgardium inter easdem partes, donec primum fuerit finitum.

XIII.

CONSVETVDO.

DE re etiam per Sgardium definita & iudicata non datur aliud Sgardium.

XIV.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

SAncimus, quod causæ Sgardiorum tractentur & agitentur extra Ecclesiam: nisi ea quæ fiunt pro correctione & punitione fratrum, vt consuetum est.

DE MAGISTRO.
TITVLVS NONVS.

I.

Quod Fratres obediant Magistro.

F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

MElior est obedientia quam victima. Nihil quoque existit quod magis Religionis obseruantiam conseruet quam vera illibataque obedientia, qua inferiores superiori ceruicem submittunt. Ideo recte sancitum est, quod omnes Hierosolymitani fratres, quacumque autoritate fungantur, Domini IEsu Christi Saluatoris & Redemptoris nostri amore Magistro obedire teneantur.

II.

Declaratio obedientiæ.

CONSVETVDO.

IN regula cauetur, quod frater obediat in omni re quam præcipiet suus Magister; in quo regula non excludit aliquam rem, nihilominus est intellectum, quod habeat terminum & limites: quia nulla res recte ordinata est sine termino & limitibus: & iste terminus est regula, statuta, & bonæ consuetudines Religionis, & id ostendit statutum, quo cauetur, vt omnes fratres teneantur obedire Magistro contemplatione Christi: Quia quando Magister præcipit extra illud quod promisit, est malum & peccatum, & pro Christo non debet committi malum & peccatum: quinimo omne bonum; ea propter præceptum regulæ est clarum, & in hoc determinatur; & ideo est sancitum, quod, quando Superior facit aliquod præceptum quod non est secundum statuta, vsus & consuetudines Religionis, frater debet petere Sgardium fratrum; quia nostra obedientia non est ad aliud intellecta, & non debemus esse magis astricti de obedientia, nisi quantum nostra regula & bonæ consuetudines ordinant, quæ Superior noster promisit tenere: & si facit contra iuramentum, frater non debet sibi obedire.

III.

Quod Magister sit Frater, miles, & nobilibus parentibus legitime procreatus.

F. HVGO REVEL.

DEcet, vt qui militiæ præest, militarem dignitatem præ se ferat. Hinc statutum est, quod nullus assumi, aut eligi in Magistrum sacri Hospitalis Hierusalem possit, nisi sit frater miles ipsius ordinis Hospitalis, atque ex nobilibus parentibus legitimoque matrimonio procreatus existat.

IV.

Electus Magister a Conuentu absens non excedat limites commissionis a Conuentu datæ.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

STatuimus, quod electus in partibus occiduis Magister, in suo ad Conuentum aduentu pro vsu publico Religionis non possit expensis communis ærarii, ex quibusuis rebus emere & conducere, aut pecunias a receptoribus aut depositariis Religionis capere, nisi tantum quantum a Concilio fuerit commissum & ordinatum. Si autem modum excesserit, de suo fecisse intelligatur.

V.

Quod commendæ, dignitates, officia & beneficia promoti ad Magisterium vacare censeantur.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod, quando aliquis ex fratribus nostris ad Magisterium promouetur, adepto per electionem Magistratu, eo ipso administrationes Commendarum, Prioratuum, Baiuliuatuum, dignitatum & officiorum, quæ prius ante Magisterii adeptionem possidebat, vacare censeantur. Quorum concessio & prouisio deuoluatur Magistro & Conuentui, & secundum formam statutorum & laudabiles consuetudines concedantur.

VI.

Quod per promotionem ad Magisterium sit mortuarium & vacans.

IDEM MAGISTER.

VOlumus, quod per promotionem alicuius ad Magisterium sit mortuarium in Magisterio, & vacans in Prioratu, Castellania empostæ, Baiuliuatu, Commendis & bonis nostri ordinis, quæ possidebat ante promotionem illius, qui promotus erit ad Magisterium.

VII.

Quæ bona Magister potest retinere ex spolio sui prædecessoris.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

SAncitum est, quod ex spolio Magni Magistri defuncti, successor Magister, quæ sequuntur, sumere debeat, videlicet, de frumento & vino quantitatem sibi necessariam, vsque ad diem Natalis Domini, ab electione Magistri proxime sequuturam; residuum vero frumenti, commeatuum & vini ad ærarium perueniat. De vasis autem argenteis applicentur statui Magisterii pro Magistro, vsque ad sexcentas marcas argenti & non vltra. De iocalibus autem sumet vnam cuppam auri, & vnum vas aquarium, si in spolio reperiantur, & non aliud, cætera vero præter hæc ærario nostro ascribantur.

IIX.

E Cameris Magistralibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IAm olim a tempore cuius non est memoria, ad sustinenda & supportanda magistratus ordinis nostri

nostri onera, & vt Magister ipse decentius & commodius eam dignitatem gerere posset, fuerunt illi assignatæ & ipsi Magistratui annexæ & in perpetuum vnitæ per singulos Prioratus singulæ Commendæ, quæ magistrales dicuntur, quæ nunquam ab ipso magistratu separari possunt; solet tamen Magister eas locare, vel ad certam pensionem dare fratribus sibi beneuisis; Quæ quidem Commendæ sunt quæ sequuntur:

In Prioratu sancti Ægidii commenda de Pesenas.
In Prioratu Tholosæ commenda Podii Subreani.
In Prioratu Aluerniæ commenda de Salins.
In Prioratu Franciæ commenda Hannoniæ.
In Prioratu Aquitaniæ commenda Templi in rupella.
In Prioratu Campaniæ commenda Metensis.
In Prioratu Lombardiæ commenda Inuerni.
In Prioratu Vrbis commenda Mugnani.
In Prioratu Venetiarum commenda Triuisii.
In Prioratu Pisarum commenda Prati.
In Prioratu Capuæ commenda Ciciani.
In Prioratu Baroli commenda Brundusii, siue Marugii.
In Prioratu Messanæ commenda de Polizzi.
In Prioratu Chathaloniæ commenda de Masdeo.
In Prioratu Nauarræ commenda de Calcetes.
In Castellania empostæ commenda de Aliaga.
In Prioratu Castellæ commenda de Olmos.
In Prioratu Portugalliæ commenda de la Coua.
In Prioratu Angliæ commenda de Pescens.
In Prioratu Alemaniæ commenda de Buez.
In Prioratu Boemie commenda Wladisladia.

IX.

Quod Commenda de la Finica est Camera Magistralis.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

Inter alias Commendas, quæ Magistratui annexæ & in perpetuum vnitæ sunt, annumerari etiam debet Commenda de la Finica Regni Cypri, olim constituta.

X.

Quod Magister locumtenentem constituere possit.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

Magister in Conuentu residens locumtenentem ac vicegerentem designare & constituere pro suæ voluntatis arbitrio, autoritatem quoque sibi beneuisam pro suæ præeminentiæ facultate concedere potest.

XI.

Hæc sunt quæ Magister fratribus permittere potest.

CONSVETVDO.

Primum potest dare licentiam tenendi vestes proprias & aliam supellectilem. Item peregrinandi deuotionis gratia. Item comedendi priuatim in propriis domibus. Item recedendi a Conuentu. Item conferendi habitum Hospitalis. Item congregandi linguas. Item Baiuliuis præcipiendi aquæ potum: quem nullus remittere potest post campanæ sonum. Id enim reseruatur soli Magistro.

XII.

Quæ delicta Magister remittere potest.

F. CLAVDIVS DE LASENGLE.

Magister nulli ante condemnationem parcere potest, neque in perpetuum habitu priuatis, nisi de Capituli Generalis consensu: quod non nisi ex causa fieri debet. Poterit autem Magister pœnam commutare eorum, qui propter effusum alterius fratris sanguinem habitu secundum formam statutorum nostrorum priuantur. Dummodo a Concilii Baiuliuis id facere sit rogatus & loco priuationis habitus, delinquenti vnum annum de Antianitate vel plures, circumstantiis & qualitate delicti consideratis, demere. Quæ quidem Antianitatis diminutio cedat in commodum filiorum Arnaldorum, & hoc vbi mors & mutilatio membrorum non fuerit subsequuta: quoniam in his casibus statuta ad literam seruari iubemus.

XIII.

Quod Magister non alienet prouentus Magisterii.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

Statuimus, quod donationes quæ a Magistro pro tempore existenti fient de iuribus, prærogatiuis, præheminentiis, & prouentibus Magisterii in præiudicium successorum, irritæ sint; & in vim præsentis statuti præfata iura præheminentiæ & prouentus, donatore vita functo, eo ipso deuoluta ad Magisterium censeantur, nisi donationes ipsas Capitulum generale confirmauerit. Quod sine certa scientia & causa legitima facere non debet.

XIV.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

Statuimus, quod si Magister in infirmitate constitutus aliquam vel aliquas ex cameris Magistralibus, vel alia bona magisterio annexa vnita & incorporata, de quibus ex Capituli generalis licentia disponere eidem concessum fuerit, cuipiam concesserit ad vitam vel ad tempus, aut alias de illis disposuerit, talis dispositio & concessio nullius sit valoris, aut effectum habere possit, nisi Magister, qui eam fecerit, ex illa infirmitate conualuerit, vel post talem concessionem vel dispositionem dies triginta superuixerit. Idem volumus in Prioribus & Baiuliuis circa membra camerarum prioralium, & in commendatariis pro membris Commendarum de melioramento obseruari.

XV.

De Bulla plumbea & cerea Magistri.

F. NICOLAVS LORGVE.

Statutum est, quod Magister bullam plumbeam, in cuius cuneo superiori imago personæ eius sculpta sit, habeat. Quodque cuneo inferiori bullæ communis cuneus ipse iungatur; qua quidem bulla vtatur in his expediendis, bullandis & corroborandis, quæ auctoritate & præheminentia magistrali expedita fuerint. Bullam quoque argenteam teneat, qua in cera nigra bullentur literæ patentes & clausæ, atque alia, quæ sub dicta bulla expediri solent.

XVI.

De Prouisione victualium facienda.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

Statu-

STatuimus, quod Magistri pro tempore existentes, faciant debitam & necessariam prouisionem milii & frumenti, ita quod ad minus sit semper munitio vnius anni, iuxta suam possibilitatem.

XVII.

De quatuor Capellanis palatii Magistralis.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

VT sanctæ reliquiæ, quæ in palatio Magistrali sunt, debite venerentur; Statuimus, quod quatuor Capellani dicti palatii, vacante Magisterio, & in absentia Magistri, diurno & nocturno tempore diuina officia assidue celebrent ac peragant, ac si Magister præsens esset: & antequam a Conuentu discedant, faciant carauanas, prout hactenus fuit obseruatum.

XVIII.

De bonis status Magisterii.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod contingente casu vacationis Magisterii, magnus Commendatarius, siue eius locumtenens & conseruator conuentualis, vna cum aliis Commissariis, tunc a Concilio deputatis, per inuentarium ab officialibus palatii Magistralibus medio solemni iuramento integre recipiant omnia vtensilia, quæ præterito Magistro seruierunt, & ea bene custodita conseruent: si quæ fuerint subtracta, per inquisitionem Commissariorum reperiantur. Et simile seruetur circa equitaturas Magistri & status Magisterii. Vasa autem aurea & argentea ad commune ærarium spectant. Cassanturque malæ introductiones ab officialibus factæ.

XIX.

Absente Magistro regentes negocia Religionis ea tractent cum deliberatione Concilii.

IDEM MAGISTER.

STatuimus etiam, quod in absentia Magistri a Conuentu, qui regimini Religionis pro tempore fuerint deputati, debeant ardua Religionis negocia ex deliberatione Concilii tractare, & super his discernere, & similiter officiales remouere, & alios ponere, ac de officiis, commendis & beneficiis prouidere, & remissiones facere ex dicta deliberatione, quæ per scrutinium ballottarum, seruata forma statutorum sumatur. Quæ autem præter hunc ordinem facta fuerint, nullius roboris censeantur.

DE BAIVLIVIS.

TITVLVS DECIMVS.

I.

De origine Baiuliuorum.

CONSVETVDO.

VT Magister regimini atque gubernationi Ordinis nostri maturius intendere posset, maiores nostri Senatum & Concilium, quod Magistro adesset, instituerunt: & viros graues titulis dignitatum insignitos, Senatui adscripserunt. Hinc instituti sunt in Religione Conciliarii, videlicet Magnus Commendatarius, Marescallus, Hospitalarius, Admiratus, Magnus Conseruator, Turcopolerius, Magnus Baiuliuus, & Magnus Cancellarius, qui Baiuliui conuentuales dicuntur, quia suarum linguarum præsides existunt.

II.

Qui Fratres suppositi sint obedientiæ Marescalli.

E. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

SAcer Ordinis cœtus id expostulat, vt inferior superiori pareat. Hinc statutum est, quod omnes & singuli fratres, tam milites, quam seruientes, armorum Marescallo obediant, a cuius obedientia exempti sint Baiuliui conuentuales, eorumque Locatenentes, Priores, Castellanus empostæ, & Baiuliui capitulares, Magistrique comites siue socii.

III.

Quod gentes armorum in mari sint suppositi Admirato, & si Marescallus sit præsens, eidem pareant.

GVILLELMVS DE VILLARETO.

STatutum est, quod Admiratus habeat potestatem super omnes galeas & nauigia armata per Religionem, quodque possit retinere remiges & galliotos, ac armorum gentes, eisque faciat solutionem in ærario, atque tam in mari quam in terra sint suppositi armigeri maritimi autoritati Admirati. Si vero Marescallus erit in armamento, Admiratus & reliqui sint ad mandatum Marescalli. Et omnes armigeri, qui descendent in terram, stare debent ad mandatum illius, quem Marescallus suo loco deputabit. Cum autem erunt supra mare eundo & redeundo, sint ad præceptum Admirati, nisi Marescallus adesset.

IV.

IDEM MAGISTER.

CVm Marescallus congregationes seu Assembleas conuocat & celebrat, ad eas venire & ipsis interesse Prior Ecclesiæ teneatur.

V.

De vexillo Religionis per Marescallum commendando.

IDEM MAGISTER.

MArescallus ordinis nostri ex prærogatiua sui officii potest dare & commendare in exercitio armorum, cui sibi placuerit, vexillum siue confalonem ordinis nostri, id tamen cum consilio Magistri vel eius locumtenentis facere teneatur.

VI.

IDEM MAGISTER.

FRatribus delinquentibus pro delictorum qualitate potum aquæ præcipiat Marescallus in eorum domibus. Quod quidem alius Baiuliuus facere non potest, nisi a Magistro licentiam quærat.

VII.

Quod Fratres in armorum exercitio suppositi sint præcepto Marescalli.

IDEM MAGISTER.

SI in omnibus obedientia laudanda est, in armorum exercitio profecto magnopere commendanda existit. Igitur in armorum exercitio fratres Præcepto Marescalli suppositi sunt, exceptis Baiuliuis conuentualibus, & capitularibus, Prioribus, Castellano empostæ, & sociis Magistri; & si Magister erit præsens, tunc Marescallus, & alii obedientiæ Ma-

tiæ Magistri supponuntur; absente vero Magistro, eius locumtenenti parere teneantur.

VIII.

De potestate Admirati super armamentis.

IDEM MAGISTER.

Admirato ordinis nostri ex sui officii præeminentia omnes fratres & seculares expeditionis & classis maritimæ submittimus, cui parere debeant, & super his Admiratus potestatem exerceat. Si vero Magister aderit, aut eius locumtenens, tunc Admiratus & reliqui Magistro vel locumtenenti obediant: Illi quoque maritimi homines, qui ad stipendium Religionis existunt, super eorum solutione, quantum spectat ad marinariam, ipsi Admirato subiecti sunt.

IX.

De Prærogatiua Admirati.

F. DEODATUS DE GOZONO.

QVando Religio armabit triremes seu alia nauigia, Admiratus iniunget remigibus & nautis, vt triremes & nauigia conscendant, stipendia quoque ab ærario sumet, seu illi quos deputabit, vt remigibus & nautis exoluantur: Magister tamen pro remigibus & nautis suis suorumque nauigiorum & triremium sumet necessarios commeatus, & quæ opportuna fuerint.

X.

Quod Baiuliui, Officiales ab eis deputatos, priuare non possint officiis.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

NOn decet graues viros, & qui regimini præsunt, variabiles esse. Itaque non est permissum Baiuliuis qui semel in vim suæ preheminentiæ officiales elegerint aut constituerint, eos ab officiis sub prætextu alicuius delicti aut aliter destituere: nisi prius per Magistrum & Concilium ordinarium declaratum & decisum fuerit, ipsos officiales in exercitio officiorum deliquisse, & propterea priuationem officii incurrisse. Quicumque Baiuliuus contrafecerit, subeat pœnam quarantenæ; & nihilominus quicquid egerit, irritum censeatur.

XI.

Quod Commendatarii voltæ, granarii, paruæ commendæ reddant computum quolibet mense Magno Commendatario.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

AD conseruationem rerum & bonorum ordinis nostri statuimus, quod commendatarii voltæ, granarii, & paruæ commendæ de administratis & rebus ad sua officia spectantibus, quolibet mense computum magno Commendatario reddere teneantur, & reliqua siue residua manifestare. Si autem contrafecerint, seu male & dolose administrauerint, priuati officiis & beneficiis censeantur, atque quinque annos inhabiles ad consequendum commendas existant; omnes quoque expensas & satisfactiones, quas commendatarius voltæ faciet, in præsentia magni Commendatarii, si interesse poterit, vel in eius absentia, Thesaurario generali præsente, facere teneatur.

XII.

De Officio magni Baiuliui venerandæ linguæ Alemaniæ.

IDEM MAGISTER.

PRæheminentias, ac dignitatem pariter, onus officii magni Baiuliuatus Ven. linguæ Alemaniæ ad omnem ambiguitatem remouendam, ad vtilitatem & congruam opportunamque custodiam castelli nostri sancti Petri in ditione Turcarum situati (in quo certe non parum pondus honoris & decoris ordinis nostri consistit, cum ad ipsum christicolæ seruitutis iugo pressi, libertatis consequendæ gratia sæpenumero confugiunt. Idem quoque Castellum visitatione & reformatione circa stipendiarios, armaque eorum, ac munitiones eiusdem Castelli, & prouisiones plerumque egere videtur) Declarantes, & his quidem rebus arduis prouidere cupientes, statuimus, quod magnus Baiuliuus conuentualis, dictæ linguæ Alemaniæ Præses, qui pro tempore hujusmodi officium magni Baiuliuatus gerit, seu eius locumtenens, anno quolibet semel ad minus, aut prout necessitas postulauerit, ad dictum castellum visitandi gratia personaliter accedere debeat, trireme Rhodia aut alio nauigio vectus, prout ei melius & commodius faciendum videbitur. Volumusque fratres & familiares cum ipso magno Baiuliuo vel eius locumtenente, visitationis causa ad dictum castellum accedentes, sumptus a communi ærario percipere, quemadmodum fratres & familiares in triremibus ordinis percipiunt.

XIII.

De modo visitationis in Castello Sancti Petri.

IDEM MAGISTER.

QVia in omni rerum executione modus & norma potissime est admittenda: Ideo in visitatione dicti Castelli exequenda magnus Baiuliuus eiusque locumtenens hunc seruabunt morem. Stipendiatos vtiles, beneque armis munitos ac paratos eorum in statu & stipendiis conseruare, retinereque teneantur ac debeant. Inutiles vero & ineptos cassare & a stipendiis remouere, abdicareque debeant, & alios habiles & idoneos loco eorum subrogare, ponere & substituere. Quod si vtiles & sufficientes stipendiarii aliqui potentes, tamen armis bene muniti non comperiantur, terminum congruum & competentem talibus assignent, in quo armis muniti sufficientes existant: alias stipendio eis ordinato frustrentur & priuentur.

XIV.

De Restrictione exercitii magni Baiuliui.

IDEM MAGISTER.

CApitaneum certe & præfectum, qui a nobis dicto Castello præficitur & deputatur, merito ab exercitio dicti officii magni Baiuliui exemptum esse conuenit. Ideo statuimus, quod potestas & autoritas dicti officii ad Capitaneum, & eius familiares, & ad illos, qui fuerunt in conquesta eiusdem, ac stipendiatos qui a ciuitate Smyrnarum ad ipsum Castellum habitandi gratia migrarunt, qui a stipendiis certe destitui non possint, nisi de licentia Magistri, nullo pacto extendatur: verum a dicta potestate eximuntur. Volumus tamen ad robur digni-

dignitatis Magni Baiuliui, quod illa, quæ per Capitulum generale fuerunt ordinata, ipsam dignitatem concernentia, in officio & stipendiis plenariam firmitatem obtineant.

XV.

Quod Capitaneus Castelli Sancti Petri præstet fauorem Magno Baiuliuo visitanti.

IDEM MAGISTER.

NIhil est, quod magis, status conseruet, quam vera illibataque obedientia. Statuimus itaque, quod in uisitatione dicti castelli, per Magnum Baiuliuum, seu eius locumtenentem facienda, Capitaneus castelli eiusdem, qui pro tempore fuerit, eidem Magno Baiuliuo aut suo locumtenenti in dicta visitatione exequenda obediat & pareat: consilium quoque, auxilium, & fauorem præstare debeat, quoties ab ipso Magno Baiuliuo aut eius locumtenente fuerit requisitus: Ipsa quoque visitatione peracta, cum magnus Baiuliuus Rhodum reuersus fuerit, de omnibus compertis & occurrentibus verbo & scriptis plenariam relationem Magistro faciat.

XVI.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ET quoniam Magnus Baiuliuus supradicta præheminentia, quam Rhodi habebat, amplius vti non potest; Statuimus, vt ipsius loco ius visitandi notabilem ciuitatem veterem huius nostræ insulæ Melitæ, & Castellum Gaudisii habeat.

XVII.

De Horrei Commendatario & probis hominibus, & de præheminentia Magni Commendatarii super eo.

F. IOANNES DE LASTICO.

CIrca commeatuum & granorum conseruationem diligens custodia adhiberi debet, ne per negligentiam pereant. Idcirco incommoditates vita recupientes, statuimus, quod omnia frumenta, hordea, aliaque grana, biscotta, & alii commeatus ad commune ærarium pertinentia, in horreo, loco apto, tuto & idoneo reponantur, & conseruentur sub clausura duarum clauium. Ad ipsorum quoque conseruationem Religiosus probatæ vitæ, & expertæ discretionis eligatur in granarii commendatarium, qui alteram dictarum clauium tenebit: Atque per Magistrum & Concilium ordinarium duo Religiosi idonei, & ad hoc sufficientes ex diuersis linguis eligantur, qui alteram clauem custodiant. Talesque probi homines trimestri dumtaxat fungantur officio, intendantque conseruationi & distributioni frumenti & commeatuum, computum quoque de receptis datisque teneant, prout per cedulas magni Commendatarii ordinatum fuerit; & ipsum computum Magistro & Concilio singulo trimestri dare teneantur. Quod si in huiusmodi distributione augmentatio vel diminutio contingeret, id in commodum, vel damnum ærarii cedat. Hoc adiecto, quod granaria & magazeni, vbi prædicta recluduntur, bullentur magni Commendatarii bulla. Præfati tamen magazenum vnum liberum habeant, vbi assiduas distributiones facere possint. Commendatarii autem voltæ & granarii stipendium florenorum XXV. tantum pro quolibet annuatim præter tabulam & soldeam ab ærario capiant.

XVIII.

De probis hominibus paruæ Commendæ.

IDEM MAGISTER.

VT super officio paruæ Commendæ diligentius intendatur, statuimus, ut per Magistrum & Concilium deputentur duo probi religiosi ex diuersis linguis, qui delicta perquirant, & Magno Commendatario significent, quibus illico remedium apponat, aliter ad Magistrum & Concilium deferatur, qui secundum casuum emergentiam prouideant. Amplius, officiales horrei, voltæ, paruæ commendæ, & eleemosynæ quolibet biennio mutari mandamus.

XIX.

Quod Marescallus neminem liberet a turris custodia.

IDEM MAGISTER.

SVmma cura, vigilantia quoque adhibenda est Insulæ nostræ custodiæ & excubiis, quæ tot tantisque inimicis circumsepta est. Iubemus igitur, vt omnes fratres suppositi præheminentiæ Marescalli æqualiter, omni seclusa excusatione, excubias & vigilias, ad turrim deputatam fieri solitas, teneantur perseueranter exercere; A quo onere Marescallus per se aut alios liberare, & immunem reddere quempiam non possit, seu quouis modo excusare.

XX.

Quod equi passagii Marescallo præsententur.

IDEM MAGISTER.

EQuos passagii Marescallo ac duobus Religiosis, qui ad hoc deputentur, præsentari iubemus atque volumus. Qui quidem equi cum apti & idonei pro passagio dijudicati fuerint, tunc per scribam ærarii in libro ipsius ærarii Marescalli iussu annotentur.

XXI.

Probi homines super officio Magistri scutiferi eligantur, & Marescallus defectus corrigat.

IDEM MAGISTER.

OMnem fraudem & negligentiam excludere cupientes, sancimus, quod Magister & Concilium ordinarium duos Religiosos discretos eligant, qui intendant super his quæ pertinent ad Magistri scutiferi officium, & quæ dicto officio supposita sunt. In quibus si aliquod indebitum inuenerint, illud Marescallo significent, qui dilatione cessante prouideat, remediumque apponat, & pro casus exigentia puniat: quod si non fecerit, ad Magistrum & Concilium referatur, qui de remedio prouidebunt opportuno.

XXII.

Quod Hospitalarius eligat infirmarium, quem Magistro & Concilio præsentet.

IDEM MAGISTER.

PLurimum interest, vt exercitio Hospitalis, & curæ ægrotorum vir prudens & discretus deputetur

tetur, qui exercitii infirmorum ductor, rector, & director existat. Itaque volumus & statuimus, quod Hospitalarius Conuentus nostri fratrem ex lingua Franciæ, si in ea idoneum tali exercitio comperiat, in Infirmarium eligat. Si vero in ipsa lingua sufficientem non inuenerit, aliquem ex aliis linguis indifferenter pro eius arbitrio in Infirmarium eliget. Quem sic electum Magistro & Concilio ordinario præsentabit. Qui præsentati idoneitatem discutient, ipsum quoque confirmabunt, vel rejicient. Si minus idoneus esset, tunc Hospitalarius de alio prouidebit ordine prætacto. Infirmarius autem sic electus exercitio huius officii per biennium dumtaxat præerit. Quo finito, Magister & Concilium diligenter inquirent de cura, diligentia, & obsequio ab eo in ipso termino præstitis. Quod si bene, iuste, & laudabiliter seruitiis infirmariæ ipsum intendisse comperient, pro alio biennio in eo officio confirmari possit. Alias ab officio destituatur, & alius modo prædicto eligatur. Scriba quoque infirmariæ sicut infirmarii, biennio quolibet mutetur.

XXIII.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

Itatamen, quod ad officium Infirmarii eligatur frater miles.

XXIV.

De quibusdam prærogativis magni Conseruatoris.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod magnus Commendatarius aut eius vicegerens, ac procuratores nostri communis ærarii tempore solutionis soldearum debeant dare & consignare Magno Conseruatori vel eius locumtenenti omnes & singulos pannos lanæ, lini, canauassæ, & camelotos pro soldearum solutione deputatos. Quodque magnus Conseruator, & in eius comitiua Conseruator conuentualis distribuant huiusmodi soldeas; Inhibentes, ne cuiquam plus anticipetur quam quod pro vno anno dari & percipi solet; quod si secus factum fuerit, ipse Conseruator conuentualis teneatur soluere communi ærario precio forensi quod plus anticipatum fuerit. Magnus Conseruator quoque seu eius locumtenens interueniat & adsit contractibus pannorum, telarum, camelotorum, canauassarum pro soldeis, adsit quoque spoliis Fratrum distribuendis.

XXV.

Quod magnus Conseruator det licentiam scindendi & faciendi vestes.

IDEM MAGISTER.

NOn licet fratribus obedientiæ vinculo adstrictis, pro suo viuere arbitrio, sed in omnibus obedientiam præ se ferre tenentur. Ideo statuimus, quod fratres vestes breues aut longas scindi facere & ordinare, ipsisque vti non audeant aut præsumant sine magni Conseruatoris licentia. Si quis contrafecerit, de eo magnus Conseruator Marescallo querelam faciat, & delinquens pœna septenæ, toties quoties contrafecerit, puniatur.

XXVI.

Quod Turcopolerius non destituat turcopolos absque causæ cognitione.

IDEM MAGISTER.

NOn decet, nisi merito, quempiam ab officio destituere. Ideo prohibemus, ne Turcopolerius turcopolos officio priuare de facto absque causæ cognitione debeat. Quod si errasse aut deliquisse compererit, tales ab officio suspendat, sicque suspensis in præsentia testium fide dignorum decem dierum terminum assignet, in quo delinquentes coram Magistro & Concilio ordinario debeant comparere responsuri obiectis, quo iustitia ministretur. Ipsis vero delinquentibus termino præfixo non comparentibus, per contumaciam officium auferatur, & alios eorum loco Turcopolerius subroget & constituat.

XXVII.

De pastu, quem Turcopolerius a Turcopolis accipit.

IDEM MAGISTER.

IN lustratione & circuitione Insulæ nostræ per Turcopolerium facienda, pastum duorum dierum quolibet anno tantum, non continuorum, sed diuerso tempore a Turcopolo sumat Turcopolerius, ne expensarum onere subditi nostri nimium grauentur.

XXVIII.

De Stipendiis Baiuliuorum.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

QVi officiis præsunt vt onere, sic etiam honore emolumentoque frui decet, labor quoque præmii spe confouetur. Baiuliuis itaque conuentualibus ordinis nostri cum in Conuentu præsentes fuerint, stipendium cuilibet scutorum sexaginta dumtaxat deputamus & assignamus. Si vero absentes a Conuentu fuerint, ipso stipendio careant, eorum locatenentes, qui onera albergiarum supportabunt, quadraginta quinque ab ærario recipiant. Prior autem Ecclesiæ quadraginta octo. Thesaurarius generalis totidem. Cuius locumtenens medietatem tantum percipiet, non obstante quocumque statuto in contrarium faciente.

XXIX.

De Thesaurario generali & eius prærogatiua.

F. IOANNES DE LASTICO.

THesaurarii generalis ordinis nostri dignitatem linguæ Franciæ perpetuo ascribimus, qui Baiuliuus Capitularis esse censeatur. Is quoque assiduam residentiam in Conuentu facere tenetur, habetque in custodia bullam ferream communem in sacculo sub sigillis Magistri & Baiuliuorum qui sigillare consueuerunt, reclusam. In Conciliis quoque aderit, loco & suffragio Baiuliui Capitularis gaudebit: in redditione quoque computorum ærarii vna cum Baiuliuis interueniat, & stipendium annuum ab ærario, si frater miles fuerit, scuta auri quadraginta octo, si vero armorum seruiens aut Capellanus, florenos Rhodi currentes centum percipiet.

XXX.

De præsidentia & ordine Baiuliuorum & Priorum.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod Baiuliui, Priores, & Castellanus empostæ, tam in Conuentu, quam extra, sedeant, atque stent in sessione, deambulatione, & locutione, in Concilio & aliis locis, quemadmodum præteritis temporibus facere & stare consueuerunt.

XXXI.

Quod donati obediant Baiuliuis.

IDEM MAGISTER.

SI fratres ordinis nostri Superiori obedire tenentur, non minus certe donati obsequio ordinis nostri ascripti Superioribus parere astringuntur. Quare iubemus, vt donati debeant seruire in albergia, in qua fuerunt semel recepti, atque parere in omnibus rebus licitis & honestis Baiuliuo vel eius vicegerenti Albergiæ ipsius. Quod si contrafecerint, perdant soldeam & mensam quam ab ærario capiunt: nisi legitima excusatione præpediti fuerint, a Magistro & Concilio cognoscenda.

XXXII.

Quod magnus Commendatarius præsentet officiales granarii & paruæ commendæ.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod Magnus Commendatarius de qualibet lingua fratres sibi beneuisos Magistro & Concilio ordinario præsentet pro officiis granarii, & paruæ Commendæ, quos Magister & Concilium acceptent, si sufficientes fuerint: si minus idonei extiterint, alios præsentet idoneos, quos Magister & Concilium acceptare tenentur.

XXXIII.

De Prærogativis magni Commendatarii & Admirati super officio Tercinalis & voltæ.

IDEM MAGISTER.

AD pacificandum differentiam quæ est inter venerabiles Magnum Commendatarium & cæteros fratres linguæ prouinciæ ex vna; & Admiratum & alios fratres linguæ Italiæ partibus ex altera super officio tercinalis & voltæ; auditis & intellectis dictis partibus, & earum rationibus, dictam differentiam determinamus, & per sententiam diffinitiuam statuimus & ordinamus auctoritate huius præsentis capituli: quod de cætero Magnus Commendatarius debeat & possit ponere & eligere Commendatarium dictæ voltæ, & tercinalis, habens talem præheminentiam ipse Magnus Commendatarius, sicut consueuit. Qui Commendatarius voltæ teneatur reddere bonum computum quolibet mense omnium rerum per eum administratarum ante auditores computorum, qui per Magistrum & Concilium ordinarium erunt ordinati, & de qualibet re computum particulariter conficiat, vt statim, quid de qualibet re restabit, & quid deficiet, sciatur. Et quod Admiratus (non præiudicando dicto officio præfati commendatarii tercinalis) vltra dictum Commendatarium possit & debeat ponere vnum officialem nominatum probum virum, sibi beneuisum, qui possit ædificare intra limites dicti tercinalis, ad intrandum dictum tercinale, exeundumque domum: Qui probus vir teneatur habere vnum librum, in quo scribat omnes res quæ essent emptæ & conductæ, sicuti ferrum, ligna, remi, filum, stupa, arma, vela, & alia omnia de quibus debeat onerare dictum Commendatarium, & omnes expensæ quæ fient, quolibet die sint visæ & verificatæ per dictum probum virum, alias non admittantur in computis, & quod non absit de uolta quolibet die quando operabitur pro ærario, & quod omnium rerum fit factum vnum inuentarium, cuius copia teneat Magnus Commendatarius, vnam Admiratus, & vnam dictus probus vir qui pro tempore erit, augendo & diminuendo quando res augebitur & diminuetur, & omnia reponantur in tuto loco & competenti ad eorum conseruationem, & quod dictus probus vir & Commendatarius quilibet teneat vnam clauem magazeni. Insuper eliget dictus Admiratus vnum scribam, & deputabit eum dicto officio tercinalis, qui teneat registrum ad præceptum Admirati omnium rerum, quæ sunt intra dictum tercinale, pertinentium ad artem marinariam. Quæ non debeant remoueri a locis solitis; Et toties, quoties voluerit dictus Admiratus scire a scriba, quæ res sint in dictis locis, vel si sint bene custoditæ & in bono ordine, possit ad suum placitum facere: & similiter idem Magnus Commendatarius; Et quod præfatus probus vir & scriba subiaceant iurisdictioni ipsius Admirati, qui eos deponere a dicto officio & in eodem constituere possit. Et quod omnes cædulæ expensarum sint sigillatæ signeto dicti Magni Commendatarii, sicut solitum est. Dictus Commendatarius Tercinalis & voltæ habeat gagia florenorum viginti, & similiter probus vir; Scriba autem gagia solita, intelligendo, quod nullo modo possint supradicti extrahere a dicta uolta Tercinalis aliquid, ut puta remos, stupas, uela & cætera supradicta sine licentia Magistri: nisi fuerint pro armamentis galearum & fustarum Religionis. Dicti autem Commendatarius voltæ & probus vir mutentur biennio in biennium, sicut cæteri officiales.

XXXIV.

De Institutione Magni Cancellarii noui Baiuliui.

IDEM MAGISTER.

INstituimus & creamus alium Baiuliuum conuentualem, qui octauus sit, & postremum locum post septem alios Baiuliuos Conuentuales teneat, & Magnus Cancellarius nuncupetur. Ipse autem Baiuliuus Magnus Cancellarius stipendiis Baiuliuorum Conuentualium gaudeat, & hanc Baiuliuatus dignitatem perpetuo concedimus atque ascribimus Venerabili linguæ Hispaniæ, quam in duas linguas sub vna albergia constitutas diuidimus, quod Natio ipsa militibus ordinis nostri fulcita sit ornatissimis & de nostro ordine benemerita. Non præiudicantes per hoc quouis modo nominibus, honoribus, dignitatibus, præsidentiis & præheminentiis, prærogatiuis, & vtilitatibus aliorum Baiuliuorum Conuentualium & linguarum, ac Thesaurarii generalis, cui ex officio incumbit, bullam communem ferream custodire, sed singulis prædictis fortiori munimento roboratis reuocantes, cassantes & annullantes (consentien-

sentientibus ad hoc vniuersis linguarum fratribus) quasuis scripturas, literas & bullas promissionum & obligationum, dudum quouis modo ratione discordiarum inter septem linguas vigentium confectas. Quibuscunque statutis, consuetudinibus, vsibus, & naturis ordinis nostri, & quibusuis aliis in contrarium facientibus in aliquo non obstantibus.

XXXV.

De electione Magni Cancellarii.

IDEM MAGISTER.

VT Baiuliuus, Magnus Cancellarius nuncupatus, forma qua cæteri Baiuliui ordinantur, eligatur: nec ad ipsius Baiuliuatus apicem quispiam assumatur, nisi scribere & legere sciat, statuimus, atque decernimus.

XXXVI.

De Præheminentiis Magni Cancellarii.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt Magnus Cancellarius virum doctum & idoneum Vicecancellarium habeat, Cancellariæ nostræ exercitio deputatum, & vacante vicecancellariatus officio, duos vel plures fratres ordinis nostri doctos, idoneos, & ad ipsum exercitium sufficientes, successiue Magistro & Concilio ordinario præsentet, ex quibus vnum Magister & Concilium acceptabunt.

XXXVII.

De officio Vicecancellarii.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod Vicecancellarius prouisiones quascumque Cancellariæ expediat, ac more solito signare debeat, & eius fructus, reditus, & emolumenta recipiat, prout hactenus Cancellarii recipere consueuerunt; Nec literæ bulla communi plumbari possint, nisi Magnus Cancellarius seu eius locumtenens præsens fuerit in Conciliis, qui literas bulla communi munitas dumtaxat sub plica gratis signabit, saluo iure Senescallatus.

XXXVIII.

De scripturis Cancellariæ.

IDEM MAGISTER.

QVia Cancellariæ scripturæ omnibus ad iura sua tutanda sunt communes: Ideo statuimus, quod Vicecancellarius absque alia licentia scripturas & extracta ex libris Cancellariæ petentibus dare, si ad eorum causam pertineant, saluo iure Cancellariæ, teneatur.

XXXIX.

De Residentia Baiuliuorum conuentualium.

F. PETRVS DAVBVSSON.

BAiuliui Conuentuales tamquam viri consulares Magistro adesse debent, quorum consilio & prudentia negotia ordinis nostri dirigantur. Quare eos abesse a Conuentu non decet. Sed cum sæpe accidat, re aut tempore ita postulante, vt quosdam ex illis necesse sit ab ipso Conuentu discedere; Statuimus, quod hoc casu tres tantum Baiuliui Conuentuales secundum gradum & ordinem suum possint a Conuentu abire, ita tamen quod intra annos tres a die sui recessus ad ipsum Conuentum redire teneantur. Quodsi facere omiserint, eo ipso & absque alia monitione aut citatione suis Baiuliuatibus priuati censeantur, ad quos alii per Magistrum & Concilium ordinarium eligi poterunt.

XL.

Electus absens a Conuentu in Baiuliuum Conuentualem infra duos annos ad Conuentum accedere teneatur nec magnam crucem assumat extra Conuentum.

F. IOANNES DE HOMEDES.

QVi autem absentes a Conuentu in Baiuliuos Conuentuales electi fuerint, in termino duorum annorum, a die suæ electionis numerandorum, ad Conuentum accedere teneantur, & interim prærogatiuis & præheminentiis Baiuliuorum Conuentualium in consequendis dignitatibus & beneficiis ordinis vti possint. Aliter dicto termino elapso, nisi præsentes in Conuentu fuerint, nulla Baiuliui Conventualis prærogatiua potiantur. Quinimo dictis Baiuliuatibus eo ipso sine aliqua citatione aut monitione priuati censeantur. Et Magister & Concilium ad alterius electionem eius loco procedere debeant, salua tamen smutitione linguarum: Adjicientes, quod supradicti qui a Conuentu absentes in Baiuliuos Conuentuales electi fuerint, magnam crucem sibi assumere & gestare non præsumant, donec in Conuentu coram Magistro & Concilio se præsentauerint.

XLI.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

HAc tamen lege, quod elapso anno cum dimidio a die electionis, teneantur soluere eorum locatenentibus summam scutorum quinquaginta auri singulis mensibus pro sustinendis albergiarum sumptibus; quod si in termino duorum annorum, vt præfertur, non uenerint, iuxta suprascriptum statutum priuati censeantur.

XLII.

Quando Marescallus parcere potest iudicatis.

CONSVETVDO.

SI Marescallus fecerit querelam de fratre, & posuerit eam in iustitia, potest eam remittere & parcere, antequam exeat Ecclesiam, & non post: & si Marescallus fecerit querelam de fratre, fratres possunt precari pro delinquente, & Marescallus potest parcere ante sonum campanæ. Sed post, venia reseruatur Magistro vel suo locumtenenti: Item si Marescallus uel alius Commendatarius facit querelam ex mandato Magistri, tunc eam non potest remittere vel parcere: & similiter de præcepto facto ex ordine Magistri.

XLIII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Marescallus fratrem aliquem militem sibi beneuisum officio confalonerii siue vexilliferi loco secularis deputare possit, non obstante

obstante quocumque statuto vel consuetudine in contrarium faciente.

XLIV.

Quod nullis quam Baiuliuis conuentualibus ancianitates ad dignitates concedantur.

F. IOANNES DE VALLETTA.

Litium ac controuersiarum omnium materiam ac occasionem, quæ hactenus super antianitatibus ad dignitates inter fratres nostros ortæ sunt, præscindere ac euellere cupientes; Decernimus, & prohibemus, nemini in posterum prærogatiuam aut expectatiuam, seu quas antianitates vocamus, ad Prioratus, Castellaniam empostæ, & Baiuliuatus concedi, nisi Baiuliuis conuentualibus, ad quos iure & consuetudine nostra huiusmodi dignitates ante alios spectant & pertinent: quod si aliquando vrgens necessitas aut euidens vtilitas Prioratuum aut linguarum, quarum huiusmodi dignitates erunt, id faciendum expostulet, ordinisque nostri, vt præfatæ dignitates aliis dentur, non aliter, quam causa prius per Magistrum & Concilium examinata, & de consensu fratrum linguarum, aut Prioratuum, aut Castellaniæ empostæ, ad quos nominatio pertinebit, & personis nostri ordinis antianis & benemerentibus, & in quibus eæ qualitates concurrant, quæ per stabilimenta nostra in personis dignitatum capacibus requiruntur, & demum sine præiudicio Baiuliuorum conuentualium concedantur; exceptis concordiis forsam in aliquibus linguis seu Prioratibus initis & factis, in quibus aliter, ac contra formam præsentis decreti inter fratres ipsorum consentum est.

XLV.

De linguarum, Baiuliuorum ac Priorum numero.

CONSVETVDO.

Qvamuis ordo noster a suæ originis institutione, cum rerum amplitudinem comparasset, Consiliarios quosdam titulis dignitatum ornatos Magistro assistentes haberet; necessarium tamen visum est succedente tempore, linguas & prouincias distinguere & partiri, Baiuliuos ampliare, Priores instituere, vt suis limitibus ac ditionibus Religiosi coarctati, quietius professioni & Regimini intenderent. Hinc sequuta est olim & pro tempore succedentium opportunitate linguarum octo distinctio, Baiuliuorum conuentualium, qui linguis præessent, ampliatio, ac Priorum institutio, qui prouinciis præsiderent, additique sunt quidam tituli, qui Baiuliui capitulares dicuntur, qui Capitulis ascripti sunt, Concilioque intersunt. Quorum annumeratio hæc est:

Linguæ Prouinciæ, Magnus Commendatarius; Prior S. Aegidii, Prior Tholosæ, Baiuliuus Capitularis Manoascæ, qui sedente in Magistratu fratre Iacobo de Milly fuit institutus.

Linguæ Aluerniæ, Marescallus, Prior Aluerniæ: Baiuliuus Capitularis de Lureil, qui sedente in Magistratu fratre Baptista de Vrsinis ordinatus est; postea uero Baiuliuus Lugduni dictus, mutato nomine tempore fratris Philippi de Villers Lisleadam Magistri; nunc vero tempore fratris Ioannis Leuesque de la Cassiere de Deuesset, mutato nomine, appellatus est.

Linguæ Franciæ, Hospitalarius, Prior Franciæ, Prior Aquitaniæ, Prior Campaniæ, Baiuliuus, Capitularis Moreæ iamdudum institutus, Baiuliuus Capitularis, Thesaurarius generalis, qui sedente in Magistratu fratre Ioanne de Lastico ordinatus existit.

Linguæ Italiæ, Admiratus: Prior urbis, Prior Lombardiæ, Prior Venetiarum, Prior Pisarum, Prior Baroli, Prior Messanæ, Prior Capuæ; Baiuliui Capitulares sanctæ Euphemiæ, Sancti Stephani prope Monopolim, Sanctæ Trinitatis de Venusio; Sancti Ioannis de Neapoli iam dudum instituti.

Linguæ Aragoniæ, Cathaloniæ, & Nauarræ; Magnus Conseruator, sedente in Magistratu fratre Ioanne de Homedes sic dictus, Castellanus empostæ, Prior Cathaloniæ, Prior Nauarræ, Baiuliui Capitulares, Maioricarum, qui sedente in Magistratu fratre Antonio Fluuiano, & de Casp. sedente Magistro fratre Baptista de Vrsinis instituti fuerunt.

Linguæ Angliæ, Turcopolerius, Prior Angliæ, Prior Hiberniæ, Baiuliuus Capitularis Aquilæ.

Linguæ Alemaniæ, Magnus Baiuliuus, Prior Alemaniæ, Prior Bohemiæ, Prior Vngariæ, Prior Daciæ, Baiuliuus Capitularis de Brandeburgh.

Linguæ Castellæ, Legionis, & Portugalliæ: Magnus Cancellarius, Prior Castellæ & Legionis, Prior Portugalliæ, Baiuliuus Capitularis de Lora, sedente in Magistratu fratre Ioanne de Valletta, Baiuliuus Langonis, seu de Leça, sedente fratre Petro de Monte institutus, & Prioratui Portugalliæ perpetuo unitus: Baiuliuus de las Nueueuillas, sedente fratre Ioanne Leuesque de la Cassiere institutus.

Capitulares autem Baiuliui, Prior Ecclesiæ ordinis, & Præceptor Cypri, communes sunt omnibus linguis: Baiuliuus vero Capitularis Negropontis communis est duabus linguis, Aragoniæ, & Castellæ ex concordia inter eos habita.

DE PRIORIBVS.

TITVLVS VNDECIMVS.

I.

De Locumtenentibus Priorum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

Vt res ordinis nostri melius & diligentius administrentur, Priores & Castellanus empostæ, cum a suis Prioratibus aut Castellania empostæ discedent, debent constituere & nominare aliquem fratrem militem ordinis nostri, de antianis eiusdem Prioratus, sufficientem, idoneum, habilem, benemerentem & capacem, ac rerum ordinis nostri experientem Locumtenentem & Vicarium suum, qui in eorum absentia Assembleas conuocet & congreget, & petentibus iustitiam ministret; in capitulis prouincialibus intersit, aliaque omnia circa communia negocia exequatur, quæ ad officium Prioris & Castellani empostæ pertinent. Si autem Prior præsens fuerit, & aliquo legitimo impedimento detineatur, tunc enim Capitulis prouincialibus

cilibus & Assembleis præsideat Baiuliuus, si quis adfuerit, vel frater magis antianus.

II.

De modo eligendi Locumtenentes Priorum.

F. HUGO REVEL.

STatuimus, quod Prioribus & Castellano empostæ, in partibus vltramarinis vita functis, Commendatarius, in cuius Commenda mortem obierint, duodecim Commendatarios alios, si tot reperire poterit: sin minus quanto plures poterunt inueniri in ipso Prioratu & Castellania empostæ, viciniores & propinquiores ipsius Commendæ congregare & conuocare debeat; qui vna congregati, maturo consilio præhabito, aliquem ex fratribus dicti Prioratus & Castellaniæ empostæ, qui vicem & locum Prioris & Castellani empostæ teneat, idoneum & sufficientem, ac illi administrationi & oneri aptiorem eligant. Cui quidem sic electo omnes & singuli dicti Prioratus fratres parere & obedire teneantur; quousque obitus eius Prioris & Castellani empostæ ad notitiam Magistri & Conuentus peruenerit, & aliter ab eis fuerit prouisum. Si autem Prior & Castellanus empostæ extra limites sui Prioratus & Castellaniæ empostæ in alio quouis loco, præterquam in Conuentu, defunctus fuerit, is quem ipse a Prioratu & Castellania empostæ discedens locumtenentem seu vicegerentem suum reliquerat, etiam duodecim fratres conuocare procuret, qui electionem locumtenentis, prout supradictum est, faciant.

III.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

SI autem Prior vel Castellanus empostæ obierit, in aliqua Commendarum suarum Prioralium, Commendatarius propinquior tali Cameræ eodem modo & forma duodecim Commendatarios vocabit, qui Prioris locumtenentem eligent. Si vero Prior de suo Prioratu discedens, nullum locumtenentem reliquerit, & mortuus fuerit, eo casu aliquis frater magis antianus fratres modo supra declarato conuocet, & cum eis ad electionem locumtenentis procedat.

IV.

Nullus Frater potest esse locumtenens Prioris alieni Prioratus.

IDEM MAGISTER.

SAncitum est, quod nullus Prior possit esse locumtenens alterius Prioris, aut in alieno Prioratu præesse: neque frater quispiam alius, qui non habeat Commendam in iurisdictione illius Prioratus, in quo vices Prioris geret, & sit in eo Prioratu receptus præterquam in linguis Prouinciæ & Italiæ, vbi Prioratus & Commendæ sunt communes.

V.

De Iurisdictione Priorum.

IDEM MAGISTER.

PRiores & Castellanus empostæ ciuilem & criminalem iurisdictionem & correctionem regularem habent vna cum Capitulo prouinciali seu Assemblea in omnes fratres ordinis nostri, cuiuscumque qualitatis fuerint, qui in limitibus suorum Prioratuum aut Castellaniæ empostæ commorantur, aut in eis reperti fuerint; qua quidem semper vsi sunt & vti possunt, seruata forma statutorum nostrorum non derogando iurisdictioni Commendatariorum in fratres Capellanos obedientiæ, & seruientes officii vel stagii, qui in suis Commendis obedientiam vel stagium habent, nec auctoritati & iurisdictioni Prioris Ecclesiæ Conuentus in fratres Capellanos a statutis nostris illi concessæ.

VI.

Quod Fratres Capellani & Clerici subsint obedientiæ Prioris Ecclesiæ.

F. GUILDIELMUS DE VILLARETO.

PRrior Ecclesiæ, qui Capellanis & Clericis præest, optima ratione in eos iurisdictionem exercet. Hinc est, quod fratres Capellani & Clerici ordinis nostri in Conuentu existentes, & qui pro tempore ex partibus vltramarinis in Conuentum venient, sint subditi Prioris Ecclesiæ præceptis; exceptis Capellanis Magistri. Prior autem iis, qui sub eius potestate sunt constituti, potest iniungere, vt officium Ecclesiæ diligenter celebrent, confessiones audiant, Eucharistiam fratribus & confratribus præbeant, & cætera Ecclesiæ sacramenta administrent; si ea aliis præpeditus negociis vel causis Prior ipse exequi nequierit.

VII.

Quod Priores in suis Prioratibus & Commendatarii in suis Commendis habent iurisdictionem super fratres Capellanos.

F. PHILIBERTUS DE NILLIACO.

IMpunitas plerumque mali occasionem affert, & nonnulli ob correctionis absentiam promores ad delicta committenda redduntur. Cum itaque Prior Ecclesiæ conuentus, qui in Capellanos delinquentes iurisdictionem exercet, in Conuentu assiduam gerit residentiam: propter quod eius absentia obsistente super delictis Capellanorum extra conuentum in Prioratibus & commendis degentium commode prouidere & ipsos corrigere, quoties necessarium existit, non potest: Ideo ne occasio delinquendi præbeatur, statutum est, quod Priores & Castellanus empostæ in prioratibus suis, & Commendatarii in Commendis quas possident, super fratres Capellanos in ipsis residentes iurisdictionem pro delictorum qualitate & correctionem exerceant, toties quoties deliquerint; quemadmodum Prior Ecclesiæ in Conuentu facere consueuit. Vbi autem ipsi Capellani extra Conuentum degentes per Priores & Commendatarios suos superiores super eorum delictis admoniti fuerint, & nihilominus perseuerarint, possunt per Priores corrigi & puniri, prout fratres Milites & seruientes Religionis delinquentes secundum formam statutorum puniuntur. Si tamen Prior Ecclesiæ in partibus occiduis ac Prioratibus & Commendis præsens aliquando fuerit, vbicumque personaliter adfuerit, iurisdictionem in fratres Capellanos exerceat, eosque corrigat; Visitet quoque & reformet Ecclesias, diuinumque officium diligenter fieri ordinet, ac defectus corrigat; non obstantibus supradictis, quæ nullo pacto Prioris Ecclesiæ iurisdictioni, cum præsens fuerit, præiudicium generent.

VIII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IN fratres tamen Capellanos & seruientes armorum in Conuentu receptos nullus iurisdictionem exercere potest, præter Priorem & Castellanum empostæ cum Assemblea vel Capitulo prouinciali, vt in militibus ordinis nostri fieri consuetum est: Si quis contrafacere præsumpserit, pro inobediente habeatur.

IX.

IDEM MAGISTER.

PRior autem Ecclesiæ deputare, nominare & eligere potest in Prioratibus, Castellania empostæ, Baiuliuatibus & Commendis, Religionis Prouisores, Vicarios & Visitatores Ecclesiasticos ad exercendam iurisdictionem Ecclesiasticam & spiritualem in Capellanos & Clericos seculares, & laicos subditos & vasallos Religionis nostræ, & hoc vbi Priores, Castellanus empostæ, Baiuliui & Commendatarii nullam habent iurisdictionem spiritualem; nam illam habentes ipsi Vicarios huiusmodi constituere poterunt.

X.

Quod Priores non habent auctoritatem priuandi fratres habitu, commendis, membris, vel ancianitate.

IDEM MAGISTER.

VEtitum est Prioribus, Castellano empostæ, & Capitulo Prouinciali, ne in quemquam fratrum nostrorum suæ iurisdictioni subditorum priuationis habitus, commendæ, membri, beneficii, & aliorum bonorum, aut ancianitatis, vel perpetui carceris sententiam ferant. Si quis enim in eam pœnam incidisse repertus fuerit, Prior, Castellanus empostæ, & Capitulum Prouinciale vel assemblea, confecto eius processu, Magistrum & Concilium de eo certiorem facient; qui prout iustum fuerit, prouidebunt; Quod secus actum fuerit, irritum sit, & qui contrafecerit pro inobediente habeatur.

XI.

De Registris faciendis per Priores.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

TEnentur Priores, & Castellanus empostæ fieri facere duo registra de valore omnium Commendarum, Domorum, locorum, prædiorum, possessionum & beneficiorum sui Prioratus tam in Capite quam in membris, particulariter & nominatim. Quorum registrorum vnum mittatur Magistro & Conuentui: & alterum Priores custodiant. De quibus etiam Commendatarii vnum transumptum habeant; de iis videlicet quæ pertinent ad Commendas quas possident.

XII.

De Archiuis per Prioratus faciendis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt Priores & Castellanus empostæ sub pœna perditionis fructuum vnius anni sui Prioratus, communi ærario applicandorum, deputent aliquem locum tutum & securum in primaria & principali domo Prioratus, & Castellaniæ empostæ, aut alia quæ eis ad id commodior & tutior videbitur, & Archiuium vnum construi faciant impensis tam Priorum ipsorum & Castellani empostæ quam Commendatariorum, in quod reponantur omnia priuilegia, Instrumenta, acta, & literæ authenticæ, tam Prioratus & Castellaniæ empostæ, quam Commendarum & beneficiorum, quæ in eorum limitibus sunt. Et quod Commendatarii dictarum Commendarum, qui dicta Instrumenta, titulos, priuilegia, aut literas apud se habent, ea in eundem locum conferre teneantur, & ad id cogantur a Prioribus & Castellano empostæ per sequestrationem fructuum Commendarum & administrationum quas possident, quæ nostro communi ærario applicentur, donec paruerint. Poterunt tamen Commendatarii apud se retinere transumpta dictarum literarum & priuilegiorum.

XIII.

De Sigillis Priorum.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

AD euitandas fraudes & dolos: Iubemus, vt Priores & Castellanus empostæ sigillorum suorum Prioratuum impressiones, caracteres & sculpturas in cera, in capsa bene compacta repositas, ne alterationem recipiant, Magistro & Conuentui mittere teneantur. Quæ postea in Conuentu in loco ærarii sub sigillis Magistri & Baiuliuorum Conuentualium custodiantur, vt his sigillorum caracteribus pro rerum ingruentia ad fraudes reiiciendas vti possint.

XIV.

De Custodia Sigillorum Prioratuum.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

VOlumus & statuimus, quod sigilla Prioratuum custodiantur & seruentur sub secretis signetis Priorum & Castellani empostæ, & Commendatariorum Capituli siue Assembleæ prouincialis, vel maioris partis ipsorum: & quod nullæ literæ aliquo pacto sigillari possint, nisi in præsentia Prioris & Commendatariorum, in Capitulo siue Assemblea prouinciali existentium. Quodque in literis sigillatis sub plica quatuor ad minus Commendatarii se subscribant; quod si secus factum fuerit, nullius roboris & momenti esse censeantur: Si autem literæ obligationum per aliquos Commendatarios & fratres factæ fuerint, tales quoque literæ modò prædicto subscribantur; Decedentibus quoque Commendatariis, aut fratribus debitoribus, si debita persoluta non fuerint, qui subscripti fuerint, ad ea debita persoluenda expresse sint obligati, ne talia debita in detrimentum communis ærarii quispiam facere præsumat.

XV.

Quot Priores residere debent in Conuentu.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod tres Priores ordinis nostri secundum gradum vocationis suæ a Magistro & Conuentu faciendæ per biennium, a die quo in Conuentum appulerint incipiendum, in eo personalem residentiam facere teneantur. Quod si aliqui contumaces fuerint, pro dicto biennio, qui in Conuentu residere tenentur, fructus melioris & propinquioris Cameræ Prioralis de his quas possident, communi ærario nostro applicentur.

XVI.

XVI.

Priores & Baiuliui non vtantur prærogatiuis præheminentiis, quousque diligentiam adhibuerint consequendi earum possessiones.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRiores, Castellanus empostæ, & Baiuliui honoribus & præheminentiis suarum dignitatum non gaudeant, donec debitam se diligentiam adhibuisse de consequenda ipsarum possessione, Magistro & Concilio authentice constare fecerint. Quod cum ostenderint, ad Magistri & Concilii discretionem dictis honoribus vti poterunt.

DE OFFICIO FRATRVM, TITVLVS DVODECIMVS

I.

Quod Officia ordinis nostri Fratribus committantur.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

VOlumus, quod officia ordinis nostri Fratribus nostris idoneis committantur, qui ea exerceant. Si tamen fratres ad ea officia exercenda pro tempore apti non reperientur; Magister & Concilium seculares personas idoneas ad ipsa exercenda, ad tempus poterunt deputare.

II.

Quod Fratres servientes solita officia exerceant.

F. IOANNES DE LASTICO.

VOlumus, quod fratres seruientes armorum officia, quæ pro consuetudine sibi spectant, prout sunt volta, granarium, parua commenda, & alia officia suo statui consueta, regant & administrent. Frater quoque miles, qui ea postulabit, reputetur ex eodem gradu & ordine Fratris seruientis; & nihilominus illud officium assequi non possit, nisi Magistro & Concilio ad illud exercendum aptus & idoneus videretur. Quibus peractis, per eos quibus spectat, probi homines ordinentur, qui dictorum officiorum reformationi attendant; & qui deliquerit, pro delicti exigentia puniatur. Quolibet quoque biennio dicti officiales mutentur.

III.

De custodia fortaliciorum.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

DEputentur ad arcium & fortaliciorum nostrorum custodiam fratres milites & seruientes ordinis nostri. Quod si non reperientur, deputentur seculares fideles & idonei in fratrum absentia.

IV.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod fratres ordinis nostri præficiantur a Commendatariis, custodiis fortaliciorum & castellorum ordinis nostri in partibus occiduis sine damno & onere communis nostri ærarii.

V.

De Honesto vestitu Fratrum.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

DEcet viros Religiosos, animæ & corporis mundiciam atque honestatem summo studio observare. Hinc est, quod districtius iniungimus fratribus ordinis nostri, vt decentes atque honestos habitus deferant, qui congruere videantur veris Religiosis. Prohibentes, ne de cætero quouis colore excusationis quæsito, audeant portare tunicas vel habitus indecentes, sed vtantur tunicis & habitu longo & decenti, honeste ordinato. Breui autem veste, quæ sit etiam honesta, non vtantur, nisi in itinere, vel in triremibus, aut aliis nauigiis, vel in gardiis & custodia fortaliciorum Religionis In Conuentu autem & castello ac extra ad miliare, non vtantur breui veste nisi de licentia Magistri aut Marescalli, qui licentiam non det, nisi vrgente necessitate, videlicet ob exercitium alicuius publici officii, aut casu obsidionis, vel parandæ ciuitatis ad tuitionem in euentum rumoris belli. Si quis autem contrafecerit, pœna septenæ puniatur, & indumenta hanc limitationem excedentia eo ipso perdat, quæ communi nostro ærario applicentur.

VI.

De eodem.

F. PETRVS DAVBVSSON.

DEcet, vt, qui dignitate & prærogatiua Religionis præditus & insignitus est, a secularibus habitu separetur & dignoscatur. Adhærentes igitur statutis Prædecessorum nostrorum, statuimus & ordinamus, quod deinceps nullus fratrum nostrorum audeat, seu præsumat, in Conuentu extra exercitium armorum ferre, more secularium, cappas, vestes, robbas, caligas, diploides siue porpones, & sayos (quos bendatos & bigarratos appellant) ex variis coloribus inhonestis, etiam quod dictæ diploides siue porpones sint exercitio armorum apti. Atque mandatur, vt vnaquæque vestis diplois, cappa, caligæ, roba & sayus sint vnius coloris. Si quis autem contrafecerit, pœna septenæ puniatur, & indumenta, hanc limitationem excedentia, eo ipso perdat, quæ communi nostro ærario applicentur.

VII.

Quomodo Fratres in Albergiis gerere se debeant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRæcipimus fratribus nostris, vt Baiuliuos seu capita Albergiarum reuereantur & honore prosequantur, atque in ipsis Albergiis, vbi comedunt, modeste & temperate se gerant, nullamque turbationem, tumultum, aut strepitum faciant, sed quiete & in silentio comedant; a mensa non surgant priusquam ab aliquo Capellano gratiæ DEO actæ fuerint, quas stantes audire debeant, nisi legitima causa, & impetrata a Pilerio licentia. Qui contrafecerit pro prima vice sit in septena, pro secunda in quarantena, pro tertia in turri ad voluntatem Magistri & Concilii.

IIX.

Quod Fratres in armis se exerceant.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

VT libentius & alacrius fratres nostri in armis se exerceant, præcipimus, quod duæ gioiæ siue brauia

brauia singulis duobus mensibus apponantur, hoc est vno mense vna pro ludo balistarum, altero mense altera pro ludo scloporum, & singulis duobus mensibus sequenter.

IX.

Quod Fratres quolibet anno conficiant despropriamentum.

IDEM MAGISTER.

Statuimus, quod Priores, Baiuliui, Commendatarii, & fratres, quolibet anno despropriamentum facere teneantur, in quo res & bona eorum quæcunque, debita etiam & credita, ac status omnis suarum facultatum contineantur. Qui extra Conuentum erunt, illud ad Capitulum prouinciale portare teneantur, vt in capsam publicam ad id deputatam, clausa & sigillata reponantur. Qui in Conuentu degent, in manibus Magistri aut procuratorum communis ærarii etiam clausa & sigillata consignabunt. Quæ quidem despropriamenta, viuentibus illis, non aperientur.

DE ELECTIONIBVS.

TITVLVS DECIMVS TERTIVS.

I.

Forma electionis Magistri Hospitalis Hierusalem.

Optima ratione ducti nostri antecessores prudenter & caute ad Magistri electionem procedere consueuerunt: In capite namque, & Superiore designando atque eligendo status ordinis consistit, multumque refert, qualis tam nobili cœtui præsideat, ac Religionis administrationem teneat. Hæc igitur norma in Magistri electione a maioribus nostris sancita traditaque seruanda est. Magister cum graui morbo implicitum se cognoscit, debet pro ordinis indemnitate bullæ ferreæ & argenteæ cuneos, signetum quoque secretum, quibus vti solet, alicui probo, discreto, & idoneo Religioso commendare, aut aliter tuto loco reponi iubere; ne his fraudulenter aliquis vti possit. Quod si præpeditus ægritudine, aut aliter facere negligeret, qui Senescalliæ præest id effici procuret, & studeat, Ipso vita functo, qui ea in custodia habet, illico ad Concilium ordinarium deferat, ubi franguntur, vt eorum vsus penitus pereat. Demum funeris pompa pro more cum decore & deuotione ordinetur. Qua peracta, congregetur Concilium completum, in quo locumtenens Magisterii eligitur, cuius officium usque ad electionem Præceptoris electionis perduret. In quo quidem Concilio completo res & negocia ad Magisterium pertinentia proponentur, tractabuntur, & concludentur, & quod ab eo super id deliberatum & conclusum fuerit, habeat vim & efficaciam Capituli generalis; postea, bonorum spolii diuisione cum bonis status tuto seruatorum in aliud tempus dilata, in diei sequentis aurora signo campanæ publica Assemblea conuocatur. Magisterii quoque locumtenens, ac fratres in Conuentu commorantes in Ecclesia conueniunt, vbi post missarum solemnia peracta more & loco solito publicarum assemblearum locumtenens ipse præsideat. Baiuliui quoque & Priores, ac proceres pro ordine consueto sedeant, causa quoque congregationis locumtenentis organo explicata, iubeat omnes fratres octo linguarum separatim congregari. Qui suo ordine (excepto quo illius linguæ fratres, cuius locumtenens esse censetur, vltimo iurent) in præsentia ipsius locumtenentis seu vicegerentis totiusque Assembleæ solemni iuramento super crucem habitus præstito astringantur, quod vnum fratrem ex sua lingua illic præsentem, idoneum, & probum pro electionario Præceptoris electionis & trium electionariorum Magistri; scilicet Militis, Capellani, & seruienti armorum eligent, in cuius electione vtetur ballotis secretis. Facta octo fratrum ipso ordine electione, ipsi octo electionarii reuerentet coram vicegerente comparebunt, genibusque flexis tota Assemblea audiente & conspiciente, tactis sacris Euangeliis iurent, quod rite & iuste vnum fratrem Militem, probum, discretum & idoneum ex tota Assemblea vel ex ipsis in Præceptorem electionis eligent. Hi siquidem iuramento adacti conclauim intrant, vbi Præceptorem electionis, interueniente scrutinio ballotarum eligunt, & demum sic electum locumtenenti & Assembleæ significant: Qui vero in Præceptorem electionis designatus fuerit, reuerenter genu flexo coram vicegerente compareat, iuretque sub forma prætacta, quod Præceptoris electionis officium rite iusteque exercebit. Eo ipso vicegerens Magisterii officio se abdicat, & Præceptor electionis præsidet. Coram quo electionarii octo prædicti iterum iuramentum in præfatam formam præstabunt; quod vnum fratrem Militem, vnum fratrem Capellanum, & vnum fratrem seruientem armorum, idoneos, probos, & sufficientes pro tribus electionariis aliorum collegarum electionariorum Magistri nominabunt, & eligent. Ipsum quoque iuramentum Præceptor electionis in manibus vicegerentis præstabit, si de numero octo præfatorum fuerit; aliter enim in Assemblea remanens præsideat. His completis, octo electionarii sic iuramento adacti, conclauim intrant, vbi secreto tres huiusmodi electionarios Militem, Capellanum & seruientem cum eodem scrutinio ballotarum eligent. Quibus electis, Præceptori electionis, ac toti Assembleæ delectos significant intimantque. Electione triumuiratus, videlicet, Militis, Capellani, & seruientis promulgata, octo electionarii officio functi censentur, ac ipsi tres Religiosi, Miles, Capellanus & seruiens coram Præceptore electionis, cœtuque publico comparentes, forma prætacta iuramento se adigunt, quod iuste riteque reliquos electionarios Magistri hoc ordine eligent, videlicet quartum ex alia lingua, quam ex suis; & quartus electus modo præmisso iuramento adstrictus ad tres accedit, ipsique quatuor quintum, & sic deinceps vsque ad octo semper ex aliis linguis, ita quod posterior electus pro electione sequentis addatur prioribus. Octo quoque sic electi nonum eligent, & decimum ipsi nouem, & sic vsque ad numerum sexdecim tantum, ita, quod ex qualibet lingua sint duo fratres; in quibus nullus Baiuliuus seu alius magnæ Crucis interesse possit. Facta enim electione octaui, reliqui sumuntur per gradum & ordinem linguarum. Si autem aliquo casu contingente aliqua lingua his duobus ob defectum fratrum supplere non posset; ex alis suman-

ſumantur. In eadem autem electione & ex electionariis poſſint eſſe duo Capellani, & tres ſeruientes, & non plures, ſed omnino debet eſſe vnus Capellanus, & vnus ſeruiens ad minus; cæteri vero milites exiſtant, omnes quoque ſint legitimo matrimonio nati. Inter hos ſexdecim electionarios miles ille triumuir, qui prius ab octo fuit pro milite electus, qui & electionis miles vocatur, præſidet. Hic quoque Magiſtri electionem cæteris aſtantibus promulgat. Quilibet quoque ſexdecim electionariorum vnico ſuffragio vtitur, excepto milite electionis, qui ad euitandam ſuffragiorum paritatem in Magiſtri electione duobus vtitur ſuffragiis: atque ille frater, qui maiorem ſuffragiorum partem, hoc eſt, qui plura vota obtinet, in Magiſtrum electus ſumptuſque cenſetur. Poſtquam autem dicti ſexdecim hac norma fuerint electi, monitu & iuſſu Præceptoris electionis confeſſionem ſacerdoti peragunt, Miſſamque deuote audiunt, & Euchariſtiam reuerenter recipiunt, vt a vitiis purgati, & diuina gratia illuſtrati, Magiſtrum dignum, probum, & virtuoſum eligere valeant. His quidem peractis, electionarii ſexdecim coram Præceptore electionis, ac toto religioſorum cœtu aſſiſtente humiliter comparent, reuerenterque nudicapita & genua flectunt, ſuperque ſanctum crucis lignum, ſacroſanctaque Euangelia & miſſæ præfationem manibus appoſitis, quilibet ſingulariter, vnus poſt alium, alta & intelligibili voce, iuret in hæc verba:

Ego N. promitto & iuro per hoc ſacratiſſimum crucis lignum, & Sancta DEI Euangelia, & ſacroſancta præfationis verba, omni reiecto odio, timore, amore, præmii ſpe, - - dicii propriæ rationis nominare & eligere in Magiſtrum Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani, & vniuerſi ordinis noſtri ex omnibus religioſis ordinis noſtri fratribus militibus tam præſentibus, quam abſentibus vnum fratrem militem, legitimo matrimonio natum, idoneum, probum, virtuoſum, & ſufficientem, Magiſteriique capacem, & ita iuro & promitto, ſic DEus me adiuuet, & ſacratiſſimum crucis lignum, ſanctaque Scripturæ quas manibus tango; & ſi contrafecero, in periculum & damnationem perpetuam animæ meæ eſſe cenſeatur. Quo peracto lignum oſculetur crucis atque Scripturas ſacroſanctas. Deinde ſic omnibus electionariis iuramento adactis, Præceptor electionis, ac omnes & ſinguli fratres Aſſembleæ ſuper crucem habitus ſui promittant & iurent, ſe pro Magiſtro & Superiore admiſſuros, & ratum ac firmum habituros, quem præfati electionarii pro maiori parte votorum elegerint.

Dicti enim ſexdecim electionarii ſic iuramento adſtricti, illico nullos quauis de cauſa alloquentes, aut nutu ſeu ſigno quidpiam ſignificantes, a conſpectu Præceptoris electionis & totius Aſſembleæ diſcedunt, locumque ſecretum adeunt, Conclauimque intrant, portiſque clauſis, ita vt nulli pateat aditus, de eligendo Magiſtro diſceptant. In conclaui enim omnes electionarii pro libero rationis arbitrio intrepide, quod libuerit, proponant, mores, virtuteſque, ac vitia doceant, de hiſque diſceptent; habitoque diligenti ſcrutinio per tacita ſuffragia, hoc eſt, balottas in pixides ſecreto iniectas, Magiſtrum eligunt tot pixidibus appoſitis, quot fuerunt ii, de quibus diſceptabitur, prout in Concilio ordinatum eſt. Sic, qui plura ſuffragia habuerit, in Magiſtrum electus cenſetur, quem & non alium electionis miles haud dubio promulgare debeat. Electione peracta, electionarii a conclaui diſcedunt, comparentque coram Præceptore electionis ac vniuerſo fratrum cœtu, trinaque rogatione facta, ſi ratum habet, quod egere, terque affirmantibus gratum habere, tunc electionis miles alta & intelligibili voce, cæteris electionariis aſſiſtentibus, Magiſtrum nominat & promulgat. • Si electus adfuerit, reuerenter ad Altare maius ducitur, vbi ſuper ſtatutorum volumine poſitis manibus promittit, & iuramento ſolemni iurat, Regulam, Stabilimenta, & laudabiles conſuetudines ordinis ſe ſeruaturum, & quod ordinis negocia de conſilio procerum reget, ordinabit & exequutioni demandabit. Si autem electus abſens fuerit, cum ad Conuentum venerit, pari iuramento adſtringatur, antequam magiſtrali gaudeat præeminentia. His peractis, electo abſente Concilium completum eius vicegerentem eligit, qui vſque ad Magiſtri aduentum officio fungitur; ſi electus præſens fuerit, de locumtenente prouidet.

II.

F. NICOLAVS LORGVE.

STatuimus, quod fratres ordinis noſtri in loco, vbi electio Magiſtri celebratur, arma geſtare non præſumant; ſi quis contrafecerit, ſtatim ſuffragio priuetur, & ſi de eo plancta fiat, habitum perdat.

III.

Quod electio Baiuliuorum & Priorum fiat per Magiſtrum & Concilium ordinarium.

F. PETRVS DAVBVSSON.

EX antiqua conſuetudine electio Priorum, Caſtellani empoſtæ, ac Baiuliuorum ad Magiſtrum & Concilium ordinarium pertinet. Quapropter prohibemus omnibus ordinis noſtri fratribus, cuiuſcunque conditionis fuerint, quouis quæſito colore aut prætextu, ad ipſorum electionem aut aſſumptionem procedere, aut in talibus congregationibus ſuffragium dare, vel intereſſe. Qui autem contrafecerint, eo ipſo habitu priuati cenſeantur, quem numquam recuperare poſſint, eaque electio nulla ſit, electus quoque, ſi quouis modo eam procurauerit, habitu priuetur, prout conſuetum eſt, ſalua tamen ſemper linguæ nominatione.

IV.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

STatuimus, quod nullus de gratia receptus, qui nobilis uel legitimus non fuerit, ad aliquam dignitatem aſcendat, nec in lingua gratiæ contradicat, ſed ſuo cabimento & melioramento contentus exiſtat, nec inter ſexdecim capitulares interuenire, vel Magiſtrorum electionibus intereſſe, ſeu in eis ballotam aut ſuffragium habere poſſit.

V.

De modo electionis Priorum & Baiuliuorum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod, quandocumque Magiſter & Concilium ordinarium ad electionem Baiuliui conuen-

conuentualis procedent, postquam auditi fuerint, qui Baiuliuatum more solito postulant, discussis prius petentium moribus & virtutibus per eos, qui in Concilio aderunt, non seruato ordine, sed pro arbitrio, per Magistrum ante vsum ballotarum iuramentum solemne super crucem habitus præstitum de Baiuliuis, Prioribus, & assistentibus in Concilio pro electione facienda recipiatur, quod virum idoneum, vtilem, dignum, atque præstantiorem, habita potius ad sufficientiam & benemerentiam, quam antianitatem consideratione, Baiuliuum eligent. Et sic per scrutinium ballottarum electio fieri debeat. Pariformiter Priorem Ecclesiæ, cæterosque Priores & Baiuliuos capitulares eligi & creari præcipimus, linguarum smutitione pro veteri consuetudine semper reseruata.

VI.

De electione Prioris Ecclesiæ.

F. IACOBVS DE MILLY.

QVanto magis dignitas spirituale concernit, tanto magis in promouendo ad eam dignitatem viro consideratio habenda est. Igitur statuimus, quod vacante Ecclesiæ nostræ Prioratu, Magister & Concilium ordinarium matura & graui deliberatione ad Prioris Ecclesiæ electionem conueniant & procedant, atque de Capellanorum nostrorum omnium linguarum moribus, vita, doctrina, sufficientia, diligenti discussione habita, vnum Capellanum probatæ vitæ, diuinorumque expertum, peritum, doctumque in Priorem assumant & eligant. Qui electus assiduam in Conuentu residentiam facere teneatur, & si aliqua vrgente necessitate extra Conuentum mittatur, terminus quam citius remeandi, a Magistro & Concilio ordinario ei præfigatur.

VII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ADiicientes, quod nullus ad dignitatem Prioratus Ecclesiæ ascendat, nisi de legitimo matrimonio fuerit natus ac procreatus.

VIII.

Quod Fratres e Conuentu absentes non eligantur ad dignitates magnæ Crucis.

F. PETRVS DE MONTE.

QVoniam fratrum antianorum residentia in Conuentu admodum est necessaria, cum aliis de causis, tum maxime propter obsequia in administratione Reipublicæ præstanda; Statuimus, quod nemo fratrum paruæ Crucis a Conuentu nostro sine munere officioue Religionis absens, ad dignitatem magnæ Crucis eligi possit, nisi legitimo atque manifesto impedimento detineatur, quod Magistro & Concilio fide publica & authentica affirmatione Capituli prouincialis tantum, aut saltem Prioris & Assembleæ, primo quoque tempore significare & notum facere debet; huic tamen legi fratres venerandæ linguæ Angliæ & Alemaniæ subiici nolumus.

IX.

De antianitate assumendorum in Priores seu Baiuliuos.

F. IOANNES DE LASTICO.

DEcens est & necessarium, vt, qui ad statum ordinis nostri assumendi sunt, illius peritiam & experientiam rerum nostrarum habeant, idque fieri non potest, nisi per multum temporis in eo versati fuerint. Quapropter statuimus, quod nullus fratrum nostrorum in Baiuliuum aut Priorem assumi seu eligi possit, qui non habitum nostrum annos quindecim portauerit, ab eo die numerandos, quo in Conuentum primum venerit & receptus fuerit, atque sub vera obedientia nostri ordinis inculpate vixerit.

X.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

DVmmodo de illis annis quindecim decem simul, aut per interualla hic in Conuentu residentiam fecerit.

XI.

Quod in petitione dignitatum fratres iniuriosis verbis non vtantur.

IDEM MAGISTER.

PRohibemus fratribus nostris in petitione dignitatum, competitorum suorum vitia aut errata, vel turpe quidpiam quomodolibet publicare aut allegare, iniuriisque aut conuitiis alter alterum afficere, neque quidpiam in eos dicere, quod in eorum vita & moribus notam inurere possit. Poterunt tamen pro iure suo tuendo allegare defectus, per quos tenore statutorum nostrorum a petitione & consequutione dignitatum excludi possunt; vtpote debitorum communis ærarii, residentiæ non factæ, deteriorationis commendarum, melioramentorum non factorum, & aliorum huiusmodi. Qui contrafecerit, a petitione sua cadat. Si vero quiuis alius non competitor huiusmodi crimina inter petendum obiecerit, ipso facto, antequam ad electionem procedatur, priuetur antianitate duorum annorum.

XII.

De electione Procuratoris Generalis in Romana Curia.

F. IACOBVS DE MILLY.

IN quolibet Capitulo nostro generali Procurator ordinis nostri in Curia Romana reuocatus intelligitur: alius itaque eius loco ab ipso Capitulo est subrogandus; nihilominus si Magistro & Conuentui certis de causis videbitur, poterunt inter duo Capitula de alio prouidere Priore reuocato. Magister igitur & Capitulum generale procuratorem constituentes diligenter conspiciant & mature prouideant, Religiosumque dignum, prudentem, & benemeritum, in generalem procuratorem eligant: Qui quidem electus in Romana Curia resideat, & honestis vestibus, decentique ornatu incedat; ordinis quoque nostri priuilegia, gratias, libertatesque tutetur, concessiones, donationes, & prouisiones Magistri & Conuentus defendat: Fratribus rebellibus & inobedientibus resistat, & obsistat, ipsosque cum rigore prosequatur, obedientes vero foueat, adiuuet, & gratis, omni reiecto munere, defendat, Magistrum & Conuentum certiores de negociis reddat, nec aliud a fratribus nostris pro labore exigat, sed communis ærarii stipendiis conuentus existat.

XIII.

De modo eligendi Thesaurarium Generalem.

F. PE-

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod Thesaurarius generalis, venerandæ linguæ Franciæ Baiuliuus Capitularis eligatur per Magistrum & Concilium ordinarium modo & forma, qua alii Baiuliui Capitulares eliguntur de fratribus dictæ linguæ, habito prius respectu ad benemerentiam & sufficientiam, quam antianitatem: salua tamen smutitione ipsius linguæ. Quodque ipse Baiuliuus Thesaurarius retento titulo Baiuliui Thesaurarii possit e Conuentu discedere cum licentia concedenda eo modo, quo aliis Baiuliuis Capitularibus per Magistrum & Concilium completum conceditur, & gaudeat prærogatiuis tam præsens quam absens a Conuentu, quibus gaudent cæteri Baiuliui Capitulares; Intellecto, quod habeat custodiam bullæ ferreæ sub sigillis consuetis more solito; in eius autem absentia a Conuentu Magister & Concilium eligant & deputent locumtenentem Thesaurarii, qui dictam bullam custodiat, quia in conseruatione ipsius Bullæ non paruum pondus existit.

XIV.

De electione Castellani.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod officium Castellani detur per Magistrum & Concilium completum, qui Religiosum idoneum & antianum saltem octo annorum ad id officium eligant per ordinem linguarum; locumtenentem autem Castellani Magister autoritate propria ex præeminentia Magistrali eligit.

XV.

Forma electionis Castellani.

F. FABRITIVS DE CARRETTO.

ELectio Castellani sic fiet: Magister & Concilium completum accipient prius in scriptis a pilerio linguæ, cui per turnum & ordinem id officium spectabit, nomina fratrum antianorum, ad minus annorum octo in Conuentu existentium, quæ in dicto Concilio legentur, & personarum qualitas examinabitur: Deinde cum scrutinio ballotarum ex eis vnus, qui magis sufficiens, & idoneus diiudicatus fuerit, eligetur. Prohibeturque, ne lingua de dicto officio smutet, aut fratrum aliquis ad petendum id officium in Concilio admittatur. Electus autem coram Magistro & Concilio constitutus faciet solemne iuramentum de recte & iuste, omni semota labe, officium exercendo.

XVI.

De electione Capitanei exercitus terrestris & classis.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA

IN Capitaneo & belli duce summa diligentia & rerum agendarum experientia requiritur. Hinc est, quod pro tuitione Insulæ nostræ volumus & statuimus, quod in electione Capitanei exercitus terrestris, aut classis, quæ fieri debeat per Magistrum & Concilium completum: ita quod tres partes suffragiorum consentiant in vnum, habeatur potius respectus ad benemerentiam & idoneitatem quam antianitatem, sine tamen præiudicio antianorum; Ita tamen, quod si linguæ Aluerniæ pro Capitaneo terræ sufficiens & idoneus reperiatur, is ad Capitaneatum ante alios assumatur; si vero sufficiens non reperiatur, alius idoneus pro illa vice deputetur, sine præiudicio linguæ & antianorum: Et sic de Capitaneatu classis statuimus, quod si in lingua Italica sufficiens reperiatur, classi proponatur: si minus, alius pro illa vice deputetur sine præiudicio linguæ & antianorum, vt dictum est.

XVII.

De electione iudicum Castellaniæ.

F. IOANNES DE LASTICO.

MAgister & Concilium ordinarium viros probos, integros, & doctos iudices appellationum, & ordinarium eligant, qui per quodlibet biennium mutari debeant, ne temporis assiduitas sinistri occasionem afferat.

XVIII.

De electione Procuratorum pauperum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

ELigantur & deputentur per Magistrum & Concilium completum duo Religiosi prudentes & idonei, qui curam incarceratorum, pauperum, ægrotorum, viduarum, & pupillorum habeant, eosque suis in iuribus tueantur & defendant; ne dolo, fraude, & penuria deficiant, & iustitia in suis causis ministretur, pro quorum suffragio & præsidio coram Magistro & Concilio, & in quocumque loco comparere possint, ne calumniam aut iniuriam quoquomodo afflicti patiantur.

XIX.

F. CLAVDIVS DE LASENGLE.

QVorum procuratorum alter sit literatus, & stipendium ab ærario habeat.

XX.

De custodia facienda in Turri castri Rhodi per quatuor fratres.

F. EMERICVS DAMBOYSE.

QVia vrbs Rhodi in limitibus infidelium constituta est, oportet diligentia vtamur in ipsius custodia. Igitur statuimus, quod Venerandus Marescallus, aut eius locumtenens de tempore in tempus, prout ei melius videbitur, eligat quatuor fratres diuersarum linguarum, qui qualibet nocte in turri castri Rhodi continuam residentiam faciant, & per totum annum continuas nocturnas guardias in dicta turri exerceant, ex quibus vnum pro Capitaneo nominabit, quos ipse vt suos deputatos sæpius visitabit, & defectus corriget, habeatque autoritatem, inutiles a dicta guardia remouendi, & alios remotorum loco substituendi; tamen non est permissum, posse aliquem in dicta guardia retinere, qui in dictis guardiis supra tribus vicibus defecerit: quibus quidem fratribus quatuor pro eorum annuo salario & stipendio assignamus summam florenorum Rhodi currentium nonaginta sex, videlicet florenos viginti quatuor pro quolibet fratre, quod a nostro communi ærario capiet; & quia hoc stipendium est ad onus venerabilium Baiuliuorum conuentualium & capitularium, eorumque locatenentium, ac Priorum, pro tempore Rhodi residendentium (excepto Priore Ecclesiæ) & non ad expensas communis ærarii: Ideo eius scriba, quando de tri-

de trimeſtri in trimeſtri faciet computum tabularum prædictorum Rhodi reſidentium, pro æquali parte diuidat dictum ſtipendium inter prædictos Rhodi reſidentes, & eorum tabulis demat ſummam trimeſtris dicti ſalarii deputati antedictis quatuor fratribus facientibus guardiam. Et hæc ordinatio executioni mandetur prima die Martii proxime venturi, & futuris temporibus continuabitur. Caſſaturque & aboletur conſuetudo collectarum dandarum per antedictos venerandos Baiuliuos, & eorum locatenentes, ad quas præſtandas amplius non teneantur, nec alii fratres in Conuentu reſidentes, de cætero (prout hactenus fuit obſeruatum) grauabuntur dicta guardia.

DE COMMENDIS ET ADMINISTRATIONIBVS.

TITVLVS DECIMVS QVARTVS.

I.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

STatuimus, quod commendæ & bona ordinis noſtri illis fratribus regenda & adminiſtranda committantur, qui prudentes, probi, antiani & benemerentes erunt.

II.

IDEM MAGISTER.

PRohibemus, quod nullus frater duos Prioratus ſeu Baiuliuatus ſimul tenere poſſit, ſed vnum dumtaxat habeat, cuius regimini inuigilet & aſſiſtat.

III.

F. DEODATVS DE GOZONO.

NOn licet Priori vel Caſtellano empoſtæ, aliquam commendam, domum vel membrum in alio Prioratu, niſi Magiſtri & Conuentus conſenſus acceſſerit, habere vel tenere. Debet enim vnuſquiſque ſuis limitibus contentus eſſe, nec promotiones aliorum conuenit impedire.

IV.

Quas Commendas promoti ad Prioratus retinere poſſunt.

F. IACOBVS DE MILLY.

BAiuliui ſiue Commendatarii ad dignitatem prioralem rite & canonice promoti Commendas omnes, quas prius tenebant, dimittere tenentur: retinere tamen poſſunt Cameras Magiſtrales ſibi conceſſas, & Commendas per eos a ſecularium manibus recuperatas, illas etiam, quas titulo priuationis alicuius conſequuti fuerint.

V.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRohibitum eſt Prioribus, Cameras priorales quouis modo permutare, ſed quas in Prioratu inuenerint, retinere debebunt.

VI.

Qui filios habuerit, bona ordinis noſtri aſſequi non poſſit.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

SAncitum eſt, quod frater, qui ante ingreſſum in ordinem noſtrum vxorem habuerit, & ex ea filios genuerit, qui poſt peractam profeſſionem ac promotionis tempore ſuperſtites fuerint, nullo modo adminiſtrationem Prioratuum, Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliarum ſeu Commendarum obtinere & habere valeat.

VII.

Quo tempore Fratres poſſunt aſſequi Commendas.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatutum eſt, quod nullus frater ordinis noſtri, cuiuſuis conditionis fuerit, Commendam de gratia aut de cabimento habere & conſequi poſſit, niſi poſt ſumptum noſtri ordinis habitum & profeſſionem factam, quinque annos: nec penſionem, aut membrum, niſi tres annos in Conuentu noſtro moram traxerit continuos, aut per interualla, ac ius paſſagii ſoluerit: adiicientes, quod nullus omnino fratrum noſtrorum Commendam de cabimento, gratia, aut melioramento obtinere poſſit, niſi in Conuentu præſens fuerit, aut antianitatem ſiue expectatiuam habeat.

VIII.

De Caravanis ſeu Armamentis neceſſariis ad aſſequendas Commendas.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

QVia Reipublicæ in primis intereſt, ne quis præmia ab ea conſequatur, niſi illa per obſequia legitime meruerit: Statuimus, vt nullus fratrum militum & ſeruientium armorum Commendam de cabimento, aut de gratia conſequi poſſit, niſi prius in triremibus noſtræ Religionis tres carauanas completas, ſeu armamenta per ſe, vel per alium fecerit, exceptis fratribus & militibus venerandarum linguarum Angliæ, & Alemaniæ, ac iis qui in officiis ordinis aut Magiſtri verſantur & detinentur.

IX.

F. PETRVS DE MONTE.

ITa tamen, quod in huiuſmodi obſequiis quilibet annus continuus & completus, & non aliter pro vna carauana cenſeatur & numeretur, exceptis pueris ſiue pagiis Magiſtro ſeruientibus, qui ſuo tempore dictas tres carauanas adimplere tenentur. Decernentes, quod nullus admittatur ad carauanas faciendas, niſi decimum octauum ſuæ ætatis annum attigerit.

X.

Quod receptores in Prioratibus gaudent antianitate.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

REceptores communis noſtri ærarii in Prioratibus & Caſtellania empoſtæ a Conuentu abſentes antianitatem habere cenſeantur: In cuius vim Commendas de cabimento, melioramento, gratia Magiſtri, aut alterius obtinere poſſunt, eas tamen quarum adminiſtratio, ob non ſolutionem iurium noſtri communis ærarii ablata erit aliis fratribus, nullo modo conſequi poſſunt, ad euitandum dolum & fraudem.

XI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi cauſa Reipublicæ abſunt pro negotiis ordinis miſſi, durante ſua commiſſione, vel legatione, antianitate gaudent, ac ſi præſentes in Conuentu eſſent.

XII. Fra-

XII.

Frater ab infidelibus captus in conuentum veniens, quamdiu detinebitur, residentia gaudet.

IDEM MAGISTER.

Statuimus, quod si frater a partibus occiduis discedens animo & intentione in Conuentum veniendi, in itinere ab infidelibus captus fuerit, censeatur residens in Conuentu pro toto tempore suæ captiuitatis, similiter Commendatarius de Conuentu discedens cum licentia Magistri, animo etiam & intentione se ad suam commendam conferendi, ibique residendi, si ab infidelibus captus fuerit, censeatur residens in sua Commenda, quamdiu ab ipsis detinebitur.

XIII.

De obtinendis Literis antianitatis post adeptas commendas.

F. PETRVS DAVBVSSON.

Statuimus, vt fratres, qui Prioratus, Castellaniam emposta, Baiuliuatus, vel commendas vigore cuiuscumque ancianitatis, siue expectatiuæ adepti fuerint, in termino vnius anni a die executionis huiusmodi antianitatis literas confirmatorias a Magistro & Concilio obtinere debeant.

XIV.

Quo tempore Fratres meliorare possunt commendas.

F. IOANNES DE LASTICO.

Fratres qui semel de aliqua Commenda prouisi extiterint, se de alia meliorare non possunt, nisi prius quinque annos præter mortuarium & annatam (quam uacantem dicimus) in Commenda residentiam personalem fecerint.

XV.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASISERE.

Priores, Baiuliui, & Commendatarii quandiu in Conuentu resederint, vel ab eo discesserint, quoadusque Baiuliuatus, Prioratus, & Commendas appulerint, vel ab ipsis veniendi gratia ad Conuentum recesserint, in eisdem resedisse intelligantur.

XVI.

Quod Fratres tenentur meliorare Commendas.

F. PETRVS DAVBVSSON.

Nullus omnino frater ordinis nostri, qui habet Commendas de gratia, aut de cabimento, possit se cabire, aut meliorare, vel Prioratum aut Baiuliuatum habere, nisi prius authentice ostenderit Commendas, quas quocunque titulo possidet, se meliorasse.

XVII.

F. CLAUDIUS DE LA SENGLE.

Idem censemus in membris, aut qui membra possident, sub eadem pœna illa meliorare tenentur.

XVIII.

De Melioramento per Baiuliuos capitulares faciendo.

F. PETRVS DAVBVSSON.

Baiuliui capitulares, qui tenent & habent possessionem pacificam suorum Baiuliuatuum capitularium, ipsos Baiuliuatus Capitulares meliorare tenentur. Idcirco statuimus, quod nullus Baiuliuus Capitularis, qui Baiuliuatum pacifice possidet, possit assequi Prioratum aut Baiuliuatum Conuentualem, nisi probauerit & ostenderit authentice, se meliorasse Baiuliuatum Capitularem quem possidet.

XIX.

De Melioratione Camerarum Magistralium & Prioralium.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

Fratres ordinis nostri, quibus Magister suas Cameras Magistrales locauerit vel commiserit non poterunt Commendas de cabimento, aut melioramento, aut dignitates adipisci, nisi dictas Cameras Magistrales meliorauerint. Nec Priores Commendam suæ præheminentiæ pertinentem, excepta quinta camera, nisi melioramenta in suis quatuor cameris prioralibus fecerint. Nulli tamen melioratio non facta objici possit, nisi post quinquennium a die perceptionis fructuum tam in commendis ac Baiuliuatibus, quam in membris. In Cameris vero Magistralibus post idem tempus, lapsis duobus annis ad Magistrum pertinentibus.

XX.

De Melioramento per Fratres Capellanos & seruientes armorum faciendo.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

Quia nonnulli fratres Capellani & armorum seruientes, vbi semel commendas de cabimento assequuntur, multoties melioramenta in illis facere negligunt: Statuimus, vt fratres Capellani & armorum seruientes iuxta statutorum formam in commendis ab eis possessis intra duos annos elapso quinquennio, ex quo fructus percipere cœperunt, melioramenta conficere teneantur, & ea in Conuentum mittere, alioquin dicto termino elapso, vnius anni fructibus commendarum communi ærario applicandis priuentur.

XXI.

De censualibus libellis.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

Sancimus, vt de cætero nulla melioramenta pro validis approbentur, nisi prius Commissarii pro recognoscendis talibus meliorationibus præpositi iuramento medio in acta publica redacto profiteantur, se vidisse integre & diligenter confectos pro regionis, vbi fiunt, vsu censuales libellos, quos papyros terræ quidam vocant, alii recognoscentias, nonnulli cabreuationes seu apeamentos, tam commendæ quam Baiuliuatuum, camerarum prioralium & membrorum ab eis dependentium.

XXII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ATque camerarum Magiſtralium.

XXIII.

Moderatio ſtatuti præcedentis.

IDEM MAGISTER.

QVi quidem cenſuales libelli renouari debent vigeſimo quinto quoque anno. Quod ſi aliquo caſu acciderit, quod Priores, Caſtellanus empoſtæ, & Commendatarii propter aliquas legitimas cauſas eos conficere non potuerint, vtpote quod eorum confectio cederet in detrimentum Commendarum ſeu Prioratuum, ſi de eo authentice conſtare fecerint in actis ſuarum meliorationum, tunc in arbitrio Magiſtri & Concilii erit, ſuper id prouidere, prout æquum videbitur.

XXIV.

De Commendis de gratia per Magiſtrum conferendis.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

MAgiſter quolibet quinquennio vnam tantum Commendam, quam eligere voluerit, cuius adminiſtratio vacauerit in Conuentu, vel extra in quolibet Prioratu & Caſtellania empoſtæ fratribus in Conuentu de gratia committere poteſt. Adjicientes, quod ſi primo quinquennio Commendam non conceſſerit, in ſecundo quinquennio duas Commendas concedere poſſit, ita vt quolibet decennio duas Commendas dumtaxat modo præmiſſo in quolibet Prioratu & Caſtellania empoſtæ concedat.

XXV.

De eodem.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod, quotiescumque adminiſtratio alicuius Commendæ vacauerit ad diſpoſitionem Magiſtri ſecundum formam ſtatuti de gratiis magiſtralibus, Magiſter pro tempore exiſtens dictam Commendam alicui Commendatario dare poſſit, qui dimittat (ſi Magiſtro placuerit) vnam ex Commendis quas poſſidebat, & loco dimiſſæ tenebit illam, quam ei concedet Magiſter ſub eo titulo quo dimiſſam primo tenebat, & dimiſſam Commendam de gratia ſecundum formam ſtatuti de gratiis magiſtralibus ordinantis Magiſter alteri concedere poſſit.

XXVI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi quidem Magiſter a die quo certa notitia vacationis alicuius Commendæ habebitur, quæ ad ſuam gratiam magiſtralem pertinebit, teneatur infra viginti dies declarare ſi eam velit dare vel non, & eadem acceptata intra alios decem dies ſignificare debeat, cui commendam ſic retentam concedere voluerit & conceſſerit. Declarantes, idem intelligi debere de membris & penſionibus ex præfatis Commendis concedendis.

XXVII.

De gratiis Prioralibus.

IDEM MAGISTER.

COnſuetum eſt, vt Priores & Caſtellanus empoſtæ vnoquoque quinquennio, a die promotionis eorum numerando, vnam Commendam dumtaxat ſui Prioratus alicui fratri antiano & benemerito concedere poſſint.

XXIIX.

Quibus fratribus Commendæ concedi debent per Priores.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod Priores & Caſtellanus empoſtæ Commendas, quæ ſuæ diſpoſitioni ſecundum formam ſtatutorum noſtrorum pertinent, fratribus concedere non poſſint, niſi illis qui in Conuentu recepti fuerint, & paſſagium ærario exoluerint: Alias huiusmodi diſpoſitio nulla cenſeatur, & Commendæ præter hunc ordinem conceſſæ Magiſtro & Conuentui prouiſio ſpectet, qui ſecundum laudabiles conſuetudines ordinis eidem prouideat.

XXIX.

De modo concedendi Commendas per Priores.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IN concedendis Commendis a Prioribus & Caſtellano empoſtæ hic modus ſeruari ſolet: Quolibet quinquennio ſi a feſto ſanctorum Philippi & Iacobi ad aliud proxime ſequens adminiſtratio plurium Commendarum extra Conuentum vacauerit per mortem duorum vel plurium Commendatariorum, primum Magiſter (ſi tunc ad eum pertinebit) ſua gratia & præeminentia vtetur: Deinde Conuentus; Poſtmodum vero Prior & Caſtellanus empoſtæ; & vt clarius dicatur: ſi vacauerit, vna ad Magiſtrum pertinebit; ſi duæ, vna ad Magiſtrum & altera ad Conuentum, ſi plures quam duæ (mortuis pluribus Commendatariis extra Conuentum & in limitibus linguæ de qua Prioratus erit) poſt Magiſtrum & Conuentum Prior & Caſtellanus empoſtæ de earum vna pro ſua præeminentia diſponent. Elapſis tamen prius mortuario & annata vacantis Prioratus aut Caſtellaniæ empoſtæ: ſi aliter fecerint, conceſſio & diſpoſitio eorum nulla ſit, & pro illo anno tali ſua præeminentia & facultate diſponendi priuati cenſeantur.

XXX.

F. IOANNES DE VALLETTA.

DEclarantes, limites Prioratuum Regni Franciæ eſſe totum Regnum, & vbicumque extenduntur Commendæ ad dictos Prioratus ſpectantes. Prioratuum Hiſpaniarum, Regna Hiſpaniarum. Prioratuum Italiæ, omnes prouincias Italiæ, & inſulam Siciliæ. Alemaniæ, totam Germaniam tam ſuperiorem quam inferiorem. Angliæ, totam inſulam Angliæ cum Regno Scotiæ, & inſulam Hiberniæ. Commendatarii tamen qui ſuper mare & extra limites eorum Prioratuum de quibus exiſtunt, mortem obierint, in Conuentu obiiſſe cenſentur & intelliguntur.

XXXI.

Quod Priores in concedendis Commendis non poſſint quicquam retinere aut accipere.

F. AN-

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, quod Priores & Castellanus empostæ in dispositione Commendarum, quas in vim suæ præeminentiæ concedunt, membrum vel domum earundem retinere non possint, aut quouis modo valeant, vel pro dicta gratia mobilia bona aut immobilia recipere præsumant: si contrafecerint, gratiis & præeminentiis prioralibus pro illo anno priuati censeantur, & nihilominus dispositio facta expiret, talisque Commenda ad dispositionem Magistri & Conuentus perueniat.

XXXII.

Quod Priores Commendam suæ dispositioni spectantem cum alia permutare possunt.

F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod Commendam ad dispositionem Prioris secundum statutorum nostrorum formam pertinentem, Priores & Castellanus empostæ alicui Commendatario Commendam tenuioris valoris tenenti concedere possint, qui eam in potestate Prioris resignet, & eam quæ sibi concedetur sub eo titulo, quo primam tenebat, possidere debeat; resignatam quoque in manu Prioris Commendam Prior ipse alteri committat, & ille, cui committetur, ipsam de gratia Prioris teneat, saluis semper ærarii iuribus.

XXXIII.

De quinta camera per Priores retinenda.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

PRioribus & Castellano empostæ facultatem atque auctoritatem concedimus, vt vltra quatuor cameras priorales aliquam Commendam pro quinta camera de Commendis suæ dispositioni spectantibus sumere, acceptare, & retinere possint, vt condecentiæ status eorum commodius consulatur.

XXXIV.

De Commendis, in quibus est iurisdictio sanguinis.

IDEM MAGISTER.

SApientiæ ac probitati Magistri, Baiuliuorum quoque & procerum Concilii ordinarii eorumque discretioni remittimus, atque Commendas, in quibus iustitia sanguinis exercetur, fratribus Capellanis ordinis nostri committendi auctoritatem damus. Hi namque casu contingente ordinabunt, & de talibus pro suo arbitrio, personarum & rerum qualitate pensata diiudicabunt.

XXXV.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

PErmissum est Commendatario, Commendam de cabimento tenenti eam retinere pro suo melioramento, dummodo authentice constare fecerit, more solito nostri ordinis se illam meliorasse.

XXXVI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ERit autem ei liberum illa acceptata pro melioramento, factis denuo aliis melioramentis, & transacto etiam quinquennio aliam pro suo secundo melioramento acceptare.

XXXVII.

De resignationibus.

F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod nullus frater ordinis nostri commendam quam habet de cabimento, gratia, vel melioramento, aut alio quouis modo resignare, aut ei cedere possit, nisi in manibus Magistri & Conuentus duntaxat: Aliter resignatio nulla prorsus censeatur.

XXXVIII.

De pœna resignantium.

F. PETRVS DAVBVSSON.

PRæter id, qui tales resignationes fecerit, eo ipso pœnam priuationis Commendarum, membrorum & aliorum bonorum, quæ possidebit, incurrat; de quibus per Magistrum & Conuentum prouideatur, monitione, citationeque reiecta: quando de resignatione non rite patrata constiterit: & nihilominus resignationes contra formam statutorum factæ nullæ censeantur.

XXXIX.

De statu Commendarum relinquendo.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

VOlumus & mandamus, quod Commendatarii ad alias Commendas per melioramentum se transferentes, Commendarum, quas dimittunt, statum integrum in eis, sicut repererint, dimittant. Quod si contrafecerint, & ablata non restituerint intra annum, tunc eo ipso priuati sint Commendis, & alias habere termino quinquennii non possint.

XL.

De Permutatione Commendarum aut membrorum.

F. PHILIPPVS DE NILLIACO.

PRohibemus & interdicimus Prioribus & Castellano empostæ, quod permutationes Commendarum aut membrorum in Prioratibus a quibusuis Commendatariis aut fratribus non recipiant, aut quouis modo facere præsumant: si autem nonnulli permutare Commendas aut domos desiderauerint, Priores & Castellanus empostæ de tali permutatione ac fratrum ætate & Commendarum valore & qualitate Magistrum & Conuentum literis authenticis reddant certiores. Qui de huiusmodi permutatione clarius informati, & de ipsa in lingua, cuius fratres esse censentur permutantes, discussione & deliberatione habita, si lingua tali permutationi consenserit, tunc eam Magister & Conuentus confirment, & per Priorem executioni mandetur; aliter vero non. Si autem Priores & Castellanus empostæ, & alii superiores contrafecerint, reditibus vnius anni Camerarum prioralium & Commendarum priuentur, qui ærario applicentur; Et nihilominus quicquid præter huiusmodi seriem institutionis factum fuerit, nullius roboris esse censeatur. Si vero Commendatarii & fratres præter hanc formam Commendas aut domos permutauerint, & possessionem Commendarum adipisci præsumpserint, priusquam Magister & Conuentus atque lingua permutationem confirmauerint,

mauerint, ratamque habuerint, eo tunc ipsis Commendis & domibus, de quibus facta est permutatio, priuati sint, & de eis Magister & Conuentus, prouisionem faciant, fratribusque antianis & benemerentibus concedant, nec alias Commendas ipsi contrafacientes vsque ad lapsum quinquennii habere possint.

XLI.

De unione membrorum & Commendarum.

IDEM MAGISTER.

PRioribus & Castellano empostæ autoritatem & facultatem damus vniendi, annexandi, & incorporandi ad inuicem duas Commendas parui valoris & tenuis reditus cum consilio & consensu Capituli prouincialis, & non aliter. Quæ tamen vniones præiudicium ærarii iuribus nullo modo generent. Etiam ipsi Priores & Castellanus empostæ, quia plura membra reperiuntur, quæ sunt distantia a suis Capitibus, quare Commendatarii Commendæ eorum regimini vacare non possunt; Ideo huic incommoditati obuiare cupientes, illis permittimus, vt possint & valeant, cum Capituli prouincialis consensu & deliberatione, illa membra dispersa & a Capitibus longinqua vnire aliis Commendis propinquioribus, & quod Commendæ, quæ tales vniones recipient, iuribus ærarii onerentur, pro rata valoris membrorum vnitorum. Aliæ autem Commendæ a quibus sunt separata ipsis iuribus pro rata liberentur; Quæ quidem vniones sortiri debeant effectum, quandocumque a die vnionis quo vnita sint, administratore caruerint. In uim quarum vnionum prouisi de Commendis possessionem vnitorum sumere possint.

XLII.

Quod sine dilatione procedatur ad smutitionem Commendarum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt statim, postquam Magister & Conuentus legitime certiores facti fuerint de morte alicuius Prioris, Baiuliui & Commendatarii, debeant procedere ad smutitionem Prioratus, Baiuliuatus & Commendæ, & administrationi illorum prouidere: Et ne super huiusmodi certioratione dubium oriatur, intelligimus, si certiores facti fuerint per literas Prioris, Receptorum vel Procuratoris Prioratus, vbi mortem obierit, aut alicuius fratris ordinis nostri, qui se illum vidisse mortuum scribat; Dummodo ad eum nihil pertineat, vel per eius affirmationem, si ad Conuentum venerit, & etiam per Instrumentum authenticum manu publici Notarii aut Iudicis legitime confectum.

XLIII.

De Incapacibus ad consequendas Commendas.

IDEM MAGISTER.

QVicunque tempore smutitionis alicuius Baiuliuatus, Prioratus, dignitatis aut Commendæ illius consequendi quouis modo, & ex quauis causa incapax existat, etiam si postea ad id capax & habilis factus fuerit, tamen ipsum Prioratum, Baiuliuatum, dignitatem aut Commendam pro ea vice nulla ratione aut pacto obtinere poterit. Idem quoque erit, si eodem tempore non petierit.

XLIV.

De concedendis membris.

IDEM MAGISTER.

LIcet Prioribus & Castellano empostæ de qualibet Prioratus sui Camera concedere vnum membrum tantum, & Baiuliuo de suo Baiuliuatu; Commendatariis vero de Commendis dumtaxat, quas de melioramento tenent. De Commendis vero de cabimento, vel de gratia Magistri, linguæ, vel Prioris Commendatarii, nullum membrum dare poterunt.

XLV.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

DVmmodo Commenda, de qua conceditur membrum, aureos siue ducatos quadringentos annuos communi æstimatione reddat, & membrum Commendæ quintam partem non excedat.

XLVI.

Quod tempore mortuarii & vacantis non concedantur membra.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod, quicunque frater ad alium Prioratum, Castellaniam empostæ, aut Commendam secundum stilum Religionis, & statutorum seriem, se conferre voluerit, pendente tempore mortuarii & vacantis Prioratus, Castellaniæ empostæ, aut Commendarum, ad quas se transferre proponet, non possit de Prioratu, Castellania empostæ, aut Commenda, quos dimittere vel acceptare decreverit, membrum vel membra concedere. Quod si fecerit, concessio eo ipso nullius roboris sit, & irrita censeatur.

XLVII.

De moderatione concessionis membrorum.

IDEM MAGISTER.

COncessio autem membrorum fieri debet de membris longinquis a capitibus Commendarum, quod si aliter factum fuerit, nullius sit roboris, etiam si esset confirmata per Capitulum Prouinciale, & quod ex vna Commenda vnum membrum dumtaxat concedi possit, & vno concesso non possit concedi aliud, quousque dictum membrum fuerit reductum ad Commendam.

XLVIII.

Quod Commendatarii non retineant, fructus membrorum a se concessorum.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SI Commendatarius, suæ Commendæ membrum aliquod conferens, illius fructus vllo pacto sibi exceperit, reseruarit, vel retinuerit; Is (prætterquam quod talis prouisio ipso facto sit nulla) totius Commendæ fructibus continuo triennio priuetur, communi ærario applicandis, & acceptans dictum membrum per totidem annos nec Commendam habeat, nec officium vllum gerat.

XLIX.

De Pensionibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COnsuetum est, vt nullus pensionem super Commendis constituere possit præter Magistrum, & eos

& eos, quibus per Capitulum generale nominatim, & in specie id concessum fuerit.

L.

F. IOANNES DE HOMEDES.

ETiam si de gratia linguæ, aut Prioratus vel Magistri beneficentia id fieri contingeret, nec Magister licentiam dare possit de hoc tractando: si quid secus factum fuerit, sit irritum & inane.

LI.

De Forma Confirmationis membrorum.

F. IACOBVS DE MILLY.

DOlos & fraudes euitare volentes: Statuimus, quod Prior, Castellanus empostæ, & Capitulum prouinciale, huiusmodi membra vel domus, per Commendatarios concessa ad tempus vel ad vitam fratribus, aut donatis ordinis nostri, iuribus ærarii reseruatis, confirmare possint. Quæ quidem confirmatio sigillo communi Prioratus roboretur: quæ tamen fieri non possit, nisi Commendatarius & frater, seu donatus, cui concessio facta fuerit, coram Capitulo prouinciali & Priore prius personaliter compareant; vbi iuramentum solemne præstare teneantur, quod in huiusmodi concessione fraus, dolus, aut circumuentio non intercesserit. Frater, qui in Conuentu erit, per procuratorem adesse possit, & supplere per procuratorem, quod per præsentiam efficeret. Quicquid autem contra hunc ordinem factum atque confirmatum fuerit, nullius momenti esse censeatur.

LII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

EAdem forma seruetur, cum huiusmodi membra in linguis aut Prioratibus conceduntur & confirmantur.

LIII.

Quod non dentur membra aut prædia secularibus.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod Priores, Castellanus empostæ in Capitulis, seu Assembleis prouincialibus vel extra, & Commendatarii & fratres, Commendas, membra, prædia, aut possessiones vel pensiones Prioratuum, Castellaniæ empostæ, seu Commendarum secularibus, aut aliis personis extra ordinem nostrum degentibus, cuiusuis conditionis fuerint, nullo pacto concedere, aut permutare vel cambiare cum eis possint. Nam ipsis id agendi potestatem & auctoritatem denegamus atque interdicimus. Si quis autem contrafecerit, Commendis & beneficiis eo ipso priuatus censeatur, & per decennium alia consequi non possit; & nihilominus concessio, donatio, aut permutatio nullius valoris existat.

LIV.

Quod membra per mortem ea possidentium ad capita reuertantur.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

ANtiquæ consuetudini ordinis nostri adhærentes declaramus, quod contingente casu obitus possidentium membra Commendarum, ipsa reuertuntur & redintegrantur Commendis a quibus dependent, tamquam eorum capiti, referendo singula singulis. Cui quidem capiti præfata membra reuniuntur, incorporantur, & in pristinum statum reducuntur.

LV.

De bonis recuperatis per fratres a secularibus.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

STatuimus, quod si quis frater ordinis nostri recuperauerit, & ad obedientiam ordinis nostri reduxerit Commendas, reditus, prædia & possessiones, per seculares, aut alienas a nostro ordine personas occupatas & detentas, talia bona recuperata fratri recuperanti per Magistrum & Conuentum concedantur ad vitam: nec de talibus Commendis aut bonis recuperatis teneatur soluere responsiones communi ærario, nisi illud, quod prius seculares exsoluebant.

LVI.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SEd prius monendi sunt Commendatarii, quorum Commendis bona per seculares occupata vel detenta pertinent, vt dicta bona recuperent, qui voluntatem suam super eo intra bimestre declarare tenebuntur Magistro & Concilio, vel Priori aut Capitulo prouinciali, an velint ea recuperare. Quod si declarauerint, se velle recuperare, debent intra annum a die declarationis suæ mouere & intendere litem occupatoribus aut detentoribus bonorum ipsorum, si ea aliter reddere nollent. Quod si non fecerint, liceat vnicuique fratrum nostrorum auctoritate Magistri & Conuentus, vel Prioris aut Castellani empostæ, aut Capituli prouincialis illa prosequi & recuperare.

LVII.

Quod bona acquisita viciniori Commendæ applicentur.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

STatuimus, quod omnia bona stabilia elargita per seculares personas fratribus ordinis nostri, seu acquisita per eosdem, nullo modo vendi aut distrahi possint, absque expressa Magistri & Capituli generalis licentia: Quinimo post talium fratrum decessum dicta bona applicentur illi Baiuliæ seu Commendæ, in cuius limitibus sita sunt, etiam si fratres mortem obierint, aut moram traxerint alibi quam in dicta Commenda. Si autem dicta bona constituta non essent in limitibus alicuius Commendæ, quod tunc propinquiori aut viciniori Commendæ vniantur. Quibus quidem bonis imponatur onus communi nostro ærario exoluendum.

LVIII.

De censibus a Fratribus emptis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVia sæpe contingit, vt fratres nostri sponte vel coacti emant census seu annuos reditus, qui ad libitum vendentium, aut aliter redimi possunt, fuit dubium, an dicti census haberentur pro stabilibus vel mobilibus. Nos id dubium tollere volentes, declaramus, quod huiusmodi census seu annui reditus empti in perpetuum, de quibus Instrumentum gratiæ facta venditori de eis luendis & redimendis non ostenditur, loco bonorum stabilium

bilium habeantur, & pro talibus propinquiori Commendæ applicentur: vbi vero monstrabitur Instrumentum gratiæ supradictæ, pro bonis mobilibus censeantur, & pro talibus post mortem emptoris ærario applicentur. Quod tam de acquisitis, quam de acquirendis intelligi debet.

LIX.

De Prouisione beneficiorum ecclesiasticorum.

CONSVETVDO.

PRiores in suis cameris Prioralibus, Baiuliui & Commendatarii in suis Commendis habent prouisionem vel præsentationem beneficiorum ecclesiasticorum cum cura animarum vel sine a suis Commendis dependentium, nisi id priuilegio vel consuetudine ad alios pertineat.

LX.

De eodem.

F. IOANNES DE HOMEDES.

TAmen si dicta beneficia ecclesiastica per mortem vel resignationem, priuationem, aut alio quouis modo in Conuentu vel extra, vbi fuerit Magister, vacauerint, eorum prouisio vel præsentatio ad eum ex consuetudine pertinere debet, etiam si ad ea per electionem quis assumi deberet: nisi talia beneficia pro cabimentis essent assignata, aut dari consueuerint.

LXI.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ET si contigerit tempore mortuarii & vacantis, priusquam administrationi Prioratus, Castellaniæ empostæ, & Commendæ huiusmodi fuerit prouisum, & donec Prior, Castellanus empostæ, Baiuliuus & Commendatarius possessionem administrationis consequuti fuerint, & præsentes fuerint, vel de procuratore sufficiente, aut vicario legitimo ad huiusmodi beneficia conferenda, vel ad ea præsentandum prouiderint. In Commendis Prior, & Castellanus empostæ, & in eorum defectu receptor nostri Communis ærarii conferre vel præsentare debeant. Quibus per hoc statutum plenam facultatem & expressum mandatum ad id damus.

LXII.

IDEM MAGISTER.

SAncimus, vt Magister intra dies octo, a die vacationis huiusmodi beneficiorum in Conuentu vacantium numerandos, ea conferat Baiuliui autem, Priores, & Commendatarii, statim habita notitia eorundem vacationis, ipsa fratribus nostræ Religionis, vel aliis cum habitu præsentatis prius in Capitulo prouinciali aut Assemblea, & ibi approbatis secundum formam statutorum conferre aut ad ea præsentare debeant.

LXIII.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, vt omnia beneficia Ecclesiastica nostri ordinis, quorum collatio aut præsentatio ad nostrum ordinem pertinet, nullis conferantur, aut nulli ad ea presententur, nisi sint fratres ipsum ordinem professi.

LXIV.

Quod Fratres non impetrent Commendas aut beneficia extra ordinem nostrum.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

SAncimus, quod nullus frater ordinis nostri, cuiuscunque conditionis fuerit, clam vel palam, directe vel indirecte, per se vel per alium impetret, aut petat Prioratus, Castellaniam empostæ, Commendas, dignitates, officia, beneficia, domos, prædia, & alia bona nostri ordinis a quibusuis personis, nisi tantum a Magistro & Conuentu & Religiosis ipsius ordinis secundum formam statutorum: si quis autem aliter impetrauerit vel obtinuerit, aut etiam petierit, volumus & iubemus, quod eo ipso & in continenti teneatur & sit obligatus cedere & renuntiare huiusmodi prouisioni & impetrationi, & omni iuri, quod habere possit illius occasione in manibus Magistri, aut coram Notario vel testibus. Si vero talis impetrans huiusmodi resignationem facere recusauerit, aut quouis modo distulerit, eo ipso absque alia causæ cognitione aut processu intelligatur, & sit priuatus habitu, & in perpetuum carcerem coniiciatur.

LXV.

Quod seculares non deputentur ad regimen Commendarum.

F. DEODATVS DE GOZONO.

INhibemus sub pœna priuationis Commendarum omnibus Commendatariis & Administratoribus bonorum nostri ordinis, ne regimini & administrationi Commendarum seu Baiuliuarum personas seculares deputent: Quinimmo earum regimen fratri ordinis nostri, seu donato in fratris comitiua commendetur, quatenus maiori cura Commendarum regimina exerceantur.

DE VISITATIONIBVS.

TITVLVS DECIMVS QVINTVS.

I.

De Visitatione Commendarum.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Priores, & Castellanus empostæ quolibet quinquennio personaliter omnes Baiuliuas, Commendas, domos, membra, Hospitalia, Ecclesias, Oratoria, & alia quæcunque loca sibi subiecta diligenter visitare debeant; & super inutiliter administratis prouidere teneantur, ne per negligentiam incommoda sequantur. Eam quoque visitationem in scriptis redigant, cuius transumptum authenticum Magistro & Conuentui mittant. Si vero Priores, & Castellanus empostæ valetudine, aut alia legitima causa impediti fuerint, quominus visitare possint Commendas, domos, membra, & alia loca nostri ordinis supradicta in suo Prioratu, eo casu duos fratres vnum militem, qui sit Commendatarius, & vnum fratrem Capellanum, qui etiam Commendam habeat, si reperiri poterit, sin minus alium fratrem Capellanum aptos, prudentes & idoneos ad dictam visitationem faciendam eligant & deputent. Si tamen, pendente dicto quinquennio, periculum esset, ne aliquæ Commendæ ruinas

nam paterentur: Volumus, quod non expectato eo termino, Priores, & Castellanus empostæ super earum reparatione & manutentione diligenter prouideant. Poterunt etiam, si necessarium aut commodum videbitur, simul, & successiue plures fratres ad dictas visitationes faciendas deputari, qui bini (modo quo supra dictum est) ad diuersas Commendas se conferent, vt celerius dictæ visitationes confici possint.

II.

De Visitatione Camerarum Prioralium.

IDEM MAGISTER.

QVia Prioribus, & Castellano empostæ cæteros visitandi auctoritas commissa est: Statuimus, vt reciproca potestate visitationis normam subeant. Decet enim vnumquemque Religiosum, ceruices iugo obedientiæ submittere, nec delinquendi licentia cuipiam danda est. Hoc igitur modo Cameræ Priorales visitabuntur: Quolibet quinquennio duo prudentes fratres, scilicet, vnus miles Commendatarius, & vnus Capellanus (vt supradictum est) idonei & sufficientes deligantur, & in Capitulo prouinciali deputentur, qui auctoritate nostra Cameras priorales, membra, & domos earum diligenter visitent, & visitationem in scriptis redigant; & de his quæ inuenerint, Prioribus dent notitiam, tempus opportunum statuendo, vt necessariis (prout compererint) Priores ipsi prouideant.

III.

De forma visitationis.

CONSVETVDO.

PRior & Castellanus empostæ, & visitatores in facienda visitatione hoc modo se habebunt: Primum accipient secum scribam Capituli prouincialis, aut Notarium, vel si melius videbitur, aliquem ordinis nostri Religiosum; & cum ad loca visitanda venerint, ante omnia de rebus diuinis inquirant, reliquias, iocalia, ornamenta Ecclesiarum & oratoriorum libros, & cæteram supellectilem diuino cultui dicatam visitent. Insuper inquirant & diligenter, si diuinum officium recte celebratur; & si fuerit Ecclesia parrochialis, si Curatus, aut Capellanus rite, debite, diligenter, & cum veneratione Sacramenta ministret & de eius sufficientia. Deinde quomodo possessiones & prouentus Commendæ administrentur, quomodo se gerat Commendatarius; & generaliter de vita eius & moribus. In ipso quoque visitationis processu omnes singularum possessionum, grangiarum, prædiorum rusticorum & vrbanorum titulos, & eorum valorem nominatim describent: libros præterea censuales, iurisdictiones, præheminentias, facultates & priuilegia notabunt, tam in capite, quam in membris. Item onera, lites motas & pendentes, res etiam occupatas (si quæ sint) & a quibus sint occupatæ, quæ alienata aut deteriorata sunt, defectus corrigant; quæ reparanda fuerint, statim, aut ad certum tempus reparari mandent, prout rei qualitas postulabit. Quicquid compererint, in scriptis redigi faciant, quorum transumptum authenticum manibus suis subscriptum, & sigillis suis confirmatum, Magistro & Conuentui mittatur, vt bonorum ordinis nostri statum cognoscant, & pro rerum exigentia prouideant.

IV.

De pœna non visitantium.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SI Prior & Castellanus empostæ huiusmodi visitationem facere neglexerit, eo ipso censeatur priuatus omni iurisdictione & præheminentia Priorali. Alii autem visitatores, qui ab eodem, aut a Capitulo prouinciali ad dictas visitationes faciendas deputabuntur, nisi se legitime excusauerint, priuentur fructibus vnius anni Commendarum, seu administrationum suarum, qui communi nostro ærario applicabuntur: si fuerint fratres, amittent vnum annum suæ antianitatis. In eandem pœnam incurrent dicti visitatores, si Prioribus & Castellano empostæ, & Commendatariis in visitando fauisse reperti fuerint, aut eorum defectus, errores, & malam administrationem occultasse.

V.

De pœna non reparantium defectus repertos in visitatione.

IDEM MAGISTER.

PRiores, & Castellanus empostæ, & Commendatarii, qui defectus & detrimenta in visitatione comperta non reparauerint, & emendauerint, secundum quod illis iniunctum fuerit, tamquam inobedientes & mali administratores censeantur priuati Prioratibus, & Castellania empostæ, Baiuliuatibus, Commendis & quibuscunque ordinis nostri administrationibus.

VI.

Quod visitatores vtantur moderatis expensis.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

IVbemus, vt Priores, & Castellanus empostæ in visitandis Prioratibus, ac visitatores in visitandis Commendis, moderatis expensis in equitatu & famulis vtantur, ne Commendatarii impensis excessiuis grauentur, quinimo moderate & temperanter huiusmodi visitatio fiat, ne Commendatarii visitati causam conquerendi habeant, quo casu Priores & cæteri visitatores damnum reficere teneantur.

VII.

Quod Commendarum ruinis diligenter prouideatur.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod visitatores Commendarum ac Camerarum prioralium secundum formam statutorum diligentiam in visitationibus faciendis adhibeant, vt ruinis consulatur hac forma: Viso valore Commendarum, deductis oneribus communis ærarii, ac prius solutis, seruitio diuino, hospitalitate ac eleemosynis completis, victu quoque & vestitu Commendatariorum prouiso, residuum ad ædificationem & reparationem deputetur. Quod si visitatores, Priores, Castellanus empostæ vel Commendatarii in hoc exequendo negligentes fuerint, priuationem Prioratuum, Commendarum ac dignitatum incurrant, quorum prouisio Magistro & Conuentui spectat.

VIII.

Quod Priores eligant Capellanum pro visitandis Ecclesiis.

F. IOANNES DE LASTICO.

PRioribus & Castellano empostæ licet eligere vnum fratrem Capellanum ordinis nostri, qui sacrosanctaEcclesiarum,Oratoriorum &Capellarum, puta reliquias, Eucharistiam, & alia huiusmodi in Prioratibus visitet, reformet & dirigat. Cui quidem sic electo, vt Prior Ecclesiæ Conuentus suas vices tribuat, facultatem atque potestatem concedimus.

IX.

De modo visitandi Commendas pro melioramentis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IN visitandis commendis eorum, qui se meliorare prætendunt, hæc forma seruanda est: Commissarii deputati per Priorem, aut Castellanum empostæ atque Capitulum prouinciale iureiurando adacti, debent omni diligentia & cura visitare Commendam, tam in capite, quam in membris & domibus, & oculate videre, quid fueritélioratum, & quid deterioratum & damnificatum culpa Commendatariorum, qui se prætendunt meliorare eo tempore, quo dictas Commendas possederint; quæ quidem meliorationes, deteriorationes, & damna, litium status, & prosequutiones debeant particulariter specificari in literis certificationis, quam super ipsis meliorationibus fecerint: Insuper quæ lites motæ, & processus facti sint super bonis & possessionibus Commendæ aut membrorum, & si Commendatarius diligenter & fideliter dictas lites sustinuerit, defenderit, & sit prosequutus, vt commodo & incommodo æqua lance ponderatis, dignoscatur, anelioratio excedat deteriorationem, vel e contra.

X.

De Juramento recipiendo ab eis, quorum Commendæ visitantur.

IDEM MAGISTER.

VT nihil in Commendis non exacte visitatum relinquatur: Statuimus, vt Prior, Baiuliuus, vel Commendatarius, cuius Commenda visitabitur, vel eius procurator finita visitatione teneatur iureiurando affirmare, se omnia membra, domos, prædia, & possessiones ipsius Commendæ fideliter monstrasse & manifestasse, easque visitata fuisse. Quod si aliquod occultasse reperietur, quod visitatum non fuerit, dictæ visitationes nullius sint valoris, nec Commendatarius vigore illarum meliorare se possit; & si se meliorauerit, redeat ad relictam Commendam.

DE CONTRACTIBVS ET ALIENATIONIBVS.

TITVLVS DECIMVS SEXTVS.

I.

F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

PRohibemus, ne fratres, qui administrationem Baiuliuorum &Commendarum non habent,venditiones & emptiones exerceant, nec mutuo dent aut sumant absque superioris licentia.

II.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVicquid in contrarium fecerint, nullum & irritum censeatur; & arbitrio Magistri & Concilii puniantur.

III.

Quod Fratres non exerceant mercimonia.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

FRatribus nostris, cuiuscunque sint conditionis, prohibitum est mercimonia exercere, hoc est, emere & vendere res mercantiles lucri gratia: si quis contrafecerit, cadat in pœnam quarantenæ, & eam substantiam, quæ in mercantiis suis reperta fuerit, pro medietate ærario nostro applicamus, altera vero medietas accusatori probanti concedatur: si tamen nonnulli venientes ad Conuentum, & recedentes de Conuentu aliqua haberent, quæ, nisi cum detrimento deuehere non possent, & ad id euitandum commutationem aliarum rerum procurarent; talia in eo casu vendere possint, nullam pœnam subeundo.

IV.

Inhibitio fœnoris & vsuræ.

IDEM MAGISTER.

NOn liceat fratribus nostris quacunque auctoritate fungentibus, fœnus aut vsuram exercere, aut contractus vsurarios vel alios illicitos inire, facere, & committere, quo nil turpius, & religioso viro magis indignum: Si quis autem contra hanc institutionem, diuino iuri inhærentem, temerario ausu facere præsumserit, si Commendatarius fuerit, eo ipso Commenda priuatus censeatur, & decem annos inhabilis ad Commendam obtinendam existat: si vero frater conuentualis, antianitatem per decennium perdat; in quo termino Cabimentum aut Commendam habere non possit. Pecunia quoque ex qua fœnus commissum est, ærario applicetur, & quod ultra sortem principalem per vsuram acquisitum est, ei cum quo vsura commissa est, restituatur.

V.

Quod bona ordinis nostri non alienentur.

F. HVGO REVEL.

SAncitum est, quod nullus frater ordinis nostri, cuiusuis gradus aut conditionis existat, quacunque vrgente necessitate, prædia, possessiones, domos, vineas, campos, iuraque Prioratuum, Commendarum aut membrorum vendere, impignorare, in emphiteosim dare, obligare, distrahere, seu super his mutuum sumere audeat, seu præsumat quouis modo personis secularibus, vel his, qui extra nostram Religionem degunt, ad vitam vel ad tempus dare seu elargiri possit, absque expressa licentia & consensu Magistri & Capituli generalis. Qui contra fecerit, priuationem habitus incurrat; & nihilominus quicquid aliter & contra præsentem institutionem perpetratum fuerit, nullius roboris & momenti censeatur.

VI.

Quod nullus Frater impignoret aut obliget bona ordinis nostri.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

NOn liceat cuiquam fratri ordinis nostri, quacunque auctoritate fungenti, sub colore & prætextu sigilli Prioratuum, aut alio modo bona ordinis nostri

nostri mobilia aut immobilia vendere, impignorare, distrahere, aut quouis modo obligare, seu concessionem vel prouisionem ad vitam vel ad tempus de his facere personis secularibus, aut qui ordinem nostrum professi non sunt, nisi de Magistri & Capituli generalis licentia atque consensu, saluo aduocatis ordinis aliquas prouisiones dare, quæ moderatæ sint & temperatæ, & non perpetuæ, nec eas commune ærarium soluere teneatur. Qui autem contra fecerit, priuationem habitus incurrat, & nullius valoris, quicquid contra hanc institutionem factum fuerit, existat.

VII.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

NVlli fratrum nostrorum permittitur, Commendas vel beneficia ordinis nostri obligare: si autem quis contrafecerit, priuationem habitus incurrat, & obligatio nulla censeatur.

IIX.

Quod in Capitulis seu Assembleis prouincialibus non tractetur de alienatione bonorum ordinis nostri.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatutis maiorum nostrorum adhærentes super alienationibus factis, & cautius prouidere volentes; Prohibemus sub pœna priuationis Commendarum, Baiuliuatuum, & aliarum dignitatum Prioribus, Castellano empostæ, Baiuliuis, Commendatariis & fratribus ordinis nostri quibuscumque, ne tam in Capitulo prouinciali, quam Assemblea, vel extra quouis modo præsumant, consultare, proponere & tractare de alienationibus, hypothecationibus, distractionibus, transportationibus aut donationibus in emphiteosim, aut in perpetuum, sub quacunque verborum & conditionum forma, de Commendis, proprietatibus, prædiis, locis & possessionibus nostris, cuiuscunque conditionis fuerint & qualitatis. Quod si contra fecerint, & de eo conuicti fuerint, eo ipso cadant in priuationem Commendarum seu beneficiorum, quorum prouisio ad Magistrum & Conuentum deuoluatur. Quod si conuentualis frater fuerit, antianitatem perdat.

IX.

De eodem.

IDEM MAGISTER.

ATtamen non interdicitur facultas & auctoritas Prioribus, & Castellano empostæ pro patria consuetudine dandi & concedendi in Capitulo prouinciali ad annuum censum possessiones, prædia & proprietates, quæ parum aut nil vtilitatis & commodi Commendis & Religioni redderent, vt meliorentur & augeantur: dum tamen id fiat ad tempus prædiffinitum, quod non excedat annos viginti nouem, sed pro minori tempore: quibus præteritis, talia quæ ad censum annuum data fuerint, ad Commendas & Religionem cum melioramentis reuertantur.

X.

Quod Fratres non alienent bona acquisita.

F. ODO DE PINIBVS.

QVicquid Religiosus acquirit, Religioni acquirit. Ideo sancitum est, quod fratres ordinis nostri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacunque ratione, bona, prædia, census, seu annuos reditus, vel iurisdictionem acquisiuerunt, & sibi vendicauerunt, nullo pacto absque Magistri & Capituli generalis consensu vendere, alienare, impignorare, aut quouis modo distrahere possint: sed ea quæ acquisiuerunt fratres, vita eorum durante possideant, & teneant: & quod acquisitum est sibi, liberum & immune sit censu aut alio onere erga quoscunque dominos Ecclesiasticos vel seculares, & illud subiicere, submittere, aut pro eo aliquid recognoscere nullo pacto præsumant.

XI.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod de cætero omnes & singuli fratres, qui hic Melitæ vel in Insula Gauli ement, aut quouis titulo acquirent possessiones, prædia, hortos, vineas, & bona stabilia, illa nullo pacto possint vendere, donare, transferre, legare, vel aliter alienare, & de eis disponere absque expressa licentia Magistri & Concilii, quæ scripto authentico constet: quæ quidem licentia non extendatur ad tempus infirmitatis de qua decesserit, nisi aliter concessum fuerit per Capitulum generale. Quicquid contra factum fuerit nullius roboris esse censeatur.

XII.

Revocatio Alienationum.

IDEM MAGISTER.

ANnullamus, reuocamus, & cassamus omnes venditiones, donationes, translationes, cessiones, impignorationes, concessiones in emphiteosim in perpetuum vel ad longum tempus a fratribus ordinis nostri præter seriem statutorum nostrorum secularibus aut aliis personis factas absque auctoritate Capituli generalis, quas omnes & quascunque nullas, irritas, inanes esse, & nullam firmitudinem habere declaramus.

XIII.

Quod Fratres non ineant contractus fictos.

IDEM MAGISTER.

PRohibemus fratribus nostris, ne quacunque causa, prætextu aut colore ineant, vel faciant contractus fictos & simulatos, nec etiam chirographa promissionum, obligationum, donationum, stipendiorum, aut debitorum cuiusuis rei vel qualitatis cum quauis persona: quod si facta fuerint, & is, in cuius fauorem extiterint, non procurauerit re & facto a viuo contrahente aut promittente sibi satisfieri, post eius mortem nihil ea ratione consequi possit, nec commune ærarium teneatur pro eo quidquam soluere, tamquam pro confictis & simulatis contractibus, & in fraudem factis, prout ex nunc fraudulenter factos esse declaramus.

XIV.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

ADiicientes, quod nullus fratrum nostrorum, in infirmitate constitutus, facere possit, aut valeat donationem inter viuos, seu aliam dispositionem, aut promissionem, seu consignationem pecuniarum & bonorum quæ possidet, cum non sua, sed ordinis sint; quod si fecerit, eam & eas, nisi

quadraginta dies postea superuixerit, nullas, irritas, inanes esse, & nullam firmitudinem habere decernimus & pronunciamus.

XV.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

VOlumus autem suprascriptum statutum ad vnguem obseruari: adiicientes, vt fratres nostri, qui huiusmodi contractus inierint, pœnam infamiæ incurrant; & si Commendatarii extiterint, Commendis; si fratres vero conuentuales, antianitate priuati intelligantur. Easdem pœnas constituentes in eos, qui schedulas seu alias scripturas albas cum subscriptione tantum, quæ Gallice blancz signetz, ac aliis nominibus appellantur, magno cum detrimento & damno ordinis & publici ærarii nostri facere non verentur.

DE LOCATIONIBVS.

TITVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

I.

Quod Locatio mortuarii & vacantis fiat in Capitulo prouinciali.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

INhibemus receptoribus nostris, vt nullo pacto audeant seu præsumant locare, affictare, arrendare mortuaria & vacantia Commendarum nostrarum, nisi in Capitulo prouinciali, coram Priore & quatuor antianis Commendatariis. Prohibemus etiam, ne Prior, aut Castellanus empostæ, vel receptor ipse tales locationes, seu arrendamenta pro se sumere clam vel palam, per se vel suppositas personas valeant: qui contra fecerit, tanquam inobediens puniatur.

II.

De spoliis Fratrum vendendis, & quomodo fiant arrendamenta per receptores.

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, vt spoliorum bona ad incantum publicum vendantur, & plus offerenti dentur, exceptis vasis aureis & argenteis, ac aliis iocalibus, quæ in eorum propria forma per receptores ad depositarios nostros volumus mittantur, vt inde in Conuentum conduci possint. Prohibentes, ne in spolio bona status Commendarum immisceantur, contra formam statuti. Quantum autem ad iura vacantium, vt in ipsorum locatione & arrendamento commune nostrum ærarium non defraudetur: ordinamus, quod receptor, tam in loco Commendæ, cuius administratio vacauerit, quam in aliis locis circumuicinis, per publicum proclama det notitiam de arrendamento vacantis faciendo, cuicunque etiam seculari plus offerenti, & de loco in quo Capitulum prouinciale celebrabitur, & arrendamentum fieri debet; & postquam plus offerentem intellexerit, ipsum certiorabit, quod ad Capitulum prouinciale secum accedat, in quo & locis circumuicinis dicto Capitulo, iterum præfatum vacans ad incantum ponetur, & dabitur plus offerenti etiam seculari, qui fratri in æquali precio non postponetur. Si autem pretium secularis ipse proposuerit, & arrendamentum vacantis fratri aut alteri seculari plus offerenti dabitur, Receptor de pecuniis nostri Communis ærarii eam pecuniæ summam illi plus primo offerenti, qui ex loco Commendæ aut circumuicino ad prouinciale Capitulum accesserit, elargietur, quæ pro viatico & itineris expensis, tam ad Capitulum eundo, quam domum redeundo conueniens videbitur.

III.

F. PETRVS DAVBVSSON.

ATtamen non impediatur possessio corporalis, sumenda per prouisum a nostro ordine de administratione illius Commendæ locatæ seu arrendatæ, licet fructus & reditus arrendatori debeantur.

IV.

Quod Locationes Mortuariorum & vacantium in Conuentu non fiant.

F. IOANNES DE VALLETTA.

STatuimus & expresse prohibemus, quod locationes mortuariorum & vacantium per Magistrum & Concilium, aut per Procuratores communis ærarii, aut alias in conuentu non fiant.

V.

Quod durante mortuario & vacante non fiant reparationes Commendarum.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, quod fratres ordinis nostri, & alii, qui pro tempore mortuarii & vacantis Commendas conducunt, & in arrendamentum sumunt, nullo pacto debeant aut possint quouis modo facere reparationes, & ædificia erigere in eis Commendis, mortuario & vacante durantibus, nisi dictæ reparationes essent necessariæ, quæ tamen moderate fiant, & secundum facultatem Commendæ ad consilium & iudicium duorum vel trium Commendatariorum: ne fratres nostri, quibus dictæ Commendæ committentur, prætextu talium reparationum, ita grauentur, quod eas soluere non possint: si quis autem huiusmodi reparationes præter huius nostri statuti tenorem fecerit, de eis nullam satisfactionem ab ærario aut a fratribus habeat; quinimo impensa eorum, qui eas fecerunt, factæ censeantur.

VI.

De expensis faciendis in Commendis tempore mortuarii & vacantis.

F. IOANNES DE VALLETTA.

MAndamus, vt Receptores, lites super prædiis & possessionibus Commendarum vel membrorum motas, vel pro tempore mouendas, prosequi omni studio & fide, expensis communis ærarii nostri debeant, & procurent, quas impensas futuri Commendatarii post sex menses a die receptionis fructuum integre nostro ærario soluere tenebuntur: pro quibus perinde, ac si pro iuribus communis ærarii, debitores extitissent, constituentur & iudicabuntur debitores.

VII.

Cuius licentia Commendæ locari debeant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, ut nullus frater ordinis nostri, cuiuscunque conditionis fuerit, Prioratum, Baiuliam, Commendam, domos, membra, prædia, & alia bona quæcunque nostri ordinis illius administrationi commissa, locare vel arrendare possit sine licen-

licentia Magistri, quæ quidem licentia dari non possit nisi pro tribus annis, absque anticipatione pecuniarum, præterquam illis qui in Conuentu sunt, vel ad eum venire voluerint: qui fructus vnius anni tantum anticipare poterunt, quod intelligitur elapsis mortuario & vacante.

IIX.

F. IOANNES DE VALLETTA.

ET nisi in termino vnius anni a die locationis factæ in Conuentum se contulerint, fructus vnius anni dictarum Commendarum communi ærario applicandos perdant, nisi aliqua infirmitate, vel alia graui causa impediti fuerint, quominus venire non possint, de qua Magistro intra sex menses constare facere debeant; & nihilominus eo impedimento cessante, infra præfatum terminum in Conuentu comparere sub eadem pœna teneantur, & sint obligati.

IX.

Quibus Commendæ locari non debent.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

INsuper ea non poterunt locare potentibus dominis Ecclesiasticis vel secularibus, neque etiam vniuersitatibus, & Collegiis, nec ipsi qui ea conduxerint, aut arrendauerint, ius suæ conditionis & arrendamenti in tales personas transferre. Qui contra fecerit, perdet vnum annum rei quam locauerit in fauorem nostri communis ærarii, & locatio nullum effectum habebit. Quas supradictas conditiones nominatim in licentiis inseri mandamus.

X.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ADiicientes, vt Commendatarii, postquam suas Commendas locauerint, debeant & teneantur mittere ad Receptores contractus locationis copiam sine transumptum; alioquin ipsæ locationes, obitu Commendatariorum eo tempore contingente, irritæ, nulliusque valoris & momenti sint, etiamsi de licentia Magistri initæ & factæ fuissent.

XI.

De Arrendamento Commendæ nostræ Cypri.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod decedente arrendatore seu conductore Magnæ Commendæ nostræ Cypri, dicta Commenda locari debeat alicui fratrum nostrorum, aut alteri plus danti & offerenti, pro eo tempore & summa, quæ Magistro & Concilio videbitur. Quicquid ex huiusmodi arrendamento procedet, ad commune nostrum ærarium pertinebit.

DE PROHIBITIONIBVS ET POENIS, TITVLVS DECIMVS OCTAVVS.

I.

Quod non licet Fratribus Testamenta condere, hæredem constituere, aut legata facere.

F. HVGO REVEL.

VOtum paupertatis id exigit, vt bonorum dispositio liberæ voluntati non subiaceat. Non licet igitur, nec quoquo modo permittitur Baiuliuis, Prioribus, Castellano empostæ, Commendatariis, aut aliis ordinis nostri fratribus testamentum condere, vel hæredem instituere, seu legata facere, atque etiam seruitoribus, seu aliis aliquid elargiri, nisi tantum eorum stipendia, ac debitorum & creditorum declarationem redigere, & cum licentia Magistri de eorum moderata portione disponere.

II.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVæ quidem portio non excedat quintam partem pecuniæ numeratæ, aut bonorum mobilium, deductis ex huiusmodi bonis omnibus debitis, & ære alieno, tam nostri Communis ærarii quam aliorum, ac creditis, quæ integre reseruantur ipsi ærario; Magister autem non nisi de licentia capituli generalis, aut in articulo mortis Concilii completi, de aliqua parte mobilium suorum disponere possit.

III.

F. NICOLAVS LORGVE.

NOn liceat cuiquam fratrum nostrorum aliquem in sacri baptismatis fonte recipere absque sui Superioris licentia, nisi baptizandus esset filius Baronis aut maioris Domini.

IV.

Quod Fratres non se intromittant in causis secularium.

F. HVGO REVEL.

INhibemus omnibus ordinis nostri fratribus, ne quoquomodo de personis secularibus, quæ propter delicta sua, hic in nostra iurisdictione capitis pœnam incurrunt, se intromittant, aut eis fauorem seu auxilium præstent vel dari procurent. Quinimmo tales criminosi pro demeritis condemnandi & puniendi, curiæ secularis iudicum libero iudicio permittantur.

V.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVibus tamen pro quocunque delicto & crimine accusatis, sui defendendi facultatem concedimus.

VI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NEque etiam in causis ciuilibus eorundem secularium quoquomodo clam vel palam, per se aut per alium se intromittant. Qui contra fecerit, grauiter plectatur ad arbitrium Magistri & Concilii.

VII.

Quod Fratres non intercedant pro fratre delinquente.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod, quotiescunque iustitia de aliquo fratre delinquente ministrari debet, non liceat cuiquam fratrum nostrorum pro ipso intercedere aut precari, donec sententia lata fuerit. Tunc enim pro moderatione pœnæ condemnati intercedere poterit,

poterit. Is vero ad quem remissio pertinet, pro arbitrio suo pœnam mitigabit, aut exequi faciet.

VIII.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

NVlli fratrum nostrorum, aut secularium omnino liceat transportare aut ducere extra Conuentum aliquam equitaturam, nisi de expressa licentia Magistri, qui cum proborum consilio eam elargiri possit.

IX.

Quod Fratres Juramento vel confœderatione nemini se adstringant.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

NOn licet fratribus nostris aliquo pacto se, homagio, confœderatione vel iuramento alicuius, modo Hispaniæ aut aliter, sine Magistri seu Prioris & Castellani empostæ licentia adigere vel adstringere, nec Concilia siue conuenticula inire aut facere. Qui vero contrafecerit, pœna priuationis habitus plectetur, quem si recuperauerit, nihilominus decennio administratione Commendæ seu Baiuliæ gaudere non possit.

X.

Quod Fratres non acceptent res litigiosas.

IDEM MAGISTER.

PRohibemus, ne fratres ordinis nostri aut donati, concessionem, donationem vel cessionem rei litigiosæ a seculari persona percipiant, acceptent, vel emant. Qui contra fecerit perdat habitum; & si donatus sit, comitiua fratrum priuetur, & in carcerem trudatur.

XI.

Quod Fratres extra Commendas vel Prioratus non vagentur.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

PRohibemus, quod Commendatarii & fratres ordinis nostri, extra Prioratus, Castellaniam empostæ, & Commendas, quarum obedientiæ suppositi sunt, nullo pacto exire valeant, iniussu Magistri, aut Prioris vel Castellani empostæ, aut Commendatarii, quorum licentia id facere possint ad tempus, si necessitas aut vtilitas Religionis impulerit, & non aliter: Nec Prioribus sine Magistri licentia aut eius locumtenentis, extra Prioratum vel Castellaniam empostæ exire licitum est, nisi negocio nostri ordinis arduo impellente, vel aliud graue vrgeat, quod commode aliter fieri non posset. Nec Commendatarius extra Commendam recedere possit, nisi veniat ad Conuentum in seruitiis ordinis, aut fungatur officio legationis vel alterius commissionis Religionis, vel si tute in Commendis manere nequeat; aliter faciendo perdat reditus Commendæ durante tempore suæ absentiæ, qui ærario applicentur.

XII.

De Fratribus vagabundis.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRæcipimus, vt omnes Commendatarii & fratres, qui vagos religiosos nostros extra limites suæ obedientiæ absque superioris licentia inuenerint, detineant, & in carcerem coniiciant, notificentque Priori vel Castellano empostæ, vt prouideant secundum statutorum nostrorum formam, tamquam de inobedientibus.

XIII.

Quod Fratres non discedant a Conuentu sine licentia.

F. IACOBVS DE MILLY.

NOn licet, nec quoquo modo permittitur quibusuis ordinis nostri fratribus, quacunque dignitate officioque fungentibus, a Conuentu absque expressa Magistri licentia in scriptis redacta, clam vel palam discedere. Si quis autem contra fecerit, eo ipso absque alia monitione, aut citatione, habitu, Commendis, & beneficiis priuetur.

XIV.

Ne Fratres occupent Commendas.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

STatuimus, quod si fratres ordinis nostri per vim atque violentiam, seu contra voluntatem Magistri, Prioris, & Castellani empostæ, vel fratris ad quem id pertineret, præsumant vsurpare, occupare, & retinere Commendas, membra, domos, & alia quæcumque bona aut beneficia ordinis nostri, perdant habitum, & carceri mancipentur; Quibus si de habitu gratia facta fuerit, Baiuliam seu aliud regimen per decennium consequi non possint. Adiicientes, quod Prior, Castellanus empostæ ad instantiam fratris, cui Commendæ, bona, vel beneficia spectant, teneatur & debeat totis viribus occupatorem expellere, & Commendas aut beneficia in suam potestatem redigere, ac possessionem pacificam prouiso legitime dare. Quod si facere nequiuerint, ad hoc agendum brachium seculare inuocare possint vterque, tam Prior quam frater ad quem Commendæ spectabunt. Id quoque Prior exequi tenetur sub pœna priuationis vnius cameræ, quam amittat, si authentice constabit, ea exequi neglexisse. Nihilominus, quod in Prioratu Angliæ, Commendæ ordinis nostri pauca vel nulla fortalitia habent, quare violentia dari non potest: Ideo Prior dicti Prioratus tenetur ad omnem requisitionem fratris prouisi per Magistrum & Conuentum dare possessionem pacificam Commendæ vel beneficii de quo fuerit prouisus: Et si talis frater ostenderit authentice requisiuisse occupatorem de habenda possessione, & pariformiter Priorem, qui non obstante instantia negligens fuerit in exequutione præmissorum, eo casu vna suarum camerarum Prioralium priuatus censeatur, quæ quidem cameræ & Commendæ per Magistrum & Conuentum concedantur fratri, cuius Commendæ occupantur.

XV.

Ne Fratres impetrent Literas Commendatitias pro obtinendis Commendis.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

PRohibitum est sub inobedientiæ pœna, ne aliquis frater, cuiuscunque conditionis fuerit, literas commendatitias aut comminatorias a quoquam impetret, vt Commendas aut beneficia nostri ordinis illarum vigore consequi aut obtinere possit, seu

quouis

quouis modo præsumat. Ab his tamen qui ordinem nostrum professi sunt, literas obtinere licitum est, quibus virtus benemeritorum commendatur, nec ex eorum repugnantia damnum sequi poterit.

XVI.

F. PETRVS DAVBVSSON.

FRater qui tales literas impetrauerit, perdat antianitatem per terminum decem annorum, facultas quoque datur vnicuique accusandi & probandi impune contra tales, vt ab insolentiâ fratres cohibeantur.

XVII.

Quod Fratres qui officia ordinis nostri exercent, nauigia non arment.

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, quod de cætero nullus ordinis nostri frater, cuiusuis gradus aut dignitatis existat, qui habeat curam & administrationem iustitiæ, vt puta Senescallus noster, Castellanus, officiales, & qui custodiunt bona ordinis nostri, quemadmodum Conseruator generalis, Magister domus nostræ, Receptor noster, Commendatarii Tercinalis, Granarii, & Artillariæ, & illi qui ab ipsis dependent, per se vel interpositas personas, clam vel palam vel alio quouis quæsito colore, nauigia pro bello infidelibus inferendo, siue cursu armare possint, aut in armamento per alios facto participare, aut in armamentis iam factis perseuerare sub pœna amissionis officii, de quo statim prouideatur, ac si tempus statutum transactum esset, atque etiam confiscationis precii armamenti, & lucri inde subsequuti in fauorem & commodum nostri communis ærarii, excepta tertia prædictorum parte, quæ accusatori dabitur sine aliqua diminutione vel remissione; Atque id ipsi statuitur de Capitaneis galearum, ac ipsorum officialibus, sub eisdem pœnis, si procursu armauerint. Conceditur tamen, vt pro societate triremium, & prohibenda aliqua notitia, aut vrgenti necessitate vel negocio, si bergantinos aut fustas armauerint, id sine pœna & reprehensione facere possint. Si vero fraudulenter aliquis, tam frater quam secularis præsumpserit nomen suum in dicto armamento falso imponere, ac prædictis officialibus clam participare, eandem confiscationis pœnam incurrat, & de falso puniatur, & tamquam periurus tractetur.

XVIII.

Quod nemo in Conuentu nauigia armare possit, nisi de Magistri & Concilii licentia.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

SAncimus, quod triremes, biremes, & alia cuiussuis generis nauigia, a nullo siue fratre siue seculari in Conuentu nostro possint armari, nisi de Magistri & Concilii ordinarii licentia: Qui contrafecerit nauigium perdat, quod communi nostro ærario applicetur.

XIX.

De eodem.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

QVæ licentia in scriptis detur. Qui autem cum huiusmodi licentia armabunt, præstare teneantur cautionem idoneam, quod Christianos & bona eorum non molestabunt aut deprædabuntur: fratres autem nostri hanc licentiam obtinere non possunt, nisi qui annos quinque in Conuentu moram traxerint. Illi tamen, qui in subsidium Religionis ex partibus occiduis venire voluerint, absque licentia armare possunt.

XX.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FRatres autem qui de licentiâ Magistri & Concilii armauerint, antianitate gaudent, ac si in Conuentu residentiam facerent.

XXI.

Non detur saluus Conductus Piratis.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

PRohibemus, ne de cætero concedatur saluus conductus piratis, nisi per Magistrum & Concilium ordinarium & vrgenti necessitate, aliter non; nec etiam detur saluus conductus fugitiuis aut mercatoribus fallitis, nisi ex vrgenti causa.

XXII.

De induciis non ineundis nisi per Magistrum & Concilium.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

AD scandala & damna quæ oriri possunt, euitanda, sancimus, quod in ordine nostro non possint iniri aut componi induciæ, vel pax cum Turcis, Mauris, aut aliis infidelibus, nisi dumtaxat cum deliberatione Magistri, & Concilii completi. Quod si aliter factum sit, penitus caducum censeatur.

XXIII.

De bombardis & machinis non extrahendis.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod bombardæ, colubrinæ, machinæ & Artilleriæ, bellorum vsui aptæ, aut etiam pulueres & salpetræ communi ærario spectantes, nullo modo per quempiam ab insula nostra, seu locis Religionis nostræ extrahi quauis de causa possint, & in alia loca transferri; Magister tamen & Concilium completum, si causa conueniens videbitur, & necessitas vrgeret, de talium transportatione & tracta decernere secundum rerum ingruentiam poterunt.

XXIV.

Quod Fratres non se immisceant bellis Christianorum.

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

STatuimus, quod fratres ordinis nostri non implicent se bellis & gentibus armorum Christianorum ad inuicem, quod si quis commiserit, habitum perdat; quem si de gratia speciali recuperauerit, Commendarum, bonorum ac etiam beneficiorum nostrorum administratione per decem annos priuetur,

uetur, quam habere non poſſit, niſi decennio elapſo. Inhibentes Priori & Caſtellano empoſtæ, ac Commendatariis, ne dent licentiam fratribus ſe exercendi in bellis Chriſtianorum, niſi eis iniunctum eſſet a Principe vel Domino prouinciæ, quia tunc licentiam concedere poſſunt. Attamen eo in caſu arma ſeu inſignia Religionis deferre non poſſunt: ſed ſi pro defenſione Religionis, vel in comitiua Prioris talibus bellis ſe immiſcuerint, tunc inſignibus ordinis noſtri vti poſſunt.

XXV.

Quod nemo petat officium in Concilio.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRohibemus fratribus ordinis noſtri, ne de cætero ad petenda officia ad Concilium accedant, nec Magiſter & Concilium quemquam ad petitionem eorum admittant: ſed prout quempiam ad exercenda officia aptum & idoneum cognouerint, ei dicta officia committant. Si quis contrafecerit, toto eo anno nullum ordinis noſtri officium conſequi poſſit.

XXVI.

Quod nullus ſine habitu ambulet.

IDEM MAGISTER.

QVi ſine habitu ordinis noſtri ambulauerit, id eſt, qui crucem lineam veſti ſuæ inſutam palam & aperte non tulerit, pro prima vice condemnetur ad quarantenam, pro ſecunda ad carcerem turris per tres menſes, pro tertia habitu priuetur.

XXVII.

Quod ante condemnationem nemo dicitur eſſe in iuſtitia, quominus aſſequi poſſit Commendas.

IDEM MAGISTER.

SI quis fratrum noſtrorum propter aliquod delictum, culpam vel negligentiam inquiſitus vel accuſatus fuerit, non cenſeatur eſſe in iuſtitia, quantum ad obtinendas Commendas noſtri ordinis, quæ ei contingere poſſent, niſi poſtquam pro eo delicto comdemnatus fuerit, etiam ſi in carcere detineatur: condemnatus autem durante condemnatione, priusquam ſit legitime abſolutus, vel pœnam ſibi iniunctam compleuerit, non poſſit commendam, beneficium, aut aliud ordinis noſtri officium conſequi.

XXVIII.

Quod Fratres tumultus in albergiis non faciant.

IDEM MAGISTER.

SI qui fratres noſtri in albergiis, in quibus comedunt, inſolenter & immoderate ſe geſſerint, tumultus concitauerint, ianuas, oſtia, ſcamna, menſas vel aliud quid ſimile fregerint, aut temerarie proiecerint, puniantur pœna Magiſtro & Concilio beneuiſa, vsque ad diminutionem antianitatis incluſiue. Si autem Pilerii famulos, pueros, aut ſeruos percuſſerint, aut verberauerint; ſi ſine ſanguine, pro prima vice ſint in quarantena, pro ſecunda in turri per ſex menſes, pro tertia perdant duos annos ſuæ antianitatis; ſi cum ſanguinis effuſione, & vulnus ſit leue, pro prima vice ſint in turri per ſemeſtre, ſi vulnus fuerit graue & enorme, perdant antianitatem.

XXIX.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

SI autem verba iniurioſa in palatio Magiſtrali in alium fratrem protulerint, tres annos; in albergiis autem duos antianitatis habitæ ſeu habendæ amittant. Si vero ad arma deuenerint, vel alapa percuſſerint, habitu priuentur; ſi vulnerauerint in dictis locis, habitum irremiſſibiliter perdant; ſi occiderint, vltra habitus priuationem curiæ ſeculari tradantur.

XXX.

Caſus, per quos Fratres habitu priuantur.

F. NICOLAVS LORGVE.

INdignum eſt, vt qui ſeſe grauiſſimo ſcelere inficiunt, habitu ordinis noſtri inſigniti incedant. Qui ergo facinora, quæ ſequuntur, perpetrarint, habitu perpetuo priuentur, Hæreticus, ſodomita, latro, fur, profuga ad infideles: Is quoque qui vexillum ſeu ſtendardum ordinis noſtri in bello infidelium explicatum reliquerit. Qui deſerit fratres in pugna. Qui caſtellum aut locum infidelibus dederit; conſultores quoque & conſcii huiusmodi deditionis: quod tamen cognitioni Magiſtri & Procerum reſeruatur. Præterea qui caſtellum ſitum in confinibus infidelium alio loco exierit, quam porta. Qui etiam trina vice cœtum fratrum ſponte ſine licentia reliquerit, vt ad aliam ſe transferat Religionem, amplius in noſtram non admittatur. Qui falſum teſtimonium tulerit. Qui aut equeſter aut pedeſter intenderit deprædationi in exercitio armorum, habitum perdat, quem reaſſumere non poſſit ante vnius anni lapſum. Frater etiam, qui alium fratrem accuſabit de aliquo caſuum prædictorum, offeretque ſe illud probaturum; ſi ſuam intentionem non probauerit, habitum perdat.

XXXI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FAlſarii quoque literarum, tam ordinis noſtri, quam aliorum, & qui de periurio conuicti fuerint, habitu priuentur.

XXXII.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

FRater, qui homicidium commiſerit, habitu perpetuo priuetur, & carceri mancipetur: ne tantum facinus cæteri committere præſumant, & noſtrorum cœtus commilitonum pacificus & quietus reddatur.

XXXIII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi proditorie & ex occulto, vel conſilio meditato alium fratrem vel ſecularem, quamuis leuiter, vulnerauerit, habitu perpetuo priuetur.

XXXIV.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVi a ſanctiſſimo inquiſitionis officio hæreticæ prauitatis damnati fuerint, & habitum pœnitentiæ geſtauerint, habitum ordinis noſtri nullo modo habere, nec, ſi habuerint, geſtare poſſint.

XXXV.

XXXV.

De Percussoribus.

CONSVETVDO.

SI frater alium fratrem percusserit, si in quarantena, & si vulnerauerit ad sanguinem, excepto naso vel ore, perdat habitum, & si nitatur percutere gladio aut lapide, vel alio genere armorum, & tamen non percusserit, sit in quarantena.

XXXVI.

Moderatio præcedentis statuti.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVia nimis durum & rigidum esse videtur, vt qui scilicet pro quocunque vulnere illato ad sanguinis effusionem, excepto ex ore & naso, habitum perdat; cum interdum expediat legem e venientibus casibus moderari: decernimus & statuimus, vt, quando frater alium fratrem vulnerauerit, sit in arbitrio Magistri & Concilii statuti, pœnam pro delicti qualitate & circumstantiis mitigare.

XXXVII.

De Pœna Fratrum, qui per proditionem alios occidunt.

F. PETRVS DE MONTE.

FRater qui proditorie alium fratrem vel secularem qualicumque genere armorum occiderit, aut occidi curauerit, habitu priuetur; & mox sine vlla alia dilatione curiæ seculari tradatur, & remittatur: eadem pœna conscii huiusmodi facinoris plectantur.

XXXVIII.

De pœnis, quæ infliguntur prouocatoribus & acceptatoribus duelli.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

IMpietati eorum, qui animatum suarum salutem paruipendentes, duelli pugnæ sese committunt, & cruentæ morti corpora sua exponunt, obuiam ire volentes: Statuimus, vt si frater fratrem verbo, scripto aut internuncio, vel quouis alio modo ad duellum prouocauerit, seu disfidauerit, & prouocatus non acceptauerit, præter pœnas per sacrum Concilium Tridentinum, & constitutionem fel. recor. Gregorii XIII. inflictas, prouocans perpetuo habitu sine aliqua remissione priuetur; & si acceptauerit, licet ad locum destinatum non peruenerint, vterque in priuationis habitus pœnam, sine spe veniæ incurrat: si vero ad locum destinatum peruenerint, etiam si sanguinis effusio subsequuta non fuerit, post habitus priuationem curiæ seculari tradantur. Qui causam huiusmodi duelli & disfidationis dederit, seu consilium, auxilium, fauorem tam in iure quam in facto præstiterit, aut quacunque alia ex causa aliquem ad prouocandum persuaserit, si comes & socius fuerit, priuationis habitus pœna plectetur: in eandem pœnam incurrat qui ad spectandum vocatus fuerit, & libellum disfidationis in quibuscunque locis affixerit, vel affigi fecerit.

XXXIX.

De Fratribus, qui tumultus de die aut de nocte faciunt.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod frater, qui contra fratrem aut alios, in Conuentu vel aliis locis Insularum nostrarum quouis armorum genere, diurnos aut nocturnos tumultus fecerit, perdat habitum Si qui vero noctu laruati aut dissimulato habitu, vel cum armis longis hastatis aut sclopis & secretis armis cooperti, per turmas vel soli incedentes, vel per turmas sine armis longis reperti fuerint, sint in turri per sex menses.

XL.

De Juramentis.

CONSVETVDO.

SI frater palam iurauerit, pro prima vice moneatur, pro secunda sit in septena, pro tertia in quarantena; pro quarta, si in delicto perseuerauerit, perdat habitum.

XLI.

De Blasphemiis.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod qui sacratissimum DEI nomen ac Beatæ Mariæ Virginis & sanctorum eius blasphemauerit vel abnegauerit, pro prima uice sit in quarantena, pro secunda in turri per bimestre, pro tertia in carceribus ad ordinationem Magistri & Concilii.

XLII.

De iniuriis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FRater qui rixatus fuerit, & calore iracundiæ accensus alteri fratri iniuriosa verba dixerit, pœna quarantenæ puniatur, etiam si fateatur, se mentitum fuisse, atque eum pœnitere, tales iniurias protulisse. Si vero contumeliose dixerit, eum mentitum fuisse, perdat duos annos antianitatis: si vero infamiam irrogauerit, pœna erit arbitrio Magistri & Concilii, quam statuent secundum qualitatem personarum & infamiæ. Si baculo, arundine, alapa, & his similibus fratrem percusserit, tres annos antianitatis perdat.

XLIII.

De percussoribus secularium.

PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, vt quicunque frater ordinis nostri, baculo, ense, aut alio genere gladii personas seculares cæciderit, aut verberauerit clam vel palam, per se vel per alios, turri coërceatur per bimestre. Si autem graue vulnus vel enorme intulerit, perdat antianitatem; quam pœnam pariformiter incurrat, si bandulas vel partialitates duelli pro quocunque cœperit: si vero homicidium commiserit, habitu priuetur, quem nullo vnquam tempore adipisci possit, sed perpetuo carcere teneatur. Ita quod propter hos casus nullo modo delinquentes possint poni in septena vel quarantena; quod si ponantur, nihilominus dictis pœnis plectentur.

XLIV.

De Molestatoribus populi.

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, quod qui non inuitatus, & absque voluntate patris familias domum quorumuis ciuium

ciuium vel popularium intrauerit, & eorum conuiuiis, choreis, nuptiis, aut aliis negotiis interesit, perdat antianitatem duorum annorum in fauorem filiorum Arnaldorum fine fpe veniæ. Si vero diurno vel nocturno tempore præfatorum fubditorum noftrorum portis aut feneftris quouis modo violentiam fecerit, vltra præmiffa fit in afpero carcere ad ordinationem Magiftri & Concilii, & accufator poterit vti fecularium perfonarum teftimonio; eandem etiam antianitatis pœnam incurrat, qui laruas feu camifellas fecerit.

XLV.

De eodem.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SI quis vero portas aut feneftras noctu fregerit, vel eas muro vel cæmento obthurauerit, vel aliqua immunda materia oblinerit, aut lapidibus pulfauerit, perdat trium annorum antianitatem; relinquentes Magiftri & Concilii arbitrio in eos, fi vifum fuerit, grauius animaduertere. Si autem ignem iniecerit & combufferit, habitu priuetur: fi iniectus ignis non nocuerit, priuetur antianitate trium annorum.

XLVI.

Ne quis apponat manum fpoliis aut iuribus ærarii.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

BOna fpoliorum fratrum noftrorum pleno iure noftro communi ærario fpectant & pertinent. Ideo nulli licet, nec aliquo modo permittitur, nifi his qui auctoritatem ab ærario habent fumendi, tractandi, aut capiendi pecuniam, vafa argentea, aurum, argentum, iocalia, feu quæcunque alia bona fratrum decedentium. Qui contra fecerit, fi quod captum fuerit, marcham argenti excedat, habitu priuetur; fi infra marcham damnum fuerit, quarantenæ pœna plectatur: pariformiter qui manus refponfionibus & iuribus, ærario, Magiftro, & Conuentui pertinentibus appofuerit, aut ea furripuerit, perdat habitum, & nihilominus quod fubtractum fuerit, ex bonis delinquentis communi ærario refarciatur.

XLVII.

Moderatio præcedentis ftatuti.

IDEM MAGISTER.

ET quia id rigidum feuerumque nimium videtur, vt pro quolibet exceffu vltra marcham argenti Religiofus habitum perdat, cum delicta circumftantiis plurimum grauentur, eius quoque delicti qualitas fit confideranda, & maturo confilio ponderanda. Quotiescumque igitur querela de damno vltra marcham argenti per Magiftrum fiet, primum querela ad Concilium deferatur, vbi mature delictum difcutiatur: Atteftationibus quoque authenticis & legitimis, vel rei & accufati confeffione delictum innotefcat, & caufa querelæ lucidius appareat. Quibus peractis in publica Affemblea iterato querela fiat, & coram Sgardio reo audito, mature & confulte agitetur & difcutiatur, atque delicti, de quo fit querela, qualitate, circumftantiis quoque, & rei feu accufati vita, conditione, & conuerfatione, meritisque penfatis, & cum grauitate confideratis, iuftitia æqua lance & ftatera adminiftretur.

XLVIII.

F. IOHANNES DE VALLETTA.

PRæter pœnam in fuperioribus ftatutis conftitutam, ftatuimus, vt fi quis manum fpoliis aut iuribus noftri communis ærarii appofuerit, eius filii arnaldi, fi id probare potuerint, in affequutione Commendarum & bonorum illum præcedere debeant: Quod fi probare attentauerint, & in probatione defecerint, eidem pœnæ fubiaceant.

XLIX.

F. DEODATVS DE GOZONO.

INfolentiam peruerforum opprimere cupientes, fancimus, quod, quicunque frater ceruicem in Superiorem erigens, caftellum aut fortalicium contra Superiorem, vel Priorem & Caftellanum empoftæ rebellabit, tenebit, aut occupabit, pœna habitus damnetur, & in carcerem trudatur.

L.

De Concubinariis.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

OPtima ratione fancitum eft, vt nullo pacto fratribus ordinis noftri, cuiusuis fuerint conditionis, liceat concubinas in propria domo aut extra habere, tenere, aut educere, earumque confuetudine vti. Quod fi quis poftpofita bonæ famæ celebritate, contrarium facere præfumpferit, & publica laborante fama, atteftationibus fide dignis, aut propria confeffione hoc crimine conuictus fuerit, trina monitione a Superiore prius facta, vt defiftat, & infamiæ delictum abiiciat; fi nihilominus quadraginta dies, a prima monitione facta computandos, contumaciter perfeuerauerit, fi delinquens Commendatarius fuerit, eo ipfo, nulla alia folemnitate requifita, Commendis priuatus cenfeatur; fi vero frater conuentualis, eo ipfo perdat antianitatem; & nihilominus tales conuicti in habitus priuationem labantur; quem fi recuperauerint, a die reftitutionis habitus per decennium ad Commendas confequendas inhabiles reddantur: fi vero frater obedientiæ fuerit, pariformiter omni adminiftratione & habitu priuetur. Priores quoque & Caftellanus empoftæ pari crimine conuicti, & contra eos per Magiftrum & Conuentum, modo quo fupra prouifo, fi contumaces fuerint, priuationem Prioratuum, & habitus eo ipfo incurrant, quemadmodum de aliis fancitum eft.

LI.

De eisdem.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SI quis fratrum noftrorum natum fibi ex inceftuofo complexu filium, quem ne inter liberos quidem nominandum leges volunt, impudenter agnouerit, & palam quafi fuum aluerit, fuo familiari ac gentilicio cognomine impofito, is nullo vnquam in ordine noftro officium, beneficium, dignitatem confequi poffit. Publicos autem concubinarios in noftro ordine, quos rectius inceftuofos, adulteros, & facrilegos dixerimus, ad fufceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, officiorum, beneficiorumve inhabiles effe volumus; & fi quid habent, illo a nobis non immerito exutos, fratrum quoque noftrorum numero eximendos decernimus.

Publi-

Publicum autem concubinarium intelligimus non tantum vt Canones volunt, eum, cuius concubinatus per sententiam aut confessionem in iure factam, seu per rei euidentiam, quae nulla possit tergiuersatione celari, notorius est: verum etiam eum, qui nullo hominum pudore, & spreto DEI timore, professionis suae immemor, mulierem de incontinentia suspectam aut infamatam tuetur, seu vt dicitur, tenet, alitque, & cum ea simul habitans frequentem habet consuetudinem.

LII.

Casus quidam, propter quos Fratres incurrunt pœnam septenæ.

CONSVETVDO.

QVi non interest in Assemblea, qui recedit ab officio diuino, qui est in septena, & surgens non reddit gratias DEO, qui interrumpit sermones Conciliariorum in Concilio, qui comedit sine habitu: si fratres ad inuicem calumniati fuerint, si Superior de eis querelam fecerit, quilibet sit in septena.

LIII.

Casus quidam, per quos Fratres incurrunt pœnam quarantenæ.

CONSVETVDO.

PRimo, qui non obedit præceptis in factis armorum, non potest incurrere pœnam minorem quarantenæ. Qui aleas aut ludum taxillorum, vel alios fortuitos pro denariis exercent; qui intromittunt se de officio alterius, pœnam quarantenæ incurrunt. Frater qui comedit in cauponis & popinis sit in quarantena.

LIV.

Forma exequutionis pœnæ septenæ.

CONSVETVDO.

FRater qui erit positus in septena, septem diebus continuis ieiunabit, ac quarta & sexta feriis ipsorum septem dierum, pane & aqua dumtaxat vesci debet, & illis diebus recipiat disciplinam hoc modo: Deposito pallio siue mantello, flexis genibus ante altare coram sacerdote ordinis nostri humiliter stabit, qui virga dorsum percutiens dicet Psalmum: DEus misereatur nostri, &c. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c. V. Saluum fac seruum tuum. R. DEus meus sperantem in te. V. Mitte ei Domine auxilium de sancto: R. Et de Syon tuere eum. V. Esto ei Domine turris fortitudinis. R. A facie inimici. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. Oratio. DEus cui proprium, &c. Postea vero surget frater, & accipiens pallium siue mantellum, Superiorem, seu Baiuliuum osculabitur.

LV.

Forma exequutionis pœnæ quarantenæ.

CONSVETVDO.

SI vero positus fuerit in quarantena, quadraginta diebus continuis ieiunabit, & quarta ac sexta feriis dictorum quadraginta dierum pane & aqua tantum vescetur, comedens in terra: qualibet vero quarta & sexta feriis disciplinam suscipiet modo sequenti: Comparebit coram sacerdote omnibus vestibus nudatus, & pedibus discalceatus, presbyteroque dorsum eius virga percutiente, dicet: Miserere mei DEus, &c. cum orationibus prædictis. Qui ad septenam vel quarantenam condemnati fuerint, non debent recedere a suis domibus, nisi cum vadunt ad Ecclesiam; debent autem interesse omnibus officiis diuinis. Qui ad duas vel tres quarantenas aut septenas condemnati fuerint, vnius tantum quarantenæ vel septenæ disciplinam suscipiant. Si vero erit judicatus ad pœnam quarantenæ & septenæ, patiatur disciplinam quarantenæ tantum; sed eo tempore arma deferre non poterunt, & veste longa cum chlamyde habitus nostri induti incedent.

LVI.

De eo qui ter ad turrim condemnatus fuerit.

F. PETRVS DAVBVSSON.

SAncimus, quod quicunque frater, delictis suis ita exigentibus, ter ad turris carcerem condemnatus fuerit, priuetur antianitate trium annorum; tamen pro delictorum qualitate moderatio pœnæ reseruatur arbitrio Magistri & Concilii ordinarii.

LVII.

Quod antianitas per linguas aut Prioratus restitui non possit.

F. PETRVS DE MONTE.

STatuimus, vt qui pro aliquo delicto ad amissionem antianitatis condemnatus extiterit; illa in posterum ei restitui non possit, etiam de gratia linguarum aut Prioratuum, ita vt Magister licentiam tractandi de huiusmodi restitutione antianitatis dare non possit; quam si dederit, nullam esse volumus.

LVIII.

De his qui extra Conuentum habitum dimiserint.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

SI frater diabolico spiritu ductus, aut inconstantia motus, extra Conuentum propria auctoritate habitum nostri ordinis dimiserit: postea pœnitentia ductus ad ordinem reuerti voluerit, tunc tute & libere in Conuentum venire, & hospitale infirmorum intrare possit, cui Infirmarius de necessariis prouideat, donec de illo per Magistrum & Conuentum, super misericordia danda aut deneganda ordinatum fuerit. Quod si misericordiam non consequetur, eundi, quo sibi placuerit, facultas conceditur.

LIX.

De obedientia.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NIhil est quod maiori cura & studio tueri debeamus quam obedientiam, qua sublata omnis societas dissoluitur. Itaque maiorum nostrorum statutis adhærentes decernimus, vt omnes & singuli fratres nostri, cuiuscunque sint gradus aut conditionis, iustis & honestis Magistri & Superioris iussis, præceptis & mandatis, nulla excusatione parere & obtemperare debeant. Quod si frater in Conuentu existens, eorum mandato non obedierit, pro ea prima inobedientia pœnam septenæ subeat; si secundo etiam obedire recusauerit, quarantena puniatur; si vero ita se contumaciter gesserit, vt tertio

iussus non pareat, habitu priuetur, quod ita intelligitur, si de eo querela post quodlibet iussum non impletum facta fuerit. Idem ordo seruetur extra Conuentum in Prioratibus, pœna priuationis habitus Magistro & Conuentui semper reseruata, ad quos processus contra rebelles confecti a Prioribus mitti debeant. Præterea si quispiam fratrum nostrorum extra Conuentum existens, primo mandato Magistri & Conuentus obedire noluerit, vbi primum de eius inobedientia & rebellione constiterit, absque alia citatione, monitione aut processu, nisi intra nouem menses a die intimationis mandati legitimas & sufficientes causas impedimenti miserit, habitu priuetur. Ad officium Priorum & Castellani empostæ, & eorum locatenentium spectat exequutioni mandare in suis Prioratibus, & Castellania empostæ suis impensis sententias & ordinationes Magistri & Conuentus, Capitulorum etiam generalium & prouincialium, & alias prouisiones, mandata, citationes & rescripta omnia ipsius Magistri & Conuentus, quæ pro publicis ordinis nostri negociis facta fuerint, & ad eos directa; quæ autem priuatorum negotia spectabunt, impensis eorum, qui dictorum mandatorum exequutionem prosequentur. Quod si requisiti id facere neglexerint, aut recusauerint, pro prima omissione, seu recusatione amittant fructus pro vno anno alicuius Camerarum suarum Prioralium; si secundo, fructus duorum annorum: si tertio, fructus ipsius Cameræ perpetuo applicentur nostro communi ærario. Si vero pertinaciter in ea negligentia & omissione perseuerauerint, Prioratu & omni administratione priuentur. Mandantes receptoribus nostris in dictis Prioratibus & Castellania empostæ, quod si Priores vel Castellanus empostæ dictas impensas facere recusauerint, ipsi supplere debeant de pecuniis nostri communis ærarii, & de illis summis, quas pro ea re exbursabunt, dictos Priores & Castellanum empostæ in suis computis debitores scribere. Quod si tales prouisiones, mandata, & rescripta directa forent ad Baiuliuos, Commendatarios & alios fratres, pro prima omissione & recusatione Baiuliuus & Commendatarius priuentur tertia parte fructuum vnius anni Baiuliuatus aut Commendæ, pro secunda duobus tertiis, pro tertia totis fructibus Commendæ ærario applicandis: pro quarta Commenda priuentur, de qua Magister & Conuentus prouideant. Si vero fuerit frater Conuentualis, pro prima amittat vnum annum antianitatis, pro secunda duos, pro tertia tres, pro quarta in perpetuum, nisi supradictis omnibus in commissione maior pœna imponatur; & nihilominus teneantur ad refectionem damnorum & interesse partium.

LX.

De malis administratoribus.

IDEM MAGISTER.

QVi Prioratus, Castellaniam empostæ, Commendas, domos, aut alia bona suæ administrationi commissa, culpa sua, aut negligentia deteriora fecerit, statim, vbi de dicta deterioratione constiterit, Prioratu, Castellania empostæ, Commendis, officiis, & omni administratione in perpetuum priuetur tanquam administrator inutilis, & bonorum nostrorum dissipator, sine spe alias consequendi; eadem pœna punientur, qui siluas veteres, quas nemora alta vocant, cæciderint, præterquam pro reparatione Commendæ, & ædificiorum, quorum curam habet, & pro moderato vsu domus in qua ipse habitat, qui vsus intelligitur de lignis siccis, & fructum non ferentibus. Cæduas tamen siluas, quæ renascuntur & repullulant, & statis annis cædi solent, vti poterunt more regionis & loci in quo sitæ sunt.

LXI.

F. IOANNES DE VALLETTA.

ADiicientes, & præcipientes Prioribus & Castellano empostæ, quod quam primum sibi, quod etiam per se inquirere debent, compertum fuerit, ac de huiusmodi ignauis ac inutilibus administratoribus sibi constiterit, eis interdicta bonorum omnium administratione, in quibus tam male versati sunt, Commendas alicui fratri nostro prudenti & fideli regendas & gubernandas, donec peracta inquisitione de huiusmodi casu Magistrum & Conuentum certiores reddant, ac per eos fuerit prouisum, tradant: quod si Prior, & Castellanus ipse, aut Baiuliuus in ea culpa fuerit, ad requisitionem & instantiam receptorum, & procuratorum Communis ærarii per Capitulum seu Assembleam prouincialem, habita prius super id diligenti inquisitione, & veritate comperta, vnus vel duo Commendatarii probi & fideles, qui gubernationi & regimini Prioratus seu Baiuliuatus intendant, eligantur, donec Magister ipse & Conuentus de huiusmodi mala administratione certiorati, maturius & propius prouideant.

LXII.

De pœna eorum, qui non intersunt officiis diuinis.

IDEM MAGISTER.

FRatres nostri, qui diebus festis non interfuerint officiis diuinis in Ecclesia nostri Conuentus, & præsertim Missæ maiori, vesperis, & processionibus solemnibus, nisi legitime impediti fuerint, septenæ pœnam subeant. Qui vero tempore celebrationis diuinorum officiorum diebus festis in plateis, vel per vicos, aut etiam in aliis Ecclesiis deambulantes reperti fuerint, quarantena puniantur.

LXIII.

Quod Fratres in iudicio non vtantur iniuriiis.

IDEM MAGISTER.

PRohibemus fratribus nostris, ne coram Magistro & Concilio, aut quouis alio ordinis nostri tribunali, vel coram quibusuis Commissariis, inter litigandum, se ad inuicem conuiciis, aut verbis iniuriosis afficiant: qui contrafecerit, si grauis iniuria fuerit, de causa cadat, ita vt eo ipso sine aliqua probatione aut allegatione in fauorem partis aduersæ, cui iniuria illata fuerit, sententia feratur, & in carcerem turris coniiciatur per sex menses; si vero leuis, per tres menses tantum.

LXIV.

Quod nullus Frater tempore celebrationis Capituli generalis, in palatio armatus incedere valeat.

F. Io-

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

PRohibemus ordinis nostri fratribus, ne durante tempore celebrationis Capituli generalis, tam offensiua, quam defensiua arma deferre audeant, demptis sociis Magistri, & quibus ipse licentiam dederit. Qui contra fecerit, tres annos antianitatis acquisitæ vel acquirendæ perdat.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

TITVLVS DECIMVS NONVS.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

I.

APpellatione fratrum veniunt quicunque ordinem nostrum professi sunt.

II. Conuentus is esse intelligitur, vbi Magister vel eius locumtenens, Ecclesia, Infirmaria, & Albergia, seu octo linguæ consistunt.

III. Statuta & stabilimenta in ordine nostro ea sunt, quæ perpetuo durant, nisi expresse per Capitulum generale reuocentur. Ordinationes vero sunt, quæ non nisi vsque ad aliud sequens Capitulum, & non amplius durant, nisi quæ nominatim fuerint confirmatæ.

IV. Albergia nomen familiare est Italis, Gallis, & Hispanis, quod Hospitium significat, sicque vocantur domus, in quibus fratres nostri per nationes vna comedunt, & congregantur.

V. Pillerii vocantur octo Baiuliui Conuentuales, Capita, & Præsides, ac veluti columnæ nationum. Nam columnas vulgus pillerios vocat.

VI. Appellatione Bailiorum siue (vt dicimus) Baiuliuorum comprehenduntur Baiuliui conuentuales, & Capitulares, Priores, & Castellanus empostæ; Bailii autem antiqua Gallorum lingua dicebantur domorum aut aliorum prædiorum præfecti vel administratores, vnde Commendæ a maioribus nostris Bailiæ dictæ sunt. Bailias enim Galli etiam nunc vocant prædiorum locationes vel ad certum tempus, aut sub conditione concessiones.

VII. Marescallus, qui Baiuliuus conuentualis est venerandæ linguæ Aluerniæ, vocabulum est militare, quod Galli a Germanis vsurpant, quo nomine tribunos militum vocant.

VIII. Turcopolerius Baiuliuus conuentualis venerandæ linguæ Angliæ dicitur a Turcopolis, qui, vt in historiis bellorum a Christianis in Syria gestorum habetur, equites erant leuis armaturæ.

IX. Vbicunque dicitur Concilium simpliciter & absolute, tam in statutis, quam in libris Cancellariæ intelligi debet de Concilio ordinario.

X. Esgardium Gallica vox est, & significat rationem, considerationemue, seu (vt ita dicam) respectum; quod quidem esgardium est antiquissimum, & primum iudicium domus Hospitalis.

XI. Renfortium ex eadem lingua sumptum, idem est, quod corroboratio, vel (vt sic dicam) fortificatio, & inde Renfortium Renfortii, videlicet corroborationis corroboratio.

XII. Quandocunque de Prioribus tractatur, intelligitur etiam de Castellano empostæ, & de Prioratibus de Castellania empostæ.

XIII. Assembleas Galli congregationes vocant, quo verbo vtimur, quando fratres nostri pro aliquibus rebus ad ordinem nostrum spectantibus vna conueniunt.

XIV. In Assembleis Priorum extra Conuentum tres saltem fratres præter Caput & Præsidem in Conuentu recepti adesse debent.

XV. Appellatione Commendarum veniunt Prioratus, Castellania empostæ, Baiuliuatus, prædia, membra, domus, possessiones, & alia quæcunque bona ordinis nostri.

XVI. Vbi in statutis aut literis nostris fit mentio de beneficio, intelligimus de beneficio ecclesiastico curato vel sine cura.

XVII. Mortuarii appellatione intelliguntur fructus Commendæ, qui colliguntur a die obitus Commendatarii ad proximum festum sanctorum Philippi & Iacobi.

XVIII. Vacans in Commenda accipimus pro fructibus vnius anni, qui transacto mortuario, nomine communis ærarii colliguntur.

XIX. Arreragia sunt vetera debita, seu reliquum debitorum.

XX. Vbicunque loquitur de iuribus communis ærarii, intelligendum est de spoliis, mortuariis, vacantibus, responsionibus, impositionibus, pensionibus, passagiis & arreragiis.

XXI. Ob eiusmodi iura non soluta tantum censentur fratres nostri esse debitores, vt Commendis & administrationibus quas possident, priuentur sine spe alias consequendi. Pro aliis autem debitis non censentur debitores Communis ærarii ad effectum prædictum, nisi prius legitime moniti fuerint per Receptores & Procuratores in Prioratibus, & in Conuentu per Conseruatorem conuentualem, & pro illis condemnati, vel ea confessi fuerint.

XXII. Cabimentum vocabulum est Gallicum, a cabire, quod significat aliquid assumere, de quo qui se putat rationem probe reddere posse, sic vocatur prima Commenda, quæ fratri suo ordine conceditur.

XXIII. Motitio, quod smutitio vulgo dicitur, etiam Gallica dictio est, & significat nominationem siue pronunciationem; nam veteri Gallorum linguæ motire idem est quod dicere, nominare, vel pronunciare; eo vtuntur fratres in linguis, cum declaratur, cui Commenda, cuius administratio vacat, concessa fuerit.

XXIV. Per filios arnaldos intelliguntur hi, qui nouissime post alios ordinem nostrum sunt professi, quasi tyrones. Quod quidem vocabulum, quod & ipsum Gallicum est, in terra Sancta frequens & commune fuit; nam qui illic ex patribus Christianis nati erant, Polani dicebantur, qui vero in partibus citramarinis nati eo veniebant, ab eis filii arnaldi vocabantur.

XXV. Linguas in ordine nostro vocamus nationes.

XXVI. Collecta est, cum fratres vna congregantur, ad aliquid ad suam linguam vel albergiam pertinens tractandum, a colligendis aut cogendis in vnum fratribus dicta.

XXVII. Habitu priuatus, censetur priuatus omnibus Commendis, beneficiis, & antianitate, etiam si expressum non fuerit, & in carcere perpetuo detineri debet.

XXVIII.

XXVIII. Vbi certa pœna non ſtatuitur, intelligitur arbitrio Superioris.

XXIX. Plancta, vocabulum eſt Gallicum, & ſignificat querelam.

XXX. Carauana, Syrorum & Arabum lingua ſignificat congregationes hominum, vt vna aliquid negocii peragant, a maioribus noſtris vſurpatum in delectu fratrum habendo, cum ad ſubſidia per arces & triremes diſtribuuntur, aut alio per turmas mittuntur.

XXXI. Soldea, a ſolido dicta, quod eſt nummi genus, Gallis, Italis, Hiſpanis vſitatum, vnde ſoldea ſtipendium dictum eſt.

XXXII. Gigliati nummi quidam argentei, in quibus Lilium, quod inſigne eſt Gallorum, inſculptum erat; Itali enim lilium giglium appellant, quorum ſex florenum Rhodi conſtituebant. Nonnulli tamen eum nummum a fratre Roberto de Iuli Magiſtro appellationem ſumpſiſſe arbitrantur, quod ab eo inſtitutum putent, vt ſinguli gigliati ſingulis fratribus ſecunda quinquageſimæ feria diſtribuantur. Quod quidem minime conſtat.

XXXIII. Florenus Rhodius aſpra Turcica viginti continet; aſprum vnum denarios Rhodios ſexdecim; floreni autem Rhodii tres, aſpra ſex, denarii octo aureum ſolarem conficiunt.

XXXIV. Ianneti etiam nummi erant argentei, a Iano Rege Cypri, cuius nomine cudebantur, vt quidam exiſtimant.

XXXV. Deſpropriamentum, eſt veluti priuati abdicatio, cum fratres id declarant, quod in ſupellectili, aut re domeſtica & familiari habent.

XXXVI. Fratres qui in via moriuntur ad Conuentum venientes, vel ab eo diſcedentes, in Conuentu mori cenſentur.

F. IOANNES DE HOMEDES.

XXXVII.

IN probationibus fratrum militum, appellatione parentum, pater & mater, aui & auiæ paterni & materni intelliguntur.

Concluſio Statutorum.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

NOn intendit, neque vult, neque ordinat præſens Capitulum generale, vt per huiusmodi renouationem, reformationem, & nouam Statutorum editionem ſuperius deſcriptam, aliquo modo directe vel indirecte, in genere aut in ſpecie, dignitatibus & prærogatiuis alicuius, cuiuscunque gradus fuerit, derogetur & præiudicetur. Nos igitur auctoritate capitulari fungentes, & ipſi ordinationi firmiter inhærentes; Sancimus, decernimus, ſtatuimus, ordinamus, & expreſſe declaramus, quod huiusmodi renouatio, ordinatio, & noua editio Regulæ, ſtatutorum, conſuetudinum, & vſuum ordinis noſtri, nullo pacto, quouis quæſito colore, præiudicium, damnum, alterationem, mutationem, variationem, mutabilitatem generet, aut generare ſeu afferre qualitercunque poſſit gradibus, ordinibus, ſeſſionibus, præſidentiæ, auctoritatibus, prærogatiuis, præeminentiis Magiſtri, Eccleſiæ, Hoſpitalitatis ſeu Infirmariæ, Communis ærarii, Baiuliuorum, tam conuentualium quam Capitularium, Priorum, Caſtellani empoſtæ, octo linguarum, fratrum earum, cuiuscunque gradus fuerint, ſcilicet Militum, Capellanorum & ſeruientium, ac Prioratuum, etiam collationibus, atque pactis, conuentionibus & concordiis, ratione dictarum collationum de gratia, per linguas, Prioratus, aut Caſtellaniam empoſtæ, ſeu fratres earundem, cum Prioribus & Caſtellano empoſtæ ordinis noſtri factis & initis. Quinimo dictæ præeminentiæ, prærogatiuæ & pacta ſuper dictis collationibus Priorum & Caſtellani empoſtæ facta ſint & eſſe intelligantur, atque remaneant realiter & cum effectu in eo ſtatu & qualitate, robore, vigore, quo erant ante huiusmodi renouationem, & nouam editionem ordinatam, ſub hac expreſſa reſtitutione & intentione, vt prædictis propterea nullum generetur præiudicium.

Quas quidem leges & ſtatuta ſupraſcripta, per nos accurate ac diligenter lecta, conſiderata, & examinata, tamquam ſancta & iuſta, ordinique noſtro vtilia & neceſſaria, per præſentes in vim Capituli generalis, laudamus, approbamus, acceptamus, & confirmamus, ac de nouo ſtatuimus & condimus, deletis, reuocatis, caſſatis, cancellatis, & annullatis omnibus & quibuscumque aliis Statutis, Sgardiis & vſibus, in antiquis ſtatutorum noſtrorum libris & voluminibus ſcriptis & contentis. Declarantes nihilominus atque ſtatuentes per hanc renouationem, priuilegiis & immunitatibus ordinis noſtri, aut dignitatibus, ordinibus, ſeſſionibus, præeminentiis, & prærogatiuis Magiſtri, Baiuliuorum, Priorum, Caſtellani empoſtæ, linguarum & fratrum, cuiuscunque gradus aut conditionis fuerint, nullo pacto præiudicium generari; vobis mandantes, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, vt dicta ſtatuta ſupraſcripta, & omnia in eis contenta, perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruetis, illisque fideliter pareatis & obtemperetis, ac pro legibus habeatis & ſeruetis, & haberi & ſeruari curetis. In cuius rei fidem & teſtimonium bulla noſtra communis plumbea præſentibus eſt appenſa. Datum Melitæ in Conuentu noſtro, durantibus retentionibus Capituli generalis, die XXIII. Menſis Iulii, MDLXXXIIII.

F. Didacus ab Ouando, Vice-Cancellarius.

* * *

SIXTVS PAPA V.

AD futuram rei memoriam. Salubri regularium perſonarum quarumlibet directioni ſollicitis ſtudiis intendentes, iis, quæ ad id tendere dignoſcuntur, noſtræ approbationis robur libenter adiicimus, aliasque deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Hugonis de Loubenx Verdala, Magni Magiſtri & Capituli generalis Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet alias fel. rec. Paulus Papa III. ſtabilimenta, concordias, ſtatuta, conſuetudines, vſus & naturas dicti *Hoſpitalis* in vnum volumen redacta, & per nonnullos S. R. E. Cardinales examinata, per ſuas iiteras approbauerit & confirmauerit, ac dictarum literarum ſuarum patrocinio communierit, ſupplens omnes & ſingulos defectus, ſi qui interuenerint in eisdem, eaque voluerit, & mandauerit in poſterum inuiolabiliter obſer

obſervari; decernens, tunc, & pro tempore exiſtentes Magiſtrum, & Fratres dicti Hoſpitalis ſeu eius Religionis, ad eorum duntaxat, ex inſtitutis regularibus, ſtabilimentis, ſtatutis, conſuetudinibus, vſibus, & naturis, quæ hactenus viguerant in ipſo Hoſpitali, obſeruantiam teneri & obligari, quæ in ea noua eorum moderatione & ordinatione continebatur, & non aliorum, quæ vtpote inutilia, & ſuperflua, aut alias inobſeruabilia tenta fuerant, & ſi in eorum in Fratres receptione de illorum obſeruationis promiſſione, iuramento, & voto ſe aſtrinxiſſent, prout in eisdem literis, in quibus tenor de nouo ordinatorum ſtatutorum, & ſtabilimentorum, concordiarum vſuum, & conſuetudinum de verbo ad verbum inſertus fuit, plenius continetur: Nihilominus ipſi Hugo Magiſter & Conventus, conſiderantes, quod in eisdem ſtatutis, ſtabilimentis, & conſuetudinibus plura erant, quæ cum tunc temporis moribus non ſatis conueniebant, aut confuſe & obſcure poſita reperiebantur, & propterea litibus viam dabant, alia vero inter ſe diſſidebant, & contrarium ſenſum præ ſe ferre videbantur, ac complura ad rem nihil omnino faciebant, opera nonnullorum ipſius Hoſpitalis fratrum, illius negotiorum peritiſſimorum ad id ſpecialiter deputatorum effecerunt, vt ſublatis quantum fieri potuit difficultatibus, & omni ambiguo intellectu, dilucidatis obſcuris, & iis, quæ diſſidere videbantur, in vnum ſenſum adductis, & quibusdam non neceſſariis reſecatis, ac additis permultis aliis ſtabilimentis ad diuini cultus augmentum, & ipſius Hoſpitalis vtilitatem, ac ſalubrem illius perſonarum directionem tendentibus, quæ poſtmodum per quondam Ioannem de Valletta, tunc in humanis agentem, & ipſius Hoſpitalis Magiſtrum, & dictum Hugonem, ac alios ipſius Hoſpitalis Magiſtros ſucceſſiue edita fuerant, & ab omnibus deſiderabantur & efflagitabantur, ſtatuta, ſtabilimenta, & conſuetudines huiusmodi in vnum nouum volumen, ſub nomine ipſius Hugonis Magiſtri redigerentur & compilarentur. Quare Ioannnes Baptiſta Rondinellus, dicti Hoſpitalis Frater, & prædicti Magiſtri & Conuentus Hoſpitalis S. Ioannis apud Nos Orator pro parte Hugonis Magiſtri, & Capituli præfatorum Nobis humiliter ſupplicauit, vt ſtatutis, ſtabilimentis, & conſuetudinibus in vnum nouum volumen, vt præfertur, redactis, & compilatis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtræ approbationis adiicere, aliasque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad præclara Religionis huiusmodi merita debitum reſpectum habentes, & conſiderantes, illius Fratres fidei catholicæ indefeſſos propugnatores, cultores, & defenſores exiſtere, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, ſtabilimenta, ſtatuta, & conſuetudines in vnum nouum volumen ſub nomine ipſius Hugonis Magiſtri, vt præfertur, redacta, & conpilata, quæ per dilectum filium noſtrum Antonium, tituli Sanctorum Ioannis & Pauli presbyterum Cardinalem Caraſam inſpici, & examinari fecimus, ac de quorum continentia ab eodem Antonio Cardinali fidelem habuimus relationem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam Iuris, quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eisdem, eaque omnia perpetuis futuris temporibus valida & efficacia fore, ſuosque plenarios effectus ſortiri, & ea ſolum, & non alia antiqua, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari debere decernimus. Non obſtantibus præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Martii M. D. LXXXVI. Pontificatus noſtri anno Primo.

Io. Baptiſta Canobius.

XLII.

Sixti V. Pontificis Max. Bulla, in qua Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Equeſtris Receptores in ſingulis, ad quos deputati ſunt, Prioratibus, contra fratres atque alios non ſolventes, officium ſuum libere, ac ſine ullo impedimento exercere poſſe, ſtatuit, d. d. 3. Octobr. Anno 1586.

SIxtus Epiſcopus, Servus ſervorum DEI: Univerſis & ſingulis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis in quibusvis Nobis & Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectis Provinciis, Civitatibus, terris & locis, etiam de latere Legatis, ac ſingularum Provinciarum, Civitatum, terrarum & locorum hujusmodi Gubernatoribus, aliisque in eis jus dicentibus, & juſtitiæ miniſtris, nec non quorumcunque Regum, Ducum, Marchionum, & aliorum Chriſtianorum Principum Magiſtratibus & officialibus, ac eorum cuilibet, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut accepimus, ſæpius contingat, ut Receptores Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, in ſingulis illis Prioratibus pro tempore deputati, Prioratus, Bajulivatus, & Præceptorias dicti Hoſpitalis, ac alia beneficia per fratres ejusdem Hoſpitalis obtineri ſolita, tam per ipſos fratres, quam ex conceſſione ſeu diſpenſatione Apoſtolica per Clericos ſeculares, in titulum, aut Commendam, aut alias pro tempore obtenta, ob non ſolutionem paſſagiorum, ſpoliorum, reſponſionum, vacantium & mortuariorum, ac aliorum jurium, per eos communi Theſauro prædicti Hoſpitalis pro tempore debitorum, ad manus ſuas, juxta formam ſtabilimentorum, & laudabilium conſvetudinum dicti Hoſpitalis, ac privilegiorum & indultorum Apoſtolicorum, eis deſuper conceſſorum, recipere, & usque ad integrum paſſagiorum, ſpoliorum, reſponſionum, vacantium & mortuariorum ac aliorum jurium prædictorum ſatisfactionem, pro dicto Hoſpitali, ſeu communi Theſauro retinere, ac ad hujusmodi effectum, poſſeſſionem Prioratuum, Bajulivatuum, Præceptoriarum & aliorum beneficiorum præfatorum capere & apprehendere, eorumque fructus, reditus, proventus percipere, colligere & levare, ſeu Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias & beneficia hujusmodi, eorumque fructus, reditus & proventus aliis locare & arrendare habeant.

Nos cupientes, quod Præceptores prædicti officium ſuum contra fratres, & alios non ſolventes prædi-

prædictos libere exercere, & facultatibus eis per Sedem Apostolicam contra eosdem non solventes concessis, sine aliqua difficultate uti possint. Vos & vestrum quemlibet per præsentes requirimus, vobis, videlicet Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna districte præcipientes & mandantes: Vos vero, qui Nobis subjecti non estis, in Domino hortantes, quatenus vos & vestrum singuli, quoties pro parte Præceptorum præfatorum, seu alicujus eorum, aut Procuratorum suorum, vel pro eis agentium, desuper requisiti fueritis, per vos, vel alium, seu alios brachium vestrum seculare eisdem Receptoribus, seu Procuratoribus, vel Agentibus, ad hoc, ut Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias & beneficia prædicta, juxta stabilimenta & consvetudines, ac privilegia & indulta hujusmodi, quoties illis locus fuerit, ad manus suas recipere, & usque ad integrum passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium, & mortuariorum, ac aliorum jurium prædictorum satisfactionem, pro Hospitali, seu Thesauro prædicto retinere, ac ad hujusmodi effectum, possessionem Prioratuum, Bajulivatuum, Præceptoriarum & aliorum beneficiorum hujusmodi capere & apprehendere, eorumque fructus, reditus & proventus percipere, colligere & levare, vel Prioratus, Bajulivatus, Præceptorias, beneficia ac eorum fructus, reditus & proventus hujusmodi plus offerentibus locare & arrendare, nec non census seu affictus annuos locationum & arrendationum hujusmodi exigere pro rata debiti possint statim & in continenti, omni dilatione, seu exceptione remota, præstetis & exhibeatis, præstarique & exhiberi faciatis.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac quibusvis provisionibus seu Commendis, aut aliis dispositionibus per Nos & Sedem Apostolicam de eisdem Prioratibus, Bajulivatibus, Præceptoriis, & beneficiis, quibusvis personis dictæ Hospitalis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus pro tempore factis, nec non omnibus illis, quæ privilegiis & indultis prædictis concessum fuit non obstare, quæ patentibus pro specialiter & expresse repetitis haberi volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, quod præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ea prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die 3. Octobr. 1586. Pontificatus nostri anno secundo.

XLIII.

Sixti V. Pontif. Max. Confirmatio Privilegii ejusdem, quo milites S. Johannis Hierosolymitani fratres, eorumque familiares, decimarum, censuum, jurium, aliorumque onerum exactione atque solutione exemti sunt, d. d. 30. April. An. 1591.

GRegorius Papa XIV. Ad futuram rei memoriam. Quanta Christianæ Reipublicæ commoda atque ornamenta omni tempore attulerit Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani amplissimus ordo insignia, quæ assidue præstitit pietatis & caritatis officia, jam late testantur summo ardentique studio, vel initio nascentis Ecclesiæ in Ciuitate Sancta Hierusalem, in qua Christi pedes steterunt, & ubi DEus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari complexa, & usque modo, prout tempora tulerunt, variis in locis continuata, quæ nunc potissimum elucent eo in Hospitali, quod Insula Meltiæ B. Pauli Apostoli, cujus in tutela est, multis celebrata miraculis, ab eo Ordine constitutum fuit, in quo ejusdem Pauli auctoritate permoti ejus Hospitalis curam gerentes re ipsa comprobant, jactis fidei & spei fundamentis inter præcipuas virtutes, quæ Theologicæ dicuntur, caritatem principem obtinere locum, neque his piis actionibus, quas iidem assiduis officiis, & hospitalitatis studiis in proximos exercent, plane secundæ aut postremæ sunt res, ab eis ad Divini nominis gloriam & exaltationem præclare gestæ, quarum longe lateque fama pervagatur; Dum tamquam veri Christi athletæ Machabæorum æmulati morem, assumpta galea salutis adversus Christiani nominis hostes, & præsertim impios Mahometis sectatores arma sumunt, fortiterque dimicant. Nos igitur Religionem floridam paternis contemplantes affectibus, ea, quæ eis pro eorum prospero statu, commodo & quiete per Romanos Pontifices prudenter concessa reperimus, ut illibata firmaque perpetuo subsistant, libenter approbationis nostræ munimine roboramus.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, licet alias fel. rec. Leo X. Clemens VII. Paulus III. & Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. Romani Pontifices, prædecessores nostri, inter alia privilegia, & indulta dilectis filiis Magistro & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, a Sede Apostolica concessa, eumdem, & pro tempore existentem Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, Familiares, aliasque personas Hospitalis hujusmodi, nec non eorum Subditos, Vasallos, Colonos, & servitores, & alios in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque, quæ obtinebant, ac in posterum obtinerent & possiderent, a solutione & exactione decimarum, censuum, jurium, etiam Synodalium, & Canonicarum portionum, seu caritativi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartæ, aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum, sub certis modo & forma exemerint & liberaverint, prout in diversis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

§. 2. Et licet ipsi Milites, & aliæ personæ præfatæ, non debuissent neque deberent a quoquam contra dictorum privilegiorum tenorem & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non

modo

modo eorum facultatibus & fortunis, verum etiam sanguini & vitæ pro tuitione fidei Catholicæ non parcant; nihilominus diversi locorum Ordinarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, & multæ Capitulares personæ id sibi omnino juxta sacri Concilii Tridentini decreta licere asserentes, eosdem Magistrum, Bajulivos, Castellanum empostæ, Priores, Præceptores, Milites, & Personas diversis oneribus contra eorum privilegia prægravare, illosque ad decimas, census, subsidia, etiam caritativa, congruas portiones, jucundum adventum, pastor bonus, aut alias nuncupata onera, etiam jura synodalia cogere præsumant, in grave ipsius Hospitalis detrimentum, & gravamen.

§. 3. Nos igitur attendentes, Hospitalis præfati multa esse in fidem Catholicam & Sedem Apostolicam merita, Nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus non incognita, Cardinalem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Præceptores, Milites, Fratres, Familiares, & eorum singulos, ac singulares dicti Hospitalis personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non omnium & singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum, & gratiarum per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali, illiusque Magistro, Conventui, & Fratribus, Militibus, aliisque personis præfatis hactenus concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad Cardinalis Magni Magistri & Conventus Hospitalis hujusmodi, aut alicujus alterius super hoc pro eis Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magistro & Conventui quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

§. 4. Cum autem felicis recordationis Pius Papa IV. prædecessor noster, eidem Magistro & Conventui inter cætera privilegia, Prioratus, Baiulivatus, Castellaniam empostæ, Commendas, ac alia ejusdem Hospitalis beneficia, libere uniendi, & dismembrandi facultatem concesserit: Et nihilominus a quibusdam quandoque dubitatum fuerit, an ante vel post mortem possessorum unio seu dismembratio ipsa fieri posset ac deberet;

§. 5. Nos ad tollendum omne dubium & ambiguitatem, quæ in præmissis in futurum oriri posset, ut quandocumque eis videbitur, sive ante, sive post mortem possessorum Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam empostæ, ac alia ejusdem Ordinis beneficia unire, & dismembrare, libere & licite possint, & valeant; Nec non omnia & singula privilegia, & exemptiones præfatas, etiam ad Confratres & Donatos ejusdem Hospitalis extendi debere, auctoritate præfata decernimus & declaramus.

§. 6. Decernentes, præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse.

§. 7. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitani, nostris & Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nunciis, aut Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Cardinalis, Magni Magistri, & Conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Magistrum & Conventum, confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione, decreto, & aliis præmissis pacifice uti, frui, & gaudere; Non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari: contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, et pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas hujusmodi incurrisse declarantes, illasque etiam iteratis vicibus aggravantes, interdictumque Ecclesiasticum apponentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 9. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, prædecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non extrahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, quibusvis personis, etiam præfatis locorum Ordinariis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, et scientia similibus, etiam consistorialibus, et de fratrum nostrorum consilio in contrarium

trarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 10. Volumus autem, quod felicis recordationis Pii V. XXII. Septembris anno sexto, ac Gregorii decimi tertii Prædecessorum nostrorum literis, sub Annulo Piscatoris 25. Novembris, anno nono Pontificatuum suorum expeditis, in suo robore & efficacia permanentibus, præsentes literæ non comprehendant; Neque Ecclesias neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini hujusmodi omnino servari debeant.

§. 11. Declarantes insuper ac præcipientes, quod præsentium literarum transsumptis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio & extra illud, ubique locorum plena & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Aprilis, millesimo, quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus nostri anno primo.

XLIV.

Bulla Urbani IIX. Pontificis Maximi, in qua legem ac formam, in Magni Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magistri electione observandam, præscripsit, d. d. 3. Julii, Anno 1628.

URbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. In specula militantis Ecclesiæ nullo meritorum suffragio, sed per abundantiam divinæ gratiæ constituti, inter cætera, quibus juxta creditum humilitati nostræ Apostolatus officium jugiter urgemur, illa Nos maxime sollicitos reddunt, ut eorum, qui ad primaria in Militiis Regularibus munia assumendi sunt, electiones certis legibus celebrentur, & omni perturbatione semota, feliciter perficiantur.

Quare certam legem & formam in electione Magni Magistri Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani celebranda præscribere volentes, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione prohibemus & interdicimus, ne de cætero ullus locumtenens a pro tempore existente dicti Hospitalis Magno Magistro, vel Sede Magistrali vacante, a consilio status, seu completo, iuxta formam statutorum seu stabilimentorum dicti Hospitalis, auctoritate Apostolica confirmatorum, deputatus, vel electus cum quovis fratre, milite dicti Hospitalis, seu alia quavis persona ad habitum fratrum dicti Hospitalis admitti petente, super cuiuscunque generis impedimento vel defectu, etiam in vim quorumcunque privilegiorum seu facultatum eadem auctoritate concessorum, seu confirmatorum dispensare, aut alias gratias quovis prætextu facere, minusque literas Apostolicas Magno Magistro prædefuncto directas executioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ eo ipso incurrenda, facere audeat, vel præsumat. Volentes, & expresse præcipientes, ut ipse locumtenens ea solum, quæ ad meram justitiam pertinent, exercere valeat, alioquin omnia & singula per eum contra præsentium tenorem quomodolibet gesta, irrita & inania, nulliusque roboris & momenti existant. Sicque dispensati & alii quicunque executionis literarum prædictarum, nec non gratiarum eis sic, ut præfertur, a locumtenente hujusmodi factarum, usu & effectu careant, & alias in eodem statu, in quo antea erant, non secus ac si cum eis super suis impedimentis, vel defectibus dispensatum, gratiæque eis concessæ ac literæ Apostolicæ hujusmodi executioni demandatæ non fuissent, remaneant.

Occurrente autem Sedis Magistralis vacatione, tres ejusdem Hospitalis FF. Milites fide & facultatibus idonei, per locumtenentem & Concilium præfatos deputentur, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniæ per debitores communis ærarii, vacatione præfata durante, in numerata pecunia realiter & cum effectu solvantur & numerentur. Solventes vero solutionum hujusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent, qui quidem deputati statim, secuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptarum & exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas Magno Magistro canonice electo, seu Thesaurario, vel aliis Ministris, ad quos de jure & ex forma statutorum seu stabilimentorum hujusmodi spectabit, consignare & restituere teneantur, aliterque factæ solutiones nullatenus solventibus suffragentur, quin adhuc communis ærarii ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

Præterea, ne ullus dicti Hospitalis frater sive Miles, sive Castellanus, sive armorum serviens & extra limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum sit, nullusque frater Capellanus, actu sacerdos non existens, minusque nullus frater serviens, qui ex mera gratia, nullis factis probationibus receptus fuerit, in electione Magni Magistri, aut in quovis alio actu, illam concernente, etiam cujusvis privilegii a Sede Apostolica obtenti, vel consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, ingenio, vel colore, votum, vel suffragium, ferre, nec etiam passivum habere, seu in ea quomodolibet se intromittere, vel immiscere audeat vel præsumat, aut privilegio vel consuetudine hujusmodi, sive quibusvis aliis gratiis, sibi specialiter etiam, Auctoritate Apostolica desuper concessis, uti possit, aut valeat. Exceptis tamen venerabili Fr. Episcopo Melivitano, & dilecto filio Priore Ecclesiæ Conventualis ejusdem Hospitalis nunc & pro

tempore

tempore existentibus, nec non quovis alio Magnæ Crucis fratre, quos, licet receptos extra limites, ad suffragium ferendum habiles declaramus, eosque in hac prohibitionis parte nullatenus comprehendere intendimus, sed ejusdem Episcopi, nec non etiam linguæ Germanicæ jura, privilegia & prærogativas, si quæ illis alias competunt, præservamus.

Insuper statuimus, ut ipse locumtenens una cum Concilio supradicto quam primum eorum fratrum, qui juxta formam præsentis nostræ Constitutionis suffragium laturi sunt, notam, sive catalogum, cum eorum nominibus, patriis & denominationibus, nec non tempore susceptionis habitus ac residentiæ & caravannarum per eorum quemlibet factarum confici, illamque in locis publicis, & consuetis ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem excipere voluerit, intra terminum ab eisdem præfigendum, in Actis Cancellarii seu Vice-Cancellarii, aut cujusvis alterius ad hoc deputandi exhibere & jura sua deducere possit & valeat, affigi curent: quo termino elapso & nihil opposito, opponere volentes amplius non audiantur.

Ipsi vero locumtenens, & Concilium ipsas & quascunque alias controversias, quas Sede Magistrali vacante oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem deventum fuerit, privative quo ad alios quoscunque summarie, simpliciter & de plano absque strepitu & figura judicii, etiam manu Regia, juxta tamen eorum statuta, stabilimenta, & consuetudines hujusmodi, omni & quacunque appellatione, in integrum restitutione, & aliis quibuscunque executionem retardare valentibus, remotis, decidere & terminare etiam possint & valeant.

Conventus vero & omnes fratres die & hora solitis, in Ecclesia d. Hospitalis congregentur, & Missa celebrata, Hymnoque, Veni Creator Spiritus, decantato, singuli fratres jus suffragii, vigore præsentium habentes, ad Capellam unicuique linguæ ad id in eadem Ecclesia destinatam, seu destinandam, exceptis tamen fratribus illius linguæ, ex qua dictus locumtenens extiterit, qui in corpore Ecclesiæ S. Joannis remaneant, accedant, ibique prævio juramento, per eorum singulos alta & intelligibili voce juxta formam in statutis, seu stabilimentis hujusmodi præscriptam & de præsenti observandam, deque eligendo eum, quem, secundum DEum, judicaverint expedire, præstando; Quod quidem in omnibus aliis electionibus, vigore earundem præsentium faciendis, per omnes & singulos suffragium laturos præstari & renovari volumus, non unum, ut antea consueverant, sed tres fratres milites ex unaquaque lingua capaces, ac juxta præsentium, nec non statutorum seu stabilimentorum præfatorum formam qualificatos, in electores eligant, ita ut inposterum non octo tantum Fratres Milites, qui in electores deputabantur, sed viginti quatuor eligantur, ipsaque trium Fratrum cujuscunque linguæ electio per secretas schedulas, modo & forma sequentibus, fiat, videlicet quod omnes schedulæ vel impressæ, vel una & eadem manu tantum conscriptæ sint, cum expressione eorum omnium, quæ in similibus electionum schedulis exprimi solent, præter nomina & cognomina, seu denominationes eligentium & eligendorum, illæque super mensa in Capellis & Ecclesia hujusmodi respective apponi, singulique eligentes seorsim & separatim, aliis inde remotis, ad ipsam mensam accedere, & ipsimet in una proprium nomen seu cognomen, aut denominationem, in altera vero schedulæ partibus, illius, quem eligere voluerint, nomen seu cognomen, aut denominationem, propria manu, alioquin suffragium sit nullum, scribere debeant. Liceat tamen iis, quibus Concilium & locumtenens, præfati ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ & rationabilis impotentiæ causa id concesserint, nomina, cognomina, seu denominationes præfata, per alium ab ipsismet locumtenente & Concilio deputandum describi facere. Quilibet vero eligentium hujusmodi ad mensam præfatam accedens nominibus, seu cognominibus, aut denominationibus præfatis in sua schedula, ut præfertur, conscriptis, illam complicet, & involvat ad effectum, ut a nemine legi possit, eamque sic complicatam & involutam summis digitis elevans, & circumstantibus palam & publice ad hoc, ut unicam esse omnibus pateat, commonstrans in urnam, seu vas in mensa ad hunc effectum appositum, immittat. Quo facto tres antiquiores, seu magis antiani, tanquam scrutatores palam & publice, omnibus videntibus & audientibus, eligentes & schedulas in urnam, seu vas immissas numerent, & ubi pauciores, seu plures schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illico comburantur, & ad novum scrutinium toties deveniatur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illisque respondeant, ipsaque trium hujusmodi fratrum Militum pro unaquaque lingua electio fiat, illique electi censeantur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Si vero nemo, sive duo, aut unus duntaxat ex tribus eligendis hanc quartam suffragiorum partem reportaverint, scrutinium toties renovetur, quoad alios, qui quartam partem reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. Qui vero, ut præfertur, electus fuerit a suffragio ferendo, pro aliis duobus arceatur, statimque atque electus fuerit, ab ipsa Capella recedat, & ad locum opportunum se conferat. Quod si locumtenens in dd. trium numerum eligatur, statim alius locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius Concilii inibi existens locumtenentis loco præsideat, prout Concilio expedire videbitur.

Quia vero Prioratus & aliæ dignitates Anglicanæ linguæ Magno Magisterio Hospitalis hujusmodi, donec illud Regnum ad gremium S. R. E. redierit, Apostolica auctoritate unitæ reperiuntur, unaquæque lingua successive alium eligat, & ex septem sic electis, viginti & unus supradicti per secreta pilularum suffragia pro majori numero eligentium respectu minoris tres diversarum nationum, Gallicæ videlicet, Hispanicæ Italicæ & Germanicæ eligant, qui tres, ut præfertur, electi linguam Anglicam repræsentent, illiusque vice & nomine in electione hujusmodi tantum suffragium ferant. His peractis ipsi viginti quatuor, ut præfertur, electi ad locum Conclavis se conferant, in quo etiam electio Magni Magistri non alibi facienda erit, ibique præsidentem electionis per pilulas secretas, juxta anti-

antiquam dicti Hospitalis consuetudinem hactenus obseruatam eligant, qui sic electus loco dicti locumtenentis cum prohibitionibus supradictis gratias, & alia supra dicta non faciendi, præsideat, & ea, quæ Præsidentes electionis de jure & privilegio, usu vel consuetudine facere & gerere possunt, seu debent, gerat & faciat, & subinde ad electionem Triumviratus, nempe unius Militis, unius Capellani, & unius Armorum servientis Fratrum, qui sint diversarum linguarum juxta formam scrutinii pilularum superius descripti, usque ad perfectam electionem hujusmodi procedant, ipsaque electione celebrata, ipsi tres sic electi in Conclavi prædicto ad quarti electionem, diversæ tamen linguæ, unanimes deveniant, si autem intra unius horæ spatium concordes non fuerint, tunc & eo casu singuli alium fratrem Militem, eorum cuilibet bene visum, qui non sit ex eorum linguis, nominent, nominationeque hujusmodi ad viginti quatuor electores relata, ipsi ad secretum pilularum pro electione unius ex dictis tribus nominatis, scrutinium deveniant, in quo ille, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, pro quarto electus sit, & esse censeatur.

Quartus autem sic electus ad Conclave accedat, & cum aliis tribus ad quinti, quintus vero similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat, per minorem suffragiorum numerum, sicque successive usque ad sexti decimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque lingua, juxta eorum præeminentias, & prærogativas hactenus observatas, quibus præjudicium inferre non intendimus, deveniatur. Occurrente autem in omnibus electionibus prædictis suffragiorum paritate, magis antianus, & in antianitatis æqualitate is, qui diuturniorem residentiam in Conventu & in residentiæ paritate is, qui plures Caravanas fecerit alii præfereatur, electusque sit & esse censeatur. Completa tandem sexdecim præfatorum electione ipsi sexdecim sic electi (odio, amore & aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solumque DEum, illiusque religionis decus, ac propagationem præ oculis habentes) ad electionem Magni Magistri, quem capacem & pro tanti ordinis dignitate, & utilitate idoneum judicaverint, juxta stabilimenta præfata deveniant.

Quod si electio Magni Magistri aliter, quam in Conclavi, prævia electione trium fratrum militum uniuscujusque linguæ, non receptorum ex gratia limitum, modo & forma præmissis, tam respectu scrutinii & suffragiorum, quam linguæ Anglicanæ facienda & non electo prius uno fratre milite, uno fratre Capellano, & alio fratre, seruiente armorum, ut supra, qualificatis, qui usque ad electionem decimi sexti, duorum videlicet pro qualibet lingua, juxta tenores præsentium procedant, & a sexdecim electis hujusmodi, demumque de alio quam uno ex fratribus militibus, ex eadem limitum gratia nequaquam receptis, celebrata fuerit, nulla & irrita sit eo ipso, nullumque sortiatur effectum, quæ omnia inviolabiliter observare debere declaramus.

Mandantes propterea dilectis filiis dicti Hospitalis Magno Magistro ac locumtenenti & Consilio, omnibusque aliis fratribus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut præsentes literas in Cancellaria dicti Hospitalis recipiant & admittant, ac registrent, recipique & admitti ac registrari curent & faciant.

Ac decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod ipsius Hospitalis Magnus Magister, Conuentus & fratres ad præmissa vocati & auditi non fuerint, aut alia quacunque causa, quantumvis legitima apparente, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, aut in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci non posse, sed illa semper & perpetuo valida, firma & efficacia existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ejusdem Hospitalis fratribus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Sicque per quoscunque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro, Conventui & fratribus, ac quibusvis aliis personis, etiam particularibus, nec non dispensationibus super quibusvis defectibus, ac sub quibuscunque tenoribus, ac formis, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis & innovatis, quas ad effectum præmissorum nemini suffragari posse decernimus. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, ad effectum præsentium tantum, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus specialiter & expresse derogamus & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem præsentium ignorantia allegari aut prætendi nullo modo possit, volumus præsentes, seu earum transumptum ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non in acie Campi Floræ de urbe more solito, deinde per hæreticæ pravitatis Inquisitorem in In-

in Insula Melivitana residentem, seu ab eo deputandum in Conventu præfato publicari atque affigi, ipsasque præsentes sic publicatas omnes & singulos, ad quos spectat & spectabit quomodolibet in futurum, illico arctare, afficere, & obligare, ac si unicuique personaliter intimatæ & præsentatæ fuissent.

Quodque earum transumptis etiam inpressis manu alicujus Notarii Publici subscriptis & sigillo Magni Magistri, aut alicujus dicti Hospitalis Magnæ Crucis, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub annullo Piscatoris, die 3. Julii, 1628. Pont. nostri anno quinto.

XLV.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Privilegiorum S. Joannis Hierosolymitani Religioni, de bonorum ejusdem alienationibus atque præscriptionibus, indultorum, Confirmatio, d. d. 15. Martii, Anno 1629.

URbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, Divina providentia præsidentes, inter cæteras Apostolicæ servitutis curas in eam peculiari studio invigilamus, ut militarium Ordinum ad Sanctæ Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem pie salubriterque institutorum bona in eisdem Ordinibus conserventur, & propterea ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris hac in parte sancita & decreta sunt, ut firmiora & validiora persistant, Apostolicæ confirmationis robore communimus, aliasque disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem fel. recordationis Clemens Papa VII. Prædecessor noster donationes, concessiones, locationes, investituras, & alias alienationes censuum, redituum, jurium, jurisdictionum, & bonorum quorumcumque ad Baillivas, Prioratus, Castellaniam empostæ, Præceptorias, domos, Hospitalia, beneficia, & loca Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani pertinentium, in illorum læsionem, jacturam, vel detrimentum etiam per personas dicti Hospitalis, etiam cum renunciationibus, pactis, juramentis, & pœnis desuper impositis, & adjectis, ac Instrumentis & literis desuper confectis, & confirmationibus forsan inde secutis, etiam de licentia Sedis Apostolicæ, absque tamen consensu seu expressa licentia Magni Magistri & Conventus dicti Hospitalis, quacumque præscriptione, seu longissima pacifica possessione & detentione non obstantibus cassavit, revocavit, & annullavit, ac irritavit, nulliusque roboris vel momenti fore, & pro infectis haberi decrevit, ac census, reditus, jura, jurisdictiones, & bona alienata hujusmodi, ac etiam per quoscumque seculares occupata, usurpata, & detenta ad jus, & proprietatem dicti Hospitalis, seu illius Baillivarum, Prioratuum, Castellaniæ empostæ, Præceptoriarum, domorum, Hospitalium, & beneficiorum præfatorum reduxit, illaque in integrum adversus concessiones, donationes, & alias quaslibet alienationes prædictas, nec non investituras illarum prætextu quomodolibet quavis auctoritate factas & concessas in integrum ac in pristinum, & eum statum, in quo antea erant, restituit, reposuit, & plenarie reintegravit, illorumque detentores, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes, ad illorum relaxationem per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia cogi & compelli posse voluit, & similes alienationes de cætero sub excommunicationis latæ sententiæ, & privationis beneficiorum per eos obtentorum pœnis per contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrendis, fieri prohibuit, & si fierent, illas viribus omnino carere decrevit: postmodum vero rec. memor. Pius Papa IV. similiter Prædecessor noster, per suas sub dato Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. Kal. Junii, Pontificatus sui anno primo sub plumbo expeditas literas inter alia cassationem, revocationem, annullationem decreta, reductionem, repositionem, restitutionem, reintegrationem, voluntatem, declarationem, & prohibitionem hujusmodi motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine approbavit, & confirmavit, & alias, prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, propter malam nonnullorum Præceptorum, seu Commendatariorum dicti Hospitalis administrationem multa ipsius Hospitalis bona contra illius statutorum, seu stabilimentorum ac ordinationum Capitularium, auctoritate Apostolica confirmatarum, prohibitionisque hujusmodi formam usurpata & alienata reperiantur: Nos ejusdem Hospitalis indemnitati ejusque bonorum, ut præfertur, usurpatorum & alienatorum recuperationi & conservationi, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictas Pii prædecessoris literas, quoad præmissas emanatas, in iis tamen, quæ præsentibus non adversantur, approbantes, confirmantes, & innovantes omnes & quascumque alienationes censuum, redituum, & bonorum quorumcunque ad Baillivas, Prioratus, Castellaniam empostæ, Præceptorias, Domos, Hospitalia, beneficia, & loca Hospitalis hujusmodi pertinentium a personis Religiosis dicti Hospitalis, etiam de licentia dictæ Sedis Apostolicæ sine consensu, vel licentia Magni Magistri & Conventus hujusmodi, in illorum læsionem, jacturam, vel detrimentum, cum quibusvis renunciationibus, pactis, juramentis, & literis desuper confectis, & confirmationibus desuper a Sede Apostolica subsecutis, ad personarum religiosarum Hospitalis hujusmodi, non autem Regum, vel Principum supplicationem, neque alias motu proprio hujusmodi factas, quacumque præscriptione, seu longissima pacifica possessione & detentione non obstante, tenore præsentium etiam cassamus, revocamus, & annullamus, ac irritamus nulliusque roboris, vel momenti

momenti fore, & pro infectis haberi decernimus, nec non Baillivas, Prioratus, Castellaniam empostæ, Præceptorias, Domos, Hospitalia, & beneficia prædicta adversus alienationes hujusmodi in integrum ac in pristinum, & eum, in quo antea erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, bonorumque, ut præfertur, alienatorum detentores, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes, ad illorum relaxationem per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia cogi & compelli posse volumus, & similiter decernimus, literasque Clementis, & Pii prædecessorum hujusmodi in & quoad omnia & singula præmissa ad præsentium formam, tenorem & terminos reducimus ac restringimus; & nihilominus quascunque alienationes bonorum hujusmodi, si quas de cætero a personis religiosis prædictis sine consensu, vel approbatione Magni Magistri, & Conventus prædictorum, etiam de licentia per Nos, seu Romanos Pontifices Successores nostros, pro tempore existentes, ad Religiosorum quorumcunque, non tamen Regum, vel Principum supplicationem seu instantiam, nec alias motu proprio, quæ suam habeant & sortiantur executionem, & effectum, concessa fieri contigit, ex nunc, prout ex tunc, nullas & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse, nullique jus tribuere, præsentes vero literas etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes ad præmissa concedendum seu concedi videndum vocati non fuerint, aut eisdem præmissis non consenserint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari minime posse, sed illas semper & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari.

§. 3. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus. Quocirca dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac nostris, & Apostolicæ Sedis in Franciæ & Hispaniarum Regnis Nunciis per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, seu eorum quilibet, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Magni Magistri, Priorum, Baillivorum, Præceptorum, Militum, & Fratrum prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas & in eis contenta quæcunque firmiter observari, & singulos quos ipsæ concernunt, illis pacifice frui & gaudere.

§. 4. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus, quatenus opus sit, eisdem Clementis & Pii Prædecessorum literis, nec non recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, & in quibusvis aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam legibus, & etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, conventionibus, & instrumentis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Martii, 1629. Pontificatus nostri anno sexto.

XLVI.

Literæ patentes, quibus Magnus Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Equestris Magister, Officialibus atque fratribus Ordinis sui, ut impositionem 12000. scutorum, ad Civitatum Victoriosæ, Sengleæ ac Valetæ mœnia, earum arcium propugnacula instauranda, aliaque munimenta exstruenda, Sedis Apostolicæ consensu decretam, pro sua quisque rata libenter ac sine ulla tergiversatione exsolvant, intimavit atque præcepit, d. d. 19. Novembr. An. 1633. Quibus earundem Confirmatio ab Urbano IIX. Pontifice Maximo, indulta, est adnexa, d. d. 30. Januar. Anno 1634.

URbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam Inter cæteras, quibus assidue premimur, Apostolatus nostri curas, in eam præcipue incumbimus, ut Insula Milevitana Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, firmissimum Christiani nominis adversus Turcarum Tyrannidem propugnacu-

gnaculum debite muniatur, & quæ propterea ab ipsius Hospitalis Magno Magistro & Concilio provide ordinata sunt, Apostolicæ firmitatis munimine roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum filiorum, Antonii de Paula, Magni Magistri, nec non Concilii completi dicti Hospitalis Nobis expositum fuit, quod cum pro reficiendis & instaurandis mœnibus Civitatum Victoriosæ, Sengleæ & Valletæ earumque arcium, nec non propugnaculis aliisque fortificationibus perficiendis, ac de novo construendis, commune ærarium dicti Hospitalis ingenti pecuniarum summa indigeat, infra scriptam impositionem sub nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito statuerunt, & ordinaverunt, prout plenius continetur in decreto desuper emanato tenoris subsequentis, videlicet:

Frater Antonius de Paula, DEI gratia sacræ Domus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, ac militaris ordinis Sancti Sepulchri Dominici Magister humilis, pauperumque JEsu Christi custos. Universis & singulis præsentes nostras literas visuris, lecturis, & audituris salutem. Notum facimus, & in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro, seu registro Conciliorum nostræ Cancellariæ, in quo similia annotari & registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi & redigi jussimus, ut ubique, tam in judicio, quam extra, eidem plena & indubitata fides adhibeatur, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet: Die 25. Mensis Novembr. 1633. cum pro reficiendis & restaurandis mœnibus Civitatum Victoriosæ, Sengleæ, & hujus humilissimæ Valletæ, earumque arcium, ac propugnaculis aliisque fortificationibus perficiendis, ac de novo construendis opus sit communi ærario ingens pecuniarum summa, juxta decretum per venerandum Concilium, referentibus venerandis Commissariis desuper deputatis, nuper conditum, quod præmissa pro conservatione hujus dominii, imo totius Reipublicæ Christianæ tuitione fieri censuit ac mandavit eminentissimus ac Reverendissimus D. Magnus Magister, ac Venerandum Concilium completum legitime congregatum, intellecta denuo relatione præteritorum, Commissariorumque matura deliberatione præhabita cum scrutinio ballottarum, sub beneplacito & confirmatione Sanctissimi Domini nostri Papæ, ejusque Sedis Apostolicæ, & non aliter nec alio modo ordinaverunt, statuerunt, & imposuerunt, ac imponunt pensionem, sive impositionem duodecim millium scutorum monetæ de tarenis duodecim pro singulis scutis, super omnibus Prioratibus, Castellania empostæ, Balivatibus, Commendis, membris, pensionibus, ac bonis ordinis tam exemptis, quam non exemptis, etiam per commune ærarium (si in mortuario, & vacanti extiterint) in quolibet ex tribus proxime sequentibus annis tantum, & duntaxat præter, & ultra responsiones & impositiones ordinarias pro rata, & juxta taxam, sive æstimationem de A. 1583. editam exsolvendum in Capitulis Provincialibus cujuslibet Prioratus, in singulis futuris annis 1634. 1635. & 1636. celebrandis, prout solvi consueverunt responsiones, & impositiones, ita ut in prædictis tribus annis summa triginta sex millium ad præmissum effectum, & non alium eroganda exigi possit, & debeat, nec ulterius iis transactis, quovis prætextu seu colore ipsa impositio continuari valeat, sed statim suppressa & extincta sit, & esse censeatur. Volentes, ut pecuniæ ex hujusmodi impositione proventuræ in arca sub clavibus suæ Eminentiæ & Commissariorum, super fortificationibus deputatorum, conserventur, & exinde, quando opus erit, extrahi valeant per eos fideliter in præfatum usum impendendæ. Quodque singulis mensibus iidem Commissarii rationes & computa expensarum venerabili Concilio, sub pœna de proprio ipsas expensas illius mensis satisfaciendi, reddere teneantur. Et quia ita se habet veritas, factaque fideli cum originali collatione concordare comperimus, ideo in hujus rei testimonium Bulla nostra Magistralis in cera nigra præsentibus est impressa, Datum Melitæ in Conventu nostro, die 19. mensis Novembris, Anno 1633.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes impositionem hujusmodi, desuperque confectum decretum præinsertum, quo exactius observentur, Apostolici roboris firmitate communiri summopere desiderent: Nos illos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, impositionem prædictam desuperque confectum decretum præinsertum, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes, impositionem & decretum hujusmodi, præsentesque literas valida, firma & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscunque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, ac ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus ac formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio haben-

habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 30. Januarii, 1634. Pontificatus nostri Anno undecimo.

XLVII.

Urbani IIX. Pontificis Maximi, Bulla, de Magni Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Equestris Magistri electione agens, d. d. 21. Octobris, Anno 1634.

URbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini non meritis nostris, sed inscrutabili Divinæ voluntatis providentia vocati, & attenta mentis acie considerantes, Hospitale Sancti Joannis Hierosolymitani in Insula Melitæ, Doctoris gentium miraculis celebrata, firmissimum tutissimumque Reipublicæ Christianæ adversus impii Turcarum tyranni invasiones propugnaculum existere, ejusque fratres milites, tanquam veros Christi Athletas, pro fidei Catholicæ defensione, nullis vitæ periculis parcendo, jugiter laborare: dignum, quin potius debitum reputamus, ut ea, quæ per nostras literas motu proprio expeditas alias statuimus, & ordinavimus, pro felici, rectaque Magni Magistri dicti Hospitalis electione suum debitum sortiantur effectum.

Cumque pro faciliori ipsarum literarum nostrarum executione proprium Ceremoniale per nonnullos Romanæ Curiæ Prælatos religionis zelo, prudentia, fide, doctrina, rerum gerendarum usu, aliisque egregiis virtutibus conspicuos, quibus negotium hujusmodi commiseramus, diligenti, ut res postulabat, adhibito examine confectum & a Nobis approbatum fuerit, ut illud cum omnibus & singulis in eo contentis inviolabiliter perpetuo observetur, ex nostro Pastoralis officii debito providendum, ac nostræ Apostolicæ Confirmationis patrocinio muniendum censuimus.

Tenor autem illius est: Magno Magistro vita functo congregetur, quamprimum fieri poterit, Consilium completum, a quo inter cætera præcipue infra scripta fiant.

Primo: Deputet sive eligat locumtenentem juxta formam statutorum, seu stabilimentorum dicti Hospitalis, Apostolica auctoritate confirmatorum, qui juxta literarum Sanctissimi Domini nostri Urbani, Papæ VIII. desuper emanatarum hujusmodi dispositionem ea duntaxat exercere valebit, quæ ad meram justitiam pertinent; non autem cum quovis fratre milite dicti Hospitalis, seu alia quavis persona ad habitum fratrum dicti Hospitalis admitti petente, super cujuscunque generis impedimento vel defectu, etiam in vim quorumcunque privilegiorum seu facultatum dicta auctoritate concessorum seu confirmatorum dispensare: neque cum eodem Consilio status, & quovis prætextu alias gratias etiam facere, ut sunt habitum dicti Hospitalis concedere, aut exhibere, vel similia: minusque literas Apostolicas, Magno Magistro prædefuncto directas, executioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes, facere, sub pœna in omnibus vel singulis casibus prædictis, privationis vocis activæ & passivæ eo ipso incurrenda, & per Consilium prædictum, excluso ipso locumtenente, declaranda: & nihilominus omnia & singula per eum contra præsentium tenorem quomodolibet gesta, irrita & inania, nulliusque roboris & momenti existant: sicque dispensati, & alii quicunque executionis literarum prædictarum, nec non gratiarum, eis sic, ut præfertur, a locumtenente hujusmodi factarum, usu & effectu careant, sed in eodem statu, in quo antea erant, non secus, ac si cum eis super suis impedimentis vel defectibus dispensatum, gratiæque eis concessæ, ac literæ Apostolicæ hujusmodi executioni demandatæ non fuissent, remaneant.

Secundo, locumtenens, & Consilium prædicti tres ejusdem Hospitalis, ac unus, seu diversarum linguarum fratres milites, fide & facultatibus idoneos, prout sibi videbitur, deputent, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniæ per communis ærarii debitores, durante Sedis Magistralis vacatione, realiter & cum effectu solvantur & numerentur; Solventes vero solutionum hujusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent. Qui quidem deputati, statim secuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptarum, & exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas Magno Magistro canonice electo, seu Thesaurario, vel aliis Ministris ad quos de jure & ex forma statutorum, seu stabilimentorum huiusmodi spectabit, consignare & restituere teneantur, aliterque factæ solutiones nullatenus solventibus suffragentur, quin adhuc communis ærarii ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

Tertio, curabunt iidem locumtenens & Consilium status, ut a qualibet lingua, seu alias, prout eis celeri expeditione magis expedire videbitur, eorum fratrum, qui juxta earundem literarum prædictarum formam suffragium laturi sunt, nota sive catalogus conficiatur, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis & denominationibus, nec non tempore susceptionis habitus ac residentiæ, & caravannarum per eorum quemlibet factarum: quæ quidem nota, sive catalogus edicto, per eosdem locumtenentem & Consilium status promulgando inseratur; edictumque hujusmodi in locis publicis & consuetis ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem etiam alterius linguæ excipere voluerit, infra terminum ab eisdem in dicto termino præfigendum, in actis Cancellarii, seu Vice-Cancellarii, aut cujusvis alterius ad hoc deputandi, jura sua exhibere & deducere possit: quo termino elapso & nihil opposito, opponere volentes postea amplius

amplius non audiantur. Præterea juxta literarum prædictarum dispositionem etiam vigore cujuscunque privilegii seu concessionis, etiam specialis a Sede Apostolica obtentæ sive consuetudinis, etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, in electione Magni Magistri, aut in quovis alio actu illam concernente, votum vel suffragium nec ferre, nec passive habere, nec in ea quomodolibet se intromittere vel immiscere poterit ullus ejusdem Hospitalis Frater, aut Capellanus, vel Serviens armorum, extra omnium linguarum, sive totius Hospitalis limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum fuerit: nullusque frater Capellanus, actu Sacerdos non existens, minusque frater Serviens ex mera gratia & non factis probationibus receptus. Qui omnes propterea, seu eorum aliqui, in Catalogo sive nota hujusmodi poni non debebant; exceptis tamen Episcopo Melivitano, & Priore Ecclesiæ Conventualis dicti Hospitalis, nunc & pro tempore existentibus, nec non quovis alio magnæ Crucis fratre, qui licet extra limites recepti, voto, sive suffragio activo & passivo gaudebunt respectu electionis 24. duntaxat, nec in hac prohibitionis parte ullatenus comprehendi, sed ejusdem Episcopi nec non etiam linguæ Germanicæ jura, privilegia, & prærogativæ, si quæ alias illis competunt, præservata censeantur.

Quarto: Iidem locumtenens & Concilium ad nominationem cujuslibet eligentium, qui ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ & rationabilis impotentiæ causa nomina, cognomina & denominationes prædicta scribere non poterit, personas deputabunt, quæ eadem nomina, cognomina & denominationes pro iisdem sic impeditis scribant.

Insuper locumtenens & Concilium prædicti decidant & terminent summarie sine strepitu & figura judicii, etiam manu Regia, juxta tamen statuta, stabilimenta & consuetudines dicti Hospitalis, omni & quacunque appellatione, restitutione in integrum, & aliis quibuscunque executionem retardare valentibus remotis, omnes causas supradictorum gravaminum & exceptionum, & quamlibet aliam controversiam etiam XXIV. & XVI. Electorum, quas, Sede Magistrali vacante, oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem deventum fuerit.

Conventus vero, & omnes fratres die & hora solitis in Ecclesia Conventuali S. Joannis congregentur: & missa celebrata, Hymnoque, Veni Creator Spiritus, decantato, singuli fratres jus suffragii, vigore literarum Apostolicarum prædictarum habentes, ad Capellam unicuique linguæ ad id in eadem Ecclesia destinatam, seu destinandam accedant, exceptis tamen Fratribus illius linguæ, ex qua dictus locumtenens extiterit, qui in corpore ejusdem Ecclesiæ Conventualis remaneant. Hi non unum, ut antea consueverant, sed tres Fratres Milites ex unaquaque lingua capaces, ac juxta earundem literarum Apostolicarum, nec non statutorum, seu stabilimentorum prædictorum formam qualificatos, in Electores eligant, ita ut inposterum non octo tantum Fratres Milites, qui in Electores deputabuntur, sed viginti quatuor eligantur. Ipsaque trium Fratrum cujuslibet linguæ electio per secretas schedulas modo & forma sequentibus fiat: videlicet, quod omnes schedulæ vel impressæ, vel una & eadem manu tantum conscriptæ sint juxta exemplum infra scriptum.

Ego Frater
N. N.
Eligo Fratrem
N. N.
in unum ex XXIV.

Eædem schedulæ super mensa in Capellis & Ecclesia Conventuali prædicta respective poni, singulique eligentes soli seorsim & separatim, aliis inde remotis, ad ipsam mensam accedere, in superiori schedulæ parte, nomen, cognomen, seu denominationem propriam ipsiusmet eligentis, & in inferiori schedulæ parte nomen, cognomen seu denominationem eligendi, propria manu scribere debeant, ita ut certa tam eligentis quam electi persona habeatur, alioquin suffragium sit nullum, exceptis tamen votis illorum, quorum nomina, cognomina & denominationes iidem locumtenens & Concilium ob causas supra expressas per aliam personam scribi posse concesserint. Caveant etiam diligenter, ne in qualibet schedula plures, quam unum nominent, juxta exemplum inferius positum.

Ego Frater Sylvester, Scotus, eligo
Fratrem Nicolaum la Marra
in unum ex XXIV.

Advertatur etiam, quod scrutinium erit toties reiterandum, donec tres supradicti votis sive suffragiis sufficientibus electi sint, juxta prædictum motum proprium.

Quilibet vero eligentium hujusmodi ad mensam prædictam accedens, nominibus seu cognominibus, aut denominationibus prædictis in sua schedula, ut præmittitur, conscriptis, primo illam in superiori parte complicabit, & communi suæ linguæ sigillo in eadem mensa ad hunc effectum præparando ita claudat, ut eligentis nomen nunquam videri possit, nec ullo unquam tempore publicetur.

Secundo eandem schedulam ita totam complicabit, ut tunc temporis a nemine legi valeat.

Tertio schedulam ipsam sic complicatam & sigillo clausam summis digitis elevans, & circumstantibus palam & publice ad hoc, ut unicam esse omnibus pateat commonstrans, alta & intelligibili voce jurabit juxta sequentem formam:

Ego N. juro, me eligere illum, quem secundum Deum eligendum judico.

Quod quidem juramentum in omnibus aliis electionibus in vim literarum Apostolicarum hujusmodi faciendis præstari & renovari debebit.

Præstito hujusmodi juramento schedulam prædictam in urnam, seu vas, ad hunc effectum in mensa appositum immittat.

Quo facto tres Fratres Milites antiquiores & magis antiani, nulla habita præeminentiæ consideratione, ultra alios actus sibi, uti scrutatori, competentes palam & publice omnibus eligentibus, videntibus & audientibus, schedulas in urnam, seu vas immissas numerent: & ubi pauciores, seu plures schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illico & publice comburantur, & toties scrutinium renovetur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illique respondeat.

Comperto autem, numerum schedularum parem esse numero eligentium, scrutatores prædicti legant alta voce & publicent schedulas in parte sigillo non clausa, publicando propterea personam, quæ in eis eligitur: factaque publicatione hujusmodi, censeantur electi tres Fratres Milites prædicti pro qualibet lingva, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Quod si nemo, sive duo, aut unus duntaxat ex tribus eligendis hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, ad novum scrutinium toties pariter deveniatur, quoad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. In eventum, in quem aliquis necessariis duntaxat votis eligatur, idem electus propriam schedulam agnoscet, ad hoc, ut videatur, an detracta ipsius electi schedula sufficiens pro electione schedularum numerus fuerit, & an electus sibimet (quod non potest) suffragium tulerit: & renuente electo propriæ schedulæ agnitionem sive manifestationem, ille ea vice pro non electo habeatur.

Qui vero, ut præmittitur, electus fuerit, a suffragio sive voto ferendo pro aliis duobus arceatur, statimque atque electus fuerit, ab ipsa Capella recedat, et ad locum Conclavis opportunum se conferat.

Quodsi Locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius Concilii ibi existens, omissa qualibet præeminentiæ consideratione Locumtenentis loco præsideat, prout Concilio expedire videbitur.

Quia vero lingva Anglicana non habet Fratres Milites Capellanos, nec fratres servientes, ideo, donec illud Regnum ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redierit, unaquæque aliarum septem lingvarum successive alium fratrem militem e propria lingva per schedulam, ut supra, eligat: et ex septem sic electis viginti et unus supradicti, prævia dicti juramenti præstatione, per secreta pilularum suffragia pro majori eligentium numero respectu minoris, tres diversarum nationum Gallicæ videlicet, Italicæ, Hispanicæ et Germanicæ eligant, cum ballotatione cujuslibet ipsorum septem: qui tres, ut præmittitur, electi lingvam Anglicanam repræsentent, illiusque vice et nomine illa electione dictorum septem duntaxat suffragium ferant.

Facta, ut præmittitur, eorundem electione, illi ad locum Conclavis se conferant, in quo electio Magni Magistri necessario facienda erit, et ad infra scriptos actus deveniant, videlicet:

Primo eligant prævia dicti juramenti præstatione præsidentem electionis per pilulas secretas, juxta antiquam dicti Hospitalis consuetudinem hactenus ibi observatam: qui sic electus, loco dicti Locumtenentis cum prohibitionibus supradictis gratias et alia supradicta faciendi, præsideat, et ea, quæ Præsidentes electionis de jure, privilegio, usu, vel consvetudine facere et gerere possunt, seu debent, gerat et faciat.

Secundo, prævia similiter ejusdem juramenti præstatione procedant ad electionem Triumviratus, nempe unius armorum servientis fratrum, qui sint diversarum lingvarum, juxta formam scrutinii pilularum superius descripti usque ad perfectam electionem hujusmodi.

Tertio, celebrata electione prædicta ipsi tres sic electi ad quarti electionem, diversæ tamen lingvæ a sua, unanimes deveniant: & si infra unius horæ, a primo momento clausuræ Conclavis computandæ, spatium concordes non fuerint, tunc & eo casu illorum singuli alium fratrem Militem eorum cuilibet bene visum, qui non sit ex eorum lingvis, nominent, nominationeque hujusmodi ad viginti quatuor electores relata ipsi se in Sacristiam, eis loco Conclavis in hoc casu duntaxat asignatam, recipientes, prævia pariter dicti juramenti præstatione, ad secretum scrutinium pilularum pro electione unius ex dictis tribus nominatis deveniant, ita, ut quilibet horum trium ballotetur, & ille pro quarto electus sit & esse censeatur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, etiamsi sit de corpore dictorum viginti quatuor.

Quarto, iste quartus sic electus ad Conclave accedat & cum aliis tribus ad quinti: quintus vero similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat, per majorem suffragiorum, seu pilularum numerum, sicque successive usque ad sexti decimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque lingua, juxta eorum præeminentias & prærogativas hactenus observatas, quibus præjudicium inferre non censetur, deveniatur.

Occurrente autem in omnibus electionibus prædictis suffragiorum paritate, aliis præferatur, electusque sit & esse censeatur magis antianus, & in antianitatis æqualitate is, qui diuturniorem in Conventu residentiam fecerit, seu in servitio dicti Hospitalis magis occupatus fuerit, propter quod servitium pro residente in Conventu habeatur ad prædictum effectum; & in residentiæ paritate is, qui plures caravannas fecerit.

Completa tandem sexdecim prædictorum electione ipsi sexdecim sic electi, odio, amore, & aliis quibuscunque humanis affectibus posthabitis, solumque DEum, illiusq; religionis decus ac propagationem præ oculis habentes, præviaque etiam juramenti supradicti præstatione, ad electionem Magni Magistri, quem capacem & pro tanti ordinis dignitate & utilitate idoneum judicaverint, sicut hactenus observatum fuit, deveniant. Omnibus autem innotescat, electionem nullam & irritam fore eo ipso, nec ullum effectum sortiri debere, si aliter celebrata fuerit quam in Conclavi. Et prævia electione trium fratrum Militum uniuscujusque lingvæ, non receptorum ex gratia limitum, modo & forma præmissis, tam respectu scrutinii & suffragiorum, quam respectu lingvæ Anglicanæ facienda. Et non electo prius uno Fratre milite, uno fratre Capellano, & alio fratre serviente armorum, ut supra qualificatis, qui usque ad electionem decimi sexti, duorum videlicet pro qualibet lingva, juxta earundem literarum tenorem procedant, & a sexdecim electis hujusmodi. Denumque de alio quam uno ex fratribus *Militibus* ex eadem limitum gratia nequaquam receptis.

Motu itaque proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine quodcunque Electionarium, sive Ceremoniale, vel Rituale Electionis, seu Electionum hujusmodi, a quocunque desuper hactenus factum,

ctum, compositum sive publicatum, etiam typis impressum, in primis, & ante omnia revocantes & annullantes, omnia & singula in præsenti Ceremoniali ordinata & quomodolibet contenta, tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, illisque omnibus & singulis perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Eaque ab omnibus & singulis dicti Hospitalis fratribus, ad quos spectat & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari præcipimus & mandamus.

Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuntios, quavis auctoritate & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere: ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari:

Non obstantibus omnibus illis quæ in literis nostris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum in Arce Gandulphi Albanens. dioec. sub annulo Piscatoris die 21. Octobris 1634. Pontificatus nostri anno 12.

XLIIX.

Literæ patentes, quibus Joannes Paulus Lascaris Castellarius, Magnus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Equestris Magister, Ordinis sui Equites, extra Melitam commorantes, ut tempore statuto, ad Sedem hanc Ordinis primariam contra Turcas defendendam, compareant, citavit, d. d. 24. Januar. An. 1645.

FRà Hugo di Rabustin Bussi, Cavaliere dell' Ordine di S. Giovanni di Gerusalemme, Gran Priore di Francia. Al primo de' nostri Fratelli, Uscieri, Sergenti, Notari e Latori delle presenti salute, & dilettione nel N. S. Noi vi mandiamo, & in virtù di S. ubbidienza comandiamo, et coloro, che non sono del nostro ordine preghiamo, che incontinente, et senza alcuna dilatione deggiate eseguire di punto in punto il comandamento dell' Eminentissimo Gran Maestro del detto Ordine, et di ciò fare relatione sufficiente con atti publici, et autentici conforme il contenuto della cittatione della quale il tenore è quello, che segue:

Frà Gio. Paolo Lascari Castellar, per la gratia di Dio humile Maestro della Casa dell' Hospedale di S. Giovanni di Gerusalemme, et Ordine militare del santo sepolcro di N. S e Guardiano de' poveri di JEsu Christo. Al nostro nobilissimo, et Religioso Fratello in Christro, Hugo di Rabustini di Busai, Priore del nostro Priorato di Francia, et ad ogni altro suo Luogotenente, ò Presidente al detto Priorato salute nel nostro Signore, et diligenza nelle cose, che li commettiamo. Havendo inteso da varie lettere et per auvisi certi, che 'l Turco il più aspero Tiranno, et il più antico nemico, del nome christiano, et principalmente del nostro ordine, apparecchi in questo anno una numerosa, et possente armata navale per attaccarci, et assediare noi, et le nostre Isole; et giudicandosi à proposito, che in un pericolo sì grande, e quasi imminente, tutti i nostri Fratelli, et compagni di militia sieno appresso di noi per poter' essere ajutati et assistiti dal suo valore, consiglio, et esperienza nel fatto della guerra, et della loro pietà; Per tal causa col parere, et deliberatione del nostro Venerabile Conseglio p' el tenore delle presenti noi vi comettiamo, et comandiamo in virtù di S. ubbidienza, et sotto le pene ordinate contra quelli, che sprezzano di mandare ad effetto i nostri comandi, che di nostra autorità voi auvertitate, et dobbiate citare, overo far' auvertire, ammonire, e citare tutti, e ciascheduno de' nostri Fratelli, Bali, Commendatori, Cavalieri, Serventi d' armi, tutti i Novitii, et quelli, che per l' avanti ricevuti da fanciulli nel nostro ordine sono al presente arrivati al diciottesimo anno, tanto di questo Priorato di Francia, che di qualsivoglia altro, che si trovaranno entro i limiti del medesimo Priorato; i nomi et cognomi d' e quali noi vogliamo, che sieno reputati per sufficientemente quì espressi; come pe'l tenore delle presenti gli auvertiamo, ammoniamo, et citiamo acciò per tutto il quindicesimo del mese prossimo venturo d' Aprile, che noi assegniamo à tutti, et à ciascuno di loro pe'l primo, secondo, et terzo termine perentorio à douer comparire tutti, et ciascuno di loro in persona con le loro armi avanti di noi nel nostro Convento, per rendere al loro ordine, et alla loro Religione l' ubbidienza, et il servigio, che le devono, et al quale sono obligati per la loro professione, eccettuati però il Ricevitore, et Procuratore del nostro comune Thesoro nel medesimo Priorato, et quelli, che per l' imbecillità della vecchiaia non possono combattere; altrimente scorso questo termine, et quelli non comparendo, noi procederemo, et faremo procedere contra tutti, e ciascuno di loro per dichiarare, che saranno incorsi nelle pene ordinate da' nostri statuti et Induiti Apostolici contra li subbidienti, et ribelli a' comandamenti de' loro superiori: cioè, la privatione del loro habito, delle loro Commende, et altri beni da loro posseduti; e contra le Novitii ricevuti, come è stato detto, durante le loro minorità per dichiarare, che havranno perduto il diritto della loro recettione antianità et giuriditione del nostro Ordine, di maniera ch eglino sieno giudicati affatto esclusi dall' ingresso della nostra Religione, e ciò non ostante qualsivoglia loro contumacia, et oppositione. Concedendovi facultà et autorità, spirato il quindicesimo d' Aprile di citare, ò far citare li detti Fratelli, et Novitii ricevuti minori, dissubbidienti, e ribelli per vedersi spogliare del loro habito, recettione, antianità, et ingresso nella Religione rispettivamente secondo la forma de' nostri statuti. Et quanto à quelli, che, come habbiamo detto, non sono capaci di portar l' armi, et à combattere: Voi gli esortarete instantemente à dare, e portare qualche soccorso al nostro Ordine come à loro madre in uno sì urgente necessità, & evidente pericolo. Vogliamo in oltre, che tutti i nostri

Fratelli,

Fratelli, Novitii, et Ricevuti in minorità, che s' apparecchiaranno per condursi al Convento non possino condurre seco alcun Servitore al di sotto de' 20. anni. Voi haverete dunque cura di far puntualmente eseguire tutti, e ciascuno de gli ordini suddeti, & di auvisare quanto più presto potrete di tutto ciò, che succederà con atti publici, & autentici. In somma in tutto il sopradetto vi comportarete di maniera, che noi habbiamo occasione di lodare la vostra diligenza. In testimonio di che habbiamo fatto apporre alle presenti il nostro Bollo Magistrale in cera nera. Dato à Malta nel nostro Convento li 24. di Gennaio del 1645.

XLIX.

Bulla Innocentii X. Pontificis Maximi, in qua Privilegia quædam, Equestri S. Johannis Hierosolymitani Ordini a Pontificibus Maximis concessa, confirmavit, d. d. 18. Julii Anno 1648.

INnocentius Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Universalis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam, meritis licet insufficientibus, præpositi inter multiplices pastoralis officii curas, illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia, gratiæ & indulta militiis & hospitalibus quibuslibet ad majorem DEI gloriam, suæque Ecclesiæ sanctæ exaltationem, illius vero hostium profligationem pie provideque institutis, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa, quo majoris validitatis munimine subsistant, Apostolicæ confirmationis patrocinio muniuntur, prout rerum temporumque qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, alias fel. record. Leo X. & Clemens VII. Paulus III. Pius IV. & Pius V. Romanorum Pontifices prædecessores nostri inter alia privilegia & indulta dilectis Filiis, Magistro & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani a Sede Apostolica concessa eundem & pro tempore existentem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum empostæ, Priores, Præceptores, milites, familiares, aliasque personas Hospitalis hujusmodi, nec non eorum subditos, Vasallos, Colonos, Servitores, & alios in eorum obsequiis & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam Presbyteros, curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, prædia, domos, molendina & bona quæcunque, quæ obtinebant, ac imposterum obtinerent & possiderent, a solutione & exactione decimarum, censuum, Jurium etiam Synodalium & canonicarum portionum, seu charitativi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartæ aut alias quomodolibet, aut aliorum quorumcunque onerum, sub certis modo & forma exemerint & liberaverint, prout in diversis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Et licet ipsi Milites, & aliæ personæ prædictæ non debuissent a quoquam contra dictorum privilegiorum tenorem & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus & fortunis, verum etiam sangvini et vitæ pro tuitione fidei Catholicæ non parcant, nihilominus cum diversi locorum Ordinarii, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores, et multæ capitulares personæ id sibi omnino juxta Sacri Concilii Tridentini decreta, licere asserentes, eosdem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, et personas diversis oneribus, contra eorum privilegia prægravarent, illosque ad decimas, census subsidia, etiam charitativa, congruas portiones, jucundum adventum, Pastor bonus, aut alias nuncupata onera, etiam jura Synodalia solvenda cogere præsumant, in maximum ipsius Hospitalis detrimentum & gravamen. Fel. rec. Greg. XIII. Sixtus V. & Gregor. XIV. similiter prædecessores nostri, ex certa scientia & Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula Privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro & Conventui quomodolibet concessa confirmantes, approbantes, & innovantes, eos super præmissis quomodolibet molestari, inquietari, ac perturbari districtius prohibuerunt.

Et præterea cum inter alia fel. record. Pius Papa IV. etiam prædecessor noster, eisdem Magno Magistro & Conventui inter cætera privilegia Prioratus Bajulivatus, Castellaniam empostæ, Commendas & alia ejusdem Hospitalis beneficia libere uniendi & dismembrandi facultatem concessisset, & nihilominus a quibusdam quandoque dubitaretur, an ante, vel post mortem possessorum unio, seu dismembratio ipsa fieri posset, ac deberet, idem Gregorius Prædecessor ad tollendum omne dubium & ambiguitatem, quæ in præmissis in futurum oriri poterant, ut, quandocunque eis videretur, sive post mortem possessorum, Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam empostæ, & alia ejusdem Hospitalis beneficia unire, & dismembrare libere & licite possent & valerent, nec non omnia & singula privilegia & exemptiones prædictas etiam ad Confratres & Donatos ejusdem Hospitalis extendi deberent, decrevit, ac decretum & declarationem hujusmodi, aliaque præmissa recolendæ pariter memoriæ Clemens VIII. Paulus V. & Gregorius XV. Romani Pontifices approbarunt & confirmarunt, novissimeque omnium fel. etiam memoriæ Urbanus Papa octavus, Prædecessor noster, omnia & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates & alias gratias eisdem Magno Magistro & Conventui quomodolibet concessa, Apostolica itidem auctoritate confirmavit, & approbavit, & alias prout in eorundem novissimorum Pontificum prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nos igitur attendentes præclara ejusdem Hospitalis erga fidem Catholicam & Sedem Apostolicam merita, ac cupientes, ut privilegia, exemptiones & gratiæ eo firmius subsistant, quo sæpius ab eadem Sede confirmata extiterint, Magnum Magistrum, Priores, Baiulivos, Castellanum empostæ, Præceptores, milites & fratres & eorum singulos, singularesque dicti Hospitalis personas a quibusvis ex-

comm

communicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, nec non omnium & ſingulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum & gratiarum per prædictos & alios quoscunque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam Hoſpitali prædicto, illiusque Magno Magiſtro, Conventui & fratribus militibus, aliisque prædictis perſonis conceſſorum, ac literarum deſuper confectarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, de venerabilium fratrum noſtrorum, S. R. E. Card. Concilii Trid. Interpretum conſilio: Motu proprio non ad Magni Magiſtri & Conventus hujusmodi, aut alicujus alterius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & de mera noſtra liberalitate, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates & alias gratias, eisdem Magno Magiſtro & Conventui quomodolibet conceſſa, exceptis tamen decretis, ejusdem Concilii Tridentini, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non aliis, in quibus ſpecifice eadem Religio exprimitur, & comprehendi diſponitur, quæ in ſuo robore & efficacia permaneant, tenore præſentium confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis vim & robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Decernentes, præſentes literas ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum ordinarii ad id vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime poſſe, minusque ſub quibuscunque ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, reſtrictionibus, & derogationibus comprehendi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas eſſe.

Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoscunque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſeu interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca dilectis filiis in Regnis Hiſpaniarum & Neapolitan. noſtris & dictæ Sedis Apoſtolicæ pro tempore exiſtentibus Nuntiis, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ſeu cuivis alii ejusdem Sedis Nuntio, ſeu Internuntio, aut jurium & Spoliorum, Cameræ Apoſtolicæ debitorum, Collectori in quibusvis Regnis ſeu Provinciis Reipublicæ Chriſtianæ pro tempore commorantibus, per præſentes motu ſimili committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorundem Magni Magiſtri & Conventus fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eosdem Magnum Magiſtrum & Conventum confirmatione, approbatione, decreto, aliisque omnibus & ſingulis præmiſſis uti, frui, aut gaudere, non permittentes eos per ordinarios prædictos, aut quoscunque alios contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, perturbari aut inquietari.

Contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimisque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi fuerit opus, auxilio brachii ſecularis.

Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibusvis perſonis etiam præfatis locorum ordinariis, ſub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, & de fratrum noſtrorum conſilio in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerti forent, pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſarum effectum ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujusmodi mentionem. Eorundem autem prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, volumus, quod dicti Pii V. 22. Septembris, anno 6. ac Gregorii XIII. Prædeceſſorum noſtrorum literis, ſub annulo Piſcatoris 25. Novembris, anno 19. Pontificatuum ſuorum expeditis, in ſuo robore & efficacia permanentibus, præſentes literæ Eccleſias & perſonas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Conc. Tridentini hujusmodi omnino ſervari debere intendimus, minime comprehendant.

Ac quod præſentium literarum transumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis,

scriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 18. Julii 1648. Pontificatus nostri anno quarto.

L.

Leopoldi, Romanorum Imperatoris, omnium & singulorum Privilegiorum, Equestri S. Joannis Hierosolymitani Ordini, a Romanorum Imperatoribus atque Regibus concessorum Confirmatio atque extensio, d. d. 13. Octobris, Anno 1662.

LEopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio S. R. I. Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Cum Nos Reverendissimus in Christo Pater & Illustris Dominus Fridericus S. R. E. S. Mariæ Novæ Cardinalis, Landgravius Hassiæ, Ordinis St. Johannis Hierosolymitani per Germaniam supremus Magister, Amicus, Consanguineus & Princeps noster charissimus, pro se, adeoque universo præclaro Ordine sub Reverendissima Paternitate sua militante, humiliter rogarit, ut sibi omnes & singulas suas, suique Ordinis gratias, immunitates, exemptiones, privilegia, libertates, Jura & jurisdictiones, antecessoribus ipsius eidemque Ordini ab olim nostris in Imperio Prædecessoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus felicissimæ recordationis, liberaliter concessas & acquisitas, quarumque in libera & quieta possessione vel quasi hactenus exstiterint, & adhuc exstent, in universis & singulis eorum punctis, articulis, contentis & sententiis innovare, confirmare, & corroborare, seque tanquam Supremum Magistrum ac ipsius Ordinem cum omnibus sibi conjunctis personis, Commendis, rebus & bonis cujuscunque nominis, ac ubilibet in Imperio sitis, & Ordinis defensioni subjectis, sub nostram & Sacri Romani Imperii singularem protectionem, tuitionem & defensionem suscipere, præsertim etiam eidem Magno Magistro, & Ordini, Statuta & Ordinationes suas, quoad paupertatis Religiosæ observantiam, juraque in omnia & singula singulorum decedentium bona ex eisdem, ipsi & universo Ordini competentia, salva & integra conservare, contraque eos, qui in præjudicium Statutorum memoratorum & jurium bona & hæreditates defunctorum, sub prætextu testamentorum ab iisdem conditorum, vel aliter invadunt, præsentaneam assistentiam, & brachium nostrum Imperiale fortiter præstare & præbere dignaremur. Quarum quidem prædictarum, gratiarum, libertatum, privilegiorum, literarum, immunitatum, jurium & jurisdictionum, nec non Statutorum contenta, & sententiæ sunt, prout ex sequentibus patebit; nempe & imprimis literæ protectionis, tuitionis, & salvi conductus, latino idiomate conscriptæ, quæ Ordinem ejusdemque domos & Commendas, a teloniis, vectigalibus, & pedagiis omnibus eximunt, ab olim Friderico Imperatore concessæ, sub dato Papiæ in Italia, quarto Calendas Decembris, anni millesimi centesimi, octuagesimi quinti. Deinde aliæ quoque literæ protectionales a quondam Philippo Rege Secundo, de dato Basileæ, quinto Calendas Junii, anno millesimo, ducentesimo septimo, quibus Regia Sua Majestas prædictum Ordinem cum omnibus bonis suis, præsertim vero Prædium *Heimbach*, in suam & Imperii protectionem & tuitionem suscepit. Item Literæ Ratificationis & Confirmationis omnium bonorum, quæ Ordini vel fundata, vel donata fuerint, aut imposterum dari & fundari contigerit, & quod nemo, quicunque sit, præfatum Magistrum vel personas, vel ordinis homines in bonis suis molestare, gravare, aut injuriam aliquam irrogare sibi præsumat & attentet, Friderico, quondam Rege, pridie nonas Novembris anni millesimi, ducentesimi, vigesimi septimi apud Basileam datæ. Similiter etiam aliud scriptum ratificatorium ab eodem Friderico, ejusdem tenoris, super bonis Ordinis in Imperio & Ducatu Sueviæ sitis, sub dato decimo septimo Calendas Novembris, anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo datum. Item concessio libertatis & exemptionis a Ludovico Imperatore, prohibens & interdicens, ne qua civitas quomodocunque nominata, Domus in Friburg mancipia in cives suscipiat, & quæ jam suscepta sint, nihilominus in servitute & subjectione fratrum ejusdem Domus in Friburg permaneant, eaque præstare teneantur ad quæ prius obligati erant, antequam in cives adscripti essent, & quod prædicti fratres eadem mancipia sua ad obedientiam & servitia compellere & redigere, etiam, si opus sit, apprehendere valeant, de dato Spiræ, die St. Andreæ, anno millesimo trecentesimo trigesimo nono. Item Privilegium Caroli IV. Imperatoris, quo graviter & sub arctissima pœna mandatur, ne quis iis, qui Ordini se addixerunt, postmodum vero Magistro & fratribus ejusdem Ordinis se minus obedientes exhibuerunt, regulam ac ordinationem neglexerunt, secularium suorum amicorum, & consanguineorum ope eisdem repugnarunt, ad secularia judicia eos de facto, & contra dicti Ordinis Jura, jurisdictiones & libertates vocari, & citari procurarunt, his omnibus Ordinis hominibus gravia & enormia damna & dispendia inferentes, quicunque etiam sit, consilium, patrocinium & favorem præbeat, sed potius, ut Magistro & Ordini suo obedientes se sistant, admoneat, eidemque Magistro & Ordini suo in hoc operam & auxilium ferant omnes, sub dato Norimbergæ secundo Calendas Decembris, anno millesimo trecentesimo sexagesimo sexto. Hinc sequuntur

Literæ

Literæ declaratoriæ ejusdem Caroli IV. Imperatoris, datæ in Elpogen, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo secundo die S. Marci; quarum tenor est, ne quis Princeps ecclesiasticus aut secularis, Vicarius, Præses Provinciæ, Capitaneus, Præfectus, Schultetus in Alsatia, oppidi præsertim Columbariæ, vel alius quicunque, cujuscunque Nobilitatis, honoris & existimationis fuerit, in perpetuum prædictum Magistrum, Præceptores & Fratres Ordinis Sancti Johannis, eorumque Domos sive Commendas, homines & bona per totam Germaniam, præsertim vero Domum, quam idem Ordo Columbariæ, nostra & Imperii Camera in Alsatia possidet, omnes & singulos ejus homines & bona nullis omnino servitutibus, angariis, teloniis, impositionibus, hospitiis aut aliis oneribus quomodocunque excogitari aut nominari possint, oneret, gravet, molestet, aut fastidia inferat ullo modo, sed ut præfatum Ordinem, ejusque Domos, fratres, homines, bona & pertinentias in perpetuum liberas, immunes & exemptas relinquant, sub mulcta centum marcharum auri puri. His aliæ subjunguntur Literæ declaratoriæ Moguntiæ, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo octavo, die Veneris post S. Matthiæ ab eodem Carolo Imperatore datæ super privilegiis & libertatibus, quas Ordo a Majestate Sua Cæsarea, nec non Sacro Romano Imperio obtinuit, nimirum ne quis Princeps Ecclesiasticus, vel secularis, Vicarius, Præses Provinciæ, Capitaneus, Præfectus, Scultetus, aut etiam quivis alius quacunque Nobilitate, honore, existimatione & conditione præditus, aut quomodo nominatus sit, in perpetuum audeat Magistrum, Præceptores & fratres prædicti Ordinis Sancti Johannis, eorumque Domos, homines & bona ullis omnino servitutibus, angariis, exactionibus, teloniis, impositionibus, hospitiis aut etiam aliis oneribus quomodocunque excogitatis, & nominatis, gravare, molestare & inquietare, verum quod idem Ordo, ejusque Domus, fratres, homines, bona & pertinentiæ in perpetuum ab omnibus hujusmodi oneribus liberæ, exemptæ & immunes sint, ac esse debeant; similiter quod omnes eorum Domus per totam Germaniam, ac illi qui securitatem & asylum sibi & bonis suis in eisdem quærunt & cupiunt, liberi sint & securi, adeo ut nemini eorum corpora, & bona, vi aut facto eximere ullo modo liceat: Item quod nemo, quicunque sit, præfati Magistri & Ordinis ipsius mancipia in cives suscipiat, & si quis hoc fecerit, teneatur Magistro & Ordini, quamprimum desuper requisitus fuerit, ea libere, nulla excusatione in contrarium obstante, restituere: Insuper nec bona, vasallos, mancipia eorum ad Judicia provincialia citare, aut molestare quis attentet, & si quæ facta essent in contrarium, nullius roboris sint, atque valoris. Subnectitur deinde Privilegium Friderici, quondam Imperatoris, sub dato in Nova civitate die Pentecostes ante diem Sancti Urbani Anno millesimo, quadringentesimo, sexagesimo sexto, continens, quod Ordo prædicti mancipiis suis ad domum, quæ est in Friburgo, pertinentibus collectas moderatas imponere & ab ipsis exigere possit, perinde ac alii Imperii Prælati, Comites, Barones, Equites, & Milites in Brisgovia a suis consueverunt hactenus, nemine in hoc ipsos impediente, vel remorante. Item aliud Privilegium ejusdem Friderici Imperatoris, sub dato in Nova civitate die lunæ ante diem Sancti Urbani, Anno 1466. quod nimirum in Villa Heitersheim singulis imposterum annis proxima die lunæ post festum S. Bartholomæi, nundinas celebrare liceat: Et quod universi & singuli mercatores & easdem adeuntes omnibus gratiis, juribus, libertatibus, salvo conductu, protectione, consuetudinibus, ordinationibus & observationibus uti possint, & debeant, non secus ac aliæ nundinæ in proximis nostris & Imperii, aut etiam aliis civitatibus, villis & pagis, prædictam Villam circumjacentibus, & homines easdem frequentantes de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur sine impedimento omnium, item adhuc aliud, quo conceditur, quod in eadem Villa quotannis in festo die S. Nicolai nundinas habere licitum esse debeat, sub dato Viennæ d. 4. Augusti, Anno 1481. Sequitur post Confirmatio Caroli V. Imperatoris, data Augustæ, die 16. Novembris, Anno 1547. cujusdam ordinationis a quondam Johanne ab Hattstein, Ordinis Magistro, ad utilitatem & commodum subditorum ejus institutæ & confectæ; quæ continet, quod cum primo modo dicti subditi bona sua immobilia hinc inde in Ordinis & Magisterii Jurisdictione sita, eidemque censibus obligata, alienis in locis, quam coram Ordinis Magistro & Commendatoris Tribunali, vel ubi sita sunt, bona illa vendere, hypothecare, impignorare, idque in maximum eorum & Ordinis decrementum consueverint, hoc ipsum eis in futurum prohibitum & interdictum esse debeat, adeo ut nemini eorum imposterum bona sua immobilia alia vendere vel impignorare liceat, nisi coram Tribunali Ordinis, ac iis in locis, ubi & subditi habitant, & bona sita sunt. Secundo, ut nullus subditorum, qui Magistro & Commendatori subest, Judæis ullum chirographum, aut coram aliis Dominis, eorumque præfectis, nisi solitis Magistri judiciis, sub Commendatoris aut ejus vices gerentis sigillo obligationem sive super mutuo, sive sub usuris accepta pecunia conficiat & instituat. Huic proxime subjungitur privilegium a quondam Maximiliano II. Imperatore, Propatruo nostro, Viennæ 20. Octobris Anno 1574. datum, ne quis prædictum Ordinem novis collectis, contributionibus, impositionibus, aut quibusvis aliis similibus oneribus gravare, vel extra viam Juris ordinariam de facto quicquam arrestare, inhibere, aut per vim extorquere, vel personas & bona eorum, tam mobilia, quam immobilia, desuper impedire, aut molestias inferre attentet ullo omnino modo aut via. Sequuntur nunc Confirmationes a diversis Romanorum Imperatoribus & Regibus super præmemoratis privilegiis concessæ & indultæ. Utpote & imprimis Confirmatio, latino idiomate conscripta, quondam Rudolphi Regis in Hurmbach, die 9. Decembr. Anno 1274. data. Quæ alii Confirmationi inclusa est Regis Adolphi apud Hagonoam, quinto Idus Martii, Anno 1295. Magistro & Ordini datæ. Deinde alia quoque latina Confirmatio privilegiorum Ordinis per Albertum Regem nonis Aprilis, Anno 1299. apud Baden edita. Quam sequitur Friderici Regis etiam latina Confirmatio Thuregii, 3. Idus Aprilis, Anno 1223. data super prædicti Alberti literis, de Anno 1299. Item latina Confir-

Confirmatio Ludovici Regis ad Norimbergam, 12. April. Anno 1323. Item alia Confirmatio privilegiorum, jurium, jurisdictionum Ordinis latine scripta Caroli Regis, 17. Kal. Febr. Anno 1348. Moguntiæ data. Iterum Confirmatio ejusdem Caroli Imperatoris, data Mantuæ die Sabbati, post festum Sancti Jacobi, super privilegiis, juribus & jurisdictionibus, tam ab ipsamet Cæsarea Sua Majestate, quam aliis Imperatoribus & Regibus Ordini concessis; insuper & mandatum, quo sub pœna prædictis privilegiis inserta indicit, ut quilibet desuper requisitus Magistro, ejusque Successoribus, Ordini, Commendatoribus & Domibus opem, auxilium & subsidium ferre debeat, adversus omnes, qui eos circa libertates & gratias suas inquietare & impedire conentur, addito novo privilegio, quod nemo in domibus ipsorum hospitia erigere, nec eis, eorumque hominibus & domibus servitutes imponere, currus aut equos petere, aut quicquam aliud exigere, similiter nec prædictum Magistrum, Successores ejus, & Ordinem, nec Fratres Ordinis, nec eorum vasallos, ad alia & Provincialia Judicia trahere, aut citare sibi præsumat. Item aliæ literæ protectionis & tuitionis, quibus adjuncta confirmatio est omnium privilegiorum, libertatum, jurium, & jurisdictionum a Roberto, Rege de dato Heidelberg, in vigilia S. Matthæi, Anno 1498. Quam insequitur alia confirmatio & renovatio Privilegiorum Sigismundi Regis de dato Chure die lunæ post S. Ægidii, Anno 1413. data. Hanc iterum alia confirmatio ejusdem Imperatoris Sigismundi subsequitur, data Basileæ die Martis, proxime post ascensionis Dominicæ, Anno 1434. Cui superadditum est novum privilegium, quod cum prædictus Ordo in civitatibus, & aliis locis mancipia habeat, quæ bona sua eidem Ordini subtrahant, & in alios transferant, ubicunque hæc vel coram Magistratibus vel Judiciis sine consensu Magistri & Procuratorum ordinis, ad quem spectare dignoscuntur, facta gestave sunt, nullius roboris & valoris existant, nisi fiat hoc consentientibus & volentibus Magistro aut procuratoribus, & quod idem etiam Ordo per Germaniam cum omnibus ad eum spectantibus sit, ac esse debeat sub protectione & tuitione Cæsareæ Suæ Majestatis. Item confirmatio & Privilegium Friderici Regis, sub dato Franckenfurti die Mariæ Magdalenæ anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo ejusdem tenoris cum Sigismundi Imperatoris literis. Deinde confirmatio Maximiliani Regis, data Wormatiæ vigesima secunda Maji anni millesimi quadringentesimi nonagesimi quinti super Ordinis, præsertim ab Imperatoribus & Regibus Friderico, Philippo, Henrico, & Carolo, Prædecessoribus nostris in Imperio concessis privilegiis & libertatibus: Quam sequitur confirmatio Caroli V. etiam Wormatiæ prima Februarii anni millesimi quingentesimi vigesimi primi data super omnibus Ordinis libertatibus & privilegiis, quæ Fridericus, Philippus, Henricus & Carolus Romani Imperatores & Reges antecessoribus eorum & Ordini concesserunt in tantum, ut cum idem Ordo in quibusdam civitatibus & aliis locis mancipia habeat, quæ bona sua Ordini absque ejus voluntate & consensu subtrahant, irritum sit, & nullius efficaciæ; similiter eadem Cæsarea Majestas Ordinem cum omnibus, quæ ad eum spectant, sub suam & Imperii protectionem & tuitionem suscepit. Item alia confirmatio modo dicti Imperatoris Caroli V. Antvverpiæ vigesima quarta Maji, anno millesimo quingentesimo quadragesimo data, qua Cæsarea sua Majestas Ordinem cum omnibus pertinentiis denuo & de novo in protectionem & tuitionem suam suscipit, nec non omnia ejusdem privilegia, immunitates, libertates, jura & jurisdictiones renovat, ratificat & confirmat. Item literæ protectionis & tuitionis, una cum confirmatione omnium libertatum eorum, & præsertim modo præfati Imperatoris Caroli a Ferdinando Rege sub dato Ratisbonæ octava die mensis Februarii, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. Et iterum literæ protectionis & tuitionis ejusdem Ferdinandi Cæsaris sub dato 16. Junii, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, omnium privilegiorum Ordinis a Friderico I. nec non Philippo, Henrico, Rudolpho, Adolpho; Item Carolo IV. Romanorum Imperatoribus & Regibus ut supra concessorum; Item confirmatio, innovatio & ratificatio omnium Privilegiorum Magistri, & Ordinis, similiter protectionis, tuitionis, & salvi conductus per Maximilianum II. Imperatorem de dato Augustæ 5. Aprilis, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. Porro aliæ quoque literæ protectionales modo dicti Maximiliani II. Imperatoris, sub dato Viennæ, vigesima prima Augusti, anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, una cum innovatione, ratificatione & confirmatione omnium literarum, privilegiorum & libertatum, quas sæpedictus Magister & Ordo Johannitarum a diversis Romanorum Imperatoribus & Regibus obtinuit & assecutus est, quæ continent, quod videlicet idem Ordo, ejusque personæ, subditi, Vasalli, & Coloni a nemine, quicunque sit, ecclesiasticis, vel secularibus in rebus & bonis suis, nec quovis alio modo gravari & inquietari debeant; Verum ab omnibus exactionibus, contributionibus, servitutibus, teloniis, vectigalibus, impositionibus, hospitiis & aliis gravaminibus, quomodocunque excogitari possint, omnino liberi sint & immunes. Item, quod etiam Ordinis Mancipia in nullis civitatibus aut aliena jurisdictione in cives suscipiantur; & quod militaris hujus Ordinis fratres, vasalli & mancipia non possint, nec debeant ad provincialia aut alia judicia citari, & vocari, aut civilibus servitutibus, vel juramento aliquo onerari, nec in libertatibus & laudabiliter introductis consuetudinibus irritari, vel vi, vel facto ullo in eorum exercitio impediri. Item, quod etiam militaris hic Ordo ejusque Commendæ cum pertinentiis & conjunctis in quieta possessione, omnium proprietatum, jurium & jurisdictionum suarum, tam hominum, quam bonorum & feudorum, redituum, proventuum censuum & decimarum, jurium Patronatus, & aliorum fructuum & utilitatum, quomodocunque nominentur, & quos prædictus Ordo, vel in proprio vel etiam alienis dominiis & territoriis Ecclesiasticorum & Secularium Principum & Dominorum, Comitum, Baronum, Nobilium Universitatum, Regionum & Civitatum, ab antiquo acquisivit sibi, & possidet absque omnium impedimento, & obstaculo etiam-

num

num permittatur, & permanere debeat, & quas aliæ sub dato ibidem 22. Octobris anni 1574. ejusdem Imperatoris literæ protectionis & tuitionis subsequuntur, cum inserta confirmatione omnium militaris Johannitarum Ordinis Privilegiorum, libertatum & immunitatum, ejusdem cum præcedentibus tenoris. His accedunt duæ confirmationes a quondam Rudolpho II. Imperatore datæ, quarum prima de dato Viennæ, die 2. Augusti, anni 1577. omnia Ordinis privilegia & libertates, una cum literis protectionalibus; altera vero de dato Pragæ, die 15. Decembris, anno 1589. olim Caroli Imperatoris immunitates, Ordini anno 1378. concessas, specialiter comprehendit. His superadditur confirmatio Matthiæ Imperatoris de dato Pragæ, die 22. Septembris, anno 1617. omnium multoties jam dictorum privilegiorum, libertatum, immunitatum, jurium & jurisdictionum protectionis simul & tuitionis literarum, Ordini liberaliter & benigne concessarum. Huic accedit Confirmatio Divi quondam Avi nostri Ferdinandi II. sub dato Viennæ die 16. Martii, anno 1620. Et his omnibus tandem ultima & postremo loco adjicitur confirmatio a quondam Domino Patre & proxime Prædecessore nostro, Ferdinando III. gloriosæ memoriæ, sub dato Eberstorphii d. 27. Septembris, anno 1637. concessa, qua superiora omnia repetuntur, prout ea privilegia & libertates omnes sæpe fatus Ordo ejusque Magister, in libello conscripta, a modo dicta Cæsarea Majestate subscripta, ejusque Sigillo Cæsareo communita in manibus tenet & conservat. Extractum vero Satutorum h. Tit. 18. de prohibitionibus & pœnis, Statut. I. Votum paupertatis id exigit, ut bonorum dispositio liberæ voluntati non subjaceat: Non licet igitur, nec quoquo modo permittitur, Bajulivis, Prioribus, Castellano empostæ, Commendatariis, aut aliis Ordinis nostri fratribus, testamentum condere vel hæredem instituere, seu legata facere, atque etiam servitoribus seu aliis aliquid elargiri, nisi tantum eorum stipendia ad debitorum ac creditorum declarationem redigere, & cum licentia Magistri de eorum moderata portione disponere. Stat. II. quæ quidem portio non excedat quintam partem pecuniæ numeratæ, aut bonorum mobilium deductis ex hujusmodi bonis omnibus debitis, & ære alieno, tam nostri communis ærarii, quam aliorum &c. Statutum 46. Bona Spoliorum fratrum nostrorum pleno jure nostro communi ærario spectant & pertinent: Ideo nulli licet, nec aliquó modo permittitur, nisi his qui autoritatem habent ab ærario sumendi &c. Tit. 5. de Communi Ærario Stat. I. Cum bona & facultates, quæ Ordo noster possidet, priorum hominum liberalitate collata sint, ad sustinendas hospitalitatis impensas, & propulsandos Christiani nominis hostes, certum est, fratres nostros proprii in eis aut privati juris nihil habere, sed eorum verum Dominium, & proprietatem, & jus omne ad solum ipsum Ordinem nostrum spectare. Eod. Tit. Statut. 30. Omnia bona mobilia, & se moventia quorumcunque fratrum nostrorum, tam in Conventu, quam extra decedentium, cujuscunque conditionis & qualitatis fuerint, quæ Spolia vocamus, ad commune nostrum ærarium pleno jure pertinent &c. Tit. 16. de Contractibus & Alienationibus Statuto 10. Quicquid Religiosus acquirit, religioni acquirit. Ideo sancitum est, quod Fratres Ordinis nostri, qui per emtionem, donationem, & alia quacunque ratione bona, prædia, census, seu annuos reditus, vel jurisdictionem acquisiverunt & sibi vendicaverunt, nullo pacto absque Magistri & Capituli generalis consensu vendere, alienare, impignorare, aut quovis modo distrahere possint; sed ea quæ acquisiverunt fratres, vita eorum durante possideant & teneant &c. Extractum ex Breve felicis recordationis Pii, Papæ IV. sub dato Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24. Martii, Anno 1561. Pontificatus sui Anno 2. Ad perpetuam rei memoriam &c. Omnia & singulares & bona cujuscunque qualitatis & quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus & Regnis, nec non Dominiis, tam citra quam ultra montes & maria consistentia, per quosvis fratres milites & personas dicti Hospitalis quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post eorum obitum ubivis locorum decesserint, & decedent, aut quibus illos etiam eis viventibus non tamen per Sedem Apostolicam privari & destitui eis contingeret, hactenus remanserunt, remaneant & remanebunt ad Hospitale, & Conventum præfatos, non autem ad eandem Cameram (sc. Apostolicam) seu alios quoscunque, alias juxta stabilimentorum usum, naturam statutorum & privilegiorum hujusmodi formam & tenorem spectasse & spectare &c. & ita per quosvis Judices, quavis etiam autoritate Apostolica fungentes, etiam Palatii nostri causarum Auditores, in quavis causa & substantia, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate judicari & definiri debere. Nec non irritum & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan, & hactenus vel imposterum contigerit attentari, decernimus & declaramus. Non obstantibus Tit. 14. de Commendis Stat. 57. statuimus, quod omnia bona stabilia, elargita per seculares personas fratribus Ordinis nostri, seu acquisita per eosdem, nullo modo vendi aut distrahi possint absque expressa Magistri & Capituli generalis licentia &c. Ex libro Statutorum in fine appendicis folio 239. Del Maestro, Ch' il Maestro possa dare Licenza à fratelli di disponere de beni patrimoniali Aggiungendo allo Statuto undecimo, Ordiniamo ch' il Maestro possa ancora dar licenza, & autorità à fratelli dell' Ordine nostro, divendere, donare & alienare qualsi Voglino beni, stabili pero solamente tanto Paterni, quanto Materni d' Ascendenti, & collaterali à loro spettanti & appartenenti per ragione d' heredità, & successione, o di legato, & di quelli disponere, così tra vivi Gome in Articolo di Morte, & di potere per la ricuperatione di detti beni comparire, letigare & trattare così in guiditio comme fuori &c. Nos igitur attendentes prædicti Principis Ordinis Johannitarum Supremi Magistri devotam ac honestam petitionem, nec non præstantia, planeque eximia servitia, quæ Antecessores ipsius, ac totus militaris hic Ordo, non modo Prædecessoribus nostris, Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, Nobisque & Sacro Romano Imperio, verum etiam universo Christiano Orbi, contra hostes ejusdem perpe-

perpetuos, continua & indefessa suorum objectione corporum, vitæque & sanguinis, nedum bonorum omnium profusione & erogatione pro salute & securitate omnium dimicando utilissime, ad immortale & incomparabile suum decus, hactenus præstiterunt, atque etiamnum præstare non cessant, quæque imposterum præstare poterunt, ac debebunt: clementi etiam memoria recolentes & considerantes, quod complurium ejusdem Ordinis præstanti virtute clarorum militum opera in nostris & S. R. Imperii, nec non quorundam hæreditariarum nostrarum Provinciarum refractariis & rebellibus debellandis, per præterita perniciosa bella dicti quondam Colendissimi Domini, Pro-Patruelis, Avus & Pater noster Divi Matthias, Ferdinandus II. & III. Cæsares, utilissime usi fuerint, motu proprio, sano & deliberato accedente consilio, ex certa scientia, deque Imperialis nostræ autoritatis plenitudine, præfato Supremo Magistro ac toti ejus Ordini tenorem prælibatorum privilegiorum & literarum, de quibus supra videre licet: Ne prædictus Ordo, ejusque personæ conjuncti, subditi, mancipia, vasalli, coloni a quoquam, cujuscumque status, Ecclesiastici aut secularis, ille fuerit, in rebus & bonis suis quovis modo molestentur, aut graventur; verum ab omnibus angariis, exactionibus, contributionibus, servitutibus, teloniis, impositionibus, hospitiis, & aliis oneribus, qualiacunque illa excogitari possint, liberi sint, & omnino immunes: nec Ordinis mancipia in civitatibus, aut sub aliena jurisdictione in cives suscipi, aut ejusdem Ordinis bona, mancipia, & quos habent pro servitio, ad provincialia aut alia externa judicia citari & trahi, vel civilibus servitutibus aut juramento aliquo onerari, aut etiam contra Ordinis exemptiones & usitatas laudabiles consuetudines ad aliquam inobedientiam concitari, aut ulla omnino violentia & potestas in eo sumi & usurpari: Item quod militaris hic Ordo ejusque Commendæ, & ad eum pertinentes & conjuncti, quoad usum omnium proprietatum, jurium, jurisdictionum in hominibus & bonis, simul ac in feudis, reditibus, fructibus, censibus & decimis, etiam juribus patronatus, ac aliis proventibus, & utilitatibus quomodolibet nominatis, quæ & quos idem Ordo vel in propriis, vel aliorum Dominiis, territoriis & provinciis, tam Ecclesiasticorum quam Secularium Principum ac Dominorum, Comitum, Baronum, Nobilium, Universitatum, Regionum, & civitatum ab antiquo possederit, & adhuc possideat, quiete, & sine ullo impedimento & quorumcunque obstaculo libere permitti, nec in his omnibus molestari aut perturbari debeant: sicut omnia hæc in privilegiis pluribus eorum comprehenduntur. Demum & ipsa privilegia ac literas supra memoratas, cum omnibus gratiis, libertatibus, consuetudinibus, quas justo titulo acquisiverint, & quarum hactenus in legitima & quieta possessione, vel quasi, fuerint, & adhuc sint, in omnibus articulis, punctis, contentis, sententiis & declarationibus, non secus ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta & allegata essent, utpote quæ pro sufficienter insertis, & allegatis hoc loco habere volumus, clementer approbavimus, confirmavimus & innovavimus ad eundem plane modum & formam, quibus ea per Divos Prædecessores nostros Romanorum Imperatores & Reges gloriosissimæ memoriæ, a tempore Caroli IV. Imperatoris felicissimæ recordationis, hucusque continua serie & successione, etiam nuper per Colendissimum Dominum Patrem nostrum Ferdinandum III. Imperatorem, itidem confirmata, approbata & innovata sunt, prout præsentium tenore approbamus, confirmamus & innovamus, quatenus & in quantum de jure & consuetudine confirmare, approbare & innovare possumus, suscipientes etiam ex speciali gratia, eadem scientia & autoritate sæpedictum Supremum Magistrum ejusque universum Ordinem, una cum omnibus personis & rebus suis in peculiarem nostram & S. R. Imperii protectionem, defensionem, tutelam & custodiam, statuentes, volentes & ordinantes prædicta & alia omnia eorum privilegia, gratias, immunitates, libertates, jura, jurisdictiones, observationes & consuetudines, cum omnibus eorum clausulis, actionibus, contentis, sententiis & declarationibus, firma semper esse & manere, & quod iis omnibus ubicunque locorum uti, frui ac fungi semper possint ac debeant, & quod simul etiam præfatus Supremus Magister cum omnibus sibi conjunctis Personis, Commendis, rebus & bonis, ut jam superius memoratum fuit, sint, & maneant sub Nostra & Imperii singulari protectione, tuitione & defensione, nec non omnibus gratiis, honoribus, dignitatibus, beneficiis, juribus & jurisdictionibus gaudeant, utantur, fruantur, quibus alii qui in nostra & Imperii singulari quoque protectione, tuitione & defensione sunt, gaudent, utuntur, fruuntur, de jure vel consuetudine, ea tamen ratione, ut si quis forte sit, qui de jure aliquid contra ipsos habeat, aut prætendat, eidem debito in loco judicio se sistere & stare teneantur. Demum etiam ad Statuta, de quibus supra, quod attinet, expresse & specialiter declarantes, quod eadem & jura ex iisdem in bona decedentium militum Ordinis eidem competentia salva & integra conservare, nec non assistentiam nostram præsentaneam, & brachium forte Imperiale contra omnes eos, qui in præjudicium dictorum Statutorum bona relicta, vel hæreditates defunctorum sub prætextu testamentorum ab ipsis conditorum, vel alio titulo invadere attentarent, præbere & præstare velimus, præbiturique & præstituri, nec eum vel eos contra ea gravari vel molestari passuri simus. Ac mandamus proinde omnibus & singulis nostris & S. Imperii Electoribus, aliisque Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Nobilibus, Militibus, Marescallis, Provinciarum Præsidibus, Vice-Dominis, Officialibus, Præfectis, Judicibus, Schulteris, Consulibus, Magistratibus, Civibus, Universitatibus, nec non aliis nostri Imperii, nostrorum etiam Regnorum, *Principatuum* & Regionum Hæreditariarum subditis & fidelibus, cujuscunque existimationis, status ac conditionis fuerint, severiter & graviter vigore harum literarum, ne sæpedictum supremum *Magistrum*, omnes ejusdem Successores, adeoque Ordinem & personas quascunque illius, vel illi conjunctas, aut ad eum quomodolibet juxta prænarrata pertinentes in Commendis, rebus & bonis, hominibus, subditis, dominiis, juribus & jurisdictionibus recensitis, & aliis eorum privilegiis ullo modo per se turbare,

vim

vim & damna inferre, impedire, gravare, onerare, molestare audeant vel præsumant, nec quantum in ipsis est, per alios impedimentum ullum ipsis inferri permittant, quo minus supradictis eorum privilegiis, immunitatibus, libertatibus, juribus, jurisdictionibus antiquis, observationibus & consuetudinibus, hacque nostra confirmatione, approbatione & innovatione, nostraque & Imperii singulari protectione, tuitione & defensione, ac supra dicta etiam declaratione nostra quoad statuta, circa Religiosæ Paupertatis observantiam quiete & sine ullo impedimento uti, frui ac gaudere illis liceat, valeant & possint, nisi quis nostram & Imperii offensam, & pœnam gravissimam incurrere velit, addita quoque mulcta pecuniaria, nimirum 100. marcarum auri puri, quam quilibet, quoties hanc nostram constitutionem violare præsumserit, pro media parte Nobis & Imperiali nostræ Cameræ, pro altera autem medietate sæpe fato Supremo Magistro, ejusque Successoribus & Ordini sine ulla remissione luere tenebitur. Declarantes insuper & volentes omnia, & singula, quæ jam scripta sunt, publicum & perpetuum robur habere debere, supplentes etiam omnes & singulos defectus quomodolibet circa hæc commissos, & qui committi potuerint. In cujus rei testimonium præsentes literas conscribi, nostræque Majestatis Cæsareæ sigillo communiri jussimus. Datum in civitate nostra Viennæ die decima tertia mensis Octobris, Anno Domini millesimo, sexcentesimo, sexagesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani quinto, Hungarici octavo, Bohemici vero septimo.

LEOPOLDUS.

Wildericus Baro de Waldendorp,
Vice-Cancellarius.

Ad Mandatum Sac. Cæsareæ Majestatis proprium.

Johann Walderode.

Locus † Sigilli pendentis.

LI.

Josephi, Romanorum Imperatoris, omnium & singulorum Privilegiorum, Equestri S. Joannis Hierosolymitani Ordini a Romanorum Imperatoribus atque Regibus concessorum, Confirmatio atque extensio, d. d. 12. Januar. Anno 1708.

JOsephus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sac. Rom. Imper. Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. &c.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis. Cum Nos Venerabilis noster, & Sacri Imperii Princeps, ac devotus, dilectus Wilhelmus, Militiæ Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani per Germaniam Supremus Magister pro se, adeoque universo præclaro Ordine sub eodem militante humiliter rogarit, ut sibi omnes & singulas suas, suique Ordinis gratias, immunitates, exemptiones, privilegia, jura, & jurisdictiones Antecessoribus ipsius, eidemque Ordini ab olim nostris in Imperio Prædecessoribus, Romanorum Imperatoribus & Regibus felicissimæ recordationis, liberaliter concessas & acquisitas, quarumque in libera & quieta possessione, vel quasi hactenus extiterint, vel adhuc extent, in universis & singulis eorum punctis, articulis, contentis, & sententiis innovare, confirmare, & corroborare, seque, tanquam Supremum Magistrum, ac ipsius Ordinem, cum omnibus sibi conjunctis personis, Commendis, rebus, & bonis cujuscunque nominis, ac ubilibet in Imperio Germaniæ sitis, & Ordinis defensioni subjectis, sub nostram, & Sacri Romani Imperii singularem protectionem & defensionem suscipere, præsertim etiam eidem, & Ordini Statuta & ordinationes suas, quoad paupertatis religiosæ observantiam, juraque in omnia & singula singulorum decedentium bona, ex iisdem sibi & universo Ordini competentia, salva & integra conservare, contraque eos, qui in præjudicium memoratorum Statutorum & jurium, bona & hæreditates defunctorum sub prætextu testamentorum ab iisdem conditorum, vel aliter invadunt, præsentaneam assistentiam & brachium nostrum Imperiale fortiter præstare & præbere: nec non sanctionem, quod omnes a parentibus ex vero sanguine Germano non oriundi ab Alemanniæ Supremo Prioratu, ejusque dignitatibus, Commendis, membris, pensionibus ac juribus perpetuo exclusi manere debeant, communi Sacri Romani Imperii Statuum consensu, accedente nostra Cæsarea Ratificatione stabilitam Diplomatis hujus nostri paginis pro perpetua ejus observantia inserendam curare, prout etiam, quia ejus Ordinis Equites majori ex parte secundum illius præclarum institutum Melitæ, ac in maritimis expeditionibus cum perpetuo vitæ periculo fere continuo inserviant, adeoque quodammodo Reipublicæ causa absint, sicque Juribus, exemptionibus ac privilegiis sibi legitime competentibus pro necessitate invigilare non possint, adeoque nonnulli modo dicta absentia, & facili persuasione, quod sæpefatus Ordo ob exiguam dictorum sibi competentium jurium, & privilegiorum infractionem, longævum ac dispendiosum processum minime inchoaturus, aut ad finem perducturus sit, fallaciter nitentes, dicta sua jura & privilegia bellicosis ac turbulentis potissimum temporibus, injuste violare ausu temerario sæpius præsumant, ex Cæsarea nostra Clementia & auctoritate, quod in supremis nostris & Sacri Romani Imperii dicasteriis non solum Mandata sine clausula, & citationes ad videndum se incidisse in pœnam privilegiis insertam, verum etiam in hujusmodi litigiis, nuda facti veritate inspecta, prompta & impartialis justitia omni modo accelerari, ac ad realem

realem executionem propediem perduci debeat, clementissime declarare ac jubere dignaremur: quarum quidem prædictarum gratiarum, libertatum, privilegiorum, literarum, immunitatum, jurium & jurisdictionum, nec non statutorum contenta & sententiæ sunt, prout ex sequentibus patebit.

Nempe & inprimis literæ protectionis, tuitionis & salvi conductus latino idiomate conscriptæ, quæ Ordinem, ejusque Domos & Commendas a teloniis, vectigalibus & pedagiis omnibus eximunt, ab olim Friderico Imperatore concessæ, sub dato Papiæ in Italia, quarto Kalendas Decembris anni millesimi, centesimi, octuagesimi quinti. Deinde aliæ quoque literæ protectionales a quondam Philippo Rege secundo, de dato Basileæ, quinto Kalendas Junii, anno millesimo, ducentesimo septimo, quibus Regia Sua Majestas prædictum Ordinem cum omnibus bonis suis, præsertim vero prædium Heimbach in suam & Imperii protectionem & tuitionem suscepit: Item Literæ Ratificationis & Confirmationis omnium bonorum, quæ Ordini vel fundata vel donata fuerint, aut inposterum fundari & donari contigerit; & quod nemo, quicunque sit, præfatum Magistrum vel personas, vel Ordinis homines in bonis suis molestare, gravare, aut injuriam aliquam irrogare sibi præsumat, & attentet, ab Henrico quondam Rege, pridie Nonas Novembris, anni millesimi, ducentesimi, vigesimi septimi apud Basileam datæ. Similiter etiam aliud Scriptum ratificatorium ab eodem Henrico VII. ejusdem tenoris super bonis Ordinis in Imperio & Ducatu Sueviæ sitis, sub dato decima septima Kalendas Novembris, anno millesimo, ducentesimo, vigesimo septimo datum. Item concessio libertatis & exemptionis a Ludovico Imperatore, prohibens & interdicens, ne qua civitas, quomodocunque nominata, Domus in Friburg mancipia in cives suscipiat, & quæ jam suscepta sunt, nihilominus in servitute & subjectione fratrum ejusdem Domus in Friburg permaneant, eaque præstare teneantur, ad quæ prius obligati erant, antequam in cives adscripti essent; & quod prædicti fratres eadem mancipia sua ad obedientiam & servitia compellere & redigere, etiam, si opus sit, apprehendere valeant, de dato Spiræ in die Sancti Andreæ, anno millesimo, trecentesimo, trigesimo nono. Item privilegium Caroli IV. Imperatoris, quo graviter, & sub arctissima pœna mandatur, ne quis iis, qui Ordini se addixerunt, postmodum vero Magistro & fratribus ejusdem Ordinis se minus obedientes exhibuerunt, regulam ac ordinationem neglexerunt, secularium suorum amicorum, & consanguineorum ope eisdem repugnarunt, ad judicia secularia eos de facto, & contra dicti Ordinis jura, jurisdictiones & libertates vocari, & citari procurarunt, his omnibus Ordinis hominibus gravia & enormia damna & dispendia inferentes, quicunque etiam consilium, patrocinium & favorem præbeat; sed potius, ut Magistro, & Ordini suo obedientes se sistant, admoneant, eidemque Magistro & Ordini suo hanc operam & auxilium ferant omnes sub dato Norimbergæ, secundo Kalendas Decembris, anno millesimo, trecentesimo, sexagesimo sexto. Hinc sequuntur literæ declaratoriæ ejusdem Caroli IV. Imperatoris, datæ in Elpogen, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo secundo, die Sancti Marci, quarum tenor est, ne quis Princeps Ecclesiasticus, aut secularis, Vicarius, Præses Provinciæ, Capitaneus, Præfectus, Schultetus in Alsatia, oppidi præsertim Columbariæ, vel alius quicunque cujuscunque nobilitatis, honoris, & existimationis fuerit, in perpetuum prædictum Magistrum, Præceptores, & fratres Ordinis Sancti Joannis, eorumque domos, sive Commendas, homines, & bona per totam Germaniam, præsertim vero Domum, quam idem Ordo Columbariæ nostræ, & Imperii Camera in Alsatia possidet, omnes & singulos ejus homines, & bona nullis omnino servitutibus, angariis, teloniis, impositionibus, hospitiis, aut aliis oneribus quomodocunque excogitari, aut nominari possint, oneret, gravet, molestet, aut fastidia inferat ullo modo; sed ut præfatum Ordinem, ejusque domos, fratres, homines, bona, & pertinentias in perpetuum liberas, immunes, & exemptas relinquant, sub mulcta centum Marcarum auri puri. His aliæ subjunguntur literæ declaratoriæ Moguntinæ, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo octavo, die Veneris post Sancti Matthiæ, ab eodem Carolo Imperatore datæ super privilegiis & libertatibus, quas Ordo a Majestate sua Cæsarea, nec non Sacro Romano Imperio obtinuit, nimirum ne quis Princeps Ecclesiasticus, vel secularis, Vicarius, Præses Provinciæ, Capitaneus, Præfectus, Schultetus, aut etiam quivis alius quacunque nobilitate, honore, existimatione, & conditione præditus, aut quomodo nominatus sit, in perpetuum audeat Magistrum, Præceptores, fratres prædicti Ordinis Sancti Joannis, eorumque Domos, homines, & bona ullis omnino servitutibus, angariis, exactionibus, teloniis, impositionibus, hospitiis, aut etiam aliis oneribus quomodocunque excogitatis & nominatis gravare, molestare, & inquietare; verum quod idem Ordo, ejusque Domus, Fratres, homines, bona, & pertinentiæ in perpetuum ab omnibus hujusmodi oneribus liberæ, exemptæ & immunes sint, ac esse debeant: similiter, quod omnes eorum Domus per totam Germaniam, ac illi, qui securitatem, & asylum sibi, & bonis suis in iisdem quærunt, & cupiunt, liberi sint, & securi, adeo ut nemini eorum corpora & bona, vi aut facto eximere ullo modo liceat. Item quod nemo, quicunque sit, præfati Magistri & Ordinis ipsius mancipia in cives suscipiat; & si quis hoc fecerit, teneatur Magistro & Ordini, quamprimum desuper requisitus fuerit, ea libere, nulla excusatione in contrarium obstante, restituere. Insuper nec bona, vasallos, mancipia eorum ad judicia provincialia citare, aut molestare quis attentet. Et si quæ facta essent in contrarium, nullius roboris sint, atque valoris. Subnectitur deinde privilegium quondam Friderici Imperatoris, sub dato in nova civitate die Pentecostes ante diem S. Urbani anno millesimo, quadringentesimo, sexagesimo sexto, continens, quod Ordo prædictus mancipiis suis ad Domum, quæ est in Friburgo, pertinentibus collectas moderatas imponere, & ab ipsis exigere possit, perinde ac alii Imperii Prælati, Comites, Barones, Domini, Equites, & milites in Brisgovia a suis consueverunt hactenus, nemine in hoc ipsos impediente vel remo-

tante.

rante. Item aliud privilegium ejusdem Friderici Imperatoris, sub dato in Nova civitate die lunæ ante diem Sancti Urbani anno millesimo, quadringentesimo, sexagesimo sexto, quod nimirum in villa Heitersheim singulis imposterum annis proxima die lunæ post festum Sancti Bartholomæi nundinas celebrare liceat; & quod universi & singuli mercatores, & easdem adeuntes omnibus gratiis, juribus, libertatibus, salvo conductu, protectione, consuetudinibus, ordinationibus, & observationibus uti possint & debeant, non secus ac aliæ nundinæ in proximis nostris, & Imperii, aut etiam aliis civitatibus, villis, & pagis, ad prædictam villam Cirbum jacentibus,& homines easdem frequentantes de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, sine impedimento omnium. Item adhuc aliud, quo conceditur, quod in eadem villa quotannis in festo & die Sancti Nicolai nundinas habere licitum esse debeat, sub dato Viennæ, quarto Augusti, anno millesimo, quadringentesimo, octuagesimo primo. Sequitur post confirmatio Caroli V. Imperatoris, data Augustæ, decima sexta Novembris, anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo septimo, cujusdam ordinationis a quondam Joanne ab Hattstein, Ordinis Magistro, ad utilitatem & commodum subditorum ejus substitutæ & confectæ, quæ continet, quod, cum primo modo dicti subditi bona sua immobilia hinc inde in Ordinis & Magisterii jurisdictione sita, eidemque censibus obligata, alienis in locis, quam coram Ordinis Magistro, & Commendatoris tribunali, vel ubi sita sunt, bona illa vendere, hypothecare, & impignorare, itaque in maximum eorum & Ordinis detrimentum, consueverint, hoc ipsum eis in futurum prohibitum & interdictum esse debeat, adeo, ut nemini eorum imposterum bona sua immobilia alibi vendere, vel impignorare liceat, nisi coram tribunali Ordinis, ac iis in locis, ubi & subditi habitant, & bona sita sunt. Secundo, ut nullus subditorum qui Magistro & Commendatori subest, judæis ullum chirographum, aut coram aliis Dominis, eorumque Præfectis, nisi solitis Magistri judiciis sub Commendatoris, aut ejus vices gerentis sigillo obligationem, sive super mutuo, sive sub usuris accepta pecunia conficiat, & instituat. Huic proxime subjungitur privilegium a quondam Maximiliano secundo, Imperatore, Viennæ, vigesima Octobris, anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo quarto datum, ne quis prædictum Ordinem novis collectis, contributionibus, impositionibus, aut quibusvis aliis similibus oneribus gravare, vel extra viam juris ordinariam de facto quicquam arrestare, inhibere, aut per vim extorquere, vel personas, & bona eorum, tam mobilia, quam immobilia, desuper impedire, aut molestias inferre attentet, nullo omnino modo, aut via. Sequuntur nunc Confirmationes quædam a diversis Romanorum Imperatoribus & Regibus super præmemoratis privilegiis concessæ & indultæ, utpote, & imprimis Confirmatio latino idiomate conscripta quondam Rudolphi Regis in Hurmbach nonis Decembris, anno millesimo, ducentesimo, septuagesimo quarto data, quæ lii Confirmationi inclusa est Regis Adolphi apud Hagenoam, quinto Idus Martii, anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo quinto, Magistro & Ordini datæ. Deinde alia latina quoque Confirmatio privilegiorum Ordinis per Albertum Regem nonis Aprilis anni millesimi, ducentesimi, nonagesimi noni apud Baden edita. Quam sequitur Friderici Regis etiam latina Confirmatio Thauregii, tertio Idus Aprilis anni millesimi, trecentesimi, decimi quinti data super prædictis Alberti Regis literis, de anno millesimo, centesimo, octuagesimo quinto. Item latina Confirmatio Ludovici Regis ad Norimbergam, decima septima Kalendas Aprilis anni millesimi, trecentesimi, vigesimi tertii data. Item alia Confirmatio privilegiorum, jurium & jurisdictionum Ordinis latine scripta Caroli Regis, decima septima Kalendas Februarii anni millesimi, trecentesimi, quadragesimi octavi Moguntiæ data. Item Confirmatio ejusdem Caroli Imperatoris, data Mantuæ, die Sabbathi post festum Sancti Jacobi, super privilegiis, juribus & jurisdictionibus, tam ab ipsamet Cæsarea Sua Majestate, quam aliis Imperatoribus & Regibus Ordini concessis, insuper & mandatum, quo sub pœna prædictis Privilegiis inserta indicit, ut quilibet desuper requisitus, Magistro, ejusque Successoribus, Ordini, Commendatoribus & domibus opem, auxilium & subsidium ferre debeat adversus omnes, qui eos circa libertates & gratias suas inquietare & impedire conentur, addito novo privilegio, quod nemo in domibus eorum hospitia erigere, nec eis, eorumque hominibus & domibus servitutes imponere, currus aut equos petere, aut quicquam aliud exigere: similiter nec prædictum Magistrum, Successores ejus & Ordinem, nec fratres Ordinis, nec eorum vasallos ad alia provincialia judicia trahere, aut citare sibi præsumat. Item aliæ literæ protectionis & tuitionis, quibus adjuncta confirmatio est omnium privilegiorum, libertatum, jurium & jurisdictionum a Roberto Rege, de dato Heidelberg in vigilia Sancti Matthæi, anno millesimo, quadringentesimo octavo. Quam insequitur alia confirmatio & renovatio privilegiorum Sigismundi Regis, de dato Chur, die lunæ post Sancti Ægidii, anno millesimo, quadringentesimo, decimo tertio data. Hanc iterum alia Confirmatio ejusdem Sigismundi Imperatoris subsequitur, data Basileæ die martis proxime post Ascensionis Dominicæ, anni millesimi, quadringentesimi, trigesimi quarti. Cui superadditum est novum privilegium, quod, cum prædictus Ordo in civitatibus, & aliis locis mancipia habeat, quæ bona sua eidem Ordini subtrahant, & in alios transferant, ubicunque hæc, vel coram Magistratibus, vel judiciis, sine consensu Magistri & Procuratorum Ordinis, ad quem spectare dignoscuntur, facta, gestave sunt, nullius roboris & valoris existant, nisi fiat hoc consentientibus & volentibus Magistro, aut Procuratoribus: & quod etiam Ordo idem per Germaniam cum omnibus ad eum spectantibus sit, ac esse debeat sub protectione & tuitione Cæsareæ suæ Majestatis. Item Confirmatio, & privilegium Friderici Regis, sub dato Franckenfurti, die Mariæ Magdalenæ, anno millesimo, quadringentesimo, quadragesimo secundo, ejusdem tenoris cum Sigismundi Imperatoris literis. Deinde Confirmatio Maximiliani Regis, data Wormatiæ, vigesima secunda Maji anni millesimi, quadringentesimi, nonagesimi quinti, super Ordinis præsertim ab Imperato-

peratoribus, & Regibus Friderico, Philippo, Henrico, & Carolo prædecessoribus nostris in Imperio concessis privilegiis & libertatibus. Quam sequitur Confirmatio Caroli V. etiam Wormatiæ prima Februarii anni millesimi, quingentesimi, vigesimi primi, data super omnibus Ordinis libertatibus & privilegiis, præsertim literis, privilegiis & immunitatibus eidem ab olim Romanis Imperatoribus, & Regibus Prædecessoribus nostris in Imperio legitime concessis & acquisitis; & ut plurimum super literis, & privilegiis, quæ Fridericus, Philippus, Henricus, & Carolus Romani Imperatores, & Reges antecessoribus eorum, & Ordini concesserunt, in tantum, ut, cum idem Ordo in quibusdam civitatibus, & aliis locis mancipia habeat, quæ bona sua Ordini absque ejus voluntate & consensu subtrahant, irritum sit, & nullius efficaciæ. Similiter eadem Cæsarea Majestas Ordinem cum omnibus, quæ ad eum spectant, in suam, & Imperii protectionem & tuitionem suscepit. Item alia Confirmatio modo dicti Imperatoris Caroli V. Antverpiæ, vigesima quarta Maji, anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo data, qua Cæsarea Sua Majestas Ordinem, cum omnibus pertinentiis denuo, & de novo in protectionem & tuitionem suam suscipit, nec non omnia ejusdem privilegia, immunitates, libertates, jura, & jurisdictiones renovat, ratificat, & confirmat. Item literæ protectionis & tuitionis, una cum confirmatione omnium libertatum eorum, & præsertim modo præfati Imperatoris Caroli, a Ferdinando Rege, sub dato Ratisbonæ, octava die mensis Februarii, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo. Et iterum literæ protectionis & tuitionis ejusdem Ferdinandi Cæsaris, sub dato decima sexta Junii, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, omnium privilegiorum Ordinis a Friderico primo, nec non Philippo, Henrico, Rudolpho, Adolpho, item Carolo IV. Romanorum Imperatoribus & Regibus, ut supra, concessorum. Item confirmatio, innovatio, & ratificatio omnium privilegiorum Magistri, & Ordinis similiter protectionis, tuitionis, & salvi conductus per Maximilianum II. Imperatorem, de dato Augustæ, quinta Aprilis, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo sexto. Porro aliæ quoque literæ protectionales modo dicti Maximiliani II. Imperatoris, sub dato Viennæ, vigesima prima Augusti, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo octavo, una cum innovatione, ratificatione & confirmatione omnium literarum, privilegiorum, & libertatum, quas sæpedictus Magister, & Ordo Joannitarum a diversis Romanorum Imperatoribus & Regibus obtinuit & assecutus est, quæ continet, quod videlicet idem Ordo, ejusque personæ, subditi, vasalli, & coloni a nemine, quicunque sit, ecclesiasticis, vel secularibus, in rebus, & bonis suis, nec quovis alio modo gravari & inquietari debeant; verum ab omnibus exactionibus, contributionibus, servitutibus, teloniis, vectigalibus, impositionibus, hospitiis, & aliis gravaminibus, quomodocunque excogitari possint, omnino liberi sint & immunes. Item, quod etiam Ordinis mancipia in nullis civitatibus, aut aliena jurisdictione in cives suscipiantur; & quod militaris hujus Ordinis Fratres, vasalli & mancipia non possint nec debeant ad provincialia, aut alia judicia citari, & vocari, aut civilibus servitutibus, vel juramento aliquo onerari, nec in libertatibus, & laudabiliter introductis consuetudinibus irritari, vel vi, vel facto ullo in eorum exercitio impediri. Item, quod etiam militaris hic Ordo, ejusque Commendæ cum pertinentiis & conjunctis, in quieta possessione omnium proprietatum, jurium, & jurisdictionum suarum tam hominum, quam bonorum, & feudorum, redituum, proventuum, censuum & decimarum, jurium patronatus, & aliorum fructuum & utilitatum, quomodocunque nominentur, & quos prædictus Ordo vel in proprio, vel etiam alienis dominiis & territoriis ecclesiasticorum & secularium Principum & Dominorum, Comitum, Baronum, Nobilium, Universitatum, Regionum, & civitatum ab antiquo acquisivit sibi, & possidet, absque omnium impedimento & obstaculo etiamnum permittatur & permanere debeat. Et quas aliæ sub dato ibidem vigesima secunda Octobris anni millesimi, quingentesimi, septuagesimi quarti ejusdem Imperatoris literæ protectionis & tuitionis subsequuntur, cum inserta confirmatione omnium militaris Joannitarum Ordinis privilegiorum, libertatum & immunitatum, ejusdem cum præcedentibus tenoris. His accedunt duæ confirmationes a quondam Rudolpho II. Imperatore datæ, quarum prima de dato Viennæ, secunda Augusti anni millesimi, quingentesimi, septuagesimi septimi, omnia Ordinis privilegia & libertates, una cum literis protectionalibus; altera vero de dato Pragæ decima quinta Decembris, anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo nono, olim Caroli Imperatoris immunitates Ordinis, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo octavo concessas, specialiter comprehendit. His superadditur Confirmatio Matthiæ Imperatoris, de dato Pragæ vigesima secunda Decembris, anni millesimi, sexcentesimi, decimi septimi, omnium multoties jam dictorum privilegiorum, libertatum, immunitatum, jurium & jurisdictionum, protectionis, simul & tuitionis literarum Ordini liberaliter & benigne concessarum.

Huic accedit Confirmatio Divi quondam Proavi nostri, Ferdinandi II. sub dato Viennæ, decima sexta Martii anni millesimi, sexcentesimi vigesimi. Et his proinde quoque adjicitur Confirmatio a quondam Domino Avo nostro, Ferdinando III. sub dato Eberstorffii, die vigesima septima Septembris anni millesimi, sexcentesimi, trigesimi septimi, concessa. His omnibus quoque annectitur Confirmatio a quondam Patre, & proximo Prædecessore nostro Leopoldo, Romanorum Imperatore gloriosæ memoriæ, die decima tertia mensis Octobris anni Domini millesimi, sexcentesimi, sexagesimi secundi impertita, qua superiora omnia repetuntur, prout ea privilegia & libertates omnes sæpefatus Ordo, ejusque Magister in libello conscripta, a modo dicta Cæsarea Majestate subscripta, ejusque sigillo Cæsareo communita, in manibus teneat & conservet. Extractum vero Statutorum hoc est, titulo decimo octavo de prohibitionibus & pœnis Statut. I. Votum paupertatis id exigit, ut bonorum dispositio liberæ voluntati non subjaceat. Non licet igitur, nec quoquo modo permittitur

Bajuli-

Bajulivis, Prioribus, Castellano empostæ, Commendatariis, aut aliis Ordinis nostri Fratribus testamentum condere, vel hæredem instituere, seu legata facere, atque etiam servitoribus, seu aliis aliquid elargiri, nisi tantum eorum stipendia, ac debitorum, & creditorum declarationem redigere, & cum licentia Magistri de eorum moderata portione disponere. Statut. II. Quæ quidem portio non excedat quintam partem pecuniæ numeratæ, aut bonorum mobilium, deductis ex hujusmodi bonis omnibus debitis, & ære alieno, tam nostri communis ærarii, quam aliorum &c. Statutum quadragesimum sextum bona spoliorum fratrum nostrorum pleno jure nostro communi ærario spectant & pertinent: ideo nulli licet, nec aliquo modo permittitur; nisi his, qui auctoritatem habent ab ærario sumendi &c. Titulo quinto. De communi ærario statutum primum: Cum bona & facultates, quæ Ordo noster possidet, piorum hominum liberalitate collata sint, ad sustinendas hospitalitatis impensas, & propulsandos Christiani nominis hostes: Certum est, fratres nostros proprii in eis, aut privati juris nihil habere, sed eorum verum dominium & proprietatem, & jus omne ad solum ipsum Ordinem nostrum spectare. Eodem titulo Statut. triges. Omnia bona mobilia & se moventia quorumcunque fratrum nostrorum, tam in Conventu, quam extra decedentium, cujuscunque conditionis & qualitatis fuerint, quæ spolia vocamus, ad commune nostrum ærarium pleno jure pertinent &c. Titulo decimo sexto de contractibus & alienationibus. Statut. decimum: Quicquid religiosus acquirit, religioni acquirit; ideo sancitum est, quod fratres Ordinis nostri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacunque ratione bona, prædia, census seu annuos reditus, vel jurisdictionem acquisiverunt, & sibi vendicaverunt, nullo pacto absque Magistri & Capituli generalis consensu vendere, alienare, impignorare, aut quovis modo distrahere possint; sed ea, quæ acquisiverunt fratres, vita eorum durante possideant, & teneant &c. Extractum ex Brevi felicis recordationis Pii Papæ quarti, sub dato Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die vigesima quarta Martii, anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo primo, Pontificatus sui anno secundo, ad perpetuam rei memoriam &c. Omnia & singula, res & bona cujuscunque qualitatis & quantitatis existentia, ac in quibusvis rebus & Regnis, nec non dominiis tam citra, quam ultra montes & maria consistentia, per quosvis fratres, milites, & personas dicti Hospitalis quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post eorum obitum ubivis locorum decesserint, & decedent, aut quibus illos etiam eis viventibus non tamen per Sedem Apostolicam privari, & eis destitui contingeret, hactenus remanserunt, remaneant, & remanebunt, ad Hospitale, & Conventum præfatos, non autem ad eandem Cameram, scilicet Apostolicam, seu alios quoscunque, alias juxta stabilimentorum usum, naturam statutorum, & privilegiorum hujusmodi formam & tenorem spectasse & spectare &c. & ita per quosvis judices, quavis etiam auctoritate Apostolica fungentes, etiam Palatii nostri causarum Auditores, in quavis causa & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere: nec non irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan & hactenus, vel imposterum contigerit attentari, decernimus & declaramus, non obstantibus &c. Titul. decimo quarto de Commendis, Statut. quinquag. sept. Statuimus, quod omnia bona stabilia elargita per seculares personas Fratribus Ordinis nostri, seu acquisita per eosdem nullo modo vendi aut distrahi possint absque expressa Magistri & Capituli generalis licentia, ex libro statutorum in fine appendicis, folio ducentesimo, trigesimo nono del Maestro: chè 'l Maestro possa dar licenza à fratelli di disponere de beni patrimoniali: aggiungendo allo statuto undecimo ordiniamo ché 'l Maestro possa ancora dar licenza & autorità à fratelli dell' Ordine nostro divendere, donare, & alienare qualsivoglino beni, stabili però solamente tanto paterni, quanto materni d'ascendenti, e collaterali à loto spettanti, & appartenenti per ragione di Eredità e successione, ò di legato, e di quelli disponere così travivi come in articulo di morte, e di potere per la ricuperatione di detti beni comparire, litigare, e trattare così in giudicio come fuori. &c.

Nos igitur attendentes prædicti Principis, Ord. Joannitarum Supremi Magistri, devotam ac honestam petitionem, nec non præstantia, planeque eximia servitia, quæ antecessores ipsius, ac totus militaris hic Ordo non modo Prædecessoribus nostris, Divis Romanorum Imperatoribus, & Regibus, Nobisque, Sacroque Romano Imperio; verum etiam universo Christiano orbi contra hostes ejusdem perpetuos continua & indefessa suorum objectione corporum, vitæque & sanguinis, nedum bonorum omnium profusione, & erogatione pro salute & securitate omnium dimicando ad immortale & incomparabile suum decus præstiterunt utilissime, atque etiamnum præstare non cessent, dum a tribus potissimum annis sæpedictus Ordo ultra triremes apud eundem hactenus consuetas, aliquot primæ classis naves bellicas suo cum summo dispendio in singularem terrorem Christiani nominis hostis, ac majorem Christianorum maricolarum securitatem non solum fabricari fecit; sed etiam per factas jam dum complures haud exigui nominis maritimas prædas, ingentem Christicolarum numerum, ab ea, in qua eousque lugebant, intolerabili servitute redemit, vicissimque multos nefandæ sectæ Mahometicæ asseclas in captivitatem (in qua paulatim, si ita, prout hactenus sæpius factum, DEO optimo maximo placuerit, nostram fidem, Christiano-Catholicam amplectentur) feliciter adduxit, prout & inposterum facere poterit ac debebit. Clementi etiam memoria recolentes, & considerantes, quod complurium ejusdem Ordinis præstanti virtute clarorum militum opera in nostris, & Sacri Romani Imperii, nec non quarundam hæreditariarum nostrarum provinciarum refractariis & rebellibus debellandis per præterita perniciosa bella dicti quondam colendissimi Majores nostri, Divi, Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. & Leopoldus, Cæsares, utilissime usi fuerint: Motu proprio, sano & deliberato accedente consilio, ex certa scientia, deque Imperialis nostræ autoritatis plenitu-

dine præfato supremo Magistro, ac toti ejus Ordini tenorem prælibatorum privilegiorum & literarum, de quibus supra, videlicet: Ne prædictus Ordo, ejusque personæ, conjuncti, subditi, mancipia, vasalli, coloni, a quoquam, cujuscunque status, Ecclesiastici aut secularis ille fuerit, in rebus & bonis suis quovis modo molestentur, aut graventur; verum ab omnibus angariis, exactionibus, contributionibus, servitutibus, teloniis, impositionibus, hospitiis & aliis oneribus, qualiacunque illa excogitari possint, liberi sint, & omnino immunes: Nec Ordinis mancipia in civitatibus, aut sub aliena jurisdictione in cives suscipi, aut ejus Ordinis bona, mancipia, & quos habent pro Servitio, ad provincialia, aut alia externa Judicia citari, & trahi, vel civilibus servitutibus, aut juramento aliquo onerari, aut etiam contra Ordinis exemptiones, & usitatas laudabiles consuetudines, ad aliquam inobedientiam concitari, aut ulla omnino violentia & potestas in eos sumi & usurpari. Item, quod militaris hic Ordo, ejusque Commendæ, & ad eum pertinentes & conjuncti, quoad usum omnium proprietatum, jurium, jurisdictionum in hominibus, & bonis, simul ac in feudis, reditibus, fructibus, censibus, & decimis, etiam juribus patronatus, ac aliis proventibus, & utilitatibus, quomodolibet nominatis, quæ, & quos idem Ordo vel in propriis, vel aliorum dominiis, territoriis, & provinciis, tam ecclesiasticorum, quam secularium Principum ac Dominorum, Comitum, Baronum, Nobilium, Universitatum, Regionum, & civitatum ab antiquo possederit, & adhuc possideat, quieti, & sine ullo impedimento, & quorumcunque obstaculo liberi permitti, nec in his omnibus molestari, aut perturbari debeant, sicuti omnia hæc in eorum privilegiis pluribus comprehenduntur.

Demum & ipsa privilegia, ac literas supra memoratas cum omnibus gratiis, libertatibus, consuetudinibus, quas justo titulo acquisiverint, & quarum hactenus in legitima & quieta possessione, vel quasi fuerint, & adhuc sint, in omnibus articulis, punctis, contentis, sententiis, & declarationibus, non secus ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta & allegata essent, utpote, quæ pro sufficienter insertis, & allegatis hoc loco habere volumus, clementer approbavimus, confirmavimus, & innovavimus, ad eundem plane modum & formam, quibus ea per Divos prædecessores nostros, Romanorum Imperatores ac Reges gloriosissimæ memoriæ, a tempore Caroli IV. Imperatoris felicissimæ recordationis, hucusque continua serie & successione, etiam nuper per colendissimum Dominum Genitorem nostrum, Leopoldum Imperatorem itidem confirmata, approbata, & innovata sunt, prout præsentium tenore approbamus, confirmamus, & innovamus, quatenus & in quantum de jure & consuetudine confirmare, approbare, & innovare possumus. Suscipientes etiam ex speciali gratia, eadem scientia, & auctoritate sæpedictum Supremum Magistrum, ejusque universum Ordinem una cum omnibus personis, & rebus suis in peculiarem nostram, & Sacri Romani Imperii protectionem, defensionem, tutelam, & custodiam: statuentes, volentes, & ordinantes prædicta, & alia omnia eorum privilegia, gratias, libertates, immunitates, jura, jurisdictiones, observationes & consuetudines, cum omnibus eorum clausulis, actionibus, contentis, sententiis & declarationibus, firma semper esse & manere: & quod iis omnibus ubicunque locorum uti, frui ac fungi semper possint, ac debeant, & quod simul etiam præfatus Supremus Magister, cum omnibus sibi conjunctis personis, Commendis, rebus & bonis, ut jam superius memoratum fuit, sint, & maneant sub nostra & Imperii singulari protectione, tuitione & defensione, nec non omnibus gratiis, honoribus, dignitatibus, beneficiis, juribus & jurisdictionibus gaudeant, utantur, fruantur, quibus alii, qui in nostra & Imperii singulari quoque protectione, tuitione & defensione sunt, gaudent, utuntur, fruuntur de jure vel consuetudine, ea tamen ratione, ut si quis forte sit, qui de jure aliquid contra ipsos habeat, aut prætendat, eidem debito in loco, judicio se sistere & stare teneatur. Porro etiam ad Statuta, de quibus supra, quod attinet, expresse & specialiter declarantes, quod eadem, & jura ex iisdem in bona decedentium militum Ordinis eidem competentia salva & integra conservare, nec non assistentiam nostram præsentaneam, & brachium forte Imperiale contra omnes eos, qui in præjudicium dictorum statutorum bona relicta, vel hæreditates defunctorum sub prætextu testamentorum ab ipsis conditorum, vel alio titulo invadere attentarent, præbere & præstare velimus, præbiturique & præstituri, nec eum vel eos contra ea gravari vel molestari passuri simus.

Denique cum ob complures ac prægnantissimas rationes, in Diæta Imperiali mature discussas, unanimi Electorum, Principum, ac Statuum Imperii consensu conclusum, atque a Nobis porro comprobatum, ratificatum ac stabilitum sit, quod nullus alienigena, parentibus, sanguineve Germano haud oriundus, ad inclyti Ordinis Sancti Joannis in Allemannia Prioratum, ejusque Commendas, bona, pensiones in Allemanniæ, seu Germaniæ Prioratu, sitas, earumve fruitionem admitti possit vel debeat, quin potius omnes exteri & alienigenæ, Germanove genere & sanguine haud oriundi a dicto supremo Germaniæ Prioratu, Commendis, bonis, ac pensionibus omni in futurum ævo exclusi sint, & maneant, adeoque contra omnes & singulos cujuscunque status & conditionis fuerint, qui hujusmodi perpetuo exclusis ex reditibus dicti magni Prioratus, aut Commendarum Allemanniæ pensiones, aut aliud quidpiam ubicunque locorum, in vel extra Imperii & Germaniæ fines exsolvere, seu dare, vel ad hoc directe, indirecteve opem aut auxilium, ullo belli vel pacis tempore, & quocunque sub prætextu, titulo, vel autoritate præstare præsumpserint, non solum ad inferius præfixam, sed & alias graviores pœnas realiter, & cum effectu procedi debeat; hinc voluntatem ac jussionem hanc nostram pro ejus tanto exactiori, magisque *inviolabili* observantia, firmaque sanctione pragmatica *inconcusso* auctoritatis Cæsareæ robore in perpetuum manutenendam Diplomati huic nostro *inseri* fecimus.

Ac mandamus proinde omnibus & singulis nostris, & Sacri Imperii Electoribus, aliisque Principibus Ecclesiasticis, & secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Nobilibus, Militibus,

bus, Mareschallis, Provinciarum Præsidibus, Vice-Dominis, Officialibus, Præfectis, Judicibus, Schultetis, Consulibus, Magistratibus, civibus, Universitatibus, nec non omnibus aliis nostris, Imperii, nostrorum etiam Regnorum, Principatuum, & Regionum hæreditariarum subditis & fidelibus, cujuscunque existimationis, status, ac conditionis fuerint, severiter, & graviter vigore harum literarum, ne sæpedictum Supremum Magistrum, omnes ejusdem Successores, adeoque Ordinem, & personas quascunque illius, vel illi conjunctas, aut ad eum quomodolibet juxta prænarrata pertinentes in Commendis, rebus, & bonis, hominibus, subditis, dominiis, juribus & jurisdictionibus recensitis, & aliis eorum privilegiis ullo modo per se perturbare, vim & damna inferre, impedire, gravare, onerare, molestare audeant, vel præsumant, nec, quantum in ipsis est, per alios impedimentum ullum ipsis inferri permittant, quo minus supradictis eorum privilegiis, immunitatibus, libertatibus, juribus, jurisdictionibus antiquis, observationibus & consuetudinibus, hacque nostra confirmatione, approbatione & innovatione, nostraque & Imperii singulari protectione, tuitione, & defensione, & supradicta etiam declaratione nostra quoad Statuta circa religiosæ paupertatis observantiam quiete, & sine ullo impedimento uti, frui, ac gaudere illis liceat, valeant, & possint: nisi quis nostram & S. Imperii offensam, & pœnam gravissimam incurrere velit, addita quoque mulcta pecuniaria, nimirum centum marcarum auri puri, quam quilibet, quoties hanc nostram constitutionem violare præsumpserit, pro media parte Nobis, & Imperiali nostræ Cameræ, pro altera autem medietate sæpefato Supremo Magistro ejusque Successoribus, & Ordini sine ulla remissione luere tenebitur.

Declarantes insuper, & volentes, quod in supremis nostris, & Sacri Romani Imperii Dicasteriis non solum mandata sine clausula & citationes ad videndum se incidisse in pœnam privilegiis insertam, verum etiam in hujusmodi litigiis, nuda facti veritate inspecta, prompta & impartialis justitia omni modo accelerari, ac ad realem executionem propediem perduci, ac omnia & singula, quæ jam scripta sunt, publicum & perpetuum robur habere debeant. Supplentes etiam omnes & singulos defectus quomodolibet circa hæc commissos, & qui committi potuerint.

In cujus rei testimonium præsentes has literas conscribi, manuque nostra subscriptas Majestatis nostræ Cæsareæ Sigillo communiri jussimus. Quæ dabantur in civitate nostra Viennæ die duodecima mensis Januarii, Anno Domini millesimo, Septingentesimo octavo; Regnorum nostrorum Romani decimo octavo, Hungarici vigesimo primo, Bohemici vero tertio.

JOSEPHUS, m. p.

Vt. Frid. Car. Com. de Schönborn m. p.

(L.S.)

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Lutzo Dolberg m. p.

LII.

Mandatum plenum, quo Equestris S. Joannis Hierosolymitani Ordinis Officiales Plenipotentiarium suum, quem ad Congressum, Trajecti ad Rhenum, Pacis tractatuum causa institutum, ablegaverant, de rebus agendis instruxerunt, d. d. 17. Maji, Anno 1713.

NOus Président, Grands Croix, Commandeurs & Chevaliers de l' Ordre de St. Jean de Malthe, assemblez en grand Chapitre à Wesel, aiant eu rapport que Monsieur le Baron de Merveldt, Grand Bailli d' Allemagne, Deputé au Congrez d' Utrecht, aiant fait toutes les diligences pour procurer au Tres-Illustre Ordre de Malthe, la restitution des Biens à lui apparcenans situez dans les Provinces de Leurs Hautes-Puissances & mentionnez dans un Ecrit dressé en Latin à cet effet imprimé a la Haye 1712. & n' aiant pas trouvé de moyen, ni d' appùi capable de faire valoir Leurs justes & légitimes prétentions, pour faire remettre les bien jusques ici détenus contre tout droit, dont même de la part de Messieurs les Plenipotentiaires des Etats on ne disconvient pas, & que ceux qui les détiennent actuellement, les détiennent sans aucun fondement de Droit, & de justice, & que n' aiant pû rien faire plus, afin de faire valoir & conserver les Droits de l' Illustre Ordre de Malthe, que d' en informer les Principaux Ministres des Parties belligerantes Assemblez au Congrez d' Utrecht & publier & de distribuer dans le lieu même de l' Assemblée le susdit Ecrit contenant les raisons & moyens sur lesquels les Droits du dit Ordre sont fondez: Il n' avoit pas néantmoins pû procurer audit Ordre le rétablissement & la possession desdits Biens, ni rien effectuer par les fortes remontrances faites pour cela. Nous susdit Président, Grands Croix, Commandeurs, & Chevaliers, en vertu de ces présentes Protestons contre tout ce qui pourroit être traité, disposé & conclu au préjudice de nos Droits, prétentions, & interêts des Biens susdits par devant tous ceux qu' il appartient, & par devant Messieurs les Députez des Etats Généraux: Déclarons que n' y acquiesçons en aucune manière, mais que Nous en appellons à tout Droit & lieu convenable pour conservation, & afin que les Droits du Trés-Illustre Ordre de Malthe ne soyent ni ne puissent être reputez moins légitimes. En conséquence de quoi Nous prions & donnons par ces présentes pouvoir à Monsieur le Chevalier de Rossi, Marquis de Montvibian le vieux, Conseiller du Roy Trés-Chrêtien de déposer & pour plus grande Notoriété faire inserer en Original cette nôtre Protestation, ainsi que le susdit Ecrit, contenant les raisons & moyens sur lesquels les Droits du Trés-Illustre Ordre de Malthe sont fondez, dans le Protocolle d' un Notaire Publique au défaut d' un Médiateur, &c. de requerir un acte suffisant dudit Dépost, ainsi que des susdites Protestations.

Fait à Wesel ce dix septiéme du mois de Mai mil sept cens treize.

Etoit signé sur l' Original

(L.S.) *Sr. Johan Ksnin, secret.*

avec paraphe.

Aujourd' hui ce vingt septiéme du mois de Juin mil sept cens treize a comparu par devant moi Mr. Gerard Matheus, Notaire Public de la Cour Provinciale d' Utrecht, demeurant dans ladite Ville, aggrée & reconnu pour tel par les Vénérables Magistrats & Régence, en présence des témoins ci-bas nommez, Monsieur Leandre Rossi, Chevalier de St. Jean de Jerusalem, Marquis de Montvibian le vieux, Conseiller de Sa Majesté Trés-Chretienne & Agent de ses affaires en Cour de Rome, lequel Nous a exhibé l' Acte de procuration à côté, & déclaré renouveller la Protestation contenuë dans ledit Acte, démandant que le susdit Acte & sa Protestation fut inseré dans mon Protocole, & qu' il lui en fut donné Acte, lequel est celui-ci: fait à Utrecht les jour & an ci-dessus en présence des nommez Joseph Morton & Mathieu Codeglia, témoins requis pour cela, qui ont signé l' Original des présentes.

Etoit signé

Leandre Rossi, Chevalier de St. Jean de Jerusalem,

Et plus bas Sr. *Morton Matteo Codeglia.*

Signé

MATTHEUS,

Notaire.

Collationné avec son Original & trouvé conforme par moi.

MATTHEUS.

Notaire.

Nota.

Præter Diplomata atque Documenta authentica, quæ hucusque in medium adducta sunt, multa quoque alia, maximam partem Supremum laudati Ordinis per Germaniam Magistrum, Heidersheimii commorantem, parique modo Magistrum ejusdem per Marchiam, Sonneburgi degentem, ac demum jura atque Privilegia fratrum concernentia, in *Imperii Germanici Archivo*, a Nobis edito, extant.

SECTIO VI.
De Venetorum Republica.

I.

Ludovici II. Romanorum Imperatoris, sententia, in qua dignitatem Patriarchatus inter Aquilejensem æque ac Gradensem Ecclesiam controversam, Sedi Aquilejensi adjudicavit, de Anno 855.

LUdovicus, gratia DEI Imperator Augustus; Si petitionibus servorum DEI clementiæ nostro commodamus assensu, & ea, quæ per viros Ecclesiasticos suggeruntur, ad condignum ducimus effectum, profecto non solum Nobis divinum regnoque nostro conciliamus auxilium, verum etiam nobilium nostrorum promptiorem reddimus famulatum. Proinde omnium fidelium S. DEI Ecclesiæ, & nostrorum præsentium subjectorum quoque cognoscat devotio, quia vir Ven. & religiosus Theutimarus, Aquilejens. sive Forojuliensis Patriarcha per Eurardum III. Comitem, dilectumque compatrem nostrum magnificentiæ nostræ antiquas auctoritates ostendit, quibus manifestissime comprobatur, quod Aquilejens. civitas ab initio fidei Catholicæ per Italiam, Germaniam, Venetiam, Istriamque regionem disseminatæ principatum in omni Istria Patriarcha obtinuit dignitatis: & per eversionem suam aliquamdiu Aquilejensis Ecclesia præreptum iterum studio suorum præsulum, Romanorumque Pontificum favore, & Majorum nostrorum auxilio reparaverit: siquidem, cum, cogentibus peccatis habitatorum suorum, eadem civitas Attiliæ, sævissimi Ungarorum Regis esset jam manibus tradita, quo in tempore plures quoque civitates Italiæ obsidionem, vastationemque Gentilium passæ esse noscuntur, accidit, ut ejusdem urbis Paulus Antistes ad Insulam quæ Gradum nuncupatur, cum omni Ecclesiæ thesauro confugeret: Honoratus etiam Mediolanensis Archiepiscopus eodem metu Januensem urbem expeteret, & hæc sola fuit occasio, quapropter longissimam Aquilejan. vastationem defuncto Paulo Pontifice ipsius Gradensis Antistes Patriarchatus dignitatem assumpsisse cognoscitur. Et ne longum sit singula prosequi, pluribus postmodum Conciliis decretum, confirmatumque est, ut, sicut Mediolanensis Ecclesia, post redditam pacem, pristinam recuperaverat dignitatem, & Januensis Episcopus sub Mediolanensi in suffraganei ordine manserat: ita etiam Aquilejensis sive Forojuliensis Antistes, Patriarchatus more, priscorum suorum sibi vindicaret auctoritatem; quod maxime perfectum, definitumque est temporibus B. Papæ Eugenii, qui ad suggestionem piæ recordationis Ludovici avi nostri, atque Domini & genitoris nostri gloriosæ memoriæ, D. Lotharii præstantissimi Augusti petitione Synodale Concilium Mantuæ congregare præcepit, in quo sub præsentia Legatorum S. R. E. adsistente, coram Massentio, Aquilejensi beatæ recordationis Antistite, supradicta controversia Aquilejensis & Gradensis Ecclesiarum sententiis Episcoporum penitus est soluta: deinceps quoque, temporibus beatissimi Papæ Gregorii interpellante etiam iterum contra Gradensem Episcopum supra dicto Massentio Forojuliensi Pontifice eadem est quæstio retractata, & eorum judicio ad finem usque perducta: sed propter quorundam cupiditatem & temeritatem non potuerat: Ne iterum se dicta quæstio posset emergere, & redivivere denuo Ecclesiis inducere certiores per Ebrardum, Comitem supramemoratum Patriar-

Patriarcham ante dicti genitoris nostri expertus Celsitudinem, ut antiquissimum jus Ecclesiæ eis denuo confirmaretur auctoritate; id ipsum etiam præfatus Vener. Theutimarchus, Patriarcha, per jam dictum Ebrardum III. Comitem, dilectumque compatrem nostrum, nostram exoratus est Celsitudinem, ut easdem diffinitiones, ac Domini genitoris nostri auctoritatem, morem præcessorum sequentes, corroborare non denegaremus. Cujus postulationi assensum nostrum libenter accommodantes, hos magnificentiæ nostræ apices decrevimus fieri, per quos statuimus, atque in perpetuum sancimus, ut Antistes Aquilejensis, seu Forojuliensis, omni tempore Patriarchalem, seu Metropolitanensem dignitatem in ordinandis regendisque Istriæ Episcopis & Ecclesiis, absque ullius omnino contradictione & interpellatione possideat; neque aliquis unquam supradictam adversus Aquilejensem Ecclesiam renovare valeat quæstionem. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas stabilem perpetuis temporibus obtineat inconvulsumque vigorem manu nostra subtus confirmavimus, & annuli nostri impressione sigillari præcepimus.

Signum manus Ludovici Sereniss. Imperatoris.

Druchfemirus Archi-Cancellarius recognovit. Datum Calend. Novembr. an. X. propitio imperio D. Ludovici piissimi Augusti, quinta Indict. Actum Papia civitate, Palatio Regio.

II.

Conventio inter Ursum, Venetiarum Ducem, & Valpertum, Aquilejensem Patriarcham, pacta, in qua ille, se Gradensem Metropolim in exercitio jurium suorum nunquam turbaturum, hic vero, ut portus, Pylus nuncupatus, claudatur, non esse commissurum, pollicitus est, d. d. Mens. Januar. An. 880.

IN Nomine S. & individuæ Trinitatis. Imperantibus DD. Basilio & Leone a DEO coronatis, pacificis & magnis Imperatoribus: Anno autem Imperii eorum tertio decimo, mensis Januarii, Indict. XIII. Venetia Curte palatii. Omnia, quæ ob superni Regis amorem, sanctarumque Ecclesiarum vigorem inter partes pura mente conveniunt, necesse est scripturæ stylo roborari, ne per temporalium rerum spatia, in quæ finiuntur, oblivioni tradantur. Igitur Nos quidem Ursus, divino fretus auxilio, Imperialis Prothospatarius & Veneticorum Dux, promittentes promittimus vobis Valperto, Reverendissimo Patriarchæ Aquilegiensi, ut si observare satagitis ea, quæ Nobis simili modo per promissionis paginam polliciti estis, servare erga sanctam DEI nostram Gradensem Metropolim, id est, ut nullam amplius adversus eamdem Ecclesiam subtractionem, sive contrarietatem faciatis, vel facere jubeatis, nec per vos ipsos nec per aliorum . . . aut aliqua quæstione in sedibus beatorum martyrum, Marci Evangelistæ & Hermagoræ, nec non in rebus in propriis Ecclesiis, seu cæteris universis locis ibidem pertinentibus, ita & Nos observare spospondimus, ut usque dum, Christo favente, isto in seculo vixeritis, portum vestrum, qui vocatur Pylum, nulla intentione claudere jubeamus, sed sicut multo ex tempore apertus extitit, similiter & modo apertus consistat in tali tenore, ut nostris omnis honor, quicquid annuatim haberi exinde debemus, solvetur, atque ad Nos deferatur: & populus noster, qui ibi advenerit, nullum gravamen, aut suprapositam, vel forcias patiatur, sed, more antiquo, sua sibi securiter omnes & vendat, & emat, imo & mansiones quatuor nostræ, quæ ibi sunt, ut mos fuit, salventur, & ex nostro negocio proprio nullum ibi solvatur tributum, quia talis declaratur fuisse prisca consvetudo. Quod si hæc omnia, quæ supra leguntur . . observaveritis & Nos contra hoc, quod spospondimus, ire præsumpserimus . . . . solvere debeamus vobis auri lib. XXX. & post pœnæ solutionem hæc promissio in sua maneat firmitate. In simili Cartula, quam facere jussi ego Ursus, Dux Veneticorum, ad nomen præfati Valperti, Patriarchæ Forijulii sunt intromissæ subtus manus nostræ & Johannis filii nostri. Testes autem fuerunt imprimis, Armatus, Tribunus de Luprio, & Vigilius, Tribunus de Geminis; Item manus Juliano Aulibado, primato de Lubrius. Item manus Johannis, vel Johanni de Mastalico, item manus Leonis Patricii, item manus Petri filii Johannis Ducis, item manus Pantaleonis Abrolino, item manus Leon Corozali, item manus Johannis Granzarolo, & Dominicus Presbyter, Cancellarius noster scripsit hoc & illud.

III.

Tabulæ Pacis inter Winticherium, Istriæ Comitem, Patriarcham Gradensem, Venetosque facta, d. d. 12. Mart. An. 933.

IN Nomine CHristi, Regnante D. nostro Hugone, sanctissimo Rege, anno septimo, Lothario vero filio ejus in DEI nomine regnante anno secundo, die 12. Mensis Martii, Indictione sexta, Actum Rivoaldo. Cum Nos Wintherius, & homines nostri invasimus res proprietatum de Patriarchatu vestro Gradensi S. Hermachoræ, quas in finibus Polæ & Istriæ habet, & similiter res palatii Vestri Venet. & de Episcopatu Vener. quas ipse Palatius & sui Episcopati in Polla & in omnibus finibus Istriæ habet, & debita, quæ Istrenses ad Veneticos solvere debebant, detinebamus, ut justitias minime invenire poterant Venetici, & supra positas eis per civitates imponebamus, etiam naves eorum comprehendimus, & deprædavimus, & homicidium in Veneticos fecimus: unde maxima lis inter Nos & Veneticos accrevit propter hoc malum, quod in Veneticos exercuimus, D. Petrus, gloriosus Dux Venetiarum præcepit, ut nullus Veneticus Istram pergeret, nec Istrenses Venetias advenirent: hoc videntes Nos Wintherus Marchio missos direximus ad D. Marinum Patriarcham, ut pro DEI omnipotentis

tentis amore intermitteret se ad D. Petrum Eminentissimum Ducem, ut pacem cum Nobis & cum nostro populo faceret, & negotia Venetici cum Istriensibus exercerent, sicut soliti fuerant facere. Tunc prædictus D. Marinus, egregius Patriarcha, exiit a sua Civitate Gradensi, venitque ad suum Seniorem D. Petrum, Eminentissimum Ducem, & admonuit eum, ut pro CHristi amore pacem faceret, & malum pro malo non redderet, sed quod contra legem factum haberet, secundum scire parti emendaret. Ad hæc monita mente D. Petri piissimi & gloriosissimi Ducis compuncta condoluit, unde ipse denique D. Petrus Dux ammonitus divina & Apostolica præcepta, in devotione A. promissione Istrensium esse devota, per hanc cartam misericordia motus & per sanctas DEI Ecclesias & pauperibus Christi ad pacem & concordiam sua mente reduxit, & omne malum, quod contra suos Istrienses egerunt, pro divino amore reliquit. Ideo ego Wintherus Marchio, una cum Jo. Episcopo urbis Pollanæ, & cum cæteris Istriensibus Episcopis, & cum omni populo Istriensi prona mente & spontanea voluntate promittentes promittimus, & a modo & deinceps in nullas proprietates de vestro Patriarchatu Gradensi S. Hermachoræ, nec in illas de vestro palatio, nec in cunctas res sanctarum Ecclesiarum DEI, quas in vestro Episcopatu Venet. pertinent, in totis finibus Pollani & Istriæ, quas ille, & Venetici ubicunque habere & possidere visi sunt in finibus Istriæ, nullo unquam tempore Nos in eas intromittere, nec in aliquo occupare debeamus, sed semper in suo statu, & in vestra dominatione manere debeant, ita ut non per Nos, neque per summissam personam ab aliquo mali patiantur, sed semper ab omnibus nostris, qui sub nostra potestate degunt, defensæ ipsæ proprietates, & homines vestri maneant: & vestra dominatio per nostros fideles & ipsos colonos discurrat. Simili modo promittentes promittimus, quod omne debitum, quod Istrienses Veneticis solvere debent, annuatim justitias facere debeamus; usque promittimus de omnibus superpositis, quæ factæ fuerunt, ut in æternum non inde memoretur, sed secundum antiquam consvetudinem pro unaquaque civitate ripatica, & telonea solvantur, ita ut amplius eis non imponantur; itemque promittimus, ut nullo unquam tempore, cum nostræ naves super vestris in contrarium ire non debeamus, ne vestri Venetici mala patiantur, sed omni tempore sincere & cum caritate ab invicem vobiscum manere debeamus, & omnem legem & justitiam vestris Veneticis observare promittimus. Super hoc autem pollicemur, ut si jussio Regis venerit, ut contra Veneticos aliquod mali agatur, primitus cum Nos potuerimus scire, eos faciemus, ut inlæsi ad suam patriam revertantur, & hæc inviolabiliter observare promittimus, Nos cum nostris Successoribus, ac hæredibus, ac prohæredibus. Quod si quocunque tempore per vim Nos proprietatem de vestro Patriarchatu Gradens S. Hermachoræ, aut de palatio vestro, aut de sanctarum vestrarum Ecclesiarum, aut de vestris fidelibus invadere præsumpserimus, incurramus in iram omnipotentis DEI, & sanctorum ejus, quorum res invadere præsumpserimus, & insuper componere promittimus cum nostris hæredibus vobis, & in palatio vestro auro fulvo lib. C medietatem, cui forcia facta fuerit, & medietatem palatio Regis Italico Regno præsidenti. Et hæc permissionis carta maneat in sua firmitate. Hanc vero cartam repromissionis tradidimus scribendam Georgio, Diacono & Notario de civitate Justinopolis, Acta vero Rivoalta.

Signum manus D. Winticherii Marchionis, qui hoc fieri rogavit.

Ego Jo. Episcopus Pollanæ Ecclesiæ mm. ss.

Ego Firminus Episcopus mm. ss.

Signum manus Rocioni de civitate Polla ad omnia consentientis.

Sig. manus Martini filii Constantini consentientis.

Ego Andebertus Locopositus de civitate Justinopoli consentiens.

Signum Leonis filii Passivo consentientis.

Signum Dominici Locipositо de Trieste consentientis.

Signum Jo. Filii Olive de Trieste.

Signum manus Anderadi Scavino, filii Dominici Pepolo de Tergeste.

Signum manus Dominici, filii Olivæ de Castro Mugla consentientis.

Signum manus Juliani de Mugla consentientis.

Signum manus Venerii de Augusto de Castro Piriano consentientis.

Signum manus Felicis filii Ravenni de Piriano consentientis.

Signum manus Dominici Saviro de Anastasia, consentientis.

Signum manus Maurocini, de Justinop. consent.

Signum manus Jo. de Justin. consent.

Signum manus Andreadi, fratris D. Jo. Episcopi consent.

Signum manus Uberti, cui cognomentum Pepulino, consent.

Ego Georgius Diaconus, & Notarius de civitate Justinopoli ex jussione Wintheri Marchionis hanc repromissionis cartam scripsi, complevi, atque firmavi.

De civitate Pollæ sunt Rocius, Martinus, Leo filius Passivo, & Jo. Basiliacus: de Parentio, Leo de Walteramo, Dominicus de Juventino, Odelricus, Theodorus Tribunus.

De Civitate nova Leonianus, & Jo. cognatus Formino Episcopus.

De Pirano Felix Scavineus, Andreas Justulago, Bissus, Ansaldus.

De Civitate Capras, Andioertus Locopositus, Andreas Aquabrolus, Dominicus de Anastasia, Petrus de Zunani.

De Mugla Venerius Guzolinus, Dominicus de Oliva, Antius.

De Tergeste Dominicus Locopositus filius Senadri, Andreas filius Dominici Pepoli, Jo. de Olivo, Rosiderius.

IV. *Petri*

IV.

Petri, Adriensis Episcopi, sponsio, Ottoni Urseolo, Venetiarum Duci, facta, de Anno 1016.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus D. Benedicti summi Pontificis & universalis Papæ in Apostolica sacratissima B. Petri Apostoli Domini Sede quinto, sicque imperante Domino Enrico, a DEO coronato magno Imperatore in Italia, anno vero tertio, die septimo mensis Junii, Indictione XIV. in palatio Ducatus Venetiæ. Spondeo atque promitto ego Petrus S. Adriensis Ecclesiæ Episcopus una cum Advocatore meo Joanne, atque nostris cunctis fidelibus, tam Canonicis, quam laicis tibi Domino Ottoni, glorioso Duci Veneticorum, ac Dalmaticorum, ut a modo in antea omnibus diebus vitæ meæ castellum, quod situm est apud Lauretum, nec dolo, nec temerario ausu percursare, neque incendere, nec deprædari præsumam, neque ullum hominem in eo habitantem deprædari intra ditionem, vel dominium vestri Ducatus, quod ad præsens tenere, vel dominari videmini, nec per me neque per aliquam summissam personam, vel per illos, quibus resistere, vel contradicere valeo. De deprædationibus vero quæ hactenus mihi meisque hominibus factæ sunt, promitto, me nunquam aliquam vindictam sumpturum, nec aliquam querimoniam facturum, non ante Principem, nec ante aliquam personam hominum, quoniam de omnibus deprædationibus suprascriptis omnes fines fecimus, & cunctam transactæ prædæ querimoniam definivimus, & inde tacitus cunctis diebus vitæ esse promitto. Quod si contra omnia hæc, quæ præmisimus, ire tentavero, vel contra hanc sponsionis cartulam aliquid agere præsumpsero, componere vobis promitto auri cocti libras 50. & soluta pœna manente hac sponsionis chartula in sua firmitate.

Ego Petrus, DEI gratia Episcopus S. Adriensis Ecclesiæ in hac sponsione, ut supra legitur, manu propria ss.

Ego Maraldus Presbyter interfui.

Signum manus Donati Presbyteri.

Signum manus Marini Diaconi.

Signum manus Ursi Clerici.

Signum manus Mauricii Clerici.

Anastasius Consul interfui & ss. in hac sponsione.

Theobaldus Consul in hac sponsione interfui & ss.

Grimoaldus in hac sponsione interfui & ss.

Jo. filius Girardi in hac sponsione interfui & ss.

Signum manus Arnulphi testis ad omnia quæ leguntur supra.

Ego Jo. - - - - Tabellio Ravennas hanc sponsionem scripsi, & post testium scriptorum manus complevi & absolvi.

V.

Diploma, vigore cujus Henricus IV. Romanorum Imperator, Istriæ Comitatum Sigebardo, Patriarchæ Aquilejensi, dono dedit, d. d. 3. Idus Junii An. 1077.

HEnricus, DEI gratia Rex. Experimento didicimus, quam præclaram, & permansuram adepti sunt famam Reges, seu Imperatores, nostri videlicet antecessores, quia suorum fidelium clementer cognoscentes servitia, regali eos ditaverint munificentia, quanto magis Ecclesias DEI sua sublimitate abundantia. Quorum vero exempla Nos, æque potentes, æque divites, secuti fideli nostro Sygehardo, Patriarchæ, & suæ S. Aquilejens. Ecclesiæ, ad honorem DEI genitricis atque virginis Mariæ, & S. Hermacoræ, ibi requiescentis, per petitionem dilectæ nostræ Regni ac thori nostri consortis, Berthæ Reginæ, subvenientibus quoque ad hoc familiaribus nostris Embricone Augustensi, Vocalricho Eihestensi, Epone Nivereburgensi, Bennone Osnabrugensi, Gebardo Pragensi Episcopis, Ducibus autem Vuritizlao Boëmiæ, ac Lindulpho, Charinthiæ quoque Palatino Comite, & Tieboldo Marchione, aliis quoque nostris quam pluribus amicis, Comitatum Istriæ tradimus, ac perpetua proprietate dicamus, ea quidem ratione, ut idem præfatus Patriarcha Sigehardus liberam potestatem habeat, eundem Comitatum possidendi, obtinendi, vel, cuicumque velit, dandi. Hanc ergo potestatem sibi suisque concedentes Successoribus regalem nostram auctoritatem in hoc, & traditionem per hanc chartam inde conscriptam, & propria manu corroboratam, ac sigilli nostri impressione insignitam omnibus seculis notificamus.

Signum D. Henrici IV. Regis invictissimi Gebardus Pragensis Episcopus, & Cancellarius, vice Sigefredi Archicancellarii recognovi. Dat. 3. Idus Jun. an. Dom. Incarn. M. LXXVII. Ind. XV. Nueremberg. feliciter Amen.

VI.

Diploma, vi cujus Henricus IV. Romanorum Imperator, Sigebardo, Aquilejensi Patriarchæ, Marchiam Carniolæ in proprietatem dedit, d. d. 3. Id. Junii Anno 1077.

HEnricus, Divina favente clementia Rex. Si Ecclesias DEI honoramus, ditamus, & sublimamus, Regno nostro stabilitatem, corpori salutem, animæ quoque æternam remunerationem per hoc adipisci non dubitamus. Unde vulgatum esse ubique in Regno nostro volumus, quod Nos fecimus Ecclesiæ Aquilejensi, in honorem videlicet S. DEI genitricis Virginis Mariæ, & S. Hermachoræ, qui in eadem Ecclesia & membris requiescit & coruscat miraculis. Igitur pro charo, Nobisque fideli servitio, ac petitione Sigehardi ejusdem S. Aquilejens. Ecclesiæ Patriarchæ, subveniente dilecta Bertha nostra Regina, nec non aliis nostris fidelibus ad hoc nitentibus, scilicet Embricone Augustensi Episcopo, Wothelrico Eistettensi, Eppone NiVvenburgensi, Bennone Osnabrugensi, Gebeardo Pragensi, Episcopis, Ducibus

Ducibus quoque Writizlao Boemiæ, & Licudulfo Charentiæ, Cuonone Palatino Comite, & Tiepoldo Marchione, & aliis quam pluribus nostris familiaribus, Marchiam Carniolæ, de nostra Regali proprietate & potestate, in proprietatem atque potestatem præfatæ Aquilejens. Ecclesiæ, & prænominati ejusdem Sedis Patriarchæ Sigehardi, suorumque Successorum tradimus, & perpetualiter concedimus, ea videlicet ratione, ut idem Sigehardus Patriarcha eandem Marchiam possideat, obtineat, & omnimoda lege, & quo sibi placeat jure utatur, ac post vitæ suæ decursum Successoribus suis cunctis in id ipsum relinquat. Hujus ergo nostræ Regalis autoritatis & traditionis testem chartam præsentem inde conscriptam, & propria manu corroboratam, sigilli quoque nostri impressione, ut infra videtur, insignitam, omnis generationis, tam futuræ, quam præsentis, relinquimus notitiæ.

Signum D. Henrici Regis IV. invictissimi.

Gebeardus Pragens. Episcopus, & Cancellarius, vice Sigehardi Archi-Cancellarii recognovit.

Datum 3. Idus Junii, Anno Domin. Incarnat. MLXXVII. Indict. XV. Anno autem ordinationis D. Henrici IV. Regis XXV. Regni vero XXI. Actum Nieremberg in nomine Domini nostri JEsu Christi feliciter.

VII.

Henrici V. Romanorum Imperatoris Conventio cum Ordelapho Faletro, Venetiarum Duce, stabilita, in qua laudatus Imperator non solum Venetorum immunitates atque Privilegia denuo confirmavit, verum etiam nonnulla in eorum commodum atque emolumentum constituit, d. d. 11. Kalend. Junii, Anno 1111.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus, Divina favente Clementia, V. Romanorum Imperator Augustus. Quoniam stabilem Christianorum Principum charitatem operari plurima bona, ad multorum utilitatem, evidenter novimus, & virorum sapientes, & discretos Rectores Regnorum suorum, notos habere semper & amicos curavimus. Ordelaphum Faletrum, DEI donis Christianum & clarum Ducem Veneticorum, quem luce sapientiæ, & totius honestatis ubertate prædicabiliter pollere manifestum est, habere notum & amicum ad decus Imperii nostri stabilitate perpetua decrevimus, ad cujus rei perpetuam confirmationem hoc, quod ipse Dux, vir sapiens & honestus, fieri exaudibiliter postulavit a Nobis, consilio nostrorum Principum digna postulatione impetravit. Hac igitur ratione tantæ dilectionis uniti, nostram utrinque caritatem rationabiliter observavimus, & in multis magnisque negotiis, publicis ac privatis, ejus sinceram dilectionem & præclaram sapientiam Imperio nostro & Nobis, nostrisque fidelibus utilem existere probavimus, & quia ipsius rei evidentia, & sapientum judicio sapiens ac discretus ipse Dux Venetici Regni Rector existit, & egregia voluntas & puræ dilectionis exhibitio, quam semper erga Nos habuit & nostrum Imperium, cum Nobis in omnibus commendabilem exhibuit, dignus ejus & honestus interventus apud nostram Imperatoriam Majestatem locum charissimi amici & viri sapientissimi venerabiliter obtinuit. Igitur, ob sinceram & venerabilem ejus dilectionem veræ charitatis vinculis astrictam, quicquid ipse Dux & Venetici Ducatus Ecclesiæ, & populus, retro per triginta annos, Imperii nostri potestate, secundum quod in præcepto nostri Patris & nostrorum Prædecessorum, Regum & Imperatorum continetur, & pacto Othonis Imperatoris legitur, juste & legaliter habuit & tenuit, per hanc nostram Imperialem paginam renovamus atque confirmamus. Hujus autem rei internuncii inter Nos & prædictum Ducem, nostrum charissimum amicum, viri nobiles extiterunt, Vitalis Faletrus, ejus consobrinus, Morocenus & Stephanus, dilectus ejusdem Ducis Capellanus & Cancellarius, atque Urso Justinianus, vir illustris, non quod istorum gratia, vel cujuslibet alterius hoc faceremus, sed solummodo dulci charitate Ducis charissimi nostri, cui indissolubiliter uniti sumus, prout dictum est. Hoc egimus ita quidem, ut pars parti nil malignum, aut injustum, sed semper, quod rectum est, in omnibus rationibus rebusque facere præsumat; & si, quod absit, aliqua malitia, vel læsio inter partes commissa fuit, per hujus fœderis decreta tegatur, ac, facta satisfactione a rebelli & transgressoria parte, ad pactum observandum hæc series fœderis inviolabiliter semper maneat, per cunctorum annorum curricula remota contradictione vel impugnatione, tam nostra, quam nostrorum Successorum omnium, quia injustum videtur, ut aliquis vel suis, vel aliis æquis sanctionibus oppugnare nitatur, & ut maxime ac specialiter notentur vicini populi, tam ex nostro Imperio, quam ex prædicto Ducatu Venetiæ, a quibus omnimodam hanc pactionis institutionem observandam esse decrevimus. Hi sunt ex nostro scilicet jure, Papienses, Mediolanenses, Cremmonenses, Lucenses, Pisani, Genuenses, Placentini, Ferrarienses, Ravennates, Comaclenses, Florentini, Aritminenses, Pisaurienses, Censenatenses, Janenses, Senogalienses, Anconenses, Humanenses, Fermenses, Eporienses, Veronenses, Montesicenses, Gautlenses, Vincentenses, Paduenses, Tarvisienses, Cenetenses, Forojulienses, Histrienses, & cuncti de nostro Italiæ Regno, sive qui modo sunt, sive qui imposterum futuri sunt. Ex prædicto vero Ducatu Venetiæ sunt Rivoaltus & Metamaucenses, Clujenses, Palesthinenses, Caputargolenses, Brintellenses, Lauretenses, Babienses, Murianenses, Majorbienses, Torcellienses, Amianenses, Buriaretes, Constantienser, Aquilienses, Caprolenses, Civitatinenses, Finenses, Gradenses, & cuncta generalitas populi Venetiæ, sive qui modo sunt, sive qui futuri sunt. Confirmamus itaque Venetiorum fines a nemine nostrorum inquietari, invadi, vel minorari debere; sed libere & absque ullo impulsu, quæ retro ab annis possedere triginta, deinceps possideant. Proprietates vero & prædia, quæ habere videntur tam ipse Dux, quam suus Patriarcha, nec non & Episcopi, Abbates, & Ecclesiæ

Ecclesiæ sanctæ DEI, & reliquus populus Venetiæ sibi subjectus, infra potestatem Imperii nostri, sive in campis, sive in domibus, pratis, sylvis, vineis, paludibus, salitis, sationibus, piscationibus, & cæteris possessionibus, quiete possideant, absque cujusquam insultantis machinatione aut læsione, sive sinistra quapiam tergiversatione: ita ut nemo contrarietatem eis facere præsumat, nec etiam venerationem aut populationem sine eorum licentia exerceat, neque violentiam ibi residentibus inferat; Neque aliquam navim ipsorum Veneticorum in aliqua nostri Imperii parte periclitantem prædari, seu hominibus naufragium patientibus aliquam controversiam inferre præsumat. Quod si qui fecerint, componant centum libras auri purissimi illis, quibus injuriam facere præsumpserint, & res ejus dominio possidentium mancipentur, & quiete liceat possessoribus illas tenere ac frui: quod si excursus inter partes factus fuerit, persona ipsa, quæ in capite fuerit ad eandem malitiam faciendam, infra sexaginta dies tradatur, & omnia, quæ fuerint ablata, in duplum restituantur. Quod si ipsum duplum compositum non fuerit, vel si ipsa persona tradita non fuerit infra dies sexaginta, ut dictum est, tunc per unamquamque personam, quæ ipsam malitiam perpetravit, componantur auri solidi quingenti. Si furtum inter partes factum fuerit, duplum restituatur. Si servi, aut ancillæ inter partes confugerint, cum omnibus rebus, quas secum detulerint, reddantur, & judex, qui ipsos fugitivos reddiderit, accipiat pro unoquoque singulis solidos auri: sic tamen, ut si amplius requirit, per sacramentum idoneum, Dominus illorum satisfactus sit. Si vero judex, vel alius ipsos fugitivos susceperint, & eos reddere negaverint, & exinde fugerint, tunc pro unoquoque fugitivo componat auri solidos septuaginta duos. Quod si dubium fuerit, & denegaverit judex, vel auctor loci illius, in quo ipsi fugitivi requiruntur, tunc præbeant sacramentum duodecim electi, quod ibi nec suscepti fuerint, nec illos habeant, nec in conscientia illorum sint, nec aliquas res eorum secum habuerint. Si autem hoc distulerint facere, post primam & secundam contestationem, præsentia testium per pactam jussionem judicis sui, liceat ei pignorare hominem de ipso loco, ubi causa requiritur, ita tamen, ut ipsum pignus prius peracta justitia per integrum reddatur, & nullatenus liceat alicui pignus accipere per alia loca, nisi ubi fugitivi, aut causæ requiruntur. Et si pignoratio pervenerit, non præsumat alia pars pro pignore alium pignorare, sed expectet usque ad audiendum causam, ita sane ut causæ in sex mensium spatio fiant, & sint finitæ, reddens prius, quod ex judicio condemnatus fuit, & pignus suum recipiat. Nam si quis de alio loco pignus tollere præsumserit, aut sine causa tulerit, aut aliquem pro pignore pignorare præsumpserit, in duplum quod tulerit, restituat; si vero equi, vel equæ, aut armenta, aut alia quadrupedia fuerint furata, in duplum restituantur: si ipsa erraverint, modis omnibus reddantur. Quod si post primam & secundam contestationem minime reddita fuerint, tunc pignoratio fiat de loco, ubi requiritur, usque dum pars parti satisfaciat, & post satisfactionem reddantur ipsa pignora. Et hoc statum est, ut si fugitivus, seu res reddita fuerint, vel si per sacramenta satisfactio adimpleta fuerit, modis omnibus pars parti securitatem faciat. Si quis vero extra memorata capitula pignorare præsumserit, causam perdat, & quæ tulerit, restituat. Negotia autem inter partes fiant, & liceat dare, & accipere, quicquid inter eos convenerit, sine aliqua violentia, vel contrarietate, ita ut æqua conditio utrarumque partium negotiatoribus conservetur. De ripatico autem secundum antiquam consuetudinem, pars parti observet omnem quadragesimam, & licentiam habeant homines ipsius Ducis ambulandi per terram, sive per flumina totius Regni nostri; similiter & nostri per mare, & per flumina usque ad os, & non amplius. De hoc convenit, ut si qua læsio inter partes evenerit, legati non detineantur; si vero detenti fuerint, relaxentur & componantur eis solidi trecenti, & si, quod absit, occisi fuerint, componantur parentibus eorum pro ipsis solidi mille, & ipsa persona tradatur in manibus ipsorum. Si quis inter partes causam habuerit, vadat semel vel bis cum epistola judicis sui: si ei justitia minime facta fuerit infra dies 14. si ipse homo unde justitia requiritur, infra ipsum locum fuerit. infra dies septem licentiam habeat pignorandi: judex qui ipso tempore ordinatus fuerit infra causam suam, quantum ipsum debitum erit, & ipsum pignus usque ad prænominata notet: quod si ante steterit ipsum pignus, componantur solidi duodecim, causa manente, & pro eo iterum pignoratio stat, ubi potuerit in finibus, ubi causa requiritur: si tamen, ubi judicium ambabus partibus annunciatum fuerit, residentibus duobus de utraque parte, de loco ubi causa requiritur, quod ipsi determinaverint per Evangelium, pars parti satisfaciat. Addimus autem, ut si quis homicidium perpetraverit, modis omnibus ipse & quanti mixti fuerint in homicidio, ligati tradantur. Quod si factum non fuerit, pro unaquaque persona componantur auri solidi 300. Simili pœna decernimus damnandum eum, qui in communibus tumultum populi excitans homicidium perpetraverit: quod si tumultus sine homicidio aut plaga sedatus fuerit, componat pro excitatione solidos auri 300. si aliqua pignoratio in sylva fieri debuerit, sine homicidio fiat, & si, quod absit, homicidium factum fuerit, pro libero homine componantur auri solidi 300. & pro servo 50. & si plaga facta fuerit, ut non moriatur, pro libero homine solidi 50. pro servo 30. Statutum est, ut in rebus sacrarum ecclesiarum DEI nullus pignorationem faciat, excepto, si cum sacerdotibus causas habuerit, & ante compellatio fiat semel, vel bis; nam qui aliter præsumpserit, duplum componat, &, si nesciens pignoraverit, præbeat sacramentum, & sit solutus, pignusque salvum restituat. Et hoc stetit de Capulo, quod Rivoaltenses, Olivolenses, Metamaucenses, Albinenses, Torcellenses, Amianenses fecerunt retro ab annis 30. habeant licentiam faciendi secundum antiquam consuetudinem, sive per flumina, sive per mare. Equilejenses vero capulari debent in ripa Sancti Zenonis usque in fossam Metamauci & Gentionis, secundum consuetudinem, & omnem arborem vehere cum carro, aut ad collum, quantum sibi placuerit, & habeant licentiam, pecudes in ipsis finibus pascere, vel pabulari. De finibus

finibus Civitatis Novæ dicimus, ut terminatio, quæ a tempore Liviprandi Regis facta est inter Paulucionem Ducem, & Marcellum Magistrum militum, deinceps manere debeat, id est, de Plave majore usque in Plavem siccam, peculium quoque & gregem cum securitate pascere. Capriam vero in sylva Forojuliana, ubi semper capulaverunt, capulare debeant, similiter Gradenses secundum antiquam consuetudinem in sylvis Forojulii capulum faciant. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum aqua salsa continet, ejus subjaceat potestati. Et nullus Princeps, vel pauper aliquem Veneticorum distringere, aut legem facere de aliqua Veneta substantia, aut ad placitum ducere, nisi in præsentia illorum Ducis, aut fotrum tollere de illorum terris, quæ in nostro Regno sunt, aut bannum mittere, tam de habitantibus in Venetia, quam de illorum hominibus, ubicunque habitantibus, justitiam aliquam accipere præsumat, nisi in præsentia Dominorum suorum. Confirmamus, ut pars parti de causis Ecclesiarum & Monasteriorum omni modo justitiam faciat. Volumus, ut pro una libra denariorum, ab uno homine sacramentum, & si usque duodecim libras denariorum Veneticorum duodecim electi juratores addantur. Nam si ultra duodecim libras quæstio facta fuerit, juratores ultra duodecim non accedant. Statuimus etiam de pignoribus, quæ intra partes posita fuerunt, illi tribuatur arbitrium jurandi, qui pignus habuerit soli, sive electio. De auctionibus vero simili modo agatur.

Si quis igitur Dux vel Marchio, Comes, Vice-Comes, aliquave magna persona hujus nostræ Imperialis paginæ violator extiterit, quod minime futurum credimus, sciat se compositurum libras auri optimi mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Duci Veneticorum; quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, sigilli nostri impressione hanc paginam manu propria corroborante jussimus insigniri.

Signum D. Rom. Imp. (L.S.) Henrici V. justissimi.

Brucardus Cancellarius, & Monasteriensis Episcopus, vice Alberti, Archi-Cancellarii, Moguntiæ Sedis electi, recognovit. Datum XI. Kalend. Junii, Indictione quarta, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo, decimo primo, regnante Henrico V. Imperante primo, ordinationis ejus XI. Actum est Veronæ in Christo feliciter, Amen.

IIX.

Privilegium a Friderico I. Romanorum Imperatore, Episcopo Torcellensi, prope Venetias habitanti, indultum, in quo limitum, inter Longobardos atque Venetos, tempore Caroli M. constitutorum, fit mentio, d. d. Non. Mens. Augusti, Anno 1177.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus: Si rationabiles Illustrium personarum petitiones, circa augendas Ecclesiarum DEI commoditates exaudivimus, credimus Nobis ad æternæ salutis meritum & temporalis gloriæ augmentum proficere; & eos quos effectu postulationum suarum honoramus, Nobis deinceps & Imperio devotiores existere. Omnium igitur Sanctæ DEI Ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, quatenus dilectus noster Leonardus, Torcellensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, Celsitudinis nostræ postulavit clementiam, quatenus, pro DEI amore, animæque nostræ mercede, nostrum inviolabile præceptum juxta Prædecessorum nostrorum magnorum Imperatorum, Caroli videlicet, & Lotharii, & Ottonis, atque Conradi & Henrici decreta, eidem Torcellensi Ecclesiæ de omnibus rebus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, tam de monasteriis, vel de reliquis Monasterii possessionibus, id est Basilica Sancti Cypriani, cum territorio suo, & S. Michaelis Ecclesiæ, cum omnibus prædiis suis & decimis & fossato, quo statutus est terminus tempore Caroli, inter Venetos & Longobardos unum caput exiens in fluvium Scile, & alterum in fluvio Jario, discurrente vero Scile per Mejanos usque Senegriam, & discurrente Jario usque Altinum, & plebe S. Altini, cum prædiis suis & locis sive decimis & territoriis, quæ tituli ejusdem Ecclesiæ fuerunt, id est Ecclesiæ S. Benedicti, & Ecclesiæ S. Zenonis atque S. Mariæ, & Ecclesiæ S. Remedii cum omnibus adjacentiis & pertinentiis & decimis suis utriusque partis Plavis fluminis, & Vergulano in Provincia Polensi consistente cum omnibus ad se pertinentibus, & una sylva, quæ vocatur Torsellis, & saltu in quo continetur proprietas Sanctæ Mariæ, sylvaque magna, quæ est in ipso territorio; nec non & S. Sthephani monasterio, quod est Altini, cum omnibus rebus ad id respicientibus, seu & S. Laurentio constituta plebe juxta fluvium Liquenziam cum omni jure & adjacentiis, & decimis suis, cunctisque familiis utriusque sexus, & rebus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, quæ infra ditionem Imperii consistere noscuntur; & quicquid habere videtur in civitate Nova Istriæ, & in civitate quæ dicitur Mayla, & quicquid habet in campo Alto, & totum allodium de Cassatico, & ipsum molendinum de eodem campo alto, cum suo lacu, qui formatur in isto campo, & totum allodium de Cassatico, & de Quinto, & de Tertio scilicet Stephanus Landianus; eidem Ecclesiæ Torsellensi cum omnibus suis pratis & sylvis seu pascuis ac salectis, & cum omnibus cartulis & notitiis ac pertinentiis suis, tam hactenus acquisitis quam deinceps acquirendis fieri jubeamus: ut per nostri præcepti confirmationem nostris futurisque temporibus eidem Ecclesiæ suisque Rectoribus in perpetuum proficiant augmentum.

2. Præcipientes itaque jubemus, ut quicquid ad memoratam Ecclesiam prædictus Leonardus Episcopus nunc possidet, aut de jure possidere debet, & quod ejus Successores in bonis ejusdem Ecclesiæ possessuri fore dignoscuntur, tam acquisitum, quam acquirendum, per hujus nostræ autoritatis confirmationem & præceptum quieto prorsus ordine teneant & possideant, universasque præscriptas res & quæcunque ab antecessoribus nostris

eidem

eidem Ecclesiæ confirmata sunt, vel quicquid in antea acquirere poterit, nostra auctoritate & jussione tranquilla quietudine habeat, ita, ut a nullo unquam nostrorum fidelium controverfetur, aut inquietetur, nulliusque Ducis aut Marchionis, nec Episcopi, aut Comitis, nec Vice-Comitis, vel alterius Reipublicæ pertimescat, aut sentiat molestationem. Quoniam res omnes ad eandem Ecclesiam pertinentes, omnesque servos & ancillas sub nostræ tuitionis mundiburdium recepimus, ut nullam de cætero publicam faciat functionem. Quæcunque autem res jam dicti Episcopi per Emphitheosin, aut alio quolibet modo ab aliquibus hominibus possidentur, in prælibati Episcopi sint potestate, suorumque Successorum, ut aut legitimum censum inde recipiant, aut, si eum coloni solvere noluerint, ipse, qui fuerit Episcopus, possessiones illas in usum prænominatæ Ecclesiæ libere recipiat.

3. Illud etiam inviolata jussione sancimus, ut decimæ, quæ annuatim ex frugibus persolvi debentur, sive de omnibus bestiis per totam Altinensem parochialem, ut supra legitur, eidem Ecclesiæ sine omni contradictione persolvantur, similiter autem habitantes in vicis, ubi dicuntur - - - - Tertius, Moniano, Calbenico, Pularinis, Gaudentiaco, & iterum Gaudentiaco villa, & alia villa ad partem jam fatæ Ecclesiæ S. Cypriani sitæ, in loco, qui dicitur Privatus, perpetua stabilitate persolvant. Si quis autem contra hanc nostram autoritatem venire, aut eam irritam facere præsumserit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Rectoribus prædictæ Ecclesiæ.

4. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, præsentem paginam jussimus insigniri. Testes sunt Henricus, Patriarcha Venetorum, Olricus, Patriarcha Aquilegiæ, Philippus, Coloniensis Archiepiscopus, Sebastianus Ziani, Dux Venetiarum, Schinello, Comes Tarvisii, Aureus Magister Petrus, & alii quam plures. Signum Domini Friderici, Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Godefridus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici Regni Archi-Cancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCLXXVII. regnante Domino Friderico, Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno Regni ejus XXVI. Imperii vero XXIV. Datum apud Venetias, Indictione XIII. Non. Mensis Augusti feliciter, Amen.

IX.

Tabulæ fœderis, ad capiendam Constantinopolim, inter Venetos atque Francos initi, d. d. Mens. Martii, Anno 1204.

In nomine DEI æterni. Amen. Nos quidem Bonifacius, Montisferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ & Hainoviæ, L. Blesensis & Clarimontis, H. Sancti Pauli Comites, pro parte nostra vobiscum, vir inclyte Domine, H. Dandule, Venetiæ, Dalmatiæ, atque Crovatiæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc ut unitas, & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali evitandam, ipso cooperante, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, ad ejus laudem & gloriam talem duximus ordinem observandum, utraque parte juramento astricta. In primis omnium armata manu, Christi invocato nomine, civitatem expugnare debemus; & si Divina auxiliante potentia civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere, & ire, qui fuerint super exercitum prælecti, & eos sequi, secundum quod fuerit ordinatum; totumque avere, quod in civitate inventum fuerit a quolibet, duci debet & poni in commune, & loco, quo fuerit ordinatum; de quo tamen avere Nobis, & hominibus Venetorum tres partes debent solvi pro illo avere, quod Alexius quondam Imperator Nobis, & vobis solvere tenebatur. Quartam vero partem Nobis retinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus per medietatem inter nos & vos dividere, donec fueritis apagati. Si vero minus fuerit, ita quod non possit sufficere ad memoratum debitum persolvendum, undecunque fuerit prius avere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare. Salvis tamen victualibus, quæ debent observari & dividi tam vestris, quam nostris æqualiter, ita quod utraque pars possit inde congrue sustentari. Quod autem residuum fuerit, partiri debet in alio avere, juxta ordinem prænominatum. Vos etiam & homines Venetorum libere & absolute absque omni controversia per totum Imperium habere debetis omnes honorificentias & possessiones, quas quondam consuevistis habere, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, omnesque rationes, sive consuetudines, quæ sunt in scripto, & sine scripto. Debent etiam sex homines eligi pro parte nostra, & sex pro vestra, qui juramento adstricti eam personam eligere debent de exercitu, quam credent melius scire, & melius posse tenere, & melius scire ordinare terram & Imperium, ad honorem DEI & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii; & si fuerint in uno concordes, illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint: Si vero sex in una parte & sex in alia concordaverint, sors mitti debet, & super quem sors ceciderit, debemus pro Imperatore habere. Et si plures consenserint in una parte, quam in alia, illum Imperatorem habebimus, in quem major pars consenserit. Si vero plures partes fuerint, quam duæ, super quo major pars ordinaverit, sit Imperator. Debet vero iste Imperator habere universam quartam partem acquisiti Imperii & Palatium Blachernæ, & Buccam Leonis. Reliquæ vero tres partes per medietatem inter vos & nos dividentur. Sciendum est, quod Clerici, qui de parte illa fuerint, de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi ad honorem DEI & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Imperii. Clerici vero utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contingent. De possessionibus vero Ecclesiarum tot & tantum Clericis, & Ecclesiis debent provideri, quot honorifice possint vivere & sustentari. Reli-

quæ vero possessiones Ecclesiarum dividi & partiri debent secundum ordinem præsignatum. Insuper etiam jurandum est tam ex nostra parte, quam ex vestra, quod ab ultimo die instantis mensis Martii morari debemus usque ad annum expletum ad Imperium & Imperatorem manutenendum ad honorem DEI & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Imperii: inde vero in antea omnes, qui in Imperio remanserint, ipsi Imperatori stringi debent juramento secundum bonam & rationabilem consuetudinem; & illi qui tunc in Imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent, quod firmas & stabiles pactiones, quæ factæ fuerunt, habebunt. Est autem sciendum, quod a nostra, & vestra parte duodecim homines vel plures pro parte eligi debent, qui juramento adstricti feuda & possessiones & honorificentias inter homines distribuere debent, & servitia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent, secundum quod illis bonum videbitur, & conveniens apparebit. Feudum vero, quod unicuique assignatum fuerit, libere & absolute possidere debent, de hærede in hæredem tam in masculo, quam in fœmina, & plenam habeant potestatem ad faciendum inde quicquid suæ fuerit voluntatis, salvo tamen jure & servitio Imperatoris & Imperii. Imperator vero reliqua servitia facere debet, quæ fuerint facienda, præter ea, quæ ipsi facient, qui feuda & honorificentias possidebunt, secundum ordinem sibi injunctum. Statutum est etiam, quod nemo hominum alicujus gentis, quæ communem guerram Nobiscum, & Successoribus nostris, vel populo Venetorum habuerit, recipiatur in Imperio, donec guerra illa pacificata fuerit. Teneatur etiam utraque pars ad dandam operam bona fide, ut hoc a Domino Papa valeat impetrari, ut si aliquis contra hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator jurare debet, quod firmas & stabiles partitiones, & dationes, quæ factæ fuerint, irrevocabiles habebit secundum ordinationem superius dictam. Si vero aliquid in istis omnibus erit addendum, vel minuendum, in potestate & discretione vestra, & vestrorum sex Consiliatorum & Domini Marchionis & ejus sex Consiliatorum consistat. Sciendum est etiam, quod vos, præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori, qui fuerit electus, vel Imperio, ad aliqua servitia facienda juramentum præstare propter aliquod datum vel feudum vel honorificentiam, quæ vobis debeat assignari: tantum illi vel ille, quem, vel quos, loco vestro statueritis super iis, quæ vobis fuerint assignata, debeant juramenta præstare ad omne servitium Imperatori & Imperio faciendum juxta ordinem superius declaratum. Datum Anno Domini, millesimo ducentesimo quarto, mense Martii, Indictione septima.

X.

Innocentii III. Pontificis Maximi, Epistola, in qua Venetos propter Jaderam in Terra Sancta destructam, acriter invehitur, d. d. Non. Augusti, Anno 1206.

Apostolicæ servitutis officium laudabiliter exercemus, si, juxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia & doctrina. Quia ergo pater filium, quem diligit, corripit, DEus, quos amat, arguit & castigat, idcirco dilectos filios nobiles, viros Mar. & P. Quir. nuntios vestros, ad Sedem Apostolicam accedentes, paterno corripuimus affectu, vos in ipsis potius increpantes super multis & magnis offensis, quas non solum in DEum & Romanam Ecclesiam, verum etiam in populum Christianum, & Nos ac proximos nostros nequiter commisistis, præsertim in Jadertinæ civitatis excidio, ubi & vos deviastis, & exercitum Domini deviare fecistis a dextera in sinistram, impugnantes populos Christianos, cum debuissetis expugnare perfidos Saracenos, repellendo Apostolicæ Sedis Legatum, & excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in injuriam crucifixi; ut de multis iniquis operibus taceamus, quæ apud Constantinopolim perpetrastis, diripiendo Ecclesiarum thesauros, possessiones Ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hæreditario jure Sanctuarium Domini possidere, propter quod compositiones illicitas extorsistis. Dicite Nobis, quando vos tantum damnum reparare poteritis Terræ Sanctæ, cum averteritis populum Christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum & congregatum tam magno studio & labore, tam magnis sumptibus & expensis, per quem procul dubio sperabatur, quod non solum Hierosolymitana Provincia recuperari deberet, verum & magna pars Regni Babylonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim & Græciam subjugare, quanto potius potuisset obtinere Alexandriam & Ægyptum, ac per hoc eripere Terram Sanctam de manibus Paganorum; Certe licet gratum sit Nobis, quod Constantinopolis rediit ad obedientiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matris suæ, gratius tamen Nobis fuisset, si Hierusalem reducta esset in potestatem populi Christiani. Neque putetis, quod ideo minime peccaveritis, quod civitas una vel altera tradita sit vobis, & illis magis Divino judicio, quam potestatu mundano: quia sæpe placet DEO passio flagellati, quando displicet ei flagellans, sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam novi, quam veteris Testamenti. Non ergo nostræ duritiæ imputetis, sed vestræ adscribatis offensæ, quod preces, quas pro pallio destinando Abbati Sancti Felicis, quem vos Jadertinum appellatis electum, per præfatos Nobis nuntios porrexistis, non duximus admittendas: quia cum ex iis quæ per vos acta sunt contra Jaderam, nimis contra vos scandalizatus sit populus Christianus, nolumus propter vos aliquid agere circa Jaderam, pro quo amplius contra Nos scandalizari possit Ecclesia generalis, quod utique fieret, si ad petitionem vestram ei pallium largiendo, absque omni satisfactione tantam remisisse videremur offensam, cum juxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus. Quamvis hæc dilatio non tam pœna sit, quam cautela, per quam & Nobis & vobis intendimus providere. Licet enim in hac parte non peccaverint Jadertini, quia tamen metropolitica dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis

illis ab Apostolica Sede concessa, ut videlicet Ecclesia vestra non solo nomine, sed pleno jure Patriarchalem dignitatem haberet, cum ei subjecta foret metropolis Jadertina, magis in hoc vestram culpam quam illorum pœnam volumus denotare, cum nec novum sit, nec absurdum, si quando puniantur subditi pro Prælatis, sicut absque propria culpa punitus est populus Israelis, quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis per nuntios vestros & per nostras literas respondemus, ut vos ad satisfactionem DEO & Nobis offerendam & exhibendam humiliter inclinetis, saltem illorum exemplo, qui licet minus peccaverint, cum ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuerint, ad satisfaciendum tamen se Nobis firmiter obligarunt; quatenus cum non excusando, sed accusando vestram offensam, divinam & nostram imploraveritis indulgentiam, ad satisfactionem vos congruam exponentes, Nos, qui vestram, quoad DEum, speramus salutem, & vestrum, quoad homines, affectamus honorem, & in his & in aliis, quæ dignius duxeritis postulanda, vos exaudire curemus. Interim autem correctionem vestram æquanimiter expectantes, censuram illam suspendimus, quam universorum pene sententia in vos asserit exercendam; ut, cum Domino inspirante, conversi fueritis, non solum remittamus vindictam, sed & gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset, quod his gerendis corpore non interfuit, si forsan his gestis etiam corde consentit, quia facientes & approbantes similis culpa condemnat. Placeant igitur vobis, dilecti filii, verba nostra, licet in cortice aspera, tamen suavia in medulla: quia, sicut ille novit, qui nihil ignorat, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt; ut sicut meliora sunt amici verbera, quam oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio, quam adulatio peccatoris. Non ergo vos pudeat sub illius humiliari potentia, qui solo nutu potest humiliare superbos, & humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestræ virtuti, sed divinæ potentiæ adscribentes, quæ licet forsan occulto, justo tamen judicio per vos alios voluerit flagellare, scientes, quod utrumque de cordis timore procedit. Nobis quoque cum devotione curetis obedientiam & reverentiam plenariam exhibere, propter illius gratiam & honorem, cujus, licet immeriti & indigni, vicem gerimus & locum tenemus; ut ipse vos in præsenti protegat & exaltet, & in futuro glorificet & coronet, qui est Rex Regum & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (Datum Ferentini, nonis Augusti, anno nono.)

XI.

Urbani IV. Pontificis Maximi, Statuti illius Confirmatio, in quo Universitati Patavinæ præcipit, ut Magistri in eadem creandi coram Episcopo Patavino examinentur, d. d. 5. Id. Januar. Anno 1263.

URbanus Episcopus, Servus servorum DEI, Venerabili Fratri, Episcopo Paduano, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Lecta coram Nobis fraternitatis tuæ petitio continebat, quod Rectores Universitatis Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius Universitatis, qui debent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano, præsentibus Doctoribus Universitatis ejusdem, examinari debeant diligenter: & idem Episcopus eis, si reperiantur idonei, debeat docendi licentiam concedere. Et quod statutum hujusmodi est, ut affirmas, inviolabiliter observatum. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati statutum ipsum, sicut est provide factum, ratum habentes, & gratum, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes, ut qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumpserit, pro Magistro nullatenus habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem V. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno tertio.

XII.

Contractus inter Ludovicum Sanctum, Galliæ Regem, atque Venetos, de laudati Regis exercitu in Terram Sanctam trajiciendo, Anno 1268. initus.

NAvis, quæ vocatur Sancta Maria, est longa pedibus centum & octo, quæ longitudo est de pedibus septuaginta in columba, in largore proræ, & puppis est de pedibus triginta octo, & est ampla in fundo pedibus novem & dimidio, & est alta in secunda cooperta pedibus sex & dimidio, & est alta in corridoriis pedibus quinque & dimidio & a corridoriis in superius pedibus tribus & dimidio, & est alta in capitibus columbæ, & habet duos paradisos & unum bannum & unum super bannum coopertum & duos pontes, & unum super pontem & unum bellatorium amplum de quatuor vel quinque pedibus de retro puppim; quæ navis cum omnibus corredis & apparatibus suis & cum centum & decem Marinariis dabitur pro mille quadringentis marcis argenti, ejus bonitatis, cujus est Venetiæ grossus ad pondus de Parisius.

2. Navis, quæ vocatur Roccafortis, est longa pedibus centum & decem, quæ longitudo est de pedibus septuaginta in columba, & in largore proræ & puppis est de pedibus quadraginta, & est ampla in fundo de pedibus novem & dimidio, & est alta in prima cooperta undecim pedibus & dimidio, & est ampla in ore pedibus viginti novem, & alta in secunda cooperta pedibus sex & dimidio, & est alta in corridoriis in superius tribus pedibus & dimidio, & est alta in capitibus columbæ pedibus triginta novem & dimidio, & habet duos paradisos,

radisos, & unum bannum, & unum superbannum, & duos pontes, & unum suprapontem, & etiam de retro puppim unum bellatorium amplum de quatuor aut quinque pedibus, quæ navis cum omnibus corredis & apparatibus dabitur cum centum & decem marinariis pro consimili pretio.

3. Navis, quæ vocatur Sanctus Nicolaus, est longa pedibus centum, quæ longitudo est de pedibus septuaginta quinque in columba, & in largore proræ & puppis est de pedibus viginti quinque, & est ampla in fundo pedibus novem, & est alta in prima cooperta pedibus undecim, & ampla in ore pedibus viginti septem, & alta in secunda cooperta pedibus sex & dimidio, & est alta in corridoriis pedibus quinque & dimidio, & a corridoriis in superius pedibus triginta octo, & habet paradisum, & duo banna unum supra aliud, & duos pontes & unum suprapontem, quæ navis cum corredis & apparatibus suis, & cum octoginta sex marinariis dabitur pro mille centum marcis.

4. Naves fient septem de novo pro isto passagio, quarum quælibet erit longa de pedibus octoginta sex, quæ longitudo cujusque erit de pedibus quinquaginta octo in columba, & in largore proræ & puppis de pedibus triginta octo, & erunt amplæ in fundo pedibus octo, & altæ in prima cooperta pedibus novem & dimidio, & amplæ in ore pedibus viginti unum & dimidio, & altæ in secunda cooperta pedibus quinque & dimidio, & altæ in corredis pedibus quatuor minus quarto, & erunt in capitibus columbarum altæ viginti novem pedibus, & habebunt quælibet unum paradisum, & unum bannum, & unum suprabannum decoopertum, & unum corridorium, & unum pontem coopertum, & unum pontem de arbore de medio usque ad proram, quarum prædictarum navium cum corredis & apparatibus suis, & cum quinquaginta marinariis dabitur pro septingentis marcis.

5. Naves vero quinque erunt quorundam nobilium de Venetiis bonæ & sufficientes, quæ erunt de portatione pro qualibet, sicut erant supra scriptæ septem naves pro qualibet, quarum prædictarum quinque navium quælibet cum corredis & apparatibus suis, & cum quinquaginta marinariis dabitur etiam pro septingentis marcis.

6. Super eo quod Dominus Rex vult scire, quantum coustabit locus cujuslibet militis cum duobus servientibus, uno equo & uno *gratifero* (forte, *Scutifero*) pro equo & aqua; dicunt Ambassiatores Ducis, quod volunt scire quantum panem, quantum vinum, carnem & caseum, & quanta & quæ alia victualia Dominus Rex vult poni in navem pro milite, duobus servientibus & uno gratifero, & pro quanto tempore, quantam aquam vult pro se miles, & pro dictis servientibus & gratifero pro quolibet die, usque ad complementum passagii; item volunt scire, quantum hordei, quantum fœni vult poni in navem pro uno equo, & pro quanto tempore, & quantum aquæ dabitur equo qualibet die. Super eo vero, quod Dominus Rex vult scire, quantum constabit locus & aqua pro qualibet singulari persona, dicunt Ambassiatores, quod volunt scire, quæ & quanta victualia vult singularis persona pro se mitti in navem, & quanto tempore, & quantum aquæ vult pro die qualibet, & cujus magnitudinis locum, & in qua parte navis.

6. Sequuntur hic ea, quæ sunt necessaria ad ponendum in navibus pro sustentatione hominum & equorum, quando passagium erit, pro qualibet persona unum modium frumenti ad mensuram de *Accor* (forte, de *Accon*, de Ptolemaide) libratum in pane & farina, una quarta & dimidia vini ad mensuram Parisiis pro qualibet die, & tantum de aqua, carnes salsatæ, casei, oleum, alia legumina armati militis pro se & equo suo, & duobus servientibus suis.

7. Pro quolibet equo quatuor media hordei ad mensuram de Accor durante tempore, quo Dominus Rex Francorum erit ibi, una botta fœni, quæ erit de *tour* novem pedum, & de longitudine quinque pedum & quindecim quartas aquæ ad mensuram Parisiensem pro qualibet die.

Responsio Ducis Venetorum facta D. Regi de verbo ad verbum.

Vobis Domino Regi ego Marcus Quirinus, Nuncius D. Ducis Venetorum dico, quod si transieritis per partes ejus ad acquisitionem Terræ Sanctæ, & passagium fuerit a festo Sancti Johannis, de mense Junii ad unum annum proxime venturum, quod ipse Dux dabit vobis in ipso passagio quindecim naves, de quibus erunt septem de illa magnitudine, quæ per alios Nuntios dicta fuit, & quinque erunt aliorum hominum de Venetiis & ejusdem magnitudinis, & aliæ tres magnæ naves, quæ sunt communes Venetiorum ejusque magnitudinis, quam alii Ambassiatores vobis dederunt in scriptis; & aliud magnum, pro quatuor millibus equorum & decem millibus personarum, cum infra scripta conditione, videlicet, quod quælibet istarum duodecim navium habebit marinarios quinquaginta, & aliæ videlicet Roccafortis & Sancta Maria marinarios centum & decem pro qualibet, & Sanctus Nicolaus marinarios octoginta sex. De quibus navibus, videlicet de Roccaforti, & de nave nova, vocata Sancta Maria, habere vult D. Dux mille quadringentas marcas pro qualibet earum, & de Sancto Nicolao marcas mille & centum, & de aliis navibus marcas septingentas pro qualibet earum de bono & fino argento de denariis grossis ad pondus Parisiis, & de alio navigio pro uno milite cum duobus servitoribus & uno equo, & uno præterea pro custodia equi, & præbendis & harnisiis suis portando, habendo *platam* (*plata*, id est, ut puto, place, locus, tectus vel detectus) secundum mensuram nobis per alios Ambassiatores datam, marcas octo cum dimidio, & pro uno milite habendo platam coopertam ab arbore de medio versus puppim marcas duas & quartam, & pro uno scutifero habendo platam discoopertam in loco prædicto uncias septem argenti, & pro uno garsono cum uno equo manente ipso apud eum habendo platam pro equo secundum mensuram per alios Ambassiatores dimissam marcas quatuor & dimidiam, & pro quolibet alio peregrino habendo platam ab arbore de medio versus proram cum suis viandis & garnisiis marcam unam minus quarta de eodem argento, & ad prædictum pondus; quibus omnibus Dominus Dux tenebitur dare ligna pro coquinare; & peregri-

peregrini omnes possunt viandas, arma & alia necessaria pro se libere facere comparari & accipi in partibus Domini Ducis, sicut eis necessaria fuerint, secundum quod faciunt alii homines terræ suæ. Et si vos Dominus Rex volueritis pro expectare vestram classem stare in partibus Cypri vel Cretæ, aut in illis partibus pro habere consilium, ad quas partes ire debeatur, patroni & marinarii teneantur expectare, si moveritis de Venetia ad medium mensem Junii, vel antea per unum mensem pro prædicto pretio, & si moveritis transacto medio mense Junii, teneantur expectare per viginti dies; & si volueritis hybernare tenendo navigium in locum salvatonis, teneamini addere tertium plus dictæ solutionis patronis navium, & ipsi hybernare debeant vobiscum cum ipsa conditione; & vos & illi, qui transire voluerint, esse debeatis in Venetia ad Kalendas Junii pro movere, ut dictum est; & si hæc vobis placuerint, facietis prædictam pecuniam D. Duci dari in Venetiis hoc modo, videlicet: tertium totius solutionis infra duos menses, postquam concordata facta fuerit, & aliud tertium a Kalendis Septembris, usque ad Sanctum Michaelem, & aliud tertium in adventu nostræ & universæ gentis Venetiorum.

Et Dominus Dux & homines Venetiorum ad obsequium Christi & exaltationem & robur fidei Christianæ pro reverentia Domini Papæ & pro vestro honore in auxilium hujus facti ponent & tenebunt per unum annum quindecim galeas armatas suis expensis, cum ista conditione, quod per privilegium sive scriptum habeant, quod ubicunque in omni parte, tam in mari, quam in terra, ubi erunt homines Venetiorum, de ipsis debeat fieri ratio per illum, qui pro D. Duce fuerit, tam inter eos, quam si alii ab eis petere voluerint in justitia sive vindicta de maleficiis tam in honore, quam in personis: & quod in terris, quæ DEO volente acquestabuntur, habeant libertatem & plenam franchisiam, tam intrando, quam exeundo, tam in mari, quam in terra, & locum bonum & idoneum pro habitatione sua, scilicet Ecclesiam Venetiorum, metra, passus, mensuras, stateras, balneum, furnum, & tabernam, plactam, bochariam & piscariam, insuperque unus vel plures sint pro D. Duce, qui inter gentem suam & de ipsis intentionem faciat, & justitiam sive vindictam tam de honore, quam de personis. Præterea si homines D. Ducis, aut aliqui eorum passi fuerint aliquo casu naufragium in aliqua parte, ubi vos Dominus Rex habebitis posse, ipsi erunt salvi & securi in personis & rebus, quas recuperare poterunt, & ab omnibus dictarum partium, qui pro vobis fuerint, habebunt auxilium, consilium & favorem, salvis omnibus rationibus, juribus & honoribus, quos & quæ Dominus Dux & homines Venetiorum habent & habere debent in Regno Hierosolymitano.

XIII.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Constitutio, de Vicarii Imperialis atque Rectoris Urbis Patavinæ electione agens, d. d. 5. Idus Junii, Anno 1311.

HEnricus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Tunc fidelium & devotorum Imperii multipliciter accenditur devotio, cum Munificentiam Regiam, & in justitia facilem, & in exhibenda gratia senserit liberalem. Hinc est, quod sapientum Virorum Consilii, & Communis Paduæ dilectorum fidelium nostrorum tranquillitati favorabiliter prospicere cupientes, concedimus, & de benignitate Regia indulgemus eisdem, ut singulis sex mensibus quatuor probos viros idoneos, Nobis & Imperio fideles eligere valeant, & eorum electionem notitiæ nostræ suis patentibus literis, sigillatis sigillo dicti Communis, intimare, si in partibus Lombardiæ, vel Tusciæ, aut aliis citra montes Lombardiæ, vel in Urbe Romana fuerimus constituti. Nosque de prædictis quatuor unum, quem volemus, dabimus & præficiemus in Vicarium & Rectorem dictæ Civitatis Paduanæ dumtaxat ad sex menses, nostrisque patentibus literis sigillo Regio munitis, Episcopo Paduano, qui pro tempore fuerit, vel alii personæ idoneæ, Paduæ commoranti, committemus, qui ab eodem Vicario, sic auctoritate Regia præfecto, sacramentum recipiat, nostro nomine, quod regimen prædictæ civitatis, & districtus ipsius bene, legaliter & fideliter, ad honorem & utilitatem nostram & Imperii, exerceat & gubernet. Si vero extra terminos Lombardiæ, ac Tusciæ, aut alias citra Montes Lombardiæ, vel Urbis Romæ Nos existere contingeret, electio prædictorum quatuor Generali significetur nostro Vicario Lombardiæ, qui unum ex eisdem præficiat in Vicarium Civitatis Paduæ, quem voluerit, modum, & formam nostram prædictam per omnia servaturus. Hanc autem concessionem & indulgentiam a data præsentium tantummodo per sex annos immediate sequentes volumus in suo robore permanere, nisi ex uberioris dono gratiæ dictum terminum deliberaverimus ampliandum. Idem quoque Vicarius dictam civitatem & districtum suum, prout jure tenet, & possidet, in statu communi & pacifico, nostro nomine regat ad honorem DEI, nostrum & Imperii secundum leges & consuetudines, & juxta statuta & ordinamenta approbata, & approbanda, quæ statuta, leges & ordinamenta contra DEum non sint, nec in præjudicium honoris nostri & Imperii memorati. Volentes autem civitatem Paduæ prædictam desiderato tranquillitatis gaudere commodo, & ab incommodis per Regalem providentiam præservare, ipsam civitatem, & districtum, homines, & status ejus in nostram protectionem & defensionem specialiter duximus assumendos, ipsosque ab omni salario Præsidis nostri Provinciæ eximendos, mediantibus viginti millibus Florenorum boni & puri auri annis singulis nostræ Cameræ ab iisdem tradendis, & etiam applicandis. In cujus rei testimonium præsentes literas scribi, & nostro Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in castris ante Brixiam V. Idus Junii, Indictione nona, Anno Domini millesimo, trecentesimo undecimo, Regni vero nostri anno tertio.

XIV.

XIV.

Henrici VII. Roman. Imperat. Sententia, de dissensionibus atque erroribus, inter Patavinos atque Vicentinos exortis, lata, d. d. 5. Id. Junii An. 1311.

HEnricus, Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum. Decet Majestatem Regiam caussas, quæ dissensionum & errorum inter fideles Imperii producere poterunt discrimina, diligenti sollicitudine removere, ac pacifico statui commendare. Nam dum quietis animis ac mentibus sunt conformes, ad nostrum obsequium, & Imperii devotionem utilius se disponunt. Volumus igitur & ordinamus, quod singulares homines Paduani spoliati suis bonis, juribus & possessionibus immobilibus per quoscumque homines civitatis & districtus Vicentiæ die decima quinta mensis Aprilis proxime præteriti, qua die Vicentia resumpta fuit de custodia Civitatis Paduæ, & ab eodem die citra restituantur ad bona & possessiones suas immobiles, sine placito, vel querela. Qui iidem restituti utantur & fruantur, absque quolibet onere, vel gravamine indebito, salvo tamen, quod dicti Paduani bona, jura, & possessiones hujusmodi Communi Vicentiæ, aut singularibus personis civitatis, vel districtus ejusdem justo pretio vendere teneantur, si dictum Commune Vicentiæ, vel singulares personæ civitatis, vel districtus ejusdem voluerint comparare. Reservato omni jure cuilibet; ita quod per prædicta nulli in jure suo præjudicium generetur. De mobilibus vero Paduanorum, quæ habent, vel habebant in civitate, territorio, vel districtu Vicentino, quæ ad manus Vicentinorum pervenerint, eisdem fieri volumus per Vicarium Vicentiæ Justitiæ complementum. Eodem modo per omnia in restitutionem possessionum, Jurium, & bonorum immobilium & mobilium, quæ Vicentini in civitate & districtu Paduæ, vel alibi per dictos Paduanos occupata in prædicto die, vel ab eodem citra habuerint, vel habent, sancimus, & volumus observari. Ordinantes, & decernentes, omnes & singulos Cives Paduanos captos in præfata die, vel postmodum in ipsa Civitate Vicentiæ per nostros, vel per cives Vicentinos, vel advenas relaxari. Adjicimus insuper & jubemus, quod Commune Vicentiæ, & singulares personæ, ac Universitates ipsius debita, in quibus ipsis Paduanis, obligati noscantur, ut omnis quæstionis materia conquiescat, satisfaciant, ut tenentur; & Vicentinis per Paduanos modo simili de suis debitis satisfiat. In cujus rei testimonium præsentes literas exinde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Dat. in Castris ante Brixiam V. Idus Jun. Anno Domini MCCCXI. Indictione nona, Regni vero nostri anno tertio.

XV.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus personis, in eisdem nominatis, mandat, ut controversias, inter Patavinos atque Vicentinos, de Bacbilionis flumine, aliisque rebus, agitatas, bona cum gratia componant, d. d. 6. Kal. Febr, An. 1312.

HEnricus VII. Divina favente Clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Postquam Reipublicæ tuitionem Divina Influentia Nobis disposuit committendam, pacatis seditionibus, quæ per Provinciam inimico pacis pullulaverant operante, disposuimus necessario partes Italicas reformare, in quibus, vacante Imperio, universæ Communitates, ac Civitates Italiæ jura Romani Imperii occupaverant, & inter se intestinis bellis duriter fatigatæ, cupiditate habitantium excrescente, quibusdam civibus captata occasione nefanda ejectis, morte tyrannica regebantur, & infinitis eorum civibus exulantibus ab eisdem, a bonis propriis, tyrannice ab adversariis occupatis, cogebantur per civitates exteras mendicare, ac multis etiam per diversas provincias dispersis, vitas eorum in exilio peregerunt. Verum ad ipsas partes Italiæ accedentes universis nostris, & Romani Imperii fidelibus de Lombardia, qui in fidelitatis proposito perdurant, placatis, atque unitis concorditer, dum nostra foret intentio præparata ad inchoanda itinera versus Romam, ut Diadema Imperialis culminis suscipere valeremus, Civitas & Commune civitatis Paduæ; ac infrascripti cives Civitatis ipsius, & quilibet eorundem in malum damnabiliter obstinati, post recognitionem spontaneam, & fidelitatem Nobis exhibitam cum patratione juramenti solemnis, inter cæteros alias, cætera suæ malignitatis conatu deferente clamore notorio, qui nulla potuit, neque potest, tergiversatione celari, commiserunt tunc contra Regiam, & post, Imperialem Majestatem infrascripta crimina & reatus. Ipsa namque Civitas, & Commune Paduæ, & infra scripti Cives, & districtuales ipsius civitatis, & quilibet eorundem, sinistro & vigilanti animo effectualiter procurarunt, ut civitates Lombardiæ, & cæteræ civitates Marchiæ Tarvisinæ, cum quibusdam civibus ipsarum civitatum, ac Civitates Tusciæ, & aliæ universitates castrorum Nobis, & Romano Imperio rebelles, contra Nos se opponerent, & in rebellione persisterent animo indurato, ac promoverunt & induxerunt Consiliarios, Officiales, & homines ipsius Civitatis Paduæ, ad expellendos fideles subditos, seu amicos Romani Imperii, ac ipsos forbanniendum, ac quosdam occidendum, quosdam relegandum de Civitate Paduæ ante dicta, & nihilominus cum ipsis civitatibus rebellibus supradictis conspirationes, & ligas contra Nos, & Romanum Imperium facere præsumpserunt, & mala prioribus aliis pejoribus cumulando, communicato consilio cum prædictis civitatibus rebellibus supra dictis hominibus eorundem ordinaverunt de transmittendo ad urbem subsidium armatorum pro impediendo, ne diadema Imperiale susciperе valeremus. Item communicato consilio tractaverunt, & ordinaverunt de accipiendo

piendo

piendo Civitatem Vicentiæ de dominio Imperialis culminis, & de submittendo eandem prædictæ Civitati Paduæ rebelli, ex quo tractatu cum operibus subsecutis infiniti homines ad interitum sunt deducti. Insuper infrascripti Civitatis ejusdem communicato consilio inter se, & cum supradictis civitatibus rebellibus partium supradictarum, ipsam Civitatem Paduæ tunc temporis Nobis, & Romano Imperio subjectam, & revera sub nostro dominio existentem, seduxerunt ad rebellionem, Nobis, & Romano Imperio faciendam, in qua rebellione continuo perstiterunt, & super adhæserunt civitatibus rebellibus ante dictis, & dum essemus diademate Imperialis culminis infulati, & resideremus cum nostro felici exercitu in castris ante Florentiam, mittere Florentinis subsidium festinarunt. Nos vero cupientes scire, utrum clamor ille notorius adimpletus esset operibus sic nefandis, de prædictis, & super prædictis ex nostro voluimus officio diligenter inquirere veritatem. Et commissione prædictorum testibus omni exceptione majoribus notorie, legitime comprobata, de consilio nostrorum judicum pronunciatum fuit solenniter, crimina supradicta in inquisitione formata contra eos contenta & quælibet eorundem notorie fore, & esse perpetrata, seu commissa per Commune, & Civitatem Paduæ, & homines Paduanos in ipsa inquisitione contentos, & quemlibet eorundem, & ita per patentem evidentiam ipsorum criminum notoriam fuisse & esse commissionem reatuum prædictorum, quod nulla possint tergiversatione celari: & tanquam contra notorie delinquentes hactenus, & nullatenus postea desistentes committere similia, & eadem posse, & debere procedi contra ipsos Commune, & Civitatem Paduæ, & homines infra scriptos, contra quos inquisitio jam præcessit, & quemlibet eorum, & ipsos, & quemlibet eorundem diffinitive condemnari, & puniri de crimine, & reatu legis Juliæ læsæ Majestatis, notorie perpetrato per ipsos Commune & homines Paduæ, & quemlibet eorundem in singulis capitulis in ipsa inquisitione contentis, & quolibet eorundem. Demum eandem Civitatem Paduæ, & Commune, & homines infrascriptos, & quemlibet eorundem requisivimus & citavimus sufficienter & peremptorie, ut, certo termino jam elapso, coram Nobis, ubicunque essemus, & nostra Curia resideret, ad hanc nostram definitivam sententiam audiendam comparere curarent. Quod ipsi prædisti meritis, & offensis, & in sua obstinati contumacia, ac fraudibus perniciosis indurati facere despexerunt. Quia igitur legitime constat, prædicta crimina & reatus per prædictos, universitatem, Commune, & homines infrascriptos fore commissa, prædictos, & alios quam plures dictorum Communis, & Civitatis Paduæ, & hominum infra scriptorum excessus nefarios, ac opera detestanda in statera justi judicii appendentes, & attendentes, quod dum ipsi pacem & quietem habere potuerunt cum tranquillitate, & Imper. benevolentia, bella proditionaliter quæsiverunt, iniquitates exercuerunt, & procuraverunt pro posse (sicut nempe adhuc procurare non cessant) & in Imperii populum seminare zizaniam, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, ac fovere discordias in nostrum, ac Romani Imperii contemptum, & universalis Reipublicæ detrimentum. Ipsum Commune Paduæ & quamlibet singularem personam, ipsius Communitatis civitatem & homines infra scriptos, & quemlibet eorundem, cum sint crimine læsæ Majestatis rei, & multarum nefandarum proditionum malæ præponderationis in profundum malorum demersi, in eorum contumaci absentia, quam DEI præsentia repleat, omni Jure, quo melius & plenius possumus, ex certa scientia, tam de nostræ plenitudine potestatis, quam alio quocunque, sedentes pro tribunali definitive, sententialiter in his scriptis, tanquam rebelles & proditores, ac hostes Romani Imperii, & læsæ Majestatis crimine reos privamus mero & mixto imperio, ac jurisdictione qualibet temporali, omnique jure eligendi Potestatem, Rectorem, seu Dominum perpetuum, vel temporalem ad regimen ipsius Civitatis Paduæ, vel ejus districtus. Privamus etiam civitatem eandem, & privatam esse declaramus literali studio, ac licentia doctorandi, & omnibus franchisiis, privilegiis, ac immunitatibus, honoribus ac feudis, & omnibus quibuscunque juribus a Nobis, vel Imperatoribus, seu Regibus Romanorum, prædecessoribus nostris concessis, seu qualitercunque acquisitis, & ipsa scienter revocantes cassamus & irritamus, & annullamus, pronunciantes & declarantes dictum Commune Paduæ, Civitatem, ac ipsius Communitatis universitatem, & quamlibet personam ipsius universitatis, & omnes et singulos homines infra scriptos, et quemlibet eorundem feloniam, proditionem, et legis Juliæ læsæ Majestatis crimen contra quondam Regiam, et demum Imperatoriam Majestatem nostram, et totum Romanum Imperium ex prædictis excessibus commisisse, veniendo etiam contra proprium juramentum fidelitatis Nobis præstitum per ipsum Commune, Consiliarios, officiales, et homines ipsius Civitatis, contra fidelitatem per eos factam. Et nihilo minus ipsam Civitatem Paduæ, utpote læsæ Majestatis crimine ream, quod muris et fortaliciis quibuscunque denudetur, ac totaliter deformetur, ita quod solo aratrum patiatur, ita, quod ex omni parte ipsius Civitatis unicuique sit liber aditus et discessus. Insuper ipsum Commune, et Universitatem ipsius Civitatis Paduæ in decem millibus libris auri fisco, & Cameræ nostræ, seu Romani Imperii persolvendis, propter præsumptionem commissionis nefariæ, & excessuum prædictorum. Singulares quoque personas ipsius Communitatis de toto Romano Imperio exbannimus, et diffidamus, decernentes, quod realiter, et personaliter, quælibet persona ipsius Communitatis licite, libere, et impune possit offendi, et capi, et capientium servi fiant. Ipsos homines infrascriptos, et quemlibet eorundem, utpote Majestatis crimine madefactos, capitali pœna plectentes, ut si quo tempore ipsi, vel aliqui ex eis in nostram, et Romani Imperii fortiam pervenerint, furcis suspendantur, ita quod ibidem penitus moriantur, in his scriptis sententialiter condemnamus. Ancianos quoque, et Consiliarios, sive sapientes, vel Rectores ipsius Civitatis Paduæ, et quemlibet eorundem, qui tempore dictæ rebellionis erant, et successive fuerunt ibidem, et in futurum fuerint, dicta rebellione durante, de toto Romano Imperio exbannimus, et perpetua notamus infamia, privantes eosdem, et quemlibet ipsorum omnibus privilegiis,

giis, honoribus, franchisiis, et immunitatibus a Nobis, vel a Romanis Imperatoribus, prædecessoribus nostris, concessis, vel eisdem aliter acquisitis, inhabiles esse volumus judicandi et assidendi officio, et cujuslibet Magistratus honore. Potestas quoque Judices et Notarios, qui tempore dictæ rebellionis, et abinde citra obnoxii fuerunt de prædictis, et qui deinceps in Regimine dictæ Civitatis præfuerint, absque nostra, vel Successorum nostrorum licentia, et ad ipsius Civitatis Regimen exercendum accesserint, privamus et privatos esse volumus ab officio judicandi, præsidendi, et assistendi, et Notariatus, et cujuslibet Magistratus, et perpetuæ infamiæ volumus subjacere, ac etiam omnibus privilegiis, franchisiis, immunitatibus, honoribus et juribus a Nobis, vel prædecessoribus nostris concessis, vel aliter acquisitis eosdem privamus, ipsa privilegia et honores ex certa scientia revocantes, ipsosque exbannimus, et tanquam rebelles Romani Imperii a cunctis nostris, et dicti Imperii fidelibus volumus realiter et personaliter posse offendi. Judices quoque, Advocatos, et Notarios dictæ Civitatis Paduæ Cives, districtuales, atque incolas judicandi, assistendi, advocandi, et Tabellionatus officio privamus, et perpetuæ volumus infamiæ subjacere. Item quod prædicta Civitas Paduæ, Commune, et homines ipsius civitatis in dictæ rebellionis, et tam detestabilium scelerum obstinatione publica sic longævo tempore nullatenus perdurassent, sine ipsorum Civium et incolarum patientia et assensu, et ut, pœnæ metu coacti, se et dictum Commune a prædictis nefandis erroribus retrahant, et ad debitam obedientiam nostram et Romani Imperii reducantur, universos & singulos dictæ civitatis, ejusque districtus cives, & incolas, tanquam nostri & Romani Imperii proditores & rebelles, de toto Romano Imperio exbannimus, decernentes ac mandantes, quod nulla persona, cujuscunque status existat, nec aliqua Civitas, Castrum, vel villa, vel aliqua universitas eidem civitati, seu Communitati Paduæ, vel personæ dictæ civitatis, vel hominibus infrascriptis, vel alicui eorum præbeat publice, vel occulte auxilium, consilium, vel favorem sub pœna centum librarum auri cuilibet civitati, quinquaginta librarum auri cuilibet Castro, Villæ, Baroni, Comiti, Marchioni, vel alteri sublimi personæ, & viginti librarum auri cuilibet singulari personæ, pro vice qualibet, qua contra fecerint, committenda, & quod cuilibet sit licitum, impune cives, incolas & habitatores civitatum, Castrorum, Villarum, & quaslibet alias singulares personas, cujuscunque status & conditionis existant, quæ obedirent eisdem, vel alicui eorum, vel dederint auxilium, consilium, & favorem, publice, vel occulte offendere in persona, & re, & ipsius res capere, arrestare, & detinere. Jubemus etiam expresse, ne aliqui debitores prædictæ Civitatis, vel personarum prædictæ Communitatis Paduæ, vel alicujus eorum, seu hominum infrascriptorum, vel alicui eorundem de debitis, quibus tenerentur eisdem, vel alicui eorum, in aliquo satisfacere præsumant, vel quomodolibet respondere, alioquin tantundem Cameræ nostræ persolvant, & ad id summarie, & sine strepitu, & figura Judicii, & quaslibet alias singulares personas, cujuscunque conditionis & status existant, quæ tenerentur eidem Civitati Paduæ, vel alicui personæ de dicta Civitate, vel hominibus infrascriptis, seu alicui eorundem ad aliquod pactum, vel eorum præstationem, vel restitutionem, vel aliquod servitium faciendum, vel aliquod auxilium præstandum ex aliquo pacto, seu obligatione pœnali, ex quacunque causa, seu titulo facto cum eisdem, vel aliquo eorundem, seu cum prædecessoribus suis, ab ipsa promissione, obligatione, & contractu, seu contractibus, & pœna apposita in eisdem in tantum, in quantum eisdem, vel alicui eorum, vel suis hæredibus tenerentur, absolvimus, & absolutos esse volumus ipso jure, ita quod ad ea præstanda eisdem, vel alicui eorundem vel suis hæredibus nullatenus teneantur. Prædicta autem bona prædictæ Communitatis, & personarum ejusdem, & hominum infrascriptorum, ac etiam aliarum personarum, de quibus superius facta est mentio, cujuscunque conditionis existant, jura etiam realia, & personalia servitia, ex quacunque causa, titulo, vel obligatione eidem Civitati Paduæ, Communi, vel personis dictæ Civitatis, ac etiam hominibus infrascriptis, seu alicui ipsorum, vel etiam officialibus antedictis competentia, quocunque modo contrasistentes, & in fiscum Romani Imperii incorporantes, sententialiter in his scriptis. Ab omnibus autem pœnis prædictis excipimus illos omnes, qui essent de nostra familia, & illos, qui sunt exules a dicta Civitate ratione partis, vel fidelitatis Nobis exhibitæ, quorum familias, & bona, & quos familiares nostros, & exules fideles, eorumque familias, & bona a dictis sententia, pœnis, & bannis eximimus, & sub protectione nostra, & Romani Imperii reservamus. Nec non illos nostros, qui jam ad mandata nostra venerunt, & sunt, vel qui intra duos menses proximos subsequentes ad mandata nostra, & Romani Imperii revera, & præcordiali, & fideli dilectione studuerint pervenire. Præmissa autem omnia & singula facimus exigente justitia, & bono Reipublicæ requirente, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis; supplentes tamen defectum, si quis forsan in processibus propterea factis foret habitus, ob aliquam juris solemnitatem omissam aliquibus legibus, aut gratiis sub quacunque forma verborum concessis, etiam si de ipsis, vel eorum aliquo toto tenore de verbo ad verbum oporteret in præmissis fieri mentionem, quæ contra præmissa, vel aliquod præmissorum possent quomodolibet objici & opponi &c. Datæ &c.

XVI.

Henrici VII. Romanorum Imperatoris, Sententia proscriptionis, contra Patavinæ Civitatis Commune, ejusque asseclas, promulgata, de Anno 1312.

HEnricus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus. Vicariis suis Civitatum Paduæ & Vicentiæ, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, & omnibus fidelibus Romani Imperii, & Vicariis, & Officia

Officialibus suis quibuscunque, ad quos præsentes literæ pervenerint, fidelibus suis dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Cum juxta nostræ decentiam Majestatis causas dissensionum, & errorum, qui, & quæ inter fideles nostros Paduanos, & Vicentinos, eorumque Communia, & singulares personas poterant generare discrimina, curantes diligenti sollicitudine removere, & ad pacificum statum reducere super bonis, juribus, & possessionibus immobilibus Paduanorum, sitis in Civitate Vicentiæ, & districtu, & e converso super bonis, juribus, & possessionibus immobilibus Vicentinorum, sitis in Civitate Paduæ, & districtu, nec non & super aqua, seu flumine Bacchilionis privilegia quædam hinc inde duxerimus concedenda, super quorum executione facienda venerandum Virum, Aymonem, Gebenensem Episcopum, Principem & Secretarium nostrum, illo duxerimus transmittendum, qui certo super hoc facto processu, sententiam tulit, prout in Instrumentis publicis, quæ super his conscribi jussit, plenius continetur. Nec (ut pro parte Paduanorum Nobis insinuatum est) Privilegia prædicta, & sententia de facto, ut nostræ intentionis fuit, & est, juxta ipsorum tenores, et formas suos sint sortita effectus, et executioni mandata, volentes omnino ipsa privilegia et concessiones in totum, prout concessimus, et conscribi, atque sigillari fecimus, inviolabiliter observari. Prudentem virum Bassianum de Guaziis, legum Professorem, et Johannem de Castione nostri Palatii Auditores, familiares et Consiliarios nostros dilectos ad partes, et loca Paduani, et Vicentini districtuum præsentialiter duximus transmittendos, quibus, deliberato consilio nostrorum Judicum et Sapientum, tenore præsentium dedimus in mandatis, ut dicta privilegia impleant et exequantur, prout scripta sunt, integraliter cum effectu. Jubentes, ut ad locum communem intra Civitates Paduæ, et Vicentiæ, seu alibi prope ipsas, ubi tutius et commodius sit partibus convenire, secundum discretionem eorundem accedant, et vocatis ad se omnibus et singulis Paduanis et Vicentinis dicentibus, seu dicere volentibus, se spoliatos fuisse suis bonis, juribus, et possessionibus immobilibus, temporibus in dictis privilegiis contentis, recipiant capitula, et probationes a singulis super bonis, juribus, et possessionibus immobilibus, et juribus ac rebus, quæ dicere, et ostendere voluerint se possedisse, et tenuisse temporibus contentis in privilegiis antedictis, et quibus se asserere voluerint, fuisse eisdem temporibus spoliatos. Et veritate reperta ipsos de ipsis bonis, juribus, et possessionibus, super quibus fecerint justas probationes, ponant, & inducant, auctoritate nostra, in vacuam, liberam, & expeditam possessionem, & in statum pristinum ipso facto, prout ante erant. In quibus prædictis omnibus, & dependentibus ex eisdem plenam et liberam eisd. concedimus potestatem, arbitrium, et auctoritatem quavis solemnitate vel solemnitatibus juris omissis. Volumus autem, quod dicti Bassianus, et Johannes in prædictis, et circa prædicta, et dependentibus ex eisdem summarie procedant et procedere possint, et debeant absque libello, de plano, et breviter, et sine strepitu et figura judicii, et per omnem modum, et viam, per quem, et quam sibi melius et celerius videbitur posse fieri ad executionem omnium prædictorum pro favore spoliatorum; et contradictores, inobedientes, et rebelles punire, et coërcere possint, et condemnare, et pœnas eisdem imponere, et ipsos mulctare, secundum quod sibi ipsis melius videbitur faciendum. Mandantes vobis, et cuilibet vestrum, quatenus in prædictis omnibus, prout vobis dicti Bassianus et Johannes dixerint pro executione prædictorum omnium facienda, pareatis, et efficaciter intendatis. Quibus in prædictis omnibus, et dependentibus ex præmissis committimus vices nostras, rejectis excusationibus, allegationibus, impedimentis, et appellationibus quibuscumque, Quod si ambo, seu uterque eorum his exequendis interesse non poterit, alter eorum ea nihilominus exequatur. Volumus quoque, quod, factis restitutionibus supradictis, ad plenum omnino jus cuilibet reservetur, ita quod per eas restitutiones nulli in jure suo præjudicium generetur. Data Januæ VI. Calendas Februarii, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, Regni vero nostri anno quarto.

XVII.

Roberti, Siciliæ Regis, Literæ, in quibus, sibi a Summo Pontifice Civitatis Ferrariensis Regimen certo modo commissum esse, Communitati Patavinæ significat, d. d. 12. Decembr. Anno 13--.

ROBERTUS, DEI gratia Rex Hierusalem, et Siciliæ, Ducatus Apuliæ, et Principatus Capuæ, Provinciæ, Folcaquerii, ac Pedemontis Comes. Nobilibus et discretis viris, Potestati, Ancianis, et Communi Paduæ dilectis amicis, et devotis suis salutem et sinceræ dilectionis affectum. Sincera charitas pii Patris D. Clementis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pont. de persona nostra tanquam sui et ipsius Ecclesiæ præcipui filii, et devoti interne confidens, Civitatem Ferrariæ Curiæ nostri Regiminis certo modo commisit, et administrationis gubernacula expressione concessit. Nos autem, quamquam ista foret commissio atque concessio Nobis gravis, cum ad præsens simus aliis Regni nostri arduis negotiis occupati; Considerantes tamen, quod ipsius Domini Summi Pontificis requisitiones instantes refutare non possumus, & servitia Sanctæ Matris Ecclesiæ modeste, vel debite declinare, commissionem, concessionemque prætactas, cum ob zelum fervidæ devotionis, quam ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam gerimus, tum ob affectum, quem ad prosperum statum vestrum, aliorumque amicorum, & devotorum vestrorum habemus, acceptavimus reverenter. Quocirca dilectionem & amicitiam vestram requirimus & hortamur, quatenus advertentes sinceritatem nostræ intentionis hujusmodi velitis Vicario, et aliis Officialibus nostris Civitatis præfatæ, veluti repræsentantibus imaginem nostræ præsentiæ, ad honorem ipsius Sanctæ Rom. Matris Ecclesiæ, nostramque pariter efficacibus auxiliis, et favoribus opportunis assistere, ac eos prompta vestri essforcii, si, et prout opus extiterit, adhibitione juvare,

juvare, ut a mixtis communibus viribus & paribus affectibus colligati, Civitas ipsa Ferrariæ sub sceptro nostri Regiminis, in prosperi status tranquillitate refloreat, & consequenter ex quadam vicinitate connexa, status vester in prosperitate continua perseveret. Præfati namque Vicarius & Officiales nostri habent a Nobis expressius in mandatis, ut versa vice, quicquid pro bono statu vestro agere poterunt, prompte ac efficaciter operentur. Data Neapoli, die XII. Decembris, XL. Indictione.

XIIX.

Litera, in quibus Communitas Patavina ad Roberti, Siciliæ Regis, literas antea insertas respondet, d. d. Prid. Non. Januarii, Anno 13--.

INclyto Roberto, Regi Hierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ Folcaquerii, ac Pedemontis Comiti Bornius de Samaritanis de Bononia Potestas; Quatuor Conservatores libertatis & status; Octo Sapientes a Credentia; Anciani Communantiæ, & populi civitatis Paduæ reverentias subditas & devotas. Majestatis Regiæ literas commissæ ac susceptæ administrationis civitatis Ferrariæ ex circumspecta Pii Patris, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pontificis largitione suscepimus, eas tam flagrantibus amplexantes affectibus, quam & extensivas Regiæ potentiæ, & nostræ salutis nuntias intuemur. Nec dubium, quin non modo Pontificali, sed cœlestis DEI fuerit concessione provisum, ut qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filii sumus, per tantum ejusdem Matris filium foveamur, ut in suorum consorciis ambulemus. Vicarium itaque & officiales Regios, fratres nostros in ipsa civitate, & ubilibet paribus venerandos affectibus, humillima devotione suscepimus, nec non & juvandos & servandos sub sceptro Regii culminis communibus viribus pollicemur. Grates insuper Regi inclyto, tam munificæ oblationis auctori, intima ac præcordiali recognitione referimus, cui vitam & victoriam exoramus. Data Pridie Non. Januarii.

XIX.

Instrumentum de permutatione lacus cujusdam, inter Rempublicam Venetam ac S. Danielis Monachos facta, conscriptum, d. d. 26. Aprilis, Anno 1326.

IN Christi nomine Amen. Anno Incarnationis Domini 1326. Indictione IX. die 26. mensis Aprilis, actum Venetiis in Camera subscripti Domini Episcopi, sita in Episcopali palatio Castellanensi, præsentibus sapientibus & discretis Viris, D. Bonacursio, Præposito Pistoriensi, socio, D. Andrea, filio Lippi de Prato, Canonici Juris perito, Copo, filio olim D. Copi de Bollinghis de Prato, Malo, filio cujusdam Ranieri de Camerino ambobus Domicillis ejusdem subscripti D. Episcopi, & aliis testibus ad hæc habitis vocatis & rogatis: ubi Venerabilis in Christo Pater D. Jacobus, DEI & Apostolica gratia Episcopus Castellanus, de consilio & consensu Canonicorum & Capitularium Castellanensium, ad Capitulum, more solito, convocatorum, & congregatorum, ut patet per publicum Instrumentum, scriptum manu D. Philippi de Monte Margano, publici Notarii, Plebani Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ, a me Notario infrascripto visum, & lectum; ibidem constitutus religiosus vir, D. Frater Bonifacius, Prior S. Danielis prope Castellum, præsente quoque discreto viro, Nicolao, filio Joannis Marchesini, Ducalis aulæ scriba, ac Dominorum Joannis Superantio, Ducis Illustris, & Communis Venetiarum Nuncio, ut dixit: idem Prior reverenter exposuit, quod lacum, quem prope dictum locum ipse locus S. Danielis habuit, possedit & tenuit, in dictos Dominos Ducem & Commune Venetiarum, permutationis titulo, dedit, & transtulit, recipiendo ab eodem Communi Venetiarum tantam impræstitorum quantitatem, ex qua singulis annis reditum quinque librarum denariorum Venetorum prædictus locus S. Danielis perpetuo recipere possit & debeat, hoc acto inter Priorem, & Commune prædictum, quod per ipsum Commune ipsi D. Episcopo Quintellum de bursa ipsius Communis solvatur; pro censu vero unius metri olei, debito Ecclesiæ Castellanensi, ipse locus S. Danielis perpetuo maneat obligatus. Quare petebant tam idem Prior, quam dictus Dominorum Ducis, & Communis Venetiarum Nuncius, ut dicitur, quo tempore D. Episcopus de consensu & consilio prædictorum Canonicorum, & sui Capituli Castellanensis, dictam permutationem, translationem, & prædictas appositas actiones confirmare & ratificare dignaretur, & vellet. Prædictus autem D. Episcopus de consilio & consensu ipsius sui Capituli prædicti benigne dictum Priorem, & D. Ducis & Communis Nuncium exaudire volens, plenam de juribus omnibus, quæ in dicto lacu ei & dictæ Ecclesiæ Castellanæ competunt, notitiam & cognitionem habens, sponte, ac libere, ac ex certa scientia dictam permutationem, & translationem, & tenores prædictos ratificavit, approbavit, ac omni jure, modo, & forma, quibus melius potuit, confirmavit, asserens & confitens de Quintello ei, & dictæ suæ Ecclesiæ Castellanæ prope Commune contractum debito plenarie satisfactum; pro censu vero unius metri olei præstando dictæ Ecclesiæ Castellanæ contentus fuit præfatus D. Episcopus habere Priorem, fratres & locum S. Danielis prædicti obligatos ad possessionem, pecuniam, seu impræstita permutata. Et pro tali censu personas loci S. Danielis prædicti, & obligationes earum requirentes, voluit & consensit, quod a dicto censu dictus lacus omnino perpetuo sit immunis, nec ipse D. Dux & Commune Venetiarum prorsus aliquid de dicto censu, vel pro ipso censu præstare teneantur; remittens Dominis Duci, & Communi Venetiarum prædictis omne jus, quod ipsi D. Episcopo & Ecclesiæ Castellanensi prædictæ competeret in præmissis. Hæc omnia & singula præfatus D. Episcopus de consensu dicti sui Capituli attendere & conservare perpetuo promisit, & nunquam

quam contrafacere, vel venire aliqua ratione, vel causa, sub obligatione omnium suorum bonorum & dictæ Ecclesiæ Castellanæ, in pœna 500. librarum, quæ toties - - - quoties contra faceret, ratis semper manentibus omnibus & singulis supradictis.

Acta fuerunt omnia suprascripta præsente prædicto D.Nicolao, Ducalis Aulæ scriba, & DD. Ducis & Communis Venet. Nuncio, ut dixit, ad hæc specialiter destinato; & omnia & singula suprascripta nomine ipsorum DD Ducis & Communis Venetiarum acceptante, & solemniter cum promissione dicti D. Episcopi de consilio & consensu prædicti Capituli Castellani subsecuta stipulante.

Ego Joannes, filius Cambini de Prato Imperialis &c.

XX.

Bulla Clementis VI. Pontificis Maximi, in qua Privilegia Universitatis Patavinæ confirmavit, d. d. 17. Kal. Junii, Anno 1346.

CLemens Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Attendentes provide, quod ex literarum scientia, veluti ex dono cœlesti, spiritualiter, & temporaliter bona publica proveniunt, & privata quoque ab ipsius Professoribus, præsertim in Studiis generalibus fidelis instruitur populus, & reducitur exorbitans ad semitam veritatis, libenter ea concedimus, quæ Doctorum & Magistrorum, ac Scholarium in studiis generalibus insistentium commoditatem respiciunt, & per quæ scientiarum fructus valent adaugeri. Sane petitio venerabilis Fratris nostri Ildobrandini, Episcopi Paduani, Nobis nuper exhibita continebat, quod in civitate Paduæ de consuetudine ibidem inviolabiliter observata tanto ab hinc tempore, ut de ejus contrario memoria non exstet, viguit, & adhuc viget in Jure Canonico, & Civili, aliisque facultatibus præter sacram Theologiam, Studium generale, sicut per totam Italiam, & in aliis mundi partibus est aperte manifestum, & quod auctoritas faciendi per Doctores & Magistros in eodem Studio residentes in jure, ac facultatibus supradictis examinari Scholares ad Doctoratum, seu Magisterium promovendos in Studio supradicto, & examinatos approbandi, seu etiam reprobandi, similiter & de antiqua consuetudine obtenta in eodem Studio, ad Episcopum Paduanum, qui est pro tempore, pertinet, & pertinere etiam consuevit, & quod præfatus Ildobrandinus Episcopus nonnullos Scholares in Jure Civili, & Canonico, ac Medicina coram se examinari fecit per Doctores ipsius Studii, ipsisque postea licentiam dedit, & quibusdam ex eis in examinatione prædicta licentiam & auctoritatem legendi & docendi tribuit, sicuti est in supradicta, & aliis etiam Studiis fieri generaliter consuetum, quodque dudum Rectores Universitatis Magistrorum, & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt: Ut Scholares ipsius Universitatis, qui deberent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano, qui esset pro tempore, examinari deberent diligenter, præsentibus Doctoribus Universitatis ejusdem: & ut eisdem Scholaribus, si reperientur idonei, deberet licentiam concedere Episcopus memoratus. Quodque deinceps statutum hujusmodi est inviolabiliter observatum, ipsumque statutum sicut erat provide factum, felicis recordationis Urbanus Papa IV. Prædecessor noster, auctoritate Apostolica confirmavit, decernendo, ut, qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumeret, pro Magistro nullatenus haberetur; prout confirmatio & decretum hujusmodi in literis ipsius Urbani, Prædecessoris nostri, de re tali confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur spectantes, quod ad civitatem prædictam Scholares eo promptius se, causa studendi, conferent, quo studium ipsum in eadem civitate majori fuerit auctoritate munitum; ac volentes propterea præfatum Studium, & Doctores, Magistros & Scholares prædictos prosequi favorabiliter in hac parte, ipsius Ildebrandini supplicationibus inclinati consuetudinem prædictam, & ea, quæ, ut superius narratur, in prædictis ipsius Urbani, Prædecessoris nostri, literis continentur, rata & grata habentes, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; indulgentes nihilominus auctoritate prædicta omnibus & singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, ut ipsi, dum in prædicto Studio docendo, vel audiendo institerint Scholasticis disciplinis, omnibus libertatibus & immunitatibus, ac privilegiis de jure communi, seu approbata consuetudine concessis, auctoritate Apostolica, Doctoribus, Magistris & Scholaribus in Studiis generalibus commorantibus, gaudeant, & utantur; statuentes etiam ad hoc, ut examinatio, approbatio, & reprobatio Scholarium promovendorum ad Magisterium in Studio memorato semper, sicut fieri debet, cum puritate, & sine fraude procedat, ut Doctores in eodem Studio præsentes ab eodem Episcopo requisiti ad examinandum Scholares promovendos ad Magisterium, justo impedimento cessante, venire, & illi, qui in examinatione prædictorum Scholarium ibidem præsentes fuerint, de procedendo sine dolo & fraude in omnibus & singulis actibus in hujusmodi examinationibus opportunis, & fieri consuetis præstare teneantur in ejusdem Episcopi manibus corporaliter juramentum, ac eidem Episcopo, seu ejus vicem gerenti dumtaxat, votum ipsorum super idoneitate ac sufficientia scholaris examinati, utrum scilicet approbandus sit, an reprobandus, secrete ac sigillatim, & in scriptis exponere, ac manifestare similiter teneantur. Injungimus etiam Episcopo Paduano, qui erit pro tempore, sub virtute obedientiæ, auctoritate prædicta, ut ipse in examinandis, approbandis seu reprobandis personis examinatis, & Doctorum approbantium, seu non approbantium, scholares examinatos votis secrete tenendis, sine dolo & fraude procedat. Nos insuper irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate contingeret attentari. Dictarum autem literarum tenor talis est:

Inseratur hic supra inserta Urbani IV. Pontificis Maximi Confirmatio, d. d. 5. Id. Januar. Anno 1263.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, concessionis, statuti, immunitatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Villam Novam Avinionensis Diœcesis, XVII. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quinto.

XXI.

Tabula fœderis contra Ducem Mediolanensem, inter Respublicas Venetam & Florentinam, nec non Amadeum, Sabaudiæ Ducem, initi, d. d. 11. Julii, Anno 1426.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Anno a Nativitate ejusdem Domini nostri JEsu Christi millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, die undecima mensis Julii, ad laudem & reverentiam omnipotentis DEI, & gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus, ac Beatorum Marci Evangelistæ, & Patriarchæ, ac Joannis Baptistæ, & totius cœlestis Curiæ triumphantis; & ad honorem, exaltationem, bonum, liberum & pacificum statum, regimen, & pacem perpetuam infrascriptorum colligatorum & colligandorum, ac cujuslibet eorum; nec non civitatum, terrarum & locorum suorum, eorumque civium districtualium, subditorum, & fidelium: Spectabiles, & egregii Viri Domini Manfredus ex Marchionibus Salutiarum, miles Dominusque Mulazani; Henricus de Colomberio, Dominus de Vuflens; ac Petrus Marchiandi Legum Doctor, Scindici & Procuratores Illustris & excelsi D. Domini Amedei Ducis Sabaudiæ, Chablaisii & Augustæ Principis, Marchionis in Italia, Comitis Pedemontium, & Gebennensis, Valentinensisque, & Diensis; ut de eorum Sindicatu & mandato plene constat publico Instrumento, scripto, publicato & corroborato per prudentem Virum Petrum Catterii Maurianensis diocesis, publicum Imperiali auctoritate Notarium, & prælibati D. Ducis Sabaudiæ Secretarium, curiarumque suarum juratum anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, indictione quarta, die vigesima secunda mensis Martii a nobis Notariis infra scriptis viso & lecto: & spectabiles & egregii viri, Domini Robertus Mauroceno, quondam Marci Leonardus Moccenigo Procurator Ecclesiæ Sancti Marci, Fantinus Michael, quondam Maphei, Fantinus Dandulo, Juris utriusque Doctor, quondam Leonardi Militis, Thomas Michael, quondam Domini Laurentii, & Nicolaus Contareno, Juris utriusque Doctor; honorabiles cives civitatis Venetiarum, Scindici & Procuratores Illustris & excelsi D. D. Francisci Foscari, DEI gratia incliti Venetiarum Ducis, Dominii ac Communis Venetiarum, ut de eorum Scindicatu & mandato plene constat publico Instrumento, scripto, completo, roborato & publicato per providum virum, David de Tebaldino, Imperiali auctoritate, & Ducatus Venetiarum Notarium, in præsentibus millesimo, indictione, & die a nobis Notariis infra scriptis viso & lecto: & spectabilis & egregius vir, Dominus Marcellus Stroce de Strocis, Legum Doctor, honorabilis civis Florentinus, Scindicus & Procurator Magnificæ Communitatis Florentiæ, ut patet publico Instrumento scripto, publicato & corroborato per prudentem virum Antonium quondam Jacobi de Salvetis, civem & Notarium Florentinum, in millesimo, quadringentesimo, vigesimo quinto, indictione quarta, secundum cursum & consuetudinem Florentinorum, die vero decima nona mensis Decembris, a Nobis Notariis infra scriptis viso & lecto.

2. Inierunt, fecerunt, celebraverunt & contraxerunt, ac firmaverunt; ineunt, faciunt, celebrant, contrahunt atque firmant inter se bonam unionem, & firmam confœderationem & ligam, ad conservandum, manutenendum & defendendum status suos, contra & adversus illustrem D. Philippum Mariam, Ducem Mediolani &c. & Successores suos, colligatos, adhærentes, recommendatos, fautores complices, subditos & sequaces, & ad diffidandum & guerrizandum dictum Dominum Ducem Mediolani, hæredes & Successores suos, colligatos, adhærentes, recommendatos, fautores suos, ac suos subditos & sequaces, nec non eorum terras & loca, durante tempore præsentis unionis & ligæ, & cum modis, formis & capitulis infra scriptis. Videlicet primo, quod præsens liga, unio & confœderatio incipere & durare debeat inter partes prædictas, a celebratione præsentis contractus, usque ad decem annos proxime sequuturos, cum omnibus modis, formis, pactis & conditionibus, qui & quæ in præsenti Instrumento & contractu istius unionis & ligæ inserti & inserta sunt: & si dictus Illustris Dominus Dux Mediolani, finitis & transactis dictis decem annis adhuc supervivet, præfati Illustris & excelsus D. Dux, Dominium & Commune Venetiarum promittunt ex nunc procurare toto posse, quod dicta Magnifica Communitas Florentiæ, una cum ipso D. Duce, Dominio & Communi Venetiarum erunt contenti, quod prædictus terminus præsentis ligæ, unionis & confœderationis duret & durare debeat, adhuc toto tempore vitæ prædicti D. Ducis Mediolani, & per unum annum post ipsius mortem. Quod si ipsa Magnifica Communitas facere & contentari noluerit, ex nunc se obligant prædicti D. Dux, Dominium & Commune Venetiarum, quod prædicta liga, unio & confœderatio, duret & durare debeat inter prædictum Illustrem & excelsum Principem Dominum Ducem Sabaudiæ, hæredesque & Successores suos, ex una parte, & ipsum Illustrem & excelsum Dominum Ducem, Dominium & Commune Venetiarum ex altera, adhuc per dictum tempus & terminum vitæ dicti Illustris Domini Ducis Mediolani, & per unum annum post ipsius mortem.

3. Et viceversa dictus Illustris & excelsus D. Dux Sabaudiæ, per se hæredesque & Successores suos promittit & se obligat, quod præsens liga, unio & confœderatio duret & durare debeat inter ipsum, hæredes

hæredes & Successores suos, ex una parte; & præfatum Illustrem & excelsum Dominum Ducem, Dominium & Commune Venetiarum, & Magnificam Communitatem Florentiæ, si contentari voluerit ex altera; ultra dictum terminum annorum decem, adhuc per totum tempus & terminum vitæ dicti Illustris Domini Ducis Mediolani, & per unum annum post ejus mortem: & si ipsa Magnifica Communitas Florentiæ contentari noluerit, duret inter ipsum Dominum Ducem Dominium & Commune Venetiarum, ex alia, adhuc per totum tempus & terminum supra scriptum vitæ Domini Ducis Mediolani, & per unum annum post ipsius mortem; modis, formis, pactis & conventionibus omnibus præsentis unionis & ligæ seu confœderationis.

4. Item, quod præfatus Illustris & excelsus D. Dux Sabaudiæ, tempore guerræ habere & tenere teneatur illam quantitatem equitum & peditum quæ ei erit possibilis, & super hoc stetur bona fide sua, & cum ipsis gentibus guerram facere Illustri Domino Duci Mediolani, colligatis & adhærentibus suis, & aliis contra quos præsens liga se extendit: & similiter Illustris & excelsus Dominus Dux, Dominium & Commune Venetiarum, & Magnifica Communitas Florentiæ, teneatur habere & tenere dicto tempore guerræ, quantitatem equitum & peditum, quæ eis erit possibilis, & super eis stetur bona fide ipsorum, & cum ipsis guerram facere prædicto Domino Duci Mediolani, colligatis & adhærentibus suis, & aliis contra quos præsens liga se extendit; non tamen præjudicando propter hoc ligæ inter ipsum Dominum Ducem, Dominium & Commune Venetiarum, & Magnificam Communitatem Florentiæ existenti: tempore vero pacis prædictus Dominus Dux Sabaudiæ habeat & teneat, seu teneri faciat ejus Vasallos & subditos ita in ordine & puncto, ut, quoties requisitus fuerit per alteram partium prædictarum, cum illis infra unum mensem a die requisitionis factæ inchoandum subvenire possit & debeat colligatis oppressis, & cum ipsis facere honorem & debitum ligæ, contra Illustrem Dominum Ducem Mediolani, colligatos, adhærentes & alios suos, ut supra.

5. Et prædicti Dominus Dux, dominium & Commune Venetiarum, dicto tempore pacis habere & tenere debeant equites bonarum gentium tres mille, & pedites mille, & Magnifica Communitas Florentiæ donec perseveraverit in liga præsenti, similiter tempore pacis tenere & habere debeat suis expensis equites tres mille, & pedites mille: & teneantur dictæ partes sibi invicem, & vicissim cum gentibus quas habere & tenere debent, tam tempore pacis quam guerræ, vel earum parte subvenire, sicut expediens fuerit in opportunitatibus occurrentibus, contra dictum Dominum Ducem Mediolani, colligatos, adhærentes, recommendatos, subditos & alios suos ut supra, toties quoties fuerit opportunum, & una pars ab altera, vel e contra fuerit requisita; & hoc, durante tempore præsentis unionis & ligæ.

6. Item, quod prælibatus Illustris Dominus Dux Sabaudiæ omnino teneatur & debeat, a die qua publicabitur præsens liga, in antea custodiri & claudi facere passus & transitus suos, & eorum qui ex parte sua in præsenti liga & unione comprehenduntur, quod per ipsos passus aut per terras & loca sua, & de terris & locis suis non possint transitum facere gentes aliquæ in subsidium Domini Ducis Mediolani prædicti; seu ad terras & loca sua suorumque colligatorum, adhærentium recommendatorum, complicum, subditorum & sequacium, vel eorum cujuslibet, victualia aliqua, mercationes, seu aliæ res & bona cujuscunque generis conduci vel apportari non possint ullo modo; neque de terris & locis præfati Domini Ducis Mediolani, vel suorum, ut supra, aliquid conduci vel portari non possit per aliquem, ad terras, passus, loca præfati Domini Ducis Sabaudiæ, tam nunc quam alio quocumque tempore occurret guerra inter partes prædictas, & Dominum Ducem Mediolani, & suos per totum tempus præsentis unionis & ligæ: similiter etiam facere, ut præmittitur, debeant prædicti Dominus Dux, Dominium et Commune Venetiarum, & Magnifica Communitas Florentiæ, quocumque tempore per ipsas partes contingeret guerram facere, vel ad eam prosilire adversus dictum Dominum Ducem Mediolani, & suos ut supra.

7. Quinimo etiam teneatur & debeat dictus Dominus Dux Sabaudiæ, contra ipsum Dominum Ducem Mediolani & suos superius nominatos, una cum supra scriptis Domino Duce, Dominio & Communi Venetiarum, & Magnifica Communitate Florentiæ, usque per totum mensem Augusti proximo rumpere & prosequi cum gentibus prædictis, quas tempore guerræ habere & tenere debet, ipsumque facere & fieri facere contra dictum Dominum Ducem Mediolani & suos prædictos, cum gentibus suis prædictis. Item, quod præsens liga & unio, seu confœderatio, banniatur & publicetur per dictum Illustrem & excelsum Dominum Ducem Sabaudiæ, in suis principalibus civitatibus die primo mensis Septembris proxime futuri, & ad ipsum terminum banniri & publicari debeat in suis principalibus civitatibus per dictum Illustrem & excelsum Dominum Ducem, Dominium & Commune Venetiarum & Magnificam Communitatem Florentiæ.

8. Item, quod dictæ partes & illi, pro quibus agitur, ac quilibet eorum, teneantur & debeant vicissim, videlicet una alteri, & altera alteri, præbere & aperire libere passus, transitus, & itinera per civitates, terras, portus, aquas, castra, & loca, habitabiles & habitabilia, pro transitu gentium ipsarum partium, & prædictorum pro quibus agitur, ut supra cujuslibet eorum, eisdemque dare facere victualia & alia opportuna pro ipsis gentibus pro pretio competenti: Et si contingat campum in aliquo poni, quod tunc & eo casu, partes & colligati de victualibus dicto campo providere teneantur, juxta eorum possibilitatem.

9. Item, quod si durante tempore præsentis unionis & ligæ, præfatus Dominus Dux Mediolani, aut ejus colligati, recommendati, complices, fautores, subditi vel sequaces, moverent guerram per mare civitati Niciæ de Provincia, vel in Comitatu vel districtu civitatis ejusdem; tunc & eo casu præfatus Dominus Dux Dominium & Commune Venetiarum, & Magnifica Communitas Florentiæ, donec

donec perseveraverint in dicta liga, teneantur & debeant providere cum Galea de Monaco, vel aliis Galeis Florentinorum, quæ sunt in mari seu portibus deinde aut per alium modum de succursu dictæ civitati: Et si providebitur de Armata per mare contra Januam, pars ipsius Armatæ teneatur in portu Villæ-Franchæ, Monaci, & alibi, ubi melius videbitur, ita ut ipsa civitas Januæ facilius reducatur ad suam pristinam libertatem; & in omnem eventum, quo dicta civitas Januæ subtrahatur ab obedientia Domini Ducis Mediolani, remaneat Januensibus, & in sua pristina libertate.

10. Item, quia apud DEUM & mundum est opus laudabile, quærere & velle pacem, quæ supra omnia optanda est, possit Dominus Dux, Dominium & Commune Venetiarum tractare & practicare, ac procurare pacem & treugam cum præfato Domino Duce Mediolani, sed non possit pax aliqua vel treuga concludi, nisi de voluntate & consensu omnium trium partium prædictarum, videlicet, Domini Ducis Sabaudiæ, Domini Ducis Dominii & Communis Venetiarum, & Communitatis Florentiæ, seu duarum partium ex ipsis tribus, ita quod quidquid per duas ex ipsis tribus partibus & Potentiis deliberatur & concludetur de pace vel treuga, sit validum atque firmum, & per aliam tertiam partem attendi debeat, & inviolabiliter observari.

11. Et quia per formam unius Capituli contenti in liga existente inter præfatum Dominum Ducem, Dominium & Commune Venetiarum, & Communitatem Florentiæ, stat in solo arbitrio & potestate præfati Domini Ducis, Dominii & Communis Venetiarum, procurare, tractare & firmare pacem & treugam cum Domino Duce Mediolani; ex nunc dictus Dominus Dux, Dominium & Commune Venetiarum, liberant & absolvunt dictam Communitatem Florentiæ ab omni promissione & obligatione contenta in dicto Capitulo, quantum pertinet ad factum pacis & treugæ fiendæ cum Domino Duce Mediolani: verum si casus occurreret, quod post conclusionem hujus ligæ, aliquid ex his quæ per partes prædictas ad præsens tenentur & possidentur, perderetur, & per partem adversam occuparetur; non possit aliquo modo perveniri ad pacem, nisi omnia loca dictis partibus ablata restituantur.

12. Item si casus occureret, quo facta pace vel treuga cum Illustri Domino Duce Mediolani, postea per ipsum Dominum Ducem Mediolani vel colligatos, adhærentes & recommendatos suos, vel per aliquem vel aliquos ex illis, contra quos præsens liga & unio se extendit, rumperetur, moveretur, aut fieret guerra directe vel per indirectum, contra aliquem prædictarum partium colligatorum vel earum recommendatis, colligatis & adhærentibus, seu alicui ipsorum vel eorum, ac cujuslibet ipsorum terris & locis, vel dictus Dux gentes suas armorum cassaret, aut transitum aliquibus gentibus armorum, vel societatis daret, quo offenderent, invaderent, guerramque facerent seu facere vellent prædictis partibus colligatis, aut alteri earundem: in hiis casibus aut eorum quolibet procedatur ad guerram contra ipsum Dominum Ducem Mediolani, terras & loca sua, subditos & fideles suos, & contra illos, qui dictam guerram moverent & facerent cum gentibus ipsarum partium, quas casu guerræ tenere tenentur vigore præsentis ligæ & unionis.

13. Item quod prædictæ partes teneantur & debeant nominare suos colligatos, adhærentes, recommendatos, complices & sequaces, & omnes alios, qui pro ipsis debent beneficio hujus ligæ uti, infra tres menses, a die præsentis ligæ publicationis numerandos. Item quod præsens liga, unio & confœderatio non intelligatur rupta, nec violata seu dissoluta, usque ad tempus quo durare debet, etiam si aliqua partium prædictarum, vel aliquis suorum supra nominatorum in ipsa liga in aliquo deficeret; sed omnes defectus, quanto citius fieri poterit, per partem deficientem emendentur, sub pœna in præsenti Instrumento contenta. Item quod omnia intelligantur, observentur & adimpleantur bona fide, recto & puro animo, & ad sanum & purum intellectum, qualibet cavillatione, & mala interpretatione cessante.

14. Quam quidem ligam, unionem & confœderationem ac omnia & singula supra scripta, & infrascripta, promiserunt dicti Scindici & Procuratores, ac contrahentes supra scripti, & quilibet ipsorum, Scindicariis, & Procuratoriis nominibus quibus supra, sibi ad invicem & vicissim unus alteri, & alter alteri, & unus omnibus, ac omnes uni, stipulationibus debitis hinc inde intervenientibus, firmam & ratam, ac firma & rata habere, tenere attendere, observare, facere & adimplere in totum, & non contra facere, dicere, apponere vel venire, per se vel alium seu alios, modo aliquo vel ingenio, directe vel indirecte, tacite vel expresse, de jure vel de facto, vel aliquo exquisito colore, in judicio vel extra, in pœna & sub pœna ducentorum millium Ducatorum auri, stipulatione præmissa. Quæ pœna toties committatur, quoties in prædictis vel aliquo prædictorum fuerit quomodolibet contra factum, vel contraventum, aut non observatum vel obmissum: & pœna soluta, vel non exacta, vel non una vice vel pluribus, nihilominus prædicta omnia & singula, firma perdurent, & sub eadem pœnæ stipulatione debeant a partibus inviolabiliter observari.

15. Pro quibus omnibus & singulis firmiter observandis & adimplendis, obligaverunt dicti Scindici & Procuratores sibi invicem & vicissim unus alteri, & alter alteri, & unus omnibus, & omnes uni, nominibus antedictis, & debitis stipulationibus hinc inde intervenientibus, pignori omnia eorum & cujuslibet eorum, quorum sunt Scindici & Procuratores, bona mobilia & immobilia, præsentia & futura. Renuntiantes sibi invicem partes prædictæ nominibus quibus supra, in prædictis omnibus & singulis, exceptioni dictæ unionis, ligæ & confœderationis, non factæ, non sic factarum promissionum, obligationum, & conventionum supra scriptarum, & prædictorum omnium non sic gestorum, & non sic celebrati contractus, & omnium exceptionum & condictionum, sine causa, vel ex injusta causa, privilegio fori, doli mali, & in factum, novarum Constitutionum Divi Adriani de fidejussoribus, & omni alio Legum, jurium & Constitutionum auxilio, & Legi dicenti generalem renun-

renuntiationem non valere, nec non omni privilegio, literis & absolutionibus impetratis vel impetrandis, quibus contra prædicta, vel aliquod prædictorum possent tueri aut dicere, facere vel venire.

16. Et ad majorem expressionem & firmitatem omnium præmissorum, prædicti Scindici & procuratores, & quilibet ipsorum, in animabus & super animabus eorum, quorum sunt Procuratores & Scindici, tactis DEI Scripturis ad Sancta DEI Evangelia, sic ut præmissum est, in omnibus & singulis superius annotatis attendere & observare, & attendi & observari facere, corporaliter juraverunt. Mandantes, rogantes & volentes, quod de præmissis omnibus confici debeant unum & plura publica Instrumenta per Nos Franciscum della Siega, præfati Domini Ducis & Dominii Venetiarum Secretarium, & Andream Maleti de Combaviana Taurinensis Diocesis, Publicos Imperiali auctoritate Notarios infra scriptos, & quemlibet nostrum in eodem tenore similia. Actum Venetiis, in Ducali Palatio Residentiæ præfati Illustris Domini Ducis, in Sala, præsentibus egregiis & Nobilibus Viris, Dominis Victore Barbaro, quondam Mafei, Ludovico Donato Domini Bartholomæi, civibus Venetiarum, cum Domino Presbytero Joanne Bartholomæo Locarini de Luca, & Francisco Denucanoser, Joachino Thomisano, præfati Domini Ducis, & Dominii Venetiarum Secretariis, & aliis testibus ad præmissa vocatis, habitis & rogatis, Signé Mallet, & la Siega.

XXII.

Bulla Eugenii IV. Pontificis Maximi, in qua Universitatis Patavinæ Privilegia & immunitates confirmavit, d. d. Kal. Decembr. Anno 1439.

EUgenius Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Dum intra arcana nostræ mentis solerti meditatione recolimus, quantum ad populum nostræ sollicitudini commissum, Remque publicam debite regendam viri literarum scientia docti conferant; cura Nobis injuncta dignum, immo debitum nostrum reputamus, ut non solum contenti simus, Studia generalia concessis sibi ante privilegiis gaudere, verum etiam ipsis alia ad ampliorem eorundem Studiorum famam & gloriam utilia concedamus; ut, qui in illis voluntarios in humanæ eruditionis subsidium labores suscipiunt, de tanto ipsorum beneficio præter divinum, quod non deerit, aliquod in terris munus se reportasse lætentur. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus IV. Prædecessor noster, pro felici statu, & incremento Studii Patavini, quod inter cætera Italiæ Studia generalia antiquissimum & celeberrimum esse constat, nonnulla per Doctores & Magistros ejusdem Studii salubriter statuta & ordinata ratificavit & approbavit, ac ex certa ipsius scientia confirmavit. Deinde Clemens VI. Prædecessor etiam noster, quæ per ipsum Urbanum ratificata fuerant, grata habens, & approbans, quædam alia pro ipsius Studii amplificatione statuit, & ordinavit, prout ipsorum literis plenius continetur. Nos igitur attendentes, quod a generalibus Studiis omnis divinorum atque humanorum institutorum notitia proficiscitur, virique illa insigniti existunt, per quorum salutarem doctrinam effector omnium DEus agnoscitur, & amatur, justitia colitur, proficientes proficiunt, instruuntur indocti, & præmiis afficiuntur boni, versutis autem suorum erratorum pœnæ, quas merentur, adjiciuntur, omnisque humanæ eruditionis excellentia emanare dignoscitur: nec non ad dilectos filios Universitatum prædicti Patavini studii, quos singulos omni favore prosequimur, nostræ benignitatis oculos convertentes, ne ipsi in sua exercitatione commendabili adversus concessa sibi antea privilegia quomodolibet indebite infestentur, verum potius amplioribus gratiarum attollantur impendiis: motu proprio, non ad alicujus preces, omnia & singula privilegia, libertates, exemptiones, concessiones & indulta alia eidem studio, tam prædictos & alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, quam per Imperatores, aut alios temporales Dominos hactenus concessa, quorum formas & tenores in præsentibus pro expressis haberi volumus, rata & grata habentes, illa auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & præsentis præscripti patrocinio communimus, omnes & singulos, si qui intervenerint, defectus iisdem motu atque auctoritate supplentes. Et nihilominus, quo studium ipsum aliquod singulare ex nostræ liberalitatis dono consequatur munus: Ut omnes & singuli nunc, & pro tempore in eodem Studio existentes Doctores & scholastici, ac ipsorum familiares & officiales omnibus & singulis privilegiis, prærogativis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, favoribus & indultis aliis quibuslibet, quocumque nomine censeantur, & quorum formas & tenores in præsentibus pro sufficienter expressis habere volumus, gaudeant & utantur, quibus Romanæ Ecclesiæ, Parisiensis, Oxoniensis, Bononiensis, Salamancensis, studiorum Doctores & Magistri, eorumque familiares & officiales, ex quibusvis Apostolis, Imperialibus, seu aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus aut indultis gaudent & utuntur, gaudere & uti possunt, ac poterunt in futurum. Utque omnes prædicti, qui beneficiis Ecclesiasticis affecti fuerint, dum ipsi ibi resederint, omnium suorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ nunc obtinent, & in posterum in quibusvis Ecclesiis seu locis obtinebunt, quæcumque, quantacumque & qualiacumque sint & fuerint, etiamsi in illis personalem primam non fecerint residentiam consuetam, fructus, reditus & proventus cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis seu locis hujusmodi personaliter residerent, quotidianis duntaxat exceptis distributionibus, per septennium percipere queant. Insuper, ut ipsi singuli, etiam in sacris ordinibus constituti, aut dignitates vel personatus in cathedralibus, aut aliis Ecclesiis, vel Parochiales Ecclesias obtinentes, in eodem studio legibus per quinquennium studere, legere & disputare, ac in eis Licentiæ gradum, nec non Doctoratus insignia accipere libere ac licite valeant; motu & auctoritate prædictis, tenore præsentium concedimus, ac de specia-

specialis dono gratiæ indulgemus; non obstantibus felicis recordationis Honorii III. Pontificis, etiam Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis, nec non in provincialibus & synodalibus Conciliis, edictis, constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi fuerint jurejurando, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roborata, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut beneficia ipsa debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed debite sustineantur eorum onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ ratihabitionis, confirmationis, suppletionis, concessionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem præpotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiæ, Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXXIX. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno IX.

XXIII.

Breve Eugenii IV. Pontificis Maximi, ad Franciscum Foscarum, Venetiarum Ducem, datum, in quo ipsum, ut cum Patriarcha Aquilejensi pacem conciliet, est exhortatus, d. d. 3. Idus Martii, Anno 1440.

EUgenius &c. Dilecto Filio, Nobili Viro, Francisco Foscaro, Duci Venetiarum. Reversus ad Nos dilectus filius noster F. Cardinalis Venetiarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, multa retulit Nobis de amplo honore sibi, & in eo Nobis, ac Romanæ Ecclesiæ multipliciter impenso a Dominio, & civibus tuis, narravitque diligenter, quid tecum egerit circa singulas commissionis sibi factæ partes. Sed cum cætera suum habitura sint respondendi tempus, unum est quod differri non potest; id vero a remotioribus principiis ideo repetemus, ut intelligere possit, si volet, sua Celsitudo, & Consilium, ac civitas universa, Nos eam rem tua magis, & civitatis illius patriæ nostræ, quam nostra causa, quæ vere credimus te memorem esse, Nos a die assumptionis nostræ ad Summi Pontificatus apicem tam per oratores tuos ad Nos missos, quam per nostros, qui aliquali ex causa ad te venerunt, semper tuam Celsitudinem exhortatos fuisse, monuisse, ac requisivisse non solum, tanquam pastorem, & animarum vestrarum patrem, sed tanquam ex civitate unum singulorum, aut filium, ut si misericordiam a DEO nostro, si pacem veram, bonam, atque utilem habere cupiebatis, ab hujusmodi rerum Ecclesiasticarum retentione, ab aliisque pævaricationibus resipiscentes, animam commendaretis. Accidit postea cum apud tunc Basileense Concilium Ecclesiæ Aquilejensis occasione multas magnasque incurristis agitationes, tot postea, tamque magnas promissiones illas, quarum memor esse potes, per Oratores tuos publice feceris in ipso Concilio, in quo ex omni Christianorum natione Oratores, & viri præstantissimi affuerunt; procedente postmodum tempore, cum ab eodem Concilio excommunicationis laqueo innodati, & per orbem publicati fuissetis, non levem infamiam, neque contemnendum incurrimus odium, vos ad cautelam tam leviter absolvendo, & postquam vestræ contentiones cum Patriarcha illo inveteratæ erant, ipseque in multis honestatis terminos fuerat prætergressus, nullam vobis de hoc Patriarchatu molestiam ipso vivente dedimus; eo autem defuncto, timentes id quod magna jam ex parte evenit, ne aliqui illum peterent magnates vestræ Reipublicæ inimici, scripsimus vobis, ut cum eidem Ecclesiæ unum dare constituissemus, qui cum vester esset totus, nemini tamen adeo foret suspectus, quia honoris vestri rationem habuisse videremur, velletis vos disponere ad Ecclesiam ipsam cum suis juribus ipsi Patriarchæ consignari. Et postea pronunciato in Patriarcham Venerabili fratre, Ludovico, tunc Archiepiscopo Florentino, per literas primum, deinde per dilectum filium, Magistrum Johannem Carvajal, Sacri Palatii causarum Auditoris, & postremo per supradictum Cardinalem Venetiarum suasionibus apud vos, precibus, & quibuscumque potuimus modis institimus, ut dictam Ecclesiam cum juribus, & bonis suis dicto Patriarchæ consignaretis; quæ autem fuerit responsio vestra, vos omnes scitis, & Nos ob doloris, admirationisque magnitudinem nunc referre desinimus, sed rationes sæpenumero scriptas, & per nostros Oratores supradictos nostro nomine vobis dictas, ideo nunc replicare libet, ut si post nostram provisionem, quam rationabiliter in hac re statuimus, quidquam vobis adversi evenerit, vos ipsos & neminem alium incusetis, qui nostris consiliis, precibus & suasionibus, a summa in patriam charitate profectis, nolueritis acquiescere. Diximus sæpe, & identidem affirmamus offendi a Domino illo DEum nostrum in occupatione Aquilejensis Ecclesiæ, nec dubitari debere, quin a Majestate Divina ipsam misericordiam, quæ in vestris laboribus exinde minorem lentioremque habeatis; nam etsi certissime probatum est experimento, DEum ubique illis irasci a quibus Ecclesiarum jura impediuntur, hoc enim sæpenumero audivimus, majores nostros dicere solitos, & civitatem nostram & omnes alias, qui Ecclesiæ Aquilejensis terras & jura molestarunt, aliquod passos esse evidens detrimentum. Læditur secundo loco noster & Apostolicæ Sedis honor adeo, ut temporibus istis, quæ, ut nosti, turbulentissima sunt, non parva calumniatoribus nostris præstetur occasio de Nobis murmurandi, qui dicimur sponte permittere, quod præstans hæc inter Italiæ Ecclesias a secularibus, & uti dicunt ipsi, tyrannice teneantur. Affert idem suo illi Dominio & civitati ea retentio dedecus & infamiam per Christianum orbem, maxime attentis promissionibus, tam a te & publice factis per Oratores tuos in Concilio tunc Basileensi, in quo, ut diximus, tunc aderant ex universo orbe præstantes viri, qui nunc talia in tuum nostrumque dedecus prædicare non desinunt, & nisi aliter fiat, continuo pejus dicent; eam vero infamiam, ut ultimæ huic particulæ primo satisfaciamus, utrum negligas, nescimus, sed

Nos

Nos certe tenemus abesse non posse, quin istis temporibus DEus totis sensibus colendus maxima nunc innocentia placari oporteret. Quantum attinet ad honoris nostri partem, quæ fuit secunda, dicimus, eos judicio nostro non esse tam pauca de vobis meritos, ut non potius debeatis hanc rem nostram, et non vestram, tam sanctam, tam justam, tam rationabilem, a vobisque toties promissam facere, quam permittere, ut ipsius rei occasione ab æmulis susurronibusque, et quidem si id neglexerimus, merito laceremur, præsertim quando constet, damna nostra in vestrum etiam caput redundare. Respondent vero, ut audivimus, nonnulli ex vestris, vera esse, et ita se habere, quæcunque sunt dicta superius, sed obstare, et ne petitioni nostræ aunuatis, svadere temporum conditiones, quoniam periculosum nimis videatur, patriam Forijulii tanto labore, tantisque impensis quæsitam in Patriarchæ unius potestate relinquere, hoc præsertim tempore, quando tam multos in circuitu habetis hostes; quæ quidem responsio Nos ad instandum ardentiores facit, cum penitus sint contraria rerum vestrarum, quam Nos certe non minus, quam vestrum quisque et quærimus et optamus. Neque enim dubitabit aliquis, qui animum a passionibus semotum habeat, quin multi, imo omnes, ex iis, qui terris patriæ sunt vicini, diligentius abstinent a lædendo patriam Forijulii, suo Patriarchæ subjectam, quam, si eam viderint, a vobis, ut dicunt, tyrannice possideri, ac Venetorum commodo statutus erit locumtenens quispiam ex Concilio Venetorum; Nos autem, qui id in homine alienigena, & vobis ignoto fortassis fateremur, dicimus Patriarcham hunc a Nobis hoc tempore datum, quem non ignoratis, Venetum esse, a nemine ex his, aut fide, aut charitate erga patriam, aut diligentia superari posse, cum tamen ultra fidem & diligentiam, & ultra Patriarchalem auctoritatem aliquid in necessitatibus adjicere possit ad patriæ Forijulii defensionem, a Romanæ Ecclesiæ juribus & auctoritate, a propriisque, quas habet, facultatibus, quod nullo modo nobilis quispiam ex suo consilio facere posset; habes ex supra dictis causis rationes, quæ Nos impulerunt, ut cum vacaret Ecclesia Aquilejensis, potius præficeremus illi venerabilem fratrem, qui nunc est, Ludovicum Patriarcham, Venetum, quam aut ipsam diutius pateremur, quod nullo modo fieri potuisset, aut cogeremur aliquem ex petitoribus ejusdem, quorum nullus satis tibi fidus fuisset, facere Patriarcham; unde, nisi passionibus ducimini, intelligere potestis, Nos neque propria utilitate ductos, neque ut nostro familiari benefaceremus, quod DEI gratia aliter, & multis modis possibile Nobis fuit, eam provisionem fecisse, sed potius, ut in uno eodemque negotio satisfaceremus honori nostro, qui de tantæ diu a secularibus Ecclesiæ Aquilejensis cum vacavit, Patriarcham, qui patria fide, affectione, animo, voluntate non minus esset Venetus, non minus honoris status, & utilitatis Venetiarum patriæ, quæ Nos genuit, in omnium eventuum rationem esset habiturus, quam quilibet ex illis, quos tuum Dominium mittere pro locumtenentibus consvevit, eam rem tantopere optabilem, tantopere illi Dominio amplectendam, tum multis, ut nosti, quæsivimus modis, nec tamen impetrare potuimus, &, licet sciamus Nos, quantum ad Nos attinet, apud DEum, non tamen in hoc gaudemus, quia quanto magis excusati sumus in non tacendo, tanto magis aggravatum est peccatum vestrum in non parendo justis, piis, salutaribus monitis nostris; nec tamen ideo, aut permissuri sumus, quod ipse venerabilis frater Ludovicus Patriarcha in vim juramenti Nobis, & Ecclesiæ præstiti facere tenetur, contra vos procedat, aut Nos sententiam excommunicationis fulminabimus, vel ut civitatem, ut par esset, Ecclesiastico subjiciemus interdicto, cum potius ex animo doleamus, vos excommunicationem ipsam in gravi forma ipso facto incurrisse. Sed cum honorem vestrum usquequaque etiam velimus, Patriarcham prædictum ad aliam transferemus dignitatem, & sic dimittet Patriarchatum Aquilejensem, quem tamen, cum sit ex principalioribus Imperii dignitatibus, velimus, nolimus, cogemur dare ad requisitionem Regis Romanorum. Qui autem ille sit futurus, huc usque ignoramus. Sed unum scimus, quia Venetus non erit, prout nec unquam antea nisi hic noster quispiam fuit, & licet etiam eo casu diligenter curaturi sumus, ut vobis sit amicus, quem faciemus. Utinam, ne rei natura nostram superet potentiam & pro amicissimo vobis veniat inimicus. Datum Florentiæ 3. Idus Martii anno X.

XXIV.

Tabula fœderis, inter Matthiam, Hungariæ Regem, ac Ducem Dominumque Venetum sanciti, d. d. 12. Septembr. An. 1463.

IN nomine DEI æterni Amen. Postquam perfidus Turchus perpetuus Christiani nominis hostis victoriarum cursu vehementius elatus in dies factus est insolentior, modo hos modo illos potius quadam ejus sævitia, quam rei militaris peritia domuit, & ditioni suæ Græciam, Bulgariam, Serviam, Constantinopolim urbem olim opulentissimam, Peloponesum, Trapesundam, Moldaviam, & alia maritima loca, postremoque Bosniam, provincias omnes Christianum nomen profitentes, nullo propemodum repugnante subegit, ac etiam Christianæ religionis cultores, de quorum excidio jam dudum molitus est, sternere non definit; est sperandum in divina clementia summi Creatoris nostri, qui pro redemptione nostra tormentum crucis subire dignatus est, quod ab hujusmodi persecutionibus Turcorum hostium nunc fidelem populum suum Christianum liberabit, jamque ipse Pater omnipotens assiduis deprecationibus fidelium suorum, divinum auxilium implorantium, placatus, & quorum eversæ sunt domus, dissipatæ fortunæ, liberi in servitutem tracti, parentes crudeliter interempti, misericordia motus, victoriis illis tot Christianorum cruore pollutis, finem imposuit. Et ut victoriarum cursus adversum Turcos citius dirigatur, illustrissimum Dominium Ducale Venetiarum, in Turcorum nomen semper infestum, ad hoc bellum adversus Turcos suscipiendum una cum Serenissimo Domino Rege Hungariæ in hanc hodiernam diem excitavit, simulque societate & fœdere junxit, ut effrenata Turcorum audacia, quæ ulterius

rius ferenda non est, cum Mahometana fide tam ex mari, quam ex terra penitus deleatur, & ipsi sævissimi Turci sceleratissimi facinoris meritas pœnas luant.

2. Itaque Divino Numine adducti Serenissimus & Excellentissimus Dominus, Dominus Matthias, DEI gratia Rex Hungariæ &c. ex una, ex altera parte Illustrissimus Dominus, Dominus Christophorus Mauro, DEI gratia Dux, & inclytum Dominium Venetiarum unionem, intelligentiam, & ligam contra infidum Turcum optimo animo, & sincerissima mente unanimiter & simul conveniunt cum his modis infra scriptis, pactis, capitulis, conventionibus, promissionibus, & obligationibus pro conservatione sanctissimæ Christianæ religionis & amplificatione nominis CHristi summi Creatoris nostri. (Prima hujus fœderis pactio hæc fuit, Venetos tandiu aperto bello Turcam insectaturos, quandiu Matthias Rex cum eo bellum gereret: illos præterea instructuros classem quadraginta triremium, atque in loca maritima incursuros; per Dalmatiam etiam, perque Peloponesum pedestres equestresque acies ad distrahendum in pluribus locis hostem educturos. Obstrinxit se vicissim Hungarus per loca Turcico imperio contermina irrupturum cum exercitu validissimo adversus infideles: constitutumque est, ut nihil Veneti in limite Hungarico, nihil Hungarus in Veneto novarent, nec pars altera, altera non assentiente, cum Turca pacem conficeret. Reservatum præterea jus universis Regibus, Principibus, ac Ducibus accedendi huic fœderi, quod idoneis denique formulis communitum ac promulgatum est, adjecta loci & temporis nota his verbis:) Actum in Sirimio in Waradinopeta, in aula Serenissimi & Excellentissimi Domini Regis prædicti, anno Domini M CCCC LXIII. Indictione XI. die XII. Septembris, præsentibus Reverendissimis & dignissimis Dominis, Stephano Archiepiscopo Colocensi, & Joanne Episcopo Waradiensi; ac magnificis & potentibus Dominis Michaele, dignissimo Comite Palatino Regni Hungariæ, Nicolao Weywoda Bano Sclavoniæ, Comite Stephano de Frangipanibus Bano Croatiæ, Pamano Comite Zagoriæ, Bano Sclavoniæ, ac magnifico Domino Emerico Zapol, Regio thesaurario dignissimo, & aliis Dominis præsentibus & astantibus ad hæc vocatis & specialiter rogatis.

XXV.

Tabulæ fœderis, inter Paulum II. Pontificem Maxim. & Rempublicam Venetam stabiliti, d. d. 28. Maji, An. 1469.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac B. Marci Evangelistæ, totiusque Cœlestis curiæ triumphantis, anno a nativitate Domini M CCCC LXIX. Die vero XXVIII. mensis Maji Indictione II. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Domini Pauli, Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis anno V. &c. Primo ipse Reverendissimus Dominus S. Marci, nomine Sanctissimi Domini nostri pro se & Successoribus suis canonice intrantibus, & pro Sanctissima Romana Ecclesia suisque adhærentibus confœderatis, complicibus & obligatis; etiam præfatus magnificus Dominus Orator nomine Serenissimi Domini Ducis, & Illustrissimi Dominii Venetorum faciunt, firmant, ineunt, & contrahunt bonam, meram, & veram invicem confœderationem intelligentiam & ligam duraturam usque ad annos XXV. & ultra ad illud totum tempus, quod ipsis partibus placitum fuerit, ad mutuam conservationem & defensionem statuum, & contra omnes de cætero, non provocatos ac lacessitos, offendere volentes Sanctissimum Dominum nostrum, & Illustrissimum Dominium Venetorum, vel eorum alterum, seu eorum status: & hoc fieri intelligatur pro conservatione & tranquillitate pacis Italiæ.

2. Item convenerunt & concordarunt, quod ipse Sanctissimus Dominus noster tenere & habere debeat equites quatuor mille, & pedites tres mille paratos, & ipsum Illustrissimum Dominium similiter tenere & habere debet equites quotuor mille, & pedites tres mille, ut supra prædictum est, propriis sumptibus uniuscujusque partis, declarando, quando dictas gentes Illustre Dominium prædictum mittere debeat facta sigillatione capitulorum in Romandiolam ad omnem requisitionem Sanctissimi Domini nostri, ireque debeant ad ea loca, ad quæ sua Sanctitas, & Illustrissimum Dominium prædictum judicaverint mittendas esse, habita omni consultatione & deliberatione ad defensionem status & terrarum Sanctissimi Domini nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quo casu Sanctitas prædicta ipsis gentibus sic missis, vel earum parti, providere facere debeat de allegiamentis, stationibus & victualibus, quæ vendi debeant gentibus prædictis eo pretio & avantagio, quo venderentur gentibus Sanctissimi Domini nostri.

3. Item convenerunt, & concordes remanserunt dictæ partes, quod Illustrissimum Dominium prædictum, cum omni tempore super mare teneat potentem classem, obligatum sit, & se obtulit occurrente bello, quod DEus avertat, quocumque modo successerint negotia, quod ad maritimas vires attinet, sufficienter & tempestative providere ad omnia commoda statuum, & rerum Sanctissimi Domini nostri prædicti, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ supradictæ, absque aliqua impensa Sanctitatis suæ.

4. Item convenerunt & concordarunt partes prædictæ, quod occurrente casu, quo Illustrissimum Dominium prædictum ab aliquo Dominio vel potentatu non lacessito sive provocato offenderetur, Sanctissimus Dominus noster prædictus obligetur præstare & mittere in succursum præfati Illustrissimi Dominii equites duos mille, & pedites mille, illosque tenere propriis impensis toto tempore belli; quemadmodum præfatum Illustrissimum Dominium præstare, & mittere se obligat in Romandiolam, & alio, ubi necessarium judicatum fuerit per communem consultationem ambarum partium, & tenere usque ad bellum finitum prædictos equites quatuor mille, & pedites tres millie,

sua

suis propriis impensis (Additæ sunt aliæ pactiones, ut fœdus cum nullo Principe, vel populo Italico iniri posset, nisi pars altera pari conspiratione consentiret: daretur autem singulis facultas ut huic fœderi accederent: lapso ab hujus promulgatione mense, socios pars quæque suos designaret: si bello pars altera implicaretur, altera pacem conficere, altera dissentiente, nequeat.)

XXVI.

Tabulæ, cum de pace, tum fœdere mutuo, inter Ludovicum XII. Galliæ Regem ac Rempublicam Venetam pacto, agentes, d. d. 15. April. An. 1499.

PRimo quod Rex Christianissimus & Illustrissimus Dux pro eis, & eorum Successoribus Regibus Francorum, & Venetiarum Ducibus, atque excelsum Venetum Dominium sunt atque erunt perpetuis temporibus amici & confœderati modo & forma infra scriptis, adversus & contra omnes, nemine excepto, præter Romanum Pontificem modernum, qui, si sibi placuerit, poterit ingredi istud fœdus & amicitiam cum ipsis Christianissimo Rege & Illustrissimo Duce & Dominio Venetiarum. Qui quidem prædicti Christianissimus Rex & Illustrissimus Dux, & Dominium Venetiarum, erunt amici amicorum, & inimici inimicorum, ita & taliter, quod neuter eorum dabit unquam directe, vel per indirectum sub quocumque colore, causa & occasione, quæ dici seu excogitari possit, ulli Principi, Dominio, Communitati aut potentatui, quicumque sint, aut esse potuerint, favorem, præsidium, opem, aut auxilium contra & adversus alium.

Item, poterunt incolæ & subditi utriusque partis, ire, morari, mercari, & negotiari tute & secure per terram, mare, atque aquas dulces & flumina, in Patriis, Dominiis, & Provinciis alterius ditioni & imperio subjectis, perinde ac si essent veri & originarii incolæ & subditi illius Principis aut Dominii, cujus patrias et Dominium adibunt; nec patientur prædicti Christianissimus Rex, & inclytum Dominium Venetum in eorum patriis & Dominiis, tam terra quam mari, aliquos piratas aut prædones ad damnificandum subditos alterius, & licebit ipsis Christianissimo Regi & excelso Dominio Veneto, intra tres menses proximos a data præsentium numerandos, nominare & declarare suos amicos & confœderatos, quos volunt & intelligunt in ista amicitia & contentis in præcedentibus articulis comprehendi, quos quidem amicos & confœderatos unaquæque partium infra prædictum spatium insinuare tenebitur.

Item, quia prædictus Christianissimus Rex, summo auxiliante DEO, vult & intendit recuperare Ducatum Mediolanensem, Comitatum Papiæ, & alias Civitates, Terras, & Dominia, nunc per Dominum Ludovicum Sfortiam occupata, quæ sunt verum & antiquum patrimonium ipsius Christianissimi Regis, & ei hæreditario jure obvenerunt & spectant: Tractatum, actum, conventum, promissum, atque conclusum per Nos præfatos oratores, pro & nomine dictorum Illustrissimorum Ducis & Venetorum Dominii extitit, & est, quod toties, quoties antedictus Christianissimus Rex volet inferre arma & movere bellum, seu facere & indicere guerram prædicto Domino Ludovico, & aliis, qui pro tempore prædictos Ducatus, & Dominia, in totum sive in parte detinebunt, prædicti Illustrissimi Dux, & sui Successores, et inclytum Venetum Dominium indicent, et apte movebunt et inferent bellum prædicto Domino Ludovico, aut aliis dictorum Ducatus et Dominii detentoribus, quando et ubi prædictus Christianissimus Rex voluerit, et suæ Majestati expedientius videbitur, cum numero mille et quingentorum hominum armatorum, seu armigerorum virorum, et quatuor millium peditum ad minus, quem numerum armatorum et peditum ipsum Dominium Venetum est et erit obligatum tenere et stipendiare suis propriis sumptibus et expensis, usque ad totalem et integram recuperationem, ad opus, commodum et utilitatem præfati Christianissimi Regis, dictorum Ducatus Mediolani, Comitatus Papiæ, et cæterorum locorum, terrarum, et Dominiorum, per ipsum Dominum Ludovicum citra Bononiam detentorum, excepto Dominio Genuensi; ad quod acquirendum, seu recuperandum, prædictum Dominium Venetum non tenebitur præstare auxilium ipsi Christianissimo Regi. Non tamen poterit dictum Venetum Dominium modo aliquo directe vel indirecte, prætextu cujuscunque rei, coloris, aut occasionis, quæ dici aut excogitari possit, impedire Christianissimum Regem in acquisitione, seu recuperatione dicti Genuensis Dominii; neque prædicti Dux & Venetiarum Dominium præstabunt unquam aliquod auxilium, subsidium, favorem, præsidium, re aut verbis, quocumque modo dici aut excogitari possit, Genuensibus, & eis adhærentibus, contra & adversus ipsum Christianissimum Regem. Qui quidem Christianissimus Rex similiter incipiet & faciet bellum & guerram prædicto Domino Ludovico, aut aliis dictorum Ducatus & Dominiorum detentoribus, cum numero mille quingentorum armatorum virorum ad modum Italiæ, & quatuor millium peditum ad minimum, illos eodemque tempore quo voluerit, quod Dominium Venetum moveat bellum ipsi Domino Ludovico, & continuabitur prædictum bellum per Christianissimum Regem, et inclytum Venetum Dominium, usque ad totalem recuperationem Ducatus Mediolanensis et aliarum rerum prædictarum. Tamen si accideret, quod Turcus pararet magnam et potentem classem, et quod illam mitteret contra statum dicti inclyti Venetorum Dominii, seu recommendatos eorum de Arichipelago, Rhodum, aut aliquam partem Italiæ, his in casibus prædictum Dominium non tenebitur ad requestam Regis incipere guerram, seu bellum contra prædictum Dominum Ludovicum, quamdiu dicta classis Turci erit foris ad prædicta loca, ut supra dictum est. Si tamen jam inchoatum esset bellum contra prædictum Dominum Ludovicum, seu alium detentorum prædictorum Ducatus et Dominiorum, antequam Turcus mittat classem suam ad prædicta loca, vel aliquem eorum, dictum Dominium non poterit, prætextu dictæ classis, prætermittere, quin prosequatur, et teneatur prosequi efficaciter dictum bellum,

bellum, cum numero armatorum & peditum supra expresso, usque ad finalem & integram recuperationem antedicti Ducatus Mediolanensis, & aliorum Dominiorum supra specificatorum ad opus & utilitatem dicti Christianissimi Regis, prout supra dictum est, nisi de communi consensu & voluntate prædictorum Regis & Dominii, dictum bellum sic inchoatum pro aliqua urgente necessitate differatur.

Item, non poterunt prædicti Christianissimus Rex, & Illustrissimus Dux & Dominium Venetiarum facere, aut inire pacem vel treugas cum prædicto Domino Ludovico, aut alio seu aliis, contra quos moverint bellum communi consensu, nisi hoc fiat etiam communi consensu eorum accedente. Nec poterunt prædicti Christianissimus Rex, & excelsum Venetum Dominium, cum aliquo Principe aut Communitate facere pacem, inducias aut treugas, seu alium contractum, sine expressa & specifica denominatione alterius, tanquam amici & confœderati.

Item, si contingeret, Regem Romanorum movere seu inferre arma prædicto Christianissimo Regi, aut subditis suis, propter quod ipse Christianissimus non posset ita prompte dare operam, seu intendere ad recuperationem dicti Ducatus Mediolanensis, prædictum Venetum Dominium, quamprimum fuerit ad hoc a Majestate Regia requisitum, tenebitur facere & rumpere guerram prædicto Domino Ludovico, suis sumptibus & expensis, cum numero armatorum & peditum superius designato, tamdiu, quamdiu prædictus Rex Romanorum inferet bellum prædicto Christianissimo, Qui quidem Christianissimus etiam tenebitur eodem tempore movere guerram prædicto Domino Ludovico, cum tali numero gentium, quam commode poterit, consideratis negotiis, quibus tunc sua Celsitudo implicabitur; Ita tamen, quod dictus numerus sit sufficiens ad faciendum guerram dicto Domino Ludovico. Et similiter, si contingeret, prædictum Regem Romanorum, post publicationem hujus fœderis, inferre bellum prædicto Venetorum Dominio, aut subditis illius, hoc in casu dictus Christianissimus Rex dabit effectualiter prædicto Dominio omne bonum & legale auxilium contra ipsum Regem Romanorum, prout melius, & expedientius erit.

Item, ob considerationem sumptuum & expensarum, quas prædictum excelsum Venetorum Dominium faciet & sustinebit pro auxilio præstando ipsi Christianissimo Regi, ad prædictam acquisitionem seu recuperationem faciendam, prout ante scriptum est, & etiam pro securitate status dicti Dominii Veneti, ipse Rex Christianissimus contentus est, quod civitas Cremonæ, una cum territorio Cremonensi, & civitatibus, terris, villis, arcibus, locis & castellis omnibus, cum fluminibus, aquis, territoriis & pertinentiis suis quæ pertinent statui & Dominio Mediolanensi, quæ sunt ultra flumen Adduæ versus Cremam & Brixiam, simulque omnis ora fluvialis cum ripis ipsius fluvii Adduæ usque ad aquam exclusive (quod flumen & tota aqua illius integre remanebit ipsi Christianissimo Regi) sint prædicti Dominii Veneti, prædicta acquisitione dicti Ducatus & aliorum Dominiorum supra dictorum facta, & remaneant perpetuo pleno jure prædicto Dominio Veneto, illaque semper & libere tanquam sua detineat & possideat, excepto castro & loco Lechi, quod remanet & remanebit antedicto Christianissimo Regi, & suis Successoribus Ducibus Mediolani. Et promiserunt prædictæ partes, videlicet ipse Christianissimus Rex personaliter, & nos prædicti oratores nomine prædicti Dominii, & virtute mandati ab eodem Dominio Nobis directi, super sancta DEI Evangelia, & sub censuris & interdictis Apostolicis, bene, legaliter, & integre custodire, facere & observare, unaquæque partium respective quoad eam attinet, omnia & singula in præcedentibus articulis & capitulis comprehensa, secundum formam & tenorem illorum.

Quæ omnia & singula in præcedentibus articulis seu capitulis contenta, nos Oratores & Procuratores prædicti promittimus per juramenta nostra supra sacrosancta DEI Evangelia præstita, nomine quo supra, adimplere atque observare ad unguem & effectualiter procurare, quod antedictus Illustrissimus Dux & inclytum Venetum Dominium prædicta omnia in hoc præsenti tractatu & fœdere contenta, rata habebunt, atque suas literas ratificationis omnium & singulorum per nos, ut supra, gestorum in bona & debita forma expeditas prædictæ Regiæ Majestati transmittent infra Kalendas Julias proxime futuras, a data præsentium. In quorum fidem, robur, & testimonium, præsentes literas manibus propriis signavimus, atque sigillorum nostrorum appositione roboravimus. Datum Blesis, die 15. Aprilis, Anno Domini 1499.

XXVII.

Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, Mandatum, quo Leonardum Lauredanum, Ducem Venetiarum, ex Sacri Romani Imperii ditionibus proscripsit, atque banno affecit, d. d. 13. Junii, Anno 1509.

MAximilianus, DEI gratia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c. Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ Rex, Archidux Austriæ, Burgundiæ & Brabantiæ, Comes Palatinus &c. Reverendissimis, Illustrissimis, Illustribus, Generosis, Nobilibus, Amplissimis, omnibus & singulis nostris atque sacrosancti Romani Imperii nostri Electoribus, Principibus, Ecclesiasticis & secularibus Prælatis, Comitibus, liberis Baronibus, Dominis, Equitibus, Militibus, Capitaneis, Vicedominis, Burggraviis, Castellanis, Præfectis, Quæstoribus, Procuratoribus, Officialibus, Curatoribus, Prætoribus, Scabinis, Consulibus, Senatoribus, Rebuspublicis, Judicibus, Communitatibus, civibus, aliisque Nobis subjectis, cujuscunque demum sint honoris, gradus, conditionis, dignitatisve, dilectis nostris consanguineis & affinibus, Septemviris, Principibus, Venerabilibus, nostrique Imperii fidelibus devotis, gratiam & clementiam nostram Cæsaream & omne bonum.

Reverem-

Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, Illuſtres, Generoſi & Nobiles, dilecti Conſanguinei & Affines, Electores, Principes, devoti, fideles: quemadmodum una omnium ſapientum mente, unaque voce ſummum atque extremum in hoc mundo reputatur bonum, juſtitiam colere, alterum non lædere, & denique ſuum cuique tribuere; ita etiam ex contraria parte conſtanti omnium hominum conſenſione primum, ſolum, ſummum & ultimum malum eſt, quo nullum pejus nec publicæ pernitioſius utilitati, ſimul ac indomitæ effrenatæque animi cupiditati obtemperatum fuerit, violenta rerum alienarum invaſione, occupatione & retentione a juſtitiæ tramite deflectere, &, quod multo amplius eſt, non ſine inobedientia & contemptu Magiſtratus, & ejus mandatorum in ejusmodi contumacia præfracte perſeverare; maxime cum fieri non poſſit, quin ea ex re in Sacro Imperio diſſenſiones acerbæ, bella turbulenta, & periculoſa ſcandala, item exitioſa ac fœda exoriantur, ex quibus, niſi mature & in tempore huic malo ratione & conſilio occurratur, ſacro Imperio, publicoque bono luctuoſæ & fatales impendeant ruinæ.

Cum igitur Dux Venetorum, Leonardus Lauredanus (qui ad explendam cœci & temerarii ſui animi immoderatam & pertinacem bonorum alienorum cupiditatem Veronam & Vincentiam civitates, quæ cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis ſunt ex numero feudorum noſtrorum noſtrique Imperii, quæque a Nobis noſtrisque anteceſſoribus Romani Imperii, pro tempore exiſtentibus Imperatoribus & Regibus, Nobilibus, noſtris noſtrique Imperii, in dictis civitatibus Vicariis generalibus, dilectisque fidelibus Joanni ſeniori & Joanni juniori de Scala, eorumque majoribus jure ac titulo Vicariatus feudique per multos annos & tempora priora, recte beneque quidem conceſſæ, ſed non ita pridem ab aliquo Ducis illius Veneti Prædeceſſore, contra jus fasque violenter captæ & occupatæ ſunt, jamdudum detentavit, & etiamnum malo jure maloque more detinet & uſurpat, ob contumaciam ſuam, contemptum, voluntatem obſtinatiorem, & pervicaciam, qua ex ſententia & rebus judicatis in ſummo Imperii noſtri tribunali legitime juris ordine obſervato, & cauſa cognita impetratis decretis & proceſſibus pro reſtituendis ſupradictis civitatibus cum toto ipſarum territorio ac diſtrictu, juribus, omnibus commodis, pertinentiis, perceptisque fructibus dicto noſtro Vicario generali, qua ſimiliter pervicacia binis noſtris Imperialibus literis exequutorialibus & citationibus ſub pœna banni Imperialis eam ob cauſam contra ipſum diverſo tempore, diverſisque vicibus emanatis, earumque exequutioni in perſona ipſius factæ debito more modoque non obtemperavit, ſed illa omnia temerarie & pertinaciter ſprevit atque eluſit, quin & adhuc in earum rerum contemptione ac deſpicientia obſtinate hæret, prævia ſolenni & legitima citatione, facto proclamate, data ſufficienti dilatione, & omni altero ordine proceſſuque, ut juris & moris eſt, obſervato, in noſtrum, noſtrique Imperii bannum cecidiſſe, eique obnoxius factus, jure & judicio declaratus & pronunciatus ſit; quin etiam loco & nomine noſtro debitis conſuetisque ſolennitatibus, quemadmodum in Imperio inveterato plurimorum annorum uſu obſervatum, publice proſcriptus bannitusque, denunciatus & proclamatus, quemadmodum Imperiales noſtræ literæ exequutoriales ea de re emanatæ & in publicum datæ latius atque evidentius teſtantur & commonſtrant.

Nos autem cum ſumma moti ſollicitudine, tum Imperii adminiſtratione rerum publicarum, imprimis vero Sacri Romani Nobis crediti Imperii ſumme neceſſarium bonumque exiſtimamus, ſuum cuique diſtribuentem, juſtitiam colere, obſervare tuerique, eamque a refractariis & immorigeris contemptoribus Imperiali auctoritate & ſevera pœna defendere, propugnare, vindicare ac conſervare; decrevimus vigore ſæpius dictæ ſententiæ & impetratorum proceſſuum, qui tam actoribus ſupra nominatis, quam etiam ſaluti & emolumento auxilium & conſilium contra ejusmodi inobedientes & contumaces eorumque ſingularem inſolentiam & nefarium contemtum feratur, & adjungatur, ad legitimam rei judicatæ executionem tranſilire.

Quamobrem vobis omnibus & ſingulis devotis & dilectis noſtris, cunctis item noſtris, Imperiique noſtri ſubjectis fidelibus, & quibuscunque denique aliis notum facimus, denuntiamus & declaramus, dictum Ducem Venetum eſſe noſtrum Sacrique noſtri Imperii notorium proſcriptum, declaratumque bannitum. Eam ob cauſam vobis omnibus & ſingulis jam memoratis ex plenitudine Romanæ Cæſareæ Majeſtatis, & vi ſummi Nobis competentis imperii, jurisque & judiciorum auctoritate, hisce noſtris Imperialibus ſevere firmeque præcipimus, volumus, & jubemus, ut Ducem illum Venetorum non alium quam ejusmodi bannitum habeatis, nominetis, reputetis, vitetis, illum etiam imposterum in veſtris Principatibus, Ducatibus, Regionibus, Provinciis, diſtrictibus, territoriis, civitatibus, Arcibus, nundinis, pagis, villis, bonis, domibus, caſtris, receptaculis, nullatenus admittatis, recipiatis, foveatis, & occultetis: nec ipſum ad ſodalitatem edendi bibendique, multo minus ad jura promercalia emptionum, venditionum, ſocietatum, commerciorum, contractuum, pactorum, conventionum, fœderum, aut ullorum aliquorum negotiorum communionem, coitiones, collegia, ſocietatemve aſſumatis & adhibeatis; nec tale quid per veſtros quocunque modo vobis ſubditos fieri concedatis, neque per vos ipſos, neque per alios, clam aut palam, quacunque tandem ratione, prætextu modove id effectum dari poſſet, ſed ipſos corpus, bona, fortunas, ubicunque terrarum illa ſolo ſalove transvehentur, audacter & libere invadatis, rapiatis, occupetis, detineatis, manuum injectione vobis vindicetis, arreſtetis, capiatis, uſurpetis, vobis veſtroque bono teneatis & poſſideatis; inprimis vero ſæpedictis actoribus, ipſorum amicis, conſortibus, fautoribus, aliisque ipſorum nomine id ipſum libere, ſecure, & absque ulla impenſa & remuneratione in veſtris Principatibus, regionibus, & diſtrictibus facere permittatis. Eo fine ipſis etiam ſalvum veſtrum conductum, ſecuritatem, auxilium, opem, conſilium, adminiculum, præſidium, & fidem publicam præbeatis & concedatis, quoties id ab actoribus eorumve adhærentibus, univerſim aut ſeorſim, aut ab aliis ipſorum nomine locoque petitum

petitum fuerit, neutiquam committentes, ut ratione earum rerum impedimentum, aut obstaculum aliquod a vobis vel illis, qui vobis adjecti sunt, quos eadem facere & permittere severe compellatis, objiciatur, in eoque tantisper immorabimini, dum dictus bannitus seu proscriptus de pervicaci sua protervia, effrenato contemptu, & insolenti contumacia & inobedientia desistat, deque iis omnibus & banno Imperiali absolutus fuerit.

Ne quis autem hac in re ullam pœnam, censuram, mulctam, invidiam, damnum, aut quicquid ejus sit, temere & parum constanter metuat, hujusque rei intuitu excusationem aut prætextum aliquem quærere, quo utatur, possit: Decernimus, statuimus & volumus ex plenitudine absolutæ nostræ potestatis Imperialis, ut quicquid supra scripto modo adversus Ducis illius vitam, corpus, bona & fortunas deliberatur, constituitur, tractatur, & denique in effectu adimpletur, non censeatur in eo quicquam a quoquam contra Nos, & Sacrum nostrum Imperium, aut ullum alium aliquem injuste, illegitime, minusve recte factum, sed ab omnibus & singulis hæc omnia audacter, libere, fidenter, secure, absque omni metu, motuque recto & constanti animo, sine justificatione facti perfici & fieri posse & debere. Quinimmo contra hæc omnia proscriptum illum Ducem non juvabunt, non defendent, non excusabunt, ac tutabuntur ullæ immunitates, concessiones libertatum, exemptiones, privilegia, gratiæ, indulta, beneficia, exceptiones, præsidia, salvi conductus, securitates, remissiones, laxamenta, omniaque ejus generis alia a Nobis aut nostris Antecessoribus Regni nostri, Romanis Imperatoribus ac Regibus, aut aliis, ipsi bandito, aliisve concessa & tributa; multo minus ipsi patrocinabitur nostra nostrique Imperii universalis pax publica, aut privilegiata & privata residentiæ nostræ, nulla societas, nullum fœdus, nullum denique pactum aut negotium, quod ipsi bandito hac in re, commodo, emolumento & defensioni esse possit.

Volumus etiam, quod nullus ex vobis hoc in negotio alium respiciat, moras alterius suæ prætexat excusationi, alius denique alium expectet; sed ut hæc omnia quam primum, & quoad ejus fieri potest, a vobis omnibus, vel saltem qua unumquemque ea sors ratione debiti & officii concernit, graviter & strenue, ut supra scriptum, summa & extrema cum diligentia absolvantur perficianturque. Quod si feceritis, feceritis ea, quæ severa Imperialis nostra jussit mens, & voluntas a vobis desiderat. Qui autem Imperiale nostrum Edictum, Mandatum & Decretum temerario ausu negligere, floccique pendere veritus non fuerit, ipso jure & ipso facto nostri nostrique Imperii, bandi & conformidabilis proscriptionis, nec non aliarum pœnarum, multarum & censurarum reus erit, &, quod gravissimum, severo & vehementi Imperialis animi motui subjacebit. Quæ omnes & singuli sciant, & faciant.

Datæ Vormatiæ, XIII. Junii, Anno post natum Christum M. D. IX. Anno Imperii nostri Romani XXIV. & Hungarici anno vigesimo.

XXVIII.

Antonii Justiniani, Legati Veneti, Oratio ad Maximilianum I. Romanorum Imperatorem, Anno 1509. babita, in qua summis ab eo contendit precibus, ut Venetum nomen ab imminente interitu vindicet, ac Reipublicæ huic adversus reliquos ipsius hostes auxilium præstet.

VEteres Philosophos atque summos illis temporibus viros, Invictissime Cæsar, cum eam gloriam, quæ ex sui ipsius victoria comparatur, veram, firmam, æternam, immortalemque esse affirmarunt, eamque super omnia Regna trophæa, atque triumphos extulerunt, minime erraffe manifestum, certumque est. Hæc Scipioni majori tot victoriis claro, majorem splendorem, quam Africa devicta, & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donavit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, Deos immortales, ut Regnum suum stabilirent, precatus est: quod si secus statuissent, se non alium Successorem, quam tam benignum hostem, tam mansuetum victorem ab illis petere. Cæsar ille dictator, a quo Cæsaris cognomentum habes, & cujus fortunam, liberalitatem, magnificentiam, aliasque virtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in Deorum numerum referretur, dignus est judicatus? Denique Senatus, populusque Romanus, ille mundi domitor, cujus imperium in terris in te solo est, cujusque amplitudo & Majestas in te conspicitur, nonne plures populos atque provincias clementia, æquitate, & mansuetudine, quam bello, armisque imperio suo subjecit? Quæ cum ita sint, minime inter postremas laudes id tibi adscribetur, Cæsar, si cum victoriam adversus Venetos in potestate tua habeas, quam humanæ res caducæ sint, memor, ea moderate uti noveris, magis ad pacis studia, quam ad dubios belli eventus propensus. Quanta enim rerum humanarum inconstantia sit, quam incerti casus, quam dubius, varius, fallax obnoxiusque periculis sit mortalium status, externis priscisque exemplis ostendere non est opus. Satis superque Veneta Respublica docet, quæ paulo ante florens, splendens, clara atque ita potens erat, ut ejus nomen & fama non jam Europæ finibus contineretur, sed egregia pompa Africam Asiamque percurreret, atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret: hæc eadem nunc unico eoque levi adverso prælio rerum gestarum gloria orbata, opibus spoliata, lacerata, conculcata, atque eversa, omnium rerum ac præsertim consilii egens ita corruit, ut omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul dubio, falluntur Galli, si hæc propriæ virtuti tribuunt. Antehac enim Veneti gravioribus incommodis agitati, maximis detrimentis cladibusque perculsi atque attriti, nunquam animum abjecerunt, ne tum quidem, cum ingenti periculo cum sævissimo Turcarum tyranno multos annos bella gesserunt: imo semper ex victis victores facti sunt. Idem & nunc sperassent, nisi Majestatis Tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum vivida invictaque virtute audita, in

omnium

omnium animi concidissent, ut nulla non modo vincendi, sed ne obsistendi quidem nobis spes relicta fuerit. Quocirca armis abjectis, in Majestatis tuæ incredibili clementia, vel potius divina pietate spem omnem locavimus, quam nos rebus nostris perditis inventuras minime diffidimus. Itaque Principis Senatus, populique Veneti nomine, humili devotione supplices oramus, obtestamur, atque obsecramus, ut clementiæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, iisque salutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges, quas tu nobis imposueris, amplectemur: omnes justas, honestas, & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus. Sed fortasse, qui nobis ipsis mulctam imponamus, digni sumus; ad te verum & legitimum Principem omnia, quæcunque majores nostri Sacro Imperio & Austriæ Ducatui ademerunt, redeant: quibus, ut decentius veniant, omnia, quæcunque in continenti possidemus, adjungimus; quarum rerum juribus, quocunque modo partis, cedimus. Præterea quotannis Tuæ Majestati, & legitimis Imperii Successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus, imperiis, decretis, legibus, præceptisque tuis libenter obtemperabimus. Defende nos, quæso, ab illorum, cum quibus paulo ante arma nostra conjunximus, insolentia, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua ista clementia conservati, te urbis nostræ parentem, genitorem, conditoremque appellabimus: ingentia beneficia tua in annales referemus: liberis nostris perpetuo memorabimus. Nec vero parva hæc erit ad tuas laudes accessio, te primum esse, ad cujus pedes Veneta Respublica supplex se humi prosternat, cui cervices supponat, quæ velut DEum cœlo delapsum colat, revereatur, observet. Si DEus Optimus Maximus eam mentem majoribus nostris dedisset, ut res aliorum attingere non studuissent, jam nostra Respublica gloriæ plena reliquas Europæ civitates longe superaret, quæ nunc in squalore & fœtore languescens, ignominia probroque deformis, ludibrio atque contumelia referta, unico momento omnium victoriarum laudem amisit. Sed ut unde incepit, eo mea revertatur oratio: in tua potestate est, Cæsar, Venetis tuis ignoscendo & condonando nomen laudemque comparare, qua nemo unquam vincendo majorem splendidioremque adeptus est. Hoc monumentum nulla vetustas, nulla antiquitas, nullus temporum cursus ex mortalium mentibus delebit: sed omnia secula te pium, clementem, omnium Principum gloriosissimum prædicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod vivemus, quod auras cœlestes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæque tribuemus.

XXIX.

Julii II. Pontificis Maximi, Breve, ad Episcopum Gurcensem directum, in quo ei ante oculos ponit, quæ in Imperatorem Maximilianum I. redundare possent emolumenta, si cum Venetis Tractatus Pacis instituere haud gravaretur, d. d. 11. Februar. Anno 1510.

JULIUS.

Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus te esse in itinere ad Nos veniendi cum plena commissione Charissimi in Christo Filii nostri Maximiliani, electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, tractandi res Venetas, & ideo tibi significandum duximus, quid cum ipsis Venetis operati fuerimus: obtulerunt hactenus pro Investitura centum quinquaginta millia florenorum Renensium, pro annuo vero censu viginti millia, Nos tamen speramus eos majorem summam cito oblaturos. Utcumque tamen sit, tardare non debes; promittimus enim, quod una cum Oratore Ferdinandi Regis Arragonum, qui in hoc nomine & auctoritate Regis sui utetur, adducemus ipsos Venetos ad solvendum pro Investitura civitatum Paduæ & Tervisii cum earum solitis pertinentiis duntaxat tercenta millia florenorum, pro annuo vero censu illorum triginta millia florenorum Renensium: Quapropter te, dilectissime fili, quanto possumus studio & affectu hortamur, ut ad Nos venire non differas, sed acceleres, nam ut alias ad te scripsimus, rebus Cæsaris bene confectis cum magno incremento honoris tui redibis: Quam autem expediat rebus Cæsaris ac tuis, ad Nos quam primum sine cunctatione venire, ex literis dilecti filii Viti, affinis tui, & Oratoris Regis Arragonum antedicti, intelliges. Datum Bononiæ sub annulo Piscatoris die undecima Februarii, millesimo quingentesimo decimo, Pontificatus nostri anno octavo.

Articles proposés par le Pape Jules II. pour faire la Paix entre l' Empereur Maximilien I. & les Venitiens en Fevrier 1510.

Questi sono li Capituli che offerse la Santità del Papa alla R. S. de. Monsignor de Curco per quiete de Italia & per pacificar al Sacra Cesarea Maestà con Venetiani.

Imprimis, che Verona & lo Veronese & Vicenza con el Visentin romagnisse in perpetuo libero, & expedito a la Cesarea Maestà e sui Successori, Duchi d' Austria.

Item, chel dito Reverendo Gurcense tolesse la possessione de Padua & Terviso per nome de la Cesarea Maestà.

Item, che Feltre & Cividal de Belone fossen messi in deposito de la Santità del Papa & del Catholico Rè, & lor tignisse diti logi in deposito fin fosse adimpido li capituli soto scripti.

Item, chel Frioul fosse restitui al Patriarcha de Aquilegia, hac conditione, che sempre ex nunc quello fosse de jure patronato de la Cesarea Maestà & sui Successori, Duchi d' Austria.

Item, fato questo, che Venetiani, domandassenо Padua, con el Paduano & Terviso con el Tervisano in feudo de la Maestà Cesarea: & che sua Maestà fosse obligada dar ai diti Venetiani li sopraścripti logi in feudo & li Venetiani dovesse pagar per una volta tanto CCC. M. fiorini de Reno, & imperpetuo ogni anno XXX. M. fiorini per lo qual

qual feudo ho censo feva segurta la Santità del Papa & lo Catholico Re & lor Successori.

Item, fato questo, che la Santità del Papa doveva dar & consigniar à la Cesarea Maestà Feltre & Cividal de Belone.

Item, se offeriva Venetiani de non fabricar de novo in li diti logi, ne Casteli, ne forteze, ne tignir gente d' arme.

Item, che Venetiani tignisse alqunn logo che alias fosse sta de la casa d' Austria che quelli dovesse de facto restituir.

XXX.

Transactio de armistitio, per decem menses duraturo, Summo Pontifice & Arragoniæ Rege mediatoribus existentibus, inter Maximilianum I. Romanorum Imperatorem, & Rempublicam Venetam inita, d. d. 6. Aprilis, Anno 1512.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

NOtum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod cum sanctissimus Dominus noster, Dominus Julius II. Pontifex Maximus pro Pastorali ejus officio, clementia & charitate paterna suæ sanctitatis bonitatisque, quibus universos Christi fideles prosequitur: Et Serenissimus & Invictissimus D. Dominus Ferdinandus, Arragonum & utriusque Siciliæ Rex Catholicus continuo institerint, & Nuntiis, oratoribus & literis operati fuerint pro pace & quiete totius Christianitatis, præsertim pro expeditione ineunda contra infideles, ut bella, discordiæ, dissensiones, ac differentiæ, quæ hactenus viguerunt inter Serenissimum Principem D. Dominum Maximilianum Cæsarem, Romanorum electum Imperatorem semper Augustum, Archi-Ducem Austriæ, &c. & Illustrissimum & inclytum D. Ducem & Dominium Venetorum componerentur, sedarentur & tollerentur, ac inter eos fieret & concluderetur eorum medio & interventu, vera & firma pax & concordia perpetuo duratura, deventumque propterea fuerit eorum opera & laboribus ad certum conventum pacis, quam sortituram effectum Domino concedente sperandum & tenendum est in brevi, præsertim adveniente Illustrissimo Principe & Reverendo D. Domino Matthæo Electo Gurcensi, Consiliario dicti Serenissimi Cæsaris Maximiliani Imperatoris electi semper Augusti, qui de proximo venturus speratur cum plenissimo mandato & auctoritate.

Paternis igitur admonitionibus & exhortationibus prælibati sanctissimi D. N. Julii Papæ II. & dicti Serenissimi & invictissimi Regis Catholici, dicti Principes & Dominium moti, ne ante conclusionem dictæ pacis & interim, inimico humani generis operante, aliquid contingat, durantibus dictis bellis & dissensionibus inter eos, quod dictæ pacis ineundæ conclusionem & confectionem difficiliorem redderet, & eam aliquo modo turbare possit & impedire, ad infra scriptam Treugam, eorum nomine faciendam, per suos Procuratores devenire decreverunt.

Hinc est, quod hodie die VI. mensis Aprilis M. D. XII. Pontificatus prælibati sanctissimi D. N. D. Julii Papæ II. anno nono in ejus conspectu & ante pedes in præsentia Reverendissimorum in Christo Patrum, Domini Th. tituli sancti Nicolai Cardinalis Strigoniensis nuncupati, Domini Antonii de Monte, tituli sancti Vitalis, & Domini Petri de Accoltis, tituli sancti Eusebii Presbyterorum Cardinalium, & præsente me Melchiore de Campania, Cameræ Apostolicæ Notario rogato, personaliter constituti Magnificus & honoratissimus Eques, Dominus Hieronymus de Wisch, prælibati Serenissimi & Invictissimi Regis Catholici Orator, tanquam Nuncius & Procurator Serenissimi & Invictissimi Principis & D. Domini Maximiliani, electi Imperatoris, semper Augusti, habens ad hoc sufficiens & legitimum mandatum ab eodem Domino Imperatore ex una, & Magnificus Dominus Franciscus Foscarus, Eques, Orator, Syndicus & Procurator Illustrissimi Principis, Domini Leonardi Lauredani, Ducis, & inclyti Dominii Venetiarum, habens ad hoc speciale & sufficiens mandatum partibus ex altera, quorum Mandatorum tenor sequitur & est talis: &c.

Nomine & vice dictorum suorum Principalium devenerunt, consenserunt, & concluserunt & firmaverunt treugam & inducias inter eorum Principales & Dominos inviolabiliter & firme observandas infra terminum infrascriptum, sub modis, conventionibus, & Capitulis ac pœnis infrascriptis sequentibus, eorumque Principales observaturos inviolabiliter promiserunt.

In primis convenerunt dicti Procuratores nominibus, quibus supra, quod a præsenti die & per totum mensem Januarii, proxime futuri, & non ultra, inter Serenissimum Cæsarem Maximilianum, electum Imperatorem semper Augustum, ex una, & Illustrissimum Dominum Ducem & Dominium Venetorum partibus, ex altera, de omnibus bellis, discordiis & differentiis inter eos quomodolibet vertentibus, sint veræ, firmæ, & indubitatæ Treugæ, induciæ, & cessationes ab armis inter eosdem Principes & Dominos, & illorum subditos Duces & milites, Dominia, loca & terras, ita quod hinc inde nulla penitus alteri molestia, vel aliqua vis inferatur, vel fiat in bonis vel personis, rebus in eodem statu & terminis remanentibus, in quibus in omnibus & per omnia ad præsens reperiuntur & sunt.

Item, convenerunt, quod dictæ Treugæ & induciæ, ut supra deductæ, durent inter dictas partes a die præsentis stipulationis usque ad per totum mensem Januarii, proxime futuri, & non ultra, vel usque ad diem pacis perpetuæ ineundæ inter dictas partes, si illam infra dictum tempus fieri contigerit, ut speratur, quæ Treugæ & induciæ expirare & cessare intelligantur & spirent ipso facto, elapso dicto termino, absque intimatione sive *disdicta*, nisi infra dictum tempus sequatur pax, & remaneant hinc inde libere in eisdem terris *in quibus* sunt ad præsens.

Item, convenerunt præfatæ partes, quod Illustrissimus Dux & inclytum Dominium Venetorum debeant solvere & actualiter numerare dicto Serenissimo

fimo Domino Maximiliano, Cæsari electo Imperatori semper Augusto vel ejus legitimo Procuratori, Summam & quantitatem XL. M. Ducatorum auri largorum boni auri & justi ponderis in Ducatis auri sive in Raieris Ranensibus auri boni & justi ponderis, qui dictam Summam XL. M. Ducatorum auri largorum faciant & constituant modis & terminis infrascriptis, videlicet, medietatem dictorum XL. M. Ducatorum auri largorum præfato Domino Imperatori, seu Nuntio, sive Procuratori dicti Serenissimi Domini Imperatoris legitimum & sufficiens mandatum ad ratificandum dictam treugam & inducias, & præmissa omnia & singula, & eorum quilibet, ac ad recipiendum & ad quietandum de receptis in forma transmittendo ab eodem Domino Imperatore ad dictam civitatem Venetiarum, cum fuerit missus libere & absque ulla dilatione sive exceptione: Aliam vero medietatem dictorum XL. M. Ducatorum auri largorum, Illustrissimo Principi & Reverendo in Christo Patri D. Domino Mathæo, Electo Gurcensi, Cæsaris Consiliario & Procuratori prælibati Cæsaris de proximo venturo ad urbem pro conclusione dictæ pacis in transitu suo, quem faciet per dictam civitatem Venetiarum, vel alteri per dictum Cæsarem deputando, habenti legitimum mandatum, postquam præiibatus Reverendissimus D. Mathæus, Electus Gurcensis, in Dominium temporale Ecclesiæ Romanæ se receperit, quam solutionem dictus Magnificus D. Franciscus Orator, Syndicus & Procurator dictorum Illustrissimi Ducis & Dominii, promisit, quod dictus Dux & Dominium facient pure, realiter & cum effectu in terminis suprascriptis, dicto Cæsari Imperatori semper Augusto, & pro sua Majestate dictis Procuratoribus & Nuntiis, mandatum legitimum habentibus.

Item, remanserunt concordes & convenerunt dicti Procuratores nominibus quibus supra, quod in casu & eventu, in quibus sequatur pax, quam DEus optimus, pro sua clementia & bonitate sequi permittat, ut speratur, dicta summa XL. M. Ducatorum auri largorum, sic ut præmittitur, soluta, computari debeat & computetur ac deducatur de summa & quantitate pecuniarum solvenda per dictum inclytum Ducem & Dominium Venetorum prædicto Serenissimo D. Maximiliano Cæsari Imperatori electo semper Augusto, juxta formam & tenorem Capitulorum Pacis inter eos componendæ, dictaque summa & pecuniarum quantitas dimminuetur & diffalchetur, ac perinde habeatur ac si tunc manualiter solveretur.

Item, convenerunt, concordaverunt & promiserunt prædicti Procuratores nominibus quibus supra, solemni stipulatione interveniente, dictas inducias & Treugam inviolabiliter tenere, custodire & observare durante dicto tempore, & quod eorum Principales vel eorum quilibet tenebit, custodiet, & observabit, prout in præsentia Sanctissimi D. N. Papæ et in manibus mei Notarii infrascripti promiserunt, & tactis Sacrosanctis Scripturis juraverunt ad Sancta DEI Evangelia in animam eorum Principalium, attendere, custodire & observare, absque ullo dolo & fraude sub pœnis perjurii fractæ pacis sive treugæ & induciarum, & majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ per contravenientes, & interdicti in Dominiis & Regnis contravenientium.

Item, convenerunt dicti Procuratores quibus supra nominibus, eorum Principales & illorum quilibet, dictas inducias & treugam præmissa omnia & singula, & eorum quodlibet specialiter & expresse infra terminum duorum mensium a die præsentium inchoandorum, ratificabunt promulgabunt & firmiter observabunt, sub pœnis infrascriptis.

Pro quorum omnium & singulorum præmissorum observatione, videlicet, quod dicti Principes & Dominium prædicti, omnia, ac Treugam & Inducias supradictas, pro tempore quo sunt factæ, tenebunt & observabunt, prælibati Sanctissimus D. N. Julius Papa II. Pontifex Maximus, præsens, & Serenissimus & Invictissimus Dominus Ferdinandus, Rex Catholicus, per organum dicti Magnifici Hieronymi de Vich, ejus oratoris, promiserunt, & se sub verbo Magnatum obligaverunt contra violatores Treugæ & Induciarum prædictarum procedere, & ad represallias bonorum, rerum, & personarum contravenientium procedi facere & mandare in eorum dominia.

Et insuper prælibatus Sanctissimus D. N. pro majori & firmiori robore præmissorum mandavit dictis partibus, & pro eis dictis Procuratoribus & Syndicis, nomine suorum Principalium intervenientibus, præsentibus, audientibus & intelligentibus, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ in Principales, & interdicti in Regna, Dominia & terras contravenientium ipso facto incurrendis, ut Treugam & Inducias prædictas modo & forma supradictis, stipulatis, & factis, inviolabiliter attendere & observare debeat.

Acta fuerunt hæc Romæ in Palatio Apostolico, in Aula Sanctissimi D. N. Papæ prælibati ante conspectum Suæ Sanctitatis, & in præsentia prædictorum Reverendissimorum D. Cardinalium, ibidem præsentibus Illustrissimo D. Domino Constantino de Cominato, Macedoniæ Principe, & R. D. in Christo Patribus D. Francisco, Archiepiscopo Jardensi, & D. Nicolao Capeniga, Episcopo Neocastrensi, D. Bartholomeo de Rivetto, D. Francisco Accursio, Cubiculariis secretis Sanctissimi D. N. Papæ, & D. Petro Grimano, milite Hierosolymitano, Priore Hungariæ, testibus, & me, Melchiore de Campania, Notario Cameræ Apostolicæ, rogatis ac requisitis.

XXXI.

Tabulæ Pacis & Fœderis, contra Maximilianum I. Romanorum Imperatorem, inter Ludovicum XII. Galliæ Regem, & Rempublicam Venetam stabiliti, d. d. 23. Martii, Anno 1513.

IN Christi nomine, Amen. Anno salutis millesimo quingentesimo decimo tertio, die vicesima tertia Martii, ante Pascha, in Blesis. Cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, Salvatoris Domini nostri JEsu Christi, exaltationem atque amplitudinem totius

totius Christianæ Religionis, honorem & commodum amborum statuum, videlicet Serenissimi & Christianissimi Principis, Domini Ludovici, hujus nominis duodecimi, DEI gratia Francorum Regis, Ducis Mediolani, &c. & inclytissimi Venetorum Dominii, bona, vera, fidelis atque perpetua pax, renovatio amicitiæ, confœderationis & ligæ perpetuo duraturæ, facta, inita, & conclusa extitit & est inter præfatum Christianissimum Regem Franciæ, Ducem Mediolani, suo & Successorum suorum nomine usque ad infinitum, parte ex una; & magnificum & clarissimum Dominum Andream Gritti, Procuratorem Sancti Marci, & circumspectum Aloisium Petri Secretarium, Nuncios, Syndicos, & Procuratores speciales Illustrissimi Domini Leonhardi Lauredani, Ducis, atque excelsissimi Venetiarum Dominii, parte ex altera, cum pactis, modis, conditionibus, articulis, & Capitulis infra scriptis.

Primo, quod præfati Rex Christianissimus & Illustrissimus Dux pro eis & eorum Successoribus, Regibus Francorum, & Venetiarum Ducibus, atque antedictum Venetum excelsum Dominium, sunt atque erunt perpetuis temporibus amici & confœderati, modo &, forma infra scriptis, adversus & contra omnes & quoscunque, nemine omnino excepto, etiamsi suprema dignitate fulgerent. Hoc tamen declarato, quod reservetur locus honorificus Sanctissimo Domino nostro Pontifici Maximo ingrediendi hoc fœdus, sine tamen præjudicio præsentis confœderationis, & cum omnibus aliis modis, conditionibus & Capitulis in præsenti contractu contentis. Qui quidem præfati Christianissimus Rex, & Illustrissimus Dux, & Dominium Venetorum, erunt amici amicorum, & inimici inimicorum, ita & taliter, quod neuter eorum dabit unquam directe vel indirecte, sub quocumque colore, causa, aut occasione, quæ dici aut excogitari possit, ulli Principi, Domino, Communitati, aut Potentatui, quicumque sint, aut esse poterunt, favorem, subsidium, opem aut auxilium contra & adversus alium.

Item, poterunt incolæ & subditi utriusque partis, ire, morari, mercari & negotiari tute & secure per terram, mare, atque aquas dulces & flumina, in patria, Dominiis, & provinciis alterius ditioni & imperio subjectis, perinde ac si essent veri & originarii incolæ & subditi illius Principis & Dominii, cujus patrias & Dominium adibunt. Nec patientur præfati Christianissimus Rex & inclytum Venetum Dominium in eorum patriis & Dominiis tam terra, quam mari, aliquos piratas aut prædones ad damnificandum subditos alterius.

Item, quia præfatus Christianissimus Rex, summo auxiliante DEO, vult & intendit in præsenti recuperare Ducatum Mediolani, & omnes alias civitates, terras, castra, loca & Dominia ipsius Ducatus & Dominii Mediolani, & quæ sua Majestas recuperavit a quondam Domino Ludovico Sfortia, quæ postmodum ei occupata fuere, & nunc occupantur per quoscumque, sint qui velint: ex alio latere, quoniam præfatus Illustrissimus Dux & Dominium Venetum volunt & intendunt in præsenti recuperare omnes civitates, terras, castra, fortalitia, arces & loca, quæ ipsi possidebant ante præsens bellum, quæ postea occupata fuerunt, & nunc occupantur per quoscumque, sint, qui velint, tractatum, conventum, conclusum & provisum est, quod præfatus Serenissimus Dux, & Illustrissimum Dominium Venetorum indicent & aperte movebunt & inferent bellum contra omnes & singulos detinentes, & occupantes dictum Ducatum & Dominium Mediolani, civitates, terras, castra, fortalitia, loca & dominia ejusdem Ducatus, ut supra, cum eorum exercitu, tam hominum armatorum, quam equitum levis armaturæ, & peditum stipendiatorum, sumptibus & expensis præfati Dominii Venetiarum, cum una bona banda artillariæ sufficienti & idonea pro tali expugnatione facienda, usque ad totalem & integram recuperationem dicti Ducatus & Dominii Mediolani, & omnium villarum castrorumque dicti Ducatus & Dominii Mediolani, ut supra, & quæ tenebantur per præfatum Christianissimum Regem in prima recuperatione dicti Status & Dominii Mediolani, de Anno Domini 1499. & etiam, prout in tertio capitulo confœderationis factæ inter præfatos Christianissimum Regem & illustrissimum Dominium continetur, & juxta formam & tenorem ipsius capituli, tam circa Ducatum & Dominium Mediolani, quam circa Dominium Januense, prout in ipso capitulo continetur; Christianissimus autem Rex teneatur eodem tempore mittere exercitum suum in sufficienti numero tam hominum armatorum & levis armaturæ, quam peditum & artillariæ, sumptibus & expensis Suæ Majestatis, pro facienda dicta expugnatione & recuperatione tam Status Mediolani, ut supra, quam omnium civitatum, villarum, castrorum, arcium & fortalitiorum, quæ præfatum illustrissimum Dominium possidebat ante præsens bellum, ut supra, declarando tamen, quod civitates Cremonæ & tota Glara Abduæ, cum suis districtibus & territoriis, & omnibus locis, castris, villis, fortalitiis, fluminibus & aquis suis, quæ omnia ante præsens bellum possidebantur ab Illustrissimo Dominio Veneto, & antea per quondam Dominum Ludovicum Sfortiam, quæ vigore septimi Capituli primæ confœderationis pervenerunt in manus Illustrissimi Dominii Venetiarum, sint & esse intelligantur, & remaneat Serenissimo & Christianissimo Regi præfato, ac illustrissimum Dominium Venetorum cedit & transfert omne jus præfato Serenissimo & Christianissimo Regi & Successoribus suis, tam maribus, quam fœminis. Crema autem cum toto suo territorio, & similiter Bergomum & Brixia cum territoriis suis, castra, fortalitia, villæ, aquæ, flumina, jurisdictiones, & omnia alia loca, quæ prius possidebantur ab illustrissimo Dominio Veneto, sint & esse libere intelligantur Illustrissimi Principis & Dominii Venetorum, Serenissimus & Christianissimus Rex cedit & transfert omne jus suum, si quod forte haberet, præfato Serenissimo & Illustrissimo Venetorum Dominio: dicta autem loca, arces, terræ, urbes & fortalitia, quæ recuperabuntur, tam pertinentia & spectantia Christianissimæ Regiæ Majestati, quam illustrissimo Dominio Venetorum, prout de die in diem recuperabuntur, ita consignentur *immediate*, & remaneant in manibus Dominorum suorum, ut supra.

Item, conventum & promissum fuit, quod circa defensionem communium Statuum in Italia, tractari

ctari debeat & concludi cum deputatis aut deputandis a Christianissima Majestate sua, cum deputatis, aut deputandis ab Illustrissimo Dominio Venetorum, & per illum modum & formam quæ ambabus partibus visa fuerit conveniens, procedendo semper in omnibus sincere & bona fide, prout inter bonos & veros amicos decet.

Item, Conventum & provisum fuit, quod subditi civitatum & locorum Lombardiæ, spectantium Illustrissimo Dominio Veneto, qui causa Christianissimæ Regiæ Majestatis exularent, & eorum bona confiscata, seu suspensa, aut quovis modo impedita fuissent ab ipso Illustrissimo Dominio, ab exilio liberentur, & eorum bona ipsis restituantur, sicuti erant ante præsens bellum. Et similiter, si subditi civitatum & locorum prædictorum Lombardiæ causa Illustrissimi Dominii præfati exules essent facti a Christianissima Majestate, & eorum bona, quæ haberent in locis & Dominiis Christianissimæ Majestatis, essent confiscata, vel suspensa, aut quovis modo impedita, quod revocentur ab exilio a Christianissima Majestate, & in bonis suis existentibus in locis & Dominiis Christianissimæ Majestatis restituantur.

Item, circa artillarias quæ reperientur in Brixia & in aliis locis & fortalitiis spectantibus Illustrissimo Dominio, de cætero recuperandis, conventum & firmatum fuit, quod artillariæ, quæ fuissent Christianissimæ Majestatis, sint & esse debeant ipsius Christianissimi Regis.

Item, quod tam stipendiati, quam Nobiles, cives, & subditi Illustr. Dominii Venetiarum, captivi Regii, & qui in Regno Franciæ & in cæteris Dominiis Majestatis suæ reperientur, libere & immediate relaxentur, prout convenit veræ amicitiæ & confœderationi, quæ nunc firmatur inter prædictas partes. Ut similiter omnes stipendiarii, Nobiles, cives & subditi Christianissimæ Majestatis, qui forent captivi in urbibus Illustrissimi Dominii, libere & immediate relaxentur.

Item, conclusum & firmatum fuit, quod in reliquis omnibus habeatur relatio ad Capitula præcedentis alliianciæ, confœderationis, & ligæ, quæ quidem Capitula firmata, renovata, & stabilita remaneant in suo robore & vigore in partibus non repugnantibus recuperationi Statuum ambarum partium, ut supra, & præsentibus Capitulis & tractatui.

Et promiserunt prædictæ partes, videlicet ipse Christianissimus Rex personaliter, & præfati magnificus & clarissimus Dominus Andreas Gritti, &c. & circumspectus Aloisius Petri, Secretarius, nomine præfati Dominii, &c. Datum in nostro Ducali palatio die 11. Aprilis, 1513.

XXXII.

Instrumentum, de illo agens negotio, quo Cardinalis & Episcopus Gurcensis in Leonem X. Pontificem Maximum, compromisit, quod ipsi, nomine Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, cum Venetis Tractatus Pacis instituere, pacemque facere sit integrum, d. d. 23. Novembris, Anno 1513.

Romæ, die XXIII. Novembris MDXIII.

CONstitutus personaliter coram me Notario & testibus infrascriptis Reverendissimus Dominus, D. Mattheus S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Angeli, locumtenens generalis & procurator Serenissimi & Excellentissimi Domini D. Maximiliani, Romanorum Imperatoris electi semper Augusti: asserens hujus notitiam Illustrissimum Dominum Ducem & Dominium Venetorum de omnibus differentiis & controversiis, contra eos & Cæsaream Majestatem vertentibus, compromissum fecisse in Sanctissimum D. N. Leonem, divina providentia P. P. decimum, volens etiam ipse Sanctitati suæ morem gerere, compromisit ejusmodi differentias in Beatitudinem suam nomine Cæsareæ Majestatis, a qua sufficiens mandatum ad id habentem asseruit, & pro qua de rato promisit, cum similibus facultate, arbitrio, potestate, pactis, & conditionibus in ipsorum Dominorum Ducis & Dominii Venetorum mandato contentis; promisit insuper prænominatus Reverendissimus D. Matthæus Cardinalis & locumtenens quod præfata Cæsarea Majestas quodcumque laudum per prælibatum S. D. N. ferendum, ratificabit infra mensem, postquam illud latum fuerit, & promissa omnia adimplere & observare promisit & juravit in pectore more Prælatorum, hoc tamen addito, quod hujusmodi compromissum habeat durare per quindecim dies a die stipulationis præsentis contractus inchoandi, quo termino elapso remaneat absolutus & liber. Acta fuerunt hæc in palatio Apostolico, præsentibus ibidem Magnifico & Illustrissimo D. Hieronymo Vich, Oratore Catholicæ Majestatis Regis Hispanorum, & D. Alberto de Carpi, Cæsareæ Majestatis etiam Oratore, testibus ad hæc vocatis, habitis atque rogatis.

XXXIII.

Tabulæ Pacis, de mutua eorum, quæ in Italia utraque pars possidebat, defensione, inter Franciscum I. Galliæ Regem, & Venetos conclusi, d. d. 18. Octobris, Anno 1517.

FRanciscus, DEI gratia Francorum Rex, Mediolani Dux & Genuæ Dominus, universis præsentes literas visuris ac inspecturis notum facimus, quod Nos pro corroboratione ac majori firmitate & declaratione tractatuum jam pridem factorum conclusorum, & initorum inter quondam bonæ memoriæ Ludovicum Regem Christianissimum defunctum, socerum nostrum, ex una; & inclytum Venetarum Dominium exalia; tractavimus & conclusimus cum præfato Domino tractatum, cujus tenor sequitur, & est talis:

Christi nomine invocato, Amen. Noverint universi & singuli, quod anno Salutis 1517. die 8. mensis Octobris, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI Salvatoris nostri, exaltationem atque amplitudinem Christianæ Religionis, honorem & commo-

commodum Statuum Sereniſſimi ac Chriſtianiſſimi Principis, Domini Franciſci, hujus nominis primi, DEI gratia Francorum Regis, Ducis Mediolani, & Genuæ Domini, & inclytiſſimi Venetiarum Dominii, conventum & concluſum fuit inter præfatum Chriſtianiſſimum Franciæ Regem, Mediolani Ducem & Genuæ Dominum, ſuo & Succeſſorum ſuorum nomine usque in infinitum, parte ex una; & Magnificum & clariſſimum Dominum Joannem Baduarium, Doctorem & equitem, Syndicum & Procuratorem ſpecialem Illuſtriſſimi Domini Leonhardi Lauredani, Ducis, atque excellentiſſimi Dominii Venetiarum, parte ex altera; quod quamvis fœdus & liga alias inita, concluſa & ſignata Bleſis die 23. Martii, anno 1512. inter bonæ memoriæ quondam Sereniſſimum Ludovicum Regem Chriſtianiſſimum, ex una: & Procuratores, nec non Syndicos Illuſtriſſimi Domini Leonhardi Lauredani, & inclytiſſimi Venetiarum Dominii, ex altera; & poſtmodum per dictum Ducem Venetiarum, die 11. Aprilis, Indictione prima anni milleſimi quingenteſimi decimi tertii Venetiis ratificata & approbata, & deinde per eundem Ducem, poſt deceſſum dicti quondam bonæ memoriæ Ludovici, Chriſtianiſſimi Regis, iterum approbata per literas diei 26. Martii, anni 1515. more Romano computando, nec non pariter confirmata per jam dictum Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum, Franciſcum I. hujus nominis, Regem Chriſtianiſſimum, per ſuas patentes literas diei viceſimi ſeptimi menſis Junii, 1515. Summo tamen Pontifice Leone X. & bonis Eccleſiæ quoad offenſam reſervatis, ut ſuis literis eodem die & anno per Robertetum Secretarium receptis, in præſentia Magnifici Domini Marci Danduli conſtat, ſit firma & valida, & nulla majori indigeat validitate. Tamen ad evidentiorem omnium notitiam, & ut omnes intelligant, præfatos Sereniſſimum & Chriſtianiſſimum Regem, & Illuſtriſſimum Ducem & Dominum Venetiarum, arctiſſimo vinculo conjunctos eſſe, futurosque perpetuo & indiſſolubili nodo optimi ſincerique fœderis vinctos, voluerunt præfatam ipſam ligam, ſicut præfertur, initam & confirmatam, refirmare & renovare per præſentem tractatum, ſicque eam cum omnibus pactis, conditionibus & articulis præſenti tractatui non repugnantibus, refirmant, renovant, voluntque & intendunt, eam remanere debere in ſuo robore & vigore, Summo tamen Pontifice, Leone X. & bonis Eccleſiæ quoad offenſam, ut ſupra, exceptis.

Verum, cum in præfato fœdere & alliancia ſit capitulum, dicens, quod circa defenſionem communium Statuum in Italia tractari debeat, & concludi cum deputatis aut deputandis a Chriſtianiſſima Majeſtate, una cum deputatis aut deputandis ab Illuſtriſſimo Dominio Venetiarum, per illum modum & formam, quæ ambabus partibus videbitur conveniens, procedendo ſemper in omnibus ſincere & bona fide, prout bonos & veros amicos decet, conveniens & neceſſarium viſum eſt ambabus partibus antedictis, per præſentem tractatum dare modum & formam præfato capitulo. Ideoque præfatus invictiſſimus & Chriſtianiſſimus Rex Franciſcus promittit, & ſe obligat, habere & tenere in Italia continue tam pacis tempore, quam belli, ad conſervationem, tutelam, & defenſionem communium Statuum in Italia Lanceas octingentas more Galliæ; & ſi forte evenerit, quod aliquis Princeps, Potentatus, Dominia, Communitates, ſeu quivis alius, quocunque nomine nuncupetur, etiamſi ſuprema dignitate fulgeret, bellum inferrent, vel inferret, & actualiter invaderent vel invaderet Statum, terras, vel Dominia Illuſtriſſimi Dominii Venetiarum, in Italia, ſe obligat & pollicetur, & obligatum eſſe vult, & intendit dare in auxilium & ſubſidium præfato Illuſtriſſimo Dominio prædictas Lanceas octingentas, & etiam pedites ſex millia, & unam bandam artilleriæ ſufficientem & idoneam: & hæc omnia & ſingula ſumptibus & expenſis ſuis, videlicet ipſius Regis Chriſtianiſſimi, usque ad bellum finitum: Illuſtriſſimus autem Princeps & excellentiſſimum Venetiarum Dominium promittit & ſe obligat habere & continue tenere ad conſervationem, tutelam & defenſionem communium Statuum, tam tempore pacis, quam belli, in Italia, octingentas Lanceas more Italiæ.

Item, ſi occurret, quod aliquis Princeps, Potentatus, Dominia, Communitates, aut quivis alius quocunque nomine nuncupetur, etiamſi ſuprema dignitate fulgeret, inferret vel inferrent bellum, & actualiter invaderet, vel invaderent ſtatum, terras vel dominia præfati Regis Chriſtianiſſimi in Italia, pollicetur & ſe obligat & obligatum eſſe vult, & intendit dare in auxilium & ſubſidium præfato Chriſtianiſſimo Regi prædictas Lanceas octingentas, & equites levis armaturæ quingentos, & pedites bonos, & in facto belli expertes, ſex millia; item unam bandam artilleriæ ſufficientem & idoneam; & hæc omnia ſumptibus & expenſis videlicet ipſius Illuſtriſſimi Dominii usque ad bellum finitum; & hoc promiſerunt & promittunt ſupraſcriptæ ambæ partes ſervare & adimplere, eveniente caſu, bona & ſincera fide, & ſine aliqua exceptione, prout veros amicos, bonos, & excellentiſſimos decet.

Item, promiſerunt ambæ partes, videlicet ipſe Chriſtianisſimus Rex perſonaliter, & præfatus Magnificus orator nomine prædictorum Illuſtriſſimi Ducis & Inclytiſſimi Dominii Venetiarum, & virtute mandati inferius inſerti, bene, legaliter, & integre cuſtodiri facere & obſervare omnia & ſingula in præſenti tractatu contenta, & juraverunt ſupra ſancta DEI Evangelia, videlicet Chriſtianiſſimus Rex pro ſe & jam dictus Orator in animam præfati Illuſtriſſimi Ducis, & inclytiſſimi Dominii Venetiarum, cuſtodire & obſervare, & fideliter adimplere jam dictum tractatum.

In quorum teſtimonium, Nos Franciſcus, Rex Chriſtianiſſimus, has præſentes manu noſtra ſignatas, ſigillo noſtro munire fecimus, & Nos Joannes Baduarius, Syndicus & Procurator prædictus, *ſigno* noſtro manuali ſubſignavimus, & ſigillo *noſtro* munivimus, anno & die, quibus ſupra.

XXXIV.

XXXIV.

Sententia Interdicti atque Excommunicationis a Paulo V. Pontifice Maximo, contra Rempublicam Venetam, ejusdemque incolas, lata, d. d. 17. April. Anno 1606.

PAolo Papa V. A' nostri Venerabili fratelli Patriarchi Arcivescovi, Vescovi dello Stato di Venezia, A' loro Vicari Generali, ed a' tutti gli Abbati, Priori, Primiceri, Archidiaconi, Arcipreti, Decani, Curati, Rettori, ed altre Persone Ecclesiastiche, tanto secolari, che Regolari, costituiti in dignità Ecclesiastica nello Stato di Venezia, salute, ed Apostolica benedizione.

Da qualche mese in quà ci è venuto à notizia, che ne' anni passati il Doge, ed il Senato di Venezia ànno fatto ne' loro Consegli molti decreti contrari all' autorità della S. Sede, alla libertà, ed Immunità Ecclesiastica, come altresì repugnanti alli Concigli Generali, a' Sagri Canoni, ed alle Costituzioni Papali. E trà gli altri uno delli 23. Maggio dell' anno 1602. coll' occasione di certa discordia nata trà il Dottore Francesco Zabarella d' una parte, ed i Monaci di Praglia dell' ordine di S. Benedetto della Congregazione di Monte Cassino dall' altra; col quale è vietato a' que' Monaci, ed à tutti gli altri Ecclesiastici dello Stato, secolari, ò regolari, come altresì alle Monache, ed agli spedali d' acquerire, per l' avvenire beni immobili sotto pretesto che ne sono Padroni diretti, od altrimente, senza pregiudicare al diritto del loro diritto dominio. Un' altro delli 30. Genaro 1603. passato nel Pregadi, il qual porta: Che il divieto fatto altre fiate di fabricar Chiese, Conventi, Spedali, ed altre case Religiose in Venezia senza licenza del Senato fosse osservata per l' avvenire in tutte le Città, e luoghi dello Stato sotto pena di bando di prigione perpetua, e della vendita de' fondi à profitto del publico contro quegli, che violarebbero l' ordine. Un terzo delli 26. Marzo 1605. col quale il Doge ed il Senato fondati sovra un' altro decreto del 1536. che per quanto dicono vietava sotto certe pene di lasciare ad Ecclesiastici per Testamento, ò donazione trà vivi, beni immobili in Venezia per opre pie; nè d' impegnarle, od aglienarle sotto qualsisia pretesto; se non per un tempo determinato (Il che non era stato ben' osservato fino à quel tempo) non solamente ànno rinuovato questo stesso divieto, mà l' ànno steso in tutte le Città, e terre dello Stato loro, dove l' ànno fatto publicare da' Rettori, e Podestà che le governano, sotto le stesse pene portate nel decreto del 1536. Oltre ciò noi abbiamo saputo che il Doge, ed il Senato ànno fatto imprigionare Scipione Saraceno, Canonico di Vicenza, e Brandolino Valdemarino, Gentiluomo del Friuli, Abbate di Nervesia nella Diocesi di Treviso, persona costituita in dignità Ecclesiastica per certi delitti che s' imputano loro; Pretendendo che ànno tal potere in virtù d' alcuni privilegi concessi, per quanto dicono da alcuni de' nostri Predecessori. E perche tai decreti roversciano i diritti, che la Chiesa gode in virtù de' trattati e convenzioni fatte co' Prencipi e fanno gran pregiudicio all' autorità della S. Sede Apostolica ed alla nostra, agli antichi statuti, e diritti delle Chiese, ed altri privilegi, ed immunità Ecclesiastiche. Il che tende alla perdita delle anime del Doge, e de' Senatori come altresì allo scandalo di molti; gli autori di queste leggi sono incorsi nelle Censure Ecclesiastiche ordinate da' Sagri Canoni, da' Concigli generali, e da' sommi Pontefici, e nella privazione di tutti li feudi, e beni, ch' eglino tengono dalle Chiese, delle quali Censure, e pene non possono esser' assoluti, nè liberati che da noi, ò nostri Successori, sendo anche inabili, ed incapaci di ricevere l' assoluzione, se non rivocano prima le leggi, che ànno fatte, co' nuovi editti, e decreti, e non rimettono tutto nello stato primiero. Mà come il Doge, e Senato, doppo varie rimostranze, ed esortazioni paterne che abbiamo loro fatto da qualche mese in quà, non si sono ancora posti in dovere di rivocare le loro leggi, e ritengono tuttavia il Canonico Saraceni, e l' Abbate Brandolini nelle prigioni, senz' aver mai voluto consegnarli, come lo dovevano, al nostro diletto fratello Orazio, Vescovo di Jeracea, nostro Nuncio Residente appo d' essi: Noi che non dobbiamo tolerare in modo alcuno, che la libertà, & immunità Ecclesiastica sia violata, nè che l' autorità della S. Sede, e la nostra sia dileggiata, conformandoci a' decreti di Molti Concigli Generali, e secondo le vestigia d' Innocenzo III. Alessandro IV. Clemente IV. Martino IV. Bonifacio VIII. Bonifacio IX. Martino V. Nicolo V. ed anche alcuni altri Papi, nostri Predecessori, di cui alcuni ànno revocato à tempo loro simili statuti fatti contro la libertà Ecclesiastica, come di ragione nulli, invalidi, e senza effetto, e li ànno dichiarati per tali; e gli altri ne sono venuti fino à publicare scommuniche contro i facitori di tai ordini; Doppo averne deliberato maturamente co' nostri Venerabili fratri, li Cardinali della S. C. R. quantunque tai decreti, ed Editti del Senato sudetti siino da se stessi nulli, invalidi, e senz' effetto col conseglio però, e consenso di detti nostri fratelli noi dichiariamo ancora di nuovo con questo breve, che sono nulli, invalidi, e senz' effetto, e di niuna forza, e valore, e che alcuno è tenuto ad osservarli. E di più, coll' autorità di Dio Onnipotente, e de' Beati Apostoli Pietro, e Paulo, e colla nostra noi scommunichiamo, e denunciamo per iscommunichati il Doge, ed il Senato della Republica di Venezia, che sono oggidì, e saranno nell' avvenire, come altresì i loro fautori, Consiglieri, ed aderenti tutti in generale, e ciascuno in particolare: quantunque non nominati particolarmente; volendo che i loro nomi, e cognomi siano tenuti come espressi con queste presenti, se nel termine di 24. giorni à cominciare dal giorno dalla publicazione delle presenti che si farà in Roma; (de quali assegniano gli 8. primi per il primo termine, gli 8. secondi per il secondo; e gli ultimi otto per l' ultimo, e perentorio, e per un' ammonizione Canonica) il Doge, ed il Senato non rivocano, cassano, & annullano i detti decreti, e quanto è stato fatto in virtù di quelli, senz' eccezione, scusa, nè pretesto veruno, e non li fanno scancellare da' loro archivi,

archivi, e libri, dove sogliono registrate gli atti publici; Se non fanno sapere in ogni luogo della loro giuridizione, dove saranno stati publicati, che sono rivocati, cassati, ed annullati, e che niuno è tenuto ad osservarli. Se non ristabiliscono tutto nello stato primiero con promessa di non far più per l' avvenire simili decreti contrari alla libertà, immunità, e giuridizione Ecclesiastica, alla nostra Autorità ned à quella della S. Sede Apostolica; Dandoci contezza della revocazione, cassazione, soppressione, dichiarazione, di nullità fatta a' loro soggetti, e dello ristabilimento delle cose nello stato primiero; Ed in fine se non rimettono, e consegnano effettivamente il Canonico, e l' Abbate prigionieri, trà le mani del Vescovo d' Jeracea, nostro Nuncio. E non potranno essere assoluti da questa scommunica sotto qualsisia pretesto, ò ragione, che da Noi, ò nostri Successori, se non in articolo di morte; mà talmente che se alcuno, avuta l' assoluzione, si risani, ricaderà nella stessa scommunica, purche non ubbidisse quanto potrebbe a' nostri commandi; e che quegli, che moranno doppo l' assoluzione non possino però esseresotterrati in terra santa, finche non si sia ubbidito al contenuto del Monitorio. Che se doppo i 24. giorni il Doge, ed il Senato persistono ancora trè giorni nella loro ostinazione (il che non piaccia à Dio) aggravando questa sentenza discommunica, noi mettiamo da questo momento, e come faressimo allora, la Città di Venezia, e generalmente tutti li luoghi, che ne dependono in interdetto. Si che ned in Venezia, ned in alcuna Città, ò luogo del suo Dominio, ned in alcuna Chiesa, Oratorio particolare, ò Capella Domestica, non si potrà dire la Messa, nè celebrare l' ufficio divino, ned in particolare, ned in publico, eccettuato nel caso permesso, e concesso di diritto commune, ed allora ciò non si potra fare altrove, che nelle Chiese, ed ancora à porte chiuse, senza suonar campane, e senza ammettervi le persone interdette. E gl' indulti, e Privilegi di qualsivoglia natura, e qualità non potranno servire al contrario, ned alle Chiese Secolari, ned alle Regolari; Ned anche à quelle, che dependono immediatamente dalla S. Sede, ò che sono del Padronato del Doge, e del Senato per fondazione, od altrimente; quando anche sarebbero tali, ch' elleno non fossero contenute sotto la legge generale, e che ne bisognasse fare menzione speciale, ed individua. Di più noi priviamo e dichiaramo privati anche d' adesso il Doge, ed il Senato, e ciascuno in particolare ed in suo nome privato, d' ogni bene Ecclesiastico, che tengono in feudo dalla Chiesa Romana, ò d' altre Chiese, come altresì d' ogni privilegio, indulto, che ànno ottenuto da' nostri Predecessori, e specialmente del potere di procedere contro i Chierici in certi casi, e delitti. Esse il Doge, ed il Senato continuano nella loro contumacia, e nelle loro ostinazione. Noi ci riserbiamo, ed a' nostri Successori d' aggravare, e riaggravare le censure, e le pene Ecclesiastiche contro d' essi, e loro Aderenti, fautori, e Conseglieri, e di ordinare ancora altre pene ed impiegare altri rimedi, secondo la disposizione de' sagri Canoni, non ostanti tutte le Costituzioni, Ordini Apostolici, Privilegi, Indulti, e Brevi contrari à questo concessi al Doge, ed al Senato in generale, od in particolare di non poter' esser' interdetti, sospesi, nè scommunicati. I quali noi deroghiamo con queste specialmente, ed espressamente per questa volta.

Ed affinche questo monitorio venga in cognizione di ciascuno, Noi vi commandiamo, ed imponiamo con queste lettere a' tutti unitamente, ed à ciascuno in particolare Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, Vicari Generali, ed altri, in virtù di S. ubbidienza, per il timore del Giudicio Divino, e sotto pena di sospensione, e di privazione delle vostre entrate, ed anche delle vostre dignità, benefici, e carichi Ecclesiastici, come altresi della voce attiva, e passiva, e tutte le altre pene, nelle quali potesse incorrere à nostro riguardo, che doppo aver ricevuto le nostre lettere, od averne avuto avviso, le publichiate, ò facciate publicare nelle vostre Chiese quando vi sara concorso di popolo, e poi affiggere alle porte delle stesse Chiese. In fine noi vogliamo che sia data fede alle copie anche stampate, che saranno soscritte da un Notaro, e suggellate col suggello di qualche persona costituita in dignità Ecclesiastica, come agli originali, che vi dirizziamo, e che la publicazione di tal monitorio fatto in Roma, dove è stato affisso secondo il solito alle Porte delle Chiese di S. Giovanni Laterano, e del Prencipe degli Apostoli, ed à quelle della Cancellaria Apostolica; ed in Campo di Fiore, ubblighi tanto il Doge, il Senato, e tutto il Clero dello Stato di Venezia, come se fosse stato presentato, ed intimato à ciascuno d' essi, e di voi in particolare. Dato in Roma sotto l' annello del Pescatore li 17. Aprile 1606. il primo del nostre Ponteficato.

M. Vestrius Barbianus.

XXXV.

Leonardi Donati, Ducis Veneti, adversus sententiam Interdicti atque Excommunicationis antea insertam, Protestatio, d. d. 6. Maji An. 1606.

LEonardo Donato, per gratia di Dio Duce di Venetia, &c. Alli Reverendissimi Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi di tutto il Dominio nostro di Venetia, & alii Vicarii, Abbati, Priori, Rettori delle Chiese Parochiali, & altri Prelati Ecclesiastici, salute. E venuto à notitia nostra, che il XVII. Aprile prossimo passato per ordine del Santissimo Padre Paulo Papa V. è stato publicato, & affisso in Roma, vn asserto Breve, fulminato contra Noi, & il Senato, & Dominio nostro, diretto à Voi, del tenore, & continenza, come in quello. Per il che ritrovandosi in obligo di conservare in quiete, & tranquillità lo stato datoci da Dio in governo, & mantenere l' autorità di Prencipe, Che non riconosce nelle cose temporali alcun superiore, sotto la divina Maestà, per queste nostre publice lettere protestiamo innanzi al Signor Dio, & à tutto il Mondo, che non habbiamo mancato di usare tutti li modi possibili per render la Santità sua capace delle validissime, & insolubili ragioni nostre; prima per

mezzo

mezzo dell' Oratore nostro, Residente appresso la sua Santità: Poi per lettere nostre responsive alle Brevi, scrittici da lei; & finalmente per un' Oratore espresso, mandatole à questo effetto; mà havendo trovate chiuse le orecchie della Santità sua, & vedendo il Breve sudetto essere publicato, contra la forma d' ogni ragione, & contra quello, che le divine Scritture, la dottrina delli Santi Padri, & li sacri Canoni insegnano, in pregiudicio dell' autorità secolare donataci da Dio, & della libertà dello stato nostro, con perturbatione della quieta possessione, che per gratia divina sotto 'l nostro governo, lì fedeli nostri soggetti tengono delli beni, honore & vite loro, & con universale, & gravissimo scandolo di tutti; non dubitiamo punto tenere il sudetto Breve non solo per ingjusto, & indebito, mà ancora per nullo, & di nissun valore, & così invalido, irrito & fulminato illegitimamente, & de facto, nullo juris ordine servato, che non habbiamo reputato convenire l' usar contra quello li remedii, de' quali li nostri Maggiori, & altri Prencipi supremi si sono valuti con li Pontefici, quali nell' adoperare la potestà datali da Dio in edificatione, hanno trapassati li termini, massimo essendo certi, che da voi, & dalli altri fedeli nostri soggetti, & dal Mondo tutto sarà tenuto, & reputato, per tale. Assicurandoci, che voi, si come fino al presente havete atteso alla cura delle anime delli nostri fedeli, & al culto Divino, il quale per la vostra diligenza fiorisce in questo nostro stato al pari di qualconque altro, così all' auvenire continuarete nell' istesso ufficiò pastorale. Essendo deliberatione nostra fermissima, di voler continuare nella Santa Fede Catolica & Apostolica, & nell' osservanza della Santa Chiesa Romana, si come li Maggiori nostri, dal principio della fondatione di questa città, fin' al presente, per Divina gratia hanno continuato. Et queste nostre vogliamo che ad intelligentia di tutti siano affisse nelli luoghi publici di questa nostra città, & di tutte le altre nostre fedeli suddite al Dominio: essendo certi, che una publicatione tanto manifesta anderà all' orecchie di tutti quelli, ch' hanno havuto cognitione del sudetto Breve, & pervenirà anco à notitia della Santità sua, quale preghiamo Dio nostro Signore, che inspiri à cognoscere la nullità del Breve suo, & delli altri atti fatti contro di Noi, & conosciuta la giustitia della nostra causa, ci accresca l' animo à servare la riverenza verso la Santa Sede Apostolica, della quale Noi, & li Nostri Precessori insieme con questa Republica siamo sempre stati, & saremo devotissimi. Data nel Nostro Ducal Palazzo à VI. di Maggio, nella indittione quarta Anno 1606.

Giacomo Girardi, Secretario.

XXXVI.

Senatus Veneti Literæ Patentes ad hujusce Reipublicæ Civitates atque Communitates, ob Sententiam Interdicti superius insertam, directæ, de Anno 1606.

Avendo Dio stabiliti li Prencipi per esser Vicari, e suoi luoghitenenti in terra, ed in tal qualità governare gli uomini, e conservare la società civile, ciascuno ne' suoi Stati particolari; così com' egli solo governa tutto l' Universo per la sua bontà, e per la sua prudenza infinita. La Republica di Venezia, esatta sempre nel sodisfare al suo dovere verso i Popoli, hà voluto per un' affetto paterno, che hà per tutti gli abitanti delle Città dello Stato suo, che sono suoi propri membri, farli consapevoli di tutte le leggi, e' statuti ch' essa hà stimato poter loro essere d' utilità non essendole meno à cuore l' interesse di queste Città, che quello della stessa Città di Venezia. Come vi è dunque un ordine antico fatto, gia sono molti secoli, col quale è vietato d' alienare, impegnare, ne vendere beni immobili ad Ecclesiastici in Venezia, e nel Ducato, perche non essendovi più speranza che tai beni ritornino mai nelle mani de' Laici, quando ne sono una fiata usciti, importa molto al ben publico d' impedire gli acquisti continui, che quei fanno à grave danno di tutti li Cittadini, che in fine non potrebbero, più supportare i carichi dello Stato, nè contribuire quanto devono alla Patria siasi in pace, od in guerra, se si spogliassero delle loro possessioni ed immobili. A che volendo la Ser. Republica di Venezia remediare di paura, che un' abuso introdotto con tanta confusione, non si stendesse nelle alte Città, e luoghi della sua ubbidienza, dove gli Ecclesiastici ânno tanto fatto colla loro scaltrezza, aiutati dalla simplicità delle persone pie, e devote, che il quarto, ed anche il terzo de' fondi ed altri beni immobili è stato loro alienato; il Senato hà ordinato, che tal legge, che prima non era, che per lo Ducato di Venezia, sia adesso osservata in tutte le Città, e Terre del suo Stato, stimando esser' ingiusto, che voi portiate incessantemente i carichi, ed imposizioni publiche, mentre le persone, che non servono à niente, od almeno à poca cosa, godino quietamente, e senza far niente i beni, che i vostri Antenati ânno acquistato col proprio sangue. In che il Senato s' uniforma all' esempio di tutti gli altri Prencipi Christiani, che ânno fatto simili ordini. Questo non risguarda, che i soggetti, ed i beni Laici, e non isminuisce in modo alcuno i beni spirituali, e degli Ecclesiastici, à chi la Republica lascia la libertà dotale d' acquistare, e di ricevere doni in danari contanti, od in ogn' altra cosa mobile equivalente; ed anche beni immobili, purche sia con licenza, e consenso del Senato. E come i beni Ecclesiastici sono difesi, e conservati da' Prencipi à spese del Publico: Così egli è giusto, che gli Ecclesiastici ne faccino parte a' Prencipi, come ânno giudicato li Concigli nelle necessità publiche, siasi in pace, od in guerra. Succede altresì sovente, che sotto mantello di Religione s' introducono nelle Città, forme d' uomini stranieri, che fabricano Chiese, Case, ed Oratori in luoghi sospetti, e scommodi alla sicurezza publica, ed i quali, oltre che seco loro portano costumi, ed usi contrari a' quelli del paese, producono cattivissimi effetti, quando altro non sarebbe che di dividere le limosine, che non ponno

Li Sudditi d' ambe le parti, tanto per Mare, quanto per Terra, possano nelli Dominii d' ambe le parti trafficar, e negoziare con quiete, e sicurezza, senza che alcuno gli sia d' impedimento; e tanto li Veneziani, quanto altri Sudditi delli Prencipi Christiani, che viaggiano con li Vascelli delli Signori di Venezia, possano sani, e sicuri andar, e venire senza che Persona alcuna possa recargli molestia, e farli Schiavi; e per tale effetto s' habbi à protestar efficacemente alle Milizie de gl' Algierini, Tunesini, e Tripolini, & ad altri, a' quali conviene simil protesto, accioche in guisa alcuna non possano commetter azzione contraria alle Imperiali Capitolazioni, e venerabile Pace, e medesimamente pratticare lo stesso colli Popoli della Fortezza di Dulcigno essistente alle Spiaggie del Mare, perche inguisa alcuna non possano sortir' incorso, & accioche non recchino alcun danno alli Bastimenti mercantili, e che intieramente gli siano impediti gl' insulti, e le molestie agli stessi, gli venghino levate dalle loro mani le Galeotte con ordine che non possano fabricarne d' altre, così che quei tali, che in auvenire procederanno in contravenzione degl' Imperiali Comandamenti, e della venerabile Pace, con prendere l' ardire di depredare li Bastimenti Mercantili, quei Capitali, robba, e qualsisia altra cosa, che havessero saccheggiato, sia fatta restituire a' proprii Padroni, risarcito da loro il danno, e rilasciati anco in libertà quei tal, che fossero stati fatti schiavi da essi; e simili malviventi, come conviene per Giustizia, siano ad essempio d' altri con

con il condegno castigo, severamente, e rigorosamente puniti, volendo che presentati che saranno gl' Imperiali segni, & Nobili Comandamenti concessi in tale proposito ne' tempi passati da' Regnandi Sultani, siano intieramente dal canto Imperiale rinuovati, confermati, e col loro contenuto esseguiti.

Articolo XVI.

Che seguendo ne' confini contese, & inimicizie per causa d' homicidii, ò altra sorte di differenze all' ora s'habbi coll' intelligenza delli Comandanti di quel confine à decidere sopra luogo per Giustizia con rettitudine, oviando li motivi di qualsisia sorte di contese affinche non sia di mestiere passino reclami all' Eccelsa Porta, & alli Signori di Venezia, applicando la possibile diligenza di decider la causa sopra luogo, siche non si possa portar alcun disturbo alle parti, & in caso che non si potessero in qualche maniera accordare sopra luogo le differenza, all' ora s'habbi con tutta integrità à portare le relazioni.

Articolo XVII.

Che li Mercanti Veneziani, che haveranno, à riscuotere da qualcheduno sì per ragione di compreda, e vendita, d' imprestito, e credito, di negozio, e pieggiaria, & altro che giuri dicamente gli s'aspetta, facendo la pretensione per Giustizia, e riscuotendolo coll' assistenza del Mubassir, ò sia Sopraintendente, si debba di quel Denaro, che sarà riscosso, contribuire per dritto, al Mubassir, e Zaus, nella forma che si contribuisce nelli Fori, in raggione di due aspri per cento, nè pretendere debbano dritti di maggior Somma, e li Mercanti, Consoli, e Dragomanni, & altri Sudditi della Republica, e delli Paesi soggetti alla medesima nelli loro Negozii, che accadessero nel custodito dominio, sia di compreda, di vendita, di crediti, d'imprestiti di Mercanzia, di pieggiaria, e d'altre giuridiche pretensioni, che insorgessero, debbano andare dal Cadi à far registrar il contratto, e prender Coreto, ò altra valida Scrittura, e poi seguendo contesa s' habbia da osservar il Coreto, la Scrittura, & il Registro, & in conformità della Giustizia esseguire, e quando non vi fosse una di queste, e che per Giustizia bisognasse ascoltare le cause loro habbiano li Giudici col vigore della Giustizia giustamente, e rettamente ad ascoltarle, e li Testimonii, che sararno prodotti, siano nella forma dovuta con tutta diligenza essaminati, e riconosciuti, che non siano mendaci, improbi, iniqui, overo incolpati d' alcun delitto, nè siano ascoltate le testimonianze delle Persone, che sono note con simili diffetti repugnanti all' admissione della testimonianza, acciò non sia possibile, che sia pratticata alcuna ingiustizia, ò torto, nè si possa pronunziare sentenza sopra di essi con simili testimonii inigui subornati con donativi, e regali; e se fosse segvita sentenza, s' intenda invalida, acciò che in nissuna maniera segua torto. E se alcuno de' Mercanti Veneziani e Capitanii delli Vascelli si facesse Turco nel custodito dominio, se la Nave, e Mercanzia, che vi sarà dentro, non fosse sua, mà che apparisca per Giustizia essere di Mercanti Veneti, overo delli Paesi di quelli soggetti à Venezia, non sia molestato, nè oltraggiato da alcuno, mà il Bailo di Venezia, e loro Console prendano dalle sue mani il Bastimento, e le Mercanzie, che vi fossero dentro, per mandar le alli loro Padroni, perche non resti sopra d'esso quello che di raggione appartiene ad altri.

Articolo XVIII.

Vertendo liti trà un Veneziano, e l' altro li Baili loro habbino d' ascoltarle conforme il costume loro senza che alcuno sia d' impedimento. E se alcuno havesse qualche differenza col Bailo sudetto nella Città di Constantinopoli, alla Felice Porta sia la causa ascoltata nell' Imperial Divano. Trovandosi però il Gran Signore alla guerra, all' ora simili litiggi vertenti col Bailo debbano essere ascoltati dal Comandante destinato alla custodia di Constinopoli coll' intelligenza del Giudice, e se alcuno havesse qualche differenza, ò pretensione concernente al Negozio de' Mercanti Veneziani, habbiano ad andare dal Cadi, mà non ritrovandosi presente il Dragomanno di Venezia, il Cadi non habbi ad ascoltare le difference loro; essi però usando difficoltà non devono differire col dire ch' il Dragomanno non è presente, anzi devono farlo comparire; e se il Dragomanno loro si trovasse occupato in affari premurosi, si debba aspettare fin' al suo ritorno. Li Baili non essendo pieggi non possano da persona alcuna per gli altri debiti essere molestati, nè astretti al pagamento; absentandosi però li debitori, li creditori possano andar à cercarli, dove fossero andati, la dove coll' intelligenza del Giudice, ò Comandante possano fare le pretensioni giustamente, e rettamente; mà se fosse fuggito alli Paesi soggetti à Venezia, habbi il Bailo à rappresentar il fatto alla Republica, aociò si usino diligenze per la ricupera del suo.

Articolo XIX.

Che alli Musulmanni di Barbaria, & oltre di questi alli Mercanti d'altri Paesi, che per traffico tanto per terra, quanto per mare di passaggio capitassero nelli Paesi Veneti, doppo havuti li dritti delle loro mercanzie, conforme li costumi, e canoni loro, non gli sia fatta opposizione, nè inferito danno, mà possano andar, e venire nel Dominio Ottomanno à loro beneplacito, & alli Vascelli, tanto delli Veneziani, quanto d' altri, che s'inoltrano nel Golfo di Venezia, e per traffico vanno ò vengono à Venezia, non gli sia impedito d'alcuno, nè gli sia inferito danno, quando per altro non havessero fatto del male. Li Vascelli Veneziani doppo visitati secondo l'antico canone in Constantinopoli portatisi poi avanti le bocche alli Castelli, siano come l'antico canone un' altra volta visitati, e poi gli sia rilasciata permissione di andarsene e non si habbino da visitar in gvisa alcuna in Gallipoli, & in consonanza dell' antico canone siano di nuovo solamente visitati avanti le bocche delli Castelli, e vadano al loro camino.

Articolo XX.

Se da Venezia fuggito uno Schiavo, andasse nel Dominio Ottomanno, e si facesse Turco, venuto che sarà il di lui Padrone gli siano dati mille aspri; e se il Padrone non venisse, ma capitasse un suo Procuratore, gli siano pure dati li sudetti mille aspri; mà

mà se si trovasse ancora Christiano, sia quello Schiavo per appunto nello stato, in che s'attrovarà, restituito; e se dal Dominio Ottomanno fuggisse, e si portasse dà loro se fosse Musulmanno ò havesse rinegata la Fede sua, sia per appunto nello stato in che s'attrovara senz' alcun contrasto restituito; mà se si trovasse Christiano siano dati al suo Padrone, overo al suo Procuratore mille aspri. Se le Galleote delli Leventi dì Barbaria si portassero all' Isole, ò altri luoghi dipendenti da Venezia, & investissero, facendo li loro Huomini de' Schiavi, e li trasportassero in Rumelia, Natolia, e Barbaria, & altri luoghi, à venderli, overo essi se ne servissero, trovandosi simili Schiavi in mano di chi si sia, senza contrasto si habbino à levare dalle loro mani, e consegnar alli Baili della Republica, Luogotenenti, ò Procuratori loro, e quei Ladri, e Leventi prenderli, e severamenti castigarli; e se quello Schiavo fosse fatto Musulmanno, sia rilasciato in libertà. Et alcuni, che contro l'Ecce1se Capitolazioni, e buona pace fanno Schiavi li Sudditi di Venezia, e trafugandoli di mano in mano, vengono ad essere causa de' torbidi; però quei Veneziani, che nel tempo della Pace si trovassero essere fatti Schiavi, siano in mano di chi esser si voglia, se saranno fatti Musulmanni, habbino ad esser rilasciati in libertà e se continuano nella loro Fede, in conformità delle presenti Capitolazioni di Pace l'abbino ad essere consegnati al Bailo di Venezia, ò à quello che esso destinasse; & essendo espresso nell Imperial Segno, che in guisa alcuna non si permette in avenire che si facciano Schiavi, contro le Capitolazioni, e venerabil Pace, li detti Veneziani, e quelli che li facessero Schiavi, habbiano ad essere castigati, senza ammettere difficoltà, e pretesti, siche sia come prima esseguito il contenuto dell' accennato Segno Imperiale.

Articolo XXI.

Conforme l'antico costame pratticato fino del tempo dell' espugnazione dell' Arabia fatta dal Custodito Dominio, possano avanzarsi in Alessandria del Cairo due Maone, & altre due Maone alle Scale di Tripoli di Soria, e Barutti soggette à Damasco, e colla loro robba, e mercanzia al solito possano andar, e venire nelli tempi stabiliti, ne ritardare debbano dal solito tempo, e siano le sudette due Maone, ò di maggior numero ò siano piccioli ò grandi Vascelli, possino nella forma che sin' al presente sono andati al loro traffico, continuare senza opposizione il pratticato; Che siano levate dalle scale di Constantinopoli, Barutti, e Tripoli, & altri luoghi le nuove imposizioni insorte contro il consveto, tanto sopra le Mercanzie, quanto sopra il Denaro contante, e si habbia nella forma pratticata ab antiquo ad esseguir, e non permettere contro l'antico canone di far risentir a persona veruna molestia, e che non debba contro l'antico canone reccar alle sudette loro Maone & altri Vascelli Mercantili, Mercanti, e Mercanzie molestia da qualsisia dalli Beileri, & altri, e restino col godimento della sicurezza, e lontani da ogni insulto, e doppo la guerra passata seguita di nuovo nel tempo di Sultan Selim Kan la buona Pace, havendo intieramente sodisfatto la Somma di trecento mille Cechini, che obligati si erano di contare à tempo fino al termine di trè Anni, il che si trova espresso nel Registro conservato nel l'Imperial Erario; e perche nel tempo delli Sultani Suleiman Kan, Selim Kan, Amurad Kan, Mehmed Kan, Ahmed Kan, e delli Zii Sultan Osman Kan, & Amurad Kan hanno adempito intieramente oltre il sopradetti Cechini le altre parti delle loro condizioni, e Patti, non è stato ciò di nuovo incluso nelle Nobili Capitolazioni concesse dal defunto prefato Padre, nè meno per tale effetto gli è stata reccata molestia, e disturbo, confermando li Comandamenti rilasciati nel tempo delli sopranominati Defunti; e mentre che la Republica di Venezia non prestarà ajuto con parole, nè con fatti tanto per Mare, quanto per Terra à quelli che si trovano in inimicizia coll' Eccelso Imperio, non si habbia da trasgredire la seguita Pace.

Articolo XXII.

Negli affari della Religione osservandosi il modo delle antecedenti Capitolazioni, sarà lecito all' Ambasciatore di Venezia il portare le sue ulteriori instanze al Sogliò Imperiale & eccettuati gli Articoli, che sono contrarii al senso della presente Capitolazione, sarà fermo e valido il contenuto nel Trattato di Pace die Carlovitz.

Articolo XXIII.

Che nissuno delli Sanzach, Bei, Subassi, & altri Uffiziali del l'Eccelso Imperio habbia ad inferire danno alli Paesi, Fortezze, Borghi, e Genti della Republica; e se alcuno de' Beileri dipendenti dall' Imperial Maestà, & altri dell' Essercito inferissero alcun danno alli di lei Paesi, Fortezze, Borghi, e Genti, sia con Nobil comandamento rimesso il danno, che haveranno fatto, e castigati li Delinquenti. Li mercanti, & altri huomini della Republica di Venezia capitando per mare, e per terra al custodito dominio, non habbiano colle loro Galere, Bastimenti, & altri piccioli navigli da entrar all' improviso nelli porti della Città di Constantinopoli, Galatà, e nell' Arabia, in Alessandria, del Cairo, e nelli Porti, e stretti, che sono più abbasso di Gallipoli; mà prima habbiano ad avertire li Castellani, e con loro permissione possano entrare, quando per altro non fossero necessitati da fortunevoli tempi, overo inseguiti da Galeotte de' Leventi, e non havessero altre scale da ricoverarsi, in tal caso possano entrare, mà se sarà possibile avisino prima d'entrare; e quando fossero di partenza, non possano partire senza permissione, e quelli, che contravenissero habbiano ad essere castigati, e perciò non siano incolpati li Signori Venezani. In contrati che saranno per mare li Vascelli, Galere, & Armata Imperiale con quelli di Venezia, habbiano uno con l'altro à dimostrar amicizia, e non inferirsi danno, così pur incontrandosi con l'Armata, Galere, e Vascelli del custodito Dominio, che con Imperial comandamento scorrono il mare, habbiano ad abbassare le vele, e fatte le amichevoli dimostrazioni, se le venisse fatto alcun danno, sia di nave, d'animali, d'huomini, di robba, ò di altro, sia il tutto rimesso; e nella stessa forma le loro Galere, Vascelli, & Armata incontrando in mare li Vascelli dell' Armata Imperiale, ò navigli negozianti debbano passarla amichevolmente senza reccargli

cargli alcun danno; e se seguisse qualsisia danno, sia di Vascelli, d' huomini, robba, & animali, debbano rimetterlo, e se per sorte incontrati in Vascelli di corsari, e Leventi, volessero questi assalirli, e nel combattimento restassero li Veneziani vittoriosi, oltre la Gente, che fosse morta nel medesimo, à tutti gli altri che presi vivi restassero Schiavi, non debbano dargli la morte, mà intieramente sani, e salvi mandarli, e farli capitar all' Eccelsa Porta, per essere severamente castigati in forma tale, che serva d' essempio agli altri: e portandosi le navi dell' Imperial Armata del custodito Dominio verso qualche parte che non appartenga alli Veneziani, per fare guerra, in tal caso habbia l' Armata di Venezia à rimanere quieta nelli termini d' amicizia, senza far alcun moto, ò dar ajuto ad alcuno, nè sia cagione che s' inferisca danno all' Imperial Armata, nè meno habbiano da ricevere trà diloro le Armate di quelli che s' attrovano in inimicizia coll' Eccelso Imperio, nè pure somministrargli ajuto, ò provisione; e se alcuno contravenisse à questo Comando Imperiale, sia in quel luogo dalli Signori di Venezia severamente castigato, acciò serva d' essempio agli altri; & incontrando anco li Bastimenti, Galere, & altri Vascelli di Paesi alieni, non habbiano li Signori di Venezia à dare loro ricovero nelle loro Mole, Fortezze, ò Porti, mà se sarà possibile, habbiano da prenderli, e senza intervallo di tempo castigarli. Il Segno Imperiale, che contiene il punto delli Corsari, concesso nel tempo di Sultan Amurad Kan, e rinuovato anco del tempo del Padre del Regnante presente, presentato che sarà, s' habbia à riconoscere.

Articolo XXIV.

Se alcun Vascello die Venezia incaminato per il Dominio Ottomanno scorresse per venti contrarii naufragio, siano tutti gli Huomini, che si saranno salvati, lasciati in libertà: e la facoltà pure salvata sia consegnata alli proprii Padroni, senza che dal canto delli Capitani, loro Huomini, & altri gli sia inguisa alcuna reccata molestia, e se alcun Vascello del Dominio Ottomanno incaminato per li loro Paesi venisse à patire per li venti contrarii naufraggio, non debbano quelli, che si saranno salvati, essere dalli Veneziani molestati, mà sia la robba loro consegnata alli Padroni, senza alcuna difficoltà, ò litiggio. Da quei Luoghi dell' Eccelso Dominio, d' onde escono al Mare Galere, Caicchi, & altri Bastimenti, nel tempo che non si trova con essi il Capitano, si debba prender idonea pieggiaria dalli Padroni di detti Bastimenti, acciò non vadano negli stati Veneti, ad inferirgli alcun danno, e se andaranno senza havere data la pieggiaria, s' intendano rei, e colpevoli, e come tali siano severamente castigati; e se doppo data la pieggiaria inferissero alcun danno, quel danno, che sarà seguito, habbi ad esser risarcito dalli loro pieggi, e parimente dal canto di Venezia li Bastimenti, ch' escono al mare, senza che sia con essi il Capitano di Venezia, doppo havere data idonea pieggiaria, se inferiranno alcun danno al Dominio Ottomanno quel danno habbino à risarcirlo i loro pieggi, e se partiranno senza la detta pieggiaria, s' intendano rei, e colpevoli, e come tali siano severamente castigati. E se alcun tributario, od operario fuggisse dall' Eccelso Imperio, & andasse ad habitare nelle Fortezze, e Mole soggette à Venezia, non sia accettato, nè si usi difficoltà à consegnarlo per appunto nello stato, in che si troverà alla persona che sarà spedita; se ancon havesse commesso homicidio, ò ladroneccio, asportando robba sia restituita nella forma si attrovava; e parimente dall' Eccelso Imperio si habbi à pratticare nella stessa forma, che se alcuno da quella parte havesse ammazzato qualcheduno, ò rubbato, e portasse robba, sia restituita nella forma s' attrovava.

Articolo XXV.

L' Affare del Traffico Mercantile, essendo frutto della buona Pace, e coltura degli Stati, e Paesi, possano li Mercanti Veneziani venir, & andare per Mare, e per Terra come prima con maniere quiete nel Dominio Ottamanno in Constantinopoli Smirne, Cipro Tripoli di Soria, Alessandria del Cairo Aleppo, & altre Scale, e doppo havere contribuito per la Dogana delle Mercanzie, che portano, & asportano, trè aspri per cento in conformità di ciò che viene contribuito dalle altre Nazioni amiche della Porta, non siano molestati con pretensioni di maggior Dazio, ò di altre nuovamente erette gravezze, e sodisfacendo il Dritto del loro Dazio nella Moneta che corre nel Dominio Ottomanno, e nella forma, che viene recevuta, e data nell' Imperial Erario, con qualsisia pretesto in repugnanza del pratticato ab antiquo, e con pretensione di Dazio del Denaro contante, che havessero portato non habbiano ad essere molestati, e li sudetti Mercanti capitati che saranno in una scala, volendo scaricar in essa una parte delle loro Mercanzie, debbano li Dazieri ricever il Dazio solo di quella robba che haveranno sbarcata, e non sforzarli à sbarcarne tutta la loro Mercanzia, e se vorranno sbarcare la robba da un Bastimento, & imbarcarla sopra un altro Bastimento, per trasportarla in altra Scala, nissuno gli possa opponere, ne li Dazieri, se non sarà sbarcata la robba loro possano pretendere Dazio, nè meno costringerli à sbarcarla, e que gli uffiziali della Dogana se nel recapito delle loro Navi volessero, affine distancheggiarli, stimare, & apprezzare la loro robba à maggior prezzo, debbano ricevere tanta robba, quanto importare possa il Dazio, senza pretesa di Contante: e quando partono li Vascelli Veneti, debbano pagare per Ancoraggio aspri trecento nella forma che pagano le altre Nazioni de' Prencipi amici, senza pretendere di vantaggio e sodisfatto una volta di Dazio delle Mercanzie che portaranno in una Scala, & havuto nelli mani il Teschiere, ò cauzione di detta sodisfazione, se detta Mercanzia non fosse venduta in detta Scala, volendo trasportarla in altro Luogo, non gli sia da veruno opposto, tanto in quella Scala, come in quell' altra ove fosse trasportata la robba, non gli sia di nuovo preteso il Dazio; e li Doganieri, doppo haver ricevuto il Dazio; non habbiano da ritardarli, ne farli penare, ma rilasciargli il Teschiere della sodisfazzione; qual Teschiere facendo veder alli Daganieri delle altre Scale, devono valere, ne di nuovo pretendere possano altro Dazio. E nelle Scale, in cui è solito riscuotere la Messetaria, contribuito che haveranno la medesima conforme l' antico

antico Canone, non siano in guisa alcuna contro il pratticato molestati, e li Mercanti tanti Veneziani, quanto d'altri, che sono in amicizia, come di quelli che non sono in amicizia coll' Eccelso Imperio, sia chi esser si voglia, debbano di tutte le Mercancie sottoposte alla contribuzione del Dazio, che caricate sopra le Navi Veneziane capitaranno con la Bandiera di S. Marco, contenendosi li dette Mercanti ne' termini dovuti, siano come si disse di qualsisia luogo debbano pagar alli loro Baili, e Consoli il Dritto del Cottimo detto Consolato, senza opposizione di persona alcuna, & in ogni Scala de' Veneziani, dove inanzi questa guerra risiedevano Emini dalla parte del Testedar di Bosnia, tutto quello che solevano riscuotere delle Mercanzie da' Mercanti, che vanno, e vengone, sia dritto, e Baz, di nuovo nella stessa forma risiedano Emini, e ricevano in conformità di quello si riceveva ab antiquo, e li Mercanti Veneti possano nella forma espressa di sopra sicuri, e salvi venir, & andare trafficando, senza che contro la Giustizia vengano da alcuno molestati e disturbati, anzi siano protetti, e diffesi, & il termine della Pace trà il Serenissimo e Potentissimo Imperatore de' Musulmanni e la Republica di Vinezia resti stabilito per tutta la divozione del di lui Imperio.

Articolo XXVI.

Essendo stato d' ambe le parti confirmate, e corroborate queste condizioni, e stabiliti gli Articoli nella forma che si trovano estesi, si è conventuo che nello spacio di giorni trenta dal giorno della sottoscrizzione, e forse anco prima, siano portate le Lettere di Ratificazione, le quali per mano delli sopra nominati Sig. Ambasciatori Mediatori d' Inghilterra, e d' Olanda, debbano essere concambiate, senza che possino esser in forma alcuna alterate, le cose promesse d' ambe le parti.

Di tutti li sopra espressi Capitoli, che contengono le Condizioni, che si sono accordate, havendo per la loro inviolabile osservanza, e confermazione, li prefati Ambasciatori Plenipotenziarii Ottomanni dato nel loro Idioma un' Instrumento fedele, sigillato e sottoscritto, anche dal canto dell' Ambasciatore Plenipotenziario di Venezia, in virtù della sua Plenipotenza, è stato consegnato il presente Instrumento parimente fedele, sigillato, e sottoscritto. Data dalle Tende di Possarovitz li 21. Luglio, 1718.

(L. S.) CARLO RUZZINI, Cav. Proc. Ambasciatore straordinario Plenipotenziario.

Nos Robertus Sutton, Eques Auratus, ex parte Serenissimi & Potentissimi Domini Georgii, Magnæ Brittanniæ Regis, & Jacobus, Comes Collyers, ex parte Alte-Potentium Dominorum Fœderati Belgii Ordinum Generalium Legati Mediatores.

Hæc præmissa coram nobis, & sub directione Mediationis nostræ ita acta, conclusa & firmata esse, vigore publici muneris nostri, pariter subscriptione nostra, & sigillorum nostrorum appositione attestamur, & firmamus, Anno & die ut supra.

(L.S.) ROBERTUS SUTTON.
(L.S.) J. C. COLLYERS.

SECTIO VII.
De Republica Genuensi.

I.

Diploma vetustissimum de Limitibus, inter Genuenses atque Langenses solenni transactione constitutis, agens.

Anno MDVI. inventa est in agro Genuensi, milliario prope urbem decimo, Tabula ænea quadrata, quantitatis duorum palmorum ferme, in qua literis majusculis, scalpello incisis, scriptum est quantum infra. Servatur vero Tabula in templo Divi Laurentii Genuæ, juxta sacellum Divi Jo. Baptistæ.

Q. M. Minutieis Q. F. Rufeis. de controversieis inter Genuateis, & Veiturios in re præsente cognoverunt, & coram inter eos, controvorsias composeiverunt, & qua lege agrum possiderent, & qua fineis fierent, dixserunt eos fineis facere, terminosque statui jousserunt. Ubei ea facta essent, Romam coram venire jousserunt. Romæ coram sententiam ex senaticonsulto dixserunt Eidib. Decemb. L. Cæcilio, Q. F. Q. Muutio Q. F. Cos. Qua ager privatus casteli Verituriorum est, quem agrum, eos vendere, heredemque sequi licet: is ager vectigal nei fiet. Langentium fineis agri privati ab rivo infimo, qui oritur ab fontei in Manicelo ad flovium Edem, ibi terminus stat, inde flovio susum vorsum in flovium Lemurim, inde flovio Lemuri susum usque ad rivom Comberane, inde rivo Comberane susum usque ad convallem Cæptienam, ibei termini duo stant circum viam Postumiam. Ex eis terminis recta regione in rivo Vendupale, ex rivo Vendupale in flovium Neviascam: inde dorsum flovio Neviasca in flovium Procoberam: inde flovio Procobera deorsum usque ad, rivom Vinelascam infumum: ibei terminus stat: inde sursum rivo recto Vinelasca, ibi terminus stat propter viam Postumiam: inde alter trans viam Postumiam terminus stat. Ex eo termino quei stat trans viam Postumiam recta regione in fontem in Manicelum: inde deorsum rivo quei oritur ab fontei Manicelo ad terminum, quei stat ad flovium Edem agri Poplici, quod Langenses posident. Hisce finis videntur esse, ubei confluont Edus & Procobera, ibei terminus stat: inde Ede flovio suo, suorsum in montem Lemurino infumo, ibei terminus stat. Inde sursum vorsum jugo recto monte Lemurino, ibei terminus stat: inde susum jugo recto Lemurino, ibei terminus stat. In monte Procavo inde sursum jugo recto in montem Lemurinum summum, ibei terminus stat. Inde sursum jugo recto in castelum quei vocitatust Alianus, ibei terminus

minus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Joventionem, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Apeninum quei vocatur Boplo, ibei terminus ſtat. Inde Apeninum jugo recto in montem Tuledonem, ibei terminus ſtat. Inde deorſum jugo recto in flovium Veraglaſcam in montem Berigiemam infumo, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Prenicum, ibi terminus ſtat. Inde dorſum jugo recto in flovium Tulelaſcam, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto Bluſtiemelo in montem Claxelum, ibi terminus ſtat. Inde deorſum in fontem Lebriemelum, ibi terminus ſtat. Inde recto rivo Eniſeca in flovium Porcoberam, ibi terminus ſtat. Inde deorſum in floviom Porcoberam, ubei conflovont flovii Edus, & Porcobera, ibi terminus ſtat, quem agrum Poplicum judicamus eſſe: eum agrum Caſtelanos Langenſes Veiturios poſidere fruique videtur oportere. Pro eo agro vectigal Langenſes Veituris in Poplicam Genuam dent, in annos ſingulos, VIC. N. CCCC. Sei Langenſes eam pequuniam non dabunt, neque ſatisfacient, arbitratuu Genuatium, quod per Genuenſes mora non fiat, quo ſetius eam pecuniam accipiant. Tum quod in eo agro natum erit frumenti partim vicenſumam vini partem ſextam, Langenſes in Poplicum Genuam dare debento in annos ſingulos, quei intra eos fineis agrum poſedet Genuus aut Veiturius, quei eorum poſedeit. K. Sextil. L. Cœcilio, Q. Muutio Cos. ita poſidere, colereque liceat eus quei poſidebunt vectigal Langenſibus pro portione dent: ita uti ceteri Langenſes qui eorum in eo agro agrum poſidebunt fruenturque. Præterea in eo agro ni quis poſideto, niſi de majore parte Langenſium Veituriorum ſententia, dum ne alium intromittat, niſi Genuatem aut Veiturium colendi cauſa. Quei eorum de majore parte Langentium Veiturium ſententia ita non parebit, is agrum nei habeto nive fruimino. Quei ager compaſcuos erit, in eo agro quo minus pecuaſcere Genuates Veituriosque liceat, ita ut ei in cetero agro Genuati compaſcuo, ni quis prohibeto, nive quis vim facito, neive prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque ſumant utanturque. Vectigal anni primi K. Januaris ſecundis Veituris Langenſes in Poplicum Genuam dare debento. Quod ante K. Januaris primas Langenſes fructi ſunt eruntque, vectigal inviti dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxima fœniſicei, L. Cœcilio, Q. Muutio Cos. in agro poplico, quem Vituries Langenſes poſident, & quem Odiates, & quem Dectunines, & quem Cavaturines, & quem Mentovines poſident: ea prata inviteis Langenſibus, & Odiatibus & Dectuninebus, & Cavaturines, & Mentovines, quem quiſque eorum agrum poſidebit, invitis eis, ni quis ſicet, nive paſcat, nive fruatur. Sei Langenſes aut Odiates, aut Dectunines, aut Cavaturines, aut Mentovines, malent in eo agro alia prata inmittere, defendere, ſicare, id uti facere liceat, dum ne ampliorem modum pratorum habeant, quam proxuma æſtate habuerunt, fructique ſunt Vituries. Quei controverſias Genuenſium, ob injourias judicati aut damnati ſunt, ſei quis in vinculeis ob eas res eſt, eos omneis ſalvei mittei liberique Genuenſes videtur oportere ante Eidus Sextilis primas. Sei quoi de ea re iniquom videbitur eſſe, ad nos adeant primo quoque die, & ab omnibus controverſis. Et. hono. publ. Li. Leg. Moco. Meticanio. Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni F.

Nota. *Deprehenſum eſt, in locis XVIII. quos hic annotavimus, auctorem Tabulæ variare, & modo uti uno illorum, modo alio. Nam aliquando dicit Procobera, aliquando Porcobera, & ſic de aliis, cum tamen literæ ſint omnes majuſculæ ac ſcalpello in æs inciſæ.*

Quei, qui: Floviom: Veituriorum, Veiturium: Dorſum, deorſum: Procobera, Porcobera: Fontei, fente: Suſum, ſurſum: Poſedet, Poſedeit: Utei, uti: Ibei, ibi: Langentium, Lengenſium: Nei, ni: Veituries, Vituries: Inviteis, invitis: Sei, Si: Infume, oinfimo: Rivom, Rivum: Controverſieis, Controverſis.

II.

Tancredi, Normandi Principis, Privilegia, Genuenſibus in Terra Sancta conceſſa.

EGo Tancredus juro vobis Conſulibus Januenſibus, aliiſque veſtris ſociis, aut cui vos dederitis tertiam partem cinctis reditus Solini q. recte inde exierit maris & terræ, & Rugam Antiochiæ una cum Eccleſia Sancti Joannis per bonam fidem ſine malo ingenio, ſicut Bojamundus conſignavit a torrente usque ad rugam Malphitanorum ſalva obedientia Sancti Petri Antiocheni. Et ſecunda pars portus Laodiceæ, maris & terræ, ut de Solino, rugam cum Eccleſia ſimiliter ut de Antiochia, à prædio ubi eſt puteus, usque ad murum portus, cum caſtro Sancti Eliæ, & grotis, & omnium illarum civitatum & portuum, qui ſupra mare ſunt, quas vobiſcum acquirere potero, vel cum aliis Januenſibus venientibus & de illis ſupradictis terris, ac portubus, vel de cæteris, quas annuente DEO acquirere potero; vobiſcum, aut ſine vobis, nullum commercium auferam, vel auferri faciam Januenſibus, Sagonenſibus, neque Nolaſcis. Et ſi aliquis ex ſupradicto dato alicui veſtrum tortum fecerit, infra quadraginta dies, poſtquam clamor ad me venerit, emendare faciam, niſi per legale impedimentum remanſerit. Tranſacto impedimento infra alias quadraginta dies emendare faciam, niſi per ejus parabolam remanſerit. Præter ſupradicta dono ego qui ſupra Tancredus Eccleſiæ S. Laurentii, in civitate Gibelet fundum unum in portu villam unam extra civitatem nomine - - - & ſi deinceps aliquo tempore ſtolus Januenſium Syriam venerit, & in toto vel in parte mihi fori fecerit, ſi emendare voluerit, infra triginta dies recipiam, quod ſi reſtiterit, & emendare noluerit pro eis, nihil accipiam de omnibus rebus Januenſium, & Eccleſiæ Sancti Laurentii, donec requiſitionem faciam per legationem meam, eis qui fuerint in civitate Januæ, & tunc juſtitiam, & laudem Epiſcopi, & conſulum recipiam. De ſupradictis autem ego expectabo juſtitiam, ſicut ſuperius ſcriptum

ptum est, excepto eo, cui legaliter, & sine occasione comprobatum, vel per se confessus fuerit, fecisse traditionem personæ meæ. Et de eo, qui sic convictus, & confessus fuerit, ego cum consilio Domini Patriarchæ & Baronum meorum, & illorum Januensium, qui tunc temporis aderunt, ego recipiam justitiam, alio modo minime. Manuum istorum offertorum, qui hanc chartulam fieri rogaverunt, ut supra. Testes Gulielmus Carpenter, Ricardus Constabulus, Gulielmus Acatapan. Olivier de Alvei.

Signum manus supradicti Tancredi, qui eandem chartulam consensit & confirmavit.
Ego Anna Notarius de foro subsc.
Donus † Patriarcham hanc crucem feci.
Princeps † Rogerius confirmando hoc sacramentum manu propria hanc crucem feci.
Testes Radulphus Dux, Adam Conestalle, Toroldus Vice-Comes, Robertus filius Rostachin, Poncius de Roca Maura, Guaifredus filius Ruinfredi, Amefridus Amiral, & plures alii: & hoc sacramentum Princeps Rogerius fec. in palatio sancti Petri.

III.

Boemundi, Roberti Guiscardi, Apuliæ Ducis filii, Diploma, in quo Genuensibus in Civitate Antiochena S. Johannis Ecclesiam, una cum 30. Domibus earumque pertinentiis, ob egregiam operam, in obsidione ejusdem navatam, dono dedit, cui reciproca Genuensium sponsio, Boemundo facta, adjuncta est, d. d. 14. Julii, Anno 1098.

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.

HÆc est charta de donatione, quam ego Boemundus, Roberti Guisquardi, Ducis Apuliæ, filius, facere, & confirmare curavi. Igitur ego Boemundus bono animo promptaque voluntate dono, & perpetim habenda in primo omnibus hominibus Januæ in civitate Antiochia Ecclesiam Sancti Joannis, quæ est in strata, qua recto tramite tenditur ad Basilicam S. Petri cum fundico, & puteo, & cum triginta quæ sunt in platea juxta præfatam Ecclesiam habita, cum omnibus earum pertinentiis sine ullo usu, vel consuetudine. Sic dono vobis prænotatis hominibus omnia præscripta, ut ea habeatis, teneatis, & possideatis, & quibus ea cum vestris usibus commendaveritis super hæc omnia, ob vestram probitatem dimitto vobis omnes usus, & consuetudines, vel rectitudines, quos alii homines dederunt, vel in antea dabant in Antiochia, & in omni ipsius pertinentia.

Actum est hoc Anno ab Incarnatione Domini nostri JEsu Christi millesimo nonagesimo octavo, Indictione 6. mense Julii, die 14.

† Signum mei Boemundi, qui hanc chartam donationis fieri jussi, firmavi, & testes firmare rogavi.
† Signum Episcopi Adriani.
† Signum Roberti de Surla Valle.
† Signum Roberti de Anza.
† Signum Rodulphi Rufi.
† Signum Boelli de Carrato.

Cæterum Januenses pro hac donatione hanc cum Boemundo pactionem fecerunt:

Hæc est convenientia, quam boni homines Januæ Domino fecerunt Bajamundo Anselmus Rusacherius, Lanfranchus Drubesei, Lambertus Magnus, Conradus filius Tajonis, Bellacosa filius Adelardi, Otho Clericus, Lambertus Medicus per concessionem, quam fecit eis in Antiochia, & donum omnibus hominibus Januæ, scilicet quod præscripti, & cæteri omnes, qui in civitate erunt Antiochiæ, vel ut in tali loco, quod possint juvare, juvabunt civitatem tenendum & defendendum contra omnes homines qui invadent, tollendum, qui in civitate erunt sine obsonio, qui extra secundum salutem illorum, præter Comitem S. Ægidii. Et si Comes auferre voluerit, nos dabimus consilium concordiæ secundum nostrum sensum, sin autem, neutrum juvabimus.

IV.

Privilegium a Balduino, Rege Hierosolymitano, Genuensibus indultum, d. d. 10. Kalend. Maji, Anno 1105.

QUod populus Genuensis pro ejus perpetua & contestata pietate ac religione toto sacro bello præpotentibus classibus, firmissimisque terrestribus copiis Christianam rem juverit, in sacraque urbe Hierosolyma, Antiochia, Laodicea, Dertusia, expugnandis, plurima opportunitatis atque operæ pars in illius virtute & industria fuerit, solique Genuenses celebres urbes Cæsaream, Ascalonem, Solimum Biblium, Hierosolymitano imperio ac Sacro Christi sepulchro adjunxerint, summos labores exhauserint, maxima discrimina subierint, sanguinem profuderint, mortem fortiter oppetierint, nullis impensis pepercerint, nullis difficultatibus sint debilitati, nullis jacturis fracti, sed adversus omnia mala invictam virtutem & patientiam præstiterint, ut a nullo omnino Christiano populo promptior, fidelior, constantior, magis multiplex opera Christo Domino, Christianæque Reipublicæ navata sit. Hæc tot ac tanta merita Balduinus Rex invictus, Damberto Patriarcha laudante atque approbante, & præclaro elogio ad memoriæ æternitatem testanda, & amplissimis præmiis remuneranda censuit, tertia ditionis & vectigalium parte urbium Cæsareæ, Acronis, Assuris, in perpetuum concessa, ad hoc singulis vicis in urbibus Hierosolyma & Joppa cum jurisdictione illi tributis. Datum in urbe sacra, decimo Kal. Majas, anno a verbo homine facto, millesimo centesimo quinto.

V.

Literæ invectivæ in Regis Hierosolymitani, Comitis Tripolitani atque Antiocheni Principis, injustitiam in Januenses patratam, ad Adrianum IV. Pontificem Maximum, Anno 1154. exaratæ.

REverendissime Pater, & Domine. DEO & vobis ex parte Januensium Consulum conqueror de Hierosolymitano Rege & Tripolitano Comite, atque Antiocheno Principe, qui Justitiam Januensium, quam in Orientalibus plagis habere debent, quotidie auferunt, & diminuunt, quam quippe prædecessores eorum Januensibus dederunt, & sacramento & Privilegiis firmaverunt. Hoc ideo fecerunt, quia Januenses multis & magnis eorum machinis & expensis, multaque sanguinis effusione civitates & loca Orientis obsidendo & præliando ceperunt, sicuti per præsentia scripta vobis notificatur. Insuper & proclamationem facio de hominibus Hierosolymitani Regis, qui cum galeis naves & pecuniam Januensium injuste abstulerunt. Adhuc vero de quibusdam Provincialibus Bernardo Attonis, & sociis ejus querimoniam talem facio: Unde Sanctissime Pater, & Domine, Excellentiam vestram suppliciter exoro, ut baculus Apostolicæ Sedis cunctos justitiam Januensium vinculo anathematis percutiat auferentes.

VI.

Breve Adriani IV. Pontificis Maximi, ad Regem Hierosolymitanum admonitorium, ut ablatam Januensibus una cum pecunia navem confestim restituant, eosque in quieta Vice-Comitatus Accaronis possessione esse sinant, de Anno 1154.

ADrianus Episcopus, Servus servorum DEI. Illustri Hierosolymitanorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Ad hoc in eminenti Sedis Apostolicæ specula, divina sumus disponente gratia constituti, ut nostræ considerationis oculum ad universas mundi partes extendere debeamus, & ut ea, quæ contra justitiæ tramitem, & ordinis rationem commissa esse noscuntur, Nos oporteat attentius emendare. Dilecti autem filii nostri, Januenses cives, directa nuper ad Nos quæstione monstrarunt, quod homines tui pecuniam & navem, in qua ipsa pecunia ferebatur, eis, nulla rationabili causa interveniente, per violentiam abstulerint, & usque in præsens, sicut Nobis dicitur, detinere præsumunt. Unde si tuæ Nobilitatis industria provida consideratione pensasset, quæ damna, quot incommoditates, quot etiam scandala terræ tuæ, & Regno tibi commisso hujus occasione rapinæ valeant provenire, quum Januensis civitas gloriosa & inclyta in remotis mundi partibus potentissima habeatur, Nobis etiam non admonentibus debueras effecisse, quod omnia, quæ injuste & per rapinam ablata sunt, prædictis Januensibus essent in integrum restituta. Ne igitur iidem Januenses, aliique, versus te, vel fideles tuos habeant ulterius materiam conquerendi, Nobilitati tuæ per Apostolica scripta præcipientes mandamus, quatenus, sicut benedictionem & gratiam sacrosanctæ Romanæ Matris tuæ Ecclesiæ desideras retinere, pecuniam similiter & navem memoratis Januensibus facias absque ulla diminutione restitui. Si enim super eodem negotio ad aures nostras querimonia ulla pervenerit iterata, facere non poterimus, quin in terram tuam pro ipsius detentione rapinæ gravius vindicemus. Nihilominus etiam Dilectioni tuæ præsentium autoritate mandamus, ut Vice-Comitatum Accaronis, & alia jura, quæ ad Januensium jus pertinere noscuntur, eos de cætero pacifice possidere, & sine ulla inquietatione permittas.

VII.

Breve Alexandri III. Pontificis Maximi, ad Archiepiscopum Januensem ejusque Suffraganeos directum, de sua in Pontificem Maximum Antipaparumque electione agens, d. d. 6. Kal. Octobris, Anno 1159.

ALexander Episcopus, Servus servorum DEI, venerabilibus Fratribus, scilicet Januensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem. Æterna & incommutabilis providentia Conditoris sanctam & immaculatam Ecclesiam a suæ fundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, ut unus ei Pastor & Institutor existeret, cui universarum Ecclesiarum Prælati absque repugnantia subjaceant, & membra, tanquam suo Capiti adhærentia, se quadam mirabili unitate conjungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, ille procul dubio Ecclesiam suam, cujus ipsi Apostoli Magisterium assumserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar naviculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Unde & quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, quum sint Satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam utique ipse idem ex persona Psalmographi, a leonibus peti, & a framea eripi, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent; Christus tamen Auctor & Caput Ecclesiæ eam veluti unicam sponsam suam provida gubernatione tuetur, & navem egregii Piscatoris licet sæpe & sæpius quatiatur a fluctibus, non permittet naufragium sustinere. Porro quum Antecessor noster bonæ memoriæ, Adrianus Papa, Kalend. Septembris, cum esset Anagniæ, debitum naturæ solvisset, & e terris ad cœlum de imis migrasset, vocante Domino ad superna, eo

Romam

Romam deducto, & prid. Non. Septembris in Ecclesia B. Petri, præsentibus fere omnibus fratribus, satis honorifice, sicut moris est, tumulato, cœperunt Fratres, & Nos cum eis, secundum Ecclesiæ consuetudinem de substituendo Pontifice in eadem Ecclesia studiosius cogitare; & tribus diebus inter se de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minime congruentem, omnes Fratres, quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octaviano scilicet Johanne de Sancto Martino, & Guidone Cremense, (DEO teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt, & Nos, assentiente Clero, & populo, in Romanum Pontificem elegerunt; Duo vero, videlicet Johannes, & Guido Cremensis, quos prænotavimus, tertium Octavianum in tantam audaciam vesaniamque prærupperunt, quod mantum, quo Nos renitentes & reluctantes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiæ, Prior Diaconorum induerat, tanquam arreptivum a collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos strepitus vel fremitus asportavit. Cæterum, quum quidam de Senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis Spiritu Divino succensus mantum ipsum de manu eripuit sævientis. Ipse vero ad quemdam Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans, & concrepans, ut mantum, quem secum portaverat, festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octavianus, abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem Capellani & cujusdam alterius Clerici sui ambitiosius assumsit, & ipse idem, quia non erat aliquis in hoc opere, Capellano & Clerico extitit coadjutor. Verum ex divino judicio credimus contigisse, quod ea pars manti, quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus posteriora tegebat, & sicuti tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex transverso & obliquo mantum fuit in testimonium suæ damnationis indutum. Quo facto portæ Ecclesiæ, quæ firmatæ erant, reserantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, cucurrerunt; & pestis illa mortifera, quia Cardinales & Episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. Considerate itaque, Fratres, in Christo venerabiles, tam piaculare flagitium; tam execrabile sacrilegium diligenter attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor iste, & si ab exordio nascentis Ecclesiæ tanta vesania unquam fuerit a quolibet schismatico vel hæretico attentata.

Fratres vero tam immensum facinus & a seculis inauditum ex insperato videntes, & formidantes, ne a conductitiis militibus truncarentur, sese in munitione Ecclesiæ Nobiscum pariter receperunt; ibique novem diebus continuis, ne inde exiremus, fecit Nos quorundam Senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane populo incessante & jugiter acclamante, & in Senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, fuimus de custodia illius munitionis erepti; sed in arctiori & tutiori loco trans Tyberim Nos iidem Senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Quumque moram ibi ferme per triduum fecerimus, universo populo tantam proditionem atque malitiam de cætero nullatenus sustinente, Senatores cum Nobilibus, & populo venientes Nos & fratres nostros per urbem magnifice & honorifice cum immensis laudibus & præconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique pulsantibus, conduxerunt. Et sic tandem à violentia persecutionis erepti, & nostræ redditi libertati, sequenti die Dominico venerabilibus Fratribus nostris G. Sabinensi, Ostiensi, G. Portuensi, Albanensi, J. Sigisino & B. Terracinensi Episcopis, Cardinalibus quoque, & Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scrivariis, Primicerio, & Scholæ Cantoribus, Nobilibus, etiam ex quadam parte, populo urbis apud Nympham non longe ab urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est, ibidem Pontificali Regno magnifice fuimus ac solenniter coronati. Cæterum prædictus Octavianus, qvum pro consecratione, imo execratione sua, dum & in urbe esset, & postquam latenter exivit urbem, multos Episcopos convocasset, nullum præter unum fere inter tantos habere potuit pro sua temeritate & vesania confirmanda. Quosdam tamen Episcopos Imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam vero pecuniis & blanditiis allicere voluit, sed nihil Domino impediente profecit. Unde nec adhuc invenire potest, licet modis omnibus enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumtionis auctorem & impietatis. Verum memorati J. & G. cœcitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est: Peccator quum venerit in profundum vitiorum, contemnet, nec sic a sua præsumtione damnabili resipiscunt; sed eundem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, abstinata perfidia venerantur, & eum relicta unitate Ecclesiæ, præsumunt usque adhuc tanquam idolum & simulacrum adorare. Ipse autem Antechristi tempora præfigurans, usque adeo erectus est supra se, ut etiam in templo descenderit tanquam sit DEus ostendens se; & multi abominationem desolationis, stantem in loco sancto, non sine multa lacrymarum effusione corporeis oculis inspexerunt. Sane Nos infirmitatem nostram & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in DEO cogitatum jactamus, sperantes, & de Christi misericordia plenius confidentes, quod Ecclesiam suam sanctam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, & eam sibi non habentem rugam nec maculam exhibet, optata faciet tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione sedata, nihil erit, quod ei jam possit obsistere, ubi unicus sponsus ejus voluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur, quia Nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate ac religione vestra plenam fiduciam obtinemus, vestris ac universalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari, caritatem vestram per Apostolica scripta rogantes, & commonentes attentius, ut sicuti Viri Catholici vos pro Domo Domini muros inexpugnabiles ponatis, & in devotione & fidelitate maneatis

vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quod si præfatus vir impietatis ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea, sicut respuenda sunt, respuatis, & tanquam vana atque sacrilega contemnere & abjicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quod Nos in die consecrationis nostræ ipsi Octaviano, & jam dictis fautoribus ejus, terminum indulsimus, in octo dies ad sinum & unitatem matris Ecclesiæ redeundi; quod si adimplere distulerint, ex tunc tam eos, quam omnes complices & coadjutores ipsorum auctoritate Beati Petri, ac nostra non differemus vinculo excommunicationis adstringere, & eos a Christi corpore, quod est Ecclesia, sequestrare. Data Terracinæ, VI. Kal. Octobris, MCLIX.

IIX.

Privilegii Anno 1098. dati, atque superius inserti, Confirmatio, a Boemundo II. Antiochiæ Principe, in commodum atque emolumentum Genuensium expedita, de Anno 1169.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

NOtum sit omnibus hominibus tam præsentibus, quam futuris, quod ego Boemundus, Principis Boemundi filius, DEI gratia Princeps Antiochenus, dono & concedo, atque confirmo omnibus Januensibus omnia illa, quæ ipsi tenent in Antiochia, & Laoditia, & in portu Suidini, quemadmodum in privilegio Domini Boemundi Principis filii Roberti Guiscardi sunt assignata. Hæc autem sunt illa: In Antiochia ruga una cum Ecclesia Sancti Joannis, quæ est inter duas aquas, & via est ex utraque parte. In Laoditia fundicum, & ruga una, & omnia alia quæ ipsi habent ibi. Tertiam partem de reditibus portus, & tertiam partem in Suidino, si autem aliquid eorum auxilio adquisiero, illud idem quod in Laoditia habent, in illis, quæ adquisiero, eos habere concedo. De his autem, & de aliis, si quis injuriam eis fecerit, ita quidem, quod clamor mihi sit factus infra quadraginta dies, vel concordiam, vel justitiam eis faciam, nisi fuero impeditus rationabili necessitate. Transacto ergo impedimento meo, infra quindecim dies, aut per concordiam, aut per justitiam, secundum usus & institutiones curiæ meæ fieri facta, & damna illorum emendare faciam. Commercium autem concedo habere omnibus Januensibus in omni terra illa, quam modo habeo, & quam ego adquisiero eorum auxilio. Insuper volo ut ipsi Januenses, & eorum omnia secura sint in omni terra mea, & ego eos, & omnes eorum possessiones salvabo, protegam, atque custodiam. Et quoniam ego illos multum diligo, & volo, ut ipsi magis frequentent terram meam, & maneant in ea, ex consilio Baronum eorum, hæc supradicta omnia me eis observanda concedo. Et ut res firmior fiat, stabiliorque consistat, cum juramento meo & principali sigillo meo eis confirmo & corroboro. Et propter hoc meum sacramentum atque confirmationem præsentis privilegii, quod ego feci Januensibus, juravit mihi Lanfrancus Albericus, vir nobilissimus prædictæ civitatis, ejusque totius Senatus ac Consulum venerabilis Legatus pro se, & pro Communi famosissimæ civitatis Januensium, quod ipsi me adjuvarent, & honorem meum diligerent, & augmentarent, meosque homines, eorumque possessiones, & omnia mea pro posse suo ubicumque possent, defenderent, & contra omnes homines custodirent, ac manu tenerent. Hujus rei testes sunt Sylvester, Principis cognatus, Robertus filius Gaufridi, Eschiciarum Dapifer, Willelmus de Moci, pincerna, Willelmus Tyren. Marescal, Joannes de Saly, Bonablus, Ragius de Suideval, Willelmus Baufrei, Dux Randulfus de Naun, Willelmus de Croisi, Gaufridus Falsart.

Datum est autem privilegium istud per manum Bernardi Cancellarii, anno Principatus mei VI. & ab Incarnatione Dominica MCLXIX. Indictione 2.

IX.

Boemundi III. Principis Antiocheni, Privilegia, Genuensibus in Antiochia, Laodicæa, aliisque locis, ipsius potestati subjectis, indulta, d. d. 1. Septembris, Anno 1190.

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

NOtum sit omnibus in Christo fidelibus, quod ego Boamundus, Princeps Antiochiæ, Raymundi bonæ memoriæ Principis filius, voluntate & concessione Dominæ Sibyllæ Principissæ uxoris meæ, & omnium hæredum meorum dono & concedo consulatui Januensium, & toti terræ Januensis Communitatis hanc libertatem per totam terram meam in Antiochia, Laodicia, Gabulo, & in alia terra, si eam per DEI voluntatem conquisiero, ut de omnibus illis rebus, sive mercimoniis, quæ veniunt ad Commune, nullam omnino in eundo & redeundo, in vendendo & emendo reddatur Curiæ Principali consuetudine. Hanc libertatem, ut dixi, per totam meam terram eis concedo, & per hoc privilegium confirmo, quod ut ratum sit, & de cætero inconcussum permaneat, sigilli mei Principalis impressione muniri præcepi, & subscriptis testibus corroborari. Hujus rei testes sunt Hugo de Logiis, Petrus de Basardo, Oliverius Comasti, Bartholomæus Mareschalcus, Odo de Maira, Hugo de Corbubo, Guillelmus de S. Paulo, tunc temporis Dux Antiochiæ. Actum est hoc privilegium anno Incarnationis Dominicæ M. C. XC. Indict. 8. prima die mensis Septembris. Datum per manum Auberti Tharsensis Archiepiscopi, & Principalis curiæ Cancellarii. Ego Joannes Amici de Susilia, auctoritate Imperiali Notarius, authenticum præsentis privilegii vidi, & legi bullatum bulla plumbea pendenti cum seto vermilio, sanum & integrum tum in charta & litera, quam bulla ex seto, non canzellatum, non abolitum, non vitiatum, non corruptum, & sicut in eodem continebatur authentico, sic hic fideliter scripsi, de mandato Nobilis viri, Domini Guillelmi Auriæ Potestatis, & Vice-Comitibus

tibus Januensium in cæteris partibus cismarinis nihil addito vel diminuto, quod mutet sensum, vel variet intellectum. Ad hoc ut præsens transsumptum perpetuo velut originali robur firmitatis obtineat, in ipsa quoque bulla scripta erat ab una parte imago militis armati super equo sedentis, tenentis vexillum in manu cum literis circumferentibus, dicentibus post signum crucis: Boemundus Princeps Antiochenus; ab alia parte sculptæ erant imagines, Sanctorum Petri & Pauli cum nominibus eorum, & ad majorem cautelam præsens transsumptum cum originali prædicto coram venerabilibus Patribus Domino fratre Bonacursio de ordine Prædicatorum, DEI gratia Archiepiscopo Tyrensi, Domino Bartholomæo, DEI gratia Episcopo Berithensi, & nobili & egregio viro, Domino Joanne de Monforti, Domino Tyri & Thoronis, in hujus rei testimonium huic præsenti publico Instrumento ipsorum sigilla duximus apponenda.

X.

Literæ Archiepiscopi Moguntini ac totius Italiæ Legati ad Januæ Consules totumque populum directæ, atque de pecuniarum subsidio ipsi promisso, rebusque aliis agentes, de An. 119-.

DEI gratia Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, & Archi-Cancellarius Germaniæ, & totius Italiæ Legatus, clarissimis amicis suis, Consulibus Januæ, & toti populo salutem & optimam voluntatem. Propterea mentis nostræ memoria figentes honestissima bonitatis vestræ servitia, quæ personæ nostræ toto mentis affectu, corporis assiduitate nuper, quum apud vos essemus, exhibuistis, ita Nos vobis reddunt obnoxios, ut, præ omnibus vestris Italiæ Consortibus, vos diligere specialiter debeamus, & civitatem vestram honorare teneamur, & exaltare. Ea propter notum facimus Universitati vestræ, quod proxima tertia feria post Lætare Hierusalem, congregata apud Senas celeberrima Curia in plateis civitatis, qvum sedimus in conspectu Præfecti Urbis Romanorum, & coram Marchionibus Anconitanis, Conrado, Marchione de Monteferrato, Comite Guidone, Comite Aldebrandino, & quamplurimis aliis Comitibus, Capitaneis, Valvasoribus, Consulibus civitatum Thusciæ, Marchiæ, & Vallis Spoletanæ, & superioris atque inferioris Romaniæ, & infinita populi multitudine, contumaciam & superbiam Pisanorum ostendimus, humilitatem atque justitiam vestram omnibus notam fecimus. Deinde Causidicorum Imperii judicio, & assensu Principum, Episcoporum multorum scilicet, & superius enumeratorum, & affuerunt omnes populi, omnia privilegia Pisanorum, quæcunque a Serenissimo Domino nostro Friderico, Imperatore Romanorum invictissimo, & ab omnibus Prædecessoribus suis obtinuerunt, cassavimus, & nominatim ea, quæ de Sardinia & de Ripa maris, & de liberalitate ac fodro civitatis suæ, ac terræ, & de Comitatu Comitis Ugvolini, & Comitissæ Mathildæ, & insuper de moneta, quam irritam fecimus, & dari, sive recipi sub pœna rerum, ac personarum prohibuimus, & prætere a quidquid de honore & utilitate ipsorum potuimus excogitare, eis ex Imperiali autoritate abstulimus. Deinde civitatem ipsorum, & burgum, atque pecuniam in bannum Domini Imperatoris, autoritate Imperiali, & nostra, misimus, & publicavimus. Multo etiam plus his addidimus in confusionem eorum, quam vobis nequaquam promiseramus, sicut ab amicis vestris Lucensibus luce clarius cognoscetis. Admonemus igitur attentissime discretionem vestram, ut, omni occasione postposita, usque ad proximum Pascha, sive Octavam ipsius Paschatis, quinquaginta galeas habeatis præparatas, XX. Januæ, & XX. ad Portum-Veneris, & X. quæ versus Romam ducantur. Egimus enim cum Præfecto urbis, ut apud Civitatem-Vetulam, & per districtum suum, & per terram Comitis Aldebrandini libere & secure possitis eas ducere; & insuper exercitum vestrum quoditie præparetis. Idcirco autem sciatis, quod nullum vobis terminum de pecunia Nobis solvenda dare possumus, nec volumus. Multis enim ad præsens propter id ipsum tenemur debitis, & damus militibus, & præcipue illis de Sancto Miniato. Inde est, quod sapientiam vestram quam intime rogamus, & sub sacramento, quod Nobis fecistis, commonefacimus, ut debitam Nobis pecuniam determinato tempore statim persolvatis, & sicut in simplicitate, & fide, ac veritate vobiscum ambulamus, ita & ipsis Nobiscum ambulate, & veritatem sacramenti, & necessitatem tanti negotii observate sapienter.

XI.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, Convocatio Januensium ad Comitia Imperii Ravennæ instituenda, de Anno 12--.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Potestati, totique Communi Januæ fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem. Dudum per literas nostras vos fecisse recolimus plenius certiores, qualiter de consilio Summi Pontificis indiximus primo venturo Mense Novembris, in Festo Sanctorum omnium generalem Curiam in Ravenna, cum Rege Alemanniæ filio nostro, & universi Imperii Principibus, vita comite, sine defectu quolibet celebranda, desiderio summo zelantes honorem DEI, & Imperialem gratiam, pacem universalis Imperii reformare, disponere statum Italiæ prosperum & tranquillum, sedare dissidia Civitatum intus & extra ferventia, & inter Vicinos & populos omnem turbinem, & odii fomitem amovere: tempus idoneum esse confidimus, quo vestra & universalium omnium vota piis monitis nostræ mansvetudinis debeant convenire, ut tot incumbentibus dissensionum malis, quæ passim & publicæ Civitates & Populos in desolationem impellunt, quæ intestina & plus quam civilia bella movent, finis debitus

imponatur. Nos autem cum omni serenitate cordis & corporis ad illius celebritatem Curiæ auctores pacis noveritis advenire pro dispositione status Imperii, & dissensionibus amovendis, cum consilio Summi Pontificis, assistentia Principum, & nostrorum provisione fidelium procedere proponentes. Quapropter Universitati vestræ sub debito fidelitatis, quo Nobis & Imperio tenemini, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eligatis de Communi viros industres & peritos, quot & quales videbitur expedire, una cum potestate vestra mittendos Ravennam ad Curiam prætaxatam, qui veniant omnium vestrum auctoritate, providi consilii moderatione suffulti, qui sufficienter valeant nostris colloquiis & ordinationibus interesse, prudentia & virtute conspicui, ut quod de promotione status Imperii, & tranquillitate totius Italiæ fuerit per generale Colloquium approbatum, pro parte sua & nostra sciant & possint diligenter implere.

XII.

Literæ Friderici II. Romanorum Imperatoris, ad Consilium totumque Commune Januensium directæ, quibus Januenses, in gratiam receptos, ad obsequia in posterum præstanda hortatur, de Anno 12--.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Consilio, totiqueCommuni Januæ, fidelibus suis, gratiam suam & bonam voluntatem. Recepit Excellentia nostra benigne Nuntios vestros, quos cum vestris literis ad nostram præsentiam destinastis, & tam ea, quæ coram Nobis ex parte vestra proposuerunt oretenus, quam quæ literæ continebant, intelleximus diligenter. Sane, licet quædam fuerint attentata per vos, in quibus nostra Serenitas vix potuit non offendi; Nos autem Imperialem mansvetudinem ad subditos nostros exercere volentes, nec dedignantes Justitiam cum clementia moderari, Januenses, qui custodiebantur in Regno nostro, & res eorum, quæ captæ fuerant, liberari & restitui jussimus. Itaque offensionibus præcedentibus, taliter Culmini nostro satisfacere studeatis, ut sicuti commissa præterita per satisfactionem debitam duxeritis redimenda, sic Celsitudinem nostram placabilem de bono in melius cum favore gratiæ sentiatis, scilicet Nuntios nostros proposito & benigna intentione nostra ad potiorem confidentiam assumatis, intendentes Majestati nostræ placere per obsequium futurum, quemadmodum & hactenus displicuisse noscimini per offensam; ut si quis Prædecessorum nostrorum propter vestra servitia vobis recolitur favorabilis exstitisse, Nos mereamur nedum favorabiles, sed liberales nostris servitiis præsentire; illud præ oculis potissimum habituri, quod major & favorabilior nostra sequitur benignitas, quam aliquorum potuit temeritas præcessisse. Datum Frang. - - -

XIII.

Literæ credentiales, quas Fridericus II. Rom. Imperator, suis ad Consilium totumque Commune Januense Deputatis dedit, de An. 12--.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem ac Siciliæ Rex, Consilio, totique Communi Januæ, fidelibus suis, gratiam suam & bonam voluntatem. Qualiter fortunato exercitu nostro successit in partibus ultramarinis, quod felicem victoriam, prostratis hostibus, fuerint assecuti, longe lateque jam celebris fama vulgavit, ut plene gaudere valeant, qui nostris successibus collætantur. Nos autem, qui ad nostri fideles Imperii, & si quando eorum provocet offensa, non obliviscimur misereri, mittimus illuc Manzinum, magnæ Curiæ nostræ & Barensium Judicem, & Thadæum de Suexa fideles nostros, universitati vestræ mandantes, quatenus ea, quæ vobis ex parte nostra proponent, indubitanter & firmiter credere debeatis. Data Melfiæ, XVIII. Julii, V. Indictione.

XIV.

Friderici II. Romanorum Imperatoris, literæ, in quibus Januenses in gratiam suam receptos, variisque immunitatibus donatos, fidelibus atque devotis Imperii Vasallis annumerari jubet, de Anno 124-.

FRedericus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem & Sicilie Rex, Conscilio & Communi Januensi, fidelibus suis, gratiam & bonam voluntatem.

Tunc apud DEum & homines felices & melitos processuum nostrorum eventus periculi & invidie minimum credimus habituros, cum in se clementie claritatem ostendunt, & tunc demum ostendimus potentie nostre signa certissima, cum parcimus, & presertim catholico Principi clariorem victorie gloriam reputamus, petentes gratiam potius gratiose recipere, quam pro vindicte modo, strage viriliter triumphare. Attendens igitur excellentie nostre provisio, quod dum de Regno Sicilie, veluti de matris gremio, & educationis nostre cunabulis ad partes Ytalie veniremus felicibus auspiciis in Germaniam processuri, civitas vestra veluti secretioris camere genetrix Januam vobis aperiit, per quam Nobis ad ingressum Imperii liberior pateret accessus; attendens etiam grata servitia per Januenses universaliter singulos, & singulariter universos tunc temporis collata Nobis in Janua, que tanto remuneratione gratie nostre digniora pensavimus, quanto in necessitatis articulo fuerunt exhibita gratiosa, ipsam

Januam

Januam favoris & gratie nostre sera firmavimus, ipsa servitia, que devotio vestra prompta firmaverat, mentis scrinio clausimus, ut quoties ipsorum memoria Nobis occurrerit, toties de nostre munificentie dextra premium reportarent. Et licet vestra devotio ex humane fragilitate nature, velut a primo parente in posteros propagata, visa fuerit diebus istis aliquorum rebellium nostrorum malevolis seditionibus alterata, Serenitatis nostre potentia, que, velut nobilis ira leonum, repugnantibus non cedit, sed prostratis indulget, bonum propositum, quod pro devotione assumpserat, ab alte mentis signaculo non proscripsit, cumque Maiestatis nostre gremium redeuntibus pateat, & petentibus veniam nesciat denegare, universitatis vestre ambaxatoribus ad nostram presentiam, propter hoc specialiter destinatis, gratiam nostram, quam eorum implorabat oratio, pro parte vestra, benigne reddidimus, & tam eos, quam vos omnes in plenitudinem gratie nostre recepimus, volentes vos deinceps inter fideles & devotos Imperii numerari, nec tantum vobis supplicantibus gratiam nostram restituimus, sed etiam hominibus castri Nauli, quos in petita clementia vestra supplicatio concludebat. Banna etiam dictis hominibus castri Nauli, per Manifredum, Marchionem Lanciam, Sacri Imperii nostri Vicarium a Papia superius, dilectum fidelem nostrum imposita, ipsis ad fidelitatem nostram & mandata nostra redeuntibus, & fidelitatis & hominii sacramenta prestantibus remittimus de nostre plenitudine potestatis, considerantes, quod dum liberalitatis nostre cognoveritis gratiam, fidelitatis vestre devotio ad obsequia nostra fortius renascatur. Ad hec Beltranium Pontelletum, Rubertum de Pizio, filium Manifredi, & magistrum Cofridum de Sancto Germano, magne curie nostre judicem, nuncios fideles nostros, quorum industriam sufficientem ad hujus negotii sarcinam reputamus, pro recipiendis ab universis & singulis vestrum fidelitatis & hominii, pro parte nostra & Imperii juramentis, & pro aliis nostris servitiis ad vos duximus destinandos, & que super his ex parte nostra iidem vobis dixerint, credatis, & efficaciter adimplere curetis.

XV.

Alexandri IV. Pontificis Max. Bulla, in qua Genuenses in Regno Siciliæ, cæterisque Provinciis, Sedi Apostolicæ subjectis, mercaturæ exercendæ causa commorantes, ab omnibus omnino exactionibus, Collectis, reliquisque servitutis oneribus liberos atque immunes declaravit, d. d. 6. Id. Januar. An. 1255.

ALEXANDER &c.

POtestati, & Populo Januensi salutem & Apostolicam benedictionem. Ecclesiam DEI olim persecutiones multiplices & gravissimas patenter. - - Vos in fide ac devotione ipsius constantiam firmissimam & clarissimam habuistis, ita pro omni virtute resistendo ejus hostibus, plurima rerum incurristis dispendia, & discrimina personarum multis materiam admirationis habentibus, quod inter tot adversorum fulmina tanta fuistis animi firmitate conspicui, & tandem per DEI gratiam victoria præclara famosi. His etenim magnis meritis quædam alia magnifica indefesso spiritu adjecistis, quod videlicet transmarinis partibus illa, quæ honorem Ecclesiæ, ac robur Ecclesiasticæ libertatis, nec non defensionem & ampliationem Catholicæ fidei respicere videbantur, sub innumeris expensis & laboribus, grandi studio, & vigilanti solicitudine promovistis. Meritorum siquidem præmissorum cumulus, quasi quoddam sidus in conspectu Sedis Apostolicæ refulgens, eam reddidit sæpe solicitam, ut vos talibus extollat honoribus, & gratiarum ubertate confoveat, quod exinde vobis, & posteris vestris perpetuæ jucunditatis materia producatur. Cum itaque fel. record. Innocentius Papa prædecessor noster cum fratribus suis per civitatem vestram personaliter transiens, fuerit in multis de præmissis meritis informatus, & gavisus, per evidentiam operis agnovisse, quam sinceram & obsequiosam devotionem circa dictam Sedem haberet, in vobis dignum esse providit, ut juxta vestrum desiderium vos suæ gratiæ privilegio muniret, per quod in vobis exinde reverenter in Sedem semper accrescat affectio, & in generalem deducatur notitiam, quod inter charos vos memorata Sedes reputat sibi charissimos, & quod idem in affectu potissimum, ut affuistis, pro ipsa votivam retribuere magnitudinem præmiorum. Unde idem prædecessor per suas concessit literas, ut vestris inclinati precibus, Nos, quatenus de gratiæ plenitudine reputamus, favoris Universitati vestræ ad instar prædecessoris ipsius, auctoritate Pontificia indulgemus: Quod in Regno Siciliæ, pertinente ad jus, & proprietatem Sedis ejusdem, ac Ducatu Spoleti, Marchiæ Anconitanæ, Patrimonio B. Petri in Tuscia, & omnibus terris Ecclesiæ Romanæ a datiis, exactionibus & collectis, seu pedagiis ad vos pertinentibus, & cujuslibet onere servitutis in perpetuum sitis liberi penitus & immunes. Nulli ergo nostræ concessionis &c.

Datum Neap. 6. Id. Januar. 1255. Pont. nostri anno 1.

XVI.

Tabulæ Pacis, Unionis atque amicitiæ perpetuæ inter Carolum II. Siciliæ Regem, ejusque hæredes & subditos, ex una: atque Capitaneos, Abbatem, Commune, populum & subditos Civitatis Genuensis, ex altera parte, confirmatæ, d. d. 6. Novembr. An. 1307.

I.

IN nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejus millesimo trecentesimo septimo, Pontificatus Domini Clementis Papæ V. anno tertio, mense Novembris, die sexta ejusdem, sextæ Indictionis. Ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum actor pacis DEus & amator, ut cernitur, amicos pacis & in caritate manentes amat & dirigit, ac si

ita in

ita in eis quadam benefica delectatione conclinat, quod ipse, sicut in eorum medio habitans, eos continue gubernat & confovet, ac adversus inimicos pacis & hostiles insidias potenti suæ dexteræ protectione defendit. Hujus nempe semitas caritatis & pacis qui quærit & sequitur, omni bono non deficit, sed aliorum impugnationes & jacula in ipso pacis auctore, quo regitur, facili siquidem exterminatione collidit. Hac itaque consideratione pensato, quod, licet inter inclytum Principem Dominum Karolum secundum, DEI gratia Serenissimum Regem Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis Comitem, & Commune civitatis Januæ, amicitiæ, caritatis, pacis bonum hinc retro, prout patet, extiterint sintque modo, quia tamen in hoc alterutro bono ipsius amicitiæ, scilicet caritatis & pacis, quo frequentius memoria retentata revolvitur, quo etiam amicitia & pax ipsa firmius invicem validiusque ligatur, eo durabilius permanet, permanens invalet, proficit, & accrescit.

II. Ad honorem & laudem omnipotentis DEI Patris, & Flii, Spiritus Sancti, & beatissimæ virginis Mariæ, & totius curiæ cœlestis, & honorem & reverentiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac honorem & bonum statum præfati Domini Regis & hæredum suorum, nec non magnificorum virorum Domini Opizini Spinulæ de Luculo & Domini Barnabæ de Auria Capitaneorum Communis & populi Januæ, Domini Nicolai Frambe, Abbatis dicti populi, & dictorum Communis & populi, & ad reformandum & confirmandum firmiorem pacem & sinceram dilectionem, annuente Domino, perpetuo duraturas inter ipsum Dominum Regem, hæredes & subditos ejus ex una parte, & dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum, & subditos dicti Communis ex altera, & etiam ad uniendum ipsum Dominum Regem, hæredes, & subditos ejus & dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum & subditos dicti Communis vinculo indissolubilis dilectionis, societatis, & amicitiæ, ut inter ipsos idem velle & idem nolle perpetuo vigeat, magnifici viri Dominus Bartholomæus Siginulfus de Neapoli, Thelesiæ Comes, magnus Regni Siciliæ Camerarius, & Dominus Johannes Pipinus de Barolo Miles, magnæ regiæ curiæ magister, rationalis ac religiosus vir frater Jacobus de Fussiniano de urbe ordinis Prædicatorum, procuratores ejusdem Domini Regis, de qua procuratione apparet ex tenore literarum regiarum, pendenti noto & vero sigillo regio munitarum, procuratorio nomine pro ipso Domino Rege & hæredibus suis ex una parte, & nobilis & egregius vir, Dominus Odoardus Spinula de Luculo, Admiratus dicti Communis, & Dominus Levantinus de Levanto, Jurisperitus, Syndici dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, de quorum Syndicatu legitime similiter constitit ex tenore publici Instrumenti inde scripti manu Henrici de Savignono, Notarii & Cancellarii Communis Januæ præsentis MCCCVII. dicto die sexto prædicti Novembris, syndicario nomine pro ipsis Dominis Capitaneis, Abbate, Communi, & populo, subditis, & districtualibus dicti Communis ex altera, convenerunt inter se dictis nominibus, pacta inierunt & firmaverunt de infrascriptis & super infra scriptis, ut infra per ordinem denotatur.

III. Primo videlicet dicti procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro eo promiserunt dictis Syndicis, dicto syndicario nomine stipulantibus nomine & vice dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, quod ipse Dominus Rex & hæredes ejus dictos Dominos Capitaneos, Abbatem dicti populi qui nunc est & pro tempore fuerit, ipsum Commune & populum, & omnes amicos, complices, & sequaces, ac omnes & singulos de parte ipsorum Dominorum Capitaneorum, & Abbatis ac Communis & populi, qui sunt de Janua seu districtu, seu de terris feudalibus dicti Communis, quæ sint in terra firma Italiæ, perpetuo habebunt & tenebunt, tractabunt & tractari facient cum effectu per ipsos subditos & vasallos ipsius Domini Regis pro veris amicis & tanquam veros amicos ipsius Domini Regis & hæredum ejus & subditorum ejus, & inimicos & rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, & status eorum, seu dicti Communis, qui sint de Janua seu districtu, seu de terris feudalibus supradictis, habebunt & tenebunt & tractabunt, & tractari facient perpetuo per omnes subditos & vasallos suos cum effectu in omnibus terris & per omnes terras, ipsius Domini Regis seu hæredum ejus ditioni subjectas, ac in omnibus terris feudalibus ipsius Domini Regis, & in omnibus terris, quas dictus Dominus Rex acquiret seu recuperabit in posterum, pro inimicis & rebellibus, & tanquam inimicos & rebelles ipsius Domini Regis & hæredum ejus, quousque ipsi inimici & rebelles non sint reconciliati per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum, & etiam post reconciliationem, quotiens eos inimicos dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu populi fieri contingeret; quæ reconciliatio semel, vel pluries fieri non possit, nisi prout declarabitur infra. Et quod dictus Dominus Rex & hæredes ejus, ipsos Dominos Capitaneos, Abbatem, & populum & statum eorum, & eorum fideles, complices, & sequaces, & de parte eorum, qui sint de Janua seu districtu, seu terris feudalibus supradictis dicti Communis, semper regent & adjuvabunt & manutenebunt efficaciter & pro posse ipsorum Domini Regis & hæredum contra quascunque personas ad expensas dicti Communis, prout declarabitur infra, in civitate videlicet Januæ & districtu, scilicet a Corvo usque Monachum, ipsis locis comprehensis, & in omnibus aliis terris & locis districtus Januæ & terris suis feudalibus, & est intelligendum de districtu & ipsis terris & locis tam domanii quam feudalibus dicti Communis, quæ sunt de terra firma Italiæ, vel quas acquirent, aut recuperabunt in terra firma Italiæ, & etiam ad recuperandum omnia & singula loca dicti Communis, de dicto districtu & feudis, quæ sint in dicta terra firma, quæ occupata sunt, essent, seu detinerentur, seu occuparentur, seu occupari contigerit per quoscunque de Janua, seu districtu, qui nunc sunt seu in futurum erunt inimici seu rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, & status eorum seu dicti Communis, & intelligantur esse inimici & rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi omnes illi & singuli, qui sint

fint de Janua, seu districtu, seu feudis dicti Communis, de quibus per ipsos Dominos Capitaneos & Abbatem, aut procuratorem vel Syndicum eorum, aut literas, seu ipsum Commune vel Syndicum dicti Communis seu literas præfato Domino Regi, seu hæredibus ejus dictum fuerit, seu declaratum.

IV. Et specialiter actum est, quod dictus Dominus Rex adjuvabit efficaciter & pro posse ipsius dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum, ad expensas scilicet ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, seu ejusdem Communis, prout similiter infra declaratur, ad recuperandum & reducendum ad manus & dominium dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, & recuperata manutenendum & defendendum ad honorem & fidelitatem dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, omnia castra & loca dicti Communis & feudorum Communis ejusdem, quæ nunc occupata sunt de versus ripariam occidentis, scilicet in dicta terra firma Italiæ, & quæ occupata detinentur per aliquos rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, seu dicti Communis, & quotiescunque & quandocunque dicti Domini Capitanei & Abbas, seu Commune dictum Dominum Regem requirent, seu requiret, dictus Dominus Rex armari faciet de hominibus suis, & mittet infra duos menses post requisitionem, quæ ipsi Domino Regi fiet per literas, Syndicum, vel procuratorem, ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu dicti Communis, in Januam & auxilium dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi pro recuperatione quorumlibet dictorum locorum dicti Communis, quæ occupata sunt seu occuparentur, & pro manutentione & defensione dictæ civitatis & quorumlibet locorum dicti districtus, & quorumlibet locorum feudorum dicti Communis, scilicet locorum, quæ sunt in dicta terra firma Italiæ, & pro manutentione & defensione contra quascunque personas honoris & status dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, seu dicti Communis, galeas videlicet a quinq; usq; in viginti quinq; numero, quem dicti Domini Capitanei & Abbas requirerent per se vel eorum Procuratorem, seu Syndicum, aut literas, seu dictum Commune requiret per Syndicum aut literas ipsius, bene & sufficienter armatas secundum modum & numerum gentis, secundum quem ipse Dominus Rex armare, seu armari facere consvevit, pro guerra sua propria, ita quod pauciores quinque dicto casu requirere non possint dicti Domini Capitanei & Abbas, nec dictum Commune possit. Ac etiam mittet Dominus Rex, quotienscunque & quandocunque fuerit requisitus, ut supra, per terram pedites a centum usque in quinque millia, scilicet balistarios & lancerios, & equites a quinquaginta usque in trecentos, in numero, quem dicti Domini Capitanei & Abbas requirerent, seu dictum Commune requiret, ut supra, bene & sufficienter armatos in auxilium & juvamen dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, & dicti Communis, & status & honoris eorum, & recuperatione, manutentione, & defensione locorum & feudorum dicti Communis, in dicta terra firma Italiæ positorum, de quibus dictum est, infra mensem unum post requisitionem prædictam; ita tamen, quod si auxilium peditum dictum Commune requisierit, non possit petere balistarios ultra dimidium numeri peditum, quem requisierit.

V. Salvo tamen & sanè intellecto, quod prædicta, quæ dicta sunt, quod dictus Dominus Rex teneatur, inimicos & rebelles dicti Communis habere & tractare & tractari facere pro inimicis & tanquam inimicos Dicti Domini Regis, non intelligantur locum habere in personis Grimaldorum, nec aliorum de parte ipsorum Grimaldorum, qui erant extrinseci de Janua & districtu tempore compositionis factæ inter tunc ambassiatores & procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro ipso Domino Rege ex una parte, & tunc Syndicos & procuratores dicti Communis syndicario & procuratorio nomine pro ipso Communi ex altera; de qua compositione apparet ex tenore publici Instrumenti scripti manu quondam Bartholomæi Pedebovis, Notarii ac tunc Cancellarii dicti Communis MCCCI. die IX. Maji, quo tempore dicti Grimaldi & alii tunc extrinseci de parte ipsorum, dicto Domino Rege, seu præfatis ejus ambassiatoribus mediantibus, restituerunt dicto Communi castrum Monachi. Sed de ipsis Grimaldis, & de illis de parte eorum, qui tunc erant extrinseci, ut dictum est, servetur & fiat, ut infra per ordinem declaratur. Videlicet, quod dictus Dominus Rex teneatur & debeat infra spacium unius mensis ab hodie computandi omnes Grimaldos & alios de parte eorum, de quibus supra dictum est, monere seu moneri facere, quod ipsi Grimaldi omnes & singuli, & illi de parte eorum, qui erant extrinseci eo tempore, de quo dictum est infra spatium dierum octo post ipsam monitionem totaliter discedere debeant cum effectu ab amicitia & societate, & ab omni colligatione, conspiratione, confœderatione & omnibus pactionibus, transactionibus & conventionibus quacunq; verborum, juramenti, seu alterius vinculi solemnitate vallata, seu vallatis inita, seu initis inter ipsos Grimaldos & extrinsecos, seu aliquem seu aliquos ipsorum Grimaldorum, seu extrinsecorum, seu aliquam personam pro eis seu aliquo seu aliquibus eorum ex una parte & nobiles de Auria, seu aliquos ex eis, seu aliquam personam pro eis, seu aliquo, seu aliquibus eorum, seu aliquos de Spinulis, seu aliquam personam pro eis, seu aliquo seu aliquibus eorum ex altera, & ab omnibus juramentis hinc inde præstitis, sine eo quod aliquam conspirationem, reconciliationem, amicitiam, societatem, seu colligationem, quocunque nomine censeatur, ipsi Grimaldi & extrinseci, seu aliqui seu aliquis ipsorum Grimaldorum seu extrinsecorum, seu aliqua persona pro eis, seu aliquo seu aliquibus eorum, faciant seu fieri faciant, faciat seu fieri faciat, cum aliquibus de Auria seu de Spinulis, qui non sunt de sequacibus & fautoribus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, seu aliquo eorum, seu aliqua persona pro ipsis de Auria seu Spinulis, seu aliquo, seu aliquibus eorum, & quod ex tunc, scilicet post monitionem, quæ fieri debet ut supra, ipsi Grimaldi, seu aliquis seu aliqui eorum, seu aliquis seu aliqui de parte ipsorum, qui erant extrinseci eo tempore, de quo dictum est, illis de Auria, seu alicui eorum, seu illis de Spinulis, seu alicui eorum, qui non sint de sequacibus & fautoribus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, seu alicui de sequacibus & fautoribus

ribus illorum de Auria, seu de Spinulis, qui non sint de sequacibus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi, ex tunc non adhæreant, nec aliquis eorum adhæreat, nec dent, seu dari faciant, seu dari procurent, nec aliquis eorum det, dari faciat, seu procuret publice aut occulte auxilium, consilium vel favorem, & etiam, quod ipsi Grimaldi & singuli de parte ipsorum, de quibus dictum est, & eorum complices & sequaces recedere debeant infra dictum terminum octo dierum, sine eo, quod postea revertantur, sive aliquis eorum revertatur, de castris, terris & locis dicti Communis, & de districtu dicti Communis; habeant tamen ipsi Grimaldi, & illi de parte eorum, de quibus dictum est, & eorum sequaces a dictis Dominis Capitaneis, Abbate, Communi & populo, vel eorum officialibus & subditis liberum transitum & securitatem per totam terram dicti Communis in personis & rebus, videlicet a locis, in quibus sunt usque ad terram dicti Domini Regis tantum, & quousque illuc iverint, seu ire potuerint, & postea per octo dies, & quod dictos Dominos Capitaneos & Abbatem, seu aliquem eorum, aut Commune, seu populum, seu statum, seu honorem ipsorum Dominorum Capitaneorum, & Abbatis, seu alicujus eorum, seu terram, feuda, honorem, seu aliquos subditos dicti Communis post dictam monitionem ipsi Grimaldi & extrinseci non offendant, nec offendi faciant, nec procurent, nec aliquis eorum offendat, nec offendi faciat, seu procuret publice nec privatim.

VI. Et siquidem ipsi Grimaldi, & illi de parte eorum, & eorum complices & sequaces discesserint, ut dictum est, & prædicta omnia & singula, quæ in forma dictæ monitionis faciendæ contineri debent, ut supra fecerint & observaverint cum effectu, liceat dicto Domino Regi & ejus hæredibus ipsos Grimaldos, & illos de parte eorum, qui extrinseci erant eo tempore, de quo dictum est, receptare & receptari facere in terris dicti Domini Regis & hæredum suorum, quousque ipsi Grimaldi & illi de parte eorum, de quibus dictum est, prædicta, quæ in dicta monitione facienda contineri debent, ut supra servaverint cum effectu, & quilibet eorum servaverit.

VII. Et dictus Dominus Rex denuntiari faciat ipsis Grimaldis, & illis de parte eorum, de quibus dictum est, cum redierint ad partes Provinciæ, vel ad alia loca dicti Domini Regis, infra dies quindecim post eorum reditum, quod conjunctio perpetua est firmata inter ipsum Dominum Regem ex una parte, & dictum Commune ex altera, & quod amici & inimici alterutrius sunt utrinque, & quod, si velint in terris dicti Domini Regis morari, omnes & singuli de progenie Grimaldorum, alter pro altero, & omnes pro omnibus fidejubeant, & se obligent, quod ipsi, seu aliquis eorum, dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, seu Commune & populum, seu subditos dicti Communis, statum seu honorem dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis seu Communis non offendent, nec offendi facient, nec offendi procurabunt, nec aliquis eorum faciet, nec procurabit aliquo tempore. Et dictas satisdationes idem Dominus Rex ab ipsis Grimaldis, scilicet ab omnibus, qui redierint, infra mensem, postquam redierint ad aliqua loca Dominii dicti Domini Regis, exigere teneatur seu exigi facere.

VIII. Et si ipsi Grimaldi in aliquo secus facerent, seu aliquis eorum faceret, prædicta omnia & singula, quæ in dicta monitione seu forma dictæ monitionis faciendæ contineri debent, ut supra, non servando seu aliquod eorum, seu offendendo, seu offendi faciendo, aut procurando dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, seu dictum Commune & populum, seu statum seu honorem dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu Communis, seu terras, feuda, aut subditos dicti Communis, de quibus, an ipsi Grimaldi secus fecerint, seu aliquis eorum fecerit offendendo, seu offendi faciendo, seu procurando, seu non servando prædicta, seu aliquod prædictorum, & maxime ea, quæ in dicta monitione contineri debent, ut supra, constare debebit, ut infra ponitur, dictus Dominus Rex teneatur ipsos Grimaldos, tam qui prædicta servarent, quam qui non servarent, de omnibus & singulis terris Regiis, Comitatibus & feudis suis expellere, seu expelli facere, & ex tunc omnes & singulos ipsos Grimaldos etiam pro facto unius non servantis prædicta omnia & singula, seu facientis contra prædicta, seu aliquod prædictorum habere & tenere, credere & reputare, tractare & tractari facere perpetuo in omnibus terris Dominii dicti Domini Regis, pro inimicis & rebellibus ipsius Domini Regis & hæredum suorum, nullo unquam tempore recipiendi, seu morari permittendi ipsi, seu aliquibus eorum in terris ipsis Dominii dicti Domini Regis, quousque non essent reconciliati per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem seu Commune; exceptis Domino Raynerio de Grimaldis, & filiis suis, qui sunt vasalli dicti Domini Regis in Regno Siciliæ, qui quandiu servaverint supradicta, & abstinuerint ab omni offensione dictorum Dominorum Capitaneorum, & Abbatis, & cujuslibet eorum, ac Communis, & populi, & subditorum ipsorum, & dicti Communis, esse possint in terris dicti Domini Regis, nec teneantur pro facto aliorum Grimaldorum.

IX. Si vero offenderent ipse Dominus Raynerius, & filii sui, seu aliquis eorum offenderet dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, seu Commune & populum, honorem seu statum ipsorum, seu alicujus ipsorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, honorem seu terram, aut feuda dicti Communis, seu facerent, seu aliquis eorum faceret contra prædicta, seu aliquod prædictorum, de quo constare debebit, secundum modum, qui infra ponitur, & ex tunc dictus Dominus Rex teneatur ipsos Dominum Raynerium & filios ejus expellere, & expelli facere de omnibus terris ipsius Domini Regis, & etiam de omnibus & singulis terris Dominii sui, & feudorum dicti Domini Regis, & eos habere & reputare, tractare & tractari facere perpetuo in terris & feudis Dominii dicti Domini Regis pro inimicis & rebellibus ipsius Domini Regis. Factum tamen dicti Domini Raynerii & filiorum, seu alicujus eorum, non noceat aliis Grimaldis.

X. Alios vero extrinsecos supradictos de parte ipsorum Grimaldorum discedentes a dictis amicitia &

tia & colligatione, & aliis, de quibus dictum est, si redeuntes in provinciam, seu ad alia loca ipsius Domini Regis, seu feudorum suorum, & ibi seu alibi morantes offenderent dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, Commune, & populum, seu honorem seu statum eorum, seu alicujus eorundem Dominorum Capitaneorum & Abbatis, terram, feuda, aut honorem, aut subditos dicti Communis, seu non servarent omnia & singula supradicta & maxime ea, quæ in forma dictæ monitionis contineri debent, de quo, scilicet an offenderint, seu servaverint, seu aliquis eorum offenderit seu servaverit, annon ea, de quibus dictum est, constare debeat, ut infra subjicietur, Dominus Rex teneatur expellere & expelli facere de omnibus terris & feudis sui dominii, & ex tunc eos reputare & tractare ac tractari facere in omnibus terris sui dominii, ac etiam in omnibus terris feudorum suorum, pro inimicis & rebellibus ipsius Domini Regis, scilicet illos extrinsecos tantum qui offenderent ipsos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, seu populum, seu dictum Commune, seu statum eorum seu alicujus eorundem Dominorum Capitaneorum, & Abbatis, terram, feuda, seu subditos dicti Comm. seu omnia & singula prædicta non servarent, ea maxime, quæ in dicta monitione facienda contineri debent, ita quod factum unius ex dictis extrinsecis delinquentis, seu non servantis, non noceat aliis non delinquentibus & servantibus.

XI. Si vero dicti Grimaldi omnes & singuli ab amicitia & societate, & ab omni colligatione, conspiratione, & ab omnibus & singulis pactionibus, conventionibus, & concordia qualitercunque initis, ut dictum est, cum illis, seu aliquo illorum, seu aliqua persona pro illis, seu aliquo illorum, de quibus dictum est, totaliter discedere noluerint, & non discesserint cum effectu infra dictum tempus dierum octo, seu si post discessum ipsis de Auria, seu de Spinulis, qui non sint de sequacibus & fautoribus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi, seu alicujus eorum, seu aliquibus rebellibus sive inimicis dictorum Dominorum Capitanei & Abbatis, seu alicujus eorum seu dicti Communis, ipsi Grimaldi adhæserint, seu aliquis eorum adhæserit, seu eis aut alicui eorum dederint, seu aliquis eorum dederit auxilium, consilium, vel favorem seu dari fecerint, aut aliquis eorum fecerit, aut si ipsi Grimaldi offenderint, seu aliquis eorum offenderit, seu offendi fecerit, seu procuraverit, seu aliquis eorum fecerit, seu procuraverit dictos Dominos Capitaneos & Abbatem, seu aliquem eorum, statum seu honorem eorum, seu alicujus eorum, aut dictum Commune, aut terram, feuda, seu subditos dicti Communis, de quibus, scilicet an ipsi Grimaldi discesserint a dictis amicitia, societate, & colligatione, & an adhæserint, seu aliquis eorum adhæserit illis de Auria, seu alicui eorum, seu aliquibus inimicis seu rebellibus dictorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, seu alicujus eorum, seu dicti Communis, & an dederint, seu aliquis eorum dederit ipsis de Auria, seu alicui eorum, seu aliquibus inimicis vel rebellibus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu Communis, & an offenderint, seu offendi fecerint vel procuraverint, aut aliquis eorum offenderit, offendi fecerit, seu procuraverit dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, populum seu Commune, statum seu honorem ipsorum seu alicujus eorundem Dominorum Capitaneorum & Abbatis, seu terram, feuda, seu honorem dicti Communis, constare debeat, ut infra dicetur; ex tunc dictus Dominus Rex teneatur, dictos omnes & singulos de Grimaldis habere, reputare, & tractare & tractari facere perpetuo in omnibus & singulis terris dominii & feudorum dicti Domini Regis pro inimicis & rebellibus, & tanquam inimicos & rebelles ipsius, ipsosque omnes & singulos Grimaldos expellere & expelli facere de omnibus terris & feudis dicti Domini Regis. Hoc acto, quod eo casu, quo illi de Grimaldis omnes & singuli non recederent ab amicitia, societate, & colligatione illorum de Auria, & aliorum de quibus dictum est, prout superius declaratum est, Dominus Rex non teneatur contra ipsos Grimaldos, qui in Provincia & terris suis nunc sunt, subito & repente procedere, sed eos licentiare debeat sine offensione aliqua eis inferenda de omnibus terris dicti Domini Regis, & statuere eis terminum duorum mensium, infra quem de omnibus terris ipsis, & terris feudalibus dicti Domini Regis ex toto recedant, nullo unquam tempore in eis, seu aliqua earum recipiendi, vel morari permittendi, quandiu non essent per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, & Commune reconciliati, & elapsis dictis duobus mensibus, idem Dominus Rex eos habere & tractare & tractari facere teneatur perpetuo pro inimicis & rebellibus dicti Domini Regis, & expellere & expelli facere de terris & feudis dicti Domini Regis; exceptis dictis Dominis Raynerio & filiis; in quibus, si moniti, ut dictum est, discedere voluerint a dictis amicitia & colligatione, ut dictum est, posito, quod alii de Grimaldis non discedant, quandiu ipsi Dominus Raynerius & filii abstinuerint ab offensione dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & cujuslibet eorum, Communis & populi, & subditorum dicti Communis, & prædicta servaverint, quæ de eis dicta sunt, esse possint in terris dicti Domini Regis, & in ipsis Domino Raynerio & filiis servetur, quod præmissum est.

XII. Et si dicti extrinseci de parte dictorum Grimaldorum, de quibus dictum est, non discesserint a dictis amicitia & colligatione, & aliis, prout superius declaratum est, seu si ipsi extrinseci offenderint, seu aliquis eorum offenderit, seu offendi fecerint, vel procuraverint, seu aliquis eorum fecerit, vel procuraverit dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, vel aliquem eorum, seu populum, seu Commune, seu statum, seu honorem alicujus eorundem Dominorum Capitaneorum & Abbatis, aut subditos, terram, seu feuda dicti Communis, seu si ipsi extrinseci adhæserint, seu aliquis eorum adhæserit illis de Auria, seu de Spinulis, seu alicui seu aliquibus eorum, qui non sint de sequacibus & fautoribus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi, seu aliquibus aliis inimicis, seu rebellibus dictorum Dominorum Capitaneorum; Abbatis, & Communis, populi seu Communis, dictus Dominus Rex eodem modo teneatur ipsos extinsecos tractare & tractari facere & contra eos

tra eos procedere & procedi facere in omnibus & per omnia, ut tenetur contra Grimaldos secundum formam Capituli proximo præcedentis, quod incipit: Si vero dicti Grimaldi omnes & singuli &c. & omnia & singula, quæ in ipso Capitulo de Grimaldis dicta sunt, in præsenti Capitulo de dictis extrinsecis hic intelligantur repetita; salvo quod pro facto unius extrinseci alii non teneantur.

XIII. Sane intellecto in qualibet parte præsentium conventionum, quod quocunque modo & quocunque loco post lapsum dictorum octo dierum dicti Grimaldi & extrinseci, seu aliqui eorum adhæreant, seu aliquis eorum adhæreat, seu dent, aut dari faciant, aut dari procurent, aut aliquis eorum det, seu dari faciat, aut dari procuret auxilium, consilium, vel favorem ipsis de Auria & Spinulis, qui non sunt de Amicis & sequacibus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, & status eorum, vel offendant, aut offendi faciant, aut offendi procurent, aut aliquis eorum offendat, aut offendi procuret publice, vel privatim dictos Dominos Capitaneus, Abbatem, seu aliquem ipsorum, Commune, seu populum, statum aut honorem ipsorum, seu alicujus ipsorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, terram, feuda, seu subditos dicti Communis, de quibus, seu aliquo eorum constare debeat, ut infra ponitur, dictus Dominus Rex ex tunc teneatur contra ipsos Grimaldos omnes & singulos etiam pro facto unius, & dictos extrinsecos, prout de eis supra declaratum est, procedere & procedi facere, & eos tractare & tractari facere, & expellere, & expelli facere, prout supra in præcedentibus Capitulis continetur; exceptis tamen dictis Domino Raynerio & filiis, contra quos non teneatur procedere dictus Dominus Rex, nisi prout supra continetur.

XIV. Modus autem, secundum quem constare debet contra dictos Grimaldos & extrinsecos, quod a dictis amicitia, colligatione; & aliis de quibus dictum est, non discesserint, an discesserit, an non, & secundum quem constare debet, si ipsi Grimaldi & extrinseci seu aliqui, seu aliquis eorum non servarent, seu non servaret aliquo tempore omnia & singula seu aliquod eorum, quæ in dicta monitione facienda ut supra contineri debent, aut si in observatione prædictarum præsentium conventionum in aliquo deficerent aliquo tempore, aut aliquis eorum deficeret, aut dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, Commune, seu populum, seu statum aut honorem ipsorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, seu alicujus eorum, dicti Communis, seu populi, terram, vel honorem, vel subditos, aut feuda dicti Communis offenderent, seu offendi procurarent, aut facerent, seu aliquis eorum offenderet, seu offendi procuraret, aut faceret, de hujusmodi non desistentia, si non fieret ut supra, seu offensionibus, vel observationis conventionum defectu, quæ, vel qui fierent seu fieret per ipsos Grimaldos & extrinsecos, vel aliquem eorum contra dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, dictum Commune, seu populum, seu subditos dicti Communis, seu statum seu honorem ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu alicujus eorum, seu dicti Communis, seu populi, terram, seu feuda dicti Communis, talis est:

XV. Videlicet, quod Dominus Potestas Januæ, qui nunc est, & pro tempore fuerit, inde cum judicibus suis, prout sibi videbitur, cognoscat, & cum scripserit seu declaraverit ipse Potestas per literas suas dicto Domino Regi constare sibi & judicibus suis cognitionaliter, dictos Grimaldos seu aliquem eorum, seu dictos extrinsecos seu aliquem eorum, prædicta, quæ in dicta monitione facienda contineri debent, seu aliquod eorum non observasse, aut defecisse in aliquo in observatione præsentium conventionum, aut offendisse, aut offendi procurasse, aut fecisse dictos Dominos Capitaneos, Abbatem seu aliquem eorum, Commune seu populum, seu subditos dicti Communis, statum seu honorem dictorum Dominorum Capitaneorum, & Abbatis, seu alicujus eorum, terram, feuda, seu honorem dicti Communis & populi, teneatur dictus Dominus Rex contra ipsos Grimaldos, etiam pro facto unius, & contra dictos extrinsecos, prout de eis dictum est, procedere, & eos tractare & tractari facere perpetuo per subditos ipsius & hæredum suorum pro inimicis & rebellibus ipsius Domini Regis, hæredum & subditorum ipsius, & expellere & expelli facere de terris Dominii ipsius Domini Regis, & feudis ipsius, prout superius in præcedentibus Capitulis latius est expressum, nullo unquam tempore recipiendi, seu morari permittendi, nec aliquis eorum permittendus in ipsis terris Dominii dicti Domini Regis, seu aliqua earum, seu aliquo feudorum suorum, nisi primo essent reconciliati per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune & populum. Et posito, quod aliquo tempore ipsos Grimaldos & extrinsecos, seu aliquem vel aliquos eorum, per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem & populum reconciliari contingeret, si post reconciliationem hujusmodi ipsi Domino Regi per literas dicti Domini Potestatis seu dicti Communis fuerit declaratum, constare ipsi Domino Potestati & judicibus suis cognitionaliter ipsos Grimaldos, seu extrinsecos, seu aliquos seu aliquem eorum non observasse prædicta omnia & singula, quæ in dicta monitione facienda contineri debent, seu aliquid, seu aliquod eorum offendisse aut offendi fecisse aut procurasse (contra) dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu aliquem eorum, populum, seu Commune, seu statum, seu honorem eorum, seu alicujus dictorum Dominorum Capitaneorum, & Abbatis, terram, aut feuda, aut subditos ipsius Communis, aut honorem ipsius, teneatur iterum dictus Dominus Rex contra dictos Grimaldos, etiam pro facto unius, & contra dictos extrinsecos, prout de eis superius continetur, & quotiens ipsos seu aliquem seu aliquos ipsorum Grimaldorum seu extrinsecorum reconciliari contingeret, & post reconciliationem ipsi Domino Regi per literas dicti Domini Potestatis declaretur, ut supra, totiens contra ipsos Grimaldos & extrinsecos idem Dominus Rex & hæredes procedere teneantur, & eos tractare & tractari facere in omnibus & per omnia, prout de eis superius continetur. Et ita actum fuit in qualibet parte præsentium conventionum.

XVI. Item actum est, quod dictus Dominus Rex teneatur facere & curare, quod Grimaldi seu aliqui eorum non armabunt, nec armari facient, nec aliqua persona armabit seu armari faciet pro ipsis

ipsis Grimaldis, seu aliquo ipsorum, aliquam galeam, seu lignum de terriis, seu bandis in terris seu portubus dicti Domini Regis, & quod non extrahent nec extrahi facient, nec aliqua persona extrahet, vel extrahi faciet, pro ipsis Grimaldis, seu aliquo eorum, aliquam galeam seu lignum de teriis, sive de bandis de terris, vel portubus dominii dicti Domini Regis.

XVII. Item actum est inter dictas partes dictis nominibus, quod prædicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus inimicos seu rebelles eorum de Janua & districtu, qui nunc sunt inimici & rebelles, & qui erunt in posterum, non debeant reconciliare, restituere, seu ad gratiam eorum, aut civitatem, districtum, terras, & feuda eorum reducere, nisi prius ipsi omnes & singuli qui reconciliarentur, præsente illo quem dictus Dominus Rex seu hæredes sui pro parte sua constituerint, quem dictus Dominus Rex seu hæredes mittere Januam & constituere teneantur infra mensem, postquam per literas dictorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, seu Communis foret requisitus, dictus Dominus Rex vel ejus hæredes jurent ad Sancta DEI Evangelia & se obligent prædictis Dominis Capitaneis, Abbati, Communi, & populo, seu ipsi Communi vel ejus Syndico, quod contra præsentes conventiones, seu aliquid contentorum in ipsis non facient vel venient, nec fieri vel veniri procurabunt, aut facient publice vel occulte, & quod aliquibus inimicis aut rebellibus dicti Domini Regis, seu hæredum suorum non adhæreant, nec aliquis eis adhæreat, nec eis aut alicui eorum dent, seu dari faciant, aut procurent, seu aliquis eorum consilium, auxilium, vel favorem quocunque modo & quocunque loco & tempore, & quod bona fide operam dabunt pro posse eorum, tanquam singulares personæ de Universitate dicti Communis, & etiam tanquam officiales dicti Communis, si aliquo tempore ad aliquod officium dicti Communis vel populi promoverentur in dicta civitate seu districtu, quod per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, populum, & Commune, & quoscunque alios rectores & gubernatores dicti Communis & populi qui pro tempore essent, ac ipsum Commune & populum, & per se ipsos præsentes conventiones & omnia & singula contenta in eis perpetuo & inviolabiliter observentur. Et si jurare nollent, aut post juramentum contrafacerent, aut dictum Dominum Regem, hæredes, seu subditos suos, aut eorum terram vel feuda, seu statum & honorem ipsorum offenderent, seu offendi procurarent, aut facerent quocunque modo & quocunque loco & tempore, seu aliquibus inimicis aut rebellibus dicti Domini Regis, seu hæredum suorum, seu alicui eorum adhærerent aut aliquis eorum adhæreret, seu eis aut alicui eorum darent & dari facerent, aut procurarent auxilium, consilium, vel favorem, de quibus, seu quolibet eorum constare debet, ut infra subjicitur, dicti Domini Capitanei, Abbas, & populus teneantur, seu ipsum Commune teneatur eos de Janua & districtu & omnibus terris & feudis sui Dominii expellere, seu expelli facere, & ipsos reputare, habere, & tractare & tractari facere in omnibus terris Januæ, & districtus, & Dominii ac feudorum suorum pro inimicis & rebellibus ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, nullo unquam tempore reconciliandi iterum per eosdem Dominos Capitaneos, Abbatem, & populum, & Commune, donec de offensionibus, quas fecissent, seu fieri fecissent, aut procurassent prædicti, qui nunc sunt, aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti Communis, quocunque modo, loco, & tempore dicto Domino Regi, seu hæredibus aut subditis suis emendam fecerint condecentem, ac eisdem Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi juraverint præsente statuto dicti Domini Regis seu hæredum suorum, & sufficienter satisdederint, quod dictas conventiones prædicto modo, contento in hoc præsenti capitulo, quod incipit: Item actum est inter dictas partes &c. observent, & dictum Dominum Regem, hæredes, seu subditos suos seu terram, feuda, honorem aut statum eorum iterum non offendant, nec faciant aut procurent offendi, neque adhæreant quibuscunque inimicis aut rebellibus dicti Domini Regis, seu hæredum suorum, seu alicui eorum, nec eis, aut alicui eorum dent aut dari procurent aut faciant quocunque modo, loco, & tempore auxilium, consilium vel favorem.

XVIII. Modus autem, secundum quem constare debet contra dictos inimicos & rebelles ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, qui nunc sunt & qui erunt in posterum, qui sint de Janua & districtu, & quos, ut supra dictum est, per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum reconciliari contingeret, qui in observatione dictarum præsentium conventionum in aliquo deficerent quocunque modo, loco, & tempore, seu aliquis eorum deficeret, seu an deficerent, seu aliquis deficeret, aut dictum Dominum Regem, hæredes, seu aliquem eorum, seu subditos suos, aut terram, feuda, seu statum & honorem ipsorum offenderent, seu offendi procurarent, aut facerent, seu aliquis eorum faceret quocunque modo, loco, & tempore, aut inimicis seu rebellibus dicti Domini Regis, vel hæredum ejus, vel alicui eorum adhærerent, seu aliquis eorum adhæreret, seu darent, aut aliquis eorum daret auxilium, consilium, vel favorem, similiter quocunque modo, loco, & tempore, de hujusmodi offensionibus, adhæsione, donatione dicti consilii, auxilii, vel favoris, de defectu etiam observationis conventionum præsentium, quæ vel qui fierent, seu fieret per eos, qui nunc sunt & in posterum erunt rebelles & inimici dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, seu aliquem, aut aliquos eorum contra dictum Dominum Regem, hæredes, seu aliquem eorum, seu subditos suos, aut terram, feuda, seu statum & honorem ipsorum, talis est: Videlicet, quod dictus Dominus Rex seu hæredes sui, prout sibi videbitur, cognosci facient inde per Curiam suam cum judicibus suis; & cum scripserint seu declaraverint ipse Dominus Rex, vel hæredes sui per literas suas Dominis Potestati, Capitaneis, Abbati, Communi, & populo Januæ constare Curiæ & judicibus ipsius Domini Regis cognitionaliter ipsos Januenses seu districtuales Januæ, seu aliquos, seu etiam aliquem eorum, qui nunc sunt, seu pro tempore

pore fuerint rebelles seu inimici dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, dictas conventiones, seu aliqua in eis contenta non observasse, aut defecisse in aliquo in observatione conventionum ipsarum, aut offendisse, seu offendi procurasse, aut fecisse dictum Dominum Regem, seu hæredes suos, seu aliquem eorum, aut terras, feuda, & subditos eorum, seu statum & honorem eorum, seu adhæsisse, aut consilium, auxilium, vel favorem dedisse aut dari fecisse, seu procurasse inimicis seu rebellibus dicti Domini Regis, vel hæredum suorum, aut alicui eorum, teneantur dicti Domini Potestas, Capitanei, Abbas, & quilibet eorum, ac Commune & populus, seu ipsum Commune, nec non alii Rectores & Gubernatores ipsius Communis & populi, & quilibet ipsorum Rectorum seu Gubernatorum, ipsos non observantes, aut offendentes, seu offendi procurantes, aut facientes, vel dictis inimicis aut rebellibus Regiis adhærentes, seu faventes, & quemlibet eorum, qui sint ad præsens, seu in posterum erunt rebelles seu inimici dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi expellere, & expelli facere de Janua & districtu, & cæteris terris & feudis Communis ipsius, ipsosque & quemlibet eorum reputare, tractare & tractari facere perpetuo per subditos dicti Communis in omnibus terris Dominii dicti Communis pro inimicis & rebellibus dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, populi, & Communis, nullo unquam tempore reconciliandi, nec in civitate Januæ & districtu seu feudis suis recipiendi, & reconciliari, seu recipi, aut morari permittendi per eosdem Dominos Potestatem, Capitaneos, Abbatem, seu alios Gubernatores aut Rectores dicti Communis & populi, seu ipsum populum & Commune, donec de offensionibus, quas fecissent, seu fieri fecissent aut procurassent prædicti, qui nunc sunt, aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti Communis, quocunque modo, loco & tempore dicto Domino Regi, seu hæredibus aut subditis suis, de quibus dicto modo constaret, emendam fecerint condecentem, ac eisdem Dominis Potestati, Capitaneis, & Abbati, seu aliis Rectoribus, aut Gubernatoribus ac populo & Communi juraverint, præsente statuto prædicti Domini Regis, seu hæredum suorum & sufficienter satisdederint, quod dictas conventiones prædicto modo observent, & dictum Dominum Regem, hæredes, seu subditos suos, seu terram, feuda, honorem, aut statum eorum aliquatenus non offendant, nec faciant, aut procurent offendi, nec aliquis eorum, neque adhæreant ipsi aut aliquis eorum quibuscunque inimicis aut rebellibus dicti Domini Regis aut hæredum suorum aut alicui eorum, aut eis seu alicui eorum dent aut dari faciant seu procurent, seu aliquis eorum auxilium, consilium, vel favorem quocunque modo seu quocunque loco & tempore, ut dictum est.

XIX. Et posito, quod prædictos qui nunc sunt, vel in posterum erunt inimici, seu rebelles dictorum Dominorum Potestatis, Capitaneorum, Abbatis, populi, seu Communis per ipsos aliquo tempore semel vel pluries reconciliari contingeret, quotiens Præfatis Dominis Potestati, Capitaneis, Abbati, populo, seu Communi per literas dicti Domini Regis, seu hæredum ejus fuerit declaratum, constare cognitionaliter Curiæ ipsius Domini Regis & judicibus suis dictos, qui nunc sunt, & in posterum erunt inimici seu rebelles dictorum Dominorum Potestatis, Capitaneorum, Abbatis, seu Communis, ipsos, seu aliquem eorum aliquo modo, loco, vel tempore non observasse prædicta omnia & singula, quæ in ipsa præsenti conventione continentur, aut offendisse, offendi fecisse, aut procurasse dictos Dominum Regem, seu hæredes ejus, terram, aut feuda, seu subditos, aut honorem eorum, vel adhæsisse aliquibus inimicis, seu rebellibus dicti Domini Regis aut hæredum suorum, aut alicui eorum, seu eis aut alicui eorum dedisse auxilium, consilium, vel favorem, teneantur dicti Domini Potestas, Capitanei, Abbas, & alii rectores, seu gubernatores, populus, & Commune ipsos omnes & singulos, ita quod pro facto unius alius seu alii servantes & contra facientes non teneantur expellere, seu expelli facere de Janua & districtu, ac omnibus terris & feudis Communis ejusdem, ipsosque & quemlibet eorum tractare & tractari facere perpetuo pro inimicis & rebellibus, & tanquam inimicos & rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, ac alia observare & observari facere contra eos in omnibus & per omnia, prout de iis superius continetur. Et quotiens ipsos seu aliquem, seu aliquos eorum, qui nunc sunt, aut in posterum erunt inimici & rebelles, ut supra reconciliari contingeret, & post reconciliationem eorum dictis Dominis Potestati, Capitaneis, Abbati, populo, seu Communi per literas dicti Domini Regis & hæredum ejus declararetur, ut supra, totiens contra ipsos inimicos & rebelles dicti Domini Potestas, Capitanei, Abbas, & populus, seu Commune procedere teneantur, & eos & quemlibet eorum tractare & tractari facere perpetuo, ac alia observare & observari facere contra eos in omnibus & per omnia, prout de ipsis superius continetur. Et ita actum fuit in qualibet parte præsentium conventionum.

XX. Item actum est, quod dicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu ipsum Commune teneantur facere & curare, quod prædicti, qui nunc sunt, aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti Communis, non armabunt, nec armari facient, nec aliqua persona armabit, seu armari faciet, pro eisdem, seu aliquo eorum aliquam galeam, seu lignum de teriis seu bandis in dicta civitate Januæ, seu terris districtus & feudorum suorum, & quod non extrahent, nec extrahi facient, nec aliqua persona extrahet, vel extrahi faciet pro ipsis seu aliquo ipsorum aliquam galeam seu lignum de terris, sive bandis de civitate Januæ, seu terris & portubus districtus & feudorum suorum, nisi prius sufficientem satisdationem dent prædictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi, seu ipsi Communi, quod cum galeis seu lignis eisdem dictum Dominum Regem, hæredes, aut subditos suos, terram, feuda, statum & honorem ipsorum non offendant, nec per eas offendi faciant, aut procurent, nec qualitercunque galeæ ipsæ, seu ligna, sive existentes in eis non offendant, nec quibuscunque inimicis aut rebellibus ipsius Domini Regis, seu hæredum suorum cum galeis & ligna

lignis ipsis, seu aliquibus, aut aliquo ipsorum vel ipsarum adhæreant, aut dent vel dari faciant, seu procurent, aut patiantur consilium, auxilium vel faforem quocunque modo, vel loco & tempore.

XXI. Illud autem, quod dictum est, quod dictus Dominus Rex & hæredes sui, dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum, & statum eorum, & eorum complices, sequaces, & de parte eorum manutenere, & protegere & adjuvare teneantur in Janua & districtu, & terris & feudis suis prædictis, in Terra firma Italiæ positis, & etiam ad recuperandum omnia & singula loca, quæ de ipsis occupata sunt, seu occupabuntur & aut detinentur, seu detinebuntur per quoscunque inimicos, seu rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi & recuperata defendendum, & galeas, equites & pedites mittere in auxilium & juvamen dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, ut dictum est, intelligatur hoc modo, videlicet quod fiat ad expensas dicti Communis secundum taxationem subscriptam, scilicet quod dictum Commune dabit dicto Domino Regi, vel illi quem dictus Dominus Rex ad hoc duxerit ordinandum, pro qualibet galea dicto modo armanda & mittenda in auxilium & juvamen dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis & populi pro recuperatione, manutentione, & defensione prædicta libras sexcentas Januenses singulis mensibus tam pro galea ipsa cum armis & munitionibus suis necessariis, quam pro Stipendiis & panatica personarum, & omnibus aliis opportunis ejusdem galeæ & personarum ipsius, & pro quolibet milite cum tribus equis, uno ad arma, uno palafredo, & uno somerio, libras Januenses viginti, pro quolibet scutifero libras Januenses quindecim, & singuli duo scutiferi habere & ducere debeant quinque equos ad arma, duos palafredos, & unum somerium, & pro quolibet balistario, seu lancerio pedite, solidos quinquaginta Januenses. Equi autem quos ducent ipsi milites & scutiferi, æstimari debeant in partibus de quibus recesserint, per duos bonos & expertes viros in talibus eligendos per aliquem pro parte dicti Domini Regis, seu hæredum suorum, & per aliquem pro parte dicti Communis; ita, quod si aliquis dictorum equorum deficeret, seu moriretur, dum esset in servitiis dicti Communis, seu postquam inceperit viagium veniendi ad servitium dicti Communis, per dictum Commune restitui debeat æstimatio ipsius equi; ita quidem, quod, quotiens dicti Domini Capitanei, Abbas, seu Commune requirerent hujusmodi subsidium vel juvamen galearum, teneantur eidem Domino Regi, vel statuendo per ipsum Dominum Regem dare prædicta taxata stipendia per unum mensem & dimidium ante recessum ipsarum galearum de portubus dicti Domini Regis, pro tempore scilicet trium mensium, numerandorum a die qua recesserint de portubus ipsis in auxilium & juvamen dicti Communis profecturæ modo prædicto. Si vero requisiverint auxilium equitum seu peditum, teneantur dicti Domini Capitanei, Abbas, & Commune ipsis equitibus & peditibus dare stipendia prætaxata per dies viginti ante recessum ipsorum de terris dicti Domini Regis pro tempore trium mensium, numerandorum a tempore quo recesserint, & postquam stipendia essent soluta, quilibet qui stipendia recepisset, & non veniret & serviret dicto Communi, teneatur dictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi restituere duplum, vel dictus Dominus Rex pro eo. Quod si pro majori tempore trium mensium dicti Domini Capitanei & Abbas seu Commune ipsas galeas, equites, seu pedites retinere vellent in suo juvamine & servitio supradicto, teneatur dictus Dominus Rex ipsas & ipsos galeas, equites & pedites ibi remanere facere, vel alias & alios subrogare loco earum vel eorum, & servire ipsis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi in prædictis toto tempore, quo dicti Domini Capitanei & Abbas voluerint seu Commune voluerit; & iidem Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune teneantur, donec galeas ipsas, equites, seu pedites retinuerint, solvere eis stipendia ad dictam rationem singulis mensibus in principio mensis cujuslibet, & ita fiat hujusmodi solutio & eo tempore, quod semper galeæ ipsæ, equites & pedites stipendia habeant pro tempore reditus eorum ad propria conveniendi & necessario pro locorum distantia & temporum qualitate. Quarum galearum Admiratus, Comiti, & Naucleri, & singuli qui erunt in ipsis galeis, ac Capitaneus equitum & peditum, eligantur & instituantur per dictum Dominum Regem, seu hæredes ejus, & per eos injungatur ipsis omnibus sub sacramento præstando & alia cautela, quam ipse Dominus Rex seu hæredes ejus ad hoc viderint opportunam, quod fideliter & continuo pro tempore stipendiorum receptorum & recipiendorum servient dictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi, & eorum complicibus & fautoribus, & de parte eorum, & ipsos Dominos Capitaneos, Abbatem, populum, & Commune, & eorum complices, sequaces, & fautores pro posse eorum juvabunt in prædictis & circa prædicta, de quibus supra declaratum est in primo capitulo, quod incipit: Videlicet dicti procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro eo &c. & obedient in prædictis Admirato seu Capitaneo generali armatæ seu exercitus ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & Communis contra inimicos, adversarios, & rebelles dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, populi, seu Communis, & status eorum, & erunt sub ducatu, & gubernatione, & regimine dicti Admirati, seu Capitanei generalis exercitus Communis ejusdem.

XXII. Item expressim actum est inter dictas partes dictis nominibus, quod omnes & singuli de Janua & districtu ejus, qui sunt, seu erunt in obedientia dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, seu dicti Communis, possint licite in omnibus terris & portubus dicti Domini Regis, seu Dominii & feudorum ipsius victualia emere, & quocunque modo licite acquirere & acquiri facere & extrahere, & extrahi facere, & ad civitatem Januæ & districtum deferre & deferri facere, non obstante aliquo deveto facto vel faciendo, seu aliqua prohibitione; ita tamen quod jura dohanæ, & exituras, tarenos, & exactiones solitas & ordinatas hactenus, & quæ solvi consueverunt & hodie solvuntur per

tur per Januenses in ipsis terris & portubus, Januenses ipsi solvere teneantur; non possit tamen aliqua superimposita vel nova exactio, quocunque nomine censeatur, fieri, seu aliqua consueta augeri. Et etiam actum est, quod ubicunque facta est mentio in præsentibus conventionibus de victualibus, quod appellatione victualium contineantur omnia, quæ de jure Communi continentur, non obstante aliqua consuetudine vel usu loquendi, quæ seu qui sit in Regno, terris, seu feudis, dicti Domini Regis. Teneantur tamen Januenses, volentes de terris & portubus dicti Domini Regis victualia extrahere, ibi satisdare de ipsis victualibus apud Januam vel districtum deferendis & exonerandis ibidem sine justo DEI impedimento, vel literas dictorum Dominorum Capitaneorum, sive Communis deferre, in quibus contineatur, quod satisdederint in civitate Januæ de ipsis victualibus apud Januam, vel districtum deferendis, victualia de dictis terris & portubus dicti Domini Regis & quantitates victualium scribi debeant, & in fine cujuslibet anni dicti Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune teneantur scribere ipsi Domino Regi nomina omnium & singulorum de Janua & districtu, qui victualia Januam, seu ad ejus districtum detulerint de terris seu portubus dicti Domini Regis, & quantitates victualium delatorum, ita quod sciri possit, an aliqui de Janua seu districtu ipsa victualia ad partes alias detulerint, quam ad partes Januæ seu districtus. Et si qui de Janua, seu districtu invenientur ad alias partes, quam ad partes Januæ, vel districtus, nisi forte justo Dei impedimento contigisset, ipsa victualia detulisse, dictum Com. Januæ teneatur quantitatem, de qua per ipsos satisdatum foret, exigere ab ipsis deferentibus ad alias partes quam Januæ, seu districtus Januæ, ut dictum est, & dimidia ipsarum quantitatum sit & esse debeat dicti Domini Regis, & alia dimidia dicti Communis. Et actum est similiter, quod subditis dicti Domini Regis liceat in Janua & districtu, & feudis suis mercationes licite exercere, solvendo jura quæ huc usque solvere consueverunt, & quod eis nulla superimpositio fiat, vel nova exactio, seu aliqua consueta augeatur, quocunque nomine censeatur. Et etiam actum est, quod subditis dicti Communis liceat in dictis Regno & feudis mercationes licitas exercere, solvendo jura, quæ huc usque solvere consueverunt, ita quod eis nulla superimpositio fiat, seu nova exactio, seu aliqua consueta augeri possit, quocunque nomine censeatur.

XXIII. Item, quod singulis annis in perpetuum, quandocunque a mense Aprilis usque per totum mensem Junii dictus Dominus Rex, vel hæredes sui per literas vel certos nuncios dictorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis fuerint informati de quantitate frumenti, quam ipsi necessariam reputabunt pro anno uno ex tunc sequenti ad opus dicti Communis, usque ad frumenti salmarum centum millia, & per eos, aut literas, vel nuncium ipsorum super hoc idem Dominus Rex fuerit requisitus, vel ejus hæredes requisiti fuerint, claudet vel claudent portus suos de Apulia, & devetum faciet & facient generale omnibus & singulis exteris a Regno, (& intelligantur exteri omnes & singuli ibidem domicilium non habentes) quod frumentum de portubus ipsis non extrahent, nec extrahi facient extra Regnum ferendum, & quod ipse Dominus Rex seu hæredes sui non patiantur extrahi per aliquos exteros, nec aliquam personam pro eis in fraudem dicti deveti aliquam quantitatem frumenti extra Regnum ferendam infra quatuor menses sequentes numerandos a primo, scilicet Julii proximo tunc sequentis in antea. Et si dicti Domini Capitanei, & Abbas, minorem quantitatem dictis centum millibus salmarum frumenti eidem Communi necessariam esse scripserint, pro illo anno Dominus Rex seu hæredes sui dictum terminum quatuor mensium, in claudendo dictos portus, & devetum, faciendo restringere & diminuere possint pro rata quantitatis minoris, quam ipsi Domini Capitanei & Abbas necessariam scripserint, ita quod pro quibuslibet viginti quinque millibus salmarum frumenti, quas dicti Domini Capitanei & Abbas dicto Communi necessarias scripserint illo anno præfatus Dominus Rex dictam clausuram portuum & devetum facere debeat & teneatur per unum mensem, a primo dicti mensis Julii, numerandum. Et si plus vel minus scriberent, terminus ipse augeatur vel minuatur secundum quantitatem quam scriberent ad rationem eandem viginti quinque millium salmarum frumenti pro mense quolibet, infra quem terminum mensium seu pauciorum ad rationem prædictam pro rata quantitatis, quæ necessaria scriberetur, ut dictum est, dictum Commune teneatur ex pacto extrahi facere Januam, seu ad districtum ejus deferendam illam quantitatem frumenti, quam usque ad summam prædictarum salmarum centum millium ad opus dicti Communis necessariam scripserint, solvendo officialibus Regiis tempore extractionis ipsius jura prædicta omnia, prout superius est expressum. Et si forte dictam quantitatem frumenti, quam scripserint dicti Domini Capitanei & Abbas illo anno necessariam esse dicto Communi, ipsum Commune per suos factores, seu procuratores extrahere nollet, aut non extraheret, teneantur dicti Domini Capitanei, Abbas, & populus, seu ipsum Commune satisfacere Domino Regi seu hæredibus suis de supradictis juribus debitis pro quantitate, quæ sic ad extrahendum remansisset, ac si extractionem ipsam fecissent, seu fieri fecissent. Et hæc satisfactio fieri debeat infra quatuor menses, si summa frumenti, quam necessariam scripserint & non extraxerint, fuerit a quinquaginta millibus salmarum frumenti infra. Si vero fuerit a quinquaginta millibus salmarum frumenti supra, infra sex menses. Qui quidem quatuor & sex menses, ut dictum est, computentur a fine temporis, infra quod extractio prædicta fieri debuerit & facta non extiterit in antea. Hoc salvo eidem Communi, quod illam quantitatem, quæ sic extrahenda restaret post prædictum terminum, extrahi facere possit ipsum Commune postea quandocunque sine solutione jurium prædictorum, cum jam foret inde satisfactum dicto Domino Regi seu hæredibus, ut dictum est. Et intelligatur, quod extractio ipsa fieri non possit, nisi solutione primo facta Domino Regi, vel officialibus suis de juribus supra dictis: *Ita quidem*, quod post prædictum terminum, infra quem debebat fieri ipsa extractio, & facta non fuerit, ut superius declara-

declaratum est, dictus Dominus Rex hoc non obstante aperiat portus ipsos quibuscunque exteris pro suæ libito voluntatis.

XXIV. Acto tamen, quod si contingeret, quod esset tanta sterilitas seu penuria victualium in omnibus terris regiis Apuliæ, Provinciæ, & Forcalquerii, quod victualia orta in ipsis terris solum suis subditis ipsorum locorum pro edili usu ipsorum & futuro semine illius anni sufficere verisimiliter viderentur, ita quod omnibus exteris & oriundis de terris dicti Domini Regis denegaretur & interdiceretur per ipsum Dominum Regem extractio & delatio quorumlibet victualium ferendorum extra Regnum & terram dicti Domini Regis, quod dicto casu pro tempore quo duraret ipsa sterilitas seu penuria & ipsum interdictum servaretur, non teneatur dictus Dominus Rex ad prædicta, quæ de victualibus & frumento dicta sunt.

XXV. Item dicti procuratores dicti Domini Regis, volentes dicto procuratorio nomine prædicto Communi Januæ gratiam facere specialem, concedunt dictis Syndicis dicti Communis, dicto syndicario nomine stipulantibus & recipientibus ut supra, in perpetuum annis singulis exituram liberam ab omnibus juribus supradictis decem millium salmarum frumenti, extrahendarum de portubus Apuliæ ad electionem ipsorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis seu Communis, & ferendarum apud Januam, seu districtum ejus. Et si contingat, quod aliquo anno propter penuriam seu sterilitatem, quæ esset in Apulia, ut dictum est supra, ipsa quantitas in totum vel in partem extrahi non posset, illud, quod inde remaneret extrahendum, sive totum, sive pars, extrahatur & extrahi possit per ipsum Commune, seu ad hoc deputandos per ipsum Commune, quamprimum penuria seu sterilitas illa cessabit. Et postquam Sicilia recuperata fuerit per ipsum Dominum Regem, seu hæredes ejus, ex nunc concedunt dicti procuratores dicti Domini Regis dictis Syndicis dicti Communis dicto nomine dictam salmarum decem millium exituram liberam, ut dictum est, de insula Siciliæ, scilicet de illis locis, de quibus maluerit ipsum Commune. Et tunc cesset prædicta gratia de exitura ipsarum decem millium salmarum, de portubus Apuliæ, ut dictum est, & intelligatur esse translata in Siciliam.

XXVI. Item concedunt dicti procuratores Domini Regis dictis Syndicis, quod recuperata Sicilia, Commune & homines Januæ & districtus utantur & uti possint in eadem Insula Siciliæ omnibus illis libertatibus & immunitatibus, quibus utebantur tempore claræ memoriæ Domini Regis Caroli primi, scilicet usque ad illud tempus, quo Sicilia rebellavit eidem.

XXVII. Item ex pacto expressim adhibito in principio, medio, & fine hujus contractus, cum aliter dicti Syndici præsentes conventiones non fuissent innituri, dicti procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro eo promiserunt dictis Syndicis stipulantibus proprio & privato nomine dicti Domini Opizini & ipsi Domino Opizino præsenti suo proprio & privato stipulanti, quod dictus Dominus Rex infra mensem unum, a præsenti in antea numerandum, tradet, & tradi & assignari faciet dicto Domino Opizino suo proprio & privato nomine, seu alii per eum constituendo castra Montis Calvi & Vignalis, quæ sunt de Marchionatu Montisferrati, & custodiuntur pro ipso Domino Rege, & ipsum Dominum Opizinum, seu deputandum per eum in vacuam & expeditam possessionem dictorum castrorum induci faciet infra dictum mensem. Et si forte aliqui seu aliquis impedimentum ponerent, seu poneret, vel resistentiam facerent seu faceret, quo minus castra ipsa ad mandatum dicti Domini Regis traderentur & assignarentur ipsi Domino Opizino, vel ejus procuratori, in hoc casu Dominus Rex procuret impedimentum & resistentiam hujusmodi omnino tollere per guerram etiam faciendam, quæ ad hoc rationabiliter verisimiliter sufficere videatur contra resistentes & impedientes, si opus fuerit, quousque ipsa castra tradiderit & assignaverit, seu tradi & assignari fecerit idem Dominus Rex dicto Domino Opizino, seu deputando per eum.

XXVIII. Veruntamen in guerra ipsa facienda, ut supra, Vir magnificus Dominus Theodorus, Marchio Montisferrati, & præfatus Dominus Opizinus toto posse eorum juvabunt dictum Dominum Regem & gentes suas contra omnes resistentes & impedientes ad removendum hujusmodi impedimentum & resistentiam & recuperationem prædictam, donec castra ipsa recuperata fuerint, & assignata & tradita dicto Domino Opizino, vel deputando per eum. Actum tamen est, quod ante quam traditio & assignatio ipsa fiat, præfatus Marchio pro se & suis hæredibus jurabit, & se & eos solemniter obligabit, quod eundem Dominum Regem seu hæredes & subditos suos in terris, feudis, & honoribus suis non offendent in aliquo, vel gravabunt, nec offendere, vel gravare nitentibus, sive Communitates, sive speciales personæ essent, dabunt consilium, auxilium, vel favorem, non obstante quacunque obligatione, conventione, seu promissione facta, vel inita inter eundem Marchionem & quamcunque Communitatem, vel personam, quacunque sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata, nec de cætero ipse Marchio & hæredes sui conventionem, promissionem, seu colligationem facient cum quacunque communitate seu persona contra præfatum Dominum Regem vel hæredes suos, terram, feuda, & honores eorum. Quod si dictus Dominus Marchio, seu hæredes ejus, secus fecerint, seu aliquis eorum fecerit, dicti Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune dictum Dominum Marchionem & ejus hæredes, & subditos eorum habere, tenere, & tractare debeant pro inimicis & tanquam inimicos dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi in Janua & districtu, quousque ipsi Dominus Marchio & ejus hæredes cum dicto Domino Rege reconciliati non fuerint, & interim non debeant, & maxime dictus Dominus Opizinus non debeat eidem Marchioni seu hæredibus ejus in iis vel aliis quibuscunque dare vel dari facere consilium, auxilium, vel favorem publice vel occulte. Dictus etiam Dominus Rex præfatum Dominum Marchionem Montisferrati & hæredes suos prædicta servantes non offendet, nec etiam dictum Dominum Opizonem, vel per vasallos suos offendi faciet vel permittet de terris & posse ipsius Domini Regis & feudorum suorum, seu per homines terrarum ipsius Domini Regis seu feudorum ipsius.

XXIX. Et si pax seu concordia esse poterit inter Marchionem Montisferrati & Marchionem Salluciarum, Dominus Rex ad hoc, quantum decenter & honeste poterit, operam suam dabit. Si vero fieri non posset, idem Dominus Rex non permittet, quod ipse Marchio Salluciarum de hominibus & locis, quos ab ipso Domino Rege tenet in feudum, seu aliquo eorum eidem Marchioni Montisferrati vel suis hæredibus, seu dicto Domino Opizino guerram faciat seu gravamen. Et e contra ipse Marchio Montisferrati seu dictus Dominus Opizinus eidem Marchioni Salluciarum in terris & locis, quæ a dicto Domino Rege tenet, seu aliquo eorum in feudum, guerram non faciet seu gravamen. Dictus etiam Marchio Montisferrati, & præfatus Dominus Opizinus hominibus & vasallis Marchionatus ejusdem, qui Domino Regi, vel suis gentibus adhæserunt vel obediverunt, omnem offensam & culpam, in quam propter hoc forsitan incidissent adversus eos vel eorum alterum, & pœnam, quam propterea incurrissent, remittent & relaxabunt omnino. Intelligendum tamen est, quod per hanc traditionem seu assignationem faciendam præfato Domino Opizino de castris prædictis, juribus dicti Marchionis Montisferrati, seu alterius, si qua eis competunt in castris prædictis, nullum præjudicium generetur. Et si forte aliquis subditus, vel vasallus dicti Domini Regis offenderet dictum Dominum Marchionem, vel subditos ipsius Domini Marchionis, vel si aliquis subditus, vel vasallus dicti Domini Marchionis offenderet dictum Dominum Regem, vel aliquem subditum, vel vasallum ipsius, teneatur uterque ipsorum Dominorum Regis & Marchionis de iis infra spatium duorum mensium post requisitionem, quæ fieret, facere seu fieri facere summarium & expeditum justitiæ complementum, & delinquentes cogere ad satisfactionem debitam faciendam.

XXX. Et ex pacto adhibito, ut dictum est, prædictus Dominus Opizinus promisit solenniter dictis procuratoribus Regiis stipulantibus ut supra, liberare, & liberari facere, & facere & curare, quod liberabuntur a carceribus dicti Marchionis Montisferrati vel suorum sequacium, subditorum, & fautorum Castellanus Regius, qui erat in Castro Vignalis pro parte dicti Domini Regis, & quicunque alii de gente, subditis, & fautoribus dicti Domini Regis, qui postquam guerra incepta fuit dicto Marchioni Montisferrati per dictum Dominum Regem, gentes & fautores ejusdem, captivi detinentur & detinerentur in antea, dictorum castrorum traditione & assignatione pendente, per dictum Marchionem Montisferrati, gentem, complices, & fautores ejusdem.

XXXI. Illud autem, quod actum est de dicto Marchione Montisferrati, non offendendo per dictum Dominum Regem seu offendi permittendo, intelligatur habere locum quousque dictus Marchio se gesserit secundum beneplacitum & consilium dicti Domini Opizini, de quo an se gerat, vel non, semper stari debeat declarationi dicti Domini Opizini, & id quod dictum est de hæredibus dicti Marchionis non offendendis per ipsum Dominum Regem, nec offendi permittendis ut supra intelligatur locum habere, si magnifica Domina Argentina, nata dicti Domini Opizini, & uxor dicti Marchionis, filios sustulerit ex dicto nunc Domino Marchione, qui succedant in dicto Marchionatu.

XXXII. Item teneatur dictus Dominus Rex facere & curare, quod nobilis vir, Philippus de Sabaudia, unum, vel duo castra, quæ de Marchionatu Montisferrati prædicto capta fuerunt hac æstate præterita per gentem dicti Domini Regis & ipsum Dominum Philippum post conventionem factam super Marchionatu prædicto inter ipsum Dominum Regem & ipsum Dominum Philippum, sive unum castrum fuerit, sive duo, in quo vel quibus Dominus Rex in ipsa conventione habet, vel habere debet medietatem, tradet & assignabit, seu tradi & assignari faciet dicto Domino Opizino suo proprio nomine seu deputando per eum, & vacuam & expeditam possessionem ipsorum castri sive castrorum, sive sit unum, sive sint duo, quam citius bona fide per ipsum Dominum Regem fieri poterit & procurari, ita quod ex parte sua in hoc defectus aliquis non existat.

XXXIII. Et etiam promiserunt dicti procuratores dicti Domini Regis ex pacto expressim adhibito mihi Notario infra scripto, officio publico stipulanti nomine & vice dicti Marchionis & hæredum suorum, quod si dictus Dominus Marchio Montisferrati aliquo tempore guerram faciet, seu fieri faciet contra Dominum Comitem Sabaudiæ pro recuperatione aliquorum aliorum castrorum, terrarum, locorum, seu bonorum aliorum, quæ seu quos dictus Comes teneat vel possideat ex castris, terris, locis, vel bonis aliis dicti Marchionatus, quod dictus Dominus Rex ipsi Comiti non dabit nec dari faciet, nec dari patietur per aliquos subditos ipsius Domini Regis auxilium, consilium, seu favorem, publice seu occulte, nec propterea intelligatur Dominus Marchio prædictus facere contra prædicta seu aliquod prædictorum, nec contra promissionem quam facere debet idem Dominus Marchio Montisferrati juxta ea, quæ supra acta sunt.

XXXIV. Item si forte contingeret, ipsa dictorum omnium assignatione pendente castrorum, quod eorum aliqua vel aliquod ad manus dicti Marchionis Montisferrati seu Domini Opizini, vel aliquorum de gente, aut fautoribus eorundem, seu alicujus eorum alio quocunque modo quam de mandato ejusdem Domini Regis seu per manus officialium, aut gentis, aut statutorum pervenirent, aut perveniret, hujusmodi perventio reputetur, habeatur, & teneatur, & perinde sit, & ita prædicta omnia, quæ continentur in prædictis proximo præcedentibus capitulis, loquentibus de dicto Marchionatu Montisferrati, fiant, compleantur, & observentur, ac si de mandato ipsius Domini Regis, seu per manus ejus aut officialium, seu gentis aut statutorum ipsius, dictorum castrorum spontanea traditio & assignatio fieret præfato Domino Opizino seu procuratori ejus, juxta quod superius est promissum. Et insuper si contingat, assignatione prædicta pendente, quod aliquod vel aliqua alia castra Marchionatus ejusdem, ultra ea de quibus superius dictum est, perveniant quocunque modo ad manus prædicti Domini Regis aut officialium, seu gentis ipsius, seu alicujus ejus subditi, seu vasalli, ea tradere & assignare, seu tradi & assignari facere teneatur ipse Dominus Rex præfato Domino Opizino, vel procuratori ipsius, quemadmodum

dum tenetur illa, de quibus primo dictum est, scilicet infra mensem, postquam ad ipsum Dominum Regem, gentem ejus, seu officialium aliquem, subditum, vel vasallum dicti Domini Regis pervenissent aliqua ex ipsis castris seu aliquod eorum. Et si forte aliqui seu aliquis impedimentum ponerent, vel resistentiam facerent, quo minus castra ipsa taliter pervenientia, deinde ad manus dicti Domini Regis, vel officialium, seu gentis ipsius, ad mandatum dicti Domini Regis traderentur & assignarentur ipsi Domino Opizino, vel ejus procuratori, in hoc casu Dominus Rex impedimentum & resistentiam hujusmodi omnino tolleret per guerram etiam faciendam contra resistentes & impedientes, si opus fuerit, quæ ad hoc sufficiens verisimiliter videatur. Veruntamen in guerra ipsa facienda prædicti Marchio Montisferrati, & Dominus Opizinus toto posse eorum juvabunt dictum Dominum Regem & gentes suas ad removendum hujusmodi impedimentum & resistentiam, & ad recuperationem prædictam contra omnes resistentes & impedientes, donec castra ipsa recuperata fuerint, & assignata & tradita dicto Domino Opizino, vel Procuratori suo.

XXXV. Item propter amorem & honorem præfati Domini Opizini dictus Dominus Rex gratiose liberabit de carcere suo Comitem Philiponum, & illum seu illos, qui secum in carcere Regis custodiuntur, & eos assignari faciet liberos nuntio dicti Domini Opizini, recepto prius ab ipso Comite Philipono, fratribus, & filiis suis, seu legitima persona pro eis ad sancta DEI Evangelia juramento & obligatione solemni, quod eundem Dominum Regem seu hæredes ejus & subditos eorum in terris, feudis, & honoribus suis non offendent in aliquo vel gravabunt, nec offendere vel gravare nitentibus, sive communitates sive speciales personæ essent, dabunt consilium, auxilium, vel favorem, non obstante quacunque colligatione, conventione, seu promissione facta, vel inita inter eos & quamcunque communitatem vel personam quamcunque, sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata, nec de cætero conventionem, promissionem, seu colligationem facient cum quacunque Communitate seu persona contra præfatum Dominum Regem vel hæredes suos, terram, feuda, & honores eorum. Et de hoc inviolabiliter observando Commune civitatis Papiæ se pro eis obligabit solemniter dicto Domino Regi, & eo modo, quod si dictus Dominus Comes Philiponus, fratres vel filii ejus, contra facerent, dictum Commune Papiæ expellet eos de ipsa civitate & districtu suo, & reputabit & tractabit eos pro suis rebellibus & inimicis. Ita etiam quod dictum Commune Papiæ sufficienter promittat & obliget solemniter dicto Domino Regi, quod eundem Dominum Regem & hæredes suos, terram, feuda, ac honores eorum non offendent in aliquo, vel gravabunt, nec offendere, vel gravare nitentibus, sive communitates sive speciales personæ essent, dabunt consilium, auxilium, vel favorem, non obstante quacunque obligatione, conventione, seu promissione, facta vel inita inter ipsum & quamcunque communitatem vel personam quacunque sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata; nec de cætero Commune ipsum Papiæ conventionem, promissionem, seu colligationem faciet cum quacunque Communitate vel persona contra præfatum Dominum Regem vel hæredes suos, terram, feuda, & honores eorum.

XXXVI. Item si contingeret aliquo tempore quandocunque & quotienscunque, quod aliqui Domini, seu aliquis Dominus, seu persona, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status, sive conditionis existant sive existat, Dominium seu potestatem habentes seu habens, seu possidens seu quasi, seu detinens, in aliquibus terris vel insulis, vel aliqua terra, vel insula sitis, seu sita a Motono de partibus Romaniæ usque ad flumen Rhodani de partibus Provinciæ dictis Dominis Capitaneis, Abbati, Communi, & populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum injuriam, gravamen, damnum, seu offensionem inferant, seu aliquis eorum inferat aliquo loco seu aliquo tempore, vel guerram faciant, seu aliquis eorum faciat, seu inferri, vel fieri per aliquos subditos, seu morantes seu moraturos in terris Dominii, jurisdictionis, seu posse ipsorum Dominorum, seu alicujus eorum passi fuerint, seu aliquis eorum passus fuerit, seu qualitercunque ipsis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi, seu alicui eorum, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum fieri seu inferri contigerit per quoscunque, qui in dictis terris ipsorum Dominorum seu alicujus eorum, seu posse, Dominio aut jurisdictione eorum, seu alicujus eorum morati fuissent seu morarentur, seu receptarentur, & ibidem armassent, seu armarent, armari fecissent, vel facerent, seu armassent seu armarent, armari fecissent seu facerent tantum, posito quod aliquo tempore ibi non fuissent morati, & posito quod postea non receptarentur ibidem aliqua vasa, ex quibus damnum vel offensio, gravamen, vel injuria illata esset vel inferretur prædictis Dominis Capitaneis, Abbati, & populo, seu Communi, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum, seu si alias damnum, offensio, gravamen, seu injuria illatum seu illata fuerit aliquo tempore, loco, vel modo prædictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, seu Communi, seu alicui eorum, per aliquos morantes, seu qui receptarentur, morari seu receptari contigerit in terris, posse, Dominio, seu jurisdictione dictorum Dominorum, seu alicujus eorum, quamdiu morarentur, seu receptarentur ibidem, seu si aliqua Communitas, seu Universitas, quæ sit infra dictos confines, intulerit, seu fecerit, seu inferri seu fieri passa fuerit, per aliquos subditos ipsius Communitatis, seu Universitatis, seu morantes, seu qui receptarentur, & armassent seu armarent, armari fecissent seu facerent tantum, posito quod aliquo tempore ibi non fuissent morati, & posito, quod postea non receptarentur ibidem, in posse seu jurisdictione ipsius Communitatis seu Universitatis, seu si aliter per aliquos morantes, seu qui receptarentur, seu quos morari, vel receptari contingat in posse, Dominio, territorio, seu jurisdictione ipsius Communitatis seu Universitatis, quandiu morarentur seu receptarentur ibidem, damnum, offensio, gravamen, seu injuria illatum, seu illata fuerit, prædictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, seu Communi, seu alicui eorum, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum, tempore, modo, vel loco, quandiu morarentur, seu receptarentur ibidem, teneatur dictus Dominus Rex & hæredes

hæredes ejus infra mensem computandum a die requisitionis, seu denunciationis, quæ fiet super hoc ipsi Domino Regi vel hæredibus suis per literas, vel per nuncium dictorum Dominorum Capitaneorum & Abbatis, seu Communis & populi requirere per literas seu nuncios ipsius Domini Regis, vel hæredum ejus efficaciter illum Dominum, seu Dominos, Communitatem seu universitatem, qui seu quæ injuriam, gravamen, damnum, seu offensam intulisset, vel guerram fecisset seu faceret, seu inferri vel fieri fecisset, vel passus seu passa esset inferri vel fieri per homines seu subditos Dominii seu jurisdictionis ipsorum Dominorum vel Domini, Communitatis seu universitatis, seu in cujus Dominio seu territorio vel posse illi qui intulissent, seu fecissent, seu facerent, morarentur seu receptarentur, & armassent seu armari fecissent, seu armassent vel armari fecissent tantum, posito quod non fuissent morati nec receptati ibidem, & posito quod postea non receptarentur ibidem, quod de hujusmodi injuria, gravamine, damno, offensione, & guerra, & quolibet eorum illatis dictis Dominis Capitaneis, Abbati, Communi, & populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum, satisfactionem & emendam congruam & sufficientem ipsis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & cuilibet eorum, & quibuslibet subditis dicti Communis faciant seu fieri faciant, & quilibet eorum faciat seu fieri faciat infra menses duos, & ab ipsis ulterius inferendis seu permittendis inferri, & ab omni guerra facienda, seu fieri permittenda per aliquos subditos ipsorum Dominorum, seu Domini, Communitatis seu universitatis, seu aliquos morantes seu moraturos, seu qui receptarentur in terris Dominii ipsorum Dominorum seu Domini, Communitatis seu universitatis, omnino abstineant, & quilibet eorum abstineat, & subditos suos morantes in terris sui Dominii, posse, seu jurisdictionis, & omnes & singulos, qui in eis receptarentur & armassent, seu armarent seu armassent tantum, faciant & quilibet eorum faciat abstinere.

XXXVII. Quod si prædicti Domini seu Dominus & eorum subditi, seu morantes in eorum posse, Dominio, & Jurisdictione, seu Communitas seu universitas super hoc requirendi seu requirenda per literas Domini Regis vel hæredum ejus, ut dictum est, prædicta facerent & servaverint, & quilibet eorum fecerit infra dictum tempus duorum mensium & servaverit, & per subditos ejus & morantes, seu qui receptarentur, seu qui morati fuissent & armassent, seu armassent tantum, posito quod ibi postea receptati non fuissent in terris sui Dominii, Jurisdictionis, seu posse fecerit & fecerint observari, dicti Dominus Rex seu ejus hæredes, Capitanei, Abbas, Populus, & Commune debeant esse contenti. Si vero ipsi Domini, seu Dominus, Communitas, seu universitas, requirendo ut supra, hujusmodi emendationem aut satisfactionem infra dictum terminum facere contemnerent, seu aliquis seu aliqua eorum, seu earum contemneret, seu non faceret, & non abstinebunt, & quilibet ipsorum Dominorum, Communitatum, seu universitatum non abstinebit, & subditos, morantes, seu qui receptarentur & armassent, seu qui armassent tantum, cum effectu non fecerint ipsi Domini, & quilibet eorum & quælibet ipsarum Communitatum & universitatum abstinere, ut dictum est, & dicti Domini Capitanei & Abbas, populus & Commune tunc vellent seu vellet Commune contra ipsos Dominos, seu Dominum, Communitatem seu universitatem guerram facere, hoc casu dictus Dominus Rex ad requisitionem dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, & populi, & Communis per eorum nuncium vel literas faciendam, semper & quotiens facta fuerit, teneantur armare & armari facere & mittere ad locum infra dictos confines, ad quem rationabiliter secure ire possint, de quo scripserint ipsi Domini Capitanei, & Abbas, seu Commune, infra spatium duorum mensium post requisitionem eandem in subsidium dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, expensis propriis dicti Domini Regis, galeas a duabus usque in viginti bene & sufficienter armatas hominibus & omnibus necessariis secundum modum, secundum quem dictus Dominus Rex consvevit armare & armari facere in propriis guerris suis, & ipsæ galeæ sic armatæ morari debeant in servitio dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, Communis, & populi, dictam guerram faciendo per quatuor menses continuos cujuslibet anni, facta computatione anni a tempore requisitionis; & ita tunc annus, quantum ad hoc, incipere videatur tempore aditus & reditus bona fide in eundo & redeundo agnita in ipsis quatuor mensibus computato. Et dictum numerum galearum dictus Dominus Rex teneatur mittere, ut supra hoc modo: Videlicet pro quibuslibet tribus galeis, quas armari facient dicti Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune pro ipsa guerra, quæ tunc vigeret seu fieret, teneatur dictus Dominus Rex armare & mittere, ut supra, dictas suas galeas usque in dictam quantitatem viginti, ita quod ultra dictum numerum galearum viginti mittere non teneatur.

XXXVIII. Et nihilominus ipse Dominus Rex & ejus hæredes, homines & subditi terrarum, Dominii & feudorum ipsius Domini Regis teneantur illos Dominos seu Dominum, Communitatem, universitatem, & subditos ipsorum Dominorum, & cujuslibet eorum Communitatis & universitatis, contra quas & quos dicti Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune guerram haberent seu facerent, ut supra, habere & tractare ubique per terras sui Dominii & per subditos ipsius Domini Regis haberi & tractari facere pro inimicis, & tanquam inimicos ipsius Domini Regis & subditorum ipsius; Ita tamen quod dictæ galeæ dicti Domini Regis seu hæredum suorum pro guerra hujusmodi facienda transire non debeant fines prædictos, sed intra prædictos confines in mari & in terris maritimis ipsæ galeæ, & existentes in eis pro posse eorum bona fide teneantur adjuvare dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, populum, & Commune, & galeæ & existentes in galeis dicti Communis ad dictam guerram faciendam sub debito juramenti præstandi ipsi Domino Regi seu per eum constituendo, & Admiratus, Comiti, & naucleri, & alii omnes, qui erunt in dictis galeis regiis, teneantur subesse, parere, & obedire in omnibus & singulis pertinentibus ad ipsam guerram & armatam, quæ tunc fieret, seu facta erit Admirato galearum dicti Communis.

XXXIX. Et prædicta omnia & singula teneatur

tur dictus Dominus Rex & ejus hæredes teneantur observare & facere observari per ejus subditos contra quoscunque Dominos, seu Dominum, Communitatem seu universitatem, Dominium, seu potestatem habentem, possidentem seu quasi, seu detinentem, & contra quoscunque subditos ipsorum Dominorum & cujuslibet eorum, & ipsarum Communitatum & cujuslibet earum, & contra quascunque personas, quæ moratæ fuissent & armassent, seu aliter offendissent ut supra, seu armassent tantum in terris, posse, seu jurisdictione ipsorum Dominorum, seu alicujus eorum, seu Communitatum vel universitatum, seu alicujus eorum infra dictos confines, dictam guerram faciendo, non obstante aliqua conventione, promissione, seu obligatione generali, seu speciali facta seu facienda per ipsum Dominum Regem, alium, seu alios ipsius nomine aliquibus Dominis seu Domino, Communitati seu universitati, seu alicui personæ, quacunque verborum solemnitate, seu juramenti præstatione firmata, quæ posset seu videretur in prædictis seu aliquo prædictorum, in aliquo refragari. Et perinde habeantur & intelligantur prædicta, & ita actum fuit expressim quod haberi & intelligi debeant, ac si singuli Domini, seu Dominus dominium, seu potestatem habentes, seu possidentes seu detinentes in aliquibus terris, seu insulis, seu aliqua terra, seu insula infra dictos confines, & singulæ Communitates, & universitates existentes infra eosdem confines, essent nominati & nominatæ, perinde ac si nominatim omnes & singulæ conventiones, promissiones, & obligationes qualitercunque & cum quibuscunque factæ per ipsum Dominum Regem, alium, seu alios pro eo essent nominatæ & expressæ.

XL. In toto tamen præsenti capitulo (quod incipit, Item si contingeret &c.) præfati procuratores regii expresse exceperunt, quantum in guerra non facienda ut supra, tantum contra infra scriptos exceptatos, Ecclesiam Romanam, Regem Alamagniæ, Regem Franciæ, Regem Arragonum, Regem Majoricarum, Dominum Carolum de Francia, & Communia Venetiarum & Pisarum. Sed per hanc exceptionem non intelligatur esse derogatum seu adjectum capitulo supra posito, in quo cavetur, quod dictus Dominus Rex & hæredes ejus teneantur juvare præfatos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum in civitate Januæ & districtu, terris & feudis suis, sitis in terra firma Italiæ manutenendis & defendendis, & etiam recuperandis, quæ occupata essent seu detinerentur, ad expensas dicti Communis, contra quascunque personas, ut supra in eodem capitulo plenius continetur, & incipit, Primo videlicet dicti Procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro eo promiserunt &c. sed ipsum capitulum & alia capitula supra posita, loquentia de prædictis pro utraque parte, in suo robore perseverent, ita quod solùm dicta exceptio ab iis, quæ in præsenti capitulo continentur tantum, facta intelligatur, sed per istud præsens capitulum non intelligatur, quod dictus Rex seu hæredes sui teneantur expensis propriis juvare per mare, vel terram dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, Commune, & populum in defendendis & recuperandis terris seu locis aliquibus dicti Communis, seu districtus & feudorum suorum, sed quoad ipsam defensionem & recuperationem servetur pro utraque parte supradictum capitulum, in quo de hoc fit mentio, scilicet quod fiat ad stipendia per dictum Commune solvenda, prout superius sunt taxata.

XLI. Veruntamen non obstantibus supradictis, si eo tempore quo dicta guerra fieret, seu vigeret, galeæ alicujus dictorum Dominorum, seu alicujus Communitatis vel Universitatis, de quibus supra dictum est, invenirentur per galeas dicti Communis & ejusdem Domini Regis armatas pro dicta guerra facienda in aliquo loco infra dictos confines, etiam in districtu Januæ, dictæ galeæ dicti Domini Regis & existentes in eis teneantur offendere pro posse eorum galeas & gentes dictorum Dominorum, & cujuslibet eorum, & ipsarum Communitatum & Universitatum & cujuslibet earum, & adjuvare galeas dicti Communis & existentes in dictis galeis Communis ubicunque infra dictos confines, etiam in districtu dicti Communis, nec possit se excusare dictus Dominus Rex, nec excusari intelligatur ab observatione omnium & singulorum, quæ in hoc præsenti capitulo continentur aliqua exceptione. Et si forte se excusaret aliqua exceptione, seu etiam excusaretur, vel defenderetur dictus Dominus Rex cujuscunque mandato, seu qualitercunque contingeret, quod dictus Dominus Rex non observaret & attenderet omnia & singula supradicta, quæ in hoc præsenti capitulo continentur (quod incipit, Item si contingeret &c.) promiserunt dicti procuratores dicti Domini Regis dicto nomine dictis Syndicis stipulantibus ut supra nomine dicti communis dare & solvere dicto Communi, pro interesse & nomine interesse ipsius Communis, ex nunc communi voluntate dictarum partium procuratorum dicti Domini Regis & dictorum Syndicorum taxati, pro qualibet galea dictarum viginti, quam requisiverint dicti Domini Capitanei & Abbas, seu Commune requisierit, & Dominus Rex miserit in forma prædicta sexcentas libras Januinorum pro quolibet mense supradictorum quatuor mensium cujuslibet anni, in quo prædicta requisitio fieret per dictos Dominos Capitaneos, Abbatem, seu Commune, ut superius continetur, quam quantitatem pecuniæ scilicet pro qualibet dictarum viginti galearum, promiserunt procuratores dicti Domini Regis, quod dictus Dominus Rex solvet dicto Communi infra quatuor menses, postquam facta esset requisitio dictarum galearum. Et prædicta omnia & singula, quæ supra dicta sunt, in hoc præsenti capitulo (quod incipit: Item si contingeret aliquo tempore quandocunque &c.) locum habeant quandocunque & quotienscunque contigerit aliquo tempore, seu aliquo modo dictis Dominis Capitaneis, Abbati, Communi, & populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti Communis, seu alicui eorum injuriam, gravamen, damnum, seu offensionem fieri seu inferri per dictos Dominos seu Dominum, Communitates, Universitates, seu aliquem seu aliquam earum seu quascunque personas prædictas, de quibus supra in eodem præsenti capitulo fit mentio, infra dictos confines, seu secundum formam hujus præsentis capituli, ut supra in hoc præsenti capitulo continetur.

XLII. Hoc tamen expresse acto & convento, quod in casu prædicto, quotiens contingeret, scilicet, quod dicti Domini Capitanei & Abbas, populus, & Com-

& Commune, vellent, seu Commune vellet, servato tenore præsentis capituli, contra prædictos Dominos seu Dominum, Communitates, seu Universitates, vel aliquam ipsarum guerram facere, & prædictum Dominum Regem seu hæredes suos requirerent de armandis & mittendis in eorum auxilium ad dictam guerram faciendam dictis galeis modo prædicto, dicti Domini Capitanei, Abbas, populus, & Commune, seu Commune ipsum post requisitionem prædictam, quæ per eos facta esset, non possint, seu Commune ipsum non possit cum prædictis Dominis seu Domino, Universitatibus seu Communitatibus, seu aliqua earum pacem seu concordiam, treugam, seu sufferentiam, seu quamcunque dilationem ad dictam guerram faciendam quocunque modo facere, seu inire, acceptare, vel admittere, seu in iis quocunque modo consentire sine conscientia, voluntate, & expresso consensu dicti Domini Regis, seu hæredum suorum.

XLIII. Et versa vice dicti Syndici dicti Communis Syndicario nomine promiserunt dictis procuratoribus dicti Domini Regis procuratorio nomine pro eo solemniter & legitime stipulantibus, quod dicti Domini Capitanei, Abbas dicti populi, & ipsum Commune & populus, & omnes illi, qui processu temporis ipsum Commune & populum gubernare & regere habebunt, aut eis præesse sub quocunque officii nomine, & dicti populus & Commune & quilibet eorum præfatum Dominum Regem & hæredes suos, & omnes eorum subditos & vasallos, amicos, complices, sequaces & fautores, & omnes & singulos de parte ipsius Domini Regis & hæredum suorum, qui sint de toto Regno Siciliæ, tam Insulis quam Terra firma, nec non Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii & Pedimontis, & de omnibus feudis ipsius Domini Regis, in quibuscunque locis existant, in perpetuum habebunt, tenebunt, tractabunt, & tractari facient cum effectu per omnes subditos & vasallos ipsorum pro veris amicis, & tanquam veros amicos ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, populi, & Communis, & subditorum eorum; & inimicos & rebelles dicti Domini Regis & hæredum suorum, qui sint de Regno, Comitatibus, & feudis supradictis, habebunt, tenebunt, & tractabunt, & tractari facient perpetuo per omnes subditos & vasallos ipsorum cum effectu in omnibus terris & feudis ac per omnes terras & feuda ipsius Communis ditioni subjectas, & in omnibus terris & feudis dicti Communis, & in omnibus terris, quas dictum Commune acquiret, seu recuperabit in posterum pro inimicis & rebellibus, ac tanquam inimicos & rebelles ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, populi, & Communis in omnibus terris & per omnes terras, ipsius Communis ditioni subjectas, & ipsum Dominum Regem & hæredes suos, statum & honorem eorum, & eorum complices, & sequaces, & de parte ipsorum, qui sint de prædictis Regno & Comitatibus & feudis, semper manutenebunt, regent, & adjuvabunt efficaciter pro posse ipsorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, seu aliorum Gubernatorum aut rectorum dicti Communis & populi, seu ipsius Communis, contra quascunque personas, ad expensas tamen ipsius Domini Regis & hæredum suorum, prout infra declaratur, in ipsis Regno, Comitatibus, & feudis, & etiam ad recuperandum omnia & singula loca de prædictis Regno, Comitatibus, & feudis, quæ occupata essent, vel detinerentur, vel occuparentur, seu detinerentur per quoscunque inimicos & rebelles eorum. Et intelligantur esse inimici & rebelles dicti Domini Regis, seu hæredum suorum, omnes illi, de quibus per ipsum Dominum Regem, seu hæredes suos, aut eorum Procuratores, seu literas præfatis Dominis Capitaneis, Abbati, populo & Communi, seu illis, qui populum & Commune ipsum regere, aut gubernare habuerint, vel eis præesse, seu ipsi Communi dictum fuerit & declaratum.

XLIV. Et specialiter actum est, quod dicti Domini Capitanei, Abbas, populus & Commune, seu alii Rectores, seu Gubernatores eorum, seu ipsum Commune specialiter & expresse adjuvabunt efficaciter pro posse dictorum Dominorum Capitaneorum, Abbatis, populi & Communis, seu aliorum Rectorum & Gubernatorum dicti Communis & populi, seu ipsius Communis dictum Dominum Regem & hæredes suos, ad recuperandum & reducendum insulam Siciliæ ad manus & Dominium dicti Domini Regis seu hæredum ejus, & recuperatam manutenendum & defendendum, ad honorem & fidelitatem dicti Domini Regis, seu hæredum suorum. Et quotienscunque & quandocunque dictus Dominus Rex, vel hæredes sui, super hoc ipsos Dominos Capitaneos, Abbatem, populum & Commune, seu alios Rectores aut Gubernatores eorum, seu ipsum Commune requirent & requiret, armabunt seu armari facient, & mittent in juvamen ejusdem Domini Regis & hæredum suorum infra duos menses post requisitionem, quæ ipsis fiet per dictum Dominum Regem seu hæredes ejus per literas seu nuncium suum in juvamen & auxilium ipsius Domini Regis & hæredum suorum pro manutentione & defensione dictorum Regni, Comitatuum & feudorum, & quorumcunque locorum de ipso Regno, Comitatibus & feudis, & pro manutentione & defensione honoris & status ipsius Domini Regis & hæredum suorum, contra quascunque personas, & pro recuperatione, manutentione & defensione dictæ insulæ Siciliæ, ac reliquarum terrarum & locorum ejusdem Regni Siciliæ, Comitatuum & feudorum prædictorum, & quorumcunque locorum de ipsis Insula, Regno, Comitatibus & feudis, in auxilium, juvamen & favorem dicti Domini Regis & hæredum suorum, similiter contra quascunque personas, galeas a decem usque in centum sufficienter & bene armatas in numero, quem dicti Dominus Rex, seu hæredes sui, requirent per se vel suum nuncium aut literas secundum modum & numerum gentis, secundum quem ipsum Commune Januæ armare consuevit, & armat pro sua guerra propria, & dicti Domini Capitanei, Abbas, populus & Commune, seu alii Rectores & Gubernatores eorum, seu dictum Commune, mittent quotienscunque & quandocunque fuerint requisiti per dictum Dominum Regem, seu hæredes suos per terram, in partes scilicet Comitatuum prædictorum & feudorum, quæ sunt de ipsis Comitatibus tantum, pedites a centum usque in quinque millia, scilicet balistarios & lance-

lancerios bene & sufficienter armatos, in numero, quem dictus Dominus Rex seu hæredes sui requirent in auxilium & juvamen similiter dicti Domini Regis & hæredum suorum, ac status & honoris eorum, & pro recuperatione & manutentione locorum dictorum Comitatuum & feudorum, infra mensem unum post requisitionem prædictam; Ita tamen, quod si auxilium prædictum dictus Dominus Rex requisierit, non possit petere balistarios ultra dimidam numeri peditum, quem requisierit.

XLV. Hoc acto, quod quandocunque & quotienscunque dictus Dominus Rex, seu hæredes sui, ad recuperationem prædictæ Insulæ Siciliæ, semel vel pluries procedere voluerit, aut voluerint, prima vice, qua gens ipsius Domini Regis, vel hæredum suorum transfretabit in eandem Insulam, pro ipsa recuperatione, idem Dominus Rex seu hæredes sui exercitum & armatam faciet, seu facient sufficientem rationabiliter secundum ipsius negotii qualitatem; & tunc illa prima vice prædicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus seu alii Rectores & Gubernatores eorundem populi & Communis, seu prædictum Commune teneantur, seu teneatur, armare & mittere in subsidium dicti Domini Regis, vel hæredum suorum pro recuperatione eadem contra personas quascunque galeas a triginta usque in centum, juxta numerum requirendum per dictum Dominum Regem vel hæredes suos prædicto modo armatas, ita quod pauciores triginta requirere non possit, nec hæredes sui possint prima vice prædicta. Et si necessarium esset post prædictum primum passagium, quotiens faciendum fuerit, seu dictus Dominus Rex vel hæredes sui vellet, aut vellent aliam vel alias armatam vel armatas mittere in Insulam Siciliæ supradictam, tunc Commune prædictum teneatur ad requisitionem dicti Domini Regis seu hæredum suorum, quotiescunque & quandocunque eam fecerit seu fecerint, armare similiter & mittere in eorum subsidium galeas a decem usque in centum dicto modo armatas in numero, quem dictus Dominus Rex seu hæredes sui requirent a decem supra tantum. Et hoc intelligatur de exercitu dicti Domini Regis seu hæredum suorum in Siciliæ Insula existente. Si vero exercitus Regius non esset in Insula, intelligendum est, quod quandocunque prima vice exercitum illuc mittere vellet, aut vellent, dictus Dominus Rex seu hæredes sui, ut dictum est, præfati Domini Capitanei, Abbas, Commune & populus, seu alii Rectores & Gubernatores eorum, seu Commune prædictum teneantur seu teneatur armare, & mittere in eorum subsidium galeas a triginta usque in centum in numero, quem dictus Dominus Rex seu ejus hæredes duxerint requirendum, a triginta supra tamen, & non pauciores, prout superius dictum est.

XLVI. Veruntamen actum est inter dictos procuratores & Syndicos nominibus supra dictis, quod dictus Dominus Rex non possit nec hæredes sui possint dicere, vel declarare, seu declarari facere quod dictus Dominus Rex Fredericus, tenens nunc Insulam Siciliæ, & illi de dicta Insula, seu aliqui eorum sint inimici, seu aliquis eorum sit inimicus dicti Domini Regis Caroli seu ejus hæredum nisi per spacium duorum mensium, ante quam ipse Dominus Rex Carolus, seu ejus hæredes vellet aut vellent facere, seu faceret, aut facerent guerram contra ipsum Dominum Regem Fredericum & homines dictæ Insulæ Siciliæ, seu ipsum Regem Fredericum tantum, seu eosdem homines Siciliæ tantum, seu dictus Rex Frederius & homines dictæ Insulæ facerent, seu ipse Rex Fredericus tantum faceret, seu dicti homines Siciliæ tantum facerent guerram contra dictum Dominum Regem Carolum, seu ejus hæredes aut terram, feuda, seu subditos eorundem.

XLVII. Actum est etiam, quod dicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu alii rectores & gubernatores eorum, seu ipsum Commune teneantur ordinationes seu statuta facere ac servari facere, sub formidabilium adjectione pœnarum, quas tanti negotii qualitas exigit, & omnia remedia opportuna per se & eorum subditos adhibere, quod omnes & singuli de Janua, & districtu ac feudis suis contra ea omnia & singula, quæ in præsentibus conventionibus omnibus & singulis continentur, per se vel alios venire aut aliquid attentare non audeant, ac dictum Dominum Regem, hæredes, filios, seu subditos suos, terram, feuda, & honorem aut statum eorum offendere, seu offendi procurare, aut facere non attentent publice, vel occulte. Et si qui eorum contra facerent, dicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu alii rectores & gubernatores eorum, seu ipsum Commune bona fide procurent & studeant capere seu capi facere contra facientes hujusmodi, & tam in personis quam rebus & bonis punire pro criminis qualitate. Et si forte personæ haberi non possent, fiat pœnæ executio in bonis & rebus ipsorum. Personæ autem per ipsos Dominos Capitaneos, Abbatem, populum, & Commune, seu alios rectores, & gubernatores eorum, seu ipsum Commune statim banniantur de civitate Januæ ac ejus districtu & feudis, & habeantur, reputentur & tractentur pro inimicis & rebellibus eorum, & tanquam inimici & rebelles ipsorum & dicti Communis, nullo unquam tempore reconciliandæ vel ad gratiam eorum, seu ad civitatem, vel ejus districtum, aut feuda reducendæ, aut morari permittendæ, donec satisfactum sit per eos de pœna, quam propterea incurrisse dictis Dominis Capitaneis, Abbati, populo, & Communi, seu aliis Rectoribus & gubernatoribus eorum, seu ipsi Communi, & donec prædicto Domino Regi, hæredibus, aut subditis suis de damnis, offensionibus, seu gravaminibus, quæ ipsis, vel eorum aliquibus dictæ personæ intulissent, aut inferri fecissent aut procurassent, emendam, seu satisfactionem fecerint condecentem, & sufficientem satisdent præfatis Dominis Capitaneis, Abbati, populo & Communi, seu aliis Rectoribus & Gubernatoribus eorum, seu ipsi Communi, quod nunquam ex tunc per se, vel alios committant similia publice vel occulte. Dicti vero Domini Capitanei, Abbas, seu alii Gubernatores & Officiales dicti populi & Communis in ingressu eorum officii jurare teneantur, prædicta statuta & ordinationes super præmissis edenda, & omnes conventiones præsentes cum omnibus, quæ continentur in eis, servare & servari facere, sicut alia statuta dicti Communis.

In hoc

In hoc loco relicta est una pagina vacua in codice MS.

XLVIII. Illud autem quod supra dictum est, quod dicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu alii Rectores & Gubernatores eorum, seu Commune ipsum adjuvare teneantur, & Commune ipsum teneatur dictum Dominum Regem & hæredes suos, Regnum, Comitatus, & feuda supra dicta eorum, ac statum & honorem ipsorum, prout supra de singulis est expressum, tam in manutenendo, regendo, & defendendo, quam recuperando Insulam Siciliæ supradictam & alia loca & feuda ipsorum Domini Regis & hæredum suorum, quæ occupata sunt seu occuparentur, seu detinentur, seu detinerentur per quascunque personas, & recuperata manutenendum & defendendum, nec non & galeas & pedites mittere in juvamen ejusdem Domini Regis vel hæredum suorum, ut dictum est, intelligatur hoc modo, videlicet, quod fiat ad expensas ipsius Domini Regis vel hæredum suorum secundum taxationem supradictam, scilicet quod idem Dominus Rex vel hæredes sui dabunt dictis Dominis Capitaneis, Abbati, Communi & populo, seu aliis Rectoribus & Gubernatoribus eorum, seu dicto Communi, vel illi quem ad hoc ipsi vel dictum Commune duxerint ordinandum, pro qualibet galea dicto modo armanda & mittenda in auxilium & juvamen dicti Domini Regis, seu hæredum ejus, ut dictum est, libras sexcentas Januinorum mensibus singulis, tam pro galea ipsa cum armis & munitionibus suis necessariis, quam pro stipendiis & panatica personarum, & omnibus aliis opportunis ejusdem galeæ & personarum ipsius, & pro quolibet balistario seu lancerio pedite solidos quinquaginta Januinorum; Ita quidem quod quotiens Dominus Rex seu hæredes ejus requisiverint hujusmodi subsidium vel juvamen galearum vel peditum, teneantur eidem Communi vel statuendo per ipsum dare prædicta taxata stipendia, pro galeis scilicet per unum mensem & dimidium, pro peditibus autem per dies viginti ante recessum ipsarum vel ipsorum de terris & portubus Communis, pro tempore scilicet trium mensium, numerandorum a die, qua recesserint de portu vel civitate Januæ ad prædictum Regnum profecturæ, vel profecturi. Et si, postquam stipendia essent soluta, quilibet, qui stipendia recepisset, non veniret & serviret dicto Domino Regi vel ejus hæredibus in prædictis, teneatur restituere duplum dicto Domino Regi, seu hæredibus suis, seu dictum Commune pro eo. Quod si pro majori tempore trium mensium dictus Dominus Rex vel hæredes sui galeas, seu pedites hujusmodi retinere vellent in suo juvamine & servitio supradicto, dicti Domini Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu alii Rectores & Gubernatores ipsorum, & ipsum Commune teneantur, seu teneatur Commune prædictum ipsas galeas & pedites ibi remanere facere, & alias & alios subrogare loco earum, vel eorum, & servire ipsi Domino Regi, seu ejus hæredibus in prædictis toto tempore, quo dictus Dominus Rex seu hæredes sui voluerint, & idem Dominus Rex, seu hæredes sui teneantur, donec galeas ipsas seu pedites ipsos retinuerint, solvere eis prædicta stipendia ad dictam rationem singulis mensibus in principio mensis cujuslibet, & ita fiat hujusmodi solutio ex eo tempore, quod semper galeæ ipsæ & pedites stipendia habeant pro tempore reditus eorum ad propria conveniente & necessario pro locorum distantia & temporum qualitate. Quarum galearum Admiratus, Comiti, naucleri, & universæ personæ armatæ seu galearum dicti Communis, ac Capitaneus peditum eligantur & instituantur per dictos Dom. Capitaneos, Abbatem, Com. & populum, seu alios Rectores & Gubernatores eorum, seu ipsum Com. ac per eos, seu ipsum Commune injungatur ipsis omnibus sub sacramento præstando & alia cautela, quam ipsi Dom. Capitanei, Abbas, Commune, & populus, seu ipsum Com. viderint ad hoc opportunam quod fideliter & continue pro tempore stipendiorum receptorum & recipiendorum servient eidem Domino Regi & suis hæredibus, & eorum sequacibus seu fautoribus, & partem eorum tenentibus, & eos pro eorum posse juvabunt in prædictis & circa prædicta, de quibus supra declaratum est in capitulo quod incipit: Et versa vice dicti Syndici dicti Communis &c. & obedient Admirato seu Capitaneo generali exercitus seu armatæ ipsius Domini Regis seu hæredum suorum, & erunt sub ducatu, gubernatione, & regimine dicti Admirati Regii seu Capitanei generalis.

XLIX. Acto tamen inter ipsas partes expressim in qualibet parte hujus contractus, quod propter factum alicujus subditi dicti Domini Regis oriundi de Regno, Comitatibus, seu feudis prædictis, seu suæ ditioni subjectis ratione incolatus, vel alterius habitationis, vel alicujus subditi dicti Communis oriundi de Janua, districtu seu feudis suis, ipsius Communis ditioni subjecti ratione incolatus, vel alicujus habitationis, non committatur pœna infra scripta contra ipsum Dominum Regem & hæredes suos, aut contra dictum Commune, seu officiales utriusque aut alterutrius partium prædictarum, sed in hoc casu tam ipse Dominus Rex ex parte sua, quam dictum Commune ex sua, contra hujusmodi subditos, seu subjectos aut districtuales eorum, deficientes in observatione conventionum præsentium, seu contentorum in eis, aut alicujus eorum, seu facientem contra prædicta, seu aliquod prædictorum, procedere teneantur cum effectu, secundum formam statutorum edendorum super iis per ipsos Dominum Regem & Commune, prout superius continetur. Eo tamen expresso, quia sic actum extitit, quod contra Grimaldos & alios extrinsecos de parte ipsorum, de quibus supra dictum est, nec non & contra illos, qui sunt ad præsens, & qui in posterum erunt rebelles, seu inimici dicti Communis, de quibus similiter superius dictum est, qui in præsentium conventionum observatione, seu alicujus contentorum in eis deficerent, seu facerent contra prædicta, vel aliquod prædictorum, procedatur in casu ipso secundum formam, quæ supra in diversis Capitulis de hoc loquentibus est contenta. Nec intelligantur nec computentur inter oriundos de Regno, Comitatibus & feudis supradictis dicti Domini Regis Caroli homines, oriundi de Insula Siciliæ, seu ibi morantes, seu ibi habitantes, seu qui ibi receptarentur, quousque ipsa Insula & homines dictæ Insulæ non redierint ad obedientiam, manus & Dominium dicti Domini

Regis

Regis Caroli. Verum per præsens capitulum (quod incipit: Acto etiam inter ipsas partes &c.) non intelligatur esse derogatum, nec adjectum capitulo supradicto, quod incipit: Item si contigerit &c.) sed ea omnia & singula, quæ in ipso capitulo continentur, intelligantur sicut jacent.

L. Acto similiter, quod ubicunque in prædictis conventionibus dicti Procuratores dicti Domini Regis promiserunt, quod ipse Dominus Rex ad aliquid teneatur, intelligatur ipse teneri dicto Communi, intelligantur teneri & teneantur hæredes dicti Domini Regis ad idem post mortem ipsius, & quod ubicunque dictum Commune dicto Domino Regi ad aliquid teneretur, intelligantur teneri & teneantur ad idem ipsi Domino Regi & ejus hæredibus post mortem ejus tam ipsum Commune quam populus Januæ, & quicunque officiales ipsius Communis & populi, quocunque officiorum nomine censeantur, qui sunt, & quos in perpetuum esse contigerit, ita quod omnia post mortem dicti Domini Regis transeant ad hæredes dicti Domini Regis, tam pro eis, quam contra eos, & e converso tam pro ipso Communi, quam contra ipsum.

LI. Insuper dicti procuratores dicti Domini Regis dicto nomine promiserunt dictis Syndicis dicti Communis, officio publico stipulantibus nomine & vice dicti Communis, & omnium & singulorum de Janua & districtu, quorum interest seu intererit, quod ipse Dominus Rex solvet seu solvi faciet omnibus & singulis de Janua & districtu ab eo recipere debentibus omnia debita contracta, seu recognita usque nunc per ipsum Dominum Regem vel Curiam suam seu filios suos, aut aliquem eorum, seu personam, legitimam potestatem ab eis seu aliquo eorum contrahendi seu recognoscendi habentem, de quibus constabit per literas dicti Domini Regis seu filiorum suorum, aut alicujus habentis dictam potestatem ab eis seu aliquo eorum, seu per Instrumenta publica idonea & sufficientia. Et ipsam solutionem idem Dominus Rex teneatur facere hoc modo: Videlicet, quod dictus Dominus Rex annis singulis a fine præsentis anni in antea, scilicet a primo mensis Septembris proximo venturi computandis, teneatur solvere infra solutionem dictorum debitorum usque ad integram solutionem & satisfactionem debitorum ipsorum ipsis creditoribus, scilicet cuilibet pro rata quantitatis sibi debitæ, vel alicui constituendo per ipsos debentes recipere florenorum duo millia auri boni & justi ponderis, & tempore cujuslibet solutionis fieri debeat sufficiens quietatio per ipsos debentes recipere, vel legitimam personam pro eis ipsi Domino Regi seu solventi pro eo, seu ad hoc per ipsum Dominum Regem deputando, & omnes & singuli de Janua & districtu prædicto modo debentes recipere, teneantur exhibere Instrumenta, literas & jura ipsorum, seu exhiberi facere usque ad Kalendas Junii proximo venturas, coram dicto Domino Rege, seu ejus Curia. Et intelligatur Curia, quæ erit in loco, in quo tempore exhibitionis erit Dominus Rex. Et si non exhiberent seu exhiberi facerent usque ad terminum ipsum dicta Instrumenta, literas & jura, illi, qui usque ad dictum terminum non exhiberent, de prædictis duobus millibus florenorum nihil petere possint primo anno, a principio dicti mensis Septembris in antea numerando. Possint tamen ipsi debentes recipere post lapsum dicti termini Instrumenta, literas & jura eorum exhibere, & eis satisfieri debeat dicto modo & per dicta tempora post primum annum in antea. Et intelligatur, quod dictis creditoribus, seu debentibus recipere, excomputari & deduci debeat de hujusmodi debitis eorum totum illud, quod de dictis debitis recepissent ab ipso Domino Rege, vel ejus filiis, vel Curia sua, seu alio, vel aliis, pro eisdem, seu illud, quod occasione dictorum debitorum ad eos pervenisset de quibuscunque bonis dicti Domini Regis, seu filiorum ejus, aut quorumcunque subditorum suorum.

LII. Et versa vice dicti Syndici præfati Communis dicto syndicario nomine promiserunt præfatis procuratoribus dicti Domini Regis officio publico, stipulantibus nomine & vice ipsius Domini Regis & omnium & singulorum de prædictis Regno, Comitatibus, & feudis, quorum interest seu intererit, quod dictum Commune solvet, seu solvi faciet omnibus & singulis de prædictis Regno, Comitatibus, & feudis ab eo recipere debentibus omnia debita contracta, seu recognita usque nunc per ipsum Commune seu personam, legitimam potestatem ab eodem Communi contrahendi, seu recognoscendi habentem, de quibus constabit per literas dicti Communis seu alicujus habentis dictam potestatem ab eo, seu per Instrumenta publica idonea & sufficientia. Et ipsam solutionem dictum Commune teneatur facere hoc modo: Videlicet, quod dictum Commune annis singulis a fine præsentis anni in antea, scilicet a principio mensis Septembris proximo venturi, teneatur solvere infra solutionem dictorum debitorum ipsis creditoribus, scilicet cuilibet pro rata quantitatis sibi debitæ, vel alicui constituendo per ipsos debentes recipere florenorum duo millia auri boni & justi ponderis, & tempore cujuslibet solutionis fieri debeat sufficiens quietatio per ipsos debentes recipere, vel legitimam personam pro eis prædicto Communi, seu ad hoc per ipsum Commune deputando, & omnes & singuli de prædictis Regno, Comitatibus, & feudis prædicto modo debentes recipere, teneantur exhibere Instrumenta, literas, & jura ipsorum, seu exhiberi facere usque ad Kalendas Junii, proximo venturi coram prædicto Communi. Et si non exhiberent seu exhiberi facerent usque ad terminum ipsum dicta Instrumenta, literas, & jura, illi qui usque ad dictum terminum non exhiberent, de prædictis duobus millibus florenorum nihil petere possint primo anno, a principio dicti mensis Septembris in antea numerando. Possint tamen post lapsum dicti termini ipsi debentes recipere, ut dictum est, & dicto Communi literas, Instrumenta, & jura eorum exhibere, & eis satisfieri debeat dicto modo & per dicta tempora post primum annum in antea. Et intelligatur, quod dictis creditoribus seu debentibus recipere, excomputari & deduci debeat de hujusmodi debitis eorum totum illud, quod de dictis debitis recepissent a prædicto Communi, seu alio vel aliis pro eodem, seu illud, quod occasione dictorum debitorum ad eos pervenisset de quibuscunque bonis dicti Comm. seu quorumcunque subditorum ipsius.

LIII. Insuper actum est inter dictas partes dictis nominibus super infra scriptis ut infra. Videlicet quia dicti procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine, & pro eo etiam nomine & vice omnium & singulorum subditorum dicti Domini Regis, pro quibus promiserunt de rato habendo, fecerunt dicti Syndici dicti Communis officio publico stipulantibus, & vice dicti Communis & omnium & singulorum subditorum dicti Communis, & cujuscunque interest, seu interit, finem, remissionem, & omnimodam quietationem & liberationem solemniter de omnibus laudibus repressaliarum, contracambiis, & pignerationibus qualitercunque hactenus usque in hodiernum diem concessis aliquibus subditis dicti Domini Regis, seu alicui eorum contra dictum Commune Januæ, subditos ejus, seu aliquas universitates subditas, seu aliquos subditos dicti Communis Januæ, & de omni & toto eo quod peti seu exigi possit ex vigore dictarum laudum seu pignerationum, seu alicujus earum, & de omnibus damnis, injuriis, rapinis, & robariis, hactenus qualitercunque illatis ipsi Domino Regi, ejus curiæ, filiis, officialibus, seu subditis, seu alicui eorum quocunque modo & quacunque ex causa per dictum Commune Januæ, seu aliquos officiales dicti Communis, seu aliquos subditos, seu aliquem subditorum dicti Communis.

LIV. Et versa vice similiter inter dictas partes dictis nominibus actum est, quod dicti Syndici præfati Communis syndicario nomine pro eo, & nomine & vice omnium & singulorum subditorum dicti Communis, pro quibus promiserunt de rato habendo, fecerunt dictis procuratoribus ipsius Domini Regis officio publico stipulantibus nomine & vice ipsius Domini Regis & singulorum subditorum ipsius Domini Regis & cuilibet, cujus interest, seu interit, finem & remissionem & omnimodam quietationem & liberationem solemniter de omnibus laudibus repressaliarum, contracambiis, & pignerationibus hactenus qualitercunque usque in hodiernum diem concessis aliquibus subditis dicti Communis seu alicui eorum contra dictum Dominum Regem, subditos ejus, seu aliquas Universitates & singulares personas de dictis Regno, Comitatibus & feudis, & de omni & toto eo quod peti seu exigi posset ex vigore dictarum laudum seu pignerationum, seu alicujus earum, & de omnibus damnis, injuriis, rapinis, & robariis hactenus qualitercunque illatis prædicto Communi vel subditis ejus, seu alicui eorum quocunque modo & quacunque ex causa per dictum Dominum Regem, seu filios aut aliquos officiales ejus, seu aliquos subditos seu aliquem subditorum dicti Domini Regis.

LV. Et promiserunt dicti Procuratores & Syndici sibi ad invicem dictis nominibus, videlicet dicti Procuratores dicti Domini Regis, quod dictus Dominus Rex faciet & curabit, quod omnes & singuli subditi ejus, universitates, & singulares personæ, & dicti Syndici dicti Communis, quod dictum Commune faciet & curabit sic & taliter, quod omnes & singuli subditi ejus, sive sint universitates, sive singulares personæ, prædictas remissiones, fines, & quietationes, & omnia & singula supradicta in duobus proximo præcedentibus capitulis contenta, scilicet in capitulo, quod incipit: Insuper actum est inter dictas partes dictis nominibus &c. & in capitulo, quod incipit: Et versa vice similiter &c. habebunt & tenebunt firma & rata, & tam ipsi subditi utriusque partis, quam dictus Dominus Rex & Commune nullo unquam tempore contra facient seu venient, seu aliquis eorum contrafaciet vel veniet de jure vel de facto, & salvo quod per prædictas remissiones, & fines, & quietationes non videatur esse derogatum subditis dicti Communis, debentibus recipere ab ipso Domino Rege, filiis, seu aliquibus eorum, seu curia ejus, seu persona habente potestatem eos seu eorum aliquem obligandi, nec subditis dicti Dominis Regis debentibus recipere a prædicto Communi, vel legitima persona pro eo, de quibus debitis constaret per Instrumenta seu literas, ut superius est expressum, posito etiam quod ii sic debentes recipere laudes repressaliarum consecuti fuissent.

LVI. Acto tamen expressim, quod per prædicta seu aliquod prædictorum non intelligatur esse facta remissio de damnis, rapinis, injuriis, seu violentiis illatis per dictum Regem Fredericum nunc tenentem Insulam Siciliæ, aliquem seu aliquos de dicta Insula Siciliæ, dicto Communi Januæ, aliquibus seu alicui de Janua seu districtu, personaliter vel realiter, nec etiam de aliquibus laudibus repressaliarum concessis alicui seu aliquibus de Janua, seu districtu per dictum Commune seu officiales dicti Communis contra dictum Regem Fredericum & homines de dicta Insula, seu aliquos ex eis, nec in ipsis Rege Frederico & hominibus dictæ Insulæ, seu aliquo, seu aliquibus eorum dicta remissio intelligatur locum habere.

LVII. Item actum est, quod si aliquis subditus dicti Domini Regis aliquid recipere debet ex contractu præterito ab aliquo subdito dicti Communis, seu aliquis subditus dicti Communis ab aliquo subdito dicti Domini Regis, quod hinc inde debeat fieri summarium & expeditum jus per dictum Dominum Regem contra subditos ejus, & per dictum Commune contra suos, infra quadraginta dies computandos a die petitionis seu declarationis oblatæ per conquerentem.

LVIII. Et quia dictum Dominum Regem satisfacere oportebit subditis ejus, habentibus laudes repressaliarum, seu pignerationes contra dictum commune & subditos ejus, & subditis ipsius Domini Regis damnificatis ut supra, & etiam dictum Commune satisfacere oportebit subditis ipsius Communis habentibus laudes repressaliarum contra ipsum Dominum Regem & subditos ejus, & subditis ipsius communis damnificatis ut supra, actum fuit expressim, quod liceat dicto Domino Regi illam exactionem, de qua sibi videbitur imponere seu imponi facere exigendam per deputandos ad hoc per ipsum Dominum Regem seu ejus Curiam ad opus suum in Janua, terris & portubus districtus dicti Communis, quæ sunt domanii dicti Communis, a subditis ipsius Domini Regis tantum pro mercationibus eorum, quæ ibi facient emendo vel vendendo, seu alias mercando, vel in mittendo, per mare vel per terram, vel per terram deferendo, & dicto Communi eodem modo liceat illam exactionem, de qua sibi videbitur imponere, seu imponi facere, exigendam

dam per deputandos ad hoc per Dominos Capitaneos seu Commune, ad opus suum in terris & portubus domanii dicti Domini Regis a subditis dicti Communis tantum pro mercationibus eorum, quas ibi facient emendo vel vendendo seu mercando, extrahendo aut immittendo per mare vel per terram, vel per terram deferendo. Et hæc liceant, quæ dicta sunt de dictis exactionibus imponendis & exigendis, usque ad decennium ab hodie computandum, & etiam ante decennium, si ante dictis qui habebant laudes sive pignerationes, & damnificatis ut supra fuerit satisfactum. Et si usque ad dictum decennium non fuerit satisfactum, debeat prorogari tempus dictarum exactionum faciendarum ultra dictum decennium, scilicet per tantum tempus, infra quod illud quod redigetur ex dictis exactionibus, sufficiat pro satisfactione prædicta. Et ut certum sit hinc inde, ad quas quantitates ascendunt summæ laudum & damnorum subditorum dicti Domini Regis, qui habebant laudes repressaliarum seu pignerationes, seu alias damnificati erant ut supra, teneatur dictus Dominus Rex declarare dicto Communi per ejus literas dictas summas cum causis & nominibus usque ad festum omnium Sanctorum proximo venturum, & eodem modo dictum Commune teneatur declarare per literas suas cum causis & nominibus ipsi Domino Regi usque ad dictum festum omnium Sanctorum summas laudum & damnorum subditorum dicti Communis, qui laudes repressaliarum haberent, seu essent damnificati, ut supra, ut ex hoc partes valeant informari, an tempus dicti decennii pro dictis exactionibus convertendis in dictas satisfactiones sufficiat, an non? Actum est etiam, quod exactiones quæ fiebant a quibusdam subditis Domini Regis in civitate Januæ & districtu, occasione quarundam laudum repressaliarum, ex nunc omnino cessent.

LIX. Item expresse actum est inter dictos Procuratores regios & Syndicos dicti Communis nominibus supradictis, quod Dominus summus Pontifex, qui est, seu pro tempore fuerit, vel Ecclesia vacante, Collegium Dominorum Cardinalium, habeant ex nunc potestatem compellendi utramque partium prædictarum ad observationem omnium conventionum præsentium per exactionem infrascriptæ pœnæ, & per impositionem & inflictionem pœnarum spiritualium, quas viderit seu viderint expedire. Et si super observatione ipsa, seu dictæ pœnæ, aut pœnarum commissione, aut alia quacunque causa ex ipsis conventionibus dependente, inter partes easdem aliquo tempore quæstio seu controversia oriretur, de iis idem Dominus summus Pontifex, vel Ecclesia vacante Collegium summarie, de plano, sine strepitu & figura judicii possint & hanc cognoscere & diffinire, ac debitæ executioni mandare & mandari facere. Cujus summi Pontificis, seu Ecclesia vacante Collegii cognitioni, diffinitioni, compulsioni, ac executioni dicti Procuratores Regii præfatum Dominum Regem & hæredes suos & eorum subditos, dictique Syndici memorati Communis, ipsum Commune & populum Januæ, Dominos Potestatem, Capitaneos, Abbatem populi, & generaliter quoscunque gubernatores, rectores & officiales alios dicti Communis & populi, qui sunt & qui erunt in posterum, ac ipsum populum & Commune & eorum subditos submiserunt libere & expresse, & ipsos omnes stare & parere irrefragabiliter convenerunt & obligaverunt. Hoc acto expresse, quod hujusmodi cognitione, diffinitione, compulsione, seu executione facta vel non facta, & dicta pœna seu pœnis soluta seu inflictis, seu non soluta nec inflictis, nihilominus partes ipsæ ad observandum efficaciter omnes conventiones præsentes perpetuo teneantur.

LX. Insuper promiserunt dicti procuratores dicti Domini Regis procuratorio nomine pro ipso Domino Rege dictis Syndicis dicti Communis, dicto nomine stipulantibus, quod dictus Dominus Rex præsentes conventiones, & omnia & singula in præsentibus conventionibus contenta, ratificabit & approbabit, de novo se ad cautelam obligabit de prædictis omnibus & singulis attendendis & observandis infra quindecim dies post requisitionem dicti Communis seu dictorum Syndicorum pro dicto Communi.

LXI. Item actum & expressum est, quod, ubicunque in toto præsenti contractu fit mentio de feudis Domini Regis, intelligatur de ipsis feudis Domini Regis, in quibuscunque locis existant. Intelligendum tamen, quod inter ipsa feuda non comprehendatur terra, quam tenet Imperator Græcorum in suo domanio, sed comprehendatur tota terra & omnia feuda quæ in partibus Romaniæ, tam Insulis, quam Terra firma, tenuit & possedit seu quasi olim claræ memoriæ Dominus Rex, Carolus primus, & quæ nunc tenet & possidet seu quasi dictus Dominus Rex seu vir inclytus, Dominus Philippus, Princeps Achayæ & Tarenti, natus ejus, salvis terris quas tenet dictus Dominus Imperator in suo domanio. Sed hoc expresse, quod si aliqui Barones seu feudatarii de prædictis terra et feudis, quam & quæ dictus quondam Dominus Rex Carolus primus tenuit, & quæ dictus Dominus Rex & dictus Dominus Princeps tenent & possident, seu alter eorum tenet & possidet, seu quasi debellassent hactenus, vel in antea debellarent eisdem Domino Regi & Principi seu alicui eorum, intelligatur, quod hujusmodi terra seu feuda includantur & inclusa sint inter terram & feuda dicti Domini Regis, & non inter terram seu feuda Imperatoris ejusdem. Salvis semper omnibus terris, quas tenet dictus Dominus Imperator in suo domanio.

LXII. Quæ omnia & singula, prout superius sunt contenta, promissa, & conventa per dictos Procuratores dicti Domini Regis dictis Syndicis, seu quæ acta sunt inter dictos Procuratores ex una parte, & dictos Syndicos ex altera, promiserunt dicti Procuratores dicti Domini Regis dicto procuratorio nomine dictis Syndicis stipulantibus ut supra, quod dictus Dominus Rex attendet, complebit, & observabit, attendi, compleri, & observari faciet, prout superius actum est, et nullo tempore contrafaciet vel veniet de jure vel de facto sub pœna marcharum centum millium boni et puri argenti. Quæ pœna totiens committatur, quotiens fuerit contra factum, et ea commissa vel non, et soluta vel non, semel vel pluries, prædicta omnia et singula rata et firma perpetuo inviolabiliter perseverent. Et pro prædictis omnibus et singulis sic observandis obligaverunt dicti Procuratores dicti Domini Regis dictis

dictis Syndicis dicto nomine stipulantibus omnia bona dicti Domini Regis, & juraverunt in animam ejusdem Domini Regis. Et renuntiaverunt dicti procuratores auxilio cujuslibet Juris, Canonici, Civilis, Municipalis, & cujuslibet constitutionis editæ & edendæ, & cujuslibet consvetudinis introductæ vel introducendæ, & cujuslibet statuti, tractatus, & ordinamenti editi, vel edendi, quo contra prædicta, vel aliquod prædictorum dictus Dominus Rex posset, seu hæredes ejus possent facere, vel venire, vel adversus præmissa, seu aliquod præmissorum aliquatenus se tueri. Quæ renuntiatio, licet generalis, ex pacto expressim adhibito tantum debeat operari, quantum operaretur si expressim & nominatim singulis juribus canonicis, & civilibus & municipalibus, statutis, tractatibus, & ordinamentis, ac consvetudinibus, quæ viderentur præmissis seu alicui præmissorum in aliquo refragari, fuisset renuntiatum expressim, licet etiam de jure renuntiatio, nisi nominatim facta & expressim, non valeret.

LXIII. Et vice versa dicti Syndici dicti Communis prædicta omnia & singula, prout superius sunt contenta, promissa, & conventa per dictos Syndicos dicti Communis, dictis Procuratoribus, seu quæ acta sunt inter dictos Syndicos ex una parte, & dictos Procuratores ex altera, promiserunt dicti Syndici dicti Communis dicto Syndicario nomine pro ipso Communi dictis Procuratoribus stipulantibus ut supra, quod dicti Domini Capitanei, Abbas & populus, & quicunque alii Rectores seu Gubernatores dicti Communis & populi, ac ipsum Commune, & quilibet officiales, qui pro tempore præerunt ipsi Communi, attendent, complebunt, & observabunt, attendi, compleri, & observari facient per ipsum Commune ac Universitates & singulares personas ipsius Communis, prout superius actum est, & nullo tempore contrafacient vel venient de jure vel de facto sub pœna marcharum centum millium boni & puri argenti. Quæ pœna totiens committatur & exigatur, quotiens fuerit contrafactum, & ea commissa vel non, & soluta vel non, semel vel pluries prædicta omnia & singula rata & firma perpetuo inviolabiliter perseverent. Et pro prædictis omnibus & singulis sic observandis obligaverunt dicti Syndici dicti Communis dictis Procuratoribus, dicto nomine stipulantibus omnia bona dicti Communis & universitates ipsius Communis, & juraverunt in animam dicti Communis, non obstantibus aliquibus defensionibus, exceptionibus, dilationibus, seu juribus quibuscunque competentibus dicto Communi de jure vel ex forma capitulorum seu statutorum vel ordinamentorum aut tractatuum dicti Communis; quibus omnibus dicti Syndici dicto nomine renuntiaverunt expressim & ex certa scientia. Et renuntiaverunt etiam expressim omni auxilio cujuslibet Juris Canonici & Civilis & municipalis, & cujuslibet constitutionis editæ, vel edendæ & cujuslibet consuetudinis introductæ vel introducendæ, & cujuslibet statuti, tractatus, & ordinamenti editi vel edendi, quo contra prædicta vel aliquod prædictorum dicti Domini Capitanei seu Rectores, Gubernatores, & officiales prædicti Communis, seu dictum Commune & populus possent facere, vel venire, vel adversus præmissa seu aliquod præmissorum aliquatenus se tueri, & quod contra prædicta, vel aliquod prædictorum non possint dicti Syndici dictis nominibus seu dictum Commune seu ipsius Universitas, seu singulares personæ aut officiales quicunque dicti Communis opponere vel allegare de jure vel de facto, seu etiam ratione restitutionis in integrum. Quæ renuntiatio, licet generalis, ex pacto expressim adhibito, tantum debeat operari, quantum operaretur si expressim & nominatim singulis juribus canonicis & civilibus & municipalibus, statutis, tractatibus & ordinamentis, ac consuetudinibus, quæ viderentur præmissis, seu alicui præmissorum in aliquo refragari, foret renuntiatum expressim, licet etiam de jure renuntiatio, nisi nominatim facta & expresse, non valeret.

LXIV. Et prædicta omnia & singula fecerunt & gesserunt ut supra dicti Syndici dicto nomine, quia prædicta omnia & singula ante exposita fuerunt consilio majori & Ancianis. Ad quod consilium, quod convocatum & coadunatum extitit, cornu & campana more solito, auctoritate & decreto Domini Parpiniani de Adalasiis, vicarii, nobilis viri, Domini Merini de Suardis de Pergamo Potestatis Januæ, & magnifici viri Domini Opizini, Capitanei Communis & populi Januæ gerentis vices suas, & Domini Barnabo de Auria Capitanei, consocii sui, nec non Domini Nicolai Frambe, Abbatis dicti populi, convocati. Et præsentes fuerunt vicarii Domini Abbatis vexillifieri dicti populi, Conestabuli veteres & novi, & etiam magna quantitas nobilium & aliorum popularium dictæ civitatis. Et in ipso consilio deliberatum & firmatum fuit, quod prædicta pacta fieri & firmari debeant per dictos Syndicos dicti Communis, tunc sufficienter confirmatos & constitutos. Et in ipso consilio ad prædicta firmanda, contrahenda, & facienda cum Procuratoribus dicti Domini Regis dicti Syndici constituti fuerunt, ut patet in actis dicti Communis. Ex cujus deliberationis, firmationis, & constitutionis vigore & auctoritate prædicti Syndici omnia & singula supradicta in præsenti Instrumento contenta, & quodlibet prædictorum fecerunt, contraxerunt, & firmaverunt, prout superius sunt expressa.

LXV. Et insuper dicti Procuratores dicti Domini Regis dicto nomine ex pacto adhibito in præsentibus conventionibus promiserunt dicto Domino Opizino, Capitaneo, ea, quæ dicti Procuratores supradicto Domino Opizino promiserunt, & quæ de eo acta sunt, seu ad personam dicti Domini Opizini sunt relata, sub pœnis, hypothecis, & obligationibus supra adjectis per dictos Procuratores. Et etiam ex pacto adhibito promiserunt dicti Procuratores dicti Domini Regis dicto nomine mihi Notario infrascripto, officio stipulanti vice & nomine dicti Marchionis Montisferrati & ejus hæredum, quod dictus Dominus Rex & ejus hæredes attendent, complebunt, & observabunt, & attendi, compleri, & observari facient omnia & singula quæ supra in favorem dicti Domini Marchionis seu pro utilitate ipsius dicta sunt, seu pro ipso Domino Marchione cauta, seu ad ejus personam sunt relata, sub eisdem pœnis, hypothecis, & obligationibus, de quibus supra continetur. Et ad majorem firmitatem juraverunt corporaliter tactis Scripturis dicti Procuratores dicti Domini Regis, & renuntiaverunt in omnibus & per omnia, prout supra juraverunt & renuntiaverunt.

Est

Est etiam actum, quod dicti Procuratores & dicti Syndici in prædictis non intelligantur, nec sint eorum nomine in aliquo obligati, nec aliquo tempore seu aliquo casu possint, personaliter vel realiter, in aliquo conveniri.

XVII.

Reipublicæ Genuensis Deputatorum Oratio, in qua modo dictam Rempublicam Caroli VI. Galliæ Regis Imperio An. 1395. tradiderunt.

SIRE,

LA Seigneurie de Gennes ayant consideré, que la dextre puissante de vostre Majesté est ouverte à tous ceux, qui implorent son assistance, elle a recours à alle pour des besoins, que nous ne vous sçaurions representer, qu' auec un déplaisir sensible, d' estre obligez de rappeller l' idée d'un Estat florissant pour rendre sa decadence plus deplorable. C'est auec moins de vanité, que de regret, & de douleur, Prince Serenissime, mais nous devons cet honneur à nos ancestres, de dire qu'ils ont estably la gloire de leur Nation par toutes sortes de grands & de difficiles exploits, & que nous leur devons l'admiration que tout l'Orient aura eternellement, pour le nom des Genois, malgré toutes nos disgraces, & qui survivra à la durée de tous les Estats. Il est sans exemple iusques à présent, qu' aucune Puissance estrangere les ait assujettis, il est mesme certain, que ceux qui l'ont entrepris ont plustost affermy qu' ébranlé leur Seigneurie par leur confusion, & par ses triomphes, mais il faut avoüer, que ce qui estoit invincible à nos voisins & à nos ennemis, ne l'a pu estre à l'ambition & à la malheureuse faim de dominer, qui nous a divisez, & qui nous a reduits en tel estat, qu' il n'y a plus de port pour un naufrage presque present, & qu' il n'y a plus de salut pour nous, que dans une soûmission volontaire, qui nous delivre de la tyrannie de nos concitoyens. Tous les Ordres de la Republique ont gousté ce conseil, & aprés avoir pesé avec une meure deliberation le renom, les qualitez & les moeurs, & la grandeur de tous les Princes de la Chrestienté, ils n'en ont point trouvé de plus digne de leur obeïssance que vostre Majesté. Il est en vostre puissance, Prince tres-excellent, de calmer toutes les factions, & toutes les seditions qui les agitent, c'est de vous seul qu' ils attendent le bon-heur de iouïr en repos de ce qui leur reste de biens, sous l'abry de vostre protection, & si vous leur accordez cette grace, nous avons charge de vous asseurer, que vous ne leur aurez rien conservé, qu' ils ne sacrifient auec passion pour vostre service, & qu' il n'y a point de Nation, qui les puisse égaler en l'obeïssance & en la fidelité qu' ils vous promettent, & que nous vous iurons de leur part.

XVIII.

Philippi Mariæ Angeli, Ducis Mediolanensis, Literæ, ad Thomam de Cambo Fregoso, Ducem Genuensem, datæ, in quibus Genuensibus, violatæ Pacis incusatis, bellum comminatur, d. d. 3. Maji, An. 1403.

PHilippus Maria Angelus, Dux Mediolanensis & Papiæ, Angleriæque Comes, &c. magnifico viro Thomæ de Cambo Fregoso, asserto Januensi Duci. Sæpe & multum, Vir magnifice, animo tacente, cogitantes pacis & belli conditiones, variosque affectus, qui utrimque proveniunt, ad id potissimum mentem nostram convertimus, ut, post recuperationem jurium Nobis spectantium, omissis belli studiis, pacem quæ nihil insidiarum in se contineret, habere possemus, & ex hoc tempore belli, quod ex justissimis causis vobiscum jam pridem gessimus, cum jam prope in manibus victoriam haberemus, ad pacem vobiscum primum perveniremus, magis dispositioni mentis nostræ conformem, quam decoram, sperantes, quod cum tale ac tantum ex benignitate nostra ad vos pervenisset pacis beneficium, Nobiscum pacem fœdusque concordiæ perpetuo servaretis. Verum plurima per vos & tentata & facta sunt contra Nos, & oppressionem status nostri, ac contra cives exitios civitatis Januæ, eorumque amicos & sequaces, de quibus actum est in pace prædicta. Et ut ab hac parte ultima exordium capiamus, dicti exitii, qui fere nihil ex contentis & conventionibus pacis obtinere potuerunt, sæpenumero Nobis conquesti sunt, quod ultra id quod promissa eis ex pacis conventionibus adimpleta non fuerunt, plurima contra ipsos & amicos suos per vos perpetrata sunt iniquitate plenissima & humanitatem omnem excedentia. Quid enim, ut eorum querimonias prosequamur, iniquius inhumaniusve dici potest, quam quod plerique boni cives, qui beneficio pacis gaudere cupientes, urbem Januam regressi fuerant, urbem ipsam relinquere per vos compulsi sunt, contra pacis conditiones? Quid quod multi alii sibi consimiles in eadem urbe pacifice degentes, patria, domibus, possessionibusq; vestris inductione, opera, favore & mandato, tam in civitate quam in riperiis sunt privati? Quid quod alii nulla justa causa precedente torti, alii membris mutilati, alii exules facti sunt? Loca quam plurima comparans Communis Januæ, indebite vestri mandato descripta & occupata, ipsorumque per vos proventus sunt detenti, civium quamplurium & districtualium bona prædæ exposita, & nonnullorum civium fidejussoribus extorsiones multæ factæ, nonnulla castra adhærentium & sequacium nostrorum occupata, & quædam sunt dirupta? Quid etiam gravius & inhumanius dici potest, quam quod post plurimos de mandato vestro cives indebitæ neci datos, ut ex dictis querelas habuimus, XIII. simul habitantes in loco Spediæ & in Levato Bartholomæum de Face, Antonium Guidotum de Nigrono, & Angelum Bertolani, subditum nostrum in Campiano, Nicolaum de Plano, speciarium civitatis Januæ, quia amici extiterunt civitatis Januæ & putabantur, sagittari, trucidari, & alio quovis ultimo supplicio tradi fecistis, & quod horren-

horrendum est, quid gravius & iniquius dici potest, quam quod nobiles & graves cives Januensium, Ottobonum, Cyprianum, & Franciscum de Spinolis, Dominicum de Mari, & Nicolaum de Parucio, cum quampluribus aliis, de quibus longus esset sermo, si exprimerentur singuli, nobis & exititiis nominati, veneno & insidiis, si fuisset possibile, usque ad vitæ ultimum persequi fecistis omni cura sollicitudineque possibili? Si prosequeremur querelas Nobis factas super his, quæ contra pacis conventiones commissa sunt, & tam clara, quod probatione non indigent. Certe Nobis tempus deficeret gravioribus occupatis; sed ut subjungamus aliqua, quæ a dictis exititiis Nobis exposita, silentio prætereunda non sunt, nonne die ipso celebratæ pacis, dolo potius, quam justa alia causa præcedente, dirui fecistis fortalitia nobilium de Linguilia, sequacium nostrorum, eosque bonis suis spoliari? nonne plerosque cives Saonenses proscribi fecistis, & ultimo supplicio injuste damnari, & subsequenter diripi bona sua, inter quos Christophorus Ferrarius fuit nocte tamquam innocens in cruce neci traditus? Nonne apud Palodium Tassus de Palodio subditus noster fuit trucidatus per sicarios vestros, quos postmodum provisionibus fovistis, & penes vos caros habuistis? Nonne castrum Tayrani contra pacis fœdera - - - prædicta & plurima alia, quæ Nobis exposita difficillimum esset enarrare, per vos commissa sunt? cum in Altissimi DEI Ministros, ut per eos ipsos exititios Nobis firmiter assertum est, non erubuerunt insurgere manus vestræ, quæ Presbyterum quemdam de Clavaro, quia de amicitia exititiorum suspectus haberetur, fecerunt inhumaniter trucidari? O quam grave scelus, & usque ad vindictam condignam a Christi fidelibus prosequendum! His igitur tot & tantis per vos contra pacis fœdera perpetratis, exititii prædicti a Nobis cum instantia postularunt, ut pro debito nostro, quorum fautores fuerunt in bello, quod, ut prædiximus, ex justissimis causis contra vos gessimus, eorum indemnitati, jurium conservationi, & saluti providere velimus. Nos enim, licet, quantum possibile sit, ex sententia bella videmus, justæ tamen & honestæ eorum requisitioni ex debito nostro contradicere nescientes, nec excusationem ullam quærere, quominus prædictæ eorum requisitioni annuamus, cum ingratissimi dici & haberi mereremur, si deditissimos Nobis viros destitueremus in hac eorum causa justa & honesta; multum deliberavimus, quemadmodum justa requisita per eos possemus salubriter providere, & potissimum aliter quam per viam belligerandi, quam naturaliter abhorremus: sed cum in animo Nobis multa, quæ post pacem inter Nos contractam per vos ad oppressionem nostram & demolitionem status nostri unquam tentata & perpetrata sunt, & perperam tractata sunt, tam cum illustri Marchione Estensi, quam cum Magnificis Dominis de Malatestis, aliisque Dominis mundique Principibus, cum quibus ligam contrahere contra me omni studio & diligentia quæsivistis, cum oblatione exponendi pro parte vestra magnam summam pecuniæ, si omnes simul in ligam vobiscum convenire, conatibus vestris assensum præbere, & hostiliter contra Nos insurgere voluissent. Sunt aures, animi, sensus nostri undecumque commoti, considerantes quantum periculi Nobis fuit, ut ab inde occulta Nobis instarent hostilia, unde pacis commoda sperabamus. Nec tamen statim, licet a vobis gravissima injuria lacessiti, ad arma pervenimus sed cum satisfactione commissorum pro Nobis & civibus exititiis, eorumque sequacibus pacem securam, & quæ ab insidiis & violentia tuta esset, vobiscum firmare tentavimus per interpositionem & medium prædicti Illustris Marchionis Estensis, qui ad hoc studiose institit, & cum sui gravamine præbere operam non negavit. Verum mens vestra semper inquieta pacem adhorrens, non placabili & quieto, sed superbo dato responso, oblatas renuit pacis conditiones, non curans, paci intendere, neque injuriæ nostræ nec civibus violatis satisfactionem, neque eorum jura servare, ex quo si debito nostro satisfacere velimus, violenter inducimur, quocumque modo possimus, ut tutelæ & securitati status nostri, & amicorum & sequacium nostrorum oppressioni, jurium conservationi & saluti, prout necessitas & res exigit, consulamus, & maxime ut Januensis civitas, quæ gravi oppressa tyrannide, voce jam vacua, quod liberetur, clamare non desinit, a servitutis jugo ad pristinam a majoribus traditam libertatem inducatur. His itaque longa consultatione revolutis, cogimur vobiscum ad arma consurgere, & ut ad ea vos compellat vis armorum, quæ cum omni jure vobis debita sint, quiete & pacifice facere denegatis. A die igitur secunda mensis Junii proxime futuri inclusive, incipiendo ab ortu solis in antea bellum vobis & vestris, vosque sequentibus indicimus, & aperte in ante diffidamus. Tutius siquidem Nobis est, palam bellum gerere, quam sub dubia & simulata pace consistere, & continue involuto pacis nomine bellum formidare. Indubium ergo bellum parate, quoniam & certam pacem habere noluistis. Datum Mediolani MCCCCIII. die III. Maji.

PHILIPPUS MARIA ANGELUS,
Dux Mediolanensis, & Papiæ Angleriæque Comes, &c.

XIX.

Responsoriæ Thomæ de Cambo Fregoso, Genuensium Ducis, ad antea insertas Philippi Mariæ Angeli, Ducis Mediolanensis, Literas, in quibus objecta sibi atque Januensibus crimina diluit, Ducemque memoratum pacis non servatæ reum peragit, d. d. 11. Junii, Anno 1403.

Illustri Principi, Domino Philippo Mariæ Angelo, Duci Mediolanensi. Utinam, Princeps Illustris, Nobis in tantum fortuna favisset, ut apud Excellentiam Vestram haberemus aliter scribendo disserere. Non enim necesse esset Nobis, pro debito & honore nostro, justitiam nostræ causæ defendere, nec pro eo in oppressionibus nostris competentem judicem appellare. Quid enim ipsa fortuna tantum impietatis habet, ut manus nostras armis invitas - - -, non ut inferamus bellum,

sed

sed ut id a nostris parietibus repellamus. Studuimus quidem omni sæculo nostro, cum omnibus Principibus Christianis pacifice vivere, studuimus benevolentiam vestram nostris meritis adquirere, sed nescimus quis casus eveniat, ut semper & confundantur - - - & studia nostra ut mutuis inimicitiis vobiscum non culpa nostri & armis hostilibus contendamus. Scripsit nobis Excellentia vestra literas diffidentiæ per latorem præsentium, quarum intellecto tenore, non mirari & dolere non possumus, quæ causæ in literis ipsis adjectæ, vestrum sublime prudensque caput tanta acerbitate concusserint, ut a vobis sit Nobis bellum literis ipsis indictum. Non enim ipsæ causæ justas iras apud pios justosque arbitros, nec armorum strepitu exigunt, quas tamen gaudemus in lucem venisse, ut mundus omnis intelligat, quo crimine nostro meruimus tanta mole belli dissidere vobiscum. Dicitis enim, ut verbis utamur vestris: Sæpe & multum animo cogitantes pacis & belli conditiones, vanosque effectus, &c. ut supra, pro quibus bellum Nobis iisdem vestris literis indixistis. Piget, ultra stupores nostros, non defectu nostro, sed honore vestro hæc legisse, & vos tale thema vestris lamentis assumere. Piget Nos in conspectum ullius hominis intelligentis tales lamentationes adduci. Sic enim DEI gratia apud omnes homines viximus, ut recte fateri possint, Nos secutos esse semper quieta consilia. Quos bello lacessimus? cui bellum intulimus? quos digne irritavimus ad injurias nostras? Sumus siquidem recenti memoria recordati, ut evitaremus nostra jam excogitata pericula cum Magnitudine vestra atque bonæ memoriæ Domino Theodoro Marchione Montis-Ferrati diebus primis nostri Dominii, dum nondum Nobis tanta potestas assurgeret, iniisse ligam, non ut Nobis discrimen aliquod immineret, sed ut & vinculo ligæ ipsius vestrum benevolentias lucraremur: quo fœdere non obstante, ut pace loquamur vestra, non justissimis causis, ut scribitis, sed forte desiderio aliquo, quod tranquillis quoque pectoribus ut plurimum patientiam aufert, vel nostrorum rebellium suggestione maligna, in nos immediatos, sine ullo diffidantiæ genere irruistis armati, cujus belli finem quoties quæsiverimus, testis adsint SS. Dominus noster Papa, Serenissimus Dominus Romanorum Rex, aliique Italici Domini, quorum operam ad assequendam vobiscum pacem perennem, magno studio imploravimus; ad quam, quia M. CCCCIII. die X. Maji, celebrata est inter utrosque, si sincere vel studiose devenimus, possunt nostra subsidia vestris exercitibus adjuncta parere testimonium veritatis. Quas vero vobis insidias tenere potuimus, & vestro statui inferre jacturam? sed ut ipsas excluderemus insidias, conservatores pacis habere voluimus, & medium in eorum discordia in omni contrafractione pacis, ipsum S. S. Dominum nostrum Papam, sicut in Instrumento pacis continetur: cujus pacis articulum ne ex conscientia labatur vestra, his nostris literis includi mandavimus; ad quem si vestra Sublimitas divertisset oculum, porrexisset id genus lamentationum coram ipso Domino nostro, antequam ad ipsam diffidentiam devenisset: qui tamquam verus arbiter, pace tamen firma manente inter partes, æquitatis sententiam protulisset. Non enim, ut scribitis, contra statum vestrum plura tentavimus, non ad distractiones vestras ligam cum aliquibus dominis inire curavimus, pacemque ipsam aliqualiter violavimus; contenti tamen ipsi Domini Papæ stare judicio, vel si vestra Excellentia renuerit, judicio supremi nostri Domini Romanorum Regis, vel alterius Dominationis Italiæ partibus non suspectæ, coram quibus ipsum Marchionem Estensem & Dominos de Malatestis in testes producimus, conscios veritatis. Versus autem exitios vestros ante pacem ipsam & post sic habiti sumus, ut pro nimia indulgentia nostra timeamus Deos irasci nobiscum. Studuimus semper expasso gremio nostræ conciliationis illos non misericorditer, sed caritative complecti; at pervicacia illorum capita semper renuerunt munus nostræ libertatis & gratiæ, & adeo in perniciem suæ libertatis conspiraverunt, ut simus certissimi non a vobis, sed per vos suggestionibus illorum perditissimorum hominum hoc Nobis bellum inferri. Sed quid habet ipsa vestra Sublimitas de civibus ipsis, aliisque nostris subditis ingeri, si ad bona sua restitutos, & suis dementiis data venia juxta formam pacis, pro novo crimine plectimus? si relegamus? si abjicimus? quid si Toyrannum, ut lamentamini ab omni sæculo (l. servitio) nostri communis funditus dimovimus? non pacis tenor aut aliud nos coërcet vinculum, quin possimus criminosos cives & subditos nostros punire, & omne nostrum confundere oppidum, maxime si fuerit nostris molestis opportunum. Bellum autem per vos ultro Nobis illatum, quod aliter quam ferro agi non potest, quamvis inferant literæ vestræ, Nos Cancellario illustris Marchionis Estensis superbo dato responso oblatas novæ pacis conditiones renuisse, non libenter, sed viriliter sustinebimus: cujus novæ pacis oblationes ut omnis mundus intelligat, præsentibus literis conscribemus. Curavit enim Cancellarius ex tribus ipsis conditionibus Nobis unam exigere, primam quidem, ut dominium hujus civitatis vobis libere traderemus; secundam, ut civitatem Saonæ cum turri Luculi, quæ civitatis Januæ mœnia tuetur, & prospectas in parte majori vel Portam Ven. cum castelleto Januæ vestræ custodiæ linqueremus; non aliud dicere voluit, Princeps illustris, Cancellarius ipse, quam ut ista novæ pacis conditione, si pax appellanda sit, consequeremini, quod diu ferro tentastis. Nos autem honestas judicio omnium hominum pacis conditiones numquam deseremus, sed omni studio complectemur, quas, ut credimus, vestra Excellentia obtulisset, si, ut scribitis, recuperatis juribus vobis spectantibus, omissis belli studiis, mens vestra pacata quiesceret, nec ullis gentibus, ut fecit hactenus, bella ipsa diligenti ac perseveranti cura moveret. Appellamus igitur Sanctissimum Dominum nostrum, & protestamur contra pacis fœdera Nobis omne bellum ipsum violenter illatum, apud quem lamentationes nostras, & apud dictum Romanorum Regem, aliosque Principes Christianos faceremus, Nos esse contra pacis tenorem iniquissimum violatos. Et quia non licet juribus Nobis disceptare vobiscum, instaurabimus bellum ipsum, & arma justissima capiemus, sperantes in DEO protectore nostro, & ipsa justitia nostræ causæ, vim vi repellendo, posse non sine gloria

gloria nostra, libertatem communem, Nobis a nostris patribus assignatam, tueri atque defendere. Anno MCCCCIII. die 11. Junii, Thomas de Campo-Fregoso, DEI gratia Januensium Dux; Consilium & officium provisionis & balliæ.

XX.

Alphonsi V. Arragonum Siciliæque Regis, Literæ, in quibus Duci & Communitati Genuensium non solum perfidiam aliaque crimina objicit, verum etiam eam ipsam ob causam iis bellum indicit, d. d. 10. Augusti, Anno 1456.

Rex Arragonum, utriusque Siciliæ, &c.

QUi vos fortasse non norunt, o Dux, Baliæque Præsides (si modo aliqui in terra vitam agunt, qui vos non norint) poterunt hi quidem ex literis vestris metu, aut admiratione aliqua affici. Ego vero, qui toties jactantiam vestram, toties levitatem atque perfidiam expertus sum, non solum quod scribitis, neque magnifacio, neque formido, sed is potius sum, cui facere videamini, quod impudica mulier solet, quæ si semel ex animo pudorem abjecerit, in castas probasque objectare adulteria non desinat. Etsi vobiscum verbis contendere consilium non sit, respondebo tamen abunde satis pro tempore literis vestris, quo mortales atque immortales omnes intelligant, me nequaquam bellum contra nationem Genuensium in præsentia suscitasse, cum qua & amice & benevole vivere perpetuo, nisi Nobis publice fiat injuria, decrevimus. Immo vero, pro civitate Genuensi, id est, pro optimatibus summisque viris, ac civitatis flore, qui vestra vi atque opera extorres degunt, Nos contra fœdifragos triremes nostras immisisse, pro, inquam, quos multis antehac experimentis inspectis sciremus firmos & constantes publice & privatim in proposito perstitisse, humanitatem atque justitiam colere consuetos, quosque haud dubie speremus, si nostris auspiciis, nostraque ope in urbem restituti, Rempublicam capessant, melius fidem, gratitudinem, fœdus, pacem, & decus omne Nobiscum servaturos. Ac primum omnium, si qua vobis rerum præteritarum memoria extat, primam, atque secundam inter Nos pacem vestra avaritia atque perfidia violatam invenietis. Sed ut nimis vetera omittamus, & ad hæc recentiora, de quibus querela & controversia est, veniamus, precibus vestris demum factum est, ut Calistus Pontifex Nos ad inducias, seu, ut vulgo dicitur, treguam vobiscum ineundam compulerit. Quæ res, tametsi parum duratura pro vestris moribus mihi videbatur, tamen Pontifici, Domino nostro potius parere volui, quam de fide vestra parum confisus videri. Sed neque illud, præsertim Gotardo dictante, jactare debuistis, pacem scilicet inter nos factam consilio & precibus Pontificis mei. Aderat quidem Gotardus ipse, tunc Legatus vester, cum Episcopus Atrebatensis, communi omnium Legatorum nomine, diserta quidem oratione me oraret, ut Genuenses quoque in universalem pacem susciperem; cumque ego responderem, Genuenses, pro sua perfidia, pœna potius, quam pace dignos videri, exclamasse Gotardum, (quis non viderit genibus provolutum?) tua Nos saltem clementia, o Rex humanissime, communi hac pace dignos efficiat. Factæ igitur precibus Gotardi, sed interventu Pontificis induciæ, fœdus ictum, cum id Pontificis saltem auctoritate aliquandiu sustentari posse existimarem, præsidium, quod in terra Corsica habebam, revocavi. Vos interim, occasione oblata, oppida, quæ illic Regia Domus nostra possederat, ut erant propugnatorum vacua, occupastis, præfectos & populares nostros fœdissime trucidastis, pacem de Pontificis sinu adhuc calentem extinxistis; fœdera, jusjurandum, fidem, pietatem, religionem pro nihilo existimantes: inter hæc etiam naves nonnullas subditorum nostrorum, nihil hostile metuentium, cepistis, diripuistis, abduxistis. Quibus de rebus cum ego per Franciscum, Castelletum, Legatum nostrum, & item per Bernardum, Præfectum classis nostræ, apud vos sæpius quererer, nec non apud Pontificem per Solerium nobilem Theologum, ita ubique super ea re negligentes extitistis, ut lætari atque exultare potius malo, quam illud velle corrigere videremini. Nam quas frivolas & ineptas excusationes, aut rectius præstigias affertis, Magistratum, quem vos Divi Georgii cognomento appellatis, hujusmodi facinus patrasse, non vos, quasi caput ad ventrem culpam rejiciat, venter ad caput: facitis sane, ut Sacerdos ille Herculis apud Divum Augustinum, qui solus utraque manu alternante, dextra quidem pro se, læva velut pro adversario tesseris ludebat. Num itaque Nos temere aut repente (ut dicitis) contra vos triremes immiserimus, qui toties per Solerium, toties per præfectum nostrum, toties per legatum nostrum, qui apud vos adhuc agit, damna illata a vobis frustra repetiverimus, studentes, quantum in Nobis esset, amicitiam cum improbis etiam servare, si modo compilationum aut errorum illos aliquando pigeret pœniteretque? Illud autem admirari satis non possumus, quomodo Turcarum pericula nominare vos non pudeat, quippe qui probe scire debeatis, quo de genere Christianorum sint, qui prius ex Asia in Europam onerariis navibus pretio & singulari avaritia ducti, devexerunt, quamve ubique terrarum conatus omnes Regum Ducumque Christianorum pro virili subverterint, subvertantque quotidie, Mahumetanis arma, tela, tormenta, commeatum contra jus fasque subministrando. Rursum & hos nosse debetis, qui nunc cum Turca contra Christum perpetuo fere conjurantes, expeditionem nostram, quantum in ipsis est, impedire conentur. Nam per immortalem DEum, quid aliud est, pacem inter nos initam frangere, quam Turcarum causam agere, quam Christum abjurare, quam Christianorum omnium exitium optare? Viderit Christus ipse, cujus causa agitur, Nos semel atque iterum pacem Italiæ summa diligentia procurasse, atque firmasse, cum ob alias causas, tum vel maxime, quod Christianorum in Turcas faciliores essent conatus, atque animi alacriores. Quod, quoniam per Vos nunc, o Dux, octoque viri Genuenses, disturbatum iri palam est, in Vos igitur conatu

conatus nostri, veluti in Turcas exortos, in Italiam convertantur oportebit, nec prius ab incœpto destituri sumus, quam vos, Christo ipso bene adjuvante, supplices Nobis reddamus. Nec minus (Christo Duce) in Turcas Asiaticos expeditionem, quam semel suscepimus, vobis invitis executuri sumus, palamque facturi, Nos ea tantum cupere, quæ assequi aut capere facile valemus. Postremo Nos haud quaquam præterit, victoriam alternam rem esse, nec hominum potentia, sed DEI optimi maximi arbitrio constare, idcirco accidisse aliquando, ut ab invalidis fortiores vincerentur, plures a paucioribus, vos contra latere non debet, fortiores ut plurimum victores evadere solere, si justam præsertim, DEOque acceptam causam sustinent. Quod si victoriæ alicujus recordatio vos subiit, memineritis simul & in ea fœderis violati, ut quantum ex victoria lætitiæ, tantum ex perfidia mœstitiæ contrahatis. Posthac vero vobis persuasum sit, non dolo aut perfidia amplius, sed armis ac justitia vincendum esse. Data in Castello novo nostro Neapoli, die X. Augusti, MCCCCLVI.

Antonius Panormita.

XXI.

Ducis, Communitatisque Genuensis ad Alphonsi V. Arragonum & Siciliæ Regis, Literas antea insertas Responsio, d. d. 15. Septembris, Anno 1456.

Dux Genuensis Regi Arragonum &c.

INfinitas prope a te, præclarissime Rex, pacis bellique temporibus accepisse literas meminimus, eam quidem verborum moderationem habentes, ut liquido appareret, eas & a Rege & a moderatissimo Rege profectas esse; hæ vero, quas, decimo Augusti die datas, nuper legimus, adeo ab illis omnibus degenerant, ut si tuum nomen tollas, asseverandum sit, eas neque tuæ Majestatis esse, nec civilis alicujus viri; tanto enim studio hic ejus operis architectus vecordis in maledicendo facundiæ gloriam affectasse videtur, ut quid, quomodoque loqui Regem deceat, oblitus sit. Nos vero, quos falsas admodum objectiones diluere cogis, ita causam nostram agemus, ut, quemadmodum veritate ac justitia, ita sermonis quoque modestia maledicentem superemus. Objicitur ante omnia, priorem, secundamque pacem a Nobis fuisse violatam. Cujus criminis, quoniam neque rationes, neque argumenta ulla in medium afferuntur, hoc dixisse sit satis, Nos assiduas temporibus illis ad Excellentiam Tuam querelas detulisse, cum triremes tuæ in spoliandis amicis & hostibus nullum discrimen haberent, & orasse ad alicujus communis amici arbitrium controversias mutuas deferri, idque nunquam a te impetrari potuisse. Transis posthæc ad has inducias, opera Pontificis Romani contractas, quas uter nostrum religiosius custodierit, testes sunt cœlum ac mare, & tot infelices ex nostris mortales, quot triremibus tuis vincti attinentur, qui fiducia renovati fœderis securi capti ac spoliati, remoque addicti, crudelius a tuis quam a Barbaris habentur. Verum, quoniam direptionum & prædarum facinus in tuis credibilius est, ad res Corsicanas statim converteris, objiciens, cum ea, quæ Corsicæ habueras, præsidia, inde abduxisses, Nos in oppida defensoribus vacua fecisse impetum, iisque captis, quosdam a superioribus quondam Regibus Arragonum possessos fœde trucidasse. Nolumus hoc loco, præcellentissime Princeps, durius aliquid eloqui, ne, quam spopondimus modestiam, abjecisse videamur: hoc tantum dicimus, Sublimitatem Tuam in ordine rerum gestarum maxime falli. Nam discessisse tunc Corsica ullum præsidii tui, quem ibi tenuisses, fieri nequit, & longe ante contractas inducias miserat illuc Magistratus sancti Georgii copias ad prædomandos rebelles, qui imperium exuerant. Sed, ne videamur ex hac verborum brevitate nolle intelligi, Ranucius Leocanus, longo jam ante tempore, seque ac filios & terras suas tutelæ nostræ commiserat; in qua fide adeo constanter perseveravit, ut pro Republica pugnans, armatus in acie cæsus sit. Quum succedentes filii vellent & ipsi fidei suæ pignus aliquod dare, Genuam venere, seque jurejurando obstrinxere ad fidelitatem & obedientiam Magistratus S. Georgii. Nec his contentus, Raphaël e fratribus se in Auriam familiam adsciscì petiit, & impetravit. Hic, quieta consilia perosus, cum sententiam mutasset, & paterni propriique promissi immemor, seque ac suos in rebellionem præcipitasset, misso exercitu captus est, & quas meruerat perfidiæ pœnas, luit. Hunc si Tua Majestas virum in suos transferre velit, ex nunc palam conventa franguntur. Cautum est enim ex secunda pace, neutri partium licere, urbes, terras, ac subditos partis alterius, se etiam sponte dedentes, admittere. Ex quo fateare oportet, aut licuisse Nobis, in eum & suos animadvertere, aut, si illos a te receptos non diffiteris, contra pacem, fidemque, ac jusjurandum receptos, fateare necesse est. Fabulam autem illam, quæ affertur, Nos in excusationem causæ nostræ adducere solitos, Magistratum S. Georgii, non Nos, hæc jussisse, velut ex eodem corpore membrum in membrum aliud culpam regerat, quicumque confinxit, vane, non solum astute, ut creditur, confinxit. Nos profecto nihil unquam tale vel scripsimus, vel diximus. Quod, si quid tale loquuntur literæ nostræ, proferantur in lucem, sintque testimonio contra Nos: id, nisi fiat, palam fiet, epistolam tuam, cum vera in nos crimina congeri non possent, vanitate & commentis fuisse refertam, neque religionem, Christique Vicarium, ipsumque fœderis testem, & ultorem DEum, te veritum fallere. Nos quidem, quæ Magistratus ille, nobilissimum Reipublicæ nostræ membrum, vel decrevit aliquando, vel gessit, laudamus omnia, & veluti a Nobis jussa, in Nos referri facile passi sumus. Sed respondeat, si potest, Sublimitas Tua, si prohibebant induciæ, animadvertere Nos in Corsos contumaces nostros, cur non saltem ad Pontificem Romanum, earum auctorem, ita querelas detulisti, ut vocaremur, & admissi nostri rationem redderemus? cur semestris intervalli, quod fœderi adjectum est, moram proferre nequivisti? Nimirum fecit nimia felicitas, ut fœdere ac religione, DEIque vicario contemptis, omnia tibi licere

licere arbitrareris. Sed jam ad Turcarum pericula veniendum est, quorum Nos causam agere prædicas; nec pudet Christianum populum, cujus tu beneficio imperas, Italicos Turcas appellare. Nam, ut omittamus, quantas, quamque præclaras res Genuensis populus in Palæstina gesserit, cum vi & armis Hierosolymitanum Regnum Christo restitutum est, quantas deinde, quamque magnificas, cum partim tueri, & postremo amissum recuperari oportuit, ut prætereamus etiam decenne bellum, quod pro defensione Orientalium Christianorum contra Baisitam, hujus Mahumeti proavum, suscepit, & strenuissime administravit. Dertusa certe, nobilis Civitas, multaque egregia oppida, in ripa Iberi fluminis posita, classibus nostris expugnata, cæsis infidelibus, vero cultui colla submiserunt. Atque ita in Regnis tuis nondum pietatis nostræ vestigia deleta sunt. Nam, quod in Nos referre conatur Sublimitas Tua, primum Turcarum ex Asia in Europam transitum, apud doctos ejus historiæ ridiculum est. Liquet enim, cum duo Græcorum Principes de Imperio contenderent, alterum Constantinopoli ejectum, ad Turcarum opem confugisse, pactaque mercede, Calipolim, arcemque ejus, conventorum pignus Turcæ tradidisse, atque ita multa eorum millia ex Bithynia in Thraciam fuisse trajecta. Sed mavult, scimus, Excellentia tua de ea expeditione, quam in Turcas moliri tamdiu prædicasti, sermonem haberi. Quocirca non Nos fugit, jam prope triennio circumacto, pollicitam esse Sublimitatem tuam, classes, exercitusque, quibus eorum ferociæ occurreres, perfacile id ita fore, Nobis persuasum est. Nam, quis est Christianorum Regum, quem propter vicinitatem ea magis pericula movere debuerint? Classem ab Hydrunte mane solventem, excipiunt vespere Turcarum littora, clamoribus resonantia: astruebat promissæ expeditionis fidem, quod videbamus, Siciliam & Sardiniam exactionibus assiduis exhauriri, reliquos populos insolitis tributis oppressos, in sacerdotes adeo acerbe sæviri, ut in comparationem reliquarum extorsionum levis videretur decimarum præstatio, famaque fuerit, tantum pecuniarum undique corrasum esse, quantum ipsam Carybdim explere potuisset. Nos interim certa spe tuæ classis confirmati, singulis annis naves, viros, arma, triticum, Christianis orientalibus suppeditare, utque forti animo calamitates suas ferrent, literis ac legationibus exhortari, brevi affuturas vires opulentissimi Regis, quæ Turcas trans Caucasum trepidos fugent. Sed lenta fuit adeo hæc toties jactata expeditio, ut nisi Nos, non una, sed pluribus classibus discrimini eorum subvenissemus, deserti ac perditi Turcarum fauces non effugissent. Circumspiciat omnia nunc prudentia tua, ac judicet, uter nostrum Turcas foveat; Nosne, per quos multæ Insulæ, multi adhuc populi Christum colunt, an is, qui tot florentibus Regnis subnixus, collecto auro, quod in multas expeditiones satis esset, eos sævissimis hostibus prodit, pro quorum salute collatum est. De civibus nostris, quorum te charitate moveri dictitas, hoc sibi persuadeat Majestas tua: illi quidem, cum sanam mentem resumpserint, redibunt in patriam non suis viribus, sed mansuetudine nostra: præoptabuntque æquo jure cum suis agere, quam fidem tuam rursum experiri. Bellum autem & minas tuas eo accepimus animo, quo & reliqua gessimus tecum bella, eoque majore in DEum fiducia, quod is novit, uter nostrum jus, fas, religionem, jusjurandum, Christi vicarium, ipsumque DEum, emissa in Nos classe, superbe contempserit. Reliqua epistolarum tuarum prætermittere, & modus epistolæ monet, & illud simul, ne, quod diluendi criminis facere necessitas jussit, maledicendi animo fecisse videremur. Genuæ MCCCCLVI. die XV. Septemb.

Petrus de Campo Fregoso, DEI gratia Dux Genuens. &c. Et officium octo Baliæ Communis Genuæ.

Jacobus Bracellus.

XXII.

Maximiliani I. Romanorum Regis, Diploma, in quo Civibus atque Communitati Genuensi omnia eorum Feuda, Privilegia, Jura, libertates, honores, gratias, concessiones, ordinationes, consuetudines laudabiles ac indulta rata habuit, denuoque confirmavit, d. d. 20. Septembris, Anno 1496.

MAximilianus, Divina favente Clementia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archi Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Luizemburgiæ, Geldriæ, Comes Flandriæ, in Habspurg, Tyrolis, Ferretis, in Kyburg, Arthesiæ & Burgundiæ, Palatinus Hanoniæ, Hollandiæ, Flandriæ, Namurci & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii & Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Frisiæ, Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis, Salinarum & Mechliniæ &c. &c. Tunc officium Nobis super universi orbis regimine divinitus creditum exercere putamus, cum nostros ac Sacri Imperii subditos atque fideles in suis juribus, privilegiis atque libertatibus conservamus illæsos, ac illa eisdem juxta eorum in Nos & Sacrum Imperium, divosque Prædecessores nostros, Romanorum Reges atque Imperatores, collata merita exposcunt, confirmamus, ampliamus, extendimus, atque de novo concedimus, prout ipsorum paci & tranquillitati Nobis videbitur salubriter expedire. Cum igitur honorabiles nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, Cives & Communitas civitatis nostræ Genuæ Prædecessores nostros, Romanorum Reges atque Imperatores, Sacrumque Imperium nostrum multa & varia utilia atque opportuna obsequia contulerint, & præ cæteris urbibus se ipsis Prædecessoribus nostris ac Sacro Imperio semper devotissimos atque obsequentissimos exhibuerint, adeo ut eorum exigentibus meritis, singularibus gratiis, honoribus, privilegiis, libertatibus & præeminentiis ultra alias urbes sint decorati, ut in ipsorum Prædecessorum nostrorum, Friderici I. Henrici VI. Friderici II. Henrici VII. Caroli IV. & Sigismundi literis atque privilegiis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserta essent,

essent præsentibus, volumus pro expressis haberi, clarius continetur. Cumque Januenses ipsi Nobis exposuerint, se ab annis ducentis & pluribus citra acquisivisse castra illius Camiliæ Trebiæ Arculæ, & utriusque Velani, & aliorum locorum adjacentium, quæ tenuerunt & de novo tenent, & per quorum territoria labitur flumen Macræ, & in mare influit, exposuerint, & se ab antiquissimis temporibus citra acquisivisse civitatem Sartanæ, oppida Sartanelli, Falcinilli Castrinovi, Ortinovi & deserta Mœnia lunæ cum agro adjacenti, & cum eorum juribus & pertinentiis, usque ad litus maris, & quæ possederunt, & etiam possident, petieruntque jurisdictionem suam, territorium & districtum ad dicta omnia & singula loca per eos ubilibet extendi & prorogari, eaque de benignitate Regia sibi confirmari & de novo concedi, Nos, qui Januenses ipsos propter singulares eorum virtutes ac merita, quibus se Nobis devotos & obsequiosos exhibent, singulari clementia atque gratia nostra Regali prosequi volentes, ipsis, civibus Consilio, & Communitati Januæ, habita tamen prius cum Principibus & Proceribus nostris matura deliberatione, ex certa scientia, ac de plenitudine Regalis potestatis nostræ omnia eorum feuda, privilegia, jura, libertates, honores, gratias, concessiones, ordinationes, laudabiles consuetudines atque indulta laudamus, approbamus, ratificamus, innovamus, confirmamus, ac de novo concedimus, ac ea & quælibet eorum ad omnia & singula loca, de quibus supra, terras, districtus atque Dominia, quæ ipsi cives, Consilium & Communitas Januensis a tempore prædictarum concessionum citra rationabiliter acquisiverint, etiam si ultra flumen Macræ existant, extendimus, ita, quod in eisdem locis, ut præfertur, acquisitis tanquam territorio suo prædictis privilegiis uti & frui valeant & possint, ac si ipsa loca, terræ, districtus atque Dominia in ipsis Prædecessorum nostrorum, aut nostris literis, specialiter essent inserta, & antiquitus in eorum territorio & districtu comprehensa, & quod quidem territorium & districtum Januensium extendimus & declaramus, extendi debere non solum a Monaco usque Corvum, sed etiam ad omnia loca ultra Corvum, & ut communia acquisita, flumine Macræ comprehenso, ipsisque Januensibus omnia & singula, quæ a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependent, ac prædicta omnia & singula concedimus, & de eisdem, quatenus opus est, de novo investimus, non obstante quacumque causa seu occasione, præter quas præmissa feuda cadere potuissent in commissum, & ad Nos ac Sacrum Imperium esse devoluta censeantur, & ut ipsi cives, Consilium & Communitas Januensis uberiori a Nobis gratia se noscant esse refectos, præfatis deliberatione, scientia & potestate ipsis concedimus, & ex mero liberalitatis arbitrio elargimur autoritatem atque facultatem in ipsa civitate nostra publice legendi in sacra pagina in utroque jure, Pontificio &c. & Cæsareo nostro, in artibus, Medicina atque aliis liberalibus artibus in eisdemque facultatibus, præmisso examinis rigore, nostra autoritate magistrandi, doctorandi, licentiandi & minores gradus conferendi, juxta consuetudines & privilegia aliorum studiorum seu Universitatum Italiæ, & quemadmodum ipsis ab Apostolica Sede esse asserunt indultum, præmissis, non obstantibus quibuscunque legibus, constitutionibus & statutis, consuetudinibus, privilegiis, seu exemptionibus, per præfatos Prædecessores nostros, per Nos, aut Successores nostros, Romanos Reges, seu Imperatores datis vel concessis, seu imposterum dandis & concedendis, quæ omnia & singula, quatenus hujusmodi Prædecessores nostrorum ac nostris literis, gratiis & concessionibus obviari possint in aliquo, aut derogari, pro nullis, invalidis, ac non concessis haberi volumus, & pro infectis ab omnibus reputari, tamen in omnibus ac per omnia, prout Prædecessores nostri declararunt, salvis in omnibus & singulis præmissis nostri & Sacri Romani Imperii Juribus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ laudationis, approbationis, ratificationis, innovationis, confirmationis, extensionis, concessionum, investituræ ac reservationis paginam infringere, vel ei quovis temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, nostram gravissimam indignationem, ac pœnam centum Marcarum auri puri irremissibiliter se noverit incurrisse, quarum medietatem fisci nostri ærario, reliquam vero partem ipsorum Januensium usibus volumus applicari. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum has literas nostras sigilli nostri appensione jussimus & fecimus communiri. Datæ Vigevani, vicesima Die mensis Septembris, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Regnorum nostrorum Romani undecimo, Hungariæ vero septimo.

XXIII.

Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, illius Privilegii, quod antecessores ipsius Civibus atque Communitati Civitatis Imperialis Genuensis olim indulserunt atque sanxerunt, Civibus atque Communitati Civitatis Imperialis Genuæ, quod in Pontico seu Ligustico & Genuensi Mari, ac a Monte Argentario usque in Marsiliam, nemini, quam Communitati atque Civibus Imperialibus Genuensibus, sal conducere licitum atque concessum esse deberet, concessi, Confirmatio, d. d. 4. Aprilis, Anno 1513.

MAximilianus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alsatiæ, Princeps Sueviæ, Palatinus in Habspurg et Hannoniæ, Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ, Arthesiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferretis, in Kiburg, Namur, & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii & Burgoviæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ Sclavoniæ, Mechliniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. In sublimi Romanæ Imperialis Celsitudinis solio Divina dispositione constituti ad singulorum nostrorum, & Sacri Imperii subditorum atque fidelium commodum atque honorem conspicimus, eorum-

eorumque salutem & prosperitatem, quantum Nobis ab alto conceditur, libenter procuramus, & illorum maxime, quorum fidelitatis sincera devotio, & obsequendi voluntas divis Antecessoribus nostris, Romanorum Regibus atque Imperatoribus, adeo reddiderunt acceptos, ut singularibus privilegiis, honoribus atque præeminentiis cæteris redderentur splendidiores. Sane ut intelleximus, cives & Communitas Civitatis nostræ Imperialis Genuæ olim, cum Barbari Mediterraneum atque Ponticum, seu Ligusticum, ac Januense mare illiusque confinia in dies molestarint, atque depredarentur, ut Christianum sanguinem divis martyriis afficerent, ad eorum spurcitiem cogentes, & nemo esset, qui pro sanguine Christiano redimendo arma sumere, & Catholicam fidem tutari auderet, ipsi cives & Communitas pro tutanda religione ac assecurando mari arma sumpserunt, & Christianum populum ab ipsorum Barbarorum ferocitate defensarunt, ipsumque mare ab hujusmodi barbaris atque piratis purgaverunt, propter quod a divis Prædecessoribus nostris inter alia, ut asseritur, obtinuerunt, ut super ipso Pontico mari, seu Ligustico & Januense, & a Monte Argentario usque in Marsiliam nemo, quam ipsi cives & Communitas Januensis sal conducere possint, & si aliquis supra prædictos terminos Montis Argentarii & Marsiliæ sal conducere attentaverit, contravenientes punire, ipsumque sal & navigia confiscare valeant, quemadmodum prælibati privilegii, ac præscripti juris vigore in dies faciunt, & in illius usu, possessione, vel in probata possessione vel quasi a 300. & pluribus annis, & ultra fuerunt, eoque libere usi sunt, prout ex publicis eorum documentis atque scripturis Nobis constitit. Cum ipsa autem privilegia, propter motus civitatis ipsius amissa sint, Nobis humiliter supplicaverunt, ut hujusmodi ipsorum privilegium atque jus, ut supra præscriptum, ne infra dictos terminos, Marsiliæ videlicet & Montis Argentarii, sal per quamcunque aliam personam, Commune, corpus, vel Universitatem conducatur; habeantque autoritatem, ut si quispiam, contra ipsorum jus & Privilegium, sal conducere repertus fuerit, quod ipsi transgressores navesque eorum ac sal propria autoritate capere, punire, eorumque bona confiscare & in suos usus convertere possint, quemadmodum hactenus fecerunt, confirmare, approbare, ratificare & de plenitudine Cæsareæ potestatis nostræ denuo dare, & concedere dignaremur; Nos attendentes fidelia obsequia, quæ divis Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, Nobisque & Sacro Romano Imperio prompto animo semper exhibuerunt, & in præsentiarum exhibent, & in futurum exhibere poterunt, & debebunt ipsis atque Successoribus eorum, civibus & Communitati Civitatis Genuæ, habito prius desuper nostrorum atque Sacri Romani Imperii Principum & procerum consilio, matura deliberatione, ex certa scientia, & de plenitudine Cæsareæ potestatis confirmatione nostra prænominatum privilegium & jus, ne per quemcumque alium, seu alios, sal intra prædictos Montes Argentarii & Marsiliani conducere possit, ut supra præscriptum, & per longissima tempora observatum, ut ex actis publicis, documentis & scripturis cognovimus, approbamus, ratificamus, confirmamus, & ex prædictis potestate & scientia de novo damus & concedimus, indulgentes eisdem, ut si quis contra ipsorum privilegium & jura sal conducere inventus fuerit, quod ipsum, vel ipsos personaliter una cum navibus & bonis eorum capere & punire, nec non ipsa bona confiscare, & in suos usus convertere Cæsarea nostra autoritate possint & valeant, quemadmodum hactenus facere consueverunt & possunt ex prædictis privilegio, & jure præscripto, non obstantibus aliquibus juribus, privilegiis seu concessionibus per Nos, aut Prædecessores nostros quibuslibet cujuscumque conditionis, aut in quacumque forma verborum concessis aut concedendis, & aliis quibuscumque, etiamsi talia forent, de quibus esset fienda mentio specialis, quæ omnia præsentibus minime obstare volumus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum confirmationis, approbationis, ratificationis, dationis, concessionis, indulti & autoritatis infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentaverit, indignationem nostram ac pœnam quinquaginta marcharum auri puri irremissibiliter persolvendam se noverit incurrisse, quarum medietatem Fisci nostri Cæsarei Ærario, reliquam vero partem Januensibus ipsis volumus applicari, in quorum omnium fidem & testimonium præmissorum præsentes literas sigilli nostri Cæsarei appensione jussimus & fecimus communiri. Datum in Civitate nostra Imperiali Augusta, die quarta mensis Aprilis, Anno Domini millesimo, quingentesimo decimo tertio, Regnorum Romani vicesimo octavo, Hungarici vero vicesimo quarto.

XXIV.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Privilegii, a Maximiliano I. Romanorum Imperatore, Camera atque Civitati Imperiali Genuensi d. 4. April. Anno 1513. concessi, Confirmatio, d. d. 15. Junii, Anno 1529.

CArolus V. Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galitiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, ac Insularum Balearium, Insularum Canariæ, & Indiarum, ac Terræ Firmæ, Maris Oceani &c. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Lucenburgi, Geldriæ, Wirtembergæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Barchinoniæ, Arthois & Burgundiæ, Comes Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferretis, Kyburgi, Namurci, Rossilionis, Geritaniæ, & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, Oristani, & Gotiani, & Sacri Romani Imperii Princeps Sueviæ, Cathaloniæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ Sclavoniæ, Portus Naonis, Biscajæ, Molinæ,

Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechlinæ, &c. Notum facimus tenore præsentium universis, quod cum nuper Camera & civitas nostra Imperialis Genua, per Nobilem nostrum & Imperii Sacri fidelem dilectum, Sinibaldum de Flisco, Lavaniæ & S. Valentini Comitem a Nobis pecierit, ut quoddam Privilegium, sibi a Cæsare Maximiliano, avo & Prædecessore nostro concessum, confirmare & approbare dignaremur; cujus quidem privilegii tenor sequitur in hæc verba:

Inseratur privilegium d. d. 4. mens. Aprilis, Anno 1513.

Nos igitur non immemores officiorum obsequiorumque, per Rempublicam Genuensem Nobis & Sacro Imperio Romano summa cum fide, ac devotione præstitorum, volentesque hujusmodi officiis gratia & liberalitate nostra correspondere, ex certa nostra scientia animoque deliberato, & sano ad hoc accedente consilio, hujusmodi privilegium, & omnia & singula in eo contenta, tenore præsentium confirmamus, laudamus & approbamus. Decernentes, ut ipsa Respublica Genuensis omnibus & singulis privilegiis, gratiis, & concessionibus ex ipsis literis sibi concessis, uti, frui & gaudere debeat, impedimento & contradictione cessantibus quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ confirmationis approbationis, laudationis, auctoritatis, & decreti paginam infringere, aut ei quovis temerario ausu contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam quinquaginta Marcharum auri puri pro medietate fisco nostro Cæsareo, pro reliqua vero Januensium ipsorum usibus applicandam se noverit irremissibiliter incursurum. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Barchinoniæ, die decima quinta mensis Junii, Anno Domini millesimo quingentesimo, vicesimo nono, Regnorum nostrorum Romani decimo, aliorum vero omnium decimo quarto.

XXV.

Maximiliani II. Romanorum Imperatoris, Privilegii, a Maximiliano I. Romanorum Imperatore, Cameræ atque Civitati Imperiali Genuensi die 4. April. Anno 1513. indulti, atque a Carolo V. Imperatore die 15. Junii Anno 1529. approbati, Confirmatio, d. d. 9. Aprilis, Anno 1565.

MAximilianus II. Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtenbergæ, & Techæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis proximis diebus Camera & civitas nostra Imperialis Genua, per Oratores suos spectabiles, doctos, nostros & Sacri Imperii fideles dilectos, Davidem de Promotorio, I. V. D. & Joannem Ambrosium de Nigrono, humillime supplicaverint, ut privilegia quædam ipsi civitati & Reipublicæ Genuensium a Divis quondam Maximiliano primo, proavo & Carolo V. patruo ac socero, nec non Prædecessoribus nostris, colendæ memoriæ Romanorum Imperatoribus concessa, atque confirmata, ipsi quoque, posteaquam Divina benignitate ad hoc sublime Imperii culmen evecti sumus, benigne confirmare, ratificare, & corroborare dignaremur, quorum quidem privilegiorum tenor sequitur in hæc verba:

Inseratur Confirmatio Caroli V. Imp. d. d. 15. Jun. Anno 1529.

Nos sane, benigna ratione habita plurimorum & præclarissimorum obsequiorum & officiorum, quæ dicta nostra Camera & Civitas Imperialis Genua, ac Respublica ipsa Genuensis divæ memoriæ Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus, ac Regibus, ac Nobis ipsis & Sacro Romano Imperio quoquo tempore summo studio, constantia, & animorum ardore integritateque exhibuit, & quæ in futurum etiam Nobis ab ea expectanda videntur; volentes, ut par est, hujusmodi egregiis officiis ac meritis mutua gratia nostra respondere, ex certa nostra scientia animoque bene deliberato, sano accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine præinserta privilegia, & omnia ac singula in eis contenta, in quorum quidem possessione vel quasi ipsa Respublica Genuensis existit, tenore præsentium confirmamus, laudamus & approbamus; Decernentes, atque hoc Cæsareo nostro edicto firmiter statuentes, ut ipsa Respublica possit & debeat uti, frui, potiri, ac gaudere omnibus & singulis privilegiis, gratiis & concessionibus, in ipsis literis sibi concessis, omni impedimento & contradictione postposita, nostris tamen & Sacri Imperii Juribus semper salvis & illæsis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, laudationis, autoritatis & decreti paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam centum marcharum auri puri, pro dimidietate Fisco nostro Cæsareo, pro reliqua vero ipsius Reipublica Genuensis usibus applicandam se noverit irremissibiliter incursurum; harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna, die nona mensis Aprilis, Anno Domini millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungarici secundo, Bohemiæ vero decimo septimo.

XXVI.

Leges novæ Reipublicæ Genuensis, a Summi Pontificis, Cæsaris, Regisque Catholici Legatis, quibus memorata Respublica hanc concesserat potestatem, conditæ, & die 17. Martii An. 1576. Genuæ publicatæ.

PROOEMIUM.

Post restitutam Genuensi Reipublicæ libertatem, quæ Andreæ Principis Auriæ, civis optimi, ac de Patriæ dignitate & salute potius, quam de propria solliciti, virtute & beneficio donata ac recuperata fuit: cœperunt paulatim ac sensim in animis Ligurum serpere tacitæ simultates, ac occulta dissidia, quæ postmodum tractu temporis, crescente hominum cupiditate, & ambitione, florentibusque divitiis (ut opulentiæ comes est superbia) ita exarserunt, ut natæ continuo ex nimia felicitate intestinæ seditiones, publicos in civitate tumultus, & civilia bella excitarint. Jamque eo ventum erat, ut omnes Italiæ Principes ex his rerum initiis, supremas ac miserabiles periclitantis Reipublicæ clades ominarentur, atque inde timerent, ne bellum in Italia omnibus exitiabile, nec facile extinguendum exardesceret: Quando Gregorius Decimus tertius Pontifex Maximus, Maximilianus Cæsar Secundus, & Philippus Secundus Hispaniarum Rex, de Reipublicæ Genuensis salute anxii, ac Italicæ quietis studiosissimi, singulari clementia ac pietate permoti, Legatos ad Rempublicam miserunt; qui eorum auctoritate & prudentia, tumultibus, dissidiis, & controversiis sedatis, restitutaque pristina quiete, Italicis tumultibus jam pullulantibus occurrerent. Hi fuere Joannes, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Moronus, Sacri Collegii Cardinalium Prior, Legatus e Latere, &c. Petrus Faunus Costachiarius, Acquensis Episcopus, ac Imperii Princeps, Oratorque & Commissarius Cæsareus: Don Carolus a Borgia, Gandiæ Dux, ex primariis Hispaniarum proceribus: Et Don Joannes de Idiaquez, Catholici Regis Consiliarius, & apud eosdem Genuenses Orator. Expositis autem Principum suorum mandatis, & obtentis a Republica pro ea reformanda, amplissimis facultatibus, nihil habuerunt antiquius Legati, quam Rempublicam male compositam, ac proinde fluctuantem, sanctissimis Legibus & Decretis instituere ac stabilire: Ligurumque ingenia nimia felicitate lascivientia, & inter se diffidentia componere. Id, quod DEO optimo maximo bonorum omnium auspice, & authore fuerunt consecuti. Quod igitur felix faustumque sit, prodeunt in lucem sacrosanctæ Leges pro Genuensis Reipubiicæ reformatione, sub felicissimis tantorum Principum auspiciis conditæ, quibus posthac in ea civitate vivendum erit. Quæ uti a prudentissimis viris & suapte natura & ingenio, quam maxime ex Principum suorum jussu, Genuensis libertatis studiosissimis, summa diligentia & studio compilatæ sunt; ita ab omnibus istius Reipublicæ civibus alacri & prompto animo recipi, admitti, & tanquam sola, & unica salus labentis & cadentis Reipublicæ, & libertatis observari debent.

In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis.

Joannes Episcopus, Ostiensis Cardinalis Moronus, Sacri Collegii Prior, Sanctæque Sedis Apostolicæ de Latere Legatus, &c. Petrus Faunus Costachiarius, Sacri Imperii Comes & Princeps, Episcopus Acquensis, Cæsareusque Orator & Commissarius, &c. Don Carolus a Borgia, Gandiæ Dux, &c. Et Don Joannes de Idiaquez, Sacræ Catholicæ Majestatis Consiliarius & apud Genuenses ejusdem Orator, Ambo Ministri Catholici Regis, &c.

De Religione.

CAPUT I.

Admonent Nos & sacrosanctæ Leges, & Prudentum responsa, ut, antequam de formanda Republica, & de humanis Legibus condendis cogitemus, ad Christianæ Religionis cultum respiciamus. Adducimur etiam exemplo nonnullarum Provinciarum, quæ statim atque a Religione Christiana deviarunt, ipsæ etiam declinare, ac demum ruere, cœperunt. Propterea prospicientes, Rempublicam Genuensem semper, & omni tempore Christianæ Religionis cultricem fuisse, existimavimus illud tantum esse providendum, ut Illustrissimus Dux & Gubernatores statim atque petitum fuerit a Reverendissimo Antistite, in causis, quæ ad forum suum spectant, & a reverendo Inquisitore, pro coercendis & castigandis Hæreticis, & suspectis, brachium & auxilium suum prompte concedere debeant. Insuper advertent, & cavebunt, ne aliquid contra clericorum personas, bonave Ecclesiastica, eorumve immunitates, aut adversus Ecclesiasticam libertatem aliquid committant, aut a Magistratibus committi permittant. Et quoniam Principis, & supremorum Magistratuum mores in Civitate maxime observantur & spectantur, excitanturque populi, & subditi majorum exemplis ad eorum imitationem; ut cultus Divinus principaliter observetur, hortamur excellentissimum Ducem, Magnificos Gubernatores, & Procuratores, cæterosque in civitate Magistratus, ut diebus saltem Paschatis & Nativitatis Domini in Ecclesia Archiepiscopali a Reverendissimo Præsule Sanctissimam Eucharistiam publice & reverenter sumant; diebus sollemnibus in Ecclesia majori mane conveniant, ibi divina, Verbumque DEI audiant, & tempore Quadragesimæ prædicationibus frequenter intersint.

Constitutio unici ordinis & de reassumendis naturalibus familiis.

CAPUT II.

Ad Reipublicæ Genuensis instaurationem, aut potius institutionem manum appositiuri, juxta Principum nostrorum facultatem, & auctoritatem, illud primo ante oculos habuimus, nihil esse quod recte institutam Rempublicam facilius labefactare, ejusque radices, ac fundamenta radicitus & funditus extirpare, atque evellere possit, nihil quod ejusdem vitalem spiritum penitus extinguere valeat, quam ordinum, nominum, colorumve divisio, & disparitas, ac perniciosæ in civitate civium factiones. Neque enim dubitandum est, quin statim atque abominanda hæc pestis in Republica fundamenta jecerit, cives omnes, posthabito publici ac communis boni & commodi studio ac desiderio (quod in libero cive præcipuum esse deberet) ad proprii

coloris

coloris augmentum, & ad contrariæ factionis oppressionem temerario impetu ac cursu impellantur: quæ postmodum futuræ & proximæ tyrannidis speciem, aut imaginem referunt. Id, quod in hac potissimum Genuensi Republica proprium & præcipuum esse, tum prisca & vetera, tum etiam nova exempla (quod summæ miserationis est) clarissime demonstrant, & oculis nostris subjecerunt. Hisce igitur exemplis imo certa ratione commoti (quod instaurandæ hujus Reipublicæ caput & basim existimavimus) hac perpetua & inviolabili lege sancimus & decernimus, tollendas esse omnes divisiones, quæ hactenus in hac civitate malo suo extiterunt, tam quæ nomina, aut cognomina personarum, quam quæ ordinum, colorum, factionum, aut locorum denominationem concernunt; atque ita tollendas, ut & radicitus extirpatæ, & a memoria hominum deletæ, & abolitæ penitus & in totum esse censeantur. Et ut facilius hoc animi nostri propositum executioni demandari possit: volumus & expresse mandamus, abroganda & antiquanda esse nomina nobilium Veterum & Novorum, seu Aggregatorum, aut Popularium, eorumve, qui intus forisve sunt, Porticuumque sanctorum Petri & Lucæ, & omnia alia nomina, cognomina, appellationes, & denominationes tam personarum, quam colorum, aut factionum, familiarumque, aut (quod dicitur) Albergorum, nec non locorum, & porticuum, quæ hactenus in usu, aut potius abusu fuerunt, & omnia alia, quibus inter cives divisio induci, aut conservari possit; ita, ut qui posthac hasce abominabiles recordationes, aut quamlibet earum renovare, aut instaurare ausus fuerit, aut de eis contentiose loqui, omnibus honoribus, & commodis Nobilitatis ipso jure & facto privatus censeatur. Declarantes insuper pro bono, justo, quieto, & pacifico Reipublicæ regimine, omnes, qui nunc in libro Civilitatis descripti sunt, et qui in futurum juxta legum nostrarum formam describentur, et omnem earum dispositionem explebunt, ita in ipsa Reipublicæ administrandæ jurisdictione et auctoritate esse pares et æquales, ut nulla penitus disparitate, aut inæqualitate discernantur, et non minus, ac si eadem die et hora omnes ad moderandæ Reipublicæ facultatem promoti aut evecti fuissent. Volumusque nunc et perpetuo adesse unum, solum et singularem, nullisque terminis aut numeris divisum Nobilitatis, et civium Rempublicam administrantium ordinem.

Insuper cum usus ipse plane docuerit, omnes hasce privatas simultates, civiliaque ac intestina dissidia originem, fomentum ac incrementum habuisse ab his assumptionibus alienarum familiarum et insignium, quæ per eos, qui Nobilitati ascribebantur, hactenus factæ fuerunt, volentes hanc malorum omnium radicem, et caput tollere et extirpare; Mandamus, et enixe injungimus omnibus et universis civibus in libro Civilitatis descriptis, et qui ab anno 1528. citra alicujus familiæ nomen et stemmata assumpserunt, ut in futurum et perpetuo ipsi, ac eorum descendentes propriæ ac naturalis familiæ insignibus, cognomine, et denominatione tam in voce, quam in quacumque publica aut privata scriptura utantur, dimisso penitus nomine, et appellatione cognominis assumpti et insignibus. Non obstantibus quibuscumque Statutis, Legibus, Decretis, aut consuetudine in contrarium disponentibus, Idem intelligatur in omnibus et per omnia in his, qui in futurum in ordinem Nobilitatis cooptabuntur.

Declaratio artium Mechanicarum.

CAPUT III.

Angustiæ loci et hominum multitudini, ac Regionis sterilitati compatientes, ipsius denique civitatis antiquum morem mature considerantes; Declaramus artes infrascriptas, si modo, quæ infra exerceantur, nihil præjudicare Nobilitati; artes, scilicet Serici, Lanæ, et Pannorum, quas vulgus Seateriam, Lanariam, Pannariam et Draperiam vocat. Eademque ratione artem eam, qua quis merces omnium rerum in magna quantitate, et non minutatim vendendas in officina aliqua retinet, qui lingua materna *Fondaghieri all' ingrosso* nuncupantur; dum tamen Nobiles ipsi neque eas propriis manibus exerceant, neque in apotheca resideant.

Notarios insuper, qui Instrumenta et ultimas hominum voluntates domi suæ, vel in infirmorum ædibus conficiunt, dum tamen nec scamnum, seu apothecam privatim aut publice retineant, nec præcepta scribant, minusque apud aliquod tribunal Actuarii existant, dignitati suæ, ac Nobilitati nequaquam derogare decernimus.

Nobiles præterea, qui rei nummariæ ac cambiorum negotiationi operam dant, dum modo contractus fœneraticios, & cambia illicita, & a sanctionibus Pontificiis damnata non exerceant, ad Magistratus & alias ipsius civitatis dignitates admitti possint. Si secus fecisse legitime damnati fuerint, ultra alias pœnas a jure inflictas, omnibus Magistratibus, ac dignitatibus, & in administratione Reipublicæ honoribus ipso jure privati sint.

De his vero Nobilibus, qui publica vectigalia, quas gabellas passim nuncupamus, & publicos reditus emunt, conducuntve; illud statuendum esse duximus, ut inter Nobiles censeri valeant, si a mercenariis & exploratorum officiis hoc in negotio abstinuerint; et præsertim si nec ad portas, pontesve in spectandis mercibus, nec in lustranda regione pro explorandis fraudibus, vel mercede conscribendis licentiis, aut libris, aut aliis hujusmodi operam suam impenderint.

Eos quoque summa ratione a Nobilitate non esse excludendos arbitrati sumus, qui navigationi egregie operam dant: quod antiqui Genuenses his artibus magnum patriæ et sibi nomen compararunt, posterisque suis gloriam propagarunt, indeque quotidie Urbi ipsi maxima commoda proveniant. Itaque Navarchos, quos vulgus magnarum navium, et triremium Capitaneos et Patronos vocat, nequaquam Nobilitati suæ derogare decernimus.

Cæteras autem omnes alias artes, in quibus manuum artificium versatur, et præsertim, quando res emuntur, ut in aliam formam manuum opera mutentur, et vendantur, mechanicas, et Nobilitati repugnantes declaramus.

De Nobilibus nunc & quotannis creandis.

CAPUT IV.

Cupientes Rempublicam hanc quotidie magis augeri, & florescere, existimavimus nihil esse, quod

quod ei majus incrementum afferre possit, quam si bonis civibus, & qui in Rempublicam propenso sunt animo, quorum numerosa est in hac civitate copia, consequendæ Nobilitatis præmia proponantur: hoc enim pacto fiet, ut multi hac spe gloriæ & honoris allecti ad virtutem, ac ad de Republica bene merendum accendantur.

Nobiles pro hac prima vice quomodo creandi.

HI igitur, qui hodie ad Nobilitatem aspirant, vel eam quovis jure, aut decreto sibi deberi prætendunt, describi se curabunt, apud quem Senatus decreverit. Mox ex illustrissimis duobus Collegiis quinque sorte extrahentur, qui pro hac vice Magistratus officio fungentur. Jurabunt isti in primis in manibus Ducis, se legaliter & fideliter, ac secreto munus suum expleturos. Habebit hic ordo notulam omnium prætendentium, seu Candidatorum, & omni diligentia, fide, ac silentio sine scriptura aliqua singulorum qualitates inquiret, receptasque uniuscujusque informationes Senatui, duobus Collegiis, ac minori Concilio simul coactis fideliter referet. Quibus mature perpensis, si quis eorum duas partes ex tribus suffragiorum feret, ascriptus Nobilitati censebitur; qui vero secus, pro ea vice a Nobilitate exclusus erit. His, qui hac prima vice inter Nobiles assumi cupiunt, si Genuæ, vel in Dominio fuerint, statutum intelligatur tempus sex mensium a die promulgatarum præsentium Legum, intra quod assumi curent; his vero qui absentes erunt, anni unius. Quod si in dicto tempore non assumentur, sciant se omnino, & prorsus exclusos esse a sua prætensione. Non obstantibus quibuscumque Decretis, sive generalibus, sive particularibus, aut descriptionibus quibuscumque, quæ omnia penitus, & in totum irritamus & annullamus. Declarantes hisce salvum esse jus tantum, hanc assumptionem obtinendi in numero eorum, qui quotannis ad Nobilitatem evocandi sunt: si modo servarint ea quæ in præsenti Sanctione sancita sunt. Cæterum his, qui hac prima vice ad Nobilitatem aspirant, non oberit artes Mechanicas exercuisse: modo eas omnino dimittant ante assumptionem. Aliis autem qualitatibus, quas in his, qui jure ordinario, & in singulos annos cooptandi sunt, requisivimus, nullo pacto careant filii, quos Nobiles isti postmodum de legitimo matrimonio suscipient, & ipsi Nobiles intelligantur.

In Nobilium numero descripti, qui hactenus artes Mechanicas Nobilibus præsentium Legum vigore interdictas & exercuerunt & exercent, intra annum a promulgatione præsentium, vere & cum effectu eas dimittant. Interim vero privilegiis Nobilitatis non careant. Quod si intra alium annum, quem ex post ex gratia indulgemus, intra quem tamen perfrui Nobilitate non licebit, omnino artes Mechanicas non reliquerint, statim ipso jure & facto perpetuo a Nobilitate ejecti censeantur, & uti Legum & Nobilitatis contemptores, non possint amplius ad eam restitui. Horum filiis, dum pater inter Nobiles erat, natis non oberit paterna ejectio, modo ipsi a Mechanicis artibus abstineant, nec aliud privatione dignum committant. Post vero ejectionem, & ante adeptam Nobilitatem nati non censeantur Nobiles, sed virtute ad instar cæterorum viam sibi ad parandam Nobilitatem sternant.

Insuper statuimus, ut singulis annis in ipso Januarii mensis initio Illustrissima Dominatio, cum duobus Collegiis, ac minori Concilio diligenter consideret ac perpendat, an eo anno aliqui sint inter Nobiles adscribendi, quod si visum fuerit aliquos cooptandos esse, non possit ultra decem, ex civitate scilicet septem, ex Ripariis vero tres, Nobilitate insignire. Cum igitur de assumendis Nobilibus decretum fuerit, Illustrissima Dominatio descriptis omnibus utriusque Collegii nominibus, curabit diligenter, ut sorte quinque extrahantur, qui omni diligentia, fide, silentio & prudentia, & sine ulla prorsus scriptura informationes universaliter sumant, quinam illi sint in Civitate & Ripariis quos magis Nobilitatis splendore dignos & Reipublicæ profuturos existimarint; ut suo tempore in Senatu & minori Concilio distincte & sine ulla fraude referre valeant. Quod ut melius & salubrius efficere possint, coram Excellentissimo Duce juramentum præstabunt, quod eorum munus fideliter explebunt. Et nihilominus, qui vota dare debebunt, ipsi quoque norint, se cæterorum diligentia a propria negligentia non esse excusatos.

Hos autem, qui hoc splendore Nobilitatis cohonestari cupiunt, convenit bonæ vocis & famæ esse, ex legitimo matrimonio natos, ab omni arte mechanica per triennium ante abstinuisse, omnique hæreticæ pravitatis, seditionis, aut criminis infamiam irrogantis labe mundos esse, civitatemque Genuæ vel Riparias (debite referendo) cum vitæ integritate, morumque honestate diutina, majorum habitatione incoluisse oportet.

Qua ratione ipsis civibus sit vivendum, & ad regimen Reipublicæ accedendum.

CIves ipsi, postquam Nobilitate modo, quo supra, insigniti fuerint, non possint amplius in futurum aliquam artem Nobilibus prohibitam exercere; alias ipso jure & facto privati Nobilitate perpetuo existant.

Ad Concilium autem majus non prius admittantur, quam per quatuor annos Legem Nobilitatis servarint. Ad minus Concilium ac Magistratus tam in dominio, quam in civitate dempto Senatu, Procuratoribus, ac supremis Sindicatoribus, non prius promoveantur, quam sex anni fluxerint a die cooptationis in ordinem Nobilitatis. Inter Senatores & Procuratores non describantur, nisi lapsis annis decem ab adepta Nobilitate. Ad supremum vero Ducatus culmen, non nisi annis quindecim elapsis, evehi possint. In reliquis vero aliorum Nobilium commodis perfruentur.

De conficiendo libro Civilitatis.

CAPUT V.

CUm administratio Reipublicæ Genuensis his tantum civibus credita sit, qui in Libro Civilitatis descripti sunt, & pro tempore legitime describentur; existimavimus convenire, quod liber hic certa aliqua cum ratione & lege compiletur & regatur, conscriptusque diligenter custodiatur. Propterea volumus, quam primum in libro egregie compacto & consuto, & numeris suis in unaquaque pagina distincto,

stincto, describi per Cancellarium, aut Scribam, ab Illustrisima Dominatione deputandum, præsentibus tamen Illustrisimo Duce & duobus ex Magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis, omnia nomina eorum civium, & Nobilium Genuensium, qui in libro Civilitatis nunc descripti reperiuntur, cum eorum nominibus propriis ac patrum suorum, & cognomine propriæ ac naturalis familiæ suæ, dimissa assumpta, si quam habent. His addi volumus nomina omnium, quos ex his, qui descripti sunt, legitime natos esse constiterit: etiam quod absentes a civitate sint. Alios vero, si quos describi continget, non nisi servata forma a nobis præscripta, in eo libro referri volumus.

De libris Nobilitatis diligenter custodiendis.

CAPUT VI.

POstquam Nobilitatis liber modo, quo jam sanximus, completus erit, volumus ejus exemplar fideliter, & ad verbum expleri. Horum alterum Illustrissima Dominatio, alterum magnifici Procuratores perpetui servabunt. Nemo audeat super aliquo eorum scribere, nec novum aliquod nomen, aut familiam addere, aut jam inscripta nomina, aut familias delere, aut in eis eorumve aliquo quicquam penitus, nec syllabam immutare, nisi Cancellarius ad id per Illustrissimam Dominationem deputandus, atque id, non nisi præsente & mandante Illustrissimo Duce, & duobus ad id muneris nominandis, nec super aliquo eorum aliquid inscribat, aut aboleat, nisi etiam super altero itidem perficiat. Et hæc omnia observari volumus sub pœna falsi. Statim autem ac omnia inscripta erunt, quæ Illustrissimus Dux & duo deputandi ut supra mandaverint, libri in locis jam destinatis reponentur. Quod si in aliquo horum aliquid abrasum, aut additum, quod suspicionem pariat falsi, comperietur, sciant hi, quorum fidei librorum custodia commissa est, se hujus temerarii facti aut negligentiæ suæ rationem reddituros.

Compositio Urnæ pro Seminario majorum Magistratuum.

CAPUT VII.

COnscripsimus centum & viginti Patres, ex toto Reipublicæ corpore summo studio & diligentia selectos, qui prudentia, virtute, rerum experientia, & in patriam meritis visi sunt præstantiores. Qua in re illud tantum in animo habuimus, ut Reipublicæ conservationi, & publicæ quieti hac optimorum virorum electione consuleremus. Eorum autem nomina in urna reponi jussimus, ut majorum Magistratuum, quorum consilio hæc Respublica in futurum moderanda erit, celebre atque elegans sit Seminarium. Verum non videtur plene satisfactum nostris mentibus; nisi etiam provideatur, quo pacto Seminarium hoc, tanta cum ratione constitutum, a fraudibus, quæ contingere possent, sartum tectumque conservari debeat; qua item ratione extrahendorum deficientium, aut ejiciendorum (si qui erunt) numerus singulis annis suppleri possit. Sancimus igitur, in primis horum nomina cum familiæ & patris denominatione in membranis, seu chartulis ejusdem materiæ, formæ, ac magnitudinis describi, easque uniformi ratione complicatas in capsula ferrea reponi debere; quæ sine trium clavium diversarum ministerio aperiri non possit. Harum unam Excellentissimus Dux, aliam Procurator natu major, tertiam vero Cancellarius ab Illustrissima Dominatione deputandus servabunt. Claudetur capsula hæc ita firmata in alia ferrea, quæ Excellentissimi Ducis fidei committetur. Clavium autem duarum & diversarum, quarum opera capsa hæc major reseranda erit, altera apud unum ex supremis Syndicatoribus, qui alios ætate præcellat; altera apud unum ex Legum Conservatoribus custodietur.

Ad hæc volumus, præcipuum librum confici, in quo uti diligenter & fideliter eorum civium nomina, prout in membranis & chartulis, quæ in capsula conduntur, jacent, descripta erunt, ita deficientium extrahendorum, nec non eorum qui tamquam facti indigni ejicientur, nomina, & ex adverso nomina eorum, quos in talium locum subrogari continget, indies referri debere decernimus. Hujus autem libri custodiam & rationem Conservatoribus Legum committendam duximus.

Ubi electio aliqua facienda erit Gubernatorum & Procuratorum, quæ in singulo semestri medio mense Junio, & medio Decembri fiet coram duobus Collegiis ac Concilio minori, adsistentibus etiam Conservatoribus Legum; Illustrissimus Dux capsam deferri mandabit, & per puerum annorum ad summum decem, ab Illustrissima Dominatione vocandum, quem tunc publicis impensis vestiri volumus, aperire, ab eaque per eundem puerum quinque nomina aut chartulas, quæ prius sedulo commixtæ sint, extrahi, ex quibus tres, quorum nomina primo loco educentur, Gubernatores & duo postremi Procuratores constituantur: si tamen prius Conservatores Legum eos superstites esse & præsentes, vel non distantes a civitate centum millibus passuum, ita ut termino quindecim dierum vocati ad Magistratum accedere possint, nec ex Legum nostrarum serie aliquo modo factos indignos recognoverint. Si ex his qui sorte extracti erunt, aliqui mortui sint, aut postquam in urna conditi sunt, facti indigni ex Legum nostrarum norma; nulla harum chartularum ratio habeatur: sed alii eorum loco statim educendi erunt per puerum. Quod si in eis aliqui erunt absentes ultra centum milliaria, eorum nomina in urnam, aut capsulam reponentur, aliis extractis. Si vero ex his, quos puer primo educet, reperiantur duo, aut tres unius familiæ, ita existimavimus convenire, ut primus in Gubernatorum numerum electus intelligatur; secundus in Collegium Procuratorum cooptatus; tertii vero nomen, seu chartulam in urnam reponi mandamus. Si vero ex ultimo extractis ambo reperiantur ejusdem familiæ, postremum in urnam conjiciendum esse, altero educto, volumus. Eorum munus biennio duret, quo lapso, omni Magistratu vacent.

Ubi supplendus erit numerus extractorum, mortuorum, & eorum qui uti facti indigni, ejicientur, quem omnino in fine cujuslibet anni suppleri volumus; eliget mense Decembri Concilium minus, concurrentibus tribus partibus ex quinque suffragiorum, ex universa Nobilitate duplicatum numerum eorum, qui reponendi sunt in urnam; qui tamen requisitis qua-

qualitatibus non careant. Horum nomina ad Concilium majus mittentur; quod sumptis de more suffragiis, frequentiori calculo eliget eos, qui ad complendum urnæ numerum necessarii sunt, & ubi paribus votis contendatur, nec contentio bis sumptis suffragiis tolli posse videatur: tunc sorte ex eodem Concilio quinque eligantur, qui paritatis contentionem votorum imparitate tollent. Si de aliquo, qui præsens sit, suffragia ferenda erunt, ipse omnino a voto abstinebit, ne in propria causa judicium ferat. Idem intelligatur sancitum, ubi de patre, filio, fratre, socero aut genero suffragia ferenda erunt. Licebit unicuique in Concilio minori unum tantum omnium votis discutiendum nominare, modo nec patrem, nec filium, nec fratrem, nec socerum aut generum nuncupet. Horum, qui Concilii majoris judicio aptiores fuerint existimati, nomina in chartulis, seu membranis conformibus, & paribus, ut dictum est, conscribantur, & in capsula recondantur, nec non in librum diligenter referantur.

Firmatio numeri Gubernatorum & Procuratorum.

CAPUT VIII.

SAncimus in posterum Collegium Gubernatorum ex duodecim civibus consistere. Procuratorum vero ex octo, ultra perpetuos.

Quod in Collegio Gubernatorum & Procuratorum non possint duo ex eadem familia esse.

CAPUT IX.

UT autem unusquisque in partem munerum & Magistratuum se vocatum esse sentiat; volumus geminos ex eadem familia in Gubernatorum nec Procuratorum Collegio eodem tempore positos esse; unum vero in singulo Collegio concedimus, ultra Ducem, & perpetuos.

De qualitatibus, quæ in Magistratibus civitatis requiruntur.

CAPUT X.

NUllus ad Magistratus, nec ad aliqua ex Conciliis assumatur, nisi habeat in civitate Genuæ domicilium, aut in ea habitet. Habitare autem & domicilium habere quis intelligatur, si cum parentibus aut in domo conducta in urbe majori anni parte vivat.

De majori Concilio.

COnsiliarii majoris Concilii, quod Principis, seu Reipublicæ personam refert, minores annis viginti quinque ne sint: liceat tamen his, quibus creandi hujus Consilii auctoritas data est, usque ad sexaginta eligere, qui vigesimum secundum annum excesserint: si ita eis expedire videbitur. Artem aliquam Nobilibus non concessam per triennium ante non exercuerint. Excipiuntur ab hac sanctione hi, qui vigore præsentium Legum in termino anni, aut biennii artes Mechanicas deseruerint.

De Concilio minori.

QUi ad Concilium minus evocandi sunt, pro medietate annorum sint non minus triginta: pro alia vero ad minus viginti septem (Doctoribus & Medicis exceptis) qui, si reliquis qualitatibus non carebunt, biennio ante recipi poterunt. Sint civitatis habitatores, commodum habeant in civitate, aut Dominio patrimonium. Artem aliquam Mechanicam, & Nobilibus non concessam, per quinquennium ante non exercuerint.

De Magistratibus civitatis.

QUi in civitate Magistratum aliquem obire sperat, sit Nobilis, & major annorum viginti septem, artem aliquam Nobilibus interdictam per annos octo non exercuerit. Ad duos Magistratus obeundos eodem tempore nemo admittatur; quod si quis ad secundum eligatur, possit primo retento alterum repudiare; ubi vero rejecto primo, secundum maluerit, disponatur de primo juxta Legum decreta.

De electione triginta Electorum.

CAPUT XI.

IN fine Decembris cujuslibet anni coram Illustrissimis Collegiis conveniet Concilium minus in numero a nobis præscripto; ibique licebit unicuique eorum civem unum, modo non sit pater, filius, frater, socer, aut gener, nec a civitate absit: ubi tamen in eo concurrant qualitates, quas in Concilii minoris Patribus requisivimus, ex universo Nobilium cœtu nominare, & concurrentibus tribus partibus ex quinque, seliget triginta cives optimos, quibus electio majoris & minoris Concilii commissa erit. Quod si de aliquo, qui Concilio intersit, aut ejus patre aut filio, fratre, socero aut genero suffragia ferantur; advertent Conservatores Legum, & auctoritate Excellentissimi Ducis providebunt, ut ille omnino a voto abstineat, eademque auctoritate providebunt, ne Consiliarii etiam ex causa necessaria a Prætorio recedant, nisi perfecto opere, quod cœperunt.

De electione majoris Concilii.

CAPUT XII.

HOrum triginta civium, qui Electores vocantur, munus erit eadem die, ubi id fieri possit: sin minus, immediate sequenti summo mane, auditis prius divinis, coram Illustrissimo Duce, & Gubernatoribus in Prætorio convenire, ibique ex universa civium Nobilitate, demptis absentibus, hisque qui tunc Consiliarii munus obeunt, & quibus qualitates a lege requisitæ deficiunt; quadringentos patres eligere, qui futuro anno Concilium majus & personam Principis seu Reipublicæ referant; concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque suffragiorum. Inter hos autem licebit eis usque ad sexaginta cives in eo ordine referre, qui annum vigesimum secundum tantum excesserint: si ita eis expedire videbitur.

De electione Concilii minoris.

CAPUT XIII.

COnscripta hac electione Patrum, ex eis seligent eodem ordine, & numero suffragiorum centum viros, qui qualitatibus a Lege requisitis non careant. Hi autem ita electi Concilium minus conficiant. Quod si numerosæ hæ electiones prima die absolvi non poterunt, redibunt electores sequenti

ſequenti die; nec a Prætorio diſcedere audebunt, niſi perfecto negotio. Confidimus autem, electores pro eorum virtute & prudentia, poſthabitis omnibus affectibus, aptiores & digniores ad unumquodque munus nuncupaturos, & familiarum omnium congruam rationem habituros.

De tollendis controverſiis, quæ in electione triginta electorum oriri poſſent.

CAPUT XIV.

LIcet, ſublatis antiquis Legibus, quæ quandoque in Republica diſcordiis & ſimultatibus inter cives cauſam aut occaſionem præbuerunt, introductisque novis Legibus, ac conciliatis civium inter ſe animis; auxiliante DEO optimo maximo, bonorum omnium auctore, Nobis jure ſperandum ſit, Rempublicam hanc optimorum civium conſilio, & auctoritate, ſemotis penitus omnibus ſimultatibus, ac diſſidiis adminiſtratum iri, & omnium Magiſtratuum electiones ſumma cum animi temperantia & moderatione fieri debere; nihilominus ad ea etiam proſpicientes, quæ vix accidere poſſe confidimus, exiſtimavimus non eſſe abs re, ſi certam aliquam formam hiſce Magiſtratuum electionibus præſcriberemus, ubi aliquas earum in controverſiam deduci continget. Idcirco ubi Concilium minus in legitimo numero coactum pro ſeligendis triginta civibus, ad quos paulo ante diximus pertinere jus conſtituendi Concilium majus, item minus, id operis termino horarum octo non perfecerit; Volumus ex numero Gubernatorum & Procuratorum, qui præſentes erunt, educi ſorte quatuordecim, qui juncti Concilio minori, concurrentibus tribus partibus ex quinque, ex his omnibus, qui prius per Concilium minus nuncupati fuerunt, tot eligant, quot ad implendum numerum triginta neceſſarios eſſe cognoverint, quod ſi hi omnes, modo quo ſupra, non poterunt numerum triginta electorum ſex horarum ſpatio implere, termino horarum duarum cum frequentiori ſuffragiorum numero implere electorum numerum conabuntur. Quod ſi id aſſequi non poterunt, ex hoc corpore (nempe Concilii minoris & adjunctorum) volumus ſorte undecim Patres tolli, qui voto careant, reliquos vero ex iiſdem nuncupatis, concurrentibus pluribus votis, eos eligere debere, qui ad implendum numerum triginta Electorum defuerint.

De tollendis controverſiis, quæ in electione majoris Concilii oriri poſſent.

CAPUT XV.

POſtquam triginta, quos Electores diximus, de univerſo Nobilium cœtu, demptis inhabilibus, & aliis, quos ſupra diximus, ſumptis de more ſuffragiis, periculum fecerint; nec reperti fuerint tot cives, qui concurrentibus decem & octo votis pro implendo Concilio idonei judicati fuerint; iterum per eoſdem electores de his omnibus, qui prius integrum & præſcriptum ſuffragiorum numerum non retulerunt, vota ferantur. Et ubi ſecunda hac vice nec dum opus perfici poſſit, mandamus decimari numerum electorum ſorte, ita ut vacantibus tribus a ſuffragio, cum frequentiori reliquorum voto deficiens Concilii majoris pars ſuppleatur.

De tollendis controverſiis, vel in eligendo Concilio, caſu ſubortis.

CAPUT XVI.

QUod ſi in eligendo minori Concilio ſumptis ſuffragiis ſuper univerſo Concilio majori, prima vice numerus impleri non poſſit, volumus iterum ſumi ſuffragia de his, qui, licet habiles ſint, tamen integrum & legitimum numerum non retulerunt, & ubi concurrentibus tribus ex quinque votorum partibus, non poſſit centumviralis ordo compleri, tunc cum majori ſuffragiorum numero deficiens Concilii minoris pars eligatur, quod ſi adhuc difficultate paritatis laboretur, mandamus ſorte decimari numerum triginta Electorum; ut ejectis tribus votis, paritate omnino ſublata, major ſuffragiorum frequentia Concilium minus impleat.

De tollendis diſſidiis, quæ in eligendo duplicato numero pro implendo Seminario oriri poſſent.

CAPUT XVII.

SI vero in electione duplicati numeri per Concilium minus eligendi, eorum qui quotannis ſubrogandi ſunt, ut in urnam aut ſeminarium eorum nomina conjiciantur, aliquæ emergant difficultates, illud, pro eis ſuperandis, ſervare mandamus, quod ſupra in creandis per minus Concilium triginta Electoribus ſancivimus.

De ſubrogationibus Magiſtratuum, aut Officialium.

CAPUT XVIII.

UBi vel morte, vel abſentia, vel alia ex cauſa Magiſtratum aliquem, aut Conſiliarii munus vacare contingat; hi, quibus ſubrogandi auctoritas demandata eſt, alterum in ejus locum quamprimum eligant, qui eas qualitates & conditiones habeat, quæ legibus noſtris præſcriptæ ſunt; ſerventque eoſdem modos, & formam, quæ in principalis delectione ſervata fuit. Auctoritatem vero ſupplendi deficientes in utroque Concilio duobus Collegiis ac minori Concilio præſentium vigore demandatam eſſe voluimus.

Quot vota requirantur in deciſionibus Collegii Gubernatorum.

CAP. XIX.

EA, quæ a Gubernatorum Collegio & tractanda, & ſtabilienda erunt, ſi octo ſuffragiis concurrentibus approbata fuerint, decreta & ſancita intelligantur, & executioni mittantur: ſalvis tamen & exceptis his caſibus, in quibus certa lege majorum ſuffragiorum concurſum requiſivimus.

De tollendis contentionibus, quæ in dicto Collegio oriri poſſent.

CAPUT XX.

QUod ſi aliquæ ſuboriantur contentiones, atque ea ratione negotia expediri non poſſint; volumus, Collegium Procuratorum vocari, ut collato ſimul negotio, interveniente legitimo ſuffragiorum numero, quod juſtum & conveniens fuerit, ſanciatur. Sed ſi nec dum ingenia hominum convenerint, (quod tamen ſperamus non futurum) manda-

mandamus acciri Consilium minus, ut prudentia & æquitate sua, rejectisque animorum affectibus, frequentiori calculo controversum negotium concludendo pertinaces hasce contentiones & maxime indignas, tollat.

Quot vota requirantur in decisionibus Collegii Procuratorum.

CAPUT XXI.

EA vero, quæ a Procuratorum ordine sunt terminanda, non nisi concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum valide poterunt deliberari.

De controversiis Collegii Procuratorum casu exortis tollendis.

CAPUT XXII.

SI autem inter Collegas nata contentione impediantur rerum exitus; sancimus, adeundum esse Collegium Gubernatorum, ut junctis votis, & trutinato negotio, conformibus animis, quod æquum fuerit, decidatur. Si vero etiam labor iste sit infructuosus, volumus per Consilium minus modo quem paullo ante formavimus, omnem hanc indignam, & maxime vitandam controversiam præcidi ac dirimi.

De modo tollendi controversias in duobus Collegiis ortas.

CAPUT XXIII.

EAdem ratione volumus præcidi contentiones, quæ casu oriri possent in terminandis his caussis & negotiis, quæ sui natura ad duo Collegia simul juncta pertinent.

De legitimo numero Consilii majoris & minoris.

CAPUT XXIV.

UBi cogendum erit Consilium majus, non intelligatur esse plenum, & legitimum, nisi, computatis Illustrissimis Collegiis, impleat numerum tercentum. Consilium vero minus, non nisi convenerint octoginta, ultra duo Collegia. Excipitur tamen a præsenti Sanctione casus ille, quando Consilium minus, pro eligendis his, qui in locum demortuorum vel absentium subrogandi sunt, vocabitur; licebit enim tunc temporis, cum minori numero, & intervenientibus tantum his, qui poterunt convenire, Consilium minus legitime congregare: modo adsint duo Collegia.

De qualitatibus in Duce requisitis.

CAPUT XXV.

SUprema est in Republica Genuensi Ducatus dignitas; proinde convenit eum, qui ad tantæ dignitatis culmen evehendus est, uti auctoritate omnibus præstat, ita animo, virtute, consilio, ac rerum omnium experientia pollere, ut dignitati & auctoritati, quam præ se fert, virtutes animi egregie respondeant. Sancimus igitur, neminem ad id muneris assumendum, nisi ita cum Nobilitate splendorem animi conjunxerit, ut a quacumque arte Nobili viro interdicta, per quindecim annos omnino abstinuerit; de legitimo matrimonio, civitatisque habitatorem, majoremque annis quinquaginta esse oportet. In publicis vero Conciliis vel Magistratibus, aut legationibus, Reipublicæque administratione ita versatum esse cupimus, ut tanti ponderis molem feliciter ferre valeat, ita lautum ei sit patrimonium, quo tanti muneris auctoritatem & dignitatem commode sustinere possit.

De forma servanda in Electione Ducis.

CAPUT XXVI.

QUo sublimius est Ducalis dignitatis culmen, eo optatius etiam, ac magis ambitiosum videtur. Proinde existimavimus, rectæ administrationi maxime convenire, si perplexa quadam electionis ratione, immoderatæ hominum cupiditati, quantum fieri possit, in hoc comitiorum genere occurramus, curemusque, quantum fas est, ut civium vota libera sint. Ubi igitur de eligendo Duce agendum erit, conveniet Consilium majus, ibique allatis decem pillulis auratis, quæ diversis literarum notis inscriptæ sint, ita, ut una cum altera nullo modo conveniet, sorte educatur ex urna, in qua prius recondantur, una ex pillulis, cujus nota seu inscriptio nemini, nisi conservatoribus Legum pandatur; mox juxta Principis suggestum statuatur urna, in qua quinquaginta globuli aurati condantur, qui eam literarum notam inscriptam habeant, quæ paulo ante sorte educta fuit; his addantur tot globuli argentei, nulla literarum nota inscripti, qui junctis quinquaginta auratis, Consiliariorum numerum æquent, quique auratis & magnitudine & pondere, & forma & materia sint omnino similes, seduloque commisceantur. Ex his unusquisque Consiliarius, demptis tamen duobus Collegiis, unum sorte, & sine fraude educet. Is, cui auratus obvenerit, confestim Censoribus, qui urnæ assident, conspiciendum & recognoscendum tradet; mox occulte nomen alicujus civis, quem tanto munere dignum judicaverit, ex toto Nobilitatis corpore, & iis qualitatibus, quas requisivimus, præditum, conscribet in chartula; deinde e comitio exibit, ita ut nec vota ambire, nec cum aliquo colloquia miscere possit. Eductis omnibus auratis pillulis, illustrissima Collegia nomina omnium, qui in chartulis descripti fuerint, legent, & in numerum redigent, quod si nominati ad vicenarium numerum non ascenderint, eorum nomina, quibus aurata sors cecidit, in urnam conjiciantur, & iterum extrahantur, ut repetita per eos nuncupatione, numerus ille vicenarius impleatur, quem ita terminavimus, ut non minor sit viginti; ultra autem esse possit usque ad quinquaginta. Horum nomina, quotquot fuerint, vocatis etiam illis quinquaginta, quos nuncupatores auratos diximus, per Concilium majus discutientur; quindecim vero ex his, qui plura retulerint vota, intelligantur ad Ducatum propositi. Horum autem quindecim nomina ad Concilium minus discutienda mittentur; & sex, qui majorem suffragiorum partem, quæ tamen minor non sit, quam tres ex quinque, retulerint, iterum ad postremam Concilii majoris discussionem remittentur. Ex his unus, qui in votis hominum prævaluerit, pro Duce renuntiabitur. Quod si vota paria fuerint, iterum ferenda erunt suffragia; si vero eadem paritate contendatur, tunc sorte prius e Concilio ejectis quinque, & repetita votorum collectione, omnino tolletur paritas.

De

De Pyxide.

CAPUT XXVII.

UT liberiora sint uniuscujusque vota, liceatque cuilibet in suffragiorum collectione ex animi sui voluntate, & prout conscientiæ suæ stimulus, vel ratio suggeret, votum aut nigrum, aut album dare, absque eo, quod timeat, ne assidens aut vicinus, cui forte promissa fuit suffragii gratia, cognoscat, pollicitationem non esse observatam; voluimus formari novum pyxidis genus, qua cum in futurum suffragia danda esse decernimus; & non alio modo aut forma. Erunt igitur geminæ pyxides, seu urnulæ simul junctæ, & undequaque clausæ, diversis coloribus ita distinctæ, ut una earum affirmativam, altera vero negativam demonstret. Quæ affirmativam designat, posterior sit, quæ vero negativam, prior; in hac adsit ita latum foramen, ut immissam manum, & usque ad ingressum secundæ pyxidis tendentem, facile admittat. Qui favorabile votum ferre intendit, immissa manu in foramen, & in secundam usque urnulam extensa, pillulam seu globulum dimittat in vas annexum, quod facile obducta manu, divelli a superiori pyxidis parte poterit: qui vero contrarium votum ferre voluerit, manum pariter usque in secundam urnulam extendet; verum pillulam vel immittendo, vel retrahendo in priorem urnulam aut pyxidem, quæ negativam refert, dimittet, omnibusque votis collectis, subductisque vasibus geminis, quæ conjunctæ pyxidi subsunt, videri facile poterit ex quantitate pillularum, quæ in nigrum aut in album vas ceciderunt, quæ pars prævaluerit.

Globuli, quorum usus in hoc opere necessarius est, lanei, aut linei, aut serici sint oportet, ne cadentes aut dimissi strepitu suo vicinis qualitatem voti demonstrent, sintque ejusdem coloris; cum non color eorum, sed locus seu vas, in quod immittuntur, voluntatem votum dantis denotet.

De habitu Ducis, & Magistratuum.

CAPUT XXVIII.

DUx, Gubernatores, Procuratores, ac Magistratus, quibus justitiæ civilis & criminalis administratio commissa est (quod maxime ad Magistratus dignitatem pertinere videtur) togati incedant, juxta formam ex antiquis Legibus præscriptam.

De Syndicatu Ducis, Gubernatorum & Procuratorum.

CAPUT XXIX.

NIhil est, quod optimos quosque viros in fide & officio facilius contineat, quam virtutis amor, gloriæque & honoris præmium: malos vero, timor Legum & pœnarum. Propterea optimo jure constitutum est, ut Magistratus omnes, finito eorum munere, Syndicatui subjiciantur, ut mali debitas pœnas subeundo, aliis sint exemplo: qui vero laudabiliter & fideliter se gesserint, debito commendationis & laudationis præmio non defraudentur. Quare laudabilem morem Reipublicæ approbamus, ut non modo Gubernatores & Procuratores, verum Dux ipse, finito munere, Supremorum inquisitioni & notioni subsint, qui tamen non nisi respectu eorum, quæ ab unoquoque eorum in Magistratu commissa sunt, eos inquirere aut coërcere possint; ratione vero eorum, quæ per Collegium Gubernatorum, aut Procuratorum, aut per ambo Collegia simul juncta fuerint contra leges, decreta, aut ordinata, æquum non est eos singulariter teneri. Licebit tamen Supremis, ubi aliquid tale commissum cognoverint, Consilium minus vocare, quod, audita causa, quod justum & conveniens fuerit, frequentioribus votis decernet. A sententiis per Supremos ferendis in causis Syndicatuum, ubi de privatione vitæ, honoris, aut inhabilitatione ad Magistratus agatur, appellari possit ad Consilium minus, hujusque judicii instantia sexaginta dies non excedet.

De Gubernatoribus & qualitatibus, quæ in eis requiruntur.

CAPUT XXX.

QUi ad Reipublicæ gubernacula sunt promovendi, eos non modo claritate Nobilitatis splendere decet, verum etiam prudentia, rerum experientia, ac fide præditos esse. Proinde sancimus, ad hoc munus eligendum & Nobilem esse; ac civitatis habitatorem, & ab artibus, quæ Nobilibus interdictæ sunt, per decennium abstinuisse; ad hæc annorum sit ultra quadraginta, conveniens dignitati habeat patrimonium, & ubi decoxerit, non admittatur, nisi prius integre suis creditoribus satisfecerit: in Consiliis autem, & aliis Reipublicæ muneribus ita se gesserit oportet, ut apud omnes non mediocrem sui spem & opinionem concitaverit. Unus tantum ex eadem familia in eo Gubernatorum ordine existat, ut supra.

De qualitatibus, quæ in Procuratoribus requiruntur.

CAPUT XXXI.

QUas in magnificis Gubernatoribus qualitates requisivimus, easdem in magnificis Procuratoribus necessarias esse decernimus.

De præfecto generali triremium, & de præfecto triremis, & quæ in eis occurrere debent.

CAPUT XXXII.

GRave est admodum pondus, quod fidei, & prudentiæ præfecti triremium committitur. Propterea convenit eum, qui huic muneri præficiendus est, Nobilem esse; ab omni arte Mechanica saltem per annos octo prorsus abstinuisse; nec minorem annis triginta esse; Magistratumque aliquem, aut Consiliarii munus feliciter obiisse, aliis item qualitatibus, quas in Gubernatoribus requisivimus, nequaquam carere oportet. Triremis autem præfectum & Nobilem, & annorum viginti quinque esse necesse est.

De Gubernatore Corsicæ, & ejus necessariis qualitatibus.

CAPUT XXXIII.

COrsica Nobilissima est Genuensis Dominii pars. Quare decet eum, qui ad moderandam eam Insulam mittendus est, & Nobilem esse, & omnibus his qualitatibus præditum, quas in Gubernatoribus requisivimus.

De Commissariis cum suprema auctoritate deputandis.

CAPUT XXXIV.

COmmissarii in Dominio cum suprema auctoritate deputandi non nisi Nobiles, & annorum ad minus quadraginta eligantur, sed & qui Mechanicas artes per annos octo non exercuerint, & Consiliarii munus, & alterius in urbe Magistratus personam sustinuerint; sciantque maxime eis convenire, ut suprema auctoritate, quæ eorum prudentiæ commissa est, mature & consulto utantur. Quod si secus fecerint, sciant se syndicatoribus, per Illustrissimam Dominationem ex laudabili more deputandis, ultra alia inquiri & coërceri solita, se barattariarum, concussionum, extorsionum, violentiarum factarum exactam & severam rationem reddituros.

De Oratoribus & Legatis ordinariis.

CAPUT XXXV.

ORatores & Legati, qui per Illustrissimam Dominationem ad supremos Principes transmittuntur, ut ibi resideant, non possint ultra triennium in ea Legatione esse, neque id temporis aliquo modo prorogandum est, nisi ex gravissimis causis, judicio eorum, ad quos eorum electio pertinet; neque id ultra annum fieri conceditur.

De electione nonnullorum Magistratuum.

CAPUT XXXVI.

POstquam judicio duorum Collegiorum, & Consilii minoris, concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque suffragiorum, nuncupati fuerint duo, aut ad plus quatuor cives; pro unoquoque infrascriptorum officiorum, qui qualitatibus requisitis in his, qui ad minus Consilium promovendi sunt, non careant; omnia eorum nomina ad Consilium majus transmitti volumus, ut judicio suo, aptiorem unicuique muneri calculorum frequentia declaret.

Quorum Officiorum nomina sunt hæc:

Prætor Savonæ.
Commissarius aut Capitaneus Clavariensis.
Commissarius aut Capitaneus Spediæ.
Commissarius aut Capitaneus Sarzanensis.
Gubernator Corsicæ.
Locumtenens ultramontanus, seu Capitaneus aut Prætor Ayacensis.
Commissarius Bonifacii.
Commissarius Calvæ.

Alia vero munera, quæ per duo Collegia, & viginti octo cives conferri solebant, in futurum per duo Collegia, & Consilium minus, concurrentibus plusquam tribus ex quinque omnium suffragiorum, conferri volumus. Quibus addere voluimus eadem ratione conferenda, Præfecturam triremium; Legationes ad Principes destinandas extra Dominium, Præfecturas militum prætorianorum, qui forum & prætorium, & urbem custodiunt, Præfecturam Arcis Savonæ, & Sinus Spediæ.

Cætera vero officia, quæ per Illustrissimam Dominationem solam, aut per Illustrissima duo Collegia tantum, aut per Collegium Procuratorum simpliciter conferri solebant (demptis tamen supra exceptis) eadem ratione in futurum conferenda esse censemus.

De Præfectorum nonnullarum arcium qualitatibus.

CAPUT XXXVII.

MAxima est habenda ratio arcium, & munitorum locorum, quæ Reipublicæ propugnacula sunt. Idcirco decernimus, arces infrascriptas nullius fidei committendas esse, nisi Nobilium, qui annum excedant trigesimum, & per annos octo aliquam artem Mechanicam non exercuerint; quique in Consiliis versati quandoque fuerint, aliisque virtutibus præditi sint, quæ ad obeundum tale munus necessariæ sunt.

Arces omnes & munitiora loca, Illustrissimæ Dominationi subjecta, his tantum exceptis, quæ & quas non descriptis committendas, & committenda esse duximus.

De officiis conferendis in cives non descriptos.

CAPUT XXXVIII.

COnveniens est, eorum etiam rationem habere, qui in libro civilitatis descripti non sunt; nam cum & ipsi Reipublicæ onera subeant & patiantur, æquum est etiam, eos Reipublicæ commodis & fructibus perfrui & gaudere. Sancimus itaque, infrascripta officia, quum primum vacaverint, in cives non descriptos, & non in alios, omnino conferenda esse. Ea tamen lege adjecta, quod ubi in aliquo eorum agatur de tractanda publica vel aliena pecunia, non prius ad illud obeundum admittantur, quam idoneam cautionem præstiterint.

Omnia officia Scribarum, & Notariorum, tam eorum, qui a Secretis sunt Illustrissimæ Dominationis, quam qui Collegio Procuratorum, officio S. Georgii, Supremis, Prætorii, Rotæ, tam civili, quam criminali, omnibusque Magistratibus, tam in civitate, quam in Ripariis, in Insula, & demum in universo Dominio assident.

Officia omnia Consulum rationis.

Omnia officia receptorum pecuniarum, quos vulgus Capserios appellat, tam apud officium S. Georgii, quam apud licitatores vectigalium & omnium redituum publicorum.

Officium unum inter Censores, inter Conservatores Sanitatis unum, inter Præfectos annonæ unum.

Præturas insuper infrascriptorum locorum.

Tabiæ.	Vultabii.
Rapalli.	Costæ vadorum.
Castrinovi.	Varaginis.
Gavii.	Stellæ.
Framuræ.	Castilioni.
Montis rubei.	Rimazorii & Manatolæ.
Vernatiæ & Corniliæ.	Portus Veneris.
Sigestri.	Corvariæ.
Trioriæ.	Carri & Castelli.
Moneliæ.	Godani.
Vuadæ.	Arculæ.
Cerianæ.	Vezzani.
Recchi.	Præfecturas arcis Lericensis.
Petræ.	
Cervii.	Arcis Sarzanellæ, & arcis Gavii.
Andoriæ.	

Et omnia alia officia jam dictis inferiora, quæ alias per illustrissima duo Collegia conferri solebant.

His

His addere voluimus infrascripta alia officia, in quibus cives etiam non descripti participare poterunt.

Officia Vicariatus.

Savonæ.	Novarum.
Clavari.	Spediæ & Bastitæ in Corsica.

Omnia autem supradicta officia, & quæquæ alia, quæ tam descriptis, quam non descriptis conceduntur, gratis conferri mandamus, excepta tamen Gabella, quam Stagii vocant, cui nullum afferre præjudicium intendimus.

De Scribis, seu Secretariis.

CAPUT XXXIX.

JUstis rationibus moti, noluimus officium Scribarum, qui Excellentissimo Duci ac Gubernatoribus a secretis inserviunt, perpetuum esse, sed quinquennii curriculo præscribi debere, neque prorogari posse ultra triennium, si ita e re ipsius Reipublicæ esse, hi, quibus hujus electionis auctoritas demandata est, concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum, arbitrati fuerint. Horum electio Excellentissimo Duci, duobus Collegiis, ac minori Consilio credita est, qui ex omnium civium non descriptorum numero, virtute, probitate, moribus, prudentia, continentia, ac fide insignes, & huic muneri aptiores, quique ætatis suæ annum vigesimum quintum expleverint, eadem votorum frequentia, quam in prorogatione requisivimus, seligent. Hosce, ubi munus suum fideliter & legaliter expleverint, voluimus Nobilitate donare, quam ipso jure & facto statim ac ab officio cum commendatione dimissi fuerint, adipiscentur; ut tam insignis præmii & gloriæ desiderio victi, ad bene de Republica merendum accendantur.

Horum, qui nunc in officio hoc serviunt, cum virtus, fides, probitas omnibus satis perspecta & cognita sit, munus quinquennio adhuc durabit: si ita hi, qui eligendi eos jus habent, arbitrati fuerint; sine spe prorogationis. Lapso autem tempore vacabunt, & omnia acta, scripturas, literasve, quæ ad eorum munus pertinent, Successoribus suis in officio integre consignabunt, quas in publico archivo recondi, & diligentissime conservari volumus. Non intendimus tamen hac lege tollere laudabilem morem ipsius Reipublicæ; quinimo decernimus teneri eos singulo anno ab Illustrissima Dominatione literas confirmatorias obtinere, in fidem & testimonium bene gesti muneris sui, quas si impetrare non poterunt, a suo munere cessent. Non obstantibus quibuscumque decretis, Legibus, aut statutis in contrarium existentibus, si quæ sunt.

De Conservatoribus pacis.

CAPUT XL.

POstquam DEI optimi maximi beneficio, novis Legibus promulgatis, & æquo animo receptis, ac inter cives sincera & inviolabili pace sancita, amplius de bello agendum non est, cum maxime ejus Magistratus jam sublatus sit, visum fuit constituere ordinem civium, quos Conservatores pacis appellamus. Horum præcipua cura erit, matrimonia tractando, & stabiliendo civium animo, quoad fieri poterit, vincire & conjungere. De simultatibus vero & rixis, quas indies inter cives oriri continget, sedulo inquirent, easque, quam citius fieri poterit, (ne morbus iste in Republica adeo exitiosus, altius serpat) conciliatis hominum animis, tollere & radicitus extirpare conabuntur. Contumaces, & eorum dicto non audientes, ad Illustrissimam Dominationem deferent, quæ causa cognita, opportune providebit: non retardato tamen cursu justitiæ. Pro horum electione ex Illustrissimis Collegiis tres sorte eligentur, quorum singuli duos ad hoc munus idoneos nuncupabunt. Horum autem tres, qui frequentiori calculo recepti fuerint, pacis Conservatores erunt: eorum munus biennale erit.

De Legum Conservatoribus, & juramento dando.

CAPUT XLI.

NIhil prodesset, Leges compilasse, ac Rempublicam bene instituisse, nisi etiam provideretur, quod Sanctiones istæ suum sortirentur effectum, ac executioni mitterentur. Hac ratione erigere voluimus ordinem duorum civium gravissimorum, quos Legum Conservatores appellavimus. Horum præcipuum munus erit, electionibus Ducis ac Magistratuum omnium, & præcipue triginta electorum, qui Consilii majoris & minoris creandi jus habent, & quibuscumque electionibus assistere, curareque, quod, antequam ad id manus apponatur, lex super ea electione, de qua tunc agetur, condita publice alta & intelligibili voce omnibus legatur, & solemnitas, & forma, quæ in eis comitiis servanda, non modo ad memoriam reducatur, verum omnino observetur. Juramentum civibus his, quibus jus eligendi demandatum est, dari curabunt in manibus Illustrissimi Ducis in forma infrascripta. His, qui ad aliquod munus assumpti fuerint, aliud juramentum in forma pariter infra descripta, antequam ad Magistratum accedant, dari curabunt. Fraudibus, quæ in comitiis quibuscumque fient, & quæ prævideri per Nos non potuerunt, occurrent, & si quem in fragranti crimine deprehenderint, ad Illustrissimum Ducem statim deferent, qui eum utriusque voti impotem declarabit; prout nos tenore præsentium declaramus, & pro modo culpæ graviori etiam pœna mulctabit. Biennale erit hoc munus, horumque electio ad duo Collegia & Consilium minus pertinebit.

Forma juramenti eligere debentium.

JUro ego N. ad sancta DEI Evangelia manibus corporaliter tactis Scripturis, & in animam meam, me in electione, quam hodie facturus sum de - - - - remoturum ab animo meo iram, amicitiam, amorem, odium, proficuum affectum ad quemcumque colorem & factionem: sed DEum tantum ante oculos habiturum, & hujus Reipublicæ, & libertatis nostræ, publicæve quietis conservationem, daturumque suffragium meum illis tantum, qui mihi virtute, prudentia, fide, & integritate præstantiores videbuntur. Ita me DEus optimus maximus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

Forma juramenti jam electorum.

JUro Ego N. ad Sancta DEI Evangelia, manibus corporaliter tactis Scripturis, & in animam meam, me mu-

me munus hoc mihi demandatum legaliter & fideliter obiturum, & hujus Reipublicæ libertatem, publicamque quietem, quantum in me erit, curaturum & defensurum. Ita me DEus adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

De electione Conservatorum Legum.

CAPUT XLII.

EReximus Officium, quod Conservatorum Legum appellatur, atque id summa cum ratione, cum, sublatis Legibus, aut eis nequaquam observatis, necesse sit Rempublicam, ut anima carentem, omnino perire, ac ruere. Proinde volumus per duo Collegia, & Consilium minus medio mense Januario, concurrentibus tribus partibus ex quinque suffragiorum, duos cives optimos eligi debere, qui in Rempublicam propenso sint animo, & qualitatibus, quas in Gubernatoribus requisivimus, non careant. Horum ita electorum pietati & prudentiæ per biennium Legum conservationem, imo Reipublicæ salutem & vitam eo, quo possumus, studio & ardore commendamus. Quod si medio hoc tempore Conservatores isti, aut alter eorum decesserit, vel recedat, non rediturus brevi, statim mandamus suppleri numerum, ne Magistratus, adeo in Republica necessarius, aliquo tempore vacet. Pro hac prima vice eligimus in Conservatores Magnificos Dominos Lucam Justinianum & Nicolaum, alias Nicherosum Pallavicinum.

De vacationibus Magistratuum.

CAPUT XLIII.

NE cives hi, qui elato animo suapte natura sunt, primariorum Magistratuum frequentia elatiores fiant, atque inde in tyrannidem declinent: quo maxime fugiendum est in Republica: Sancimus eum, qui Ducalis dignitatis munere semel functus fuerit, non posse iterum ad ejusdem dignitatis culmen evehi, nisi prius lapsis quinque annis, a fine officii numerandis. Qui item semel Gubernator fuerit, non posse pariter, nisi lapso quinquennio ut supra, iterum ad eundem Magistratum promoveri. Eum autem, qui Procurator semel electus fuerit, vacare debere ab eo munere per quadriennium. Qui vero in alterum Consiliorum fuerit, per annum. Non prohibendum tamen existimavimus, quin Gubernator aut Procurator, ubi omnibus qualitatibus, quas dignitas suprema expostulat, præditus sit, in Ducem eligi possit. Cæteras vero vacationes tam munerum, quem familiarum, uti non necessarias, tollendas esse arbitramur.

De provisionibus, quæ fieri debent suprema auctoritate.

CAPUT XLIV.

LIcet eo, quo possumus, studio & fervore administrationem justitiæ criminalis juxta Legum statutorumque formam Prætori & Rotæ ita commendaverimus, ut nemo possit nec cumulative, nec privative eorum jurisdictionem impedire; Non ignoramus tamen, quandoque non modo in civitate, verum in Dominio evenire posse subitos quosdam & repentinos casus, in quibus servata, & non servata forma juris, & suprema auctoritate, ac Regia manu providendum est, ne publica quies, ac pacificus Reipublicæ status perditum eant, cum vel populus insanit, vel seditiosi tumultuantur, vel perditorum & flagitiosorum hominum turmæ vias publicas hostili more invadunt, agrosque & ditionem Genuensem depopulantur. Hisce casibus, & aliis hujusmodi, quibus ad Illustrissimam Dominationem pertinet, auctoritate sua omnia sedare, Excellentissimus Dux, junctis duobus Collegiis, vocatoque Prætore, quatenus expediat, & Rota, ut auctoritati etiam consilium jungatur, & nulla interposita mora, scelerum auctores debitis pœnis affici curabit, mox participes & suspectos detineri faciet, veritatem criminis inquiret, ut pro modo culpæ quisque debitas luat pœnas.

Quod si aliqui Commissarii delegandi erunt, qui Provinciam lustrent, & facinora compescant, nonnisi hi, qui graves aliquos Magistratus gesserunt, eligentur, ut suprema auctoritas gravissimis tantum viris & prudentibus committatur.

De gratiis & forma in illis concedendis observanda.

CAPUT XLV.

IN concedendis gratiis delictorum, quarum auctoritas apud Illustrissimum Ducem, ac duo Collegia residet, concurrentibus votis duarum partium ex tribus, illud advertendum duximus, non licere, quod absque legitima partis offensæ remissione in his casibus, in quibus requiritur, aut ea extincta, hæredis sangvinis & bonorum Princeps suam exerceat clementiam. In casibus vero criminis læsæ Majestatis, & seditionum, in quibus Principem decet quasi esse inexorabilem, non esse concedendam gratiam, nisi ex magna causa, & ob bonum publicum, & intervenientibus omnibus votis & utriusque Collegii, ac minoris Consilii. In infrascriptis vero casibus, qui gravissimi & atroces sunt, scilicet homicidii, animo deliberato patrati, parricidii, assassinii, mandati ad occidendum, secuto tamen effectu homicidii in officialem, robariæ in strata publica, fabricationis falsæ monetæ, raptus monialium, aut mulierum honestarum, nonnisi intervenientibus duabus partibus ex tribus, & utriusque Collegii, & minoris Consilii literas gratiæ aut restitutionis esse concedendas.

De Procuratoribus perpetuis syndicandis.

CAPUT XLVI.

QUi cum honore, & commendatione Ducatus munus obierunt, in præcedentis dignitatis honorem, perpetui Procuratoris munere, antiquarum Legum beneficio, funguntur, id quod & nos laudamus. Verum ne horum animi ex perpetui officii auctoritate elatiores, quam par est, fiant, volumus eos singulo biennio Syndicatui supremorum & aliorum quinque ex Consilio minori tunc forte eligendorum, subjicere, qui diligenter eorum acta in officio & administratione revideant. Et si quid per eos contra Leges commissum fuisse compererint, debitis pœnis afficiant.

Insuper nolumus, Procuratores perpetuos in electionibus Prætoris, auditorum Rotæ criminalis, nec civilis, Advocatisve fiscalis aliquo modo votum suum dare posse.

De co-

De condendis Legibus.

CAPUT XLVII.

SI in aliquo mature, & prudenter est agendum, aut graviori cum consilio; id in materia Legum condendarum agendum est: sunt enim firmamentum, & basis totius Reipublicæ, cum ipsis vivendum sit: nec contra eas aliquo modo eundum. Et propterea universi populi (si commode fieri posset) consensus requirendus esset, cum vel de nova Lege condenda, vel de aliqua abroganda tractatur. Verum consulentes & utilitati & necessitati; Sancimus nullo modo novas Leges condi, quæ præsentibus, quibus nunc vivitur, & quæ a Nobis aut conditæ & condendæ aut approbatæ fuerunt, contrariæ sint; neque jam conditas ac condendas & approbatas abrogari, aut corrigi, sive emendari, nisi coactis prius Collegiis, mature consulatur, & si quatuor partes ex quinque non approbaverint, nihil actum censeatur: ubi vero approbaverint, deferantur omnia ad Consilium minus discutienda; cujus nisi quatuor ex quinque consenserint, nihil conclusum intelligatur: Ubi vero consentiant, denuo omnia mature Consilii majoris consultationi subjaceant, & nisi frequentiori eorum voto approbetur, nihil pariter actum existimetur.

Alias vero Leges, quæ non contrariantur, ut supra, non nisi per duo Collegia, & Consilium minus, concurrentibus duabus partibus ex tribus, fieri posse declaramus.

De pace, bello, fœdere, & adhærentia.

CAPUT XLVIII.

UBi majus periculum est, ibi cautius & maturius esse advertendum existimavimus. Propterea, quotiescumque tractandum erit de bello ineundo, vel de pace, aut tregua sancienda, aut adhærentia stabilienda, sive fœdere cum aliquo Principe aut Republica iciendo, aut si aliquid aliud simile, & grave, quod Statum Reipublicæ tangat, decernendum erit, nolumus aliquid sanciri, aut executioni mitti, nisi prius mature, & modo ac ordine, quo infra, consulatur. Inprimis igitur coram Illustrissimis Collegiis id omne plene trutinabitur; & nisi quatuor ex quinque partibus consenserint, nihil actum intelligatur: Ubi vero conveniant, convocato Consilio minori, idem proponatur, & diligenter discutiatur, & nisi quatuor ex quinque illud approbaverint, nihil conclusum, nec sancitum intelligatur.

De pedagiis, collectis, & vectigalibus de novo non imponendis, nec impositis tollendis, nisi servata forma.

CAPUT XLIX.

NEmo est, qui non intelligat, novas pedagiorum, collectarum, vectigaliumve impositiones populis esse admodum graves. Proinde mandamus, nemini licere in Republica Genuensi de novorum onerum impositione decernere, nisi Consilio majori, quod Principem ipsum & Rempublicam refert, neque id fieri posse volumus, nisi prius Illustrissima duo Collegia, & Consilium minus mature consulerint; ac concurrentibus duabus partibus ex tribus, declaraverint, non modo necessitatem subesse, verum etiam nullam neque meliorem, nec æqualiorem formam inveniri, qua opportunius Reipublicæ necessitati consuli possit. Idem intelligatur sancitum, ubi agendum erit de tollendis jam impositis.

De Doctoribus & Medicis.

CAPUT L.

DOctores tam Legum, quam artium, & Medicinæ talari veste utantur, nec sine ea incedant. Contrafacientes Privilegiis & immunitatibus suis biennio carebunt; Jureconsulti postulare, Medici vero cum Collegis suis de communium infirmorum cura conferre per triennium non poterunt, & in eorum Collegiis utriusque voti impotes erunt.

Hisce, quod maximo usui sunt in Republica, nec mediocre ei ornamentum afferunt, volumus omnino observari Privilegia & immunitates, sublatis fraudibus, si quæ sunt.

Ratio eorum dignitatis postulat, & ita observari volumus, ut ab omnibus Magistratibus, excepto Illustrissimo Duce, & Gubernatorum Collegio, sedentes, & tecto capite & audiantur & excipiantur, possintque ad omnes in Republica dignitates promoveri, etiam quod Consiliarii majoris vel minoris munus, aut alios Magistratus numquam obierint, suprema excepta.

Collegium Jureconsultorum tenebitur in futurum, quotannis duos sui ordinis sumministrare, qui pauperes & miserabiles personas tam in foro civili, quam criminali gratis, & pietatis ergo tueantur, & protegant.

Præterea Medicorum ordo duos ex Collegis suis singulo anno nuncupabit, qui gratis pauperibus & miserabilibus personis in medendo diligentem & piam operam præstent.

Hebræi a postulatione & medela omnino abstineant, & quicumque alii, qui Doctoratus diplomate caruerint.

Procuratores, & præfecti annonæ non participent in commodis sui muneris.

CAPUT LI.

QUo magis graviora negotia fidei suæ commissa esse quis perspicit, eo magis intelligere debet, sibi elaborandum, ut fidei, quæ de eo concepta est, rerum exitus egregie respondeant Id autem facile unusquisque consequetur, si illud unum ante oculos habuerit, homini libero nihil patria ipsa carius esse debere. Idcirco Procuratores tam perpetui, quam temporales, quibus patrimonii, ac publicorum redituum, qui nervi Principis dicuntur, cura demandata est, sciant, sibi maxime cavendum, ut mundas ab omni avaritiæ labe habeant manus, & (quod caput omnium est) ne in licitationibus, emptionibus, aut conductionibus publicorum redituum aliquo modo directe, aut indirecte participent, neve publica pecunia aliquo modo, nec etiam minima in parte, aut brevissimo tempore pro rei privatæ commodis utantur, aut gaudeant. Præfecti item annonæ caveant, ne in comparanda re frumentaria, aut in ea ad Urbem traducenda, aliquid commodi privatæ rei adscribant, aut publicam hanc administrationem cum privata aliquo modo commisceant. Quod si secus fecisse compertum fuerit, sciant, se, uti indi-

indignos, inhabiles ad Magistratus factos esse, & pœna pecuniaria arbitrio supremorum plectendos.

Quod dotes anteriores tempore præferantur officio S. Georgii posteriori.

CAPUT LII.

INtelleximus, inolevisse consuetudinem in civitate Genuæ, aut Lege aliqua, aut ritu firmatam, qua mulieres, quæ pro dotibus suis bona mariti obligata habent, si concurrant cum officio S. Georgii etiam posteriore creditore, ab earum tamen juribus excluduntur, quod & juri, & omni æquitati maxime adversatur. Huic igitur abusui providere volentes, publicæque honestati & utilitati consulentes, ne mulieres indebite indotatæ remaneant, edicimus, & hac præsenti Lege decernimus, quod si in futurum concurrat officium S. Georgii cum mulieribus dotem suam repetentibus, dispositionem juris communis servari debere; sublatis quibuscumque Legibus, statutis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus in contrarium facientibus.

De Seditiosis.

CAPUT LIII.

NIhil est, quod publicam quietem, quæ in Republica summopere conservanda est, facilius perturbare ac subvertere possit, quam seditiosorum pravæ & iniquæ voluntates, ac temerarii ausus. Ideo sancitum est, quod si quis aliquo modo in hoc crimen inciderit, si auctor sceleris fuerit, bonorum publicatione mulctetur, & ulterius capite puniatur; quod si non auctor, sed complex fuerit, ultra jam dictam pœnam confiscationis, perpetuo remiget. Contra hoc genus hominum adeo Reipublicæ exitiosum judices procedent non modo ad accusationem partis, verum etiam ex officio. Accusatores occulti tenebuntur, & quartam partem bonorum ejus, qui accusatus fuerit, & de hoc crimine legitime damnatus, in præmium consequentur.

De gladiatoribus, & sicariis, quos Bravos vulgus appellat.

CAPUT LIV.

NUllum est hominum genus, quod in Republica, aut alia civitate recte instituta, sit adeo abominabile, quam gladiatores, & sicarii, quos vulgus Bravos, seu Scavezzos appellat, qui juventutem omnem bene compositam ad seditiones, rixas, & digladiationes promovent & excitant, subortas casu contentiones fovent, & nutriunt; ut ab imprudentibus adolescentibus pecunias extorqueant. Hanc igitur pestem ab hac Republica eradicare volentes, mandamus hoc genus hominum statim e civitate ejiciendum esse, sub pœna triremium triennalium.

De conventiculis.

CAPUT LV.

COmpositis jam rebus, & stabilito quieto statu Reipublicæ, nihil reliqui est, nisi eam intra cancellos, qui præstituti sunt, continere. Id autem, ut facilius fieri possit, dedimus opportunas Leges ac instituta, quæ si observentur, (ut confidimus) speramus futurum, ut Respublica quotidie magis florescat & augeatur. Ad majorem vero securitatem sancimus, per Illustrissimam Dominationem providendum esse, ut conventicula, quæ sub imagine boni, aut privatæ hilaritatis, iniquis consiliis, ac perfidis tractatibus viam aperuerint, omnino tollantur.

Confirmatio Privilegiorum & immunitatum illustrissimarum Joannis Andreæ Auriæ, prout hactenus observata fuerunt.

CAPUT LVI.

DOnavit Andream Principem Auriam civem suum optimum, ac de ea optime meritum Respublica Genuens. nonnullis immunitatibus, Privilegiis, & exemptionibus; memor tam insignis ac præclari ab eo beneficii accepti, utpote qui patriam multis rebus præclare gestis insignem, sed alieno jugo suppositam, incredibili erga eam pietate ductus, abjecta prorsus ab animo omni ambitione, pristinæ restituit libertati. Ejus etiam indelendam ab animis hominum memoriam, erecta statua marmorea, ac publico lautæ domus dono illustravit. Hæc & alia virtutis & gloriæ condigna præmia Joanni Andreæ Nepoti, & avitarum virtutum tam in conservanda libertate patriæ, & ejus dignitate amplificanda, quam in bellicæ & navalis militiæ gloria hæredi, & vero successori, prout hactenus observata fuerunt, ac ejus familiæ omnino observari volumus.

De eligendis Magistratibus pro nunc per Illustrissimos Ministros.

CAPUT LVII.

ANimadvertimus Magistratus, qui pro nunc moderandæ Reipublicæ Genuensi præficiendi sunt, nequaquam secundum modum & formam in Legibus, quas nuper compilavimus, præscriptam, eligi posse, nisi prius jactis fundamentis, & constitutis ordinibus Magistratuum, ex quibus successores postmodum prosilire atque insurgere debent, juxta ea, quæ per Nos accurate fuerunt sancita: Neque expedire, aut decere, quod secundum antiquarum Legum normam, quas in hac parte nunc abrogamus, atque abolemus, promoveantur. Minus etiam convenire existimavimus, relinquendum hoc esse arbitrio civium, qui sine certa lege inter se conflictantes, novos possint in civitate tumultus excitare, nondum integre veteribus extinctis. Proinde necessitati ipsi cedentes, & facultate ac bailia Nobis attributa, pro bono, justo, ac pacifico ipsius Reipublicæ regimine utentes, menti etiam Principum nostrorum inhærentes, qui post maturam harum omnium sanctionum nostrarum considerationem, & discussionem, & quibus de jure Italiæ, & totius Christiani orbis pax & quies commendata est, eam Nobis literis suis amplissime declaraverunt; omnique meliori modo, via & forma, qua possumus & Nobis tributa est, hac præsenti Lege inviolabiliter observanda sancimus, & statuimus, Magistratus majores, videlicet Gubernatores, qui his nostris Legibus supplendi sunt, Consilium majus & minus, administrationi criminalis justitiæ præficiendos; nec non Magistratuum Seminarium, quod nostris Legibus erigendum esse duximus, pro hac prima vice a Nobis eligendos & statuendum esse; eosque ita electos & constitutum ad Reipublicæ regimen & justitiæ administrationem recipi & admitti debere, & in

in suo officio manuteneri, donec integre muneris sui cursum peregerint, juxta nostrarum sanctionum seriem & tenorem. Cæteros vero Magistratus, quos in futurum creari continget, non nisi servata ad unguem forma nostrarum Constitutionum eligi aut creari posse decernimus.

Electio Magistratuum & Consiliorum ac Seminarii.

CAPUT LVIII.

PRovidere igitur volentes novæ Magistratuum & Consiliorum electioni juxta ea, quæ per nos sancita fuerunt; Eligimus ex universo Nobilitatis ordine infrascriptos, quos graves, aptos, & de Republica benemeritos, rejectis prorsus ab animis nostris omnibus aliis respectibus & causis, existimavimus, eosque singulis Magistratibus (debite referendo) modo quo infra addiximus.

In primis pro Gubernatoribus tum subrogandis in locum cedentium, tum supplendis usque ad numerum duodenarium juxta per nos ordinata Magnificos Dominos, videlicet:

Hectorem Fliscum, usque ad medium Junium anni præsentis.

Octavianum Saulium, usque ad medium Decembrem anni 1577.

Franciscum Spinulam, quondam Baptistæ, quondam Antonii, usque ad medium Decembrem 1577.

Silvestrum Cattaneum, usque ad medium Junium anni 1577.

Joannem Baptistam Pallavicinum, quondam Damiani, usque ad medium Decembrem 1576.

Bartholomæum Lomellinum, usque ad medium Decembrem anni 1577.

Pro Procuratoribus vero in locum cedentium Magnificos Dominos, videlicet:

Lucam de Nigronibus, &

Hieronymum Canevarium: ambos usque ad medium Decembrem, Anni 1577.

Pro consilio majori Magnificos Dominos, videlicet:

Franciscum Salvaigum, quond. M. Ambrosii.
Octavianum Arquatam.
Joannem Baptistam de Cavo.
Julianum Salvaigum, q. Lucæ.
Paulum Salvaigum, q. Leonardi.
Petrum Vernatiam, q. Bernardi.
Andream de Ecclesia.
Stephanum Confortum.
Joannem Marinum, q. Laurentii.
Julianum Marinum Marrosellum.
Gregorium de Turri.
Vincentium Riparoliam, q. Petri.
Octavium Riparoliam, Juris Doctorem.
Hieronymum Marinum, q. Pauli.
Dominicum de Turri.
Nicolaum de Marco.
Pelegrum de Palio.
Joannem Pansanum Marinum.
Joannem Antonium Marinum, q. Jacobi.
Stephanum Davaniam.
Percivalem Cattaneum, q. Accelini.
Franciscum Cattaneum, q. Stephani.
Simonem Olivam.
Alexandrum Cattaneum, D. Silvestri.
Cæsarem Cattaneum Vescontis.
Joannem Baptistam Zerbinum.
Hieronymum Cattaneum, q. Philippi.
Ambrosium Cattaneum, q. Baptistæ.
Dominicum Cattaneum, q. Baptistæ.
Franciscum Zoalium.
Edoardum Cigalam.
Alexandrum Squarciaficum Cigalam.
Vincentium Bondinarium.
Alexandrum Cigalam, q. Nicolai.
Nicolaum Cigalam, q. Vincentii.
Octum Caterium.
Urbanum Fliscum, D. Hectoris.
Laurentium Fliscum, q. Stephani.
Nicolaum Paxerium.
Joannem Baptistam Ragium, q. Jo. Baptistæ.
Raphaëlem Ragium.
Joannem Salvaigum, q. Benedicti.
Augustinum Salvaigum, q. Ambrosii.
Hieronymum Marinum, q. Francisci.
Augustinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptistam Cattaneum, Juris Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gasparem Olivam.
Baptistam Bavam.
Franciscum Taliacarne, Juris Doctorem.
Antoniotum Cattaneum Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Emanuelem Fliscum, q. Petri.
Petrum Baptistam Fliscum, q. Gregorii.
Damianum Fliscum, q. Lucæ.
Marcum Antonium Ravaschierium.
Federicum Fliscum Laurentii.
Franciscum Fliscum, D. Hectoris.
Benedictum Canevarium.
Joannem Stephanum Moronum.
Joannem Marruffum.
Joannem Baptistam Lercarium, q. Stephani.
Baptistam Buronum.
Baptistam Camillam.
Nicolaum Serram.
Jacobum Lercarium, q. Francisci.
Jacobum de Salvo.
Benedictum Pernicem.
Augustinum Gurlerium.
Angelum Lercarium, q. Lucæ.
Nicolaum Lercarium, q. Francisci.
Camillum Lercarium Camillam.
Octavianum de Albara.
Jacobum de Nigro, q. Joannis.
Stephanum Pasquam.
Edoardum de Nigro, Physicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reverendiss.
Silvestrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchioris.
Augustinum de Auria, q. Jacobi, q. Augustini.
Joannem Baptistam de Auria, q. Dominici.
Jo. Hieronymum Lercarium, D. Jo. Baptistæ.
Stephanum Buronum.
Hieronymum Gallum, q. Dominici.
Nicolaum Lercarium, q. Francisci.

Joannem Franciſcum de Nigro, q. Benedicti.
Nigronum de Nigro, q. Philippi.
Ambroſium Carmagnolam.
Baptiſtam Groppalum.
Lucam de Prato.
Philippum de Nigro, D. Joannis.
Laurentium de Nigro, q. Nicolai.
Joannem Franciſcum Paſquam.
Bernardum Caſtaneam.
Dominicum Grillum.
Franciſcum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptiſtam Nigronum, q. Baptiſtæ.
Paulum Vivaldum, q. Antonii.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Chriſtophorum de Judicibus, Jur. Doct.
Jacobum Vivaldum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum, q. Auguſtini.
Vincentium Duratium.
Joannem Baptiſtam Groppalum.
Gaſparem de Sancto Petro.
Nicolaum de Nigro, q. Pauli.
Angelum de Majolo.
Silveſtrum Uſuſmaris.
Baptiſtam Majolum.
Paulum Delphinum.
Raphaëlem Olivam.
Auguſtinum de Judicibus.
Herculem Caſtilionum.
Jacobum Robertum.
Alexandrum Rubeum.
Joannem Baptiſtam Grimaldum, q. Rmi
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Jo. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſii.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Jo. Baptiſtam Spinulam, q. Antonii.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jofredum Spinulam, Mci Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q. Steph. Juris Doct.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptiſtam Gentilem, q. Jacobi.
Raphaëlem Odonum.
Joannem Odonum.
Joannem Senaregam.
Jo. Baptiſtam de Auria, D. Antonii.
Paganum de Auria.
Joannem de Regibus.
Franciſcum Clavexanam, Juris Doctorem.
Clementem de Ruere.
Nicolaum de Auria, q. Jo. Jacobi.
Marcum de Auria, q. Stephani.
Nicolaum de Auria, q. Jacobi, q. Petri.
Proſperum de Auria, D. Dominici.
Baptiſtam de Ricardis.
Marcum Fociam.
Franciſcum de Auria, q. Nicolai.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Conſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Conſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Jo. Franciſcum Balbam, q. Nicolai.
Michaëlem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallavicinum.
Galeatium de Auria.
Caſtellinum de Auria.
Jo. Philippum de Auria, q. Lambæ.
Hieronymum de Auria, D. Pauli.
Nicolaum Cornerium.
Hieronymum de Nuce.
Benedictum de Auria, q. Jo. Baptiſtæ.
Adrianum de Auria.
Pelegrum de Auria, D. Joannis.
Alaramum de Auria.
Ludovicum Interianum, q. Oberti.
Nicolaum Gambaruttam.
Baptiſtam Parriſolam.
Ambroſium Interianum, q. Bartholomæi.
Franciſcum Groſſum, q. Laurentii.
Silveſtrum de Paſſalio.
Joannem Antonium Baſſadone.
Lucam Sivori.
Franciſcum Pallavicinum, q. Babilani.
Felicem Pallavicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Jacobum Seneſtrarium.
Jacobum Moneliam, q. Mag. Benedicti.
Jo. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Joannem Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clavaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Joannem Lumellinum, q. Antonii.
Antonium Balianum.
Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Michaëlem Portam.
Franciſcum Terrilem, Phyſicum.
Nicolaum Balianum, Juris Doctorem.
Joannem Baptiſtam Mercante.
Joannem Jacobum Imperialem, q. Vincentii.
Baptiſtam de Terrili.
Nicolaum Sanguinetum, Phyſicum.
Hieronymum Marinetum.
Jo. Baptiſtam Joardum, q. Benedicti.
Auguſtinum Lumellinum, q. Jacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Juſtinianum, q. Vincentii.
Petrum Joſephum Juſtinianum.
Hieronymum Juſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Auguſtinum Mulſinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Davidem Vaccarium, Jur. Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeoti.
Lucam de Fornariis, Jur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Sauli, q. Dominici.
Philippum Sauli.
Antonium Gualterium.

Joan-

Joannem Grillum, D. Lucæ.
Paulum de Cattaneis.
Gottardum Biscottum.
Petrum Cantellum.
Nicolaum Vignolum.
Joannem Griffum.
Stephanum Doxium.
Alexandrum de Vultabio.
Jo. Baptistam Nigronum, q. Petri.
Raphaëlem Merellum, Physicum.
Jo. Augustinum Airolum.
Jacobum Nigronum, q. Simonis.
Melchionem Nigronum, q. Silvagii.
Leonem Merellum.
Bernardum Bancherium.
Stephanum Vivaldum, q. Francisci.
Julianum Benigassium.
Lazarum Vivaldum, q. Hieronymi.
Antonium Vivaldum, D. Pauli.
Antonium Cebam Grimaldum, q. Bernardi.
Bartholomæum Feretum.
Hieronymum Mulasanam.
Anfreonum Cebam Grimaldum.
Hieronymum Zinum.
Angelum Ritium, q. Petri Pauli.
Jo. Franciscum Grimaldum, D. Baptistæ.
Augustinum Grimaldum.
Andream de Ferrariis.
Augustinum Cebam Grimaldum, q. Antonii.
Laurentium Buzalinum.
Gerardum Cebam Grimaldum.
Joannem Baptistam Petrarugiam.
Hieronymum Grimaldum, D. Lucæ.
Joannem de Ferrariis, q. Blaxii.
Lazarum Grimaldum, q. Augustini, Jur. Doct.
Gregorium Spinulam, q. Jo. Francisci.
Laurentium de Ferrariis.
Dominicum Spinulam, q. Jacobi.
Gasparem Fransonum.
Andream de Benedictis.
Paulum de Benedictis.
Ambrosium Spinulam, q. Francisci.
Augustinum Pinelum.
Joannem Augustinum de Raviolis.
Julianum Spinulam, q. Accelini.
Joannem Baptistam Spinulam, q. Stephani.
Jo. Augustinum Justinianum, q. Nicolai.
Dionysium Spinulam, q. Hieronymi.
Thadæum Spinulam, q. Jacobi.
Ludovicum Spinulam, q. Francisci.
Franciscum Murchium.
Hieronymum Spinulam, q. Philippi.
Laurentium Spinulam, q. Quilici.
Antonium Argiroffum.
Stephanum Spinulam, q. Pauli.
Ambrosium de Ecclesia.
Matthæum de Ponte.
Dominicum Spinulam, q. Stephani.
Jo. Baptistam Spinulam, q. Bernardi.
Antonium Roccataliatam, Hieronymi.
Paulum Spinulam, q. Gregorii.
Urbanum Cavaturtam.
Stephanum Spinulam, q. Ambrosii.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorii.
Pelegrum Rebuffum.
Joannem Dominicum de Novis, Jur. Doct.
Thomam de Turri.
Nicolaum Parrisolam.
Carolum Spinulam, q. Pauli.
Cattaneum Spinulam, q. Simonis, Jur. Doct.
Jo. Baptistam de Blaxia.
Lucam Spinulam, q. Jacobi Mariæ.
Jo. Paulum Justinianum.
Hectorem Spinulam, q. Augustini.
Sebastianum Spinulam, q. Gregorii.
Petrum Baptistam Cavanam, D. Joan. Mariæ.
Obertum Spinulam, q Francisci.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorii, Jur. Doct.
Franciscum de Luciano.
Francum Spinulam, q. Gasparis.
Jo. Baptistam Calvum.
Oratium Spinulam, q. Jo. Mariæ.
Simonem de Jugo.
Joannem Mariam Spinulam, D. Lucæ.
Conradum Spinulam, q. Panthaleonis.
Gregorium de Monterubeo.
Antonium Bonam.
Philippum Jussanum.
Antonium Mariam Spinulam. q. Jacobi.
Lazarum Spinulam, q. Jacobi Mariæ.
Paulum Baptistam Spinulam, q. Simonis.
Vincentium Carpeninum.
Damianum Spinulam, Jur. Doct.
Bernardum Pelisonum.
Joannem Franciscum de Franciscis.
Marcum Gentilem, q. Jacobi.
Nicolaum Gentilem, q. Ambrosii.
Dominicum Gentilem, q. Jo. Baptistæ.
Paulum Gentilem, q. Gasparis.
Jo. Andream Costapelegrinam, Jur. Doct.
Panthaleonem Gentilem, q. Simonis.
Thomam Gentilem, q. Benedicti.
Baptistam de Canali.
Vincentium Adurnum.
Demetrium Pinellum.
Jo. Andream Pinellum, D. Jo. Pauli.
Raphaëlem Pallavicinum, Marci Antonii.
Nicolaum Pallavicinum, q. Jo. Francisci.
Benedictum Sivorium.
Gotardum Coronatum.
Innocentium Pallavicinum, q. Nicolai.
Andream Pallavicinum, q. Ludovici.
Jacobum Mariam Pallavicinum.
Carolum Pallavicinum, q. Vincentii.
Benedictum Rotulum.
Augustinum Pallavicinum, q. Philippi.
Laurentium Capellonum.
Bartholomæum Calvum, Hieronymi.
Augustinum Senestrarium, D. Jacobi.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Laurentium Piccalugam.
Barnabam de Illice.
Sebastianum Centurionum, q. Jacobi.
Manfreonum Centurionum.
Benedictum Centurionum, q. Luciani.
Federicum Centurionum, q. Pauli.
Thomam de Calanis, Physicum.
Stephanum Centurionum, q. Dominici.
Augustinum Centurionum, q. Jacobi.
Augustinum Centurionum, D. Hieronymi.

Joannem Baptiſtam Farinanti Illuſtriſſimi.
Joannem Centurionum, q. Franciſci.
Leonardum Lumellinum, q. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Philippi.
Jacobum de Alegro.
Benedictum Lumellinum, q. Jo. Baptiſtæ.
Andream Lumellinum, q. Panthaleonis.
Joſephum Stratam.
Nicolaum Lumellinum, q. Jo. Baptiſtæ.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, q. Babilani.
Nicolaum Saulium, q. Antonii.
Vincentium de Plebe.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, q. Panthaleonis.
Laurentium Saulium, D. Octaviani.
Benedictum Lumellinum, q. Germani.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, D. Benedicti.
Jo. Baptiſtam Paſſanum, q. Bartholomæi.
Auguſtinum de Facio.
Ambroſium Lumellinum, q. Philippi.
Chriſtophorum Axeretum.
Ambroſium Lumellinum, D. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Baptiſtam Spinulam, q. Hieronymi.
Benedictum Argiroſſum.
Anſaldum Juſtinianum, Jur. Doct.
Baptiſtam Juſtinianum, q. Urbani.
Carolum Spinulam, q. Luciani.
Jo. Paulum Juſtinianum, q. Nicolai.
Auguſtinum Spinulam, q. Stephani.
Anſaldum Grimaldum, Jo. Baptiſtæ.
Gaſparem de Franchis, q. Antonii.
Joannem Jacobum Grimaldum, q. Pauli.
Balianum Fornarium.
Victalianum Fornarium.
Joannem Spinulam, q. Nicolai.
Vincentium Fornarium, q. Jo. Baptiſtæ.
Gaſparem de Fornariis.
Joannem Hieronymum de Bene.
Joannem Baptiſtam Compianum.
Jo. Baptiſtam Fornarium, q. Bartholomæi.
Vincentium Ritium, q. Jo. Matthæi.
Chriſtophorum Spinulam, q. Georgii.
Baptiſtam Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Thomam Saulium, q. Juliani.
Franciſcum Unciam.
Joſephum Stratam, Phyſicum.
Bernardum de Sopranis.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Jacobum Guiſum.
Julianum Donatum.
Raphaëlem Spinulam, q. Auguſtini.

Hi ſunt numero quadringenti.

Pro Conſilio minori Magnificos Dominos, videlicet:

Joannem Salvaigum, q. Benedicti.
Auguſtinum Salvaigum, q. Ambroſii.
Hieronymum Marinum, q. Franciſci.
Auguſtinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptiſtam Cattaneum, Jur. Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gaſparem Olivam.
Baptiſtam Bavam.
Franciſcum Taliacarne, Jur. Doct.
Antoniotum Cattaneum, D. Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Benedictum Canevarium.
Joannem Stephanum Moronum.
Joannem Marruffum.
Jo. Baptiſtam Lercarium, q. Stephani.
Baptiſtam Buronum.
Baptiſtam Camillam.
Nicolaum Serram.
Jacobum de Nigro, q. Joannis.
Stephanum Paſquam.
Edoardum de Nigro, Phyſicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reverend.
Silveſtrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchioris.
Auguſtinum de Auria, q. Jacobi, q. Auguſtini.
Jo. Baptiſtam de Auria, q. Dominici.
Bernardum Caſtaneam,
Dominicum Grillum.
Franciſcum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptiſtam Nignonum, q Baptiſtæ.
Paulum Vivaldum, q. Antonii.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Chriſtophorum de Judicibus.
Jacobum Vivaldum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum, q. Auguſtini.
Vincentium Duratium.
Alexandrum Rubeum.
Jo. Baptiſtam Grimaldum, q. Reverendiſſimi.
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Jo. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſii.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Jo. Baptiſtam Spinulam, q. Antonii.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jofredum Spinulam, Mag. Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani Jur. Doct.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptiſtam Gentilem, q. Jacobi.
Raphaëlem Odonum.
Joannem Odonum.
Joannem Senaregam.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Conſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Conſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Jo. Franciſcum Balbam, q. Nicolai.
Michaëlem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallavicinum.
Jo. Antonium Baſſadone.
Lucam Sivorium.
Franciſcum Pallavicinum, q. Babilani.
Felicem Pallavicinum.

Andream

Andream Centurionum, D. Benedicti.
Jacobum Senestrarium.
Jo. Baptistam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Augustini.
Franciscum Lumellinum, q. Baptistæ.
Jo. Baptistam Sesterium.
Hieronymum de Clavaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Jo. Lumellinum, q. Antonii.
Augustinum Lumellinum, q. Jacobi.
Angelum Lumellinum, q. Augustini.
Philippum Lumellinum, q. Francisci.
Andream Picchenotum.
Lucam Justinianum, q. Vincentii.
Petrum Josephum Justinianum.
Hieronymum Justinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Christophori.
Augustinum Mulfinum.
Augustinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
David Vaccarium, Jur. Doct.
Baptistam de Ferrariis, q. Galeotti,
Lucam de Fornariis, Jur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciscum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium.

Et hi sunt numero centum.

Seligimus insuper centum & viginti Patres, viros omni virtutum genere cumulatos, & publicæ quietis studiosos. Horum nomina in urnam seu capsulam, modo & forma a Nobis descripta, conjici mandamus; ut primo quoque tempore sorte educti Reipublicæ serviant, juxta Legum nostrarum formam.

Horum autem nomina sunt hæc, videlicet Magnificos Dominos.

Augustinum Salvaigum, q. Ambrosii.
Joannem Salvaigum, q. Benedicti.
Bartholomæum Salvaigum, q. Benedicti.
Lucam Justinianum, q. Vincentii.
Petrum Josephum Justinianum.
Franciscum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium, q. Alexandri.
Petrum Baptistam Cattaneum.
Franciscum Fliscum D. Hectoris.
Bendinellum Saulium, q. Sebastiani.
Laurentium Saulium, D. Octaviani.
Stephanum Cigalam.
Joannem Augustinum Justinianum.
Joannem Paulum Justinianum.
Cattaneum Marinum.
Augustinum Marinum.
Hieronymum de Franchis, q. Christophori.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Petri Baptistæ,
Jacobum Lercarium, q. Francisci.
Franciscum Lercarium, q. Nicolai.
Ambrosium de Nigro.
Franciscum de Nigro, q. Bonifacii.
Balianum de Fornariis.
Vincentium de Fornariis, q. Jo. Baptistæ.
Nicolaum de Auria, q. Reverendissimi.
Nicolaum de Auria, q. Mag. Jacobi.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Christophorum de Fornariis.
Lucam de Fornariis, jur. Doct.
Nicolaum de Auria, q. Jacobi, q. Petri.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Paulum Adurnum, q. Baldasaris.
Michaëlem Adurnum.
Augustinum de Auria, q. Mag. Jacobi.
Vincentium Adurnum, q. Juliani.
Paulum Baptistam Interianum.
Jacobum Senestrarium.
Jacobum Vivaldum, q. Baptistæ.
Dominicum Grillum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Bendinellum Nigronum.
Vincentium Zoalium.
Stephanum Pinellum.
Raphaëlem Odonum.
Joannem Odonum, q. Joannis.
Jo. Baptistam Grimaldum, q. Rmi.
Bartholomæum Ritium, q. Stephani.
Antonium Grimaldum Cebam.
Augustinum Grimaldum, q. Jo. Baptistæ.
Gasparem Olivam.
Lucam Grimaldum, q. Rmi.
Nicolaum Paxerium.
David Vaccarium, Jur. Doct.
Andream Picchenotum.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani, Jur. Doct.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptistam Garbarinum.
Augustinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Jo. Baptistam Spinulam, q. Antonii.
Jofredum Spinulam.
Danielem Spinulam.
Franciscum Zoalium.
Baptistam de Turri, q. Leonardi.
Petrum Benigassium.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptistam Gentilem, q. Jacobi.
Ambrosium Bondinarium.
Joannem Marrussum.
Bartholomæum Lazaniam.
Nicolaum Gentilem, q. Ambrosii.
Baptistam Bavam.
Franciscum Pallavicinum, q. Babilani.
Thobiam Pallavicinum.
Franciscum Taliacarne, Jur. Doct.
Nicolaum Pallavicinum.
Antonium Inuream.
Jo. Baptistam Ragium.
Baptistam Buronum.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Federicum Centurionum, q. Jacobi.
Christophorum Centurionum.
Andream Centurionum D. Benedicti.
Franciscum Inuream.
Silvestrum Inuream.
Baptistam Monsiam.
Silvestrum Passalium.
Franciscum Lumellinum, q. Baptistæ.
Joannem Lumellinum, q. Antonii.
Antonium Sophiam.

Paulum

Paulum Vincentium Lumellinum.
Hieronymum Lumellinum, q. Augustini.
Marcum Rubeum D. Alexandri.
Vincentium Duratium.
Hieronymum Clavarum, q. Lucæ.
Benedictum Canevarium.
Augustinum Lumellinum.
Marcum Moronum, Jur. Doctorem.
Gregorium de Turri.
Jacobum de Salvo, q. Pelegri.
Nicolaum Serram, D. Pauli.
Baptistam Camillam.
Silvestrum Ususmaris.
Stephanum de Mari.
Alexandrum Imperialem, q. Augustini.
Benedictum Pernicem.
Ambrosium Carmagnolam.
Nicolaum Piccamilium.
Michaëlem Portam.
Joannem Griffum.
Julianum Marosellum.
Jo. Baptistam Cesterium.
Franciscum Montebrunum.
Stephanum Squarciaficum, q. Hilarii.
Jacobum Moneliam, q. Benedicti.
Vincentium Costam.
Clementem de Ruere.
Bernardum de Sopranis.

Hi sunt numero centum viginti.

Hos autem & quoscunque alios Magistratus per Nos electos volumus Reipublicæ subjectos esse, eique parere debere; servata tamen forma constitutionum nostrarum, & non aliter.

Omisimus autem nonnullos in hac nostra electione ex proposito æque bonos, aptos, & in Rempublicam propenso animo, ac sunt jam per Nos nuncupati, ut electis cedentibus, hi quoque possint Reipublicæ inservire.

Eligimus insuper infrascriptos Jureconsultos, quorum virtus, probitas & literarum scientia Nobis probata & perspecta est; qui triennio hoc proximo Rotæ criminalis, & Advocati fiscalis munus obibunt; cum honoribus, auctoritate, salariis, & præeminentiis a Nobis eisdem, & Successoribus suis assignatis. Horum primus (cum secundum ætatis gradum descripti sint) primo anno Prætor erit, mox alii suo ordine cursum Præturæ implebunt.

Hi sunt Magnifici Jureconsulti.

Petrus Antonius Vice-Dominus.
Blasius de Losso & Hieronymus de Gerardis.

Pro-Advocato fiscali.

Magnificus Paulus Albutius.

De restitutione spoliatorum.

CAPUT LIX.

NOn ignoramus, in hisce bellicis tumultibus, qui in hac Republica exarserunt, multas hinc & inde intercessisse, jure quodam belli, aut potius injuria, direptiones, depopulationes & deprædationes, quæ subditis ac aliis non levia incommoda attulerunt. Ut igitur, quantum fieri potest, ab animis hominum flebilis hæc memoria successuum funestorum deleatur; Volumus, omnia hinc & inde occupata, direpta aut deprædata, tam in Dominio, quam extra, tam in mari, quam in terra, & ubique locorum, tam subditis, quam aliis omnino, & cessante prorsus omni exceptione, restitui debere. Hujus vero Decreti & Legis executionem demandamus Prætori, qui sine strepitu & figura judicii, solaque facti veritate inspecta, provideat, ut statim remotaque omni appellatione, spoliatis ablata restituantur.

Declaratio conservationis libertatis,

CAPUT LX.

INsuper ad majorem potius Reipublicæ securitatem, quam quod necessarium existimemus, declaramus mentis nostræ, Principumve nostrorum non fuisse, nec esse, quod per harum Legum conditionem, aut quamcumque Magistratuum electionem, aut alia quæcunque, quæ per nos facta sint, aliquod censeatur, nec sit illatum præjudicium libertati Reipublicæ Genuensis; nec quod ea in controversiam deducta sit, quam Principes nostri omnino illibatam atque intactam & conservatam esse volunt.

Abrogatio omnium Legum, quæ præsentibus contrariantur, & innovatio aliarum.

CAPUT LXI.

CUm opportune providerimus tum Magistratuum electionibus, tum etiam nonnullis abusibus, qui imperfectam admodum Reipublicæ institutionem reddebant, censuimus necessarium, tollere omnia impedimenta, quæ harum Legum plenam & integram executionem aut impedire aut offuscare potuissent. Quare præsentium tenore Leges omnes antiquas, decreta, statuta, aut consuetudines etiam immemorabiles, quæ præsentibus nostris aliquo modo contrariantur, etiam quod de eis specialis & individua mentio fienda esset, abrogamus, annullamus & irritamus: his, quæ non contrariantur, sive Reipublicæ administrationem, sive justitiam civilem respiciant, sive conventiones cum finitimis quibuscumque initas, & hucusque observatas, concernunt, innovatis ac confirmatis.

ERECTIO ROTÆ CRIMINALIS.

CAPUT I.

CUm nihil magis necessarium sit pro conservanda quiete in Republica, quam justitiam fovere, & eam illa qua decet autoritate, omnibus æqua lance administrare: Proinde sancimus, in urbe Genuæ erigendum esse tribunal trium Jureconsultorum exterorum; qui judicio, auctoritate, integritate, & rerum experientia polleant, quique nulla cum civibus Genuensibus affinitate conjuncti sint, tribunalque hoc Rotæ criminalis nomine appellari debere.

De electione Rotæ criminalis & fiscalis.

CAPUT II.

EOs, qui administrandæ justitiæ præficiendi sunt, convenit & integritate vitæ & morum honestate, & literarum scientia cæteris omnibus præcellere. Quare ubi de eligendis Rotæ auditoribus agendum erit, curabit Illustrissima Dominatio, ut super vita, moribus, doctrina, & peritia non modo eorum, qui ad id muneris adspirant, verum eorum

enim

etiam quos, uti idoneos proponi continget, secretæ informationes per duos ex Magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis assumantur; quibus omnibus fideliter coram Senatu, Procuratoribus, & Consilio minori relatis, nomina eorum, qui majorem partem suffragiorum retulerint, in urnam ab Illustrissimo Duce custodiendam, conjici mandamus; ut suo tempore Rotæ auditores ex ea sorte, eliciantur, ejectis his, qui interim mortui fuerint. Quod ita tempestive fieri volumus, ut sorte educendi per trimestre, antequam ad munus accedant, præmoneantur. Idem servari volumus in electione Advocati fiscalis.

Distinctio officiorum Rotæ, & electio Prætoris.

CAPUT III.

EX hoc Magistratu, qui triennium non excedet, singulo anno unus, inchoando a seniore, & post eum sequentes, secundum ætatis gradum, in Prætorem electi intelligantur, anno tantum hoc munere functuri; ita ut finito triennio, singuli hoc munere anno fruentur. Præeritque Prætor aliis Rotæ auditoribus durante officio, aliisque honoribus, commodis, & præeminentiis, quæ huic muneri adjectæ sunt, perfruetur.

De salario Prætoris & auditorum Rotæ.

CAPUT IV.

SAlarium hisce auditoribus Rotæ criminalis persolvatur sexcentorum aureorum annuorum, in singulo trimestri pro rata erogandum ex ærario publico, & hoc ultra habitationem emolumenta, regalias immunitates, exemptiones præstari solitas, & consuetas. Cum vero munere Prætoris fungentur, ultra sexcentos scutos aureos, (ut dignitatem officii sui tueri decentius possint) alios ducentos aureos, pro eo anno tantum habeant.

De justitia fideliter administranda.

CAPUT V.

CUm autem maxime conveniens sit, ut qui alios auctoritate sua in officio & fide continet & coërcet, ipse aliis præstantior sit; sciant Prætor & auditores sibi maxime cavendum, ne immundas habeant manus, sed suis stipendiis, & legitimis honorariis contenti sint. Ad hæc se æquales & justos omnibus præbeant, nullam penitus personarum aceptionem habeant: sed omnibus, & contra omnes æqua lance justitiam administrent. Quod si secus factum fuerit, ultra quod DEum optimum maximum occultorum scelerum gravissimum ultorem & vindicem experientur, severe etiam in syndicatu rationem reddent, in quo nulla habebitur ratio, quod aut metus reverentialis, aut majorum jussiones intervenerint, aut impedimento fuerint.

De officio & salario Fiscalis.

CAPUT VI.

AStistat Rotæ criminali Fiscalis unus Jureconsultus, quem & exterum & versatum in causis criminalibus esse decet, & nulli civi Genuen. affinitate conjunctum, ut libere & sincere munus suum obire valeat; habeatque pro salario annuo scuta auri trecenta in singulos quatuor menses ex ærario publico eroganda, ultra habitationem & alia commoda, præeminentias, & immunitates, per suos antecessores percipi solitas & consuetas. Durabit ejus munus triennio, eligetur ac syndicabitur non aliter ac Rotæ criminalis auditores. Sciatque nihil magis muneri suo convenire, quam processum, & causarum celerem expeditionem instare, omnique studio & diligentia curare, ut rei debitas delictorum pœnas luant. Advertet insuper & invigilabit, ne fiscus in multis, & condemnationibus pecuniariis, aut bonorum confiscationibus, quæ indies fiunt per Magistratus, damnum, aut illusionem patiatur.

De Militibus, sive Allabarderiis Prætoris.

CAPUT VII.

DEcet eos, qui administrandæ justitiæ præsunt, non modo auctoritate pollere, verum etiam, pro ea adversus temerariorum impetus & ausus tuenda ac conservanda, viribus præstare. Proinde habebit Prætor sex Germanos Milites, Allabarderios nuncupatos, Illustrissimæ Dominationis impensis & auctoritate ei subministrandos, qui & domi suæ pro foribus resideant, & eum egredientem continuo publice & reverenter comitentur. Mandabit insuper Illustrissima Dominatio præfecto cohortis Prætorianæ, ut pro defensione, & fortiori auctoritate justitiæ, subministret Prætori eam militum manum, quam ipse postulaverit, usque ad centum & ultra; si ita Illustrissimæ Dominationi expedire videbitur.

De electione & salario Baricelli, & satellitum.

CAPUT VIII.

ELiget sibi Prætor Baricellum unum practicum, & virilem, cum octoginta strenuis satellitibus, qui ei præsto sint, ejusque jussa diligenter & fideliter observent & exequantur, nulla prorsus habita personarum acceptione. Huic Illustrissima Dominatio scuta quindecim, illis vero scuta tria auri in singulos menses ex publico ærario erogari mandabit: ultra regalias, & emolumenta per eos legitime percipi solita & consueta. Caveat autem Prætor, ne aliquid muneris aut præmii, etiam sponte oblati, capiat a Baricello per eum eligendo, occasione hujusmodi electionis.

De juramento per prætorem exigendo a Notariis Rotæ criminalis.

CAPUT IX.

EXiget Prætor a Notariis maleficiorum in principio muneris sui juramentum de dolo non committendo, ac fideliter & legaliter exercendo munere, & quod nemini prorsus, nec prece, nec pretio, nec amicorum, Principumve rogationibus aut jussis commoti, secreta processuum pandent, nec pandi permittent, ante eorum publicationem sub pœna perjurii, falsi & infamiæ, & ulterius sub pœna pecuniaria, arbitrio Prætoris imponenda, & fisco applicanda.

Quod Notarii & alii Officiales Rotæ non excedant taxas suarum mercedum.

CAPUT X.

CUrabit omni studio & diligentia Prætor, ut tam Notarii & Scribæ, quam nuntii, & cursores, Baricelli, satellites, custodes carcerum, & omnes alii

alii in dicto Magistratu servientes taxas mercedum, ex ordinibus unicuique eorum præfixas, observent, neque aliquo pacto directe aut indirecte excedant: Quod si contingat, aliquos palam, vel secreto a clientulis, aut aliis eorum nominibus plus debito extorquere, aut indirecte expeditiones differendo, vel moras ponendo in sui muneris expletione ita concutere litigatores, ut tædio affecti majorem, quam par sit, mercedem solvere cogantur: eos pro prima vice in quadruplum ejus, quod sibi per statuta debetur, quoties deliquerint, mulctet. In futurum vero ita severe & graviter plectat, juxta facti qualitatem, ut cæteris sint exemplo. Advertet insuper & providebit, ne aliquid penitus a pauperibus, aut a miserabilibus personis accipiant: sed Notarii omnia acta & scripturas gratis conficiant, & expleant. Alii vero munera sua, nulla penitus petita, nec expectata mercede exequantur, sed a DEO optimo maximo hujus pii laboris cumulatam expectant.

De Denuntiatoribus delictorum.

CAPUT XI.

EXpedit maxime, pro justitia recte & diligenter administranda, adesse in civitate Denuntiatores criminum. Ideo sancitum est in unaquaque parochia per vicinos singulo triennio eligi debere duos Officiales, qui teneantur omnia delicta, quæ in sua parochia committi continget ea, quæ diurno tempore, saltem in die immediate sequenti, quæ vero noctu, saltem intra biduum Prætori denuntiare, exprimendo delicti tempus, locum, delinquentes, offensi nomen & cognomen, & testium, qui adfuerint, vel sciverint, aliasque circumstantias omnes, quas de his acceperint. Qui omiserit, vel minus fideliter denuntiaverit, subeat pœnam ducatorum decem auri, & ultra, arbitrio Prætoris, pro modo culpæ & negligentiæ, nisi causam attulerit, quare arbitratu Prætoris jure veniat excusandus. Non excusentur tamen ex hoc Medici & Chirurgi, quin teneantur juxta Statuti tertii dispositionem lib. primo Criminalium omnes saucios, seu percussos, quibus medebuntur, apud acta D. Prætoris deferre.

De auctoritate & jurisdictione Rotæ criminalis.

CAPUT XII.

APud hoc tribunal resideat omnis auctoritas & jurisdictio causarum criminalium respectu eorum delictorum, quæ in civitate, & tribus curiis Bisamniensi, Pociferana, & Vulturensi committentur, tam in procedendo, quam in decidendo. Verum respectu eorum delictorum, quæ in universo Dominio comprehensa, etiam provincia Corsicæ, fieri continget, singuli Provinciarum, & locorum Prætores, & Jus dicentes (demptis tamen locis exemptis & separatis, si quæ sunt) processus legitime instruent & decident. Et ubi agatur de crimine, quod habeat pœnam mortis naturalis, mutilationis membri, & triremium etiam temporalium, non prius manum ad decisionem causæ admovebunt, quam Rotæ fideliter & ad amussim statum causæ & processus, cum eorum voto retulerint, ac responsum decisivum habuerint, quod ad unguem servari & exequi teneantur.

De modo procedendi per Prætorem & Rotam in delictis.

CAPUT XIII.

PRocedet Prætor Genuæ in omnibus delictis, non modo ad partis instantiam, sive accusationem, verum etiam ex officio, & non solum per capturam, & inquisitionem, sed etiam præceptis pœnalibus: ubi ita aliis Rotæ auditoribus convenire videatur, juxta juris & statutorum formam. Et ubi de crimine publico agi contingat, parte etiam non instante, teneatur ex officio procedere, ac omni studio & diligentia veritatem criminis inquirere, cogendo etiam testes de delicto informatos omnibus juris remediis, etiam per quæstiones & tormenta, ad veritatem dicendam; & pro modo culpæ, & juxta statutorum & Legum sanctiones reos punire.

Quod jurisdictio Rotæ non possit per aliquem impediri.

CAPUT XIV.

NEmo possit cognitionem & jurisdictionem D. Prætoris & auditorum Rotæ cumulative, aut privative impedire, nec causarum, & processuum criminalium cursum, nec earum decisionem retardare, minimeve suspendere; sublatis etiam Statutis & Decretis incipientibus. Liceat præterea prædictis Procuratoribus & Incipientibus. Item declaraverunt ad abundantem potius cautelam, quæ Magnificis Procuratoribus & Illustrissimæ Dominationi notionem criminalem hactenus dederunt; cæterisque Legibus aut Statutis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Curabit tamen Illustrissima Dominatio, ut Prætor, & auditores Rotæ justitiam fideliter, & viriliter exerceant. Excipitur tamen casus criminis læsæ Majestatis, & seditionis, in quibus Illustrissima Dominatio, quæ ex his criminibus de facili labefactari posset, unum, vel duos Gubernatores vel Procuratores deputare valebit, qui causis hujusmodi cum Prætore & Rota simpliciter assistent, & curabunt, ut hujusmodi processus, ea, qua decet in tam gravibus delictis, diligentia perficiantur, & pro justitia a Prætore & Rota expediantur. Adjungendo etiam, ubi ita eis conveniens videatur, duos ex Rotæ civilis auditoribus.

De reis temere in carceribus non retinendis.

CAPUT XV.

NImis durum visum fuit eos, qui in carceres truduntur, relaxari non posse, nisi causa, propter quam detenti fuerint, non modo cognita, sed etiam decisa sit. Ideo rigorem Statuti XXVI. lib. 1. Criminalium temperare volentes, sancimus id remittendum esse arbitrio D. Prætoris, & auditorum Rotæ, qui secundum qualitatem facti, & personarum, nec non & indiciorum, quibus unusquisque detentus gravabitur, quod justum & conveniens eis visum fuerit, statuent.

Quod in sententiis per Rotam ferendis duo vota sufficiant.

CAPUT XVI.

CUm voto aliorum auditorum Rotæ criminalis, Prætor causas expediat, duorumque vota, reluctante

stante etiam Prætore, vim habeant sententiæ, tam in definitivis, quam interlocutoriis.

De appellationibus rejiciendis, & sententiarum executione.

CAPUT XVII.

A Sententiis, per Prætorem & Rotam ferendis, sive definitivæ sint, sive interlocutoriæ, nec non a sententiis per Prætores & Magistratus universi Dominii Genuensis, in causis criminalibus de voto Rotæ ferendis, non liceat cuiquam provocare, appellare, nec de nullitate dicere, sed ipse prout latæ fuerint, executioni mittantur. Verum ubi agatur de pœna mortis, aut mutilationis membri, si in civitate & districtu agatur, per triduum; si in Insula Corsicæ, per dies viginti; si vero in aliis civitatibus & terris Dominii, per quindecim dies ab executione supersedeatur.

De literis Principis ad novas defensiones.

CAPUT XVIII.

USu sæpe compertum est, multos ob paupertatem, nonnullos vero inimicorum suorum malignitatem, aut etiam judicum injuriam timentes, cum in judicium vocati essent, etiam quod innocentes forent, non fuisse ausos in judicio comparere, maluisseque sententiam in contumaciam pati, quam evidens vitæ periculum subire. Horum indemnitati consulentes, sancimus, hosce in contumaciam bannitos aut condemnatos admitti posse ab Illustrissima Dominatione ad novas defensiones, modo literæ petantur intra biennium; eoque casu habenda erit relatio a magnifico Prætore, & intelligendum, utrum ex præsumptionibus, & indiciis tantum, an vero ex legitimis probationibus damnati sint; quo casu nullo modo concedantur. Qui hujusmodi literas impetraverint, teneantur intra decem dies immediate secuturos, se in carceribus publicis personaliter constituere, alias literæ sibi non suffragentur. Sciantque sibi onus incumbere docendi de innocentia sua, absque eo, quod fiscus aliquid probet. Quod si intra annum se constituerint, & innocentiam suam demonstraverint, non modo a pœna capitali, verum etiam a multa pecuniaria, & bonorum confiscatione liberari valebunt, si post annum, eo casu a pœna corporali & capitali tantum liberari possint.

De Syndicatoribus Rotæ criminalis, & instantia Syndicatus.

CAPUT XIX.

FInito officio, statim sorte eligantur per Illustrissimam Dominationem unus ex supremis Syndicatoribus, duo de minori Consilio, unus Rotæ civilis auditor, & unus de Collegio Doctorum, & qui omnes, vel eorum filii lites non habuerint coram syndicandis, qui Prætorem & Auditores, Fiscalem, Notarios, Baricellum, & familiam syndicent, querelas audiant, processus instruant, libros criminales revolvant, diligenterque advertant, num aliquid dolo, injuste, supinave negligentia actum sit, quod jura fisci, aut tertii offendat, & omnibus perfectis justitiam faciant: Instantiaque Syndicatus quadraginta dies non excedat.

Quod officium auditorum Rotæ criminalis triennale sit.

CAPUT XX.

QUi per triennium hoc Magistratu Rotæ perfunctus fuerit, non possit confirmari, vel prorogari, nec ad idem officium assumi, nisi lapso triennio integro a die functionis sui muneris.

De Protectoribus pauperum carceratorum.

CAPUT XXI.

MAxime refert pauperum & miserabilium personarum, qui omnium ope destituti, aut in carceribus marcescunt, aut a potentioribus oppressi injuste, & longius fortasse, quam par sit, detinentur, & quandoque etiam injustas pœnas subeunt, rationem habere. Proinde officium, quod Protectorum carcerum appellatur, a Nobis erigendum esse censuimus. Constabit hic ordo ex duobus civibus Christiana pietate insignibus, quos Illustrissimus Dux & Gubernatores eligent; ex duobus item Jureconsultis, quos Collegium singulo biennio nuncupabit; duobus item causidicis, quos eorum ordo peritiores singulis duobus annis huic muneri deputabit. Hi postquam electi erunt, nulla admissa excusatione, onus impositum subibunt, carceres adibunt, notulam carceratorum, qui propter paupertatem defensore indigent, habere curabunt, titulum & causam eorum detentiones a Notariis, vel a Prætore, aut aliis judicibus intelligent, convenient in domo senioris Jureconsulti, aut ubi eis opportunius videbitur, de defensione eorum diligenter & accurate tractabunt, munera inter se partientur. Doctores & causidici in videndis processibus, parandis legitimis defensionibus, disputandis causis incumbent. Cives vero frequentiores erunt in Prætorio, carceratos sæpe invisent, & intelligant, utrum in aliquo a custodibus carcerum, vel ab eo, qui alimenta subministrat, graventur, & ubi opus fuerit, omni studio curabunt, ut ab offensis opportune eis fiant remissiones. Protectoribus (cum opus adeo pium exerceant) Prætor & auditores tam civiles, quam criminales, facilem aditum benignasque aures præbebunt. Notarii processus (si publicati fuerint) prompte exhibebunt videndos, & explebunt gratis acta, & eorum defensiones eadem pietate gratis recipient, cumulatam mercedem a DEO expectaturi. Horum officium bienuale erit; sciant tamen lapso biennio, astrictos etiam fore pro hoc munere, ut successores suos diligenter instruant. Doctoribus Illustrissima Dominatio scuta quinquaginta pro singulo: Causidicis vero viginti quinque erogari mandabit, ut operam suam pauperibus gratis præstent.

De visitatione carceratorum.

CAPUT XXII.

HOrtamur insuper Illustrissimam Dominationem, quam huic pietati Christianæ addictam esse confidimus, ut semel in mense per duos ex magnificis Gubernatoribus vel Procuratoribus carceres visitari curet, pauperum, & miserabilium carceratorum causas intelligat, indeque provideat, ut celeriter & favorabiliter, & prout opportunum esse judicaverit, expediantur.

De abrogatione Statutorum, quæ libertati matrimonii, & immunitati ecclesiasticæ adversantur.

CAPUT XXIII.

MAxime nefarium existimantes, matrimonii libertatem vel violare, vel aliquo modo impedire; Censemus statuta in lib. Crimin. 2. cap. 7. & 93. quæ libertati matrimoniorum non leviter adversantur, abolenda & irritanda esse, prout per præsentem sanctionem abolemus & irritamus. Eadem auctoritate statutum lib. 2. Crimin. cap. 71. si quis autem sacris initiatus, tamquam immunitati, & libertati ecclesiasticæ, ac sacris Canonibus contrarium tollimus & abrogamus.

De abrogatione Legum, & statutorum, quæ præmissis Legibus adversantur, & de innovatione aliarum non obstant.

CAPUT. XXIV.

ALias vero Leges statuta & decreta criminalia civitatis Genuen. uti & rationi & juri consentanea, innovamus, eorumque executionem D. Prætori & Rotæ sedulo injungimus: his quæ præsentibus nostris constitutionibus, aut alicui earum aliquo modo adversantur, abolitis & antiquatis.

Quæ superius descriptæ sunt Leges, Statuta, Decreta, Ordinationes, atque Electiones, & paullo ante publice recitatæ fuerunt, eas, & ea Nos Joannes Cardinalis Moronus, sacri Collegii Prior, sanctæque Sedis Apostolicæ de latere Legatus, Petrus Faunus Costachiarius, Sacri Imperii Comes, & Princeps, Episcopus Aquensis, Cæsareusque Orator & Commissarius; Don Carolus a Borgia, Gandiæ Dux, & Don Joannes de Idiaquez, sacræ Catholicæ Majestatis Consiliarius, & ejusdem Orator apud Genuenses, ambo ministri catholici Regis, DEO optimo maximo annuente, concordibus votis, & nemine nostrum penitus discrepante, facta prius per Nos & quemlibet nostrum Principibus nostris plena & integra omnium relatione, & de eorum omnium communi, ac penitus concordi voto & mandato, pro reformatione Genuensis Reipublicæ, ac ejusdem bono, justo, quieto, & pacifico statu condidimus ac compilavimus. Et in fidem præmissorum manu propria subscripsimus, & nostris sigillis sigillati, & a Secretariis nostris subscribi jussimus. Dat. Casali Montisferrati die Sabbati, decima Martii, anno a partu Virginis MDLXXVI.

Johannes, Episcopus Ostien. Cardinalis Moronus Legatus a Latere &c.

Petrus Faunus Costachiarius, Episcopus Aquensis, Orator, & Commissarius Cæsaræus &c.

Don Carolus a Borgia, Gandiæ Dux &c.

Et Don Joannes Idiaquez, Orator, Ministri Catholici &c.

Condidimus Legem, in qua decrevimus, officia Scribarum, qui a Secretis sunt, Illustrissimæ Dominationis, in futurum singulis lustris conferenda esse per duo Collegia & Consilium minus. Verum voluimus, hos, qui nunc Reipublicæ serviunt, in munere suo per quinquennium perseverare debere: si ita hi, qui eligendi eos jus habent, arbitrati fuerint, sed inde dubitatum fuit, quod statim, acceptatis Legibus, nec accedente consensu & duorum Collegiorum & Consilii minoris extincta esset horum facultas, id quod Nos existimavimus indubitatum esse, cum nullo verbo, aut sensu Legis caveatur, quod hi debeant a munere vacare præsenti tempore, quinimo decreta sit certa & expressa continuatio & perseverantia officii usque ad quinquennium; nec eligere debentibus reservata sit alia facultas, quam arbitrandi, an perseverantia hæc debeat usque ad quinquennium currere, an minori tempore. Verum ad majorem declarationem & ad tollendas etiam superfluas dubitationes, edicimus, mentis nostræ non fuisse, quod horum, qui nunc serviunt, munus extinctum esset, nisi & duo Collegia & Consilium minus contrarium fuerint arbitrati. Verum id voluisse, præsentes Scribas in suo munere perseverare debere usque ad quinquennium, ubi ab Illustrissima Dominatione habeant literas confirmatorias, quas singulis annis impetrandas esse duximus, nisi & duo Collegia & Consilium minus quinquennalem hanc continuationem auctoritate sua præciderint. Verumtamen hoc præsenti anno literas confirmatorias minus necessarias esse censemus, sed munus Scribarum sine aliqua difficultate durare, & ita observari debere volumus. In quorum fidem &c.

Datum Casali Montisferrati die 18. Martii MDLXXVI.

Joannes Cardinalis Moronus, Legatus Apostolicus &c.

Petrus Faunus Costachiarius, Episcopus Aquensis, Orator & Commissarius Cæsareus.

Don Carolus Borgia, Gandiæ Dux.

Et Don Joannes Idiaquez, Orator Ministri Catholici &c.

Dedimus formam in Legibus nostris, qua officiales, & Magistratus in Republica Genuensi in futurum eligi debeant, & omnium qualitates, quas in eligendorum personis desideravimus, suis in locis descripsimus, & officiorum, quæ alias per duo Collegia, aliosque viginti octo conferebantur: nonnullis exceptis, eisdem duobus Collegiis, una cum minori Consilio eligendi in futurum facultatem dedimus & contulimus. Verum quia de infrascriptorum officiorum & Magistratuum electione distinctam mentionem non fecimus, cum hujusmodi Magistratus & officia in Civitate Genuæ exerceantur, & magnam auctoritatem atque jurisdictionem administrent; Nos, ne deinceps dubium aliquod oriri possit, hac nostra præsenti Lege decernimus & sancimus, electionem officiorum & Magistratuum Extraordinariorum, Corsicæ, in Civitate Genuæ, Terræ firmæ, Patrum communis, Annonæ, Censorum sive Magistralium, & Monetæ de cætero ad duo Collegia & Consilium minus pertinere, cum eisdem suffragiis, modis, & formis, quas in aliis similibus eligendis præscripsimus & desideravimus: Non obstantibus quibuscumque Legibus, Statutis, decretis, ordinationibus, vel consuetudine etiam immemorabili in contrarium facientibus, quibus omnibus expresse derogamus. Et nihilominus cætera per nos in Legibus nostris sancita & præsertim circa præmissa, inviolata & intacta esse, & remanere decernimus, sancimus & censemus. In quorum fidem &c.

Dat. Casali Montisferrati, die XIX. Martii Anni MDLXXVI.

XXVII.

XXVII.

Rudolphi II. Romanor. Imperat. Privilegii a Maximiliano I. Roman. Imperatore, Cameræ atque Civitati Imperiali Genuensi, die 4. April. Anno 1513. indulti, & a Carolo V. die 15. Junii, An. 1529. a Maximiliano II. autem die 9. April. An. 1565. corroborati Confirmatio, quæ die 7. April. An. 1577. contigit.

RUdolphus Secundus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ Wirtembergiæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Illustris Magnifici, Nobiles, Spectabiles Nostri & Imperii Sacri fideles Dilecti, N. Dux, & Magistratus Cameræ & Civitatis nostræ Imperialis Genuæ, per Oratorem suum, Nostrum & Imperii Sacri fidelem dilectum, Philippum Passanum, humillime supplicaverint, ut Privilegia quædam ipsi Civitati & Reipublicæ Genuensium a divis quondam prædecessoribus nostris Maximiliano I. Abavo, Carolo V. Avo & Maximiliano Secundo, Domino Genitore nostro colendissimo Augustæ Memoriæ, aliisque antecessoribus nostris concessa atque confirmata, ipsi quoque, posteaquam Divina benignitate ad hoc sublimeme Imperii Culmen evecti sumus, benigne confirmare ratificare, & corroborare dignaremur. Quorum quidem Privilegiorum concessionum & confirmationum tenor sequitur, & est talis:

Inseratur Confirmatio Imp. Maximil. II. d. 9. April. An. 1565

Nos sane benigna ratione habita plurimorum & præclarissimorum obsequiorum & officiorum, quæ dicta nostra Camera & Civitas Imperialis Genua, ac Respublica ipsa Genuensis divæ memoriæ prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, Nobisque ipsis ac Sacro Romano Imperio quoquo tempore, summo studio, constantia, & animorum ardore atque integritate exhibuit, & quæ in futurum etiam Nobis ab ea expectanda videntur; Volentes, ut par est, hujusmodi egregiis officiis ac meritis mutua gratia una respondere, ex certa nostra scientia animoque bene deliberato, sano accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, præinserta Privilegia & confirmationes, omniaque & singula in eis contenta, in quorum quidem possessione vel quasi ipsa Respublica Genuensis existit, tenore præsentium confirmamus, laudamus & approbamus; Decernentes, atque hoc nostro Cæsareo edicto firmiter statuentes, quod ipsa Respublica possit & debeat uti, frui, potiri ac gaudere omnibus & singulis Privilegiis, gratiis & concessionibus, in ipsis literis sibi concessis, omni impedimento & contradictione postposita nostris tamen & Sacri Imperii juribus semper salvis & illæsis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, laudationis, authoritatis & decreti paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam centum marcharum auri puri, pro medietate fisco nostro Cæsareo, pro reliqua vero parte ipsius Reipubl. Genuensis usibus applicandam se noverit irremissibiliter incursurum; harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die septima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici vero secundo.

XXIIX.

Matthiæ, Romanor. Imperatoris, Privilegii a Maximiliano I. Roman. Imperatore, Cameræ & Civitati Imperiali Genuensi, die 4. April. An. 1513. concessi, atque ab Imperatoribus Carolo V. nimirum die 15. Junii An. 1529. a Maximiliano II. autem die 9. April An. 1565. & denique Rudolpho II. die 7. April. An. 1577. approbati, Confirmatio, quæ die 21. Januar. Anno 1613. effectui data est.

MAtthias, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Luxenburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Illustrissimus, Magnifici, Nobiles, spectabiles nostri & Sacri Imperii fideles Dilecti, N. Dux & Magistratus Cameræ nostræ Imperialis Genuæ per oratorem suum Magnificum, Nostrum & Imperii Sacri fidelem dilectum, Jacobum Salutium, humillime supplicaverint, ut Privilegium quoddam super Pontico, seu Ligustico, & Januense mari, & a monte Argentario, Marsiliam usque salis deducendi ipsi civitati, & Reipublicæ Genuensium ab Augustæ memoriæ Imperatore Maximiliano primo, Abavo nostro Colendissimo, die quarta mensis Aprilis, Anno millesimo, quingentesimo decimo tertio concessum & postmodum a divis quondam Imperatoribus Carolo V. avo materno

materno, Maximiliano secundo, Domino Genitore, & Rudolpho itidem secundo, Domino fratre & Prædecessoribus nostris felicissimæ recordationis, una cum aliis privilegiis successive confirmatum. Hos ipsi quoque, postea quam benignitate ad hoc sublime Imperii culmen evecti simus, ex benignitatis nostræ clementia separatim confirmare, ratificare & corroborare dignaremur: Cujus quidem privilegii, concessionis & confirmationis tenor sequitur, & est talis:

Inseratur Confirmatio Rudolphi II. Rom. Imperatoris, d. d. 1. April. Anno 1577.

Nos sane benigna ratione habita plurimorum & præclarissimorum obsequiorum & officiorum, quæ dicta nostra Camera & Civitas Imperialis Genua ac Respublica ipsa Genuensis, divæ memoriæ Prædecessoribus nostris, Romanorum Regibus & Imperatoribus Nobisque ipsis, ac Sacro Romano Imperio quoquo tempore summo studio, constantia & animorum ardore atque integritate exhibuit, & quæ in futurum etiam Nobis ab ea expectanda videntur, volentes, ut par est hujusmodi egregiis officiis & meritis mutua gratia nostra respondere, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, præinsertum Domini Maximiliani I. privilegium una cum iis, quæ subsequutæ sunt, confirmationibus, omniaque & singula in eo contenta, in quorum quidem possessione vel quasi ipsa Respublica Genuensis existat, tenore præsentium confirmamus, laudamus & approbamus; Decernentes, & hoc edicto nostro Cæsareo firmiter statuentes, quod ipsa Respublica possit & debeat uti, frui, potiri & gaudere omnibus & singulis privilegiis, gratiis & concessionibus, vigore supradictarum literarum sibi concessis, omni impedimento & contradictione cessantibus, nostris tamen & Sacri Imperii juribus semper salvis & illæsis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, laudationis, auctoritatis & decreti paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam centum marcharum auri puri, pro medietate Fisco nostro Cæsareo, reliqua vero parte ipsius Reipublicæ Genuensis usibus applicandam se noverit, omni spe veniæ sublata, incursurum; Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna, die vicesima prima mensis Januarii, Anno Domini millesimo, sexcentesimo decimo tertio, Regnorum nostrorum Romani primo, Hungarici quinto, Bohemici vero secundo.

MATTHIAS.

Vice Reverend. Domini Joannis Burchardi, Archi-Cancellarii Moguntini.

Vt. S. Lud. ab Ulm.

Ad Mandatum Sac. Cæsareæ Majestatis proprium

Jo. Burman.

Concordat cum Registratura Imp. latina, quod attestor, collatione facta, Vienn. 27. Jul. 1621.

Herm. Custenbergh.

Extractum est in omnibus, ut supra ex libro V. Jurium Ser. Reipubl. Genuens. in quo Cap. 73. registratum est, ut supra, ex originali, quod attestatur

Zacharias Vadomur, Land. præfect. Ser. Reip. Secret.

XXIX.

Transactio, vi cujus, Rege Hispaniarum mediatore existente, discordiæ ac simultates, quæ hactenus inter Sabaudiæ Ducem atque Rempublicam Genuensem intercesserunt, sunt compositæ, d. d. 27. Novembr. Anno 1631.

NEl nome di Dio creatore sia noto à tutti li presenti, & à venire che nate differenze l' anno 1625. tra 'l Duca di Savoia, mio fratello, che sia in gloria, e la Republica di Genova intorno al feudo di Zuccarello si che prorupero a rottura, & à termine d' hostilità con molto danno d' ambo gli stati, della pace publica, & della quiete d' Italia, e trattato dell' accomodamento, e pacificatione di quella guerra sono stati proposti vari mezi, & ultimamente mi hanno fatto istanza d' interpormi per comporle inviandomi il Duca di Savoia suo figlio succeduto in quegli stati la sua Plenipotenza per questo, e la Republica havendo fatto il medesimo della sua. E per tanto usando delle riferite Plenipotenze, e bramando la quiete, e concordia publica e si restituisca l' antica pace tra 'l Duca di Savoia mio fratello, e la Republica di Genova; e mirando al maggior beneficio, e satisfatione delle partie dichiaro che queste differenze devono pacificarsi, e compirsi con le seguenti conditioni & articoli:

1. Che tra 'l Duca di Savoia, e la Republica di Genova si rimetta la pace, e ritorni la buona corrispondenza, & amicitia reciproca, che intrattenevasi trà loro in preterito, & i loro sudditi per terra, e per mare, & nella medesima forma che stavano prima della presente guerra desistendo ambe le parti da ogni fattione di guerra, & ostilità con ritirare reciprocamente l' armi ne' loro dominii, e ditioni.

2. Ambe le parti reciprocamente si restituiranno tutte le cose, prese gli uni à gli altri frà presenti moti, cioè, la Republica di Genova renderà al Duca di Savoia tutte le Terre, Luoghi e bene, che li sono stati occupati; l' artiglieria che gli prese in Gavi; la sua galera, e tutti i prigioni che gli appartengono. Et il Duca restituirà alla Republica qualsivoglia Terra, Luogo, e beni, che parimente le tiene; e tutta l' artiglieria presale in - - - - e ne gli altri Luoghi, & i prigioni che le spettano; il tutto eseguendosi subito con buona fede.

3. Il

3. Il luogo di Zuccarello resterà alla Republica di Genova tanto per la possessione, che per la proprietà in virtù de' titoli ch' essa tiene per li quali terrà, e ne godrà liberamente à perpetuità, si che al Duca non rimanga alcun diritto al detto feudo, e beni, e per tutte le pretensioni del Duca la Republica li paghi con sessanta mila scudi d' oro rinuntiando à suoi diritti, e pretensioni ancorche di maggiore valore della detta somma concederle tutte alla Republica, si che rimangano da esso transferite subito in lei senza che 'l Duca di Savoia possa acquistare nè pretendere di nuovo cosa alcuna sopra il detto Feudo di Zuccarello à che si hà da obligare, e si reputa obligato per se, e successori suoi à perpetuità.

4. E perche non si possa dubitare della restitutione de' beni che reciprocamente si hanno da restituire dall' una, e l' altra parte si dichiarerà che la detta restitutione hà da farsi di tutti i beni tanto feudali che allodiali, censi, giurni, e qualsivoglia altra sorte di rendita che durante la guerra erano stati rappresagliati, sequestrati, ò confiscati, ò in altra maniera occupati a' particolari, e sudditi dell' una, e l' altra parte per ragione della guerra ancorche fossero stati lasciati, ò venduti, ò donati à terza mano ò i censi, e monti redenti percioche la sorte principale si havrà à restituire à padroni nello stato che stavano nel tempo della l'or' occupatione; e la detta restitutione dovran farla le dette parti per quelle che à ciascuna tocca nominando à tal' effetto i suoi Commessarii dentro sessanta giorni; escorso il detto termine e non havendola fatta, li padroni di detti beni potranno prendere il possesso d' essi senza che sia necessaria la licenza ò il decreto di giustitia ò Magistro per la cui esecutione, & accomplimento il Duca come la Republica daranno gli ordini necessarii.

5. Così ancora si dichiarà, che la restitutione de' detti beni hà da farsi nello stato che si trovarono il giorno che si publicaranno i detti articoli senza che à nessuna delle parti si lasci diritto per chiedere i danni, meglioramenti, frutti, nè rendite scorse che fossero da ricuperarsi da loro Signori.

6. Che la restitutione dell' artiglierie si faccia ne' medesimi Luoghi ove si troveranno.

7. E perche riducendosi le cose alla pace, e tranquillità non è giustò che permangano quelle che ponno rinovare la memoria de' motivi che occasionarono la guerra si concederà perdono generale à tutti, & à qualsivoglia persona di qualsivoglia grado, e conditione senza escluderse quelle che havessero servito, & adherito ad alcuna delle parti intervenendo, e predendo interesse nella guerra, e ne' moti che sono seguiti dal principio del 1621. fino alla publicatione di questi, articoli con venia, e gratia di tutte le pene, confiscationi e taglie contra qualsivoglia de' suddetti riponendogli in libertà; restituendogli ne' loro beni, gradi, & ufici; riservando à se la dichiaratione delle persone che hanno da godere di quella gratia secondo le limitationi, e restrittioni, che per maggiore convenienza dello stato publico, & d' ambe le parti saranno stimate opportune, e necessarie.

I quali articoli saranno le parti obligate d' accettare, & obligarsi ad essi in forma autentica colle solennità, e requisiti necessarii per sua maggior fermezza, & osservatione nel termine d' un mese dopo che gli havrebbe transmessi al suo Governatore dello stato di Milano dal quale ciascuno di detti Prencipi prenderà dentro il detto tempo due copie autentiche e firmate affinche l' una sia inviata à lui; e l' altra al Prencipe. I quali articoli usando delle Plenipotenze che gli erano state inviate dichiaro, che ciascuno de' detti Prencipi per quello che li tocca debbano accomplirli, & eseguirli plenaria, e realmente con ogni sincerità, e buona fede senza contravenirvi in cosa alcuna nè hora nè in nessuno tempo, in testimonio, di che comando spedirsi questa dichiaratione firmata della mia Real mano, e sigillata col mio sigillo segreto; e contrasegnata dal mio infrascritto Segretario di stato. Data in Madrid li 27. di Novembre, 1631.

IO el REY.

Pedro d' Arce.

XXX.

Ludovici XIV. Galliarum Regis, Declaratio belli adversus Januenses, die 15. Maji Anno 1684. publicata.

De par le Roy.

SA Majestè voulant empescher la continuation du Commerce, que les Genois font, tant dans la Mer Mediterranée, que dans l' Ocean, & que tous les effets, qui se trouveront à eux appartenans soient saisis & arrestez. Sa Majesté enjoint aux Officiers Commandans ses Vaisseaux de Guerre, & a tous ses Sujets de leur courre sus par tout, où ils les pourront rencontrer, & d' arrester & prendre tous les Bastimens Genois, qu' ils trouveront en Mer, & de les amener, dans les Ports du Royaume, pour y estre confisquez: Voulant Sa Majesté que les Equipages, qui se trouveront dessus, soient remis dans les Prisons les plus prochaines des lieux, où ils auront esté arrestez. Veut en outre Sadite Majesté, que les Officiers de l' Admirauté fassent saisir & arrester tous les Vaisseaux appartenans ausdits Genois, qui se trouveront dans lesdits Ports, ensemble les Marchandises & effets dont ils seront chargez, pour estre pareillement confisquez. Mande & ordonne Sa Majesté à Monsieur le Comte de Toulouze, Admiral de France, aux Vice-Admiraux, Lieutenans Generaux, Intendans, Chefs d' Escadres, Commissaires Generaux, & Capitaines de Marine, de tenir la main à l' execution de la presente ordonnance, & ausdits Officiers de l' Admirauté de la faire lire, publier & enregistrer, à ce qu' aucun n' en ignore. Fait au Camp de Tulin, le 15 jour du May 1684. Signé LOUIS. Et plus bas *Colbert.*

XXXI.

XXXI.

Articuli inter Ludovicum XIV. Galliæ Regem, atque Rempublicam Genuensem sanciti, quorum ope hac a laudato Rege in gratiam denuo recepta est, d. d. 9. Januar. Anno 1685.

LOuis par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre; A tous ceux qui ces presentes Lettres verront, salut. Comme nôtre amé & féal Conseiller en tous Nos Conseils, Président à Mortier en notre Cour de Parlement de Paris, Secretaire d' Etat & de Nos Commandemens & Finances, le Sieur Colbert, Chevalier, Marquis de Croissi; en vertu du Pleinpouvoir, que Nous lui en avions donné, auroit conclu, arrêté & signé le 12. Fevrier dernier, avec le Sieur Marquis de Marini, Envoyé Extraordinaire de la Republique de Genes, pareillement muni de plein-pouvoir de ladite République, les Articles par Nous accordez à ladite Republique, dont la teneur ensuit. Le Roy ayant rétably le repos de toute l' Europe par les Traitez de Tréve signez à Ratisbonne le 15. Aoust dernier; & Sa Majestè se voyant dans une pleine & entiere liberté de prendre contre la République de Genes telles résolutions, qu' Elle auroit estimé être les plus convenables à sa gloire & à sa justice; Elle a neanmoins bien voulu, en considération de Sa Sainteté, dont les soins infatigables pour la conservation de la tranquillité publique ne peuvent être assez estimez, préférer les voyes de douceur à celles de la force de ses armes; & sur les asseurances qui ont esté données à Sa Majesté par le Sieur Archevêque Ranuzzi, Evêque de Fano, Nonce Extraordinaire de sa Sainteté de l' entiére résignation desdits Genois aux conditions qu' elle leur à demandé, & du Pouvoir qu' ils ont envoyé au Sieur Marquis de Marini, Envoyé Extraordinaire de la Republique de Genes auprés de Sa Majesté, pour les accepter en leur nom, & en convenir avec celui qu' il plairoit à Sa Majesté commettre pour en dresser & signer les Articles; Elle auroit autorisé à cet effet le Sieur Colbert, Chevalier, Marquis de Croissi, Conseiller du Roy en tous ses Conseils, Secretaire d' Estat & des Commandemens de Sa Majesté; lequel, en vertu du Pouvoir qui sera ci-aprés inséré, auroit avec le Sieur de Marini, autorisé par la République de Genes, en vertu de la Lettre des Duc, Gouverneurs & Procureurs de ladite Republique, signeé Girolamo de Mari, & C. Mascardi, & dattée du 29. Janvier 1685. qui sera ci-aprés transcrite arrêté, conclu, & signé, les Articles suivans:

I. Que le Doge à present en charge, & quatre Senateurs aussi en charge, se rendront dans la fin du mois de Mars prochain, ou au plus tard dans le dixiéme d' Avril, en la Ville de Marseille, ou autre Ville du Royaume; d' où ils s' achemineront au lieu où sa Majesté sera; & lors qu' ils seront admis à son audience, revêtus de leurs habits de ceremonie, ledit Doge portant la parole, témoignera au nom de la Republique de Genes l' extreme regret qu' elle a d' avoir déplû à sa Majesté, & se servira dans son discours des expressions les plus soûmises, les plus respectueuses, & qui marquent le mieux le desir sincere qu' elle a de meriter à l' avenir la bienveillance de sa Majesté, & de se la conserver soigneusement.

II. Le Doge & les quatre Senateurs rentreront, à leur retour à Genes, dans l' exercice de leurs charges & dignitez, sans qu' il en puisse être mis d' autres à leurs places pendant leur absence. Ni lors qu' ils seront retournez, si non aprés que le tems ordinaire de leur gouvernement sera expiré.

III. La Republique de Genes congediera dans le tems d' un mois toutes les Troupes Espagnoles, qu' elle a introduites dans les Villes, Places & Pays dépendans dudit Etat, & renonce dés-à-present en vertu de ce Traité, à toutes Ligues & Associations qu' elle pourroit avoir faites depuis le premier Janvier 1683.

IV. Lesdits Genois reduiront aussi dans le même temps leurs Galeres au même nombre qu' ils avoient il y a trois ans, & pour cet effet desarmeront celles qu' ils ont fait équiper depuis.

V. Sa Majesté ayant demandé que la Republique de Genes dedommageât tous les François, non seulement de ce qui leur a été pris & enlevé tant dans la Ville de Genes, que dans les Pays, qui en dépendent; mais aussi de toutes les prises, qui ont été faites sur eux par les Vaisseaux & autres Bâtimens armez, ou autorisez par lesdits Genois, suivant l' Etat, qui en seroit dressé & fourny dans trois mois; & ladite Republique ayant offert de rendre aux Sujets de Sa Majesté tout ce qu' elle a pû retirer des effets qui leur appartiennent, Sa Majeste acceptant ledit offre, & suivant les mouvemens de sa pieté, a bien voulu se contenter, qu' au lieu des autres dédommagemens cy-dessus dits, ladite Republique s' obligeât, comme elle fait par cet Article, de contribuer à la reparation des Eglises & lieux sacrez, qui ont été ruinez ou endommagez par les bombes, que le refus de donner à Sa Majesté une juste satisfaction, a attiré indistinctement sur la dite Ville, toute la somme d' argent, que nôtre Saint Pere le Pape estimera convenable, Sa Majesté remettant aussi à Sa Sainteté de regler le temps dans lequel lesdites reparations devront être faites.

VI. Le Comte de Fiesque ayant imploré la protection de Sa Majesté sur les anciennes pretentions de sa Maison contre ladite Republique, Sa Majesté a desiré qu' il fût payé presentement audit Comte de Fiesque la somme de cent mille écus, monnoye de France, & comme ladite Republique a voulu encore témoigner en cela sa deference pour Sa Majesté, & meriter d' autant plus l' honneur de ses bonnes graces, elle s' est obligée par ce seul motif, & non autrement, de payer dans deux mois audit Comte de Fiesque la dite somme de cent mille écus sans prejudice des raisons qu' elle pretend avoir contre ledit Comte de Fiesque & sa Maison, qui ne pourront recevoir aucune atteinte par le dit payement; & en consideration de la promptitude avec laquelle ladite Republique satisfait en cela à la volonté du Roy, Sa Majesté promet qu' elle n' appuiera point de la force de ses armes, ni d' aucune voye de fait, les pretentions dudit Comte & de la Maison de Fiesque, Sa Majesté

esté voulant qu' elles ne puissent être poursuivies que par les voyes de droit; & comme l' intention de Sa Majesté est que le payement cy-dessus dit ne soit fait que par provision & sans prejudice des raisons des Parties, aussi elle declare que ledit Comte de Fiesque, ses hoirs & ayans cause, poursuivans leurs droits & actions en Justice, comme il a été dit, la dite Republique puisse compenser sur ce qui pourroit leur être ajugé, ladite somme de cent mille écus, que ledit Comte de Fiesque aura reçüe en vertu dudit Traité,

VII. Sa Majesté étant contente des satisfactions cy-dessus dites, & voulant bien rendre l' honneur de ses bonnes graces à la République de Genes, elle sera bien aise aussi de faire au Doge, & aux Senateurs, tout le favorable accüeil qui leur puisse marquer sa bonté & le retour de sa bienveillance Royale; & aprés qu'ils se seront acquitez des fonctions pour lesquelles ils se doivent rendre auprés de sa Majesté, ils pourront s'en retourner à Genes, pour y exercer leurs charges, ainsi qu' il est convenu par l' Article deuxiéme dudit Traité; Sa Majesté declarant qu' il ne leur sera fait de sa part aucune autre demande, ni imposé d' autres conditions, que celles qui sont exprimées & établies par le present Traité.

VIII. Tous actes d'hostilité cesseront, sçavoir per terre dés le jour de la signature du Traité, & par mer dans un mois, à commencer dudit jour; Et s' il y a quelques Sujets du Roy detenus dans les prisons, galeres, ou Vaisseaux de Genes, & autres lieux, ils seront incessamment élargis; Sa Majesté voulant bieu aussi faire mettre en liberté tous les Genois qui pourroiént être retenus, soit dans ses prisons ou dans ses galeres, vaisseaux & autres lieux.

XI. Le present Traité sera ratifié incessamment par ladite Republique de Genes, & les ratifications échangées avec celles de Sa Majesté, au plustard dans trois semaines. En foi dequoy nous avons signé les susdits Articles, & à iceux fait apposer les Cachets de Nos Armes. Fait à Versailles le douziéme jour de Fevrier mil six cent quatre-vingt-cinq.

Signé,

A. Ranuzzi, Archevêque, Evêque de Fano, Nonce Apostolique.

Colbert de Croissy.

Paolo de Marini.

Pouvoir du Roy.

Le Roy ayant été informé par le Sieur Evêque de Fano, Nonce Extraordinaire de Sa Sainteté, que non seulement la Republique de Genes avoit pris la resolution d' accepter les conditions qui luy ont été imposées par Sa Majesté, pour tâcher par cette soûmission à rentrer dans ses bonnes graces; Mais mesmes qu' elle avoit envoyé un pleinpouvoir au Sieur de Marini, pour ensigner en son nom les Articles avec telles personnes, qu' il plairoit à Sa Majesté commettre: Sa Majesté à pour cet effet autorisé de sa part, comme elle autorisé par ces presentes, le Sieur Colbert, Chevalier Marquis de Croissy, Conseiller en tous ses Conseils, Président à Mortier en sa Cour de Parlement à Paris, Secretaire d' Estat de Sa Majesté & de ses Commandemens & Finances, auquel elle à donné plein-pouvoir, Commission & Mandement special d' accepter, conclure, & signer en son nom avec ledit Sieur de Marini les Articles dont ils seront convenus; Promettant sadite Majesté en foy & parole de Roy, d' accomplir & d' executer ponctuellement, & avoir agreable, & tenir ferme & stable à toûjours tout ce que ledit Sieur de Croissy aura promis & signé en vertu du present pouvoir; Comme aussi d' en fournir sa Ratification en bonne forme dans le temps qu' il aura été convenu. En témoignage dequoy Nous avons signé ces presentes de nôtre main, & à icelles fait apposer nôtre Scel secret. A Versailles, le neuviéme jour de Fevrier. 1685. Signé, LOUIS, & plus bas, *Phelypeaux*.

Pouvoir de la Republique de Genes.

Duce, Governatori, e Procuratori della Republica di Genova.

Molt' illustre nostro Gentilhuomo. Dalle vostre lettere, e dalle relationi havute di quanto ha rappresentato al Pontefice Monsignor Noncio Ranucci, si raccoglie, che le domandate sodisfattioni della Maestà Christianissima alla Republica consistono in una missione d' ossequio del Serenissimo Doge, e quattro Togati; che si disarmino le quattro Galée novamente armate; che la Republica si riduca al stato di neutralità, che professava per il passato verso le due Corone di Francia e di Spagna; che si paghino cento mila scudi bianchi al Conte da Fiesco, par saldo d' ogni pretensione di quella Casa, e che si restituischino alli Francesi che dimoravano in Genova il mese di maggio passato i beni à loro tosti: il che si suppone ristretto à quella parte che e riuscito alla Republica di recuperare. E si come Sua Maestà Christianissima, per mezo del Signore di Croissy, si era compiaciuta di far significare à Monsignor Noncio, che sarebbe contenta di dette conditioni, e che non domandarebbe cosa alcuna di vantaggio, così si spera che mediante gl' ufficii del Pontefice, e della Maestà Brittannica, sia per radolcire dette domande con dare al mondo un nuovo contrasegno della sua impareggiabile generosità verso di una Republica, che non ambisce cosa maggiore, che il restabilimento nella sua Regia gratia. Mà niente di meno desiderosi di far spiccare gli atti della nostra somma veneratione, vi damo facoltà di poter trattare e concludere sopra l' enonciate domande, & a questo fine dovarete novomente procurare gl' ufficii del Pontefice, e della Maestà Brittannica, si per conservare il rispetto dovuto à detti due Prencipi, che con singolare benignità si sono interposti in detto affare, come per il grado di stima, e per gradimento in che sono appresso di Sua Maestà Christianissima, doverete significare questi riverentissimi sentimenti a Monsignor Nuncio, affinche si compiaccia di rappresentarli al Signor de Croissy, e di accompagnarli con espressioni proprie della sua efficacia, & atte à rendersi maggiormente graditi da Sua Maestà Christianissima; E riuscendovi di concludere l' aggiustamento, sarà vostra incombenza, che resti posto in iscritto cio che doura fare la Republica con parole chiare & incapaci di equivochi, e con tale spiegatione, che con detto aggiustamento resti posto fine à tutte le pre-

le pretentioni di Sua Maestà Christianissima, nostro Signore vi guardi. Genova il di 29. Gennaro 1685. Et ont signé.

Girolamo de Mari.

Carlo Mascardi.

Ratification du Roy.

Nous ayant agreables les susdits Articles, en tous & un chacun les points qui y sont contenus & declarez, avons iceux accepté, approuvé, ratifié, & confirmé, acceptons, approuvons, ratifions, & confirmons par ces presentes signées de nôtre main, & le tout promettons, en foy & parole de Roy, grader & observer inviolablement, sans aller ni venir au contraire directement ou indirectement, en quelque sorte, ou maniere, que ce soit: En témoin dequoy Nous avons fait mettre nôtre Scel à cesdites presentes. Donné à Versailles le troisiéme jour de Mars, l'an de Grace mil six cens quatrevingt cinq, & de notre Regne le quarantedeux. Signé, LOUIS, Et plus bas, *Colbert.*

Ratification de la Republique de Genes.

Duce, Governatori, e Procuratori della Republica di Genova.

Essendosi compiacciutto il Ré Christianissimo di reintegrarci alla sua Regia grazia, mediante i Capitoli sottoscritti a Versaglia li 12. del corrente mese di Febraro da Monsignor Arcivescovo Ranucci, Vescovo di Fano, e Nonzio extraordinario Apostolico, e dal Signor Marchese Colbert di Croissy, Segretario di Stato di detta Maestà, & a nome della medesima; e per Noi dal Gentilhuomo Paolo de Marini, nostro inviato straordinario appresso di detta Maestà, del tenore come segue.

Havendo il Ré ristabilito &c.

Noi non havendo maggior premura, che di godere il favore della Regia benevolenza di detta Maestà valendoci dell' autorità confertaci dal nostro minor Consiglio, sotto il di venti tre del corrente mese di Febraro accettiamo, ratifichiamo e comproviamo gli Articoli sopra detti, e promettiamo l' osservanza de medesimi. In testimonio del che sara la presente sottoscritta da uno de i nostri Collega, e d' all' infrascritto nostro Segretario, & firmata col nostro solito sigillo; Date in Genova nel Real Palazzo, il di 25. Febraro 1685. Signé Girolamo de Mari, Senatore Deputato.

Carlo Mascardi.

XXXII.

Decretum Consilii Imperialis Aulici, in quo ea, quæ in qualibet Investituræ renovatione pro scriptura juribus ab Imperialibus districtus Genuensis Vasallis in posterum solvi debeant, determinata sunt, d. d. 7. Novembris, Anno 1708.

NOtum sit universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod cum Sacræ Cæsareæ Majestati, Domino nostro Clementissimo, Petrus Antonius Gibelli, extraordinariæ Ablegationis Serenissimæ Reipublicæ Genuensis Secretarius, vigore mandati, & nomine quorundam infranominatorum Sacri Imperii Dominorum Vasallorum, in districtu Genuensi existentium, humillime exposuerit, in quovis renovandarum Investiturarum casu Jura Cancellariæ & Taxæ novis semper expensarum additionibus inde augeri, quod anteriores, & veteres Investituræ omnes inserantur; Ea autem insertio vel ideo superflua sit, quod illas in suis archiviis jam multipliciter habeant dicti Vasalli; demisse petendo, ut, omissa imposterum supradicta insertione, non solum ab additionibus dictarum expensarum desistatur, verum etiam jura Cancellariæ & Taxæ ad ea reducantur principia, in quibus reperiebantur, antequam supradicta fieret insertio: Cancellaria vero Aulico-Imperialis latina contra hæc opposuerit insertionem omnium Investiturarum a seculis fieri consuetam, eo minus prætermitti posse, quod obveniens inde commodum loco salarii quodammodo habeatur, ex ejusque diminutione non leve in Cancellariam damnum redundare necesse sit: Ac proinde Sacra Cæsarea Majestas ex singulari in Serenissimam Rempublicam Genuensem affectu, ejusdem solum causa id negotii terminare, & simul rationem invenire jusserit, qua utrimque satisfieri possit: ponderatis ultro citroque adductis argumentis, inter prædictas partes convenerit, respectu Jurium Taxæ ad primæva reduci principia, respectu vero jurium scripturæ a Vasallis Genuensibus in qualibet Investituræ renovatione salvis juribus Cancellariæ pro regali scriptionis separatim numerari id, quod designatum est in Catalogo sequentis tenoris:

Nomina D. D. Vasallorum Imperialium districtus Genuensis, qui pro reductione Taxæ, & jurium scripturæ in expediendis eorum Investituris instantias facere.

Carolus Spinula Marchio solvit Jura scripturæ.

		pro nunc,		& pro futuro.	
Ratione	Rochæ fortis	fl. 14	C. 30.	fl 9	-
	Ronchi	fl. 16	-	fl. 10	-
	Buzallæ	fl. 11	30.	fl. 8	-
	Burgi Furnariorum	fl. 24	-	fl. 14	-
	Vighi & Sentrasi	fl. 13	-	fl. 12	-
		F. 79	-	F. 53	-

	pro nunc, &		futuro	
Urbanus Fliscus ratione Savignoni &c.	fl. 16	-	fl. 10	-

Ea tamen ex parte Cancellariæ adjecta conditione, quod, uti modo dictum, quantum ad primæ, & postremæ Investiturarum insertionem restrictum sit; ita etiam si dicti Vasalli plures insertiones desiderarent, vel quilibet Condominorum Vasallorum particularem Investituram prætenderet, eo nomine separata Cancellariæ solutio præstari; Idque tam officio Taxæ, quam universæ Cancellariæ insinuari debeat eo fine, ut in futuris jurium, seu Regalis Cancellariæ distributionibus, quod convenit, Cancellariæ Latinæ cedat. Signatum Viennæ, sub altissime dictæ Sac. Cæs. Majest. sigillo secreto, die 7. Novembr. Anno millesimo septingentesimo octavo.

(L.S.C.)

Vt. Frid. Car. Com. de Schönborn.

C. Ludtzo Dolberg, mpr.

XXXIII.

XXXIII.

Contractus, vigore cujus Carolus VI. Romanorum Imperator, Marchionatum Finariensem, ejusque jura & annexa Reipublica Genuensi vendidit, d. d. 20. Aug. An. 1713. vid. supra in Tom. I. hujus Codicis, pag. 2373.

XXXIV.

Juramentum, quod Respublica Genuensis, propter feuda S. R. Imperii, in ipso Juramento nominata, præstare solet.

EGo Joannes Jacobus Joannelli juro ad hæc sancta DEI Evangelia, quæ hic corporaliter tango, vigore Mandati procuratorii, in hoc excelso Consilio Imperiali Aulico, per me exhibiti, vice, loco, atque in animas Serenissimi Domini Ducis Gubernatorum & Procuratorum Reipublicæ Genuensis, quod dicti Dominus Dux, Gubernatores & Procuratores ratione feudorum Carosii, Savignoni, Saxelli, Montobii, Varesii, Rocchæ Taliatæ, Campi & Ponzani, nec non unius quartæ partis, ac trium quartarum partium Zuccarelli, de quibus nunc investiuntur, Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi ac Domino, Domino Josepho, electo Romanorum Imperatori semper Augusto, omnibusque ejusdem Successoribus, Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, adeoque Sacro Romano Imperio perpetuo fideles & obedientes erunt, ac esse debebunt, commoda Sacræ Cæsareæ Majestatis Sacrique Imperii fideliter promovebunt, damna vero monebunt & avertent, neque unquam scientes per se vel per alium in consilio, seu tractatu erunt, consensu, vel facto, ubi aliquid contra Majestatis Suæ Cæsareæ personam, honorem, dignitatem & statum quocunque modo agetur, seu concludetur; & si quid ejusmodi tractari intellexerint, id ipsum pro viribus impedient, & ad Sacræ Cæsareæ Majestatis notitiam sine mora perferri curabunt, eaque omnia præstabunt & facient, quæ fideles Imperii Vasalli Domino suo, Romanorum Imperatori ac Regi, facere ac præstare tenentur, de consuetudine vel de jure, omni fraude et dolo semotis. Ita eosdem Serenissimum Dominum Ducem, Gubernatores et Procuratores DEus adjuvet, et hæc sancta ejus Evangelia.

SECTIO VIII.
De Republica Lucana.

I.

Ludovici Bavari, Roman. Regis, Diploma, in quo civitatis Lucæ, in gratiam denuo receptæ, proscriptionem revocavit, d. d. 4. Kal. Jun. An. 1324.

NOs Ludovicus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus. Etsi honor Regis judicium diligat, tamen Augustalis clementia misericordiam non refutat, quin nonnunquam per justitiam condemnatos reddat per gratiam absolutos, sic quippe fideles nostros et Imperii intime diligimus, quod longe carius parcimus revertentibus, quam pœnam resistentibus infligamus. Sane dudum claræ memoriæ Dominus Henricus, quondam Romanus Imperator VII. prædecessor noster, contra Civitatem Lucanam et ejus districtum, et contra Commune, et cives, et speciales personas ejusdem, quasdam condemnationis sententias promulgavit, proscriptiones, mulctas, privationes et pœnas alias infligentes pro eo, quod tunc ipsi a fidelitate recesserant, et Sacro Imperio rebellabant. Nunc vero, quia civitas, districtus, Commune et cives præfati ad fidelitatem et devotionem reversi, Sacro se Imperio in puritate et integritate fidei reddiderunt, et in hoc proposito fidei se firmos et stabiles comprobant et effectu: Nos qui eisdem pium et benevolum affectum gerimus, et tanquam filios peramamus, culpam prætetitam, quam ipsi student devotis et fidelibus actibus expiare, remittentes eisdem de gratia speciali omnes sententias, per dictum D. Henricum contra ipsos prolatas, de plenitudine potestatis Regiæ relaxamus & revocamus, quicquid ex eis vel ab eis factum vel secutum existit: restituentes eosdem eadem potestate contra ipsas sententias in integrum, & in statum pristinum, ac si ipsæ sententiæ non fuissent ab initio promulgatæ. Ad quas specialiter Nos induxit prædictorum fidelium nostrorum nova, crescens, & firma devotio: & fidelissima strenui viri Castrucii de Antelminellis, sui Vicarii, pro ipsis interpellantis supplex petitio, & favor multus, quem ipsis gerimus ex affectu. Verum tamen prædictas sententias non intelligimus relaxatas ad illos de civibus prædictis, qui in rebellione persistentes Nobis & Imperio, vel dicto Vicario nostro nomine non obediunt, nec intendunt, nisi forte ad requisitionem dicti Castrucii, intra terminum, quem præfixerit, ad fidelitatem redierint, & ejus beneplacitis paruerint & mandatis. In cujus nostræ remissionis, relaxationis, revocationis & restitutionis testimonium præsentes damus literas, sigilli nostri robore communitas. Datum in Francofurt. IV. Kalend. Junii, Anno Domini MCCCXXIV. Regni vero nostri anno X.

II.

Ejusdem Diploma, in quo Castruccium de Antelminellis Cæsaris atque Sacri Romani Imperii in Civitate Luca, ejusque territorio Vicarium constituit, d. d. 4. Kalend. Junii Anno 1324.

Ludovicus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, magnifico viro, Castruccio de Antelminellis, Vicario Lucanorum, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam suam & omne bonum. Regiæ liberalitatis clementia in suis fidelibus gratiarum dona multiplicans, illis præcipue consvevit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti. Sane cum veraciter sciamus, te præcipuum in partibus Italiæ pro Sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo periculo, oneri vel labori, ac justitia tua & animi probitate victos de hostibus devotos pro Imperio tenuisse, ac devios infideles ad fidem gratiosis meritis invitasse: volentes præmissorum obtentu extollere nomen tuum, & te prærogativa speciali magnifice honorare, Vicariatum civitatis Lucanæ, ejusque districtum sex milliariorum & suburbanorum vel quasi, & provinciarum vallis Nebulæ, Arianæ & Lunæ, & terris civium Garfagnanæ, terris, quæ dicuntur Plancorum, Verrucula, Bossorum, & ejus curiæ, Pontremulo, ejus districtu Lunegiana, & omnibus terris, sitis citra & ultra aquam Magræ, in Lunensi Diœcesi, Massa & Versilia & Valletina, auctoritate Regia, nostro & Sacri Imperii vice & nomine usque ad nostrum vel Successoris nostri Romani Imperatoris vel Regis beneplacitum & voluntatem, tibi committimus, & in ipsis civitate, terris & locis, & aliis ante dictis, pro Nobis & Sacro Imperio, te Vicarium constituimus & facimus generalem. Concedentes tibi plenariam jurisdictionem in omnibus prædictis, civitate, terris & locis, ut possis inquirere & punire, & jurisdictionem sangvinis cum mero & mixto imperio exercere, in genere et in specie, per te, vel alium, aut alios, cui vel quibus ipsam jurisdictionem commiseris exercendam: recepto primitus a te juramento, quod ipsam jurisdictionem fideliter exerceas, nulli parcendo, vel contra justitiam offendendo, sed jus suum unicuique tribuendo, volentes per hanc concessionem nostram in præmissis omnia et singula tibi esse concessa, quorum specialem commissionem fieri oporteret, et quæ in generali commissione non intelligerentur commissa, nisi de ipsis fieret mentio specialis. In cujus rei testimonium præsentes tibi dirigimus, tradimus, appensione Sigilli Regii communitas. Datum in Regali oppido nostro Franckofort IV. Kalend. Junii, anno Domini MCCCXXIV. Regni vero nostri X.

III.

Ejusdem Diploma, in quo Castruccio de Antelminellis, Vicario Lucano, suas & Sacri Rom. Imperii in civitate Pistorii, ejusque Comitatu ac territorio vices commisit, d. d. 4. Kal. Jun. Anno 1324.

Lodovicus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, magnifico viro Castrucio de Antelminellis, Vicario Lucanorum, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam suam, & omne bonum. Regiæ liberalitatis clementia in suos fideles gratiarum dona multiplicans, illis præcipue consvevit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles, pro exaltatione coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti. Sane cum veraciter sciamus, te præcipuum in partibus Italiæ pro Sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo periculo, oneri, vel labori, ac justitia tua & animi probitate victos de hostibus devotos pro Imperio tenuisse, ac devios infideles ad fidem gratiosis meritis invitasse: volentes præmissorum obtentu extollere nomen tuum, & te prærogativa speciali magnifice honorare, Vicariatum civitatis Pistorii, & totius Comitatus & districtus ejusdem, ac in omnibus aliis terris, sitis infra confinia supradicta, & in diœcesi Lucana, Pistoriensi & Lunensi, autoritate Regia nostro & Sacri Imperii vice & nomine, usque ad nostrum, vel Successoris nostri, Romanorum Imperatoris, aut Regis, beneplacitum & voluntatem, tibi committimus, & in ipsis civitate & Comitatu ac districtu, terris & locis, ac omnibus antedictis pro Nobis ac Sacro Imperio te Vicarium constituimus, & facimus generalem. Concedentes tibi plenariam jurisdictionem in omnibus prædictis, civitate, terra & locis, postquam eas acquisieris, & pro Nobis & Sacro Imperio tenendas tibi subjugaveris, ut possis inquirere & punire, & jurisdictionem sangvinis cum mero & mixto imperio exercere, in genere & in specie per te vel per alium, aut alios, cui vel quibus ipsam jurisdictionem commiseris exercendam: recepto primitus a te juramento, quod ipsam jurisdictionem fideliter exerceas, nulli parcendo, vel contra justitiam offendendo, sed jus unicuique tribuendo. Volentes per hanc concessionem nostram omnia & singula tibi esse concessa, | quorum specialem commissionem fieri oporteret, & quæ in generali commissione non intelligerentur commissa, nisi de ipsis fieret mentio specialis. In cujus rei testimonium præsentes tibi dirigimus & tradimus, appensione sigilli Regii communitas. Datum in Regali oppido nostro Franckfort. IV. Kal. Junii, Anno Domini MCCCXXIV. Regni vero nostri Anno X.

IV.

Ludovici Bavari, Rom. Imperatoris, Diploma, quo Lucam Civitatem, cum circumjacente territorio, Ducatus dignitate & Privilegiis condecoravit, atque Castruccium de Antelminellis novi hujus Ducatus Ducem creavit & constituit, d. d. 15. Febr. Anno 1328.

Ludovicus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Illustri Castruccio de Antelminellis, Duci Lucano, Comiti Sacri Lateranensis Palatii, & Vexillifero Imperii fideli dilecto, gratiam suam

etiam & omne bonum. Principalis liberalitatis clementia in suis fidelibus dona multiplicans, illis præcipue consvevit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti.

Sane cum veraciter sciamus, experientia Nobis existente magistra, te præcipuum & strenuum in partibus Italiæ pro Sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo oneri, periculo vel labori, ac justitia tua & animi probitate victos de hostibus devotos pro Imperio tenuisse, & devios infideles ad fidem gratiosis meritis invitasse; tantoque magis Imperiale sceptrum attollitur, tanto cura regiminis a sollicitudinibus & laboribus relevatur, quanto fideles in circuitu Imperii circumspicit digniores. Et de fulgore throni Cæsarei, velut ex sole radii, sic cæteræ prodeunt dignitates, ut prima lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimentum.

Hac igitur consideratione commoti, qui cœlesti providentia Romani Imperii moderamur habenas, ac solii nostri decus tam veterum dignitatum ornatibus consovemus, quam novis honoribus ampliamus: Volentes præmissorum obtentu extollere nomen tuum, & te prærogativa speciali magnifice honorare, de plenitudine potestatis, & de certa scientia, & de consilio Principum & Baronum Civitatis Lucæ, Pistorii, Volaterrarum & Lunæ, cum omnibus & singulis Castris, Villis & locis, sitis in Diœcesibus ipsarum, & cum omnibus earum & cujuscunque earum pertinentiis, territoriis & jurisdictionibus quibuscunque, ad jus, honorem & nomen Ducatus pertinentibus, transferentes, & volentes sub uno dignitatis vocabulo contineri Ducatus Lucani; te pro te & Successoribus tuis, ex te per lineam Masculinam natis & nascituris, & in perpetuum, ipsius Ducatus Ducem & Vexilliferum nostrum & Sacri Romani Imperii ubilibet de præmissæ nostræ potestatis plenitudine & principali munificentia promovemus; eisdem libertatibus, immunitatibus &, juribus prædictum Ducatum tuum præsentium autoritate donantes, quæ Ducalem deceant dignitatem; præfatasque Civitates & quamlibet earum, & omnes terras, castra, territoria atque loca, quæ in Diœcesibus seu Episcopatibus & territoriis dictarum civitatum & pertinentiarum ipsarum civitatum, seu cujuslibet earum, seu intra confines Diœcesium, Episcopatuum, pertinentiarum & territoriorum præfatarum civitatum, & cujuslibet earum sitæ sunt, seu sita, in perpetuum tibi & legitimis Successoribus tuis, ex te descendentibus natis & nascituris, per lineam masculinam ex certa scientia damus, concedimus & donamus; cum omnibus & singulis Villis, Castris, terris, fortalitiis, casalibus, Vasallis, hominibus, possessionibus, honoribus, usibus, derittis, demaniis, feudis, homagiis, patronatibus vacantium et non vacantium Ecclesiarum et locorum, ad Nos et Sacrum Romanum Imperium spectantibus seu pertinentibus, et cum terris cultis et incultis, sylvis, pascuis, nemoribus, salinis, balneis, stagnis, lacubus atque quibuscunque aquis et aquarum decursibus, molendinis, piscariis, piscationibus, venationibus et singulis locis, juribus et pertinentiis, tam maris quam terræ præfatarum civitatum, terrarum et locorum, et cujuscunque ipsarum et ipsorum, existentium infra prædictas Diœceses confines et loca, quæ in hujusmodi nostra concessione et donatione sub speciali, aut generali vocabulo possint intelligi, seu comprehendi, et quæ ad Nos et Romanum Imperium spectare noscuntur. Et sic te et Successores tuos prædictos in Ducem et Duces prædicti Ducatus, cum dignitate illustri eligimus, constituimus, præficimus et creamus; dantes et concedentes tibi et Successoribus tuis prædictis in præmisso Ducatu plenissimam jurisdictionem, et liberam auctoritatem et potestatem Juris dicendi per te et per alios, et etiam merum et mixtum imperium, ut exercere valeas et valeant gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos et malos.

Et ut ipsius Ducatus dignitate te et præfatos tuos Successores cognoscas amplius et favorabilius ab Imperiali eminentia sublimari, tibi et Successoribus tuis prædictis ex ipsa dignitate Ducatus perpetuo decrevit competere nostra Serenitas auctoritatem et potestatem creandi et ordinandi perpetuo et ad tempus (prout vobis placuerit) in singulis civitatibus, castris, oppidis, villis, terris dicti Ducatus, Vicarios, Capitaneos, potestates, Judices, seu Rectores, et quoslibet ordinarios Magistratus, vel etiam delegatos, et quoscunque honores et dignitates, atque honorum et dignitatum officia, cum auctoritate et potestate juris dicendi, et mero et mixto imperio Statuta municipalia condendi, Juri divino et naturali non contraria, prout utilitati et pacifico statui expedire videritis subjectorum.

Ad hæc quoque in prædicto tuo Ducatu flumina navigabilia, et ex quibus navigabiles fuerint portus, plagas (sicut non dignosceris possidere) ripas et ripatica, nec non vectigalia, telonia auri et argenti, et metallorum omnium questum, nunc Nobis et Imperio pertinentes, tibi tuisque Successoribus memoratis concedimus et donamus; ac monetæ tam auri quam argenti et æris cudendæ, justi et recti ponderis, in ipso tuo Ducatu, tibi prædictisque tuis Successoribus præsenti privilegio facultatem liberam indulgemus, et feuda antiqua et nova et recta et regalia conferendi, et infeudandi Vasallos Imperii de feudis, quæ manu vel ore, aut quocunque alio modo fuerint conferenda, et recipiendi a Vasallis Imperii fidelitatem et homagii sacramenta, et mulctarum seu pœnarum compendia et confiscationes bonorum, et cæterorum quæ dicuntur regalia, in ipso Ducatu ad tuum & prædictorum tuorum Successorum compendium volumus pertinere; Milites quoque in dicto Ducatu & extra constituendi, & militari cingulo decorandi, & Judices ordinarios & Notarios publicos creandi, & ordinandi ac conficiendi; Filios & filias naturales tam spurios, quam vulgo quæsitos, ex damnabili coitu natos legitimandi, & cum ipsis super natalium defectu & alio quolibet dispensandi, tibi & ipsis auctoritatem & potestatem plenariam indulgemus. Ut tamen pro honore, quem tibi libenter adjicimus, nullum jus subtrahatur obedientibus, vel obedituris Nobis & Imperio, in eorum bonis & feudis; jura tamen Imperii remaneant Ducatui supradicto. Volumus insuper, quod in præmissis Ducatu, seu Vexilliferatu semper major natu seu senior ex generatione tua ex te seu Successoribus tuis legitime descen-

descendentibus, exclusis aliis filiis seu hæredibus minoribus, solus & in totum succedat.

Et propter præmissa omnia te pro te ipso & prædictis Successoribus tuis Nobis pro Nobis ipsis Successoribusque nostris homagium & debitæ fidelitatis juramentum præstantem de præmissis Ducatu vel Vexilliferatu per scriptum (melius sceptrum) quod in manibus tenemus, præsentialiter investimus & infeudamus. Porro omnia & singula supra dicta valere & tenere volumus & firmamus, non obstante aliqua lege, consvetudine aut jure, quibus contrarium cavetur; quibus omnibus & singulis specialiter & expresse, tanquam nominatim de illis in præsenti privilegio fieret mentio, intendimus, ut esse debeat derogatum, & potissime juri & consvetudini, quo & qua cavetur, seu cautum diceretur, quod hæres in Ducatu, Comitatu, vel Marchia nullo modo succedat, nisi ab Imperatore acquisiverit per investituram, quantum ad casum præsentem, in aliis vero casibus in suo robore semper durent. Volumus tamen, quo tu & Successores tui a Nobis & Successoribus nostris & Sacro Romano Imperio requisitus & requisiti perpetuo tenearis & teneatur, plenam & liberam obedientiam facere, & in omnibus nostris mandatis Successorumque Nostrorum & Sacri Romani Imperii libere intendere & parere, & omnia mandata nostra observare & efficaciter adimplere juxta posse, & executioni mandare.

Meminit quoque nostra Serenitas de prædictis ante nostræ coronationis solemnia tibi & prædictis tuis Successoribus Privilegium simile indulsisse. Quæ omnia & in ipso contenta ex certa scientia & de potestatis plenitudine, ac de consilio & assensu Procerum & Baronum Imperiali auctoritate ratificamus, approbamus & confirmamus; statuimus etiam & mandamus, quatenus nulla civitas, nulla persona, cujuscunque conditionis seu status & præeminentiæ existat, huic nostræ paginæ audeat in aliquo contra facere vel venire, seu te, aut prædictos tuos Successores in aliquo molestare de his quæ supra tibi & eis a nostra clementia liberaliter sunt concessa: si quis autem temerario ausu præsumpserit contravenire, mille marcharum auri pœnam incurrat, pro dimidia Cameræ nostræ persolvendam, & pro alia dimidia Cameræ dicti Ducatus & Vexilliferatus, in quorum præjudicio aliquando extiterit attentatum. Quibus omnibus & singulis supra dictis testes fuerunt infra scripti videlicet: Rudolphus, Dux Bavariæ, Princeps & Patruus noster charissimus, venerabilis Jacobus, Episcopus Castellanus, venerabilis frater Bonifacius, Episcopus Chirenensis, Hermannus de Lithelberg, Cancellarius noster. Henricus, Dux Brunsvicensis, Ludovicus, Dux de Tech, Albertus de Lithelberg Marescallus noster, Henricus Landgravius Alsatiæ, Fridericus de Nürenberg, Merchardus (alias Meinhardus) Comes de Hortemburg, Otho, Comes de Truhendingven, Joannes, Comes dictus de Claromonte, nec non nobiles viri, Jacobus de Sciarra de Columnis (al Sclara de Columna) Jacobus de Sabellis, Senatores urbis, Manfredus de Vito, almæ urbis Præfectus, Theobaldus de Sancto Cuostacchio (forte Eustachio) & ad prædictorum omnium testimonium & corroborationem præsentes conscribi, & Sigilli Majestatis nostræ robore jussimus communiri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, 15. die mensis Februarii, indictione undecima, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, trecentesimo, vigesimo octavo, Regni nostri anno decimo quarto, Imperii vero primo.

V.

Ejusdem Diploma, in quo Castruccium, Ducem Lucanum, Comitis Sacri Lateranensis Palatii dignitate atque Privilegiis donavit, d. d. 14. Mart. Anno 1328.

Ludovicus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, illustri Castruccio, Duci Lucano, Sacri Lateranensis Palatii Comiti, & Romani Imperii Vexillifero, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam & omne bonum. Dignum & Majestatis Imperialis proprium est, ut sicut quotidie fidelium augetur substantia & devotio, ita eis Imperiale culmen augeat dignitatis Privilegia & honores. Sane experientia docente novit Imperialis Majestas maximam fidem, devotionem & constantiam tuam, & ante & post a Nobis tibi collatos honores ultra cæteros fideles Imperii de bono in melius quotidie profecisse.

Ut igitur præmissorum contemplatione ad ampliores dignitatum apices per Imperiale culmen tua devotio attollatur, de consilio & assensu Procerum Imperialis nostræ aulæ, tibi & successoribus tuis ex te natis & nascituris per lineam masculinam in perpetuum, Comitatum Sacri Lateranensis Palatii (quem ad fiscum nostrum & Sacrum Romanum Imperium justis & legitimis causis devolutum & applicatum pronuncianus & declaramus, & ad omnem dubietatem tollendam devolvimus & applicamus) damus, concedimus & donamus, & ex certa scientia & plenitudine potestatis, & te & prædictos Successores tuos in perpetuum eligimus, constituimus, præficimus & creamus Comitem & Comites ipsius Sacri Palatii Lateranensis, vosque de Comitatu prædicto investimus & infeudamus, tanquam veros & fideles Imperii Vasallos: dantes & concedentes, & tribuentes tibi & eis, omnes & singulos honores, & omnia & singula Privilegia & emolumenta, quos & quæ Comites prædicti Sacri Palatii habent & habuerunt quoquo tempore, de consuetudine vel de jure.

Declarantes & nunc per hoc nostræ Serenitatis indultum tibi & prædictis Successoribus tuis, ex prædicta Comitatus dignitate competere jus assistendi perpetuo benedictioni, Sacræ unctioni & coronationi Successorum nostrorum Principum Romanorum, & omnibus & singulis ipsius coronationis solemnitatibus & præcipue sociandi & deducendi ipsos Romanos Principes, tempore coronationis fiendæ de eis, ad sacram unctionem de ipsis faciendam, & eosdem Romanos Imperatores, Successores nostros, tenendi & juvandi in ipsa sacra unctione & actu ipsius, & eadem unctione perfecta eos reducendi & sociandi ad altare & thalamum, prout & quoties Principes expediunt redire.

Item jus levandi & tenendi Imperiale Diadema, de nostro & Successorum nostrorum Romanorum Prin-

Principum capite tempore, quo Imperialis Coronationis solennia celebrantur, & etiam quocunque alio tempore, quoties publice ipsum Diadema expedierit elevare de capite nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Principum reponi.

Quæ omnia & singula scripta valere & teneri volumus & jubemus ex certa scientia, de plenitudine potestatis, jure aliquo non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam in aliquo violare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare præsumserit, gravem indignationem nostram se noverit incursurum.

In cujus rei testimonium præsentes conscribi & sigilli Majestatis nostræ robore, cum annotatione testium subscriptorum jussimus communiri: Rudolphi Ducis Bavariæ, Principis ac Patrui nostri charissimi, Henrici, Ducis Brunsvicensis, Ludovici, Ducis de Teck. Hermanni de Linthelberg, Cancellarii nostri, Alberti dicti Symiel de Linthelberg, Marschalli nostri, Meinhardi Comitis de Ortenberg, Ottonis, Comitis de Orlamende, Johannis, Comitis de Claramonte, Conradi Comitis de Truchendingven, Conradi de Zoluselberg, nec non nobilium virorum Jacobi de Columna Sciaræ, & Jacobi de Sabellis Senatorum urbis.

Datum Romæ 14. mensis Martii, Indictione 11. Anno Domini 1328. Regni nostri Anno 14. Imperii vero primo.

VI.

Ejusdem Diploma, in quo Castruccii, Ducis Lucani, Viduæ atque Orphanis de alimentis sustentationeque in posterum necessaria prospexit, d. d. 17. Decembr. An. 1328.

LOdovicus, DEI gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, nobili & Megnificæ mulieri Pinæ, relictæ olim Castrucii, Ducis Lucani, nec non nobilibus viris Valerano & Joanni fratribus, natis quondam dicti Ducis Lucani, suis & Imperii fidelibus dilectis, gratiam suam & omne bonum. Merita probitatis præfati Castrucii, & grata & accepta servitia per eum Nobis & Imperio exhibita, & devotionis & fidei fervor, quem ad Nos semper habuit, favorabiliter Nos inducunt, ut Nos ipsorum intuitu specialibus gratiis & beneficiis prosequamur, ut remuneratio præmissorum præsentis ætatis hominibus sit nota, & posteris transeat in exemplum. Ob quam rem ad personarum vestrarum tutelam & gubernationem nostræ mentis aciem convertentes, vobis vestrisque hæredibus & successoribus legitimis, gubernationem & custodiam castri de Monteggiori cum fructibus & proventibus castri prædicti, & omnibus pertinentiis suis, Imperiali autoritate committimus, concedimus atque damus, volentes, ut ex reditibus & proventibus dicti castri, & proventibus & gabellis vicariæ Petræ sanctæ, singulis annis quatuor millia florenorum habere & percipere debeatis in prædicti castri Monteggiori fructibus & proventibus computatis. Et si dicti castri Monteggiori & vicariæ Petræ sanctæ proventus & fructus ad prædictam summam non ascenderent, & nunc volumus & intendimus usque ad completam summam prædictam, de Camera nostra integraliter erogare. Si quid vero superfluum vel residuum erit, illud totum nostræ Cameræ reservatum. Et ne in prædictis fraus aliqua committatur, volumus, ut fructus & proventus castri prædicti de Monteggiori & Vicariæ Petræ sanctæ, Vicarius noster Lucanus, qui nunc est, aut pro tempore erit, recolligat & conscribat, qui ex dictis fructibus & reditibus quantitatem prædictam quatuor millium florenorum absque dilatione aliqua vobis integraliter solvat. Autoritate præsentium decernentes, ut in prædictis a Majestate nostra vobis concessis, ab aliqua persona, loco, vel universitate pro causa alicujus debiti, per dictum quondam patrem vestrum contracti, non possitis vel valeatis aliqualiter molestari. Et si dicta quatuor millia florenorum vobis de nostra Camera solvere Nos contingat singulis annis, ut superius est expressum, & non volumus fructus & proventus castri prædicti Monteggiori, & vicariæ Petræ sanctæ prædictæ ad Nos & nostram Cameram libere pertinere. Ad hæc quoque volentes, vos & Henricum fratrem vestrum uberioris gratiæ dono prosequi, vos, & quemlibet vestrum, ac Henricum præfatum, auctoritate præsentium, ab omnibus angariis & muneribus, oneribus, functionibus, collectis, datiis, præstantiis, obsequiis, realibus & personalibus atque mixtis, Imperiali autoritate, & ex certa scientia liberos esse volumus & immunes: ab aliqua persona, loco vel universitate, quacunque occasione vel causa gravari sive molestari minime valeatis. Non obstantibus in præmissis, vel aliquo præmissorum aliquibus Privilegiis, gratiis seu juribus a quocunq; sub quacunque verborum forma concessis, per quæ effectus hujusmodi in aliquo valeat impediri seu aliqualiter retardari: quibus quantum ad præmissa, etiam si de ipsis esset specialis mentio facienda, ex certa scientia derogamus. Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ commissionis & concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere præsumserit, gravem indignationem nostram se noverit incursurum. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & Majestatis nostræ sigilli jussimus munimine roborari. Datum Pisis, anno Domini MCCCXXVIII. Indictione XII. die XVII. Decembr. Regni nostri Anno XV. Imperii vero I.

VII.

Ejusdem Mandatum, ut de Petra sancta Potestas sive Vicarius, Rectores, Officiales, atque Consiliarii, ea, quæ in Diplomate antea inserto ordinaverat, rite exequantur, d. d. 10. April. Anno 1329.

LOdovicus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, providis viris, Potestati seu Vicario, Rectoribus, Officialibus, Consiliariis de Petra sancta, & ipsis vicariæ hominibus & personis, suis & Im-

& Imperii fidelibus dilectis gratiam & omne bonum. Volentes Nos specialiter, ex certa scientia concessisse pro eorum sustentatione, Ducissæ collaterali & filiis olim Lucani Ducis, gabellas dictæ terræ Petrasanctæ, & vicariæ ipsius, usque in quantitatem florenorum quatuor millium auri annuatim: & intellecto, aliquos impedire conari, ac etiam dictas gabellas intercipi, & fraudari, & alias dictis gabellis abuti, in detractionem juris Ducissæ & filiorum prædictorum, & non intendentes nec volentes contra nostram permissionem talia acceptari, vobis & universitati vestræ, cæterisque de vicaria prædicta, & aliis præsentes literas inspecturis, per hæc scripta stricte committimus & mandamus sub pœna indignationis nostræ gratiæ, & quinquaginta marcharum argenti, pro quolibet & qualibet vice, qua fuit contrafactum, pro dimidia fisco nostro, & pro alia dimidia passo injuriam applicanda, quatenus de dictis gabellis dictæ Ducissæ, cum filiis Lucani Ducis ipsorumque nunciis & procuratoribus, juxta præmissa nostra pure integre respondeatis, & libere ipsas gabellas non fraudando, nec fraudari faciendo, consentiendo vel permittendo: & fraudatores ipsarum impedientes & interceptores juris & facti remediis reprimendo & stricte arcendo, cum coërcitione qualibet refrenando, sic quod dicta Ducissa & filii dictis gabellis nullatenus decipi valeant, vel fraudari, turbari, inquietari, vel molestari quoquo modo, directe vel indirecte, aliquo colore quæsito, ut nostra promissio firma prodiret, nullo mandato, præcepto vel inquisitione, prohibitione, comminatione vel inhibitione, seu sequestratione Lucani Vicarii vel Rectoris, seu alterius in aliquo obstitura. Quæ omnia in præsenti & futuro cassamus & irritamus, in ipsius Ducissæ & filiorum, & juris ipsius præjudicium volumus non valere usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, quod dicti Nobis & Imperio fideles extant. In quorum certitudinem, & prædictorum evidens testimonium, præsentes literas fieri jussimus nostro sigillo muniri. Datæ Pisis, die X. mensis April. XII. Indictionis. Regni nostri Anno XV. Imperii nostri II.

VIII.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris Decretum, in quo, quænam Castra, loca &c. ad Lucanum Commune & Civitatem jure pertineant, declaravit atque definivit, d. d. 8. Id. Jun. Anno 1369.

CArolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex &c. Quia pridem Imperialis nostra Lucana civitas subdita fuit manifestæ tyrannidi, & omnia castra, munitiones, fortiæ & pertinentiæ ipsius ab eadem alienata & alienatæ fuerunt, ita quod in grave ipsius Lucanæ civitatis dispendium sævæ tyrannidis exercitio tenerentur, nec tunc sciri potuit inter possessores illorum & illarum, quæ pertinebant ad alios aliqua nota distinctio, cum Pisani omnia pro libitu gubernarent, ne præfata Lucana civitas hujusmodi dubietate laboret, & ut futuris ejus dispendiis Imperialis munificentiæ remedio caveatur, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum Sacri Imperii fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra scientia & Imperialis potestatis plenitudine, decernimus, definimus, & declaramus, omnia & singula castra, roccas, munitiones, Comitatus, districtus, riparias, & alia quævis, quæ adnotantur inferius, ad Lucanum Commune & civitatem jure pertinuisse & pertinere, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, salvo nihilominus pleno superioritatis directo & utili Dominio, quod ad omnes Successores nostros Romanos Imperatores & Reges, qui pro tempore fuerint, tanquam ad verum, legitimum, ordinarium & naturalem Dominum omni tempore pertinuisse, & pertinere declaramus, decernimus, & virtute præsentium definimus. Datum Lucæ 1369. octavo Idus Junii.

IX.

Juramentum solemne, Carolo IV. Romanorum Imperatori Anno 1369. a Lucanis præstitum.

NOs Antiani, populus, & Commune civitatis Lucanæ animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano præcedente consilio Nobis ad hoc una cum Senioribus nostris pluries in Consilio congregatis, Serenissimo ac Invictissimo Principi a Domino Carolo, vero, ordinario, naturali & legitimo Domino nostro, de maximæ suæ benignitatis affectuosa clementia cum omni humilitate & reverentia gratiarum actiones agentes pro eo, quod deliberatione benigna nos a servitute Babylonica tyrannidis liberaverit, eidem Domino ordinario Imperatori promittimus & juramus pro nobis, hæredibus & successoribus nostris in perpetuum, quodammodo in antea eidem clementissimo, vero, ordinario, naturali, & legitimo Domino nostro, & eo non existente, Romanis Imperatoribus & Regibus Successoribus suis, tanquam veris, naturalibus, legitimis, & ordinariis Dominis nostris obediemus, & parebimus perpetuo tempore absque renitentia in singulis eorum beneplacitis & mandatis, & ad eos, nec non Sacrum Romanum Imperium immediatum respectum habebimus, nullius alterius obtemperando nutibus seu mandato, quodque tamquam fideles subditi eorumdem Dominorum nostrorum profectum, statum, honorem, & vitam custodiemus fideliter, damna ipsorum & incommoda avertemus pro viribus, & tamquam subditi fideles, ut præmittitur, eis assistemus omni nostra potentia adversus omnes & singulos, qui ad detrimenta status, honorum, vitæ, seu profectus eorum aliquid tentabunt; & specialiter juramus, & promittimus, quod eis de gabellis introitus, proventibus & aliis quibuscumque juribus eorum ad plenum reddemus & solvemus, & hujusmodi subjectioni obedientiam & fidelitatem juramus & promittimus hoc juramento corporali, quod ad Sacra corporaliter præstitimus, tactis Evangeliis, sicut nos omnipotens DEus adjuvet, Evangelia sacrosancta &c.

X.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, praeceptum, in quo Lucanis, utpote populo peculiari, Sac. Rom. Imperio longe fidelissimo, jus cudendae monetae concedit, de Anno 1369.

CArolus IV. &c. Quamvis de universorum Sacri Romani Imperii statu fidelium cura Nos dignitatis assumptae & sollicitudo cottidiana fatiget, de Antianis, Communi & populo civitatis nostrae Lucanae nihilominus major Nobis semper inesse debebit solertia, ut eo diligentius ejusdem civitatis nostrae & inhabitatorum ipsius salutem prosequamur & commoda, quo fidem ipsorum & magnae virtutis constantiam experientia docente cognovimus inter caeteros subditos Majestati nostrae fideles evidentioribus operum indiciis claruisse; Nos igitur in animum mentis nostrae revolventes praefati Communis & populi nostri Lucani hanc comprobatam constantiam & notabilia suae probitatis merita de circumspectionis eorum industria praesumentes, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum, accedente consilio, de certa nostra scientia & plenitudine Imperatoriae potestatis honorabilibus & prudentibus Antianis, Communi & populo Civitatis nostrae Lucanae praedicto, haeredibus & successoribus eorum in perpetuum, tanquam peculiari & fidelissimo populo Sacri Romani Imperii, damus, largimur & concedimus auctoritatem, facultatem & potestatem plenissimam, monetas auri, argenti, & cujuslibet alterius metalli pro honore, utilitate & bono statu civitatis ejusdem cudendi, fabricandi, faciendi, monetandi, & juxta deliberationem eorum eo, quod delegerint, signo signandi, cum omnibus privilegiis, juribus, libertatibus, honoribus & gratiis, quibus alii quicumque, cujuscumque status aut conditionis existant, consimilem habendo gratiam, usi sunt hactenus; Decernentes etiam hoc Imperiali Edicto perpetuo valituro, quod eadem moneta auri, argenti, seu alterius metalli, ut praemittitur, ab omnibus universaliter & ubicumque locorum recipi & acceptari debeat, difficultate, impedimento & contradictione quibuslibet procul motis: Inhibemus etiam auctoritate Imperiali, ne quis Principum, Comitum, Baronum, Procerum, seu quaevis Universitas aut Communitas, cujuscumque eminentiae, status, dignitatis vel gradus existant, in fabricandis, disponendis & cudendis monetis eorum, signo, quod Lucana nostra Civitas imprimendum duxerit, uti praesumant, nam in eum casum, ubi contra fieret, illorum monetas, quae tali signo Lucensi repertae fuerint, falsas, adulterinas, illegales & injustas fore decernimus de plenitudine Caesareae potestatis, non obstantibus quibuscumque legibus, privilegiis, gratiis, & indultis, editis & factis in contrarium per quemcumque: quibus omnibus si & in quantum praesentibus in toto, aut in aliqua sui parte adversari censentur, auctoritate Caesarea ac de certa nostra scientia derogamus; Supplentes omnem defectum, si quis in praemissis dubia interpretatione verborum aut sententiarum, solemnitatis omissae, vel alio quocumque modo repertus fuerit, de certa nostra scientia & de plenitudine nostrae Imperialis potestatis: Nulli ergo hominum liceat, hanc nostrae donationis, largitionis, concessionis, decreti, statuti, inhibitionis, derogationis, defectuum suppletionis, & poenarum adjectionis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire, sub poena perditionis & amissionis omnium privilegiorum, jurium, libertatum & gratiarum, quae & quas a Nobis & Sacro Imperio, seu Romanis Imperatoribus & Regibus, Praedecessoribus nostris, sub quibuscumque tenoribus, sententiis, punctis, clausulis obtinuisse noscuntur, quae & quas in casu, ubi contravenerit, seu quis temeritate contravenire praesumpserit, annullamus, cassamus, irritamus, & pro nullis, irritis, ipso jure haberi volumus, & teneri, & sub poena mille marcarum auri purissimi, quas praeter poenas expressas superius ab eo, qui contrafecerit, totiens, quotiens contrafactum fuerit, irrevocabiliter exigi volumus, &c.

XI.

Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, omnium privilegiorum atque regalium, a Romanorum Imperatoribus Sacroque Romano Imperio Reipublicae Lucanae concessorum, confirmatio, d. d. 1. Septembris, Anno 1509.

MAximilianus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Ungariae, Dalmatiae, Croaciae Rex, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Lucemburgiae, & Geldriae, Landgravius Alsatiae, Princeps Sueviae, Palatinus in Habspurg, & Hannoviae, Princeps & Comes Burgundiae, Flandriae, Tirolis, Goritiae, Arthesiae, Hollandiae, Seelandiae, Ferretis, in Kyburg, Namurci, & Duisburgi, Marchio Sacri Romani Imperii super Anissum & Burgoviae, Dominus Frisiae, Marchio Sclavonicae, Mechliniae, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam. Meditari secum semper debetis, cui a DEO Opt. Max. gentium ac populorum regimen conceditur, ut sicuti rebellium perfidiam studet acriter ulcisci, & perditorum hominum mores suppliciis in melius imputare; ita non minori cura & diligentia gratitudinis suae vices in eos partiri, quos fide, observantia, assiduis laboribus & jugibus studiis ac meritis sese in dies magis gratos & acceptos sibi reddere oculata fide intuetur; hoc autem si minimi quique hominum rectores meminisse jure debent, eo diligentius Sacri Caesaris celsitudo perpendere tenetur, in quem fixis & intentis oculis singuli inspiciunt exempla virtutum omnium ac verae moderationis ac regiminis formam, speciemque humanae vitae & actionis ab eo reportaturi. Cum itaque Nos hac ratione ducti aestimantes, qua fide, qua constantia Lucensis civitas erga Nos & praedecessores nostros, Romanorum Reges & Imperatores se perpetuis temporibus exhibuerit, deficientibusque aliis multis devotione continua Sacro Romano Imperio adhae-

& Imperii fidelibus dilectis gratiam & omne bonum. Volentes Nos specialiter, ex certa scientia concessisse pro eorum sustentatione, Ducissæ collaterali & filiis olim Lucani Ducis, gabellas dictæ terræ Petrasanctæ, & vicariæ ipsius, usque in quantitatem florenorum quatuor millium auri annuatim: & intellecto, aliquos impedire conari, ac etiam dictas gabellas intercipi, & fraudari, & alias dictis gabellis abuti, in detractionem juris Ducissæ & filiorum prædictorum, & non intendentes nec volentes contra nostram permissionem talia acceptari, vobis & universitati vestræ, cæterisque de vicaria prædicta, & aliis præsentes literas inspecturis, per hæc scripta stricte committimus & mandamus sub pœna indignationis nostræ gratiæ, & quinquaginta marcharum argenti, pro quolibet & qualibet vice, qua fuit contrafactum, pro dimidia fisco nostro, & pro alia dimidia passo injuriam applicanda, quatenus de dictis gabellis dictæ Ducissæ, cum filiis Lucani Ducis ipsorumque nunciis & procuratoribus, juxta præmissa nostra pure integre respondeatis, & libere ipsas gabellas non fraudando, nec fraudari faciendo, consentiendo vel permittendo: & fraudatores ipsarum impedientes & interceptores juris & facti remediis reprimendo & stricte arcendo, cum coërcitione qualibet refrenando, sic quod dicta Ducissa & filii dictis gabellis nullatenus decipi valeant, vel fraudari, turbari, inquietari, vel molestari quoquo modo, directe vel indirecte, aliquo colore quæsito, ut nostra promissio firma prodiret, nullo mandato, præcepto vel inquisitione, prohibitione, comminatione vel inhibitione, seu sequestratione Lucani Vicarii vel Rectoris, seu alterius in aliquo obstitura. Quæ omnia in præsenti & futuro cassamus & irritamus, in ipsius Ducissæ & filiorum, & juris ipsius præjudicium volumus non valere usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, quod dicti Nobis & Imperio fideles extant. In quorum certitudinem, & prædictorum evidens testimonium, præsentes literas fieri jussimus nostro sigillo muniri. Datæ Pisis, die X. mensis April. XII. Indictionis. Regni nostri Anno XV. Imperii nostri II.

VIII.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris Decretum, in quo, quænam Castra, loca &c. ad Lucanum Commune & Civitatem jure pertineant, declaravit atque definivit, d. d. 8. Id. Jun. Anno 1369.

CArolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex &c. Quia pridem Imperialis nostra Lucana civitas subdita fuit manifestæ tyrannidi, & omnia castra, munitiones, fortiæ & pertinentiæ ipsius ab eadem alienata & alienatæ fuerunt, ita quod in grave ipsius Lucanæ civitatis dispendium sævæ tyrannidis exercitio tenerentur, nec tunc sciri potuit inter possessores illorum & illarum, quæ pertinebant ad alios aliqua nota distinctio, cum Pisani omnia pro libitu gubernarent, ne præfata Lucana civitas hujusmodi dubietate laboret, & ut futuris ejus dispendiis Imperialis munificentiæ remedio caveatur, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum Sacri Imperii fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra scientia & Imperialis potestatis plenitudine, decernimus, definimus, & declaramus, omnia & singula castra, roccas, munitiones, Comitatus, districtus, riparias, & alia quævis, quæ adnotantur inferius, ad Lucanum Commune & civitatem jure pertinuisse & pertinere, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate, salvo nihilominus pleno superioritatis directo & utili Dominio, quod ad omnes Successores nostros Romanos Imperatores & Reges, qui pro tempore fuerint, tanquam ad verum, legitimum, ordinarium & naturalem Dominum omni tempore pertinuisse, & pertinere declaramus, decernimus, & virtute præsentium definimus. Datum Lucæ 1369. octavo Idus Junii.

IX.

Juramentum solemne, Carolo IV. Romanorum Imperatori Anno 1369. a Lucanis præstitum.

NOs Antiani, populus, & Commune civitatis Lucanæ animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano præcedente consilio Nobis ad hoc una cum Senioribus nostris pluries in Consilio congregatis, Serenissimo ac Invictissimo Principi a Domino Carolo, vero, ordinario, naturali & legitimo Domino nostro, de maximæ suæ benignitatis effectuosa clementia cum omni humilitate & reverentia gratiarum actiones agentes pro eo, quod deliberatione benigna nos a servitute Babylonica tyrannidis liberaverit, eidem Domino ordinario Imperatori promittimus & juramus pro nobis, hæredibus & successoribus nostris in perpetuum, quodammodo in antea eidem clementissimo, vero, ordinario, naturali, & legitimo Domino nostro, & eo non existente, Romanis Imperatoribus & Regibus Successoribus suis, tanquam veris, naturalibus, legitimis, & ordinariis Dominis nostris obediemus, & parebimus perpetuo tempore absque renitentia in singulis eorum beneplacitis & mandatis, & ad eos, nec non Sacrum Romanum Imperium immediatum respectum habebimus, nullius alterius obtemperando nutibus seu mandato, quodque tamquam fideles subditi eorumdem Dominorum nostrorum profectum, statum, honorem, & vitam custodiemus fideliter, damna ipsorum & incommoda avertemus pro viribus, & tamquam subditi fideles, ut præmittitur, eis assistemus omni nostra potentia adversus omnes & singulos, qui ad detrimenta status, honorum, vitæ, seu profectus eorum aliquid tentabunt; & specialiter juramus, & promittimus, quod eis de gabellis introitus, proventibus & aliis quibuscumque juribus eorum ad plenum reddemus & solvemus, & hujusmodi subjectioni obedientiam & fidelitatem juramus & promittimus hoc juramento corporali, quod ad Sacra corporaliter præstitimus, tactis Evangeliis, sicut nos omnipotens DEus adjuvet, Evangelia sacrosancta &c.

X.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, præceptum, in quo Lucanis, utpote populo peculiari, Sac. Rom. Imperio longe fidelissimo, jus cudendæ monetæ concedit, de Anno 1369.

CArolus IV. &c. Quamvis de universorum Sacri Romani Imperii statu fidelium cura Nos dignitatis assumptæ & sollicitudo cottidiana fatiget, de Antianis, Communi & populo civitatis nostræ Lucanæ nihilominus major Nobis semper inesse debebit solertia, ut eo diligentius ejusdem civitatis nostræ & inhabitatorum ipsius salutem prosequamur & commoda, quo fidem ipsorum & magnæ virtutis constantiam experientia docente cognovimus inter cæteros subditos Majestati nostræ fideles evidentioribus operum indiciis claruisse; Nos igitur in animum mentis nostræ revolventes præfati Communis & populi nostri Lucani hanc comprobatam constantiam & notabilia suæ probitatis merita de circumspectionis eorum industria præsumentes, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum, accedente consilio, de certa nostra scientia & plenitudine Imperatoriæ potestatis honorabilibus & prudentibus Antianis, Communi & populo Civitatis nostræ Lucanæ prædicto, hæredibus & successoribus eorum in perpetuum, tanquam peculiari & fidelissimo populo Sacri Romani Imperii, damus, largimur & concedimus auctoritatem, facultatem & potestatem plenissimam, monetas auri, argenti, & cujuslibet alterius metalli pro honore, utilitate & bono statu civitatis ejusdem cudendi, fabricandi, faciendi, monetandi, & juxta deliberationem eorum eo, quod delegerint, signo signandi, cum omnibus privilegiis, juribus, libertatibus, honoribus & gratiis, quibus alii quicumque, cujuscumque status aut conditionis existant, consimilem habendo gratiam, usi sunt hactenus; Decernentes etiam hoc Imperiali Edicto perpetuo valituro, quod eadem moneta auri, argenti, seu alterius metalli, ut præmittitur, ab omnibus universaliter & ubicumque locorum recipi & acceptari debeat, difficultate, impedimento & contradictione quibuslibet procul motis: Inhibemus etiam auctoritate Imperiali, ne quis Principum, Comitum, Baronum, Procerum, seu quævis Universitas aut Communitas, cujuscumque eminentiæ, status, dignitatis vel gradus existant, in fabricandis, disponendis & cudendis monetis eorum, signo, quod Lucana nostra Civitas imprimendum duxerit, uti præsumant, nam in eum casum, ubi contra fieret, illorum monetas, quæ tali signo Lucensi repertæ fuerint, falsas, adulterinas, illegales & injustas fore decernimus de plenitudine Cæsareæ potestatis, non obstantibus quibuscumque legibus, privilegiis, gratiis, & indultis, editis & factis in contrarium per quemcumque: quibus omnibus si & in quantum præsentibus in toto, aut in aliqua sui parte adversari censentur, auctoritate Cæsarea ac de certa nostra scientia derogamus; Supplentes omnem defectum, si quis in præmissis dubia interpretatione verborum aut sententiarum, solemnitatis omissæ, vel alio quocumque modo repertus fuerit, de certa nostra scientia & de plenitudine nostræ Imperialis potestatis: Nulli ergo hominum liceat, hanc nostræ donationis, largitionis, concessionis, decreti, statuti, inhibitionis, derogationis, defectuum suppletionis, & pœnarum adjectionis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire, sub pœna perditionis & amissionis omnium privilegiorum, jurium, libertatum & gratiarum, quæ & quas a Nobis & Sacro Imperio, seu Romanis Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus nostris, sub quibuscumque tenoribus, sententiis, punctis, clausulis obtinuisse noscuntur, quæ & quas in casu, ubi contravenerit, seu quis temeritate contravenire præsumpserit, annullamus, cassamus, irritamus, & pro nullis, irritis, ipso jure haberi volumus, & teneri, & sub pœna mille marcarum auri purissimi, quas præter pœnas expressas superius ab eo, qui contrafecerit, totiens, quotiens contrafactum fuerit, irrevocabiliter exigi volumus, &c.

XI.

Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, omnium privilegiorum atque regalium, a Romanorum Imperatoribus Sacroque Romano Imperio Reipublicæ Lucanæ concessorum, confirmatio, d. d. 1. Septembris, Anno 1509.

MAximilianus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alsatiæ, Princeps Sueviæ, Palatinus in Habspurg, & Hannoviæ, Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Arthesiæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Ferretis, in Kyburg, Namurci, & Duisburgi, Marchio Sacri Romani Imperii super Anissum & Burgoviæ, Dominus Frisiæ, Marchio Sclavonicæ, Mechliniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam. Meditari secum semper debetis, cui a DEO Opt. Max. gentium ac populorum regimen conceditur, ut sicuti rebellium perfidiam studet acriter ulcisci, & perditorum hominum mores suppliciis in melius imputare; ita non minori cura & diligentia gratitudinis suæ vices in eos partiri, quos fide, observantia, assiduis laboribus & jugibus studiis ac meritis sese in dies magis gratos & acceptos sibi reddere oculata fide intuetur; hoc autem si minimi quique hominum rectores meminisse jure debent, eo diligentius Sacri Cæsaris celsitudo perpendere tenetur, in quem fixis & intentis oculis singuli inspiciunt exempla virtutum omnium ac veræ moderationis ac regiminis formam, speciemque humanæ vitæ & actionis ab eo reportaturi. Cum itaque Nos hac ratione ducti æstimantes, qua fide, qua constantia Lucensis civitas erga Nos & prædecessores nostros, Romanorum Reges & Imperatores se perpetuis temporibus exhibuerit, deficientibusque aliis multis devotione continua Sacro Romano Imperio adha-

adhæserit, ac jussis & mandatis nostris nullo unquam tempore repugnaverit, inspecta humili supplicatione honorabilium nostrorum ac Sacri Imperii fidelium dilectorum, Boni de Francischis & Hieronymi de Medicis, Legum Doctorum, prædictæ Lucensis urbis oratorum, qua a Nobis petebant, ut eidem Lucensi civitati, ejusque civibus & populo eorumque successoribus in perpetuum antiquissimam libertatem suam, ipsamque civitatem & territorium suum confirmare, concedere & approbare dignaremur, cum plena & libera potestate & autoritate juris dicendi per se & suos officiales, cum mero & mixto imperio & gladii potestate, ac omnimoda jurisdictione, & cum eisdem libertatibus & immunitatibus ac juribus, quæ & quas habuit hucusque ex antiqua consuetudine, & ad præsens habent, & quæ liberam decet civitatem, cum autoritate & potestate statuta municipalia condendi, condita confirmandi, nec non revocandi & limitandi, prout utilitati & pacifico statui subditorum, præfati cives & populus, successoresque eorum duxerint expedire, item cum autoritate & libera potestate creandi & ordinandi tam in dicta civitate quam in toto territorio, & in singulis locis dicti territorii Antianos, vexilliferum, justitiæ consiliarios, & alios quoscunque magistratus ordinarios vel delegatos, honores & bonorum officia in perpetuum vel pro certo tempore, quocunque illos nomine appellari contingat, cum mero & mixto imperio, ac omnimoda gladii potestate & jurisdictione, prout de tempore in tempus perpetuo videbitur expedire, item cum autoritate gabellas, datia, introitus, & alia onera extraordinaria quæcunque pro Lucensis Reipublicæ utilitate & necessitate inducendi, imponendi, exigendi, augendi, minuendi, moderandi, & si ipsis civibus ac populo, eorumque Successoribus, ut supra, videatur penitus tollendi & amovendi, item cum confirmatione omnium & singulorum privilegiorum, hactenus per Romanorum Reges & Imperatores, eorumque Vicarios, dictæ Lucensi urbi concessorum, & præcipue confirmare, concedere, dare & approbare eidem civitati, civibus, populo, & successoribus in perpetuum, quæ ad ipsam civitatem & ejus territorium, omnes libertates, immunitates, privilegia, & concessiones & jura concessas & concessa ICC Castruccio Lucensi civi ac Duci Lucano a divæ memoriæ quondam Ludovico, Romanorum Rege, sub die decima septima Novembris, millesimo trecentesimo vigesimo septimo, Regni ipsius anno tertio decimo confirmata, & repetita ab eodem Imperatore sub die quinta decima Februarii, millesimo, trecentesimo, vigesimo octavo, ita quod castrum montis Caroli, quod adhuc cum valle Nebulæ & valle Arni Barga & aliis locis licet indebite occupent & detineant, nec non dimissum fuerat castrum Motroni, quod tamen, DEO faciente, post multa tempora recuperavit, dignaremur ejusmodi obligationes, fœdera, conventiones, & pacta, onerum impositiones ac jurium renunciationes, quæ alienationem locorum a Lucensi civitate continebant, cum Florentinis, ut supra, vel cum aliis quibuscunque factas, de potestatis nostræ plenitudine declarare & definire, nullas & nulla, irritas & irrita fuisse & esse, & nullius penitus roboris vel momenti, tanquam facta & factas sine Cæsareæ Majestatis nostræ ac Prædecessorum nostrorum venia & autoritate, & in Sacri Imperii non modicum præjudicium, & tanquam injusta, violenta, & vi ac metu extorta, nec non declarare dicta omnia & singula loca, in privilegio Caroli IV. descripta, spectare & pertinere ad dictam Lucensem civitatem, prout antea spectabant & pertinebant, eique civibus & populo ab eorum occupatoribus esse restituenda prædictis pactis, conventionibus & renunciationibus, aliisque quibuscunque non obstantibus, & prædictum castrum Motroni, quod ad præsens per dictos Lucenses possidet, cum sit in privilegio prædicto Caroli IV. descriptum, juste, de jure & licite possideri, & ad ipsos Lucenses spectare & pertinere, supradictis omnibus non obstantibus; item quia mons Gragni prope Gallicanum per homines Gallicani per longissima tempora fuit pacifice possessus, & a quibusdam annis citra dictus locus ab hominibus Bargæ fuit de facto molestatus, qui jam diu, ut pessimi filii, ab eorum matre Lucensi Civitate ad Florentinos defecerunt, a quibus nunc violenter foventur & animantur, vellemus locum illum declarare & concedere in pertinentiis Gallicani, prout in veritate est, maxime attento, quod locus ille & iter per ipsum locum est porta & exitus ex Lucensi territorio, quo Lucensibus clauso, de facili a Florentinis obsideri possent, qui jam dudum omnia pene alia itinera terrestria, per quæ exitus ex agro Lucensi haberi potest, occuparunt. Item, quia alias præfata Lucensis civitas tam ex privilegio Caroli IV. quam ex antiquissima possessione & consuetudine habuit castra Viaregii & Motroni in litore maris, cum portu in mari & jure applicandi in terram, & in particulari portus Motroni fuit ampliori prærogativa nobilitatus, cum auctoritate onerandi & exonerandi species & specialiter sal & alias quascunque merces, & navigandi, de quibus omnibus in dicti Caroli IV. privilegio continetur, quæ privilegia tunc temporis expresse non fuerunt concessa castro Viaregii, forte quia tunc difficulter ad illud erat aditus per terram, nunc autem per industriam habitatorum & impensa Lucensium sint loca desiccata, & itinera frequentata, & castrum illud & locus sit aptus usibus civitatis Lucensis & mercatorum ejusdem, dignaremur etiam dicto castro Motroni portum cum suis privilegiis confirmare, & illa eadem authoritate Cæsarea Viaregio & ejus portui concedere, & in specie cum jure exonerandi sal, non obstantibus quibuscunque privilegiis, Januensibus, vel aliis quibuscunque hactenus concessis, de quibus etiam expressa mentio fieri deberet, de jure & consuetudine, etiam de verbo ad verbum, quæ nostra autoritate Cæsarea pro expressis habentur; item confirmare privilegia concessa per divæ memoriæ Carolum IV. Romanorum Imperatorem, Prædecessorem nostrum, majori Antiano vicario vexillifero Lucensis civitatis, qui per tempora fuerit, sub Anno Domini millesimo, trecentesimo sexagesimo nono, Indictione septima, octavo idus Junii, Regnorum ipsius anno vigesimo tertio, Imperii vero quinto decimo v. gr. creandi tabelliones, legitimandi, faciendi milites, restituendi minores ac majores ex justa causa, adoptandi, emancipandi, manumittendi servos,

vos, restituendi natalibus, jusque aureorum annulorum concedendi, cum opportunis legum derogationibus &c. Item privilegium dictæ Lucensi civitati concessum, quod in ea sit studium generale, & privilegia Scholaribus ac Doctoribus concessa ab eodem Carolo IV. sub eisdem anno, mense, die & indictione, item privilegium & autoritatem cudendi monetas aureas, argenteas, & ære contaminatas, concessum dictæ Lucensi civitati per eundem Imperatorem sub anno, die & Indictione prædictis, omnia & singula concessa & attributa dicto olim Castruccio, quatenus civitatem ipsam & territorium respiciant, data, concessa & attributa, ac donata intelligantur dictæ Lucensi civitati, civibus & populo, eorumque Successoribus in perpetuum, cum omni libertate, & regalibus, ut in ipsis literis continetur: item cum Lucensis civitas finitimos habeat potentiores, quorum injurias & vim plurimam passa est in præteritum, majoraque in futurum possint verisimiliter suspicari, si tam angustis finibus terminet; idcirco ut possit se suaque loca tutius regere & custodire, dignaremur eidem civitati, civibus & populo, eorumque successoribus in perpetuum confirmare, concedere, dare & approbare ipsam civitatem & ejus territorium, & ipsius territorii villas, castra, loca, fortalitia & pertinentias omnes, tam terrestres, quam maritimas, flumina, lacus, stagna, riparias, montes, plana, & omnia ac singula loca dicti territorii, territorium Lucensis civitatis declarando ac definiendo, quæ, & prout olim specificatum, declaratum ac definitum fuit per divæ memoriæ Carolum IV. prædecessorem nostrum, anno Domini millesimo, trecentesimo, sexagesimo nono, indictione septima, octavo Idus Junii, Regnorum ejus anno vigesimo tertio, Imperii vero quinto decimo; & si quando loca prædicta, aut aliquod eorum ad manus nostras devenerint, illa Lucensi civitati reddere dignemur, eidem Lucensi civitati ejusmodi loca recuperandi & retinendi veniam concedere ac potestatem impartiri, item introitus omnes & proventus ac vectigalia, civitatis & locorum omnium dicti territorii dictis civibus & populo ac eorum successoribus pro regenda ac protegenda civitate prædicta ac locis ejus in perpetuum concedere ac dimittere, prout hactenus per alios nostros prædecessores, Romanorum Reges & Imperatores, concessa ac permissa fuerunt, item quia Lucensis civitas ex vicinorum bellis & viribus coacta, ne reliqua etiam & urbem ipsam perderet, multa fœdera, pacta & conventiones iniit & fecit, in quibus sui territorii partem, nonnullaque castra, fortalitia, & loca alienavit, dimisit, & obligavit, vel onus aliquod imposuit, vel in illis juribus suis renunciavit, inter quæ loca Florentinis fuit dimissum, & prout in eo continetur. Item specialiter etiam confirmare declarationem factam per dictum Carolum IV. quod per concessionem per ipsum factam quibuscunque verbis, vel quocunque titulo Florentinæ urbi de quibusdam locis, in dicto privilegio descriptis, non inferatur aliquod præjudicium in locis in eo descriptis & expressis, ut in eo jure proprietatis Civitati Lucensi, & jura proprietatis salva & inconcussa Lucensibus consistere in dictis locis, prout in dicta declaratione continetur; volentes & cupientes pro solito instituto nostro bene merentibus viris gratia ac libertate nostra respondere, ut digni virtutum suarum præmiis invitati, alacrius Nobis & ferventius fideles esse possint & debeant, animo deliberato, motu proprio, ex certa scientia, ac de nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine, eidem Lucensi civitati, civibus, populo & successoribus eorum in perpetuum libertatem & universa & singula privilegia, literas, gratias, immunitates, concessiones, declarationes, quæ & quas super quibuscunque juribus, libertatibus, possessionibus, proprietatibus, exemtionibus, castris, locis, terris, mari, fluminibus, portubus, montibus, planis, itineribus, nemoribus, viis, stratis, passibus, ingressibus & egressibus, quibuscunque etiam specialibus vocabulis designentur, a Nobis & divis Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus, seu eorum Vicariis, & Sacro Romano Imperio obtinuerunt, & præsertim privilegium Castruccio, civi Lucensi & Duci Lucano, per divæ memoriæ Ludovicum, Romanorum Regem, & alia privilegia per Carolum IV. superius specificata & adnotata, in omnibus suis articulis, sententiis, punctis, & clausulis de verbo ad verbum, prout scripta, seu scriptæ sunt, ac si tenores omnes forent præsentibus inserti, ac ea omnia & singula, quæ dictæ Lucensis Civitatis cives & populus tenent, habent, & possident, sive antehac tenuerunt, & possederunt, & ea omnia, quibus de jure vel consvetudine utuntur, & quomodolibet pro commodo, honore, & utilitate ac necessitate Reipublicæ suæ usi hactenus fuerunt, innovamus, approbamus, ratificamus, & de singularis nostræ benignitatis gratia, tenore præsentium confirmamus, libertatemque, Territorium, & Territorii declarationem, & omnia & singula superius in his literis per eos petita & specificata, juxta ipsorum oratorum petitionem & supplicationem de novo concedimus, damus, et elargimur, et declaramus, specialiter declarantes, non fuisse unquam intentionis nostræ aut nostrorum prædecessorum, per aliquam concessionem, quomodocunque, cuicunque, aut qualitercunque factam, fidelibus nostris Lucensibus aliquod præjudicium generare, non obstantibus quibuscunque legibus et consuetudinibus in contrarium facientibus, etiamsi de ipsis de jure vel de consvetudine esset expressa mentio facienda, quæ omnia hic pro expressis habeantur, et non obstantibus quibuscunque gratiis, literis aut privilegiis, quibuscunque aut cuicunque concessis, quæ quoquo modo facerent contra prædicta, etiamsi de ipsis esset expressa mentio facienda, annihilantes & annullantes omnia et singula in horum contrarium forsan acta, supplentes nostra prædicta autoritate omnem defectum vel citationis aut ordinis obmissorum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ innovationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, largitionis, donationis, novæ concessionis, ac declarationis paginam infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, gravem nostræ indignationis offensam et pœnam centum marcharum auri puri se noverit incursurum, quas ab eo, qui contra fecerit, toties, quoties contra factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & medietatem fisco Imperialis Cameræ, residuam vero partem injuriam passorum usibus decernimus applicari, præsentium

ſentium ſub noſtræ Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum. Datum in caſtris noſtris feliciſſimis apud Paduam, die prima Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo quarto, Hungariæ vero vigeſimo &c.

Serenteiner.

Ego Chriſt. qv. Petri de Juſtii, Lucenſis civis, publicus ac Imperiali autoritate Notarius, & ad præſens Cancellarius Illuſtriſſimorum Dominorum Antianorum Lucenſis civitatis fidem facio & atteſtor, ſupra præmiſſam copiam Privilegii Maximiliani Imperatoris, prout jacet, eſſe fideliter extractum, nullo addito vel diminuto ex antiquo originali ſimilis tenoris & continentiæ, extracti & publicati in charta codina cum appenſione magni imperialis ſigilli, cum cordulis ſericeis nigris & auri, in forma probanti, longo tempore & diligenter cuſtoditi ſub fidiſſima, accurata, & ſolita cuſtodia diverſarum ſcripturarum & officialium loci nominati Jarpeæ, ubi ſolitæ ſunt conſervari & cuſtodiri ſcripturæ publicæ, & monumenta ſpectantia & pertinentia ad regimen & juriſdictionem civitatis Lucenſis & ejus ſtatus, & in fidem & teſtimonium prædictorum, diligentique mea collatione præmiſſa, & omnibus & per omnia de verbo ad verbum concordare inventæ, ſubſcripſi nomen meum & officii cancellariatus prædicti ex autoritate & mandato Illuſtriſſimorum Dominorum prædictorum ſimul cum ſolito meo ſigno Tabellionatus appoſui hac præſenti die p. a. Julii, 1587.

(L.S.)

XII.

Laudum, vi cujus lites atque difficultates inter Lucenſem Rempublicam, homines atque Univerſitatem Montignoſi ex una; nec non homines atque Univerſitatem Maſſæ ex altera parte, de limitibus exortæ, compoſitæ ſunt atque ſopitæ, d. d. 20. Novembr. Anno 1538.

IN DEI nomine Amen. Alphonſus Davalos de Aquino, Miles aurei Velleris, Vaſti Marchio &c. Generalis Cæſareus in Italia Capitaneus, Judex arbiter, arbittraor, arbitramentator & amicabilis compoſitor ab infraſcriptis Magnificis Dominis Lucenſ. & ipſorum Univerſitate, ac ab hominibus & Univerſitate Montignoſi ex una, & Illuſtriſſimis Domina Lucretia Eſtenſi, ex Domina Riacarda Malaſpina Marchioniſſis Maſſæ, & ab hominibus & Univerſitate terræ Maſſæ, & ejus Vicariæ ex altera electus, & deputatus, & Nos Hyppolitus Quintius de Alatro, J. U. Doctor, & præfati Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, ac totius exercitus Cæſarei in Italia Auditor Generalis, & ab ipſo Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Commiſſario & a præfatis Dominis Lucenſ. & Maſſenſibus judex, arbiter, arbitrator, & arbitramentator, & amicabilis compoſitor ſpecialiter deputatus, ut appareat in compromiſſo facto die 24. menſis Auguſti inſtantis anni 1538. per manus publici Notarii & Joſephi Piſcienſis de Luca, ſedentes pro tribunali in loco, qui eſt ſummitas Montis Pepi, ſub quadam Caſtanea, qui locus eſt unus ex terminis territorii inter dictas partes, quem locum ad hunc effectum elegimus, imprimis eligentes viam arbitratoris, & arbitramentatoris, & amicabilis compoſitoris, ac etiam quamcunque aliam viam, quæ poſſit magis hunc præſentem actum melius quomodolibet juvare ad ſubſiſtentiam & validitatem, & reſervantes omnia alia, quæ in præſentiarum non determinarentur, & declarentur hodie præfato Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo, & Nobis impoſterum quandocunque melius viſum fuerit decidenda, declaranda, & terminanda.

Viſo compromiſſo præfato, viſa proxima monitione per Nos facta ambabus partibus, ut venirent propoſituri, & reſponſuri incumbentia, & videndum procedi deinceps ad omnes & ſingulos actus, usque ad ſententiam incluſive, viſis comparitionibus & reſponſionibus ipſarum partium, viſis mandatis Procuratorum, viſo termino dato ad probandum, viſis libellis, & exceptionibus partium, viſo termino dato ad ſpecificandum damna, & ad conteſtandam litem; viſa ipſius litis conteſtatione, & termino partibus dato ad probandum & defendendum, viſa proteſtatione, & per Nos facta, quod per quemcunque actum non intendebamus recedere in via arbitratoris, & arbitramentatoris & amicabilis compoſitoris, & quod Nobis ſemper maneret autoritas amplior conceſſa: viſo juramento calumniæ, viſa ratificatione Illuſtriſſimæ Dominæ Riccardæ, viſis ſæpe ſæpius locis, & auditis ipſis partibus in dictis locis; viſis productionibus, citationibus, juramentis, & dictis teſtium, viſis teſtibus examinatis ad futuram rei memoriam pro parte Maſſenſ. productis, viſis interrogatoriis, viſis prorogationibus termini, viſis articulis ſecundo loco productis; viſa prorogatione compromiſſi in prædictum Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum & Nos facta: viſo laudo producto pro parte Maſſenſ. & Lucenſ. lato de Anno 1417. in carta edina, ſeu pergamena per manus Notarii Giorgii, olim Antonii Factioli de Captaneis de Maſſa Lucenſ. ac etiam per manus Joannis, olim Michaelis de Gallicano, Notarii Lucenſ. & alia inſtrumenta facta ſub die 20. menſis Maji, 1491. per manus Hieronymi, olim Nicolai Gerardi, Notarii de Luca, in quo declarant termini ſummitatis Captariæ, & Rondinariæ, & determinant in dictis locis Rondinariæ ſeminari non poſſe, nec non viſis duobus aliis laudis productis per ipſos D. Lucenſ. unum videlicet de Anno 1324. Indictione octava, die XX. Septembris per manus Oppizonis, quondam Domini Binni de Carrelia, & aliud de Anno 1327. Indictione X. die 27. menſis Aprilis, ſive aliis datis, ſeu temporibus verioribus per manus Caſtrucii, quondam D. Pelli, Notarii de Buggiano, roboratos per tres alios Notarios, viſis quibusdam eſtimis, circumdariis terminationibus finium, productis per Dominum Albertum, Procuratorem Lucenſem & aliis Maſſenſ. viſa concordii confeſſione, facta a partibus, & concordia de locis, in quibus concordant: viſa autoritate attributa 9. civibus Lucenſis civitatis, nec non confirmatione & approbatione compromiſſi in præfatum Excellentiſſimum Dominum, & in Nos facta per Magnificum Conſilium generale Lucenſis

censis civitatis: visa publicatione testium: visa oblatione per Nos partibus facta de recipiendo, si quæ haberent probanda, viso termino dato ad opponendum: visis oppositionibus contra testes factis, visis allegationibus & aliis juribus in scriptis productis, & auditis Advocatis in voce plures, & discusso in eorum præsentia processu. Visis citationibus, monitionibus, & relationibus opportunis: visa etiam citatione facta D. Alberto de Martinis, Procuratori Magnific. Lucens. & Universitatis & hominum Montignosi, & D. Dominico de Baldatiis Procuratori Illustrissimæ Dominæ Lucretiæ Estensi, March. Massæ, quæ pro Illustrissima Domina Ricciarda Marchionissa, ejus filia, de rato promisit, & D. Pellegrino de Albertis, Procuratori universitatis & hominum Massæ pro hac præsenti die & hora, & loco ad audiendum determinari super quibusdam articulis & differentiis inter ipsas partes vertentibus, cum reservatione aliorum, prout in dicta citatione: visa relatione nuntii non recedendo modo aliquo ab ampliori autoritate, & potestate Nobis attributa, nec ad aliquid Nos adstringendo, quod ipsi autoritati & potestati deroget, reservando alia decidenda super aliis non decisis, & reservando etiam omnem autoritatem, tam in non decisis, & non determinatis, quam in declarando decisa & determinata, & in melius reformanda tam prædicto Excellentissimo, quam Nobis durante tempore compromissi, & ejus prorogationis factæ, aut fiendæ a dictis partibus.

Christi JEsu, Hominis veri, DEI Servatoris nostri nomine, numine, & lumine invocato, qui illuminat omnem hominem, & de cujus nutu recta judicia veniunt, & in cujus lumine oculi judicantium videntes veritatem talem, arbitramentum, & amicabilem compositionem, arbitrium, laudum, decisionem, terminationem & concordiam, sive modis præfatis sententiam ferimus, damus, pronunciamus, declaramus, componimus, terminamus, laudamus, sentimus, & sententiamus in his scriptis, ut infra, videlicet intendentes, imprimis declarare ponere, & statuere, seu restaurare terminos divisorios inter dicta Comunia Massæ ex una, & Montignosi ex altera pro bono pacis & concordiæ, & ne iterum partes ad rixas, scandala & ad arma deveniant, ut melius Domino annuente visum fuerit, immutare, seu adjudicare & reformare; Imprimis instaurentur termini & reficiantur, qui sunt a mari & apud mare, videlicet primus terminus in eo loco, ubi est apud littus maris erectus, apparet; Item terminus, qui dicitur a fossaria & in principio cujusdam fossæ, & eundo secundum dictam fossam recta linea usque ad terminum positum in loco dicto il Valico, quem locum dicimus & declaramus esse in angulo, qui efficit per lineam, quæ venit a meridie ad septentrionem per viam marinam, & ab alia linea, quæ in dicta via marina producit fossam, quæ dividit proprium a communali ab occidente ad orientem, qui locus est ille, qui Nobis demonstratus, & verificatus extitit per homines de Massa, & a dicto termino de Valico eundo per viam prædictam usque ad locum dicto in Delbio Caparrato juxta ipsam viam marinam semper recta linea, & exinde eundo, & declinando versus partes occidentales per viam quæ vocatur strada Necchia usque ad terminum positum in platea S. Christophori prope dictam Ecclesiam juxta viam de Fossone, & exinde vertendo ad partes septentrionales eundo, & ascendendo per dictam viam del Fossone usque ad terminum ibi supra viam positum, & exinde ascendendo & eundo recta linea, usque ad terminum positum in Pede montis Pepi supra viam, qua itur a Massa ad Montignosam per duas Cannas, qui terminus est in Pede montis Pepi, & exinde ascendendo recta linea usque ad summitatem Montis Pepi, ubi mandamus refici terminum lapidibus, calce & cæmento erectum juxta saxum magnum, qui terminus dividat per medium dictum Montem, & a dicto termino descendendo versus partes septentrionales per eam lineam, quæ respicit inter axem, seu polum septentrionis, qui a nautis dicitur Tramontana, ad occidentem, videlicet versus ventum vocatum a Vittraccio, & a latinis causæ, a nautis vero Maestrale usque ad Piandarlo, ubi ultra viam mandamus refici terminum ut supra muratum, & a dicto termino declinando aliquantulum versus dictum axem, descendendo usque in canale Turani, intelligendo ipso canale, ubi jam plenum est sub castaneis, & non in fonte dicti canalis, sed secluso & relicto alio fonte longe superius ad manum dexteram, & transeundo per dictum canale, ubi jam plenum est, & ultra dictum canale usque in pede collis, qui est in conspectu Montis Pepi versus septentrionem, & dividitur ab ipso Monte Pepi per dictum canale, & est collis, qui supereminet, & transcendit summitatem & altitudinem Montis Pepi per directum versus partes septentrionales, quem collem ultra dictum canale recognovimus esse collem ultra dictum canale Mezzanum usque ad summitatem ipsius collis in pede dicti collis Mezzani, seu in principio ascensus, qui distat a canale, videlicet a saxo magno, quod est in dicto canali juxta confinia castaneti Joannis Corarii per perticas 34. mandamus construi terminum, qui respiciat recta linea dorsum, seu stienam, quam vocant setam, seu setulam, & sic eundo a dicto termino ponendo ultra in pede dicti collis Mezzani recta linea per dorsum seu stienam, seu setulam dicti collis Mezzani usque ad summitatem extremam dicti collis, in qua summitate mandamus refici, & reponi alium terminum, ut supra, & a dicta summitate collis Mezzani eundo per jugum, seu dorsum, aut setam, aut setulam, sive summitatem collium, usque ad collem scriptum semper per ipsa juga collium, qui collis scriptus est collis inter dictum collem Mezzanum & collem Machietti, qui parum se elevat, & est parum acclinis, seu parum erigitur, videlicet, quod jugum suum leviter elevat versus Montem collis Machietti, & summitatem dicti collis scripti. Mandamus construi alium terminum, ut supra, & a dicto termino collis scriptum eundo semper per juga & per dorsum, seu summitates Montium, quas vocant setas, seu setulas, usque ad ascensum collis Machieti in loco, qui dicitur il Pianazo, seu colle Remondo, quem locum recognovimus & declaramus esse Pracorrado in Laudis productis nominatum, ubi etiam mandamus construi alium terminum, ut supra, & a dicto termino posito in ascensu, sive in pede collis Machieti, sive ut vocant lo Pianazzo, vel piano io summo del colle

Remondo, & ascendendo recta linea per dorsum jugum seu setam, seu setulam ipsius, & per summitatem ipsius collis Remondi usque ad altiorem summitatem ipsius collis Machietti, ubi etiam mandamus construi terminum, ut supra, & eundo semper per juga, dorsa & summitates collium, usque ad summitatem Pasquiglierii, quæ summitas evidens est, & termino non eget, mandamus tamen ibi poni alium terminum, & a dicta summitate descendendo per setam, seu schienam usque ad faucem Pasquiglierii; ubi in dorso mandamus etiam poni alium terminum, qui recipiat ab uno latere dictam summitatem montis Carechii, & sic eundo per dorsum seu setam collis usque ad summitatem montis Carechii, quæ per se evidens est super omnes alias summitates prædictas, & sic quicquid est a dictis terminis littoris, maris, fossariæ, Valici, Debbii, Caparruti, Plateæ S. Christophori, Fasconi Pedis, Montis Pepi, Piandarli, Canalis Turani, & Pedis collis Nezzani, summitatis collis scripti, Pedis collis Machietti seu Procarradi, summitatis collis Machietti, summitatis Pasquiglierii, dorsi, faucis, seu faucis Pasquiglierii & summitatis Montis Carechii, eundo semper in collibus & montibus per juga, per dorsa, per summitates & setas, seu setulas dictorum collium, & montium quicquid inquam est a dictis jugis, dorsibus, summitatibus, prout aqua pendet, cadit, labitur seu versat in montibus, & prout termini designant in plano versus Montignosum, sit, & esse debeat liberum & expeditum territorium, & in plenum jus, proprietatem, & Dominium Montignosi, in quibus Universitas & homines Massæ, & ejus Vicariæ nullum omnino jus habeant, exceptis locis, quæ pro communali restant in plano, de quibus infra dicemus, & quidquid a dictis terminis, prout aqua versat in montibus, & prout termini designant in plano, invenitur versus Massam, sit, & esse debeat liberum & expeditum territorium, & in plenum jus, Dominium, & proprietatem Massæ, ita quod in eis homines & Universitas Montignosi nullum omnino jus habeant: Declarantes & expresse protestantes, quod cognovimus, quod lauda prædicta assignant hominibus & Universitati de Montignoso, ad communem usum pascendi, lignandi, seu boschegiandi, cum eorum bestiis, & personis, cum dictis de Massa ultra summitatem & jugum collis Machietti, & faucis, Pasquiglierii, & Carechii versus villas Massæ, ut a Pracorrado eundo ad Grotta Roscia, & ad piastra, ubi consuevit esse Grotta cruciata, & deinde eundo & ascendendo in Canale usque ad locum, qui dicitur le Fornello, & a dicto loco le Fornello eundo & ascendendo per setam collis, seu Grotta, quæ dicitur Grotta Rondinaia, & exinde eundo & ascendendo usque ad summitatem montis, quæ dicitur Capraria, quæ loca ad obviandum scandalis, & pro bono pacis adjudicamus dictis de Massa, ita quod dictus usus communis pascendi. & bosseggiandi, ut supra omnino finiatur, & extinguatur, & quod compensetur, & compensari debeant, prout decet, prædictis de Montignoso in aliis imposterum determinandis; Item dicimus, declaramus, & terminamus, ut supra, quod communale in plano sit & esse debeat a dictis terminis, videlicet a termino in littore maris a termino fossariæ, & a termino, quem refici mandamus al Valico usque ad Cinquariam, & ad aquas ipsius Cinquariæ & lacus occidente in orientem, & a mari usque ad silicem, & ultra dictam silicem usque ad terminum positum al Boccholasso, & prout dictus terminus cum illo del Valico, & aliis ponendis designabunt a meridie ad septentrionem; Item declaramus, quod confines seu confinia, quæ dividunt dictum communale a proprio Montignosi versus septentrionem, sunt infrascripta, videlicet a termino, quem refici mandavimus in loco Valico, eundo recta linea per fossam, quæ ibi apparet cavata & ducta usque ad terminum, qui apparet hodie al Bocchilasso, quem mandamus restaurari, & sic eundo recta linea versus locum prædictum, reficiatur alius terminus, qui sit in medio inter dictum terminum Bocchilassi & locum, & a dicto termino recta linea semper usque ad ripam lacus, ubi etiam erigi & poni mandamus alium terminum, & quidquid infra dictos terminos concluditur, sit & esse debeat, sic certa est proprietas Communis, & hominum Montignosi, & sit, & intelligatur ad usum communem pascendi & boscheggiandi Communium universitatis, & hominum Massæ & Montignosi prædictorum, non obstante, quod proprietas illorum sit de Montignoso. Ratis manentibus aliis, quæ circa hæc reperiuntur laudata & determinata in laudo Anni 1417. Indictione 10. die 22. mensis Junii. Item, absolvimus & liberamus prædictos de Massa a solutione pretii fœni sechati, & recollecti in dicta communali. Item volumus, quod eligantur duo agrimensores infra diem sequentem, qui habeant mensurare, & numerare per pertichas spatia inter terminum, & terminum in prædictis designatis ad hoc, ut imposterum melius termini cognoscantur, & quod ipsorum mensuratio & numeratio scribat in pede hujus nostri laudi, seu sententiæ, seu arbitramenti, vel compositionis; Item, quod quolibet mense dictæ universitates teneantur facere visitare terminos, & si terminus inveniatur mutilatus, vel dirutus, aut motus in montibus, teneatur universitas Massæ reficere infra dies octo a die notitiæ sub pœna scutorum centum applicandorum Communi Montignosi, si vero inveniatur mutilatus, seu dirutus in plano, tunc illi de Montignoso teneantur illum reficere infra eundem terminum, & sub eadem pœna applicanda Communi Massæ, quod si is, qui mutilaverit, devastaverit, vel moverit aliquem dictorum terminorum, sit Montignosi, vel ibi habitator fuerit, tradatur potestati Massæ, qui illum justis pœnis puniat: si vero Massensis, aut ejus vicariæ vel ibi habitator fuerit, tradatur potestati Montignosi justis pœnis subjiciendus, si capi & haberi potuerit; & tunc capi, & haberi posse dicatur, quando verisimiliter per officiales ipsorum Communium capi potest, & non caperetur & illa universitas, cujus erit, vel ubi habitaverit dictus delinquens, teneatur ipsum capere, & tradere sub pœna scutorum ducentorum, applicandorum alteri universitati, quæ pœnæ si non solvantur infra decem dies, postquam constiterit, ipsam universitatem incidisse in pœnam, duplicentur & solvantur sub pœna in compromisso contenta. Et ita dicimus, declaramus, terminamus, terminos ponimus, confinia limitamus,

regimus

regimus & ſtatuimus, laudamus, arbitramur, arbitramentamur, addicimus, componimus, ſententiamus, ſentimus, abſolvimus & reſervamus, volumus, mandamus & decernimus omni meliori modo, via, jure, ratione & forma, quibus melius poſſumus & debemus, & decernimus omni meliori modo, ut debemus.

Qui Magnificus Dominus Hypolitus Auditor, & arbiter ut ſupra rogavit nos infraſcriptos Notarios in ſolidum, ut de prædictis publicum conficeremus Inſtrumentum in ſolidum; data, lata, dicta, & in his ſcriptis pronunciata ſententia, compoſitio, laudum, arbitrium, arbitramentum, & compoſitio prædicta per ſupraſcriptum Magnificum legum Doctorem, DominumHypolitumQuiritiumAuditorem ut ſupra, & ſedentem pro tribunali in loco ſupraſcripto, & publicata per Dominum Ludovicum olim Alexandri, Notarium publicum Maſſenſ. & Laurentium Tier, civem & Notarium publicum Lucenſem, & me Aloyſium Caſalem de Laureto, Pinnenſis diœceſis publicum Notarium &c. præſentibus Pannfilio, quondam Giorgii de Teſtentio Spoletaneæ diœceſis, Hierolimo Joanni Baptiſtæ de Azareto, Stephano quondam Michaelis de Linario Lavaniæ, Martino olim Joannis de Ticcolis de Seſtro Lavaniæ, omnibus diœceſis Januenſis, Antonio Pauli de Ciris de Surone Annaniæ diœceſis, & Hypolito quondam Trardi de Laureto Pinnenſis diœceſis ad prædicta vocatis, habitis & rogatis &c. Die 20. menſis Novembris, milleſimo, quingenteſimo trigeſimo octavo, & 11. Indictione.

Præſentibus ſupradictis D. Dominico & D. Pellegrino Procuratoribus, modis & nominibus in cauſam dictarum ſententiarum, laudum, ſeu compoſitionem & arbitrium acceptantibus, & gratias agentibus prædicto Magnifico Domino Auditori de juſtitia bene adminiſtrata omni meliori modo &c. præſente Domino Alberto de Mantinis, Procuratore Magnificorum Lucenſ. & nihil dicente &c.

(L. S.) Ego Aloyſius Caſalis de Laureto Pinenſis Diœceſis, Publ. Apoſtolica, Imperiali & Regia autoritatibus Notarius.

(L. S.) Ego Ludovicus, olim Alexandri Notarius.

(L. S.) Ego Laurentius, olim Thomæ Tieri de Luca Notarius.

(L. S.) Ego Franciſcus de Angeli Serviti Maſſenſ. Publicus DEI gratia Apoſtolica Imperialique autoritatibus Notarius, & in Collegio DD. Notariorum civitatis Maſſæ Ducis deſcriptus & aggregatus, ſupraſcriptam ſententiæ arbitramentalis copiam, licet aliena manu ſcriptam inibi, tamen fidam extraxi ex ſuo Originaſi alligato in protocollo diverſarum ſcripturarum, exiſtenti in archivio Sereniſſimæ Ducalis Cameræ Maſſenſ. cum quo facta prius per me debita collatione, quia de verbo ad verbum concordare inveni, ideo in fidem hic me ſubſcripſi, ſolitumque mei Tabellionatus ſignum requiſitus appoſui hac die 24. Auguſti 1723. Indictione prædicta.

(L. S.) Collegium & Proconſul DD. Notariorum civitatis Maſſæ Ducalis notum facimus, ſupradictum Dominum Franciſcum Serviti fuiſſe, ac ſe eſſe publicum, authenticum, legalem, fideque dignum Notarium, & in Collegio noſtro deſcriptum & aggregatum, ejusque tam publicis, quam privatis ſcripturis ſemper adhibitam fuiſſe, ac de præſenti plenam indubiamque fidem adhiberi in judicio & extra. In quorum &c. Hac die 24. Auguſti 1723. Indictione prima.

(L. S.) Antonius Guerra, Notarius Publicus Maſſæ, dictique Collegii &c.

XIII.

Declaratio Laudi antea inſerti per arbitros communes, ab utraque litigantium parte electos, promulgata, d. d. 31. Julii, Anno 1599.

In nomine Domini Amen. Die 31. & ultima Julii, 1599. Indictione 12.

In Noſtrorum Caroli Ciuffarini, civis Lucenſis, & Petri Guerræ Maſſenſ. Notariorum in ſolidum rogatorum præſentia.

Cum ſit, quod per cauſam, & occaſionem alicujus ſententiæ & laudi dati ac datæ pro terminatione confinium communitatum inter & homines de Montignoſo ſtatum veſtræ Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ Reipublicæ Luccæ ex una, & inter Communitatem ac homines de Maſſa Lunegiana, ſtatum Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Principis dicti loci de Maſſa ex altera parte rogatum per D. Laurentium Jieri, Notarium Publicum a Lucca, & D. Ludovicum de Alexandro, Notarium Publicum de Maſſa ſub 20. Novembris, 1538. ac per alias ſententias & lauda data antehac dictas inter partes natæ fuerint differentiæ & controverſiæ, cum ille Comitatus, & homines de Maſſa prætendant ex occaſione dictarum ſententiarum & laudorum declarantium, quod communiale poſitum in marina debeat eſſe ad uſum communem inter illos Comitatus, quoad paſcendum, & ligna cædendum, & quemadmodum in dicto laudo Anni 1538. Capite: *Item declaramus*, verſu, qui incipit: *& quidquid*, eſſe illis licitum & permiſſum, ſecare & ſcindere lignorum faſces in dicto loco ad ſuum beneplacitum, ut & pariter ſcindere & tollere ſtipites, aliaque lignacea ex ipſo loco, ac per Communitatem, hominesque Montignoſos, quod ratio & facultas conceſſa, ut ſupra, Communitati, hominibusque de Maſſa per dictum Laudum vel ſtipulationem, & per alteram antecedentem non extendatur, niſi admittendas & tenendas in dicto loco beſtias ſuas ad paſcua, & ad utendum illis lignaceis ad hoc, quod ex dicta cauſa in loco occurrere poſſet.

Quemadmodum etiam dicta Communitas & homines Montignoſi prætendunt, quod intra terminos declarati territorii ſui, & terminati, ut in dicto laudo per Communitatem & homines de Maſſa ſuam Vicariam indebite occupatur, aliqua pars in monte, & in

& in plano, super quas prætensiones exorituræ forent lites cum sumptibus multis, multisque partium ambarum laboribus, atque ex hoc sit, quod, post longum tractatum concordiæ, tandem pro bono pacis, & ad effugiendum omne scandalum inter dictas Communitates hominesque, ac ad accommodandam utrique parti quietem, ventum fuerit ad infrascriptam conventionem, concordiam, transactionem, & pacta cum quibus, & quæ ipsæ partes ad perpetuam memoriam, & firmum inviolabileque stabilimentum intendunt, ac volunt, ut fiat publicum Instrumentum in forma validæ rationis, omni meliori modo. Propterea constituti personaliter Magnificus Doctor Hanibal Piniellotti, & Camillus Ajola, & Antonius Giamoni de Massa, Procuratores & Deputati Communitatis, hominumque de Massa, vigore mandati sui manu Domini Petri Antonii Castagnino, Notarii publici de Massa rogati sub die 20. Junii 1599. proxime elapsi, cujus Copiam in publica & authentica forma ipsi Procuratores, & Deputati dant, & relinquunt in manu trium infrascriptorum Procuratorum & Deputatorum Montignosorum ex una parte, quæ Copia inserta erit in fine præsentis Instrumenti, & Fabius Pertolucci, Johannes di Marco Branchi, & Joannes Baptista Orlandi, omnes tres Procuratores, Montignosi, ac in nomine Communitatis hominumque Montignosorum, vigore mandati sui manu egregii Domini Darii Ciomei, Notarii publici de Luca rogatus sub præsente die, cujus Copia similiter in publica & authentica forma fuit relicta in manu trium dictorum Procuratorum & Deputatorum de Massa ex altera parte, quæ pariter erit inserta in fine præsentis Instrumenti pro suis in dictis modis & nominibus, suisque in ipsis Communitatibus respective successoribus, salvis tamen semper infrascriptis declarationibus venerunt, & veniunt ad infrascriptas compositiones, concordiam, actionem & pacta, ut hic prope:

Quod de loco & locis, ubi nascuntur, & faciunt fasces, in loco supradicto communale fieri debeant per totum Augustum proximum duæ partes adæquales in hoc modo, id est, ut primo videatur, an supradictæ Communitates inter se concordare possint, quo faciant & assignent unam ad alteram respective dictarum duarum partium, atque hoc non succedente mittatur in sortem, quænam ex duabus partibus seu Communitatibus dictas suas partes facere debeat, atque illa, in quam sors faciendi partes non cadat, eligere debeat, quænam illarum partium ipsi magis placebit, ut dicta divisio annos quinque proximos serviat, ut proxime dicetur, cum illis considerationibus, quæ convenientes apparebunt pro majori dictarum Communitatum commoditate, ac hominum, quarum partium una (salvis declarationibus infrascriptis) serviat quantum ad usum Communitati hominibusque Montignosis, quatenus quævis illarum possit, sitque licitum illi in parte assignata & deputata ad usum suum, ut supra, expresse resecare, cædere, & extrahere in dicta parte, frutices, cannas, sordonos, lignea legmina, paleas aliquas, herbas palustres, quando etiam non venissent ad debitam maturitatem, incipiendo a Calendis Septembris inclusive cujusvis anni usque ad Calendas Martii cum declaratione, quod in parte unius dictarum Communitatum non possit, nec licitum sit alteri Communitati, & hominibus, & singularibus personis cædere ex illa, neque frutices, neque aliud quid, ac similiter Communitati & hominibus, & singularibus personis illarum non sit licitum, sed expresse prohibitum, etiam in partibus assignatis suæ Communitati cædere neque secare fruticem, neque aliquid aliud extra supradictum tempus, sub pœna & obligationibus infrascriptis, respective, hoc est, quantum ad particulares pro quovis curru 20. scudos, seu coronatos, pro quavis summa octo scudos coronatos, & pro quovis fasciculo duos scudos, seu coronatos, & quantum ad Communitatem mille scudorum seu coronatorum, sicut dicitur in fine præsentis Instrumenti.

Cum pacto, quod non intelligatur per supra dictam divisionem & assignationem faciendam velut supra impediri in aliqua parte pabulum, sed quod pabulari sit liberum in omni tempore pro una, & pro altera parte in toto illo loco ad usum communem, non obstante tali paritione & assignatione, sic enim fuit pactum: Quod loci supradictorum fruticum, qui assignati erunt, ut supra, debeant intra dictum tempus Mensis Augusti proximi distingui, & separari cum terminis apparentibus taliter, & non solum recognoscantur clare ex residuo communalis, verum etiam & principaliter, ut illi assignentur, veluti supra, uni dictarum Communitatum, facile dignoscantur ab illis, qui assignati fuerint alteri, ac tales termini intra idem tempus ponendi ad communes sumptus conformiter divisioni, quæ facta fuerit.

Quod eodem modo, & præcedente sorte (si non per concordiam terminaretur, ut supra, & intra idem tempus vel terminum) debeant pariter fieri duæ partes æquales lignorum & sylvæ dicti ipsius communalis, quatenus illa dicta divisio supradictis per proximos quinque annos serviat, & duarum illarum partium distinctarum & separatarum cum terminis apparentibus, una harum assignari debeat Communitati hominibusque Massæ, & altera Communitati & hominibus Montignosis, quemadmodum ita nunc pro tunc assignantur ad supradictum effectum, posse ibi secare & extrahere libere, atque omni tempore pro Communitate & hominibus, quibus erunt respective jam stipites, quam omne aliud ligni genus, intelligendo tamen, ut semper prohibita suffessio, ut in dicta sententia & stipulationibus, verum extra partem illi assignatam, ut supra, non possit aliqua Communitatum, & hominum illarum, aut personæ singulares scindere, seu cædere, neque cædi facere, vel extrahi in aliquo modo sub pœnis & obligationibus, quantum ad particulares & ad Communitates, ut supradictum fuit, respective cum declaratione, quod locus, quantum comprehendit fovea dicta della Foce morta, dicta del Valcio in exitu suo, quando intrat in foveam, a Foce di Linquaca, per spatium perticarum triginta quinque in longitudine, & latitudine, quantum est lata pro suo ordinario non veniat, nec intret in dictam divisionem; intentio enim ipsorum Contrahentium est ista, ut maneat hominibus & Communitati Montignosæ liber ac libera, ac præsens pactum relaxandi supradictas 35. perticas, ut supra intelligatur solum per annos quinque proximos, ad cujus temporis finem,

finem, cum occasione de novo tractandi de divisione, poterit respectu illarum supradictarum 35. perticarum illa assumi pactio, quæ videbitur melior intelligendo, quod etiam per dictum tempus quinque annorum illis de Massa sit licitum pascere & intrare in dictum spatium dictarum triginta quinque perticarum cum gente sua & bestiis.

Ad tollendum etiam omne dubium, declaratur, quod cuivis partium, ut supra, licitum sit, & permissum pabulari libere, & omni tempore in illa parte, quæ assignata erit alteri: Voluntas enim quarumvis illarum, et uti sic declarant, est, ut supradicta divisio et partitiones fiant solum respectu ad usum lignorum, fruticum, Cannellarum, palearum, et similium, ut supra intra tempora superius respective declarata, quatenus per illam occasionem, et in futurum non debeat nasci scandalum, uti pariter, ut neque nunc, neque in futurum per præsens Instrumentum, et res in eo contenta, neque per talem divisionem et partitiones per quemcunque temporis decursum non fiat nimium præjudicium, quantum ad reliquum, aut quantum ad qualemcunque alium effectum partibus, aut cuidam illarum, tam respectu stipationum seu Laudorum et sententiarum aliis vicibus datarum inter illas, quam per qualemcunque aliam causam, quæ dici aut excogitari possit, et particulariter occurrendo, quod inter illas tractetur de pascuis dicti Communalis, et de divisione ipsius, quæ rationes partium et cujusvis illarum, tales, quales sunt, et esse possunt, quantum ad omnem alium effectum (excepto illo, qui expresse disponitur per præsentem transactionem et concordiam) maneant apud illos respective illæsæ et intactæ, ac specialiter ratio proprietatis dictorum bonorum, quæ certe est Communitatis et hominum Montignosorum, ut in dictis Laudis, seu stipulationibus, ac sententiis est, cum ita in omni meliori modo pactum fuit.

Item cum pacto expresso, quod præsens conventio intelligatur solum respectu ad rationem et Interesse unius et alterius Communitatis et hominum ipsarum, et non respectu ad jurisdictionem Excellentissimæ Reipublicæ de Luca, quæ salva et illæsa intelligatur.

Et ad effugiendum maxime omne scandalum, et ad alium meliorem finem, et effectum pactum fuit, quod (usque dum factæ sint partitiones, ut supra, respective de fructibus, de sylva, et lignis, et alio, ut supra) non queat quædam dictarum Communitatum et personæ singulares illarum secare, neque cædere rem ullam in dicto loco Communale, hoc est, usque dum non sit facta partitio locorum Falasci, et alterius, ut supra non possit, sed sit expresse vetitum cædere ex illo Falasco, canellas, sardones, paleas, et aliud, ut supra, et usque dum non erit facta partitio lignorum seu sylvæ, non possit ulla partium cædere, neque aufferre stipites, neque alia ligna sub pœnis et obligationibus infrascriptis.

Cum declaratione, quod præsens conventio, et concordia faciendi duas partes æquales ex dicto loco communale, ad usum et effectus supra dictos sit perpetua, et a partibus inviolabiliter observari debeat, in perpetuis et successivis temporibus; ast divisio et terminatio particularis, quæ fiet in executione hujus Instrumenti, debeat durare solum per dictorum quinque annorum proximorum spatium in futurum, in cujus temporis fine, hoc est tres menses antequam finiatur, debent partes ad novam prodire, seu procedere divisionem duarum partium æqualium dicti Communalis ad finem et effectum supradictum, veniendo ad sortem secundum supradictum modum, quando non sunt concordes ad continuandum in ista, aut ut fiat in alio modo, atque ita imposterum observari debeat, & de quinque annis in quinque in actum redigi: Atque ad tollendum, quantum possibile, omnem discordiæ materiam & occasionem, inter dictas Communitates & homines pactum fuit, ut (subsistendo firmum quantum superius dispositum fuit circa qualitatem pœnarum ratione damnorum, quæ facta fuissent in loco Communalis) officiales & jus dicentes unius & alterius jurisdictionis respective semper, quando coram illis datæ fuerint accusationes generaliter ob causam damnorum, quæ facta fuisse dicerentur, ac data a personis alterius Communitatis, in locis, vel bonis, quæ forent jurisdictionis, aut cognitionis dictorum officialium, ita ut ad illos pertineret, in dictis causis procedere sint obligati dicti officiales & Jus dicentes respective intra quatuor dies proximos ab accusationis die ad notificandum Commissario vel officiali alterius Communitatis dictam accusationem datam, ut, si ita illi videatur, prætenso Damnatori intimari faciat, atque is non possit allegare ignorantiam, modumque habeat faciliorem se defendendi, quando coram officiali comparebit, qui contra illum procedet; non intelligendum tamen per hoc, quod exinde facere processum debeat, atque convenerunt inter se, quod officiales & Jus dicentes unius Communitatis vel Territorii teneantur & debeant concedere executionem realem & personalem condemnationum factarum ab officiali & Jus dicente alterius jurisdictionis et Territorii intra quatuor dies proximos, a die quæ ab illis requisita fuerit, intelligendo, ut totum fiat summariter absque ulla cognitione causæ, et absque processu, ullaque scriptura, excepto, quod ab Instantia concedendi executionem, et dicta executione concessa et casu, quod dicti officiales, vel jus dicentes non concederent dictam executionem requisitam intra tempus quatuor dierum, manebit Communitas et homines locorum (ubi requisita fuerit, et non concessa dicta Executio) obligati ad pœnam in condemnatione contentam, quæ contra illos et homines suos exequi poterit ad beneplacitum illius, qui Interesse suum ibi habebit, quia sic pactum fuit.

Quæ res, etiamnum salvæ pro titulo et causa ipsiusmet transactionis et concordiæ supradicti Procuratores et Deputati unius et alterius partis in modis et nominibus ut supra respective convenere, et concordavere, quod per se respective debeant facere et operare in modo, ut intra unum mensem proximum a die præsentis Contractus, cum clausula, ut ad faciendum possibile non excusentur, ac alias ex suo proprio, sub pœnis et obligationibus infrascriptis cum autoritate Illustrissimorum et Excellentissimorum suorum respective sit approbatum et confirmatum supradictum Capitulum, aut Capita, quæ loquuntur de pœnis damnorum datorum in Communali, atque de modo procedendi ad ipsas, et illorum, qui manebunt obligati ad dictas pœnas.

Iterum quod ad ipsam et autoritatem dictorum Illustrissimorum et Excellentissimorum Dominorum respe-

respective revideantur termini divisorii, positi intra unam alteramve jurisdictionem, & retrahantur, evertantur occupationes factæ, & remittantur, reconcinnenturque termini, ubi deessent, vel defectivi vel alterati forent, atque de novo illic positi, ubi videretur necesse, pro majori apparentia & clariori distinctione, ac separatione dictorum Territoriorum & Dominiorum. Quæ transactio & concordia, & omnes ac singulæ res in præsente publico Instrumento contentæ & concordatæ promiserunt dicti Procuratores & Deputati in dictis modis & nominibus respective in perpetuum firmas & ratas habere, gratasque, ac illis non contravenire, & quod inviolabiliter erunt observatæ, cum juramento, quemadmodum ita jurant, & jurant in manum nostram Notariorum infrascriptorum, tactis corporaliter Scripturis, & in casu contraventionis ac inobservantiæ prædictarum rerum, aut alicujus illarum promiserunt, sesequе obstrinxerunt, in dictis modis & nominibus, una pars alteri respective, ut supra, ut pars inobservans det & solvat parti observanti summam & quantitatem declaratam, quantum ad particulares, & circa Communitatem, summam scudorum, seu coronatorum, mille auratorum Italiæ Bologniæ 75. pro quovis scudo pro damnis suis, & sumptibus & Interesse in tanta summa cum juramento, quemadmodum ita jurant ex communi consensu taxati & firmati præter pœnas, in quas per dispositionem rationabiliter incurrissent, quæ mille scudorum pœna incurritur toties, quoties contraventum fuerit a dicta Communitate, & qua pœna soluta & non soluta, præsens transactio & concordia maneat nihilominus firma & valida ad beneplacitum & favorem partis observantis, renunciantes dicti Procuratores, & Deputati in dictis modis & nominibus, exceptioni doli enormis, & enormissimæ læsionis, restitutionis in integrum, quam habere posset per quamcunque causam & caput, omnique alii remedio, beneficio, aut favori rationis, aut statutorum, seu constitutionum, uni aut pluribus, per quam, vel per quas, vel in toto, vel in parte, directe vel indirecte, in judicio vel extra judicium possent de rebus supradictis, vel de ulla illarum descendere, excusare, vel contradicere, quamvis tales forent, & cum ratione exigeretur, debere specificari; vel præcise declarari & nominari, quas omnes & singulas declararunt & declarant sub obligatione juramenti suprascripti, velle & intelligere unanimiter, ut habeantur expressæ & specificatæ, ac in particulari absque præjudicare generalitati, dispositioni, per quam prætenderetur, non valere renunciationem generalem, cum ibi non præcedat specialis aut specialior, & in omni meliori modo, ac cum clausula, quod præsens obligatio intelligatur, sitque in toto & per totum, pro sua plena effectuatione, salvis semper rebus præmissis, secundum formam magis amplam & magis rigorosam Cameræ Apostolicæ rogaverunt extendere.

Acta fuerunt prædicta omnia in confinibus dictarum Communitatum, in loco nuncupato al termine in piè di Monte Pepe existentibus dictis Procuratoribus Communitatis Montignosii & dicto egregio Carolo de Ciuffarinis super territorio ipsius Communitatis Montignosii ac dd. Dominis Procuratoribus Communitatis Massæ, & me Notario infrascripto super territorio ipsius Communitatis Massæ, coram & ibidem præsentibus D. Stephano, filio D. Raphaelis Arrigoni Januens. & D. Emilio qv. D. Marci Augustini del Sitailo de Bisus, testibus &c. &c. &c.

XIV.

Literæ Commissoriales a Carolo VI. Roman. Imperatore, ad Rainaldum, Mutinæ Ducem, in causa Massæ Ducis contra Rempublicam Lucensem, in puncto invasionis hostilis, die 3. August. An. 1716. exaratæ.

CAROLUS VI. (Tit.)

Quos hostiles insultus, rapinas, incendia, neces, aliosque temerarios ausus Respublica Lucensis contra Illustrissimum nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum Carolum Cybo de Malaspina, Ducem Massæ ac Principem Carrariæ, Ducatumque ejus nominis patrare præsumpserit, Dilectioni vestræ jam ex fama publica innotuit, & ex annexis uberius patebit. Cum autem supremi muneris nostri ratio haud sinat, ut feuda Imperialia fidelesque Vasalli nostri contra jus & æquum ejusmodi gravibus injuriis affligantur, & facile in majores flammas & vicinorum quoque statuum perniciem exarsuris pax tranquillitasque publica turbetur. Hinc ad præfati Ducis humillimas preces re mature perpensa contra dictam Rempublicam consuetam super fracta pace publica Citationem cum annexa bis mille marcarum auri puri pœna, nec non Mandatum de non amplius offendendo sine clausula sub pœna 40. ejusmodi marcarum auri clementissime decrevimus;

A Dilectione Vestra benigne contendentes, ut autoritate nostra Cæsarea, quam eidem vigore harum in hac causa impertimur, non modo memoratam Citationem & Mandatum in autographo hic adjacens prænominatæ Reipublicæ Lucensi legitime insinuari faciat, verum etiam partibus coram se comparere jussis, eas sufficienter, præcisa tamen omni superflua prolixitate, audiat, damnaque antedicto Duci & ejus Ducatui illata per impartiales, juratos, nullique partium subjectos æstimari faciat, atque his omnibus peractis Acta Commissionalia una cum voto suo Nobis obsequenter transmittat. Factura est in eo Dilectio vestra rem benignæ voluntati nostræ Justitiæque consonam, & Nobis pergratam, gratiæ benevolentiæque Cæsareæ affectu, quem eidem jugiter confirmamus, prolixe compensandam. Datum Viennæ, 3. Aug. An. 1716.

XV.

Citatio super fracta pace, una cum mandato inbibitorio de non offendendo, in causa Massæ Ducis contra Rempublicam Lucensem, in puncto invasionis hostilis, a Carolo VI. Rom. Imperatore Antianis & Vexillifero Justitiæ Populoque Civitatis Imperialis Lucensis transmissa, d. d. 3. Aug. An. 1716.

CARO-

CAROLUS VI.

Illustrissimis, spectabilibus Nostris & Sacri Imperii fidelibus dilectis N. Antianis & Vexillifero Justitiæ populoque Civitatis nostræ Imperialis Lucensis notum facimus tenore præsentium, humillime Nobis ab Illustrissimo nostro, Sacrique Imperii fideli dilecto, Carolo Cybo de Malaspina, Duce Massæ & Principe Carrariæ, expositum fuisse, quem in modum vos 15. Aprilis nuperrimi vestrum vigiliarum Præfectum, aliosque belli officiales & septuaginta homines armatos litus maris terræ Montiniosæ conscendere, atque annonam & apparatum bellicum exonerare feceritis, reliquas vero naves, militibus ad eundem finem destinatis plenas, ventis procellisque turbatum mare abinde in cassam Viareggio dictam recedere coëgerit. His dispositionibus exploratis, dictus Dux, pro rerum suarum tutela, suos quoque milites provinciales congregari, eosque in omnem eventum promptos teneri jusserit, & vicinis Principibus ad avertendam quamcunque apprehensionem, causam hujus suæ armaturæ per expressos Cursores notam fecerit, Serenissimus vero Magnus Hetruriæ Dux, quam proxime vicinus, a vobis rationem apparatus vestri bellici in dies accrescentis sciscitaverit, vosque eidem responderitis, præfatum Massæ Ducem viam in jurisdictione Montinosi jussu Magistratus sanitatis Lucensis clausam, pro usu curruum & rhedarum armata manu aperire sibi velle, vos nihilominus, si nunc dictus Dux, id se non attentasse, armaque deponere velle declaraverit, ad idem faciendum paratos esse. Et licet ipse desideratam hanc a se declarationem sine mora scriptotenus fecerit, & eo ipso tempore suos milites, paucis ad custodiam portarum & sanitatis retentis promissis vestris confidens, dimiserit, vos nihilominus 24. ejusdem mensis summo mane, aucto interim præsidiariis vestris militum numero cum tympanorum strepitu in jurisdictionem Massæ intraveritis, duodecim Ducis milites non tam ad munimen loci, quam potius in supplementum custodum sanitatis illinc existentes scloporum explosione aggressi fueritis, & in Civitatem recedere coëgeritis, omnis generis hostilitates patraveritis, varia loca succenderitis, miseros & inermes subditos sauciaveritis, trucidaveritis, pecudes abripueritis, villam supplicantis Ducis, la Rinchiostra nominatam, ingressi, Instrumentis ferreis portas tum ibidem tum in palatio suo, Casino dicto, fregeritis, arcas, cistas, specula crystallina, & picturas magni pretii pessumdederitis, fructus arborum abripueritis, hasque excideritis, ignem in prænominatam villam, domos rurales & fœnilia imposueritis, eaque flammis consumpseritis, superintendentem fabricæ cum omnibus operariis & prolibus captivos abduxeritis, unum ex miserrimis & pauperrimis fabrum lignarium, dum nemo resistebat, lethaliter vulneraveritis, paucos illos, qui ipsis erant, nummos vi sustuleritis, & in summa omnis generis temeritatem & insolentiam fusius in annexis libelli literarumque exemplis enarratas exercueritis: Nos sæpefatus Dux humillime orando, ut, postulante sic justitia, eidem de illatis damnis, violato Territorio, læsaque reputatione ac honore suo condignam satisfactionem præstari facere clementissime dignaremur. Cum igitur sacris Imperii super pace publica conditis legibus, constitutionibus decretisque severissimis ejusmodi tumultus, & coadunatis hominibus violentæ aggressiones gravissimis pœnis vetitæ sint, Nobisque pro eo, quo summi Imperatoris fungimur munere, incumbat, parti læsæ de condigna satisfactione prospicere, atque præcitatarum Sacri Imperii legum & constitutionum debitam observantiam autoritate nostra Cæsarea promovere ac protegere. Ea propter contra vos N. Antianos vexilliferum, populumque Lucensem citationem super fracta pace publica cum annexa eidem bis mille Marcarum auri puri pœna, & mandato de non amplius offendendo sine clausula sub pœna 50. ejusmodi marcarum auri, nec non Commissionem in Serenissimum Mutinæ Ducem hodierna die decrevimus, ut videlicet sua Dilectio partibus autoritate nostra Cæsarea coram se comparere jussis (cui Avos morem gerere noveritis) eas sufficienter, præcisa tamen omni superflua prolixitate, audiat, damna supplicanti Duci Massæ, ejusque Ducatui illata per impartiales juratos & nulli partium subjectos æstimari faciat, hisque omnibus peractis, Acta commissionalia, juncto voto Nobis obsequenter transmittat. Ac proinde, vigore præsentium, autoritate ac potestate nostra Cæsarea vos prærepetitos Antianos, Vexilliferum, populumque Civitatis nostræ Lucensis citamus & vocamus, ut intra duorum mensium spatium a die insinuatæ vobis hujus Citationis nostræ, proxime subsequentium (quos pro primo, secundo, tertio ac ultimo & peremptorio termino vobis præfigimus) computandum, per Procuratorem vestrum legitimum sufficienti mandato instructum coram Nobis Consiliove nostro Imperiali Aulico, ubicunque id loci fuerit, compareatis ad videndum & audiendum pronunciari & declarari, vos propter præmemoratum pacifragium in supra dictam pœnam bis mille marcarum auri puri incidisse, nec non damna a vobis refundi deberi, aut allegandum sufficientes causas, si quæ vobis suppetant, ob quas ad ejusmodi declarationem procedi non debeat. Enimvero sive sic comparueritis sive non, nihilo secius, ad partis alterius comparentis & implorantis Instantiam, ad ejusmodi declarationem, atque alia, quæ juris & Justitiæ ratio postulat, procedetur, contumacia sive absentia vestra non obstante.

Porro quoque eadem auctoritate ac potestate nostra Cæsarea vobis simul omnibus & singulis serio, districte, ac sub dicta 50. marcarum auri puri pœna, ex semisse fisco nostro Cæsareo & pro altero semisse parti læsæ applicanda, præcipimus & mandamus, ut ab omnibus ulterioribus violentiis & hostilitatibus contra sæpius nominatum Ducem, ejus Ducatum & territorium feuda nostra Imperialia, ejusve subditos & incolas penitus abstineatis. Ac proinde nihil via facti sub quocunque demum prætextu aut colore attentetis, sed, si quid contra eundem prætendendum habeatis, id coram Nobis, tanquam Judice competente, submisse proponatis, decisionemque præstolemini, quatenus præter ultimo dictam pœnam, insuper indignationem nostram gravissimam evitare volueritis. Qua de re vos certiores reddimus per præsentes, manus nostræ subscriptione & sigilli Cæsarei appressione munitas, quæ dabantur Viennæ 3. Aug. 1716.

XVI.

Rescriptum Caroli VI. Roman. Imperatoris ad Rempublicam Lucensem, in causa Ducis contra eandem Rempublicam, in puncto hostilitatis, die 17. Sept. An. 1716. datum.

CAROLUS VI. (tot. tit.)

Nobis humillime supplicavit Augustinus Santini, ad Aulam nostram Cæsaream vester Ablegatus, ut clementissime assentiri dignaremur, quo querelæ Massæ Ducis, contra vos in Consilio nostro Imperiali Aulico introductæ, per Serenissimum Raynaldum, Mutinæ, Regii & Mirandulæ Ducem (quem ad hanc causam pro Commissario nostro Cæsareo jam tum constituimus) facto in Dilectionem vestram utraque ex parte compromisso, amice componerentur. Verum cum qualitas hujus causæ neutiquam permittat, ut per compromissum in ea procedatur, sed propter violentias & naufragia perpetrata autoritate supremæ Jurisdictionis nostræ Cæsareæ definienda sit.

Hinc vos serio monemus, ut vestra ex parte omnia ea exactissime adimpleatis, quæ mandatis & ordinationibus nostris, hactenus emanatis, continentur, ne alioquin severiora decernere opus sit. Executuri estis in eo seriam voluntatem nostram, qui, quod superest, gratia Cæsarea vobis propensi manemus. Datum Viennæ, 17. Novembr. An. 1716.

XVII.

Ejusdem Rescriptum ad Rainaldum, Mutinæ Ducem, in causa Massæ Ducis contra Rempublicam Lucensem, in puncto invasionis hostilis die 6. Novembris Anno 1716. exaratum.

CAROLUS VI. (tot. tit.)

Ex literis Dilectionis Vestræ, 18. Septembris novissimi ad Nos datis, benigne intelleximus, a se, vigore Commissionis Nostræ Cæsareæ, in causa Massæ Ducis contra Rempublicam Lucensem sibi impertitæ, partes coram se citatas, ab iisque responsum esse, id haud omiseras, quod debitum Ordinationibus Nostris obsequium ab iisdem exposcit. Cum igitur his præmissis nil aliud supersit, quam ut Dilectio Vestra eorum, quæ a Nobis decreta, & eidem rescripta sunt, accelerationem sibi commendatam habeat. Hinc Dilectioni Vestræ ulterius benigne committimus, eandemque specialiter in eo monemus, ut in conformitate præallegatæ Commissionis Nostræ ipsi demandatæ eandem quantocius inchoet, modoque in ea præscripto, & non secus progrediatur, &, quomodo hoc factum sit, Nos, sub termino duorum mensium, edoceat. Quamvis dicti Massæ Ducis subditorum oppressionem (quam in dies a Lucensibus exerceri Dilectio Sua per annexum libellum conqueritur) stabiliendamque pro futuro pacem & tranquillitatem, utrique statui proficuam, dictæ Reipublicæ Lucensi, ut hæc singula capita, quæ contra memoratum Ducem, aut subditos ejus, præprimis ratione terræ Montignoso, veluti nuperorum motuum fomitis aut prætextus, habere putat, distinctim & citra exceptionem, aut recusationem quamcunque coram Dilectione Vestra, qua Commissario Nostro Cæsareo, proponat, autoritate Nostra Cæsarea injungat, informationem super omnibus & singulis accuratam sumat, &, auditis desuper partibus, Acta Commissionalia, adjuncto voto suo, ad ferendum desuper Decisionem Nostram Nobis transmittat. Quod a Dilectione Vestra, pro noto erga Nos laudabili devotionis suæ studio, taliter factum iri Nobis benigne pollicemur, & eandem gratiæ benevolentiæque Cæsareæ affectu perpetim complectimur. Datum Viennæ, 6. Novembris, Anno 1716.

XIIX.

Ejusdem Rescriptum ad eundem, in eadem causa ad Rempublicam Lucensem, in puncto invasionis hostilis & damnorum illatorum, die 28. Jul. 1718. datum.

CAROLUS VI. (tot. tit.)

Ex literis Dilectionis Vestræ 20. Maji nuperi ad Nos datis benigne intelleximus, Ducem Massæ differentias circa damna, per hostilem invasionem a Republica Lucensi sibi causata, plenarie & omnimode in arbitrium Dilectionis Vestræ remisisse, ab eademque mentis nostræ declarationem desuper submisse exspectari.

Nos, qui ipsimet celerem dissidii hujus cupimus complanationem, vigore præsentium clementer annuimus, ut Dilectio Vestra, tanquam Commissarius noster Cæsareus in hac causa, plenariam & omnimodam dictarum differentiarum remissionem, in arbitrium suum a præfato Duce Massæ positam, si similis etiam remissio memoratæ Reipublicæ Lucensi placuerit, in se suscipiat: cujus simul muneris erit, composita modo tota controversia, Nobis, quemadmodum id factum fuerit, humillime referre.

Quod reliquum est, gratiæ benevolentiæque Cæsareæ affectum Dilectioni Vestræ prolixe confirmamus. Datum Viennæ, die 28. Julii, 1718.

XIX.

Descriptio, faciem status, tam secularis, quam Ecclesiastici Reipublicæ Lucensis, ab ejusdem origine ad præsens usque tempus exhibens, Anno 1726. contexta.

Lucca è senza dubbio una delle antiche e Nobili Città dell' Italia fanno di essa onorata menzione Tolomeo, Strabone, Marco Catone, Tito Livio, Marzilio, il Volteranno, ed altri gravi Autori.

Varie sono le opinioni intorno all' origine del' dilei nome; Vogliono alcuni che lo prendesse da Lucio Lucumone, Sig. della Toscana, ed' altri che si denominasse dallo splendore delli scudi, che posti sopra le molte dilei alte Torri incontro al' sole non poco risucevano.

Fù primieramente descritta nelli Mediterranei della Toscana sotto il sesto Clima a gradi 43. e 20. minuti, e reputata per la prima delle Dodici principali Sig^rie nelle quali dividevasi questa Provincia.

Fù dipoi riposta nelli Ligori Apuani di chè fa fede Frontino, raccontando come dalli Romani Lucca fosse considerata frà li Liguri.

Tito Livio nel' primo libro, che tratta delle guerre che ebbero li Romani col Rè Latino, ed Enea contro il Rè Turno, descrive che li Lucchesi

chesi diedero soccorso al Rè Latino; da che si comguende che nel 3217. che ebbe Roma principio avesse gia Lucca una copiosa popolazione, & estenzione di stato, essendovisi ritirato nel 3660. Sempronio Longo Console quando discese Annibale in Italia.

Circa l'anno 576. della Creazione di Roma fù dichiarata Colonia, e permessoli come à muncipio poter vivere con le sue leggi, acquistando in questa guisa lo su di rendere il voto nelli Comitii di Roma, molto prima che un tale privilegio divenisse comune all' altre Città d' Italia nell' occasione della guerra sociale.

Viene fatta menzione di Lucca anche nel tempo di Giulio Cesare, quando con quello convenneso a' danno della Repubblica di Roma, Crasso e Pompeo.

Perseverò questa Città nella Devozione del' Popolo & Imperatori Romani fino alli tempi di Arcadio & Onorio, nelli quali ebbe principio la decadenza di quell' Imperio.

Nelle inondazioni, che fecero dell' Italia le nazioni oltramontane fù à parte delle comune disauventure. S' impadronirono di essa li Goti, dalli quali doppo un assedio di mesi 7. fù liberata da Narsete Generale dell' Imperatore Giustiniano.

Cadde poscia in potere de Longobardi, e da Desiderio ultimo Rè di quella Nazione fù ampliata, e restaurata.

Soggiogati li Longobardi da Carlo Magno rimase Lucca del partito Imperiale nella divisione fatta della Toscana frà Lodovico Pio figliolo, e Successore di Carlo, e Pascole, Sommo Pontefice.

Suscitatesi le discordie nel' 899. della Redenzione del Mondo sopra Elezione del nuovo Imperatore, non volendo li Germani riconoscese, che Lodovico figliolo di Arnulfo e li Italiani, che Berengario; Fù Lucca in questo mentre governata da particolari Signori sotto diversi titoli di Conti, Marchesi e Duchi e trà gli altri dall' Illustre e rinomata Contessa Matilde, Onore di questa Patria, Figlia di Bonifazio, suo Cittadino.

Venuto nel 961. in Italia Ottone primo, Romano Germanico Imperatore, cacciato Berengario Terzo s' insignori con il restante d' Italia ancora di Lucca, la quale soffri per più di un' Secolo il Corso delle umane vicende, e nel' 1081. per privilegio concessole da Henrico IV. dell' esenzione di dover fabbricare alcun' Palazzo nella Città ò Borghi per uso dell' Imperio, e di non doversi fare alcuna Fortezza, ò Castello dentro il ristretto di sei miglia à torno della Città, ritornò a' vivere in stato di libertà.

Nel' 1168. confermò maggiormente il suo vivere Libero con la Compra che fece da Guelfo Duca di Spoleti, e Marchese di Toscana del' Territorio delle 6. Miglia, essendo seguita detta Compra senz' alcuna restrizione, ò riserva, apparendo altresi dall' Istromento della Compra medesima aver molto prima Lucca il Privilegio, e l'autorità di battere monete, quali liberamente correvano per tutto l'Italia.

Nel' 1285. per mano di Principalle dal Fiesco Cariero, e Vicario Imperiale in Italia fece questa Città con alcune altre la Compra della intiera sua libertà, da Ridolfo Primo Imperatore, e intorno a questo tutti li autori convengono molto tempo però non le fù permesso godere di questo suo nuovo acquisto; poichè lacerando l' Italia le Fazioni Guelfe e Ghibelline si vide costretta anche Lucca a' soffrire il Governo di diversi Signori, che prevalevano nel partito delle loro fazioni, uno delli quali fù Castruccio, onore della Milizia d' Italia, Decoro, & ornamento della nazione Lucchese che dal' Consiglio Gente della sua Patria ne fù dichiarato Signore.

Ascese egli à si alto grado di Potenza che divenne uno delli primi Signori d' Italia s' impadroni di Pisa e Pistoia, rinuovò la pompa de gl' antichi Trionfi dopoi le Vittorie vigortate sopra li Fiorentini e prestò ogni ajuto e favore all' Imperatore Lodovico il Bavaro. Morto il suddetto Castruccio riusci à questa Città con il soccorso dello stesso Lodovico Imperatore di riporsi nel' primiero stato di Libertà.

Si intrusero dopoi altri Signori nel' Dominio di Lucca fin' à tanto che passando per la seconda volta in Italia Carlo IV. Imperatore nell' Anno 1369. ripose Lucca nel' suo primiero libero stato; dimostrarono i Lucchesi una somma gratitudine à Carlo del' ricevuto benefizio, somministrandoli da Fiorini dugento milá d' oro.

Insorse nell' Anno 1400. una grave Pestilenza nella Toscana, restandone altresi travagliata questa Città di modo che molti suoi Cittadini si videro astretti à ritirarsi nelle parti più rimote d' Italia à fine di evitare quella comune infazione; Insorse in tal congiuntura qualche civile discordia per la lontananza di quelli che erano più affezionati al' pubblico bene della Patria, di che prevalendosi Paulo Guinigi Concittadino ardi usurparne in contingenza si calamitosa il Governo. La prudenza però e valore delli Cittadini dimostrato in tempi più felici e coadjuvato dal Duca Filippo Visconti operò in maniera che si rimettesse al' godimento del suo vivere libero con discacciarne l' Usurpatore, e li Dilus Figli, che condotti in Pavia dalli Capitani del Duca Filippo, finirono in quella Città li Loro Giorni.

Lucca da quel' tempo inpoi con la Divina assistenza, e con la Protezione, che nelle diverse disastrose congiunture di tempi hà implorato dall' Imperio, e Monarchiè di Spagna e con la prudente Condotta de suoi Cittadini hà sempre conservato il bel Tesorodi sua libertà.

Fioriscono in questa Città le Belle Lettere e la Giurisprudenza; Le molte opere legali trasmesse alle pubbliche stampe ne fanno piena testimonianza; ne lasciano di conferirsi le Lauree Dottorali in ogni scienza.

La religione che vi si professa e la Cattolica Romana gloriandosi essa di essere stata trà le Città di Toscana la prima ad abbracciare la Fede di Giesù Cristo, e vi resba interdetto ogni altro esercizio di religione.

Si crede scrutile un' esatta descrizione d' Lucca costituita forte per natura e per arte circondata, da deliziosa, e spaziosa muraglia, giacche è stato posto alle pubbliche stampe un preciso ragguaglio dal' Conte Galeazzo Gualdo Priorato, e da altri degni scrittiori della sua situazione e dello stato, della medesima assai popolato per la fertilità de i Terreni, del Lavoriero delli Drappi che vi si fabbricano con perfezione, dell' abbondanza de gl'

 ottimi

ottimi Olii, che ne producono le sue Colline, e che se ne provedono li Paesi più lontani, della vaghezza delle sue Fabbriche, è della Magnificenza de suoi Tempii con' altre più individuali notizie.

Il' Governo della Republica è Aristocratico; già che con la legge volgarmente detta Martiniana emanata nel' 1556. si ridusse in una perfetta Aristocrazià; Vien' governata dal' Maggior Consiglio ò sia senato, vacando li senatori dalla loro Carica un' anno dopoi averla per simil tempo esercitata, subentrando altro ugual' numero à compuonere il senato medesimo, imparandosi in questa guisa la più bella delle discipline al parere di Plutarco di saper' comandare, & obedire.

Resta divisa la Città intrè Terzieri, dalli quali si elegge uguale numero di senatori al' principio di Marzo per comporre il maggior' Consiglio, che comincia à governare alli 15. di detto mese; l' elezione si fà da 24. senatori eletti à questo effetto dal' senato unitamente con gli Anziani, e Gonfaloniero che formano il supremo magistrato, e fanno la Rappresentanza del' Prencipe.

Continuano questi nell' esercizio della suprema loro Dignità per il Corso di due mesi, facendo per tal' tempo la loro dimora nel' Pubblico riguardevole Palazzo, serviti da numerosa Corte, e trattati a pubbliche spese, avendo una decorosa Guardia di suizzeri.

Vestonogli Anziani suddetti una maestosa Toga, di color' nero, & il Gonfaloniero di Color' Rosso con Berretta alla Ducale, e piccola stola di color' Cremesi alla spalla sinistra.

Quando escono di Palazzo in occasione di pubbliche, funzioni vi si porta il solo Gonfaloniere con' due anziani, quali oltre l' accompagnamento di molti senatori, e Guardie vengono preceduti da Nobile Giovanetto, che porta lo stocco e Pileo donato alla Repubblica dal' Pontefice Urbano sesto.

Presiede tutto il Collegio degl' Anziani e Gonfaloniere in Trono nel' Maggior Consiglio, quale si raduna per lo meno due volte lo settimana e risiede in esso Collegio la facoltà di far' convocare l' istesso maggior' Consiglio con' autorità di farlo radunare ogni qual' volta sopraggiungessero materie gravi che lo richiedessero.

Il' Gonfaloniere propuone gli affari al Senato che con li trè Quarti delli Voti restano resoluti.

Si fanno ogni triennio li Comitii, che con il minor Consiglio composto di 36. Patritii, e con altri 18. che si eleggono in occasione di detti Comitii, dal minor Consiglio unitamente con il Supremo Magistrato degli Anziani e Gonfaloniero, formiano il numero di 64. Elettori.

Da questi nelli Congressi replicati in trè Giorni con la distinzione delli trè Terzieri si eleggono 180. Patrizii, che abbino compita almeno l' età di Anni 25. giacche si richiede ancora simil' età per essere eletto Senatore.

Fattone per tanto l' assortimento con' l' ordine delli stessi Terzierii, & osservate le altre Regole che vengono prescritte dalla disposizione delle Leggi, si estrae ogni bimestre una schedola nella quale restano descritti li nove Anziani e Gonfaloniero per presiedere nel' susseguente bimestre, nel' Supremo Magistrato e compita la Condotta della loro Dignità rimangano senza veruna Distinzione inuguale grado degl' altri Patritii.

Dà udienza il Supremo Magistrato alli Ministri delli Prencipi Esteri addrizzandosi ad' esso le Credenziali e consegna le medesime alli Rappresentanti della Repubblica che si portano ò straordinarii, ò di Residenza alle Corti straniere.

Ne succede il minor Consiglio composto di 36. Patritii, che continuano nella Carica per il Corso di sei mesi, e che non possono essere rieletti al' medesimo, se non' compita la vacanza di un' Anno.

Si eleggono li successori dall' istesso minor' Consiglio unitamente con l' istesso Magistrato de gl' Anziani e Gonfaloniero, che vi presiedono, essendo la sua autorità limitata.

Vengono eletti dal' senato alla fine dell' Anno diversi Magistrati, e li Senatori destinati alli medesimi entrano nella loro Carica al principio dell' anno susseguente, e l' esercitano per il corso di tutto l' anno medesimo; si valgono essi della loro autorità secondo l' Incumbenze che sono state stabilite à detti Magistrati. Vno sopraintende alle materie di stato altri alla quiete delli Confini, quello presiede all' annona questi alle Finanze & altri al' militare, & alcuni ancora si eleggono con meno rilevanti incombenze.

Per conservare la quiete in Senato, e l' uguoglianza de i Nobili vi è la legge dell' ostracismo, che s' introdusse in Arene.

Si giudica in Lucca a tenore delli statuti municipali, e dove quelli non avessero proveduto si ricorre allo suo Comune.

UnDottore Forastiero eletto, e stipendiato à questo effetto giudica nelle Cause Criminali. Il' Civile vien' trattato da 4. Dottori parimente Forastieri, che esercitano la Carica per trè Anni.

Uno di questi giudica nelle prime Istanze e dalla lui sentenza vi è l' appello a' gl' altri Trè Giudici detti auditori di Rota, e le Cause restano senza longhezza spedite.

Molte sono le provisioni, e regolamenti stabiliti per la difesa della Città, e dello stato resta la Città munita di buono, e regolato presidio con alcune Compagnie di Cannonieri;

E si trova nel' pubblico Palazzo un' Armeria composta di armi di ogni sorta in molto numero.

Non mancano ancora in Lucca antiche memorie e trà le altre vi si vedono Vestigii considerabili di un' antico, e Nobile Anfiteatro.

La Chiesa Catedrale e di struttura Gotica e magnifica, e benebrè nelle molte altre Chiese della Città e nello stesso Duomo si conservino molte & insigni Religuie si venera però in questo il miracoloso simulacro, ò sia Immagine di Giesù Crocifisso fabbricato da S. Nicodemo, la Sacra Testa del' quale fù formata da gl' Angeli, per il che prende la denominazione di Volto Santo; E n' è pubblica la sua Istoria.

E insignita questa Città di Vescovo con le Prerogative di Arcivescovo, che non riconoscendo alcun Metropolitano è immediatamente soggetto alla Santa Sede. Hà un Clero assai numeroso e riguardevole li Canonici della Catedrale *sono condecorati* di singolari e riguardevoli Privilegii. Giudica il Vescovo nelle materie di S. fede secondo la sua autorità ordinaria, non essendo in Lucca Tribunale ne forma di Tribunale di S. Offizio, e viene assistito dal' Braccio secolare.

SUPPLE.

SUPPLEMENTA
AD
TOMUM Inum atque IIdum
CODICIS ITALIÆ DIPLOMATICI
Tom. I. ad pag. 30.
I.
Friderici I. Romanorum Imperatoris, Constitutio feudalis, & de pace publica observanda, in Italia Anno 118- publicata.

FRidericus, DEI gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Imperialem decet solertiam ita Reipublicæ curam gerere, & subjectorum commoda investigare, ut Regni utilitas incorrupta permaneat, & singulorum status jugiter servetur illæsus. Quapropter cum ex Prædecessorum more universali Curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, a Principibus Italicis, tam Rectoribus Ecclesiarum quam aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum & feuda, quæ Vasalli ab eis tenebant, sine Dominorum licentia pignori obligaverant, & quadam collusione nominis vel libelli vendiderant: unde debita servitia amittebant, & bonorum Imperii nostræ felicis expeditionis complementum minuebant.

Habito igitur Consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum, simul etiam Palatinorum, Judicum, & aliorum Procerum, hac edictali lege, DEO propitio, perpetuo valitura, sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima judicare, sine permissione majoris Domini, ad quem feudum spectare dignoscitur. Unde Imperator Lotharius tantum in futurum cavens, ne fieret, promulgavit. Nos autem, ad pleniorem Regni utilitatem providentes, non solum in posterum, sed etiam hujusmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente, emptori bonæ fidei de pretio actione contra venditorem competente. Callidis insuper quorundam machinationibus obviantes, qui, pretio accepto, quasi sub colore investituræ, quam sibi licere dicunt, feuda vendunt & in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud ulterius in fraudem hujus nostræ constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus; plena auctoritate nostra statuentes, ut venditor & emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, & ad Dominum libere revertatur; scriba vero, qui super hoc Instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii, cum infamiæ periculo manum amittat.

Præterea si quis infeudatus major quatuordecim annis, sua incuria, vel negligentia per annum & diem steterit, quod feudi investituram a primo Domino non petierit, transacto hoc spatio, feudum amittat, & ad Dominum redeat.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia, quam Alemannia, ut quicunque, indicta publice expeditione, vocatus a Domino suo, ad eandem expeditionem spatio competenti venire supersederit, vel alium pro se, Domino acceptabilem, mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi unius anni Domino non ministraverit, feudum, quod ab Episcopo, aut ab alio Domino habet, amittat: & Dominus feudi in usus suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur: ita ut omnes qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi, fidelitatem Domino faciant: ita tamen, ut vasallus plures Dominos non compellatur habere, nec Dominus feudum sine voluntate Vasallorum ad alium transferat.

Insuper si filius Vasalli Dominum offenderit, pater a Domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum Domino, vel a se filium separet: alioquin feudo privetur. Si vero pater vult eum deducere, ut satisfaciat, filius autem contemnit, patre mortuo, in feudum non succedat, nisi prius Domino satisfecerit: parique modo Vasallus pro omnibus suis domesticis satisfaciat.

Illud quoque præcipimus, ut si Vasallus de feudo alium Vasallum habuerit, & Vasallus Vasalli Dominum Domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius Domini sui hoc fecerit, quem sine fraude antea habuit, feudo privetur, & ad Dominum suum, a quo ipse tenebat, revertatur; nisi requisitus ab eo, paratus fuerit satisfacere majori Domino, quem offendit: & nisi Vasallus, idemque Dominus a suo Domino requisitus, eum, qui majorem Dominum offendit, requisierit ut satisfaciat, feudum amittat.

pedit, universis, qualiter ac postquam Marchionatus, ac feudum Spigni, antehac à Marchionibus de Carretto de Mombaldon possessum, cum plena Causæ cognitione, & per sententiam ab Imperiali Nostro Consilo Aulico latam, postque benignam Nostram approbationem prima Mensis Martii decurrentis anni publicatam, apertum & caducum declaratum, adeoque ad Fiscum Nostrum Imperialem devolutum fuit, Nosque ad factam instantiam clementer annuimus, & decrevimus, dictum Marchionatum, ac feudum, cum omnibus ac singulis annexis & appertinentiis, præ quibusvis aliis pretii Oblatoribus, Serenissimo Principi, Domino Victorio Amadeo, Regi Sardiniæ, Duci Sabaudiæ nec non Pedemontium, & Montisferrati Principi, pro singulari Nostro erga Eundem propensionis affectu, habitaque consideratione distincti studii, in Nostras Sacrique Romani Imperii, nec non Augustæ Nostræ Domus rationes, per mentionatum Regem, & Ducem, ejusque Prædecessores, quacunque opportunitate comprobati, nec minus imposterum, uti benigne confidimus, comprobandi, pro certa nimirum ad trecentos quinquaginta mille florenos Rhenanos, conventâ summa, titulo ac Jure Feudi conferendum & cedendum esse, sicque etiam ad prævium benignum Nostrum Consensum, solemnis Contractus, Cæsaream Nostram Cammeram Aulicam inter, & mentionati Sardiniæ Regis, Sabaudiæ Ducis & Pedemontium, nec non Montisferrati Principis, ad aulam Nostram Cæsaream Regiam existentem Ablegatum Extraordinarium, D. Josephum Solari de Prelio, nec non ejusdem Consiliarium, Antonium Sicchardi, ad hanc utpote Transactionem speciali & ampla potestate munitos, sub vigesima delabentis Mensis Septembris conclusus, ac firmatus fuerit, & quidem tenoris sequentis:

Ad futuram perpetuamque rei memoriam.

Cum, in vim conclusi prolati à Consilio Imperiali Aulico, vigesima Mensis Januarii, Anni elapsi Millesimi septingentesimi decimi noni sequestratio Marchionatus ac feudi Imperialis Spigni, & annexorum, scilicet Rochettæ Malvicini, Meiranæ, Urceolarum, & Montis alti, adversus Marchiones de Carretto de Monbaldone facta, & tandem à Sacra Cæsarea Majestate, causâ hæc agitata, matureque discussa, prima Martii decurrentis anni sententia præfati Consilii Imperialis Aulici clementissime approbata, nec non vigore ejusdem declaratum fuerit, Investituras sub- & obreptitie à dictis Marchionibus de Carretto de Monbaldone obtentas, omnino cassandas, ac proinde prædictum Imperiale Feudum Spigni, cum universis & singulis ejus annexis & pertinentiis, sublata actione contra Fiscum Imperialem a parte adversâ instituta, apertum & caducum esse, ita, ut vigore latæ sententiæ ejusdem feudi dominium utile cum directo consolidatum, & cessante jam sequestro, pleno Jure ad Fiscum Cæsareum devolutum sit; Qua post Cæsaream Resolutionem publicata sententia, cum Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Dominus Victorius Amadeus Rex Sardiniæ, Dux Sabaudiæ, & Princeps Pedemontium, nec non Montisferrati intellexerit, supreme fatam suam Cæsaream Majestatem porro clementissime resolvisse, dictum Feudum, pro quibusdam pecuniarum summis, in publicam necessitatem erogandis, divendere, ac noviter infeudare velle, atque per suum ad Aulam Imperialem existentem Ablegatum Extraordinarium, Dominum Josephum Solari de Prelio institerit, ut, pro trecentorum quinquaginta Millium florenorum Rhenensium summa, Cæsareo ærario oblata, salvis præterea Laudemiis, ac Taxis, Juribusque Cancellariæ Imperialis Aulicæ, altefatum Regem totamque familiam Principum à Sabaudia ad mentionatum Spigni feudum, præ aliis pretii oblatoribus, benigne admittere dignaretur: Hinc Sacra Cæsarea Majestas gravibus mota rationibus & perpensis speciatim præfati Regis ejusque Antecessorum erga se, & Augustissimos Prædecessores, Sacrumque Romanum Imperium & Serenissimam Suam Domum Austriacam meritis, prout itidem benignissime persuasa sæpe fatum Regem, Posterosque Suos majora in dies inviolatæ fidei, ac sinceræ devotionis specimina semper exhibituros, petitioni huic, & oblationi clementissime annuendum censuit, adeoque decrevit, ut desuper inter Cameram Suam Cæsareo-Aulicam & dictum Ablegatum Regium, Josephum Solari de Prelio, nec non ejusdem Consiliarium, Dominum Antonium Sicchardi, ad hanc utpote tractationem speciali plenipotentia munitos, Contractus ineatur, qui in sequentes redactus fuit articulos, & quidem:

Primo. Vendit altissime memorata Sacra Imperatoris Majestas præfato Sardiniæ Regi, qua Duci Sabaudiæ, dictum Marchionatum Spigni, tanquam liberum & immediatum Sacri Romani Imperii feudum, ad habendum, tenendum, & possidendum pro se suisque Descendentibus masculis ex legitimo thoro procreatis, atque procreandis, illisque deficientibus pro omnibus etiam & quibuscunque Principibus, Agnatis ejusdem Domus, & nominis Sabaudici, & Eorum Descendentibus masculis, juxta ordinem primogenituræ, sibi in Regimine Sabaudico succedentibus. Ita ut Idem Rex & ejus Descendentes masculi, ut supra, & post hos omnes Principes ex Sabaudica Domo, eorumque Successores masculi, secundum ordinem Primogenituræ, per lineam masculinam succedant, & hanc quidem venditionem fecit & facit eadem Sacra Majestas cum omnibus & singulis locis, eidem Feudo annexis, ac supra mentionatis, nempe Rochetta, Malvicino, Meirana, Urceola & Monte alto, ac cum omni proprietate, & Dominio subalterno, Jurisdictione, Regalibus quibuscunque reditibus, Bonis, Molendinis, ac proventibus ad idem feudum spectantibus & pertinentibus, ac demum etiam, cum omnibus & quibuscunque Juribus & rationibus, quæ Sacræ Cæs. Majestati in eodem Feudo competierunt, & competunt, sub Imperatoribus & Sacro Romano Imperio perpetuo tenendis & recognoscendis, salvo semper & reservato supremo Dominio, alta superioritate & homagio, nec non Fidelitatis Juramento, erga Sacram Cæsaream Majestatem Ejusque Successores, Romanorum Imperatores, & Sacrum Romanum Imperium, ita ut vicissim pro dicta Venditione, & omnibus ac singulis in ea contentis præfata Sac. Cæs. Majestas solitam ac legitimam evictionem, defensionem & manutentionem, secundum naturam Contractus empti venditi, tam in genere, quam in specie, & tam respectu proprietatis, quam possessionis erga quoscunque in

ſe Jure Imperiali aſſumat, & ad eandem perpetuo præſtandam legitime tenere velit, pro quo feudo, Bonis & Juribus

Secundo, Sacræ Cæſ. Majeſtati Sardiniæ Rex trecentos & quinquaginta mille florenos Rhenenſes eo, quo infra dicetur, modo, ſolvendos promittit; Cumque

Tertio, Conventum ſit, omnia ad dictum feudum Spigni ſpectantia Bona, nec non reditus, Regalia & Jura ſupra expreſſa, pro mentionata ſumma, ſalvis tamen laudemiis, Taxis & Juribus Cancellariæ Imperialis Aulicæ, vendita & collata eſſe; Hinc Sacra Cæſ. Majeſtas, in præfatum Regem ſuosque Deſcendentes & Principes Agnatos ex eadem Domo, & nomine Sabaudico Maſculos, ordine & forma, quibus ſupra, ſæpius mentionatum feudum, & loca, eorumque appertinentias, ea lege transfert, ut nunc ab alte memorato Rege, & in futurum, quotiescunque hoc feudum, ſive Domini directi, ſive Vaſalli morte, aut aliter de Jure vacare contigerit, nova deſuper inveſtitura, via ſolita, petatur, atque ſalvum & reſervatum, ut ſupra, perpetuo remaneat Imperatoribus & Sacro Romano Imperio altum ac ſupremum Dominium, homagium & fidelitatis Juramentum, & ſalvæ maneant omnes illæ Obligationes, ad quas omnes in Italia Vaſalli Imperiales de Jure ac conſvetudine feudali, tam pacis, quam belli tempore, tenentur: utque

Quarto, jura, quæ in dictum feudum Spigni Sereniſſimo Regi, ſuisque legitimis Succeſſoribus maſculis collata ſunt, eo fortius comprobentur, & conſolidentur, Majeſtas Sua Sacra Cæſarea, citra præjudicium qualecunque promiſſæ ſuperius evictionis, ad omnem prærepetiti Regis requiſitionem, benigne ordinabit, ut omnes tituli, Scripturæ & Documenta, Feudum Spigni concernentia, in vidimatis copiis, è Cancellaria Imperiali Aulica authentice extradantur: Imprimis vero fide dignus Extractus Actorum, & ſententiæ, quæ à Conſilio Imperiali Aulico ſuper hac lite inter Imperialem Fiſcum & Marchiones de Carretto de Monbaldone mota, lata eſt, conficiatur & communicetur: Et contra vero

Quinto, Reſervat ſupremefata Sua Cæſ. Majeſtas ſibi & Succeſſoribus ſuis, Romanorum Imperatoribus & Regibus, Sacroque Romano Imperio non modo jus aperturæ, ſed etiam, quandocunque ejusdem & Eorum rationes id exigerent, liberi tranſitus per nominatum feudum ea parte, ut tranſeuntibus ſuis Copiis, prout ab aliis feudatariis Imperialibus in Italia fieri debet, commeatus concedatur, & neceſſariæ ſubſiſtentiæ naturalia, pro æquo ac definito in conſtitutionibus ſuis pretio, quantum opus fuerit, ſuppeditentur: nec minus in ſæpe mentionato feudo, ac quævis ejus appertinentia, tam moderno, quam ſubſequentibus Romanorum Imperatoribus, belli, vel alia ratione id exigente, pro immittendo milite præſidiario Jus aperturæ, prout Lege feudali absque hoc ſtatutum eſt, ſemper liberum eſto.

Sexto, tenebuntur quoque a Sua Sacra Cæſarea Majeſtate, aut Ejus Succeſſoribus, Sardiniæ Rex Ejusque Succeſſores moniti, Ipſi Sac. Cæſ. Majeſtati, aut ejusdem fœderatis innoxium tranſitum per Feudum Spigni, omnesque ejus appertinentias ſemper concedere, nec minus obſtricti erunt, ſine diſcrimine Perſonarum, omnibus Sacræ Cæſ. Majeſtatis, & Imperii, nec non Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ hoſtibus, non manifeſtis ſolum, ſed & de molimine hoſtili ſuſpectis, tranſitum per totum hocce territorium penitus denegare, ac, quantum viribus poterunt, impedire; Cæterum quidquid circa Jus aperturæ, Præſidii & liberi tranſitus hic ſtatutum eſt, etiam ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam, vi pacti hujus extenſum eſto, Eique ſemper concedendum, illius vero hoſtibus negandum, & pro viribus impediendum eſſe intelligitur. Demum

Septimo, quoad modum, & termino ſolutionis in recenſita trecentorum quinquagies mille florenorum Rhenenſium ſumma Cæſareo Ærario præſtandæ, conventum utrinque fuit, ut de præſenti ad talis ſummæ rationem & computum, tercentum mille floreni exſolvantur, reſidua vero quinquaginta millium florenorum quota, tempore ſolitæ Inveſtituræ, ad normam præſentis Contractus expediendæ, in paratis pariter enumeretur, ubi viciſſim, dumque taliter Cæſareo ærario de integro pretio, nec non de Laudemiis, Taxis Juribusque Cancellariæ ſatisfactum fuerit, effectiva ſæpius mentionati feudi, ac Marchionatus Spigni traditio ac immiſſio inſimul ſubſequetur, omnesque proventus & fructus a plenæ ſolutionis tempore percipiendi Miniſtro eum in finem per altefatum Regem Sardiniæ, & Sabaudiæ Ducem, nec non Pedemontium, & Montisferrati Principem denominando aſſignabuntur. In quorum omnium fidem ac majus robur &c.

Quod Nos proinde hunc Contractum, per omnia & ſingula clementer laudaverimus, approbaverimus, ac ratum gratumque habuerimus, quemadmodum hiſce etiam omnimodo benigne laudamus, confirmamus & ratum ac gratum habemus, appromittentes inſimul, nos ſerio ordinaturos, ut omnia & ſingula in præmiſſo Contractu contenta ſeu expreſſa, in quantum nos tangunt, plene obſerventur, ac adimpleantur: In quorum fidem & majus robur has noſtras ſecreto noſtro Cæſareo & Regio Sigillo muniri & expediri curavimus. Dabantur Pragæ, vigeſima ſeptima Septembris, Anno milleſimo, ſeptingenteſimo, vigeſimo tertio: Regnorum noſtrorum, Romani duodecimo, Hiſpaniarum vigeſimo primo, Hungarici Bohemicique vero decimo tertio.

CAROLUS.

(L. S.)

Joa. Franc. Comes à Dietrichſtain.

Ad mandatum Sac. Cæſ. & Cath. Majeſt. proprium,

Joſephus Carolus Sauber.

Ac cum deinde tota Contractus Summa non tantum in paratis numerata, ſed etiam cætera, quæ implenda erant, adimpleta fuerint, & Nobis idem Rex decenter ſupplicarit, ut illum, qua Sabaudiæ Ducem, in conformitate antecitati Contractus de prænominato feudo, & Marchionatu, cum univerſis & ſingulis ſuis appertinentiis, benigne inveſtire dignaremur: Nos æquis ejus precibus annuendo, in ſequelam memorati Contractus, ex certa ſcientia, *motu proprio*, animo bene deliberato, ſano maturoque accedente Conſilio & de Cæſareæ poteſtatis plenitudine prædictum Sereniſſimum & Potentiſſimum Dominum, Victorium Amadæum, Sabaudiæ & Montisferrati Ducem, Principem Pedemontium, & Sacri Romani Imperii in Italia Vicarium perpetuum, fratrem

trem & Consanguineum Nostrum charissimum pro se, suisque Filiis & Descendentibus masculis ex legitimo thoro procreatis & procreandis, illisque deficientibus pro omnibus etiam, & quibuscunque legitimo pariter thoro natis Principibus Agnatis ejusdem domus & nominis Sabaudici, eorumque Descendentibus masculis, juxta ordinem Primogenituræ sibi in Regimine Sabaudico successuris, ita, ut idem Rex & ejus Descendentes masculi, & in horum defectum omnes Principes ex Domo Sabaudica, eorumque Successores masculi secundum ordinem Primogenituræ per lineam masculinam succedant, tanquam, ut præfertur Sabaudiæ Ducem & Duces, clementer investiverimus: Prout tenore præsentium de prænominato Feudo Spigni in Partibus Lombardiæ, sive, ut dicitur, in Langhis & Aquensi agro existente, sub titulo & prærogativa Marchionatus investimus, cum omnibus & singulis Locis & Terris eidem Feudo annexi, nempe Rocchetæ, Maluicino, Meirana, Vrceola & Montealto, ac quibusvis horum Locorum appertinentiis, cumque omni proprietate & Dominio subalterno, jurisdictione, Regalibus quibuscunque, reditibus, Bonis, Molendinis, & Proventibus ad idem Feudum spectantibus & pertinentibus, ac demum etiam cum omnibus & quibuscunque juribus & rationibus, quæ nobis in eodem Feudo competierunt, & competunt. Volentes etiam ex speciali gratia atque ex supradictæ Cæsareæ Potestatis plenitudine decernentes, ut præfatus Serenissimus Rex ejusque Descendentes & Successores prædicti, qua Duces Sabaudiæ, Nostra, & Imperatoriæ Potestatis vice in dicto feudo, & Marchionatu fungantur, iisque omnibus Privilegiis, gratiis, Indultis, præeminentiis, & concessionibus, prout in cæteris Locis & Ditionibus, quæ & quas à Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum possident, sub Imperatoribus tamen, & Sacro Romano Imperio supradictis omnibus jugiter tenendis, & recognoscendis, gaudeant & fruantur, atque ibi pro Vicariis Nostris perpetuis sint, & habeantur; salvo tamen & reservato supremo dominio, alta superioritate, & homagio, nec non fidelitatis juramento, Nobis Nostrisque Successoribus, Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, & Sacro Romano Imperio, quotiescunque vel per Domini directi, vel Vasalli mortem, aut alios casus postulaverit, præstando, quod in præsentiarum Nobis honorabilis Noster, & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Hugo Xaverius Nobilis ab Heunisch, Consilii Nostri Imperialis Aulici Agens, & præfati Serenissimi Regis Consiliarius & Agens, pleno & sufficienti ad hoc mandato instructus, nomine & in animam ejusdem Regis, qua Ducis Sabaudiæ, debito & consveto modo humillime præstitit, & suæ Serenitatis Successores, quovis casu, ut supra præstare tenebuntur.

Dantes propterea, vigore antedictæ sententiæ de prima Martii anni nup. & conferentes eidem Serenissimo Regi, qua Sabaudiæ Duci, amplam & liberam facultatem, Possessionem, vel quasi dicti loci Spigni, & memoratorum Locorum, Bonorum, jurium & pertinentiarum legaliter capiendi, & captam retinendi: Salvo tamen jure aperturæ, Præsidii, libero Copiarum cum Imperialium, tum domus Austriacæ atque fœderatorum per sæpe dictum Spigni feudum, ejusque appertinentias innoxio transitu, annonæ iisdem suppeditatione, ac reliquis in præinserto Contractu fusius deductis, nec non reservatis quibusvis illis obligationibus ad quas omnes in Italia Vasalli Imperiales erga Cæsaream Majestatem Sacrumque Romanum Imperium de jure ac consvetudine feudalis, tam pacis quam belli tempore tenentur.

Declaramus de reliquo Nos tenere ac possidere seu quasi ex nunc dictum feudum, & loca, juraque iis competentia nomine sæpe fati Regis, simulque mandamus & expresse injungimus omnibus, & singulis Universitatibus, Communitatibus, Vasallis, subditis, Hominibus, & Incolis dictorum Locorum, tum præsentibus, tum futuris, ut Suam Serenitatem ejusque successores, ut supra, Sabaudiæ Duces in veros legitimos & actuales Dominos atque Possessores impostertum recognoscant, eisque consvetum homagium, & fidelitatis juramentum præstent, ac omnia faciant quæ fideles Vasalli & subditi suis naturalibus, veris, & legitimis dominis facere, ac præstare tenentur. Salvis tamen præfatarum Universitatum, Communitatum, Incolarum & subditorum Privilegiis, de quibus constet per Diplomata Cæsarea, nec non Juribus hucusque legitime, valide & juste quæsitis, quæ videlicet, jura & privilegia, ipsis salvo Vicariatu & Regalibus majoribus competere possunt: Et reservato pariter Serenissimæ Domus Nostræ Austriacæ, præprimis vero Ducatus Mediolanensis Vasallis, Incolis & subditis nec non aliis Vasallis Imperialibus & pariter eorum Incolis & subditis libero, & à novis pedagiis, datiis aliisve quibusvis Gabellis, aut exactionibus immuni cum salis, tum aliarum quarumvis Mercium versus plagam maritimam, & alias pro universali commercio per dicta Marchionatus Loca transitu, & reditu. Hac tamen adjecta cautela, ut, quod prioribus Marchionibus Spigni circa præfatas merces telonii titulo aut à subditis, aut aliis quibusvis solvere consvetum erat, id quoque in futurum præstetur: De sale vero illa duntaxat quantitas, quam circumjacentium Vasallorum, Incolarum, & subditorum propria indigentia requirit, transducatur, nullo modo sed licitum quin sub pœna confiscationis vetitum sit, dictum salem novis his, aut aliis sæpe fati Regis subditis, quovismodo suppeditare, vendere aut quocunque nomine in ejus ditiones ad ibidem clam sive palam distrahendum portare, vel invehere: Adhibitis adhæc ab eodem Rege cautelis opportunis: quod & de aliis mercium prohibitarum generibus dictum intelligatur. De cætero nulli omnino Hominum liceat hanc Nostræ Investituræ, concessionis, approbationis, Innovationis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire: Si quis autem id attentare præsumpserit, noverit, præter nostram, Sacrique Imperii indignationem gravissimam, quinquaginta Marcarum auri puri mulctam pro semisse Fisco Nostro seu ærario Imperiali & pro altero semisse injuriam passo, vel passis omni spe veniæ sublata pendendam ipso facto incursurum. Harum Testimonio Litterarum Manu Nostra subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, datarum in Civitate Nostra Viennæ. Die 14. Xbris A. 1724.

Ad
SECTIONIS II.
CLASSIS I.
CAPUT IV.
De Mantuæ & Montisferrati Ducatibus.

Tomi I. pag. -

I.

Litera Sigismundi Romanorum ad Johannem Jacobum, Marchionem Montisferratensem de bello Venetis, S. R. Imperio morem gerere renuentibus inferendo scripta, d. d. 2. Jun. An. 1431.

SIgismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Illustris Princeps, Consangvinee carissime; Quamquam Majestatem nostram satis commoverit liga, & confœderatio, quas cum Venetis & Florentinis tempore litis præteritæ iniisti, cum illæ non mediocriter contra nos, & sacrum Romanum Imperium tendebant, & tendunt; tamen illud mansuetudine regia transeuntur, tibi pro eo huc usque nil mali intulimus; quin potius te requisivimus, ut ejusmodi adhærentiis prætermissis contra præfatos Venetos nostros nobiscum insurgeres, prout tam ex scriptis, quam nuntiis nostris ad te creberrime missis clarius collegisti. Et ecce singulis negotiis nostris dispositis, & familia Curiæ nostræ ad Mediolanum præmissa, in procinctu eramus eorum vestigia quantotius subsequendi; sed Hæretici Bohemiæ ad nos miserunt; petenter nos instanter pro conventione mutua sub spe bonæ concordiæ: ad quos, ut nil, quod ad bonum fidei, & reductionem ipsorum conferre posset per nos intentatum maneret, non parcendo laboribus, & fatigiis, cum ipsis convenimus, ferventi solicitudine laborantes, ut hanc pestem aliqualiter possemus compescere, per quod cædes vitarentur & tolleretur effusio sanguinis Christiani. Sed quia cum Principibus, Doctoribus, & aliis peritissimis viris ipsos ad nullam honestam viam deflectere, nec eos aliqua potuimus mansuetudine, & pietate mollire, sine conclusione ab invicem discessimus, & requisitis de novo Principibus, Nobilibus & Communitatibus sacri Imperii, ut cum exercitu suo, juxta determinationem in Nuremberga factam ad Bohemiam accelerent, huc applicuimus, & sine intermissione, omni qua poterimus festinantia, die noctuque ad Italiam continuabimus gressus nostros, dispositi omninò procedere, & à quibuscunque fidelibus nostris procedi facere armata manu contra Venetos antiquos hostes, & rebelles Imperii, qui multa detinent ex bonis Majestati nostræ, & Imperio Sacro, tam extra Italiam, quam etiam in Italia spectantibus; & ita per Dei gratiam procedendo, & procedi faciendo, ut occupata, & abstracta recuperentur, & ipsi Veneti, qui funiculos suos in aliena minus juste extendunt, & se supra se extollunt, debite compescantur. Et quemadmodum, ut præmissimus, Dilectioni tuæ plerisque vicibus mandavimus, ut cum potentia tua nobiscum deberes insurgere: illud idem etiam novissime per magnificum Conradum de Venspergh Camerarium nostrum & fidelem dilectum nunciando; ita denuò & ex superabundanti eidem tuæ Dilectioni firmissime præcipiendo mandamus, requirentes & monentes te autoritate Regia, sub ea fide, qua nobis & Imperio sacro existis obnoxius, quatenus non obstantibus hujusmodi illicitis, & indebitis confœderationibus cum præfatis Venetis, & eorum colligatis, nedum absque scitu & consensu nostro, tamquam Romanorum Regis Domini tui veri, & ordinarii, verum etiam in dispendium, & damnum sacri Romani Imperii initisque de jure nullatenus possunt subsistere, ab ipsorum Venetorum adhærentia mox resipiscas, & progenitorum tuorum, qui apud Imperium sacrum multa gloriose fecerunt, & proinde sibi non modicos honores, & commoda cumularunt, levando vestigia, tamquam fidelis vasallus, & Princeps Imperii, qui à nobis etiam non modica beneficia recepisti, statim adversus dictos Venetos, eorumque colligatos undecunque, & quomodocunque validus, & fortius poteris insurgas, gverram eis & collegatis suis faciendo, ac ad omnes ostensiones eorum, velut hostium, & rebellium Imperii, totis tuis viribus intendendo, quemadmodum etiam tuæ Dilectioni per præfatum Conradum de Venspergh satis clare significavimus; secus non facturum sub pœna indignationis nostræ gravissima, & privatione quorumcunque jurium, libertatum, gratiarum & bonorum, de quibus nobis, & Imperio respectibus obligatus existis. Quam quidem privationem ex nunc, prout ex tunc te incurrisse intelligas, si statim receptis his literis nostris, eas executioni non mandaveris; certificantes tuam Dilectionem, si te in hoc voto nostro inobedientem cognoverimus, quod ad finale exterminum tuum, tamquam rebellem & hunc, qui per inobedientiam crimen læsæ Majestatis incurrit, sic efficaciter procedemus, quod aliis merito poteris cedere ad exemplum: Confidimus tamen, quod tibi in hoc facto aliter consules & debito, ac honori tuo salubrius providebis. Dat. Bambergæ, 2. die Junii, Regnorum nostrorum anno, Hungariæ &c. XIV. Romanorum XXI. & Bohemiæ XI.

II.


Diploma Sigismundi Romanorum Imperatoris, in quo Joannem Franciscum de Gonzaga Mantuanum denuo Principis atque Marchionis Mantuani titulo atque dignitate condecoravit, eique Mantuam cum ejusdem pertinentibus in Principatum atque Marchionatum erectam in S. Rom. Imperii feudum contulit, de anno —

In

In nomine Sancta, & Individua Trinitatis Feliciter Amen.

SIGISMUNDUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Ad perpetuam rei memoriam; Illustri Jo. Francisco de Gonzaga, Mantuæ, ejusque Territorio, Diœcesi, & Districtus, nec non, & infrascriptorum Locorum, Terrarum, Castrorum, & pertinentiarum Marchioni nostro, Sacrique Romani Imperii fideli Principi, Gratiam Cæsaream, & omne bonum: Sane licet alias dum Romano Regio nomine fungeremur, Te, hæredes tuos legitimos in Marchiones Mantuæ, & Sacri Romani Imperii Illustres Principes creaverimus & sublimaverimus, prout Litteræ Majestatis Nostræ desuper in Civitate Parmensi æmanatæ clarius attestantur; Tamen attendentes, multiplicia merita probitatis, ac præclaræ devotionis insignia, quibus Tu, ac laudabilis memoriæ Progenitores Tui ingenuæ Domus de Gonzaga Prædecessores Nostros, Diæque recordationis Romanorum Imperatores, & Reges, ac ipsum Sacrum Romanorum Imperium dignis quidem studuistis honoribus venerari, illum etiam færuidum tuæ mentis ardorem, quo Nostros, & ejusdem Imperii procurandos honores inclinaris attentius, Imperialis considerationis intuitu limpidius intuentes, Animo deliberato, sano etiam Principum, Comitum, Baronum, Procerum, & Nobilium Nostrorum fidelium dilectorum accedente consilio, Te præfatum Jo. Franciscum, cum hæc tuæ nobilitatis origo latitudoque Tui Dominii, ac ampla sobjecta tuæ Ditioni spacia, nec non intemerata Fides tua, ac Progenitorum tuorum, quo vetusto jam tempore cum maxima fidelitatis exhibitione Sacrum Romanum honorastis Imperium, non immerito requirebant, & requirunt de novo ex superabundanti, sedentibus Nobis in apparatu, & ceremoniis Imperialibus, ac solemnitate debita in Solio Cæsareo per Bireti, Mantelli, & Annuli impositionem, & Banderiorum concessionem, ac aliorum Insigniorum collationem hodie in nomine Domini, & Salvatoris Nostri, à quo omnis Principatus, & honor pervenire dignoscitur, auctoritate Cæsarea illustravimus, & insignimus in verum Principem, & Marchionem Mantuæ sublimavimus, ereximus, & decoravimus, ac recepto à Te in manibus propriis subjectionis, obedientiæ, & fidelitatis debito juramento illustramus, insignimus, sublimamus, erigimus de Imperialis plenitudine Potestatis, & de certa Nostra scientia, motuque proprio decoramus; Decernentes, & volentes expresse, quod Tu, & hæredes, & successores Tui legitimi Marchiones Mantuæ perpetuis in antea temporibus, omni dignitate præeminentia, nobilitate, jure, potestate, libertate, honore, & consuetudine gaudere, & frui continuo debeatis, quibus alii Nostri, & S. R. I. Principes, ac nominati Marchiones Illustres freti sunt hactenus, & quotidie potiuntur; Civitatem quoque Mantuæ, ejusque Territorium, Diœcesim, & districtum cum omnibus suis juribus, honoribus, Jurisdictionibus, ac pertinentiis quibuscumque in inferiori Lombardia constitutis, ex certa nostra scientia, & Imperialis plenitudine Potestatis, in novam Marchiam, & Marchionatum erigimus, facimus, & creamus, Decernentes, & hoc Nostro Imperiali statuentes Edicto, ut de cætero dicta Civitas Mantuæ, cum toto eius Territorio, Diœcesi, & Districtu, cumque prædictis Castris, Locis, & Terris, earumque omnium, & singulorum juribus, Regalibus, & jurisdictionibus quibuscumque Marchia, & Marchionatus, & pro Marchia, & Marchionatu nuncupetur, uocetur, & habeatur, ac ab omnibus teneatur; Tibi Illustri Ioanni Francisco, tuisque filiis, & heredibus legitimis masculis, & successoribus infrascripto ordine successuris, prædictam Civitatem Mantuæ, eiusque Territorium, Diœcesim, & Districtum, cum supradictis Terris, Locis, & Castris, cumque omnibus, & singulis dictæ Civitatis, Terrarum, Locorum, & Castrorum juribus, honoribus, jurisdictionibus, mero, & mixto Imperio, omnimodaque jurisdictione, & coertione, aquis, stagnis, Torrentibus, Lacubus, Fluminibus, & piscarijs, molendinis, & juribus nauigandi, syluis, nemoribus, pratis, pascuis, piscinis, teloneis, conductibus, & potestate fabricandi monetam auream, argenteam, vel æneam, & quamcunque aliam legalem tamen, & datiuam, vallibus, uenationibus, & Feudis, Feudatariis, Vassallibus, Vassallagiis, Baroniis, Militibus, Iudicibus, Plebeis, Rusticis, Agricolis, Iudæis, & omnibus, quæ tam de jure, quam alia quacumque speciali Consuetudine, vel Lege dictæque Civitatis, ac prædictorum Locorum, Terrarum, & Castrorum laditudo concernunt, in Marchionatum, & Feudum honorabile, atque perpetuum Imperiali authoritate, & de benignitate Cæsarea, animo deliberato, & ex certa scientia, concedentes, & gratiose conferentes, decernentesque, & hac Edictali Constitutione sancientes, quod Tu, & filii Tui, ac successores Tui legitimi, perpetuo Marchiones Mantuæ nominari, & appellari debeatis in antea, & tamquam cæteri Imperii Sacri Marchiones, & Principes teneri, & honorari, ac ubique locorum ab omnibus reputari, omnibusque jure, Privilegio, honore, & gratia, ac dignitate, & immunitate, absque omni impedimento perfrui, quibus alii Sacrosancti Imperii Romani Marchiones, & Principes, in dandis & recipiendis juribus, in conferendis, & suscipiendis Feudis, & in omnibus, & singulis aliis illustrem statum, & conditionem Marchionum, seu Principum concernentibus, freti sunt hactenus, seu quomodo libet potiuntur; Adstringentes Ioannem Franciscum, hæredesque legitimos, & modo infrascripto successores tuos, ut in Marchionatu vestro prædicto pacem, & Justitiam omnibus, & singulis, æque Pauperibus, & Divitibus efficaciter, & fideliter juxta posse vestrum procurare debeatis; Quodque Marchionatum Mantuæ, cum omnibus suis pertinentiis, sicut superius expressum fuit a Nobis, nec non a Serenissimis Imperatoribus siue Regibus successoribus Nostris, & ab Imperio Romano, quoties debitum fuerit sollemnitatis honore debito, cum Vexillis, & Banderiis, ut moris est, solita quoque reverentia suscipere debeatis, ac Nobis, & eisdem successoribus nostris in casibus præmissis, sicut alii Imperiales Marchiones, & Principes præstare, & facere fidelitatis, homagii, obedientiæ, & subiectionis debitæ, corporalia juramenta. Cæterum ad declarationem sæpe nominatarum supra successionum, utque de earum ordine omnis ambiguitas auferatur, & tollatur omnis materia

quæstionis, confusionisque omnis possibilis dubietas extirpetur, detur autem potius clarus, & determinatus succedendi in prædicta Marchionali dignitate, ac omnibus supra concessis, stilus, & ordo, hoc præsenti Nostro imperiali Edicto in perpetuum valituro jubemus, statuimus, dicimus, & sancimus, quod Primogenitus Tuus Illustris Marchio Ioannes Francisce, masculus ex vero, & legitimo matrimonio ex Te natus, in Marchionatu, & Marchionali dignitate, & Feudo præfatis, ac cæteris omnibus, & singulis supra concessis, & indultis Tibi succedat, aliisque Fratribus suis, & tuis filiis legitimis præferatur; Et quod dicto Primogenito Tuo decedente etiam Te vivente, filius Primogenitus masculus ex legitimo matrimonio ortus dicti Primogeniti, præferatur Patruis, ac aliis quibuscumque in successione Marchionatus præscripti Feudi, & aliorum superius concessorum, quod quoad prædictam successionem in singulis Primogenitis masculis ex legitimo matrimonio susceptis, descendentium a Primogenitis, legitimis, ut supra descendentibus, volumus observari; Deficientibus autem Primogenitis Primogenitorum descendentium, ut supra à primogenitis, tunc secundogenitus masculus ex legitimo matrimonio ex Te ortus, siue ipse Primogenitus ab ipso ordinate, & secundum rectam lineam masculinam descendens ut supra, in dicto Marchionatu, Feudo, & cæteris supra concessis successor existat, quod in cæteris ab ipso descendentibus per rectam lineam masculinam, prout de successione supra Primogeniti dictum est, in omnibus observetur; Illud idem intelligendo, de Tuis tertio, & quarto genitis, & sic deinceps &c.



Ad SECTIONIS II. CLASSIS I. CAPUT V.
De Mutinensi & Rhegiensi Ducatibus.

Tom. I. pag. -

I.

Contractus Emptionis & Venditionis, in quo Josephus, Roman. Imperator Ducatum Mirandulæ & Marchionatum Concordiæ, pro 175000. Duplionum, ut ajunt, pretio, Raynaldo, Mutinæ & Rhegii Duci vendidit, d. d. 15. Julii, An. 1710.

Ad futuram perpetuamque rei memoriam.

ESti Sacra Cæsarea Majestas, ad bellum tot abhinc annis pro Europæ tranquillitate ac communi fœderatorum commodo cum Rege Galliæ, ac Duce Andegavensi Eorumque Affectis gestum, qua opus est efficacia porro continuandum ultra Ærarii sui, tam ingentibus belli sumptibus, vix non funditus exhausti facultates extraordinaria quævis media adhibere, ac eum in finem feuda, ob Vassalorum feloniam fisco Cæsareo addicta interque illa Ducatum Mirandulæ & Marchionatum Concordiæ, reservatis solennibus in ejusmodi casibus observari solitis auctionari, sibi proposuerit, nec non eo nomine variæ, ac amplissimæ Conditiones Eidem oblatæ fuerint, nihil ominus pro singulari suo erga serenissimum Mutinæ Ducem propensionis affectu, habitaque ratione incomparabilis in res Cæsareas Studii, quod Is quacunque opportunitate, & nunc quidem per magnam pecuniæ summam ad movendum in Italiæ Cæsareum Exercitum subministrando laudabiliter testatus est, Eidem Serenissimo Duci præ cæteris Competitoribus supra Mentionatos Ducatum Mirandulæ, & Marchionatum Concordiæ vendendos benigne statuit, desuperquæ inter Cameram suam Aulicam & Ablegatum Mutinensem (tit.) Comitem Gianini contractum iniri voluit, qui proinde in sequentes utrinque Articulos redactus fuit;

Primo, Vendit altissime memorata Sacra Cæsarea Majestas serenissimo Mutinæ Duci, omnia bona immobilia, tam Allodialia quam feudalia intra Ducatus Mirandulæ & Marchionatus Concordiæ limites sita, & ad fiscum Cæsareum devoluta, una cum omnibus Juribus & prærogativis (exceptis tormentis bellicis,) cum omni commodo & onere, pro quibus.

Secundo, Sacræ Suæ Cæsareæ Majestati Serenissimus Mutinæ Dux Centum septuaginta quinque Millia Duplionum, quas Italico delle cinque stampe vocant eo quo infra dicetur modo, solvenda promittit; cumque.

Tertio, Conventum sit, quod Bona immobilia, seu Prædia, quæ Franciscus Maria Picus intra Ducatus Mirandulæ, & Marchionatus Concordiæ fines, Allodii titulo possedit, in beneficiaria convertantur; Hinc Sacra Cæsarea Majestas ista æque ac reliqua quæ antehac ad dictum Franciscum Mariam Picum feudi Jure pertinuerunt, Serenissimo Mutinæ Duci, suisque descendentibus Masculis legitime Natis in infinitum in feudum concedit, ea tamen lege expresse adjecta, ut quotiescunque hoc feudum, sive Domini directi, sive Vasalli morte vacare contigerit, nova desuper investitura à Mutinensi penitus separata petatur, ac præterea Vasallus omnibus & singulis, qui cum Ejusmodi feudis cohærent, nexibus & oneribus obstrictus sit, quod si vero, respectu Prædiorum Allodialium nunc in beneficiaria conversorum Evictioni locus fuerit, eo casu eadem Prædia pristinam suam naturam reassument, nec aliter Evictori, quam cum omni onere quo ante conversionem modo dictam utpote Allodialia affecta erant restituentur.

Quarto, Renuntiat Serenissimus Mutinæ Dux omnibus prætensionibus, quæ, quomodocunque erga Cæsareæ suæ Majestatis Sacri item Romani Imperii

rii & Serenissimæ Domus Austriacæ Aerarium cum præsentis, tum idem Præcedentium Bellorum Gallicorum occasione vel causâ, sive refundendorum & reparandorum damnorum, sive præstandæ indemnitatis nomine ab Ipso Serenissimo Duce moveri, & qualicunque demum Jure niti possent, salva tamen damnorum reparatione quam dictus Serenissimus Dux in futura pacis tractatione à Rege Galliæ contendet, & Sacra Cæsarea Majestas quantum in se erit, promotura est, quemadmodum deputato suo ad tractatum pacis Plenipotentiario Cæsareo, (ponatur tit.) jam jam beningne injunxit, & ulterius clementer committet;

Quinto, Reservat in prædicta feudi concessione Sacra Cæsarea Majestas sibi, Successoribus suis Imperatoribus, & Regibus Romanis non modo Jus aperturæ Juri feudali cui respectu Domini directi per se inest appertinens, sed etiam quandocunque ejusdem, & eorum rationes id exegerint, liberi transitus per sæpesatos Ducatum & Marchionatum, nec non Præsidii in urbe, & fortalitio Mirandulæ collocandi potestatem, eo pacto, ut transeuntibus suis copiis commeatus præfinito in constitutionibus suis stipendiariis pretio suppeditetur, Præsidiariis vero, qui ultra, quam pro ratione Belli, aut periculi necessarium fuerit, ibidem non comorabuntur, ea quæ ad Salgamum (Italice Servicio) pertinent, rite prebeantur. Poterunt porro Serenissimus Dux Mutinæ, Ejusque in Ducatu Mirandulæ, & Marchionatu Concordiæ Successores, ubi è re judicaverint, sua sponte, a Sacra Cæsarea Majestate vero, aut ejus Successoribus moniti debebunt, Eorundem fœderatis & Amicis innoxium transitum per Easdem ditiones concedere, in urbem tamen & munimentum præter proprium nullius alterius, cujuscunque Principis aut Reipublicæ Militem cujuslibet numeri, quovis sub prætextu, ullo tempore, absque Cæsareo jussu, seu permissione, recipere fas sit; Tenebuntur denique hostibus Sacræ Cæs. Majestatis & Imperii, sine discrimine, omnibus, non manifestis solum, sed & dubiis ac de molimine hostili suspectis, cum transitum ipsum per hocce territorium, tum multo magis aditum, seu ingressum in urbem & fortalitium, Præsidiique imponendi facultatem penitus negare, & quantum in se erit, atque per vires licebit, omni ratione impedire; Quidquid vero circa jus aperturæ, & Præsidii transitumque hic statutum est, etiam ad Serenissimam Domum Austriacam, vi pacti hujus perpetuo extensum esto, Eique semper concedendum, illius vero hostibus negandum & pro viribus impediendum intelligitur.

Sexto. Dictum est supra, Ducatum Mirandulæ & Marchionatum Concordiæ, cum omni commodo & onere vendi, & licet Sacræ Cæs. Majestati onera, quibus dicti Status succumbunt, speciatim non sint nota, pro certo tamen habet, eo etiam nomine venire dotes, appanagia & alimenta nonnullis de familia Picca à Feloniæ crimine immunibus assignata, nec non æs alienum, si quod fuerit, ante belli hujus initium, cum oppignoratione Allodii, vel etiam feudi, dummodo ad hoc Consensus Cæsareus accesserit, legitime contractum, ubi igitur super ejusmodi Prætensionibus lis moveretur, pro ejus decisione quippe quæ sua natura ad Sacram Cæs. Majestatem spectat, huc recurrendum esset; ut autem novum Cæsareæ in Serenissimum Mutinæ Ducem benevolentiæ & æquanimitatis extet argumentum, Eadem Sacra Cæs. Majestas hisce benigne declarat, ea duntaxat onera, quorum annua præstatio summam ter mille Duplionum non excedat in dictum Sereniss. Ducem transferri, de ulterioribus vero eidem à Camera Aulica satisfieri debere.

Septimo. Quandoquidem manifestum est, ad effectum dandum isthunc Emptionis & venditionis contractum Sacri Romani Imperii Electorum consensu opus esse Sua Sacra Cæsarea Majestas eundem à dictis Electoribus quam enixissime petet; quo vero eo facilius obtineatur, Serenissimus quoque Mutinæ Dux Sua ex parte apud Sæpementionatos Electores omnem operam impendet.

Octavo. Interea modo dictus Sereniss. Dux ad manus Deputationis Cæsareæ Mediolani existentis centies mille Dupliones, ut supra, nunc statim exsolvet, cumque modo dicta cent. mill. Duplionum summa interea effective exsoluta fuerit, Ipse Serenissimus Dux non nisi ad reliquas septuagesies quinquies mille Dupliones ulterius obstrictus est, quas illa ipsa, qua superdictis Ducatu Mirandulæ & Marchionatu Concordiæ investietur, die numerari curabit, sique in specie seu in auro eas habere nequeat, in alia moneta, eo pretio, quo Dupliones in solvendis Contributionibus accipi solent, pendere liberum Ipsi erit.

Nono. Cæterum non dubitat Sacra Cæs. Majestas, quin S. R. Imperii Electores hunc Contractum consensu suo consolidaturi præsentisque Belli eventus tam prosperi futuri sint, ut quæ vi hujus conventionis constituuntur, in omnibus sarta tecta maneant. Quod si vero, pro rerum humanarum vicissitudine, alterutrum, præter expectationem secus accideret, promittit Sacra Cæs. Majestas ac in se recipit eum in casum pecuniæ summam, quam Sereniss. Mutinæ Dux, ratione hujus Contractus solverit, à Sua Cæs. Majestate Eidem prævie, & ante omnia quo ad sortem restitutum iri. Utque interim Ducatus Mirandulæ & Marchionatus Concordiæ Proventus usurarum nomine Eidem assignatos eo tutius percipere possit, eorundem Administratio Ministro, quem Serenissimus Dux eum in finem denominaverit, eo usque committetur, donec sæpedicti Electores consensum suum præbuerint, hunc enim investitura & solennis feudi traditio illicò subsequentur. In quorum omnium fidem &c. Viennæ, 15. Julii 1710.

II.

Literæ, in quibus Josephus, Romanorum Imperator, Raynaldum, Mutinæ & Rhegii Ducem, de Mirandulæ Ducatu atque Concordiæ Marchionatu die 12. Martii An. 1711. investivit, quasq. Carolus VI. Rom. Imperator, postquam modo dicti Ducis Ablegatus, Dominus Carolus Antonius, Comes de Giannini, coram Throno Majestatis Cæsareæ consvetum præstitisset juramentum, die 10. Septembr. An. 1712. denuo comprobavit atque confirmavit.

JOSE-

JOSEPHUS, &c.

AGnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum poſt ſuſcepta à Nobis media ſæviſſimorum bellorum tempeſtate Imperii Gubernacula continuo adverſus Galliarum Regem Ducemque Andegavenſem conſociatis armis, animiſque pro communis rei ſalute & beneficio pacandi orbis, quoque noſtris Sacrique Imperii Juribus, nec minus feudis noſtris Imperialibus ſartis tectiſque conſervandis decertandum hactenus eſſet, atque hæc ipſa tot annos proſequendi belli neceſſitas ſumptus immenſos fatiſcentibus exhauſti ærarii noſtri viribus poſt fata Sereniſſimi & Potentiſſimi Romanorum Imperatoris Leopoldi, Domini ac Genitoris noſtri colendiſſimi, à nobis efflagitaret, nos in perſeverantibus illis Imperii curis & laboribus juſtitiam impenſe adminiſtrantes eo quoque non poſtrema parte collimaverimus, quo fidiſſimis Vaſallis Noſtris Imperialibus optime de Republica meritis, ſollicitudinis noſtræ fructum ſentientibus, reliqui, quos debita in eo bello fides & juris jurandi clientelaris Religio deficeret, pœnas reatu promeritas ferrent. Cumque hunc in finem, levandis quaqua parte diuturni belli & exercituum alendorum impenſis, feuda imperialia ac terras, quæ ob vaſallorum quorundam partes hoſtium contumaciter ſectantium perfidiam, Fiſco Noſtro Imperiali addictæ fuerunt, deſtinaverimus, atque inter illas quidem Ducatum Mirandulæ & Marchionatum Concordiæ a Franciſco Maria Pico commiſſum, auctione propoſita, præ reliquis Sereniſſimo Raynaldo, Mutinæ & Rheggii Duci, Principi Corregii, Marchioni Eſtenſi, Rhodigii & Carpi Comiti, Conſobrino & Principi noſtro chariſſimo ſolenniter erecto contractu vendiderimus & in feudum dicto emptionis & venditionis titulo eidem conceſſerimus, quemadmodum ex ſubinſerti Contractus tenore uberius liqueat.

Inſeratur hic Contractus emptionis venditionis paulo ante inſertus.

Ac proinde nobis idem Sereniſſimus Mutinæ Dux per ſuum Status Conſiliarium intimum, Camerarium & extraordinarium ad Nos Ablegatum in eodem Contractu memoratum, Illuſtrem & Magnificum fidelem Nobis dilectum, Carolum Antonium de Giannini, Sacri Romani Imperii Comitem, ſufficiente ad hoc pleno amploque mandato & poteſtate inſtructum ad præſtandum Inveſtituræ nomine præſtanda ſe offerens, demiſſe ſupplicarit, ut cum pretii in allegato Contractu expreſſi ſatisfactio data, atque unanimis S.R.I. Principum Electorum approbatio & conſenſus acceſſerit, adeoque Nos ipſe Sereniſſimus Dux in Supremum, immediatum & directum Dominum Suum recognoſcere deſideret, Nos Literas novæ Inveſtituræ de ſupra ſatis Ducatu Mirandulæ & Marchionatu Concordiæ, nec non curia quarantularum, Curia St. Poſſidonii, Curia St. Stephani, Curia St. Martini in ſpino, Curia Roveretti & Campatii citra & ultra flumen Situlæ per illas interfluens & Curia Campiliæ cum Caſtro Merani & aliis omnibus locis ante hac in antiquioribus Inveſtituris Picorum familiæ conceſſis, & quidquid exinde ad Fiſcum noſtrum Imperialem devolutum, Sibi Sereniſſimo Duci pro ſe filiis & deſcendentibus ſuis maſculis legitimè natis in infinitum, ordine primogenituræ ſervato, jam in Eſtenſi Familia per tot ſecula ſtabilito cum omnibus conſvetudinibus, uſibus, immunitatibus, proventibus & emolumentis, nulla omnino Re excepta, ſecundum ſupra inſertæ atque ratificatæ venditionis tenorem elargiri clementer dignaremur; Nos ſane benigne conſiderantes vetuſtiſſimum Eſtenſis familiæ decus atq; ſingularia in concuſſæ fidei & obſervantiæ ſtudia, quibus eadem ipſa ac peculariter Sereniſſimus ſæpememoratus Mutinæ Dux, Nos & Auguſtam domum Noſtram Auſtriacam, cum alias nulla non occaſione oblata, tum præſertim ſæviente in Italia funeſtiſſimi belli flamma, operam & opem ſtrenue ferendo perennatura magnorum meritorum & partæ laudis memoria ſibi devinxit, quando non in pacificis & tranquillis modo rerum temporibus, ſed & inter furentes maxime procellas, quibus periculoſa hoſtium ambitio dominatui & Regnis alienis intenta, orbem involvere & concutere crudeliſſime ſtatuit, enitentis ſummopere virtutis, tum vero conſtantis & immotæ fidelitatis nunquam intermorituræ exemplum præbuit, honeſtæ pariter & æquæ petitioni ipſius, juxta præinſerti contractus tenorem, annuendum cenſuerimus, prout vigore præſentium clementer annuimus. Ac propterea ex certa ſcientia animo bene deliberato, ſano & maturo accedente conſilio & unanimi S. Romani Imperii Principum Electorum conſenſu, nollo vel facti, vel juris errore interveniente, ſed exacte pleneque informati, & de poteſtatis Noſtræ Imperialis plenitudine ſupradicto Sereniſſimo Raynaldo, Mutinæ & Rhegii Duci, de ſæpe memoratis Ducatu Mirandulæ & Marchionatu Concordiæ, Curia Quarantularum Curia Sancti Poſſidonii, Curia Sancti Stephani, Curia Sancti Martini in Spino, Curia Roveretti & Campatii, citra & ultra flumen Situlæ, per dictas Curias interfluens, & Curia Campiliæ, cum caſtro Merani, & aliis omnibus Locis, in antiquioribus Inveſtituris ſpeciatim expreſſis, & quidquid inde ad Fiſcum Noſtrum Imperialem devolutum cumque eorum locorum diſtrictibus, omnibuſque & ſingulis regalibus, juribus & pertinentiis, meroque & mixto Imperio & pleniſſimo gladii jure atque omnimoda juriſdictione & poteſtate nec non cum univerſis laudabilibus conſvetudinibus uſibus, immunitatibus, exemptionibus, honoribus, prærogativis, privilegiis, præeminentiis, utilitatibus, proventibus, ac emolumentis, nulla re omnino excepta, quatenus ſupra allegato venditionis contractui non deroget, ſicut antehac familia de Picis tenuit ac poſſedit, vel quaſi necnon quemadmodum in ſæpedicto Contractu, Paragrapho tertio, conventum, quod bona immobilia, ſeu prædia, quæ Franciſcus Maria Picus intra Ducatus Mirandulæ & Marchionatus Concordiæ fines allodii titulo poſſedit, in Beneficiaria converterentur, prout nimirum latius ibidem expreſſum eſt, ita de iſtis æque ac reliquis quæ andea ad dictum Franciſcum Mariam Picum feudi jure pertinuerunt, recepto tamen prius in animam ejuſdem Sereniſſimi Mutinæ & Rhegii Ducis à ſupra nominato Ablegato, S. R. Imperii Comite de Giannini ſufficienter ad eum actum inſtructo, ad manus noſtras proprias debito ac conſueto fidelitatis, obedientiæ & homagii juramento Inveſtituram benigne conceſſerimus, ac de

Eadem

iisdem ipsum clementer investiverimus & infeudaverimus, prout tenore præsentium, pro se filiisque suis masculis legitimis & naturalibus, supradicto ordine primogenituræ super his feudis institutæ semper observato, dictam Investituram nostram Cæsaream perbenigne concedimus, eundemque harum vigore investimus & infeudamus, ea tamen lege expresse adjecta, ut quotiescunque hoc feudum sive Domini directi, sive Vasalli morte vacare contigerit, nova desuper Investitura à Mutinensi penitus separata petatur, nec non reliqua omnia in sæpius dicto contractu conventa & placita in suo vigore serventur. Præterea sæpe nominato Serenissimo Raynaldo, Duci Mutinæ & Rhegii, Duci Mirandulæ & Marchioni Concordiæ, ejusque Liberis & Descendentibus masculis legitimis & naturalibus facultatem & privilegium flandæ feriendæ & cudendæ monetæ aureæ, argenteæ & æreæ, juxta novissimas Imperii constitutiones & ordinationes monetarias, nec non facultatem & potestatem legitimandi bastardos, creandi Comites, Nobiles, & Equites Auratos, ab augustissimæ memoriæ Imperatore Matthia, Duci quondam Mirandulæ, Alexandro Pico, ejusque in dictis Ducatu & Marchionatu Mirandulæ & Concordiæ legitimis Successoribus concessam, & à Divis Ferdinandis Secundo & Tertio, Dominis Proavo & Avo nostris colendissimis, gloriosissimæ recordationis, confirmatum & ratificatum, Nos quoque (privilegio tamen adoptandi utpote conventioni supra insertæ contrario, disertim excepto) Serenissimo Mutinæ & Rhegii Duci concesserimus, quemadmodum vigore præsentium concedimus, cum gratiis & prærogativis solitis & consuetis. Insuper sæpe memoratum Serenissimum Mutinæ & Rhegii Ducem, Raynaldum, Ducem Mirandulæ & Marchionem Concordiæ Ejusdemque in dictis Ducatu & Marchionatu Successores, ac Civitates, terras, dominia, fortalitia, jura & bona sua omnia & singula in nostram & S. Imperii protectionem, tuitionem, defensionem & salvam gvardiam assumimus, benigneque decernimus, ut sub eadem Nostra Sacrique Imperii protectione, tuitione, defensione & salva gvardia tuti & securi esse, omnibusque & singulis gratiis & privilegiis frui, potiri & gaudere possint, quibus alii Duces sub protectione Aquilæ Imperialis constituti quomodolibet fruuntur, potiuntur & gaudent consuetudine vel de jure. Supplentes pro hac vice in præmissis omnem defectum tam juris quam facti, si quis in iis omnibus & singulis, vel obscuritate verborum, vel ratione cujuscunque solemnitatis omissæ, vel alio quovis modo intervenisset, vel intervenisse dici aut allegari posset, non obstantibus quibuscunque communibus vel feudalibus legibus, juribus, consuetudinibus, statutis municipalibus, derogatoriis clausulis, tam generalibus, quam specialibus, aliisque decretis, provisionibus, concessionibus, privilegiis & cœteris in contrarium facientibus quibuscunque, his namque omnibus & singulis quatenus obstarent, seu impedimento esse possent, quoad effectum præsentium Imperialis potestatis Nostræ plenitudine derogamus & derogatum esse volumus, atque intendimus, jure tamen feudi & superioritatis ut & contractus supra allegati conventis, Nobis & Nostris in Imperio Successoribus semper salvis, & aliorum quorumcunque juribus, nec non Imperii constitutionibus & legibus, præsertim vero capitulatione Nostra Cæsarea semper illæsis. Nulli ergo hominum liceat, hanc Nostram Investituræ, concessionis, declarationis, confirmationis, renovationis, facultatis, privilegii primogenituræ, approbationis, ratificationis, decreti, ordinationis, derogationis, suppletionis ac voluntatis & gratiæ Nostræ paginam infringere, violare, contemnere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, is, præter Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam, centum quoque marcarum auri puri, puti sui, ex semisse Ærario seu Fisco Nostro Imperiali, ex altero autem semisse injuriam passi, seu passorum, usibus applicandarum, quoties contrafactum fuerit, omni remissionis ac veniæ spe sublata, mulctam dare damnatus esto. Harum testimonio Literarum, manu Nostra subscriptarum, ac Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ, die duodecima Mensis Martii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Undecimo, Regnorum Nostrorum, Romani Vigesimo secundo, Hungarici Vigesimo quarto, Bohemici vero Sexto.

Nota: Solennitates à Friderico III. Romanorum Imperatore, post Coronationem Romanam, Ferrariæ, circa Borsi, Ducis Ferrariensis investituram Ann. 1452. observatas *vid. in Dn. Melchioris Goldasti Haiminfeldii Polit. Imperial. Part. VI. No. 2. pag. 360.*

Ad

Sectionis II.

Classis II.

Caput I.

De Ducibus & Principibus Picis Mirandulanis.

Tom. I. pag. -

I.

Versio latina Testamenti ab Alexandro Pico, Principe Mirandulæ & Marchione Concordiæ, d. 1. Sept. A. 1637. conditi, quod supra Tom. I. hujus Codicis p. 1773. in Italico Idiomate exhibetur.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis Ejusdem Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Septimo, Indictione quinta, die vero Martis prima Septembris.

QUemadmodum mors hominibus inevitabilis, ob peccatum, quod mundum sibi subditum reddidit, à Christi fidelibus expectari debet, & sustineri, uti via ad cœlestem Patriam, ad ducendam ibi sine fine felicem ac beatam vitam, ita in animis prudentium Personarum bonum excitare solet Propositum tam recte sperandi, dum viventes gaudent hoc mundo transitorio cum certitudine eum relinquendi, quàm etiam prudenter disponendi de propriis fortunæ bonis, quibus morientes coactè privarentur absque ulla spe ea amplius videndi. Inter hos cupiens numerari Illustrissimus & Excellentissimus Dominus D. Alexander Picus, Dux Mirandulæ, Marchio Concordiæ, Comes Sancti Martini in Spino, Eques Aurei Velleris, & Capitaneus armigerorum Majestatis Catholicæ, Dei gratiâ mente, sensu, & intellectu sanus, licèt corpore infirmus, non tam à jam vergente sua ætate admonitus, se non amplius diu vivere posse, quàm ab ordinario rerum humanarum cursu de momento in momentum sibi imminere mortem edoctus, uti in Præstantiori parte, quæ est anima naturâ immortalis, non cupit inermis colligi, ita in caduca, & fragili ab ultima vitæ periodo improvisò præveniri bonum non esse duxit.

Qua propter hac sua ultima voluntate & ultimo testamento nuncupativo sine scriptis dicto disponit modo sequenti de omnibus, quæ habet, ac benignitate Dei Patris amantissimi, in acceptis refert, & cui propterea infinitas se debere gratias fatetur.

Inprimis omni humilitate & reverentia commendat animam DEO, Domino Nostro, supliciter eum exorans, ut quemadmodum per ineffabilem suam beneficentiam illi eam donavit in ejus nativitate, ita in morte per infinitam suam bonitatem recipere eam in cœlis non dedignetur. Corpus, quia de limo terræ est, terræ ideo relinquit & cum mors corporis aliud non sit, quàm temporaneus, & brevis somnus, à quo excitamur à clangentibus tubis Judicii universalis, ut in illo denuo recipiatur anima ad vitam æternam, vult, ut separatum ab ista sepeliatur in Ecclesia RR. PP. Societatis Jesu, Civitatis Mirandulæ, eâ pompâ & expensis funeralibus, quæ videbuntur infrascripto suo hæredi, ac ibi reponatur usque ad ultimum futuræ Resurrectionis diem tempe in sepultura, ac tumba una cum cadavere Excellentissimæ Dominæ Ducissæ Lauræ, olim dilectissimæ suæ conjugis.

Post personam propriam memor dictus Excellentissimus Dominus, & curam habens, uti Patrem decet, quatuor Suarum filiarum cum olim Illustrissima & Excellentissima Domina Ducissa Laura, filia Serenissimi olim Domini Cæsaris Estensis, gloriosæ mem. Mutinæ Ducis, dilectissimâ suâ Conjuge conceptarum, quarum duæ jam nuptæ sunt, nempe Principissa Fulvia, ac Principissa Julia, aliæ duæ verò adhuc nubiles, nempe Principissa Maria, & Principissa Cathrina, eas vocat in hac sua voluntate modo sequenti, hoc tamen Pacto nè dictæ Dominæ Principissæ aliud prætendere, aut de bonis ejus, & hæreditate consequi possint, sed ut sint tacitæ, & contentæ illius portionis, quæ iis ab Excellentia sua hic infra relinquitur.

Titulo Institutionis Legati, donationis, & omni alio meliori modo, ad quem de jure Excellentia sua tenetur, ac potest, Dominæ Principissæ Fulviæ relinquit suas dotes, quæ ferunt octuaginta mille Scutorum, cum renunciationibus ab ipsa factis, & stabilitis in tractatu, ac conclusione matrimonii apparentibus in actis Domini olim Hypoliti Volpi, Notarii Mirandulæ, diei 10. Novembris 1626. ultra Iconem argenteam Beatissimæ Virginis ab Illustrissimo & Excellentissimo Domino Duce Corri ei donatam.

Dominæ pariter Principissæ Juliæ hoc eodem titulo relinquit, unum ita vulgariter dictum Scrigno d' Ebano, intersiato d' avolio ac suas dotes, quæ fuerunt quinquaginta mille Scutorum, Salvis pariter renunciationibus, tempore ejusdem matrimonii determinatis, uti ex actis Domini olim Josephi Fantebuoni, Notarii Mirandulæ, diei 10 Aprilis 1527.

Respectu aliarum duarum D. Suarum Filiarum adhuc nubilium desiderat, vult, ac disponit, eas condecenter dotari, ac dotes dari, cùm nubent, & non antea, cum consensu tamen Serenissimi Domini Ducis Mutinæ, & infrascripti Domini sui hæredis, & ità, & non aliter, nec alio modo.

Casu verò, quod una, aut altera illarum, quod non credit, nuberet sine consensibus supra expressis, tunc Excellentia Sua nunc pro tunc annullat, & cassat Legatum, aut institutionem Scutorum quinquaginta mille unicuique uti inferiùs faciendam, & vice Legati, aut institutionis, ei, aut eis, quæ nubet, aut nubent sinè dictis consensibus, titulo institutionis, Legati, donationis, & omni alio meliori modo, quo de jure fieri potest, aut debet, relinquit legitimam, ac omnem aliam portionem ei, aut eis secundùm leges debitam, pro toto eo, quod posset, aut possent prætendere, habere, aut consequi bonis ejus. Casu autem, quòd dictis Dominis, qui consensum unitim, uti supra, præstare debent, non placeret ampliare dictam legitimam usque ad eam Summam, seu quantitatem, quæ dictis Dnn. filiabus grata esset, tunc observandum erit, prout à prædictis Dnn. unitim, uti supra, decernetur.

Titulo ergò Legati, Institutionis, donationis, & omni alio meliori modo, quo de jure fieri potest, & debet, pro toto eo, quod possent habere, & consequi in singulis bonis Suæ Excellentiæ, uti maternis, etiam respectu illorum Trevisi, relinquit prædictis ultimis Suis filiabus (cum aliis jam sufficientem dotem assignaverit) Scuta quinquaginta mille, monetæ Mirandulanæ, unicuique earum, solvenda illis, cùm nubent in Sæculo cum dictis consensibus, ita ut, si nuberent absque dictis consensibus, tunc velit Excellentia Sua observari, quod supra *dispositum* & declaratum fuit, relinquens tali *casu illi*, aut illis, titulo Institutionis, & omni alio *meliori modo* solam legitimam, ac privans eas *præsenti* Legato, uti supra.

Fecit S. Exllentia hanc declarationem eadem replicando, ut melius cognoscatur ejusdem deliberata volun-

voluntas, cum hac etiam declaratione, quod sub legato, aut institutione quinquaginta mille Scutorum facto, aut factâ dictis suis filiabus comprehendantur omnia jura & prætensiones, quæ & quas ipsæ habent, aut possent habere ad singula bona S. Excellentiæ cujuscunque sortis, conditionis, status, qualitatis & valoris sint, etiam respectu bonorum Trevisi, & bonorum maternorum, quia Excell. Sua expresse vult, declarat, mandat & disponit, ut sub dictis quinquaginta mille Scutis comprehensa sint omnia bona cujuscunque qualitatis, quæ aliquo modo ad dictas Dnn. Principissas, aut cuivis earum spectant, vel spectare possunt, aut possent, & modo tali, ut computatis sub Scutis quinquaginta mille bonis illarum aut illius, quæ nubet, ab inde supra, velit, intendat ac disponat, ea existere, ac esse debere de bonis ejusdem Domini Testatoris, & non aliter.

Solutio dotium respectu duarum Primarum jam nuptarum stabilita fuit uti in instrumentis Sponsalium; Dotium vero respectu aliarum duarum ultimarum, fiet unicuique earum medio Scutorum decem mille, in tot pretiosis, & residui usque ad quantitatem Scutorum quinquaginta mille, ad tempus & modum, quæ stabilientur, & uti supradictis Dominis stabilire placebit.

Quod si quædam dictarum Suarum filiarum inspirante DEO, fieret Monaca, aut Religiosa in aliquo Monasterio, tunc, & tali casu illi, aut illis relinquit S. Excell. titulo institutionis, Legati, donationis, & omni alio meliori modo pro toto eo, quod posset, aut possent prætendere in bonis S. Excellentiæ & Dnæ. olim Ducissæ, earum matris Scuta mille, unicuique quolibet anno durante illarum vita naturali, & non diutius, exsolvenda in tot bonis pecuniis Mirandulæ hoc modo, id est Scuta quingenta qualibet Semestri anticipatè, a die ingressus earum in monasterium computando, & sic successive de Semestri in Semestrim anticipatè, ac primo die cujuslibet Semestris, absque aliqua exceptione juris aut facti, quia talis est mens Suæ Excellentiæ.

Et quia Domina Principissa Maria, filia S. Excellentiæ & prædictæ Dnæ. Ducissæ Lauræ Estensis, dilectissimæ ejus Conjugis glor. mem. vocata à DEO benedicto firmum desiderium, ac voluntatem habet ingrediendi Monasterium, ideo Excell. Sua hoc casu ultra quingenta Scuta, quæ ordinarie solvuntur Monasterio, eidem ad proprium usum relinquit Scuta mille quolibet anno ex bonis Ferrariæ persolvendis, quæ bona ob talem solutionem obligat, & hypothecæ supponit, ac vult, ut Dna. Dna. Principissa ejus filia Monaca possit per se, aut Suos Ministros, & Agentes ea exigere, ac de facto accipere, & ex nunc prout ex tunc possessionem eorum eidem tribuit, cum prohibitione ad quoscunque aut hæredes aut tutores, ne aliquis eam impedire possit ab exactione talium Scutorum mille, addito hoc pro majori cautela respectu illorum, quæ supra disposita sunt: Et hæc provisio Scutorum mille annuorum intelligenda est solummodo respectu personæ Dnæ. Dominæ Principissæ Mariæ, & etiam aliarum Filiarum Suæ Excellentiæ, & Excell. olim Dominæ Ducissæ Lauræ Estensis supradictæ dilectissimæ olim ejus Conjugis.

Quod si pariter aliqua filiarum Excell. Domini Principis Galeotti, filii gloriosæ mem. prædefuncti, Suæ Excellentiæ divino impulsu vellet Monaca fieri, idem Excellentissimus Dn. Testator laudans & approbans hanc sanctam intentionem, ultra quingenta illa Scuta, quæ ordinario ad titulum Eleemosynæ Monasterio persolvuntur, relinquit quolibet anno alia quingenta Scuta unicuique illarum, aut illis, quæ Monacæ fient, persolvenda de Semestri in Semestrim, uti supra, relictis eisdem pariter omnibus mobilibus, ornatibus & suppellectilibus, quæ illi, aut illis, utilia, decentia & necessaria erunt.

Vult pariter dictus Dn. Testator, ut opus à se erectum in Monasterio S. Ludovici Mirandulæ non solum gaudeatur & intelligatur erectum ad commodum & beneficium D. D. Principissarum filiarum Suarum, quæ Monacæ fient, sed etiam cujuslibet alterius filiæ ex legitimo matrimonio natæ & descendentis ab infra scripto suo Dn. hærede, & ejus Successorum, secundum institutionem & substitutionem eidem factam & quidem modo tali, ut nempe illæ, & ætate majores, quæ Monacæ fient, semper & per omnia tempora in dicta habitatione, & conclavibus præferantur omnibus aliis, & maxime personis eidem Dn. Testatori extraneis, quia intendit S. Excellentia hoc opus erectum fuisse sub hac dispositione, & cum hoc fine, admittens extraneas ad arbitrium D. sui hæredis & descendentium in defectum prædictarum.

Et quia una alterave ex dictis Dnis Principissis, filiis dicti Dni Testatoris & natis, uti supra Monasterium ingrediens non poterit consequi legatum, aut dotem Scutorum quinquaginta mille supradictorum, vult ideo Excellentia Sua, & expresse mandat, ut tali casu, prout etiam si aliqua illarum ante monasticum, aut maritalem statum decederet, supraviventi quæ nubet, dentur in augmentum dotis, ultra prædicta Scuta quinquaginta mille, alia Scuta decem mille monetæ Mirandulæ, in stabilibus aut pecuniis, ad arbitrium infra scripti Dn. hæredis, aut Successorum, etiam respectu modi, & temporum solutionum.

Idem S. Excellentia vult & mandat, ut dictæ Dnæ, ejus filiæ nutriantur, & alantur de bonis suis, uti earum conditio exigit, ad arbitrium infra scripti Dni. hæredis, & tutorum, usque ad tempus matrimonii earum, aut ingressus in Monasterium, vel permansionis in sæculo alterius earum, aut ambarum inclusivè, ac habeant in Castro habitationem, secundum earum electionem una cum suis apparatibus Statui earum convenientibus.

Et quia inter dictas D. filias nubiles existit Dna. Principissa Catharina minorennis, ætatis adhuc nondum perfectæ, non solum quoad integritatem, scientiam & experientiam rerum mundanarum, quas qualitates semper cognovit, & expertus est in persona Dn. Marchionis Eneæ Magnani, Senatoris Bononiæ, in quo summè confidit, relinquit ac constituit Curatorem ejusdem Dnæ. Principissæ Catharinæ dictum Dn Marchionem Æneam, quem instanter requirit ad sumendam dictæ Dnæ. Principissæ curam, absolvens eum à confectione Inventarii, à præstanda cautione & redditione computorum, licet de jure tales Curatores ad hæc obligati sint, derogans plenitudine suæ potestatis cujuscunq; rei in contrarium facienti, & conferens eidem ex nunc omnem authoritatem & administrationem necessariam & opportunam.

Ulterius disponit, mandat & vult S. Excellentia titulo

titulo legati, & omni alio meliori modo, ut, secuta ejus morte, eligi debeant ab infrascripto Dno. Suo hærede, aut tutoribus duo Capellani, amovibiles ad eorum placitum, cum salario Scutorum septuaginta quinque de libris quatuor pro Scuto, unicuique annuatim persolvendo, volens eisdem persolvi anticipate omnibus terriis mensibus portionem & quotam dictorum Scutorum sexaginta quinque, dummodo fidem exhibeant; quod celebraverint, aut celebrari fecerint infrascriptas missas, ne nimirum S. Excellentia decipiatur, & anima ejus privetur suffragio, quod ex dictis missis desiderat, cum intentio ejus sit, ut unusquisque dictorum Cappellanorum teneatur celebrare aut celebrari facere, quolibet die unam Missam pro defunctis, applicans unus Sacrificium pro anima S. Excellentiæ & alter pro anima Dnæ. olim Ducissæ Lauræ, ejus Conjugis, & Dnæ. Principissæ virginiæ, eorum filiæ prædefunctæ, & demum pro illis defunctis, qui ex S. Excellentia descendunt, magisque indigebunt, & diebus illis, in quibus non poterunt pro defunctis celebrare, tenebuntur hoc casu sacrificium applicare uti supra, & vult S. Excell. quod præsens legatum sit perpetuum usque ad extremum Judicii universalis diem, ut in perpetuum prædictæ missæ celebrentur.

Vult etiam dictus Excellentissimus Dn. Testator, & mandat, ut ab infrascripto ejus Dno. hærede celebrari fiant decem mille missæ defunctorum ad altaria privilegiata, tam in Civitate Mirandulæ, quam extra, quàm primum ejus mors secuta fuerit, continuative usque ad numerum completum, uti supra, quæ missæ applicari debent pro anima Suæ Excell. & Dnæ. olim Ducissæ Lauræ, ejusdem Conjugis, imponens dicto Dno. Suo hæredi, omnem majorem, & magis possibilem diligentiam adhibere, ut plene hæc ejus dispositio observetur.

Idem titulo Legati, eleemosynæ pro salute animæ suæ uti supra vult, ut ab infra scripto hærede & Successoribus dentur in perpetuum RR. PP. Capucinis, Concordiæ quolibet anno, Scuta centum & triginta, in tanto nimirum pane, vino, oleo, carne, ceris, & aliis, quibus de tempore in tempus indigere possent, & RR. PP. Capucinis Mirandulæ ad minimum Scuta centum & sexaginta quolibet anno in perpetuum, & modo supradicto ob magnum amorem, quo Sua Excellentia dictos Patres persequitur, & ob magnam spem ac fiduciam, quam habet in eorum precibus, optat, & rogat Dominum Suum hæredem, & Successores, nè uni, aut alteri conventui quidquam deficere sinant, quod illis necesse foret, & licet non dubitet, quin dictus Dominus ejus hæres, & Successoros exactè & amussim executuri sint hanc Suam voluntatem, uti est ejus intentio, tam ut habeat hanc satisfactionem, quam uti ità exigit ipsum meritum prædictorum Patrum, & eorum Religio, & quod se excusaturi sint, sub prætextu quod dicti Patres non sint capaces similis Legati, & licet ab ipsis recusaretur, uti scit eos facilè hoc facere, attamen quia vult, quod omnimode eis dentur dictæ summæ, uti supra, mandat hoc exequi erga dictos Patres mediante illâ personâ, quæ curam dicti conventus, aut rerum eorum habebit, & opera aliorum absque eo, quòd dicti RR. PP. possint habere notitiam elargientis.

Mandat ulteriùs, & expressè disponit S. Excellentia quòd nec dicto Domino ejus hæredi, nec illis, qui Secundum dispositionem ipsius Excellentissimi Domini Testatoris succedent, licitum sit à Sancta sede Apostolica, sub quolibet prætextu non obstante qualicunque clausula derogatoria, impetrare licentiam, dispensationem, compositionem, aut aliud indultum, etiam sub prætextu concessionis ex motu proprio, quod dictus D. hæres, & Successores ejus, uti Supra, possint se eximere à dictis annuis præstationibus erga prædictos RR. PP. Capucinos eo modo & forma supra expositis, licet æquivalenti, aut majori summa pecuniaria, assignatione, vel expensis etiam in beneficium eorundem Patrum, in ædificiis ad reparationem conventus aut Ecclesiæ, aut alio imaginabili modo, unâ aut pluribus solutionibus se eximere vellent. Et non adimplentibus nec satisfacientibus uti supra dicto Domino hærede, aut ejus Successoribus, vult, & mandat, ut dictus Dominus hæres, & Successores teneantur, & obligati sint, quolibet anno, in quo non satisfacerent huic legato, solvere ædibus sanctissimæ Virginis Mariæ Regii, Scuta quingenta; volens, quod dictus Dominus hæres & Successores teneantur mittere quolibet anno Superintendentibus prædictarum ædium Beatissimæ Virginis Civitatis Regii fidem avthenticam factæ solutionis prædicti Legati erga ipsos RR. PP. Capucinos eo modo, quo supra, aliter quod dictus Dominus hæres & Successores teneantur, uti dictum fuit persolvere dicta quingenta Scuta prædictæ Beatissimæ Virgini Regii quotiescunq; invenirentur non adimplevisse, quia in tali casu non adimplementi S. Excellentia vult, ea illis persolvi titulo Legati, donationis, & omni alio meliori modo.

Item titulo Legati, & omni alio meliori modo relinquit famulis suis & familiæ suæ, cujuscunque generis, conditionis, & status sint Scuta quingenta Secutâ suâ morte inter eos dividenda, uti videbitur infrascripto Domino ejus hæredi, qui in tali distributione omnimodam authoritatem habebit tam respectu personarum, quam quantitatis singulis earum persolvendæ, & hoc quatenus Excellentia Sua aliter non disponeret, aut notulam, seu Schedulam manu propria non faceret, in qua notata esset quantitas cuilibet personæ dictorum suorum famulorum distribuenda, mandans & expressè volens dictus Excellentissimus Dominus Testator, ut post mortem suam à Domino Suo hærede singula debita cujuscunque sortis, & specialiter illa quæ occasione mercedum proveniunt, persolvantur.

Item titulo Legati, & omni alio meliori modo relinquit Domino Scipioni Roscelli, ob fidelia, assidua, ac diuturna servitia sibi præstita victum durante ejus vita naturali, quem in Præsens ei subministrat S. Excellentia pro se ac famulis, & cum eadem provisione pecuniaria, quæ eidem datur quolibet mense, desiderans, quòd Dominus ejus hæres eidem omnia, & cuncta subministret, prout de præsenti ei subministrantur tam intuitu victus quàm provisionis, certus reportandi semper ab eo fidelia, & optima servitia; hinc S. Excellentia recommendans dicto Domino suo hæredi omnes suos Camerarios, & Nobiles inter eos particulariter recommendatum eundem Dominum Roscelli esse vult.

Et ad ultimum hujus sui Testamenti recommendat Domino Suo hæredi, & Tutoribus societatem Jesu, in cujus Pietate quantum confidere deberet exemplum habuit ab Illustrissima & Excellentissima

Domi-

Domina sua Matre, nec non ab Illustrissimis & Excellentissimis DD. Suis Fratribus, Galeoto, & Friderico, cunctis glor. mem. à quibus hæres factus effectûs tam pii, magis ac magis studuit eum augere illis demonstrationibus, quibus S. Excellentia potuit, si non iis quibus voluit, conceptûs, & æstimationis magnæ, quam habet erga patres ejusdem Civitatis, hinc Dominus ejus hæres capere poterit, quantum & ipsi conveniat, quòd exempla Suorum majorum Secuturus eis pariter faueat, ac semper protegat, tam ut hoc medio DEI gloria, & Spiritualis salus suorum Subditorum promoveatur, quàm ut hac pietate stabiliatur spes consolatinis & exaltationis Domûs S. Ecellentiæ, personæ ipsius Domini hæredis, & Posterorum, quam Excellentia Sua semper fundavit, prout dictus Dominus ejus hæres fudâsse debet, in intercessione SS. Ignatii, & Francisci Xaverii singularium Advocatorum, & Protectorum S. Excellentia medio sacrificiorum & orationum totius prædictæ societatis, ultra beneficium magnum, quod reportare poterit ab eorum fidelibus, & prudentissimis consiliis, quatenus cum ipsis communicationem illam habebit, quam ipsame S. Excellentia habuit.

In omnibus aliis suis bonis mobilibus, & immobilibus, juribus & actionibus, præsentibus & futuris, Imperialibus, & feudalibus, nempe Mirandulæ & Concordiæ, emphytheuticis, Ecclesiasticis, id est S. Martini in Spino, & omnibus aliis feudalibus, Imperialibus, & Ecclesiasticis, emphytheuticis & allodialibus, cujus cunque generis, inhærens etiam respectu feudalium declarationi jam factæ à Domino Principe Galeoto, & eam, quatenus opus & non aliter nec alio modo renovans, instituit, ac ore suo proprio vocat, ac vult esse suum hæredem, & Successorem Dominum Principem Alexandrum, Nepotem suum, filium Primogenitum Masculum, legitimum & naturalem, & ex legitimo matrimonio natum Domini olim Principis Galeoti, filii Primogeniti ipsius Domini Testatoris plenè legitimati à Sanctitate Domini Nostri, & à Majestate Cæsarea, ac ab Excellentia Sua ad successionem statuum & aliorum jam vocati. Cui Domino Principi Alexandro ex hac vita decedenti substituit in omnibus bonis prædictis, ac hæreditate sua filium Primogenitum dicti D. Ppis. Alexandri masculum legitimum & naturalem ac conceptum ex legitimo matrimonio, & non aliter, nec alio modo & nullo existente Primogenito dicti instituti hæredis, & illo moriente absque filiis masculis legitimis, & naturalibus, natis, & conceptis ex legitimo matrimonio uti supra, vult succedere Secundogenitum, &, non existente Secundogenitò, tertiogenitum, & sic sequendo de filio in filium Dni. Dni. Principis Alexandri usque ad ultimum ejus descendentiæ masculinæ uti supra, volens Primogenitum intelligi illum, qui superviveret tempore mortis dicti Domini Principis Alexandri, dumodo ætate Senior sit, & prædictas qualitates habeat, & non aliter. &c.

Cui Primogenito, uti supra instituto, & substituto, uti supra secundùm ordinem succedenti, substituit ac vocat ejus Primogenitum qualitatibus prædictis præditum, & non aliter, & sic procedendo de Primogenito in Primogenitum cujuscunque lineæ, & descendentiæ illius masculinæ, quæ uti supra succedet, dumodo tamen habeat qualitates prædictas, & non aliter, nec alio modo, volens ipse Dominus Testator, quòd semper succedat linea, & descendentia masculina, uti supra illius, quæ fuerit hæres, quodque hac extincta succedat Primogenitus cum qualitatibus prædictis proximior illi, qui ultimo decedet absque descendentia masculina uti supra.

Et casu quo tempore mortis ipsius Exc. Dn. Testatoris non viveret dictus Dn. Princeps Alexander, aut aliqui filiorum ejus masculorum uti supra, aut quandocunque cessaret linea masculina, uti supra dicti Dni. Ppis. Alexandri, tunc & tali in casu substituit omni meliori modo Principem Joannem, secundogenitum dicti Dni. Principis Galeoti, cum omnibus institutionibus Dn. Principi Alexandro factis, quæ hic de verbo ad verbum ad favorem semper Primogenitorum uti supra & non aliter pro repetitis habeatur.

Casu vero, quo tempore mortis Exc. suæ vivus esset, & succederet dictus D. Princeps Alexander, aut quandocunque & alio tempore succederet ejus filius Primogenitus, ipse Exc. Dn. titulo Legati, & institutionis & omni alio meliori modo relinquit omnibus Secundogenitis qui pro tempore vivent, & unicuique eorum separatim, usque dum naturaliter vivent, & non amplius victum cibi, & potûs pro ipsis, & sex famulis, pro unoquoque eorum, ac annuam provisionem Scutorum bis mille & quingentorum monetæ Mirandulæ, & provisionem pro quatuor equis omniaque hæc in omni loco ubi reperientur, unicuique. & etiam habitationem in Castro cum conditione, quòd nil aliud petere possint, tam ob bona paterna, quàm materna cujuscunque sint qualitatis &c.

Sed Casu, quod tempore mortis ipsius Dni. Ducis non superviveret aliquis Dnn. Principum prædictorum, nec Filiorum eorum descendentium masculorum, legitimorum & naturalium uti supra, & illi quocunque hoc fiat tempore, decederent absque istis, aut aliquis descendentium eorum masculorum legitimorum, & naturalium, & natorum, uti supra, ita ut extincta esset linea masculina, legitima, uti supra Dni. Principis Galeoti, tunc inhærendo etiam facultati à S. M. C. respectu prædictarum denominationum sibi concessæ instituit, & substituit Dn. Principiss. Fulviam, filiam suam, cum Dn. Marchione Carraræ matrimonio junctam, cui non existenti, & quandocunq; morienti substituit Primogenitum ipsius Dnæ. Princ. Fulviæ masculum, legitimum & naturalem, & uti supra natum, de Primogenito in Primogenitum, uti supradictum fuit, & non aliter nec alio modo. Quibus omnibus, uti supra institutis, & substitutis prohibet, ac vetat alienationes, & venditiones quorumcunque Suorum bonorum. uti supra, sub pœna privationis applicandæ ipso facto illi, aut illis, qui non contravenient, &c.

Tutores, & respectè Curatores dictorum DD. Principum Alexandri & Joannis ac sororum eorum, statuum & facultatis relinquit, & decernit principaliter Excellentissimam Dominam Principissam Mariam Cibo Malaspinam, eorum Matrem usque dum vidualiter vivet; simulque unitim cum dicta Domina Principissa Maria Cibo Malaspina prædictam Excellentissimam Dominam Principissam Mariam, Filiam dicti Excellentissimi Domini Testatoris, & pariter simul & unitim cum dictis Excellentissimis DD, Principissis nuru, & filia respective & hoc in earum auxilium, ac sublevamen à tam gravi onere, quod judicio dicti Excellentissimi Domini Testatoris

toris fortaſſe excederet illarum vires, ac ob confidentiam in infraſcripto Marchione notam, nec non fidem ac devotionem, quam ſemper exhibuit dicto Excellentiſſimo Domino Teſtatori, ac ob ejus ætatem, Scientiam, prudentiam, & experientiam, quas in eo probavit, uti ob ſpem, quam meritò in eum concepit, quòd unà cum ipſo omnia bene regenda & gubernanda ſint (& quia etiam eandem confidentiam ambæ Excellentiſſimæ Dominæ Principiſſæ habent) Dominum Marchionem Eneam Magnani, Senatorem Bononiæ, quem Dominum Marchionem Eneam idem Excellentiſſimus Dominus Teſtator vult, non ſolùm eſſe tutorem, & Curatorem, ac Contutorem, & concuratorem, ſed etiam aſſiſtentem, & Conſiliarium, ut ipſius conſilio & experientia, & uti per longum tempus negotiorum & rerum Suæ Excellentiæ informati, ipſæ Dominæ Principiſſæ, & Domini Principes prædicti, ac ſtatus gubernentur, quos Tutores, contutores, Curatores, & Concuratores reſpectivè, ſicuti ſupra, declaratos rogat, non dedignari acceptare hanc provinciam, Excell. nempe Dnam. Principiſſam Mariam uti Matrem, reſpectu vero alterius Exc. Dnæ. Principiſſæ uti filiam Excellentiæ Suæ, & patruam dictorum Dominorum Principum & pupillorum, & reſpectu dicti Dn. Marchionis Eneæ uti perſonam dicto Dno. Teſtatori amodò familiarem. Quibus Dominis Tutoribus & Curatoribus reſp. conſtitutis, uti ſupra, dat & concedit ampliſſimam authoritatem diſponendi de omnibus bonis ſuis hæreditariis, uti utilius & magis proficuum ipſis videbitur pro ſervitio dictorum D. D. Principum, volens tamen authoritatem dictorum D. D. Tutorum, Contutorum, & reſp. Concuratorum ſemper eſſe unitam & conjunctam, nec unquam disjunctam & ſeparatam, ita ut nullus abſque alio quidquam facere poſſit, ſub pœna invaliditatis omnium ab ipſis gerendorum. Et caſu, quo aliquis dictorum D. D. Tutorum, Contutorum & reſp. Concuratorum uti ſupra declaratorum, ita ægrotus fieret, ut ad Gubernium & adminiſtrationem perſonarum & bonorum prædictorum aptus non eſſet, aut vero aliquis eorum moriretur ante finem tutelæ aut curatelæ prædictæ; tunc hiſce caſibus vult alios ſuccedere, qui non erunt infirmi, & ſupervivent ſimul ac unitim cum Exc. Dn. Alex. Cibo Malaſpina, quem ſubſtituit in locum illius, qui decederet, & in l cum hujus, nempe dicti Excell. Dni. Alexandri Excell. Dominum Dn. Alderamum Cibo Malaſpina cum omnibus auctoritatibus ſupradictis, prohibens cuique alii perſonæ, ne ſe immiſceat tutelæ, curatelæ aut adminiſtrationi prædictæ, neque ſub prætextu affinitatis, aut reviſionis rationum adminiſtrationis, & ad hunc finem diſponit, mandat, ac prohibet dictis Dominis Principibus, aut alii perſonæ, ne redditionem rationis alicujus petant à dictis Dnn. Tutoribus aut Curatoribus ob adminiſtrationem bonorum, quam ſimul habuerint, quia nunc pro tunc, ac quando naſceretur caſus, idem Dn. Teſtator liberat eos, & plene abſolvit à redditione rationis ob adminiſtrationem, aut aliam rem, & à confectione Inventarii & præſtatione cautionis, derogans plenitudine ſuæ authoritatis cuicunque Legi, Statuto aut alteri rei in contrarium facienti, quoniam talis eſt mens & expreſſa voluntas ipſius Excell. Dni. Teſtatoris, qui præterea dat & concedit *expreſſam voluntatem & auctoritatem* dicto Dn. Marchioni Eneæ Magnani non ſolum Superintendentis, ſed etiam invigilandi quibuscunque & ſingulis rebus, quæ dietim ſuccedere poſſent, præſertim pro conſervatione ſuorum Bonorum, Statuum & Civitatis Mirandulæ. Commiſſarium & Executorem præſentis Teſtamenti ac ultimæ voluntatis declarat idem Excell. Dn. Teſtator Sereniſſimum Dn. Ducem Mutinæ Franc. Eſtenſem, in cujus amore & affinitate, prudentia ac valore Excell. Sua ultra modum confidit, ſupplex implorans, quantum ſcit, ac poteſt ejus protectionem, favorem ac auxilium in omnibus caſibus contra eos, qui auderent indebitè obſtare, moleſtus eſſe ac turbare dictum ejus hæredem, & bona Tutores & reſp. Curatores declaratos uti ſupra, quod firmiter ſperat, conſequi à dicto Sereniſſ. Dn. Duce, cum ſemper dictus Dn. Teſtator à glorioſa Sereniſſ. Domo Eſtenſi acceperit favores, & gratias particulares, etiam particularis protectionis erga Excell. Suam Domum, exhortans & mandans dictis ſuis Pupillis in ſimili occaſione, quod DEUS avertat, eadem præſtare Sereniſſ. Dno. Duci omni majori cura, & diligentia poſſibili, ac bonâ confidentiâ, intelligentiâ ac vero amore, obſervatis ſemper in ſimilibus occaſionibus, cum particulari æſtimatione optimis conſiliis ejus Celſitudinis.

Item titulo Legati, Inſtitutionis, & omni alio meliori modo idem Excellentiſſ. Dn. Teſtator relinquit cunctis filiabus Domini olim Principis Galeoti prædicti, quæ Monacæ non fient, Scuta 30. mille unicuique nempe earum, & hæc pro omni eo, quod poſſint prætendere, & conſequi in bonis Paternis & maternis; caſu vero omnes, aut altera earum vellet monaſterium ingredi, tunc firmum maneat Legatum Scutorum quingentorum, & aliorum, uti ſupra, relictorum.

Vult præterea idem Excell. Dn. Teſtator, quod proviſio aſſignata, & conſtituta uti ſupra, omnibus ſecundo genitis tunc & non citius præſtari debeat, cum iidem non amplius ſub tutela exiſtent, & vellent ſeparatim vivere.

Et quia idem Excell. Dn. Teſtator omni tempore & occaſione ſingulares favores, & gratias & beneficia reportavit à S. M. Cathol. quæ ſemper ſibi recommendatam habuit perſonam ipſius Dn. Teſtatoris, ac ejus Statuum, hinc magis ac magis magnanimæ pietati Suæ Majeſt. innixus humiliter & omni poſſibili affectu eam ſupplex rogat, ut dignetur ejus hæredi, ac toti ejus Domui, & Statibus ſolitam ſuam protectionem continuare, ſeu impertiri, expreſſe inde mandans dicto hæredi, & aliis ſubſtitutis, uti ſupra, ne unquam à protectione S. M. Cath. recedant, ſed patrocinio ejuſdem in neceſſitatibus ſuis recurrant, & ita agentes conſervabuntur continuò in pace, & remoti erunt ab omni timore injuſtæ oppreſſionis.

Porro idem Excell. Dn. Teſtator ob fidem, obſervantiam, ſcientiam, integritatem & experientiam, tam rerum Status, quam belli & Juſtitiæ, quas probavit, & expertus eſt in dicto Dn. Marchione Enea Magnani ſupradicto, & uti etiam ſuperius declaravit, eum facit, conſtituit, ac relinquit Gubernatorem Civitatis Mirandulæ, & aliorum ſuorum Statuum, feudorum & Jurisdictionum cum facultate imperandi cunctis militibus, Capitaneis, & cuicunque alii officiali militiæ tam mercenariis, quam non mercenariis, nec non cuicunque alii adminiſtratori Juſtitiæ etiam cum facultate removendi dictos officiales militiæ tantum, & ſubrogare alios in eorum

locum, uti ei videbitur, & judicabit magis expediens ac opportunum bono servitio hujus Civitatis, & Statuum ejus feudorum, & Jurisdictionum prædictarum.

Volens quod dicta Excell. Dna. Principissa Maria ejus filia declarata Tutrix ut supra, habere & consequi debeat quolibet anno prædicta mille Scuta, uti superius eidem relicta ex bonis Ferrariæ, modo & forma supra expressis, etiamsi non fieret Monaca, & ultra dicta mille Scuta victum condecentem pro se, quatuor ancillis, & tribus famulis, cum facultate utendi curribus, prout opus erit, si qui in stabulis erunt, & hoc in provisionem tam dictæ tutelæ, & respectivè curatelæ, quàm ut possit honorifice persistere, ac cum decore Statui suo convenienti.

Eidemque Dn. Marchioni Eneæ Magnani supra dicto in compensationem laborum & onerum tàm dictæ tutelæ, & resp. curatelæ, uti & dicti Gubernii, ac Superintendentiæ collatæ uti supra, relinquit ac constituit annuam provisionem Scutorum quatuorcentum, victum pro octo personis, & habitationem convenientem in Castro, licet sciat Dn. Testator à Dn. Marchione non ambiri lucrum in aliqua re, sed hoc S. Excellentia facit, ut aliquo modo se ei demonstret liberalem & gratum.

Declarat ulterius dictus Excell. Dn. Testator, quod dicti Excell. Dn. Pupilli instituti resp. uti supra, non possint, nec debeant, licet finita esset tutela, capere & assumere Dominium & gubernium Mirandulæ, aut aliorum ejus Statuum, & facultatis, nisi decimum octavum ætatis annum, & non prius impleverint.

Vlteriùs etiam cùm dictus Exc. Dn. Testator per experientiam cognoverit, quanta diligentia & attentione Dn. Augustinus Agostoni invigilaverit ejus rebus domesticis, Possessionibus & bonis, ac quanta fidelitate reddiderit rationes dictæ suæ administrationis, hinc ejus servitutem, & operas utiles, & proficuas judicans rebus suis domesticis, & Pupillorum denuo eum declarat, constituit & creat in Præfectum & agentem generalem eo modo & forma, qua usque ad hunc diem & durante vita Excellentiæ Suæ præfuit, rogans & mandans respective per dictas Excell. D. Tutrices & Tutores dictum Dn. Augustinum à tali servitio non amoveri, quia sic utile & expediens esse censet, & sua voluntas est, volens mandatum Procuratorium alias ei collatum vim ac vigorem habere etiam post mortem Suæ Excellentiæ, licet in illo hæc clausula expressa non sit.

Et interrogatus in vim nostri muneris, utrum velit Sacro monti pietatis quidquam relinquere, respondit negative.

Et hoc &c. cassant. & in specie aliud testamentum rogatur per me Ant. Coccum alterum ex nobis Notariis sub die ult. Apr. 1634. -- Rogans ore proprio &c.

Actum in Castro Civitatis Mirandulæ ac in solitis ædibus S. Excellentiæ & signanter in solito ejus Camerino, præsentibus:

Sereniss. & Reverendiss. Pater Jo. Baptista Estense.
Admod. Rev. Pater J Jo. à Sextola.
Admod. Rev. P. J. Jacobo à Finali, Mutinæ.
Admod. Rev. P J. Joseph Maria à Finali prædicto omnibus Sacerdotibus, & Ord. S. Francisci Capucinorum.
Admod. Rev. P. Emanuele Oliverio Lusitano.
Admod. Rever. P. Jo. Brunorio de Imola, Sacerdd. & Soc. J.
Rever. P. Alexandro Folchino de Nuolaria ejusd. Societ.
Testibus ore proprio &c. quibus &c.

Ego Antonius Coccus Notar. de præfato Testamento Excell. Dn. Ducis Mirandulæ ore proprio ejusdem Excell. Testatoris rogatus fui in solidum unà cum infrascripto Perillustr. Magnific. D. Paulo Forto, Notario pariter Mirandulæ. In quorum &c

Ego Paulus quond. Magnif. D. Herculis de Fortis, Civis, & Not. Bonon. ac Mirandulæ, de præscriptis ore proprio &c. in solidum cum subscripto Magnif. D. Antonio Cocco, pariter Notar. Mirand. rogatus extiti. In quorum &c.

Ego Johannes Frattus, filius olim D. Hypolliti, Civis Mirand. J. U. D publicus Apostolica & Imp. auctoritate Notarius, Almique ejusdem Civitatis Archivii Præses, supraescriptum Testamentum rogatum in solidum per olim D D Antonium Coccum, & Paulum Fortum, Notarios &c. ab ejus Originali in dicto Archivio posito, & conservato, prout jacet ad unguem, & fideliter levare feci; in quorum fidem hic me subscripsi, solitumque meum signum apposui &c. L. D. & M. A.

Nos Massarius & Consiliarii Almi Collegii Perillustrium D. D. Notariorum Civitatis Mirand.

Universis fidem facimus & attestamur suprascriptum Perillustr. & Rever. D. Doct. Joannem Fratum, fuisse ac esse publicum Mirandulæ Notarium, ac talem, qualem supra se facit, ejusque rogitibus & Scripturis, tam in Judicio quam extra, plenam semper adhibitam fuisse in diesque magis, ac magis adhiberi fidem, meritoque ubique locorum esse adhibendam. In quorum &c. Datum Mirandulæ, die VI Mensis Julii 1702. Indiction. X.

Joseph. Andreolus Notar. & Cancellar. de mto. &c.

Ego - - approbo dictas appostillas Ego Notar. ut infra sumpta fuit præsens Testamenti Copia ex authentico ejus mihi exhibito Exemplo, cum quo collationata concordate adinventa fuit per me Angelum Michaelem Galeatium, Bonesi, ol. V. Pauli Ant. Civem, & put. Bond. Not. Colleg. Apostolicum & Imperialem. In quorum fidem hic me subscripsi, & obsignavi reg. hac die tertia Mensis Augusti 1711.

Nos Corrector & Consules Almi Collegii D. D. Notariorum Bonon. universis attestamur supradictum D. Angelum Michaelem Galeatium, Bonesium fuisse, & esse publicum Bononiæ Notarium fide dignum, ac talem, qualem &c. ejusque Scripturis publicis & authenticis hic & ubique semper adhibitam fuisse, indiesque magis adhiberi fidem indubiam in Judicio & extra. In quorum &c. Datum Bononiæ, d. 4 Augusti 1711.

Ita est, *Rizzardus Consarr. de Baby & Campegy*, Not.

II.

Manifestum Francisci Mariæ Pici, Ducis Mirandulæ & Marchionis Concordiæ, in quo causas, quibus inductus, partes Galliæ Regis Ducisque Andegaviensis amplexus sit, exponit, d. d. 7. Apr. An. 1704.

Francesco Maria Pico, Duca della Mirandola, Marchese della Concordia &c.

ERano pur troppo da Noi sentite e rammirate con afflizione la ruina de' nostri Suditi, e la desolazione del nostro Stato, reso teatro delli più gravi disordini nelle presenti calamità d'Italia; all'ora che verissimo certiorati dell' eminente pericolo, in cui erano l'uno e gli altri del totale eccidio per una Lettera del Signor Prencipe di Castiglione, Don Tomaso d' Aquino, nostro Zio, e Generale della Cavalleria dell' Esercito e Regno di Napoli, scritta in data de 13. Marzo dell' anno corrente 1704. dal Campo di St. Benedetto, laquale Lettera resta presso di noi, colla quale ci auvertiva che se avessimo ritardato di ricorrero alla clemenza delle due Corone, non Saressimo più stati in tempo di farlo, come effettivamente doppo così opportuno ricordo, provassimo il danno dell' incendio della Concordia. Per il che riconoscendo inevitable l'ultima distruzione di tutto il Paese, e riflettendo coll' assistenza del nostro Consiglio, che doppo la morte del Signor Duca, nostro Avo, à cui era premorto il Signor Prencipe Francesco, nostro Padre, sendo noi restati sotto la tutela della

Signora Prencipessa nostra zia, in età di due anni, aveva essa nel principio di questa Guerra, continuato a tenere sotto la protezione di Spagna il nostro Stato, ammesse le Truppe delle due Corone per præsidio della Mirandula; e che poi a' primi Successi delle Armi di Sacra Maesta Imperiale, aueva fatto uscire dalla detta. Piazza, i Francesi senza nostro consentimento, nè d' alcun altro Principe della Casa; anzi che introdotti li Tedeschi, questi avevano per lo spatio di 3. anni desolato, e posto affatto in ruina tutto lo Stato, di cui conservati con questo mezo nell' assoluto Governo, anche lontana ed in Paese straniere, in pregiuditio della nostra Autorità; Sino al segno di non vederla riconosciuta da Ministro veruno, d' un Prencipato che è nostro, e fino all' eccesso di vedere così à noi come a Prencipi nostrizii tratenetti gli appanagi per il nostro necessario sostentatemento. A' quali intolerabili disordini, se bene abbiamo procurato di dar rimedio, ricorrendo à Sacra Maestà Imperiale, non è Con tutto ciò stato possibile di ricevere da' suoi Ministri quella giustizia, che per ordine di natura e per tutte le Leggi Divine, ed Umane, ci era dovuta. Anzi nato dal Consiglio Aulico Decreto che la sudetta Signora Prencipessa debba governare il nostro Stato anche doppo l' età, che noi teniamo opportuna, al Governo, in virtù delle Leggi antiche di nostra Casa, abbiamo veduto distruggersi affatto la nostra Sovranità; tolto quel diritto, che ci viene tramandato col sangue da' nostri Maggiori; mosse liti ne' Tribunali Ecclesiastici, per impedir ci la nomina de' Jus Patronati; e veduti incarcerati senza ragione de' Servidori nostri piu confidenti; ed in fine, ridotti noi à sentir delle minaccie, ed à trattarsi conpoca decenza, e con tutta l' animosità, il nostro Carattere di Sovrano dall' Ambasciator Cesareo in Venezia.

Tutte lequali ponderazioni, mà sopra ogni altra quella di vederci così vicini, à restar Prencipe senza Subditi, e senza Stato, e di conoscerci in ubbligo, per quanto è in nostra mano, di conservar l'uno e gli altri, abbiamo con matura considerazione, risoluto di ricorrere alla protezione delle due Corone, la quale, con quella generosità che rende si grande e si bella la potenza delle loro Armi, sendoci stata benignamente accordata, risulta da questa la conservazione ancora d' un Membro del Sagro Romano Impero, e perciò è dovere che speriamo che sia approvata da ogn' uno e dalla stessa Maestà Cesarea dell' Imperadore, per cui abbiamo ed avremo sermpre la venerazione più profonda, che avrà la clemenzadi non offendersi d' un passo così necessario e preciso: ma quando la continuazione della nostra disgrazia facesse à Ministri della Maestà sua parere questa deliberazione nostra inopportuna, e volessero procedere ad alcun atto di violenza, noi coll' esempio di tutti gli altri Prencipi liberi del Sagro Romani Impero, ricorriamo e protestiamo alla Dieta Generale, nella quale speriamo, ch' essendo bene ascoltate, e conosciute le nostre ragioni, Sarà auvalorata la giustizia di questa Causa.

Dato nella Concordia,
questo di 7. Aprile
1704.

Francesco Maria Pico.

III.

Decretum Consilii Imperialis Aulici, in quo Franciscus Maria Picus, Mirandulæ Dux læsæ Majestatis ac feloniæ reus declarandus esse pronunciatur, d. d. 4. Xbris. An. 1709.

Mercurii, 4 Decembr. 1709.

Mirandulæ Ducatus in puncto læsæ Majestatis & feloniæ, sive publicatur, *resolutio Cæsarea*, ad votum de 2. hujus, uti sequitur:

Fiat contra Franciscum Mariam Picum de Mirandula, tanquam læsæ Majestatis & Feloniæ reum Sententia dicti Ducatus Mirandulæ omniumque bonorum allodialium, nec non Privilegiorum, Immunitatum, jurium, gratiarum, honorum & prærogativarum cassatoria, subditorum Mirandulanensium autem ab ejusdem fide, obsequio & obedientia absolutoria.

Winandus de Bertram.

Nota: Decretum hoc se refert ad Resolutionem S. Cæs. Majestatis, quæ Consilium Illustris Consilii Imperialis Aulici in causa hac latum secuta est.

IV.

Decretum S. Cæs. Majestatis, quo Illustri Consilio Imperiali Aulico injungitur, ut Consilium ferat, quid circa Mirandulæ Ducatus venditionem de jure observandum sit, d. d. 7. Maji, An. 1710.

VOn der Röm. Keyserl. Majestæt, Unsers allergnädigsten Herrn wegen, Dero geheimen Rath, Cämmerern, und Reichs-Hof-Raths Vice-Præsidenten, Herrn Carl Ludewig, Grafen von Sintzendorff, und denen übrigen Herren Reichs-Hof-Räthen hiermit in Gnaden anzuzeigen, „was massen Ihre Keyserl. Majestät im Werk begriffen sind, „das durch Verwürkung Jhro heimgefallenen Her- „zogthum Mirandula und andern Lehen, zu Be- „streitung dermahliger zu des Publici Nutzen vor- „handenen schwehren Ausgaben zu verkauffen. Und weilen dem löbl. Keyserl. Reichs-Hoff-Rath am besten bekannt ist, was für Bedingnisse, so wohl zumehrern Feststellung der Keyserl. und des Reichs Autoritæt, und Ober-Leben-Herrlichkeit, als auch um die Verwaltung der Justiz in die behörige Schrancken zu bringen, den Verkauff am nützlichsten beygeruckt werden möge: Als haben Jhre Kays. Maj. solches Dero löbl. Reichs-Hof-Rath zu dem Ende anzufügen allergnädigst befohlen, damit derselbe hierüber sein rechtliches Gutachten, seinem lobwürdigen Eyfer und Weisheit nach, um


so

so schleuniger erstatten wolle, „als dem gemeinen „Wesen an unverzüglicher Bewürkung dieses „Verkauffs hoch gelegen ist; und verbleiben anbey Ihme Herrn Grafen, und übrigen Herren Reichs-Hof-Räthen mit Keyserl. Gnaden wohl gewogen. Signatum Wien unter allerhöchstgedachter Keyserl. Majest. hervor gedruckten Secret-Innsiegel, den 7. May Anno 1710.

(L. S.)

Friedrich Carl, Graf v. Schönborn.

Peter Joseph Dalberg.



Ad

Sectionis II.

Classis II.

Caput IV.

De Principibus ab Auria vulgo Doria nuncupatis.

Tom. I. pag. 1963.

I.

Literæ Caroli V. Romanorum Imperatoris, in quibus Andreæ ab Auria, Principi Melphi, Feuda S. R. Imperii, quæ Familia Fliscorum olim possedit, ob commissum vero feloniæ crimen amisit, die 27 Octobr. An. 1547. adjudicavit atque donavit.

CAROLUS V. divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmaltiæ, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ fortunatarum, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Archi Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Wirtembergiæ, &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, Arthesiæ & Burgundiæ, Palatinus Hanoniæ, Holandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci & Zutphaniæ &c. Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, & Sacri Romani Imperii &c. Princeps Sueviæ, &c. Dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mecliniæ &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quemadmodum decet Imperialem Majestatem clementia & benignitate erga subditos uti, ita par est, nonnunquam severitatis, aut institiæ potius remedia exercere, quo & boni premia sperata percipiant, mali autem debitis suppliciis, pro eorum demeritis, puniantur. Quum itaque Joannes Aloysius, quondam Comes de Flisco oblitus fidei & iuris iurandi, quo nobis tanquam Romanorum Imperatori, tum ratione Originis, tum Regaliarum & Feudorum, quæ à nobis, & Sacro Rom. Imperio, jam antea acceperat, eo nomine obstrictus & obnoxius erat una cum fratribus suis Hieronymo & Ottobono, ac Cornelio eorum fratre naturali mense Januario anni quadragesimi septimi supra sesquimilesimum iam nuper exacti, nocturno tempore, armata manu, & magna Comitiva subditorum, aliorumque, quos illi animo proditorio & maligno intra mænia Cameræ & Civitatis nostræ Imperialis Genuæ occultaverant, eandem nostram & Imperii Cameram & Civitatem Genuam proditorie agressi sint, portus Civitatis occupaverint, custodes obtruncarint, Classem nostram maritimam populati sint, & dissipauerint, ac Illustr. fidelis sincere nobis dilecti Andreæ ab Auria Principis à Melphi Consiliarii, & in Mari mediterraneo Capitanei nostri Generalis, nepotem quondam Joannetinum ab Auria, qui illius loco prædictæ Classi nostræ tunc præerat, uita privaverint, & sic ob hos tam temerarios, seditiosos, proditorios conatus in nostram & Imperii Cameram & Civitatem fidelissimam patriam suam, in Classem Consiliarios, & Præfectos nostros admissos, & quantum in illis fuit perpetratos, crimen læsæ Majestatis incurrerint, in cujus executione dictus quondam Comes Joannes Aloysius oppetiit, Hieronymus vero secundus genitus omni ui Palatium Gubernatoris, ubi boni Cives pro tuenda libertate, & nostra sacrique Romani Imperii Camera ab excidio vindicanta in unum convenerant, occupare conatus est, ac nisi vulgata ipsius Joannis Aloysii fratris submersione ac morte, ille ipse Hieronymus, & fratres à multis, qui partes illorum sequuti fuerant deserti, auctoque jam numero eorum, qui nostras & imperii partes sequebantur, patriæque & libertatis servandæ studio confluebant consilia mutare, & de reliquenda Urbe instituissent, & Sacrum Rom. Imperium devotissima Civitate & Camera, & nos insigni Classe, una cum Præfecto ipso privare ausi fuissent, scelerato autem conatu prohibiti fuga sibi consuluerunt. Quibus quidem proditoriis machinationibus, & facinoribus adversus nos, S. Imperium, ac Classem nostram, ejusque Præfectum, ac in ruinam, & excidium Patriæ admissis, dictus quondam Aloysius, ac Hieronymus, & Fatres de Flisco merito digni sunt, qui ut veri nostri & Imperii Rebelles, ac læsæ Majestatis rei habeantur, reputentur, declarentur & tractentur. Ideoque omnia Regalia, feuda, Privilegia, jura, res, & bona, quæ à nobis, & Sacro Romano Imperio obtinebant, ipso jure amiserint, eademque ad nos, tanquam Romanorum Imperatorem, & Sacrum Imperium devoluta censeri debeant. Quod tametsi ob ipsius facti notorietatem alia declaratione in presentiarum indigere non videatur; Attamen ad stabiliorem ejus memoriam, majoremque Cautelam ipsos quondam Joannem Aloysium, ac Hieronymum fratres, tenore præsentium, ex certa scientia, consulto, & nullo juris, vel facti errore ducti, notoriæ rebellionis, & læsæ Majestatis crimen, & feloniam commisse, atque à prædictis Regalibus, feudis, Privilegiis, juribus, bonis, & rebus, quæ, quasve à nobis, & Sacro Romano Imperio, aut alias quomodolibet

libet obtinebat, ipso jure cecidisse decernimus, & declaramus, ita ut tam ipsi, quam eorum descendentes juxta formam juris, ab omnibus ejusmodi regalibus, Feudis, Privilegiis, Juribus, bonis & rebus, perpetuo exclusi censeantur, & quoniam dictum Crimen destinatum fuit in cædem præfati Illust. Principis ab Auria, ejusque Nepotis Joannetini ab Auria, qui etiam ab ipsis patratoribus obtroncatus fuit, dignumque sit, ut ipse Illust. Princeps Andreas ab Auria ex ingenti luctu & moerore, quem illi tam tristis casus attulit, consolationem accipiat.

His igitur probe consideratis, attentis quoque plurimis & incomparabilibus meritis & obsequiis, quibus nos, & Sac. Rom. Imperium à tempore coronationis nostræ in Romanorum Imperatorem, usque ad hodiernum diem, incessanter studuit honorare, idcirco nostra ex certa scientia, animo deliberato, & sano accedente consilio, ac Imperiali auctoritate nostra, & ex plenitudine potestatis omnia & singula Castra, loca, terras, feuda, bona & jura, quæ dicti quondam Joannes Aloysius, ac Hieronymus, & Fratres de Flisco tenebant, & possidebant tam ex successione paterna, quam Hieronymi quondam de Flisco eorum patrui ad eos devoluta, quam alias quoquomodo acquisita, una cum suis Territoriis, juribus & pertinentiis, exceptis dumtaxat Castris & Terris Pontremuli, & Burgi Vallis Tari, una cum eorum territoriis, & jurisdictione, ac juribus & pertinentiis, quæ Castra & loca ex dignis causis, & respectibus dispositioni nostræ reservamus; item exceptis castris & terris Montobii, Varesii, Rochæ tagliatæ, octava parte Castri Savignoni, ac Castro & Jurisdictione S. Stephani Vallisavanti, una cum eorum juribus, & pertinentiis, de quibus in alios disponere intendimus, liberaliter dedimus, donavimus & largiti sumus, ac tenore præsentium damus, donamus & largimur; ita ut possit & valeat, quandocunque illi opportunum fuerit, omnia & singula Castra, Loca, Terras, bona & Jura supradicta ei a Nobis donata propria authoritate apprehendere, tenere ac possidere, & vel adhæredes suos legitimos transmittere, vel de illis in beneficium tamen & utilitatem filiorum prædicti quondam Joannetini juxta ordinationem ab eo faciendam, donationem facere. Salva tamen semper Nostra & Imperii superioritate, & feudali obsequio, & hac etiam conditione ac lege, quod cum locus & Castrum Cariseti per dictum quondam Joannem Aloysium Fliscum de consensu nostro acquisitus, & sub certis conditionibus hypothecatus fuerit, pro dote suæ Conjugis jam Viduæ, prænominatus Illustris Princeps ab Auria secundum quod facere jam antea obtuiit, teneatur solvere, & satisfacere eidem Viduæ de eo, quod nomine prædictæ dotis ei debetur, servata forma consensus nostri præstiti in hypotheca dotis super eodem Castro & feudo Cariseti, & ipsum Castrum, una cum reliquis ut supra donatis à Nobis & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, & Regibus, ac Sacro Romano Imperio in feudum recognoscere, investituram petere, fidelitatis juramentum præstare, & alia omnia facere, ad quæ fidelis Vasallus Sacri Imperii Domino suo Romanorum Imperatori de jure vel ex consuetudine tenetur, dolo & fraude semotis: Supplentes omnes defectus tam Juris quam facti, qui ratione voluntatis cujuscunque tam intrinsece, quam extrinsece, aut formalis, aut alias quovis modo in præmissis intervenissent, aut dici vel allegari possent.

Nulli ergo omnino mortalium liceat hanc nostræ declarationis, privationis, decreti, donationis, concessionis, voluntatis, & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, si quis autem id attentare præsumpserit, Nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum Marcharum auri puri, pro dimidia Imperiali Fisco seu ærario nostro, rel qua vero parte injuriam passi usibus applicandam se noverit ipso facto incurrisse. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindelica die vigesima septima mensis Octobris, A. D. MDXLVII. Imperii nostri XXVIII. & Regnorum nostrorum XXXII. Signatum CAROLUS. Vidit Perexc. Ad Mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium Jo. Bernburger &c. & sigillat. Sigillo magno Imperiali posito in Capsula ferrea stanno dealbata in cera rubea & alba appensa cordulis aureis, & sericis nigri coloris.

II.

Ejusdem literæ, in quibus Andream ab Auria, Principem Melphi, de Castris & terris Burrigliæ, Carreghæ, Montisavani, Calesis, Veppi, Cremontis, Grondonæ, Crucis, Vallis, Trebiæ, Galbanæ, Varghi, Montis acuti, item de mero & mixto Imperio & Jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Arpraxedis & Vivolono, quæ olim Familia Fliscana possedit, die 12. Jun. An. 1548. investivit.

CAROLUS V. &c.

AD perpetuam rei memoriam recognoscimus pro Nobis & Nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus, ac notum facimus tenore præsentium universis, quod quum Illustr. fideli sincere nobis dilecto Andreæ ab Auria Principi à Melfi, Militi Ordinis Nostri Aurei Velleris Consiliario, & in mari mediterraneo Generali Capitaneo Nostro, omnia & singula Castra, loca, terras, feuda, bona & Jura, quæ quondam Comes Joannes Aloysius, nec non Hieronymus & alii fratres de Flisco tenebant & possidebant, sive ex successione quondam Comitis Synibaldi de Flisco, eorum Patris, ac Hieronymi ipsorum patrui ad eos devoluta, sive alias quoquo modo acquisita ob eorum notoriam infidelitatem, proditionem, rebellionem, & læsæ Majestatis crimen in Nos & S. R. Imperium propter occisum proditorie quondam Joannetinum ab Auria, Classis nostræ Præfectum, & invasam per eos ipsam Classem, nec non Cameram & Civitatem Nostram Imperialem Genuam, in cujus criminis executione dictus quondam Joannes Aloysius de Flisco interiit nobis, & Imperiali Fisco nostro devoluta præcedente justa declaratione & privatione nostra donaverimus, Reservatis tamen aliquot Castris, locis, terris & juribus in eadem donatione nostra expressis, & hac insuper lege, ut ipse Illustr. Princeps eadem Castra, loca, terras, feuda, bona & jura ei donata à nobis & Suc-

Successoribus nostris Rom. Imperatoribus & Regibus, & S. Rom. Imperio in feudum recognoscere, fidelitatis juramentum præstare, & alia omnia facere debeat & teneatur, ad quæ noster & S. R. Imp. Vasallus de jure vel ex consuetudine tenetur; & aliis insuper conditionibus appositis. Quemadmodum hæc omnia in Literis declarationis, donationis & concessionis nostræ latius continetur, Cumque præfatus Illustr. Princeps & Consiliarius noster Andreas ab Auria nobis in præsentiarum humiliter supplicaverit, ut ipsum ex prædictis Castris, locis, terris, bonis & juribus ut supra donatis, signanter & seorsim de Castris & terris Durrigliæ, Carreghæ, Montistavani, Calesis, Veppi, Cremontis, Grondonæ, Crucis, Vallis Trebiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, item de mero & mixto Imperio & Jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Arpaxedis, Vivolono, in eorum curiis, territoriis & districtibus cum omnibus & singulis ipsorum Castrorum & terrarum hominibus, locis, territoriis, juribus & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, regalibus, jurisdictionibus, mero & mixto Imperio. Quemadmodum dicti Jo. Aloysius, Hieronymus, & Fratres de Flisco, eorumque prædecessores ea omnia tempore commissi delicti tenuerunt & possederunt, investire, atque regalia hujusmodi Castrorum, terrarum & locorum benigne concedere auctoritate nostra Imperiali dignaremur. Nos igitur cupientes pro solito instituto nostro benemerentibus viris gratia & liberalitate nostra respondere, ut dignis virtutum & obsequiorum suorum premiis invitati alacrius & ferventius nobis & Sacro Imperio esse possint, & debeant fideles, animo deliberato, ex certa scientia, sano & maturo procerum nostrorum & Imperii Sacri fidelium accedente consilio, ac Imperiali auctoritate nostra, & de plenitudine potestatis, & alias omni meliori modo, via, jure & forma, quibus validius & efficacius fieri potest ac debet, eundem Illustrem Principem Andream ab Auria de prædictis castris & terris, cum omnibus & singulis eorundem Castrorum & terrarum omnium hominibus, locis, territoriis, juribus & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum dicti Comites de Flisco eorumque progenitores olim ea omnia tenuerunt & possederunt, investivimus, & in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, & in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum concedimus, quicquid in his de æquitate & gratia dare & concedere possumus & debemus, ita, quod ipse Illustris Princeps Andreas ab Auria prædicta Castra, terras, loca, feuda, cum omnibus suis Regalibus, præeminentiis, territoriis, jurisdictionibus, juribus & pertinentiis, aliisque præmissis perpetuo in feudum à Nobis & S. R. Imperio tenere & possidere, ac de illis libere in beneficium filiorum præfati quondam Joannetini ab Auria, tam inter vivos, quam in ultima voluntate disponere possit & valeat, hoc tamen servato ordine, quod Paganus & Carolus secundogeniti ipsius quondam Joannetini præferantur Jo. Andreæ de Oria eorum fratri primogenito, nisi forte ipse Illustr. Princeps ab Auria aliter disponendum duxerit, cui ad hoc plenam facultatem tenore præsentium concedimus, impedimento & contradictione cessantibus quorumcunque, serveturque deinceps ordo primogenituræ filiorum masculorum legitime ab illo, in quem ipse Princeps disposuerit, ex linea masculina descendentium. Præterea transferimus & de novo damus & concedimus, auctoritate & scientia prædictis ipsi Illustri Andreæ de Oria Principi à Melfi omnia & singula Regalia dictorum Castrorum, terrarum & locorum, nec non privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, dignitates, præeminentias, Jurisdictiones, facultates & decreta dictis Comitibus de Flisco, eorumque Majoribus tam per nos, quam per divos Rom. Imperatores & Reges Prædecessores nostros augustæ memoriæ data, concessa & indulta, & specialiter illa, videlicet quod ab omnibus & singulis oneribus, quocunque nomine censeantur, impositis aut imponendis, realibus aut personalibus, francus, immunis ac liber sit, salvo tamen & reservato, quod tam ipse, quam homines dictorum Castrorum, terrarum, locorum, & districtuum, ubi ad hoc requisiti fuerint, teneantur Guerram vivam facere nostris & Imperii rebellibus, ac aliis, quibus nos & nostri Successores, Imperatores & Reges Rom. bellum indiceremus, vel ab ipsis indictam haberemus, nec non homines nostros omni tempore intromittere & receptare ad faciendum dictis nostris & imperii rebellibus & hostibus, ut supra, guerram vivam, & ad exercitus & expeditiones nostras, quando requisiti fuerint, teneantur venire, & omnia servitia nobis & Imperio ex jure veteri & novo, atque consuetudine Italiæ præstare debita & consueta. Quodque idem Illustris Princeps pro quibuscunque civilibus causis solum coram nobis aut Successoribus nostris conveniri, neque ad aliud tribunal seu forum invitus ullo modo trahi possit, Quodque ipse, & semper antiquior, vel ille de familia, qui juxta ordinationem ab ipso Principe faciendam, vel alias ex lege Primogenituræ in prænarratis feudis successerit, monetam nedum argenteam sed & auream, atque æream cudere seu cudi facere valeant, sintque Sacri Lateranensis Palatii nostri Comites, cum omnibus & singulis Privilegiis, honoribus & immunitatibus, quibus cæteri Comites nostri Palatini quomodolibet gaudent atque fruuntur, ac Notarios, Milites & Doctores creare, Naturales, Bastardos ac Spurios legitimare possint & valeant. Quem etiam Illustr. Principem, ejusque in dictis Castris, locis, terris, bonis & juribus donatis Successores omnes & singulos, una cum eisdem Castris, locis, terris, territoriis & bonis, & juribus antedictis in nostram & S. R. Imp. protectionem & salvaguardiam recipimus. Decernentes, & hoc Imperiali nostro statuentes edicto, quod ipse Illustris Princeps Auria, hæredesque & Successores sui, & ab illis descendentes, præmissis & omnibus privilegiis, prærogativis, gratiis, honoribus & juribus ubicunque per S. R. Imperium tam in Germania, quam in Italia gaudere, ac libere uti & frui possint & valeant, quibus dicti Comites de Flisco, eorumque Progenitores usi & gavisi sunt, & alii sub nostra & S. R. Imperii protectione & salvagvardia constituti gaudent & fruuntur, de jure vel consuetudine omni impedimento & contradictione cessante, salvo semper nobis & Successoribus nostris, ac Rom. Imperio Jure directi dominii, & omnibus,

bus Juribus & honoribus, quæ in feudis Domino superiori reservari debent & consveverunt, & aliorum, quos prædictæ rebellionis & læsæ Majestatis delictum & nostra sententia non complectitur, jure salvo, atque hac insuper lege, quod ipsius Principis hæredes, qui ex sua dispositione vel alias ex forma hujus nostræ investituræ in prædictis Castris, terris, locis, & feudis successuri sunt, illa semper cum vacuerint, aut casus postulaverint, à nobis aut successoribus nostris Rom. Imp., vel Regibus, recognoscant, illorumque, prout juris est Investituram accipiant, ac debitum homagii juramentum præstent, quemadmodum in præmissorum omnium per nos concessorm cognitionem honorabilis doctus noster, & Imp. Sacri fidelis dilectus, Joannes Maria de Oria Speronus, juris utriusque Doctor, præfati Illustris Principis & Consiliarii, ac Generalis Capitanei nostri Andreæ ab Auria Procurator legitimus, nomine & in animam ipsius, pleno ad id mandato suffultus, coram nobis constitutus, solitum ac debitum homagii & fidelitatis, cum humilima reverentia in manibus nostris præstitit juramentum. Quod videlicet ex nunc in antea nobis nostrisque Successoribus Rom. Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, ac S. Rom. Imperio velit & debeat esse fidelis, nostrumque & S. Imperii damnum avertere, bonum, honorem & utilitatem pro omni possibilitate procurare & promovere, quodque nunquam erit in consilio, in quo de periculo & damno nostro tractetur, & si quid tractari sciverit, nobis propalabit, ac omnia alia & singula faciet, quæ nostri & Imp. Sacri fideles Vasalli de jure vel consuetudine facere debent & tenentur, dolo & fraude semotis. Proinde mandamus universis & singulis dictorum Castrorum, terrarum & locorum Vasallis, Officialibus & Subditis, quatenus præfatum Illustr. Andream ab Auria, Principem à Melfi, ejusq; hæredes & Successores supradictos in eorum utiles Dominos agnoscant, recipiant & admittant, atque in omnibus & singulis tam judicialibus, quam extrajudicialibus, reverenter illis pareant, ac debitam fidelitatem & obedientiam, aliaque omnia præstent, quæ dictis quondam Comitibus de Flisco facere & præstare consveverunt, & ad quæ fideles Vasalli & subditi, eorum Domino utili de jure vel consvetudine tenentur, non obstante vinculo subjectionis, quo dictis Comitibus de Flisco adhuc superstitibus obnoxii esse dici possint. Nos enim eos omnes & singulos tam conjunctim, quam separatim, ab omni vinculo subjectionis & fidelitatis absolvimus & liberamus, & absolutos ac liberos esse decernimus & declaramus, scientia & auctoritate prædictis. Mandantes insuper universis & singulis Principibus tam ecclesiasticis, quam secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Magistratibus, Officialibus quibuscunque & cæteris nostris & S. Imp. Vasallis, subditis & fidelibus cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, gradus, ordinis & conditionis existant, quatenus Illustrem Principem præfatum in hac nostra infeudatione, concessione & gratia, non impediant, nec perturbent, quinimo pro nostro & S. Imp. Principe & Vasallo habeant, teneant, reputent, prætereaque tueantur, manuteneant & defendant, & contrarium non faciant, nec fieri procurent, aut permittant quovis modo in quantum nostram, & Imperii S. indignationem gravissimam, & pœnam quinquaginta Marchrum auri puri, pro una dimidia Fisco nostro Imperiali, & pro altera dimidia injuriam passi usibus irremissibiliter applicendam, toties, quoties contraventum fuerit, incurrere formidant. Harum Testimonio Litterarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Dat. in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindel. die decima nona Mens. Junii, An. Dom. millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Imperii nostri vigesimo octavo, & Regnorum nostr. trigesimo tertio.

Sig. CAROLUS.

Ad mandatum Cæs. & Cathol. Majestatis proprium
Jo. Bernburger.
Vidit *A. Perenot*. tec.

III.

Sententia, qua Scipio, Comes de Flisco, rebellis & læsæ Majestatis reus, nec non omnibus feudis, gratiis & Privilegiis privatus declarabatur, in emolumentum Andreæ ab Auria Principis Melphi, a Ferdinando I. Rom. Imperatore, die 12. April. An. 1559. confirmata.

FERDINANDUS divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & inferioris Silesiæ, Wittembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landtgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus tenore præsentium pro nobis & nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, notum facientes universis, quod cum alias anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo in Mense Januario Joannes Aloysius quondam Comes de Flisco, oblitus Fidei & jurisjurandi, quo augustæ memoriæ Divo quondam Carolo V., Romanorum Imperatori, fratri ac Domino nostro charissimo, & Sacro Romano Imperio obstrictus & obnoxius erat cum ratione originis, tum etiam regalium & feudorum, quæ ab eodem Sacro Romano Imperio recognoscebat, una cum fratribus suis Hieronymo & Octobono ac Cornelio, naturali eorum fratre, nocturno tempore manu armata, & ingenti caterva subdictorum, aliorumque, quos illi animo maligno, & proditorio intra mœnia Cameræ & Civitatis nostræ Imperialis Genuæ occultaverant, tandem nostram & Imperii Cameram & Civitatem Imperialem proditoriè aggressi sint, portas occupaverint, Custodes obtruncarint, classem Cæsaream populati sint atque dissipaverint, & *Illustris* nostri, & Sacri Imperii fidelis, syncere nobis *dilecti* Andr. ab Auria, Principis a Melphi nepotem quondam Joannetinum ab Auria, qui tunc ipsius Principis Andreæ Loco dictæ Cæsareæ Classi præerat, crudeliter & nefarie interfecerint, tam atroci autem & scelerattissimo crimine ad præfatum quondam Divum fratrem

trem nostrum, Imperatorem, Carolum V. perlato, Dilectio & Majestas ejus illos jure, & justiritia sic exigente, Dilectionis & Majestatis suæ, ac S. Imp. Rebelles, ac læsæ Majestatis reos declaraverit, & pronunciaverit, atque mox etiam juxta formam juris illos & omnes illorum descendentes omnibus ac singulis regalibus. feudis, privilegiis, juribus, bonis, & rebus, quæ à Dilectione & Majestate ejus, ac S. Imperio obtinuerant, tanquam ipso jure ad fiscum Imperialem devolutis privaverit, & in perpetuum exclusos esse debere decreverit, atque exinde idem Divus frater noster Carolus V. benigna ratione habita, quod tam enorme crimen destinatum fuerit in necem præfati quondam Illustrissimi Andreæ ab Auria ejusque Nepotis quondam Joannetini, qui tunc etiam ab illis, ut supra demonstratum est, misere trucidatus fuit, ut ipse Illustris Princeps Andreas ex ingenti isto luctu, ac mœrore aliquam saltem consolationem acciperet, omnia & singula Castra, Loca, Terras, feuda, bona & jura, quæ dicti quondam Joannes Aloysius, ac Hieronymus & Fratres de Flisco tenebant & possidebant, tam ex Successione paterna, quam quondam Hieronymi de Flisco, eorum patrui, ad eos devoluta, & alias quoquomodo acquisita, cum suis territoriis, juribus, ac pertinentiis, exceptis dumtaxat Castris, & terris Pontremuli & Burgi Vallis Tari una cum eorum juribus, territoriis, jurisdictione, & pertinentiis, item Castris & Terris Montobii, Varesii, Rochatagliatæ, octava parte Castri Savignoni, ac Castro & Jurisdictione S. Stephani Vallis avanti, cum eorum juribus & pertinentiis, eidem Principi Andreæ ab Auria, & hæredibus ejus dederit, donaverit, atque elargitus sit, data & attributa ei plena potestate & facultate, omnia & singula supradicta Castra, Loca, terras, bona, & jura modo præmisso ei donata, quandocumque ei opportunum videretur, propria authoritate apprehendendi, tenendi, & possidendi, & sive ad hæredes suos legitimos transmittendi, sive de illis in beneficium, & utilitatem filiorum sæpe dicti quondam Joannetini juxta ordinationem desuper constituendam donationem faciendi, ita tamen ut S. I. sua Superioritas & feudale obsequium quoquo tempore salvum foret, ea etiam conditione ac lege addita, quod cum Castrum & Locus Cariseti per dictum quondam Joannem Alovisium Fliscum de consensu ejusdem Divi fratris nostri acquisitus, & sub certis condictionibus hypothecatus fuerit pro dote suæ Conjugis relictæ, ipse Ill. Princeps Andr. ab Aura teneretur solvere, & satisfacere eidem Viduæ de eo, quod nomine prædictæ dotis illi deberet, juxta formam consensus Imperialis in hypotheca dotis super eodem Castro & Feudo Cariseti præstiti, & ut idem princeps Andreas ab Auria non modo jam nominatum Castrum verum, & reliqua omnia & singula Castra, loca, terras, feuda, bona, & jura, uti dictum est, sibi donata, ab ipso Divo Carolo V. & suis Successoribus Rom. Imp., ac Regibus, & S.R. Imperio in feudum recognosceret, investituram peteret, fidelitatis juramentum præstaret, & alia omnia faceret, ad quæ fidelis Vasallus S. Imperii Dn. suo Rom. Imp. de jure, vel ex consvetudine teneatur, de quibus omnibus ac singulis tunc temporis per eundem Divum Carolum V. Imp. præstito prius debito & consveto fidelitatis juramento, investitus fuit, sicuti hæc omnia ex ipsis Imperialibus privilegiis, rescriptis, & literis hujusmodi declarationis, privationis & donationis nobis in forma fide digna exhibitis liquido constant. Cum præterea ipse Ills. Andreas ab Auria velit, & summopere cupiat (uti debet) à nostra etiam Cæsarea Majestate memorata Castra, Loca, terras, feuda, bona, & jura sibi, ut supra demonstravimus, donata recognoscere, ideoque nobis humiliter supplicaverit, ut dignaremur auctoritate nostra Cæsarea prænarratam declarationem rebellionis, privationem feudorum, & donationem sibi deinde factam confirmare, ratificare & approbare, cum declaratione, quod hujusmodi donatio valeat etiam respectu Scipionis Comitis de Flisco fratris dicti quondam Alovisii, qui & ipse ob conjurationem postea factam cum Julio Cibo Marchione Massæ contra eandem nostram Cameram & Civitatem Imperialem Genuam, ac Classem Cæsaream, ipsumque Illustrem Andream ab Auria, ejusdem Classis generalem Præfectum, declaratus fuit rebellis, & Læsæ Majestatis reus, ac omnibus Feudis, gratiis, & privilegiis, quæ a S. R. Imperio habebat, privatus, quemadmodum manifeste apparet è sententia lata per nobilem nostrum, & S. I. fidelem dilectum Gometium Svarez de Figueroa, Cæsareum in hac parte delegatum, eandem sententiam contra dictum Comitem Scipionem approbando, & ad abundantem cautelam, si forte idem Scipio, antequam sententia, ista novissima lata fuit, in prædictis bonis, feudis, & juribus, ipsi Illustrissimo Andreæ ab Auria a sæpedicto divo quondam Imperatore Carolo V. donatis, & in feudum concessis, vel in aliquibus eorum jus aliquod haberet de iisdem, etiam respectu Scipionis, & aliis quibuscumque de causis donationem faciendo. Nos sane benigna ratione habita multorum præclarissimorum obsequiorum, quæ præfatus Illustr. Princeps Andreas ab Auria, prælibato divo quondam Carolo V. & S. R. Imperio contra perpetuas Christiani nominis hostes, & alios Sacri Imperii adversarios, summa fide, studio, constantia, & magnanimitate terra marique exhibuit, non potuimus equidem intermittere, quin exemplo ejusdem divi fratris nostri tam præstantibus & egregiis illius obsequiis atque meritis gratia nostra Cæsarea responderemus. Quocirca sponte nostra, & ex certa scientia, animoque bene deliberato, ac sano accedente consilio pro Cæsarea nostra auctoritate, ac de plenitutdine potestatis nostræ, prænemoratam declarationem rebellionis, feloniæ, ac læsæ Majestatis, item privationem regalium, feudorum, privilegiorum, jurium & bonorum, quæ dictus quondam Comes Alouisius de Flisco, & supranominati fratres sui a S. Rom. Imperio, vel alias quomodolibet obtinebant, nec non donationem de iis ipsi Illustri Principi Andreæ ab Auria à prælibato Divo Carolo Quinto factam juxta tenorem Dilectionis & Majestatis Suæ rescripti desuper confecti die vigesima septima Mensis Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo in omnibus suis punctis, clausulis, verborumque expressionibus, ac si tenor hujusmodi rescripti præsentibus de verbo ad verbum insertus esset, prout pro inserto omnino haberi volumus, confirmavimus, approbavimus, ratificavimus & innovavimus, ac tenore præsentium confirmamus, approbamus, ratificamus, innovamus, & quatenus opus est, de novo declaramus, privamus, donamus & concedimus.

dimus. Volentes & decernentes auctoritate nostra Cæsarea ea omnia ac singula ubique locorum & terrarum firma validaque esse, & haberi debere, vanum & irritum fore censentes quicquid in contrarium fieri attentarive contigerit. Porro cum e juridico & legitimo processu nobis in fide digna forma exhibito & sententia per supradictum Gometium Suarez de Figueroa tanquam Cæsareum Delegatum, Die sexta Oct. A. Dom. millesimo quingentesimo, & quinquagesimo primo lata cognoverimus, quod & Comes Scipio de Flisco, supradicti quondam Comitis Aloisii frater, propter aliam conjurationem postea factam, cum Julio Cibo, Marchione Massæ, contra eandem nostram Cameram & Civitatem, Imperialem Genuam, ac Classem Cæsaream, ipsumque Illustrem, Andream ab Auria, ejusdem Classis generalem Præfectum, fuisse declaratum rebellem & læsæ Majestatis reum, ac omnibus feudis, gratiis & privilegiis, quæ à S. R. Irio. habebat, privatutum; Nos quidem hanc quoque sententiam antedicti delegati clementer approbando, ratificando & confirmando, declaramus memoratam donationem etiam ratione bonorum sæpedicti Scipionis Comitis de Flisco valere, & firmam validamque esse debere, si forte is ante sententiam istam novissimam, vel quocunque tempore præterito in prædictis bonis, feudis & juribus ipsi Illustris Andreæ de Auria à Majestate sæpe nominati fratris nostri donatis, & in feudum concessis, vel aliquo eorum jus aliquod habuisset, vel adhuc habere prætenderet, quin etiam dicta Scientia, autoritate & potestate nostra consulto, & nullo juris vel facti errore ducti eundem Scipionem, ob præmemoratam conjurationem notoriæ rebellionis, & læsæ Majestatis Crimen & feloniam commisisse, atque ab omnibus & singulis regalibus, feudis, privilegiis, juribus, bonis, & rebus, quas & quæ a S. R. I. aut alias quomodolibet obtinebat, ipso jure cecidisse, adeoque ipsum & descendentes ipsius ab illis in perpetuum exclusos esse debere decernimus, & declaramus, ac eadem tanquam ad Fiscum nostrum Cæsareum devoluta, prout in donatione sæpe nominati quondam Divi fratris nostri continentur, ipsi Illustris Andreæ ab Auria, tam dicti Scipionis respectu, quam aliis, quibuscumque de causis de novo damus, donamus, & elargimur, ita ut ipsi Illustris Andreas, & hæredes, ac successores sui illa omnia, & singula Castra, loca, terras, bona, & jura sibi tam à Divæ memoriæ Imperatore Carolo V. donata, quam à nobis confirmata, perpetuo absque ullo cujusque hominum impedimento tenere & possidere valeant & possint, sub iis tamen conditionibus, quæ in literis donationis divi Carolis V. continentur, & ea præsertim Lege, ut teneantur illa omnia à nobis & Successoribus nostris Rom. Imp. ac Regibus, & S. R. Imp. in feudum recognoscere, investituram eorundem petere, fidelitatis juramentum præstare, aliaque omnia & singula facere, quæ fideles Vasalli S. Imperii Dn. suo Rom. Imperatori, aut Regi, de jure vel ex consuetudine tenentur, dolo & fraude semotis, quamobrem supplemus etiam omnes defectus tam juris, quam facti, qui ratione solemnitatis cujuscunque tam intrinsecè quam extrinsecè aut formalis, seu alias quovismodo in præmissis intervenissent, aut dici vel allegari possent, salvo semper nobis & successoribus nostris Rom. Imps., ac Regibus, & S. R. Imperio jure directi Dominii, & omnibus juribus, & honoribus, quæ in feudis Dn. Superiori debent, & consveverunt reservari, atque aliorum etiam, quos prædictæ rebellionis, & læsæ Majestatis delictum ac suprascriptæ Sententiæ non complectuntur, jure salvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, innovationis declarationis, privationis, donationis, concessionis, Decreti, Voluntatis, & gratiæ paginam infringere, aut eam quovis modo temere violare, spernere, seu negligere, quisquis vero id ausus fuerit, is noverit, se ipso facto incursurum nostram, & S. Imperii indignationem gravissimam, & mulctam centum marcarum auri puri, pro dimidia parte Fisco nostro Cæsareo, pro reliquo autem injuriam passi usibus applicandam, harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindelicorum, Die duodecima Mensis Aprilis, An. Dni. millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani vigesimo novo aliorum vero Tricesimo tertio.

FERDINANDUS.

IV.

Litera Ferdinandi I. Romanor. Imperatoris, in quibus Andream ab Auria, Principem Melphi, de Castris & Terris Montis Tuani, Calessis, Vepps, Cremontis, Grondonæ, Crucis, Vallis Trebiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, item de mero & mixto Imperio & Jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Arpaxedis, & Vivolono, quæ Familia Fliscana olim a S. R. Imperio in feudum tenebat, die 14. April. An. 1559. investivit.

FERDINANDUS, divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex. Infans Hispaniarum, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landtgravius Alsatiæ, Marchio S. R. Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus pro nobis & nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, notum facientes tenore præsentium universis, quod cum divus quondam Carolus V., felicissimæ memoriæ Imperator Augustus, Frater ac Dominus noster charissimus superioribus annis Illustri nostro, & Sacri Imperii fideli syncere nobis dilecto Andreæ ab Auria, Principi à Melphi, & Marchioni Turriliæ, omnia & singula Castra, loca, terras, feuda, bona & jura, quæ quondam Comes Joannes Aloysius, nec non Hieronymus & alii Fratres de Flisco tenabant, & possidebant, sive ex successione quondam Comitis Synibaldi de Flisco, eorum patris, ac Hieronymi ipsorum patrui

patrui ad eos devoluta, five alias quoquomodo acquisita, & ob eorum notoriam infidelitatem, proditionem, rebellionem, & læsæ Majestatis crimen in eundem divum fatrem nostrum, & Sacrum Romanum Imperium propter occisum proditorie quondam Joannettinum ab Auria Classis Cæsareæ Præfectum, & invasam per eos ipsam classem, nec non Cameram & Civitatem nostram Imperialem Genuam, in cujus criminis executione dictus Comes Joannes Aloysius de Flisco interiit, ad nostrum Imperialem Fiscum devoluta, præcedente justa declaratione & privatione donaverit, reservatis tamen aliquot Castris, Locis, terris & Juribus in eadem donatione nominatis, ea etiam addita lege, quod ipse Illustr. Princeps Andreas ab Auria eadem Castra, loca, terras, feuda, bona & jura ei donata ab ejus Dilectione & Majestate, ac ejusdem Successoribus, Romanorum Imperatoribus & Regibus, & Sacro Romano Imperio in feudum recognoscere, fidelitatis juramentum præstare, & alia omnia face e deberet & teneretur, ad quæ noster & S. Rom. Imperii Vasallus de jure vel ex consuetudine tenetur, & aliis insuper conditionibus appositis, prout tunc etiam ipse Illustris Princeps Andreas ab Auria ab eodem divo quondam fratre nostro Imperatore Carolo V. de iisdem Castris, Locis, terris, bonis & juribus, ac signanter & seorsim de Castris & terris Montis Tavani, Calessis, Veppi, Cremontis, Grundunæ, Crucis, Vallis Trebiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, item de mero & mixto Imperio & jurisdictione plenaria Castrorum & terrarum Marsolariæ, Arpaxedis, Vivolono, omnibusque & singulis eorum pertinentiis, & sub onere in donatione expresso investitus fuit, id quod in Literis declarationis, privationis, donationis, concessionis & investituræ ejusdem divi Caroli Quinti latius continetur, quam quidem declarationem, privationem & donationem nos non solum clementer confirmamus, ratificamus & approbamus, verum etiam ad bona & jura Scipionis Comitis de Flisco, fratris dicti quondam Aloysii extendimus, quandoquidem & ipse ob conjurationem postea factam cum Julio Cibo, Marchione Massæ, contra eandem nostram Cameram & Civitatem Imperialem Genuam, ac ClassemCæsaream ipsumque Illustr. Andream ab Auria, ejusdem Classis generalem Præfectum, declaratus fuit rebellis, & læsæ Majestatis reus, ac omnibus feudis, gratiis, Privilegiis, quæ à Sacro Romano Imperio habebat, privatus, sicuti ex sententia desuper per Nobilem nostrum, & Sacri Imperii fidelem dilectum Gometium Suarez de Figueroa, tanquam Cæsareum delegatum lata, clare constat, ita ut ipsum quoque Comitem Scipionem & descendentes ejus velimus in perpetuum excludi à præfatis feudis, gratiis & privilegiis Juribusque, si quæ habuisset, vel adhuc habe e prætenderet, & in dictis Castris, Locis, terris, bonis & Juribus dicto Illust. Andreæ ab Auria donatis. Cumque præfatus Illustr. Princeps & Consiliarius noster Andreas ab Auria, posteaquam intellexit, Nos Dei beneficio ad hoc Cæsareum Culmen, & absolutam Imperii administrationem pervenisse, cupiens, ut tenetur memoratis conditionibus satisfacere, nobis humiliter supplicaverit, ut ipsum ex prædictis Castris, Locis, terris, bonis & Juribus, ut supra, donatis, signanter & seorsim de Castris & terris Montis Tavani, Calessis, Veppi, Cremontis, Grondonæ, Crucis, Vallis Trebiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, item de mero & mixto Imperio, & Jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Arpaxedis, Vivolono, cum omnibus & singulis eorundem Castrorum & terrarum hominibus, Locis, territoriis, Juribus & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum dicti Joannes Aloysius, Hieronymus, & fratres de Flisco, tempore commissi delicti, eorumque Prædecessores ea omnia tenuerunt & possederunt, investire, atque Regalia hujusmodi Castrorum & terrarum, authoritate nostra Cæsarea benigne concedere dignaremur. Nos sane cupientes pro solito instituto nostro bene merentibus viris gratia & liberalitate nostra respondere, ut dignis virtutum & obsequiorum suorum præmiis invitati alacrius & ferventius nobis, & Sacro Imperio esse possint & debeant fideles, motu proprio, animo deliberato, ex certa nostra Scientia, sano & maturo Procerum nostrorum, & Imperii Sacri fidelium accedente consilio, ac Cæsarea authoritate nostra, & de plenitudine potestatis, & alias omni meliori modo, via, jure & forma, quibus validius & efficacius fieri potest, ac debet, Eundem Illustr. Principem Andream ab Auria de prædictis Castris, & Terris, cum omnibus & singulis eorundem Castrorum & Terrarum hominibus, Locis, Territoriis, Juribus, & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum dicti Comites de Flisco, eorumque progenitores olim ea omnia tenuerunt, & possederunt, investivimus, & in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, & in feudum nobile & antiquum, avitum & paternum concedimus, quicquid in his de æquitate & gratia dare & concedere possumus & debemus, Ita quod ipse Illustr. Princeps Andreas ab Auria prædicta Castra, Terras, Loca, & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, & pertinentiis, aliisque præmissis, perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum, & paternum à nobis & Sacro Romano Imperio tenere & possidere, ac de illis libere in beneficium filiorum præfati quondam Joannettini ab Auria tam inter vivos, quam in ultima voluntate disponere possit, ac valeat hoc tamen servato ordine, quod post mortem ipsius Illust. Andreæ ab Auria, juxta dispositionem per eum factam, memorata Castra, loca, terræ & feuda, cum omnibus eorum regalibus, præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, juribus & pertinentiis, aliisque præmissis, & cum suo onere tam feudi, quam hypothecæ, secundum formam dictæ Cæsareæ donationis, transeant ad Illustr. nostrum & Sacri Imperii fidelem dilectum Paganum ab Auria, antedicti quondam Joannetini filium legitimum, & naturalem, & post mortem ipsius Pagani ad ejus Filium primogenitum masculum legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum, & sic ordine successivo de primogenito in primogenitum masculum, legitimum & natu-

naturalem, & de legitimo matrimonio natum usque in infinitum. Et casu quo Paganus sine filiis masculis legitimis & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis decederet, quod tunc dicta Castra, terræ, Loca & Feuda cum memoratis eorum Regalibus, præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, Juribus & Pertinentiis, aliisque præmissis, & cum dicto suo onere tam feudi, quam hypothecæ transferantur & perveniant ad Joannem Andream Fratrem dicti Pagani, sive ad ipsius Joannis Andreæ filios legitimos & naturales, & de legitimo matrimonio natos, dicto ordine primogenituræ servato.

Præterea transferimus, damus & concedimus autoritate & scientia prædictis ipsi Illust. Andreæ ab Auria omnia & singula regalia sæpe dictorum Castrorum, terrarum & Locorum, nec non privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, dignitates, præeminentias, Jurisdictiones, facultates, & decreta dictis Comitibus de Flisco, eorumque Majoribus per divos Romanorum Imperatores ac Reges prædecessores nostros augustæ memoriæ data, concessa, & indulta, & specialiter illa videlicet, quod ab omnibus & singulis oneribus, quocunque nomine censeantur, impositis aut imponendis, realibus, aut personalibus, franchus, immunis, ac liber sit, salvo tamen, & reservato, quod tam ipse, quam homines dictorum Castrorum, terrarum, & districtuum, ubi ad hoc requisiti fuerint, teneantur guerram vivam facere nostris & Imperii Rebellibus, ac aliis, quibus nos, & nostri Successores Imperatores, & Reges Romanorum, bellum indixerimus, vel ab ipsis indictum habuerimus, nec non homines nostros omni tempore intromittere, & receptare ad faciendum dictis nostris & Imperii rebellibus, & hostibus, ut supra, guerram vivam, & ad Exercitus, & speditiones nostras, quando requisiti fuerint, teneantur venire, & omnia servitia nobis, & Imperio ex jure veteri, & novo, atque consvetudine Italiæ debita, & consveta præstare, quodque idem Illust. Princeps pro quibuscunque Civilibus causis solum coram nobis, aut successoribus nostris conveniri, neque ad aliud Tribunal seu forum invitus ullo modo trahi possit; Quodque ipse & post mortem ejus dictus Paganus, aut qui juxta suprascriptam ordinationem & dispositionem utrilibet in prænarratis Castris, Terris & Locis successerit, monetam nedum argenteam, sed & auream atque æream cudere, seu cudi facere valeat, sitque ipse Illust. Princeps Andreas ab Auria, & jam dicti Successores ejus Sacri Lateranensis Palatii nostri Comites, cum omnibus & singulis Privilegiis, honoribus & immunitatibus, quibus cæteri Comites nostri Palatini quomodolibet gaudent & fruuntur, ac Notarios, Milites & Doctores creare, naturales Bastardos, ac Spurios legitimare possint & valeant, quem etiam Illustr. Principem, ejusque in dictis Castris, locis, terris, bonis & juribus donatis Successores omnes & singulos, una cum eisdem Castris, locis, terris, territoriis & bonis ac juribus antedictis in nostram & Sacri Romani Imperii protectionem & salvagvardiam recipimus. Decernentes, & hoc Cæsareo nostro statuentes edicto, quod ipse Illustris Princeps ab Auria hæredesque & Successores sui, & ab illis descendentes Marchiones Turriliæ præmissis & omnibus Privilegiis, prærogativis, gratiis, honoribus & Juribus ubicunque Sacrum Romanum Imperium tam in Germania, quam in Italia gaudere ac libere uti & frui possint & valeant. Quibus dicti Comites de Flisco, eorumque progenitores usi & gavisi sunt, & alii sub nostra & Sacri Romani Imperii protectione & salvagvardia constituti gaudent & fruuntur de jure, vel de consuetudine omni impedimento & contradictione cessante, salvo semper nobis & Successoribus nostris, ac Romano Imperio jure directi Domini, & omnibus juribus & honoribus, quæ in Feudis Domino superiori reservari debent & consueverunt, & aliorum, quos prædictæ utriusque Rebellionis & læsæ Majestatis delicta, ac Cæsareæ sententiæ desuper latæ non complectuntur, jure salvo, atque hac semper lege, quod ipsius Principis hæredes, qui ex sua suprascripta dispositione & forma hujus nostræ Investituræ in prædictis terris, locis, castris & feudis successuri sint semper cum vacaverit, aut casus postulaverit, illa à nobis & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus vel Regibus recognoscant, & eorum prout moris, investituram accipiant, & debitum homagii & fidelitatis juramentum præstent; Quemadmodum in præmissorum omnium per nos concessorum recognitionem noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Alexander Castagninus, præfati Illustris Principis à Melphi, & Marchionis Turriliæ, Andreæ ab Auria Procurator legitimus nomine & in animam ipsius pleno ad id mandato instructus solitum ac debitum homagii & fidelitatis cum humilima reverentia præstitit juramentum, quod videlicet ex nunc in antea nobis nostrisque Successoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, ac Sacro Romano Imperio velit & debeat esse fidelis, nostrumque & Sacri Imperii damnum avertere, bonum, honorem & utilitatem pro omni possibilitate promovere & procurare; quodque nunquam erit in consilio, in quo de periculo & damno nostro tractetur; Et si quid tractari senserit, nobis propalabit, ac omnia alia & singula faciet, quæ nostri & S. Imp. fideles Vasalli de jure vel consuetudine facere debent & tenentur, dolo & fraude semotis. Proinde mandamus universis & singulis dictorum Castrorum, Terrarum & Locorum Vasallis, Officialibus & subditis, ut præfatum Illust. Andream ab Auria Principem à Melphi, & Marchionem Turriliæ, ejusque hæredes & Successores supradictos in eorum utiles Dominos agnoscant, recipiant & admittant, atque in omnibus & singulis tam judicialibus, quam extrajudicialibus reverenter illis pareant, ac debitam reverentiam, fidelitatem, & obedientiam, aliaq; omnia præstent, quæ dictis Comitibus de Flisco facere & præstare consveverunt, ad quæ fideles Vasalli & subditi eorum Domino utili de jure vel consvetudine tenentur; Non obstante vinculo subjectionis, quo dictis Comitibus de Flisco adhuc superstitibus obnoxii esse dici possunt. Nos enim eos omnes & singulos tam conjunctim, quam separatim ab hujusmodi vinculo subjectionis & fidelitatis absolvimus & liberamus, & absolutos ac liberatos esse decernimus & declaramus Scientia & auctoritate prædictis. Mandantes insuper universis & singulis Principibus tam Ecclesiasticis, quam

quam fecularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Magiſtratibus, Officialibus quibuscunque & cæteris noſtris & S. Imp. Vaſallis, ſubditis & fidelibus cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ut præfatum Illuſtrem Principem in hac noſtra infeudatione, conceſſione & gratia, non impediant, nec perturbent, ſed potius tueantur, manuteneant, & defendant, & in contrarium non faciant, nec fieri procurent, aut permittant quovis modo in quantum noſtram, & Imperii Sacri indignationem graviſſimam, & pœnam quinquaginta Marcarum auri puri, pro una dimidia Fiſco noſtro Cæſarep, & pro altera dimidia injuriam paſſi uſibus irremiſſibiliter applicandam, toties, quoties contraventum fuerit, incurrere formidant. Harum Teſtimonio Litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, Sigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Dat. in Civitate noſtra Imperiali Auguſtæ Vindel. die decima quarta Menſis Aprilis Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo nono, aliorum vero triceſimo tertio.

FERDINANDUS.

Daniel, Archi-Epiſcop. Moguntinus S. Rom. Imp. Archi-Cancellarius.

Vt. Seld.

Ad mandatum S. Cæſ. Majeſtatis proprium.

M. Sing. Lymoſer.

V.

Ejusdem literæ, in quibus Andream ab Auria, Principem Melphi, de Caſtris & locis Gremiaſchi, Bagnariæ, Fabricæ, Vartii &c. inveſtivit, d. d. 29. Nov. An. 1559.

FERDINANDUS divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoſcimus pro nobis & noſtris in Imperio Succeſſoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, notum facientes tenore præſentium univerſis, quod cum Divus quondam Carolus V. feliciſſimæ memoriæ Imperator Auguſtus, Frater ac Dominus noſter clariſſimus ſuperioribus annis Illuſtri noſtro & Sacri Imp, fideli, ſincere nobis dilecto, Andreæ ab Auria, Principi a Melphi, & Marchioni Turriliæ, omnia & ſingula Caſtra, Loca, Terras, feuda, bona & jura, quæ quondam Comes Joannes Aloyſius, nec non Hieronymus & alii Fratres de Fliſco tenebant & poſſidebant, ſive ex Succeſſione quondam Comitis Synibaldi de Fliſco eorum Patris, ac Hieronymi ipſorum Patrui ad eos devoluta, ſive alias quoquo modo acquiſita, & ob eorum notoriam infidelitatem, proditionem, rebellionem, & læſæ Majeſtatis crimen in eundem divum Fratrem noſtrum & S. Rom. Imp. propter occiſum proditorie quondam Joannettinum ab Auria, tunc Claſſis Cæſareæ Præfectum, & invaſam per eos ipſam Claſſem, nec non Cameram & Civitatem noſtram Imperialem Genuam, in cujus criminis executione dictus Comes Joannes Aloyſius de Fliſco interiit, ad noſtrum Imperialem Fiſcum devoluta, præcedente juſta declaratione, & privatione donaverit, reſervatis tamen aliquot Caſtris, locis, terris ac juribus, in eadem donatione nominatis, ea etiam addita lege, quod ipſe Illuſtris Princeps Andreas ab Auria eadem Caſtra, loca, terras, Feuda, bona & jura ei donata ab ejus Dilectione & Majeſtate, ac ejusdem Succeſſoribus Rom. Imperatoribus & Regibus, & S. R. Imperio in feudum recognoſcere, fidelitatis juramentum præſtare, & alia omnia facere deberet & teneretur, ad quæ Noſter & S. R. Imperii Vaſallus de jure vel ex conſvetudine tenetur, & aliis inſuper conditionibus appoſitis, quæ in literis declarationis, privationis, donationis & conceſſionis ejusdem divi Fratris noſtri Caroli V. deſuper expeditis latius continentur. Quam quidem declarationem, privationem & donationem Nos non ſolum clementer confirmavimus, ratificavimus & approbavimus, verum etiam ad bona & jura Scipionis Comitis de Fliſco, Fratris dicti quondam Aloyſii extendimus, quandoquidem & ipſe ob conjurationem poſtea factam cum Julio Cibo, Marchione Maſſæ contra eandem noſtram Cameram & Civitatem Imperialem Genuæ, ac Claſſem Cæſaream, ipſumque Illuſtr. Andream ab Auria, ejusdem Claſſis generalem Præfectum, declaratus fuit rebellis, & læſæ Majeſtatis reus, ac omnibus Feudis, gratiis, privilegiis, quæ a S. R. Imperio habebat, privatus, ſicuti ex ſententia deſuper per Nob. noſtrum, & S. Imp. fidelem dilectum Gometium Svarez de Figueroa, tanquam Cæſareum delegatum, lata, clare conſtat, ita ut ipſum quoque Comitem Scipionem & Deſcendentes ejus velimus in perpetuum excludi à præfatis feudis, gratiis & privilegiis, juribusque, ſi quæ habuiſſet, vel adhuc habere prætenderet in dictis Caſtris, Locis, Terris, bonis & Juribus dicto Illuſtr. Andreæ ab Auria donatis, cumque propterea ipſe Illuſtr. Princeps Andreas ab Auria jam de plerisque his Caſtris, Locis, Terris, bonis & juribus haud ita pridem à Nobis inveſtitus fuerit, ac vigore hujusmodi donationis & conceſſionis ſibi à prælibato divo Fratre noſtro Carolo V. factæ, juſſu & mandato Dilectionis ac Majeſtatis Suæ miſſus etiam ſit in realem poſſeſſionem horum quoque infraſcriptorum Caſtrorum, Locorum & Feudorum, videlicet Caſtri ſeu Palatii Gremiaſchi, ac jurium & pertinentiarum ejus, item unius Domus muratæ, cupatæ & ſolariatæ, cum horto & aliis ſuis Juribus poſitis in loco Bagnariæ, cui cohæret ab uno latere via publica, & ab alio Terragium communis dicti Loci, & ab alio Jura Eccleſiæ Sancti Bartholomæi, & ab alio Luchinus de Preuinde, ac Jurisdictionis dicti Loci Bagnariæ pro parte ad Cameram noſtram Imperia-

lem ſpectante, item loci Fabricæ, cum Juribus, Jurisdictionibus & pertinentiis ejus pro parte ad Cameram noſtram Cæſaream itidem ſpectante, & poſtremo Terræ Vartii cum Juribus & Jurisdictionibus ac pertinentiis ejus, ſicuti idem Princeps Andreas ab Auria hoc nobis ſufficienter conſtare fecit, & Nobis ob id humiliter ſupplicaverit, ut eum etiam de his jam nominatis Caſtris, Terris, Locis, cum omnibus & ſingulis eorundem Caſtrorum, Terrarum & Locorum hominibus, Locis, Territoriis, Juribus & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, Datiis, emolumentis, aquarum decurſibus, nemoribus, paſcuis, venationibus, regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum dicti Joannes Aloyſius, Hieronymus, & Fatres de Fliſco, tempore commiſſi delicti, eorumque Prædeceſſores, ea omnia tenuerunt, & poſſederunt, inveſtire, atque Regalia hujusmodi Caſtrorum & Terrarum, authoritate noſtra Cæſarea, benigne in Feudum concedere dignaremur. Nos ſane cupientes pro ſolito instituto noſtro benemerentibus Viris gratia & liberalitate noſtra reſpondere, ut dignis virtutum & obſequiorum ſuorum præmiis invitati alacrius & ferventius Nobis, & Sacro Imperio eſſe poſſint, & debeant fideles, motu proprio, animo deliberato, ex certa noſtra Scientia, ſano & maturo procerum noſtrorum, & Imperio Sacro fidelium accedente conſilio, ac Cæſarea authoritate noſtra, & de plenitudine poteſtatis, & alias omni meliori modo, via, Jure & forma, quibus validius & efficacius fieri poteſt ac debet, eundem Illuſtr. Principem Andream ab Auria de prædictis Caſtris & Locis, cum omnibus & ſingulis, eorundem Caſtrorum & Locorum hominibus, locis, Territoriis, juribus & Pertinentiis, redditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decurſibus, nemoribus, paſcuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum dicti Comites de Fliſco, eorumque Progenitores olim ea omnia tenuerunt & poſſederunt, inveſtivimus, & in Feudum conceſſimus, ac tenore præſentium inveſtimus, & in feudum nobile & antiquum, avitum & paternum concedimus quicquid in his de æquitate, & gratia dare & concedere poſſumus & debemus, ita quod ipſe Illuſtr. Princeps Andreas ab Auria prædicta Caſtra, Terras, Loca & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, territoriis, jurisdictionibus, & pertinentiis, aliiſque præmiſſis, perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum, & paternum, à Nobis & Sacro Romano Imperio tenere & poſſidere, ac de illis libere in beneficium Filiorum præfati quondam Joannettini ab Auria tam inter vivos, quam in ultima voluntate, diſponere poſſit ac valeat, hoc tamen ſervato ordine, quod poſt mortem ipſius Illuſtr. Andreæ ab Auria juxta diſpoſitionem per eum factam memorata Caſtra, Loca, Terræ & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, territoriis, Jurisdictionibus, Juribus & pertinentiis, aliiſque præmiſſis, & cum ſuo onere tam Feudi, quam Hypothecæ, ſecundum formam dictæ Cæſareæ donationis transeant ad Illuſtr. noſtrum, & Sac. Imp. Fidelem dilectum Paganum ab Auria antedicti quondam Joannettini filium legitimum, & naturalem, & poſt mortem ipſius Pagani ad ejus filium primogenitum maſculum legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum, & ſic ordine ſucceſſivo de Primogenito in Primogenitum maſculum, legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum uſque in infinitum. Et caſu quo Paganus ſine Filiis maſculis legitimis & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis decederet, quod tunc dicta Caſtra, Terræ, Loca & Feuda, cum memoratis eorum Regalibus, præeminentiis, territoriis, jurisdictionibus juribus & pertinentiis aliiſque præmiſſis, & cum dicto ſuo onere tam feudi, quam hypothecæ, transferantur & perveniant ad Joannem Andream Fratrem dicti Pagani, ſive ad ipſius Joannis Andreæ Filios legitimos & naturales, & de legitimo matrimonio natos, dicto ordine Primogenituræ ſervato, Præterea transferimus, damus & concedimus authoritate & Scientia prædictis ipſi Illuſtr. Andreæ ab Auria omnia & ſingula Regalia ſæpedictorum Caſtrorum, Terrarum, & Locorum, nec non Privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, dignitates, præeminentias, jurisdictiones, facultates, & Decreta dictis Comitibus de Fliſco, eorumque Majoribus per divos Romanorum Imperatores, ac Reges Prædeceſſores noſtros Auguſtæ memoriæ data, conceſſa, & indulta, & ſpecialiter illa videl. quod ab omnibus & ſingulis oneribus, quocunque nomine cenſeantur, impoſitis, aut imponendis, realibus & perſonalibus, franchus, immunis ac liber ſit, ſalvo tamen, & reſervato, quod tam ipſe, quam homines dictorum Caſtrorum, Terrarum & diſtrictuum, ubi ad hoc requiſiti fuerint, teneantur guerram vivam facere noſtris & Imperii rebellibus, ac aliis, quibus nos, & noſtri Succeſſores Imperatores, ac Reges Romanorum bellum indixerimus, vel ab ipſis indictum habuerimus, nec non homines noſtros omni tempore intromittere & receptare ad faciendum dictis noſtris & Imperii rebellibus & hoſtibus, ut ſupra guerram vivam, & ad exercitus, & expeditiones noſtras, quando requiſiti fuerint, teneantur venire, & omnia ſervitia Nobis & Imperio ex Jure veteri & novo atque conſvetudine Italiæ debita & conſveta præſtare, quodque idem Illuſtr. Princeps pro quibuscunque civilibus cauſis ſolum coram Nobis, aut Succeſſoribus noſtris conveniri, neque ad aliud Tribunal ſeu Forum invitus ullo modo trahi poſſit; Quodque ipſe, & poſt mortem ejus dictus Paganus, aut qui juxta ſupraſcriptam ordinationem & diſpoſitionem utrilibet in prænarratis Caſtris, Terris & Locis ſucceſſerit, monetam nedum argenteam, ſed & auream atque æream cudere, ſeu cudi facere valeat, ſitque ipſe Illuſtr. Princeps Andreas ab Auria, & jam dicti Succeſſores ejus Sacri Lateranenſis Palatii noſtri Comites cum omnibus & ſingulis Privilegiis, honoribus & immunitatibus, quibus cæteri Comites noſtri Palatini quomodolibet gaudent, & fruuntur, ac Notarios, Milites, & Doctores creare, naturales Baſtardos, & ſpurios legitimare poſſint & valeant, quem etiam Illuſtr. Principem, ejusque in dictis Caſtris, Locis, Terris, bonis & juribus donatis Succeſſores omnes & ſingulos, una cum eisdem Caſtris, Locis, Terris & bonis ac Juribus, ante-

antedictis, in nostram & Sacri Romani Imperii protectionem & salvaguardiam recipimus; Decernentes, & hoc Cæsareo nostro statuentes edicto, quod ipse Illustr. Princeps ab Auria, hæredesque & Successores sui, & ab illis descendentes Marchiones Turriliæ præmissis & omnibus privilegiis, prærogativis, gratiis, honoribus & juribus, ubicumque per Sacr. Rom. Imperium tam in Germania, quam in Italia gaudere, ac libere uti & frui possint & valeant, quibus dicti Comites de Flisco eorumque progenitores usi & gavisi sunt, & alii, sub nostra, & Sac. Rom. Imperii protectione & salvaguardia constituti gaudent & fruuntur de Jure vel de consvetudine, omni impedimento & contradictione cessante, salvo semper Nobis & Successoribus nostris, ac Romano Imperio Jure directi Dominii & omnibus juribus, & honoribus, quæ in Feudis Domino Superiori reservari debent & consueverunt, & aliorum, quos prædictæ utriusque rebellionis, & læsæ Majestatis delicta, ac Cæsareæ sententiæ desuper latæ non complectuntur, Jure salvo, atque hac semper lege, quod ipsius Principis hæredes, qui ex sua suprascripta dispositione, & forma hujus nostræ investituræ in prædictis Terris, Locis, Castris & feudis successuri sunt semper, cum vacaverit, aut Casus postulaverit, illa à nobis & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus vel Regibus recognoscant, & eorum, prout moris, investituram accipiant, & debitum homagii & fidelitatis juramentum præstent, quemadmodum in præmissorum omnium per nos concessorum recognitionem noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Alexander Castagninus, præfati Illustris Principis à Melfi, & Marchionis Turriliæ Andreæ ab Auria Procurator legitimus, nomine & in animum ipsius, pleno ad id mandato instructus, solitum ac debitum homagii ac fidelitatis cum humilima reverentia præstitit Juramentum, quod videl. nunc in antea nobis, nostrisque Successoribus Rom. Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, ac Sacro Rom. Imperio velit & debeat esse fidelis, nostrumque & Sac. Imp. damnum avertere, bonum, honorem & utilitatem pro omni possibilitate promovere & procurare, quodque nunquam erit in consilio, in quo de periculo & damno nostro tractetur, & si quid tractari senserit, nobis propalabit, ac omnia alia & singula faciat, quæ nostri & Sacri Imperii fideles Vasalli de jure vel consuetudine facere debent & tenentur, dolo & fraude semotis. Proinde mandamus universis & singulis dictorum Castrorum, Terrarum & Locorum Vasallis, Officialibus & Subditis, ut præfatum Illustr. Andream ab Auria Principem à Melphi, & Marchionem Turriliæ, ejusque hæredes & Successores supradictos in eorum utiles Dominos agnoscant, recipiant & admittant, atque in omnibus & singulis tam judicialibus, quam extrajudicialibus, reverenter illis pareant, ac debitam reverentiam, fidelitatem & obedientiam, aliaque omnia præstent, quæ dictis Comitibus de Flisco facere & præstare consueverunt, & ad quæ fideles Vasalli & Subditi eorum Domino utili de jure vel consvetudine tenentur, non obstante vinculo subjectionis, quo dictis Comitibus de Flisco adhuc superstitibus obnoxii esse dici possunt. Nos enim eos omnes & singulos tam conjunctim, quam separatim ab hujusmodi vinculo subjectionis & fidelitatis absolvimus & liberamus, & absolutos ac liberatos esse decernimus & declaramus scientia & authoritate prædictis. Mandantes insuper universis & singulis Principibus tam ecclesiasticis, quam secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Magistratibus, Officialibus quibuscunque, & cæteris nostris & Sacri Imperii Vasallis, Subditis & fidelibus, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ut præfatum illustrem Principem in hac nostra Infeudatione, concessione & gratia non impediant, neque perturbent, sed potius tueantur, manuteneant & defendant, & contrarium non faciant, nec fieri procurent aut permittant quovis modo, in quantum nostram, & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam quinquaginta marcharum auri puri, pro una dimidia Fisco nostro Cæsareo, & pro altera dimidia injuriam passi usibus irremissibiliter applicandarum, toties quoties contraventum fuerit, incurrere formidant. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna, die vigesima nona Mensis Novembris, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani vigesimo novo, aliorum vero Trigesimo tertio.

Signat. FERDINANDUS.

Vice ac nomine Reverendissimi Dn. Archi-Cancellarii Moguntini vidit Seld.

Ad mandatum S. Cæs. Majestatis proprium M. Sing. Lymoser.

IV.

Maximiliani II. Romanor. Imperatoris Diploma, in quo Joannem Andream ab Auria, Principem Melphi, non solum Marchionis Turriliæ titulo atque dignitate condecoravit, verum etiam bona, quæ olim a Familia Fliscana à S. R. Imperio in feudum tenebantur, in Marchionatum evexit, atque eundem Principem ac Marchionem variis Privilegiis donavit, d. d. 8. Jul. An. 1575. Cui ejusdem Diplomatis a Rudolpho II. Rom. Imperatore die 27. Maj. An. 1578. publicata confirmatio adjecta est.

RUDOLPHUS Secundus, divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, &c. Dux

Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckhæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio S. R. Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus pro nobis & nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, notum facientes tenore præsentium universis, quod cum Illustris noster & Imp. Sacri fidelis dilectus Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, ac Marchio Turriliæ, nobis exhibendum curaverit, opera & medio legitimi Procuratoris sui spectabilis, docti nostri & Imperii Sacri fidelis dilecti Georgii de Georgiis, Juris utriusque Doctoris, Diploma quoddam Imperiale à Serenissimo & potentissimo quondam Principe, Domino Maximiliano Secundo, electo Romanorum Imperatore, augustæ memoriæ, Domino ac Genitore nostro observandissimo, emanatum, in quo Majestas Sua Cæsarea non modo ipsum Joannem Andream ab Auria de certis quibusdam Castris, Terris & Locis, eorumque Juribus & pertinentiis, in ipso Diplomate expressis investivit, verum etiam approbata quartæ partis Casanovæ acquisitione, eandem omniaque illa loca jam dicta Marchionatui Turriliæ univit, concessis insuper aliis nonnullis Privilegiis in eodem Diplomate comprehensis. Cujus quidem tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

MAXIMILIANUS SECUNDUS, divina favente clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckhæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus pro Nobis & nostris in Imperio Successoribus Romanorum Imperatoribus ac Regibus, notum facientes tenore præsentium universis; Quod cum Divus olim Imperator Carolus V., patruus ac socer noster charissimus, felicissimæ memoriæ, superioribus annis Illustri quondam Andreæ ab Auria, Principi Melphi, & Marchioni Turriliæ omnia & singula castra, loca, terras, feuda, bona & jura, quæ quondam Comes Joannes Aloysius, nec non Hieronymus, & alii Fratres de Flisco tenebant & possidebant, sive ex successione quondam Comitis Sinibaldi de Flisco, eorum Patris, ac Hieronymi, ipsorum patrui, ad eos devoluta, sive alias quoquomodo acquisita, & ob eorum notoriam infidelitatem, proditionem, rebellionem, & læsæ Majestatis crimen, in eundem divum Patruum, & Socerum nostrum Carolum V. Imperatorem, & Sacrum Romanum Imperium, propter occisum proditorie quondam Joannetinum ab Auria, Classis Cæsareæ Præfectum, & invasam per eos ipsam Classem, nec non Cameram & Civitatem nostram Imperialem Genuam (in cujus criminis executione dictus Comes Joannes Aloysius interiit) ad Fiscum nostrum Imperialem devoluta, præcedente justa declaratione & privatione, donaverit, reservatis tamen aliquot Castris, Locis, terris, & Juribus, in eadem donatione nominatis. Ea etiam addita Lege, quod ipse Illustris Princeps Andreas ab Auria eadem Castra, loca, terras, Feuda, bona & jura, ei sic donata à Dilectione & Majestate sua, ac ejusdum Successoribus, Romanorum Imperatoribus & Regibus, ac Sacro Romano Imperio in Feudum recognoscere, fidelitatis Juramentum præstare, & alia omnia facere deberet, & teneretur, ad quæ noster & Sacri Imperii Vasallus de jure vel consvetudine tenetur. Et aliis insuper conditionibus appositis: prout tunc etiam ipse Illustris Princeps Andreas ab Auria, ab eodem divo Patruo & Socero nostro Carolo V. de iisdem Castris, Locis, Terris, bonis, & Juribus, omnibusque & singulis eorum pertinentiis, & sub onere in donatione expresso investitus fuit. Ita quod ipse Illustr. Princeps Andreas ab Auria prædicta Castra, Terras, loca & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus & pertinentiis, & aliis in Donationis, & subsecutæ Investituræ Literis expressis, perpetuò in Feudum nobile, antiquum, avitum & paternum, à Sacro Romano Imperio tenere & possidere, ac de illis libere in beneficium filiorum prædicti quondam Joannettini ab Auria, tam inter vivos, quam in ultima voluntate disponere possit & valeat. Hoc tamen servato ordine, quod post mortem ipsius Illustris Andreæ ab Auria, juxta dispositionem per eum factam, memorata Castra, Loca, terræ & feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, Juribus, pertinentiis, & aliis, & cum suo onere tam feudi, quam hypotecæ, secundum formam dictæ Cæsareæ donationis, transireut ad Illustrem Paganum ab Auria, antedicti quondam Joannettini filium legitimum & naturalem, & post mortem ipsius Pagani, ad ejus filium primogenitum masculum legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum, & sic ordine successivo de primogenito in primogenitum masculum, legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum, usque in infinitum. Et casu quo Paganus sine filiis masculis legitimis, & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis decederet, quod tunc dicta Castra, Terræ, Loca & Feuda, cum memoratis eorum Regalibus, Præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, Juribus, pertinentiis, & aliis in Donationis, & Investituræ Litteris expressis, & cum dicto suo onere, tam Feudi, quam hypothecæ, transferentur & pervenirent ad Illust. Joannem Andream Fratrem dicti Pagani, sive ad ipsius Joannis Andreæ Filios legitimos & naturales & de legitimo matrimonio natos dicto Ordine Primogenituræ servato; Prout hæc omnia in Literis declarationis, privationis, donationis, concessionis, & Investituræ ejusdem divi Caroli V. latius continentur, quam quidem declarationem, privationem, & donationem divus quondam Imperator Ferdinandus Dominus Genitor noster colendissimus Augustæ memoriæ

non solum confirmaverit, ratificaverit, & approbaverit; verum etiam ad bona & jura nobilis nostri, & Imperii Sacri fidelis dilecti Scipionis Comitis de Flisco fratris dicti quondam Aloysii extenderit. Quandoquidem & ipse ob conjurationem postea factam cum Julio Cybo Marchione Massæ contra eamdem nostram Cameram, & Civitatem Imperialem Genuam, ac Classem Cæsaream, ipsumque Illustrem Andream ab Auria ejusdem Classis Generalem Præfectum declaratus fuerit Rebellis, & læsæ Majestatis reus, ac omnibus Feudis, gratiis, & privilegiis, quæ à S. R. Imp. habebat, privatus, sicuti ex sententia per Cæsareum Delegatum Gomezium Suerez de Figueroa, laṭa clare constat Ita ut ipsum quoque Comitem Scipionem, & Descendentes ejus voluerit in perpetuum excludi a prædictis Feudis, gratiis & Privilegiis, Juribusque, si quæ habuisset, vel adhuc habere prætenderet in dictis Castris, Locis, Terris, bonis & Juribus præfati Andreæ ab Auria donatis. Ac proinde eundem Illustrem Andream ab Auria, Principem Melphi, non modo de omnibus & singulis hujusmodi Castris, Locis, Terris, bonis & Juribus investiverit, verum etiam Castris & Locis Turriliæ & Carreghæ, cum omnibus eorum Curiis, Territoriis, Districtibus, Juribus, Jurisdictionibus & Pertinentiis, in unum integrum & indivisibile corpus reductis, eadem in verum Marchionatum, ac titulum & dignitatem veri Marchionatus erexerit, ac Marchionatum Turriliæ nuncupari voluerit, ipsumque Illustrem Principem Andream ab Auria, ejusque in dictis Locis Successores, Marchiones Turriliæ, fecerit, creaverit & nominaverit, prout tam in ejusdem divi Imperatoris Ferdinandi Investituris, quam memorata Marchionatus erectione plenius continetur. Postmodum vero sequutum sit, ut memoratus Comes Scipio de Flisco rem coram Nobis in Judicium deduxerit, ubi causa aliquandiu ventilata, habitaque tandem super iis, quæ à Partibus hinc inde allegata, productaque fuerunt, matura deliberatione prædictum Illustrem Paganum ab Auria per sententiam nostram definitivam die secunda mensis Augusti anno septuagesimo quarto proxime præterito latam ab instituta contra eum ratione dictorum Castrorum, Locorum, Terrarum, Bonorum & Jurium actione absolvimus. Ac denique non multis post diebus idem Paganus ab Auria in Fortallitii Tunetani, contra vim Turcicam per aliquot dies fortiter defensi expugnatione occubuerit, ac sine liberis decesserit, sicque vigore memoratæ donationis hujusmodi feuda ad prænominatum Illustrem Joannem Andream ab Auria devoluta sint, ac proinde à nobis idem Illustris Joannes Andreas cupiens memoratis conditionibus satisfacere humiliter supplicaverit, ut ipsum de prædictis Castris, Locis, Terris, Bonis & Juribus, ut supra donatis, signanter vero de memoratis Castris & Locis Turriliæ & Carreghæ, item de Castris & Terris Montis Tavani, Calessis, Veppi, Cremontis, Grundunæ, Crucis, Vallis Trebbiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, Cariseti & Lodani, item de mero & mixto imperio & Jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Appaxedis, Vivolono, cum omnibus & singulis eorundem Castrorum & Terrarum hominibus, locis, Curiis, Territoriis, Districtibus, Juribus & Pertinentiis, Redditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto imperio, quemadmodum dicti Joannes Aloysius, Hieronymus & Fratres de Flisco, tempore commissi delicti, eorumque Prædecessores, ac deinceps memorati quondam Andreas & Paganus ab Auria ea omnia tenuerunt & possederunt, investire, atque Regalia hujusmodi Castrorum & Terrarum authoritate nostra Cæsarea benigne concedere, ac memorata loca omnia & singula dicto Marchionatui unire, ita, ut in futurum sint & esse debeant in eodem comprehensa & incorporata, neque ab illo separari vel alienari queant, atque insuper cum à Nobilibus nostris & Imperii Sacri fidelibus dilectis Marchionibus Malaspinis quartam partem Casanonæ acquisiverit, hujusmodi acquisitionem benigne approbare, ac partem illam acquisitam dicto Marchionatui, eodem modo, quo de aliis suprascriptis Feudis dictum est, unire dignaremur. Nos sane perpendentes grata fidelia atque utilia obsequia à prædicto Illustri Joanne Andrea ab Auria nobis, ac Sacro Romano Imperio, totique Reipublicæ Christianæ sæpe hactenus, posthabitis quibuscunque vitæ periculis, strenue fortiterque præstitis, quæque etiamnum indies non sine magna heroicæ virtutis à Majoribus suis per manus sibi traditæ commendatione præstat, ac imposterum non minori cura atque studio præstiturum esse plane confidimus. Ac proinde desiderantes pro solito instituto nostro benemerentibus Viris gratia & liberalitate nostra respondere, ut dignis virtutum & obsequiorum suorum præmiis invitati, alacrius & ferventius nobis & Sacro Imperio fideles esse possint & debeant, motu proprio, animo deliberato, ex certa nostra Scientia, sano & maturo Procerum nostrorum & Imperii Sacri Fidelium accedente consilio, authoritate nostra Cæsarea, & de plenitudine potestatis, ac alias omni meliori modo, via, jure & forma, quibus validius & efficacius fieri potest ac debet, eundem Illustrem Joannem Andream ab Auria, Marchionem Turriliæ, de prædictis Castris & Terris, cum omnibus & singulis eorumdem hominibus, Locis, Curiis, Territoriis, Districtibus, Juribus & Pertinentiis, Reditibus, Prærogativis, homagiis, Pedagiis, Datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto imperio, quemadmodum olim dicti Comites de Flisco, eorumque Progenitores, ac deinceps memorati quondam Andreas & Paganus ab Auria ea omnia tenuerunt & possederunt, & cum dicto suo onere tam feudi, quam hypothecæ, investivimus, & in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, & in feudum nobile & antiquum, avitum & paternum concedimut, ac memorata loca omnia & singula, nec non quartam partem Casanovæ, cujus acquisitionem una cum Instrumento vel Instrumentis desuper editis, ac omnibus in iisdem contentis, quæ pro expressis haberi volumus, eadem Cæ-

 sarea

ſarea authoritate noſtrâ approbamus, & ratificamus; dicto Marchionatui Turriliæ unimus, quidquid in his de æquitate & gratia dare, concedere & unire poſſumus & debemus; Ita quod ipſe Illuſtris Joannes Andreas ab Auria prædicta Caſtra, Terras, Loca, & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, Præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, Pertinentiis, & aliis, nec non cum dicto ſuo onere tam Feudi, quam Hypothecæ, perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum, & paternum à nobis, & Sacro Romano Imperio tenere & poſſidere poſſit, & valeat, illaque omnia & ſingula in futurum ſint, & eſſe debeant in eodem Marchionatui Turriliæ comprehenſa, & incorporata, neque ab illo alienari vel ſeparari queant. Reſervantes nihilominus prædicto Illuſtri Joanni Andreæ ab Auria liberam facultatem ſupradicta Loca Calicis, Veppi, & Lodani tanquam à dicto Marchionatu disjuncta, & ſeparata, quandocumque ei libuerit vendendi in totum, ſeu pro parte, & præſertim agros, quos habet in LocosLodani, etiamſi feudales forent, tamquam eſſent allodia. Ita tamen, quod illorum pretium convertatur in emptionem Locorum dicto Marchionatui Turrilliæ adjacentium. Declaramus inſuper, ac ſtatuimus, quod juxta ſupra memoratam donationem & Inveſtituram Cæſaream, ac Diſpoſitionem per quondam Andream ab Auria factam, poſt ipſius Illuſtris Joannis Andreæ ab Auria mortem eadem Caſtra, Terræ, Loca & Feuda una cum omnibus, eorum Regalibus, Præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus, & Pertinentiis, alliſque præmiſſis, & cum dicto ſuo onere tam feudi, quam hypothecæ, ſecundum formam memoratæ Cæſareæ Donationis tranſigere debeant ad ejus Filium Primogenitum maſculum legitimum & naturalem, & de legitimo matrimonio natum, usque in infinitum, ſalva tamen, ac reſervata ipſi Illuſtri Joanni Andreæ ab Auria libera facultate diſponendi de acquiſitis & acquirendis in ſecundo genitos, aut aliter, quam facultatem eidem concedimus, atque inſuper ipſius Primogenitum habilem & idoneum facimus, quod, cum primum pubertatem excelſerit, poſſit cum conſenſu duorum proximiorum agnatorum, ſeu ſanguine conjunctorum, Juribus vigore hujusmodi Primogenituræ ſibi in dicto Marchionatu competentibus uni ex fratribus ſuis, quem ipſe Pater maluerit, renunciare; deficiente autem eorum Linea Maſculina, volumus eadem Caſtra, Terras, Loca & Feuda cum ſuis Regalibus, Præeminentiis, Territoriis, Jurisdictionibus & Pertinentiis, aliisque præmiſſis, & cum dicto ſuo onere tam feudi, quam hypothecæ, tranſire ad fœminas unam aut plures, & earum maſculos deſcendentes ſecundum formam ab ipſo Joanne Andrea ab Auria conſtituendam. Præterea damus & concedimus dicta authoritate Cæſarea, & poteſtatis noſtræ plenitudine eidem Joanni Andreæ ab Auria facultatem in memoratis locis, aut aliquo eorum pro arbitrio ſuo (ſalvo tamen Jure Tertii, & citra alterius æmulationem) Fortalitium ſive Arcem conſtruendi, & muniendi, nec non Caſtra antiqua diruendi. Item ſuper fructibus dicti Marchionatus, quotiescunque ſibi viſum fuerit, conſtituendi annuos cenſus perpetuos, cum pacto tamen redimendi perpetuo pro illis quantitatibus, quibus melius ei viſum fuerit & placuerit; Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuscunque, noſtris tamen, & Sacri Imperii, & aliorum quorumcumque, extra tamen Deſcendentes ab ipſo Joanne Andrea ab Auria, Juribus ſemper ſalvis. Cumque ſupra memorati quondam Comites de Fliſco, Poſſeſſores dictorum Feudorum, vigore Privilegiorum ſuorum fuerint Vicarii Imperiales in Italia, eademque, nec non alia quæcunque ipſorum Comitum de Fliſco Privilegia in ſæpeſatum quondam Illuſtrem Andream ab Auria, & Succeſſores tranſlata fuerint; Nos hujusmodi tam Vicariatus, quam aliorum quorumcumque Privilegiorum tranſlationem authoritate Cæſarea confirmantes, ita ut prædictus Joannes Andreas ab Auria, & Filius ſuus primogenitus, nec non ab eodem deſcendentes primogeniti, vel is ex fratribus, qui per renunciationem primogeniti Marchionatum illum Turriliæ tenuerit & poſſederit, iisdem Privilegiis omnibus & ſingulis, ac tam monetæ cudendæ, quam aliis, eodem modo, quo dicti Comites de Fliſco, ac deinceps prædictus Andreas ab Auria, illis uſi & gaviſi ſunt, vel uti & gaudere potuerunt, uti, frui & gaudere poſſint & debeant, ſæpe nominatum Joannem Andream ab Auria, & Deſcendentes ſuos antedictos in Vicarios Imperiales in eodem Marchionatu, nec non omnibus illius Locis, Caſtris, Terris, Feudis, & Jurisdictionibus, acquiſitis & acquirendis, conſtituimus, creamus & eligimus, cum omnibus Privilegiis, Juriſdictionibus, honorantiis, dignitatibus, gratiis, Indultis, Præeminentiis, Franchiſiis, Immunitatibus, Libertatibus, & aliis quibuscunque prærogativis & emolumentis, cæteris noſtris Vicariis Imperialibus quomodolibet ſpectantibus, conſuetudine vel de Jure. Denique, ut ſupradictus Joannes Andreas ab Auria, ac ejusdem in dicto Marchionatu Succeſſores ſupraſcriptis conceſſionibus, Privilegiis & Indultis liberius uti poſſint, eosdem, una cum omnibus hujusmodi Marchionatus Caſtris, Terris & Locis, eorumque pertinentiis, quæ quidem omnia à Nobis & Sacro Imperio immediate recognoſci debere decernimus, & aliis quibuscunque bonis à Nobis & Sacro Imperio in Feudum dependentibus, acquiſitis & acquirendis, nec non ipſorum hominibus, Colonis & Subditis, in noſtram ac Sacri Imperii clientelam, protectionem & Salvaguardiam, in qua & ante hac dictus Marchionatus fuit, ac etiamnum eſt, denuo ſuſcepimus & aſſumpſimus, ſuſcipimus & aſſumimus harum vigore Litterarum, volentes ac decernentes, quod idem Joannes Andreas ab Auria & Succeſſores ejus Marchiones Turriliæ ſint, cenſeantur, & eſſe debeant, una cum memoratis ſuis Caſtris, Terris & Locis, eorumque pertinentiis, à Nobis, & Sacro Imperio in Feudum dependentibus, ac aliis quibuscumque bonis acquiſitis & acquirendis, nec non *ipſorum hominibus*, Miniſtris, Colonis & Subditis *ſub hac ſpeciali* protectione, tuitione, & *Salvagardia noſtra*, & Imperialis Aquilæ noſtræ perpetuo ſalvi, protecti & ſecuri ab omni gravamine, *oppreſſione*, & onere hoſpitandorum militum & *Stipendiariorum*, poſſintque & valeant deinceps uti, frui, potiri, &

gaudere

gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis & prærogativis, quibus alii, qui in hujusmodi nostra, & Sacri Imperii Salvaguardia ac protectione constituti sunt, de Jure, vel consvetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent citra cujuscunque impedimentum aut contradictionem; neque etiam vel ipsi, vel dicti eorum homines Coloni & Subditi occasione prænominatorum Castrorum, Terrarum, Locorum, Feudorum & Pertinentiarum à quocumque hominum coram alio Judice, quam coram nobis, & Successoribus nostris, aut iis, quibus hujusmodi controversias & differentias, si quas aliquando inter ipsos, & eorum homines, Colonos & Subditos ex una, ac alias quaslibet personas ex altera parte active, vel passive oriri contigerit, nomine nostro cognoscendas, atque determinandas delegaverimus & commiserimus in Judicio conveniri, sicque inviti ad aliud Tribunal, quam ad Imperiale Culmen trahi possint, eodem modo, quo supradicti Comites de Flisco, ac eorum Majores hujusmodo Privilegio ac exemptione Fori usi & gavisi sunt. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiamsi talia essent, de quibus mentionem specialem fieri oportet. Nos enim iis omnibus & singulis derogamus & derogatum esse volumus per præsentes. Decernentes etiam omnia attentata & attentanda irrita esse, & fore, nulliusque roboris & momenti. Atque ea omnia hac semper lege, quod ipsius Illustris Joannis Andreæ ab Auria hæredes, qui vigore hujus Investituræ nostræ successuri sunt, quotiescumque hujusmodi Marchionatus Feuda vacaverint, vel alias casus postulavit, illa à nobis, & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus vel Regibus recognoscant, & eorum, prout moris est, investituram accipiant, debitumque homagii & fidelitatis Juramentum præstent. Quemadmodum in præmissorum omnium per nos concessorum recognitionem honorabilis Doctus noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Petrus Baptista Maressanus Juris utriusque Doctor, prædicti Illustris Joannis Andreæ ab Auria Procurator legitimus, nomine & in animam ipsius, pleno ad id mandato instructus, præstitit. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existat, ac quacunque fulgeat præeminentia & dignitate, liceat hanc nostræ Investituræ, Concessionis, Unionis, Incorporationis, approbationis, ratificationis, declarationis, confirmationis, Creationis, Salvagvardiæ, exemptionis, assumptionis, voluntatis, Decreti & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; Si quis autem id attentare præsumpserit, præter nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, pœnam sexaginta marcarum auri puri, pro dimidia Imperiali Fisco, seu Ærario nostro, reliqua vero parte injuriam passi seu passorum usibus irremissibiliter applicandam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio Literarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die octava mensis Julii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani decimo tertio, Hungarici duodecimo, Bohemici vero vigesimo septimo.

Et præterea idem Illustris Joannes Andreas ab Auria nobis per supranominatum suum Procuratorem humiliter supplicaverit, ut ipsum, mediante persona ejusdem Procuratoris sui, de prædictis Castris, Terris & Locis, Juribus & Pertinentiis, signanter vero de memoratis Castris & Locis Turriliæ & Carreghæ, item Castris & Terris Montis Tanam, Calessis, Veppi, Cremontis, Grundunæ, Crucis, Vallis Trebiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, Chariseti & Lodani, item de mero & mixto Imperio & Jurisdictione plenaria, Castrorum & Terrarum Marsolariæ, Arpaxedis, Vivolono, cum omnibus & singulis eorundem Castrorum & Terrarum hominibus, Locis, Curiis, Territoriis, Districtibus, juribus & pertinentiis, redditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio: Quemadmodum quondam Joannes Aloysius, Hieronymus & Fratres de Flisco, eorumque Prædecessores, ac deinceps quondam Andreas & Paganus ab Auria ea omnia tenuerunt & possederunt, ipseque Joannes Andreas ab Auria illa tenet & possidet, una cum quarta parte Casanovæ, investire, atque Regalia hujusmodi Castrorum & Terrarum authoritate nostra Cæsarea benigne concedere, ac non modo Unionem dicto Marchionatui Turriliæ de iisdem Locis omnibus & singulis factam, verum etiam, cum à Nobilibus nostris & Imperii Sacri fidelibus dilectis Sinibaldo, Jacobo & Presbytero Ludovico, Marchionibus Malaspinis, reliquas tres quartas Casanovæ acquisiverit, hujusmodi acquisitionem benigne approbare, ac partes illas acquisitas dicto Marchionatui eodem modo, quo de supra scriptis aliis feudis, & acquisita primum quarta Casanovæ parte dictum est, unire dignaremur. Nos sane perpendentes grata, fidelia atque utilia obsequia, à prædicto Illustri Joanne Andrea ab Auria, nobis ac Sacro Romano Imperio, totique Reipublicæ Christianæ sæpe hactenus, posthabitis quibuscunque vitæ periculis, strenue fortiterque præstitis, quæque etiam indies non sine magna heroicæ virtutis à Majoribus suis per manus sibi traditæ commendatione præstat, ac imposterum non minori cura atque studio præstiturum esse, plane confidimus:

dimus. Ac proinde desiderantes pro solito instituto nostro, benemerentibus Viris gratia & liberalitate nostra respondere, ut dignis virtutum & obsequiorum suorum præmiis invitati, alacrius & ferventius nobis & Sacro Imperio fideles esse possint & debeant. Motu proprio, animo deliberato, ex certa nostra scientia, sano & maturo procerum nostrorum, & Imperii Sacri fidelium accedente Consilio, authoritate nostra Cæsarea, & de plenitudine potestatis, ac alias omni meliori modo, via, jure & forma, quibus validius & efficacius fieri potest ac debet, eundem Illustrem Joannem Andream ab Auria, Principem Melphi, ac Marchionem Turriliæ, de prædictis Castris & Terris, cum omnibus & singulis eorumdem hominibus, locis, curiis, territoriis, districtibus, juribus & pertinentiis, redditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto Imperio, quemadmodum olim dicti Comites de Flisco, eorumque Progenitores, ac deinceps memorati quondam Andreas & Paganus ab Auria ea omnia tenuerunt & possederunt, ipseque Joannes Andreas ab Auria tenet & possidet, nec non quarta parte Casanovæ, ac cum dicto suo onere, tam feudi, quæ hypothecæ investivimus, & in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, & in feudum nobile & antiquum, avitum & paternum, concedimus, ac memorata Loca omnia & singula, nec non reliquas tres quartas Casanovæ, quarum acquisitionem, una cum Instrumentis desuper edictis, ac omnibus in iisdem contentis, quæ pro expressis haberi volumus, eadem Cæsarea authoritate nostra approbamus & ratificamus, dicto Marchionatui Turriliæ unimus, quidquid in his de æquitate & gratia dare, concedere, & unire possumus & debemus. Ita quod ipse Illustris Joannes Andreas ab Auria prædicta Castra, Terras, Loca & Feuda cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, territoriis, Jurisdictionibus, pertinentiis, & aliis, nec non cum dicto suo onere, tam feudi, quam hypothecæ, perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum, à Nobis, & Sacro Romano Imperio tenere & possidere possit & valeat, illaque omnia & singula in futurum sint, & esse debeant in eodem Marchionatu Turriliæ comprehensa & incorporata, neque ab illo alienari vel separari queant. Reservantes nihilominus prædicto Illustri Joanni Andreæ ab Auria liberam facultatem supradicta Loca Calicis, Veppi & Lodani tanquam à dicto Marchionatu disjuncta & separata, quandocunque ei libuerit, vendendi, in totum, seu pro parte, & præsertim agros, quos habet in loco Lodani, etiamsi feudales forent, tanquam essent allodia. Ita tamen quod illorum pretium convertatur in emptionem Locorum dicto Marchionatui adjacentium. Præterea cum prælibatus divus Genitor noster Imperator Maximilianus Secundus declaraverit ac statuerit, quod juxta donationem & Investituram Cæsaream, ac dispositionem per quondam Andream ab Auria factam, post ipsius Illustris Joannis Andreæ ab Auria mortem, eadem Castra, terræ, loca & feuda transire debeant ad ejus filium primogenitum masculum, legitimum & naturalem, eo modo, forma, reservatione & habilitatione, quibus in præinserto Diplomate continetur: Quodque insuper deficiente eorum linea masculina, eadem Castra, terræ, loca, & feuda transire debeant ad fœminas, unam aut plures, & earum descendendes masculos, secundum formam ab ipso Joanne Andrea de Auria constituendam: atque insuper facultatem concesserit in memoratis locis, aut aliquo eorum, pro arbitrio suo (salvo tamen Jure Tertii, & citra alterius æmulationem) fortalitium sive Arcem construendi & muniendi; nec non Castra antiqua diruendi; Item super fructibus dicti Marchionatus Turriliæ, quotiescunq; sibi visum fuerit, annuos census perpetuos constituendi, cum pacto tamen redimendi perpetuo pro illis quantitatibus, quibus melius ei visum fuerit & placuerit: ac denique Vicariatus Imperialis in Italia, nec non alia quæcumque supra memoratorum quondam Comitum de Flisco Privilegia utpote in Illustrem Andream ab Auria & Successores translata, confirmaverit: Itentidem Joannes Andreas ab Auria, & ejusdem descendentes, juxta prædictæ primogenituræ formam successuri iisdem Privilegiis omnibus & singulis, ac tam monetæ cudendæ, quam aliis eodem modo, quo dicti Comites de Flisco, ac deinceps prædicti Andreas & Paganus ab Auria illis usi & gavisi sunt, vel uti & gaudere potuerunt, uti, frui & gaudere possint & debeant: Ipsumque Joannem Andream ab Auria, & descendentes suos antedictos, in Vicarios Imperiales in eodem Marchionatu, nec non omnibus illius locis, Castris, terris, feudis, & Jurisdictionibus, acquisitis & acquirendis, constituerit, creaverit & elegerit: cum omnibus Privilegiis, Jurisdictionibus, honorantiis, dignitatibus, gratiis, indultis, præeminentiis, franchisis, immunitatibus, libertatibus, & aliis quibuscunque prærogativis & emolumentis, cæteris nostris Vicariis Imperialibus quomodolibet spectantibus, consuetudine vel de Jure: Nos illa omnia & singula in præinserto divi Imperatoris Maximiliani Secundi Diplomate copiosius expressa, una cum Privilegio, sive exemptione fori, in eodem Diplomate comprehenso, ex certa Scientia, authoritate nostra Cæsarea, & de Imperialis potestatis plenitudine, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis, & verborum expressionibus, approbamus, confirmamus, & quatenus opus est, de novo concedimus. Postremo ut dictus Illustris Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, ac Marchio Turriliæ, ac ejusdem in Marchionatu isto Successores, suprascriptis concessionibus, Privilegiis, & indultis, atque hac *Confirmatione* nostra, liberius uti possint, eosdem una cum omnibus hujusmodi Marchionatus *Castris*, Terris & Locis, eorumque pertinentiis, quæ quidem omnia

à nobis

a Nobis, & Sacro Romano Imperio immediate recognosci debere decernimus, ac aliis quibuscunque bonis, a Nobis, & Sacro Imperio in feudum dependentibus, acquisitis & acquirendis, nec non ipsorum hominibus, colonis, & subditis, in nostram & Sacri Imperii clientelam, protectionem & salvaguardiam, in qua & antehac dictus Marchionatus fuit, ac etiamnum est, denuo suscepimus & assumpsimus, suscipimus & assumimus harum vigore literarum. Volentes ac decernentes, quod idem Joannes Andreas ab Auria, & Successores ejus, Marchiones Turriliæ, una cum memoratis suis Castris, terris & locis, eorumque pertinentiis, a Nobis & Sacro Imperio in feudum dependentibus, ac aliis quibuscunque bonis acquisitis & acquirendis, nec non ipsorum hominibus, ministris, colonis & subditis, sub hac speciali protectione, tuitione & salvaguardia nostra, & Imperialis Aquilæ nostræ perpetuo salvi, protecti, & securi ab omni gravamine, oppressione, & onere hospitandorum militum & stipendiariorum; possitque deinceps uti, frui, potiri, & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis & prærogativis, quibus alii, qui in hujusmodi nostra & Sacri Imperii salvaguardia ac protectione constituti sunt, de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, citra cujusquam impedimentum aut contradictionem: non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia essent de quibus mentionem specialem fieri oporteret; Nos enim iis omnibus & singulis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Decernentes etiam, omnia attentata & attentanda irrita esse & fore, nulliusque roboris & momenti. Atque ea omnia hac semper lege, quod ipsius Illustris Joannis Andreæ ab Auria hæredes, qui vigore hujus Investituræ nostræ successuri sunt, quotiescunque hujusmodi Marchionatus Feuda vacaverint, vel alias casus postulaverit, illos a Nobis, & Successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus vel Regibus, recognoscant, & eorum, prout moris est, Investituram accipiant, debitumque homagii & fidelitatis Juramentum præstent. Quemadmodum in præmissorum omnium per Nos concessorum recognitionem prædictus ipsius Joannis Andreæ ab Auria Procurator legitimus, Georgius de Georgiis, nomine & in animam ejusdem, pleno ad id mandato instructus, præstitit. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existat, ac quacunque fulgeat præeminentia & dignitate, liceat hanc nostræ Investituræ, concessionis, unionis, incorporationis, approbationis, creationis, salvaguardiæ, exemptionis, assumptionis, voluntatis, decreti, & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, præter nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, pœnam sexaginta Marcharum auri puri, pro dimidia Imperiali Fisco, seu ærario nostro, reliqua vero parte injuriam passi seu passorum usibus irremissibiliter applicandam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Dat. in Civitate nostra Vienna, die vigesima septima mensis Maji, Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungarici sexto & Bohemici itidem tertio.

Sig. RUDOLPHUS.

Vice ac nomine Reverendissimi Domini D. Danielis Archiepiscopi, Archicancellarii & Electoris Moguntini,

Vt. S. Vicheuser.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

Obernburger.
Andr. Gaill.

VII.

Rudolphi II. Romanorum Imperatoris, Declaratio, quod Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, Marchio Turriliæ & Comes Lodanus, ejusdemque Successores in iisdem Ducatu, Marchionatu atque Comitatu legitimi, horum feudorum ratione, a nemine, quam a' Sacra Cæsarea Majestate, Sacroque Romano Imperio immediate dependeant, d. d. 24. Septembris, Anno 1579.

Rudolphus II. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ &c. Comes Tirolis &c. Recognoscimus pro Nobis & Successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus, & Regibus, & notum facimus tenore præsentium universis: Quod cum Nobis Illustris noster & Imperii Sacri fidelis dilectus, Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, Marchio Turriliæ, & Comes Lodani, humiliter exposuerit, se a Nobis, & Sacro Romano Imperio diversa bona in feudum tenere, nominatim vero Marchionatum Turriliæ, cum aliis eidem Marchionatui unitis & incorporatis, videlicet castra, & loca Carregha, Casanovæ, Cariseti, Calessis, Veppi, Cremontis, Grundunæ, Crucis, Vallis Trebbiæ, Galbaniæ, Vargi, Diœcesis Derthonensis & Lunensis, item Lodanum cum suis pertinentiis a dicto Marchionatu cum eidem unitum fuisse, nuper Cæsarea autoritate nostra separatum, & disjunctum, ac in Comitatum erectum. Nobis humiliter supplicando, ut, cum dictus Marchionatus Turriliæ, una cum præ-

nominatis locis eidem unitis, nec non Comitatus Lodani a Nobis, & Sacro Imperio immediate in feudum dependeant, ipseque adeo Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, Marchio Turriliæ, & Comes Lodani, eorum ratione hactenus neminem alium, quam Antecessores Nostros, Romanorum Imperatores & Reges, ac Nos, ipsumque Sacrum Imperium recognoverit, iisdemque debitam subjectionem præstiterit. Vereatur autem, ne quid cuiquam concedi contingat, quod in suorum jurium & libertatum, prærogativarum & immunitatum, per eosdem Prædecessores Nostros, ac Nos, præfati Joannis Andreæ ab Auria Majoribus, ipsi, & Posteris suis concessarum, præsertim vero immediatæ istius recognitionis & subjectionis, iisdem Prædecessoribus Nostris, Nobis & Sacro Imperio dumtaxat hucusque præstitæ, quamque deinceps etiam, uti tenentur, præstituri sint, præjudicium vergat, ipsius Joannis Andreæ ab Auria, & hæredum suorum indemnitati hac in parte consulere dignaremur. Nos sane attendentes in primis multiplicia inconcussæ fidei, & sinceræ devotionis studia, quibus Familia hæc Prædecessores Nostros semper prosequuta est, & quæ tam ipse Joannes Andreas, quam Majores sui, iisdem Prædecessoribus Nostris, ac Nobis etiam, ac S. Imperio, & inclytæ Domui Austriacæ præstiterunt, & deinceps una cum hæredibus & Successoribus suis non minori affectu atque studio (uti se paratissimum offert) præstare poterit & debebit, tum etiam nostra, ac S. Rom. Imperii interesse, ne quid contra dictum Joannem Andream ab Auria, ratione memoratorum bonorum feudalium de facto attentetur, animo deliberato, motu proprio, de Imperialis nostræ potestatis plenitudine, ex certa scientia, ac sano, & maturo nostrorum & Imperii Sacri fidelium accedente consilio, non improvide, aut per errorem, declarandum duximus, prout etiam declaramus harum vigore literarum. Quod uti supranominatus Joannes Andreas ab Auria, ratione dictorum bonorum, a Nobis & Sacro Imperio immediate in feudum dependentium hactenus divos Prædecessores nostros Romanorum Imperatores, & Reges, ac Nos, Sacrumque Imperium recognovit, ita tam ipse, quam hæredes & posteri sui, nec deinceps quemquam alium, præter Nos, & Successores nostros Romanorum Imperatores, & Reges recognoscere, vel ullam cuiquam alii subjectionem, ut quam Nobis, & iisdem Successoribus nostris reservatam esse volumus, per præsentes præstare debeant; vel etiam eorumdem feudorum ratione coram quocumque alio judice, sive Magistratu, quam coram Nobis ac Successoribus nostris antedictis, nostrisque, & eorumdem Commissariis ad hoc deputandis conveniri possint & valeant. Revocantes, & declarantes nullum & inane, si quid contra harum tenorem a quoquam attentatum vel innovatum fuerit. Non obstantibus ullis privilegiis, ac aliis concessionibus cuicumque Collegio, Universitati aut personæ, cujuscumque gradus, dignitatis & conditionis illa sit, etiamsi Ducali vel Regia fulgeat dignitate, sub quocumque prætextu seu colore fiendis, ac sub quibuscunque verborum formis & expressionibus conceptæ sint, quæ in parte, vel in totum tollerent, aut labefactarent immediatam illam recognitionem & subjectionem, quam dictus Joannes Andreas ab Auria ratione memoratorum feudorum Nobis & Sacro Romano Imperio dumtaxat, secundum continuatam suarum Investiturarum seriem, debet, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Nos enim iis omnibus & singulis, etiamsi talia forent, quæ specialem & expressam mentionem requirerent, hac in parte scienter, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ declarationis, voluntatis, reservationis & derogationis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, is præter Nostram ac Sacri Imperii indignationem gravissimam, pœnam centum marcharum auri puri, pro medietate Imperiali Fisco, seu Ærario nostro, reliquam vero partem sæpe fato Joanni Andreæ ab Auria, ac ipsius Successoribus, toties quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter applicandam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio Literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce Nostra Regia Pragæ, die vigesima quarta mensis Septembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, Bohemici quinto.

RUDOLPHUS.

Vidit nomine Reverend. D. *Danielis*, Archi-Cancellarii Moguntini

Jo. Baptista - - -

IIX.

Contractus emptionis & venditionis, vi cujus Johannes Baptista ab Auria, Marchio Sancti Stephani Vallis Avanti, Marchionatum ejusdem nominis integrum cum territoriis, Juribus & pertinentiis Joanni Andreæ ab Auria, Principi Melphi & Marchioni Turriliæ vendidit, d. d. mensis Septembris, Anno 1592. una cum Confirmatione ejusdem a Rudolpho II. Romanorum Imperatore, die 1. Decembris Anno 1592. publicata.

RUdolphus Secundus, Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucemburgiæ,

burgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. Agnoscimus & notum facimus vigore præsentium universis: Quod cum Nobis humillime exponendum curaverint Illustres nostri & Sacri Imperii fideles dilecti, Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, Marchio Turriliæ, Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici &c. Classium Præfectus, & Joannes Baptista ab Auria, Marchio Sancti Stephani Vallis Avanti, certum inter se contractum emptionis ac venditionis, spe ratificationis, facultatis, & confirmationis nostræ impetrandæ initum esse ratione loci ac Marchionatus Sancti Stephani Vallis Avanti, quem integrum cum territoriis, juribus, ac pertinentiis omnibus, qualescunque eæ sint, ipsi Principi Joanni Andreæ dictus Joannes Baptista ab Auria, amicorum & propinquorum utrinque consilio, & filii sui Antonii ab Auria renunciantis consensu, quem Respublica Genuensis ob minorem ejus ætatem suppleret, adhibito iis conventionibus, pactis & conditionibus vendiderit, quæ in Instrumentis authenticis per Notarios Publicos factis, quorum Nobis probata fides comprehenduntur. Quorum quidem tenor sequitur in hæc verba:

In nomine Domini Amen. In mei Notarii Publici testiumque infrascriptorum præsentia personaliter constituti Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Joannes Andreas Doria, Princeps Melphiæ, & Classis Catholicæ Majestatis Capitaneus Generalis, ex una parte, & Illustrissimus Dominus Joannes Baptista Doria, Marchio Sancti Stephani, ex altera, prædictus vero Dominus Joannes Baptista asseruit & declaravit, Illustrissimum quondam Dominum Antonium Doria, ejus Genitorem, ex scitu, consilio & intercessione Excellentissimi Domini Principis Andreæ Doria, & etiam uti bene meritum donatum fuisse ab Invictissimo, & Serenissimo Carolo V. Romanorum Imperatore, castro, loco, & jurisdictione Sancti Stephani Vallis Avanti, cum titulo & honore Marchionatus, in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum, pro se, filiis, & descendentibus suis masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina, quem scilicet ipse inter ejus liberos in ultima voluntate vel inter vivos nominandum duxisset, cum omni ejus districtu, finibus, limitibus, & territorio, meroque & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, aliisque juribus, & pertinentiis suis universis, quocunque vocabulo & appellatione distinctis, & cum omnibus illis privilegiis, prærogativis, potestatibus, auctoritatibus, praeminentiis, libertatibus, immunitatibus commodis, reditibus, & proventibus, cum quibus quondam Joannes Aloisius Fliscus, ac Hieronymus, & alii fratres illud & illa tenebant, & possidebant, sive ex successione quondam Comitis Sinibaldi Genitoris, ac Hieronymi patrui ipsorum ad eos devoluta, sive alias quoquo modo acquisita, quæ præfato Serenissimo Imperatori, & ejus Imperiali Fisco devoluta erant, ob eorum notoriam infidelitatem, proditionem, rebellionem, & læsæ Majestatis crimen, & de quo quidem castro, oppido, & loco Sancti Stephani cum ejus districtu, territorio et pertinentiis in vero et legitimo Marchionatu erecto, facto, et creato, qui Marchionatus Sancti Stephani nuncupetur, præfatum Illustrissimum Dominum Antonium Doria, ejusque hæredes, et Successores ex forma ejus concessionis in veros Marchiones Illustres investivit; reservata Cæsareæ Majestati, et Successoribus Romanorum Imperatoribus et Regibus, Sacroque Romano Imperio superioritate et feudali obsequio, legeque adjecta, quod filii, hæredes & descendentes prædicti Illustrissimi Domini Antonii, qui ex forma dictæ concessionis & Investituræ in ipso Marchionatu & feudo erant successuri eundem Marchionatum, quotiescunque casus postulaverit, a Cæsarea & Imperatoria Majestate & ejus Successoribus recognoscant, & de eo accipiant Investituram, & homagii ac fidelitatis juramentum præstent, sicut latius apparet ex Cæsareo Privilegio & concessione, dato in Civitate Imperiali Augusta Vindelicorum, die decima octava Junii, millesimo, quingentesimo quadragesimo octavo. Cui pro veritate relatio habeatur. Et successive sub eadem forma in omnibus & per omnia præfatum Dominum Antonium Doria pro se, & filiis &c. & ut supra, investitum fuisse de dicto Marchionatu Sancti Stephani cum juribus &c. & ut supra a Serenissimis Ferdinando & Maximiliano secundo Romanorum Imperatoribus, & postremo Serenissimum Rudolphum II. Romanorum Imperatorem confirmando, Investituras superiores investivisse ipsum Dominum Joannem Baptistam Doria, filium dicti quondam Illustrissimi Domini Antonii de dicto Marchionatu &c. & ut supra secundum, & prout serio apparet ex Cæsareis privilegiis, & Investituris, datis in Civitate Vienna, uno die decima tertia Decembris, millesimo, quingentesimo quinquagesimo nono. Et altero die vigesima tertia Decembris, millesimo, quingentesimo sexagesimo quarto, & reliquo die quarta Octobris, millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo, quibus pro veritate relatio habeatur. Subjunxit etiam præfatus Dominus Joannes Baptista, nuperrime homines & subditos dicti Marchionatus sese excitasse adversus officiales & jus dicentes, & aliquibus male habitis tumultus & seditiones agitasse, & hinc Serenissimam Rempublicam Genuensem, in cujus finibus situm est dictum Feudum, ut ab armis discederetur sub ejus protectione locum prædictum recepisse, donec aliqua provisio salubriter caperetur, et demum eandem Rempublicam habitis literis Cæsareis castrum et locum restituisse dicto Domino Joanni Baptistæ. Et licet omnia quieta erant speranda, maxime ex generali indulto eisdem hominibus concesso, attamen res ad priorem conditionem quamdudum devenisse, subditos enim prædictos sese populariter sublevasse, et ad arma confugisse, et inde magis in diem et magis ab officio a DEO descivisse, ut ad sanitatem reducendos, quoquo modo vix sperandum esset, unde se consilium cepisse de auxilio petendo a præfata Genuensi Republica, sed id impetrare nequivisse. Videns itaque non sine

fine maximo periculo in iis versari, et fieri posse, ut interim dictum feudum ad aliquem potentiorem, et forte etiam sibi minime gratum perveneri, petiisse a præfato Domino Principe, ut aliquam provisionem super jam dicto novo tumultu, & concitatione ad arma caperetur communi consilio, & si quid boni sentiret, in medium afferret, & per communes amicos mentio habita de alienando Marchionatu prædicto, ut rumores & turbationes cessarent. Et considerans prædictus Dominus Joannes Baptista, ultra merita prædicti Illustrissimi quondam Domini Antonii ejus Patris feudum ipsum ei donatum fuisse a Cæsarea Majestate, de scientia, consilio, & intercessione præfati quondam Excellentissimi Principis Doria neminem sibi occurrisse, cui magis dictum feudum renuntiari deberet, ut quasi postliminio auctori dictæ donationis reverteretur, præfatum enim Principem Andream dictum feudum acquirere noluisse, ut dicto Domino Antonio largiretur, & propterea valde cupiens, se erga præfatum Dominum Principem Joannem Andream, in quem, uti Successorem, fortuna & virtutes præfati quondam Principis Andreæ patris splendescunt & reviviscunt, animum beneficii memorem præ se ferre, rumoresque & arma avertere, simulque sibi domuique suæ prospicere, multi enim vigent creditores ipsius Domini Joannis Baptistæ, & etiam annui reditus impositi super bonis etiam feudalibus, qui pro majori parte proveniunt a debitis contractis per dictum quondam Dominum Antonium Doria, & etiam a dote promissa per ipsum Dom. Joannem Baptistam pro ejus filiæ maritatione, quibus expedit, satisfactum iri, & ab iis se, & bona liberare, & in eam venisse sententiam, ut alienatio in præfatum Dominum Principem non solum utilis, & in rem suam sit cessura, sed etiam grata & exoptabilis, & subinde habito colloquio per eosdem communes amicos, & negotio discusso convenisse cum præfato Domino Principe de deveniendo ad hujusmodi alienationem modis, formis, pactis & conditionibus inferius exprimendis. Volentes propterea tractata & conclusa in publicam scripturam redigere, ad perpetuam rei memoriam, & pro cautela partium. Hinc est, quod prædictus Illustrissimus Dominus Joannes Baptista Doria per se, suosque in posterum hæredes et Successores quoscunque, jure proprio et in perpetuum. Assensu et beneplacito Cæsareo semper salvo et reservato, et non aliter, nec alio modo, ita ut non accedente dicto assensu et beneplacito Cæsareo præsens Instrumentum, et omnia et singula in eo contenta habeantur pro non factis, quod intelligatur repetitum in qualibet parte præsentis Instrumenti. Sponte, et ex certa scientia, et animo deliberato, non vi, dolo, metu, nulloque juris vel facti errore ductus, seu modo aliquo circumventus, sed omni meliori modo, via, cura, et forma, quibus melius potuit, et potest, vendidit & alienavit, & titulo, & ex causa venditionis dedit, cessit, tradidit, & mandavit, ac dat, cedit, & mandat seu quasi. Præfato Illustrissimo & Excellentissimo Domino Joanni Andreæ Doria præsenti, stipulanti, & acceptanti pro se, suisque filiis, & Successoribus, ac descendentibus masculis de legitimo matrimonio, lineaque masculina, eo scilicet ex ejus liberis quem prædictus Dominus Princeps in ultima voluntate, vel inter vivos nominandum duxerit, ita quidem, ut si ipse nominandus vel ejus Linea masculina deficeret, sint, & intelligantur nominati reliqui filii & descendentes masculi de legitimo matrimonio præfati Domini Principis & eorum descendentes per lineam masculinam de legitimo matrimonio per gradus prærogativam, etiamsi nominandus ut supra esset minimus filiorum suorum, vel non esset primogenitus. Supradictum castrum, locum & oppidum Sancti Stephani Vallis Avanti cum omni ejus districtu, finibus, limitibus, territorio, meroque & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, aliisque juribus, & pertinentiis universis, & cum omnibus illis Privilegiis, prærogativis, potestatibus, auctoritatibus, libertatibus, immunitatibus, commodis, reditibus & proventibus, cum quibus præfatus quondam Dominus Antonius Doria, ipseque Dominus Joannes Baptista, ejus filius, & eorum quilibet illa omnia tenuerunt, & possederunt, etiam ex forma & tenore dictorum privilegiorum, & Investiturarum. Et signanter, ita quod per speciem generi non derogetur, nec e contra cum hominibus, Vasallis, Vasallorumque reditibus, angariis, perangariis, feudis, subfeudis, introitibus, censibus, domibus, furnis, molendinis, possessionibus, terris cultis, incultis, territoriis, communalibus, usibus, juribus pasculandi, gabellis, datiis, pascuis, pratis, aquis, aquarum decursibus, venationibus, piscationibus, præstationibus, exactionibus, fodiis, homagiis, & cum banco Justitiæ civilis & criminalis & mixtæ, meroque & mixto imperio, & gladii potestate, ac omnimoda jurisdictione, aliisque præeminentiis, prærogativis, immunitatibus, Franchisiis, & aliis omnibus & singulis, spectantibus & pertinentibus ad ipsum Dominum Joannem Baptistam, vigore dictorum privilegiorum & Investiturarum, & alias quovis modo, jure, consuetudine, vel causa quacunque, & cum integro eorum statu. Item, cum omnibus & singulis terris, fabricis, & bonis, quæ & quas dictus Dominus Joannes Baptista, vel dictus quondam Dominus Antonius acquisiverunt, vel quilibet eorum acquisivit, in dicto Loco Sancti Stephani, vel ejus territorio, seu districtu, quovis modo, tam in feudalibus, quam allodialibus, & cujusvis alterius generis seu qualitatis, etiamsi talia essent, quæ in generali sermone non comprehenderentur, quæ omnia pro satis expressis haberi voluerunt. Nec non cum artelariis, archibusiis, moschetis, munitionibus, victualibus, & armis, quæ sunt seu reperiuntur in dicto oppido, & in Castro Sancti Stephani spectantibus, & pertinentibus prædicto Domino Joanni Baptistæ ad habendum, tenendum, gaudendum, possidendum, & usufructuandum, vendendum, & alienandum, & omnia & singula faciendum, quemadmodum facere possunt Domini de rebus suis, & quæ facere potuisset dictus Dominus Joannes Baptista ante præsens Instrumentum, francum, liberum, & expeditum ab omni onere vinculo, conditione, obligatione, servitute, fidei commisso, gravamine, præstatione, & ab aliis

ab aliis quibusvis subjectionibus, & in ejus pleno, & integro statu, neminique venditum, obligatum, hypothecatum, seu alienatum, &c. salva superioritate Cæsarea, & onere feudalis obsequii, & recipiendi Investituram, quoties casus postulaverit, & præstandi juramentum fidelitatis, & homagii juxta formam dictorum Privilegiorum & Investiturarum, quæ & quas prædictus Dominus Princeps præstare & subire promisit, & promittit, &c. pro pretio & nomine veri & finiti pretii librarum ducentum nonaginta millium monetæ Genuæ, quas præfatus Dominus Princeps dare & solvere promisit, & promittit dicto Domino Joanni Baptistæ præsenti, stipulanti & acceptanti intra menses tres proxime venturos, obtento tamen prius Cæsareo assensu & beneplacito, ac Investitura in favorem prædicti Domini Principis, & ut supra, & observatis pro parte dicti Domini Joannis Baptistæ his, de quibus infra. Acto, pacto expresso inter dictas partes solemni stipulatione interveniente, quod dictus Dominus Joannes Baptista teneatur, & obligatus sit reddere cautum & securum prædictum Dominum Principem, & ejus hæredes, pro & occasione præsentis contractus, & pro evictione, & legitima defensione dicti feudi, & dictorum bonorum, jurium, &c. & ut supra, & ita dictus Dominus Joannes Baptista facere promisit, & promittit dicto Domino Principi ut supra stipulanti &c. Et de cautelis & securitatibus præstandis stari debeat dicto, declarationi, & arbitrio Magnificorum Dominorum Francisci Flisci, quondam Domini Hectoris, Domini Lazari Spinulæ, quondam Domini Blasii, ac Domini Augustini Doria, quondam Domini Jacobi, vel duorum ex eis, & quicquid per ipsos Dominos Franciscum, Lazarum, & Augustinum, vel per duos ex eis præsentia vel absentia tertii in aliquo non obstante, dictum & declaratum quandocunque fuerit in & circa dictas cautelas & securitates, perinde habeatur ac si illud omne oppositum, dictum & declaratum fuisset in præsenti Instrumento, in quos quidem Dominos Franciscum, Lazarum, & Augustinum, & seu in duos ex eis, in & circa prædicta præfati Dominus Princeps, & Dominus Joannes Baptista pro se, suisque hæredibus, & Successoribus quibuscumque, sponte, &c. sese compromiserunt, & promittunt, tamquam in arbitros, & arbitratores, & amicabiles compositores, & communes amicos electos & assumptos per dictas partes, & de communi consensu & voluntate. Dantes &c. de jure, & de facto &c. emologantes, ratificantes & acceptantes omnem declarationem, omneque arbitrium &c. per dictos Dominos Franciscum, Lazarum & Augustinum, seu duos ex eis faciendam & ferendam &c. in prædictis, & circa prædicta, & promiserunt, & promittunt invicem, & vicissim mutua stipulatione stare cuicumque declarationi & arbitrio &c. & eorum bailia duret, donec & quousque dictum pretium integre solutum fuerit, ut supra reservantes, &c Pacto expresso solemni stipulatione vallato, quod in omnem casum prædictus Dom. Princeps, obtento & expedito assensu, beneplacito & Investitura, ut supra, possit & valeat solvere dictum pretium, seu partem illius, quæ ei placuerit, & bene visa fuerit illis creditoribus, tam dicti Domini Joannis Baptistæ, quam dicti quondam Domini Antonii ejus patris, seu cujuslibet vel alterius eorum, & seu pro redemptione censuum prædicto Domino Principi benevisis, ad finem & effectum sibi cedi faciendi eorum Jura, rationes, actiones & hypothecas, & quas sibi cedere teneantur, quibus uti possit, & ejus hæredes & Successores uti possint pro defensione & evictione castri, feudi ac bonorum prædictorum, & ut supra, & in casu evictionis pro consequenda solutione, in reliquis eorum, & cujuslibet ipsorum bonis, & hæc per publicum Instrumentum, seu Instrumenta, manu publici Notarii conficiendum seu conficienda in opportuna forma. Et si intra dictos tres menses dictus assensus & beneplacitum obtineri, seu expediri non poterit, non possit dictus Dominus Princeps astringi ad solutionem pretii prædicti, etiam lapsis dictis tribus mensibus, sed tamen teneatur solvere interesse ratione fructuum dicti feudi &c. ad rationem quinque pro centenario in anno, & ad ejus ratam, quantum sit pro octo mensibus tantum & non ultra; Et si per Suam Cæsaream Majestatem non concederetur dictus assensus &c. & ut supra inter dictos octo menses, & illum nollet concedere, eo casu prædictus Dominus Princeps teneatur restituere, & consignare dictum Marchionatum illi vel illis, cui seu quibus per Tuam Majestatem ordinatum fuerit. Et ita dictus Dominus Princeps observare promisit, & promittit dicto Domino Joanni Baptistæ præsenti & stipulanti, omni exceptione & contradictione remota. Et ubi dictus Marchionatus, bona, jura &c. & ut supra plus forte valerent, seu valebant pretio supradicto, illud plus quantumcunque sit, seu fuerit magnum, maximum, seu minimum, etiamsi dimidium justi pretii excederet, prædictus Dominus Joannes Baptista Doria sponte &c. Sciens verum pretium &c. dedit, renunciavit, & donavit, ac dat, renuntiat, & donat præfato Domino Principi, ut supra stipulanti &c. titulo meræ, puræ, simplicis, irrevocabilis, & inter vivos donationis, quæ vitio ingratitudinis, seu alio quovis jure infringi, seu revocari non possit. Pro-

mittens solemni stipulatione, ut supra, de dicto supra pluri &c. & ut supra, nullam unquam inferre litem, molestiam seu controversiam &c. per se, vel per alium de jure, seu de facto, directe vel indirecte, aliqua demum ratione, occasione, seu causa, quæ dici seu imaginari posset. Reservantes expresse cum juramento, beneficio L. II. dictæ Cod. de rescind. vend. L. si unquam, & tot. tit. cod. de revocand. donat. L. penult. & tot. tit. cod. de donat LL. dicentibus, donationem propter ingratitudinem revocari posse, & ultra quingentos aureos absque insinuatione judicii non valere, ipsique insinuationi, beneficio restitutionis in integrum, etiamsi de enormi, vel enormissima læsione dici, agi, vel doceri posse, & omni alii juri, Legum, & capitulorum auxilio &c. Certioratus prius de beneficio & importantia dictorum jurium, & Legum, a me Notario infrascripto, & etiam a Legum Doctore ante præsens Instrumentum, ut dixit &c. Insuper ex causa prædicta, & pro pretio supradicto dictus Dominus Joannes Baptista Doria sponte &c. dedit, cessit, tradidit, & mandavit, ac dat, cedit, tradit, & mandat, seu quasi dicto Domino Principi ut supra stipulanti omnia & singula jura, omnesque & singulas rationes & actiones, utiles & directas, reales & personales, mixtas, rei persecutorias, hypothecarias & pœnales, & alias quascumque, quæ & quas dictus Dominus Joannes Baptista habet, & ei competunt, seu unquam melius competierunt, vel competere possent, in & super dicto feudo, Marchionatu, loco, oppido, territorio, jurisdictione, juribus & bonis, &c. & ut supra, hominibusque & Vasallis, & pro eis seu eorum occasione contra quascunque personas & bona, Communitates, Universitates quomodolibet obligatas, & obligata, nihil juris in se penitus retento. Ita ut dictis juribus, rationibus & actionibus prædictus Dominus Princeps & ejus hæredes & descendentes &c. & ut supra, uti possint & valeant agere, excipere, experiri, consequi, & se tueri, & omnia alia & singula facere, quæ dictus Dominus Joannes Baptista facere posset, seu unquam melius potuisset. Ponens dictum Dominum Principem ut supra stipulantem in locum, jus, Statum, & personam ipsius Domini Joannis Baptistæ pleno jure, cum omnibus illis privilegiis, cautelis, prærogativis, præeminentiis, auctoritatibus, superioritatibus, usibus & consuetudinibus, cum quibus, & prout dictus quondam Dominus Antonius, & exinde dictus Dominus Joannes Baptista, & seu quilibet eorum respective & debite referendo, feudum & Marchionatum prædictum, bona, jura &c. & ut supra habuerunt, tenuerunt, & possederunt & eorum quilibet habuit, tenuit, & possedit, habetque, tenet & possidet, habereque, tenere & possidere posset quovis modo. Constituens dictum Dominum Principem præsentem, & acceptantem, & dictos ejus hæredes, & Successores &c. & ut supra, absentes tanquam præsentes, & quemlibet eorum in solidum, Dominum, & Procuratorem, ac Dominos & Procuratores irrevocabiles, & in rem, & causam propriam, cum ea qua convenit plenitudine potestatis, & libera administratione ad prædicta omnia & singula cum dependentibus &c. Quoniam nullum jus, nullamve actionem in se reservavit aut reservatam esse voluit. Et liberavit, & liberat homines & Vasallos dicti Marchionatus a juramento homagii, & fidelitatis, & eis ordinat & mandat, quatenus faciant homagium & jurent fidelitatem præfato Domino Principi in opportuna forma. Et ex nunc titulo, & ex causa prædicta, obtento prius assensu & beneplacito Cæsareo, ut supra, præfatus Dominus Joannes Baptista dedit, & dat possessionem dicti Marchionatus, feudi, loci, castri, oppidi, rerum & bonorum &c. & ut supra dicto Domino Principi ut supra stipulanti &c. ac autoritatem & facultatem corporalem, realem, & actualem possessionem accipiendi, & captam retinendi &c. Promittens dictus Dominus Joannes Baptista dicto Domino Principi ut supra stipulanti &c. dictum Marchionatum feudum, jurisdictionem, bona &c. cum juribus &c. & ut supra, & eorum possessionem & perceptionem in Judicio, & extra, semper & in perpetuum præfato Domino Principi, & ejus hæredibus & Successoribus &c. & ut supra defendere, auctorare, expedire & disbrigare, & pro eis antestare, & de evictione teneri, a quibuscumque personis & hominibus, Commune, corpore, Collegio, & universitate, quavis auctoritate & potestate fungentibus, præfatum Dominum Principem vel ejus hæredes & Successores &c. & ut supra turbantibus, seu jus habentibus in & super dicto Marchionatu, feudo, bonis, juribus, ac rebus &c. & ut supra. Et omnem litem, causam, quæstionem & differentiam, quæ pro prædictis vel eorum occasione moveretur, seu moveri vel inferri contingat in se ipsum Dominum Joannem Baptistam, & ejus hæredes suscipere, etiam lite jam contestata, & in quacunque parte Judicii illasque prosequi, & terminari facere sumptibus, laboribus & expensis præfati Domini Joannis Baptistæ, & ejus hæredum & Successorum &c. Et si quæ evictio sequeretur, reddere & restituere dicto Domino Principi & ejus hæredibus pretium & valorem dicti feudi Marchionatus bonorum, & ut supra, habito respectu tam ad præsens tempus, quam ad tempus, quo sequetur evictio, ad electionem dicti Domini Principis, & ejus hæredum & Successorum,

& ut

& ut supra, una cum omnibus damnis, expensis & interesse, &c. Remissa præfato Domino Principi ut supra stipulanti &c. & ejus hæredibus & Successoribus &c. necessitates denunciandi & appellandi, de nullitate dicendi, & quomodolibet querellandi. Acto pacto inter dictas partes solemni stipulatione vallato, quod reditus, fictus, introitus, dacita, pensiones & fructus cujuscunque qualitatis, qui erunt maturati in præsenti anno millesimo, quingentesimo nonagesimo secundo, & omne aliud, quod esset debitum dicto Domino Joanni Baptistæ pro & occasione dicti Marchionatus bonorum & jurium &c. & ut supra solvi debeant dicto Domino Principi seu personæ pro eo legitimæ, de quibus omnibus ex causa & pro pretio ut supra dictus Dominus Joannes Baptista fecit, & facit cessionem & datum &c. dicto Domino Principi ut supra stipulanti cum cessione jurium &c. constitutione missi, & procuratoris in causa propria, & cum clausulis opportunis extendendis quandocumque a me Notario infrascripto (substantia tamen in aliquo non mutata) quia cæteri reditus, fictus, introitus, dacita, pensiones, fructus, & omne aliud, quod esset debitum dicto Domino Joanni Baptistæ pro & occasione dicti Marchionatus bonorum, jurium &c. & ut supra ante præsentem annum millesimum quingentesimum nonagesimum secundum spectent, & pertineant, ac spectet & pertineat ad eundem Dominum Joannem Baptistam, & ei solvi debeat, quia ita &c. quæ omnia & singula suprascripta & alia infrascripta præfati Dominus Princeps & Dominus Joannes Baptista, & quilibet eorum respective & debite referendo, & prout ad unumquemque spectat, & pertinet, promiserunt, & promittunt invicem, & vicissim unus alteri, & e converso mutua & solemni stipulatione, ultro citroque interveniente, nec non juraverunt, & jurant, videlicet præfatus Dominus Princeps super signo Sanctæ Crucis, quod in pectore gestat, dictus vero Dominus Joannes Baptista ad Sancta DEI Evangelia, tactis corporaliter Scripturis, habere rata, grata, valida, & firma, semper & omni tempore ea quæ perpetuo attendere, complere, & effectualiter ac inviolabiliter observare, & contra non facere, dicere, seu venire per se, vel per alios, de jure seu de facto, directe vel indirecte, aliqua quavis ratione, occasione, seu causa, quæ dici seu imaginari posset, etiamsi de jure possent, vel etiamsi de facto possent. Sub pœna dupli totius ejus, de quo vel in quo contrafactum fuerit, vel ut supra non observaretur. Et cum refectione omnium & singulorum damnorum, interesse, & expensarum, quæ propterea fierent, vel essent litis & extra. Ratis semper & firmis manentibus omnibus & singulis suprascriptis, & in præsenti Instrumento contentis. Et proinde ad sic complendum, & firmiter ac inviolabiliter observandum partes prædictæ, & quælibet earum respective & debite referendo, prout ad unamquamque pertinet, obligaverunt, & hypothecaverunt pignori, unus alteri, & e converso mutua; & solemni stipulatione ultro citroque interveniente, se ipsos & bona sua omnia præsentia & futura, mobilia, immobilia, & se moventia, jura, rationes & actiones &c. & quæcumque omnia alia & singula bona, etiamsi talia essent, quæ in generali obligatione non venirent, sed oporteret de eis mentionem fieri particulariter, & tam allodialia & feudalia & emphitevtica, quam cujuscunque alterius qualitatis & conditionis, etiam titulata quocumque titulo, ubique sita, & posita, & in quibuscunque consistentia, assensu & beneplacito superioris, pro feudalibus semper salvo, & reservato, & non aliter nec alio modo. Constituentes se invicem, & vicissim obtento prius assensu & beneplacito respectu feudalium, & non aliter nec alio modo bona prædicta, & ut supra, tenere & possidere &c. tam per simplex constitutum, quam precario, prout constitutario & suis hæredibus &c. utilius fuerit. Reservantes in prædictis omnibus & singulis exceptioni, & actioni, rei sic, prout supra, non se habentis, vel aliter se habentis, doli, mali, vis, metus, in factum actioni, conditioni sine causa, vel ex injusta causa, nec non quibuscumque privilegiis canonicis & civilibus, impetratis & impetrandis, competentibus & competituris beneficio restitutionis in integrum, etiamsi de enormi vel enormissima læsione dici, agi, & doceri posset, & quibuscumque rescriptis, moratoriis, dilatoriis, & salvis conductibus, & juri decedendis bonis, & aliis quibusvis in contrarium facientibus, etiamsi motu proprio concederetur, sub quavis serie, forma, & expressione verborum, & aliis quibuscumque legibus, juribus, exceptionibus, allegationibus, auxiliis, & defensionibus, quibus vel propter quæ se tueri possent ab observatione præsentis contractus, vel contentorum in eo, jurique dicenti generalem renuntiationem non valere, & omni alii juri legum, statutorum, & capitulorum auxilio certiorati prius, & plenissime informati de beneficio dictorum jurium, & de importantia dictarum renuntiationum, a me Notario infrascripto, & etiam a Lege Doctore ante præsens Instrumentum, ut dixerunt. Supplicantes partes prædictæ Sacram Cæsaream Majestatem, quatenus velit, & dignetur comprobare præsens Instrumentum, & omnia, & singula in eo contenta, illudque ejus Cæsareo assensu & beneplacito munire, & concedere prædicto Domino Principi Investituram Marchio-

Marchionatus & feudi prædicti, cum bonis, juribus &c. & ut supra, pro se, & filiis masculis de legitimo matrimonio, & linea masculina in omnibus, ut supra, nec non derogare, quibuscumque fideicommissis, si qui inessent, & aliis contrariis, quæ obstare possent, integræ validitati præsentis contractus, & Instrumenti, & præsertim juribus quæsitis, seu quærendis, cuicumque descendenti dicti Domini Joannis Baptistæ vigore antiquarum concessionum seu Investiturarum superius enunciatarum, & decernere, dictam venditionem fieri potuisse. Et auctoritatem Cæsaream in prædictis omnibus & singulis interponere per rescriptum præfatæ Majestatis ex certa scientia, & de plenitudine potestatis cum clausulis derogatoriis in opportuna forma. De quibus omnibus præsentes Domini contrahentes rogaverunt, præsens fieri Instrumentum per me Leonardum Clavarum, Notarium Publicum Genuensem. Actum Genuæ, in Tassiolano, extra & prope portam Sanctæ Thomæ, in Palatio solitæ habitationis præfati Domini Principis, & propriæ in una ex Stantiis inferioribus, occidentem versus anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, indictione quarta, secundum Genuæ morem, die Martis undecima Augusti, in vesperis, præsentibus Magnifico Joanne Baptista Doria, filio Illustrissimi Domini Nicolai; Magnifico Joanne Vultabio, utriusque Juris Doctore; Magnifico Pompejo Arnolfini, filio Magnifici Vincentii; Magnifico Joanne Savorgnano, filio Magnifici Cornelii; & Stephano Chiavavrio, filio Domini Nicolai, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Leonardus Clavarus, filius quondam Magnifici Ambrosii, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Genuensis, suprascriptum Instrumentum venditionis rogatus scripsi, testatus sum, & publicavi, & in hanc publicam formam, in octo foliis redegi, licet manu aliena extrahi fecerim, me aliis occupato negotiis, & manu mea subscripsi, & signum meorum Instrumentorum consuetum apposui. In fidem & testimonium præmissorum Louis signi.

In Nomine Domini, Amen. Illustrissimus Antonius Doria, filius Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ, annum agens ejus ætatis tertium decimum, ut ipse, & dictus Illustrissimus Joannes Baptista Pater dixerunt & affirmaverunt cum juramento. Sciens, dictum Dominum Joannem Baptistam ejus Patrem vendidisse & alienasse Illustrissimo & Excellentissimo Domino Joanni Andreæ Doria Principi Melphiæ &c. locum Feudum, & Marchionatum Sancti Stephani Vallis Avanti, cum bonis, juribus, territorio, & jurisdictione, meroque & mixto imperio, & gladii potestate, ac aliis contentis in publico Instrumento, rogato manu mei Notarii infrascripti, sub die undecima mensis Augusti proxime præteriti, cui pro veritate relatio habeatur. Et sciens, dictum locum, feudum, & Marchionatum ac bona investitum fuisse per Serenissimum Imperatorem Carolum Quintum nunquam delendæ memoriæ, quondam Illustrissimo Domino Antonio Doriæ, Avo paterno ipsius Domini Antonii, pro se, & filiis ac descendentibus masculis de legitimo matrimonio, & linea masculina, unde post vitam præfati Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ ipse Dominus Antonius, filius esset successurus in dicto feudo, & bonis ex provisione & forma investiturarum, & concessionum superinde factarum tam dicto quondam Illustrissimo Domino Antonio, dum vixit, quam exinde præfato Domino Joanni Baptistæ ejus patri. Et cupiens dictam venditionem confirmari & approbari per Serenissimum Dominum, Dominum Rudolphum Secundum, Romanorum Imperatorem, & ejus Cæsareo assensu & beneplacito muniri, & roborari, cum derogationibus, dispensationibus, & aliis in omnibus secundum formam & tenorem dicti Instrumenti venditionis, ut venditio ipsa plenum sortiatur effectum, reputans id vel & maxime conducere commodo & utilitati ipsius Domini Antonii, multis quidem rationibus & considerationibus, & præsertim ex causis in jam dicto Instrumento narratis. Volens propterea, quantum in se est, alienationem ipsam sartam tectamque haberi. Hinc est, quod dictus Illustrissimus Antonius Doria sponte, & ex certa scientia, animoque deliberato, certioratus prius, & plenissime informatus de venditione ipsa & de juribus ipsius Domini Antonii, & de natura feudi, non vi, dolo, metu, nulloque juris vel facti errore, nullaque reverentia paterna ductus, seu modo aliquo circumventus, sed omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus melius potuit, & potest, venditionem & alienationem prædictam, Instrumentumque desuper confectum, ac omnia & singula in eo contenta, quam, & quæ pro satis expressis & repetitis in præsenti haberi voluit & vult; Laudavit, acceptavit & confirmavit, illique & illis consensit & consentit, renuntiavitque & renuntiat ad beneficium præfati Excellentissimi Domini Principis, licet absentis, & ejus Successorum & descendentium, & omnium quorum interest, intererit, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum, me Notario &c. pro eo & eis stipulante &c. omnibus & singulis juribus, rationibus, & *actionibus* competentibus, & competituris *ipsi Domino* Antonio, uti descendenti a quondam præfato Illustrissimo Domino Antonio Seniore, ejus Avo, ac uti

ac uti filio de legitimo matrimonio dicti Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ, ac uti de vocatis in dicta Investitura, et alia quavis ratione, occasione, seu causa, quæ dici seu imaginari posset, volens & consentiens, præfatum Dominum Principem Joannem Andream, ejusque descendentes & Successores quoscunque, præferri ipsi Domino Antonio, & ejus filiis, & descendentibus in feudo & bonis prædictis, & promisit & promittit præfato Domino Principi, & mihi Notario ut supra stipulanti, dictum consensum, & renuntiationem, & alia supra & infra scripta, semper & omni tempore habere rata, grata, valida & firma, & illis non contravenire, directe vel indirecte, de jure seu de facto, per se vel per alium, aliqua ratione, occasione, seu causa, sub pœna dupli, & cum refectione damnorum, interesse, & expensarum. Ratis semper & firmis manentibus omnibus & singulis prædictis. Et proinde ad sic complendum & observandum obligavit & hypothecavit se ipsum, suosque in posterum hæredes & Successores, & bona omnia sua, & suorum præsentia & futura. Renuncians exceptioni, rei sic, prout supra, non se habentis, vel aliter se habentis, doli, mali, vis, metus, in factum actioni, conditioni sine causa, vel ex injusta causa, beneficio restitutionis in integrum, etiam ex justa causa, & etiam si de enormi vel enormissima læsione dici, agi, & doceri posset, auth. Sacram. pub. cod. Si adversus vend. & omni alii juri, legumque & Capitulorum beneficio, quibus contra prædicta venire posset, vel modo aliquo se tueri, certioratus prius de beneficio dictorum jurium a me Notario infrascripto, & etiam a Legum Doctore ante præsens Instrumentum, ut dixit. Et juravit, & jurat ad Sancta DEI Evangelia, tactis corporaliter Scripturis, prædictis non contravenire, absolutionem seu habilitationem a Juramento non petere, & non impetrare, & si concederetur, etiam metu proprio illa non uti, nec uti facere quovis modo. Faciens prædicta omnia & singula in præsentia, cum autoritate, voluntate & consensu præfati Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ Doria, ejus patris præsentis auctorizantis & consentientis. De quibus omnibus prædictus Dominus Antonius rogavit, præsens fieri Instrumentum, per me Leonardum Clavarum, Notarium publicum Genuensem. Actum Genuæ in Palatio solitæ habitationis dicti Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ, ipso aliquantulum ægrotante, sito in contracta Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ, in una ex cameris superioribus versus occidentem, Anno a Nativitate Domini millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo, indictione quarta, secundum Genuæ morem, die Mercurii, secunda Septembris, in tertiis, præsentibus Magnifico Joanne Vultabio, utriusque Juris Doctore, Magnifico Joanne Baptista Doria, filio Illustrissimi Domini Nicolai, Capitaneo Baptista Moreno, filio quondam Domini Jacobi, & Stephano Chiavarino, filio Domini Nicolai Genuensis. Testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Leonardus Clavarus, filius quondam Magnifici Ambrosii, publicus Apostolica & Imperiali autoritate Notarius Genuensis, suprascriptum Instrumentum consensus & renunciationis, rogatus scripsi, testatus sum, & publicavi, & in hanc publicam formam redegi, & manu mea subscripsi, & signum meorum Instrumentorum consuetum apposui. In fidem præmissorum. Locus Signi. Ea die, hora & loco, præsentibus dictis testibus. Supradictus Illustrissimus Antonius Doria cum auctoritate & consensu Patris, ut supra, ad cautelam, & quatenus expediat, supplicat Serenissimam Dominationem hujus Reipublicæ Genuensis, seu spectatum Magistratum extraordinarium, quatenus dignetur comprobare & convalidare præsens Instrumentum, & omnia & singula in eo contenta, & supplere quoscumque defectus, si qui inessent, & præsertim cognitionis causæ, & autoritatis Magistratus Ordinarii non adhibiti, & consilii & auctoritatis propinquorum, etsi dici posset, dictum suprascriptum Instrumentum cedere ad utilitatem patris, & quarumcumque solemnitatum Statuti de Contractibus minorum &c. ita ut suprascriptum Instrumentum & contenta in eo valeant perinde, ac si observatæ fuissent quæcumque solemnitates dicti Statuti & juris, & auctoritatem suam in dicto Instrumento interponere per publicum Decretum in opportuna forma. De quibus omnibus rogavit præsens fieri Instrumentum per me dictum Leonardum Clavarium, Notarium. Idem Leonardus Clavarus, Notarius. MDLXXXXII. die secunda Septembris.

Spectatus Magistratus Extraordinariorum Serenissimæ Reipublicæ Genuensis. Viso Instrumento rogato per Magnificum Leonardum Clavarum, Notarium, hodie in tertiis, quo Illustrissimus Antonius Doria, filius Illustrissimi Joannis Baptistæ, annum agens ejus ætatis tertium decimum, sciens dictum Dominum Joannem Baptistam, ejus Patrem vendidisse & alienasse Illustrissimo & Excellentissimo Domino Joanni Andreæ Doria, Principi Melfiæ, &c. locum, feudum, & Marchionatum Sancti Stephani Vallis Avanti cum bonis, juribus, territorio, & jurisdictione, meroque & mixto imperio, & gladii potestate, volens, quantum in se est, alienationem ipsam fartam, tectamque habere, venditionem & alienationem prædictam, Instrumentumque desuper confectum, ac omnia & singula in eo contenta, laudavit, acceptavit & confirmavit, illique & illis consensit, renuntiavitque ad beneficium præfati Excellentissimi Domini Principis & ejus Successorum & descendentium omnibus & singulis juribus &c. competentibus & competituris ipsi Domino Antonio, uti descendenti a quondam Illustrissimo Domino Antonio, ejus Avo paterno, ac uti filio de legitimo matrimonio dicti Illustrissimi Domini Joannis Baptistæ ac uti devocatis in investitura facta de dicto loco, feudo & Marchionatu, ac bonis dicto quondam Illustrissimo Domino Antonio Avo paterno ipsius Domini Antonii per Serenissimum Imperatorem Carolum V. nunquam delendæ memoriæ, & alia quavis relatione, & ut latius legitur ex eo Instrumento, ac sub modis, formis, & verbis in eo expressis, cui in omnibus habeatur relatio, visaque supplicatione facta per dictum Illustrissimum Antonium D. D. suis eadem die recepta per eundem M. Leonardum Clavarum Notarium re examinata ad calculos, Instrumentum ipsum, & omnia & singula in eo contenta, comprobaverunt & comprobant respectu defectuum sigillatim in ea supplicatione expressorum, quos supple-

pleverunt, & supplent, suamque in eo Instrumento interposuerunt, & interponunt auctoritatem, contrariis non obstantibus.

C - a - - *Joannes Hieron. Valetar.* Canc.

Ceccolinus Margarutius Sacerdos Sancto Severinus, J. V. D. Prothonotarius Apostolicus Vic. generalis Archiepiscopalis Genuæ universis & singulis fidem facimus & attestamur, quod dictus M. Leonardus Clavarus, Notarius, qui dictum Instrumentum rogatus scripsit, testatus fuit, & publicavit, ejusque manu propria subscripsit, & suo Signo solito tabellionatus obsignavit, & supplicationem sub eo & recepit, & ejus manu propria subscripsit dictus N. Joannes Hieronymus Valetarius, Cancellarius Notarius, qui dictum Decretum & recepit, ejusdemque manu propria subscripsit temporibus respective, de quibus supra ante, post, & de præsenti fuerunt, erunt, & sunt Notarii Publici, fideles, legales, de matricula Notariorum Venerandi Collegii præsentis Civitatis dictus N. Joannes Hieronymus Valetarius, præfatorum M. D. Extraordinariorum Cancellarius, Instrumentisque & scripturis publicis per eorum quemlibet confectis, seu subscriptis in judicio, & extra, adhibita fuit, & de continuo adhibetur plena fides. Datum Genuæ in Archiepiscopali palatio, cum soliti Sigilli Curiæ nostræ impressione, die quarta Septembris, MDLXXXXII.

Locus Sigilli.

C - a - *Horatius de Facio*, Notarius, & Curiæ Archiepiscopalis Genuensis Cancellarius.

Cumque iidem, Princeps Joannes Andreas ab Auria, & Marchio Joannes Baptista ab Auria, ejusmodi contractum emptionis & venditionis debitæ excutioni mandari, plenumque exitum & effectum sortiri cupiant, Nobisque demisse supplicarint, ut cum feudum illud Sancti Stephani Vallis Avanti alias alienari, aut vendi non possit, neque debeat, facultatem ad hoc dicto Joanni Baptistæ ab Auria dare, & superius inserta Instrumenta, omniaque & singula in iis contenta, ac nominatim consensum & renuntiationem pro se, suisque posteris legitime ex se descensuris supranominatorum Joannis Baptistæ patris vendentis atque alienantis, & Antonii filii renunciantis (non obstante minoris ætatis defectu) autoritate Nostra Cæsarea approbare, confirmare, & quicquid in iis forte deesse possit, supplere clementer dignaremur. Nos sane benigne considerantes præclara & insignia celeberrimæ familiæ ab Auria in Christianam Rempublicam, cum antiqua tum recentia merita, perpetua item in Nos, & in Augustam Domum nostram Austriacam, atque in Sacrum Imperium observantiæ studia, quibus singularem Prædecessorum majorum, ac parentum nostrorum Romanorum Imperatorum, ac Regum, nostramque gratiam ac benevolentiam promeruerit, ac promoreri non desinat, in qua familia Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melfi, supranominatus, laudatissimo & divo quondam Imperatori (immortalis memoriæ) Carolo V. patruo nostro magno charissimi Principis Andreæ ab Auria, Proavi sui, fortitudinem ac virtutem imitans, eximia Nos animi devotione colat, promptumque Nobis nostrisque ad quamcumque occasionem obsequium præstet, cujus Proavo ante nominato Marchio Joannes Baptista ab Auria acceptum ferat, quod Pater suus Antonius ab Auria castrum, locum, & Jurisdictionem Sancti Stephani Vallis Avanti, cum titulo & honore Marchionatus, primum a dicto patruo nostro magno dono acceperit, ita ut beneficii illius memoriam & gratum animum erga Principem Joannem Andream ab Auria Joannes Baptista in hac venditione atque alienatione sæpe memorati Marchionatus declarare, & eum ad motus illos, qui nuper in Sancti Stephani loco inter subditos excitati fuere, nequa alia mutatio periculosior sequeretur, plane componendos, & ad exsolvendum ac liberandum sese facilius debitis, quibus bona sua graventur, ad alienationem ac venditionem veniendum fuerit, potius intra familiæ suæ limites manere voluerit. Idcirco ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, ac sano accedente consilio, deque potestatis nostræ plenitudine facultatem vendendi atque alienandi feudum illud Sancti Stephani Vallis Avanti Joanni Baptistæ ab Auria dedimus suprascripta & inserta contractus emptionis, venditionis, atque alienationis Instrumenta, una cum pactis, modis, formis, & conditionibus iisdem contentis, in omnibus suis punctis, articulis, clausulis, sententiis, & verborum expressionibus, nominatim autem in ea contractus parte, ubi Princeps Joannes Andreas ab Auria pro se, suisque filiis, & Successoribus masculis legitimis, ex se vel ex suis liberis, quem præfatus Princeps in ultima voluntate, vel inter vivos nominandum duxerit, descendentibus stipulatur, ita quidem, ut si ipse nominandus, vel ejus linea masculina deficeret, sint, & intelligantur nominati reliqui filii, & descendentes masculi de legitimo matrimonio præfati Principis, & eorum descendentes masculi de legitimo matrimonio per gradus prærogativam, etiamsi nominandus ut supra esset minimus filiorum suorum, vel non esset primogenitus, clementer approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, ac tenore præsentium approbamus, ratificamus & confirmamus, Imperialisque autoritatis robore & firmitate munimus, quantum in iis de jure, vel ex gratia confirmare & concedere possumus ac debemus. Decernentes & statuentes, quod omnia & singula firma validaque esse & censeri, ac de omnibus, ad quos spectant, inviolabiliter observari debeant. Supplentes ex eadem nostra scientia & autoritate Imperiali omnes & quoscumque defectus tam juris, quam facti, si qui in præmissis forte intervenissent, aut intervenisse quovis modo dici allegarive possent; inprimis vero minoris ætatis supranominati Antonii, Joannis Baptistæ ab Auria filii, ne quis ex eo vel ex parte descendentium, quicquam adversus memoratum Contractum opponere imposterum valeat, non obstantibus quibuscumque, tam in genere, quam specie, in contrarium facientibus. Quibus omnibus & singulis in quantum huic nostræ approbationi, ratificationi, confirmationi & suppletioni contravenirent, aut contravenire possent, derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes.

Cum porro ex parte Illustrissimi nostri, & Sacri Imperii fidelis, dilecti, Joannis Andreæ ab Auria Princi-

Principis Melphi, &c. Marchionis Turriliæ humillime supplicatum fuerit, ut contractu isto emptionis & venditionis ratione loci ac Marchionatus Sancti Stephani Vallis Avanti approbato & confirmato, de eodem Marchionatu, & omni ejus districtu, finibus, limitibus & territoriis, meroque & mixto imperio, ac gladii potestate, omnimodaque jurisdictione, & aliis juribus, ac pertinentiis suis universis, quocumque vocabulo & appellatione distinctis, & cum omnibus illis privilegiis, prærogativis, potestatibus, autoritatibus, præeminentiis, libertatibus, immunitatibus, commodis, reditibus & proventibus, quibus dictus Joannes Baptista ab Auria, & ejus Pater Antonius ab Auria illa omnia tenuerunt, & possederunt, benigne investire, atque insuper alia etiam quæcunque privilegia, indulta, ac libertatum, prærogativarum, & honorum ornamenta, quæ ipsi concessa, approbata & confirmata fuerunt, concedere, approbare & confirmare dignaremur.

Nos sane, benigne perpensis multiplicibus, quæ supra commemorata sunt, meritis ac virtutibus Illustris & vere generosæ familiæ ab Auria, præsertim autem ipsius Principis Joannis Andreæ ab Auria, humilibus ejus precibus, ne beneficentia ipsi nostra uspiam defuisse videri possimus, clementer annuendum duximus. Idcirco motu proprio, animoque bene deliberato, & ex certa nostra scientia, sano procerum nostrorum, & Sacri Imperii fidelium accedente consilio & auctoritate nostra Cæsarea, deque potestatis nostræ plenitudine, omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus validius & efficacius fieri possit ac debeat, ipsum Illustrem Joannem Andream ab Auria Principem Melfi, Marchionem Turriliæ, de Marchionatu & feudo Sancti Stephani Vallis Avanti, una cum titulo, dignitate, honore, præeminentiis, exemptionibus, libertatibus, Jurisdictionibus, mero & mixto imperio, aliisque Regalibus, juribus, & pertinentiis antedictis, eo plane modo, quo sæpe memoratus Joannes Baptista ab Auria ea habuit ac possedit, tanquam verum ejusdem loci Sancti Stephani Marchionem investimus, & ea illi in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum pro se, & filiis, ac hæredibus suis masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina natis, & scilicet inter suos liberos, quem ipse in ultima voluntate, vel inter vivos nominandum duxerit, concedimus, quicquid in his de æquitate & gratia dare & concedere possumus & debemus. Ita quod ipse Illustris Joannes Andreas ab Auria prædictum Marchionatum & feudum cum memorata ejus dignitate & honore Marchionali, item universo ejus districtu, finibus, limitibus & territorio, meroque & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, aliisque juribus & pertinentiis suis universis, quocumque vocabulo & appellatione distinctis, cum omnibus illis privilegiis, prærogativis, potestatibus, auctoritatibus, præeminentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, commodis, reditibus & proventibus, aliisque pertinentiis suprascriptis perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum, a Nobis, & Sacro Romano Imperio habere, tenere & possidere, ac modo præscripto libere de illo inter filios suos, tam inter vivos, quam in ultima voluntate disponere possit ac valeat; Ita quidem, ut neque Joannes ipse Baptista ab Auria, neque Antonius ejus filius, neque quisquam ex iis descendentium quicquam adversus Superiorum concessionem, approbationem, aut confirmationem opponere in posterum possit aut debeat. Reservata tamen Nobis & nostris Successoribus Romanorum Imperatoribus, ac Regibus, & Sacro Romano Imperio superioritate, & feudali obsequio, eaque insuper lege ac conditione, quod ipsius Illustris Joannis Andreæ filii hæredes, & descendentes, qui ex forma suprascripta, & in præfato Marchionatu & feudo successuri sunt, eundem Marchionatum, quotiescunque casus postulaverit, a Nobis aut Successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus vel Regibus, & Sacro Romano Imperio in feudum recognoscant, ipsiusque, ut juris est, investituram accipiant, & demum homagii & fidelitatis juramentum præstent, quemadmodum in præmissorum omnium per Nos concessorum recognitionem honorabilis doctus, noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Joannes Baptista Torniolus, Juris utriusque Doctor, præfati Illustrissimi Joannis Andreæ ab Auria, Principis Melphi, & Marchionis Turriliæ, & Sancti Stephani Procurator legitimus, nomine & in animam ipsius Principis Joannis Andreæ, pleno ad id mandato suffultus, solitum ac debitum homagii ac fidelitatis cum humillima reverentia præstitit juramentum: quod videlicet ex nunc in antea Nobis nostrisque Successoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus, & Sacro Romano Imperio erit fidelis & obediens, nostrumque & Romani Imperii commodum fideliter promovebit, & quando senserit aliquid contra personam, honorem, & statum nostrum tractari, pro viribus illud impediet, atque avertet, & Nos de eo quamprimum obsequenter admonebit, ac omnia alia & singula faciet, quæ Noster & Sacri Imperii fidelis Vasallus Domino suo, Romanorum Imperatori, de jure vel consuetudine facere, ac præstare debet, & tenetur, omni dolo & fraude semota. Mandamus igitur omnibus Officialibus, Vasallis & subditis castri, oppidi, & Marchionatus Sancti Stephani, ejusque jurisdictionis & districtus, præsentibus, & futuris, ut præfatum Joannem Andream ab Auria, Marchionem Sancti Stephani, ejusque hæredes & Successores antedictos pro suis veris Dominis agnoscant, reputent, & teneant, eorumque mandatis reverenter pareant, & obediant, fidelitatem debitam atque alia omnia præstent, quæ fideles Vasalli, & Subditi suis Dominis utilibus facere & præstare debent atque tenentur. Porro ut præfato Illustrissimo Joanni Andreæ ab Auria singularem benigni nostri in eum animi propensionem uberius declaremus, scientia & autoritate, quibus supra confirmamus, ratificamus, ac approbamus, etiam facultatem, potestatem, & autoritatem a Divo quondam Domino Avo nostro Paterno, Imperatore Ferdinando, olim Antonio ab Auria clementer donatam & concessam, ac successive postmodum per Divum Imperatorem Maximilianum II. Dominum Genitorem, & prædecessorem nostrum observandissimum, & Nos ipsos in personam Joannis Baptistæ ab Auria denuo approbatam & confirmatam, videlicet per totum Romanum Imperium & ubili-

ubilibet terrarum Notarios publicos seu Tabelliones faciendi, Doctores promovendi, Equites Auratos creandi, naturales, Bastardos & similes legitimandi, atque officinam monetariam fabricandi & instituendi, ac monetam auream, argenteam, & æream, cujuscumque generis, sortis, & valoris, cudendi, prout hæc omnia in divorum Dominorum Avi paterni, & Patris nostri, nostrisque Diplomatibus (quæ hic pro expressis & insertis haberi volumus) continentur.

Et quoniam Antonius ab Auria, ejusque filius Joannes Baptista ab Auria, ejusque in dicto Marchionatu bonis & juribus successores, una cum eodem Marchionatu, omnibusque & singulis ejus bonis, Juribus, & rebus in Sacri Imperii clientelam, protectionem & Saluaguardiam assumpti & suscepti fuerunt;

Volumus, ac tenore præsentium auctoritate nostra Cæsarea firmiter statuimus & decernimus, quod sæpe dictus Illustris Joannes Andreas ab Auria Princeps Melphi, Marchio Turriliæ, & Sancti Stephani Vallis Avanti, ejusque in jam nominato Marchionatu hæredes & Successores legitimi, cum eodem Marchionatu, ac ejusdem hominibus, subditis, Vasallis, pertinentiis, bonis, reditibus, Vassallagiis, & rebus omnibus, quocunque nomine appellentur, de cætero quoque & in perpetuum sint, teneantur, & esse debeant sub speciali tuitione, & salvaguardia nostra, & Imperialis nostræ Aquilæ salvi, protecti, & securi ab omni gravamine, oppressione, & onere hospitandorum militum & Stipendiariorum, & quod omnibus & singulis immunitatibus, gratiis, & prærogativis potiantur & gaudeant, quibus alii sub hujusmodi nostra Imperiali salvaguardia ac protectione constituti de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, ac gaudent, citra cujusque impedimentum aut contradictionem. Ita tamen, quod prædictus Marchio, & Successores in sæpedicto Marchionatu, quotiescumque ab aliquo conventi fuerint, in Judicio coram competente Judice sese sistere debeant & teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ Investituræ, infeudationis, concessionis, gratiæ, libertatis, prærogativæ, protectionis, salvaguardiæ, derogationis, voluntatis, decreti, & mandati paginam infringere, aut quovis temerario ausu violare, vel convellere sub pœna nostræ, & Sacri Imperii indignationis gravissimæ, & mulcta ducentarum Marcharum auri puri, pro dimidia parte Fisco nostro Cæsareo, pro reliqua vero parti læsæ, omni veniæ & remissionis spe sublata, ex æquo solvenda, toties quoties contra hoc nostrum Cæsareum Diploma peccatum fuerit, & quod hæc rata, valida, & firma haberi velimus. In rei evidens testimonium præsentibus manu nostra subscriptis, sigillum nostrum Cæsareum appendi jussimus. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die prima mensis Decembris, Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani decimo octavo, Hungarici vigesimo primo, & Bohemici itidem decimo octavo.

RUDOLPHUS.

Jacobus Curtius a Peufflennau.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

Johannes Barvitius.

Taxa mille & ducentorum coronatorum.

IX.

Caroli VI. Roman. Imperat. literæ, in quibus Joannem Andream ab Auria Landi, Principem Melphi, de Marchionatu Turriliæ ejusdemque annexis atque juribus investivit, d. d. 12. Sept. An. 1712.

CArolus VI. Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granadæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris & inferioris Silesiæ, Calabriæ, Athenarum, & Neopatriæ, Princeps Sueviæ, Cataloniæ, & Austriæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ & Arthesiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Oristhani, Comes Goziani, Namurci, Rossilionis & Ceritaniæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ; Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Illustris noster, & Sacri Romani Imperii fidelis, dilectus, Joannes Andreas ab Auria Landi, Princeps Melphi demississime exponendum curarit, ab Augusto Prædecessore Romanorum Imperatore ac Fratre nostro Josepho gloriosissimæ memoriæ, Anno Domini millesimo septingentesimo sexto die vigesima septima Septembris sibi super Marchionatu, Castris, locis & Feudis Turriliæ, Carreghæ, Montis Tavani, Calessis, Veppi, Cremontis, Grondonæ, Crucis, Vallis Trebbiæ, Galbaniæ, Varghi, Montis acuti, Carisetti, Lodani, item de mero & mixto imperio & jurisdictione plenaria Castrorum & Terrarum Mazzolariæ, Apaxedis, Vivoloni, cum omnibus & singulis eorumdem Castrorum, terrarum & locorum hominibus, Curiis, Territoriis, districtibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, jurisdictionibus, meroque & mixto imperio, una cum Casanovæ feudo, dicto Marchionatui Turriliæ, alias per gloriosissimæ memoriæ Imperatorem Rudolphum secundum unito, Investituræ renovationem, aliorumque simul Privilegiorum confirmationem concessam esse, prout ex subinserto diplomatis Cæsarei desuper expediti exemplo liquidius videre est.

Hic cadit exemplum præmemoratæ Investituræ in-

vestissimi

victissimi gloriosissimæ memoriæ Imperatoris Josephi I. necnon aliarum ejus prædecessorum gloriosissimæ pariter memoriæ Imperatorum, in ejus ventre contentarum.

Ac nunc porro Nobis post altissime dictæ suæ Cæsareæ Majestatis obitum ad Imperii culmen elevatis, dictus Princeps Joannes Andreas ab Auria Landi humiliter supplicaverit, ut cum & Nos in supremum & directum Dominum suum recognoscere desideret, se etiam de eodem Marchionatu, castris, Terris, Locis, ac Feudis Turriliæ, & cæteris supradictis, una cum omnibus eorundem pertinentiis, juribus, jurisdictionibus, ac Regalibus clementer investire, atque insuper alia etiam quæcunque privilegia, indulta, ac libertatum, prærogativarum, honorumque ornamenta, quæ Patri quondam suo, Illustri Andreæ ab Auria, concessa, approbata, ratificata, & confirmata fuerunt, concedere, approbare, ratificare & confirmare clementer dignaremur. Nos sane perbenigne considerantes plurima eaque præstantissima Illustris familiæ Auriacæ merita, tum grata imprimis fidelia, atque utilia, quæ cum divis prædecessoribus nostris, Dominis Pro-avo, Avo, Patri & Fratri nostro colendissimis felicissimæ recordationis, tum Sacro Romano Imperio, Augustæ Domui nostræ, atque universæ adeo Reipublicæ Christianæ quondam Joannes Andreas, ac novissime Andreas ab Auria, Pater & filius exulceratissimis temporibus istis præclara majorum suorum legendo vestigia, egregie ac viriliter præstitit, atque prædictum Illustrem Joannem Andream porro præstiturum confidimus servitia, submississimis ipsius precibus clementer annuendum duxerimus, uti vigore præsentis nostri Diplomatis Cæsarei annuimus. Ac proinde ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, & omni alias meliori modo, via, jure & forma, quibus validius & efficacius fieri potest, ac debet, Illustrem nostrum, & Sacri Romani Imperii fidelem, dilectum, Joannem Andream ab Auria Landi, Melphi Principem, Marchionem Turriliæ, & Sancti Stephani Vallis Avanti de prædictis Marchionatu, Castris, Terris & Locis Turriliæ, Carreghæ, Montis Tavani, Calessis, Veppi, Cremontis, Grondunæ, Crucis, Vallis Trebbiæ, Galbaneæ, Varghi, Montis acuti, Cariseti, Lodani, Marsolanæ, Apaxedis, Vivoloni, & Casanovæ, cum omnibus & singulis eorumdem hominibus, Curiis, locis, territoriis, districtibus, juribus & pertinentiis, reditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, datiis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, Regalibus, Jurisdictionibus, meroque & mixto imperio, quemadmodum dictus quondam Pater ipsius Andreas ab Auria ea omnia tenuit & possedit, clementer investivimus & in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, & in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum concedimus, & memorata loca omnia & singula, cum toto Castro Casanovæ dicto Marchionatui Turriliæ, quatenus opus sit, de novo unimus, & quidquid in his de æquitate & gratia dare, concedere, & elargiri possumus, ac debemus, damus, concedimus atque elargimur, ita quod dictus Illustris Princeps Joannes Andreas ab Auria Landi prædicta Castra, terras, loca & Feuda, cum omnibus eorum Regalibus, præeminentiis, territoriis, jurisdictionibus atque aliis perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum a Nobis & Sacro Romano Imperio tenere & possidere possit & valeat, illaque omnia & singula sint & esse debeant in eodem Marchionatu Turriliæ comprehensa & incorporata, neque ab illo alienari vel separari queant. Reservantes nihilominus prædicto Principi Joanni Andreæ liberam facultatem supradicta loca Calessis, Veppi, & Lodani, tanquam a dicto Marchionatu disjuncta & separata, quandocunque ei libuerit, vendendi in totum, seu pro parte, & præsertim agros, quos habet in loco Lodani, etiamsi feudales forent, tanquam essent allodia, ita tamen, ut illorum pretium convertatur in emptionem locorum, dicto Marchionatui adjacentium. Præterea cum Augustissimus quondam Imperator Maximilianus secundus pientissimæ memoriæ, declaraverit, ac statuerit, quod juxta donationem & Investituram Cæsaream, ac dispositionem, per quondam Joannem ab Auria factam, post Illustris quondam Joannis Andreæ ab Auria mortem eadem castra, terra, loca & Feuda transire debeant ad ejus filium primogenitum masculum legitimum & naturalem, eo modo, forma, reservatione & habilitatione, quibus in supranominato Diplomate continetur, quod insuper deficiente Linea masculina, eadem castra, terra, loca & Feuda Marchionatus Turriliæ transire debeant ad fœminas unam aut plures, & earum descendentes masculos, juxta formam ab ipso Joanne Andrea instituendam, & præterea facultatem concesserit in memoratis locis, aut aliquo eorum pro arbitrio suo (salvo tamen jure tertii, & citra alterius æmulationem) fortalitium sive arcem construendi & muniendi, nec non Castra antiqua diruendi, item super fructibus dicti Marchionatus Turriliæ, quotiescumque sibi visum fuerit, annuos census perpetuos constituendi, cum pacto tamen redimendi perpetuo cum illis quantitatibus, quibus melius ei visum fuerit & placuerit, ac denique Vicariatus Imperialis in Italia, nec non alia quæcunque per quondam Comitem de Flisco obtenta & possessa privilegia, utpote in Illustrem quondam Andream ab Auria, ejusdemque Successores translata confirmaverit, quorum etiam privilegiorum approbatio, ratificatio ac confirmatio cum a sacratissimis Imperatoribus Rudolpho secundo, Mathia, & Ferdinandis secundo & tertio, atque Leopoldo & Josepho, Dominis Proavo, Avo, Genitore, Fratre, Agnatis & Prædecessoribus nostris colendissimis augustæ memoriæ, humillime petita, ac benigne sit concessa. Nos itidem prænominato Illustri Principi Joanni Andreæ benignius inclinati illa omnia & singula in memorati divi Imperatoris Maximiliani Secundi Diplomate copiosius expressa, una cum Privilegio sive exemptione fori ex certa scientia auctoritate Nostra Cæsarea, & de Imperialis potestatis plenitudine, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis, verborum expressionibus approbamus, confirmamus, &, quatenus opus est, de novo concedimus. Postremo, ut sæpedictus Joannes Andreas ab Auria, Princeps Melphi, & Marchio Turriliæ supradictis concessionibus, privilegiis & Indultis, atque hac confirmatione nostra liberius uti possit, eundem cum omnibus ejusdem Marchionatus Castris, terris & locis, eorumque pertinentiis, quæ quidem omnia a Nobis & Sacro Romano Imperio

perio immediate recognosci debere decernimus, ac aliis quibuscunque a Nobis & Sacro Imperio bonis in feudum dependentibus, acquisitis & acquirendis, nec non ipsorum hominibus, colonis & subditis in nostram & Sacri Imperii clientelam, protectionem & salvamguardiam, in qua & antehac dictus Marchionatus fuit, & etiamnum & denuo suscepimus & assumpsimus, suscipimus & assumimus harum vigore literarum. Volentes & decernentes quod idem Princeps Joannes Andreas ab Auria una cum memoratis suis castris, terris & locis, eorumque pertinentiis, a Nobis, & Sacro Romano Imperio in Feudum dependentibus, ac aliis quibuscunque bonis acquisitis & acquirendis, nec non ipsorum hominibus, Ministris, Colonis, & subditis sub hac speciali protectione, tuitione & salvaguardia nostra, & Imperialis Aquilæ nostræ perpetuo salva, protecta & secura ab omni gravamine, oppressione & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum esse debeat, possitque deinceps uti, frui, potiri & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis & prærogativis, quibus alii in hujusmodi nostra & Sacri Imperii salvaguardia ac protectione constituti sunt, de jure, vel consvetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent citra cujusquam impedimentum & contradictionem, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, etiamsi talia essent, de quibus mentionem specialem fieri oporteret. Nos enim iis omnibus & singulis derogamus & derogatum esse volumus per præsentes. Decernentes etiam omnia attentata & attentanda irrita esse & fore, nulliusque roboris & momenti; Atque ea omnia hac semper Lege, quod ipse Illustris Princeps Joannes Andreas, omnesque ejus Successores, quoties-cunque casus tulerit, Investituræ hujus Imperialis renovationem petere, debitumque hoc nomine homagium de novo præstare teneantur, quemadmodum in præmissorum omnium per Nos concessorum recognitionem supradicti Illustris Principis Joannis Andreæ Procurator legitimus, honorabilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus, Consilii nostri Imperialis Aulici Agens, Philippus Wilhelmus de Wrf nomine, & in animam ejusdem, pleno ad id mandato instructus præstitit. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existat, ac quacunque fulgeat præeminentia & dignitate, liceat, hanc nostræ Investituræ, concessionis, unionis, ratificationis, declarationis, confirmationis, protectionis, & salvæguardiæ, exemptionis, assumptionis, voluntatis & gratiæ paginam infringere, violare, contemnere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, is, præter quod nostram, & Sacri Imperii indignationem incurret gravissimam, trecentarum quoque marcarum auri puri probi sui, ex semisse ærario, sive Fisco nostro Imperiali, & ex altero semisse injuriam passi, seu passorum usibus applicandarum, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, mulctam dare iam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ, die duodecima Septembris, Anno Domini millesimo septingentesimo duodecimo, Regnorum Nostrorum, Romani secundo, Hispanicorum decimo, Hungarici & Bohemici vero itidem secundo.

CAROLUS.

V^t. Frid. Carl. Com. de Schönborn.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majest. proprium,
Petrus Josephus Dolberg.

Registrat. & collat.
Joannes Hermannus Nolden, Registrator.

X.

Caroli VI. Rom. Imp. literæ, in quibus Joannem Andream ab Auria Landi, Principem Melphi, de Marchionatu S. Stephani Vallis Avanti, ejusdemque annexis atque juribus investivit, d. d. 12. Sept. An. 1712.

CArolus VI. Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ, superioris & inferioris Silesiæ, Calabriæ, Athenarum, & Neopatriæ, Princeps Sveviæ, Cataloniæ, & Asturiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ, & Arthesiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Oristhani, Comes Goziani, Namurci, Rossilionis & Ceritaniæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Illustris Noster, ac Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Joannes Andreas ab Auria Landi, Princeps Melphi, demississime exponendum curavit, ab Augusto Prædecessore, Romanorum Imperatore, ac fratre nostro Josepho gloriosissimæ memoriæ, sibi super loco & Marchionatu Sancti Stephani Vallis Avanti cum omnibus ejusdem juribus renovationem Investituræ die vigesima septima Septembris Anni Millesimi septingentesimi sexti clementer fuisse concessam, prout ex subsequenti diplomatis exemplo liquidius constat.

Hic cadit exemplum præmemoratæ Investituræ invictissimi gloriosissimæ memoriæ Imperatoris Josephi I. nec non aliarum ejus prædecessorum gloriosissimæ pariter memoriæ Imperatorum in ejus ventre contentarum.

Ac nunc porro Nos post altissime dictæ suæ Cæsareæ Majestatis obitum ad Imperii culmen elevatos, dictus Princeps Joannes Andreas ab Auria Landi suppliciter rogarit, ut, cum & Nos in supremum, immediatum & directum Dominum suum recognoscere desideret, Nos ipsum mediante Persona legitime

timi Procuratoris ac Mandatarii sui, honorabilis Nostri & Sacri Imperii fidelis dilecti, Consilii Nostri Imperialis Aulici Agentis, Philippi Wilhelmi de Würf, de eodem Marchionatu Sancti Stephani Vallis Avanti, & omni ejus districtu, finibus, limitibus, & territoriis, meroque & mixto imperio, ac gladii potestate, omnimodaque jurisdictione, & aliis juribus ac pertinentiis suis universis, quocunque vocabulo appellatione distinctis, & cum omnibus illis privilegiis, prærogativis, potestatibus, auctoritatibus, præeminentiis, libertatibus, immunitatibus, commodis, reditibus, & proventibus, quibus quondam Andreas ab Auria, Pater suus, illa omnia tenuit, & possedit, benigne investire, atque insuper alia etiam quæcunque privilegia, ac libertatum prærogativarum, honorumque ornamenta, quæ eisdem concessa, approbata, & confirmata fuerunt, concedere, approbare, & confirmare dignaremur. Nos sane perbenigne considerantes plurima, eaque præstantissima Illustris Familiæ Auriacæ merita, tum grata imprimis, fidelia atque utilia, quæ cum divis prædecessoribus nostris, Dominis Proavo, Avo, Genitori, & Fratri nostro colendissimis felicissimæ recordationis, tum Sacro Romano Imperio, Augustæ Domui nostræ, atque universæ adeo Reipublicæ Christianæ quondam Joannes Andreas, & novissime Andreas ab Auria, Pater & filius, exulceratissimis temporibus illis præclara majorum suorum legendo vestigia egregie ac viriliter præstitit servitia, Nobisque persvasum habentes, prædictum Principem Joannem Andream uti verum rerum & bonorum ab iisdem relictorum hæredem, ita etiam acerrimum paternarum, avitarumque virtutum æmulatorem a præclaris Progenitorum suorum vestigiis haud uspiam recessurum, sed illis firmiter insistendo omnes eo nervos intensurum esse, ut fidem Summo Principi ac patriæ debitam laudabili majorum suorum exemplo, virtuteque duce cunctis spectatum reddat, & acceptum ab illis decus domesticum non solum ab interitu vindicet, verum etiam propriis in Rempublicam meritis adauctum magis & Illustratum posteritatis suæ memoriæ commendet, equidem pro singulari nostra erga ipsum animi affectione humilibus ejusdem precibus deesse haudquaquam potuerimus. Ac proinde ex certa nostra scientia animo deliberato, sano ac maturo accedente consilio, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, & omni alias meliori modo, via, jure, & forma, quibus validius & efficacius fieri potest ac debet, eumdem Illustrem Joannem Andream ab Auria Landi, Principem Melphi, Marchionem Turriliæ, & Sancti Stephani Vallis Avanti de prædicto loco & Marchionatu Sancti Stephani Vallis Avanti, una cum titulo, dignitate, honore, præeminentiis, exemptionibus, libertatibus, jurisdictionibus, mero & mixto imperio, aliisque regalibus, juribus, & pertinentiis antedictis, eo plane modo, quo Illustris quondam Andreas ab Auria Pater ipsius, aliique ejusdem majores ea omnia tenuerunt & possederunt, clementer investimus, atque ea ipsi in feudum nobile, antiquum, avitum & paternum pro se, filiis, hæredibusque suis masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina natis, et scilicet inter liberos suos, quem ipse in ultima voluntate, vel inter vivos duxerit nominandum, modo concedimus, quæcumque in his de æquitate et gratia dare et concedere possumus et debemus, ita quod ipse ante nominatus Princeps Joannes Andreas ab Auria Landi prædictum Marchionatum et feudum Sancti Stephani Vallis Avanti, cum memorata ejus dignitate, titulo, atque honore Marchionali, item universo ejus districtu, finibus, limitibus, et territorio, meroque et mixto imperio, gladii potestate, et omnimoda jurisdictione, aliisque juribus, et pertinentiis suis universis, quocumque vocabulo et appellatione distinctis, cumque omnibus illis privilegiis, prærogativis, potestatibus, auctoritatibus, præeminentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, commodis, reditibus, et proventibus, aliisque pertinentiis suprascriptis perpetuo in feudum nobile, antiquum, avitum, et paternum a Nobis, et Sacro Romano Imperio habere, tenere, & possidere, ac suo tempore modo præscripto libere de illo inter filios suos tam inter vivos, quam in ultima voluntate disponere possit ac valeat, reservata tamen Nobis, et Sacro Romano Imperio superioritate et obsequio feudali, ea nimirum lege ac conditione, ut ipse Princeps Joannes Andreas, ejusque hæredes et descendentes, qui ex forma suprascripta ei in præfato Marchionatu, et feudo successuri sunt, eumdem Marchionatum, quotiescumque res et occasio postulaverit, a Nobis et Successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus vel Regibus, & Sacro Romano Imperio in feudum recognoscant, et super ipso, ut juris morisque est, Investituram accipiant, quemadmodum in præmissorum omnium per Nos concessorum recognitionem supranominatus Procurator suus legitimus nomine, et in animam ipsius pleno ad id mandato instructus solitum ac debitum homagii ac fidelitatis cum humillima reverentia præstitit juramentum, quod videlicet ex nunc in antea Nobis, nostrisque Successoribus, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, legitime intrantibus, et Sacro Romano Imperio erit fidelis et obediens, nostrumque et Sacri Imperii Romani commodum fideliter promovebit, et quando senserit aliquid contra personam, honorem & statum nostrum tractari, pro viribus illud impediet, atque avertet, & Nos de eo quamprimum obsequenter admonebit, ac omnia alia & singula faciet, quæ ratione horum feudorum Domino eorumdem supremo & directo, Romanorum Imperatori, de jure vel consvetudine fieri ac præstari debent, omni dolo ac fraude semota. Porro ut sæpe mentionato Joanni Andreæ ab Auria singularem benigni nostri erga se animi propensionem uberius declaremus, scientia & auctoritate, quibus supra, confirmamus, ratificamus, approbamus, etiam facultatem, potestatem, & autoritatem, a Divo quondam Domino Ferdinando primo olim Antonio ab Auria clementer impertitam & concessam, ac successive postmodum per dictos Imperatores Prædecessores nostros, Maximilianum secundum, Rudolphum secundum, Mathiam, Ferdinandum secundum, Ferdinandum tertium, Leopoldum & Josephum approbatam & confirmatam, videlicet per totum Romanum Imperium, & ubilibet terrarum Notarios publicos seu Tabelliones faciendi, Doctores, Magistros & Baccalaureos promovendi, Equites auratos creandi, naturales, bastardos, & similes legitimandi, officinam monetariam exædificandi, atque instruendi, & monetam auream, argen-

argenteam & æream cujuscumque generis, fortis & valoris cudendi, prout hæc omnia in Divorum Imperatorum Diplomatibus, quæ hic pro expresse insertis haberi volumus, prolixe continentur, ita quod ipse Princeps Joannes Andreas, ejusdemque Successores in dicto loco & Marchionatu Sancti Stephani Vallis Avanti, sint semper & perpetuo sub sola & immediata protectione & obedientia nostra, Sacrique Romani Imperii, & non alterius, etiam Vicarii Locumtenentis præfati Sacri Imperii Romani, sui cujusvis alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio, nisi forte a Nobis Commissarii Nostri ad sæpedictum Principem, Joannem Andream, ejusdemque Successores specialiter deputentur, quo quidem casu se coram iis sistere tenebuntur. Et quoniam Illustris quondam Andreas ab Auria Pater suus, una cum eodem Marchionatu omnibus & singulis ejus bonis, juribus, rebus ac pertinentiis in Sacri Imperii clientelam, protectionem & salvamguardiam assumptus & susceptus fuit, volumus, ac tenore præsentium auctoritate nostra Cæsarea firmiter sancimus & decernimus, quod sæpedictus quoque Illustris Joannes Andreas ab Auria Landi Princeps Melphi, Marchio Turriliæ, & Sancti Stephani Vallis Avanti, ejusque in nominato Marchionatu hæredes & Successores legitimi, cum eodem Marchionatu atque ejusdem hominibus, subditis, vasallis, pertinentiis, bonis, reditibus, vasallagiis & rebus omnibus, quocunque nomine appellentur, deinceps quoque & in perpetuum sub hac speciali protectione, tutela & salvaguardia nostra & Imperialis Nostræ Aquilæ sint, & esse possint, valeant, debeant, & teneantur salvi, protecti, tuti ac securi ab omni gravamine, molestia & oppressione, & onere hospitandorum militum, & stipendiariorum, atque uti, frui, potiri & gaudere omnibus & singulis immunitatibus, gratiis & prærogativis, quibus alii in hujusmodi Nostra & Sacri Imperii salvaguardia & protectione constituti de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, citra cujusquam impedimentum & contradictionem, ita tamen, quod prædictus Princeps Joannes Andreas, & Successores in sæpememorato Marchionatu, quotiescunque ab aliquo conventi fuerint, in judicio coram competente judice sese sistere debeant, & teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ investituræ, infeudationis, concessionis, gratiæ, libertatis, prærogativæ, protectionis, salvaguardiæ, derogationis, voluntatis, decreti & mandati paginam infringere, aut eam quovis ausu temerario violare vel convellere sub pœna Nostra, & Sacri Imperii indignationis gravissimæ, & mulcta ducentarum marcarum auri puri, pro dimidia parte Fisco Nostro Cæsareo, pro reliqua vero parti læsæ, omni veniæ & remissionis spe sublata, ex æquo solvenda, toties quoties contra hoc nostrum Cæsareum Diploma peccatum fuerit. Et quod hæc rata, valida & firma haberi velimus, in rei evidens testimonium præsentibus manu nostra subscriptis, Sigillum Nostrum Cæsareum appendi jussimus. Datum in Civitate nostra Viennæ, die duodecima Septembris, Anno Domini millesimo, septingentesimo duodecimo, Regnorum Nostrorum Romani secundo, Hispanicorum decimo, Hungarici & Bohemici vero itidem secundo.

CAROLUS.

V^t. Frid. Carl Comes de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæsareæ Majestatis proprium

Petrus Josephus Dolberg.

Registrat. & collat.

Joannes Hermannus Nolden, Registrator.

XI.

Decretum Illustris Consilii Imperialis Aulici, in causa Vasallorum Imperii, & nominatim Domini Principis ab Auria, contra attentata Ducatus Mediolanensis, d. d. 19. Septembris, Anno 1725.

INclytum Consilium Regio-Aulico-Hispanum, ex annexo Fiscalis Imperialis Aulici libello, Sacræ Cæsareæ Majestati exhibito, uberius intelliget, quæ idem denuo ratione Agrimensuræ a delegatis Mediolanensibus in feuda Sacro Romano Imperio immediate subjecta, hic etiam sigillatim in ea, quæ Dominus Princeps ab Auria possidet, Garbaneæ videlicet, Grondonæ atque Vargi, respective attentata & attentanda humillime exponat, & quam solide Fisci Ducalis Mediolanensis argumenta, nec non protestationes de immedietate Imperiali non præjudicando speciose quidem sonantes, ex natura sua tamen semper noxias, aut periculosas refellat. Cum igitur ex præcitata deductione manifestum evadat, nihil adstrui posse, quod antefatam Agrimensuram in immediatis, quotquot eorum in dicto Ducatu sita sunt, feudis Imperialibus corruere non faciat; Hinc inclytum Consilium Imperiale Aulicum requirit per amice pralibatum Consilium Hispano-Regio-Aulicum, velit tandem tot tantisque hactenus delatis feudatariorum Imperialium gravaminibus opportuna adhibere remedia, & qualiter hoc factum fuerit, memoratum Consilium Imperiale Aulicum informare. Quod hac firma spe fretum & Augustissimi Cæsaris, Sacrique Romani Imperii jura sarta tecta, pro muneris sui debito, conservare cupiens, manet vicissim prærepetito inclyto Consilio Hispano-Regio-Aulico ad quævis grata officia promptissimum.

Ex Consilio Imperiali Aulico Viennæ, die 19. Septembris, 1725.

Jos. Hayeck de Waldstätten.

(Inclyto Consilio Hispano-Regio-Aulico amice insinuandum.)

Augustissime Imperator &c.

Domine, Domine clementissime &c.

Fiscalis Imperialis aulicus intelligens, junctam delegatam pro Agrimensura Ducatus Mediolanensis, sive ejus Fiscum nec dum a proposito metiendi via facti immediata feuda Imperii desistere, & hanc

hanc agrimensurationem nominatim feudis Principis ab Auria, Garbaneæ, Grondonæ & Vargi, immediate Sacro Imperio subjectis jam iterum serio comminari, muneris sui esse duxit, præter ea, quæ alias, & quidem pluries, ad arcendam & removendam irrelevantem ac nullatenus fundatam prætensionem præfati fisci Mediolanensis, de metiendis scilicet feudis immediate Imperialibus, circa fines intrinsecos aut extrinsecos ipsius Ducatus existentibus, adduxit, allegavit & exhibuit, sequentia etiam adhuc allegare:

1. Ex ipsa relatione, nuper a Consilio Regio Hispanico transmissa, aperte desumitur, Fiscum Ducalem Mediolanensem antiquis suis male fundatis motivis adhuc inhærere, quibus aliquando asseruit, hæc Feuda (immediate Imperialia) Ducatui esse adnexa, dum allegat ea omnia, quæ Syndicus Maddius, aliique olim, licet indigesta, atque a veritate omnino aliena, allegaverant.

2. Prædictus Fiscus Ducalis tanquam indubitatum supponit, deveniendum esse ad dimensionem eorum Feudorum Imperialium, quæ semel dimensa fuerunt.

Quid igitur præmemoratus Fiscus Mediolanensis allegabit, si denuo hæc dimensio permitteretur? vel quia jam semel tolerata fuit, vel, uti nunc primum tolerabitur, uti in specie sunt Feuda Principis ab Auria, quæ nunquam & nunquam dimensa fuerunt. Ex his autem colligitur

3. Hanc mensuram per ea, quæ suscitantur a Fisco Mediolanensi, ex sui natura tendere ad eversionem immedietatis Imperialis ipsorum Feudorum, nihil juvante protestatione in contrarium, cum sit manifesta protestatio facto contraria, & Fiscus Ducalis antiquas assertiones in hoc casu cum ipsa protestatione cumulare, atque confundere non detrectaverit, &

4. Feudatarios Imperiales nullo modo juvare possunt literæ reversales, quas Fiscus Ducalis offert pro indemnitate Cæsareæ jurisdictionis, quoniam ipsæ eædem literæ tractu temporis ostendent, Fiscum Mediolanensem esse in possessione talis mensuræ, adeoque fiet onus perpetuum ab aliena jurisdictione impositum, non ad majorem libertatem & independentiam, sed ad pejorem subordinationem tendens, atque ad irreparabiles expensas & incommoda; literæ etiam hæ reversales tractu temporis, vel incuria vel aliena malitia perire vel perdi possent, præjudicium vero dimensionis licet nulliter factæ, semper existeret.

Cum quibus brevibus, ast gravissimis, solidissimisque Fiscalis Imperialis aulici argumentis & responsionibus apparentes illæ, sed plane inanes, insubsistentesque, imo capitosæ a Fisco Ducatus Mediolanensis pro faciliori Status dimensione respectu feudorum intrinsecorum, & pro cognitione extensionis ipsius Status respectu extrinsecorum, ac etiam intrinsecorum allegatæ rationes uno ictu corruunt, & clarissime abundantissimeque sunt refutatæ, & cum Fiscus Mediolanensis aliud ad replicandum contra Fiscalis Imperialis Aulici relevantissima argumenta immediatam Imperialitatem feudorum quæstionis defendentia & probantia nihil allegaverit, neque allegare potuerit vel possit, manifestum sit, eum aliam habere intentionem, aliosque fines sub his coloribus latentes, qui non sibi, sed feudatariis Imperialibus certissime præjudicare poterunt; unde concludendum est, Fiscum Ducatus Mediolanensis ab hac dimensionis prætensione omnino & semel pro semper arcendum & removendum esse.

Et cum ex parte Principis ab Auria, ejusque feudorum immediate Imperialium Garbanæ, Grondonæ & Vargi, ad manus fiscalis Imperialis aulici aliqua jurium & rationum deductio pervenerit, & hæc fusius & funditus prætensiones Fisci Mediolanensis evertat, Fisco autem Imperiali & omnibus Feudatariis Imperialibus faveat.

Fiscalis Imperialis Aulicus eam hic sub No. Imo apponit, eique constanter & cum summa justitia inhæret; ex hac enim deductione constat, quod non solum Feuda Principis ab Auria, quæ Magistratus vel Senatus Mediolanensis metiri prætendit, sint ab antiquo & immemorabili tempore pro immediate Imperialibus habita, prout revera sunt, & ideo nunquam a Mediolanensibus dimensa, sed etiam, quod ea omnia, quæ a Fisco Ducatus Mediolanensis, vel ad inficiendam eorum immedietatem, vel ad sustinendam eorum dimensionem, sub prætextu, quod per hanc nullum feudatariis Imperialibus inferatur præjudicium, sint crambe pluries recocta, ast inania, insubsistentia & in nihilo fundata.

Et cum comminationes junctæ delegatæ Mediolanensis non cessent, & omnia pejora sint timenda, præsertim via facti, & ex improviso, neque fidendum, dum dicitur, quod obdormire videatur.

Hinc Fiscalis Imperialis aulicus pro remedio opportuno & pro repetitione insinuationum ad Consilium Regio-Hispanicum eum in finem humillime orat, ut agrimensoribus Mediolanensibus comminata executio feuda Imperialia, & nominatim etiam ea, quæ Principis ab Auria sunt, nempe Garbaneæ, Grondonæ & Vargi, metiendi, serio inhibeatur.

Desuper &c.

Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ
Majestatis Vestræ

Humillimus Fiscalis Imperialis Aulicus,
Joannes Thomas.

D. J. Hayeck de Waldstäten.

Sectionis II.
Classis II.
Caput V.
De Massæ Ducibus atque Carrariæ Principibus.
Tom. I. pag. 1998.

I.

Literæ Caroli VI. Romanorum Imperatoris, in quibus Alderanum, Massæ Ducem atque Carrariæ Principem, de Massæ Ducatu atque Carrariæ Principatu, eorundemque annexis investivit, atque Privilegia Illustrissimæ Familiæ Massanæ confirmavit, d. d. 15. Aprilis, Anno 1717.

CAROLUS VI. (tot. tit.)

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Illustrissimus Noster, Sacrique Imperii fidelis, dilectus Alderanus Cybo de Malaspina, Massæ Dux & Carrariæ Princeps, demisse exponi curarit, a Nobis fratrem quondam suum Albericum Investituram super Ducatu Massæ & Principatu Carrariæ, nec non Monetæ & Laventiæ feudis Imperialibus, cum confirmatione omnium & singulorum privilegiorum, immunitatum, gratiarum, investiturarum, prærogativarum, atque indultorum, majoribus suis a divis quondam Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, concessorum, die 14. Junii, anno 1712. obtinuisse, interea vero, Divinæ Providentiæ decreto, die 20. Novembris, anno 1715. ultimum vitæ diem, nullo penitus a se descendente hærede, sed binis duntaxat germanis fratribus, adeoque legitimis Successoribus suis, Camillo nimirum, & Alderano supplicante relictis, obiisse; quorum quidem primo, nempe Camillo qua seniori, non minus naturæ ordo, quam primogenituræ in hac familia erectæ sanctio, successionem in prænominatis feudis addixerit; Verum tamen hanc successionis prærogativam a nunc memorato Camillo in sacris constituto, & vitam Ecclesiasticam prosequi cupiente, eidem supplicanti Duci Alderano per solenne Instrumentum Nobis authentice productum, cessam esse; ac proinde Nos humillime orarit, ut, cum Nos in supremum atque directum Dominum suum, qua fidelis & obsequens Vasallus, recognoscere desideret, eundem de præfatis Ducatu, Principatu, & feudis atque locis, nec non Regalibus & juribus iisdem annexis, infeudare, simul atque omnia & singula privilegia, gratias & prærogativas ab Augustæ reminiscentiæ Imperatoribus, Prædecessoribus nostris, majoribus suis concessas, denuo ratificare, desuperque literas Investituræ ad normam & formam postremarum elargiri clementissime dignaremur &c.

Nos sane considerantes eximiam fidem, devotionem atque animorum promptitudinem, qua supplicantis Ducis Progenitores & majores, Divos quondam Prædecessores nostros, Imperatores ac Reges, &RomanorumImperium coluisse memorantur, & qua benignitate illi Ducis ipsius Aldorani modo supplicantis Majores ab Augustissimis gloriosæ memoriæ Imperatoribus, Antecessoribus Nostris, habiti, & in protectionem recepti, variis, iisque raris, & quæ non nisi Viris magnis, & illustri virtute præditis, concedi solent, privilegiis, honoribusque ditati exornatique fuerint: Perpendentes etiam, Divum Maximilianum II. Imperatorem augustæ memoriæ, Dominum Antecessorem Nostrum, Marchionatum Massæ per aliquot annorum secula ab Illustri & antiqua familia Malaspina, quæ fidem suam Sacro Romano Imperio constanter probavit, possessum, in Principatum erexisse, Principemque illius temporis Albericum, & Successores ejus legitimos, Massæ Principes, in numerum ac societatem Sacri Romani Imperii Principum retulisse, datis & concessis ipsi quondam Principi Alberico & Successoribus ejus, & sic moderno Duci Alderano quibuscunque privilegiis, dignitatibus, præeminentiis & honoribus, quibus alii ejusdem Imperii Principes, cujuscunque gradus & qualitatis, gaudent, & fruuntur. Considerantes item, divum Rudolphum secundum Romanorum Imperatorem, Dominum agnatum & prædecessorem nostrum colendissimum felicissimæ memoriæ, dictis, aliisque dignis & animum suum moventibus causis per suum diploma sub die decima septima Junii anni millesimi quingentesimi nonagesimi concessisse dicto quondam Principi Alberico ac Principibus ejusdem successoribus in signum nobilitatis Domus suæ, status & protectionis Imperii, aquilam nigram bicipitem, diademate aureo insignitam, antiquis suis armis & Insignibus cum verbo: *libertas:* inserendam.

Agnoscentes insuper, memoratum Principatum & Statum Massæ, nec non Marchionatum Carrariæ, Monetæ & Laventiæ cum suis membris & jurisdictionibus, juste pervenisse ad ipsum Principem Albericum & antecessores ejusdem, & ab iis absque ulla vi, imo justis & legitimis titulis, bona fide & pacifice possessum, eosdemque ad omnem occasionem recognovisse semper devote fideliterque invictissimos Imperatores & Sacrum Imperium.

Scientes quoque, ipsum Statum Massæ opportuno loco (quod consideratione dignum est) situm, ac propugnaculis etiam ad omnes occasiones, quæ ad Imperii Majestatem asserendam, vicinorumque quietem propugnandam serviant, instructum esse, castrum ipsum atque oppidum Massæ pulcherrimis, tum privatis tum publicis ædificiis exornatum, plurimisque ac validissimis operibus permunitum, mercimoniorum frequentia, vicinorumque populorum

lorum ad ea vel exportanda, vel importanda concursu celebre ac locuples, adeoque a supradicto Domino Proavo, ac Prædecessore nostro æternum observando, gloriosissimæ memoriæ, Diplomate suo, quinta & vigesima die Mensis Augusti, anno supra sesqui millesimum centesimo & vigesimo expedito, civitatis titulo cohonestatum, ac in Sacri Romani Imperii civitatum numerum cooptatum, aggregatum & adscriptum fuisse: Reflectentes tandem etiam, ab alte memorato divo genitore nostro, Imperatore Leopoldo, dictum Massæ Principatum in Ducatum, & Carrariæ Marchionatum in Principatum sublimatum, ipsumque Principem Albericum, supplicantis avum, ac descendentes ipsius legitimos consortio ac numero Sacri Romani Imperii Ducum ac Principum, attributis omnibus, quibus alii nostri & Sacri Romani Imperii Duces ac Principes gaudent, Privilegiis, prærogativis ac Regalibus associatum fuisse, prout ex diplomate die 5. Maji, Anno 1664. expedito, & Investituræ die 14. Junii, de Anno 1712. inserto latius apparet.

Ob hæc sane, atque id genus alia tum supplicantis Ducis propria, tum progenitorum suorum præclara merita ac virtutes, fideique & devotionis erga Nos & Sacrum Romanum Imperium, augustamque domum nostram Austriacam pluribus aliis occasionibus pace ac bello contestatæ studium, & ex singulari Cæsarei nostri erga eundem affectus propensione per præsentes literas nostras, ac diploma, scientes, volentes, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine ipsi Illustrissimo Alderano Cybo Malaspinæ, Duci Massæ, omnia & singula Privilegia, exemtiones, immunitates, gratias, investituras, infeudationes, prærogativas, concessiones & indulta, cum dicto quondam Alberico, tum & majoribus, ipsiusve descendentibus legitime concessa & concessas, in quorum quidem supplex Alderanus est possessione, vel quasi, in omnibus suis articulis, punctis, clausulis, sententiis & verborum expressionibus, una cum superius memorato diplomate die 5. Maji, Anni 1664. laudamus, approbamus, & quatenus opus est, ea omnia & singula de novo concedimus, atque eundem Alderanum Cybo Malaspinam, Massæ Ducem, & Principem Carrariæ, pro se, filiis, hæredibus, ac descendentibus suis masculis & fœminis, & legitimis, dummodo masculi fœminis semper præferantur, usque in infinitum, ordine primogenituræ, de primogenito in primogenitum, servato, de prædictis civitate, castris & locis Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, cum omnibus suis districtibus & jurisdictionibus quibuscunque, quemadmodum ea in præsentiarum tenet, & possidet, vel quasi, infeudamus atque investimus (recepto tamen prius vicissim a nostro & Sacri Imperii fideli dilecto, Philippo Wilhelmo, Nobili de Würz, ad aulam nostram Cæsaream Agente, tanquam ejusdem Ducis Alderani Procuratore & Mandatario, sufficienti ad id facultate ac potestate instructo, ut ex instrumento procuratorio, per eundem de Würz producto & exhibito, satis constat, debito solitoque fidelitatis juramento) ac inprimis quidem sæpedicto castro, oppido & loco Massæ titulum civitatis, a divis quondam Imperatoribus, Dominis Avo & Genitore, Prædecessoribus nostris colendissimis, augustissimæ memoriæ, collatum ac concessum, clementer confirmamus, corroboramus, ac de novo (quatenus opus est) concedimus, atque in nostrarum & Sacri Romani Imperii civitatum numerum cooptamus, aggregamus & adscribimus, tum ipsum Ducem Alderanum, una cum prænominatis civitate, arcibus, oppidis, castris & locis in Nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus, ita, quod Dux ipse & Successores ipsius semper & perpetuo sub sola & immediata Nostra, Sacrique Romani Imperii, & non alterius, etiam Vicarii locum tenentis Sacri Romani Imperii, seu cujusvis alterius habentis facultatem, autoritatem, dignitatem, seu quamlibet aliam potestatem, a prædicto Sacro Romano Imperio, protectione & obedientia esse, & quod supradicta civitas Massæ, iis omnino juribus, dignitatibus, prærogativis, præeminentiis, honoribus, aliisque omnibus, quibus reliquæ civitates Imperii utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, quomodolibet consuetudine, vel de jure, uti, frui, potiri & gaudere possit & valeat.

Deinde volentes ejusdem Ducis Alderani indemnitati, quoad alia loca, quæ præter supradictam civitatem, oppida, castra, & loca Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ per Prædecessores ipsius Ducis Alderani possessa fuerunt, quibus nunc spoliatus existit, etiamsi de jure ad ipsum spectent, & pertineant, consultum esse, tenore præsentium, animo deliberato, ex certa nostra scientia, decernimus & declaramus in hoc præsenti privilegio investituræ, non solum supranominatam civitatem, castra & loca, quæ ipse Dux Alderanus in sua potestate habet & possidet, sed etiam omnia alia & singula, quæ ipsius Prædecessores, vel aliqui ex ipsis legitime tenuerunt, & possederunt, & in quibus eidem Duci Alderano, aut ejus hæredibus & Successoribus, quovis modo jus competit, seu competere poterit, comprehendi, & comprehensa intelligi debere, non obstantibus in præmissis quibuscunque legibus, statutis, decretis, constitutionibus, ordinationibus, consuetudinibus & præscriptionibus, aut aliis in contrarium facientibus quibuscunque; siquidem iis omnibus & singulis motu proprio, scientia, autoritate, & potestate prædictis derogamus & derogatum esse volumus per præsentes, etiamsi talia essent, de quibus specialis mentio in præsentibus fieri deberet, nostri tamen & Sacri Imperii juribus in præmissis omnibus salvis & illæsis.

Ad hæc tenore præsentium scienter, deliberate, atque autoritate & potestate nostra Imperiali benigne ratificamus, approbamus & confirmamus conventiones, tam inter supplicantis Ducis Antecessores & Vasallos suos, Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, ratione fidelitatis & obedientiæ præstandæ, initas prioribus Investiturarum literis laudatas & confirmatas, supplentes omnes & singulos defectus, tam joris, quam facti, si qui in iisdem obligationibus & conventionibus intervenissent; Præterea cum constet ex dicto Privilegio Divi Friderici tertii Franciscum Cybo, olim ac ejus filios & descendentes, eum propter plurimas ac præstantissimas virtutes ac merita sua, atque aliorum Prædecessorum viventis Ducis Alderani, qui ex nobili admodum stirpe cybo originem ducit, tum etiam, ut gra-

ut gratificaretur Innocentio Papæ octavo, dicti quondam Principis Alberici tritavo, ornasse multis privilegiis & facultatibus, præsertim legitimandi, natalibusque legitimis restituendi nothos, spurios, & quoscunque ex licito ac legitimo concubio non prognatos, vel descendentes, item creandi Notarios Publicos, seu tabelliones, nec non judices ordinarios & delegatos, ac universis & singulis personis, quæ habiles & idoneæ viderentur, officium Notariatu & Judicatus ordinarii delegatique, adhibitis & consuetis solennitatibus, concedendi & largiendi. Item emancipandi & a patria potestate liberandi quoscunque filiosfamilias, nec non quaslibet idoneas personas, tam in facultatibus utriusque Juris & Medicinæ, quam liberalibus artibus conjunctim & divisim, ad Baccalaureatus gradus & insignia promovendi, & præterea milites, seu Equites auratos creandi, ac demum utendi, fruendi ac potiundi omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus, gratiis, præeminentiis, exemptionibus & indultis, quibus cæteri familiares Imperatorum, Aulæ Imperialis commensales, uti, frui, & gaudere possunt, de consuetudine vel de jure, quemadmodum hæc omnia in memorato Privilegio copiosius latiusque descripta sunt, atque id a consecutis Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, atque ab ipso Domino Genitore nostro observandissimo sacratissimæ recordationis, ratum gratumque habitum, laudatum approbatum, confirmatumque fuerit; Nos dictorum antecessorum nostrorum, Divorum Imperatorum ac Regum Romanorum laudatissimis vestigiis insistere, atque ipsi Duci Alderano gratiam nostram Cæsaream luculentius declarare volentes, autoritate nostra prædicta memoratum privilegium & omnes & quascunque facultates, licentias, libertates & gratias, quæ in ipso privilegio continentur, & in quorum possessione vel quasi Pater suus, Princeps Carolus extitit, approbamus, confirmamus, &, quatenus opus est, denuo concedimus, item confirmamus gratiam & facultatem a prænominata Dilectione & Cæsarea Majestate Sua Domino Avo, ac Prædecessore nostro æternum colendo felicissimæ reminiscentiæ, prædicto quondam Principi Alberico concessam, & ab eadem ac Domino Genitore Nostro colendissimo, dicto quondam Carolo Duci confirmatam, in dicto Ducatu Massæ creandi Comites Palatinos & Consistoriales, quoad nobilitatem tituli & nudum nomen dictæ dignitatis (recepto tamen erga Nos & Sacrum Romanum Imperium fidelitatis juramento) ipsamque denuo, quatenus opus fuerit, dicto moderno Duci Alderano & suis Successoribus in memorato Ducatu concedimus & damus. Et porro volentes eidem ob Prædecessorum suorum, & propria in Sacrum Imperium merita munificentiam nostram ulterius contestari, qua scilicet non ipse modo in officio & debita erga Nos, & idem Sacrum Imperium, observantia, fide & studio contineatur, verum etiam posteri ejus, tanquam splendidissimo monumento ad eadem studia in perpetuum inflammentur, accendanturque, ex certa pariter nostra scientia, animoque bene deliberato, ac de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine sæpedicto Duci Alderano, ejusque filiis, hæredibus & descendentibus legitimis per præsens Nostrum Cæsareum Diploma clementer confirmamus, corroboramus & innovamus, concessam præmentionato quondam ex majoribus Principi Alberico, a pralibato Divo Ferdinando I. Imperatore, Divi quondam Genitoris nostri, Domino tritavo paterno libertatem & facultatem in antedicto Marchionatu ab eo tempore, ut supra demonstratum est, per divum olim Imperatorem Maximilianum in Principatum, & per mododictum Patrem nostrum colendissimum in Ducatum erecto, officinam monetariam fabricandi & instruendi, ac cudendi monetam auream, argenteam & æream cujuscunque generis, sortis ac valoris, cum iis insigniis & inscriptione, quæ dicto Principi Alberico ejusque Successoribus placuerint, dummodo cudatur bona, sincera & justa, quæ non sit deterior illa, quam cum Principes, tum cæteri Proceres ac Respublicæ in Italia existentes, & a Sacro Romano Imperio dependentes, divorum antecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum ac Regum, ac nostra gratiosa concessione cudunt, ut nemo de ejusmodi cusione justam conquerendi causam habere queat. Volentes, ac memorata autoritate & potestate Nostra Cæsarea firmiter statuentes & decernentes, ut dictus Dux Alderanus, & omnes ejus liberi & posteri legitimi, absque omni impedimento & obstaculo possint & valeant in dicto Ducatu Massæ in perpetuum monetam auream, argenteam & æream, bonam tamen, sinceram & justam, nec deteriorem illa, quæ, ut antedictum est, a cæteris Italiæ Principibus, Proceribus & Rebuspublicis, Sacro Romano Imperio subjectis, juxta tenorem & præscriptum privilegiorum, ipsis desuper a divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus concessorum, cuditur, cudere, seu cudi facere, iisque omnibus & singulis gratiis, libertatibus, prærogativis & juribus in hac parte uti, potiri & gaudere, quibus cæteri Sacri Imperii Principes & ordines monetam cudendi facultatem habentes utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, consuetudine, vel de jure, omni impedimento et contradictione postposita.

Postremo licet ex præinserto divi quondam Caroli V. Aviti Prædecessoris nostri Investituræ Privilegio, Illustri olim Ricciardæ, ipsius quondam Principis Alberici avi tritaviæ, concesso, satis appareat, eandem Ricciardam de supra dictis castris & locis Massæ, Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, sub Imperiali tuitione, protectione, & salvaguardia investitam fuisse, ac postmodum sæpedictum quoque Albericum Attavum Paternum prædicti Principis Alberici similem Investituram obtinuisse, quam deinceps pralibato divo quondam Imperatori Maximiliano, Domino Prædecessori nostro, ac successive Augustissimis quondam Imperatoribus Rudolpho, Matthiæ, Dominis agnatis nostris colendissimis, uti & Domino Avo nostro charissimo, Ferdinando III. nec non Domino Genitori, Leopoldo, gloriosissimæ recordationis, confirmare sæpedictum Principem Massæ, ejusdemque conjugem, liberos, Successores legitimos, una cum memorato Principatu Massæ & Marchionatu Carrariæ, aliisque castris, villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis & pertinentiis, a Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibusque eorum subditis & incolis,

colis, nec non officialibus, familiaribus, ministris, & domesticis, denuo in specialem Majestatis Suæ & Sacri Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam assumere, atque insuper a quocunque foro sive tribunali alieno eximere placitum fuerit. Nos tamen sæpe fatum Ducem Alderanum a Nobis eandem beneficentiam experiri cupientes, præinsertum salvæguardiæ & exemptionis fori privilegium, atque omnia in eo contenta, nostra quoque autoritate in omnibus & singulis suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & tenoribus, quemadmodum supra descripta & inserta sunt, de verbo ad verbum laudavimus, approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, prout præsentium vigore literarum, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, ac de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus & innovamus, ipsumque Ducem Alderanum, ejusdemque conjugem, liberos & Successores legitimos, una cum memorato Ducatu Massæ, & Principatu Carrariæ, aliisque castris, villis, prædiis, possessionibus, territoriis, locis & pertinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, omnibus eorum subditis & incolis, nec non officialibus, familiaribus, ministris, ac domesticis, in nostram & Sacri Romani Imperii protectionem, tutelam & salvamguardiam suscipimus & assumimus, ac fide publica, seu salvo conductu contra quorumvis injuriam, & a quocunque tribunali seu foro alieno juxta concessionem, a Divis quondam Imperatoribus, Rudolpho II. Matthia, Ferdinando II. & III. nec non Leopoldo Dominis agnatis, Proavo, Avo, Genitore, ac Prædecessoribus nostris venerandis confirmatam, eximimus, asserimus, ac liberamus, ita quod ipse Dux Massæ ejusdemque Successores in Ducatu Massæ & Principatu Carrariæ, Monetæ & Laventiæ sint semper et perpetuo sub sola et immediata protectione et obedientia nostra, Sacrique Romani Imperii, et non alterius, etiam Vicarii ac locum tenentis præfati Sacri Romani Imperii, seu cujuscunque alterius habentis facultatem, auctoritatem dignitatemque, seu quamlibet aliam potestatem a prædicto Sacro Romano Imperio, volentes, et hoc Imperiali statuentes edicto, præinsertum salvæguardiæ et exemptionis fori privilegium, omniaque et singula in eo contenta, aliaque omnia, quæ a supradictis Sacratissimis Imperatoribus ac Regibus Romanorum, nostris Prædecessoribus gloriosissimæ reminiscentiæ, eisdem quondam Principibus Alberico ac Carolo concessa ac confirmata fuerunt, et nunc moderno Duci Alderano de integro a Nobis conceduntur et confirmantur, rata, valida, firma ac perpetua esse ac manere, quodque sæpedictus Alderanus, Dux Massæ, atque Princeps Carrariæ, ejusque Successores, et ejusdem conjux, liberi, hæredes, posteri et descendentes legitimi, omnesque subditi, vasalli, officiales, familiares, Ministri et domestici in dicto Ducatu et Principatu ac pertinentiis, a Nobis et Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus hujusmodi privilegio salvæguardiæ et exemptionis fori, virtute hujus nostræ confirmationis, innovationis et ampliationis perpetuo uti, frui et gaudere possint. Cognoscentes demum per diploma præfati divi Rudolphi II. Imperatoris, prædicto quondam Principi Alberico sub die decima septima Junii, anno supra sesquimillesimum nonagesimo concessum, a divo Matthia sub die sexta Mensis Maji, anno supra mille sexcentos tertio decimo, atque ab Augustissimo Proavo nostro, divo Ferdinando secundo, sub die quinta & vicesima mensis Augusti, anno millesimo sexcentesimo vigesimo, & postmodum quondam Principi Carolo, sub die septima mensis Novembris, anno supra mille sexcentos tertio & vigesimo confirmatum, motu proprio, sano consilio, scientia ac potestate Imperiali fuisse abrogatas & annullatas omnes infeudationes, uniones, applicationes, & quascunque alias investituras, etiam a divis Imperatoribus, Prædecessoribus nostris, quavis causa & occasione, quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, potestatibus ac Rebuspublicis de dictis Ducatu Massæ & Principatu Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, maxime in præjudicium primævæ libertatis & naturæ eorundem, ac liberæ & immediatæ subjectionis, salvis Sacri Romani Imperii hactenus quomodolibet factas ac concessas, nec non adhærentias sive sequelas antiquas, conventiones, obligationes, hypothecas, ac pacta qualiacunque, etiam juramento confirmata, aut inita cum Ducibus, Principibus, Rebuspublicis & aliis potestatibus, præsertim vero, quæ in præjudicium tendunt Sacri Romani Imperii & libertatis antiquæ dictorum Ducatus Massæ, & Principatus Carrariæ, Monetæ & Laventiæ, quatenus absque expresso assensu Imperiali factæ fuerint, remotis omnibus, quæcunque opponuntur in contrarium, etiamsi talia fuerint, quæ hic necessario nominari deberent, volentes ea haberi, tanquam si nominatim minutatimque expressa essent.

Nos ex prædictis respectibus jam enunciatis, & aliis dignis de causis animum nostrum moventibus, et quia Nobis placuit, et placet, motu proprio, vigore præsentium ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, sanoque accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, approbamus, ratificamus, confirmamus, ac de integro innovamus dictas abrogationes et annullationes factas diplomatis prænarrati, concessi a dicto divo Rudolpho secundo, atque a divis Matthia, Ferdinando secundo & tertio, nec non Leopoldo, Dominis agnatis, Proavo, Avo, Patre, ac prædecessoribus nostris æternum colendæ memoriæ confirmati diebus, mensibus et annis supradictis omnium infeudationum, unionum, applicationum et quarumcunque Investiturarum a divis Imperatoribus, antecessoribus nostris, concessarum, quavis causa et occasione, quibuscunque Regibus, Principibus, Ducibus, Potestatibus ac Rebuspublicis de dictis Ducatu Massæ et Principatu Carrariæ, Monetæ, et Laventiæ, maxime in præjudicium primævæ libertatis et naturæ eorundem, ac liberæ et immediatæ subjectionis solius Sacri Romani Imperii, hactenus quomodolibet factarum et concessarum, nec non adhærentiarum, sive sequelarum antiquarum, conventionum, pactorum quorumcunque et obligationum, et hypothecarum quomodocunque, etiam juramento, confirmatarum, aut initarum, cum Ducibus, Principibus, Rebuspublicis et aliis potestatibus, præsertim vero tendentium in præjudicium Sacri Romani Imperii, et libertatis antiquæ dictorum Ducatus Massæ et Principatus Carrariæ, Monetæ et Laventiæ (quatenus

absque expresso consensu et assensu Imperiali factæ seu facta fuerint) insuper habitis, rejectis ac remotis omnibus, quæcunque opponuntur, seu opponi possunt in contrarium, quamvis ea talia fuerint, quæ hic necessario exprimi et nominari deberent, volentes, ea omnia haberi, tanquam si nominatim minutatimque forent expressa, validis tantummodo et firmis remanentibus investituris et concessionibus factis tam dictæ Illustri Ricciardæ, quam sæpe memoratis quondam Principibus, Alberico et Carolo, eorumque Antecessoribus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ extiterit, liceat, hanc Nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, augmentationis, amplificationis, creationis et erectionis in civitatem, ac decorationis titulo *Illustrissimi* tam vivæ vocis, quam in scriptis protectionibus, concessionis, declarationis, derogationis, abrogationis, investituræ ac gratiæ paginam, decreti, privilegii et voluntatis nostræ Cæsareæ declarationem ullo modo infringere, contemnere, negligere, spernere, violare, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, præterquam, quod nostram et Sacri Imperii gravissimam incurret indignationem, mille marcarum auri puri, probi, toties, quoties neglexerit, spreverit, contempserit, contrafecerit, aut violaverit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, mulctam dare damnas esto, quam quidem ex semisse in ærarium nostrum Imperiale sive fiscum inferendam, ex altera vero semisse injuriam passi, seu passorum usibus decernimus applicandam, atque in eorum omnium & singulorum indubitatam fidem, ac evidens testimonium præsentibus literis nostris manu nostra subscriptis, sigillum nostrum Imperiale appendi jussimus. Datum in Civitate nostra Viennæ, die decima quinta Aprilis, anno millesimo septingentesimo decimo septimo. Regnorum nostrorum, Romani sexto, Hispaniarum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero septimo.

Nota. *Massæ Duces atque Carrariæ Principes* per errorem, Sectionis II. Classi III. Tom. II. hujus Codicis pag. 395. innumerati fuere; cum tamen Massæ Marchiones jam olim a Maximiliano II. Romanorum Imperatore, in S. Rom. Imp. Principum numerum recepti, & a Leopoldo, Romanorum Imperatore, gloriosissimæ memoriæ, jam Anno 1664. Ducali axiomate & Privilegiis condecorati fuerint, prout id ipsum satis superque ex antea inserto Diplomate liquet; Hinc allegatos Duces jure meritoque inter Duces, in Classe II. Tom. I. pag. 1773. exhibitos, referendos esse agnoscimus, atque ut hic, a nobis præter intentionem admissus error, convenienti modo corrigatur, obnixe precamur.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XI.

De Dominis Costis.

TOM. I. pag. 2242.

I.

Instrumentum Donationis inter vivos de Castris Consentis, Linguiliæ, Garlendæ & Parravennæ factæ, in emolumentum Primogenitorum e familia Comitis Octavii Costæ descendentium, die 21. Januarii, Anno 1631. conditum.

In Nomine Domini, Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno ab ejusdem D. N. JEsu Christi, salutifera Nativitate 1631. Indictione decima quarta, die vero vigesima prima mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris & D. N. Urbani, Divina Providentia Papæ octavi, anno ejus octavo. Cum sit, prout asseritur, quod alias & sub die vigesima prima Januarii 1603. seu &c. bon. mem. Illustris & Reverendiss. D. Petrus Franciscus Costa, dum vixit Episcopus Savonens. & apud Serenissimum D. Ducem Sabaudiæ pro Sancta Sede Apostolica Nuncius, ac perillustris Dominus Alexander Costa, ejus germanus frater, Abbas S. S. Mariæ & Martini Insula Gallinariæ Civitatis Albinganens. vendiderint, & alienaverint Perillustri D. Octavio Costæ, eorum germano fratri, castrum Consentis, ut universum illius territorium in Diœcesi Albinganensi juxta ab uno territorium castri Ziucarelli, ab alio territorium castri Arnaschi, & ab alio lateribus territorium civitatis & districtus Albing. vel siqui &c. una cum illius Vasallis, aquis, fluminibus, silvis, molendinis, domibus, furnis, censibus, lucellis, canonibus, bonis omnibus stabilibus, tam allodialibus, quam feudalibus emphitevticis, & alterius cujuscunque generis & quantitatis in dicto castro & territorio ex intentibus, una etiam cum jurisdictione, gladii potestate, mero & mixto imperio, ac privilegiis omnibus, nec non eidem D. Octavio vendiderint terram, seu territorium delli Zerbeti del' Erisca, in territorio dicti castri Ziucarelli juxta suos notissimos fines, una cum annuo Livello de Loffredis de Cisano pro clusa & captura aquæ in territorio dicti castri, nec non territoriis, ædificiis, molendinis & bonis ad ipsos venditores spectantibus & pertinentibus, & quæ in futurum spectare possent, pro pretio scutorum viginti millium auri in auro stamparum, cum pacto inter cætera ad hoc, ut dictum castrum perpetuo remaneret in co-

in eorum familia, pro illius decore, splendore & faciliori conservatione super eo, dictus Dominus Octavius instituere deberet primogenituram, prout successive in executione hujusmodi pacti super dicto castro, illiusque bonis, membris Jurisdictione, mero & mixto imperio ac aliis bonis feudalibus, & juribus quibuscunque, in Instrumentis dictæ venditionis & instructionis dictæ primogenituræ contentis, & in infra dicendo donationis Instrumento insertis erexit & instituit in personam Illustris Domini Joannis Antonii Costæ, ejus ex perillustri D. Laura Spinula, ejus dilectissima uxore, filii primogeniti suscepti, & illius filiorum & descendentium masculorum legitimorum, & naturalium, ordine primogenituræ semper servato, & linea dicti D. Joannis Antonii masculina legitima, & naturali non existente, sive existente, & postea quandocunque deficiente, vocavit alios ipsius D. Octavii filios, & ab eis descendentes masculos legitimos & naturales, cum eodem ordine primogenituræ, a qua quidem primogenitura dictus D. Octavius excluserit fœminas, & ab illis descendentes, & naturales quoscunque, & alios quoscunque ad nuptias legitime contrahendas inhabiles, & respective sibi facultatem reservavit eidem dispositioni & primogenituræ quandocunque addendi & minuendi, illamque in totum, vel in partem cassandi, annullandi & moderandi, prout in dictis Instrumentis venditionis & primogenituræ respective dicta die 21 Januarii 1603. seu &c. ut dicitur, rogatis per Dominum Cyprianum Costam, Notarium publicum Albing. ad quod etc. Sitque etiam, quod dictus bon. mem. Petrus Franciscus, Episcopus, suum ultimum condiderit testamentum, in quo instituerit suum hæredem universalem, dictum Perillustrem D. Octavium, & dicto testamento aliter non mutato, ex hac vita decesserit, prout in dicto testamento rogato per &c. ad quod &c.

Dictus vero D. Abbas Alexander prospiciens conservationi, & etiam DEO dante, incremento ejus Nobilis Domus & familiæ de Costis, & aliis de causis & rationibus ejus animum moventibus partem & portionem ad ipsum spectantem & pertinentem ex Comitatu & castris Linguiliæ, Garlendæ & Paravennæ, cum eorum pertinentiis, existentibus in partibus Liguriæ & Diœcesi. Albing. de quibus castris & Comitatu ipse ac dictus bon. mem. Reverendissimus Dominus Petrus Franciscus Costa, Episcopus, & prædictus Illustrissimus D. Octavius ejus fratres a Cæsarea Majestate investiti fuerunt, una cum Jurisdictione, mero & mixto imperio, gladii potestate, & cum juribus & pertinentiis suis universis, & præsertim decimis novis, domibusque omnibus vocatis Castelli Veschii, & aliis omnibus & singulis bonis infra dicendo instrumento expressis irrevocabiliter & inter vivos donavit idem Perillustri D. Octavio ejus fratri, quem DEus diu incolumem conservet, & post illius obitum D. Octavio filio primogenito masculo, & successive præfati primogeniti filio, & ex eo nepoti primogenito, Pronepotibus, & aliis primogenitis masculis legitimis & naturalibus, uni post alium, de primogenito in primogenitum, servato semper gradu primogenituræ, durante linea masculina, legitima, & naturali dicti D. Octavii, & ipso primogenito et ejus linea masculina non extante, et quandocunque deficiente, ad donationem hujusmodi vocaverit, secundo-tertio-& alios ipsius D. Octavii genitos & eorum filios & descendentes masculos, unus post alium, in perpetuum in infinitum, servato semper gradu primogenituræ, & ab hujusmodi donatione excluserit omnes & singulos Religiosos, & respective in cœlibatu manere volentes, et cum aliis pactis et clausulis, contentis in Instrumento, ut dicitur, rogato per D. Jo. Antonium Agnesinum, Notarium Publicum Albing. sub die 1. Junii 1615. seu etc. inserto infradicendo et inserendo Instrumento Donationis causa mortis ad quod etc. et quia præfatus Perillustris D. Joannes Antonius, filius Primogenitus dicti Perillustris D. Octavii post dictas venditiones, donationes et investituras elegit vitam Clericalem, et sacerdos existit, Illustrissimus D. Petrus Franciscus, filius secundogenitus, DEI et Apostolicæ Sedis gratia fuit creatus, et ad præsens existit Episcopus Albing. nec non Perillustris D.D. Alexander tertio-et Antoniotus sexto-respective geniti dicti D. Octavii habitum Sacræ Religionis Hierosolymitanæ sumpserunt, et in ea professionem emiserunt, et sic ex forma dictarum donationum et dispositionum sunt inhabiles ad successionem dictorum bonorum et castrorum, et ab illis omnino exclusi. Perillustris vero D. Valerius, alter ipsius D. Octavii filius quarto-genitus, qui ex forma dictarum donationum et dispositionum succedere deberet, ex causis animum suum moventibus, cuicunque juri et actioni cuicunque ei super dictis bonis et Castris competenti et competituro mediante eodem Perillustri D. Octavio ejus Patre, Procuratore ad id specialiter constituto, cessit, et renunciavit idem Perillustris D. Octavius ad successionem dictæ primogenituræ subrogavit, et nominavit, ac primogenituram instituit et erexit in personam Perillustris D. Benedicti, ejus filii quintogeniti, cui titulo donationis causa mortis valituræ post mortem ipsius D. Octavii reservando sibi plenam et liberam dispositionem ususfructus, administrationis et jurisdictionis omnium et singulorum castrorum, et aliorum prædictorum bonorum et jurium, donec ipse vixerit, donavit dicta castra Consentis, Linguiliæ, Garlendæ et Paravennæ, una cum omnibus et singulis eorum territoriis, tenatis, Jurisdictionibus, gladii potestate, mero et mixto imperio, Vasallagiis et Jurisdictionibus vasallorum, ac aliis bonis in venditione, donationibus et primogeniturarum institutionibus, prædictis comprehensis, reservata facultate ipsi D. Octavio, semper & quandocunque sibi videbitur, & placebit addendi & minuendi dictæ donationi, seu etiam dictam donationem de sui natura revocabilem in totum, vel in partem cassandi & annullandi tam per viam Contractus, quam per viam testamentorum, codicillorum & alio quovis modo sibi beneviso, & cum aliis pactis, reservationibus, prohibitionibus, substitutionibus, clausulis, & cautelis, contentis in Instrumento rogato per d. Dominum Dominicum Fonthiam, Notarium A. C. sub die 23. Febr. 1619. quod præ manibus habens, illiusque & aliorum Instrumentorum in eo insertorum toto tenore de verbo ad verbum perlecto, & bene, ut asseruit, audito, & intellecto, illius copiam mihi Notario tradidit ad effectum inserendi in præsenti Instrumento tenoris &c. modo autem re maturius perpensa beneque omnibus consideratis dictus perillustris D. Octavius utendo facultate sibi adden-

addendi & minuendi, vel in totum cassandi, ut in præinserto Instrumento reservata deliberavit dicta castra & bona ut supra, donatione causa mortis donata dicto Perillustri, D. Benedicto & aliis quibuscunque ab eo descendentibus, servato tamen ordine primogenituræ, irrevocabiliter donare, cum infrascriptis tamen pactis, reservationibus & aliis infra dicendis, & non aliter, nec alio modo de quo &c. & Instrumentum publicum desuper conficere.

Hinc est quod anno &c. in mei &c. personaliter constitutus D. Perillustris D. Octavius, mihi Notario cognitus, filius bonæ memor. perillustris D. Joannis Antonii Costæ, Nobil. Januens. Patritius Albingand. qui utens & expresse uti velle declarans dicta autoritate & facultate, in supra insertis instrumentis apposita, addendi & minuendi ac in totum, vel in partem cassandi & annullandi, & aliis quibuscunque facultatibus & auctoritatibus, sibi quomodolibet concessis, reservatis & attributis, & sibi quomodolibet competentibus, & alias omni meliori modo &c. ac salvis & reservatis, si & quatenus opus sit, & de jure requiratur, & non alias, aliter, nec alio modo, de quo &c. sanctissimi D.D. Papæ, respectu vero dicti Comitatus castrorum Linguiliæ, Garlendæ, & Paravennæ ob illorum annexorum & pertinentiorum Sacræ Cæsareæ Majestatis & aliorum quorumcunque, quorum requirereтur, beneplacitis & assensibus super eisdem castris Consentis, Linguiliæ, Garlendæ & Paravennæ tenimentis, Jurisdictionibus, gladii potestate, mero & mixto imperio, Vassalis, vasallagiis ac Jurisdictionibus vasallorum, nec non super omnibus & singulis bonis, & juribus quibuscunque in prædictorum castrorum, & cujuslibet eorum venditione, donationibus & aliis quibuscunque dispositionibus & primogeniturarum institutionibus comprehensis, reservata ipsi D. Octavio super dictis castris, & quolibet eorum, totali administratione, gubernio, jurisdictione, quoad ipse vixerit, dictam primogenituram ut supra in personam dicti Perillustris Dom. Benedicti, ut in præ-inserto Instrumento institutam (quatenus dictus Perillustris Dominus Benedictus ducat uxorem, cum expresso consensu & voluntate ipsius D. Octavii, & cum infrascriptis pactis, & cautelis, & non alias &c. de quo &c.) titulo donationis irrevocabilis inter vivos confirmavit, dictaque castra & omnia & singula bona in Inventario præ-inserti Instrumenti donationis per acta d. D. Fonthiæ ut supra rogati contenta & descripta, cum omnibus & singulis eorundem castrorum & bonorum membris, adjacentiis, juribus, pertinentiis, usibus, commoditatibus, ingressibus, egressibus, jurisdictionibus, gladii potestate, mero & mixto imperio, & aliis quibuscunque titulo donationis irrevocabilis inter vivos dedit, donavit & cessit, ac concessit dicto Perillustri D. Benedicto Costæ ejus filio quinto-genito, licet absenti me Notario &c. pro eodem D. Benedicto & omnibus & singulis aliis in præsenti donatione vocatis & comprehensis, omnibusque & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quomodolibet in futurum, acceptante, & legitime ac solenniter stipulante, & post obitum dicti Domini Benedicti quandocunque superveniente (quem DEus incolumem diu conservet) d. D. Benedicti filio masculo primogenito, si supererit; si autem defecerit, ejusdem primogeniti filio, aut ex eo nepoti primogenito, & pronepoti, & aliis descendentibus primogenitis uni post alium de primogenito in primogenitum, servato semper gradu & ordine primogenituræ, ultra decimum, vigesimum, centesimum, & ulteriorem quemcumque gradum in perpetuum & in infinitum, durante linea masculina legitima & naturali dicti Domini Benedicti, & non legitimata, vel legitima facta, ut in præinserto Instrumento, ita ut semper, qui primogenitus erit, succedat, & primogenitus intelligatur etiam, quando unicus esset filius, & ipso primogenito & descendentibus ex eo masculis legitimis & naturalibus, ut in dicto præinserto Instrumento, non extantibus habilibus ad succedendum, juxta dictam præinsertam dispositionem, vel extantibus, & post ea quandocunque deficientibus & extinctis, tunc voluit dictus D. Octavius, ut in integris castris & aliis bonis prædictis succedat secundogenitus ejusdem D. Benedicti, & deinde succedant alii vocati ex linea d. D. Benedicti) ordine successivo in omnibus, & per omnia, juxta formam ejusdem præinserti Instrumenti donationis causa mortis, ipsi D. Octavio factæ per acta dicti Domini Fonthiæ. Item simili titulo dictus D. Octavius cessit &c. omnia jura &c. nullo jure, nisi supra dictis & aliis infradicendis reservatis ad habendum &c. ponens, constituens &c. dans potestatem &c. & donec &c. Constituit &c. salvis etiam & semper prædictis beneplacitis, & assensibus, quatenus opus sit, & non alias, aliter, nec alio modo, ut supra dictum extitit, reservatis.

Et quia dictus D. Octavius ad se gratum ostendendum versus perillustrem D. Lauram, ejus dilectissimam uxorem in dicta præinserta donatione, voluit, quod ipsa, ejus vita durante, sit Condomina & Compatrona una cum D. Benedicto & aliis primogenitis omnium bonorum & castrorum donatorum, quatenus ipsa cum dicto Domino Benedicto & aliis præfatis, & in eorum communione vivere voluerit, sui autem ultra præeminentiam & superioritatem, una cum Reverendiss. D. Episcopo ejus filio in dictis castris eidem reliquit habitationem in medietate Domus magnæ ipsius D. Octavii, sitæ in civitate Albinganæ in platea propria ipsius D. Octavii quatenus dictus Reverendissimus D. Episcopus nollet eam inhabitare, & alias prout in dicto præinserto donationis causa mortis Instrumento: Inde declaravit, ac voluit & mandavit, quod sit in electione ejusdem D. Lauræ, vel inhabitandi d. medietatem Domus magnæ, etiam quod & domum vellet inhabitare dictus Reverendissimus D. Episcopus, vel inhabitandi totam aliam domum, sitam in platea del grane, & in quocunque casu, quod dicta Laura vellet vivere in communione cum dicto D. Benedicto & aliis præfatis, quia magno eam prosequitur amore, & ad hoc, ut ipsa commodius & decentius vivere possit, ex sua mera liberalitate, & quia sic sibi &c. voluit quo eidem D. Lauræ ultra dictam habitationem & præeminentiam in dictis castris, ut supra, solvantur a dicto D. Benedicto & aliis primogenitis annua scuta quingenta Monetæ semestruatim anticipate, donec ac vixerit, me Notario &c. pro ea acceptante.

Item declaravit, quod dictus Reverendissimus Dominus Petrus Franciscus, Episcopus, durante ejus vita habeat supra dd. castris superioritatem & præeminentiam tantum, & similem præeminentiam una cum eo habeat dicta D. Laura donec exvixerit, sitque

sitque in libertate ejusdem Reverendissimi D. Episcopi, si sibi placebit, & voluerit, pro sua majori commoditate, inhabitandi dictam Domum Magnam, insimul cum dicta D. Laura, eaque defuncta possit totam eandem domum magnam inhabitare, donec ipse Reverendissimus D. Episcopus vixerit, absque ulla solutione pensionis; & ulterius dictus Reverendissimus D. Episcopus, durante ejus vita possit & debeat habere pro suo victu, eam quantitatem vini ex dictis bonis ut supra donatis recolligendam sibi necessariam & benevisam absque aliqua solutione, quia sic sibi &c. Quo vero ad suppellectilia, & mobilia etiam aurea & argentea, & cujusvis alterius generis qualitatis & quantitatis, & cujusvis valoris revocavit dispositionem de eis factam in dicta præinserta donatione causa mortis, sibique reservavit facultatem de eis disponendi tam inter vivos, quam causa mortis, & prout sibi magis videbitur ejus arbitrio, & pariter revocavit facultatem, in dicta præinserta donatione causa mortis attributam, dicto Reverendissimo D. Episcopo, ejus filio, addendi & minuendi, & ipsam donationem revocandi, & quamcunque aliam facultatem disponendi, quomodolibet in dicta donatione ei attributam.

Item quoad substitutiones in eadem præinserta donatione causa mortis factas ad favorem filiarum ipsius D. Octavii, & eorum descendentium in casum, in quem deficeret in totum linea masculina ipsius D. Octavii & alias, prout in eadem præinserta donatione ad quam &c. idem D. Octavius sibi reservavit omnimodam facultatem, eas mutando variandi, cassandi, annullandi, addendi, & minuendi, & alias ad ejus libitum, quoad hujusmodi substitutiones disponendi tam per viam Contractus, quam testamentorum, Codicillorum, et cujusvis alterius dispositionis ei magis benevisæ, salvis semper præsenti donatione et substitutionibus factis ad favorem dicti D. Benedicti et aliorum descendentium ut supra quia sic etc.

Et hujusmodi donationem fecit ea sub conditione, & pacto expresso, quod si dictus D. Benedictus non ducat uxorem, ipso D. Octavio vivente & de ejus consensu ut supra, vel præmoriatur ipsi D. Octavio absque filiis masculis legitimis & naturalibus, ut supra vocatis, vel eis extantibus & deinde procedentibus dicto D. Octavio absque filiis legitimis & naturalibus, & vocatis ad dictam Primogenituram, ut supra, eo casu præsens donatio sit nulla ac si facta non fuisset, dictusque D. Octavius possit reassumere facultatem sibi in dicto præinserto Instrumento ultimæ donationis per dictum Dominum Fonthiam, ut supra rogato reservatam addendi & minuendi, & alias in omnibus & per omnia juxta formam dicti Instrumenti præinserti, disponendi ad ejus libitum, quia sic sibi &c.

In reliquis dictus D. Octavius confirmavit omnia & singula in dicta præinserta donatione causa mortis contenta ab eo ultimo loco per acta dicti D. Fonthiæ, ut supra, facta (præter ea super quibus in præsenti Instrumento fuit aliter dispositum) illaque omnia & singula respective observari voluit, tam a dicto D. Benedicto, quam ab aliis vocatis, ut supra. Et salvis semper præmissis & non alias etc. de quo &c. promisit hujusmodi donationem irrevocabilem habere ratam, gratam validam, ac firmam, eamque non revocare, nec revocari facere, sub quovis prætextu, causa, & quæsito colore, etiam ex causa ingratitudinis, paupertatis, vel ex alia quavis causa renuncians &c. & beneficio leg. si unquam ac l. fin. C. de revocan. donat. aliisque legibus &c. quibuscunque quomodolibet se juvare posset, & pro potiori cautela, & quatenus opus sit, ita quod utile per inutile non vitietur, & non alias &c. Sanctissimi D. N. Papæ, & S. Sedis Apostolicæ, nec non Sac. Cæs. Majest. respective pro quacunque confirmatione desuper necessaria & opportuna supplicavit, & ad illam seu illas petend. & impetrand. & expediri faciend. ac supplicationes quascunque necessarias porrigendum, nec non ad insinuandum hujusmodi donationem & omnia & singula in ea contenta coram quocunque Judice, & per acta cujusvis Notarii & alia pro hujusmodi obtinendum constituit procuratores irrevocabiles Illustres D. Jacobum Franciscum Bineam, & dictum Reverendissimum D. Petrum Franciscum Costam, & Illustrissimum D. Marchionem Octavianum de Carretto, Dominum loci Balestrini, ejus generum, ob quemlibet eorum in solidum absentes, ita quod &c. cum facultatibus desuper necessariis & opportunis & cum facultate substituendi &c. & generaliter &c. promittens &c. relevans &c. pro quibus dictus D. Octavius se ipsum, hæredes &c. ac bona &c. in forma Cameræ Apostolicæ cum clausulis &c. Citra &c. obligavit &c. renunciavit &c. consensit &c. unica, &c. juravit tactis &c. super quibus omnibus & singulis præmissis petitum fuit a me Notario Publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum, vel publica facerem & conficerem Instrumentum, seu Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus fuero, Actum Romæ Domi solitæ habitationis dicti Illustris D. Jacobi Francisci Vinea Regionis S. Eustahii, ibidem præsentibus, audientibus & bene intelligentibus his: videlicet D. Francisco Savino, quondam Victorii de S. Victoria Firman. Diou. Illustri D. Cæsare Ludovico blandato quondam Emanuelis Astensi & Jo Baptista Zauli, quondam Antonii Foroliviensis, testibus ad præmissa omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis, qui se una cum dicto D. Octavio ut infra se subscripserunt, videlicet *Jo. Octavio Costa* dono, dispono e confermo, quanto di sopra manupropria. *Jo Cesare Lodovico* Blandatti, fui presente per testimonio &c. *Jo Francesco Savino* fui per testimonio &c. *Jo. Gio e Battista Zaoli* fui presente per testimonio.

II.

Instrumentum, in quo Comes Benedictus Costa, prodigus, a fruitione beneficiorum ex statuto Juris Primogenituræ ipsi provenientium excluditur, d. d. 21. Febr. 1637.

In Nomine Domini, Amen!

PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, quod anno a salutifera nativitate Domini Nostri JEsu CHristi millesimo, sexcentesimo, trigesimo septimo, Indictione quinta, die vero vigesima prima mensis Februarii, tem-

tempore Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Urbani, Papæ Octavi, anno decimo quarto.

Sit semper in Domini DEI Nomine. Magnificus Octavius Costa, quondam Domini Joannis Antonii, Nobilis Genuensis, & Patritius Albinganensis, residens nunc Romæ, memor instituisse sub die 23. Februarii 1619. primogenituram pro Magnifico Benedicto ejus filio & descendentibus suis primogenitis, sub modis, pactis, & conditionibus, ut in Instrumento rogato, per Acta Fonthiæ Notarii A. C. & sciens etiam, quod contemplatione matrimonii, quod postea dictus Magnificus Benedictus contraxit cum Magnifica Maria, filia Magnifici Philippi Cattanei confirmasse ipsam primogenituram, & fecisse alia in beneficium supra dicti Magnifici Benedicti, & suorum Primogenitorum, de quo augmento, & confirmatione constat per Instrumentum rogatum a Hieronymo de Bellis sub 21. Januarii 1631. ad quæ Instrumenta pro veritate habeatur relatio. Et cum DEO placuerit concedere usque dum dicto ejus Filio duos filios masculos, & unam fœminam, & multos alios impostetum sit etiam concessurus, cum dicta ejus uxor sit in præsentiarum ventre prægnante, & cum multa displicentia cognoverit, & manibus palpaverit, dictum Benedictum ejus filium non esse habilem ad directionem & gubernium rerum donatarum, nec illarum, quæ in futurum spectare possunt per viam successionis, & per quemlibet alium modum per acquisitionem, præsentiens, quod invalide obligatus sit Romæ erga diversas personas pro notabili quantitate pecuniæ, de qua non constat in bonum usum conversam fuisse, & quod modus tentus in contractando, & se obligando fuit illicitus & præjudicialis, & quamvis pluries paterne reprehensus fuerit & admonitus, nullum unquam correctionis signum præbuit, sed potius multiplicavit eosdem excessus, & debitum iisdem modis eo magis auxit: Propterea his, & aliis dignis respectibus desiderans ipse Magnificus Octavius providere tam indemnitati, & utilitati dicti ejus filii quam etiam descendentium suorum, non recedens tamen a supra dicta donatione, & primogenitura, imo illam confirmans privavit, & privat dictum Magnificum Benedictum administratione dictorum bonorum, quousque declaretur habilis ab infradicendis Dominis Administratoribus, & Serenissimo Senatu Serenissimæ Reipublicæ Genuensis, prohibendo eidem omne gubernium, & administrationem ipsorum bonorum donatorum, & etiam quamlibet dispositionem, contractum, Hypothecam, & quamcunque alteram obligationem suam, tanquam cognito & probato, non apto, nisi modis profusis, & ordinatis ad consumandam omnem substantiam in ejus suorumque Primogenitorum præjudicium, & sicuti declarat illo animi sensu, quem secum fert affectus paternus, qui impellit ipsum Magnificum Octavium ad ineundam præsentem privationem & declarationem, in qua non habuit nec habet aliam intentionem, quam utile dicti Magnifici Benedicti ejus filii & posteritatis suæ declarans in præsentiarum administrationem ipsorum bonorum esse penes ipsum Magnificum Octavium, quia sub tali conditione instituit supra dictam primogenituram, & vult, quod post obitum dicti Magnifici Octavii, qui jam explevit annos octuaginta sex, administratio, & totale gubernium dictæ Primogenituræ, tam in Judicio, quam extra sit commissum Prælato, Petro Francisco Costæ, Episcopo Albinganensi, & Dominis Abbati Joanni Antonio Costæ, Ambrosio Costæ ejus filiis, Dominæ Mariæ Cattaneæ, ejus Nurui & Domino Marchioni Octaviano de Carretto, ejus Genero, & in casu discordiæ inter ipsos, duobus eorum simul unitis, in quibus concurret dictus Dominus Abbas Joannes Antonius, qui curam gerent gubernandi dicta bona donata, & jurabunt conservare, meliorare, & alia acquirere in beneficium Filiorum & descendentium Primogenitorum dicti Benedicti, & totius ejus Familiæ, & pro illo quod supererit ex reditibus, proventibus & fructibus, postquam provisum erit pro condecenti manutentione dicti Magnifici Benedicti, & Domus suæ, aut Familiæ, judicio & arbitrio dictorum Dominorum Administratorum, contra quod arbitrium non vult, quod possit aliquid opponi, nec recursum haberi per quemlibet modum ad aliquem Judicem superiorem. Permittit tamen, si ita videbitur dictis Dominis Administratoribus, quod aliqua annua quantitas dari deberet ipsi Magnifico Benedicto, quod facere possint, si ita iisdem facere videbitur. Declarans ulterius, quod in facultate concessa dictis Dominis Executoribus, aut Administratoribus, intelligatur comprehensum posse impendere, pro manutentione dictorum bonorum suppositorum dictæ primogenituræ & cujuslibet alterius rei, quæ respiceret beneficium, & utilitatem ipsius primogenituræ, & vocatorum in ea; Et ut hæc ejus pia provisio & necessaria ad providendum modis tam male inveteratis hujus sortiatur effectum, supplicat ipse Magnificus Octavius Serenissimum Senatum Serenissimæ Reipublicæ Genuæ, dignari confirmare, aut vim & vigorem conferre omnibus contentis in præsenti Instrumento de ejus certa scientia & plenitudine potestatis suæ, & ad cautelam cum undecim votis & cum clausula quod valeat, etiam si citati non fuissent illi, qui citari debebant, & aliis clausulis derogatoriis & opportunis, & ut magis provisum sit dicto Magnifico Benedicto, rogat ipsum Serenissimum Senatum, dignari velle inhabilitare dictum Benedictum, & eidem etiam interdicere administrationem fructuum dotis, & quemlibet Contractum, ut supra, quousque declaretur habilis & sufficiens. Super quibus etc. Actum Romæ Domi solitæ habitationis dicti Magnifici Octavii Costæ, positæ in Regione Parionis, præsentibus DD. Joanne Augustino Manchellio, filio quondam Andreæ Vintimiliense, & Alexio Salvato, filio Hieronymi de Papinea Interamensis Diœcesis Testibus rogatis, & adhibitis.

Die quarta Januarii, 1638.

Magnificus Dominus Alexius Salvatus, Procurator Illustrissimi D. Octavii Costæ supradicti, & ad docendum de confirmatione supradictæ Declarationis, seu privationis factæ per DD. Octavium contra Perillustrem D. Benedictum Costam, ejus filium, facta per Serenissimam Rempublicam Genuensem facto mihi &c. consignavit Instrumentum publicum prædictæ Confirmationis, seu approbationis, prout in folio tenoris inferius registrandi animo illud rehabendi, demissa Copia collationata, omni &c. super quibus &c. Actum Romæ in officio mei &c. præsentibus ibidem R. D. Francisco Caldario, Presbytero

bytero Romano, & Illustri D. Sergio Ventura, Senens. Testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, atque rogatis &c. Tenor supra scripti Instrumenti Confirmationis talis est, videlicet:

Serenissimi Domini. Pro conservatione meæ Familiæ dispofui de aliquibus bonis in Dominio Dominationum Vestrarum Serenissimarum, titulo Primogenituræ in Benedictum filium meum, & Descendentes suos, connubii fœdere junxi Dominæ Mariæ filiæ Domini Philippi Cattanei, & in hanc meam domum venire curavi, in qua iisdem necessaria subministravi, & adhuc provideo pro eorum filiorumque suorum trium honesta manutentione; Et cum perceperim, Benedictum multa debita contraxisse, quæ ascendunt ad plura millia scutorum modis illicitis, & aliis malis Contractibus, ac de die in diem perseverare in illis ejus licentiis, non obstantibus diuturnis meis admonitionibus, ob id necessitate ductus providendi eidem, & tribus filiis suis, & illis, quos ab ipso nasci continget, ipsimet interdixi administrationem fructuum eorundem bonorum donatorum, illumque commendavi fratribus, Uxori ejus, & aliis sanguine conjunctis, ut quod dispofui pro ejus manutentione filiorumque in majus eorum beneficium, non consumetur ab ejus inordinatis modis; & illa prædia non remaneant inculta. Adeo idcirco benignitatem Dominationum Vestrarum Serenissimarum, easdem supplicando dignari auctoritate, & cura paterna providere discrimini hujusce filii mei, approbando scripturas a me super hac stipulatas, & quæ nomine meo præsentabitur. Romæ 20. Februarii 1637. Dominationum Vestrarum Serenissimarum humillimus, & addictissimus servus. Cop. *Octavus Costa.*

In nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate Domini nostri JEsu Christi millesimo, sexcentesimo, trigesimo septimo, Indictione quinta, die vero vigesima prima Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi Domini nostri, Domini Urbani, Divina providentia Papæ Octavi, anno quartodecimo. In mei Notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia præsens, & personaliter constitutus magnificus Octavius Costa q. D. Joannis Antonii, Nobilis Genuensis, & Patritius Albinganensis, residens nunc Romæ, memor instituisse sub die 23. Februarii. 1629. Primogenituram pro magnifico Benedicto ejus filio & descendentibus suis primogenitis, sub modis, pactis, & conditionibus, ut in Instrumento rogato per acta Fonthiæ Notarii A. C. & sciens etiam, quod contemplatione matrimonii, quod postea dictus Magnificus Benedictus contraxit cum Magnifica Maria, Filia Magnifici Philippi Cattanei, confirmasse ipsam primogenituram, & fecisse alia in beneficium supradicti M. Benedicti & suorum primogenitorum, de quo augmento & confirmatione constat per Instrumentum rogatum a Hieronymo de Bellis sub 21. Januarii, 1631. ad quæ Instrumenta pro veritate habeatur relatio. Et cum DEO placuerit concedere usque dum dicto ejus filio duos filios masculos & unam fœminam, & multos alios imposterum sit etiam concessurus, cum dicta ejus uxor sit in præsentiarum ventre prægnante, & cum multa displicentia cognoverit & manibus palpaverit, dictum Benedictum ejus filium non esse habilem ad directionem & gubernium rerum donatarum, nec illarum, quæ in futurum spectare possunt per viam successionis, & per quemlibet alium modum per acquisitionem, præsentiens, quod invalide obligatus sit Romæ erga diversas personas pro notabili quantitate pecuniæ, de qua non constat in bonum usum conversam fuisse, & quod modus tentus in contrahendo & se obligando fuit illicitus, & præjudicialis, & quamvis pluries paterne reprehensus fuerit, & admonitus, nullum unquam correctionis signum præbuit, sed potius multiplicavit eosdem excessus, & debitum iisdem modis eo magis auxit. Propterea his & aliis dignis respectibus desiderans ipse magnificus Octavius providere tam indemnitati & utilitati dicti ejus filii, quam etiam descendentibus suorum, non recedens tamen a supra dicta Dominatione & primogenitura, imo illam confirmans privavit, & privat dictum Magnificum Benedictum administratione dictorum bonorum, quousque declaretur habilis ab infradicendis Dominis administratoribus suis, & a Serenissimo Senatu Serenissimæ Reipublicæ Genuensis, prohibendo eidem omne gubernium, & administrationem ipsorum bonorum donatorum, & etiam quamlibet dispositionem, contractum, hypothecam, & quamcunque alteram obligationem suam, tanquam cognito, & probato non apto, nisi modis profusis & ordinatis ad consumandam omnem substantiam in ejus suorumque primogenitorum præjudicium; & sicuti declarat illo animi sensu, quem secum fert affectus paternus, qui impellit ipsum Magnificum Octavium, ad ineundam præsentem privationem & declarationem, in qua non habuit, nec habet aliam intentionem, quam utile dicti Magnifici Benedicti, ejus filii, & posteritatis suæ, declarans, in præsentiarum administrationem ipsorum bonorum esse penes ipsum Magnificum Octavium, quia sub tali conditione instituit supradictam primogenituram, & vult, quod post obitum dicti Magnifici Octavii, qui jam explevit annos octuaginta, administratio, & totale gubernium dictæ primogenituræ, tam in judicio, quam extra sit commissum Prælato, Petro Francisco Costæ, Episcopo Albinganensi, & Dominis Abbati, Joanni Antonio Costæ, Ambrosio Costæ, ejus filiis, Dominæ Mariæ Cattaneæ, ejus nurui, & Domino Marchioni Octaviano de Carretto, ejus genero; & in casu, quod dictus Marchio deficeret, ejus primogenito, & in casu discordiæ inter ipsos, duobus eorum simul unitis, in quibus concurreret dictus Dominus Abbas, Joannes Antonius, qui curam gerent gubernandi dicta bona donata, & curabunt conservare, meliorare, & alia acquirere in beneficium filiorum, & descendentium primogenitorum dicti Benedicti, & totius ejus Familiæ, & pro illo, quod supererit ex redditibus, proventibus & fructibus, postquam provisum erit pro condecenti manutentione dicti Magnifici Benedicti, & Domus suæ, aut Familiæ, judicio & arbitrio dictorum Dominorum Administratorum, contra quod arbitrium non vult, quod possit aliquid opponi, nec recursum haberi per quemlibet modum ad aliquem Judicem superiorem, permittit tamen, si ita videbitur, dictis Dominis Administratoribus, quod aliqua annua quantitas dari deberet ipsi Benedicto, quod facere pos-

ta iisdem videbitur; Declarans ulterius, facultate concessa dictis Dominis execu- aut administratoribus intelligatur compre- posse impendere pro manutentione dicto- iorum suppositorum dictæ primogenituræ, libet alterius rei, quæ respiceret beneficium atem ipsius primogenituræ, & vocatorum Et ut hæc ejus pia provisio & necessaria videndum modis tam male inveteratis hujus ir effectum, supplicat ipse Magnificus Octa- renissimum Senatum Serenissimæ Reipublicæ :, dignari confirmare, aut vim & vigorem re omnibus contentis in præsenti Instrumento, s certa scientia, & plenitudine potestatis suæ, cautelam cum undecim votis, & cum clau- uod valeat etiam, si citati non fuissent illi, tari debebant, & aliis clausulis derogatoriis, & tunis, & ut magis provisum sit dicto Magni- enedicto, rogat ipsum Serenissimum Senatum, ri velle inhabilitare dictum Benedictum, & i etiam interdicere administrationem fructuum , & quemlibet contractum, ut supra, quous- leclaretur habilis, & sufficiens. Super quibus ibus & singulis præmissis petitum fuit a me irio Publico infrascripto, ut unum vel plura icum seu publica conficerem, atque traderem umentum & Instrumenta, prout opus fuerit, :quisitus ero. Actum Romæ, domi solitæ ha- tionis dicti Magnifici Octavii Costæ, positæ in ione Parionis, præsentibus ibidem & audienti- Dominis, Joanne Augustino Manchellio, filio ndam Andreæ Vintimiliens. & Alexio Sal- o, filio Hieronymi de Papinea Interamnens. ecesis, Testibus ad prædicta omnia & singula :atis, habitis specialiter atque rogatis.

Ego Adrianus Gallus, Curiæ Causarum Cameræ ostolicæ Notarius, de præmissis rogatus, præsens trumentum subscripsi, & publicavi requisitus. co † Tabellionatus.

Ego Marcus Antonius Franciotus, Prothono- :ius Apostolicus, utriusque signaturæ Sanctissimi omini nostri Papæ Referendarius, nec non Cu- æ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Audi- r, fidem facimus, retroscriptum Dominum Adria- um Gallum, de supra dicto Instrumento rogatum, : qui se ipsum subscripsit & publicavit, fuisse, & sse authenticum, legalem, nostræque Curiæ lega- :m Notarium, ejusque scripturis publicis, & simi- ibus semper adhibitam fuisse, & de præsenti ad- iberi fidem. In quorum &c. Datum Romæ die .1. Februarii, 1637. Loco † Sigilli. *Carolus Co- umna*, Notarius.

M. Cancellarius, cujus est, scripturas videat, & referat per Serenissimum Senatum ad calculos ab- sente Serenissimo Duce ægrotante, vocato tamen 4. Septembris, Magnifici sapientes Reipublicæ con- siderent formam, quæ teneri potest pro cautela Reipublicæ, cui soli spectat Feudum Linguiliæ, dum Serenissimus Senatus inclinaret complacere Supplicæ Magnifici Octavii, & referant per Serenis- simum Senatum ad calculos.

Serenissimi Domini.

Vidimus commissionem nobis factam per Se- enissimas D. D. V. V. sub die 4. Septembris, oc- casione requisitionis factæ per literas Magnifici Octavii Costæ, datas Romæ, die 20. Februarii, & omnes scripturas Nobis præsentatas ad causam fa- cientes, omnibus consideratis, existimavimus refe- rendum esse D. D. V. V. Serenissimis causam ad- esse annuendi requisitis per dictum Magnificum Octavium circa interdictionem ab eo factam Ma- gnifico Benedicto ejus filio, sive privationem ad- ministrationis bonorum sibi donatorum in omni- bus, prout in Instrumento dictæ interdictionis, sive privationis, ut in Instrumento recepto per Nota- rium Adrianum Gallum in urbe Romæ, anno præ- senti 21. Februarii, comprehensa etiam in dicta in- terdictione administratione dotium, ita tamen quod nulla censeatur habita ratio assertionis investituræ Comitatus castri Linguiliæ, quod castrum pertinet & possidetur legitime & pacifice a Republica, & ita sub benigna censura Serenissimarum D. D. V. V. &c. Ex studio nostro die 31. Octobris, 1631. Serenissi- mis D. D. V. V. addictissimi. Copª *Hieronymus Adurnus & Leonardus Spinula.*

Anno 1637. die 5. Novembris.

Serenissimus D. Dux & Excellentissimi D. D. Gubernatores Serenissimæ Reipublicæ Genuensis lectis antehac prædictis precibus, seu litteris D. D. suis Serenissimis nomine dicti Magnifici Octavii Co- stæ præsentatis, intellectoque tenore prædicti In- strumenti interdictionis, factæ per dictum Magni- ficum Octavium dicto Benedicto ejus filio anno præsenti die 21. Februarii, proxime præteriti, rece- pti per Adrianum Galli, Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarium, lectaque hodie supradicta donatione, fa- cta per Magnificos sapientes Reipublicæ, quibus ne- gotium ad referendum commissum fuerat, & quo examinato, & ad calculos deducto, undecim ad cau- telam favorabiliter concurrentibus omni modo &c. Decreverunt & providerunt, decernuntque & pro- vident in omnibus, ut in dicta relatione Magnifi- corum Sapientium legitur, & continetur, & ita &c. quibusvis in contrarium facientibus non obstanti- bus, vel non citatis ad cautelam citandis. *Joan- nes Antonius Sambucetus*, Cancellarius & Secre- tarius.

Joannes Augustinus Marlianus, J. U. D. Pro- thonotarius Apostolicus, & in Archi-Episcopatu Genuæ Vicarius generalis. Universis & singulis fidem facimus, & attestamur, dictum Magnificum Joannem Antonium Sambucetum, qui dictum de- cretum recepit, & manu sua propria subscripsit, fu- isse, & esse publicum, authenticum, & fide dignum Notarium Venerandi Collegii D. D. Notariorum præsentis civitatis Genuæ, & Cancellarium & Se- cretarium Serenissimæ Reipublicæ, scripturisque pu- blicis per eum confectis & subscriptis continue in judicio, & extra plenam fidem adhibitam fuisse & adhiberi. Datum Genuæ in palatio Archi-Episco- pali, Anno 1637. die 13. Novembris. Loco † Si- gilli. *Joannes Dominicus Tassorellus*, Notarius, & Curiæ Archi-Episcopalis Genuæ Cancellarius.

(L.S.) Ego Salvator Paparozzius, causarum Cu- riæ Cameræ Apostolicæ Notarius, de præ- missis rogatus, uti successor in officio olim Galli præsens Instrumentum subscripsi & pu- blicavi requisitus.

Nos

Nos ad præsens Cameræ Almæ Urbis, Inclytique Populi Romani conservatores &c. fidem facimus & attestamur, suprascriptum D. Salvatorem Paparozzium de præmissis rogatum, tanquam successorem in officio olim Galli esse Curiæ & Tribunalis Illustrissimi & Reverendissimi de causarum Curiæ Cameræ generalis Auditoris Notarium publicum legalem, authenticum, fide dignum, ac talem qualem se fecit, & facit, Instrumentisque suis publicis & consimilibus semper adhibitam fuisse, & de præsenti quoque indubiam adhiberi fidem in judicio, & extra. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus Capitolii, hac die vigesima octava Junii, 1725.

(L.S.) Pro D. Secretario Nob. Collegii D. D. Notariorum Curiæ Capitolinæ,

Angelus Antonius Bastianelli, de Mandato.

III.

Testamentum Domini Octavii Costæ, Comitis Garlendæ, Paravennæ & Linguiliæ, Baronis Consentis & Comitis Palatini, factum Romæ, die 13. Februar. Anno 1639.

In nomine Domini, Amen.

PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat, & notum sit, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo, sexcentesimo trigesimo nono, Indictione septima, die vero decima tertia mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Urbani, Divina providentia Papæ Octavi, anno ejus decimo sexto.

In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

D. Octavius Costa, quondam Joannis Antonii Albinganensis, sanus per DEI gratiam mentis, sensus & intellectus, licet infirmus corporis jacens in lecto, qui considerans nil certius esse morte, nec incertius puncto, & hora ipsius, ante quam volens disponere de bonis & effectibus, eidem a DEO Domino nostro datis, ne inter posteros suos aliqua oriatur discordia, deliberavit condere, prout condit infrascriptum ejus testamentum nuncupativum, quod a legibus vocatur sine scriptis, in modum sequentem. Videlicet, in primis commendat animam suam DEO Omnipotenti & Sanctissimæ Virgini Mariæ, ejus Angelo custodi, glorioso Sancto Francisco & Sancto Philippo Nerio, particularibus advocatis suis penes suam Divinam Majestatem, & vult, quod ejus corpus private deferatur ad Ecclesiam Sancti Andreæ de Valle, cui Ecclesiæ relinquit illud quod eidem spectat jure sepulturæ; & dictum ejus corpus ordinat deponi in Capella S. Josephi ejusdem loci, ubi jacet corpus D. Lauræ, ejus uxoris, mandans infrascripto ejus hæredi, & executoribus testamentariis in solidum, quod tam ossa sua, & dictæ ejus uxoris, quam illa Alexandrini ejus carissimi nepotis filii Benedicti, & D. Mariæ ejus nurus transferantur in Ecclesiam Cathedralem Albinganæ intra terminum, qui placuerit Prælato Petro Francisco & Abbati Ambrosio, filiis suis, & quem ipsi declarabunt, & reponantur in ejus capella & sepulchro, existente in dicta Ecclesia: Pro salute animæ suæ vult & mandat, quod celebrentur missæ bis mille in altaribus privilegiatis diversarum Ecclesiarum Romæ eodem mane funeris, & antequam ejus corpus sepeliatur, si possibile erit; & quæ eodem mane celebrari nequirent, ordinat, quod celebrentur diebus immediate sequentibus, usque ad integrum prædictum numerum; & ulterius mandat, quod celebrentur missæ Sancti Gregorii, & Sancti Laurentii extra muros pro duabus vicibus in iisdem prædictis Ecclesiis respective. Item jure legati relinquit Ecclesiæ Sancti Andreæ de Valle scuta centum monetæ, solvenda pro una vice tantum illis Patribus pro eleemosyna & pro amore DEI sine aliquo onere, illos solummodo adhortans, ut velint DEum rogare pro ejus anima, & illius D. Lauræ, ejus uxoris. Item jure legati relinquit Monti pietatis Garlendæ in subventionem pauperum libras quatuor centum illius monetæ, solvendas pro una vice tantum intra annum post ejus mortem: Item, Montii Petatis Conscentis in subventionem pauperum alias libras quatuor centum similes, solvendas pro una vice tantum intra annum, ut supra. Abbati Joanni Antonio ejus filio natu majori, cum satis provisus fuerit in vita sua, relinquit ejus benedictionem, ipsum dehortando, ut curam peculiarem & bonam protectionem habeat suorum fratrum & infrascriptorum suorum nepotum & hæredum pro eorum unione, & concordia, quam maximi pendet. Item eundem liberat, & absolvit ab omni eo, quod ejus hæredes possent ab illo prætendere causa administrationis aliàs ab ipso tentæ modo, & forma, & cum conditionibus expressis in altero testamento a me rogato, ad quod habeatur relatio. Prælato Petro Francisco, Episcopo Albinganensi, alteri filio suo, quoque relinquit ejus benedictionem, dehortando recommendatos habere ejus Nepotes, & ut præsentem suam dispositionem curet ab omnibus ex integro observari, & curam singularem habeat suorum fratrum, & illos in concordia & unione manuteneat, prout sperat executurum fore pro ei reddenda re grata; qua de re, in signum amoris vult eidem remitti debere gemmam valoris scutorum centum monetæ, & ulterius ratione legitimæ institutionis, & omni alio meliori modo, quo potest, & debet, relinquit dicto Prælato, Petro Francisco, simul cum Ambrosio, altero filio suo, eorum vita naturali durante, usum & habitationem parvæ domus, quæ de præsenti ædificatur, Conscentis, ac insuper jure & titulo, ut supra, illum absolvit, & liberat a redditione computorum, & restitutione cujuscumque residui, quod deberet tam pro causa administrationis ab ipso factæ ejus bonorum & proventuum Prioratus, & Abbatiæ dicti Abtis Joannis Antonii, quam pro alia expensa pro eo facta pro ejus commodo, in quibus Gemma, usu & habitatione, absolutione & liberatione, & expensis factis, ut supra, instituit ipsum Prælatum, Petrum Franciscum jure & titulo, ut supra, unde vult, quod non possit prætendere, nec aliud habere ab ejus hæreditate, quocumque titulo & jure etiam prætensæ

:nsæ administrationis quorumcumque suorum bo-orum, redituum & effectuum particularium, & hoc eo magis, quia provisus est ultra dictum Epi-scop tum beneficiis in Hispaniis, & una annua pen-sion : scutorum quatuor centum super Archiepi-scop tu Taranti, cum ulterius fratres sui ejus con-templatione sint gravati annua pensione scutorum trecentorum pro compensatione data Prælato Lan-dinello, cum habuerit dictum Episcopatum, pen-sionem, beneficia, & alios redditus suos media diligentia expensa, & laboribus suis, atque offi-ciis obtentis: Rogans ulterius infrascriptum ejus hæredem, et alios vocatos ad suum fideicom-missum et primogenituram, atque administrato-res ejusdem, ut sint contenti permittere com-modum dicto Prælato Episcopo, posse ejus arbitrio se transferre, et morari in villa, et domo Piamel-lini, et gaudere fructibus viridarii, et vult præsen-tem dispositionem effectum sortire nequire, nisi prius restituerit, & reposuerit in vestiario ejus Do-mus Albinganæ omnia vasa argentea & aurea cu-juscumque speciei, qualitatis, & valoris aulæa, lin-tea, mobilia, & suppellectilia, quæ abstulit & trans-tulit sine ejus præscitu, & cum maxima ejus displi-centia a dicta ejus domo ad suam Episcopalem, quam-vis accepisset pro usu, tantum vita sua naturali du-rante, & quod illa libere consignaverit infrascripto ejus hæredi, & tutoribus suis, exceptis tamen illis mobilibus quæ eorum usu forent consumpta, & casu quo non acceptaret hanc ejus dispositionem & quocumque modo impugnaret contenta in præ-senti Testamento, & dicta primogenitura in aliqua parte eorundem directe aut indirecte, tam judicia-liter quam extrajudicialiter, & tunc intelligatur con-traventum, & impugnatum, quando dictus Præla-tus, Petrus Franciscus intenderit, & contestaverit litem contra præsentem ejus dispositionem: in tali-bus casibus, & quolibet eorum vult, quod ipso fa-cto decadat a commodo præsentis dispositionis, & cum ceciderit, instruit hæredem ejus legitimæ tan-tum, in qua vult, & declarat, quod compensetur & computetur omne id quod ipse eidem dedit quo-cumque modo in ejus vita, & etiam totum illud, quæ pro suo servitio & ejus causa impendit in qua-cumque occasione, sicuti etiam teneatur reddere ex-actam rationem dictarum suarum administratio-num, ac solvere, & libere restituere infrascripto hæ-redi totum illud, quod pro dictis administrationi-bus esset debitor in illa parte tamen, quæ superaret & superesset ejus legitimæ, mandans expresse, quod in casu & casibus prædictis debeant exacte revideri dicta computa, & omnimode infrascripti tutores eum adigant ad restitutionem argenteorum & alio-rum contentorum in suis apochis, aut inventario eidem ex Albinganno transmisso, & quod inter ejus scripturas reperietur. Abbati Valerio alteri filio suo quoque relinquit ejus benedictionem, & ratione institutionis & pro toto eo, quod possit præten-dere pro ejus legitima, tam in sua hæreditate, & bonis, quam Dominæ Lauræ, ejus matris, disponit, quod infrascriptus ejus hæres, & tutores, & admi-nistratores sui obligati sint illum tenere Albinga-næ, aut Consentis, aut Garlendæ, eo in aliis villis & decenter ipsum alere, bene, & benevole tra-ctare, & eidem subministrare pro ejus manuten-tione omne id quod necessarium erit, & ejus im-becillitatem patienter ferre, atque manutenere ne-cessarios servos pro assistentia ejus personæ, adhor-tans Prælatum Petrum Franciscum, & Ambrosium fratres suos, ut velint peculiarem curam de eo ha-bere, & suorum redituum Ecclesiasticorum, & casu quo dictus Abbas Valerius, aut alter pro eo sub qualibet causa, aut prætextu impugnaret hoc suum testamentum, aut nollet acceptare hanc suam di-spositionem, quæ intelligatur impugnata, modo & forma, quibus supra disposui, respectu Prælati Petri Francisci, in talibus casibus & in quolibet eorum dictus D. Abbas Valerius ipso facto decadat a com-modo hujus suæ dispositionis, & cum ceciderit, illum in suam legitimam instituit, & casu, quo ipse Abbas Valerius decederet in imbecillitate, in qua reperitur, quæ cum inhabilem redderet ad testandum, in tali casu in omnibus & singulis suis bonis, præ-sentibus & futuris, juribus, actionibus, cujuscunque speciei & qualitatis nunc pro tunc hoc, & omni alio meliori modo, quo potest, illum hæredem suum instituit, & respective eidem substituit primogeni-turam ab ipso institutam per acta Fontiæ Notarii A. C. excluso tamen ab hac institutione & substi-tutione Benedicto filio suo primo vocato ad illam, & quod perpetuo sequantur formam & naturam ejusdem primogenituræ, & non aliter. Equiti Fra-tri Antonioto, alteri filio suo, qui provisus est una pensione, & aliis reditibus Ordinis Melitensis, & Commenda Prati in Hetruria, relinquit ejus be-nedictionem, & pro eo, quod posset prætende-re, aut habere ab ejus hæreditate ratione insti-tutionis, & omni alio meliori modo illum instituit hæredem in sua legitima tantum, in qua ordinat, & vult, quod intelligantur comprehensæ, & com-prehendantur omnes expensæ, qua Dominatio sua fecit pro eidem impetrando habitu Melitensi, & dictos reditus, & commendam, & pro submini-strata eidem manutentione ultra gradum & con-ditionem aliorum fratrum Melitæ, & alibi volens etiam, quod teneatur solvere & restituere ejus hæreditati omne id, quod dictæ expensæ excede-rent ejus legitimam, quas non intendit ullo modo eidem condonare, nec remittere, sed compensare, prout supra disposuit. Benedicto, alteri filio suo, ejus quoque benedictione impertitur, & ipsum in-stituit hæredem in sua legitima tantum, in qua vult, quod eidem imputetur omne id, quod titulo pri-mogenituræ eidem donavit, cum iisdem oneribus, conditionibus, substitutionibus, prohibitionibus, & vinculis contentis in ipsa primogenitura, & aliis, quæ inferius dicet; Et quia desiderat, quod non solum proprietas bonorum donatorum dicto Bene-dicto suisque descendentibus titulo primogenituræ conserventur, prout in ea, sed etiam residuum ejus hæreditatis cum fructibus ejusdem diligenter admi-nistrentur, & conserventur, & respective augeantur, prohibet expresse dicto Benedicto administrationem, gubernium, & dispositionem, tam omnium & sin-gulorum suorum bonorum, eidem donatorum ti-tulo primogenituræ, eorumque fructuum & pro-ventuum, aut redituum, cujuslibet qualitatis & nominis sint, quam etiam omnium & singulorum aliorum suorum bonorum & fructuum eorundem, & titulo hæreditatis, & quolibet alio modo, quæ perve-

perveniant in infrascriptum ejus hæredem, nec vult dicto Benedicto, neque suis creditoribus, cujuscunque qualitatis sint, posse acquiri jus aliquod, tam in proprietate, quam in fructibus & proventibus, & reditibus eorundem, volens totalem curam & administrationem, tam bonorum & redituum dictæ primogenituræ, quam hæreditatis suæ prædictæ remanere debere penes personas infra nominandas, excluso dicto Benedicto, qui se ingerere nequeat aliquo modo, nec sub quolibet prætextu; & hanc prohibitionem & dispositionem intendit, quod habeatur pro repetita & expressa in qualibet parte præsentis sui Testamenti non solum hoc, sed omni alio meliori modo.

Abbati Ambrosio, alteri filio suo similiter impertitur benedictionem suam, & jure institutionis, & omni alio meliori modo illum absolvit, & liberat a redditione computorum de omni & toto eo, quod ad ejus manus pervenit, & administravit, & perveniet usque ad ejus mortem, & omnium suorum redituum, & aliorum effectuum cujuslibet qualitatis; & ulterius eidem condonat & remittit omne residuum, quod pro dicta causa administrationis deberet, ac insuper eodemmet jure institutionis, & titulo, ut supra, eidem relinquit infrascripta officia & cavaleratus vacabiles, & cantantes in ejus persona, & ad dispositionem ipsius testatoris, nimirum unam scriptoriam Apostolicam, unum Sanctum Paulum, unum Gianizzerum, duos Præsidentes, unum cavalera, tum pium, & unum Laurentanum, instantissime illum exortans, quod quando ejus ætas, aut modica valetudo eidem non permitteret retinere dicta officia & montes, eidem placeat illos reddere, & resignare, ac pretium investire in montibus non vacabilibus & aliis reditibus securis in Dominio Genuensi, & de illis sicut de quolibet alio effectu, & bonis, quæ habebit, eidem placeat disponere in beneficium dictæ primogenituræ a Dominatione sua factæ, ab illa tamen excludendo dictum Benedictum in ipsa primum vocatum, ut sperat dictum Ambrosium facturum esse, ut rem gratam eidem reddat, & correspondeat amori, quo ipsum semper affecit & ut facilius adhæreat huic suo desiderio, exorat infrascriptum ejus hæredem, & vocatos in dicta primogenitura, et administratores ejusdem velle concedere dicto Ambrosio usum, & habitationem Domus Albinganæ, parvæ Domus Consecentis, & Villæ Piomellini, una cum Prælato Episcopo fratre suo omnium suarum Villarum in dicto castro, & etiam Domus Garlendæ, cum omnibus mobilibus & aulæis, quæ in illis reperiuntur pro decore, & honore ejus personæ, dummodo tamen non possit quidquam a dictis domibus amovere, aut tollere, nec aliquo modo disponere; & casu quo dictus ejus hæres, aut vocati ad dictam primogenituram, aut administratores ejusdem nollent concedere dicto Ambrosio supra dictas habitationes, & usum, aut vero in casu, quod dictus Ambrosius renueret in illis habitare, in casibus supra dictis aut quolibet eorum mandat, & vult, quod infrascriptus hæres suus, aut tutores ipsius debeant dare dicto Ambrosio scutos mille monetæ Romanæ in tot mobilibus ad ejus electionem, dummodo non possit aliquo modo impugnare, nec contravenire præsenti suo testamento & dictæ primogenituræ, & illam, vel illud impugnando, aut renuent huic suæ dispositioni acquiescere, quæ intelligatur impugnata modo, & forma, qua disposuit in Prælato Petro Francisco, quæ præcisa verba vult haberi pro repetitis in hoc loco, in talibus casibus & in quolibet ipsorum vult, quod ipso facto decadat a commodo totius, quod disposuit circa ejus personam, & cum cecideri, ipsum instituit hæredem in sua legitima tantum, & vult, ut reddat rationes exactas ejus administrationis; & omne & totum, quod pro dicta causa deberet, vult, quod compensetur in sua legitima, & casu quo illam excederet, teneatur residuum restituere infra scripto suo hæredi, cum non intendat tali casu, ei aliquo modo remittere, nec condonare.

Dominæ Vinoni Violantis, ejus filiæ, uxoris D. Don Caroli a Ruvere, cum commode sit nupta, & condecenter dotata relinquit ejus benedictionem, & tabulam pictam devotionis ex illis, quæ reperientur Romæ tempore ejus mortis ad electionem Dominæ Mariæ, ejus Nurus, in qua, & in dote tradita instituit hæredem, & rogat, acceptare velle in signum amoris, quo ipsam prosequitur. Marchionissæ Blancæ de Carretto, alteri ejus filiæ uxori D. Marchionis Octaviani de Carretto, cum etiam ipsa sit commode nupta cum dote condecente, relinquit gemmam valoris scutorum centum monetæ Romanæ, una cum ejus benedictione, in qua gemma & dote tradita instituit hæredem illam, rogans velle acceptare in signum amoris, quo ipsam prosequitur. Ludovicæ, alteri ejus filiæ, uxori quondam D. Petri Herreræ, bonæ memoriæ, relinquit ejus benedictionem; & considerans ejus statum juvenilem, in quo reperitur, & parum commodum, juxta id, quod merentur ejus bonæ qualitates, ut decentius vivere possit in dicto statu, sicuti instantissime hortatur pro bono regimine filiorum suorum; hoc ideo jure legati, & omni alio meliori modo eidem relinquit scuta annua centum monetæ, ejus vita naturali durante, dummodo non transeat ad secunda vota, eidem solvenda ab ejus hæreditate hic Romæ libere, & sine aliqua exceptione in duobus ratis, prima post sex menses a die ejus mortis, & altera in fine aliorum sex mensium sequentium, & ita de anno in annum, quæ transiens ad secunda vota, illico decadat a commodo hujus Legati; Eandem rogans, acceptare velle hanc demonstrationem in signum magni amoris, quem eidem defert, & commendat ejus personam Abbati Joanni Antonio, ejus fratri, quem hortatur, eidem peculiarem protectionem impertire & assistere, ut ejus dotem colligere possit. Aureliæ, alteri ejus filiæ, nuptæ D. Carolo de Aste, cum ab ipso decenter fuerit dotata, relinquit ejus benedictionem, & vult, quod eidem tradatur tabula picta devotionis ad electionem dictæ D. Mariæ, illam rogans grato animo accipere velle in signum benevolentiæ, in qua tabula, & dote tradita instituit hæredem. Theodoræ, alteri ejus filiæ charissimæ nuptæ, D. Carolo Antonio de Puteo, ultra ejus benedictionem relinquit gemmam valoris scutorum centum monetæ emendam, ad ejus electionem, illam exhortans acceptare, & conservare pro ejus memoria in signum magni amoris, quem eidem defert; & majora testimonia eidem perhiberet, si ejus facultates hoc permitterent in correspondenti-

affectus & observantiæ, quibus erga
tuo se gessit. Sorori Mariæ Octaviæ,
iliæ, moniali professæ in monasterio
:, in felici quoque relinquit ejus bene-
t eidem confirmat annua scuta centum
ejus proventu, in quibus & dote tra-
hæredem. Dominæ Mariæ Cattanea
nurui, uxori dicti Benedicti, jure legati,
itionibus, & caducitatibus, quas infe-
linquit durante ejus vita naturali, dum-
unda vota non transeat, si vidua foret
cti, omnes fructus, usum & habitatio-
domunculæ & appothechæ, quam possi-
idem perventam ab hæreditate, quondam
pinulæ, eam rogans acceptare velle in
affectionis, qua ipsam prosequitur, &
habet in ejus experientia, & affabilitate
filiis suis, ejus nepotibus, & virtuose
ejus domum cum illa prudentia, quam
at: Unde ordinat & vult, quod ejus
edicti filii educentur in ejus domo Al-
ipsa D. Maria, & apud ipsam stude-
am dent illis virtutibus & professioni-
habiliores, & magis inclinati erunt;
vult, quod statim illi erunt legitimæ
bernandi, possint & debeant mitti, &
Genuæ, aut Romæ, & alibi, prout pla-
D. Mariæ, & Prælato Petro Francisco,
k quia major pars suorum bonorum,
consistunt in stabilibus, videlicet domi-
, possessionibus, viridariis & castris,
omnibus in Civitate Albinganæ ejus
s diœcesi, & districtu respective; Ideo
ult, quod principaliter in dicta civi-
aperta ejus domus, & quod dictus
c D. Maria intra terminum, quem in-
i assignabit, eant ad habitandum &
mul cum eorum familia in dicta ci-
ute vivere, & se bene tractare pote-
ctibus & reditibus illorum stabilium,
uæ deferentur a Vasallis, massariis &
alia ejus bona, & reditus, & effectus
Genuæ, & alibi conserventur & au-
neficium eorum filiorum suorum ne-
orum suorum successorum, & facit
onem, tam quia experientia ipsum
ci gubernii fore dictum Benedictum
i si Genuæ aut Romæ habitaret, intra
consumeret totam ejus hæreditatem,
reduceret filios suos & nepotes ipsius
m etiam ut dicta ejus stabilia manu-
cum illa requirant Contonuum resi-
orum manutentione & bono guber-
r hos, & alios digniores respectus,
m movent, ordinat, & vult, quod
us, & Domina Maria cum eorum
eant, & stent in civitate Albinganæ,
s eo magis invitare jubet omnibus
s ejus filiis, ut blandiantur dictum
D. Mariam, & in bona unione cum
eosque bene tractent & honorent,
iat, & vult, quod dicta Domina Ma-
onem illius partis ejus Domus Al-
dioris, & decentioris ejus personæ,
lacuerit, & eandemmet electionem
vult, quod habeat in casu, quod vellent pro aliquo tempore ire ad habitandum in castris, aut in aliquo eorum rurum, & ultra dictas præeminentias, & electiones vult, quod dicta D. Maria sit usufructuaria, & Domina omnium dictorum ejus bonorum existentium Albinganæ, & in ejus districtu, permittens tamen, quod dicta D. Maria possit ad ejus electionem Genuæ morari per mensem unum, & frui commodo præsentis ejus dispositionis; & casu quo dictus Benedictus ejus filius, & D. Maria cum eorum filiis & familia non irent ad dictam habitationem & residentiam, ordinat, vult & disponit, quod non acquiratur dictæ Dominæ Mariæ aliquod commodum hujus Legati, & præsentis ejus dispositionis, sed cum non adimpleat conditioni & causæ finali, ob quam in hoc animum suum movit, ordinat, & vult, quod fructus dictæ domus, domunculæ, & Apothecæ Genuæ transeat ad ejus primogenituram, & eidem dicta domus, apotheca, & domuncula, & fructus ipsarum incorporentur, & sequantur perpetuo formam & naturam ejusdem primogenituræ, expresse declarans, quod eveniente casu, & prætextu deberet recedere, quod DEus avertat, aut etiam in quolibet alio casu & occasione, in quibus permissum foret dictæ D. Mariæ se transferre ad dictam habitationem, & residentiam, ut supra, & quod ipsa vellet adimplere præsenti ejus dispositioni, in tali casu ordinat & vult, quod dicta Domina Maria moram trahens in dicta residentia & habitatione, & adimplens huic suæ voluntati habeat, & gaudeat commodo supradicti legati & præsenti ejus dispositione, eidem tamen expresse prohibendo, quod aliquo modo nequeat nec debeat aliquid participare dicto Benedicto ejus viro si in dicta civitate secum non convivat, sed solummodo possit disponere de fructibus dictæ domus & apothecæ, & de omni commodo hujus ejus dispositionis, pro manutentione, decore & honorificentia ejus personæ, & filiorum suorum, & nepotum ipsius testatoris; & non aliter, & ulterius declarat, & prohibet expresse, quod dicta D. Maria non possit aliquo modo obligare, hypothecare, nec in pignus dare dictam domum, domunculam & apothecam, neque aliquid ex suis bonis, & effectibus, sed possit solummodo locare dictam domum domunculam, & apothecam, ad plus ad tres in tres annos, & exigere fructus, & victus singulis sex mensibus, aut singulis annis, & non ultra, & hoc facit, ne dicta D. Maria possit subministrare pecuniam, aut aliquid dicto Benedicto ejus viro, unde ordinat, & vult expresse, quod dicta D. Maria non possit aliquo modo se excusare sub quolibet prætextu, aut causa etiam legitima se transferendi ad dictam habitationem, & adimplendi huic ejus dispositioni, sed vult, & disponit, quod præsens ejus voluntatas habeat totalem effectum in privatione & exclusione dictæ D. Mariæ, quatenus non eat, aut cum dicto ejus viro, aut sine ipso ad dictam habitationem, & residentiam, sicuti vult, quod remaneat etiam exclusa & privata in omni, & per omne, in casu quod vidua remaneret dicti Benedicti, & ad secunda vota transiret, aut quandocunque recederet a filiis suis nepotibus ipsius testatoris, quamvis legitimam causam haberet, quæ privatio moderare debet, videlicet, quod privata rema-

remaneat, quando sine legitimo impedimento, sed per defectum proprium non adimplebit huic dispositioni, & sic intelligatur in omnibus casibus privationis, in quibus casibus, & in quolibet eorum etiam inobservantiæ omnium, ut supra disposuit; & vult, quod ejus filii & dicti Benedicti nepotes sui remaneant in dicta ejus Domo Albinganæ, penes filios suos, qui ibi de eo tempore reperientur, ubi debeant decenter alimentari, bene tractari, & provideri omnibus necessariis eorum manutentioni, & decori, quorum curam & protectionem recommendat infrascriptis tutoribus & curatoribus, quos nominabit. Lauretæ, ejus charissimæ Nepoti, filiæ dicti Benedicti, & D. Mariæ ultra dotem, quam debet consequi ex bonis patris, prout supra declaravit jure legati, & omni alio meliori modo relinquit, quod si nupserit cum consensu & bona voluntate dictæ D. Mariæ, Prælati, Petri Francisci, & Ambrosii, filiorum suorum, qui sciunt intentionem, quam habet, cui in matrimonium tradi, tali casu, ut sponsus sit omnino proportionatus & conveniens ejus qualitati, eidem relinquit annuum reditum nummorum argenteorum vulgo Ducati nonaginta, quos habet super Communitate Analiæ, in Regno, & ulterius creditum scutorum bis mille capitalis adversus Communitatem Bozzolalaschi, & Dominos Comites Sancti Georgii, cum fructibus decursis, & non exactis tempore mortis suæ, & decurrendis, qui debeant exigi ab infrascriptis executoribus testamentariis in beneficium dictæ Lauretæ, & investiri pariter in ejus beneficium; & si dicta Laureta nuberet sine prædicto consensu, ordinat, & vult exclusam esse a commodo hujus Legati, & ipsa exclusa, sicuti etiam decedente sine filiis legitimis & naturalibus, disponit præsens Legatum acquiri, & transire debere ad secundo-genitam ipsius Benedicti, & D. Mariæ cum iisdem - - - & caducitate, quæ secundo-genita si fuerit exclusa in casibus prædictis, & etiam in fata cesserit sine filiis legitimis & naturalibus, ordinat & vult præsens legatum & commodum ipsius acquiri, & incorporari dictæ primogeniture, & sequatur formam & naturam ejusdem. Et casu quo dicta Laureta Religionem ingredi vellet, aut etiam aliæ filiæ nasciturae, vult, quod supradictum Legatum non intelligatur acquisitum dictæ Lauretæ, neque aliis filiabus modo dicto, ut supra, sed quod illis tantum tradatur dos a patre sufficiens ad ingrediendam Religionem, & hoc facit non in odium Religionis, sed quia considerat, majorem dotem requiri in nubendis ipsis, quam Religionem ingredientibus, quibus pater providere potest; sed decenter in matrimonium collocare & cum honore concurrere voluit hac ejus dispositione pro decore ejus familiæ.

Equitem fratrem Octavium de Carretto, ejus Nepotem, filium D. Marchionis Octaviani de Carretto, & Marchionissæ Blancæ, ejus filiæ, cum ipsum domi educaverit & Melitam miserit ejus expensis, jure legati, & omni alio meliori modo absolvit & liberat a restitutione, & solutione totius, quod ex libris suis constabit quomodolibet impendisse pro servitio ejusdem, & ultra dictam liberationem, pro eademmet causa eidem relinquit libras ducentum monetæ Genuæ solvendas in fine cujuslibet anni a die mortis ipsius testatoris, quousque assecutus fuerit scuta centum annui reditus de bonis & effectibus Religionis Melitensis, aut pensionis, aut ex aliis bonis ecclesiasticis, & quando fuerit assecutus dictam summam, præsens legatum cesset; & rogat dictum fratrem Octavium, ut bene & virtuose vivat, pro honore ejus familiæ & suorum laborum.

Item jure legati relinquit D. Commendatori Cessiano de Puteo unum ex duobus vasis argenteis odorariis, quæ reperientur in ejus hæreditate, videlicet grandiorem & pulchriorem, ipsum dehortando, ut pro re grata eidem reddenda illum placeat acceptare & grato animo habere intuitu plurium, quæ profitetur debere Dominationi suæ, cui instanter commendat executionem dispositionum suarum, & curam atque protectionem suorum Successorum, prout sperat a sua benignitate, quod eidem placebit favorem impertiri.

Item jure legati relinquit Religioni Melitensi Domum, quæ Melitæ eidem spectat post mortem equitis fratris Antonioti, empta per ipsum a D. Marchione Malaspina, reservato tamen usufructu, & habitatione dictæ domus, favore Equitum ejusdem Religionis, qui pro tempore erunt de ejus familia & successione Lineæ Masculinæ, & si de hac Linea non erunt, favore illorum provenientium a Linea fœminina, quibus respective jure legati relinquit dictum usumfructum & habitationem dictæ domus; vult & expresse declarat, quod in consecutione dicti Legati semper præferatur magis Antianus in dicta Religione inter dictos ejus posteros & Successores, & illi de Linea Masculina debeant omni tempore præferri illis de Linea fœminina, quamvis magis Antianis. Magnifico Joanni Augustino Manchellio, ejus ministro, pro servitute, & amore, quo rebus suis perpetuo adstitit, jure legati, relinquit unum catinum & unum aqualem argenteum, valoris scutorum centum quinquaginta monetæ in totum, ipsum rogans, ut velit hæc acceptare in signum benevolentiæ, & vult, quod ejus hæres & tutores ipsius teneantur ejus computa amice admittere, juxta unam syngrapham ejus manus, quæ est penes dictum Joannem Augustinum, quem rogat velle subministrare infrascriptis ejus hæredi, & tutoribus ipsius omnia illa auxilia, operam & instructiones, quæ, & quas ipse poterit pro colligendis ejus effectibus, & ob id declarat, & nominat exactorem, & receptorem generalem, & generalissimum omnium suorum redituum, & effectuum hic Romæ ipsum Magnificum Joannem Augustinum, tanquam bene instructum & informatum totius ejus patrimonii, & virtute præsentis ipsum constituit, & nominat ejus procuratorem etiam post mortem ad prædictum effectum, & eidem concedit omnes illas facultates necessarias & opportunas, & omne id, quod exiget, debeat reponere in sancto Monte Pietatis Romæ in creditum ejus hæreditatis, & ad dispositionem dicti D. Commendatoris de Puteo, cui dictus Magnificus Joannes Augustinus teneatur rationem reddere ejus exactionis, semper, & quandocunque requisitus erit. Et ulterius concedit dicto D. Commendatori liberam facultatem, nominandi aliam personam in defectum dicti Magnifici Joan. Augustini, & sic nominatam removendi, & alias subrogandi ad ejus libitum.

Item ordinat & vult, quod statim secuta ejus morte deferri debeat in dictum Montem Pietatis omnis pecunia, quæ reperietur in ejus hæreditate tam hic domi, quam in quolibet Banco Romæ, & ponatur in dicto Monte ad creditum, & dispositionem, ut supra.

Item jure legati relinquit familiæ, & famulis qui tempore ejus mortis erunt in actuali servitio, scuta ducentum monetæ, ipsis distribuenda ab infrascriptis executoribus testamentariis, prout iisdem placebit.

Item ordinat, & vult, quod termino unius anni post ejus mortem dimitti debeat domus quam tenet Romæ, & dicta D. Maria ejus nurus & Benedictus ejus vir, cum eorum filiis & familia, debeant ire ad habitationem & residentiam ejus domus Albinganæ, modo & forma, ut supra disposuit; & ubi non adeant dictam habitationem & residentiam, vult & ordinat, quod Legata & dispositiones facta & factæ cuilibet eorum, intelligantur revocata & revocatæ & habeant locum dispositiones factæ superius circa dicta legata caducitatem, & privationem; & pro toto illo tempore, quo intra dictum annum iisdem assignatum morabuntur Romæ, ordinat, & vult, quod ipsa D. Maria habeat gubernium & administrationem domus, et eidem subministrari debeat expensa necessaria pro decenti manutentione ipsius, & ejus familiæ, quam tamen vult teneri reddere rationem expensæ & administrationis suæ singulis mensibus dicto D. Commendatori de Puteo.

Item disponit & vult, quod dictus Benedictus & D. Maria, cum eorum filiis, & familia debeant manutenere, & aliis Albinganæ fructibus, & aliis proventibus bonorum & effectuum suorum in dicta civitate, & etiam fructu, et commodo, de quo supra disposuit favore dictæ D. Mariæ, & dotis suæ; & casu quo non sufficerent, ordinat & vult, quod infrascripti executores testamentarii possint supplere, & subvenire singulis annis usque ad summam librarum mille monetæ Genuæ, quatenus sit necesse, & non aliter. Qua de re vult, & disponit, quod singulis annis debeat revideri computum expensæ, quæ ab ipsis fiet pro dicta manutentione, instantissime rogans ad talem effectum supradictam D. Mariam, ut se gubernare velit cum ejus prudentia, & condecenter se manutenere ad effectum augmentandi in beneficium ejus filiorum, cum Benedictus eorum Pater non sit aptus eis juvando nec bono regimine, nec ejus industria; & omne id, quod deductis expensis pro supradicta manutentione & bonorum, quæ relinquet, sicuti etiam pro colligendis ejus effectibus, supererit ex reditu, & bonis suis tam Romæ, quam Albinganæ & alibi, ordinat, & vult, quod singulis annis reinvestiatur, aut hic Romæ, aut in Dominio Serenissimæ Reipublicæ Genuensis in locis perpetuis Montium, & non vacabilibus, aut bonis stabilibus, & aliis annuis reditibus certis, ad beneplacitum tamen infrascriptorum tutorum, & executorum, aut administratorum testamentariorum,, quod Investimentum statim factum intelligatur, & debeat esse incorporatum & auctum dictæ primogenituræ, & sequetur formam & naturam ipsius, excluso tamen & semper ab eo dicto Benedicto.

Item declarat, cum dictus Testator de An. 1631. Genuam miserit diversas gemmas valoris in totum quatuor millium septingentorum octuaginta quinque scutorum monetæ Genuæ, & illas consignari fecerit dictæ D. Mariæ pro ejus ornatu & decore, pacto, quod, quando ipsa D. Maria uti amplius iisdem noluerit & etiam post ejus mortem in quolibet dictorum duorum casuum supradictæ gemmæ in totum vendi debeerent, & pretium ipsarum reinvestiri in bonis stabilibus, & aliis bonis fructiferis, ut magis ample continetur in Instrumento facto Genuæ, rogato a Notario Joanne Francisco Podio sub octava Julii, 1631. ad quod &c. inhærendo dicto Instrumento ordinat, vult, & mandat, quod dictarum gemmarum retractus investiatur ad beneficium secundogeniti Masculi dicti Benedicti, & fructus dicti investimenti debeat poni ad multiplicum, & reinvestiri singulis annis, donec dictus secundo-genitus perveniat ad ætatem triginta annorum, & interim debeat manuteneri, & educari proventibus ejus hæreditatis, prout supra disposuit arbitrio dictorum suorum executorum & administratorum; & casu quo dictus secundo-genitus decederet in pupillaritate, quod DEus avertat, & etiam post factum majorennem quandocunque sine filiis legitimis, & naturalibus, dictum reinvestimentum, & multiplicum modo & forma, quibus reperietur, transeat ad beneficium tertii geniti, quo ut supra deficiente, eat in beneficium quarto-genito & sic successive; & deficiente tota linea secundi tertii geniti, & aliorum, dictum investimentum intelligatur incorporatum, & auctum dictæ primogenituræ, excluso etiam ab hoc multiplico, & investimento dicto Benedicto eorum patre.

Item declarat, cum dictus Abbas Joannes Antonius filius suus eidem renunciaverit ejus legitimam, pacto, quod dictus testator de illa disponeret pro ejus beneplacito, ut continetur in Instrumento dictæ renunciationis rogato, per Adr. Galli sub vigesima prima Augusti, 1636. jure legati, & omni alio meliori modo, quo potest, & debet, relinquit dictæ primogenituræ, & vocatis in ipsa, excluso tamen dicto Benedicto, totum illud, quod spectabit ad dictum Abbatem Joannem Antonium, aut ad Dominationem suam, qua Donatarium in hæreditate, & bonis causa legitimæ, & cujuslibet alterius tituli, & hæc portio & legitima intelligatur incorporata, & aucta dictæ primogenituræ, & sequatur naturam & formam ipsius.

Item ordinat & vult, quod secuta ejus morte vendi debeant omnia ejus argentea cujuscunque speciei & qualitatis, quæ reperientur hic Romæ in ejus domo, & pretium & valorem retrahendum poni debere in Monte Pietatis, ut supra, & reinvestiri in tot locis Montium Cameralium, & non vocabilium, aut in reditibus securis in Dominæ Serenissimæ Reipublicæ Genuensi, prout placuerit infrascriptis suis executoribus testamentariis, quod investimentum statim factum intelligatur, & sit auctum & incorporatum dictæ primogenituræ, & sequatur perpetuo formam & naturam ipsius, excluso tamen dicto Benedicto.

Item prohibet expresse alienationem, & distractionem omnium suarum tabularum pictarum cujuscunque qualitatis & valoris, & signanter illarum, quæ

quæ reperiuntur Romæ operæ Caravagii, Josephini & Guidi, quas simul cum omnibus aliis disponit, & vult, quod secuta ejus morte mittantur Albingam, ubi debeant teneri, & perpetuo conservari ad ornatum illarum habitationum, & decorem Successorum suorum. Item ordinat & vult, quod statim secuta ejus morte fieri debeat Inventarium omnium suorum mobilium, suppellectilium, librorum, scripturarum, argenteorum, gemmarum, & aureorum in monetam non cusorum, cujuslibet qualitatis & valoris, quæ dicto tempore reperientur hic Romæ, quæ debeant servari a D. Maria, ejus nuru, & a dicto D. Commendatore de Puteo pro executione illius, quod de ipsis disposuerit.

Et quia desiderat summopere, quod tam infra scriptus ejus Hæres, quam quilibet alius eidem substitutus, & a sua Dominatione descendens, vivant, prout decet bonos Christianos, timentes DEum, & obedientes legibus, eorum Principibus, & superioribus, & se abstineant a quolibet delicto: Hoc ideo disponit, ordinat & vult, quod tam infrascriptus ejus hæres, quam quilibet alius, qui virtute præsentis sui Testamenti succedere debebit in dictam ejus hæreditatem, & bona, aut in totum, aut in partem, committendo quodlibet delictum, per quod dicta ejus bona, aut eorum reditus, & fructus, aut in totum, aut in partem, quamvis minima, deberent confiscari in pœnam delinquentis, decadat a dicta ejus hæreditate in totum, & illa nunc, & per unum mensem antea quam tale delictum commiserit, eum privat & vult, quod pro privato habeatur tota dicta ejus hæreditate, & nunc pro tunc declarat indignum ejus successione, & in ejus locum vult, quod succedat ille, qui virtute præsentis Testamenti succedere deberet, si talis delinquens, antequam tale delictum committeret, naturaliter defecisset, & ita ordine successivo succedendo unus alteri, ita ut nunquam hæc ejus hæreditas culpa similium delinquentium pervenire possit in alias manus, quam ejus hæredum & descendentium, & a sua Dominatione substitutorum juxta præsens Testamentum, pro conservatione & decore ejus Familiæ, & illam dispositionem non facit in odium fisci, sed solum ne descendentes sui committant delicta, & ut omnia ejus bona conserventur pro decenti manutentione illorum ejus Descendentium qui Christiane vivent, & obedient eorum Principibus & superioribus, prout tenetur quilibet bonus Christianus, timens DEum, & non aliter. Sed in casu, quod dicti delinquentes, aut quilibet eorum impetraret a benignitate ejus Principis, aut superioris cujuslibet nominis aut qualitatis, remissionem culpæ, & pœnam incursam ob delictum commissum, qui esset totaliter reintegratus in bona gratia dicti Principis, aut ejus Superioris, tali casu volens ejus Dominatio se conformare benignæ menti talis Principis superioris, vult, & ordinat, quod etiam reintegretur in possessione illorum bonorum suorum Hæreditariorum, quibus in vim supradictæ prædictæ ejus dispositioni privatus fuerit, exceptis tamen fructibus perceptis medio tempore, qui erunt percepti ab illo qui successerat in locum suum, pro quibus non vult, quod molestetur; & hanc ejus dispositionem vult observari toties, quoties casus evenerit, & quod pluries etiam accideret in una sola persona. In omnibus & singulis aliis suis bonis, mobilibus, stabilibus, præsentibus, & futuris, aureis, argenteis creditis, & nominibus debitorum juribus & actionibus, cujuscunque speciei, & qualitatis, sicuti etiam in qualibet alia re ad Dominationem suam spectante, in quocunque loco existente facit, declarat, suo proprio ore nominat suum hæredem universalem Philippum, ejus nepotem, filium dicti Benedicti, & dictæ D. Mariæ, cum expressa prohibitione, quod ejus hæreditatis ususfructus & administratio ipsius aliquo modo non acquirantur dicto Benedicto ejus patri, sed quod ex integro non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad fructus, & administrationem ipsius spectet, & pertineat ad dictum Philippum ejus nepotem, cui vulgariter, pupillariter & per fideicommissum substituit dictam primogenituram, a Dominatione sua factam & institutam in persona dicti Benedicti favore suorum posterorum per acta Fonthiæ Notarii A. C. sub die 23. Febr. 1629. cui intelligatur, & sit incorporata tota ejus hæreditas, & sequatur in totum, & per totum formam & naturam ipsius primogenituræ, excluso tamen semper ab hac sua hæreditate, & portione, quæ adjungentur dictæ primogenituræ dictum Philippum, non quia illum æqualiter non amet cum fratribus suis, sed solummodo ob desiderium quod habet, & tenet, ne hæc hæreditas sua consumetur ab ejus nimia licentia, sed conservetur perpetuo in ejus successione, & in dicta primogenitura, servata semper forma, & natura ejusdem, & in supradictis bonis suis hæreditariis & singulis prohibet expresse suis hæredibus, & Successoribus quamlibet detractationem legitimæ aut Trebellianicæ cum plena, & expressa etiam prohibitione cujuslibet alienationis etiam pro necessaria & legitima causa & non aliter. Et stante minoritate dicti Philippi, & aliorum suorum nepotum relinquit, & nominat eorum Tutores & Curatores D. Mariam Cattaneam Costam eorum matrem, Prælatum Petrum Franciscum & Ambrosium ejus filios, & eorum Patruos, & dictum D. Commendatorem Cassianum de Puteo ob maximam confidentiam, quam tenet in eorum benevolentia, & integritate, quibus conjunctim concedit omnes facultates, & auctoritates necessarias & opportunas; declarando, quod in casu, quod dicta D. Maria vidua foret, & ad secunda vota transiret, sicuti etiam incurreret in aliquem ex casibus a sua Dominatione superius expressis, in quibus declaravit exclusam dictam D. Mariam a præsenti Testamento, & ab ejus dispositione, ordinat, disponit, & vult, quod ipso facto remaneat exclusa a dicta tutela, & cura; declarans, & volens expresse, quod dictus Philippus ejus hæres non possit administrare, nec in gerentiam habere in aliqua re, donec & quousque non compleverit ætatem triginta annorum, & ad illud usque tempus ordinat, & vult, quod stet sub cura & gubernio dictorum Dominorum Tutorum, & curatorum nominatorum. Et ulterius instituit, relinquit, & nominat Executores, Administratores, & Commissarios præsentis sui Testamenti & ultimæ voluntatis infrascriptos, videlicet Prælatum Petrum Franciscum & Ambrosium de Costis ejus filios, dictam D. Mariam Cattaneam Costam, quatenus tamen non incurrat in privationes & caducitates supradictas, dictum D. Commendatorem de Puteo, D. Cattaneum & D. Marchionem Octavianum de Carretto ejus generum, & in defectum ipsius ejus primogenitum conjunctim;

ctim; quos rogat, ut assistant, & curent præsentem ejus dispositionem in totum, & per totum adimpleri, & in casu discordiæ inter ipsos pro qualibet causa & occasione super administratione & gubernio hujus ejus hæreditatis, & super adimplemento præsentis ejus dispositionis, tali casu ordinat, & vult, quod duo ex dictis executoribus uniti, in quibus concurret dictus D. Commendator de Puteo, possint executioni mandare dictam ejus voluntatem, licet alii contradicerent. Executores Honorarios præsentis ejus Testamenti & explicatores præsentis ejus dispositionis relinquit & nominat Prælatum Pironanum, Auditorem Rotæ, & dictum D. Commendatorem Cassianum de Puteo, & D. Carolum Antonium de Puteo, quibus concedit amplissimas facultates pro executione præsentis ejus dispositionis. Et tandem illa majori reverentia, & humilitate, qua debet, supplicat instantissime Eminentissimos & Reverendissimos Dominos Cardinales Cevinum, sanctæ Ceciliæ, & Bichium, ut dignentur acceptare sub eorum protectione omnes supradictos ejus filios, & nepotes, & præsentem ejus dispositionem, quos tamen facit, & nominat protectores particulares ipsorum cum omnibus facultatibus necessariis. Ac, demum cum illo majori devotionis affectu, quo potest, hortatur instantissime dictum D. Commendatorem, Cassianum, de Puteo, eidem impertiri gratiam acceptandi curam, & onus hujus ejus dispositionis, quæ cum sit alicujus incommodi, & laboris Dominationis suæ, deprecatur dignari admittere secum D. Carolum Antonium de Puteo, ejus fratrem & generum dicti Testatoris, cui immediate Dominationi suæ concedit easdem facultates nominationes, & auctoritates, quæ debeant esse, & declarat concessas cumulative inter unum, & alterum ipsorum Dominorum.

Et hoc est ultimum ejus Testamentum, & ultima ejus voluntas, quod vult valere, tam ratione Testamenti, quam ratione Codicilli, & donationis causa mortis, & cujuslibet alterius qualitatis ultimæ voluntatis, & prævalere cuicumque alteri Testamento, aut donationi causa mortis, & cuilibet aliæ qualitatis ultimæ voluntatis, quas quomodolibet usque in præsentem diem fecisset, quamvis indigeret clausulis derogativis, aut derogativis derogatoriarum, cassans, & annullans quodlibet aliud Testamentum, & codicillum aut donationem causa mortis ut supra, super quibus etc. Actum Romæ Domi solitæ habitationis dicti Perillustris D. Octavii Tessoris, Regionis Parionii, præsentibus ibidem Illustrissimis et Reverendissimis, D. Alexandro, filio quondam Bartholomæi de Rafinis Florentino, D. Francisco Pinastro, filio D. Antonii Januens. D. Joanne Baptista Sazzo, filio quondam Joannes Vintimiliens. D. Joanne Baptista Busi, filio quondam Simonis Narniens. D. Leonardo Boschi, filio quondam Annibalis de Monte Fortino, Firmanæ Diœcesis, D. Angelo Candiano, filio quondam Francisci Elino, et D. Stephano Zuffo, filio quondam Thomæ Januens. Testibus ad prædicta omnia et singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

† Locus Tabellionatus.

Ego Laurentius Bellus, Cur. Caus. Cameræ Apostolicæ Notarius, uti successor quondam. D. Adriani Galli, olim A.C Notarii rogati, præsens Instrumentum publicavi requisitus.

IV.

Literæ Caroli VI. Roman. Imper. in quibus Octavianum de Carretto, ex Marchionibus Savonæ Marchionem Balestrinum, de Comitatu & Castris Garlendæ, Paravennæ & Lingviliæ, ad Petrum Franciscum Costam tum pertinentibus, eventualiter investivit, d. d. 23. Augusti Anno 1717.

CAROLUS VI.

AGnoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod Nobis Nobilis noster, Sacrique Imperii fidelis dilectus Octavianus de Carretto, ex Marchionibus Savonæ, Marchio Balestrini humillime exponi curarit, sese ex Blanca, filia quondam Octavii Costæ, uxoreque quondam Octaviani de Carretto, et matre Dominici Donati de Carretto Marchionum Balestrini, verum, naturalem et legitimum descendentem esse, ac proinde, cum vigore primogenituræ, ac fideicommissi die 23. Februarii An. 1629. a memorato Octavio Costa in personam filii sui Benedicti Costæ, et die 3. Januarii Anno 1633. a gloriosæ memoriæ Domino proavo nostro, Imperatore Ferdinando Secundo confirmati provisum habeatur, quod deficiente nunc dicti Fidei-Committentis linea masculina, prænominata filia sua Blanca, ejusque naturales et legitimi descendentes in Comitatu et Castris Garlendæ, Paravennæ, et Linguiliæ, nostris sacrique Imperii feudis immediatis succedere debeant. Nunc vero ex modo dicta Octavii linea nullus masculus, nec legitimus et naturalis, nec alius quiscunque descendens, quam solus et unicus Petrus Franciscus Costa, præfati quondam Benedicti Costæ filius, omni prole tum masculina, tum fœminea destitutus, & prope octogenarius, superstes reperiatur, adeoque post hujus fata prænominatus supplicans Octavianus de Carretto, ex Marchionibus Savonæ, Marchio de Balestrino in dictis feudis vigore præcitatæ primogenituræ ac fideicommissi verus atque legitimus Successor sit, Nos humillime exorarit, ut, cum Nos ipse de prænominatis feudis pro supremo, directo, ac immediato Domino suo recognoscere, & cuncta ea, quæ fidelem Vasallum decent, omni tempore præstare desideret, Nos eidem de præfato Comitatu Garlendæ, Paravennæ & Linguiliæ anticipate, & cum ea conditione, si modernus feudorum possessor absque prole mascula decesserit, investituram Cæsaream, nonnisi post mortem memorati Petri Francisci Costæ valituram, impertiri, & ex nunc pro tunc facultatem, qua repetita feuda nomine proprio apprehendere, retinereque valeat, concedere clementissime dignaremur. Nos igitur perpensis tum Nobis, tum Cæsareo nostro Consiliario Arcano, Commissario Imperiali, & Plenipotentiario per Italiam, Sacrique Imperii fideli dilecto, Comiti Carolo Borromæo, Aurei Velleris Equiti, productis documentis authenticis, jureque ad prænarratam successionem edocto, nec non considerata non minus supplicantis Octaviani de Carretto, Marchionis Palestrini, quam Ante-

Anteceſſorum ſuorum Nobis, & glorioſis prædeceſſoribus Noſtris, Romanorum Imperatoribus, ſacroque Imperio omni occaſione probata fidei integritate, & obſequendi ſtudio prærecenſitis ſubmiſſis precibus benigne annuendum cenſuimus, prout vigore harum omnino annuimus, ac proinde ex certa noſtra ſcientia, & animo bene deliberato, ſano maturoque accedente conſilio, ac de Cæſareæ noſtræ autoritatis & poteſtatis plenitudine, ſæpe nominato Octaviano de Carretto, Marchioni de Baleſtrino, dictum Comitatum & Caſtrum Garlendæ, Paravennæ, & Linguiliæ, cum univerſo eorum diſtrictu ac pertinentiis, ſive in villis ipſorum locorum, ſive in mari & aqua & in communi in Boſchis, herbariis & paſcuis, in fodris, bannis & offenſis, placitis, diſtrictibus, albergariis, conſtitutionibus, uſibus, operibus, fictis, cenſibus, redditibus, angariis, aquis, aquarum decurſibus, furnis, molendinis, piſcationibus, ripis, paludibus, montibus, planitiebus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, capediis volucrum & belluarum atque lupinis, in quorum poſſeſſione vel quaſi quondam Antoniottus Comes Linguiliæ atque ſupra dictus Octavius, una cum fratribus ſuis, nec non Benedictus, & tandem modernus eorum poſſeſſor, Petrus Franciſcus Coſta, reſpective fuerunt, & eſt, in feudum rectum damus, concedimus, & elargimur, cum mero & mixto imperio, omnimoda Juriſdictione, & gladii poteſtate, ac honoribus & regalibus, quemadmodum illa omnia ad ipſum Antoniottum, ejuſque in his feudis nunc nominatos ſucceſſores, vigore privilegiorum, novarum conceſſionum & inveſtiturarum ſpectabant & pertinebant, quantumcunque ei de jure vel ex ſpeciali gratia in præmiſſis concedere poſſumus ac debemus, recepto prius ab ipſius conſtituto procuratore legitimo ac ſufficienti ad hoc mandato inſtructo, noſtro ac Sacri Imperii fideli dilecto, Zenone Franciſco Joannelli, Conſilii noſtri Imperialis Aulici Agente, in animam Octaviani de Carretto, Marchionis de Baleſtrino, debito homagii & fidelitatis juramento. Volentes, & hoc noſtro Cæſareo Edicto firmiter decernentes, quod nunc nominatus Octavianus de Carretto, Marchio Baleſtrini, qua anticipate & proviſorie inveſtitus, modernum dictorum feudorum poſſeſſorem vita ſua durante in eorum omnimodo uſu, fruitione, & jurium quorumvis exercitio quietum relinquat, nec eundem in iis ſub quocunque demum prætextu turbet, aut impediat, ſed primo poſt fata ſua, & in illam expreſſum caſum, ſi dictus Petrus Franciſcus Coſta ſine prole maſcula, ad feuda hæcce capace, deceſſerit, ſæpe fata feuda eorumque jura & appertinentias in conformitate præcitatæ primogenituræ, & facultatis noſtræ Cæſareæ, quam eidem, vigore harum benigne concedimus, pro ſe ſuisque deſcendentibus maſculis naturalibus & legitimis propria autoritate apprehendere atque retinere, dein vero ipſe Octavianus & nunc dicti ſui hæredes & deſcendentes naturales & legitimi, Ordine primogenituræ, de qua ſupra fit mentio, ſemper obſervato, Comitatum & Caſtrum Garlendæ, Paravennæ & Linguiliæ, nunc & in futurum a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum recognoſcere debeant, viciſſim vero omnibus & ſingulis prælibatis privilegiis, gratiis & juribus uti, frui, potiri & gaudere poſſint, prout ipſe ſæpe dictus Antoniottus, ejuſdemque tum Majores, tum in his feudis prænominati ſucceſſores poſſederunt, potiti & gaviſi ſunt conſuetudine, vel de jure, non obſtantibus quibuſvis legibus, conſtitutionibus, etiam feudalibus, ſtatutis, decretis atque ordinationibus, aliiſque in contrarium facientibus, quibus omnibus & ſingulis pro hac vice duntaxat, autoritate & ſcientia prædictis derogamus & derogatum eſſe volumus. Supplentes etiam omnem defectum juris vel facti, ſi quis in præmiſſis interveniſſe allegari poſſet, ſalvis tamen (uti ſuperius præcautum eſt) Noſtris & Sacri Romani Imperii Superioritatis & directi eorundem Dominii, nec non quorumcunque etiam aliorum quibusvis juribus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis, confirmationis, Inveſtituræ, decreti, voluntatis, gratiæ & facultatis ſupradictæ paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire. Quiſquis autem id attentare præſumſerit, ſeſe ipſo facto, præter Noſtri, & Sacri Romani Imperii graviſſimam indignationem, pœnam centum librarum auri puri, ex uno ſemiſſe injuriam paſſorum uſibus toties, quoties contra factum fuerit, omni remiſſionis aut veniæ ſpe præciſa ſolvendam noverit incurſurum. Harum teſtimonio literarum manus noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli appenſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ, die vigeſima tertia menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Romani ſexto, Hiſpaniarum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero ſeptimo.

CAROLUS.

AD

Sectionis II.

Classis III.

Caput XIII.

De Dominis de Flisco, Comitibus Lavaniæ, (vulgo Fieschi nuncupatis) Januensibus

Tom. I. pag. 2259.

I.

Wilhelmi, Romanorum Regis, literæ, in quibus Familiam Fliscanam variis privilegiis donavit, ac majorem natu ex eadem Comitis Palatini dignitate condecoravit, d. d. 2. Non. Sept. Anno 1249.

Wilielmus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, Viris nobilibus Opizoni, Alberto, Jacobo, Thedisio & Nicoleto, Comitibus Lavaniæ, dilectis fidelibus suis gratiam suam & omne bonum. Regalis solertia Imperio subditorum merita provida deliberatione discutiens, benemeritos solet attollere laudibus, & beneficiis uberioribus amplexari. Hinc est quod cum vos & vestri erga Romanum Imperium illam conservetis constantiam, illumque servetis affectum, ut inter alios confideles mereamini ab eo specialis prærogativæ titulo insigniri. Nos hæc non immerito attendentes, hanc Vobis & Domui vestræ de Flisco concedimus dignitatem, privilegium seu honorem, ut quicumque ex nunc & in perpetuum successive inter Dominos de Domo prædicta sit, & fuerit major natu, Comitis Palatini dignitate præfulgeat, & honore, & Comes Palatinus existat, cum omni Jure, omni Dominio, omni Jurisdictione, & causa, & cum omnibus pertinentiis ad dignitatem ac honorem prædictum. Insuper etiam volentes Domum vestram specialis privilegii honore fulgere, vobis & hæredibus vestris duximus concedendum, ut quandocumque ad Conservatorem vel ejus Vicarium ex criminali negotio, vel civili per Italiam a cujuscumque audientia contigerit appellari, majori natu dictæ Domus vestræ de Flisco, qui nunc est inter vos, & in perpetuum fuerit successive, liceat has causas appellationum cognoscere, & terminare easdem, ac executioni mandare, Justitia mediante, & aliis mandare Judicibus terminandas, ac constituere & creare Judices per Provincias qui cognoscendi de eis, terminandi, ac executioni mandandi habeant potestatem, prout eis visum fuerit expedire. Regali etiam munificentia vobis ac Domui vestræ in perpetuum, & vestris Successoribus successive concedimus in his, qui nunc sunt, vel in perpetuum inter omnes de prædicta Domo fuerint, major natu, dandi tutores & curatores minoribus & aliis, qui tutela & cura indigent, eorumque alienationibus interponendi decreta, faciendi Judices ordinarios & Tabelliones publicos Imperiali auctoritate vel Regia per Italiam liberam habeant facultatem. Ad hæc etiam vos & Domum vestram, ac hæredes vestros in perpetuum cupientes specialibus honoribus & insigniis decorare, vobis hujusmodi concedimus potestatem, ut quicumque de Domo prædicta nunc est, & in perpetuum fuerit pro tempore major natu, cudendi monetas novas sub nomine Imperatoris in Terra vestra & ubicumque per Italiam, cujuscumque speciei, vel generis, sub imagine & superscriptione Regis, vel Cæsaris habeat facultatem, eædemque Imperiales nuncupentur pecuniæ, & ubique sicut monetæ legitimæ communiter expendantur. Præterea vobis & vestris hæredibus successive in perpetuum Regali providentia duximus concedendum, ut quicumque de Domo vestra major fuerit natu, de nostro & Successorum nostrorum consilio reputetur, & omnibus nostris & Successorum nostrorum Consiliis libere valeat interesse, & ubicumque, & quandocumque, & quocumque tempore ipse major prædictæ Domus in curia nostra, vel illorum, qui post Nos Regnum, vel Imperium obtinebunt, per se, vel suum Vicarium morari voluerit, pro quadraginta familiaribus, & equis totidem expensas a Curia sufficientes habeat, prout aliis expensæ honorabiliter in eadem Curia exhibentur. Porro ad omnem inter vos & hæredes vestros imposterum dissensionis materiam amputandam, prædicta omnia tali modo concedimus & donamus, ut omnes proventus & reditus ex supradictis omnibus, ex quibuscumque constiterint inter vos, & hæredes vestros in perpetuum, in stirpes & capita æqualiter dividantur; major vero natu, qui semper de prædicta fuerit inter omnes, pro honore, solicitudine, & labore de prædictis proventibus præcipuam habeat quartam partem, & ut nulla super appellatione de stirpe aliquando dubitatio esse possit, taliter stirpes duximus declarandas, ut ex latere Opizo, ex alio vero Albertus, Nicolaus, & Thedisius eorum Nepos, pro stirpe ipsorum descendentibus habeantur. Si quis autem hujus Regalis concessionis paginam infringere, attemptaverit, vel ei ausu temerario præsumpserit contraire, gravem nostræ Celsitudinis offensam cum banno Imperii se noverit incursurum. Datum apud Confluentiam, Anno Domini millesimo, ducentesimo quadragesimo nono, secundo nonas Septembris, Indictione septima, Regni Nostri anno primo.

II. *Caroli*

II.

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Dominos de Flisco, in ipso Diplomate nominatos, Sacri Lateranensis Palatii Comitatus dignitate atque emolumentis donavit, atque condecoravit, d. d. 6. Kal. Junii, An. 1369.

In nomine Domini, & sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter, Amen!

CArolus Quartus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus & Bohemiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam, Nobilibus Andreæ & Antonio de Flisco, fratribus, quondam Benedicti, filiis masculis quondam Æliani fratris dictorum Andreæ & Antonii, Luchino & Vincentio de Flisco Fratribus, quondam Albertini, Bartholomæo & Nicolao de Casanova, fratribus quondam Ugolini, Brancaleono de Flisco, quondam Stephani, & Jofredo de Flisco, quondam Jofredi, Fratribus dicti Brancaleonis, Lavaniæ, nec non Sacri Lateranensis Palatii Comitibus, suis, & Imperii Sacri fidelibus dilectis gratiam suam, & omne bonum. Sceptrigera Cæsareæ dignitatis Sublimitas, sicut inferioribus potestatibus, officii & dignitatis elatione præfertur, ut commissos sibi fideles optate gubernet consolationis præsidio, quod thronus Imperatoris tanto solidet felicius, & uberiori prosperitate proficiat, quanto indeficientis suæ virtutis donaria largiori benignitatis munere fuderit in subjectos, sic a coruscante splendore Imperialis Solii Nobilitates aliæ, velut a sole radii procedentes, ita fidelium status & conditiones Illustrant, quod primo lucis integritas memoratæ luminis detrimenta non patitur, imo amplioris scintillantis jubaris expectato decore profunditur, dum in circuitu Sedis Augustæ spectabilium Comitum & Procerum numerus Imperii Sacri decorem feliciter adaugeatur. Sane ad notabilem, & nimium considerandam Vestræ circumspectionis industriam, & expertam virtuosæ fidei erga Nos, & ipsum Romanum Imperium devotam constantiam, quibus in conspectu Cæsareo clausistis Nostræ Majestatis oculos, & studiosæ meditationis aciem singulari quadam ferventia gratiosius dirigentes, Vobis ob hoc gratiam volentes facere specialem, Vos, quos virtutis claritate, quasi laudabilium morum venustate respersos multipliciter commendatos accepimus filios, & hæredes Vestros Masculos ex Vobis legitime descendentes, in perpetuum, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum, Nobilium & Procerum Nostrorum, & Sacri Romani Imperii fidelium accedente consilio, & de certa nostra scientia, ac de plenitudine Imperatoriæ potestatis, Sacri Lateranensis Palatii Comites facimus, creamus, erigimus, nobilitamus, attollimus, et gratiosius insignimus, cum omnibus honoribus, dignitatibus, Jurisdictionibus, Juribus, Privilegiis, gratiis, libertatibus, officiis, et utilitatibus universis, nec non omnibus emolumentis et commodis, quæ et quas cæteri nostri et Sacri Romani Imperii Comites Palatini obtinere, percipere et habere noscuntur quomodolibet, de consvetudine, vel de Jure, Vos, et hæredes Vestros prædictos ipsorum Palatinorum Comitum numero et consortio, de certa scientia, et Cæsareæ potestatis plenitudine aggregantes. Vos quoque, et dictos hæredes vestros ex vobis per lineam masculinam, ut præmittitur, legitime, et in perpetuum descendentes, de hujusmodi dignitate, et Comitatus officio, cum omni honore et decentia, quibus expedit, auctoritate præsentium investimus. Dantes et concedentes Vobis et eisdem Vestris Filiis et hæredibus masculini sexus in perpetuum, eadem Imperatoria auctoritate plenam et omnimodam, de certa nostra scientia potestatem creandi Notarios publicos, Tabelliones et Judices ordinarios, ubique locorum, et per Sacrum nostrum Romanum Imperium, qui idonei sint, et in litteratura sufficienter experti, cum plenaria potestate ad Tabellionatus et Judicatus officium pertinente, eosque, et eorum quemlibet investiendi de prædictis per pennam et calamarium, ut est moris, dummodo tamen ab ipsis Notariis, seu Tabellionibus, et Judicibus Ordinariis, per vos, et vestros hæredes prædictos fiendis et creandis, ut præmittitur, et eorum quemlibet, nomine et vice Sacri Romani Imperii, et pro Romano Imperio, debitæ fidelitatis recipiatis corporale et debitum Juramentum, quod Tabelliones, et Publici Notarii tam Instrumenta publica, quam privata, ultimas Voluntates, quæcumque Judiciorum Acta, et omnia alia et singula, quæ illis, et quibuslibet ipsorum ex debito dictorum officiorum, et cujuslibet eorum fienda occurrerint, et scribenda juste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate et dolo remotis, scribent, legent, et facient, scripturas illas, quas debebunt, in publicam formam redigent, et secundum Terrarum consvetudinem facient; Nec non sententias, et dicta Testium, donec publicata fuerint, et approbata, sub secreto fideliter retinebunt, et omnia et singula recte et juste facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt de Jure; et quod hujusmodi Notarii publici seu Tabelliones et Judices Ordinarii per Vos, vel descendentes Vestros iam dictos fiendi et creandi in perpetuum per totum possint Romanum Imperium facere, conscribere, et publicare Contractus, Instrumenta, Judicia, Testamenta, et Ultimas Voluntates, Decreta et auctoritates interponere in quibuscumque Contractibus requirentibus illa, vel illas, et omnia et singula alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium publici Notarii seu Tabellionis, et Judicis Ordinarii pertinere et spectare noscuntur. Nec non auctoritate Imperiali prædicta, et de certa scientia damus, et concedimus, et elargimur vobis, et vestris descendentibus supradictis in perpetuum, quod Tutores et Curatores dare, et Parentibus liberos suos, quos in potestate sua habent, emancipare, nolentibus etiam dictis liberis, a Judicio absentibus, et in adoptionibus et arrogationibus auctoritatem impartire, et Decretum interponere valeatis. Item etiam eadem auctoritate Vobis et vestris Descendentibus supradictis, et Vestrum cuilibet concedimus et largimur, quod possitis et valeatis naturales, bastardos, spurios, manseres, naturales incestuosos copulative vel disjunctive, et quoscumque ex illicito et damnato coitu procreatos seu procreandos, viventibus, vel etiam mortuis eorum parentibus, legitimare, Illustrium Principum, Comitum, vel Baronum filiis dumtaxat exceptis, et eos ad omnia

d omnia jura legitima restituere et reducere, omnemque geniturae maculam penitus abolere, ipsos restituendo ad omnia et singula jura concessionum, etiam ab intestato, cognatorum et agnatorum, honoris et dignitatis, et ad singulos actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, dummodo legitimationes per vos, et descendentes vestros iam dictos fiendæ, ut præmittitur, non præjudicent legitimis filiis et hæredibus, quin ipsi cum legitimandis per vos, vel vestrum aliquem, æquis portionibus suis, succedant Parentibus et cognatis, non obstantibus aliquibus legibus, quibus cavetur, quod naturales bastardi, spurii, incestuosi, copulative vel disjunctive, vel alii quicunque, de illicito coitu procreati, vel procreandi, non possint vel debeant legitimari sine consensu & voluntate filiorum naturalium, vel legitimorum; quibus legibus, & cuilibet ipsarum volumus expresse, ex certa scientia derogari, & etiam non obstantibus prædictis aliquibus legibus aliis, etiamsi tales essent, quæ deberent exprimi, & de eis fieri mentio specialis, quibus obstantibus & obstare valentibus, in hoc casu dumtaxat, ex certa scientia, et de plenitudine Imperatoriæ potestatis, totaliter derogamus. Cæterum considerantes grata & fidelia obsequia, quæ vos supranominati de Flisco, et progenitores vestri Nobis et Imperio Sacro continua diligentia studuistis impendere, et fideliora exhibere curabitis et poteritis in futurum, vobis et cuilibet vestrum hæredibus et Successoribus vestris, ad instar divi quondam Wiglielmi Romanorum Regis, Prædecessoris nostri, de Imperiali solitæ benignitatis clementia, et gratias infrascriptas duximus largiendas. Primo videlicet, ut vos, et vestrum quilibet, et descendentes vestri in perpetuum sitis liberi et immunes ab omnibus servitiis et collectis Regis vel Cæsaris, et etiam civitatum realibus, et personalibus et mixtis, exercitibus et cavalcatis, et in omnibus aliis plena immunitate fruamini apud omnes, præterquam illis obsequiis personalibus, ad quæ Sacro Romano tenemini et astricti estis Imperio, de consuetudine vel de Jure. Item etiam vobis, et hæredibus vestris duximus concedendum in perpetuum, ut nullus vestrum, vel vestrorum hæredum in jus vel justitiam trahi possit in criminali negotio, vel civili, nisi coram Nobis, et Romanis Regibus, sive Imperatoribus, Successoribus nostris, et Vasalli vestri in criminali negotio, vel civili nequeant, nisi coram vobis et vestris hæredibus in perpetuum conveniri, vel ad Justitiam evocari. Insuper etiam vobis, et hæredibus vestris, in perpetuum duximus concedendum, ut quicunque vestrum et vestrorum hæredum habeat potestatem et facultatem in terris vestris cudere monetas novas, aureas et argenteas, sub cono, et signis vestris, et ubicumque locorum Sacri Imperii expendantur. Præterea etiam vobis et hæredibus vestris in perpetuum duximus concedendum, ut quilibet vestrum, et hæredum vestrorum, de nostro et Successorum Nostrorum consilio, reputetur, et in omnibus nostris, et Successorum nostrorum consiliis libere valeat interesse, dummodo industria, moribus, et virtute præditus fuerit, cum modificatione infrascripta, quod prædicta non præjudicent juribus et Privilegiis aliquibus, nostro Vicario Civitatis Januæ, et Communi Januæ concessis et concedendis, seu quibuscumque Juribus aliorum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ creationis, factionis, ordinationis, decreti, statuti, concessionis, largitionis, derogationis, et liberationis paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attentare præsumpserit, indignationem nostram gravissimam, et pœnam centum Marcarum auri purissimi, toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum medietatem Imperiali nostro Fisco, seu ærario, reliquam vero partem injuriam passorum usibus decernimus applicandam. Testes hujus rei sunt Reverendiss. in Christo Pater, Dom. Guido Portuensis Episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, pro Majestate Cæsarea in partibus Italiæ Locumtenens, et Generalis Vicarius; Joannes, Ollomutensis, Imperialis aulæ nostræ Cancellarius; Wilhelmus Lucan. et Jo. Spoletanæ Ecclesiarum Episcopi; Illustr. Rupertus Lignicensis, et Henricus Litmaynæ Duces, Joannes, dictus Sabeslaus Arraniæ Marchio Sp. Matthæus de Briberio, Comes; Nobiles Petrus de Raterburgi, Imperialis nostræ Curiæ Magister, Bouslaus Luilhartum, Imperialis nostræ Curiæ Mareschalcus, Andreas de Tuba, Imperialis Cameræ nostræ Magister, Benessius de Vartemburg, Bernardus et Jaroslaus, Fratres, Burgravii de Donym, nec non quamplures alii nostri, et Imperii Sacri Nobiles et fideles, præsentium sub Bulla aurea typario nostræ Imperialis Majestatis impressa testimonio literarum. Datum Lucæ, Anno Domini 1369. Indictione septima. VI. Kalendas Junii, Regnorum nostrorum Anno XXIII. Imperii vero VI.

Signum Serenissimi Principis et Domini, Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi, et gloriosissimi Bohemiæ Regis.

III.

Sigismundi, Romanorum Regis, omnium a Prædecessoribus suis Familiæ Fliscanæ libertatum, immunitatum atque Privilegiorum concessorum confirmatio, d. d. 4. Septembr. An. 1412.

Sigismondus, DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, etc. Rex. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit, universis videlicet. Cum pro parte Nobilium de Flisco, nostrorum et Imperii Sacri fidelium dilectorum, Majestati nostræ sit humiliter supplicatum, quatenus ipsis, et hæredibus suis legitimis universa et singula Privilegia, ac Literas, quæ et quas alias a Dominis Romanorum Imperatoribus et Regibus Prædecessoribus nostris super quibuscumque libertatibus, immunitatibus, gratiis, seu rebus obtinuerunt, nec non usus, usagia, consuetudines ac Jura ipsorum, quibus ipsi et progenitores sui in terris, locis, et Dominiis ipsorum hactenus usi sunt, et uti consueverunt, approbare, ratificare, et confirmare, auctoritate Romana Regia dignaremur. Nos igitur grata probitatis merita, et plurima fidelitatis obsequia, quibus præfati Nobiles de Flisco, ac ipsorum Progenitores, Nos, atque Sacrum Romanum Imperium sollicitis studiis frequentius honorarunt, benignitate

gnitate solita attendentes, eisdem nobilibus, ac ipsorum hæredibus legitimis, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, sed ex certa nostra scientia, universa & singula Privilegia, ac Literas, quas, seu quæ a dictis Prædecessoribus alias obtinuerunt, sicut provide processerunt, et prout digne possumus, in omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis & clausulis de verbo ad verbum, prout scripta, seu scriptæ sunt, ac si tenores ipsorum inserti forent præsentibus, etiamsi de ipsis seriatim, jure vel consvetudine mentio deberet fieri specialis, nec non libertates, immunitates, gratias, usus, usagia, consuetudines ac jura, sicut iis dicti Nobiles, ac ipsorum progenitores in terris & locis, et Dominiis ipsorum usi sunt hactenus, & uti rationabiliter consveverunt, & sicut in possessione talium justa & legitima præstiterunt, approbamus, ratificamus, & tenore præsentium auctoritate Romana Regia gratiosius confirmamus, nostris, & Imperii Sacri, ac aliorum quorumlibet juribus in præmissis omnibus & singulis semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ Confirmationis paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem nostram gravissimam eo ipso noverit se incursurum, præsentium sub Nostræ Majestatis Sigilli testimonio literarum. Datum Budæ, Anno Domini millesimo, quadringentesimo duodecimo, quarta die Septembris, Regnorum nostrorum Anno, Hungariæ videlicet vigesimo quinto, Romanorum vero secundo.

Ad mandatum Domini Regis

Joannes Kirchem.

IV.

Maximiliani I. Romanorum Regis, Diploma, vi cujus Joanni Aloysio de Flisco, Comiti Lavaniæ, de feudis in ipso Diplomate nominatis, testandi, atque Jus Primogenituræ in familiam suam introducendi licentiam concessit, d. d. 1. Decembr. Anno 1495.

MAximilianus, Divina favente Clementia Romanorum Rex, semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, et Geldriæ, Comes Flandriæ, in Habspurg, Tirolis, Ferretis, in Kiburg, Arthesii & Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Seelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii & Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Salinarum & Mecliniæ, &c. Etsi Regiæ Dignitatis generosa sublimitas universos & singulos subditos & fideles, quos Sacrum ambit Imperium, ex innata sibi clementia pio favore prosequitur, ad illos tamen uberioris gratiæ incrementa speciali quadam prærogativa prætendit, qui circa Sacri Romani Imperii honores & commoda cura pervigili & obsequiorum continuatione sollicita, fidei quoque & legalitatis industria claruerunt. Quum itaque Nobilis noster & Imperii Sacri fidelis dilectus, Joannes Aloysius de Flisco, Comes Lavaniæ, Nobis supplicaverit, ut sibi de castris, terris, & jurisdictionibus suis, videlicet castro, terra et jurisdictione de Torrilia, castro, terra & jurisdictione de Montobio, castro, terra & jurisdictione de Roccatagliata, octava parte jurisdictionis de Savignono, castro, terra & jurisdictione de Carrega, castro, terra & jurisdictione de Garbagna, castro, terra & jurisdictione de Grondona, castro, terra & jurisdictione de Vargo, castro, terra & jurisdictione Burgi de Valetaro, castro, terra & jurisdictione Varesii, castro, terra & jurisdictione Calesii, castro, terra & jurisdictione Veppi, castro, terra & jurisdictione Sancti Stephani de Valle Avanti, ac de castro, terra & de jurisdictione Cremonti licentiam testandi, & in ultima voluntate omnino disponendi, potestatemque instituendi hæredem & Successorem suum in solidum Hieronymum Filium suum primogenitum, gratiose concedere dignaremur, & quod successive de illis fieret successio de primogenito in primogenitum ex legitimo matrimonio natum. Nos hujusmodi suis petitionibus inclinati, attendentes etiam sincerum suæ devotionis & fidelitatis affectum, sibi ex certa nostra scientia, Procerumque nostrorum consilio & assensu, & Regalis plenitudine potestatis, de præfatis castris, terris, & jurisdictionibus testandi, & in ultima voluntate omnino disponendi, plenam, liberam licentiam, potestatem et facultatem concedimus, et impartimur, et quod hæredem, et Successorem suum in solidum, Hieronymum filium suum Primogenitum, instituere possit, successiveq; fiat successio de primogenito in primogenitum, ex legitimo matrimonio natum, eo tamen pacto, quod talis primogenitus ceteris Fratribus suis de reditibus et proventibus sibi per hæreditatem relictis congruam et decentem faciat provisionem, ipsique se de jurisdictionibus et Dominiis ad primogenitum taliter, qualiter supra, spectantibus intromittere minime præsumat. Volumus itaque et decernimus, quod talis præmissa dispositio omni roboris firmitate subsistat, plenumque sortiatur effectum. Non obstantibus quibuscumque legibus, statutis, ordinibus, decretis, privilegiis, et aliis quibuscumque in contrarium facientibus, quibus ex certa scientia, in quantum præsentibus obstarent, derogamus, et derogatum esse volumus per præsentes, etiamsi talia forent, de quibus specialis et de verbo ad verbum fienda esset mentio, nostris tamen et Imperii Sacri Juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ concessionis, largitionis, derogationis, et voluntatis paginam infringere, seu ei ausu temerario quovis modo contraire; Si quis vero hoc attentare præsumpserit nostram et Imperii Sacri indignationem gravissimam, et pœnam quinquaginta Marcharum auri puri, totiens quotiens contraventum fuerit, irremissibiliter se noverit incursurum, quarum medietatem Regalis Fisci sive Ærarii nostri, residuam vero partem injuriam passorum vel passi usibus decernimus applicandam, præsentium sub Nostri Regalis Sigilli appensione testimonio literarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Wormatiensi, vigesima prima die Mensis Decembris. Anno Domini millesimo, quadringentesimo nonagesimo quinto, Regnorum Nostrorum, Romani decimo, Hungariæ vero sexto annis. Subscriptum taliter: ad mandatum Domini Regis in Consilio, *Bertoldus*, Archiepiscopus Moguntinensis, Archi-Cancellarius, subscripsit.

V.

iliani I. Romanorum Regis, Diploma, in quo omnia a Prædecessoribus suis Familiæ Fliscanæ concessa, & in ipso diplomate descripta Privilegia confirmavit atque approbavit, d. 7. Octobr. An. 1496.

imilianus, Divina favente Clementia Romanorum Rex, semper Augustus etc. In summo Culminis solio Divina dispositione constiça animi nostri cogitatus libenter dirigir quæ Nostri et Sacri Imperii Proceres, illi, quos vetustas generis, virtutumque, et imarum rerum præclara facinora commen:ddunt, in eorum dignitatibus, honoribus, iisque, libertatibus, juribus, et præeminentiis entur, ut Regalis solii nostri altitudo Nobi- Procerum multitudine circumsepta, tanto ur firmius, quanto eorum obsequio et fideecoratur. Considerantes igitur, et in arcatis Nostræ revolventes claram originem, vegeneris Nobilitatem, ac laudabilium operum dinem, quibus præ cæteris pollet Nobilis arius noster, et Sacri Imperii fidelis dilectus, Ludovicus de Flisco, Lavaniæ Comes, ipsum fidelia, quæ Nobis et Sacro Imperio præsequia, de præsenti exhibet, ac deinceps præoterit et debebit, gratioso favore prosequi s omnia et singula ipsius Joannis Ludovici, arii Nostri, ac omnium illorum de nomine liaFliscorum legitime descendentium dignita-,libertates, privilegia, exemptiones, et præemi-, et specialiter illas, videlicet, quod ab omnibus alis oneribus, quocumque nomine censeantur, tis, aut quomodolibet imponendis, realibus aut alibus, franci, immunes, atque liberi sint, neque ujus exactionis, seu impositionis solutionem lli possint, et quod pro quibuscumque civilibus olum coram Nobis aut Successoribus Nostris iri, neque ad aliud Tribunal seu Forum inviti nodo trahi possint, quodque quemadmodum us semper antiquior de Familia Fliscorum Vi- Imperialis fuit: Ita nunc ipse Joannes Ludok deinceps filius suus primogenitus, et ab illo dentes, primogenitus semper Imperialis Vi- in Italia sit, et monetam tam argenteam, quam , et æream, cudere, seu cudi facere possit at, ipseque Joannes Ludovicus, Consiliarius , ac Hieronymus ejus filius primogenitus, Saeranensis Palatii Comites sint, cum omnibus ulis privilegiis, honoribus, et immunitatibus, cæteri Comites nostri Palatini quomodoaudent atque fruuntur. Quodque ipse Jo- Ludovicus, et ab eo descendens semper Senior natu, noster et Successorum Nostrorum Romanorum Regum et Imperatorum Consiliarius, et ad Consilia nostra tam publica quam secreta admittatur honorifice, et honeste in Curiis nostris tractetur et honoretur, sub librata quadraginta equorum, quamdiu in Curiis nostris residentiam facere velit, ac Milites et Doctores, et ultra omnia alia facere possit, quæ a divis Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus et Regibus quomodolibet obtinuerunt, et quæcumque et qualiacumque fuerunt, juxta ipsorum Prædecessorum nostrorum literas et monumenta desuper edita, ac etiam consvetudinem ipsorum de Flisco, ac antiquum usum confirmamus, ratificamus et approbamus, eximimus, ac de Nostra Regali potestate, autoritate et plenitudine, quatenus opus est, de novo concedimus, exemptos facimus, extollimus et decoramus, volentes, et hoc Regali nostro statuentes edicto, quod ipse Joannes Ludovicus, ac Hæredes, & Successores sui, & ab illis Descendentes, hujusmodi privilegiis, gratiis, honoribus & juribus ubicumque per Sacrum Romanorum Imperium, tam in Germania, quam in Italia gaudere ac libere uti & frui possint & valeant, impedimento seu contradictione quorumcumque cessantibus, & ut ipse Joannes Ludovicus uberiori a Nobis gratia se refertum sentiat, eidem ac Successoribus suis semper Primogenito castrum Sancti Stephani de Valle Avanti Placentinæ Diœcesis, cum omnibus suis juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis, in verum ac nobile feudum concedimus, ac de eodem præfatis motu, scientia & auctoritate investimus, realiter & cum effectu, ita tamen, quod etiam Successores sui Primogeniti illud semper, quum vacaverit, a Nobis aut Successoribus nostris Romanorum Regibus vel Imperatoribus recognoscant, illiusque, prout juris est, Investituram accipiant, & debitum homagii & fidelitatis juramentum præstent. Quemadmodum ipse Joannes Ludovicus noster personaliter illud in nostris manibus præstitit atque fecit. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum has literas Regalis Sigilli Nostri munimine jussimus & fecimus communiri. Datum in civitate nostra Genuæ, die septimo Octobris, Anno Domini millesimo quadringentesimo sexto, Regnorum nostrorum, Romani undecimo, Hungariæ vero septimo, subscriptum: Ad mandatum Domini Regis proprium.

VI.

iliani I. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Hieronymum de Flisco, Principem Burgi Vallis Tari, Comitemque Lavaniæ & Sancti Valentini, de castris, terris, feudis atque locis Montobii, Turriliæ, Carregbæ, Roccatagliatæ, Varesii, Montis Avani, Calesis, Veppi, Burgi Vallis Tari, Cremontis, Grondonæ, Octavæ partis Savignoni, Sancti Stephani Vallis Avanti, & de Castro Crucis & Vallis Trebbiæ investivit, ac in ejusdem emolumentum omnia Privilegia Familiæ Fliscanæ olim concessa confirmavit atque approbavit, d. d. 11. Januar. An. 1513.

ximilianus, Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Braban-

Brabantiæ, Stiriæ, Carniolæ, Carinthiæ, Limburgiæ & Geldriæ, Landgravius Alsatiæ, Princeps Sueviæ, Comes Palatinus in Habspurg, & Hannoniæ Princeps, & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Arthesii, Holandiæ, Seelandiæ, Ferretis, Kiburgi, Namurci & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii super Anasum & Burgoviæ, Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Mechliniæ, Portus Naonis & Salinarum &c. Decet Imperialem Majestatem erga Nos maxime se exhibere benignam & liberalem, quos antiqua Nobilitas, sincera devotio, & inviolata fides erga Nos & Sacrum Romanum Imperium reddit multipliciter commendatos, sane nomine Illustris, sincere Nobis dilecti, Hieronymi, Principis Burgi Vallis Tari, & Comitis Lavaniæ, & sancti Valentini, quondam Joannis Ludovici de Flisco filii primogeniti, petitio Nobis porrecta continebat, ut ipsum de infranominatis terris, castris, locis, feudis, hominibus & juribus quibuscumque, quæ progenitores sui per longissima temporum spatia a Nobis ac Prædecessoribus Nostris, olim divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, nec non Sacro Romano Imperio libera, franca, immunia, & nemini alias, præterquam Nostræ & Imperii Sacri Romani Superioritati Jure subjecta, in feudum recognita tenuerunt & possederunt, & ipse hodie tenet & possidet, investire, atque regalia ejusmodi castrorum, terrarum & locorum gratiose concedere, nec non privilegia, franchisias, libertates, immunitates, dignitates, jurisdictiones, facultatem & decreta tam a Nobis, quam Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, ei ac Majoribus suis concessas, & indulta approbare & confirmare, ac, quatenus opus fuerit, de novo concedere, auctoritate nostra dignaremur. Nos igitur attendentes singularem fidei & devotionis affectum, quem progenitores præfati Principis nostri Hieronymi de Flisco, & ipse erga Nos multifariis modis ostenderunt, nec non promptissima & gratissima obsequia, hactenus Nobis per eos exhibita, quæ & in futurum speramus, eumdem Principem nostrum magis ac magis ostensurum, & exhibiturum, ipsius honestæ ac humili petitioni favorabiliter inclinati auctoritate nostra Cæsarea, animo deliberato, sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum accedente consilio, de certa scientia & ex gratia speciali, prænominatum Hieronymum de Flisco, Principem Burgi Vallis Tari, & Comitem Lavaniæ, & Sancti Valentini, tamquam filium primogenitum quondam Joannis Ludovici de Flisco, de præfatis castris, terris, feudis, locis & hominibus, & præsertim de castris & terris Montobii, Turriliæ, Carreghæ, Roccatagliatæ, Varesii, Montis Avani, Calesis, Veppi, Burgi Vallis Tari, Cremontis, Grondonæ, octavæ partis Savignoni, Sancti Stephani Vallis Avanti, & de Castro Crucis, & Vallis Trebbiæ, Genitor ipsius Hieronymi Nobis ad hoc consentientibus, tamquam Domino Feudi, habitaque opportuna renunciatione fidelitatis, prout moris est, ipsius venditoris acquisiverit emptionis & oneroso titulo a Ludovico & consortibus Marchionibus Malaspinis, & licet morte præventus de eo a Nobis nullam habuerit hactenus investituram, cum omnibus & singulis eorumdem castrorum, & terrarum omnium hominibus, locis, territoriis, juribus, pertinentiis, redditibus, prærogativis, homagiis, pedagiis, daciis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, regalibus, jurisdictionibus, mero & mixto imperio investiendum duximus, & tenore præsentium gratiose investimus, dantes & concedentes eidem Hieronymo de Flisco, Principi nostro, quidquid Nos in his de æquitate & gratia dare & concedere possumus & debemus, ita, quod ipse tamquam primogenitus filius quondam Joannis Ludovici de Flisco possit & valeat prædicta castra, terras, loca, feuda, cum omnibus suis juribus, pertinentiis, territoriis & jurisdictionibus, ut præmittitur, perpetuo in feudum tenere & possidere, ac de ipsis libere testari, & disponere in ultima sui voluntate, impedimento & contradictione cessantibus quorumcumque; dum tamen res transeat cum onere sui feudi, serveturque ordo semper primogenituræ filiorum masculorum legitime ab eo descendentium, uti alias à Nobis decretum extitit. Præterea confirmamus & approbamus eadem auctoritate Cæsarea, quatenus quoque opus est, innovamus tenore præsentium prædicti Principis nostri Hieronymi de Flisco, ac majorum suorum omnia & singula privilegia, franchisias, libertates, immunitates, dignitates, jurisdictiones, facultates, & decreta superius prætacta, & eisdem data & concessa quomodocumque, in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis & articulis de verbo ad verbum, prout scripta & concessa reperiuntur, ac si tenores ipsorum præsentibus essent inserti. Insuper cupientes, præfatum Hieronymum Principem, ac Ottobonum, Scipionem & Synibaldum fratres suos ac hæredes eorum omnium gratia & favoribus nostris uberius perfrui, eos omnes, & quemlibet eorum, nec non hæredes ipsorum quoscumque cum castris, locis, terris, territoriis & bonis, ac juribus eorum omnibus & singulis sub protectione & salvaguardia nostra & Sacri Romani Imperii recipimus & assumimus: Decernentes, & hoc Imperiali statuentes Edicto per præsentes, ut ipse Hieronymus ac Fratres sui prædicti, et quilibet eorum, nec non hæredes ipsorum omnium possint et valeant gaudere, et frui omnibus et singulis privilegiis et prærogativis, quibus cæteri sub Nostra et Sacri Romani Imperii protectione et salvaguardia constituti gaudent, et fruuntur de jure vel consuetudine. In prædictis autem investituris feudalibus, ac præmissorum omnium per Nos concessorum recognitionem Noster et Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Robertus Tortus, præfati Principis nostri Hieronymi de Flisco Secretarius, nomine, et in animam ipsius Hieronymi, pleno ad id mandato suffultus coram Nobis constitutus, solitum ac debitum homagii ac fidelitatis cum humillima reverentia in manibus nostris præstitit juramentum. In præmissis tamen omnibus et singulis nostris, ac Sacri Romani Imperii, ac cujuscumque alterius juribus semper salvis remanentibus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ investituræ, concessionis, confirmationis, approbationis, innovationis, protectionis et salvaguardiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit, noverit indignationem nostram gravissimam, ac pœnam sexaginta marcarum auri puri, pro medie-

.te Fifco five Ærario noftro Cæfareo, pro vero dimidia parte injuriam pafforum ufi-licandam irremiffibiliter folvendam, incur-
Harum teftimonio literarum, figilli noftri .one munitarum. Datum in Civitate Im-Landonia, die undecima menfis Januarii, Anno Domini millefimo, quingentefimo tredecimo, Regnorum noftrorum vicefimo feptimo, Hungariæ vero vicefimo tertio. Signatum per Regem. Subfcriptum, ad Mandatum Domini Imperatoris in Confilio.

VII.

niliani I. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Scipionem & Synibaldum, Comites Lavaniæ & S. Valentini, de Caftris & Locis Galbaniæ & Vargi, Terdonenfis Diœcefis, & Lodani, Albiganenfis Diœcefis, quemlibet pro parte fua, inveftivit, d. d. 11. Januarii, Anno 1513.

Aximilianus, Divina favente Clementia electus RomanorumImperator, femperAuguftus, Gere ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, .Dux Auftriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, ntiæ, Stiriæ, Carniolæ, Carinthiæ, Limburgiæ, nburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alfatiæ, eps Sueviæ, Comes Palatinus in Habfpurg, ıoniæ Princeps, & Comes Burgundiæ, Flan-Tirolis, Goritiæ, Arthefiæ, Holandiæ, Seæ, Ferretis, in Kiburg, Namurci, & Zutpha-Marchio Sacri Romani Imperii fuper Anafum, ırgoviæ, Dominus Frifiæ, Marchiæ Sclavoni-Portus Naonis, & Salinarum &c. porrecta Noıomine Nobilium noftrorum & Sacri Romani erii fidelium dilectorum Scipionis, & Synibaldi, ıitum Lavaniæ, & Sancti Valentini, filiorum ndam Joannis Ludovici de Flifco, fupplicatio tinebat, ut ipfos de caftris & locis Galbaniæ & gi Terdonenfis Diœcefis, & Lodani Albiganen-Diœcefis, quemlibet pro parte fua juxta divifioı de communi eorum confenfu inter eos factam, icet ipfum Scipionem de caftris & locis Galba-:, & Vargi, ipfum vero Synibaldum de caftro oco Lodani, quæ dictus Genitor eorum retro-ıs temporibus a Nobis in feudum recognita, lia, franca, & immunia, & nemini alias, præterım noftræ, & Sacri Romani Imperii fuperiorii fubjecta & obligata, tenuit, & poffedit, & poftodum ipfis fupplicantibus in ultima fui volune, vigore cujusdam privilegii per Nos ei con-Ti, teftatus eft, prout ipfi fupplicantes ea hodie ıent & poffident, inveftire, atque regalia ejusodi caftrorum & locorum gratiofe concedere gnaremur. Nos vero attendentes fingularem fi:i & devotionis affectum, quæ Progenitores fui ga Nos & Sacrum Romanum Imperium multiriis modis oftenderunt, & ipfos etiam Comites :ipionem & Synibaldum fperamus in futurum tenfuros, & exhibituros, eorum petitioni favobiliter inclinati auctoritate noftra Cæfarea, Sacro incipum, Comitum, Baronum, & Procerum noorum & Sacri Romani Imperii fidelium accente confilio, & ex gratia fpeciali prænominatos ıtres Comites Lavaniæ, & Sancti Valentini, vilicet Scipionem de caftris & terris Galbaniæ, & ırgi Terdonenfis diœcefis, & Synibaldum de cao & loco Lodani Albiganenfis Diœcefis, quod nitor eorum acquifierat a Conrado de Auria emptionis, & onerofo titulo, Nobis ad hoc confentientibus tamquam Domino feudi, habitaque defuper renuntiatione opportuna fidelitatis, prout moris eft, ipfius venditoris, cum omnibus & fingulis eorumdem caftrorum & locorum juribus, territoriis, jurisdictionibus, mero ac mixto imperio, homagiis, daciis, gabellis, Decimis, Focaliis, aquarum decurfibus, pifcationibus, reditibus, prærogativis, regalibus, & aliis pertinentiis quibuscumque, inveftiendos duximus, ac tenore præfentium gratiofe inveftimus, dantes & concedentes eisdem Comitibus Scipioni & Synibaldo, quidquid Nos eis in his de æquitate & gratia dare, & concedere poffumus & debeamus, ita quod ipfi & quilibet ipforum, ac hæredes & fucceffores eorum, quicunque de legitimo matrimonio nafcituri, in infinitum, & ipfis deficientibus, Agnati & proximiores in gradu fuccedendi poffint & valeant prædicta caftra & loca, quilibet pro parte fua juxta formam divifionis prætactæ, & deinde per fucceffionem cujuslibet, cum omnibus fuis Juribus, pertinentiis, & jurisdictionibus (ut præmittitur) perpetuo in feudum tenere, & poffidere, illaque quoquo modo alienare, & vendere, & tam inter vivos, quam in eorum ultimis voluntatibus difponere, juxta arbitrium & beneplacitum eorum, dum tamen res tranfeat cum onere fui feudi. In quarum Inveftiturarum feudalium & præmifforum omnium per Nos conceforum recognitionem, nofter & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Robertus Tortus, Secretarius Illuftris fincere Nobis dilecti Hieronymi de Flifco, Principis Burgi, Vallis Tari & Comitis Lavaniæ & Sancti Valentini, nomine & in animam ipforum Comitum Scipionis et Synibaldi, pleno ad id mandato fuffultus coram Nobis conftitutus, folitum ac debitum homagii et fidelitatis cum humillima reverentia in manibus noftris præftitit juramentum. In præmiffis tamen omnibus et fingulis noftris, et Sacri Romani Imperii, ac cujuscumque alterius juribus femper falvis remanentibus. Harum teftimonio literarum, figilli noftri appenfione munitarum. Datum in civitate Imperiali Landovia, die undecima menfis Januarii, Anno Domini millefimo quingentefimo tredecimo, Regnorum noftrorum, Romani vigefimo feptimo, Hungariæ vero vigefimo tertio. Signatum per Regem, fubfcriptum: Ad mandatum Domini Imperatoris in Confilio.

VIII. Ca-

VIII.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Privilegiorum a Prædecessoribus suis, & imprimis Maximiliano I. Romanorum Imperatore concessorum, & antea sub Num. IV. V. VI. & VII. insertorum confirmatio, d. d. 2. Septembr. Anno 1524.

CArolus V. Divina favente clementia & Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galesiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, ac Insularum Balearium, Insularum Canariæ, & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtembergæ, &c. Comes Flandriæ, Habsspurgi, Tirolis, Barchinonæ, & Burgundiæ, Comes Palatinus Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, Oristani, Gotiani, & Sacri Romani Imperii Princeps Sueviæ, Cathaloniæ, Asturiæ &c. Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscayæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mecliniæ &c. Notum facimus tenore præsentium universis, in summo Imperialis Culminis solio divina dispositione constituti, ad ea animi nostri cogitatus libenter dirigimus, per quæ nostri & Sacri Imperii Proceres, maxime illi, quos vetustas & nobilitas generis virtutumque commendatos reddunt, in eorum dignitatibus, honoribus, privilegiis, libertatibus, juribus & præeminentiis conserventur, ut Imperialis Solii nostri altitudo, nobilium ac procerum multitudine circumsepta, tanto roboretur firmius, quanto eorum obsequio & fidelitate decoratur. Considerantes igitur claram originem, vetustam generis nobilitatem, quibus nobilis noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Synibaldus de Flisco Comes Lavaniæ inter cæteros pollet, fidelitatisque grata obsequia, quæ majores sui Nobis, ac Prædecessoribus nostris, & Sacro Romano Imperio præstiterunt, & quæ ipse nuperrime in expugnatione Civitatis nostræ Imperialis Genuæ præstitit, & quæ adhuc etiam præstat, & in futurum præstare poterit, facile reddimur ei ad gratiam liberales; Cumque ipse Synibaldus Comes Nobis humili debitaque instantia supplicaverit, quatenus omnia & singula ipsius, atque omnium de nomine & Familia Fliscorum legitime descendentium privilegia, dignitates, jura, libertates, exemptiones, & præeminentias, eisdem a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, & præsertim a Divo Cæsare Maximiliano, Avo & Prædecessore nostro, concessas, confirmare, concedere, approbare, ipsumque de infranominatis terris, castris, locis, feudis, hominibus, & juribus quibuscumque, quæ progenitores sui a Nobis & Prædecessoribus nostris Divis Rom. Imperatoribus & Regibus, & Sacro Romano Imperio in feudum tenuerunt & possederunt, & ipse in præsenti tenet, & possidet, investire, atque Regalia hujusmodi castrorum, terrarum, et locorum gratiose concedere auctoritate nostra Cæsarea dignaremur; Nos igitur volentes et cupientes pro solito instituto nostro benemerentibus viris gratia et benignitate nostra respondere, ut dignis virtutum et obsequiorum suorum præmiis invitati, alacrius et ferventius Nobis, et Sacro Imperio esse possint et debeant fideles; animo igitur deliberato, ex certa scientia, ac de jure, Cæsareæ potestatis plenitudine eidem Synibaldo Comiti, Successoribusque ejus in perpetuum, et universæ Familiæ de Flisco omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, et concessiones, eisdem a Divis Romanorum Imperatoribus et Regibus Prædecessoribus nostris, et Sacro Romano Imperio concessa, et concessas, et præsertim privilegia per Divum Cæsarem Maximilianum, Avum nostrum, eidem Synibaldo, ac Prædecessoribus suis concessa, quorum quidem privilegiorum tenores sequuntur in hæc verba:

Inserantur hic investituræ atque privilegia sub num. IV. V. VI.

Quæ omnia et singula privilegia et concessiones in omnibus suis articulis punctis et clausulis confirmavimus, innovavimus, approbavimus, ratificavimus, et de singularis benignitatis nostræ gratia confirmamus, innovamus et approbamus tenore præsentium, ipsumque Synibaldum Comitem ac Principem Vallis Tari de castris et terris Montobii, Turriliæ, Carreghæ, Roccatagliatæ, Varesii, Montis Tevani, Calesis, Veppi, Burgi, Vallis Tari, Cremontis, Grondonæ, octavæ partis Savignoni, Sancti Stephani Vallis Avanti, Crucis Vallis Trebbiæ, Galbaniæ, Vargi, et Lodani cum omnibus et singulis eorumdem castrorum et terrarum omnium hominibus, locis, territoriis, juribus et pertinentiis, redditibus et prærogativis, homagiis, pedagiis, daciis, emolumentis, aquarum decursibus, nemoribus, pascuis, venationibus, regalibus, jurisdictionibus, mero et mixto imperio, quemadmodum ea omnia in præsenti tenet et possidet, recepto tamen prius in manibus Magnifici Nostri et Imperii Sacri fidelis dilecti Mercurini, Comitis Gattinariæ, Valentiæ et Sartiranæ etc. Magni Cancellarii Nostri, per Nostrum et Imperii Sacri fidelem dilectum, Thomam Bavastrum, ipsius Synibaldi Comitis Procuratorem, pleno ad id mandato suffultum, debito, et consueto homagii et fidelitatis juramento investivimus, ac in feudum concessimus, ac tenore præsentium investimus, et in feudum concedimus, Nostris tamen et Imperii Sacri, ac cujuscumque alterius in omnibus juribus semper salvis. Insuper cupientes prænominatum Synibaldum Comitem, ac ejus hæredes gratia et favoribus nostris uberius prosequi, ipsum, ejusque hæredes quoscumque cum castris, locis, terris, bonis ac juribus eorum omnibus et singulis sub Nostra et Imperii Sacri potectione et salvaguardia recipimus, et assumimus, decernentes, et hoc Imperiali statuentes edicto, ut ipse hæredesque sui omnibus et singulis privilegiis, gratiis et prærogativis utantur, fruantur, et gaudeant, ac uti, frui et gaudere possint, quibus cæteri sub Nostra et Sacri Imperii protectione et salvaguardia constituti

ituti gaudent et fruuntur quomodolibet, consuetudine vel de jure. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, novæ concessionis, investituræ, itionis, protectionis, salvaguardiæ, decreti et gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram et Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam centum marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum medietatem Fisco seu Ærario nostro Imperiali, reliquam vero partem injuriam passorum, seu passi usibus decernimus applicandum. Harum testimonio Literarum manu Nostra subscriptarum, et sigilli Nostri appensione munitarum. Datum in oppido Nostro Vallis Oleti, die secunda mensis Septembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo vigesimo quarto, Regnorum Nostrorum Romani sexto, aliorum vero omnium nono, sic signatum CAROLUS, et subscriptum Mandato Cæsareæ et eiusdem Catholicæ Majestatis. *Ph. Nicola.*

IX.

Caroli V. Romanorum Imperatoris, Diploma, in quo Privilegia a Prædecessoribus suis, & imprimis Maximiliano I. Romanorum Imperatore, concessa, & antea sub Num. IV. V. VI. atque VII. inserta, ac a semetipso sub Num. VIII. confirmata, denuo approbavit, d. d. 4. Januar. Anno 1533.

CArolus V. Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granadæ, Toleti, Valentiæ, Galetiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Balearium, Insularum Canariæ, et Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtembergæ, etc. Comes Flandriæ, Habspurgi, Tirolis, Barchinonæ, Arthois, et Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ, et Zutphaniæ, Landgravius, Alsatiæ, Marchio Burgoviæ, Oristani, Gotiani, et Sacri Romani Imperii Princeps Sueviæ, Cathaloniæ, Asturiæ, et Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscayæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, et Meliniæ, etc. Recognoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, solet Imperialis Majestatis sublimitas, ut uberiorem suæ liberalitatis fructum in benemeritos effundat, uberioraque fidelitatis obsequia a subditis accipiat, non solum illos, qui de eadem Cæsarea Majestate optime sunt meriti, liberalitatis suæ donis et ornamentis augere, sed eorumdem etiam Successoribus, quo dignis officiorum præmiis adducti, Prædecessorum suorum vestigiis inhærentes, majora et ipsi obsequia præstare, et Cæsaream munificentiam ad majora etiam munera impertienda provocare nitantur; Quo fit, ut Nobiscum repetentes insignia fidelitatis, ac virtutum merita, grataque sinceræ devotionis officia, quibus quondam Comes Synibaldus de Flisco Nos, ardenti animo, constanti fide, mirabilique affectu et devotione prosequutus est, cupientesque ejus meritis liberalitate nostra correspondere, atque inprimis nobiles nostros ei et Imperii Sacri fideles dilectos Hieronymum Ottobonum, et Scipionem, fratres, Comites de Flisco ejus filios, ad paternæ virtutis imitationem currentes, nostra gratitudine præcedere, animumque eorum ad majora etiam invitare. Cum itaque præfati Comites, Hieronymus, Ottobonus, et Scipio fratres, filii et hæredes, pro eorum ratis et partibus respective supradicti quondam Comitis Synibaldi de Flisco, seu tutrix, et administratrix, nec non Commissarii, et Gubernatores per eorum legitimum Procuratorem pleno et sufficienti mandato suffultum Nobis humiliter fecerint supplicari, ut ipsis, et eorum cuilibet respective omnia et singula privilegia, literas, concessiones, dignitates, jura, libertates, exemptiones, et præeminentias a nostris Prædecessoribus Romanis Imperatoribus, et Regibus divæ memoriæ, ac Nobis quondam eorum patri Comiti Synibaldo, et illius progenitoribus, ac familiæ de Flisco concessa, et concessas confirmare, approbare, innovare, et eosdem Comites Hieronymum, Ottobonum, et Scipionem de omnibus et singulis castris, locis, feudis, hominibus, et juribus quibuscunque, quæ illorum progenitores, et præsertim supranominatus Synibaldus de Flisco, eorum pater, a præfatis Dominis Romanis Imperatoribus et Regibus, Prædecessoribus nostris, et Nobis ac Sacro Romano Imperio in feudum tenuerunt, ad ipsos fratres, et eorum quemlibet, secundum testamentariam dispositionem præfati eorum patris vigore facultatis testandi de dictis castris, et bonis illi concessæ spectantibus, et pertinentibus, et præsertim de infrascriptis castris, terris & locis, videlicet castro, terra, et jurisdictione Lodani, castro, terra, et jurisdictione Galbaniæ & Varghi, castro, terra, & jurisdictione Grondoni, & castro, terra & jurisdictione Cremontis, cum eorum pertinentiis, juribus, jurisdictionibus, mero & mixto imperio, & una cum homagiis, reditibus, regalibus, privilegiis, gratiis, franchisiis, immunitatibus, præeminentiis, prærogativis, & aliis contentis in prænarratis Prædecessorum nostrorum in Romano Imperio, ac nostris privilegiis & literis, quorum tenores sequuntur in hæc verba:

Inserantur hic investituræ atque privilegia antea sub Num. IV. V. VI. VII. & VIII. inserta.

investire dignaremur. Nos igitur hujusmodi precibus clementer inclinati, attendentes inprimis supradicti eorum Genitoris, Comitis Synibaldi de Flisco, sinceram et constantem erga Nos, et Sacrum Romanorum Imperium fidem, grataque et fidelia obsequia, quæ Nobis persæpe et pacis et belli tempore præstitit, sperantesque eosdem filios optimo exemplo paternas virtutes illius laudem non modo imitari,

imitari, verum etiam progressu ætatis æquare, et superare conaturos, animo deliberato ex certa scientia, et de nostræ Cæsareæ potestatis plenitudine, sano et maturo accedente consilio, præinserta omnia et singula privilegia, literas, concessiones, dignitates, jura, libertates, exemptiones, et præeminentias in omnibus suis articulis, punctis, et clausulis, prout jacent, descripta sunt, præfatis Hieronymo, Ottobono, et Scipioni fratribus conjunctim confirmavimus, ratificavimus, approbavimus, et innovavimus, et tenore præsentium confirmamus, ratificamus, approbamus et innovamus, et Imperialis roboris firmitate munimus, supplentes etiam ex præfata nostra certa scientia, et de plenitudine nostræ potestatis Cæsareæ quoscumque tam juris, quam facti defectus, siqui in præmissis quovis modo intervenissent, atque ipsos Hieronymum, Ottobonum, et Scipionem fratres conjunctim de suprascriptis castris, locis & terris cum omnibus et singulis eorumdem castrorum, locorum, et terrarum pertinentiis, juribus, jurisdictionibus, mero & mixto imperio, et cum homagiis, reditibus, regaliis, privilegiis, gratiis, franchisiis, immunitatibus, præeminentiis, prærogativis, & aliis ad eosdem Comites tam ex testamento præfati quondam Comitis, eorum genitoris, quam alias quovis modo spectantes & pertinentes, confirmantes etiam & approbantes dictum illius testamentum, quatenus opus est, quoad hanc dispositionem dumtaxat investivimus, & ea omnia in feudum concessimus, & tenore præsentium investimus, & in feudum concedimus. Nostris tamen & Imperii Sacri, & aliorum juribus in præmissis semper salvis; præfati quoque Hieronymus, Ottobonus & Scipio, Comites de Flisco, seu eorum Tutrix, Commissarii & Gubernatores ipsorum nomine per præfatum eorum Procuratorem Nicolaum Menaliotum, ad hoc pleno & sufficienti mandatò suffultum, Nobis in manus spectabilis Nostri & Imperii Sacri fidelis dilecti Matthiæ Held, Jur. Utr. Doctoris, Consiliarii Nostri, debitum fidelitatis, homagii & subjectionis juramentum præstiterunt. Cupientes præterea eosdem Hieronymum, Ottobonum & Scipionem, fratres de Flisco, gratia & clementia nostra uberius prosequi, eosdem cum castris, locis, terris, bonis ac juribus eorum antedictis in nostram & Sacri Romani Imperii protectionem & salvaguardium recipimus, & assumimus, decernentes, & hoc Imperiali statuentes edicto, ut una cum eisdem castris, terris, locis, bonis & juribus eorum universis sint, & esse debeant sub umbra & protectione nostra, & Imperialis aquilæ & auctoritatis perpetuo salvi, securi, & protecti, quodque omnibus & singulis privilegiis, gratiis & prærogativis utantur, fruantur & gaudeant, ac uti, frui & gaudere possint & debeant, quibus cæteri sub nostra & Imperii Sacri tuitione, protectione & salvaguardia constituti gaudent, utuntur & fruuntur, consuetudine vel de jure. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, innovationis, investituræ, tuitionis, protectionis, salvaguardiæ, decreti, voluntatis & gratiæ infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit incursurum, quarum dimidiam Fisco seu Ærario nostro Imperiali, reliquam vero partem injuriam passorum aut passi usibus decernimus applicandam. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Bononiæ, die quarta mensis Januarii, Anno Domini millesimo, quingentesimo trigesimo tertio, Imperii Nostri tredecimo, & Regnorum Nostrorum omnium decimo septimo.

CAROLUS.

Ad Mandatum Sac. Cæs. & Cathol. Majestatis proprium

Jo. Obernburger.

AD
Sectionis II.
Classis III.
Caput XX.
De Marchionibus de Malaspina.
Tom. II. pag. 247.

I.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Alphonsum, ex Marchionibus Malaspinis de Villa Franca, de loco atque Castro Castevoli, ejusdemque juribus atque annexis investivit, d. d. 30. Aprilis, Anno 1717.

CAROLUS VI.

RECognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Alphonsus, ex Marchionibus Malaspinis de Villa Franca, humillime exponendum curarit, a gloriosæ reminiscentiæ Imperatore Leopoldo, Domino Patre nostro colendissimo, se de loco & castro Castevoli cum omnibus suis pertinentiis, annexis, connexis, dependentibus juribus, privilegiis, & immunitatibus,

bus, die decima nona Septembris, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi investitum fuisse, prout ex tenore dictæ Investituræ latius pateat.

Hic inserta sunt Investituræ duæ Leopoldi de annis 1678. & 1660. Item Ferdinandi tertii duæ de annis 1650. & 1638; Item Ferdinandi II. de anno 1620. Item Matthiæ de anno 1615. Rudolphi II de anno 1577. Caroli V. de An. 1529. Maximiliani II. de anno 1574. & Caroli IV. de anno 1351.

Nec minus humillimas preces suas Augustæ memoriæ Imperatori Josepho, Domino fratri nostro dilectissimo pro obtinenda ejusmodi clementissima infeudatione porrexisse, verum desuper nullam resolutionem, adeoque nec Investituram (prout compluribus Vasallis Italicis illo tempore contigerit) obtinuisse: ac proinde Nobis humillime supplicarit, ut, quandoquidem Nos ad suprema Sacri Romani Imperii gubernacula evectos ipse in supremum, immediatum, ac directum feudi Dominum recognoscere, atque cuncta solennia de jure & consuetudine præstari solita, Nobis præstare desideret, sibi omnia & singula privilegia tuitionis, protectionis & salvæguardiæ, prout Prædecessori suo, quondam Marchioni Nicolao, ejusque Majoribus a Divis olim Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Carolo IV. Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II. Matthia, ac Ferdinandis II. & III. nec non Leopoldo, Dominis Prædecessoribus nostris, Augustissimæ memoriæ, concessa fuere super dicto castro & loco Castevoli, una cum suis juribus, jurisdictionibus, pertinentiis, attinentiis, a Nobis & Sacro Romano Imperio in feudum dependentibus, & quæ à Progenitoribus hæreditario jure ad possidentes Marchiones Malaspinas de Villa Franca, Lunensis Sarzanensis diœcesis devenerunt, confirmare, ratificare & approbare, seque de his omnibus clementer investire dignaremur. Nos sane humillimis istiusmodi precibus & præclaris obsequiis, quibus Marchionum Malaspinarum familia Divos Prædecessores nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, Sacrumque Romanum Imperium hucusque coluerunt, & ipse Marchio Alphonsus, sicut hactenus, ita quoque in futurum colere poterit ac debebit, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, & de Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine omnia & singula præinserta Divorum quondam Carolorum, IV. & V. Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Ferdinandi II. & III. nec non Leopoldi, gloriosissimæ memoriæ, Privilegia in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, capitibus & tenoribus, prout jacent, quantum dictum Marchionem Alphonsum, præmemorati feudi Castevoli clientelarem ac fiduciarium possessorem, concernunt, confirmaverimus, ratificaverimus & approbaverimus, dictumque Marchionem Alphonsum de Villa Franca pro se, filiisque ipsius masculis legitime natis & nascituris, servato semper ordine primogenituræ, ita, quod primogenitus masculus semper succedat, & sic de primogenito in primogenitum, ex linea masculina tantum, in infinitum usque, accepto prius a sæpedicti Marchionis Alphonsi constituto Procuratore, idoneo ac sufficienti ad hoc mandato instructo fideli, Nobis dilecto, Zenone Francisco Joannelli, ad Aulam nostram Cæsaream Agente, debito ac solenni in animam ejusdem Marchionis Alphonsi fidelitatis & homagii juramento de prædicto feudo, castro & loco Castevoli ex justa successione ad illum spectante, ac aliis, in quibus jus obtinet, cum eorum districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate, ac autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, & cum omnibus juribus & pertinentiis, prout Marchio quondam Nicolaus, Majoresque ipsius antiquitus habuerunt, & ipsemet Alphonsus etiamnum habet & possidet, investiverimus, prout tenore præsentium confirmamus, ratificamus, approbamus & investimus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, nostris tamen & Sacri Imperii, atque alterius cujuscunque juribus semper salvis.

Ac præterea dictum Marchionem Malaspinam de Villa Franca, una cum supradicto castro, feudo ac loco Castevoli in nostram & Sacri Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus, volentes, & hoc nostro Cæsareo edicto statuentes, quod sæpedictus Marchio Alphonsus, una cum memorato feudo, castro & loco Castevoli sit, teneatur & esse debeat sub hac nostra speciali tuitione & salvaguardia, nec non Imperialis Aquilæ nostræ clypeo semper salvus, protectus & securus ab omni gravamine, oppressione & onere hospitandorum militum & stipendiariorum, ac quod deinceps omnibus & singulis immunitatibus, gratiis, & prærogativis utatur, fruatur, potiatur & gaudeat, quibus alii, qui sub hujusmodi nostra & Imperii salvaguardia & protectione constituti sunt, de jure, seu consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent sine cujusquam impedimento, aut contradictione, ita tamen, ut sæpedictus Marchio Alphonsus quotiescunque ab aliquo conventus fuerit, in judicio coram competente judice se sistere debeat ac teneatur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ confirmationis, ratificationis, renovationis Investituræ, derogationis, tuitionis, protectionis, salvæguardiæ, decreti, voluntatis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, si quis autem eam violare, aut adversus eandem attentare præsumserit, is, præter gravissimam nostram & Sacri Romani Imperii indignationem, quinquaginta insuper marcarum auri puri, puti, probi sui, toties quoties contrafactum fuerit, ex semisse in Ærarium, sive Fiscum nostrum Imperialem aulicum, inferendarum, ex altero vero semisse parti læsæ omni remissionis spe præcisa persolvendarum mulctam dare jam nunc damnas esto. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce nostra Laxenburgi, die trigesima Aprilis, Anno millesimo, septingentesimo, decimo septimo.

II. Caroli

II.

Caroli VI. Roman. Imperatoris, literæ, in quibus Alphonsum, ex Marchionibus Malaspinis, de Villa Franca, de feudis ac locis Cavanellæ, Stadomellæ, & semisse feudi Villæ Francæ, eorundemque juribus atque annexis investivit, d. d. 30. April. An. 1717.

CAROLUS VI.

AD perpetuam rei memoriam. Agnoscimus testaturnque facimus tenore præsentium universis, quod, cum Nobis Magnificus noster & Sacri Imperii fidelis dilectus, Alphonsus, ex Marchionibus Malaspinis de Villa Franca, humillime exponendum curarit, a divo quondam Imperatore Leopoldo, Domino Prædecessore ac Patre nostro colendissimo, inclytæ recordationis, se super feudis ac locis Cavanellæ, Stadomellæ & semisse feudi Villæ Franchæ, cum omnibus suis juribus, jurisdictionibus, proventibus ac pertinentiis, undecima Junii, anni millesimi, sexcentesimi sexagesimi ultimo investitum fuisse, prout ex subinserto Investituræ tenore plenius videre sit.

Hic inserantur Investituræ Leopoldi de An. 1660. Ferdin. III. de An. 1642. Ferd. II. de An. 1623. Matthiæ de An. 1615. Caroli IV. de An. 1355. Caroli V. de An. 1529. Ferdin. I. de An. 1559. & Maximil. II. de An. 1574.

Non minus humillimas preces suas gloriosæ reminiscentiæ Imperatori Josepho, Domino Fratri nostro amantissimo, pro obtinenda ejusmodi Investitura porrexisse, desuper vero nullam resolutionem, nec etiam infeudationem (prout cum compluribus Vasallis Italicis illo tempore contigerit) obtinuisse; Adeoque Nobis humillime supplicarit, ut, postquam Divinis auspiciis ad Imperialis Majestatis fastigium evecti simus, Nosque ipse in supremum, directum & immediatum suum Dominum recognoscere, & debitum fidelitatis juramentum Nobis præstare desideret, eundem de prædictis castris & locis Cavanellæ, Stadomellæ & semisse Villæ Francæ de novo clementer investire, omniaque privilegia sua ipsi confirmare dignaremur. Nos sane clementer consideratis submississimis id genus precibus, constanti fide, devotione & præclaris obsequiis, quibus cum ipse Marchio Alphonsus, & Pater Scipio, tum reliqui progenitores ejus, divos Prædecessores nostros Romanorum Imperatores ac Reges, & Sacrum Romanum Imperium hucusque continenter coluerunt, atque Nos ipse deinceps etiam colere & observare poterit ac debebit, ex nostra certa scientia, animo bene deliberato, sano ac maturo accedente consilio, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, eidem Marchioni Alphonso Malaspinæ omnia & singula præinserta, per divos quondam Carolum IV. & V. Ferdinandum I. Maximilianum & Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. & Ferdinandum III. majoribus ipsius, sibi vero per Imperatorem Leopoldum concessa & confirmata privilegia, in omnibus suis capitibus, articulis, clausulis, sententiis, punctis, verborum expressionibus ac tenoribus, prout jacent, & quoad, quantumve supradictum Marchionem Alphonsum Malaspinam, ratione memoratorum locorum Cavanellæ, Stadomellæ & dimidiæ Villæ Francæ concernunt, clementer laudaverimus, approbaverimus, confirmaverimus, ratificaverimus, corroboraverimus, ac de novo atque integro gratiose ipsi concesserimus, ipsumque Marchionem Alphonsum Malaspinam pro se filiisque suis masculis legitimo natis, vel nascituris, servato semper ordine primogenituræ, ita ut primogenitus masculus semper succedat, & sic de primogenito in primogenitum ex linea masculina tantum usque in infinitum, de prædictis feudis & locis Cavanellæ, Stadomellæ & dimidiæ Villæ Francæ, & cæteris omnibus ex successione paterna ad ipsum devolutis & spectantibus, cum eorum districtibus, territoriis, juribus & jurisdictionibus, cum mero & mixto imperio ac gladii potestate, et autoritate imponendi & exigendi vectigalia, pedagia, telonia, et cum omnibus juribus et pertinentiis, prout majores ipsius ea habuerunt, obtinuerunt, possederunt, atque ipse Alphonsus etiamnum habet, obtinet et possidet, recepto tamen prius ab ejusdem Marchionis legitime constituto, idoneoque, ac sufficienti ad id mandato instructo Procuratore, nostro Sacrique Imperii fideli dilecto, Zenone Francisco Joannelli, ad Aulam nostram Cæsaream Agente, in animam prælibati Alphonsi debito et consveto fidelitatis et homagii juramento investiverimus, infeudaverimus, quemadmodum tenore præsentium benigne laudamus, approbamus, confirmamus, ratificamus, corroboramus, de novo atque integro concedimus, investimus atque infeudamus, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, nostris tamen & Sacri Imperii & alterius cujuscunque juribus semper salvis & illæsis, & insuper eundem Alphonsum Marchionem Malaspinam cum supradictis feudis & locis Cavanellæ Stadomellæ & dimidiæ Villæ Francæ, cum eorum districtibus, territoriis, juribus, jurisdictionibus ac pertinentiis universis denuo in nostram & Sacri Romani Imperii tuitionem, protectionem & salvamguardiam specialem recipimus & assumimus; Volentes & hoc nostro edicto Cæsareo firmiter statuentes, quod sæpedictus Marchio Alphonsus Malaspina, una cum memoratis feudis & locis, sit, teneatur ac esse debeat sub hac nostra speciali tuitione, protectione & salvaguardia, nec non Imperialis nostræ Aquilæ clypeo, perpetuo salvus, immunis, protectus & securus ab omni gravamine, oppressione & onere hospitandorum militum & stipendiariorum; & quod deinceps omnibus & singulis immunitatibus, libertatibus, gratiis & prærogativis potiatur & gaudeat, quibus alii sub hujusmodi nostra & Sacri Imperii salvaguardia & protectione constituti, de jure seu consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, sine cujuscunque impedimento, aut contradictione; Ita tamen ut prædictus Marchio Alphonsus Malaspina, quotiescunque ab aliquo conventus fuerit in Judicio, coram competente Judice sese sistere debeat & teneatur.

Nulli ergo omnino hominum fas licitumve sit, hanc nostræ laudationis, approbationis, confirmationis, ratificationis, corroborationis, novæ concessionis, Investituræ, derogationis, tuitionis, protectionis, salvæguardiæ, decreti, voluntatis & gratiæ paginam contemnere, violare, infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire; Siquis autem secus faciendo

› id attentare præsumpserit, is, præterquam, nostram & Sacri Imperii indignationem gravem incurret, quinquaginta insuper marcarum auri puri, probi, sui ex semisse Ærario nostro Imperiali, sive Fisco inferendarum, ex altero vero semisse injuriam passo, seu passorum usibus applicandarum toties, quoties contraventum fuerit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa, mulctam dare jam nunc damnas esto.

Harum testimonio literarum, quas manus nostræ subscriptione & sigilli nostri Cæsarei appensione munitas dabamus in Arce nostra Laxenburgi, die trigesima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo, septingentesimo decimo septimo.

AD

SECTIONIS II.

CLASSIS III.

CAPUT XX.

De Dominis de Scarampis.

TOM. II. pag. 506.

I.

Caroli VI. Roman. Imperatoris, literæ, in quibus Antonium Mariam Scarampum Cribellum de castro, loco, atque Jurisdictione Mioliæ investivit, d. d. 1. Junii, An. 1717.

CAROLUS VI.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Nobilis noster & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus, Antonius Maria Scarampus Cribellus humillime exponi fecerit suo fratrisque sui Innocentii Rainaldi Mariæ nomine, Petrum Franciscum Mariam Scarampum, Cribellum & Ludovicam Mariam Scarampum, quorum tutores, super Feudo Imperiali, loco scilicet ac territorio Mioliæ Diœcesis Aquensis, in partibus Langarum constituto, una cum ejusdem mero & mixto imperio, omnimoda jurisdictione, homagio, atque hominum fidelitatibus a gloriosæ reminiscentiæ Imperatore Leopoldo, Domino Genitore nostro Colendissimo, die vigesima sexta Junii, Anno millesimo, sexcentesimo nonagesimo octavo, investitos fuisse, prout ex sub-inserto Diplomate plenius videre sit:

Hic inferantur Investituræ tres Leopoldi de annis 1698. 1668. & 1667. Item Ferd. III. de anno 1642. Ferd. II. de anno 1620. Matthiæ de anno 1616. Caroli V. de anno 1529. & Rudolphi II. de anno 1581.

Porro quoque pro ejusdem Investituræ Clementissima Renovatione Augustæ memoriæ Imperatori Josepho, Domino Fratri nostro amantissimo, supplicatum quidem, verum desuper ante mœsta suæ Majestatis fata nullam resolutionem obtentam fuisse: Ac proinde dictus Antonius Maria Scarampus Nos demississime oravit, ut, cum Nos ad fastigium Imperiale evectos, fidelium Vasallorum exemplo in supremum ac directum Dominum suum recognoscere desideret, se de præfato castro, loco, territorio, atque jurisdictione Mioliæ autoritate nostra Cæsarea investire benigne dignaremur: Nos eximiam fidei ac devotionis constantiam, quam, cum universa Scamporum gens, tum prædictus Antonius Maria Scarampus, Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris felicis memoriæ, Nobisque & Sacro Imperio, atque inclytæ Domui nostræ Austriacæ indesinenter præstitit, ipseque imposterum non minus præstare poterit atque debebit, clementer attendentes, humillimis ejusdem precibus benigne censuerimus annuendum; Adeoque ipsum Antonium Mariam Scarampum Cribellum de dicto Castro, loco, territorio atque jurisdictione Mioliæ, omnibusque ejusdem pertinentiis (recepto tamen prius ejus loco & nomine a Consilii nostri Imperialis Aulici Agente, Sacrique Imperii fideli dilecto, Zenone Francisco Joannelli, tanquam legitimo illius Procuratore, debito homagii & fidelitatis juramento) investiverimus, quemadmodum vigore hujus nostri Cæsarei Diplomatis investimus atque infeudamus, idemque castrum, locum & territorium Mioliæ ipsi Antonio Mariæ Scarampo Cribello, quemadmodum ea Majores sui habuerunt, tenuerunt & possederunt, ipseque jam tenet & possidet, pro se ac filiis suis legitimis masculis, cum jure primogenituræ, secundum legem in præinsertis literis expressam, de primogenito videlicet in primogenitum, perpetua serie atque ordine successivo in infinitum, in feudum francum & liberum, habens naturam Allodii, damus atque concedimus, supplentes simul omnes defectus, tam juris, quam facti, & quarumcunque solennitatum omissiones, si qui, vel quæ, in præsentibus intervenissent, aut quovis modo intervenisse dici, vel allegari possent; Et quo magis nostram erga eum Antonium Mariam Scarampum Cribellum clementiæ affectionem conspicuam testatamque reddamus, eadem autoritate nostra ipsum, una cum præfato castro, loco & territorio Mioliæ in nostram & Sacri Romani Imperii nostræque imperialis Aquilæ protectionem & salvamguardiam clementer recipimus, atque assumimus, receptumque & assumptum esse volumus,

Decernentes, quod omnibus privilegiis, juribus, exemtionibus ac libertatibus frui debeat & gaudere, quibus alii sub hujusmodi protectionem nostram, tuitionem, & salvamguardiam recepti utuntur, fruun-

fruuntur, potiuntur & gaudent, seu quovis modo uti, frui, potiri & gaudere possunt, consuetudine vel de jure, Nostra tamen & Sacri Imperii superioritate, & cujusvis tertii jure semper salvis atque illæsis. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, fortunæ aut conditionis exstiterit, liceat, hanc nostræ concessionis, investituræ, infeudationis, approbationis, remissionis, suppletionis, protectionis, salvæguardiæ, voluntatis, decreti, privilegii & gratiæ paginam infringere, contemnere ac violare, aut ei quovis ausu temerario contraire; Si quis vero id attentare præsumpserit, is, præterquam quod nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam incurret, sexaginta marcarum auri puri, puti, probi, ex semisse Ærario nostro sive Fisco Imperiali, ex altero vero semisse parti læsæ toties, quoties contrafactum fuerit, omni remissionis ac veniæ spe præcisa pendendarum mulctam dare damnas esto. Harum testimonio Literarum, manu Nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum Laxenburgi, die prima Junii, Anno millesimo, septingentesimo decimo septimo, Regnorum nostrorum Romani sexto, Hispanicorum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero septimo.

CAROLUS.

V^t. Frid. Carl Comes de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium

Petrus Josephus Dolberg.

II.

Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Literæ, in quibus Antonium Mariam Scarampum Cribellum de feudis Imperialibus Montis Clari, Vinchii & Malæmortis, seu Belvederii, bonisque super finibus Mombersarii sitis, eorundemque juribus, appertinentiis atque Regalibus investivit, d. d. 1. Januar. Anno 1717.

CAROLUS VI. &c.

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum Nobis Nobilis noster, & Sacri Imperii fidelis dilectus, Antonius Maria Scarampus Cribellus, humillime exponi fecerit, Patruum suum, Petrum Franciscum Mariam Scarampum Cribellum, nec non suo, fratrisque sui Innocentii Reinaldi Mariæ nomine, tutores eorum de feudis Imperialibus Montis Clari, octava parte Vinchii, & duodecima Malæmortis, seu Belvederii, bonisque super finibus Momberfarii sitis, cum omnibus appertinentiis, juribus & regalibus a gloriosæ reminiscentiæ Imperatore Leopoldo, Domino Genitore nostro colendissimo, die vigesima sexta Junii, anno millesimo, sexcentesimo, nonagesimo octavo investitos fuisse, prout ex subinserto diplomate uberius videre sit.

Hic inseritur Investitura Leopoldi de An. 1698.

Porro quoque pro ejusdem Investituræ clementissima renovatione augustæ memoriæ Imperatori Josepho, Domino Fratri nostro dilectissimo, supplicatum quidem, verum desuper ante mœsta suæ Majestatis fata nullam resolutionem obtentam fuisse; ac proinde dictus Antonius Maria Scarampus Nos submisse orarit, ut, cum Nos ad dignitatis Imperialis fastigium evectos fidelium Vasallorum exemplo in supremum ac directum Dominum suum recognoscere desideret, se de prænominatis feudis autoritate nostra Cæsarea investire benigne dignaremur; Nos eximiam fidei & devotionis constantiam, quam cum universa Scaramporum familia tum dictus Antonius Maria Scarampus Cribellus Augustissimis Romanorum Imperatoribus ac Regibus, Prædecessoribus nostris, felicis memoriæ, Nobisque & Sacro Romano Imperio atque Domui nostræ Austriacæ indesinenter præstitit, atque imposterum præstare poterit & debebit, clementer attendentes, humillimis ejus precibus benigne censuerimus annuendum; adeoque ipsum Antonium Mariam Scarampum Cribellum omnem & quamcunque caducitatem ex speciali gratia Cæsarea remittentes, de feudis Imperialibus Montis Clari, Vinchii & Malæmortis, seu Belvederii, bonisque super finibus Momberfarii sitis, cum omnibus appertinentiis, juribus & regalibus, recepto jam eorundem loco & nomine a Nostro & Sacri Romani Imperii fideli dilecto, Zenone Francisco Joannelli, tanquam legitimo ejus Procuratore, debito homagii & fidelitatis juramento, investiverimus, quemadmodum, vigore hujus Nostri Cæsarei Diplomatis investimus atque infeudamus, ipsique Antonio Mariæ Scarampo Cribello præfata feuda Montis Clari, octavam partem Vinchii, duodecimam Malæmortis, seu Belvederii, & bona super finibus Momberfarii sita, quemadmodum ea ultimus possessor & alii Prædecessores habuerunt, tenuerunt & possederunt, & in quantum - - - - supplicans ea tenet atque possidet, pro se & futuris filiis legitimis masculis cum jure primogenituræ, de primogenito videlicet in primogenitum, perpetua serie atque ordine successivo, in infinitum, in feudum francum & liberum, habens naturam allodii, damus atque concedimus, supplentes simul omnes defectus tam juris, quam facti, & quarumque solemnitatum omissiones, si qui, vel quæ in præinsertis intervenissent, aut quovis modo intervenisse dici vel allegari possent; Et quo magis nostram erga sæpius dictum Antonium Mariam Scarampum Cribellum clementiæ affectionem conspicuam testatamque reddamus, eadem autoritate nostra ipsum, una cum præfatis feudis in nostram & Sacri Romani Imperii nostræque Imperialis Aquilæ protectionem & salvaguardiam clementer recipimus, atque assumimus, receptumque & assumptum esse volumus, decernentes, quod omnibus privilegiis, juribus & libertatibus frui debeat & gaudere, quibus alii sub hujusmodi protectionem nostram, tuitionem & salvaguardiam recepti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, seu quovis modo uti, frui, potiri & gaudere possunt consuetudine vel de jure, nostra tamen & Sacri Romani Imperii superioritate aliorumque juribus semper salvis & illæsis. Nulli ergo omnino hominum, cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis,

itis, præeminentiæ, fortunæ, aut conditionis exiterit, liceat, hanc nostræ concessionis, Investituræ, nfeudationis, approbationis, remissionis, supplejonis, protectionis, salvæ guardiæ, voluntatis, decreti, privilegii, & gratiæ paginam infringere, contemnere ac violare, aut ei quovis ausu temerario contraire, si quis vero id attentare præsumpserit, is, præterquam quod nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam incurret, sexaginta marcarum auri puri, puti, probi, ex semisse ærario nostro, sive fisco Imperiali, ex altero vero semisse parti læsæ toties, quoties contrafactum fuerit, omni remissione ac veniæ spe præcisa pendendarum mulctam dare damnas esto, harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur Laxenburgi, die prima Junii, Anno millesimo, septingentesimo decimo septimo, Regnorum nostrorum Romani sexto, Hispanicorum decimo quarto, Hungarici & Bohemici vero septimo.

CAROLUS.

Vt. Frid. Carl Comes de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Petrus Josephus Dolberg.



AD

PARTIS II.

SECTIONEM I.

De Summo Pontifice ac Sede Romana.

TOM. II. pag. 686.

I.

Literæ Canonicorum Basilicæ S. Petri Romanæ ad Fridericum I. Roman. Imperatorem, Statusque Sacri Romani Imperii, tam ecclesiasticos, quam seculares directæ, atque de Schismatica Pontificum electione agentes.

Invictissimo & gloriosissimo Domino suo, Friderico, Romanorum Imperatori, & semper Augusto, & venerabilibus Patribus, in Christi nomine congregatis, fratres, qui Romæ sunt, Basilicæ S. Petri Principis Apostolorum Canonici, Angeli magni Consilii præsentiam, & Spiritus Sancti consolantem gratiam.

PAtres sanctissimi, quos DEus elegit ad consolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, sicut ait Apostolus, corrigite inquietos, consolamini pusillanimes, intendite precibus nostris, & ad dolorem nostrum leniendum consolationis manum extendite. Tanta est enim, tam diffusa mœroris nostri materia, ut unde debeamus exordium sumere, difficulter possimus invenire. Verum quia materia doloris est, & mœroris, a luctu & mœrore ordiri decrevimus. Attendite ergo & videte, si est dolor sicut dolor noster, cum videamus matrem nostram Romanam Ecclesiam, quondam fulgentem, a filiis suis, imo alienis, quia mentiti sunt ei, quos enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt eam, contumeliose eviseratam, & membris ex parte mutilatam, in cœno jacentem, contumeliam, jacturamque suam nec sentientem. Unde cum Hieremia plorante suæ Hierusalem destructionem, plorantes, dicimus: non crediderunt Reges terræ, & universi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. Vere Hierusalem erat mater nostra Romana Ecclesia, quæ cunctis ad se venientibus & quærentibus pacem dabat; nunc autem & dolentes dicimus, ut olim illa, peccatum peccavit nostra Hierusalem, propterea instabilis facta est. Nec immerito, propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus erraverunt cœci in plateis, facies Domini divisit eos. Et vere. Vultus enim Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Unde plurimo rubore diffundimur. Vere peccatum peccavit hoc tempore nostra Hierusalem invidia & odio, & iniquitatibus multis, quæ quia per omnia longum est enarrare, ad ostendendam Romanam electionem, & causam discordiæ declarandam propositum convertemus.

Domino igitur Papa Adriano felicis memoriæ, prima vigilia Kalend. Septembris viam universæ carnis ingresso, convenit illico maxima multitudo, cum quibus & Senatores affuerunt, quorum consilio corpus Romam delatum est. Inter Cardinales vero contentione crescente, convenit tandem inter eos, ut Romam redirent, & concordem electionem facerent de aliquo Cardinalium. Quod si non possent, quærerent extraneam personam. Quod si nec sic possent convenire, ab electione quiescerent, donec invenirent idoneum virum, quem concorditer eligere deberent. Et hoc unanimiter ab omnibus confirmatum est. Post hoc autem statim Romam redierunt, Dominus Octavianus, & quidam alii accesserunt ad obsequium defuncti. Quidam vero alii præmiserunt auctorem scelerum, Bosonem, primogenitum Satanæ, ut munitionem Beati Petri occuparet, cujus custodes fidelitatem ei juraverant, Domino Papa Adriano vivente, eumque postea subsequentes eandem munitionem conscenderunt. Dominus autem Tusculanus palatium ascendit. Dominus Octavianus, & Dominus Rolandus, Cancellarius, ad domos nostras venerunt, & quidam alii. Vocati autem isti ab illis, qui munitionem observabant, responderunt, se nunquam ascensuros in munitionem; Bosonem verentes, ne, sicut

ſicut eis relatum fuerat, a juratis Boſonis caperentur. Et Dominus Cancellarius: Vadam, inquit, & eos ad vos deſcendere faciam. Ivit cum eo Diaconus de carcere, nec redierunt, & ſic per biduum de loco, ubi electionem facerent, convenire nequiverunt.

Tandem die Sabbati deſcendentibus illis de munitione, aſcenderunt omnes poſt Altare Beati Petri, & cœperunt de electione tractare. Cumque convenire non poſſent, dixerunt iſti, qui concordiam & pacem Eccleſiæ deſiderabant: date nobis electionem, & eligemus unum de vobis, aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis unum: & noluerunt. Surrexit tandem velut iratus, Otto, Diaconus S. Georgii, & Adebaldus Craſſus, Cardinalis SS. Apoſtolorum, & Joannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare Dominum Rolandum, Cancellarium, ſed ſaniore & meliori parte Cardinales ex parte DEI Omnipotentis, & Beatorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, atque totius Eccleſiæ auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attentaverunt, nec potuerunt, & Cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non ſtetit, quin immantaretur. Cæterum Clerus Romanus, qui in Eccleſia Beati Petri pro electione Summi Pontificis convenerat, audito clamore, cucurrerunt, circumdantes Dominum Ottonem, qui erat cum Cardinalibus juxta Altare Beati Petri, & clamaverunt omnes, dicentes: Dominum Octavianum eligite, per quem ſolum Eccleſia pacem poteſt habere. Tunc petitione populi Romani, & electione totius cleri, conſentiente & deſiderante univerſo Capitulo Baſilicæ Beati Petri, Dominus Octavianus Cardinalis a ſaniori parte Cardinalium electus eſt, & manto indutus, ac in Sede Beati Petri poſitus, abſque omni contradictione, cantantibus omnibus: Te DEum laudamus; in Jubilo. Deinde, ſicut mos eſt, Domini Cardinales, & Clerus Romanus totus, qui præſens erat, & qui poſtea confluxerat, populique Romani pars maxima pedes ejus oſculati ſunt. Quod videns Dominus Rolandus Cancellarius, & qui ei, ſicut dicebatur, juramento erant aſtricti, nec clamaverunt, nec aliquo modo contradixerunt, ſed inclinato capite redeuntes, munitionem quaſi ſpe ſua fruſtrati conſcenderunt. Tunc D. Card, Clerus, Judices, Scrinarii, Senatores, populus Romanus Dominum electum ſignis bandonis præcedentibus, ad palatium usque cum jucunditate perduxerunt, Romano more clamantes: Papa victore S. Pietro l' elegge. In craſtinum autem quidam de Clero Romano aſcenderunt munitionem, & oſculata manu Domini Cancellarii, cœperunt eum, & qui cum eo erant, rogare, ut paci Eccleſiæ provideret. Quidam autem de Diaconis Curiæ reſpondit eis velut indignans: Heri pedes Domini Octaviani, qui fratrem ſuum Dominum Cancellarium exuit manto, & ſe induit, eſtis oſculati, & modo venitis ad nos? Et Dominus Cancellarius: Noli, ait, Domine Cardinalis, dicere, quod verum non eſt. Dominus Octavianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui. Sicque per totam hebdomadam illam Domino Cancellario & ſuis in Eccleſia Beati Petri morantibus, nono die deſcendentes trans Tyberim, eo die & altero commorantes XI. exierunt, & pervenerunt ad ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes. Juſte ciſternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione Domini Victoris, induerunt Cancellarium ſtolam & pallium erroris, in deſtructionem & confuſionem Eccleſiæ, ibique primum cantabant: te DEum laudamus. Quis veſtrum, o Sanctiſſimi Patres, audivit talia? Quantum in eis eſt, biceps hodie facta eſt Romana Eccleſia. Nunc tacendum Nobis eſt, ut Dominus Otto Palatinus Comes, & Dominus Guido, Comes de Blanderata, & Dominus Heribertus Præpoſitus, viri prudentiſſimi, Imperatoriæ Majeſtatis Legati, vicem accipiant referendi, quid in Domino Cancellario & ſuis repererint. Qui cum nota retulerint, Domini Epiſcopi, Domini Imperatoris Legati, quid hinc inde humilitatis & veritatis cognoverint, plenius poterunt enodare. In Urbe quoque, cum Romanus Clerus ad Eccleſiam Beati Petri, ipſis præſentibus, conveniret, quid de facto iſto perſenſerint, quoniam præſentes eſſe credimus, referant ipſi, & ad hoc comprobandum duos de fratribus noſtris, Petrum Chriſtianum, Eccleſiæ noſtræ Decanum, & Petrum Gvidonis, Camerarium, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, Sanctitati Veſtræ tranſmittimus, ut de his omnibus veritatis teſtimonium etiam viva voce perhibeant. In Cœna Domini eſtis, in qua redemptionis humanæ Sacramenta peregit. Duos gladios Apoſtoli ſe habere profeſſi ſunt, quos & vos habetis, quid in eis, & per eos agere debeatis, nullus veſtrum ignorat. Ibi dictum eſt a Chriſto: Satis eſt; Et nos, qui Chriſti veſtigia ſequi debemus, vobis Dominis noſtris dicimus, huic operi finem facientes, ſatis eſt. Omnipotentis Sapientia Patris, qui novit & poteſt unire vota & voluntates omnium, doceat vos omnes, & uniat ad confuſionem Babylonicam deſtruendam, & ſimoniam de Eccleſia propellendam, & pacem toti mundo deſiderabilem in integrum reformandam.

II.

Literæ quorundam Cardinalium ad Imperii Romano-Germanici ſtatus, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares directæ, atque de Cardinalium circa electionem Pontificis Maximi ſchiſmate, in præjudicium Eccleſiæ atque Imperii nato agentes, in quibus eos, ut Octavianum Cardinalem a ſe in Pontificem Maximum electum patrocinio ſuo tueantur, obnixe rogant, de Anno - - - -

VEnerabilibus in CHriſto fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, Præpoſitis, Prioribus & cæteris Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, Ymarus, Tuſculanus Epiſcopus, Prior Epiſcoporum, Johannes, Tit. S. Sylveſtri & Martini, Guido Cremen-

Cremensis, Tit. S. Calisti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, Rimundus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via-lata, & Sy. S. Mariæ in Dominica, & Sublacensis Abbas, perpetuam in Domino salutem.

Ex quo contra honorem Ecclesiæ DEI & Imperii amicitia inter Dominum Papam Adrianum, & Wilhelmum Siculum apud Beneventum facta est, dissensio & discordia non modica inter Cardinales sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, non sine causa oborta est, nobis scilicet, qui honorem & dignitatem Sanctæ DEI Ecclesiæ, & Imperii nullatenus diminui volebamus, amicitiæ, quæ facta fuerat in detrimentum Ecclesiæ & Imperii, nequaquam consentientibus: aliis vero, qui pecunia & multis promissionibus obcœcati, jam dicto Siculo tenebantur astricti, conventionem ipsam taliter (ut diximus) fabricatam, nequiter defendentibus, & quam plures in partem sui erroris attrahentibus, nostro conatui & voluntati totis viribus pertinaciter resistentibus. Proinde procedente tempore cum jam fama ferret, Imperatorem Italiam intrasse, & plurimam ejus partem suæ potestati subjugasse, prædicti fratres Siculo astricti, Dominum Papam sollicitare, ac circumvenire omni sagacitate cœperunt, qualiter aliqua occasione assumta Dominus Imperator, & omnes sequaces ejus excommunicationi subderentur, & nos ad id faciendum una cum eis juramento astringeremur. Nos autem e contra diximus, potius Siculum excommunicandum, qui omnia jura Ecclesiæ, tam spiritualia, quam temporalia violenter abstulerat, quam Imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & Imperii jura fideliter laborabat recuperare, & Ecclesiam de servitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, a jam dicto Consilio cum rubore siluerunt. Ego igitur consilio, nostro studio, & exacta diligentia taliter cassato, & exinde venerabili fratre nostro Octaviano, tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, nunc Apostolicæ Sedis Pontifice, una cum fratre Wilhelmo, Presbytero Cardinali S. Petri ad vincula, ad Imperialem Celsitudinem legationem fungente, Dominus Papa cum sibi consentientibus supradicti Wilhelmi fautoribus Urbem egressus, Anagniam venit. Ubi tunc demum manifesta conspiratione omnes præfati Wilhelmi fautores in præsentia Domini Papæ sacramento firmaverunt, personam Imperatoris excommunicationi subjiciendam, & ex tunc in antea ejus honori & voluntati usque ad mortem immutabiliter contraire: & si contingeret, Dominum Papam vita decedere, neminem se, nisi de illis, qui conjuraverant, in Pontificem eligere. Circumpositos insuper Episcopos, ne alicui electo, in quem Siculi secta consentiret, in consecratione manus imponerent, juramento nihilominus constrinxerunt. Postmodum, jam sæpe dicto Patre nostro Adriano Anagniæ Kalend. Septemb. defuncto, omnes illuc convenimus: & cum de corpore sive ibidem tumulando, sive Romam deferendo, non parva contentio oriretur, tandem Romam corpore deportato, prius in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus, & scripto mandavimus, quale nunc sequitur: In nomine Domini, Amen. Convenerunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & promiserunt sibi invicem, in verbo veritatis, quod de electione futuri Pontificis tractabunt secundum consuetudinem istius Ecclesiæ, scilicet, quod segregentur aliquæ personæ de eisdem fratribus, qui audiant voluntatem singulorum, & diligenter inquirant, & fideliter describant & si DEus dederit, quod concorditer possimus convenire, bene: sin autem, nullus procedat, sine communi consensu, & hoc observetur sine fraude & malo ingenio.

Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum corpus in Ecclesia Beati Petri, ad eligendum Pontificem convenimus, & juxta prædictam consuetudinem personas, quæ singulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent, ac describerent, segregavimus. Sed cum propter conspirationem adversæ partis electio lente procederet, tertia die fere transacta, ad hoc tandem deventum est, quod XIV. Cardinales ex adverso, qui sacramento constricti tenebantur, Rolandum Cancellarium nominaverunt. Nos autem IX. numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum Presbyterum Cardinalem, virum utique honestum & religiosum, ad regimen Apostolicæ Sedis, & ad concordiæ & pacis unitatem inter Ecclesiam & Imperium reformandam ac conservandam dignum & utilem esse cognoscentes, eligimus. Cum res taliter ageretur, & partem contrariam pactum, quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitus transgredi volentem sentiremus: pactum supra dictum illis ad memoriam reducentes, auctoritate DEI omnipotentis, & omnium Sanctorum, atque nostra, eis penitus interdiximus, ne absque communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, ullatenus aliquem inmantarent: & Rolandum Cancellarium eadem auctoritate ne susciperet, nihilominus prohibuimus. Qui dum verba & ammonitiones nostras vilipenderent, & Rolandum Cancellarium manto festinarent induere: nondum tamen illo induto, nos illorum malitiæ potius contraire, quam consentire volentes, & quod male conabantur, minime permittentes, ad petitionem populi Romani, electione universi Cleri, assensu etiam totius fere Senatus, & omnium Capitaneorum, Baronum, Nobilium, tam infra urbem, quam extra urbem habitantium, nostrum electum manto induimus, & inthronizatum in Sede Beati Petri collocavimus, inde ad palatium ejusdem, acclamante universo populo, hymnum DEO decantante Clero, & omnibus solenniter adimpletis, honorifice deduximus. Adversæ vero partis Cardinales retrocedentes, in castrum Beati Petri se contulerunt, ibique per dies octo & amplius inclusi permanserunt. Inde postmodum per Senatores educti, extra urbem secesserunt, & XII. postea die, quod a seculo non est auditum, in castro, nomine Cisterna, intra Aritiam & Terracinam, Rolandum Cancellarium immantaverunt, & in sequenti Dominica execraverunt, ac continuo mittentes Nuncios per universam Italiam, Episcopis, ne ad consecrationem nostri electi venirent, penitus dissuaserunt, minantes illis excommunicationem & depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima Dominica mensis Octobris, autoritate DEI honorifice consecratus est. Rem qualiter facta

facta est, vestræ fraternitati insinuavimus, nihil præter veritatem adnectentes, teste DEO, qui falli non *potest*, & si Angelus de cœlo aliud evangelizaret, a veritate penitus aberraret. Veruntamen multa, *quæ facta* sunt, omittentes, ista, prout brevius possumus, vobis significamus, ne prolixiore pagina aures *vestras* oneraremus. Hæc itaque animadvertat vestra fraternitas, quam devotissime obsecramus, & admonemus, & modis omnibus, quibus possumus, exhortamur in Domino, quatenus neque per sermonem, neque per epistolam a vestro sensu moveamini, sed in veritate nobiscum firmi & immobiles permaneatis.

III.

Literæ Cardinalium, in ipsis literis nominatorum, supplices, ad Fridericum I. Rom. Imperatorem datæ, ut Octavianum Schismaticum Pontificem favore suo nullatenus protegat atque defendat, de Anno - - -

FRiderico, DEI gratia glorioso, Illustri, Magnifico, & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinensis, Hubaldus Hostiensis, Julius Prænestinus, Bernardus Portuensis, Waltherus Albanensis Episcopi: Hubertus tit. S. Priscæ, Joannes tit. Sanctorum Joannis & Pauli, Henricus tit. SS. Nerei & Achillei, Ildebertus tit. Basilicæ XII. Apostolorum, Joannes tit. S. Anastasiæ, Bonadies tit. S. Chrysogoni, Albertus tit. Sancti Laurentii in Lucina, & Wilhelmus tit. S. Petri ad vincula Presbyteri, Oddo Sancti Gregorii ad Velum-aureum. Rom. Sanctæ Luciæ in septa solis, Jacinctus Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullii, Arde S. Theodorici, Bo. Sanctorum Cosmæ & Damiani, C. S. Adriani P. S. Eustachii, & Jo. Diaconi Cardinales, voluntate & spiritu in Domino congregati, salutem, & gloriosam de inimicis victoriam.

Quanto Excellentiæ Vestræ major a DEO collata est & attributa potestas, & quanto sublimiorem inter mortales dignitatis locum constat vos obtinere, tanto amplius Imperialem convenit Majestatem, sacrosanctam Romanam Ecclesiam specialem & unicam Matrem vestram in omnibus honorare, & ei semper, & præsertim necessitatis tempore, salubriter atque utiliter providere. Quid autem diebus istis in eadem Ecclesia Romana contigerit, & quam inauditum facinus ab his, quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratum, dignum imo dignissimum est, Nos Imperiali Celsitudini nostris literis aperire. Nuper siquidem cum Dominus noster bonæ memoriæ Adrianus Papa, Kalend. Septembr. apud Anagniam debitum naturæ solvisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset, vocante Domino ad superna, tres falsi fratres, Octavianus scilicet, & Joannes de Sancto Martino, & Guido Cremensis, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, cum sint Satanæ &c. Et infra. Ad hæc noverit sublimis gratia vestra, quod Otto Palatinus Comes, occasione de intrusione Octaviani suscepta, præfatum Dominum nostrum, & nos omnes plurimum infestavit, & Ecclesiam DEI nisus est scindere, & multipliciter absque rationabili causa turbare. Campaniam siquidem, & patrimonium Beati Petri cum intruso & apostatico Octaviano violenter intravit, & terram ipsam studuit ei quibuscunque modis subjugare. Nos itaque, & tota Ecclesia DEI nobiscum Majestatem vestram suppliciter exoramus, ut tam violenta intrusione, ita sicut est, intellecta, & diligenter inspecta, qualiter vobis ad salutem animæ vestræ & honorem Imperii super tanto negotio sit procedendum, diligenter attendatis. Considerate & avertite, qualiter circa sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & circa unicum sponsum ejus Dominum nostrum JEsum CHristum, sine quo nec Regnum potest aliquis obtinere terrenum, nec acquirere sempiternum, oporteat vos habere, & qualiter eam ab impugnatoribus, & præsertim ab Schismaticis & hæreticis, ex Imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus ac tueri. Nos siquidem Vos sicut specialem defensorem & Patronum Ecclesiæ Romanæ modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriæ vestræ, quibus modis possumus, cum DEO aspiramus. Rogamus autem, & instantius supplicamus, ut Matrem Vestram Sanctam Romanam Ecclesiam diligatis & honoretis, & ad pacem, & tranquillitatem ipsius, quibus modis Imperialem convenit Excellentiam, intendatis, & tantam præfati invasoris atque Schismatici iniquitatem nullatenus foveatis.

IV.

Literæ Friderici I. Romanorum Imperatoris, ad Rolandum Cancellarium reliquosque Cardinales, qui eum elegerunt Pontificem, scriptæ, in quibus eos ad Concilium generale propter Ecclesiæ Schisma, Papiæ instituendum, evocat, de An. - - -.

Fridericus DEI gratia, Romanorum Imperator, & semper Augustus, Rolando Cancellario, cæterisque Cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum Pontificem, salutem, & omne bonum.

QUoniam Divina præordinante clementia, Romani Imperii gubernacula suscepimus, oportet, ut in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cujus munere, cujus voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. In hoc itaque sacratissimo proposito constituti, cum omnibus Ecclesiis in Imperio nostro constitutis, debeamus patrocinari sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanto propensius debemus providere, quanto ipsius cura & defensio a Divina providentia creditur Nobis esse commissa specialius. Ea propter de discordia, quæ in substituendo Romanum Pontificem inter vos suborta est, plurimum dolemus, timentes, ne occasione hujus Schismatis Ecclesia, Christi sanguine redemta, debeat dilacerari, præsertim cum robur Ecclesiæ foris titubare videatur, quoniam unitas ipsius scissura domestica

ſtica interius dilaniatur. Ut autem huic peſti competens & DEO gratum exhibeamus remedium, religioſorum virorum conſilio generalem Curiam & Conventum in Octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam, ad quam evocavimus totius Imperii noſtri, & aliorum Regnorum, ſcilicet Angliæ, Franciæ, Ungariæ, Daciæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & viros religioſos, ac DEum timentes, quatenus, remoto omni ſeculari judicio, hoc tam magnum Eccleſiæ negotium Eccleſiaſticarum tantum perſonarum ſententia ita ſopiatur, ut & DEO debitus exinde honor deferatur, & Eccleſia Romana ſua integritate & juſtitia non poſſit a quoquam privari, vel ſtatus Urbis, quæ Caput Imperii noſtri eſt, inquietari. Proinde eruditioni veſtræ mandamus, & ex parte DEI omnipotentis, & totius Eccleſiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Curiam ſive Conventum veniatis, Eccleſiaſticarum perſonarum ſententiam audituri & recepturi. Teſtis enim Nobis eſt DEus, quia in hac Curia, nec amore, nec odio alicujus perſonæ, quicquam aliud quærimus, quam honorem DEI, & Eccleſiæ ſuæ unitatem. Quodſi ad tam celebrem Eccleſiæ Conventum examinationis cauſa venire volueritis, chariſſimi Principes noſtri, & Eccleſiæ Catholicæ Hermannus Verdenſis, Daniel, Pragenſis, Patres & Epiſcopi venerabiles, quos de palatio noſtro ad vos tranſmiſimus, una cum Comite Palatino, conſangvineo noſtro, aliisque Legatis noſtris, ſecurum vobis conductum præſtabunt. Si vero juſtitiam DEI & Eccleſiæ in tam ſolenni Conventu recipere nolueritis, videat DEus, & judicet. Nos autem ipſius favente gratia, qui dat ſalutem Regibus, juſtitiam DEI, quæ nullum magis quam Imperatorem Romanum decet, proſequemur.

V.

Ejusdem Literæ, ad Herimannum, Brixienſem Epiſcopum, datæ, in quibus eum hortatur, ut Concilium generale Papiæ propter Eccleſiæ Schiſma inſtituendum, ſtatuto tempore accedat, de Anno - - -.

Fridericus, DEI gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Herimanno, Brixienſi Epiſcopo, ſalutem, & omne bonum.

QUod in paſſione ſua Chriſtus duobus gladiis contentus fuit, hoc in Romana Eccleſia, & in Imperio credimus mirabili providentia declaraſſe, cum per hæc duo rerum capita & principia totus mundus tam in divinis, quam humanis ordinetur. Cumque unus DEus, unus Papa, unus Imperator ſufficiat, & una Eccleſia DEI eſſe debeat, quod ſine dolore dicere non poſſumus, duos Apoſtolicos in Romana Eccleſia habere videmur. Defuncto itaque Adriano Papa in Kalend. Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles eſſe videbantur, quibus ſancta & univerſalis firmiſſime inniteretur Eccleſia, quæ non DEI ſunt, ſed ſua quærentes, & unitatem Eccleſiæ ſcindentes, duos Pontifices elegerunt, & ambos conſecraverunt. Pro tanta namque & tam perniciosa Eccleſiæ jactura, tota nimirum Italica Eccleſia conturbatur, & diſſenſiones, ſchismate orto in capite, jam in inferiora membra defluxiſſet, & totum Eccleſiæ corpus defœdaſſet, niſi Nos conſilio & auxilio religioſorum virorum, qui Spiritu DEI aguntur, tam impudicæ iniquitati juſtitiæ rigorem oppoſuiſſemus. Ne itaque in tantæ diſcrimine diſcordiæ univerſalis Eccleſia periclitari poſſit, Romanum Imperium, quod ad remedium tam pernicioſi morbi Divina clementia providit, univerſorum ſaluti debet ſollicite providere, & ne tanta mala in Eccleſia DEI præemineant, futuris caſibus ſolerter obviare. Coadunatis itaque in unum omnibus Epiſcopis, tam Italicis, quam Teutonicis, cæterisque Principibus, ac viris religioſis, qui zelum DEI & Eccleſiæ habere videbantur, quod facto opus eſſet, diligenter inveſtigavimus; ex Decretis Romanorum Pontificum, & Statutis Eccleſiæ veraciter accipientes, quod exorto Schiſmate in Romana Eccleſia ex duorum Apoſtolicorum diſſenſione, ambos vocare, & ſecundum ſententiam & conſilium Orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex conſilio itaque omnium, qui aderant, Epiſcoporum, cæterorumque Principum, Curiam ſolennem, & generalem Conventum omnium Eccleſiaſticorum virorum, in Octava Epiphaniæ, Papiæ celebrandam indiximus, ad quam ambos, qui ſe dicunt Romanos Pontifices, vocabimus, omnesque Epiſcopos Imperii noſtri, & aliorum Regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hiſpaniæ, atque Ungariæ, ut eorum in præſentia noſtra juſto declaretur examine, quis illorum regimen univerſalis Eccleſiæ de jure debeat obtinere. Quia vero ad unitatem Eccleſiæ reformandam ſapientia admodum Nobis neceſſaria eſt, ut ea nequaquam carere valeamus, Dilectionem tuam attentiſſime rogamus, & rogando commonemus, quatenus pro fidelitate Eccleſiæ, & Imperii, ad prædictam Curiam, omni occaſione remota, venias, ut in adventu tuo unitas & pax, & tranquillitas Eccleſiæ reformetur. Interim autem prædictæ ſciſſuræ in neutram partem aſſenſum tuum declines, nec tanquam juſtam & rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremæ X. Kalend. Novembris.

VI.

Victoris Pontif. Max. literæ ad Status Germaniæ tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares, aliosque Proceres in Familia atque aula Friderici I. Romanorum Imperatoris commorantes, directæ, in quibus eos humiliter deprecatur, quatenus illum apud Fridericum I. Rom. Imperatorem, a quo omnis poteſtas & honor dignitatum dependeat, precibus adjuvent, d. d. V. Kalend. Novembr. An. - - -.

VIctor, Servus ſervorum DEI, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & chariſſimis filiis Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & cæteris Principibus, & egregiæ Familiæ

militiæ Imperiali, in Sacratissima Curia Domini Friderici, Serenissimi ac Invictissimi Romanorum Imperatoris commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quam & in quantum & Ecclesiastici Status decorem, & honorem Romani Imperii, & Nobilitatem omnium bonorum hactenus sincere dilexerimus, & quæ mutuæ charitates sint invicem frequenter exhibitæ, nequaquam credimus a Vestræ Magnitudinis excidisse memoria. Nunc autem tanto propensioris dilectionis efficaciam vobis & Imperio cupimus exhibere, quanto, DEO auctore, ad majorem conscendimus dignitatem. Quapropter Universitatem vestram, de qua plene confidimus, plurimum deprecamur, ut pro Beati Petri Apostolorum Principis reverentia, & antiquæ dilectionis constantia, quæ inter Nos inviolabiliter perseverare dinoscitur, Dominum Imperatorem Invictissimum commonendo rogetis, quatenus Imperio, sibi a Divina clementia commisso, & Ecclesiæ DEI, Sponsæ JEsu CHristi, cujus Advocatus & defensor divinitus est constitutus, providere & subvenire non tardet, ne in tanta discordia adversariorum malitia nequiter prævalere, navicula Beati Petri procellis & tempestatibus suo tempore quassari, & Decus Imperiale valeat aliquatenus obnubilari. Insuper Universitati vestræ dignum duximus intimandum, qualiter ad Apostolatus officium, Domino concedente, vocati fuerimus. Felicis memoriæ Papa Adriano prædecessore nostro viam universæ carnis ingresso, in Beati Petri Basilica tumulato, convenimus omnes de electione summi Pontificis tractaturi. Post longam vero collationem & diutinam deliberationem, Divina tandem inspirante clementia, electione venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, Presbyterorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Cleri quoque Romani petitione, ejusdem populi assensu, etiam Senatoriæ dignitatis honoratorum, insuper Capitaneorum, ad summum Pontificatum, annuente DEO, canonice sumus electi, & in Sede Apostolica collocati, ac deinde prima Dominica mensis Octobris benedictionis consecrationem, & nostri officii accepimus plenitudinem. Quocirca universitatem vestram humiliter deprecamur, quatenus Nos apud ipsum precibus adjuvetis, a quo omnis est potestas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi, quondam Cancellarii, per conspirationem & conjurationem contra Ecclesiam DEI & Imperium, Wilhelmo Siculo astricti, qui die XII. post electionem nostram se fecit intrudi, quod a seculis non est auditum, ad vos scripta pervenerint, tanquam mendacio plena, & a schismatico & hæretico destinata respuatis, & aures vestras nequaquam illis ullatenus præbeatis. Data Signiæ V. Kalend. Novembris.

VII.

Literæ Senatus Urbis Romanæ, ad Conradum, Rom. Regem, Friderici II. Rom. Imperatoris filium, datæ, in quibus eum obnixe rogant, ut Romam, solium Imperii atque Urbis possessionem accepturus, accedat, de An. - - -.

EXcellentissimo atque præclaro Urbis & orbis totius Domino, *Conrado*, DEI gratia Romanorum Regi semper Augusto, Senatus populusque Romanus salutem, & Romani Imperii felicem & inclytam gubernationem.

Regali Excellentiæ per plurima jam scripta nostra, facta & negotia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra Imperiali Corona exaltanda, & omni modo augenda, quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit, plane tanquam filii & fideles de Domino & Patre satis miramur. Nos enim quicquid agimus, pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem Regnum & Imperium Romanorum, vestro a DEO Regimini concessum, exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini & Justiniani, qui totum orbem vigore Senatus, & Populi Romani suis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus DEI gratia restituto, & eis, qui vestro Imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Rom. Imperio subripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenus ea, quæ Cæsari & Imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus, atque studemus. Et ob hujus rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & justitiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est, turres & domos potentum Urbis, qui vestro imperio una cum Siculo & Papa resistere parabant, cepimus, & quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam vero subvertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ vestræ Dilectionis fidelitate facimus, Papa Frangipanes, & filii Petri Leonis, homines & amici Siculi, excepto Jordano nostro, fidelitate in vestra vexillifero & adjutore, Tolomæus quoque, & alii plures undique Nos impugnant, ne libere, ut decet, Imperialem Regio capiti valeamus imponere Coronam. At Nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima damna sustineamus, pro vestro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque, Nos a vobis proinde præmium, sicut a patre, accepturos, vosque in eos sicut in Imperii hostes vindictam daturos. Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur, ne spes ista Nobis deficiat, ne Regia dignitas Nos vestros fideles & filios despiciat. Neque si in regalibus auribus aura sinistra de Senatu & nobis flaverit, in eam intendat, aut respiciat: quia qui de nobis vestræ Altitudini mala suggerunt, & de vestra & nostra, quod absit, dissensione lætari volunt, & utrosque, ut soliti sunt, callide opprimere moliuntur. Sed circa hæc ne fiat, Regalis prudentia, ut decet, sollicita sit & provida: reminiscaturque vestra solertia, quot & quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam cives nostri Imperatoris, qui fuerunt ante vos, fecerint; & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt: Sed Nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab Urbe, sicut pessimos hostes Imperii, ut sunt, pepulimus. Appropinquet itaque Nobis Imperialis celeriter

: quoniam quidquid vultis, in Urbe obitis: & Urbe breviter ac fuccincte lo:enter in Urbe, quæ caput mundi eft, habitare, toti Italiæ ac Regno Teutoclericorum remoto obftaculo, liberius ıam omnes fere anteceffores veftri, doitis. Sine mora ergo precamur, ut veerim de ftatu veftro, quem femper delubrem & profperum, de his Regaac nunciis nos lætificare dignemini: per omnia veftræ voluntati femper obarati. Sciatis præterea, quia pontem tra urbem parum longe per tempora ıperatorum contrario deftructum: Nos, vefter per eum tranfire queat, ne Petri ıftellum Sancti Angeli vobis nocere pofrant cum Papa & Siculo, magno conamiıus, & in parvi temporis fpatio muro c filicibus, juvante DEO, complebitur.

Concordiam autem inter Siculum & Papam hujusmodi effe accepimus, Papa conceffit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram, atque fandalia, & ne ullum mittat in terram fuam Legatum, nifi quem Siculus petierit: & Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veftro & Romani Imperii, quod DEI gratia veftrum exiftit. Hæc omnia folicite veftra animadvertat, optime Rex, prudentia.

Rex valeat, quicquid cupit, obtineat, fuper hoftes.
Imperium teneat, Romæ fedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Juftinianus,
Cæfaris accipiat Cæfar, quæ funt fua, Præful,
Uti Chriftus juffit Petro folvente tributum.

Nos de cætero Legatos noftros precamur, ut benigne recipiatis, & quod vobis dixerint, credatis: quia fcribere cuncta nequivimus: Sunt enim nobiles Viri, Guido Senator, Jacobus filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum focius.

IIX.

'eris Inter Julium II. Pontificem Max. Sedemque Apoftolicam ex una, & Pagos, five tones Helvetiæ fœdere junctos ex altera parte, die 14. Martii Anno 1510. initi.

Sanctæ individuæ Trinitatis, Patris & ıritus Sancti, Amen. Exigit ratio, al. ac fuadet Religio fancta, ut illi quique obedientiam five devotionis obfequia :m omnium Gubernator DEus in terris ftis præeffe conftituit, hunc fiquidem lianæ fidei cultores Romanum fummum Chrifti Jefu, Domini noftri, Vicarium, Petri Succefforem in Apoftolica Sede, totius Caput conftitutum credunt, ac ·entur, atque ad ipfius nec non Romanæ dua devotione viribusque totis confertendere debere profitentur, quosque Pontificem, Ecclefiam & Apoftolicam : adeo in Numinis gratiis, poteftate plelavium Regni Cœleftis, folvendi aniyandi non folum abundare, verum etlibus dominiorum terrarumve donis t DEus, ut & gloria & honore per na Ecclefia, five Sedes Apoftolica clareor ad eam ab omni impugnatorum infidelibus quærendæ falutis pateret acue pia expectatione qui fe pro viribus icæ ac Summi Pontificis pacifici ftatus xhibet, perfiftere valentes, quoniam in omnium bonorum largitore, bonorumre, cujus eft ipfa Ecclefia fponfa, ac hrifto credentium vera Mater, merce: inimicorum omnium impetum, viient, ab eademque Apoftolica Sede, uoque copiofa effe folet, gemina fpiraliaque gratuita ftipendia reportatanto promtiores ejusdem fubfidiis, s norunt confecuturos in donis &c. gimagiftri, Sculteti, Ammanni, PræfiCommunitatesq; & incolæ civitatum, yorum five dominiorum magnificæ & :teris fuperioris Alamaniæ, nominaBerni, Luceriæ, Uraniæ, Svvytz, Unı & fubtus Nemus, Zug & appendenBafileæ, Friburgi, Solodori & Schaffufii confœderati unanimiter veluti omnis obedientiæ ac devotionis erga Sanctiffimum Dominum noftrum, Julium fecundum, modernum fummum Pontificem, Sedemque Apoftolicam ac Dominam debitores, filii promptiffimi præmifforum intuitu, Divini & Apoftolicæ benedictionis, falutis ac gratiæ confortes & participes effe, atque majorum noftrorum veftigiis, inhærere, qui fimili obedientiæ debito fe Romanis fummis Pontificibus ac Ecclefiæ femper obedientiffimos exhibuerunt, pro virium noftrarum qualitate, juffa capeffere cupientes, ad laudem & gloriam Divinæ Majeftatis, totius Chriftinæ Religionis & Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclefiæ ac Sedis Apoftolicæ decorem & confervationem, quia idem Sanctiffimus Dominus nofter, modernus fummus Paftor & Pontifex maximus literis fuis in forma Brevis fub annulo Pifcatoris claufis, ad nos omnes & fingulariter fingulos transmiffis, fub continentia animi fuæ Sanctitatis notificarat, quia cuperet nobiscum intelligentiam aut fœdus clementer inire five percutere, veluti a Reverendo Domino Mattheo Epifcopo Sedunenfi, tanquam oratore fuæ Sanctitatis & Nuntio, fpecialiter ad Nos pro eadem intelligentia ac fœdere tractandi deftinato, latius perciperemus, ac votis illius obfequeremur, requirere dignatus eft, cum eodem Epifcopo, Apoftolico Nuntio & Oratore confedentes usque ad capitula unionis, intelligentiæ five fœderum concorditer devenimus, ut fequitur:

In primis itaque, quia idem Sanctiffimus Dominus nofter fuam falutem, gratiam & benedictionem nobis per oraculum præfati Epifcopi & oratoris obtulit, quodque pro noftra obfervantiæ & obfequentiæ erga fuam Sanctitatem & Sedem Apoftolicam promptitudine, ac in vim initi fœderis, fua Sanctitas nos omnes & fingulos Collegatos noftros in fuam ac Sedis Apoftolicæ umbram ac pallium protectionis recipit, nec non pollicetur, quod cum quocunque Regum vel Principum, aut Republica, five aliis quibuscumque fœdus, unionem aut pacem ipfe Sanctiffimus Dominus nofter inibit, tanquam filios devotos & fœdere fibi junctos includet, ut pace & fœdere initо

inito pariter secum gaudeamus, humillimis gratissimisque animis acceptamus.

Præterea, quod iterum Sanctissimus Dominus noster, clementia sua solita, quo magis valeamus suæ Sanctitatis benignitatem & paternum affectum intelligere, offert, quod, quando ab aliquo Regum, Principum vel Potentatuum injuste fuerimus lacessiti, qui nos & Collegatos nostros offendere præsumeret, aut nobis quæcunque damna inferre, toties, quotiens hoc acciderit, & donec fœdus hujusmodi duraverit, pollicetur Sua Sanctitas gladio spirituali nos protegere, ac censuras ac pœnas contra sic lacessentem fulminare, & alioquin opportunis respectibus ac gratiis prosequi simili devotionis affectu acceptamus.

Interea cum majores nostri assidua devotione ac obedientia præsto existentes erga Romanos summos Pontifices ac Sanctam Romanam Ecclesiam, quandoque requisiti, eisdem servitia impendendo temporibus retroactis, aliqua gratiosa indulta Privilegia ceu immunitates optaverunt, quæ non solum a Sanctissimo Domino nostro moderno Pontifice maximo confirmari, verum etiam ab ejus Sanctitate alia noviora indulta tam in beneficialibus & spiritualibus, quam aliis, clementer Nobis elargiri atque concedi speramus, eo quod inconcussis animis vires & arma nostra, ut inferius continetur, pro Sanctissimo Domino nostro & Sancta Romana Ecclesia, ejusque Juribus & statu conservandis, apposituri sumus, cum voto nostro & postulationi prælibatus Episcopus & orator accepit, nos libere confortando, quod id in his nobis sperandum veniat, dummodo talia non petierimus, quæ honestate & rectitudine urgentibus necessario negare oporteat.

Insuper quod dictus Sanctissimus Dominus noster nobis pro quolibet ex duodecim Cantonis, sive partibus hujus Ligæ nostræ prædictæ pro singulo anno durationis hujusmodi confœderationis benigne ac liberaliter semper ad Kal. mensis Maji exsolvi, & dono gratuito numerari facere offert in civitate Lucernensi mille florenos Rhenenses in auro aut moneta æquivalente, & quod terminus primi anni esse debeat mox confectis literis, eisdemque sigillatis solutio fiat, & licet in principio anni solutio fiet, nihilominus usque ad ultimum diem protendi debeat ipsius quoque fœderis duratio sine dolo, paribus supplicibus desideriis acceptamus.

Item & ulterius, ut ante omnia de nostra optima dispositione ac debita observatione, quam erga Sanctissimum Dominum nostrum & Ecclesiam Romanam, sive Sedem Apostolicam gerimus, appareat, pollicemur, quod nullum fœdus, vel obligationem aut intelligentiam faciemus cum aliquo Rege, Principe, populo aut potentatu, quæ possit directe vel indirecte tendere in offensam & injuriam ejusdem Sanctissimi Domini nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non pedites aut milites aliquos illis mittere vel conducere, quam idem Sanctissimus Dominus noster declarabit, id cedere posse in offensam, jacturam vel injuriam Suæ Sanctitatis & pacifici status Romanæ Ecclesiæ; & si aliqui nostrorum peditum sive hominum cum aliquo, ut præscribitur, Principe &c. offendere Suam Sanctitatem, vel Romanam Ecclesiam volenti, essent, eosdem illinc continuo revocabimus.

Item quod fœdus hujusmodi quinque annis a die datarum præsentium continuo subsecuturis durare debeat, & ipsis quinque annis finitis renovari possit, si opus fuerit. Equidem & viceversa nos antedicti Burgi-Magistri, Sculteti, Ammanni, Consules & Communitates &c. ut Sanctissimus Dominus noster de nostra obedientia, observatione ut filiorum deditissimorum, firmitatem spei benigne percipiat, pollicemur, promittimus ac nos astringimus omnes & singuli nostrum, quod adversus quoscunque, qui ipsius Sanctissimi Domini nostri Papæ Julii secundi personam, aut Sedis Apostolicæ, aut Ecclesiæ Romanæ pacificum statum turbare, nec non ejusdem Sanctissimi Domini nostri, Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ terras, Dominia, patrias, ditiones, homines & subditos quoscunque, ipsi Sanctissimo Domino nostro & Romanæ Ecclesiæ, sive Sedi Apostolicæ in temporalibus quomodolibet subjectos, sive pertinentes, aufferre, gravare, offendere, seu quævis damna sive offensam inferre præsumere, aut attemptare vellent, juxta vires nostras offensoribus hujusmodi resistemus, & hominibus & armis nostris Sanctissimo Domino nostro, Sedi Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ assistemus, eorumque conservationi ac defensioni fideliter & probiter intendemus, atque totiens, quotiens a Sanctissimo Domino nostro sive parte Suæ Sanctitatis requisiti erimus, eidem Sanctissimo Domino nostro sex millia robustorum electissimorumque militum sive peditum nostrorum, aut plures, dabimus, rerum tamen nostrarum qualitate quoad numerum ulteriorem præcogitata, quorum peditum nostrorum opera ad Suæ Sanctitas personæ, Sedisque Apostolicæ, terrarumque & hominum ipsius Romanæ Ecclesiæ (ut præmittitur) assistentiam, conservationem, opus ac defensionem utatur, & non alias, neque in navalibus maritimis bellis, cum illis inepti, æquoreisque tempestatibus insoliti, ac eapropter quasi inconducibiles ad eadem bella existant, eosdem pedites applicet; qui vero milites fideliter, & probiter, viriliterque in his omnibus se servitiis Sanctissimi Domini nostri exhibebunt, & usque quo Sanctitas Domini nostri eorum opera indigebit, servire teneantur, nisi Nos ipsi propriis bellis sive guerris adeo molestaremur, ut in eisdem eorum præsentia & pro tutamine patriæ nostræ indigeremus, & tunc liceat nobis emissos revocare, ac requisitos a Sanctitate sua non emittere, dolo in hoc tamen & omni fraude semotis.

Proinde in Capitulo proxime præcedenti ad subsidia præstanda & pedites sex millium numero emittendos nos submittimus, ut in eodem capitulo continetur.

Ut rectius servitia ipsorum peditum nostrorum & opera impendantur, a quibus Sanctissimus Dominus noster commodum & honorem percipiat, nosque propterea laudem & commendationem consequamur, reservavimus Nobis nominationem & institutionem Capitaneorum, Præfectorum & cæterorum officialium, atque dationem sive electionem ipsorum sex millium peditum emittendorum, qui tamen solita juramenta fidei servandæ, honoris & profectus ipsius Sanctissimi Domini nostri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ procurandi & promovendi, aliaque circa hæc opportuna faciendi, in manibus Agentium Sanctissimi Domini nostri præstare debeant, & neque

aliquis eorundem peditum se absentare valeat a castris & locis, a sanctissimo Domino nostro deputatis, sine eorundem Agentium & Capitaneorum bona licentia & urgente necessitate.

Item & quod eisdem militibus sive peditibus, ita tenore fœderis emittendis postulatis, & ad servitia sanctissimi Domini nostri ituris, pro singulo pedite persolvi pro quolibet mense debeant stipendia sex Francorum, Capitaneis vero, Vice-Capitaneis, Vexilliferis, & cæteris officialibus, vel duplicia stipendia percipientibus, debeat juxta cujusque conditionem hujusmodi stipendium sive pretium duplicari, ac in omnibus ipsis officiis & pagis duplicibus debeant haberi & servari, juxta morem & consuetudinem honestatis sine fraude, dolo & indebita quavis exactione.

Item quod stipendium & illud promerendi tempus ipsis ita requisitis & profecturis debeat incipere die, qua a domibus & a patria egrediantur, dummodo continuato itinere ad loca, per sanctissimum Dominum nostrum eis designata, veniant, & quod acceptatio eorum prima erit pro tribus mensibus, sive Sanctitas Domini nostri eorum opera toto tempore trium mensium utatur, sive non. Post hoc vero de mense in mensem accipere habeant sua solita stipendia, persolutio tamen stipendiorum debeat protendi juxta ratam temporis, donec fuerint licentiati, & venerint ad distantiam a patria sua, quantum Mediolanum ab eadem distat, & illic pro illorum reditu percipere habeant mediam pagam.

Item quod neque pedites ipsi sex millium numero, quos in subsidium & ad requisitionem Sanctissimi Domini nostri miserimus, a Suæ Sanctitatis Agentibus in diversas patrias sive terras subdividantur, aut collocentur, quo cautum existat omni dolo & periculis, quin valeant infra unius & mediæ vel duarum dietarum spatium iterum, quod quoque sanctissimus Dominus noster clementer instituat, vel Suæ Sanctitatis Commissarii, ut victualia quæcunque humili ac competenti foro vel pretio taxentur, ut eo melius milites & vivere, & servitiis Sanctissimi Domini nostri liberius vacare possint.

Item & quia sæpe diuturnitate laborum incompositione aëris vel incompetentia victualium causantibus contingit, ipsos pedites infirmari, aut oppugnatione vulnerari, fiducialiter prætendimus ac conventum exstat, quod Sanctissimus Dominus noster eisdem, donec in servitiis suæ Sanctitatis milites nostri erunt, stipendia solita exsolvi constituat, etiam pro nostris recedentibus ægrotis, & vulneratis præ invalitudine in grabbatis relictis, provisum sit necessitati, ne mendicitati in plateis exponantur.

Denique ut omni circumventioni, errori, sive cautelis (fieri quoque solitis in persolvendo stipendia peditibus) occurratur, liberæ voluntati & optioni Sanctissimi Domini nostri merito stabit & stare debet, si per suos Commissarios, vel Agentes immediate solutionem & pagas numerari facere singulis militibus, sive solutionem & pecunias stipendiorum numerare Capitaneis & Præfectis peditum, ut quilibet suis solutionem faciat, velit.

Item & quia plerumque in talibus expeditionibus & occurrentiis plures numero milites, quam petiti sunt vel requisiti, concurrunt & subsequuntur, ut quoque desuper querelæ & varii propterea tractatus ac turbines suboriuntur, ut his omnibus opportune provideatur, pariter deductum per nos & conventum esse debet, quod Sanctissimus Dominus noster & ejus Duces, exercitus vel Agentes deputati ultra numerum promissorum 6000. militum, præter eorum bonam voluntatem non sint astricti aliquos supercurrentes pedites assumere sive acceptare, vel in aliquo stipendio sive expensis esse obligatos, in his omni molestia, malevolentia & querela nostra ademptis neque expectatis.

His igitur capitulis in omnibus & per omnia, sic ut præmittitur, confectis, positis, & concorditer utrinque nostrum omnium nominibus transactis, initis & conclusis ad DEI omnipotentis, ac Reginæ cœli virginisque Mariæ & totius curiæ cœlestis honorem atque Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ omnium nostrum matris, sponsæ Christi Domini nostri decorem, ipsiusque veri in terris Christi Vicarii debitam observantiam veluti filii obedientiæ devotis servitiis & obsequiis nos promptos, eisdemque Ecclesiæ & Summo Pontifici exhibere cupientes, ac proinde gratiam a DEO altissimo, salutemque ac benedictionem ab ipsa Ecclesia & Sanctissimo Domino nostro nobis multifariam pervenire sperantes, nos sæpedicti Burgimagistri, Sculteti, Ammanni, Consules, Communitates hominum & incolarum civitatum, pagorum sive locorum de Thurego, Berno, Luceria, Urania, Swiz, Underwalden, supra & subtus Nemus, Zug cum adpertinentiis, Clarona, Basilea, Friburgo, Solodori & Schaffhusio unanimi voto & voluntate omnes simul & singulariter singuli super præmissis omnibus & singulis, maturo per nos præhabita & deliberata deliberatione præmissorum, DEI, Curiæ cœlestis, Matris Ecclesiæ Sanctæ, & Christi Vicarii intuitu, nostræque obedientiæ & devotionis debito id suadentibus, de nostra certa scientia, sponte & libere pro nobis omnibus & singulis, pro filiis, successoribus & posteris, subditisque, incolis, appenditiis & appertinentiis, fœdus hujuscemodi humiliter & devote ac gratanter acceptamus, inimus & assumimus, optantes & cupientes, Ecclesiæ Sanctæ nos esse filios, & in umbra ejus ac sub pallio Sancti Petri, Apostolicæque Sedis & Summi Pontificis tuitionem consequi, promittentes & pollicentes propterea nos supradicti omnes simul & singulariter singuli pro nobis prænominatis civitatibus, locis, posteris, subditisque & incolis, & universis & singulis per submissionem & obligationem bonæ fidei & honoris omnium & singulorum nostrorum, præmissa omnia & singula, sic ut præponuntur, per singula capitula, verba & clausulas adimplere & facere, nec non observare, rata, grata, firma & valida, donec fœdus hujusmodi duraverit, neque illis aut illorum alicui in toto vel in parte contravenire, vel adversari palam, vel in occulto, directe vel indirecte, verbo, consilio vel facto, neque alicui ejusdem, omnibus aut singulis contravenire volenti, quovis quæsito colore, consentire, omni fraude, ingenio & dolo penitus postpositis; Itaque & pro supradictorum omnium & singulorum robore & comprobamento, submissionem, promissionem fidei nostræ, honorisque observationem, & pro veritatis testimonio, animo duximus & voluimus, præsentes prænotati fœderis ac intelligentiæ literas per singulas civitates, pagos, Cantones &

nes & loca propriis sigillis nostris communire; *Acta* sunt hæc, inita atque conclusa suprascripta in Civitate Lucernensi, in nostra generali congregatione, habita die decima quarta mensis Martii, Anno Incarnationis Domini millesimo, quingentesimo decimo, Indictione vero tredecima.

IX.

Innocentii XI. Pontificis Maximi Confirmatio Constitutionum Julii III. Pii IV. Gregorii XIII. ac Sixti V. Pontificum, contra quoscunque habere & tueri prætendentes Franchitias, vulgo Quartieri, & sub illarum prætextu acclamantes, provocantes aut impedientes quoslibet Justitiæ Ministros, ne officium suum, tam in civilibus, quam criminalibus libere ac tute exercere valeant, nec non etiam in illas pro eisdem causis se recipientes, sive ad eas confugientes, sub pœna, ultra illas in eisdem constitutionibus contentas, etiam excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, d. d. 4. Idus Maji, Anno 1687.

INNOCENTIUS Episcopus, Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Cum alias felic. record. Julius PP. III. Prædecessor noster, infra scriptam Constitutionem ediderit, cujus tenor est: Julius Episcopus, Servus servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum civitates & loca omnia, in quibus Sanctissimum Christi nomen colitur, deceat esse facinorosis hominibus expiata atque purgata, nemo est, qui non intelligat, quam maxime oporteat Almam Urbem nostram, Apostolorum Petri & Pauli, ac tot Martyrum sanguine consecratam, in qua Summus Pontifex cum Sacro Cardinalium Collegio residet, & ad quam ex omnibus mundi partibus, veluti ad portum saluberrimum, gentes confluunt, quæ denique communis omnium Patria censetur esse ipsis facinorosis hominibus vacuam. Sane cum a diversis Pontificibus Prædecessoribus nostris plures Constitutiones adversus homicidas, sicarios, latrones, sacrilegos, raptores, sine quibus delinquentes diutius latere non possunt, editæ fuerint, quæ vel temporum iniquitate, vel ad senium & occasum vergentis seculi corruptela, aut Magistratuum negligentia minus custodiuntur & observantur, ac fere in desuetudinem abierunt: operæ pretium censuimus, Constitutiones ipsas approbare & innovare, prout illas motu proprio, & ex certa scientia, cum omnibus & singulis censuris & pœnis in eis contentis, harum serie approbamus & innovamus. Et insuper, quia (sicut accepimus) quorundam eo usque processit licentia, ut non solum homicidas, & facinorosos, ac alios prædictos, contra Juris & Sacrarum Constitutionum prædictarum prohibitionem receptare audeant, sed etiam domos suas, nec non vias publicas & pateas, quæ circa domos sunt, facinorosis tutum refugium & quasi portum esse velint, signatis etiam franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, quos Justitiæ Ministris ingredi non liceat. Nos abominabile & detestandum Franchitiarum hujusmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuo abolitum fore decernimus. Volumus enim causarum capitalium judicibus, barisellis, apparitoribus, & aliis justitiæ Præfectis & ministris, quascunque vias & plateas, ædes & domos ad requirendos, capiendos, & debitis pœnis afficiendos facinorosos homines, die noctuque liberas & apertas esse. Si quis autem post hujus nostræ voluntatis declarationem, franchitias hujusmodi adhuc habere & tueri, ac illarum prætextu, aut alias quomodolibet justitiæ ministros in executione eorum officii impedire præsumpserit, etiamsi Baronus, Domicellus, Comes, Dux, Principis cujusvis orator, aut (quod futurum minime credimus) Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, aut etiam S. R. E. Cardinalis extiterit, noverit se amissionis gratiæ, ac benevolentiæ nostræ, nec non coërcitionis & emendationis, prout Nobis juxta circumstantiarum qualitatem videbitur, pœnas ipso facto incursurum. Si quis vero in tantam devenerit audaciam, ut etiam violenter & manu armata ipsis justitiæ ministris se opponere & resistere ausus fuerit, tam facientes, quam mandantes eo ipso crimen læsæ Majestatis incurrere declaramus, & pro illius condigna ultione si ultra justitiæ ministros majori manu opus fuerit, præcipimus dilecto filio, nobili Viro, Camillo Ursino, Domicello Romano, ac alteri cuicunque pro tempore militiæ nostræ temporalis Generali Gubernatori, & custodiæ Palatii nostri Ducibus, tam pedestribus, quam equestribus, ac conservatoribus & capitibus Regionum ipsius Almæ Urbis, ut contra opponentes & resistentes hujusmodi, tanquam justitiæ, pacis, & quietis perturbatores, nostrosque & hujus S. Sedis rebelles acriter suo brachio seculari insurgant, ac eos manu Regia, & nulla tela judiciaria servata, severissime puniendos capi, & carceribus mancipari faciant. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, statutis, & consuetudinibus, ac cæteris contrariis quibuscunque. Ut autem præmissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis de eis ignorantiam juste prætendere possit, volumus, & Apostolica autoritate decernimus, quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ cursores ad Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranensis valvas, dum inibi populi multitudo ad divina audienda convenerit, palam & clara voce legantur, & lectæ in Basilicæ, & Ecclesiæ hujusmodi, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, nec non in Acie campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu affixæ pendeant, & cum inde admovebuntur, earum exempla in eisdem locis remaneant affixa; Quodque earum transumptis manu Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, abolitionis, decreti, voluntatis, declarationis & præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ

ctum Petrum, Anno Incarnationis Domi-
llesimo, quingentesimo quinquagesimo se-
decimo Kalend. Octobris, Pontificatus no-
o tertio.

ide fel. mem. Pius P. P. IV. etiam Præde-
oster, vestigiis Prædecessoris inhærens, aliam
verit Constitutionem, quæ sic se habet:

. Episcopus, Servus servorum DEI. Ad fu-
rei memoriam. Inter cæteras, quibus ex
to Nobis Apostolicæ servitutis officio assidue
ur, cura illa Nobis præcipue cordi est, ut Al-
rbs nostra, ad quam omnes Christi fideles ex
rsis mundi partibus, veluti ad tutissimum re-
m, confluunt, facinorosis hominibus expurgata,
nitus vacua permaneat, ac in ea boni omnes
a securitate fruantur, malis autem nullus, quo
nfovere possint, locus relinquatur; Et hi, qui
gistratibus jus dicentibus consecuti fuerint, il-
etiam executionem libere, ut decet, contra
lemnatos, ubicunque eos moram trahere con-
it, consequantur. Sane cum non sine animi
ri perturbatione acceperimus, nonnullos tam
crimina per ipsos commissa, quam ob debita
tracta sibi ipsis a ministris & exequutoribus ju-
æ timentes, ad ædes Magnatum, & præsertim
R. E. Cardinalium & Oratorum Principum, uti
a a dictis Justitiæ Ministris tuta, tametsi contra-
m esse deberet, indies confugere, & in illis se
ipere, & confovere, sicque impunitos quando-
e evadere, & creditores executione eorum cre-
orum ut plurimum frustrari. Et licet ad hu-
smodi abusum extirpandum a fel. rec. Julio P. P.
I. Prædecessore nostro, quædam Constitutio edita
erit, talium tamen justitiam fugientium temeri-
tem in tantum excrevisse, ut non solum se in di-
is locis recipere, sed etiam illa veluti justitiæ mi-
ime subjecta, franchitias appellare non erubescant,
nquam in prædicta urbe, in qua Summus Ponti-
ex cum Sacro Cardinalium collegio residet, & ut
Christi Vicarius toti orbi exemplum justitiæ præ-
bere debet, asylum & receptacula delinquentium,
ac suis debitis satisfacere recusantium esse, tolere-
tur, neque executio justitiæ libere fieri valeat. Rem
quidem pessimi, valdeque perniciosi exempli, quæ
non ab ipsis Cardinalibus & Oratoribus, utpote
modestis, & justitiæ cultoribus, sed plerumque ipso-
rum familiarium culpa & facto processit. Nos vo-
lentes tam enormes & detestandos abusus penitus
tollere, utque nullus improbis tutus locus detur,
sed executores justitiæ passim & ubique eorum of-
ficium libere & intrepide exequi valeant, providere:
motu proprio, & ex certa scientia, ac de Aposto-
licæ potestatis plenitudine, omnes inprimis Consti-
tutiones circa præmissa, tam per prædictum Julium,
quam quoscunque alios Pontifices, Prædecessores
nostros, editas, cum omnibus & singulis censuris,
& pœnis in eis contentis, approbantes & inno-
vantes, hac in perpetuum valitura Constitutione
sancimus, ut nullus de cætero cujuscunque sit di-
gnitatis & præeminentiæ, sub indignationis nostræ,
& aliis arbitrii nostri pœnis, ædes prædictas, aut
alia quæcunque loca, franchitias appellare audeat,
nullique Cardinalium & Oratorum, ac Magnatum,
etiamsi nostri, seu Romani Pontificis pro tempore
secundum carnem nepotes, aut alio consanguini-
tatis seu affinitatis vinculo conjuncti fuerint, fami-
liares, aut alias in ipsorum domibus commoran-
tes (in eisdem domibus, seu locis circumvicinis,
malefactores quoslibet, etiam non condemnatos,
aut pro debitis obnoxios) contra quos tamen man-
data executiva, ad instantiam creditorum decreta
& relaxata extiterint, ut eos a manibus Curiæ exi-
mant, receptare, vel alias sub assertæ franchitiæ præ-
textu securos reddere, vel executores justitiæ, quo-
minus eorum officium contra illos etiam in do-
mibus, & locis circumvicinis prædictis, libere &
sine ulla prorsus contradictione exequi possint,
quovis modo directe vel indirecte impedire præ-
sumant. Alioquin receptantes, aut securitatem
præstantes, seu etiam executores justitiæ quomodo-
libet, ut præmittitur, impedientes, nec non, qui
Cardinalium aut Oratorum, seu Magnatum quo-
rumlibet nomen acclamando, contra dictos Justi-
tiæ ministros invocaverint, aut alias quoslibet alios
in eosdem ministros concitaverint, velut criminis
læsæ Majestatis rei condignis pœnis afficiantur, con-
tra quos omnes & singulos ad supradictas, & etiam
ad alias pœnas, in quibus malefactores ipsi con-
demnati fuerint, vel quas promeruerint, interesse-
que & damna inde provenientia, nec non ad Cre-
ditorum satisfactionem, etiam ex officio, & ad Fi-
sci nostri, ac partium instantiam, respective inquiri,
& procedi, & successive eos condemnari posse &
debere volumus, atque decernimus. Mandantes
nihilominus Cardinalibus, Oratoribus, & aliis præ-
dictis sub eadem nostræ indignationis pœna, ut fa-
miliares suos, & alios in ipsorum domibus commo-
rantes, ne præmissa committant, omnino admone-
ant, & cum effectu cohibeant, neque per illos ali-
quid de præmissis fieri quovis modo tolerent, seu
permittant. Non obstantibus Constitutionibus &
ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque &
indultis, sub quacunque tenorum forma quomo-
dolibet in contrarium concessis, confirmatis, & ite-
ratis vicibus, innovatis, assertis, consuetudinibus,
quas per præsentes improbamus, cæterisque con-
trariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homi-
num liceat, hanc paginam nostræ approbationis,
innovationis, sanctionis, voluntatis, decreti, man-
dati & improbationis infringere, vel ei ausu teme-
rario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
sumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac
beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se nove-
rit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Pe-
trum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo,
quingentesimo, sexagesimo primo, duodecimo Ka-
lend. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

Successive piæ mem. Gregorius PP. XIII. itidem
Prædecessor noster, promulgaverit Bullam hujus te-
noris & formæ, nempe: Gregorius Episcopus, Ser-
vus servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam.
Et ipsa ratio & usus docet, nihil perniciosius in ci-
vitate contingere posse, quam legum, judiciorum-
que impedimentum. Quod malum satis oppor-
tune prohibere volens fel. rec. Pius PP. IV. Præde-
cessor noster, cui post alias hac de re præsertim
a piæ mem. Julio PP. III. promulgatas Constitutio-
nes innotuerat, quamplurimos adhuc esse in urbe,
qui vel ob commissa crimina, vel ob æs alienum
contractum, sibi a ministris justitiæque executori-
bus

bus timentes, ad ædes Primatum, etiam S. R. E. Cardinalium, ac Oratorum Principum, uti loca tuta, quas franchitias appellabant, confugerent, eaque ratione impuniti evaderent, & creditores eluderent, aliam edidit Constitutionem, qua etiam sub arbitrariis pœnis sanxit, ne ullus post id tempus, cujuscunque dignitatis ac præeminentiæ foret, ædes prædictas, aut alia quæcunque loca franchitias appellare audeat; neve Cardinales, Oratores, ac Primates prædicti, etiamsi sui, & Romani Pontificis pro tempore existentis, nepotes, aut alio consanguinitatis vel affinitatis vinculo conjuncti essent, eorumque familiares, aut in ipsorum domibus commorantes, in eisdem domibus, seu locis circumvicinis, maleficos quosvis, etiam indemnatos, aut ære alieno obstrictos, (contra quos tamen mandata executiva instantibus creditoribus jam decreta & relaxata essent) ut e potestate Curiæ secularis sic eximerentur, receptare, vel prætextu franchitiæ securos reddere, aut justitiæ executores, quominus libere officio suo contra eosdem fungi possent, quocunque modo impedire auderent; alioquin receptantes hujusmodi, aut securitatem præstantes, seu executores justitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus Cardinalium, Oratorum, seu Primatum quorumlibet nomen auxilii causa invocantes, aut quoscunque alios in ipsos justitiæ ministros concitantes, velut criminis læsæ Majestatis rei, dignis pœnis afficerentur: contra quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipsi puniti fuissent, vel quas promeruissent, nec non ad satisfactionem creditorum etiam ex officio, & ad Fisci partiumque instantiam inquiri, procedi, & condemnari debere voluit, atque decrevit; sed cum hæc ipsa Pii Prædecessoris Constitutio, propter nimiam corruptelam, minime postea sit eum, quem decuit, effectum consecuta: Nos volentes omnino in Alma Urbe nostra, ita justitiæ debito ab omnibus satisfieri, ut perpetua subditis nostris quies & salus inde pariatur, & cæteris præbeatur exemplum, Constitutionem prædictam exacte ab omnibus, & omni tempore præcipimus observari. Mandantes Gubernatori, Magistratibus, judicibus, & executoribus dictæ urbis, ac cæteris omnibus, ad quos spectat, ut gratia & favore postpositis illam, & contenta in ea quæcunque omnino exequantur, ac pœnis in ipsa propositis supradictos, & quosvis inobedientes, & contrafacientes juxta illius tenorem afficiant: & alioqui in prohibendis usque quaque his incommodis invigilent, si nostram & Apostolicæ Sedis ultionem voluerint evitare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum præcepti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, septuagesimo tertio, Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Ac postmodum san. mem. Sixtus PP. V. similiter Prædecessor noster, in speciali Constitutione, quæ incipit: Hoc nostro Pontificatus initio; inter cætera per eum disposita pro felici gubernio, quiete & tranquillitate hujus Almæ Urbis Constitutionem prænarrati Gregorii innovaverit, ac pœnam læsæ Majestatis per prædictum Pium Prædecessorem appositam, ad verum ac nulla juris aut hominis fictione confictum reatum ampliaverit, & delinquentes in idem verum crimen læsæ Majestatis incurrisse decreverit, & declaraverit, sub datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, octuagesimo quinto, Kalend. Julii, Pontificatus sui anno primo. Cumque etiam iidem, & alii Romani Pontifices, itidem Prædecessores nostri, singulis annis Bullam in die Cœnæ Domini publicare consueverint, in qua inter alia in §. 20. excommunicarunt, & anathematizarunt omnes illos, qui per se, seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare & detinere præsumpsissent, in totum vel in partem hanc Almam Urbem, cæteraque loca in eadem Bulla expressa, ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, nec non supremam jurisdictionem in illis Romano Pontifici, ac eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpassent, perturbassent, retinuissent, vel aliis modis vexassent, nec non adhærentes, fautores & defensores eorum, qui illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstitissent. Nosque etiam singulis annis eandem Bullam publicari jusserimus ac fecerimus. Et cum ab ipso nostri Pontificatus initio cordi nostro semper infixa fuerit supra memoratarum Constitutionum observantia verbo & factis per Prædecessores nostros omni tempore studiose promota, eorundem vestigia sectantes, & signanter fel, rec. Urbani P. P. VIII. qui in exordio sui Pontificatus, videlicet die 5. Jan. 1626. peculiare edictum ad tranquillitatem & quietem hujus Almæ Urbis per ejusdem urbis tunc Gubernatorem promulgari mandavit, & successive die 15. Novembris, 1634. idem edictum speciali suo chirographo declaravit. Nosque pariter alia duo similia edicta ob easdem causas, unum sub die 26. Novembris, 1677. & alterum sub die 22. Februarii 1680. per nostrum urbis Gubernatorem publicari mandaverimus, quorum dispositionem in omnibus, & per omnia in suo robore permanere volumus. Hinc est, quod Nos abominabile, & detestandum franchitiarum nomen, quæ vulgo dicuntur quartieri, contra omne jus fasque usurpatum, penitus abolere, nec non dictarum constitutionum majori, & firmiori, ac inviolabili observantiæ, & executioni consulere volentes, motu nostro proprio, & ex nostra scientia, meraque deliberatione, nec non etiam de Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & assensu, ac præmatura consideratione præhabita, præinsertas Constitutiones supradictorum Julii, Pii, Gregorii ac Sixti, aliorumque Prædecessorum nostrorum innovamus, confirmamus, approbamus, & Apostolica autoritate tenore præsentium roboramus in omnibus & per omnia, ac etiam, quatenus opus sit, de novo disponimus, decernimus, ac perpetuo & inviolabiliter exequi volumus & mandamus. Ac insuper inhærendo etiam prædictæ bullæ in Cœna Domini, quæ firma, & illibata, ac in suo robore permaneat, omnes & singulos in prædictis Constitutionibus comprehensos, quacunque dignitate & autoritate tam Ecclesiastica quam seculari præfulgentes, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua mentio

mentio facienda esset, qui in futurum in hac Alma Urbe franchitias, quæ ut vulgo dicuntur quartieri, habere & tueri, quomodocunque præsument, seu prætendent, aut illarum prætextu, aut alias quomodolibet justitiæ Ministros, & eorum mandatorum vel ordinum liberam executionem tam in criminalibus, quam in civilibus impedire, perturbare, sive per se, sive per alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore, tentabunt, vel eisdem constitutionibus ad unguem non parebunt, prout etiam illos, qui in eadem loca contra easdem constitutiones se recipient, sive ad ea confugient, ultra pœnas in eisdem Constitutionibus contentas, in excommunicationis majoris, ac latæ sententiæ pœnam, ipso facto incidere, a qua non per alium, quam per Nos, seu Romanos Pontifices, Successores nostros, pro tempore existentes, nisi in mortis articulo ipsi fuerint constituti, etiam prætextu quarumlibet facultatum & indultorum, concessorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, etiam speciali nota & expressione dignis secularibus, & quorumcunque ordinum regularibus absolvi possint, decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, & indultis, sub quacunque verborum forma quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, prætensis consuetudinibus, sive potius corruptelis, contra omne jus fasque quomodolibet introductis, quas per præsentes improbamus, annullamus, cassamus atque irritamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præsentes ad notitiam omnium & singulorum deducantur, eas valvis Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ affigi mandamus, ut nullus possit exinde excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis, innovationis, confirmationis, approbationis, roboris, dispositionis, decreti, exequutionis, mandati, declarationis, improbationis annullationis, cassationis, & irritationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, quarto Idus Maji, Pontificatus nostri anno undecimo.

† Ego Innocentius, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. (L. S.)

† Ego Nicolaus, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Ludovisius Decanus.

† Ego Alderanus, Episcopus Portuensis, Cardinalis Cybo.

† Ego Petrus, Episcopus Tusculanus Cardinalis Otthobonus.

† Ego Carolus, Episcopus Sabinensis, Cardinalis Pius.

† Ego Flavius, Episcopus Albanensis, Cardinalis Chisius.

†

† Ego Carolus, Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.

† Ego Decius, tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Azzolinus.

† Ego Jacobus, Tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Franzonus.

†

† Ego Paluzius, Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.

†

†

†

†

†

†

† Ego Gaspar, Tit. S. Sylvestri de Capite, Presbyter Cardinalis Carpineus.

†

†

†

† Ego Federicus, Tituli S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis Columna.

† Ego Franciscus, Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.

† Ego Hieronymus, Tit. SS. Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Casanate.

† Ego Alexander, Tituli S. Priscæ Presbyter Cardinalis Crescentius.

† Ego Galeatius, Tit. SS. Quirici & Julitæ Presbyter Cardinalis Marescottus.

†

† Ego F. Philippus Thomas Howard, Tit. S. Mariæ super Minervam Card. de Norfolcia.

† Ego Jo. Baptista Spinula, Tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ.

†

†

†

† Ego F. Raymundus, Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis Capisuccus.

† Ego F. Laurentius Brancatus, Basilicæ duodecim Apostolorum Presb. Card. de Laurea.

† Ego Jacobus, Tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis de Angelis.

†

†

†

†

†

† Ego Horatius, Tit S. Laurentii in Pane & Perna Presbyter Card. Matthæius.

† Ego Marcus Antonius, Tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis Barbadicus.

†

†

†

†

†

† Ego Casimirus, Tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyter Card. Denhoff.

† Ego Leander, Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Coloredus.

†

†

†

†

†

† Ego

† Ego Felix, S. Agathæ, Diaconus Cardinalis Rospigliosius.

†

†

† Ego Benedictus, S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Pamphilius.

† Ego Dominicus Maria, S. Eustachii Diaconus Cardinalis Cursius.

† Ego Jo. Franciscus, Sancti Cæsarei Diaconus Cardinalis Nigronus.

† Ego Fulvius, S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Astallius.

† Ego Gaspar, S. Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Cavaleriis.

† Ego Jo. Gualterus S. Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Slusius.

†

†

†

Loco † Plumbi
J. G. Card. Slusius
F. Datarius

Visa de Curia S. de Pilastris
D. Ciampinus.

Registrata in Segretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini nostri JEsu Christi, millesimo sexcentesimo octuagesimo semptimo, Indictione decima, die vero 14. Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papæ XI. anno ejus undecimo, præsentes literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranens. Basilicæ, Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, & alia loca solita, & consueta Urbis per me Thomam Orlandum SS. D. N. Papæ Curs.

Jo. Baptista Faina Mag. Curs.

X.

Diploma Collegii Inquisitorum hæreticæ pravitatis, quo libera quorumcumque hæreticorum, aut aliorum librorum lectio conceditur, d. d. 16. Septembris, Anno 1708.

EManuel Theodosius, Episcopus Ostiensis, Bullionius, Nicolaus Episcopus Portuens. Acciajolus, Gaspar Episcopus Sabinens. Carpineus, Galitius Tit. S. Praxedis Marescottus, Fabritius Tit. S. Chrisogoni, Spada, Banclius Tit. S. Pancratii Panciaricus, Franciscus, Tit. S. Sabinæ Judiæ, J. Thomas Maria Tit. S. Clementis Ferrarius, Fabritius Tit. S. Joannis & Pauli Paolutius, Sporellus Tit. S. Joannis ante portam Latinam de Sperellis, Joannes Maria Tit. S. Pudentianæ Gabellius, Carolus Augustinus Tit. S. Augustini, Fabronus Presbyteri, & Petra S. S. Laurentii, & Damas. Otthobonus Diaconus, miseratione Divina S. R. E. Cardinales, in tota Republ. Christiana contra hæreticam pravitatem generales Inquisitores a S. Sede Apostolica specialiter deputati. Dilecto Nobis in Christo I. N. A. S. R. I. N. de Q. in Germania commoranti, salutem in Domino sempiternam. Cum in congregatione generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Majorem, coram Sanctissimo D. N. D. Clemente, divina Providentia Papa undecimo, ac Nobis die infra scripta nomine tuo supplicatum fuerit, ut omnes & quoscunque prohibitos libros legendi, & retinendi licentiam tibi concedere dignaremur. Nos tuis in hac parte supplicationibus annuentes, ac de tua doctrina ac pietate, atque in Catholicam fidem sinceritate, quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, in Domino confisi, autoritate Apostolica Nobis concessa, tibi, ut omnes, & quoscunque hæreticorum, aut alios quomodolibet prohibitos libros, etiam in Indice Romano librorum prohibitorum damnatos, dummodo ex professo de Religione non tractent (exceptis tamen Caroli Molinei & Nicolai Machiavelli operibus, ac libris de Astrologia judiciaria tractantibus) secreto, & per te ipsum, tantum, ac sine aliorum scandalo, aut periculo, absque censurarum & pœnarum incursu, in Germania duntaxat, & non alibi legere, & retinere libere, ac licite possis, & valeas, licentiam ad quinquennium proxime futurum, ab infra scripta data incipiendo sollummodo duraturam, tenore præsentium damus, concedimus, atque impartimur, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Injuncto tamen tibi, ut tam præsentium literarum exemplum, quam librorum prohibitorum prædictorum, quos hujusmodi nostræ facultatis vigore leges, aut retinebis, notam quamprimum exhibeas, ordinario loci Catholico, ubi moraberis, ut tempore hujus facultatis elapso, vel post obitum tuum, si te interim forsan ex hac vita migrare contigerit, libri prædicti ei consignentur, ut provideat diligenter, ne ad aliorum manus deveniant; sed tradantur igni comburenti. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, ac testimonium, præsentes literas gratis expeditas, per infra scriptum nostrum, & dictæ sanctæ Inquisitionis Notarium, & manibus nostris subscriptas, sigilli ejusdem sanctæ Inquisitionis, quo in talibus utimur, jussimus & fecimus impressione muniri. Datum Romæ, in congregatione generali præfatæ Sanctæ Inquisitionis, hac die 16. Septembris, Anno a Nativitate Domini nostri JEsu Christi millesimo septingentesimo octavo, Pontificatus autem Sanctissimi Domini nostri Papæ prædicti, anno ejus octavo.



G. Cardinalis Marescottus.
F. Cardinalis Spada.
A. Cardinalis Judice.
D. M. M. Cardinalis S. Clementis.
C. A. Cardinalis Fabronus.
P. Cardinalis Otthobonus.

Joseph. Bartolus, S. Roman. & universalis Inquisitionis Not.

Reg. Fol. 4338.

AD PARTIS II. SECTIONEM II. De utriusque Siciliæ Regnis.

TOM. II. pag. 843.

I.

Privilegia atque Immunitates, a Rogerio, Siciliæ Rege, Messanensi Civitati die 15. Maji, An. 1129. concessæ.

IN nomine DEI æterni & Salvatoris nostri JEsu Christi, Amen. Rogerius, Divina favente Clementia, primus Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Optime statuit provida moderatione vetustas, ut sua recipiant præmia laborantes, præcipue qui publicis utilitatibus obsecundant, ne quis præteritus reputetur, qui probabili fuerat actione laudandus. Novimus itaque narratione scripturaque vetusta pariter & moderna, quot labores, damna, & prælia sustinuerit Nobilis & laudanda civitas Messanæ, & ejus cives, ut Christianum Dominium, expulsis Agarenis in Sicilia, præfulgeret. Nam magnificum quondam Patrem nostrum ad illam capessendam introduxerunt, ipsum ope & opere præiverunt cum maxima substantiæ & sanguinis effusione, in ipsa magnifici Patris nostri Dominium Siculis infidelibus fuit tranquilla serenitate pacatum, & Nobis etiam in cunctis necessitatibus suam ostendit virtutem. Propter quod debite obstringimur, ipsam civitatem, & cives antiquis prærogativis & honoribus præservare, nec minus de novo concedere, & in remunerationis præmium tribuere. Et quoniam authenticis scripturis indicantibus ea civitas velut Regni caput semper extitit præhonorata, non solum Romani & Græcorum Imperii tempore, sed etiam dum esset sub eisdem Agarenis oppressa: dignum arbitramur ideo, ut nunc, quod ejus labore juvante colitur, ibi sancta religio Christiana meritis, prærogativis, & immunitatibus extollatur. Igitur perpetuo statuimus, ut in eadem civitate sit in capite Regia Curia Principalis, in quaque sint Annales, Stratigotus, & judices Ordinarii tam Græci, quam Latini, ubi, & non alibi, in primis judiciis cives & habitatores Messanæ tam intra se, quam ab aliis conveniant & conveniantur, incusent & incusentur, tam de civilibus, quam de criminalibus, magnis & parvis, publicis & privatis, præter si status perversio tractaretur. Ex tunc si decreverit Mandatum Regium, per officiales hoc immane delictum puniatur ibidem. Qui Stratigotus de se vel ejus arbitrio nihil consequatur, nullamque capiat mercedem, pœnam, nec solutionem, nisi quantum judices, mediante justitia, mandabunt. Erit itaque solum justitiæ notabilis exequutor. Quæ Curia præsit omnibus civitatibus, terris & locis, quæ sunt a Leontino usque ad Pactas, & ipsarum habitatoribus, & ejus officiales visitent, & corripiant eosdem cives & habitatores, ipsorumque officiales. Et si civem Messanæ contigerit criminaliter incusari, in eodem judicio comparere juret, sine malitia incusare, incusationem prosequatur usque ad sententiam & exequutionem, & quotiens ulterius prosequi noluerit, judicium protinus extinguatur. Quodque Sacci Regii Quæstor nec aliquis officialis Regius contra ipsos cives & habitatores causas moveat, nec motas accipiat, ubi lis & accusatio est particularium, vel esse debet, sed si ex commissis per eos aliquid Regio competat Sacco, illud juridice exigatur in Curia supra dicta, postquam fuerit per ultimam sententiam judicatum, quodque solus audiatur incusans, qui suam vel suorum prosequetur injuriam. Statuimus etiam, quod ibidem & in ipsos cives ubique perpetuo justitia præservetur, ita quod non sit locus injustitiæ, nec acceptatio personarum. Etiam si Regia potestas seu persona, vel ejus officialis auctoritatis cujuscunque, litigaverit cum cive vel habitatore Messanæ, nullius favore Legis neque privilegii præponatur, sed justitia communiter ministretur, & a suo prædicto foro non possit illum extrahere, aut alibi conveniat illum vel incuset. Et si Regium prætorium aut alius officialis civem vel habitatorem Messanæ incusaverit pro re quacunque in judicio, & succubuerit, sibi damna resarciat & expensas; & si fuerit de crimine, ea lugeat pœna, quam meruisset incusatus. Adjicimus etiam, quod Regia autoritas non utatur ibidem nec contra eosdem absoluta potestate, sed legibus ordinata, quam ex nunc legibus & justitia moderamus. Quodque nunquam fiat ordinatio, mandatum, vel scriptura, quæ sit contra jus, statuta, constitutiones, mores, consuetudines & privilegia dictæ civitatis, & si fieri contingat nulli exequutioni mandetur, donec fuerit per justitiam moderatum, nec unquam in eadem novi statuantur officiales, seu de novo, & omnes officiales, statuendi a Regia Serenitate, sive ad vitam, ad tempus, vel ad beneplacitum, pro quacunque jurisdictione vel exercitio, sint cives ejusdem non suspecti, nec infesti populo aut molesti. Insuper quod omnes civitates & loca, quæ sunt a Leontino usque ad Pactas, jurare teneantur manutenere honorem Messanæ, pro qua & civium vindicta ad ejusdem civitatis mandatum facere teneantur armatam per mare vel terra, exequendo, quæ eis dicta civitas mandabit, Regia fidelitate præsalva. Et quia caput est Regni & Regiam continet potestatem, ordinamus, quod Rex, qui fuerit ad tempus, ad ipsius civitatis honorem semper sit & reputetur civis coronatus in eadem. In qua Regia status Regni & regiminis omnia conserventur exempla, sitque præ aliis Regni civitatibus honorata, & in Regiis aliisque convocationibus & Synodis Sedem primam & locum primum obtineat principalem. In qua etiam totius dominii nostri

nostri pecunia, aurea, argentea, & ærea cudatur, & Officiales Siclæ ipsius cognoscant de qualitate & pondere ipsius monetæ, quæ per omne Regni Dominium expendetur. Decernimus præterea, quod præsint in eadem curia maris Consules per navigiorum primates & mercatores eligendi, qui cognoscant de marinis negotiis, quibusvis mercantiis & earum naturam sapientibus. Qui Consules de usibus marinis et modo regendi Curiam valeant capitula statuere. Volumus etiam, quod, ubicunque mercatores navigiorum Dominio civitatis prædictæ fuerint adunati, e tribus unum possint Consulem eligere, et statuere confirmandum per Consules antedictos. Qui Consul et nullus alius infra Regium Dominium audiat, cognoscat, et decidat causas ipsorum civium quascunque, magnas et parvas, civiles et criminales, et quod nullus alius Officialis audeat manus in causis iisdem immittere, nec contra dictos cives & eorum bona aliquid intentare. Si vero causa fuerit de crimine, vel a solidis aureis viginti ultra, & dictus civis elegerit causam suam in eadem civitate tractari, quod caute coram eodem Consule secundum quantitatem negotii & personæ, ipsum ad dictam civitatem litigaturum transmittat, & si crimen tale fuerit, sub fida custodia & diligentia. Coram vero Consule, per eosdem extra nostrum Dominium eligendo, omnes de nostra & Successorum nostrorum potestate se conveniant & accusent, & conveniantur & incusentur, & non alibi. Nec aliquis de subditis Regis Siciliæ extra dictum Dominium valeat Consulem eligere, nec statuere. Nam hoc præmium eidem civitati concessimus ad ejus honorem. Præterea cives & habitatores prædictos liberos facimus perpetuo per totum nostrum Dominium, quod nunc habemus, & favore Divino Nos, vel cæteri Siciliæ Reges habebunt in posterum de omnibus & singulis gabellis, dohanis, & aliis solutionibus quibuscunque, tam de magnis rebus & mercibus, quam de parvis, mobilibus & stabilibus in mari & in terra, tam in terris Regiis, quam in Ducalibus, Ecclesiasticis, Comitum & Baronum. Adjungimus etiam, quod nullo unquam tempore in eadem civitate, & extra, per suas Villas & rura, quæ sunt a rupe Agro usque ad Babusium inclusive, tallia, collecta, angaria, perangaria, echioma, gabella, mutuum extorsio jaciatur, imponatur, nec colligatur, etiamsi Rex quacunque necessitate productus contra Regni statuta, vel secundum collectaret, peteret, aut cæteros cogeret, pro re quantacunque necessaria, liberi sint, dum causaverint, seu convenerint a trino pro cento, proque rebus communibus & publicis, ac negotiis civitatis, nec ad Regii epistagmatis jura nec exemplorum cogantur solutionem, & nunquam ullo tempore gabella de novo, nec impositio quomodolibet apponatur in rebus quibuscunque, nec mercibus, tam in rebus, quæ fuerint in civitate, quam quæ portantur ab extra, etiamsi essent res inventæ de novo. Mineræ, aquæ & similia, quæ in locis civium inveniuntur, sint civium ipsorum, præter eas, quæ in præsidiis Regiis, concessis ipsis civibus, reperientur. Præterea quod per omnia maria piscari valeant absque aliqua solutione, & quod ipsorum necessaria capere possint a terrenis litoribusque propinquis, nec minus pro usu ipsorum ligna capere vel capi facere a nemore quocunque, & pro navigiis ipsorum civium construendis, aut reparandis, nulla solutione præeunte. Addimus etiam, quod nullus civis Messanæ ad stolum vel armatam quamcunque regalem, nec alias per mare seu terram ire cogatur invitus, præter ad hoc opus munere, aut stipendiis sublimatus. Civis vetus erit, & velut oriundus tractabitur, qui illic per annum, mensem, hebdomadam, & diem habitaverit, nec alibi domicilium habuerit. Et quoties statuetur exercitus, aut stolus in eadem civitate, & ex eisdem civibus armetur galea, cum qua Regia persona transfretabit; Quæ galea cum signis Regiis & civitatis ab omnibus aliis honorabitur & præponetur. Cum pro statu civitatis Consilium celebrabitur, Stratigotus, Judices, cæteri officiales & cives vocati adire & consulere teneantur. Civis recusans, si non fuerit excusatus juste, per Consilium mulctetur, sed pœna solidum auri non excedat. Jubemus, quod cives Messanæ, & ab eis descendentes, qui extra Civitatem prædictam habitaverint, gaudeant eis immunitatibus, & exemptionibus, & prærogativis, quibus intus civitatem commorantes, quoties ejusdem civitatis se voluerint titulo prætueri. Decrevimus etiam, quod omnes exteri tam Nobis & nostris Successoribus subditi, quam non, ibidem ea libertate tractentur, tam in dohana, quam in aliis Regiis juribus, qua cives & habitatores eosdem in suis patriis tractaverunt. Supra dictis immunitatibus & gratiis gaudebunt Judæi simul cum Christianis. Cives eosdem volumus in Regiis officiis majoribus & aliis promoveri. Regium Consilium continuo ipsorum civium consultatione muniri. Demum præcipimus & mandamus omnibus Successoribus nostris, quod præsens nostrum exemplar eidem civitati, & civibus observent, & perpetua firmitate custodiant, faciantque ab universis effectualiter observari. Datum est hoc exemplar originale de nostri mandato Petro de Camuglia, Aloysio de Trano militibus, Johanni de Columna Juristæ, & Philippo de Bursa Philosopho, Syndicis dictæ civitatis, per Jacobum de Mariscalco, militem de Messana, in lingva græca atque latina peritum, nostrarum scripturarum correctorem, in Urbe Panhormi felici, in solemnitate nostræ coronationis, die quintodecimo Maji, sub Anno incarnati verbi MCXXIX. astantibus Reverendis Domino Rogerio Beneventano, Johanne Salernitano & Philippo Capuano, Præsulibus, Ricardo Gaëtano Duce Salerni, Anselmo Piperio Comite de Sancta Flore, Petro de Sancto Severo, Domino Marturani, & quamplurimis aliis.

II.

Wilielmi, Siciliæ Regis, Privilegiorum atque Immunitatum a Rogerio, Siciliæ Rege, Civitati Messanensi, die 15. Maji An. 1129. indultarum confirmatio, d. d. 20. Aug. An. 1160.

IN nomine DEI æterni & Salvatoris nostri JEsu CHristi Amen. Wilielmus, Divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Condignum arbitramur, nostrorum subdi-

ſubditorum quæ virtutibus acquiſiverunt, augendo confirmare. Fecimus itaque Meſſanenſibus privilegium, concedens eis aliquas gratias ſpeciales, datum in urbe felici Panhormi per manus Riccardi Syracuſani Electi anno Dominicæ Incarnationis MCLX. menſe Maji. Indictione IX. Dumque Meſſanæ perſonaliter eſſemus, ex parte univerſorum hominum civitatis ipſius fuit Nobis exhibitum exemplar Originale Magnifici Domini patris noſtri, requieſcentis in pace, datum in urbe prædicta Panhormi, die XV. Maji ſub anno Incarnati Verbi MCXXIX. in ſolemnitate coronationis ejusdem, aliaque Romanorum chirographa, per quæ plene accepimus, iſtam civitatem ulteriora mereri, quam ſibi noſtra munificentia fuit largita. Certi propterea cives ipſos, cum opus fuerit, Nobis ſimilia præſtituros, ante noſtra lumina diſcernentes, quæ pro noſtra magnitudine præſtiterunt, atque præſtare non deſinunt, eisdem civibus & civitati propter eorum merita, omnia & ſingula privilegia, gratias & munera, prædictæ civitati conceſſas, præcipue dictum privilegium in exemplari originali contentum excellentis Domini patris noſtri, ut jacet, per Nos inſpectum atque viſum, confirmamus, roboramus, ipſisque ex Nobis concedimus de novo, proque civium ipſorum meritis una cum infra ponendis gratiis elargimur. Cui civitati et civibus etiam libertatem, in dicto privilegio declaratam, ſpecifice in Sancta urbe Hieruſalem omnibus et ſingulis, aliis civitatibus, terris, et locis Agarenorum, et aliorum infidelium quas Nobis ſubjecimus, et Domini brachio ſubjiciemus, etiam in civitate Acri, concedimus, damus, & volumus obſervari, in quibus dicti cives logias ubicunque voluerint ædificare, Conſulem ſtatuere, cum plena auctoritate, velut in eodem privilegio declaratur. Si vero Curiæ fuerit ſolum, nihil ſolvant; ſi privatum, a Dominis emant illud volentibus alienare, ita quod per exceſſivum logiæ ædificium loci non deformetur aſpectus. Portus & portas omnes noſtri domanii & Dominii præſentis & futuri, Eccleſiarum, Comitum, & Baronum, pro victualibus, aliisque comeſtibilibus pro uſu civium & civitatis ipſius eidem concedimus civitati, cum omni mera libertate, & illa, quam de aliis mercibus & rebus habent, ſecundum dictamen ſupra dicti privilegii. Nec ad impoſitionem aliquam forſan ſuper iisdem victualibus & comeſtibilibus per Univerſitates, Prælatos, Comites, aut Barones addictam teneantur, vel ſolvere cogantur. Ad hujus autem conceſſionis & munificentiæ noſtræ memoriam ac perpetuo ſtabile firmamentum præſens hoc privilegium noſtrum per manus Matthæi, noſtri Notarii, ſcribi juſſimus, noſtroque quo utimur epiſtagmate roboratum. Datum in eadem Civitate Meſſanæ per manus Riccardi Syracuſani electi, anno Dominicæ Incarnationis MCLX. vigeſimo Auguſti, indictione IX. Regno vero Domini Wilielmi, DEI gratia magnifici & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno XI. feliciter. Amen.

AD

PARTIS II.

SECTIONEM V.

De Equeſtri S. Johannis Hieroſolymitani ordine.

TOM. II. pag. 1635.

I.

Sedis Apoſtolicæ Donationis a Carolo V. Rom. Imperatore atque Siciliæ Rege, Religioni S. Johannis Hieroſolymitani ſuper conceſſione Inſularum Melitæ atque Gaulos, nec non Tripolitanæ arcis, Kal. Maji An. 1537. factæ, confirmatio.

FRater Joannes Leveſque de la Caſſiere, DEI gratia Sacræ domus Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani Magiſtri humilis, pauperumque JEſu CHriſti cuſtos. Univerſis & ſingulis, præſentes noſtras literas viſuris, lecturis & audituris, ſalutem. Notum facimus & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter infraſcriptæ literæ Apoſtolicæ, ſive Bullæ extractæ fuerunt ex Regiſtro Bullarum, in noſtra Cancellaria conſervato, quas in hanc publicam formam redigi & extrahi juſſimus, ut ubique, tam in judicio, quam extra, eisdem adhibeatur plena & indubitata fides, quarum literarum tenor eſt qui ſequitur, videlicet: Clemens Epiſcopus, Servus ſervorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Etſi ex ſollicitudinis debito Paſtoralis, ſub Religionis habitu divino ſamulantibus quibuslibet, in iis præcipue, per quæ eorum profectibus conſulatur, Nos favorabiles eſſe deceat, atque benignos, fratrum tamen Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, qui Crucis mirificæ ſuſcepto ſignaculo circa fidei orthodoxæ tuitionem nullis laboribus nullisve corporis parcendo periculis, contra Chriſti nominis hoſtes continue pugnare non formidant, Religionem floridam paternis contemplantes affectibus, pro eorum proſpero ſtatu, commodo, & quiete tanto curioſius manus operarias ſalutaris proviſionis adhibemus, quanto ex illius adverſitate futuris eventibus periculoſior Chriſtiano cœtui inferri poſſit perplexitas, & circa donationem Imperialem, pro maris tuitione eis factam, ſtatuta provide & ordinata circa hoc Apoſtolico munimine roborando, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane ſicut Nobis plene innotuit nuper, cum chariſſimus in Chriſto Nobis filius noſter, Carolus Quintus, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, qui etiam Siciliæ Rex exiſtit, pro ſua munificentia & pietate, ac Religionum Hoſpitalis prædicti

dicti devotione, ne dilecti filii, Philippus de Villers Lisleadam, Magister & Conventus ipsius Hospitalis, qui superioribus annis, expugnata per Turcas, Sanctissimi nominis Christi nephandissimos hostes, vi & armis Insula Rhodi, olim ejusdem Hospitalis, Insulam ipsam relinquere coacti fuerunt, amplius per alienas sedes vagari contingeret, sed pro vetusto eorum more, & laudabili consuetudine, locum, ubi contra ipsos fidei hostes præsertim classe maritima arma exercere possent, obtinerent, eisdem Hospitali, ac Philippo Magistro, & Conventui Civitates, castra & Insulas Tripolis, Meliveti & Gaudisii in feudum perpetuum, nobile, liberum & francum sub conditionibus justis, quas pro earum inviolabili observatione per ipsos & Magistrum, & Conventum in statuta & stabilimenta perpetua redigi voluit & mandavit per suas authenticas literas, manu ipsius Caroli Imperatoris subscriptas, & illius sigillo, quo in Regno suo superioris Siciliæ utitur, munitas, sub data 13. vigesima tertia mensis Martii proxime præteriti, donasset & concessisset Philippus Magister & Conventus præfati, ac Bajulivi, Priores, Præceptores, & fratres dicti Hospitalis in unum, loco & more solitis, in Civitate Siracusarum die XXV. mensis Aprilis proxime præteriti congregati, & inibi completum Consilium, in vim generalis Capituli, celebrantes, visis & perlectis concessione, & donatione, & literis Caroli Imperatoris, hujusmodi donationem ipsam, invicem inter eos habito maturo & deliberato consilio, de eorum certa scientia acceptantes & approbantes, ac promissis stare volentes sanxerunt, statuerunt, stabilierunt, & ordinarunt, quod Magister pro tempore existens dicti Hospitalis & præfati Conventus hujusmodi feudum ab ipso Carolo Imperatore, tanquam Rege Siciliæ, & ipsius Successoribus in eodem Regno pro tempore regnantibus sub censu dumtaxat unius Falconis, seu Accipitris, quolibet anno in die celebritatis omnium sanctorum per personam, seu personas ad id sufficienti mandato suffultas, in manibus Vice-Regis, seu Locumtenentis, qui tunc ipsius Regni Siciliæ administrationem & regimen obtineret, in signum veræ recognitionis dicti feudi præsentandi recognoscere deberent, & tenerentur, ac mediante censu præfato immunes ac exempti remanerent, & esse censerent a quocunque alio militari servitio de jure debito, & per vasallos præstari solito, ejusque feudi Investitura in quemlibet novæ successionis casum renovari, & experiri deberet, juxta dispositionem Juris communis, ac pro tempore existens Magister Hospitalis hujusmodi pro se & universo Ordine in hujusmodi recognitione, & investitura juramentum, quod ex hujusmodi Civitatibus, castris, locis, & Insulis non patietur, nec permittet fieri damnum, aut præjudicium, vel offensa Regnis, Dominiis, & subditis ipsius Caroli Imperatoris, ejusve in dicto Regno Successorum, per mare, seu per terram, nec auxilium, seu favorem præstare iis damnum inferenti, seu inferre volenti, sed potius omni conatu id avertere curabunt. Et si quispiam ex subditis dicti Regni Siciliæ, reus criminis capitalis, seu de tali crimine inculpatus se absentaverit, & ad hujusmodi Insulas & loca infeudata aufugerit, dum pro parte Vice-Regis dicti Regni, pro tempore existentis, requisiti forent, deberent & tenerentur taliter aufugientes expellere, ac penitus ejicere, exceptis tamen illis, qui aut læsæ Majestatis, aut hæresis rei dicerentur, quos non ejicere, sed ad omnem ipsius Vice-Regis requisitionem capere, atque captivos eidem Vice-Regi remittere tenerentur, quodque jus patronatus Ecclesiæ Melivetanensis remaneat, prout est, dispositioni & præsentationi ipsius Caroli Imperatoris & suorum in Regno Siciliæ Successorum, ita tamen, quod post obitum dilecti filii, Balthasaris Malckink, ipsius Caroli Imperatoris Vice-Cancellarii, ad eandem Ecclesiam novissime præsentati, seu in quemcumque alium vacationis casum, deinceps sequuturum, Magister & Conventus præfati haberent nominare Vice-Regi dicti Regni Siciliæ tres personas ejusdem Hospitalis Caroli Imperatoris, seu suorum in dicto Siciliæ ulterioris Regno Successorum prædictorum idoneos & sufficientes ad ipsam pontificalem dignitatem exercendam. Ex quibus tribus sic nominandis Carolus Imperator, seu ejus in dicto Regno Successores presentent & præsentare deberent ad dictam Ecclesiam eum, quem idoniorem judicarent. Cui quidem promoto tenerentur Magister & Conventus præfati magnam crucem concedere, ac eum ad Consilium dicti Ordinis cum Prioribus & Bajulivis admittere. Et insuper, cum Admiratus ipsius Religionis ex lingua & natione Italica esse debeat, congruumque censeretur, ut hic, qui ejus vices geret, dum absentiæ seu impedimenti locus occurrerit, si æque idoneus reperiretur, ejusdem linguæ ac nationis existat. Stabilieruntque, quod haberetur deinceps ratio, ut data paritate idoneitatis hic potius ad id munus eligi deberet, qui ejusdem nationis & linguæ idoneus judicaretur, aut alias talis sit, qui officium suum exerceret, nullique suspectus censeretur. Quæ quidem tua superius descripta statuta, & stabilimenta, ac omnia & singula in eisdem, ac etiam in dictis literis Caroli Imperatoris præfati contenta, præfati Magister, Bajulivi, Priores, Præceptores & fratres ad id legitime & more solito Consilium completum in vim Capituli congregati, ex eorum mera, pura & libera voluntate, communi suffragio, nemine discrepante, pro vetusto, & consueto eorum more & consuetudine, manibus super crucem habitus impositis, solemniter promiserunt & jurarunt pro se & successoribus suis, inviolabiliter observare, tenere & custodire, ac ab aliis custodiri perpetuo facere & mandare, sicut, ac prout præmissa omnia & singula in dictis tribus capitulis, statutis, & literis continentur, præcipientes universis, & singulis dicti Hospitalis fratribus, quacunque autoritate, dignitate, officioque fungentibus, præsentibus & futuris, in virtute sanctæ obedientiæ, ne contra decretum constitutionum, approbationum & sanctionum hujusmodi aliquatenus facere, vel venire præsumerent, sed eas inviolabiliter observare studerent, prout in Caroli Imperatoris, ac Magistri & Conventus literis hujusmodi dicitur, & plenius continetur. Cum autem sicut Nos, qui in minoribus constituti Religionem ipsam professi fuimus, & illius protectionem ad Cardinalatus honorem electi suscepimus, plene novimus juxta formam & tenorem statutorum, & stabilimentorum dicti Hospitalis similia statuta, & stabilimenta perpetua aliter quam in supremo & complemento ejusdem Religionis generalis Capituli fieri nequeant. Nos qui eandem Religionem, specialis dilectionis affectu, ex visceribus charitatis prosequimur, & prosequuturi

dentes, Capitulum generale tunc celebrasse; & ne propterea per ipsos Magi-
iventum, ut præfertur, statuta, & stabi-
iam tempore infringi possint, sed ut ve-
it roboris firmitatem, providere, ac co-
gistri & Conventus commoditati super
consulere volentes, ipsosque Magistrum
n, ac eorum singulos a quibusvis excom-
, suspensionis & aliis pœnis, a jure vel ab
is occasione vel causa latis, si quibus quo-
nnodati existunt ad effectum dumtaxat
rum, sive absolventes, & absolutos fore
lec non singularum literarum prædicta-
s tenores, ac si de verbo ad verbum in-
o sufficienter expressis habentes, motu
ad ipsorum Magistri & Conventus, vel
r hoc Nobis oblatæ petitionis instan-
nostra mera deliberatione, & ex certa
Apostolicæ potestatis plenitudine per
Conventum præfatos ut præfertur, sta-
a, & ordinata, ac desuper confectas lite-
li, nec non omnia & singula in eis con-
sequuta quæcunque, auctoritate Aposto-
ræsentium approbamus, illisque perpe-
robur adjicere, nec non celebrationis
eralis, omnesque & singulos alios juris
lemnitatum forsan omissarum defectus,
intervenerint, in eisdem supplemus;
vim validi contractus inter Carolum
, ac Magistrum & Conventum præfa-
e perpetui obtinere & inviolabiliter per
& pro tempore existentem Magistrum &
ac Bajulivos, Priores, præceptores, &
italis hujusmodi observari, & sic per
judices & Commissarios, quavis aucto-
ites, etiam causarum Palatii Apostolici
blata eis & eorum cuilibet aliter judi-
pretandi facultate & auctoritate, judi-
retari debere, ac quicquid secus super
n quavis auctoritate, scienter, vel igno-
erit attemptari, irritum, & inane de-
Quocirca venerabilibus Judicibus no-
asi & Panormitano Archiepiscopis &
piscopo per Apostolica scripta man-
nus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per
seu alios præsentes literas, & in eis
unque, ubi, & quando opus fuerit, ac
parte pro tempore existentis Magistri
seu alicujus prædictorum desuper fue-
olemniter publicantes, eisque in præ-
defensionis præsidio assistentes, faciant
stra præsentes literas & in eis conten-
firmiter observari, ac singulos, quos
concernunt, illis pacifice gaudere, non
eos desuper contra præsentium teno-
libet molestari, contradictores quos-
per censuras & pœnas ecclesiasticas,
stposita, compescendo; Invocato et-
pus fuerit, auxilio bracchii secularis,
s constitutionibus & ordinationibus
dicti Hospitalis Juramento, confir-
olica, vel quavis firmitate alia robo-
is, statutis, usibus & naturis, nec non
itis & literis Apostolicis, eidem Ho-
ro pro tempore existenti, & Conventui præfatis quoscunque Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam etiam ad instantiam Imperatoris, Regum & aliorum Principum, ac etiam motu & scientia similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscunque tenoribus & formis tam sub plumbo, quam in forma Brevis, etiam per modum statuti perpetuo ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque, & aliis etiam vim Contractus inducentibus decretis, ac etiam quibusvis justissimis causis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, quibus etiam, quod illis nullatenus, aut etiam prætextu clausulæ implicite derogationis latissime extendendæ, aliasque in supplicationibus desuper signatis expressa fuerit, ac modo & forma in eis expressis derogari possit. Et si derogaretur, derogationes ipsæ & inde sequuta quæcunque nullius sint roboris, vel momenti, nec censeatur derogata, nisi derogatio ipsa eisdem Magistro & Conventui per trinas literas Apostolicas in forma Brevis cum certi temporis intervallo intimata fuerit; quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa mentio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hac forma in illis tradita, observata, inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, ac si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæq; loca, in quibus expediens foret, deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis dictarum literarum, manu Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus his adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, decreti, mandati, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, trigesimo septimo, Kal, Maji, Pontificatus nostri anno septimo. Pro Ju. Martinus di Ricennas, Jo. Molliner. A. de Maximis. C. Secretarius. R. Milanensis. A. de Castello. Procompere A. Cante. R. de Avula Rta in Camera Apostolica. Et quia ita se habet veritas, factaq; fideli cum originali ipsarum literarum collatione concordare comperimus; Ideo in hujus rei testimonium Bulla nostra Magistralis in cera nigra præsentibus est impressa. Datum Melitæ, in Conventu nostro, die vigesima octava mensis Julii, millesimo, quingentesimo, septuagesimo octavo.

Rta in Cancella.

Locus † Bullæ Magisterialis

Fr. Ludovicus Julius,

Secretarius Cancellariæ.

FINIS TOMI SECUNDI.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ in

Duobus Tomis

CODICIS ITALIÆ DIPLOMATICI

reperiuntur.

Anco-

Arre-

B. Ba-

B.

C.

cum

cum Leone X. P. M. adversus Gallos, aliosque Italiæ turbatores, A. 1521. init. I. 167. durissimæ conditiones, vigore quarum in Ligam sanctam A. 1526. conclusum recipiendus, I. 178. Civitati Tergestinæ literas protectoria, A. 1518. exhibet, I. 2497. civitatis Tergestinæ incolas, a Steurarum solutione in Carniolæ Ducatu, immunes esse habendos, A. 1518. rescribit. I. 2497. omnia Privilegia, a Romanis Imperatoribus Episcopo atque Communi civitatis Tergestinæ concessa, A. 1522. confirmat, I. 2499. Dominicum de Conradis ab Austria S. Rom. Imperii Nobilitate donat, A. 1532. I. 2241. Privilegia Genuensibus concessa confirmat, A. 1529. II. 2151. Familiæ Fliscanæ privilegia, A. 1524. & 1533. confirmat, II. 2473. 2475. Filium suum Philippum Hispan. Regem de Ducatu Mediolani investit, A. 1536. I. 531. Auream Bullam de Jure & ordine succedendi in Ducatum Mediolanensem edit, A. 1549. I. 535. Philippum II. Hispan. Regem de Ducatu Mediolanensi investit, ibid. cum pagis Helvetiæ Tigurin. Bernens. Lucernensi, Uraniens. Svitiens. Subsylvaniens. Tugiensi fœdus init. A. 1552. I. 537. Sabaudiæ Ducibus omnia Privilegia confirmat, A. 1521. I. 750. declarat, Episcopatum Burgensem sub & in Vicariatu Imperiali Ducum Sabaudiæ comprehendi, A. 1530. T. I. p. 758. Familiæ Sabaudicæ Privilegia Vicariatus extendit, A. 1555. I. 766. idem Florentinis Privilegium libertatis omnimodæ concedit. A. 1523. I. 1151. Carolo Emanueli I. Sabaudiæ Duci Privilegia Domus Sabaudicæ a Rudolpho II. Rom. Imp. non solum confirmantur, sed etiam augentur, A. 1588. I. 786. in causa Ducis Florentini pronuntiat, A. 1530. I. 1159. Rempublicam Florentinam a Banno Imperiali absolvit, & Alexandrum de Medicis, ejusque descendentes, Florentini Gubernii capita constituit, A. 1530. I. 1163. Cosmum de Medicis caput Florentiæ constituit, A. 1537. I. 1171. ejus interpositione discordiæ inter Clementem VII. P. M. & Alphonsum I. Ferrariæ Ducem componuntur A. 1531. I. 1663. Annam Marchionissam Tutricem, ejusque filium Bonifacium, Montisferrati Marchionem, de feudis regalibus investit, privilegiaque illi confirmat, A. 1522. I. 1414. Federicum, Mantuæ Ducem, ejusque conjugem Margaretham, natam Montisferrati Marchionissam hac conditione, si Johannes Georgius, Montisferrati Marchio, absque liberis decederet, de feudis Montferratensis Marchionatus eventualiter investit, & jus successionis ad fœminas A. 1532. extendit, I. 1418. in causa controversiæ successionis in Ducatu Montisferrati Federicum & Margaretham in possessionem immittendos esse, A. 1536. decernit, I. 1423

Carolus VI. Rom. Imp.

cum Galliæ atque Hispaniæ Regibus transigit de evacuando Catalauniæ Ducatu, & Armistitio in Italia stabiliendo, A. 1713. I. 262. fœdus quadruplex Londini A. 1718. cum Britanniæ & Galliæ Regibus concludit, I. 266. 302. Conditiones Pacis inter eum atque Hispaniæ Regem faciendæ; I. 267. 303. conditiones pacis inter eum Regemque Siciliæ sanciendæ, I. 272. 307. ejus Regna atque Provincias in unum omnes tutari volunt Potentiæ ipso fœdere quadruplici junctæ, I. 275. 310. Andreæ de Grimaldis, Januensi, Rochæ, Grimaldæ & vallis Urbarum locum in feudum confert, A. 1720. II. 207. eundem denuo investit, Vasallorumque Imperii Rom. immediatorum cœtui associat, A. 1722. II. 211. seq. ad Carolum, Comitem Borromæum, in causa sequestri, a Mediolani Ducatus tribunalibus, quibusdam Francisci Lercarii rebus impositi, rescribit, A. 1715. II. 1241. tanquam Rex Hispaniarum, apud Josephum Imperatorem pro Urbano, Comite Flisco, intercedit, ut ob Principis Spinolæ feloniam, Vergagni feudum apertum & devolutum, ipsi conferatur A. 1709. I. 2283. Feudum Vergagnum, ob commissum a Joh. Bapt. Spinola feloniæ crimen, Fisco Imperiali addictum, Urbano Flisco concedit, A. 1712. I. 2283. quampluribus aliis, a Jo. Bapt. Spinola possessis antea feudis, Urbanum Fliscum An. 1713. ditat, I. 2285. atque Comiti de Castelbarco, ut eundem in bonorum istorum possessionem immittat, committit, ibid. Antonium Mariam Fliscum An. 1714. investit, I. 2287. atque Hectorem Fliscum, A. 1721. I. 2293. Instrumentum Cessionis Jurium & prætensionum in Monarchiam Hispanicam, eique subjectas Italiæ Provincias. competentium, à Leopoldo Imperatore & Josepho, Rege Romanorum, in favorem Caroli, filii ac respective fratris factæ, ac a Carolo acceptatæ, A. 1703. I. 2331. cum Philippo V. Hispaniarum Rege, pacem concludit Viennæ d. 30. April. A. 1725. I. 2341. Regiæ Catholicæ Majestatis, Hispaniarum & Indiarum Regis titulo, durante vita utitur, I. 2347. in Regna Hispaniarum & Indiarum renunciat, I. 2350. Reipublicæ Genuensi Marchionatum Finariensem An. 1713. vendit, I. 2373. Commercii Tractatum cum Philippo V. Hispaniarum Rege, Viennæ An. 1725. stabilit, 2387. seq. suo ac S. Rom. Imperii nomine cum Philippo V. Hispaniarum Rege, pacem concludit, A. 1725. I. 2407. hujus ratificationem S. R. I. Statibus in Comitiis Ratisbonensibus de meliori commendat, A. 1725. I. 2411. eamque tria S. R. Imperii Collegia ratam habent, An. 1725. I. 2413. Privilegia atque immunitates offert atque concedit illis, qui in Austriæ interioris Provinciis ac Portubus, imprimis in Portu Tergestino & Fani S. Viti, vulgo Fiume dicti, qui pro Francis declarati sunt, commercia exercere, navesque appellere desiderant, Anno 1719. I. 2505. 2509. seq. Marchionem Octavianum de Caretto-Palestrino Comitatum & Castrum Garlendæ, Paravennæ & Linguiliæ in feudum confert, A. 1717. I. 2213. Principem Carolum Centurionum, ejusque filium, Joh. Baptistam, An. 1719. investit, I. 2235. seqq. Rainaldum, Mutinæ Ducem, in causa Massæ Ducis, contra Rempublicam Lucensem, in puncto invasionis hostilis, An. 1716. Commissarium constituit, II. 2243. 2247. Lucenses super fracta pace citat, An. 1716. II. 2245. causam istam per compromissum expediri non posse, Lucenses Rescripto An. 1716. monet, II. 247. Mutinæ Ducem hortatur, ut partibus utrinque controversiam ejus remittentibus arbitrio, eandem componat, An. 1718. ibid. Victorem Amadeum II. Sardiniæ Regem, qua Ducem Sabaudiæ, de Marchionatu Spigni, ipsi vendito, investit, An. 1724. II. 2319. Raynaldum, Mutinæ & Rhegii Ducem, de Mirandulæ Ducatu atque Concordiæ Marchionatu Anno 1712. investit, II. 2335. Jo. Andream ab Auria Landi, Principem Melphi &c. de Marchionatu Turriliæ investit, A. 1712. II. 2407.

E.

 Hiero-

Ermin.

Ferdi-

Henri-

I.

Illustris

Investi-

I.

Illustris

Placen-

81. Vitaliano, Comiti Borromæo, expeditionem, puncto feudi Castilionis ipsi antea commissam, ennam ut remittat, injungit, A. 1673. II. 83. Prinem Sulpherini monet, ne quid in eventum rtis Principis Castilionæi moliatur, A. 1673. II. 83. causa Joannæ Gonzagæ Doriæ, contra Ferdidum Gonzagam, ejusque hæredes, decernit, A. 31. II, 87. ad Ducem Massæ, in puncto transionis feudi Castilionis, nunc restitutionis Archiliteras mittit, A. 1681. II. 89. in causa Castilioa decernit, A. 1681. II. 89. Ferdinandum de Gonza investit, & Privilegia Familiæ Castilioneæ inlta, confirmat, A. 1682. II. 89. ad Pirrhum Mam Carolum, Marchionem de Gonzaga, de auxia S. R. I. Vasallis Italis, Germanis ferendo, scribit, A. 1683. II. 93. 95. Ferdinandum II. Prinem Castilionensem monet, ut lite coram Judio Aulico, inter ipsum ejusque subditos pendente, omnibus attentatis abstineat, A. 1692. II. 97. Callum, Comitem Borromæum, de faciendis, in usa Principis Castilionensis ejusque subditorum, struit, A. 1693. II. 97. Francisco Santino ad Prinpem Castilionensem salvum conductum concet, A. 1694. II. 99. Comiti Borromæo committit, Castilionensibus decretum Cæsareum publicet, 1695. II 99. Castilionensibus suam audaciam exrobrat, & obedientiam sub pœna præstandam, s imperat, A. 1695. II. 101. in causa Castilionenum, ratione cessionis & retrocessionis, fert sententiam, A. 1678. II. 104. Episcopum Tridentinum n causa Castilionea Commissarium constituit, A. 1678. I. 105. Ferdinando II. Castilionæo injungit, ut ona alienata vindicet, Communitati Privilegia onfirmet, nec civitatem novis exactionibus gravet, A. 1689. II. 106. ad Communitatem Castilionis, atione bonorum, Principi quondam Ferranti cesorum, decernit, A. 1692. II. 108. Ducem Parmenem in causa Castilionensium Commissarium contituit, A. 1692. II. 108. Comiti Borromæo injungit, ut Novellariæ Comitissam, ipsa invita, in Moasterium Mediolani a marito detrusam, exinde iberet, atque ad ejus fratrem, Massæ Ducem, transportet, A. 1676. II. 193. Camillum Gonzagam, Novellariæ Comitem investit, eique jus monetam cudendi confirmat, A. 1679. II. 195. Comitibus de Gazoldo spectantes ad ipsos in Gazoldi feudo portiones in feudum concedit, A. 1667. II. 229. Aloysio de Hippolythis, Comiti de Gazoldo, indultum, ratione homagii, ob feudi Gazoldi portiunculam, præstandi, ad sex menses largitur, A. 1692. II. 231. eidem literas investituræ A. 1667. Com. Hippolythis de Gazoldo concessas confirmat, A. 1693. II. 231. Dominorum Lercariorum literas Investituræ corroborat, A. 1659. II. 239. Opizonem, ejusque matrem ac tutricem, Malaspinas, A. 1651. & 1660. investit, II. 329. 343. ut & Nicolaum de Malaspina, A. 1660. II. 339. pariterque Cæsarem Mariam Marchionem Malaspinam A. 1660. II. 341. & Jo. Casparum March. de Malaspina, A. 1660. II. 345. item Julium March. Malaspinam, A. 1662. II. 349. æque ac Ferdinandum Malaspinam, A. 1665. II. 351. Marchioni Joanni Malaspinæ injungit, ut Marchionem Franciscum Antonium de Malaspina, in villarum Amulæ & campi Contri possessionem realiter immittat, A. 1671. II. 353. Marchionem Carolum Mariam Malaspinam investit, A. 1674. II. 355. ad Procuratorem Fisci rescribit, in causa fratrum Malaspinarum, de feudo Filatteriæ agitata A. 1697. II 369. Jo. Manfredum & Hippolytum, fratres Marchiones de Malaspina, investit, A. 1698. II. 375. Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem monet, ne Marchiones Malaspinas in Jurisdictionis Feudi Filatteriæ exercitio turbet, A. 1698. II. 381. Comitem Borromæum hortatur, ut id Rescriptum Magno Etruriæ Duci insinuet, A. 1698. II. 383. literis patentibus Feudi Filatteriæ subditis mandat, ut Marchiones Malaspinas Dominos suos agnoscant, eisque homagium & obedientiam præstent, A. 1698. II. 383. Comitem Borromæum instruit de modo procedendi in puncto Jurisdictionis Feudi Filatteriæ, inter Marchiones de Malaspina, & Magnum Etruriæ Ducem, controversæ, A. 1698. II. 383. ad eundem, in causa March. Malaspinarum contra subditos Filatterienses, rescribit, A. 1698. II. 385. Marchioni Ferdinando Malaspinæ Feudi Treschietti alienationem interdicit, A. 1698. II. 385. Monitorium ad Cosmum III. Magnum Etruriæ Ducem emittit de March. Malaspinis in Filatteriæ Feudi possessionem immittendis &c. A. 1699. II. 385. in eadem causa ad Borromæum rescribit, A. 1699. II. 385. Rainaldo, Mutinæ Duci, injungit, ut Ferdinando Malaspinæ, Feudi Treschietti alienatione interdicat, inque mortis ejusdem casum, laudati feudi possessionem adeat, A. 1701. II. 387. idem postea committit Massæ Duci, A. 1703. II. 387. Albericum Cybonem, Massæ Ducis, & Carrariæ Principis titulo donat, A. 1664. II. 399. Massæ Ducem, in causa Principis Castilionis contra Sulpherini Principem, Commissarium constituit A. 1671. II. 405. Carolo, Massæ Duci, atque Carrariæ Principi, feuda confert, eique privilegia confirmat, A. 1691. II. 405. Comiti Vitaliano Borromæo rescribit, ut Comitum a Mollart nomine, de feudi Frinchii occupatione modis omnibus sit sollicitus, A. 1690. II. 443. Principem Livium Odescalcum, Syrmiæ Ducem pronunciat, multisque honorum titulis ac privilegiis auget, A. 1698. II. 453. Ducem de S. Petro citat, ut coram Consilio Imperiali Aulico compareat, ad sententiam, in causa Ducatus Sablonettani, nullo jure occupati, audiendam, A. 1694. II. 485. ad Carolum II. Hispan. Regem scribit, ut in causa Sablonettana Duci de S. Petro, debitam Decretorum Cæsareorum observantiam, serio injungat, ac Gubernatorem Mediolanensem admoneat, ne eundem contra justitiam tueatur, A. 1694. II. 487. ab eodem literis postulat, ut Ducem de S. Petro, ad vi ablata Sablonettanis restituenda adigat, virumque sibi gratum, ad amicabilis compositionis tractatum suscipiendum Viennam mittat, A. 1695. II. 487. Ducem S. Petri monet, ut Ducatum Sablonettanum Bozuli Principi restituat, damna resarciat, & ab omnibus innovationibus abstineat, A. 1696. II. 489. Eugenio, Sabaudiæ Principi, rescribit, ut dictum monitorium Duci S. Petri insinuari curet, II. 489. Hannibalem de Foscheri, Comitem de Roboreti, ejusque descendentes, Marchiones Comitesque Castrinovi in Dalmatia, nonnullis privilegiis insertis, creat, A. 1681. II. 491. Comites Scarampos Cribellos investit, A. 1698. II. 529. Franciscum Antonium, L. B. Spinulam,

Lingui-

Alphon-

auxi-

Johan-

Ordina-

Ordinationes

Ordinis S. Joannis Hierosol. quid sint? II. 1885

Ordo militaris

pro lubitu instituendus permittitur Cosmo I. a Pio IV. Pontif. Max. A. 1561. I. 1186

Ordo Militaris S. Johannis Hierosolymitani, vulgo Melitensis

Rogerius, Rex Siciliæ, S. Joannis Hierosf. Ordinis in Sicilia Priori, locum in Campo Messanæ extra muros civitatis situm, dono dat, A. 1136. II. 1635. idem, Magnum dicti Ordinis in Sicilia Priorem cum fratribus, in protectionem suam recipit, eorumque Privilegia confirmat A. 1137. II. 1637. iisdem Comes Simonis res quasdam donat, A. 1147. II. 1639. Hospitali S. Jo. Hierosf. Arnaldus, Ecclesiæ Messanensis ac Traynensis electus, Ecclesiam S. Mariæ, juxta Vaccariæ rivulum sitam, dono concedit, A. 1147. II. 1639. Ganfridus Oliverius illis eleemosynas in Petargo & Scurdia confirmat, & viridarium Scurdiæ donat A. 1151. II. 1641. huncOrdinem Anastasius IV. P. M. in protectionem suam recipit, ejusque Privilegia & immunitates confirmat & auget, A. 1154. II. 1641. illi Odo Scarpo vineam & Ecclesiam donat, II. 1643. & Rogerius de Aquila, Avellinæ Comes, Ecclesiam quandam & molendinum A. 1177. II. 1643. hic Ordo cum Ordine Militari Templi pacem & unionem init, quam Alexander III. Pont. Max. confirmat, An. 1182 II. 1645. illi Guilielmus Malconvenant, Comes atque Magnus Siciliæ Admiratus, res quasdam dono dat, An. 1203. II. 1645. ejus domos in Sicilia, & imprimis Messanensem, Rex Siciliæ, Fridericus, in protectionem suam recipit, iisque varias immunitates & Privilegia indulget, Anno 1209. II. 1647. Domui Messanensi idem Rex dona quædam confert, A. 1209. II. 1647. illi Alemandus, Syracusæ Comes, res quasdam muneri dat, A. 1211. II. 1649. contra Fratres Hospitalis S. Joh. Hierosf. non potest ferri excommunicationis vel interdicti sententia, nisi a solo Papa, II. 1649. in hujus Ordinis commodum Comes d' Evoli a Friderico II. Imp. Commissarius constituitur, An. 1226. II. 1649. bona Templariorum in terris Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum, Ordo S. Jo. Hierosf. ope Clementis V. Pont. Max. accipit, qui Principes Alemanniæ hortatur, ut eadem in suis terris sita, eidem Ordini tribuant, A. 1310 II. 1651. Clemens V. Pont. Max. Templariorum bona ei tradit, excepto Franciæ Regno, An. 1311. II. 1651. ut Ordini S. Johannis, Templariorum in Anglia bona, sine Parlamenti consensu tradantur, prohibet Eduardus II. Angliæ Rex, Anno 1312. II. 1655. Philippus IV. Galliæ Rex, Templariorum bona, in Gallia sita, Hospitalariis S. Johannis itidem adjudicat, Pontificis dispositioni assentiendo, Anno 1312. II. 1655. Magister Ordinis S. Johannis, ejusque Capitulum, Alberto de Castro nigro &c. liberam dat potestatem, bona Templariorum per universæ Europæ ambitum occupandi, An. 1312. II. 1657. Eduradus II. Angliæ Rex, Templariorum bona Johannitaneo Ordini tradi mandat An. 1313. II. 1663. hic Ordo domum quandam, prope Lugdunum sitam, cum Amadeo, Sabaudiæ Comite, pro certis reditibus permutat, A. 1315. II. 1665. cum Johanne, Dalphino Viennensi, conventionem init, ratione permutationum quarundam domorum Vallis Aureæ & Castri Regalis Montis, aliorumque gravaminum, A. 1317. II. 1667. ratione bonorum Templariorum, inRegnis Jacobi II. Arragonum Regis sitorum, & Hospitalariis tradendorum, cum dicto Rege transactionem instituit & ordinationem facit Johannes XXII. P. M. A. 1317. II. 1671. idem Papa ordinata denuo confirmat, deque subjectione Monasterii de Montesia, Magistro Ordinis de Calatrava disponit, A. 1317. II. 1677. de annalium beneficiorum vacantium perceptione in favorem Ordinis Johannes XXII. P. M. se declarat, A. 1318. II. 1679. Johannes XXII. P. M. Eduardum II. Angliæ Regem, rogat, ut bona Templariorum in Anglia, Ordini S. Joh. a detentoribus tradantur, curet, A 1322. II. 1679. Richardus II. Angliæ Rex, Privilegia, Equestri S. Joh. Ordini, ab Angliæ Regibus concessa, confirmat A. 1386. II. 1683. Priori Domus Hospitalis S. Joh. Messanensis, Martinus, Siciliæ Rex, quinquaginta uncias donat, A. 1407. II. 1693. Fratres hujus Ordinis Alexander V. P. M. ab omni diœcesanorum &c. jurisdictione, potestate atque dominio exemtos declarat, A. 1409. II. 1693 fratrum hujus ordinis bona, decimarum Papalium exactione non gravari, Martinus V. P. M. mandat. A. 1428. II. 1693. Magistrum & Generale Capitulum Ordinis, in Rhodo Insula celebrandum, hortatur Sixtus IV. P. M. ut statuta observent, Insulæ defensioni prospiciant, creditoribus suis satisfaciant, &c. A. 1475. II. 1695. Leo X. P. M. Brevia Apostolica, de beneficialibus decimis edita, ad Ordinis S. Joh. bona non extendi debere, declarat, A. 1517. II. 1695. Clemens VII. P. M. Ordinis S. Jo. bona ab exactione decimarum, quas Galliæ Rex, Summorum Pontificum permissu, a Clero Regni sui exigebat, libera atque immunia declarat, A. 1526. II. 1697. Carolus V. Imp. Privilegia atque immunitates Ordinis S. Joh. quibus hactenus in Regnis & Dominiis suis usi sunt, confirmat, A. 1531. II. 1697. Pius IV. P. M. Privilegia, a Summis Pontificibus Ordini S. Jo. concessa, confirmat, & extendit, A. 1560. II. 1699. idem, omnia fratrum militumHospitalisS. Joh. ubique decedentium, bona vel ex illicita negotiatione acquisita, uti spolia, ad ipsum Hospitale, non autem ad Apostolicam Cameram pertinere constituit, A. 1561. II. 1725. Pius V. P. M. Privilegium Ordinis, quo a solutione decimarum, aliisque oneribus immunis declaratur, confirmat, A. 1568. II. 1729. Gregorius XIII. P. M. Privilegia atque Statuta Ordinis, de habitu suscipiendo, & Religione emittenda, deque immunitatibus, confirmat, A. 1580. II. 1731. Sixtus V. P. M. confirmat Privilegium, Ordini a Paulo V. P. M. concessum, ut omnes, beneficia ab Ordine percipientes, certos pecuniarum reditus communi ærario promte exsolvere teneantur, A. 1585. II. 1737. Statuta Ordinis d. A. 1584. eorumque a Sixto V. P. M. confirmatio, d. A. 1586. II. 1743. Fratrum Ordinis tria vota: Castitatis, obedientiæ, paupertatis, II. 1743. eorum officium in hospitalitate & militia consistit, ibid. Crucis signum octogenum gestant, ibid. transgressorum regulæ & statutorum pœna, II. 1744. fratribus Regula in Conventibus est prælegenda, ibid. Statuta, quo ordine sint legenda, II. 1744. quomodo fratres recipiantur ad profes-

Ordo Militaris S. Stephani.

cum

Hhh hhh hh 3

promulgat, I. 2443. Anna, Sabaudiæ Dux, contra ordinem successionis in Magnæ Britanniæ Regnum, a Parlamento nuper introductum, protestatur, Anno 1701. I. 2447. Victorem Amadeum II. Sardiniæ Regem, ac Sabaudiæ Ducem, de Spigni feudo investitum fuisse, relatum est, I. 2210. Sabaudiæ Ducis vasalli, I. 2416. quid Cæsari contributionum titulo pendat, I. 2419. ejusdem Duci, Victori Amadeo II. Josephus, Romanorum Imperator, sub reservatione petitorii, possessionem totius castri & medietatis loci Millesimi, aliorumque feudorum concedit, An. 1711. I. 978. ejusdem Consiliario, Petro Mellarede, Josephus, Romanorum Imperator, exhibet declarationem, An. 1711. I. 979. ejusdem Dux, Victor Amadeus II. cum Ludovico XIV. Galliæ Rege, Trajecti ad Rhenum, pacis tabulas erigit, An. 1713. I. 982. Ejusdem Duci Victori Amadeo II. Philippus V. Rex Hispaniæ, Regnum Siciliæ cedit, & tabulas pacis Trajecti ad Rhenum cum eodem sancit, A. 1713. I. 1002. ejusdem Duci locum priorem præ Magno Duce Etruriæ competere declarat Rudolphus II. Rom. Imp. A. 1582. I. 1314. ejusdem Ducis & Galliæ, Hispaniæque Regum nomine, articuli, Ducatuum Mantuæ & Montisferrati causa, sanciuntur, A. 1629. I. 1446. Sabaudiæ Princeps, Maria Francisca Elisabetha, cum Petro, Rege Galliæ, matrimonii contractum sancit, A. 1668. I. 926. ejusdem Dux Carolus Emanuel II. cum Ludovico XIV. Rege Galliæ, pro limitibus Provinciarum constituendis articulos componit, A. 1672. I. 929. ejusdem Dux & Respublica Januensis, arbitro Ludovico XIV. Galliæ Rege, laudum pronuntiante, A. 1673. amicitiam ineunt, I. 931. ejusdem Duci Leopoldus Rom. Imp. assensum ad certa quædam bona feudalia comparanda præbet A. 1690. I. 934. ejusdem Dux Victor Amadeus II. cum Guilielmo III. Rege Angliæ, & Ordinibus fœderati Belgii transactionem concludit, vi cujus ille fœderis inter illos & Leopoldum I. Rom. Imp. sanciti, A. 1690. fit socius, I. 935. ille quoque cum Ludovico XIV. Rege Galliæ, tabulas pacis erigit, A. 1696. I. 943. ejusdem Provinciæ & status per Gallos occupati, a Gallico Commissario Duci ejusdem, Victori Amadeo II. redduntur, A. 1696. I. 950. ejusdem Dux, Victor Amadeus II. a Leopoldo Rom. Imp. de Comitatu, Feudo, loco & Poderio Decianæ investitur, A. 1699. I. 951. qui denuo ab eodem de Feudo Imperiali Belvedere, A. 1700. investitur, I. 954. ejusdem Dux Victor Amadeus II. cum Leopoldo Rom. Imp. adversus Familiam Burbonicam fœdus init, A. 1703. I. 954. ejusdem Dux Victor Amadeus II. a Josepho Rom. Imp. de Ducatu Montisferrati investitur, A. 1708. I. 963. idem a Josepho, Rom. Imp. de Provinciis Alexandriæ & Valentiæ, nec non terris intra Padum & Tanarum sitis, item de Lumellina, ac de Valle Sesiæ, ut & de terris, quæ pro ditione Vigevana illi assignatæ fuerunt, investitur A. 1708. I. 967. ejusdem Duci, Victori Amadeo II. a Josepho Rom. Imp. ratione Feudorum Imperialium Langarum in Italia Decretum datur, A. 1710. I. 971. ejusdem Consiliario, Petro Mellarede, ob antegressam Ducis Sabaudiæ declarationem, in qua hic, se Vasallis Feudorum Imperialium Langarum nullam illaturum molestiam pollicetur, Josephus Romanorum Imperator exhibet resolutionem, Anno 1711. I. 975. Ducem ejusdem Liga Cameracensi comprehendi, Galliæ Rex declarat, I. 141. ejus Ducis satisfactio propter prætensionem successionis in Ducatum Montisferratensem, I. 197. 200. 203. 207. loca ipsi Conventione Clarascensi in Ducatu Montisferratensi cessa, I. 212. Victoris Amadei I. Ducis Sabaudiæ Ratificatio Conventionis Clarascensis, A. 1634. I. 212. eique incorporatæ Provinciæ sub armistitio inter belligerantes stabilito comprehenduntur, I. 265. cessio Regni Siciliæ Victori Amadeo II. a Philippo V. Hispaniarum Rege An. 1713. facta, I. 1024. Siciliæ Rex An. 1713. declaratus Victor Amadeus II. idem Regnum cedit Imperatori, Sardiniæ Regno pro eodem vicissim recepto, I. 273. 308. eidem novo Sardiniæ Regi confirmantur tractatu Taurinensi A. 1703. promissa, I. 273. 308. ejus in Hispaniam succedendi jus pro valido agnoscit Carolus VI. Imperator, I. 273. 308. Eugenius, Sabaudiæ Princeps, a Sacra Cæsarea Maj. Vicarius generalis in Provinciis ejusdem Italicis A. 1725. constituitur, I. 335. Tabulis fœderis, inter Leopoldum Imp. Victoremque Amadeum II. Sabaudiæ Ducem A. 1703. initi, secreti quidam adduntur articuli, I. 2447. adversus Victorem Amadeum II. Sabaudiæ Ducem, Ludovicus XIV. Galliæ Rex, Manifestum emittit, A. 1703. I. 2451. adversus Sabaudiæ Ducis machinationes Mantuæ Dux Collegio Electorali, A. 1658. protestationem offert, I. 1490

Sablonetta Civitas

cum dependentiis in conventione cum Ducibus & March. de Gonzaga ab Aluisio Caraffa de Marca, Hostiliani Principe, retinetur, A. 1591. I. 1836. Bozuli Princeps, ut conventioni de pretio feudi Sablonettæ stet, cogi non potest, An. 1592. I. 1850. de hoc Sablonettæ pretio causa inter Marchionem de Gonzaga & Principes Hostiliani, Ducesque Sablonettæ agitatur, An. 1596. I. 1850. in causa hujus civitatis cautio & solutio præstari debet, An. 1600. I. 1854. possessio Ducatus Sablonettæ Ducissæ Medinæ Turrium confirmatur, An. 1642. I. 1858. ad Ducatus dignitatem evehitur, An. 1646. I. 1858. ad Ecclesiæ territorii Sablonettæ valvas promulgata Imperatoris Decreta valida atque legitima declarantur, An. 1657. I. 1861. de ejus reluitione, quartaque parte contenditur, An. 1669. I. 1899. ut hanc controversiam amicabili compositione sopiant, certis personis committitur, An. 1682. I. 1938. Subditi Sablonettani ab obsequio Gubernatoris Mediolanensis, aut Ducis S. Petri se detrahere, atque solius Bozuli Principis potestati sese subjicere debent, An. 1693. I. 1955. Sablonettæ civitas, arx & status ab Hispaniarum Rege, Don Francisco Mariæ Spinolæ, Duci de S. Petro, A. 1693. traditur, II. 483. Leopoldus Imperator Ducem de S. Petro, Mandatis pœnalibus, de Ducatu Sablonettano vero Domino, Duci Bozuli, restituendo, non obtemperantem, ad audiendam contra se sententiam, citat, An. 1694. II. 485. Leopoldi Imperatoris literæ ad Carolum II. Hispaniæ Regem, in causa Sablonettana, A. 1694. 1695. II. 487. Ducatum Sablonettanum Principi Bozuli ut restituat cum refusione ablatorum & damnorum, idem Dux de S. Petro jubetur, A. 1696. II. 489. quod mandatum per Eugenium, Sabaudiæ Principem, ipsi insinuandum, II. 489

idem

 um, II.

F I N I S.

